UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, M.DC.LXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94285

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 912a.

C VIII.
3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ORTEGA
In 1. pari
D VIa
17

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ORTEGA
In A. pact
D Via

R. P. CHRISTOPHORI

DE ORTEGA

É SOCIETATE IESU,

QUONDAM SCOLASTICÆ THEOLOGIÆ

publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti;

IN SCHOLIS REGIA MVNIFICENTIA

Ad Imperiale Societatis Matritense Collegium erectis primarii Professoris: In Regio item Supremæ ac Generalis Inquisitionis Senatu à Theologicis Censuris, atque Toletanæ Diœcesis Hispan. Primat. Synodalis Examinatoris.

THEOLOGIA

CONTROVERSIARUM DOGMATICARUM,

& Scholasticarum, de Voluntate Dei, Virtutibus Moralibus, Providentia, Prædestinatione, Reprobatione, ac de Angelis.

TOMUS SECUNDUS.



LUGDUNI,

Apud JOANNEM-ANTONIUM HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXX.

CUM APPROBATIONE ET PERMISSU.



INDEX

Controuersiarum, Disputationum, Quæstionum, & Certaminum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

NVMERVS PAGINAM INDICAT.

CONTROVERSIA IV.

De Diuina voluntate, eiusque actibus vniuersim sumptis. pag. 1.

DISPVTATIO I.

De existentia voluntatis diuinæ in actu primo, & secundo, ac vtriusque ordine inter sese. ibid.

Quæst. I. AN Deo voluntas in actu primo adsit? pag. 1
Certam. 1. Voluntas Dei in actu primo ab Authoritate statuitur. ibid.
2. Ex Philosophis & rationibus voluntas diuina stabilitur. 3
II. Recténe ex Scientia, & intellectu diuino eius probetur voluntas. 4
1. Discursus Sancti Thomæ ad purum propositus, atque à rationibus dubitandi Caietani vindicatis. ibid.
2. Ex intellectiua substantia præcisè volitiuam legitimè demonstrari, sed non à Recentioribus. 5
3. Planiores, pleniores, & communiores illationis volitiui, & intellectiui demonstrationes. 6
4. Eneruantur aduersa argumenta. 7
5. In Deo ex intellectiuo volitiuum euidentiùs adhuc, & irrefragabilius inferri. 9
III. De iis, quæ diuinam præcedunt volitionem vniuersim. ibid.
1. Præcedit voluntas diuinam volitionem: seu habitus. ibid.
2. De specificatiuo adæquato voluntatis diuinæ, eiusque respectu huius præcedentia, seu prioritate vera. 10

DISPVTATIO II

De materialibus diuinæ volitionis obiectis, modo, & statibus, secundum quos ad ipsa porrigitur. 12

Quæst. I. AN diuina omnia diuini amoris materialia obiecta formaliter loquendo sint? ibid.
1. Diuina bonitas ex diuinis omnibus formaliter metaphysicè non conflatur: sed est prædicatum à reliquis diuersum. ibid.
2. Diuina reliqua obiecta diuinæ volitionis materialia sunt. 13
3. Oppositionibus occurritur. 14
II. An Deus creata obiecta secundum se sumpta omnia vniuersim amet, & singulatim, etiam, qua possibilia. 15
1. Omnia vniuersim, & singulatim, creata amat Deus. ibid.
2. De amore creatorum possibilium, qua talium, diuino, sententiæ Doctorum. 17.
3. Tertia negatiua vniuersim Amoris diuini

erga possibilia sententia, explicatiùs, temperatiusque, variis conclusionibus proposita, eligitur. 18
4. Aduersis fundamentis occurritur. 20
III. Ametnè Deus pro statu conditionatæ futuritionis conditionata contingentia. 22
1. Nonnulla pro quæstionis expeditione clariore. ibid.
2. Doctorum placita, inconsequentiæ, & debilia fundamenta notantur. ibid.
3. Postrema sententia variis conclusionibus explicata probatur. 25
IV. An, quove pacto Deus propter se creaturas amet? 27
1. Ad veram quæst. & intelligentiam decisionum notata. ibid.
2. Verus, non vulgaris, Theologicus eius propositionis sensus aperitur. ibid.
3. Aduersis argumentis obuiatur. 28
V. Ametnè Deus creaturas propter ipsas vt finem. 30
1. Doctorum sententiæ. ibid.
2. Tertia sententia præfata defenditur, ac illustratur. 31
VI. An propter creaturas amet se Deus? 33
1. Doctorum placita, & examen. ibid.
2. Nostra sententia etiam rationibus adserta. 34.
3. Diluuntur oppositiones. 35

DISPVTATIO III.

De diuinæ voluntatis, atque eius actuum libertate erga creata obiecta, eiusque magnitudine, & constitutiuo. 36.

Quæst. I. SItne diuinæ voluntati, & volitioni absolute libertas? ibid.
Certamen primum. ibid.
2. Diuinæ voluntatis absoluta libertas ab authoritate stabilitur. 37
3. Accinunt eidem veritati Ecclesiæ Patres. 38.
4. Eiusdem dogmatis, à ratione demonstrationes naturales. 39
5. Demonstrationum priorum effugium explicatione libertatis diuinæ contra nonnullos Thomistas Recentes præclusum. 41.
6. Absoluta diuinæ voluntatis libertas de fide asserenda est. 42
II. De vtraque libertatis Dei magnitudine. 43.
1. Circa quodvis obiectum sit diuina libertas intensiuè maior creata libertate est: imò & extensiuè maior absolutè est; etsi peccare (vt reuera nequit) non possit. ibid.
2. Maior diuinæ libertatis extensio, quàm creatæ, quæ ad malum potest, solâ comparatione ad vtrumque ostenditur. 45
III. De necessitate Dei ad optimum. 46
1. Quæstionis scopus, & sensus. 47
2. Doctorum placita aperta. ibid.
3. Vera sententiæ affirmantis vniuersim exclusioni contradicens stabilitur. 49
4. Reliquæ affirmantes sententiæ contradictoriis probatis repelluntur. 51
5. Argumenta aduersariorum retunduntur. 53.
IV. An Dei voluntas contradictionis libertate immediata ad suos actus gaudeat? 56
1. Negans sententia, consequentiæ examen. ibid.
2. Affirmans sententia statuitur, & propugnatur. 57
3. Solida à solutione obiectionum probatio tertia. 58
V. De affectuum liberorum Dei extensiua, quoad durationem, magnitudine. 60
1. Ex diuinæ volitionis liberæ positiua retractatione per aduersam nequit libera Dei volitio cessare per scripturam, & Patres. ibid.
2. Immutabilitas liberæ volitionis diuinæ positiua per aduersæ successionem à ratione probatur. 62
3. Dogmatica conclusio ab oppositionibus vindicata. 63
4. Libera Dei volitio pure incipere desinéve in tempore, adhuc è pura contradictionis libertate, minimè potest. 64
5. Vnica contra statutum dogma expeditur difficultas. 65
VI. Libertatis liberarum volitionum Dei formalis constitutio expenditur. 68
1. Extrinsecus libertatem volitionis diuinæ constituentium numerus, & communiores modi. ibid.
2. Connotantium, quoad id, quod ad decreti constitutionem ex parte Dei supponendum, speciales modi confutati. 69
3. Specialis nostri Quiros modus reiectus, & mens connotantium omnium in re hac concluditur. 71
4. Varij eorundem connotantium modi quoad specialia connotata refutati. 74
5. Libertatem volitionis diuinæ adæquatè per Deo intrinseca constitui, ac si adæquatè constitutam omnem Dei ad extra operationem præcedere auctoritate probatur. 76
6. Ab eadem parte ex dogmatum aliorum per connotantes euersione eorum sententia confutatur. 80
7. Ab impossibilitate, & insufficientia ex parte extrinsecorum effectuum, & operationum ad constituendam diuinæ volitionis libertatem, atque aliis incommodis connotantium sententia confutatur. 83.
8. Difficultatibus contra nostram sententiam Patroni præcessores haudquaquam satisfaciunt. 86
9. Caietani, & Asseclarum sententia rigide examinata & explosa. 89
10. Propria

10. Propria facilior, fors facilior sententiæ communis, & nostræ explicatio & à mysterij tanti, difficultatum complanatione probatio vltima. 92

DISPVTATIO IV.

De diuinarum volitionum diuersitate. 93.

Quæst. I. DE affectibus quos erga seipsum amore suo exercet Deus. 94
1. De amore stricto difficultatis scopus & Doctorum sententiæ. ibid.
2. Negatiua sententia duplici conclusione statuta. 97
3. Conclusio tertia authoritates aduersariorum eleuat. 99
4. Amor Dei erga seipsum, & charitas, & concupiscentia proprietate sermonis est. 101.
5. Amor Dei erga seipsum propriissime amicitia est. 103
6. De amore Dei erga seipsum breuiora dubia reliqua 105
II. Quo amore Deus extrinseca bona creata vniuersim prosequatur. 107
1. De desiderio Dei erga creata bona opinionis negantis fundamenta & Auctores. ibid.
2. Datur in Deo desiderium proprium erga creata bona, & quæ absolutè sunt, & pleraque, quæ absolutè non sunt. 108
3. Spei affectus Deo repugnat. 110
III. De affectus diuini erga creata efficacia absoluta & secundum quid, siue ex parte sua, non nostri antecedente, beneplaciti, nec solum signi. 111
1. Faciliorum expeditio, & vnicæ Theologicæ hac in re difficultatis propositio, & Doctorum sententiæ. 112
2. Voluntas vera, nec solum signi, antecedens de vita omnium, etiam reproborum, recta, & salute etsi non absolutè efficax: sed inefficax ex Scriptura, & Patribus in Deo statuitur. 114
3. Pro eadem veritate testimonia alia, & Theologica ex Patribus argumenta nonnulla. 118
4. Pro eadem veritate ex scriptura, & Patribus argumenta alia. 121
5. Ex tristitia de pereuntibus, suppliciis, & ira rationes reliquæ. 124
IV. De affectu prosecutiuo Dei erga rationales creaturas speciali, siue amicitia Dei propria erga illas. 127
1. Datur affectus amicitiæ propriæ erga creaturas rationales in Deo. 128
2. Possibilitas inæqualitatis amicitiæ Dei erga rationales creaturas examinatur. 130.
3. Amoris amicitiæ Dei inæqualitas, quæ de facto est, statuitur. 133
4. Aliud documentum de facto ad Theologiam spectans de maioritate amoris Dei erga homines, vel Angelos deciditur. 136.
5. De magnitudine amoris Dei de facto erga homines aliquot relate ad alios homines, vel reliquos. 139

DISPVTATIO V.

De nolitionibus, seu affectibus fugæ voluntatis diuinæ. 143

Quæst. I. AN Deus odium proprium abominationis erga peccatum habeat? 144
1. Odium abominationis erga peccatum proprietate sermonis conuenit Deo. ibid.
2. De libertate vel necessitate odij Dei erga peccata, & obiectorum solutiones. 145.
II. An odium inimicitiæ erga mortaliter peccatores proprie in Deo admittendum? 147
1. Doctorum sententiæ contrariæ referuntur nostraque prima assertio. ibid.
2. Odium proprium Deus in damnatos exercet. 149
III. De cæteris fugæ, & auersionis diuinæ affectibus. 150
1. De fuga speciali timore, dolore, seu tristitia statuitur. ibid.
2. De ira Dei decisio. 151

DISPVTATIO VI.

De ordine decretorum seu affectuum liberorum Dei. 153

Quæst. I. QVisnam ordo diuinarum voluntatum liberarum assignari possit, ac debeat. ibid.
1. Quæ certa omnibus esse debent, & difficultatis seu controuersiæ scopus proponuntur, ibid.
2. Non solum esse potest, sed de facto præfatus ordo in volitionibus Dei liberis est. 155.
3. Præfatus ordo intentionis Dei, & effectionis, ita absolutè necessarius est, vt non possit non esse. 156
II. An ordo præfatus inter intentionem efficacem Dei liberi effectus creati determinati, eiusque electionem, & executionem esse queat? 158
1. Quæstionis scopus, & supposita placita proponuntur. ibid.
2. Causæ liberæ memorata definitio, &, quantum ad rem hanc opus est, ab aliquorum tricis extricata. 161
3. Quartæ sententiæ negatiuæ conclusio

prima contra præscindentem præfinitionem demonstratur. 164
4. Conclusio secunda contra præfinitiones non præscindentes à mediis, & effectus libertate, & per scientiam mediam essentia sua regulatas. 167
5. Vltima conclusio contra præfinitionem actus liberi non supponentem, sed concernentem scientiam mediam, & auxilia efficaciæ benignæ, præcedentium confirmatio, & vindicatio. 170
III. An sit præfinitio de effectu libero disiunctim, & vage, possibilis, ac subinde inter eam, & executionem ordo. 172
1. Præfinitio, seu intentio efficax vaga, siue de affectu libero disiunctim, male à nonnullis, absurdisque consequentiis, & asseritur & negatur. ibid.
2. Nostri Ruiz rationes aliæ pro affirmatiua sententia reiectæ: vbi de amore Dei erga peccatum possibile præcisiuè. 174
3. Præfinitio vaga de actibus nostris, seu extremis liberis salua eorum libertate probatur, vbi multa Theologiæ vtilia consectaria. 176
IV. An inter Dei volitiones imperantis, & imperatæ ordo esse queat. 178
1. Imperans & imperatus actus eorumque ordo voluntati Dei non repugnat. ibid.
2. De facto actus imperans, & imperatus adsunt Dei voluntati: vbi obiectionibus occurritur. 180

CONTROVERSIA V.

De Moralibus Dei virtutibus. 182.

DISPVTATIO I.

QVÆST. I. INTNE in Deo virtutes morales admittendæ. ibid.
1. Rei difficultas, & doctorum sententiæ confutatæ. 183
2. Morales virtutes in Deo firmius adstruuntur, & à propositis difficultatibus facile vindicantur. 185
II. An reliquæ morales virtutes in particulari, præter iustitiam strictam Deo conueniant? 187
1. De temperantia, & fortitudine, earumque partibus. ibid.
2. De virtutibus nonnullis ad alterum relatis, ac proinde iustitiæ aliquo modo annexis, 188
3. De gratitudine Dei erga iustos. 189
4. De obedientiæ, obseruantiæ, & Religionis virtutibus statuitur. 191
II. De Dei promissione, pacto, & similibus, quoad proprietatem, & vim, seu obligationis inductionem. ibid.
1. De existentia, & essentia diuinæ promissionis. 192
2. De diuinæ promissionis proprietate, virtute, & effectu. 193
3. Confutatione specialis, ac speciosæ doctrinæ nostri Ruiz vltima conclusionis nostræ probatio. 196
4. Reliquis oppositionibus occurritur. 197

DISPVTATIO II.

De stricta & propria Dei erga homines, seu rationales creaturas iustitia. 200.

QUÆST. I. DE variis iustitiæ acceptionibus, atque strictæ essentia, & speciebus. ibid.
1. Ampliſſima iustitiæ, quam legalem vocant acceptio. ibid.
2. Propriæ, & strictæ iustitiæ definitio, explicatio, & in suas species diuisio. 201
II. Sitnè Dei ad creaturas commutatiua iustitia. 204
1. Contradictoriarum sententiarum Patroni, & solida nostræ negantis fundamenta aliqua. ibid.
2. Eiusdem negatiuæ conclusionis probationes reliquæ. 207
3. Leuiora pro negante nostra sententia, & quæ contra ipsam faciunt reiiciuntur. 209.
III. An iustitia distributiua Deo conueniat? 211.
1. Diuersæ Doctorum sententiæ, vbi de Sancti Thomæ mente. ibid.
2. Secunda sententia duplici conclusione explicata probatur. 213
IV. An iustitia propria, & strictè vindicatiua sit Deo tribuenda. 215
1. Sententiæ oppositæ, & affirmantis nostræ fundamenta leuiora. ibid.
2. Solidior affirmantis conclusionis probatio. 217
3. Ad distributiuam, continuatiuam, & legalem propriè sumpta secundùm diuersas considerationes vindicatiua iustitia Dei spectat. 218

CONTROVERSIA VI.

De prouidentia Dei, 220

DISPV

DISPVTATIO I.

De Prouidentiæ existentia, obiecto, & modo. ibid.

Qvæst. I. SItne in Deo creatorum prouidentia absolute, atque vniuersim. ibid.
1. Negantes Deo prouidentiam creaturarum omnem recensentur: vocis etymo, mo, ac rudi explicatione præmissa. ibid.
2. Catholica veritas de Prouidentia Dei erga creata absolute, & vniuersim asseritur, & vindicatur. 222
II. De Prouidentia Dei erga homines, & rationales cæteras creaturas; ac ipsarum liberas actiones. 223
1. Philosophorum prouidentia erga rationales creaturas negantium errores, eisque catholica, & naturalis veritas contradicens. ibid.
2. Diuina de rationalibus creaturis, atque earum actionibus prouidentia ex fide, & naturali ratione demonstratur. 224
3. Oppositionum solutio. 225
III. De Prouidentia erga prauas actiones. 226.
1. Dei erga prauas actiones ex Scriptura, & Theologis prouidentia probatur. 227
2. Id ipsum ex Patribus statuitur. 228
3. A ratione, & explicatione prouidentiæ diuinæ erga actiones prauas, eadem probatur conclusio. 229
4. Auerrois difficultati, & Catholicorum curiositati fit satis. 231
5. Eidem Auerrois difficultati, aliter atque aliter fit satis. 233
IV. An Dei prouidentia circa omnia omninò, & singula creata versetur. 234
1. Philosophorum errores, & affirmans sententia aliorum auctoritate, & dogmatica ex scriptura, & Patribus probatur. ibid.
2. Veritatis eiusdem demonstrationes Philosophorum, & Patrum auctoritate confirmatæ. 237
3. Minimarum atque abiectissimarum omnium & singularum rerum diuina prouidentia dogmatica, & euidens est. 239
4. De monstrosis, & infortunatis casibus, & effectibus Dei est Prouidentia: vbi doctrinæ Syrenij, & Molinæ animaduertio. 242.
V. An Deus creatis cunctis immediatè per seipsum prouideat. 245
1. Philosophiæ principum, Platonis, & Aristotelis errores. ibid.
2. Dei Prouidentia immediata erga res creatas omnes, & singulas Fidei, vt minimum, proxima est, & à Patribus tradita. 246
3. Diuinæ prouidentiæ erga cuncta creata immediatio naturali rationis lumini vicina monstratur. 247

DISPVTATIO II.

De prouidentiæ diuinæ essentia, & diuisione. 249

Quæst. I. QVibusnam prouidentia Dei vniuersim constet? ibid.
1. Exactior difficultatis dirimendæ explicatio, & Doctorum sententiæ. ibid.
2. Imperium intellectuale imperatiui modi ordinationis rei in finem per aptorum mediorum à Deo electionem, nec prouidentia est, nec illam in Deo constituit; imò imperium esse nequit. 253
3. Intellectuale imperium assertiuum de præsenti à nostro Ruiz excogitatum, & fundatum reiicitur. 255
4. Imperium intellectuale, imò nullum, Deo intrinsecum respectu creaturarum esse potest. 260
5. Diuina prouidentia, & scientia dirigente voluntatem ad mediorum electionem & electione ipsa æquè, & directo constituitur. 263
II. De prouidentiæ in suas species diuisione, & earum explicatione. 264
1. Diuinæ prouidentiæ species omnes ex obiectis, & actibus recensentur. ibid.
2. Scientia naturalem, & liberam prouidentiam cum mediorum electione constituens, atque huius conditio explicatur. 266
3. De scientia media directiua electionis efficacium mediorum ad finem liberum, & cum illa specialem, & perfectissimam de actibus liberis prouidentiam constituens asseritur contra Recentes. 268
4. Difficultatis propositæ aliorum solutiones reiectæ. 271
5. Firma præfatæ difficultatis solutio. 273

DISPVTATIO III.

De præsuppositis, & subsequentibus, seu causis, & effectibus diuinæ prouidentiæ. 276

Quæst. I. DE efficaciæ, ac serietatis modo in intentione præcedente prouidentiam obiectiue liberam, seu de causis, & effectis liberis requisito. ibid.
2. Prima communis, & facilis conclusio de prouidentia obiectiue libera, de mediis sufficientibus ad finem. ibid.
2. Conclusio secunda. 277
3. Vlterius, delicatiusque examen qualitatis præuiæ intentionis prouidentiæ liberæ obiectiuè. 279
II. De subiecto prouidentiæ. 280

1. De prouidentiæ vniuersim acceptæ subiecto. ibid.
2. Occurritur obiectionibus. 282
III. An, quove pacto prouidentia semper finem intentum assequatur? 283
1. Quo sensu diuina prouidentia necessario effectum obtineat? ibid.
2. Recidentiæ decidentis ab ordine vnius in ordinem prouidentiæ alterius vberior explicatio. 285
IV. De prouidentiæ effectibus, & genere causalitatis ab ea in ipsos exercitæ. 287
1. Effectus prouidentiæ examinantur, ac statuuntur. 288
2. Quonam causæ genere prouidentia Dei suos effectus producat, & de annexis quibusdam? 289

CONTROVERSIA VII.

De prædestinatione Sanctorum. 292.

DISPVTATIO I.

De existentia prædestinationis diuinæ. ibid.

QVÆST. I. VID prædestinationis voce à Theologis in hac controuersia intelligatur? ibid.
1. Proprietatis significationis, & receptionis Theologicæ vocis *Prædestinatio* dignoscendæ principia. ibid.
2. Propriæ aliquot vocis *Prædestinatio* acceptiones, & quæ ex vsu Theologis? 294
3. Aliquæ acceptiones propriæ vocis Prædestinatio è prioritatibus intentionalibus quas importat. 295
4. Prædestinationis respectu meritorum pura prioritas materia, & ex dictis conclusio. 297
II. De Prædestinationis diuinæ erga saluandos existentia. 299
1. Errores contra Prædestinationis existentiam dogmaticam, eiusque fundamenta aliquot examinantur. ibid.
2. Pro existentia Prædestinationis ad gloriam ex Scriptura testimonia firmiora. 300.

DISPVTATIO II.

De essentia Prædestinationis. 302

QUÆST. I. AN Prædestinatio gloriæ Sanctorum intentionem aliquam diuinam formaliter claudat. ibid.
1. Prædestinatio efficacem gloriæ Sanctorum intentionem formalem minimè claudit. ibid.
2. Occurritur obiectionibus. 304
3. Inefficax adhuc intentio, seu voluntas formalis gloriæ prædestinati formaliter in prædestinatione minimè clauditur. 305
II. Quonam tota essentia Prædestinationis contineatur? 307
1. Memoratis sententiis aliis nostræ scholæ propria ab authoritate statuitur. ibid.
2. A ratione eadem conclusio & libertatis nostræ stabilitur cum diuina prædestinatione concordia. 310
3. Prædestinationis ex inefficaci gloriæ intentione per scientiam mediam constituendæ ratio vlterior. 312
4. Rationes aliæ vindicantur. 313
5. Necessitas directionis scientiæ mediæ ad electionem mediorum efficacium prædestinatiuam probatur vltimo, & ab obiectione huc remissa ex certamine primo, numero septimo vindicatur. 316
6. Aliqui Recentiorum scrupuli expediuntur. 318
7. Recentiorum Scrupuli tres expediti. 320
8. Vltimi cæteris grauioris scrupuli expeditio. 322
III. De electione ad gloriam ante absoluta merita prædestinati præuisa. 324
1. Ante absolute præuisa merita eligi ad gloriam prædestinatos; certum omnibus est, de eius vero electionis efficacia non item. ibid.
2. Omissis Thomistis sententiæ, & Patroni. 325
3. Irrito pro alterutra sententia ab eius Patronis ex scripturæ testimoniis pluribus laboratur. 328
4. Irrito etiam pro alterutra sententia certatur ex Patribus. 332
5. Quovsque Vasquez contra Soarium minùs solidè discurrerit summatim expenditur. 338
6. Haud maiori operæ pretio Vasquinianæ aliis Soarium impugnant. 342
7. Magni mei Magistri Dazæ & ipso posteriorum vrgentiora contra Soaristas argumenta retusa. 346
8. Duplici conclusione negans sententia stabilitur, & ab oppositis vindicatur. 348

DISPVTATIO III.

De causis diuinæ Prædestinationis. 351.

Qnæst. I. AN repugnet creatura absolute imprædestinabilis à Deo? ibid.
1. Ad pleniorem quæstionis sensum notata, & placita Doctorum. ibid.
2. Nostra hæc negatiua sententia ab authoritate Scripturæ, & Patrum firmissimè fundatur. 353
3. Sanctus Augustinus cum Asseclis Patribus pro eadem stat, certatque sententia. 354
4. Pro eadem sententia Patres interpretes, & Scholastici reliqui. 356
5. A ratione eadem sententia probatur, & asseritur. 358
6. Peculiares probationes Recentiorum examinantur. 359
7. A solutione vnici fundamenti opinionis aduersæ nostræ, & communis probatio postrema. 361
II. An prædestinationis nostræ causa efficiens motiue meritorie ex parte prædestinati detur, darive saltem possit? 363
1. Semipelagiana præsertim ad purum de re præsente hæresis examinatur rigide. 364
2. Semipelagiani erroris Princeps rigide exploratus: vbi de Cassiani sententia. 368
3. Aliorum Patrum circa Semipelagianismum sensa eruuntur. 373
4. Massilienses explorato, eorumque error confutatur. 377
III. An, quoue sensu verum sit proloquium illud: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam?* 381
1. De eius proloquij sensu Scholasticorum ex naturæ viribus sententiæ explorantur. ibid.
2. Nullum, quamtumvis tenue, & remotissimum prædestinationis, aut iustificationis initium merito, aut dispositioni directæ, & per se vel etiam indirectæ, & per accidens, positiuæ, seu negatiuæ è solis arbitrij creati viribus differri salua fide Catholica potest. 387
3. De infallibilitate gratiæ largiendæ facienti quod in se est; eiusque proloquij certo & Catholico sensu. atque in eum nostrorum Molinæ, & Cardinalis Toleti assertio, & vindicatio. 392
IV. Possitne dari operibus ex Dei gratia ortis causa meritoria prædestinationis propriæ? 395.
1. Opera, ex gratia etiam Dei facta, prædestinationis propriæ causa meritoria esse nullatenus possunt. ibid.
2. Quidnam ad prædestinationem propriam opera ex ipsa, & gratia Dei profecta conferant demum? 398
V. An Christi Domini opera ex Dei gratia profecta prædestinationis alterius causa esse esse possint, ac de facto sint? 401
1. De merito Christi Domini, in hominum atque Angelorum prædestinationem influxu, & causalitate, Doctorum sententiæ. ibid.
2. Nostra sententia de causalitate meritorum Christi in Prædestinatorum electionem conclusionibus distincta proponitur, & probatur. 404
VI. An aliquis purus homo prædestinationis aliorum meritis è Dei gratia ortis causa esse possit, ac de facto fuerit. 408
1. De possibili quæstio deciditur. ibid.
2. Definitur quæstio de facto. 410

DISPVTATIO IV.

De effectibus prædestinationis. 412

Quæst. I. AN naturalia prædestinati bona effectusque prædestinationis sint. ibid.
1. Quæstionis Scopus Doctorum sententiæ, ac nostra circa naturam, & substantiam prædestinati de facto decisio. 413
2. Nec de possibili substantia prædestinati prædestinationis eius effectus est. 415
3. De reliquis naturalibus quoad substantiam bonis prædestinati variis conclusionibus deciditur. 417
4. De victoria tentationum. 418
II. An supernaturalia dona omnia, etiam iustificatio, & merita prædestinati peccato intrinseca, vt primò collata sint prædestinationis effectus. ibid.
1. De reliquis supernaturalibus, donis, præter iustificationem, & merita prædestinati intercissa, vt primo collata. 419
2. De iustificatione, & meritis peccato intercissis, vt primo collata, & habita prædestinato sunt, Vasquez, & Soarez & asseclarum pugna, & eorum fundamenta ad examen, & trutinam vocata, & perpensa. 421
III. An permissio peccati sit effectus prædestinationis. 424
1. Doctorum sententiæ. 425
2. Euasio electionis extrinsecæ præfato argumento præcluditur. 426
3. Affirmans sententia à nobis probatur, atque à præfato argumento, aliisque leuioribus vindicatur. 428

PISPVTATIO V.

De reprobatione Præscitorum. 431

Quæst. I. DE reprobationis existentia, & diuisione. ibid.

1. Reprobationis existentia de fide est, cuius non euidens ratio est; est tamen satis firma argumenti contra ipsam solutio. ibid.
2. Reprobationis diuisiones recensentur. 432.
II. An sit reprobatio ab omni gratia, & remedio salutis respectu aliquorum reprobo-rum. ibid.
1. De infantibus ante vsum rationis absque Baptismo decedentibus. ibid.
2. De adultis ad rationis vsum peruenientibus placita & decisio. 435
3. De sufficienti proximo ad fidem, & salutem auxilio conclusio postrema. 438
III. De essentia reprobationis à gratia communiter acceptæ à Theologis, & prædestinationi omninò aduersantis. 441
1. Reprobationis à gratia, etiam sufficiente, essentia statuitur: atque ad propriæ reprobationis essentiam statuendam notata. ibid.
2. Reprobationis prædestinationi contrariæ, & vulgatioris essentia examinatur. 442.
3. Essentia reprobationis à gratia efficaci, quoad rem ipsam, reiectis aliorum placitis stabilitur. 444
4. De actibus scientiæ reprobationis constitutiuis. 446
IV. De causa reprobationis ex parte Dei. 449.
1. Pro quæstionis expeditione notata. ibid.
2. In quæstione de facto Doctorum placita referuntur. 451
3. In quæstione efficaci reprobationis à gloria reprobi de facto conclusio prima. 453.
4. Negatiua etiam reprobatio à gloria reprobi absoluta demerita antecedens Scotica ablegatur. 457
V. An reprobatio rationalis creaturæ efficax, & eius demeritis anterior natura, ex fine ipsam puniendi reprobationis à gratia efficace causa esse possit. 460
1. Aliorum super quæstione proposita sententiæ, & negatiua nostra, & communis decisio. ibid.
2. Argumentum tertium Sancti Augustini illustratur cum aliis pro eadem conclusione reliquis 463
VI. An inefficax intentio perditionis reprobi causa Deo sit reprobationis ipsius à gratia efficace? quæve Dei intentio, ac finis eam reprobationem præcedat? 465
1. Negatiua quæstionis tam de facto, quam de possibili decisio. ibid.
2. Ex quo fine, & intentione reprobi à gratia efficace reprobatio proueniat, prouenireve possit statuitur. 466
VII. De causa reprobationis ex parte reprobi. 468.
1. Notatis aliquot quæstionis, cum de re, tum de nomine, punctum ipsum ad pu-rum proponitur, & scopus expeditur. ibid.
2. Quæstionis nostrorum de nomine negatiua decisio. 470
3. In quæstione de re Hæreticorum, & Catholicorum aliquot Doctorum placita, & quæ Catholicis certa esse debent. 471.
4. Theologorum ea de re sententiæ proponuntur, atque examinantur. 472
5. Dilucida quæstionis decisio nostra. 474

DISPVTATIO VI.

De reliquis ad prædestinationem, ac reprobationem aliquo modo attinentibus. 476.

Quæst. I. QVonam confirmatio in gratia, & induratio, seu obduratio in peccato, siue ad malum à prædestinatione, ac reprobatione differant. ibid.
1. De confirmatione in gratia notata, & Doctorum sententiæ proponuntur. ibid.
2. Nostrorum Vasquianorum, & Soaristarum ac Dominicanorum aliquot sententias expendo. 478
3. De confirmatione in gratia, sententia nostra. 389
4. De obduratione, seu indurationeimpiorum in malo, siue ad malum nostra sententia statuitur. 481
II. Ecquid vitæ, mortisque liber sit, ac prædestinationi, vel reprobationi addat. 483
1. E libri vitæ acceptionibus propria Theologia statuitur. 484
2. De mortis libro, & aliis vtrumque librum concernentibus. 485
3. Contra conclusionem secundam ex scriptura oppositio, vbi vtriusque libri indelebilitas statuitur. 487
III. De certitudine, & comparatione numeri prædestinatorum, ac reproborum. 489
1. Affirmatiua quæstionis vniuersim sumptæ decisio. ibid.
2. De numeri vtriusque quantitate, & comparatione. 491
3. De comparatione numeri prædestinatorum ac reproborum ad purum ex hominibus coacti. 492

CONTROVERSIA VIII.

De Theologicis ad Angelos spectantibus. p. 1

DISPV

Disputat. Quæstionum,&c.

DISPVTATIO I.

De Angelorum essentia, creationeque. ibid.

Qvæst. I. AN Angeli existant in rerum natura. p.2
1. Angelorum existentia ex Philosophis, scriptura, & fide statuitur. ibid.
2. Quid ex continua Cœlorum rotatione naturalis ratio de Angelorum euincat existentia? 4
3. Quid ex variis energumenorum effectis miris, de Angelorum existentia, & qua id efficacia ratio naturalis ostendat. 7
II. Quando creati Angeli fuerint, & vbi. 9
1. De duratione in qua Angeli creati sunt & primo extitere, statuitur. ibid.
2. Conclusionis probationes aliæ. 11
3. Postrema ex Conciliorum authoritate probatio datas confirmans, censurarúmque in aduersam examen. 13
4. Aduersæ sententiæ fundamenta Gennadiique, & Eugubini somnia de re præsente profligata. 15
III. Vbinam loci Angeli creati sint? 18
1. Angelos in cœlo Empyreo, quam alibi creatos esse longe probabilius vniuersim de omnibus est. ibid.
2. Postrema ex scriptura conclusionis probatio, & de aduersæ censuris. 19

DISPVTATIO II.

De Angelorum essentia ac diuisione. 21.

Quæst. I. DE Angelorum spiritualitate, & & absoluta incorporeitate. 22.
1. Angelorum spiritualitas ex parte saltem & immaterialitas statuitur. ibid.
2. Angelos in totum spirituales substantias esse qui negarint, recensentur. 24
3. Augustinus, & alij Patres ab ea sententia vindicantur. 26
4. Angelos substantias in totum & adæquatè spirituales esse, vera & communis scholasticorum, & Patrum sententia est. 28
5. Absolutæ spiritualitatis & incorporeitatis omnino Angelorum probationes vlteriores, vbi de eius certitudine. 30
6. Veritas eadem à ratione demonstrata: vbi & obiectiones à ratione præ sui leuitate euanescunt. 33
II. De Angelorum simplicitate. 37
1. De duplici prima compositione, vel simplicitate Angelorum statuitur, ac de tertia recensentur opiniones tam de facto quam de possibili. ibid.
2. Nostra sententia de Angelis qui sunt? 40
3. De Angelis possibilibus aliarum à productis specierum sententia nostra conclusionibus distincta. 42
4. Obiectionibus occurritur. 45
5. Auerrois & Aureoli Argumenta reiecta. 47.
III. De Angelorum incorruptibilitate. 49
1. Difficultatum sub quæstionis titulo contentarum distinctio ad directam earum, & expeditam decisionem præmissa. ibid.
2. Angeli natura sua sunt incorruptibiles propria corruptione, adhuc de potentia Dei absoluta. 52
3. De Angelorum natura sua annihibilitate vel inannihibilitate. 54
4. Oppositionibus occurritur. 57
5. De mortalitate, & corruptibilitate vel incorruptibilitate & immortalitate Angeli possibilis specie alterius à productis. 59.
6. Conclusionum vindicatio. 61
7. De essentiali Angeli possibilis immortalitate, seu incorruptibilitate, de potentia adhuc absoluta Dei. 65
IV. De Angelorum diuisione quoad intrinseca & essentialia. 69
1. De diuisione Angelorum, cum specifica, tum numerica opiniones. ibid.
2. Conclusiones nostræ in quæstione diuisionis specificæ. 71
3. De Angelorum speciei atomæ cuiusvis numerica multiplicabilitate conclusiones affirmantes S. Thom. authoritate fundantur. 75
4. Eadem conclusio probatur à ratione. 78
5. De numerica distinctione & pluralitate Angelorum de facto. 80
6. De numero Angelorum comparatiuo. 82
7. De numero comparatiuo Angelorum cum tota hominum collectione aliorum sententiæ reiectæ. 84
8. Magno valde numero creati Angeli cunctis hominibus excedunt; excessus tamen determinatus nobis ignotus omnino, & indefinibilis est. 86
V. De Angelorum in suas Hierarchias & choros diuisione. 90
1. Hierarchiarum Chororumque cœlestium vulgata apud Patres, & Theologos constitutio, diuisio & nominum ratio. ibid.
2. Cuius generis excessu superioris Hierarchiæ, chori & gradus intra eundem Angeli inferiorum Angelos antecedant, vt suo loco, & gradu quisque locetur. 94
3. Reliquæ probationes conclusionis eiusque amplior explicatio. 97
4. Conclusio quarta, & specierum Angelorum numerus. 99
5. Dubia reliqua expediuntur. 102
6. Dæmonum Respublica pessima eius gradus. 104

DISPV

DISPVTATIO III.

De iis quæ Angelis in creationis physico instanti adfuerunt. 105

Quæst. I. DE donis supernaturalibus, in quibus Angeli ex parte actus primi ad operandum creati à Deo sunt. ibid.
1. Habitibus supernaturalibus, & auxiliante gratia ornati Angeli in primo suæ creationis instanti extiterunt. ibid.
2. Angeli, pro naturæ perfectione, inæqualiter gratiæ, & donorum hibitualium participes fuere in instanti creationis, non autem ex merito, aut dispositione aliqua, quovis modo propria. 108
3. Tertiæ conclusionis à ratione probatio. 110.
4. De gratia auxiliante Angelis in instanti creationis à Deo donata, examen, & decisio. 114

II. De donis actualibus, siue actibus supernaturalibus in instanti creationis suæ Angelis à Deo donatis. 116
1. De actibus scientiæ, & cognitionis abstractiuæ Angelorum in primo instanti suæ creationis. ibid.
2. De actibus voluntatis Angelorum in primo instanti creationis. 119
3. De Angelorum in creationis instanti Beatitudine. 121
4. In quæstione de facto negatiua decisio. 124

IV. De exercitio libertatis Angelorum in primo instanti creationis. 126
1. Duplex opinio scholasticorum, earumque fundamenta debilia reiiciuntur. ibid.
2. Negatiua sententia triplici conclusione explicata statuitur. 128

V. De merito, ac demerito siue peccato Angelorum in instanti suæ creationis. 130
1. Negatiua quæstionis, tam de facto, quam de possibili, decisio solida ex nostris principiis probatio, Doctorum circa vtrumque sententiis recitatis. ibid.
2. De peccato veniali obreptitio Angelorum in creationis instanti. 133
3. Dominicanorum Thomistarum & ea in re sequacium pro impeccabilitate Angelorum in instanti creationis quovis modo ab eis explicata infirmæ confutantur rationes. 134
4. Prolixa nostri Quiros ratio, & meditatio postrema nusquam est reiectis proxime firmior. 137

DISPVTATIO IV.

De statu viæ Angelorum, & iis quæ ipsis in eo statu acciderunt. 140

Quæst. I. DE instantibus status & viæ Angelorum eiusque duratione. ib.
1. Instantia, quibus Angelicus viæ status constitit quæstionibus Theologicis decidendis vtilia physicæ durationis fuere, esseque deinceps Theologicis disputationibus debent. ibid.
2. De duratione temporaria viæ Angelicæ instantibus, moulis, & magnitudine vniuersim definitur. 142
3. Viæ Angelicæ durationis extensio, quantum absque diuinatione potest, determinata taxatur. 144

II. De loco pœnitentiæ Angelorum in statu viæ. 146
1. Absolute Angelorum in via inflexibilitatis, Patroni fundamenta disiecta. ibid.
2. Absoluta physica Angelorum à præhabito affectu flexibilitas statuitur. 148
3. Efficax ratio à priori. 151
4. Quæstionis directæ de loco pœnitentiæ Angelis in via à Deo facta nostra decisio. 154.
5. Aduersæ sententiæ fundamenta conelluntur. 156

III. An aliqui Angeli peccati vel obedientiæ aliorum causa fuerint; vbi de prælio inter bonos malosque, pro viæ statu in cœlis habito, ac eius exitu. 158
1. Affirmatiua sententia conclusionibus aliquot distincta eligitur, & fundatur. ibid.
2. De prælio Angelorum in empyreo inito, & memorato Apocalypsis 12. eiusque initio armis, & progressu conclusiones nostræ. 160.
3. Quo fructu, & exitu certatum vtrinque ab Angelis fuerit. 163

IV. De colloquio seu locutione Angelorum inter se. 166
1. Præmonenda, supponendaque cunctis ad quæstionis decisionem. ibid.
2. Doctorum placita varia de Angelorum locutione per signa obiectiua. 168
3. Aliorum de Angelorum locutione sententiæ repulsæ. 171
4. Aliorum, qui cognitione Angeli loquentis, eius loquutionem constituunt, non tamen in ea principium actiuum proximum ex parte obiecti adæquatum, vt alter audiat sed in eius speciebus impressis. 174
5. Richardi, & Soarij atque eos sequentium sententiæ confutatæ. 178
6. Genuina, ac vera S. Thomæ sententia statuitur, & propugnatur. 182

V. Quid, quibus, & ad quam distantiam loqui Angelus possit, ac illi audire? 186
1. Quid Angelus loqui aliis possit? ibid.
2. Quibusnam Angelis loqui alius Angelus possit? 188
3. De hominum pro hoc statu immersionis animæ in corpus, & Angelorum mutuis inter sese locutionibus. 189
4. De mutua Angelorum vel inter se, vel hominibus colloquentium auditione. 192
5. De multitudine Angelorum loquentium, quos quisque potest audire. 195

VI. De peccato Angelorum Apostatarum. 197

1. Quæstioni supposita statuuntur. ibid.
2. Huius secundæ difficultatis decisio. 199
3. Angeli luciferi malorum principis peccatum primum propriæ superbiæ fuit. 202
4. Specialis actus superbiæ, qui primum Luciferi peccatum, fuit affectus æqualitatis cum Deo in natura. 205
5. Scotus impugnatur. 208
6. Sententiæ de appetitu vnionis hypostaticæ confutatione nostra de primo Luciferi peccato firmatur. 210
7. Reliquarum sententiarum de primo Luciferi peccato confutatione præfata nostra rursus stabilitur. 213
8. De primo reliquorum Angelorum peccato sententiæ, & nostra decisio. 216

DISPVTATIO V.

De Angelis in termini statu siue operum retributione. 218

Quæst. I. DE pœna, & gloriæ Angelorum æternitate, ac reliquis à gloria essentiali, quibus dæmones priuantur. ibid.
1. De æternitate pœnæ dæmonum, & bonis ad intellectum spectantibus, quibus priuantur, & ad quam pœnam, damni, an sensus ea eorum priuatio pertineat. ibid.
2. De iis, quorum priuatione ex parte voluntatis damnati dæmones puniuntur. 222
3. De absoluta impotentia dæmonum damnatorum bene per pœnitentiam, aut alium actum moralis virtutis operandi sententiæ, ac de pœnitentia conclusiones. 225
4. Rationes impotentiæ physicæ ad actum bonum moraliter præfatas reiicio. 228
5. De physica potentia, vel impotentia dæmonum damnatorum ad bene, simpliciter, & absolute operandum, nostra sententia. 231.
II. De obstinatione, ac obduratione dæmonum, & reliquorum damnatorum in malo. 233
1. Obduratio damnatorum in malo in nulla assignate à Doctoribus impotentia physica bene operandi, ac non male operandi. ibid.
2. Aliis reiectis nostra de obduratione dæmonum, & aliorum damnatorum in malo, & ad malum negative, & positive conclusio prima proposita, & asserta. 237
3. Amplior obdurationis voluntariæ explicatio, & conclusiones reliquæ. 239
III. De pœna sensus vniuersim sumpta. 242
1. Nominis ratio, essentia, & obiectiua huius pœnæ extensio. ibid.
2. De magnitudine pœnæ sensus, eiusque continuatione per æternitatem. 244
3. De pœnæ sensus dæmonum, & damnatorum intensiua magnitudine. 247
IV. De dæmonum, & animarum separatarum tortura ab igne. 249
1. Quæstionis certa, & qua certitudine, supponenda statuuntur. 250
2. Variæ sententiæ de cruciatu spirituum igne verè corporeo reiiciuntur. 252
3. Reales cruciatus dæmonum ab ignis obedientiali, vel morali actiuitate reiiciuntur. 255.
4. Sententia de eadem dæmonum, & animarum separatarum tortura ab igne, qua à Deo cruciarentur vnitæ, cruciabunturque æternum reunitæ. 259
5. Qui virtute naturali ignis inducendi doloriferam corpoream qualitatem in substantias spirituales, earum supernaturaliter vel naturaliter passiue recepta potentia, præsentem difficultatem componunt, refelluntur. 262
6. Alligatione physica dæmonum, & animarum damnatorum ignis penitius, quam vulgo, inspecta tortura, & cruciatus vtrorumque ab igne facilius asseritur, & explicatur. 264
7. De loco durationeque pœnæ ignis dæmonum animarum separatarum atque hominum rediuiuorum. 268

DISPVTATIO VI.

De Angelorum omnium in statu termini ministeriis & officiis. 272

Quæst. I. DE Angelorum Beatorum ministeriis erga Deum & Angelos alios. 273
1. Ministeria Angelorum erga Deum & Angelos alios statuuntur. ibid.
2. De illuminationis Angelicæ materia & modo quo ab Angelis fit. 277
3. Quid illuminatio sit, quidque illuminatio præstet, & quomodo fiat. 283
II. De Angelorum erga homines officiis seu de hominum ab Angelis custodia, & malis dæmonum erga nos officiis. 287
1. De Angelorum custodia, & bonis erga homines officiis. ibid.
2. Reliqua ad Angelorum custodiam spectantia. 289
3. De officiis, quibus Angeli custodiam dæmones nostram agunt perditionem. 291

Facultas

Facultas R. Patris Prouincialis Prouinciæ Toletanæ.

IOANNES DE VALENZVELA Soc. Ieſu in Prouincia Toletana Præpoſitus Prouincialis poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Ioanne Paulo Oliua Præpoſito Generali facultatem facio, vt Liber inſcriptus *Tomus Secundus Controuerſiarum de Deo Vno*, auctore P. Chriſtophoro de Ortega noſtræ Societatis Theologo,& eiuſdem Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti in noſtro Imperiali Collegio. Die decima ſecunda, Nouembris. Anno milleſimo ſexcenteſimo, ſexageſimo ſexto.

IOANNES DE VALENZVELA.

Facultas R. P. Prouincialis Prouinciæ Lugdunenſis.

PAVLVS SVFFREN Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta facultatem eidem Societati à Chriſtianiſſ. Regibus conceſſam Henrico III. 20. Martij 1583. Henrico IV. 20. Nouemb. 1608. Ludouico XIII. 14. Februar. 1611. Ludouico XIV. 23. Decembr. 1650. Permittit PETRO CHEVALIER Bibliopolæ Lugdunenſi Typis mandare ac diuendere Librum cui titulus *R. P. de Ortega Hiſpani noſtræ Soc. Theologi*, &c. Opera omnia Theologica variis Voluminibus edita. In decem annos proximos. Datum Lugduni die 24. Maij 1671.

PAVLVS SVFFREN.

PERMISSIONES.

VIſo Priuilegio Prouincialis Soc. Ieſu non intercedo Regis cauſa, vt Liber cui Titulus eſt *R. P. de Ortega Soc. Ieſu Theologi de Deo Vno, &c. Tomis duobus comprehenſus.* In lucem edatur à PETRO CHEVALIER huius Ciuitatis Bibliopola,cum prohibitionibus in hoc caſu fieri ſolitis. Lugduni 24. Iunij 1671.

VAGINAY.

Flat iuxta conſenſum Procuratoris Regij, eadem die & anno.

DE SEVE.

CONTRO

CONTROVERSIA QVARTA.

DE DIVINA VOLVNTATE, EIVSQVE ACTIBVS vniuersim sumptis.

PLVRA in hac Controuersia tractari à plerisque prolixè solent, quæ omittenda à nobis meritò sunt: quia controuersiis prioribus, vel in forma vel in materia à nobis definita sunt. An Dei Voluntas, eius Essentia Methaphysica, vel tota, vel ex parte sit? Constat enim ex Controu. 1. d. 2. ad Essentiam Metaphysicam Dei solo prædicato *essendi*, seu entis à se, adæquatè ibidem constitutam, nullatenus voluntatem posse pertinere. Simile etiam illud est. Quo pacto voluntas Dei ab eius Essentia differat? an distinctione reali formali absolutè tali? an reali formali ex natura rei? an saltem reali virtuali, quam dicunt? item an distinctione formali rationis obiectiua, siue ex parte obiecti; nec solùm ex parte cognitionis? item formali distinctione obiectiua Voluntatis Diuinæ ab Essentia admissa: an in altera mutuò, vel non mutuò includatur. Quæ omnia decisa pro omnibus Diuinis Attributis, (ex quibus Voluntas Diuina exploratò est à nobis eadem Controu. 1. d. 3. fuere. Igitur de Diuina Voluntate secundum se sumpta examinanda hîc primum restat existentia, & aliorum vsu, quàm genio nostro, quæ illam probant, rationum qualitates: num scilicet demonstrationes sint, necne? Deinde actus eius necessaria principia. Tertiò: quænam obiecta necessario amare, & prosequi fugereue, & odio habere ex parte antecedentis teneatur: Quartò, de formali constitutione actus Voluntatis liberi Diuini. Quintò, de ordine intentionis, & excutionis inter liberos Dei actus. Sextò, de intentione efficaci, & inefficaci eiusque obiecto: an absolutum, an conditionatum esse queat?

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia Voluntatis Diuinæ in actu primo, & secundo, ac vtriusque ordine inter se se.

HOc priùs recta methodo examinandum: quia Controuersiæ subiectum primum est; & quod reliqua, de quibus disputabitur, necessario supponant.

QVÆSTIO I.

An Deo Voluntas in actu primo adsit?

PRius exploratæ adeo Veritati disputandæ Philosophorum aliquot, neque ignobiliorum, vel re ipsa error, vel (quod veriùs puto) ex praua aliorum intelligentia ipsis impositus locum fecit.

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus II.

CERTAMEN I.

Voluntas Dei in actu primo ab Authoritate statuitur.

1. ARistoteles, Theophrastus, & ex Peripateticis alij, atque Auerroes, Auicenna, & Porphyrius, teste Alberto libro de causis apud Dionysium Carthusianum in 1. d. 45. q. 1. col. 3. Deo voluntatem in actu primo negasse videntur; quia omnis voluntas appetitus est boni appetenti deficientis: cùm tamen Deo nihil possit deficere; quare neque alicuius appetitus, aut Voluntas in eo esse. Cæterum Albertus ipse rectè eos Philosophos interpretatur, vt boni non habiti, & deficientis, quo ipse perficiatur, eiusque, quoad commodum ipsius intersit, appetitum, & voluntatem solummodo negarint, non autem absolutè: siquidem, nec boni, ac perfectionis suæ complacentiam (quæ sinè voluntate adesse Deo nequit) negarunt, neque eorum rationes contra id probant, neque contra appetitum, & desiderium rerum, quæ aliorum intersunt. Secundò, cùm Aristot., & Plato mox recitandi Dei voluntatem expressè agnouerint, & vtrumq; sectati citati reliqui sint, etiam Porphyrius, non potuerunt ijdē Dei voluntatem, nisi dato, vt summùm, sensu negare. Nonnulli tamen apud

sanctum Thomam q.2. de veritate art.1. in corpore asserentes, Scientiam, & Amorem, metaphorice solum Deo conuenire, & solùm amoris & scientiæ nostræ causam esse: negasse consequenter illam videntur, factis enim amoris proprij diuini actibus impossibilibus, & voluntas propriè, quæ eorum propriè actuum potentia, & facultas Essentia & conceptu suo est, redditur Deo impossibilis.

2 Sed enim sententia hæc, cuiuscunque fuerit, vel demùm posthac sit, falsitatis ex sacra pagina conuincitur: quia etsi nihil in Scriptura Sacra expressùm inueniam de Voluntate Dei in actu primo (vt locis iam subiiciendis quibus Conclusio hæc probari potest, vt solet, clarebit) id tamen ex illa deducitur libris, foliisque penè omnibus. Gen. 27. *Voluntas Dei fuit, vt eiò mihi occurreret, quod volebam.* Psalm. 29. *Vita in voluntate eius:* & infrà, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem,* Gen. 45. *Non vestro consilio, sed Dei Voluntate huc missus sum.* Psalm. 103. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Sap. 11. *Subest tibi, cum volueris posse,* & infrà: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu,* & inferiùs: *Fiat voluntas tua.* Quibus similia de Oratione Christi in horto, & alij Euangelistæ. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum,* cap. 5. *Pater diligit Filium,* cap. 14. *Sicut dilexit me Pater,* infrà. *Pater meus diligit eum,* cap. 16. *Ipse Pater amat vos:* ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei:* ad Ephes. *Prædestinauit nos secundùm propositum voluntatis suæ:* infrà, *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ;* In iis igitur, innumerisque aliis locis Scriptura sacra, Dei volitionem, amoremque adstruit; qui cum actus voluntatis proprij, nec metaphorici solùm sint, & voluntatis quidem propriæ, nec solùm metaphoricè talis, in Deo voluntatem necessariò, & ineuitabiliter supponunt. Quare, & qui eam Deo negauerit, in fidei principia, ex quibus infallibili connexione Deo adesse deducitur, manifestè peccabit.

3 Æqua certitudine voluntatis Diuinæ existentia ex Fidei principiis aliis infertur. Primò. Ex Processione Spiritus Sancti, quæ nonnisi per amorem, & voluntatem dogmaticè, est: ac proinde voluntate à Deo sublata, Trinitas Personarum auferretur. Tolleretur item Dei de rebus cunctis Prouidentia, Electorum prædestinatio, ac præscitorum reprobatio: item Iusticia, Misericordia, & reliquæ morales virtutes, quæ absque voluntatis actibus esse nequeunt, totiesque in Scriptura afferuntur. Id ipsum eodemque modo, & gradu ex innumeris Scripturæ locis, quibus Dei voluntati non posse resisti, odióque habere peccatores; amare vero virtutes, & iustitiam in vtroque Testamento frequentissimè legitur. Nec minus frequens est gratiæ Dei, & prædestinantis, & auxiliantis in sacra pagina, præsertim apud Pauli Epistolas assertio; cum tamen absque merè liberali, & gratuita Dei voluntate, nulla ipsius gratia, prædestinatiove gratiosa esse possit. Demùm, vt reliquis, in re adeò constante, etiam recensendis capitibus eam ex Scriptura probantibus abstineam: tota Scriptura sacra, fidesque nostra subruent, si Deo voluntas denegetur. Etsi enim ex Scientia Diuina Fidei, & Scripturæ certitudo, qua parte reuelans Deus tolli nequeat, etiam negata eius voluntate omninò persisteret; ast qua parte nos fallere non possit, (quod ob absolutam, & completam Fidei, & reuelatorum infallibilitatem necessarium prorsus est) sublata voluntate subrueret: ea siquidem impotentia nos fallendi in determinatione bonæ voluntatis Diuinæ in actu primo, ad non mentiendum, siue in summa veracitate Dei formaliter proximè constituitur.

4 Duo præfatæ probationi voluntatis Diuinæ, ex tot scripturæ locis, veritatibusque Dogmaticis deductæ, vt eam negantes erroris contrà Fidem insimulentur, incommodare posse videntur. Alterum: quia id ex principiis Fidei deduci posse non apparet, quin idem per idem vitioso circulo demùm probetur. Siquidem, vt Fidei actus, (cui totus Theologicus iste discursus innititur) firmus, atque infallibilis sit, non solùm Diuinæ veritati, & infallibilitati in cognoscendo, verùm, & Diuinæ veracitati in dicendo debet niti. Cum autem veracitas hæc nil aliud formaliter proximè sit, quàm determinata ad non mentiendum Dei voluntas, vt diximus; discursus ist. existentiæ Diuinæ voluntaris, quam infert, demùm innitetur: idémque per idem tandem probabit. Hanc eandem difficultatem arctiùs altiúsque proposui Controu. 1. d. 1. q. 5. cert. 1. & 2. ac solutiones subtiles quasdam Nobilium Recentiorum dificei (in quibus, & nostri Cuiros solutio, quam hìc accommodatam voluit tract. 5. de Voluntate d. 56. sect. 1. num. 1. ex dictis à se tract. 2. de Essent. & Attribut. d. 1. circa actum Fdei de existentia Dei satis fuit confutata) atque num. eius certaminis 6. ostendi, nihil ex iis, quæ Fidei motiuum, vel claudit, vel supponit, quare neque Dei existentiam, nec veritatem, nec veracitatem, nec reuelationem, eodem Fidei actu simul cum obiecto reuelato, credi, cognosci, à nobis primò posse; sed eius assensum ex aliis mediis, ac motiuis à nobis ad assentiendum reuelatis, necessariò præhabeii.

5 Quam doctrinam difficultati simili Controu. 2. d. 1. q. 1. certam. 2. num. 5. circa actum Fidei, quo Diuinæ Scientientiæ existentia credatur, iterùm tradidi, ac nonnullis eo certamine confirmaui. Ex ea verò difficultas præsens disparet, siquidem iuxta illam constat, actum Fidei, quo Dei Voluntas determinata ad non mentiendum reuelata cognoscitur citatis locis, ex quibus præfati discursus Theologici ducuntur, aliunde Dei veracitatem, seù voluntatem ipsius ad non mentiendum determinatam à nobis cognitam, & iudicatam supponere; atque in eum tandem assensum aliunde à nobis habitum, & Fidei actus illos, & inde ductos discursus reduci, eique initi, quin idem per idem probemus, siquidem media ad discursuos assensus diuersa sunt à mediis, quibus veracitatis Dei assensus, necessariò ad assensum Fidei, de eadem veracitate, & voluntate Dei reuelata præhabitus est: ac subinde assensuæ eiusdem veracitatis, & voluntatis Dei cognitiones, neque inuicem subordinatæ, & mutuò dependentes erunt. Siquidem assensus ille ad actus Fidei de veracitate, ac subinde volùtate Dei reuelata præcedens ab eis Fidei actibus neque proximè per ipsos Fidei actus, neque remotè ex deductis inde discursibus habetur; quòd autem eadem Dei voluntas sit, quæ, & aliunde Deo adesse iudicatur, & cui actu Fidei, & inde ductis discursibus assentimur, nil repugnantiæ apparentis adhuc inuoluit. Cùm enim motiua omnia ad assentiendum obiectis, non secundùm existentiam, suam physicam, & entitatiuam, sed solùm secundùm existentiam intentionalem ipsis per assentiuam cognitionem præstitam, ad suæ Physicæ existentiæ assensum nos inducant, dummodo assensus de earum physica existentia diuersi sint, nec inuicem dependentes, & subordinati: nulla est repugnantiæ vmbra maior, quàm sit in assensu duplici existentiæ physicæ eiusdem per media diuersa, quod fieri posse nemo dubitat.

6 Secundum, quod discursibus factis obuiare posset, ex dictis Controu. 1. d. 2. potest desumi. Nimirum ex volitione Dei, haud quaquam voluntatem Dei in actu primo legitimè, vel saltem certò deduci: siquidem statuta ex Fide Dei scientia, non statim in Deo intellectus in actu primo, siue potentiæ intellectiuæ prædicatum ab intellectione, siue huius potentia logica, aut (quod idem est) intellectionis, Scientiæ Diuinæ possibilitate formaliter diuersum debet admitti: quin imò à Catholicis plerisque ingeniosis, cùm priscis, tum recentioribus ea disputatione vidimus negatum: ob eam in primis rationem realis indistinctionis Diuinorum omnium communium, quæ necessariam distinctionem veræ, & realis, nusquamque fictitiæ potentiæ à suis actibus reddit in Diuinis impossibilem: quæ ratio in actu volitionis Diuinæ respectu voluntatis Dei in actu primo, siue volitiuæ eius potentiæ eodem robore perstat: Sed verò obiectionis huius solutionem d. 2. vbi de principiis volitionis Diuinæ agetur ex instituto, opportuniusque dabimus. Nunc autem satis erit adnotasse; neminem ex eis, qui admissa Catholicè Dei scientia, diuersum ab ea, eiusque potentia logica, siue possibilitate prædicatum intellectiuæ potentiæ in Deo negant, negare Deo voluntatem in actu primo, siue volitiuam facultatem ab eius volitione formaliter diuersam; sed eam potiùs altis, atque aliis rationibus atque difficultatis propositæ solutionibus eorum quemque in Deo adstruere: magno quidem argumento, & hanc veritatem, & illationem ex volitione Diuina ad voluntatem Dei facultatem certam esse: atque difficultatem ex vtriusque reali identitate petitam, (quantumuis arctus appareat) reuera in præsenti materia mitiorem longè esse, & minorem.

CERTAMEN

CERTAMEN II.

Ex Philosophis & rationibus voluntas Diuina stabilitur.

1. PRimus ex Philosophis Socrates eam veritatem vel docuit; vel tanquam exploratissimam supposuit apud Platonem in Alcibiade Primo, siue de natura humana, fine, vbi sic de faciendis præfandum monet. *Si Deus voluerit*; & Plato ipse in Timæo, siue de natura longiusculè à principio, ita Deum creatis à se Angelis loquentem inducit. *Non estis penitùs immortales, neque penitùs indissolubiles; non tamen soluemini, nec mortis sortem sequemini: cùm mea voluntas, maius adhuc, & præstantius vinculum, vobis contigerit.* Arist. lib. de mundo circa finem. *Deus omnia, quò vult, mouet, & arbitratu suo omnem rempublicam temperat*, & 7. Ethic. cap. vltim. vers. fin. Deum semper vna, simplicique voluptate gaudere ait, quam lib. 10. cap. 8. Beatitudinem contemplatiuam esse docet: quæ absque boni fruitione non est: cum certum sit, animi, & fruitionem, & voluptatem voluntatis actus esse. Verba eius sunt, *quòd si alicuius natura sit simplex* (vti Dei natura est) *semper eadem operatio iucundissima erit, idcirco Deus vna semper simplicique gaudet voluptate.* Nec inconstans oppositum docuit 2. Magnor. Moral. cap. 14. sub initium scribens, *Deus non suscipit amare: alienum namque fuerit, si quispiam dixerit Iouem amare.* Nam de amore amicitiæ loquitur (quem Dei ad creaturas, etiam rationales, ratio naturalis non assequitur) vel de amore passionis pudore dignæ quid continente, sine qua laudabilem solummodò amorem esse docuit ex Homero 2. Oeconomicor. cap. 3. init. quo etiam sensu Plato in Philebo; vel de summo bono circa medium dicebat. *Absurdum est Deos gaudere, vel contrà tristari: indecens enim vtrumque est.*

Et quidem non Philosophorum omnium solum, sed & cunctarum gentium, quantumvis Barbararum, suffragia pro Dei volitione, & voluntate censentur, vt Thesis hæc cunctorum mentibus à natura indita, & congenita habeat merito debeat, etenim nulla vnquam tam rudis, ac barbara extitit natio, quæ Deos suos, vt bona conferrent, mala auerterent, quasi naturæ ductu non oraret: eisque sibi placandis, & contra hostes indignandis sacrificia non offerret, ac pro gratiis agendis de beneficiis acceptis non institueret; quæ omnia, ni Deorum suorum voluntate orationibus & sacrificiis inclinabiles crederent, ac inclinandos sperarent, atque gratiarum actione delectandos supponerent, frustranea prorsus essent, atque inutilia.

2. Ratio verò Theologica, etiam naturalis, qua in eam conclusionem sapientiores isti Philosophi fuerunt inducti, ea est, qua Controu. 2. d. 1. Scientiæ diuinæ existentiam probabamus. Nimirum Deum debere esse ens summum, summéque reliquis præcellens, & quo nihil melius esse, excogitarique possit. Vnde consequens necessarium est, ei omnia prædicata debere concedi, quæ simpliciter simplices perfectiones sunt, siue quæ esse, quam non esse melius sit iuxta definitionem perfectionis simpliciter simplicis traditæ ab Anselmo 14. Monolog. circa medium, Ricardo Victor. de Trinitate, c. 19. atque ab omnibus Scholasticis receptæ: nempe, *quod tale est vt ipsum omnino melius sit, quam non ipsum*; id quod etsi sub aliis terminis prædocuerant, Nyssenus Grat. Catethet. c. 1. à med. Dionys. 5. de Diuinis nominibus longè à princ. Atqui prædicatum voluntatis, & volitionis melius est ipsum esse, quam non ipsum, si creaturæ imperfectionem secludas: ergo, & de sese perfectio simplex simpliciter, Deoque subinde ineuitabiliter concedenda: vti de scientia inferebat Arist. 12. Metaph. cap. 9. text. 5. & Plato recitatus Controu. de Trinit. d. de propriis, & appropriatis, & Controu. 2. de scient. d. vlt. q. 3. Certam. 4.

Secunda ratio naturalis etiam & pro asserenda Dei scientia ex Psalmista desumpta est, quæ continetur Psalm. 93. *qui plantauit aurem non audiet?* Fundaturque in generali principio per se notissimo; *Nemo dat quod non habet*; sed Deus effectiuè dat creaturis rationalibus voluntatem, & volitionem, & se quidem solo Angelis cunctis & hominibus voluntatem cum anima, quam solus creat, volitionem autem omnem generalis concursus titulo; honestam verò titulo alio specialiori Authoris gratiæ, & bonorum operum ad Philipp. 2. *qui operatur in nobis velle & perficere*: ergò vtrumque in se præhabet, absque imperfectionibus entis creati, quas relegamus à Deo, siue formalitate voluntatis, & volitionis eminentiori, vel suppurata à creaturæ imperfectione.

3. Tertia naturalis etiam ratio proximè affinis sumitur ex continentia alia ideæ creaturarum omnium in Deo, tanquam exemplari illarum perfectissimo, ac summo, quam ex Philosophis & Patribus adstruximus Controu. 2. d. vlt. atqui voluntas, & volitio nostræ creaturæ sunt: ergo & ipsarum in Deo ideæ propriæ sunt, atque exemplaria continentur, quæ nihil plane aliud esse possunt, quàm perfectissima Dei voluntas, & volitio, seu amor illas formaliter, nec solùm actiuè, eminenter continentes. Confirmatur Theologicè hæc ratio. Nam homo ad Dei similitudinem, & imaginem, siue ideam & exemplar factus Genes. initio dicitur propter arbitrij potestatem iuxta Patres, cùm Græcos, tum Latinos ac interpretes reliquos: arbitrij autem libertas præter indifferentem ad vtrumvis cogitationem, voluntatis potestatem, & facultatem in actu primo ad vtrumvis etiam essentialiter claudit, de quo fuso calamo controu. 3. d. 1. q. 1.

Quarta naturalis ratio: quia omnipotentia non est potentia, & virtus actiua determinata, & necessaria ad agendum omnia, quæ in eius virtute, & actiuitate continentur; alioqui omnia possibilia produceret, imò ab æterno produxisset, & in æternum conseruaret: ergò indiget, vt eius actiuitas ad ea, quæ facit de facto, ac non ad facienda potius alia, immò infinita possibilia, quæ facere omittit, libera determinatione, ratione cuius hæc tantum, quæ produxit, & non reliqua producat, & per quam siue à se ipsa formaliter (si in voluntate omnipotentiæ ratio sit,) siue ab alio prædicato diuino ad ea producenda applicetur. Hæc autem determinatio, cum necessaria non sit, ad agenda alia, ac non hæc, quæ de facto produxit, vel potius possibilia omnia esse posset libera, & ex electione esse debet: ast libera determinatio, & electio arbitrij, & facultatis volitiuæ solummodò esse potest: ergo in Deo est voluntas, & facultas arbitrij.

4. Quinta naturalis ratio sumitur ex ordinatissima vniuersi machina, quam fortuitò, & casu euenisse, tantaque rerum stata, tot sæculis concordi vicissitudine persistere, & conseruari, nisi stolidissimo vecordis errore (relato ab Aristotele 2. Physicorum text. 43. 44. & 76. & confutato à textu 77.) dici non potest; si autem casu illa, & fieri, & conseruari minimè potuit; consilio, atque electione Artificis Dei effectum esse, necesse est: at verò, cum eius dispositionis electio absque arbitrio, & voluntate eius haberi repugnet, in Deo arbitrium, & voluntatem esse necessariò conuincitur.

Sexta ratio naturalis sumitur ex prædicato summi boni, siue infinita Dei bonitate summè de se, essentiaque sua, atque infinite amabili, quæ proinde infinitum appetitum, seu voluntatem, (à qua solum summè, & infinitè amari potest) requirit, vt debitè dignéque excellentia sua ametur. Hæc autem infinita voluntas, & appetitus in solo Deo esse potest.

Septima naturalis ratio ex prædicato summæ fœlicitatis Dei petitur. Neque enim fœlix, nedum summè fœlix, esse potest, qui bonis frui, delectarique nequit: nequiret autem Deus, ni voluntate præditus esset; siquidem boni fruitio, & delectatio, nisi à voluntate esse nequeunt.

Octaua naturalis ratio ex infinita Dei sanctitate, & bonitate, seu perfectione, non physica solum, sed morali deducitur: etenim moralis bonitas absque actibus voluntatis esse prorsus nequit: quare, eis absolutè repugnantibus moralis omnis bonitas, & perfectio absolutè repugnaret; repugnarent autem voluntatis actus absolutè in Deo, ni ei adesset voluntas, esset que possibilis.

Nona ratio ex supremo Dei in creata omnia dominio efformatur, quod, nisi in his, qui voluntate, & vtendi facultate libera gaudent, esse excogitarique non potest. Siquidem vsus proprius actus voluntatis est: ac insuper dominium essentialiter definitur, *facultas, siue potestas vtendi rebus pro libito absque iniuria alterius etiam vsui illi*

voluntatis, vbi autem *libitum* est, est etiam necessariò voluntas, illius actus essentialiter libitum est, ipsam natura, & essentia supponens; atque inferens. Pleraque ex his pro diuinæ scientiæ existentia non tacta controu. 2. d. 1. æquo robore & claritate illam etiam demonstrant, vt cuiuis patebit.

QVÆSTIO II.

Rectène ex Scientia, & intellectu diuino eius probetur voluntas.

HAc ratione vsus fuit Diuus Thomas 1. part. q. 19. a. 1. quamdiu firmam, primum Caietani, & postea nostrorum recentiorum subtilitates mouerunt, vt iam eius firmitas opus speciali examine habeat, vel eius examinandæ communis, abusus, & nobis quæstionis huius fecerit legem.

CERTAMEN I.

Discursus Sancti Thomæ ad purum propositus, atque à rationibus dubitandi Caietani vindicatus.

1. COnsequentiam ab intellectiuo, seu intellectu ad volitiuum, seu voluntatem ita probat S. Thomas. *Quia qualibet res naturalis ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem: vt quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea.* Ergo natura intellectualis similem habitudinem habet ad bonum apprehensum per formam intelligibilem, vt, cum abest, in illud tendat; cum adest, in illo quiescat, & gaudeat: quæ, nisi actu appetitus rationalis fieri nequeunt. Hanc verò consequentiam vltimam probat. *Quia, sicut res naturalis habet esse in actu per suam formam: ita intellectus intelligit actu per suam formam intelligibilem*; inde concludit. *Vnde in quolibet habente intellectum est voluntas; sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis: & sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus.* Et ea est rationis sancti Thomæ plana contextura tota: cui duo opponit, nec satis soluit Caiet. ibi, iudice Vasquez.

2. Primum: quia ex eo, quòd intellectiuum, quà tale, constituatur in actu per formam intelligibilem, sicut ens naturale per Physicam, & ex hac habeat ens naturale tendere, vel quiescere in sua forma naturali, solum infertur intellectiuum tendere debere in suam formam intelligibilem, atque in ea habita quiescere; non autem debere tendere vlterius in bonum ea forma intelligibili repræsentatum, quod (quidquid Caietanus, & Thomistæ ex suis respondeant) diuersum à sui cognitione est, & nihilominus eo admisso solum inferretur dari inclinationem ad bonum intelligendum, quæ eius cognitione quiesceret; non autem ad illud amandum, vt ea inclinatio appetitus, & voluntatis esse, ac non solius intellectus, probaretur. Opponit secundò Caiet. ens naturale per suam naturalem formam, ac non per actum ab ea elicitum, & diuersum appetitum habere. Ex quo non apparet, quo pacto legitimè inferatur in intellectiuo constituto in actu per formam intelligibilem, siue boni cognitionem appetitum, qui solummodo elicitus est, atque, cum à forma intelligibili, tum ab ipsa voluntate diuersus. Cui difficultati nec Caiet. satisfacit, ex eo quod appetitus naturalis entis non sequitur ad formam elicitam, sed naturalem ipsius entis constitutiuam: appetitus verò rationalis formam elicitam consequitur, scilicet intellectionem. Sed id, ne altius explicetur, difficultatem non soluit. Nec magis præstat nostri Granados solutio tract. de voluntate d. 2. contendentis, etiam ens naturale per actum elicitum ferri in sua commoda, vt lapis motu in suum centrum, ast motus ille appetitus lapidis non est, sed eius effectus: quare difficultati non obuiat, sed effectum cum appetitu confundit.

3. Vasquez, vbi proxime, ob primum Caietani argumentum, censere videtur S. Thom. noluisse demonstrare connexionem necessariam intellectiui cum volitiuo; sed solum naturam appetitus rationalis per proportionem ad naturalem appetitum. Idque ipsum expressius docet, & determinatius Herize tract. 2. d. 11. c. 1. connexionem scilicet intellectiui cum volitiuo nusquam hic à S. Thoma probari, sed solummodo supponi indeque legitimè inferri ex scientia Dei diuinam voluntatem. Verum vterque à mente sancti Thomæ planè aberrat, vt ex rationis, ad literam ferè contextura claret. Nec rationes dubitandi de illationis legitimitate à Caietano propositæ, nec satis ab ipso compositæ, quidquam præstant. Prima: quia S. Thomas non assumit ens naturale tendere, vel quiescere in sua forma naturali, per quam scilicet constituitur, sed in aliam ipsi debitam; quæ tamen haberi ab ipso in sua forma constituto, & non haberi possit: quare ex eo, quòd intellectiuum constituatur in sua linea in actu per formam intelligibilem, siue boni cognitionem, rectè infertur debere tendere, si abest; & quiescere, si adest, in bono repræsentato; non autem in forma intelligibili, siue boni cognitione, qua formaliter in sua linea intellectiui constituitur in actu, sicut ens naturale constituitur in actu per formam naturalem constitutiuam ipsius, & ratione cuius appetitum naturalem ad propria commoda habet.

4. Sed nec secunda dubitandi ratio Sancti Thomæ rationem debilitat: etsi, quia summatim à sancto Thoma (sicut reliquæ à summam scribente) efformata est, sinistris aliorum intelligentiis subiaceat: Vnde plerumque rationis dubitandi contra Angelici discursus firmitatem dubia omnia suborta: illud autem ad eius intelligentiam, & secundæ difficultatis solutionem suppositum sanctus Thomas. Nihil Deum absque aliquo commodo, & fine ipsi proportionato condidisse immò, naturæ iure attento, condere posse, in quem per aliquid, vel ipsius naturæ insitum, vel per illam parandum non inclinaret, ac propenderet; id, & experientia omnium, quæ Deus condidit & ex perfectione creatoris, &, necessitate rerum ad cuiusque, & vniuersi conseruationem notissimum est. Vnde rursus infertur: nihil actu, seu in actu esse per suam actualem formam, quin eam inclinationem actu habeat, vt in entibus, siue substantiis naturalibus omnibus pateat, quorum exemplo, & ratione de substantiis rationalibus, & intellectiuis in sua linea, etiam hac, actu, seu in actu constitutis per sui specialis modi, seu boni cognitionem, siue speciem (vt ipse ait) intelligibilem idem probat: nempe in suum proprium bonum, & fœlicitatem inclinationem habituras, & appetitum, dum non habent, quietem verò dum illud habent.

5. Addit verò substantiis intellectiuis, qua talibus, cognitionem boni vlteriorem, vt in actu sint; quia intellectu solo, in potentia tantummodo sunt in sua linea, & in ordine ad actualem appetitum etiam necessarium, & naturalem boni in communi, & fœlicitatis suæ: quia in incognitum rationales substantiæ ferri nequunt; sicut neque animalia in insensatum commodum. His claret discursus Sancti Thomæ firmitas, ac difficultatum nebulæ disparent; sed altius tamen aliunde hic illationem volitiuæ substantiæ ex intellectiua examinare nos cogit recentium scriptorum abusus, qui pure Philosophicum examen intempestè in hanc seriæ Theologiæ partem intrudunt.

CERTA

CERTAMEN II.

Ex intellectiua substantia præcisè volitiuam legitimè demonstrari; sed non à Recentioribus.

1. PRæfixa conclusio concors est Thomistarum vtriusque scholæ, & recentis Dominicanæ & antiquioris, quam schola Iesuitica sectatur, & tuetur, & reliquorum ferè communis; si nescio, quos Recentiores inanium subtilitatum ab antiquis neglectarum, quamvis ignotarum amatores excipias, nempe in manuscriptis pauculos. Stant verò pro illationis legitimitate præter Dominicanos omnes Interpretes Albeidam, Discalceatum cursum Carmelitanum in Dialectica, & Zumelem, Molina, Vasquez, Valentias, Arrubal, Herize, Granados, & Fasolus in 1.p. ad quæstionem, & articulum citatum. Suarez de attributis positiuis cap.6. Ruiz de voluntate d. 1. à num.2. Recupitus de voluntate lib 2.q.1.cap.3. Quiros tom.1.in 1.p.tract.5.d.56. sect.3. Antonius Perez Valiende in 1.p. de volunt. d.1. cap.3. Et sane hanc esse vetustissimam Patrum sententiam constat ex Athanasio, eam tanquam dogma supponendum potius, quam disputandum tradente tract. de diffinitionibus columna 4. *quando intelligit constat quod eam voluntate dotauit.* Athanasius alter (seu potius Anastasius) Synaita lib.de *vita duæ* cap.2. *Perspicuum est omne illud, quod intellectu præditum est, etiam volendi potentia præditum esse; Nam voluntas omni rationali naturæ inest essentialiter.* Fulgentius 1. ad Monim. de duplici prædestinatione c.18. ita de rationali animo scribit. *Neque enim ei inesse posset voluntas, nisi ei posset inesse creatoris dilectio.*

2. Etsi autem explorata adeo, atque naturæ rationali congenita veritas, & notitia hæc sit, tamen nonnulli, vel Recentiorum apparentibus contra illam rationibus timore vel propriorum discursuum amore deflectentes, illationem ex intellectiuo ad volitiuum non ita solide probant: quo fit, vt rem antiquorum Patrum, & Scholasticorum iudicio (quare & nostro) certam ad solam, vt summum, reduxerint probabilitatem: idcirco huiusmodi discursuum imbecillitas ostendenda primum hic est: ne quis deinceps illis, quasi quassatis calamis innitatur. Prima ex his est, quam excogitauit Antonius Perez Valiende, secundamque probationem esse voluit cit.d.1.c.2. Quia, si esset possibilis substantia intellectiua non volitiua, esset in rerum natura: at non est in rerum natura, vt patet: ergo nec possibilis: Antecedens probat ex naturali appetitu excellentiæ, quam creata omnia habent, cui non satisfieret respectu hominis (qui ex creatis, infima rationalium creaturarum est) si non esset producta substantia rationalis, seu intellectiua inferior, si possibilis sit: siquidem non esset in rebus, vnde hominem præstantiorem aliqua, nec omnium rationalium infimam speciem esse dignosceretur, verum appetitus naturalis ille excellentiæ comparatiuus respectu inferiorum commentitius in Philosophia, & otiosæ potius ac ineptæ anagogiæ est, nec vlla ratione Philosophica vnquam probandus.

3. Quis enim sanus, censeat lapidem vel truncum naturali hoc excellentiæ appetitu exigere adeo, vt omnes substantiæ species possibiles ipsis inferiores de facto producantur, & de non productis naturali, & metaphorica conflictatione tristari, non secus, ac, cum sursum, extra centrum, locantur? ac de Deo, quasi ipsis iniurio, in animi eiulatu conqueri posse? Quod ipsum de indiuiduis, nisi vsque ad imperfectissimum in specie quavis productum à Deo esse fatemur, siquidē alia indiuidua aliis perfectiora & perfectiora, & subinde imperfectiora in infinitum vsq. probabilissimū est: & tamen, nec infinita indiuidua substantialia in productis, & producendis simul sumpta esse certum est. Secundo inter quamvis speciem ex productis proxime inferiorem ad proxime superiorem infinitas alias species perfectiores, & perfectiores possibiles esse (v.g. inter hominem & Angelum) ac subinde imperfectiores, & imperfectiores à perfectiori ad proxime imperfectiorem ex productis (v.g. inter hominem, & brutum) concors Philosophorum sententia est: & quidem eis omnibus intermediis speciebus productis magis sanè perfectioris excellentiæ emineret; & tamen producta de facto non sunt. Nec satisfacit Ant. Perez argumentum tenere solum de notabiliter perfectioribus, & imperfectioribus, cuiusmodi intellectiua solum substantia esset respectu etiam volitiuæ. Etenim gratis ista omnino limitatio est, & contra rationem assignatam: ex infinita enim multitudine inferiorum specierum producta mirum in modum superioris excellentia emineret, & clarescceret. Denique ex eo excellentiæ apperitu naturali rebus omnibus indito perfectione maiori superiorum specierum naturalis Methaphoricus liuor, & inuidia in proximo est, nullamque creaturam de sua perfectione, & forte naturali contentam esse, sed querulam. Quod vltra ridiculum videtur iniuriosum creatori; sed, fictitio eo generali rebus excellentiæ appetitu admisso, cum ea excellentia in prædicatis cuiusque essentialibus respectu alterius sit, non autem in contingenti alterutrius productione inferiori specie producta, sola eius, atque essentialium suorum possibilitate admissa eminentia perfectioris atque appetitus illius satietas consisteret: secundo ex iure naturali entium ad aliquid à Deo accipiendum huius à Deo appositio non inerretur: vt patet in igne Babylonico, & aliis pluribus. Est siquidem ius illud precarium solum, non iuris stricti, & exactiuum cui, vt sæpe, semper potest Deus non annuere.

4. Probat secundo Ant. Perez consequentiam suam appositæ negatione existentiæ intellectiuæ solum substantiæ ad eius impossibilitatem: quia non potuit vniuersum sistere in substantia solum intellectiua; quin ad volitiuam ascenderetur, quæ sola apta ad Dei laudes, & obsequia est: ac proinde huius existentia debetur existentiæ vniuersi; ergo citius existentiæ sustantiæ etiam volitiuæ debetur existentia substantiæ solum intellectiuæ: probat: quia ex antecedenti supponitur subiectio in essendo substantiæ solum intellectiuæ ad intellectiuam etiam volitiuam, cuius correlata est dignitas substantiæ intellectiuæ etiam volitiuæ subiectionis illius substantiæ solum intellectiuæ ad ipsam, contra quam fieret, si non produceretur, cum esset possibilis. Hæc etiam ratio anagogica est, & pia vel potius inepta super factis meditatio, & tamen negari nequit, quin Deus sicut tota anteacta æternitate illaudatus à creaturis absque vlla sui, suæque fœlicitatis summæ iactura præcesserat, ita potuisse absque eis perseuerare per æternitatem: ac proinde solum naturas irrationales condere, si vellet, vel nullas condere potuisse. Secundò male infertur inde natura is subiectio in essendo naturæ solum intellectiuæ ad simul volitiuam, cui in hac naturalis eius subiectionis dignitas respondeat: cum ea subiectio non ex ipsarum naturis præcisè, sed ex fine laudum suarum liberè in vniuersi creatione sibi à Deo præstituto fuisse, in antecedenti dicatur.

5. Sed, si naturalis in altera dignitas, in altera verò subiectio in essendo foret solum inferretur naturam intellectiuam absque volitiua naturaliter esse non posse; non autem è contra, non posse volitiuam absque solum intellectiua existere, vt opus ad intentum erat. Denique probaretur totum: posset Deus naturali dignitati, & exigentiæ substantiæ intellectiuæ volitiuæ non annuere, atque eam producere, quin solum intellectiuam possibilem conderet: quo à negatione existentiæ de facto ad negationem possibilitatis eneruatur consequentia. Hanc Doctoris præcipuam probationem, in qua proinde diutidium caput illud absumpsit longius persequutus sum, quam par forte esset, ne in octo aliis reliquis probationibus eiusdem capitis confutandis capita, & meum, & lectorum incassum fatigarem. Huius enim examine, & exemplo hominis genium & ingenium subtile, exoticum tamen, dignosci satis potest; ne quis ad singulares eius discursus offendat, illud nunc de octo reliquis conclusionis præsentis probationibus dicere satisfierit. Nihil eorum in singularibus discursibus, & ingeniosis quidē atque elaboratissimis subtilitatibus, assumpsi

quod negari,vel distinctione saltem tantum in sensu inutili ad inferendum admitti facile non possit ; nisi quandoque communia aliqua, &, quæ ad manum Philosophis Doctis sunt,tangit.

6. Præcedentis exemplo Antonius Quiros sect.3. probationes communes,& faciliores contemnens,principium illud omnem intellectum possibilem cognoscitiuum esse boni conuenientis cognoscenti,ac proinde boni à se amabilis,& appetibilis ita ex proprio penu probat : quia implicat cognitio quantumvis pure speculatiua , quæ non proponat cognoscenti obiectum aliquod ipsi identificatum,: ergo ipsi bonum,& conueniens,ac proinde amabile : nil enim cuique magis conueniens,& amabile quàm ipse sibi : imò inde reliqua cuique rei conuenientia , & amabilia, magisque,vel minus talia, quod magis ad esse rei,& eius conseruationem minusve conducunt. Antecedens probatur : quia nil ab aliquo cognoscitur,ac iudicatur,quo se illud cognoscere non innotescat cognoscenti, vti à fortiori ex memoria præteritæ cognitionis , & ex consignificatione per copulam temporis, quo iudicium à cognoscente exercetur, probatur. Siquidem ni actu quis cognoscat se cognoscere, & tempus, in quo ipse est, dum iudicat,nec memoria cognitionis à se habitæ, nec consignificantiæ temporis,in quo iudicat,per copulam esse valebit , vt Controu.1. d.de immutabilitate Dei, ac vlterius Controu.2.non semel ostendebamus. Notat autem Quiros cognitionem de ipso cognoscente, in quovis iudicio necessario admittendam,esse solum cognitionem *quoad an est*,& confusam, non autem *quoad quid est* & explicitam de cognoscente,& iudicante ipso.

7. In hoc explicando,atque à variis obiectionibus vindicando duas fere totas sectiones , tertiam , & quartam impendit hic Doctor operæ pretio non magno. Primò: quia solidæ illationis ex intellectiuo ad volitiuum probationes , seu demonstrationes ab impossibilitate cognitionis,quæ purè speculatiua sit,nec ostendat aliquid amabile , seu conueniens cognoscenti vltra veritatem ipsam cognitam , & expresè repræsentatam, minimè pendent. Nec si penderent huius probatione opus esset : cum in ipsa veritatis speculatione , ac deprehensione euidenti, cuius ita assequendæ intellectijus præcisè, quà talis necessariò foret,satis illi,& de deprehensa veritate gaudium, & nondum apprehensæ studium esset, quæ sine appetitu, seu voluntate esse non possent,vt certam sequenti videbimus. Deinde specialis recentioris huius probatio adeo est à demonstratione,quam indagamus,aliena,vt vel eius probabilitas vacillet.

Primò enim eadem cognitione,qua quis veritatem speculatiuam assequitur sibique formaliter representat absque cognitione reflexa diuersa , nequit directa illa cognoscenti repræsentari , ipsâve sui ipsius aliquo modo obiectum cognitum esse : id enim , vt vidimus Controu.2. creatæ cognitioni repugnat , soliusque Diuinæ proprium est: verum quidem est , tunc temporis simul cognosci posse à cognoscente cognitionem ; sed alia solum cognitione reflexa ab eius speciebus memoriæ postea inseruituris, vt communis Philosophia docet,oriunda : neque,ita tunc necessariò ab eis oriunda, vt si ab eis vehemens speculatio obiecti sit defectu attentionis potentiæ incognita speculatio præsens sæpè non transeat, est enim exercitium representandi obiectum non seipsam, quam,vt dixi,nequit. Sed illud magis improbabile, seipsum quemvis in cuiusque obiecti contemplatione aliquo modo cognoscere,cum experiamur,cum in nobis, tum in aliis omnibus contemplationi,siue naturalium,siue supernaturalium, & diuinarum rerum deditos,sui prorsus oblitos contemplationibus diu sæpè institisse : imò & à se, & sensu omni alienos ab obiectis, deprehensisque veritatibus,quandoque raptari , quandoque verò in præruptu vel flumina, barathraque incidisse:illud verò de consignificatione præsentis temporis in iudicio quovis de præsenti habito per copulam *est* importati,friuolum est,vt tunc per illud iudicium cognosci à se iudicantem probetur : nam certè consignificatum tempus præsens per copulam diuersum à cognoscente est,neque ipsi duratio intrinseca, quæ fors ab ipsa re non differt, vt nonnullis placet,non mihi, sed extrinsecum , quod durationum suarum cunctis creaturis communis mensura est , in qua obiectum durat , & durare , atque esse per copulam (si de prædicato contingenti iudicium sit) consignificatur ; non autem iudicans potiùs quàm asinus,vel musca,quæ eidem communi mensuræ coëxistunt. Verum quidem est ex iudicio à se tunc habito posse ipsum , & reliquos discursu euidenti inferre, tunc ipsum existere, vel postea demonstrare pro tunc extitisse. Planiùs hæc discursum huius Recentioris, atque expeditiùs confutant , quàm illa, quæ multis replicis instantiisque sibi tota sect.4. obiecit,& soluit.

CERTAMEN III.

Planiores , pleniores , & communiores illationis volitiui , & intellectiui demonstrationes.

1. PRima demonstratio & de se,& ex S.Th.authoritate sit,quam ipse formauit, nosque explicuimus cert.1. num.4. & 5. siquidem omni creaturæ substantiali suus finis, & bonum , seu commodum,suæ naturæ proportionatum respondet , vt patet creatorum omnium facta inductione : atqui bonum hoc nequit creaturis ipsis identificari ; alioqui natura,& essentia sua essent fœlices,& beatæ,quod proprium est Dei ; ergo omni creaturæ substantiali in suo esse actuali constitutæ per suam formam actualem respondet bonum , & fœlicitas vlterior in aliquo extra ipsam constituta ; ergo & inest omni creaturæ substantiali in actu per formam constitutæ proportionatus ipsi appetitus , & inclinatio ad suum illud bonum prosequendum,cum abest , gaudendumque de ipso , cum adest. Consequentia hæc euidens est, quia bonum cuius & appetibile suo modo ab ipso idem prorsus est : ast implicat esse aliquid appetibile suo modo ab eo , qui nullo modo appetitum habet. Atqui , & si appetitus, & inclinatio in naturis substantialibus , & insensibilibus non sit vltra formam , qua in suo esse actu constituuntur ; ast in naturis omnibus sensibilibus,& animalibus , qua talibus, quæ in sua commoda,& fœlicitatem vt cognitam , & illi repræsentatam duci solum possunt, vt illam apperant actu appetereve proximè,& expeditè absolutè possint,eius boni,& fœlicitatis cognitio solummodo expectanda est.Ergo,qua actu constituantur vlterius in esse intelligibiliergo vbi primum substantia animalis actu intelligens, siue sentiens intelligitur,intelligitur proximè expeditè absolutè potens prosequi sua commoda , & fœlicitatem : vbi autem primum sensitiua,seu intellectiua intelligitur absolutè , & si non adeò proximè,& expeditè, appetitiua seu volitiua sui commodi,& fœlicitatis,siue cum appetitu aut voluntate intelligi debet.

2. Eadem ferè demonstratio continetur verbis illis Fulgentij recitatis certam.2.n.1. fine, *neque enim ei (rationali substantiæ) inesse villatenus ratio posset, nisi apposset creatoris inesse dilectio* : quia Deus,nimirum,creaturæ rationalis,qua talis,summa fœlicitas, & obiectiua beatitudo est : ergo, & summè ab ipsa amabilis : ergo implicat dari intellectiuum , seu rationale siue volitiuo huic absque voluntate : quia absque hac nequiret Deus ab intellectiua,seu rationali creatura amari,ac proinde non esset ab eo amabilis absolutè,nedum summè amabilis,atque eius suprema obiectiua beatitudo ; quod implicat cum antecedenti subsumpto, quod probatum immò exploratum cunctis Sapientioribus Philosophis,& Theologis est ; qui concordes probant summum bonum Deum propriam fœlicitatem,& obiectiuam beatitudinem rationalium creaturarum, quæ de facto conditæ sunt, (hominum scilicet,& Angelorum) ex solo rationalis,præcisè,to communi , quod omni speciei rationalium competit ; non autem ex specialibus specierum sub illo constitutarum prædicatis ; nullum autem intellectiuum, quod rationale non sit , esse sine implicatione potest.

3. Demonstratio tertiæ sit ex natura,& sphæra obiectiua intellectus qua intellectus,seu intellectiui præcisè omne intellectiuum boni , & conuenientis cognoscenti est natura sua illius appetitiuum: omne autem intellectiuum, præcisè,qua tale,est natura sua cognoscitiuum boni sibi

conuenientis: ergo natura sua eius appetitiuum. Minor probatur: quia cognitio boni, & conuenientis cognoscenti natura sua ad eius appetitionem mouet: &, si casu, quin exercitè moueat, & effectum sortiatur quandoque reperiatur: tamen ea virtute natiua non potest magis, citiúsve quam essentia, & natura sua carere: ergo intellectiuum boni & conuenientis sibi cognoscendi, naturaque proinde sua ad eiusmodi cognitionem potens, & ordinatum, natura etiam sua ad motionem intentionalem sui in appetitum boni sibi conuenientis potens, & ordinatum est præcisè, qua boni, & conuenientis intellectiuum est. Rursus: ergo, & est illius boni appetitiuum. Patet hæc consequentia: quia nulla virtus, & potestas naturalis ad actum impossibilem, & chimæricum esse potest: atqui potestas intellectiui boni, & conuenientis sibi ad se mouendum intentionaliter per proprium actum, seu cognitionem boni, & conuenientis sibi ad huius appetitionem esset ad actum motionis, & appetitionis boni, chimæricum, & impossibilem; nisi eiusmodi intellectiuum sit etiam appetitium, habeatque voluntatem, sine qua eiusmodi appetitio esse non potest: ergo omne intellectiuum boni, & conuenientis sibi præcisè, quà tale, debet etiam esse appetitiuum, vti in minori dicebamus. Neque verò de hac aduersari decertant, sed de maiori.

4. Probatur autem: intellectiuum, præcisè, quà tale, est omnis veri, seu obiectiuè intelligibilis intellectiuum, siue intellectus potentia intelligendi, quidquid verum, atque ex parte obiecti intelligibile est: atqui bonum, & conueniens cognoscenti aliquid verum, atque ex parte obiecti intelligibile est; ergo omne intellectiuum, seu intellectus, præcisè, qua talis, est boni & conuenientis cognoscenti cognoscitiuum, & potestas illud cognoscendi. Major huius discursus gratuitò assumpta ab aduersariis nonnullis putatur, ab aliis petitio principij; sed eum longè aliud concludatur, quam in ea maiore continetur, & assumitur, qui ita loquuntur, quid petitio principij sit ignorant: sed neque gratuitò assumitur, est siquidem omnium Philosophorum, & Theologorum principium intellectum, præcisè qua intellectum, omnis intelligibilis intellectum esse, & per se quidem, & terminis notum: inde enim intelligibile denominatur, quod ex parte sui ab intellectu, qua tali, per intellectionem percipi possit, aptum est: vnde & aliud proloquium Aristotelicum dignitatis loco à Philosophis, & Theologis circumfertur, nempe, *intellectum esse vniuersaliter omnia*: quia omnium nimirum perceptiuus eo ipso, quod intellectus sit, esse debet, quia omnia obiectiuam intelligibilitatem habent, ac proinde intra obiectiuam sphæram intellectus, qua talis, sunt.

5. Non igitur adeò gratuitò ea maior à nobis assumitur, atque ab aduersariis admittetur, quæ omnium Philosophorum, & Theologorum consensu, & ex terminis ipsis vera, & nota est. Sed tamen vlterius etiam contra Retentes hosce probatur, etenim contendunt multis exemplis, & paritatibus, plane disparibus, posse dari intellectum determinatum ad veritates speculatiuas, & pure speculandas: quare, & ad aliqua vera solum, seu obiectiuè intelligibilia, quin ad omnia, & omnimodo, sed speculatiua solum percipienda. Rogo autem illos, sub qua ratione ad veritates illas speculatiuas solas, & pure speculatiuas possit intellectus ille pertingere? Dicent sane (quod solum non ineptè possunt) sub veritatis, & intelligibilitatis obiectiuæ, siue aptitudinis, vt ab intellectu percipi possint: atqui eadem omnino ratio, sub qua, est in omnibus veritatibus practicis. Ergo, & hæ intra sphæram obiectiuam intellectus illius continentur: quare, & intellectus ille omnium veritatum, & intelligibilium obiectorum intellectus est, nec ad aliqua solum determinatus, vt contendis: contra secundo; quia, si nulla ratione, *sub qua*, attenta sphæram obiectiuam intellectibus tuis, pure arbitraria illis sphæra ab vnoquoque taxabitur: atque fingi intellectus alligatus ad vnum solum genus, vel speciem infimam rerum, immò ad individuum vnum tantummodo cognoscendum determinatus: quod est exoticum, & ridiculum.

6. Sed esto detur possibilis intellectus determinatus ad solas veritates speculatiuas, & speculatiuè solum percipiendas: illa ipsa veritatis illius speculatiua perceptio, & deprehensio bona, & conueniens, & iucundissima cognoscenti, & speculanti est: eiusque interuentu deprehensa veritas ipsa magnoperè delectat cognoscentem; & antequam, ita deprehendatur sic speculatiuos agit, vt eius deprehendendæ causa suarum reliquarum rerum, suique ipsorum curam non habeant, vt de pluribus Philosophis, legimus, atque authenticis historiis perhibetur. Et quidem totam Dei æternam fœlicitatem, iucunditatemque summam è sui perfecta cognitione (quæ de seipso pure speculatiua solummodo esse potest) natam, congenitamque Sapientiores quique Philosophi docuerunt. Ergo in ipsa veritatis speculatione vera est intentionalis motio ad eius deprehendendæ à cognoscente desiderium, ac deprehensæ gaudium; ergo & in speculatiue intellectiuo debet esse volitiuum, seu voluntas. Patet consequentia ex dictis: quia deficiente sic intellectiua voluntate desideri, & gaudij actus chimærici sunt, & impossibiles, ad quos proinde vera realis naturalis motio, & inclinatio esse non potest.

7. Ad hæc natura illa intellectiua, nec tamen volitiua posset bona sibi, conseruationique suæ valde conuenientia, & necessaria, malaque, & sui destructiua cognoscere, nec tamen illa prosequi, & amplecti, neque hæc posset fugere, & auersari, quæ solis voluntatis (qua illa substantia careret) actibus fieri possunt. Ergo natura, & essentia sua necessariis ad sui conseruationem careret; atqui repugnat creatura carens necessariis ad sui conseruationem de se & natura sua; ergo repugnat substantia intellectiua solum, nec tamen volitiua: subsumptum proximè antecedens patet; siquidem cederet creatura illa in iniuriam, & indecentiam creatoris, penes quem est nihil natura sua necessariis ad sui conseruationem destitutum condere: & subinde & aliquid ita ab ipso condi posse repugnat; cumque inde appareat substantiam illam intellectiuam solum mancam, & imperfectiorem volitiua etiam, esse, aliunde probatur esse longe perfectiorem; siquidem intellectiua tantum nequiret probabilibus solum assentiri, seu probabiliter iudicare: vt probabilibus enim intellectus assentiatur determinatione eget, & imperio voluntatis, intellectiuæ tantum substantiæ impossibilibus: ergo esset determinata ad assensus solum euidentes, ad quos voluntatis, quam non habet, determinatione non eget; intellectiuum autem determinatum de se ad assensus euidentes, solummodo, volitiuo intellectiuo assensus probabilis ac subinde falsi de se capaci longè perfectius est: quare illo perfectius & imperfectius aperta contradictione erit.

CERTAMEN IV.

Eneruantur aduersa argumenta.

1. EX his aduersæ sententiæ fundamenta seipsis subruunt. Constat siquidem primo intellectum determinatum ad aliqua tantum obiecta, & aliquo modo solummodo percipienda apertissime implicare: quod à paritate sensuum, quorum quivis, obiecti vnius sensibilis sensus esset, non reliquorum, verosimiliter adhuc minimè suadetur: quippe quæ à potentiis particularibus ad vniuersalem (cuiusmodi intellectus est, vt vidimus) cutrere non potest. Et ea adhuc limitatione in intellectu admissa vis demonstrationis tertiæ minimè debilitatur, vt constat ex num. 6. Constat etiam ad aliud fundamentum, quòd intellectiuum prius volitiuo sit, sicut, & prior vilitione intellectio, quæ intellectiuæ actiuitatis operatio est, sicuti, & volitiuæ volitio, sine qua esse intellectio potest. Constat enim de prioritate maioris vniuersalitatis, & gradus generici respectu intellectiui tantum, & intellectiui etiam volitiui assumi falsum, & factis demonstrationibus repugnans: sin autem de prioritate causalitatis; qua intellectio prior volitione est, & proportionaliter intellectiuum volitiuo prius: inde potiùs infertur sine volitiuo intellectiuum esse non posse: erit enim volitiuum prædicatum metaphysicè consequens ad intellectiuum, quod nequit esse, ni necessariò ad illud consequatur, dicaturque ad conuertentiam cum illo: atque, vt ex dictis patet, ea solum ratione potest prioritate, quasi naturæ intellectiuum volitiuo metaphysicè præcedere, quatenus,

tenus potentia se mouendi intentionaliter per suum actum, scilicet obiecti cognitionem, ad obiecti prosecutionem vel fugam (si disconueniens cognoscenti sit) est: quod implicat, ni idem ipsum intellectiuum sit.

2. Arguunt rursus dari posse intellectionem, immò intellectiones plures, quæ volitionem non causent, & absque illa sint: ergo, & intellectiuum sine volitiuo. Hoc argumento primum tentata fuit præsentis illationis bonitas; adeò tamen leuiter, vt Ruiz de Montoya noster citata sect. 1. in appendice per neglectum ferè meritò n. 30. respondeat: quia, & si ratione earum volitiuum ex intellectiuo non inferretur, ratione tamen aliarum quæ volitionem excitarent, excitareque possent, in cognoscente, & quarum virtus activa intellectiuum est, volitiuum in eo intellectiuo necessariò inferrent. Et quidem omnem intellectionem, etiam purè speculatiuam ex iis, quæ naturaliter possunt habere, motiuam de se intentionaliter ad volitionem cognoscenti esse satis ostendimus num. 6. vnam autem supernaturalem obiecit (vt ipse testatur citata d. c. 5. num. 58.) Primus Antonius Perez Valiende, Herize nostro, & aliis, qui ex impossibilitate cognitionis essentia, & natura sua impotis mouendi ad volitionem æstimabant quæstionis præsentis veram resolutionem pendere, & quorum omnium solutiones latè ibi refert, & refellit: quarum relatione & confutatione inutili supersedeo. Nihilominus proferenda in medium ea cognitio, & obiectio est: cum, vt appareat quam sit ad rem præsentem debilis, & inutilis; tum etiam vt similis arguendi forma, quæ cuiuis materiæ aptari facile potest: quare & iam vniuersam fere Philosophiam, & Theologiam peruadit, turbat, & vexat, ipsius fallacia semel detecta ab illis post hac exulet semper.

3. Decernat Deus, vt potest, ad nullum actum voluntatis creatæ concurrere: idque decretum mihi fideli, & credenti reuelet. Hic sanè meus fidei actus, nequit esse principium intentionaliter motiuum ad aliquem actum meæ voluntatis, quin sit principium falsificandi seipsum: quod repugnat actui fidei essentia sua veræ, & infallibilis. Ergo hic actus fidei essentia sua impos est mouendi intentionaliter ad aliquem voluntatis actum: verum hoc argumentum, vt summum probaret ex ipso, & facultate intellectiua, qua illum solum actum concernit non inferri intelligentis voluntatem; non autem non inferri indefectibiliter ex intellectiuo, seu intellectu illo secundum totam illam amplitudinem suam, & actiuitatem accepto, qua ad reliquos naturales actus intellectionis motiuos intentionaliter de se se, & ad actus voluntatis in cognoscente extenditur; id quod apertiùs constat: quia is actus fidei de Deo non concurfuro ad actum voluntatis creatæ, si id decerneret, & reuelaret, à nobis, quorum gradus intellectiuus specificus, per aduersarios etiam, volitiuum infert, atque ad conuertentiam dicitur cum illo, haberi etiam volitiuum demonstratur. Dixi autem, & hic, & sæpius certam. præsenti, cognitiones, & intellectiones omnes naturales de se motiuas intentionaliter esse ad actum voluntatis in cognoscente: quod non tollitur, & si ex decreto Dei, non concurrendi cum voluntate per accidens, & extrinsecus fiant eius actus impossibiles, ex defectu causæ partialis Vniuersalis, cuius virtus eo decreto impedita est ad operandum cum voluntate: quemadmodum, neque igni Babylonico esse calefactiuum, atque ignitiuum de se non abstulit decretum non concurrendi, siue negatio decreti concurrendi cum ipso ad tres pueros comburendos.

4. Verum, vt huius formæ arguendi ex fidei similibus actibus, qui excogitari facile in quavis materia, & contra quamvis in illa elegeris conclusionem, inuentor ipse Antonius Perez ibidem n. 66. fallaciam detexit: vel enim in eo inuoluitur contradictorium eius, quod impugnatur; quare & probandum assumitur, quod ineptum arguendi genus est; vel aliæ in ipso fidei actu inuoluuntur contradictiones, & repugnantiæ, & in nostro casu contineri vult Antonius Perez; etenim ait, decretum illud reuelatum de non concurrendo cum voluntate creata, cui ex fide credendum est ipso actu fidei, falsificatur; siquidem, vt fide credatur actu, piæ affectionis voluntatis nostræ opus est, sine quo assensus ex non euidentibus principiis, & motiuis esse nequit; verum, licet communis fidei assensus imperio voluntatis egeat; ast cum euidentia reuelationis, & attestationis diuinæ absque imperio, & pia affectione voluntatis non posse solum credi, sed necessariò esse credendum certum mihi est. Quare, & fidei actum illum & decreti illius reuelationem absolutè non implicare; etsi communiter habendæ fidei implicaret, & actum voluntatis, atque voluntatem, quæ destrui eo fidei actu contenditur, probaret: vti implicaret reuelatio decreti. Deinde non concurrendo ad aliquam cognitionem, cuius intimatio, & assensus fidei non, nisi per cognitionem decreto habito repugnantem esse posset. Simile quid est in decreto non præmiandi vllum honestum actum creatum, eiusque reuelatione, & actu fidei ob illam elicito: qui essentia sua imprætmiabilis esset, quare, nec absolutè meritorius: cum tamen essentia item sua esset honestus, laudabilis, & subinde de se se meritorius esse deberet; in cuius decreti possibilitate, & prudentia, si de omni actu honesto, etiam actu illo fidei, sit, & possibilitate etiam reuelationis decreti illius, non quæstionem solum, sed prolixos tractatus, innumeris solutionibus, replicis, & instantiis inutilibus confici à Recentioribus audio, nec finiri; cum tamen difficultas nihili nostræ Theologiæ referat, neque absimilis illi sit, quæ à Summulistis, exercitij gratia agitatur de propositionibus se ipsas falsificantibus, cuiusmodi hæc est: *Omnis propositio est falsa*, si ipsa in illa vniuersalitate includatur: se igitur ipsis, vel in terminis vel aliisque concernunt similes reuelationes & fidei actus ob illas elicito destruunt & falsificant, suntque proinde impossibiles.

5. Denique opponunt: sensitiuum non infert in irrationalibus animalibus appetitiuum: ergo neque intellectiuum in rationalibus volitiuum: consequentia patet: Tum, quia S. Thomas æque inferri censet ex sensitiuo appetitiuum, atque ex intellectiuo volitiuum. Tum, quia eodem prorsus modo se habet sensitiuum, & sensitio ad appetitiuum, eiusque appetitionem elicitam, atq; intellectiuum, eiusque intellectio ad voluntatem, seu volitiuum, eiusque volitionem. Antecedens probatur: quia in membris omnibus animalis, irrationalis, præsertim imperfecti, cuius anima probabilius diuisibilis est, adest sensus, & tamen non adest in eis, animaque eas partes informante appetitus: quid ergo repugnantiæ erit, si in tota aliqua animalis imperfectissimi possibilis anima imperfectissima sensitiua, appetitus siue facultas appetitiua desit. Respondet num. 67. Antonius Perez, & Petrus Hurtado de anima, certum sibi esse in organis cuiusvis sensus externi appetitum etiam residere, quo animal de bono, aut malo præsenti solo, vel gaudeat, vel tristetur id quod inquit communis omnium hominum videtur sententia. Dicimus enim, atque experimur palatum, & gustum delectari dulcibus, & suauibus poculis, & cibis, amarosque molestè ferre, & auersari; aures similiter concinnis musicis frui, dissonis vocibus vexari; similiter de visu, & reliquis sensibus, eorumque organis,

6. Nollem tamen solutionem à minus communi doctrina, & vulgari solum locutione fundata, quæ ratò ad Scholasticum rigorem ducta est, pendere: maxime in præsenti, vbi de seruanda, vel ejicienda ex demonstrationibus probatione res, & examen est; eademque de causa alias minus firmas aliorum solutiones omitto: illud tamen de hac doctrina obiter dixerim, eam in imperfectis animalculis, quorum animæ diuisibiles sunt, neque est memoria deprehensa, eisque abesse creditur, vt muscis, ac vermiculis totam argumenti vim languescere. Sed verò in iis, quæ memoria obiectorum quavis parte, & organo sensus externi perceptorum gaudent (siue anima diuisibilis, siue indiuisibilis physicè sit) actiuo imaginatiuam facultatem communem sensatorum omnium obiectorum quasi iudicem, atque in eius organo appetitiuam residere; nusquam autem in quavis animalis organica parte; etsi harum sensationes ad imaginatiuam, siue internum sensum animalem informandum, ac subinde appetitum mouendum, licet interna sensatione remotius, ordinatæ natura sua sunt. Neque enim partibus totius supposti conseruandi, sed toti supposito, & sui, & partium earundem cura naturalis debet incumbere: neque alia de causa communis internus sensus animalibus inditus est, qui plane, si quivis particularis sensus, & iudicatura-

vt

vt sic loquar, obiectorum propriorum facultatem,& appetitum coniunctum in suo organo haberet, superfluus foret; nec corporis illius respublica commodum moderamen sortita esset, refugiente quavis animalis parte in grata sibi obiecta; prosequentéque, & amplectente sibi incunda, quin de aliarum partium, aut totius commodis & conseruatione curaret: Vnde in quovis animali naturales essent naturalium appetitionum intestinæ discordiæ, ex quo ad extremam, & vrgentissimam rationem in obiectione tactam constat, cur toti supposito de scilicet natura sua naturalem appetitum deficere repugnet; etsi singulis externorum sensuum partibus,& organis nec deficere appetitum repugnet, immò & de facto earum singulis deficiat.

CERTAMEN V.

In Deo ex intellectiuo volitiuum euidentiùs adhuc,& irrefragabiliùs inferri.

1. TAmetsi ex illatione hac volitiui; ex intellectiuo vniuersim demonstrata singulariter demonstrari intellectiui Dei voluntas posset: arctiùs tamen, atque euidentiùs ratione materiæ ex intellectiuo Dei eius volitiuũ, seu voluntas demonstratur, vt doctè Ruiz de Montoya citato loco ante appendicem obseruauit: etenim volitiua, nec simul intellectiua substantia imperfectior planè fatentibus omnibus (etiam aduersariis) esset, quàm intellectiua, quæ secum traheret volitiuam facultatem, cui ex prædicato suo specifico connecteretur,& de qua diceretur ad conuertentiam. Atqui Deo debetur summè perfectum intellectiuum: ergo, quòd connectatur essentia sua cum volitiuo ipsumque indefectibiliter, atque euidenter,& infallibiliter inferat,& cum ipso ad conuertentiam dicatur. Maior illa vt dixi omnium, etiam aduersariorum, est, & ostensa certam. 3. num. 7.

2. Etenim videre bonum,& conueniens sibi, nec posse illud appetere,& venari, si absit, si adsit verò eo frui,& delectari; idque ex impotentia naturali, ac defectu potestatis maximum naturæ illius malum est: siquidem idem mali natura sua haberet, quod excogitatum antiquitùs fuit grauissimum Tantali supplicium: videre autem malum imminens,& natura etiam sua non posse illud fugere,& aduersari summa est infœlicitas: idque mali essentia sua habere, quod ex accidenti ferreis vinculis religatus rupi Prometheus apud priscas fabulas habuit. Atque cum boni absentis appetitio,& possessi gaudium,& fruitio; mali verò imminentis auersio,& fuga absque volitiuæ, seu appetitiuæ facultatis (cuius actus essentialiter sunt) omninò haberi nequeant; intellectiuum, quod volitiuum natura sua non esset vtrique malo natura sua subiaceret: quod quidem, vt de se patet, magna intellectiui illius imperfectio,& turpissima est, ac summè, & infinitè perfecta substantia intellectiua Dei vtique remotissima.

3. Secundò probatur legitima hæc voluntatis Dei ex intellectu diuino ad voluntatem consequutio ab innumeris absurdis, eorum, quæ cum aliàs naturaliter in Deo esse demonstrentur, nec sola nobis fide constent, tamen deficerent: imprimis enim in creata omnia dominium,& Principatus Dei supremus, ni eius intellectus secum voluntatem deferret, aboleretur: cum nec posset creaturis pro libito vti; neque rationalibus imperare. Siquidem absque voluntate libitum, neque imperium esse posset: auferretur item liberras cum ea in voluntate sola propriè,& primariò residet. Vnde & diuina de rebus prouidentia, quam rerum vniuersitas prædicat, periret: siquidè iuxta rationes à Deo cognitas ab eo conueniens hęc, vel illa dispositio,& determinatio repugnaret: item, neque præceptum vllum, legemue ad rationales creaturas ferre posset, neque intimare: cum lex,& præcepta voluntate determinata superioris compleantur; intimatio verò dicat eius seriæ, ac præceptiuæ voluntatis determinatę reuelationemque absq; noua determinatione voluntatis reuelandi fieri repugnat.

4. Infertur insuper Deum nullum cordis sui secretum reuelare creaturis rationalibus posse ob rationem proximã. Vnde nec posse præsentia,& præterita alias ignota, futura ve eisdem reuelare; cum tamen non ex sacra pagina tantum oppositum de facto contigisse certum sit: & ratione etiam naturali, ex qua à veritate infallibilis diuinationis seu reuelationis de futuris ad diuinitatis veritatem consequentiam tenere Tertull. aiebat, atque ex communi sensu dictum illud fuit. *Annunciate quæ ventura sunt, & dicemus, quia Dij estis*: vt contr. 2. d. 4. q. 5. referebamus,& (vt reliqua breuitatis causa præteream) supremi artificis prærogatiua deficiente cognoscitiuo practico (quod necessariò Artificis voluntatem concernit) omninò deesset; deficeret siquidem cognitio practica ad artificium,& artem necessaria; quia practica cognitio artis directiua essentialiter Artificis est ad opus ita exequendum, quod aliter,& absque illa male perageretur; in eo autem voluntas se conformandi cum exemplari, secundum quod exequi opus decernit, concernitur: ac insuper voluntas opus illud exequendi.

QVÆSTIO III.

De iis, quæ diuinam præcedunt volitionem vniuersim.

SVPPONITVR diuinæ Voluntatis in actu primo (vt aiunt) hactenus statutæ actus existere: id quod expressius, formaliùsque in diuina scriptura asseritur, vt vidimus q. 1. atque datis demonstrationibus q. 2. satis ostenditur vt proinde de eius existentia hic disputare opus non sit, immo verò otiosum,& inutile foret. Quare de iis, quæ eiusmodi actus præcedunt summatim disputabimus, quia ferè de omnibus disputatum est controu. 2. d. 2. cum de iis, quæ scientiam præcedunt disputaremus: Tria sunt, de quibus disputari potest: an, & quomodo diuinam volitionem præcedant voluntas nimirum ipsa diuina, habitus, & volitum obiectum.

CERTAMEN I.

Præcedit voluntas diuinam volitionem: secus habitus.

1. ET triplex quidem præcedentia, seu prioritas alicuius respectu alterius vniuersim examinari poterat: Prima durationis; secunda localis, quæ hic locum non habet in voluntate diuina, eiusq; actib. quoad intrinsecum sũptis, Deoq; ipsi identificatis ex fide,& Theologis omnibus, etiã connotatoribus, pro decretorum Dei constitutione assignãda. 3. verò prioritas est naturę, quę adhuc dupliciter dissecatur: Prima est imitatiua per rationem,& purè metaphysica, quę inter essentiam,& attributa omnia, quæ ipsam metaphysicè consequuntur, intercedit, vt vidimus contr. 1. & inter intellectum diuinum,& diuinam scientiam, vt ostendimus etiã contr. 2. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 1. solùm ergo de vera, ac non solum per rationem ficta,& imitatiua præcedentia,& prioritate naturę, vel quasi naturæ voluntatis diuinę respectu sui actus dubitari in præsentiarũ potest, cuius resolutioni iacta etiam, fere omnia fundamẽta sunt contr. 4.& cert. iiisd. à n. 4.

2. Porrò omnes opiniones, quas ea contr. 2.& 3. de precedentia & actiuitate physica intellectus diuini respectu suæ scientiæ reiecimus, referri hic possent, æ quippe maioris omnes adhuc verisimilitudinis specie in voluntate diuina, eiusq; actibus suaderi posse videbuntur. Quare prima sententia hac in re sit, dari in Dei voluntate physicam absolutè talem formalem actiuitatem respectu suorum actuum vniuersim; quare,& physicam præcedentiam. Huius sententiæ Author non extat. Alensis cum aliis citatis, q. 3. cert. 1. n. 3. realem formalẽ ex natura rei actiuitatem,& prioritatẽ voluntati diuinæ asseruit. Secunda sententia similem actiuitatem, & prioritatem realem virtualem voluntati diuinæ respectu suorum actuum attribuit, etiam necessariorum, vt vidimus in simili de intellectu diuino respectu suæ scientiæ eodem certamine, quod assertum non eodem modo explicatur ab omnibus eius Doctoribus

ctoribus. Arrubalis enim explicatio est solum condionata, quod scilicet Dei voluntas, si à suis actibus physicè differret eos physice produceret. Reliquorum verò explicatio non quidem actiuitatis condionatæ, seu productionis est, sed absolutæ omnino virtualis: quia nimirum ita se voluntas gerit respectu volitionis, quam non producit, ac si produceret, vt vidimus eo certam. n. 2. & n. 3. fine. Tertia sententia sit voluntatem diuinam, vt necessariorum actuũ realiter virtualiter actiua, & prior natura physicè non sit, quia neque ab ipsis realiter virtualiter distincta est: ast respectu suorum actuum liberorum talem esse: id quod suppositæ, ac necessariò in hac, & secunda sententia supponendæ, distinctioni reali virtuali conformius videtur, & consequentius.

3. Dico primo: Nulla realis physica prioritas, & actiuitas ex assignatis conuenit voluntati diuinæ respectu alicuius diuinæ volitionis: quatuor negatiuæ conclusiones in nostra hac prima continentur. Prima contra eos, qui docuerint dari in voluntate diuina physicam, & realem formalem actiuitatem, & præcedentiam respectu volitionis diuinæ cuiuscunque: cuius oppositum, vt pote erroneum, nullus Theologus fuit, qui asseruerit: infertur enim ex oppositio esse inter prædicata diuina, quoad intrinsecum sumpta, physicam realem formalem distinctionem, quæ diuinam soluat (quam fides adstruit) simplicitatem, & vnitatem: siquidem omnis actiuitas, & prioritas realis formalis naturæ vnius respectu alterius, in quouis ordine, & genere sit, earum in ipso distinctionem ineuitabiliter arguit, & supponit. Secunda ex contentis conclusio negat actiuitatem, & prioritatem realem formalem ex natura rei inter diuinam voluntatem, & volitionem. Tertia verò neque realis virtualis in sensu vulgatiori actiuitatis virtualis: vtramque probatam in simili habes citata q. 3. certam. 2. in sensu verò Arrubalis minus vitato certam. 4. Conclusio quarta ex contentis in hac prima negat eiusmodi actiuitatem, & præcedentiam realem virtualem voluntatis diuinæ respectu suarum etiam liberarum volitionum: manet probata, atque ab obiectionibus expedita eadem q. certam. 3.

4. Dico secundò: Datur in diuina voluntate, etsi non physica physicéve influxiua, vera tamen, nec solum ficta, actiuitas, & præcedentia intentionalis respectu diuinæ volitionis, tam liberæ, quam necessariæ: probationem habes eadem d. 2. de scientia q. 4. certam. 2. n. 4. vbi ex eo primum, quod intellectio diuina vera, ac non ficta operatio sit, veram potentiam actiuam debere supponere ostendebamus: item ex eo, quod vita in actu primo vera actualis sit, Deusque vere viuens, vitam, & principium sui actiuum, & suo modo vere receptiuum necessario habere: quæ omnia pro volitione militant diuina, quæ æque Dei operatio, & vita in actu exercito siue actualis est, & in ordine ad quam æque, atque in ordine ad suam intellectionem, vere viuens in actu primo Deus est: sicut autem ibidem, quia actiuitas diuini intellectus vera, nec purè ficta, physica esse non poterat, vt citata q. 3. ostenderamus, veram intentionalem esse docuimus; ita etiam de actiuitate, & præce dentia, etsi non physica, vera tamen, nec solum ficta, diuinæ voluntatis, respectu diuinæ volitionis intentionalem solum esse in præsentiarum asserimus.

5. Sed quoniam assertio hæc in potentia intellectiua Dei, respectu Scientiæ diuinæ à nostro Quiros data, fors tamen non satis penetrata, certè non explicata, vocum lusus, ac difficultatis elusio pura visa nostro Ribadeneiræ fuit, huius impugnationem, & difficultatem ipso explicatius, & vrgentius proposuimus n. 5. ac designata diuersitate obiectiua significati potentiæ actiuæ physicæ, à potentia actiua solummodo intentionali, non vocibus solum sed rebus eius difficultati, & argumento respondimus n. 6. ostendentes potentiæ siue actiuitatis physicæ ab intentionali præcisè potentia, & actiuitate in eo plane differre: quod illa ad aliquid denuò physico influxu suo ponendum essentia sua actiuitas, & potentia sit: quare, & à termino (siue ab actione diuerso, siue ipsi identificato) physicam, & realem distinctionem diuinis impossibilem importat; vera tamen, ac minimè fictitia, intentionalis solum potentia dicit tantummodo, quod versari, & prosequi, vel fugere, & auerlari obiectum siue (quod ipsum est) terminum, quin ipsum producat, vere, ac non ficte queat: quod Deo (ni vera volitio, amorque boni, & mali fuga denegetur) non potest denegari: eo autem conceptu potentiæ illius à suo actu distinctio non requiritur, tametsi in potentiis intentionalibus nostris, quia intentionis, & volitionis creatæ simul physicæ potentiæ sunt, requiratur distinctio: quare respectu operationis, & inproducti actus ipsi potentiæ identificati vera, & realis intentionalis potentia in Deo esse potest optimè.

6. Dico tertio: volitionem illam diuinam nullus habitus in Deo præcedit, est contra Henricum, Mayronem, & Arriagam citatos controu. 2. d. 2. q. 6. certam. 2. n. 2. est autem reliquorum Theologorum ibidem citatorum, vt opposita, hoc, & proximis retrò sæculis meritò singularitatis notetur, cum absque apparenti nedum quam nostræ conclusionis, firmiori fundamento contra omnes Theologos solus Arriaga antiquatam duorum opinationem sequatur. De vtroque autem habituum genere probata abundè, & propugnata conclusio à nobis fuit in simili de habitibus intellectualibus certam. 1. citato: de supernaturalibus, quos nemo in intellectu & voluntate diuinis ad suos actus præcedere docuit ex imperfectione & incompletione in genere potentiæ, quam in eis habitus supernaturales necessariò supponerent, vidimus n. 1. De naturalibus vero habitibus, seu adquisitis siue adquisibilibus constat etiam ex dictis ibidem à n. 3. cum in summe perfecta potentia volitiua diuina facilitas, siue exclusio difficultatis operandi ex parte potentiæ prædicatum metaphysicum essentialiter inclusum sit: quare essentia sua, diuina voluntas ad suos actus, siue necessarios, siue liberos, & honestos virtutum omnium absque vllo alio prædicato metaphysice ipsi superaddito concipi necessariò debet.

CERTAMEN II.

De specificatiuo adæquato voluntatis diuinæ, eiusque respectu huius præsdentia, seu prioritate vera.

1. DE volitionis diuinæ primario obiecto, & adæquato specificatiuo totidem, atque de primario diuinæ Scientiæ obiecto, & specificatiuo adæquato sententiæ sunt. Et quidem de primario diuinæ volitionis obiecto Deum ipsum & formaliter metaphysice, qua bonum, primarium obiectum esse Theologis omnibus conuenit. De specificatiuo autem, non Deum solum, qua bonum, adæquatum volitionis suæ specificatiuum esse, sed creaturas etiam, quæ à Deo non propter seipsum (vt videbimus) solum, sed propter seipsa, directè etiam, amaptur, volitionis diuinæ specificatiua esse consequens sententia alteri illi, quam contr. 2. d. 2. q. 5. certam. 1. n. 1. ex pluribus Scotistis, Nominalibus Herize, & Recentioribus nostris retulimus: quorum fundamenta toto illo certamine discussimus. In re autem præsenti ea sententia de amore creaturarum à Deo propter ipsas, nec solum propter seipsum, siue ex mera sui complacentia, quam putamus verissimam, ac in sequentibus statuemus, non ita facile fundamenta sententiæ huius disiicientur.

2. Sit nihilominus conclusio. Deus qua in se bonum adæquatum obiectum, non primarium solum, sed specificatiuum etiam est. Communis est Theologorum conclusio probata in simili de adæquato Scientiæ diuinæ specificatiuo certam. illo 3. citato num. 1. & 2. Primò ex infinitate simpliciter, & è genere suo tali per denegationem termini, etiam extrinseci, omnibus diuinis prædicatis, ac subinde diuinæ volitioni communi, cum ifiiusmodi autem infinitate volitionis pugnant plures in Deo formales volitiones vnamque ex eis, quasi ex homogeneis partibus, metaphysicè compactam reperiri: ac proinde vnam simplicem, ac indiuisibilem, adhuc metaphysice, solummodo Deo concedi necesse est, quæ in Deum prime, & primario feratur, atque ex ipso, vt ex obiecto primario, & specificatiuo infinitea simpliciter, & è genere suo euadat, vt deinde secundariò in creata omnia absque vlla in genere volitionis additione extendatur: vt sæpius contr. 2. & ex dictis contr. 1. explicuimus.

Probatur

Probatur secundò ex dictis in simili citato certam. 3. num. 4. quia, si diuinæ volitionis, quoad intrinsecum, creata specificatiuum forent, diuina volitio, quoad intrinsecum à creatis penderet, esseturque æque, atque creata ipsa, quoad intrinsecum, defectibilis, nec maioris necessitatis, quam ipsa; quod, & falsum ibi, ac sæpe alias ostendimus, etiam respectu possibilium, & in volitione complacentiæ Dei erga absolutè futura omninò apud omnes absurdum.

3. Opponi præfatæ conclusioni duo poterunt. Primum est: omne motiuum formale volitionis est etiam specificatiuum eiusdem: atqui creata, & possunt esse, & de facto sunt ob.ectum motiuum formale volitionis diuinæ: ergo, & specificatiuum discursus inoffenso curit. Minor probatur ex dictis, & suppositis num. 1. quia id propter quod aliquid amatur eius amoris obiectum formale motiuum & specificatiuum est; atqui creata propter se amari à Deo ibi supposuimus: ergo creata obiectum specificatiuum eius amoris, quo ita à Deo amantur, omninò sunt. Maior vero per se videtur nota: quid enim potius, certiusque actum specificat, siue intellectus, siue voluntatis, quam eius formale motiuum, ob quod, seu propter quod is elicitur actus. Nihilominus distinguenda est hæc maior, quæ adeo dicitur perspicua. Omne motiuum formale volitionis, *quæ ipsam non supponit in sua specie, & entitate constitutam*, concedo maiorem: *quæ illam ita constitutam supponit*, nego maiorem: quia, quod supponitur specificatum, nequit ab alio posterius adueniente specificari: & similiter distinguo minorem, *creata sunt obiectum formale motiuum volitionis diuinæ, quam supponunt in sua specie, & entitate aliunde constitutam*: fateor: *quam non ita supponunt*, nego: & inde negatur consequentia. Quomodo autem Deus amari à se propter creaturas, tanquam propter finem queat, non autem propter illas, tanquam per medium formale sciri, diximus controu. 2. d. 7. quæst. 1. certam. 2. num. 7. vbi Dei bonitatem, non solum perfectionis, & quasi ad se, sed vtilitatis etiam, & qua creaturis suis proficuus entitate sua est volitionis suæ specificatiuum ingredi docuimus.

4. Opponi secundò poterit, Dei amorem è genere suo, & simpliciter infinitum, per termini etiam extrinseci, denegationem sufficienter, & adæquatè ex eius bonitate, & perfectionis, & vtilitatis specificari, vt creatorum omnium amor absque vlla amoris formalis additione bene intelligatur extendi. At verò, cum non solum se, & creata amet, sed mala culpæ, & moralia (vt fides docet) oderit, & odii huius specificatiuum in Deo intrinsece esse nequeat, (cum odii specificatiuum malum sit, cuius nec physici, nec moralis, vel vmbra in Deo reperitur) fit planè actus odii Dei specificatiuum malitiâ Deo extrinsecam esse debere, ac proinde Deum omnium voluntatis suæ affectuum adæquatum specificatiuum non esse. Respondetur eandem Dei bonitatem infinitam esse specificatiuum odij diuini erga mala moralia: eodemque quoad extrinsecum amore sui, & extrinsecorum bonorum, extrinseca etiam mala moralia auersari.

5. Sicut enim eadem bonitate, qua ex parte principij intentionaliter actiui ad se quoad exercitium, & creata bona quoad speciem amanda determinatus est, atque ad mala moralia odio habenda, ità etiam eadem bonitate sua obiectiua ad illorum amorem, horum verò odium est obiectiuè determinatus etiam Deus: ac proinde ex eadem bonitate intentionaliter, & actiua, & specificatiua, amor boni, atque mali odium, eodemque indiuisibili, etiam metaphysice, actu procedit, ob debitam affectibus, actibusq; diuinis è genere, & conceptu suo infinitatem simpliciter: quod secus in creatis nostris affectibus contingit: quia, neque ex parte eiusdem principij nostri volitiui determinati ad bonum sumus, neque eodem obiecto ad bonum, quoad malum intentionaliter, etiam obiectiuè, mouemur ac impellimur; neque affectus vllus voluntatis nostræ ex genere, & conceptu suo simpliciter infinitus est, esseve potest, quo etiam pacto respondendum est obiectioni simili de specificatiuo dissensus, seu fugæ intellectus diuini à falsis obiectis.

6. Dico secundo: Deus ipse, qua bonus, siue eius explicata bonitas verè realiter intentionaliter prior, ac præcedens quasi natura, est ad suæ voluntatis affectum. Con-

clusio etiam probata est in simili conclusione de obiecto specificatiuo diuinæ scientiæ controu. 2. d. 2. q. 5. certam. 2. n. 6. etsi enim eo numero versus medium verosimilius putarim oppositum, atque rationi petitæ à paritate veræ præcedentiæ actiuæ intellectus diuini ad scientiam solutionem subiunxerim; tamen sub eius numeri finem solutionis debilitatem recognoscens concluſi obiectum specificatiuum scientiæ æque verè priorem intentionaliter obiectiuè scientia quam specificat, esse, atque intentionaliter actiue intellectus prior illa sit: quia, tam obiectum specificatiuum, quam intellectus ad scientiam, quam in suo quodque genere ponit, vere intentionaliter supponitur: quod ipsum est vtrumque formaliter, in suo quodq; genere, esse vere intentionaliter prius ipsa, & intentionaliter præcedens. Hoc autem argumentum eodem modo, & robore de obiecto specificatiuo actus voluntatis diuinæ veram respectu huius intentionalem præcedentiam, & prioritatem euincit. Nihil autem, quod formale specificatiuum amoris, seu volitionis diuinæ non sit, ipsa vere prius esse, constat ex inibi dictis: quia, cætera, quæ ab specificatiuo diuersa, siue realiter, siue formaliter sunt, etsi à Deo amentur, amorem supponunt constitutum, vt ad ipsa extendatur, ac proinde non ponunt: nihil autem, quod aliud verè vllatenus ponit, prius ipso vere esse potest: quare nullum materiale diuini amoris obiectum vere illo prius est.

7. Supposuimus haetenus diuinam bonitatem specificatiuum volitionis, siue affectus voluntatis diuinæ esse: id quod, etsi certum, notissimumque omnibus sit, summatim tamen probandum: quia amoris obiectum formale, & specificatiuum est bonitas seu bonum, qua tale: ergo, & amoris diuini; sed non alia bonitas, quam summa, & diuina: hæc igitur sola est amoris diuini adæquatum obiectum formale, seu specificatiuum. Minor probatur primò: quia ab obiecto formali specificatiuo amoris tota essentia, & perfectio ex parte obiecti desumitur, & taxatur: implicat autem eum summa amoris diuini necessitate, & perfectione, & creatam bonitatem ad sui consistentiam supponere, atque ab ea perfectionem suam taxari: ac proinde è sola simpliciter, & è genere suo infinita bonitate increata potest obiectiuè desumi. Etenim Aristot. 10. Ethicor. c. 14. circa medium semel, & iterum sub inferius ait: *Præstantissimamque cuiusvis, & optimam operationem esse, ergo optimum eorum, & præstantissimum ex iis, qua ipsi subiiciuntur*: quare 12. met. c. 9. text. 15. infert: *Deum non fore optimam substantiam, si non sit principale suæ intellectionis* (ac subinde volitionis) *obiectum*. Secundo: quia præstantissimum bonum, ac proprium ac pefectissimè cognitum excellentiæ, & proprietatis titulo maxime amabile esse Deo debet.

8. Tertiò: vt actu simplicissimo Deus amet, vt debet, obiectum formale, & specificatiuum omnia bona ab ipso amanda, & amabilia eminentissime continens debet habere; alioquin pro amatorum, seu amabilium pluralitate amor diuinus multiplicaretur, si vnicuique specificatiuum speciale, nec illud omnibus commune, esset: ast extra bonitatem Dei eius conditionis specificatiuum non est: ergo, sola diuina bonitas est amoris diuini specificatiuum. Quartò: quia summa bonitas vniuersalissima, & simplicissima summe simplicissime, atque vniuersalissime amabilis natura, & essentia sua: atqui ita solum amari potest in creato amore diuino; creato, enim ita amari repugnat: ergo illum, vt terminum essentialem suæ amabilitatis, Dei bonitas concernit, ac subinde de facto amatur; nihil enim diuinum est in potentia, adhuc logica, sed actu, & exercite existens, vt ostendimus contr. 1. d. 2. de Dei existentia, & essentia agentes. Quintò probatur, & confirmantur antecedentes probationes à paritate veritatis diuinæ, quam scientiæ Dei adæquatum obiectum specificatiuum esse monstrauimus contr. 2. d. 2. quæstionibus proxime citatis. Mitto probationes alias ex scriptura, & Patribus à nostro Ruiz adductas d. 2. de voluntate sect. 1. quia, si conclusionem directè probent; tamen in sensu in quo, & à Ruiz, & ab aliis Theologis communiter intelliguntur nihil probant, vt d. 2. videbimus: quare solo Bernardi testimonio serm. 59. in Cantica sub init. probationes huius conclusionis concludo, *Amat, & Deus sponsam amatem, nec aliunde hoc habet: sed ipse est vnde amat*: quid autem bonitas diuina metaphysice claudat (nam physicè claudit diuina omnia) diximus contr. 1. & controu. de Trinit. d. 6. q. 3.

DISPVTATIO II.

De materialibus diuinæ volitionis objectis, modo, & statibus, secundum quos ad ipsa porrigitur.

MAterialia diuinæ volitionis obiecta quædam formaliter solum, & metaphysicè materialia obiecta esse possunt; quia, nimirum, obiecto formali (bonitati nempe Dei) physicè, & realiter identificantur: cuiusmodi sunt diuina omnia prædicata communia, & personalia: quædam verò, non metaphysicè solùm, sed physicè etiam quæ scilicet re ipsa, & physicè à bonitate Dei differunt: cuiusmodi sunt creata omnia, quæ entia, & bona per participationem cum actiuè, tum imitatiuè à Deo fiunt. De vtroque ergo materiali obiecto, cum metaphysicè, tum physicè tali examinandum hic est, an, quodque respectu diuinæ volitionis sit? & de creatis secundum quos sui status diuinam terminent volitionem?

QVÆSTIO I.

An diuina omnia diuini amoris materialia obiecta formaliter loquendo sint?

DVplex sub hoc dubio quæstio continetur. Prima, an omnia diuina diuinam perfectionem, & bonitatem metaphysicam compleant formaliter? si enim ita illam compleant, dubium non est quin partialiter metaphysicè obiecta formalia, & specificatiua diuinæ volitionis sint: sin verò metaphysicè ex omnibus diuinis Dei bonitas, & perfectio formaliter non confletur, sed sit prædicatum diuinum à reliquis formaliter metaphysicè diuersum, reliqua obiecta materialia formaliter, & metaphysicè, haud dubio, erunt: quare hoc imprimis definiendum, vt alia quæstio directè, & in terminis proposita decidatur. Dixi autem formaliter, & metaphysicè. Nam physicè, & realiter sumpta Deitate, & bonitate, cum idemmet, quod diuina reliqua indiuisibiliter diuina bonitas sit, sicuti neque eius à diuinis cæteris diuisioni locus est, ita neque præsenti quæstioni est locus.

CERTAMEN I.

Diuina bonitas ex diuinis omnibus formaliter metaphysicè non conflatur: sed est prædicatum à reliquis diuersum.

1. NOster Ruiz de Montoya d. 3. de volunt. sect. 3. a. §. *Nihilominus*, docet diuina omnia, etiam personalia, diuinam bonitatem, & perfectionem essentialiter metaphysicè, & formaliter integrare, & constituere; quare, & attributa, & personalitates: quam sententiam, etsi in terminis à nullo ex antiquis expressam fateatur, virtute tamen, & implicitè ab eis traditam censet, qui ad primarium obiectum, & specificatiuum diuinæ Scientiæ relationes, & personas expresè aduocant. Nimirum Okamus in 1. d. 35. quæst. 3. col. penult. ad 3. quem ex sua Nominalium schola nonnulli sectantur cui etiam adfauêre, qui obiectum visionis beatæ primarium totam Trinitatem esse docuerunt. Caiet. 2. 2. q. 2. a. 8. §. *quoad secundum*, & §. *quoad tertium*, cum pluribus, Molina 1. p. q. 12. a. 8. d. 4. conclus. 2. atque ex nostris, exteris, cæterisque Recentioribus non pauci. Ex obiecto autem specificatiuo scientiæ, nempè diuina veritate ad obiectum specificatiuum diuinæ volitionis consequentiam tenere certum est: quare, si illud ex diuinis omnibus etiam personalibus metaphysicè compingitur, & hoc ex iisdem etiam conflabitur; & ex obiecto visionis beatæ ad eius fruitionem, & gaudium beatificum legitimè ducitur consequentia.

2. Nihilominus conclusio nostra esto: Diuinam bonitatem, & perfectionem, quam diuinæ volitionis adæquatum specificatiuum esse docuimus, nec personalitatibus, nec aliis diuinis attributis formaliter, seu metaphysicè conflari: pro qua conclusione Doctores plures retulimus controu. de Trinit. d. 6. quæst 3. certam. 1. ex relatis certam. 2. & quoad personalia prædicata docuêre expresè Henric. 2. p. summ. art. 47. q. 4. asserens scientiam, & volitionem diuinam, propter essentiam, solùm, ad personalia tanquam ob rationem formalem terminari: consectariè ad ea, quæ docuit quodlib. 1. quæst. 11. negans personalitatibus infinitam vltimi finis bonitatem, quam soli essentiæ concedit: etsi autem transcendentalem bonitatem concedat, quia entia transcendentaliter sunt; non tamen specialem ipsis bonitatem, sicuti neque entitatem concedit, sed essentiæ bonitate bona, sicuti, & entitate vera entia, adiectiuè nimirum, formaliter metaphysicè adiectiua esse solummodo concedit, vt citat. d. 6. præfatione explicabimus item Scotus cum suis in 1. d. 1. quæst. 1. art. 2. §. *ordo naturæ*, asserens Spiritum Sanctum per Deitatis præcisè dilectionem procedere; quæ tamen pro signo posteriori ad personalia, & reliqua extendatur; cui sententiæ cum aliis Doctoribus subscripsimus controu. de Trinitate, d. 5. de obiectis per se diuinarum processionum. Numerandi item sunt illi, cum quibus docuimus d. eadem, verbum per se quarto modo, neque è sui, neque è Spiritus Sancti cognitione procedere: Ac demum illi omnes (sunt autem ex priscis, & iunioribus plures) cum quibus asserebamus controu. 2. obiectum formale specificatiuum adæquate diuinæ scientiæ solo prædicato diuinæ veritatis contineri.

3. Probatur inde primo conclusio: quia obiectum formale specificatiuum adæquatum formaliter, & metaphysicè diuinæ scientiæ est diuina veritas præcisa, hæc diuina entitas, & essentia solidè, ac non solùm apparenter, talis; quin reliqua diuina prædicata, siue personalia, siue attributalia, adhuc partialiter, & tanquam ipsam integrantia ingrediantur: ergo, & diuina bonitas præcisa erit obiectum formale specificatiuum adæquatum diuinæ volitionis, quin reliqua prædicata diuina, siue personalia, siue attributalia, adhuc partialiter, & tanquam Bonitatem diuinam, seu eiusmodi specificatiuum integrantia ingrediantur: consequentia à paritate rationis euidens per ipsos aduersarios efficax ex oppositio antecedenti oppositum contra nos putatum euinci. Antecedens autem nostrum ad nauseam probatum à nobis pluries contra ipsos est controu. de Trinitatis locis, & cursim aliis, cum ibi, tum controu. de Incarnat. & controu. 2. d. 2. & 3. atque item de ente supernaturali tom. 2. contr. de Beatitudine; quare ea hic, & inutiliter probaretur.

4. Probatur secundo à priori, ex dictis controu. de Trinit. d. 6. q. 1. & q. 3. quia quidquid de se formaliter & metaphysicè bonum neutre & substantiue, seu bonitas non est, per se formaliter, & metaphysicè amabile, seu ratio formalis, ob quam ametur non est, siquidem bonitas, idem atque obiectiua amabilitas, & ratio, ob quam ametur aliquid omninò est: sed specificatiuum obiectum amoris essentialiter debet esse formaliter, & metaphysice amabile, seu ratio, ob quam aliquid ametur: ergò quidquid de se formaliter, & metaphysice bonum substantiue, seu bonitas non est, obiectum for-

male

male specificatiuum amoris nullatenus est. Atqui nullum prædicatum diuinum præter speciale prædicatum bonitatis à personalibus; & attributalibus aliis diuersum bonum neutre substantiuè, siue bonitas, adhuc partialiter, & integranter est: ergo neque formale obiectum, & specificatiuum diuini Amoris, adhuc partialiter, & integranter est: consequentia est irrefragabilis, etsi firmiter statuatur antecedens: ex dictis autem controu. 6. de Trinit. q. 1. & 3. citatis in hunc modum facile statuetur.

5. Bonitas, & perfectio seu bonum & perfectum neutre, & substantiue formaliter & metaphysice cum entitate, seu ente neutre, & substantiue formaliter, & metaphysice ad conuertentiam dicitur; quia, vt bene Sanctus Thomas, & Aristoteles à nobis citati citata d. 6. de Trinit. quæst. 3. certam. 2. *Prima, & omnium fundamentalis bonitas, & cæterarum fundamentum est entitas siue esse*: ergo quidquid per se formaliter, & metaphysice entitas, seu ens substantiue, & neutre non est, neque bonitas, nec bonum substantiue, & neutre formaliter metaphysice per se est. Tum sic: sed reliqua prædicata diuina, seu personalia, siue attributalia (præter prædicatum bonitatis diuinæ) per se formaliter metaphysice entitates, siue entia substantiue, & neutre, adhuc partialiter, & integranter, non sunt: ergo neque per se formaliter metaphysice bonitates, seu bona neutre, & substantiue erunt; quoad reliqua à bonitate probatum latissime postremum hoc antecedens est d. 6. de Trinitat. q. 1. ostendimus enim nullam entitatis, seu entis substantiui, & neutri, adhuc partialis, reliquis prædicatis personalibus, ac subinde attributalibus, adhuc partialiter, formaliter & metaphysicè competere, sed omnem entitatis diuinæ rationem metaphysicam in natura, & essentia diuina formaliter metaphysicè claudi.

6. De reliquis verò attributalibus non solum consequentiæ ex personalibus iure, sed in terminis id ipsum expressè probauimus contr. 1. & de bonitate formaliter metaphysicè nullo modo per se formaliter & metaphysicè illis competere eadem d. 6. ostendimus, sed adiectiuè, & entia, & bona ex identica eorum coniunctione cum bonitate formaliter metaphysicè esse, & denominari: quare neque entitatem, & bonitatem diuinam, attributa personalitatésve transcendere, sed solummodo metaphysicè veluti formas metaphysicas extrinsecas illa afficere, & denominare: quare bona, & entia in concreto adiectiuè metaphysicè esse, transcendens reliqua diuina ab essentia, prædicatum erit. Bonitas autem, & perfectio diuina, cum sit in genere entis, siue in essendo absolutissima, & consummata existentia, cuius *naturalis magnitudinis nulla desit particula, seu quidquam extra non est, atque in nullo deficiunt, nec habent in aliquo genere excessum*; (tot enim modis bona, & perfecta formaliter, siue bonitatem & perfectionem definit Aristot. 5. met. text. 21.) imbibitam entis substantiuè, & neutrè accepti rationem habet.

7. Porrò Ruiz suam sententiam probare contendit sect. 3. num. 17. ex dictis Aristotelis verbis, & aliis eiusdem capitis. *Etenim secundùm quod habent finem, perfecta dicuntur*; quæ sane de perfectis, & bonis moraliter Aristoteles dixit; non autem de bonis, & perfectis naturalibus, qua talibus: de quibus verba prius recitata: Proximis siquidem immediatè huic de bonitate, & perfectione morali: *item, quibus finis studiosus* (honestus) *est, perfecta dicuntur*; sententiæ verbis illis, *etenim, &c.* rationem reddit. De qua etiam morali bonitate, perfectioneque aiebat Aristoteles. *Alia autem, vt finis, & bonum aliorum, id enim cuius gratia optimum*, (aliorum respectu) *& finis aliorum vult esse*; quæ illustrat Sanctus Thomas 1. p. quæst. 5. a. 4. Huius etiam verba, ex eiusdem quæst. art. 1. ad 1. pro se recitat Ruiz num. 18. quæ sic habent. *Bonum dicit rationem perfecti, quia est appetibile* (scilicet per se) *& per consequens dicit rationem vltimi: vnde id quod est vltimò perfectum dicitur bonum simpliciter.*

8. Verùm nihil contra conclusionem nostram, & pro aduersa nostri Ruiz deduci ex his locis constat: in sola quippe essentia, sicut essendi soliditas, nec solum apparens, (in qua veritas metaphysicè constat) ita & integritas, totalitasque, & completio essendi diuina (in qua stat bonitas) & perfectio reperitur: atque identitatis iure reliquis diuinis formaliter metaphysicè communicatur: indeque personalia, & attributalia reliqua amabilia, summéque amabilia, perfecta, & bona adiectiuè sunt; non quidem è formali, & metaphysico cuiusque conceptu, tanquam formali obiecto, sed solum materiali: quodque essentiæ, & bonitatis diuinæ, quæ extra illorum conceptum prorsus est, cuique eorum adiunctæ, ratione ametur: id quod Patrum testimonia ab eodem posita Doctore eadem sect. & inde ducta argumenta solummodo probant, vt videbimus certam. 2. num. 2. 3. & 4. subtiliora, & contra nos verisimiliora obiecimus citata d. 6. de Trinit. q. 3. certam. 4. vbi ea diluimus: quibus proinde repetendis hic abstinemus.

CERTAMEN II.

Diuina reliqua obiecta diuinæ volitionis meterialia sunt.

1. COnclusionem hanc probant Patrum testimonia plurima, quæ recitat, ac citat contra præcedentem, vt diximus, conclusionem Ruiz sect. 3. num. 12. qui iuxta lectionem Septuaginta versus illius Prouerb. 8. *cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore*: quem ita vertunt, *ego eram, cui adgaudebat quotidie seu iucundabar in facie eius.* Patris erga secundam personam amorem probant: sunt autem Alex. Alexandrin. epist. ad Alexand. Constant. libro 1. Actor. ante Concil. Nicæ. Iustin. Dialog. cum Tripho. vers. med. Athan. orat. 2. Cont. Arian. vers. med. dicens: *Deus ipse eius imaginis genitor est: quam contuendo exhilaratur, vt ipse filius dicit; ego eram in quo gaudebat*, & post medium, *quomodo, si filius perfectus non erat, Pater in eo sibi gratulabatur? Aut, si nunc tandem melioratus est, quomodo antea potuit oblectari coram Patre?* orat. 3. contra eosdem ex eodem vers. & lect. *Ego eram cui aggratulabatur, quotidie autem exhilarabar in conspectu eius*: statim ferè subdit, *in quo porrò latatur Pater, nisi cum intuetur seipsum in sui ipsius imagine, quod est verbum eius?* sub inferius: *quomodo filius exhilarari posset, nisi eo modo, quo se intuetur in Patre?* orat. 4. cont. eosd. fine. Ex sequenti autem textu, *ludens coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum; & delicia mea esse cum filiis hominum*, deducit; *vt exhilaritate in filio, qui est imago causam trahat exhilaratio in hominibus conditis ad imaginem Dei.*

2. Hæc sanè omnia aperte ex Patribus hisce probant personas ipsas, etiam qua tales, atque, vt Patrem, & filium, inuicem amari: sed ex postremo loco contendit Ruiz personam filij qua personam, & imaginem Patris esse rationem formalem, ob quam à Patre ametur: siquidem ratio formalis, ob quam homines à Deo amantur ex Athanasio, ac proinde vt specificatiuum, & rationem formalem, nec materiale solum obiectum, diuini amoris est: quia ob purè materiale obiectum nil vlterius amatur: cæterum ex hoc ipso loco, & dictis controu. de Trinit. d. 3. pro generatione Filij præ Spiritu Sancto facile respondetur; ac etiam d. de propriis, & appropriatis personarum q. 2. vbi de ratione imaginis filij propria egimus, satisfit: siquidem, vt ibi diximus, filij, & imaginis naturalis ratio in similitudine summa naturæ Paternæ consistit: hæc autem in communicatione naturæ paternæ cum fœcunditate adintra, quæ tota naturæ est: nihil omninò conferente filij, aut patris personalitate præter distinctionem à persona, seu termino producendo, qua energia, & virtus productiua ad intra (quæ tota naturæ est) ab impedimento identitatis cum persona producenda, quatenus cum producente ab illa distincta identificatur, expeditur; cum autem dicat amari à Patre, vt imaginem, atque in natura imago sit, non in personalitate, quæ est filius à Patre dissimilis, & diuersus: manifestum est rationem cur ametur à Patre filius, naturam esse, non personalitatem.

3. Confirmatur: quia testimoniis recitatis ex orat. 3.

contra Arrian. air. Patrem in filio, filiumque in patre eatenus gaudere quatenus alter in altero se ipsum inuicem intuetur, quatenus alter alteri similis inuicem est, non autem similes in personalitatibus sunt, sed in natura: ergo ratione naturæ, non autem personalitatum, se alter in altero vicissim intuetur, ac se inuicem amant: confirmatur secundo ex ipso testimonio, quod nobis opponitur: ex eo enim, quod in filio, tanquam in imagine, Pater exhilaretur exhilarari ipsum in hominibus ait, qui imagines Dei sunt: sunt autem homines imagines Dei in natura tribus personis communi, non personalibus proprietatibus, vti ex illo Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; (hoc est omnibus tribus communem) apertè euincitur: quod autem ex terminatione primaria amoris diuini ad imaginem primariam, quæ in filio diuino est, quam ad secundariam arguebatur, momenti alicuius non est.

4. Non enim ideo dicitur: quia ratio amandi creaturas, etiam secundum personalia, & propria præcisè filius sit: sed quia ratio imaginis & similitudinis in natura diuina, ob quam, & filius, & homines amantur; primario, & principaliter, & perfectissimè in filio est per similitudinem identitatis physicæ in natura cum Patre, in hominibus per aliqualem secundariam participationem, & naturalem imitationem naturæ diuinæ per physice ab illa diuersam naturam suam humanam: quare, & filius primariò amabilis ob naturam diuinam, quam reuera identicè habet, esse debet: homines verò secundariò: & si vtrique secundum id, quo à natura differunt diuina solum materialiter amabiles à Deo sint. Nam in obiectis purè materialibus locus primario, & secundario obiecto est, vt mille obuiis exemplis constat.

5. Sed ad præsentem conclusionem versum illum Prouerb. 8. sic legens, *Ego eram apud quam gaudebat* (Pater) *quotidie verò latabar in vultu eius*, de æterna generatione intellexit Euseb. Cæsari. 5. demonstr. Euang. sub finem, & Tertullian. contra Praxeam c. 6. *ego eram cum illo compingens, ego eram, ad quam gaudebat, quotidie autem oblectabar in persona ipsius*; quibus mutuum amorem personarum Patris, & filij expressit, & Patris quidem erga filium amor æpissimè in Euangelio exprimitur: Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus*: & rursus cap. 17. atque 2. Pet. cap. 1. & Lucæ 9. Apud quem c. 1. & Marci 1. *Tu es filius meus dilectus*. Ioan. 3, *Pater dilexit Filium*, cap. 5. *Pater enim diligit Filium suum*, & cap. 10. *Propterea me diligit Pater*. c 15, *Sicut dilexit me Pater*, & *quia dilexit me ante constitutionem*. Filij verò in Patre amando vicissitudo. Ioan. 14. *quia diligo Patrem*. Accedunt testimonia Patrum asserentium filium voluntate, ac beneplacito Patris genitum esse, quæ opposuimus disput. 3. de Trinit. contra dogmaticam filij processionem per intellectum, ac non per voluntatem formaliter: ac de amore, & voluntate complacentiæ Patris in filio genito, non autem ipsius generationem origine præcedente explicuimus. Ad Spiritum verò Sanctum, immò ad reliqua prædicata, seu attributa diuinum amorem terminari ex eis etiam locis proximum est: cum eis omnibus æque identice absolutissima entitas, seu bonitas, & perfectio diuina (quæ tota ratio amandi Deo est) atque Patri, & Filio adsit.

CERTAMEN III.

Oppositionibus occurritur.

1. QVæ personalia & attributalia non materialia putè obiecta diuinæ volitionis esse poterant contendere & præsentis quæstionis conclusionem vtramque impugnare, diruta à nobis sunt fine disput. 1. atque in hac quæst. certam. 1. & cert. 2. à num. 2. Obicies tamen contra conclusionem primam. Deus, quia est bonus vult se: siquidem ratione suæ bonitatis, tanquam obiecti formalis, & specificatiui suæ volitionis: cum autem amor erga seipsum optimus amor & honestissimus sit, in eo amore bonitas, & honestas moralis diuina erit, quæ & bonitatem diuinam cum aliis bonitatis entitatiuæ, & perfectionis physicæ, ac metaphysicæ, ac insuper vtilitatis, & proficuitatis creaturis omnibus integram bonitatem Dei, seu amoris diuini specificatiuum constituit. Deumque bonum moraliter formaliter reddat: Vade hæc etiam propositio vera iuxta conclusionem nostram primam erit. *Deus est bonus, quia amat se*; quare, & se amabit, quia bonus est, & bonus erit, quia se amat, circulo nimirum vitioso, & repugnante; ac rursus specificatiuum diuini amoris adæquatum, quod ex tribus hisce bonitatibus constatur, ipsum amorem præcedet, & subsequetur: quod non minus repugnat. Repugnantiam primam duarum illarum propositionum obiecit sibi quondam Richardus in 1. d. 45. a. 1. quæst. 3. ex quo, & sibi etiam opposuit Ruiz vbi proxime sect. 4.

2. Respondet autem vterque vtriusque propositionis veritatem absque vlla repugnantia consistere: quia causales illæ in diuerso genere causæ verificantur. Amor siquidem formalis affectiua bonitas, & Deum bonitate morali bonum constituens est; non autem Physica, & transcendentalis, à qua solummodo, non à morali, amor ipse specificatur in genere alio causæ obiectiuæ, ratione cuius dependentiæ, seu prioritatis intentionalis veræ solum, vera & alia propositio est: *Deus se amat quia bonus est*; quia denotatur prioritas obiectiua, quam transcendentalis Dei bonitas respectu diuini amoris habet. Odi semper solutiones implexè duplicatas, quæ ligant potius, quam soluunt, difficultates. Diuersum genus causæ existentiam actualem requirenti ad causandum (vt in præsenti bonitas obiectiua Dei, & Amor diuinus) mutuæ causalitatis repugnantiam non curat: vt vidimus in Physicis controu. de causis: quod itembonitas moralis, & affectiua tota Dei bonitas obiectiua non sit, refert nihili ad difficultatis solutionem; si tamen pars obiecti specificatiui necessarij Amoris diuini esse admittatur: neque enim minus repugnat aliquid seipsum partialiter, quam totaliter, præcedere: sola ergo solutio solida in eo stare debet: quod bonitas, & honestas moralis amoris, & affectus diuini ipsum, ne inadæquatè quidem specificet, sed sola physica, & entitatiua bonitas diuina illum specificet adæquatè, ad quam tandem ij DD. confugere: quare otiosè reliqua mouentur, vt difficultatem soluerent, si hanc in suis principiis possint tueri; etenim, cum asserant diuina omnia præfixata bonitatem formaliter metaphysice in se habere, atque specificatiuum diuini Amoris æque necessariò, vt ex Ruiz certam. 1. retulimus, tum diuinus Amor, tum moralis honestas diuina amoris illius (immò quæ Ruiz teste amor ipse est) diuinum prædicatum sit, sui ipsius inadæquatum specificatiuum, repugnantia aperta in eorum sententia erit.

3. Verùm in nostris principiis facile ea solutio consistit: sed animaduertere oportet oppositas causalitatis mutuæ repugnantias in amore Dei erga seipsum (in quo tantopere præfati Doctores vexantur) nullum locum habere: quia Amor Dei erga seipsum, etsi nobilissimus sit, non tamen vllam Deo bonitatem moralem, siue honestatem affert, quæ essentia sua dicit amoris seu affectus honesti libertatem amori Dei erga se ipsum natura sua necessariò prorsus repugnantem; quare, & moralis bonitas, seu honestas amori sui in Deo repugnabit: physicam verò, & metaphysicam bonitatem entitatiuam de se formaliter metaphysicè non habet, vt diximus, sicuti, nec reliqua diuina à bonitate, & essentia diuina: quare ratione amoris sui falsa illa propositio, *quia Deus se amat bonus est*; siquidem, nec physice, nec metaphysice, nec moraliter, & honestè amor sui in Deo bonitas formaliter est: quare nec aliquo bonitatis genere bonum constituit; cessatque mutuæ causalitatis circulus, & rationum causalium repugnantia; sed quoniam Deus moralem absque dubio honestatem in liberis erga obiecta alia honesta affectibus habet, videndum explicandumque est, an, & quomodo moralis hæc diuina bonitas ad diuini amoris specificatiuum pertineat vel non pertineat? si autem pertineat, mutuarum causalitatum repugnantias, & circularium rationum incaptias oppositas incurremus.

4. In nostris autem principiis ostendi facile potest honestatem, siue bonitatem moralem amoris diuini li-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

liberi, quarenus ad obiecta alia honesta se extendit, specificatiuum diuini amoris, seu rationem bonitatis, ob quam amor à Deo intentionaliter elicitur, neque esse, neque ex parte adhuc constituere: etenim in duplici statu, siue signo moralis Dei honestas considerari potest. Primùm est in actu primo: nempe pro inclinatione, vel potius determinatione, quoad speciem, diuinæ voluntatis ad honestum præ turpi obiecto prosequendum: & id quidem duplici ex parte constituitur, nempe voluntate perfectissima Dei, & summa physicè, & metaphysicè essentiæ diuinæ obiectiua bonitate: quæ, ni necessitate ad sui amorem diuinam raperet voluntatem, nec ad affectum honestissimum, summéque, & infinitè bonum moraliter intentionaliter moueret: quare, obiectiuè loquendo, omnem moralem honestatem continet, atque malitiæ omni obiectiuæ aduersatur; vnde amor ab ea bonitate specificatus odium formale malitiæ omnis est, atque ab omni obiecto inhonesto formalis auersio, vt supra dicebamus: æque quidem necessaria, atque est diuinæ illius, & summæ bonitatis formalis prosecutio; quare etiam ex libertatis defectu odium hoc, etsi obiectiuè honestum bonumque moraliter sit, non tamen absolutè bonum moraliter est: sicuti eodem defectu libertatis bona moraliter absolutè non est diuinæ bonitatis prosequutio: cum autem honesta obiecta moralium virtutum, misericordiæ, iustitiæ, &c. pro posteriori occurrant, liberéque diuinus amor ad ea extenditur, hanc, vel illam exercite, absque vlla sui variatione prosequendo: honestas quidem moralis exercite, & in actu secundo est; sed quæ sui amorem minimè specificet, etsi propter ipsas amentur: quia ex bonitate illa physica, & metaphysica summa, atque infinita Deitatis, totum amorem indiuisibilem diuinum specificatum obiectiue, & constitutum supponit: quare nil istic habet, quod obiectiue, quoad eius constitutionem, & specificationem, agat.

5. Oppones secundò contra secundam conclusionem: si enim amoris diuini diuina omnia obiecta materialia sunt, & quæ propter diuinam bonitatem hactenus explicatam amentur: ergo, & ita etiam à Deo diuinus amabitur amor, & rursus ob eandem rationem reflexus: hic amor amabitur amore reflexiori: sicque dabitur reflexiorum, & reflexiorum amorum processus infinitus repugnans: quare diuina omnia vniuersim amari, atque amoris diuini obiecta materialia esse, negare satius erit. Cæterùm diuinum amorem, immò, & nostrum à nobis amari docuit expressè Augustinus de Ciuitate Dei, cap. 8. his verbis. *De amore, quo amamus, virum & ipse ametur, non dictum est. Amatur tamen: & hinc probamus quod in omnibus, quæ rectius amantur, ipse magis ametur. Neque enim vir bonus merito dicitur, qui scit, quod bonum est, sed qui diligit. Cur ergo, & in nobis ipsis non & ipsum amorem nos amare sentimus, quo amamus quicquid boni est: etenim amor, quo amatur quod amandum non est: & istum amorem odit in se, qui illum diligit, quo id amatur, quod amandum est.* Et de amore Dei refert Ruiz sect. 4. à num. 4. testimonia quædam Dionysij 4. de diuinis nominibus & Hieroth. ibid. ab eodem recitati: & Maximi Centur. 8. cap. 88. apud Ciparissiotum decade 8. cap. 5. sub init. quæ de circulari diuini amoris motu à bono summo progredientis, & in ipsum reuertentis sunt; non autem de reflexione amoris diuini in seipsum. Negari autem nequit perfectiorem, magisque voluntariam esse tendentiam in bonum, qua & ipse amor boni ametur sicut perfectior, certiorque, & euidentior subiectiuè est scientia illius, qui non scit solum, sed & scire se reflexè nouit: quare nec diuino amori ea perfectio deneganda est: sicuti neque Scientiæ diuinæ, vt vidimus controu. 1. præterquam quod id ipsum ratio à priori data certam. 2. n. 5. fine euincit.

6. Oppositam verò difficultatem de infinita reflexione amoris diuini in simili attigimus controu. 2. d. 2. q. 5. certam. 1. de cognitione Scientiæ Dei, tanquam materialis obiecti per se ipsam & d. 3. quæst. 4. certam. 2. vbi contra plures recitatos certam. 1. num. 2. infinitum scientiarum reflexarum, & reflexarum metaphysicè diuersarum à Deo reiecimus, & contra nostrum Ruiz de Montoya relatum eodem certam. numer. 1. statuimus Scientiam Dei directam alia adhuc metaphysicè diuersa, quæ supra ipsam formaliter reflectat, minimè egere, vt à Deo formaliter cognoscatur: quia ex vna parte scientiæ à suo obiecto materiali, formalis adhuc, distinctio opus non est, vt vidimus primo loco citato ex contr. 2. atque, vt vidimus secundo loco ex eadem controuersia, infinitas simpliciter, atque ex genere, & conceptu suo per denegationem termini, etiam extrinseci, quæ scientiæ Dei (sicuti & diuinis reliquis, qua diuinis) competit, pluralitati etiam metaphysicæ, formalium scientiarum Dei (sine qua directa, & reflexa, adhuc formaliter metaphysicè esse nequit) omninò repugnat. Hæc autem omnia in amore diuino concurrunt. Siquidem, & infinitus simpliciter, & è genere, & conceptu suo per denegationem termini, etiam extrinseci, est, æque, ac scientia, & purè, vt nuper diximus, terminatiuum obiectum: quare amare alio reflexo, adhuc formaliter, & metaphysicè, diuerso, amari à Deo repugnat: vnde etsi in amore creato opus alio reflexo sit, vt ametur; secus in diuino vt primo loco citato ex controu. 2. vidimus. Cessat ergo reflexionis infinitæ difficultas.

QVÆSTIO II.

An Deus creata obiecta secundum se sumpta omnia vniuersim amet, & singulatim, etiam, quà possibilia.

QVÆSTIONIS titulus explicatione non eget. Dei amorem ad creata obiecta absolutè existentia vel extitura terminari, suppositione potiùs, quam disputatione dignum est: Siquidem scriptura læpe id expressit Psalm. 20. *Vita in voluntate eius*, & infra, *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.*

CERTAMEN I.

Omnia vniuersim, & singulatim, creata amat Deus.

1. PRæmissa hæc firmantur Psalm. 113. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, & quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses.* Ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ad Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Hæc rerum, personarum autem creatarum amorem Dei exprimunt sequentia Psalm. 17. *saluum me fecit quoniam voluit me.* Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te.* Ioan. 14. *Pater meus diliget eum.* cap. 16. *Ipse Pater amat vos*: & plura alia passim occurrunt; quæ omnia, vt patet, de existentibus, vel futuris absolutè aperta sunt: quare de creatorum pro statu absolutæ existentiæ diuino amore disputationi Theologicæ locum non relinquunt: maxime, cum pro eo statu nihil contra diuinum creaturarum, siue personarum amorem à ratione objici possit.

2. Inde verò dubium aliud insurgit. An scilicet Deus omnia velit, sicuti omnia scit, & omnia potest? Nam absolutè existentia, vel extitura creata omnia non sunt: cum omnia quæ intra possibilitatem clauduntur, nunquam ad absolutam existentiam à peruentura, excluſa, neque vsquam excludenda à creaturis sunt, de quibus nihil, eorumque diuino Amore in scriptura habetur: item peccata, & opera praua non vult Deus, quæ tamen scit, ex Patrum, & Theologorum omnium sententia. Ob quæ S. Thom. 1. part. quæst. 19. a. 3. ad 6. & 2. 6.

& a.6. ad 2. & 1. contra Gent.cap.81. fine. S. Bonauent. in 1. d.45. a.1. p.2. vbi Carthus. quæst.1. colum. penult. Albert.1. part. quæst.79. m. 2. a.1. particula 2. negant Deum omniuolentem esse, sicuti Omniscius, & Omnipotens est. Aliam huius sententiæ addit S. Thomas rationem: quia appetitio rerum secundùm se sumptarum ad res, vt in se ipsis sunt, tendit: ast cognitio in res, vt sunt in cognoscente: est autem in Deo quidquid habet rationem entis, & veri: ac proinde à Deo cognoscitur; non autem id totum existit in rebus: quare, nec res omnes amantur. Et citat. d.3. ad 6. infert, Deum necessariò omnia scire, quia scibilia omnia habent in Deo necessarium esse, non velle autem necessariò omnia, quæ vult: quia in se ipsis non habent absolutam necessitatem. Contra hanc verò rationem arguit Caietanus: quia secundum possibilitatem, sicut necessariò sunt possibilia, & necessariò sciuntur à Deo; ita & amabilia, ac necessariò à Deo amantur complacentia simplici: secundùm statum verò absolutæ existentiæ necessariò, nec diliguntur, nec amantur, sed contingenter, quia necessitatem illius existentiæ absolutæ non habent. Alias addit rationes S. Thom. inferiùs attingendas.

3. Hugo Victorinus peculiari libello, & tract.1. Summæ probat Deum æque Omniuolentem, atque Omnipotentem esse: quia quidquid potest vult se posse; etsi non velit esse quidquid potest. Secundò: quia, vt quæ potest, absolutè sint, necesse est, vt ea absolute Deus esse velit: nec aliter potest ea absolute producere, & ponere in suo esse, nisi cum subordinatione potentiæ suæ ad suam voluntatem: vt Dei potentia, conditionata sit potestas producendi, si Deus velit: iuxta illud, *subest tibi, cum voluerit posse*. Tertiò: quia de omnibus possibilibus alteram contradictionis partem positiuè vult Deus: nempe de aliquibus, vt absolutè sint, de aliis, vt non sint. Quartò: quia etiam de actionibus prauis vult Deus quidquid sine deordinatione est, atque absolutè absque imperfectione amabile. Hæc approbat Ruiz d.7.sect.3.num....Et Sancti Thomæ sententiam cum vtraque relata opinione conciliat à numer.10. concl.2. æstimans S. Thomæ sententiam esse de voluntate solummodo efficaci, & circa absolutè existentia creata solum, non autem circa possibilia, quæ omnia in se bona, & amabilia, nec moraliter de se deordinata & mala (ac subinde absque imperfectione voluntatis, & dictaminis intellectus amabilia) Deum simplici complacentia prosequi putat. Verùm S. Thom. non ita amari à Deo possibilia constanter docuit: vt certamine 2. monstrauimus, & eius ratio secunda à Ruiz recitata n.11. init. id apertè demonstrat.

4. Denique concludit Ruiz num.13. concluſ.3. Deum non esse omniuolentem æque, ac est omnipotens, & omniscius. Probat, quia omnipotentia, & scientia circa sua obiecta versantur, quanta possunt plenitudine versari, secus autem volitio Dei, quæ circa pleraque possibilia nusquam absolutè futura tota plenitudine, qua potest, non versatur; cum non versetur efficaciter, vt potest, circa illa; cæterum, etsi discrimen hoc inter volitionem, & scientiam inueniatur, secus inter volitionem, & omnipotentiam: siquidem non minus omnipotentia, quam volitio, potest circa suum terminum, scilicet possibilia, efficaciter versari; & tamen circa ea omnia, circa quæ volitio efficaciter non versatur, nec versatur ipsa efficaciter: quare nec tota plenitudine qua potest. Et quidem, vt res dilucide hæc, ac sine æquiuocatione vlla inter extrema comparationis huius explicetur, de volitione, scientia, & omnipotentia in actu, tam primo, quàm secundo consideratis seorsim examinanda, ac definienda erit difficultas præsens.

5. Dico primò: Consideratis in actu primo his tribus, scilicet intellectu, potentiâ, & voluntate, obiectorum materialium intellectus diuini sphæra amplior absolutè, quàm potentiæ, & voluntatis diuinæ sphæra; quarum est omnino æqualis, proportionaliter tamen loquendo tribus hisce æqua sphæra est. Tres partes continet conclusio, facile tamen probandas. Prima de ampliori sphæra obiectorum materialium intellectus diuini probatur; quia extenditur ad mala culpæ, & chimæras, ad quæ, nec Dei omnipotentia, nec voluntas extenditur: cum ea Deus, nec possit facere, nec velle etsi intellectu diuino chimæræ, & rationis entia possint vt vidimus controu.1. compingi. Secunda pars de æqualitate sphæræ obiectorum materialium omnipotentiæ, & voluntatis diuinæ probatur: quia quæcunque Deus obiecta materialia extrinseca (de quibus est in præsenti disputatio; nam intrinseca potest velle, quæ facere nequit) potest efficere, potest & velle, nec potest quidquam facere, quod velle non possit; cum essentialiter eius potentia ipsius subordinetur voluntati, sitque agentis rationalis, & liberi potentia omnium opinione; atque in nostra verisimiliori, nil aliud omnipotentia, quàm Dei voluntas sit. Nec obstat absolutas rerum negationes obiectum materiale diuinæ voluntatis esse, non autem omnipotentiæ: in ea quippe nostra opinione falsum est, & repugnans. In omnium verò sententia, quomodo absolutè factibiles negationes sunt, nempe per actionis suspensionem, ab omnipotentia esse possunt. Tertia pars probatur; quia sicut, quidquid obiectiuè verum, & cognoscibile est, ita quidquid factibile, & bonum, seu amabile est, fieri, & amari à Deo potest, siue liberè, siue necessariò. Quare conclusio hæc non pendet à bonitate, & amabilitate obiecta, vel eius defectu possibilibus qua talibus vel aliis quibuſvis obiectis.

6. Dico secundò, comparatis his tribus in actu secundo, scientia, actione, & volitione exercitè sumpta, sphæra obiectorum materialium scientiæ non solum absolutè, sed & proportionaliter loquendo multò amplior adhuc est, quam sphæra duarum reliquarum. Prima pars quoad maiorem absolutè amplitudinem scientiæ, & Sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ, ac reliquorum primæ sententiæ, probatur facile: quia Deus scibilia omnia in actu secundo, & exercitè scit, quæ multò plura sunt, quàm à Deo amabilia, & factibilia, vt vidimus. Quod autem ea omnia Deus actu & exercitè sciat, probatum abundè à nobis est controu.2. atque à Sancto Thoma proxime ratione secunda: quia posse non intelligere, seu ignorare aliquid secundum se scibile, imperfectio intellectus, seu intellectiui est: quare summè ac perfectissimè intellectiuus Deus determinatus in actu primo est ad necessariam scibilium, & veritatum omnium cognitionem; secus autem perfectè potentis, scilicet liberi in volendo, & operando: (amoris scilicet, & operationis suæ Domini actualis) obiecti volitio, & operatio. Quoad maiorem autem, adhuc proportionaliter, sphæræ obiectorum scientiæ amplitudinem, etsi non expressa, eorundem Doctorum, virtute tamen, & implicitè, & eorum, & plurium quos retabimus certam.2. sententia est: Quia, vt non esset amplior exercitè proportionaliter sphæra scientiæ, oporteret, vt ad omnia amabilia, & bona obiectiuè Dei volitio extenderetur exercitè: sicuti Dei scientia ad omnia vera, & scibilia exercitè extenditur. Non autem ad omnia bona, & amabilia obiectiuè extrinseca Dei volitio, nedum omnipotentiæ operatio, exercitè se extendit: ergo scientiæ sphæra, adhuc proportionaliter, amplior est, quam sphæra voluntatis, & omnipotentiæ in actu secundo seu operationis, & volitionis exercitè sumptæ erga sua obiecta.

7. Minor (quæ sola probationem desiderat) probatur, quia, etsi possibilia, qua talia, bona sint, vt aduersariæ sententiæ Doctores volunt: ea tamen, qua possibilia præcisè non amaret Deus, vt decursu quæstionis constabit: immò verò, neque creata absolutè existentia, vel futura, si ea absque libera Dei voluntate, & esse in rebus possent, & fierent, & præcisa absoluta bonitate, quam haberent, à Deo amari minimè inferetur; quia creata bonitas limitata, neque ab imperfectione prorsus immunis est, nec nostram quidem, nedum diuinam voluntatem summe perfectam in sui amorem necessariò rapiens: proinde Dei erga creata absolutè existentia amor asseritur ex eorum indigentia, vt sint, non autem ex vi, & motione irresistibili à diuina voluntate, vt amentur, quia bona sunt: quam rationem attigit Sanctus Thomas citato argumento 4. scilicet Dei exercitè erga creata amorem, non ad eum perficiendum, sicut scientia eius tendit; sed potius ad creata ipsa perficienda tendere: quod ipsi necessarium

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non est: cuius rationem aliam, & à priori adhibet Sanctus Thomas supra ex diuinæ voluntatis perfectissima libertate: etenim, etsi posse aliquid scibile non scire, seu ignorare intellectiuæ facultatis non virtus, potentia, aut perfectio sit, sed imperfectio potius, & potentiæ defectus; at posse non amare ea, quæ necessaria ad finem, siue *aut* siue *ei* non sunt, maxima perfectio, & potestas voluntatis est: nempe eius liberras & ad vtrumvis potestas: at creata necessaria non sunt ad finem *cui*, nempe Deum, quem solum Deus necessariò amat: ergo posse illa non amare maxima perfectio diuinæ voluntatis est.

8. Dixi autem de volitione diuina exercitè se erga creata habente, & ita considerata: considerata enim secundum se totam non minus amplum, magisue angustum obiectum materiale extrinsecum habet, quàm diuina voluntas: sicut enim hæc est, secundum intrinsecum considerata omnis boni, & amabilis ex parte obiecti voluntas, facultasque ad id totum amandum, ita, & Dei volitio in actu secundo infinita, & omnivolitio formalis, & in actu secundo est, ob rationes easdem, qua Dei scientiam è conceptu, & essentia sua metaphysica indiuisibiliter infinitam è genere suo, & omniscientiam esse ostendimus semel controu. 2. & vniuersim de omni prædicato diuino controu. 1. cum autem exercite erga creata addimus, liberum eiusdemmet formalis volitionis physice & metaphysice inuariatæ erga creata exercitium significamus, quod erga aliqua solummodo est, non erga creata bona, & obiectiue amabilia omnia. Etsi autem mysterium viatorum omnium captum superans de decreti diuini libertate contineat, inferius pro nostro modulo explicandum: ostenditur tamen (quod præsentis loci est) volitionis diuinæ exercitæ erga creata sumptæ sphæram obiectiuam, etiam proportionaliter sphæra scientiæ diuinæ obiectiua esse angustiorem; secus autem, si volitio tota sua latitudine sine eo addito vsurpetur: sic enim omnivolitio est, sicuti & est omniscientia illa.

9. De voluntate verò, & omnipotentia in actu secundo siue pro volitione, & operatione sumptis, dicendum vltimo in hac difficultate est: tam absolute, quàm exercitè erga creata Dei volitione accepta sphæram obiectiuam ampliorem sphæra omnipotentiæ habere. Absolutè enim omnivolitio est, ac proinde æquam cum omnipotentia sphæram obiectiuam habet: cum tamen omnipotentiæ actus secundus, siue operatio circa absolutè existentia, vel extitura, aut præterita (quæ minor longe possibilium pars est solummodo sit) de volitione exercita erga creata obiecta adhuc sumpta, probatur etiam facile: quia Dei volitio non solum circa creata, quæ aliquando absolute fuere, sunt, vel erunt, (vltra quæ potentiæ non se extendit operatio) libere efficaciter extenditur; sed etiam circa existentiam eorum, quæ absolutè, nec sunt, nec fuere, nec erunt inefficaci desiderio libere se exercet.

10. Dicendum tandem est: omnia etiam vilissima, quę Deus fecit, immò plura alia, quæ non fecit, diligit tamen, (vt ex memorato nuper desiderio eius inefficaci constat) secundum atomas ipsorum differentias amat. Hoc probatum est in simili de scientia controu. 2. disput. 4. q. 2. à certam. 2. contra aliquorum errores recitatos certam. 1. vbi ab eis aliquos Doctores præsertim Hieronymum vindicauimus. Obiectioni autem, quod ex obiectorum vilitate diuina scientia, seu volitio vilescerent ratione, exemplo radiorum solarium stercora lustrantium confirmata cum Nemessio occurrimus. Quoad volitionem autem occurrit Augustinus recitatus, certam. 2. numer. 5. init. Occurrentque plura Patrum testimonia recitanda contra similem errorem in Dei prouidentia controu. 6. d. 1. Probabuntque testimonia alia scripturæ, & Patrum præsentem de volitione Dei erga vilissima quæque singulatim conclusionem, quam probant, recitata omnia ex scriptura num. 1. ac frequens illud Gen. *vidit quod esset bonum* etiam de reptilibus dictum, *& vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, scientia vtique approbationis quæ Dei de reptilibus, cunctisque à se factis complacentiam inuoluit: & alia sexcenta. Rationes Theologicæ eædem sunt, quæ pro eorundem scientia dedimus ex omniscientia Dei, & veritate obiectiua rerum pro omni volitione, & bonitate obiectiua entitatiua omnium rerum etiam vilissimarum, in singulari etiam probant. Adde pro vtrisque minus longe distare vilissima à perfectioribus creatis, quàm hæc à purissima bonitate, ac perfectione sine imperfectione diuina: & tamen per aduersarios absque suæ perfectionis detrimento, & iactura ad creata perfectiora Dei volitio (idemque de scientia est) descendit: ergo, & inde ad viliora creata ab imperfectione immunis descendet: etenim creata bonitas, & perfectio, quantumvis magna, immo maxima, ab imperfectione excoquibilis, ac suppurabilis non est, quam essentia sua creata bonitas, & perfectio imbibit: quare, si ab imperfectione obiecti bonitatis creatæ in Dei volitionem imperfectior effunderetur, à perfectioribus etiam creaturis imperfectionem Dei volitio repugnantem participaret: si autem ab eis non participat; neque participabit à vilissimis, quarum minus imperfectionis comparatione perfectissimæ creaturæ est, quam sit in hac comparatione Dei.

CERTAMEN II.

De amore creatorum possibilium, qua talium, diuino, sententiæ Doctorum.

1. QVæ hactenus ex scriptura adducta pro diuino creaturarum amore sunt, & plura, quæ ex scriptura, & Patribus afferri possent, de absolute existentibus, & comparatione æternitatis extituris expresse loquuntur. Quare quæstioni de amore seu volitione Dei erga creata pro aliqua differentia temporis absolutè existentia ab authoritate locus non est: Immo verò neque à ratione locus quæstioni relinquitur, cum absolute existentia creata bonitatem, sicuti, & entitatem absolute habere, quare & absolute amari à Deo posse, citra dubium sit: ac de facto à Deo, non vtcunque, sed efficaciter volita, amataque esse (si liberas nostras operationes excipias) tam certum sit, atque, à Dei potentia per liberum de eis efficiendis decretum condita fuisse indubitatum est: solum ergo Catholicis sub lite duo esse possunt. An ea secundum status eorum reliquos possibilitatis, ac futuritionis conditionatæ abstrahentes ab eorum absoluta existentia Deus amet, ac velit? Horum vtrumvis tot habet pro alterutra, affirmante, & negante parte fundamenta, & Patronos, vt seorsim examinanda methodo, & claritatis gratia meritò videantur: & de statu possibilitatis, titulo prioritatis maioris vniuersalitatis, quam dicunt, habeatque rerum possibilitas, respectu futuritionis earundem conditionatæ, primo.

2. Prima in hac difficultate sententia asserit Deum amare creata, etiam secundum statum possibilitatis inspecta: ea tamen, non vna apud eius Patronos est. Eorum enim aliqui docent possibilia, qua talia, libere à Deo secundum eum præcisè statum amari: quare non amari omnia, in horum adhuc sententia probabilius est: siquidem, quæ necessariò non amantur, amari omnia absque fundamento probabili dicetur: id quod apertius constabit ex infra dicendis de defectu fundamenti, vt libere amentur aliqua secundum eum statum; etsi secundum illum bona, & absolute ex parte obiecti amabilia sint, in quo cum alterius modi Doctoribus conueniunt: ita plures Recentiores Scoticos, & Thomistas pauciores hanc sententiam de amore Dei erga possibilia præcisè defendentes audiui. Ex antiquis Scholasticis pro hac sententia (quæ longe quam iam subiicienda probabilior à ratione nobis videtur) neminem ferè, citatum adhuc, inueni; etsi qui pro nostra negatiua sententia referentur à cursim legentibus, nec contextum totum attendentibus possint referri: vt è germanæ eorum sententiæ relatione nostra clarebit: vnus ex antiquis Scotus, pro hoc censendi modo stare mihi visus est collatis inter se locis ex eo citandis

num. 3. & 4. & fors Bannez, Zumel, & Molina, qui solum amorem necessarium Dei erga creaturas absolute negant; non autem liberum erga possibilia, etsi eum non affirment, sed disputationem de illo omittant. Cæterum principale eorum omnium Doctorum fundamentum ex perfectione libertatis diuinæ, ad prosequenda obiecta bonitatis limitatæ creatæ, adhuc ex suppositione, quod possibilia, qua talia præcisè bona, & amabilia à Deo absolute essent, hanc ipsis sententiam placituram, si in ea hypothesi disputassent, dubium mihi non est.

3. Alter modus defendendi Deum possibilia creata, qua talia præcisè amare, necessaria nimirum de eorum præcisè possibilitate complacentia est: non secus, ac infinita sua omniscientia possibilia eadem necessariò cognoscit: ita sentire videtur tandem Henricus 2. p. sum. art. 47. quæst. 3. corp. & quodlib. 2. quæst. 3. Scotus clarius in 3. d. 32. quæst. vnica init. Richardus in 1. d. 45. art. 1. quæst. 4. & 5. Dionys. Carth. eadem d. quæst. 1. sub finem. Aureolus d. 46. art. 2. propos. 2. & 3. & d. 40. art. 1. propos. 1. & 2. Fonsec. 7. Metaph. cap. 8. quæst. 4. sect. 5. & q. 5. sectione 4. Vazq. d. 79. capite 2. Arrubal. d. 53. capite 2. Herize d. 18. de volunt. cap. 1. Ruiz de Montoya d. 6. de volunt. sectione 2. à num. 10. & sectione 3. multò sententiam hanc rationum, & discursuum momento fundans, & protegens: citari verò, non sine fundamento, pro eadem Soarium nostrum ait, etsi ambigue aliquando loquatur; sed certe adeo est pro negatiua sententia apertus, vt de eius mente dubitari merito nequeat: expresse autem vbi magis præsenti opinioni videtur fauere gaudium de sola omnipotentia sua actuali Deo concedit; neque de possibilibus (quæ ipsa in huius sententia essentialiter transcendentaliter actuali omnipotentia concernit) secundum se sumptis vsquam Deo complacentiam concedit; sed solum, quatenus eminenter in actuali Dei de sua omnipotentia complacentia continentur: quod solum est Dei actualem omnipotentiam ab ipso amari.

4. Tertia vtrique relatæ vniuersim aduersa sententia docet Deum creata possibilia præcisè qua talia, siue secundum statum possibilitatis præcisiuæ nullatenus amare; sed ea solummodo velle, quæ pro aliqua differentia temporis absolutè existunt: eaque non amari à Deo necessariò, sed libere, sicuti libere eis existentia ab ipso confertur: ita censent Magister in 3. d. 32. sub initio Albertus, prima parte quæst. 79. m. 2. artic. 1. partic. 2. quem eius sectatur Discipulus Sanctus Thomas, 1. part. quæstione 19. articulo tertio, corpore & ad 6. vbi Valentia d. 1. pun. 2. & 3. Bañes, Zumel, & Molina ad quæst. 34. artic. 3. & alij Sancti Thomæ Expositores & ad eandem quæstionem 19. & 20. referuntur pro eadem sententia, quatenus Spiritum Sanctum ex creaturarum amore negant procedere, quia earum amor necessarius Deo non est, sed prorsus liber. Quo fundamento, Scotus etiam posset pro eadem sententia referri in 1. distinct. 32. quæst. 2. ad vltim. qui tamen pro ea non est, vt vidimus numero tertio. Potest enim Dei amor ergà possibilia non necessarius asseri ab his Doctoribus, sed liber, iuxta affirmantis sententiæ primum, & rationabiliorem modum. Quare non certa fide tres hi Doctores pro hac vniuersim negatiua sententia referuntur.

5. In eadem sententia perstare videtur Sanct. Thom. 1. cont. Gent. capite 81. probans hic Deum non diligere omnia, quæ scit & citata quæst. 20. artic. 2. Deum diligere omnia, quæ sunt: vbi, licet negatiuam de amore, possibilium præcisè, non posuerit, ac proinde noster Ruiz ipsum de efficaci voluntate locutum solummodo interpretetur d. 6. citata sect. 5. num. 10. tamen, si eius ratio tam ibi, quàm quæst. 19. art. 6. ad 2. & artic. 3. ad 6. ab eodem Ruiz relata eadem sectione, numero septimo, & qua discrimen inter actum intellectus quod tendit in obiectum secundum quod est in cognoscente, & actum voluntatis, quod tendit in obiectum secundum quod in se est, aperte erga omne, quod in se actu non est, esseve actu desideratur amorem omnem Dei excludit: eandemque doctrinam tradiderat tota q. 5. & 6. corp. vbi soli Deo, non autem creaturis, competere per essentiam suam bonitatem probat: quia nec per suam essentiam competit illis esse (nempe actu) quod prima, & fundamentalis rerum bonitas est. Idcircò pro negatiua vniuersim amoris Dei erga possibilia, qua talia, ipsum interpretatur, & sequitur Ferrara ad citatum locum 1. contra Gent. cap. 81. lib. 4. cap. 13. §. *dicitur*: eidem sententiæ adhærent Alex. Alens. 1. p. quæst. 31. m. 1. post med. q. 34. m. 3. & 4. ac eius Discipulus Sanctus Bonauentura in 1. d. 45. art. 1. quæst. 2. & in 3. d. 32. artic. 1. q. 1. *ad argumenta*. Richardus ibi art. 1. q. 2. ac fusius Gabriel ibi q. vnic. artic. 1. notab. 1. & artic. 2. conclus. 2. etsi post complacentiam (quam amorem esse negat) erga possibilia videatur admittere: denique pro ea stat Soarius d. 30. metaph. section. 16. à numero 39. & prima parte, libro 11. cap. 2. fine ac 3. de attribut. cap. 6.

CERTAMEN III.

Tertia negatiua vniuersim Amoris diuini erga possibilia sententia, explicatiùs, temperatiùsque, variis conclusionibus proposita, eligitur.

1. SIt prima conclusio. Possibilia creata, qua possibilia, siue præcisè secundum statum possibilitatis Deus necessariò non amat. Hæc conclusio est Doctorum omnium primæ, & tertiæ sententiæ: eaque independens ab eo, quod possibilia habeant, vel non habeant sufficientem bonitatem obiectiuam, vt à Deo amari possent. Etsi enim possibilia, præcisè, qua talia, sufficientem bonitatem obiectiuam habeant vt actualem terminent sui amorem (vt prima sententia admittit: eosque nunc permittimus) liberum solum Dei erga ipsa esse posse amorem asserimus. Atque in hunc modum ratione Sancti Thomæ & Sancti Bonauenturæ tacta supra num. 2. fine, probamus. Determinatio potentiæ de se liberæ; & necessitas in actu primo ad amorem alicuius obiecti debet ex altero è duobus prouenire: vel ex summa, & infinita simpliciter bonitate, & perfectione obiecti amandi, (qualis solius Dei bonitas est, & quæ creatis repugnat) vel ex affectu aliquo antecedenti alicuius obiecti, quod actiuè determinet ad amorem alterius: sed nullius obiecti est in Deo antecedens amor pro priori signo ad creaturarum amorem, ex quo ad ipsas, etsi sufficienter obiectiue bonas, amandas, actiuè vel quasi actiue Dei voluntas determinetur: ergo nullarum Dei voluntas determinata, seu necessitata antecedenter est ad illarum, adhuc qua possibilium, amorem: ac inde non amantur necessariò à Deo; sed ad summum cum potestate antecedenti ad ipsas amandas, vel non amandas.

2. Concludit discursus, si minoris partem extremam probemus: cui proinde probandæ tertiæ sententiæ DD. incumbunt, quia amor Dei creaturarum, adhuc possibilium, amorem præcedens solum est amor Dei erga ipsum: sed ex hoc ad amandas creaturas determinatus, aut necessitatus, neque est, neque intelligitur Deus actiue, vel quasi actiue. Primò à priori quia, tam diuina bonitas, quàm eius amor independentes à creaturarum etiam possibilium bonitate, & amore prorsus sunt; ita, vt si, tam possibilia, quàm illarum amor exercite erga illa sumptus, repugnarent, diuina bonitas, Deique erga illam amor non modo non repugnarent, sed actu consisterent: vt supra controuersia prima, independentiam cuiusque præcisi diuini à creaturis, adhuc possibilibus, ostendentes probauimus. Confirmatur: quia Angelus, & beati reliqui, & si minus independentes à creaturis, quàm Deus, sint, atque à Dei bonitate infinita in ipsius amorem necessariò rapiantur; tamen, nec inde ad amorem illum creaturarum Dei amore determinantur, siue ex necessitate rapiuntur; sed liberè illas, adhuc vt possibiles amant; quidquid repugnet Ruiz, cuius euasiones, qua

ab oppositionibus contra hanc conclusionem nihilo differunt, cum his satisfaciamus, certamine 4. præcludemus.

3. Sit secunda conclusio: Deus non amat, adhuc liberè, creaturas possibiles secundum statum suæ præcisæ possibilitatis: est Doctorum tertiæ sententiæ, & contra Doctores sententiæ primæ, ex duplici autem hac nostra conclusione constat, Deum possibilia, qua talia, nullatenus amare, vt docte, & acute docuit Aureolus citandus d. 4. quæst. 1. certam. 1. num. 1. quam vniuersim ibi certam. 2. num. 1. vlterius confirmabimus. Probatur: quia secundum eum statum præcisæ possibilitatis, nullam bonitatem absolute talem habent, neque obiectiuam amabilitatem sistendo in ipsa; ergo nequeunt creata possibilia, qua talia, siue secundum præcisam sui possibilitatem à Deo amari: ergo nec libere amari. Patet postrema consequentia: quidquid enim esse, fierique non potest, esse, fierique libere non potest. Prima consequentia est etiam perspicua: quia id solum amari absolute potest, quod bonum, & amabile obiectiue absolute est, quare quod tale absolute non est, amari absolute nequit. Antecedens probatur: quia possibilia creata secundum præcisam sui possibilitatem, siue, qua possibilia, absolute non sunt; ergo nec absolute habent bonitatem. Probatur antecedens: siquidem possibilitas rerum necessariæ est veritatis; esse verò absolute contingentis. Secundò; quia alias creata per essentiam absolute essent, quod, & scripturæ, & rationi, & experientiæ repugnat: consequentia verò est legitima: quia bonitas rerum ad conuentiam, cum eorum esse dicitur, atque in esse ipsius completo physice, vel metaphysice formaliter, alterutro genere consistit: quare implicat aliquid absolute bonum esse, atque in se absolute non esse.

4. Respondet Ruiz citata d. 5. sect. 3. à num. 3. ex dictis sect. 2. à num. etiam 3. creaturæ possibili, præcisè qua possibili, conuenire absolute bonitatem, non quidem absolutam (quæ absque actuali absoluta existentia earum rebus non competit in Aristot. S. Thom. & reliquorum sententia) sed bonitatem secundum quid; quæ in eo stat, vt rerum essentia perfecta sit, atque, si res ita, vt possibilis cogitatur, existat & producatur, perfecta, ac bona producatur, & sit. Contra tamen est: quia omnis bonitas rei conuertitur cum esse ipsius, imò, & est ipsum esse eius: ergo omnis bonitas absolute talis cum esse rei absolute tali, vel conuertitur saltem, vel identificatur: ergo bonitas absoluta rei absolute talis cum esse rei absoluto absolute tali, & bonitas rei secundum quid absolute talis conuertitur saltem, vel identificatur, cum esse rei absolute secundum quid: Atqui possibilia, qua possibilia præcisè, neque absolutum, siue completum esse, neque esse incompletum, & secundum quid absolute habent: ergo neque absolutam bonitatem, neque secundum quid absolute habent. Quare ea distinctio bonitatis absolute talis, vel absolutæ, vel secundum quid tam physicæ, quàm metaphysicæ, locum in absolute existentibus solummodo habet: vt completa existentia, siue physice, siue metaphysice absolutam bonitatem absolute habeant; incompleta verò existentia, siue physice, vt partes physicæ, siue metaphysicè, vt partes metaphysicæ, quæ entis, seu esse prædicatum transeudat, bonitatem secundum quid absolute habeant.

5. Minor discursus huius probatur, & confirmatur impugnatio ex doctrina ipsa solutionis: etenim possibilia, qua talia, neque secundum quid, neque secundum esse absolutum sui, habere absolute esse indubitatum omnibus est: quia esse rerum pro statu possibilitatis præcisæ tantum, est esse in potentia logica, seu posse esse, seu cum addito possibiliter, quod esse absolute tale rei, siue completum, siue incompletum, & secundum quid minime claudit; sed præcisè excludit. Confirmatur argumentum nostrum, atque impugnatur solutio ex ipsius ratione, & explicatione subiuncta: quia bonitas hæc possibilium, qua talium, nihil aliud per te est præter eorum essentiam perfectam: hoc est, eorum prædicata sibi mutuo non repugnantia, sed conuenientia inter se se, seu posse conuenienter esse actuale identicum absque actuali repugnantia & contradictione habere; id autem non est illud esse identicum absque conuenientia vllatenus absolute habere, sed illud posse tantummodo habere: ergo possibilia, qua talia, non habent actu, & absolute bonitatem, sed habere solummodo possunt: id quod ex vltima tua explicatione bonitatis huius magis claret: quod nimirum, si possibile absolute producatur, & sit perfectum, & bonum, producetur, & erit: in quo rei possibilis bonitas solum conditionata, & sub conditione absolutæ existentiæ, & productionis suæ designatur; non autem bonitas eius actu, & absolute talis, quod solum nostri argumenti antecedens fuit: ex cuius consistentia intentum conclusionis huius secundæ satis euincitur.

6. Probatur vlterius conclusio: quia possibilia, qua possibilia præcisè nulla amoris, aut affectus specie à Deo amari possunt: ergo, nec, qua possibilia, amari actu, & absolute possunt: consequentia est legitima: si enim amari à Deo actu, & absolute possint aliqua amoris, vel affectus specie, immò indiuiduatione, amari possent: cum prædicatum genericum ab speciebus, & indiuiduis omnibus præcisum dari, ponique rebus repugnet. Antecedens probatur: quia nequeunt possibilia, qua talia præcisè, amari à Deo amore complacentiæ, seu gaudij (vt plerique, & plerumque aduersarij censent) nec amore desiderij, vltra quas nulla species amoris est; ergo possibilia, qua talia præcisè, nulla amoris specie amari à Deo possunt. Antecedens, quo ad primam partem, probatur primò. Quia complacentia, & gaudium essentia sua est de actuali, & præsenti bono: possibilia verò, præcisè, qua possibilia, bona actualia, ac de præsenti pro vlla temporis differentia non sunt. Secundò probatur inde: quia bona, quæ terminare amorem gaudij, aut complacentiæ possunt, vlterius sui desiderium excludunt; ast possibilia bona, qua possibilia, vlterius sui desiderium non excludunt: cum existentiæ actualis eorum desiderium dari possit, ac sæpe in Deo detur.

7. Secundam antecedentis partem probo: quia desiderium solum esse potest de boni statu ad eiusmodi desiderium non supposito, sed à desiderante per se, vel per alium ponibili, & assequibili. Status autem possibilitatis præcisæ rerum supponitur ad omnem affectum diuinum; nec à Deo per se, vel per alium ponibilis, & assequibilis est: ergo nequit esse Dei desiderium erga statum possibilitatis præcisæ rerum. Nihil responderi potest probationi partis primæ, quod non sit ex dictis proximè disiectum: & instantia etiam, quæ contra nos fieri posset ex amore stricto distincto à desiderio, & gaudio strictè dictis, non solum respectu Dei, sed obiecti cuiusvis ostenditur impossibilis, reiicieturque fusè d. 4. quæstione prima, certamine primo. Quod autem respondere contendit Ruiz sectione tertia, numero vndecimo, ex dictis sect. 1. numero tertio, de conditionata volitione, siue desiderio Dei: in primis in ipsa possibilitate non sisteret sed in conditionatam tenderet existentiam: ac insuper ficta volitio est, & implicatoria, ni existentiam rei, vltra possibilitatem, respiciat, etsi conditionate verbotenus explicatam, vt constat ex dictis & statim dicendis, numero 8. Mitto probationem aliam ex diuersitate tendentiæ intellectus in verum, & voluntatis in bonum supra ex Sancto Thoma memoratam, atque ex Aristotele desumptam: eam quippe commodius, & oportunius adducemus certamine quarto, dum paritati ex sententia ad amorem diuinum obiiciendæ faciemus satis.

8. Sit tertia conclusio: Deus non solum possibilia creata absolute existentia pro aliqua temporis differentia; sed etiam pro nulla temporis differentia absolutè extitura vult, & amat vero, & serio desiderio libero existentiæ ipsorum; non autem possibilitatis præcisè, vt nunc ostendebamus. Conclusio, quoad affirmatiuum, quod additur, est contra Doctores tertiæ sententiæ, qui erga solam, & absolutam rerum existentiam amorem Dei admittere videntur: Si tamen mens eorum ex probationibus attendatur, ipsis aduersa non est, neque vllatenus primæ, & secundæ sententiæ fauet: cum amor hic in sola rerum possibilitate non sistat, sed in eatum existentiam tendat. Est autem conclusio hæc fidei proxima, cum 1. Timot. c. 2. dicatur: *Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; vbi serium Dei, nec perfunctorium

solum existentiæ salutis, & fidei omnium hominum desolum existentiæ salutis, & fidei omnium hominum desiderium exprimitur : cum tamen plurium hominum, & fidelium, & fides pro nulla temporis differentia sint absolutè extituræ vt fusius ostendemus, d. 4. quæst. 2. à certam. 2. Quod autem liberum eiusmodi desiderium sit, patet : quia nullius rei existentiam absolutam Deus necessario vllo affectu, siue efficaci, siue inefficaci amat cunctis fatentibus : tum etiam quia nihil est ante existentiam absolutam rerum, quod Deum eius desiderium cogat concipere.

CERTAMEN IV.

Aduersis fundamentis occurritur.

1. OBicies primo : possibilia, qua talia præcisè, sufficientem obiectiuam veritatem habent, vt Dei scientiam actualem terminent : ergo, & bonitatem, vt Dei terminent amorem. Hæc contra conclusionem secundam præcisè, contra eam tamen, & primam simul è scientiæ eiusmodi paritate argues. Scientia diuina, quia omnis scientia & infinita simpliciter, & comprehensiua primarij sui obiecti Dei est, necessariò ad omnia possibilia qua talia terminatur : sed Dei amor omniamor (vt sic loquar) infinitus simpliciter, & comprehensiuus affectiue Dei obiecti sui primarij æque etiam est : ergo non solum ad possibilia omnia, qua possibilia præcisè, terminari poterit, sed æque necessariò, atque diuina scientia terminabitur, coniunxi omnia, quæ à paritate diuinæ scientiæ opponi possunt contra nos, multifariamque à nostro Ruiz proponuntur, vt simul semelque eorum debilitatem ostendam.

2. Ad primum ; quod secundam nostram conclusionem oppugnat, respondeo, negando consequentiam ob discrimen inter verum, quod ad intellectum spectat, & bonum, quod ad voluntatem traditum ab Aristotele 6. Metaph. text. 8. vbi Philosophi reliqui, & Sanctus Thomas eiusque interpretes 1. part. quæst. 7. art. 3. & locis, quæ ad rem eandem supra certam. 1. num. 5. retulimus. Nempe, quod verum in intellectu sit, bonum verò in rebus : constat autem experientia intellectum circa ea, quæ ab existentia abstrahunt, quorumque existentia repugnat, actibus veris versari ac proinde in eis veritatem obiectiuam esse. Voluntatem verò, vel gaudio, & complacentia, vel desiderio solummodo posse circa sua obiecta versari : quorum primam existentiam absolutam, siue esse actuale rerum supponat ; secundum verò in illam tendat, ac velit ; non autem in possibilitate præcisa earum sistit : fit inde vt in rerum possibilitate bonitas obiectiua ad actualem amorem non sit : etsi ad intellectionem sit in rerum essentiis, & præcisa possibilitate satis veritas obiectiuæ.

3. Hinc constat secundum illud, quod primam conclusionem impugnabat paritatem non habere : cum sit à scientia, cuius obiectiua veritas sufficienter consistit, ad amorem ex deffectu bonitatis obiectiuæ rerum pro statu præcisæ possibilitatis, omnino impossibilem, nedum necessarium ; sed permissa sufficienti bonitate obiectiua rerum, qua præcisè possibilium, negatur facile aliunde paritas : etsi enim Dei amor infinitus simpliciter è genere suo, & de se se omniamor formalis, & comprehensiuus Dei affectus sit, sicuti, & diuina scientia est : hæc libera formaliter proxime de se se neque est, neque in suæ lineæ perfectione talis esse debet : immò nec potest. Nam intellectiua potentia indifferens, atque à se ipsa formaliter determinabilis ad alterutrum extremum cognoscendi obiecta extrinseca nusquam est ; sed solum ab obiectis. Quare, si hæc necessariæ obiectiuæ veritatis sint, nequit non ea repræsentare ; nedum illis exercite necessariò in cognitis comprehendere.

4. Cum autem volitiua potentia diuina perfectissima sit, atque ad voluntatis perfectionem libertas circa obiecta infinita sua bonitate simpliciter tali ad sui amorem non rapientia, aut cogentia pertineat, (vti creata, & limitata nulla bonitas cogit) ac subinde ad amoris perfectionem erga limitata, nec summè, & infinita simpliciter bona (nempe creata) libertas exercita, & in actu secundo omnino spectet, sit, vt liberè erga creaturam quamuis bonitatem possit, ac debeat exerceri, satisque habeat, vt omniamor, & affectiua Dei comprehensio, (si proprie ea locutio ad voluntatis affectum accommodetur) sit, ex eo, quod è Deo obiecto suo primario, & adæquato specificatiuo formalis de se se omnium creatorum (pro quovis statu amabilia illa sint) amor sit atque absque vlla sui variatione, vel additione, adhuc formali, & metaphysica liberè erga creata bona exercitè extendatur : quemadmodum scientia absque vlla formali, & metaphysica additione, & variatione (quia suæ lineæ perfectio libertatis formalis proxima, & immediata non est) ad omnia creata vera se extendit necessariò.

5. Oppones contra solutionem, & eandem primam conclusionem : Bonitas absolute existentis creaturæ creata, & limitata est, & tamen Deus in illa necessariò complacet, iuxta illud Genes. *Vidit Deus quod esset bonum*, & rursus, *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Respondeo primò : his locis complacentiam diuinam de absolutè à Deo factis, & existentibus euinci, non autem eius complacentiæ necessitatem verbis hisce contineri : nec probare eam necessitatem præcisè ex bonitate obiectiua limitata creaturæ, eiusque intentionali motione prouenire, sed ab actiua necessitate voluntatis efficacis Dei, qua creata illa facta sunt, atque necessariò ad eorum absolutam existentiam supponitur. Nihil enim mirum est, si de eis limitatis & creatis bonis à se factis (quæ tamen efficaciter esse voluit) necessariò complaceat, efficaci sua antecedente voluntate, non autem bonitate limitata ipsorum determinatus, & adactus ; quæ sane determinatio, & adactio ad complacentiam de possibilium bonitate admissa esse nequit : cum eorum possibilitas voluntate aliqua, nedum efficaci, Dei, neque egeat, nec sit.

6. Obicies contra eandem solutionem, & conclusionem primam : Malitia entitatiua, & physica impossibilium, & chimærarum nec identificatur cum Deo, neque infinita simpliciter in suo genere est ; sicut infinita in suo genere est bonitas diuina ; & tamen Dei displicentia necessaria est erga impossibilia, & chimeras : ergo, etsi limitata sit creata bonitas, nec simpliciter infinita, non excluditur inde diuinæ de illa complacentiæ necessitas. Respondeo distinguendo antecedens : necessaria est Deo displicentia negatiua de chimæris, & impossibilibus, id est negatio complacentiæ de illis fateor : quia nihil habent bonitatis physicæ, sed puram eius generis malitiam, ac omnimodam bonitatis physicæ, sicuti & entitatis repugnantiam ; est necessaria displicentia Dei de illis positiua exercitè dissiteor.

7. At inquies erga malitiam moralem prauorum actionum creaturæ (quæ infinita simpliciter non est) est necessaria displicentia Dei, ac circa bonitatem moralem actionum nostrarum, limitatam etiam, complacentia, & ob gratiam, & iustitiam, limitatam vtique, rationalis creaturæ necessaria est in Deo amicitiæ dilectio. Ergo ex limitatione bonitatis admissæ in creaturis possibilibus male excluditur diuinæ complacentiæ necessitas Respondetur : hæc omnia ex præcisa sua bonitate, aut malitia obiectiua limitata, & motione sua intentionali nullatenus necessitatem, aut complacentiæ, aut displicentiæ diuinæ inducere ; sed ex perfectione, voluntateve aliqua diuina qua velut actiuè ad alterutrum determinatur, quæque, ni ita se gereret, deficeret ; nempe, ad odio habendum peccatum ex morali sua infinita bonitate, ipsi malitiæ morali prorsus aduersa, & auersa ; atque item è suprèmi Iudicis nostrarum actionum ; atque inde etiam ad complacendum profequendumque amore omnem actionum nostrarum honestatem, ex quo munere nequit erga alterutrum pure omissiuè ipsius voluntas se habere.

8. Accedit pro complacentia necessaria Dei de actionibus honestis creatis, quod cum omnes adeo principalius nobis proueniant, eiusque seria (quantum arbitrij nostri libertas pati potest) voluntate, & quatenus

ex parte Dei est, atque ad ipsum in illis attinet, efficaci, ex ea etiam ad eorum absolute existentium complacentiam eiusmodi anteriore voluntate eas apponendi quasi actiue determinatur; quod ipsum de dilectione amicitiæ diuinæ erga iustum, in quo Deus voluntate sua efficaci, gratiam, & iustitiam habitualem posuit, atque inde ad eum diligendum quasi actiue determinatus permansit, vt in simili dicebamus numero 5. Cæterum cum erga pure possibilia adhuc moralia pro eo statu nihil voluntate sua efficaci ponit, ex qua ad eorum pro eo statu amorem determinetur: neque eorum bonitas de se in sui amorem rapere potest, immo sit nulla absolute talis in eis pro eo statu bonitas, vel malitia; Cum iis vero possibilibus solum physice bonis, pro eo etiam (vt modo permittimus) statu, nihil intentionaliter motiuum incuitabiliter ex parte illorum, nullumque aliud attributum quasi actiue determinans ad ipsorum amorem est ex parte Dei, sed nuda Dei voluntas de se (vt diximus) & perfectione in sua linea indifferens: libere solum erga illa versabitur, nec poterit necessariò versari.

9. Contra secundam conclusionem oppones. Impossibilia sufficientem malitiam pro eo suo statu habent, vt odio haberi à Deo saltem possint; ergo, & possibilia pro eo suo statu sufficientem bonitatem habebunt, vt de illis complacere Deus saltem possit: neque enim absolutionem, actualioremque statum bonitas ad amorem, quam malitia ad odium de ipsa, vel ob ipsam concipiendum requirit. Apparentissima, ad communem de impossibilibus, & chimæris apprehensionem, obiectio. Et tamen respondeo facillimè negando consequentiam ex dictis controu. 2. d. 4. q.... certam.... de scientia Dei erga impossibilia: constat enim essentialem impossibilitatis conceptum in negatione ipsius à se, ac non ab alio, absoluta consistere, siue in essentiali, absoluta, & necessaria sui negatione: quemadmodum, & Deo absoluta necessaria, & essentialis existentia, ex eo quod à se sit, ac non ab alio consistit: quare absoluta actualis negatio essendi, & entitatis, siue malitia physica impossibilibus competit; secus autem absoluta actualis entitas, & esse, seu bonitas possibilibus: quare neque vis motiua actualis intentionalis ad amorem his pro statu possibilitatis præcisè conuenit; etsi illis, eorumque malitiæ ad sui odium pro statu suæ impossibilitatis conueniat.

10. Iterum oppones contra eandem conclusionem. In bonitate, vel malitia possibili satis virtutis motiuæ est, vt de illa complaceamus: ergo, & ad mouendum intentionaliter Dei amorem, & complacentiam, vel odium. Antecedens probatur (nam consequentia videtur legitima) ab experientia, quæ quotidie cogitata gloria possibili solum (vt sæpè euenit cogitantibus) nunquam futura, homines gaudent: obscænique de cogitatis libidinosis actibus nec absolutè existentibus, nec futuris, sed solum possibilibus vitiosè delectantur. Nec satisfaciunt, qui, respondent, non de obiectorum cogitatorum bonitate, siue honesta, siue delectabili, & nupi, sed de earum cogitatione, quæ actu, & absolute est complacere. Si enim delectatio de sola cogitatione fit, quin obiecta cogitata pertingat venerea delectatio, nec mala, nec venerea erit; de sola quippe veneris cogitatione, intactis turpibus obiectis, delectari, nec venerem, nec peccatum est: siquidem de moralibus discursibus, & conclusionibus circa bonitatem, & malitiam actus libidinosi; si bene, ac vere discurrisse nos, aut concluisse deprehendamus, sæpe ac honestissime gaudemus, eo vtique præcisè, quod gaudium hoc ad turpia eatum cogitationum obiecta non extenditur: & quidem nulla intercueniente reflexa cogitatione, (vt opus erat ad gaudium, de cogitatione obiecti, vel honesti, vel turpis) gaudere de alterutro omnes experiuntur: ergo eiusmodi gaudium de obiectis, vel honestis, vel turpibus non autem de actualibus cogitationibus, quibus obiecta illa proponuntur, est.

11. Melius ergo, & solidius respondetur distinguendo antecedens: satis est virtutis motiuæ intentionalis notitiæ gaudij in bonitate cogitata possibili, neque vsquam futura, aut existente absolute in re ipsa aut cogitatione fatear, possibili præcisè ac non absolutè existente, aut extitura etiam cogitatione nostra, difficeor: quandiu enim absolutè existens bonitas, siue honesta, siue turpis (etiam reipsa nusquam existens, aut futura) à nobis non cogitatur, ac per cogitationem non repræsentatur, de illa gaudere, complacereque non possumus, quia gaudium omne de obiecto solum præsenti, atque, vt tali per cognitionem repræsentato esse essentia sua per omnes debet: Inde negatur consequentia: quia Deo res, vt sunt, ac non aliter, quam sint, necessario cognoscenti, nequeunt, vt absolute aliquando existentia repræsentari, quæ pro nulla temporis differentia absolutam existentiam habent: imò, nec, vt existentia absolute cogitari, quæ nec pro aliqua etiam differentia temporis absolutam habent existentiam, cum præcisè secundum statum possibilitatis præcisiuæ à Deo cognoscantur.

12. Instabis tamen opponesque contra eandem conclusionem ex tertia, quam ex fidei principiis statuimus, è sola cognitione possibilitatis præcisæ rerum, ac bonitatis earum pro eo statu, ac non absolutæ existentiæ earum, tam nos, quàm Deus earum desiderium, tum efficax, tum, inefficax concipimus: ergo pro illo statu præcisè possibilitatis, aliquid bonitatis est sufficienter motiuæ intentionaliter ad sui prosequutionem; est obiectio in re hac difficillima, & cui neminem eorum, quibus in conclusione 2. consentimus, in terminis, & debita claritate respondere vidi. Respondeo æqua breuitate, & claritate distinguendo consequens ex dictis: sufficienter motiuæ, *Ad sui status prosequutionem seu qua sit prosequutio sistens in illa bonitate, vt pro eo statu præcisa possibilitatis est, & cognoscitur*, nego consequentiam; *qua sit prosequutio non sistens in illa pro eo statu, sed in alium existentiæ ab olutæ tendens:* (cuiusmodi desiderium etiam inefficax, est) concedo consequentiam: cum enim de natura desideri sit existentiam, & assecutionem boni absentis absolutam intendere, quam vtique adesse, absolutè appetens non cognoscit, sed abesse ab illo, vel saltim illud pro statu, quo repræsentatus ab existentia, & assecutione absoluta præscindere; ac rursus in impossibilem existentiam boni cognitam ferri desiderium (prudens saltem) nequeat: sit vt bonum possibile, eiusve solummodo possibilitas cognita desiderio satis sit, vt in eius absolutam existentiam desiderium feratur, quod natura sua tendit in bonum, non quidem *quia est* in statu quo repræsentatur; sed *vt sit* in alio statu, quo non repræsentatur: quare ad sui pro illo statu prosecutionem, & amorem nullatenus sollicitat mouetve, aut mouere potest; sed pro alio absolutæ suæ existentiæ.

13. Sed instas vrgentius. Nil Deus nisi propter finem aliquem producere potest: & homines quidem ob salutis eorum finem iuxta Patres, & Doctores, qui affectus benevolentiæ erga homines est, nec sine complacentia in illis pro statu illo possibilitatis præcisiuæ (quem solum pro illo priori ante absolutam existentiam decreto illo apponendam habent) esse inde potest: ergo in hominibus, & creatis reliquis, quæ à Deo ob finem aliquem (vt pote rationali agente perfectissimo) creari debent pro statu possibilitatis præcisiuæ, est bonitas sufficiens, vt Deus pro eo statu in illis complaceat. Respondetur Deum creata, non, nisi ex fine aliquo producere posse; non posse autem aliquid producere ex complacentia in illo, vt possibili præcisè, neque ob finem, & bonum creaturæ, quam creare decernit, & qua bonum ipsius creaturæ est, atque, vt præsuppositiue ad eius absolutam existentiam formaliter absolutè beneficium affectiue, sed effectiue solum, & interpretatiue; formaliter vero absolute finem illum creaturæ creandæ bonum ex complacentia alterius absolute præuisi cui bonus etiam finis ille sit, finem illum amare; tametsi posita illius creaturæ existentia, & creatione, effectiua illa, & interpretatiua benevolentia in formalem affectiuam eius benevolentiam statim transeat: ac subinde ob finem illum atque, ipsi si bonum creata à Deo dici potest: quia affectiua & formalis benevolentia illius, & finis, qua illi bonus est, creatione illius illico à Deo habetur.

14. Demique oppones contra conclusionem primam. Deus complacet, & necessario complacet de sua omnipotentia; nequit autem de illa complacere, quin de possibilibus omnibus creatis, (quæ eius terminus, seu

obiectum adæquatum sunt) complaceat: ergo complacet necessario de creatis cunctis possibilibus. Obiectionem hanc cum aliis primæ conclusionis impugnationibus non posueram: quia præ ipsius debilitate omittere decreueram: ne tamen minus gnari, qui nobiscum post hac senserint, ea non præuisa in disputationibus turbentur, nego minorem. Ad quam probandam in nostra sententia de Dei Omnipotentia prorsus à possibilitate creaturarum absoluta nullum aduersariis medium suppetet. In Suarij verò opinione de eius cum ipsis connexione, non ita difficile ad illam probandam fundamentum reperietur: maximè à paritate cognitionis eiusdem Omnipotentiæ, quæ ipso fatente in cognitis possibilibus esse nequit; cuius disparitas non admodum ad manum est. Sed eam Soaristæ hac in parte quærant; sua refert non mea. Tametsi ex dictis hactenus haud difficulter assignarem: quia possibilia, qua talia, veritatem sufficienter terminatiuam cognitionis habent, non autem bonitatem, quæ in re, non in cognoscente, esse debet iuxta S. Thom. suprà.

QVÆSTIO III.

Ametnè Deus pro statu conditionatæ futuritionis conditionata contingentia.

Generatim de omni contingenti conditionato inquirimus, tam creato, quàm Diuino; de vtroque ex eisdem ferè principiis definiendum erit.

CERTAMEN I.

Nonnulla pro quæstionis expeditione clariore.

1. EX dictis Controu. 2. d. 5. q. 2. de medio materiali Scientiæ Dei de conditionatis nostris contingentibus constat, quænam conditionatorum contingentium creatorum nomine intelligenda proprie in præsenti quæstione veniant; atque naturales & necessarios effectus naturalium causarum, ex necessitate naturæ operantium, qua tales, eo nomine non claudi, quantumuis verbis quandoque futuritionem conditionatam sonent: v.g. *Si ignis debite applicetur stupæ, eam ignefaciet*: quæ tantundem valet atque hæc propositio: *Ignis debite applicitus, ignefactiuus natura sua est*: quæ sane obiectiua veritas statum possibilitatis, & essentiæ, ac prædicatorum essentialium ignis non prætergreditur: illa ergo solum conditionata creata proprie sunt, vt citato loco diximus, quæ vel arbitrij creati actus immediati sunt, vel aliquem ex ipsis supponunt, foreque sub aliqua conditione dicuntur, quia reuera, si ea adhiberetur conditio, forent; cum tamen possent sub illa etiam conditione non esse.

2. Quoniam verò causarum naturalium effectus, & si respectu ipsarum contigentiam nullam habeant, quia ad operandum illos determinatæ, ac nusquam indifferentes de sese, & natura sunt; tamen respectu Dei, cuius arbitrio eiusmodi causæ naturales subordinantur in operando, contingentiam habent: quandoquidem causarum naturalium determinationi, & exigentiæ ita annuet rerum omnium Deus arbiter, & Dominus, vt non annuere absolute pro suo libito potuerit; & sic etiam naturalium causarum effectus respectu Dei in statu absoluto contingentiam absolutam habent: quare, & respectu eiusdem sub conditione, sub qua Deus exigentiæ causarum annuet, annueretvè, si adhiberetur, contingentiam proprie conditionatam absolutè habebunt: vnde, & sub ea conditione in conditionatis contingentibus creatis proprietate sermonis absolutè continentur.

3. Cæterum, si decretum concurrendi cum naturalibus causis ex parte conditionis, & hypothesis ponatur effectus, & actio necessariæ veritatis, ac non contingentis, adhuc conditionatæ, erunt. Cum autem pro nullo statu, nisi à causa totali, & adæquata sufficienter ad statum effectus posita, ac præsupposita, possit effectus consistere, vt patet, in statu possibilitatis, vel absolutæ futuritionis; atque Dei decretum partialis essentialiter requisita causa cuiusuis creati effectus sit, fit naturalis effectus contingentis conditionatæ veritatis formalis proximè esse non posse; sed cum mediate à conditionata decreti concurrendi Diuini quo causarum naturalium exigentiæ libere Deus annueret, si hæc vel illa conditio adhiberetur: Quare nil de conditionata futuritione effectuum naturalium examinandum hic est, præter ea, quæ occasione creatorum actuum liberorum de liberis etiam conditionatis actibus Diuinis dixerimus.

4. De Dei igitur, ac rationalium creaturarum actibus liberis, siue arbitrij eorũ decretis, & affectibus, qui sub aliqua hypothesi (quæ absolute apponetur vel non apponetur) essent, quæstio versatur; hæc enim sola proprietate sermonis futuritionem conditionatam formaliter proximè sortiuntur: reliqua verò, quæ è Dei, vel nostri affectibus, ac decretis necessariò proueniunt formaliter proximè, & in se, sicuti contingentiam non habent, sed solum mediatam atque à nostri, vel Diuini arbitrii actibus mutuo acceptam; ita formaliter proximè, & in se proprietate sermonis futuritionem conditionatam minimè sortiuntur. Quare nihil de eis in se sumptis disputandum, definiendumque in præsentiarum erit, præter ea, quæ de nostris, Diuinisque decretis, & volitionibus, quarum illa conditionatam futuritionem secundariò solùm participant, disputabimus, ac definimus.

Cum autem circa suos, ac nostros etiam conditionatè futuros, proximè formaliter liberos actus nullus actu voluntatis suæ versari Deum possit intelligi: an vno, vel pluribus eorum actibus erga futura contingentia conditionata; vel sua, vel nostra versetur, veriùs Deus absolutè possit? examinandum hic venit. Affectus autem Diuinæ Voluntatis (quod ad præsens attinet) in complacentiam simplicem de eiusmodi conditionata contingentium futuritione; atque in eiusdem desiderium partitione primâ sufficienter diuiditur: & complacentiam quidem scientia de eorum conditionata futuritione necessariò præcedet. Desideriumverò cum de eo, quod nondum cognoscitur esse in eo statu in quo desideratur, vt sit, esse debeat, nullatenus scientiam conditionatam de conditionata contingentis futuritione, quæ desideratur, supponit; sed solam scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate contingentis actus sub conditione illa. Denique desiderium inefficax, & efficax de eiusmodi conditionata contingentis futuritione subdiuiditur.

CERTAMEN II.

Doctorum Placita, inconsequentiæ, & debilia fundamenta notantur.

1. DE affectu complacentiæ Diuino erga omnia proximè, & formaliter contingentia, conditionata futura, tam Diuinæ, quàm creatæ voluntatis eam Deo concedere ij omnes debent, qui ipsius de omnibus possibilibus necessariam complacentiam, vel liberam, falsam de aliquibus eorum quæst. 1. asseruerunt. Verùm ex eis qui complacentiam necessariam de possibilibus in Deo admittunt, inconsequenter eam de conditionatis contingentibus negant. Cum quibus noster Alarcon. 1. p. tract. de volunt. si enim entitatis, & pedissequæ bonitatis entitatiuæ eiusdem rerum pro diuersitate status possibilitatis præcisiuæ earum ab statu existentiæ absolutæ earum satis habet, vt pro eo etiam statu Deo necessariò placeant, in statu plane diuerso ab vtroque illo, nempe

conditionatæ futuritionis, vt Deo placeant, satis habebunt. Secundò: si quid eorum argumentum pro complacentia de possibilibus à paritate scientiæ ipsis valet, pro complacentia de futuritione conditionata à paritate scientiæ mediæ de ipsa æque valebit: atque item à veritatis pro eo statu obiectiuæ sufficientis terminare scientiam, & si absolutè res pro neutro statu sint, ad bonitatem entitatiuam earum sufficientem terminare complacentiam Diuinam pro statu alterutro videtur consequentia tenere.

2. Vtroque argumento cum suo Magistro Vasquez Diuinam de possibilibus, qua talibus, & necessariam complacentiam statuit Alarcon. d. eadem: quare eisdem hic ad hominem vexatur. Respondet autem ex testimonio sancti Thomæ recitato à nobis, q.2. cert.1. n.5. & cert.4. n.2. veritatem rerum in intellectu esse, bonitatem verò in rebus, quia veritas, inquit Alarcon, est conformitas cognitionis cum obiecto, quæ in cognitione ipsa, & intellectu est. Sed in primis, sui valde immemor, ita respondet hic Doctor cum eandem solutionem, eodemque testimonio sancti Thomæ datam argumento vtrique negantibus Deo possibilium complacentiam multis, vti insufficientem confutet cum nostro Vasquez. Secundo veritas, de qua argumentum vtrumque procedit non est de veritate formali cognitionis, de qua solùm est huius Doctoris solutio; sed obiecti, siue obiectiua bonitate pro eodem statu, ac subinde à cognitione ad amorem illius pro statu eodem consequentia deducitur. Quare extra rem respondetur: & quidem sancti Thomæ testimonia de obiectiua veritate, & bonitate, atque vtriusque differentia sunt, vt explicuimus quæst.2. certam. 1. num.illo 3. ostendentes in nondum absolute existentibus veritatem obiectiuam esse, secus bonitatem obiectiuam aliquo voluntatis actu attingibilem.

3. Sed aduertendum hic est. Doctores, qui per extrinsecum aliquid volitionis liberæ Dei libertatem constituunt, nullam liberam Dei volitionem complacentiæ, vel desiderij circa futura conditionata posse defendere. Neque enim extrinsecum aliquid sufficienter libertatem eius volitionis constituens designare possunt; cùm nihil extrinsecum Deo præter conditionatam contingentis futuritionem sit assignabile, quod, vt instantiæ satisfaciens iam ostendam, est insufficiens, sed aiunt connotatores aliquot, ac pro eis sæpè à nobis impugnati Complutenses Recentiores; futuritionem conditionatam contingentis satis esse ad scientiæ mediæ libertatem constituendam in nostræ Societatis Schola. Ergo ad constituendam libertatem Diuinæ circa illam volitionis: quod enim illa secundariò tantum libera sit, hæc autem primarjo, parui ad rem præsentem videtur referre. Sed enim refert tanti, vt, si res ab ita respondentibus, & instantibus penetraretur ita respondere, & instare nusquam auderent.

4. Esse enim scientiam mediam secundariò tantum liberam, est nullam ex parte actus, siue ex parte sui habere libertatem; sed solùm mutuatam ab obiecto: quare, & eiusdem omnino rationis, immo identitatis, cum libertate ipsius: ac proinde, cum huius libertas absoluta non sit, sed media inter absolutam necessitatem, & libertatem, scientiæ actualis de ipso solum modo libertas conditionata est: quare, & media non solùm inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, sed etiam inter absolutè liberam, & absolutè necessariam à nostrâ Scholâ nominatur, vt diximus atque ab oppositionibus expediuimus Controu.2. d. vlt. q. vltim. Esse autem actum aliquem primariò liberum est, non ratione alterius, & quasi mutuo, libertatem habere, sed ratione sui, quocirca implicat aliquem actum primariò absolute liberum esse (vti volitio Dei erga futuritionem contingentis conditionatam libera absolute esse debet) quia libertatis absolute talis constitutiuum habeat: eiusmodi autem esse nequit futuritio conditionata contingentis, vt patet: siquidem eius libertas absoluta non est, & quæ absolute sit; sed solum, quæ esset, si conditio poneretur. Concluditur ergo constituentes Diuinæ volitionis libertatem per extrinseca connotata nullatenus posse liberam Dei erga futura conditionata contingentia volitionem defendere, vt notabamus.

5. Circa desiderium Diuinum conditionatæ futuritionis, tam efficax, quam inefficax, variæ etiam sunt Theologorum sententiæ. Recentiores Thomistæ Dominicani efficax Dei desiderium eiusmodi contingentium futuritionis necessarium prorsus esse docent, vt eorum conditionata apponatur futuritio, & si reclamantibus ex ea familia, & Schola Primoribus, vt vidimus Controu. 2. d.5. q.2. Alij verò, & si ad status conditionatæ futuritionis consistentiam efficax desiderium de ipsa opus esse negent; tamen pro arbitrio, & perfectione voluntaris liberæ Diuinæ, concipi à Deo eiusmodi efficax desiderium de contingentium futuritione conditionata fatentur. Tertia verò sententia, censens desiderio illo efficaci Dei de contingentis conditionata futuritione, eam futuritionem, siue pro statu etiam illo libertatem euerti, Deo repugnare docet. In hanc sententiam iuit Arrubal noster 1.p. d.45. qui, cum libertatem decretorum Dei per extrinseca connotata constituat, videatque in futuritione conditionata satis absolutam decreti huius libertatem non esse ad absolutam eius decreti reuelationem, ad contingentis conditionati promissionem recurrit, quæ tamen, cum reuelatum decretum liberum supponant, nequit eius libertatem constituere.

6. Secundò: promissio contingentis conditionati non supponit necessariò decretum actuale Dei de illo præstando sub ea conditione, sub qua promittitur, vt patet in concubinario, qui sacris initiatur, castitatemque verè, & valide promittit, cum animo promittendi, non tamen seruandi castitatem, immò verò cum oppositio perseuerandi in concubinatu. Secundò: quia ad fidelitatem promissionis illius sat est promissis stare, vbi conditio, sub qua promissum est occurrat: quare opus non est decreto actuali, illud sub ea conditione implendi, & si ob Dei veritatem assertionis promissoriæ decretum de oppositio, siue de non implendo excludatur; maximè, cum Deus se promissis sub ea conditione decreto efficaci omnino conditionato statuturum optimè nouerit. Confirmatur: quia idcirco obiectum formale fidei, quo Dei promissis assentimur, scientia infallibili Dei de eorum futuritione, eiusque veracitate constare æquè, atque obiectum fidei, qua Dei credimus assertis, communis Theologorum sententia est: ex quibus contra Arrubalem concluditur per promissiones conditionatas nullatenus decreti actualis de futuritione conditionata rei promissæ formalem, vel adhuc virtualem, reuelationem contineri.

7. Negant verò decreta Diuina vt arbitror efficacia (quæ sola decreti nomine sermonis proprietate dicuntur) de coditionatis contingentibus Vasquez 1. p. d.67. cap.4. num. 21. d.83. cap.4. num.21. atque alibi sæpè. Noster Henriquez tom.2. lib.vltim. de fine homin cap.4. num.2. & 3. Alphonsus Mendoza Augustin. in quodlib. q.7. Scholast. conclus.5. num.13. Curiel contou. 7. ad cap.4. Sap. art.4. num.118. Belcarius Episcop.Metens. opusc. cont. dogmata Caluini pag.62. Herize tract. 1. d.7. capit.7. Alarcon, Granad. d.7. de volunt. vbi proximè, atque omnium doctissime Magister meus Didacus Daza, id quod probabilius censent Bañez, & Zumel ad 1.p.q.14. art.6. Refertur à nonnullis pro eadem sententia Molina ibi,art.13. d.15.17. & 18. quatenus negat Deum cognoscere sua decreta conditionata, quod si decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti, quæ sane ex purificatione conditionis absoluta inferrent decreta, admitteret, hæc eadem sub conditione fore ignorare non posset. Cæterum fundamentum hoc leue est, vt pro hac sententia Molina referatur. Neque enim ideo negat Deo suarum conditionatarum voluntatum scientiam, quia determinatam futuritionem conditionatam non habeant, mediúmve cognoscendi illa deficiat: sed ne purificata conditione in eis à Deo concipiendis ex præhabita ab ipso de illis conditionata scientia deficiat libertas. Stat pro hac sententia apertus Suarius noster tom.1. de gratia Prolegom. 2. cap.5. id quod de facto solum negare videtur, sicuti opusc. 2. de scientia futurorum sub conditione negat, quia absque fundamento de facto esse in Deo asseretur, atque posse à Deo eiusmodi decreta concipi Prælect. de volunt. Diuina d. 1. sect.2. num.10. vbi actualem Dei voluntatem de hominum rectâ vitâ, & salute conditionatam

natam vocat, id quod multo Patrum in 1. ad Timoth. 2. *Omnes homines vult saluos fieri*, & rationum pondere, communique Theologorum sensu fusè probat 1. p. lib. 4. de prædestinat. cap. 2. num. 7. Qua in re statutę à se doctrinę etiam contradicit, nempe scientiam mediam de quouis conditionato contingenti omne prorsus actuale Dei decretum præcedere. Hoc autem decretum actuale de futuritione conditionata contingentis sola simplicis intelligentię de eius possibilitate præcederet. Secundò ex eadem statuta ab ipso doctrina infertur futuritionem cuiusuis contingentis conditionatam ante omnem Dei volitionem, & affectum Diuinę menti, & voluntati repręsentari. Quare de ea desiderium nullum, nedum efficax concipi posse, quod de iam pręcognito, & prębabito haberi repugnat, solique gaudio, & complacentiæ Diuinæ de præcognita contingentis futuritione conditionata locus erit; sicuti de præhabita, & præcognita futuritione absoluta. Mitto alia circa voluntatem Dei de creata vita, & salute hominum posteà subiicienda certam. 3. vbi nostras circa præsentem quæstionem conclusiones producemus.

8. Reliqui sententię huius negatiuæ Doctores decreta de conditionata contingentium futuritione repugnare prorsus Deo, videntur sentire: ac proinde, & si non ex necessitate, adhuc ex arbitrio, & libertate sua nullam nullius que contingentis futuritionem conditionatam posse à Deo decerni, eorum tamen argumenta generalem repugnantiam minimè probant. Primum enim quod in statu conditionato bonitas absolutè non sit, complacentiam, quę bonitatem quę est in obiecto absolutè supponit, impugnat; non autem desiderium, quod in illam, non quia est, tendit; sed quia nondum est, vt sit: & efficax quidem ipsam ponit. Secundum: quia de iis conditionatis, quorum purificanda conditio non est; stolide à Deo decernetur conditionata futuritio sub illa: maximè, cum Deus id optimè nouerit. Ecquis enim, quantumuis vecors ac demens, statuat seriò quid futurus sit, si eueniat, quod non euenturum certo sciat? sed certè qui ea decreta admittunt in Deo ea pro priori ad decretum absolutum; & subinde scientiam de appositione, vel non appositione conditionis in Deo ponunt, regulatumque scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate contingentis sub illa, in quo notata illa vecordia decernendi post pręuisum decretum de absoluta non existentia conditionis huiusque absolutam negationem, ac non futuritionem, cessat, quia tunc decretum ex ea suppositione de re esset chimærica, & impossibili; secus autem, cum concipitur, habeturque à Deo non spectata absoluta purificatione conditionis, vel absoluta huius negatione.

9. Euanescit etiam 3. fundamentum ex repugnantia decreti circa conditionata, quorũ conditiones purificandæ non sunt, & decreta absoluta de non purificandis eorum conditionibus: quo decretum Dei absolutum de non apponendo contingenti ipso, vel includitur, vel infertur, est autem nugatorium, & fraudulentum, Deoque subinde repugnans, aliquid efficaciter velle sub conditione, quam, eiusque effectum vult efficaciter non esse. Cum enim scientia simplicis intelligentiæ de conditionis, & effectus sub ipsa possibilitate pro priori decretum contingentis illius sub conditione à Deo habeatur, ex quo plane ad purificandam, pro posteriori conditionem nullatenus tenetur: & si de ea purificanda decretum posterius non succedat, immò verò succedat de ea non purificanda decretum, nec hęc, nec negatio decreti de purificatione conditionis primo decreto ex parte obiecti conditionato repugnat: quare eo posito potest Deus alterutro modo ex hoc, vel illo fine pro posteriori repręsentato alterutro modo circa conditionem, citra omnem, vel mutabilitatis, vel fraudis speciem se gerere. Atque hæc quidem locum habent contra præfatos Doctores, & insuper Complutenses nostros, & si è solo Dei arbitrio conditio purificanda, vel non purificanda sit: in eis enim conditionibus à creato arbitrio, & libertate ponendis demum, vel non apponendis, & quæ proinde præfinire à Deo pro simplici intelligentiæ, & ante omnem scientiam mediam priori nequeunt, ne vmbra quidem obiectæ difficultatis, & repugnantiæ apparet.

10. Fundamentum quartum imbelle æquè est. Nempè, Deum inutiliter innumeris decretis omnium conditionatorum contingentium, quorum siue purificanda, siue non purificanda conditio est, onerari; cum æqua sit de omnibus ratio; nec de vno, quàm de altero ratior. Id enim inferretur, si Deus ad decernendam aliquius contingentis futuritionem, ex huius indigentia vt in suo statu consisteret iuxta aliquos Dominicanos Thomistas, vel ex necessaria obiecti contingentis motione ineluctabili ageretur. Neutro autem modo, sed pro suo arbitrio, & libertate huius, vel alterius, cum nullius absolute posset, contingentis futuritionem conditionatam decernere. Quorum autem vellet, siue plurium, siue paucorum, siue omnium non inutiliter decerneret, sed vtiliter quidem sui arbitrij iure vtens in exercitio illo: sicuti & in exercitio omnium decretorum, quæ de facto erga creata, quæ nihili ipsius commodi referunt, omnium sententia, concipit ob eos, quos ipse habet, & plerumque ignoramus, fines.

11. Quintum denique fundamentum est, quo paritati de nostris voluntatibus, de conditionatis contingentibus, (quas omnes: & aduersarij etiam planè admittunt) solet responderi; quia decreta de contingentibus conditionatis non, nisi ex duplici imperfectione à nobis concipiuntur, quæ, si à nobis abessent, nusquam contingens aliquid sub conditione decerneremus. Prima est ignorantia de absoluta appositione, & purificatione conditionis, & tempore, quo purificanda. Secunda tarditas intellectus, & voluntatis nostræ ad deliberandum, ac subinde rectè deliberandi, & statuendi in subitis, atque inopinatis euentibus, qui promptissimam deliberationem requirunt, difficultas, ac male deliberandi ac statuendi periculum. Si enim nihil absque scientia, consilio, nutu, prouidentiáque nostrâ eueniret posset, & simul atque eueniret expeditissimum, ac promptissimum de tunc agendis consilium prudens, & rectum deliberationem habituros nos certo æstimaremus, de decretis illis circa agenda ex euentuum hypothesi haud quaquam curaremus; immo verò negligeremus ea pro illis euentibus anteacto concipere; Ergo, cum Deo, & euentus alicuius ignorantia, & recte deliberandi ac statuendi, difficultas deficiant, erunt ipsi eiusmodi decreta de conditionatis contingentibus impossibilia.

12. Respondetur tamen facile, in decretis nostris de conditionatis contingentibus sub hoc euentu, vel illo duo esse consideranda: & potestatem arbitrij nostri ad ea concipienda, & curã, atq; illa concipiendi, anxietate ex qua illa anteacto, & prudenter quidem, ac prouidenter concipimus. Et si enim ad hanc habendam motiua, & rationes supra perpensæ nobis suppeterent, si tamen potestas libera ea concipiendi deficeret, haud quaquam ea liberè conciperemus; hac verò potestate libera admissa, etsi motiua illa curæ, & anxietatis, ac necessitatis ad prudentem, ac prouidentem rerum nostrarum dispositionem deficerent, ac proinde ex eis cura, anxietate, & necessitate ad prouidentem, prudentemque rerum nostrarum dispositionem decreta eiusmodi non conciperemus, è sola potestate libera ea concipiendi quæ ab eis motiuis absoluta, & independens prorsus est, absolutè possemus de contingentibus illis statuere. Non ergo ex defectu in Deo illarum imperfectionum ignorantiæ euentuum, ac tarditatis, dificultatisque rectæ, ac promptæ in subitis, atque inopinatis deliberationis, quæ nec potestatem liberam de conditionatis aboleut, ac que earum negationes constituunt, ita de conditionatis statuendi Diuina negatur absoluta facultas, cum solum inferatur, non posse curã, & anxietate atque ex necessitate ad prudentem & prouidentem rerum dispositionẽ, quæ ex eis imperfectionibus in nobis subortuntur, de conditionatis contingentibus anteacto decernere.

13. Postrema denique sententia in re præsenti ita Deum voluntate desiderij inefficacis in conditionatam contingentium futuritionem ferri absolutè posse; de factoque ferri in nonnulla. Hanc nos veritissimam putamus, vti conclusionibus certamin. 3. dandis, explicandis, & ostendendis constabit. Eam verò nostro Vasquez eiusque asseclis aduersari putarunt Ioannes de Castillo tract. de scientia, & Recentiores Complutenses de voluntate, in manuscriptis; variaque eius loca con-

gerunt

gerunt, quibus, vel formaliter, vel virtualiter, & illarijuè huic doctrinæ suæ conclusioni præsenti aduersæ contradicere contendunt. Et illatiue quidem illa loca in quibus admittit in hominbus voluntates de obiectis conditionate contingentibus, nempè, 1.2. d.42. c.3. num.20. ad cuius marginem plura alia loca notantur in editione 2. Complutensi d. 116. c.2.* & d. 165. ait eiusmodi vota esse simplicia Societatis, & 3. p. d.124. à se relatos asserentes eius conditionis fuisse Beatæ Virginis votum ex voti conditionati ex parte obiecti, repugnantia non impugnat.

14. Sed hæc quam inutiliter ad contradictionem doctrinæ Vasquianæ referantur, constat ex disparitate nuperà nobis inter Deum, & homines assignata, & ex aliis ab eodem Vasquez datis 1. part. d.67. cap.4. §. *Iam ad rationes*: formaliter verò sibi contradicens citatur ex pluribus locis, quibus ait Deum voluntatem communem salutis omnium si rectè viuant, indeque ad rectè viuendum auxilia & sufficentia, & efficacia sæpe conferre. Voluntas autem illa, & de conditionato obiecto est, vt patet, & complacentia simplex non est, sed desiderium, cum ad mediorum, nempe auxiliorum, appositionem Deum applicet, quod complacentia sola præstare nequit, Verum Vasquez locis aliis cum his conciliandis efficax solum desiderium de contingentibus conditionatis Deo negat; his verò inefficax solum concedit; in quibus nulla repugnantia intercedit. Portò eadem ratione Soarij nostri inconsequentiæ notatæ à nobis numer. 7. componi facile possunt, vt scilicet decreta eiusmodi efficacia solum Deo neget, inefficacia vero concedat, cuiusmodi in eius sententia est voluntas Dei communis de omnium nostri salute, quam defendit locis illis ex relectione illa de voluntate, & ex prima parte notatis.

CERTAMEN III.

Postrema Sententia variis conclusionibus explicata probatur.

1. Dicendum est primo contra sententiam primam. Nulla de contingentibus conditionatis complacentia siue necessaria, siue libera Deo adest, adesseue potest. Biscila hæc conclusio quoad primam partem de creatis cõtingentibus probata in simili est, quæst. 2. quia, & si in eo statu admittamus in rebus sufficientem bonitatem gaudio, & complacentiæ de illa concipiendis: tamen cum simpliciter infinita non sit, sed potius limitata, Deum ad sui gaudium de ipsa, quasi sui impotem, necessario non rapit, vt de bonitate possibilium arguebamus. Quoad secundam verò partem, immò, quoad vtramque, probatur vniuersim. Quia nullum contingens sufficientem gaudio, & complacentiæ de ipso concipiendæ bonitatem pro statu conditionatæ futuritionis suæ habet; quandoquidem non habet actualem, & absolutè talem bonitatem, de qua solum complacentia, & gaudium esse potest; ergò repugnat complacentia de contingenti pro eo statu conditionato: quæ his responderi, opponique possent præoccupauimus in simili quæst. 2. Certam. 4.

2. Dicendum secundò de nullo contingenti formaliter proximè tali pro statu suæ conditionatæ futuritionis potest Deus decretum habere, siue desiderium efficax, vt sub tali Hypothesi, & conditione sit, à quocunque conditio apponenda fuerit. Conclusio citatis Doctoribus Dominicanis & nostris certamin. 2. numer. 5. contradicit: est verò Doctorum recitatorum numer. 7. atque vniuersim, tam de creatis actibus formaliter proximè liberis, quam de increatis, & Diuinis procedit. Qua verò parte Dominicanis contradicit, & ab authoritate, & ratione plus satis monstrata, demonstrataque est Controu. 2. disp. 5. quæst. 2. vbi fusè ostendimus consistentiam status futuritionis conditionatæ contingentium eiusmodi decretis efficacibus non egere, immo verò illa potiùs excludere. Vniuersim autem, & qua omne decretum efficax absolutum ex parte actus de conditionata futuritione actus cuiusuis proximè formaliter contingentis, & liberi, conclusio hæc absolute excludit. Multis rationibus ab anteactis eius Patronis probatur, inefficacibus tamen, vt ostendimus à numero illo 8. ad 12. inclusiuè: quare aliunde probanda, ostendendaque erit, vt firma consistat.

3. Vnice verò, ac solide probatur: quia eiusmodi decretum, vel est absolute irritabile, vel tollit contingentis, & liberi proximè, & formaliter obiecti sui liberratem, ac subinde tollit, destruitque obiectum ipsum suum, quod supponitur, & in quod dicitur ferri: vtrũque autem contradictionem importat (nempè, vel decretũ efficax Dei irritabile de se esse, posseque absolutè carere effectu; vel id, quod liberum esse supponitur, siue ex suppositione, quod liberum sit, liberum nihilominus non esse) ergo eiusmodi decretum est impossibile. Antecedens probatur, quia decretum illud non regulatur per scientiam mediam, quæ essentia sua, & qua talis futuritionem contingentis conditionati supponit: quare complacentiæ, & gaudio de ipsa, quia est concipiendis posset deseruire; non autem decreto, & desiderio efficaci, vt ea conditionata sit, quam esse supponit. Quo circa scientia media solummodo potest dirigere, ac regulare decreta Dei omnino absoluta do absoluta existentia obiecti, quod conditionate fore per ipsam repræsentatum est, (ni ea aliunde repugnent de quo postea) vel decreta absoluta omnino de absoluta appositione & purificatione conditionis. Idcirco certamin. primo, numero quinto, sub finem decreta eiusmodi absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti sola scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate contingentis effectus sub conditione illa regulari, dirigique posse breuiter notabamus.

4. Inde verò probatur facile antecedens: quia decretum efficax de futuritione conditionata contingentis proxime, & formaliter liberi, vel non connectitur de se, & natura sua cum eiusmodi conditionata futuritione, vel connectitur cum illa. Si primum; ergo poterit consistere, quin futuritio illa contingentis consistat: ergo est natura sua decretum illud efficax, & irritabile. Patet consequentia postrema. Nil enim aliud est decretum irritabile, quàm decretum potens consistere absolute sine eo, quod per ipsum decernitur. Nec prima consequentia est obscurior, id enim est aliquid cum alio essentia sua, ac de se se connexum esse: nempe non posse illud aliquid sine alio subsistere, ac subinde non esse connexum de se cum illo, est idem, atque sine illo subsistere posse. Si autem dicas decretum illud efficax de se, naturaque sua connexum esse cum futuritione conditionata contingentis per ipsum decreta, vt eius frustrabilitatem absurdam declines. Ergo futuritio illa conditionata contingens non est: atque adeo decretum efficax de ipsa destruit suum obiectum contradictione alia æque manifesta. Probatur consequentia, quia connexio decreti efficacis de futuritione conditionata contingentis, nequit esse consequens, & logica, ratione scientiæ conditionatę, & conditionatè etiã contingentis futuritionis, quæ ad scientiam huius supponitur: quia vt nuper ostendimus n. 3. decretum illud scientiam mediam, ac proinde conditionatam contingentis futuritionem per ipsum decretam, non supponit, neque eius scientia potest regulari, sed sola scientia simplicis intelligentię de possibilitate contingẽtis illius, si ea adhibeatur cõditio.

5. Infero: Ergo connexio illa decreti cum conditionata futuritione est omnino antecedens: ergo eius futuritionis conditionatæ contingentiã abolet, destruitq; subinde cõtradictorie decretum illud de futuritione conditionata cõtingenti suum obiectum, vt proponebamus. Prima illatio è proximis est certa manifestè: siquidem connexio causæ cũ effectu, quę nullatenus hũc supponit, vt ipsa in se sit, ac subsistat, est omnino antecedens, neq; vsquã potest consequẽs esse. Nec minus est euidens consequentia postrema. Quia connexio causæ cum suo effectu omnino antecedens antecedentem prorsus affert, immò secum deuoluit illum causandi necessitatem quæ indifferenti potestati, seu libertati ipsius in actu primo ad illũ causandum, vel non causandũ contradicit: ac subinde, & libertati effectus, quæ nihil est, quam denominatio extrinseca, ab indifferenti illa potestate, & libertate in actu primo causæ, à qua ita producitur, & causatur, vt ab ipsa in actu primo, & priori naturę, & causalitatis cõsiderata absolutè potuerit nõ produci. Quod ipsũ absurdũ ad contingẽtis absolutã necessitatẽ,

& destructionem suæ absolutæ libertatis ex vi decreti huius, quandocunque purificetur, ponaturque conditio eadem claritate, & certitudine deducitur. Quæ verò contra nostra hæc libertatis principia, ex quibus hæc absurda deducimus respondere possent impugnabimus de Soaristis, & præsertim de Thomisticis nostrorum contingentium præsinitionibus inferiùs disputantes.

6. Dicendum inde tertiò, nec posse à Deo efficaciter decerni mediate contingentis conditionatam futuritionem. Probatur facile. Quia mediata hæc huiusmodi conditionata contingentis libertas, non est libertas huius contingentis in seipsa participata à contingenti, & libero proximè, & formaliter conditionato, à quo mediatum illud contingens necessario procedit: atqui ex decreto efficaci conditionate contingentis proximè, & formaliter eius conditionata libertas formalis, & proxima destruitur, vt vidimus, ergo & destruitur contingentia conditionata mediata alterius.

7. Dicendum est quartò: Potest dari, daturq; in Deo desiderium inefficax de conditionato contingenti tã formaliter proximo, & immediato quàm mediato. Prona est ex dictis probatio: siquidem, vt vidimus eo solùm, desiderium efficax contingẽtis conditionati vtriusq; relegandũ à Deo est, quod conditionatã contigentiã sui obiecti ratione efficacię suæ destruat, vel cum efficax sit, nihilominus sit irritabile, quorũ vtrũuis decreto, seu desiderio illi efficaci repugnat; atqui desiderio inefficaci de se, nec absoluta irritabilitas, & carẽtia eius, quod per ipsũ à Deo desideratur repugnat, nec adest connexio extrinseca antecedens, & ex parte actus primi cũ contingẽti conditionato, quod per ipsum desideratur, ob quam eius cõtingentia, & libertas destrui possit, ergo Deo eiusmodi desiderium non repugnat. Nec obest in eo statu bonitatẽ absolutè contingentis illius nõ esse per nos: ac proinde neq; terminare diuinã volitionẽ, id enim, vt diximus nõ semel solũ probat cõtra volitionem, quę obiecti bonitatẽ supponit, vti cõplacentia, & gaudium, non autem contra volitionem quæ obiecti bonitatem non supponat, sed intendat, cuiusmodi desiderium est.

¶. 8. Sed dices: id quod desiderari potest ante sui qualem, qualem statum, & consistentiã potest placere, dũ iam in eo statu est: Ergo, si bonitas contingentis conditionati desiderari à Deo ante statũ conditionatũ potest, iam in eo statu cõditionato posita poterit Deo placere cõtra conclusionem primã. Respõdetur negãdo absolutè antecedẽs, vel distinguendo illud, si malis. Ante sui statũ omnis desiderij, & appetentiæ volũtatis satiatiuũ cõcedo antecedens; non satiatiuum omnis desiderij, & appetẽtiæ voluntatis; nego antecedens. Quamdiu enim vlterius aliquid bonitatis obiecti desiderandum voluntati restat, nequit voluntas in obiecto quiescere: adhuc enim in via esse cõsideratur ad obiectum consequendum; cũ quo pugnat illã in quiete, quæ per gaudium, & complacentiam de obtento, & possesso obiecto habetur, esse, vel cogitari: cum autem vltra statum futuritionis conditionatę contingentis, siue immediate, siue mediate talis, aliquid restat voluntati appetendum, nempe absoluta obiecti illius existentia & bonitas de bonitate, siue de obiecto illo posito etiam in statu conditionato, nec complacere, nec quiescere absolute potest: quovsque in statu absoluto positum obiectum illud sit, ac videatur: vltra quẽ statum nihil in obiecto illo desiderare volũtas potest, & appetere; sed in illo quiescere solum, & complacere potest. Et sane desideriũ illud in rei absolutam, & intrinsecam entitatiuam existentiam fertur inefficaciter, etsi adsit illi pro occasione, & motiuo conditio; quod valde est diuersum, & replicas omnes præcidit.

9. Quod autem de facto in Deo eiusmodi desideriũ inefficax, vt minimum, de conditionato contingenti detur certũ mihi, & constans consensus Patrum, & Theologorum est, ex cõmuni illa salutis omnium hominũ conditorum volũtate à Paulo in Deo asserta. 1. ad Timoth. c. 2. *Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: (nam de pure possibilium salute eiusmodi desiderium diuinum asserere pura diuinatio absq; fundamento esset) quæ pura complacẽtia non est: tum quia hæc, vt dixi repugnat: tum quia ex ea volũtate sufficientia media semper, omnibusq; ad salutem, sæpe autẽ efficacia adhibet, quod ex cõplacentia pura fieri nequit. Quod autem desiderium eiusmodi efficax de se non sit, constat ex libertate, & merito operum nostrorum, ob quæ salus æterna conferetur: quorũ, & libertas, & meritum purificata conditione vocationis omninò periret, cum conditionatum illud decretum efficax purificata conditione in absolutum transiret operum libertati aduersum; quare, neq; opera, neq; salutem sub ea conditione efficaciter voluit. Sed neq; opera seu vita rectã potuit desiderare efficaciter, immo nec inefficaciter, si homines velint: cum enim vita recta sit ipsa bona hominum voluntas, idem sub cõditione sui ipsius desideraretur, quod ineptissimum est, & impossibile. Vnde desiderium hoc, quatenus vitæ rectæ nostræ sub conditione est, solam vocationem habere pro conditione potest: quatenus verò est salutis æternæ consequendæ, rectam vitam pro conditione proxima habet.

10. An verò salutis nostræ desiderium sub rectæ vitæ perseuerantis conditione efficax sit & si ex eius efficacia, nec decretum Dei purè conditionatum de salute sub ea condirione conferenda liberum immediate, & proximè, nec salus ipsa mediate libera, vt diximus, maneat, his esse potest: in cuius affirmatiua parte nihil est absurdi. Etenim rectæ vitæ nostræ, quæ conditio, & decreti, & salutis per illud conferendæ est, libertas, & meritum cum eo efficaci desiderio de nostra sub eiusmodi conditione salute perstaret, atque aliunde ex diuinæ promissionis notis sub conditione perseuerantiæ in vita rectã factæ decreto omni ex parte conditionato conferendi salutem, si in iustitia perseueremus adimit Deo libertatem ex diuina fidelitate, quod solum decretum, seu desiderium efficax Dei de collatione gloriæ sub ea conditione præstaret: nihil autem refert an ex fidelitate promissi diuini, an ex immutabilitate antecedenti Diuini decreti, & decreti de conferenda salute, & salutis ipsius sub ea hypothesi conferendæ aboleatur libertas. Cum tandem ex libertate Dei in decreto suo efficaci, vel promissionis, vel conditionate futuritionis ea necessitas proueniat.

11. Sed contra secundam, & tertiam conclusionem est voluntatem illam salutis hominum, quam de conditionata salute esse ex Patribus docuimus inuictam, seu inseparabilem à Patribus appellari: quod efficacibus solum Dei voluntatibus, & desideriis competit, non autem inefficacibus. August. de spiritu & lit. c. 33. *Ideo eius voluntas inuicta est, quia Deus ita vult, vt homines saluos faciat, vt etiam velit punire eos, si ipsi repugnent.* Verum ipsis Augustini verbis constat voluntatem, quam inuictam vocat non esse determinate voluntatem, seu desiderium obiectiue conditionatum de hominum salute; sed de illa, vel de pœna, & supplicio, si male vixerint, & quamvis vtramque efficacem de salute sub vna conditione & damnatione sub alia videatur asserere; tamen id solum probat, quod proximè dicebamus. nempe non è sola fidelitate promissionis, sed ex decreti efficacia, & inuictabilitate, & decretum conferendi salutem, & salutem ipsam necessariam esse: quare decretum de ipsis non esse de obiecto siue proximè, siue mediatè contingenti conditionato, de quo secunda nostra, & tertia conclusio procedebat, quam Augustini verba immediatè antecedentia confirmant. Loquens enim de seria hac Dei erga hominum salutem voluntate, & desiderio, subdit: *Vt tamen eis non adimat liberum arbitrium, quo bene, vel male vtentes iustissime iudicantur: quod, cum sit, inuicta est eius voluntas; vinceretur autem, si mali panam possent euadere; non autem possunt, & ideò inuicta est*: quibus ostendit ex antecedenti decreto Dei efficaci, & independenti ab vsu libertatis erga suam operationem huius libertatem, & contingentiam euerti, quare, & ex decreto efficaci futuritionis conditionatæ contingentiam euerti; ac proinde & destrui decreto eiusmodi, quod esse asseritur, ipsius obiectum.

12. Nec quidquam amplius probant Ambrosij in locum recitatum primæ ad Timoth. 2. verba, hæc; *Si quo Omnipotens dicitur, vult omnes homines saluos fieri, cur non impletur eius voluntas? Conditio latet. Vult enim Dominus saluos fieri; sed si accedant, & ipsi velint*: quo etiam pacto respondent Hieronym. Theophilact. & Oecchumenius ad illum locum, Chrysost. homil. 6. in id Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem*, vbi etiam Theophilact. Athanas. 3. de assumpt. hominis. Prosper. respons. 2. ad obiectiones Vincent. eis autem verbis & voluntas hæc

cons-

conditionata asseritur, nec inefficax sed, efficax; alioqui promptior, facilioreque solutio foret, voluntatem illam Dei conditionatam ex parte obiecti inefficacem esse, quàm quod conditionis purificatio à nostro arbitrio pendeat. Sed enim, & si prompta illa inefficaciæ decreti solutio eius difficultatis sit, non tollit quo minus & illa ex dependentia purificationis, seu positionis conditionis abusu nostræ libertatis sit prompta, & expedita: quod probant Patres ea pro libito vtentes, cum alia inefficaciæ voluntatis vti æque expedit possent. Et quidem in his voluntatibus inefficacibus ratio specialis erat, vt ad id potiùs recurrerent, vt vtilem doctrinam nobis declararent: nempe duplicis inefficaciæ desiderium Dei: Sed esto efficacem illam voluntatem de hominum salute, si velis Patres isti asserant, eritne sub ea conditione efficaciter desiderata à Deo collatio ab ipso salutis, vel salus libera, & contingens, an necessaria? necessaria vtique: ergo non est de obiecto conditionato, siue immediate siue mediate contingenti: quare nec proprie conditionato, quod solum duabus illis conclusionibus contendebamus.

QVÆSTIO IV.

An, quove pacto Deus propter se creaturas amet?

QVari à Deo creturas propter seipsum, sensu aliquo vero, constans apud Patres, & Scolasticos est, vt eorum testimoniis apud ipsos frequentibus, & scriptores omnes vulgaribus recitandis immorari sit otiosum; tametsi eius locutionis, non ita vulgaris, verus sit sensus Theologicus. Igitur verus communis illius propositionis sensus examinandus, statuendusque in primis erit, vt succedentium difficultatum sit expeditior decisio.

CERTAMEN I.

Adveram quæst. & intelligentiam decisionẽ notata.

1. EXacto sensus huius propositionis examini, & decisioni præmitto vulgarem, & statam finis diuisionem in finem *cui*, & finem *qui*. Finis *cui* est persona, in qua complacemus, & ex cuius complacentia bona illi, commodaque volumus: desiderio quidem, quæ non habet; gaudio vero, quæ habet. Finis verò *qui* ea omnia sunt, quæ ex eius complacentia, tanquam ipsi bona, commodaq; volumus iam ab ipso habita gaudio, nondum autem habita desiderio. Hæc ita apud Philosophos, Theologos, & Patres, firma, vt dignitatum loco ab omnibus habeantur, ac sine vlteriori examine & probatione (vt pote per se nota) recipi debeant.

2. Statuo inde secundò: Nihil, quod personæ alicui bonũ commodumve, aliquove modo conueniens, siue proximè, siue remote non sit, posse, vel ab ipso, vel ab aliis ipsi appeti propriè, vt finem *qui*, nec de illo ex cõplacentia ipsius concipi gaudium. Ratio ex notato primo est procliuis, quia bonitas, seu bonũ, & amabile vt finis *qui* teste Philosopho relatiuum ad personam essentia sua est, quia alicui bonum, vnde ille aiebat *omne bonum amabile esse* maxime autem *vnicuique proprium*; & ratio vlterior manifesta est. Quia, quæ alicui nullatenus conuenientia sunt, siue tanquam eius perfectio, vel eius perfectionem, entitatem, & bonitatem siue integritatem essendi, atque entitatis suæ intrinsece constituentia, vel extrinsecus ad illam proxime, vel remote conducentia nihili ipsius, quod sint, vel non sint referre possunt: quare neque ab ipso neque ab alio ex eius complacentia desiderari, cum absunt, nec de eis, cum adsunt ex eiusdem complacentia gaudium haberi. Ecquis enim sanus ex Regis Hispani complacentia optet eorum nuscæ in Arabia, vel quod Turca barbam fricet? gaudeatve, quod hæc acciderint?

3. Fit inde tertiò: finem *qui* & finem *cui*, & si plerumque diuersa sint, ita vero inter se esse connexa, atque in motione intentionali sibi subordinata: vt respectu eius, quod personæ, in qua complacemus nullatenus bonum, & conueniens est, ac subinde, nec finis *qui* esse possit, finis *cui*, suam intentionalem motionem propriam finis *cui* sortiri, atque exercere nequeat. Etsi enim plerumque bonitas, & perfectio propria finis *cui* à bonitate finis *qui* diuersa sit, quia illa intrinseca personæ esse debeat, & si sæpe per extrinseca nobis innotescat: bonitasque finis *qui* extrinseca entitatiue saltim personæ, in qua complacemus, plerúmque sit; ast cum hæc conueniens personæ ipsi, commodaque, verè & realiter esse debeat, (vt nuper demonstrauimus) motio intentionalis *cui* ad ipsi nullatenus conuenientia, amanda esse non potest: quare neque hæc ex complacentia illius motionem intentionalem finis *qui* exercere, & si eam exercere valeant respectu personæ alterius, cui aliquo modo sint vere bona, & proficua: quare quod ad motionem suam intentionalem, vterque finis, & *cui* & *qui* necessario subordinantur.

4. Animaduerto quartò: ex dictis controu. 2. d. 3. & hîc disp. 1. q. 2. cert. 2. Deum ipsum secundùm rationem summi, atque infiniti omnimodo boni, siue secundùm summam suam bonitatem, solum, & adæquatum obiectum specificatiuum amoris Diuini secundùm omnem suam formalitatem, & extensionem obiectiuam, & modum, omninò esse; ita, vt cum primum amor sui in Deo concipitur omnis voluntatis eius tendentia, & amor ad secundaria alia, etiam extrinseca bona, quoad formalitatem, & modum omnem amoris diuini habitus, conceptusque à Deo simul, semelque sit, effetque ad extrinseca omnia, (si per impossibile aliqua forent) quæ non eius potentia, & voluntate, sed alterius, in rebus ponerentur, quin obiecta, bonaque reliqua, quoquo modo amentur à Deo, aliquam amoris Diuini, (adhuc erga ipsa) quoad substantiam, aut modum tendentiæ affectiuæ, etiam in ipsa, ponat, ac primo concepto à Deo amoris sui, vt summè boni superaddat. Hoc in simili de specificatiuo adæquato Diuinæ scientiæ citata controu. 2. d. 3. & hac controu. 4. d. 1. q. 2. certam. 2. ita in terminis, vt aiunt, ipsis probatum est, atque ab oppositionibus, quæ ex nostris statutis statuendisque conclusionibus suboriri possunt vindicatum, vt nihil iam, vel ad eius probationem, vel defensionem dicere hîc oporteat.

5. Denique siue è summa Dei morali bonitate in actu primo considerata, siue habituali inclinatione ipsius naturæ, & voluntati congenita (vt sic loquar) ad virtutum omnium moralium opera, & exercitium, satis Deo impulsus intentionalis, quasi actiui (non enim hic de intentionali obiectiuo, qui in obiectiua earũ virtutum bonitate, & honestate est loquor) esse, (v. g. iustitiæ misericordiæ) vt nullo alio motiuo intentionali præter virtutum ipsarum exercendarum honestatem egeat, vt in earum opus, & exercitium prodeat promptissime. Immo eam inclinationẽ naturalem, & impetum actiuum vt creatis miseriis succurrat, bonaue creaturis largiatur nullis egeat adminiculis motiuis aliis per nos, aut creaturas alias prius appositis, vt cunctantem adhuc, in exercitio misericordiæ, aut liberalitatis propositæ virtutis gratitudinis ob præstita prius à creatura, cui succurrendum, benefaciendumque est obsequia, actiua intẽtionali etiã motione impellatur vt benefaciat, vel succurat: quasi solo vtutis misericordiæ, aut liberalitatis actiuo intentionali impulsu, vel nusquam, vel nõ ita facile benefaceret, vel succurreret; nisi etiam impulsu intentionali actiuo gratitudinis, (vt nobis frequenter accidit) ageretur. Notata hæc, à Deo digna Deo, cum in hac, tum in sequentibus proximè præ oculis semper habenda, ne aberretur à vero.

CERTAMEN II.

Verus, non vulgaris, Theologicus eius propositionis sensus aperitur.

1. COmmunis Theologorum sensus videtur esse, Deum amare creaturas propter seipsum, tanquam propriè finem illarum suo illo amore vollitum, illumque multis scripturæ locis, & Patrum probant Scholastici: quæ omnia summa eruditione, vti assolet, congessit noster Ruiz de Montoya disp. 3. de volunt. sect. 1. multas ex illis rationes Theologicas adiungens. Refert pro ea S. Thom. certam. 3. explicandum, Magistrum in 1. disput. 1. Albertum, prima parte, quæstione 79. metaph. 1. ad 2.

Alex. 1. p. q. 28. m. 3. a. 3. q. 34. m. 1. q. 35. m. 3. S. Bonau. in 1. d. 45. a. 1. q. 1. (vbi Richardus art. 1. quæst. 2.) & in 3. a. 1. q. 4. Henric. in 2. p. a. 47. q. 3. ad 2. & quod lib. 4. quæst. 19. lit. O, Scot. in 3. d. 32. art. 3. init. Gabr. in 1. d. 14. quæst. 1. art. 2. post 3. conclus. in 3. d. 32. q. 1. art. 1. not. 3. Driad. part. 1. concord. cap. 3. ad 4. Molin. 1. part. q. 19. art. 2. d. 1. conclus. 2. Valentiam q. 19. punct. 3. & reliquos S. Thom. expos. ad q. 19. art. 1. 2. & 5. Vasquez ibi d. 82. cap. 2. Suar. opusc. de libert. Dei d. 1. sect. 2. num. 15. His adde noſtrum Herize de voluntate d. 18. c. 2. Arriagam d. 26. sect. 4. Albiz d. 8. sect. 2. Petrum Hurtado d. 121. de charit. Quiros d. 72. de volunt. sect. 2.

2. Dicendum eſt primo: Deum amare creaturas, propter ſeipſum, vt ſpecificatiuum amoris creaturarum etiam, quatenus ad ipſas vel omnes, vel ſingulas terminatur, eoque ſenſu aliquatenus amare creaturas propter ſeipſum vt finem. Hoc ſolum contendunt ſentiuntque tandem Scholaſtici, & Ruiz ipſe, ſi attentè, cum ibi, tum aliis multis locis legatur, vbi affines quæſtiones, & difficultates tanguntur: de æqualitate delectationis Dei, & honeſtatis moralis, de obiecto ignobiliori, in qua ad rationem ſpecificatiui actuum diuinorum (quem Deum eiuſque ſolam bonitatem eſſe dicunt) quinaliam finis rationem intendant, vt vel in ipſo Ruiz de Montoya videre eſt citata d. & ſequentib. aliis, quibus præfata diſcutit, vel tangit vſque ad 15. incluſiue præſertim ſect. 6. vbivis finis rationem pro ſpecificatiuo adæquato amoris diuini vſurpante. Prima concluſionis pars probatur, immo verò probata iam eſt certam. 1. & notab. 4. quia cum adæquatum motiuum ſpecificatiuum amoris diuini ſit Dei ſumma bonitas, ſeu Deus, qua ſumme bonus eſt, ita vt nihil amoris formalis, & formaliter, qua talis, ad obiectum aliquod, quin Dei & ſummæ eius bonitatis amor formalis & formaliter ſit, ferri, terminarique valeat, nequit creatura vlla à Deo amari, quin formalitate eadem amoris præamari, ſiue primario amari intelligatur: quare, & propter ſeipſum amari creata à Deo: ſumpto *propter* ſpecificatiue reſpectu amoris formalis creaturarum, vt prima pars concluſionis noſtræ aſſerebat.

3. Inde vero ſecunda eiuſdem concluſionis pars probatur: nempe amare Deum creaturas propter ſeipſum tanquam propter finem aliquali ſenſu minus ſtricto, & rigido talem: quia finis proprius inter alia hoc ſpeciale, & proprium habet, vt ſit, cuius gratia cætera ſiunt ab agente per voluntatem: ac ſubinde, cuius gratia, & ratione cætera amantur, & amari ab eo agente debent, vt ab ipſo fiant. Cum ergo, ex eo quod Deus adæquatum ſpecificatiuum omnis amoris diuini ſit, nequeantque proinde creaturæ formaliter amari à Deo, quin primario eodem etiam formali amore præametur Deus; negari nequit, quin ſibi ipſi ratio amandi creaturas ſit ipſe Deus: atque in eo finis proprietatem illam (vt ſcilicet ſit, cuius ratione, & gratia cætera amentur, ſeu quod cæteris, vt amentur ſit ratio) imitetur, eóque ſenſu creaturas propter ſeipſum, tanquam finem Deus amet.

4. Eadem ſecunda pars probatur, explicaturque vltetius ex doctrina S. Thom. 1. part. quæſt. 20. art. 1. corpore, & aliorum ex antiquis probata Recentioribus Theologis (neſcio an ſatis penettata) quam refert, & explicat Ruiz d. 3. de voluntate ſect. 1. num. 1. & d. 52. ſect. 1. fuſius. Nempe amorem eſſe deſiderij, & gaudij, radicem: id quod intelligunt, tam ipſe Ruiz, quam alij de amore, quem ſtrictum vocant, ad bonum quatenus à præſentia, ſeu abſentia præſcindit terminatum, qui ex dictis quæſt. 2. impoſſibilis, & chimæricus facile apparet. Amor igitur, qui radix deſiderij, & gaudij eſt, ac cæterorum, ſi qui reſtant, voluntatis affectuum, eſt complacentia in perſona, ſeu fine *cui* bona deſiderantur, vel de quibus ab ipſo poſſeſſis gaudemus: ac proinde ea vel gaudio vel deſiderio velle ex complacentia, vel noſtri, vel alterius proprietate ſermonis dicimur: cum igitur amor ſui in Deo ſit de ſeipſo complacentia, ex indeque idemmet amor formalis formaliter ſit amor creaturarum in eo etiam finem *cui* imitatur, etſi in aliis à proprietate finis *cui* illarum deficiat: quare aliquatenus etiam finis *cui* propter quem amentur, dici poteſt.

5. Dicendum ſecundo. Deus creaturas propter ſeipſum, vt finem proprietate ſermonis non amat. Æſtimo hanc concluſionem communiori relatæ Theologorum. 1. minimè aduerſam. Nihil enim aliud eorum gloriæque intendunt, quam ſenſum ſecundæ partis concluſionis primæ: id quod ex omnium antiquorum ſenſu, & perſona loquens profundus noſter Vaſquez docuit d. 82. citata cap. 2. fere toto, vbi ſuæ, & communis ſententiæ illius ſenſum, quem nos ſecunda illa parte concluſionis primæ poſuimus eſſe docuit. Maxime n. 3. verſus, & verbis illis: *Cum ergò dicimus omnem creaturam comparari cum Deo tanquam medium, non tanquam finem, non eſt ita intelligendum, vt reuera ſit Deo medium ad adquirendum aliquem finem; ſed quia voluntas, qua Deus diligit creaturas, ſuppone ſecundum rationem voluntatem ipſius Dei circa ſeipſum. Nec enim vllam diligeret creaturam, niſi prius ſecundum rationem diligeret ſeipſum*, &c. Atque in eandem ſententiam plura ſcribit ſub inferius: inde oſtendens nullam creaturam eſſe Deo rationem volendi aliam, quia *ſola ipſius bonitas eſt obiectum primarie volitum ab ipſo Deo in omnia*, &c. Eoque ſenſu veriſſimum eſſe Diui Thomæ dictum citata q. 19. art. 5. *Deum non velle vnum ex creatis propter aliud, etſi velit vnum eſſe propter aliud.*

6. Hæc fuſiùs tranſcripſi, ne quis à ſenſu Patrum & antiquorum concluſione hac ſecunda recedere verborum ſono deceptus ſuſpicaretur: etſi rationis, qua iam probanda concluſio eſt, claritas præfato ſolùm, non autem propria finis acceptione doctum quemque loqui potuiſſe ſatis oſtendet: ſic autem ratio habet ex notatis certam. 1. à num. 2. quia nequit Deus exercere motionem intentionalem propriam finis, ſiue *qui*, ſiue *cui* reſpectu creaturarum amoriſque earum: atqui nequit motionem propriam finis habere, niſi alteruirius finis, vel *qui*, vel *cui*: ergo nequit habere motionem propriam finis reſpectu creaturarum: quare neque eas propter ſe, vt finem ſermonis proprietate amare poteſt, nedum amat. Maior probatur, quia nihil amari ab aliquo è ſui, vel alterius complacentia poteſt, quod ipſi, vel alteri commodum conuenienſque verè non ſit, vt oſtendimus num. 2. & 3. atqui creata Deo vere commoda, conuenientia, vtiliaue nullatenus ſunt. Pſalm. 15. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, Inſuper ratione: quia nec in ſui exiſtentia, & affectione bonitatis, aut perfectionis alicuius, ac felicitatis, etiam extrinſecus, à creatis pendet; alioqui per æternitatem minus fœlix abſolutè præceſſiſſet, in qua abſque creatis præceſſit: ergo nequeunt amari ab ipſo propter ſeipſum, vt finem *cui*, neque vt finem *cui*, ſiue è ſui complacentia.

CERTAMEN III.

Aduerſis argumentis obuiatur.

1. Occurrit primo illud Apocalyp. 22. num. 13. *Ego ſum α & ω. Primus, & nouiſſimus, principium & finis.* Sed miror virum aliquem doctum hoc loco in aduerſam concluſioni noſtræ ſecundæ ſententiam moueri potuiſſe: cum duplex explicatio primæ partis *ſum Alpha, & Omega*, in duobus poſtremis adhibita ab inuento aduerſariorum apertiſſime diuertat. *Primus enim & nouiſſimus*, durationem ſolam reſpicit, non motionem intentionalem, quam etiam durationem reſpicit extrema explicatio, quæ eius periphraſis ſolummodo eſt: nempe *principium & finis*: id enim ſolum ſententiæ, & inuento ibi ſenſui à Spiritu Sancto congruum: motio autem illa intentionalis Dei, vt finis amoris ſui erga creata omnino impertinens, vti è capitis contextu patet: qui totus ad hortationem ad fidem, & obſeruantiam eorum quæ in ea prophetia continentur omnino eſt: ad quam vt nos inducat, immediate præmij, vel ſupplicij à Deo infligendi voluit admonitos illis verbis num. 12. *Ecce venio citò: & merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundum opera ſua*: Quia, etſi Alpha, id eſt primus, ſeu principium ſum, & ante omnes, & omnia durationis non tamen durationè, vel vetuſtate vita, & virtus mea veteraſcit, vt tandem defectura ſento credi debeat, vt nequeam bonis, & malis pœna, & ſupplicio vicem in nouiſſimis

nouissimis rependere : sum etenim Omega, seu nouissimus, & finis : nempe finis, & nouissimus omnium superstes, vt pro cuiusque meritis facta rependam.

2. Et quanquam huius sententiæ occasione de finis motione intentionali, non adeo rigida, & literali textus intelligentia, ab Anagogicis contemplatiuis nonnullis, tum priscis, tum recentioribus quandoque tradatur ; non respectu Dei, respectu cuius principium Deus dici non potest, sed creaturarum ordinatique earum amoris Deus finis proprie est, sicuti, & proprium est earum principium efficiens. Nam hominis Deus finis est, reliqua autem propter hominem condita, vt ad eius finis assecutionem homini inseruiant : proprioque deinde sensu rationalibus creaturis, & reliquis Deus *Alpha* ac principium efficiens est, & *Omega* seu finis : secus autem Deo ipsi, qui è sui complacentia tanquam sibi vtilia, & bona creaturas amare nequit, id quod verba Augustini prima loci inferius opponendi manifeste conuincunt. Negat enim Deum creaturis frui posse, quia eis non eget ; eo autem omni, quod quisque ex se, vt fine *eu*, & complacentia sui potest appetere, & desiderare, tanquam finem *qui* sui desiderij, & appetentiæ, frui illum posse, tum possidet certissimum notissimumque est.

3. Opponiturque secundò illud Prouerbior. 16. *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Cum autem idem finis volitionis, atque operationis in operante per voluntatem esse debeat : immo nullo alio modo operatio finem habere possit, quam secundariò, & participatione finis præstituti volitioni : per quam operatio procedit : fit sanè volitionis diuinæ, qua vult Deus creata operari, operaturque, finem, propter quem ea vult producere Deum ipsum esse. Hæc autem obiectio ex minus penetrato loci huius sensu procedit : in primis dilui facile potest, si dicatur : illud propter, motiuum specificatiuum primariè à Deo diligendum significare, vt cert. 2. num. 5. ex Vasquez ostendimus ; non autem proprie motionem finis. Secundo literaliùs respondeo iuxta notata certam. 1. num. 5. illud *propter* non motionem intentionalem obiectiuam Dei finalem, meritoriamq; formaliter significare ; sed motionem intentionalem actiuam virtutum moralium, quæ in Deo sunt, promptissimarum in suo cuiusvis genere : vt ostendatur ad cuiusque facile promptissimum, expeditissimumque exercitium in quavis circumstantia, & occasione, alterius virtutis, aut motiui extra ipsam impulsu minime egere : vti sæpe nos egemus, vt in alicuius virtutis exercitium faciles, facilioresque prodeamus. Ideirco addidit *impium quoque in diem malum* : ne, quia adeo ex misericordia, & liberalitate sua ad beneficia nostra procliuem Deum ex scriptura, & experientia, & audimus, & credimus, & videmus, impiorem, tardioremque de se se oblata delictorum occasione, iustitiam Dei punitiuam putaremus, proinde ad vitia effrænaremur.

4. Nos igitur monet sapiens iustitiam punitiuam Dei æque de se se expeditam ad supplicia esse, atque ad beneficia misericordiam, & largitatem, vt ea veritate à peccatis deterreamur, atque ipsius bonitatem, & misericordiam, nostrique amorem exaltemus : quandoquidem, cum æque promptus, & inclinatus ex iustitia vindicatiua sua ad supplicia sit, atque ad veniam, & beneficia nostra è largitate, & misericordia, in harum tamen potius, quam illius, exercitium frequentius prodeat iuxta illud Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, & similia plura, quæ opponi nobis ex scriptura possent : in quam genuinam sane horum, & similium locorum explicationem passim testimonia Patrum occurrunt, quæ ideo non recito : solum in eius confirmationem addo, quod sæpe homines (& per fastum, & superbiam plerumque) rogati, cur vel inimicis, vel ingratis beneficia, præsertim pro occasione insperata, ingentia conferant ? respondere solent : propter me metipsum : Hispanè : *esso lo hize por mi mismo, por ser yo quien soy* : vbi se ipsos finem largitionis illius fuisse non significant ; sed suam actiuam, vel nobilitate gentilitia congenitam, vel virtutis studio partam actiuam inclinationem talem tantamque esse iactantur, vel ostendunt, vt alterius, quam eius inclinationis motione ac impulsu ad ea præstanda non egerint. Hunc sensum elegantissime similibus locis intentum dedit Chrysostom. ad Ephes. 1. serm. 2. prope morale, id *in laudem gloriæ ipsius*, Dei operibus tanquam finem continuò à Paulo præfixum scribens. *Nam siquidem nostri gratia inquit ista fecisset sine hasitatione vtique non fuissemus. Si verò propter seipsum, & vt bonitatem suam ostendat ; veluti quod clam testimonium causam ponit, qua ista non aliter fiant, quemadmodum, & apud Israëlitas, fac nobis propter nomen tuum* (Isaiæ 48.) *& iterum Deus ipse : propter me ipsum faciam*, & Moyses. *fac nobis propter nomen tuum, siquidem nullius alterius gratia facturus es.* Sed bonitate tua & misericordia actiuè intentionaliter solum actus, & impulsus quam tibi summe adesse ostendes, cum à te solo motus in tanta beneficia nostra processerit quod absque immensa misericordiæ, & largitatis tuæ actiua inclinatione fieri non posset.

5. Opponunt tertio Augustinum 1. de doctrina Christiana c. 31. sub initio, vbi à Deo fruitionem creaturarum, quibus vtique non egeo, &c, quæ nil ipsius referunt reiicit : solumque eis vti ipsi concedit : hoc discrimen subdens, vsus creaturarum in voluntate diuina, & in voluntate creata his verbis : *Sed neque sic vtitur vt nos. Nam nos res, quibus vtimur ad id referimus, vt Dei bonitate perfruamur : Deus vero ad suam bonitatem refert.* Ergo : sicut nos, cum rebus vtimur, ac non abutimur ad Deum tanquam finem vsu illo voluntatis nostræ illas referimus, ita diuinæ voluntatis vsus dum creatis vtitur illa ad suam bonitatem, tanquam ad finem refert ex Augustini sententia. Respondetur discrimen ab Augustino assignatum in eo solum stare, quòd rectus vsus voluntatis nostræ de creaturis, nisi relatione, vel actuali, vel virtuali ad extrinsecum bonum, summum bonum, & finem nempe, stare nequeat ; cum tamen rectissimus Dei de creatis vsus nullo extrinseco motiuo egeat : se enim ipso diuinæ voluntatis, quivisque actus ex bonitate summa Dei adæquato volitionis diuinæ specificatiuo, omnem, & summam omnigenam honestatem, & rectitudinem trahit ; quin illam aliunde desumat, vt de moralibus Dei virtutibus agentes ostendemus. Ad hoc autem opus non est, vt voluntatis diuinæ vsus ad Dei bonitatem tanquam finem proprie referat, sicut nos (quod fieri nequit vt vidimus) sed tanquam obiectum primarium specificatiuum.

6. Quartò opponunt S. Thom. quæst. 19. art. 1. ad 1. art. 2. ad 2. & 3. dicentem à nulla alia bonitate, nisi diuina, Dei voluntatem moueri, & art. 5. corp. ait. *Deus sicut vno actu omnia intelligit in sua essentia, ita vno actu vult omnia in sua bonitate.* Sed hæc nihil aliud, quam nostras probant conclusiones : nempe diuinam bonitatem esse adæquatum specificatiuum omniamoris diuini, quare finis motionem aliquatenus respectu illius imitari ; immo illo, *sicut*, motio alia finalis proprie bonitatis Dei in diuinum amorem excluditur ; cum nihil simile præter adæquatam specificationem in essentia, & veritate diuina respectu diuinæ scientiæ reperiatur.

7. Quintò opponunt frequentia loca, quibus Prophetæ olim Deum beneficia, & delictorum veniam propter ipsius gloriam, laudem, & exaltationem nominis sui precabantur. Inepte autem precibus motiuum illud prætenderent, ob quod operaturum Deum non crederent : ergo propter se, suamque gloriam Deum volaturum benefacere, & benefacturum populo credebant. Sed imprimis bonum, Dei nomen, gloriaque nominis eius apud nos Deus ipse, & increatum aliquid non est, sed quid prorsus creatum : quare ex eis locis perperam infertur Deum propter se, suamque bonitatem vt finem operari : Secundò, esto, id inferatur : male tamen adhuc deduceretur illud *propter* motionem causæ finalis denotare : cum sola motione intentionali obiecti primarij, & adæquati specificatiui amoris diuini, quam summæ Dei bonitati concedimus, proprietate sermonis illud propter diceretur. Tertiò : illud *propter* in eis, reliquisque locis similibus non motionem obiectiuam, sed quasi actiuam intentionalem denotare ostendimus n. 4. & iucundo Chrysostomi testimonio, quod nostræ conclusioni opponi etiam solet, confirmauimus.

8. Sextò oppones finem debere esse æquæ saltim bonitatis ac sit volitio : alioqui inordinatè ad perfectiorem ipsa finem referretur, quod præposterum est. At ni volitionis Dei finis bonitas non sit, nequit finis æquæ bo-

nitatis esse, atq; est volitio diuina vt patet: ergo huius finis Deus est. R. spondeo: Maiorem sub lite adhuc, vt sonat, esse posse variis de causis, cuius confirmatio nutat. Nam, etsi in mediis, quæ ob finem amantur, & apponuntur, locum habeat exploratum; secus autem in volitione quæ finis effectus quidem est & mediorum ad ipsum relatio, non autem medium, & quod ex electione ad ipsum vt quod refertur. Sed ne his in re clariori implicemur: distinguo maiorem, finis specificatiuus volitionis concedo maiorem, non specificatiuus, quia ex motiuo non proprie finali specificatam volitionem necessario supponit, nego; & concessa minori, nego consequentiam: quia, ad quemcunque finem Deus sibi in volitione, & effectione creaturarum præstituat, supponitur eius volitio, & omniamor adæquatè constitutus, & specificatus à bonitate Dei, tanquam obiecto primario formali, & adæquato specificatiuo, & motiuo; non quidem, tanquam proprio fine, quemadmodum scientia diuina, à Deo ipso, vt obiecto primario, & adæquato suo specificatiuo adæquate specificatur, & constituitur.

9. Septimo oppones: creaturam, qua bonam essentia sua esse participationem, & imitationem diuinæ bonitatis: ergo nequit amari bonitas creata, nisi vt participatio, & imitatio, & imago quantulacunque diuinæ bonitatis idealis: ergo nequit amari, quin diuina bonitas ametur, præametur que vt finis. Negatur consequentia postrema: cuius potius opposita ex antecedenti, & consequentia prima videtur inferri. Nam medium, etsi intentionaliter à fine causetur, sitque in eo causandi genere ipsius effectus, ast in genere & linea causalitatis physicæ causa physice conducens ad positionem sui proprie finis esse debet: quod creatæ bonitati respectu bonitatis diuinæ, quam essentialiter præsupponit, nequit conuenire: motio autem finis, propriè talis, respectu volitionis, seu amoris obiecti alterius, nisi erga obiectum, quod propriè medium ad ipsum finem consequendum sit, nequit exerceri. Quare nescio quo pacto noster Ruiz, qui Deum finem amoris creaturarum proprium probare videtur d. 3. tota sect. 1. sub eius tamen finem n. 18. obseruat Deum non esse finem volitionis suæ erga creata, tanquam media; nisi forte in nostram sententiam reciderit: Deum nempe non esse amoris creaturarum finem proprium; sed solum obiectum motiuum primarium, & adæquatum specificatiuum amoris sui erga illa.

10. Octauo oppones: nulla bonitas creata amabilis à Deo est nisi honesta; ast honesta non est nisi relata explicite ad bonitatem, & honestatem diuinam, quæ prima honestatis omnis regula est: ergo quin referatur actu, & explicite à Deo in ipsum Deum tanquam in finem. Ingenti æquiuocatione, & fallacia argumentum laborat. Maior est apertè falsa. Nam entitatiua, & physica rerum bonitas, honestas formaliter non est; & tamen amabilis à Deo est, & de facto amatur: & honeste quidem, etsi autem honeste amari à nobis nihil possit, quin implicite saltem in Deum tanquam in finem referatur, quia Deus reuera finis noster est; ast cum Deus sibi ipsi finis non sit, nec creata bonitas, siue physica, siue moralis medium ad alterutram Dei bonitatem esse possit, vt videmus; etsi honestas, omnis creata imitatio, & aliqualis conformitas, seu participatio diuinæ bonitatis sit, non oportet, immo neque fieri potest, honestatem creatam à Deo ob suam honestatem, cuius illa participatio imago, & imitatio aliqualis est, tanquam finem amari: quomodo autem infinita, ac summa honestas amoris diuini erga creata saluetur, quin se ipsum vt finem in eorum amore respiciat diximus suprà: satis ad id esse, habere se eius bonitatem pro adæquato obiecto specificatiuo, de quo nobis virtutes morales Dei examinantibus sermo redibit. Mitto alia, quæ, etsi hoc indirecte, & remotiùs impugnent, directe tamen, & proxime amorem Dei erga creaturas propter se ipsas, & propter alias, vt proprium eius amoris finem impugnant: quæ proinde opportunius proponemus quæstione quinta sequenti. Plura verò alia, quæ à ratione pro opposita sua sententia adducit Ruiz sect. 2. solum probant diuinam bonitatem adæquatum specificatiuum sui amoris, etiam erga creata, & obiectum primarium esse debere: suntque dilecta, facileve à quouis ex dictis diiudicanda.

QVÆSTIO V.

Ametnè Deus creaturas propter ipsas vt finem.

RIecto Deo à munere proprio finis sibi præfixi in suo erga creaturas amore, examinandum venit: an amoris sui creaturas (quæ solæ vltra ipsum reliquæ sunt) à se citra dubium amatas, pro amoris ipsarum fine proprio habeat? Cum enim rationale, & summè perfectum sit: propter finem operaturus euincitur.

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ.

1. PRima sententia docet, nihil creatum posse esse obiectum formale, siue finem proprium ob quod vel ipsummet, vel creatum aliud propter ipsum à Deo ametur: ita Alexand. Henricus, Gabriel, Driedo, Quiros, Vasquez citati quæst. 4. certam. 2. numero 1. & plures alij, quos refert, & sequitur noster Hemelman titulo 5. d. 2. cap. 6. Alarcon d. 2. cap. 1. & alij, qui ab obiecto formali motiuo amoris diuini, etiam diuinas personalitates reiiciunt, pro hac sententia à fortiori referuntur. Sunt autem Scotistæ omnes, quos sequitur Smising. tract. 3. d. 3. quæst. 1. sed tamen ex hac sententia de exclusione personarum ab obiecto motiuo formali diuini amoris, non tuto pro præsenti conclusione referuntur: siquidem, & nos illud ipsum de personalitatibus docuimus, & tamen oppositam præsenti conclusioni sententiam sine inconsequentia vlla docebimus: ex aliis verò citatis, qui negant creaturam esse obiectum formale motiuum Deo ad creatum aliquid amandum, plures de obiecto primario motiuo, & specificatiuo diuini amoris loquuntur, quod vel solum curant, vel præ incuria cum motiuo amoris proprie finali, vt in creatis euenit, in diuino etiam amore confundunt; cum tamen hic motiuum specificatiuum à proprie finali valde differat: vti ex dictis moxque dicendis clarebit.

2. Secunda sententia fuit Durandi in 1. d. 41. art. 1. numero 5. Anton. Cordub. quæst. 56. opin. 5. part. 2. ad 1. dubium plurium item Recentiorum Thomistarum inuminatorum apud Vasquez proxime cap. 1. num. 1. vers. *Secunda opinio* & Ferrariæ 1. contra gent. cap. 86. & 87. etsi quandoque in primam vergere videatur, ac tandem Herize, Albiz, Arriagæ Petri Hurtado, qui omnes asserunt Deum creaturas omnes propter seipsum, tanquam finalem rationem, & motiuum amare; & tamen etiam amare illas propter ipsas: quam sententiam videtur docuisse Sanctus Thomas citatis locis contra gentes. Post quam enim capite 86. probauit diuinæ voluntatis, rationem quidem dari, non causam, atque inter diuinæ voluntatis rationes assignabiles, & Dei bonitatem, & bonitatem etiam creatam designat: exemplum adhibens vniuersi bonum, cuius ratione, & gratia singularia vult & producit, cui doctrinæ insistit cap. 87. quod ita inchoauit, *quamvis autem aliqua ratio diuinæ voluntatis ejus possit: non tamen sequitur quod voluntatis ejus sit alterius causa.* Sicuti prima parte, quæst. 19. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 2. negauit eadem vbivis ratione: quod actu eodem & indiuisibili, atque vnissimo volitionis suæ velit voluersa, quæ vult.

3. Quod autem cap. 86. neget inter obiecta creata esse aliquod diuinæ voluntatis causam; cap. autem 87. diuinam bonitatem esse causam voluntatis diuinæ asserta nec dictæ sententiæ contradicit; quia causam pro ratione motiua tunc vsurpat: neque a ratione diuinæ volitionis erga creaturas creata omnia reiicit, quæ vt vidimus cap. 86. adhibito exemplo admisetat; sed vtrisque rationi

rationis creatæ, & increatæ ostendit diuersitatem; diuinam scilicet bonitatem suam ita Deo suæ voluntatis seu amoris rationem esse, vt ipsum adæquate specificet, atq; quantus quantus suus amor est, ex parte obiecti concipi à Deo faciat; creata verò bonitas, etsi vera quandoque ratio sit, ob quam obiecta creata Deus velit, atque amet, ita, vt, nisi de facto Dei amor ad hæc attenderet, ad alia non tenderet, ac terminaretur; non tamen ratio specificans amorem Dei est, quem è primario suo obiecto formali, & adæquato specificatiuo totum, & omniamorem, quoad substantiam, & modum supponit constitutum: ideirco sibi constans citatis locis ait: à sua solum bonitate voluntatem Dei moueri: quia ea solum, vt potè primarium, & adæquatum specificatiuum ex parte obiecti motam Dei voluntatem ad amorem concipiendum non supponit, ac subinde mouere illam ad ipsum ex parte obiecti potest; creata verò obiecta secundaria, cum motam omnino, & in actu primo, & in actu secundo supponant, mouere Dei voluntatem ad amorem concipiendum nequeunt; etsi vnum ex illis ob aliud ametur, ac proinde ratio sit vt ad illud ob hoc aliud diuinus amor terminetur, & absque vllo sui in ratione amoris incremento, vel additione extendatur: quare quatenus sententia hæc absolutè asserit creata Deo esse rationem, & obiectum, ob quod Deus creata amet, constantissima S. Thomæ sententia est.

4. Cæterùm, quatenus sententia hæc amari à Deo creaturas ob ipsius etiam bonitatem tanquam rationem, ob quam in consortio rationis alterius bonitatis creatæ Dei amor ad creata extendatur, ac terminetur, asserit, nullo ab eius authoribus tentato sensu nobis placet. Putant enim rationem vtramque finalem motionem erga diuinum creaturarum amorem exercere: etsi nulla exerceat propriam finis causalitatem: quippe cum S. Bonau. S. Thom. & Magistro, & Scoto omnes Theologi, tam Priscj, quam Recentiores motionem rationum omnium, ob quas Deus, vel se, vel creaturas amet, procul, & merito repellunt ob rationem identitatis, indiuisibilitatis, ac summæ vnitatis amoris, siue omniamoris diuini datam à Sancto Thoma locis citatis: quia ad eam causalitatem finalem finem physicè præamari, & sui amore realiter in amorem aliorum ob ipsum influere, quod realem vtriusque amoris distinctionem requirit, necesse est. Vnde docte cum Sancto Thoma, Vasquez noster citata d.82. cap.2. num.1. quoties eodem actu finem, & media vellet ob ipsum, finis quidem motionem, causalitatem verò minimè exercere ait. Simultanea autem finalis motio rationis vtriusque à bonitate diuina, & creata dupliciter asseri ab his Doctoribus respectu diuinæ voluntatis ad rei alicuius amorem omino potest. Nempe, vel sine subordinatione earum rationum inter se se, vel cum subordinatione alterius, ad alteram in finali eiusmodi motione.

5. Neutro autem modo vtraque ratio motione finali, vt hi Doctores volunt, ad alicuius amorem diuinum potest concurrere. Non quidem simultanea, ac sine subordinatione vnius ad alteram motione: siquidem motio bonitatis Dei ad eiusmodi amorem primaria est per hos Doctores, priorque natura sua, quam motio bonitatis creatæ, atque hæc subinde natura sua posterior, nec solum per hosce, sed per Theologos omnes, etsi eius motionem finis proptiam esse non dicant; sed solum specificatiui; ergo vtriusque rationis, seu bonitatis creatæ finalis motio ad eum amorem non est quæ ab ipsis æque prima, & simultanea cum motione diuinæ bonitatis ad illum, neque est, neque esse potest: quod enim natura sua posterius est alio, natura etiam sua priori, nequit ad idem ipsum prius, & signum natura sua etiam prioris, spectare in eodem in quo alterum posterius, alterum verò prius ordine est, sine contradictione manifesta, vt autem simultanea, ac sine alterius ad alteram motio bonitatis vtriusque increatæ, & creatæ sit: oportet vt ad illud idem prius, & signum motionis vtraque pertineret: ergo implicat vtramque bonitatem simultaneè, ac sine subordinatione alterius ad alteram in motione ad amorem illum diuinum finaliter mouere, si creatæ motio finali motioni bonitatis increatæ subordinetur: implicat enim finem vnum in motione sua alterius finali motioni subordinari: iam enim subordinatus in motione vlterioris finis motioni nec finis, cum vltra illud aliquid mouens restaret, neque eius motio proprie finalis esset; cum omnia in ea serie amata, atque inde effecta eius motione, & gratia minime amarentur, ac fierent, vt finis ac proprie finalis motionis essentia omnium ab Aristotele Philosophorum ac Theologorum sententia est.

Tertia demum sententia est creaturas solas esse obiecta formalia finaliter propriè motiua, (etsi non causatiua) amoris Dei erga res plures. Hanc sententiam S. Thomæ ob rationes eius, & conclusiones examinatas atque ex instituto explicatas, & perpensas num.2. & 3. semper iudicaui, & profundi etiam Doctoris nostri Gabriel Vasquez vt ex citato cap.2. atque inde deductis à nobis quæstione 4. certam.2. num. 5. inferiusque ex ipso dicendis satis claret, & quidem cum bonitati Dei respectu amoris sue omniamoris sui motio proprie finalis non competat, (vti ex Sancto Thoma, & Vasquez docuimus) sed motio solum obiecti primarij, & adæquati specificatiui absque vlla repugnantiæ in secunda sententia notatæ vmbra, & finalis motio creatæ bonitatis ad creaturæ amorem, & dependentia, ac subordinatio motionis huius motioni bonitatis diuinæ ad eiusmodi amorem componitur. Hanc sententiam aliorum etiam innominatorum esse refert citatus pro opposita Quiros d.citata 72. sectione 1. numero secundo, quorum aliqua refert fundamenta; sed tamen, tam ea, quam conclusio noua egent luce, vt difficultatum vmbræ dispareant, quam affulgente Deo præstare conabimur, vbi hanc sententiam altius, quam hactenus penetratam, fundatamque, sequemur ac vindicabimus.

CERTAMEN II.

Tertia sententia præfata defenditur, ac illustratur.

1. SIt probatio prima, præclarissimum Bernardi testimonium serm. 1. in Pentecost. quo nostra interpretatio ad eum locum, cui imprimis aduersarij fidunt, ita expressè traditur, *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: id est propter virtutem suam, pro eorum vilitate, ita quidem, vt ille efficiens sit, hæc vero finis.* Quid pro nostra sententia expressius, immò & pro sententia nostra in quæst. sequente? quo testimonio Arriaga de voluntate Dei d.27. sect.4. numero 17. §. *Dico primo*, nullum in nostra conclusione inconueniens inueniri docuit: immo, quoad eius positiuum amoris Dei creaturarum propter ipsas, vt finem, de facto, nobis consentit numero 23. §. *Dico tertio*, etsi quoad negatiuum exclusionis Dei, vt finis, sui amoris erga creaturas simul; quem possibilem asseuerat num.20. §. *Dico secundo*, à nobis discordare videatur: verum solum probat vtrobique Deum motionem formalem in amore sui erga creata, cum ea propter ipsa, vt finem diligit, & posse, & de facto exercere, quod motione specificatiui adæquati sui amoris satis habet neque hunc doctorem quid amplius intendere (vti nec Scolasticos reliquos) mihi certum est, qui autem plus intenderit præsertim de facto à Bernardo non didicit: Immo quoad positiuum doctrinam communem Doctorum Societatis, de possibili loquendo testatur citato, §. *Dico primo*: tametsi decipiatur æstimans nonnullis Thomistis aduersari docentibus Deum vnicum obiectum formale suæ scientiæ, & volitionis esse; id autem solum obiectum specificatiuum cum formali ab ipsis, ficuti & ab Arriaga ipso confundi suadet solus Quiros, d.72. & 73. ex nostris Recentioribus, positiuo, ac negatito sententiæ aduersatur. Nostram verò sententiam etiam quoad exclusionem de facto, immò & de possibili sequentibus rationibus discere poterit, Prima sit, quam quæstionis huius præfatione proposuimus: quia Deus rationale agens perfectissimum est per voluntatem, mediisque huius actibus operatiuum creaturarum: atqui omne agens perfectum per voluntatem eiusque actus, quidquid operatur, operatur propter finem, ergo quidquid operatur Deus operatur propter finem. Totus discursus

cursus legitimus est, atque ex certis & euidentibus apud omnes receptis procedit. Quare stata est apud omnes illatio. Pergo. Atqui Deus nihil operatur propter se vt finem, siue ob suæ bonitatis motionem finalem: ergo quidquid amat, & operatur ob motionem finalem bonitatis creatæ operatur, & amat, subsumptum antecedens probatum satis manet quæst.4. certam.2. à num. 5. consequentia cuidens est. Nam nulla alia bonitas est præter increatam, & creatam: quare illa exclusa amotione proprie finali respectu amoris diuini, creata solum bonitas restat, quæ eius motionem finalem proprie respectu illius possit exercere,& ob quam, tanquam finem in motione, operari amareque creata Deus possit.

2. Probatur secundò: quia Deus diligit creaturas amore amicitiæ: ergo amat creaturas ob finalem eorum motionem propriam, cum finis *cui*, tum finis *qui*. Antecedens ex Scriptura, & Patribus, firmum apud Theologos est, vt inferius ostendemus: consequentia est legitima;quia amicitiæ amor est velle alicui bonum ex complacentia ipsius vt finis *cui* illud bonum in ratione motionis propriæ finis *cui* aliquid volumus, etenim si bonum alicui velimus non vltimo ex eius complacentia, & quia commodum bonumque ipsius, sed nostri tandem complacentia, & quia bonum nobis commodumque est: illud plane ipsi non ex amicitia, & amore ipsius, sed ex nostri amore & concupiscentia volumus, & amamus: vt constans apud omnes est, milleque exemplis obuiis notum, ergo bonitas creaturæ rationalis ad quam solum proprius amicitiæ diuinus amor potest terminari; est bonitas, quæ eum amicitiæ amorem, vt finis *cui* proprie mouet ac terminat, quin ad Deum ipsum tanquam finem *cui* vlterius tendat ab eius bonitate tanquam motione propria finis cui formaliter progrediatur, ac procedat.

3. Hanc rationem,& doctrinam obiter attigit,& docuit nos Vasquez citata disputat. 82.c.2. n.9. §. *Cum vero dicimus* post init. illis verbis, *quod quidem* (nempe Deum diligere, & amare creaturas propter se ipsum solum, vt obiectum primarium, & adæquatum specificatiuum, quare & finem non proprie, sed imitatiue, vt ex eius mente, & verbis retulimus quæst.4.certam.2. num.5.) *non obstat, quominus Deus rationales creaturas diligat amore amicitiæ, & quodammodo propter ipsas, vt dicemus d.84.c.2. obstat tamen, quominus dicatur vnam creaturam diligere propter aliam, tanquam propter rationem diligendi, sed omnia diligat propter suam ipsius bonitatem, qua est obiectum primarie volitum in omni actu.* Nimirum vt omniamoris diuini, totiusque subinde volitionis diuinæ specificatiuum; non quidem propria finis *cui*, motione, quæ amori amicitiæ obesset aperte. Quod autem ait *quodammodo propter ipsas*, & obstare motionem bonitatis diuinæ, quominus vna creatura dicatur diligi à Deo propter aliam huic eius doctrinæ non aduersatur: subdit enim *tanquam propter rationem diligendi*, quia nimirum motio finalis propria creaturæ post adæquate specificatiuum à bonitate Dei, vt primario obiecto, & adæquato, in eius, nostraque sententia, specificatiuo, & totum amorem Dei, & dilectionem constituram aduenit:quare nequit esse diligendi ratio,etsi,vt suis,moueat.

4. Hoc ipsum solum voluit Herize cit.d.18. c.5.n.33. versic. *Alterum*, & 34.versu, *Modo vtraque* init. etsi tandem rationem mouendi à ratione specificandi, quam primo loco diuiserat, oblitus finem Deum vocet Constat id ipsum in amore complacentiæ,& beneuolentiæ diuinæ in creaturis irrationabilibus, ex qua ipsis bona,& commoda velle præstare ipsis absolute posset, ni ad bonum rationalium voluntate sua ordinasset, & ex horum tandem complacentia produxisset. Nam amor complacentiæ erga irrationalia, quin concupiscentiæ nostri admisceatur: mihi dubius non est, etsi videam pluribus displicere:quotidie enim alteri certantium in foro belluarum afficimur, atq; quin nostri referat,victoriam ex ea complacentia optamus,deque parta gaudemus,ac etiistamur,si ab alia vincatur;verum amor,& complacentia hæc, neque beneuolentia,& amor amicitiæ erga irrationalia esse, dicive vllatenus potest: Amor siquidem, aut beneuolentia amicitiæ, est amicitia inchoata in amato redamandi potestatem & facultatem requirit,est siquidem sua essentia amicitia omnis mutuus amor,qui in duobus amorem vicissim claudit: quare,&,quæ ex parte vnius amantis inchoata solum amicitia sit, in altero redamandi facultatem requirit: nihil enim pars,aut inchoatum in quovis genere esse potest,sin quo compleri ipsum, perficique repugnat. Atque hoc solum modo sensu negauit Aristoteles 7. Ethic. ad Eudem. c.8. erga bruta, & irrationalia beneuolentiam nostram, etsi plerique omnem erga ipsa beneuolentiam negasse immeritò, & contra quotidianam experientiam contendant.

5. Iam de motione bonitatis creatæ propria finis *qui* respectu amoris diuini facile probatur. Si enim in creaturæ bonitate complacere potest, atque creata bonitas motione propria finis *cui* Dei amorem erga creata mouere, & determinare,ita,vt quæ ex eo amore ipsi velit commoda,atque ex eo præstet ex creaturæ complacentia præstet, ac velit, quin id ex Dei vlterius complacentia amentur à Deo,ac fiant,quæcunque creaturæ velit Deus non ob alia vlterius præstanda: sed quia ad illud per se,& ratione, gratiaque sui volitum vtilia, & propter ipsum, vt finis proprius Dei voluntatem mouebunt, ac terminabunt: imò verò, eum amare amicitiæ amore, sit velle alicui bonum ex complacentia ipsius, in amore amicitiæ erga rationales creaturas motio propria bonitatis creatæ,tam finis *cui*, quam finis *qui* manifeste continetur. Confirmatur primo ex verbis Symboli: *qui propter nos homines*, Ecce motionem finis *cui*;*& propter nostram salutem*, ecce motionem propriam finis *qui* & decreti incarnationis, & per illud incarnationis effectæ: *descendit de cœlis, & incarnatus est.* Et sane hoc voluisse videtur Augustinus recitat. d.4. cert.3.n.5. dum aiebat: nos in vsu rerum ad Dei bonitatem, vt ea perfruamur, referre, Deum vero referre ad suam bonitatem, non autem alterius; vt ea nimirum perfruamur,quod est ipsum Deum in recto,& honesto nostro rerum vsu, voluntate, & amore nostri, quo illum nobis vult, & principaliter donat,operaturque in nobis, nostram æternam salutem, & beatitudinem vt finem intendere.

6. Tertiò probatur conclusio: Quia nullum beneficium, & gratia alicui ab aliquo fieri præstarique potest nisi ex complacentia eius, qui beneficium commodumque recepturus ab illo est, quin vlterius ex complacentia sui commodoque à se in eo quod nobis donat captando beneficus donator intendat: atqui à Deo innumera in nos beneficia prouenient: ergo ex complacentia nostri quia vlterius ex sui complacentia, & ob suum commodum ea nobis donet, quæ benefice Deus nobis donat, atque in gratiis ab ipso nobis collatis recensentur, consequentia est legitima. Antecedens mihi, & omnibus certum, & euidens, quæ enim quivis ex sui tandem complacentia, atque ob suum inde commodum capiendum alicui donat specie quidem tenus beneficus alteri est, eique gratiam apparenter præstat: re autem vera sibi ipsi est beneficus, quia ex sui concupiscentia illa alteri donat, propriæ nimirum commoditati, vtilitatique beneficij,& gratiæ illius vmbra, & spectro solummodo consulens: vt ille qui sub esca hamum piscibus porrigit,non quidem,vt eos alat,sed deprehendat: quocirca acute Seneca beneficia quibus donans suum commodum, è suique tandem complacentia, non autem ob eius cui donat,commodum,atq; ex illius complacentia donat hamata beneficia vocabat: vel ergo ea, quæ nobis beneficia dicitur largiri ex nobis demum complacentia, & quia nobis bona largitur; vel non nisi, quia sibi bona,ac tandem ex complacentia sui si primum habetur intentum, si secundum nullum nobis beneficium, gratiamque contra Paulum scripturasque reliquas, Concilia, Patres, ac fidei dogmata præstat. Demum ni creata propter ipsa obiecta Deus amet,virtutes morales habere non potest, cum eorum honestatem non amet propter ipsam.

7. Quæ contra hanc nostram sententiam opponi poterant ex locis, quibus Deus omnia propter semetipsum dicitur operari soluta iam sunt q.4.cert.3.vbi respondimus nullo eorum motionem proprie finalem (quæ solum motioni propriæ finali,siue finis *cui* siue finis *qui* alterius obiecti repugnaret) bonitati Dei respectu amoris creaturarum contineri; sed solum motionem obiecti primarij, & adæquati specificatiui omniamoris diuini, quæ cum motione proprie finali alterius obiecti amice componitur: Sed instas, cuiusvis amoris primarium, præcipuumque specificatiuum finis est: Ergo implicat, & Dei bonitatem finem proprium diuini amoris non esse; & esse absolutum,

pectu

nedum adæquatè specificatiuum : ac rursus creatam bonitatem esse amoris illius finem ; ac primarium obiectum, & specificatiuum eiusdem non esse.

Respondeo etiam ex dictis q. 4. certam. 3. distinguendo antecedens : quod de creatis amoribus concedo ; de diuino, & increato nego : oportet enim, vt digne de hoc amore sentiamus, & loquamur plura quæ in creatis nouimus, didicimusque dedisce re : in hoc quippe proptia à Deo ipso, vt fine motio est ; vt vidimus, repugnans ; intentionalis vero, ab alia, quam Dei bonitate, specificatio, & quasi dependentia ipsius omnimodam ab alio independentiam dedecens : quo circa, & à Dei bonitate specificari adæquate eius amorem oportet, etsi proprie finis eius non sit ; & non specificari à bonitate creata, etsi quatenus creaturarum amor est, atque inuariatus ad creata extenditur obiecta, motionem illam finis propriam respectu ipsius exerceat : tum quia totum amorem Dei supponit à summa eius bonitate specificatum, & constitutum : tum etiam ne à creata bonitate intentionaliter dependeat : quorum postremum in amore creato absurdum non est ; primum autem in amore etiam creato non inuenitur.

8. Plura opponit Quiros præter iam soluta quæst. 4. certam. 3. quæ ad duo capita possunt reduci diuinarum perfectionum : commendat enim (inquit) perfectionem amantis non moueri : nisi ex magno bono, nedum summe perfecti amantis Dei ; sunt autem creata bona Dei æstimatione, & respectu, immo & Apostoli Pauli, stercora. Secundum : quia si creaturas propter creatum quid amet, de eis gaudebit : quare, & eius fœlicitas interna, quæ in gaudio de bonis propter se, vt finem, appetibilibus consistit ex parte saltim à creatis pendebit, quod est absurdum, & à Sancto Augustino supra, vt tale, negatum. Respondetur tamen ad primum. Moueri à magno, & non à paruo ipsi opposito prælatiuè perfecti, ac summe perfecti amantis esse, quo sensu Paulus *omnia arbitrabatur vt stercora, vt Christum lucrifaceret* : ast moueri à magno, & paruo absque huius prælatione, vllaue oppositione in affectu perfectioris amantis, quam qui à solo magno moueatur mouerive possit, omnino esse, & moueri ab omnibus posse, vt cuiusque bonitas mereatur solius esse perfecti summe amantis Dei, & omniamoris diuini. Ad secundum dicito : speciem habiturum difficultatis, si à motione finali bonitatis creatæ Dei etiam erga creata amor specificaretur, non specificatur autem, vt videbimus.

9. Secundò : si vt bonum, & commodum suum, atque è sui complacentia Deus à bonitate creata finaliter moueretur : tunc, & hæc ad extrinsecam ipsius fœlicitatem, & gaudium de ipsa ad intrinsecam spectare videretur ; diximus autem nihil creatum, vt sibi bonum, iucundum, vel vtile amare vsquam posse Deum : quare neque erga sui amorem posse motionem finalem, immò nec medialem exercere : quippe cuius, & fœlicitatis eius, creata vniuersa nihili refetant ; solumque asserimus bonitatem creatam amari à Deo posse propter ipsam, ac motionem proprie finalem exercere ex complacentia diuina erga creaturas saltem rationales, quibus dubio procul bona creata plura sunt, & æterna salus, ac beatitas summe bona, & ob quam ex complacentia hac, vt rationalium creaturarum finem cætera Deum condidisse fide Christiana docemur : qui verò Philosophi, etiam præstantissimi, finem tantum Dei in hominum creatione non inspexerunt, sed in oblectamento, vsu, & fruitione visibilium quandoque steterunt ; id quidem totum ex hominum complacentia, & amore à Deo vt finem creationis vniuersi volitum putarunt. Sic Philo Hebræus de mundi opificio, vniuersi huius fabricam à Deo, tanquam creandi posterius modum hominis domum architectatum Deum, tamque pretiosa supellectili ornatam ex eius amore inque ipsius oblectamentum fuisse fatetur : & Seneca vniuersi huius ad hominum vsum, & victum, recreationemque tot rebus instructi apparatum contemplatus, exclamauit. *Non necessarium tantummodo nostris prouisum est, vsque in delicias amamur.*

QVÆSTIO VI.

An propter creaturas amet se Deus?

IN hac, sicut & in proximè antecedentibus quæstionibus fecimus, motiuum finale à motiuo specificatiuo (vtrumque enim particula illa complectitur) amoris diuini diuidendum attentè est, ne quæstionis decisio, immo & propositio absonet : ac si affirmatiua sit resolutio, Theologis pluribus, qui duo hæc motiuorum genera in amore diuino non distinxerunt, sed illum creati amoris instar, quoad motionem intentionalem ipsius omnino æstimantes confuderunt, videatur aduersari.

CERTAMEN I.

Doctorum placita, & examen.

1. QVæstionem hanc independentem putat Herize noster tractat. de voluntate d. 15. ab eo, quod Deus creaturas propter creatam bonitatem, tanquam finem amet, etsi enim eas tandem propter seipsum, & sui, non autem illarum complacentia amet, poterit se amare propter illas : quemadmodum remotiora media propter proximiora fini intento eligimus, & amamus, & nostri amici amico ex illius complacentia benefacimus, bonaque volumus ; sed exempla non præstant : media enim, qua talia propter ipsa non amantur, vt supra notabamus, nec rationem finis habere possunt : de cuius ratione, vt vox ipsa conuincit, est vlterius amorem nostrum non progredi, idcircò enim finis, siue affectus nostri terminus dicitur, quod vlterius non progrediatur. Aliud item exemplum ad rem magis non est. Nam, amici nostri amico cum bona, non ex huius sed illius amore, & complacentia volumus, non huic, sed illi in huius sui amici persona benefacimus formaliter, etsi huic commodum ipsi præstemus, atque materialiter benefaciamus : non secus, ac si commodum illud ex nostri complacentia, ac proinde concupiscentia præstaremus. Quare nec dici potest ea illi propter ipsum, siue tanquam finem *qui*, siue tanquam finem *cui*, nec quia ipsi bona à nobis præstari. Ac tandem, vt hæc cessarent è re exempla non sunt. Neque enim dici potest vel finem vero aliquo sensu amari propter media, vel amico nostro, ex cuius complacentia alteri ipsius amico bona volumus, ac præstamus, ex huius complacentia tanquam finis *cui* & propter ipsum bona nos præstare, ac velle : vt oportebat ad probandum Deum, qui amoris diuini erga creata finis ab Herize asseritur, siue *qui* siue *cui*, vero aliquo sensu amari à Deo assereretur : sed huius inconsequentiæ præsentes & notatæ supra quæst. 5. inde ortum habent, quod motiuum pure specificatiuum bonitatis diuinæ respectu diuini amoris voce propter significatum, à motiuo proprie finali, quod eadem etiam voce significatur, non diuisit.

2. Negare refertur Durandus in 3. d. 27. quæstione 2. num. 6. vbi ait Deum non esse immediatum & proximum concupiscentiæ obiectum : *quia Deus* (à se præsertim ipso) *amandus est propter semet* : amore nimirum amicitiæ seu charitatis, cum quo pugnat amari propter creaturas maxime tanquam finem quoad intentionalem finis motionem. Secundò quia, si Deus ametur ob bonitatem creatam tanquam finem, id quod per se, & natura sua finis est vt medium amabitur vitiosa contra rectum amandi ordinem inuersione, non Deo solum, sed nobis adhuc indigna : & qua peccant, quicunque peccant. Tertio : quia, quidquid amatur propter aliud tanquam finem minus principaliter, atque absolute minus amatur, quam illud aliud : id quod de se, naturaque sua, nec solum vitio nostro, Deo conuenire est impossibile : præsertim respectu amoris

Dei iustissimi, ac perfectissimi rerum æstimatoris, qui nequit non se summe, ac præ cunctis amabile bonum cognoscere, ac iudicare. Rationes has examinabimus, diluemusque inferiùs. Nunc solum pro hac sententia recensendi illi omnes sunt, qui Deum propter ipsas creaturas proprio sensu finalis motionis amari negabant q. 5. vt ex nuper dictis contra Herize patet.

3. Secunda sententia affirmat Deum se propter creaturas amare, quam docti, etsi innominati, Recentiores docuêre apud nostrum Herize tract. de volunt. c. 2. asserentes primo: Deum diligere se propter creaturas vt finem *cui* siue ex ipsarum complacentia. Secundo, vt finem *qui*, seu bonum, quod creaturis ex ipsarum complacentia amatur, tam inadæquatum, quàm adæquatum. Hanc eandem sententiam sequutus est ipse Herize, quatenus ait, Deum se amare propter creaturas vt finem *cui* eadem d. c. 3. toto, quia sub eius finem num. 22. censet de hoc solum fine *cui* esse propriam huius loci quæstionem: tametsi conclusiones horum Recentiorum duæ de fine *qui* sibi placere obiter asserat, solidasque earum probationes polliceatur à se dandas disput. 18. verum ea disputatione solum agit, an Deus amet creaturas propter seipsas, vt vidimus q. 5. nihil autem de eo quod Deus seipsum propter creaturas vt finem *qui* velit, vel non velit, immò d. 15. c. 4. negat Deum diligere se propter creaturas vt finem *qui*. Nec video quare non liberat priori loco suam fidem: nec cur sub præsentis quæstionis titulo æque proprie examinandum non veniat, an Deus se propter creaturas vt finem *qui* amet, atque vt finem *cui*? cum vtrumque finis nomine, immò vulgariùs finis *qui*, significatur.

4. Aduertunt verò omnes sententiæ huius Patroni Deum nusquam se amare, vt medium proprie, propter creaturas, vt *finem* proprie etiam acceptum: tum quia ad id opus erat, vt medio sui amore creata ad Dei amorem propter ipsa influerent, quod cum identitate amoris diuini erga omnia pugnat: tum etiam addit Herize, c. 4. n. 24. non amari Deum proprie, vt medium ob creaturas, quia non amatur propter eas, vt finem *qui*, ad quem media, qua talia apponenda amandaque sunt; sed propter illas, vt finem *cui* solum: & sane notatum hoc verum æstimo, & ostendam cert. 2. concl. 2. ratio vtraque displicet. Prima: quia solum probat creaturas non posse exercere causalitatem finis respectu amoris Dei cum propter ipsas amatur: ad id enim amoris diuini erga creaturas propter ipsas ab amore diuino erga seipsum propter illas realis distinctio requirebatur, quæ in vnissimo, & infectili prorsus omni-amore Dei repugnat, qua de causa S. Thom. art. 5. & Theologi reliqui amoris diuini nullam vniuersim causam dari posse, docuerunt.

Finalem verò propriam motionem intentionalem diuini amoris citra causalitatem physicam amoris finis in amorem mediorum dari respectu diuini amoris posse omnes Theologi fatentur: docuitque Sanctus Thomas cum ibi, tum 1. cont. Gent. cap. 86. & 87. docens voluntatis diuinæ dari rationem etiam creatam, nullam verò causam: ratio enim, ob quam, est idem atque obiectum intentionaliter mouens finaliter ad amorem, quemadmodum ad voluntatem præmiandi nostra honesta opera intentionaliter meritorie propriissime mouent. Secunda Herize ratio, & falsò & ipsi contradictoriè negat Deum amari ob creaturas vt finem *qui*: tum, quia oppositum ipse asseruerat capite 3. numero 22. tum, quia id probant eius rationes pro conclusione de fine *cui* creaturarum respectu amoris Dei: tum denique, quia in hac conclusione de fine *cui* creaturarum respectu amoris Dei erga seipsum apertior est in eius doctrina contradictio: cum asserat Deum omnia, & velle, & præstare creaturis ex complacentia demum suiipsius, quin in complacentia creaturarum sistat; vt aliquid ex earum tandem complacentia eis velit, vel donet: quod est solum Deum, nullatenus verò creaturam aliquam, esse finem, *cui* amoris diuini erga creaturas.

CERTAMEN II.

Nostra sententia etiam rationibus adserta.

1. Dicendum est: Deum se amare propter creaturas vt finem *cui*, & qua ipsis bonus, seu fini *qui* vtilis, conducens, & necessarius est. Conuenio omninò in conclusione cum innominatis ab Herize Doctis Recentioribus, & quoad motionem creaturarum finis *cui* respectu amoris Dei erga seipsum cum Herize; etsi quoad motionem finis *qui* ipsarum respectu eiusdem huic Doctori contradicam. Probatur facile ex statuta conclusione quæstione 5. quod nimirum Deus amet creaturas propter seipsas tanquam finem & *cui*, & *qui*: quia ex amore creaturarum, si propter ipsas quin vlterius ad se tanquam finem *cui* vel *qui* progredi debeat, fit Deum posse in ipsis vltimate complacere, & ex ipsarum complacentia bona ipsis siue honesta, siue iucunda, licita tamen, non turpia, & vtilia ob hæc obtinenda amare: vti de facto nobis salutem æternam, & quidquid ad illam consequendam conducit, gratiam auxiliantem, iustificantem, & reliqua supernaturalia dona vult, & donat, ex nostri amore, & complacentiâ; alioqui, & eius in nos amicitia non esset, omnisque eius erga nos formalis beneficentia, & gratia esset deneganda, contra Theologos omnes, & Catholicam fidem.

2. Tum sic: atqui Deus nobis vtilis, ac proficuus, immò necessarius est, cum, vt obiectum, tum, vt efficiens, & beatitudinis nostræ, mediorum quoad ipsam consequendam, siue proxime, siue remote conducentium, & necessariorum principium: ergo, & se amat ob nostram beatitudinem, eiusque motionem finalem finis *qui*, & ex complacentia nostri, & motionem finis *cui* quæ creata procul dubio sunt. Quæ initio opposita pro negante sententia sunt, atque huius argumenti effugia possent aperire, inferius diluemus: quo, & effugia præcludentur. Probatur secundò: quia ad perfectionem amoris diuini spectat esse omniamorem cuiusvis, & omnium obiectorum quouis modo absque imperfectione amabilium, & ob quamcunque rationem bonitatis in quouis eorum repertæ, vt de scientia, & aliis prædicatis diuinis in genere quouis est constans: ast Deus bonitatem vtilitatis habet ad creaturas. & in amore sui ob illam nulla est imperfectio: ergo Dei amor de seipso, vt vtili creaturis etiam erit: quod fieri nequit, ni amor Dei sit ob creaturas finaliter mouentes ad ipsum, imperfectionis defectus ex argumentorum solutione constabit.

3. Dicendum est secundò; motionem hanc bonitatis creatæ, vt finis *qui*, & finis *cui*, respectu amoris Dei erga seipsum esse, quoad motionem propriè finalem, non tamen primariam, quoad affectum, & primarium motionis finalis effectum. Prima conclusionis pars est perspicua. Nam creaturæ mouent Dei voluntatem, vt se ex complacentia creaturarum amet, vt bono creato & vltimo, seu tanquam vltimus terminus eius amoris voliti vtilis; ac necessarius ipse Deus est, atque à seipso cognoscitur. Sed nihil aliud formalis motio finis *qui* & finis *cui* continet: ergo respectu eius amoris Dei ob creaturas motionem propriam finis *cui*, & finis *qui* creaturæ exercent. Secunda conclusionis pars haud difficilius probatur: quia primaria finis motio est ad desiderium, amorem, electionem, atque appositionem mediorum, siue rerum ad finem consequendum: ac proinde earum positionem, existentiamque ante intentionem & amorem ipsarum ob finem illum præsupponere nequit: atqui Deus enumeratis modis vtilis, necessariusque nobis ad salutem, & reliqua ad ipsam conducentia ante omnem salutis nostræ ex nostri complacentia intentionem à se ipso præhabetur, & supponitur: ergo ratio finis *qui*, & *cui* creaturarum respectu amoris Dei se propter ipsas amantis non est motio primaria finis, quoad affectum, & primarium eius effectum.

4. Ibi

4. Est autem propria finis motio quoad affectum, & effectum motionis finalis: nempe gaudij de conducentia medij iam habiti possessi, & appositi ad finem consequendum: siquidem ob finis *qui* vel ex nostri, vel ex alterius complacentia alterutri desiderati bonitatem, & motionem, non solum media, quæ nondum habemus neque apposita sunt habere, & apponere desideramus sed de iam habitis & appositis gaudemus, vt de equo, vel gladio habitis ad præliandum de libris ad incumbendum litteris. Inde verò constat quo sensu verum sit, quod Herize, & Docti Magistri ab ipso relati notabant. Nimirum Deum non amari à se ipso, vt medium propter creaturas, tanquam finem non solum vt causam amoris Dei in se propter ipsas (id enim æque de Deo ipso eiusque bonitate admittendum est) sed etiam de amore sui, vt medij propter creaturas amati ob motionem earum proprie finalem: solum enim verum habet quoad affectum, & effectum primarium circa medium vt explicuimus.

CERTAMEN III.

Diluuntur oppositiones.

1. QVod opponi poterat ex necessaria specificatione amoris diuini sicuti, & creati ab eo, quod ad ipsum finaliter mouet disiecimus quæst. 5. certam. 2. numero 8. vlt. Ostensa ratione, ob quam in diuino amore specificatio à fine locum non habeat. Ad primum dico: Deum non solum amore amicitiæ, & charitatis in ipsum amabile, sed etiam ex nostri complacentia, & concupiscentiæ amore vt bonus nobis est rite, recte, atque honeste amabilem esse vt constat ex Tridentino definiente sess. 6. c. 11. can. 3. Operari ob præmium æternum malum non esse sed bonum iuxta Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendum iustificationes tuas propter retributionem*, ac Moses respexisse in remunerationem dicitur ad Hebræ. 11. & Patres omnes ad ea loca, immò verò fidei, & spei virtutes, qua tales ex nostri concupiscentia, & complacentia in nostram beatitudinem, & creata alia tendunt, quin actuali affectu charitatis oporteat ad Deum honestatis, & meriti gratia, referri, videantur Vega vndecimo in Trident. cap. 41. Bellarm. tom. 3. lib. 5. de iustificat. cap. 8. Torres 2. 2. disput. 61. dub. 2. igitur concupiscentiæ affectus non inde malus, aut inhonestus est, quod ex complacentia, & charitate Dei non sit, sed quod turpis, & inhonesti obiecti, vel secundum se, vel ex circumstantiis mediis, vel motiuis, concupiscentia sit.

2. Ad secundum dicito ex dictis quæst. 5. certam. 2. num. 9. nullam esse deordinationem in eo, quod Deus vellit ad nostram salutem (vti reuera est) ametur à seipso, vt à nobis honestissime amatur. Fore autem, si amaretur ob creaturas prælatiuè amatas, vt scilicet eæ amarentur, etiamsi ob eas amandas, & obtinendas amittendus esset Deus, vt in deordinatis peccantis affectibus reperitur. Hic autem non ita euenit, siquidem hic Dei vtilis saluti nostræ amor ob salutem nostram, & ex nostri complacentia inhonestus, & peccatum, quo solo Deus amittitur non est; immo verò valde honestus, & à nobis valde magnæ gratitudinis motiuum, ex quo etiam ad charitatem ascendamus, & accendamur. In Deo autem est affectus honestus valde: creatorem complacere sibi in opere, & creatura sua, velleque illi ex ea complacentia bonum. Instabis: rationem hanc probare posse Deum amare propter commoda naturalia suæ creaturæ ex complacentia huius: cum tamen in eis pure naturalibus commodis nulla possit honestas reperiri, ac proinde à Deo, qui nihil honeste, amare non potest is amor esse nequit. Respondet Herize se solum de amore sui in Deo ob bona loqui supernaturalia: verum, etsi in rebus ipsis bonitas solum physica sit, non autem bonitas moralis, seu honesta, (quod etiam in donis supernaturalibus plerisque contingit) ast in eorum amore & largitione suis creaturis honestissimus Paternus affectus, pietasque clarescit, etsi naturalia creaturis commoda sint: sicuti, & in Parentibus alimenti, & filiis amor, & ministratio: quare nimis meticulosus respondet Herize solum propter bona supernaturalia creaturæ amare se Deum posse: neque instantiæ facit satis.

3. Ad tertium respondetur etiam ex dictis in amore creato, verum absolute esse magis ac principalius amari, quod, vt finis mouet ad amorem eo quod amatur ob ipsum, quia ad illud vtile, ac conducens: illud enim principalius specificatiuum amoris creati est, & cuius gratia totus ille amor subsistit, cuique suum cætera amorem debent: secùs autem euenit, in amore diuino, qui à fine nullatenus, neque ab eius motione finali specificatur: quia nec bonitas increata propriam finis rationem habet: nec specificare bonitas creata illum potest, vt diximus quæstione quinta: quare, etsi non vt proprie fine, tamen vti primario obiecto motiuo à seipso Dei amor omnique amor adæquate specificatur: vnde, & primario, principaliusque, ac magis amatur, quam finis creaturæ, ob quam vt vtile ad illum amatur, etiam à seipso, Deus: cuique quidquid diuini amoris, erga finem creatum est, quoad totam amoris erga ipsum formalitatem creatus etiam finis debet: sicuti quia amoris creati primarium principalius obiectum & specificatiuum finis est, & principalius, & magis amatur, & cætera ipsi vt diximus suum amorem debent.

4. Opponitur quarto: Negari saltim nequit, quin amor Dei de seipso propter finalem perfectionem creaturarum imperfectior sit amore Dei de seipso siue complacentia sui ob motionem intentionalem, etsi non finalem proprie, bonitatis suæ: ergo admitti in Deo non debet. Negat consequentiã merito Herize antecedenti admisso: quia pleraque in Deo minus è genere suo metaphysice perfecta, quam alia metaphysica prædicata diuina reperiuntur, vt voluntas, & intellectus, eorumque actus, quorum vnum alio generis esse perfectioris variè Scholastici censent, alij vnum, alij verò aliud præferentes: & dubio procul essentia metaphysice loquendo perfectior è genere suo attributo quovis, & personalitate est; immo ea sola est tota metaphysica Dei bonitas, & perfectio, & entitas tota, à qua formaliter identitatis physicæ iure diuina reliqua, entia, bona, & perfecta adiectiue metaphysice sunt, vt vidimus controu. de Trinitat. disputatione 6. Satis ergo perfectionis diuinis attributis, & prædicatis apud omnes Theologos est, si cuique in genere suo nihil metaphysice, è propriis generis illius deficiat, etsi generis vnius, quam alterius maior sit, vel minor perfectio: id enim non dicit imperfectionem: quia excessus perfectionis alterius generis, qui huic deficit, ad hoc genus non spectat. Quod an in affectibus honestis, & moralium virtutum diuinarum locum habeat suo loco videbimus, nec non ex numero sequenti dispicietur.

5. De antecedentis admissione Herize cum Doctis innominatis Recentioribus nostris lis est maior: admittente illo; his verò illud negantibus: quia, inquiunt, etsi amor sui in Deo propter creaturas, vt finem, præcisè consideratus æque perfectus, atque amor Dei propter seipsum sit ex identitate hanc exuit minoritatis imperfectionem: sicuti, etsi cognitio Dei, siue obiecti alicuius in alio tanquam in medio abstractiua de se sit, ac subinde abstractionis dicat imperfectionem: ast, quia in Deo identice intuitiua est, Deique in seipso intuitio perfectissima absque imperfectione vlla in Deo admittitur. Herize impugnat: Primò: quia doctrina hæc supponit minoritatem perfectionis è genere suo vnius attributi, quam alterius ab omnibus Theologis admissam, imperfectionem formaliter à nemine in Deo admissam, nec admittendam absolute importare. Secundò: quia deprehensa absolute imperfectione prædicati cuiusvis formalis à Deo est reiiciendum, quin ex identitate cum alio prædicato diuino, quantumvis perfectissimo possit magis imperfectionem, quam suam essentiam formalem exuere, atque in Deo admitti.

6. Hinc Dei vel sui ipsius, vel cuiusvis alterius obiecti in alio tanquam medio quantumvis cum visione intuitiua Dei de obiecto eodem identificatam reiecimus: & quidem solutione, & ratione hac, imperfectissima de

sese prædicata quævis, siue in linea physica, siue mora: admitti in Deo possent: cum Dei perfectissimis in vtroque genere prædicatis identificarentur: quare vt ad Deum eiusque identitatem admittantur prædicata quævis, secundum essentiam, & formalitatem suam consideranda sunt, an imperfectionem de se se formaliter includant? si enim includant, reiicienda erunt, neque admittenda ad Dei, diuinorumque identitatem. Alias frustra à Patribus, & Theologis ad eiusmodi admissionem, de prædicatis, de quibus, an admittenda in Deo sint, necne? disputatur, examinaretur: perfectiones simpliciter simplices, nullamque de se imperfectionem deuoluentes sint, necne? vt vel admittantur vel excludantur à diuinorum identitate: quare ni falsum esset, vt vidimus minoritatem perfectionis è genere suo amoris Dei de seipso propter creaturas, vt finem, imperfectionem claudere, negandum esset antecedens: quoniam vero falsum prorsus id est, erit antecedens admittendum & consequentia neganda, vt dicebamus numero quarto.

7. Dices tandem: Deus ob bonitatem suam comprehensiue se, ac subinde sua omnia amat pro priori ad omnem creaturarum amorem: ergo omnimodo, quo amabilis est, & sua omnia amabilia sunt, se amat pro priori ad omnem creaturarum amorem: ergo nequit se amare propter creaturas, maxime vt finem, siue ob finalem eorum motionem ad sui ipsius amorem patet: quia ad amorem sui ob motionem finalem creaturarum oportet creaturas amari, immo in ea linea finalis motionis præamari, cum implicet esse, vel intelligi amorem alicuius propter aliud necdum amatum: quod argumentum, etsi minus efficaciter contra creaturarum amorem diuinum propter ipsas assertum à nobis quæst. 5. certamine 2. etiam procedit: siquidem, cum amor Dei comprehensiuus sit, pro priori etiam Dei sunt, quarumque subinde amor ad formalem comprehensionem amoris sui spectat, omnimodo amantur: cum quo pugnat amari pro posteriori propter ipsas; alioqui omni modo quo amabiles sunt non amarentur pro priori, vt dicitur, oportetque, vt Dei amor comprehensiuus sit pro priori, quo se propter seipsum amat, vt supponitur.

8. Sed huic obiectioni tenentur omnes (etiam aduersarij vtrique per illam impugnatæ conclusioni) satisfacere: siquidem quoysque creaturæ sint, vt absolute existentes, non videntur formaliter, & exercite amari, si quid præstat obiectio. Nihil autem præstat: quia, cum intrinseca Dei bonitas, tum in ordine ad se, quæ est entitatiua, & moralis, tum in ordine (nostro modo concipiendi) ad alia, quæ est vtilitatis, & conducentiæ ad creaturas: ab illis tamen re ipsa absoluta, adæquatum motiuum specificatiuum diuini amoris, vt diximus, sit pro priori illo, quo ob suam bonitatem seipsum, & propter seipsum diligit Deus omniamor formalis, & quoad substantiam, & modum amabilium omnium esse intelligitur; quin accessu obiecti extrinseci, siue pure terminatiui, siue quoquo modo motiui pro posteriori aliquid formalis amoris erga, vel propter extrinsecum Deo obiectum aliud accrescat: quare pro illo priori omniamor, & Dei, & amabilium aliorum quoad substantiam, & modum formalis: quare & comprehensiuus amor est, quin obiecta alia siue pure terminatiua, siue etiam motiua accesserint: quod in amore creato non contingit: è cuius, quoad hoc ignorato discrimine, & obiectio præsens, & alia, ex eius inter vtrumque amorem discriminis obseruatione, superius disiecta speciem difficultatis plurium mentibus ingerunt.

DISPVTATIO III.

De diuinæ voluntatis, atque eius actuum libertate erga creata obiecta, eiusque magnitudine, & constitutiuo.

DIFFICILLIMAM Theologiæ totius disputationem magna sui parte aggredimur: in ea quippe de libertate diuinarum volitionum, & affectuum Catholica veritas statuenda primum est: id quod adeò exiguæ difficultatis secundum se est, vt supponi potius, quam disputari à Catholicis Doctoribus posset, vt de facto ab eorum nonnullis sine disputatione supponitur. A nobis autem exacta disputatione statuetur, ne dogmatis huius Catholici (sicuti nec cæterorum quæ in Theologicis aliis controuersiis occurrunt) fundamenta Theologica ignorentur. Secundo de libertatis volitionum diuinarum constitutiuo in Dei arcanis abstrusissimo, (& ex quo, vel maxime dogmatica earum libertas impetitur) quoad fieri pro nostro hoc vix statu, & captu poterit, disputabitur. Tertiò vtro libertatis genere, contrarietatisne, an etiam contradictionis, vel neutra diuinæ volitiones possint gaudere? Quartò de quibusnam obiectis libera volitio à Deo concipi possit: si enim erga nullam concipi adeo libera volitio valeret libertas volitionis diuinæ esset absolutè impossibilis.

QVÆSTIO I.

Sitne diuinæ voluntati, & volitioni absolute libertas?

VTriusque, & potentiæ volitiuæ, & volitionis libertatem eidem quæstioni, & examini subiicimus: quia eadem potentiæ libertate vtrumque liberum absolute est, cum ponitur à potentia actus: siquidem indifferentia potentiæ ad actum eiusque oppositum, vel omissionem potentia libera formaliter & in actu primo est: eademque potentiæ in actu primo indifferentia ad alterutrum, cum alterum ab ipsa, qua indifferenti ad illud eiusque oppositum, procedit, liberum per puram extrinsecam denominationem absolute dicitur, & est; illud autem *absolute* tituli quæstionis supra *volitionem* non cadit, & appellat, sed supra liberum: appellans quippe supra *volitionem*, hunc reddere posset sensum: an Dei volitio absolute talis libera sit? quasi, non libera, Dei volitio absolute (vt æquiuocari legens posset) non foret: quod citra dubium falsum est: cum Dei erga seipsum volitio, quæ absolute libera non est, sed prorsus necessaria per omnes, volitio tamen Dei absolute sit; immo & omnivolitio, vt sæpe diximus & dicemus; cadens verò illud absolute supra liberum extra æquiuocationis periculum, an Dei volitioni absolute tali circa obiectum aliquod libertas absolute talis possit subesse? explorato significat.

CERTAMEN I.

1. CONtra Dei, ac subinde diuinæ voluntatis, & volitionis libertatem errauit quandoque Aristoteles veterum fere omnium & Recentiorum iudicio, quorum longum syllabum texit noster Ruiz de Montoya d. 7.

d. 7. sect. 1. num. 1. sect. 4. num. 4. constatque ex 8. Physicorum textu 9. 13. 52. 53. id è Dei seu motoris primi immutabilitate deducens; sicuti & 2. de cælo text. 21. & 35. & 1. de generat. text. 16. & lib. 2. textu 56. ac 9. Metaph. textu 17. statuit æternis nihil esse in potentia, sed omnia in actu: quare de cælorum quiete timendum non esse, cum æternitatis titulo tam ipsi quam eorum motor in potentia siue actiua, siue passiua non sint ad non mouendum: ex quo etiam 12. Metaph. text. 6. concludit satis non esse ponere subsstantiam æternam potentem mouere, ni actu & ex necessitate mouens motione ipsius substantiæ identificata asseratur: in errorem eundem lapsi sunt eius commentator Auerroes 8. Physicor. text. 6. Simplicius 6. Physicorum text. 15. Auicenna 9. suæ Metaph. capite 4. Theophrastus & Porphyrius, apud relatos à Ruiz citata sect. 1. n. 1.

2. Verum alibi ex his plerique ritè de diuini arbitrij, & voluntatis libertate censuerunt, vt ex iam subiiciendis eorum sententiis clarebit: quare eos ea in re varios, atque pro occurrentium difficultatum impetu hinc inde iactatos certum est. Aristoteles 4. Topic. cap. 5. Deo potestatem ad agendum praua, quæ absque libertate non fiunt: quare & hanc Deo concedit, etsi in primo turpiter erret, nec satis ratione, quam subiungit Deo à culpæ facilitate excuset: item Alexand. lib. de fato ex Aristot. docet, beneficia à Deo esse petenda: quia ea præstare vel secus potest. Hac teste Laertio in eius vita à prima causa Deo misericordiam moribundus Aristoteles implorauit: quo ipsius libertatem professus est. Deinde 2. Magnor. Moral. post finem, & 7. Ethic. ad eundem post medium Deum nullo egere statuit: egeret autem multis, si cuncta ex necessitate vellet, & operaretur. Insuper 8. Ethicor. cap. 7. & lib. 10. cap. 8. virum probum Deo amicum fatetur quod amare libero vtriusque esse non potest. Mitto docuisse 2. Physicor. textu 49. Deum agere per intellectum & voluntatem, quo nonnulli putant, Dei in decernendo, & operando ad extra libertatem supposita ab Aristotele; sed male iudicant; nam se per intellectum, & voluntatem absque libertate tamen vlla Deus amat, & Spiritum Sanctum producit.

3. Præterea 10. magnor. moral. cap. 8. ait Deum bona & mala pro cuiusque meritis dispensare: quod absque distribuentis libertate non fit, & hanc quidem bonorum, malorumque distributionem, & omnium gubernationem è Dei præscripto (non secus atque ex cuiusvis Naucleri in sua naui, aut Principis in sua Prouincia) in vniuerso hoc prouenire fatetur, sub finem libri de mundo ad Alexandrum, verba sunt. Ad summam: *Quod in naui gubernator, in curru auriga, in ciuitate lex, in choro præcentor, in exercitu Imperator, hoc idem in mundo est Deus. Nisi quod illis ipsis principatus laboriosus, perturbatus, & anxius est; Deus autem expers omnis mœstitiæ, laboris, nullamque corporis afferens imbecillitatem. Nam cum in re immobili collocetur; omnia qua vult, mouet: arbitratuque suo in diuersis rerum generibus, & naturis versat.* Nec dissimilem fluctuationem passi sunt citati reliqui. Nam Auicenna 9. Metaph. cap. 1. med. primo principio Deo contingens ac minime necessarium fuisse creare docuit, quod liberum eius arbitrium, & voluntatem creandi inseudit. Auerroes itidem in distinctione distinctionum d. 3. dubit. 1. & 2. libertatem Dei sensit, & fatetur.

4. Firmiùs contra libertatem Dei, ac decretorum eius aberrarunt Abailardus & VVicleff apud VValdensem 1. doctrinal. fidei cap. 10. docentes Deum non posse facere, nisi ea quæ facit, ac proinde omnia etiam à Deo ex necessitate euenire: subscripsere huic errori Lutherus a 56. Bucerus lib. de concord. doctrinæ c. de libero arbitrio. Caluinus 1. Instit. c. 16. §. 3. & hi quidem duo postremi ita errorem istum explicant, vt nequeat non durissimo ac pessimo sensu intelligi: illud quippe VVicleff, quod scilicet *Deus non possit facere, nisi ea quæ facit* secundum se, minus duram capit interpretationem: nempe Deum casu, quo aliquid facturus sit, non alia facere posse ab his, quæ facit; quia ea, & non alia facere debet, non tamen, ad hæc adhuc quæ fecit, faciendo teneri; ac subinde libere absolute ea fecisse, cum ea non facere absolute potuerit, id quod sola necessitate, siue physica, siue metaphysica, siue morali voluntatis Dei ad optimum ex creatis & volendum, & præstandum non sublata absolute diuina libertate saluaretur, vt ex dicendis quæst. 4. patebit. Caluinus verò ita neque sane extra VVicleffi, & Lutheri magistri mentem eum errorem explicat: scilicet, Deum agere necessariò quidquid potest agere: nec posse cessare ab eo quod facit, nec aliud facere posse, vt noster interpretatur Bellarminus tom. 3. lib. 3. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. vers. finem: quibus omnem prorsus Dei in decernendo & operando libertatem excludit.

CERTAMEN II.

Diuinæ voluntatis absoluta libertas ab authoritate stabilitur.

1. DOgmatica voluntatis, & volitionis erga creata libertas absoluta Philosophorum (si memoratos ea in re varios excipias) gentiumque omnium authoritate probatur: excipio autem varios; quia, etsi locis datis certam. 1. num. 2. & 3. eam expressè fateantur varij testes variationis exceptionem patiuntur: neque multùm in re adeo clara referat ex tempore quo, vel fauentia, vel aduersantia loca scripserunt, in qua tandem sententia fuerint, quamve retractauerint, magno difficili, & superuacuo labore indagare. Firmus igitur omnique exceptione maior veritatis huius testis est Plato sic Angelos, seu Deos à se factos Deum alloquentem inducens. *Non estis penitus immortales, neque penitus indissolubiles, non tamen soluemini, nec mortis sortem sequemini: cum mea voluntas maius adhuc, & præstantius vinculum vobis contigerit.* Ita ille in Timæo longe à principio: quibus aliam voluntatem Dei illis contigisse potuisse, quæ perpetuitatis illorum vinculum non esset, ac proinde libera absolutè Dei voluntate perenniter seruando Angelos fatur: idem in Alcibiade primo siue de natura humana fine liberam Deo disponendi, vel impediendi actiones nostras admittit, cum ex Socratis præscripto docet faciendis à nobis præstandum *si Deus voluerit*, vt ea potestatis libertatisque ingenua professio operum nostrorum aggressionem debita pietate anteiret.

2. Gentes omnes supplicia ob male acta à suis quæquæ Diis timebant, veniam precabantur, periculorum ereptionem, malorum imminentium auersionem, atque opprimentium excussionem, bonorumque elargitionem suis precibus, mactatisque hostiis rogabant etiam illæ, quæ stellarum fatum asserebant, teste Nysseno lib. de fato cap. 36. de quibus ita rogantibus, Deumque inuocantibus, ac cælum non Capitolium in suis ærumnis aspicientibus sic exclamauit Tertullianus cap. 7. Apolog. *ò testimonium animæ naturaliter Christianæ!* quia scilicet Deum ad veniam, malorum auersionem, ac præstanda beneficia precibus, obsequiis, & sacrificiis flexibilem, ac subinde ad vtrumvis liberum, nec ad alterum natura, & necessitate determinatum, vt fides Christiana docet, naturalis rationis ductu conspirato omnes homines cognoscebant, nihil enim horum nisi stupide, & amenter peti, timeri, sperari, affecti nescio agente, atque ad operandum, præstandumque, vel secus, sui impote posset: quare vel omne hominum genus naturæ, & rationis ductu aberrare, vel Deum agens liberum esse erit fatendum. Hoc è gentium omnium authoritate petitum argumentum, plures præterea pure naturales Philosophicas rationes continet demonstratiuas.

3. Sed firmius veritas hæc fundamentum in Scriptura Sacra habet, Psalm. 93. *Deus vltionum libere egit*: ac passim in Psalmis, Prophetis pœnæ malis, & præmij retributio bonis petitur à Deo, misericordia, & auersio malorum siue imminentium, siue deprimentium rogatur, speratur, solicitaturque victimis, & holocaustis oblatis: quibus omnibus & singulis Dei libertas supponitur, atque certo fidei proxime deducitur: sed eis, quia innumera nec formaliter, sed illatiue solum præsens dogma continentibus illum solum locum

Psalmi recitauimus, quo expresse, & formaliter continetur, cui similia sunt pleraque alia, quibus Dei potentia ad faciendum, quæ non fecit, vel non faciendum quę fecit asseritur: quia ea definitione sua diuinam libertatem formalè explicatius tradunt Sapient. 12. *Sed & his* (idolatris terræ promissionis incolis) *tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello subiicere impios, iustis, aut bestiis sauis, aut verbo duro simul exterminare; sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ*: Et sequentia reliqua capitis eiusdem quibus iustitiæ, & absolutæ potestatis Dei in puniendis hominibus statim, ac delinquunt, tolerantiam, & cunctationem, vt eos de peccatis pœniteat, atque fideles sui de sua misericordia non desperent, sed conuertantur, expendit, nec æstiment statim inflicturum ipsis Deum mala pœnæ, quæ potest, ac merentur.

4. His similia plura dixerat c. 11. hæc præsertim, n. 18. *Non enim impossibilis erat Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes; quarum, non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Sed, & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ. Sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Multum enim valere tibi soli subererat semper.* Ideoque, quæ tunc non fecisti aduersariis tuis mala præsto tibi semper, & vbique erant, & erunt vt illis facias. *Sed misereri omnium, quia omnia potes, & dissimulas*, quandoque in suppliciis, quæ potes ipsis infligere, *peccata hominum propter pœnitentiam*. In quibus expresse continetur Deum plura, nec fecisse, nec facere, nec esse facturum, quę, & potentia, & iustitia sua facere absolute posset: quare &, cum facit, posse etiam non facere, & omittere docemur: quod ipsum est, absolute in eis, vel faciendis, & decernendis, vel omittendis liberum esse Deum.

5. Id ipsum in nouo testamento pluries exprimitur: vnum, vel alterum testimonium in reliquorum exemplum producam. Matth. 3. *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quod non fecit, & 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo* (cum, nec præstat, nec præstiturus est) *plusquam duodecim legiones Angelorum.* & cætera. Quare hoc loco potestas faciendi, quæ omittit, ac subinde in eorum, omissione absoluta Deo libertas adscribitur, solutio tentata à Vvicleffo despici debet, non impugnari: de eadem oratione Christi. Luc. 22. & Marci 14. *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me*, cum non transtulerit, & Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnũ cælorum.* Quo summa salutis diuitum difficultas explicatur: & fere statim apud homines hoc impossibile est, *apud Deum omnia possibilia sunt*, id est diuites omnes saluare, quorum tamen non omnes, sed pauci saluabuntur 2. Corinth. 9. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.* De quacunque autem gratia, siue beneficio, vel temporalium, vel spiritualium conloquatur, certum est non fecisse abundare in nobis omnem gratiam, ac beneficia; quæ tamen hoc loco dicitur posse. Et ad Rom. 11. 14. & 16. ait posse Deum inserere, statuere, & confirmare, quæ nihilominus non facit.

6. Tertiò probatur ex innumeris etiam locis, quibus opera ad extra Omnipotentiæ diuinæ vel eorum negationes: quare, & diuinam Omnipotentiam in operibus suis Dei voluntati, & arbitrio subordinati asseruntur, vt illa sint, vel non sint, atque hæc operetur, vel non operetur, si Deus operari velit, seu non velit, aut nolit. Hoc enim ipsum formaliter est Deum libere creaturas velle, aut nolle, easque libere operari, vel non operari. Aliqua vero ex pluribus sunt Daniel. 3. vbi celebres illi pueri Hebræi statuam auream Nabuchodonosor adorare iniecto succensi fornacis terrore moniti responderunt. *Non oportet nos hac de re respondere tibi: ecce enim Deus noster, quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex liberare, quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus. & statuam auream, quam erexisti non adoramus.* Similis sententia continetur apud Machabeos non semel. Atque Hesther 13. *Non est, qui possit tua resistere voluntati, si decreueris saluare Israël*, Psalm. 111. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.* Psal. 113. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Sap. 18. *Subest enim tibi cum volueris, posse.*

7. Item 1. ad Corinth. 12. *Hæc autem operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Ad Ephes. 1. *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, non quod consilium voluntatis actum proprium asserat, qui intellectus actus est, sed, vt volitum significet posita in genitiuo, ex Hebræa phrasi forma adiectiui denominante: ne casu, ac non ex consilio, & præconsiliato, atque electione vocatos nos à Deo putaremus, vt rectè Soar. in opusc. relect. de libert. diuin. d. 1. sect. 1. Atque hoc testimonio Dei electio, (quæ non, nisi ex libera, & indifferenti potestate ad vtrumuis est) aperte continetur, sicuti asserta à Paulo fuerat cap. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit.* ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso*, 2. ad Thessalon. 2. *Quod elegerit vos Deus primitias in salutem.* Iacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes.* 1. Pet. 2. *Ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum.* Ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Et *an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Matth. 10. *Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & ibi. An non licet mihi, quod volo facere?* Ioan. 5. *Filius hominis, quos vult viuificat.* c. 3. *Spiritus vbi vult spirat*, quæ omnia periphrases electionis, & indifferentis potestatis, & libertatis ad ea, quæ vult, & facit, & quæ non facit agenda vel non agenda, omnino est.

CERTAMEN III.

Accinunt eidem veritati Ecclesiæ Patres.

1. EAdem omnino pro hac veritate eisdemque grassibus Ecclesiæ Patres nobis præsteterunt argumenta, vt diuinam libertatem erga creata, vel decernenda, vel efficienda stabilirent. Augustin. de Spiritu & lit. cap. 2. à medio memoratis locis Matth. & Sapientiæ, quæ desimus, ex quibus multa, quæ poterat Deus facere non fecisse conuincitur, concludit, *& alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri vel potuisse, vel posse fateamur; & eorum tamen exempla quod facta sint proferre nequeamus*, id fere omnes Patres in nostra redemptione vnice per incarnationem, & Christi Domini passionem peracta, cum mille aliis modis peragi à Deo posset, apertissimè docent Augustinus Epistola 3. ad Volusianum circa med. lib. 13. de Trinit. c. 10. & 13. libr. de Agone Christiano cap. 11. initio, stultos aliter censentes appellans. Athan. Orat. 3. contra Arianos vers. fin. concedit ipsis obiicientibus posse Deum absque incarnatione, vel solo verbo nostram soluere maledictionem? addit verò. *Cæterum ipse tandum est hic, quid hominibus sit vtile: non quid situm in viribus Dei.* Naz. epist. 1. ad Cledon. seu Orat. 51. sub med. Euseb. Emissen. homil. 6. de Pascha te: *Deum vel nuta potuisse homines redimere ac dæmonem elidere: Sed incarnationem elegisse; vt per hominẽ homo redimeretur.* Consonant Leo Mag. Ser. 2. de Natiu. ante med. Greg. 17. Moral. cap. 17. lib. 24. cap. 2. apud Cyprian. lib. de Cardin. Christi operibus sermon. de Passione longè à medio. Bernard. epist. 109. ad Innocent, post med. Anselm. in cap. 5. ad Roman. ad id *commendat autem*, & 2. Cur Deus homo cap. 5. collato cum cap. 4. & 6. Hugo Victor. 1. de Sacram. p. 8. cap. 10. & fusius tract. 1. Summæ c. 14. nec curtius Augustinus Epistola 3. ad Volusianum circa medium.

2. Secundum argumentum ex subiectione virtutis actiuæ, seu Omnipotentiæ voluntati, eiusque electioni in operando ad extra confirmant Patres omnes, vt Dei cum

cum in decernendis, tum in exequendis creatis absolutam libertatem demonstrent, sic in illud 1. Corinth. 11. *diuidens singulis prout vult*. 2. de fide cap. 3. aiebat Damascen. *Pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio*. Et Bernard. citato loco modum redemptionis nostræ non necessitate, sed mera libertate elegisse Deum ait: & Augustinus citato cap. 1. & 1. de spiritu & lit. longe à medio, paulatim fieri voluisse gentium in terræ promissionis exterminium, cum semel fieri ab ipso posset. Citatus Emissenus incarnatione nos redemptos, cum aliter possemus, quia placuit Deo. Athanas. Orat. 2. contra Arianos circa medium. *Sicuti cum posset ab initio sub Adamo, aut Noë, aut Mose verbum suum mittere: non autem misit, nisi in consummatione saculorum: ita quoque creata, cum voluit, & ipsis utile fuit procreauit*. Augustinus vbi proxime ad illud. *An putas* Matth. 26. *Omnipotentis voluntas multa potest facere, quæ non vult, nec facit &c.* & cap. 95. Enchirid. post med. *Tunc autem in clarissima luce sapientiæ, videbitur (quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videantur) quam certa, & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil autem velle, quod non possit*. Et cap. 98. initio: *quis porrò tam impie desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere?* & lib. de natura & gratia cap. 7. Potuisse Deum Iudam à spirituali morte suscitare, &, vt omnes homines in gratia perseuerent, facere, si vellit, docet de bono perseu. cap. 8. & 9. Damascen. 1. de fide fine scribit *Deum omnia, quæcunque vult posse, non autem quæcunque potest velle*.

3. Idem argumentum subordinationis Omnipotentiæ voluntati diuinæ in operando pro Dei absoluta libertate in decernendis, exequendisque creatis continetur in locis scripturæ, & Patrum, quibus ea non, nisi sub diuinæ volitionis conditione, fore dicuntur Eccles. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit spiritu intelligentiæ replebit illum*. Esther. 3. *Si decreuerit saluare, nos continuo liberabimur* 1. Corinth. 16. *Spero me aliquantulum temporis, si Dominus permiserit*. Iacobi 4. Pro eo *vt dicatis, si Dominus voluerit*, & Sapient. 12. *Subest enim tibi, cum (siue si) volueris, posse*. Quæ sane voluntati diuinæ potestas, cum nostræ, tum omnipotentiæ ipsius in suis, nostrisque operibus edendis phrasi apud Scripturam, & Patres frequentissima, qua omnia in manu Dei esse dicitur, eodem robore demonstratur: Herem. 18. *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israël*. Qua similitudine eandem omnium voluntati diuinæ subiectionem designarunt. Isaias cap. 45. Ecclesiast. cap. 33. Paulus ad Roman. 9. quibus locis Patres, & interpretes Catholici omnes. Denique, idem argumentum clauditur locis omnibus, quibus opera sua Deus, vel omnes ipsa, sub particulis dubitationis euentura præmunciant. Neque enim dubium Deo, futura sint nec ne; homines autem eorum à diuinæ voluntatis arbitrio dependentiam particulis illis profitentur. Exod. 19. fine. *Nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos* ait Moses & c. 33. Deus. *Ne forte interficiam te in via*: Iosue 14. *Si forte sit Dominus mecum: sicut promisit mihi*: 1. Reg. 14. *Si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis*: 2. Reg. 2. ait Dauid ieiunasse pro filio, & fleuisse pro filio dum viueret, *dicebam enim: quis scit si forte donet eum mihi Dominus* Actor. 8. *Pœnitentiam age, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Daniel. 4. *Forsitan ignoscet delictis tuis*. Hæc porrò omnia pro secundo argumento data multa Patrum eruditione firmauimus 1. 1. de Deo vno contro. 3. pro nostræ voluntatis indifferenti potestate, & libertate, contra Thomistica decreta pugnantes. Et quoad confirmationes duas postremas dedimus non pauca contro. 2. dum seruiam coniecturalem diuinam de contingentibus conditionatis contra eosdem confutabamus.

4. Augustin. 6. de Genes. ad lit. cap. 14. fine eidem subordinationi insistens ait. *Restat igitur, vt ad vtrumque modum habiles creaturæ fiat, siue ad istum, quo visitatione temporalia transcurrunt, siue ad illum, quo rara, & mirabilia fiunt: sicut Deo facere placuerit, quod tempori congruat*. Anselm. 2. cur Deus homo cap. 17. sub initio: *quoniam omnia quæ vult, & non, nisi, quæ vult facit: sicut nulla necessitas siue impossibilitas præcedit eius velle, aut nolle, ita nec eius facere, aut no facere*. Dixerat c. 5. sub finem, *Deus nihil facit necessitate, quia nullo modo cogitur, aut prohibetur aliquid facere*; quod ipsum est agentis liberi definitio: atque vt minimum apud omnes ex negatione necessitatis, siue existendi, siue agendi contradictorij possibilitas, ac subinde contingentia existendi, seu libertas operandi euidenter infertur. Cui principio regulæ omnes contradictorum æquipollentium, & conuersionum in modalibus innituntur. Illudque obseruauit idem Damasc. eod. lib. c. 17. inquiens; *quod necesse est esse, impossibile est non esse: & quod necesse est non esse, impossibile est esse; & conuersim*, Athanas. sæpè oratione 2. contra Arrian. sub med. & orat. 4. fol. penult. docet, nihil Deum necessitate operatum, sed cum voluit; cum antea etiam creare potuisset, ac tunc non creare, quia *deliberare & eligere in vtramque partem momenta sua habet: & ea affectio* (quam sæpè ibi cum Paulo beneplacitum vocat) *in naturam rationalem cadit* Iustin. M. quæst. 114. ad Orthodoxos *actionis diuinæ potentiam non naturali necessitate, sed proprio consilio constare*: Clemens Romanus 3. Recogn. vers. med. & 7. Const. cap. 35. post medium *solus es Omnipotens, quando enim vis adest tibi, vt possis. Tua enim æterna potentia flammam refrigerat* Nyssen. 6. Philosc. 4. siue vlt. vel potius Nemesius lib. de animæ facultatibus cap. 38. à medio, & 9. Bibliot. *Non enim necessitati Deus paret*. Alij legunt, *non sub necessitate est Deus: neque fas est dicere eius voluntatem necessitati seruire. Etenim necessitatis ipse Author est*. Inferiuscule: *ipse Deus non solum extra omnem necessitatem locatus est: sed etiam eius Dominus, & Author est. Cum enim sit potestas, & natura libera potestatis, nihil neque naturæ necessitate: neque legis sanctione facit, sed omnia sunt illi contingentia, etiam quæ sunt necessaria: respectu scilicet naturalium causarum*. Hilar. de Synod. ante med. ad can. 6. Syrmicæ *extra corporalis naturæ necessitatem liber manens, quod vult, & cum vult, & vbi vult, id præstat ex se ipse*. Mitto alia ex Patribus, quæ à ratione subiiciendas probationes continent, oportunius probationibus annectenda.

CERTAMEN IV.

Eiusdem dogmatis, à ratione demonstrationes naturales.

1. DEmonstrationes naturales, certam. hoc pro eadem veritate subiiciendæ refellent OKamum & Gabr. in 1. d. 43. quæst. 1. art. 2. fine asserentes, non posse illam ex principiis ad purum naturalibus demonstrari, est autem demonstratio naturalis prima ex illo principio naturali, omne agens naturale, & necessarium, seu naturaliter, & necessario, ac non ex electione, & arbitrio suæ voluntatis operatur in quãtum potest; ergo si Deus ita operatur, operatur in quantũ potest. Vel ergo plura, quam operatus est, alibique spatio durationis, & loci, non potest Deus operari, vel alia etiam præterea potest. Si alia potest: ergo non operatur in quantum potest: ac subinde agens naturale, & necessarium in operando non est, sed per arbitrium liberum, & electionem ex his, quæ potest, quædam producit aliis omissis: quod dogmatica, & naturalis veritas, quam contendimus est, & aduersæ propositioni contradicens: Nec valet negare principium, quia causæ naturales, nec semper, nec vbiuis quidquid possunt operantur, vt patet in sole, igne, & reliquis. Ea siquidem vbi, & quando non operantur quidquid possunt, est defectu alterius, quod, vt operentur requirunt; nec suæ actiuæ virtutis est, vel ponere, vel auferre, omnino prouenit: cuiusmodi defectus actiuæ potentiæ, siue Omnipotentiæ Dei nequit adscribi: quin Deo Omnipotentia lumine naturali nota, & demonstrata negetur.

2. Si verò dicas nihil Deum facere posse vltra ea, quæ fecit, inquiro: an fecerit finita solum? & in se, & loco, ac duratione? an finita, & spatio, ac duratione tota possibili, seu imaginaria, cui eius duratio, & immensitas,

mensitas, quantum de se est, præsentatur, ac subinde coëxistit. Si finita solum potest: ergo eius potentia, seu omnipotentia infinita non est, sicuti etiam ratione naturali demonstratur, sed prorsus finita. Probatur consequentia, quia quidquid finita detractione siue exclusione à se penitus finitur, exhauriturque, finitum plane est quantumuis magnum esse contendatur siue quantitate molis, tam continua, quam discreta siue quantitate virtutis, vt statum apud omnes Philosophos, & Theologos, imo & perse notum est: infiniti enim definitioni contradicit, *cuius partes accipienti semper restant aliæ & aliæ accipiendæ*: atqui finitorum à diuina potentia productio, & exclusio finita est, eaque per te diuina potentia prorsus exhauritur, vt nihil vlterius in ea eiusque virtute inclusum restet: ergo & diuina potentia, seu omnipotentia finita est, hoc argumento ex suppositione, quod creata de facto finita sint, vt nunc respondere supponimus, vsi sunt S.Thom. & Scholastici fere reliqui, eisque omnibus longe antiquior Iustinus M. quæst.2. Christiana ad Gentil. post med. his verbis: *Siquidem est Dei potentia infinita, eius autem opera finita: est omnino Deus secundum eas, quas habet, & tamen non vtitur potentia.* Vnde rectè infert: *Deum agere quantum vult non quantum potest, & vti actionibus, quantum vult.* Sicut cum ipso contend.& orat.3.sub med. *Si Deus facit quia est, coactè facit, quæ facit: sin facit, quia vult, sponte facit; sponte enim faciens, facit, quantum vult, & quantum vult: & quando vult:* Quare nec ex finitudine creaturarum omnipotentiæ finitudo deducitur: quia pauciora facit, quam facere possit.

3. Quod si, nè in hoc incidas absurdum, asseris infinita, quæ potest, necessario agere, plura euidenter falsa, & absurdissima incurres. Primò in quantumvis exiguo tempore cæli motus à Deo factus fuerit, potest fieri in minori, & minori: siquidem minus, & minus assignato perexiguo infinities tempus possibile est: ergo, vel fecit Deus motum cælicum omni velocitate, qua potest, vel fecit in non tempore, sed in instanti, implicatoriè. Secundò ergo Deus fecit de facto plures, & infinitos mundos: neque adeò plures assignabiles sunt, quin plures, & plures sint possibiles à Deoque factibiles in infinitum: quare & eos de facto fecisse oportet ab aduersariis admitti: imo & ab æterno, & per spatium infinitè maius, non solum, quam videmus, sed quam possimus cogitare. Quorum & mille aliorum absurdorum vnica solutio est: fateri Deum ea, siue ex his, quæ potest, aliqua pro suæ voluntatis arbitrio, & libertate fieri velle, atque exequi, non omnia: ac subinde non ex necessitate operari quantum potest, sed quantum vult, vt Patres respondent vt his absurdis occurrant. Iustinus Martyr, vbi proximè versus finem: *Quemadmodum accusari non potest Deus infirmitatis potentiæ, quod, cum non plures, sed vnum fecisset mundum, desiit facere: sic accusari non potest imperfectionis virium, quod non, ac simul fuit, mundū fecit, sed cum voluit.* Consonat quæst.113. Ad Orthodox. fine, & q.2. Christiana ad Gent. sub finem. *Nisi cohibita fuisset actio, qua mundum fecit, innumerabiles facti fuissent mundi, actione nunquam cessante.* Athanas. Orat. 2. contr. Arrian. circa med. *Opifex & dici, & esse potest, etiamsi nondum opera existent; Pater vero, nec esse, nec dici poterit, si non sit illi filius, quod si autem curiosè inquirant: Cur Deus, in cuius potestate est operari, non semper operatus sit? furiosorum est ista audacia:* quia nimirum est diuini consilii, & arbitrij arcana velle rimari. Quibus id solum ait responderi potest, *creata, cum voluit, & ipsis vile fuit procreauit:* luculentissimè argumentum totum expressit Augustinus 11. de Ciuit. cap.5. initio, *ita quæritur, cur potius tunc, & non antea factus sit? (mundus) quemamodum quari potest, cur hic potius vbi est, & non alibi? Nam, si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse: similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus, si quis quam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, vt innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur?* Quæ deinceps expendit, & circa finem concludit. *Æquaaliter anteriora tempora per infinitum retro spatium præteriisse: nec fuisse aliquam differentiam, vnde tempus tempori eligendo præponeretur.*

4. Præter primam hanc naturalem demonstrationem in cuius ramis plures, cum à priori, tum ab absurdis continentur, vt ostendimus, sit demonstratio secunda. Nulla est potestas coniungendi, quæ, & si seorsim non repugnent, repugnant tamen coniunctim, & simul: erit enim potestas ad coniungenda contradictoria: ast, si Deus sit agens naturale, & necessarium in operando, ac subinde operatur, in quantum potest, ac non potius ex arbitrij electione, & suæ libertate voluntatis eius potentia, seu Omnipotentia erit potentia ad coniungenda, quæ secundum se possibilia sunt, coniunctim ac simul: ergo, si Deus naturaliter, & necessario, seu in quantum potest, operetur, nec potiùs ex arbitrij electione, & libertate voluntatis eius potentia nulla, & chimærica erit. Minor ostenditur, quia motus, & quies corporis, v.g. cælorum, secundùm se possibiles sunt, atq; item eius figuræ quadratæ, & circularis, atq; sub diuina potentia, eiusq; operatione absolutè cadunt: ac subinde, si operatur Deus in quantum potest, ea simul ac est, & quamdiu est debet coniunctim operari. Dices: coniunctim repugnare, vt dicimus ea creata, ac proinde diuinæ potentiæ, & operationi, quæ solum circa non repugnantia esse possunt, minimè subiacent. Sed contra est, quia, etsi coniunctim repugnent; cum tamen secundum se non repugnent, nec maior diuinæ potentiæ determinatio sit ad vnum, quam aliud: vel danda est Deo electio ad vnum præ alio decernendum & exequendum, vt contendimus, vel potentia ad vtrumque coniungendum, vel impotentia ad vtrumque adhuc seorsim: quare & omnipotentia infinita erit denegãda.

5. Porro, quod præfatis demonstrationibus effugium commune posset ab aduersariis tentari, opportunius cemmin.5. præcludetur: quare tertia demonstratio sit. Quidquid perfectum simpliciter simplex, seu perfectum atque mixtione imperfectionis est, Deo est attribuendum, vt dogma non solum Theologicum, sed & Philosophicum & lumine naturæ notum fert: atqui velle atque operari creata Deum pro sui arbitrij, electione, & libertate voluntatis perfectum quid simpliciter simplex est: ergo Deo debet attribui. Dixi perfectum simpliciter simplex: quia & si nullum attributum perfectio, seu bonitas in nostra sententia formaliter sit; quare neque perfectum neutri, & substantiua eius vocis acceptione, bonum, & perfectum adiectiuè metaphysice est, vt d.6. de Trinit. & Controu. 1. de Deo vno ostendimus. Minor est euidens, cum ex creatis entibus, quorum perfectioribus, & perfectissimis arbitrij libertas in volendo, & operando competit; tum etiam ex solutione subiicienda tentatis imperfectionibus contra diuinæ voluntatis, & volitionis libertatem, quas q.3. expendemus.

6. Demonstratio quarta plures continebit, ex Dei beneficentia, & gratiis, cum naturalibus, tum supernaturalibus. Sublata enim potestate agendi, vel secus pro nutu, nulla in eo beneficentia esse potest, imagis quam in quouis naturali agente, igne puta, vel aqua, inde ratio omnis agendi gratias Deo ob naturalia eius, vel supernaturalia dona perit: tolliturque prorsus nostra in Deum gratitudo, æquéque inepta, ac si igni, vel trunco gratias haberemus, ageremusque, docte enim Aug. 2.*Cur Deus homo* c.5.init. *quomodo nostram imploramus salutem eius gratia, si nos saluat necessitate: ni hoc quit, sua se voluntate, & arbitrio benefaciendi necessitati subdat, nulla alia re ad beneficia præstanda necessitatem imponente. Tunc enim, se sponte necessitati beneficiendi subdit, nec inuitus eam sustinet, & tunc vtique beneficij gratiam mereretur maiorem. Non enim hic est decenda necessitas, sed gratia: quia nullo cogente illam suscipit, aut seruat, sed gratis.* Vnde etiam Richardus Victorin. 6.de Trinit. negat in spontanea, ac summe voluntaria Spiritus sancti processione per amorem, gratiam, & beneficium inueniri, *quod enim est ex sola operantis gratia pro Authoris beneplacito, potest esse vel non esse.* Huc etiam spectat preces, vel orationes ad Deum, oblationesque, & sacrificia pro bonis ab ipso obtinendis, & auertendis malis naturæ ductu apud omnes hominum gentes quoùis tempore consueta vt stolida esse exterminanda: semel à Deo libertatem de iis statuendi, atque operandi auferamus; vt diximus cert.2. num.1.

CERTAMEN

CERTAMEN V.

Demonstrationum priorum effugium explicatione libertatis diuinæ contrà nonnullos Thomistas Recentes præclusum.

1. POrro prioribus demonstrationibus respondere aliquis posset ex dictamine intellectus de harum rerum (sub hac determinata mensura, ac non alia) conuenientia, ad finem intentum res has determinatè, nec plures, neque alio tempore, aut spatio à Deo producendas determinari. Verùm in totidem rebus solo numero diuersis eadem conuenientia ad finem intentum, nempè gloriam Dei, eiusque ostensionem, vt hi volunt, & in pluribus mundis longè maior, maiorque, si, vt potest, rebus specie perfectioribus eos compositos crearet. Ergo dictamen illud erroneum est: quare à Deo relegandum, fatendúmque æquam imò maiorem in aliis rebus conuenientiam ad eum finem proponi: pro sola autem libera electione voluntatis, & arbitrij diuini hæc quæ produxit, præ aliis, quæ etiam per iudicium reproducere licerent, decreuisse, & prorsus liberè creasse.

2. Sed solutio innititur doctrinæ Bannez 1. p. quæst. 19. articul. 10. dub. 2. post solutionem argumentorum documento 3. & paragraph. *Primum est* & paragraph. *iam verò* viam tuendæ libertati posita sua physica antecedenti prædeterminatione præmunientis, vt constat ex collatione eius cum doctrina, quam de libertate creata scripsit art. 8. concl. 2. fine, quæst. 23. art. 3. paragr. *de hac difficultate*, & paragraph. *sequerti*, atque alibi, cuius etiam arte, & consilio eodem eius quoad physicam prædeterminationem assecłæ de libertate agentes diuina vsi sunt. Cabezudo quæst. 2. de auxil. fine, & 3. part. quæst. 62. fine pag. 175. collata cum pag. 154. colum. 2. Aluarez 3. de auxil. disput. 22. num. 36. fine pag. 206. iuncta eius doctrina disput. 92. numer. 11, Iedecima quæst. vnde auxil. art. 10. dif. 1. pagin. 210. dif. 2. pag. 212. Asserunt itaque eam solum libertatem Deo erga creata opera conuenire, quia de eis, & si cognitis non necessariò connexis cum fine; sed de se indifferentibus, iudicat tamen ordinabilia ad illum esse: imò & esse ordinanda dictamine practico, quo nimirum, tanquam imperio, diuina volitio determinatur necessariò ad decernenda, & creanda, quæ creat: scilicet, ne tantopere necessitatem antecedentem decreti diuini efficacis erga creati arbitrij operationes eius libertati aduersas conqueramur: cum eandem cum libertatis diuinæ primatu, videamus apud ipsos amicè fœderati.

3. Sed hanc Thomistarum doctrinam impugnant primo omnia scripturæ, & Patrum testimonia, quæ indifferentem diuinæ voluntatis ad hæc præ aliis creatis decernendis, edendisque causantur, vt hæc nec plura, nec pauciora, neque alia, neque alio loci, & temporis spatio decreuerit, ac produxerit, produceretque, alia si vellet, quæ lectione sola, nullaque alia ponderatione egent. Hæc autem doctrina atque ipsi innitens solutio: non in Dei voluntate, sed in iudicij illius dictamine indifferentem potestatem contrà ea omnia apertissima testimonia formaliter constituit. Patet, quia soli iudicio de indifferentia creatorum ad finem à Deo intentum tribuitur indifferentia; solique dictamini practico, seù imperio determinatio ad creata præ aliis decernenda à voluntate diuinâ; quare tota ratio decernendi, & exequendi hæc præ aliis determinatè illud dictamen determinatum seu imperium est: ac proinde Patrum ratio, quia voluit, nequit dari; sed potius ita voluit, & fecit, quia iudicio, & dictamine illo imperauit.

4. Idcircò scholastici reliqui in scripturam, & Patres observantiores, ac religiosiores, absolutè negant, *Deum ex necessitate velle, nè extrà se agere.* Magister in 1. d. 43. *Christoph. de Ortega, de Deo Vno.* Tomus II. per totam, & cap. vltim. ante med. concludit: *fateamur itaque Deum plura posse facere, quàm non vult: & posse dimittere, quæ facit &c.* Quod deinceps ex scripturâ confirmat consequens sibi d. 44. plura scribit in eandem sententiam. Supponit d. 45. paragr. *Hæc itaque* & paragraph. *voluntas*; & expressius in 2. d. 25. paragraph. *sed aliter*: vbi ait: *Dei liberum arbitrium dicitur eius sapientissima, & omnipotens voluntas, quæ non necessitate; sed libera voluntate omnia facit prout vult*: in quod placitum cùm eius interpretes tùm Theologi reliqui conspirant, Alex. 1. p. quæst. 22. memb. 2. & 3. Albert. qu. 77. memb. 2. & 3. quæst. 79. memb. 2. d. 1. part. 2. & 3. S. Thom. quæst. 19. art. 3. fine corporis, & ad argument. art. 10. quæst. 46. art. 1. corp. & art. 2. corp. cont. Gent. cap. 23. & 26. Dei voluntatem esse ad vtrumliber defendit. S. Bonauentur. in 1. d. 44. tota, maximè art. 2. d. 45. art. 1. quæst. 2. Henricus ibi quæst. 3. & 4. quodlib. 5. quæst. 4. quodlib. 8. quæst. 4. 5. & 9. egregiè Scotus in 1. d. 8. quæst. 4. paragraph. *Ad argumenta pro opinione*, versu *& cum dices* d. 39. paragraph. *iuxta prædicta* d. 44. quæst. vnic. d. 45. quæst. vnic. corpo. Durand. in 1. d. 43. quæst. 4. num. præsertim. 5. Deum alia à se non necessitate; sed ex indifferenti potestate voluntatis velle, & nolle & consequentia d. 45. quæstion. 1. Argent. d. 44. q. 1. quatuor art. d. 45. q. 1. n. 7. art. 2. ante concluſ. 2. Carthusian. in 1. d. 8. quæst. 4. post med. §. *Ad vltimum dico* d. 43. quæstion. 3. d. 44. quæst. 1. & 2. d. 45. quæstion. 4. Vdalricum referens ex 1. summ. Marsil. d. 42. 43. & 44. quæstion. vnic. Richard. d. 45. art. 2. quæstion. 3. corp. & ad argumenta. Ægid. apud Maior. d. 44. quæst. 1. & 3. ipsum secutum Aureol. d. 44. art. 5. prop. 2. Heruæ. quodlib. 2. quæstion. 4. & de æternit. mundi quæst. 4. Serra 1. cont. Gent. cap. 82. lib. 2. cap. 26. Capreol. citatis d. 43. quæst. 1. art. 2. multis Concluſ. d. 45. quæst. 1. art. 2. Caiet. & interpretes alij ad quæstion. 19. art. 3. & 10. ad quæst. 25. art. 5. Nostri omnes Suarez d. 30. Metaph. sect. 16. & relect. citat. Molina ad q. 19. art. 3. & 4. d. 1. & 2. Valent. sua qu. 19. punct. 4. assert. 2. Vasquez d. 79. & 80. Ruiz de volunt. d. 7. sect. 3.

5. Horum Catalogum prolixum transcribere ex nostro Ruiz sect. 4. non recusaui, vt videat lector quot, quantisque doctoribus, nec solum scripturæ, & Patrum testimoniis aduersentur, vt difficilem atque arduam, ipsis fatentibus, opinationem de suis efficacibus decretis, & antecedentibus prædeterminationibus humanarum actionum tueantur. Sed eos iàm à ratione adoriamur; illa tamen missa, quam ex euersione libertatis arbitrij ex quauis necessitate antecedente ad ipsius exercitium fusissimè pro libertatis nostræ iure contra eosdem tuendo persequebamur superiùs, nè eadem repetamus. Primò arguo: quia in hac doctrina intentio finis præsupponitur cum ad iudicium de indifferentibus obiectis de se ad finis consecutionem, & ad dictamen illud practicum, seu imperium intellectus, vt ex propositis cunctis ordinabilibus ad illum hæc præ aliis de facto ordinanda necessario sint, & infallibiliter per voluntatem diuinam & ordinentur ac producantur. De illa igitur intentione præsupposita (quem actum intellectus esse negabis, & voluntatis esse fateberis) rogo an ea intentio ad iudicium indifferens de ordinabilibus cunctis ad finem intentum, & dictamen subsecutum de his præ aliis de facto ordinandis sit ex similibus iudiciis indifferenti, & dictamine practico habita necne? si ex eis habita sit in infinitum abibitur: nam alia intentio præcedet finis, de qua quæstio rursum erit. Sin verò absque eis iudiciis concepta illa intentio sit libera intentio, & actus voluntatis diuinæ est: quare voluntatis diuinæ libertas, non quidem iudicio, seu dictamine illo constituetur, exercebiturue, sed sola indifferenti voluntatis diuinæ potestate ad vtrumvis: indeque eius exercitio concepti à Deo actus, seù intentionis illius: quare, & reliqui voluntatis diuinæ actus ab indifferenti eius intrinseca potestate absque eiusmodi dictamine, & imperio intellectus potuerunt haberi.

6. Dices: intentionem illam præsuppositam esse finis necessariò amati à Deo, nempe Dei ipsius, qui omnium actuum voluntatis, & operationis ad extra fi-

nis est: quare nec iudicio indifferenti, nec dictamine practico opus ad illam intentionem esse, vt determinetur, cum satis ab obiecto ipso determinetur. Contra tamen est: quia (vt mittam Deum neque finem cui esse sui erga creaturas amoris, neque id ex scriptura bene penetrata probari, esseue à sapientioribus scholasticis intentum, vt ostendimus d. proxima, ne sono vocum aduersarij se protegant) finis qui à Deo sibi ea intentione volitus est suæ perfectionis, & maiestatis creaturis ostensio, earumque ob illas, ita ipsis manifestatas, Deo exhibenda laus; cuius efficax saltem, amor, & intentio libera prorsus Deo est, qua, sicut anteacta æternitate abstinuit, potuit absolutè in æternum abstinere, vel ergò, vt hoc liberè intenderet sibi, determinatiuo dictamine, seù imperio intellectus Deus opus habuit, vel secus. Si primum: incidis in infinitum processum in quem te discursus noster cogebat; si secundum: admittis voluntatem diuinam ex indifferenter proposita gloria, & honore suo à creaturis exhibendo intrinseca sua ad vtrumvis potestate absque vllo dictamine, & imperio intellectus ipsi formaliter extrinseco, determinari, ac subinde non in hoc; sed in mera intrinseca voluntatis diuinæ, & indifferenti obiecti eius propositione, tanquam conditione; vt illud prosequi possit, vel omittere, diuinam libertatem constitui, vt cum scriptura, & Patribus contendimus: & miraculi sanè instar est, dictaminis illius, seù imperij intellectus antecedentem natura omnem libertatis vsum necessitatem ad libertatis diuinæ constitutionem ab hisce doctoribus aduocari: cum aduentitia quæuis, extrinsecus etiam, necessitas adæquatè etiam formaliter constitutiuæ libertati, & potestati indifferenti ad vtrumvis voluntatis contradicat, vt citato loco fusiùs ostendimus.

7. Arguo secundo: vel posito iudicio indifferenter proponente creare, quæ ad gloriam sibi extrinsecam creauit, quia ordinabilia, & apta esse ad eum finem consequendum, licet non vnicè, & connexè cum eius finis intentione, & assecutione, quem aliis quæ omisit posse à se æquè, imò & aliquibus perfectiùs, obtinere necessitatus manet ad dictamen illud practicum, seu imperium intellectus de his, quæ de facto creauit, ordinandis de facto ad eum finem: vel non manet ad illud necessitatus; si manet necessitatus (præterquam quod pugnat necessitatum manere ad hoc iudicium ex cognitione, & iudicio illo, de æqua imò maiori conuenientia alterius ad eum finem consequendum) ergo habet etiam hoc iudicium *necesse est ordinari ad eum finem ea solum, quæ de facto ordinanda sunt*, siquidem ea veritas indefectibilis, & infallibilis in tua hac doctrina: ergo & habet hoc etiam iudicium: *alia omnia præter creanda de facto non possunt ordinari ad eum finem.* Patet: quia in illa prima continetur hæc: impossibile est alia præter de facto ordinanda ad eum finem ordinari: quod ipsum est alia omnia præter creanda de facto ordinanda ad eum finem non esse, neque ordinabilia; sed potius non ordinabilia ad ipsum à Deo iudicari: quod iudicio illi, quod simul cum dictamine sequenti hi Authores ponunt, contradicit: ac subinde doctrina eorum contradictoria simul inuoluit.

8. Iam verò, si dictamen illud practicum seu imperium de faciendis & ordinandis de facto non oriatur, necessario ex iudicio illo indifferenti de ordinabilitate ad eum finem intentum omnium tàm quæ de facto ordinantur, quam cæterorum, quæ iudicio illo ordinabilia, atque ordinari posse proponuntur Deo: ergo liberum Deo, & contingens prorsus est posita intentione efficaci finis, & iudicio illo indifferenti dictamen practicum, & imperium de ordinandis de facto ad eum finem, quæ de facto ordinauit, vel de non ordinandis de facto; imò verò dictamen, & imperium de aliis de facto ordinandis. Vnde ergo determinatur ad hoc dictamen, & imperium de his potius, quæ de facto omisit? non ex conuenientia obiectiua, quæ in pluribus omissis non æqualis modo, sed maior longe est ad finem intentum: neque ex iudicio indifferenti vtrorumque conuenientiam, vt est æqualis, & maior in omissis: ergo determinatio libera, qua hoc imperium, & dictamen, de ordinandis de facto, & ordinatis ad finem intentum prouenit à potestate indifferenti voluntatis & arbitrij diuini: vt nobis contingit ad assensum iudicio ex solum probabilibus, & quandoque minus probabilibus deducto. Ac proinde toto tuo isto noxio, & falso machinamento tandem concedes, quod illo refugiebas: nempe, potestatem ad vtrumvis intrinsecam formaliter diuinæ voluntati esse vtroque extremo siue contrarietatis, siue contradictionis per iudicium indifferens illi applicito. Ni malis intellectui diuino eam potestatem indifferentem tribuere, vt voluntati diuinæ, contra totam Philosophiam, & Theologiam obstinato neges.

9. Et sane hanc voluntatis Diuinæ intrinseca indifferenti potestate ad vtrumvis extremum propositum facile, ac sine iniuria nec per dictamen, & imperium, arbitrio Diuino inducta res ipsa diuinæ libertatis intelligitur: quæ eo posito percipi nequit, in quod hac ratione inductos Thomistas magis mireris. Deus est actus purissimus, ac perfectissimus actus: ergo nequit habere aliam perfectionem ab ea, quam de facto habet. Probatur consequentia: quia, si aliam posset habere maneret in potentia, seu potentialitate ad illam quam de facto non habet: ac proinde non esset actus purus in perfectione sua; at, si esset potestas indifferens in voluntate ad volitionem mundi creati, & anolitionem creandi illum vltra iudicium indifferens, quod de facto, & necessario habet, deficeret perfectio nolitionis: ergo non esset actus perfectus purus, sine mixtione potentialitatis ad perfectionem nolitionis illius. Sed instatur argumentum ni dictamine illo practico, seu imperio de creandis, & ordinandis, ac ordinatis de facto ad quod posito etiam iudicio indifferenti, vt ostendi numer. 8. ni duo iudicia contradictoria admittas in Deo, quæ positiua imperfectio est. Instatur secundò: quia, in quocunque potestatem habendi dictamen practicum constituant, negare nequeunt Deum posse absolutè creare alium mundum, & habere practicum dictamen de illo creando, quod de facto non habet, iuxtà hanc suam doctrinam (ni à fide hæc cè aberrent) & suum hoc argumentum contra ipsos recurrit. Tertiò tangit argumentum difficultatem communem omnibus de decretorum constituenda libertate. Quartò quoad actualitatem perfectionis nil præstat, cum tota perfectio, & bonitas, sicuti, & entitas diuina metaphysica formaliter metaphysicè in essentia diuina sit: quæ quouis actu voluntatis diuinæ æquè, iure identitatis cum ipsa, ipsum æquè bonum, & perfectum adiectiuè constituit; ac si alius conceptus à Deo loco illius fuisset: quare nihil perfectionis actualis minuitur, augetur, aut variatur Deo alterutrius accessu, nec Deus magis perfectus actu absolutè est: cum totam perfectionem suam in essentia ante omnem actum, attributum, & personalitatem habeat, vt ostendimus controuers. de Trinitat. distinct. 6. quæstion. tertia & controuers. 1. de Deo vno.

CERTAMEN VI.

Absoluta diuinæ voluntatis libertas de Fide asserenda est.

1. QVoad rem ipsam probata est cert. 2. & 3. sed quoad nomen absolutæ libertatis probanda hic restat. Nam etsi Dei voluntas quæcumque fecit, facturaque est liberè, absolutè & velit, & tempore, pro quo vult, producatur nonnulli tamen Theologi innominati à nostro Ruiz d. 7. sect. 1. n. 3. quia absolutæ libertatis nomine volunt significari proprietate serm. libertatem etiam ad peccandum, quæ Deo repugnat, vt q. 2. videbimus, qua potestate ad peccandum deficiente videtur in Patrum phrasi absolutam suæ absolutè libertatem, & arbitrium dici minimè posse aiebant. Plura ad eam phrasim ex patribus confirmandam,

Patrum

Patrum testimonia recitat Ruiz noster d. 8. sect. 1. ex Sancto Petro apud Clementem Rom. 3. Recognitionum prope medium, ex Clemente ipso epistol. 3. de Officio Sacerdot. & Clericorum col. Irenæo lib. 4. cap. 71. & 72. maximè init. & post med. Iustinian. Apolog. 1. ad senat. propè med. & 2. ad Imper. Damasceno 2. de fide cap. 12. circa med. Moyses Barcepha Syrus comm. de Paradiso p. 1. cap. 8. Philon. Carpath. in Catena ad id: *Terribilis ut castrorum.* Hieronym. comm. ad Phil. in id *sine Consilio autem tuo* &c. 2. aduers. Iouinianum longè à med. laudato ab Augustino cap. 5. de natura & gratia.

2. Hæc testimoniorum classis solum contendit contra aliquos, vel accusantes Deum, vel inquirentes rationem, cur Deus hominem potentem peccare, ac non potiùs necessitatum ad bonum, ac virutem exercendam condiderit; Eamque rationem Patres citati reddunt vnanimes: quia, si ex necessitate, ac non ex libero arbitrio virtutis opera colerent, neque boni essent neque honestè operarentur, nec laudem, nec præmium mererentur, quod certissimum in Philosophia est. Ex hoc autem minimè infertur potestatem indifferentem voluntatis ad bonum & malum, ità ad absolutam denominationem libertatis, & arbitrij proprietate sermonis requiri, vt qui reliqua præter peccatum facere posset pro libito, vel omittere, arbitrium, & libertatem absolutè habere non diceretur; sed solum dici eum non posse habere libertatem ad peccandum, sed neque habere absolutè libertatem ad honestum, seu bonum formaliter, neque ad operum, ex obiecto etiam, honestorum laudabilitatem, & meritum. Aliò testimonia duci possent, vbi speciem maiorem difficultatis præ se contra nos ferrent.

3. Secunda testimoniorum pro ea Patrum phrasi classis est Irenæi citato cap. 72. post medium. Iustini citata Apolog. 2. ad Imperat. post medium aientium, posse hominem peccare, ne ad bonum, vt quadrupedes, & irrationalia, & libero arbitrio carentia ageretur, & iret: quare ex sublata potestate ad peccandum sublatum iri absolutè arbitrium supponunt, sicuti Bernard. de grat. & lib. arbitr. sub medio. & serm. 81. in cant. circa med. & Basil. homil. 9. *quod Deus non est author malorum.* Nyss. orat. de mortuis post med. Hieronym. proximè, & epistol. 146. ad Damasceu. versus fin. auferendam ab homine imaginem, & similitudinem Dei quæ in arbitrij libertate est, & libertatis dignitatem, si peccare non posset aiebant, quod extremum scribit etiam Tertull. 2. contra Marcionem cap. 6. & 7. sub init. Vnde ex potestate peccandi libertatem arbitrij nostri inferunt. Augustin. de vera Relig. cap. 4. med. Epiphan. hæresi 16. post med. Origen. 1. Periarch. cap. 1. à med. quibus & sibi constans Nyssenus Orat. Catechet. cap. 5. posteriori parte, & pressius cap. 31. init. posita necessitate ad bonum, & impotentia subinde peccandi, *vbi est ergo arbitrij libertas? vbi virtus?* His autem omnibus respondet Ruiz citatus à numer. 21. ad essentiam libertatis in communi potentiam peccandi minimè pertinere: quare nec ad absolutam proprietate sermonis libertatis denominationem; pertinere autem ad essentiam libertatis imperfectæ, nimirum creaturæ essentia sua defectibilis: quare rectè Patres ex impotentia naturali peccandi in homine, aut Angelo, quæ creaturæ sunt, intulisse eos arbitrio, & libertate caituros, imò & essentia sua: vnde infert Deum non posse condere creaturam rationalem, & liberam ad bonum necessitatam impotemque mali.

4. Sed quidquid de hac doctrina, (quæ alterius est loci) sit ad eam nos præfata testimonia non cogunt. Agebatur enim in eis circa subiectam materiam libertatis ad bonum, & malum: quam ad malum malè nobis à Deo concessam in creatione hæretici blasphemabant, & quo pacto & ratione benè nobis, aut Angelis concessa à Deo, quia aliter condere nos posset, vel natura, vel misericordia sua, nempe ad bonum necessitatos, atque impotentes ad malum, alij dubitabant: ergo ex materia limitatur sensus Patrum, qui libertatem humanam, aut Angelicam pro ratione assignant, vt contextus docet: omnes enim eò deueniunt, tandem, vt operum nostrorum honestas, ac meritum absque libertate ad bonum, & malum seruari nequeat: de qua scripturæ solummodo loquuntur: quia ea solum moribus nostris instituendis, nobisque à prauitate, & peccato deterrendis, quod Spiritui sancto in scripturis præcipuum institutum, satis foret; quare, & scripturarum phrasi, & occasione Patribus oblata, & si arbitrium absolutè, & voluntatis libertas peritura nobis in suis argumentis, & rationibus sonet, non absolutè talem perituram ex necessitate hominis conditi ad bonum, & impotentia ad peccandum, sed solum in materia subiecta vitij atque virtutis convincit.

5. An verò creatæ libertas voluntatis intrinseca ità indiuisibiliter essentia sua feratur in obiecta omnia, vt ex eo, quod in aliqua ferri nequeat, verbi gratia, in peccatum, eius intrinseca libertas absolute non maneret, nequit, ex eis testimoniis firmiter deduci: quia de eo, neque obiicientes, neque dubitantes, neque respondentes Patres curabant; sed solùm cur nos non creauerit necessitatos ad bonum, & impotentes ad malum? siue id per intrinsecam naturæ, & voluntatis potentiam, siue dono Dei superaddito fieret. Potiùs censeo de impotentia per donum superadditum locutos: nemo enim Patrum ad naturæ destructionem, cui potestas arbitrij identificatur, ac subinde ad implicationem manifestam quod natura nostra crearetur, & non crearetur, recurrit: quinimo & hominem ità à Deo condi potuisse omnes cum hæreticis obiicientibus supponunt: meliusque nos absque alia necessitate ad bonum à Deo eiusque dispositione illa conditos esse, vt videre est in Augustino citato capit. 14. de vera relig.

6. Cum autem Nyssenus orat. pro mortuis ait dignitate arbitrij priuandum imposita à Deo necessitate ad bonum his verbis. *Num, cum Deo similis, beatusque ea re (dignitatem appellarat) esset homo, quod libera præditus erat voluntate; si necessitate aut vi ad aliquid impulisset, ea spoliasset ipsum dignitate.* Verum spolium illud non stricte vsurpat, sed pro vsus necessaria defraudatione, & potentiæ impedimento addito quod in æstimatione morali tantumdem, atque in potentia sit quod clarius expressit Tertullianus 2. contra Marcion. citato sub init. Si enim semel homini permiserat. *arbitrij libertatem & potestatem: vtique fruendas eas ex ipsa institutionis authoritate permiserat: quis enim hoc non præstat ei, cui quid semel frui præstat, vt pro animo & arbitrio suo fruatur. Igitur consequens erat, vti Deus secederet à libertate semel concessa homini: id est, contineret in semet-ipso, & præscientiam, & potentiam suam, per quas intercessisse potuisset, & quominus homo male libertate sua frui aggressus in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrij libertatem, quam ratione, & libertate permiserat.* Vbi rescissio destructionem libertatis iam concessam non significat, sed eius impedimentum antecedens per præscientiæ, & potentiæ suæ interuentum, inductum semel concessæ à Deo libertati.

7. Eodemque sensu explicari facile, & rectè possent cæteri Patres asserentes ex necessitate ad bonum Dei similitudinem, & imaginem aboleri: id est, quoad eam partem libertatis ad bonum, quæ præstantissima hominis libertas & dignitas, & Dei imitatio, & imago est, vt aiebat. Hieronymus, citatus ex commentario; ad Philephonem obliterandam, seu obuelandam non abradendam: cæterum qui libertas nostra ad peccandum vndecumque proueniat, nos ad Dei, qui libertatem ad peccandum non habet, imaginem absolutè, nedum dignissimam, constituit? quo etiam pacto obuelandam in nobis Dei imaginem ex necessitate antecedente ad bonum, atque antecedente subinde impeccabilitate verum habeat? quandoquidem perfectissima Dei in genere moris libertas in eius antecedente impeccabilitate consistit. Respondeo autem ex optima Ruiz doctrina relata n. 3. perfectam imaginem diuinorum, quæ in creaturis reperitur ad amussim, vt aiunt, & omnimodam æqualitatem esse non debere, sed pro creaturarum capacitate, quas ad æqualitatem Deo

similes; atque eius imagines esse cum creaturæ prædicato repugnat. Sic tempus, & vbi creatum æternitatis, & immensitatis imagines, & similitudines; nec tamen suæ loci, siue durationis terminum neque partium diuisionem, distantiam & successionem excludunt, quas è conceptu suo Dei æternitas & immensitas abiiciunt; ità etiam libertas moralis Dei ad bonum perfectissima potentiam reiicit peccandi, quia diuina, nullique morali fœditati obnoxia esse debet; cui tamen nobilissimæ excellentiæ similis, & imago est creatura libertatis in genere moris participatione: quæ tamen in ipsa cum impotentia absoluta peccandi, & necessitate ad bonum esse in creatura nequit.

8. Eapropter censeo: nullam creaturam rationalem cum impotentia intrinseca, & essentiali peccandi salua Dei præstantissima imagine creari à Deo potuisse: quia id Dei proprium est: & quia non saluaretur libertas creata voluntatis, quæ essentia sua omnis boni vel mali repræsentati, tam physici, quam moralis, vel fugiendi, vel prosequendi potestas est. Sed neque cum iure & exigentia naturali qualitatis, seu doni, quo impeccabilis, siue necessitata ad bonum reddatur. Id enim essentiali libertatis creatæ conceptui saltem illatiuè contradicit. Addo neque à Deo donum posse voluntati creatæ simul cum libertate gratuitò, & absque vllo naturali iure, & debito concedi: quo vniuersim ad bonum necessitata quo ad speciem, atque peccandi impos antecedenter reddatur, quia decretum huius doni illusorium decretum aliud de creatione creaturæ cum libertate Deo indignum redderet, & repugnans, vt bene Tertullianus recitatus num. 6. quod autem Deus, quoad aliquod bonum dono aliquo supernaturali pro hac, vel illa occasione determinet, ac subinde ad peccatum oppositum impotem reddat, nulla est repugnantia.

9 Imò neque in eo quod post viam in Patria Beatos ad bonum, quoad speciem determinatos, & mali impotes visione beata antecedenter constituat. Id enim non dono physicè determinante impellenteque ex parte voluntatis ad bonum, sed ex parte obiecti, quod clare visum cæteris vim motiuam ad malum impedit, vt eligi præ Deo viso possint: id quod intrinsecæ voluntatis potestati ad vtrumvis extremum minimè aduersatur; ea siquidem circa ea quæ, vt repræsentantur mouere vtrimque intentionaliter obiectiue possunt, ac subinde eligibilia sunt, indifferens potestas est; non autem inter extrema, quorum alterum in præsentia alterius mouere obiectiuè nequit: ac proinde neque eligibile præ alio repræsentatur; quo autem pacto in nobis viatoribus determinatio ad alterum ex actibus bonis speciei eiusdem omninò etiam in bonitate æqualibus & in Beatis libertatem, honestatem alterius ex illis electi non impediat; impediat autem determinatio ad bonum quoad speciem, potentiam, & libertatem ad peccandum: ac rursus qua ratione tam in Deo, quam in Beatis cum determinatione antecedente ad bonum quoad speciem, in huius actus, qui de facto ab eis exercetur libertas, & honestas seruetur disputatione postrema de moralibus Dei virtutibus agentes explicabimus.

Nunc concludo Deum, & re, & sermonis proprietate, eiusque voluntatem absoluta libertate, & arbitrio gaudere; etsi ad peccandum impos prorsus antecedenter sit; quia absoluta libertas in communi, etiam moralis potentiam antecedentem ad peccandum proprietate sermonis formaliter non claudit: etsi eam creata moralis libertas formaliter includat: vti ex hactenus dictis claret, ampliusque ex dicendis iam quæst. 2. clarebit: ergo absolutè proprietate sermonis dictam voluntatis suæ libertatem, & arbitrium in scriptura, & Patribus assertum Deo competere certum, ac fidei dogma censemus, vt initio certaminis præfiximus.

QVÆSTIO II.

De vtraque libertatis Dei magnitudine.

DVplex in rebus magnitudo reperitur: altera intensionis in nonnullis, extensionis verò altera. Horum neutram proprietate sermonis reperiri physicè in Deo, eiusque libertate posse certum æquè omnibus est, atque ipsum physicè, tam extensiuè, quam intensiuè indiuisibilem esse: imo in nostris verissimis principiis de indiuisibilitate homogenea cuiuluis prædicati diuini, nec metaphysica intensiua, aut extensiua magnitudo formalis potest admitti; sed solum virtualis, & quæ proinde virtutis magnitudo & quantitas ab Augustino, aliisque Patribus & Theologis nominatur, atque in ordine ad extrinsecos terminos, & obiecta diuinorum attributorum explicari à nobis solummodo potest: vti patet in omnipotentia & scientia Dei, quarum magnitudo extensiua, & intensiua quantitate non molis, sed virtutis ceteris præcellens ex eo intelligitur, quod ad infinities plura possibilia, & obiecta quam creata quæuis potentia extendatur: igitur, vt quæstioni exactè respondeatur, ad quænam obiecta, siue in genere, siue in specie, siue in individuo, diuina libertas extendatur examinandum hic erit. An ad peccatum, an ad minus bonum comparatione optimi, seu perfectioris? & an statuta erga bonum, quoad speciem determinatione, & antecedenti impeccabilitate sit nihilominus extensiuè diuini arbitrij liberius maior. De quo in præsenti; de libertate ad optimum quæst. 3.

CERTAMEN I.

Circa quoduis obiectum sit diuina libertas intensiuè maior creata libertate est: imò & extensiuè maior absolutè est, etsi peccare (vt reuera nequit) non possit.

1. PRæfixa de longe maiore, & intensiore quasi quantitate virtutis libertate diuinæ voluntatis quam voluntatis creatæ, circa quoduis obiectum vtraque veritum, communis cunctis Philosophis Deum vnum agnoscentibus, & Theologis Catholicis est nemine (disputationis adhuc gratia) dubitante: quare ab vniuersis suppolita potius, quam disputata, aut ex instituto asserta. Nihilominus rationes breui pertingam, ne aliud post hac (vt hominum ingenia sunt mobilia) dubium subeat. Prima quia quidquid diuinum est perfectissimum in ea linea, & genere esse debet, vt de omni prædicato diuino cuiusuis generis, & lineæ constat. Ergo libertas Dei, ac subinde diuina, summe perfecta in linea libertatis erit. Secunda ratio: quia est libertas à se, & non ab alio, sicut libertas creaturæ: vnde hæc limitatæ perfectionis, diuina autem illimitatæ perfectionis esse debet. Hæ rationes & affines aliæ summæ perfectioni diuinorum quorumque prædicatorum communes. Tertia pro summa perfectione diuinæ speciatim libertatis, est independentia diuinæ libertatis in actu primo à libertate creata, etiam in actu primo, atque huius, in actu etiam primo, dependentia ab illa, atque etiam in actu secundo & operatione: ratione cuius creatæ libertatis exercitium, & operatio in manu Dei esse dicitur, cum ob concursus liberam præparationem, tum vel maxime, ob cogitationum, quibus de facto voluntas creata consentiat in materia quauis, & sine quibus non consentiet, & si cum aliis posset, liberam Deo dispositionem & collationem: quod dominium supremum potestatis, & libertatis diuinæ constituit, etsi in concursu

cursu ad consensum, & operationes nostras vitales, & liberas æque, & inuicem Dei, & nostræ connexæ voluntates sint.

2. Vt autem quoad extensionem diuinæ libertatis de ipsius præcreata maioritate, vel minoritate difficultatis, & dubitandi ratio claresçat Catholicum dogma de Dei impeccabilitate statuendum imprimis est: id quod ex illo Christi ad eum, qui ipsum Magistri boni nomine compellebat responso à tribus Euangelistis notato Matth. 10. num. 17. *vnus est bonus Deus.* Marci 10. 17. *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Luc. 18. num. 19. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Ad quæ loca ab Arrianis obiecta, vt Christum à Deitate, & bonitate excluderent, respondebant Patres omnes Deum solum natura bonum esse, in quo naturalis Dei ad bonum, præ malo, necessitas, & determinatio formalis, & impotentia peccandi continetur. Cæteros autem, etiam Christum, qua hominem, seu natura humana (qua solum alloquens parte ipsum agnoscebat) participatione; etsi hic ipsam vnionis Physicæ hypostaticæ beneficio cæteris infinite melius participet: vnde natiuitate Sanctus dicitur Luc. 1. num. 35. *Quod nascetur ex te Sanctum.* Eandem continet veritatem illud Iob 14. numero 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine* (cum debito, & macula originalis, vt frequens est Patrum interpretatio apud nostrum Pinedam t. 1. ad eum versum num. 2.) *nonne tu qui solus es:* nempe mundus, ac proinde munditiei, & sanctitati communicandæ aptus, & exemplar.

3. Eandem veritatem probat Hieronym. epist. 146. ad Damas. sub fin. ex illo eiusdem Iobi 1. *Sydera non sunt munda in conspectu eius: & in Angelis suis reperit prauitatem*, & Psalm. 15. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Ad quæ loca videre oportet Patres, maxime catenam Græcorum in Iob, & nostrum Lorinum. Aliqua eorum testimonia dabimus inferius, cum nostræ hac in re conclusionis difficultatem soluemus: idcirco pluribus hic referendis abstineo recitatione verborum: Hieron. pro hac dogmatica veritate cõtentus. *Solus*, inquit, *Deus est, in quem peccatum non cadit*, (id est cadere nequit, vt ex aduersatiua subiuncta claret) *Cætera, cum sint liberi arbitrij: in vtramque partem possunt suam flectere voluntatem:* item omnia scripturæ loca, quibus peccata Deus auersari odisse, & præ oculorum suorum munditia non videre, idem dogma propalant de natiua Dei à peccato auersione, & odio; quod natiuum non esset, si illud prosequi voluntate sua, & facere posset.

4. Ratio Theologica: quia impotentia antecedens peccandi perfectio sine imperfectione est: immo verò potentia peccandi est absolute imperfectio maxima, & impotentia potius, vt inferius ostendam: ergo potentia peccandi Deo deneganda, & impotentia Deo concedenda. Secunda: quia Deum de facto peccare non est contingens; alioqui Deum esse prauum in se esset possibile absolute, nosque Deum malum habere possemus: ergo Deum peccare est impossibile, ac non peccare est necesse. Hoc autem ipsum est Deum determinatum ad bonum, quoad speciem, natura sua esse, atque suopte genio impotentem ad malum. Tertia ratio sumitur ex iudiciaria naturali, & essentiali Deo erga rationales omnes creaturas, de recte, vel secus factis ipsarum potestate: etenim peccatorem, prauique genij hominem in iudicem, ac potestatem Reipublicæ eligere dissonum, atque potestati eiusmodi absonum est, & aduersum: quia potestas hæc alios iudicandi petit cum dictamine rationis rectæ, & legis, quam fieri possit, firmam in illam habente conformitatem, ne iudicia de subditorum factis à iustitia, & rectitudine deuient: vti in perdito, prauæque indolis iudice facile deuiabunt: ergo Deo, qui natura, & essentia sua vniuersalis omnium iudex est, & conformitatis ad rectum rationis & legis dictamen firmitas natura etiam sua inesse debet: Quarta ratio, & tertiæ huius confirmatio: quia, quo gradu, & sensu Deus absolute peccare posset, ac subinde à recto dictamine rationis, & legis eius iudicia deflectere, posset etiam creatura cum illo de iudicio contendere: atqui creatura de Dei iudiciis cum ipso nequit absolute in iudicio contendere, vt passim Psalmista, Iob, Prophetæ clamant: ergo neque Deus peccare absolute potest.

5. Verum ex hac dogmatica, & euidenti impeccabilitatis Dei, & determinationis eius ad bonum, quoad speciem, ac negatione libertatis Dei ad peccandum libertatis, & arbitrij creati, quod ad peccandum etiam est, neque ad bene operandum solum, maior extensiue, quam increata, concludi videtur creata libertas, cum ad plura hanc extendi fateamur: ita absolute asserendum censent Vasquez noster 1. part. quæst. 19. commentario ad artic. 10. noster etiam Suarez opusculo 4. de libertate diuina d. 2. sect. 1. fine: Sed falluntur tamen in legitimitatis consequentiæ admissione, etsi enim comparatione vtriusque libertatis inter obiecta solum honesta, & praua speciem legitimitatis, (non autem veritatis vt iam ostendam num. 6.) videatur habere; absolute tamen ex impotentia Dei ad peccandum, ad quod libertas creata, eiusque potestas extenditur extensio absolute minor diuinæ libertatis perperam infertur: sic ostendo: quia maior extensio libertatis (de qua hic agitur, agique solummodo potest, vt diximus quæstionis præfatione) ex maiori absolute amplitudine obiectorum, ad quæ ferri indifferenter potest, debet pensari, at quamvis comparatione vtriusque libertatis facta respectu boni, & mali moralis ad pauciora obiecta extendatur diuina, quam humana, ac subinde respectu eorum obiectiua magnitudo extensiua diuinæ minor sit, quam creatæ; ast respectu magnitudinis extensiuæ omnium obiectorum, ad quæ vtraque referri indifferenter potest (vnde absolutæ magnitudinis, & maioritatis extensiuæ alterutrius libertatis sumi; atque inferri denominatio debet) absolute, longéque maior est magnitudo extensiua increatæ, quam creatæ libertatis: ergo statuta peccandi potentia in creatura, & impotentia in Deo, ac subinde negata libertate Dei ad malum, & coarctata solum ad bonum, & admissa (vt est) in creatura libertate etiam ad malum neque est, nec dici absolute potest extensiue maior, quam Dei, creaturæ libertas. Minor patet: nam infinite plura sunt obiecta cum infra, tum supra naturam, quæ Deus indifferenter velle, ac facere potest, nequitque absolute, nedum indifferenter, facere creatura, quam sint obiecta praua, quæ creatura facere indifferenter potest.

CERTAMEN II.

Maior diuinæ libertatis extensio, quàm creatæ, quæ ad malum potest, solâ comparatione ad vtrumque ostenditur.

1. EXistimo ob hæc doctissimos Patres, de absolute maiore libertate extensiua creaturæ, quàm Dei solum respectu actuum moraliter bonorum, & prauorum fuisse locutos: attamen sit secunda conclusio. Adhuc respectu eorum Dei libertas extensiuè maior est, quam creaturæ, ita Ruiz de Montoya d. 8. sect. 2. & probatur. Primò ex Patribus Augustinus de impotentia peccandi Beati; nam cap. 15. Enchirid. *Posteà verò in illo statu Beatitudinis sic erit, vt male velle non possit. Nec ideò vero carebit arbitrio: multò quippe liberius erit arbitrium quod non poterit seruire peccato*, & 22. de ciuit. cap. 30. circa med. *Nec ideo liberius arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe liberum erit à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit peccare; hoc autem, & nouissimum, eo potentius erit, quo peccare non poterit*: Sed quoniam maior libertas, & potentia asserta his locis ab Augustino de intensiue solum maiore videtur; subiungenda alia eiusdem sunt, quibus eum de maioritate etiam extensiua, & sensisse, & locutum fuisse claresçat 15. de Trinit. cap. 15. *Magna diuini verbi potentia est non posse mentiri, quia non potest esse illic est & non, sed est est, non non*: quam sententiam dicit ex Dionysio 4. de diuinis nominibus vers. fin. & cap. 8. circa

medium. Nazian. orat. 2. de filio Dei 4. de Theolog. circa med. quibus consonant Anselm. 7. Prosolog. & comment. ad Timot. *Negare seipsum non potest*, vbi & Sanctus Thomas Magister in 1. d. 42. §. 2. & 3. vbi communiter Scolastici citati à Ruiz proxime n. 7. & recitati d. 39. sect. 1.

1. Intulit autem ex sæpe à se statuto principio Augustinus nimirum impotentiam ad defectum quemvis, maximam potius potentiam, quam veram impotentiam esse: id quod rationem à priori nostræ continet conclusionis, atque exemplo impotentiæ Dei ad defectum Physicum illustrauit 5. de ciuit. cap. 10. *Neque potestas Dei minuitur, cum dicitur, mori, fallique non posse, sic enim hoc non potest, vt potius si posset, minoris esset vtique potestatis: Dicitur enim Omnipotens faciendo, quod vult; non patiendo, quod non vult: quod si accideret, nequaquam esset omnipotens: vnde quadam non potest, quia Omnipotens est*: quo principio ad præsens institutum ita vsus fuit Anselmus, vt efformandæ pro conclusione nostra rationi vix labori nostro locum reliquerit Dialog. de lib. arbitr. cap 1. post med. scribens: *Quoniam liberum arbitrium diuinum, & bonorum Angelorum peccare non potest, non pertinet ad definitionem liberi arbitrij posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas*; Probat sub inferiùs primo, *quia qui sic habet quod decet, & quod expedit, & hoc amittere nequeat liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere, & ad hoc, quod dedecet, & non expedit, valeat adduci*; Probat secundò hac ratione inferiùs. *An putas, quod additum minuit, & sublatum auget libertatem, id, aut libertatem esse, aut partem libertatis? Non hoc putare possum. Potestas ergo peccandi; quæ addita voluntati minuit eius libertatem; etsi diuidatur, auget, nec libertas est, nec pars libertatis.*

3. Ex his sic instruitur conclusionis nostræ ratio à priori: libertas stat in potestate ad vtrumvis extremum, vel contrarietatis, vel contradictionis: ergo solum potest augeri extensiue augmento potestatis: At impotentia ad peccandum est augmentum potestatis, & potentia ad peccandum est defectus potestatis: ergo nequit augere adhuc extensiuè libertatem. Minor est expressa Patrum præfatorum, & exemplis, quibus illam probant perspicua: etenim ex eo, quod Deus posset destruere seipsum, falli, mentiri, suamve Omnipotentiam deponere: nec maiorem extensiue adhuc suam Omnipotentiam, aut dominij potestatem esse sanus Theologus admittat, nec præfati Patres patientur. Nam ea posse impotentia est absolutè, siue potentiæ imminutæ; ideo enim ea creaturæ possunt, quia earum potestas imminuta, & quasi dimidiata est impotentiæ admixtione: inde enim mori, falli, mentiri, ac sui dominij potestatem possunt deponere. Deus autem, quia eius omnipotentia ab omni impotentia suppurata, & excocta est; ac similiter potestas supremi dominij, visque, & facultas cognoscitiua ab omni defectu, & impotentia cognoscendi obiecta, ea agere nequit ac subinde eiusmodi potentiæ in Deo in genere potestatis sunt extensiue etiam maiores: quia eam habent partem potestatis, quæ similibus creatis potestatibus, & potentiis deficit. Non quidem quod partibus physice, vel metaphysice aliqua ex eis diuinis potentiis, & potestatibus coalescat; sed, quod è conceptu suo indiuisibili (vt de reliquis diuinis sæpè monui) eum impotentiæ, & defectum potestatis excludat.

4. Confirmatur: Nullus verus conceptus potentiæ esse in creaturis potest, quod in Deo exemplar non habeat formale, quod, etsi longe in illa linea imperfectius, tamen imitetur; sed in Deo non est exemplar formale potentiæ peccandi: ergo creaturis, non est potentia, sed impotentia, & infirmitas: id quod egregiè docuit Dionysde potestate nostra ad malum, vbi proxime his verbis. *Non tamen efficientes sunt malorum rationes atque facultates, sed imbecillitas, & infirmitas.* Huic rationi adstipulantur præter citatos Patres ij omnes, qui asserunt potestatem peccandi esse potestatem deficiendi, non efficiendi; sunt autem pene innumeri recitati à nostro Ruiz disput. 28. sect. 1. & 2. & fere Theologi omnes, & præsertim Sanctus Thomas frequens, legendus maxime 1. part. quæst. 62. ad 3. & 1. 2. quæst. 75. art. 2. &, quod potissimum est, Damascenus pro opposita sua sententia citatus à nostris Vasquez & Suarez ex 2. de fide cap. 27. vbi nostræ potius fauet: solum enim rationem reddit peccabilitatis creatæ, siue libertatis creatæ ad peccandum, quod creatura rationalis fuerit ex *nihilo producta*: vti etiam Patres, & Theologi passim docent: qua verò parte ex nihilo sunt, potentiam positiuam non habent; sed solam potentiæ negationem possunt habere.

5. Confirmatur vlterius: quia ad id totum actionis præuæ nostræ, aliquod effectiuè potest libertas creata, potest & diuina, de factoque concurrit, vt dogma Theologicum est: solumque determinatio, qua eandem suam actionem cum Deo effectiuè ponit, quaque à bono suo vero infirmitate sua deficit, ac defectit propria creaturæ, provt ab ipsa est: ergo in iis omnibus, quæ ad potestatem effectiuam libertatis spectant, æqua vtriusque ex parte etiam obiectorum, ad quæ vtraque potestas libertatis extenditur, prorsus est; etsi infirmitatis, & impotentiæ, ex qua ea actio, provt à creatura est, prouenit, defectum libertatis diuinæ potestas non habeat: qui quidem absolute augmentum non est, sed curtitas potius potestatis: confirmatur vlterius; quia potestas libertatis est potestas voluntatis, potestas autem voluntatis prosecutiua solum est potestas ad bonum: quare nec peccatum ad malum, qua tale, volendum habet potestatem ac libertatem; sed ad volendum bonum delectabile in iis circumstantiis, in quibus à recta ratione, & lege deficit, ac deuiat, quin hanc amet deficientiam: neque amare possit qua talem; etsi illam materialiter volens sibi faciat voluntariam; secus autem Deus, qui neque nos vult in iis circumstantiis ad bonum illud prosequendum voluntatem nostram determinari, siue illud velle: ergo, quoad facultatem volendi, qua volitiua, & effectiua, ac subinde potestas propriè est, æqua est obiectiua sphæra creatæ, & increatæ libertatis, adhuc respectu boni & mali; etsi, quoad facultatem defectiuam, quæ potius infirmitas est, ac impotentia ad aliquid vlterius (quod nihil potius est) creata extendatur libertas, quam diuina, quæ eius impotentiæ, & infirmitatis defectu ampliorem sane habet potestatem: quare & est diuina libertas, quoad potestatem, & facultatem, quam libertas decit: non solum intensiue perfectior, sed extensiue auctior,

6. Hæ quidem rationes in Patrum testimoniis intellectis, ac penetratis extant pro maioritate extensiua libertatis diuinæ, quam creaturæ, adhuc respectu boni & mali moralis, etsi Deus ad bonum, quoad speciem, determinatus sit, atque impotens ad malum, vt dogma Catholicum fert. Plures alias rationes, & confirmationes, cum ex eis testimoniis, tum ex Theologorum sacra doctrinis instruxit pro eadem conclusione Ruiz noster citatus: quæ, nisi ad has à nobis formatas reducantur, nihil præter maiorem perfectionem intensiuam libertatis diuinæ, quam creatæ, probant relatæ ad bonum, & malum morale: quare eam de intensiua maioritate, non autem secundam hanc, quoad speciem, difficultatis maioris: quæ verò contra hanc secundam conclusionem opponi possunt ex datarum probationum doctrina, & intelligentia labascunt.

QVÆSTIO III.

De necessitate Dei ad optimum.

EX hac etiam parte maioritas extensiua libertatis diuinæ, quam creatæ impeti potest, si enim ad optimum, siue ad melius ex obiectis propositis Deus necessitatus suapteque natura determinatus fit, curtior sphæra obiectiuæ eius libertas, quam creaturæ substrium erit; quin ad ampliorem potestatem recurrit patreat, quem ostendimus in impotentia Dei ad peccandum, vt inde pluribus quasi partibus potestatis diuinæ libertatis potestatem constare; vel integram eius potestatem esse absque potestatis diminutione per impotentiam & infirmitatem, qua libertas peccandi constituitur ostendemus, ac subinde in genere potestatis, non intensiue solum sed extensiue etiam, quam potestas libertatis ad peccandum

candum esse maiorem, quemadmodum totum quodvis atque integrum parte, & decurtato quovis generis illius extensiue etiam maius in eo etiam genere absolute est. Hæc autem ratio in præsenti non currit; cum facultas, & potentia cuiusvis boni moralis prosequutiua, non infinitas, sed virtus voluntatis sit, nec potentia defectiua, seu defectus potestatis, sed effectiua potestas, & potentia: quocirca ex impotentia Dei ad aliquod bonum, etsi alio minus, extensiue minor diuina libertas, & potestas, quam libertas creata sit, videtur conuinci: esto: spectet id ad maiorem intensiuè libertatem diuinam.

CERTAMEN I.

Quæstionis scopus, & sensus.

1. NOn est autem quæstio de necessitate Dei ad optimum vtcumque volendum, sed solum efficaciter. Nam Deo volitionem ad omnia, etiam, quæ non fiunt, sed pure possibilia sunt & in ea quæ de facto sunt, secundum possibilitatis suæ statum ferri necessario, vel libere pro opinionum diuersitate (contra quas supra egimus) valde communiter sentitur; quin à Doctore vllo, etiam ex his, qui pro necessitate Dei ad optimum stant, ratio optimi, vel melioris ad alterutro modo diuinam volitionem erga possibilia admittendam, vel abiciendam fateatur: etsi autem nos ad ipsam possibilitatem diuinam voluntatem alterutro modo ferri negemus; ast in omnium existentium ferri pro libito inefficaci desiderio posse, optimi ratione non attenta asserimus. Ex quo inferius forte efficaciter conclusionem nostram confirmabimus, cum autem de necessitate ad optimum inquiritur, de optimo efficaciter adeo volendo rebus secundum se, & bonitatem suam seu physicam, seu moralem, siue conducentiam ad bonum intrinsecam, secundum quam Dei terminant volitionem disputatur: Nam, quatenus à voluntate diuina, quæ in ipsis impletur, denominantur, extrinsecus creata præ non creatis, & fatis optima esse citra dubium est: eo siquidem sensu Damascenus Dialogo contra Manichæ. circa med. ac versus finem Anselm. cap. 10. & 11. reliqui Patres, immò & Catholici omnes, quidquid Deus vultveo ipso bonum, & iustum esse fatentur.

2. Primus quæstionis sensus. An Deus ita ex infinita sua bonitate, & ad bonum summe expedita, promptaque voluntate, aliis semotis, feratur in optimum, vt non possit non illud efficaciter velle, & producere? quo sensu Theologorum, Catholicorumque nemo Deum teneri ad efficaciter amandum, & præstandum optimum admittet: fere enim recidet in errorem VVicleffi, fateriquè tenebitur, optimum hoc ex creatis ab æterno esse, Deo nimirum coæuum contra scripturam: neque aliud producere potuisse, quam produxit: nec potuisse facere meliora, imo nec alia, quam facturus sit, feceritque facere posse: quod si suo ordine necessario fieri à Deo possibilia asseras, vt prius ex eis optimum faciendum sit, deinde quod ipsi in bonitate proximius: fiet inde possibilia tandem omnia, etsi posterius, & posterius natura esse faciendi saltem in genere, & specie sua: vt nequeat non specierum omnium aliquod indiuiduum produci: ita, vt nulla ex possibilibus species improducta absolute maneat; immo neque illius aliquod indiuiduum: siquidem numero maiore creata bonitas absolute maior est, & augescit: quæ omnia, & singula absurdissima, & contra omnes Patres, & Theologos sunt, vt supra contra VVieleffum ostendimus, & Dei in creaturis faciendis libertatem prorsus eliminant.

3. Sensus igitur quæstionis huius inter Catholicos non est de omnimoda necessitate Dei ad optimum, eum quoad speciem, tum quoad exercitium, siue contrarietatis, & contradictionis; vtraque enim asserta, nulla Deo in suis operibus libertas dogmatica relinquitur: ergo de necessitate Dei quoad speciem, seu quasi contrarietatis ad optimum præsens est quæstio, vt quamuis, tam optimum, quàm deteriora omnia possit absolute efficaciter non velle, seu nolle producere, ac subinde vniuersa, & singula liberè absolute, atque ita, vt non producere potuerit, omnino producat, vt fides docet; ast eam in eis edendis necessitatem absolute patiatur, vt casu, quo aliquid efficaciter voliturus producturusque sit, ex ibi propositis optimum, seu melius ex ipsis velle efficaciter, & producere teneatur, non autem deterius? & id quidem dupliciter adhuc intelligi potest, vel absolute è solius bonitatis, & voluntatis diuinæ inclinatione, quæ ad optimum, seu melius sit determinata, vel saltim ex aliqua suppositione: nimirum intentionis liberæ efficacis Dei alicuius finis consequendi, vel alicuius rei, aut rerum iam productarum: verbi gratia, supposita vniuersi huius voluntate efficaci Dei libera, eiusque subinde productione. Quibus suppositis necessitas Dei ad optimum, seu melius absoluta non erit: quandoquidem libertatem Dei in intentione finis, vel in voluntate efficaci condendi vniuersum exercitam ea necessitas supponat: quare solum erit Deo eiusmodi necessitas ex suppositione.

4. Secundò adhuc ex suppositione alicuius intentionis, & voluntatis, & alia suppositione quæstio procedit. Nempe, quod in aliquo, vel aliquibus generibus faciendorum optimum esse possit, siue in essentialibus rerum prædicatis, siue in accidentalibus, aut earum dispositione, administratione obiectiua: si enim optimum, ex quo perfectius aliud, siue essentialiter, siue accidentaliter esse nequeat, possibile non sit, quæstio de subiecto non supponenti, atque in terminis implicans erit: & cui proinde respondendum necessariò sit suppositi negatione, vt vere, beneque respondeatur. Hinc tertiò adhuc ex finis efficaciter intenti sub quavis etiam mensura obtinendi, si plura æque ad ipsum obtinendum æqualia prorsus media sint, ad nullum præ alio efficaciter eligendum, & apponendum Deum necessitatum manere extra quæstionem est: siquidem ex intentione, quantumvis efficaci, finis ad id solum determinatur voluntas, vt eligat, & apponat id, sine quo obtineri finis nequit: ex eo autem, quod æque medio alterutro possit, solum determinatur, vt alterutrum eligat, & apponat, nec vtrumque omittat: quare vnius præ alio electio, & appositio liberæ voluntatis electioni relinquitur. Aduerto tamen nostrum Ruiz d. 9. sect. 1. num. 6. ad mensuram finis efficaciter intenti perperam computare, quod finis per hæc determinate media præ aliis obtineatur: ea siquidem finis solum intentio non est, sed & illorum præ aliis mediorum efficax electio: qua posita, & determinata, aliorum electio est, consequenter impossibilis: quare quæstioni præsenti (quæ de necessitate antecedente ex suppositione intentionis seu alterius voluntatis efficacis anterioris Dei de aliquo etiam sub tali mensura obtinendo tota est) locus non remanet.

CERTAMEN II.

Doctorum placita aperta.

1. IN quæstione igitur præsenti plures excogitari possunt pro affirmante parte opiniones duæ pro absoluta Dei necessitate ad optimum ex intentione finis, vel voluntate alia efficaci, verbi gratia, creandi mundum præsuppositis pro duplicis generis necessitate, nimirum physicæ, & moralis: Physica est in præsenti, qua Deus deficeret, si casu, quo ex propositis obiectis creatis electurus esset non optimum efficaciter eligeret, atque operaretur, sed deterius. Moralis solum est vehemens quædam voluntatis diuinæ inclinatio ad optimum præ minus bono, cui, moraliter loquendo, nequeat nisi ægerrime resistere, etsi physice absolute possit: quemadmodum mater, etsi physice filij imminentem iugulationem à se impedibilem videas, possit non impedire; ast non impedire moraliter nequit: quare necessitata moraliter est ad eam impediendam ex naturali materno affectu erga filium: vocatur autem necessitas moralis, quia contra tam vehementem inclinationem ad oppositum obniti tantaque illam difficultate superare, vel nunquam mos est, quia etsi absolute fieri physice possit, vix rarissime

contingat;

contingeret : idcircò in iure leges, & præcepta de rebus non, nisi maxima difficultate superata, exequendis de re impossibili absolute censentur, quia iudicio hominum, vsu communi edoctorum, pro impossibili eorum executio reputatur. Non addidi tertium necessitatis metaphysicæ membrum, quia respectu Dei in suis decretis efficacibus ab alia superiori causa independentis physica, & metaphysica necessitas, & determinatio eadem prorsus antecedens determinatio, & necessitas est; etsi in causis creatis determinatis ad agendum, (cuiusmodi naturalium causarum est) antecedens physica necessitas, valde à metaphysica sit diuersa, vt de mediis formalibus, vt futura à Deo cognoscantur, præsertim contingentia, opportune obseruamus, ostendimusque controu. 2.

2. Prima sententia asserit Deum determinatum esse, ac necessitatum physicè, quoad speciem ad optimum, immo & metaphysicè (quasi hæc supra physicam aliquid addat) ad optimum efficaciter volendum, & præ minus bonis eligendum, quin aliquam suppositionem voluntatis efficacis diuinæ requirat: ita expresse noster Antonius Perez Valiende d. 6. de volunt. cap. 5. conclus. 2. num. 41. eamq; probat ex Patrum testimoniis, & sententiis, quas per sectiones fere totas disputationis 9. & 10. longissimarum recitat Ruiz ad capita summatim à se redactis cap. 4. eo enim omnes tandem euadunt: Deum, si non eligeret, ac faceret meliora, deterioribus omissis, non fore Deum, & quidem, si Patrum sententia hæc sono, ac significatu rigido, atque, vt absolute sonat, accipienda sit, nec occasione eam proferendi, aliisque ex contextu, & intento Patrum attentis, quæ certamine 3. expendemus, id omnino probant. Secunda huius Authoris probatio ex eo principio ab ipso statutò cap. 1. 2. & 3. ductoque discursu ex dictis ab eodem disput. 5. nempe, omne à Deo eligibile æqualis bonitatis esse respectu Dei electuri quæstionem destruit, Patrum testimoiis, quibus suam conclusionem hic probat, aduersatur, ac insuper his etiam præmissis oppositam probat conclusionem. Nam si respectu Dei electuri, & electionis diuinæ de quouis obiecto perfectiori, vel imperfectiori æquale vtrumque est æqueque bonitatis, & honestatis erit diuina alterutrius electio: vndenam determinatur ad perfectius eligendum præ imperfectiori? ergo est ad vtrumque indifferens, ac nullatenus ad perfectioris præ imperfectiori electionem determinatur. Cæterum si attente hic Author ibi, & locis ad quæ se refert, legatur, præsenti quæstioni non respondet, sed alteri de æqualitate diuinarum volitionum, circa quæ vis obiecta, ad disputationem de moralibus Dei virtutibus spectanti: in præsenti ergo physicam Dei ad optimum necessitatem absolute, nullaque facta suppositione asserentem (hoc Recentiore excepto) nullum Authorem reperio; etsi Doctorum reliquorum pro aliis affirmantibus fundamenta, hanc etiam, vel nihil, (quod verius est) probent: innominati tamen Recentiores ab Herize d. 20. cap. 5. de optimo in genere moris (non in physico) efficiendo necessitatem Deo absolute affingunt.

3. Secunda sententia physicam necessitatem nullatenus Deo esse, admittendam verò esse in Deo moralem ad optimum, præ imperfectiori, eligendum, necessitatem. Ita noster Granados 1. p. d. 3. verum si eius ratio attendatur, nomen solum, non autem rem necessitatis physicæ Dei ad optimum (quam solis vocibus negat) exhorruit; siquidem, ex Patrum testimoniis, & rationibus pro sua hac morali necessitate adstruenda Deum non fore Deum si ab optimi præ minus perfecto electione deficeret, absolute concludit: quod è physica solum necessitate ad optimum concludi potest: qua etiam in re se, vel suam de necessitate physica mentem moralis voce texisse, vel auribus, singularitatis, & nouitatis timidum, temperasse, vel proprium necessitatis moralis significatum non attendisse satis ostendit: etenim eius significati explicatione, à nobis num. 4. ex proprie dicta morali necessitate defecturum in se illum, qui ab ea defecerit nullatenus referri potest: quare Granadum pro prima sententia censeo recensendum. Pro hac verò secunda sententia proprio sensu moralis necessitatis Dei ad optimum de se, ac nulla suppositione alterius anterioris efficacis voluntatis diuinæ moraliter necessitati vnum (æstimatione tamen mihi mille) Authorem video Patrem Sebastianum Izquierdo docta scientiarum sua Pharo notissimum, ex antiquo familiarem ac in Philosophico, & Theologico Magisterio collegam meum: quem propterea, ac propter ingenij præstantiam ingeniosos Murcianos Recentiores pluribus in locis nominaui, & quia tunc, cum prælo scribebam, Primariam Murciæ cathedram regebat. Hic ergo ingeniosus Magister moralem necessitatem vniuersim Dei ad optimum asseruit, vt autem erat ingenio prudenti, & subtili moralis necessitatis à physica valde diuersitatem percalluit, & explicuit, vt nos citato n. 4. explicuimus, sicque facile illationem à necessitate morali minus bene intellecta ad physicam, ac metaphysicam vitauit, ac subinde defecturum in se Deum, si minus boni electione necessitati morali non inseruiret: quo etiam sensu moralem necessitatem hanc Dei ad optimum admisit Beanus 1. p. c. 12. num. 6.

4. Tertia sententia ex suppositione voluntatis creandi vniuersum hoc optimum quod in eo est ex physica necessitate Deum velle efficaciter producere debere asserit; ita planè Raymundus Lullius: ex eo siquidem principio generali incarnationis (quod optimum mundi huius creandi, atque creati opus erat) efficacem voluntatem diuinam, & executionem ex necessitate physica Dei mundum efficaciter decernentis obuenisse interebat, vt ex eius scriptis constat, ac insuper ex eius doctrinæ addictissimis intelligentissimis testibus: à quibus vitra rationem dictam hanc Lullij mentem didicisse testis omni exceptione maior nobis est Vasquez tom. 1. in 3. p. d. 1. cap. 2. cum quo obiude in eum sensum interpretati sumus Lullium controu. 1. de Incarnatione d. 1. q. 1. certam. 1. Noster Ruiz de Montoya eruditissima sua d. 9. citata, quartam volens sententiam inducere à Lulliana hac (me iudice) immò neque à prima deuiauit. Ait siquidem ex suppositione creationis vniuersi huius, si optimum non vellet efficaciter, sed loco illius deterius, cum quoad entitatem v. g. aliud incarnatione inferius, tum quoad accidentalia, v. g. dispositionem, ea qua mundum disposuit, & administrat deteriorem, Deum non fore: quod è sola physica necessitate ad optimum deducitur eoque rigido sensu Patrum, quæ refert testimonia intelligenda contendit, etsi sententiæ huius horrore voce moralis necessitatis voluerit extenuare, vti de eius discipulo Granados dicebamus num. 6. immò si vniuersalitas sententiarum, quas ex Patribus recitat rigido, quo ille vult, sensu, intelligantur, attendaturque rationibus, quibus ipse conclusionem probat, vniuersim ac nulla suppositione facta Deum ad optimum decernendum, & exequendum necessitate, voce morali, re physica, teneri sensisse dubiter nemo: etsi probationes, cum ab authoritate, tum à ratione vniuersim probaturas subtrimens, sect. 1. n. 10. conclus. 3. sub init. semper se in ea disp. loqui de optimo relatè ad totam seriem creatorum, & creandorum in vniuerso profiteatur.

5. Quarta sententia (si cum tertia, & prima sententiam ex Ruiz recitatam nolis confundi) asserit ex intentione efficaci Dei alicuius finis sub certa mensura præsupposita, Deum ad optimi medij electionem, & executionem teneri, si vnicum optimum sit ad illum in tali mensura obtinendum, si enim æqualia plura adesse præstò possint, nullum eorum melius aliis, nedum optimum est, & hanc necessitatem physicam esse meritò asserit Ruiz sect. 1. citata n. 4. Huic sententiæ valde fauere videtur Anselm. lib. 1. c. 16. & 17. Richard. Victor. t. 8. de Incarnat Verbi, etsi enim suppositionem solam peccati ad hanc verbi incarnationem necessario decernendam, & apponendam commemorent, tamen dubitandum non est, quin reparandi ab illo hominem intentionem efficacem Dei in illa suppositione contentio, ac subintelligi voluerint Patres doctissimi qui peccatum secundùm se ac præcisè Dei incarnationi nullatenus connecti ignorare minime poterant: quare horum Patrum eadem, summum, est cum ea, quæ aliis Patribus tribuimus. Nempe ex intentione efficaci reparationis hominum à peccato ad optimum eius reparationis medium necessitatum Deum physicè fuisse, ac subinde efficaci ex intentione finis Deum ad optimi medij electionem & executionem antecedente determinatione & necessitate per anteriorem liberam efficacem intentionem a se ipso in deteriorem inductam teneri. Patres qui ita expressius scripserunt retulimus contr. 1. de incarnat. d. 1. q. 1. & explicuimus sensu eorum litteratissimo q. vir. cert. vit. cos qui rigidiore pro

pro hac sententia stare videbantur : quorum aliam nunc pro eis,& reliquis interpretationem satis eorum contextui, & discursibus addo : locutos scilicet ex non præsuppositis reparationis hominum à lapsu præcisè,& absolutè intentione ; sed cum talibus modo,& circumstantiis, cum quibus non nisi per incarnationem, v. g. posset obtineri, ac proinde incarnatio medium vnicum esset : quare rigore sermonis non optimum, cum nulla alia forent, ex quibus, seu comparatione quorum optimum esset,vel si alia media ad eum modum : & mensuram reparationis intentæ Deo supponerent; intentio tamen Dei vt in eo modo,& mensura, non nisi per medium illud finis obtineretur. Omninò fuit : qua ratione intentio non præcessit electioni medij illius,sed eodem actu, & ictu,& finis & medium simul, eademq; libertate volita à Deo fuêre,vt dicebamus n.3. sub finequare extra præsentem controu.Patres istis sunt locuti.

CERTAMEN III.

Vera sententiæ affirmantis vniuersim exclusioni contradicens stabilitur.

1. PRima conclusio : Deus de se, nullaque suppositione alia efficacis voluntatis Dei, & productionis rerum facta physice ad optimum efficaciter præ deteriori eligendum,& efficiendum necessitatus non est,est omnium fere Theologorum conclusio,cui expresse nemo ausus est aduersarius audax quidê Raymundi Lullij genium,qui ad physicam necessitatem Dei ad decernendum,exequendumque optimum incarnationis verbi opus mundi huius efficiendi decretum efficax supponit : etsi, vt notabamus eius ratio de necessitate Dei de sese physica ad optimum absq; vllo libero Dei decreto præsuppositio vniuersim, & absolute probet, Adeo est de absoluta Dei,de sese solum,physica necessitate ad optimum effrons, atque naturali rationi horrida conclusio : quod rursus patet ex nominis necessitatis moralis abusu, quo Recentiores alij, non similem modo, sed eandem re ipsa, ni fallor, conclusionem necessitatis physicæ Dei absolute ad optimum quam sentiebant, obtexerunt ; ne physicæ necessitatis nomine asserta nimis pudorem Theologicum soluisse viderentur, atque à sua conclusione præ horrore Scholasticos arcerent ; est igitur contra hosce omnes prima hæc nostra conclusio, qui quovis nomine Dei de se physice necessitatum ad optimum extrinsecum dixerint.

2. Patronos pro ea antiquos in terminis ipsis,vt aiunt, vix vllum referre possumus : quia quæstio in terminis ab antiquis intacta, apud nostrum Ruiz, eiusque discipulum Granados recens est nata : etsi primus disp. 10.sect.1. pro affirmante Doctores ex antiquis plures hinc inde, quasi magnæ eruditione, & longissimis discursibus inducat ; facilius tamen clariusque pro nostra negatiua conclusione adducentur : etenim omnes Sancti Thom. intrepretes 3.p. quæst.1.vbi de necessitate Dei decernendi incarnationem agitur,nostræque conclusioni aduersam erroris in fide notat Bartholom. Medina, Soarius verò temeritatis d.4. de incarnat.sect.2. §. Dico secundò, & 1.p. q.19.a.3.& q.25. art.6. ad 4. Caiet. Bañes, Zumel, Nazar. Nauarrete,Ripa, Pesaut. Cipulus Molina, & Vasquez, qui 3.p. d.1.c.1.in Lullium vsque ad censuras inuehitur, quod,adhuc ex suppositione creationis mundi, necessariam incarnationem ex ratione generali, quod Deus optimum decernere, & facere teneatur, sicuti, & reliqui Doctores eam quæstionem ibi tractantes, item Magister in 1. d.44. & in 4. d.1. vbi etiam interpretes omnes, quorum nemo Deum ad optimum, necessitatum non esse non supponit : nemoque etiam ex iis qui aliqualem incarnationis asserit, non aliquam intentionem efficacem Dei de hominum reparatione,sine cum summa gloria sua per incarnationem solummodo possibili, siue ex toto rigore iustitiæ incarnationis necessitatem defendit. Sed speciatim vniuersalius necessitatem Dei ad optimum,siue in genere physico, siue morali & paulò expressiùs negant. Scotus in 1. d.44. citata q.1. Valentia 1.p.d.1.q.2 5.p.3. Herize d.20.siue vlt.de volunt. c.4.n.26. omnium Theologorum eam appellans. Alarcon

tract.3.d.3.c.3.ac reliquis magis ex instituto, & fusè Arriaga 1.p.tom.1.d.27. tota,sect.4.de volunt.Dei præsertim à sect.2.vbi eam dilucide probat ex S.Thom.1.p.q.19. a.3. diuinæ voluntati solam necessitatem,ex suppositione,quod velit,concedente sicuti & q.25.& 1.contra gentes cap.80. probante vbique ex independentia Dei à creatis omnibus, eorumque, tam physica,quam morali bonitate creata, increatæ extrinsecæ independentiam, inconnexionem ac non indigentiam ad bene, siue ad melius esse : stant pro hac etiam conclusione Cardinal.Lugo d.2.de incarn.sect.1. num.3.& Bernal. d.3.sect.1.n.2.

3. Immensum pene esset Patrum testimonia, quibus conclusio probaretur recitare. Dedimus plura q.1.cert.3. hanc conclusionem continentia, & exemplum adhibentia in voluntate efficaci incarnationis, adhuc ex intentione efficaci Dei de nostra reparatione post lapsum Adami, & nostri omnium in peccatum, (nedum absolute, & secundum se spectato Deo)in cuius voluntate efficaci exemplum aduersarij ponunt, Aiunt enim Patres, cum ibi citati & recitati, tum contiou.1. de incarnat. d. 1.q. 1. potuisse Deum, adhuc posita ea intentione non incarnari, ac nos per alia remedia redimere, etsi eius executio, cum physicè, tum moraliter obiectiuè optima sit. Atque aliter censentes, stolidos vocat Augustinus 13. de Trinit. cap.10. ab illis verbis ; *quis adeo desipiat* rationemque subiungit, *quia Dei potestati cuncta*, creata, *æqualiter subiacent* : quod ipsum ait de agone Christiano cap.11. Non autem in prælectione inferioris, præ optimo, cuncta æqualiter subiacerent, si ad optimum determinatus esset physicè, vt aduersarij pro prima sententia relati, immò & relati pro secunda, qui physicam, vt diximus, necessitatem Dei secundum se ad optimum moralis necessitatis nomine, & abusu tectam defendunt, vt ostendi : quod, vt eorum euasionibus inutiliter referendis & refellendis parcam, hic semel pro omnibus argumentis, deinceps etiam instruendis, semel dixerim.

4. Er de iis quæ vsitato, vel inusitato, vel monstrosè à Deo fiunt (quæ vtique deteriora sunt) aiebat Aug. epist. 101. *Habent omnia causas suas, atque rationes rectas, & inculpabiles, quæ Deus, vel vsitata, vel inusitata operatur* : quibus ait recta ratione, & moraliter bene, absque vlla mali moralis, aut physici Deo tribuendi suspicione, creata deteriora de se physica : quare, & moraliter ex obiecto suo detestiora velle efficaciter Deum, atque operari posse : quam rationem sæpe exemplo electionis prædestinati præ reprobo approbat, & confirmat maxime q.36. de veteri testamento, quia in electione vnius misericordia, in non electione alterius iustitia elucet, quarum vtraque secundum rectam rationem & honestatem est, vt vnius defectus alterius præsentia suppleatur, *si adfuerit misericors ; si noluerit iustus* : quod ipsum in volitione efficaci minus perfecti præ optimo obiecto, siue physice, siue moraliter reperitur. An verò Dei volitio (circa quodcumque obiectum de se honestum perfectius, vel imperfectius sit) æque perfecta physice, & moraliter debeat censeri ? Ad disputationem de virtutibus moralibus Dei deinceps habendam spectat. Huc etiam faciunt quæ ex scriptura recitabamus citata quæst.1. certam.2. vt expendenti patebit,clarebitque amplius ex rationibus subiiciendis pro præsenti conclusione, quarum aliqua ad conclusionem dogmaticam ea quæst. assertam deserendam, vel ad præsentem nostram aduersa sua deserta vi consequentiæ aduersarios cogent.

5. Probatur primò : à ratione ex independentia, & inconnexione Dei à quovis obiecto extrinseco, adhuc possibili, nedum exercitè, & actu apponendo : atqui ex necessitate physica Dei ad optimum extrinsecum, siue physicum, siue morale, atque ex necessitate morali, abusiuè dicta, quam hac conclusione impugnamus infertur connexio, & dependentia Dei ab aliquo extrinseco, non solum possibili (quod tolerabilius in Theologia est) verum actu, & exercite apponendo : ergo implicat eiusmodi necessitas Dei ad optimum. Minor probatur : quia connexio, & dependentia physica, & realis ab alio, tanquam à termino suæ entitatis, seu existentiæ est non posse vnum existere in se, quin existat aliud : atqui posita hac necessitate

siue physica, siue morali abusiuè, non voliro à Deo efficaciter, & absolute, & actu posito extrinseco optimo siue in genere physico, siue in genere moris, per hos necessitatis huius alterutro modo appellatæ assertores, Deus non esset Deus, sed à se, ac sua existentia deficeret; ergo ex ea necessitate asserta infertur Dei in se, atque existentia sua connexio, & dependentia à voluntate efficaci Dei actuali, & exercita appositione, & existentia optimi, tanquam ab essentiæ, & existentiæ suæ necessario, & essentiali termino; quod nemo Theologorum admisit, neque mentis sanitate admittet. Hæc ratio à priori omnium Theologorum veterum est pressa, ac subtiliter expressa à Sancto Thoma locis citatis.

6. Id quod exemplis eorum minimorum, quæ produxit de facto, & ad species creatas, & vniuersi ordinem ex cuiuscunque virtutis motiuo, & impulsu eas pronè duxerit, confirmatur. Nam pulicum specie vna, vel indiuiduo non efficaciter volito, & executo in rebus Deus absolute deficeret: etenim, vel totum vniuersum efficaciter volitum, & creatum à Deo: eiusque, & partium omnium dispositio optimum quid est, vel est alio mundo, ac subinde sub alia dispositione imperfectius: si primum, ergo vel minima eius parte, etiam specie, vel indiuiduo pulicis non decreta, & creata à Deo in tua sententia deficeret Deus; si secundum, ergo, quod Deus efficaciter voluit, & creauit optimum in entitate, & dispositione non est. Confirmatur inde rursus ex perpetua rerum mundi successione, qua videmus quotidie plura deficere, locoque deficientium, alia vel meliora, vel deteriora succedere: quare, & vniuersum etiam, quoad species monstrorum retro inuisas, & eius ordinem efficaci voluntate mutari: quod si vniuersum hodiernum diuersum entitatiue, & dispositiue perfectius est, vel contra vtroque modo deterius: quod deterius est præ altero, nunquam potest à Deo apponi præ altero perfectiori, & perfectissimo, quod necessario præeligendum necessitate physica asseris: neque enim sola extrinseca temporis (cuius ipse Dominus absolutus est) successio intrinsecæ necessitatis Dei de se ad optimum potest temperare: ex quo fiet res omnes à mundi constitutione, & quandiu Deus aliquid conseruare voluerit, in substantia & accidentibus, tam intrinsecis, quam extrinsecis immutatas, contra oculorum quotidianam experientiam necessariò perseuerare debere; quin temporis successio (quæ eidem subiacet difficultati) impediat, vt dixi: quod amplius ostenditur: si enim ea Dei ad optimum necessitas, quoad exercitium, & iam in Deo esset extrinseca duratio, Deum tenere nullatenus posset, quominus ex æternitate, & per æternitatem, tam optimum, quam eius durationem, & produceret, & conseruaret, quin Deus, suaque hæc cum illo necessitas deficeret.

7. Arguo secundo: ex hac necessitate infertur Deum non posse efficere meliora, iis, quæ de facto fecit, cum specifice, tum indiuidualiter: quod frequentissimis testimoniis Patrum contradicit, & rationi, qui enim de se, à Deo finita, solum potest infinita potentia de sese minime pollet, vt supra expendebamus q. 1. sequelam probo. Nam, etsi in maiori perfectione, & bonitate specierum, & specierum in infinitum perfectiorum, & perfectiorum, atque in numero indiuiduorum in infinitum, maiore, & maiore, ac subinde extensiue in infinitum perfectiore, & perfectiore, nec vltimum in perfectione, neque optimum sit, quoue nequeat esse in alterutro genere perfectius: quare neque optimum impulsu bonitatis suæ affectiue, neque effectiue ab eius omnipotentia de facto produci, & apponi; ast quin ad cuiusque ordinis terminum, vt sic loquar in terminum, & supremum in alterutra linea perueniatur sunt perfectiores species, & numeri quam plurimi à factis, volitisque à Deo efficaciter ascendendo ad supremum intra ascensum finitum, cum specierum, tum numerorum: vnde si possit aliquam ex proximioribus adhuc, nedum in numero illo finito supremam, velle efficaciter, & creare: ergo non est necessitatus Deus ad optimum; quandoquidem, non optimum, sed deteriorem speciem, & numerum, imò, & deterrimum ex collectione illa finita perfectiorum, & perfectiorum præeius collectionis perfectiorib. efficaciter voluit, & creauit de facto: si non potuit, ergo nequit meliora facere quam fecit, vt posita necessitate Dei ad optimum inferebamus.

8. Dices: necessitatem Dei ad optimum à te assertam supponere optimum, vt cert. 1. notabamus, quod absolute, siue in speciebus, siue in numeris, eorumque perfectione maiore, & maiore, siue intensiue, siue extensiue in infinitum esse hauduquaquam potest: quare in his negari potius ad optimum decernendum, & exequendum Deum necessitate deuinciri, qua teneretur ad impossibile: sed id etiam ego supposui in mea probatione, etsi constare id nequeat cum tuis fundamentis. Nam in mundi huius, qui specierum, & indiuiduorum certo numero constat conditione Deum fecisse, ac decreuisse optimum asseris: idque testimoniis Patrum de condito mundo, rebusq; in eo contentis loquentium, ad sonum potius, quam ad mentem inductis contendis. Secundo: ex ratione, quam ex eis, & Dei bonitate deducis, fateri cogeris Deum, etsi in eiusmodi rebus optimum, quod in eis determinatum non est, non posse efficaciter decernere, ac producere; tamè non posse producere, & velle efficaciter deterius in conspectu, & ex propositione perfectioris; siquidem vis impulsiua bonitatis Dei summe communicatiua sui, quæ ad se communicandum creaturis, quam possit summe, ex qua Deum ad sui communicationem in rebus, in quibus optimum est teneri contendis; eadem eum in aliis, in quibus optimum non est vltra quod perfectione intensiua specifica, vel extensiua numerica progressus repugnet, ad non eligendum & producendum alterutro modo imperfectius præ simul proposito perfectiore æqua necessitate Deum tenebit: ergo fatendum tibi erit, vel vniuersum conditum optimum è possibilibus, & intensiua, & extensiua perfectione esse: quare & Deum iis, quæ fecit, non posse facere meliora, vt contendo; vel Deum è summæ bonitatis suæ inclinatione, & impulsu ad optimum, in quocunque genere admittatur, decernendum, & exequendum nullatenus determinari, seu necessitate physica in re (quoquo eam nomine compelles) nullatenus teneri.

9. Tertiò arguo: Deus de ses ac bonitate sua tenetur ad optimum ex propositis eligendum efficaciter, atque ut possit, in rebus apponendum: ergo nullam habet in rebus decernendis libertatem, non solum, quoad speciem, (quam in iis, in quibus optimum est negas) sed neque quoad exercitium, quod meritò admittere recusas: etenim inde contra fidem infertur mundum hunc esse ab æterno: siquidem ad ea, ad quæ, determinatus necessitatusque de se & natura sua, quoad exercitium etiam, Deus est, nunquam, nusquamque, Deus esse potest quin ea producat, etsi voluntatis interuentu apponenda sint, quo ea efficaciter velit: quare, cum primum (si primum in æternitate Dei dicere fas sit) ex æternitate sua Deus effecta producet, vel implicatorie Deus non erit: infertur rursus ea omnia positiua, quæ possibilia sunt, nec solum, quæ facta à Deo videmus, & credimus, ab æterno esse, ac subsecuturam æternitatem necessario esse duraturæ: sic cur Filius, & Spiritus Sanctus ab æterno, & in æternum a suis principiis originaliter procedunt? certè, secundum fidem identitatis essentiæ cum illis, inde solum probabis, quod ad eorum originariam productionem eiusmodi principia naturali necessitate tenentur: atque inde rursus eorum trium probabis naturæ identitatem. Prima consequentia patet. Bonitas Dei à Deo de se communicatiua, ac diffusiua imitatiuè sui in creaturas est, vt ex optimi propositione extremi, hoc, præ alio deteriori efficaciter velle Deum naturali necessitate physice teneat, ac determinet; quin ad deterius præ optimo eligendum sui compotem relinquat: atqui positiuum quodvis possibile respectu negationis sibi per te, ad libertatem exercitij simul Deo proponendæ optimum est: ergo ex impulsu bonitatis suæ sui impotentis ad efficacem volitionem entium omnium positiuorum, non solum faciendorum, sed & possibilium naturali necessitate ac determinatione physicè in tua doctrina, & principiis tenebitur; quin necessitatem ad optimum, quoad speciem, tueri possis, nisi ad omnia, quoad exercitium etiam.

10. Argumentis hisce, vel contenta, vel certò consequa sunt plura, quæ minutatim & prolixè scribunt, & inculcant, qui nobiscum sentiunt Recentiores: Plura tamen capita dedimus ex quibus multò plura probationum nostrarum, & impugnationum aduersæ indiuidua quæque pro suo captu, & ingenio poterit deducere; velim Deum non fore Deum, si Adamus non peccasset: quis in aliquorum ex aduersariis sententia Patribus conformiori

non

non fuisset incarnatio, quæ optimum per hos est: duo tamen attingenda breuiter restant, quorum primum d. proxima quæst. 1. tetigimus, & multarum probationum huius conclusionis, & impugnationum aduersæ caput etiam est. Nimirum orationes nostras, quod optima nobis Deus donet, & gratiarum actiones, quod ea nobis dederit, in nostra conclusione vtiles, in affirmante necessitatem Dei de se, naturaque sua, reddantur inutiles, & frustraneæ Deique naturalia beneficia, & gratiæ etiam supernaturales præminoribus gratiæ, & beneficia non erunt. Quæ quidem omnia contra eiusmodi necessitatem ad extrinsecum optimum morale, vel physicum substantiale, & entitatiuum, vel accidentale extrinsecum, vel intrinsecum dispositionis, ordinationisve rerum æque probant, vt patet. Secundum est, malè Granados, cum ex vna parte asserat ex necessitate, (quam moralem vocat) Dei ad optimum, & non electione optimi præminus bono Deum physicè defecturum & destruendum, ac non futurum Deum, æquet tamen necessitati morali hominis ad aliquod veniale committendum, nisi specialissima gratia à Deo præueniatur, ex quo minime infertur eum, qui absque ea speciali prænentione Dei omnia vitaret venialia (vt physice potest) non futurum hominem, physicéque destruendum; sed solum morali illi necessitati deficere, cui reliqui de facto succumbunt: obnoxiique sunt, non autem essentiæ, & existentiæ suæ: sola enim necessitas physica alterius præstandi infert physicam deficientiam eius, qui eam habet, si illud non præstet: quare ex hac Granados illatione moralis solum necessitas, qualis est admittendi aliquod veniale, non euincitur, sed physica, & quæ physicam impotentiam aliter agendi Deo affigat æque atque impotentiam physicam destruendi seipsum.

CERTAMEN III.

Reliquæ affirmantes sententiæ contradictoriis probatis repelluntur.

1. Sit secunda conclusio contra nostrum Izquierdo, qui sua proprietate moralis necessitatis nomen vsurpans illam ad optimum Deo de se naturaque sua & bonitate conuenire asseruit. Nos autem eam etiam necessitatem moralem ad optimum Deo denegamus. Probatur conclusio primò: quia Dei voluntas ad cuiusvis virtutis exercitium debet esse promptissima; immò æquè, ac summe expedita ad exercitium virtutum omnium. Ergo implicat esse Deum inclinatum ad optimum, nullumve aliud obiectum extrinsecum è suæ bonitatis impulsu, vt non possit absque pene insuperabili difficultate à prosecutione efficaci illius extrinseci se continere, vel absolute, vel præ alio minori bono simul proposito quod ex alterius virtutis motiuo prosequi physice potest. Secundò Dei dominium erga extrinseca eo gradu minuitur, quoad aliquid in eo inducitur necessitas: quare ex necessitate morali ad aliquid moraliter eius Dñs non est: sicuti ex necessitate physica ad illud dominium Dei physicum periret. Ast dominium Dei erga extrinseca omnia omnimode perfectum, atque omninò absolutissimum esse debet: ergo absque vlla necessitate morali ad aliquid Dei de se naturaq; sua sumpti. Confirmatur: quia auato idcirco, tam deesse dicimus, quæ habet, quam, quæ non habet, quia ex morali necessitate, quam eius voluntati auaritia inducit, vsum rerum, quæ habet moraliter reddit impossibilem æque, ac rerum quæ non habet.

2. Tertiò: libertas etiam physica Dei arbitriique diuini valde ea necessitate minuitur: sicuti in nobis ex vehementi quavis inclinatione, qua in aliquid agimur, seu adigimur, quæ etsi absolutam physicam libertatem nobis relinquat, atque adeo absolute peccemus in mali prosecutione quantumvis naturali, siue consuetudine nimia (quæ altera natura est) inclinatione, quæ moralem nobis necessitatem inducat in malum illud impellamur, agamurque, ac pene cogamur. Quartò: vt contra physicam necessitatem, quoad speciem, Dei ad optimum arguebamus cent. 1. n. 9. necessitas Dei moralis, etiam quoad exercitium, inducitur: neque hoc negat hic consequentiæ laude dignus Recentior: & omnia, quæ eo cert. contra necessitatem physicam produximus, proportione seruata contra hanc moralem necessitatem faciunt: erit enim Deus necessitatus moraliter ad peccati primi Parentis permissionem, vt verbum incarnetur, quod absque eo peccato non fieret; immo ad plura cuiusque peccata permittenda, ex quibus optima fieri perpenderunt: v. g. lapidationem Stephani à Paulo per Iudæorum omnium manus, ex qua pependit, vt oratio Stephani, *Ne statuas illis hoc peccatum*, pro Paulo etiam esset, cui orationi Paulum, siue eius conuersionem Ecclesia debet: & id generis sexcenta absurda omnia alia, quæ, vel recensere; esset quam longissimum.

3. Quintò: Hæc sententia, quæ tota in bonitatis liberalitatis, ac misericordiæ Dei commendationem, & laudem videtur excogitata, eique vnice innitens valde est ipsis iniuria: etenim, quo vehementior est inclinatio ad aliquid agendum minus est voluntarij, & liberi in eius executione vt notum Philosophis, & Theologis cunctis est. Maxime, cum inclinationis impetus, & impulsus tantus est, vt moralem necessitatem inducat, faciatque oppositum moraliter, & iuris æstimatione impossibile: vti Deo huius necessitatis moralis author optimi omissionem præ deteriori, immò & omissionem absolute impossibilem moraliter facit: cum ergo vsque adeò ea morali necessitate ad optimum, siue absolutè, siue prælatiuè in Deo inducta moraliter libera boni illius à Deo communicatio, voluntariaque non sit, ac vix physice sit voluntaria, & libera: ecquid laudis, & commendationis diuinæ voluntatis erit, quod se communicet, ac diffundat in creaturas vix aliter facere physice magis potens quam sol non illuminare, foueréque, aut ignis non calefacere, atque refrigerare? quidnam tantæ liberalitatis, & gratiæ in nos exerceat, cum summis nos gratiis, ac donis cumulat, vt propterea ipsi ingentes gratias, & habere, & agere debeamus: cum eis omnibus nobis donandis, vti ignis, aqua, & sol quæ nos refrigerant fouent quoad libertatem, ac subinde liberalitatem, moraliter loquendo, se tantummodo gerat?

4. Sed quid inquies Patres nobis Dei bonitatem, virtutemque, seu vim diffusiuam sui in creaturas tantopere commendant: si Deum non magis ad bona creaturis communicanda, eisque ignoscendum, quam puniendum rationales peccantes, non agnoscunt; quin potius æque misericordiæ, atque iustitiæ, cæterarumq; virtutum eius voluntatem quasi æquilibrio positam sollicitant? Respondeo: Deum de se, ac de suo, quin aliud ex parte creaturarum extrinsecum expectet, bonitatem infinitam habere, quæ quidem ad se diffundendam cum subiectiue, tum obiectiue natura sua Dei sollicitat voluntatem: iustitiam verò diuinam, æque Deum ad malefactorum punitionem, cum subiectiue, tum obiectiue Deum, atque ad reliquos eius virtutis actus exercendos inclinare: cæterum iustitiam punitiuam cuius inclinatio ad suos actus exercendos minor, quam misericordiæ & bonitatis Dei ad suos à Patribus dicitur, vt se absolute exerceat extrinsecum aliquid requirit: scilicet creaturæ peccatum: quod cum finitæ malitiæ sit, non æque ad supplicia, & vindictam Deum mouet, atq; motiuum bonitatis vndequaque diuinum atque infinitum quod bonæ sua etiam peccatoribus infensis elargiendi integrum motiuum Deo est: quare meritò de se sumptus Deus solum benefaciendi principium, & motiuum habere dicitur, non puniendi; quod nos peccatis nostris apponimus. Atque hoc etiam à nobis culpæ ad punitionis, seu iustitiæ vindicatiuæ exercitium posito motiuo minus est, vtpote finitum, quam Dei bonitas infinita, vt ignoscat: quæ sola totum ignoscendi motiuum Deo, ac proinde efficacius est, quin culpæ, quæ potius à venia, & beneficiis in nos conferendis Deum retrahunt pars motiui vel ignoscendi esse possint: idque solum Patres volunt, cum Deum de se ad beneficia, quam ad supplicia prædicant nobis promptiorem, non autem maiorem eius ad vnius, quam ad alterius virtutis exercitium, propensionem quæ ad alterius actus moralem inducat Deo necessitatem.

5. Ex multis consequentiis à Deo in sacra pagina approbatis (quæ defecturæ videbatur si hæc moralis necessitas ad optimum Deo deficeret) & fusè recitatis à Ruiz cit. d. non solum eam quā (vt est ingenio acri) omnium firmissimam pro hac diuina necessitate morali Dei expendit, profero: *Si autem vos, cum sitis mali, nostis bona data dare fi-*

liis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se : Etenim, ni Deus ex maiori necessitate morali donandi Spiritum bonum, seu spiritualia dona hominibus petentibus teneatur, quam pater, & mater ex naturali erga filios affectu ipsis in necessitate edulia, vel alia petentibus dare tenentur, ac non illorum loco lapidem, aut scorpionem, consequentia non tenet, Christusque Dominus eo argumento nobis illudit, vt spem à Deo obtinendi petita erigat nostram argumento subtili & fallaci. Respondetur tamen facile argumentum hoc non Dei, secundum se, ac bonitatem suam naturalem sumptum necessitatem moralem probare. Hanc enim nos impugnamus; sed petitionibus nostris adhibitis. Secundò ex parte Dei liberum Patris affectum erga homines, vlterius apponi, quem absolutè potuit non habere, vt textus exprimit ipse: quare conclusioni, quam impugnamus nullatenus suffragatur sed alteri affirmatiuæ necessitatis Dei ad optimum ex suppositione intentionis finis, alicuiusve efficacis decreti liberi Dei: & ne id quidem probat, sed daturum Deum quod satis succurrendæ necessitati hominis sit, non autem optimum, adhuc ex paterno præhabito affectu donaturum.

6. Tertia conclusio ex decreto libero efficaci creandi mundum aliquem Dei bonitati adiuncto, vel creandi hunc determinate mundum, quem initio condidit, neque ad optimum mundum creandum, neque ad ponendum in hoc mundo optimum v.g. incarnationem, optimamve dispositionem physica necessitate moralive, quæ re eadem sit; vllatenus tenetur, est autem contra Lullium, & nostrum Ruiz vt in sententiarum relatione certam. 1. dicebam, & ex tota eius sect. 9. Tripartita est conclusio: Prima pars de decreto de hoc, vel illo, vel alio mundo disiunctiue est manifesta ex dictis, certam. 1. pro prima conclusione, nullam siquidem necessitatem addit hoc decretum ad optimum ex illis mundis condendum atque efficaciter decernendum, siquidem cuiusvis ex illis productione efficaciæ & infrustrabilitati eius decreti satisfiat, quare ni de se naturaque & bonitate sua Deus necessitatus aliquo necessitatis genere ad optimum sit, nequit ex eo decreto necessitari, vel physicè vel moraliter siue propriè, siue impropriè moralis necessitas vsurpetur: constat autem ex dictis certamine secundo, & præsenti pro conclusione secunda nullo necessitatis genere de se natura & bonitate sua Deum teneri; ergo neque vlla ad illud tenebitur ex eius disiunctiui decreti additione. Nec pluribus prima hæc conclusionis pars eget.

7. Secunda pars quoad productionem optimi nempe incarnationis ex suppositione decreti productionisque huius mundi: est communis ferè omnium Theologorum conclusio in materia de incarnatione, qui Anselmum eiusmodi necessitati apertiùs ad fauentem, vel explicant reuerentes, vel deserunt apertè, vt vidimus controuersia prima, de Incarnatione d. 1. quæstione 1. & quæ speciatim per seque attigimus certamine 2. numero 10. contra necessitatem Dei ad incarnationem satis hanc partem probant: item quæ ex Patribus etiam attigimus eodem certam. num. 3. ex hypotesi non solum mundi huius conditi sed peccati permissi, & efficacis intentionis Dei de hominibus redimendis.

8. Tertia demum pars probatur argumento, quod secundam confirmabit. Nimirum ex decreto efficaci, & creatione vniuersi nulla necessitate teneri Deum ad optimam eius dispositionem extrinsecam (formalis siquidem Dei ipsique identificata dispositio cum physice tum moraliter optima est.) Probatur primò: quia ex mundi huius creatione nihil determinationi ad optimam hanc dispositionem & obiectiuam Deo additur præter rerum singularum, & omnium, quibus vniuersum constat sui priuati, & communis commodi maioris naturalem exigentiam; atqui naturali rerum singularum, & omnium coniunctim exigentiæ annuere Deus nullatenus tenetur, sed omni prorsus necessitate solutus annuit, potens omninò renuere, vt de singularum exigentiis quibus Deus de facto annuit minimè, extant in scripturis, & authenticis historiis Ecclesiasticis exempla quam plurima de omnibus coniunctim probatur. Nam earum omnium iura naturalia coniunctim sumpta ad commodum vniuersi maius exigendum nequeunt ita prævalere iuri supremi dominij Dei in vniuersum totum, & summæ libertatis diuinæ vt vtrumque ius determineut ad vnum, & extinguant. Confirmatur: quia maius, & præcipuum rerum singularum, & coniunctim omnium, siue vniuersi est in se permanere: attamen nulla necessitate tenetur Deus mundum, adhuc prosequenti iustanti, conseruare, ex eo, quod illud produxerit, quin durationis eius tempus liberrime prorsus decreuerit: ergo iure maioris commodi vniuersitatis rerum non determinatur vlla necessitate ad optimam eius dispositionem & gubernationem obiectiuam.

9. Vrgeo: quia vitæ, & mortis, siue existentiæ, & non existentiæ rerum Dominus absolutus omninò dispositionis earum, siue ipsis commodæ, siue incommodæ Dominus itidem absolutus est, etsi præ incommoda dispositione pereant: atqui Deus vitæ, ac mortis existentiæ, ac non existentiæ rerum absolutus Dominus est, etiam coniunctim sumptarum, siue ipsi commodę, siue incommodę absolutus Dominus est, etiam coniunctim sumptarum: ergo, & dispositionis earum, coniunctim etiam sumptarum, siue ipsi commodæ, siue incōmodę absolutus Dominus est: multo fortiori iure, & exactione magis sibi commodam potest mundus à Deo poscere, quam indigentiæ, & precario: quod ab inductione necessitatis in Deo ad donandam mundo commodiorem abest quam longissime, immò ei contradicit: sicut preces propriæ cum propria coactione alicuius ad id præstandum, quod precamur. Confirmatur: quia nulli seruo, reiue, quæ sub alterius Dominium absolutum cadit, ius exactiuum competere potest, vt commodissima ipsi dispositione cum ipso Dominus suus agat; etsi vitæ mortisque ferui empcinj Dominus pro libito non sit: immò necessaria ad tuendam vitam debeat seruo ministrare: Denique solis, ac syderum circularis motus conuenientissima, & commodissima mundo huic visibili dispositio, & gubernatio obiectiua est, eumque à Deo pro libito aliquoties impellitum, & aliquandiu suspensum fide credimus diuina, & indubitatæ authoritatis historiis humanis: idque ob priuata solum huius, vel illius Reipublicæ, & nationis commoda, quæ in Dei voluntate citra vllam mundo visibili à Deo irrogatam iniuriam prævaluerunt: multò igitur iure summæ libertatis, & potestatis dominij supremi diuini iuri vniuersi ad optimam sui dispositionem, & obiectiuam gubernationem prævalebit.

10. Quod autem obiter insinuat Ruiz, Deum ipsum partem, ac membrum vniuersi huius esse, & cuius pronde iura propria, & priuata communi bono vniuersi cedere omnino debeant, vltima hac impugnatione præcentum est: Nam, & pars huius vniuersi nostri Deus tuor erat, cum eius maximo commodo circularis motus solaris syderei, & cælorum toties eius continuationi aliquandiu intercessit, idque, vt partis minutulæ vniuersi maiori commodo consuleret: & quanquam, an Deus naturæ, & vniuersi pars dicatur rectè, vel secus, lis esse possit controu. de ente supernaturali in genere à nobis disimenda; id tamen certum est: partem vniuersi membrumve simpliciter, ac sine adiuncto aliquo dici non posse, sed solum vniuersi caput, membrumve præcipuum: ficuti in politicis supremus, & absolutus dominus reipublicæ, aut Regni non pars regni, sed caput princeps, & Rex solummodo dicitur: quamvis, quia ordinata omnis politica, & ciuilis potestas, & à republica tandem in Principem, siue primum, siue eius hæreditario iure successores, emanauit iuxta §. *Populus in eum* instit. de iure nat. gent. & ciuili altiusque à Deo supremo, & absolutissimo Regum, regnorumque domino promanarit, ad Reipublicæ vniuersim sumptæ commoda præ priuatis suis Rex teneatur: ad quæ solum non autem ad sui destructionem populus in eum ciuilem contulit potestatem, à Deoque supremo primcipe in bonum solum Reipublicæ collata potestas est: quare, & illi priuata commoda, personalia quæ iura cedere debeant; secus in Deo, cui potestas in omnia vniuersi, coniunctim etiam sumpta, nec ab vniuerso ipso neque ab alio superiore Principe collata est; sed à se, naturaque sua ipsi cum ad vitam, & existentiam, tum ad eorum contrarium, & defectum, seu negationem competit Deo.

11. Demum ex peccati (cuius malum omni positiuo bono in mundo hoc, immò, & in omnium mundorum possibilium coniuncto præponderat: atque in æstimatione rectæ rationis creatæ, nedum increatæ, & diuinæ prævaleat) permissione haud leuis pro tertia hac conclusionis nostræ parte argumentum deducitur: vndecumque enim

Deus

Deus ad mundi conditi optimam dispositionem, & obiectiuam gubernationem Deus teneretur, teneretur etiam ad non permittendum, quod secundum rationem rectam summum malorum omnium est, ac rationalis reipublicæ, præcipuæ nimirum vniuersi huius partis, destructiuum, imò totius vniuersi dispositionis rectæ inuersiuum & subuersiuum: Deusque proinde, etsi ad virtutis, & honestatis exercitium, præcipuum vniuersi ornamentum, libertatem ad peccandum creaturis rationalibus debuerit relinquere vt Patres aiunt; ast peccatum permittere, & solum sufficientia, ac non habitura effectum ad vitanda peccata tanto vniuersi malo, & subuersione non posset. Quod autem inde tot fructus Deus perceperit, calumniatorum diuinæ prouidentiæ obmurmurationibus, & obiectionibus satisfacit, vt certamine sequenti dicam: supposita Dei in peccati permissione Catholica libertate; non autem impotentiæ Dei ad peccati permissionem necessitate Dei ad vniuersi conditi optimam dispositionem, & obiectiuam gubernationem apponendam, quam nunc impugnamus, inductæ.

12. Quarta & vltima conclusio. præcisè ex intentione efficaci alicuius finis, etiam sub certa mensura aliqua bonitatis obtinendi, dummodo plura media sint ad illum sub illa etiam mensura, nec infra, nec supra obtinendum ad nullius appositionem, atque efficacem electionem tenetur Deus, etsi illud optimum sit vti esse potest. Tota conclusio est omnium Theologorum præter extremam partem in qua asserimus ex pluribus mediis ad finem intentum sub determinata aliqua mensura, nec inferiore, nec superiore posse esse medium optimum, & cæteris excellens, & tamen ad eum apponendum nullatenus teneri Deum, vtrumque opponitur sententiæ communi: probatur facile postremum: quia quantumvis efficax intentio finis, sub mensura etiam determinata, non determinat ad vnum ex pluribus mediis sufficientibus ad id ipsum obtinendum de facto, si apponantur, ipso Ruiz fatente sect. 1. num. 5. sed præter optimum sunt plura alia media, quibus finis intentus sub eadem, nec maiori, nec minori mensura, quam sit intenta, obtineatur de facto, si quoduis eorum apponatur, etiam minimum, quod ad illum sub eadem mensura satis est; ergo ex ea intentione ad optimum ex illis apponendum non tenetur Deus. Minor est casus suppositus in quo discurrimus: quare nulla eget probatione: sicuti neque consequentiæ legitimitas.

13. Solum restat probandum ad finem intentum sub determinata mensura qui sub ea ipsa, nec ampliori, neque curtiori pluribus mediis possit obtineri, posse vnum ex illis ad sic obtinendum finem melius alio, atque vnum optimum illorum esse; id quod repugnantiam continere demonstrari censet Ruiz ibid. numer. 4. Nam quod vltra finem, & mensuram determinatam intentam à Deo per medium perfectius, seu optimum, vel citra totum finem, & mensuram intentam per imperfectius, & infimum voluntatem Dei efficacem frustrabit: cum neutro obtineatur quid intenditur determinatè à Deo, sed magis, vel minus, quod in frustrabilitati essentiali voluntatis efficacis Dei contradicit. Cæterùm non animaduertit Ruiz medij bonitatem, & conducentiam ad finem intentum è sola virtute, quasi extensiua, ad finem tantum obtinendum, non esse metiendam, in qua solum eius ratio concludit; sed etiam ex modo eam ipsam finis quantitatem obtinendam: nimirum breuitate facilitate, atque expensis minoribus; quod enim expensis minoribus maioreue facilitate, & breuitate tantundem finis apponet, quam aliud, melius, perfectiúsque medium illis est: etsi breuissimè, facillimè, sumptúque minimo, erit illorum optimum ad finem obtinendum: quod, quia noa animaduertit Ruiz eius discursu nec leuiter tangitur: exempla sunt obuia. Quod si dicas eam etiam facilitatem &c. intendi à Deo, ad quam solum perfectius, vel optimum conducit, destruis casum suppositum, & demonstrationem tuam: vel forte totam materiam conclusionis, si dixeris intendi finem sub ea qualitate, & mensura vt per optimum medium obtineatur: tunc enim intentio illa, & finis, & medij electio simul eadem est: quare nequit vllo modo intentio illa ad optimi electionem verè determinare, quin determinet ad seipsam; quod omninò repugnat.

14. Denique vt constet clarius quod diximus supra non semel in sententiarum relatione Ruiz sententiam, & mentem fuisse vniuersalem de necessitate Dei de se, bonitateque, & natura sua absque vlla suppositione decreti liberi efficacis Dei, siue intensiui, siue executiui, legatur sect. 10. cui hunc titulum præfixit. *Multis exemplis ostenditur eneruari Theologorum rationes, nisi supponant voluisse Deum optimum finem sub optimâ mensurâ*, etenim finis intentio primus actus liber Dei est nullum supponens, neque intentiuum, neque executiuum atque in singularum rationum: quas ex variis Theologis tota sectione refert ponderationibus suam hanc mentem iteratò detexit: & tam in iis, quam in reliquis argumentis ab authoritate, & à ratione morali, quam dicit necessitate physicam reipsa, & cui, si non pareret Deus defecturus foret, physicam inducere, sicuti & de Granado dicebamus, satis declarat.

CERTAMEN V.

Argumenta aduersariorum retunduntur.

1. A Ratione arguunt primò: è summâ inclinatione bonitatis diuinæ ad se communicandum creaturis, quam illis tribus terminis *bonum, bonificatiuum, & bonificabile*, quæ etiam Trinitatis mysterio de Deo in sua arte demonstrando, ipsi familiaribus Raymundus Lullius instruxit: sed non maiore fructu, quam reliqua, quæ ex eis terminis demonstrari somniauit: sed quidquid cum ex vi hac impulsiua bonitatis diuinæ ad se communicandum creaturis, & natiuâ affectione voluntatis ad bonum communicandi se optimo modo, & in quo minus displicentiæ sit, vt in optimo faciendo, discurrant, ac testimoniis Patrum confirment Ruiz tota sect. 16. & Granados, disiectum satis est certam. 3. redditaque ratio: cur Deus de se, naturáque suâ magis ad bonum nostrum, quam ad malum: & supplicium inclinatus dicatur; quin tamen inclinatio hæc aliquid de summa libertate voluntatis diuinæ minuat, vel de suprema dominij potestate. Nec video, quo pacto alicui venire in mentem potuerit optimum creatum, quod limitatæ bonitatis est, nihilique Dei felicitati referens, atque essentia sua imbibitam imperfectionem creaturæ habet, qua sui affectum satis potest auertere, adeò posse, sui quasi impotem, diuinam voluntatem allicere, vel potiùs ad sui amorem trahere, penè inuitam, vt vix aliquid motionis maioris diuinæ relinquant bonitati. Argumentum aliud de carentia gaudij, quod Deus habet de optimo producto, multum, vel nihil probat. Multum: quia probat idem de bono non optimo, de quo Deum gaudere cum productum, atque in se existens est, æque est certum; ac proinde probat nihil ex creatis possibilibus posse Deum non producere, si hæc internum Dei gaudium. ac subinde intrinsecam eius fœlicitatem possint augere. Nec satis est gaudium aliud æquiualens de sui independentia ab existentia optimi, quod Deus haberet, si non existeret: illud enim gaudium habet etiam, cum existit; & tamen deficit gaudium, quod de actuali optimi existentia Deo accrescere admittitur; sed certè nihil probat obiectio: nam quidquid gaudij Deo intrinseci est, totum de summa sua bonitate est; quin de sibi extrinsecis bonis { quæ nihil internæ suæ fœlicitatis intersunt } intrinsecæ fœlicitatis, & voluptatis quidquam capiat. Reliqua à ratione omitto, quia ex dictis pro nostris conclusionibus euanescunt.

2. Tam multa oblonga sua disputatione ab scripturæ, & Patrum authoritate congessit Ruiz, vt ea singulatim diluere iusti tomi negotium esset; ea verò ad capita aliqua redigi possunt. Primum ex Patribus asserentibus Deum assumpsisse naturam humanam ad nos redimendos, quia id melius fuit, & quamuis id ad necessitatem eligendi optimum ex intentione efficaci finis videatur spectare quare solam quartam conclusionem nostram impetere:

aſt, cum ex ratione generali ſubiuncta in hac materia teſtimonia Patrum concludant Deum vniuerſim ad melius, ſeu ad optimum, in quauis materia decernendum, ac præſtandum, teneri de ſe, naturáque ſua videntur docere: quare Francfordienſe Concilium de ea ſpeciali materia agens ea ratione neceſſitatem incarnationis ſtatuens epiſt. ad Epiſcop. Hiſpaniæ vniuerſim concluſit. *Credamus Deum omnia velle quæ meliora ſunt.* Vnde ex parte confutata manet tentata ſolutio Ariagæ ſect. 1. ſubſect. 1. numer. 5. §. *Secundo loco adducta*: ſed bene ait rationem non neceſſariæ conſequentiæ faciendi, ſed congruentiæ iam facti, ſeu faciendorum: vnde illud *credamus*, non definitionem, ſed exhortationem, vt (iuxta adeo veriſimiles, & congruentiſſimas, ac Deo reuerentes rationes) ità ſentiamus, continet: maximè, cum ibidem addatur, *cur ergò filius id non fecerit*? nempe naturali filiatione vnionis ſuæ hypoſtaticæ naturæ humanæ, potiùs quam adoptiua per ſolam gratiam communicata nos redimere: quaſi dicat: nulla nobis adeſſe ratio poteſt, quæ nos ab eiuſmodi pio aſſenſu fortius auellat, aut in oppoſitum diſtrahat, ac diuertat. Neque amplius voluere Anſelmus 1. cur Deus homo cap. 16. & 17. & Richard. Victor. de Incarnat. verbi cap. 8. neceſſitatem Incarnationis è peccati ſuppoſitione impenſius afferentes, quam nullam pro oppoſito à nobis cogitari poſſe rationem congruentiæ maiorem.

3. Secundum caput è Patribus prouidentiam Dei rectam, ſiue in mundi diſpoſitione, ſiue in creatione hominis, & Angeli cum poteſtate peccandi ſiue in permiſſione peccati defendentibus, & oſtendentibus facillimè, & frequentiſſimè contra hæreticos, earum diſpoſitionum, ac prouidentiæ Dei obſtinatos, & impudentiſſimos obmurmuratores, vel contra alios ſubtimidos, & curioſos dubitatores ob diſconuenientias, quas in eis rebus à Deo factis, vel diſpoſitis proponebant: iis ſiquidem omnibus Patres ſemper conſtantes reſpondent: Deum in omnibus feciſſe, quod melius, ſeu optimum eſt: idque à Deo enixe, vt quandoque (quod idem eſt) à iuſtitia defecturum, vt aiebat Auguſtinus tom. 1. libro de quantitate animæ cap. 3. *iuſtitia Dei factum eſſe vt non modo ſint omnia, ſed etiam ſic, vt omninò melius eſſe non poſſint.* Sed plane hic, vbi ſtrictius, rigidiuſque contra nos verba Auguſtini ſonant, nihil contra nos. Primò: quia, ſi ex virtute iuſtitiæ, ex libertate, ſine qua nulla exercetur virtus, factum quod melius eſt, quo melius eſſe nequeat; non autem neceſſitate naturali ad optimum plane fatetur. Conſtat ſecundo ex contextu, qui totus eſt ad ſuadendum, mortem appetendam, ne peccatum admittatur; quia, & ſi, tam ſit difficile Dei lege, & iuſtitia ordinatum eſt qui ſimul gratiæ auxiliantis vires ſuppeditat de ſuo, non minus, quam legem: nec iniuſtus eſt proinde, ſed iuſtus: difficilia, iure ſuo vtens, præcipiens, vireſque ad difficultatem vincendam præcepti ſuppeditans: quare extrà rem opponuntur verba Auguſtini.

4. Vniuerſim autem ex occaſione, & intento Patrum, cum ita loquuntur, Reſpondeo: eos ita loqui contra rectitudinis diuinæ prouidentiæ calumniatores hæreticos, vel ſciolos examinatores: in qua defeciſſe Deum, cum hæc & nos alia meliora, imò mala phyſica creauit, ac moralia, ſeù peccata permiſit, vt dixi. Aiuntque primo: Deum à debito faciendi, quod melius, ſeu optimum eſſe omninò abſolutum: quod concluſioni oppoſitæ, non modo non fauet, ſed formaliter, & immediatè contradicit, ſolus pro reliquis Patribus audiatur Auguſtinus 3. de libero arbitrio cap. 5. vbi ait. *Ne forte dicas ea quæ facta ſunt, melius fieri debuiſſe*, atque, poſt varia, quibus hanc dictionem impugnat, his verbis concludit, *quidquid vera ratione melius occurrerit, hoc ſcias feciſſe Deum* & 1. contra aduerſ. legis. *vſque adeò deſipiendum eſt, vt homo videat aliquid melius debuiſſe fieri, & Deum credat facere noluiſſe.* Quibus adeò apertè de omiſſione melioris in rerum creatione, non quidem abſolutè, ſed melioris debiti, ſiue, quod Deus facere debuit, Auguſtinus loquitur, vt mirer pro debito abſoluto ad melius, ſeu optimum ſecundum ſe, ab aduerſariis confidenter induci: & aliquot doctores, qui pro noſtra ſententia ſtetere, quaſi fulgure perterritos, in varios diſtrahi interpretationes: cum debitum abſolutum melioris, ſeu optimi ſecundum ſe Auguſtinus Deo eis teſtimoniis non aſſerat, ſed quaſi in hypotheſi ponat; ſolúmque miretur, cum debito præſtandi meliora iudicari à nonnullis deteriora, non ſine culpa, & vitio proprio non ſatisfaciendi obligationi ac debito ſuo Deum deteriora feciſſe.

5. Atque, vt magis mireris horum, & ſimilium teſtimoniorum pro aduerſa ſententia à ſuis Patronis abuſum, eis ipſis ſecunda alia generalis ſolutio, & germana noſtræ concluſioni minimè aduerſa interpretatio contineatur: imò aliorum diſcurſuum, quos ex aliis Patrum ſententiis aduerſarij opponunt eneruatio. Perpende verba illa, quidquid vera ratione melius occurrerit, & hæc ſequentis teſtimonij poſtremi, *vt homo videat aliquid melius debuiſſe fieri.* Cum enim diſcurſibus nonnullis non ſine creatoris vitio aliqua in mundo facta, vel permiſſa procaciter hæretici contenderent, ſciolique non ſine Dei iniuria curioſius diſputarent: quaſi in dicto erroris, & ignorantiæ ipſorum bello, varios inanes eorum diſcurſus eſſe probant: atque eorum, quæ pure mala, & incommoda eſſe contendebant vberes bonorum ex eis caprorum, capiendorumque fructus ſolidis rationibus oſtendunt: quo eos doceant, & conuincant creatorem conctorum Deum homunculis ipſius opera ſugillantibus, non potentiorem modo eſſe, ſed artificem ſapientiorem, qui de malis ipſis in quibus nihil ipſi boni reperiunt, tot bona, & ſcientia ſua percalleat, & potentia producat: quare ſolum volunt Deum ſemper facere melius, ſeu optimum, non quidem quod in ſe, vel entitatiuè tale ſit; ſed quod vera, ac non inani ratione hominum diſcurſus, & ingenium aſſequi valeat, atque ad id credendum omnes præſertim hæreticos, & curioſos ſciolos illos eis verbis hortantur.

6. Hac porro ſolutione ingens illa diſcurſuum moles tot ſectionibus à noſtro Ruiz ex Patrum ſententiis, & rationibus ſeruata ſubuertitur. Nimirum ex noſtra ſententia Patrum euacuari ponderationes grauiſſimas fructuum & vtilitatum, quas Deus in rerum vniuerſitate ex creatione, cum hominis, tum Angeli cum poteſtate peccandi, imò ex peccati permiſſione: ex poſtrema enim hac noſtra ſolutione conſtat, quo ex omnes Patrum ponderationes tendant; nec debito fine ac ſoliditate carui. Caſſari item, ac euaneſcere aiunt Patrum, ac piorum omnium laudes & ſapientiorum maiores artifici ſummo præſtitas, ac debitas ob vniuerſi atque artificij & diſpoſitionis eius opus. Æquis enim Archytectus, inquiunt, magni artificis laudé à cordato homine aſſequatur, quod caſulam luteam, aut tugurioluum fecerit; ſciatve ac facere poſſit? ſed quod fecerit ingens, & eximiæ diſpoſitionis palatium, gymnaſium, aut ædem, in qua eius ars maximè eniteat & innoteſcat: vereor tamen, nè diuini artificis laudes præcipuè ex aduerſa ſententia euacuentur. Si enim ad optimum faciendum neceſſitatem patiatur, vbi operum eius honeſtas? Siquidem ex ea, æque, quoad exercitium, ipſi relinquetur, vt ſuprà oſtendebam: atque (minimum) prælatio optimi producti, eiuſque artificij præ deteriori neceſſitatis quidem non artis, atque electionis eſt aduerſariis fatentibus. Itaque: vt ſummus ſic laudari poteſt: quod fecerit optimum, cum facere aliud nequeat: quemadmodum adamas, & ſol à Deo nitent, & lucent, quia nequeunt minus nitere, & illuminare; cum tamen præcipua artificis laus in operis electione ſit.

7. Et quidem in luteæ caſulæ, & tugurioli erectione, eiuſque delineandæ ſolius ſcientia, artificis laus non eſſet vero maxima artis laus, & illam, & reliqua, quantumuis perfectiſſima ædificia, eorumque ſtructuram ſingulis aptam ſapientiſſimè comprehendere; quin, vel minimum vel ſummum, eius artis opus artificis ſcientiam prætereat, illud autem ingentis laudis loco meritò haberetur, ſi in caſula illa, & tugurioli, tot tantaque artis ſuæ monumenta opifex poſuiſſet, executuſque eſſet vt artificum quantumvis excellentium reliquorum attem, ſcientiam, & cogitationem longiſſimè anteirent: & tamen plurium adhuc, & plurium perfectiorum adhuc, & perfectiorum in infinitum ſcientia, & ideis inſtructum, & ornatum minutuli illius operis Artificem æſtimaremus. Hæc igitur ſupremi opificis Dei laus vltra æſtimationem creatam in venerabunda Patrum, & noſtri omnium admiratione

miratione semper fuit, eritque semper: in minutulis quibusque eius operibus, & vilissimis, tantum artis sapientiæ, & potentiæ conditoris elucere, vt nulla rationalis creatura, nisi operis ipsius exemplari proposito, ea fieri posse, quæ in eo perspicit, arbitraretur, & sunt tamen in eo plura, quæ tota oculorum, discursuumque attentione, & distentione summa non assequetur. Vade ad formicam vermiculum, nostros abiectissimos, non piget, sed solertissime, vt ingenioli tui fastum deponas: cognosceesque, vel inuitus, nihil te tam accuratæ structuræ opus meditari posse, quod minutuli operis Dei structura non superet: indéque colliges Dei opera omnia, quam a te cogitari possunt longe esse meliora, vt Patres aiebant: quod si, non ea tantum; sed vlterius productis perfectiora in infinitum Dei potentia, mente, arte, & ideis animaduertas contineri, æstimatione, an mentis tuæ stupor succeder?

8. Consequentias plures, & discursus à Spiritu Sancto in scripturis sacris propositos sublata Dei ad optimum necessitate clamat Ruiz euacuandas sect. 14. Prima resurrectionis mortuorum ducta ex eo quod Exod. tertio Deus Abraham Isaac, & Iacob dicatur, *Deus autem non sit mortuorum, sed viuentium*, vt arguit Christus Dominus Matth. 22. Marci 12. & Lucæ 20. & Machab. 2. cap. 12. fine: *nisi eos, qui ceciderant resurrecturos sperauet, superfluum videretur orare pro mortuis*, etenim, & Deus Deus illorum dici poterat ratione animarum viuentium, & pro mortuorum animis sacrificia offerri, vt debitis pœnis soluerentur, atque adeò ex neutro loco resurrectio mortuorum infertur, ni supponamus Deum optimo, & congruentissimo modo rebus prouidere, nè scilicet animæ essentia sua partes, atque ad compositionem & coniunctionem cum corpore natura sua inclinatæ illo æternè priuentur, ac delictorum vtriúsque pœnas, atque in solidum luant. Sed certè plura ad iustam Saduczorum obiurgationem à Christo Domino ob ignorationem consequentiæ resurrectionis ex locis illis ab eis agnita, siue agnoscenda argumentum supponit, quæ absque ignorantia vincibili, & reprehensione iusta tunc potuerunt ab eis ignorari. Primo enim si ignorata necessitate Dei ad optimum consequentia non tenet, hanc quidem ignorarunt; imò absque ignorantia, vt ostendimus, scire non potuerunt.

9. Tenet autem consequentia absque huius, & reliquorum, quæ argumentum supponit scientia in vtroque loco ex verbis ipsis: ex quibus, non oscitanter, lectis, vel auditis resurrectionem colligere debebant. Nam mortui non animæ solæ, sed tota composita ex corpore, & anima sunt, quibus deficientibus vlterius Deus eorum Deus, & dominus non magis esset, quam nos equi mortui, vel domus combustæ: quare, vt Deus post eorum mortem dici ipsorum possit, oportet, vt iterum sint, & proinde resurgant: similiterque, vt mortuis, nec solùm eorum partibus (nempe animalibus) oratio viuorum, vt à pœnis soluantur, proficiat. Ac demum, vt reliquis ad id ab hoc doctore inductis consequentiis satisfiat, satis est dicere (quod verissimum & notissimum est) ex iis, quæ quisque facere consueuit, & si ea faciat, necessitque absque necessitate vlla, quid in simili occasione, vel vrgentiori facturus sit, cordatè colligi, & prudenter à nobis: quia ex factis ab ipso frequentissimè illatum saltem in eis, & similibus ita se gerere liberè statuisse (& si aliter, tam physicè, quam moraliter posset) maximo argumento est: inde ordinaria lege, statuto, & prouidentia, quid Deus facturus sit legitimè deducimus; & tamen extraordinaria prouidentia, suaque potestate liberæ ad vtrumuis voluntatis, dominióque rerum supremo vtentem illum aliter facturum fatemur: quam distinctionem potentiæ, & prouidentiæ Dei in ordinariam, & extraordinariam, ab vniuersa Philosophia, & Theologia receptam aduersa sententia prorsus eliminat. Siquidem, si aliter faceret, quam facit Deus, vt hi aiunt, non foret. Neque vllam in alterutro modo se gerendi difficultatem Deus de se habet, vt contra Izquierdo monstrauimus, cert. 3. vbi strictiori consequentiæ ex scripturæ petitæ satisfecimus. Neque ex sæpe à se factis Dei voluntas inclinationem aut facilitatem habitualem atque ad oppositum difficultatem potest subire.

10. Denique opponit idem Ruiz sect. 11. sublata à Deo necessitate aliqua ad optimam rerum dispositionem & obiectiuam gubernationem tàm physica, quàm morali, cunctam credibilitatis fidei nostræ euidentiam aboleri. Hæc enim desumitur ex sanctitate, & doctrina eam prædicantium, colentium, & sanguine suo eam profitentium, & tuentium: item ex eius antiquitate, & continua diuturnitate, nullaque sui parte discordia, aut repugnantia, aliisque veræ fidei, & Ecclesiæ Dei notis datis à Valentia prima secundæ ad quæst. primam S. Thom. articul. quarto d. 1. quæstion. prima puncto 4. Bellarmino tom. 1. libr. 4. & fusissimè à Bozio libris 24. totis de signis Ecclesiæ: etenim, ni Deus ad optimam gubernationem rerum obiectiuam, magis quàm ad oppositam teneatur, potuit, æque stolidis, ac perditis hominibus reuelare suam fidem, atque multa ex iis pro falsa doctrina disponere: quare ex factis iis à Deo in veræ fidei fauorem nullum euidens, adhuc moraliter, veritatis, & credibilitatis argumentum potest desumi: in primis obiectans ipse numero quarto fatetur posse absolutè facere, vel permittere, vt ex eis pleraque in fauorem doctrinæ falsæ contingerent: quare, & esse Deum, etsi ità contigissent: ergo argumento hoc moralem Dei necessitatem ad optimum à se intentam, cui vtique si deesset Deus, Deus non foret, minimè hîc doctor probat. Secundo: nihil de necessitate Dei de se, naturaque sua, & attributis suis necessariis ad optimum probat: supponitur enim libera Dei intentio suam fidem reuelandi, atque propagandi apud homines, ex qua ad media apta, & conducentia ad eam hominibus suadendam, præ ineptis, imò eius suasioni oppositis, tenetur eligere, vt diximus.

11. Sicuti, & quiuis ex vera, & non perfunctoria, adhuc inefficaci, huius finis intentione media ad finem conducentia, & inducentia, ac non ab illo auertentia (ni amens sit) apponere tenetur: cum autem hominibus ad fidem veram inducendis plus Prædicatorum, & Professorum exempla, quam verba proficiant, si fidei paupertatis, & morum bonorum, quos illa docet auidissimos, ac sceleratissimos quosdam elegisset eis destruendis; & si aliqui essent, euellendis media apponeret, quod ea intentione supposita vesaniæ Deum argueret: quare, etsi alia, quæ ad propagandam fidem naturaliter conducere videbantur supernaturali sua prouidentia suppleuerit, cum pauculos, pauperrimos, atque illiteratos Apostolos, & discipulos elegit, vt fidei suæ orbem subiugaret: siuè, vt ait Paulus, *stulta mundi elegit Deus, vt confunderet sapientes, & infirma mundi, vt confunderet fortes*: attamen neminem futuræ postmodum perditæ vitæ elegit, nec potuit; & si è Telonio Matthæum vocauerit, vt illorum sapientia, & de mundo victoria atque huius subita ad tantam Apostolicam paupertatem ex nimia auaritia, ac ex perditis moribus subita mutatio Deum, & fidei, & sanctimoniæ vltrà eorum vires, & naturæ inueteratam consuetudinem authorem clamarent: ac subinde eam doctrinam sectarentur: & hæc quidem in fauorem doctrinæ falsæ, & erroris facere Deus non potuit; quia ad errorem tunc, & prauos mores inde naturaliter ortos, non physicè solum concurreret, aut efficeret sed moraliter, quia eos illis mediis suaderet: quod non solùm minus bonum eligere, & facere; sed malum morale, & facere, atque in se admittere (quod Deo omninò repugnat) procul dubio foret. Hæc fusiùs persecutus sum, ne tanta authoritatum, & discursuum pro falsa assertione, varietate, & mole veritas sententiæ nostræ apud minus eruditos, & laboriosos disputatores obrueretur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An Dei voluntas contradictionis libertate immediata ad suos actus gaudeat?

DEi voluntatem contrarietatis libertate pollere ex dictis hactenus constat: siquidem velle hunc mundum, & nolle, seù velle non producere, atque ex contrariè oppositis accidentibus velle hoc producere præ alio, libertas planè cõtrarietatis est non obiectiuè, siue ex parte obiectorum solum verum, & subiectiua ex parte voluntatis diuinæ, actuumque eius: quandoquidem ex oppositis actibus volitionis creandi mundum, & nolitionis creandi illum; vel volitionis producendi calorem in hoc subiecto, & volitionis oppositæ creandi in eo frigus, pro suo libito potest eligere, eligítque de facto Deus: vnde necessariò fit. Deum in suæ voluntatis actibus edendis libertate etiam contradictionis mediata vigere, cum actus quiuis ex oppositis, & incompossibilibus excludat aduersum, illius positio alterius aduersi negationem inducit, infertque necessario: quare eadem libertate contrarietatis qua vnus, ad cuius positionem alter excluditur secundario, primariò ponitur, & immediatè, nequit non mediate, & secundariò oppositus actus omitti: quare de libertate contradictionis media talis esse nequit, statuta contrarietatis libertate diuinæ voluntatis ad suos actus quæ eadem mediata contradictionis non esse minimè potest. Sola ergo restat Theologis de libertate immediata contradictionis voluntatis diuinæ ad suos actus concipiendos disputatio, qua nimirum actum eundem independenter à positione oppositi actus, illius suspensione immediate omittere, quin apponat ipsum, vel loco ipsius aduersum: supponitur autem à Theologis hoc ex instituto disputantibus, posse dari in nobis omissionem puram, ne difficultatibus Philosophicis implicentur.

CERTAMEN I.

Negans sententia, consequentiæ examen.

1. PArtem negatiuam docent Scotus in 1. d. 45. quæst. vnic. corp. Marsil. quæstion. 44. art. 2. concl. 2. ad 3. probat. primi argumenti principalis Soar. d. 30. Metap. sect. 9. numero 59. Fonseca 7. Metaph. cap. 8. quæst. 5. sect. 3. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 3. d. 1. sect. 7. fine. Ruiz de Montoia d. 8. sect. med. 3. numero 2. Albiz d. 6. sect. 3. Antonius Perez valiende d. 6. de volunt. cap. 6. Arriaga d. 28. sect. 1. sub sect. 6. ab initio. Ex iis verò qui diuinarum volitionum libertatem effectu, vel actione extrinseca creata constituunt Vasquez 1. p. d. 79. cap. 3. §. *Quartò de Dei voluntate* Hærice disputat. 19. cap. 5. numer. 37. Alarcon disput. 4. cap. 2. Quiros d. 67. sect. 2. Cæterùm, quoad ita constituentes Dei libertatem per extrinsecum Doctores, lis magna est inter præfatos (qui ex illis, vt diximus,) sunt Quiros, & Arriagam: an huius suæ constitutionis actuum liberorum Dei per aliquid extrinsecum absolutè defectibile, consequentiam in negatiua præsente conclusione seruent: non seruare censet Arriaga, imò ab hac in consequentia acriter eiusmodi constitutionem libertatis diuinarum volitionum impugnat ab eius subsectionis exordio. Contra verò Quiros nullam in vtroque inconsequentiam reperiri contendit sect. 1. num. 5. argumenta eius leui manu tangens, nec soluens fortiore; quamuis ea) vt in Arriaga iacent, & premuntur) solidiùs posset dissoluere. Nescio autem an si vlterius premantur, dissolui ità facile queant.

2. Sic igitur horum dictorum in hac negatiua conclusione inconsequentiam ad suam illam constitutionem libertatis volitionum diuinarum per extrinsecum aliquid ducto longiùs Arriagæ discursu ad solutiones, quæ ipsi possent adhiberi: confutandas ostendo, implicat formale constitutiuum vnius esse formale constitutiuum alterius, siue vtrumque positiuum, siue alterum positiuum, alterum verò negatiuum sit; alioqui non duo constituta illa, sed vnum omninò esset: maximè in re præsente, & constitutionis libertatis effectuum diuinorum per extrinsecum: in qua Dei affectus omnes, tam necessarij, quam liberi quoad intrinsecum idem tam realiter formaliter quàm formaliter ex natura rei, seu realiter virtualiter omninò sunt; atqui cum volitio non creandi mundum adesset loco volitionis creandi mundum oppositæ, vel cum adest, vti adest volitio hæc creandi mundum, loco illius non creandi, quæ esse absolutè posset, duo adsunt in diuina voluntate, quæ non esse in illa absolutè potuerunt; nempè & positiua volitio creandi mundum, & negatio volitionis aduersæ non creandi mundum: ast nihil extrinsecum datur, quo duplex illud liberum constituatur præter negationem mundi illius non creandi, qua quidem negatio volitionis creandi illum mundum in horum opinione formaliter libera constituitur, sicuti creatione mundi positiua libera volitio illum creandi in eorum opinione constituitur.

3. Patet: contradictorij quippe negatione, cuiusuis contradictorij positiui, contradictorium negatiuum formaliter constituitur: ergo nihil extrinsecum ab his assignari potest, quo libertas volitionis positiuæ non creandi alium mundum, quam etiam adstruere de facto debes, nè detur pura omissio libera, esse Deo impossibilis sine extrinseco connotato formaliter illam constituente: quod etiam in alia tua opinione reputas impossibile. Hoc porrò argumentum ità instructum facilem, sed minimè fælicem nostri Quiros solutionem ostendit vt pote non satis penetratæ difficultati adhibitam. Etsi enim, in sua, & reliquorum connotantium doctrina, extrinseca quæ ad formalem libertatem diuinæ volitionis formaliter constituendam spectant volitionem Dei intrinsecam, quæ tota supponitur constituta formaliter non constituant; ast liberam, qua liberam constituunt: quare constitutiuum formale negationis volitionis liberæ creandi alium mundum, nequit esse constitutiuum volitionis positiuæ non creandi illum; cum tamen nihil aliud extrinsecum, quo hæc formaliter libera constituatur, vti in connotantium horum sententia debet, vllatenus assignari potest. Valet autem solutio ad euertenda omnia argumenta eiusdem Quiros contra sententiam oppositam libertatis contradictionis puræ, & immediatæ assertam, vt ostendam n. 8.

4. Vrgetur argumentum: quia ea volitionis creationis mundi alterius negatio, est negatio eius volitionis non solum ex hoc, vel illo, vel aliis finibus, sed omnibus; siquidem ex nullo omnium possibilium motiuorum, vel finium est volitio creandi alium mundum: quare ex quacunque fine sit volitio positiua libera non creandi mundi alium negatione creationis creandi alium mundum constitui non poterit: siquidem negatio creationis mundi alterius ex illo fine, negationem volitionis liberæ ex illo etiam formaliter liberam constituit: quare positiuam volitionem non creandi mundum illum ex vllo fine nequit formaliter liberam constituere. Hac ratione præoccupantur euasiones omnes, præoccupantur, quæ ex diuersitate actionum realium, ex solo motiuo, aut fine agentis rationalis, eas actiones volentis, in quam nostri connectores extrinsecorum ad libertatem diuinorum affectuum maiori tuendæ doctrinæ necessitate, quàm voluntate, aut verò similitudine acti fuerunt; neque tamen hactenus ab ipsis ad inuenta elusioni argumentorum sunt satis; ut principium aliud addatur, quo eiusmodi doctrina auribus mitiùs insinuetur, vt videbimus q. seq. cum eorum doctrinam emolliamus certamen. 2. Mitto aliàs ex finis volenti negationem volitionis creandi alium mundum, etiam illam, quam, vt præcipuam, insectatur Arriaga n. 42. *est improbabilis soluto.* Adeò enim etiã hæc friuola solutio est, vt videatur solùm ad bonas impugnationes confecta.

5. Minùs

5. Minori sanè luce illustratam, quam nos proposuimus connotatorum in negatiua præsente conclusione inconsequentiam euidenter deprehendi putauit Arriaga. Verùm quam longè ab euidentia eorum inconsequentiam probet, facilè deprehendet, qui eius difficultatis à nobis etiam promotæ & vlteriùs illustratæ, facillimam videat solutionem non æqua facilitate impugnandam. Ea verò è notissima diuersitate apponendi negationem positiuæ entitatis, cui contradicit, petitur, & clarescit: si enim ex libertate contradictionis formaliter, & immediatè apponatur libera immediatè, & in se, atque liberè absolutè apponitur: sic nos, cum potentes etiam assentiri vocationi non assentimur, quin tamè dissentiamur, liberè atque immediatè, & in se formaliter liberam assensus negationem apponimus. At verò cum eam apponimus ex libertate contrarietatis inter assensum, & dissensum vocationi eidem, quia primò dissentimur, negatio etiam assensus à nobis apponitur non tamen libere: quare nec in se immediatè formaliter libera; sed necessariò ex dissensu præsuppositò ob assensus cum contrario dissensu naturalem incompossibilitatem.

6. Cùm verò iuxta connotatores pro diuersitate solùm liberi exercitij diuinæ voluntatis diuersa connotata debeant assignari: nunc autem asserant, Deum circa quodlibet obiectum, siue positiuum, siue negatiuum debere actu positiuo versari: fit, vt circa mundi creationem v. g. duplici actu positiuo, & contrario versari Deus eorum sententia præ suâ libertate possit: *volo creare seù creationem mundi, vel volo non creare siue negationẽ creationis mundi*, eiusdemue subinde negationem volendi creationem mundi, quem non creauit ex libertate contrarietatis volendi illam præ volitione creandi appositam esse ob incompossibilitatem cum volitione non creandi: ad quam negatio volitionis oppositæ creandi illum mundum necessariò posita fuit: quare non in se immediatè, & formaliter libera; sed necessaria, solùmque libera mediatè, & in alia volitione non creandi mundum illum, quam necessariò consequitur: quare malè quæritur in opinione connotantium constitutiuum libertatis extrinsecum pro negatione volitionis creandi mundum diuersum à constitutiuo volitionis non creandi illum, cum illa solum huius libertatem iuxtà præsentem conclusionem sortiatur.

7. At inquies: negatio creationis mundi alterius satis habet, vt suo modo in rebus sit, atq; à Deo apponatur negatione volitionis creandi mundũ alterum, vt patet: sicut cuiusvis agentis sublatione eius actio & effectus perit, ergò opus non habet volitione positiua Dei: ergò non est necessaria volitio Dei, vt sit negatio creationis mundi alterius: ergo, & potest esse à Deo per puram omissionẽ volitionis. Hoc medium contra connotantes speciatim non est, sed vniuersim contra omnes negatiuæ sententiæ Doctores; patuit; vrget: etsi enim creationis mundi negatio volitione positiua Dei de ipsa non egeat; eget tamẽ Dei perfectio ob rationes, quas nobis cert. 2. opponemus, positiua volitione in illam ferri. Nec minus communis impugnatio est, negationem creationis nullam bonitatẽ habere, ac proinde non posse à Deo positiuè amari: sed fruget: quia in ordine ad puram potest conducere, atque ex adiunctis motiuis honestari: & si quid, probaret Deum ad actus suos libertatem contrarietatis non habere circa obiectum idem: cum velle solum illud iuxtà hanc rationem posset, vel non velle, non autem velle, vel nolle, quod contra omnes est.

8. His reiectæ obiter manent affirmantis sententiæ probationes leues: negantesque connotatores ab inconsequentia vindicati, contra quos illud solummodo speciale, ac solidum est, non posse scilicet illos negatiuam hanc conclusionem verosimili adhuc ratione probare: cum enim quæuis, Dei volitio libera, siue directa, siue reflexa extrinsecum solummodo volitioni Dei intrinsecæ addat, nihil bonitatis, & perfectionis intrinsecæ, & diuinæ, imò neque intrinsecum aliquid, ad quod bonitas, & perfectio intrinseca diuina, quasi extẽdatur, & explicetur, affert, cum adest, autertuè cum abest: quare Deus æquè perfectus non intrinsecè solùm, verùm, & extrinsecè erit omissione pura volendi liberæ creationis mundi alterius, atque volitione libera negationis creationis mundi; vt de esse patet; quare etsi non inconsequenter, ast irrationabiliter connotatores extrinsecorum ad libertatem affectuum voluntatis diuinæ constituendam, in præsentem negatiuam conclusionem ibunt.

CERTAMEN II.

Affirmans sententia statuitur, & propugnatur.

1. CEnseo Dei voluntatem libertatem contradictionis, nec solum contrarietatis ad suos actus ergà creata obiecta habere: quare posse pure suspensiuè se in cuiusvis omissione habere, quin contrarium actum debeat apponere, vt ratione incompossibilitatis cum ipso actus alius necessariò consequenter omittatur, & absit: ac subinde omissionem cuiusvis actus diuini, & appositionem actus oppositi, posse immediatè proximè & formaliter liberos esse, atque à voluntate diuina prodire ità censent Ferrara in 1. S. Thom. cont. Gent. cap. 81. vbi aliquatenus Sanctus Doctor videtur fauere, Gonzalez, Albelda Dominicanus 1 p. disput. 52. sect. 2. Nostri etiam Albertinus tom. 1. princip. 4. quæstion. 4. Theolog. dub. 2. numero 9. Fasolus 1. part. quæst. 14. art. 13. dub. 16. numero 282. quos in hanc Conclusionem inclinare fatetur Quiros sect. 3. initio sed in homine, qui in dubium vocat; an Vasquez noster præfinitionibus antecedentibus Soaristicis nostrorum actuum liberorum per scientiam mediam regulatis consentiat, vel aduersetur? (cum tam longam contra Soarium disputationem Vasquez texuerit, contrà electionem efficacem de se hominum ad gloriam ante præuisa merita eo quod horum libertati ac meritis repugnet) dubitatio nedum inclinationis in suæ aduersam sententiam aliorum doctorum confessio pro legitima horum mente, & citatione habenda est. Refert item pro nostra hac sententia Recentiores citatos à nostro Luisio Torres 2. 2. Typographi vitio disp. & dub. falsò numeratis, & quidem, cum apud antiquos doctores quæstio hæc ex instituto disputata non fuerit: imò neque obiter ab aliis, præter Scotum, & Marsilium, negata Deo contradictionis ad suos actus libertas suspicor à Thomistis Dominicanis illam cum Ferrara, imò & à priscis reliquis suppositam: cum nemini eorum vtrúmque libertatis genus non innotuerit, neutrúmque fuerit ab eis Deo denegatum.

2. Probatur conclusio. Libertas contradictionis æquè, ac contrarietatis in nobis quid creatum est: ergo à Deo ex arte sua productum; ergo productum ex aliqua idea, & exemplari diuino atqui ni in Deo sit formalis, & propria contradictionis libertas non erit in Deo nostræ huius libertatis idea, & exemplar ex quo à Deo, & ex arte producatur: ergo est in Deo contradictionis ad suos actus formalis immediata libertas: in primo antecedenti supponimus, quod supponi ab omnibus in hac Theologiæ quæstione monuimus præfatione quæstionis fine: nẽpe in creaturis rationabilibus, earumq; voluntate, & arbitrio dari formalem libertatẽ puræ contradictionis; nec solum contrarietatis. Duplex inde deducta consequentia certa ex Theologicis principiis est, atque à nullo Theologo neganda; subsumptum verò postremæ, è duabus illis, consequentiæ adiunctum probatur: quia, si in Deo tantum sit contrarietatis, non autem contradictionis ad suæ voluntatis actus libertas; solum erit in Deo exemplar progressionis ad omissionem liberam à voluntate mediate, & in alio, in se autem necessariam; non autem progrediendi immediatè, & in se liberam: quandoquidem egredi in se immediate liberam omissionem diuinæ volitionis, in aduersa sententia solum admittente libertatẽ contrarietatis, neganteque libertatem contradictionis ad suos actus in diuina voluntate est illi prorsus impossibile. Confirmatur: quia exactissimam diuini exemplaris, siue Dei imaginem in hominis formatione, & creatione adeò tentatam accuratissimo studio, dispositam perfectissime Genes. 1. in libertate voluntatis, & arbitrio creato Patres in primis recognoscunt: quos magno n. recitauimus. t. 1. de Deo vno contr. 3. d. 1. de prædeterminatiuis Thomisticis præfinitionibus disputantes.

3. Nec satisfacies, si dicas: exemplar, & ideam diuinam non debere esse formaliter respondentem prædicatis, quæ in creatura ad eius exemplum & imitationem à Deo exprimuntur; sed satis esse creaturæ

formatæ ad exemplar idearum diuinarum eminenter in illis contineri; ſicuti ſatis eſt vt actiuè à Deo fiant, contineri illas eminenter in virtute, & potentia Dei: ita ergo in libertate contrarietatis perfectiſſimæ diuinæ, quæ ſola in oppoſita ſententia Deo poteſt competere, & contradictionis creata libertas eminenter continetur, ad cuius exemplar proinde delineari à Deo, ac ſculpi in nobis valeat. Etenim, etſi idearum, atque exemplarium diuinorum in creaturæ prædicatis expreſſio omninò illis conformis formaliter eſſe nec debeat, nec valeat, cum in quouis genere, & linea hæc ſint, infinitè à prædicatis diuinis lineæ, & generis cuiuſque ſuperentur: aſt generis, & lineæ eiuſdem eſſe debent prædicata diuina, vt creatorum eiuſdem lineæ ideales cauſæ, & exemplaria eſſe poſſint. Pone Deum non intellectiuum, nec intelligentem per impoſſibile, omnipotentem, tamen creaturæ rationalis idea, & exemplar nullius Theologi ſententia eſſe poſſet; & ſi ratione prædicati alterius ſuperioris, & eminentioris actiuum principium eminentiale eſſe valeret: vti ignis, & ſol caloris, & lucis principia actiua ſunt, cum quibus nullo prædicato formaliter concordant: quia ad continentiam eminentialem actiuam ea formalis correſpondentia producentis, cum producto non requiritur, ſed ſatis eſt eminentior agentis entitas & virtus toto etiam genere ab effectu diſcordant.

4. Continentia verò idealis formalis prædicati ad prædicatum cuiuſvis generis, ſicuti in ideis, & artefactis materialibus lineæ ad lineam, & formæ, ſeu figuræ ad figuram formalis correſpondentia eſſe debet; quin ſatis ſit ſpecioſiorem formam, aut faciem eſſe, vt exemplari deformiori ſubſtituat. v. g. ſpecioſiſſimus homo in equi aut ſimiæ depingendæ exemplar nequit adhiberi: vnde fit prædicatum entis à ſe in quo prædicata reliqua diuina, quorum imitatio in creaturis eſt, tanquam in radice, quam metaphyſicè ſequuntur, continentur, ideam, ſolius prædicati entis in creaturis reperti; & exemplar proprium & formaliter eſſe, non reliquorum, quæ in creaturis reperiuntur: quouſque eiuſdem lineæ prædicata Deo formaliter poſterioribus ſignis metaphyſicis adueniant: id quod Patres, & Theologi omnes ſupponunt, & expreſſe aſſerunt eorum plerique, qui de ideis diuinis explicatius diſputarunt, dum ideas diuinas pluraliter nominant; cum tamen prædicatum entis à ſe vnum, & metaphyſicè adhuc inſectile eſſe cognoſcant.

5. Nec obſtat Deum non habere prædicata plura eiuſdem lineæ cum creatis aliquarum creaturarum, quas tamen non ſolum actiue, ſed idealiter etiam cauſat: ea quippe prædicata imperfectionem dicunt verbi gratia corporeitatis in corporibus creatis, ſecundum quam præciſe ab idea, & exemplari diuino formaliter non prouciunt; quin imò ab eis, ſicuti, & creata omnia, in prædicato entis ab alio neceſſario deficiunt: ſunt autem materialiter creata omnia phyſicè à Deo, vt exemplari, & idea; formaliter verò ſecundùm ea prædicata, quæ in ſua linea imperfectionem non inuoluunt, quorum titulo Dei, vt exemplaris imagines, viliſſimæ etiam, & abiectiſſimæ creaturæ ſunt: etſi rationales creaturæ atque corporeis ſolus homo imaginis diuinæ nomine dignatus à factore ſuo Deo merito fuerit: quia pleriſque prædicatis aſſimilatur, ac pleraque attributa, & perfectiones præ corporis creatis reliquis refert; in aliis verò, quæ tam homo, quam creata reliqua non referunt; ſed à diuinis prædicatis deficiunt, Dei imagines formaliter non ſunt; non quidem ex artificis Dei, ac diuinæ artis defectu (vti in imaginibus ab artifice creato factis atque aliquatenus ſiue multum: ſiue parum à ſuo exemplari deficientibus vſu venit) ſed ob materiæ incapacitatem.

6. Ex toto igitur diſcurſu hoc ſic breui ſolutionis impugnationem efformo: ideæ diuinæ cauſalitas formaliter talis importat eſſentialiter correſpondentiam in prædicatis formalibus, eiuſdem generis, & lineæ inter creaturam, & Deum ad cuius exemplar idealiter cauſatur; in eoque cauſalitas diuina idealis à cauſalitate diuina actiua creaturarum differt: aſt creatura rationalis in prædicato libertatis, in primis, & maximè, eſt imago Dei abſque vlla limitatione libertatis alterutrius generis contrarietatis, aut contradictionis iuxta Patres, & Theologos omnes, atque adeò in eo formaliſſimè cauſatur idealiter à Deo: ergo in ea linea libertatis, tam contrarietatis; quam contradictionis admiſſæ in creatura debet deti formale prædicatum correſpondens in Deo. Nec ſatisfacis, ſi dicas: eam ſimilitudinem formalem, & formalem correſpondentiam in linea libertatis abſolutè à Patribus aſſertam ſufficienter ſaluari per formalem correſpondentiam libertatis generice, quæ in ſpecie libertatis contrarietatis voluntatis diuinæ ad ſuos actus actæ aſſertæ continetur: quia in ſpecie libertatis contradictionis, quæ in creatura admittitur imbibuntur imperfectiones, quæ in Deum cadere nequeunt; ac proinde, vt nunc dicebamus, in eo ſicuti, & in aliis, quæ in libertate creata imperfectionem dicunt, formaliter effectus idealis Dei eſſe nequit, ciuſve formalis imago; imò verò à ratione formali imaginis, vt in aliis dicebamus deficiet.

7. Dupliciter effugium hoc præcludo: Primo poſitiuè oſtendendo libertatem contradictionis, tam longè ab imperfectione libertatis eſſe, vt potius perfectionem libertatis importet: ſecundò: reijciendo imperfectiones, quæ Deo ex libertate contradictionis ad actus ſuæ voluntatis ſuccreſcere poſſe videbantur. Primum (quod ſecunda noſtræ ſententiæ probatio præcipua eſt) ſic præſto: libertas voluntatis ad ſuos actus eſt poteſtas, & dominium voluntatis in illos: ergò, quo maior fuerit poteſtas abſolutiſque in illos dominium, eo abſolutior, perfectiorque in genere ſuo erit voluntatis libertas Deoque ſubinde, eiuſque voluntati, quæ in ſuo genere ſumma abſolutiſſima, & perfectiſſima libertate ad ſuos actus debet pollere, eſt concedenda: atqui libertas contradictionis vltra libertatem contrarietatis voluntatis ad ſuos actus maiorem dicit poteſtatem, & abſolutius dominium voluntatis in illos; imò abſque vtriuſque libertatis coniunctione in voluntate nequit eſſe eius in ſuos actus poteſtas abſolutè talis, abſolutumque dominium in illos: ergo neque abſoluta, nedum abſolutiſſima, ſumma, & perfectiſſima libertas: ſubſumpti veritas exemplo domini ciuilis ad oculum, vt aiunt, monſtratur: qui enim in rem aliquam (puta pecuniam, pallium) poteſtatem ciuilem haberet ſolummodo vendendi, aut permutandi: non autem donandi, non ſolum minorem poteſtatem, curtiuſque dominium ciuile in illa haberet, quam ſi haberet vlterius etiam poteſtatem ea donandi: verum neque abſolutam in ipſa haberet ciuilem poteſtatem, abſolutumve eorum dominium in ſolidum, quod aiunt: atqui ſola libertas contrarietatis voluntatis ad actus ſuos ſecluſa libertate contradictionis ad illos, ſolum dat ipſi poteſtatem permutandi vnum actum ſuum pro alio, vt aduerſarij fatentur, aientes, opus eſſe, vt voluntas ſolummodo libera libertate contrarietatis actum oppoſitum eliciat, vt oppoſitum alterum omittat: ergo voluntas, quæ ſolum habet libertatem contrarietatis non autem contradictionis, etiam ad ſuos actus, non ſolum minorem naturalem poteſtatem, & curtius dominium in illos habet, quam haberet, ſi vtramque ad illos libertatem haberet; ſed nec habet in ipſos abſolutum (ne dum ſummum) dominium & in illos naturalem poteſtatem.

CERTAMEN III.

Solida à ſolutione obiectionum probatio tertia.

1. SEcundum (quod eſt tertium noſtræ concluſionis argumentum) præſto oſtendendo omiſſionem peram volitionis diuinæ de mundi creatione nihil perfectionis diuinæ intrinſecæ, & diuinæ voluntatis, ciuſque exercitij minuere; etſi loco volitionis illius volitio negatiua negationis creandi mundum in voluntate diuina non ſubſtituat: id autem in connotatorum ſententia qui id etiam opponunt clariſſimum eſt, vt diximus ea tam. 1. numero 8. quare incaſſum multis reflexionibus diuinarum volitionum ſupra ſeipſas defectum perfectionis hunc in voluntate diuina dedacere ex puræ omiſſionis poſſibilitate corroborat Quiros numero octauo & nono cum ex connotatoribus ſit; ſed in non connotatio ciuſ ſententia ſpeciem difficultatis habent: cum enim volitio libera creàdi mundum diuinum quid, & intrinſecum habeat

habebit formaliter imbibitam bonitatem, & perfectionem, quæ si pure omittatur, aberit à Deo, quin volitio contraria de non creando mundo loco illius substituens bonitate & perfectione sua, cum pure altera omittitur, bonitatis, & perfectionis illius defectum compenset: ergò minus bonitatis, & perfectionis adest Deo, cum purè omittit velle creare mundum, ac quando vult illum creare, vel vult positiue non creare illum. Nihil diuinum adhuc ex necessariis dicere formaliter bonitatem, seu perfectionem, vti, nec entitatem de personalitatibus docui contr. de Trinit. d. 6. q. 3. & hic contr. 1. disp.... q.... quo argumentum euanescit.

2. Instas: & si vna solum entitas, bonitas, eaque indiuisim tota formaliter essentiæ sit: at verò reliqua intrinseca diuina prædicata identitatis cum essentia, iure ac subinde cum eius bonitate bona & perfecta adiectiue, sicuti, & entia, vera, ac non per rationem ficta sunt vt citatis locis ostendimus: ergo saltem minus bonus adiectiue, & extensiue, & imperfectior Deus erit, sine eius vnica bonitas ad pauciora prædicata intrinseca Deo se extendet, atque in paucioribus explicabitur, ac eluescet, cum libertate contradictionis pure & immediate omittit: ergò extensiue saltem non est adeò bonus, & perfectus, si pure omittit ex immediata contradictionis libertate, ac cum omittit ex libertate contrarietatis oppositum actum omisso, seu omittendo substituens, ad quem æque atque ad omittendum, sese diuina bonitas extendat, & in quo æquè explicetur, & eluceat, atque extenderetur, eluceret, explicareturque in omisso, si adesset: vrgetur: quia, etsi personalitates diuinæ bonitatem, & perfectionem diuinam in se formaliter non imbibant: quia tamen eam identitatis iure participant, ac subinde bonæ, & perfectæ adiectiue sunt ex negatione, & puro defectu personalitatis cuiusuis minus bonus, & perfectus, imò absolute imperfectus Deus foret: ergò etiam ex negatione, & puro defectu volitionis liberæ puræ omissæ quin opposita volitio substituat, in qua diuina bonitas explicetur æquè, & eluceat, atque in opposita omissa eluceret, ac explicaretur, minus bonus & perfectus, imò absolute imperfectus Deus erit quod implicat: ergò, & implicat in Dei voluntate pura omissio, siue immediata contradictionis libertas ad suos actus, & eorum omissiones, ex qua ea repugnantia infertur.

3. Respondetur primo, implicare in terminis minus bonum, perfectumque absolute Deum absolutè esse persistente, tam formaliter, quam illatiue tota eius perfectione, & bonitate, vt argumentum supponit. Solum quippe ex formæ denominantis imminutione eius denominatio, & formalis effectus potest decrescere; dummodo subiectum (sine quo denominatum formaliter, seu totum, non adest, qui formalis eius formæ effectus est) totam formam denominantem recipiens perseueret: vti in casu omissionis puræ Deus, eiusque voluntas, & volitio quoad necessaria perseueraret; etsi libera alia opposita non substituat omissæ, vt ex dicendis q. 6. de constitutione libertatis volitionum liberarum Dei formali (quantum in hac vita fieri potest) clarebit: solum, vt summum, infertur non fore in Deo aliqua adiectiue bona & perfecta ac propterea numerum metaphysicum ita adiectiue bonorum, & perfectorum decrescere & Deo deficere (quod in contingentibus, & liberis Dei prædicatis nullius incommodi & absurdi est) non autem ea, quæ in Deo persistunt, vt Deus ipse, minus perfecta bonaque esse, nedum absolutè imperfecta, vt patet. Hinc ad confirmationem à paritate personalitatum diuinarum (quæ æque ex aliis attributis diuinis communibus duci etiam posset) respondeo facillime.

4. Non enim ideò minus bonus, perfectusque, nedum absolute imperfectus, Deus foret personalitate aliqua, vel pluribus deficientibus: quia aliqua eadem bonitate adiectiue bona & perfecta ipsi tunc deficerent sicuti nec deficiente palmo vlnæ eadem omnino albedine per singulos eius palmos replicata tres reliqui palmi minus albi, vel intensiuè, vel extensiuè minus albi essent, diciuè propriè possent; sed quia, tam personalitates, quam reliqua necessaria Dei attributa metaphysica agnata metaphysicè, naturaque, & essentia sua identicè connexa physicè cum essentia, ac proinde cum entitate, bonitate, & perfectione diuina per locum ab intrinseco, siue per se quarto modo, sunt: quare quouis eorum deficiente Dei bonitas illatiuè deficeret: vnde minus bonus, & perfectus, imò absolutè imperfectus Deus, quouis ex necessariis deficiente, foret; non ex defectu formaliter alicuius adiectiue boni, ac subinde minoris, siue minus extensi, & ampli numeri metaphysici adiectiue bonorum; sed illatiuè ex defectu, non partis solum, sed totius bonitatis, & perfectionis diuinæ; quæ ex necessarij cuiusuis prædicati diuini defectu defectura infertur, ac per locum ab intrinseco per se quarto modo colligitur: quod ex liberæ volitionis, contingentisque cuiusuis diuini prædicati defectu omnium sententia non infertur.

5. Respondeo secundo admittendo ex defectu alicuius solummodo adiectiue metaphysice boni minus, curtiusque bonum, & perfectum Deum fore (quod falsum esse proximè ostendimus) adhuc nihil imperfectionis in Deo hoc argumento ab aduersariis probari in suppositione possibilitatis puræ omissionis suorum actuum à creata voluntate: etenim in huius suppositione, atque immediatæ libertatis contradictionis ad illos, atque ad meritum in omissione volitionis actus prohibiti; in hac ex honesto motiuo proposito, ne velit actum prohibitum, cum eius propositione à volitione actus prohibiti de facto detinetur, illamque pure omittit, est moralis bonitas, & honestas: ergo: & in omissione pura Dei ab actu aliquo, ex fine eodè honesto, ex quo illius omissionem, vel negationem actus intrinseci posset velle (puta ex motiuo exercendi suam libertatem, vel quopiam alio) erit etiam honestas æquiualens volitioni faciendi aliquid extrinsecum, quæ æquiualeat, compenseteque eius moralem honestatem; quin opus sit substituta volitione positiua libera non faciendi illud extrinsecum, seu non eligendi volitionem faciendi illud, qua volitionis huius honestas, & bonitas compensetur.

6. Sed neque negatiuum exercitium libertatis minus capax est susceipiendi physicè denominationem bonitatis, & perfectionis diuinæ, quam libera volitio, siquidem quoad positiuum actus nihil omninò addit volitio libera Dei supra necessariam, quam supponit (& si tota intrinseca Deo sit libera volitio) cui tanquam positiuo communicari diuina bonitas possit: nihilque eius omissio de volitione necessaria præsuppositа etiam detrahit, vt minus aliquid positiuum relinquat cui diuina bonitas communicetur: quin positiuæ entitati volitionis Dei necessariæ identificatur omnium sententia: siue enim omissio volitionis liberæ creandi mundum alium immediata libertate contradictionis (vt nos fieri posse asserimus) siue solum mediate libera ex libertate contrarietatis, absolute tamen in voluntate Dei non est volitio creandi mundum illum: ac proinde in voluntate Dei absolutè est eius volitionis omissio: quoad exercitium verò libertatis, à qua omnino sunt, tam volitio illa mundi alterius, quàm eius omissio sunt prorsus æquales, nec aliam habet formam vna, quam alia: sed voluntatem eandem indifferentem, à qua, & cuius exercitium liberum in alterutra est, vtraque habet: quare in ea libertate voluntatis in actu secundo, quod supra necessariã Dei voluntatem, & volitionem addit alterutra, & ad quam in quouis earum Dei bonitas, & perfectio extendi specialiter potest, & explicari, æque sunt ambæ capaces vt ad eas extendatur & explicetur: imò ad plura extendi potest exercitia libera; si vtrumque, & contradictionis, & contrarietatis libertas in diuina admittatur voluntate.

7. At instat Quiros: quidquid in Deo sit volitio libera non esse in ea aliquid mali, sed boni; imò summi boni, saltem adiectiue dicti, à summa bonitate Dei, & de cuius præsentia Deus gaudeat, cum ipsam volitionem non ignoret dum adest: quare, cum nihil sit Deum à suæ volitionis amore retrahens, necessariò in ipsam, aliquamve loco eius feretur, vel vtramque pure omittet: gaudio nimirum vtriusque priuatus. Respondetur liberum, & contingens quoduis eo præcise, quod contingens sit, non esse bonum necessarium, ac necessariò à Deo amandum, alioqui contingens non esset, nec vnum loco alterius posset à Deo substitui, vt ad libertatem contrarietatis tuendam fieri posse aduersarij fatentur: etsi enim diuina volitio libera, qua talis, intrinseca omninò Deo, ex suppositione quod sit, bonitate infinita Dei bona infinitè sit; tamen pro priori voluntatis diuinæ ad suum exercitium liberum, non supponitur existens, aliquod

eius exercitium liberum, sed solum possibile contingenter: in quo, & negationis suæ actualis, & exercitæ possibilitas (vndecumque apponi à voluntate possit) & contingentia continetur. Ex qua vtriusque extremi contingentis propositione constat alterutrius bonitatem solum proponi in vtroque extremo, & in alterutro solummodo possibilem, & ex vtriusque defectibilitate, in quouis eorum defectibilem: quod satis est, vt neutrum ex illis amari necessario à Deo debeat: sicuti amari necessaria omnia debent: vt autem aliquid non ametur necessario non est opus mali aliquid positiui habere; sed non esse necessario bonum, sed contingens à contingentia sui: & si non bonitatis, qua, casu quo fuerit, bonum erit.

8. Præterquam quod defectus extrinseci boni, & conuenientiæ, ob quam hæc volitio (ex qua velis libertate) à Deo non erit; sed eius potius negatio, satis boni oppositi, quod hic, & nunc ipsi non adest erit, vt volitione illa voluntas Dei abstineat, puréque omittat, sicuti, & satis est, vt omittat illam volitionem, cum ob eandem bonitatem, & conuenientiam extrinsecam, ex libertate contrarietatis non illam volitionem liberam apponit Deus; sed aduersam in aduersariorum sententia: illud de defectu gaudij de illa volitione fruolum est: nam, cum volitio ipsa contingens sit, & cuius defectus imperfectionem in Deo, seu perfectionis diuinæ imminutionem non arguat, ità neque reflexi gaudij illius (quod è sui etiam obiecti contingentia est contingens) defectus diuinam minuet perfectionem, nedum Deo imperfectionem appinget. Adde æque Deum de vero suo exercitio libero in omissione pura volitionis illius lætari posse; imò, & de facto gaudere ob eius, tum moralem, tum ob physicam bonitatem, cum pro suo arbitrio contigerit, ac de ipsa libera volitione, quæ omittitur, vt diximus num. 5. & 6.

9. Denique leuissime opponit idem author: non processurum Spiritum Sanctum ex omni exercitio libero voluntatis diuinæ si purè Deus è contradictionis libertate omittat; cum è carentia pura voluntatis, & volitionis procedere nequeat: etenim: si de processione perse quarto modo Spiritus Sancti loquatur, exercitio illum libero aliquo procedere absurdum & censura dignum erit, si asseratur; si materialiter solum, & identicè potius infertur negato exercitio libero contradictionis voluntati diuinæ non procedere illum ex omni exercitio libero, quam si hoc etiam exercitium liberum admittatur: iam dixi purâ, quam in Deo omissionem admittimus omnes, positiuum volitionis necessariæ includere, & positiuam indifferentiam voluntatis diuinæ in actu primo, omnium etiam sententia, quo ratio tacta cessat: quomodo autem volitionis, qua qua liberæ, omissio, quæ eius, qua talis, puram carentiam sonat, diuinæ voluntati, & volitioni identificetur, Mysterium libertatis diuinorum actuum est: nec minori difficultate in identitate in aduersis seque mutuò excludentibus volitionibus diuinis q. 6. explicandum; si status viæ plenam eius difficultatis complanationem, & explanationem assequi possit.

QVÆSTIO V.

De affectuum liberorum Dei extensiua, quoad durationem, magnitudine.

QVæstionem circa necessariam affectuum diuinorum tota æternitate durationem à Theologis antiquioribus suppositam potius, quam ex instituto disputatam Recentiores motis, ac expensis hinc inde difficultatibus iusto longiorem fecerunt; nobis autem iusta dignam disputatione: ex duplici autem capite necessaria volitionis liberæ per totam Dei æternitatem duratio in quæstionem videtur vocari. Primum, quia semel habita per liberam aliam contrariam à Deo, vel de se, suaque præcisa libertate, vel etiam motiuis aliquibus occurrentibus conceptam deficiat: sicuti primo non ipsa, sed eius loco opposita libertate contrarietatis concipi à Deo potuit. Secundo quia è Dei libertate contradictionis, quam q. 4. statuimus, vel in tempore incipere, vel succedente, aut successuro tempore omitti pure à Deo possit ac cessare: nullo siquidem tempore libera Dei volitio siue ex libertate contradictionis, siue contrarietatis à Deo habita, libera non est: quare ita esse pro quouis instanti temporis debet, vt absolute pro priori naturæ ad eius in actu secundo positionem potuerit non esse: quare etsi ex suppositione quod in hoc instanti sit consequenti impossibilitate non esse nequeat; absolute tamen in secundo pro priori, ad eius in ipso positionem non esse poterit ex alterutra libertate ita in primo fuit, vt pro priori illo signo non esse absolute potuerit: vtrinque ergo examinanda in præsentiarum quæstio erit.

CERTAMEN I.

Ex diuinæ volitionis liberæ positiua retractatione per aduersam nequit libera Dei volitio cessare per scripturam, & Patres.

1. CONclusio hæc domatica est à nullo Catholico Doctore negata num. 23. *non est Deus, quod homo vt mentiatur: neque, vt filius hominis vt mutetur.* 1. Reg. 15. *Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.* Mal. 3. *verbum autem* (voluntatis præscitum) *Domini manet in æternum:* & 46. *Consilium meum* (decretum) *stabit & omnis voluntas mea.* &c. Malach. 3. *ego Dominus, & non mutor.* Prou. 19. *Multæ cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini in æternum manet.* Iac. 1. *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:* agit autem de voluntate donandi nobis spiritualia dona, & regenerationem per baptismum. Ad Hebræos. 6. *in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles* (nempe pollicitationem, & iuramentum) *quibus impossibile est mentiri Deum fortissimum solacium habeamus:* id de superabundanti duabus aliis firmitatibus immobilitatem Consilij sui de sese, nempe promissione, & iuramento, quibus nobis maximè propositi, & pacti nostri firmitas innotescit, & immediate dixerat, ostenderet.

2. Ad hanc autem Consilij sui, seu decreti diuini immutabilitatē ostendendam scripturáque facienda, futuráque ex eo sunt, pro factis, & præteritis quandóque recensetur: docte Hieron. in id Ephes. 2. *conresuscitauit, & consedere fecit,* Theoph. ad illud Oseæ 5. *in die redargutionis manifestauit ibi:* ac Patres plures apud nostrum Ruiz d. 25. de scient. sect. 4. ad illud Isaiæ. 45 iuxta Septuag. *qui fecit ventura.* Solos ad hæc verba recitabo Bernard. serm. 68. in cant. inter med. & finem sic fatum. *Nam & de meritis quis felicitas sit, cuis de proposita Dei firmior suppetit, scientiave gloriandi ratio? Non potest se ipsum negare Deus neque non facere, quæ iam fecit, vt scriptum est: qui fecit, qua futura sunt faciet; nec deerit proposito suo Deus,* & Fulgentium 1. ad Monim. cap. 12. sub init. eius sententiæ propheticæ ità rationem reddente, *in illa quippe immutabilitate Consilij sui secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. Ex æternitate dispositionis sua in præfinitione iam fecit, quæcunque effectu operis sui tempore congruo facienda disposuit:* quibus locis & aliis quibus similiter Anselm. de concord. liberi arbitr. cum prædest. col. 5. & 6. Ino Mag. serm. 16. de possib. c. 2. & alij Patres recitati à nostro Ruiz de scient. d. 25. sect. 4. & d. 31. sect. 4. iuxta ea Isaiæ. certitudinē effectuum prædestinationis ex immutabilitate propositi, & voluntatis probant; non quidem ex efficacia voluntatis antecedentis Dei circa nostram salutē, & merita, reliquosue prædestinationis effectus, qui, vel liberi actus prædestinatorū sunt, vel hos supponunt secundū se ipsos etiam per scientiam mediam regulatæ præcise, eorum effectuū certitudinē præfatos Patres probant; nequeunt enim ita efficaciter antecedenter salua eatū libertate præfinire,

vt

vt d. 5. ostēdemus: sed ex immutabilitate efficacis voluntatis Dei conferendi auxilia regulatæ per scientiam mediam de eis effectibus liberis sub eiusmodi auxiliis, quæ si donentur habitura effectum conditionate sunt præuisa, vt ex vtroque, nempe immutabilitate diuinæ voluntatis efficacis de auxiliorum collatione, & scientiæ mediæ ordine prædestinatiuo ad illam voluntatem necessariò præsuppositæ eorum effectuum infallibiliter certitudo conflatur: vt de prædestinationis certitudine agentes fusius explicabimus.

3. Pro immutabilitate liberæ Dei volitionis per eius ad aliam aduersam conuersionem ea omnia Patrum testimonia faciunt, quæ certam. 2. pro immutabilitate eius negatiua seu pura cessatione ab affectu, quem semel concepit efficaci, recitabimus. Neque enim primò habita voluntas efficax contrariam efficacem aliam compati potest: quare ex primæ illius necessaria per æternitatem, & ex æternitate consistentia aduersæ alterius impossibilitas, ad eamque incommutabilitas legitime deducitur: solum ergo recitandi hic sunt Patres, qui de immutabilitate voluntatis Dei à positiua in positiuam aduersam volitionem loquuntur, etsi in eorum aliquibus ratio vtramque immutabilitatem complectatur. August. 12. Confess. cap. 15. init. *Num dicetis falsa esse, quæ mihi veritas vociferatur in aurem interiorem dicit de vera æternitate creatoris? quod nequaquam eius substantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius substantiam sit: vnde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult; non iterum, & iterum; neque nunc ista, nunc illa: nec velle postea, quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est: Deus autem noster æternus est*: 11. de Ciuit. cap. 12. post med. *Potest ad opus nouum non nouum sed sempiternum adhibere consilium; nec pœnitendo, quia prius cessauerat, cœpit facere, quod non fecerat; sed etsi prius cessauit, & posterius operatus est, hoc procul dubio, quod dicitur prius, & posterius in rebus prius non existentibus, & posterius existentibus fuit: in illo autem, non alteram præcedentem altera subsequens mutauit, aut abstulit voluntatem; sed vna, eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & vt posterius essent, quando esse cœperunt*: in quam sententiam scribit etiam 3. de Trinit. cap. 3. fin. & capite quarto post medium, & capite 95. Enchirid. vers. fin.

4. Generatim verò mutationem, & transmutationem omnem mortis partem, seu imitationem esse, ac proinde immutabilitatem, quamuis partem immortalitatis diuinæ reputandam subtiliter meditati sunt Chrysost. in 1. Ioann. homil. 10. post medium Gregor. Mag. 25. moral. cap. 4. ante med. Bernard. serm. 81. in cant. circa med. illud 1. ad Timot. 6. *qui solus habet immortalitatem*, sic interpretatur. *Recte pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait: ego Dominus & non mutor. Vera nempe, & integra immortalitas, tam non respuit mutationem, quam nec finem: quod omnis mutatio quædam mortis imitatio sit: omne enim, quod mutatur, dum de vno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur: quod est, vbi esse incipiat, quod non est: quod si vix mortem, quæ mutationes vbi immortalitas?* inferiusque ad affectionum mutationem sic applicans ait: *verum, cum conster suis affectibus mutari eam* (animam seu spiritum) *agnoscat, ita se Deo in immortalitate similem, vt sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem soli eidem absolutam, perfectamque immortalitatem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Fulgent. 1. de summ. bono cap. 1 *quid est Dei immortalitas, nisi eius incommutabilitas? Nam, & Angeli, & animæ immortales sunt, sed immutabiles non sunt: ideoque solus Deus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis est.* Inferiuscule inde sic colligit: *Opus non consilium apud Deum credimus mutari: nec variari eum, quia per varia diuersa tempora præcepit; sed manens idem incommutabilis; & æternus, quid cuique congruum esset temporibus, ab ipsa tamen æternitate, in eius mansit dispositione consilij.*

5. Hilarius vero aliunde Deum nulla ex re mutari in aliam quampiam posse vniuersim probat, quia in nullo potest profectum capere, melioriue conditionis esse, quam sit: ita enim scribit 11. de Trinitate columna penult. *Quo igitur caret plenitudinis profectu, vt, per tempus adhuc; Deus omnia in omnibus sit? vel vnde sumet, extra quem nihil est? Nihil autem ita, vt semper ipse sit, & qui ipse semper est, extra quem nihil est, quo incremento explendus est, vel quo augmento demutandus est dicens: ego sum, & non demutor? cum non relinquatur, vel ad demutationem locus, vel ad profectum causa, vel ad æternitatem anterius; vel ad Deum aliud, præter quam Deus ipse est*: quam doctrinam ad effectiuam Dei incommutabilitatem ita applicuit in Psalm. 2. ad id *Tunc loquetur ad eos in ira sua. Nihil in æternam illam, & perfectam naturam nouum incidit: neque qui ita est, vt qualis est, talis, & semper sit, ne aliquando non idem sit potest effici, aliquid aliud effici*, quam semper est. *Terrena ipsum, imperfectaque causa habent generis, vt demutabiles sint conuersione naturæ, cum lætitiam mœror, placabilitatem ira, benevolentiam offensa, &c. Deus autem beatus, atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest: de mutatione non nouus est, qui origine caret: ipse est qui, quod est non aliunde est, in se est, secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est: carens omni demutatione nouitatis, qui nihil aliud, quod in se posset incidere per id, quod ipse sibi totum totus est, reliquit.*

6. Hoc ipso discursu voluntatis diuinæ incommutabilitatem docuit Nyssenus: verum ne quis in deterius, ac non in profectum, sed in defectum voluntatem Dei mutari posse stolide putaret, nec ad profectum, neque ad defectum eum Aristot. 7. ethicor. cap. 14. fine sic docuit tractatu secundo, in Psalm. capite 4. init. *Inscriptio pro his, qui commutabuntur hunc mihi videtur habere sensum: solam diuinam naturam omnis conuersionis, & mutationis expertem esse. Non enim est, ad quod mutatione vtatur, cum in vniuersum non sit capax mali, ad id vero, quod melius est transmutari nequeat; nam nullum bonum est, propter quod in eum mutatio cadat*: vtique, quia omnis bonitatis, cum physicæ tum moralis optimum Deus est. *Nos vero homines in demutatione, & alteratione positi secundum vtrumque per facultatem, & vim transmutatiuam deteriores, & meliores reddimur*: cui rationi iusistit cap. 21. de opificio homin. sub init. his verbis: *Dei consilium in omnibus rebus perpetuo immobilitatem suam retinet; nostra vero natura mutationibus obnoxia, ne in malo quidem constanter persistit: quod enim semper mouetur siquidem ad bonum progreditur, propter rei ipsius infinitatem nunquam vlterius contendere desinit*: quia ad maius, & maius bonum moueri potest: itaque discursus iste breui pressus est: Deus eiusque voluntas, & amor summe bonus actu, & de se est, & peccati incapax: ergo nequit moueri ab profectum bonitatis, neque ad defectum malitiæ eius voluntas. Patet: quia alterutro motu summe bonus actus esse desineret, quod repugnat: ergo de ratione summæ bonæ voluntatis diuinæ quies est, in bono quod habet, quin vel ad perfectius, vel deterius possit eius affectus moueri: dedit autem illum Aristot. 7. ethicor. capite 14. fin in hæc scribens: *quod si alicuius natura sit simplex, eadem operatio iucundissima erit: idcirco Deus vna semper simplicique gaudet voluptate. Non enim solum motionis est operatio, sed & immobilitatis: & voluptas in quiete potius, quam in motu consistit. Mutatio vero omnium dulcissimum est, secundum Poëtam, ob prauitatem quandam: vt enim homo prauus facile est mutabilis, sic, & natura praua est ea quæ indiget mutatione. Non est enim simplex, nec bona*: vtique simpliciter, vt Deus eiusque voluntas bona simplex siue simpliciter est. Qua ipsa ratione vsus est Ambros. in med. Comment. in Psalm. 61, dicens: *immobilis dicitur, qui secuat immobilem voluntatem, & propositum aliquod intentione animi fidelis exequitur: Nam, & Dei immobilem voluntatem legimus, sicut habes ad Hebræ. 6. in quo amplius ostendere volens, &c. Recte ergo immobilis voluntas Dei, qua nullius peccati mouetur illecebris.*

7. Accedunt Damasc. dialog. cont. Manich. vers. med. *Dei voluntas bona est immutabilis, ac semper eodem modo se habens.* Nec longè à med. *quo fit, vt Deus solus immutabilis sit: vtpote increatus, ac sempiternus.* Repetit

colum. antepenult. orat.1. de imagin. pag. 3. *consilium æternum se habet semper eodem modo in quo nulla est commutatio, aut vicissitudinis obumbratio* : firmat ex Dionys. aiente : *Omnia à Deo præfinita, & sine vlla commutatione futura.* Gregor.16. Moral. cap.17. in id Iob 23. *& nemo potest auertere cogitationem eius* scribens : *Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione : cogitationem quippe eius nullus auertit : quia nemo resistere occultis eius iudiciis præualet* : subinferius : *semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt : vnde scriptum est : præceptum posuit, & non præteribit, &c. cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius non mutatur : quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur* : consonat à se dictis 2. Moral. cap.14. sub init. Richard. Victorin. 2. de Trinit. c. 24. *qui vere immutabilis est, velle suum variare non potest : quod ergo semel voluit, semper voluit.* S.Maxim. centur.8. cap.88. apud Cypariss. decad. 8. sub init. ait : *Dei motum amatorium esse simplicem, & immobilem*, & Dionys.4. de diuin. nominib. inter princ. & med. *Dei pulchritudinem* (cuius pars non modica amoris honestas) *immutabilem asserit.* Tandem (vt innumeris aliis testimoniis transcribendis parcam) audiendus Prosper epigramm. 41. sic canens.

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu :
Nec mutat vario tempore consilium.
Vt locis præsens simul est Deus omnibus vnus,
Sic rerum metas secum habet & numeros.
Nec serum, aut properum sibi sentit in ordine rerum,
Cui cuncta assistunt acta, & agenda simul.

CERTAMEN II.

Immutabilitas liberæ volitionis diuinæ positiua per aduersæ successionem à ratione probatur.

1. RAtio immutabilitatis voluntatis diuinæ à positiua volitione in positiuam aduersam succedentem prima esto : quam S.Thom. efformauit : art.7. Quia in Deo nulla potest esse scientiæ variatio : ergo nec volitionis semel conceptæ potest esse variatio per temporariam oppositæ successionem. Probatur consequentia : quia in antecedenti supponitur hanc ipsam oppositæ volitionis scientiam Deo adfuisse, & pro priori ad primam volitionem concipiendam, cum primum eam ab æterno concepit ; alioqui aliquid ab æterno ignoraret, quod in tempore demùm, ac demum sciret, atque non satis omnium præscius decerneret, sed imprudens : præterquam, quod Dei scientia è conceptu suo simpliciter infinita, atque omniscientia nata non esset, cum successu durationis crescceret, & augeretur, contra demonstrata à nobis 1.1. de Deo vno controu.2. ex principio generali pro omnibus prædicatis diuinis controu.1. atqui efficax voluntas de aliquo faciendo, quæ retractanda per aduersam, carituraque effectu præscitur, imprudentissima est ; &c, ne nobis quidem, nedum Deo, digna : siquidem, neque nos absque noui motiui prius ignorati efficacem de aliquo voluntatem, nisi inconstantissime, retractamus per aduersam : ergo ea retractatio prioris efficacis voluntatis per efficacem voluntatem in tempore succedentem prorsus Deo repugnat : quare, nec mutabilis Dei voluntas semel habita positiuè per aduersam postea in tempore succedentem, vti neque per hanc defectibilis, vt nostra hæc dogmatica conclusio fert. His præclusa manent, quæ Vasquez ad eum articulum, Valentia quæstione 19. pun.4. post 3. assert. Soarius d.30. met. sect.9. num.57. aliique Recentiores contra hanc rationem subtiliter opponunt.

2. Secundò probatur à ratione conclusio : & confirmatur ratio præcedens : quia omnis voluntas Dei efficax de se, atque efficaciæ suæ essentiali prædicato connexa est cum re, & effectu ita efficaciter volito : ac proinde id Deo propriori ad primo conceptam à se, sett ad concipiendam primam suam efficacem de quovis ad extra faciendo absque nuper expensa ignorantia, & in voluntate illa prima efficaci concipienda imprudenti stoliditate non potuit non innotescere : ergo non potuit post primam illam efficacem voluntatem de effectu aliquo oppositam aliam efficacem de eo ipso non faciendo concipere, quin velit efficaciter chimæram à se cognitam, vt talem, atque efficaciter eius voluntas in impossibile cognitum à se, vt impossibile : cognoscit siquidem ex cognita efficacia voluntatis suæ de illo primo effectu conceptæ ; atque ad eius retractationem à se tentandam per aduersam efficacem de eius negatione necessariò præsuppositæ, & à se præcognitæ effectum illum efficaciter à se præuolitum absolute fore : ergo, cum posterius ad hæc vellet illum ipsum effectum absolute non fore, vellet absolute non fore pro eodem tempore quod absolute efficaciter, ineuitabiliter fore voluit, ac præsciuit : quare vellet duplex contradictorium simul semelque coniungi : nempe chimæram & impossibile sciens volensque vellet ; atque item chimæricas voluntates efficaces sibi, qua tales, repugnantes admitteret. Hoc argumentum euasionem nostri Arriaga, ob quam minus vrgere putat d. 29. sectione prima, numero secundo, §.1. quod scilicet voluntas efficax Dei, ne impotentiæ Deus arguatur, solum debeat impleri tempore, quo durat, non autem quo non durat, vti non duraret, si retractaretur, in tempore per efficacem de effectu absoluta negatione aduersam reuincit : vt enim diximus efficax voluntas Dei de effectu absoluto pro hoc tempore, cum primum est, connectitur essentia sua cum absoluta sua existentia nunc : quare, & repugnat non esse nunc cum effectum est habitura.

3. Tertia conclusionis ratio sit : quia, si Deus mutabilis esset in volitionibus liberis esset mutabilis quoad substantiam : atqui certo ex fide, & euidenter ex ratione immutabilis, quoad substantiam, est : ergo & est immutabilis in suis liberis volitionibus, illationem conditionalem in antecedenti contentam eam tam putant : indeque communem hanc conclusionem demonstrant Bassolis, & Lychet. in 1. d.45. Ferrara 1. cont. gent. capite 83. eam verò illationem illegitimam, & debilem censet Vasquez vbi proxime, aliique Recentiores docti cum ipso, satis leuibus oppositionibus mox facile diluendis : reliqui tamen (etiam Soarius proxime numero 53. & 3. de attribut. cap.6. numero 12. & Fonseca 7. Metaph. cap. 8. quæst.5. sect.6. & 7. qui eis videtur nonnihil conniuere) Doctores cum Sancto Thoma citato art.7. & 1. controu. gent. capite 83. eius legitimitati consentiunt ; etsi eam immediatam meritò illationem non censeant, sed mediatam, vt videre est in nostro Ruiz citata d. 16. sect 3. numero 5. & 6. & obiter Arriaga proxime sect.1.numero 3. immò, & Patres citati, dum alij non fore absolute, & omninò immortalem, sicut animus noster & Angelus aiunt : dum ex Dei immortalitate, & absoluta immutabilitate eius consilium, & voluntatem immutabiles probant : secundo alij cum Aristotele, ex eo, quod, nec ad melius aliquo genere bonitatis physice, vel moralis, nec ad turpe seu deterius moraliter, vel physice eandem voluntatis Dei à semel concepto efficaci proposito dimoueri non posse concludunt : vnde ni Patrum illationes damnemus ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis valere debet : Deus mutabilis in consilio, & voluntate sua est : ergo, & in substantia sua physica, & physice mutabilis est : est ergo illationis ratio : quia propositum, & consilium semel habitum mutari ab aliquo nequit absque ignorantiæ, & imprudentiæ, vel inconstantiæ defectu, vt vidimus numero 1. alterutrum autem horum physicæ Dei entitati, & substantiæ repugnat : quare alterutro admisso substantiam Dei physice destrui : quare & Deum substantialiter mutari ac deficere, esse necesse.

4. Notata illa postremò Patrum ex Aristotele illatio è Dei impotentia, melioritatis, vel deteriorita-
tis, tam in genere physico, quam morali non adeo videtur expedita : siquidem, etsi præhabita libere voluntate Dei aduersæ alterius successu deficeret, eadem omninò physica Dei, & moralis bonitas præstaret : quem

quemadmodum, si vt antecedenter ad suæ voluntatis in actu primo indifferentis determinatione Deus potuit loco volitionis liberæ, quam primo concepit, primò etiam non ipsam concipere; sed aduersam, nihil bonitatis, aut perfectionis, siue physicæ, siue moralis minus Deus haberet, quam prima illa libera voluntate à se de facto concepta habuit. Hæc oppositionum contra legitimitatem illationis & rationis primæ, & tertiæ à nostro Vasquez & aliis Doctoribus excogitatarum summa est: & quibus Docti Recentiores, & acuti multis subtilitatibus, vel futilibus occurrunt: & supponere quidem omnes debemus nihil bonitatis generis alterutrius ex liberis Dei affectibus accrescere, vt alterius ex aduersis voluntatibus, ex quocunque honesto motiuo sit, eligendi liberam Deo, & indifferentem in actu primo relinquamus potestatem: siue, quia nihil Deo intrinsecum decreti diuini libertas addat, iuxta eius libertatem extrinsecus solum constituentium sententiam, siue adæquate decreti libertas Deo intrinseca sit: de quo quæstione 6.

5. Quo supposito, ad earum rationum, & illationum legitimitatem, & Patrum ita inferentium authoritatem tuendam reddenda ratio restat, ob quam ex præhabita volitione ea potestas in actu primo ad ipsam, vel aduersam ita ligetur, vt non possit non solum pro tunc, sed postea, & aduersam eligere; primamque respuere; cum in alterutrius de se se consideratæ, & inspectæ electione, vel consequente omissione aduersæ, quidquam Deo bonitatis accrescat, vel decrescat perfectionis: est autem data à nobis proxime dum earum rationum vim, & pondus explicaremus: etenim rebus arbitrio integris ante vllam determinationem diuinæ voluntatis, ex omniscientia, & honestate se determinare Deum posse, atque affectum, erga propositum obiectum primo concipere bene componitur; ast primo concepto affectu per aduersi electionem postea habitam abhistere non, nisi per voluntatis, mentisque inconstantiam, & vitium, atque præcedentis ignorantiæ argumentum fieri potest: ecquis enim propositum mutet, nihil vrgentius, & melius, aut iucundius, eo quod primo elegit, non denuò recognoscens, quod antea in electione prima non prænouerat, ni turpiter, & inhoneste inconstans animo sit, ipsaque sua mobilitate, & mutatione gaudeat?

6. Cum ergo alteruter effectus, æquè bonus, immò summe bonus physice, & moraliter in Deo sit, neque in extrinseco alterutrius affectus obiecto, & motiuo quidquam denuo appareat, quod pro priori ad primo conceptum Deo non innotuerit (ni eum ex ignorantia, & imprudenti deliberatione primo elegisse fateamur) è sola voluntatis inconstantia vitiosa, Deo alienissima, à primi affectus electione abhistere postmodum poterit: quod Deo, & moraliter, & physice repugnat vt diximus. Atque hac sane ratione non tres solum veritatis huius demonstrationes, verum & quarta alia Aristotelica, & Patrum postremo loco notata certamine primo, à numero quinto ad septimo inclusiue expeditur, & clarebit. Quintam aliam à Patribus etiam ex æternitate Dei petitam possemus pro eadem veritate subiungere: eam tamen in quarto certamine consulto reseruo: quia liberi decreti diuini secundum se temporaneam à sui negatione in sua existentia incœptionem, vel ab hac in sui negatione desitionem (de quibus eo certamine agendum) impossibilem directe demonstrat: etsi inde, & impossibilitas defectus voluntatis liberæ Dei per aduersæ successum tempore posteriorem (de quo nunc) vlterius demonstretur: solum ergo opposita restant contra hanc impossibilitatem diluenda.

CERTAMEN III.

Dogmatica conclusio ab oppositionibus vindicata.

1. PRima oppositio est: etsi à se Deus, præ animi leuitate (vt demonstrationes factæ ostendunt) liberam voluntatem non mutet in aduersam; debere tamen illam mutare pro mutatione status, & motiui à nobis ipsi oblati. Alioqui nunc Deum odio habere D. Petrum, atque in æternum odio ipsum habendum (etsi relate ad tempus negationis, ratione cuius respectus ad statum diuersi temporis ad quod Dei odium refertur hoc cum voluntate amicitiæ & affectuosæ complacentiæ Dei, quo illum ex tempore quo per pœnitentiam resipuit, pro eo, & reliquis durationibus successuræ æternitatis prosequitur, prosequuturusque ex æternitate, ac æternum prosequuturus est physice non repugnet) consequentia euidens est: ast odio adhuc insistere in eum, qui pristinam iniuriam nobis illatam satisfactione, & inimicitiam amore summo, & gratissimis obsequiis soluit, etiam apud homines prauos, nedum apud summe bonum Deum, iniquum, impiumque est.

2. Qui item illud Ezechiel. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: & illud Ioan. 15. *iam non dicam vos seruos, sed amicos*: cum actu ita nostrarum iniquitatum, ac seruitutis peccati nostræ elapsi temporis recordetur, ac æternæ recordaturus sit, vt tota æternitate eius in nos eo tempore & statu spectatos in odio perstet, sitque perstiturus? quo insuper satisfactio, & reconciliatio nostra de præteritis Dei offensis tendunt, nisi, vt odio ob illas depositio amicitia in Deo, sicuti in hominibus euenit, succedat, non, vt odio nostri, etsi pro alio tempore spectatos, amicitia erga nos pro posteriori satisfactionis, & conuersionis tempore spectatos, coniungatur? vbi culpæ anteactæ vera adeo remissio Dei, & condonatio, quæ de antea commissis solummodo à nobis pœnitentia, & conuersione tentari, adeoque ex fidelitate suæ promissionis, vel ex gratia esse potest? siquidem in Dei odio (non secus ac de venere altercabant.) *Manet alta mente repostum iudicium Paridis spretæque iniuria formæ?* Hæc adeo dure sonant, vt noster Arriaga citata sect. 1 n. 7. *Ob obiectioni ergo* difficultatem inexplicabilem de actuum diuinorum libertate asserat tangi, vt nemo, si ab ea solutionibus ab ipso subiiciendis quoad eorum actuum simultaneam permanentiam (quæ sola tangitur) non satis emolliantur, ingenuitati, & præmissæ humilitatis professioni det veniam: & tamen permanentiam à num. 8. multis Catholicis, & Doctis discursibus emollire contendit vsque ad numerum 10. cuius tamen fine eadem ingenuitate, & modestia ab alio meliora libenter se auditurum concludit.

3. Verum ex iis, quæ suis responsis attigit, eorum, quæ contra hanc veritatem inferuntur, absurditas, & dissonantia satis temperatur: etenim nec peccatorum remissionem pro tempore, quo extiterunt, quare, nec redire in Dei amicitiam, & odij in nos pro eo tempore pœnitentia conuersione, & precibus contendimus; cum ad præteritum nulla potentia, ac non stolidus conatus dari possit, vt non fuisse fiat: quare, neque id ab offenso, & infenso homine obsequiis nostris tentamus: id ergo solum à nobis tentari adeoque effici misericorditer potest, vt vlterius peccatum habitualiter non persistat in nobis, sed remittatur, & pereat: quod Dei gratia habituali contritione, quam illa necessario consequitur, à Deo præstatur de facto, atque vt alij volunt per meram extrinsecam Dei voluntatem, & condonationem præstari ab eo absolute potest: inde (quod consequens est) ne Dei odium in nos, quo pro statu, & tempore toto illo peccatorum in nos ferebatur non fuerit, sed ne ad nos pro vlteriori tempore extendatur: id quod plane à Deo obtineretur æque deinceps in nos benefico, ac si nos non oderit, nec peccassemus; sed eius amicitia in nos, & amor pro sequenti tempore seruetur: qui solus sensus est

loci

loci Ezechielis, & recitati alterius, in quibus nota: (quod hunc Doctorem, & reliquos fere hactenus latuit, saltem explicite, Deum nihil nobis reuelare posse, nisi idiomate, & verbis nostris, ac proinde verbis propositionum reuelatarum, quæ tempus nostrum concernunt, vt tom.1. controu.1. de Dei immutabilit. agens ostendi; nec semel solum controu.2. vnde illud *non recordabor: non dicam vos seruos* tempus nostrum futurum consignificat, non Dei æternitatem cum qua Deus, & in qua de omni tempore Deus iudicat, odiumque peccatorum, & amorem, pro alio tempore, resipiscentiam coniungit.

4. Cum autem tempus resipiscentiæ, & iustitiæ nostris propositionibus, & verborum copulis concernitur, veræ eæ solum propositiones erunt, quæ Dei in nos amicitiam prædicant, falsæque in nos eius odium: siquidem pro tempore importato per copulam nostrorum verborum odio nos minime habet Deus, sed dulcissimo, ac tenerrimo amore amicos & filios illo ipso amore, & affectu suo adoptatos prosequitur: vnde hæc propositio: *Deus nunc odio habet Sanctum Petrum*, error blasphemus est, qui nunquam ex permanentia æternitate Dei odij D.Petri pro statu, & tempore negationis infertur, vti inferri timet, & reuelari Sancto Petro de Dei in ipsum affectibus sciscitanti à Deo posse Arriaga supponit §. *Pro hoc* circa num.6. quia propositionum nostrarum, quibus solis reuelare aliquid Deus potest, consignificatum per earum verba tempus non animaduertit: Deus autem tota æternitate sua, quæ omnia tempora explet, & ambit, cognoscit pro tempore negationis Petrum odio habere, ac simul ex parte subiecti pro, & à tempore resipiscentiæ Petri & tota æternitate successura illum ex sua, & per suam æternitatem, ardentissime amare (quod Petro ad summam fælicitatem satis superque est) quia æternitate sua, & iudicat, & affectus concipit suos Deus. Nos autem non illa, sed cum tempore nostro iudicamus: quare iuxta statum, quem res in tempore, per iudiciorum nostrorum, & propositionum copulam verbi importato, & consignificato veræ erunt, si statui pro eo tempore rerum, de quibus iudicamus, iudicia, & propositiones conformentur: falsæ verò si pro eo tempore ab statu rerum discordent.

5. Atque hinc pleraque alia affinia, quæ à ratione opponi possent simul, ac opponantur, euanescent, vt ea singulatim recensere adhuc opus non sit: insuper duobus scripturæ locis memoratis numero 7. in terminis satisfecimus. Restant verò loca alia diluenda, quibus Deo proposito, & facto etiam à se pœnitentia, & retractatio tribuitur Genes.1. *Pœnitet me fecisse hominem*: Hierem.18. *Si pœnitentiam egerit, agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, &c.* Psalm. 105. *Pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*: quam locutionem sequutus Ambrosius 2. in Luc. ad id primi capitis: *Zacharias repletus est Spiritu Sancto*, ait: *Nouit Dominus mutare sententiam: si tu nolueris mutare delictum*: & Author Hypognost. lib.6. fine: *Diuinæ erit potentiæ iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare*: Verum hæc hominibus humano more de operum Deo faciendorum mutatione dicuntur: quæ hominibus non, nisi propositi, & decreti mutatione contingit. Recte enim Gregor. 20. Moral. cap.23. med. *Pœnitere dicitur quamvis rem mutet, consilium non mutet*: in quam interpretationem luculentissimè Damascenus Dialogo contra Manichæos vers. fin. Theodoret. quæst. 50.in Genes. Augustin.15. de ciuit. cap.25.Proclus, & Method. apud Epiphanium hæresi 64. vers. med. Tertullian.2. aduers. Marcionem capite 23. & 24. Moyses Barcepha parte tertia, comment. de parad. capite 2. S. Thom. citat.art.7. ad 1.& 2.

6. Opponi etiam pleraque alia scripturæ loca solent: quibus Deus supplicium absolutè futurum, & absque vlla conditione prædixit, ac proinde absolutum omnino de eo infligendo habuisse fatendum est ne Deum mendacem fateamur. Cum autem illud absolutè exequutus non fuerit propositum mutasse, & à primo concepto decreto destitisse fatendum erit. Plurium exemplo sint Isaiæ 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues.* Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Quorum neutrum sed opposita euenere: sed (vt mittam in eo loco Ionæ voce illa *adhuc* conditionem forte imbibi pœnitentiæ non actæ intra terminos 40. dierum ad eam agendam eo loci præscriptum pro eis, & similibus imbibitam) ea omnia, quæ absolutè in scripturis supplicia, quidve aliud sonant, quod absolutè non euenit conditionem ex natura rei imbibitam habere; vt in plerisque absolutè sonantibus contractibus, promissionibusque humanis vsu venit, quia ea omnia ex vi causarum inferiorum, & naturalium morbi v. g. & demetitorum fore prædicuntur, & vere sicut vere Philosophus de quatriduano Lazaro absolutè diceret: *non esse resurrecturum*, quæ tamen absoluta veritas supernaturalis gratiæ, & misericordiæ Dei effectum oppositum absque vlla decreti diuini in aduersum minime excludit; cum illud iuxta inferiorum causarum exigentiam, ac in Dei gratia supernaturalis, & misericordia interueniat, sed summodo fuerit: vt docte August. 6. de Genesi ad lit. capite 17. S. Thom. vbi proxime ad 2.& 2. quæst.171. art. 6. ad 2. quæst.174. art.1. corp. quæst. 12. de verit. articulo 10. ad 7. Alia quæ ex libertate arbitrij Dei per totam æternitatem obiici poterant, quoad libertatem contrarietatis, discussa iam sunt ex dictis certamine secundo, à numero tertio, qua verò ad libertatem contradictionis attinet, quam immediatius impugnant, & directius, impossibilitatem incipiendi, desinendiue in tempore volitionis liberæ diuinæ oportunius cert.4. opponentur, ac diluentur.

CERTAMEN IV.

Libera Dei volitio pure incipere desnereve in tempore, adhuc è pura contradictionis libertate, minime potest.

1. HOc aliud mutationis, & mutabilitatis est genus, quod pro dogmatica diuinorum decretorum absoluta immutabilitate atque extensione eorum per totam æternitatem statuenda examinandum, ab eisque ablegandum quæstionis præfatione monebamus. Hoc etiam immutabilitatis diuinæ voluntatis, & decretorum eius (à puro non esse illorum ex æternitate ad esse ipsorum in tempore, vel ab esse eorum ex æternitate ad eorundem non esse purum in tempore) genus scripturæ loca, quæ absolutam Dei quoad affectus voluntaris suæ immutabilitatem certam.1. numero 1.& 2. immò &, quæ absolutam Dei immutabilitatem docent, quia absolutæ, immò &, quoad Dei substantiam deficeret, si quoad affectus posset Deus mutari, faciunt etiam plura ex testimoniis Patrum datis certam.1. & demonstrationes ex ipsis depromptæ, & expensæ pro immutabilitate à positiua in positiuam voluntatem aduersam. Prima: quia, vt ab æterno decerneret rationes & motiua omnia Deo obuersabantur, ni eum admittamus ignarum, atque alterum extremum contradictionis volendi, aut non volendi idem ipsum obiectum elegisse: nam ab æterno vel voluit, vel non voluit in actu secundo: ergo à negatione volitionis ab æterno electæ ex omnium consideratione è sola animi leuitate, & voluntatis vitiosa inconstantia transiret in tempore ad volitionem vel à volitione æterna in temporariam eius puram omissionem. Secundo inde inferretur ex alterutra mutatione ab omissione pura ad volitionem obiecti eiusdem omnino, vel è contra, Dei mutabilitas quoad substantiam. vt ostendimus ratione tertia certamine 2. numero 3. & 4. etiam explicata ibidem à num.4. ad 6. ex eo principio communi: quod libera Dei volitio nihil intrinsecæ perfectionis Deo addatur, vt ad finem numeri illius quarti diximus.

2. Demus pauca Patrum testimonia pro conclusione præsenti Augustin. 12. de ciuit. capite 17. post medium. *Nobis autem fas non est credere aliter Deum affici cum vocat, aliter cum operatur: quia nec affici dicendus est, tanquam in eius natura fiat, aliquid, quod ante non fuerit: Patitur quippe, qui afficitur, & mutabile est omne, quod*

quod patitur : quibus demonstrationem secundam de immutabilitate Dei, quoad naturam, & substantiam, si à negatiuo ad positiuum, quoad affectum, mutationem patiatur, pative possit aperte tradit sicuti & Gregorius recitatus certamine primo, numero octauo, Fulgentius immediate ad recitata illius verba : certamine primo, numero secundo ex 1. ad Monim, capite 12. sub init. hanc sententiæ suæ rationem reddit. *Sicut enim omne creatoris opus sine initio esse non potuit, nec potest fieri : sic illa sempiterna voluntas eius nunquam mutabilitati subiacet, quia initium existendi non habet, quod autem semper sic est, quod esse non caperit, procul dubio sic est vt, id quod est, non esse non possit : vera igitur immutabilitas, digne vera vocatur æternitas*, simili discursu eandem suam sententiam probarunt recitati certamine 1. numero 4. Isidorus verbis, illis : *Manens idem incommutabilis, & æternus, quid cuique congruum esset tempori, ab ipsa tamen æternitate in eius mansit dispositione consilij* : & Hilarius recitatus numero 5. illis etiam verbis : *cum non relinquatur, vel ad demutationem loci, vel ad profectum causa, vel ad æternitatem anterius*, consonat eidem rationi Augustinus recitatus numero tertio, ex 12. confess. capite 15. init. à postremis illis verbis : *quia talis voluntas* (quæ modo hoc, modo illud vellet) *mutabilis est, & omne mutabile æternum non est* : quibus immediatè hæc iterato adnectit : *item, quod mihi dicitur in aurem interiorem : expectatio rerum venturarum fit contuitus, cum venerint : idemque contuitus fit memoria cum præterierint : omnis porro intentio, qua variatur mutabilis est, & omne mutabile æternum non est. Deus autem noster æternus est. Hæc colligo, atque contingor & mucnio Deum meum, Deum æternum, non aliqua nouo voluntate condidisse creaturam, nec scientiam eius transitorium aliquid pati.*

3. His porrò locis Patres non solum conclusioni præsenti authoritatem, verum directam, & immediatam eius demonstrationem dederunt, quam quinto loco pro immutabilitate diuinæ voluntatis à positiua volitione in aduersam volitionem, memorabimus certamine 2. fin. quia, immediate, & directè eius immutabilitatem à volitionis negatione in volitionem ipsam, vel ab hac ad eius negationem probat : etsi inde immutabilitas eiusdem à positiuo in positiuum aduersum deducto discursu mediate tandem demonstretur : est vero huiusmodi eis Patrum testimonijs contenta demonstratio : quidquid æternitate Dei durat æternumque est, nec potest incipere, nec desinere in tempore : atqui volitio libera efficax siue decretum Dei de aliquo faciendo æternitate Dei durat, æternumque est : ergo nec potest in tempore incipere, nec desinere ; ac subinde nec voluntas Dei à negatione volitionis liberæ, ad liberam volitionem in tempore mutari. Maior est per se nota. Nam, quod æternitate Dei durat, quæ omnem extrinsecam durationem possibilem, & imaginariam ad redundantiam explet, ambit, & de superfluo immense circundat, nihil anterioris durationis re, immò neque cogitatione, patitur, in qua negatio sui esse concipi adhuc possit, nihilve vlteriotis ipsa durationis, in qua sui non esse siue negatio succedat, cogiteturve successiuè aquin, si maior hæc statum ac per se & ex terminis notum principium non sit, an Deus secundum substantiam naturam, & essentiam suam temporariè incipere, & desinere queat potenit in controuersiam vocari : cum non aliunde extra controuersiam sit non ita eum secundum naturam, & essentiam, substantiamque suam incipere desinereve posse, quam, quia sua durat æternitate. Minor præter Patrum consensum probatur : quidquid diuinum in se ipso, nec solum per participationem, est æternitate ipsa, eademque Dei, æternumque durat : vt patet in omnibus Dei prædicatis, atque attributis diuinis : atqui libera Dei volitio diuinum quid in se ipsa, nec solum per participationem est : ergo Dei æternitate, æternumque durat : Nec patet effugium ad constitutionem libertatis diuinorum decretorum, & volitionum per connotata extrinseca effecta, vel eorum causalitates : quæ constitutio hac demonstratione & Patrum ea vtentium authoritate validissime confutatur vt quæstione sexta, certamine primo videbimus.

4. Hanc demonstrationem (quam præter Patres proximè recitatos dederunt nobis Bernardus & Isidorus recitati certamine primo, numero quarto vocibus immortalitatis, diuinorum etiam affectuum) à Doctoribus Recentioribus libertatem diuinorum actuum Deo prorsus intrinsecam asserentibus è discursus propinquitate potius, quam Patrum lectione, & authoritate depromptam Arriaga noster admittit citata d. 24. sectione secunda sub sectione 2. num. 14. §. *Dico ergo eam* : sed eius firmitatem satis iudicio suo difficilibus argumentis, meo tamen leuibus argutiis mouet iudicio : immò eis tandem mouetur, ab eaque dimouetur, vt sub sectione 3. probabiliorem hanc à se adduci rationem perpetuitatis affectus diuini sub sectionis titulo profiteatur : quia scilicet Deo pura omissio negari debet, seu contradictionis pura immediata libertas, ergo debet ipsi concedi vnus ex actibus positiuis diuersis, seu aduersis volitionis, verbi gratia, creandi mundum, vel nolitionis creandi illum : ergo Deus necessario ab æterno debuit habere alterutrum, & omne exercitium suæ libertatis contrarietatis : sed, quam debiliori principio de impossibilitate puræ omissionis, & libertatis immediatæ, atque puræ contradictionis in Deo hæc ratio innitatur nemo non videat : satisque constat ex opposita conclusione à nobis statuta quæstione 4. certamine 2. & 3. Satius igitur erit demonstrationi Doctorum Recentiorum ex volitionis æternitate petitæ, & notissimæ firmiter adhærere. Maximè, cum ea à Patribus expressa, vt vidimus fuerit : immò & Arriaga ipse, eo principio admisso, eam appellare debet, vt sua ratio pro volitionis æternitate concludat. Ni enim valeat : durat æternitate diuina : Ergo tempore incipere, aut desinere nequit ; non erit, vnde Deum, ac subinde eius voluntatem, & volitionem non possint tempore deficere, ac tempore inchoari.

5. Vnde leuitas argutiarum, quibus eius firmitas ab Arriaga casso studio, & labore tentatur, facile deprehenditur : cum æque impossibilitatem incipiendi, ac finiendi in tempore essentiæ, & naturæ diuinæ ratione æternitatis suæ impugnent ; sed nihil sane præstant vnoque verbo euanescunt. Procedunt siquidem omnes, si aliquid præstant, contra durationem rerum durantium non identicè per Dei æternitatem, vt diuina omnia durant, sed per vnionem ipsam : quo pacto diuina non durant : immò nec creatum aliquid durare per Dei æternitatem posset, etsi ipsi vniretur : ne in vbiquismum, omnipotentiam, omniscientiam, &c. humanitatis Christi perperam abeamus. Diuina siquidem vnione, (vt sic dicam) identitatis egent, vt diuina prædicata, vt suos effectus formales communicent, quam cum creatura aliqua habere non possint ; etsi ei possint physicè vniri, vt firmiter statuebam controuersia de incarnatione quod adeo de se notum est, vt vbiquistæ, (etsi rudiores Philosophi, & Theologi) vt humanitatis à Deo vnitæ vbiquitatem, immensitatem, omnipotentiam vnionis physicè titulo à se initio assertas defenderent, tandem eius cum Deo identitatem ob hoc principium admittere fuerint coacti, atque ab vbiquismo suo in Euthychismum sunt prolapsi : vt videre est in Valentia & Bellarmino contra ipsos agentibus. Denique supponit durationem à re durante non modaliter solum, sed etiam realiter, vt rem à re distingui, atque vniri subiecto formam aliquam totam immò, & entitatiuè indiuisibilem, quin totum formalem suum effectum communicet, contendit : quæ omnia à Philosophia sana abhorrere nemo non videt.

CERTAMEN V.

Vnica contra statutum dogma expeditur difficultas.

1. SVper est tamen expedienda contra vtramque voluntatis Dei in suis affectibus immutabilitatem difficultas pluribus prolixa, & molesta, quam breui, & vtui de satis tetigimus quæstionis

præfatione, & multis expendit Herize noſter d.20. capite ſecundo, æſtimans conſtituentes decretorum Dei libertatem per intrinſecum profus Deo, nullatenus ab ea expediendos. Æſtimo tamen neque ipſum, neque aliquem ex conſtituentibus eorum libertatem per creatas, vel actiones, vel effectus æternitatem, & indefectibilitatem dogmaticam decretorum Dei liberorum poſſe vllatenus tueri, vt q. 6. certamine primo oſtendam: quare in id abſurdi plane incurrunt, in quod aduerſarios irrito, vt videbimus, conantur inducere. Eſt autem difficultas explicatius poſita: actus Dei liber æternitate Dei liber eſt: ergo, &, vt correſpondet æteruitas qua ille durat omnibus, & ſingulis partibus, & inſtantibus durationis creatæ, vel creandæ eſt actus liber: ergo ita, vt noſtro hodierno diei correſpondet, & coëxiſtit æternitas, abſolutè poſſit non eſſe: hoc autem fieri nequit, quin actus ille qui æternitate Dei, vt tempori, immò extrinſecæ, vel poſſibili vel imaginariæ æternitati coëxiſtente præceſſit, deficere in ea, vt hodierno tempori coëxiſtente, poſſit: quod ipſum eſt Dei voluntatem, quoad ſuos actus liberos eſſe abſolutè mutabilem, ac defectibilem, contra aſſertam hactenus dogmatice Catholicam veritatem. Sin autem, vt hoc effugias, aſſeras, in æternitate Dei hodierno termpori coexiſtente actum liberum Dei neceſſarium omninò abſolute eſſe, ne antecedēter quidem, à diuina voluntate euitabilem: ergo actus ille tota Dei æternitate, qua durat, extrinſecæ ſiue poſſibili, ſiue imaginariæ æternitati coexiſtenti, nec durauit, nec durat liber, nec deinceps durabit: immò cum in æternitate intrinſeca, qua durat, vel extrinſeca cui actus ille per intrinſecam coexiſtit, primum inſtans ſeu durationis principium non ſit, antequam actus ille non præceſſerit, ſi ex præceſſione anteriori coexiſtentiæ neceſſarius abſolute neceſſitate etiam antecedente, nec ſolum conſequente, & ex ſuppoſitione quam vocamus, actus ille eſt, nuſquam in æternitate eſt anteacta, vel ſucceſſura deinceps æternitate liber actus ille erit: cum nuſquam ſit, nec in eius intrinſeca duratione æternitatis diuinæ intrinſecæ, neque in extrinſeca, cui coexiſtit, prima duratio, aut inſtans, quo primum cæperit, cuiue primo coëxiterit: in quo ſolum eius libertas poſſit, iuxta hanc doctrinam, abſolute ſaluari.

2. Hæc omnium difficultatum (quas prolixis quaſi à ſe primum adiuentis impugnationibus, ſolutionibus, ac replicis Herize, & Recentiores actuum Dei libertatem contra illam intrinſecam ipſi conſtituentes ſuſque deque expendunt) ſumma: ſunt autem eæ omnes priſcis Theologis notiſſimæ, vt videre eſt in noſtro Ruiz d. 12. ſect. 5. & eorum iam ſubiiciendis ſolutionibus primæ difficultati reſponderunt olim Magiſter, Albertus, Alex. Armac. Bonauentura, Scotus Durand. Richard. Okam, Gabriel, Gregor. Adam. Marſil. Maior, Ferrara Capreol. VValdenſ. Bellarm. Driedo Albertus Pighius, Vega Corduba Valent. Bañez, & aliquando Sanctus Thomas apud Ruiz numero ſecundo ex libertate actus diuini abſoluta, provt hodierno tempori coexiſtente, male inferri ejus immutabilitatem: quia provt hodie coëxiſtit, poteſtque pro priori naturæ non coëxiſtere eadem antecedenti poteſtate efficere nunc poteſt Dei voluntas, vt actus ille abſolute heri, totaque anteriori duratione, eiuſque ſingulis, & omnibus partibus extrinſecæ æternitatis poſſibilis, ſeu imagnariæ non coexiterit ſicuti & quod non coexiterit futurorum contingentium anteacta æternitate præſcientia: cum è Dei, cui omnia extrinſeca contingentia ſunt, tum nobis etiam contingentium, è noſtra libertate: quam doctrinam ita explicat Syluester in conflatorio quæſtione 14. articulo 19. & quæſtione 22. articulo 5. vt Dei voluntas vſque ad hoc inſtans, in quo creatura de facto producitur, indifferens maneat, & inde terminata, tuncque primum determinetur: quod merito periculoſum cenſet Ruiz numero primo: quia, vt actus liberi Dei immutabilitatem tueatur ipſi aufert contra Patres, & dogma Catholicum æternitatem. Neſcio autem quo iure idem Ruiz cenſeat numero quarto, Dionyſium Ciſtercienſem, Holcot, Aliaco, & Michaëlem à Bononia à ſe recitatos d. 31. de ſcient. ſectione ſecunda poſt medium, magis quam primos à probabilitate recedere: quod dixerint nunc abſolute fieri à Deo poſſe, vt reuelatio facta de futuris non fuerit: cum id primorum doctrinæ neceſſario conſequens ſit.

3. Ruiz qui valde ab hac ſolutione, adeo communi, abhorret, ait numero octauo cum Sancto Thoma, Caietan. Ferrara, Capreolo Palacio, Soario Alberino, Ledeſma Zumele & aliis in ſimili de ſcientia ſeu præſcientia futurorum à ſe citatis d. 31. de ſcient. ſectione quarta volitionem, decretumque quodvis Dei, etiam de poſtea faciendis, quantumvis in ſe liberum, in quovis temporis creati inſtanti ſimpliciter eſſe neceſſarium, quia iam tota æternitate Dei præceſſit: quæ, licet extrinſecæ æternitati (quæ non fuit) non coexiterit, non tamen defectu ſuæ ante omne tempus durationis indiuiſibilis, ac totius ſimul omnem extrinſecam poſſibilem, & imaginariam diuiſibilem, ante etiam, & poſt ambientis; ſed extrinſecæ coexiturræ defectu: quare in ordine ad tempus, & durationem extrinſecam diuiſibilem duratio æternitatis, qua Deus, eiuſque volitio, & diuina cætera actu ſemper, & de præſenti ſunt, erant quidem & fuerunt, eruntque vt dicitur Ioann. 1. *In principio erat verbum*, & Eccleſiaſt. 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante eum*: cum ergo quodvis tempus æternitas, qua, & ex qua volitio Dei durat, antecedat, etſi non illo finiatur, verificatur ante tempus quodvis volitio Dei eſt: quare, & eius præteritio quoad anterioritatem durationis, quam reſpectu eius dicit, etſi non quoad eius pro illo deſitionem: anteriori vero eius volitionis exiſtentia ſuppoſita: nequit potentia vlla abſoluta eſſe qua, vt non fuerit, fiat: ideo enim per ſe fere notum eſt ad præteritum nullam dari potentiam, vt docent Ariſtoteles 1. Periherm. capite 7. & 8. & Anſelm. de concord. præſcient. cum libertat. capite primo, columna ſecunda poſt medium dicens: *In re præterita eſt quoddam, quod non eſt in re præſente, vel futura: Nunquam enim fieri poteſt, vt res, quæ preterita eſt, fiat non preterita: ſicut res quædam, quæ præſens, poteſt fieri non præſens, & aliqua res, quæ non neceſſitate futura eſt, poteſt fieri, vt non ſit futura*: vnde concluditur quovis tempore creato volitionem liberam Dei omnino extra ſtatum libertatis eſſe, & intra ſtatum neceſſitatis: nec fieri à Deo poſſe, ne fuerit: id quod multis ex oppoſito deductis abſurdis ex incertitudine reuelatorum, ac ſubinde fidei, & ſpei noſtræ, ac Beatorum de ſui ſtatus perpetuitate, & alia confirmat: ſi Deus nunc facere abſolutè poteſt, ne eius decreta, quæ ex æternitate fuerunt non fuerint, vt prima aiebat ſolutio: ſed incidit ſolutio hæc in impugnationes factas n. 1. fine, eaſque difficillimas.

4. Cenſeo ergo primam ſolutionem veriorem, nec ab ea adeo abſceſſurum Ruiz noſtrum, ſi tota fuiſſet luce donata: immò inuenturum doctrinæ veræ parti (quam ſolum intuitus eſt, dum eam exhorruit) rectè cohærere. Pro eius igitur illuſtriori explicatione obſerua indifferentem voluntatis diuinæ poteſtatem, eiuſque exercitium, neque eſſe neque haberi à Deo in aliqua extrinſeca duratione: ſicuti, nec libertas creata eiuſve exercitium in extrinſeca alterius duratione, aut æternitate Dei eſt, & habetur; etſi ſub extrinſeca alterius excedentis durationis (motus v.g. cæli, aut æternitatis Dei) contineatur, atque æquali alteri adæquate reſpondeat: ſolum ergo duratio, in qua Dei libertas, eiuſque in ſuis liberis actibus exercitium eſt, à Deoque habetur, eſt eius æternitas: quo ſit, vt quamvis extrinſecas omnes durationes, & imaginarias de ſe explere, & de ſuperfluo ſui ambire apta actu, & ſufficiens ſit, ſolaque illarum poſitione egeat, vt de facto & exercite expleat eiſque coexiſtat; vel potius ipſæ durationes ſua exiſtentia propria egeant, quam à ſe non habent, vt æternitati diuinæ à ſe neceſſario actu, & exercite exiſtenti coëxiſtant: ac proinde tempori, quod de facto præceſſit adeſtque, & ſuccedet æternitas Dei pro cuiuſque menſura coëxiſtat; eo tamen eius libertas in actu primo, & ſecundo neque eſt, vt dixi neque exerceturs ſed ſola ſua æternitate intrinſeca Dei, ob cuius, & diuinorum omnium, quæ illa intrinſecè durant, coëxiſtentiam cum tempore, eiuſque partibus, pro menſura cuiuſque propria, quæ neceſſaria intrinſeca Deo ſunt, in quavis earum menſura, vt neceſſaria, quæ libera vt libera (quemadmodum reuera ſunt) correſpondent, & coëxiſtunt: atque ita à nobis eſſe pro noſtris durationibus verbis idiomatis creati

ti

ti tempus solum consignificantibus enunciantur. Non, quia ex tempore nostro, quo nec sunt, neque eliciuntur, diuina libertatem habeant vel necessitatem vt dixi; sed quia ex correspondentia æternitatis diuinæ, qua durant, suntque, & habentur, & coëxistentia tempori nostro, quod diuina ei coëxistentia in Deo, eiusque æternitate habent potest à nobis in tempore vere enunciari, à quo tamen illud nequaquam habent.

5. Hinc tota euanescit proposita difficultas num. 1. veritas solutionis primæ elarescit: & quid in secunda nostri Ruiz solutione veri sit quin in postremas difficultates contra ipsam incurrat dignoscetur. Primo enim: si de libertate, vel necessitate voluntatis, & volitionis diuinæ, vt in tempore nostro à Deo habetur, & exercetur sermo sit, erunt propositiones de subiecto non supponente: siquidem à Deo, eiusque prædicatis in tempore nostro, nec libertas, nec necessitas habetur aut exercetur; sed in sua intrinseca æternitate: sin verò dicatur, aut rogetur quid nam hoc tempore nostro de diuinæ volitionis libertate, aut necessitate dici debeat, ex eo quod in Dei æternitate, qua sola, & est, & exercetur, tempori coëxistat? inde respondendum: eum eadem quippe, vel libertate, vel necessitate, quam in se habet, & intrinseca æternitate sua durat, tempori nostro coëxistit, ac respondet: cum autem æternitas tota simul, & indiuisibilis duratio sit, quidquid semel in ea habet tota illa habet, ac simul, semelque necessario habendum ei datur, cum primum illa à Deo, & concipitur, & habetur: siquidem ita tunc concipitur tota æternitate in qua, & ad quam concipitur (vt sic loquar) futura, & duratura volitio: igitur implicat aliquid intrinsecè per ipsam, & in ipsa durans aliquo modo durare, quin eodem modo tota illa semper, & in quavis eius coëxistentia & correspondentia tempori, & durationi extrinsecæ duret: quare, sicut ante omne tempus primo (vt sic loquar) concepta à Deo in sua æternitate volitio fuit, ex indifferenti voluntatis suæ potestate, atque adeo libere, eodem etiam modo libere, ex indifferenti eadem voluntatis diuinæ potestate, cuicunque extrinsecæ durationi respondeat, tota æternitate sua procedens perseuerat: ac pro priori naturæ non concipi à Deo absolute potens, impos autem non concipi ex suppositione quod semel concepta in actu secundo à Deo fuerit.

6. Ex quo patet: pro quovis tempore nostro, verum ex suppositione esse ita in actu secundo liberam volitionem, & necessariam ex suppositione quod sit, vt absolute, & in actu primo, & pro tunc, & pro priori, & priori extrinseca duratione potuerit non esse in suæ æternitate durationis, in qua nulla est nec partium antecessio, nec successio: quare neque ad deliberationem indifferentis potestatis discretio atque determinationis diuisio: vnde eadem, & insectilis diuinæ potestatis indifferentia, eademque libera determinatio nunc est, quæ fieri, & ex æternitate fuit, & successura æternitate erit: ac subinde, sicut, cum primo (si primum in æternitate licet cogitare) ante omne tempus liberè concepta à Deo volitio est, absolute non concipi potuit, fierique, vt nunc non foret, ita etiam, vt neque ante omne tempus fuerit, fieri à Deo absolute potest: quia eadem indiuisibili potestatis indifferentia, eademque indiuisibili duratione, qua exercetur, & tunc, & nunc, & æternum semper de præsenti ponitur, ac idiomate & verbis nostris tempus concernentibus, posita ab æterno fuit: atque in æternum ponetur: quare, sicut in rebus, quæ contingenter, & liberè à nobis de præsenti ponuntur in hoc tempore, in quo libertatem nostram habemus, & exercemus, verum est ita à nobis poni, vt absolutè non poni possint: & absque absoluta, necessitate poni, etsi ex suppositione, quod positæ sint, necessariò necessitate secundum quid, & ex suppositione & consequenti sint; ita, vt non possint non esse: ita in appositione liberæ volitionis diuinæ in sua æternitate, quæ tota simul, ac semper præsens duratio est (quantumvis tempora extrinseca, quibus coëxistit, varientur, prætereantque, & sibi de futuro succedant) & in qua, tanquam in præsenti instanti indiuisibili, & proprio suæ existentiæ, & exercitij diuinæ voluntatis indifferens potestas per liberæ volitionis elicientiam exercetur: quamdiu æternitas esse intelligitur, & cuivis extrinsecæ durationi, respondeat absoluta libertas concipiendi illam volitionem concipi, atque asseri debet, solaq; necessitas secundum quid, & ex suppositione quod concepta sit, & consequens illius indifferentiæ vsum & determinationem in actu secundo per eius volitionis elicientiam.

7. Inde tamen disparent nostri Ruiz fundamenta: Neque enim admittit hæc doctrina dari in Dei voluntate ad præteritum potentia qua tale: nam respectu æternitatis Dei huius indifferentis potestatis voluntatis diuinæ, atque exercitij liberi Dei, in volitionis suæ liberæ, quæ in illa solum æternitate, & est, & exercetur, nec futurum, nec præteritum est, sed solum illud nunc diuinæ æternitatis semper in se indiuisibiliter præsens: quare ex indifferenti potestate necessariò concedenda cuivis agenti libero pro duratione tota actuali, in qua de præsenti, atque hic, & nunc suæ durationis liberæ operatur, infertur dandam liberè volenti Deo esse potestatem indifferentem pro toto suo nunc, & semper actuali præsenti æternitatis suæ, in qua solum libera vult ac volitione libera voluntatis suæ liberam potestatem exercet: in eo verò nunc æternitatis præteritum nunquam est; neque quoad anteriorem volitionis illius durationem, sed solum præsens; etsi respectu durationis extrinsecæ, & temporis nostri (cui toti coëxistit æternitas) & quo loquimur, ac verbis nostris concernimus, & consignificamus, præcessisse, & vlterius processuram diuinam volitionem dicamus, ac proinde de illa tanquam de præterita anterius ad tempus nostrum loquamur, ast id, nec suum illud nunc semper, & inuariabiliter præsens æternitatis in qua sola tota & liberè est, & à Dei voluntate indifferenti progreditur, nec variat nec præteritum facit re ipsa, nec futurum: quare nec quod eius voluntatis indifferentis æternè ad volitionis in actu primo in ea sola, & tota æternitate elicientiam, eiusve omissionem, ad præteritum, qua tale, siue vt non fuerit quod fuisse supponitur ad præcessisse chimærica potestas sit: est quippe solum potestas impediendi ne in Deo de præsenti sit, pro priori naturæ, antequam de præsenti (quo solummodo in Deo esse potest) esset, vel potius sit de præsenti: ac proinde ne respectu tempotis nostri, & nostro concipiendi modo fuerit.

8. Deceptus igitur nostro concipiendi & significandi more, & modo quo nos in tempore nostro successiuo natura sua operamur tantoperè à communi illa sapientissimorum antiquorum, & Recentiorum solutione abhorruit Ruiz: cum enim nos, nostraque omnis potestas in tempore, & simus, & operemur, tanquam in propria, & existentiæ, & operationis nostræ duratione libertatis nostræ, exercitium dici habitum verè nunc præteritum est, & extitit anterius, neque ab existentia liberæ nostræ potestatis hodierna eius exercitij appositio hesterna potest prouenire, sicuti neque ex hesterna existentia liberæ nostræ potestatis exercitij eius hodierna appositio potest procedere, cum causa omnis physica, nec solum intentionalis, vt operetur actu, & de præsenti, actu, & de præsenti debeat existere, nec satis sit præextitisse solum ad operationis tempus, adhuc immediatè, vel ipsi immediatè succedere, vnde simul duratione causa physica eiusque effectus necessario actu existere, seu coëxistere debent; inde transacto tempore, quo primo causatus effectus est, etsi causa, & effectus perseuerent, altera conseruando, alter vero ab eadem conseruatus; tamen neque, vt anterius primo productus, à causa prout posterius tempore existente, & conseruante illum, pendere vllatenus potest: quare neque ab ea fieri potest, vt primo fuerit, vel non fuerit; quo sensu causæ, vt nunc existentis ad id, quod anteriori tempore fuit, nulla datur potestas adhuc in actu primo, & pro priori naturæ ad eius effectus anteriorem positionem, sicut ad illum nunc cum causa est, & potest absolute operari de præsenti apponendum; vel de futuro, cum causa tunc etiam erit absoluta potestas in causa illius apponendi (vel etiam non apponendi, si causa libera sit) de præsenti ad sit, cum adest, & de futuro, si tunc adfuerit, reperietur.

9. In ratione insuper præteritionis anteriori tempore effectus (etiam qui ea duratione non finitur) supponitur ipse effectus tunc in se existens, & extra causas suas; alioqui nullo sensu præteritus seu anterior duratione effectus ille esset, dicive posset, & inde etiam præcisè, etsi in causa nunc existente potestas agendi ex hoc instanti ad anterius instans (quæ repugnat) daretur, repugnaret potestas faciendi, quòd effectus in ea duratione qua præcessit, non præcederet, aut fuisset, esset enim potestas ad coniungendum cum effectus existentia in duratione anteriori, quam eius dicit præteritio, & antecessio, negationem existentiæ ipsius effectus in duratione eadem: ad quod nulla potentia, nisi chimærica esse potest; ac proinde adhuc dum de præsenti causa libera est, potens nunc liberè alterutrum extremum operari, ex suppositione quod actum operata nunc sit, nequit ipsum nunc etiam omittere: quia eius potestas, etsi ad vtrumque disiunctim siue alterutrum pro libito apponendum sit, non tamen ad vtrumque coniunctim, & simul. Ex quibus patet in iis solum causis, operationibus, & effectibus, quæ tempore, & successiua, & diuisibili duratione propria, & sunt, & operantur rationem præteriti, siue perfectè siue imperfectè talis dari posse: & ratio duplex impotentiæ ad hoc, vt quod aliquomodo, siue perfecto, siue imperfecto semel fuit præteritum, præteritum non fuerit: atque item ratio discriminis potentiæ absolutæ, quam Aristoteles, & Anselmus causæ liberæ ad affectus suos de præsenti, aut futuro liberè edendos concedunt, & ad præteritos negant. Ac demum inde constat in volitione libera voluntatis diuinæ, quæ æternitate indiuisibili, totaque simul, tanquam duratione propria, & intrinseca est, durat, atque operatur, nullatenus rationem præteriti reperiri, etsi extrinseca successiua duratione, & tempore nostro, qua neque est, nec durat, nec affectus operatur suos tanquam de præteritis & futuris de eis loquamur. Hinc tempore, sine quo, nec de æternis, possumus loqui, aut iudicare, asserere debemus dari in voluntate Dei in actu primo considerata absolutam habendi, & non habendi volitionem, quam de facto habet, vel etiam oppositam, quin ad præteritum detur in Deo potestas, seu ad faciendum, vt id, quod fuerat, non fuerit, vt nostris vocibus decepti, Ruiz noster in Doctoribus primæ solutionis exhorruit, minusque prudenter, & caute admiserunt Gilbertus Porretanus in lib. 1. Boët. de Trinit. quem sequitur Altistiodor. summ. cap. 11. quæst. 6. Alex. 1. part. quæst. 21. m. 5. art. 4. Doctores Angli relati, & propugnati à Greg. in 1. d. 42. q. 1. art. 2. Corduba q. 55. quæstionar. dub. vlt. in hac quæst. & simili de præscient. futurorum potentiam in Deo dari posse ad præteritum, vt præteritum non fuerit; quod ex dictis num. 8. & 9. improbabile, atque euidenter, (vt semel in re scholastica sic loquar, falsum esse compertum est: cum autem omnes nostri Ruiz impugnationes enitantur deceptione, quod ex libertate intrinseca voluntatis diuinæ in actu primo pro nostro tempore ad habendam, vel non habendam volitionem liberam inferatur dari in Deo potentiam ad præteritum, siue, vt re ipsa non fuerit in Deo, quod fuisse in se suppositum est, ex dictis euanescunt: illaque absurda de diuinæ reuelationis, ac fidei in certitudine, speique nostræ ac Beatorum rationabili hæsitatione. Hæc quippe omnia decretum liberum, cum rei promissæ, tum reuelationis in actu secundo ex indifferenti voluntatis diuinæ ad illa concipienda, vel omittenda, & in se posita supponunt: è quorum suppositione, & positione in se, etsi libera, implicat tota æternitate non esse, & necessario necessitate consequenti sunt, quin vt non sint, quæ iam esse supponuntur, & de facto sunt, vlla in Deo vera potestas dari queat: quare & in reuelatis certitudo, atque in promissis tota firmitas in hac nostra doctrina ex parte obiecti consistit.

QVÆSTIO VI.

Libertatis liberarum volitionum Dei formalis constitutio expenditur.

1. VT morem Theologorum consuetudini geramus, & tantum de libertatis huius constitutiuo difficultatem explicare penitus, ac plene definire minime sperantes, hanc quæstionem ingredimur. Neque enim tenuitas nostra Sapientissimos viros in ea, vel animo collapsos, vel hallucinantes, vel lapsos videns, melius aliquid de se, nisi per summam vesaniam, aut stoliditatem sperare valeret: id vnum hac in re præstare potest, quid in ea dicendum non sit, aliorum vel periculo vel exemplo edoctos ostendere; non autem quid in ea sit explicare: ergo in libertate volitionum liberarum Dei constituenda generales duas opinandi classes Scholastici hactenus fecerunt: etsi earum vna quæque variis modis, seu angustioribus classibus Doctorum intra alteram illarum hac, vel illa via docentium diuidatur: Classis prima eam libertatem creato aliquo extrinseco complet, ac constituit; ne Deum mutabilem intrinsecè, ac secundum intrinsecum aliter, atque aliter se habendi capacem, cuique ea libere vellet, quæ non vult, vel contra, nollet, quæ vult, vel neutrum è libertate contradictionis vellet, sed vtriusque volitionem pure omitteret. Secunda classis intrinseco Dei volitionum libertatem omninò constitui defendit: vtramque eo ordine cum hactenus sub vnaquaque adinuentis modis examinandam, proponemus.

2. Alterutra classe tamen (vt dixi) plures generalem suam conclusionem defendendi modi apud Doctores fuêre, successoribus ad anteriorum modos subortos contra eos difficultates aliquid addentibus, vel alios excogitantibus: idcircò pro vnaquaque earum classe excogitatos modos omnes referre primum statui, vt explicatiùs, in quo sub ea modi hactenus excogitati conueniant, quove dissideant proposito, cum vniuersim, tum singulatim de classe tota iudicium vtilius, ac dilucidius fieri possit: & primo loco de classe constituente libertatem volitionum diuinarum per extrinseca: quia ea mihi longe à vero abire visa semper fuit. Monitos autem lectores velim Ruiz, Arriagam, & alios difficultatem hanc cum alia de libertate præscientiæ absolutæ, & medix confundere; immò in earum libertate designanda putant esse maiorem; cum tamen in hac nihil difficultatis esse possit, semel volitionis Dei libertate, (à qua mediate solum, & purè extrinsecè atque ab obiecti libere à voluntate Dei possibili libertate denominatiuè libera Dei scientia est) ritè, siue per extrinseca Deo connotata siue prorsus intrinsecè, iuxta secundam hac in re oppugnantium classem, constituta; quod monui, ne hic ab vtriusque libertate, quasi diuersa, argumenta confundantur.

CERTAMEN I.

Extrinsecus libertatem volitionis diuinæ constituentium numerus, & communiores modi.

1. CONCORS horum Doctorum sententia est: libertatem diuinæ volitionis per intrinseca Deo omnino & adæquate constitui minime posse; ne aliquid Deo intrinsecum absolute asseratur defectibile: vt esset in ea sententia volitio creandi mundum ac singula quibus constat, quæ ita sane in Deo est, vt potuerit absolute non esse: quod si secundum libertatem, & contingentiam essendi, ac non essendi, à qua formaliter libera est, libe-

reque

reque à Deo concepta fuit intrinsecum Deo quidpiam prorsus sit absolute defectibile Deo adesse fatendum necessario erit; imò verò, & de facto aliquid Deo intrinsecum deerit, quod potuit absolute habere: verbi gratia volitio creandi alium mundum, quam de facto non habet, & nolitio creandi hunc positiua, quæ ei non adest, vepote cum volitione efficaci creandi eum incompossibilis, & repugnans: ex quo rursus infertur absque vlla variatione reali Deum posse contradictoria vera, & realia subire, atque in sua intrinseca entitate chimærice coniungere: & hæc quidem difficultatum summa est, ob quas extrinsecus libertatis volitionis diuinæ constitutores vniuersim à secunda classe intrinsecus eam constituentium concordes absceduut: ac insuper aliquid Deo extrinsecum ad plenam eius constitutionem vnanimi etiam consensu requirant; quibus pro secunda classe satisfieri q.7. oportebit.

2. In hac porro sententia fuere OKam in 1. disp.45. quæstion. vnic. d.46. quam supponit Gabriel insignis eius discipulus disput.46. quæstion. vnic. sub init. Lychet, & Nominales alij nonnullique Scotistæ d. 45. quia in Deo, nec voluntatem, nec volitionem ab essentia, formaliter, adhuc, ex parte obiecti (sicuti neque inter prædicata realiter adæquata identitate identificata) distinguunt; sed solis nostris conceptibus, & vocibus, nullam volitionem specialiter, & ab essentia, adhuc obiectiue, diuersam Dei operationem ad extra præcedere docent: qua in re à cæteris iam pro hac sententia memorandis, nihilo præter solarum vocum, & formalium conceptuum solas præcisiones (quod eis nominalium nomen fecit) discordant: & si eorum in præsenti doctrina durius aliquid nostro Ruiz d. 11. sect. 1. à numero quinto & sexto sonent: sonabuntque aliis, qui eos generale illud, & proprium scholæ suæ principium ea speciali locutione attendisse non animaduerterint: eandem sententiam absque ea Nominalium, è quibus non erat, locutione tradidit constanter Aureol. in 1. disp. 40. art. 1. propos. 1. & 2. disp. 46. art. 2. proposit. 2. & 3. d. 47. quæstion. 1. art 1. §. *ex præmissis* Altisiodor. 1. sentent. cap. 13. col. 1. eamque magnopere illustrarunt ex nostris Vasquez 1. part. disp. 67. cap. 4. numer. 21. disput. 79. cap. 21. numer. 8. & suius ex instituto d. 80. cap. 2. Arrubal. d. 54. cap. 3. Herize d. 16. de volunt. cap. 9. Granad. tom. 2. in 1. part. tract. 3. d. 5. sect. 3. Albertin. princip. 4. philos. corollar. 2. quæstion. 3. Theolog. assert. 4. à num. 10. & principio 6. coroll. 21. quæst. 2. Theolog. à num. 18.

3. Pro eadem sententia recensendi sunt nostri etiam Alarcon. de volunt. d. 4. cap. 9. Hemelm. tom. 1. titul. 5. d. 2. cap. 5. numero 6. Franciscus Amicus disp. 14. sect. 3. Recapit. tom. 2. de Deo tract. 2. quæstion. 9. cap. 2. relati à Quiros d. 59. sect. 2. numero 13. quos ipse sequitur sectione 4. & 5. asserentes volitionis diuinæ libertatem addere supra necessariam solummodo connotationem extrinsecam effectus creati: non secus, ac domini, & creationis actualis denominationes, quæ à creatæ actionis & rei existentia actuali tanquam forma extrinseca desumuntur. Quem modum, docuit fere, olim Magister in 1. d. 45. capit. secundo & tertio, Henric. articul. 45. summ. quæstion. 3. sub fin. quæstion. 4. corp. fin. & ad 2. Scot. in 1. distinct. 45. collatus cum dictis d. 39. quæstion. 4. corp. ad argument. Durand. in 1 disp. 39. quæstion. 1. à numero 8. Marsil. in 1. quæst. 44. art. 2. ad 3. probat. primæ ration. Heruæ. d. 46. & quodlib. 1. quæstion. 1. expressius tamen Alexand. 1. p. quæstion. 34. m. 2. Albertus quæstion. 79. m. 1. ad argument. atque in simili de præscientia absoluta futurorum iidem & S. Bonauent. Carthus. & Magist. apud Ruiz disp. 11. sect. 3. numero 2. Hugo Victorin. quæstion. 216. elucidar. in epist. ad Rom. quatenus ait præscientiam in Deo *designare relationem respectu futurorum*; nec, si futura abessent, præscientiam fore; sed plane loquitur de antecedentia, quam scientiæ de illis præscientiæ nomen addit: siquidem falso inde colligeret defecturam *scientiam, qua præscivit futura* his deficientibus: eidem sententiæ in re præsenti magis adhæret Bellarm. tom. 3. controuers. lib. 3. de gratia & lib. arbitr. cap. 17. §. *quare* & ad 1. 3. & 4. argument. in eâque plane fuere Capreol. in 1. d. 45. quæstion. 1. art. 2. ad argument. contra 1. & 2. Conclus. Daza ibi quæstion. 1. art. 2. notab. 2. Ferrara 1. contr. gent. cap. 75. §. *Aduerte* & sequ. & cap. 76. §. *responderi*: Molina 1. part. quæstion. 19. artic. 2. ad 2. Zumel ibid. dub. 1. parum constans artic. 3. Bannez ad eum art. 2. Medina 3. part. prologo quæstionis 2. Nauarrete tom. 1. contr. 56. §. 3. à med. Cabrera tom. 2. disputat. 13. §. 5. à numero 58. Ledesma d. 2. de scientia contingentium post conclusionem 2. à pag. 582.

4. Aiunt enim liberam Dei volitionem qua liberam solum addere supra Dei necessariam ipsi identificatam relationem rationis ad extrinseca connotata creata. Non autem ita Barde locuti, & arbitrati credendi sunt, vt in ente rationis diuinæ volitionis libertatem veram quasi chimærium quid, & purum rationis figmentum sit, constituant: volunt ergo Authores præfati diuinæ volitionis libertatem, si vltra necessariam, & extrinsecum connotatum, quo re quidem ipsa, & vere completur, atque vltimo constituitur, vt quid vnum ab vtroque diuersum necessariæ volitioni Dei adiacens & inhærens cogitetur, vt de ea simplici voce loquamur, rationis figmentum, & relationem esse; cum reuera, neque à coniuncto volitionis necessariæ & extrinseci connotati creati differat, ac resultet, neque Deo physice adiaceat, aut inhæreat. quemadmodum de relatione dominij, & creatoris actualis, cuius instat libertatis diuinæ relationem, & connotationem Alensis & Albertus explicarunt: & Vasquez ipse sententiæ huius illustrator, iuxta generalem doctrinam suam de omni denominatione extrinseca, quam vniuersim proinde in relatione rationis eo sensu constituit, disp. 80. cap. 2. citato constitui eiusmodi libertatem, siue per extrinseca connotata, siue per relationem rationis ex coniuncto eorum, & necessariæ volitionis præsupposito resultantem indifferenter dicens: itaque in eo hactenus relati conueniunt, vt in volitione intrinseca Dei nihil libertatis (tametsi, quidquid volitionis obiecti, tendentiæque affectiue in illud in Deo est claudatur) sed tota in extrinseco affectu, & opere sit, quo libera formaliter vltimo constituitur. Cum autem in hac libertatis diuinæ in actu secundo generali constitutione duo intercedant, & necessaria Dei volitio, & connotata extrinseca creata ex parte vtriusque explicandi eius discrepant Authores.

CERTAMEN II.

Connotantium, quoad id, quod ad decreti constitutionem ex parte Dei supponendum, speciales modi confutati.

1. QVo ad primum Pater Vasquez disp. 80. cap. 2. Arrubal, & Albertin. etsi quidquid intrinsecum volitionis, & tendentiæ affectiuæ in obiectum in Deo est, quodque affectionem, & positionem ad extra præcedit, solam volitionem necessariam Dei, non autem liberam vllatenus esse fateantur: in scripturam tamen reuerentiores contendunt in Deo liberam volitionem in volendo, & tendentia affectiua ad obiectum esse, admittique nihilominus deberet: qua ratione verò id in sua hac opinione stare possit, non satis primi duo explicarunt, neque explicabile videtur. Nihilominus ab Albertino citatis locis ea redditur ratio, esse nimirum in necessaria volitione, & entitate Dei volitionem disiunctiuam, id est actum, qui simul sit actus volendi, & nolendi sub disiunctione, idem adhuc obiectum; qui tamen pro illo priori non volentem, nec nolentem determinate denominet, quia non est magis nolitio, quam volitio, seu alterutra; quousque Dei voluntas pro posteriori determinate per virtualem quandam volitionem ad alteram illarum se applicat: verum explicatio hæc implicatior est ipsa opinione, quam explicat: superflua insuper addit; atque se ipsis repugnantia; ni tandem in constitutionem libertatis diuinæ volitionis per prorsus Deo intrinsecum connotatis extrinsecis ab eius constitutione seclusis, recidat,

vel inuita & superflua quidem addere facile deprehenditur: siquidem illo actu, qui volitio, vel nolitio obiecti eiusdem sit, indifferentiæ status similis omninò statui indifferentiæ, quem habet voluntas nostra libera libertate contrarietatis in actu primo considerata, & volitio necessaria Dei, qua primariò ad se fertur, atque à se ipso adæquatè specificatur, pro priori ad tendentiam disiunctim, (quam solum admittis pro posteriori, ne nolitionem & volitionem eiusdem obiecti iuxta constitutionem intrinsecam aduersam coniunctim, & tuo iudicio repugnanter absque intrinseca variatione Dei, & defectibilitate admittas) in tua hac sententia etiam habet: inde ergo sine tendentia illa disiunctim intermedia immediate, & proxime poterit virtuali tua volitione determinate ad volitionem præ nolitione applicari, ac determinari.

2. Venio ad reliqua: implicat in terminis hæc explicatio. Actus quippe, qui sit in se, & entitate, ac essentia sua volitio, vel nolitio disiunctim, non minus, quam esse aliquid in se substantiam, vel accidens disiunctim, vel substantiam rationalem, vel irrationalem indeterminate. Ratio est: quia, quidquid est, in essendo determinatum est, etsi possit esse indifferens in operando, vt in nostra voluntate patet: ac proinde disiuncta non in rebus physicè, sed solum in ratione, & intentione obiecti extrinseci esse potest: secundò quia in illo actu disiunctiuo, qui ab æterno est, vel sola est nolitio ab æterno secluſa (vti in contrariis affectibus efficacibus necessario sit) volitione eiusdem obiecti: & solus erit actus determinatus nolitionis, vel est actus etiam volitionis: & oportet, nè actus determinatus sit, sed disiunctus ex vtraque: & ne tunc quidem disiunctiuus actus erit, sed coniunctiuus, ex volitione, & nolitione, quæ sibi in eo actu, & entitate Dei inuicem ab æterno sunt, & coexistunt. Tertio de ratione disiuncti ex repugnantibus est vt quæuis eius pars altera præsente abfit: sunt autem volitio, & nolitio efficax creandi mundum repugnantes: quare vtraque non solum in eundem actum, sed, nec per diuersos, cadere in eandem voluntatem potest. Quarto: si, simul sit ab æterno, vt opus est ad actus disiuncti existentiam ab æterno, & denominauit vtraque ante applicationem voluntaris ad alteram per virtualem illam applicationem. Quinto incidit hic modus in absurdiora his, quæ in intrinseca constitutione refugit. Nam coniungit in vnum ab æterno actus repugnantes. Sexto: volitio illa voluntatis applicatiua, & determinatiua ad volitionem determinate creandi mundum verbi gratia præ nolitione, defectibilis est de se, ac de facto plures eiusmodi deficiunt Deo ergà ea, quæ non sunt creata vel creanda: vel ergo extrinseco aliquo completur, nec libera, qua volitio, extrinsecam Dei operationem præcedet nec erit Deus liber in volendo, & tendentia affectiua circa extrinseca creata agenda, vt hoc tuo modo esse contendis: sed solum erit liber in operando, quod refugis: si vero dicas eam virtualem volitionem absolute Deo defectibilem intrinsecus Deo constitui: venis in opinionem aduersam, eiusque difficultates, quam absque his expensis defendere possies.

3. Granados cit. loco à n. 19. & Hermelm. citatus præsertim c. 6. aliique Recentiores apud nostrum Ruiz volitionem disiunctiuam aliam designant: non quidem ex actibus voluntatis contrariis, nolitionis, & volitionis in vnum entitatiuè disiunctiuum constatis; sed in vnum, quod obiectum disiunctum habeat. Volo verbi gratia creare mundum: quod quidem, non solum complacentia simplex de possibilitate contingente mundi sit, in qua vtriusque extremi, vt possibilis complacentia clauditur; sed vtriusque sit desiderium ad vtriusq; existentiam tendens disiunctim: mundi videlicet, & negationis eius: quod desiderium eorum aliqui efficax esse formaliter de vtroque disiunctim, mundo videlicet, & negatione eius aiunt; alij verò non formaliter, sed virtualiter efficax esse admittunt: quod, vt minimum, necessarium est, vt ob eum actum ex altero disiunctim liberè velle, & ex libera volitione Dei esse cuncta, quæ sunt, & non esse, quæ absolutè non sunt (vt hi defendere volunt) possint tueri: cum simplex complacentia de vtriusque extremi possibilitate, quæ ad existentiam non tendit, nec desiderium inefficax extremi alterius, satis ad alterutrum apponendum non sint. Addunt verò ad liberæ volitionis complementum in ratione liberæ, ac determinatæ ad alterutrum ex illis extremum pertinere emanationem à Deo extrinsecam, siue creatam actionem illius extremi; quamuis hoc postremum de actione vt verbis saltem eludere argumenta generalia contra constitutionem hanc libertatis diuinæ volitionis per extrinseca vocibus *de connotato in obliquoque* moderari, atque emollire conentur; sed, vt mittam communia contra connotatores argumenta vniuersim efformanda à certam. 2. neque hac via recentiores hosce explicare, ac defendere posse, quod intendunt (nempe ex parte Dei volitionem liberam præcedere, ex qua, vt libera volitio est, creatura, eiusve actio à Deo procedat) paucis ostendo.

4. Et præter superfluitatem huius actus de extremis disiunctim, siquidem, vt contra Albertinum dicebam, hoc actu de obiectis oppositis, & sibi contradicentibus adhuc manet indifferentia ad alterutrius à voluntate diuina oppositionem in rebus præ altero: quem eundem statum diuina voluntas seu volitio necessaria Dei pro priori ad Deum primarium suum obiectum, & specificatiuum habet ante vllam eius ad creaturas extensionem pro posteriori. Secundo nulla Dei volitio necessaria efficax vllo modo est, etiam aduersariis fatentibus: atqui per eosdem volitio illa de obiecto oppositio disiunctim necessaria est, siquidem ad libertatem actio extrinseca, seu eius connotatio quæ ante illam prioritate naturæ per ipsos esse ex ipsa nequit (nè in constitutionem libertatis per Deo intrinsecum cant) sed pro posteriori, omnino requiritur: Ergo per ipsos nullo modo efficax est. Secundò nulla volitio necessaria potest esse determinata ad aliquid ea posita contingens; alioqui connexa esset de se cum contingenti, ac subinde non necessaria sed contingens: sed omnis voluntas efficax est determinata ad aliquid absolute contingens (nam circa id quod de se necessarium est efficacia irrita foret) ex eius tamen voluntatis efficacia positione necessarium: ergò nulla voluntas necessaria potest esse efficax. Tertiò: nulla volitio de obiectio disiunctim secum repugnanti potest esse absolute efficax; scilicet summum, sub conditione, quod alterum extremum non adsit; alioqui esset duplicis extremi repugnantis efficax efficacia chimærica & impossibili.

5. Quintò omnis voluntas absoluta efficax se ipsa independenter ab vlteriori determinatione contingent (maximè si mediis non egeat; vel plura, ex quibus eligi possit, non adsint) necessario positura determinate ei, aliquid saltem obiecti sui in rebus: atqui, vt nunc dixi, nequit ponere vtrumque obiectum disiunctionis, quod totum suum obiectum est; sed neque alterum determinate extremum disiunctionis determinate independenter ab vlteriori alia determinatione contingenti: cum de se esse maiorem determinationem, aut connexionem, seu inclinationem affectiuam ad vnum, quam ad aliud extremum non habeat; sed æque, & indifferenter in vtrumque extremum disiunctionis affectiue feratur; ergo voluntas de extremo disiuncto nullatenus est efficax. Secundò ex disiuncta propositione, vel affectu de obiecto disiunctim non licet absolute inferre alterum membrum disiuncti determinate, si opposita & contingentia de se sint; sed solum ex negatione alterius suppositi, vt Logicis est notum: atqui ex omni voluntate absolute efficaci, licet absolute inferre suum obiectum quantumuis alias de se contingens sit: ergo nullus affectus de extremis oppositis disiunctim efficax est absolute. Septimo, ad omnem voluntatem efficacem sequi immediate potest imperium executiuum: ad voluntatem autem de obiecto disiuncto sequi immediate illud nequit, tantum enim hoc sequi immediate ad illam potest; fiat verbi gratia lux, vel non fiat; cui cap. 1. Genes. aduersatur, quod nullatenus imperium executiuum est, sed simile huic imperio, aut legi ciuili, vel morali, ieiuna vel non ieiuna, audi vel non audi sacrum: quod nusquam lex, aut imperium esse potest: demum, cum expectanda sit actio extrinseca ad libertatem volitionis, & reliqua antecedentia ex parte volitionis diuinæ ad actionem illam, etiam volitio illa de extremis oppositis disiunctim, & necessaria sint, & indifferentia nec libera; nec ad extremum de facto apponendum determinata, nec libera in sua linea volitio futura appositionem præcedet (vt hac ratione præcedere recentiores

centiores suadere conantur) nec indifferentiæ determinatio à voluntate, qua voluntas seu volitiua formaliter est; sed tota indifferentiæ determinatio, & libertas ab actione extrinseca erit: nec Deus quia libere vult, operabitur; sed quia actiuus ad extra est: nec per voluntatem formaliter si omnipotentia diuersum ab ea attributum sit.

CERTAMEN III.

Specialis nostri Quiros modus reiectus, & mens connotantium omnium in re hac concluditur.

1. QVIROS citata d. 60. sect. 2. subtiliter in hoc mysterio libertatis diuinæ explicando laborauit: asserens duo. Primum numero 10. concluſ. 1. totam volitionem liberam, etiam, qua liberam, Dei in abstracto consideratam per Deo intrinsecum omninò constitui: atque omnem Dei operationem & effectum natura præcedere, vti constituentes libertatem eius absque extrinseco connotato fatentur. Cæterum num. 13. concluſ. 3. addit: in concreto, vt Deum libere volentem denominet, & constituat, aliqua actione, vel modo per ipsam ad extra posito, & producto prorsus egere, vt libere volens constituatur, ac denominetur: quia, vt libere volens concrete intelligatur Deus, oportet vt intelligatur habere aliquod exercitium agendi ab intrinseco, & defectibiliter, ne merè passiuè se in amando habeat; ac non libere absque vlla necessitate, etsi eiusmodi exercitium ipsa formalis volitio non sit, sed ab ea diuersa, vt patet, inquit, in Beato si ex peculiari concursu, & dispositione Dei alia actione libera in amorem beatificum concurreret: vel in infusum mihi à Deo actione necessaria, vlteriùs alia ego libere à me elicita influerem, & tunc velle eo amore Deum Beati & ego obiectum volitum dicemur; qui ea dilectione ipsa secluso nostro interiori influxu libero nullatenus illa diceremur libere diligere: cum autem actio Dei ad intra ad suum amorē, & vere antecedens (maximè defectibilis) multò ex capite repugnet: oportet extrinsecā Deo esse, atque ab ea intrinseca in abstracto libera causatam, & natura posteriorem. Nec obest (inquit) huius posterioritas ad volitionem in abstracto liberam à qua procedit: siquidem, etsi posterior sit, vtrumque Deus habet: & velle, & liberè agere: quod solum denominatio liberè volentis includit: nec videtur cur volitio posterior actione ad eam denominationem sufficiat, non autem actio volitione posterior: æque essentialiter vtraque libere volentis denominationem constituat. Præterea: quia ideò in creatis actio contingenter elicita præcedere volitionem debet, vt libere volentem vtraque denominet, quia, cum volitio ipsa supposítum ipsum non sit, vt voluntariè agat, ac vere volens denominetur, ac sit, necessarium est, vt per illam actionem per modum viæ tendat in volitionem, adquiratque esse volens: cum autem volitio diuina sit ipsummet suppositum, seu ipse Deus volens, absque vlla actione præcedente volitionem, actionis præcessione opus non est; sed sufficit, si ab ipsa volitione, seu Deo, vt principio, pro posteriori naturæ procedat.

2. Hæc pauca huius peculiaris cogitationis omnia & singula summatim continent, quæ Author hic oblonga sectione multa & ingenij subtilitate, & labore in mysteſij huius ad bona, & receptibilia principia, & doctrinas philosophicas, complanationem proposuit: certe laudandus, etsi, vti reor, id non fuerit assecutus. Primò enim in volitione ipsa abstractè sumpta, quam ritè intrinsecè, & absque vllo extrinseco connotato liberam fatetur, omnia argumenta contra adæquatam libertatis diuinæ intrinsecam constitutionem defectibilitatis intrinsecæ, separationisque à volitione Dei, Deóque ipso, qui nunc perstat, cum volitio libera efficax etiam abstractè sumpta de alterius mundi fabrica, & productione abest (ob quæ latissimè, & rigidissimè ab eodem authore perpensa ad connotatores abiit) æquo robore, & asserta ab ipso insolubilitate contra ipsum instaurantur. Secundo illud velle, seu volitio in abstracto sumpta identificata Deo absolutam libertatem in ratione volitionis ità sumptæ, habet per te, vt asseris, negareque non potes, nisi ad alios modos à te impugnatos accedas: ergo nullo alio extrinseco opus est, vt Deum denominet libere volentem. Probatur consequentia: quia diuina omnia attributa, & formæ ipsius metaphysicæ (vt sic loquar) nullo alio egent, quam identitate cum Deo per ipsas denominando, vt in reliquis omnibus patet: imò denominationes omnes ab eiusmodi formis attributæ sine rationis figmento non sunt: atque in huius sententia, qui obiectiuas præcisiones per rationem nostram in rei eiusdem prædicatis inductas non admittit, sola voce, & conceptu formali nostro extrinsecis abstracta vsurpatio rei à concreta eiusdem acceptione differt; nihilo tamen ex parte rei obiectæ variato, aut immutato: quare quidquid in abstracto Deo est ex parte obiecti identitate adæquata identificatum, & commune, verè, & secluſa nostra præcisione, vel formali, vel obiectiua conuenit (vti conuenire libertatem volitionis liberæ in abstracto sumptæ doces) etiam in concreto, & denominatiue ipsi conuenit. Hinc ex prædicatione de Deo, alioue prædicato diuino cuiusvis prædicati diuini abstracte, infertur eiusdem de ipso prædicatio concretè, & è contra: Deus est Sapientia ergò sapiens: est omnipotens, ergò omnipotentia est omnipotentia, vel immensitas: ergò omnipotens vel immensus, quod verum esse non potest, si aliud præter identitatem expectandum in prædicatione diuinorum inter se foret, vt alia ab aliis denominarentur atque concretè enuntiari possent. Secus euenit in denominationibus à forma diuersa realiter à subiecto denominando, ad quam expectanda alia sæpe sunt: maximè, cum eis denominationibus importantur: quo instantiæ omnes è creatis denominationibus, hinc, inde conquisitæ, euanescunt.

3. Vlteriùs etsi in creatis vera actio physica, & productio volitionis cum indifferentia ex parte principij requiratur, vt velle liberè dicatur subiectum, æquè requiritur, vt libera dicatur, & sit in abstracto ipsa volitio, quæ si in abstracto absque actione physica libera atque ex principio indifferenti orta, & vnita subiecto volitiuo foret, nullo alio expectato ipsum liberè volens denominaret: atqui volitio diuina, per te, in abstracto sumpta libera adæquatè est, ac subinde absque actione vlla realiter ex indifferenti voluntate orta, ac Deo perfectissima coniunctione, & vnione (vt sic dicam) identitatis coniuncta, & identicè vnita: ergò nulla alia actione expectata Deum liberè volentem denominabit. Rursus ratio veri viuentis in Deo est ratio viuentis solummodo intentionaliter, seù principij seipsum verè mouendi, solummodo intentionaliter, motione solummodo intentionali, absque vlla motionis, seu actionis physicæ mixtura, potentiam solummodo intentionalem, veram quidem, etsi nullatenus physicam supponens vt hic author verè docuit de potentia intellectiua Dei loquens, nosque controuers. de scientia altiùs fundauimus: ergo sola motione intentionali, nullatenus physica, orta intentionaliter à potentia pure intentionale actu Deus per hunc Authorem viuit, habetque suum exercitium vitale adæquate, & absolute tale, ac verè viuens actu est ac denominatur in concreto nulla physica actione prærequisita, vel expectata: ergò è sola motione intentionali siuè actuali volitione libera, orta solummodo intentionaliter à potentia vitali, intentionali solummodo, volitiua indifferente (cuiusmodi in Deo est, atque ad liberam adæquate volitionem in abstracto ab hoc Authore admissam necessario præsupponitur) nulla actione physica, vel prærequisita vel expectata libere volens absolutè, & adæquatè Deus erit ac denominabitur: vnde etiam disparent argumenta, quæ ex requisita actione physica ad denominationem libere volentis in supposito creato, ad requisitam actionem physicam, vt libere volens Deus in concreto sit, ac denominetur à volitione libera intrinseca adæquatè in abstracto: ideò enim in supposito creato requiritur: quia in eo potentia vitalis intellectiua intentionaliter motiua diuersa realiter à potentia vitali physica ac physicè actiua immanenter ac libere non est: cum enim per terminum creatum

mouere

mouere se debeat, si se moueat, ac per terminum non creatum se mouere repugnet: nequit esse potens se intentionaliter siue naturaliter, siue libere mouere, quin potens sit se physicè & actiue mouere actione à se physice orta siue identificata cum termino ad quem se mouet, siue diuersa, ac præuia ad ipsum, vnde rursus constat actionem hanc requiri quidem vt vitalis & liber terminus intentionalis creatus sit, verbi gratia volitio ipsa creata libera, ac vitalis, etiam in abstracto sumpta; non autem, vt vlterius suppositum volitiuum creatum volens in concreto constituat, ac denominet: ergò, cum per hunc authorem motio volitiua intentionalis, seu terminus intentionalis Dei volitio Diuina nimirum in se & in abstracto sumpta, secundum intrinsecum vitalis, ac libera adæquatè sit, nullam actionem physicam, vt vlterius Deum in concreto liberè volentem constituat, ac denominet, requiret.

4. Atque, vt exemplorum, quibus actionis physicæ necessitatem, vt volitiuum in concreto liberè volens denominetur, possibilitatem aut repugnantiam discutere præteream: id quod conclusione tertia addit (quodque sua vnice referebat, & ad quod probandum tot philosophicas cogitationes & discursus tam longo filo hic Author deduxit, & texuit, falsissimum, nullaque probabilitatis luce, imò neque vmbra excogitatum videtur. Primo: quia, vt modo dicebam, actio nullatenus in Deo ad denominationem volentis liberè requiritur, etsi in creatis volitiuis ad similem denominationem requiratur. Secundo: quia, adhuc in his, requiritur vt vitalis, & libera volitio ipsa abstractè etiam, & in se sumpta sit; non vt vlterius volitiuum creatum volens libere concrete denominet, & constituat. Tertio: quia inde constat clarissime rationem diuersitatis volitionis liberæ creatæ à supposito volitiuo per ipsam liberè volens denominando in causa non esse, vt actio requiratur ipsa volitione libera anterior; & ratio identitatis volitionis liberæ cum supposito diuino cur in Deo posterior volitione liberam actionem ad similem denominationem tribuendam requirat? ab hoc Authore tanquam vnicas assignatas; cum tamen nullatenus sufficientes, sed inanes ac nullæ sint: constat enim ex motione à se necessaria ad exercitium vitale, ac liberum physicum actionem in volitiuo creato libero prærequiri: ac proinde ad denominationem liberè se in concreto mouentis, quia alias volitio, qua vitalis, & libera, & quæ eius concreti forma est, deficeret, atque eius defectu concretum, non quia illa consistente defectu actionis, tanquam vlterioris conditionis, denominatio, & concretum non esset; ex parte verò Dei identitas volitionis liberæ cum ipso satis non esset, ni ipsa motio intentionalis, & libera à Deo in se foret, quin ad eam, vt talem actio aliqua physica requiratur (in huius præsertim doctrina, quam de vera potentia intentionali Dei ad intellectionem præuia referebamus num. 12.) nec denominaret, quantumuis actiones aliæ physicæ non vitales ipsi adiungerentur. Adde: ipsum in ea ratione de identitate volitionis cum supposito increato Deo, concedere Deum volitione sola ratione huius identitatis absque vlla actione anteriori, vel posteriori, requisita denominari, & constitui adæquatè volentem: ergo per ipsam intrinsecè liberam absque vlla actione physica anteriori, vel posteriori ratione eiusdem identitatis erit, ac dicetur in concreto libere volens. Probatur consequentia: nam actio, & motio à volitiuo, siue physica, siue intentionalis ad libertatem volitionis, & denominationem, & consistentiam libere volentis concrete non ex prædicato libertatis (quæ extrinseca solum denominatio est indifferentiæ voluntatis à qua procedit) sed ex superiori, & generico vitalitatis, quam libera volitio essentialiter includit requiritur: atqui hoc prædicatum æque essentialiter clauditur in volitione Dei, & nihilominus per te absque vlla actione physica ipsam antecedente, vel subsequente, & volitio est vitalis, & vitaliter volentem formaliter facit, & constituit Deum; ergò & volitio libera erit absque actione vlla, ac Deum volentem constituet formaliter, ac faciet.

5. Ex his facilem responsionem suæ illi difficultati, nec vnam solum, inuenire potuisset hic Author: cur aiebat, cum vtraque ad denominationem, ac constitutionem volentis liberè in concreto, & actio physica, & volitio ex æquo requiratur, denominationi non obest quod volitio posterior sit; oberit autem denominationi, quod actio physica sit volitione posterior? Duo enim supposita huius interrogationis sunt ferè improbabilia, & arguenda. Primum requiri vsquam actionem physicam ad denominandum, constituendumque liberè volens præter eam, quæ vt volitio libera sit requiratur. Secundum ad denominationem liberæ volitionis, ac subinde liberè volentis vniuersim loquendo actionem physicam, adhuc volitione anteriorem esse opus; cum & ipse interrogans absque vlla actione physica, siue præuia, siue subsequuta, Dei volitionem in se, & in abstracto liberam esse defendat; nihilque vlterius requiri, vt Deum, cui identificatur, concretè volentem liberè faciat ac denominet ad redundantiam ostenderimus: sed actionis physicæ necessitate admissa (vti admitti debet in creaturis) facillima in eis interrogationi responsio est: quia libera volitio creata, vt vitalis actus sit; quare, & vt liber, debet à volente seu volituro per ipsam actiuè progredi, vel seipso si ab actione vitali realiter non differat vel si ab ea differat media actione: ab actione verò post habitam in seque editam volitionem elicita, neque ad volitionem ipsam apponendam terminata, nequit volitio illa à volente progredi: quare neque esse eius actus vitalis, & liber, ob indeque, nec vitaliter, & liberè volentem, & agentem denominare. Hoc statuto in Philosophia principio quiescent instantiolæ, & ex philosophia voluntaria vel somniata, paritas, quibus oppositum hic Author ixrito labore suadere conatur (vt pleraque similia & exotica recentes scriptores plures in scholas tentant intrudere) quibus sanè omnibus minor plane vtiliorq; & ipsis, & eorum auditoribus, lectoribusque labor esset principiis generalibus penetrandis atque alte examinandis, & eruendis, & fundandis, vbi oporteret, incumbere, quam conquirendis hinc inde, aucupandisque instantiis, & pariratibus fatigari: quæ, nisi rationibus à priori, & principiis, quibus nituntur attente inspectis, & penetratis, extra rem, vt plurimum, ad rem verò casu aliquando, nunquam vero ex scientia afferentur; imò verò ex principio eodem de essentia actus, & actionis physicæ vitalis creatæ, manifeste præfata Authoris huius conclusio (quam aliis placituram merito non satis confidet) refutatur: equis enim sanus Philosophus; aut Theologus admittat, imò ferat non inique, actione posteriore ad volitionem meam liberam, nec ad ipsam tendente, sed ab ipsa potius orta, atque extrinsecum aliud terminata, vel volitionem meam aliquatenus vitalem, & liberam mihi reddi, vel me libere ac vitaliter agentem, in linea volitiui, & volentem adhuc ex parte constitui, ac vere denominari? si ergo adhuc in creata vitali volitione, & libera, atque vitaliter, & liberè volentis creaturæ denominatione per illam, in qua physicæ actionis necessitas admittenda necessario ello locum ea doctrina in bona, & probabili, nedum improbata philosophia non habet, quo pacto in Deo, in quo ad liberam, & vitalem volitionem adæquatè constituendam necessaria actio physica, hoc Authore fatente etiam, non est locum habebit?

6. Accedit, quod in hoc modo constituendi libertatem Dei in concreto, & denominatiue volentis per extrinsecam Deo actionem ortam ab adæquate libera intrinsecè volitione diuina, exterior actio libertatem intrinsecè volitione diuina non habet, sed solum mediatam, & malem immediatam non habet, sed solum mediatam, & mutuo à volitione ipsa intrinsecè & immediatè libera Dei, à qua necessario, & absque noua deliberatione voluntatis liberæ, & determinatione eius ex iudicio indifferenti ad volendum, vel non volendum, seu volendum creare v. g. mundum: ergo Deus in primis dici absolutè nequit immediate liber concretè in volendo creare mundum: quia, cui vna pars necessaria, & essentialiter requisita ad cuiusuis generis denominationem deficit, non potest non absolute deficere eius generis denominatio; quæ absque vtriusque coniuncto stare absolute nequit: atqui per te ad denominationem Dei volentis libere creare mundum non est satis volitio intrinsecè, & adæquate libera diuina in abstracto, quæ sola immediatè libera est, vt vidimus; sed requiritur essentialiter actio extrinseca, quæ solum mediatè libera est: ergò per te Deus nequit absolute dici ac denominati adæquate liberè volens concretè

crete creare mundum denominatione immediatæ libertatis, seu immediatè libere volentis creare mundum. Infero secundo: ergo Deus non est absolute liber in concreto in linea volendi creare mundum. Probatur illatio ex dictis: quia, etsi volitio diuina intrinsece libera in abstracto sit ex iudicio indifferenti, & diuinæ voluntatis indifferenti potestate; ast actio extrinseca vlterior, & posterior creationis mundi orta necessario ab illa ex iudicio indifferenti, & potestate voluntatis vlteriori ad volendum vel nolendum creationem mundi, non est, sed ex potestate actiua & determinata volitionis intrinsecæ liberæ diuinę; ergò, quod vlterius hæc de suo ponit essentialiter, & necessario per se ad denominationem adæquate, & absolutè talem, Dei liberè volentis concrete lineæ volitiuæ non est, sed actiuæ, & efficientis physicæ: etsi exercitium volitionis intrinsecæ Dei liberæ quidem in linea volitionis, seu volitiui, qua in obiectum indifferenter propositum tendere, & non tendere potest, supponat: quare absoluta denominatio Dei libere volentis concrete mundum creare, in linea volitiua, & volendi non est: cum pars constitutiui essentialiter, & ex æquo in huius sententia absolutum libere volentis concretè creare mundum lineæ volitiuæ formaliter non sit, sed solum causaliter; formaliter vero lineæ solummodo, & potestatis physicæ actiuæ: quemadmodum, etsi nostra deambulatio, aut operatio quævis alia vltra operationem volitiuam ab ipsa imperata sit, & causaliter actiuè, ac subinde à volantate tandem procedat, tamen illam nemo operationem, & exercitium formaliter ad lineam volitionis spectans esse admittit; sed solum ad exercitium physicæ actiuæ potestatis: quare, si ea quis diceret inadæquate adhuc constitui formaliter in ratione, & denominatione absolutè libere volentium concrete, nos, tales adæquate, & absolutè in linea volitiui non constitui diceret; vel certe non audiretur.

7. Concludo ergò (plura calami tædio omittens) hunc Authorem in communem connotatorũ & constituentium partim per extrinseca creata (neque enim aliquis eorum volitionem Deo intrinsecam à decreti liberi Dei, seu ipsius libere volentis constitutione, & denominatione fecluſit) foueam: quam in eis horrebat, incidisse: atque admittere vel inuitè debere, Deum potestate actiuitatis physicæ agendi ad extra in ratione libere absolutè volentis in concreto creare mundum constitui: in quo cordatius connotatores reliqui libertatem, siue volitionis liberæ, siue Dei volentis in libere à Deo orto extrinseco ex indifferente potestate, quam hic in extrinseco necessario ab actiuitate volitionis Dei ponit, nempe à forma in se non libera, nouo Philosophiæ miraculo concretum liberum constituens: qua verò ab eis discordat, liberam volitionem Dei in abstracto omninò intrinsece constitutam admittẽs, argumentis omnibus contra constitutionem libertatis diuinæ, siue abstracte, siue concretè sumptæ, ipsius iudicio insolubilibus æque est obnoxius, vt vidimus: item specialibus, quæ hactenus contra ipsum dedimus, & reliquos connotatores non tangunt: illud tamen demum contra hunc authorem & modum omittere ab authoritate non possum loca omnia Scripturæ, quibus ipse probat d. 59. sect. 1. n. 1. & sect. 3. n. 15. & 16. Dei volitionem intrinsecè prorsus liberam præcedere, assignarique catholicè debere pro priori ad omnem creatam Dei operationem & effectum, qui ab illa vti causa ad extra prouenient. de præcedentia volitionis Dei non abstracte, sed concrete sumptæ, siue Dei libere volentis, expressa 1. Corinth. 12. *diuidit singulis, prout vult* ad Rom. 9. *cuius vult miseretur* (donatione gratiæ auxiliantis efficacis) *& quem vult indurat*. ad Eph. 1. *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Ioan. 5. *quos vult viuificat*. Psal. 134. *Omnia quæcunque voluit fecit*. Esther. 13. *Non est, qui tua possit resistere voluntati, si decreueris saluare*: quæ de antecedentia Dei concrete volentis necessaria ad opera ad extra, siue ad se libere concreté extrinsecus operantem in terminis, vt aiunt, ipsis sententiæ scripturæ sunt. Manet ergò ab auctoritatibus, & rationibus monstratum, specialem hunc modum, sicuti, & reliquos, hactenus impugnatos, connotatorum nullatenus sententiam Aureoli iam subiiciendam emollire; sed aliis se duriusculis difficultatibus inserere: verumque omninò esse, quod de connotatoribus cunctis quantumuis vocibus ludant censuit Ruiz de Montoia noster Deo, eiusque volunrati illos non tribuere determinationem vllam, absolute talem intrinsecam, seu propriam in linea volendi: sed solum in linea agendi: non secus, ac si ignis physice solum actiuum agens potestatem, & actiuitatem physicam ad comburendam, vel non comburendam stupam ipsi applicitam haberet sola physica actione determinaretur, qua eam combureret, quod ipsum de eis omnibus censet Arriaga d. 28. sect. 1. subsect. 1. n. 3. versu *secundo aiji* & toto n. 4. & quamuis de eis loquantur, qui solam volitionem necessariam in Deo operationes eius ad extra præcedere defenderant: quia nondum Quiros suam hanc sententiam typis euulgarat: tamen, vt dixi, in eorum sententiam, quoad rem hanc, tandem relabitur.

8. Igitur Aureoli ad purum hac in re sententia fuit, quam nunc proxime referebamus, non ideò Deum creaturas libere velle, ac producere, quia liber ad eas siue inefficaciter, volendas sit; sed quia liber est, & nec vnde necessitatus ad creaturas producendas, sed potens potius etiam illas non producere cum producit; & potens producere cum non producit: sic enim citat. §. *ex præmissis* ait. *Deitas induit rationem voluntarij* (liberi) *ex illo connotato quod est habere omnem actum exteriorem in sua potestate*, nempe sicut voluntas nostra omnes actus interiores suos in sua potestate habet. Vnde inferius addit: *quidquid Deus extra produxit voluntarie producere, non actu desiderij, vel volitionis; sed quia producit cum quadam denominatione & potestate*: atque ignis potentis physicè ignire vel non ignire, exemplo rem explicat: quare incassum Quiros ad suam sententiam illum trahere conatur: etsi enim volitiuum imò voluntarium non proprie liberum ad hanc Dei potestatem, & dominium physicum agendi, vel non agendi ad extra non excludat, sed potius supponat, ac proinde volitionem Dei necessariam, vt Vasquez, eiusque discipuli interpretantur; ast liberam volitionem Dei, seu desiderium expresse excludit; quæ si admitteret in Deo ad operationes ad extra, sicuti in nobis ad nostræ potestatis opera præcedunt, ad physicã solum potestatem, & dominiũ agendi, vel non agendi ad extra non recurreret, vt liberas eas Deo probaret: cum ex libera volitione, & desiderio Dei à quo procedere recognoseret satis liberas Deo esse videret: sicuti & nobis quæcunque ex libero desiderio, & volitione ad extra prodeunt, libere à nobis citra dubium fiunt, & proueniunt.

9. Aureoli ergo mens (quam assecutus, secutusque primus noster Vasq. fuit, atque Herize explicatius adhuc, & fusius explicatam amplexatus est, ac nobis dedit totis capitibus 10. & 12.) hac iure est, ad operationes ad extra Dei voluntatem eiusque volitionem præcedere, nusquam se in linea sua voluntatis, seu volitiui per volitionẽ intrinsecam liberam determinantis ad creaturas desiderandas, siue inefficaciter, & subinde producendas; sed volitione necessaria Dei, quæ omniamor, & Dei, & possibilium omniũ est physicam illi potestatem physicè indifferentem in actu primo proximo fieri, vt absque vlla vlteriori motiuorum & scientiæ indifferenter obiecta proponentis voluntati diuinæ, consultatione, ac deliberatione, ac determinatione affectiua voluntatis Dei in obiectum physice ad extra agat, vel non agat; non secus ac si igni physica nullatenus affectiua potestas indifferens ad comburendam stupam applicitam adesset. Neque enim indifferentia potestatis ad agendum, & non agendum essentialiter lineæ volitiuæ & affectiuæ è conceptu suo esse aiunt; etsi in ea inueniũtur, sed conceptus potestatis indifferentis agendi vel non agendi superior qui in actiua affectiuæ potestate voluntatis, tanquam inferiori specie potestatis actiuæ indifferentis inuenitur: quin ideo ab aliis, non affectiue tamen, indifferenter actiuis physice potestatibus nequeat reperiri. imò eam indifferentem potestatem voluntati, non qua volitiua, & affectiua, sed præcise qua actiua physicè est conuenire: etenim, inquiunt, volitiua voluntas est, non sine receptione volitionis in ipsa, quæ si abesset, volens minimè foret; & tamen receptiua potestas, ne partialiter quidem potestatis indifferentiam constituit. Tota ergo potestatis indifferentia in linea potestatis physicæ actiuæ, adhuc, in voluntate adæquate est; quin potestas passiua recipiendi volitionem, absq; qua volitiua non foret, adhuc inadæquate indifferentiam potestatis ingrediatur, vt & xi. Hæc igitur connotatorum mens est: ex parte volitionis Dei ad omne opus & operationem ad extra præsuppositæ ex parte Dei, vt libera in Deo ad operationes Dei ad extra, nec Deus absolute libere volens ad illas, siue ad se vt ad extra operantem, non supponatur, nec sit, esseue possit; sed solum operatione ipsa

libera, quam tamen necessaria simplici complacentia, seu inefficaci desiderio præuoluit, libere physicè operans constituatur: ac inde libertatis denominationem, siue volitio ipsa diuina, siue per ipsam Deus volens creaturas, extrinsecus sociatur.

CERTAMEN IV.

Varij eorundem connotantium modi quoad specialia connotata refutati.

1. IAm in connotatis extrinsecis ad huiusmodi libertatem extrinsecam diuinæ volitionis constituendam necessariis non eadem connotatorum mens omninò fuit. Alij enim, vt Aureolus, Vasquez eiusque assectæ proximiores, an connotatum illud extrinsecum libertatis diuinæ, siue in operando, siue extrinsecus in volendo operatio, an effectus ad extra à Deo positus sit non distinxere: æstimo autem neutrum ex his reiecisse, nec suam doctrinam alteri eorum alligasse: quia vtrumvis, vel vtrumque æque illi, in suis principijs, inseruit: quandoquidem ex fine, vel motiuo ab operante intellectuali liberæ præstituto physicæ operationis entitatem variari, nemini adhuc Philosophorum, aut Theologorum venerat in mentem: cum autem Arrubal primus, & postea Herize viderent pro liberorum decretorum Dei diuersitate diuersa extrinseca connotata in sua connotantium sententia assignari debere: posseque Deum de eodem opere ad extra à se faciendo diuersa decreta libera concipere, vel ex diuersitate motiui (v.g. precum sibi pro eo præstando ab hominibus vel Angelis fusarum, aut meritorum ad præmium aliquod ab ipso obtinendum) vel ex diuersitate finis ad idem opus decernendũ pro suo libito præstituti: ac tandem desiderio inefficaci tametsi serio Dei de hominum salute ex quocunque fine, aut motiuo sit, concepto de facto, atque innumeris aliis inefficacibus, quæ Deus de re quauis ex variis finibus potest habere effectibus nullatenus variatis sed eisdem (v.g. in homine, equo, aut gratia habituali ex quocunque fine à Deo fiant) iisdem diuersorum connotatorum copiam non esse, vt singula singulis pene infinitis decretis, & desideriis de opere & effectu eodem liberis Dei possibilibus imò nec habitis de facto à Deo constituendis designarent: operationes Dei ad extra, effectis reiectis, ad connotata extrinseca libertatis volitionum diuinarum solummodo vocarunt. Rati minore Philosophiæ, & sensuum offensione posse nouum, & exoticũ dogma in operationibus, quam in effectibus induci: forte, quia rationali agenti, libereque & affectiue ex hoc, vel illo motiuo, vel ex hoc, aut illo fine operanti, operationes, quam effectus videbant viciniores: & quæ subinde affectuum conditiones, qui ex motiuorum, & finium diuersitate essentias, & naturas diuersas trahunt, propinquitatis maioris titulo facilius, citiusque trahere possent.

2. Docent igitur physicas vniuersim operationes extrinsecas pro finis ab agente libero in eis exercendis præstituto physicè, & in essentia, & natura sua diuersificari: quod ipsum de motiuo ex quo exercentur dictum ab eis puta etsi motiui non meminerit, cum hanc difficultatem, in sua sententia insolubilem meditabantur: & hac quidem Philosophia pleræque sensibiliores (vt non omnes) difficultates ex parte diuersitatis connotatorum quiescere videntur. Eam suadere conantur: quia omnis operatio, etiam extrinseca agentis rationalis, & liberi, non minus propter finem, & aliquando ex motiuo oblato, quam à principio actiuo, exercitium actuale natura sua est: ergo æque essentia sua, & natura est respectiua finis, cuius exercitium æquè de se est: atqui variato quouis termino cuiusvis essentia sua respectiui, & hoc variari in natura, & essentia sua necesse est: ergò variato fine cuiusvis, etiam extrinsecæ, operationis agentis liberi variatur essentia, & natura operationis illius: confirmatur: quia variato principio actiuo operationis, omnium sententia, variatur extrinseca etiam operatio: eo solum, ac non alio, quod illius exercitium actuale, ac subinde natura, & essentia sua connexa cum illo est: est autem etiam exercitium actuale finis, ac subinde illi etiam essentia sua connexum: ergo, & eo etiam variato variabitur; verum doctrina hæc ne à sensibus quidem nedum à ratione admittitur: insertur enim primo gressus meos, & deambulationem: vt sole fruar, diuersam ipsa esse solum ex eo, quod visendi prati, aut attenuandi humoris gratia eodem impulsu, mensura, tunc fecissem: item si eam Matritum, vel Toletum versus exerceam, vt ibi maneam, vel eodem visibili cursu eodem versus, vt vlterius tantillum progrediar: item extractionem aquæ à fundo ex puteo diuersam esse, si eam ad rigandam domum, vel mulum adaquandum, vel ad lauandum suillum ventrem & facienda farcimina extrahat.

3. Et in Dei operationibus ad extra, infusione gratiæ eiusdem intra, vel extra sacramentum ex contritione, nec solum ex attritione: pluuiæ immissione ob preces ad plurium, vel paucorum imo huius indiuidui potius, vel alterius actiones in essentia variari, nec solum indiuidualiter, sed specifice incredibilia sunt: atque item incarnationem nisi occasione peccati Adami, sed vel alterius, vel nullius, ac non ex fine reparationis nostræ fuisset, sed ex altero, ac nullis Patrum veterum precibus congruisque meritis, diuersa procul dubio ab his doctoribus in natura, & essentia sua asseri deberet. Iam ratio qua hi doctores ducũtur est leuissima: operatione enim agentis libere ex electo, & libertate operanti eo solummodo respectus ad finem cõpetit, quo cõpetit voluntarium, & libertas, atque esse ex electione rationalis agentis libere sibi finẽ præstituentis, & ex hac occasione vel motiuo decernentis: ea autem extrinsecè, solum operationi externæ agentis rationalis, & liberi conueniunt: quare non se ipsis immediate, & primario finem respiciunt intrinsecè, sed solum per extrinsecam denominationem, & secundariò ratione præconcepti ab agente libero decreti quo ipsas operantur: & præter communem huius doctrinæ Philosophorum, & Theologorum consensum, sit ratio à priori; quia immediatus, & intrinsecus ad finem, & motiua respectus eius solius operationis esse potest cuius immediata potentia, & principium proximum ex cognitione finis, & motiui moueri intentionaliter ac subinde operari à se ipso ob hunc, vel illum finem seu motiuum valet: id autem non habet potentia, & principium proximum operationis externæ, alterius ve potentiæ, aut principij proximi, quod voluntas non sit, quæ sola cognitione finis, ac motiui duci potest: ergo sola operatio immediatè à voluntate, seu à principio volitiuo proxime oriunda, nempe volitio potest immediate, & proximè finem se ipsa, & essentia sua, aut motiuum respicere, ipsisque subinde de se se connecti; non autem operationes externæ proxime ab aliis potentiis voluntatis imperio subditis oriundæ. Quod ũ vicinitatis iure operationes ex volitionibus, à quibus proueniunt, & operantur conditionem respiciendi finem, & motiua, quasi ex contactu, & contagio ebibant, & trahant; in effectus etiam suos, quos se ipsis contingunt, eam iam suam respiciendi se ipsis finem eodem contagio traducant, atque ridiculè in eos etiam serpet malum.

4. Herize hanc rationem persentiscens, & in diuersitate incarnationis, infusionis gratiæ, & reliquarum operationum Dei ad extra, siue naturæ, siue gratiæ absurditatem volens detergere aut dissimulari, eas quidem se ipsis, & intrinsece finem, & motiua non respicere, eisve natura, & essentia sua connecti negat; ex respectu autem essentialis quem ad suum proximum principium habent, æque immediatè, & stricte, nec laxius, aut mediatius, quam ad terminum inferri ex variatione finis ac motiui externam Dei operationem esse tandem variandam: siquidem proximum earum principium ex cuiusvis illarum variationes, ac diuersitate diuersum est: etenim Incarnatio, vt exercita de facto est à Deo ex occasione peccati, atque ad eum delendum, & reparandum, ac redimendum hominem exercetur, ac ponitur, oritur à voluntate necessaria Dei, qua, & peccatum odit, & hominum amat salutem; si autem, vt absolute potuit, ex alia occasione, & fine à Deo Incarnatio poneretur ab eadem reipsa voluntate necessaria Dei sub alia tamen ratione, qua alterius finis amor est, prodiret; ac subinde à diuerso proximo sui principio. Impugnat Arriaga ad hominem quia iam admittenda erit ab Herize distinctio virtualis in diuinis vltra ea, quæ fides exigit: vt nimirum non solùm in productionibus ad intra, sed etiam in productionibus Dei ad extra de eadem voluntate Dei necessaria prædicata contradictoria absque contradictione vere

cauntiem.

enuntietur: vt principium esse, ac producere Incarnationem, qua amor salutis hominum est; non autem producere illam, qua amor gloriæ suæ, vel alterius est: extendere autem distinctionem virtualem vltra ea, quæ fides exigit, nempe vltra productiones ad intra, multo stomacho cautum Doctoribus Catholicis Herize voluit. Nimis autem (dicere hic posset) ab euidentia ad hominem, quam de ipsa prædicat Arriaga, distat impugnatio: siquidem eæ denominationes extrinsecæ sunt, nec Deo identificatæ, sicut neque operatio extrinseca, neque eius negatio: solumque denotant titulum, ob quem eadem voluntas necessaria Dei extrinsecus operetur: id quod in opinione iam communiori, ac (mihi certa) de reali identitate adæquata potentiarum cum anima, explicati, & confirmari potest: siquidem intellectio ab anima tota, & eadem realiter oritur, qua intellectiua, seu intellectus est, tamen non qua volitiua: volitio ab eadem tota, qua voluntas, seu volitiua est, non qua intellectus; & tamen, etsi tituli, & rationes formales, non autem realiter diuersæ in eadem anima designantur, cur earum operationum principium sit, tamen eo solum diuersæ operationes proueniunt.

5. Cæterùm operationes istæ ab eadem realiter anima in hac opinione profectæ, non ideò diuersæ sunt, quia formaliter solum potentiæ in illa distinguuntur: nam respectus, & connexio essentialis operationis cum suo principio realis, & physica est; quare nullatenus præcisiua formalitatum in suo principio: ac proinde, cum idemmet prorsus principium reipsa vtraque habet, nequit ex diuersitate principij realem trahere diuersitatem sed aliunde. Quod si quis hac philosophia diuersitatis actionum ex diuersitate finis, aut motiui in formale principium actiuum operationum ad extra diuersitatem refundentis vtantur, caueant, ne omnipotentiam à voluntate seu volitione diuina formaliter distingui defendant: nam tunc omnipotentia principium proximum actiuum formale omnium operationum ad extra erit, voluntas verò, seu volitio necessaria remotum: & diuersitatis eius ad diuersitatem operationum ratio non habetur à Philosophia. Omnipotentia vero, quæ proximum principium adæquate ex parte Dei in ea opinione erit è conceptu suo indiuisibili omnium creaturarum, & operationum ad extra possibilium potentia & principium est ex generali principio à nobis statuto pro omnibus, & singulis attributis generis, & lineæ cuiuis conuers. de essent. & attribut. quare non vna sui formalitate vnam exerceat actionem, atque alia aliam, sed eadem prorsus formalitate, adhuc metaphysice insectili: ac proinde nulla ex parte principij operationum, ex quocunque fine aut motiuo à Deo ad extra exerceantur, esse potest, adhuc apparens diuersitas, & quamuis Herize omnipotentiam cum voluntate, seu volitione necessaria identificet atque adeò hoc principium proximum operationum ad extra in Deo sit; alit è conceptu suo indiuisibili formali metaphysico omnino est, necessarius Dei amor iuxta illud ipsum principium; quin partialibus amoribus huius extrinseci obiecti, & alterius obiecti omnium amor fiat, siue in omniamorem confletur, vt contrauers. præsenti sæpe monstraui: ac proinde ex eadem formalitate amoris necessarij Dei tanquam à principio proximo, etiam in hac opinione, operationes ad extra prouenient. Posset in hac opinione de identitate formali omnipotentiæ cum volitione, seu voluntate diuina diuersitas actionum ad extra ex diuersitate principiorum diuersorum quidem ex fine vel motiuo defendi, quia decreta libera, quibus mediis voluntatis diuinæ potestas actiua ad operandum applicatur motiui diuersitate sunt diuersa, & operationum ad extra proxima principia: verum cum in Herize, & connotantium assectatum actionibus ad extra libera constituantur erit dicere actiones esse diuersas, quia à decretis liberis diuersis oriuntur, & hæc libera & diuersa esse, quia actiones diuersæ vitioso manifestæ circulo: quem non vitaret Quiros: cum tamen ad extrinsecas actiones pro adæquato constitutiuo libere volentis in concreto quod ipsum est detectibilis, & libera volitio in abstracto, etsi verbis iudatur vt vidimus.

6. Mayron in 1. dist. 3. quæstion. 1. art. 4. Arimin. disp. 45. quæstion. vn. Salazar de concep. cap. 24. sect. 3. num. 47. Henrique de Villegas contron. 10. c. 3. & 4. connotata hæc extrinseca decreti liberi Dei cum necessaria eius volitione constitutiua entia quædam, non quidem realia, seu actionum siue effectuum physicorum ad extra à Deo positorum, nec rationis pura figmenta, sed media inter realia, & rationis entia esse docent: quod entium inter medium genus *obiectiuum*, & *intentionale esse* à Mayrone, & Villegas appellatur à Salazar *ens morale*: ab Arimino *ens complexum*, seu *non in complexe significabile per Verbum est* de præsenti, sed per alia infinitiui modi, vti *velle, cognoscere, respicere*: quibus verbis, & similibus, ac modis, non quidem esse simpliciter, & absolute, sed *aliqualiter esse* significatur: cum autem entia proprie realia non sint, neque absolutè à Deo creata, possunt ab æterno suo medio illo modo essendi absque scripturæ, & fidei creata omnia ex tempore cæpisse docentis reclamatione constitui: quare, & Dei decreta libera ab æterno consistere, nullaque intra Deum, extra quem entia hæc media sunt, defectibilitas decreti liberi, quod habet, nullaque decreti, quod non habet, erit, istud entium vere talium, quæ nec figmenta pura sint, nec physica entia medium genus malorum Philosophorum, & Theologorum, qui nec difficultatum solutiones assequi possunt, & fors, nec difficultates ipsas percipere, asylum est: cum enim extrà totam naturam entium realium atque omnem figmentorum cumulum, nec rationis nec naturæ ditionibus subiacent; ac proinde nullius diœcesis entia videntur, quæ nec rationis puræ nec naturæ legibus ad quas solos Philosophia & Theologia censet) possint iudicari. Porrò eius generis entium Vasquium nostrum eius assecl. nonnulli, in re Theologica eiusque doctrina hebetiores, Patronum clamant; sicuti & alterius doctrinæ huic fere affinis de consistentia extrinsecarum denominationum in puro figmento rationis quam supra memorauimus; cum neutrum illi venerit in mentem, vt de extremo hoc diximus, & legenti illum in locis, quæ citant, vt eius auctoritate se, ac suam insciam protegant, constabit de vtroque, cæterum, si ad componendas difficultates ex iis, quæ vere, ac sine figmento esse nouimus, atque experimur, hoc entium mediorum genere vti liceat, & entia realia ad disputationes, & disputationes ab Scholis, & Philosophia subinde ac Theologia tota, erunt ab humanis mentibus ablegandæ, siquidem eo solo difficultates omnes cessabunt. Nec amplius contra hunc modum; ne Scholam Theologicam lemuromachiam faciamus.

7. Nec minus phantastica, & cum puris vmbris ridicula pugna erit cum aliis connotatoribus relatis presso nomine à Quiros d. 60. sect. 1. numer. 5. qui docent omnem actum positiuum nolitionis, seu volitionis diuinæ de obiecto eodem extrinseco carentiis, siue negationibus puris constitui, non quidem operationis externæ, verbi gratia creationis mundi, ne ad constitutionem volitionis liberæ eius creationis ad positiuam operationem, vel effectum, vel externam in rebus mutationem recurratur (quod fugiunt) sed intrinsecæ: quia tales sunt in Deo, vt virtualiter carentia nolitionis hanc à Deo excludat, ni cum necessitate essendi, & æternitate identificata excluderet sicuti essentia diuina filiationem realiter formaliter produceret, ni ita ipsi identificaretur; quare & solum virtualiter illam producit: id quod reiicit Quiros: quia defectus iste, & virtualis destructio realis, & verus esse nequit rei in essendo realiter necessario persistentis. Secundò quia non vera realis carentia, vti nolitionis est, cum aliquid libere non vult. Nec percipi potest vera carentia, quæ contradictorio sui coexistat semper, eis tamen suppetias fert Quiros n. 6. & 7. etsi eis tandem à medio numeri dissidat. Ait ergo carentias plures rei eiusdem dari in vno subiecto: sicuti exclusioni gratiæ per vnum peccatum, adiungi alia potest, per peccatum aliud, & per carentiam aliam, quæ negatio fit, cum ergò repugnet in Deo nolitio quispiamve alius affectus liber ab eo defectibilis, & identificabilis adæquate cũ adest, fit, vt in eo omnis liberi affectus carẽtia necessaria fit: sicuti, & in homine essendi æquum, vel chimæram carentia est necessaria, quæ secundum se omnem affectum positiuum liberum à Deo remoueat: insuper cum pro suo beneplacito, & libito de se supra eam carentiã aliam contingentem specialis affectus determinati, puta volitionis creandi mundũ, vel nolitionis

illum creandi, addere possit, libere apponit carentiam aliam specialiter, & determinate contradicentem volitioni creationis, necessariæ illi communiter volitionem, & nolitionem liberas simul excludenti adiungit, qua satis absque vlla in rebus mutatione extrinseca, volitio libera, ac Deus libere volens mundum creare adæquate constituatur. Ab hac constitutione sic explicata, & aucta sibi verissimili, discedit tandem Quiros, quia carentia solum *est non esse forma* seu *posterius* cui contradicit, eiusq; totalis amotio: quare eas absque vlla in rebus variatione positiuorum multiplicare pura vocum illusio est: & invtilia censet: cum reliquis superuenientibus carentiis lepidum illud Martialis ad edentatam duabus tussibus vetulam aptissime congruat.

Iam secura potes totis tussire diebus.
Nil isthic, quod agat, tertia tussis habet.

8. Cæterùm quia, ni hæc ratio obstaret, videtur, & hæc cogitatio ipsi arrisura, neve aliis in somnium hoc totum otiosi, & futilis ingenij machinamentum, post hac arrideat: etsi cum vmbris inanibus pugnemus, plura alia in chimærico hoc discursu ostendenda breui sunt, ob quæ non, deliro Theologo debeat displicere: & imprimis connotata ad conciliandam libertatem, & defectibilitatē diuinæ volitionis absque volitionis necessariæ, ac subinde ipsius Dei defectibilitate vtiliter ab eis solum inquiruntur, qui per intrinsecum Deo, nec Dei volitionem liberam in abstracto, nec Deum in concreto liberè volentem adæquatè constituunt: si enim adæquatè Volitio libera, & Deus libere volens per Deo prorsus intrinseca constituitur inaniter quidquam aliud præter volitiones positiuas ipsas ad eorum libertatem adæquatè constituendam quæritur: cum illæ ex intrinseco respectu & ad finem, & ad motiuum ob quæ à Deo concipiuntur, diuersæ inter se sint, vt diuersum libertatis diuinæ exercitium constituant: ergò otiosè intrinsecæ Deo carentiæ illæ, ac diuersæ ad constitutionem, & complementum libertatis diuinæ excogitantur, vt eam per intrinsecum prorsus Deo adæquate constituant, atque diuersa libertatis diuinæ exercitia subsistant, & notentur: vt autem per extrinseca Deo eiusmodi exercitia libera Dei constituantur, atque distinguantur carentiæ affectuum positiuorum intrinsecæ Deo nonnisi repugnanter, & chimærice vocantur, ac venient. Secundo carentiæ istæ, quæ partim libertatem actus positiui cum ipsis compatibilis constituunt debent esse ob finem, seu motiuum aduersum illis actibus seu affectibus, & ipsis, & aliis affectibus, quos carentiæ constituunt, aduersis: vel ergo carentiæ illæ, finis, & motiua illa aduersa se ipsis immediatè respiciunt, vel mediate ratione affectuum sibi amicorum, quos inadæquate constituunt, & complent. Si postremum hoc: ergo ante ipsas affectus hi positiui sunt adæquatè constituti, eisque respicit Deus libere hunc determinatè finem, & motiuum, ex quibus obiectum amat; cum posset ex diuersis aliis finibus, & motiuis: quare sero carentia illa ad huius amoris liberi constitutionem venit.

9 Si autem se ipsa carentia hæc immediatè fines, & motiua actui ipsi contra: dicenti respicit, & inde mediatè amicus ipsi actus, quem per ipsam constitui in ratione liberi ais. (Præterquam quod intrinsecus carentiæ illius respectus, qui positiuum quid est, carentiæ illi, quæ tota carentia est, identificari nequit, solumque extrinsecus ex parte principij, seu cogitationis à contradictorio carentiæ actui voluntatem ex eo fine, & motiuo retrahentis se posse tenere fatendum est) fiet primo primariam voluntatis diuinæ libertatem circa carentiam illam exerceri: cum carentia illa primario libera sit, atque libertate actus, quam, saltem vt pars, constituit natura anterior: quemadmodum pars omnis prius natura in se est toto, quod constituit, vnde rursus contra Recentiores hosce & Quiros dabitur in voluntate diuina contradictionis pura formalis, & immediata libertas, nec solùm, quæ ex incompossibilitate actuū oppositorum, & contrarietatis ab eis sola admittitur: quatenus ex vnius libera immediate appositione ratione incompossibilitatis cum contrario actu, huius carentia secundario in Dei inducitur voluntatem: fit secundo: nullam prorsus in Deo libertatem contrarietatis formalem admitti posse: siquidem carentia hac, quæ pars essentialis actum positiuum liberum sibi amicum constituens cum necessaria Dei volitione est, vbi primum est, absque vllo alio libertatis diuinæ exercitio affectum liberum sibi amicum constituit. Tertiò: quod supponitur supra carentiam necessariam identitatis adæquatè chimæricæ actus cuiusvis diuini liberi ac defectibilis, adæquatè etiam identificabilis cum Deo quandocunque liber actus fuerit omnem actum positiuum liberum à Deo æque excludentis, ac posse aliam carentiam identitatis specialiter oppositam, & excludentem à Deo actum contrarium liberum aduersum huic, quem constituit, præter rationem Quiros datam ob altiorem aliam posset ipsi magis adhuc displicere: quæuis enim chimæra est sui, & à se non esse, ideóque ipsa est necessaria sui à rebus carentia, atq; remotio ab esse, non secus, ac Deus quia à se est, est se ipso necessarium suum actuale esse siue existere; ergò, sicut Deo inde repugnat, esse seu existere, non solum ex indigentia, sed etiam ex supererogatione: ita etiam chimæram, quæ se ipsa, & à se carentia, & remotio sui ipsius est, supererogatoria adhuc carentia alia non esse, seu remoueri à rebus repugnabit. Denique (vt plura otiosè non scribam) ex impossibilitate identitatis actus cuiusvis liberi, & defectibilis adæquatè cum Deo, in qua carentiam illam necessariam constituis, infertur euidenter impossibilitas huius affectus liberi per intrinsecum Dei, siue positiuum, siue carentiam intra Deum tamen, quo adæquatè constituatur: siquidem iam liber adæquatè, & absolutè actus, & defectibilis Deo eiusque necessario esse identificabitur: quo somniata hæc machina in terminis apprehenditur repugnans.

CERTAMEN V.

Libertatem volitionis diuinæ adæquatè per Deo intrinseca constitui, ac sic adæquatè constitutam omnem Dei ad extrà operationem præcedere authoritate probatur.

1. HAnc conclusionem reliquis vetustis Theologis præter Aureolum Okamum, & Nominales aliquos, pauculos alios inter connotatores numeratos à nobis certam. 1. communem existimo: ex non adeò antiquis eam docent Caietanus 1.p.q.19.a.2. & 3.ac 3.p.q.1.a.1. Fonseca tom.3.met.lib.7.c.8.q.5.sect.4.& 5.Soar.3.p.t.1.d.5.sect.1.diffic.1.& 3.& 1.p. lib.3. de attributis c.6.& in opusc.lib.1. de præscient. futur.c.6. n.5.& lib.2.c.7.n.11. d.30.metaph.sect.9.Aluar.7.de auxil.num 32.ad 10. Sales tom.1.in 1.2. q.6.& d.1.sect.8.§.4. Viuadingo d.1. de Incarnat. Martinon tom.1. in 3.p.d.14. sect.4.§.2.9. Antonius Perez Valiende de voluntate Dei d. 3. cap. 2. Ribadeneyra & reliqui recentiores. & quidem Soar. dum eam sententiam explicat num. 35. ad connotantium sententiam maximè impugnati nostro Quiros videtur accedere. Nec mirum est, tam eum, quam alios Doctores plures tanto rationum contra vtramque sententiam ponderę dum vnius rationes premunt in alteram visos esse inclinare: quare nec mirandum est à nobis hic, & ab aliis scriptoribus referri pro hac sententia aliquot ex citatis pro aduersa connotantium vti Albert. citatus, princip.4.Philosc.corollar.4. q.4.n.4.coroll.2.q.3.assert.4.n.10.& princ.6.Philosc.coroll. 2. q.2. Theolog. a.nu.18. Valent. 1.p. quæst.19.punct.1. & 4. post. 2. conclus. Nauar. 1. p. tom. 2. controuers. 5. probationibus conclusionis.4. & 5. & solut. ad 2. cabera 3. p. tom. 2. disp. 13. §. 5. a. numer. 54. & si tres postremi pro constitutione libertatis huius per relationem rationis recenseantur, sicuti & Thomistæ plures referuntur, hoc etiam sensu non inuitè explicandi: quatenus nil reale volitioni liberæ Dei, quam ab æterno, & causam creaturarum, & maiorum bonorum in vnis, quam in aliis fatentur; sed solum ratione, & nostro concipiendi modo supra intrinsecam necessariam Dei volitionem superaddi. Hanc etiam sententiam supponit Argentina in prima disp. 40. & disp. 48. articulo primo & Palacius disput. 38. d. 2. fine: expresse verò eam docuere Carthus.

Carthus. in 3. d. 32. q. vn. fin. Arim. in 1. d. 45. q. vn. post conclusionem 7. Machin. 1. p. d. 42. sect. 3. Curiel. cont. 30u. 7. in cap. 4. Sap. art. 3. à num. 106. Zumel tom. 2. variar. post conclusionem 5. Ruiz de Montoya totis disputationib. 11. & 12. latissimè, maximè d. 11. sect. 3. n. 5. conclus. vn. d. 12. sect. 2. numero secundo, conclusione vnica, eam vero sententiam duplici ex parte, in quibus connotatores aberrarunt, probabimus.

2. Et primum ex parte volitionis, quæ debet in Deo præcedere omnem, & quemlibet effectum aut operationem Dei ad extra debere esse volitionem intrinsecus determinatam eius effectus, seu operationis præ eius carentia seu effectus aut operatione contraria: probatur ex scriptura Isai. 53. *Dominus voluit conterere eum infirmitate.* Dan. 11. *vsque ad tempus præfinitum*, & infrà *in tempore præfinito præliabitur aduersus eum Rex austri.* Ezechiel. 2. *venient dies in tempore iniquitatis præfinita.* Luc. 22. *filius hominis secundum, quod definitum est, vadit.* Actor. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, &c.* cap. 4. *Conuenerunt Herodes, & Pilatus, &c. facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri: atque quæcumque* Psalm. 134. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Etenim hoc verificari nequit de voluntate, seu volitione Dei, quæ, siue coniunctiuè siue disiunctiuè in omnia creata indifferenter, & æquè feratur: cum possibilia omnia creata, in quæ alterutro, quo velis, modo fertur per te, facta à Deo non sint: ergo ea solum fecit, quæ specialiter, & determinate voluit præ aliis, quæ determinate fieri non voluit: ergo volitio determinata, & libera Dei hæc fuit de faciendis præ non faciendis: ergo faciendæ, siue effectus, seu operationes obiecta erant huius liberæ, ac determinatæ volitionis: ergo hæc determinata, & libera volitio Dei prior natura est positione absoluta extrinsecus operationis, & effectus creati cuiusvis: seria enim, & efficax volitio Dei de iam existentibus, & factis esse nequit; sed de nondum factis, vt absolutè existant, & fiant. Hinc rursus: ergo determinata, & libera volitio Dei nequit talis constitui per operationem, seu effectum ad extra absolutè à Deo positum. Patet: nam omne constitutiuo suo constitutiuo posterius natura est: quemadmodum omne totum est omni, & quavis sua parte, natura posterius; ergo determinata hæc libera voluntas Dei nullo extrinseco creato expectato ac subinde per Deo omnino intrinsecum constituitur.

3. Huc etiam faciunt illud 1. Corin. 12. *diuidit singulis, prout vult*: ad Rom. 9. *cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*: & Ioan. 5. *quos vult, viuificat.* siquidem hæc Deus non dicitur diuidere, prout vult ex voluntate illa necessaria ad omnes homines, siue coniunctim, siue disiunctim æque, & indifferenter tendens: cum, nec omnium misereatur vocatione efficaci; nec omnes eius denegatione indurat: nec omnes viuificet; cum tamen volitio illa necessaria ad omnes non solum de facto, & absolutè apponendos in rerum natura, siue coniunctiuè, siue disiunctiuè feratur: quare opus ad hæc verificanda est voluntate, seu volitione Dei determinata, ac libera, qua determinatè huic maiora gratiæ dona præ alio velit, & quæ eorum positione constitui nequeat, sed ipsa potius prioritate naturæ præcedat. Rursus ex eisdem, aliisque subiiciendis locis, in quibus voluntatis Dei de ab ipso decretis & statutis gloria, & laus specialis præ nostris, & creatis cunctis voluntatibus in scripturis ob intrinsecam & essentialem illius infrustrabilitatem sic arguo: ideo Deus omnia, quæ voluit, fecit, diuisitque, ac misertus est aliorum hominum præ aliis, quia voluit determinate & efficaciter hæc præ aliis facere, his præ aliis ampliora bona impertiri, atque aliorum præ aliis misereri, nec eius voluntas seria & efficax frustrari potest: sed velle determinatè ac liberè nec solum volitione necessaria, omnia, & omnes possibiles indifferenter & communiter pertingente, hæc, quæ fecit præ aliis, quæ non fecit, &c. nil præter communem cunctis possibilibus volitionem continet, qua nil his præ cæteris determinate voluit, nisi effectionem horum, quæ fecit, & aliis hominibus, præ aliis largitus esset te: ergo ideo determinate voluit, quia fecit: quapropter is tandem sensus enconus illius de voluntate Dei proprius erit: omnia quæcunque fecit, fecit: quod de abiectissima, atque de vilissima, & frustrabilissima voluntate quavis ex creatis dici æque potest: quæ dubio procul quæcunque facit facit, &, cui non facere, quæ facit, prorsus repugnat.

4. Simile argumentum continetur illis verbis & sententia Esther. 13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israël*: Etenim resistentia volitioni communi, & indifferenter, ac æque respicienti possibilia omnia, ac subinde Israëlis salutem eiusq; negationem, siue coniunctiue, siue disiunctiue inefficaciter resisti nequit ab impediente salutem Israëlis potius, quam ab illam iuuante: immò nec indifferenter vtrumq; vel vtrumvis ex oppositis volenti potest resistentia excogitari, sed determinatè alterum ex illis ac serio volenti; ergò, si decreti nomine volitio illa necessaria Dei, & omnibus, ac subinde vtrique extremo communi, ea propositio fit, de subiecto non supponente & prorsus stolida erit: neminem scilicet fore, qui resistat volitioni Dei resistentiæ incapaci, & ineptæ, siue defectu voluntatis, cui resisti possit: est ergo ibi sermo de voluntate diuina, seria efficaci, determinata, quæ non esse in Deo absolutè posset, ac subinde libera erga salutem Israëlis potius, quam erga eius negationem, vel destructionem oppositam: atqui determinata hæc seria efficax voluntas libera salutis Israël præ eius perditione constituitur talis determinata & libera per salutem Israëlis, eiusve absolutam effectionem: ergo hic eius sententiæ sensus erit si effeceris, ac posueris absolute salutem Israëlis, siue ex eius salutis suppositione, nullius alterius viribus fieri poterit, vt non sit eius salus, sitve Israëlis perditio: ecquid autem potestatis Dei, ac voluntatis eius proprium ea sententia continet laudis, & elogij peculiaris: siquidem, nec effectione, & salute Israëlis à quovis homunculo infirmissimæ potentiæ, & frustrabilissimæ voluntatis semel absolutè positis, atque ex earum suppositione fieri ab alia, non solum creata, verum increata & diuina potestate & voluntate potest, vt non sit: cum ad coniungenda simul contradictoria, nec in Deo sit potestas, quæ solum chimærica esse potest.

5. Quartò inanis, ac illusoriæ iactantiæ plena communis sibi, & Patris potestatis suæ in Christo Domino sententia illa fuisset Ioannis 10. in seruandis ouibus, seu prædestinatis. *Non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei. ego & Pater vnum sumus*: etenim manus hæc Patri, & incarnato filio communicata, & communis, qua Dei erga prædestinatos, qui non rapiuntur à dæmone, præ reprobis, qui ab eo rapiuntur seu voluntas significata, nequit esse voluntas illa necessaria, & communis vtrisque cum ea, ac de ea absolutè in Deo posita reprobi à dæmone rapiantur: ergo est voluntas specialis determinata & libera quam erga prædestinatos habuit, cum eam erga illos poterat non habere, sicuti erga reprobos non habuit: atqui, si eius determinatæ ac liberæ volitionis specialis erga prædestinatos constitutiuum formale sit salutis illorum operatio, & conseruatio actualis extra Deum posita, sensus omninò hic erit: quos saluauero, conseruauero, ac retinuero actu, & absolutè, nemo nec cacodæmon ipse rapiet: quo sensu ignauissimus debilis, vel natura sua, vel morbo etiam iam moribundus iactare, gloriarique æque posset: nec latronem, nec lupum vllum de manu sua oues rapturum; nam quandiu eas retinuerit, seruaueritque actu, & absolutè, nemo eorum absolutè rapiet: immò nec Deus ipse rapere potest: ni in eo, vt dicebamus modo, chimæricam ad contradictoria coniungenda fingamus potestatem.

6. Quintò illis ipsis locis: *diuidens singulis prout vult, cuius vult misereatur, & quem vult indurat*, & antecedentis hanc sententiæ, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Continetur specialis determinatus, ac liber voluntatis affectus; qui ni diuersus à volitione Dei necessaria, & cõmuni erga omnes in linea volitiui, seu volitionis, & affectus constitutus adæquate in Deo ponatur, misericordiæ Dei tribui nequit: etenim affectus misericordiæ specialis, alteriusve virtutis, nequit esse in eo, qui specialiter affici erga eam virtutem, ex eiusque finali motiuo præstare aliquid nequit: ita verò specialiter affici, ac liberè ad aliquid præstandum moueri nequit, nisi qua volitiuum, seu in linea volendi est; nec potest id habere solum ex potestate adhuc indifferenti, qua effectiua solum,

ac non effectiua est: ergo nequit specialis ille affectus Dei extrinseca operatione, quæ solum ex potestate effectiua, ac non affectiua Dei prouenit, compleri in seque constitui. Minor probatur. Nam, etsi ignis indifferens actiuè ad calefaciendum, vel non calefaciendum esset, eo quod affectiuè indifferens non sit, affici specialiter ex fine hoc vel illo minime posset, nec ex misericordia, aut ex iustitia calefacere specialiter, vel non calefacere: vnde neque ex motiuo aliquo seu occasione posita, oblata: quare ad specialem affectum ex hoc, vel illo fine, aut motiuo huius vel illius virtutis, aliquid ad extra operandi in Deo specialis determinatio libera tota in linea, atque ex linea potestatis indifferentis affectiuæ constituta debet admitti, quin effectu, & operatione aliqua Dei ad extra, quæ à potestate eius solum effectiua, ac non affectiua, ipsius est, constitui posset aut compleri.

7. Sextò id ipsum probatur ex innumeris scripturæ locis (ideò sigillatim non referendis) in quibus ad orandum gratias agendum, honestè, pieque viuendum hortamur: multumque hæc valere, vt gratiam à Deo, beneficia, ac salutem consequamur: illicique, quibus à vitiis frequentissimè deterremur gehennæ; atque aliarum pœnarum infligendarum metu: etenim hæc omnia inutilia sunt ad voluntatem illam necessariam, & ad omnia indifferentem, & æqualem à Deo obtinendam, quam eis motiuis cessantibus omninò non potest non Deus habere: quare neque ob illam præcisè gratiarum actionem nobis promeritus est; siu autem determinatio specialis externo solum continetur effectu, & operatione à voluntate seu volitione illa necessaria, qua effectiua solum potestas est, non autem, qua affectiua, & ex motiuorum, siue occurrentium, siue finalium propositione electiua est, prouenientes, frustra, & stolide preces, meritoria opera, pro ea speciali determinatione proponimus, porrigimusque nullatenus ex eorum cognitione, & propositione se determinaturæ potestati; nec magis illi pro physica, non affectiua, determinatione gratiæ habendæ, quam ignem, quem indifferentis effectiuæ, non affectiuæ, potestatis esset, quod nos calefaceret, haberentur, vel, vt nos calefaceret precaremur, aut offeremus obsequia, fabellam surdo narrantes. Hæc omnia, & quæ hoc certamine subiiciam, etiam ex falsa suppositione, quod potestas indifferens effectiua solum, & quæ affectiua non sit, ad operandum, vel non operandum, aut operandum contrarium, & solum effectiue determinandum se ad vnam operationem ex aduersis habendam altera relicta procedunt, id quod repugnare ostendam inferius ex hac eadem parte connotantium sententiam impugnans.

8. Septimo arguitur ex eis locis æquè apud sacram paginam frequentibus, in quibus Dei electio, & dilectio vnius, præ alio speciali electione illa & dilectione nec amato nec dilecto commendatur *charitate perpetua dilexisse ideo attraxisse, &c. Et cum dilexisset suos, in finem dilexit*, &: *sic Deus dilexit mundum*, &c. & *Iacob dilexit: Esau autem odio habuit*, &: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. De quorum pluribus redibit postmodum sermo: si enim specialitas hæc dilectionis, & electionis diuinæ tota in linea affectiua voluntatis, & volitionis diuinæ non est, sed sola volitio necessaria, & communis omnibus, siue ad omnes æque, siue coniunctim, siue disiunctim sumptos ex linea propria affectiua voluntatis, & volitionis diuinæ significatur, qua electio, & dilectio communis omnibus, qui ea dilectionis, & electionis specialitate non fruuntur procul dubio erit: nam reliquum speciale pro eis, quos Deus ea electione, & dilectione dignatus est, è linea dilectionis, & affectus, siue voluntatis, & affectiuæ potestatis diuinæ non est; sed effectiuæ solum: vt connotatores omnes fatentur tandem, etsi huc illuc se vertant, atque hac illac velint difficultatem fugere, & mentem dissimulare. Nam demum in illud exemplum conflictum ignis physice indifferentis ad effectiuè, non autem ad affectiue consulendum vel secus, vt suam explicent sententiam deuenire debent, in cuius effectiuam solum determinationem dilectionis, & electionis nomen, nonnisi inane, & re significata vacuum, cadere potest: *vt quia ergo in nos commendat charitatem suam Deus: quia, cum adhuc impij essemus, Christus pro nobis mortuus est: & sic dilexisse mundum Deus dicitur, vt filium suum vnigenitum daret, &c.* cum in horum sententia opus solum possit & effectiuam operationem & potestatem commendare Deus, non affectiuam charitatis, omnipotentiam non suum erga homines amorem: cum ergo in his locis charitas, & dilectio specialis Dei determinata commendetur, cum ex ea traditus Dei filius dicatur, totam illam in linea affectiua, & volitiua constitutam opus externum præcedere aperte dicitur: atque adeo externo opere ipsa posteriori nullatenus constitui.

9. quod ipsum argumentum continetur specialius primo illo testimonio Ierem. 31. illa enim particula *idcò*, qua causam attractionis fuisse charitatem Dei specialem, & liberam, asseritur: insuper & sequentibus Psalm. 17. *saluum me fecit quoniam voluit me*. Psalm. 29. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*. Ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos: & cum essemus mortui peccato conuiuificauit nos Christo*: his etiam & similibus conditionalibus scripturæ propositionibus, quarum inepta sententia, & sensus erit ridiculus, ni Dei voluntas specialis, & libera pro conditione posita plene, & absolutè ante extrinsecam operationem, & effectum, vi eius causa intelligatur, sitq; constituta. Eccl. 31. *si enim Dominus magnus voluerit Spiritu intelligentiæ replebit illum*. Iacobi 4. *si Dominus voluerit*: &, *si vixerimus faciemus hoc aut illud*. Esther. 4. *Si decreuerit saluare nos conteret liberabimur*; erit enim si specialis efficax, & libera Dei voluntas operatione, aut extrinseco effectu constituatur earum omnium propositionum sensus: si hæc fiant, fiant: quid ineptius? Denique eadem anterior causalitatis præcedentia specialis, ac liberæ volitionis Dei plenè, & absolutè constitutæ ante extrinsecam operationem, & effectum continetur & explicatur pluribus locis per particulam *vt* adiunctam speciali voluntati liberæ Dei, vt aliquid fieret, sic Deutron. 7. *Te elegit Dominus vt sis ei populus peculiaris*: & clarius eum specialis liberæ suæ electionis huius, & gratuitæ præcedentiam ad effectum particula illa *vt* denotatam explicans, reliquis causis cum effectus, tum specialis illius diuinæ volitionis immediate exclusis, subdit, *sed quia dilexit vos Dominus*. Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*: Vnde hanc vniuersalem Patres, Augustinus, Prosper, & alij plerique inferunt, ergo *non quia futuri essemus sancti*, vt specialem causalitatem meritoriam Pelagianam, & Semipelagianam, nostræque prædestinationis ex eo loco confutent: esset autem infirma illatio, si effectu ipso posset specialis Dei electio, & prædestinatio constitui ipsoque, etsi non meritorie tanquam quid omnino diuersum, obtineri; innititur quippe ei principio: quod præsuppositum in esse absoluto sui, nequit desiderati huc esse desiderij denotati particula *vt* obiectum: quod principium deficeret, si posset per operationem seu opus externum absolutè in suo esse positum liberum Dei desiderium ipsius constitui

10. Eadem ratio continetur 1. Ioann. 4. *in hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum*: Effectu hoc apparuit Dei charitas, sicut suis effectibus causæ reliquæ apparent, non constituuntur: idque explicatius ostendens subiungit, *in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, & iterum sub finem. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*, Diligeremus autem prius si dilectione vtique communi, vtpote nobis vitali, à Dei amore in nostrum amorem ad extra proueniente, nostroue amore Dei amor constitueretur: sed & in locis aliquot ex recitatis, vbi electio Dei nominatur eadem determinatæ, & liberæ volitionis Dei, nec solum necessariæ & communis omnibus præcedentia in priori naturæ ad operationem externam continetur: etenim rectè Theologi omnes cum Sancto Thoma 1.2. quæst. 13. artic. 5. ad 1. *electione nominari docent, actum voluntatis ad id quod est huic agendum*, & quæstione 15. articulo 3. ad 1. *electio supra consensum addit quamdam relationem respectu eius cui aliquid præbetur*: quod ipsum proposito, & consilio voluntatis *ligitur*: quod ipsum proposito, & consilio voluntatis suæ, secundum quod Deus dicitur, operari significatur: dicit enim propositum, & voluntatis consilium voluntatem determinatam: nec, quæ ex necessaria, & indifferenter ad omnia volitione agerentur, ex proposito, seu secundum propositum, & consilium voluntatis Dei agerentur sed casu & fortuito vt 3. Reg. 22. longè à modo dicitur.

dicitur, *vir quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israël*: quia non in illum determinate sagittam direxit; sed in exercitus cumulum, si quem configeret, etsi Regem intensione non excluserit, sed iuxta Regis Syriæ, sub quo merebatur, etsi non vnicè & determinatè. præcipuè tamen configere intenderet: sunt autem scripturæ loca apud Paulum frequentia, Roman. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*, cap. 9. *vt secundum electionem propositum Dei maneret*. Ad Ephes. 1. *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum propositum voluntatis suæ*: infra, *secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: 2. ad Timot. 1. *vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam*.

11. Huc etiam facit illud Isaiæ 45. iuxta versionem 70. Interpretum, & Patrum plurium, *qui fecit ventura*: ex quo diuinorum decretorum æternitatem supra ostendebamus ad quæ Fulg. 1. ad Monim. cap. 12. vers. med. *in ipso Christo ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione, iam fecit, quacunque effectu operis sui tempore congruo facienda disposuit*: sub med. *in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ, creator ille, iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout oportune faciendum dispositis, sic ritè disposuit facit*: lib. 2. cap. 1. circa med. *fatale possimi, & diuinorum librorum testimoniis instrui, & Sanctis Augustini libris, & Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant, prædestinationem Dei, nihil aliud esse, nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum esse præscivit, aut iuste*. Hilar. 12. de Trinit. vers. medium. *Deo, cui nihil nouum ac recens est iam facta sunt, dum & temporum dispensatio est, virentur: & iam in diuina virtute, & præscientia efficacia sint*. Leo Mag. serm. 16. de Pass. cap. 2. *Cum non tam de futuris, quam de præsentibus sit sermo contextus; quid aliud nobis quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur: apud quem, & discernenda iam iudicata sunt; & futura iam facta sunt*: quibus consonat Anselmus in cap. 8. epist. ad Rom. *ad quos præscitos, & prædestinatos*. Concil. Valent. III. sub Lothario Imperat. confess. fidei cap. 3. & Ambros. 5. de fide ad Gratianum longe ab initio id Rom. 4. *vocat ea, qua non sunt, sicut ea, qua sunt*. Ex Isaiæ sententia sic explicat. *Vt de Scripturis satisfaciam tibi, disce quod non solum præterita fecit, sed etiam quæ futura sunt qui fecit quæ aduenturæ sunt*: & vtriusque sententiæ rationem sic concludit: *quia non contingit, vt non sint, sed necessario sunt futura, quæ esse præcepit*; & confirmat ex illo Psalmo 118. *Dispositione tua permanebit dies*: subiungens. *Non solum permanet dixit, sed etiam permanebit, vt in eius dispositione, quæ ventura sunt, gubernentur*.

12. Isidorus 1. de summo bono cap. 1. *Manens idem incommutabilis, & æternus, quid congruum esset temporibus, ipsa tamen æternitate in eius mansit dispositione consilij*: consonat 1. sent. cap. 18. med. 1. de prædestinat. & grat. capite 5. post med. *in ipsa nos præscientia cum nondum essemus elegit: sed à quo fieri hoc potuit, nisi ab eo, qui vocat omnia, quæ non sunt, tanquam ea, qua sunt? Apostolus enim dicit, qui elegit nos ante mundi constitutionem: intra mundum facti sumus, & ante mundum electi sumus*, dixerat autem initio: *quantumcunque, vel ex Adam homines nati sunt, vel post nostram ætatem generationis propagine sunt nascituri, apud Deum nati sunt iam, & decurso toto vitæ tempore transierunt*. In his autem determinate effectura siue efficax (vt efficaciæ nomine Hilar. significationem ad extra Dei voluntas, consilium, & dispositio naturæ, & durationis: priusquam in se & in tempore sint, æternitate (quæ sola, & solus Deus durat) esse dicuntur: ac proinde, & facta quæ futura sunt, &, quæ non sunt, vocantur: & sane, si vocatio, seu determinata volitio, efficax Dei, qua, quæ non in se sunt, vocantur, ipsorum esse constituitur ac completur; cum nondum sunt impliceat à Deo vocari, maxime vt sint: non enim vocatio illa esse potest, nisi eorum, quæ absolutè sunt, quæ, vt sint, vocari sibi ineptè nequeunt, vt nimirum id habeant, quod præhabent & ab eis præhaberi vocatio supponit. Vnde, si ad determinatam vocationem eorum, quæ non sunt, vt sint operatio, & effectus in suo esse posita expectantur, quid de vocationibus, & imperiis diuinis illis Genes. 1. *fiat lux, fiat firmamentum* censendum? An vel fictæ vel risu dignæ vocationes, & imperia censenda? Sicuti & illud Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit*, & id Threnor. 3. *quis est iste, qui dixit vt fierent Domino non iubente*. 3. Reg. 17. *Coruis præcepi, vt pascant te*: Iob *qui præcepit soli, & non oritur*, & similia capite 36. & 37. Isai. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet vocans ab oriente, &c.* Actor. 2. *Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei*.

13. Adstant pro antecedentia eadem voluntatis libertæ ac determinatæ Dei ad extemas creatas operationes, & effectus per Deo intrinseca omninò constituratæ aperta, frequentiaque Patrum testimonia; Magnus Gregorius recitatus quæst. 5. certam. 1. num. 8. & 16. Moral. cap. 17. postremis. *De vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur*. Non igitur res statutum Dei, quo de ipsa Deus statuit, quid determinate sit agendum, constituit, sed omninò intra Deum statutum, & constitutum de ea est Clemens Romanus 3. recog. vers. med. *Prout voluerit Creator Deus, ita, & erunt illa, quæ creat. Nec enim sub lege est virtus Dei, sed lex creaturis suis voluntas eius est*. Vt sint nimirum, vti ea esse, & fieri determinate voluit, consonat 7. const. cap. 35. sub med. Iustin. Martyr. quæst. 3. ad Gent. circa med. *Si Deus facit; quia est, coactè facit, si autem facit sponte, quia vult sponte fecit quantum vult, & quale vult, & quando vult*. Irenæus 2. aduers. hæres. cap. 2. sub init. *Si autem non præter voluntatem eius, sed sciente, & volente Deo fiunt, iam non Angeli vel mundi fabricator alius causa erunt fabricationis ipsius, sed voluntas Dei* sub med. *ipse in semetipso*, (non vtique extrinseco opere) *omnia prædestinans fecit, quemadmodum voluit, omnibus consonantiam, & ordinem suum & initium creationis donans, vt intrinseca eius voluntas rebus causa esse di, &c. Lex, taxatio sit, ac mensura*, Nyssen. columna 4. Hexamer. *illud nobis positum, constitutumque sit: in natura diuina cum voluntate ita concurrere potestatem, vt Dei potestatis mensura sit ipsa voluntas*. Sub inferius: *Potentia voluntas est eademque momento præscit quomodo res fiant, & occasiones præbet, vt cogitata sint facta*: infra. *Sapiens ipsius voluntas potestate factorum est declarata: & effectrix ipsius potestas in ipsius sapiente voluntate perfecta est*: non ergo extrinseco completur, & absoluitur: ac rursus ea colum. ait: *quod voluntas diuina sit potentia, & vis rerum effectrix*. Supponens item electionis diuinæ libertatem esse potestatem vitalem, propriissimam intellectualis, & diuinæ vitæ motione subinde intentionali se mouentis ac determinantis immanenter ad intra, sic scribit de verbo diuino orat. eathec. cap. 1. circa med. *Si ergo viuit verbum omninò quoque habet vim libere eligendi. Nihil enim est ex his, quæ viuunt, quod non sit hac vi præditum*: inferiusculè, *volentem autem Deum non esse eiusmodi, vt non operetur, sed omne boni propositum deducere ad operationem*: subinferius, *libere autem eligentis, quia viuit: potentis autem quidquid elegerit*: quibus potestatem electionis diuinæ ab executione externa distinguit, atque illius ad hanc causalitatem, & antecedentiam naturæ fatetur.

14. Athanasius orat. 3. contron. Arian. columna 2. *Patris voluntas efficax est, & Architectatrix: eaque per se sufficit ad res procreandas*: & sub med. *voluntatem Patris satis esse potentem ad ea constituenda, qua ipsi placuerint*: & orat. 2. circa med. orat. 4. colum. 6. ante finem. *Opera voluntate, placitoque emerserunt; vniuersaque rerum natura cupidine qua cupiit hoc Deus, condita est: cumque Paulus per voluntatem Dei Apostolus sit vocatus, ipsaque vocatio nostri placito voluntateque conciliata sit, &c.* Damas. c. 1. de fide post medium. *Creatio à Deo, cum voluntatis opus sit, non coæterna Deo est*: subinferius, *Deus vno eius solum de nihilo adesse cuncta produxit*. Fulgent. 1. ad Monim. cap. 12. fine. *Non aliud est in illo, velle, quam posse*. Posse autem, & factis præcedit natura, & ipsis nusquam, adhuc completiuè, & partialiter constituitur: similia scribit capite 13. Ambrosius 5. in Luc. sub initio.

Nihil

Nihil medium est inter opus Dei atque præceptum: quia in præcepto est opus. Denique dixit & facta sunt: videtis igitur (quod dubitari non potest) quia voluntas Dei potestas est, si ergo voluntas eius potestas est: qui vnius voluntatis Trinitatem asserunt vnius vtique asserunt potestatis, & 2. Hexam sub init. *voluntas Dei mensura est verum*, & circa med. *quid enim difficile est, cui velle facere est*: vtique prompta & ineuitabili executione non ipsius voluntatis constitutione vt primo testimonio præcauit, ne simili sua locutione: *quia in præcepto est opus* intelligeretur subdens, *ideo hoc verum, quia voluntas seu præceptum Dei eius potestas est.* Hanc ipsam volitionis, seu voluntatis determinatæ ac liberæ diuinæ de operatione quavis ad extra adæquatam constitutionem, & antecedentiam causalitate, & prioritate naturæ ita constitutæ ad quodvis extrinsecum vel docent, vel supponunt Concilia, Patres, & Scholastici omnes cum Arrianorum errorem de processione filij per voluntatem, seu voluntate libera Patris inde confutant: *quia filius creatura foret, non Deus*; vt vidimus controu. de Trinitate: vnum vel alterum hic testimonium recitabo. Syrmica Synodus Can. 24. *Si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquem de creaturis, filium factum dicat, anathema sit*, ad quæ Hilarius de Synodo circa med. *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei* (libera: nam necessaria Spiritui Sancto Deo contulit:) *sed naturam filio dedit, ex impassibili, ac non nata substantia perfecta natiuitas. Talia enim cuncta sunt creata, qualia esse Deus voluit*: sunt pro eiusdem erroris confutatione, & sententia præsente præclara plura testimonia Augustini 3. de Trinitate cap. 2. 3. & 4. & enchirid. c. 95. 96. & 97. de Genes. ad lit. cap. 13. med. cap. 15. datas à Deo causas mundo & absconditas, & adseruatas in sua voluntate distinguit, & de his concludit fine. *Hoc non erat in conditione creaturæ, sed in placito creatoris, cuius voluntas necessitas est.* An illa indifferens simplex necessaria & communis? eidem causarum distinctioni, & doctrinæ insistit cap. 17. & 18. quod hac terminat sententia: *Illas nimirum causas sic abscondit, & ex eis necesse sit hoc, quod ex istis* (secundis, & non absconditis) *fecit, vt esse posset*: item quæst. 3. ex octoginta tribus, Anselm. toto ferè lib. de volunt. Dei.

15. Duo tamen testimonia omittenda non sunt. Alterum Boëtij de consolat. lib. 5. prosa 3. post med. *At, inquit, si ita, vti sunt, sita ea futura decernit, vt aque, vel si ea, vel non fieri posse cognoscat* (vti cognosceret ex voluntate illa necessaria communi, & indifferenti ad eorum esse, vel non esse, vel alia qua Deus absolute determinate decernens ac volens ea quæ sunt constituatur: *quæ est hæc præscientia, qua nihil certum, nihil stabile comprehendit? aut quid refert vaticinio illo ridiculoso Tiresiæ* (fatuæ quondam, & ridiculæ vatis) *quidquid dicam, aut erit aut non erit? quo etiam diuina prouidentia humana opinione præstiterit, si vti homines incerta iudicat quorum est incertus euentus?* Alterum testimonium est Basilij homil. 1. Heram. post med. sic Philosophorum errorem de mundi productione referentis. *Mundum non fuisse factum à Deo, sed quasi adumbratio quadam potentiæ ipsius esset, velut obiter emæ fisse illum asseruerunt. Atque causam ipsius Deum esse fatentur, causam tamen voluntate non concurrente; sed quemadmodum atque corpus vmbræ lucidumque splendoris est causa.* Si autem voluntate determinata non causat determinate volens, sed ex necessaria indifferenti communi illa adesse, vel non esse mundi ex sola actiua physicè, non autem affectiua etiam voluntatis potestate, & determinatione obiter respectu voluntatis diuinæ. Denique volentis mundus emersit: cum eius voluntate præsupposita non magis esset, quam non esset: nec voluntarie à Deo prodiret, neque à Deo sciente, & volente, sed casu, & physicè solum, quemadmodum effectus naturales, à naturalibus causis procedunt; hoc solo excepto, quod ex indifferenti physica volitionis diuinæ potestate prodirent, in quo expendenda certam. 6. implicatio alia continetur. Hæc eludere voluit opinione sua Quiros, volitionem determinatam liberam Dei in abstracto adæquatè intra Deum constituram supponens ad quamvis eius operationem, & effectum ad extra; etsi hæc ad denominationem concrete volentis Dei requirat: verum illum ad nauseam confutauimus certam. 3. cuius fine scripturæ testimonia (quod ipsum de datis nunc testimoniis Patrum est) de Dei concrete volentis diligentis, eligentisque præcedentia pro priori naturæ ad omnes suas externas operationes expressa esse contra ipsum notabamus: quod autem his respondere poterat, etsi non tuto, de sensu scripturæ, & Patrum metaphorico iam confutabimus cert. 6. rat. 1.

CERTAMEN VI.

Ab eadem parte ex dogmatum aliorum per connotantes euersione eorum sententia confutatur.

1. PRima ex aliis fidei dogmatibus ratio sit: quia Dei voluntas, qua talis, Deusque per illam est liber in volendo, cum in actu primo, tum in actu secundo, vt vidimus quæst. 1. certamine 2. & constat ex locis scripturæ, & Patrum de Dei vnius præ alio electione, dilectione, vel rerum, vel personarum ad aliquid de illis agendum, vel in ipsis operandum, immò non aliunde, quam ex eis locis, quibus libera Dei volitio creaturarum in Scriptura asseritur eius voluntas indifferens in actu primo, immò, neque voluntas absolutè talis in Deo ex facta pagina poterit probari: quare quatenus ad fidem, dogmaque Catholicum attinet immediatius libera Dei volitio, qua talis, quam absoluta voluntas à scriptura traditur: volitio autem qua talis necessaria etiam, qua se diligit Deus ex scriptura remotius adhuc deducetur: qua verò impossibilia omnia, siue coniunctim, siue disiunctim sumpta, seri Deum connotantes admittunt, vt scripturæ rectam testimonia eludant, tam longè ab eis distant, vt nullis quantumvis longis discursibus ex scripturæ testimoniis vllo valeat deduci: quia, vt supra vidimus, nihil creatum pro statu possibilitatis velle, amareve necessario Deum verissimum est: atque oppositum, etsi ab antiquitate æquam forte habeat, à ratione verò vix vllam habet probabilitatem: liber vero amor, adhuc pro illa possibilitatis, circa possibilia aliqua, siue complacentia, siue cuiuslvis alterius speciei amoris sit, minus à ratione probabilis in Deo est, nullatenusque ex scriptura, & Patribus deducibilis: neque ab aduersariis connotandus admittendus: cum in rebus pro eo solum statu necessario stantibus, & sumptis nulla extrinseca mutatio abfolutæ entis alicuius defectibilis esse possit, quo liberum absolutè exercitium volitionis actualis Dei aliquatenus constituti, & compleri in eorum sententia possit: stet ergo liberam Dei volitionem absolutè talem, ac subinde diuina voluntatis qua talis in actu primo indifferentem ad volendum, vel non volendum, seu nolendum potestatem proprio, & vero aliquo sensu salua scripturæ obiecturatis debita, ac fine catholici dogmatis iniuria negari non posse.

2. Addendum æque dogmaticum & scripturæ locis datis contentum esse. Potestatem hanc voluntatis diuinæ indifferentem esse per obiectorum creatorum propositionem atque ad se determinandum circa vnum ex creatis potiusquam circa eius oppositum ex consultatione & consilium: idcirco diuinæ voluntatis determinatio absoluta consilium sæpè in scriptura dicitur, nimirum, quæ absolutum potuit, quia ex consilio, seu præconsiliato habita à Deo absoluta illa determinatio est, idcirco etiam electio plu-ribus datis testimoniis nuncupatur & vlterius 1. Corinth. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus vt confundat Sapientes, & quæ infima mundi elegit Deus*. Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, &c.* Denique statuendum vt fide certum, & dogma catholicum est Deum non necessitate, sed liberè ad extra operari quæcunque operatur, neque casu respectu ipsius aliquid ad extra contingere: quasi ex eius potentia, & actiua virtute creaturæ veluti ex publico, vt sic loquar, ærario essendi & actuationis publicæ expositæ creata entia suam quæque entitatem, & absolutam existentiam, siue esse actuale sortiantur, & quasi suffurentur. Hoc postremum connotantes ipsi statum fidei dogma esse volunt, immò hæreti-

tuendi tota ipsorum cura, doctrinæq; suæ est. Nullum autem ex tribus hisce Catholicis dogmatibus in eorum sententia posse consistere singulatim ostendendum in præsentiarum est, vt connotatorum absurda sententia explodatur.

3. Et in primis, per contingentiam physicam operationum, seu rerum ad extra positarum, & absolutè existentiam libera Dei volitio, ac diuinæ voluntatis libertas, non saluatur; etsi operationum ad extra liberras, seu potius contingentia rerum, & operationum extrinsecarum creaturarum in se, & in essendo saluaretur. Probatur intentum: quia in hac sententia quidquid volitionis, seu actus vosendi, atque à voluntate diuina, qua effectiua, & qua voluntas seu volitiua creaturarum est necessarium est, ergo nulla volitio diuina libera est, ac subinde, nec voluntas diuina qua volitiua, seu propriè voluntas est in actu primo indifferens ad volendum, seu non volendum, aut nolendum, siue libera in actu primo: postrema consequentis huius pars certò, & euidenter deducitur ex prima: quia ex impossibilitate effectus, siue actus secundi actus primi siue causæ illius effectus impossibilitas legitimè, & ineuitabiliter infertur: vnde, cui intellectio repugnat, intellectiua facultas repugnat. Prima verò consequentis pars æqua certitudine, & legitimitate ex antecedenti infertur: si enim quidquid volitionis, propriè talis, in Deo est, siue omnis volitio diuina propriè volitio necessaria est: ergo nulla volitio diuina propriè talis libera est: alioqui duplex contradictorium simul verum admitteretur. Antecedens connotantium sententia est: siquidem nihil in Deo eiusque voluntate ante operationem, & effectum creatum, & ad extra est, imò posse esse adhuc admittunt, nisi volitio necessaria, qua increata possibilia, siue coniunctim, siue disiunctim in omnia affectiuè, & volitiuè feratur; imò libertatem Dei, non qua volitiuus, & affectiuè est potens in creaturas ferri, sed qua physicè earum actiuus media necessaria volitione illa admittunt: quod ipsum est liberum illum non quidem in volendo, sed in agendo, & operando physicè ad extra admittere, vt ex ipsorum verbis, & exemplo explicuimus cert. 1. ac sæpè in seqq.

4. Respondent hac ipsa doctrina sua Aureolus, Herize, & tandem connotatores reliqui: Deum liberum in volendo metaphoricè esse, esse propriè tamen absolutè liberum, etsi non in volendo: quia prædicatum libertatis proprium genericè sumptum libertatis in agendo & operando physicè, siue potestate non operandi absolutè, id quod liberè operatur omninò consistit: quin ideò voluntas in specie liberi agentis in volendo est, quia agens physicum, & de se indifferens, potensque physicè in actu primo non elicere physicè suam volitionem est: quare sola indifferentia, & libertate potestatis physicæ Dei in actu primo ad non agendum physicè in actu secundo, quæ de facto ad extra producit, agens liberum in actu primo & in eorum effectione physica in actu secundo, liberum in actu secundo agens proprietate sermonis est: quia vero suam volitionem physicè agere ob rationes præfatione quæstionis tactas non potest: fit, vt eius volitio, qua volitio, ac subinde neque eius voluntas, qua voluntas & affectiua potentia proprietate sermonis, libera non sit, neq; Deus, qua potens velle, & actu volens liber in actu, siue primo, siue secundo proprietate sermonis sit; sed solum metaphoricè, & imitatiuè: quatenus volitione necessaria intercuniente habet operandi vel non operandi physicè ad extra potestatem, atque ex ea physica potestate operatur, cum ad extra aliquid producit & non operatur, cum non producit. Cæterum prædicatum libertatis, & potestatis in actu primo indifferentis, & exercitij liberi in actu secundo superius esse, & genericum ad libertatem, & indifferentem potestatem voluntatis, qua talis, & affectiuæ potestatis, & in exercitio & actu secundo ab eius, qua talis, volitione, & affectu, ac proindè in allis physicè solum, nec affectiuis etiam agentibus, eorumque effectibus, qui affectus non sint posse reperiri implicatorium ostendemus, ac insuper, neq; eam indifferentem physicam potestatem operandi ad extra, nec physicum libertatis exercitium, siue libertatem in actu secundo, Deo eiusque operationibus competere constabit ex dicendis in tertio absurdo ad quod connotantes deducemus contra terium dogma quod memoramus.

5. Quod metaphoricam verò locutionem libertatis voluntatis, & volitionis in linea voluntatis, & affectiua, qua solum scripturæ, & Patrum testimonia interpretantur valde periculosè loquuntur, & sentiunt: etenim frequentissima scripturæ, & Patrum hac de re testimonia ad sensus impropriios & metaphoricos detorquere, & hac in re periculosum est, & omnibus Catholicis dogmatibus euertendis, tuendisque, & denuò inducendis erroribus, atque hæresibus quibusvis accommodatissimum: siquidem solutione, & interpretatione simili de locutione scripturæ, & Patrum metaphorica contra quævis in scriptura asserta philosophari nobis, ac Theologizari licebit: maximè, cum vix dogma aliud, tam frequens, atque hoc de libera Dei volitione, tamque expressum in sacris litteris habeatur. Secundò: quia, vt dicebam num. 1. cum Dei volitio necessaria, imò volitio, & voluntas diuina absolutè, nullis aliis locis, quam his de volitione libera Dei traditur, si hæc metaphysicam solum locutionem contineant, ac proindè negari salua fide, & Scriptura sacra proprietate sermonis possunt, salua etiam scriptura, & fide negari Deo absolutè poterit proprietate sermonis volitio omnis, & voluntas: imò verò, cum ea, quæ solum metaphysicè alicui conueniunt negari potius, quam affirmari debeant, à Theologis præsertim sermonis proprietate disputantibus, nec nisi addito, aut verbis, quibus metaphoricè se loqui explicent, affirmari: dicendum in re præsenti absolutè, iuxta hanc solutionem, esset, Deus liberam volitionem non habet, nec est liberè volens creaturas, siue efficaciter, siue inefficaciter, imò nec illas absolutè volens: quod est erroneum, quod autem aiebant rationibus tactis quæstionis præfatione eas locutiones, nisi cum absurditate physicæ defectibilitatis Deo repugnantis, proprietate sermonis in ipsum cadere non posse: ac proindè iuxta Ticonij regulam ab August. approbatam sensu improprio, & metaphorico intelligi debere: constabit cert. vlt. alioq; ea repugnantia posse Deo sermonis proprietate conuenire. Secundò ea regula in raris scripturæ de Deo locutionibus locum habet; non autem in frequentissimis de eo assertionibus: imò in non adeo frequentibus, ex contextu, fineq; sermonis, an figurato, parabolico allegorico, aut metaphorico sensu scriptura de Deo loquatur, cum ea, quæ ipsi sermonis proprietate repugnant, satis prodit: quod in testimoniis ad rem præsentem adductis prorsus defuit.

6. Vlterius volitio libera diuina vitalis esse debet, speciesque actionis vitalis: quare, & potestas indifferens, seu libertas voluntatis in actu primo debet esse ad actum, & operationem vitalem, eiusque exercitium: siue libertas in actu secundo nequit esse nisi per actum, & operationem immanentem in viuente libero, vel immediatè in ipso, vel in eius potentia vitali, (sic realiter ab ipso differat) & mediatè in illo: atqui nec potestas indifferens voluntatis diuinæ, seu libertas in actu primo ad operandum, vel non operandum ad extra, est ad operandum immanenter; neque eiusmodi operatio est exercitium actuale immanens potestatis illius: ergo per eam indifferentem potestatem, seu libertatem in actu primo Dei voluntas, Deusque ipse non constituitur liber in actu primo, neque operatione ipsa, & exercitio eius potestatis exercetur propria libertas voluntatis, neque eius volitio libera propriè in actu secundo constituitur: quod autem potestas indifferens, seu libertas in actu primo sit potestas vitalis, atque eius operatio, & actus vitalis natura, & essentia sua esse debeat, fitque proindè, altera essentia, & natura sua potentiæ vitalis species, altera vero exercitium, actusve seu operationis vitalis species, omnium quæ in creatis liberis voluntatibus, earumque liberis exercitiis operationibus, & actibus experimento, & inductione didicimus constat: quod ipsum proindè de libertate voluntatis, & volitionis diuinæ suppuratis imperfectionibus (vt possunt) intellectum, & assertum à scriptura, & Patribus tenendum est, si sermonis proprietate (vti debemus) testimonia intelligamus: siquidem vocibus nostris nos ea docuerunt: quare, & in sensu earum à nobis communiter recepto, & vsitato earum vocum id nobis intimarunt: iam verò potentiam vitalem esse potentiam ad operandum immanenter viuentis, & potentiæ vitalis, recepta definitio est. Denique potestatem Dei, eiusq; voluntatis, & volitionis necessariæ ad operandum, vel non operandum ad extra immanenter operandi potestatem

natura,& essentia sua non esse, sed potius ad non immanenter operandum, atque extrinsecas omnes creatas operationes, & effectus essentia sua esse non immanentes operationes, ac subinde potentiæ vitalis, & natura sua immanenter operatiuè ineptas, certius est, quam, vt egeat probatione.

7. Eosdem connotatores secundo absurdo contra secundum Catholicum dogma in scriptura, & Patribus expressum rursus impugno: volitio diuina determinata de hoc præ alio agendo, non solum est libera, sed & electio vnius præ alio ad hoc,vel illud agendum,vel recipiendum à Deo: atque ita sermonis proprietate frequentissimè à scriptura,& Patribus nominatur: atqui electio absolutè,& propriè talis essentia sua tota est actus determinatio ad vnum potius, quam aliud, siue ad vnum præ alio,non vtcumque sed ex consultatione, & præ consiliato. vt omnes Philosophi,& Theologi statuunt cum Arist.3. Ethicor.c.2. sic electionis naturam explicante: *videtur itaque sponte quidem à nobis fieri: attamen non omne, quod sponte agimus,est elegibile; sed id, cuius consultatio antecessit: electio namque cum ratione est, atque mente,* & c 3 *& ipsa electio deliberatiua appetitio rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate*: ex quo Damasc.2.de fide c.22. *Nihil enim aliud electio est, quam è duabus rebus propositis alterius præ altera susceptio*: &, quamvis immediatè dixerat post affectionem existere consultationem: affectionem pro finis abstractè à materia sumpti v.g.temperantiæ abstractè, à materia huius cibi,vel potus,amore intelligit: quam nos intentionem vocamus,& Aristot.c.2. cit. *voluntatem*, & 6. Ethicor.c.9.12.& 13. *propositum*. Nam post consultationem ex ea affectione ortam electionem sequi docet ibidem Damasc.& Aristot. & c.12. electionem rectam fieri à prudentia docet: ac Sanctus Thomas 1. 2. quæst.66.articulo 3.ad 3. ait: prudentiam, non solum assignare media, sed finem etiam in propria & particulari materia: &, si vt à materia finis virtutis abstrahit, non præstitui illam (necessariò,scilicet)à prudentia doceat 22.q.66. articulo 3.ad 3.

8. Electio igitur propriè talis, siue mediorum, siue materiæ particularis, in qua finis obtinendus eligitur, & voluntaria necessario, & vlterius ex consultatione, & præ consiliato essentialiter est: atque si ex honesto fine, & intentione (vti in Deo est) ex prudentia, & eius dictamine: ergo omnis electio diuina omninò à voluntate Dei, qua affectiua, & volitiua facultas est, nec ab eius solum effectiua, ac non affectiua potestate potest aliquatenus esse. Patet consequentia, quia sola voluntas,qualis, siue, qua affectiua, & volitiua facultas est, siue, qua velle solummodo potest, duci cognitione, & consultatione, propositioneque bonitatis obiecti valet, vt sponte, ac voluntariè feratur in obiectum, tum etiam collatione, & consultatione, vt ex proposita materia, & mediis propriè eligat: ergo, quod à voluntate non, qua volitiua, & affectiua erga obiectum facultas est, sed solum, qua physicè effectiua alicuius physici effectus, ex cognitione, & consultatione non est: ergo neque electio: ergo electio, qua talis, à sola potestate indifferenti voluntatis, qua affectiua, & volitiua obiecti alicuius est, potest prouenire: atqui potestas indifferens agendi,& operandi ad extra in Deo, ciusque voluntate, seu volitione, à qua operatio, & effectus ad extra proueniunt determinatè hæc præ aliis, solum est potestas voluntatis physicè effectiua, non affectiua per te: ergo nec est determinatio electiua seu electio Dei à scriptura, & Patribus asserta: idem argumentum continet illa vox *consilij*, quo libera Dei determinatio de faciendis continetur. Nec satis est, si dicas electionem totam operatione ad extra non contineri, sed compleri solum. Nam electio tota in determinatione hæc in tua sententia in effectu, siue operatione ad extra est: nam volitione necessaria indifferenti communi, & æqua respectu omnium, quam solum tua sententia admittit, nulla Dei determinatio est: quare, & tota Dei libertas in operando solummodo per te est, nullaque, ne partialis quidem, in volendo, aut eligendo libertas, contra duo dogmata memorata.

9. Sed nec libertas Dei in operando, quæ de fide est in connotatorum sententia potest defendi. Primò: quia à potentia actiua solummodo physicè, & effectiuè, non autem affectiuè etiam, nihil determinatum nullaque determinatio potest esse; etenim, vel ex eius natura, & inclinatione procederet, & hoc implicat: cum eius natura indifferens ad alterutrum, nec ad alterum determinata (vt in exemplo ignis natura, & essentia sua indifferens ad comburendum vel non comburendum, quo aduersarij vtebantur, patet) non magis in hoc extremum, seu operationem determinatè inclinare; sed neque ex propositione obiecti seu operationis aut effectus agendi potest ad hunc determinatè præ alio se determinare: physicè enim, & effectiuè solum agens, ac non affectiuè, obiecti propositione, & motione ipsius intentionali moueri alicui ab illo nequit, nedum determinari: id siquidem proprium volitiuæ, & affectiuæ facultatis est, siue voluntatis, qua talis: ac proindè solo affectu, & volitione ferri determinatè in illud præ alio obiecto: sin autem ab alio agente determinetur: vel est, tanquam à partiali agente complente virtutem actiuam adæquatam essentialiter requisitam ad effectum, vt potentia visua per speciem completur: & tunc indifferentia non est, sed effectus actiuitatis quæ alia partiali debet compleri, vel determinatio illa est ab agente superiori, cui non solum subordinatur inicem in alicuius effectus productione, vt sublunaria cælo, sed,tanquam superiori, & tunc quidem primo superius illud agens purè indifferenter physicè actiuum non erit. Deo enim quæstio redibit,& sic de aliis,& aliis superioribus, & superioribus agentibus in infinitum quæstiones progredientur.

10. Secundò: ea determinatio præ alia ab agente physicè indifferenti non erit, sed ab alio à quo determinatur: quare respectu agentis illius actiuè, & effectiuè solum indifferentis determinatio illa per operationem, etsi ab ipso physicè ortam, contingens & libera physicè non erit; sed respectu alicuius, vt percussio baculi in hac potius, quam illa parte terræ, vel globuli illo determinatè à milite per Sclopetum contorti; etsi eius impulsus eo, vel alio penetrare indifferens sit, quia eo potius à milite diriguntur. Tertiò: superius illud agens, & non physicè indifferens, sed determinatum, ac determinans aliud indifferens physicum ad agendum, vel non agendum physicè naturaliter, & necessario, vel seipso, vel aliqua qualitate, aut effectu a ipso necessario producto determinabit etiam neque ipsi neque subdito agenti indifferenti de se, contingens & libera ea determinatio erit. Quartò: si actiua adæquata illius agentis potentia sit, intelligi nequit, quo pacto ab operatione contineat, atque determinationem extrasecus aduenturam desideret, ac expectet: quidquid enim actiuum physicè est, & alterius opem ad operandum spectat,eaque indiget,adæquatam ad operandum actiuitatem absolutè non habet, vti creatis causis contingit: quæ tametsi exigentiam, & inclinationem ad suos effectus adæquatam habeant, secus tamen adæquatam actiuitatem quia non, nisi in consortio Dei possunt suos effectus operari.

11. Cum ergo,nec à se,nec ab alio agente superiori purè physicam actiuitatem ipsius, siue indifferentem, aut determinatam determinari agens illud physicè actiuum adæquatè indifferens ad operandum,vel non operandi ad determinatè operandum,maximè possit: restat,vt quamvis adæquata eius physica actiuitas, indigens tamen physicæ alterius actiuitatis ope ad determinatam suam operationem, non repugnaret, agens illud superius non purè physicè effectiua potestate, sed affectiua etiam,qua vnum determinatè præ alio velle posset, ac de facto efficacissimo vellet, ac fieri ab agente illo volitione, & decreto suo liberò statueret, inferiori illi agenti purè physicè determinationem ad determinatè operandum afferret: cui proindè contingens, & libera ea determinatio, & operatio summodo foret, non autem alteri indifferenter effectiuæ agenti inferiori, quod ex eius decreto, & determinatione affectiua efficaci operaretur determinatè; non secus atque naturales effectus causis naturalibus contingentes, ac liberi non sunt, sed Deo. Nihili enim refert, an ex natiua determinatione, an ex aduentitia, & extrinseca non possint non operari, si absque illa operari causæ nequeant: ex quibus constat omnem tandem liberam, & contingentem causis actiuis operationem tantum penes actiuas,etiam affectiuè,qua tales,siue potestates arbitrium,& voluntatē,qua volitiua formalissimè est,posse

reperiri: aque exercitium liberum & contingens è sola affectiua, non affectiua etiam, potestate procedere non posse, ni fors in absurdiorem determinationem effectiuæ solum indifferentis potestatis per physicas ipsas operationes statim impugnandum labi aduersarij velint.

12. Hæc fusius paulo disserui vniuersim, & intimius, vt principium illud cui omnes connotantium modestiorum modi tandem innituntur (nempè agentis purè physicè effectiui, ac non etiam affectiui, dummodo indifferens ad physice operandum, vel non operandum sit, posse esse exercitium liberum, ipsique contingens) radicitus eruerem, & conuellerem: ostenderemque potentiam liberam, etsi actiua necessariò esse debeat, non eo solo prædicato liberam esse posse, nisi actiuitas affectiua etiam sit: Vt nimirum actus suos possit actiuè elicere: sed eos tamen, quibus in hoc præ alio obiecto ex eorum intentionali propositione, & rationum seu motiuorum consultatione affectiuè feratur, illudve fugiat: vel, si libertas contradictionis sit, prosecutionem ipsius omittat: inde vero facile concluditur in connotantium sententia Deum non volendo extrinseca, verum nec in volendo, neque operando ad extra liberum agens absolute esse, vt tertio hoc absurdo contra eos contendebamus. Nam, etsi Dei volitionem ad creaturarum productionem illi requirant, necessariam illam, & communem esse aiunt & in qua nullam voluntatis diuinæ Deique exercitium liberum sit, ratione cuius operationes Dei inde ad extra progressæ secundario liberæ Deo sint, eiusque arbitrio & libertati in agendo imputabiles cum enim vltra eam necessariam volitionem, nihil ad intra creaturarum extrinsecam operationem præcedat, sed ex physica solum actiuitate indifferenti voluntatis siue volitionis necessariæ illius determinate hæ præ aliis creaturis, & præ suis negationibus immediate ad extra procedant, fit eas libere à Deo immediata libertate minimè ad extra produci: indeque respectu illas ad extra operantis, liberas, & contingentes, neque mediatè, neque immediatè, quare nullatenus esse.

13 Item: cum indifferens illa pure physica actiuitas ad extra voluntatis, seu volitionis necessariæ Dei, indifferentia actiuæ causæ primæ sit, & quæ à superiore aliqua causa determinari vllo modo nequeat, neque à Deo ipso in actu primo, siue physicè, siue intentionaliter, aut affectiuè determinetur, fit planè: totam determinationem, quam hi assignant penes extrinsecas solum Dei operationes esse, neque ab actiua Dei determinatione (quam purè physicam, nec affectiuam ex parte Dei connotatores admittunt) prouenire: quare neque vllam in operationibus Dei ad extra libertatem, quæ in linea solum, & genere causæ efficientis esse potest, à Deo exerceri: quare nec Deo illas vllatenus contingentes, & liberas esse posse. Tertio cum determinatio operationis purè physici agentis & solummodo effectiuè à non determinato agente in actu primo, vel à se, vel ab alio progredi nequeat, aut saltem ipsi ea determinatio tribui: fit, vt determinatio operandi, siue determinata illa operatio Deo prorsus indifferenti, nec aliquo modo determinato ad illam (vt posset competere) neque ipsi, neque alteri tribui vllo sensu posse: quare tota illa determinatio operationi ipsi tribuenda prorsus erit, falsaque, & fortuito omninò respectu Dei euenier, vt docte ac profundè contra errorem quorundam Philosophorum Basilius recitatus certam. 5. num. 15. Quarto inde fit totam contingentiam à connotatoribus pro diuinæ volitionis libertate excogitatam, & assignatam contingentiam rerum ipsarum in essendo, siue è conceptu ipsio possibilitatis creatæ prouenientem esse, non autem contingentiam Dei, & libertatis eius in operando, eosque alteri soliam conceptui defectibilitatis physicæ effectus, & actus, siue operationis, & exercitij liberi attendentes, atque alterius conceptus contingentiæ, & libertatis actiuæ exercendæ ab eo, cuius actus, seu operatio illa exercitium liberum est (quem etiam exercitium liberum ipsius recludit) oblitos solam rerum contingentiam in essendo non autem libertatem exercitam Dei in operando adhuc (nedum in volendo) designasse. Denique cum de conceptu essentiali creaturæ, ac possibilitatis creatæ sit ab alio actiuè esse, atque adeo iuxta dicta actiuè in horum sententia nec esse magis, quam non esse posse, sed potius ipsa creatura de se sola determinatè ac non ex Dei determinatione sit: nec contingens possibilitas creata ipsi relinquetur: cum nulla alia ratio, cur sit, reddi possit, nisi quia est vti de Deo dicitur. Ni malis nihil produci posse, omniaq; præter Deū repugnare: quod è solum effectiua indifferente potestate nec determinata facile iuxta hactenus dicta deducitur, tametsi fidei repugnet.

CERTAMEN VII.

Ab impossibilitate, & insufficientia ex parte extrinsecorum effectuum, & operationum ad constituendam diuinæ volitionis libertatem, atque aliis incommodis connotantium sententia confutatur.

1. IAm ex parte creatorum effectuum, siue operationum confutanda eadem sententia est in primis ex impossibilitate. Nihil temporale potest ad alicuius æterni constitutionem ingredi, vel supponi. Aſt omnis effectus, & operatio creata temporalis est: ergo nullus effectus, seu operatio creata potest ad alicuius æterni constitutionem ingredi, vel supponi. Atqui omnis volitio libera absolutè talis Dei, est æterna: ergo nullus effectus, aut operatio potest ad constitutionem voluntatis liberæ qua talis ingredi, vel supponi subsumptum ad postremam consequentiam; antecedens est dogma fidei Catholicæ vt patet ex dictis q. 5. & in præsenti piurib. scripturę, & Patrum testimoniis expressis cuiusmodi illa sunt: *charitate perpetua dilexi te: & elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, atque luculenter hanc tradidit veritatem Augustinus c. 5. de prædest. & gratia recit. cert. 5. n. 12. & tract. 110. in Ioan. inter med. & fin. sic scribens: *Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem filij eius nos cepit diligere, sed ante mundi constitutionem dilexit nos, vt cum eius vnigenito etiam nos filij essemus priusquam omnino aliquid essemus*: quam etiam sententiam tradidere Patres recitati eo cert. 5. totis n. 11. 12. & 13. ac sparsim q. 5. & omnibus fere certaminib. maxime cert. 1. à n. 2. ad 6. & cert. 4. n. 2. Primi verò syllogismi maior, euidens est, cum enim, vt quid absolutè in aliqua duratione sit, atque esse pro illa dicatur, in se absolutè esse debeat, nihilque quod plura absolutè existentia, vel tanquam sui constitutiua, vel quovis modo essentialiter requisita ad ipsius esse, & existentiam absolutam supponit, absque eorum omnium absolutam existentiam, pro naturæ priori, esse in se absolutè possit: fit planè, neq; ipsum pro duratione pro qua ea omnia, quibus constituitur, vel quæ, vt absolute sit, essentialiter absolutè esse supponit, absolutè non sunt, posse vllatenus absolutè, esse: imò æque absolutè pro ea duratione absolutè esse absque aperta contradictione cogitari: iam eiusdem syllogismi minor (nempè omnem effectum, & operationem creatam absolutè solum temporalem esse, ac non æternam) de fide est. Totum discursum vti euidentem admittit sententiæ connotantium erector, & illustrator (cum Durando in 1. d. 14. num. 7. admisit in simili demissione personarum) Vasquez 1. p. tom. 2. & d. 120. num. 9. probans, eas absolutè temporales esse, ac non æternas: quia, etsi processiones, quas in recto dicunt, æternæ sint; aſt effectus, & operationes ad extra, quibus missiones illæ in esse missionum complentur, temporales absolutè sunt ac non æternæ: & Herize quidem volitionem Dei solummodo necessariam, sua illa sententiæ connotantium explicatione memorata, æternam videtur admittere ob discursum factum. Nec videre se ait, quo pacto, qui liberos Dei actus æternos admittunt, Deum nunc in tempore liberè eosdem actus exercere defendant, cum ad præteritum potentia non detur: quare vt liberi nunc, & pro quavis anteacta, vel futura duratione posse absolutè deficere, & anterius non fuisse conceptos ex æternitate: imò, quousque connotata extrinseca cuiusque accedunt concipi à Deo non posse, videtur sentire: verum quo pacto id fiat, ac defendatur clare explicuimus quæst. 5. cert. 5. à n. 4. quo autem pacto se ipse à Catholico dogmate in scriptura expresso de æternitate liberæ volitionis Dei expediat, ego non video.

2. Alij connotatores tutius in fide Syllogismi euidentiam tentata alterutrius præmissæ constantia diuersimode eludere conantur. Primò maiorem esse veram aiunt, de constitutiuis æterni alicuius in recto, secus de connotato, & in obliquo: cæterum, si constitutiuum intrinsecum æternum sit illud de connotato, & in obliquo modi nostri concipiendi, & loquendi negotium est; non autem re ipsa illius, quod vtroque constituitur: quod procul dubio absque vtriusque absoluta existentia, nunc v.g. neque in se nunc esse, neque durare potest: quare neque ex æternitate, pro qua creata & temporalis solum, absolute actio non fuit: sicuti, etsi vox hæc altum subiectum solum in recto dicat, quod nunc est, & albedinem in obliquo, si hæc absit nec nunc, nec quamdiu albedo absit, album absolutè erit nec verè esse absolutè dicetur. Secundò in horum sententia totam libertatem volitionis diuinæ, nec partem solum illius, in operatione temporali creata consistere verè censuit Herize, & nos supra certam. 6. & patet ex eorum ratione: quia id solum liberum exercitium est, quod est re ipsa defectibile; nihil autem Deo intrinsecum, adhuc inadæquatè, & partialiter defectibile est: quare, cum tota defectibilitas in operatione, seu effectu creato, & temporali sit, in eis erit tota, & adæquata libertas; quin ex æterna Dei volitione, & creata operatione, seu effectu compingatur, aut vocum illarum, in recto & in obliquo, elusioni locus manet.

3. Quod si distinctione illa, in obliquo, & de connotato à constitutione intrinseca libertatis diuinæ creatam temporalem operationem, & effectum excludant; eamque tanquam terminum solum necessarium connotationis volitionis Dei in qua huius libertas formalis adæquatè constituatur: si realis, & vera connotatio illa & respectus sit, vti est Dei libertas: inquiram: an operationem, seu effectum creatum, & temporale præsupponat, eoque posito posterius natura resultet: vti de prædicamentalibus relationibus nonnulli & de aliquibus modis realibus communiter in Scholis merito admissis communiter etiam admitti debet? An verò non supponat connotatio illa, & respectus realis temporalem creatam operationem, & effectum; sed illa potius secum afferat veluti actio terminum, & antecedat? Si primum: hoc etiam in maiore illa Syllogismi præoccupatum est: quia, etsi non constituant operatio, vel effectus temporalis absolutè existens connotationem illam, in qua Dei vera libertas continetur, eo ipso, quod eius absoluta existentia debeat præsupponi, & præcedere, vt connotatio resultet, quamdiu temporale illud absolutè non existat, neque connotatio, & respectus ille resultabit, nec absolutè erit: sicuti, nec relatio, aut sessio quamdiu terminus absolutè non est, aut deficit absolutè sedens. Secundò cum à positione, & existentia alicuius creaturæ temporalis pendeat connotatio illa creata etiam, & temporalis erit, & ex qua Dei libertas in exercitio, siue Dei volitio libera, qua talis temporalis, ac non æterna eodem syllogismo demonstretur. Si secundum: inquiram, an connotatio illa extrinsecum quid Deo, eiusque volitioni necessariæ sit? & tunc temporale, & creatum quid erit neque illa maioris veritas tenebrescit, neque vis syllogismi lassatur. Si verò dicas connotationem illam Deo intrinsecam esse cum creatam operationem antecedat, & afferat, tanquam terminum, cui inseparabiliter de se connexa est: idque necessaria communis, & indifferens ad creata omnia obiecta minimè habeat, libera Dei volitio intrinseca per te erit, & connotantium sententiam deseris. His etiam præclusa alia vocum elusio de requisitis ad denominandum, seu denominatiuè solum, quam supra detegebam: atque in aperto posita luce obmutescebat ipsa.

4. Secundò alij euidentem maioris eiusdem veritatem multis hinc inde correptitiis exemplis, & instantiunculis obnubilare contendunt apud Arriagam d. 28. citata sect. 1. sub sect. 2. num. 7. Nam nunc grandæuus homo senex absolutè est, ac verè senex esse dicitur, ab annis quæ præterierunt: & filius, verbi gratia, Petri à generatione, quæ centum annis præcessit, & victurus anno, qui nondum est: & tandem scientia nostra de futuris, & præteritis, quæ absolutè non sunt, immò & diuina ex æternitate, & per æternitatem vera est; etsi obiecta, quæ earum complent veritatem absolutè deficiant: quare mirum non est, si creata temporalia, antequam de præsenti absolutè fiunt, æternum aliquid constituere possint, Deumque liberè ab æterno, & in æternum volentem denominare: sed enim denominationibus hisce de præsenti absolutè prolatis & veris denotatur non esse absolutè partis alicuius, à qua sumitur denominatio: ac proinde tantum abest, vt illius partis actuale absolutum esse ad eas denominationes, earumque veritatem requiratur, vt potius, si actus, & absolutè adesset, earum denominationum veritas destrueretur: ita ab annis multis iam elapsis, senex quis dicitur: à tempore, quod iam abiit, præteritum, & futurum pro tempore quod nondum aduenit: velle autem id ad denominationes alias, quæ absolutam actualem negationem alicuius, à quo desumuntur non important ridiculum est: alioqui dicito verè me brumali hoc tempore, quo frigeo calidum esse: quia æstiuali tempore aduenient mihi calor & incalescam: sunt, & denominationes aliæ, quæ, licet formæ à qua desumuntur negationem absolutam actualem non important, ea nihilominus transacta persistunt habitualiter, cuiusmodi est filij denominatio, ac etiam peccatoris, quamdiu actio peccaminosa præterita retracta non est: & similes plures, à quibus etiam ad alias omnes veras denominationes consequentia ineptè solum, ac stolidè ducetur; maximè ad eas, quæ actuale agentis, & actionis alicuius exercitium important, vt libertas in actu secundo, & exercita de qua agimus. Neque enim hesterna, vel crastina actione agens aliquod agere suamve actiuam facultatem hodie exercere dicetur; sed solum actione hodierna agere, dici hodie poterit

5. Ad illam instantiam, de scientia futurorum eiusq; veritate, censet Arriaga §. *Sed contra* n. 8. adæquatam eius veritatem actu, & de præsenti non esse: sicuti neque est adæquate in sene totum, quod senectus importat: fallitur tamen, si de subiectiua veritate loquatur: hæc quippe tota in intrinseca scientiæ, seu præscientiæ de futuris (& idem est de scientia de absolutè præteritis) entitatiua consummitate intentionalis repræsentationis est; quæ quidem, vt actu absolutè, & adæquatè sit de purè futuro non solum temporis, pro quo fore obiectum repræsentat, & iudicat; verum & obiecti absolutam actualem negationem important: quæ, si actuali, & absoluta obiecti positione, non esset, falsum iudicium de pure futuro redderet: quare, vt de præsenti verum sit, atque actualis eius veritas de præsenti adæquatè subsistat, actualem futuri obiecti absolutam negationem requirit: sed inde contra euidentiam maioris Syllogismi nostri spissa videtur nebula excitari: cuius vitandæ, ac præueniendæ gratia eam solutionem Arriaga videtur aggressus: etenim præscientia Dei de futuris (v.g. de Antichristo futuro) ab eorum existentia absoluta pro sua duratione pendet: hæcque proinde ad præscientiæ diuinæ æternam intrinsecam veritatem requiritur: & tamen absolutè actu futura (v.g. Antichristus) non sunt: immò ab æterno fuissent, vera de eorum pura futuritione Dei præscientia non foret: ergo aliquid requisitum, & præpositum ad aliquid æternum, & Deo intrinsecum, & actuale potest esse temporale, & creatum contra maiorem Syllogismi primi nostri argumenti, quam, vt euidentem, venditauimus. Ab hac porrò difficultate ægrè se Arriaga, Ruiz & alij, qui eandem esse de libertate scientiæ & voluntionis diuinæ erga creata obiecta æstimant difficultatem: atque ab vnius libertate ad alterius libertatem per intrinseca, & per extrinseca creata constituendam eadem argumenta æque duci, & vrgere putant, & vrgent semper: quod quæstionis huius præfatione præcautum volui, monuique lectores meos præcaueundum.

6. Ea verò nos cautione premissa facile ex dictis, cum præfatione quæstionis, tum proximè n. 4. difficultatis huius offusas euidentiæ maioris illius nebulas abigemus, & fugabimus: vt enim præfatione illa diximus, libertas tota scientiæ Dei de creatis obiectis absoluris, siue præteritis, siue præsentib. siue futuris (de quibus præscientia est in qua difficultas proponitur) scientiæ ipsi intrinseca non est, sed extrinseca solum, & mutuò (vt sic dicam) accepta ab obiectis existentia, & appositione: quin vlla ex parte scientiæ ipsius, Deiue vt intellectiui, & cognoscentis libertas excreatur: siquidem intell. ctiua Dei potentia, nec Deus, qua ea gaudet, liber haud quaquam est. Vnde in scientia de absoluta

soluta quauis existentia creaturæ contingenti, & libera non solum exercitium actuale libertatis de facto non esse sed neque esse vllatenus posse; sed totam infinitam actualem representationem, & scientiam, siue omniscientiam obiectorum omnium, & cognoscibilium, siue necessariorum, siuè contingentium, simul, semelque à Deo, qua summe, & infinite cognoscitiuo: & ex Deo vt primario & adæquato scientiæ suæ specificatiuo obiecto, ante, & independenter à reliquis obiectis siue necessariæ, siue contingentis veritatis, & cognoscibilitatis obiectiuæ præhaberi, non solum entitatiuè veram, sed determinatè veram, & infallibiliter, siue infallibilem: vt ostendi controuers. de scientia, & præsenti controuers. non semel. Vnde obiectiua solum veritas extrinseca spectatur, vt terminet solum, non vt determinet ad sui cognitionem: quemadmodum de omnipotentia à rerum possibilitate omninò absoluta philosophamur: nempe eam independenter à possibilitate formalem actualem esse omnium productiuam virtutem; etsi, vt factibilia ipsa passiue sint, possibilitate sua egeant, quæ ipsorum intrinseca capacitas est vt fiant, à formali omni actuitate, & omnipotentia Dei, ad quam neque, vt constitutiuum partiale, neque, vt requisitum præcedunt.

7. Ex quo claret, quo pacto sola contingentia obiecti Dei scientiam contingentem, & liberam esse posse, cum ad omne cognoscibile apta nata repræsentatio actualis de se sit: neque ipsam, neque ei identificatam veritatem subiectiuam de esse posse; sed, obiectiua veritate contingentis deficiente: ad illud non extendendam, sed ad eius potius contingentem etiam absolutam negationem: secundo, cum obiecta extrinseca passiue repræsentabilia, & verè per Dei scientiam, non sint solummodo præsentia siue absolutè actu existentia, cum cognoscuntur, verum, & præterita, & futura futurorum præscientiæ veritas intrinseca stat in conformitate intentionali absoluta cum futuris, vt per præscientiam, ità intentionaliter repræsentantur; & iudicantur; repræsentantur autem, & iudicantur non esse absolutè actu pro duratione temporaria anteriore, sed pro posteriore, pro qua absolutè erunt: quare conformitas intentionalis intrinseca præscientiæ cum suo obiecto (etiam nostræ creatæ) petit non esse anteriori durationi ad eam, qua de præsenti est: ac proinde idem argumentum fit ex sufficientia futuritionis obiecti extrinseci temporalis quod nondum temporariè est, ad veritatem præscientiæ Deo æternam intrinsecam, etsi obiectum prærequisitum ad illam esset, ad sufficientiam connotati extrinseci temporalis præcedentis, siue vt pars, siue, vt aliquo tandem modo prærequisiti ad exercitium actuale libertatis diuinæ, quod fiebat à constitutione, & denominatione sensus: vrgeret quidem, si ex parte scientiæ diuinæ de contingentibus, aut intrinsecæ eius veritatis exercitium aliquod libertatis ab æterno exerceretur absolutè: etenim, si absoluta illa scientiæ actualis intrinseca prærequisito temporali ad sui absolutam existentiam satis haberet, haberet etiam actu absoluta æterna libertas prærequisito temporali satis.

8. Minoris eiusdem primi syllogismi euidentiam tenent alij connotatores recentes: quia connotatorum creatorum, & temporalium, vt actualis absoluta existentia ab æterno, & æterna non sit absoluta eorum futuritio æterna seu ex æternitate est, ac proinde æternæ veritatis est, ac subinde in ordine ad extrinsecam temporaneam durationem fore ab æterno à Deo cognoscitur. Verum in primis, si rei temporalis futuritio aliquid verum, & reale ab æterno absolutè esset creatu n aliquid procul dubio esset, & æternum contra fidem. Secundo: nec solutione hac æternitas voluntatis liberæ diuinæ saluatur, siquidem durationè sua elapsa futurum in præteritum, & sui non esse à parte post æternum transit. Tamen volitionis liberæ Dei æternitas, absoluta vtrinque æternitas est. Tertiò tam futuritio, quam præteritio rerum duo essentialiter inuoluit, & non esse absolutum rei in hoc instanti, & eius absolutum esse anteriore duratione, si præterita res sit, vel in posteriore si futura: quæ duo, ne pro vno instanti simul, nedum pro anteacta, vel succedura tota æternitate; absque contradictione esse non possunt: quare implicat rei futuritionem ab æterno absolutè, & adæquate sumptam fuisse, vel præteritionem eius adæquate vsurpatam in æternum fore. Illud de obiectiuæ æternitate veritatis futurorum disiectum sæpè, & proximè fuit, siquidem obiectiua veritas, seu capacitas rerum, vt sui terminent cognitionem, absolutam earum existentiam pro aliqua adhuc duratione non requirit, nedum de præsenti, dum cognoscitur, quam vt dixi requirit actualis ab æterno constitutio exercitij liberi per res extrinsecas, siue tanquam partes, siue tanquam quid absolutè, quouis modo, præsuppositum. Ab hoc argumento Thomistica solum præsentia rerum temporalium physica in æternitate vocibus saltem expeditior esse posset; sed iam vidimus controuers. de scientia, quam sit ea doctrina difficilis, & absurda: neque ad rem hanc à Thomista vllo vsus doctrinæ illius hactenus fuit: quare autem, ignoro: eius quippe præsentiæ denoratæ non modicus fructus præsentis mysterij compositio, & explicatio foret.

9. Verum, etsi creatorum effectuum, & operationum temporalitas æternæ libertatis exercitæ diuinæ constitutioni non repugnaret; obesset tamen eorum insufficientia. Neque enim tot extrinseci effectus, siue reales, siue modales assignare possunt, etiam si operationibus creatis, non autem earum effectibus, quos pro diuersitate, & numero possibilium affectuum liberorum voluntatis diuinæ sufficienter multiplicari non posse est euidens ex dictis certam. 4. numer. 1. iuxta Arrubalem, Herize, & eorum sequaces connotatores reliquos, quos eo certam. à numer. 2. etiam nostris suppetiis aduitos haud segniter confutauimus. Ad hominem etiam confutari ab hac insufficientiæ parte eorum plerique validè possunt, qui absque vlla extrinseca operatione, aut effectu sola condonatione libera Dei extrinseca peccatori, Deoque proinde prorsus intrinseca, remitti mortale à Deo, etiam quoad culpam posse opinantur: id quod in remissione defacto venialium cum gratia habituali, eiusque infusione, & operatione in anima compossibilium vrgentius videtur: cæterum, etsi ità de possibilitate remissionis mortalium quoad culpam etiam opinantes vrgeat, nec solutionibus, quas referunt, confutantque Ruiz d. 12. sect. 1. & Arriaga satis se expediant tamen, quia principium illud de possibilitate remissionis peccati mortalis quoad culpam minus mihi firmum, & probabile est; ei argumento & solutionibus insectandis non insisto: neque argumento de expulsione venialis, quod per solam gratiam non expellitur, sed, mea sententia, vt coniunctam cum sufficienti retractatione (siue per attritionem in Sacramento, siue extra illud per contritionem) cuius intuitu gratia ipsa confertur: quare semper in eius remissione extrinsecum connotatum facile assignari poterit.

10. Tertium contra connotantes argumentum, illudque grauissimum, docte lateque, & posuit, & persecutus est Ruiz d. 11. sect. 6. ostendens magnam grauissimamque Theologicarum, & positiuarum quæstionum partem inanem prorsus, difficultate vacuam, ac pene ridiculam in horum sententia reddi. Aliqua horum expendimus de inanitate præconiorum efficaciæ decretorum diuinorum certam. 5. à numer. 2. ad 5. inclusiuè. Alia vero omittimus quia constitutionem libertatis scientiæ diuinæ, sicuti, & decretorum Dei immediatam ipsi supponunt, nec solum mediatam; & ab obiectis contingentibus extrinsecis mutuo acceptam, & per extrinsecam subinde denominationem solummodo diuinæ scientiæ conuenientem, cuius oppositum, vt probabilius atque scientiæ mediæ proprietati tuendæ necessarium, tenendum est. Alia item falsæ alteri, & à nobis contra ipsum Ruiz statutæ sententiæ quæstion. 5. certam. 5. à numer. 4. de æternitate cum à parte ante, tum à parte post libertatis siue exercitij liberi voluntatis diuinæ innititur: quare vnum, vel alterum exemplum attingemus: & in primis ea quæstio inanis, ac resolutionis eius vni cum apud Theologos omnes fundamentum omninò nullum, & impertinens erit: An scilicet Adamo non peccante Christus veniret? ex vi siquidem præsentis decreti iuxta hanc sententiam per se notum est, & indisputabile non venturum. His siquidem extrinsecis, aliquove eorum quæ defacto fuerunt, nempe Adami peccato defficiente non posset non decretum hoc, & ex vi illius Incarnatio

deficere : & tamen eo sensu à Patribus, & Theologis disputatur. Secundo Theologi omnes de eo disputantes supposito peccato, & iis omnibus, quæ defacto in Incarnatione, & ex Incarnatione fuerunt, disputant : an ex fine communicationis sui summæ ad homines, & instructionis eorum decreta defacto fuerit ea Incarnatio, ita vt quamuis peccatum non fuisset, vel eius non interderetur redemptio Christus veniret, atque ex reuelatis Deo de suis decretis erga Incarnationem desiuiendum esse conueniunt, cum inde tamen definiendum minimè in hac Sententia sit, sed ex iis, quæ à Deo extrinsecus posita sunt, quibus immutatis decreta variari nequeunt.

11. Dicunt aduersarij reuelationem, extrinsecus etiam à Deo poni : eaque decretum ob hunc finem, vel motiuum adæquatum, vel inadæquatum Incarnationis constitui : quare meritò ad scripturam, & reuelationem, positis etiam extrinsecis reliquis, ad quæstionis decisionem esse recurrendum. Sed contra primo : ergo Deus non potest decretum Incarnationis (& idem de reliquis similibus est) à creaturæ rationalis notitia omnino sequestrare : siquidem quin illud reuelet habere decretum non potest. Hoc autem in decreto Incarnationis contra constantem Patrum, & Conciliorum doctrinam est : quæ passim, & decretum hoc, & Incarnationem ipsam abditissimum reconditissimum, & arcanum Dei mysterium prædicant, ecquidem mysterij abditissimi creaturis in Deo est, quod nisi earum notitia haberi, concipique à Deo ipso non potuit ? Vbi item in Deo rationalibus creaturis commune ius secreti : si ea, quæ apud se Deus statuit, natura & essentia sua rationali creaturæ sunt in propatulo ? quorsum item illud profundorum Dei consiliorum mirabundum præconium Isai. 40. *quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit* ? & Sapient. 9. *quis enim hominum poterit scire consilium Dei, & cogitare, quid velit Deus* ? & ad Roman. 11. *quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit* ? Si nec sensum, nec Concilium, nec decretum absque reuelatione ad rationalem creaturam facta, atque huius notitia, quidquam Deus potest decernere iuxta hanc solutionem? & quomodo iuxta generalem connotantium doctrinam cogitare quid Deus velit nemo potest : si extrinsecis creatis eius operibus, de quibus cogitare homines, & Angeli procul dubio possunt quidquid velit constituendum necessario, est ? Secundo impugnatur solutio : quia, si reuelatione decretum liberum, & determinatum constituitur, atque, vt ita liberum, & determinatum reuelandum est, debet esse & præsupponi ante ipsam reuelationem implicatoriè reuelatum. Tertio, cum ante omnem reuelationem omnia tam intrinseca Deo, quam extrinseca eodem modo indifferentia ad decernendam verbi gratia Incarnationem, vel non decernendam, vel ex hoc adæquato, aut inadæquato motiuo, vel ex alio : se velle vel nolle, vel ex hoc vel ex alio motiuo Incarnationem, æque poterit reuelare.

12. Irridendi insuper Patres, & scholastici omnes forent, qui tamdiu, tanquam in re difficillima anxie, & subtimidi in concordia prædestinationis diuinæ cum nostri arbitrij libertate laborarunt : cum facilis adeò obviaque (si verosimilis) concordia esset : eam libero nostro consensu, qua specialem, & liberam, vel tanquam inadæquato complemento, vel essentiali prærequisito constitui. Et hæc quidem, & pleraque alia Theologica vacua, & prudenti (nedum subtili disputatione) indigna iuxta connotantes hosce inueniuntur : sed, & sua hac sententia Deum liberum ad volendum creata obiecta (quæ, vtpote limitatæ bonitatis ad vllum sui amorem, nedum ad eum quo aliquid in ipsis, vel circa, aut in ordine ad ipsa operetur ipsum cogere nequeunt) & amabilia absolutè esse non admittit, inefficaci adhuc desiderio, quo tamen nihil ad extra operetur. Demum connotantes immediatam contradictionis libertatem, siue potestatem ad puram volitionis liberæ, aut nolitionis omissionem diuinæ voluntati denegant ; solamque libertatem contrarietatis ad suos affectus verbi gratia ad volendum, vel nolendum admittunt : cum tamen pro tota anteacta ad mundi creationem æternitate, pro qua nihil omninò ad extra operatus fuit, solam contradictionis immediatam libertatem pura omissione volitionis Deus exercuerit, ni eorum sententia, nec potuit pro tunc, & quoties eodem modo se gerat contrarietatis libertatem volendo positiue creare mundum se gerere: etenim, cum nihil operatur extrinsecum connotatum, quo Dei libertas exercetur, & completur, ac constituatur pura rei, vel rerum negatio est : id autem, quod pura negatione constituitur pure negatiuum est, nec positiuum esse potest : volitio autem necessaria indeterminata, quæ horum sententia supponitur, nihil determinationis, & exercitij contingentis ac liberi Dei est, sed totum in extrinseco connotato est : quare, si hoc pure negatiuum est, vt fuit tota anteacta æternitate mundi creatio, & est, æternumque erit erga infinitos pene mundos, & res, quæ nunquam à sua possibilitate ad existentiam absolutam excludentur, tota determinatio Dei contingens, liberumque potestatis suæ indifferentis exercitium pure negatiuum, & suspensiuum volitionis creandi mundum erit ; non autem positiuum nolitionis creandi alios mundos vel hunc pro anteacta æternitate pro qua illum non produxit : constet ergo libertatem diuinæ volitionis extrinseco aliquo creato constitui complerique minime posse, ac subinde intrinseco Dei omnino constitui : vt proposuimus certam. 5. & à certam. 2. & hucusque, omni ex capite, & modo extrinsecis connotatis exclusis, ad satisdium fere probauimus.

CERTAMEN VIII.

Difficultatibus contra nostram sententiam Patroni præcessores haud quaquam satisfaciunt.

1. A Defectibilitate liberæ volitionis & contingentis etiam quæ in Deo de facto est absolute & defectu & separatione, eius quæ defacto non est, esse tamen absolute potuit, (vt decretum creandi mundum reque alias nunquam absolute productas, vel producendas) & consectariis difficultatibus vnicè sententia nostra hactenus fuit impugnata : potest tamen ex alio concepta, quem exercitium liberum dicit, supraque contra connotantes notabamus certam. 6. numer. 13. actiuitatis nempè, cuius ad liberas ipsi operationes, & effectus exercitium liberum est, essentialiter suppositæ : quæ infinitas actiuitas, siue actiua potestas, si ipsi absit, quamuis effectus, & operatio contingentes natura & essentia sua sint ; respectu tamen illius contingentes, & liberæ non erunt : quare ipsæ sibi contingentes in essendo ; alteri vero non erunt contingentes, & liberæ in operando, ex primo conceptu defectibilitatis essentialis in essendo, quam operatio libera importat arguitur primo liberam Dei volitionem Deo ipsi adæquate identificari non posse : cum indefectibilis ipse, ac necessariæ existentiæ essentia sua sit, ac libera Dei volitio defectibilis, vt dixi, atque existentiæ contingentis, implicet autem idem re, & physice, atque entitatiuè ipsum defectibile physicè, & physicè indefectibile esse, vti Deus cum volitione sua libera adæquatè identificatus procul dubio foret. Secundo realis separatio vnius ab alio notissimum atque euidentissimum est distinctionis realis signum, & saltem indemonstrabile adæquatè ipsorum argumentum : quia per se notum est idem, sine se ipso realiter esse non posse : atqui Deus à volitione libera creandi mundum æternitate anteacta ad tempus productionis mundi in tempore separatus existit exsistitque, à volitione libera creandi vnquam aliam mundum : ergo physice, & realiter ab ea distinguitur. Tertio quidquid Deus physice est ens à se est, volitio autem libera ens à se non est : ergo nec Deus physice, & realiter est. Minor est certa : quia quidquid liberum & contingens in se est, necessariæ existentiæ non est, sed ens ab alio est : ergo creatura est : at volitio libera Dei ens à se siue necessariæ existentiæ non est : Ergo creatura est : implicat autem creaturam identificari cum Deo. Demum implicat Deum siue id, quod reipsa Deus

idem

idem physice est absolutè non esse, siue esse absolutè nihil; atqui volitio libera Dei potest absolute non esse seu esse absolute nihil, imò defacto volitio libera Dei creandi alium mundum, vel hunc antefacto ad tempus quo hic cæpit, absolute non est, estque absolute nihil: ergo implicat volitionem liberam esse Deum.

2. Hæc, vt dixi, ex prædicato essentiali liberæ operationis, & contingentiæ ipsi intrinsecæ in essendo contra eius per Deo intrinseca adæquatam constitutionem opposita ex antiquo sunt: & quibus hactenus plene satisfactum non est, vt summatim relatis & confutatis solutionibus hucvsque datis clarebit. Respondent primo Machinus supra sect. 3. Albertin. principio illo 6. punct. 2. Didacus Ruiz d. 12. sect. 3. numer. 17. §. *Ad argumenta* & 18. & d. 13. sect. 3. à numer. 15. vbi inchoat solutionem argumenti 4. ac reliqui fere pro nostra hac sententia citati, quibus præiuit Soarez citata d. 30. met. liberam Dei volitionem quoad entitatem siue in essendo æque esse indefectibilem ac necessariam ac volitio necessaria Deusque ipse, quibus reipsa identificatur, necessario, & indefectibiliter sunt: esse vero defectibiles, quoad denominationem, siue in denominando Deum libere volentem. Quod si ad hanc denominationem, quam aliquando, quoad efficaciam, & determinationem ad creaturas appellant, siue ad denominandum Deum libere hanc præ alia creatura volentem creaturarum absolutam essentiam prærequirant vt quandoque videtur Soarius insinuare: à sua hac sententia deficiunt, atque apertè ad connotantes transfugiunt: verum si attente legantur, esi creatum aliquid ea denominatione concerni dicant, non tamen quid præsuppositum, sed vi liberæ volitionis Deique liberè volentis pro priori absolutè constituti, & denominati tanquam terminum efficaciæ liberæ volitionis Dei concerni, & connotari docent. In hac vero explicatione ipsis consequentiore in efficacibus liberis Dei volitionibus locum non faciunt. Solutioni huic communi voces, quibus vim argumenti implicent potius quam expediant, addunt nostri Castellani, & Complutenses Recentiores respondentes liberam volitionem Dei in essendo realiter formaliter necessariam esse; realiter vero virtualiter liberam & defectibilem; in denominando vero realiter formaliter etiam libetam esse quæ verba eo tendunt, vt solutionem aliam de distinctione reali virtuali, non autem reali formali volitionis liberæ à necessaria mox impugnandam hic misceant vt solutionis falsitatem contegant: & solutionum confusione lucem impugnationum obnubilent: sed cum denominatio formæ, vel quasi formæ adæquatæ sequatur esse ipsius in se, & in subiecto; si esse reale formale solummodo necessarium sit, realis formalis denominatio, tam in volitione, quam in Deo volente realis formalis necessitatis erit; nec libertas realis formalis sed virtualis solum Deo volenti eiusque volitioni conueniet. Vnde esse realiter formaliter in denominando veram, contingentem & defectibilem cum sola asserta reali virtuali defectibilitate in essendo, omninò implicabit. Vniuersim ergo solutio hæc contingentiæ, & defectibilitatis intrinsecæ volitionis liberæ formaliter Dei, non in essendo, seu quoad esse, sed solum quoad denominationem, terminationem efficaciam, & similibus, quibusuis aliis explicata facile reiicitur; quia si eis vocibus aliquid verum, & reale præter voces additur volitioni necessariæ Dei ipsique intrinsecum, in eo totæ, & omnes difficultates instaurantur; si nihil præter voces ipsas affertur verbis ludimur, quibus apud doctos eludi adhuc nedum solui difficultates nequeunt: secundo cum denominatio omnis, non ficta, sed realis, & vera ab esse formæ adæquatæ, & coniunctione cum subiecto capaci tantummodo sumatur: imò nihil prorsus præter tria hæc sit: cum necessitate pura volitionis Dei in essendo contingentia, defectibilitas, seu libertas eius in vere ac non ficte denominando, nequit absque contradictione constare.

3. Salmantini nostri Recentiores, quos Herize presso nomine laudatos refert, lateque refellit cap. 7. & sicuti posterà sunt Recentiores nostri è Castellana, & Toletana Prouincia quam plures, ex potentia reali virtuali, cum intellectiua, tum volitiua ad suos actus, & distinctione reali virtuali personalitatum ab essentia, quas in diuinis admittunt, & statuunt, præsentes difficultates componunt. Aiunt enim liberam Dei volitionem, Deo prorsus intrinsecam ipsius essentiæ, ac volitioni necessariæ realiter quidem formaliter identificari; ab ea tamen realiter virtualiter distingui: quare, & defectibilem hanc esse posse absque realis formalis necessitatis essentiæ, ac necessariæ volitionis, cui identificatur præiudicio: & obiter difficultati alteri, hactenus minus instructæ à Theologis ab actiuitate eius, cui libera futura volitio, & operatio est ad hanc necessario præsupponenda, vt non solum operatio in se, & in essendo, sed, & agenti in operando sit contingens, occurri hac doctrina poterit, cum non solum realis virtualis contingentia, & defectibilitas volitioni diuinæ in essendo, iuxtà hanc doctrinam competat, verum, & Deo, eiusque voluntati realis etiam virtualis ad eam eliciendam actiua, & de se indifferens facultas. Totam autem hanc cogitationem ex mysterio Trinitatis (quod facilius minimè est hoc, quod de liberis actibus diuinis fide etiam nobis traditum versamus) confirmant: sicut enim in illo, vt eius Catholica fidei dogmata tueamur, & grauissimis, quæ à ratione contra ipsa insurgunt, difficultatibus distinctionis virtualis realis subsidio nobis opus est, vt contradictionem communicationis essentiæ Patris Filio, & non communicationem personalitatis Patris, cui essentia realiter formaliter identificatur, atque item productionis personalitatis Filij, non autem essentiæ ipsi identificatæ euacuemus: ita similes in præsenti mysterio absque nouis expensis eadem distinctione in Deo ab omnibus admittenda pro mysterio Trinitatis euacuabimus. Vtramque vero realem virtualem actiuitatem voluntatis ad liberæ volitionis elicientiam, & huius à volitione necessaria distinctionem, & defectibilitatem notissimis iam suis terminis explicant ac definiunt: quod ità voluntas se ad volitionem liberam quam realiter formaliter non elicit, ac si eam realiter formaliter eliceret, volitioque libera ipsa realiter necessariæ identificata, ac indefectibilis, perinde se habeat, ac si realiter formaliter à necessaria distingueretur, ac subinde realiter formaliter defectibilis foret, ac defacto deficeret: & certe sententia hæc recentioribus citatis cunctis antiquior est: cum eam expresse referat Soarius d. 30. Metaph. sect. 9. numer. 19. augereque potiùs, quam soluere præsentes difficultates arbitretur. ac P. Amicus supra traditam à Fonseca 1. Metaph. cap 8. quæstion. 5. sect. 4. & 5. & Salas tom. 1. q. 6. art. 3. tract. 3. d. 3. sect. 8. testetur.

4. In illam tamen præter Soarium, acriter inuehuntur Herize proximè Alarcon d. 4. totis subsectionibus duabus, Quiros d. 50. sect. 4. numer. 28. §. *Quarta Sententia* distinctionem, & physicam actiuitatem reales virtuales in Deo reiecì, tanquam ipsis explicatione & definitione ab eius assertoribus adinuentis terminis implicatorias; siquidem eæ, cum tales absolutè, & realiter non esse asserantur, virtualitatem illam distinctionis, seu defectibilitatis, & defectionis realiter, & verè non esse satis produnt quod autem alias contradictoria nobis reuelata in his libertatis, & Trinitatis mysteriis Deus subeat, quæ nihil aliud absque distinctione reali formali posset subire, nullam distinctionem realem, sed potius summam, & perfectissimam Dei vnitatem, & identitatem realem ostendit vt dixi contr. de Trin. & contr. de Incarnatione, & explicatius ostendam cert. 9. Secundo vt controuers. de Trinit. contra distinctionem realem virtualem arguebam: Ad subeunda prædicata contradictoria de se realis distinctio requiritur: quare, si contradictoria realia formalia sint, realem formalem distinctionem requirunt: item ad alium conceptum volitionis liberæ operanti requiritur realis physica actiuitas per hos: ergo pro modo & realis distinctionis, & defectibilitatis, & defectionis vnius permanente alio necessario, & pro modo actiuitatis realis ad illud esse defectibile, erit libertas vera, & realis: atqui, & distinctio volitionis liberæ à necessaria, atque ibi fundata illius defectibilitas realis, insuper realis illius productio, ac voluntatis diuinæ actiuitas physica in illam, reales solum virtuales tantummodo sunt: ergo realis tantum virtualis, non autem realis formalis, & absolute talis libertas in scripturis expressa, Deo eiusque volitioni er-

ga creaturas hac solutione datur ac defenditur. Tertiò si ad veram realem ; nec solum fictam ratione , actiuitatem physicam , & productionem , quæ ad exercitium liberum requiritur : sufficit realis virtualis actiuitas , & productio , ac per eam verificatur absolute aliquid diuinum ab alio diuino produci , euacuatur omnium Conciliorum , & Patrum argumentum ad distinctionem Patris à Filio conuincendam ex scriptura : in qua solum asseritur alterum Patrem ac subinde generantem esse ; alterum vero ab ipso genitum , & filium : & quamuis in creatis realis formalis actiuitas , & physica productio necessaria sit ad Paternitatem , & filiationem : etiam in creatis realis formalis actiuitas , & physica productio requiritur ad exercitium libertatis ; & tamen absolute sola reali virtuali per te saluatur in Deo , & quidem Trinitatis mysterium alio argumento , si hæc admitti doctrina posset , ex illo principio , *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se* desumpto , liberaretur sola virtuali reali personarum distinctione , & aliarum ab aliis processione.

5. Quartò mysterium Trinitatis , etsi identitatem essentiæ cum tribus personalitatibus inter se distinctis contineat , non tamen cum aliquo defectibili , & quod absolute non esse possit atque ab ea separari : quod vni cum ineuitabile realis formalis distinctionis argumentum naturale , & euidentissimum est : aft hoc mysterium de adæquata identitate actuum liberorum Dei cum ipso,& volitione necessaria , eius cum infinitis liberis , & defectibilibus physicè , & realiter formaliter actibus iuxtà hanc solutionem admittit : quod non reipsa,verum, & conceptu,atque intelligentia ipsa longè difficilius est,imò & cum actu absolutè deficientibus realiter formaliter v. g. volitionibus diuinis creandi mundos alios, & res innumeras, quæ creare noluit : quibus , iuxtà hanc solutionem, realiter formaliter identificari defacto dicendus est Deus ; cum tamen non minus ab eis diuisus , & realiter formaliter separatus Deus sit , quam ego ab iisdem , & aliis , quæ absolutè non sunt , quibusque proinde nullatenus identificor , separatus sum , & diuisus : quibus nihil simile in mysterio Trinitatis contingit : etenim essentia absque personalitatibus , quibus realiter formaliter identificatur , etsi ab eis realiter formaliter distinguatur, nullatenus absolute est. Vnde arguo quinto deficiente per impossibile personalitate Patris , quam realiter formaliter Deo , eiusque esse identificare fides docet ; nec Deus hic , vt modo est , nec essentia hæc tribus personalitatibus realiter formaliter identificata persisteret : atqui modo deficiunt innumeræ volitiones liberæ realiter formaliter identificatæ Deo , eiusque essentiæ : ergo , nec Deus , eiusque essentia eadem realiter formaliter est , quæ foret , si illæ volitiones liberæ adessent : ac , si volitio , seu volitiones liberæ creandi mundum , resque omnes in eo contentas , imò vel vna volitio creandi pulicem absolute defacto defecisset (vt absolute deficere potuit) idem Deus eademque realiter formaliter eius essentia absolute non foret : quare doctrina hac non solum realiter virtualiter , sed realiter formaliter defectibilis Deus , eiusque essentia , ac defacto deficiens admittitur. Denique cum eiusdem ac metaphysice vnius prædicati, & formalitatis indiuisibilis realis virtualis à se ipsa distinctio , & defectibilitas esse assignatiue , mente adhuc, nequeat , volitio libera distincta à necessaria, & defectibilis realiter virtualiter diuersa formaliter metaphysice à necessaria erit , ipsique realiter virtualiter superaddita ; id quod, præterquam, quod infinitati simpliciter, & è genere suo volitionis , & è conceptu suo omniamoris diuini , etiam metaphysicè repugnat , infinitati physicæ , atque eminentiæ entitatiuæ physicæ Dei , ob quam solam defendi hæc nostra , & communior sententia potest, aperte derogat : aliquidque vero aliquo , & independenti à nostræ mentis cognitione,& rationis fictione sensu,volitioni necessariæ superaddit , etsi illud secundum quid esse dicat : quare in Caietani sententiam , à qua hi volunt abscedere , recidunt , vt Suar. vbi proximè aiebat , cum quo non possum non mirari Authores hosce non potuisse intelligere Deum absque additione physica , & reali alicuius intrinseci potuisse velle creaturas , quod nulli euidenti naturali principio , saltem à Deo aperte , aduersatur ; Potuisse autem identificare realiter cum aliquo defectibili & qua realiter possit carere, ab eoque separari , imò àquo defacto separetur.

6. Tertiò apud eundem Herize cap.6. acutus Recentior aiebat : volitionem necessariam Dei indifferentem esse , in actu primo consideratam , vt sit actus , seu volitio libera creandi mundum , vel ei opposita nolitio ; alterutram vero harum ex suppositione , quod pro posteriori naturæ , sit debere necessario , & exercite existere ; quin non existere ac deficere possit : alteram vero quæ eius positione excluditur , reddi absolute non solum exclusam , sed impossibilem : siquidem diuinam quodlis prædicatum essentia sua necessario actu , & exercitè existit , ac proinde ex eo , quod actu , & exercite non sit, non esse diuinum aliquid vere diuinum , sed chimæricè diuinum & impossibile , ac puræ rationis figmentum , eo ipso conuincitur : quod secus creatis volitionibus, quæ essentia sua actu , & exercite non sunt contingit : ad quas proinde , tanquam ad actus secundos reales potest esse in actu primo realis indifferens potestas nostræ voluntatis, & in actu secundo determinatio ad alterum extremum reale ; qua tamen absoluta possibilitas existendi alterii extremo oppositi non auferatur , sicuti determinatione diuinæ illius indifferentiæ in actu primo consideratæ per volitionem creandi mundum aufertur , atque huius absoluta existendi necessitas inducitur ; absque præiudicio tamen libertatis : quia ex suppositione determinationis in posteriori naturæ , & actu secundo est : quare volitio creandi mundum verbi gratia cum præintelligitur indifferens , vt sit vel non sit non intelligitur vt aliquid diuinum : cum ab ente reali diuino , & ente rationis præcidat , nihilque diuinum positiue defectibile admittat : cum autem determinate per exercitium libertatis ponitur est , diuinum , & indefectibile est : chimærica in primis solutio est. Admittit quippe pro illo signo indifferentiæ & defectibilitatis prædicatum commune enti reali , & rationis , entique positiuo , & negatiuo , seu negationi necessariæ , cuiusmodi est actus excluſus per oppositum, qui defacto ponitur : verbi gratia per mundi volitionem: quare dicitur redditur nolitio mundi absolute , & in se repugnans , & impossibilis : imò , & actus ipse , qui defacto ponitur ens rationis , & chymera esse posset si non apponeretur in hac sententia : quæ sunt terminis ipsis implicantia. Secundo ad liberum exercitium reale realis potestas actiua eius , quod se per illum exercet , requiritur quæ ad alterum extremum de se impossibile , & chymericum esse nequit. Tertiò indifferentia illa non est potestatis physicæ , sed præcisionis prædicati communis ad differentias , quibus determinetur commune illud prædicatum ad speciem determinatam , vel indiuiduum : quæ tota indifferentia potestatis logicæ , & rerum in essendo est , non autem potestatis physicæ rerum in operando , quæ à prædicato communi in sui contractione , & determinatione per differentiam ad speciem vel indiuiduum inferius exerceri nequit : Hoc quippe totum rationis nostræ , non physicæ potestatis , quæ in prædicato illo communi sit , negotium , & exercitium est : Denique volitio , quæ de facto Deus est , priori indifferentiæ potuit non esse Deus , sed chimæra & necessarium non esse , seu absoluta negatio necessaria , vt impossibilia reliqua , & nolitio opposita per volitionem excluſa , quæ modo est chimæra & impossibilis ac necessaria absolutè negatio pro illo priori indifferentiæ potest absolute Deus esse, ergo aliquid modo habet,estque Deus quod tunc nec esset , nec haberet , potestque de se esse , habereque Deus aliquid quod modo nec est nec habet : quare , & alicuius intrinseci defectibilisque additione supra essentiam , & volitionem necessariam suam , velle libere Deum cum Caietano, & asseclis impugnandis admittis. Mitto plura vt otiosa.

7. Quare Recentiores alij Vallisoletani ex nostris apud Quiros citata d.59. sect.4. numer.30. §. *Sextafuerunt* aiunt : quemuis actum liberum diuinæ voluntatis duabus adæquatis existentiis constitutiuis in essendo gaudere : quia vnusquisque per sdam.& actus contrarij existentiam & constitutiuum adæquate , & indifferenter exiſtit,& constituitur. verbi gratia volitio creandi mundum per sdam existentiam & constitutiuum , & per existentiam & constitutiuum nolitionis creandi mundum : quare etiam , cum volitio adest , eius existentia exiſtit adæquate nolitio

nolitio: cuius si adesset existentia adæquate volitio etiam existeret: id quod statuta possibilitate duplicis adæquatæ existentiæ rei eiusdem manifestum est, eius autem possibilitas suadetur primo: quia eiusdem rei duplex adæquata productio, duplexque subsistentia est possibilis: à quo ad duplicem rei eiusdem adæquatam existentiam si hæc ab essentia rei realiter diuersa sit, consequenta tenet: Secundo, quia eiusdem rei duplex datur carentia (verbi gratia eiusdem visus alia carentia in lapide, quæ negatio, alia in animali quæ priuatio est) ergo, & duplex existentia rei eiusdem dari potest. Tertiò: quia quoties aliqua res aliud non determinatè ad sui existentiam, & constitutionem requirit, sed vage, hoc, vel illud, vt corpora locum hunc, vel illum & figura artificialis hanc vel illam materiam, & visio oculum dextrum, vel sinistrum & hic numero Deus substantiue acceptus, hanc, vel illam personam, quantumuis ea requisita ad constitutionem rei diuersa sint, & varientur, res ipsa, eademque, etiam numerice, perstat verbi gratia idem Deus in Patre, qui & in Filio: ità ergo: cum volitio libera (verbi gratia creandi mundum inquiunt) vel sui, vel nolitionis aduersæ existentia disiunctim existens alterutrius existentia perstiter, atque cum libertate ipsius; ac Dei in ipsa concipienda eius indefectibilitas constabit. Sed contra Primo: quia iam existentias ipsas Deo quidem intrinsecas, & identificatas volitionis, & nolitionis defectibiles absolutè, atque alteram nolitionis creandi mundum de facto absolutè deficientem admittunt: quod tota hac cogitationis fabrica, & machinamento vitare Recentiores isti conantur. Secundo, loquendo de constitutiuo intrinseco, & esse, siue existentia intrinseca rei, implicat in terminis cum eius diuersitate, & variatione rem eandem perstitere: id quod vel Recentiores ipsi vident, dum ad hanc doctrinam confirmandam ad distinctionem realem essentiæ ab existentia rerum (quam alias cum nostris omnibus auersantur) recurrunt.

8. Neque exempla aliqua de requisito aliquo constitutiuo intrinseco (quod vagum esse in terminis implicat) rei eiusdem physicè existentis actu, imò, & physicè possibilis: vagitas enim nostrarum vocum, terminorum, & conceptuum est, non physicæ entitatis, & existentiæ: imò nec metaphysicæ essentiæ rerum, siue specificæ, siue individuæ, quæ determinatæ solum esse possunt, ac debent. Alioqui dicito: me disiunctim, vel intrinseca existentia, & differentia individuali meâ, vel Petri disiunctim, ac vagè posse vel metaphysicè, vel Physicè eundem constitere: aut speciem hominis disiunctim, & vagè, ac indifferenter per differentiam rationalis, vel irrationalis seu bruti. Deus quidem substantiue acceptus in Patre, & in filio idem est: quia rectum, ità accepti nominis Deus, Deitas eadem est; sed iam in ista acceptione eius vocis noster concipiendi, & significandi modus intercedit, qui vagè suppositioni personalitatis in obliquo significatæ locum facit. Si verò adiectiue eam vocem vsurpes, pro persona habente Deitatem, seu integrè totum, quod in Patre verbi gratia est, designans voce hic Deus, & tamen alteras hunc eundem Deum esse, qui variata persona in Filio integrè, & secundum totum quod in filio est, personas hæreticè confundes, vt re autem, & nostro concipiendi modo, & significandi secluso Deus siue hic Deus est (ex quo paritas ad volitionem Dei liberam vt reipsa est peti posset, ac deberet) non disiunctim personas hanc, vel illam respicit, sed coniunctim tres omnes, & totas claudit, neque, vt reipsa est variata, sed neque non intellecta aliqua concipi potest. Denique his omnibus datis, & aliis pluribus omissis, illud mirabile, ac mille contradictionibus in hac cogitatione plenum est vnum actum contrarium, & efficax non solum ad sui contrarij præsentiam non disparere, ac deficere; sed eadem ipsius existentia simul existere.

CERTAMEN IX.

Caietani, & Asseclarum sententia rigide examinata & explosa.

1. COnsutari hactenus nostræ sententiæ tuendæ modi eo tendebant, vt volitionis ipsi Deo prorsus identificatæ adæquatè libertatem, absque alicuius intrinseci Deo, ab eóque vero aliquo sensu, defectibilis additione, quare & eius simul physicam, & dogmaticam indefectibilitatem, simplicitatem, incompositionem & vnitatem componerent: id quod, vt vidimus, nullus ex eis modus assecutus est: sed neque assequibile iudicarunt Caietanus, eiusque ingeniosi satis in re hac sectatores qui à constitutione libertatis per extrinseca connotata abhorrentes, & per Deo omninò intrinsecum designantes; nihilominus id, & contingens, & defectibile in Deo esse (quamvis nonnullis vocibus, & explicationibus sententiæ suæ duritiem emolliant) absolutè fatentur: igitur Caietanus sententiæ huius primus Professor 1.p. q.19. art.2. §. *Adhuc est dicendum*, & §. *Ad hoc potest*, ac rursus 3.p.q.1.art.1.docet volitionem Dei liberam addere supra necessariam aliquid Deo intrinsecum distinctumque, & in se, & ab ipso defectibile, & separabile: id autem esse entitatem, & perfectionem non absolutè, & simpliciter talem quæ necessariis Dei prædicatis conueniunt, sed secundum quid, quod additum diminuens est, atque ipsa voce *liberè* significatur: explicat autem citato §. *Adhuc* additamentum hoc maioris extensionis, & extensiuæ ac non intensiuæ perfectionis nominibus. Fonseca to.m.3.metaph. lib.7.cap.8. q.5. sect. 5. audaciæ, & periculi Caietani sententiam accusans; tamen ipse, & volitiones liberas Dei, & inter sese & à necessariis distinctas virtute entitates, & extensiones quasdam seu determinationes ad creata obiecta Deo intrinsecas, & à Deo defectibiles & separabiles, vrpote liberas: vt extensionis, seu terminationis nominibus esse entitatem secundum quid, sicut Caietanus denotaret: tametsi, vt ab eo videretur discedere vllo modo perfectiones esse, non satis consequenter, negat: quo ostendit se non ad sententiam distinctionis, & defectibilitatis realis virtualis solum volitionis liberæ Dei à necessaria impugnatam num.4. & 5. accessisse, vt illa ipsius verba *virtute distinctas* sonare videbantur: siquidem virtualiter perfectiones esse fateretur, sed re quidem fugillato à se Caietano concordasse Salas 1.2. to.m.1.q.6. tract. 3. d 1. sect. 8. postquam in suam sententiam §. 7. trahere plures conatur. Soarium etiam, ab ea cum primis abhorrentem, §. 7. Fonsecæ, ac subinde reipsa Caietano consensit: sicuti, & Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 5. num. 2. lit. A. Gloss. His similia recentiores alij docent. Primo: volitionem libetam Dei adæquatè intrinsecam Deo: item, qua liberam formaliter, & terminatam ad creaturas nullam dicere perfectionem: esse, qua talem, simpliciter indefectibilem; defectibilem tamen diminutè, siue diminuto defectu quodam existentiæ formalis suæ intrinsecæ, qua in se, & ratione sui formaliter, & virtualiter existit, diminutaque, ac non simpliciter talis est, quia nullam affert perfectionem: quare neque eius defectus imperfectionem. Denique volitionem liberam à necessaria volitione, & entitate, cui realiter perfectissimè identificatur, virtualiter tamen intrinsecè distingui. Huic subscripsit Recentior alter esse illud diminutum incompletum vocans, ac secundum quid à Deo ipso realiter distinctum ac defectibile; etsi absolute, & simpliciter identificatum.

2. Hi sane omnes Caietano in re præsente consentiunt, etsi aliis, & aliis quisque vocibus interdum vtatur: id vero, quo ab ipso differunt de perfectione, quam contra illum volitioni liberæ, qua tali, prorsus negant, & quo in tuto sed à difficultatibus contra intrinsecam adæquate volitionis liberæ constitutionem (neque ipsi solum, sed & ipse Ruiz noster d.13. citata, quam totam ideò

contra Caietanum instituit) & inconsequens est, & difficultatibus complanandis inutile : quia eo modo, quo esse, existentiam, & entitatem diminutam additamento illi, quantumvis minutulo, quod volitio libera, qua talis, necessariæ superaddit, bonitatem, & perfectionem diminutam secundum quid & minutulam addere, consequens legitimum est, inutile vero difficultatibus præsentibus eluendis : quia inexistentiæ illius, siue esse, & entitatis diminutæ, & secundum quid, necessariæ volitioni Dei superadditæ, & in se, & à Deo defectibilitate, & separabilitate eodem modo, atque in eius perfectione argumenta contra intrinsecam Deo constitutionem libertatis exercitæ vigent, vt de se patent, & statim videbimus : quod vtinam non adeò pateret, cum enim nos reliquis ab essentia prædicatis diuinis, etiam necessariis, siue communibus, siue personalibus, bonitatem, & perfectionem consequentiore metaphysica denegauerimus controu. 1. de essent. & attrib. & controu. de Trinit. d.6. quia, & eis entis substantiui, seu entitatis formalis, & ipsis propriè denegamus, nullis aliis discursuum expensis facilius nos, & consequentius, quam hi Doctores, à grauissima & implicatissima quæstione expediremus : sed nolumus vocum solum nouitate, & multiplicatione difficultates, adhuc Philosophicas, nedum grauissimas Theologicas eludere, illudereque lectoribus : illud, quod miscetur, de distinctione, & defectibilitate additamenti huius reali virtuali confutatum est num. 4. & 5. eoque solum miscetur, vt plurium terminorum, & doctrinarum complicatione fiat doctrina obscurior, & confutatio impeditior: cumque ab vna parte impugnantur, fugiant ad aliam : sed vero principia, & definitiones existentiarum rei eiusdem simpliciter, & in se, & secundum quid, in sui nimirum causa, cognitione, fama, quas statuit, & ex quibus præfati recentiores discurrunt, vt esse illud diminutum, & secundum quid additamenti illius proprium, eiusque secundum illud diminutam defectibilitatem, & cum perfecta existentia, & indefectibilitate simpliciter, & absolute tali, atque identitate cum necessaria Dei volitione, & entitate componat, mirabilia sunt : & quibus confutandis in præsentiarum nec tempus vacat, nec locus : de eo tamen eius lectores monere, ne subtilibus, sensimque se se, ac lubricè insinuantibus eius discursibus decipiantur, opus visum nobis est.

3. Iam vero ad institutum, quod attinet, præsens, quibusvis sententia hæc Caietani vocibus explicetur : sic breui confutatur. Nam illa entitas, existentia secundum quid, diminuta, incompleta &c. identificatur ita absolute Deo eiusque necessariæ volitioni vt in se, & quoad illam à Deo, eiusque necessaria volitione deficere, omni verò, & reali sensu repugnet, vel non ? Si primum : nec secundum illam entitatem, existentiam, & esse diminutum, & incompletum, volitio libera est defectibilis, nec contingens vero aliquo sensu esse potest. Si non repugnat ; vero aliquo sensu physice in se additum illud & à Deo, aliusque necessaria volitione deficere, ac separari contingens quidem, & liberum vero aliquo sensu erit : aft Deo eiusque necessariæ volitioni adæquate identificari repugnabit : siquidem à se ipso separari ac sine se ipso esse repugnat : esseque in se necessarium ens, & indefectibile ac simul defectibile ac contingens : quare totum argumenti contra constitutionem libertatis Dei per prorsus intrinsecum robur, quod hac doctrina debilitari tentatur, contra eam æque viget. Abstinui vero consulto terminis absolute, & simpliciter, dum de additamenti huius diminuti defectibilitate, & identificatione cum Deo, eiusque volitione necessaria rogabam. Posuique loco illorum vero aliquo reali physico ac non ficto sensu : vt illis terminis locum elusioni, & per meras voces, effugio præcluderem quod si esse illud diminutum, & secundum quid Deo non identificari cum necessario, etsi Deo intrinsecum sit, respondeas, vt Caietanus clarius videtur docere, & à scholasticis reprehenditur, & impugnatur, etsi Deum entitatiuè in defectibile eo modo defendas, & liberratis intrinsecæ, seu additamenti illius eo modo intrinseci defectibilitatem componas, alia tamen absurda valde incurres.

4. Imprimis enim : cum eæ volitiones liberæ ab æterno Deo ex fide adsint, nequeunt non Deo identificari, ipsique Deus esse iusta symbolum fidei Concilij Rhemensis vbi Bernardus & Patres congregati inter articulos fidei suæ ponunt. *Nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus*; Respondebis : primo ex Arriaga sect. 5. num. 5. §. *Secundò respondeo* : eo loci contra Gilbertum Porretanum agi, qui de distinctione reali personalitatum ab essentia Deo necessariarum, non autem de liberis prædictis Dei (de quibus nunc agitur) oppositum dogmatizabat. id quod eius articuli verba, quæ sunt omnia, quibus personales proprietates (de quibus Gilbertus) ceteras nominatæ à Patribus fuerant. Nec verosimile videtur omittendos sine expressa vlla mentione à Patribus illis actus liberos Dei, si ad eos etiam fidei suæ professionem extendi voluissent; cum tot nominibus, & terminis id, de quibus cum Porretano erat, expresserint : verum etsi eius libri occasione doctrinam generalem ad omnia quæ Deo ab æterno adfuerint sua illa professione eadem art. 1. habetur. *Deum non esse sapientem, nisi ea sapientia quæ sit ipse Deus*: Contingentium autem futurorum sapientia Dei sapientia est, & à Deo propriè ac reliquorũ, quæ Deus nouit sapientia, quidquid dicat Arriaga ibidem §. *Meliusque videtur*, & id vt minimum euidens est occasione dogmatis Gilberti de solis personalitatibus ad alia diuina & æterna in Deo, Rhemenses Patres suæ fidei professionem extendisse: quare cum verba generalia sint, & sub quibus actus omnes liberi, tam scientiæ, quam volitionis diuinæ, qui ex Caietano, & Asseclis Deo ab æterno Deo adsint continentur, de eis etiam Patres illos locutos esse non dubito.

5. Dices secundo ex eodem Arriaga ibi numer. 8. *ego circa hunc locum* illam professionem fidei Patrum contra Gilbertum fuisse Bernardi, & quorundam Galliæ Episcoporum cui à Cardinalibus (& vti Arriaga suspicatur ab aliarum nationum Episcopis reclamatum fuit) nec probatio vlla Pontificis accessit : nec de illa postmodum tractatum in eo Concilio : neque Cardinales & reliqui Patres Bernardo, & Gallis Episcopis concordasse. Earum solutio hæc plus auctoritati illius professionis fidei Rhemensium Patrum derogat, quam respondens ipse velit, & patiatur, falsus enim §. immediato fuerat (quod inficiari non poterat) eam, etsi à Pontifice tunc Eugenio approbata expresse non fuerit. Magnæ tamen apud doctores omnes Catholicos, & Ecclesiam auctoritatis semper fuisse. Ab Episcopis vero cæteris nationum aliarum reclamatum cum Cardinalibus illi professioni esse nullo fundamento, sed arbitrio solum suo, suspicatur, quam, vti ex eius Concilij actis constat : nec Gilbertus (cuius maximi interesset, quippe contra quem edita professio fuit) reclamationi Cardinalium accessit ; imò verò tam illam in spectata Eugenij 3. approbatione in Concilio illo errorem suum Cardinalibus Patribusque reliquis præsentibus, nec vllatenus reclamantibus retractauit vt dicimus contr. de Trinit. d. 8. q. 1. cert. 2. n. 2. Quo facto totius Concilij in doctrina illius professionis consensus & concordia probatur : inde etiam constat Cardinalium reclamationem non doctrinæ professionis illius, sed auctoritati definiendi Pontificis Romani propriè, quam à Bernardo, & Gallis Episcopis ea fidei professione Concilio porrecta vsurpari arbitrabantur, fuisse apud Eugenium 3. interpositam vti ex actis eius Concilij constat, & ex Bernardi suo, & Gallorum Episcoporum nomine satisfactione Cardinalibus Concilij & Eugenio 3. quod non professionis doctrina, sed solum de non præsumpta à se vel ab illis definiendi in rebus fidei auctoritate & potestate fuit oblata, quod ipsum Arriaga ipse ibi fatetur : quin, & Eugenius ipse apud quem Bernardus, & Episcopi Galli expostulant, à cardinalibus fuere, nihil de professionis illius doctrina mutatum voluit : quare, etsi non expresse, totam tamen tacitus approbauit.

6. Etsi ergò tota eius professionis doctrina defectu expressæ approbationis, & definitionis Pontificiæ de fide non sit; tamen ex Bernardi, & Gallorum Patrum dicto per illam Gilberto connationalium, & ipsi quidem Episcopo fratrum, expressa sententia, & consensu & Gilberti ipsius ob illam retractationẽ tacitoque totius Concilij Patrum retractationi Gilberti adstantium, atque ipsius Eugenij 3. consensu, penè summam, ac fidei proximam

tota eius professionis doctrina auctoritatem sortitur. Accedunt aliorum Patrum in eandem vniuersalem doctrinam, non solum personalium, sed & communium omnium, quæ Deo intrinseca sunt, (quibus liberi actus secludi Catholicè nequeunt) cum Deo eiusque essentia adæquatam physicam, & absolutissimam identitatem contestantia: Dionys. 2. de diuinis nominibus sub finem. *Superat vnum, quod & vnum est ita, qua sunt, & multitudo individua, ineffabilis, plusquam plena, & explicata, Omneque vnum, & multitudo, quæ res, & in lucem proferunt, & perficiunt: & continent:* Sunt autem decreta libera Dei de eis quæ sunt, atque vniuersa proferunt, perficiunt, & continent: ergo ex sententia Dionysii in Deo, & cum Deo vnum sunt, ac prorsus idem: Iustinus Martyr, expressius de vnitate, & identitate diuini Consilij (quod decretum liberum Dei aperte significat) adæquata, & perfecta cum Deo ipso locutus est quæstion. 144. ad Orthodoxos his verbis. *Dei simplicitas tota est filius, & tota est habens filium: & tota est Consilium, & tota est habens Consilium.* Augustin. 7. de Trinit. cap. 1. & 2. init. *quia in illa simplicitate Dei non est aliud sapere, quam esse, eadem ibi sapientia est quæ essentia.* Hilar. 9. de Trinitat. vers. med. Sapientia, & omnibus Dei attributis cum physicis, tum moralibus (in quibus liberum exercitium diuinæ voluntatis continetur) enumeratis subdit. *Non quod his Deus habeat, tanquam aliquid extra esse credendum sit.* &c. Bernard. 5. de considerat. *Si bonum, si magnum, si Bonum, si Sapientem, vel quid tale Deo dixeris, in hoc verbo instaurator: quod est, est. Nempe hoc est esse, quod hæc omnia esse: si centum talia addas, non necessisti ab esse, si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti.* sed de Bernardi hac in re mente nulli dubium est: imò neque aliorum Patrum, quorum de essentia Dei, cum physica, tum metaphysica, & Theologica disputantes meminimus tom. 1. de Deo vno controuers. 1. de essent. & attrib. d. 2. quæstion. 1. cert. 2. & quæstion. 2. certam. 2. quibus obinde recitandis parco.

7. Inde verò claret merito Caietani sententiam non à Fonseca solum, vt audacem, ac parum tutam in fide reprehensam esse; sed etiam à Ferrara, Bannez, Valentia, Valquez, Medina, & Zumel sigillatam: quos refert, atque approbat Ruiz noster citata d. 13. sect. 1. num. 2. & Soar. loco citato metaph. dicens: ratione naturali satis verisimilem fore, si ex fide non reiiceretur: cuius censuræ è diametro aduersatur Arriaga citata sectione numero 89. & 90. §. *Ego autem aliud iudicium*, nimirum nihil ex fide vrgens Caietani sententiæ opponi posse ob eleuatam euasionibus ab ipso datis, & à nobis confutatis Concilij Rhemensis auctoritatem; efficaciter vero à ratione naturali eam sententiam refelli: & tamen ratione ea, quam contra illam opponit ratione naturali excludi à Deo compositionem eius cum creatura (cuiusmodi si sunt actus qua liberi) ab æterno, & tamen ab æterno esse in Deo ab hac sententia admittunt: sed cum ex scriptura, & fide certum etiam sit liberas Dei volitiones ab æterno in Deo esse; vt ipse Arriaga ait ac insuper ex Scriptura etiam, & fide nihil, quod Deus ipse in se non sit, æternum esse ex ipsa ratione naturali, qua Caietani sententiam efficaciter refelli Arriaga censet, & principia fidei, ex quibus certius efficaciusque refelleretur, debuit recognoscere; etsi Rhemensis Concilij auctoritas non adeò esset firma, nec reliquorum Patrum testimonia Caietani sententiam oppugnantium legisset: in altera vero parte Soario etiam aduersa de efficaci eius sententiæ à ratione naturali confutatione censuit rectius; etenim additamentum illud secundum quid contingens, & defectibile neque essentia & entitate sua existens nec Deo subinde identificatum vt Caietani mens fuit, non potest ens à se esse, & essentia, saltem physicè, siue entitate sua existens, & subinde existens necessariò; sed potius ens ab alio; quare & creatura quæ concepti illo entis ab alio in ratione essentiali entis creati, seu creaturæ constituitur: maximè cum liberè à Dei voluntate sit. Quod principium Ariani de verbo statuere ex prauâ suæ scripturæ intelligentia statuere tantopere contendebant, vt illud creaturam esse non Deum demonstrarent; Patres vero illationis euidentiæ annuerunt; vestrum quod verbum libera Dei voluntate præcederet, abiecerunt vt erroneum: statuentes quidquid libera Dei voluntate procedit esse creaturam: vt videre est in Hilario lib. de Synodis in anathemat. 24. in Concil. Toletan. 11. confess. fid. quare libera verbum Dei voluntate procedere totis viribus euertere conati sunt: iam vero si creatum quid additamentum illud est, nec Deo identificatur: in primis non magis quam connotata extrinseca, à quibus hæc sententia vult tantopere discedere Deum vitaliter libere volentem constituent: imò connotatione creaturæ iuxta eam sententiam Dei libertatem in volendo constituet, & datas à nobis contra illam impugnationes subit.

8. Quod si verbis illis additamenti intrinseci Deo eius immanentiam, ac vitalitatem, quam creata reliqua non habeant, simulare, nobisque venditare velis: cum illa intimitas Deo identitatis non sit: an erit inhæsionis Deo, à quo non necessario, sed contingenter illud additamentum procedit, tanquam subiecto, nec ne? Primum eius vitalitatem adumbrabit saltem: sed in primis subiecti imperfectionem quam potentialitatis puræ antiqui vocarunt, Deo indignam, cunctæque philosophiæ, & Theologiæ absonam, admittit. Secundo (quod huic vel proximum est, vel imbibitum) Deus erit per aliquid à se diuersum physicè perfectibile, nec entitate sua summe perfectum; quod repugnat. Tertio, sua entitate in tertij alterius intrinsecam compositionem veniet: parsque natura sua erit: cum natura sua libere volitiuum sit: id quod magnum, & euidentissimum absurdum est siquidem partis physicæ essentialis conceptus entis incompletionem, ac subinde intrinsecam entitatiuam eius imperfectionem positiuam importat: Quarto: Deus mutabilis, sicut nos actibus nostris liberis, erit: nec erit, cur non sit in tempore etiam mutabilis: quinto. Alteri absurdo insistere plerosque Caietani impugnatores video: nempe Dei simplicitatem à Patribus, & Conciliis assertam iuxta postremam eius explicationem; quam insectamur cuerri; sed tamen simplicitas Dei, & incompositio ab illis dogmaticè asserta, intra Deum, siue entitatem, quæ absolutè, & identicè Deus sit, vt in Patre filio & Spiritu sancto ac Trinitate, est, vt contextus occasionem, & discursus eorum pendentibus constabit; non in tertio alio ex entitate Dei, & alterius ipsi non identificati conflato, vti postrema hac Caietani explicatione compositio asseritur: quod si, vt hæc vites absurda, additum illud non inhærere, vt subiecto, sed adhærere solum, tanquam necessario eius additi extremo, dixeris: vitalitatem, & libertatem volitionis liberæ Dei aperte, sicut connotatores, deseres: neque in re ab eorum sententia recedes: cum creaturæ omnes, omnium sententia, in sua existentia absoluta Deo entitate sua, tanquam termino, & necessario existentiæ entitatis suæ absolutæ extremo connectantur, & adhæreant: ecquid autem aliud adhæsio additamenti tui illius Deo tanquam termino, & extremo non inhæsionis, sed adhæsionis importat? Denique aduerto: plerosque, etiam modi huius postremi explicationis sententiæ Caietani, & sequacium, ex hoc, quod Deus terminus solum adhæsionis additamenti illius defectibilis de se, ac Dei entitati superadditi præcipuè, quod illud propriè creatura sit inferendum insistere; sed, quantum ad præsens attinet, siue educatur ex Deo, vt inhæsionis subiecto, siue solum adhæreat, sicut cætera, quæ creata absolutè dicuntur, & si à subiectis educantur, dummodo ab alio, ac non necessario, sed libere sint, creaturæ esse conuincuntur, fidei ergo, & rationis naturalis principiis, quoquo explicetur modo, Caietani, & sequacium sententia aduersatur, nec huius mysterij difficultates complanat, vllatenusve emollit.

CERTAMEN X.

Propria facilior, fors fœlicior sententiæ communis, & nostræ explicatio & à mysterij tanti, difficultatum complanatione probatio vltima.

1. CÆteris diuinam volitionem liberam Dei per Deo intrinsecum constituentibus cordatius, religiosius atque in Deum obseruantius, & sentiunt, & loquuntur, Soarius, & Ruiz qui ad eminentiam summam diuini esse, & infinitatem summam, & simpliciter, ac è genere suo talem, diuini amoris, qui proinde, quo ad substantiam, & modum è conceptu suo omniamor euadere debet recurrerunt; quin ad aliquem ex impugnatis modum descenderint: & si quandoque, vt defectibilitatem volitionis diuinæ liberæ, qua talis, cum necessitate, & indefectibilitate Dei (quod tota mysterij huius difficultas est) componant, vocibus illis terminationis, extensionisque vtantur: vt videre est in Soario locis citatis, & in Ruiz etiam maxime d. 13. sect. 2. propositione 3. 5. & 6. sed tamen ad Dei eiusque amoris eminentiam summamque infinitatem se tandem recipiunt; quin eius terminationis adhuc physicam defectibilitatem admittant: vt claret ex propositione quarta, & quoties vterque citatis locis argumentis contra hanc sententiam factis respondent: quo effectum ab ipsis est, vt nihil Deo indignum responderint; non tamen, vt difficultatem mysterij huius complanauerint, eicurauerintve: id quod eminentiæ illius explicatione profundiore, & penitiore, ac nonnullis ex ea pendentibus veritatibus præstandum erat, si in principia alia, quæ illis, & aliis sententiæ huius Patronis eatenus non occurrerant, incidissent: quibus adinuentis æstimo neminem ad connotata extrinseca fuisse recursurum: in ea vero principia nos primum incurrimus, vt ex subiiciendis constabit, cum nihil de huius mysterij, & præsentium difficultatum compositione, & explicatione, sed de aliis difficultatibus cogitaremus: quod si præsentibus etiam complanandis ea principia, vti reor, inseruiant, specialiori adhuc Dei beneficio, *qui stulta mundi elegit, vt confundat sapientes* in ea nos incidisse compertum omnibus erit.

2. Igitur eminentiæ diuinæ in tessendo prædicatum tantumdem esse, valere, & significare iudico, atque perfectissimè, & summæ identitatis, & simplicitatis, vnitatisque physicæ Dei prædicatum: cum autem identitatem realium prædicatorum (quæ in re physicè eadem inueniuntur) in vnitatem physicam coniunctio formalis sit, nulla alia via identitatis rerum maiorem, minoremve perfectionem metiri, summamque diuinæ indagare aptius possumus, quam vnde maiorem, vel minorem vnionis & coniunctionis physicæ partium physicæ diuersarum in vnum continuum, vel compositum naturale seu potius artificiale, æstimamus: quandoquidem non nisi huius tandem adinstar, tam vnio continui quam compositi naturalis, quam physicæ identitatis prædicatorum rei physicæ eiusdem, concipi & cogitari pro hoc statu à nobis possunt, vt quæ modo abstraham à perfectione, quæ eiusmodi coniunctioni, & vnioni physicæ compositi: siue naturalis, siue artefacti materialis ad rem præsentem conueniè, siue ratione materiæ qua constat siue extremorum, quæ compingit, vel vnit, vnde artificialis coniunctionis in munere, & ratione formali coniungendi maior, minorque perfectio taxanda metienda que sit oportet indagare. Atque vt controu. de Incarnat. dum magnitudinem, & excellentiam hypostaticæ vnionis præ cæteris reliquis in formali hac ratione, & munere vniendi statuebamus, eo procul dubio perfectio maior in eo coagmentandi & coniungendi munere formali bituminis, seu ligaminis artificialis stat, ac deprehenditur, quo extremæ, quæ in coniunctionem localem arte facto necessariam venire facit, eiusmodi coniunctioni ineptiora de li sunt, & repugnantia: siquidem eorum ineptitudo, & repugnantia vi vnitiua ligaminis, ac bituminis suppleatur, quæ in aliis se facile ad localem coniunctionem apta supplenda bitumine non est: v.g. vt concauum conuexo aptetur, vel planum plano, ratissimo glutine opus habent, non bitumine & vnitiuo fortiori; ast, vt concauum concauo, vel conuexum conuexo (puta duæ testudinis conchæ à tergo localiter exæquatæ) coniungantur, teneanturque coniunctæ, vix, quod satis sit virtutis coniunctiuæ, in bitumine aliquo, quantumvis vnitiuo reperiatur. Hinc, cum adeò ad vnionem physicam repugnantia, Deus, quæuisque persona diuina, & creatura, etiam nobilissima, & perfectissima, sint, & tamen vnionis hypostaticæ, nexu in admirabilem illam compositionem Dei, & hominis Christi Domini venerint, ac teneantur, maximam illam hypostaticam vnionem, summeque perfectam in munere, ac ratione formali nexus, ac vnionis esse concludebam contr. & loco citato de Incarnatione.

3. Inde verò protracto ad identitatem discursu, vt diximus, perfectionis eius magnitudo inde omnino æstimanda vnde physicè, & tandem artificialis vnionis, siue vnitiui perfectio maior reputatur. Ac proinde, eo maior formaliter, perfectiorque rei identitas erit, quo magis è conceptu suo ad vnitatem inepta, atque rarius coniungibilia prædicata ad physicam identitatem identicè componat, & adunet: eoque perfectiorem & perfectiorem fore, quo plura, & plura eius conditionis prædicata identicè coniungat. Summam verò, summeque perfectam quæ plura eiusque generis prædicata, quam reliquæ omnes rerum identitates possibiles, & aliàs atque in aliis identicè incompossibilia, ita adunet: id quod inductione per omnia rerum, & genera, & species facta vlterius probatur: quo enim perfectiores physicè, & metaphysicè species rei, ac subinde earum entitates, & identitates sunt, eo plura prædicata in minus perfectis rerum speciebus identicè incompossibilia ad identitatem realem, & physicam trahunt: ita videmus in specie substantiæ corporeæ speciei imperfectioris, prædicatum sensitiui identice cum aliis speciei illius prædicatis non posse coniungi: sicuti neque in specie sensitiuæ substantiæ imperfectioris prædicatum rationalis quæ omnia in nobilioris speciei, & identitatis substantia, nempe homine coniunguntur, idcirco imperfectionum specierum differentiæ, etsi prædicata positiua sint integra, quis à nobis explicantur. v.g. viuens insensibile, irrationale, vt repugnantia coniunctionis eorum identicæ in specie inferiori denoteturi quam tamen in specie perfectioreæ perfectioris entitatis, & identitatis habent. nimirum in homine: in quo, & viuentis prædicatum cum prædicato sensibilis, & vtriusque cum prædicato rationalis amica identitatis physicæ coniunctio datur, ratione cuius microcosmus à Philosophis nominatus est: iuxta omnia prædicata, quæ in mundo hoc visibili in speciebus imperfectioribus rerum dispersa, & identice inconiungibilia sunt, perfectione entitatis, & identitatis physicæ suæ identicè in se coniungit, & adunat.

4. Hinc summa, summeque perfecta identitas physica rei, formaliter loquendo, in eo fore conuincitur, quod plura, quam alia vlla res possibilis in aliis imperfectioribus rebus dispersa, & inconiungibilia in se identice, & physicè adunet: quare, & diuinæ summæ perfectiæ identitatis physicæ conceptū in eo stare, quod in ipso ea prædicata omnia, quæ in inferioribus cunctis rebus creatis dispersa sunt, nec omnia in creatura aliqua absque repugnantia, & contradictione, vel formali, vel virtuali possint identice physice coniungi, ad physicam identicam coniunctionem reuocantur, quod ipsum, vel esse eminentialis physici Dei conceptus, vel illud proxime metaphysice conceptus consequens est: idcirco contr. de Trinit, ex summe potius perfecta Dei identitate, vnitate, ac simplicitate physica, & reali, quam ex distinctione reali, siue ex natura rei, aliue virtuali, vel alia quapiam excogitabili contradictoria, quæ in aliis omnibus rebus talia, vel formaliter, vel illatiue essent, ac dum de Deo prædicantur contradictionis periculo, & finem sonant, absque vllo contradictionis periculo, & simplicitatis diuinæ præiudicio, & irreuerentia, imò magna eius laude, & reuerentia admitti, saluarique docebamus. Atque ad præsens institutū proximius ex doctrina eade constat: cur in Deo potentia vera intellectiua, & voluntas admittenda

mittenda ad actus intelligendi, & amandi sit, absque physica potentiæ alterutrius à suis actibus distinctione Dei vnitati, simplicitati, & identitati summæ physicæ contradicente, & quæ necessario inter eiusmodi potentias, actusque earum in creatis intercedit: id enim ob imperfectionem entitatis, & identitatis physicæ creaturum potentiarum, & operationum eiusmodi in ipsis vsu venit, non autem ex potentiarum, & actuum illorum conceptu, vt à creati entis, & ab alio, seu creaturæ prædicato abstrahit, & præscindit: ex eo enim quod potentia creata, & ab alio, ac vitalis intellectus, & voluntas immanenter operatiua sit, actusque ipsarum creati, & ab alio immanenter etiam in potentia, ac proindè ab eadem potentia producendi: in potentia creata, eiusque actu imperfectioribus vitalitas absque actione physica potentiæ in actum, quare & absque physica vtriusq; distinctione esse nequit, neq; vtrumque in physicam identitatem coagmentari: in Deo autem ob perfectissimam, summamque identitatem diuinam vera potentia, actusq; vitalis identicè iungentur, absque contradictione; quin physica actiuitas, actione (quæ sola distinctionem in creatis importat) vllatenus intercedat, vt docuimus tomo 1. de Deo vno controu. 2. d. 2. quæst. 1. sed intentionalis solum, vera quidem, ac minimè ficta: quæ sola potentiæ, & actus physicam compatitur identitatem: Sed quamvis hæc ita sint (vt verè sunt) caue, ne omnia contradictoria, quæ in Deo occurrere menti possunt, summæ vnitatis, ac perfectissimæ identitatis diuinæ præsidio audeas defendere; sed ea tantum, quæ ex misteriis reuelatis contradictionem sonare videntur, & in creatis entibus continerent. Alioqui Deum esse, & non esse temerè admittes.

5. Ex hoc vero, quod postremo intulimus de vera potentia vitali intellectiua, & volitiua intentionali solum, non physica; qua, & actus suos vitales, quibus physicè identificantur, ob esse eminentiale, ac summè perfectam Dei identitatem verè elicere Deus potest, difficultatum mysterij libertatis Dei in volendo per prorsus Deo intrinseca adæquatè constitutæ perspicua est, & facilis expeditio: patet enim vitalitatem veram intentionalem voluntatis diuinæ, non esse ad physicè in se suos actus producendos (quæ vitalitas creatæ potentiæ vitalis propria est, ac sine distinctione realis actus à potentia actus suos extra se non ponit) ac subindè illorum secum compatitur physicam identitatem; quo solum genere vitæ intentionalis purissimæ perfectissimus, ac verè viuens Deus potest gaudere, vt citato loco controu. 2. ostendebamus: inde etiam conceptus verus contingentiæ actus voluntatis diuinæ essentialiter requisitus constat. Cum Dei voluntas in actu primo libera sit, eiusque actus, & exercitium sit in actu secundo liberum absque vlla actus ipsius liberi, ac subindè Dei, cui physicè adæquatè identificatur, physica defectibilitate saluatur, sola eius, vera quidem, sed intentionali solum defectibilitate: in qua linea tantummodo actiuitatis vitalis intentionalis voluntas alterutrum actum exercere potens est, vel omittere: neque, vt alterutro modo suam potestatem exerceat, alicuius denuò atque extra suam physicam entitatem appositione, vel amotione physica opus habet.

6. Vnde etiam facile constat: exercitium liberum Dei adæquatè intrinsecum nullam contingentiæ atque defectibilitatis physicæ, & entitatiuæ imperfectionem inuoluere, ob quam aliquid aliquo modo realiter à Deo diuersum ad libertatis volitionis Dei adæquatam constitutionem, & complementum debeat aduocare; constat tertio: quo pacto Deus, eiusque voluntas libertate contradictionis, nec solum contrarietatis ad suos actus absque vlla suæ entitatis, & perfectionis physicæ imminutione, cum purè omiserit, vel augmento, cum præ eius omissione actum positiuum elegerit, gaudeat: sed neque metaphysicè, (etsi ad rem præsentem parui id referat) auctior in perfectione euadet, cum positiuè se Dei voluntas exerceat, quam cum purè omittit: quia tota Dei metaphysica bonitas, & perfectio in sola essentia metaphysica est: attributa verò reliqua non perfectiones metaphysicæ sunt, sed perfecta, & velut materia metaphysica, atque essentiæ bonitas: & perfectio identitati physicæ tanè se explicat, communicat, emicat pluries, & innotescit.

7. Denique constat quinto: malè à Doctoribus plerisque volitionem necessariam Dei ita à libera distingui, vt illa indifferens ad liberam determinationem, seu volitionem Dei supponatur, quasi huius principium: tota enim indifferentia principij proximi ad liberam determinationem intentionalem volitionis diuinæ, in sola voluntate diuina est: ex qua, tanquam potentia vitali intentionali adæquata, è Deo ipso, vt primario obiecto specificatiuo adæquato, omniamor diuinus, cum sui, tum creaturarum, tanquam purè materialium obiectorum, quæ vult, & eo modo quo vult liberè euadit, ac simul Dei æternitate à Deo concipitur; aliarumque creaturarum. ac non harum, vt potuit, amor ex eadem æternitate nulla physica, & entitatiua, sed intentionali motione conciperetur; quin vlla in amore Dei erga seipsum ad liberum erga creaturas præcedentia intercedat, sed solum in eorum obiectorum obiectiua intentionali motione, qua Deus, vt adæquatè specificatiuum totius omni (quoad substantiam, & modum) amoris Dei eo modo, quo est, purè terminatiua ad alia præcedit: eo modo, quo specificatiua reliqua affectuum nostrorum (quæ eadem in nobis motiua formalia, & rationes, propter quas aliquid amamus, sunt) ad terminationem puram eorum amoris eiusdem, quem erga ipsa sollicitant, antecedunt. Nec obest scientiam Dei erga seipsum, suamque bonitatem priorem esse, quam erga creata: ex se enim vt obiecto omniscientia formalis euadit, & omnium creatorum cognoscibilium formalis de sese est repræsentatio, & actualis expressio: quare, & pro priori ad cognitionem creaturarum infinito se Deus, & necessario amore prosequetur, quin ad creaturas pro illo priori, nec dum exercite repræsentatas, terminetur: etenim de præcedentia scientiæ Dei erga seipsum, priusquam ad extrinseca obiecta possibilia, quorum cognitione ad liberè erga illa amorem concipiendum ducitur Deus, idem, ac de amore dicendum est: nimirum præcedere Deum, vt obiectum specificatiuum, non autem vt terminatiuum ad obiecta extrinseca possibilia purè terminatiua, quæ vt talia nullum Dei decretum liberum antecedere supponunt: sed vno scientiæ intuitu, & quasi ictu, & Deum, & possibilia simul repræsentari, quin scientia Dei de seipso ad scientiam possibilium extrinsecorum vero, ac non ficto aliquo signo præcedat: ac proindè pro eodem signo necessarius sui amor, & liber amor erga creata, quæ vult, simul, atque indiuisim concipitur.

DISPVTATIO IV.

De diuinarum volitionum diuersitate.

VOLITIONVM & affectuum diuinorum nullam re ipsa diuersitatem esse ex dictis hactenus, cum proximè tum antea sæpè perspicuum est, cum diuina volitio & amor è conceptu, & essentia sua infinitus simpliciter, non in genere, sed è genere suo, atque omniamor quoad substantiam, & modum, vt sæpè diximus, euadat: quare eius diuersitas quoad modum intentionaliter in sua obiecta tendendi, & nomina inde idem prorsus amori à nobis indita, examinanda restabit: & ea quidem, tam quatenus erga ipsum Deum quam, quatenus erga extrinseca obiecta versatur: nam in eo amoris stricti, gaudij, amicitiæ, desiderij, intentionis, & electionis propriæ rationes inueniantur. Primò ergo de Dei erga seipsum amore: deindè de eo, quatenus erga creata versatur, agendum est: & plura sanè quæ disputari hic poterant disputatione secunda sunt vel formaliter, & in terminis, vel virtualiter decisa.

QVÆSTIO I.

De affectibus quos erga seipsum amore suo exercet Deus.

CVm Deus seipsum actu, & exercitè essentia sua, suaque omnia absolutè possideat, ac desiderium boni desiderati absentiam, seu possessionis negationem essentialiter importet: nullatenus desiderio aliquo erga se versari posse certissimum est: gaudij vero amore versari est Theologis cunctis indubitatum; quamvis nomen amoris, & gaudij etiam indecens aliquid, ac Deo indignum vniuersim importare Philosophi docuerint: de amore Aristot. 2. magnorum moral. cap. 21. sub init. & 2. œconom. cap. 4. init. ex Homero eum autem, & alios reprehendit Dionys. de diuin. nomin. cap. 4. circa med. vocisque honestatem commendat, quam inhonestis frequentioribus hominibus, Diisque gentium attributa sæpè amoris turpitudo suspectam auribus, etiam tunc, fecerat: idcircò Origen. Prologo in Cantica amoris nomine eis libris, & aliis plerumque sacris pro infirmioribus omisso, dilectionis, & charitatis vocibus fuisse illud suppletum. Gaudium etiam relegandum à Deo censuit Plato in Philebo, seu de summo bono; sed illud planè, quod passionem, & commotionem animi passioni tristitiæ, quam simul à Deo relegat aduersam. Admittendus igitur absque vllo metu in Deo amoris nomen est, vt Dionysius proximè ait: cum Ioann. 16. dicatur: *Ipse enim Pater amat vos quia vos me amastis*, & Petrus Ioann. 20. non semel nec illaudatus, nec impræmiatus Christo Domino respondit. *Tu scis Domine, quia amo te*: gaudium vero eo nomine sæpè Deo, & Christo in scripturis tribuitur; solus ergo Epicureorum grex Deos, quem suis vitiis stupidum, ac insensatum volebant, amorem boni absolutè, ac vniuersim, malique auersionem, odiumque negarunt, ideò de gaudio Dei circa seipsum quæstio non est: quare nec de amoris circa seipsum prædicato generico, quod gaudium, & desiderium, tanquam eius species includunt; sed de amore, quem strictum vocant, quique speciem amoris à desiderio, & gaudio diuersam constituat: ac de gaudio ipso Dei erga seipsum: an propria amicitia sit, an verò sola concupiscentia.

CERTAMEN I.

De amore stricto difficultatis scopus & Doctorum sententiæ.

1. DE diuina bonitate, ac Deo, vt obiectum quod amatum amore suo, non autem, vt subiectum cui amatur præsens, est difficultas: nam de amore Dei, qua vnius personæ in alia, seu aliis diuinis complacet ob infinitam cuiusque bonitatem, & perfectionem directèque ad amorem amicitiæ spectante alia est difficultas: de qua obiter dicemus nihilominus, dum aduersariorum in præsentis difficultatis decisione fundamentis occurramus: in præsenti igitur difficultate dupliciter procedi potest, & discurri. Primò absolutè absque aliqua suppositione, quod scilicet amor strictè dictus specie à gaudio, & desiderio distinctus absolutè possibilis sit, de factoque in nostris affectibus & voluntatibus creatis detur: si enim neque creatus amor specifice à desiderio, & gaudio diuersus dari posset: cum tamen facilius in creatis status boni ab absentia, & præsentia, siue sui possessione præscindentis (in quo specieni illam tertiam amoris stricti constituunt Scholastici) percipi possit: citius, certiùsque in Deo, in quo bonum intrinsecum à possessione, præsentiaque actuali sui præcisum concipi nequit, species illa amoris stricti erit deneganda. Secundò potest disputari quæstio suppositione ficta, quod species illa amoris stricti à gaudio, & desiderio diuersa, non repugnet, ac de facto in nostris creatis affectibus inueniatur. Primo illo sensu eam disputauit, negauitque Aureolus in 1. d. 1. q. 2. art. 1. propos. 1. & d. 46. q. 1. art. 2. colum. 1. contra quem latè Capreol. d. 1. quæst. 1. art. 3. init. & d. 45. q. vn. art. 1. colum. penult. ad argum. cont. conclus. 9. Secundò verò sensu ex hypothesi quod eiusmodi amoris stricti species à desiderio, & gaudio diuersa non repugnet, de factóque in nostris creatis affectibus reperiatur præsentem quæstionem versant Theologi reliqui, præsertim non admodum antiqui, & huiusce sæculi Recentiores: quorum præsertim speciem hanc amoris stricti in Deo admittentium discursus, & sentiendi modi diuersi sunt, ac summatim in primis recensendi.

2. Ratio autem difficultatis contra affirmatiuam sententiam ex hypothesi dicta proponenda in primis est: vt, quid eius authores discurrerint, planius percipiatur. Tota verò difficultas est: Dei bonitatem nequaquam posse à sui existentia actualitate, & identica possessione verè præscindere. Tum: quia essentia sua Deus, omniaque diuina actu, & exercitè essentia sua physicè sunt. Tum etiam: quia diuina bonitas, & perfectio infinita simpliciter è genere, & conceptu suo, vt de diuinis omnibus diximus, est: ac proinde existentiam, præsentiam, & possessionem, quæ bonitates, siue, vt ita dicam, partes bonitatis essent, ni essentialiter, metaphysicè etiam, in bonitate, & perfectione Dei clauderentur continent: vel potius bonitas, & perfectio diuina, etiam formaliter sunt: ergo nequit Deus se, vt bonum, siue ob suam bonitatem, & perfectionem amare, quin se amet ob illam, vt existentem exercitè, & actu in seipso, atque à se identicè possessam: atqui amor omnis de bono, seu bonitate possessa, vt possessa, est gaudium, & delectatio strictissimè, & propriissimè: non autem amor strictus, qui nec in rem, vt absentem, neque possessam fieri potest, vt distincta sub genere amoris, & condistincta à gaudio, & desiderio species sit, ac speciale ex parte obiecti motiuum atque specificativum habeat: ergo admissa etiam in affectibus creatis specie amoris stricti, à desiderio, & gaudio diuersa, amor strictus in Deo admitti nequibit.

3. Hoc argumentum (quod à se inuentum merito citando loco gloriatur Martinus Albiz, multisque expensis propriis auctum) cuius primus citandus Valentinus Herize suaque difficultate multorum subtilium, & profundorum Recentiorum ingenia torsit, atque ex multis sæculis tumulatam apud Scolasticos scriptores quæstionem nostro hoc sæculo exhumauit, & celebrem reddidit difficile ex eorum solum fide, non autem ex proprio sensu, ait Recentior exoticus, vt ingenij eius singularitas, non solum in sentiendo, quod nullus; sed & in non sentiendo, quod omnes, proderetur. An verò argumenti huius ictum iure non sentiat inferius ex doctrina peculiari, qua illud eleuare contendit apparebit. Stant ergo pro affirmante sententia Capreolus & Antonius Perez citati, Ruiz de Montoya d. 52. sectione 2. Puente Hurtado manuscripto de voluntate Dei, Quinos d. 68. sect. 3. atque apud ipsos ignominati alij Recentiores, estque nunc sententia plurium; citantur pro eadem sententia ex antiquis Theologis alij, præsertim S. Thomas locis pluribus, & ex doctrina Aristotelis eam deducere contendunt citati Doctores; eorum tamen doctrinæ, & testimoniis genuina, vt reor interpretatione, fiet satis certam. 2. solus ergo ex non admodum recentibus stat me iudice Soarez expressè libro 3. de attribut. positiu. cap. 6. num. 7.

4. Communis modus satisfaciendi præfato argumento, atque affirmatiuam sententiam ex hypothesi facta à ratione fundandi est: quia, licet Deo eius bonitas vera, ac non in ipso ficta non, nisi actu præsens, ipsique identicè possessa, siue, vt sui ipsius actualis, & exercita possessio, sit: nec, nisi fictitiè, bonitas ab actualitate præscindens tribui Deo queat: quare neque à Deo in seipso cognosci, vt argumentum factum assumit, aut vt in eo etiam dicitur possessio ipsa bona seu bonitas est: ergo est in Deo motiuum amoris stricti erga seipsum, ac subinde

non solum gaudium, & generale prædicatum amoris in eo inclusum: sed etiam strictus amor specie à gaudio diuersus consequentia probatur: quia gaudij huius stricti obiectum speciale motiuum, & specificatiuum est bonum, seu bonitas particularis, nec solum genericè sumpta, qua talis: atqui Deus, eiusque bonitas vt possessa, immò possessio ipsa bona, & bonitas particularis est: ergo in Deo bonitas, vt possessa immò & possessio ipsa est obiectum amoris stricti speciale: quare & amore stricto, etsi re ipsa identificato cum gaudio, amabitur: immò non ita amari non poterit, cum possessio ipsa de qua Deus gaudet essentialiter bona sit, & quia bona amatur. Quod secus in bonitatibus creatis, bonisque qua talibus contingit: quorum possessio, nec bonitas, nec amatum bonum essentia sua est: sed quid ab ea v. g. à sanitate, honore diuersum: quare sanitatem, quia bona est strictè amamus, de eiusque possessione gaudemus, quia, per illam, amatam sanitatem possidemus. Ita respondit primus argumento facto, sæpeque affirmatiuæ conclusionis probationem à ratione simul dedit Pater Paente Hurtado, ex quo Quiros, & Recentiores nostri Castellani, & Toletani plerique.

5. Equidem acutior, strictiorque solutio, & probatio est, quam illa à nostro Ruiz adhibita: qua contendit existentiam actualem, & possessionem sui, bonitatisque suæ in Deo formaliter, & è conceptu suo bonitatem, bonamque formaliter non esse, magis, quam Dei veritas, immensitas, bonitates formales, seu bona formaliter, & substantiuè è conceptu suo sint, sed solum adiectiuè metaphysicè: sicut, cum Deus perfectionem, & veritatem suam amat, non tamen, qua veritatem formaliter amat (sic enim solum à scientia attingitur) sed solum materialiter, vt bonitatis diuinæ subiecta: inde vero in gaudio, quod de bono possesso, seu bonitatis suæ possessione est, etsi amoris genericè sumpti ratio formaliter sit: non autem amoris stricti gaudio ipsi identificati, qui in bonitatem particularem Dei, qua talem, siue bonum Dei substantiuè metaphysicè, siue formaliter, qua tale, ex specie sua fertur: etsi respectus hic tendentiæ in Dei bonitatem, seu Deum formaliter substantiuè metaphysicè bonum gaudio ipsi de se possesso identificatus, ac proindè strictus sui ipsius amor reperiatur: In hanc rationem, & argumenti solutionem recidit Recentiorum aliorum solutio, cuius alij meminere, posseque verosimiliter satis fulciri ex doctrina verosimiliori nobis, qua controu. 1. & controu. de Trinitate d. 6. q. 3. nullum diuinum prædicatum præter essentiam è formali suo conceptu existere, esseve entitatem, siue ens substantiuum neutrum metaphysicè: sed solum adiectiuè metaphysicè, iure physicè identitatis cum essentia, seu prædicato entis à se quo illam metaphysicè constituimus: siquidem actualitas essendi in linea entis, & essendi solummodo est: non autem in lineis, aliorum prædicatorum attributalium: cuiusmodi bonitas, & bonum in Deo censentur: quare bonitas, bonumque substantiuè Dei formaliter, qua tale, diuersum quid ab eius actualitate essendi in Deo & possessione eius est.

6. Verum solutio hæc, & ratio secunda præclusa argumento ipso, cui respondet, omninò est: cum in eo bono conatur actualitatem essendi in Deo de conceptu essentiali bonitatis Dei, atque ipsius, qua boni formaliter substantiuè esse. Maximè in ita respondentium, & sese reliquorum (nobis & aliquot antiquorum exceptis) sententia: qui prædicatum entis omnia diuina prædicata attributalia, & personalia transcendere docet, ac proindè pro personarum numero multiplicari: cum autem omnis entis diuini ratio sit ratio entis à se, ac proindè actuale exercitium è conceptu suo essendi, siue essentialiter, siue attributaliter, in bonitate ipsa, etsi attributum formaliter sit, ratio formalis possessionis actualis Dei includetur; immò, & in actualitate essendi, seu possessione ipsa bonitatis diuinæ ratio, vt iam contra vtrumque solutionem, & rationem vrgebo: vnde consequitur respondentes ex peculiari nostra doctrina, de exclusione prædicati entis à se à conceptibus attributorum, & personalium formaliter metaphysicè sumptorum rationem & solutionem suam confirmare non posse: eamque doctrinam nostram non respuunt modo, sed flammachantur, &, tanquam exoticam, temerariam parumque tutam (etsi immeritò vt citato loco de Trinitate ab authoritate ratione, & communium principiorum consequentia ostendimus) exhorrent. Secundò vt citata d. 6. de Trinit. q. 2. & 3. ostendimus, veritas, bonitasq; diuina prædicatum entis à se, non solum in se formaliter claudit; sed ipsummet formaliter metaphysicè est, solaq; nominis diuersitas alterutrius, quoad intrinsecum ipsis, & metaphysicum, considerati, & inter se, & ab essentia diuina metaphysica est: quare doctrina nostra de exclusione formali metaphysica prædicati entis à se prædicatis attributalibus, & personalibus diuinis rationem, & solutionem hanc secundam iuuare minimè potest.

7. Impugnatur ergo solutio prima: quia iuxta eam amor nullus Dei præscindit, adhuc formaliter metaphysicè siue præcisione solum formali, siue etiam obiectiua (quod nihil ad rem facit præsentem) ab actuali, & exercita existentia, assistentia, possessione bonitatis suæ, siue à summo bono possesso vt possesso: ergo omnis amor Dei erga seipsum, ex parte obiecti sui formalis & specificatiui, est motus voluntatis in Deum ex motione formali intentionali obiectiua à bonitate Dei summoque ipsius bono possesso vt possesso: atqui omnis amor Dei erga seipsum, qui est motus voluntatis in Deum ex motione intentionali formalis obiectiua à bonitate Dei summoque eius bono possesso, qua possesso tanquam à ratione formali obiectiua & specificatiua, est formalissimè gaudium solum, essentia sua distinctum, & pugnans metaphysicè cum amore stricto, non minus, quam sub genere animalis rationale, seu homo cum irrationali, & bruto repugnent: ergo omnis motus voluntatis Dei, erga ipsum Deum gaudium solummodo est non amor strictus: item in Deo non est vlla ratio bonitatis motiua formaliter intentionaliter affectus alicuius erga ipsum, quæ formaliter præscindat ab actualitate essendi in Deo, siue à sui possessione per te: ergo non est specificatiuum, aut motiuum alterius affectus Dei in seipsum distinctum formaliter adhuc in ratione mouendi, & specificandi à motiuo gaudij. Patet: quia vbi eadem formalissimè, etiam metaphysicè, ratio specificatiua, & motiua intentionaliter voluntatis est repugnat duplicem esse: ergo non potest esse affectus seu motus voluntatis Dei in seipsum, qui gaudium formalissimè ex specie sua non sit, sed ab eo specie diuersus, vt est strictus amor: quia eiusdem omninò formalis motiui, & specificatiui, formaliter etiam, & metaphysicè eiusdem nequit esse in Deo, vbi cætera eadem sunt duplex specie diuersus affectus: confirmatur, & impugnatur tertio ea solutio, quia circa ens à se diuinum actu, & exercite ens, seu existens, nequit duplex specie diuersus metaphysicè actus intellectus diuini assignari: quia idemmet formalissimus conceptus entis à se, seu diuini est entis actualitas, & exercitium actuale essendi quoad formalitatem & statum: quare respectu sui ipsius scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis nequit Deus habere; sed visionis, cuius specificatiuum actualitas absolutè existendi, siue ens actuale, etsi ratio entis in Deo primarij & principalissimi sit: atqui per te ratio bonitatis diuinæ summique boni formalissime, & essentialiter metaphysicè est eius bonitatis actualitas in Deo, & possessio seu summum bonum possessum, quin vnum ab alio in tua hac solutione, & ratione, adhuc formaliter metaphysicè, diuidatur: ergo, etsi in eo insectili formali conceptu bonitatem, & bonum, vt quid diuersum à sui possessione, & actualitate essendi in Deo includi nobis sonet; cum tamen idemmet conceptus, ac prorsus obiecti gaudij sit, solum gaudium, nusquamque amor strictus in Deo erit.

8. Quartò impugnatur solutio eadem: quia ex hac doctrina (vt bene infert Antonius Perez) omnis actus charitatis creaturæ rationalis in Deum, quo, siue in via siue in patria de bonis Dei possessis ab ipso, quia ab ipso possessis, ex ipsius complacentia læterur, non gaudium purum charitatis, vti ab omnibus Doctoribus hactenus habitum, & assertum est, sed etiam amor strictus necessario erit ex duplicique specie amoris, nempè gaudij, & amoris stricti semper constabit. Quod in creatis affectibus hi Doctores meritò negant: consequentia patet: quia gaudium illud de Dei bonis quia possessis, ab ipso nequit in creaturæ rationalis charitate non esse gaudium

dium de illis bonis, & possessione ipsorum à Deo dilecto: quia tam bona, quam possessio eorum bona Deo sunt: sicuti, neque gaudium Dei de eisdem à se possessis, possessioneque eorum, nisi, quia bona ipsi sunt, cum bona sua, tum eorum possessio, esse potest: ergo, si ex hoc respectu affectus Dei erga se, & bona sua à se possessa: quia bona, datur species amoris stricti cum specie gaudij identificata etiam in gaudio creaturæ rationalis de bonis Dei ab ipso possessis, qua possessis duplex illa species amoris, nempè amoris stricti, & gaudij necessariò identificata reperietur. Quintò demum impugnatur eadem solutio detecta, atque in apertum deducta æquivocatione, cui innititur, tam ipsa, quam secunda alia solutio memorata, & ferè reliquæ omnes solutiones Doctorum affirmativæ sententiæ: ex eo enim, quod in bonitatem Dei essentia sua actuali existentem in Deo, ab ipsoque possessam, atque eius possessionem nequeat non affectus Dei non ferri; quia bona sunt, obiectum proprium amoris stricti necessario tangi ab omni affectu Dei erga seipsum, ac proinde gaudio de bonis à se possessis amorem strictum contineri: in quo tantis tamque subtilibus Doctoribus indigna æquivocatio, & paralogismus continetur: siquidem non posse affectum Dei vllum ferri in bona à se possessa, qua possessa, nisi qua bona, & ipsa, & possessio Deo sunt, ideò est: quia ratio formalis, & sub qua prosecutionis cuiusvis affectiuæ est bonitas: ex quo sufertur manifestè non posse expressio respectu ad ipsam speciem aliquam amoris, seu affectus constitui; nam ratio, seu tendentia communis omni affectui & amori, nequit speciem aliquam amoris constituere, & ab aliis eius speciebus distinguere: alioqui implicatoriè illius speciei propria, ac non propria illius, sed reliquis communis esse admitteretur. Rursus id, à quo species aliqua affectus, seu amoris alicuius, nequit ex specie, & essentia sua abstrahere, & præscindere, quin metaphysicè pereat, nequit esse speciale constitutivum speciei alterius: vel enim erit prædicatum commune speciei vtrique, ac proinde neutrius speciei constitutivum speciale, vel erit specialis, & differentialis ratio constitutiua speciei affectus, & amoris illius, cui subinde repugnauit esse speciale constitutivum speciei alterius: atqui species affectus, & amoris gaudij conditiucta à specie altera amoris stricti, nequit abstrahere ac præscindere à tendentia in bonum possessum, eiusque possessionem, qua bona, & quia bona sunt, quin gaudium, adhuc metaphysicè, esse desinat: ergo eiusmodi tendentia in illa, quia bona, nequit speciem amoris stricti distinctam à gaudio constituere; sed erit vt dixi tendentia communis, & generica omni amori, & affectui; qui bonitatem obiecti, tanquam rationem formalem, & sub qua, illud prosequendi habent ac respiciunt: quia voluntas in nullum obiectum nisi ob bonitatem in eo repertam tanquam rationem formalem, sub qua, & qua bonum ferri potest. Denique ea ratione nec desiderium, quod amor stricte simul non sit, poterit esse.

9. Atque hæ sanè rationes æquè secundam solutionem impugnant: etenim in conceptu bonitatis diuinæ, quidquid illam ab essentia, & ente à se actu, & è conceptu essentiali suo exercitè existente formaliter diuidas, tamen in linea entis attributalis essentia sua formali attributali, exercitè est ens actu, & in Deo existens: quare nequit obiectiuè, & intentionaliter mouere ad vllum Dei affectum erga seipsum, quin formaliter moueat, vt actu existens in Deo, atque ab eo possessum, cum imprescindibilis formaliter sit bonitas seu bonum diuinum à sua actuali possessione, siue à bono diuino, vt possesso (quod gaudij obiectum tantummodo est) vt ad amorem stricturn specie à gaudio distinctum mouere queat eumve specificare: sed eorum sententia de entis à se per attributa omnia formali transcendentia omissa, demus bonitatis conceptum à possessione formaliter diuersum, & præcisum in Deo pro illo statu, quovique in eam bonitatem, seu bonum vt suum, & diuinum ferri: nam vt suum & diuinum seu Dei iam dicit possessionem identitatis cum ipso Deo: ergo quatenus in illud bonum tenderet præcisum ab identitate cum ipso, eiusque per eam possessione, nec diuini boni nec ratione diuinæ bonitatis nec tandem in seipsum amor Dei ex complacentia sui foret: ergo, vt Dei amor ob diuinam bonitatem excitatus in eius voluntate intelligatur; opus est, vt conceptus possessionis summi illius boni, & bonitatis diuinæ, etsi ab ea formaliter diuersus, expectetur: quod solum gaudium, non autem amor strictus expectat. Rursus: vt ex sui complacentia bonitatem suam Deus amet, oportet prius saltem ratione in se sibi complacere ob suam infinitatem bonitatis, quam de facto habet, atque identicè formaliter possidet: neque enim complacere nobis in aliquo possumus, ad bonitatem solummodo possibilem ipsi, atque à possessione eius præscindentem, sed positiuè habitam ab illo: eique actualem: ergo nequit illius amor posterius ratione in illam bonitatem Dei, vt præscindentem à possessione, quam ipsemet essentialiter supponit, & in quam fertur, ferri, & terminari: ergo neque potest esse amor strictus, qui in eam, vt formaliter saltem, seu quoad statum, a possessione sua præscindentem essentialiter fertur, non vt possessam; sed purum gaudium, quod bonitatis possessionem supponit. Alias vtriusque solutionis impugnationes dabimus certamine secundo inter probandum duas primas conclusiones.

10. Venio ad solutiones duas præfati Recentioris alteram antiquiorem, quam 6. loco recenset num. 70. Nempè gaudium essentia sua supponere existentiæ, & possessionis bonitatis in quod fertur, cognitionem: sicuti desiderium cognitionem absentiæ boni supponit; amorem verò strictum neque cognitionem absentiæ, vel præsentiæ boni, in quod fertur supponere: Dei autem amor de se, suaque bonitate, summoque bono, cum à se etiam virtualiter intrinsecè, in huius sententia sit, etsi à cognitione existentiæ sit, illam tamen non supponit: ac proinde gaudium Dei de se, suaque bonitate amor strictus erit, quia negatiuè præscindit à cognitione existentiæ, quam non præsupponit: sicut creatus amor strictus præscindit positiuè in cognitione, quam supponit, præscindens positiuè bonum ab existentia, & absentia boni, quæ prosequitur. Sed primò: doctrinæ huic (prorsus inquiveræ) tandem non acquieseit. Maximè: quia à declinatione amoris stricti à Philosophis tradita recedit: iuxta quam secundam excogitauit solutionem, in qua quemnescio an meliorem. Secundò: quia eodem dicendi tibui Deo desiderium posset: quia, cum nulla cognito ad Dei erga se amorem, tanquam ad quid posterius supponatur, neq; existentiæ, seu præsentiæ, neque præscindat bonitatis eius ab existentia præscindet Dei erga se amor sicut desiderium creatum positiua cognitione boni absentis ab eius existentia, & præcisione præscindit: quare eadem proprietate, & ratione desiderium Dei erga se, qua amor strictus admitretur. Hæc ratio potissima sua, vt suam hanc cogitationem Recentior ille improbaret, sunt autem eius reiectiuæ quam plures: etenim dum ea ratione amor strictus Dei erga seipsum defenditur, gaudium Dei de se, suaque bonitate (quod nemo hactenus Deo negauit) proprietate sermonis à Deo relegatur. Secundo, cum admittat Dei affectum erga seipsum necessario à cognitione positiua bonitatis suæ ac summi boni vt possessi, dirigi, ac procedere: id satis est, neque amplius requiritur, vt gaudium proprium, ac non strictus amor sit: quod enim physica causalitate à cognitione illa procedat, sitque physice, & propriè natura cognitionis posterior, opus non est, adhuc in creatis affectibus, ad quos cognitiones, quibus dirigantur, causæ influentes physicæ non sunt, sed solum intentionales conditiones: & maximè in Deo, cuius intrinseci actus causari physicè ab ipso nequeunt ratione identitatis omnimodæ physicæ, & realis cum ipso: quare affectuum diuinorum, quasi specifica diuersitas, gaudij amoris stricti, & desiderij, vt in eo admitti debeat, vel ab eo repelli, directio solum cognitionis necessariæ ad affectum à Deo concipiendum attendenda est; non autem physicus eius cognitionis in illum influxus, naturaque physica prioritas quæ, vtpotè omnium sententiæ, atque ex terminis ipsis impossibilis, à nullo Theologo ad proprietatem affectuum diuinorum tam erga seipsum erga creaturas curata fuit, neque attenta. Denique præcisum entis à se tam essentiales, quam attributale (si diuersum ab illo in attributis diuinis admittatur) potentiæ vel cogni-

tionis

tionis diuinæ reali virtuali ad suos actus, siue intellectus, siue voluntatis actiuitate nemo Theologorum vsque ad Recentiorem istum pendere voluit,aut fecit.Nemo vnquâ existentiam,cum quibus ille disputat,de reali virtuali physica actiuitate , & prioritate naturæ cognitionis diuinæ ad voluntatis Dei actus,siue necessarium,siue contingentem,ac liberum : etsi enim potentia hac,& actiuitate reali virtuali Theologicas disputationes solis vocibus , magnam partem inutiliter transigant,ac repleant,eam tamen prædicato entis à se,siue essentiali,siue attributali diuino, etiam admissam,nullatenus obesse vtring; disputantes supponunt; sed vt sæpè notaui singulare hoc ingenium,nihil quantumvis in Theologia statum fixumque,non mouit.

11. Posttema Recentioris huius solutio , & pro amore stricto Dei erga seipsum ratio primo loco ab ipso posita & explicate n. 58. ad 63. inclusiuè, & qua non solum ipse quieuit,sed argumentum contra amorem strictum Dei erga se quiescere pacatissime putauit ea est: de ratione amoris stricti ruxta Aristot. 1,Rhetor.c.11.lib.2.c.4.sub init.8. Ethic. c.2.init.dicentem. *Amare est velle alicui,quæ bona putat illius,non sui gratia,eorumque actiuum esse quantum potest*. Itaque ait de ratione essentiali amoris stricti esse actiuitatem bonorum eius,cui & *quæ* ipsi amamus ; non tamen effectiuam, & veram sed affectiuam, quæ vel effectiua re ipsa sit,vel vmbratica, qua vult strictè amans bonum illum efficere,si id in sua potestate esset,quamvis in ea non sit:atque ita actiuum esse Dei amorem erga ipsum. Tum,quia esse ipsum,& bona diuina in Deo realiter formaliter in Deo efficeret physicè Deus , vi eius amoris , si posset : tum,quia, cum non distinguatur, adhuc virtualiter,Dei amor ab eius essentia , sicut hæc à se , ita , & ab amore est,item esse principium virtuale gaudij,& delectationis , etsi non desiderij : quod erga sua,& seipsum Dei amori repugnat:quod amoris stricti proprium esse Augustebat 14. de ciuit.c.7. delectationi, & gaudio creato tamen cum amore stricto identificari repugnare notat:quia implicat gaudium creatum virtute sui poni , & existere : verum non adeo pacate potest,vt putat, quiescere in hac solutione Recentior iste. Mitto ea solutione ab amoris stricti recepta à disputantibus Theologis, & Philosophis definitione recedere.Secundo sui valdè est immemor:Negat enim,vt vidimus ex ipso n.10.cognitionem vllam,etiã à qua est amor quivis diuinus,supponi natura,adhuc virtualiter, virtutéve eius existere amorem aliquem in Deo: & tamen id concedit amori necessario respectu gaudij necessarij Dei de seipso : & id quidem , quia iste amor creatus non est , quare à se debet esse,quin virtuale aliquod sui principium possit supponere ; atqui gaudium Dei amor absolutè est,& à se;ergo non potest supponere affectum alium amoris , vt sui principium virtuale , siue, cuius virtute existat : quod si dicas gaudium ipsum formaliter qua tale,esse sui ipsius virtuale principium,vt videris insinuare:iam non amor strictus,sed gaudium ipsum formaliter , qua tale , sui ipsius virtuale principium , & actiuum erit, & gaudio formaliter, qua tali,definitio tua amoris stricti ab ipso specie diuersi conueniet,vitio definitionis apertissimo : nec amorem strictum formaliter , sed solum gaudium de seipso in Deo admittes, contra id, quod intendisset;mirum quidem est in eadem indiuisibili, etiam metaphysicè , formalitate rationem principij virtualis respectu sui ipsius mentem aliquam posse percipere.

12. Tertiò illud *esse à se* diuinum,non solum negationem essendi ab alio dicit , sed etiam à seipso, tanquam à principio vero : idemque valet , atque essentia sua , siue seipso, tam physicè quam metaphysicè,& formaliter esse, & existere;addita vero est præpositio *à se* vt excluderetur habere illud esse diuinum aliquod principium extraneum quod è conceptu actualiter essendi non repugnat : quare in mentem alicuius posset is error obrepere , vti de suis Diis Ethnici Philosophi plures cogitarunt, ipsis Patres,& Matres designantes;at idem sui ipsius verum principium reale aliquo vero sensu esse adeo ex ipsa terminorum apprehensione repugnat,vt in nullius sanam mentem possit venire : quare illa præpositio *à* dum ens *à se* Deum esse Theologi definierunt occasioni fore, vt aliquis non studiosus,ac vesanus ob illam rationem veri principij in ea { nedum assereret } iure non timuerunt: Quarto : explosimus sæpè à Deo omnem rationem principij realis virtualis, respectu alicuius intrinseci prædicati. Quintò : hoc admisso , in Deo , eiusque gaudio, non apparet, vnde id ipsum gaudio creato repugnare posset , maximè, cum ad illud in Deo admittendum nihil mysteriorum Dei reuelatorum , adhuc apparenter , nos cogat: Sextò : quia per te ad rationem stricti amoris satis est vmbratica tua potestas,& fictitia faciendi , quæ non potest ex hypotesi impossibili, quod posset : quod in gaudio creato respectu sui ipsius æquè, atque in diuino gaudio reperietur. Septimò : vmbratica hæc potestas actiua ad actiuitatem, quam in amoris stricti essentia contineri, ex textu Aristotelis probat , insufficiens conuincitur : cum amor de quo ibi Aristoteles actiuus *eorum dicatur quantum potest* : non potest autem quod vmbraticè solum, & chimæricè potest.Octauo ex textu ipso constat amorem strictum , vt hic interpretatur , esse, *velle bona alicui , illius, non autem sui* , siue amantis gratia : ergo repugnat dari in amore alicuius , ac subinde Dei , erga seipsum rationem amoris stricti : siquidem quovis erga seipsum amore non alterius,sed sui gratia bona sua sibi velle necessarium est. Notio textus huius sententiam Recentior hic assequutus non fuit : vti ex genuina eius , & similium , Philosophorum , Patrum , & Sancti Thomæ explicatione, certamine tertio , conclusione secunda quam conclusione tertia dabimus , apertè constabit. Teneo discursum , & calamum : hæc enim plus satis sunt , vt appareat , quibus fundamentis nitatur.

CERTAMEN II.

Negatiua sententia duplici conclusione statuta.

1. AMor strictus Dei erga seipsum absolutè , nulla facta hypothesi , repugnat in sensu huius quæstionis communi. Dixi *in sensu communi huius quæstionis* , quæ solum apud Doctores est de amore stricto Dei erga se , bonaque sua , vt obiectum quod amatur. Hæc conclusio est expressa Aureoli locis citatis certamine primo , numero primo. Ratio est: quia amor strictus, vt à gaudio , & desiderio specie differt, hoc sensu tendit in bonum , vt obiectum , quod secundum prædicata essentialia consideratum , siue , vt à præsentia , & possessione absentiaque , & negatione præsentiæ , vel possessionis præscindit , secundum statum præcisum possibilitatis , & non repugantiæ essendi , & existendi : atqui in nullum bonum secundum eum statum voluntas ferri aliquo affectu potest : ergo omnis affectus voluntatis in bonum , vt obiectum : quod , vt à præsentia , & possessione , & absentia , & negatione possessionis præscindit , estque in præcisè possibilitatis statu , absolutè repugnat ; atqui amor strictus affectus voluntatis erga bonum ita præcisum esse , iuxta aduersarios , omninò debet : omnis ergo amor strictus absolutè : quare , & diuinus erga sua intrinseca bona , vt obiectum quod prorsus repugnat. Minor primi syllogismi (ex qua reliqua pendent , atque inoffensè currunt) probata abundè à nobis est d. 2. quæstione secunda , certamine tertio à numero tertio : quia bonum pro eo statu absolutè non est , neque absolutè bonum est ; sed solum , & esse , & bonum esse potest : quare implicat voluntatem in ipsum secundum eum statum absolutè , siue affectu aliquo absoluto ferri. Euasiones argumento tentatas , & quæ tentari posse videntur ; ibi præclusi , retusis instantiis , quæ ex obiectiua veritate possibilium sufficienti pro eo statu, vt in ea , pro illo etiam , scientia simplicis intelligentiæ absolutè ferri possit.

2. Confirmatur : quia,nisi in rebus præcisè possibilibus veritas alia obiecta actualis, & absoluta compositionis subiecti cum prædicato esset , ad quam Dei scientia terminari posset , solaque entitatiua physica entitas , & existentia posset scientiam , & cognitionem absolu-

tam terminare, atque in eam solum intellectus ferri posset, quovsque res in se entitatiuè, & physicè absolutè essent, recognosci absolutè possent, neque ad illa intellectus absolutè, siue aliquo actu suo absoluto ferri, aut tendere valeret. Confirmantur, & argumentum, & confirmatio proxima ex materia viciniore: etenim nec minus fertur in bonum, *quod*, eiusque bonitatem, quam in bonum *cui* illud vult, & ex cuius complacentia illud vult, & bonitatem, ratione cuius complacet in illo; atqui ob bonitatem, quæ solum esse in aliquo potest, seu qua solum possibiliter, siue possibile præcisiuè bonum aliquod, seu bonus aliquis sit, siue possit solum esse bonus, nequit esse absoluta tendentia, & actualis complacentia voluntatis alicuius in illo, quovsque in eo ea bonitas actu sit, possideatur, sicq; actu absolutè bonus: ergo, nec poterit ferri absolutè, & actu voluntas in bonum possibile præcisiuè, quod absolutè tale non est, nec suam pro eo statu habet ac possidet bonitatem; sed contingens est pro eo statu habere vel non habere illam: sicut contingens ipsi pro eo statu habere absoluté entitatem siue esse physicum actu vel non habere actu illud. Minor constat in omni complacentia nostra, de quavis persona ob physicam, vel moralem quampiam bonitatem, quam haberi ab alio quovis possibile absolutè est, etsi de facto non habeatur; & tamen in eo solum complacemus, complacereq; actu possumus qui eam actu habet, & possidet. Secundò: quia alias in actu peccatore immò in Iuda, Lucifero, & damnatis aliis posset Deus complacere, & affectu amicitiæ ferri ob sanctitatem, & iustitiam illis absolutè possibilem; cuius possibilitas absoluta, & antecedens peccati admissione non tollitur, sed consequens solum, & secundum quid. Confirmatur in ipso bono, *quod* morali ex obedientia & præcepto actus natura, & essentia sua non peccaminosi, sed indifferentis, in quod, cum nondum præceptum est sed indifferens, etsi obedientiæ honestas possibilis præcisiuè sit, quia præcipi potest, atque ex obedientia exerceri; tamen in illum ex obedientia ferri, atque eum ob honestatem obedientiæ amare voluntas nequit. Demum cognitio possessionis, & præsentiæ, vel absentiæ non excludit possibilitatis cognitionem, sed includit potius; vnde iam inferam solum simul cum gaudio, & desiderio creato, & de creatis bonis amorem strictum esse absolutè posse: sed & cum vtroque identificari in secundæ conclusionis probatione: quod oppositæ sententiæ Doctores exhorrent.

3. Dico secundò ex hypothesi etiam, quod strictus amor non repugnaret absolutè, sed esset voluntatib. creatis possibilis repugnaret amor strictus Dei erga seipsum: ita expressè Aureolus citatis locis, vbi occasione disputationis de amore Dei erga seipsum vniuersim omnem voluntatis affectum prosecutiuum, qui gaudium, vel desiderium non sit, docuit repugnare: est etiam expressa conclusio Herize d.13.de volunt.a cap.3.ex quo argumenti supra positi solutiones confutat ad 6 vbi tribus conclusionibus de amore Dei erga essentiam, & perfectiones communes, seu attributa necessaria, & de amore eius erga personalia, ac demum erga actus liberos, m. utatim vniuersalem nostram negatiuam conclusionem amoris stricti Dei erga seipsum proponit, ac probat, ex suppositione de probabilitate amoris stricti in creatis voluntatibus, ex qua à Recentioribus disputatur, & secunda hæc nostra conclusio procedit: quam prior docuit Albiz.d.4.de volunt.c.3&.4. etsi euderit posterior. Hæc conclusio probata satis à nobis est iuxta communem definitionem amoris stricti argumento formato cert.1.n.2. & impugnatione omnium solutionum ipsi à Recentioribus adhibitarum: iuxta definitionem verò & solutionem Ant.Perez peculiares probata ad fastidium vsque est rationibus contra ipsum datis eod. cert.à n.10. quæ hic repetere foret otiosum: solum addo ex detecta æquiuocatione, qua aduersarij decepti sunt, eo cert.n.8. [de distinctione actuum, seu affectuum in specie ob motiuum formale specierum omnium, nempè bonitatem eorum, ob quam necessario, & essentialiter omnis affectus voluntatis esse debet) inferri omne gaudium, & desiderium creatum essentia sua metaphysica nec solum entitate sua physica (etsi id satis absurdi ab aduersariis ipsis merito reputatur) amorem strictum esse necessario debere.

4. Id autem ex terminis ipsis repugnat; esset enim species rerum metaphysicè diuersas, & oppositas metaphysicè identificari: alteramq; in altera in eodem ordine, & linea, in quo distinguuntur essentialiter claudi: quod de se, & terminis implicat, illatio verò probatur: quia, nec gaudio, nec desiderio aliquo appeti aliquid à voluntate vlla, siue creata, siue increata potest, nisi quia bonum siue ratione bonitatis tanquam obiecti, & rationis formalis motiuæ: ergo in omni gaudio, & desiderio creato est appetitus alicuius boni, quia boni, siue ratione bonitatis in eo mente deprehensæ, siue per cognitionem propositæ: per hos autem in appetitu cuiuslvis boni, quia boni, siue ratione bonitatis ita deprehensæ, tanquam rationis formalis motiuæ stat metaphysicè strictus amor: ergo in omni gaudio, & desiderio cuiusvis creato metaphysicè clauditur amor strictus. Nec satis est: strictum amorem tendere in bonum præcisum ab absentia, & præsentia, esseque ob eius bonitatem secundum statum præcisionis eundem, siue præcisæ possibilitatis: sed in primis id solum ab his probatur, quoad rem præsentem, quia præsentia ipsa, & possessio summi boni, & bonitatis suæ à Deo non potest non amari quia bona, neque aliter potest amari; quæ ratio aptè ad rationem formalem & motiuam essentialiter omnis voluntatis appetitus recurrit, vt citato num. 8. ostendimus, & vlterius patet: quia aduersarij conceptum possibilitatis præcisum formaliter ab actualitate, & præsentia & possessione essendi in summo bono Deo, cuius bonitate non admittunt iuxta communiorem solutionem primam relatam certam.1. num. 4. & impugnatam à numero 7. nec potest absolutè defendi vt contendebat solutio 2. relata num.5. confutata num.6. & num 9. Tertiò impugnatur solutio præsenti probationi de identitate metaphysica amoris stricti creati cum gaudio, & desiderio creato, de quovis, etiam creato, obiecto, in quo status ille præcisæ possibilitatis boni, & bonitatis creatæ est admittendus: etenim in quovis, siue gaudio, siue desiderio creato, de quovis creato affectus voluntatis fertur in illud, quia essentiam boni, & bonitatis creatæ apprehendit; etsi alter tendat etiam in eorum præsentiam, & possessionem; alter vero, quia videt eorum absentiam, seu quia absentia sunt, illa optet esse actu, & præsentia: atqui bonum & bonitas secundum essentiam, & prædicata sua essentialia à præsentia & absentia actuali sui præscindunt: ergo, tam gaudium, quam desiderium creatum, de quovis etiam creato obiecto, fertur essentialiter ob bonitatem, atque in bonum secundum essentias suas, & statum possibilitatis præcisæ eorum considerata: ac proindè in essentia sua, tam gaudium, quam desiderium creatum de quovis etiam creato, obiecto amorem strictum iuxta horum ductrinam, & solutionem includit: vt inferebamus tanquam implicatorium absurdum, & probare sumus poliiciti num.2. fine: & in desiderio quidem est iuxta aduersariorum sententiam apertius: consentiunt enim ratione possibilis solum bonitatis, bonumque solum possibile desiderari.

5. Cæterum conclusio hæc nostra vniuersalis de impossibilitate amoris stricti Dei erga seipsum (adhuc ex suppositione facta de possibilitate amoris stricti creati de obiecto etiam creato in quo possibilitatis præcisæ, seu præcisiuè habet locum) etsi in amore erga seipsum, & necessaria omnia sua prædicata perspicuè fuerit probata, nulliq; à ratione difficultati sit obnoxia, quoad actus tamen liberos diuinos ex hypothesi facta cum contingenter, & liberè sint in Deo, qui sunt, ac plures, qui non sunt, sint possibiles, locus præcisioni eorum secundum statum possibilitatis præcisiuæ atque amori Dei stricto erga suos intrinsecos actus, non minus, quam amicto erga suos extrinsecos actus, non minus, quam amicto creato de obiectis creatis videtur patere: quare ex hypothesi facta conclusionem repugnantiæ amoris stricti Dei erga seipsum non sine limitatione amoris stricti, *erga ipsi necessaria* afferri posse: siquidem actus liberi Deo adæquatè physicè identificantur, atque à Deo diuinus erga seipsum amor est, & quatenus iuxta hypothesim secundæ huius conclusionis erga illos, secundum præcisiuæ possibilitatis, statum quem vere habent, versatur amor strictus esse debet. Herize citato cap.6. concl.3. facile se, & connotatores extinisticos

locos

socios ab hac expedit difficultate : cum nihil Deo intrinsecum præter necessariam volitionem, & entitatem essentia sua actualem, & præsentem Dei in eius liberis actibus ab ipsis admittatur; sed totam contingentiam & defectibilitatē : quare, & possibilitatis præcisiuæ conceptum ad quem amor Dei strictus terminari posset, in creata extrinseca connotata reiiciatur : quare quatenus diuinus actuum suorum liberorum amor ad id, quod Deo intrinsecum in illis est, vel illi in Deo habent, tendit, Deique ipsius amor est, ad nihil, quod necessario existens actu, & essentia sua præsens non sit, sed possibile præcisiuum, tendit: ac proinde neq; dum actus etiam suos liberos amat Deus, quatenus alicuius secum identificati, ac proinde amor Dei, & amor sui est, amor strictus esse nequit adhuc ex suppositione, in qua conclusio secunda procedit : in ea vero suppositione constituentes actus liberos Dei adæquatè per Deo intrinseca, ipsique identificata, vt nos constituimus, difficultate proposita in secunda hac conclusione vexandi videntur : maxime antecessores nostri, qui realem physicam contingentiam, & defectibilitatem actuum liberorum, qua talium, realemque physicam potestatem indifferentem voluntatis diuinæ ad eos apponendos physicè, vel non apponendos recognouerunt, necessariaque, & essentialiter requisitas ad diuinorum actuum libertatem in actu exercito, & secundo, & voluntatis diuinæ in actu primo constituendam, & tuendam reputarunt : ij enim omnes eo modo, quo physicam realem defectibilitatem actuum liberorum Deo prorsus identificatorum recognoscunt, in Deo ipso, cui omninò identificantur, eam debent vt d. 3. quæst. vlt. ostendimus, fateri : quare, & eo modo conceptum præcisiuæ possibilitatis Deo intrinsecum, &, ad quem amor strictus in suppositione facta terminari queat, & terminetur.

6. Nos verò non adeo apertè præfata premit difficultas. Diximus enim citata quæst. actuum liberorum Dei contingentiam, & defectibilitatem, indifferentemque voluntatis diuinæ potestatem ad eos eliciendos, vel omittendos, etsi vera, ac non ficta illorum defectibilitas, & nuius indifferens potestas sit, physicam, tamen neutram esse; sed solummodo intentionalem, & quæ proinde cum Dei, & ipsorum actuum physica, & entitatiua necessitate, & essentiali actualitate physicè essendi, atque physica indefectibilitate, quibus prorsus identificantur, amicè, ac sine vlla repugnantia conueniant : cum autem præcisiua possibilitas sit ad physicè entitatiuè existendum, vel non existendum, eorum solum esse potest, quæ physicam habent defectibilitatem, possimusque essentia sua physicè entitatiuè esse, vel non esse, ac proinde eorum essentia ab vtroque præscindit, atque statum præcisiuæ possibilitatis possunt sortiri; non autem actuum liberorum Dei ipsi adæquatè identificatorum, quæ intentionalem solum defectibilitatem habent; non autem physicam, & physicè, entitatiuéque à Dei voluntate apponantur, vel non apponantur, in séque physicè entitatiuè sint, vel non sint : quia absque vlla physica productione à voluntate Dei eliciuntur purè intentionaliter, sicuti necessarij reliqui actus diuini intellectus, & voluntatis, atque ablq; vllo entitatis physicæ diuinæ augmento sunt, & ablq; eiusdem entitatis diminutione non sunt, cum omittuntur sola intentionali ipsorum elicientia, aut omissione vel positione aut defectu; quia aliquid entitatis, & esse physici Dei necessarij (quo solo physicè entitatiuè sunt, & existunt) alterutro casu, vel crescat, vel decrescat, vti ea quæst. vlt. cert. 1. o. fusè explicuimus, & quantum mysterium libertatis diuinæ pro hoc statu permittit, à cæmentis fundauimus. At inquies : defectibilitas illa purè intentionalis vera, ac non ficta defectibilitas per te est : ergo dicit præcisionem ab esse actuali, vel non esse actuali intentionali, vt patet : ergo, etsi intentionaliter, ac non physicè, dicit conceptum verum possibilitatis præcisiuæ eorum actuum in linea intentionali in quem proindè amore strictō Deus erga seipsum, cui illi adæquatè identificantur, feratur : Respondetur defectibilitatem illam intentionalem veram esse ac non fictam, ast conceptu suo non continere bonitatem, sicuti neque entitatem neque esse bonam subsistantiuè, sed adiectiuè solum, adhuc metaphysicè, quatenus iuxta identitatis cum essentiæ bonitate, & entitate ens, & bonum actuum illorum defectibilitas intentionalis, immò, & actus ipsi sunt : identitas autem eorum cum essentia de facto, & actu necessaria, vt actu boni adiectiuè, & amabiles absolutè illi actus sint, omninò est, vt autem actu, & exercitè cum Deo eiusque essentia identificantur defectibiles absolutè non sunt, cum ex suppositione, quod, & physicè sint, & exercitè etiam intentionaliter positi, nequeant adhuc intentionaliter à voluntate non poni, aut ipsi non esse : in hypothesi verò falsa, vt vidimus conclusione prima, de amore strictō creato de creato obiecto possibili præcisiuè, permittimus aduersariis conuenire creaturis intrinsecam, & essentialem pro eo etiam statu absolutè bonitatem, qua affectum voluntatis absolutum terminare absolutè queant, vt opus aduersariis est, & ad suam sententiam contendunt : quam, iis, quæ iure identitatis absolutæ cum alio solummodo bona esse adiectiuè, adhuc metaphysicè, absolutè possunt (cuiusmodi reliqua à metaphysica Dei essentia prædicata diuina esse censemus) quoviſque absolutè in se sint, Deoque proinde identificentur concedere, nec cogimur, nec valemus.

CERTAMEN III.

Conclusio tertia authoritates aduersariorum eleuat.

1. TErtia conclusio (qua authoritates aduersariorum elarescunt) esto : in Dei erga seipsum detur amor strictus Patribus, Philosophis, & Theologis antiquis agnitus solus, vt possibilis, & de facto admissus, in voluntatibus quibusvis : is autem est affectus voluntatis non in bonum *quod* alicui volumus (quo sensu ab antiquis assertum amorem strictum Doctores, quos hactenus impugnauimus rebantur) sed in bonum *cui* siue personam in qua complacemus ob bonitatem siue bonum, *quod* in ipsa deprehendimus; non quidem vt bonum, quod formaliter per eam tendentiam ei velimus, sed ob rationem motiuam, ob quam in persona, quæ ea bonitate, & perfectione gaudet, bonaque, & perfecta est, complacemus, ipsamque personam, quasi obiectum *quod* prosequimur : in hanc planè conclusionem ibat Recentiorum innominatorum sententia, cuius secundo loco meminit Antonius Perez nu. 66. eam eo solum nomine reiiciens, quod extra quæstionem, quæ solum de bono volito, vt *quod* agitatur, ad quæstionem de persona, seu bono *cui* volumus illud, quasi extra chorum saltauerit : quasi extra chorum, & quæstionem saltet, qui alio (etsi communiter) quam vbi veritas inueniri potest chorum & quæstionem ducentes, eo reducat vbi veritas possit inueniri : ac modestè doctrina sua tacitus ostendat Antonium Perez, & Recentiores paucos de amore strictō Dei erga seipsum in terminis disputatores, dum de solo bono *vt quod* volito, nihil autem de bono *cui*, seu persona cogitant, frustra amorem strictum Dei erga seipsum inquirere, atque extra chorum amoris strictī saltando, inaniter fatigari : ibat, inquam, præfata Recentiorum sententia in hanc nostram conclusionem; non tamen peruenit : tum, quia tanto Recentiorum eo sensu quæstionem ducentium, excitato puluere à loco veritatis reperiundæ eius Authores offusi deuiarunt : tum, quia, nisi altius antea rimata, & penetrata respectus illius ad personam affectiui *cui*, & è cuius complacentia bonum *quod* volumus essentia, & natura, à vero non diuertere difficile est; neque Philosophorum, Patrum, & antiquorum de amore strictō sententias germane intelligere, & interpretari facilius. Constat autem Recentiores illos alterutra, vel vtraque potius de causa, à vero deuiasse, neque ad nostram conclusionem peruenisse : quia eo probant amorem strictum à gaudio, & desiderio diuersum esse; quod gaudium, & desiderium ad nos siue ad personam terminatur, sed hoc solum probat amorem personæ, vel gaudium fore, vel desiderium; non autem affectum ab vtroque diuersum, ni alterius aliundè probent amorem eundem personæ vtroque affectu,

vel desiderij, vel gaudij variato, nihilominus immotum, & inuariatum persistere. Secundo: quia amor personæ non est de eius existentia, siquidem damnati ex sui amore, non esse, ac perire vellent, vt cruciatibus eximerentur æternis: ergo, neque gaudium est. (Addo pro ipsis) neque desiderium amor personæ: quia gaudium, non nisi de voliti existentia, siue de volito, vt existente est per omnes, desiderium vero per omnes ad eius existentiam tendit: ergo amor personæ strictus amor est à desiderio, & gaudio diuersus: in secunda hac probatione aliquid inuenere Recentiores, quo rectà ad veritatem irent, vt statim clarebit; ni ad illud dè præsentia, & existentia boni amati diuertissent: quo, & impugnationi patent: siquidem existentia personæ amatæ, cum bona ipsi est, gaudij est materia.

2. Conclusio nostra ex penetrata, & explicata quidditate, & natura respectus affectiui ad bonum *cui* siue ad personam, in qua complacemus, facile à ratione probatur, & ab authoritate testimoniis omnibus, quibus contra cõclusiones negatiuas de amore stricto boni *quod* voliti Dei erga seipsum aduersarij vtuntur. Aiuuene igitur Philosophiæ auditore ita de affectu complacentiæ in personam, seu (quod idem est) de tendentia omni affectiua in bonum *cui* censebam, & hucusque censeo: vt omnis alterius affectus erga bona, quæ volumus vt *quod*, principium, & quasi primus intentionalis motor sit: id indè mihi, non probabile solum, sed certum: quia, si, cur nobis velimus bona, causam inquiramus, eam inuenie-mus solum: quia quisque nostrum natura potius, quam electione, & libertate in seipso complacet sibi: si autem rursus causam quæras: cur Petro, quem ex electione, & libertate potius, quam Ioanni, quem non amas, bona quæuis optes, deque ab ipso habitis gaudeas; de eius tristeris malis, cum adsunt, timeas cum imminent? eam tandem reddes: quod in Petro tibi complacet, non in Ioanne, cuius proinde nec bona curas nec mala attendis. Hoc ipsum concors, ac proinde proprius Philosophorum, & Theologorum omnium loquendi hac in re modus suadet: omnes enim bona quæuis, vt *quod*, vel nobis, vel aliis velle dicimus ex nostri, vel aliorum complacentia: particula autem *ex* principij rationem in omni materia apud Philosophos significat: & confirmatur in præsenti de affectibus voluntaris, in quibus intentionem finis electionis mediorum principium esse, eadem particula *ex* à Philosophis, & Theologis significatur, dicentibus electionem mediorum esse ex intentione finis. Confirmatur ex alia æque communi phrasi, qua iidem omnes rationem principij intentioni finis respectu electionis mediorum ipsa finis definitione significarunt: *cuius* scilicet *gratia cætera fiunt* illum definientes: id est: cuius amore, qui intentio est, amantur & apponuntur: sed hac eadem phrasi, & definitione explicant ex Aristotele Philosophi, & Theologi omnes, ac distinguunt affectum erga bona, quæ vt *quod* volumus an concupiscentiæ, an amicitiæ sit? concupiscentiæ esse definientes vt *ex amore*, & complacentia propriæ personæ sit, scilicet *gratia sui*; amicitiæ verò, *si ex amore* complacentia & *gratia alterius sit* non *sui*: ergò complacentiam personæ, cui bona alia, vt *quod* volumus, principium esse æque atque intentio finis electionis mediorum principium sit Philosophi, & Theologi omnes, etiam ipsa phrasi nos docent. Certè eos omnes ea vtentes phrasi recitare in terminis laboris esset inutilis: cum solius Ciceronis, Senecæ, Aristotelis, Platonis, & cuiusque ex innumeris, qui vel de amicitia, vel de beneficiis scripserunt testimoniis citandis dies non suppetat, recitandis verò vix chartæ sufficiant: vnum tamen vel alterum contra negatiuas conclusiones nostras certaminis secundi non reticebo. Primum sit illud Aristotelis recitatum certam. 1. num. 11. *Amare est velle alicui, quæ bona sunt, eius, non sui gratia*: itidem cum finis (quod affectuum omnium sui amore principium est) in finem *cui*, & finem *qui* ab omnibus diuidatur, motio hæc amoris finis *cui* in affectu erga volita ipsi bona satis intimatur.

3 Alterum duo continet testimonia Henrici art. 50. summæ quæst. 2. corpor. fine & Auicennæ ibi ab ipso recitati, quibus amorem, sua acceptione, stictum Dei erga seipsum censet noster Ruiz contineri; cum tamen nostro hoc censu solummodo contineatur, & loco *gratia* nomine synonomo *amoris* ratio principij in affectus reliquos erga bona *vt quod* volita additur: vtriusque apud Henricum verba sunt. *Delectatio simpliciter est dicenda esse in Deo, & hæc perfectissima: tum quia contemplatio, quæ comprehendit se, est fortior; & amor quo diligit se est fortior: tum quia perfectio sua, qua delectatur, est sibi vicinior:* dicente Auicenna *in fine libri octaui Metaph. cum intelligentia intelligentis, & intellecti vnum sint certissimè: ideo sui ipsius maximus amator, & amatum, & magis delectans, & delectatum est excellentior apprehensor cum excellentiore apprehensione excellentioris apprehensi*: vbi Henricus dilectionem sui, siue personæ, æque, atque sui contemplationem, delectationis diuinæ de suis bonis principium esse ait. Auicenna similiter: primo sui maximum amatorem in quo complacentiam personæ significat: indeque ortam delectationem de suis bonis. Secundò proinde loco posuit: idipsum confirmatur ex alio Augustini loco tractatu 87. in Ioann. sub init. quem etiam pro se recitat Ruiz id enim ad Galat. 5. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, &c.* sic pendit *à capite hoc posuit fructus Spiritus charitas est: ac deinde cætera, tanquam ex hoc capite exorta & religata connexuit, &c. quis enim bono gaudet qui bonum non diligit vnde gaudet?* Dilectio autem, & charitas personam respicit, & in ea complacentiam directè & principalius significat, cum apud Philosophos, tum apud Patres & Theologos; tum denique apud libros sacros: immò, vt nuper dicebamus, ex tendentia sola ad personam, cui, ex complacentia eius aliquid volumus, charitas, dilectio, vel amicitiæ affectus est; etsi idem ipsum vt *quod*, vel ex complacentia nostri concupiscamus, vel ex complacentia, & charitate alterius velimus: id ipsum probat discursus Sancti Thomæ 1. contra gent. cap. 91. §. sic probantis in Deo esse amorem *omnis affectionis principium est amor: sed in Deo est gaudium & delectatio: ergo in Deo est amor*, esset autem identicus inquit Ruiz & inutilis discursus, & ineptus, ni detur in Deo amor sui, vt obiecti *quod* voliti à gaudio diuersus; sed solummodo præcitum genericum amoris in gaudio, vt in specie sua inclusus: quia speciei existentia probata inutiliter inde existentia generis probaretur, quæ in illius existentia (quæ absque generis existentia esse non potest) probata manebat: tum quia genus speciei principium non est, maximè necessarium, & cum specie aliqua sua indefectibiliter coniunctum, vt illius existentiam possit legitimè inferre alioqui genus non esset, & speciebus plurimis commune & indifferens, sed vni alligatum: assumit autem pro maiore S. Thom. esse omnis affectionis, euare, & gaudij, & delectationis principium necessarium, & indefectibiliter coniunctum: ergo non de amore generice sumpto, sed de stricto loquitur: fateor de stricto loqui: non tamen boni *quod* amati, sed *cui*, & complacentia personæ, quæ omnis affectionis, qua ipsi bonum *quod* amatur, principium est, ex contextu antecedenti, quem fateris de amore, quo se Deus amat, qui quidem complacentia in persona siue sui ipsius complacentia est, ac de gaudio, ac delectatione, vt ab illo diuersis egerat: de eoque assumit, esse omnis affectionis principium: id solum ego contendo complacentiam in persona, & amorem strictum, & omnis affectionis voluntatis erga bonum vt *quod* ipsi volitum, siue gaudio, siue desiderio principium, ac subinde ab eis diuersum esse.

4. Hoc ipsum suadent extrema illa verba Aristotelis recitati cert. 1. n. 11. pro aduersariis ex 1. Rethor. c. 11. cuius textus partem 1. retulimus nuper n. 2. cuius verbis adnectit *illorumq;* (quę bona alterius putat, eiusque gratia ipsi velit) *actiuum esse, quantum potest* amantem mimirum: qui ex complacentia in persona amata, non solum de actis tanquam rationes motiuas primum complacentiæ huius atque ab illa habitis, & possessis perfectionibus, ob quas in ipsa flammas concipit, in eiusque amorem personalem inardescit: deindè de illis, tanquã de obiecto, *vt quod* volito, nec solum vt ratione motiua amandi personam, gaudet: verum eidem, quæ non habet desiderat, atque ex desiderio hoc illis bonis eidem personæ adquirendis media inuestigat, eligit, & apponit: eaque omnia maiore, minoreve efficacia, & vehementia, pro complacentiæ illius

illius personali ardore, & vehementia maiore, vel minore. Atque his quidem satis probata nostra hæc tertia affirmatiua conclusio est non ratione tantum, verum & illis ipsis testimoniis, quæ pro amore stricto alio suo à nobis negato certam. 2. ad speciem vrgentiora aduersarij inducebant: vt mittam præcipuum illorum ex Aristotele proximè citato ad rem præsentem de amore Dei erga se ipsum omninò extra rem inductum ab eis fuisse: cum expresse de amore amicitiæ erga alterum, non autem erga se ipsum ibi ab Aristotele agatur, vt contra Antonium Perez, qui ei vnicè innititur notabam certam. 1. numer. 11. Reliqua testimonia quæ pro suo stricto amore aduersarij congessere, leuioris armaturæ sunt: quare horum enervatione, & examinatione data titulo certaminis promissa expleueramus: quanquam reliqua etiam paulo inferius soluemus præstat autem hic communi omnium hominum sensu, & vocis amoris acceptione (nec solum Philosophorum, Patrum, Scripturæ, & Theologorum, vt hactenus, vsu frequentissimo complacentiam in persona, cui bonum quod, siue gaudio, siue desiderio volumus, amoris stricti nomen, ab vtroque eo affectu diuersi; intelligendum: vt conclusio hæc nostra firmior, probatiorque subsistat, etenim omnes homines amorem personæ, qua personæ est (quod à complacentia in persona nihilo differt) amoris nomine intelligunt: vt si quemque quid sit amor, roges, statim per complacentiam in persona tibi respondet. Si amatorios quosque versus, vel comœdos de amore agentes illumve definientes, describentes, aliquove modo exponentes legeris, vel audieris eo tandem deuenire reperies, vt affectum erga personam esse declarent: & quanquam ad delectationem, quam animo is affectus affert, sæpe discurrant: ad illum tamen non vt amoris obiectum volitum, sed vt effectum ex illo naturaliter ortum recurrunt: sicuti, & cum ad gaudium de bono amantis, & desiderio se suaque in eius commoda impendendi, quæ, vt nuper dicebamus, ex complacentia, & amore personæ proueniunt: quare non solum communi hominum vocis amoris acceptione amorem strictum rectè à nobis in præcisa complacentia personæ collocari; verum, & communi etiam eorum iudicio, quæ de eius in reliquos voluntatis affectus actiuitate cum Philosophis, & Theologis docuimus, comprobari perspicuum est. Verum ne quis putet hanc nostram illi sententiæ Scoti in 2. d. 6. quæstion. 2. & Gabrielis quæstion. 1. alligari: quod nimirum respectus ad personam *cui* à respectu ad bonum *quod* ipsi volumus diuersum actum constituat, esti satis sit verosimilis in sententia vetustiorum, qui electionem mediorum necessario ab intentione finis realiter distingui communius docuerunt; quia tamen, & hoc etiam pluribus displicet Recentioribus, qui vtrumque in eundem actum constari posse docent (quamuis de electione formali mihi improbabile sit) nobis tamen satis ad præsens est complacentiam personæ solius posse esse diuersam a prosecutione boni, quod ipsi ex ea complacentia volumus: sicuti intentio ab electione ex ipsa diuersa realiter omnium sententia esse potest: inde enim respectus ille formaliter à respectu ad bonum *quod* de quo ex sui complacentia Deus gaudet mensuratur diuersus: ac subinde amor hic strictus, in Dei erga seipsum amore debet admitti.

1. Iam ad reliqua aduersariorum pro suo amore stricto testimonia respondendum, quod Herice noster summatim respondit ad omnia, quia hactenus explicatorum specialem vim non satis attendit, æstimans omnia de affectu erga bonum volitum, vt *quod* esse intelligenda, nulla habita ratione obiecti *cui* siue complacentiæ in persona. Nempe reliqua de amore communi, & generice sumpto incluso in speciebus suis gaudio, & desiderio loqui, non de stricto amore ab his specie diuerso, vt breuiter de præcipuis ostendam. Primum, & cui valde sidunt Ruiz numero 17. probat. 5. & Antonius Perez numer. 60. est Augustini aientis. *Amor inanem habere, quod amatur, cupiditas; id autem habens, eaque fruens, lætitia*: cum tamen antea de amore secundum se, quasi de diuerso egisset, fateor de amore secundum se, quasi de diuerso egisse non Augustinum solum ibi, & sæpius, sed Patres, & Doctores omnes: non tamen, vt diuerso specificè a gaudio, & desiderio, & in creatis etiam, physice diuerso; sed tanquam genere, quod metaphysicè, & logicè à suis speciebus semper diuersum est, id quod ex verbis Augustini conuincitur: siquidem ait amorem de quo egerat si bonis inhiet esse cupiditatem, seu desiderium, si de possessis fruatur lætitiam vel gaudium; cum tamen vna species transire in aliam, esseve aliam metaphysicè repugnet: sicuti, & physicè diuersam entitatem, aliam esse, in quam, plusquam Pythagorico animorum transitu, pergat. Vnde constat nihil firmum ex hoc Augustini loco desumi pro amore hoc stricto vt putat Ruiz à S. Thom. 1. 2. quæstion. 25. artic. 2. desumi potuisse: imò verò S. Thom. sententia ab aduersariis adducta amori stricto huic Recentiorum potius aduersatur, quam fauet: eiusmodi enim est fine corporis *ipsa aptitudo siue proportio appetitus ad bonum est amor, qui nihil aliud est, quam complacentia boni. Motus autem ad bonum est desiderium, vel concupiscentia; quies autem in bono est gaudium & delectatio.* Vbi vides amorem, quem boni complacentiam definitum vis, quasi specie à desiderio, & gaudio diuersum, per aptitudinem, & proportionem appetitus ad bonum explicari à Sancto Thoma: ita, vt re nihil aliud sit: quatenus verò exercite sub amoris præciso conceptu consideratur, sit boni complacentia, quæ ipsissima est amoris in communi, & generice sumpti definitio: sin aliam trade: ergò, vel male definiuit S. Thom. amorem strictum, cum alteri à definito eius definitio conueniat, vel amorem (quod verius est) generice sumptum, quem solum agnouit, solum definit, vt contendimus, explicuitque optime per respectum ad bonum in communi, ei similem quem potentia appetitiua habet: eiusque species desiderium, & gaudium recenset statim ac definit. Nil aliud vult Arist. 8. ethicorum cap. 2. à princip. aliisque innumeris locis: vbi nil aliud esse amare, quam velle alicui bonum ait, & bonum esse simpliciter amabile. Reliqua adeo extra rem ab aduersariis afferuntur, vt ne mentionem mereantur. Solum aduerto Theologos, & Philosophos, quandoque amorem, quem esse boni simpliciter, & in communi definiunt, quæ amoris generice sumpti definitio est, vt dixi supponi ad omnem appetentiam, & affectionem voluntatis asserere: sed de suppositione generis ad species prioritate maioris vniuersalitatis loquuntur; non de physica suppositione specialis amoris, & prioritate stricti ad omnes affectiones voluntatis alioqui, cum, & ipse amor strictus boni in communi species affectionis quædam, vt aduersarij volunt, sit, sui ipsius principium physicum esse, ac seipso prius natura & posterius contradictorie docerent.

CERTAMEN IV.

Amor Dei erga seipsum, & charitas, & concupiscentia proprietate sermonis est.

1. CHaritatis vox vniuersim etiam sumptæ, supra amorem quemuis alium aliis vocibus significatum addit duo. Primum magnam quandam appretiationem boni amati, siue vt *quod* siue vt *cui* vt recte S. Thom. 1. 2. quæstion. 26. art. 3. corpor. fin. Albertus 1. p. quæstion. 36. metaph. 3. & vlt. corpor. id quod in rebus etiam pretio æstimabilibus eadem voce significatur communiter: quæ enim magni æstimantur charæ dicuntur; etsi qui hanc rationem assecuti non sunt pure grammatici merces *caras* fine *h.* non autem *charas* cum *h.* scribendum censuerunt: quasi amoris aliquid, ac non earum pretium, & valor earum, in ipsis male significetur, si *charæ* cum *h.* scribantur. Huic charitatis significato proprio dogmatica illa veritas fidei innititur tradita 1. Ioann. cap. 4. *qui manet in charitate in Deo manet*: quia charitatis nomine, Dei non quæcumque dilectio, etiam ex eius bonitatis, & motiuo, sed cum tanta Dei affectiua appretiatione significatur, vt cætera affectu illo posthabeantur, nec pro illis, etiam cunctis, vi affectus illius ab eo ab-

scedere, vt ad illa tendat, & accedat, voluntas possit. ac proinde charitas erga Deum proprie dicta idem prorsus est quod Dei, quam super omnia dicimus, dilectio, qua à Deo per peccatum (quo solo à Deo receditur) nobis abscessus repugnat: quare, & cum illa nostri in Deo mansio, ac permanentia prorsus necessaria est. At verò charitas nomen proprietate, & rigore sermonis, dicit vlterius amati ab amato distinctionem: ob cuius defectum eiusdem ad seipsum amor, charitas proprie non est, omnium Patrum, & Theologorum est qui inde probant personarum in Deo distinctionem: quia Deus charitas est, atque Spiritus à Patre & Filio distinctionem quia, & ipse charitas ex Deo, qui charitas est procedens: quare & ab eo diuersus, ac insuper affectiuus nexus substantialis, vinculum, & communio, & coniunctio, seu charitas, & amor quo se Pater, & Filius diligunt, vt vidimus controuers. de Trinit.

2. Videantur Augustinus 6. de Trinit. cap. 5. init. & 15. de Trinit. cap. 17. 18. & 19. tract. 7. in Epist. 1. Ioan. Gregor. Homil. 30. de Pentecost. sub init. quamvis idem August. 1. de gratia Christi c. 21. & Concil. Mileuit. cap. 4. fine, quoad illationem processionis Spiritus Sancti à Patre, & Filio ex illis 1. Ioan. 4. *charitas ex Deo est* non satis firmiter deduci videntur sentire: cum aptius de charitate creata ea verba intelligi putent, tamen quoad distinctionem Patris & Filij inter sese vt charitate se diligant, nusquam aliquid insinuauit à se discordans, imò nec quoad distinctionem Spiritus Sancti quem vtriusque communionem, vnitatem, coniunctionem, & aptius, vt tandem concludit, charitatem appellat citat. cap. 5. ex lib. 6. de Trinit.) ab vtroque: ita enim ait ibidem: *Manifestum est, quod (Spiritus Sanctus) non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur: quo genitus à gignente diligitur, genitoremque suum diligat*: ac proinde aptius charitatem dici concludit: quia est diuersorum interse amor: quam sententiam ex illo recepit Fulgentius: 4. ad Ferran. vers. fin. Hieronym. in id Psalm. 17. *diligam te Domine* ait: *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius sed dilectio, quam habet Filius in Patre & Pater in Filio*, scilicet complacentia alterius in altero: *vnde Paulus dixit Rom. 5. quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Prosper. lib. Sententiarum sent. 371. hanc ex Augustino tract. 105. in Ioan. scripsit. *Spiritus est Patris, & filij tanquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum.* Isid. 7. & Euthym. cap. 3. post med. *Spiritus Sanctus inde proprie charitas nuncupatur, vel quia naturaliter eos à quibus procedit coniungit*: quæ omnia ad charitatem propriam distinctionem amantis ab amato necessariam ostendunt; siquidem eos Spiritum Sanctum charitatem esse proprie aiunt, quod Patris & Filij amor & dilectio sit: cui etiam rationi annuunt Scholastici cum Magistro in 1. d. 10. Sed de eiusmodi necessitate præclarissime Richard. Victorin. 3. de Trinitat. cap. 2. sub init. *Nullus pro priuato & pro proprio sui ipsius amore dicitur proprie charitatem habere: oportet itaque vt amor in alterum tendat, vt charitas esse queat, vbi ergò pluralitas personarum deest charitas omnino esse non potest* concludit sine capitis. *Bonitatis plenitudo non potuit esse sine charitatis plenitudine, nec charitatis plenitudo sine diuinarum personarum pluralitate.* Cui insistit rationi sæpius vsque ad cap. 20. & lib. 5. cap. 8. & cum eo S. Thom. quæstion. 9. de potent. art. 9. §. *Sed contrà* & in 1. d. 2. quæstion. 1. art. 4. S. Bonau. art. 1. quæstion. 4. Richard. art. 2. quæstion. 1. Albert. 1. p. quæstion. 29. m. 1. art. 2. colum. 3. quæstion. 30. membr. 1. & quæst. 42. memb. 3. Alexand. 1. p. quæst. 43. m. 5. quæstion. 45. memb. 7. Henricus art. 43. sum. quæstion. 8. & 9. art. 54. quæst. 2. quodlib. 9. quæst. 1. Ægid. 1. d. 10. quæst. 3. Maior quæstion. 2. Carthus. d. 2. quæstion. 6. Marsil. quæstion. 6. art. 1. concluf. 3. Ade Gregor. Magn. homil. 17. in Euang. *Minus quam inter duos haberi charitas non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur; sed dilectio in alterum tendit vt esse charitas possit.* Ambros. de dignit humanæ conditionis c. 2. longè à med. *Amor non minus quam inter duos est.* Amorem pro charitate seu amicitia vt communiter omnes vsurpant.

3. Sed & communi omnium hominum sensu eiusmodi distinctio amantis ab amato ad charitatis proprietatem requiritur; idcirco de eo qui in alium nullum habet amorem, sed in se & sua commoda tantum ironicè dicimus magnam in seipsum charitatem habere, vt ostendamus charitatem habere nullam, cum ad seipsum suaque tantum amor concupiscentia sit, nec charitas vllatenus esse possit: ex quibus probatur facile prima præfixi tituli conclusio quam absque temeritate imò errore, in fidem siue formali hæresi negari non posse censeo: quare mitius, quam par esset dixit num. 9. Ruiz noster, melius, exactiusque ad vsum Theologorum, & Patrum communiorem, amorem erga seipsum proprie charitatem esse. Ratio, & conclusionis, & censuræ temeritatis in negatiuam oppositam est: quia, vt ex dictis constat, communi Patrum, Philosophorum, & Theologorum, imo, & omnium hominum sensu ad propriam, & rigidissime acceptam charitatem vltra generalem amoris conceptum duo tantum modo requiruntur. Nempe magna affectiua appretiatio boni amati, & personæ amantis ab amata distinctio, ita vt amantis affectus complacentia; in altero, siue ex alterius complacentia sit; non autem sui siue è sui complacentia; ac proinde concupiscentiæ amor: atqui in amore Dei erga se, & magna imò summa appretiatio affectiua est: vtpote erga summè & simpliciter atque è genere suo infinitum bonum infinite penetratiua, & comprehensiua Dei cognitione scientiaque propositum ab infinita etiam voluntate intentionaliter operante & tendente affectiue in summum illud suum bonum in quantum intentionaliter potest: ergo ex parte appretiationis boni amor Dei erga se propria, imò, & excellentissima charitas est: ex parte vero distinctionis personarum eo amore Dei erga se quæuis diuinarum personarum diligit alias Trinitatis personas ab ipsa diuersas; ergo quatenus summe appretiatiuus hic amor Dei erga se est, amor huius personæ ad aliam, vel ad duas alias est diuersæ ad diuersam personam amor, ergo iuxta omnia requisita ab omnibus Philosophis, Patribus, & Theologis & hominibus ad propriam, & rigidam charitatem amor Dei erga seipsum, vt vnius ad aliam personam amor, & promptissimè charitas, quin absque temeritate negari ab aliquo possit maximè cum Augustinus dicat expresse loco iam recitando Spiritum Sanctum: quia in Trinitate amor, & affectiua substantialis coniunctio Patris, & Filij est, aptius dici charitatem. Rigidior secunda in oppositam conclusionem negatiuam erroris in fidem siue hæresis contra probatur ex epistol. 1. Ioann. cap. 4. vbi sæpè expresse asseritur *Deus charitas est*: quod cum doctrinale, ac non parabolice, allegorice sit dictum, proprietate sermonis recipi necessario, vt fidei veritas, à Catholico debet.

4. Secunda Conclusio certaminis titulo præfixa quod nimirum Dei erga seipsum amor veræ, & realis concupiscentiæ sermonis proprietate sit, est contra vnum Herize ea in re singularem d. 14. cap. 3. à qua proinde merito discordat Arriaga d. 24. sect. 2. subsect. 2. §. *Probabilius non* sub finem. Noto autem singularitatis negatiuam Herize conclusionem absolutè, quia, est in terminis assentibus cæteris Theologis non aduersetur, quia de ea in terminis non multi, imò vix pauci disputarint: ast omnes conclusionem affirmatiuam supposuerunt, cum Dei erga seipsum amorem nulla personarum distinctarum ratione habita asseruerunt: siquidem nulla personarum distinctione supposita, nil est vnde Dei erga se ipsum amor rationem concupiscentiæ propriæ possit exuere: imò amor Dei erga seipsum amor tantum modo & proprie concupiscentiam significat: quare absolute singularis ea Conclusio est: non autem in sensu Herize, qui concupiscentiæ rationem amori vnius personæ ad aliam Trinitatis negatiuo quod verissimum est: sed ex attentionis defectu eam negatiuam conclusionem absolutè posuit, debuisset enim attendere amore diuino personam quamque Trinitatis non solum duas alias; sed seipsam etiam verè & realiter diligere, ac de summo suo bono possesso & sui complacentia gaudere, quod propriissima concupiscentia est. Patrem pro priori ante filij processionem, quæ, vt patet amorem diuinum, & communia reliqua ipsi, & Spiritui Sancto processione communicanda præhabeat, non expectatur, se amore solius concupiscentiæ proprie diligere certum est.

CERTAMEN

CERTAMEN V.

Amor Dei erga seipsum propriissime amicitia est.

1. DE proprietate amicitiæ Dei erga seipsum ibi asserta amplior Doctoribus est opinandi facultas vt ex dicendis patebit, & ex Augustino, qui in eam incidens quæstionem 6. de Trinit. cap. 5. citato sub init. eam à se reliquit indecisam; solumque permisit amicitiam nominari, addens aptius dici charitatem verbis hisce: *Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris, & Filij, quidquid illud est: at ipsa communio consubstantialis, & coæterna: quæ si amicitia conuenienter dici potest, dicatur, sed aptius dicitur charitas.* Igitur Soarius primus quæstionis huius disputator d. 30. mer. sect. 16. num. 60. amori diuino etiam provt vnius personæ ad alias personas Trinitatis est, propriam amicitiæ rationem negauit, altiorisque solum amoris rationem concessit; eum secuti postmodum sunt Herize, & Arriaga locis proximè citatis: quamuis hic facilius, quam res exigat ab hac se quæstione tanquam de nomine, nec serio Theologico examine digna expediat: quasi proprietatis vocum examen vt digne loquamur de rebus, Theologi negotium non sit, quoad altiorem amicitiæ affectum probatur ab eis Conclusio ex Aristot. 7. Ethicor. ad Eudem. cap. 7. & 2. magn. moral. cap. 11. fine & S. Thom. 2. 2. quæstion. 25. art. 4. corpore, ex eius doctrina dicente. *Amicitia proprie non habetur ad seipsum; sed aliquid maius amicitia.* Ratio autem huius sententiæ est: quia intimior, vrgentior, connaturaliorque affectus de se est, quo bona nobis, & ex complacentia nostri necessaria, & naturali amamus, illo, quo alteri eius bona volumus ex complacentia ipsius, vt enim commune in Scholis Aristotelicum proloquium fert *bonum amabile est: maxime autem vnicuique proprium.* Vnde constat illam maiorem amicitia altitudinem, quæ à negantis sententiæ Patronis Dei erga se amori tribuebatur, & quid magnam excellentiam supra omnem amicitiam sonans, eo solum deuenire, vt sit strictè concupiscentia, sicut in nobis, tantummodo. Secundo: cum, vt fidei dogma fert, amore diuino persona quæuis Trinitatis duas alteras Trinitatis diligat, ab eisque vicissim diligatur, ex textu Aristotelis ad eam excellentiam amicitia maiorem in amore Dei erga se probandam inducto citius amicitiam esse probatur: verum aduerte de amicitiæ Dei virtute à nullo Doctore agi: quippe omnis affectus moralis virtutis, illius libertatem requirit, quam amor diuinus vnius personæ Trinitatis ad aliam non habet, nec habere potest: Secundo: quia amicitia virtus moralis est, neque in Deum eiusque bonitatem, tanquam in motiuum formale proximum ferri potest (alioqui Theologica virtus foret) sed in honestatem ipsam virtutis ipsius; amor autem diuinus mutuus vnius personæ ad aliam Trinitatis ob diuinam bonitatem, tanquam immediatum motiuum est: quare, & Theologicus est, sicut in nobis actus charitatis supernaturalis, de amicitia Dei virtute morali quæ de obiecto, & motiuo creato, & libere à Deo exercita est cum cæteris Dei moralibus virtutibus controuers. 5. agemus.

2. Nostra ergo tertia Conclusio est: amorem cuiusvis personæ Trinitatis ad personas alias propriissimè amicitiam esse: quare amorem Dei erga se absolutè amoreni amicitiæ dici debere. Hanc conclusionem vti exactiorem ad regulas, & vsum loquendi Theologorum fusè docet noster Ruiz d. 52. de volunt. sect. 4. etsi eam eandem conclusionem esse putet cum conclusione de proprietate charitatis (vt reuera quoad substantiam, & obiectum, & conditiones eadem est) atque Patrum & Theologorum testimoniis, & locis de charitate datis confirmet. Tamen quia nihil, neque in scriptura, neque in Patribus, neque in vetustioribus Theologis de amore mutuo personarum hoc nomine amicitiæ habeatur expressum, imò neque ei tributum ab Augustino, sed aliis, vt attribuant, permissum quoad firmitatem ab auctoritate, & certitudinem sunt valde diuersæ vt vidimus num. 3. Conclusioni præsenti subscripsit etiam, Quiros d. 68. sect. 4. num. 25. Probatur primo Conclusio hæc ex iam statuta secunda. Non minus requiritur ad affectum proprium charitatis amantis ab amato distinctio, quã ad amicitiam propriè talem; nec minus requiritur ad mutuam charitatem amoris reciprocatio, ac vicissitudo inter amantem, & amatum, quam ad amicitiam proprie talem etiam requiratur: atqui sola distinctione personali vnius personæ Trinitatis ab alia cum identitate naturæ voluntatis, & volitionis summa, datur in eis propria charitas, & mutua charitas, cum amoris vicissitudine, vt firmiter concluditur. prima statutum est: ergo sola distinctione personali cum identitate naturæ, & amoris, quo se mutuò amant, datur inter diuinas personas amicitia, quoad requisitam distinctionem amantis ab amato à Philosophis, & Theologis ad amicitiam propriam, constat ex datis testimoniis numero 2. eisdem verbis: quare eandem ad charitatem propriam requiri: ad vtramque enim solum requiritur, quod sit alterius ad alterum, vt aiunt debere esse necessario charitatem: nec aliter nisi alterius ad alterum necessario debere esse amicitiam. Porro ex requisita distinctione amantis ab amato ad amicitiam, nihil probationi huic responderi, solidaue disparitas adhiberi potest, nisi antiquorum Philosophorum Theologorum, ac Patrum verbis, & sententiæ verba alia, pro aduersariorum arbitrio, addantur, aliud vlterius pro necessaria distinctione amantis ab amato addentia, quo sententia mutetur: quod si liceat, cœlum cepam esse facile ego defendam, instantiolis ex aliis materiis petitis pars hæc de sufficienti distinctionis personalis solum, amantis ab amato ad propriam amicitiam, cuiusque probatio, & veritas turbari ab aduersariis tentatur: quas disiiciemus facile post alias partis huius, & conclusionis integræ probationes.

3. Secunda maioris pars apparentius, voce tenus, negari ab aduersariis soler: quia amicitia dicit iuxta Philosophos, & Theologos redamationem amati erga suum amantem: redamatio autem duplicem amationem, siue amorem, quorum altero prius amatus fiat amatoris sui redamans, eique amoris prioris erga ipsum vicem rependat: quod ex Ciceronis definitione amicitiæ recepta, & laudata ab Augustino epistol. 155. ad Marian. sub init. & 3. cont. Academicos cap. 6. fine confirmatur, ità enim habet. *Amicitia est rerum humanarum, & diuinarum cum beneuolentia & charitate consensio*: consensio, seu affectionum coniunctio, earum diuersitatem importat, atque identitatem excludit, verum ex hac definitione secunda maioris illius pars vrgentius probatur: ex illa enim constat consensionem cum charitate, & beneuolentia siue, quæ charitatis consensioni duorum mutuæque beneuolentiæ sufficiat, ad amicitiam proprie dictam sufficere: atqui per Patres, & Theologos consensio identica mutua personarum Trinitatis per amorem eundem sufficit ad charitatem propriam, vt vidimus: ergo, & ad propriam amicitiam, illud ex voce *redamatio*, euasio futilis est, etenim quoties amatus amat, præcipuè æquè substantialiter, & seruenter, suum amatorem proprietate sermonis redamat; nam amat eum, à quo amatur, vicemque amoris rependit, quod solum proprietate sermonis redamare significat: Hoc autem fieri potest, imò perfectissime fit, amore eodem, quo se mutuo, ac vicissim personæ (vt negari sine temeritate, aut errore nequit) amant; imo amore diuerso creatorum amicorum vix quidem fieri potest, vt totus, quoad substantiam, & modum intentionis seruoris amor vnius ex amicis ab altero vicissim reddatur, ac rependatur: ergo per identitatem amoris mutui personarum redamatio, ac proinde amicitia perfectissime exercetur. Nec satis est redamationem, & amoris consensionem mutuam à Philosophis in amicitia aguitam, & requisitam fuisse per distinctum amorem, & à diuersis, etiam in natura, personis cum nihil de personis solum personaliter diuersis, in natura verò, & amore iisdem cogitauerint: cum hoc solum in summo Trinitatis mysterio, quod ipsis nullatenus illuxerat, reperiatur: in primis enim Plato mysterium hoc natura illa sua communi, & vniuersali à parte rei Trinitatis

tatis misterium commune fecit, vel potius euacuauit: atque amicitiam inter personas creatas in natura, & essentia easdem solæque indifferentia indiuiduali; qua in ratione indiuidui in eius sententia personæ constituebantur, diuersas recognouit: imò & in amore, & voluntate, quæ eadem in natura illa communi erant.

4. Sed esto: nihil Plato de hoc mysterio, aut alio simili, nec Philosophi reliqui cogitarint: inde fortius euasio præcluditur: quia, si personarum in natura, & amore diuersitatem ad amicitiam & redamationem huic essentialem requisierunt, ideò plane fuit: quia personarum distinctio cum identitate in natura, & amore, quo se mutuo amarent, sicuti, & quo inuicem alter alteri chari essent, & dilecti, illis omninò fuit ignota: quam, si assequerentur, eum perfectissimam, & omninò in omnibus æqualem vicissitudinem in eo mutuo amore, & charitate recognoscerent plane inter eiusmodi personas eodem se amore amantes mutuo, atque vicissim, perfectissimam redamationem, & amicitiam inter personas diuinas docerent intercedere. Confirmatur: quia neque charitatem mutuam proprie dictam (quæ apud ipsos amicitiæ synonymum vocabulum est ex verbis Ciceronis) absque distinctione personarum in natura assecuti Philosophi sunt: quia mysterium Trinitatis, aut simile in personis, & amore creato ex hisue deductum fuit ipsis prorsus ignotum: & tamen Patres, & Theologi omnes, quibus mysterium eiusmodi diuinitus ex scriptura illuxit, cum identitate naturæ, & amoris diuini, solaque personali distinctione mutuam charitatem propriam inter personas diuinas asserunt. Reiicitur euasio, atque vtraque maioris pars; imò, & conclusio tota probatur vlterius: quia, etsi generationis, & processionis, tam actiuæ, quam passiuæ, Patris, Filij, similitudinis, imaginis, æqualitatis, principij, & principiati voces distinctionem, etiam in natura, personarum, & processionis, seu productionis ab alterutro vel ab vtroque nempe producto, voces, vt à Philosophicis rebus, & actionibus creatis primum significandis adinuenta, & imposita sunt significent, ad diuina in Trinitatis mysterio significanda proprietate sermonis à scriptura sacra, Patribus, & Theologia Catholica tota sunt recepta absque vlla distinctione personarum in natura, & essentia, imò, etsi amore, & intellectione communi producentes personæ producant, & procedentes procedant; quia nimirum realis distinctio personarum rerum productionum &c. quam eæ voces in creaturis significabant, creatæ imperfectionis erant, & sine eius imperfectionis significatione ea in ipsis significari non poterant; ast vbi mysterium Trinitatis innotuit conceptus iidem, ab eisdem tamen imperfectionibus suppurati, atque decocti inuenti sunt: ac proinde in diuinis proprietate sermonis, etsi cum excessu, & excellentia perfectionis, ea nomina iure fuerunt admissa: ergo, etsi distinctio personarum, & amoris in creaturis ob harum imperfectionem, in quibus primo inuentum, & impositum amicitiæ nomen est, illo significetur; ast, cum ex mysterio eodem constet Trinitatis personas eiusdem naturæ, eodemque amore mutuo, vicissimque se amare, quod sublata imperfectione, creaturarum conceptus amicitiæ est, debet inter personas Trinitatis proprietate sermonis atque excellentiore intra eam proprietatem admitti.

5. Tertio adhuc ex prædicatis communibus personis tribus confirmatur: quia cognitionis, & amoris nomina his creatis affectionibus, & actibus primum imposita motum cognoscentis physicum vitalem, & amantis in creatis significant ob eorum actuum, & viuentium imperfectionem in ratione creatorum imbibitam: ac subinde amantis & intelligentis ab eis actibus physicam, & realem distinctionem, & tamen licet in Deo eiusmodi physicus motus non sit actibus intellectionis, & amoris, quibus intelligit, & amat, neque eis ab hisce suis actibus physica, & realis distinctio, nihilominus eis diuinis affectibus amoris, & intellectionis nomina, non solum à Theologis, verum à sapientioribus Philosophis, Platone, Aristotele, Auicenna, & aliis, qui de Deo decentius, eiusque vnitate, & physica immutabilitate cogitarunt, proprietate sermonis tribuuntur: ergo, & personis Trinitatis solum personaliter distinctis, seque inuicem mutuo amantibus amicitiæ nomen proprietate sermonis tribui debet, etsi cum excellentia perfectionis. Confirmatur denique ex reliquis prædicatis, & eorum nominibus communibus in Deo verbi gratia entis, substantiæ &c. etenim ea nomina in creaturis, in quibus eorum significata proprie deprehensa ab hominibus sunt, & quibus significandis intenta primitus, & imposita illa fuerunt, impræscindibiliter etiam metaphysice rationem essendi, seu entis ab alio in eis significabant: quia tamea in Deo ab eisdem Philosophis, & Theologis deprehensum est aliud genus, primo diuersum, entis siue essendi, & substantiæ &c. non ab alio sed à se, nomen entis, essendi, substantiæ &c. ipsi proprietate sermonis, atque principalius, & antonomasticè tribuendum censuerunt: Deum nimirum ipsum imitati, qui se nostris nominibus significare nobis volens *ego sum qui sum* ad Moysem dixit, eoque nomine voluit se à Moyse ad populum, & Pharaonem, & Ægyptios declarari; *qui est misit me*: quia esse actu, quod eo, & entis nomine metaphysico absolute dicto significatur, ipsi principalius proprius, & antonomasticè essentia sua competit, etsi fuerit pro significando esse actu, & ente absolute tali creato, ac subinde contingenti primitus impositum, & quod in ente, & esse actuali defectibilitatis earum in essendo concernebat, qua imperfectione esse actuale, & ens diuinum caret: ac proinde cum entis absolute talis, & essendi actu, ac substantiæ &c. nomina esse actu, & absolute, ac esse per se, vt proprium significatum, & præcipuè habeant, etsi in creatis ab imperfectionibus essendi ab alio defectibilitatis, & contingentiæ non essendi non præscindant, Deo cum summa proprietate tribuuntur: ergo, licet ob creatæ imperfectionem, amicitia creata, cui primitus vox amicitiæ imposita, & pro qua adinuenta est, diuersitatem amicorum, in natura etiam, & affectibus, quibus se inuicem ament, importet, cum tandem absque eis imperfectionibus sola diuersitate personali, eodemque amore alterius ad alterum mutuus amor, (quod propriissimum, & præcipuum eius vocis significatum est) in diuinis personis inueniatur, propriissime, primario, & antonomasticè amicitia reperitur.

6. Dices: non ita proprie nomen entis, substantiæ, & alia, quæ pro creaturis inuenta, ipsisque primitus imposita sunt, Deo esse accomodata, & accomodanda absolutè, & simpliciter, vt si de diuinis, quæ similitudinem aliquam, cum creatis (in quibus adumbrantur pene) rigide loquendum sit addito correctiuo non egeant: sic Dionysius Areopagita, atque ex eo Patres, & Theologi Catholici omnes aiunt: Deum rigide loquendo, neque ens, neque substantiam absolute simpliciter, ac sine addito correctiuo dici debere; sed supra ens, & supra substantiam: ergo neque amor mutuus personarum Trinitatis rigore sermonis amicitia absolute, & simpliciter, ac sine addito correctiuo dicenda erit, sed solum super amicitia, & aliquid altius amicitia, & maius, vt aduersarij contendunt: obiectio hæc nihil præstat, nec aduersariis, nec contra nos. Theologiam, & Sacram Scripturam eliminat; duas conclusionis nostræ Theologicas, haud leues, probationes suggerit. Nil præstat aduersariis, quia, vt vidimus nuper, illud maius, & altius amicitia, quod in amore personarum contendunt, est solum affectus concupiscentiæ, præ amicitia maioritas, si verum ex eis Herize excipias, qui nec concupiscentiam esse vult, nec maioritatem curat: sed vocis amicitiæ proprietatem. Theologiam eliminat, & Scripturam sacram: quia, nec Theologicè de diuinis disputationes haberi, nec Deus aliquid de se nobis, nisi vocibus ad similia creata significanda adinuentis, & primitus impositis reuelare potest; imò Deum, qui tot de se suisque attributis in scripturis, absque eis additis correctiuis reuelauit, primusque simpliciter dixit *ego sum qui sum* Mosique, ac nobis author fuit, vt eum simpliciter *qui est*, & absolute appellaremus, reuerenter condemnat: contra nos præstat nihil: quia ea sententia Dionysius, atque ex eo reliqui, de nomine entis, & substantiæ &c. non in totius proprietatis amplitudine sumpto loquuntur: male siquidem, vt prouti dixi, atque irreuerenter in scripturam, & Deum loquerentur: imò & in ipsos, cum de Deo, ac diuinis vocibus eiusmodi simpliciter, ac sine addito vllo correc-

tiuo

Actuo totis suis libris disputent: plura eis vocibus simpliciter, ac sine addito asserant, doceant, atque, vt dogmata Catholica tradant: loquuntur vero ita, vt ea nomina creata proprie etiam, sed proprie significati partem significant, quæ solum ante apertiorem Dei notitiam sub eis nominibus significabant. Ne autem in Deo simile omnino limitatum, atque creatis imperfectionibus mixtum, ex vsu earum vocum de creaturis eatenus agentes, sub eis vocibus latere, & significari putarent, monebant, vt aliquid principalius longe creato significato, cui sub eis vocibus concipiendo erant assueti, de Deo sub vocibus iisdem de Deo, ac diuinis conciperent, & indicarent: nempe ad ipsum quod de creatis conceperant absque creata limitatione, in sua quodque linea, infinitum atque à creatis reliquis imperfectionibus ad puram, seu simpliciter simplicem perfectionem excoctum, ac defæcatum, quod nos etiam diximus, in postrema, & proxima confirmatione; ac proinde Deum harum vocum præcipuum, & dignitate primarium, & antonomasticum significatum esse.

7. Suggerit denique obiectio duas alias conclusionis probationes Theologicas reliquis diuinis prædicatis probandis, communes æque, atque efficaces. Prima quidquid perfectionis creatæ vocibus nostris proprietate sermonis significatur suppuratum ab imperfectionibus eadem proprietate tribui debet: quod ipsum est axioma illud Theologicum: omne prædicatum dicens perfectionem sine imperfectione, vel simpliciter simplicem debet tribui Deo: talis ex dictis num. 5. & 6. firmum est, atqui voce amicitiæ significatur proprie aliquarum personarum absolute diuersarum mutuus amor, qui sublatis imperfectionibus amoris creati nempe distinctionis in natura, cum earum, tum amoris, quo alterius amoris vicissitudo redditur, est perfectio sine imperfectione siue simpliciter perfectio: ergo eiusmodi vox, & prædicatum proprietate sermonis Deo tribui debet. Secundum argumentum, ea etiam obiectione suggestum est ex causalitate ideali Dei, nec solum actiua in omnia creata: vt enim hic supra, & d. vltima de scientia diximus, etsi causalitas actiua Dei in creata omnia absque contientia eminentiali formali specierum creatarum saluari posset: id est, quin eiusdem lineæ, & rationis formalis, quasi specifice, in Deo esset; at vero causalitas idealis, & imitabilitatis absque eiusmodi continentia eminentiali formali per prædicatum eiusdem lineæ, & rationis formalis quasi specificæ, quod in Deo (etsi longe perfectius) in ea linea sit non erit; alioquin etsi creata à Deo actiue nusquam imitatiue fierent, vt pater, imitatio quippe omnis dicit imaginis effectæ cum exemplari, & prototypo suo formalem conformitatem (atque huic me iudice principio innititur dogma Theologicum ex quo proxime arguebamus, de omni perfectione creata defæcata tamen ab imperfectionibus, & simpliciter simplici necessario Deo tribuenda.) atqui amicitia nostra species quidem entis creati est, ac proinde bonitatem, ac perfectionem aliquam dicit, nec ex creatis affectibus moderatior: ergo in sua specifica linea similem amicitiam, longe perfectiorem, qua formaliter eminentialiter contineatur, tanquam ideam, & exemplar, quod imitetur in Deo suppono: quod argumentum, etsi de formali eminentiali continentia specierum omnium entis creati efficax vniuersim sit, maiorem adhuc in charitate, & amicitia vim habet: eo quippe vsus videtur Ioan. epist 1. c. 4. vbi dixit *charitas ex Deo est*: quod de creata nostra charitate, quam discipulis suis ibi, & semper ad eorum pene fastidium suadebat, & commendabat Apostolus, germanius intelligi aiebant meritò Augustinus, & Concilium Mileuitanum relati cert. 4. n. 4. sub init. subiungit, quasi probationem *Deus charitas est*: vt non solum actiue, sed idealiter, & imitatiuè charitatem, & amicitiam nostram ex Deo esse demonstraret.

8. Demum probatur quinto conclusio: quia implicat ex perfectiori affectione eius, in quo aliquid proprie consistit, ac proprietatum eius, ipsius proprium conceptum perire, vt ex terminis patet: atqui indistinctione personarum in natura, & amoris, quo illæ se mutuo diligunt, in diuinis stat perfectior, imò perfectissima affectio eius, in quo amicitia consistit, & proprietatum ipsius; ergò implicat perire inde in diuinis personis amicitiæ proprietatem. Minor probatur ex Aristotele 8. Ethic. cap. 9. sub init. & cap. 12. init. tanquam primum, & per se notum principium statuente amicitiam in communicatione, societateque bonorum, & lib. 7. cap. 15. vers. med. *Amicorum enim est* (*inquit*) *communicatio determinata naturæ, quo circa idem velle idem sentire est, eundem talem esse velle*: & circa med. *Amicus esse vult, vt prouerbium habet, alter Hercules, & alter ipse*: inferiuscule: *iuxtà corpus, & animam, & partes animæ diuersus est; nihilominus idem indiuiduusque amicus esse vult*: quæ repetit 9. Ethicor. ad Nicomach. cap. 8. sub init. Prouerbium iam tunc, & nunc etiam, vulgatissimum in eiusdem sententiæ probationem recitans: *Anima una, & amicorum sunt omnia communia* ad quod falsè Martialis contra miserum, & in amicos valde illiberalem, nomine Candidum, & de sua in eos munificentia eo prouerbio iactabundum, epigramm. in ipsum allusit. *Candide China Philon. Hæc sunt tua Candide panda. Qua tu magnificus, nocte dieque sonas.* Perfectius autem quam in amicitia creata imò perfectissimè, & eo gradu, quo ea peruenire prorsus nequit, ob identitatem, atque indistinctionem in natura, & mutuo amore personarum horum omnium assecutio est in diuinis: identica nimirum communicatio bonorum omnium, & naturæ, & voluntatis eiusdem, vt notum de se in mysterio Trinitatis est, passimque à Patribus dicitur: qui videri apud nos possunt contr. de Trinit. & apud Ruiz ibi d. 2. n. 17. ad 19. inclusiue: ergo stat veritas Minoris in hac probatione subsumptæ.

9. Instantiolæ, quas dixi ex aliis materiis petitæ, vix solutionem diuersumue numerum nullatenus merentur: sunt enim ex iustitia, & fidelitate, quæ nequeunt in diuinis inter diuinas personas intersedere ob voluntatis, & naturæ in ipsis identitatem: ergo eadem de causa, nec amicitia inter eas erit. Negatur consequentia, siquidem ad iustitiam requiritur, vt ius alteri tribuatur ad aliquid, ad quod ipse non habebat, eique iuri re, quæ eius non sit possit satisfieri; quæ in diuinis repugnant: cum ius ac dominium ad omnia deitatis communis titulo æquum, & summum personæ Trinitatis habeant: qua de causa inter Patrem, & Filium non emancipatum qui pars Patris & vnum cum Patre est, neque iuris & dominij in vtroque distinctio iustitiâ nequit intersedere iuxta omnes Doctores ex Aristotele 5. Ethicor. cap. 6. cum tamen non obstante ea vnitate 8. & hîc cap. 12. inter Patres & Filios amicitiam filialem, & Paternam agnoscit & cap. 7. init. speciem amicitiæ appellat *quæ in excellentia posita est, vt amicitia Patris ad filium, & omninò senioris ad iuniorem, viriique ad vxorem, & principis omnis ad eos, qui ipsi subiiciuntur*: quia non nisi cum reuerentia excellentiæ alterius extremi ab altero, Patris nimirum à Filio, &c. in communicatione & sodalitate, & amicabili vsu haberi absque iniuria potest in creatis; secus in diuinis, vbi Paternitas maiorem Patri excellentiam, quam sit Filij non adducit: quo textu conclusio nostra firmatur, fidelitati etiam in diuinis materia deficit: ec quid enim Pater Filio, vel contra, in eius obsequium, & gratiam, quod sui iuris, & proprij promittet, quod non sit iuris, & potestatis alterius? Ad amicitiæ vero proprietatem redamatio, mutuusque amor alterius ad alterum, atque affectiua coniunctio vtriusque ad vnitatem in omnibus, & quoad omnia tendens requiritur: quæ, vt diximus amoris, & reliquorum, præter personalia, in personis Trinitatis cum summa excellentia solummodo inuenitur.

CERTAMEN VI.

De amore Dei erga seipsum breuiora dubia reliqua.

1. PLeraque ex dubiis, quæ de amore Dei erga seipsum in hanc quæstionem reseruantur, proprioribus locis à nobis tractata sunt, eiusmodi est, an Dei amor erga se propter creaturas etiam feratur, feriue possit; qua de re nos supra opportunius disput. 2. vbi

vbi de motiuo, & specificatiuo obiecto diuini amoris, cum erga se, tum erga creata: ibique Deum se propter creaturas, cum vt obiectum *quod* tum vt obiectum *cui* diligere, absque vlla amoris tamen sui, vel erga se, vel erga creaturas adhuc, quo ad aliquam formalitatem intrinsecam dependentia, vel specificatione à creaturis dixi. De huius amoris æternitate egimus, quantum satis est d. 3. dum, de liberi adhuc, eius erga creata amoris æternitate statuimus d. 3. atque item, dum de amoris Dei erga se necessitate: quidquid enim Deo æterno ex necessitate conuenit, æternum in se, ipsique Deo coæternum esse necesse est; alioqui non ex necessitate illi competeret, si aliquamdiu absque eo Deus esse posset. Cæterùm de diuini amoris, adhuc erga se, necessitate quoad exercitium, quam hæc æternitatis eius illatio supponit, non adeò exacte, atque ex instituto disputatum; etsi de necessitate amoris Dei erga se quoad specificationem disputatione opus non sit quia impotentia Dei ad sui odium cuidens est: cum odium, nisi ob aliquam rationem mali vel physici, vel moralis in obiecto deprehensam, haberi erga illud nequeat: cuidens autem est in Deo nullam mali alterutrius generis esse rationem, deprehendiue posse.

2. Et quidem necessitas amoris Dei quoad exercitium etiam negari tuto & absque temeritate nequit, id siquidem contra omnes Patres, & Theologos foret, etsi enim Scotus in 1. d. 10. quæstion. 1. quem schola sua sectatur, amori Dei erga se libertatem necessitati oppositam concedat loquitur de libertate & actione huius solum necessitati opposita vt docte Ruiz noster d. 4. de volunt. sect. 2. ostendit; non autem de libertate omnimoda, atque intrinsecæ necessitati Dei ad se amandum aduersa. Ratio communis Doctorum est quam supra attigimus, ex bonitatis Dei infinitate absque imperfectionis, defectusve physici vel moralis mixtura eaque infinita etiam viuidissima, & comprehensiua cognitione sui Deo representata quam tanquam Vasquij & Arrubalis propriam demonstrationem debilitare tentauit Herize disp. 14. de voluntate cap. 1. cui fere etsi non absolute consensit Arriaga d. 24. sect. 1. subsect. 1. & absolute Quiros disp. 68. sect. 1. sed ea tamen demonstratio non horum propria sed omnium Theologorum imò Theologis cunctis vetustior: omnium scilicet sapientiorum Philosophorum, qui Deo summam sui, suarumque perfectionum delectationem & beatitudinem ex earum puritate, & infinitate, atque excellentia, ac rursus ex infinitate & excellentia summa suæ de ipsis comprehensionis demonstrarunt vti ex Auicenna cert. 3. num. 3. ab Aristotele edocto, recitabamus, atque ex Aristotele d. 2. vbi Deum seipsum amare ostendimus: eademque demonstratione. vsus est Plato non semel. Patres insuper & Theologi frequentissime: ea vero probatio quæ sapientium cuique absque vlla hæsitatione placet demonstratio debet censeri. Accedit ita eam à Patribus, & Conciliis receptam, vt ei dogmaticam necessitatem processionis Spiritus Sancti per amorem Dei erga seipsum imponant: atque aliam etiam dogmaticam veritatem contra Arrianos: quod scilicet, nec Filius, nec Spiritus sanctus per amorem Dei liberum procedant: quia alias creaturæ forent.

3. Porro Arriaga ex infinitate boni clare, & comprehensiue visi necessitatem amoris erga se, euidenter quidem, sed euidentia solùm à posteriori, & experientia in nobis deprehensa demonstrari putat: quia obiecto pulcherrimo creato, ac sine alicuius næui deprehensione pro tunc ita rapimur, vt vix aut ne vix quidem, non placere nobis in ipso ac delectari possimus, quod argumento euidenti est bonitatem, quæ citra dubium illex voluntatis ad amorem illam inclinans est, posse ad impulsum eius ad amorem determinatiuum peruenire, & quoad probationis vim, & euidentiam à posteriori nobis placet: quod autem rationis huius euidentiam à priori non agnoscat, displicet: tum quia principia omnia metaphysica nostra, ex quibus à priori demonstramus exploratis experientiis tandem nituntur: quare, si explorata, & euidens hæc experientia est principium, quo in demonstratione hac vsi Doctores sunt, fuit, ex quo à priori etiam demonstratio euadat. Secundo probatur à priori esse demonstrationem: quia, quod duplici ex parte mobile essentia sua est, alterutra ex parte debet æque esse determinabile ad motum: atqui voluntas omnis (ac proinde diuina) duplici ex parte esse essentia sua mobilis est: nempe à se physice, vel intentionaliter actiuè, à bonitate vero obiecti intentionaliter obiectiue, est autem per hosce determinabilis actiue, vel physice, vel intentionaliter ad motum necessarium amoris: ergo, & intentionaliter obiectiue: ergo à bono infinite simpliciter bono, ac toto bono, absque vlla specie mali clarissimè infinite comprehensiue penetrato eam de se vim potest habere: Tum, quia simpliciter infinite motiuum esse non posset si ea vis obiectiue determinatiua in sui amorem necessario rapiens voluntatem (quæ in linea motionis obiectiuæ est) ipsi deesset.

4. Confirmatur ex necessitate, qua Beati obiectiue à Deo clare, etsi non infinite viso in eius amorem rapiuntur. Confirmatur secundo, ex motibus primo primis nostris, vel ad odium vel ad amorem ex motione obiectiua boni creati, & limitati viuide propositi, absque vlla malitiæ obiecti illius propositione: tunc enim necessario, absque vlla rapimur ad eos motus libertate. Quod ergo esse obiecta creata virtutis motiuæ obiectiuæ tunc habent, quia nulla ratio mali in obiecto creato, ac limitatæ bonitatis viuidè repræsentatæ proponitur, id de se, naturaque sua infinitum simpliciter bonum clare infinite simpliciter cognitum debet habere. Dicunt aduersarij confirmationem primam (& idem dicent de secunda) vim non habere: quia determinatio Beatorum ad amorem necessarium Dei clare visum in primis non demonstratur. Secundo inferri necessitate n à Deo infinite bono clare viso voluntati creatæ, vel nostris à bono creato in motibus primo primis, non concludere respectu voluntatis infinitæ, & liberæ Dei: quare è sua libertate æque respectiua motioni obiectiuæ bonitatis infinitæ Dei. Contra: quia cum voluntas essentia sua appetitiua boni sit, infinita voluntas, vt diuina est, infinite appetitiua, ex parte etiam sui infiniti boni simpliciter talis, ac sine vlla defectus mixtura infinite, & clarissime cõprehensi erit; nec vlla erit resistentia ex parte voluntatis, nisi ineptè cogitanda: cũ motus ad bonũ non resistentiæ sed natiuæ suæ inclinationis sit; fiat & à malo recessus & fuga: quocirca infinitas voluntas diuinæ potius iuuat, vt ab infinito bono rapiatur necessario, quam officit: & Dei libertatem perfectiorem creat esse fateor libenter, eiusque excellentiæ capita varijs quæstionibus d. 3. monstraui, ast non nisi circa materiam & obiecta apta esse potest. Sunt autem obiecta apta, quæ non bonum purum, absque vlla mali, siue positiui, siue negatiui, quo ab eorum prosecutione retrahi possit voluntas, mixtura sunt: cuiusmodi sunt creata, non autem infinite è conceptu suo & simpliciter bonus Deus: in quem proinde posse non ferri, non potestatis diuinæ perfectio & potentia, sed impotentia, imperfectio & infelicitas foret; ferri autem necessario perfectio, & felicitas. Sapienter enim de simili necessitate, & impotentia defectendi voluntate sua amore Dei ac deficiendi à summo bono in Beatis aiebat Aug. *Felix necessitas quæ ad meliora compellit eam libertatis* perfectissimum complementum & filiorum Dei tantopere ab Apostolo commendatam.

5. Demum de essentia libertatis vtriusque, & quoad specificationem, seu contrarietatis, & quoad exercitium seu contradictionis non est sola voluntas, sed cognita indifferens, vel ad contrarios actus, vel obiecta indifferens vel ab obiecto vno eiusque prosecutione retrahens voluntatem: atqui voluntati diuinæ nihil à Deo, eiusve bonitate retrahens proponi potest, cum summum in eo, limpidissimum, purum, ac simpliciter infinitum absque vlla, vel minutissima ratione mali retrahentis in ipso eiusve fulgentissima amore proponatur: idque purum summumque bonum comprehensiue & infinite proponitur: ergo nulla in amorem erga seipsum est contradictionis, seu quoad exercitium libertas. Certe, si quas vt potiores vetustissima, & receptissima hac demonstratione afferunt Recentiores, rationes, consideres attente, inuenies eas omnes obiectione hac, vel solutione sua de perfectione libertatis voluntatis diuinæ facilius eneruari: ac tandem ad dicta nuper de libertate hac, & principia demonstrationis huius recurrendum ipsis fore, ne subruar. Sed argumenta, quibus non solum eius demonstrationis solationem, verum, & oppugnationem tentant, infirmata

infirmiora adhuc sunt. Primum: quia non minoris bonitatis, & propensionis est ad se communicandum creaturis, quam bonitatis ad se amandum: & tamen libere se illis communicat: ergo, & se libere amat: ast in creaturis nonne est, & bonitas finita, & defectu mixta, quo ab earum productione, suique aliquali communicatione retardetur? Secundum: habitus nunquam ita impellere potest voluntatem, vt eam antecedenter determinet ad actum: ergo, nec infinita Dei bonitas. Negabitur forte satis rationabiliter antecedens: cum habitus valde intensi impulsu tantopere homines ad consuetas actiones adigantur, vt fere naturaliter, atque à natura, ac non à libertate videantur operari: quare consuetudo altera natura meritò reputatur. Secundo: habitus voluntatis nihilo viuidioribus intentioribusque speciebus actuum præteritorum, & captæ de obiecto, & actibus delectationis differre docuimus controu. de anima d. de habitibus adquisitis: quare, & solum intentionaliter obiectiue voluntatis motiuos esse per eorum obiectorum viuidiorem representationem: vnde negatur facilime consequentia, ea siquidem est: finitum bonum infinita in genere suo, non autem simpliciter, & è genere, & è conceptu essentiali suo repræsentatione non determinat voluntatem ad sui necessarium amorem: ergo nec bonum increatum simpliciter & è genere suo infinitum, infinita etiam simpliciter & è genere suo representatione propositum, ad necessarium sui amorem non determinabit. Nil autem illa illatione peius.

6. Dubitatur tertio: an amor Dei erga seipsum efficax sit? & quidem, si efficacia pro firma voluntatis adhæsione ad bonum, à quo nec per odium, nec per actus suspensionem possit affectiue diuelli ex eius necessitate, & quoad exercitium, & quoad specificationem constat amorem Dei erga seipsum eo sensu efficacem esse: vt autem communius, vsitatiusque amoris efficacia actiuitatem erga amatum sonat constat efficacem non esse, cum complacentia & gaudium sit de bono præsente, & possesso ab amato, siue ex complacentia sui in vnaquaque persona Trinitatis respectu sui ipsius, vel ex amicitia respectu personæ alterius: atque efficacia actiuitatis circa agenda sit, nec iam facta essentia sua possit supponere, vti essentia sua complacentia Dei de suis, ac personarum intrinsecis bonis facta iam supponit: quare non, nisi chimærica actiuitas efficaciæ conditionalis, quæ in Deum non cadit sub hypothesi nimirum impossibili, si Deus ea non haberet, intrinseca bona, in Dei amore erga se, quo & obiectum, & amor destrueretur, cogitari nequit: etsi autem amor hic Spiritus sancti necessario productiuus sit; non tamen ex ipsius complacentia, cum pro priori ad sui processionem non supponatur, vt obiectum per se quarto modo requisitum: quare, quorsque pro posteriori sit, amor Dei ad ipsum tanquam obiectum non terminatur: tunc autem de possessis ab ipso bonis gaudium est; quare neque erga ipsum affectiuè efficax sed physice, tanquam ad suum terminum terminatur: extrinsecorum autem Deo bonorum (quæ Deo, eiusque dominio materia, non autem eius commoda sunt, vt sæpe dixi) etsi amoris Dei erga se, actiuitas sit, non autem efficax: qua erga seipsum amor Dei est; quousque libere ad creata obiecta extenditur.

7. Quarto dubitatur: an Dei comprehensiuus, ac proinde reflexiuus, amor Dei erga seipsum sit? cui affirmatiué respondetur iuxta dicta de comprehensione scientiæ Dei controuers. secunda & de incomprehensibilitate à cognitione creata: est enim amor Dei intrinsecam Dei amabilitatem solus adæquans: sicut Dei de seipso scientia totam eius intrinsecam cognoscibilitatem: inde, & supra seipsum reflexiuus euincitur, quia, & aliquid Dei, & amabile est: quare vbi primum esse concipitur, concipitur seipsum amare, præuia tamen sui cognitione in quo à Quiros discordo: quia impossibile, imò imperceptibile est, aliquid, vt obiectum *quod* amari, quin, *vt quod* præcognoscatur: quomodo autem infinita formalitatum amoris Dei reflexione opus non sit, neque inferatur, vt seipsum amet, *vt quod*: constat ex dictis contr. 2. in simili de scientia idque à Deo diuinorum actuum scientiæ, & voluntatis supra seipsos, non solum physicè, sed formaliter seu metaphysice sumptos, reflectere proprium esse, vt creatis actibus similibus supra seipsos physice adhuc, nedum metaphysice, sumptos reflexiuos esse repugnat. Sexto dubitatur: an amor Dei erga seipsum non solum in communia, sed etiam in personalia feratur? Respondetur: in omnia de quo nemo dubitat; ast formalissime de specificatiuo obiecto loquendo non in personalia neque in communia omnia, tanquam in specificatiuum obiectum fertur; sed in solum essentiam metaphysicam Dei vt constat ex sæpe dictis de specificatiuo formali amoris diuini.

QVÆSTIO II.

Quo amore Deus extrinseca bona creata vniuersim prosequatur.

1. AFfectus voluntatis prosecutiui hi vulgo censentur amor strictus, desiderium, quod de nondum habitis est, & gaudium, quod est de iam habitis & possessis: & gaudere Deum de creaturis à se absolute factis certum, citra Theologicam disputationem, ex Genesi est: vbi creata cuncta illico diuinæ voluntatis plausus & diuisim & coniunctim sumpta excepere illis verbis: *vidit Deus quod esset bonum, & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: gaudium autem siue complacentiam de creaturis nec nobis, nec Deo de ipsis, secundum præcisum possibilitatis statum esse possibilem d. 2. ostendimus, indeque nec circa creata pro eo possibilitatis statu præcisuo vllatenus strictum amorem esse posse ostendimus quæstion. 1. certam. 2. quare male illum à Recentioribus contra Aureolum citatis locis q. 1. certam. 1. possibilem supponi potius, quam disputari. Quare de desiderio Dei erga creata bona, atque specie altera ipsius, nimirum, restat hac quæstione de creatis vniuersim disputandum: vniuersim, inquam, de creatis bonis; nam de creaturis rationalibus, qua rationalibus, ac Deum redamandi capacibus, & ad quas proinde, ni aliud obsit, amicitia inchoata Dei amor, siue amicitiæ affectus, ex parte Dei esse possit specialis quæstio quarta instituetur. An Deus erga rationales creaturas propriæ amicitiæ affectu feratur.

CERTAMEN I.

De desiderio Dei erga creata bona: opinionis negantis fundamenta & Auctores.

1. QVæstionem de Dei erga creata desiderio de nomine esse ait Herize d. 20. cap. 3. quod de grauissimis Theologiæ controuersiis asserere plurium Recentiorum vsus, vel abusus potius, est: natus quidem ex alio, quod plerique nuperistata vocum significata, rerumque à Philosophis, & Theologis definitiones, quæ disputationibus fixa, & immota principia esse debent, priuato suo arbitrio ac prorsus voluntarie, mouent. Hos eorumque scripta vti scientiarum omnium pestem ab scholis omnibus relegari oporteret: quia nulla tandem de rebus disputatio relinquetur: siquidem varietate hac voluntaria significationis vocum, definitionum rerum, permissa in omnibus quæstionibus liberum cuique erit, quo velit modo, vel voce, vel scripto definire: & cum de vocibus, quam de rebus, facilior sit atque expeditior decisio, plures multo erunt, qui laboris tædio disputationes solum de nomine esse volent; intactis earum de re difficultatibus, quarum solum & examen, & decisio Theologicum, ac Philosophicum sudorem merentur: constat ex dictis q. 1. cert. 5. in quæst. de propria amicitia inter personas Trinitatis, tam disputatione & examine

dignis; cum tamen Arriaga citatus num.1. eam quæstionem de nomine appellans facile se ab ea lineis paucis proinde se expediat: quod etiam in presenti grauissima de re difficultate eodem prætextu Recentioribus nonnullis contingit, sicut in pluribus aliis.

2. Igitur desiderium Dei erga creata bona omnino negat noster Ruiz d. 52. citat. sect.7. numer. 3. Granados de volunt. d. 4. pro sua hac negatiua sententia referens S. Thom. cum Ferrara 1. cont. gent. c. 89. rat.6. fin. & 1.p. quæst.20.a.1. corp. & ad 2. Caiet. Molin. Zumel. Bannez Arrubal. Nazar. & aliis communiter ibi. Capreol. in 1. d. 45. a. 1. conclus. 5. ego vero nescio quo pacto referre possit pro ea absolute extitisse S. Thom. & Molinam cum ipse d. 19. sect. 11. numero 4. pro voluntate Dei antecedente, & secundum quid, seu inefficaci, & conditionata de omnium hominum salute, quam nec solum media, quæ ex ea apponit etiam intendit, referat vtrumque 1.p. q. 19. a. 6. ad 1. sicuti & Bannez ibi, & Zumel d. 2. conclus. 3. & 4. idem docuere, imò ipse Ruiz ibi eidem doctrinæ consentit, eamque explicans sect. 12. init. num. 1. ait voluntatem salutis omnium in Deo non esse simplicem solum complacentiam, nimirum necessariam de salutis possibilitate, sed actuum, liberamque, & partim efficacem comparatione solum mediorum, salutis intentæ: è cuius intentione, etsi non cogatur Deus ad ea tribuenda media; quibus hominum voluntates de facto suæ cooperabuntur saluti, neque ab hac Dei voluntate resilient (id enim intentionis efficacis alicuius finis proprium est) aut cogitur ad ea media apponenda, quæ ex parte Dei volentis, & desiderantis salutem requisita, & necessario apponenda sunt, ad effectus seu salutis consecutionem, ita, vt per eum non stet, quominus salus intenta Dei intentionem non sequatur, vt explicat numero 2. & conclus. 3. numero 5. voluntatem partim efficacem finis intenti à Deo desiderium appellat. Nec video; ad quod affectus voluntatis genus intentio finis cuiusvis, siue efficax, siue inefficax sit proprie spectet, nisi ad desiderium.

3. Fundamenta sententiæ huius negatiuæ ab auctoritate sunt nulla: à ratione vnicum est, ex Dei æternitate (qua sola suos omnes affectus concipit) & desiderij natura, & essentia petitum: etenim, sicut gaudium de solis præsentibus, & possessis actu bonis ei, qui de ipsis gaudet esse solummodo potest, ita & desiderium tantum esse potest de absentibus, ac deficientibus duratione, qua desiderantur ab ipso, potentibusque absolute obtineri. Nihil autem horum habere possunt creata bona respectu Dei: ergo nec desiderari à Deo possunt. Maior desiderij, & gaudij, qua talium, essentialem distinctionem ab omnibus designatam continet. Minor probatur. Quia Deus, vt sæpe diximus, æternitate sua, indiuisibili, totaque simul, solum affectus omnes voluntatis suæ concipit, non autem tempore nostro, & creata successiua duratione: aut æternitati Dei, cunctaque aliqua temporis, seu creatæ durationis particula absolutè sunt, fuerunt, vel erunt, absolute præsentia, & coexistentia, nec minus, quam si acta, vel cum acta sunt: à Deo cognita suæ æternitati coexistere cognoscuntur iudicio de præsenti (vt sæpe diximus, necessariumque ostendimus ad scientiæ diuinæ temporalem variationem vitandam) quin æternitatem scientiæ diuinæ spectantibus præterierint, vel futura absolutè sint, quæ respectu temporis, & durationis nostræ creatæ (hodiernæ verbi gratia absolute non sunt: quia anteriori tempore absolute periere, ac præterierunt, vel quia nondum aduenere, quia & duratione subsecutura hodiernam diem primum existent, ac incipient: ergo nihil, quod absolutè pro aliqua duratione temporis fuit, est, vel erit, volenti Deo, eiusque durationi absolutè deficit, siue præsens non est, vt desiderari ab ipso possit.

4. Ne verò, ad affectum amicitiæ erga rationalia (equorum complacentia plura, que ipsis prius deerunt, poterit Deus pro posteriori tempore desiderare) recurratur: pro eo posteriori tempore, & ipsis adesse infallibiliter, atque æternitati Dei coexistere, atque ità coexistentia & coadstantia à Deo cognosci totaque æternitate sua de præsenti iudicati aduerte: cum quo ea desiderari ex eorum adhuc complacentia repugnat: cum nemo alteri, quantumuis amico desideret, desideranteque pro eo tempore possit, quæ videt pro eo ipso ab amico possideri ex iis vero, quæ Deus solum inefficaciter, & secundum quid vult, & intendit, quorum absolute existentiæ, & præsentiæ præuiso, obesse iuxtà prædicta nequit; obest similis existentia absoluta suo modo suarum negationum: quæ, & absolute suo modo esse, & æternitati suo modo coexistere pro duratione, pro qua bona illa non sunt, à Deo, tota etiam sua æternitate cognoscere, & de præsenti iudicare, æque atque cum absolutè eorum negationes positæ sunt, certum est. Pro eo autem tempore, pro quo aliquid absolutè non est ac non esse prænoscitur, desiderari, vt sit non nisi à vesano aliquo potest: esset enim desiderare, vt duo contradictoria simul tempore iungantur, & coexistant: quod ipsum est desiderium in chimæram, seu impossibile, cognitum vt vt impossibile, ferri posse. Hæc quidem præcipua sunt negatiuæ sententiæ fundamenta, imò fundamenta omnia. Hæc tamen intentionibus, cum efficacibus, tum inefficacibus Dei erga creata, quas omnes Ruiz admittit, ac fere omnes Theologi reliqui instantur manifestè. Neque enim intendere quis potest habere, siue (quod idem est) tendere affectu suo, vt habeat, pro tempore pro quo, & habet, & se habere prænoscit; sed neque intendere vt habeat id pro tempore pro quo eius absolutam negationem præuider.

5. Alia quæ afferuntur nullius sunt ponderis. Primum. Nemo desiderare ea potest, quibus ipse non eget; nullo autem creato eget Deus, neque, vt sic, neque, vt melius sit. At, cum amicus possit eis egere; poterit ea ipsi ex eius complacentia optare. Secundum. Neminem desiderare posse, quæ in sua potestate habet, vt absolutè obtineat, si velit, & quo tempore, & modo velit: vti Deus creata omnia in sua habet potestate: sed antecedens est aperte falsum: illud enim, si velit, desiderium, & voluntatem illa habendi necessarium importat; quod altera antecedentis pars negatur, contra inefficaces Dei ferias voluntates eorum, quæ absolute nusquam erunt (salutis, verbi gratia reproborum) habet obiectio speciem difficultatis maiorem, adhuc autem leuem, vt videbimus inferius: quare merito Ruiz eis probationibus pro conclusione sua diffidit: tametsi ex eis priorem, præcipue copulatam posteriori, aliquid pro conclusione præstare censeat; quod ego non assequor: est siquidem vtriusque probationis medium omnino diuersum: quare, neque alterum altero, quod vim in se probandæ conclusioni non habeat, ad eius probationem minimè iuuari potest.

CERTAMEN II.

Datur in Deo desiderium proprium ergà creata bona, & quæ absolute sunt, & pleraque, quæ absolute non sunt.

1. DEsiderium proprium Deo absolute non possibile solum, sed de facto adesse expressa conclusione defendunt Vasquez 1. p. d. 84. §. 1. à med. Soarez 3. de attrib. cap.7. num.4. Herize d.20. de voluntate cap.3. num. 19. qui de desiderio Dei erga omnium hominum salutem loquuntur: quare Herize ad bona creata quæ à nostra libera voluntate pendent conclusionem restringit: cum autem quorundam salus absoluta sit, quorundam vero absoluta non sit, sed nusquam obtinenda; ea restrictione conclusionem nostram non limitauit; etsi aperte rationi Arrubalis extremæ ex propositis pro conclusione negatiua acquieuerit. æstimans rationem boni non habiti, quod in bono desiderato proprie requirit S. Th. q. 19. a. 2. ad 2. intelligi de non habito in potentia, absolutè nimirum: quomodo in Dei potestate non habentur, quæ

quæ ab arbitrij nostri potestate, & libera electione pendent: verum illa ratio non habiti à Sancto Thoma & aliis ad affectum proprium desiderij requisitum probatione generalis conclusionis nostræ genuinæ explicabitur: quod autem arbitrij nostri, liberrima etiam, operatio absque libertatis nostræ, tam in actu primo, quam in actu secundo, eiusque exercitio in Dei potestate absolutè non contineatur, citra fidei iactaram dici nequit: iuxta illud. *Cor Regis in manu Domini*, & alia scripturæ testimonia plura, quæ attiginus controu. 3. & controu. 7. disput. de subiectis prædestinationis capacibus, siue iis, qui à Deo prædestinari possunt fusius expendemus: sed solum attendit Herize formale vtriusque diuini, & creati exercitium ad liberæ operationis nostræ operationem necessarium; non autem vlteriorem Dei potestatem, & Dominium auxilia, vt quoquo versum quamvis creatam voluntatem absque libertatis præiudicio suauissimè flectat, ac deducat: etsi autem in terminis de desiderio proprio Dei erga creata vix ab aliquibus ex antiquis Theologis disputatum fuerit: nostram ab eis suppositam vniuersim, vti de se notam, sententiam existimo, vt ex probatione prima clarebit. Etsi autem Vasquez, & Soarez de desiderio salutis omnium, quæ à nostra etiam voluntate pendet solummodo disputauerint; Dei erga reliqua desiderium proprium non negarunt. Consensit huic affirmatiuæ sententiæ Arriaga d. 25. de volunt. sect. 1. §. *circa desiderium*.

1. Probatur primò vniuersim conclusio: quia per omnes Theologos, etiam contradictoriæ sententiæ, in Deo est intentio efficax finium plurium, & effectuum creatorum, & plurium, quæ in sui positione à creato arbitrio pendent, inefficax: ergo desiderium proprium erga creata quæ intendit. Antecedens probatur præter consensum Theologorum: quia, cum agens rationale, & liberum Deus sit, operari debet propter finem & *qui* & *cui*, quorum neutrum, vt vidimus d. 3. ipse esse potest, sed solum specificatiuum adæquatum sui amoris: quæcumque autem hominibus ex ipsorum beneuolentia, & complacentia vult creatum quid est, sicuti &, quæ vult Angelis: & quidem etsi Deus, quo velis modo, finis sui amoris sit, alia intermedia, ita vult, & amat ad finis eius à creatura rationali consecutionem, vt voluntate sua remotius, vt assequatur, quod proximius fini est, ponat, cum in naturalibus, tum in supernaturalibus, atque apponi velit: quod satis est, vt, cum vnum apponit, aliud, etsi non vltimo, intendat: consequentia probatur: quia omnis intentio proprietate sermonis desiderium est. Id quod probatur: quia per omnes Philosophos, & Theologos amor prima sui diuisione adæquata in desiderium, gaudium, & (vt Recentiores contra quos egimus q. 1.) amorem strictum diuidit: ergo omnes species amoris proprietate sermonis sub aliquo ex eis tribus generibus continetur: atqui intentio, siue efficax, siue inefficax, velfinis vel inter medij proximioris fini, nequit esse species sub gaudio; cum non sit de bono possesso, seu quia possidetur: nec amor strictus, cum non sit complacentiæ possibilis præcisiuè, siue rei secundum essentialia prædicata, eorumque conuenientiam complacentia tantum, sed in rei existentiam tendat: ergo est species propria sub genere desiderij.

2. Probatur secundò: quia omnis affectus, vt *aliquid sit*, siue intentio, siue electio, siue immediatè executiuus affectus sit, proprietate sermonis est affectus optatiuus: atqui omnis affectus optatiuus est desiderium proprium: ergo omnis intentio electio, & voluntas alicuius rei, etiam executiua, vt aliquid sit, est proprium desiderium: in Deo autem dantur intentio, electio, & voluntas siue affectus executiuus, vt aliquid, imò omnia creata, quæ aliquando absolutè existunt, imò & plura, quæ nunquam existent, neque exstitere, sint: ergo, & datur desiderium proprium erga creata in Deo. Secunda hæc consequentia est legitima: subsumptum ad illam antecedens indubitatum: cum nihil absque decreto Dei, intentione, & electione mediorum esse in creatis absolutè possit, si mediis habeat opus. Plurium autem, quæ non sunt, voluntatem, aut intentionem veram habere Deum, vt sint, constabit ex dicendis de omnium hominum salute probatione speciali subiicienda, & cum de intentione efficaci, & inefficaci Dei erga creata agamus. Maior, & minor primi syllogismi, ex quo secunda illatio pendet, probandæ restant facili negotio. Major probatur: quia modus optatiui, subiunctiui verbi substantiui, & reliquorum verborum à Grammaticis omnibus ad id adinuentus, discretusque à reliquis verborum modis fuit, vt affectum optatiuum proprium significaret: vnde, & optatiui subiunctiui nomen inditum ipsi est: neque aliter significari optatiuus affectus noster proprius potest, quam *volo vt hoc vel illud fit, volo vt comedas, lanes, &c.* Minor æqua facilitate suadetur: quo enim significato optare ac desiderare apud Latinos differunt? planè synonyma eiusdemque prorsus significati apud Calepinos, & latinæ linguæ dictionaria, & thesauros omnes sunt *opto* & *desidero*, quorum periphrasis est vbique *in votis, desiderio habeo*: quare animi votum, & desiderium idipsum, quod affectus optatiuus est proprietate & sermonis & significati, vt in minori dicebatur: quæ, nisi ab homine latinæ linguæ prorsus ignaro, negari nequeunt.

4. Probatur tertiò: omnis voluntas de aliquo faciendo, cuique repugnet esse voluntatem iam factum illud supponens, siue quia iam factum, est faciendi desiderium: atqui omnis Dei voluntas intentiua, electiua, executiua alicuius creaturæ, est voluntas de eo faciendo, &, cui, qua tali, repugnat esse voluntatem supponentem illud iam factum, siue quia iam illud est factum: ergo omnis voluntas Dei intensiua, electiua, & executiua cuiusvis creaturæ est desiderium. Maior est Sancti Thomæ 1. contra gent. cap. 89. rat. 6. fine: ex quo loco ab aduersariis præcipuè pro sententia opposita nobis opponitur, dicente desiderium & spem in eo conuenire, quod respiciant *bonum non obtentum, sed obtinendum*; inquiunt autem aduersarij: illud *obtinendum* dicere futuritionem propriam temporariam boni desiderati, qua essentialiter importatur exclusio, seu negatio absoluta boni desiderati pro duratione, qua eius amorem, & desiderium concipit, qui illud propriè desiderat: quæ respectu æternitatis, qua sola Deus, vel sibi, vel nobis bona desiderat, nequit inueniri solutio hæc totum contradictoriæ sententiæ fundamentum, & nostrarum probationum euasiones continet apparentiores: igitur eius fallacia detegenda est, atque ostendendum, ad desiderium negationem absolutam, & exclusionem rei desiderandæ pro duratione, qua desiderium à desiderante concipitur, nec requiri, nec præsciri à desiderante debere; sed solum pro priori naturæ ad concipiendum, habitam iam, & possessam, seu præsentem, non cognosci; vt cognosci ad gaudium concipiendum oporteret: quare, etsi posterius natura eius absoluta existentia, & possessio adueniat, adsitque pro eadem duratione, adesseque cognoscatur; cum tamen ea cognitio affectum voluntatis erga rem illam, non excitet, dirigat, aut natura præcedat, sed potius illum subsequatur, quominus affectus ille proprium rei illius desiderium sit, minimè efficere.

5. Ratio est: quia affectus omnis ductus cognitione, quæ rem, nondum factam repræsentat, sed solum factibilem, possibilemque fieri, atque voluntatem inducit, vt eam fieri velit, est affectus de re facienda, seu obtinenda (quod solum, vt desiderium proprium sit, requiritur etiam à Sancto Thoma loco citato,) habetque futuritionem, & veram naturæ, & causalitatis posterioritatem: quomodo S. Thom. effectus omnes in suis causis consideratos, ac non, vt in se actu, & exercitè sunt futuros constanter appellat, quoties eos per hæc naturæ, & causalitatis instantia, & signa considerat: quod si quæ nobis absolutè deficere pro instanti quo ea desideramus, desiderari à nobis vsueniat: ac proinde non pro eo instanti, quo desideramus, sed pro vlteriori ea, & subinde futura desideremus; non tamen ideo est, quia id essentia sua desiderium requirat; sed, quia consideratione signorum, & instantium prioris, & posterioris naturæ subtili, non statim affectus concipimus, sed rudius, tardiusque, ac proinde absolutæ existentiæ, vel non existentiæ rei, erga quam afficimur cognitio nostrum præuenit affectum: cum autem Deus ea signa subtilissimè, vt sunt, necessariò dispiciat, & statim, atque naturæ prius causæ ad effectum rem fieri, seu de re facienda decernat, vt causæ naturali exigentiæ decreto

suo annuat, vel renuat (si vt non sit velit) ac rursus, vt finem, vel intermedia fieri velit, nihil scientiæ de eorum absoluta existentia expectet, pro prioti ad scientiam de rerum absoluto esse, vel non esse, sed solam scientiam de eorum possibilitate supponat: fit, vt de se facienda, vel non facienda voluntas ante absolutam existentiam, vel non existentiam ex ea voluntate absolutè ponendam, eiusque præuisionem æternam pro duratione, pro qua apponenda, vel non apponenda est, à Deo concipiatur.

6. Hoc sanè à nemine negatum hactenus est, atque à nemine negari potest, qui Dei prouidentiam non neget, atque eius in naturalem, & supernaturalem Theologicam diuisionem, ordinem item intentionis, & executionis: atque vniuersim qui diuinorum decretorum ordinem, & signa defendat: & ex aduersariorum doctrina demonstratur: ipsi enim omnes fatentur amorem strictum in Deo boni cuiusvis, etiam absolutè futuri, possibilitatem solummodo scientia simplicis intelligentiæ directam admittunt, indeque Deum ad existentiam rei desiderandam, & de absolutè posita pro posteriori, præuisa gaudium accendi, etsi vtriusque cognitio in Deo simul ex æternitate, & per æternitatem sit: ergò existentiæ absoluta rei præuisio pro posteriori ad decretum, quo ex scientia simplicis intelligentiæ voluit, vt absolutè fieret, decreuitque rem absolutè faciendam, non oberit, vt sit desiderium, cui solum esse de præuisis absolutè iamque factis solummodo repugnat: sicut neque obest, vt amor strictus præcedat. Confirmatur ex irrefragabili Augustini à Patribus, & Theologis recepta contra Pelagianos, & Semipelagianos consequentia ex illo Pauli loco ad Ephes. 1. *elegit nos in ipso, vt essemus sancti*: vndè infert Augustinus, & cum eo reliqui: *ergo non, quia futuri eramus sancti* quæ illatio supponit scientiam visionis nostrorum absolutè futurorum, etsi ab æterno sit, cum scientia simplicis intelligentiæ, & conditionata, ipsisque coæua, & coæterna in Deo, tamen ipsum ad nostri electionem, vt Sancti essemus non dirigere, neque officere, vt ex illarum directione salutis nostræ faciendæ, & obtinendæ affectus à Deo haberetur, siue quod idem est desiderium satis ab Apostolo illis verbis expressum *vt essemus sancti* iuxta ea, quæ num. 3. dicebamus ex his tota difficultas, & fundamentum aduersariorum subuertitur ex coexistentia futuritionis vel non futuritionis absolutæ creatorum æternitati Dei, atque æterna eius præscientia & præuisione, quæ iuxta dicta desiderium de illis absolutè faciendis (quod tota desiderij quidditas est) seu affectum Dei vt fiant non præcedit, sed subsequitur.

7. Admissa etiam tota aduersariorum doctrina, & repugnantia, quominus ex complacentia sui creata desiderare Deus posset, nihil probare, vt ex creaturæ complacentia (quo solummodo ea, vt diximus amat) desiderare non posset: quia quod creaturæ ex cuius complacentia, cuiusque gratia amatur, bonum, & commodum est physica temporalis boni illius præsentia & possessio est, non eius coexistentiæ æternitati, siue obiectiua in scientia Dei existentia. Neque enim cibo crastino, aut virtute, vel pœnitentia futura ex eorum æternitati Dei coëxistentia, vel delectamur, vel sancti sumus, & iusti. Cum ergo possessio temporalis boni, & commodi nostri attendi, intendique à Deo debeat, vt ex nostri complacentia ab ipso ametur, atque ea nobis toto anteacto tempore ad eius in nobis præsentiam, & positionem, nostramque illius possessionem, atque hæc deficiat, vt Deus nobis ex nostri complacentia eam desideret, eius boni anteacta absoluta negatio, & subindè propria physica eius futuritio ex parte obiecti, nec in se, nec in Dei scientia, qua commodum bonumque nobis est ex parte obiecti, non deficiet, vt proprio desiderio nobis à Deo ex complacentia nostri ametur: etsi ad proprium desiderium non sola futuritio boni pro posteriori naturæ, & causalitatis, vt ostendimus sed insuper futuritio durationè temporaria boni & commodi illius, ex cuius complacentia amatur, requiritur: quod solum attendi debet, vt ex complacentia eius aliquid ipsi desideretur, non autem quod præsens sit desideranti eiusq; cognitioni, vel futurum; nisi è sui complacentia desiderandum sit. Neque enim ex ea præsentia affectus erga amicum satiatur, & quiescit, quousque physicè ipsi adsit: quare pro tempore toto, quo ipsi abest, futurum illi est à Deoque ab æterno fore etiam agnoscitur, desiderio proprio, (etiam iuxta hanc aduersariorum doctrinam) illi ex eius complacentia amabitur: & hæc vniuersim desiderium Dei ex sua æternitate proprium erga creata omnia absolutè futura, siue à solo eius arbitrio, siue nostro etiam creato pendentia, videntur euincere contra nostri Herize limitationem memoratam numero primo, qui ad bona creata, dependentia à creata etiam voluntate, Dei desiderium, vt diximus, limitabat.

8. Quoad huiusmodi autem bona est probatio ex scriptura Ispecialis, quæ desiderium Dei proprium absolutè probat, ac desiderij Dei erga quævis alia creata bona tentatas ab aduersariis repugnantias infringit. Primo ex loco Pauli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso* (Christo mirum) *ante mundi constitutionem vt essemus sancti*: Qua subiunctiua dictione Dei pro priori naturæ ad nostræ sanctitatis existentiam docet. Secundo ex illo 1. ad Timot. 2. *vult omnes homines saluos fieri*, &c. *Et ad agnitionem veritatis venire*: quem locum de seria ex parte Dei voluntate, & secundum quid, etsi non absolutè efficaci, Patres omnes interpretantur vt certam. 4. videbimus eiusmodi autem voluntate, seu intentione inefficaci rei cuiusvis, sicuti & efficaci desiderium proprium conuenit, ostendimus; Sed voce & nomine proprio desiderium esse, & docuit & ex instituto explicuit, & probauit Chrysost. homil. 1. in Epist. ad Ephes. verba illa Pauli cap. 1. *Secundum propositum voluntatis suæ*: his pendens. *Perindè est, quia vehementer vellet fieri: hoc ipsius erat desiderium; quasi, si quid dicat. Hæc ipsius erat voluntas.* Εὐδοκία, (qua vsus Paulus ibi est) *enim vbique est præcipua Dei voluntas*, quam primariam statim appellat, *& qua Deus non vult perire peccatores*: atque à secundaria, qua in peccatis persistentes vult perire, distinguit: subditque inferiuscule. *Itaque primariam illam voluntatem indicat, & ingentem ipsius atque propensam erga nos cum flagranti desiderio coniunctam benignitatem. Neque enim defugiam dictione hac vti communiter loquuntur (id quæ explicandæ rei causa, & in eorum gratiam, vt simplices sunt) quod ipsi dicimus θέτικα, quod bonum conatum, & secundum animi nostri voluntatem, affectionem: hoc est, quod mirum in modum cupit vehementer desiderat nostram ipsorum salutem*: quibus ad rem nostram nil luculentius. Denique nec Ruiz ipse hanc Dei de nostra iustificatione sanctitate, & salute voluntatem aliis, quam desiderij, ac desiderare verbis explicuit: dum, quod supra velleitatem, seu amoris strictum, in ea addendum declarauit: neque aliter ab vllo, ex aduersariis adhuc, potuit explicari.

CERTAMEN III.

Spei affectus Deo repugnat.

1. Nihilominus erga creata bona omnia, & singula neganda spes in Deo cum omnibus ferè Theologis est. Huius rationem ex eo, nuper impugnati reddunt: quod spes omnis fidentius de re obtinenda desiderium est, ac proinde species propria desiderij: quod Deo ob creatorum coëxistentiam præsentiamque æternitati, & æternæ scientiæ, & visioni absolutæ Dei repugnat: cui autem genus repugnat, & speciem, quæ illo haberi non potest, repugnare necesse est. Hac autem ratio ex dictis manet eperuis. Firma omnibus ratio est ab arduitate materiæ sperandæ, siue difficultate obtinendi, quod speratur, necessaria essentialiter in obiecto propriæ spei desumitur: quia Deo nihil est executu arduum, siue obtentu difficile. Hanc arduitatem obiecti spei Vasquez citata d. 84. capite primo, in dependentia obtinendi boni à potentiore, & virtute superiore. Soarez 3 de attributis capite septimo in dependentia à virtute alterius cuiusvis, etiam infernotis, in boni obtentione contineri censuit: nam, & à famulis aliquid fieri speramus: &, quod sibi quisque præstare potest, non sperat.

2. Nec

2. Nec indè tamen gaudium personarum diuinarum procedentium, quod à producentibus originariè sint, & procedant, diuinaque communia omnia recipiant, & possideant ad spem spectare propriè, etsi iuxta Caietani & Soarij nostri sententiam in Beatis gaudium de adepta beatitudine spei actus sit, atque ab habitu spei ad eum connaturalius eliciendum, in eis in statu beatitudinis adsit: tum, quia virtus, qua procedunt tanquam producendi ratione, & energia in essentia, & amore communi stat, quæ ipsorum est, solum conferente personalitate Patris essentiæ identificata necessariam distinctionem principij absoluti & expediti ab identitate cum termino producendo, vt diximus controuersia de Trinit. d. a. de processionibus, & disp. de potentiis notionalibus. Secundo, etsi id deesset: virtusque, & ratio agendi esset extranea, & alterius, nunquam personæ intelligi, nedum esse possunt, vt affectu aliquo aut cognitione in sua ferantur, quin ea actu habeant, sine quibus in se non essent. Nemo autem sperare potest, quod nunquam, siue à se, siue ab alio non potest concipere vt obtinendum, sed necessario possessum: quare nemo à Deo sperare essentiam, & existentiam suam potest, quamvis à Deo ipsam recipiat, receptamque cognoscat: quia nusquam eam, quin à Deo eam præhabeat, potest agnoscere: quare pro nullo priori vt obtinendam: quod necessarium docuit Augustinus epist. 122. ad Probam, & exemplo oui explicuit in quo *vita pulli nondum est, sed futura est, spes enim, quæ videtur non est spes*: ergò arduitas, & contingentiam sperandæ rei importat, & obtinendæ, vndecumque proueniat, difficultatem, siue ex aliena, siue ex propria voluntate, siue ex ipsius obiecti natura: quare opera executu etiam à se difficilia sperare quis potest: etiam tunc, cum ea exequi serio apud se statuit: quia in eo proposito perstare contra exequendi operis laborem & difficultatem, quibus mutabilis deterreatur voluntas, & absistat, nec facile est, nec è præsenti proposito securum.

3. Hinc ad Deum à Beatis disparitas: constat etenim Beatis in statu viæ gloria, & beatitudo, vt obtinenda, ac supposito etiam Dei adiutorio, labore multo, ingentibus difficultatibus non sicca fronte superatis obtinenda proposita fuit: talibus tantisque, vt ni Dei gratia supernaturali iuuaretur, Deique exhortationibus alliceretur, ac eius obfirmaretur promissis rei, & magnitudine, & difficultatum horrore perterrita eorum voluntas, nusquam, vt ea speraret, erigeretur: quare, & actui, & habitui spei tunc in illis locus pro eo statu fuit, & proprium obiectum: manetque in patria gloriæ possessæ arduitas, & difficultas, non obtinendæ, sed obtentæ arduitate superata: ac proindè eius cum ea difficultate superata obtentæ gaudium Beatis est, quod materiæ obtentæ respicit arduitatem, quam obtinendæ, & actus, & habitus spei vt obiectum & materiam propriam respiciebat: quare & actus spei, & habitus in Beatis esse potest: siquidem eiusdem facultatis, & virtutis est, & bonum obtinendum sub aliqua ratione desiderare, & de eodem sub eadem ratione obtento gaudere. Personis autem diuinis procedentibus, etsi intrinseca bona, vt à se obtinenda, ac non, vt obtenta necessario possent cognoscere, nusquam tamen, vt difficulter, & cum arduitate à producentibus obtinenda cognosci ab ipsis possent: vbi ergo proprium illis obiectum, capaxque materia spei?

4. Portò sperandæ rei obtinendæ difficultatem, arduitatem illam & obiectum proprium, & materiam necessariam spei constituere, vt non expresserit insinuauit satis Aristoteles 1. Rhetor. cap. 11. med. cap. 12. lib. 2. cap. 11. lib. de memor. & reminisc. c. 1. Cicero lib. 4. Tuscul. significauit etiam Paulus ad Rom. 8. *spes autem, quæ videtur non est spes. Nam quod videt quis quid sperat?* Ecce conditionem boni obtinendi, nec dum obtenti. Pergit Apostolus. *Si autem, quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Patientia autem non nisi laboris, & difficultatis alicuius est, vt bene ibi Sanctus Thomas lect. 5. ante med. & Chrysostom. serm. 14. duab. colum. ante morale. *Nam, velut laborantem Deus ac fatigatum, innumeraque passim ita sperantem coronat: ipsum enim patientiæ nomen fidorum est, multaque tolerantia.* Consonant Theophil. & & Theodor. & Ambros. ad eum locum & August. Psal. 91. sub init. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Patientia necessaria est, quamdiu veniat quod promissum est. Nemo autem patiens est in bonis, quando dicitur patiens esto molestia est sub qua te Deus vult esse fortem*: fusior in eadem sententia serm. 25. de verbis Apost. citato cap. 10. de ciuit. Dei cap. 25. post med. lib. 15. cap. 18. toto: quare voluntatis spes similis est spei appetitus sensitiui iuxta S. Thom. 1. part. q. 81. art. 2. corp. quæstione 82. articulo 5. qui per irascibilem ad difficultates & impedimenta eius quod appetit insurgit.

5. Verum quid de arduitate ad spem propriè talem tenendum: & an præterea ex specifica sua ratione in bonum obtinendum, non solum pro naturæ, sed temporis etiam posteriori, ac proindè in futurum: vt futurum ferri voluntas debeat, vt propriè illud speret? ad controuersiam de actibus voluntatis, & controuersias de actibus supernaturalibus spectat: vbi de eis egimus latè. Ad præsens autem satis est obtinendi boni conditio, qua procedentium diuinarum personarum spes reiicitur: & de eius obtinendi arduitate conditio altera, qua etiam excluditur spes, producentium personarum: atque vniuersim à Dei {cui nihil arduum esse potest} aut difficile affectibus erga creaturas, vnde illa Isai. 5. de populi sui vinea: *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruscas*: & cap. 30. *expectat Dominus, vt misereatur vestri*, non spem propriam significat, sed desiderium, ex quo ea ad vineæ fructum, & populi pœnitentiam, ac respiscentiam apposuit, ac si speraret, quibus vtrumque cordate speraretur, ab eo, qui sperare propriè posset.

QVÆSTIO III.

De affectus diuini erga creata efficacia absoluta & secundum quid, siue ex parte sua, non nostri, antecedente, beneplaciti, nec solum signi.

DVBITARE Patrum, & Theologorum loquendi modos proposuimus explicandos prius, vt quæstio de re absque æquiuocationis discrimine definiatur: voluntas signi ea in Deo dicitur, quæ Dei erga aliquid faciendum voluntas non est, sed sic ex his, quæ Deus agit appareat, eiusmodi sunt pœnales scripturæ communicationes, & præcepta de iis, quæ Deus videtur præcipere, quæ tamen fieri Deus absolutè prohibet: tandem, vel impedit fieri; vt præcepta sono tenus solum, Abrahamo filij Isaac immolatio, & similia, in quibus, non rei, quæ præcepta sonat, voluntas in Deo est, sed alterius vt obedientiæ Abraham executæ, non Isaaci necis beneplaciti voluntas est; quam Deus verè, nec solum apparenter, & sonotenus habet: voluntas antecedens ea dicitur, quæ exercitium creaturæ præsertim rationalis non expectat, vt absolutè à Deo concipiatur: consequens, quæ exercitium, & operationem creaturæ expectat, vt pœnæ absolutæ infligendæ, vel conferendi præmij executiua voluntas: & hæc quandocunque profectò alterutrum exequitur Deus, beneplaciti voluntas, nec solum signi dicitur: scio alias antecedentis, & consequentis voluntatis Dei acceptiones à recentioribus nonnullis, vt suam quisque sententiam æquiuocationibus saltem obscuret, & vocibus tueatur, quas omnes ad longum referre, & insectari prolixum esset, ac Theologiæ inutile immò & perniciosum. Hanc acceptionem à Patribus, & Scriptura olim Theologia accepit in ea disputamus: responderi solummodo volumus reliquis neglectis acceptionibus & vocabulariis nouis: efficax absolutè talis ea est, quæ de sese obiecti voliti absolutam

absolutam existentiam affert, ipsique connectitur: ita, vt absque illius absoluta existentia eiusmodi voluntatem ab intrinseco efficacem esse repugnet, voluntas autem efficax secundum quid ea est, quæ, quatenus ex parte Dei est, vult non perfunctorie quidem, sed serio, fieri, non tamen absoluta efficacia: quia obiectum ita efficaciter ex parte sui à Deo volitum à libertate arbitrij creati, liberaque eius determinatione, vel proxime, vel remotè pendet: vt nostra honesta operatio, eiusque præmium ad quod honesta operatio supponitur: & hæc quidem vtraque efficax absolutè vel secundum quid, siue ex parte Dei respectu sui obiecti beneplaciti semper voluntas est, & antecedens, cum illud factum non supponat, sed in illud tendat faciendum. Aliter duplex voluntas hæc nominari à Patribus, & Theologis solet, nempè absolutè efficax voluntas, vel solum efficax ex parte obiecti, siue obiectiuè conditionata: nempè volo efficaciter, & serio pœnitentiam, & salutem, talemve honestam operationem Petri, si tamen ipse velit. Harum omnium locutionum, & nominum diuinæ erga creata voluntatis sensum, & significata innumera Patrum & Theologorum testimonia dedit Ruiz de volunt. d. 19. 20. & 21. à quibus nunc abstineo, quia nulla de eis iam apud Scholasticos Doctores dubitatio, sed vnanimis potius in eis consensio.

CERTAMEN I.

Faciliorum expeditio, & vnicæ Theologicæ hac in re difficultatis propositio, & Doctorum sententiæ.

1. DE voluntatis beneplaciti antecedenti & absolutè efficaci erga creata, vel à solo Deo facta, vel causarum secundarum naturalium etiam interuentu, & operatione absque vlla creati arbitrij dependentia dari in Deo nemo dubitat: cum nihil in rebus ni eiusmodi voluntas in Deo natura præcedat, poni possit: solum posset alicui dubium suboriri, an respectu eorum dari in Deo possit, deturve de facto voluntas efficax solummodo secundum quid, siue quatenus ex parte sui est, siue ex parte obiecti conditionata, si talis causa naturalis, aut naturalis conditio independenter prorsus à creati arbitrij, & libertatis exercitio naturaliter poneretur: qua in re negandum censeo: tum, quia implicat Deum velle quantum ex se est, & suæ ditionis, potestatis refert, aliquid efficaciter, quin eo ipso formaliter, quæ à solo suo arbitrio, & potestate pendent, velit efficaciter absolutè apponere, ni iam apposita absolutè supponat: vti ad decretum efficax antecedens, & absolutum effectuum naturalium executiuum supponit. Tum etiam: quia effectum naturalem sub conditione causæ, & conditionis, ad quam naturaliter consequitur, forè, nil aliud est, quam effectus ab eis causa, & conditione possibilitas, vt diximus sæpè controuersia de scientia d. 4. de mediis naturalibus diuinæ scientiæ, & controu. præsente d. 2. quæst 3. statum medium inter puræ possibilitatis, & futuritionis absolutæ rerum explicantes & constituentes: quod ad scientiam simplicis intelligentiæ omni Dei actuali voluntati antecedentem spectat: quare nulla conditionatæ eius futuritionis constituendæ voluntas efficax ex parte Dei potest apponi, quæ de iam constituto ante ipsam, voluntatem non sit, & eius efficaciæ repugnans: si effectus suis causis & conditionibus naturalibus, respectu quarum contingentiam non habent, comparetur.

2. Secus, si ad decretum diuinum, cui illæ in operando subduntur, referantur, res habet: quare, & liberi sunt respectu Dei, qui causarum conditionumque naturalium determinationi, & exigentiæ potest non annuere, vt eisdem locis obseruabamus: ac proinde, & statum conditionatum, & contingentem respectu Dei possunt habere: cum tamen ea contingentia mutuato à libertate diuinorum decretorum, & omninò extrinsecus habeant, ad futuritionis conditionatæ diuinorum decretorum examen quæstio deuoluetur, quod præsentis quæstionis, de voluntate Dei efficaci ex parte subiecti, & conditionata ex parte obiecti, erga purè creata non est: cum tantumdem sit, atque examinare, an Deus possit anteacto efficaciter decernere se habiturum decretum concurrendi, si causæ, & conditiones naturales apponantur; id autem omnino otiosum esset, & superfluum, neque Theologica disputatione dignum: in qua dicito, quod lubeat: ego huiusmodi decreti conditionati repugnantiam non video, sicut neque ad Theologicum aliquid quæstionis eius vtilitatem: illud solum moneo: eiusmodi decreto præconcepto absolutum decretum concurrendi purificata conditione liberè à Deo concipi non posse.

3. De efficaci vero voluntate Dei absoluta efficaci inquam antecedente de arbitrij creati operationibus duo in quæstionem adduci possent. Primum: an necessaria sit, vt creati arbitrij operatio libera absolutè apponatur & existat de quo tota controu. de decreto concurrendi agentes, fuso calamo pro negatiua conclusione contra decreta prædeterminatiua Thomistica scripsimus vt plura hic scribendi nec opus sit nec facultas. Secundum: an etsi non necessaria ad eiusmodi creatas liberas operationes absolutè ab arbitrio exercendas absoluta Dei voluntas efficax non sit, supererogatoria tamen dari pro Dei libito possit, ac de facto detur? & id quidem è pura scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate operationis creatæ à creato arbitrio, an saltem scientia de futuritione conditionata eius operationis ab ipso, si hæc vel illa conditio indifferens, nec voluntas ad eius operationem in actu primo anteacto determinans, seu prædeterminans, v. g. auxilium hoc de se indifferens conferatur? Hac tamen de re longa, & actis erit, & oportunior disceptatio d. 5. loco propriori de voluntate antecedente diuina efficaci ex parte Dei solummodo siue secundum quid, vel ex parte obiecti conditionata erga arbitrij creati operationes liberas, qua nimirum Deus efficaciter decernat, vt sint non absolutè, sed si talis conditio apponatur, potest etiam in disputationem venire duplici in casu. Primus, si conditio neque exercitium liberum creati arbitrij sit, ab eove in sui positione dependeat: & hoc casu duplex adhuc potest quæstio excitari. Prima: an ex necessitate, & indigentia conditionati illius status futuritionis nimirum operationis illius ab arbitrio creato, si tale auxilium donetur: quia status eiusmodi futuritionis, nisi voluntate efficaci Dei absoluta subiectiuè, & obiectiuè conditionata vel formaliter constituatur, vel effectiuè causetur? & hanc quidem quæstionem negatiuè decidimus controu. 2. de scientia d. 5. quæst. 2. contra Thomistas eosdem. Secundò: an etsi non ex necessitate supererogatorie pro Dei arbitrio voluntas efficax absoluta ex parte actus dari in Deo possit de conditionata operationis illius creatæ futuritione super quo negatiuè respondimus, etiam hic disp. 2. q. 4. certam. 3. à num. 2. ad 6. inclusiuè: quia nec pro illo statu libera operatio foret, neq; pro absoluto si conditio purificetur.

4. Secundus quæstionis de voluntate antecedente Dei ex parte sua siue secundum quid efficaci vel conditionata ex parte obiecti erga creata casus est: cum conditio sub qua à Deo efficaciter eiusmodi futurum creatum decernitur est, vel exercitium liberum arbitrij creati, vel aliquid ab eo dependens: quo in casu exerciti illius, & operationis arbitrij creati libertatem non euerti perspicuum est: quandoquidem exercita in hypothesi ad id quod sub illa fore à Deo decernitur, supposita est. Porrò de hac quæstione egimus etiam, vniuersim, tamen, vt locus petebat, & patiebatur proximè citato certam. 4. concluſ. 4. à num. 7. ad 10. inclusiuè vbi affirmatiuè respondemus, atque eiusmodi esse Dei de hominum salute voluntatem attigimus num. 9. de qua ex instituto (vt potè de re graui, atque ad Theologica plura deinceps definienda perutili) erit in præsentiarum agendum. Ne verò vel scripturæ, & Patrum, ac Theologorum hac in re locutiones lectoris iudicium turbent, aberrarèque faciant à vero animaduerto: non omnem voluntatem Dei antecedentem secundum quid, siue quatenus ex parte Dei est, efficacem de liberis creatis effectibus natu-

naris obiectis sint ex parte obiecti, vel obiectiuè conditionatam esse, vt nonnulli vtrumque confundere videntur, siquidem ex parte sua vult Deus consensum nostram liberum, atque ex parte sui serio, & quandoque efficaciter: cuius voluntas seria, & efficax secundum quid quandoque, siue ex parte sui, ex qua nobis, & auxilia confert, & suum offert concursum à Patribus & Scholasticis, quasi conditionati esset obiecti: sic explicari solet: *volo quatenus ex me est, vt concursu hoc oblato & auxilio consentias si velis*: cum tamen efficax hæc secundum quid, siue ex parte Dei de obiecto conditionato non sit: quia velle nostrum, quod pro conditione ponitur idem, quod consensus noster, quod sub ea conditione amari, ac desiderari à Deo dicitur omnino est; idem autem sub conditione sui conditionatum verum esse nequit: cum ergo vtraque voluntas, & efficax secundum quid & ex parte Dei cum conditionata obiectiuè voluntate identificetur oportet vt conditio à conditionato re ipsa distinguatur: idcircò, cum proximè diebam conditionem in secundo hoc sensu quæstionis de voluntate conditionata obiectiuè, & efficaci Dei voluntate ex parte sui illi identificata conditionem debere esse, vel exercitium liberum creatum, vel illud supponentem intelligendum est distinctam realiter esse debere è conditionato obiecto, quod sub illa forè adeo efficaciter secundum quid, siue ex parte sui desideratur: vti est salus nostra si rectè viuamus, & auxilia gratiæ, congrua præsertim, si ea debita à Deo petamus.

5. Secundò: vt alias æquiuocationes in Patrum & Theologorum genuina intelligentia vitemus animaduerto: non omnem voluntatem seriam Dei absolutam ex parte subiecti siue subiectiuè, & obiectiuè conditionatam efficacem ex parte Dei, & secundum quid esse debere vt bene Ruiz disputatione 19. sectione duodecima, numero tertio, & expressius Arriaga de voluntate d. 25. sectione tertia, numero 24. §. *Secundo ergo & melius*, etsi enim præfinitiones actuum nostrorum liberorum, & omnium, quæ illos supponunt, ante ipsorum præuisionem, etiam regulatæ, ac directæ per scientiam mediam (vt vero mihi similius est) repugnent: quare, & conditionata efficax voluntas obiectiuè ab exercitio libero voluntatis creatæ independenter: potest tamen dari in Deo duplex voluntas, & affectus actiuus de obiecto, quod sub conditione libera nostri exercitij, vel ipsum supponente, velit. Altera adeo efficax, vt vi eius determinetur diuina voluntas, Deusque ipse sub illa, vt media omnia, quæ sub ipsius dominio, & potestate sint, vt conditionatum illud de facto obtineatur, adhibeat: quæ determinatio siue efficacia determinatiua cum collatione mediorum à Deo solummodò connectitur; non autem cum obiecto ipso, siue absolutè, siue conditionatè solum efficaciter ex parte Dei volito: quod, quia non satis distinctè ab assertorib. præfinitionum regulatarum per scientiam mediam de consensu conditionato liberè futuro, in huiusmodi de eo in seipso præfinitiones incidebant, vt d. 5. videbimus. Alter vero affectus Dei actiuus etiam, & serius, quatenus ex parte sua est, in Deo esse potest, quo, non determinetur, cogaturve eius voluntas ad omnia media; quæ in sua potestate & dominio habet, vt volitum obiectum obtineat, de suo apponat, & exequatur; sed ea tamen præconcepta voluntate agatur, determineturque ad ea media de suo apponenda, quæ satis sunt, debeatque apponere, ne, quominus volitum à se obiectum obtineatur, per ipsum stet. Duplicis huius affectus possibilitas in Deo ex iis, quæ in nobis experimur in primis probatur. Nam quandoque adeo efficaciter erga aliquid afficimur, ipsumque appetimus, & intendimus, vt ad illud, siue per nos, siue per alios obtinendum, nihil non, quod nostræ potestatis sit, moueamus; quandoque vero non ita ardenter appetimus, vt moueamus ad eius consequutionem omnia, sed aliqua, quæ sufficientia sint, ne nimis in eius assequutione simus, videamurque omissi: & ratio in vtrisque præsertim in Deo est: quia nullum creatum bonum determinat, cogitve voluntatem, nisi quandoque creatam ex inadvertentia & inconsideratione in subitis ac indeliberatis motibus, qui proindè in Deum necessario omniscium non cadit, ad sui amorem intensissimum, siue summè vehementem & efficacem: præsertim diuinam, quæ quoad substantiam, & modum in creatis, & limitatis bonis prosequendis perfectissima gaudet libertate, vt diximus: quare & omnia, singula, omnibusque, & singulis modis, quibus amabilia sunt prosequi pro libito, vel non prosequi potest. Hæc pro doctrinæ claritate voluntate Dei erga omnium hominum salutem (ad quam speciatim, similium voluntatum Dei, exemplum hac quæstione ponemus) memoria retinenda sunt.

6. Igitur in difficultate de voluntate Dei erga hominum rectam vitam, & salutem Gregorius in 1. d. 47. quæstione vnica fine docet voluntatem antecedentem omnem in Deo circa salutem, rectamque vitam efficacem esse non tamen salutis, nostræ quæ rectæ vitæ in se ipsis, sed auxiliorum ad quæ solum terminatur & id quidem respectu prædestinatorum tantum; respectu reproborum nequidem conferendi facultatem & potestatem recte viuendi consequendi salutem voluntatem esse: quod postremum singularitatis notam, vt minimum meretur: quoad primum vero conuenit ipsi cum Scoto d. 46. quæstione vnica, Maiore ibidem, & d. 45. quæstione etiam vnica, vbi Marsilius quoque articulo primo, Ockam & Gabriel d. 46. quæstione 1. Hertæ, quæstione secunda, Caietan. in 1. ad Timot. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*. Driedo de concord. lib. arbitrij, cum Prædest. parte prima, capite quarto, ad 2. etsi etiam respectu reproborum voluntate antecedente concedi eis facultatem rectam vitam & salutem consequendi contra Gregorium admittunt: quare ij omnes non esse in Deo voluntatem antecedentem salutis, quæ beneplaciti erga ipsam sit, sed signi solum affirmant, etsi circa media & facultatem illam consequendi respectu prædestinatorum Gregorius, reliqui etiam respectu reproborum beneplaciti, & verè talem esse concedant. Ante ipsos id ipsum sentit Magister in 1. d. 46. §. *Nunc videre* hanc voluntatem salutis; omnium ait non esse voluntatem quæ sit ipse Deus cum tamen d. 45. & 47. de omni voluntate beneplaciti ipsum Deum esse constanter affirmet. Consentiunt Zumel prima parte, quæstione decimanona, articulo sexto, sua quæstione secunda, conclusione quarta. Aluarez d. 33. expositione quarta, & 3. & d. 34. conclusione quarta d. 109. & 113. eam metaphoricam salutis voluntatem Dei quia signi solum vocantes, quamvis voluntatum salutis secundum quid eam quandoque appellent, qua voce vera apud Doctores alios voluntas salutis omnium voluntas beneplaciti significatur & asseritur, quod Arriagam decepit eo ab hac opinione exciperet, sicuti & Bañezium prima parte, quæstione decimanona, eadem sententia tribuitur Alberto, Alexandro Bonauent. & Durando, quia id aliquando eorum verba sonant: verum longè alia eorum mens fuit: quandoquidem asserunt adultorum omnium salutem voluntate vera ac beneplaciti Deum velle & paruulorum sub conditione Baptismi vt videre est in Alberto, prima parte, quæstione 79. metaph. 1. articulo 2. quæst. incidente & vltima particula. Alexand. prima parte, quæstione 36. mem. 2. Bonauent. in 1. d. 46. articulo primo, quæstione prima d. 47. art. 1. quæst. 2. non solum conditionalem salutis, omnium voluntatem Dei admittens, sed & velleitatem quæ non semper impletur ac proinde quæ aliquid intendit quod non obtineat: quare velleitatis nomine inefficax desiderium intelligit nec solam complacentiam quæ vulgo admittitur de salutis possibilitate videre etiam est in Durando in 1. d. 46. quæstione prima, sine d. 41. quæstione prima, etsi durius sonet imò & Driedo citatus voluntatem conditionalem Dei erga reproborum etiam salutem ex Ambrosio, & Bonauentura approbat & admittit.

7. Communis sententia, cum apud antiquos, tum apud Recentiores Theologos est Deum habere veram, ac propriam, & beneplaciti nec solum signi salutis omnium hominum rectæque eorum vitæ voluntatem antecedentem nullo operationum arbitrij nostri vsu & exercitio libero expectato, vt eam salutis nostræ

voluntatem concipiat ; eam tamen efficacem absolutè non esse : sed secundum quid solum seu tantum inefficacem , ita Albertus Alexand. Bonauent. proximè S.Thom. 1.part. quæst.19.articulo 6. ad 1.Carthus. in 1. d.46. quæst. 1. Richard. art. 1. quæst. 1. Durand. & Driedo vbi proximè Sotus ad Rom.9. digress. de Prædest. à pagina 277. Cord. 1. quæstionar 456. notab. 1. Valent.1. part. quæst.19. punct.2. Molina citat. quæst 19. d.1. art. 6. folio 2. & 3. Vasquez d.83. cap.3. & 4. Soar. opusc. de libertate Dei d.1. sect.2.num.10. Herize de voluntate d.20. cap. 3. num.19. Ruiz d.19. 20. 21. Arriaga d. 25. sect.3. tamque omnes communiter : circa eius voluntatis antecedentis efficaciam dubium esse nequit efficacem erga omnium vniuersim rectam vitam , & salutem esse non posse cum plures & à vitæ rectitudine & salute consequenda deficiant : quod fortè Doctores pro opposita citatos sententia decepit , vt minus bene loquerentur voluntatis diuinæ efficaciam solummodo attendentes. An verò vna Dei voluntas erga omnium rectam vitam , & singulorum salutem , quasi vno ictu feratur inefficaciter , an potius sit aggregatum voluntatum, quibus rectam vitam vniuscuiusque omnium singulatim Deus intendat ? non explicatur à Doctoribus : quia (vt æstimo) supponitur postremum ; cum ita singulatim de recta vita , & salute cuiusque nostrum voluntate , & prouidentia sua curet : ac proinde generalis , & supernaturalis alia superfluat , nec Deum magis ad has singulatim concipendas (quibus generales scripturæ, Patrum, & Theologorum locutiones , & sententiæ de voluntate Dei erga omnium hominum rectam vitam , & salutem proprietate sermonis verificantur) agat, reddatve promptiorem. An verò etsi erga reproborum salutem vera hæc Dei voluntas inefficax absolutè sit , erga prædestinatorum omnium , vel aliquorum eximiè prædestinatorum (quos dicunt) salutem sit efficax ? huius loci decisio non est,sed disputationis sextæ:vbi an liberæ nostræ actiones , aliáque ab eis dependentia præfiniri intendive ante absolutam earum præuisionem efficaciter possint , examinabimus : denique an voluntas hæc Dei saltem inefficax de recta vita , & salute hominum conditionata propriè sit, erit hic examinandum , & citati quidem pro hac postrema sententia de Dei voluntate erga vtrumque conditionatam propriè esse videntur docere : cum indiscriminatim , tam de rectæ vitæ , quam de saluris nostræ voluntate Patres loquentes recitent : præsertim Ruiz d. 20. ferè tota. Nos autem distinctius de his , & aliis , ne doctrinæ veritas plurium complicatione obscuretur.

CERTAMEN II.

Voluntas vera, nec solum signi , antecedens de vita omnium , etiam reproborum , recta , & salute etsi non absolutè efficax : sed inefficax ex Scriptura , & Patribus in Deo statuitur.

1. DEum de se ac voluntate sua non solius complacentiæ de nostra recta vita , & salute (possibili secundum præcisiuæ possibilitatis suæ statum iuxta plurium sententiam , cui supra abnuebamus , sed actiuo affectu , seu desiderio in vtriusque existentiam , & antecedenti ac primaria sua voluntate ferri adeo in veteri & nouo testamento expressum est , vt mirer ea de re apud doctos Catholicos quæstionem extitisse. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ* (id est ex me solum , & voluntatis , bonitatisque meæ propensione conceptæ) *est mors impij , & non , vt conuertatur à viis suis & viuat ?* fine : *Nolo mortem morientis , dicit Dominus ; reuertimini & viuite* , cap.33. *viuo ego dicit Dominus , nolo mortem impij , sed vt conuertatur impius à via sua , & viuat : conuertimini , conuertimini , & quare moriemini.* Conuersio autem quam Deus velle dicitur non potestas se conuertendi,sed conuersionis actus ipse est , ad quem , cum tempus aliquod è vita Deus non exceperit , *salutem* (inquit Celest. Pap. epist.2. ad Episcop. Gall. cap.2.) *homini adimit qui mortis tempore pœnitentiam denegauerit* , quæ Dei de conuersione & salute peccatoris voluntas , & desiderium omnium fidelium cordibus , & iudicio insita satis probatur ex illa mulieris Thecuitis sententia 2. Reg.4. tanquam ex statu hac de ea Dei voluntate sententia è Dei imitatione , vt Absoloni parceret , ac reconciliaretur , Patrem Dauidem suadentis. *Neque vult Deus perire animam sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est*, Sap.11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam* ; (intentam vtique ab ipso) Deus dicitur & capite duodecimo : *O quam bonus , & suauis est Domine Spiritus tuus ! ideoque eos , qui exerrant paribus corripis : & de quibus peccant admones , & alloqueris , vt relicta malitia credant in te Domine* ; quod , vt assequeretur , tam Ægyptios obstinatos (de quibus capite præcedenti egerat) plagis prius reducere , quam Palæstinos (de quibus eo cap.) paulatim , & per partes puniendo ab idololatria reuocare contendit : maximaque decorum resipiscentia adhibita cura , & prouidentia benignissima eorum conuersione ita prouidisse dicitur Deus ibi, vt eorum exemplo , *cum magna reuerentia disponis nos* , vniuersim textus concludit : sunt præterea pleraque in sententiam hanc veteris paginæ testimonia.

2. Neque verò in nouo testamento pauciora Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas , & noluisti* , scilicet Prophetarum prædicationibus , & nunc corporis sui præsentia , velut alarum fomento *calorem , vt pullis suis , vitæ immortalis indulgens , & in volatum, velut nouæ generationis, producens :* inquit Hilar. can.14. fine , & post pauca. *Huius igitur ac pœnè torrens, ante more congregare eos intra se voluit , vt qui conditione nascendi iam fuissent , nunc alterius generationis ortu , & calore confouentis renati in cœleste regnum , tanquam pennatis corporibus euolarent , quod quia noluerunt &c.* Itaque oppositam huic nostræ nolitioni voluntatem qua intra se Deus nos reciperet , & in regnum cœleste volaremus à nobis obtinere Deus voluit ; nec tamen ab illis obtinuit , quia ad actum , quem volebat , volunt etiam nobis libertatis iura seruari. Irenæus 4. aduers. Hæres. cap.71. *quod ait : quoties volui congregare filios tuos , & noluisti veteram legem libertatis hominis manifestauit , qui liberum fecit eum ab initio habentem potestatem suam , sicut suam animam ad vtendum sententia* (*voluntate*) *Dei voluntariè , & non coacte* : similia habet cap.72. Chrysostom. tom.3. homil.9. de laud. D. Pauli. *Ipse quidem vult omnes saluos fieri ; at non omnium voluntas eius voluntati obsequitur , neque ab eo aliquis cogitur : vnde , & ad Hierusalem sic dicit quoties volui , &c. Vides quod Dominus nos saluare vult : nos autem , quia nos ei non adiungimus , maneamus in interitu.* Matth.18. *sic : non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est : vt pereat vnus de pusillis istis,* vbi Hieron. *quotiescumque perierit aliquis ex pusillis , non voluntate Patris perit.* S. Thom. *minus dicit , & plus significat : quia voluntas eius est vt saluentur* , ac proinde parabolam de centum ouibus , & vna errante anxiè quæsita à Pastore , & inuenta , atque eius humeris redicta præmiserat. 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire , sed omnes ad pœnitentiam reuerti :* in eandem sententiam frequens scripsit Paulus 1. Thessal.4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra : vt abstineatis vos à fornicatione : vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione , & honore :* quod actuale virtutis exercitium & opus est. Ad Roman.1. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Tu autem secundum duritiam tuam , thesaurizas tibi iram in die iræ , &c.* vbi Hieronym. *cum possit prohibere peccantem , vel inferre vindictam , mauult conuerti ad pœnitentiam.* Aliisque prætermissis veniamus ad celeberrimum eius testimonium 1.ad Timot.2 omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire : in quo sententiam

nostram

nostram expresè contineri Chrysostomus nuper, non solum docebat, sed vti exploratum supposuit: sicuti & Augustinus de spiritu & litt. cap. 33. post init. sic quærens, si dono Dei etiam hoc (voluntas credendi) *quare non omnibus cum omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: inferiusculè: *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium: quo vel bene, vel male vtentes iustissime iudicentur* &c. de libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod insitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras. Nec illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Repetit cap. 6. de natura, & gratia.

3. Sed contendunt tamen Recentiores aliquot, qui respectu salutis reproborum solum signi non autem beneplaciti antecedentem voluntatem Deo concedunt, Augustinum in hoc sensu sæpius, & constantius, & locum Pauli hunc, & similia alia intellexisse. Nam contra Iulianum cap. 8. & cap. 103. Enchir. epist. 107. ad vitalem, & Hypognost apud eum lib. 6. sub finem sensum esse ait: neminem saluari nisi quem Deus saluari vult sicut Ioan. 1. dicitur *illuminat omnem hominem* (qui illuminatur) *venientem in hunc modum*: quia nemo illuminatur, non ab ipso cui interpretationi eius Assectæ Patres consentiunt. Fulgent. de Incarnat & grat. cap. 32. lib. 2. de remiss. peccator. ad Euthym. Prosper de lib. arbitr. Rufin. ad capita gallor. obiect. 4. lib. 2 de vocat. gentium Anselm. & Beda ad eum Pauli locum: quod explicat rursus August. de prædest. Sanctor. cap. 8. exemplo Magistri vnici litterarum ciuitatis alicuius, qui, etsi plures eius ciuitatis litteras non discant, tamen omnes ibi litteras docere dicitur, nempè qui litteras discunt: quia nemo non ab illo litteras ibi docetur, ac discit, & c. 97. enchir. eodem sensu, & exemplo explicat illud Matth. 23. *quoties volui congregare filios tuos, &c.* cuius interpretationis plures habet ex grauioribus antiquis Scolasticis sequaces. Secundò eundem locum interpretatur de corrept. & grat. cap. 14. de omnibus hominibus non indiuiduè, sed secundum genus sexus, & status, ætatis, & conditionis sumptis, de quolibet aliquem vt dicitur: *Omne animal fuisse in Arca Noë*, & Luc. 11. de Pharisæis *decimatis omne olus*, & 1. Corint. 10. *sicut ego omnibus per omnia placeo*: quia inquit *placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia*, quam interpretationem repetit cap. 103. Enchir. sequunturque Prosper 2. de vocat. gent. cap. 1. & 10. confirmans ex illo Matth. 10. *eritis odio omnibus hominibus*. Fulgent. de Incarnat. & grat. c. 31. confirmans ex Psalm. 85. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te*, & ad Colosss. 1. *Recontiliari omnia in ipsum*, Anselm. item, & Beda quæ innumeris aliis scripturæ locis posset confirmari. Tertiò cap. 15. de corrept. & grat. ait: dici posse velle, quia velle nos facit, salutem, *quemadmodum misisse Spiritum filii sui clamantem. Abba Pater dicitur: id est nos clamare facientem*: quod placet Hugoni Victorino tractatu 1. lumm. cap. 12. ante med. Cæterum qui plures loco interpretationes adhibet non alia alius tractat, ni retractare vna aliam dicat: quia illa magis placeat, & aliis contradicat; at S. August. etiam, cum duas ex his tribus postremas interpretationes adhibiturus erat cap. 14. & 15. de corrept. & grat. monet init. capitis: alias à se alibi datas: quo probat potius, non retractat ex eis vllam, *quod scriptum* (inquit) *est quod vult omnes homines saluos fieri, nec tamen omnes salui fiant: multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos commemorauimus*, maximè præcipuam, &, quam, cum eum locum exponens tam de voluntate Dei erga salutem reproborum etiam agens, frequentiùs è propria sententia tradiderat.

4. Indè constat huic interpretationi tres obiectas non aduersari: alioqui cum huius memor esset: si alicui tandem aduersæ acquiescceret, eam tunc retractaret. Secundò ex ipsis interpretationibus patet Augustinum eis solam contendere verificari aliquo sensu vero posse Apostoli verba, relata ad prædestinatos solum, & de voluntate consequente ipsorum consensum, & efficaci, vt notauit S. Thom. 1. ad Timot. 2. lect. 1. post med. & in 1. d. 46. quæst. 1. art. 1. ad 1. Damasceni interpretationem de voluntate antecedente salutis omnium, etiam reproborum cum obiectis hisce concordans his verbis: *secundum Damasceni verbum Apostoli intelligitur de voluntate antecedente, & non de consequente, sed secundum Augustinum* (his aliis expositionibus) *intelligitur, vt sit de consequente: vnde exponit eam dupliciter, vno modo, vt sit distributio accommoda pro omnibus, qui saluantur, &c.* & sanè tertia ex obiectis Augustini expositio, adhuc voluntatem Dei antecedentem beneplaciti de salute prædestinatorum (vt aduersarij obiectantes contendunt) non probat: siquidem sola voluntate beneplaciti de auxiliorum collatione eius veritas saluatur, quæ pro eo priori salutis voluntas signi tantum voluntas sit: quare non ipsorum sed singulari Aureoli sententiæ fauet: immò vt doctè obseruat ex Sancto Thoma, Ruiz d. 19. sect. 8. num. 14. tres istæ expositiones obiectæ cum illa prima, constanti, & præcipua apud Augustinum recitata n. 2. fine: plenam sententiæ Apostoli intelligentiam constituunt, ita enim S. Thom. quæst. 23. de art. 2. corp. antecedentem, & consequentem Dei voluntatem explicuit; *in qualibet actione est aliquid considerandum ex parte agentis, & aliquid ex parte recipientis: & sicut agens est prius facto, & principalius, ita id, quod est ex parte agentis est prius naturaliter eo, quod est ex parte facti: sicut patet in operatione naturæ: quod ex parte virtutis formatiuæ, quæ est in semine est quod animal perfectum producatur, sed ex parte materiæ recipientis, quæ quando est indisposita, contingit quandoque, quod non producitur perfectum animal: sicuti contingit in partibus monstruosis*: ita inquit euenire Dei voluntati antecedenti propria, & beneplaciti de omnium salute, nec tamen omnis impedimenti remotiua, & inde ortæ gratiæ suæ: vt ex prauitate arbitrij creati reproborum suum intentum effectum non sortiatur: tuncque Deus id, cuius est capax, bonitatis per punitiuam iustitiam in ea ponit. Augustiniani verò doctrina, Patres Prosper Anselm. Fulgent. & Beda, etsi prædictis his expositionibus Augustini consenserint; multoties, & à nobis recitatæ num. 2. consenserunt: cui, vt vidimus non aduersantur: eorum loca iam subiiciemus. Quod ipsum, & Scholasticis antiquis vsu venit, qui cum reliquis illam, & postremo referunt & admittunt, tanquam aptiorem, & in qua demum quiescunt: vt videre in eis est, speciatim in S. Thom. 1. p. q. 19. ad 1. & 1 ad Timot. 2. lect. 1. post med. scio afferri etiam ab aduersariis quartam eius loci expositionem tanquam Augustini, & aliorum Patrum de voluntate antecedente signi, & secundum quid, quæ nullum in eis fundamentum habet: &, si particula *secundum quid* proprie accipiatur, voluntati signi antecedenti, quæ solum metaphorica, & impropria voluntas est, contradicit.

5. Sed nostrum hunc eius loci & aliorum scripturæ productorum sensum constantem apud Augustinum, & eius Assectas Patres semper fuisse; alios vero sensus non, nisi hoc nostro retento, datos ab eis esse, & admissos vlterius eorum testimoniis coaceruatis ostendamus. Augustinus ad articulos sibi falsò impositos, vel potius Prosper ad obiect. Vincent. obiect. 7. *Quod Deus, nec velit, nec possit, quod plures Christiani saluentur*, respondet, quamdiu voluntate praua sua mali sunt, saluari nolunt, Deum nec velle illos saluare, neque in sensu composito posse. *Sed nullo*, inquit, *modo credendum est huiusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cum potius alleuet Dominus omnes, qui corruunt, & erigat omnes allisos*: iuxt. Psalm. 144. obiect. 16. *Quod fideles plures, cum orant, fiat voluntas tua, contra se petant, vt cadant, & ruant: quia voluntas Dei hæc est, vt æterna morte pereant*, respondet, *Non hoc veritas dicit, quod hæc sit voluntas Dei, vt fideles & sancti à fide, atque innocentia ruant, & pereant in æternum; sed veritas dicit. Hæc est voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Quod ergo Pater filio dedit, filius omnino non perdit: idem enim dicit, omne quod dat mihi Pater venit ad me, & non eiciam foras.* De his autem, qui non perseuerant, concludit. *Hi, cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate desiuunt.* Ad cap. 7. Gallorum. Qui-

buſdam filiis, quos regenerauit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit: ob hoc perſeuerantiam non dederit, quia è maſſa perditionis præſcientia Dei, & prædeſtinatione non ſunt diſcreti: ſi hoc vult affirmare, quod Deus huiuſmodi homines in bonis, quæ donauerat, noluerit permanere, & ipſe eis cauſa auerſionis extiterit, contra iuſtitiam Dei ſentit. Quod, etſi contra præfinitionem ad materiale peccati ſit vrgentiſſimum teſtimonium; tamen, & huic nolitioni contrariam de eorum ſalute voluntatem Dei ex ſupra datis, & dandis eius teſtimoniis ſuadet. Maximè, cum ad caput immediatum 8. ſubiungat: *qui dicit, quod non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine gratiæ Dei: qui & omnes homines vult ſaluos fieri atque ad agnitionem veritatis venire:* concludituque: *vt, qui ſaluantur, ideo ſalui fiant, quia eos Deus voluit ſaluos fieri; & qui pereunt ideo pereant, quia perire meruerunt*: Non quia Dei de ſalute ipſorum, cui non annuerunt, voluntas defecit: in eandem ſententiam de generali Dei erga omnium, & ſingulorum hominum, etiam infidelium ſalutem ſcribit 1. de vocatione gent. à cap. 4. lib. 2. toto, maximè cap. 9. 10. 14. 23. 24. 25. & 28. ex cuius fine hæc ſolum tranſcribam: *ſicut, qui crediderunt, iuuantur, vt in fide maneant, ſic etiam, qui non crediderunt, iuuantur, vt credant: & quemadmodum illi in ſua habent poteſtate, vt exeant: ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant:* Fitque manifeſtum, quod diuerſis atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *ſed quid veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur.* Qua in ſententia multus præterea eſt cap. 30. & 31. & cap. 104. Enchir. Auguſt. ipſe voluntatem ſaluandi omnes (quam ad prædeſtinatos reſtrinxiſſe viſus erat c. 103.) omnino abſolutum explicat eſſe. Nam eam, quam ſolum ex parte Dei, quaſi conditionatam, atque à creato arbitrio ſuſpenſam, quoad effectum, etiam reſpectu eorum in quibus effectum non habuit, vt hic contendimus: quapropter inquit cap. 104. *etiam primum hominem Deus in ea ſalute, in qua conditus erat cuſtodire voluiſſet, eumque opportuno tempore poſt genitos filios ſine vlla interpoſitione mortis ad meliora perducere: vbi iam non ſolum peccatum committere, ſed neque voluntatem poſſet habere peccandi, ſi ad permanendum ſine peccato, ſicut factus fuerat, perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciſſet: quia vero eum male vſurum eſſe libero arbitrio, hoc eſt peccaturum eſſe, præſciebat ad hoc potius præparauit voluntatem ſuam: vt bene ipſe faceret, etiam de malefaciente.*

6. Anſelmus in id Matthæi 26. *fiat voluntas tua*: Scribit, *duæ ſunt voluntates in Deo. Aliis miſericordia, qua non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio auferens, qua vult omnes homines ſaluos fieri: quod tamen in libera voluntate eorum poſitum eſt*, &c. inferius. *In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi ſcilicet quæ eſt ex miſericordia, cum enim vellet, prauos etiam ſaluare, ſi vellent: tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati: orat ergo, vt Deus faciat alios terrenos tales, qui nullo modo voluntati Dei reſiſtant*: & libro de voluntate Dei longè à medio. *Voluntas approbans in Deo eſt, qua vult omnes homines ſaluos fieri: quoniam nullum prohibet, quantum ad ſe, ſaluum fieri; immò, ſi quis ad hoc labora: approbat.* fine: *vult omnes homines ſaluos fieri; id eſt non cogit aliquem damnari*, qui, vt dixerat, eum etiam ex ſe ſaluare volebat, qui periit. De Fulgentij, & Bedæ, qui etiam Auguſtiniani doctrina ſunt, mente, & eorum locorum intelligentia eadem ex aliis argumentis Theologicis, quæ pro eadem veritate ex ipſis eſſormauimus conſtabit inferius: ſicuti & de Proſpero & Auguſtino iam ab Eccleſiæ initio inolitam hanc fuiſſe Patribus ſententiam, & eiſdem argumentis ab ipſis attactis poſtmodum oſtendemus. Nunc autem eis teſtimoniis, quibus veritatem hanc abſque argumentis ſincere, atque ad purum nobis tradiderunt.

7. Dionyſius cap. 4. de diuin. nomin. toto ex ſumma bonitate, pulchritudine, & amore ſummo Dei voluntatis eius, in ea, quæ creatis omnibus, nullo excepto, bona, cum phyſicè, tum moraliter rationalibus bona ſunt, colligit, ac ſtatuit: idque ſolis exemplo explicat, & confirmat ſub init. *Si aliquis inquiens non participat hoc, non infirmitatis, aut prauitatis eſt illuminatiui ipſius diſtributionis; ſed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem*: ſubinferius: *Similitudinem luminis cum fulgore immittens vniuerſis pluificas fontani ipſius radij traditiones, & ſicut omnia ad ſeipſum vocans*: *vnde & callos dicitur*, id eſt pulchrum à vocando, circa med. *ipſe omnium cauſa propter bonitatis exceſſum cuncta amat, cuncta facit, cuncta perficit, cuncta continet, cuncta conuertit*: cap. 8. ſic explicat ad diuinam, in quantum etiam iuſta eſt, bonitatem pertinere omnium liberationem, & ſalutem. *Omnia exiſtentia ſaluatoria omnium bonitate, à caſu propriorum bonorum liberat: ſecundum quod vniuſcuiuſque eorum, quæ ſaluantur, ſuſcipit natura: Propter quod, & liberationem ipſam nominant Theologi, in quantum non ſit vera exiſtentia ad nihil eſſe cadere, & in quantum eiſ aliquid ad peccatum & inordinatum fallatur, & minorationem quandam patiatur propriorum bonorum, & hæc à paſſione, & infirmitate, & priuatione liberat. implens manet habens, & pene infirmitatem ſupportans, & ſuſcitans à malo: magis autem ſtatuens in bono, & percuſſum bonum adimplens, & ordinans, & ſtatuens & ordinans in ordinationem ipſius, &c.* Quin, ſcilicet, bonitas, & voluntas ipſius nos, quantum ex ſe eſt, in bono ſtatuens noſtro abuſu vincatur: lege à medio ad finem capitis. & commentarium S. Thom. ibi. His ſimilia ex ſumma Dei pace cap 11. deducit creatis cunctis, quatenus capacia ſunt, & inter ſe, & cum Deo velle, & communicare pacem: idque etiam, cum peccatis noſtris à Deo diſcordaemus reconcilians nos, & omnia ſibi, voluntate ſibi ſua hac pacifica, & benigna prouidentia ſua in Chriſto, & per Chriſtum de cæleſti Hierarch. c. 9. *immenſum, & infinitum diuini luminis pelagus ſemper paratum eſt, & pati omnibus ad participandum.*

8. Sanctus Ignatius epiſt. 6. ad Philadelphum: ſub init. ait infideles etiam, & ſceleratos monendos, hortandoſque ad pœnitentiam. *Amator enim hominum eſt Deus noſter: & vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; propter quod, & ſolem oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: cuius vtilitatis etiam Dominus volens eſſe imitatores dixit: eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Iunæus lib. 4. c. 71. *vis à Deo non fit: ſed bona ſententia (voluntas, quæ animi ſententia vſitata phraſi dicitur) adeſt illi ſemper: & propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus: poſuit autem in homine poteſtatem electionis.* Ephrem. Syrus. *Deus animarum noſtrarum vulnera ſanat.* ſermon. de vita Relig. atque Monaſt. pag. 6. *Spretiſque à nobis mirabiliter ſuffert: omnes enim nos ſaluari cupit, & omnes regni ſui hæredes, & poſſeſſores fieri deſiderat*: & ſerm. 1. de compunctione cordis perpenſa Dei in omnes benignitate, qua quotidiè largè beneficiis omnes afficit, gratiaque ſua omnium corda viſitat verſus finem concludit: *cernis quanto deſiderio ſalutem noſtram ſitiat.* Clem. Alex. 1. Pædag. cap. 8. Deum omnia & maximè hominem amare ait: *& nihil aliud facere Deum, quam prodeſſe: & homini Deum in omnibus, & ſua ſponte curam gerere, & ſollicitum eſſe de illo*: ac latè ibi atque alibi frequenter docet non bonis ſolum datis, ſed ſuppliciis inflictis hominis ſalutem intendere. Damaſc. dialogo contra Manichæos pagina penult. de Iudice quovis alii de ſe pœnæ inflictæ cauſam non eſſe, ſed potius delinquentem ſuis delictis: *quamvis enim iudicet, non tamen primariæ voluntatis* (qua vult non fieri, quæ puniat) *ratione iudicat ſed ſecundaria. Primaria enim voluntas eſt ob quod quiſpiam ex ſeipſo vult. Secundaria autem id, quod eorum, quæ contingunt cauſa vult. Primarie namque Deus ex ſe ipſo vult omnes homines ſaluos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire; cum autem peccamus vtilitatis noſtræ cauſa nos caſtigare vult, ità primaria Dei voluntas bonitatis eſt; ſecundaria iuſtitiæ*, & 2. de fide cap. 29. fine ait, *Deum præſertim, præcedenterque velle omnes ſaluari, & regnum eius conſequi. Non enim ad puniendos nos plaſmauit, ſed, vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus; peccantes autem puniri vult, vt iuſtus. Dicitur igitur prima præcedens voluntas, & acceptatio ex ipſo exiſtens; ſecunda vero voluntas ſequens, & permiſſo*

permissio ex nostra causa existens. Non tacebo Auicennam 9. Metaph. cap. 6. longe à medio qui Theologicam hanc veritatem naturalem assecutus nomine etiam primæ voluntatis Dei, sicuti Damascenus expressit. *Non erat bonum permitti vtilitates frequentes, vel sempiternas propter accidentia mala rara: igitur bonitates, quæ sunt ex his rebus, fuerunt volitæ prima voluntate (Secundum modum, quo conuenit dicere Deum velle res) & fuit volitum malum, etiam secundum modum, qui est per accidens, & præscitum fuit illud futurum necessario: nec tamen curatum est de eo:* quare permissiue est volitum, vt ait cap. 7. & Damas. aiebat qui citato Dialogo inter. med. & fine dixerat, *vt boni simus, tum ex Deo, tum ex nobis manat: Deus itaque, quod suarum partium est dat, vt bene simus; at nos* &c. & subinferius: *ipse quippe omnibus, tum vt sint, tum, vt bene, ac præclare sint, præbet: solis nimirum instar, bonitatis sua radios ad omnia opera sua diffundens:* &c. nec multo post: *Ac sane Deus, vt qui natura bonitate, ac misericordia præstat, peccatum non vult, nec mortem peccatoris, nec viuentium exitio delectatur, nec iræ effectu obsidetur, verum omnibus bona fundit.*

9. Chrysostom. serm. 1. in epistol. ad Ephes. *iuxtà beneplacitum* (inquit) *voluntatis sua: Hoc est: propterea, quod vehementer hoc vult, concupiscentia eius (vt ita dicam) ista est: vbique enim beneplacitum præcipua voluntas est:* post pauca: *beneplacitum igitur primariam voluntatem dicit: vehementem scilicet, & qua cum desiderio, & concupiscentia sit, quam habet erga nos:* infra: *Hoc est, vehementer concupiscit, vehementer desiderat nostram salutem,* & homil. 7. in Ioann. ad id; *illum nat omnem hominem;* ait. *illuminat profecto, quantum in ipso est. Siqui autem* &c. & in 2. Genes. homil. 11. fine: *& nos item, si voluerimus, quod nostrum est; facere, nihil prohibebit eadem nos bona consequi, liberalis enim Dominus, & vult omnes homines salues fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* quæ repetit ad idem caput tom. 1. homil. 21. inter med. & fin. ad Rom. 9. serm. 16. sic de Pharaone. *Tulit illum multa patientia ad pœnitentiam inducere volens. Nisi enim hoc voluisset, tandiu eum vtique non tulisset:* & in caput idem de Iacob & Esau. *quantum ad Deum attinet saluæ fuissent omnes tribus Israël; imò, & omnes mortales* & homil. 80. in Ioann. colum. 3. de Christo Domino, ac de virtute sua diuina dictum ait: *ego seruabam eos; & quos dedisti mihi, ego custodiui. & nemo ex eis periit nisi filius perditionis* subditque, *& nimirum solus ille tunc periit; sed multi posteà: dicit autem: nemo ex eis periit: id est, quantum est ex mea parte, non perdam, quod manifestius alibi dicit non eiiciam foras; si vero per se ipsos exciderint, non ex necessitate ad me trahe,* lib. 1. de prouid. fine; *quod non communiter solum omnium curam gerit, sed seorsum singulorum audias licet dicentem: non est voluntas coram Patre meo, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis, de his dicens, qui in illum credunt: cupit ipse quidem, & eos qui non credunt saluos fieri mutariique in melius, & credere, sicut Paulus ait; vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & ipse ad Iudæos. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

10. Cyrill. Alexand. lib. 11. in Ioann. cap. 21. post med. perditionem Iudæ propriæ voluntatis contra diuinam multis ponderans, sic inter alia ait. *Christus, quantum ad seruandam opem illi attinuerit, seruasset hominem, nisi vltro ipse in perditionem instituisset: gratia igitur in aliis effulsit, seruauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt: sic enim salutis nostræ modus dispositus est:* & lib. 1. cap. 11. sub init. obiectat, quomodo verbum erat lux vera illuminans mundum, si tandiu non illuminauit eum, & tandem magnam eius partem in tenebris reliquit? *Hoc, ne quis obscure possit, dominus intulit, & mundus ipsum non cognouit. Non verbum Dei ait, & æternam hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accusat, illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura, qua intelligendi acumine, vt natura Deum cognosceret sibi dato abusa est, & vt prolapsa ad creaturas vim impiciendi conuertit.* Gregor. Nyssen. de Orat. dominica in id, *fiat voluntas tua* sub init. *voluntas Dei salus hominum est:* Orat. in cant. circa med. *Notum est diuina voluntatis institutum: vult enim Deus omnes homines fieri saluos, ac veritatis ad cognitionem venire,* orat. catech. long. à med. *cuius voluntas, & opus eorum est, qua sunt vitæ, à quo etiam homo deductus est ad vitam:* consonat Philo in cant. alluditque postremo loco ad id Psalm. 26. *quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius* quod Basilius explicans de Deo etiam, dum prauos in hac vita punit. Medici etiam, dum asperis medicamentis, ac ferri incisionibus morbis corporis ægri occurrit, exemplo præmisso: *hoc,* inquit, *Deus vult: hoc est vt omnes eius vitæ participes sint; circumstantia vero pœnarum, non ipsius voluntate fiunt, sed pro merito eorum, qui peccauerunt inferuntur: vitam itaque Deus cuique propria voluntate tribuit; iram vero sibi quisque thesaurizat in die iræ, & reuelationis, & iusti iudicij Dei.* Vt hæc Deo videatur extranea; illa vero salutis nostræ voluntas solum Deo propria, ac nomine voluntatis Dei intelligenda: quemadmodum id Orationis dominicæ *fiat voluntas tua.* Patres alij intelligunt: recitandi in argumento effornando ab Ecclesiæ oratione pro omnium, etiam sceleratorum, & infidelium salute. Athanas. orat. contra idola pag. 2. *ita quidem opifex rerum genus humanum conditum in eo statu permanere voluit; sed ipsi neglectu meliorum:* &c. & lib. de humanit. Verbi eiusque corpor. aduentu pag. 40. *Ad istum igitur modum Deus hominem fecerat, & in incorruptibilitate perseuerare volebat; homines autem:* &c. similia scribit Arnobius in Psalm. 146. à med. & lib. 2. aduers. gent. vers. med. Oecumenius in verba 1. ad Timoth. 2. *si Deus vult, quare non fit?* respondet: *non fit, quia illi nolunt. Nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Epiphan. hæres. 66. post epist. Marcelli pag. 3. *Propter excellentem iustitiam, & eximiam bonitatem omnes, & omnia vtilissima esse voluit, & sua bona omnibus proposuit; iuxta permixtionem vero liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit, vt quisque, quod voluerit, faciat.*

11. Sed & latinorum Patrum eadem perpetuo sententia fuit: vt partim ex datis Augustini, Prosperi, & aliorum testimoniis constat, pleniusque ex subiiciendis constabit. Lactantius de ira Dei cap. 14. fine. *Huius rei testis est Marcus Tullius in libris de legibus ita dicens: sed omnium, quæ in Doctorum hominum disputatione versantur, nihil profecto est probabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, quod, si est verissimum: Deus ergo vult omnes homines iustos esse: id est Deum & homines charos habere. Deum scilicet honorare, tanquam Patrem, hominem diligere, tanquam fratrem.* Tertullian. 2. contra Marcionem *Bonitas Dei prior secundum naturam; seueritas posterior secundum causam illa ingenita; hæc accidens: illa edita, hæc adhibita. Nec natura enim in operata debuit continere bonitatem; nec causa dissimulatam euasisse seueritatem. Alteram sibi, alteram rei Deus præstitit* & exhortatur, ad castitatem, voluntatem, qua nobis bona, & sibi placita, & salutem Deus vult, meram, totam puram absque inuoluntarij mixtura vocat; qua vero punit, aut mala permittit ob nostram, non ipsi placitam, voluntatem, non totam, neque meram, sed mixtam; *ex indulgentia,* inquit, *est quodcunque permittitur: quæ, etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in loco, cui indulgetur: quasi de inuita venit voluntate, passa causam sui, qua cogit voluntatem vide qualis sit voluntas eius cuius altera sit causa.* Hieronym. ad id Malach. 1. *Filius honorat Patrem, & seruus Dominum,* scribit. *Vult itaque primum Deus, vt Filij eius simus, & bonum voluntate faciamus; sin hoc consequi nolumus, vt saltem, seruos nos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus:* & ad id Roman. 1. *An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem:* &c. *cum possit prohibere peccantem, vel inferre vindictam, mauult conuerti ad pœnitentiam.* Ambros. 1. de parad. cap. 8. ante medium *Nec Iudeo omnes creduturos sciebat; & tamen ait, Non veni nisi ad oues perditas domus Israël: ergo non in mandante culpa est, sed in præuaricante peccatum est: & quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare.* Paulin. Epist. 1. ad Aprum. *Hinc in omni loco plura quotidie mirabiliora solito signa crebrescunt; vt omnem (quantum in se est) hominem saluum*

fuerit. Bernard. serm. 5. in Natali Domini med. *Cui vult misereatur; & quem vult indurat: sed, quod misereatur proprium est: ex se enim sumit materiam. Nam quod puris & iudicat nos, eum quodammodo cogimus.* ex 18. Ezech. *Numquid voluntatis meæ est mors impii*: ac Deum misericordiarum, ac non iudiciorum Patrem dici ait: *quod miserendi causam, & originem sumat ex proprio; iudicandi & vlciscendi magis ex nostro.* Laurent. Iustin. de contemptu mundi cap. 8. *vult, quantum in ipso est omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quatenus in omnibus inueniat, quod coronet.* Laurent. Nouariens. Episcop. homil. 1. de pœnitent. colum. 3. Peccatores quosuis sperare his iubet. *O homo cognosce te esse imaginem Dei: sapientem te fecit Deus, prouidum animo, mente mysticum, sensibus sublimem: & vult te non perdere, sed saluare.* Laurent. Iustin. de Triumphali Christi agone cap. 25. init. *illos* (peccatores) *blanditiis allicit, muneribus ornat, premit flagellis, terret minis exhortationibus vocat, reuocat indulgentia, charitate trahit; quoniam, non vult peccatoris mortem, sed, vt magis conuertatur & viuat. Nempe immanis non est, vt in morientium perditione lætetur; quin potius, vt saluentur per pœnitentiam, hominum peccata dissimulat.*

CERTAMEN III.

Pro eadem veritate testimonia alia, & Theologica ex Patribus argumenta nonnulla.

1. HAnc ipsam erga omnium salutem rectamque vitam Dei de suo antecedentem voluntatem, atque ex parte sui actiuam vtriusque, & secundum quid proinde, non absolute efficacem Patres iidem asserunt, dum conditionatam obiectiue esse explicant, *si velimus* scilicet: quod licet respectu nostri iusti, rectique consensus proprie de obiecto conditionato non sit vt obseruauimus certam. 1. numer. 4. tamen eo loquendi modo aptissime explicatur voluntatis Dei ex parte sua absolutè præconceptæ de recta vita, & honesto nostro consensu antecedentia, cum nondum consensus noster absolutè accesserat, sed quasi in hypothesi, & suspense manebat, de salutis voluntate antecedente diuina sub conditione rectæ nostræ vitæ ex parte obiecti conditionatam propriam ex parte obiecti esse posse constat ex dictis ibidem, insraque eandem cum voluntate opposita de damnatione si in peccato decesserint homines, comparabimus. Ad institutum Ambrosius in locum 1. ad Timoth. 2. rogat: *cur non omnes, quos vult Deus, saluentur.* Respondet autem: *In omni locutione sensus est: conditio latet*, quam sic explicat: *vult enim Deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim, sic vult, vt nolentes saluentur; sed vult illos saluari, si & ipsi velint. Nam vtique, qui legem omnibus, nullum excepit à salute. Nunquid non melius idcirco proponit in publico, vt omnes se ostendat velle sanare, si tamen ab ægris requiratur.* eandem sententiam Pauli ibidem explicat Hieronym. *si ipsi tamen vocati Deo consentire voluerint.* Cyrill. Alexand. tom. 2. lib. 3. in Isai. ad id cap. 28. *discite audire:* eandem sententiam eodem pacto declarat qui (Deus) *seruare potest* (de lege ordinaria) *siquidem velint seruatoris nostri verbis parere:* idem ostendit Athanas. serm. de passione, & cruce Domini ex interrogatione Christi ad cæcum, & lunaticum, *si crederent*, vt eos sanaret. August. ad illud Rom. 11. *vide ergo bonitatem* (bonam Dei voluntatem) *& seueritatem Dei: in eos quidem, qui ciciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin, & tu excideris; sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur:* ità exponit cap. 27. contra Adimantum Manich. *Simul etiam ostendit, in nostra potestate esse, vt vel inseri bonitati ipsius, vel excidi seueritate, mereamur:* quod defendit cap. 21. fine; ex eoque, Ambrosio, & Aymone Magister in 1. d. 28. post med. & scholastici commentatores & alij relati à Ruiz, disp. 20. sectione prima à num. 15.

2. Non pauca alia Patrum testimonia pro conditionata obiectiue voluntate dedimus, etiam Augustini, Anselmi, & aliorum, testimonia. Addendas Fulgentius lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap. 11. ad illud Isai. 1. *Si volueritis, & audieritis* & id cap. 30. *si conuersus fueris, & ingemueris saluus eris* subiungens: *in hoc testimonio conditionali Deus, & præcepto vetitur, & promissio: dicens quippe, si conuersus fueris, ostendit ex conuersione conditionem salutis omnino pendere. Hæc est igitur inter Deum, hominemque conditio, inter iudicem, qui sine iniustitia misericordiam præregat, & peccatorem, qui misericordiam iuste iudicantis expectat.* Beda quæst. 13. vatinian. fine: *ita Deus nobis bona sua promittit, vt tamen labore nostro acquirantur: quod si voluerimus laborem in omnibus, quæ bene agimus, nobis cooperabitur.* idem docet Paulus ad Rom. 8. illis verbis: *Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur vt & conglorificemur.* Conditionali sensu, iuxta Ambrosium, Chrysostom. Theodoretum, Bedam, ex Augustino vtramque glossam, Lyram, Cyprianum lib. epistol. 1. lib. 3. ad Quirinum cap. 16. fine: Caiet. Salmeronem, Toletum, & reliquos interpretes: qui conditionalis obiectiuæ voluntatis Dei, & hominum etiam improborum salute sensus moralis in illis Samuëlis verbis de regni perpetuitate in domo Saulis, si præceptum Dei non transgrederetur, contineri asseritur ab Abulensi quæstion. 12. Lyra & aliis interpretibus ad ea verba 1. Reg. *nec custodisti: quod si feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum.* His adde Enchirid. Colonitid. de Sacram. pœnit. & cap. *Hu vero* folio 99. vbi ait: *Haberent impij, quod semper quererentur de sua imbecillitate, nisi constaret Deum semper paratum esse ad infirmitatem nostram per gratiam suam subleuandam, modo, si ipsi infirmi obedire, ac iustificanti, ac adiuuanti consentiant, & obsequi velimus:* & cap. 5. fol. 90. dixerat: *Deus, cum est benignus, ac misericors, vt non tantum voluerit hominem non peccare; sed, & vtilis hominem lapsum aliquando, quantumlibet criminosum, resurgere, atque respicere* &c.

3. Accedunt conditionalia plura fœdera à Deo cum Israëlitis in ita Exod. 19. deut. 29. 30. 2. Paralyp. 15. & Eccles. 15. Hierem. 17. & 18. Ezech. 18. Isai. 1. & leges alibi: quæ, quia in figura contingebant illis pactum Dei conditionatum de æterna salute omnibus hominibus concedenda sub conditione quod eius mandata seruent continetur: Matth. 6. *si quis vult venire post me abneget semetipsum* cap. 19. *si vis ad vitam ingredi serua mandata Dei.* Ioann. 8. *si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* cap. 12. *si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Apocalyps. *si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum:* & alia quam plurima. Nisi autem Deus voluntatem antecedentem haberet, quantum ex se est, conferendi salutem, & vitam æternam, etsi dependenter à conditione nostri boni vsus gratiæ ad ipsum sufficientis à Deo præstandæ, ità, vt per ipsum conditionis non adimpletio, non fieret, promissiones illæ simulatæ, fraudulentæ, mendacesque forent: vti de omni promissione, & pacto; cum animus faciendi, quod ex parte promittentis, & pacisscentis abest, communiter morales Doctores docent: id quod secus habet in pœnæ communicatione à Deo, & conditionata etiam voluntate ex parte obiecti puniendi homines; si non obedierint, aut in peccato decesserint. Neque enim ea conditionata obiectiue voluntas Dei supponit, deuolutue voluntatem antecedentem pœnæ, quatenus est ex parte Dei, siue faciendi quantum in ipso est, vt pœna infligatur: quare neque huius aliquatenus est actiua, sicut de conditionata voluntate salutis scriptura, & Patres recitati testantur, ea vero voluntas pœnæ ex parte obiecti conditionata satis est ad eius indictionem, multoque magis ad eius poenam comminationem. Mitto alias rationes, quas perseguitur nostet Ruiz d. 20. sect. 2. concl. 2. à numer. 4. ex natura pacti promissorij, siue promissionis, & pacti, seu contractus cuiuscuis conditionati cum aliquid ex parte pacisce-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pascisentis agendum est, vt ponatur, & purificetur conditio; vel saltim possit absolute purificari, & apponi, eæ enim rationes præfinitiones prædeterminatiuas ad materiale peccati efficaciter impugnant, actiuam vero, & efficacem secundum quid aliquatenus ex parte Dei antecedentem salutis nostræ voluntatem non euincunt: quare eas omnes vtilius, & opportunius instruximus tom. 1. de Deo vno contro 3. d. 2. vt ex ibi dictis claret, atque ex proxime dicendis constabit: illud satis nunc fuerit denotare (ne illas quis contra nostram conclusionem arripiat) vi pacti solum excludi voluntatem antecedentem impediendi, quantum ex parte pascisentis est, purificationem conditionis, & claudi voluntatem faciendi, quod ex parte sua satis sit, vt purificetur conditio, si purificatio ab eius etiam voluntate, & arbitrio necessario pendeat.

4. Sed quoniam voluntatem hanc, & antecedenter actiuam salutis nostræ; siue aliquatenus exparte Dei efficacem esse docuimus, atque adeò, & appositiuam aliquorum, quæ ex parte Dei necessaria sunt ad conditionis, sub qua conditionate volita à Deo, promissaque nobis est nostra æterna salus: quia conditionis purificatio, imò, & eius purificandæ absoluta possibilitas à Deo salutem nostram sub ea conditione, & volente, & prouidente necessario dependet: nonnulla tum contra antecedentiam eius voluntatis, & aliqualem eius ex parte Dei efficaciam, & actiuitatem, quæ absoluta salutis nostræ efficacia non sit, sed sub conditione non absolute futuræ opponenda, ac diluenda erunt: vt clarior doctrinæ veritas euadat & circa postremum dices, desiderij inefficaciam imperfectionem esse, & quæ de non obtinendo tristitiam possit generare, de non obtento de facto generet desideranti: item solum eius est, qui effectum consequi non potest: vt voluntas inefficax mercatoris seruandi merces, si cesser tempestas, & naufragij periculum: ex qua illas de facto seruaret, si citra illud posset, vt potest Deus omnes homines saluare, nullo sui damno si vellet. Respondetur desiderium inefficax generare desideranti de non obtento tristitiam, cum defectu potentiæ, inuisusque illud non assequitur; secus, cum non ex defectu potentiæ sed, quia non ita efficaciter voluit, vt posset, vt de facto assequeretur, ob motiua alia, quæ habuit: quod ipsum in exemplo cernitur Mercatoris. Tertia imperfectio est repugnantia voluntatis huius conditionatæ de salute reproborum: tum cum alia conditionata (quam admisimus) de eorum æterna damnatione si in peccato decedant: tum cum voluntate absoluta efficaci de eorum damnatione. Respondetur inter vtramque mere conditionate consideratam, cum sub oppositis conditionibus fiat, neque repugnantiæ vmbram esse: quamuis vero in voluntate salutis, si homines non transgrediantur, atque in gratia obeant, continetur desiderium actuum, etsi non absolute efficax, quo, quatenus ex se est Deus absolute illam etiam reprobis desiderat (cuius similis de conditionata damnatione antecedens minimè adest) aliquatenus ipsi repugnat absoluta damnationis voluntas efficax Dei, non tamen absolutè (vt patet cum voluntas salutis sit, quatenus ex Deo est, damnationis, quia nos absolute peccauimus) indeque aliquid hæc inuoluntarij habet, & quod coactionis nomine in scripturis, & Patribus significetur vt infra ostendemus. Hæc autem inuoluntarietas, cum neque ex defectu aliquo rationis, potestatis, aut passionis, aut coactionis, metusve ab extrinseco illati, Deo accidat in voluntate efficaci damnandi reprobos ob scelera; sed ab exigentia obiecti, quod mixtum aliquid mali habet tum in peccato puniendo, quod Deus odit, tum in priuatione gratiæ, & gloriæ nullam dicit in Deo imperfectionem, sicuti nec repugnantiam qualem qualem earum voluntatum, imò vero maxime, & diuinæ iustitiæ perfectionem commendat: quæ neque ob præconceptum de se salutis eorum desiderium à rectæ rationis, & iudicij dictamine deflectat; nec minus bonitatis, & amoris diuini commendat; quod ea inuoluntarietate ad supplicia veniat, cum eo scelera nostra ipsum trahunt.

5. Quarto obijcitur ex epistola decretali Agathon. Pap. apud 6. Synod. Constantinopol. Action. 4. distinguentis voluntatem Christi humanam à diuina: quod hæc semper impleatur, secus illa ex Marci 7. *voluit late re & non potuit*. Si autem conditionalis, & inefficax diuina, sicut, & humana, admittatur: nullum erit inter eas discrimen. Nam efficax absoluta tam diuina quam humana Christi domini impletur; inefficax solum, & conditionata neutra impleta est, nec opus est impleri, nisi conditionis purificatione. Respondetur discrimen assignatum ab Agathone ibi fuisse in ratione ob quam diuina semper impleri debeat, atque impleatur; secus humana in Christo: nempe, quia hæc illius potestati subordinetur: quare nec de se effectum sortiatur, nisi annuente diuina: hæc non ideò non impletur, sed quia ipsa, de se, impleri non vult, quod solum inefficaciter vult; siue quod conditionate vult; non autem non impleta conditione vult, quod ex epistolæ contextu toto, & illa eius parte, ex qua aduersarij obiectionem desumunt, aperte constat, quæ sic habet. *Ergo nec ille omnium conditor, ac Redemptor, de quo dicitur omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, cuius velle hoc est quod posse*, &c. Quinto dicunt: voluntatem inefficacem, & sub conditione, siue suspense, ac dependenter à voluntate alterius esse velleitatem, & ignauiam sapere volentis alicuius euentum sine suis labore & expensis, quæ Deum proinde non decet. Respoadetur quoad nomen *velleitatis* ab antiquis, & Recentioribus hanc Dei voluntatem ità non semel nominari. Sed quia subiectiue atque de præsenti absolutè (etsi non absolute efficax est) non per subiunctiuum *vellem*, seu *vellet* ex quo velleitas deriuatur, sed per indicatiuum præsens *volo*, seu *vult*, hæc Dei voluntas aptius, propriusque explicatur: vt similem humanitatis suæ voluntatem de præsenti Christus Dominus Matth. 26. explicuit: *Non, sicut ego volo, sed, sicut tu*. Nec ignauiam redolet, cum ita volens apponat, quæ exparte sua requiruntur, vt effectum possit, ab alterius etiam arbitrio absolute obtinere: vti Deo in hac efficaci, & dependenter à creato arbitrio nostro conditionata voluntate euenit.

6. Denique contra Serietatem huius voluntatis Dei, quantum ex parte sui, de hominum omnium salute opponitur argumentum difficile de damnatione absoluta reproborum: qui enim seriò alicuius salutem vult, etsi dependenter ab eius voluntate libera, habetque in sua potestate media, quibus eius voluntatem quoquo versum flectat vt velit, neque impedimentum apponatur, purificetque conditionem ac ea media apponenda voluntatis illius serietate, etenim, quatenus ex parte serio desiderantis est, determinatus ad id debet manere, si vere eam seriam voluntatem de obtinendo aliquo, dependenter adhuc à libera alterius voluntate, conceperit: quo enim pacto verificabitur illum absolute, & serio, quatenus exparte ipsius, & quantum in ipso est, velle, & desiderare illud obtinere, dependenter adhuc à voluntate, & libero consensu alterius, si media aliqua, quibus, & consensus alterius liber, & illud aliud eo absolute obtinendum obtineatur, quæque in eius potestate sunt, non apponit; sed intra illam, & in seipso reseruat? eo enim ipso non velle absolutè, nec desiderare seriò, quantum in ipso est, illud obtinere videtur, conuinci. Atqui Deus habet in sua potestate media, quibus de facto flectat in consensum, & pœnitentiam finalem, sub cuius conditione reproborum (quorum etiam salutem velle dicitur) voluntates, eaque non apponit, sed potius intra se, suamque potestatem clausa relinquit, ac reseruat: ergo non habet voluntatem seriam, & quatenus exparte sui, & quantum in ipso est, salutis eorū, dependenter adhuc ab eorum libero consensu & voluntate. Confirmatur: quia determinatio ad ea media præstada ex libere præconcepta voluntate seria illa de eorum salute; nec libertati diuinæ voluntatis, nec absoluto eius in supernaturalia dona, & gratiam dominio aduersatur: cum absolute eam voluntatem seriam, & inde ortam determinationem ad ea gratiæ suæ dona, ac media apponenda non habere potuerit, ac libere habuerit: sed neque exparte libertatis creatæ (cuius seruandæ gratiæ volita dependenter ab eius consensu libero hominum salus iuxta Patres recitatos à Deo fuit) in determinatione Dei ad ea media, & dona gratiæ suæ necessario apponenda vlla est repugnantia: cum ea media, nec reproborum libertatem tollerent, neque antecedenter ad consensum eorum determinarent voluntates: maximè in nostra sententia de efficacia auxiliorum extrinseca solum

à consensus

à consensus ipsius conditionata futuritione. Respondetur ex dictis certam. 1. numero 5. à med. libertatis diuinæ perfectionem imminuendam, si omnis actiua, ac seria (quatenus etiam ex ipso est) voluntas alicuius creati obtinendi deberet ipsum determinare ad omnia media, quæ suæ potestatis, & dominij sunt, nec solum ad præcise necessaria apponenda. Non enim haberet, quoad ardorem etiam, & vehementiam, desiderandi bona creata libertatem, quam creaturæ ipsæ habent, ardentius etiam, vel remissius ea, serio quidem, velle, ac desiderare pro libito posset. Atque hac solum ratione eximium desiderium Dei erga homines, eorumque æternam salutem tot passionis, mortisque dominicæ expensis statim pro nostra conclusione ponderandis, à Deo procuratam cum impœnitentia finali reproborum ad concordiam reduci posse censeo. Alia, quæ ex causa reprobationis, & remedio paruulorum absque baptismo cum originali decedentium obiici poterant ad controuers. 7. d. vlt. de reprobatione spectant: vbi, aliis necessario ad eorum solutionem præmittendis, prius examinatis, explicatis atque statutis, facilius, clariusque soluentur.

7. Aliud argumentum in scriptura, & Patribus pro nostra conclusione continetur, ita illud instruo, quisquis vult medium formaliter, vt medium, vult finem, siue id, ad quod medium est: atqui Deus vult medium imò plura, & maxima media ad omnium hominum salutem, qua media ad illam formaliter: ergo vult hominum omnium salutem: Maior est Philosophorum & Theologorum omnium Axioma fixum, perspicuum. Nam medium, qua medium non nisi propter finem, magis, & primario, ac principalius volitum amari potest: quare minor sola probatione opus habet: facili tamen, imprimis enim Christi Domini passionem pro omnium vniuersim, & singulatim hominum salute, ac subinde, vt medium formaliter ad eam in omnibus consequendam, volitam appositamque à Deo fuisse expressum est 1. Corinth. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus*, 2. Corinth. 5. *si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus* & 1. ad Timoth. 2. eius sententiæ, *vult omnes homines saluos fieri*: rationem subdit: *vnus enim Deus omnium, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quæ ratio nil probat, nisi Deus, & Christus Iesus passionem suam, vt medium formaliter ad omnium salutem, & redemptionem à morte culpæ ad mortem, & salutem voluerit, & obtulerit: nam ex medio materialiter solum volito, ac non ob hoc obtinendum, sed vel aliud, vel medium ipsum male huius amor colligitur, in id Patres conspirant. Ambr. ita explicat id Psal. 118. *Misericordia Domini plena est terra*: ser. 8. *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum generali beneficio ipse se fraudat sicut* (adiungit) *qui foli claudit feneſtram* de quo ad 1. Corinth. 11. sub finem, *quid est nisi panas dare mortis domin: ? occisus enim est pro iis, qui beneficium eius irritum faciunt*, & ita pro omnibus pro vnoquoque solum eiusque salute in solidum totam affectu suo passionem impenderit, vt idem ait: 16. de Iacob & vita beata post med. in id Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illam*: Sic pendens: *Pro omnibus: vt ostenderet, quod ità omnes diligat, vt dilectissimum filium pro singulis traderet.* Chrysost. in 2. ad Galat. *ad id, qui dilexit me deditque semet-ipsum pro me*: dicens: *declarat hoc quoque par esse, vt quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob vnum tantum exhibere dispensationem: adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit quomodo diligit orbem vniuersum.* Plura ex ipso in hanc sententiam dedimus controu. de Incarnat. de huius adæquato fine disputantes.

8. Vt autem vehemens esse hoc desiderium Dei de omnium, quantumuis perditorum, salute, ex quo adeò præstantia suorum laborum, & passionis media apposuit, Dominus explicaret, sitis, ac famis instar (quæ ardentes cibi, & potus appetentiæ sunt) esse declarauit Psalm. 68. *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*, & Ioann. *Mulier da mihi bibere*: & in cruce pendens *sitio*: cap. 19. vt explicant August. in Psalm. verba, & tract. 15. in Ioan. col. 3. & tract. 119. S. Thom. in id Ioann. Drogo Hostens. de dominicæ passionis sacram. Greg. Magnus in 4. Psalm. Pœnit. ad id: *quia cinerem, tanquam panem, manducabam* Arnold. Carnotens. Bernardo coætaneus familiaris tom. 1. Bibliot. tract. de verbo illo *sitio* sub init. & Cyrill. Hierosolymit. Cathech. 13. vers. fin. Bernard. serm. in natiuit. Ioann. Baptistæ. Sitis Christi de omnium fide iustitia, & salute fuit: sicuti, & fames etiam, iuxta Paulinum epist. 33. ad Desiderium sæpe à medio, & fine. Totoque corporali suo aduentu, doctrina, & passione fidei, iustitiæ, & charitatis nostræ ardorem Dei filium per eaque nostram salutem intendisse expressit ipse ad Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur.* Siue, vt Basil. legit tom. 2. homil. *vlt. nisi, vt iam esset accensus*: vel vt legit Chrysostomus serm 2. de Spiritu Sancto in Pentecost. *volui videre si tam accensus sit.* Adeò anxie illum accendi voluisse ignem. De eius Gregor. Mag. hom. 2. in Ezech. med. *Ignis quippe ex terram mittitur, cum per ardorem Spiritus Sancti mentes terrena mens carnalibus suis desideriis concrematur*: eumque etiam in prauis, ac reprobis accendi voluisse Deum ait in locum Psalm. 4. Pœnit. proximè citatus Gregorius idem, sicuti & August. lib. 22. contra Faustum Manich. cap. 43. Cyrill. & Chrysost. in eum Lucæ locum; ex quo eiusque metaphorico igne omnes (nullo excepto) voluisse cupiisseque Deum adipisci salutem, atque ad veritatis agnitionem venire, & quantum quisque aptus, connectentem sibi, atque ad sui similitudinem perducentem fuisse: quod etiam reliqui citati Patres docuerunt. Vitrius de passionis suæ abusu à reprobis solum illa querela est: Ierem. 49. *& ego dixi: in vacuum laboraui, sine causa & vane fortitudinem meam consumpsi*: & Præcipue ad Israëlitici populi incredulos ad quos missum se præcipue testatur Christus Matth. 15. notántque ad locum Hierem. Cyrill. Alex. lib. 4. orat. 4. Hieronym. lib. 13. Ne autem dicas hæc de sola humana Christi voluntate esse intelligenda; attende diuina voluntate à Patre missum atque incarnatum venisse 2. ad Roman. 8. *qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Tertio ea omnia pro nostra salute fecisse, paditque esse Dominum, vt Patris ac diuinæ suæ voluntati humana voluntate concordaret atque obsequeretur inta illud. *Non veni, vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*: & illud *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.*

9. Multa alia in idem argumentum congeri è scriptura, & Patribus possunt, quæ summatim attingam Psalm. 18. *Neque est qui se absondat à calore eius*: ad quæ August. exposit. 1. *Non permisit Incarnatum verum sine lum mortalium excusare de vmbra mortis, & ipsum enim penetrauit verbi calor* quatenus ex se erat; sicut sol, omnes calefacit qui ad vmbram sponte non refugerunt: quæ etiam sententia metaphora illa Oseæ 6. *venit quasi si imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*, quod de Christi aduentu interpretatur, ac subdit, *Hæc est pluuia de qua dominus pollicetur; dabo vobis pluuiam temporaneam, & serotinam.* Michææ: statimque quæritur Domeam, & serotinam. Michææ: statimque quæritur Dominus, *faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda*; adquæ Hieronym. *Parentis in perditos filios monstrat affectum: iuxta illud quod in Isaia legimus; quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci*: & in Michæa: *Populo meus quid feci tibi?* &c. Accedit providentia etiam perditissimis, veritatis Prædicatores apud eos magnæ auctoritatis, & de se, & ex miraculis patratis delinnans, vt conuerterentur, & crederent. Prophetas olim & Baptistam aduentus Christi præcursorem, cuius apud incredulos Iudæos testimonio Ioann. 5. vsus Christus ipse dit: *ego autem non ab homine testimonium accipio*, de mea diuinitate de qua numero 18. *Sed hæc dico, vt vos lui sitis*: quæ ita Chrysostom. interpretatur. *Hoc est: ego hominis non indigeo testimonio, cum Deus sim: verumtamen cum Ioannes tanta apud vos auctoritatis sit, cum tantorum Prophetam admiremini, mihi etiam miracula facienti non creditis, idcirco eius vobis testimonium in memoriam reduco*: ità etiam Leontius ad eum locum, & Theophylactus: qui etiam ad id Ioann. 12. *Abiit, & abscondit se ab eis*: factum à Christo ait: vt eorum mitigaret iram, locumque

locumque & tempus consideratione faceret, vt resipiscerent, *quamuis enim incredulitatem eorum præsciret: attamen omnia quæ ad se attinebant faciebat*, de Apostolis vero, & de Euangelicis Prædicatoribus gratias Deo agebat Paulus 2. Corint. 2. *qui odorem notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*: quod ita esse ob creati arbitrij vtentis, vel abutentis libertatem explicant Nyssen. homil. 8. in Eccles. versus med Hieronym. epist. 150. de 12. quæst. ad Hedib. q. 11. post med. Aug. de prædestinat. & gratia c. 13. 14. & 15. vbi de reprobo Pharaone odorem mortis in mortem fuisse concludit: *quia libero contra Dei, voluntatem pugnauit arbitrio.*

10. Media denique ad salutis etiam reproborum seria voluntate Deus, benignus non præstantibus, adeò adhibita plura rigida sunt veteri, & nouo testamento vt à perditione reuocarentur: comminationes, terroresque, cum peruigilium, tum per fumnum iniecti, rigidaque, vbi hæc non sufficere, supplicia: quæ singulatim recensere, neque opus est (cum tot, tamque obuia in scriptura sint) nec tempus vacat: sat erit flagella ab Amos cap. 4. enumerata recensere, & singulis adiunctum, *& non redistis ad me*: Præcipuè illud: *dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris: & indigentiam panum in omnibus locis vestris; & non estis reuersi ad me dicit Dominus*: quibus Hieronymus adnectit: *quæ vniuersa feci non ob crudelitatem, & sæuitiam, sed vt conuertemini ad me* & illud Hierem. 6. *æs, & ferrum vniuersi corrupti sunt, defecit sufflatorium in igne: consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ*: quo loco Nazian. Orat. 15. in plag. grandinis circa med. Dei eorum duritiem exprobrantis sententiam inducens, confirmat: *quanam ratione, quoue modo erudire vos oportuit, quo non erudierim?* Sed in nequissimo, ac perditissimo Iuda de salute reproborum desiderium diuinum procuranda omnem artem suam explicuit, atque exemplum apposuit, iuxta Ambrosium de paradiso cap. 8. sub init. vbi ait: *venerat Dominus Iesus omnes saluos facere peccatores: etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem: & ideo, nec proditurum debuit præterire, vt aduerterent omnes, quod in electione etiam proditoris sui seruandorum omnium insigne pretendit.* Scilicet addit beneficiis suis non necessitatem, vel boni, vel mali vsus, vel probis imponendo vel reprobis, & post pauca: *quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluerit liberare*, pauciique interfectis, *in Apostolatus munus adscitus est, vt, vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu*, &c. qua eadem intentione eius pedes lauasse Dominum testatur Chrysost. hom. 69. in Ioann. cap. 13. & eadem illi (nulla apud reliquos condiscipulos nota sceleris concepti notitia) reprehensione sua manifestasse vt absisteret; *faciusque corrigeret pœnitudo quem nulla deformasset abiectio* inquit Leo Mag. serm. 7. de passione cap. 2. sub init. & 16. cap. 3. fine Gaudentius Brix. serm. 13. de natali domini circa med. Cyrill. Alexandr. 9. in Ioann. cap. 7. med. & lib. 11. cap. 21. med. Euthym. ad id Matt. 26. *vnus vestrum me traditurus est*: vbi multa de mediis salutis Iudæ adhibitis, deque eius abusu, & obstinatione. Beda in id Luc. 22. *verumtamen manus tradentis* Theophil. ad id Ioann. 13. *Cum Diabolus immisisset in eor*, & ad id cap. 17. *Nemo ex iis periit, quantum ad me attinet, nullum perdidi, quantum in me fuit nullum amisi, sed seruaui eos.* Hoc est: omnibus modis eos custodiui: quod repetit circa Iudæ electionem ad cap. 13. & in 12. ad id *sed, quia fur erat*: pecuniæ ait dispensationem permissam, vt marsupio auaritiam satiaret solatiumque, neque furare cuperet. Denique Augustinus ad id Psalm. 68. *quoniam quem tu percussisti* & apud ipsum tom. 10. Author. serm. ad fratres in Eremo serm. 28. sub initium, & inferius multis modis Iudæ à Domino correctionem procuratam ostendit.

CERTAMEN IV.

Pro eadem veritate ex scriptura, & Patribus argumenta alia.

1. SEd in loco illo 1. ad Timoth. 2. vbi adeò expressa est Dei de omnium, & (nullo excepto) singulorum hominum salute seria antecedens, & quantum ex parte sui est, actiua voluntas Patribus contestantibus Theologicum, & efficacissimum argumentum duplex præmittitur: *Obsecro igitur primo* (ait Paulus) *omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, &c. vtpote Deo placitum, rationem subdens, *qui omnes homines vult saluos fieri*: cui Pauli obsecrationi, imò & eius rationi Ecclesia tota annuit fer. 6. in Parasceue, sic pro hæreticis, & schismaticis orans. *Omnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas*, &c. Chrysost. homil. 7. in id caput: & testimonium ait, *imitare Deum, si omnes ille vult saluos fieri, pro omnibus oportet orare: illius, & tu conforma voluntati* Augustin. ad art. 2. è sibi falsò appositis, vel potius Prosper. ad 2. obiectionem ex Vincentianis. *Syncerissimè credendum est, atque profitendum Deum velle, vt omnes homines salui fiant: siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, præcipit, (quod in omnibus Ecclesiis pissimè custoditur) vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt pereuntium est meritum; quod multi saluantur, saluantis est donum.* Cyprianus de oratione Domini *id fiat voluntas tua*: Matth. 6. & Luc. 11. Sic posse intelligi ait; *vt, quoniam mandat Dominus inimicos diligere, & pro his quoque, qui nos persequuntur orare, petamus, & pro illis, qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cæperunt: vt circa illos voluntas Dei fiat* factis nimirum illis etiam cælestibus, inferiuscule: *merito, & nos, qui esse debemus Deo Patri similes, qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, &c. *sic Christo monente oramus, & petimus: vt precem pro omnium salute faciamus: vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes ex aqua, & Spiritu Sancto.* Atque Augustin. de grat. Christi cap. 25. ex 1. Corinth. 13. arguit contra Pelagium: non solum posse bene operari (quod naturæ à Deo conditæ esse Pelagius admittebat) sed, & ipsam bonam nostram operationem à Deo esse. *Non enim* (ait Apostolus) *oramus, vt possitis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali: neque vt possitis bonum facere; sed, vt bonum faciatis.* Cum ergo 1. Timot. 2. Obsecratio Pauli sit, vt oremus pro omnibus, vt vitam tranquillam cum omni pietate, & castitate agamus, quia Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: rectam nostram actualem vitam nobis Deum velle; nec solum media, quibus ea habere possimus eadem argumenti Augustini forma conuincitur.

2. Accedit eiusdem orationis Dominicæ petitio quinta: *dimitte nobis debita nostra & ne nos inducas in tentationem*: neque enim Deus vt à se peteremus hortaretur, nisi dare vellet vt bene discurrit Chrysostom. apud Sanctum Thom. 22. quæstion. 83. art. 15. corp. fin. sic fatus. *Nunquam oranti beneficia denegat: qui, vt orantes non deficiant, sua pietate instigat*, & similiter Augustin. tom. 10. serm. 5. & 29. lib. de verb. domini post init. Atque ad parabolam de Iudice iniquo, & vidua importune rogante, qua nos dominus, vt importune etiam, dona, & salutem nostram precibus apud ipsum negotiemur hortatur, eandem Dei sua nobis, & saltem nostram largiendi voluntatem probat luculenter Chrysostom. idem tom. 5. lib. 2. de orando Deum col. 2. & 3. Nec minus aureo eloquio Chrysolog. serm. 39. de perseuerentia orationis, parabolam aliam, quæ nos Saluator ad instanter eadem ab ipso poscenda similiter erigit, Luc. 11. *quis vestrum habebit ami-*

cum, &c. idem argumentum sic vrget, *ô quam dare vult, qui se inquietari, taliter patitur suscitari! ô quam necessitatis esse sua, quod sua potestatis est, vult videri! ô quam pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam! ô quam negare noluit, qui sibi etiam neganti qualiter extorqueretur ostendit!* & Gregor. Magn. 11. Regiſtri cap. 2. *Pius, ac misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult irasci:* & dato illo Pſalm. 49. *inuocante in die tribulat*: ſubdit: *ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet, vt inuocetur.* Sed dices Auguſtinum cap. 15. (non 14. vt ab aduerſariis refertur vbi de eo nihil) de corrept. & grat. ideò pro omnibus orandum ait, quod, quinam prædeſtinati ſint, qui non prædeſtinati, ſed potius ad ignem æternum deſtinati neſciamus: imo vero, ſi hos ſciremus non magis pro eis, quam pro diabolo orare nos poſſe docet lib. 22. de ciuitat. cap. 24. ſub init. id quod & Chriſti domini exemplo confirmatur: qui Ioann. 17. dixit. *Non pro mundo rogo*: id eſt pro his, qui mundi malitia obſtinati morientur: & Dei ad Samuëlem increpatione illa 1. Reg. 16. *vsque quo tu leges Saül, cum ego proiecerim eum?* quo in loco ratio traditur, quia contra exploratam Dei voluntatem abſolutam, & efficacem de perpetuo, & obſtinato, ac irreuocabiliter inimicorum ſuorum damnatione pro ipſorum ſalute precari non licet: ergo oratio pro prædeſtinatis ſolum mandatur facienda; etſi, quia ignoti determinati ſunt, vage pro omnibus facienda ſit, vt determinate prædeſtinatos pertingat, non reprobos, vt hactenus contendebamus: quare, & argumentum hoc de oratione infirmum ad id probandum eſt: & niſi ad orationem pro prædeſtinatis ratio Pauli non præſtat: cum enim Deus reprobos, & ſua iuſtitia damnatos ab æterno determinate nouerit, eos velle ſaluare non poteſt, quin à ſe, & ſua abſoluta, & efficace voluntate diſcordet.

3. Ruiz ex præſcientia de æterna damnatione alicuius, deſiderio per illam regulato, ineſficaci quidem abſolutè, etſi, quatenus ex parte noſtra, ſeu quatenus in nobis eſt, efficaci, orari pro illius ſalute à nobis poſſe videtur cenſere d. 19. ſect. 7. numer. 4. idque, & Dei, & Chriſti domini, qui male vſuros gratia, reproboſque, & damnandos præſciens, nihilominus, & ſalutem ex parte ſua ipſis optabat, & neceſſaria ad eam conſequendam ex eo deſiderio largiebatur: & qua homo, pro illis, etiam Iuda, & crucifixoribus, Chriſtus ſerio, ac non perfunctoriè; & quoad ſpeciem ſolum, Patrem precabatur. Huic tamen ſic intellectæ ſolutioni non acquieſco: ob rationes datas proxime contra hoc argumentum ab oratione petitum. Reſpondeo ergo ex ſcientia poſſibilitatis ſalutis reproborum omnium pro priori naturæ ad finalem eorum pœnitentiam, & abſolutam damnationem media, vt illam conſequantur, & deſiderare, & Deum ipſis precari nos poſſe omninò voluntati Dei conformes, quin aliquid repugnans, & contradictorium velimus ac precemur; etſi ex ſcientia ob reuelationem de eorum abſoluta damnatione noſtram voluntatem dirigente, nec ſalutem illis licite, ac non implicatoriè velle, nec Deum pro eorum ſalute precari poſſimus, vt Auguſtinus aiebat: Deuſque locis illo Samuëlis, & Chriſti Domini nos docent: itaque pro omnibus in indiuiduo, & determinate hominibus etiam reprobis Deum orare ab Apoſtolo, & Deo ipſo monemur; & recte tamen ait Auguſtin. imò & Ignatius Martyr epiſtola 11. ad Epheſ. circa med. ideò poſſe, ac debere nos ita pro omnibus, nullo adhuc perditiſſimo excepto orare: quia de nullo, an damnandus ſit ſcimus, ſed ſolum abſolute poſſe conuerti, & ſaluari ac proinde eorum indiuiduatim omnium ſalutem ex ea poſſibilitatis ſola ſcientia deſiderantes, voluntati; & deſiderio Dei de eorum ſalute, ex ſcientia, ſimplicis etiam intelligentiæ ab ipſo habitæ de eorum ſalute, & de collatione mediorum conformatur; quin aliquid ex parte obiecti, aut velimus, aut petamus reprobis pro eo ſigno, & priori naturæ impoſſibile: imò, & efficacia media Deum petere pro illis poſſumus, ac reuera, cum tota Eccleſia petimus, atque obtinemus quandoque à Deo, precibus noſtris ne præſciti, reprobique de facto, & exercitè ſint: qui alias reprobi forent, vt de precibus Stephani pro lapidantibus, & de Paulo Patres aiunt: quæ, ſi defuiſſent, Paulum Eccleſia non haberet. Ad hoc ergo ne ſcientia noſtra de reprobis, ac prædeſtinatis ex Patrum Sententia inſeruit, vt illis ſalutem velle indiuiduatim, & gratiam à Deo precari poſſimus, quia nondum pro ſigno obiecti ſcientiæ de ſalutis poſſibilitate, reprobus, damnatuſque quiſquam eſt: non autem quia ad ſolos prædeſtinatos, nondum à nobis determinate à reprobis cognitione diſcretos extendatur, reprobandis excluſis &c. quod ſi de iam damnatis decreto Dei nobis notitia adeſſet, ſicut de dæmonibus; ex ea quidem, nec ſalutem illis velle, nec pro illis precari Deum liceret, nec niſi implicatoriè, poſſemus: vt bene Auguſtinus, & ad Samuëlem Deus aiebat exemplumque Chriſti Domini, & rationes nuper datæ probabant.

4. Sed dicent aduerſarij ſecundo: orationem ad Deum fieri à nobis poſſe pro omnibus indiuiduatim, ac ſubinde, & Deum, & Apoſtolum poſſe nos ad eas pro eis omnibus, & ſingulis fundendas adhortari; etſi Deus non omnium, quia non reproborum, ſalutem, verè, ac ſeriò, ſiue ex animo, vt aiunt, velit: quemadmodum Chriſtus Dominus Patrem in hotto pro ſuæ humanitatis incolumitate precabatur. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*: etſi mortem eius à Patre abſolute decretam certo noſſet, neque vllatenus ipſius incolumitatem deſiderarit antecedenter, ſeu quatenus ex parte Dei erat: ergo ex oratione noſtra pro reprobis, male infertur ſeria vera, atque ex animo voluntas Dei antecedens de illorum etiam ſalute. Attigit hanc euaſionem, & argumenti noſtri eneruationem Ruiz vbi proxime numero 10. non tamen totas eius vires explicuit: quare numero 11. reſpondet: argumenti noſtri huius ab oratione pro omnibus facienda robur potius confirmare iuxta ſuam doctrinam (quæ nobis nuper diſplicebat) de licita noſtra voluntate ſalutis reproborum, & oratione pro illa, etiam poſt reuelationem nobis factam de ipſorum ob finalem impœnitentiam abſoluta à Deo deſtinatione ad æterna ſupplicia: quod, & illicitum, & implicatorium ex parte obiecti ab auctoritate, & ratione monſtrauimus. Melius reſpondetur Chriſtum dominum, vt voluntatem illam, adhuc conditionatam, ex parte obiecti de ſuæ humanitatis incolumitate conciperet, Deumque, ita etiam, pro illa Patrem precaretur à ſcientia ſua creata abſolute voluntatis Patris de eius morte animum, pro tunc, libere diuertiſſe: ſicuti, & ab aliis obiectis, quæ ateà continuò clare nouerat, vt eis ex induſtria non attentis, triſtaretur, Controu. de Incarnat. dicebamus: ſicque ex poſſibilitate incolumitatis ſecundùm ſe, & naturali imminentium pœnarum horrore, & poſſibilitatis voluntatis diuinæ, incolumitatem humanitatis ſuæ orabat; voluntati tamen, quæ ea ſuper poſterius natura à Deo haberetur anteacto conformis: itaque licitè, & honeſtiſſimè, ac ſine vlla ex parte obiecti implicatione orabat, vt Dei voluntatem ad ſuæ humanitatis incolumitatem inclinaret: quam proinde ſupponere non debebat; aſt orationes noſtræ pro omnibus hominibus, cum de ipſius hortatu per ſe, & per Apoſtolum ſint, voluntatem de eorum ſalute in Deo hortante ſupponere debent; ne illuſorie ad eas Deus nos horreturque: & Apoſtolus Dei afflatu nos adhortans eiuſmodi voluntatem explicuit vt pro illis omnibus petendo, eius voluntati conformaremur.

5. Tandem alij reſpondent: nobis non incumbere generalem vniuerſi prouidentiam, ſicut Deo; ſed particularem, & charitatis erga omnes: quare, & poſſe recte orare pro omnibus, & ſingulis: Deum autem potius mundi prouidentia concernit. Ad pulchritudinem autem vniuerſi alios velle ſaluare, alios lapſum permittere, & punire, magis decere. Nullius eſt ponderis: Tum, quia non ita hoc magis decet, vt ſi aliter res Deus diſponeret, etiam cum effectu, nec quatenus ex parte ſua ſolum eſſet, voluiſſetque, aliquid indecentiæ incurreret, minuſque, adhuc perfectionis phyſicæ, aut moralis haberet: vt de viribus Dei moralibus oſtendemus controu. 5. quia, ſi nos charitas proximi omnibus, & ſingulis hominibus ſalutem & velle, & precibus ad Deum fuſis negotiari quatenus ex parte noſtra eſt, honeſtiſſime facit: multo ſane honeſtius

honestius eisdem idem, ex parte sui velle, & procurare Deum, omnium hominum munificum Dominum, creatorem, & naturalem parentem faciet; nec nisi ex dependentia, & præsuppositione abusus prouidentiæ suæ benignissime in reprobis alicuius velle perditionem: quam rationem, vtpote apud Deum potentissimam Ecclesia vt fidelem pœnitentiam moribundis singulis, & omnibus de facto concedat, atque ab æterna eos perditione eruat in commendatione animæ quotidie, ac semper illis verbis representat. *Agnosce Domine creaturam tuam*: &c. Illud de pulchritudine vniuersi, quandoque à Patribus dictum, video à pluribus longe alio sensu circumferri. Neque enim peccati & damnationis reproborum deformitate, & malo maiorem vniuersitati hominum, & Angelorum pulchritudinem, quam eorum omnium iustitia & salute, de se se, ac nulla facta suppositione affici posse video. Ex suppositione autem abusus arbitrij creati contra antecedentem Dei quatenus ex parte sua est, voluntatem de recto eius vsu, & æterna subinde salute, suppliciis reprobos, siue permissi, siue inflicti malo ad vniuersi pulchritudinem spectare, ac diuinæ iustitiæ splendorem certum mihi & hominibus est atque à Psalte notatum: Psalm. 48. illis verbis; *sicut oues in inferno positi sunt*: cum tamen ouis specie, & nomine solum prædestinati, non autem damnati reprobi significentur; sed hædi, & nomine, & specie iuxta id Matth. 25. *& statuet oues quidem à dextris, & hædos à sinistris*: oues autem dicuntur, cum puniuntur: quia non minus Dei iustitia per eorum damnationem, quam per prædestinatorum sanctitatem, & gloriam, in rationali vniuersitate resplendet: vnde & proloquium nostrum vulgare, *Tambien parece el ladron en la horca, como el Iusto en la gloria*. Quod autem Deus pro mera sua voluntate non omnibus efficacia sua dona largiatur, ac prædestinet; sed, & lapsum permittat: idque antequam quidquam mali egissent, sicuti, neque boni aliquid prædestinati quibus efficacia vberiore misericordia prouidit: id quidem non ad maiorem vniuersi pulchritudinem spectat; sed ad supremum Dei erga gratiam suam dominium: nec defectum voluntatis antecedentis de salute reproborum arguit, cui sufficientium donatione satisfit.

6. Secundum argumentum eodem Pauli loco contextur illis verbis, *quibus etiam gratiarum actiones* obsecrat fieri *pro omnibus hominibus*: eandem rationem reddens etiam, quod Deus omnes saluos fieri velit: quæ ratio in gratiarum actione æquam ab Apostoli auctoritate à ratione verò maiorem adhuc vim ad intentum nostrum habet: etenim ex natura rei precari quempiam: quare, & Deum possumus, vt ea velit nobis donare, quæ de se antecedenter nondum, ex parte adhuc sua, voluerat: eo enim preces ad ipsum fundimus, vt illius eum ad nostri beneficentiam inclinemus: quocirca, si ad ea cum affectu præstanda determinatus aliquis supponatur, frustra pro eis ab ipso obtinendis precaremur. At vero gratiarum actio voluntatem rei nobis collatæ ex nostri benevolentia, atque in nostrum commodum, & vtilitatem in donatore supponit: quare, cum pro omnibus hominibus agendæ Deo gratiæ ex Apostoli præscripto sint, ex omnium benevolentia, atque salutis intentione omnia in omnes & singulos à Deo conferri demonstratur. Hoc argumentum vniuersim nos docuit Basil. 2. de Institut. Monaster. fine: *siue maturius aliquid, siue serius consequimur à Deo: hoc tenere constanter debemus, vt ipsi gratias agamus, quando Dominus, quæcunque facit, ea omnia saluti nostræ consulens facit. Tantum, ne pusillanimitatis vitio à petitione constante desistamus.* Quibus extremis verbis Deum ex salutis nostræ desiderio preces nostras expectare, ac velle Basilius satis ostendit Chrysost. 1. de Prouident. post medium: *Non de his solum quæ nouimus gratias illi referamus. Nec enim volentes solum, verum inuitos & nolentes beneficiis consuevit afficere, quod Paulus*, &c. & post pauca: *quod non communiter solum omnium curam gerit; sed seorsum singulorum ipsum audias licet dicentem: Non est voluntas coram Patre meo*: &c. Matth. 18. inferius: *cupit ipse quidem & eos qui non credunt saluos fieri, mutuoque in mentibus credere*: sicut Paulus ait loco quem versamus, quod & firmat illo Christi Domini. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Ac deinceps tantum esse Dei erga homines omnes benevolentiam, ac de eorum commodis curam docet, vt eis, qui contra eius voluntatem voluntatis propriæ vitio à salute æterna, ipsis à Deo optata, obstinato deuiarint, naturalia nihilominus bona impertiatur.

7. Tertium argumentum ex Dei gaudio vehementi de peccatoris conuersione & pœnitentia, quod deperditæ ac inuentæ à Pastore tandem ac reductæ Luc. 15. & Matth. 18. item dragmæ adinuentæ, & filij prodigi ad Patrem regressu parabolis Christus Dominus explicuit: etenim vehemens de re assecuta gaudium arguit antecedens de ea assequenda vehemens desiderium. Hinc apud Matth. 18. intulit Christus Dominus: *sic non est voluntas ante Patrem vestrum vt pereat vnus de pusillis istis*: & apud Lucam 15. *congratulamini mihi quia inueni*: & *epulari autem, & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est*: quibus, & reducendi ouem, ac filium perditum atque dragmæ perditæ adinueniendæ, & Pastoris, & Patris, & mulieris anxium antecedens studium proponitur, vt eorum recuperatorum adinuentorumque gaudium vehemens commendetur; quod tale procul dubio esse, minimè constaret, si iniuriis de eorum recuperatione, Pastori, Patri, ac mulieri ea occurrissent atque ad eorum potestatem redirent: in quod argumentum eis parabolis expensis ita concludit Dionysius Areopagita epist. 8. ad Demophilum: *festum diem agit: conuocat amicos id est bonos, vt sit omnium lætantium habitatio*: inferiuscule: *quomodo enim non debebat is, qui bonus est ex eorum, qui perierant, salute, & eorum qui mortui erant vita lætari? denique & in humeros impositam ouem fert eam, quæ vix ab errore respuerat: & Angelos ad lætitiam gaudiumque inuitat.* &c. & 12. de diuin. nomin. sub fin. ait: Deitatem, vtpote simplicem perfectionem omnis incontinentiæ, inæqualitatis, & non aptæ compositionis rerum exterminatricem, gaudere recta earum dispositione, & ordine, & quæ ipsam adipisci meruerunt continere ait, subditque; *Omnis denique diuina prouidentia, qua contemplatur, & conseruat ea, quæ curat, seque benigne offert ad formandam in eis, qui ad ipsam conuertuntur, diuinitatem* vbi, & de suo oblationem, vt diuinitas in nobis formetur, atque, vt id assequamur omnem eius prouidentiam, & curam esse, ac subinde de his, quibus rectum ordinem, & dispositionem obtinet gaudium totum ipsius esse docet.

8. Dices gaudium hoc solummodo de prædestinatis, & probis esse, qui solum à Deo eo modo habentur, vt gaudium illud ingenerare ipsi possint: quare de iis solum probari argumento hoc quatenus ex parte Dei est, antecedentem salutis, & iustitiæ eorum voluntatem seriam, ac vehemens desiderium. Sed contra: quia illa ouis, dragma, filiusque perditus peccatores omnes, singulosque significat, vt Patres, & interpretes omnes intelligunt: quare, & cura, ac desiderium vehemens ex quo anxie adeò, vel ouis, vel dragma &c. à Deo requirebatur, non prædestinatos solos, qui reperti de facto Deum ingenti gaudio affecerunt, sed reprobos æque pro illo signo pertingebat; etsi, quia illi à requirente per sui arbitrij abusum longius fugerunt, quam vt reducerentur, gaudiumque pro requirentis anxietate magnum ipsi afferrent: quatenus enim ex parte Dei quærentis desiderio, voluntate, cura & inueniendi sollicitudine, & anxietate est, satis habetur, & reproborum, si rediret, æque, ac prædestinatorum, qui rediere aduentu, & conuersione Deus gauderet ac proinde in ea salutis omnium antecedente voluntate diuina gaudium Dei, æquum de reditu, & salute omnium, conditionatum tamen, continetur, si redierint, etsi quia ex reproborum malitia conditio deficit, & gaudium respectu illorum absolute deficiat expressum hoc est Deuteron. 30. *Reuertetur Dominus, vt gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gauisus est in Patribus tuis: si tamen audieris vocem Dei tui*: *vide*. Hieronym. tota epist. de filio prodigo ad Dames. & in Isai. ad id cap. 41. *Memento horum Iacob* Isidor. 2. sent. cap. 14. Cyprian. lib. 4. epist. 2. longe à med. id Apoc. 2. *Habeo aduersum te multa*, & id, *sic erit gaudium in cælo*, &c. & alij Patres, & interpretes, qui generalem

præparationem Dei ad gaudium de cuiusvis peccatoris, etiam reprobi conuersione per antecedentem illam seriam ac vehementem voluntatem salutis omnium, etiam reproborum, parabolis illis explicari docent: Secundo, cum Dei curam, & anxietatem, quærendi, & conuertendi ad se peccatores, gaudiumque de cuiusuis conuersione quauis, eis parabolis significetur, & quandoque, ac non semel, reprobi in hac vita verè conuertantur: verum gaudium de eorum conuersione ex illa salutis, & conuersionis eorum antecedente Dei voluntate, & cura oriundum, etiam respectu illorum, aduitti in Deo debet: ne simulatum, & fictum aliquid tantum, in Patris Symphonia, conuiuio, & quæsitis vicinarum congratulationibus mulieris contineri dicamus.

CERTAMEN V.

Ex tristitia de pereuntibus, suppliciis, & ira rationes reliquæ.

1. ET quanquam de perditis ad se, ad Deumque non redeuntibus per pœnitentiam, ac præsertim non redituris finaliter reprobis ob finalem eorum impœnitentiam, gaudium Dei de eorum reditu & salute non sit: est autem Dei de eorum impœnitentia vehemens tristitia, & dolor quatenus hæc summa eius fœlicitas patitur; quod & gauisurum illum vehementer, de eorum conuersione conuincit: & insuper, quatenus de se est, ipsorum conuersionem, & salutem vehementer Deum velle, ac desiderare. Primum patet: Nam quod absens tristitiam generat, præsens, atque possessum eadem mensura gaudium parit. Secundum autem obscurius non est: ex Augustin. 14. de Ciuit. cap. 7. & 9. amorem eius, quod deficit, causam tristitiæ omnis esse ait: quod, & docet S. Thom. 1. 2. quæstion. 36. art. 3. vbi obinde concupiscentiam doloris, & tristitiæ causam esse (si nimirum de malo proprio sit) merito concludit, Philosophis, ac Theologis assentientibus quod enim id quod, vel alicui, vel nobis non optamus deficiat, nullatenus, vel tristamur, vel dolemus: quod autem Augustinus de natura boni cap. 20. dicat, *dolorem in animo facit voluntas resistens, potestati maiori.* De potestate maiore, non solum natura sua, quæ respectu voluntatis diuinæ esse nequit sed, & secundum quid, siue ex subiectione voluntaria Dei, & dependentia ab alterius voluntate, quoad effectus voliti assecutionem (vt diximus salutem nostram Deum velle obtinere) intelligi etiam debet: quod autem Deus de peccatis, impœnitentia, & peccatorum perditione doleat, & quantum natura sua patitur tristetur vehementer constat ex odio quod in peccata habet, vehementique de illis displicentia: id enim solum tristitia & dolor Dei est, ac præterea nihil Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem,* Sap. 14. *Similiter autem odio est Deo impius, & impietas eius.* Iudith. 5. *Deus illorum odit iniquitatem, & sape: omnem viam iniquam odio habui*, quem dolorem, & tristitiam affectus sui de peccatis, ad peccatorum perditione zeli nomine, quem de sponsæ adulterio sponsus concipit, sæpe Deus explicuit: de quo innumera in terminis extant scripturæ testimonia: & plura etiam æquialenter, quoties peccatoribus, ac populo suo, cum idololatriæ, tum aliorum delictorum fœditatem, & turpitudinem, adulterij, & fornicationis nominibus exprobrat.

2. Verum tristitiæ, vel synonima voce, sæpe Deus, de nostris peccatis, & perditio ne suum hunc affectum explicuit Ezech. 20. *& in omnibus istis contristabas me* Isaiæ. 7 *qua molesti estis & Deo meo*: cap. 43. *seruire me fecisti in peccatis tuis; prabuisti mihi laborem iniquitatibus tuis.* Malach. 2. *laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.* Isai. 1. *laboraui sustinens*: Zachariæ 11. *Contracta est anima mea in eis* Iudic. 10. *Deus doluit super miseriis eorum.* Ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei*, Ad quæ loca Patres, & reliqui interpretes nostro huic argumento, vel fauent, vel expresse consentiunt: videndi præsertim Hieronym. Ambros. & Augustin. de Genesi ad lit. lib. 4. cap. 9. Machar. Senior. Egyptiac. homil. 27. ante med. Benedictus Prologo ad suam regulam, in cuius commentario Smaragdus hunc Dei dolorem, & tristitiam de nostris peccatis & miseriis Deus incarnatus variis externis signis demonstrasse ait: vt, cum aliquibus peccata exprobrabat. Matth. 11. *Væ tibi Corazaim*: vbi ad rem satis Hieronym. Euthym. & Chrysostomus Homil. 38. & homil. 60. sub initium ad id Matt. 18. *Væ mundo à scandalis vti ad hæc: benevolentiam quoque suam erga illos, & clementiæ magnitudinem ostendit, quia, vel contradicentes deflet*: consonat glossa. ad Luc. 10. affectus Dei explicatione simili, vbi & Beda. & ad Matth. 7. Abulensis quæstion. 46. post med. verum non vocibus solum animi dolorem, tristitiam, ac fletum significantibus, sed fusis etiam super eodem gemitibus, imò & lachrymis non semel Dominus demonstrauit: Matth. 15. & Marci. 7. peccatorem quemuis in statu sanaturus, *suspiciens in cælum ingemuit.* Marci 8. *& ingemiscens Spiritu ait: quid generatio ista signum quærit?* Ad quæ Hugo Voctorin. de voluntate Christi laudatus à S. Bonauent. in 1. d. 48. art. 2. quæstion. 2 corp. med. *per compassionem in malo suspirabat.* Lucæ 19. *videns ciuitatem fleuit super illam:* & Marci 3. *& contristatus* (græca *condolens*) *super cæcitate cordis eorum*, Nec præstat gemitus, & lachrymas hasce voluntatis humanæ Christi, qui eas fundebat, qua homo, de omnium salute, non autem similis diuinæ argumenta esse: diximus enim supra in salutis nostræ præsertim negotio humanam Christi voluntatem, & affectum diuinis suis, ergo eandem omnino fuisse conformem: maxime cum, vt supra ex scriptura ostendimus, ex diuino de salute nostra desiderio, & voluntate vehemente, & humanitatem induerit, & tot, pro nobis liberandis, mala suscipere, patique decreuerit: vt euidenti argumento sit à Deo susceptam humanitatem fuisse, vt ea, tanquam Organo, & instrumento, signa doloris, ac tristitiæ de nostra perditione, quæ diuinitate sola non poterat, exhiberet: suamque ex eis de salute nostra antecedentem, & quantus ex parte sua est, vehementem voluntatem faceret sensibiliorem.

3. Atque ea plane est Patrum sententia Cyrilli Alexandr. apud Caten. S. Thom. ad eum Lucæ locum sic fati: *Miserebatur enim eorum Christus, qui omnes homines vult saluari* (iuxta Pauli locum, qui de Diuina voluntate expressus vt vidimus est) *quod nobis non parum fuisset, nisi per aliquid humanum fieret euidens, effusi enim lachrimæ sunt signa tristitiæ*: consonat Hieron. ad Michæ. 7. init. & ad Ephes. 4. fine & Chrysost. Homil. 67. in Ioann. sub fin. ex eo loco Ioann. 1. ita disserebat. *Hic autem dicit scriptura, vt nostra causa deseri nos, & nobis ipsis perditionis nostræ auctores esse demonstret. Deus autem non modo nos non derelinquere vult; sed, quoties punit, inuitus punit: Christus, cum peritura esset Hierusalem, etiam lachrymatus est: quod nos in amicis facimus*, &c. Ioann. item Lazaro mortuo, peccatorum omnium Typo, lachrymatus ad eius monumentum Dominus quanto mœrore, & fletu cuiusuis perditi doleat exitium Patrum & interpretum communi consensu significauit: *lachrymatus est Iesus*: vnde illico adstantes Iudæi argumento, quod persequimur intulerunt: *ecce quomodo amabat eum.* Nemo enim dolere, tristarique, & flere verè, ac sine ficta simulatione potest de alicuius interitu, ac perditione, cui non exanimo salutem, & incolumitatem optabat. Apprimè igitur ad eum locum tract. 49. in Ioann. August. huic Iudæorum illationi subscribens, altiori nihilominus sensu, ad rem nostram scripsit: *quid est amabat? Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*: cuius sententiæ & Patrum communi, recte quidem annuit Faustus Episcop. Galliar. (etsi non recto animo illam pro Semipelagianis inducetet) in de grat. & lib. arb. c. 19. Illud Ioan. 19. dixit: *Si Dominus perituris salutis intercluserat aditum: ergo falso illorum defleuit exitium: si autem eorum perditionem vero (vt manifestum est) mœrore perdoluit, non voluntatem suam homini, sed consensum hominis voluntati suæ defuisse nouit, fraudit quid mirum, si hominis lachrymas fundat, qui sanguinem profusurus?*

4. Atque

4. Attigit obiter aliud pro nostra, & Patrum conclusione argumentum Chrysostomus proximè recitatus ex coactione nostris sceleribus, qua eum ad peccatorum supplicia venire dixit inuitum, & ad iram in peccatores: id enim euincit voluntatem, quatenus ex ipso est, antecedentem salutis, & incolumitatis nostræ in Deo esse seriam, ac vehementem; contra cuius inclinationem & impetum vis, & coactio nostris sceleribus fiat, vt nobis irascatur, nosque, vt iustitia exigit, puniat: cum enim voluntas quæuis ad hunc, vel illum affectum de hoc, vel de opposito obiecto concipiendum indifferens est, neque anteacto ad hoc potius, quam oppositum propensa, nullam in alterutrius prosecutione vim sine violentiæ, aut coactionis vmbram pati potest. Aduerte tamen in Deo iram proprie non esse, cum enim ira proprie sit appetitus reddendi dolorem vicissim, vel reuocandi eum, qui nos cruciauit, doloremue proprium intulit iuxta Aristotelem 1. de anima cap. 1. text. 16. & Nemesium 4. Philos. cap. 13. seu lib. de animæ facultatibus cap. 21. sine ac Philosophos reliquos: Deusque proprij doloris, & cruciatus incapax sit, & propriæ iræ incapax erit: ità ergo solum ira, sicuti, & tristitia, quam supponit, admitti in Deo potest: nimirum pro displicentia vehementi, & odio mali alicuius obiecti, vel natura sua (vt peccatum) vel ex voluntate præconcepta de oppositio Deo inuisi ac infensi: & sanè, etsi Lactantius Firmianus, adeò rigide contra Stoicos inuectus, iram Dei propriam in peccata, & impios asseruisse à nonnullis iudicetur lib. de ira Dei; hoc tamen solum quod diximus contendit; tum, quia id satis ad refellendos Stoicos erat: tum, quia nil aliud contendisse è toto libri contextu patet. Maxime cap. 5. 14. 15. & 17. cuius sine iræ à se in Deo assertæ hanc definitionem posuit: *est motus animi ad coercenda peccata insurgentis.* Hæc dixerim, vt obiter eam quæstionem (quantum satis est) de ira Dei absoluerim: sicuti & supra de doloris, & tristitiæ affectibus absolui. Nullus enim ex eis proprie in Deo admitti debet, cæterum Deum eo modo, quo potest, in penitos, adhuc de se, atque suopte ingenio, & natura nunquam irasci; imò verò contra genium potius, & præconceptum ex esse illorum amorem, & salutis eorum antecedentem voluntatem, sed peccatorum ab eis admissorum occasione, testatur illud Psalm. 26 *quoniam ira in indignatione eius; & vita in voluntate eius*; iuxta datam supra Basilij magni expositionem certam. 2. numero 10. Quo autem pacto, etiam dum Deus peccatoribus in hac vita constituitis irascitur, plus multo misericordiæ & antecedentis illius suæ de ipsorum salute voluntatis, quam iræ, ad quam eorum sceleribus prouocatur, exerceat, inferius ostendemus.

5. Nunc autem Deum ad supplicia, & peccatorum vindictam præsertim postremam venire, præter Chrysostomi testimonia postrema aliis Scripturæ & Patrum testimoniis ostendamus. Ierem. 5. *Super quo propitius vobis esse potero? Filij tui dereliquerunt me*, quasi eorum sceleribus benefica eius voluntas vincta, & inuita teneatur. Threnor. 3. *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.* Ad quæ Ioann. Maior in 2. d. 37. quæstion. 1. sub fin. *quasi diceret: quodammodo inuitè, & ex suppositione solum, hoc facit, vt peccata puniat:* Apocolor. Princeps. Petrus apud Clem. Rom. 5. Recognit. post med. *Interdum contra bonitatem conditoris fabricata sceleribus impiorum vincuntur elementa, & inde est, quod, aut terra fructus corrumpitur:* &c. quæ sic optime exponit Gruterus ibi. *Contra bonitatem Dei: id est permittente Deo, quamuis nollet punire; sed in humanum genus mallet semper beneficus esse.* Nazian. orat. in plag. grand. post med. *Plaud dubiè missa facta ira quæ ipsius naturæ aduersatur, misericordiam, quæ ipsi naturæ inest amplectetur. Ad illam enim à nobis vi pertrahitur; ad hanc suapte natura fertur: cum igitur non, nisi coactus, percutiat: quid afferri potest, quin natiua sua potestate vtens indulgentem se nobis præbiturus sit: modo nostrisipsos nostri misereant, iustique Patris visceribus vitam præfaciamur.* August. præfation. in Psalm. 51. colum. 2. *extorsit populus à Domino habere Regem & datus est Saul: tanquam dari essent illi in manus suas, qui manibus, & verbis accersierunt mortem: & figurata est in Saule ipsa mors:* Bernard. serm. 5. in natali Domini med. *quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus:* sed omnium facundissimè Salui anus de Prouidentia, quem iuuenis adhuc Philosophus ad rem hanc obseruabam. Nam lib. 1. post med. inter alia missos Sodomam Angelos ait vt ostenderet: *quod etiam malos puniret iniustus, scilicet vt cum legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertulissent, & videremus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem libidinum obscenitatem probaret vtique nobis Deus quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint vt perirent:* quam sententiam Conclusionis fere eisdem verbis deduxit, illud Historiæ eiusdem pendens: *clamor Sodomorum:* &c. Atque omnibus nostris sceleribus, & suppliciis à Deo inflictis applicans, lib. 4. longe ab initio ait: *cumque eius natura sit mens Dei atque maiestas, vt nulla iracundia passione moueatur: tanta tamen in nobis peccatorum coaceruatio est, vt per nos cogatur irascivim (vt ita dixerim) facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ: cumque eius benignitatis sit, vt velit nobis iugiter parcere cogitur malis nostris sceleva, quæ admittimus, vindicare:* colum. penult. *Vim Deo facimus iniquitatibus nostris: ipsi nos iram diuinitatis armamus: cogimus ad vlciscendas criminum nostrorum immanitates nolentem Deum, prope est vt eum non permittamus vt parcat,* &c. In eandem porro sententiam venit & illud Isaiæ 28. *sicut enim in monte diuisionum stabit dominus: sicut in valle, quæ est in Gabaon irascetur: vt faciat opus suum alienum opus eius: vt operetur opus suum peregrinum est opus eius ab eo:* Quia nimirum supplicia non suapte & natura, ac voluntate qua in nostrum potius bonum, salutemque propendet operatur; sed extrinsecus à peccatis nostris alienum, & extraneum sibi vindictæ opus exercet inuitus: vt Patres, & interpretes communiter exponunt.

6. Hæc de æternæ damnationis supplicio, atque etiam de temporalibus dicta sunt iuxtà Petri testimonium: verum in pænis huius vitæ, ad quas delicta etiam nostra, Deum pertrahunt vel inuitum: tametsi iræ, & vindictæ, ac iustitiæ diuinæ temporalia hæc supplicia aliquid habeant, plus tamen multo misericordiæ, benignitatis, atque antecedentis voluntatis salutis nostræ procul dubio habent; vt ne iteratis sæpè delictis nostris anxia hæc voluntas de salute nostra vincatur, & puræ iustitiæ cedat: constat ex Tobiæ 3. fine. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit: quod vita eius si in probatione fuerit coronabitur; si autem in tribulatione fuerit liberabitur: etsi in correptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris:* &c. quare, neque dolorem, & pœnam, adhuc cum punit, de se se amat, sed auersatur: easque non tam vindictæ causa, quam correptionis & ad melius nos reuocandi gratia è salutis nostræ amore nobis immittit; qui bonis quidem, non autem malis nostris delectatur idcirco paulatim etiam perditissimos in hac vita punit: quippe qui de eorum malis dolet: ac proinde minoribus inflictis eorum conuersionem primo tentat, si fors absque grauioribus respiscant. Huius rei illustrissimum exemplum Exodi historia est, quæ sapientiæ 11. & 12. aptissimo ad rem nostram commentario ponderatur: etenim relata cap. 11. obstinatione Egyptiorum, quam frangere leuioribus, ac postmodum grauioribus flagellis conatus Deus fuit ait: non totam illam iram statim, ac peccamus effundere; sed dissimulare illum *peccata hominum, propter pœnitentiam,* & rationem subdit. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil eorum odisti eorum quæ fecisti:* & fine capitis. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine:* inde vero cap. 12. exclamat. *O quam bonus, & suauis est Domine Spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris vt relicta malitia credant in te Domine.* Cuius rei exemplum aliud adhibet in modo, quo idololatras habitatores antiquos terræ sanctæ, vt locum populo suo darent, exterminauit subiungit enim vers. 8. *sed, & his, tanquam hominibus (qui vtique omnes, omniumque salutem amas) pepercisti: & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent,* &c. vers. 10. *sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ,* Eam nimirum, non hominum stragem, & afflictionem debitam præcipuè intendens. Neque vero ea in sceleslos moderatione vtebatis,

quoniam superiori de eorum salute, vel exitio rationem reddere deberes. Nam inquit sapiens: *quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quam tu, cui est cura de omnibus vt ostendas* (alteri rationem reddas) *quoniam non iniuste iudicas*: quare ergo ea moderatione corripis? *ob hoc* (subdit sapiens) *quod omnium dominus es, omnibus te parcere facis.* Subiungit autem ex historia præfata, & ponderata Dei in puniendis quibuslibis hominibus, vel potius per flagella ad interitum eorum salutem corripiendis vniuersalem benignitatem. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia* (hispanè *tiento, como alualo de vidrio no se quiebre con golpe ò toquemos recio*, vt Paulus viros de modo gubernandi vxores aiebat: *tanquam infirmiori vasculo exhibentes honorem*) *disponis nos: si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione dans tempus, & locum, per quæ possent mutari* siue (vt græcum exemplar) *mutarentur à malitia* &c.

7. Est & aliud huius rei exemplum: de incredulis enim obstinato Iudæis, qui vt dominum perderent, consilium cum Herodianis inierunt, dicitur Marci 3. *circumspiciens eos cum ira, & contristatus* (græca *condolens*) *super cæcitate cordis eorum*: ecce, quam in ira ipsa voluntatis vehementis de eorum salute pœnæ cohibere impetum, externis adhuc signis, non potuerit id quod Chrysostomus ad Matth. 12. homil. 41. sub init. ita ponderauit: *circumspexisse: vt aspectu, & oculorum motu ad misericordiam ipsos flecteret: & voluisse illos curare præ cæteris* (*quibus erant deteriores*) *& multis modis remedium attulisse*, &c. *illos autem omnem rationem retrusisse*: & homil. 43. in acta Apostolor. *quoniam igitur, neque is, qui punit* (Deus) *lætatur: igitur, & tu quoque ne læteris, sed si iustè quidem, inquit, puniuntur non oportet dolere? etiam propter hoc est dolendum: quia digni supplicio visi fuerunt. Die obsecro: quando videbis filium tuum vri, vel secari non doles?* ideò per Angelos Deum punire, ac se ipso benefacere multis scripturæ testimoniis ostendit Hieron. epist. ad Cyprian. ad id Psalm. 89. *quis nouit potestatem iræ tuæ?* &c. *Non enim corripit, vt interficiat, atque disperdat, sed, vt corrigat, & emendet*, & in 7. Ezech. sub init. *Non parcet oculus meus super te, & non miserebor*: scribit: *quasi clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes & cariosa vulnera adurere cauterio non parcit vt parcat: non miseretur, vt magis misereatur; nequid putridum, viuasque carnes sui vicinia corrupturum remaneat in corpore. Percutit autem Dominus, quem diligit, & castigat omnem filium quem recipit: cuius intelligentia est, ego percutiam & ego sanabo*: & ad id Malach. 1. *Filius honorat Patrem* ait: *vult itaque primum Deus, vt filij eius simus & bonum voluntate faciamus; sin hoc consequi nolumus, vt saltem seruos nos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus.* Prosper. ad id Psalm. 144. *iustus Dominus in omnibus viis suis*, inquit: *qui etiam flagella meditatur: ideò castigat vt parcat*, & Epigrammate 5. canit.

Cum Deus exerta peccantes verberat ira:
Vt norint homines quid mereantur agit.
Nam, dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et vindicta breuis sic noxia crimina finit:
Ne sine fine habeat debita pœna reos.

Sed, quoniam referendis Patrum in hanc sententiam testimoniis dies, annique nos deficient: videantur Orig. 4. contra Celsum post medium. Basil. in Psalm. 37. sub init. Ambros. in eundem Psalm. col. 2. Athanas. d. contra Arium in Concil. Nicen. longe à medio, Cirill. Alexand. 5. controu. Iulian. longe à princip. S. Max. Oeconomicor. cent. 3. cap. 9. 10. 16. 22. 23. tom. 5. Bibliot. Nec alia mihi sententia illa Psalm. 2. *cum exarserit in breui* (in hac vita, vel potius statim, ac peccatur) *ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.* Magnum quippe spei & fiduciæ consequendi misericordiam fundamentum præbet instantaneum; nec dilatum supplicium. Tandem plena fide, atque in Deum pietate monitione illa 2. Machab. cap. 6. rem concludamus. *Obsecro eos qui hæc lecturi sunt, ne abhorreant propter aduersos casus; sed reputent ea quæ acciderunt non ad interitum; sed ad correptionem generis nostri: etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere magni beneficij est iudicium*: & subinferius, *corripiens vero aduersis populum suum non derelinquit.*

8. Adest aliud etiam potentissimum voluntatis antecedentis Dei, quatenus ex ipso est, de omnium, etiam nequissimorum hominum recta vita, & salute argumentum ex frequentissima immanium suppliciorum sceleribus infligendorum in scripturis comminatione, ea quippe non, nisi ex honestæ vitæ, & salutis eorum voluntate, promulgantur: ne scilicet transgrediantur, ac pereant: vt bene Clem. Alexand. 1. Pædag. cap. 8. post med. *qui minatur*, inquit, *aperte ostendit se mali nihil facere velle, nec ea, quæ minatur exequi; sed incusso timore mala reprimit, & suam in hominis benevolentiam ostendit; adhuc differens, & ostendens qualia sint passuri, si peccatores permaneant; non autem sicut serpens statim mordit. Bonus ergo Deus.* Subinferius: *videre quomodo Deus propter suam benitatem requirit pœnitentiam, & in ipsa minarum intentione tacitè ostendit suam in homines benevolentiam.* Hieron. Ezech. 33. ad id *si me dicente ad impium.* Sic ait. *Nec statim sequitur, vt, quia Propheta prædicit, veniat quod prædicit. Non enim prædicit, vt veniat; sed ne veniat. Nec, quia Deus loquitur necesse est fieri quod minatur; sed idcò comminatur, vt non fiat, quod futurum, si verba domini contemnantur.* Cyprian. lib. 4. epist. 2. longe à med. *in Psalm. legimus etiam censuram patrem, & clementiam Dei comminationis simul, atque parcentis; punientis vt corrigat, & cum correxerit reseruantis: visitabo inquit in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Origen. 4. contr. Cels. post med. *quod autem non effectus Dei sit ira, sed vnusquisque eam sibi peccatis suis contrahat, docebit Paulus his verbis, An diuitias bonitatis illius*, &c. pendit autem, & illud. *Thesaurizasti tibi iram.* Tertullian. (vel potius adhuc Catholicus Nouatianus) de Trinit. cap. 5. *quid irascitur Deus, non ex vitio eius venit, sed ad remedium nostri illud facit. Indulgens est enim, etiam tunc, cum minatur: dum per hæc homines ad recta reuocantur*; Infrà *iuscule: omnes istæ, vel odia, vel iracundia Dei, vel ira, vel quæcunque sint huiusmodi, ad medicinam nostram præcurrunt*: Epiphan. lib. 1. hæres. 38. post med. *Prædixit itaque scriptura iuxta præcognitionem nos munientis, ac docentis, vt ne incidamus in iram Dei immedicabilem, non ex affectu Dei decretum; neque ex eo quod ab affectibus superatus sit Deus contingentem; sed hominibus peccatum facientibus iustissimè præparatam.* Hilar. in Psalm. 2. ad id: *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, inquit, *quamquam nos ad voluntatem bonitatis, id est ad bene, honestèque viuendum per spem promerendæ, & vtendæ sua bonitatis illiceret. Pœnam tamen deuitatæ, & contemptæ bonitatis adiecit: vt, cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum necessitas natura non haberet, quotidie propositus è contrario pœna terror arqueret*: atque infrà: *sagittas suas ardentibus effecit* (*vratus est* (sic enim ipse legit pro *ardentibus affecit*) *habet: operatus autem est, non ad motum repentinæ iræ, qua per cupiditatem vlciscendi subito accensa sit; sed operatus ardentis est, qui per impœnitentem voluntatem ipse sibi constituerunt vrendos.* Denique infrà *sic loquitur iram, sic conturbat indignans non puniens admissam impietatem sed impœnitentiam, ad pœnitentiæ confessionem commemorata potestatis terrore perturbans*: Hieronym. Oseæ 6. ad id *propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei* &c. ita haberi: *verbis terribilibus conuenatus sum: scapellum, ignes, & cauteria protuli: vt qui elementem contemnebatis timeatis offensum, & occidi negligentes in verbis oris mei, vt ante peccatores verberem terrore punirem, quam captiuitas immineret.*

9. Postremo vehemens hoc desiderium, & antecedentem Dei de salute, etiam perditissimorum hominum voluntatem demonstrat animi, seu affectuum cum fluctuario, cum illorum scelera ab eius voluntate supplicium exigunt, ac pene extorquent: actusque eis Deus

dum pœnam intentat hominum; nihilominus, & salutis eorum amore natiuo ardentique desiderio, ne supplicia ex iustitia & ratione decernat, simul agimur, ita vt pene decretisse eum pœniteat, & quasi retractet cum decernit. Non aliter, atque amantissimus Pater dilectissimum, pessime tamen meritum, filium immani supplicio affecturus, hunc tenerrimo eius amore inde pessimo merito ipsius distractus, iam ad veniam trahitur, iam impellitur ad supplicium: neutrum vero ita peragere statuit, quin inde in oppositum affectum simul regrediatur. Notatur Dei in perditorum supplicijs decernendis, paterna hæc animi, & voluntatis fluctuatio, & pugna Oseæ 6. illis verbis: *quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda?* Ad quæ Hieron. *Parentis in perditos filios monstrat affectum: iuxta illud* &c. ac si dicat. *Nosce, quæ me haga contigo: quem adeò ardenter amo.* Alioqui ad manum, & in promptu erat quid agerem: scelerum, à quibus te adeò efficacibus mediis detinere, ac remediis reuocare tentaui meritissimo supplicio: item Oseæ eiusdem cap. 11. *quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israël? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te vt Seboim: conuersum est cor meum, pariter conturbata est panitudo mea: non faciam furorem iræ meæ.* vbi Hieronym. *Nunc Deus ad Israël Parentis loquitur affectu: quid tibi Ephraim? quomodo te meo auxilio denudabo?* id sane Patrnus meus affectus etiam post tot, tantaque scelera tua pœnas debitas exterquentia, non patitur: *qua te arte corripiam? quo potero sanare medicamine?* & inferiuscule: *cum duram imo crudelem sententiam protulisset: rursum Parentis affectu misericordia vincitur; dicit enim conuersum est in me cor meum: pariter conturbata est panitudo mea:* & ad eundem locum Theodoretus: *ego, inquit, te defendere studeo: verum non tue hoc facere sinunt tua impia scelera: quare, sicut Adama ponam te, & sicut seboim, quæ vna cum Sodoma, & Gomorrha deflagratæ sunt. At, vix contra eos calculum eduxerat, cum misericordia adductus sententiam reuocat. Parentes imitatur, qui, cum maximo labore filium ab errore reuocare non possunt, natura perturbantur.* Hierem. 18. *Repente loquar aduersum gentem, & aduersum regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud: si panitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam, & ego panitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei: & subito loquar de gente, & regno, vt ædificem.* Vbi ipso punienti decreto ex hominum amore eius reuocatio, & pœnitentia concepta à Deo legitur, ni per arbitrij nostri steterit abusum.

10. Hæc porro antecedens Dei de omnium hominum salute adeò est ex scriptura, Patribus, & Theologicis rationibus, vt vidimus explorata, vt nihil firmum contra eam possit opponi, vnum est Augustini testimonium recitatum à Ruiz d. 20. sect. 5. numer. 6. his verbis: *Multi salui non sunt, non quia ipsi nolunt; sed, quia Deus non vult: quod absque vlla controuersia manifestatur in paruulis.* Ergo respectu horum, nec de salute eorum est voluntas antecedens, quæ expresse ab Augustino negatur: nec conditionata ex parte obiecti, siue suspensa, ac pendula à bono vsu arbitrij, vt dicebamus. Respondetur: voluntatem saluandi, quæ respectu aliquorum negatur ab Augustino, cuiusque defectu, & adulti plures, & infantes in baptizati (de quibus ibi Augustinus) pereunt, non esse, quam cum scripturis, & Patribus, & communi Theologorum aduersuimus; sed voluntatem prædestinatiuam, seu Dei prædestinationem: sine qua nemo de facto saluatur, & quam Deus, adhuc ex ea antecedente voluntate salutis omnium hominum pro suo arbitrio, & voluntate potest erga quemuis habere, vel omittere: ac proinde nulla hominis actualis voluntas causa sæpe est, vt erga ipsum à Deo prædestinatio non habeatur: vt in paruulis, qui in baptizati decedunt, & adultis quorum primam mortale finale quandoque est, essèque in omnibus absolutè potest: quare huius rei causas præter Dei voluntatem, occultaque, & secreta concilia, tam in paruulis, quam in præfatis adultis ob primum mortale damnatis, indagare inutilis, atque stolidi laboris nobis esset, vt docet Augustin. sæpè & 4. contr. Iulian. cap. 8. circa med. & epist. 157. ad Optatum post medium, quamuis eius voluntatis. & concilij rationem satis congruam addat vt in non prædestinatis *nouerint, quid omnibus debeatur, & prædestinati, quæ sibi pœna debita (ob originale saltem) relaxetur; & quæ in debita gratia condonetur:* quam rationem, & verba inseruit Beda in id ad Romanos 9. *quod si Deus volens ostendere iram:* &c. Alia, quæ opponi cum specie aliqua difficultatis possent diluimus certam. 3. numer. 4. 5. & præsertim 6. leuiora vero plura ex simplicitate volitionis diuinæ desumpta, nec mentionem, nedum solutionem merentur, illud tandem, quod voluntas Dei semper, ac de lege, vt aiunt, impleatur, debeatque impleri: id quod, de actiua, & seria voluntate Dei saltem, intelligendum videtur (cum tamen antecedentem hanc salutis omnium seriam actiuamque esse, etiam respectu reproborum in quibus non impletur, docuerimus, difficultatem non habet: siquidem de voluntate seria Dei omninò, & absolute efficaci proprium est infrustrabilem de se esse, ac natura sua cum effectu volito connecti, vltra vero, imò infra eiusmodi efficaciam, aliam seriam actiuam Dei voluntatem esse posse efficacem solummodo secundum quid, cuiusmodi antecedens hæc Dei voluntas sit, ostendimus certam. 3. numer. 6. quare illi non in reprobis solum (in quibus de facto caret) sed in omnibus effectu carere non repugnat: imò nec Deum salutis, rectæque vitæ alicuius, quantumuis eximiè prædestinati, à Deo vehemens desiderium habere non posse, quod natura sua absolute efficax consensus honesti, & salutis per illum consequendæ sit, ipsisque ab intrinseco connexum, ostendemus sequenti quæstione de præfinitionum, etiam natura sua regulatarum per scientiam mediam, possibilitate agentes.

QVÆSTIO IV.

De affectu prosecutiuo Dei erga rationales creaturas speciali, siue amicitia Dei propria erga illas.

EX dictis supra de amore amicitiæ personæ cuiusvis Trinitatis erga duas reliquas constat Deum erga irrationales creaturas proprium amicitiæ, adhuc inchoatæ, siue quatenus ex parte Dei est, affectum exercere non posse: constat enim amicitiam perfectam, atque absolutè talem, mutuum duorum, vt minimum amorem, siue alterius ad alterum redamationem essentialiter includere, irrationalia vero redamare nequeunt amantem: quare neque huius in ipsa amor amicitia, adhuc inchoata, & partialis esse omnino potest: siquidem pars omnis, & inchoatio vera, essentia sua compartem possibilem, & totum siue absolutum, & perfectum non repugnans essentia sua concernit: quocirca etsi Deo erga irrationalia benevolentiæ alicuius, quæ concupiscentiæ non sit, affectum negare me iudice non possimus (sicuti, nec nobis, qui alteri ex certantibus brutis, nec ex nostri, neque ex amicorum vtilitate, & complacentia victoriam optamus, ac de eius morte dolemus) amicitiæ vero propriæ adhuc inchoatæ erga illa affectum concedere non possumus: idcirco de amicitia Dei erga rationales creaturas solummodo esse potest quæstio, & difficultas in præsenti profliganda: vbi de eius erga earum aliquas inæqualitate.

CERTAMEN I.

Datur affectus amicitiæ propriæ erga creaturas rationales in Deo.

1. Conclusio hæc absque temeritate, vt minimum, negari non potest: eam quippe in scriptura, & Patribus expressam video mihi videre, à nulloque Scholastico negatam: eam expresse affirmat S. Thom. 1.part. quæst.20. art.1. ad 2. art.2. ad 3. sentent. d.32. quæst. 1. art.1.ad 2. & art.2.ad 3. atque eius discipuli Sectarij præsertim ad locum primæ partis citatum,vbi,& nostri ipsius interpretes. Vasquez d.82. cap.2.ac reliqui: & item Capreolus d.45.art.1.conclus.11 supponit Magister d.27.& sequentibus sæpè, maxime d.32.vbi expresse S.Bonauent. art.1. quæst.2. ad argum. Richard. art.1. q.1. arg. 2. cum eius solutione collato. Carthus. q. vnica in relatione sententiæ S. Thom. Durand. q. vnica, art.2. & Scotus q. etiam vnica sub finem ad argum.2. qui duo postremi, etsi ita planè censeant; ita vero quandoque loquuntur, vt aliquibus Scholasticis non ita textum & contextum totum legentibus, rimantibusque, sed fragmentatim solum perpendentibus, vt ipsos pro opposita negatiua sententia referrent ansam præbuerint non exiguam: ex nostris qui articulatim S.Thom. interpretati non sunt, etsi partium eius methodum inscribenda Theologia, sententiasque seruauerint: Herize tract.2.d.18. cap.2. num. 15. Luis. Torr.22.d.66. dub.2. Alarcon de volunt.d.2. cap.3. Ruiz d.52. sect.6. Martinon.de Deo d.16. sect.3. Arriaga d.26. sect.4 Quiros d.73.sect.1. etsi hunc affectum, non adeo distincte,& exacte, sed ex communi titulo, & difficultate virtutum moralium diuinarum duo hi postremi, sicuti & Herize examinarint; non autem ex amicitiæ propriis, nec aliis moralibus affectibus communibus: communia autem hæc tract. de virtutib. Dei moralib.discutienda semel erunt pro omnibus, ne singulis earum quæstionibus repetantur.

2. Hi igitur, quos ea in re Arriaga sectatur,ex ea difficultate quæstionem de Dei erga creaturas rationales decidendam vnice putant: An Deus creatam bonitatem propter ipsam,vt finem *qui* vel *cui*, vel adæquatum, vel inadæquatum possit amare de factove amet quod de adæquato fine, ad quem Dei amor vltimo terminetur, quin ad seipsum illud referat amore suo,de facto, Arriaga, tres vero alij, adhuc de possibili admittere non audent: quia, & antecessorum Theologorum, immò, & sui ipsorum mentem non satis distincte penetrarunt, dum Deum omnia propter se, vt finem amare docent; non satis attendentes, & se & illos finem pro formalissimo specificatiuo amoris diuini vsurpasse: cum id inde in primis probent: quod alias diuinus amor à creatis obiectis specificaretur, atque in sui intrinseca perfectione penderet. Cæterùm, etsi creati amoris finis omnis præcipuum specificatiuum sit: imò & obiectum quodvis formale motiuum eius, sit etiam eius essentiale specificatiuum; secus tamen diuino amori contingit: qui ex Deo, eiusque bonitate, tanquam obiecto, nec dum considerato, vt fine, aut medio amoris erga creata, vel increata infinitus simpliciter è genere suo euadit per denegationem termini etiam extrinseci: & cui proinde motiuum, finisve vllus eiusdem amoris, ad quodvis obiectum explicari intelligatur aliquid perfectionis in linea amoris addere possit; ac proinde respectu amoris diuini obiecta motiua, & finis proprie talis creata esse possunt, quin motiua seu finis, quoad eius specificationem,seu vim specificatiuam illius,sint.

3. Porrò id docui vniuersim agens, & principium virtutibus moralibus, ac proinde amicitiæ erga rationales creaturas propriæ (de qua in præsenti) statuendis ponens d.2.q.4.5. & 6. eas rationes mouendi, & specificandi: si antecessores dilucide penetrassent, atque absolutè separabiles animaduerterent, nec Deum omniamoris sui erga creata finem, & motiuum vltimum, quasi id quandoque scriptura docet, assererent, nec aliis locis, quibus,& voce,& ratione ad creata eum amorem,vt motiuum vltimum, & finem tam *qui* quam *cui* terminari conuincitur, turbarentur: atque vt vtrumque (quod fieri rectè haud quaquam potest) conciliarent, difficiles valde, faciléque redarguendas doctrinas irrito labore minimè excogitassent: quarum relatio hic, & confutatio inutilis: maximè, cum eas omnes citatus Arriaga referat, ac refellat, valeatque quisque, vbi semel eas audierit, ad manus, vt aiunt,earum deprehendere falsitatem: illud solum addam: miraculi instar esse distinctionem hanc mouendi, & specificandi in motiis creatis respectu diuini notatam eis non fuisse, sed penè ignotam: quia nusquam respectu amoris creati separatum, immò nec separabile agnoscant; & tamen rationem terminandi, & specificandi in eisdem obiectis respectu amoris creati inseparabilem (implicat enim meum Petri amorem, etsi ex eodem principio motiuo formali sit, Ioannis aut Bucephali amorem esse) respectu tamen amoris diuini, non solum separabilem vnam ab alia admittant, sed de facto diuisam fateantur, vt diuinum amorem de obiectis creatis ab his specificatiuè independentem ea ipsa ratione, qua nos eandem rationem mouendi eorundem obiectorum, à ratione specificandi respectu diuini amoris diuidimus, omninò defendant; sed de his, & hic & citatis locis satis.

Probatur conclusio ex scriptura cuius verba iuxta stylum apud Patres, & Scholasticos interpretes omnes regulam secundum proprietatem significationis dicta, ac recipienda à Catholicis, (vbi nihil, vel scripturæ, vel sanæ doctrinæ aduersum continent) sunt. Iudith.8. Isai.41. Iacob.2. dicitur. *Abraham Dei amicus effectus est.* Psalm.138. de iustis omnibus. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Sapient.7. de Sapientia id est iustitiæ marum thesauro: *quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei, &c.* ac infra *Amicos Dei, & Prophetas constituit,* Luc 12. *Dico autem vobis amicis meis.* Ioann.15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis:* infra: *vos autem dixi amicos.* Ex quibus sic arguo. *Amicitia proprie accepta* (vt hic præmisi accipiendam) ex parte cuiusque extremi, seu personæ, non solum eius amorem erga alteram essentialiter dicit; sed huius etiam amorem erga illam vicissim, ac mutuo: ita vt,si ex parte amati redamatio in amantem deficiat, amor quidem in illum sit: amicitia verò adhuc ex parte amantis esse non possit: vt supra de amicitia diuinarum personarum inter se disputans ostendi disput. proxima: Atque eis locis amicitia hominum erga Deum asseritur: ergo, & asseritur saltem virtute, & illatione proxima, mutuus ex parte Dei in homines amor, atque amicitia: idem argumentum continet Tridentinum sess.6. cap.6. docens impium per iustificationem *ex inimico fieri amicum Dei*: sicquenque & constans apud Patres omnes concors locutio (vt merito ob hæc testimonia & argumentum præstitum in eis contentum propter Dei erga homines, ac subinde reliquas rationales creaturas iustas,ac redamantes) negare non temerarium solum censeat, sed erroneum.

5. Expressius adhuc hæc dogmatica veritas continetur illis verbis Sapient.8. *Ego diligentes me diligo,* & illis Ioann. 14. & 15. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum: & sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: & manete in me, & ego in vobis,* vtique per dilectionem re Patres omnes, interpretes, & Theologi intelligunt: in ea quippe rationalium personarum, Dei nempe, & hominum amatio, ac redamatio; siue mutuus amor asseritur: quo amicitiæ propriæ essentialis definitio continetur: quare & à definitione ad definitum demonstratio efformatur. Consulto omisi illa testimonia quibus vel impij amici compellantur, dum inuitantur à sapientia ad iustitiam: eis enim non, tam, quod sunt,quam, quod eos esse Deus desiderat, explicatur: quo Dei misericors, & benenolus affectus significatur: non amicitia, quæ complacentiæ erga amatum est, amor, & mutuus: vtrinque autem De erga impium benevolentia ab amicitia deficit: tum, quia mutuus non est,cum ab impio non redamatur Deus tum,quia ex complacentia impij,quem Deus pro eo finodit, amare illum, pro tunc, nequit charitatis & amicitiæ amore (quæ similitudinem,non qualemcunque cri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eis omnibus communem, sed supernaturalem cum Deo respicit) sed beneuolentiæ alterius laxioris, ex misericordia, etsi non ob Dei vtilitatem, vt locus detur gratiæ: eadem de causa mitto illa Ioann. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: & similia illa: *commendat autem charitatem suam Deus: quia cum adhuc impij essemus*, &c. eis enim, non charitatis, quatenus à misericordia differt, aut amicitiæ propriæ Dei amor, sed intentiuè, & inchoatiuè solum tali, erga peccatorem exprimitur. Magis probant illa Prouerb.22. *qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum habebit amicum Regem.*

6. Ratione Theologica probari à nonnullis à priori posset: quia amicitiæ virtus honestissima moralium est: ergo illam prosequitur Deus, cuius amor de sese omnamor formalis est: ita verò efformata ratio nihil probat, etsi pro reliquis Dei virtutibus moralibus vniuersim probet: id enim speciale amicitia habet, vt directè in bonitatem personæ amatæ tendat: est enim formalissimè complacentia de illo, minimè otiosa, sed ex qua rursus bona illi ex eadem complacentia optemus, eque ab ipso possessis gaudeamus, vt in linea finis *cui* primum mobile reliquorum affectuum personæ amor sit: sicuti in linea finis *qui* intentio finis reliquorum eius lineæ affectuum primum mobile (id quod non à Deo exactè inspectum ab aliis video) non autem in bonitatem, seu honestatem amantis in eo amore exercendam fertur: id enim non nisi ex complacentia sui, cui nimirum honestum amicum amare, fieri nequit: quare amore concupiscentiæ, non autem amicitiæ fiet, cum reflexe ob honestatem virtutis amicitiæ eius amorem appetimus: quod in actu charitatis patet: quem, si ob eius honestatem reflexe velimus actu charitatis, & ex pura complacentia Dei non amamus, sed ex concupiscentia: quare, & reflexus ille actus charitas Dei non est. Potest autem ita efformari vt vim habeat: quia supernaturalis bonitas Deum perfecta charitate, & dilectione diligentis, siue actu, siue habitu, (ne intempestè de formis sanctificantibus quæstionem miscellaneam; nec vulgariter, nec ex vulgaribus principiis à nobis dirimendam misceamus) rationalem creaturam obiectum dignum complacentiæ, & redamationis diuinæ constituit: quod argumentum non segniter confirmatur: etenim mutua affectiua conuenientia similium, in quavis animalium specie, iuxta cuiusque capacitatem, naturalissima est: atqui inter Deum, & rationales creaturas iustas & ipsum siue actualiter siue habitualiter amantes, similitudo (quæ creaturæ ad Deum esse potest) est perfectissima: ergo, & inter eos mutua supernaturalis affectiua conuenientia, seu amicitia. Probatur minor: est siquidem in iustis ita Deum diligentibus diuinæ naturæ participatio, & similitudo 2. *Petri* 1. *vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*: & filiatio adoptiua vera, quæ absque similitudinari imagine supernaturali Dei Parentis esse non potest. Hoc porrò argumentum continet illud Ecclesiast. cap.27. *volatilia ad sibi similia conueniunt: & veritas ad eos, qui operantur illam*, quo etiam spectat id Sap.6. *Custodia legum consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit proximum esse.* Proximum inquit, ac inquam; sed vt alter aiebat: *longo proximum interuallo.*

7. E proxima ratione occurritur obiectioni æqualitatis amicorum necessariæ, & essentialis ad propriè dictam amicitiam ex Aristotele 8. Ethicor. ad Nicomac. c.5. & 7. lib.9. c. 3. & 8. item 7. Ethic. ad Eudem. c. 5. fine & 11. init. & cap.12. *Vtrobique scribente. Amicitia in æqualitate quadam consistere videtur, nisi frustra diceur amatoria est æqualitas.* Atqui Dei ad homines summa, infinitaque distantia, & inæqualitas cum in esse, tum in amore est, vti inter infinitum, & finitum: ergo nec propria inter eos amicitia esse potest: vt idem Aristoteles concluserit cap. illo 7. ex 8. Ethicor. ad Nicomac. citato: *Si longe separatus sit aliquis, vt Deus, non amplius manet amicitia*: & citato c.5. ex 7. Ethicorum. ad Eudem. *Ridiculum esse: si quis Deo exprobret, si non pro eo, ac ab hominibus amatur, vicissim diligat: aut Principem, quod non æqualem amorem subditis præstet.* Et confirmat 8. illo Ethicor. cap.1. Proloquio vulgari: *Paros cum Paribus & graculus graculo, &c.* cui simile est proloquium Prouerb.13. verum ex dictis proximè constat horum solutio: per dilectionem supernaturalem diuinæ naturæ participationem, & similitudinem esse: quam, ne subodoratus quidem Aristoteles fuit: vnde nihil mirum, si inter Deum, & homines amicitiam negarit ob inæqualitatem eorum, tam in natura, quam in amore; ob eam verosimilitudinem, & participationem nobis à Deo donatam dilectionis, siue actualis, siue habitualis, communicatione, & Dei amici infinitè excellentis ad hominem iustum, quem amicum sibi vult, quantum opus sit (vt ait Cicero de amicitia inter Superiorem & inferiorem) demissionem reperiri: verum prouerbium illud ex Hieronymo ad id Mich.7. *nolite credere amico* desumptum: *Amicitia pares aut inuenit, aut facit, vbi inæqualitas est, & alterius eminentia*, necdum vero affectuosa eminentis dignatione affectuosè ad inferiorem complanata alterius subiectione, *ibi non tam amicitia, quam adulatio est*: At inquies Dei Dominium, & creaturæ seruitus essentialis est imminuibilis, & inabdicabilis: ita enim est physicè, secus affectiuè: eo enim modo, & à naturali dominio Dei minax, terrensque supercilium, & à naturali nostra seruitute seruilis timor, & terror, quæ amicitiæ obsunt, excutitur.

8. Quin & Aristot.8.ad Nicomach.c.12. *quæ est filiorum ad Parentes, & hominum ad Deos vt ad bonum est & excellens*, amicitiam admittit; quia, (vt docte S.Th. æqualitatem ab eo requisitam inter amicos, non numeralem, & Arithmeticam, sed proportionalem, seu Geometricam de amicitia vniuersim sumpta interpretatur) etsi quædam amicitiæ species sit, quæ arithmeticam etiam requirat: quæ proinde inter solas diuinas personas in diuinis, summe quidem perfecta, intercedet ob bonitatis, & perfectionis communis, non æqualitatem solum, sed identicam etiam & vnissimam vnitatem. Porro æqualitatem solum hanc proportionalem amicorum dignitate, & perfectione inæqualium, affectuumque, imò, & effectuum vicissim sibi ex amicitia præstitorum, ad amicitiam propriam absolutè sufficere expressit ipse Arist. eodem lib.8. cap.14. post med. Scribens: *Amicitia namque id exposcit, quod fieri potest, non id, quod est ex dignitate. Nec enim in omnibus est, vt in honoribus erga Deos, & Parentes. Nemo enim vnquam dignum reddere potest: sed, qui, quod potest exequitur bonus, & æquus esse videtur.* Tunc enim proportionalem, tenet æqualitatem, & 7. Ethic. ad Eudem. c.12. circa med. *excellens contrarie reddit proportionale iuxtaque diametrum iungit*: tametsi maius quid, & præstet inferiori, & sit: inferiusculè concludit: *quocirca aliquo alio æquale, & proportionale reddere*, inferiores nimirum amicos excellentioribus, *conuenit: honore scilicet, qui & natura Principi, & Deo tribuitur à subiectis*, non quidem metu, & coactè, sed ex beneuolentia exhibitis & vltroneè.

9. Sed, quoniam quæ semper, & indefinite Deo adesse, de facto, quasi stata lege dicuntur (vti amicitia Dei erga omnes ipsam charitate, siue actuali, siue habituali diligentes locis datis asseritur) vbi aliunde de eius pacto, & promissione, aliunde ex scriptura (vt hic euenit) non constat; necessitate naturali Deo adesse videntur, infertur sane Deum, non libere, sed ex necessitate creaturas rationales iustas ipsum diligentes, atque ob motiuum puriè creatum (cuiusmodi est nostra erga ipsum, siue actualis, siue habitualis dilectio) affectu prosequi amicitiæ. Hoc autem contra principium nostrum generale, & circa absolutè existentia creata omnia cunctis Theologis commune, de libertate amoris Dei erga creata supra statutum videtur pugnare. Sed in primis falsum est antecedens: cum enim reuelatio de absolute factis, à Deo habitis, & conceptis, etiam libere, affectibus esse possit, etsi nulla naturæ suæ lege; aut præcedentia pacti, vel promissionis suæ à Deo habiti, conceptique fuerint, esse potest eorum reuelatio: quare etsi aliunde de pacto, aut promissione Dei non constet, eos naturæ diuinæ lege, ac necessitate à Deo habitos conceptosque fuisse minimè probat: eo tamen ad præsens, & similia alia permisso: nihil contra principium illud nostrum (& omnium, quoad absolutè existentia creata) de libertate amoris Dei erga creaturas omnes probat: illud enim intelligitur à cunctis de libertate amoris diuini à voluntate Dei secundum se, ac

nude considerata ; nonautem vestita libero aliquo affectu suo,quo ad creatum aliquid amandum,siue efficaciter,siue inefficaciter,siue complacentia pura simplici determinetur; vti efficaci finis intentione ad electionem mediorum determinatur,& imperante quovis affectu ad affectum imperatum:Sic ergo ; ex affectu amicitiæ ex parteDei quo nobis redamationem sui (qua in ratione propriæ amicitiæ completur, per nostram , siue actualem, siue habitualem) donat determinatam eius voluntatem ad amorem amicitiæ erga nos ex parte sui manere dicendum est:quia & nostram redamationem, & amicitiam absolutè talem efficaciter ex parte sui intendit & quod ex parte nostri apponendum ad propriam vtriusque amicitiam restat , non eius, sed nostræ de reliquo subiacet libertati.

CERTAMEN II.

Possibilitas inæqualitatis amicitiæ Dei erga rationales creaturas. examinatur.

1. HAc de re generalius egit S.Thom.1.p.q.10. art.3. inquirens : *vtrum Deus æqualiter diligat meliora?* & art.4. *vtrum Deus semper magis diligat meliora?* Nos autem de amore amicitiæ speciatim inquirimus : quia de hoc plura in quæstione de facto scitu digniora occurrunt : & ex dicendis hic,quid vniuersim de quovis alio affectu Dei creaturarum prosecutiuo dicendum sit, eadem claritate patebit : vt autem distinctius procedatur inæqualitas amicitiæ Dei , erga creaturas rationales iustas dupliciter à Theologis consideratur. Primò,pro inæqualitate , quoad effectus ex amicitiæ amore profectos : Secundo, quoad intrinsecum Deo affectum, vnde effectus illi extrinseci in eius amicos proueniunt : & de inæqualitate amoris amicitiæ Dei erga suos amicos iustos in sensu primo, nempè quoad effectus , conueniunt Theologi omnes possibilem esse , vt respectu vnius , quam alterius posse minorem esse,vel maiorem ex facto ipso comprobatur : cum plura dona gratiæ, & supernaturalium reliquorum ex amicitiæ affectu aliquot sanctis suis ; aliis vero pauciora donauerit , & quotidie donet, vt experimur : quoad inæqualitatem vero intrinsecam affectui amicitiæ Dei, si physicè, & entitatiuè loquamur, conueniunt etiam Theologi esse non posse respectu vnius,quam alterius iusti,& amici maiorem, vel minorem:siquidem eodem indiuisibiliter physicè, & (mea vera , vt æstimo) sententia metaphysice, & essentia sua infinito amore suo quodvis creatum,& creata omnia siue naturali , siue supernaturali bonitate bona prosequatur.Cæterum etsi commune apud Theologos omnes, at mihi verissima sint qui liberam Dei volitionem & affectum non per Deo intrinseca adæquate constitui formaliter complerique arbitrantur statæ huic doctrinæ nec debeat stare, nec (quod haud mediocre doctrinæ illius suæ absurdum est) stare possunt : siquidem in effectibus , & donis , quibus per eos affectiua amoris Dei libertas, seu omnis Dei amor liber intrinsecè, qua talis,constituitur , negari inæqualitas nequit: quare neque in amore amicitiæ libero intrinsece per eos effectus constituto : quidquid enim in horum sententia adæquate intrinsecum amoris Dei est necessarium & indifferens ad quemvis liberum amicitiæ amorem Dei erga iustum quempiam est : amor quippe necessarius Dei erga seipsum est,vt hi docent Authores.

2. Et sanè doctrina communi opposita (à qua recedere necesse est connotatores hosce extrinsecos) supposita , nulla superesse via videatur inæqualitatis affectus amicitiæ Dei erga iustos quoad affectum ipsum , sed quoad effectum tantum : atque ita videtur ex ea conclusione S.Thomas intulisse : Deum non amare magis vnum, quam aliud bonum, sed tantum ex parte boni, quod vult amato : quod consonat doctrinæ Magistri in 3. d. 32. c. *Considerandum* dicentis : *dilectio Dei non recipit magis, & minus secundum essentiam , sed tantum secundum efficientiam* : vbi Sanctus Bonauentura art 1. q.2. corp. *dilectio Dei potius dicitur esse dilectio effectus,quam affectus,* & Richard.art.1. & 2. Henricus art. 46.summ. q.6.a[illegible] *Amare magis non secundum substantiam amoris , sed secundum maiorem bonitatem quam causat.* Alexand. 1.p. quæst.31. metaph.2. & 3. Amor Dei ad creata , amor erga se solum connotatum producendum addit. Nec mirum cum antiquiores; libera decreta Dei , vel per extrinsecè connotata contingentia , vel per relationem rationis ex illis resultantem constituant : quibus proinde ita consequenter loqui visum est ; quanquam aliter eos consequentius locuturos nuper ostendi : nisi Deum quoad affectus siue in linea volendi liberum negent : solumque in linea efficiendi liberum admittant : vt de constitutiuo libertatis decretotum dicebam : in S. vero Thom.& reliquorum non connotantium sententia ex æqualitate entitatiua physica amoris diuini erga obiecta quævis omnis ipsius inæqualitas, maioritas , minoritasve, quoad affectum respectu vnius obiecti, quam alterius, videtur impossibilis : & quanquam ab eorum pluribus possibilis , & de facto esse asseratur , rationibus & authoritatibus probetur , vt iam referemus : ab earum tamen nullo propositæ consequentiæ difficultas emollitur : quia tamen eadem fere est cum illa decreti liberi Dei cum amore necessario physicè prorsus identificari, quam hucusque nemo cicurauit : ex nostra autem difficultatis complanandæ doctrina , & præsentis complanationem speramus.

3. Dicendum est Dei amorem amicitiæ affectiuè, non effectiue solum,posse esse inæqualem,maiorem,minorem-ve respectu vnius quam alterius iusti : & vniuersim amorem quemvis Dei erga obiecta quævis quæ amat amanve potest : ita S. Thom.proxime Scot.in 3.d.32.q. vna. Gabriel ibidem q.vnic. art.1. notab.3. inæqualitatis gradus recensentes Carthus. ibi q. etiam vn.circa finem ita explicans, & concilians sentent. hac in re S. Thom.& Bonauent. & aliorum à se relatas. *Potest dici maior dilectio Dei,etiam ex parte ipsius dilectionis : non secundum quod est,sed secundum relationem , & respectum ad amatum , secundum quod maius bonum vult vni quam alteri;ita quod non est solum ex parte voliti,sed ex parte per respectum ad volitum* : atque ita demum censet noster Ruiz pluribus conclusionibus tandem explicans intentiam d.53.à sect.1. ad 4. Probatur conclusio vniuersim ex August. tract.110. in Ioan.med. *Omnia inquit diligit Deus,quæ fecit : & interea magis diligit creaturas rationales : & ex illis eas amplius , quæ sunt membra vnigeniti filii sui : & multo magis vnigenitum suum.* Clem. Alex.1.Pædag.c.8.init. *quod si nihil odio habet eorum, quæ ab ipso facta sunt : restat, vt id diligat : longè autem plus quam alia itare hominem diligat , quod est pulcherrimum animal eorum, quæ ab ipso effecta sunt , pietate , acreligione præditum.* Id ipsum probant in quæst.de facto certa recitanda opportunius Patrum & scripturæ testimonia quamplura. A ratione multo ex capite probari conclusio potest, vt iam ostendam , etsi earum aliquibus nihil urgeant , qui eis vtuntur ; communis rationis apud amicos à Carthusiano proxime attactæ robur non allequor : quod scilicet Deus non nisi voluntarie, & liberè creata producat ; ac proinde cum melius,ac magis bonum,quam alia inter creata producat,vult quidem liberè maius bonum , & minus bonum producere : ergo magis vult maius bonum quam minus bonum velitue proinde non solum inæqualia , sed inæqualiter vult. Sed consequentia facilius negabitur, quam probetur : siquidem vt maius, & minus bonum liberè ponatur,requiritur solum vt decretum de alterutro efficiendo , & liberum , & efficax fit : imò efficacia æqua ad vtrumvis apponendum esse debet : vnde ex parte volitionis Dei æqualitas circa creata bona inæqualia potius, quam inæqualitas probatur. Nec huic rationi testimonia Patrum recitata subsidio esse possunt,cum non in bonorum efficientia à Deo,sed de iam factorum amore diuino sint alterique principio innitantur.

4. Probatur primo testimoniis eis contenta: quia vti bonum est amabile affectiuè, ita maius bonum est magis amabile affectiuè: præsertim ab æquo rerum æstimatore:atqui inter bona, quæ Deus amat aliis alia meliora, magisque,& minus bona sunt : ergo de se sunt magis & minus amabilia affectiuè ab æquo rerum æstimatore ; atqui , si Deus nequeat illa inæqualiter amare , vel nolit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

liora magisque bona non erunt de se magis amabilia affectiuè minus bonis, vel Deus æquus rerum æstimator non erit: quorum primum naturæ boni, secundum diuinæ perfectioni repugnat: ergo inæqualitas affectiua, siue ex parte subiecti, & amoris Dei erga bona, quæ amat, nec solum obiecti, non est impossibilis, sed absolutè possibilis. Atque hæc ratio probat iuxta naturalem debitumque obiectis bonis affectum diuinum non posse non magis bona absolute magis amare; etsi, quia creata omnia obiecta liberè absolutè amat, quoad substantiam, & modum etiam amoris, iure libertatis suæ absolutæ possit absolutè magis bona, & meliora minus amare, quam minus bona amet: quod etiam testimonia Patrum recitata, & recitanda certam. 3. suadent: dum de factis absolutè à Deo magis amari, ab ipso meliora quam minus bona, absque vllo alio fundamento, quam maioris bonitatis obiectiuæ illorum definiunt: quia vbi oppositum ex scriptura, & Patribus, qui de reuelatione, & Spiritu loqui creduntur de liberis Dei affectibus non constat, eos iuxta naturalem, qui à Deo concepti esse à scriptura (vt complacentia de creaturis à se factis) vel Patribus dicuntur, iuxta debitum cuique amoris, & affectus modum conceptos habitosque bona consequentia & Theologia deducitur: eaque ductum se ad conclusionem de facto asserendam satis expressit Clemens Alexand. verbis illis testimonij recitati, *Longe autem plusquam alia iure hominem diliget, quod est pulcherrimum, &c.*

5. Confirmatur: hoc argumentum; quia connaturalissimum cuique est magis amare, quæ sibi propriora, & similiora sunt, magisque de eius natura, bonitate, & perfectione participant, sunt etenim propriora & propriora ipsi, quo magis ipsi assimilantur, deque eius natura, bonitate, quare & ipso participant. *Amabile* enim omnes cum Aristotele vulgatissimo proloquio bonum fatentur, *magis autem vnicuique proprium*. Ergo connaturalissimum Deo est magis bona obiecta, & meliora magis amare, quam minus bona. Posita autem impossibilitate inæqualitatis affectiuæ erga obiecta meliora, & minus bona, id quod cuique rationali personæ connaturalissimum est, Deo erit impossibile. Ergo ea impossibilitas inæqualitatis amoris diuini reiicienda est, & possibilitas asserenda. Confirmatur vlterius: quia ea impossibilitate admissa Deo dignum cuique obiecto affectiue reddere redditur impossibile: quod de se satis dissonum, & absurdum apparet. Huic tamen argumento, & confirmationibus dices: nihil respectu amoris Dei probare; etsi respectu amoris, & amantis creati vrgenter probent: illud enim de maiore amabilitate maioris boni, quam minoris, & maioris similitudinis, & participationis de bonitate amantis in obiecto amato verum habet, respectu amantis, qui magis minusque amare bona affectiuè potest, & amoris qui magis, & minus potest suscipere; non autem respectu amantis, qui magis, minusque affectiue, & amore qui magis & minus suscipiat amare nequit: idque ex amantis & amoris essentiali summa simplicitate perfectione, atque è genere, & essentia sua infinitate: quæ omnia in Deo, eiusque amore necessario ex fide, & euidente ratione fatemur: vnde absurdum tertiæ confirmationis euanescit. Nam respectu Dei amantis, diuinique amoris, maior dignitas obiectiua obiectorum non est ob summam vtriusque perfectionem sed omnino æqualis: quare æquali prorsus eorum omnium amore debito suo satisfacit: etsi alieno imperfectionis amantis, & amoris non satisfaciat: nec, nisi suam deponat perfectionem (quod repugnat) satisfacere queat. Dedi semel solutionem, quæ singulis argumentis subiiciendis repeti ab aduersariis paulatim posset, vt semel etiam pro omnibus, atque labore vno confutem.

6. Contra primo: quia solutio hæc Patrum recitatorum ac recitandorum imò & scripturæ doctrinam euacuat. Contra secundo: quia Christi humanitatem non esse magis à Deo affectiue amatam, & amabilem Deo, ratione etiam vnionis hypostaticæ, & vnctionis substantialis plenitudine, quam sit à Deo amabilis, & amata pulex aut stercus aperte probat: quia hæc omnia à Deo amantes, qui nec magis, nec minus affectiue amare, atque amore, qui nec magis, & minus ob rationes à te datas suscipit amantur, amarique à Deo solummodo possunt: hoc autem auditu etiam horridum, & blasphemum est. Patribusque & scripturæ recitandis certam. 3. contrarium: sed audi aliquid adhuc absurdius, magisque longè blasphemum. Contra tertio infertur: ex doctrina tuæ solutionis. Nec magis amare affectiuè, amareve posse Patrem æternum Filium suum æternum; nec vicissim vllam Trinitatis personam, vel aliam, vel seipsam, ac proinde Deum seipsum, quam muscam, aut stercus posse: quod clarius adhuc scripturæ, Patribusque, ac subinde Theologis omnibus aduersatur. Nec satisfacies, si dicas: diuinam bonitatem esse obiectum specificatiuum adæquatum, & primarium diuini amoris, ac proinde quod propter illam amatur, vt Christi humanitas & strictius personæ Trinitatis personas alias vicissim seque ipsas ac subinde seipsam Deum, magis proculdubio amare affectiuè: sicut finis, quia principale specificatiuum est magis, quam media amari æque etiam intenso actu dicitur. Contra vero: quia quæstio præsens, & impugnationes datæ de amatis, vt quod procedunt: in quo non attenditur specificatiuum, de quo nulla habetur ratio, neque potest haberi; nam specificatiuum seu ratio formalis amandi, cum aliquid ob illam amatur, non magis, sed æque amatur, & indiuisim, nec, qua specificatiuum, est ipsa amata, seu præamata vt quod; amandi vt quod subiectum, cui inest: sicuti finis amatus, seu præamatus *vt quod*, est ratio & motiuum amandi & eligendi media: quare & magis vtquod potest amari. Secundo cum Dei bonitas, non vtcunque sed identicè coniuncta in Deo à se amato sit adæquatum specificatiuum, ex quo totus Dei infinitus amor propriori naturæ ad vnionem hypostaticam cum humanitate, cui vnione non identitate iungitur, solutione ad secundum absurdum admissa, primum absurdum non vitatur. Contra demum: quia, cum æqualitate, immò omnimoda physica identitate amoris diuini, stat nihilominus affectiua inæqualitas amoris vt maior respectu vnius, quam alterius obiecti esse absolutè possit Dei amor: ergo nulla solutio. Antecedens ex tua solutione constat, & probabo inferius præcipuum imò vnicum argumentum contra nostram conclusionem vt supra dixi, atque ea solutione contentum disiiciens.

7. Rationes hactenus datæ, ac testimoniis Patrum imbibitæ ex diuersis titulis naturalibus, seu natiuis muioris, vel minoris bonitatis obiectorum, quæ Deus amat, procedunt: quæ vero ad conclusionem vniuersim de quovis Dei amore, probandam succedent, etiam circa bona omnia, quæ, quovis modo, liberè tamen, Deus amat, vti creata omnia, tametsi bonitate omnino æqualia, immò & circa idem ipsum obiectum possibilitatem inæqualitatis affectiuæ amoris diuini probabunt: quia ex parte Dei, eiusque in amando, etiam quoad modum, libertate sumuntur. Prima inde petita ratio sit. Amor efficax affectiuè maior est, quam inefficax circa obiectum, siue idem, siue omnino æquale, quam amor inefficax: atqui erga omnino æqualia obiecta, imò & circa idem ipsum, potest in Deo esse, tam amor efficax, quam inefficax: ergo potest in Deo esse amor, vel maior, vel minor, ac proinde affectiua, nec solum effectiua inæqualitas. Maior probatur, in constituentium libertatem volitionis liberæ Dei omnino intrinsece, in qua disputamus, esseque quæstio potest, vt animaduerti certam. 1. efficacia intrinseca decreti respectu obiecti in nullo alio stare potest, quam in maiori vehementia adhæsionis affectiuæ Dei voluntatisque diuinæ ad absolutam existentiam obiecti efficaciter voliti, quam sit erga aliud obiectum, vel æquale, vel illud ipsum, quod Deus inefficaciter solum velit. Secunda ratio sumitur ex donis, ac beneficiis inæqualibus, quæ suis conferre potest ac de facto confert creaturis, quibusdam maiora, maiora, minora vero aliis vt videmus: id enim & maiorem affectum erga vnum, quam erga alium, & supponunt, & regulariter probant, ex consensu Philosophorum Patrum, & Theologorum vt scite dictum, ac proloquij loco receptum sit illud magni Gregorij: *probatio dilectionis exhibitio est operis*: quod Hispanum nostrum adagium sic declarat: *obras son amores, que no buenas razones*: quæ his approbat Ioann. epistola prima, capite tertio. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo? filioli mei non diligamus verbo,*

neque lingua, sed opere, & veritate. Confirmatur: ex communi Theologorum: qui idcircò Deum magis vnum, quam alium absque maioris boni productione, & donatione magis amare posse negant; etsi in ea conclusione absolutè deceptos de extrinseco maiori dono loquendo multis probat Ruiz tota sect. 2. Probareque facilius absolutè posset in affectu complacentiæ diuino: cuius magnitudo, etsi connaturaliter ad magnitudinem boni extrinseci mensuretur; cum tamen affectus ille à voluntate diuina libere concipiatur, liberè etiam in tali mensura affectiua de æquali, immò eodem bono creato concipi poterit: verum de amore qua actiuum est connaturaliter loquendo rectè illi theologizantur.

8. Tertia ratio sumitur ex libertate Dei ad ordinandam affectu suo creaturam vnam in aliam, tanquam finem, siue iuxta ordinem naturæ, & intrinsecæ dignitatis maioris vnius præ alia, quæ ad ipsam ordinatur, vt visibilia omnia ad vitam, & conseruationem hominis ordinata, & condita à Deo sunt, siue ob finem præ sua libertate à Deo præstitutum, vt in Incarnatione Christi, eiusque vita, passione, morte, & Angelorum ministerio ad honestam, ac demum beatam hominum vitam euenisse videmus: finem enim ratione cuius reliqua amantur, & fiunt magis, quam media, etiam vt *quod* amari constat ex illo proloquio alio, non tamen absimili, ab Aristotele prolato, & ad rem hanc à cunctis Philosophis, & Theologis recepto: *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Hoc argumento vtuntur aliqui inter quos Ruiz noster, sua tamen assertioni de fine omnis amoris sui constituendo Deo, si de obiectis bonisque creatis loquamur (in quibus solis quæstio de inæqualitate amoris liberi Dei esse potest & argumentum procedit) repugnanter: nullam enim creaturam propter aliam vt finem proprie loquendo diligere Deus in ea sententia potest: attamen re ipsa illos finem pro specificatiuo vsurpasse, & vtrumque confudisse superius ostendimus non semel: quinta ratio sumitur ex maiore cura, & (vt sic loquar) anxietate bonorum amati, ac de eis ipsi prouidendis studio maiore, quæ plane, nisi ex maiore indulgentioreque in ipsum affectu, minimè eueniunt: possunt autem ea in Deo respectu vnius quam alterius esse maiora, vt de se patet, factoque ipso comprobatur ex 1. Corint. 9. *Numquid de bobus curæ est Deo?* Nempè, si ad curam quam de vobis agit ab ipso Apostolo sæpè & à Christo Domino sæpius ac 1. Petri 5. *Ipsi est cura de vobis* assertam comparetur. Atque inter homines ipsos maiori curæ Deo esse prædestinatos quam præscitos constat ex Sapientiæ 4. *Gratia Dei, & misericordia in Sanctos eius, & respectus in electos eius:* & 2. ad Timot. 2. *Omnia propter electos*: de quo argumento videndus Bernardus serm. 68. in Cantica ad id *Dilectus meus mihi, & ego illi.* His tamen refragari sonat illud Sapient. 6 *æqualiter est illis cura de omnibus*: explicatio Sancti Thom. citata q. 20. art. 3. ad primum, & 1. 2. q. 51. art. 4. ad 1. & q. 112. art. 4. ad 1. & aliorum Scholasticorum de æqualitate scientiæ, & bonitatis Dei, quibus de omni cura creaturæ obiectioni non satisfacit neque est textui accommoda vel bene Ruiz sect. 3. est enim textus acceptionem personarum diuitis, ac potentis præ paupere, & inualido, vt huic illatas ab illo iniurias dissimulet, nec earum pœnas potens luat, in Deo negans vt e textu ipso constat & ex Augustino in Psalm. 46. versu, *Deus in medio eius*: & in Psalm. 17. versu *in circuitu eius.* Ratio vero, quam textus subiungit, *quoniam pusillum, & magnum ipse fecit*: quæ ratio vniuersalior de cura Dei omnium creatorum est eiusque prouidentiam de necessariis ad eorum conseruationem, & finem ad quem facta, & ordinata à Deo sunt, probat: ac proinde recte specialis absque vlla personarum acceptione prouidentia in puniendis delictis hominum, vtpotè ad politicam Reipublicæ humanæ conseruationem indè infertur legitimè: atque item prouidentia erga homines omnes, quos ad rectam beatamque vitam ordinauit de necessariis, sufficientibusque mediis, vt eum finem assequi possint, & ni abusus liberi arbitrij eorum impediat, assequantur: ea tamen curæ Dei erga omnes, & omnia æqualitas non tollit, quod specialius de commodis aliquorum præ aliis curet, & prouideat ex affectu, & amore maiore.

9. Hæc de possibilitate inæqualitatis amoris respectu vnius quam alterius æque probant: & in terminis ergo iustos, & prædestinatos, quam erga impios, & præscitos. Ratio quarta id suadet, atque ex maioribus donis ipsis collatis ratio secunda; quibus specialem adde rationem, etenim maiorem inter Deum, & hominem vnum, quam inter ipsum, & inter alium hominem sit, amicitiam esse, compertum est: cum autem amicitia mutuum amorem essentialiter dicat, ni mutuus maior amor sit, nequit amicitia esse maior, nequit autè esse maior mutuus amor maioritate affectiua amoris ex parte alterius amantis repugnante affectiua maioritate: ergo neque ex parte Dei affectiua amoris inæqualitas repugnat. Maior de se, & communi hominum iudicio est constans. Sanctiores enim, iustioresque magis, seu maiores Dei amicos habemus, ac dicimus, quam reliquos Sanctos, & iustos sanctitate tamen minores: constabit vlterius ex dicendis in quæstione de facto cert., Secunda ratio specialis pro maiori: Dei amore amicitiæ affectiuo respectu vnius, quam alterius iusti sit: quia non implicat creaturam rationalem Deum amplius, & amplius quam ipsa, vel altera amet, amaueritve, Deum ex amicitia, & charitate amare: ergo nec repugnat Deum amplius, & amplius ex amicitia, affectiuèque creaturam rationalem amare. Antecedens dogma Theologicum, & fidei proximum est. Probatur consequentia. Nam aliqui in amore amicitiæ affectiuo Deus, sæpè, & necessariò à creatura vinceretur: cum additioni amoris, & affectus amici, nihil possit vlterioris affectus rependere: & tamen Sapienter Cicero dicat, vel semel, vnus *in amore turpissimum est.* Sed, ne recurras ad infinitatem physicam priori remississimè amantis hominis amori impensum; vide totum illum trunco, rupique, & vermiculo etiam à Deo impensum: ec quid ergo tam magnificiendum vti faciendum ex fide, si nihil præstantius affectiuè amanti adhuc remisse amico, & iusto, addum amplius, atque feruentissimo affectu, amicitiæ præstet, quam lapidibus, ac vermiculis, & vilioribus adhuc creaturis exhibeat? vide item, quam dignam Deo, nobilem, perfectissimam amicitiæ, & charitatis vnionem affectuam cum rationali creatura concedas: vt summum vt ex parte affectus, & amoris sui formaliter inchoet; caterum de reliquo solo affectu creaturæ formaliter creatæ Deusque, quali inanime quoddam, formaliter, & ex parte sua, affectus solummodo patiatur: ecqua hęc vnio affectus quæ non ex parte vtriusque animorum & voluntatem motibus, & affectibus crescit, & ferè ad affectuum immò & amantium identitatem peraguntur? vide, quam non Deus, sed phantasma in Deo fingas voluntatem, nec maioribus obsequiis affectiuè gratiorem, nec grandioribus nostris affectibus mobilem, immò ex liberitate sua, nec vllis obiectis & motiuis quoad amoris, & affectus sui speciem, & substantiam absolutè immobilem! idem enim amor necessarius sui noa solum, quoad affectus magnitudinem, sed quoad speciem immutatus cunctis creatis impediturus, vt applicatio eius liberæ voluntati relinquatur; si tamen iuxta rationem, qua inæqualitatis affectiuæ amoris diuini possibilitatem negas, manete potest Dei voluntati constitutæ adæquatè intrinsecus ad amoris necessarij applicationem libertas.

11. Arguo indè vltimo per hosce constitutores (cum quibus disputatio est, esseque vt dixi, potest) actui necessario amoris Dei potest identicè adiungi volitio libera, quin Deo eiusque amori necessario aliquid alterius accedat; deficereque si habita à Deo, vt absolutè potuit quin ei intrinsecè deficiat aliquid, eiusve actus liberi accessu, vel absentia mutetur: ergo accessu maioris actus, siue, quoad speciem, siue quoad alium maioritatis modum, siue eius recessu, & defectu, & accessu actus alterutro modo minoris nihil omninò Deo, eiusque amori necessario peribit: ac proinbè, cum eius amoris necessarij infinitate physica rectè maioritas, vel minoritas amoris liberi consistet: vel contra inæqualitas affectiua amoris liberi Dei cum eius immutabilitate, & amoris necessarij infinitate, cui nihil addi potest, intrinsecus aut minui repugnat: ergo, & repugnat cum eis amor liber intrinsecus, additus, & defectibilis. Porrò eadem est, & audua, in vtroque difficultas: quod si Doctores hi pro constitutiuo libertatis solutionem aliquam reperissent, eam ipsa eidem difficultati, etiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in materia diuersa, satisfacerent. Respondeo ergo ex dictis pro constitutione libertatis decretorum, & volitionum diuinarum adæquata per Deo prorsus intrinseca: ad motionem pure intentionalem, qua talem opus non esse physica actione aliquid denuò physice in rebus adducente, & realiter diuersum ab eo, qui se intentionaliter mouet, eiusque motiua pure intentionaliter potentia, vt patet in potentia intentionali pura, tam intellectiua, quam volitiua Diuina eiusque actibus realiter, & suis potentiis, & Deo per illos se intentionaliter mouente identificatis, vt ostendi Comm. de scient. d. 2. inde etiam absque vlla intrinseca reali variatione posse Deum amorem liberum, vel plures imò omnes, sibi adæquate intrinsecos concipere, vel omittere, quia aliquid reale ipsi, eiusque voluntati, aut amori eorum accessu adderetur, aut defectu periret: ostendi controu. hac 4. de constitutiuo actuum liberorum Dei disputans: quia motio illa libera, cum intentionalis pura sit, nihil diuersum realiter ab eis esse debet, vel afferre: vnde ad præsens eadem ratione respondeo: liberam affectuum Dei erga creata motionem pure intentionalem esse: quare amori Dei, nil reale addere, vel minuere inæqualitate sua, siue maioritatis, siue minoritatis affectiuæ, nec infinitati physicæ simpliciter, & è genere suo amoris diuini derogare, quin in eius indiuisibili conceptu includi: quia, qua diuinus amor est, omn amor, quoad substantiam, & modum libertatis magnitudinis, quem habet, à Deo primum ab æterno concipitur; & in alia rerum peristasi cum libertate, & modo, quos tunc intentionaliter haberet, absque vlla physica sui mutatione conciperetur: quæ, vt melius penetrentur, dictorum ibi repetenda lectio, vel reficanda memoria est.

CERTAMEN III.

Amoris amicitiæ Dei inæqualitas, quæ de facto est, statuitur.

1. INæqualitatis examinandæ de facto amoris Dei erga creata, exsibilanda eorum dementia est, qui apud suum confutatorem Origenem in Philocalia, seu amore pulchri. cap. 20. aiebant, bruta, quam homines Deo esse chariora: quia minore viuunt labore, mundumque subinde propter bruta, non propter hominem factum esse. Hi, vt reor ex illorum vetustiorum secta erant, qui fælicitatem hominis in indolentia constituebant: erroris huius inter viginti duos Philosophorum circa nostram beatitudinem meminere Augustinus de ciuitate Dei, & Ecclesiastes, qui in eis ex instituto confutandis totus ad literam est, ostensurus in nulla mundi huius re nostram esse beatitudinem: indolentiæ errorem hardissimum, ex quo in præsentem belluini illi homines deuenerunt obiter, quasi per contemptum, confutat, cap. 9. verbis illis: *melior est canis viuus leone mortuo*, & cap. 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem unguenti*; & tamen nihil indolentius mortuis est, qui nec cogitatione malorum, neque eorum perpessione possunt vexari: cum certum sit nihil viuentibus dolentius morte posse in hoc mundo contingere; nec quod ita radicitus omnem ipsis iucunditatem, ac oblectamentum abradat siue scientiæ, vt 9. cap. ait: siue sensibilem vt verbis capitis decimi: qui ergo beatitas nostra esse potest in indolentia, quæ non nisi per summam mortis infælicitatem potest perfectissimè adquiri; nam viuentibus omnimoda indolentia, siue ex rerum studio, siue ex oppressione, &c. contingere nequit: & quidem rupes, & inanimata omnia hominibus, & brutis beatiora Deoque essent longe, vt isti delirabant chariora: siquidem laboris non solum minus habent, sed nihil: imò naturæ, & essentiæ eorum aliquid, vel doloris, vel laboris habere repugnat: quare, & essentia sua summam fælicitatem haberent, & apud Deum gratiam, præ creatis cæteris, summam. Postrema erroris huius pars expressis scripturæ locis datis certam. 2. num. 8. aliisque pluribus aduersatur, & naturali rationi, iuxta connaturalem rerum prouidentiam, qua deteriora propter perfectiora amari, eorumque vsibus destinari natura sua debent: id quod, & ratio naturalis dictat, & Aristot. docet frequentissimè: ait quippe 2. Physicorum, cap. 24. *Non enim quodvis vltimus finis est; sed id, quod est optimum*: inferiuscule: *vtimur, quia omnia sunt gratia nostra: sumus enim nos quodammodo finis*: Rursus *quod propter se eligendum eligibilius est eo eligendo, quod est propter aliud: & finis ita, quæ sunt ad finem eligibilibus videtur esse*, ait. 3. Topicor. c. 1. loco 4. & 12.

2. Ex his patet hominem, & quamuis rationalem creaturam irrationalibus de facto esse Deo chariorem, magisque ab ipso amari: inter rationales vero creaturas; constat secundo, Prædestinatum, vt sic, amplius amari, quam reprobum ex locis datis etiam certam. 2. numer. 8. & iustum *vt sic* magis quam peccatorem. Dixi autem *vt sic*: cum enim contingat sæpè & prædestinatum aliquando peccatorem esse, & esse aliquando iustum, etiam præscitum: nec dubium sit quin comparato quouis iusto pro tempore, quo iustus est, cum peccatore quouis pro tempore, quo iniustus est atque in peccato existit (verbi gratia Saule præscito aute inobedientiam, & Dauide prædestinato, tamen homicida, & adultero existente) charior Deo sit præscitus pro sito iustitiæ tempore quam pro tempore suæ iniustitiæ prædestinatus: siquidem, pro tunc præscitus Dei amicus absolutè, Deique absolute inimicus, pro suo illo tunc Dei prædestinatus existit, dubium esse adhuc, & solummodo esse potest: an amor, quo indubitanter pro aliqua duratione huius vitæ siue exigua, & ad vitæ extremum tantum siue diuturniore prædestinatum amat amore quo præscitum, etiam toto ante extremum vitæ suæ tempore iustum, amat in re & denominatione vera maioris absolute amoris debeat præualere?

3. Sit tertia conclusio. Deus absolute & simpliciter loquendo magis amat quemuis prædestinatum etiam aliquouis maiori vel minori tempore peccatorem, quolibet præscito quouis etiam tempore iustum: ita Magister in 3. d. 32. fine S. Bonauentur. dub. 3. lit. Durandus quæst. vn. a. 3. fine Richard. a. 2. quæstion. 2. Carthusi quæstion. vn. col. 3. S. Thom. quæstion. vn. a. 3. & 1. p. quæstion 20. a. 4. vbi Caiet. Molin. Valent. Vasquez & reliqui interpretes, estque vel tacite vel expresse communis Theologorum Conclusio, quauis methodo scribentium, & nostri Ruiz d. citata sect. 13. Probatur Conclusio: quia amor, ex quo donum, & bonum absolutè alicui, quam aliis donatur maius, maior absolute est; atqui dona gratiæ, & gloriæ, quæ cuiuis prædestinato aliquandiu peccatori donantur maius bonum, & donum Dei absolutè sunt, quam bonum quoduis, etiam intensissimorum donorum, gratiæ pro fere toto vitæ tempore donatum iusto præscito: ergo amor, ex quo illud prædestinato peccatori donatur, maior absolute amor est illo, ex quo donatur iusto præscito. Maior constat ex certam. 1. Minor probatur, quia boni, & doni, sicuti & mali, magnitudo, non tantum ex intensione crescit, quantum ex perpetuitate, vt in bonis visibilibus, & ad breue tempus quantumuis magnis, datis mundanis, vel potius commodatis, & mediocribus perpetuo donatis patet: clariusque, atque ad rem, etsi à contrario, oportunius in malorum æstimatione, præsertim æternè durantium in inferno, etsi remississimarum pœnarum: atqui dona gratiæ supernaturalia, quantumvis remissa, atque extremo vitæ tempore à Deo donata in perpetuum seruanda, nusquamque deinceps amittenda, ac insuper suprema beatitudo longe reliquis donis supernaturalibus maius, in æternum etiam donatur; præscito autem cuiuis dona gratiæ, quantumvis multa, & magna de se amissibilia breuique (nempe vitæ suæ curriculo, quantumvis que longæ, breuissimæ) amittenda donantur: ergo bonum, quod datur prædestinato cuiuis peccatori, longè maius est eo, quod à Deo donatur cuiuis iusto reprobo, eodemque discursu patet, amorem hunc maiorem erga prædestinatum peccatorem amorem amicitiæ esse, quia numquam deinceps per æternitatem interrumpendæ, quæ maxima amicitiæ prærogatiua, & excellentia in communi æstimatione est.

4. Quarto in quæstione de facto examinandum Theologicè venit : an pœnitens iustus plusquam iustus innocens, amicitiæ vtique amore, diligatur ? qua de re accuratè, & eruditè Ruiz d. citata sect. 11. & 12. in cuius examine statuendum ; neutrum eorum ad maiorem gratiam finalem, & gloriam prædestinatum esse : ex dictis enim proxime constat eum, qui ad maiorem gtiam finalem, & gloriam prædestinatus sit, siue iustum, siue innocentem, à Deo magis amari. Secundo nec quæstio esse potest, quin iustitia, & sanctitas maior, in quocunque sit ; magis Deo amicum, gratum, & amatum reddat. Nec dubitari etiam potest, quin in æque iustis iustitiæ innocentiæ quam pœnitentiæ sit de se gratior, & magis charum Deo innocentem, quam pœnitentem constituat : neque enim quod peccatum præcesserit, & inimicus Deo quis fuerit (quod solum iustitia pœnitentiæ per se loquendo habet) potest illam, illumque reddere Deo chariorem eo qui perseuerantiæ in gratia Dei, & continuatæ antiquitatis in amicitia habet prærogatiuam, qua innocentiæ Dei per naturam magis per gratiam, quam pœnitens assimilatur : inde virginitatis laus, maior quam perditæ intra castitatis virtus, quæ tamen si diu perseueret, inquit Bachiarius, *longa castitas amulatrix est virginitatis* : aliunde etiam sapienter Seneca 6. de benefic. cap. 25. *Non vulneres malo, quam sanes nunquam cicatrix, nisi collata vulneri, placuit, quod ità coisse gaudemus, vt non fuisse mallemus* : & Cicero. *Maximi vero consilij est prouidere, ne quid tale accidat.* & Eccles. 18. Illud præbetur : *ante languorem præpara medicinam* : de quo argumento videndus Augustinus in Psalm. 85. ad id *eruisti animam meam* & in Psalm. 143. ad id *Redemisti Dauid.* Basil. homil. in id *Attende tibi.* Cassian. 11. de institut. renunciant. cap. 16. alioqui peccandum nobis aliquando esset, vt Deo essemus chariores. Hoc suppositum commune Theologis potius, quam disputatum est. Theologis, inquam, vtriusque scholæ, & Scoticæ, & Thomisticæ, idque solum illos referens Ruiz sect. 11. num 4. intendit conclus. 1. idque nec amplius probat ex Iob 1. laudati à Deo, vt *rectus, recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam*, & illud de Tobia : *cum irent omnes ad vitulos aureos*, &c. & Esther. 4. suam Deo innocentiam inter peccandi occasiones proponentis, vt ab eo exaudiretur & illud de eo, qui mandatis ad vitam necessariis à Domino auditis Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. respondit. *Hæc omnia seruaui à iuuentute mea* : Marcus adiungit. *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum*, & Domini erga Ioannem specialis amor ob vitæ innocentiam singularem. Nec amplius item probant testimonia Augustini 3. de liber. arbitrio cap. 5. circa med. & 2. Confess. cap. 7. sub init. Magni Gregor. in Euang. homil. 34. col. 2.

5. Tota ergo Theologiæ disputationis (indubitatis hisce tribus præmissis) difficultas est, an in pœnitentiæ Iustitia, æquali cum innocentiæ iustitia, aliud necessario, vel physicè ; vel saltem moraliter intercedat, ratione cuius innocentiæ prærogatiua superetur, siue ex parte obiecti, siue ex parte subiecti (Dei scilicet amantis, & de vtraque iustitia complacentis) vt merito magis amari à Deo pœnitentiæ, quam innocentiæ iustitia æqua entitatiue, & ex adiunctis etiam pœnitentis actibus rigida, nec laxiori solum oratoria, & concionatoria Theologia dici absolute possit ? quo excluso rationem maioris amoris & gaudij diuini de iustitia pœnitentis, cum ob maiorem dilectionem eius erga Deum sibi peccata remittentem, quam sit innocentis, cui nihil graue, ac minus remittitur : tunc enim æqua in vtroque entitatiue iustitia, quæ charitati commensuratur, non erit vt ex eo Luc. 7. constat : *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ; cui autem minus dimittitur, minus diligit* : excluso item maiorem humilitatem, cautionem, quibus plerumque pœnitens, suam fragilitatem expertus, à lapsu resurgit, debetque resurgere, quam eam inexpertus innocens habeat, vt recognoscunt Chrysost. 1. de prouid. col. antepen. vt idcirco Dei permissionem & hominis lapsum peccatori vtiliorem asserant August. 14. de Ciuit. cap. 13. & in Psalm. 93. ad id *donec fodiatur peccatori fouea* adducta comparatione Pharisæi, & Publicani in serm. 49. de temp. post med. S. Maxim. 2. de fide cap. 29. ante med. Irenæ. 4. aduers. hæres. c. 27. S. Maxim. cent. 23. c. 9. 10. 16. & præsertim 23. Magn. Gregor. Homil. 34. in Euang. colum. 2. ea vero humilitas & cautio, virtutes cum sint, ac proinde à Deo amabiles, quo maiores fuerint in pœnitente, quam in inocente æque entitatiue gratiæ, & iustitiæ adiunctæ illum, & gratiorem, & amabiliorem Deo, magisque charum & amatum reddent, ac si gratia & iustitia maior illi adesset, & reuera adsunt, etiam in humiliore pœnitente, & cautiore, vt constat ex parabola, seu comparatione Pharisæi, & Publicani hic 18. de quorum posteremo dicitur. *Amen dico vobis : descendit hic iustificatus in domum suam ab illo* : de qua vbi diximus agens Augustinus concludit. *Magis placuit Deo humilitas in malis factis* (id est de malis factis) *quam superbia in bonis factis.*

6. Hæc omnia ab accurata dispositione & rigido, ac subtili examine Theologico excluso, quia vt ex dictis suppositione secunda numero 4. constat, quæstioni inter Theologos sapientes locus, hæc secludantur, esse non potest : tum etiam, quia tota hæc quæstio instituitur ad rigidum verum sensum illius propositionis absolute à Deo prolatæ, & ex præmissis parabolis duodecim dragmarum, & centum ouium absolute illaræ apud Matth. cap. 18. & Luc. cap. 15. gaudium maius esse Deo, & cælo de perdito, recuperato tamen, & per pœnitentiam iusto, quam de iusto, imò & iustis pluribus multo innocentibus : vbi nulla de maiore iustitia, aut virtutibus, sed de sola recuperatione pœnitentis ratio habetur : cum in conclusione, tum in dragmæ, aut ouis perditæ inuentione, antecedente, ex quo conclusio deducitur. Text. Matth. sic habet numero 12. *Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis : nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit ? etsi contigerit, vt inueniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam supra nonaginta nouem quæ non errauerunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis* : vbi voluntatem positiuam negatiuo de oppositio voluntate explicuit, & probauit vt numer. 7. expendam : quia ex adiuncto eius capitis contextu præmisso satis ità explicabatur. Lucæ vero cap. 15. gaudium maius positiue bis explicuit, ouium enim parabola præmissa concludit num. 7. *Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Atque iterum aliam similitudinem dragmarum continuo sic adiungens : *quæ mulier habens dragmas decem, si perdiderit dragmam vnam nonne accendit Lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat : & cum inuenerit, conuocat amicos & vicinos dicens : congratulamini mihi, quia inueni dragmam, quam perdideram* ? quod ab eis de adsernatis nouem, non expositis concludit : numero 10. *ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Eo etiam tendit subiuncta immediatè parabola de filio prodigo, & perdito alteroque eiusdem Patris innocente, & frugi, cum enim hic conscius esset de conuitio opulento, & symphonia ad fratris prodigi aduentum ipso inspectato, peneque à Patre, vel neglecto vel obliuioni tradito ita apud illum conquereretur : *ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer ; sed, postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum*, cui Pater : *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt : epulari autem & gaudere oportebat* te etiam (abesset à charitate fraterna liuor) *quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit : perierat, & inuentus est.*

7. Dicendum non per accidens solum, sed per se loquendo in æque iusto pœnitente circumstantias esse, ob quas de facto magis absolute ametur innocente iusto : imò, & sic amari complacentiæ gaudio connaturaliter mum Deo sit. Hoc manifeste probatur argumento ex parabolis assumpto, & similitudinibus rerum, non ratio ipsa vniuersaliter, & morali necessitate contingentium in oue, & drachma perditis, quæ sui recuperatione magis gaudium dominis faciunt ; quam semper conseruatæ eam

etiam plures. *Illud enim, si fuerint alicui centum oues*, indefinite dictum; sicuti *aut quæ mulier habens dragmas decem*, de omnibus dicitur: tantundemque valet atque *cuicunque fuerint centum oues*, aut *quæcunque mulier habuerit dragmas decem*, &c. id autem, quod à Deo vniuersaliter in casibus, cuiusque generis, euenit omnibus, connaturalissimum est: & fere necessarium moraliter est euenire: atqui Deus ita sibi, quoad gaudium de recuperato peccatore ad iustitiam dicit euenire, atque euenturum semper: & amplius gaudere, & connaturalissime gauisurum esse quam de æque iusto, imò pluribus innocentibus profitetur: eis verum exemplis & semel possessorum naturalis amor, & perditorum dolor: quare, & recuperandi ardens dominorum supponitur desiderium, vt grandius de inuenta, recuperataque, vel oue, vel dragma, quam de asseruatis pluribus gaudium concipiant; quod nusquam suorum neglectores, & perditorum indolentes conciperent: inde etiam similes in Deo affectus indulgentiores quidem, magisque gratuiti erga homines supponuntur: vt teneat ex illis ad Deum illato. Nimirum ardens de salute hominum omnium desiderium, ac de perditis dolor à nobis fuse (semotis imperfectionibus) statuti quæstion. 3. à certam. 2. per totam: à voluntario quidem eius, quatenus ex ipso est, erga illos affectu oriundi, ideò argumento ex domini ouium similitudine ducto, vbi verbis ipsis gaudium positum maius Dei de peccatore recuperato, iamque per pœnitentiam iusso ad sonum acceptis non videtur apud Matthæum à Christo Domino inferri, validius infertur: siquidem in ea illatione, etsi per propositionem negatiuam, non gaudium solum illud, sed & affectus Dei erga homines omnes, vnde morali necessitate, & certitudine infertur, explicatur: *sic*, inquit, *non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis*. & postrema parabola de Filiis prodigo, & frugi apud Lucam, eandem rationem, clarius adhuc, gaudij illius de Filij perditi recuperatione ampliorisindignabundo alteri filio dedit: *fili tu semper mecum es: &c. epulari autem, & gaudere oportebat: quia frater tuus*, vtique & filius itidem meus, *mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est*: quibus Paternum Dei affectum, erga omnes, & singulos homines, talem, tantumque esse subtilis solidissime Chrysologus, rimatus penitius, inuenit: vt vni totum in solidum, quod singulis, & omnibus impendi recognouerit serm. 168. med. vbi cur centum oues, nec plures fuerint, nec pauciores percontatus ex prisco numerandi à manu vna ad alteram more; quo centenarius numerus in dextram cadebat, ad quam prædestinati, nonus vero supra nonagenarium cadebat in sinistram, ad quam reprobi spectant, respondet. *Amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum* (nempe Pastoris Dei, & dolore, & affectu) *& totum de dextera redegerat ad sinistram, vt dispendio vnius, & sinistra clauderet omnes, & dextera nihil haberet. Nonagesimus & nonus numerus in sinistra latet clausus, conscriptos habet, tenetur oppressus; qui tamen vnius percepit, & sensit augmentum, mox dextera transit ad palmam, mox centenary numeri transit ad coronam: etsi non habuisse centenarium numerum doloris est, cuius doloris est perdidisse? videtis, quia per vnius ouis amissionem pastor iste totum gregem cecidisse de dextera, & totum in sinistram doluerat recidisse*: (vtique, quia singularum æquo, toto in solidum, atque omnium saluti inhiabat desiderio) *& ideò relictis nonaginta nouem vnam sequitur vnam quærit, vt inueniret in vna omnes, redintegraret omnes in vna*. Nihil in tanta subtilitate ad rem hanc solidius.

8. Inde facile ostenditur, magis Deo gratum esse, ac delectabile, æque iustum pœnitentem, quam innocentem, quia, etsi peccati antecedentia nihil formaliter, seu quasi à forma, melius formaliter; tamen conditionaliter, vel tanquam ex circumstantia, & conditione per se gratius aliquid Deo apponitur. Non solum ex generali rationalium conditione, quibus vt Aristot. ait. 1. Rhetor. cap. 11. post med. *Bene mereri iucundum est. Ideireo subuenire quoquo propinquis, & manca supplere suaue hominibus est*: maiorisque suauitatis materia reparatam à se domum, dirutam prius, habere, quam semper firmam possidere: in eo quippe industria possidentis magis elucet, vt magis complaceat: sicuti & medico ægrum sanare, quam sanum seruare maioris artis, & potestatis, & scientiæ est: indeque laudabilior, magisque de ægro sanato, quam de sano seruato laudatur: eoque magis, quo ægritudo maior fuit; ea de causa beatis pœnitentibus criminum suorum memoriam perpetuo adfuturam, vt Dei in ipsos misericordiam in æternum iuxta Psalm. 88. & ipsi, & Beati reliqui cantent, nec decantent vnquam, inquiunt, quasi vno ore, Greg. Mag. 4. moral. cap. vlt. sub finem, & Augustin. 22. de ciuit. cap. 20. post med. *quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi iucundius cinicati*: Hoc, inquam, de Deo esui, suæque gloriæ, ac de Beatis è Dei, laudisque ipsius complacentia probant; sed de Dei erga pœnitentem iustum amore, & complacentia (quo solum parabolarum Christi argumentum, & conclusio spectant) quia ex lapsu, etsi non, vt à forma, sed, vti à conditione per se requisita, iustitia, & gratia eadem, imò, & minor etiam, redditur (nescio, qua ratione, nisi ex inopino, ac proinde ex admirabili contra præconceptum timorem successu, etsi continuo similium experimento omnibus noto) multo iucundior: vt testatus est Aristot. sub recitata proxime verba: *euadere quoque periculis, tanto iucundius, quanto propius periculo: admirabilia enim hæc sunt*: quibus etiam consonat S. Thom. 1. 2. quæstion. 33. art. 4. & 8. in hoc argumentum æque elegans, ac fusus Augustinus ex parabolis hisce 8. confess. toto cap. 3. discurrit: ex quo hæc. *Quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius gaudium fuit in triumpho, iactat tempestas nauigantes, minaturque naufragium; omnes futura morte pallescunt; tranquillatur cælum, & mare, & exultant omnes, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, & vena eius malum renunciat: omnes qui eum saluum cupiunt, ægrotant simul animo: fit ei rectus & nondum ambulat pristinis viribus, & iam fit tale gaudium, quale non fuit, cum antea saluus & fortis ambularet*: & hæc quidem ob imminentis mali præcedentem ex amici, vel nostri complacentia timorem: quid, si de mali eius absoluto aduentu ex simili affectu dolor vehemens, (vti è simili affectu de lapsu pœnitentis (sublatis imperfectionibus) in Deo eius recuperationi, & resurrectioni præiuit:) præcessisset? & id nonnullis etiam exemplis ostendere pergit Augustinus: *edendi, & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuries, & sitienti molestia, & ebrioso quadam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor: quem, dum extinguit potatio fit delectatio: & institutum est, vt iam pacta sponsa non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam*. Ex quibus concludit *vbique maius gaudium molestia maior præcedit*: qui ergo in ita salutem peccatoris desiderante Deo, eiusque exinde læthalis culpæ malum, inferno ipso maius, vehementer dolente, quod per se quidem ad eius recuperationem, & pœnitentiæ iustitiam de eius præ innocentis gratia etiam minore excelsum gaudij assequi mente valeat? nihil ergo hyperbolicum: sed rigidæ veritatis Theologicæ plenum illis Luc. 7. verbis est: *ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia*: idque per se iustitiæ pœnitentis, qua tali, euenire, etsi entitatiue sumptæ per accidens eueniat: quod vocibus solum à nobis discordare nostrum Ruiz plane fecit.

9. Probatur secundo valida ratione Theologica (quæ valide etiam discursum confirmat) ex maioritate amoris, & efficacis desiderij Dei, quod per se loquendo ad iustitiam, & gratiam pœnitentiæ, quam innocentiæ donandam in Deo præcedit: quod enim maius desiderium sui habuit, & fecit, maius longe gaudium facit possessum, vt Augustini exempla, & conclusio euincunt. Est maius fortiusque, & ardentius desiderium de æqua, imò, & minori iustitia, & gratia pœnitentis ostenditur: quia desiderium, quo plures difficultates, & motiua ab ipso retardantia desiderantem, vincuntur, proterunturque, fortius, maius, longeque ardentius est eo, quo nihil, vel parum difficultatis obiectiue ab eo retrahentis superatur: id quidem amantium quotidiano experimento compertum, sacro etiam confirmatum elo-

quio

quio Geneſ. 29. vbi de ſeptennio ſeruitutis pro nuptiis Rachel ſocero ſuo : *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*, Atqui amor Dei, & deſiderium iuſtificandi impium (quouis gratiæ, & ſanctitatis, ſeu amicitiæ gradu) proterit Deus ſummum ex parte ſui iuſtificantis obſtaculum eius ad ſanctitatem iuſtitiam, gratiamque ſui reuocandi, & quo maximè ab eo præſtando volendoque obiectiue retrahebatur ; nihil autem, vel fere nihil in amando innocente iuſto eſſe poteſt, quod eius amor ſuperet : ergò amor, & deſiderium, ex quo iuſtificat, vtcunque, impium per ſe, ac de ſe maius, fortius ardentiuſque eſt eo, quo, & ex quo iuſtum innocentem amat, & ſeruat. Minor ſubſumpta certa eſt : quia ex parte pœnitentis peccatoris iuſtificandi præcedit mortale peccatum odij Dei potentiſſimum voluntati eius motiuum, & quo, vel maximè, Deus à peccatoris amore per ſcripturam Patres, & Theologos auertitur : atque in eius odium impellitur adeò, vt quamuis egregiis iuſtus, ingentibuſque obſequiis mereri condigne alteri iuſto gratiam apud doctos recentiores valeat ; aſt, vt odium peccati deponat, remittatque illud peccatori Deus, quantumuis gratia ornatus, & ingentibus obſequiis in Deum excellens nequeat, in horum etiam, fere omnium ſententia, ita promereri : quid plura ? totum argumentum Pauli eſt ad Romanos 5. *commendat*, inquit, *autem charitatem ſuam Deus in nobis : quia, cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum : ſi enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius*, pende, *in nobis* : in quibus ſummum ad reconciliationem obſtaculum erat, Deum ſuæ charitatis oſtenſionem feciſſe : ſummam vim meritorum Chriſti fuiſſe monſtratam in eo, quod Deum, eo non obſtante motiuo, ad peccatoris reconciliationem, & pœnitentiæ iuſtitiam impertiendam deflexerit : vnde eorundem virtute iuſtificatis donandam argumento à maiori ad minus cum ex parte amoris Dei, tum ex parte virtutis meritorum Chriſti, legitimè intulit.

10. Inde vero & Eccleſia ſic orat. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerendo manifeſtas* : quia nimirum amor & miſericordia te in te etiam tuoſque affectus (quæ maximè rationalis poteſtas eſt) iuſtitiæ à Deo peccati ad vindictam iramque impulſæ, quos cohibent, atque in beneficentiam conuertunt, potentem oſtendunt. Rationem vero, quam ſuprà explicuimus de amore Dei erga peccatores, creaturas nempe ſuas : quibus parcit, addit ſimul Sapient. 12. *ob hoc, quod omnium dominus es, omnibus te parcere facis*. Recte igitur S. Th. 2.2. quæſt. 106. art. 2. abſolutè docuit pœnitentem iuſtum maiorem gratiarum actionem Deo debere, quam innocentem : etſi enim fuſe ſubtilitatibus quas tardiores, vel non aſſequimur, vel non probamus ; id Caietanus defendat ; improbet autem abſolute Ruiz proximè ſect. 12. fine : quia putat iuſtitiam innocentiæ maius abſolutè donum eſſe, atque à maiore Dei amore, quam pœnitentiæ iuſtitiam procedere (in quo aperte decipitur) quia doni ſecundum ſe magnitudinem ſolummodo conſiderat & recipientis commodum, quod maius certè ex maiori ſiue entitatiuè ſiue quoad durationem dono quod recipit, non autem amoris ex parte Dei (qui beneficij, vt Seneca, & Cicero aiunt anima eſt) magnitudinem maiorem, neceſſariam de ſe, vt infenſis inimicis peccatoribus benefaciat vti argumento hoc ſecundo ponderauimus. Inde vero haud quaquam infertur iuſtum pœnitentem amplius innocente debere gloriari, adhuc de donis Dei, cum hæc in innocente, vel ſola duratione, & perſeuerantia, ſeu permanentia ſint maiora, & damni culpæ quam ab innocente Deus auertit, ac proinde, quod ex parte iuſti pœnitentis eſt minus ſanè glorioſum eſt : imò & turpiſſimum eſt, quod peccatum præceſſerit, de quo etiam vt gratiæ receptæ coniuncto nulla illi accreſcit gloria, ſed ignominia. Recte igitur Auguſtin. tract. 110. in Ioann. ſub fin. aiebat : *quale eſt idcò ſe velle laudari, quia vitio ſuo tam deteſtabiliter ægrotauit, vt non poſſit aliter, quam medici morte ſanari ? Non eſt hoc noſtrorum gloria meritorum, ſed medicina morborum* : cui conſonat S. Thom. 1.2. quæſt. 20. art. 4. fin. ſolut. ad 2. & confirmat exemplo Patris familias, qui pretioſius quid ægrotanti ſeruo, quam ſano filio, quem plus abſolute diligit, donat : quæ conſideratis ex parte obiecti motiuis amoris certiſſima ſunt ; at vero conſiderata amoris ex parte Dei magnitudine, qua tantum præpediculum ex parte pœnitentis lethali peccato appoſitum proteritur : ob quam dubio procul maior Deo debetur gratitudo, quæ non tam ob doni recepti magnitudinem quam ob amoris quo donatur præcipue habetur ; quod in gloriatione de receptis, & poſſeſſis ſecus habet.

CERTAMEN IV.

Aliud documentum de facto ad Theologiam ſpectans de maioritate amoris Dei erga homines, vel Angelos deciditur.

1. EXreliquis Theologicis difficultatibus ad quæſtionem de facto ſpectantibus prima eſt An Deus plus Angelis homines adamarit ? qua in difficultate, & Chriſtus homo, etſi non pure, & eius Sanctiſſima patens MARIA, à collectione tota hominum extrahendi ſunt : cum de primo ob infinitam Deitatis ſanctificationem, de MARIA, & propter maternitatis excellentiam, & propter gratiam collectione gratiæ cunctis Angelis, & hominibus, longe maiorem, tota collectione Angelorum & hominum amabiliorem, & amatam Deo illam fuiſſe, & Patribus, & Theologis ſtatum etiam eſt : ex quo præſertim rimandis, eruendiſque Mariæ excellentis æqua ſubtilitate, & eruditione glorioſe, & ad antiquiorum etiam inuidiam, noſter Soarez tom. 2. in 3. part. inſudauit, ea de re primus diſputationem inſtituens, & laudis progreſſu poſtremus. Ergo de reliqua hominum collectione, comparatione totius Angelorum collectionis difficultas procedit. Sanctus Bonauentur. in 3. d. 32. articulo vn. quæſtion. 4. Carthuſian. ibi quæſt. vn. col. 3. pro hominum collectione ſtant : videnturque ſecuti tandem. Alexand. 1. p. quæſtion. 32. m. 1. quem prorſus imitatur Molina. Verum hi de ea hominum collectione non, niſi propter ordinem ad Chriſtum loquuntur : quo non de collectione pura hominum ſecluſo Chriſto Domino eiuſque gratia, & ſanctitate (nedum Diuipara etiam ſecluſa) loqui ſe oſtendunt : ſed gratiam, & gloriam collectionis reliquorum hominum comparata cum gratia, & gloria collectionis totius Angelorum maiorem eſſe, ac ſubinde ob illum exceſſum collectionem hominum magis à Deo amobilem & amatam de facto docet Ruiz ſect. 8. à numero 8. fundamenta iaciens, ad numer. 14. concl. 4. rem concludens. Richard. in 3. d. 32. art. 4. quæſtion. 1. ex aduerſo ſtat pro Angelorum collectione ex qua pauculos in gratia, & gloria ab excellentibus ſanctis hominibus aliquot æquari putat : excedi vero pauciores ; hominum autem fere omnes non ſolum à primoribus ; ſed à vulgo etiam, in gratia & gloria vinci, S. Thom. 1. p. quæſtion. 20. art. 4. ad 2 & in 3. d. 32. quæſtion. vn. fine, æquam vnius, atque alterius collectionis gratiam cenſet, & gloriam : quare & æque vtramque de facto à Deo amari. Probat æqualitatem illam ex 21. Apocalyp. verb. illis. *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*. Verum vt bene Ruiz numero 6. Menſura illa Angeli menſurantis actiue non autem paſſiue menſurati eſt, vt ex textu conſtat : vnde, etſi ædificij cæleſtis hominum ciuitatis menſuratæ per Angelum textus magnitudinem dicat, vt dicit ; nuſquam tamen eam cum magnitudine ciuitatis Angelicæ, ibi non menſuratæ, comparatam dicit æqualem.

2. Hi omnes de amore de facto commenſurato cum bonitate, & amabilitate obiecti diſcurrerunt ; cum tamen, vt abſolute, & exactè quæſtio decidatur, aliunde etiam amoris diuini magnitudo penſari debeat, vt ex nuper dictis certum. 3. apparet : quare dupler & hominum, & Angelorum amor diſtinguì debet. Alter quidem

quidem iuxta obiecti bonitatem, cui connaturaliter loquendo Dei amor commensurari debet: ac proinde hunc amorem ob maiorem excellentiam gratiæ, & gloriæ, vel hominis vel Angeli de facto esse maiorem Theologicè asserendum est: quare eius magnitudo, & maioritas erga alterutram collectionem ex maioritate alterutrius, & excessu in gratia, & gloria recte à præfatis Theologis definitur: quia, etsi Deus absolutè liber sit in cuiusuis creati obiecti prosecutione, & amore; eo tamen posito iuxta exigentiam obiectiuam amari censendum in bona Theologia est, vbi oppositum ex scriptura, & reuelatione (ex qua solum oppositum nobis innotescere potest) non constiterit. Amorem hunc appretiationis vocamus: quia eo æstimabilitas, valorque rei amatæ siue amoris obiectiuum pretium attenditur. Vltra hunc alius est amor etiam in Deo, quem pare affectiuum possumus meritò nominare: quia non obiecti amati meritum, & amabilitas, siue obiectiuum pretium & valor ab amante attenditur, sed ex mera voluntatis, & affectus indulgentia concipitur, vt contingeret in amore, quo Deus homini vel Angelo à se in puris naturalibus cõdito gratiam, & supernaturalia dona vellet & conferret, clariusque euenit in eisdem antea peccatori efficaciter volitis & infusis. Porro huius amoris magnitudinem comparatiue cum aliis ex donorum magnitudine (à quibus nusquam, sed è sola Dei libertate, bonitate, & misericordia pendet) taxare, non solum minus Theologicum, sed & minus rationale esset: vti ex dictis cert. 3. claret, quæ ideò præmisi, vt lucem hîc dicendis afferrent.

3. Dico in præsenti difficultate primo. Angelorum collectionem amore appretiationis plus de facto à Deo diligi collectione tota hominum præter Christum eiusque matrem, consentio citato Richardo, discursu tamen firmiore, & quo multa contra hanc sententiam satis Theologicè totis citatis numeris opposita à Ruiz nostro semel retunduntur. Sic autem discursus habet. Tota communitas hominum decedentium in gratia, penenientiumque ad gloriam duplo saltem minor est communitate Angelorum in gratia permanentium, & à breui illo statu Angelicæ viæ Deo perfruentium: atqui in duplo maiore numero Angelorum ex omni Hierarchico ordine ad supremum vsque, quam hominum (saluandorum, vt plurimum per finalem pœnitentiam nec intensiorem multo quam satis sit ad propellenda mortalia atque ad gradum valde remissum gratiæ, cui nequit gloria intensior respondere) maior longe gratiæ, & gloriæ cumulus esse debet, quam sit in communitate hominum duplo minori: ergo amore appretiationis communitas Angeli ea magis longe, quam humana à Deo de facto diligitur: consequentia patet ex dictis numero secundo, vbi ostendimus magnitudini æstimabilitatis valoris, & pretij obiectiui eius, quod diligitur à Deo, amoris eius magnitudinem de facto commensurari. Maior est ex scriptura, & Patribus indubitabilis: siquidem Lucifer rebellis Draconis nomine tertiam stellarum seu Angelorum partem traxisse, atque ad tartarum è cælo secum deturbasse dicitur. Atqui numerus hominum, pro quouis, & omni coniunctim tempore in gratia descendentium, & consequentium gloriam, amplior lapsorum Angelorum numero non est (siquidem ex scriptura Patribus, & Theologia tota homines ad reparandas sedes lapsis Angelis vacuas prædestinantur: quare, nec pauciores illis prædestinati sunt, nec plures) atqui tertia Angelorum pars lapsos coercet omnes, scilicet duplo bonis Angelis in gratia constantibus minoribus: ergo horum numerus duplo est numero prædestinatorum hominum maior, ac subinde horum numerus duplo minor.

4. Minor primi Syllogismi, præter ipsi insertam probationem, ostenditur: etenim Hierarchicis Angelorum ordinibus Dei gratiam, & supernaturalia dona, etsi non ad exigentiam naturalem (alioqui naturalia essent) naturæ perfectionis Angelorum ordinis cuiusque data à Deo sint: ast ad naturæ proportionis perfectionem, & congruitatem data illis à Deo fuisse, & Theologica ratio, & Patrum, præcipue Dionysij, sententia suadet: qui ex summa præ Angelis reliquis donorum Dei excellentia Lucifero collata ipsum in essentiali, ac entitatiua natiua perfectione reliquis, etiam supremi sui ordinis, perfectione præcellere docent id quod à simili de donorum Dei inter homines facta ab ipso distributione non segniter probatur; ea siquidem *vnicuique secundum propriam virtutem*: id est natiuam perfectionem, facultatem, seu capacitatem naturalem facta in parabola talentorum dicitur Matth. 25. vnde & idem in Angelis contigisse dicendum est. Hinc autem infertur longe maiorem gratiæ, & donorum cumulum Angelis superioris ordinis, quam inferioris fuisse à Deo impertitum, summumque Angelis ordinis supremi: siquidem perfectioris & perfectioris vsque ad eorum summa naturæ Angelis superior, & summus tandem ordo compositus est. Inde fit: cumulum gratiæ, & donorum toti supremæ Hierarchiæ Angelorum collatorum multo fuisse maiorem, quam collatorum toti infimo; imò, & ei vicino ordini, quod si tota collectio gratiæ &c. collatæ Octauo, Septimo, & Sexto ordinibus, vel tota, vel fere tota accedat longissime erit maior collectio hæc gratiæ collectione gratiæ reliquis inferiorum ex quinto ordinum Angeliis donatæ: idque ita erit, tametsi quemque ex nouem ordinibus æquo Angelorum numero constare dicamus: ne dum, si cum Sancto Thoma quo superior, & superior Angelorum Hierarchia est ampliori valde eorum numero constare admittatur: quare tota fere collectio gratiæ &c. Supremo, & proximis tribus, vt minimum, ordinibus, primo donatæ seruata est; nec lapsu Angelorum periit: scilicet & sua intentione, & Angelorum in ea persistentium à Deo gratiæ &c. quintæ, & ex inferiorum Hierachicarum collectione maior.

5. Hoc autem supposito (& statim, quoad id, quod exploratum hactenus Patribus, & Theologis non est, satis superque probando) subsumo antecedens aliud. Atqui collectio gratiæ, & donorum omnium hominum prædestinatorum non excedit cumulum gratiæ &c. Angelorum lapsorum ex inferioribus Hierarchiis & intentione, & numero eorum longissime minoris, quam collectio gratiæ Angelorum in ea persistentium, numero etiam & intensione maioris longè: ergo cumulus gratiæ, & gloriæ Angelorum longissimè maior est collectione gratiæ, & gloriæ prædestinatorum omnium; subsumptum antecedens ex doctrina scripturæ, Patrum, & Theologorum notata numer. 3. fine est perspicuum; si enim hominum prædestinatio tota ad reparandas lapsorum Angelorum sedes fuit, ac proinde horum numerum suffectorum in eorum sedes prædestinatorum numerus nequit excedere: neque cuiusque ex his gratia gratiæ lapsi, cuius loco succedat, excedere poterit: ac proinde nec omnium prædestinatorum gratia, & gloria coniunctim collectioni gratiæ, & gloriæ à lapsis habendæ ni laberentur. Patet: quia, cum sedium gloriæ amplitudo pro amplitudine gratiæ, & gloriæ maiore, vel minore Beatorum amplior fit, vel strictior, eum, qui ex prædestinatis succeßurus est Satanæ, huic præparata sedes non capiet: quare neque in huius sedem succedet, sed propriam sibi à Deo paratam occupabit, si ampliori gratia decedat. Ratione hac omnia, quæ docte pro maiore gratia hominum, quam Angelorum doctis, & subtilibus decem discursibus præstitit Ruiz ex gratia hominibus, tam opere operato per Sacramenta, quam ex opere operantis per actus eximiæ charitatis, & fortitudinis atrocissimi Martyrij &c. parta manent disiecta: siquidem eis omnibus nemo ad maiorem gratiam crescere potest, quam lapsi essent Angeli in cuius locum succedet: id quod diuinam erga eos in prima sui creatione munificentiam probat; discursum vero hunc confirmat potius, quam infirmet, quod si eam non solum esse illam in qua conditus à Deo est; sed etiam, quam obedientia obsequio, ac reuerentia Deo debitis adquireret in via: id ipsum de Angelis in gratia &c. perstantibus de facto (& forte maius) gratiæ conditionis suæ additum considera, & statim miteſcet instantia, & conticeſces.

6. Illud solum, quod à Deo exploratum in Patrum, & Theologorum doctrina non apparet, suppoſuimusque numer. 4. probandum restat, vt totus hic noſter

discursus concludat, nempe ex superioribus quatuor Hierarchiis Angelorum lapsos fuisse per paucos, fereque omnes lapsos ex infima, & vicinarum esse. Verum ex hac ipsa doctrina eorundem adiuncto quod notabamus n. 3. probatur facile: etenim prædestinati omnes in id sunt, vt in lapsorum Angelorum sedes succedant, æqua nimirum gratia, & gloria, ei quam habebant, & haberent ni laberentur: ergo Angeli, quibus prædestinati succedunt eius Hierarchiæ censendi, vt plurimum, Theologicè sunt, cuius esse arguit gratia prædestinatorum lapsis Angelis vt plurimum succedentium. Probatur consequentia ex dictis num. 4. init. siquidem ex maiori gratia, & donis à Deo Angelis in prima sui conditione collatis natiua eorum perfectio, vel maior, vel minor iuxta quam Hierarchicus ordo in inferiores & superiores dispositus proportionaliter est, dignoscitur: quare si prædestinati, vt plurimum sint remissæ gratiæ, & gloriæ, recte ex doctrina Patrum, & Theologorum lapsos Angelos è infima & vicinis Hierarchiis fuisse probabuntur, ac per paucos ex suprema, & ipsi vicinioribus Hierarchiis: eius autem conditionis vt plurimum esse homines prædestinatos constat ex dictis num. 3. sub init. etenim experimur prædestinatorum numerum è perditis anteà, & peccatoribus maiori longe ex parte per finalem pœnitentiam, quæ necessariam gratiam ad delenda læthalia pertingat, parumve necessariæ excedat conflari: pauculos quæ integræ sanctitatis, & virtutis studiosos ardenter saltem, in Christiana etiam republica, videmus: succedat naturalis politica apud rationales omnes ratio, qua videmus æque ferè magnos, & potentes, rebelli in Regem principes, præ sui solum æstimatione, obsequi, eiusque obedientiæ subdi ægerrimè velle: cum digniori, & potentiori subiici gloriosum sit; indigniori autem subdi, vt Lucifer de aliis Angelis ambiebat, infame, & inglorium: nec nisi minoribus longe dignitate scientia, ac reliquis dotibus suadendum. Addam tamen discursu hoc euinci plane vnum saltem hominem collectionis præfatæ, qui gratia, sanctitate, & gloria ac subinde in dilectione appretiatiua cunctis Angelis, non quidem coniunctim, & copulatiue, sed distributiue, & singulatim sumptis præcederet. Siquidem id sedem gratiamque, & gloriam Luciferi, qui omnibus Angelis etiam Hierarchiæ supremæ donis congenitis anteibat, anteireteque in gloria, ni superbisset, prædestinatus eodem argumento conuincitur: ecquis autem fortunatissimus hic sit, prorsus ignoratur. Alij dicent Ioannem Baptistam: alij Euangelistam: alij Eliam, aut vnum ex Prophetis, aut Apostolis: aut Beatum Iosephum.

7. Dico secundo amore Dei non appretiatiuo de quo hactenus, sed pure affectiuo plus Deum amasse hominum, quam Angelorum collectionem in hac conclusione, quem sequar, Scholasticum Doctorem non video; sed nec video, cui contradicam, omnes enim vt vidimus de amore Dei appretiatiuo præsentem quæstionem versarunt. Probatur primo discursibus factis certam. 3. pro maiore Dei amore erga iustum pœnitentem, quam æque, imò & magis iustum innocentem: & in primis argumentum illud ex parabola centum ouium, ex quibus quæsita solum vna perdita fuit, quæ à grege decesserat, nonaginta nouem in deserto relictis, de quæsito, reparatoque præ Angelis homine ad literam, & Christi Domini mentem intelligunt Patrum plerique. Ne vero hominum comparationem cum non reparatis Angelis lapsis factam, non cum bonis, & Beatis cum aliquod ex antiquis credas; conclusionem aduerte, & occasionem apud Lucam cap. 15. Hæc enim fuit murmuratio Scribarum, & Pharisæorum Domino detrahentium quod publicanos, & peccatores benignius admitteret familiari vsque eorum mensis & conuiuiis oblatis vtens ageret, quam cum ipsis, qui se, & reputabant, & iactabant iustiores: eorum vero, quam alias sæpe reiecerat sanctitatem, & innocentiam permittens, argumento ex eis parabolis petito eorum detractioni obuius satisfecit; cui vtique non satisfaceret, si comparatio cum perditis aliis, ac non recuperatis ouibus pluribus esset, nec solum cum seruatis, & retentis; alioqui inepta argumenta, ac non è consuetis apud omnes affectibus, sed de insolitis, & raro contingenti ne dicam absolute impossibili, gaudio maiori ouis vnius inuentione cum nonaginta nouem perditione, & iactura concluso autem fuit. *Dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta iustis, qui non indigent pœnitentia*: lapsine Angeli iusti sunt, & pœnitentia non egerunt, vt cum illis comparatio gaudij maioris Dei de recuperato homine esse possit, de quorum iustitia nequit gaudere? quare quicumque parabolæ argumentum, & mentem Christi ad gaudium maius de recuperato homine perdito, quam illud sit, quo de Angelis habet intelligi volunt, de gaudio respectu lapsorum interpretari hunc textum legitime nequeunt; sed respectu Beatorum: vt argumento hoc primo pro secunda hac nostra conclusione contendimus.

8. Probatur secundo argumento pro maiore Dei erga pœnitentem, quam innocentem iustum instructo satis fuse à nobis certam. 3. numer. 9. vt hic iterum illud efformare opus non sit: solum expendendum ad maius eius pro præsente conclusione robur est, quod certam. hoc 4. numer. 3. obseruaui. Nempe maiori ex parte, ac fere omni, prædestinatorum numerum è finali iustitia & pœnitentia hominum antea perditorum, & plerumque peccatorum immanium, in quibus tot, tantaque fuere voluntatem Dei ab eorum amore retardantia præpedicula, imò ad ipsorum odium concipiendum incitamenta, non nisi vehementi Dei ad eos iustificandos saluandosque amore superanda, esse. Probatur tertio, & confirmatur ratio præcedens, ex doni præcipui reliquorum in prædestinatos homines originis & causæ proximioris, nempe Incarnationis magnitudine, quo nobis nostræque naturæ filium suum dedit: cuius doni magnitudo affectiuam erga homines præ Angelis amoris Dei magnitudinem mirificè extollit: præsertim cum ergà eum sibi infensos conceptus à Deo tanti boni conferendi amor sit. Hoc argumentum emphasi breuique, sed maiestate plena ponderatione dedit Paulus verbis illis. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, etsi enim apprehensionis nomine reparationem hominum præ Angelis intelligant, litteræ, quæ tota de apprehensione naturæ humanæ præ Angelica est, minus attendunt nec de Angelica in prauis Angelis, respectu quorum tantum reparatoria, seu redemptoria apprehensio esse posset, tametsi ex fine reparandi homines, & eam factam, & opportune, ac conuenienter factam carnique, & sanguini redimendorum participare fratrémque eorum fieri redemptorem expedisse multis ibidem Paulus ostendat, summamque hominum è Christi professa nobiscum fraternitate dignitatem commendet: vnde non oratoria elocutione solum sed rigida Theologia plenum illud Leonis magni serm. 1. de Natiuit. Domini. *Agnosce ô homo dignitatem tuam & diuinæ consors factus naturæ: &c.* Hic autem nusquam dignitatem hanc naturæ humanæ ex eius à Deo per vnionem hypostaticam verbi adiunctam, vti obiectiuam rationem amplius amandi appretiatiue hominem, quam Angelum assumimus; id enim esset Christum eiusque dignitatem in tota hominum collectione includere, quem tamen ad amorem appretiationis initio excluximus; sed, vt affectiui amoris Dei (de quo secunda hæc conclusio) effectum, & indicium. Quarto demum probatur conclusio ex dictis cert. 2. n. 8. etenim ea, quæ ex affectiua alicuius electione vt media ad intentum ab ipso finem amentur, minus certe eo amore affectiuo amantur ab ita amante, quam finis: atqui Angeli omnes boni ex affectiua Dei electione amantur, vt media ad salutem hominum. ergo eo amore minus, quam prædestinati homines, amantur. Maior probata est citato loco. Minor expressa est à Paulo ad Hebræos 1. sine: *Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*: vide Ambros. 2. in Luc. cap. 2. *Non solum Episcopus ad tuendum gregem Dominus ordinauit, sed etiam Angelos destinauit.* Demum ex cura, & studio, atque adeò extraordinaria prouidentia, qua de hominis remedio, eiusque ad salutem ipsi prouidit, vehemens eius amor erga homines, prædestinatos præsertim, nobis innotescit cum tamen erga Angelos bonos nobis necdum ad similem erga illos habiturus esset, si ipsi laberentur, innotuit: imò verò oppositum lapsorum adeò neglectorum exemplo probabilius discurritur.

9. Addi inde & ex dictis à nobis contr. de Incarnat. posset. Non solum amorem Dei erga totam hominum collectionem, verum etiam erga prædestinatum quéuis, quam erga totam Angelorum bonorum collectionem, esse affectiue loquendo maiorem: constat enim ex Chrysostomo ibi recitato adeò ardenter quemuis nec solum totam prædestinatorum collectionem decreto Incarnationis fuisse à Deo adamatum, vt non solum pro eius morte ex læthali peccato destruenda restituendoque ad spiritualem gratiæ vitam homine & pro eius salute per veniale imminuta ad integritatem recuperanda ex vi præsentis decreti & amoris erga hominem verbi Incarnationem peragendam esse, & Christum Dominum venturum. Quod postremis hisce probationibus opponi posse videtur cert. 5. vbi de amoris Dei affectiui erga Christi, ac Deiparæ humanitatem magnitudine respectu amoris, quem erga homines reliquos habet, agamus, opportunius proponentur, ac difficientur.

CERTAMEN V.

De magnitudine amoris Dei de facto erga homines aliquot relate ad alios homines, vel reliquos.

1. PRima de amoris Dei erga hominem aliquem relate ad alios magnitudine difficultas de primo ac præcipuo homine ac Deo simul Christo occurrit. An scilicet quam homines reliqui prædestinati, ac tota Ecclesia hominum, imò & Angelorum plus ametur; similisque de eius matre MARIA quæstio secundo instituitur. Tertiò vero de aliquot sanctis in ordine ad Dei amorem eiusque magnitudinem comparatis, & quoad Christum Dominum, vt Deum, quæstioni apud Catholicos imò sanæ mentis homines, qui Christum Deum simul, & hominẽ esse credunt, de amore appretiationis, quique bonitati, & valori, siue, vt sic loquar obiectiuo rei amatæ pretio, respondeat, dubium esse non potest: cum, qua Deus, toto Dei amore in se ipsum necessario ametur, quin ei, non solum ad amoris sui physicum totum, verum neque ad intentionalem affectus maioritatem, vel minoritatem (de qua solum erga obiecta Deo non identificata de amoris diuini magnitudine potest inquiri) vlla Deo adsit libertas; sed sui amoris, & voluntatis impotentia potentissima, toto affectu in sua intrinseca omnia feratur, ruat, vel potius aduolet, & conscendat: quare tota difficultas est de magnitudine amoris, quo se Deus qua hominem (subsistentiue dicto homine, atque humanitate in recto dicta, verbi illam sustentantis persona in obliquo solum dicta, & connotata) siue humanitatem vnione verbi ornatam, eiusque sanctitate, seu Deitate ac vnguenti subsistentiæ tota (vt Patres loquuntur) delibutam amat: qua in re non scholasticos modo, verum & Patres sententiis dissidere aliquis putet: quia nulla amoris diuini diuisione præmissa, quisque vnam amoris speciem attendens maiorem, eiusque magnitudinem considerans, aliis, qui aliam solam attendebant aduersa videntur sensisse, & docuisse contraria, cum nemo alteri aduersetur, nec possit me iudice aduersari: ideirco, vt omnium appareat concordia, & quid rei, & veritatis in hac difficultate tenendum clarius appareat, magnitudinem intentionalem amoris diuini, ipsumque amorem in appretiatium siue appretiationis, quem dicunt, & in pure affectium, siue pure affectionis diuidimus primus talis dicitur, atque est, quia solam obiecti bonitatem, siue amabilitatem quo in ipsum amorem concilliat, estque æstimabilitas atque obiectiuus valor, & premium quod voluntati offert, vt obiectum prosequatur ipsique à voluntate (vt sic viuidius rem explicem) affectum & amorem emit; pure vero affectiuus, seu affectionis pure amor, vitroneus quidem, ac non emptus ab obiecto eius bonitate, & pretio & valore obiectiuo est, sed ex indulgentia amantis eiusque libertate ad magis, vel minus amandum, sicuti & ad amandum, vel non amandum, oriundus: vt de magnitudine amoris Dei erga pœnitentem, & innocentem iustum cert. 3. dicebamus; ac inde rursus cert. 4.

2. Dico igitur primo: Amore appretiationis plus Christum, qua hominem, siue eius humanitatem, quã Ecclesiam totam diligit Deus probatur: quia appretiationis tantus amor est in Deo, quanta est bonitas, sanctitas, æstimabilitas, valorque & pretium obiecti: atqui sanctitas, valorque, & pretium obiectiuum Christi, qua hominis, siue humanitatis per vnionem hypostaticam ad Deum, est infinitum, & substantiale, Deitasque ipsa, & filiatio diuina omnemque accidentalem sanctitatem hominum, & Angelorum immensum excedens: ergo amor appretiatiuus Christi, qua hominis, siue humanitatis vitæ hypostaticè in Deo infinite maior est amore, quo totam collectionem hominum, & Angelorum amat. Hæc à priori demonstratio alias, vel continet, vel parit: nempe maioris boni, quod Christi humanitate Deus dedit, quod maioris amoris efficassissimum à priori etiam maioris amoris est, & summi erga humanitatem, cum non possit esse maius donum, quod creaturæ donetur. Hoc vsus videtur Paulus ad Hebr. 1. *Tanto*, inquit, *melior Angelis effectus* (*qui modico*; vt dixerat, *quam Angeli minoratus est* qua homo) *quanto differentius præ illis nomen*, & rem, *hæreditauit*, à Deo accepit: *cui enim dixit, aliquando Angelorum filius meus es tu: ego hodiè genui te:* & illa etiam ratio quam idem Paulus attigit ad Hebr. 2. *decebat enim eum, propter quem omnia* meritiuè, qua hominem, *& per quem omnia* affectiue, qua Deum, &c. *per passionem consummare*: sine qua nec consummata merita forent: ad Colos. 1. *quoniam in ipso condita sunt vniuersa: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*: nempe diuinitatis corporaliter vt c. 2. ait addens: *& estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis*: quod repetit ad Ephes. 1. fine concludens: *& ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*: quibus locis tertium aliud etiam argumentum continetur ex præcontinentia necessaria effectuum omnium in causa, siue physicè, siue moraliter, condignè tamen, in illos influente, in Christo Domino qua homine siue eius humanitate quæ omnium gratiarum Ecclesiæ meritoria de condigno imo eminentialis, & redundans causa est plus longe sanctitatis, amabilitatis, pretiique obiectiui ad sui amorem Deo eiusque voluntati offerre, legitime intulit. Simplex hoc medium, & argumentum ex ratione principij influxiui sola Paulus eis locis attigit, non autem coniunctum, ex ratione etiam alia causæ finalis quam contineri putat Ruiz ob particulam illam recitati textus ex 2. ad Hebr. *propter quem omnia* quasi *propter* solam motionem finalem, ac non etiam meritiuam apud nos, & scripturam frequenter significet.

3. Alia etiam inde Theologica ratio à posteriori suboritur. Nempe ex necessitate Incarnationis ad peccati nostri reparationem de condigno à Theologis, & Patribus constanter asserta: ex qua recte infertur ex cumulo gratiæ, ac subinde gloriæ omnium hominum, & Angelorum tantam dignitatem eius collectionis, vel vnius per quæ ex illa, si in eam totus ille cumulus confluereret non fore, vt condignum eius operibus pretium meritiuum satisfactiuumve, nedum superabundans, pro peccato nostro læthali offerretur: quare in Christo cuius opera non condigni, sed superefluentis etiam valoris, ad condignam à nostro peccato læthali reparationem, & satisfactionem extitere) maior longe dignitas sanctitas, amabilitas valorque & pretium obiectiuum amoris diuini, quam in toto cumulo gratiæ, & gloriæ Ecclesiæ ex omnibus Angelis, & hominibus conflatæ à posteriori demonstratur: & quanquam eam necessitarem physicam Incarnationis, vti à Recentioribus Theologis vulgo asseritur, non admittam, minimeque à Patribus assertam ostendi controu. de Incarnationis necessitate, quia hinc pro vno quidem læthali creaturæ, quantauis gratia ornatæ, imò tot creaturarum rationalium collectioni (non solum quæ de facto est, sed quæ esse absolute potest) potentiam condigne mẽrendi eius remissionem, aut satisfaciendi negant, quod abnuo; tamen, cum necessitatem Incarnationis moralem ad satisfaciendum pro tot, quot sunt, hominum læthalibus innumeris defendam: & hoc argumentum in ea nostra sententia locũ habet: quoad Patrum

pro hac conclusione testimonia, tot extant obuia, vt nullum pro ea referre opus sit: videantur August. tr. 110. in Ioannem ad id Ioann. 17. *& dilexisti eos, sicut & tu me dilexisti*, & sub tract. finem Cyrill. 11. in Ioann. cap. 27. ad eadem Ioannis verba: & cap. 28. sub init. Anselm. 2. Cur Deus homo? cap. 14. toto, maximè post med. argumento hoc postremo rem demonstrans, ex Theologis passim omnes conclusionem, vt de se notissimam supponunt, expressius aliis. Alex. 1. p. quæstion. 32. m. 1. post med. S. Bonauent. in 3. d. 32. art. vn. quæstion. 5. Richardus a. 2. quæst. 4. Carthusianus q. vn. col. 3. S. Th. quæst. vn. fine & 1. p. q. 20. art. 4. ad 1. idémque docet Magister d. 32. cap. 1. fine, Ruiz citata d. 53. sect. 5. Nec video quidquam (de amore appretiationis loquendo, vt loquimur) conclusioni huic, siue ab auctoritate, siue à ratione obiici posse. Nam Bernardus, qui aduersum quid sonat, etsi qui alij Patres, de appretiationis amore non loquantur: solum addo ne conclusiones multiplicem rationesque repetam similemque conclusionem de amoris appretiatiui Dei erga Deiparam magnitudine relate ad totam reliquorum hominum & Angelorum collectionem esse tenendam ob rationem primam, proportione seruata: quia eius gratia, & gloria cumulo gratiæ, & gloriæ omnium coniunctim hominum, & Angelorum grandior, etsi intra finitatem est: secunda ratio id ipsum seruata proportione probat.

4. Dico secundo amore pure affectiuo, plus Deus Ecclesiam hominum & Angelorum quam Christum quà hominem, si eius humanitatem vnione hypostatica sanctissimam & naturalem, tametsi denominatione intrinseca, filiam adamauit: est expressa Saluiani conclusio lib. 4. de gubernat. Dei sub med. vbi ex Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: & ad Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* concludit, quod longiori, subtiliorique discursu contenderat. *Euidens res est, quod supra affectum filiorum nos Deus diligit, qui proprio: &c. & quid plus (addo) & hoc filio iusto, & hoc filio vnigenito, & hoc filio Deo, & quid dici amplius potest? & hoc pro nobis, pro malis, pro impiissimis, pro iniquis.* Bern. item serm. de Magd. longe à medio. *Duo corpora habet Christus vnum, quod suscepit ex virgine, alterum Ecclesia, quod charius habet benignitas redimentis. Denique illud pro isto morti exposuit, & tormentis morte turpissima condemnatus*: serm. 57. ex paruis fine: *quæ vtique membra, nisi plus illo crucifixo corpore Christus diligeret, pro his illud crucifigendum non tradidisset.* Ne vero dicas: hæc de humanæ Christi voluntatis, non autem diuinæ dicta: memento summæ concordiæ humanæ Christi voluntatis cum diuina: in opere autem, & fine, & amore salutis hominum imprimis qua de re literale est illud Psalm. 39. *in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Aliud testimonium ex Bernardo pro hac conclusione ex serm. 12. in cantica circa finem extra rem citatur.

5. Plura item Theologica argumenta, pro hac etiam conclusione sibi obiecit Ruiz supra sect. 6. quæ ita diluit sect. 7. vt ostendat soli amori appretiationis attentum se, nec amoris pure affectiui siue affectionis memorem esse: vel potius nunquam id amoris genus in eius mentem venisse: etenim satis illud Saluianus expressit, vt diu etiam excisum, in memoriam reuocaretur: imò & denuo percipererur: idcirco vetus, atque ex sapientissimis Patrem excessisse ait, discursum eius plane non assecutus, atque satisfaciendo impar: Sed nec Bernardi argumentum (quod idem ipsum Saluiani est) penetrauit. Neque illud sicuti, nec reliqua, quæ principio eodem ducta similem emphasim habent, & energiam: illis enim omnibus communi solutione singulis applicita respondet: redemptionem humani generis eiusque nude sumptam salutem inferioris ordinis, quam vita humanitatis Christi vnita hypostaticè pro ea, etiam triduo tantum, ponenda: quare esse argumenta insolubilia: consideratam vero humani generis salutem, vt coniunctam cum tot, tantisque bonis supernaturalis ordinis, atque eleuata, quibusque ornata ob Christi mortem, & redemptionem fuit, vita humanitatis Christi triduo solo deponenda, ac postea vnionis perpetuitate gloria corporis, ac vita immortali, exaltatione nominis recuperanda esse pretiosiorem. Verum solutio hæc, vt aliæ, quæ rerum coacernatione constant, nihil nisi apud eos, qui vim difficultatis satis non callent, præstat. Segrega enim salutem reliquorum hominum omnibus supernaturalibus donis ornatam, quin Christi humanitatem post resurrectionem hypostaticè vnitam includas vt comparatiuæ difficultati præsenti de amoris Dei erga illam respectu amoris erga reliquorum hominum collectionem esse possit (vt tu ipse iure supponis) inueniesque maioris infinite bonitatis, & amabilitatis amore appretiationis esse humanitatem Christi, quam cumulum totum illum gratiæ eius, supernaturalium donorum redemptorum, & Beatorum, neque enim ex duratione vnionis, & vitæ humanitatis Christi, sed ex doni, & sanctitatis ipsi per illud communicatæ amabilitatis eius magnitudo, & excessus comparatione amabilitatis totius collectionis reliquorum hominum, & Angelorum Beatorum desumitur: & cum eis ita, vt de facto ex redemptione, & reparatione per Christum, & eius mortem, sunt ornatis, sit quoad eorum amabilitatem, & amoris Dei magnitudinem comparatio: elige ergo, vel in eis collectim sumptis ità ornatis, vt de facto sunt, maior est amabilitas, quam in humanitate Christi ob hypostaticam vnionem vel secus? Si primum: ergo tota collectio Beatorum, ita ornatorum magis amabilis, & amata à Deo est amore appretiationis, quam humanitas Christi hypostatice etiam vnita, id autem & contra te, & contra Theologos & Patres rationemque Theologicam certam, & irrefragabilem est, sin autem non est magis amabilis, & amata est cunctis donis ornata hominum redemptorum, & saluandorum, imò & Angelorum collectio humanitate Christi hypostaticè vnita: ergo frustra, vt difficultati ortæ ex eo, quod maius, & maximum humanitatis vnitæ bonum ad minoris adeò boni consecutionem, nempe reparationis salutis nostræ, Deus, & amore suo ordinet, ac impendat, in hominum redemptorum salute, vt de facto obtenta est bonitatem, & obiectiuam æstimabilitatem, quam in vnita hypostatice humanitate maiorem, quæ nusquam esse nec inueniri potest, vestigas. Aliò igitur, quo, Saluiani, & Bernardi testimonia nos dilucide, & conclusio præsens ducunt, erit eundum, vt tantæ difficultati occurratur.

6. Ne vero æstimet Ruiz censura illa excessas solum Saluianum protriuisse, & quamuis dissimulauerit, Bernard. sciat, & Ecclesiam in eadem damnatione (si æqua foret) futuram: quæ de beneficio nostræ redemptionis, magnitudine & excessu amoris erga nos diuini agens, inde vtique, Deum alloquens, probat, *vt seruum redimeres filium tradidisti*: sciat eam etiam censuram Paulo ad Rom. iniuriam esse, ita enim ait: *commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*: quibus charitatis Dei in nobis commendationem, & excessus ostensionem eo exhibitam quod ex nostræ redemptionis amore, præsertim cum ipsi adeò essemus iniquitatibus nostris infensi, tantæ æstimabilitatis, & pretij rem, nempè filij vnigeniti sui vitam, profuderit; si autem vt maius aliquod bonum consequendum, & vellet, & efficeret, nil amplius, quam quotidie, & velle homines, & peragere videmus, ostendisset; cum tamen, & magnificè, neque in hominum, non facta solum, verum mentes venturum diuinæ erga nos charitatis, Deique solius dignæ miraculum, & amoris alias incredibilem excessum ostendere velit: vt verbis patet, & videbimus cum difficultatem quæ Apostolum ibi non latuit dissoluamus. Rationes Theologicæ pro hac conclusiune datæ in simili sunt, prima de maiore Dei dilectione erga pœnitentem, quam erga innocentem iustum ob maiora impedimenta non, nisi maiore amore superanda. Secunda ex sæpe dictis de maiore amore erga finem quod magis amari, etiam *vt quod*, quam media ex proloquio Arist. 1. poster. t. 3. à tota Philosophia, & Theologia recepto: Deum vero propter nos, & propter nostram salutem, vt finem, tanquam medium & incarnatum esse, atque qua hominem passum, crucifixum, & mortuum ex Catholico Ecclesiæ dogmate constat verbis illis symboli: *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælo.* Tertia à priori etiam, quia amoris pure affectiui: erga obiecta magnitudo, & ordinabilitas, non desumitur necessario ex magnitudine æstimabilitatis obiectorum,

sea

seu eorum valore,& pretio obiectiuo ad sui amorem voluntati oblato, sed ex mero arbitrio, & libertate amantis: tum, quoad substantiam, tum quoad intensionem, & vehementiam amoris, tum etiam, quoad obiectorum ordinationem: cum autem creatum quodvis obiectum, cuiuscunque bonitatis sit, amandum, tam quoad substantiam, quam quoad intensionem affectus liberè à Deo sit: tum etiam ad ordinandam humanitatem Christi, etiam Hypostaticè vnitam, vt medium ad finem, magis propterea etiam vt *quod* amatum: idque factum fides docet: magis salutem nostram affectionis pure, ac pure affectiuo amore à Deo diligi, quam Christi humanitatem concluditur; quin inde magis appretiatiuè amari (quod nullo sensu, viave Theologica non esse absurdum potest) inferatur.

7. Inquies tamen amor Dei, etiam in affectiua prælatione vnius obiecti præ alio debet esse cordata, & prudens, atqui imprudentissimum, summaque, vel ignorantia, vel amentia plenum est, rem vilissimam, & indignissimam, magis quam pretiosissimam, & dignissimam amare, hancque in illius pretium velle ordinare, impendere, ac perdere, vt illam acquiras, ac possideas: ergo vel fatendum est æstimabiliorem de se esse, & amabiliorem hominum salutem, quam humanitatem Christi, quæ pro illa impensa à Deo est, vt obtineretur, magisq; appretiatiuè amatam (quod est absurdissimum) vel non esse adhuc affectiuè illam magis amatam à Deo, quàm humanitatem Christi. Hæc res humanam rationem, & prudentiam solum attendentes summa est, & ob quam Cruels, & Redemptionis Christi mysterium, *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Paulus appellat 1. Corint. 1. quod satis esset vt serio à Doctoribus Catholicis non opponeretur, sed solum, vt satisfaciendi infidelibus ostenderetur ratio, ac dilucidius complanaretur, sed nec loco ex quo super secundam conclusionem probauimus difficultatem dissimulauit: ait enim ad Rom. 5. num. 6. *vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est? vix enim pro iusto aliquis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?* Respondet autem illico: *commendat autem charitatem suam Deus in nobis.* Ac si diceret: Re integra, nec præconcepta à Deo erga homines, etiam perditos, charitate vehementi ardentissima, atq; intensissima (quam eo facto moriendi pro impiorum sibi infensissimorum salute in nobis ostendit, & commendat) sed attenta solum obiectorum amabilitate stultum quid foret filium pro seruis impiis mori: cogita vero charitatis affectum, quem Deus, etiam erga immeritos, imò etiam erga pessime meritos, impios, sua libertate, bonitateque (quæ si vinci insuperabiliter à malo deberet, Deo digna minimè foret) præconcepit, nec à Deo rem valdè pretiosiorem eorum saluti impendisse mireberis: cogita Paternum, & Paterno ampliorem, affectum, quo pretiosissima quæque, à creatis etiam Patribus, filiorum, non vitæ solum perditæ recuperandæ, mortisve imminentis vitandæ, sed & leuioris valde momenti commodis lucrandis impenduntur, & quicquid in rebus pretiosioribus valoris intrinseci est dum filij commodis inseruiunt, æquatur & exceditur: idque, non adeò contra rationem naturalem, vt non sit penè à natura ipsa Patribus insitum inuenies, quod Paterno affectu seruato, irrationale prorsus esset: vt difficultatis ratio probat, quæ de solis obiectis secundum se spectatis concinit.

8. Solutionem hanc continet emphastica illa ratio Pauli, quam, & Patres mystici, & Anagogici; Ecclesiaque ab ipso didicerunt: cæterisque elegantius ita Saluianus sub inferius explicuit: *quantum ad rationem humanam pertinet iniustam rem quilibet faceret si pro pessimis seruis filium occidisset, vtique hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc mirabilis magis virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo iustitiæ suæ non potest: vt quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, pene iniustitiæ speciem magnitudo iustitiæ habere videatur*: quibus verbis, & aliud altissimæ Theologiæ motiuum affectus, plusquam Paterni erga nos diuini, tametsi secundarium adiunxit: quo, & iustitiæ diuinæ magnitudo ab impote penè Dei erga nos misericordiæ, & charitatis affectu, hoc facto visa est superari, Deusque ad iniustitiam deflectere: cum enim naturalis Dei filius (etsi communicatione ac non naturæ Paternæ identitate) qua homo etiam, siue secundum humanitatem Christus Dominus erat: nos autem serui per peccatum, non Dei solum, etsi pessimi & nequam, sed vilissimorum etiam dominorum, Diaboli nimirum, & peccati: atqui ius naturale ad maiorem Paternum affectum, habet filius etiam per communicationem, quam seruus, nequam & vilissimus: ergo quin huius iuri derogetur, nequit Paterno adhuc affectu, ex parte Dei amari magis homo, quam humanitas Christi: neque huius vita in hominis salutem impendi, & hanc instantiam Pauli solutione præoccupauimus: siquidem charitas ex parte sui, & Paternus vehemens affectus erga lapsum iam hominem, atque pessimum seruum, tunc conceptus fuit, cum nondum naturalis per communicationem personæ, & naturæ diuinæ humanitati Christi aderat, quæque ius illud ad maiorem Dei affectum Paternum haberet: siquidem ex Paterno illo affectu in nequam seruum decretus, & existens absolute primum fuit: contra ius autem possibile solum nulla alicui fieri iniuria poterit; alioqui mihi Reges, & Imperatores iniuriam in regnorum omnium mundi retentione faciunt: melius enim ius meum ad ea omnia possibile absolutè est: etsi de facto sit nullum. Saluianus aliam attigit solutionem ex secundario fine Incarnationis nempe satisfaciendi diuinæ iustitiæ, non solum vindicatiuæ, quoad pœnæ inflictionem, quam absque dolore, & pene inuito Deo, vt supra ostendimus, præconcepta in omnes homines charitas infligi non sinit; sed quoad Dei insensionem, seu offensam, quæ inflictis etiam pœnis non aboletur: cui nisi filij meritis, & satisfactione non fieret satis: quare ea iniustitiæ species, quæ in traditione filij pro seruis summa iustitiæ diuinæ magnitudo est, cui nisi Dei hominis operibus meritiuis, & satisfactoriis ad plenum pro culpæ pœna, & offensa aliter satisfieri non poterat; atque vt nihil de iure (vt sic loquar, quia de iustitia stricta Dei sermo ex instituto habendus controuersia 5.) suo non solum æquam Deus pro toto, sed superabundantem filij pro seruo satisfactionem præ suæ iustitiæ magnitudine arripuit.

9. Dico tertio amore pure affectiuo, siue puræ affectionis, plus Deus quemvis hominem, quam Christum, qua hominem adamauit. Ratio ex dictis hactenus adiuncta nostra doctrina controuersia 1. de Incarnatione d. de fine Incarnationis quæst. vlt de adæquato illius intrinsece fine, est perspicua: siquidem ita Deum propter omnium hominum salutem Incarnationem verbi, & passionem Christi decreuisse, vt ob cuiusque hominis salutem ea Deus decreuerit tanquam finem adæquatum intrinsecum; non autem adæquatum finem adæquatum intrinsecum; nam singulorum reliquorum salus finis etiam intrinsecè adæquatus fuit: quia pro omnibus, & singulis decreta Incarnatio in solidum, & Christi passio fuit: id videtur mihi Paulus docuisse. Neque enim sat illi fuit dicere ad Roman. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: id enim de adæquato fine intrinseco ex omnium coniunctim salute constato verum haberet, sed ad Galat. 2. addit, *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, vt ita pro omnium salute Incarnatum, mortuumque Christum ostenderet, vt pro ipso in solidum Paulo, & singulo quoque homine, incarnaretur, pateretur, & oppereter: tantumque beneficium, omnibus licet commune, magnitudine misericordiæ, & charitatis suæ cuique ex nobis totum fecit singulare. O non beneficium solum, sed prodigum sui præ mei amore, cui plus adhuc amoris, quam doni, etsi tanti, debeo, cum hoc quantum quantum: est nimiæ tuæ charitati erga me debeam! O me non stupidum, & irrationalem, sed, & effiontem peccatorem, qui à Deo beneficium ac mei amantem Dominum, non solum non amo, sed sperno: tantamque eius largitatem iniuriis, amorem odio rependo.

10. Reliquorum Beatorum in Deum amorem, sanctitatemque, & gloriam conferre (siue Angeli illi siue homines sint) ac subinde diuini amoris erga vnum præ alio excessum metiri Theologiæ rigidioris quam Oratoriæ artis discurrentis negotium non est: quare id examinare Dominis ac Patribus Concionatoribus re-

linquo, monens tamen, ne oratio hyperbolicis sententiis, discursibusque, & scripturæ, & bonæ Theologiæ repugnantibus excedat: vti excedere frequenter videmus, ipsique suo malo experiuntur excessisse. Pro excellentia quatuor solum sanctorum, quisnam aliis præcedat? cum aliquo in Euangelio fundamento dubium esse possit: nempe Apostolis Petro, & Ioanne Euangelista, Ioanne Baptista, & Iosepho ob textus & munera ipsorum inibi expressa: & de duobus primis disputat eruditione solita, solidisque quantum res patitur, fundamentis, & stat tandem pro Ioanne Ruiz noster ex Hieron. 1. cont. Iouinian. med. quia ob virginitatis prærogatiuam, maiorem quam cæteri Christi dilectionem fuerit consequutus, cuius sententiæ annuit Ecclesia in officio Ioannis dicens. *Inter cæteros magis dilectus, iterum priuilegio amoris præcipui cæteris altius, &c.* Rursus, *specialis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Cui sententiæ, & rationi Hieronymi proposita quæstione tractatu vltimo in Ioan. Augustinus post initium sub tractatus finem consentit: sententiam vero ipsam solidiori adhuc ratione probauerat ex illis Ioannis 21. *Discipulus ille quem diligebat Iesus*, sic scribens. *Voicunque se commemorat Ioannes, vt nomine suo tacito ipse posset intelligi, hoc addit: quod eum diligebat Iesus: quasi solum diligeret: vt hoc signo discerneretur à cæteris, quos vtique omnes diligebat: quid ergo, nisi amplius se dilectum, cum hoc diceret, volebat intelligi? quod, absit, vt mendaciter diceret:* cum autem dilectio Dei amori redamantis debeat respondere: Petrusque amplius, quam cæteri Apostoli Christum Dominum dilexisse ex scriptura videatur constare quæstio redditur Theologica difficillima: vt Augustinus ipse vers. med. his fatetur: *Meliorem, qui plus diligit Christum, feliciorem vero qui plus diligitur à Christo facile responderem, si iustitiam liberatoris nostri minus eum diligentis, quo plus diligitur, & eum plus, à quo minus diligitur què admodum defenderem, præuiderem:* Ego vero in re ardua pro maiore Dei erga Petrum dilectione sto: quia æstimo à Petro Dominum plus amatum, ita Alex. 1. p. q 32. m. 4. Gabriel in 3. d. 32. quæstione vnica, Sanctus Thomas lect. 5. circa medium in caput Ioann. 21. Nazianz. orat 9. ad Iulianum post medium. *Petrum Discipulorum omnium Christo charissimum*, dicens: ex tributi exæquatione probans. Cyrill. Alexand. 12. in Ioann. capite 64. maiorem Petri, quam cæterorum in Dominum charitatem fatetur: supponuntque, vt indubitatum Chrysost. homil. vlt. in Ioann. & alij Patres & Interpretes frequenter ad Textum Ioann. 21. subiiciendum; in quibus Maldonatus noster, cuius, vel sola, me authoritas frangeret; cum autem consequens maior erga eum, à quo plus amatur, Dei amor sit, vt Augustinus aiebat: Petrum plus Ioanne à Deo dilectum consequens erit: quod autem Petrus plus Ioanne Deum amauerit efficaciter suadetur ex Trina illa Christi interrogatione ad Petrum, eiusque responso, occasione, fine, & circumstantiis, quibus habitum colloquium illud fuit Ioan. 21. circumstantia Petrum solum, vbi primum Christum esse qui è littore eos alloquebatur nouit se in mare coniecisse, vt citius, etsi periculosius, quam cæteri nauigio, & laboriosius, laboris, præ charitatis feruore, & periculi immemor (vt Patres expendunt) ad dilectissimum Magistrum peruenirет: finis commendandi tunc (sine aliorum Discipulorum lucre, qui feruentiorem, ardentioremque seipsis in Christi amore præsente eius feruore recognoscebant) totum suum gregem, constituendique illum sui mox discessuri Vicarium, caputque Ecclesiæ visibile fide vtique, qua semper Petrus præcelluit, atque tanti muneris pollicitationem à Domino obtinuit, dum eius diuinitatem primus professus est verbis illis. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Matth. 16. Domini responso: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: & charitate in Deum pascendæ, & gubernandæ Ecclesiæ dote præcipua: idcirco ter Dominus de charitate Petrum interrogat: vt trina amoris sui feruentissimi, tunc facto ipso cæteris noto, confessione, & Domini approbatione, ex trina quondam Magistri eiusdem præterita negatione omnem de opposito apud cæteros ea in electione posthabendos suspicionem purgaret.

11. Colloquium autem à numero 15. fuit: *Simon Ioannæ, siue Ioannis diligis me plus his*: quibus de maiore, quam cæterorum erga Deum amore rogatus illico respondet *etiam Domine* id plane fassus, subdens tamen: *Tu scis Domine*: quibus, etsi modestiam edoctus ex trina negatione contra præsumptuosam sui amoris, Dei scientiæ, & vaticinio iactantiam aduersam, profiteatur, vt Patres plerique obseruant; non id solum agit, sed confessionis suæ testem advocat Dominum: vt docte Maldonatus obseruat. Neque incassum testem Dominum à Petro pro maiore suo amore vocatum recte probat: cum enim de ampliore amore, vt oues ei committeret, à Domino rogaretur, atque eius maioritatis testis Dominus ab ipso vocaretur, ac statim oues ipsi commiserit pascendas, illis verbis: *Pasce agnos meos*, facto ipso vocalis denuncia tionis officij, & commendationis gregis eo vsque suspensæ, confessioni amplioris amoris sui Petro contestatur. At inquit Ruiz charitatis excessum, dum charitas sufficiens, immò non vulgaris (quæ Apostolorum nemini poterat negari) adfit, non esse præcipuam Principis, & Gubernatoris dotem: quæ sane non semper sanctiori, & charitatis feruentioris viro donari debet, nec donatur, atque prudentiæ fortitudinis, cautionis, & prouidentiæ excellentia constitit. Cæterum solutio hæc ferè omnes Patres habet aduersos: qui idcirco amoris præcipui tam exactam discussionem huic designationi præmissam aiunt, vt eam Ecclesiastici Principis dotem præcipuam esse innotesceret: id quod, & verbis, quibus Petro gregem commisit Dominus Petrum tunc admonuit: *agnorum* scilicet nomine fideles omnes eosdem, quos ouium nomine post modum, Petro tunc commendans: & maiorem, teatioremque suum erga illos amorem significans, ac Petro in eorum gubernatione agnorum, quam ouium appellatione proponens: *quemadmodum* (Maldonatus inquit) *si Pater moriens, & liberos suos amico commendans, diceret: commendo tibi infantulos: vehementius, maiorique affectu commendaret, quam, si diceret commendo tibi filios meos*: immò Augustinus tract. 123. in Ioann. quorum nomine etiam ouium amori præcipuo Petri quasi dux præcipuæ fideles commendatos non solum docet verbis illis, *sit amoris officium pascere Dominicum gregem*: sed infra ita ex textu hoc rationem reddit: *Nam quid est aliud si diligis me: pasce oues meas? quam si dicerétur: si me diligis non te pascere cogita, sed oues meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in illis quære, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui perimuntur ad tempora periculosa, seipsos amantes, & cætera, quæ huic malorum initio connectuntur*: quibus malis maiori amoris Dei excessu magis occurritur, quo magis prauæ nostra concupiscentia eradicatur, & sane quo ardentior Dei charitas hæc sit, & de pascendis, & custodiendis eius ouibus prouidentia, & ad arcendos lupos maior procul dubio erit fortitudo. Respondet secundo Ruiz, comparationem, & prælationem illam amoris Petri non respectu omnium Discipulorum, sed eorum tantum, qui ibi aderant fuisse. Nonne verò in his aderat, & Ioannes? de comparatione solum cum hoc est disputatio. Tertiò denique solidius respondet: pro tunc solum ex hoc loco Petrum plus Ioanne, & diligentem, & dilectum à Deo euinci; non autem absolutè: siquidem postea Ioannes triginta duobus annis Petro superuixit, quibus à charitatis, & meritorum, & gratiæ amplioris, cum ex opere operato, tum ex opere operantis augmento non otiabatur, sed enixe insistebat: maxime ex comitiis filiali, etiam Petro superstite, cum Diuipara Christi obeuntis commendatione, & amicissima substitutione eius in tantæ matris filium. Horum autem meritorum per tot amplius annos, Ioannis multitudine, & valore etiam, crescit immensum ex gratiæ Ioannis in dies intensione maiore, eius quidem augmento condigno meritum crescere, vt certum supponit; verum solutio non præstat; nihilque tot discursibus contra nostram sententiam firmum affert.

12. Vt à clarioribus ordiar: cum colloquium, quo Petri amor Ioannis amori prælatus admittitur post Christi resurrectionem fuerit: Ioannis vero in Matris Filium facta ante Christi obitum fuisset: iam, & amor

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ille specialis Domini in Ioannem, ex quo substituitus in Mariæ Filium est ad suppurationem prælationis illius venit; nec tunc quidem ex illa magis Ioannem Petro iam amarissime & amantissime Magistri negationem flente à Domino amatum euincitur; sat enim magnus valde in Ioannem propinquum amor; ac de eius fidelitate fiducia, vt Matris solitudini in illo de filialibus officiis prouideret: cum Petrum, non iam Iudæorum timor, sed amica verecundia se motum haberet. Et tandem illud de meritorum, quæ gratia in dies in Ioanne maiore valde crescerent improbatum supponit, & nunquam nobis probandum, sed falsum nobis semper. Nempe è maiore operantis gratia habituali operis meritum crescere: quod adeo commune Recentioribus esse reor, quia profunditatem fundamenti pro opposita sua sententia adstruenda à nostro Vasquez iacti non penetrarunt: vt ostendimus controuersia de Incarnatione, & iterum controuersia de merito, quoad operum Ioann. numerum longiori adeo tempore maiorem: ad quorum excellentiam ex conuictu, & imitatione virginis promoueretur quamdiu Petrus vixit (nempe multis post virginis obitum, & Ioannis cum Deipara conuictum annis) Ioannis merita numero, aut excellentia Petri meritis præferri, absque fundamento censeo: etenim Petrus Paternitati Christi & dignitati capitis totius Ecclesiæ Christo successit: sicuti Ioannes substitutus est filiationi: nec ætimo capitis vnquam dignitatem, & operandi perfectionem assequi membrum vllum, nec Parentis Spiritualis a Deo publicè institui atque in id destinati Spiritualem Filium illum quippe in cæterorum membrorum, & filiorum exemplar posuit Deus: quem hi satis habent, si imitentur, nec virtutibus æquent: ac proinde adeò illi præ membris, & Filiis de copia & excellentia auxiliorum Deus de lege ordinaria prouidit, vt eius virtutes, vti exemplaria, & Prototypi transumptis reliquorum virtutibus precellant. Hinc bona Theologia Sanctos Religiosos Patriarchæ suo virtutibus, & sanctitate, quantumvis illi sanctitate vitæ, etiam diuturnioris sint, æquare non audeo: quare neque Sanctissimo nostro Patriarchæ Ignatio, prodigium illud Sanctitatis Franciscum Xauerium, nec Thomam Dominico: cogita ergo Ioannem, etiam in Filium Mariæ substitutum Petri capitis, & Patris membrum, & Spiritualem Filium, & tua omnia argumenta euanescent: cogita amoris illius erga Dominum in Petro constantiam, & ardorem perpetuo in profusas lachrymas, anxiumque fletum ad mortem vsque ob Domini negationem solutum: videbisque quantum ex lapsu spiritualis eius cursus profecerit, ac de peruerso, (vt in simili Tertullianus aiebat) pœnitentiæ artificiose sapientiam amoris eius flammis auxiliatam fuisse.

15. Demum, vt tua tibi solutione satisfaciam, vel tuo te argumento conuincam ea loca quibus pro maiore Domini erga Ioannem dilectione ex Euangelio certas, pro tunc solum, non autem absolute euincunt: cum fuerit, & maioris amoris Petri examen, & ob illum in Ecclesiæ visibile caput; & Patrem à Domino prælatio ex Euangelio ipso posterior; sed ne pro tunc conuincere iudico: semper enim video Petri amorem in Dominum feruentiorem viuidioremque eius facem, ac ducem fidem siue in cœna: cum discerpturus proditorem inquirit: siue in horto, dum gladiolo, & amore Domini tantum armatus, de reliquo inermis in armatorum hostium turmas solus inuehitur, percutit, furit, vix Domini iussu quiescens: siue, cum reliqui aufugiunt, & sindone hostibus relicta, vti sequutores occuparet, dilectus, diligensque (vt vulgo putatur) discipulus nudus profugit ab eis: fuga certe, quam amore diligentior, & quamvis iam comprehenso Domino cum cæteris Petrus aufugerit: fugit tamen postremus: nec ita de imminentibus comprehenso Domino malis insolicitus, & incurius, vt, etsi à longe Dominum illicò non sequeretur, vt anxius de eius salute, Ioanne comitante, videret finem: qua in re maiori se, quam Ioannes periculo exposuit. Hic enim notus Pontifici, eiusque familiæ erat, eorumque familiaritate secutus probauit) discipulatu Christi notior, quare & periculosior eius in domum Principis Sacerdotum ingressus, cum eius famuli studiosioris, paulo antea plurimis ex eadem familia adstantibus conseruis, auriculam gladio in Domini defensionem abscidisset: quare maiorem dilectionem Domini erga Ioannem, quoad signa exteriora solum fuisse bene respondit Alexander, & inde solum dignosci dilecti à Domino nomine à reliquis Discipulis, & a nobis potuit: quibus amoris Dei intrinseca magnitudo, & erat tunc, & nunc est viatoribus cunctis ignota. Cum autem signa, & demonstrationes illæ amoris à minori quem Deus haberet erga Ioannem, possent reuera proficisci, eis Deus non Ioannem magis diligere, (quod si magis eum non diligeret mendacij speciem haberet,) sed diligere solum demonstrabant: idque solum de se vbivis testatur, & pie iactat: quia de dilectione aliorum (quæ, etsi maior esset, iustis de causis dissimulari, quoad extrinsecas demonstrationes diutius potuit, dissimulataque à Domino fuit, vt sæpe Patribus respectu filiorum contingit) non item tunc constitit: quibus tunc, nec adeo tenera officia, nec familiaris aderat consuetudo, de his in speciali Apostoli circa maiorem erga alterutrum apprætiationis amorem agere Theologo licuit: quia ex literali ac rigido reuelatorum in scriptura quæstionis decisio pendet: quod si Deus affectiuo amore magis vnum, quam alium dilectione, & occasione etiam æquali, amare absque iustitiæ latæ iactura ex parte sui possit, (quod ob nobis ignotos, Deo autem soli fors notos, fines rationesque improbare non ausim) cum eius voluntas, & libertas nullo creato obiecto ad amoris saltem intensiuæ complacentiæ magnitudinem reuinciatur: etsi, quia fines rationesque illæ soli Deo notæ sint, discurrere inde de amoris Dei magnitudine, neque præsumere liceat, vt aiebat Augustinus, facilius quæstio componeretur. Certe virginitatis titulus à Hieronymo, & per illum beatitudinis, vbi nuptiæ non erunt, repræsentatio in Ioanne ab Augustino allegata mouere nec ipsos nec Theologum Scholasticum possunt: de maiore Dei erga Beatum Iosephum, Ioachimum & Annam, quam erga sanctos reliquos amore, atque illis inter se se comparatis cuiusque munus attendendum in primis est, probabilius, prudentiusque definiatur.

DISPVTATIO V.

De nolitionibus, seu affectibus fugæ voluntatis diuinæ.

Hactenvs prosequutiuos voluntatis diuinæ affectus examinauimus, iam fugæ affectus voluntatis eiusdem sunt examinandi; an quippe illi conueniant? sunt autem fugæ affectus, odium, quod in personam proprie & stricte dictum est, atque amori amicitiæ contrariatur, quamquam, & à malo quovis obiecto auersio odium latè dictum, & abominationis dicatur: tametsi abominationis vox sæpe auersionem vehementem ab obiecto denotare consueuerit. Deinde mali nondum præsentis fuga specialiter dicta, & timor, quæ desiderio boni nondum habiti contrariantur: de præsenti tristitia, seu dolor, qui gaudio ex aduerso opponitur, ac demum ira.

QVÆSTIO I.

An Deus odium proprium abominationis erga peccatum habeat?

QVpponit quæstio contra Aureolum plures liberos erga creata affectus proprietate sermonis Deo conuenire, neque è liberorum prædicato esse à Deo proprietate sermonis ablegandos, & metaphoricè solum admittendos: vt ille aiebat locis citatis disput. 3. pro constitutione actuum liberorum Dei ab ipso adinuenta per extrinsecos effectus: solumque disputatur an ex speciali alia ratione in odio abominationis reperta Deo erga peccata repugnet, sicuti & de aliis specialibus fugæ enumeratis affectibus deinceps disputabitur.

CERTAMEN I.

Odium abominationis erga peccatum proprietate sermonis conuenit Deo.

1. PRima sententia Deo erga peccatum odium proprium abominationis negat: quia voluntas diuina ad complacentiam, & amorem obiectorum determinata est, ac proinde omnis ab obiecto quouis fuga repugnat: ita ille in 1.d.40. art.1.propos. & 2. d.41. art.3. propos.4.d.46.q.1. art.2. propos.2. cui sententiæ, & rationi consensit Henricus in summ. art.46.q.3. verum ratio est prorsus inepta: siquidem ex eo, quod Deus ad amorem vtique ex sua infinita bonitate determinatus sit infertur potius ad mali displicentiam, auersionem, & odium, vtpotè bonitati contrarium, determinatum esse debere: & inde odium proprium peccati necessarium Deo esse, ac non liberum communiter à Theologis infertur, imò verò, vel bonitas infinita Dei determinat Deum ad alia, non ita bona obiecta quæcunque illa sint. amanda, vel secus: si postremum horum consequentia damnatur; si primum infertur amoris sui necessarij toto (vt sic loquar) eodemque impetu æque in omnia ferri: quare non solum æque omnia vehementer amare (vnde non solum non amare liberè propriè loquendo hi facile admittunt) verum nec liberè creata efficere, quod merito, vtpote rationi naturali, & sacris dogmatibus aduersum iidem renuunt. Secundo infertur Deum necessario amare peccatum contra fidem: si enim ex amore infinitæ suæ bonitatis ad hoc etiam amandum determinatus non manet: ergo neque ad propriæ abominationis odium erga ipsum negationem: patet: quia eiusmodi negatio, nec amori Dei erga peccatum, quod non esse in Deo, imò nec possibilem admittis; nec amori Dei erga seipsum contradicens formaliter, & proximè aut remotè, & virtualiter apponit. Addit Aureolus odium, & fugam à malo inquietudinem Deo indignam afferre: quod non probat, falsumque ex dicendis constabit. Eidem sententiæ Durandus in 4. d.17.q.7.num.10. vt videtur multis, & expressè etiam Sanct. Thom. 1. contra gentes c.96. maxime à med. Dei in peccatum *non propriè*, sed *similitudinariè*: odium admittens: vbi Ferrara & Capreol. in 1.d.45. art.1. concluſ.8. & Author opusculi de prædestinatione falso Sanct. Thom. adscripti capite 7. sub init. Nazarius prima parte, quæst. 20. articulo 1. à columna 2. Horum rationibus certamine 2. occurretur.

2. Dicendum est: Deus proprium odium abominationis erga peccatum habet: ita expressè S.Thom.1.p.q.19. art. 2. ad 4. affectus alios iræ, timoris ob speciales imperfectiones cuiusque simpliciter Deo negans; odium verò simpliciter erga peccatum admittens q. 23. art. 3. ad 1. & 1. d.19. art.5. consonat q. 28. de veritate art.1. corp. sub fin. & 3.cont.gent.cap.157.rat 2.Richardin. d.32 art.1.q.1. ad 1. Argentina q.vnic.art.4.ante med.Molina 1 part.q.20.art.1.fine. Vasquez d.84.cap.3.Suarez 1. de attributis cap.7.n.5. Arrubal cit. q.20. num.6. Hertre tract.2.d.20.cap.4. sub init. Ruiz de volunt.d.54.sect.1. n.16. Arriaga d.25.sect.4. Ioann.Præpos.q.19. art.3 est etiam Magistri sentent. in 3. d.32. cap.vlt. & reliquorum Theologorum, atque æstimo omnium Patrum, asserentium simpliciter Deum, & peccatum & peccatores, saltem qua tales, simpliciter, & absolutè odisse. Probatur ex scriptura Psal 44. *Odisti iniquitatem.* Psal.118. *Iniquitatem odio habui.* Proverb.6. *Sex sunt, quæ odit Dominus & septimum detestatur anima eius:* Sap.12. *quoniam odibilia tibi operabantur:* & 14. *similiter odio est Deo impius, & impietas eius.* Iudith. 5. *Deus illorum odit iniquitatem.* Eccles.15. *Non dixeris per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris:* ac postversum vnum. *Omne execramentum erroris odit Dominus.* Isai. 1. *Solemnitates vestras odiuit anima mea.* cap.61. *Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto.* Hierem. 44. *Nolite facere verbum abominationis huiscemodi, quam odiui.* Proverb.8. *Arrogantiam, & superbiam, & os bilingue detestor,* cap.15. *Abominatio est Domino via impij.* Zachariæ 8. *Omnia hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus.* Matth. iuxta versionem 70. apud Hieronym. ad eum locum: *Omnia quæ oderam faciebatis*, & 1. Paralipom.21 *displicuit autem Deo quod iniustum erat.* Eccles.5. *Displicet autem Deo infidelis, & iniusta promissa.* Consulto omisi loca plura, quibus Deus abominari, odisseque peccatores, ac male, seu praue operantes testatur, ac inuiciliter repetantur: siquidem rigidus Theologicus eorum sensus q. 2. examinandus est: quare, & illo ipsorum ac Patrum & Interpretum ad ea loca recitatio spectat. Ex his vero locis datis, aliisque, vel similibus, vel æquiualentibus, præ eorum multitudine omissis, sic arguo: frequens totiesque repetita scripturæ locutio proprietate sermonis intelligenda necessario est; vbi ex scripturæ testimoniis clarius aduersis, rationiue Theologicæ irrefragabili, ac certæ non repugnat: ex regula vetussissimi Ticonij Augustino, ac reliquis Patribus, & Theologis probata: atqui odium Dei erga peccata frequenter, totiesque, ac semper, & vbique sermo inditus, à scriptura asseritur: ergo proprietate sermonis odium Dei erga peccata ab ipsa asseri intelligendum est: generale hoc principium, imò & discursum, ex eo ad præsentem materiam deductum, confirmat ad verbo Zachar.8. Hieronym. sic fatus, *in præceptis, quæ ad veram pertinent, & sunt perspicua, non debemus quærere allegoriam: ne iuxta comicum, nodum quæramus in scirpo.* Hæc fere omnia, & alia Patrum tam præsente, quam sequente quæst. recitanda non solum de formali, sed & de materiali peccati expressa esse constat.

3. Confirmatur ex conformibus semper huic locutioni scripturæ Patrum locutionibus, ac definitionibus Conciliorum, quæ nusquam, nisi propriis locutionibus ac verbis, sermonis, ac significati proprietate edunter, ediue possunt; ne tota definitionum authoritas eorum si voces earum à proprietate sermonis ad metaphoricas & figuratas locutiones distrahere liceat. Concilium Arausican. à Leone Magno approbatum sic definit: *suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id faciunt quod Deo displicet:* nempe peccatum, seu praua actionem; quam sententiam ex pluribus Patribus recitauimus contra 3. de decreto concurrendi cum causis liberis creatis d. 2. de decreto concurrendi ad materiale peccati q.2. quare vnum tantum, vel alterum ex Patribus producam. Clem.Alexand.1. Pædag.cap.8. post med. *eum, qui bonus est, quatenus bonus est, sequatur odium virtus.* August. in Psalm. 50. ad id. *Arguam te, ait; quia parte tibi displicet malum, quod commisisti, Deo contigerit. Hoc enim tibi displicet, quod & illi,* epist.109 ad Sixtum longe à medio, *& quid oderat in Esau, nisi originale peccatum?* & 1. ad Simplician. q.2. post med. & *quid odit in homine, nisi peccatum?* tract.110. in Ioann. vers. finem post multa alia. *Merito quippe odit, & contra*

à regula

à regula sua artis alienum, improbat vitium. Similiter loquitur serm. 50. de verf. Domini, & sæpe alias recitandus quæst. 2. Chrysost. tom. 3. serm. 8. de Resurrect. vers. fin. illud Isa. 1. *Neomenias vestras, & sabbata vestra odivit anima mea*: sic pendit: *& qua tandem re placere Deo potuerunt, cum ipsi diuini cultus latria displiceant? quæ ergo his propitiandi reatus spes est, quibus propitiatio ipsa vertitur in peccatum?* Bernard. serm. 3. in Pentecost. sub med. *Spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis: cui enim proprium est peccata repellere ipsi & proprium est peccata odire.* Hæc ab authoritatibus nunc sufficiant præter data controu. 3. d. 2. & recitanda postmodum quæst. 2. Ex quibus satis clare deducitur propriè odio peccatum esse Deo, & actionem ptauam, qua materiale peccati est, atque ab homine procedit: cum id scriptura, Concilia, Patres adeo constanter, & frequenter asserant: nec ratio aliqua Theologica oppositum, vel leuiter, suadeat, vt eas locutiones ad improprios, metaphoricos, & figuratos sensus distrahamus: vt ex oppositionum solutione constabit certam. 1. immò recitatis testimoniis rationes proprietatis odij Dei in actiones nostras prauas & peccata contineantur, vt statim à ratione agendo clarebit.

4. Ergo à ratione probatur primo: quia quoties nominum à creatis ad Deum translatorum proprium aliquod significatum speciale est, quod imperfectionem nullam de se suoque formali conceptu dicat, etsi in creatis, quibus significandis primo imposita sunt, aliquid imperfectionis contineant propriam esse in Deo acceptionem secundum illud proprium significatum ab imperfectionibus illud in creatis comitantibus ad purum ex coctum perspicuum & statum in Theologia est (alioqui nihil de Deo proprie sed translatitiè solum diceretur cum omnes voces nostræ creatis obiectis qua ab imperfectionibus identicè etiam comitantibus suppurata non sint significandis inuenta primum & imposita fuerint) Atqui in voce odij propriè accepta est aliquod proprium significatum speciale, quod de se, ac formalitate sua nullam dicat imperfectionem ex iis, quæ odio creato adunctæ sunt: ergo propriè, ac non translatitiè, & figurate solum, odium dicitur de Deo: minor probatur: quia, etsi in odio creato, quædam sit commotio animi & inquietudo (quæ imperfectio quidem est Deo indigna) ini eo consignificata, ast illam odij significatum proprium, & purum, non claudit (vt argumento secundo supponebat falso Aureolus) nempe displicentia de malo quæ omni affectui fugæ generalis est: atque in peccatoribus, & in damnatis etiam, dum peccatum causant, & conseruant, quæ quidem honesta, & bona de se est: item talis displicentia, qua, seu vi cuius, quis, nec gaudere vllo pacto possit ex eo, quod sit, neque, vt sit velle, ac rursus ex parte sua, siue, quoad odio habentem attinet, efficaciter nolle vt sit, seu velle, vt non sit quod odit: hoc autem nullam dicit imperfectionem vt patet: atque in Deo subinde inueniri potest, de facto que in Deo inuenitur erga peccata: ergo significatum proprium ab omni imperfectione excoctum vocis odij conuenit Deo; quare, & vox ipsa odij erga peccata propriè dicitur de Deo. Minor hæc proxima, quoad proximam sui partem, de se se constare diximus: quare, quoad secundam solum, quod scilicet id totum, quod speciale vocis odij significatum proprium esse dixi, Deo proprie conueniat de facto, probandum erit: eius vero partis probationes primam etiam eiusdem minoris partem, immò, & in maiori posuimus, satisque, etsi obiter probauimus, de superfluo etiam confirmabuntur.

5. Prima eius partis probatio, & alterius, ac maioris etiam confirmatio data est: verbis recitatis ex Clement. Alex. etenim amor boni in eo, qui bonus est, maxime per essentiam suam, odium mali, quoad significationem saltem, & connaturaliter proinde, quoad exercitium, consequitur: atqui Deus bonus essentia sua est: ergo in eo amor boni, etiam extrinseci, & odium mali necessario, quoad speciem, quoad exercitium vero, connaturalissime, quare & de facto adsunt: simillima huic est probatio secunda contenta illis August. verbis datis ex tract. 110. in Ioannem ex eo, quod Deus est essentia sua prima regula honestarum actionum: ergo sicut Artifex bonus quiuis naturalissime, quod à regula suæ artis deficit vult non esse & factum improbatrita vt & Deus. Tertia probatio: quia quisquis alicui seriò, & quatenus ex ipso est, alicui vult bona, ex eo præconcepto affectu vult, vt illi mala & nociua non adsint, ac de ipsi malis aduenientibus displicentiam seriam, seu odium verum, & proprium erga illa habet: atqui Deus creaturæ rationali seriò & efficaciter ex parte sua vult bona omnia honesta, & summam felicitatem: ergo ex ea voluntate præconcepta vult serio, vt ei non accidant nociua, & inhonesta, summam eius felicitatem auertentia, & impedientia: displicetque serio vbi accidunt, quod est ea proprie odisse: atqui eiusmodi sunt peccata: ergo proprie odit peccata. Minor discursus huius sæpe à nobis monstrata est controu. 3. d. 3. & contr. hac 4. d. 2. consulto omisi probationem aliam huius discursus ex amore quo, & se, & suam bonitatem, & perfectiones amat quarum destructiuum de se esse peccatum à nonnullis contemplatiuis, immò & Scholasticis dicitur; quod rigore vocis dictum falsum prorsus est: neque eo rigido sensu à Doctore Catholico recipi: seu intelligi potest; sed solum per deficientiam à diuina bonitate, eiusque regula, & voluntate, non autem, vt quid eis vllatenus nociuum, nedum destructiuum aduersari: quare eo solum sensu à nobis ex Patribus proxime dato prob. 1. & 2. discursus hic ex amore Dei erga seipsum vim potest habere. Huc spectat definitio odij S. Thom. 1. 2. q. 29. ars. 1 corp. fin. & in 2. d. 5. q. 1. art. 3. ad 2. ex qua 1. 2. q. 26. art. 7. ad 7 & q. 34. art. 3. ad 1. & q. 2. de verit. art. 9. corp. concludit: omne impediens à beatitudine esse odio habendum, quia nociuum: ergo, & peccatum, circa quod odium ex citata definitione versatur. Ac tandem ni odium peccati proprie posse in Deo esse connaturalissime admittatur, reatus culpæ diuersus à reatu pœnæ, à tota Theologia admissus in peccato, aboletur. Quarta probatio: quia ex Aristotele 1. Rhetor. cap. 4. fine. *odisse est velle, vt non sint ea quæ odimus.* Atqui Deus siue vna vel altera ex rationibus, siue ex omnibus rationibus proxime datis vult non esse peccata ad Rom. 6. *vt destruatur corpus peccati*, ad Hebr. 9. *ad destructionem peccati*: & peccatores, qua tales, Psal. 103. *deficiant peccatores à terra, & iniqui itavt non sint*: ergo propriè odit peccatum Deus: continet discursum testimonium ex Bernardo recitatum num 3.

CERTAMEN II.

De libertate vel necessitate odij Dei erga peccata, & obiectorum solutiones.

1. DE necessitate, aut libertate odij Dei erga peccata exactè disputatum à Doctoribus non inuenio: solum video, tanquam exploratum quid, & è rei natura notissimum Dei in peccata odium prorsus necessario concipi à Deo supponi: ita, vt eius naturæ, bonitati, & perfectioni illud omittere repugnet: id quod & Clem. Alex. testimonium recitatum cert. 1. n. 3. videtur innuere, & ratione illa de contratietate peccati cum Deo, eiusque bonitate, & perfectionibus eorum omnium de se destructiua putatur conuinci: verum, vt cert. 1. n. 4. insinuauimus hæc ratio sensu vocum proprio, & significatu indigna Scholastico Doctore est, vt iam ostendi, vt autem omnimodam necessitatem odij peccati in Deo concludat eo rigido sensu, & significatu vocum sumi debet. Nisi enim peccatum bonitatis diuinæ, cæterarumque perfectionum, ac subinde Dei destructiuum nocium ei propriè sit: vnde illi, secundum se, suaque intrinseca sumpto, odium peccati necessario, atque à sua voluntate prorsus ineuitabiliter succresceret iam quod rigido vocum sensu ea ratio Doctore Scholastico indigna sit, de se patet: Nam proprie & vere destructiuum alterius ipsiue nocium solum esse potest ad alterum destructionis, & nocumenti capacem: atqui vtriusque incapax Deus est. ergo nequit illius esse destructiuum eiue nociuum vere, & proprie peccatum. Dicitur vulgo esse quatenus ex se est, peccatum vere destructiuum Dei quia in id de se tendit, si Deus destructionis, & nocumenti esset capax: ergo de se solum est destructiuum &

nocium Dei, sub hypothesi impossibili & quid curæ Deo erit, qui repugnantia destructionis, & nocumenti sibi intrinseca, & notissima à Deo in tuto à maligna inclinatione illa natiua peccati nostri necessario studio, & odio caueat ne peccatum sit, vel vt positum destruatur: certe, quod ad sua commoda, vel incommoda attinet potius inanes & ridiculos illos natiuos conatus videre deberet, quam odisse: multoque magis, quam nos ex accidentali præventione in tuto, ab hoste ferocissimo & truculento positiones, eius ferociam ridemus, & minas truces. Ad hæc naturalis potentia ad impossibile, adhuc conditionata ex parte obiecti, non vera, & propria sed chimærica est: solumque esse, vt summum potest intentionalis conatus voluntatis in impossibile vt tale cognitum, sub hypothesi quod esset possibile, non autem conatus seu inclinatio, & impetus physicus: neque in Dei Omnipotentiæ; etsi, vt eius à possibilitate creaturarum independentiam, & inconnexionem explicemus, simili conditione impossibili, quoad nos, explicemus: sed instabis ex illo Pauli ad peccatores: *Rursus crucifigentes in vobismetipsis filium Dei*: sed rogo an secundum Deitatem? negabis Catholicè: solum ergo est per communicationem idiomatum ob vnitatem vtriusque naturæ in persona Filij Dei, mysterio Incarnationis, & ministerio vnionis hypostaticè peractam.

2. Dico primo Deus libertate exercitij, & contradictionis, secundum se, & necessaria sibi sumptus, libere odit peccatum. Hoc autem vt probabile docet atque ab obiectionibus vindicat vt minimum, noster Ioannes Præpositus 1.p.q.19.art.3.d.3.num.31.collorar.2. imò, & aliquid amplius, siquidem Deum cum omnibus, quæ de facto habet præter odium ipsum, de cuius libertate disputatur, supponit; & tamen cum libere odisse peccatum, ita vt eius potuerit odium omittere; defendit: imò nec Beatos ad odium peccati in exercitio, è visione adhuc beata necessitari respondet, cum inde ad necessitatem odij similis, quoad exercitium in Deo arguitur: Porro totum Doctoris huius argumentum & eius fundamentum fuit debilitas, qua communiter repugnantia potentiæ in Deo, vt ab odio actuali peccati abstat ostenditur: ex eo nimirum, quod peccatum sit Dei & perfectionum eius destructiuum cuius fundamenti debilitatem proxime ostendimus; sed quamvis id ad conclusionem defendendam satis sit, vti, & reliquas in quæstionibus de potentia absoluta affirmatiuas: siquidem repugnantiæ ostensio, & probatio negantibus aliquid fieri posse absolute incumbit, quorum repugnantiis adductis complanatis nihil contra affirmantes efficitur: tamen, cum plures aliæ repugnantiæ nobis ignotæ esse possint, absoluta possibilitas ex adductarum complanatione non satis fundatur quovsque positiuo medio probetur: solumque asseri cordatè in quæstionibus de potentia absoluta potest repugnantiam non apparere, cum adductæ omnes deprehenduntur inanes: idcircò potentiam diuinæ voluntatis, vt ab odio peccati pro libito absistat non solum argumenti oppositi reiectione, sed positiuè ratione à priori sic probo: Implicat voluntatem diuinam infinitam summéque, quoad affectus suos liberam, summéque, vt sic loquar sui potentem ab obiecto, aut motiuo essentia sua non infinito & diuino determinari ad exercitium affectus: atqui peccatum essentia sua infinitum obiectum diuinum & motiuum non est: ergo implicat voluntatem diuinam determinari à peccato ad affectum odij circa illud.

3. Maior est Theologicum principium necessarium ad demonstrandam libertatem diuinæ voluntatis in affectibus prosequutiuis bonorum creatorum: in quorum libero amore præoccupata est euasio de specificatiuo, seu obiecto primario, seu motiuo omnis affectus diuini, quod non nisi infinita Dei bonitas est: siquidem eo non obstante affectus prosequutionis erga non ita infinita bona creata, libere quoad exercitium à Deo habentur: in illo autem *essentia sua infinitum, & diuinum* præoccupata etiam est euasio alia ex infinitate essentia sua, & simpliciter quam aliqui in malitia, seu offensa mortalis admittunt: quia infinitatis essentia sua, & simpliciter conceptum non intellexere: contra quos alibi; nunc autem addito illo, & *diuino* vocum elusiones intercluso, ne hic eiusmodi doctrinam de malitiæ mortalis infinitate simpliciter, & essentia sua tom.1. de Deo vno quæ idem ac diuina infinitas est, (vt sæpius controu.1.1. & 3. ostendi) intempestiue confutarem. Secundò probatur: quia si ea necessitate quoad exercitium ferretur Deus in odium peccati, tota efficacia, vehementiaque necessario peccatum odio, sui impos, haberet: cum eo autem permissioni peccati (quam malo nostro experimur sæpissimè) locus non esset: siquidem vehementissimum mali cuiusvis odium determinat illud habentem, vt viis omnibus sibi possibilibus mali eius aduentum, & existentiam auertat: vti experimentis quotidianis didicimus: Hinc etiam impugnari ea ratio quam disiecimus n.2. de determinatione Dei, quoad exercitium ad odium peccati ex sui amore, vt potè sui destructiuum, validius adhuc, impugnatur, vt de se claret.

4. Dico secundo: Deus secundum sua necessaria præcisè sumptus necessitatus quoad specificationem est ad odium peccati: in hac conclusione omnes Theologi conueniunt, debeuntque, qui successerint reliqui, conuenire: est siquidem eadem, atque hæc Deus nequit amare peccatum, quæ est apud scripturam Concilia, Patres & Theologos constans: cui enim aliter ex duobus contrariis affectibus erga obiectum aliquod est impossibilis etsi liber prorsus, in alterius vel alterutrius exercitio & elicientia sit, determinatus quoad speciem ad alterum affectum est. Est enim determinatio, vt, si circa illud versari affectu aliquo velit, huius speciei non autem speciei contrariæ affectu versari necessario debeat: ergo posita absoluta impossibilitate versandi circa obiectum aliquod amore est determinatio, & necessitas versandi circa illud affectu odij, si circa illud versari velit: atqui Deo; secundum necessaria sui præcisè sumpto, adest absoluta impossibilitas amoris peccati: ergo necessitas, quoad speciem ad odium peccati: subsumptum antecedens præter præfatum omnigenæ authoritatis fundamentum probatur ex ratione 1. & 2. à nobis datis certam.1.n.5. atque testimoniis Clementis Alexand. & Augustini ibi contentis. Tertio: quia nulla, nedum diuina, voluntas secundum se sumpta in malum, vt malum ferri affectu amoris potest: Dixi *secundum se sumpta*: quia affectu odij inimicitiæ erga personam aliam liberè supposito, & præconcepto malum eius ipsi velle, qua malum ipsi est non solum possibile iudico, sed quotidie euenire. Hoc autem conclusioni nostræ non aduersatur, quæ de Deo cum necessariis solum considerato liberisque affectibus cunctis nude procedit. An vero id etiam in Deum cadere possit q.1. videbimus.

5. Dico tertio: Deo connaturalius est peccati odium aliquod; imò, & necessarium moraliter quoad exercitium, si cum præhabitis de facto libere ab ipso affectibus consideretur: nempe Paterno ex parte sui affectu, quo vult setio nec solum signi, sed beneplaciti voluntate; quæ nobis à scriptura & Patribus innotuit, *omnes homines salvos fieri*, dixi *odium aliquod* non adeò adhuc ex parte sua vehemens summè, & efficax, quantum ab eius voluntate concipi posset, ne vt dixi n.3. sine via permissioni peccati omnino præcludatur. Hoc probat ratio Theologica tertia pro conclusione de facto certam.1.n.5. ostenditque insuper prouidentia sufficientium mediorum, & auxiliorum omnibus hominibus exhibitorum de facto (quod ipsum de Angelis omnibus in via fuit) ex Paterno eiusmodi affectu: quæ autem de omnibus, & pro omnibus semper ex affectu aliquo prouidentia prouenit, non solum connaturaliter, sed ex morali quadam necessitate prouenit. Insuper & scripturæ loca, quæ vniuersim & indefinite Deum peccata, & scelera, seu viam omnem iniquam, & iniquitatem odisse testantur: id enim ex aliqua saltem morali necessitate, & determinatione in Deo fore significat: contra tres huius certaminis conclusiones nihil momentiuus verosimilitudinis alicuius obiici posse video: præter fundamentum antiquiorum contra conclusionem primam à nobis non solum solutum, sed confutatum, & distinctum numero primo, & 3. fine: quare ad ea, quæ contra conclusionem de facto certaminis primi obiciuntur venio.

6. obiicient primo plures Patres, referendi quæst.1. qui id *Esau autem odio habui*, & similia metaphoricè dicta interpretantur: sed loquuntur plane de odio inimicitiæ erga personas: de quo hic non agitur: obiicient Thomistæ pro aduersa citati rationem S. Thom.

1. contra

1. contra gent. cap. 96. odium, & amor propriè solum est de subsistentibus; atqui peccatum subsistens non est: ergo nec in illud odium propriè Dei est: sed certè loquitur de odio inimicitiæ, & amore amicitiæ, qui solum erga subsistentes, seu personas est: alioqui neque accidentia physica, nec moralia bona, vt virtutes, Deus amaret, quę exploratores subsistentes non sunt: quare, vel voce *subsistentes* posita à S. Thom. possent hi Thomistæ eius mentem, & rationis vim assequi. Secundo obiiciunt ex eodem S. Thom. q. 12. de malo art. 4. corp. & 2. 2. q. 158. art. 4. corpore probante odium, quia vult malum proximi, seu personæ alterius, vt malum ipsius est, maius peccatum esse, quam iram, quæ malum alterius, non qua illi malum, sed qua bonum seu iusta vindicta est intendit: quo pacto solum vult Deus malum pœnæ peccatori, cum eum dicitur odio habere: ac proinde odium proprium non exercet: & hæc etiam ratio solum de odio inimicitiæ erga personam scilicet, potest probare non conuenire propriè Deo, non autem de odio peccati, vt de se patet: quare absque vllo fundamento pro negante odium peccati propriè Deo conuenire S. Thom. refertur, nec sine inconstantiæ nota; cum illud toties Deo conuenire docuerit: frustra igitur Nazar. 1. part. quæst. 20. art. 1. col. 3. & 4. & Ferrara 1. contr. gent. ex his rationibus, tanquam S. Thom. sententi. negatiuam defendunt: contendentes eiusdem ex eo, quod sit in Deo affectus omnis erga & se, & nos amò, peccatum propriè non odisse cum inde potius illud odisse conuincatur quia nociua ei quem amat, qualia nobis peccata sunt, debet odio habere.

7. Denique apparentius posset opponi odij & vniuersim omnis affectus fugæ diuinæ voluntatis nullum specificatiuum esse posse: siquidem malum seu peccatum diuinum quid, aut Deus non est, sed quid creatum, & ab homine ridè loquendo factum ac prorsus extra Deum: ergo nullus affectus diuini potest esse specificatiuum: Consequentia probatur ex dictis de specificatiuo adæquato scientiæ & volitionis diuinæ, quod totum Deo intrinsecum & identificatum esse debere docuimus; ne Deus ab extrinseco & creato aliquo quoad intrinsecum pendeat: sed nec quid Deo intrinsecum potest esse odij aut fugæ specificatuum: quidquid enim in Deo est summè, atque infinitè bonum, & amabile & prosequibile à voluntate diuina est: ergo solum amorem, & prosequionem voluntaris diuinæ potest specificare; non autem fugam & auersionem: solutio communis est prosequutionem boni esse natura sua fugam, & auersionem mali: quare, si Deus omnis boni omniamorem suum specificat, bonitateque sua intentionaliter obiectiuè mouet, omnifugam, & auersionem mali adæquate etiam specificat, & mouet. Cæterum amor boni formaliter odium mali non est; sed solum virtualiter: quatenus amantem boni actiuè seu physicè, vt in creatis, siue solum intentionaliter vt in Deo ad oppositi mali fugam, & auersionem affectiuam determinat: quæ fugæ huius, & auersionis affectiuæ, quæ diuersus in creatis ob amorem boni physicè affectus, imò & physicus affectus est, in Deo autem intentionaliter solum, diuersus affectus, & effectus, vt sæpè supra explicuimus, oportet specificatiuum, & motiuum formale proximum assignare: quod inassignabile argumentum oppositum monstrare contendit.

8. Et quidem, si antiquorum verbis, & doctrinæ de motiuis, & specificatiuis affectuum diuinæ voluntatis stemus difficile nos ab hoc argumento expediemus, quin Deo intrinsecum prorsus, & adæquatè identificatum affectum, ab extrinseco peccato motiuè pendere, & specificari contra diuinæ scilicet ob extrinsecum omni independentiæ prærogatiuam Deo propriam) admittamus. Cæterum, si præcipue eorum menti, potius quam verbis intendamus, atque motiui ac specificatiui obiecti rationem (quam non satis illi dispexerunt) in obiectis diuinorum affectuum diuidamus, præfatæ oppositionis difficultas tota euanescet: illi siquidem rationem specificandi à ratione mouendi ad affectum indiuisam atque insepărabilem iudicantes, bonis etiam creatis rationem mouendi Deum ad amorem negarunt, ne illis rationem illum specificandi, ac diuini alicuius subinde à creatis obiectis dependentiam, vtpotè ab specificatiuis concederet: quare & eis obiectis rationem finis respectu amoris Dei sibi ipsis, ac doctrinis suis, singulis quoque obiectionibus aduersantes, vt d. 3. vidimus: cum autem nos ibi rationem specificandi à ratione mouendi in obiectis, respectu cuiusvis diuini affectus, separabilem inuicem à ratione specificandi dilucide ostenderimus, facile nos ab hoc argumento & instantia data expedimus. Mutua enim hac diuisione admissa totius affectus diuini specificatiuum diuina bonitas est: quin, vt ad creata extenditur obiecta ob earum bonitatem, sit obiectum motiuum, sed solum, quatenus diuinus amor ad Deum ipsum fertur: è contra verò creata bona motiuum obiectum bonitate sua amoris erga ipsa diuini sunt; quin illum specificent, ab ipsisque is amor in sui totius existentia pendeat: quod ipsum in odio peccati, ab amore oppositi boni intentionaliter diuersi, contingit: qui totus specificatiuum adæquatum sui in Deo habet; quin obiectum motiuum formale proximum sui habeat in Deo, quod tamen habet in peccato extrinsecus, eiusque malitia, quin ab eis specificetur in suique existentia dependeat: etsi actiue intentionaliter bonitatis amore diuino, cui physice identificatur, proueniat.

QVÆSTIO II.

An odium inimicitiæ erga mortaliter peccatores proprie in Deo admittendum?

REstringit quæstionis titulus odium inimicitiæ propriæ Dei ad iam peccatores atque absolutè existentes in peccato; de eis quippe possibilibus, vel solum possibiliter peccatoribus quæstio esse non potest cum ex generali nostro principio quod possibile qua possibile siue pro eo statu præcisè non possit diuinum amorem terminare quod ipsum de odio argumenta ibi data suadent: tum etiam: quia odium Dei in peccatorem præcipua pœna peccatoris est & reliquarum origo & quam proinde absolute nondum absolute merenti infligere esset iniustum, Deoque subinde repugnans.

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ contrariæ referuntur nostraque prima asserto.

1. RViz noster d. 54. de voluntate sectione 3. num. 6. peccatores absolutè tales pro clariore suæ in hac quæstione sententiæ probatione in tres classes, non immerito, diuisit: primam ex peccatoribus viatoribus prædestinatis, secundam ex viatoribus etiam peccatoribus, præscitis & reprobis: tertiam ex peccatoribus iam absolutè post decessum in mortale in æternum damnatis composuit: satis autem fuerit eos in duas classes damnatorum pro eo æternæ damnationis statu, & viatorum pro statu adhuc viæ, siue reprobi, siue prædestinati sint diuidere: siquidem pro viatoribus cunctis rationes vniuersim inimicitiæ odij proprij Dei obiectum non esse probant (peculiari nostra pro prædestinatis numero 5. adhibenda excepta) si quid probent: etsi eæ in prædestinatis clarius eluceant, non tamen ita, vt, si de viatoribus reprobis non probent, probare speciatim de prædestinatis peccatorib. possint; quare hac solum diuisione peccatorum in classes duas de præsente q. agemus

2. Pater Vasquez 1. part. d. 84. cap. 3. n. 13. cum quo Arrubal. ad quæst. 20. numero 6. Herize d. 20. cap. 4. §. 1. docent Deum vniuersim in peccatores omnes, pro illius

ſtatus tempore, odium proprium habere: fundamentum ab authoritate frequens, & vniuerſalis ſcripturæ phraſis eſt, qua peccatores Deum odiſſe eiuſque inimici abſolutè dicuntur: *ex ore infantium*, &c. *Propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum.* Pſalm. 20. *inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.* Pſalm. 36. *Inimici Domini mox*, &c. Pſalm 67. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum*, &c. Iacob. 14. *qui voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Ad Hebræos 10. *Donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius*, & ſexcenta alia; cum autem inimicitia propriè mutuum odium, ſicut amorem mutuum amicitia propria includat, nequit propriè inimicus peccator dici, vti ex frequenti hac locutione ſcripturæ dici conuincitur, quin in Deo odium inimicitiæ proprium erga peccatorem reſpondeat. A ratione: quia odium inimicitiæ proprium ex ſpecie ſua eſt velle alicui malum ex diſplicentia perſonæ, ſeu quatenus malum eius eſt, vt ex S. Thom. quæſtione 12. de malo, & 2. 2. quæſt. 158. referebamus quæſt. 1. certam. 2. num. 6. & approbat Caietanus 1. 2. q. q. 19. art. 1. & Ferrara ac Nazarius eo num. 6. memorati: atqui Deus vult peccatori ex eius diſplicentia, & quia malum pœnale ipſius eſt, mortem, & alia plura incommoda, & nociua: ergo cum propriè odit odio inimicitiæ.

3. Secunda ſententia vniuerſim proprium inimicitiæ odium erga peccatores ſiue in ſtatu viæ, ſiue in ſtatu damnationis æternæ, denegat Deo S. Thom. citatus, quæſt 1. certam. 1. num. 1. cum Capreolo, Ferrara, Nazario ibidem citatis, ipſe enim de odio inimicitiæ erga perſonam peccatoris loquitur, vt certam. 1. num. 6. oſtendimus, non autem de odio abominationis erga peccatum, vt perperam citati Dominicani eius ſententiam & mentem extendunt: conſenſit S. Thomæ in præſente concluſione Soarez 3. de attributis cap. 5. fine & cap. 7. num. 5 Ruiz citata ſectione à num. 4. cæteris eruditius, & ſubtilius: & ex ſcriptura pro ea concluſionis generalitate nihil afferri poſſe videtur: ex Patribus vero id ad Rom. 9. Eſau autem *odio habui* interpretantibus afferri plures poſſent, qui per metaphoram dictum volunt: id tamen concluſionem ea generalitate non probat, ſed primam à nobis ſubiiciendam, eiſque teſtimoniis confirmandam. Recitatur Ambroſ. lib. de Noë & Arca cap. 4. *vbi Deus naturaliter non mouetur aut ira aut odio aut paſſione vlla*, ſed extremis verbis mentem aperuit: paſſio enim, & rationem excedit, nec, niſi animi commotione & perturbatione eſt, quæ in Deum non cadunt: quare neque odium vllum, quod paſſio ſit. Secundo: ſi ita non cenſeret, ſed odium omne etiam abſque paſſionis defectibus à Deo Ambroſius reiiceret concluſionem communem de odio proprio peccati impugnaret: eadem de cauſa præſtat nihil illud Damaſcen. 1. de fide cap. 14. fine dicentis odium aduerſus malignitatem, & inimicitiam, metaphoricè etiam ſolum, de Deo dici, quod directe illam concluſionem communem impugnat, ni de odio vt paſſionum imperfectioni (vt in noſtro euenit) conuincto intelligatur, vt patet; nam de malitia & peccato verba expreſſa ſunt: quæ à ratione vniuerſim afferuntur cert. 12. diluemus.

4. Dicendum primò cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ: Deum neminem peccatorem viatorem propriè odit: probatur, & authoritatibus, & rationibus quibus d. 3. & 4. probauimus Deum omnium hominum, etiam reproborum, ſalutem, & ex eorum complacentia, & amore ſeriò ex parte ſua, & quatenus per ipſum eſt efficaciter velle, de eorumque malis culpæ & c. dolore, hiſque vitandis, & æternæ ſaluti conſequendæ cunctis de mediis & remediis (etiam magnifico incarnationis, paſſionis, mortiſque ſuæ, *cum adhuc impij eſſemus*) prouidiſſe: vnde amore amicitiæ plus peccatorem pœnitentem innocente iuſto dilectum à Deo concluſimus: eis ergo locis fundamenta omnia noſtra huc aduocanda, concluſionem eam hanc vrgentius adhuc probant: quibus addendum illud Auguſtini tractatu 8. in epiſt Ioan. longè à medio. *Deus amauit peccatores.* Ait enim: *non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus. Numquid ad hoc amauit peccatores, vt peccatores remanerent?* illud etiam eiuſdem in Pſalm. 130. ad id: *deſinant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint*: nempè, *vt non ſint iniqui*; vide *hoc Pſaltes: impletus eſt gaudio, & reuocat verſum primum Pſalmi*: *Benedic anima mea Dominum*: quia ſcilicet benedictio, & amor peccatoribus viatoribus eſt quod odium ſonabat, & maledictio: vt eum etiam verſum commentans Proſper ait: *iracundia, & odij vocatur vox iſta, ſed eſt præcipuæ charitatis. Hoc enim agit quod, & ſupra, vt auferatur Spiritus ſuperborum, & deficiant, & mittatur in illos Spiritus Dei: vt fiat nouæ creaturæ, deficiente malitia, non pereunte ſubſtantia.* Ad quem etiam verſum & ſimul id Iſai. 6. *Comburentur iniqui, & peccatores ſimul*, &c. ſic Hieronym. 1. contra Pelag. *Non intelligis comminationem Dei interdum ſonare clementiam; non enim dicit eos æternis ignibus exurendos; ſed à terra deficere, & iniquos eſſe ceſſare*: Confirmatque immediatè ex illo ad Hebr. 12. *quem enim diligit Dominus corripit*, &c. *Aliud eſt cedere Magiſtro, & Parentis affectu; aliud contra aduerſarios crudeli animo deſæuire.*

5. Et quanquam eo animo ſe Deus, & affectu erga peccatores omnes, etiam præſcitos gerat, dum eos æruminis temporalib, verberat affligitque, vt, vel ſic, reſipiſcant: id in peccatoribus prædeſtinatis, & clarius apparet, ad reſipiſcentiæ ac pœnitentiæ ſaltim finalis, æternæque ſalutis eorum effectus probat: in quibus Dei odium proprium excluſum, atque eius erga ipſos amicitiæ amor probatur ſpecialiter ratione digna Auguſtino in Pſal. 9. verſ. 1. qua nos ſuadet, ne inimicos aduerſarios nostros hac vita exercentes oderimus his verbis: *quamdiu ergo ſunt, vt exerceant nos, non eos oderimus, quia in eo quod malus eſt? quis eorum; vtrum in finem perſeueraturus ſit, ignoramus, & plerumque, cum tibi videris odiſſe inimicum, fratrem odiſti, & neſcis*: etenim fortaſſis qui tandem æternum amicus futurus eſt: ob odium eius in non temporale, quodque vltra breuiculum vitæ huius tempus, & mala officia non tranſiet, oſſe, abſonum ſanè eſt, vt eos, quos tales eſſe poſſe ſcimus, ac non tales ſimpliciter neſcimus, non debeamus odiſſe atque Deus ſcit ceteros peccatores omnes prædeſtinatos etſi eius inimici in hac breui temporis viæ duratione fint, æternitate tamen non ſucceſſura intimos ſibi amicos ſcit: ergo nec debet odium proprium in eos concipere; inò neque affectum amicitiæ erga illos depoſcere valde, & bonitati, prudentiæ & magnanimitati ſuæ conſentaneum eſt. Confirmatur: quia nemo prudens, magnanimus, & benignus aduerſus eos, quos breui odium iramque concipere ſtatimque ad amicitiæ affectum, præſertim conſtanter rediturus nouit, iraſcitur, odiumque concipit, nec pro tunc adhuc amicitiæ affectum exuit, nedum cogitur deponere, id quod forte voluit recitatus Ambroſius num. 3. illis. *Deus naturaliter non mouetur.*

6. Rationi aduerſariorum pro prima ſententia adductæ num. 2. non teſtimonia, & rationes ſolum pro noſtra concluſione ex ſuperioribus diſputationibus memoratis n. 4. ſed & recitata ibi teſtimonia Patrum proxima in terminis fere reſpondent: non ex Dei odio, & perſonæ diſplicentia, ſed ex paterno affectu, & amore mala à Deo & ſupplicia temporalia infligi. Ad argumentum ex repetitis toties ſcripturæ phraſi, qua peccatores omnes, etiam vitiositate Dei inimici dicuntur. Dicito non ſumi ibi inimicitiam conſummate ex parte vtriuſque, Dei ſcilicet, & peccatoris, ſed ſolum ex parte peccatoris, quatenus ex parte huius ad inimicitiam conſummatam, quæ in mutuo duorum odio ſtat, appoſitum odium eſt: vnde plerique eorum locorum ſynonymè, & *inimici* & *qui Deum oderunt* peccatores dicuntur teſtimonio recitato ex Pſalmo 30. & recitatis ex Pſalm. 67. immediate ſententia eadem ſynonymè repetitur; *& fugiant, qui oderunt eum à facie eius*: & pluries in ſcriptura peccatorum in Deum inimicitia per eorum in Deum odium explicatur. Ad hæc: cum Deus in peccatores viatores ſerius amor expreſſe à Deo aſſeratur ex eis locis hæc interpretatio erat admittenda: præſertim, cum propria etiam, & communi eius vocis acceptione inimicos dicamus, qui nos odio proſequuntur, etſi eos non oderimus.

CERTAM

CERTAMEN II.

Odium proprium Deus in damnatos exercet.

1. Dicendum secundo cum Doctoribus primæ sententiæ aduersus secundæ Assertores. Deum damnatos æternum ab instanti impœnitentis suæ mortis, ac per totam deinceps æternitatem proprio prosequi odio, id nos scriptura sæpè docet nominibus iræ, & furoris, quem in damnatos dicitur Deus exercere: quibus ij affectus proprietate sermonis Deo non tribuuntur, siquidem passiones continent, quæ in Deum non cadunt, vt mox videbimus: quare odium solum purum proprium-que in peccatores Deo eis locutionibus tribuitur, is enim affectus solus, qui imperfectionem non contineat, eis vocibus potest significari: id ipsum significatur vocibus vindictæ, & vltionis, quas tandem de perpetuo inimicis suis damnatis æqua frequentia Deus sumpturus in scripturis dicitur: secundo probatur ex Augustino proxime citato, eiusque ratione. Postquam enim ostendit merito non esse odio habendum peccatorem viatorem, de cuius ad Deum, & fraternitatem nostram, æternamque amicitiam charitatis reditu spes esse potest, subdit immediate postremis recitatis verbis. *Diabolus, & Angeli eius in scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sunt destinati; ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus oecultam luctam*: quare eos: vtpote, & Dei & nostri in odium Dei obstinatos perpetuo inimicos certo nobis notos, absque dissonantia vlla, & periculo Dei perpetuos amicos, & filios, ac subinde etiam nostri æternos fratres, odiendi, odium ex Dei amore, & charitate potest exerceri. Tertio ex testimoniis datis Prosperi, & Hieron. certam. 1. numer. 4. vbi ex eo præcisè eis locis Psalm. 103. & Isai. 6. odium Dei proprium in peccatores viatores non contineri aiunt: quia ex affectu salutis, & correctionis eorum paterno temporalia mala ipsis à Deo infliguntur: ast æternum damnatis æterna supplicia nusquam ex Paterno Dei affectu mala tam positiua quam priuatiua à Deo infliguntur; ergò non solum videntur infligi ex odio sed verè ac propriè ex odio infliguntur. Postrema præsertim illa Hieronymi repetenda ratio. *Aliud est cedere Magistri, & Parentis affectu; aliud contra aduersarios crudeli animo desæuire.*

2. Ratio Theologica: quia odium proprium est velle alicui malum, qua ipsi malum est è condigna displicentia ipsius, si odium rationabile, nec peccatum sit; vel potius est efficax ipsius displicentia ob sufficientem, & condignam eius malignitatem, malitiamque, ex qua efficaci displicentia ipsi mala, & nociua amantur, vt controuersia de anima ostendi: atqui Deus, & condignam de æternè damnatis displicentiam habet, atque ex ipsorum displicentia illa efficaci mala æterna illis efficaciter vult, & amat: ergo proprie odit damnatos. Minor, quoad condignam, displicentiam de damnatis in æternum peccatoribus, probatur ex dictis controuers. de necessitate Incarnationis contra infinitatem malitiæ, seu offensæ mortalis, quam ex æternitate pœnæ damnatorum iustissimæ, non solum ex iustitia legali (vt doctores sapientes non pauci difficultate oppressi solummodo volunt admitti) sed ex iustitia, etiam naturali, inferri contendunt: etenim distinximus ibi dignitatem formalem à dignitate valorosa pœnarum, & illam quidem statuimus solum in infensione, seu offensione obiectiua malitiæ, & peccari, quæ, quamdiu in persona perseuerat, Deo infensum reddit peccatorem, dignumque odio Dei constituit natura sua; sublata vero malitiæ eius macula, & infensione, seu offensione obiectiua Dei per conuersionem, & iustitiam peccatoris ius illud odij, & infensionis Dei mala ex eo affectu infligendi cessare: ac proinde, cum in damnatis non cesset, in æternum, ex eo iure naturali suo Deum illos æternè punire; & minus valde, quam iure illo possit se merito valoroso malitiæ & infensionis mortalium (quod limitatum est, maiusque subinde, & minus pro magnitudine malitiæ mortalis minore, vel maiore, & quamdiu satisfactum reatui pœnæ non est, vel satis: passione, vel merito peccatoris, vel supremi Iudicis Dei gratuita remissione, & condonatione pœnæ in sanctis, & iustis, quoad id, cui satisfactum iam non est, nec remissum, perseuerat) se se accommodans.

3. Ius autem hoc naturale Dei ad odium erga graues peccatores, & infligendi, quamdiu tales sunt, mala, quæ velit ob dignitatem formalem malitiæ, & infensionis obiectiuæ mortalis, in odio Dei, quod in mortali quouis ab omni Theologia admittitur (in damnatis præsertim, qui Deum, & oderunt & non esse ex parte sui efficaciter, tametsi irrito, & inaniter expresse volunt) negarique tuto nequit, fundatur; etenim, qui alterius se inimicum constituit, eo ipso damnis odio, & malis, quæ ipsi ille pro tunc alter inferre possit, ac velit, tam positiua, quam priuatiua eo ipso se exponit dignusque formaliter redditur; tametsi ob commune bonum, & rationalis Reipublicæ statum, & conseruationem nemo ex nobis ius, vel odio habendi, vel, puniendi inimicum habeat: sed supremo eius Reipublicæ Domino, ac iudici solum, & priuatiue, vt aiunt, ius illud paretur, qui id cunctis ideò intimauit *mihi vindictam, & ego retribuam.* Cum autem Deus, & supremus Dominus, & rerum omnium arbiter, & Iudex sit; nec alium superiorem, ad quem pro odij nostri, & infensionis, seu offensionis obiectiuæ in ipsius satisfactione & vindicta obtinenda prouocet, & appellet; odio & suppliciis peccatorum pro infensione, & odio in ipsum nostro vindictam de peccatoribus sibi infensis, quamdiu tales sunt, ius plenum, atque absolutum habet; nec vtrumque pro suo nutu contra peccatorem exercendo contrà ius, sed potius ex iure suo se gerit, & quidem reatu culpæ, quod in læthali à creatura pœnæ diuersus est. Deique iustam infensionem, seu odium, solummodo respicit: nequit non reus constitui formaliter, qui illud in se admittit, eoque peccator formaliter constituitur: etsi non ita ample, vt omnium malorum, tam positiuorum quam negatiuorum, ad quæ se Dei potentia absolute extendit reus formaliter læthali constituatur, quæ infinita sunt, sed quorum peccator est capax: quæ sunt finita. Quando vero illud in peccatores viatores non exercet; imò vero amorem vt vidimus pietatis clementiæ, & indulgentissimæ bonitatis suæ est: ex hac ergo doctrina (ex qua citato loco Theologica plura scitu dignissima deducebamus) claret Deum de damnatis peccatoribus pro tota æternitate ob læthalia efficaciter displicere: quod mea sententia idem ipsum est, quod eos proprie odisse.

4. Sed demus odium non solam efficacem de ipsis displicentiam, verum & inde ortam infligendi ipsis mala, quatenus mala ipsi sunt, requiri: neque id Deo erga damnatos deficit: in quos miseros tot Dei voluntate depluunt, ac æternè depluent mala: etenim ex ea peccatorum displicentia iustissima possunt iustissime depluere; neque ad eorum correptionem, & salutem, post decretum, & sententiam latam damnationis irreuocabilem à Deo ipsis decernuntur, & infliguntur, possuntve infligi: nec vllum est vestigium aliud amoris erga ipsos, ex quo eis à Deo tot mala decernantur ac inferantur; ergo ex displicentia Diuina efficaci erga illos à Deo infliguntur; sed inquiunt aduersarij ex amore iustitiæ vindicatiuæ à Deo ea mala infligi, eisque puniri delicta: quod quidem, & in se, & ipsis damnatis, vt partes Reipublicæ rationalis sunt, bonum, nempe eo modo quo possunt, pœnali illa solutione peccati ad iustitiam reduci: ac sibi apto, & debito loco in inferno collocari; etsi ea damnato, vt priuata persona est considerato mala sint, & nociua, qua ratione, & ex odio, seu displicentia ipsorum ob læthale adhuc, nusquam à Deo infliguntur sed solum è publicæ vindictæ, & eorum, vt pars rationalis Reipublicæ sunt, conuenientiæ amore, ità meditatus videtur Anselmus subtiliter à nostro Ruiz obseruatus in elucidario vers. med. vbi rogans: *quomodo Deus dicitur malos odio habere?* Respondet: *cuncta diligit Deus qua creauit, sed non cuncta in vno loco locauit.*

Sicut pictor omnes colores diligit ; sed quosdam præ aliis diligit , & vnumquemque apto loco reponit : ità Deus vnumquemque conueniente loco sibi disponit ; ideò dicitur eos diligere , quos in cœlesti palatio recipit , & illos odisse , quos infernali carcere mergit : & quidem , etsi peccatum malum sit , eius punitionem bonam esse , & amabilem amatamque de facto à Deo esse certissimum est ex Dionys. cap. 4. de diuin. nom. p. 4. seu inter med. & fin. August. 1. ad Simplic. q. 1. post med. Dialog. contr. Manic. longe à medio.

5. Sed nec ego dubito punitionem iustam damnatorum in æternum bonam , neque vllatenus in se malam esse , atque ex iustitiæ vindicatiuæ suæ , & boni publici amore à Deo volitam , & amatam : atque ex eo præcise odium Dei in sic damnatos non exerceri propriè : sed vlterius contentio eadem mala , vt ipsis priuatim sumptis , atque , vt personæ particulares sunt ex eorum displicentia ob mortalis , etiam perpetuam , maculam , perpetuo etiam à Deo iustissimè inferri ob rationes , & fundamenta data : id autem quod subtilius ex Anselmo respondetur , solum occurrit alteri difficultati iam opponendæ de amore vniuersali , quo Deus creata cuncta quæ absolute sunt diligit : aitque hunc amorem volitione damnationis respectu damnatorum non deficere , etsi eos deteriore loco , quam Beatos quosque , tamen pro meritis , & dignitate reponat : id quod pictoris , & coloris exemplo demonstrat. At vero dilectionem Dei amicitiæ , & charitatis propriam , odiique proprij , & inimicitiæ exclusiuam , & aduersam erga damnatos , nec admittit , nec admitti non solum à Theologo , sed nec à sano homine potest. Tum : quia generalis ille amor Dei rebus vt sint , omnibus amicitiæ incapacibus communis cum capacibus amicitiæ non est : nemoque amicitiæ propriæ affectum ex parte Dei erga perpetuos eius inimicos concessit , audebitque concedere : etiam ex eis , qui Dei odium erga ipsos negant. At dices primum , ac præcipuum bonum cuiusque est suum esse : ergo , qui vult alicui,& amore suo dat , & conseruat ipsius esse , vt etiam Deus dat & conseruat damnato , vult ipsi præcipuum , imò summum ipsius bonum : ergo proprie amicitiæ ex parte sua (si capax redamandi ille sit) ipsum amat : siquidem amare proprie est velle alicui bonum. Respondetur , creaturæ rationalis bonum proprium non esse eius esse , vt de Iuda proditore apud Matthæum Dominus expressit illis verbis : *bonum erat ei , si natus non fuisset* : quo eius non esse melius ipsi fore , quam esse satis docuit : est siquidem præcipuum , ac summum eius bonum summa , æternaque beatitudo summum autem eius malum perpetua eius priuatio , ob quam , & cæteras æternas ærumnas damnati non esse vehementissimè , etsi incassum , desiderant : viuent enim vt perpetuo pereant. Ad hæc Dei charitas , & amicitia ex parte adhuc sui ad supernaturale bonum terminatur , quod vel supponit , vel disponit , aut intendit ; esse autem ipsum creaturæ rationalis mere naturale est , etsi in eo ordine sit præcipuum : quare ad determinandum amorem amicitiæ Dei proprium est prorsus ineptum.

6. Dices per nos Dei odium in damnatos ob dignitatem formalem malitiæ , & maculæ , & infensionis obiectiuæ est iustissimus : ergò concipitur à Deo eiusmodi odium in damnatos ex affectu iustitiæ : ergo non ex displicentia de damnato , seu quia eius malum est , sed quia odium illud bonum , & honestum Deo est , atque è sui , suæque iustitiæ amore : hic autem affectus , vt auersio à damnatis sit , non autem odium proprie erit ; quod essentialiter ex displicentia personæ , non autem ex amore odio habentis concipi , atque in malum alterius , qua malum illius est , non autem , qua bonum odio habenti est debet ferri. Hoc argumentum male Vasquium nostrum vexat loco citato in confirmatione rationis , præcipuè vbi illud voluit præoccupare ac reliquos ipsi , & nobis in hac conclusione consentientes insolubiliter vexabit , qui ad omnem actum virtutis propter ipsum honestatis virtutis illius requirunt : quibus ego , vt plurimum assentior , non autem quoad amicitiæ virtutem : quæ omnium sententia ex complacentia personæ ob eius bonitatem essentia sua esse debet ; quin ex honestate , & conuenientia morali nostra , & quia bonum nobis , & ex complacentia tandem nostri , esse possit : quod ipsum in odio inimicitiæ amori amicitiæ opposito contingit : quod si obiectiuam rationem mali intra rationis dictamen rectum , ac iustum in obiecto odio habendo habeat : (vti Deum habere in damnatis vidimus) ob illam solam efficacem displicentiam de altero honestissime habebit ; etsi huius honestatis gratia odium in illum non eliciat ; imò vero , si odium proprium sit ob eius honestatem elici nequit : vt obiectio , & amoris amicitiæ propriæ exemplum probat ; sed actus ille ob odij honestatem , elicitus reflexus actus supra odium directum erit , alteriusque speciei ab illo : quare neganda est consequentia prima ex doctrina hac , valde obseruanda ad distinctionem actuum supernaturalium vere Theologicorum ab aliis supernaturalibus qui tales apparent dignandam. Inquies ergò ex displicentia , & odio in damnatos poterit Deus eorum præcipuum malum , nempe peccatum , eis velle. Negatur consequentia : quia , etsi ipsis malum sit , essentia sua Deo etiam eiusque dictamini disconueniens est : quare ni essentiam exuat amari à Deo non potest quin Deus ipse peccet : quod est impossibile. Accedit : quod , si Deus amare illud sub ea ratione posset , posset etiam ob illud in damnato sibi complacere : & contradictione alia inde placere Deo damnatus posset , vnde maximè , & vnicè displicet : aliaque rursus contradictoria facile inferentur.

QVÆSTIO III.

De Cæteris fugæ , & auersionis diuinæ affectibus.

RElíquos auersionis affectus ab odio hactenus examinato diuersos disputationis præfatione recensuimus , & explicuimus , etsi summarie satis , idcirco nihil de eis huius quæstionis præfatione.

CERTAMEN I.

De Fuga speciali timore , dolore , seu tristitia statuitur.

1. TImorem proprie dictum Deo non conuenire concors Theologorum contra Iudæos relatos à S. Thom. 1. cont. gent. cap. 91. sententia est. Ratio est clara : quia ex Damasceno 2. de fide cap. 12. *Timor est imminentis , & expectati mali auersio* ; in ratione vero imminentiæ , & expectationis mali inuenitur arduitas , & difficultas resistendi , & vitandi malum illud , vt bene S. Thom. 1. 2. quæstion. 41. a. 2. & quæstion. 42. a. 1. & patet , quia nemo de his , quæ vitare facile potest , timet. Atqui Deo nulla est , esseue potest resistendi cuiusmodi malo , illudue vitandi : ergo Deo proprius timor malo omninò repugnat. Hinc S. Thom. quæstion. 42. art. 3. ait nos de peccatis nostris timorem non posse habere : quia nostro arbitrio in sui existentia subduntur ; nisi eis resistentia , atque euitatio voluntati nostræ ob aliquid ; siue intrinsecæ passionis siue extrinsecæ inducentis vehementer inclinans ad peccatum ardua nobis ac difficilis reddatur. Addo rationem secundam : quia in voce illa expectati , seu expectationis , & imminentiæ mali imbibitur , & mali futuri cognitio præuia (cum mali possibilis præcisè timor esse nequeat : eaque cognitio de eius futuritione non certa , & infallibilis timenti , sed solùm coniecturalis , mali enim alicui euenturi certa scientia nusquam timidum reddit , sed attonitum ; vti reis manifestis futuræ ex capitalis inappellabilis sententiæ denuntiatione certò futuræ ab ipsis cognitæ , & iudicatæ quotidie euenire

euenire experimur; atqui coniecturalis, ac non prorsus certa, & euidens de omni euentu futuro scientia Deo repugnat: ergo & timor. Mitto scripturæ loca, quæ pro hac conclusione à nonnullis, etiam nostro eruditissimo Ruiz d. 54. sect. 4. num. 5. afferuntur, quia infirma nec ad literam illud solum doctè ibi pro conclusione observantis: nusquam in scriptura timorem de Deo dictum, cum tamen affectus alij, qui Deo proprie non conueniunt, dolor, pœnitentia, tristitiaque, sed metaphoricè solum, dicuntur, quia aliquid eorum ad instar Deo proprium eis nominibus significatur: quo satis ostenditur euidens valde esse timorem (addiderim timoris, vmbram adhuc, qualem qualem) Deo repugnare.

2. De tristitia proprie tali, seu dolore, ac pœnitentia de malis absolutis in Deo non esse æque concordes Theologi omnes contra memoratos Iudæos reiiciendam à Deo censent. Primo quia summa beatitudinis diuinæ delectatio à Deo indefectibilis, inabdicabilis, atque in sequestrabilis eiusmodi affectus pati nequit. Secundo, quia è sui amore de malis etiam culpæ non potest Deus dolere, aut tristari: quia nullatenus ipsa mala & nocua sunt. Neque ex charitate hominum peccatorum quibus sunt mala & nocua probat Ruiz, quia culpa ipsa læthali, quam admisere, fiunt inimici, de quorum proinde malo dolendum Deo non est. Cæterùm nihilominus Deo chari, etsi ipsi non redament, sed ipsum oderint, peccatores per te sunt: ex nostroque amore, non autem ex ipsorum in nos dilectione de charorum malis dolemus, atque tristamur: Dei ergo de peccatis nostris dolor inde non repugnaret. Melius ea repugnantia probatur ab eodem ex definitione doloris, & tristitiæ apud Augustinum 14. de ciuit. cap. 15. long. à med. dicentem. *Anima dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissentio est ab eu, quæ nobis nolentibus accidunt*: At Deus, etsi quatenus ex parte sui est, efficaciter, & serio nolit esse peccata; tamen absolute, & quatenus ex parte creatæ voluntatis est absolute efficaciter non vult peccata non esse, ne lædatur, vt diximus, illius libertas: imò voluntariè vult eorum permissionem, cum eueniunt: ac proinde, vt non sint peccata, ex parte hominum adhuc, & effectu carens, ac non efficax, è voluntaria, ac libera Dei electione est: quæ autem libere alicui, atque ex electione voluntas efficax, quantum ipse potest, mali vitandi, non est de mali eius aduentu dolorem ingenerare, aut tristitiam apta non est: in eo enim, quod de efficacia voluntatis ad illud vitandum omittit, & permissiua voluntate mali illius, cum aduenerit, tolerantiæ se sponte conformat: ea vero conformitate tolerantiæ adstante, si quid quantumque malum sit nolum ei, qui ita se conformauit, fuit, de eius aduentu dolor locum non habet: itaque illud *nolentibus nobis* intelligendum est, quantum possumus: ast nolitio peccati, seu voluntas, vt peccatum non sit, Deo in quantum ipse potest, non adest; licet seria, & sufficienter actiua, & aliquomodo efficax sit, vt peccati malum homini non adueniat: ac proinde neque ex eius aduentu, & charitate erga homines tanto pressos malo tristari potest, nec dolere.

3. Vnde patet solutio ad dolorem pœnitentis de peccatis, cuius voluntas, etsi absolute inefficax sit, de commissis peccatis, vt nec fuerint, nec tunc sint, cum sunt, quod est impossibile; tamen eius inefficacia ex impossibilitate obiecti venit; non autem ex voluntate pœnitentis, qui ex parte sua, quantum potest, efficaciter vult illa non esse, nec fuisse, vt bene Ruiz à num. 12. conclusionem non Theologi omnes solum, sed & Patres nobis dederunt, sufficiat in re adeò certa Isidor. cap. 52 sententiæ de summo bono initio sic fatus: *Nostro vsu zelare Deus dicitur; vel dolere: horum enim motuum apud Deum perturbatio nulla est apud quem tranquillitas summa est.* ex quo loco & dictis hactenus claret scripturæ loca, quibus de Deo dolor, pœnitentia, tristitia dicitur, vt Genesi. 6. Ezech. 20. Zach. 11 Iudith. 10. ac pluries alibi, per metaphoram scripta fuisse: vt aliquid aliud affectus proprij Dei nobis per eiusmodi locutiones innotesceret.

4. De fuga specialiter dicta, atque desiderio contraria, quæ nihil aliud est, quam nolitio, vt sit malum, quod nondum est, neque imminet, sed tantum cognoscitur possibile, seu volitio vt tale malum nobis non sit, concors adeò non est Theologorum sententia conueniat Deo necne? Ruiz noster cum aliis (atque ex sententia vt putat S. Thomæ) hunc affectum Deo denegat, sicut supra desiderium Deo negauit: quia malorum, quæ nunquam, vel pro aliquo tempore futura sunt, scientiam certam habet, inde pro illo eorum negationes præsentes Deus, & habet, & videt: quomodo ergo fuga hac speciali, vt non sint, pro ea duratione volet? solum ergo poterit de absoluto, & præsenti eorum non esse, seu negatione gaudere Melius Vasquez 1. p. d. 84. cap. 1. Soarez 3. de attribut. cap. 7. numero 6. Henize d. 20. cap. 4. §. *& reliqui*, quos supra contra Ruiz pro desiderio proprio boni nondum habiti, citauimus, vti & argumentum reiecimus: nunc affectui fugæ applicitum: etenim ex scientia simplicis intelligentiæ, quæ abesse & adesse absoluto obiecti præscindit, vult, vt sit bonum, & vult non esse malum: quod est malum fuga speciali propria prosequi, bonum vero proprio desiderio, & quidem per omnes decernere efficaciter potest Deus, vt sit, id quod possibile prænoscit: & vt non sit malum pro statu possibilitatis ab ipso cognitum: assigna ergo mihi speciem propriam eorum decretorum. Neque enim gaudium est decretum illud efficax boni, cum tendat, vt sit, quod per illud erit; gaudium vero non est tendentia voluntatis ad rem, vt sit, sed ad rem, quæ esse supponitur, iamque ante illud præsens: & efficaci illi voluntari, vt malum non sit speciem propriam designa: quæ desiderium vt non sit non esse possit, ergo in ratione tua contra proprium desiderium, & fugam voluntatis diuinæ aperta æquiuocatione laboras: dum signa posteriora, & obiecti, & scientiæ ad desiderium, & scientiam, qua hoc regulandum est, siue efficax, siue inefficax desiderium, aut fuga sit, ad signum prius scientiæ, quo regulantur; & ad statum possibilitatis, quod solum ad scientiam eorum affectuum regulatiuam, & directricem supponitur, manifesta contradictione retrotrahis, & reuocas.

CERTAMEN II.

De ira Dei deciso.

1. THeologorum, Catholicorum super Dei ira, vel admittenda, vel releganda dissidia de nomine tantummodo esse queunt, idcirco neque in eam concedentes Deo, neque in negantes censura aliqua Theologica ferri merito potest, etsi affirmantes Philosophica reprehensione digni iure habeantur: quippe qui staram in Philosophia iureque proinde suo immobilem definitionem, & philosophicam dignitatem, & principium citra controuersiam omnem supponendum, quam disputandum, mouent quod tamen vitium video à plerisque, quandoque non contemnendis, incurri: velut se à difficultatibus contra communes opiniones facilius expediant, vel, vt noua quædam sua in scholas inducant: quod, si liceat breui, facileque quisque, vel mediocris discursus totam posset impune philosophiam, & Theologiam subque deque mouere, inuertere & peruertere: videant ergo, qui arte huiusmodi Theologiam, aut Philosophiam à se motam gloriantur, quantuli gloriantur? igitur Lactantius toto libro de ira Dei maximè à cap. 17. iræ propriæ affectum Deo concedit, sic iram definiens: *Dei motum animi ad coërcenda peccata insurgentis*: cui consensisse videtur Alexand. p. 2. quæst. 156. m. 2. ante med. m. 4. sub finem, eam definitionem non memorans, sed nec communem supponens: quare illam Lactantij æstimo supposuisse, eidem conclusioni adhæsit ex instituto Soarius 3. de attribut. cap. 7. numer. 8. ac fusus opusculis disput. de iustitia Dei sect. 5. iram statuens in affectu iusto vindictam de peccatis faciendi: quo pacto iram Dei videtur definiisse S. Thom. 1. 2. quæst. 47. art. 1. ad 1. quæstion. 48. art. 6. & 7. cum tamen ibi, quid iræ nomine in Deo significetur in scriptura solum doceat, non tamen illud proprie iram esse. Ratio vnica:

quia

quia quod affectus coërcendi, vel puniendi peccata ex animi dolore oriatur, vel secus extrinsecum quid est iræ conceptui: sicuti, & affectui misericordiæ, quod ex mali compassione, vel secus oriatur: quare, sicut Deo, cui compassio propria est impossibilis; propria misericordia conceditur, ita & ira; etsi vt vidimus dolor proprius de nostris peccatis sit Deo impossibilis, fauet scriptura toties itam in peccatores Deo tribuens, atque odium in ipsos.

2. Negandatamen Deo propria ira est cum Magistro in 1. d. 45. §. *ideò autem* vbi S. Bonauent. dub. 10. lit. & Capreol. art. 1. conclus. 7. & 15. & sententiarij reliqui S. Thom. quæst. vnic. a. 4. corp. & ad 2. 1. p. quæst. 20. art. 1. ad 2. & cæteri interpretes, & 1. cont. gent. cap. 89. §. vlt. cap 91. col. vlt. Ferrara vtrobique Vasquez ex instituto d. 84. cap. 8. Herize citata d. 20. cap. 4. fine Ruiz citata d. 14. tota sect. 5. Arriaga cit. d. 25. sect. 4. conclus. 1. Probatur ex definitione iræ apud Philosophos, & Patres (excepto Lactantio) omnes, staruta, ac proinde non nisi irrationaliter mobili: maximè, cum adiunctæ aliæ affectum alium animi contineant, vt videbimus, igitur Arist. 1. de anima c. 1. text. 16. ait: *ira est appetitus doloris vicissim aduersario referendi*: 2. Rhetor. c. 2. init. *Sit ergo ira apparentis vltionis appetitus cum dolore propter apparentem immerito, vel in se vel in suis contemptum*, & cap. 4. sub finem iram ab odio discernit: *quod alterum ira cum dolore est; alterum absque dolore: dolet enim, qui irascitur; qui odit non dolet. Nam ille inuicem dolere ipsum vult, cui irascitur; hic vero non esse quem odit*: quare nec posse dolere; 7. Ethicor. cap. 7. med. *qui facit per iram, dolens omnia facit.* Nemesius 4. Philosoph. cap. 13. seu de animæ facultatibus cap. 21. *ira est vecturationis appetitus*, & fine: *cum enim ratio indicauerit rem esse dignam, quæ ægrè, & molestè feratur, succedit ira: simodo proprium & naturalem ordinem tueantur*. quæ & Gregorio Nysseno (cui tòti libri hi de Philosophia Nemesij inserti, & adscripti sunt) communiter tribuitur: certò vero in eandem sententiam hæc Nysseni sunt d. de anima & resurrect. post init. *Aliis verò* (nempe iracundia videtur) *appetitio vlciscendi eum, à quo lacessitus, & ante lasus sis; sed, vt nos arbitramur, iracundia est appetitio nocendi ei qui concitauerit. & ad iram prouocauerit*: vocat autem concitationem ad feruorem sanguinis, qui circa cor est, nec sine passione, & dolore appetitus est: in eo quippe feruore vulgo iracundiam consistere immediatè dixerat, ac sic non idem per idem definit iram definitam in eius definitione vitiosè ponens.

3. Consonat Damascenus 2. de fide cap. 16. vt recte S. Thom. 1. 2. quæstion. 46. art. 3. argum. 3. cum solut. vbi asserit ex Damasceno eo loci, & Nysseno, ex desiderio, & tristitia, seu dolore componi: & ait, quatenus ad desiderium attinet, componi ex illo, tanquam ex causa, nam concupiscibiles affectus sunt sæpe causæ affectuum irascibilis: quia, scilicet, ira affectus dispicentiæ est erga alterum ob dolorem ab ipso illatum, cuius retaliationem essentialiter appetit, ob receptum etiam ab illo dolorem, tanquam occasionem obiectiuam, seu motiuum: vnde disiecta vnica aduersariorum ratio manet, quæ de principio efficienti, non autem de obiectiuo (quale est respectu iræ dolor) vt summum probaret. Definitioni eidem consonant Ambros. in Psalm. 37. column. 1. dicens: *non irasci eos, qui summa patientia celebrant vindictam*: & Chrysostom. homil. 23. in 2. Corinth. 11. circa finem. *Non enim iræ locus est, vbi non est, qui exasperet*. Basil. in cap. 5. Isai. sub fin. *Ira verò indicat fixius hærentem, & prolixius extensam expletionem conceptæ tristitiæ*. Eodem recidit definitio, vt communis Philosophorum recitata, & probata à Ciceron 4. Tuscul. *libido puniendi eius, qui videatur lasisse iniuria*: etsi enim inquit Augustin. 14. de ciuit. libido in malam sumatur partem pro venereo appetitu: ideò tamen est: quia cum libido sit affectus voluptatis resultantis ex mitigatione doloris pruritus & tristitiæ, quæ eo maior quo molestia aliqua maior est, vti in libidinoso pruritu, proinde eius voluptatis affectui applicitum vocabulum fuit, quod generale est. *Nam & ipsam*, inquit, *iram nihil aliud esse, quam vlciscendi libidinem veteres definierunt*. consonat Possidonius apud Lactan. supra c. 17. longè à med. *ira est cupiditas eius, à quo te iniuste putas lasum*: & Prosper. 12. iram Dei in damnatos adhuc resipiciens ait: *Non concupiscit Deus panam reorum, tanquam saturari desiderans vltione*: seu dolorem ex peccatis conceptum, vt famis dolor saturitate sequente. Huic ergo immobilis definitionis principio pro maiore posito adde minorem: atqui Deo dolor, tristitia, læsioque ab alio, etiam enormiter peccatore, repugnat: ergo & ira.

4. Ratio secunda sit Ambrosij, vbi proxime, Cyrilli 5. contra Iulian. sub med. quia & legislatores in sceleratos, & Iudices ex legibus præcise illos ex iustitia vindicatiua punientes (absit affectus alius odij, & crucianti ob dolorem, ex contemptu, aut iniuriam ipsis, vel suis illatam à delinquente) absque ira vlla damnant, & puniunt: imò ne aliqua iræ, odiive occasio in pœnis infligendis iudicibus præbeatur, vt plurimum eos à Iudicio ob iniuriam ipsis illatam remouent leges. Hanc rationem continent verba illa Sapient. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas*, Sedet in sequentibus: *subest enim tibi cum volueris posse*, tertia ratio videtur contineri, quam Augustinus epistol. 115. ad Nebrid. dedit circa finem, alia hac iræ definitione adhibita: *ira est turbulentus appetitus auferendi ea, qua facilitatem actionis impediunt*: vnde & S. Thom. 1. 2. quæstion. 23. art. 1. & quæstion. 46. toto art. 3. docet iram non insurgere, nisi magnitudine aliqua existente, vel in vindicta sumenda, vel in persona, de qua sumenda est, vt aliquo modo irascibilis affectus ardium obiectum debeat habere: quo etiam respexisse videtur Alexandri proxime m. 1. init. iræ definitio: *ira est tristitia ex impotentia se vlciscendi*: cum autem Deo, cum voluerit posse subsit, omnibusque virtute, dominatu, & maiestate longissime & infinitè eminear: nihilque, siue ex vindictæ, siue ex personæ, de qua sumenda est, arduum & difficile esse possit; neque affectus iræ erit ipsi, inde etiam, possibilis. Huic tamen rationi non adeo, atque Ruiz noster fido: quam insectari longius tredet; satis sit id lectores monuisse. Neque Augustinus eo loco rigide iram definiuit; sed, quod quandoque in eius affectibus aliquot euenit notauit, sicuti & Alexander, qui affectum vnum impotentis se vlciscendi, pro iræ definitione posuit. Nec Sapient. locus fauet, vt retum legenti patebit; nisi tranquillitati, cum qua iustiam Deus etiam vindicatiuam exerceat: ac profundæ alque iræ in impios suspicione: imò nec odio, vllo aduersus temporaliter iniquos, quos etiam punit, cum magna reuerentia disponens, salutis potius eorum, quam debiti supplicij, & vindictæ, ad æqualitatem cum meritis curam agens: paulatim eos, & per partes punicns, vt corrigantur, & ad pœnitentiam reuocentur: nec statim eos, ac primum peccant, in infernum detrudens, quia iustitiæ suæ ea peccatorum misericordi tolerantia detrahat; cum subsit illi posse, cum voluerit, ad æqualitatem punire.

5. Porro conclusionem eandem concordes Patres confirmant: Basilius proxime ex ipso recitatis numero 3. adnectit: *Proinde religiosum sit, ac pium nostrum* (iram, ac furorem) *admittere diui probrie de Deo. Tetrica enim sunt ista locutiones*: & in Psalm. 37. *Domine ne in furore tuo*, &c. sub initium ait: *sape dictum est: quomodo ira, & furor Dei cum in scripturis diuinitus inspiratis neminantur, non affectus significent: cum diuinitus ab omni prorsus perturbatione sit aliena; sed metaphorice, hoc est translatiuè istiusmodi consueueris vsurpatione scripturæ locutio; sicut, & oculos Dei, & aures &c.* Idem infra: *vt si quis impendentes ex legis præscripto homicidas panas, iram, & furorem nominet; non hoc ideò fieri, quod lex irascatur*. Ambros. in Psalm. eundem dolorem a *Non enim Deus passioni patet, vt irascatur, cum sit impassibilis; sed quia vindicat videtur irasci*: sub inferius *versus habet; vt dicamus, de quoquam punito: quia iram incidit legum: non quia iram: sed quia legum sententiam*: consonat cap. 4. de Noe, & arca recitatus certe r. numero 3. Chrysostom. serm. de pœnit. & confess. de *secro vos*: versus finem: ad id Deuteron. 32 *Dimitte me, vt irascar*, ait: *vt scias, quod ira in Deo non sit affectio, sed pœna in nos, eo vocabulo nuncupatur*: Cyrillo Alex. citat. lib. 5. cont. Iulian. longe à med. *quamuis*

peitur definit contra prauaricatores quosdam panam, tunc à nobis irasci dicitur, quam iracundiæ affectionem ferre nequeat: consonat Epiphan. hæresi 138. post med. Hilar. in Psalm. 2. ad id. *Tunc loquetur ad eos in ira sua*; Hieron. ad id Psalm. 29. *quoniamira in indignatione eius*: & in Isai. 65. ad id: *isti fumus*. Malach. 1. *Esau autem odio habui*. August. in Psalm. 105. ad id *& iratus est furore Dominus*: epistol. 157. ad Optat. vers. med. 13. de Trinit. cap. 16. vers. fin. Isidor. 1. sentent. de summo bono cap. 5. initio. Cyprian. epist. vers. fin. post lib. 5. epistol. in lib. 1. pœnitent. metaph. de Deo iram dici ait: sicuti & Damascen. 1. de fide cap. 14. sub fin. & frequentissime Origen. homil. 2. in 2. Iudic. sub fin. & ad id Roman. 1. *reuelatur ira Dei* & 4. contra celsum long à med. Anselm. in 1 ad Thessalon. & in cap. 2. post med. denique frequenti scripturæ locutioni Patrum omnium, & interpretum concors hæc interpretatio satisfacit. Rationi vero inde peritæ, atque pro similis frequentiæ locutionum scripturæ proprietate nobis etiam vsitatæ, & efficaci, respondetur: in eis vocibus aliquid, quod proprie Deo conueniat, nec aliis aptioribus nostris exprimi queat, significari: ad affectum vero punitiuum, qui solus in Deo est, vt hactenus vidimus, voces habemus proprias: quæ proprietate sermonis aliarumque simul Deo indignum aliquid significent, vsum & acceptionem non licere. Secundo: neque vllam vocem proprie ad Deum transferri vnquam, quæ essentiali conceptu obiectiuo, & significato suo, sed solum comitante, in creaturis imperfectionem consignificet: irà vero, vt vidimus essentiali conceptu suo passionem, & dolorem, vt occasionale obiectum, seu motiuum suppositum consignificat: vt pœnitentia peccatum, & debitum restitutio.

DISPVTATIO VI.

De ordine decretorum seu affectuum liberorum Dei.

IBERIS Dei affectibus, & vniuersim adsertis, & speciatim recensitis, quem nam intersese intentionalis puræ (quam solum in diuinis affectibus admitti posse diximus) prioritatis, aut posterioritatis seruare possint, ac seruent, examinare proximum est: & primo absolute an intentionis, & executionis ordo inter liberas Dei volitiones intercedat. Secundo inter volitiones liberas efficaces, quæ solæ decreta diuina sermonis proprietate nuncupantur, & respectu quorum effectuum possit intentionis & executionis ordo inter eiusmodi decreta admitti: an etiam respectu creatarum actionum liberarum? quod ipsum est, ac quærere de præfinitionis, seu intentionis efficacis diuinæ de nostris liberis actionibus, siue vlterioribus effectibus earum interuentione obtinendis possibilitate quæstio quidem inter scholæ Thomisticæ ac nostræ Iesuiticæ Doctores celebris, & subtilis; quamque, nisi, qui scientiæ nostræ mediæ naturam, & essentiam intimè penetrarint, agitare tuto, & citra aberrandi periculum minime poterunt, vt suo loco patebit. Non agimus autem de prioritate volitionis necessariæ, qua se diligit prioritate specificatiui adæquati prius, quam volitio eadem prorsus entitatiuè, & identicè insectilis ad creata extendatur, ac se se explicet. De eiusmodi enim prioritate, quali, quali, nulla est, esseue apud Theologos quæstio potest.

QVÆSTIO I.

Quisnam ordo diuinarum voluntatum liberarum assignari possit, ac debeat.

HAc in re multum inter Theologos non sine confusione, & æquiuocatione plerumque disputatur: quare prius certa, quæ omnibus esse in hac quæstione debent & in quo dissidium esse apud doctos possit, exacte explicandum, statuendumque est: vt, in quo docti nostri Magistri reipsa dissideant, etsi aliud propositionibus absolute sonent, deprehendatur, solidiusque, ac tutius super eorum oppositione ferri iudicium queat.

CERTAMEN I.

Quæ certa omnibus esse debent, & difficultatis seu controuersiæ scopus proponuntur.

1. STatuendum est primo ordine executionis solum considerato decreta executiua de facto remotiorum mediorum à fine priora esse decretis executiuis proximiorum fini vera intentionali, quasi naturæ prioritate: atque in hoc nullam posse esse controuersiam: siquidem remotiorum mediorum, quæ de facto sunt, existentia præsupponi debet, vt in proximiora media influant, exigantque Dei concursum ex parte sua executiuum in proximiora, & hæc in alia, & immediatum fini in finem ipsum: ac proinde eo ordine Dei decreta executiua, (sine quibus absolutam existentiam, & concursus diuini exigentiam habere non possunt) debent aliis præcedere: vt eo scilicet executionis ordine decretum executiuum finis postremum sit. Dixi statuendum imprimis hoc bona nostri Ruiz de Montoia pace, qui Recentiorum quorundam doctrinæ à se vniuersim impugnatæ d. 24. sect. 1. num. 2. ex parte consensit num. 9. & 10. assereus ordinem executionis respectu diuinorum decretorum extrinsecam denominationem à rebus volitis Dei decretis esse, solumque esse in his, vt summum, vt obiectum volitum: quatenus vult hanc rem medium, vel remotius, vel proximius, atque illam finem esse, eumque inter se se ordinem seruare: quare & ordo hic executionis rerum diuinæ voluntatis obiectum est. Cæterum ipsum executionis ordinem formaliter, & per se neque esse, neque posse intercedere: quia ordo ille executionis semper est efficientia, aut causalitatis materialis, quæ inter diuina decreta esse nequit: cum nullum aliud actiue causet, vel disponat ad illud. Sed hanc ipsam rationem impugnauit ipse in Recentioribus illis num. 2. & omnem imperantis actus intentionisque & electionis ordinem cum illis Recentioribus reddit contra ipsum impossibilem, confirmationē subiungit ad rem hanc inutilem, vt quæ impossibilitatem ordinis executiuorum decretorum ab ipso assertam, & confirmandam non probet; sed solum posse esse finis, & mediorum volitionem eandem atque electionē medij cum finis intentione identificari ac proinde absque vllo ordine prioritatis veræ finem, & media amari à Deo: quod aliud est infra disputandum. Ratio vero à nobis breuiter data, demonstratio ordinis formaliter in decretis diuinis executiuis atq; ipsorum conceptionis à Deo omnino est: cum probet euidenter vnum à Deo concipi, & existere intentionaliter priusquam aliud ità à Deo concipiatur, quod illud præconceptum, & prius habitum existensque in Deo supponit.

2. Rei ergò difficultas est in præsenti, an inter liberas volitiones Dei ordo intentionis & executionis intercedat, ità vt intentio finis ordine intentionis electionem mediorum omnem præcedat, sicut omne executiuum decretum mediorum eius decretum executiuum subsequitur atque illis omnibus posterius natura intentionali, non autem physico, ordine prioritatis, & posterioritatis, immò postremum executiue sit, vt diximus: ac subinde electio medij proximi, & immediati ad finem, prior etiam in Deo sit electione paululum remotioris, sicque vsque ad remotissimum cuius executiuum decretum ordine executionis primum in Deo iuxta dicta est, vt verum in diuinis etiam liberis volitionibus; nec solum in obiectis eorum Philosophicum illud, & Theologicum proloquium, & principium vniuersim habeat: *quod est prius, vel primum in intentione, est posterius, vel postremum in executione*, vt Aristot. docuit 3. Ethic. c. 3. circa medium asserens, consultationem & inuentionem medij peruenire ad illud medium quod est prima causa in executione, & postrema in intentione, quibus proloquium illud contineri bene ostendit Eustracius Episcopus Nicen. eius interpres ibi, ac melius S. Th. 1.2.q.1.a.2 corp. cum quo eius interpretes & Scholastici Philos.. & Theol. ad vnum eiusmodi propositionem, tanquam axioma recipiunt, id quod euidenti argumento est in nostris intentionibus, & electionibus saltem cónaturaliter loquendo indubitatum esse debere. Dixi autem consulto, *inter liberas Dei volitiones*, non autem, *decreta*: quia decreti nomen absolutæ voluntatis efficaciam absolutam proprietate sermonis significat, ratione cuius intentionis ordo, imò, & executionis, dummodo decretum rei positionem absolutam natura præcedat respectu actionum nostrarum liberarum specialem habet difficultatem, etsi ex scientia earum media, eiusque directione à Deo concipiantur, valde apud nostrates etiam, nec dissidio leui agitatam de qua q. 2. & cui soli ex nostris plerique intendentes præsentem quæstionem cum sequente confundunt, & ex iis, quæ in aliis circa quæstionem sequentem legunt inconsequentiæ circa præsentem incassum arguunt; cum, nec illos, nec se distinctione debita intelligant.

3. Porrò in ità explicata difficultate quæstionis præsentis posse eum ordinem eo axiomate præscriptum in diuinis volitionibus liberis intentiuis, electiuis, & executiuis reperiri indubitabile reputat Ruiz proximè num. 5. est tamen à pluribus doctis, ipso etiam aliquos recentiores referente, dubitatum, imo, & ab aliis sapientissimis, eum enim ordinem in diuinis intentionibus, & electionibus intrinsecum mediorum ad finem negauit Molina nostet asserens sæpe, & vbique constantissimè, intentionem finis ab electione mediorum, ne ratione quidem nostra, differre in concord. ad q. 25. 1. partis d. 2. c. 1. & 2. & 1. p. ad eam q. c. 3. §. Hinc iam facile, & q. 1. *est* c. 4. & 5. & m. 7. & 8. §. *Tertius est* citatur etiam Valentia ibidem d. 1. qu. 4. §. 4. concl. 2. immerito tamen, ex eo quod dicat Deum non nisi ex scientia conditionata cooperationis adultorum gratiæ diuinæ eos ordinare, & prædestinare ad gloriam. quod verissimum quidem est, etsi mediorum effectum consecutionis gloriæ habiturorum huius intentione sit posterior: quin Valentia ipse §. 4. assert. 2. oppositum contra Caluinum videtur asserere, conformiusque est ipsius doctrinæ q. 2. recitandæ. Molinæ vero conclusionem de identitate omnimoda intentionis, & electionis diuinæ, etiam ratione nostra, quæ ordinem veræ prioritatis, & posterioritatis intentionalis, inter eas prorsus excludit (etsi eum relinquat in obiectis ità à Deo ordinatis, vt vnum finis sit, alia vero media) docent Theologi Recentiores memorati à Ruiz, quos bonæ notæ Theologos testatur Herize d. 15. c. 2. n. 11. verum hi vltra Molinæ rationes aliam ex propriis adduntes eas tamen omnes certam. 2. efformatas reiiciemus.

4. Ex aduerso præfatum ordinem intentionis, electionis, & executionis in diuinis volitionibus Doctores alij, non solum possibilem, sed & de facto admittunt, atque connaturaliter loquendo, ità esse admittendum: ac iuxta illum diuinas volitiones liberas esse Theologicè ordinandas: ita Scot. in 3. d. 7. q. 3. d. 19. q. 1. & d. 32. a. 3. statuens, vt coordinandorum diuinorum affectuum principium, *qui ordinate vult, prius vult finem quam ea quæ sunt ad finem*: additque, *& prius vult magis bonum, & propinquius, & accommodatius ad finem, quam quod minus bonum est, & minus ad finem accommodatum*, ex quo ad verbum Gabriel ea disp. 32. q. vn. a. 1. notab. & fere ad vero Oram. in 1. d. 41. q. vn. solut. argum. in addito autem hoc de medijs seu bonis, *qua vtilibus* ad finem loquitur: & ex iis, non solum propinquius, sed in suo quodque gradu, quod melius, magisque vtile ad finem est, præ minus vtili, bonoque ad finis consecutionem ab eo, qui ordinate vult esse præeligendum: vnde ex hac Scoti regula non infertur Deum teneri ad amandum maius absolute, aut melius secundum se, & entitatiue bonum præ minori, adhuc connaturali, & ordinaria prouidentia; nec posse item, pro libito, ex pluribus entitatiuæ bonitatis in æqualibus, vnum velle prius, aliud vero posterius. & è contra: vt ibidem & in 1. d. 41. sæpe Scotus supponit: dummodo vicissim alterum ad alterum possit conducere; neque ex voluntate pure appretiatiua rerum ordinentur; sed ex voluntate Dei pure affectiua iuxta sæpè à nobis explicata d. 5. quæstionibus postremis. Denique non infertur ex hoc Scoti principio: Deum non posse vti mediis secundum se minus aptis ad finis, secundum se præcisè considerati, consecutionem vti ad mundi conuersionem videtur vsus infirma mundi eligens, & stulta mundi, vt sapientes confunderet ac fortes: nam & id Deus vltra mundi conuersionem Deus intendit, vt sublimiras sit virtutis Dei: quod nisi ineptioribus mediis adhibitis non obtineretur: quare intento à Deo fini quo de se ineptiora, eo erant aptiora: quare limitationibus, & temperamentis pro Ruiz sect. 2. à nobis ad c. adhibitis doctrinæ Scoti, vt ea coordinandis de facto liberis Dei voluntatibus tuto Theologis inseruire, minimè eget.

5. Idcirco præfatam Scoti, & Nominalium sententiam nihilo diuersam, sed eandem prorsus censeo cum sententia nostri Suarez 3. p. t. 1. d. 5. ante difficult 1. & difficult. 2. & lib. 1. de essent. prædest. c. 8. à §. *Prima ratio*. Nimirum ordine intentionis prius finem amari, & eo ordine proximiora media, quam remotiora: quare, ex eo posterius à Deo quodque eorum amari, & eligi, quo remotius à fine est: quod ipsum vt explicuimus nihilque aliud additamentis illis Scotus & Nominales docuerunt. Eandem sententiam tenet Vasquez 1. p. t. 1. d. 89. cap. §. *Quarto etiam* & cap. 11. nec vir consequentiæ, & constantiæ laude præstantissimus sententiam hanc suam in qua vniuersim sumpta cum Soario conuenit, vsquam limitauit locis aliis non paucis quæst. 2. referendis, asserens gloriam, quæ finis conferendi gratiæ auxilia, & merita ad eam obtinendam Deo fuit, ante præuisa absolutè, quare & volita à Deo merita amari ab eo absolute non posse: eis enim locis loquitur expresse, non de voluntate absolute tali gloriæ, sed de absolutè efficaci gloriæ à Deo intentæ: quam, etiam efficacem absolute, & posse, & de facto in Deo esse ante absolute præuisa merita prædestinati Soarius affirmabat, contra quem acriter eis locis decertat; non autem de anteriori ad merita ordine intentionis intentione, non absolutè efficaci Dei, erga gloriam prædestinatorum vt finem: in quo nusquam à Soario discordauit, sed prorsus cum eo consensit, sed quoniam, vt dixi plerique simul hanc quæstionem de ordine intentionis diuinæ voluntatis vniuersim, ac sine addito absolutè efficaciæ, cum alia de voluntate efficaci miscent, mirum non est nostrum Ruiz sect. 2. num. 6. fine conclusionem affirmatiuam in præsenti quæstione eis locis à Vasquez limitatam censuisse, & Arriagam disp. 35. sect. 7. prætiuncula ante subsection. 1. acrem, Vazquio, & Soario super ordine intentionis, & executionis diuinarum volitionum vniuersim pugnam esse dixisse; cum reuera de volitionum efficacium ordine pugna solummodo sit. Soario, Vasquio & Scoto consensit Herize disput. 25. sect. 2.

6. Hunc certe, & Vasquium cum asseclis pluribus volitionum liberarum per extrinsecos effectus, seu actiones constituentibus facile in præsente impugnaremus: quod hæc sententia cum illa nequeat consistere ni contra illam agentes ostendissemus nullum connotatum extrinsecum quo diuersorum finium, quos Deus in eiusuis effectus, seu actionis creatæ, per diuersas similitudines liberas volitiones, habere potest assignari ab his doctoribus posse: quare libertati volitionum diuinarum ordine executionis ea sententia satis de commo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tatis prouidere ; nusquam autem liberis ordine intentionis : quare & hunc volitionum diuinarum ordinem intentionis eiusmodi constitutione diuinæ voluntatis per extrinseca prorsus aboleri, reddique impossibilem. Porro Scotus Soarius ; & Vasquez vltra connaturalitatem prioritatis, & posterioritatis inter intentiones, & electionis ; & executionis voluntates diuinas ex quâ prudenti Theologia de facto voluntates liberæ diuinæ debeant coordinari à nobis, atque adeo coordinatæ censeri nihil video expresse asseritum de eius coordinationis necessitate absoluta, & oppositi absoluta impossibilitate, quam vnus Herize asseruit, vt cert. 2. videbimus ; vnum solum aduertendum hic est, vt contra statim dicenda obiectiones futiles præueniamus nonnullas : ad prioritatem veram intentionalem voluntatis liberæ vnius respectu alterius opus non esse vt illa ad hanc necessario determinet, sed satis, vt mouere, atque inducere ad hanc valeat, de factoque motione sua effectum huius voluntatis obtineat, vt in cogitationibus, consiliis, exhortationibus amicorum ad aliquid à nobis obtinendum patet, quæ nos minimè cogunt, aut determinant ; & tamen voluntatis, & effectus à nobis per ea obtenti causæ sunt, & naturæ prioritatem respectu illius habent, quia ad ea nos sollicitant, inducunt, & mouent.

CERTAMEN II.

Non solum esse potest, sed de facto præfatus ordo in volitionibus Dei liberis est.

1. Duas conclusiones præfixus continet titulus. Prima in diuinis volitionibus liberis potest esse ordo, quo finis intentio prior sit vera intentionali pura prioritate, electione mediorum, & remotioris electione, etsi contra executionis ordine diuersus omninò, imò inuersus, & prorsus aduersus ordo sit, vt ostendimus certam. 1. num. 1. conclusio hæc nostro Molinæ, & recentioribus citatis certam. 1. num. 3. contradicit. Est autem reliquorum Theologorum adeoque de se certæ, & perspicuæ veritatis, vt eam indubitatam asserat ibi memoratus Ruiz. Eiusautem ratio quia cum Deus omnium Sententia liber sit ad quæcunque obiecta creata amanda omnibus modis, quibus ipsa amabilia sunt : atque in obiectis creatis sit bonitas absoluta propter se, & per se amabilis motiuè etiam vt vidimus disput. 3. ac sæpius in controuersia hac : & rursus, amabilitas, & bonitas respectiua conducentiæ, & vtilitatis ad aliud, vt finem præamatum ac præintentum : poterit obiectum creatum, & propter se, & per se gratiaque solum sui à Deo amari, ac proinde independenter ab amore mediorum, atque alia, vt vtilia, & conducentia ad illud quod per se & gratia sui præamauit ; alioqui bonum illud propter se, & per se amabile non esset, si non aliter, quam dependenter ab amore mediorum amari posset ; nec tunc per se magis amabilis finis, qua talis, quam media essent ; cum neutrum sine altero amabile foret, vt patet : id autem contradicit bonitati, & amabilitati absolutæ, & per se & bonitati, & amabilitati vtilitatis ; seu gratia alterius, & propter aliud per se amatum ; quod in obiectis creatis esse tota Philosophia, & Theologia supponit. Abstineo probationibus nostri Herize citat. cap. secundo proposit. 2. numero 16. & aliorum petitis à paritate scientiæ diuinæ de obiectis creatis in se à Deo cognitis ac simul in alio verbi gratia Omnipotentia, assistaque variis mediis formalibus, seu motiuis, aut verificatiuis : quia nihil in alio, tanquam motiuo, determinatiuo, aut verificatiuo cognosci à Deo posse, sed singula & omnia, in se solum ipsis, à Deo cognosci ostendi fusè controuersia de scientia distinct. de mediis formalibus diuinæ cognitionis quæst. vlt. in aliter vero consentibus vim ad hominem suam ea argumenta habent.

2. Arguit primo Molina. Consultatio mediorum post finis intentionem, ac proinde & eorum electio ideò in nobis est, quia medium aptius fini, nobisque executu facilius ignoramus, cum finem per se & propter se intendimus, suique gratia solum : atqui Deo nullum medium facilius, accomodatiusque executu est, nec aptitudinis maioris, vel minoris ad effectus consecutionem, tum intrinsecæ, tum extrinsecæ ab eius per hoc medium potius, quam aliud, si effectus contingens, & liber sit, ignorantia adesse potest, cum simplici & conditionata contingentium omniscientia polleat : ergò nec potest in eo esse consultatio, & electio mediorum finis intentione posterior. Respondet bene Herize negando maiorem, quia absolutam bonitatem, & amabilitatem per se, & propter se, gratiaque sui solum obiecti independenter à mediorum amabilitate possit quiuis cognita mediorum aptitudine & vtilitate, &c. perfectissime, præ suæ voluntatis libertate illud propter se prius amare, atque ob illud, eiusque gratia medium ex pluribus, imò omnibus eligere : quare consultatio iudicij de medio eligendo posterior finis intentione, non esset ; cum tamen esse electio medij ea intentione posterior possit.

3. Respondeo secundo : etsi in Deo scientia possibilitatis omnium sit, & omnium item contingentium conditionatorum, non tamen scientia possibilis vnius etiamsi medium & vtile ad illud sit requiri aut dirigere ad amorem alterius ; etsi in nobis scientia possibilitatis mediorum, quibus amandum consequi possimus requiratur : tum quia eius possibilitas nobis aperte nota non est, sicut Deo ; nec nostræ subest potestati necessaria media adhibere, ne in absolutè, vel certè nobis impossibile irritò, & imprudenter voluntatis nostræ feratur conatus ; sicut Deo subest, ac subesse sibi ab ipso noscitur omnipotentiæ suæ prorsus à possibilitate rerum independentis, & absolutæ cognitione : quare vt in finis amandi absolutam bonitatem, & amabilitatem per se, & gratia sui feratur, nulla possibilitatis mediorum scientia eget, aut dirigi debet, etsi in omni scientia simplicis intelligentiæ cum finis possibilis amandi scientia qua dirigitur illam identicè habeat. Multoque minus, si amandus finis contingens sit scientia conditionata Deum dirigi oportebit : cum eius amabilitas, & bonitas intrinseca pro statu possibilitatis per simplicem intelligentiam cognita mouere sufficienter possit, quin ad statum futuritionis conditionatæ contingentis illius diuersum, posteriorem eius possibilitate diuina scientia se extendat : expectanda esset futuritionis conditionatæ scientia ad contingentis illius efficacem Dei intentionem natura, & essentia sua infrustrabilem (de qua nunc non agimus) ad intentionem verò absolute talem non autem efficacem sed inefficacem contingentis (de qua hic) & frustrabilem imò de facto in reprobis toties frustratam, non est vnde vltra simpliciem eius intelligentiam scientia Deo conditionata requiratur. Ad prædestinationem verò hæc requiritur, non ratione intentionis gloriæ (quæ inefficax sufficit, vt minimum) sed qua præparatio, & electio mediorum est, quibus certissimè prædestinati saluentur, vt controu. 7. ostendemus.

4. Secundo argumentatur Molina citato num. 8. quia Deus vult gloriam non absolute, & secundum se solum sumptam, sed vt coronam, & præmium : addunt Recentiores, & cum eis Asseclæ, vt hæreditatem filiorum per gratiam sanctificantem adoptiuorum, quod non, nisi per merita, & gratiam assequibile à Deo est : ergo non intendit gloriam independenter à meritis, sed prorsus dependenter à meritis in ea etiam intentione : ergo eodem actu vult finem gloriæ, & merita saltem vagè. Probant hanc consequentiam Recentiores præfati ex S. Thoma 1. 2. quæstion. 12. art. 1. ad 4. quia intentio non est volitio boni secundum se, sed vt assequibile per aliquod medium : ergo neque est volibile, nisi vt assequibile : atqui gloria, corona, & præmium, & hæreditas non est assequibilis, nisi ratione meritorum, & gratiæ sanctificantis : ergo & hæc simul amantur saltem vagè. Argumentum hoc, etsi intentum propositum de intentione speciali gloriæ, ità, vt volunt, intentæ concluderet, nihil contra conclusionem nostram præstaret ; quæ non contendit non posse non finem, & media

diuersis actibus amari, sed solum posse amari diuersis, & tunc subinde prius amari finem, einsque amore, & intentione eligi media posterius ordine, & modo explicato: quod verum absolute esset, etsi ità, vt dicitur, intenta gloria, intentio, & electio identificarentur: nec prædictum ordinem seruarent: satis enim esset, si aliter intenta à Deo gloria non, vt præmium, corona, & hæreditas, vel alius quispiam finis, diuerso intentionis actu à mediorum electione amari posset, vt præfatus ordo in volitionibus liberis admitteretur possibilis vt patet.

5. Generale illud principium, quod ex sancto Thoma recitant, & assumunt Recentiores præfati vniuersaliter præsentem conclusionem oppugnat, & rationem datam: quare miror illud à nostro Ruiz vt certum assumi: indeque variis distinctionibus, casibus, & conclusionibus rem potius confundit, quam illustrat. Quatenus ergo ad rem præsentem attinet, melius (meiudice) reliquis huius conclusionis Recentioribus, & consequentius, principium illud, eiusque veritatem penetrauit Herize citato cap. 2. nu. 17. vers. fin. §. ad 2. & toto num. 18. Negat igitur finis intentionem tendere formaliter, & expresse in finem formaliter, vt assequibilem per media ab illum intendente; sed solum in eum, vt talem tendere virtualiter, & implicite; quod ità intelligendum est: vt eius assequibilitas per aliquod medium adhuc vage, si plura sint, nec per aliquod determinatum, si sit vnicum ea intentione finis ametur expresse, sed ob suam bonitatem, & propter se; alioqui non propter se solum sed propter assequibilitatem per aliquod vage, vel per determinatum medium amaretur: quod contra finis rationem est vt videbimus tertia conclusione cert. 3. statuenda, atque assequibilitas partialis finis eius voluntatis esset, solum ergo media, per quæ obtinendus finis est, eiusque assequibilitas per illa virtualiter finis intentione amantur: quatenus ea finis intentio, si efficax absolute sit actiue ad mediorum electionem, & amorem determinat; si autem, non absolute efficax sit, nihilominus actiue ad eiusmodi amorem, & electionem inducit; alioqui non amor desiderij & intentio finis esset, sed complacentia pura in eorum opinione qui erga obiecta, provt in statu possibilitatis præcisiuæ, quam supra impugnaui, eam admittunt, ostendimus autem solutione argumenti primi in nobis ad amorem finis per se, & propter se, gratiaque sui assequibilitatis eius à nobis, non quia illam etiam amemus, sed ne irrito amemus finem scientiam assequibilitatis eius debere præcedere; secus autem in Deo, cui possibilitate finis per simplicem de illo intelligentiam prompta est intentio, & secura: ex qua eadem simplici intelligentia de mediis, vel pluribus, vel vnico prompta etiam succeder pro Dei arbitrio electio, si ineffícax intentio sit; si enim efficax sit, ac medium vnicum, necessario succedet.

6. Sit Secunda Conclusio: præfatus ordo, & prioritas intentionalis vera intentionis finis respectu electionis mediorum, & executionis connaturalis est, ac subinde in eiusmodi volitionibus diuinis reperitur. Conclusio hæc est etiam, quoad connaturalitatem ordinis istius communis, & ex axiomate illo communi, *qui ordinatè prius vult finem deinde media ad finem.* Patet, hoc enim axioma connaturalitatem eius ordinis continet: nam quæ plerumque in rebus eueniunt (vt hunc ordinem in eis affectibus euenire ait, proloquium istud) connaturalia sunt, quæ autem raro accidunt, non sunt connaturalia, vel præter. Secundo illa dictione *qui ordinatè* vult, idem probat ordo: siquidem ille, cui se conformat, qui prius vult finem, quam media, non alius quam naturæ, seu naturalis eorum affectuum ordo est. Inde verò conclusio eum ordinem in eis affectibus diuinis constituens satis probatur. Nam connaturali modo obiectis, & affectibus, se Deum in suis volitionibus concipiendis de facto gerere Theologicè ceasendum est; vbi de opposito non constiterit ex scriptura, Patribus, aut conciliis: in quibus nihil est huic ordini diuinarum volitionum aduersum, imò nec speciatim in casu vlo, vt iam ostendam certum. 3. vbi conclusionem nostram postremam statuam: cuius præcipua probatio ab oppositi ordinis repugnantia erit. Conclusioni huic nihil speciale, admissa eius ordinis possibilitate hactenus statuta & vindicata, opponi posse video: idcirco, vt reor, nostri Ruiz Scoti regulam & doctrinam valde vtilem Theologiæ diuinorum affectuum coordinationi merito docet sect. 2. num. 2.

CERTAMEN III.

Præfatus ordo intentionis Dei, & effectionis, ita absolutè necessarius est, vt non possit non esse.

1. Hæc conclusio puncto præcipuæ difficultatis præsentis difficultatis respondet, & ferè omnibus recentioribus, nec solum memoratis, & Molinæ, ac Ruiz citatis, aduersatur, eam tamen intendisse iudico nostrum Soarez locis citatis, tametsi intentiones effectrices diuinas non excludat, etiam actionum nostrarum in executione liberarum, & effectuum ab eis in executione dependentium, de quibus nihil nos præsente quæstione. Eam expressius docuit Herize citato cap. 1. propos. 4. num. 19. Ratio est, quia de ratione, & essentia causæ finalis est ad mediorum electionem vere medio sui amore mouere: atqui nequit medio sui amore ad eam electionem mediorum vere mouere, ni vere eius intentio & mediorum electione prior, ac proinde præfatus ordo seruetur: ergò nequit esse causa finalis nisi eius intentio & amor vere prior mediorum electione, sit præfatusque ordo seruetur. Maior probatur ex definitione finalis causæ apud omnes firma, *cuius gratia*, (amore scilicet) *cætera* (id est media ad illud consequendum) *fiunt*; atqui nequeunt amore finis, seu finalis causæ media ad ipsum consequendum fieri, nisi medio sui amore ad mediorum electionem vere moueat: ergò motio finis vera medio sui amore ad mediorum electionem est de essentia causæ finalis seu finis vt talis. Minor proxima probatur: quia fieri medio amore finis media nequeunt nisi amor finis influat in electionem mediorum suo modo, ac subinde in eorum executionem: etenim si electione, & executione nusquam ad hanc intentione, & amore finis intercedente, media ad ipsum fiant, gratia, & amore finis medio minime fient; sed electiua ipsorum, & executiua voluntate solum, etsi autem finis, & mediorum amor identicè in eandem confluant entitatem, & amorem, ac proinde amore finis realiter identicè media fiant; non autem realiter formaliter amore finis fient: quare non realiter formaliter amore finis: imò nec magis fient illa amore, & intentione finis, quam finis fiat electione, & amore mediorum, realiter identicè, si vtriusque amor vnus identicè realiter sit: id quod aliter, ac nos, in hac conclusione opinantes decepit. Sed non aduerterunt finem, & media ita tunc in ordine ad amorem, & voluntatem se gerere, ac si duorum disparatorum obiectorum idem amor esset, quin vnum non fine alio ferretur, sed essentia & entitate sua in vtrumque fiunt: quo in casu neutrius vera intentio, ac finis motio in alterius electionem, imo neque vera electio esset, sed simultaneus solum amor ex libertate amantis in eundem affectum coniunctus: cui, sicut vnum obiectum bonum amare, ita plura bona simul amare liberum est, eum verò in iis obiectis, quorum alterum ad aliud vile, & conducens natura sua tamen cum altero æque primo ac simul natura amatur, ea conducentia non attenderet, sed materialiter solum se haberet: ac si omnino non adesset, sed disparatè se haberent: quare non aliter vtrumque, ac si disparatè se haberent ad eum amorem mouent.

2. Dices conducentia, & vtilitas medij amabilis est, atque item bonitas finis, non minus, atque duæ aliæ bonitates disparatæ: ergo sicut hæ eodem actu amabiles sunt, ità & illæ: ergo & medium, qua medium, & finis qua finis eodem actu amari possunt formaliter, nec solum materialiter, vt duo obiecta, quorum neutrum ad alterum conducat. Confirmatur: Nam Deum de facto velle gloriam, vt præmium, & coronam non, nisi per merita

merita obtinendam (saltem inefficaci voluntate) certum apud omnes est : ac proinde , & merita eorumque conducentiam ad gloriam : ergo de facto eodem amore amat gloriam , vt finem & conducentiam meritorum ad illam, siue merita ob eam conducentiam : quare , vt ad ipsam vtilia amat : ergo & in eodem amore amor medij , & finis , qua talium, absque vllo ordine veræ prioritatis, & posteriotitatis coniungitur. Respondeo distinguendo maiorem : vtilitas medij diuersa bonitas à finis bonitate & *amabilis propter se*, nego antecedens, & amabilis *propter aliud* concedo antecedens , & nego consequentiam. Nam in duobus obiectis disparatis cum neutrum propter aliud amabile sit, alterum præamari opus non est : vnde amoris identici obiecti vtilis propter vtilitatem eius ad aliud per se,& propter se amatum tanquam finem cum huius amore repugnantia incurritur. Quæ vlterius ostenditur, & clarius sola explicatione terminorum, & rationis formalis amandi media, seu vtilia, qua talia, ad finem , propter finem , eiusque bonitatem , ob quam is per se, & propter se amatur. Neque enim medium formaliter , qua medium , & vtile , eiusve vtilitas propter finem eiusque bonitatem amatur tanquam propter bonitatem formalem , seu rationem , ob quam medium amatur : eam siquidem medium , qua tale non habet , sed aliam vtilitatis ad finem , finisque, qua vtilitas est , essentialiter respectiuam : & quæ , ni finis ametur nihili ad mouendam illam voluntatis referat , quam si in medio non adesset : vnde manifestè fit finem amatum ad medij , qua talis , atque vtilitatis eius amorem debere præapponi quod enim amatum debet esse, vt amabilitas eius, seu ratio formalis amandi aliud subsistat , compertum est præamari debere : terminus enim omnis cuiusvis essentialiter respectiui (saltem , qui terminum ipsum non affert , vti actio effectum) prior natura est essentiali respectiuo : atqui finis amatus terminus est vtilitatis medij , vt amabilis, seu motiua amoris sui est propter finem,vt dixi : ergo huius amor prior est amabilitate,ac subinde medij amore amor finis.

3. Confirmatur. Nam , cum medium , vt vtile ad finem simul cum fine amaretur indiuisim, non magis amaretur eo amore finis per se , & propter se , & medium propter finem , quam hic amaretur propter medium & medium propter se : id quod terminis ipsis implicat , atque eum amabilitate , seu bonitate finis & medij repugnat : ergo, & repugnat amari eodem amoris actu, & indiuisim medium formaliter,qua tale,atque vt vtile ad finem & propter illum tantum, & finem,vt finem, & propter se. Maior probatur : Nam amore quo vtrumque indiuisim vnico actu amaretur , ita mutuò vicissim amaretur finis , vt eius amor dependeret ab amore medij, ac medij amor amaretur dependenter ab amore finis : cum neutrum eo amore identico & essentia sua respectiuo bonitatis vtriusque non amato altero amari posset:quare nec magis vnum propter aliud , quam hoc aliud propter ipsum amari eo amore posset : vnde neutrum,vel vtrumque mutuo sibi , & vt medium , & vt finis alterutrorum respectu alterius contradictorie amaretur , vel neutrum vt finis ; vel vt medium amaretur , vt contendimus : atque vtraque bonitas eodem gradu obiectiuæ motionis ad eum vtriusque simul & indiuisim amorem moueret. vt, inquiunt ad finem alium , ad quem neutra bonitas esset sufficiens : id quod exemplo illo in confirmationem adducto euidenter ostenditur : eo quippe constat gloriam, cum non , nisi vt præmium , amatur , non intendi,amative solam gratiam : quare neque esse eius amoris , seu intentionis integrum finem , & obiectum per se , & propter se; sed id etiam quod splendoris additur eam suis meritis & industria consequuturo vel ob iustitiam distributiuam à Deo in gloriæ retributione exercendam , qui ob alterutrum , finem non nisi meritoris gloriam amat. Ad quemvis autem ex eis finibus vtilitas medij seu meriti, quatenus ad gloriam secundum se comparatur, materialiter se habet : quare neque , vt vtilis ad illam , & propter illam vt finem amatur , sed qua medium & vtile est , ad distributionis iustitiam, vel recipientis splendorem vt finem sicuti & gloria danda , quæ ad iustæ retributionis exercitum medium est , & ad illam recipientis gloriam extrinsecam , & receptionis eius splendorem : quorum alterum , vel vtrumque cum ita adeo gloria & merita simul primo amarentur , euenire : quare nec gloria secundum se , vt finis , amaretur , nec merita , vt media , ad ipsam ; sed vtrumque ad finem alium præintentum & præamatum propter se , & per se à Deo amore vere intentionaliter diuerso , & priore.

4. Id ipsum in amoris eiusdem cuiusvis medij , & finis exemplis excogitabilibus euenire facile deprehenditur vti exempla plura quæ adducit Ruiz sectione secunda , numero decimotertio in quibus aduertendum est plerumque illum in eis,sicuti & Doctores alios, hanc quæstionem generalem confundentes cum alia de ordine inter intentionem , & electionem absolutè efficaces multam lectori nebulam offundere posse : fatemur enim efficacem voluntatem mediorum efficaci finis voluntate anteriorem esse posse : immò si finis , vel actio nostra libera , vel quid ab ea dependens sit , ad efficacem voluntatem finis mediorum , non solum electionem , sed & executiuum decretum , & absolutam actionum nostrarum liberarum positionem necessario supponi. Item : iis positis , vel non positis posse Deum eas in hunc , vel illum finem dirigere , diuersum etiam ab eo , è cuius intentione inefficaci auxilia , & media reliqua electa à Deo sunt : solumque asserimus ea media , qua talia , vt à Deo eligerentur , atque mandarentur executioni necessario alicuius finis amorem , & intentionem veram diuersam , & vere intentionaliter priorem supponere , quod in eis etiam casibus certissimum , & necessarium esse hactenus ostendimus : & cui constans semper Vasquez adsensit : solam antecedentiam intentionis efficacis finis per media libera obtinendi ad ipsorum electionem , & executionem (vti ex ipso nos , & ex Sapientissimis nostrorum negabimus) negans eis locis , quibus ab vtramque quæstionem confundentibus contra præsentem conclusionem citatur, vt q.2. videbimus.

5. Sed conclusioni præfixæ moderamen adhibeadum est , quod ab aliis non potest adhiberi nisi à nostro Vasquez , & eius rigidis sectatoribus. Nempe : num ordinem inter electionem & intentionem absolute necessarium esse , non autem inter electionem medij proximioris respectu electionis medij remotioris : quia inter media proximiora , nusquam habent rationem finis , vt docte , & fusè probat Vasquez 1.2. tomo primo , d. 4. capite secundo & quarto & breuius disputatione 40. numero 10. ac proinde opus non est remotius medium ob proximiora intermedia fini amasi , neque ob horum vtilitatem ad finem , sed vnumquodque medium ob vtilitatem ad ipsum : quouis enim gradu , & loco sit ad solum finem præamatum formaliter medium qua tale, & vtile refertur ; etsi physica & materialiter sumpta eius vtilitas nisi per media proximiora non esset. Hinc permissionem peccati effectum ,proprie prædestinationis esse ostendemus , quin inter medium peccatum amare cogatur Deus , siue hoc per humilitatem, aut pœnitentiam ad salutem conducat, controu.7. Hinc ergo opus non est , vt amor medij proximioris præcedat amorem remotioris , ac proinde à posterem amore poterit absolute ex finis intentione electio inchoari ; etsi , quia proximus medium , eiusque vtilitas, & conducentia ad finem prius à nobis inuestigatur, atque inculcatur , citius voluntas nostra proximioris amorem concipiat , ac deinceps remotiorum : etsi non ob media proximiora remotiora amanda sint : cum autem Deo prompta æque vtilitatis ad finem remotiorum, & proximiorum mediorum scientia sit , æque etiam liberum , & expeditum erit remotius , vel proximius medium eligere , siue ex finis intentione amare.

QVÆSTIO II.

An ordo præfatus inter intentionem efficacem Dei liberi effectus creati determinati, eiusque electionem, & executionem esse queat?

RESTRINXI quæstionem ad intentionem efficacem liberi effectus creati antecedentem ipsius absolutam positionem, & electionem: nam de naturalibus effectibus naturalium causarum dubium, nec vnde esse potest, posse à Deo antecedenter ad intermediarum causarum electionem absolutè intendi; effectus autem liberos, seu causarum liberarum intelligo, non solum immediatè, & proximè liberos, vt creatos nostros consensus, sed effectus omnes, qui ab his quovis gradu in sui absoluta positione dependent: quia eadem est ratio vtriusque & difficultas. Est vero quæstio præsens valde diuersa, etsi de possibilitate diuinæ præfinitionis, seu decreti antecedenter, & absolutè efficacis erga liberos nobis effectus, & operationes sit, ab ea, quam de præfinitionibus prædeterminatiuis Thomistarum Dominicanorum fusa controuersia 3. tota tom. 1. examinauimus. Tum: quia Dominicanę præfinitiones antecedenter, & absolutè efficaces prædeterminatiuæ decreta executiua sunt, ac non intentiua solum: cum sint de concursu, quo consensus noster absolutè ex parte causæ primæ ponitur. Tum: quia sunt proinde in Dominicanorum sententia necessaria ad absolutam consensus creati positionem, quem absq; Dei causæ primæ voluntate, & concursu poni in rebus repugnat. Præfinitiones autem nostri liberi effectus, de quarum possibilitate nunc agimus, purè intentiuæ sunt, non executiuæ seu decreta concurrendi Dei vt causæ primæ ad liberas nostras operationes & effectus: vnde neque sunt ad absolutam horum positionem necessariæ, sed merè arbitrariæ, & supererogatoriæ in Deo, etiam, vt illi absolutè ponantur: Denique præfinitiones istæ intentiuæ scientiam propriè conditionatam, seu mediam contingentis effectus præfiniendi, vel supponunt, cuius solummodo directione à Deo concipiantur: vel saltem ante electionem mediorum habendam necessario concernunt; quam tamen præfinitiones prædeterminatiuæ Dominicanæ reiiciunt prorsus, & abhorrent: quare quæstio hæc intra scholæ nostræ Thomisticæ Iesuiticæ septa, & inter scientiæ mediæ assertores transigenda est.

CERTAMEN I.

Quæstionis scopus, & suppositâ placita proponuntur.

1. SVpponendum primò est præsentem quæstionem non esse. An Deus possit habere decretum, quod sola efficacia media quæ prænouerit, vel prænoscitus pro posteriori signo rationis sit, vt obiecta directa efficacis sui decreti habeat; quin eius efficacia antecedens ad effectus liberos creatos certò per eiusmodi media obtinendos pertingat, vt obiectum suo illo decreto, efficaciter volitum. Primum explicatione sola indiget vt probetur: quam sic præsto, velit Deus efficaciter hoc decreto: decerno dare media solummodo efficacia hominibus, quæ vel præuidi, vel pro posteriori signo nouerim habitura consensum liberum hominum, si donentur; non autem decerno efficaciter eorum consensum. Hoc quidem decretum nullatenus cum libertate consensus nostri pugnare, certum apud Doctores scholæ nostræ omnes est, esseque debet: quare neque inde repugnare, siquidem suam solum voluntatem ad danda auxilia efficacia non intrinsecè, sed extrinsecus solum à futuritione conditionata consensus ligat, & determinat, seu prædeterminat Deus; nostram autem voluntatem ad consensum, nec ligat antecedenter, nec prædeterminat, siue per auxilia, quæ ex eo decreto donet, quæ indifferentia de se sunt, siue per antecedentem decreti efficaciam, quæ tota in collationem auxiliorum extrinsecus efficacium terminatur, nec ad nostrum consensum progreditur & pertingit: sed nec repugnat in mediis efficacibus totam decreti illius efficaciam sistere. Nam etsi ex intensione efficaci consensus eiusmodi decretum concuperetur à Deo, ac proinde electio fieret, finem consensus per illud ipsum amari à Deo repugnaret, vt vidimus q. 1. certam 3. Quod autem nec præsuppositiue ex necessaria efficaci intentione consensus ad illud decretum præsupposita consensum efficacia vlla diuinæ voluntatis pertingat, patet: quia potest Deus ex inefficaci consensus intentione, & voluntate eligere, efficaciterque decernere directè collationem medij efficacis præ sua libertate, etsi ex ea inefficaci intentione consensus non determineur ad decretum collationis medij efficacis; sed solummodo moueatur & inducatur, vt indubitatum est vtriusque patris affirmatiuæ, & negatiuæ in præsenti quæstione Doctoribus cunctis. Secundo potest Deus ob alium finem, quam consensus nostri, nempe suæ potentiæ, & scientiæ, ac dominij rerum, & libertatis suæ ostensionem decretum illud honestissimè concipere, quin fumus inde consensus curam directam, & expressam habeat: quare, etsi non nisi ex efficaci intentione finis, posset decretum illud habere, cum aliis finis, ac non consensus ipse intenderetur, intentionis illius efficacia consensum nostrum minimè pertingeret: quare certum supposito hoc inter omnes quæstionis præsentis disputantes: posse Deum habere decretum, & voluntatem efficacem dandi media extrinsecus efficacia ad consensum, cuius decreti efficacia, nec per se, nec ex præsuppositis necessario intentionis consensus efficacia consensum nostri pertingat: vnde, etsi eo decreto supposito liberum Deo non sit auxilia efficacia non conferre; tamen nobis liberum prorsus, & integrum sit eis omnibus ac præsuppositis consentire vel non consentire vt suppositum: vnde patet efficacem voluntatem seu præfinitionem consensus & cuius possibilitate inter scholæ nostræ Doctores disputatur non solum media seu auxilia efficacia sed consensum debere efficacitate sua vt obiectum efficaciter à Deo ex præfinitione volitum pertingere.

2. Supponendum secundo est decretum efficax Dei, seu præfinitionem cuiusvis effectus efficaciter à Deo voliti (etiamsi ex directione scientiæ mediæ ante eiusmodi præfinitionem præsuppositæ reguletur, vel illam scientiam pro posteriori signo habendam concernat: quia, nisi sciret Deus sibi pro eo signo mox adfuturam eiusmodi directione vsurum ad media extrinsecus solum efficacia, & intrinsecus indifferentia adhibenda) habere connexionem intrinsecam natura & essentia sua cum obiecto efficaciter à Deo volito seu præfinito: præter extrinsecam aliam, quam habet ex scientia media, quam præsupponit, vel natura etiam sua concernit, & omnes vtriusque partis Doctores merito supponunt: siquidem eo ipso, quod præfinitio, seu decretum efficax diuinum consensus nostri scientiam mediam essentialiter supponat, vt necessariam sui directionem, vel concernat, vt mox expressè, & formaliter habendam, ac sine cuius præsuppositione vel concernentia, nec haberetur, nec posset, vt de facto habetur, à Deo haberi, certum omnino atque euidens connexionem, quam scientia illa cum consensu illo habet siue in statu conditionato, siue in absoluto ex purificatione, seu absoluta positione medij, seu conditionis auxilij indifferentis, sub qua consensus fore visus conditionate est, si adhiberetur, extrinsecus decretum seu præfinitionem illam consensu afficere necessario: vt quid necessario, & essentialiter, vel subsequens vel præsuppositum extrinsecam hanc præfinitionis de qua disputamus cum consensu præfinito, siue conditionato conditionatam, siue absoluto purificata conditione absolutam, ratione scientiæ, quam essentialiter, vel supponit, vel concernit optime quæ-

stionis

stionis præsentis versatores omnes percalluerunt. Aliam vero intrinsecam connexionem essentialem præfinitionis cum consensu absoluto suppositi huius secundi, nescio, an satis affirmatiuæ sententiæ Patroni vel penetrarint, vel attenderint: vt inde præfinitionis à se assertæ efficaciam, & connexionem totam cum consensu, seu libero affectu præfinito, eiusque libertate, non maiore difficultate, quam cum auxiliorum & scientiæ conditionatæ efficacia, & connexione eiusdem effectus, purificata etiam conditione absoluta, in nostra doctrina libertas componatur, concordari posse censuerint.

3. Verum, ni intrinseca alia efficacia, & connexio cum præfinito consensu in præfinitionibus hisce admittatur, quam extrinseca illa, quasi mutuo à scientia media, nempe & auxiliorum efficacia per eam cognita desumpta efficax intentio hæc consensus ab inefficaci per eandem scientiam mediam regulata intentione consensus, minime distinguetur: quod aduersarij non admittunt, nemoque Theologus, vel mediocris, non negauit. Probatur, quia in coniuncto hoc intentionis de se inefficacis consensus scientiæ mediæ eam de facto regulantis connexio scientiæ mediæ, & efficacia auxiliorum per ipsam cognita, ac de facto intentionem illam extrinsecus afficiens inuenitur: ergo in aliam intrinsecam efficaciam de se præfinitio, seu intentio tua efficax consensus habeat, nec aliam connexionem cum illo, quam extrinsecas illas ab efficacia auxiliorum, & connexione scientiæ mutuò & extrinsecus solum acceptas, intentio efficax ab inefficaci per scientiam mediam regulata, quoad efficaciam, & connexionem cum consensu minime differt. Dices intentioni inefficaci per accidens esse scientia media regulari; efficaci per illam regulari necessarium esse. Contra tamen est: quia ni intrinsecum aliquod prædicatum efficaciæ, aut connexionis intrinsecæ assignes in voluntate, seu intentione tua efficace quod in inefficace non est, efficacem tuam debere potius, quam inefficacem scientia media regulari nulla verisimilitudine probare poteris: eis siquidem prædicatis ab intentione tua efficace seclusis, nil prorsus in ea remanet potius, quam in inefficaci, quod scientiæ mediæ directionem, ac regulationem requirat: immò ex hac speciali necessitate huius regulationis per scientiam mediam, vt intentio tua efficax à Deo concipi, quoad sui intrinsecum possit, intrinsecum eius aliquod prædicatum speciale ipsius demonstratur, ratione cuius ea regulatio ad illam à Deo concipiendam opus sit; alioqui regulatio illa per scientiam mediam, vt secundum intrinseca omnia intentio ea conciperetur, etsi possibilis sit, necessaria tamen non esset, vt patet: speciale autem illud prædicatum nihil aliud est, quam differentiale ea voce efficax significatum, quo ab intentione inefficace differt: quare vltra extrinsecam denominationem efficaciæ ab extrinseca efficacia mediorum, & connexionis extrinsecæ cum consensu à connexione scientiæ mediæ, qua necessario per se regulatur efficacia & connexio alia intrinseca intentioni efficaci cum consensu assignanda asserenda & supponenda est, quod si alia non assignetur, quam mediata ratione scientiæ mediæ, quæ supponitur, & mediorum apponendorum ex ea præfinitione, quæ concernit: sicuti hæc antecedenter inefficacia sunt, atque cum effectus negatione esse entitatiuè, & secundum totum intrinsecum sui possunt, ita & præfinitio esse sine effectu præfinito absolute, & antecedenter poterit, ac erit natura sua absolutè irritabilis: sicuti auxilia, quorum tantum connexione per hosce extrinsecus, & mediatè connectitur cum effectu præfinito: siquidem eadem ipsa connexione, & efficacia respectu auxilij immediata, respectu præfinitionis mediata, nequit fortius, indissolubiliusque præfinitio, quam auxilium effectui præfinito vniri, atque connecti.

4. Probatur vlterius, quia efficacia præfinitionis seu intentionis efficacis consensus, illiusque cum hoc in statu absoluto connexio absoluta sunt: vbi primum ea intentio efficax consensus à Deo habetur, quin expectanda sit purificatio conditionis, seu medij absoluta positio, per decretum eius executiuum per hosce verè intentionaliter posterius: atqui connexio scientiæ mediæ regulantis illam, vel electionem mediorum ex illa, atque efficacia auxiliorum de se indifferentium ante absolutam positionem mediorum per posterius intentione illa decretum non est, nec effectum, adhuc logica sua illatione absolute deuoluit; & concernit: ergo efficacia, & connexio illa intentionis efficacis cum consensu diuersa ab efficacia, & connexione extrinseca auxiliorum efficacium nostræ scholæ, & scientiæ mediæ est, atque intentioni efficaci, seu præfinitioni consensus propria, & intrinseca. Denique idem suppositum probatur: quia intentio, seu præfinitio illa efficax consensus, omnium de præsente quæstione disputantium sententia, ita determinat ex parte actus primi Deum ad electionem medij efficacis, huius determinate, si vnicum adsit, vel alicuius ex pluribus, si adsint efficacia plura, vt ad huius, vel saltem alicuius electionem, & executiuum decretum libertatem ipsi proximam non relinquat: atqui nulla intentio potest de se agere agens vllum liberum ad medij efficacis electionem, ita, vt in medij efficacis electione, & executione proximam libertatem non relinquat: ergo intentio Dei efficax, seu præfinitio consensus est intrinsecè efficax, ac subinde intrinsecè connexa cum consensu; nec solum extrinsecè à mediorum efficacia & scientiæ mediæ connexione, quas supponit, vel concernit: quare recursus alter apud affirmantis sententiæ Doctores familiaris (nempe intentionem efficacem seu præfinitionem consensus, nec maiorem in illum efficaciam, & connexionem; immò neque aliam, quam media, seu auxilia efficacia & conditionata scientia, quam concernit, habere) præclusus manet. Supposito hoc 2. sicuti & alius illis æquè familiaris primo, ideo enim ex instituto vtriusque probationem suscepi, nè æque vocis vocum solutionibus locus superesset vllus. Tota ergo de re controuersia est: An quia præfinitio, seu intentio efficax consensus cuiusvis, vel alterius effectus liberi scientiam conditionatam, ac media indifferntia de se, solumque extrinsecus efficacia essentia, sua vel supponit, vel concernit, ac proinde obiectiuè à libera absolutè consensus ipsius positione pendet, non secus, ac futuritio conditionata, eiusque scientia media, quas supponit, vel concernit, ea præfinitio, eiusque intrinseca efficacia, & connexio à nostro tandem absoluto consensu in sui absoluta positione pendeat? ita, vt à nostra libertate, eiusque in exercitio apponendi absolute effectum præfinitum potuerit pro naturæ prioti impediri, ne fuerit: ac proinde absoluto libertatis nostræ exercitio, quod supponit, nequeat officere: sicuti eadem de causa, nec auxiliorum efficacia, nec scientia, nec scientiæ mediæ intrinseca infallibilitas nostræ libertatis exercitio non officiunt, quod eodem modo ad sui positionem supponunt. Quo circa miror Recentiores Complutenses, & fæpe à nobis impugnatos, alioſque in nostrorum auxiliorum efficacia, & scientiæ mediæ, eiusque infallibilitate cum nostrarum operationum absoluta libertate componenda versatissimos, non aliter præfinitiones hasce cum nostræ operationis absoluta libertate componi posse iudicasse, nisi admittendo præfinitionis eius iam positæ, atque à Deo conceptæ intrinsecam frustrabilitatem: negandoque subinde intrinsecam eius efficaciam erga consensum præfinitum & intrinsecam cum illo connexionem: quod cum prædicato seriæ, & efficacis voluntatis diuinæ repugnat: de se se nimirum frustrabilem, & sine effectu præfinito tempore, quo præfinitus est, posse absolute subsistere: quia enim natura sua ea præfinitio infrustrabilis absolute est, atque efficax, & cum effectu præfinito connexa, scientiam mediam debet natura sua, vel supponere, vel concernere: quod si iidem scientiæ mediæ omnino intrinsecam infallibilitatem necessario admittant, eamque; etsi in sui positione ab exercitio absoluto nostræ libertatis pendeat, semel tamen positam falli non posse aiunt, ac proinde eam fallibilem absolutè esse mordicus negant, negaréque Catholice debent: idem ipsum de præfinitionis intrinseca infrustrabilitate, quæ eius efficaciæ, connexionique intrinsecæ cum effectu innititur dicere debent: atque eo solum intrinsecam præfinitionis infrustrabilitatem, & connexionem cum effectu præfinito non officere huius libertati, quia sicut infrustrabilitas scientiæ, & efficacis auxilij consequens solum est, ob dependentiam futuritionis conditionatæ (quæ

efficaciam

efficaciam auxilij constituit & ad scientiam mediam supponitur) à consensus ipsius absoluta futuritione : ità etiam, & præfinitio, eiusque intrinseca infrustrabilitas. Quo super tota quæstionis huius concertatio erit.

6. Potest autem consensus liber tripliciter à Deo efficaci intentione Dei præfinibilis cogitari, vel secundum se, & substantiam solam consensus præscindendo à mediis, atque etiam à consensus, seu effectus libertate : quæ intentio efficax, seu præfinitio præcisiua apud quæstionis huius disputatores nominatur : vel præfiniendo simul media, seu auxilia, quæ habitura effectum conditionatè per scientiam præcognita à Deo sunt : vel ante mediorum electionem è suæ omnipotentiæ comprehensione scit Deus sibi certo adfutura, & prænoscenda. Primus modus præfiniendi per media libera scientia media (quam debet proinde supponere) regulatur. Secundus modus per illa præfiniendi effectum liberum scientiam mediam non supponit, sed solum eius effectus, & libertatis eius possibilitatem, & omnipotentiæ diuinæ extensionem, & amplitudinem totam, in qua auxilium aliquod contineri, cui quantumvis rebellis) creata voluntas consensura sit, si detur certò nouit, etsi pro eo signo, cui determinate consensura sit, non prænoscat : sed tamen scientiam mediam pro posteriori adfuturam sibi ante electionem concernit : quia intentio efficax, seu præfinitio est effectus liberi per media, quæ habitura effectum sunt, si donentur & pro posteriori signo infallibiliter à se cognoscenda prænoscit : vnde ad aliquod ex illis, si plura sint, eligendum, atque apponendum ea intentione, seu præfinitione effectus liberi determinatur Deus. In hoc autem secundo modo præfiniendi efficaciter effectum liberum per media efficacia, ac non aliter obtinendum siue præuia scientia media siue pro posteriori connotata, aduerte præfinitionis, siue intentionis efficaciam media ipsa volita prætergredi debere, atque effectum ipsum pertingere, vt locus quæstioni sit iuxta suppositum 1. num. 1. Tertius modus præfiniendi siue efficaciter intendendi effectum liberum cogitari in Deo potest : quo non solam substantiam effectus, sed & libertatem eius efficaciter intendat ; eumque, vt liberum etiam præfiniat : quod, vel suppositâ scientia media dirigente, vel solum connotata vt diximus in secundo modo fiat : & quidem tertius hic modus nihilo præter voces à secundo modo differt, differuntque vnus, & alter primo, non solum obiecto (quod primi sola effectus liberi substantia est) sed in supposito one, vel connotatione necessaria scientiæ mediæ ad postremos duos, vt dixi, quia ad præfiniendam substantiam solam effectus nec scientiæ mediæ directio nec connotatio necessaria est ; immò nec ad illum ita præfiniendum potest deseruire magis quam ad vnum aliquid præfiniendum scientia alterius deseruiat.

7. Iuxta hos igitur modos tres vniuersim affirmantium possibilitatem præfinitionum erga effectus liberos creatos sententias apud nostrates inuenio. Prima eorum, qui illas regulatas solum per scientiam mediam admittunt, qua Deus propriè ad præfinitionem concipiendam media indifferentia, effectum autem liberum habitura si apponantur, præuideat : atque ita demum per media illa, atque liberum effectum fore præfiniat atque efficaciter intendat : post modum verò ex iis necessario aliquod (si plura sint) eligat : deinceps executiuum decretum medij illius atque effectus tandem positionem exequatur. Huius sententiæ Patronos ex antiquis referre extra rem erit, cum illi, quotquot ante Molinam eiusque coætaneos scripsere, etsi auxilia de se efficacia concordes reiecerint, iecerintque proinde scientiæ mediæ fundamenta firma ; eam tamen non ita in terminis, vt aiunt, vel conceperunt, vel explicarunt, vt eius vsus ad res hasce facilis esse posset : ex Banniſtis Dominicanis scientiæ mediæ infensis hostibus, etsi pro affirmatiua præfinitionum parte citari plures, vel omnes possent, eorum tamen, quia difficilius, patrocinium resputt opinionis huius Author Soarius noster 3. de auxiliis cap. 16. num. 8. eam docuit ipse cap. 17. & 1. de essent. prædestinat. cap. 8. num. 18. cap. 13. num. 9. Prolog. 1. de gratia cap. 5. à num. 13. & cap. 6. & 1. de concursu Dei cap. 16. & lib. 2. cap. 7. & opuscul. 1. de scient. absol. futuror. cap. 6. num. 6. Tolet. in cap. 8. ad Rom annot. 31. Salmeron tom. 4. part. 3. tract. 14. Henriques de fin. hom. cap. 11, Perer. in 8. ad Rom. Sotus in cap. 9. digress. de prædestinat. Curiel in cap. 1. ep. 2. Petri conclus. 4. Mendoza Augustinian. quod lib. 6. q. 1. Scholast. init. §. *Secundo loco.* Alexand. Pesant. comment. in 1. p. quæst. 23. art. 5 d. 10. & 11. Arrubal. 1. part. d. 68. & 69. etsi medius inter Vasquez & Soarium velit videri. Granados 1. part controu. 4. tractatu 11. d. 2. sect. 3. Ruiz citat. d. 3. & tom. de prouid. tract. 2. à d. 6. ad 9. multa eruditione, & discursibus, etsi plures pro se referat, qui de prædestinatione ad gloriam, & fidem ante præuisa merita solummodo loquuntur : eam vero intentionem efficacem, seu præfinitionem eorum effectuum, neque esse vsquam posse mordicus defendunt : eidem sententiæ subscribunt Fasolus 1. part. tom. 1. quæst. 13. art. 1. dub. 5, Tannerus tom. 1. d. 3. dub. 4. assert. 3. Arriaga citata d. 35, & 36. Franciscus Annatus celebri Apologia sua pro scientia media frequenter supponit, sicuti & Borrul Apologia simili contra Hieronymum Viues Dominicanum, Quiros tomo 1. de Deo d. 64. sect. 3. & tom. 2. de elect. ad gloriam ; Complutenses, & Marciani Recentiores Nobiles quorum frequens in scriptis nostris commemoratio ; atque vno verbo Recentiores nostri fere omnes, qui doctrinæ Procerum in re hac Theologiæ nostrorum, præsertim Molinæ, & Vasquij non satis insteterunt.

8. Secunda affirmantium possibilitatem eiusmodi præfinitionum, ex parte, primæ consentit : quatenus præfinitiones regulatas natura sua per scientiam mediam admittit ; quatenus vero sententia illa reliquas per scientiam mediam præsuppositam non regulatas reiecit, vt impossibiles, ipsi contradicit : siquidem & præfinitiones quæ scientiam mediam non supponunt, vt ipsarum directiuam, sed eam tamen natura sua connotent, & concernant pro posteriori signo certo adfuturam ; quia, vt diximus, ni Deus respectu cuiusvis, quantumvis rebellis, voluntatis auxilia, quibus consentiat ex omnipotentiæ adesse, & pro signo posteriori eorum, & consensus sub illis, scientiam mediam sibi adfuturam nosset eum consensum non præfiniret) possibiles absolutè, neque effectus præfiniti libertati absolutæ aduersari censet. Huius in terminis sententiæ Patronos non video ; quanquam non dubitem primæ sententiæ Doctores, si connexas hasce scientiæ mediæ pro posteriori signo ad futuræ præfinitiones fuissent meditati, eas etiam amplexuros, neque vllatenus fuisse cum reliquis præfinitionibus vniuersim reiecturos : siquidem omnino eidem fundamentis huiusmodi præfinitiones, ac illæ sunt per scientiam mediam regulatæ defensari posse viderent : certè Recentiores nostri, qui præscindentem præfinitionem à mediis de se indifferentibus, & extrinsecùs solum efficacibus, atque ab effectibus libertate docent, hanc sententiam omninò, vel admittunt, vel supponunt : siquidem ea tutius veroque simplius præfinitionem suam præscindentem defenderent : atque à fortiori ; quæcunque pro sua tuenda cogitarunt, clarius, validiusque hanc secundæ sententiæ præfinitionem, & sustinent, & propugnant vt ex dictis patebit.

9. Tertia demum affirmantium sententia, admissis præfinitionibus effectus liberi, vt talis, seu per media extrinsecus solum efficacia de seque indifferentia obtinendi, addit : possibilem esse præfinitionem prorsus de se à mediis ita solum efficacibus, ac de se indifferentibus atque effectus libertate, & scientia media, qua Deus, nullo eorum attento, neque intento, in actus, seu effectus liberi substantiam feratur : dummodo illum per media de se indifferentia solum extrinsecus efficacia, quæ ex ea intentione eligat, exequatur : in hanc sententiam inciderunt ex nostris aliquot : in quibus sæpè à nobis laudati Marciani Recentiores eam maximoperè illustrarunt promouerunt : vt enim erant ingenij acumine, & consequentiæ filo præstantes, caterum acutius viderunt principia fere omnia pro prima sententia, siue fundanda, siue tuenda à Soario, & assectis excogitata, huic etiam asserendæ, & propugnandæ inseruire. Nec dubito sententiam hanc à cunctis ferè Theologis Dominicanis (Banniſtis exceptis) qui pro parte affirmante præfinitionum harum compossibilitatem

tem cum absoluta libertate effectus præfiniti referuntur virtute saltem traditam esse. Hi enim, cum scientiam, vt dixi, mediam non satis dispexissent, ac penetrassent, solummodo ex indifferentia, & indeterminatione mediorum à Deo eligendorum, quibus effectus intentus efficaciter, & præfinitus exequendus tandem erat, vt eius absoluta libertas saluaretur, eam ipsius intentionem efficacem, & præfinitionem diuinam possibilem, & cum præfiniti effectus absoluta libertate compossibilem iudicarunt: sunt autem Doctores isti quam plurimi, quos singulatim non recenseo, quia eos citatos inuenies apud Vasquez, Suarez & Herize: recitatos etiam apud Ruiz & Fasolum supra: Dico autem Doctores Priscos citatos Maiorem, Gabrielem, Oxamum, Guillelmum de Rubione in 1. d. 40. & 41. Catherinum, qui eam præfinitionem ad iustitiam, & gloriam respectu quorundam eximiè prædestinatorum (v. g. Deiparæ, Ioannis Baptistæ, & Apostolorum) admittunt: quo aliam anteriorem præfinitionem iustitiæ, & gloriæ, quæ pura prædestinatio cunctis prædestinatis communis non sit, & possibilem, & ergà eos exercitam recognoscunt. Nam Doctores alij, sicuti, & Patres pro affirmatiua sententia citati electionem pro prædestinatione, quæ absque efficaci effectus intentione esse per aduersarios potest, curant, eamque absque meritis nostris esse docent.

10. His omnibus sententiis quarta in hac quæstione sententia contradicit: omnem effectus liberi efficacem intentionem, seu præfinitionem, quæ absolutæ eius positioni, & executioni præcedat, iudicans impossibilem. Pro hac à primo discipulatus mei Theologici anno re exactius, quam sperare tunc possem, nulloque partium, sed veritatis (vt meum genium est) solius studio examinata steri: tentatisque ingenuè, per amplius quadraginta annos, ac perpensis vtrinque rationibus, cuasionibusque, cum ab aliis, tum à me pro vtraque parte excogitatis, in eadem sententia perfisto: ac proinde ordinem intentionis, & executionis in decretis Dei efficacibus erga liberos effectus censeo esse impossibilem. Hanc sententiam, præter citandos veteres, docuit Molina noster 1. p. q. 14. art 13. d. 28. m. 3. & 4. & in concordia ad q. 23. art. 2. d. 2. §. *Præterea* & art. 4. d. 1. Valentia in controu. lib. de prædestinat. c. 2. & 3. & 1. p. q. 23 pun 4. §. 1. & vltim. vers. finibi dilemmati, *vel sum prædestinatus vel non* (quod plures in vitæ dissolutionem, & desperationem egit) satisfacere non posse fatetur, si electio efficax de se ad gloriam ante præuisa merita admittatur. Vasquez 1. p. d. 89. tota asserens c. 2. doctissimis Hispaniæ, Germaniæ, & Galliæ viris hanc sententiam probari: cui insistit d. 98. c. 10. & 3. p. d. 23. c. 10. & 11. Franciscus Turrian. opusc. de prædestin. Leonard. Lessius d. hac de re integra, afferens sect. 2. probat. 9. Alens. Albert. Magn. Bonau. & coætaneos à se Consultos Sapientissimos. Bectano 1. summ. Theolog. cap 14. q. 4. Salas in manuscr. de gratia tractatu 15. d. 14. sect. 2. referens Aureolum, Valdens. Adamum, Medinam vtrumque, & Ludouicum Legionensem. & vsque ad Doctores triginta, vt ait Herize iam citandus. Albertus Pighius 8. de libero arbit. c. 2. Ruard. Tap. art. 7. §. *Nec re ipsa*. Hieronym. Osor. 9. de iustitia. Ioann. Exius in Crisopas. Hieronym. Osor. 9. de iustitia. Ioann. Exius in Crisopas. centur. 3. Cardin. Sadoletus in cap. 8. ad Rom. Staplet. in cap. 9. Card. Contarenus apud Lessi. citat. sect. 2. Driedo de concordia liberi arbitrij, & prædestinationis p. 2. c. 3. ad 3. Bartholomæus Camerarius, Dialogo Cathol. cap. 5. Ioannes à Bononia & Franciscus Carthagen. tract. de prædestinat. Herize d. 7. cap 5. num. 28. d. 19. cap. 2. d. 23. capite 9. Mæratius tomo primo d. 41. à sect. 1. Monzæus d. 4. capite 4. Gamachæ. 1. parte, quæstione 23. cap. 6. assert. 2. Ioann. Præpositus ad 1. part. q. 23. art. 8. dub 8. à §. 1. Alarcon. 1. part. tract. de prædestinat. à cap. 6. & Magister meus Didacus Daza, quo nemo profundius rem hanc penetrauit.

CERTAMEN II.

Causæ liberæ memorata definitio, & quantum ad rem hanc opus est, ab aliquorum tricis extricata.

1. CVm hic, vt diximus, quæstionem hanc vniuersim versemus: neque ad specialem quæstionem de efficaci antecedenti electione hominum ad gloriam, vt præmium & coronam ante absolute eorum præuisa merita intempestiue descendendum sit: ex generali principio de euersione libertatis effectus præfiniti per eiusmodi antecedentem ipsius intentionem efficacem agendum hic erit; intactis scilicet, atque ad controu. de prædestinat. remissis specialioribus principiis, quibus intentio efficax, siue electio ad gloriam, & præmium, & coronam impugnari solet: vt autem id clarius ostendatur memoranda hic est statuta causæ seu potentiæ in actu primo definitio tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. q. 7. certam. 1. atque à Philosophis, & Theologis omnibus, præsertim nostratibus indubitata: Etsi enim Alnarez, & Tuissius (vti eorum intererat) in dubium illam vocare voluerint alicubi, tandem eam absque vllis à se tentatis limitationibus admittunt, vel inuiti: vt ea quæst. ipsorum verbis recitatis monstrauimus. Ea vero definitio sic habet; *quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest absolute operari: vel non operari*: vt, scilicet, causæ seu potentiæ liberæ essentia ster in absoluta eius ad vtrumvis indifferente potestate: cum autem indifferenti, ac indeterminatæ potestati in actu primo determinatio in actu primo, seu necessitas ex parte actus primi apponendi alterum determinatè extremum, ac subinde non apponendi alterum cum ipso incompossibile, aduersetur: sit vt omnis antecedens necessitas, & determinatio ex parte causæ & potentiæ in actu primo se tenens ad alterius extremi positionem vel negationem determinatè causæ, & potentiæ in actu primo libertatem euertat: ac subinde, & effectus, qui à causæ suæ libertate in actu primo liber extrinsecus solum esse potest: inde absque controuersia etiam, sit libertatem, & causæ, & effectus proximam omnis necessitatis antecedentis atque ex parte causæ, & actus primi se ad effectum tenentis exclusionem includere.

2. Est autem hic duplicis necessitatis nempè antecedentis (quæ & simplex, & absoluta à Patribus, & Theologis dicitur) & consequentis, & sequentis (quæ secundum quid, & conditionata dicitur ab eisdem) duplex repetenda definitio, vt, cuius generis necessitatem præfiniti actus inducat præfinitio, dignoscatur: an antecedentem potentiæ, & effectus præfiniti libertati aduersam, cuiusque proinde exclusio ex parte actus primi ad vtriusque libertatem debeat supponi? an sequentem, seu consequentem quæ neutrius libertati officiat? & quidem antecedentem, simpliciemque, & absolutam operandi necessitatem Boëtius definit 5. de consolat. Prosa 6. vbi vtramque distinxit eam esse *quæ cogit operari; siue incedere* in oppositio ibi exemplo: quod ipsum erit vniuersim loquendo, *quæ cogit operari*: quam definitionem eisdem verbis tradit Anselmus 2. Cur Deus homo cap. 18. & 1. de concordia nostræ libertatis cum Dei præscientia, & prædestinat. cap. 1. à col. 2. terque quaterque atque iisdem locis periphrasi alia, atque alia, quæ *causa est vt sit res* seu *quæ facit rem esse*, & cap. 2. *quæ præcedit rem, & facit*: sunt vero notanda illa Anselmi verba excitata col. 2. *quæ cogit vel prohibet rem esse, vel non esse*, & sequenti c. 2. *quæ cogit voluntatem vt faciat, vel vt fiat resistit*: consequentis vero definitionem, iidem Patres locis eisdem tradiderunt: *quæ rei positionem non præcedit: aut non est causa, nec facit; cogit, nec; aut prohibet; aut* (insuperabiliter) *resistit, vt res sit vel non sit*: sed solum *rei positionem sequitur, & supponit; eique solum necessitas, qua id quod est necesse est esse, nec potest non esse ex suppositione quod sit: quia esse*

ac non esse simul repugnat. Hæc è fusius recitatis horum Patrum testimoniis tomo primo de Deo vno controuersia 3. d. 1. quæst. 2. certamine 4. carpsimus : quibus definitionibus concordant Patres omnes testimoniis plurimis datis eadem quæstione, certamine 1. 2. & 3. & plures etiam certamine quarto, & sequentibus, vbi argumentorum ab authoritate Patrum effoematorum certamine quarto adhibitas ab hæreticis, & Recentioribus Dominicanis Thomistis solutiones ab authoritate etiam Patrum discussimus.

3. Etsi autem hæc ita, vt vniuersim sonant, certa, atque à nostris Doctoribus recepta primitus fuerint; iuniores ex Soaristis præfinitores subtiles, quoad exclusionem principij ex parte actus primi præsuppositi, & necessitantis causam ad vnum extremum (ob suam essentialem connexionem cum illo, & repugnantiam, siue incompossibilitatem principij illius cum extremo opposito necessariam, vt potestas proximè indifferens ad vtrumvis extremum, & causa in actu primo proximo libera seruetur, non adeo vniuersim accipiendam esse volunt : sed solum de exclusione principij necessitantis influxu proximo, & proprio voluntatem ad alterum extremum; non autem mediatè solum, proprium autem influxum vocant physicum, (ego autem pro ipsis addo etiam intentionalem, quale est obiecti, & cognitionis, ne eos angustiori loco adoriar) principiorum vero mediatorum, quantumvis de se determinatorum, & essentia sua connexorum cum extremo altero, atque cum eius oppositio incompossibilium libertati, & causæ, & effectus liberi non officere, neque necessitatem operandi antecedentem, siue absolutè, & simpliciter talem, ipsi afferre: cæterum extremum hoc (quod aliis longè difficilioribus de incarnatione in via Vasquez etiam componendis cogitaueram primus) apertè contradicit definitionibus necessitatis antecedentis, & absolutè, ac simpliciter talis recitatis numero secundo ex Patribus : etenim principia omnia, quæ de facto prioritate naturæ effectum, siue extremum alterum, quovis gradu, etiam remotissimo, præcedunt, eique de se, & entitate sua ita connexa sunt: vt sine illo, vel cum oppositio extremo esse in se repugnet, habent, afferuntque extremi, cui ita connectuntur, necessitatem, *quæ illius positionem præcedat, prohibeatque, ac resistat eius oppositum extremum, siue contrarie, siue contradictorie esse* : ergo principia mediata, quæ de facto, etiam remotissimè, præcedunt connexa de se, & entitate sua, cum altero extremo, atque incompossibilia cum extremo oppositio, habent, afferuntque antecedentem absolutam, ac simpliciter talem illius extremi necessitatem : ac subinde eorum, nec solum principij proxime influentis exclusio supponi ad potentiam, seu causam liberam prorsus debet. Confirmatur : quia omnis necessitas essendi effectus cuiusvis ex Patribus Philosophis, & Theologis omnibus, vel est consequens, vel antecedens : quin tertia, seu media alia necessitas illius agnita hactenus ab aliquo fuerit : atqui necessitas effectus ex principio remoto connexo de se se cum illo, & incompossibili cum extremo oppositio proueniens, non est necessitas consequens : ergo est antecedens : & cuius proinde exclusio ad libertatem proximam causæ, & potentiæ liberæ, ac subinde effectus liberi debeat ex parte actus primi supponi. Probatur minor : quia necessitas consequens ex Patribus Theologis, & Philosophis est : *quæ rei positionem non præcedit, sed prouenit ex suppositione, quod res vel effectus sit : seu qua id, quod est, quamdiu est necesse est esse : quia esse, & non esse simul non potest* : ast necessitas effectus ex connexione essentiali principij remoti cum ipso non prouenit ex suppositione, quod effectus in se sit, nec est necessitas sola, qua id, quod est, quamdiu est, necesse est esse : quia nequit esse, & non esse simul : ergo non est necessitas consequens, vt in minori assumebatur.

4. Probatur tertio. Nam prædestinatio non solum apud Patres, sed apud rationales omnes, principium, & causa remota est, cum boni operis, tum, remotior adhuc, gloriæ, ad quam per illam prædestinantur rationales creaturæ: & tamen Patres non inde eam cum libertate consensus, & gloriæ per illum obtinendæ à prædestinato conciliant, quod remota eorum causa; & principium, nec proxime influens sit; sed præcisè quod eorum positionem nullatenus absoluta necessitas præcedat, sed potius liberam eorum à prædestinatis absolutam positionem sequatur, *nec faciat, cogat, aut efficiat, vel prohibeat eos effectus ex parte prædestinati poni absolute, vel non poni*, vt ex Boëthio, Anselmo & Patribus reliquis recitabamus : ergo ex remotione principij connexi cum effectu inducentisque necessario illum ratione connexionis essentialis cum illo & incompossibilitatis cum extremo oppositio non saluatur causæ, & effectus mediati libertas : confirmatur & probatur quarto : ex Patribus cunctis, qui fatalem priscorum Philosophorum necessitatem, & hæreticorum prædestinatorum respuerunt & constanter impugnarunt, vt nostrarum operationum libertatem asserant : cum tamen earum, & hæreticorum prædestinationem principia remota esse, & ab hæreticis, & Philosophis, & à Patribus eos impugnantibus indubitato cognoscerentur : quare necessitatem effectus ex principio, & causa remota, nec proximè influente allatam, & inductam cum eius, & potentiæ proximæ libertate pugnare, vt exploratum de se, ac terminis ipsis notum supposuerunt, & quidem subtilius isdem Recentioribus ita distinguentibus, & Soario principium hoc vniuersim, etiam, vt necessitatem ex principio remoto venientem comprehendit, eiusque necessariam exclusionem ad libertatem proximam causæ, & effectus adeo per se notum est, vt eius reuerentia Soarius subobscurius, Recentiores autem expressius, vt consensus, seu effectus efficaciter intenti ac præfiniti absoluram demum tueantur libertatem, antecedentem intentionis, ac præfinitionis diuinæ inhabilitatem satis absurdè, & intrinsecæ illarum efficiæ repugnanter admiserint. Quinto eam doctrinam impugno : quia ratio impediendi alterum extremum ex parte actus primi, ac proinde causæ proximam libertatem, etsi in principio proxime influxuo determinato, & determinante ad vnum extremum, & incompossibili cum extremo oppositio inueniatur, de se tamen abstrahit : siquidem ratio impediendi ex parte actus primi vnum extremum abstrahit ab influxu immediato in oppositum extremum : vt patet in impedimento compedis ad ambulandum : compedes enim præsentiam compediti in loco, quo est influxu physico, nec causant, nec conseruant; & tamen ad quiescendum, & ambulandum potentiæ progressiuæ, & alterutrius appetitui libertatem ex parte actus primi abolent : eo præcisè, quod ambulandi actum quieti oppositum prohibent, & impediunt. idcircò Anselmus, Patribus reliquis consone, supere citatus, non solum dixit prædestinationem non auferre necessitatem absolutam effectus *quia non cogit, nec facit, sed quia, nec prohibet, nec resistit rem esse, vel non esse* : quibus aliud impedimentum ex parte actus primi libertatis potentiæ, & effectus diuersum ab influxuo proximè, pureque impeditiuum ac resistiuum alteri extremo distinguit, & agnoscit.

5. Probatur quarto vniuersali argumento à priori: quidquid est impossibile per aliquid natura prius, nequit fieri possibile per aliud ipso natura posterius, nisi per posterius hoc auferatur illud prius, vel ab eo id, ratione cuius ipsum reddebatur impossibile : atqui ex efficacia, & necessaria connexione causæ remotæ cum vno extremo, redditur alterum extremum ex illo, & per illud prius absolutè impossibile : ergo nisi eius principij remoti (seu, quod est idem, ipsi identificatæ connexionis cum effectu oppositio) abstractione, nequit eius oppositum esse absolutè, & antecedenter possibile : ergo illius principij remoti, ac necessariæ connexionis ipsi identificatæ exclusio requiritur ad proximam absolutam, & antecedentem alterius extremi oppositi possibilitatem : quod ipsum est requiri exclusionem principij remoti necessario de se connexi cum effectu ad absolutam, & proximam indifferentem ad vtrumvis potestatem, seu, libertatem in actu primo. Quintò probatur conclusio, & demonstratur quarti argumenti antecedens : ex quo legitima, & irrefragabilis erat eius consequentia : quia indifferens potestas proximè influxiui principij ad vtrumvis extremum perstante principio remoto de se necessario connexo cum extremo altero, ac subinde incompossibili

&

& repugnante de se cum eius opposito, est potestas ad coniungendum duplex contradictorium: nempe, extremum alterum incompossibile cum principio illo remoto, vel cum effectu, cui hoc essentia sua connectitur, quæ non physica ad vtramvis potestas, sed prorsus chimærica est: quare, ni sit ex parte actus primi principium illud remotum, exclusum, vel à principio illo proximo in sui existentia dependens, nec aliter, nisi eius exercitio positum, nequit non, & principij proximi, alias indifferentis, atque effectus libertas aboleri. Dices primo necessitatem illam effectus, & impossibilitatem extremi oppositi esse remotam, cui non contradicit, nec repugnat, nisi remota indifferentia, & possibilitas extremi oppositi; non autem proxima indifferentia; sicuti neque differentiæ remotæ causæ de se liberæ ad vtrumvis, repugnat proxima necessitas illi ex determinatione, & connexione necessaria principij proximi cum extremo altero superuenientis. Contra tamen: quia id, quod de se indifferens est idem ipsum in se manens potest extrinsecus, & ex accidenti impediri, ac indifferentiam, seu libertatem in actu primo absolutam amittere, quin intrinsecam suam perdat entitatem; siquidem vltra hanc impedimentorum exclusionem ex parte actus primi ad alterum extremum requirit, ad absolutam ad vtrumvis potestatem; ast principium quodvis de se, & essentia sua connexum cum altero extremo, & cum eius opposito incompossibile, quamdiu in se manet, nequit non, & illi connecti, & huic repugnare, è cuiusvis extrinseci adiunctione, magis, quam ex eius adiunctione suam essentiam mutare, & amittere, ac sine seipso esse.

6. Euasiones aliæ de connexione præfinitionis non ratione sui sed mediorum proximiorum de se indifferentium, quibus exequendus proximè est effectus liber efficaciter intentus ac præfinitus, quæ logica solum est, non physica; ac proin le, nec ex parte actus primi naturæ præcedens, vt libertatem in actu primo absolutam impediat magis, quam auxiliorum efficacia, & scientia media, qua intentio, & præfinitio illa regulantur, disiectæ sunt ex certam. 1. à num. 3. vbi ostendimus præfinitionem eiusmodi, essentia etiam sua regulatam per scientiam mediam intrinsecam absolutam efficaciam habere, & ratione illius essentialem connexionem cum effectu præfinito; nec solum extrinsecam illam efficaciam & connexionem, quam ex efficacia, & connexione logica mediorum, & scientiæ mediæ, qua natura sua regulatur, supponit, quaque proinde extrinsecus afficitur. Euasiones autem istæ confundere volunt intrinsecam hanc connexionem præfinitionis cum effectu præfinito intentam, cum connexione illa extrinseca mediorum secundum se, & executiua; cum tamen valde diuersum sit id, quo irresistibiliter connectitur natura, & essentia sua, ab eo, per quod mediatè exequitur. Alia item solutio quod à scientia media in sui positione præfinitio illa pendeat: ac proinde possit æquè, atque scientia media, purificata etiam conditione, ab exercitio absoluto libertatis impediri: quare nec magis eius necessitatem, & connexionem posse natura & causalitate absolutè præcedere effectum præfinitum, quam scientia media & purificatio conditionis ipsum absolutè præcedant principium, quod fusè hactenus à numero tertio statuimus de necessitate exclusionis principij remoti de sese necessario physicè, & intrinsecè connexi cum altero extremo indifferentiæ non debilitat; sed negat tale principium esse præfinitionem consensus; cum sit à potentia absolutè impedibile, ac proinde; & eius intrinseca connexio: quare, nec sit adhuc remota illa sua prioritate effectum præfinitum absolutè ordine naturæ, & causalitatis antecedens. Hoc inquam principio huic nostro, quod de necessitate natura præcedente, remotè etiam est, aduersum non est, sed diuersum effugium; quod adhuc intrinsecæ, & essentiali connexioni eius quod effectui, alias libero, absolutè quovis naturæ gradu præcedit, minimè satisfaciat. Ne vero ex præsuppositione efficaciæ medij indifferentis de se, & scientiæ mediæ præsuppositæ extrinseca solum connexione errorem quis, vel æquiuocationem, vt ideo dependentem in sui absoluta positione præfinitionem ab exercitio absoluto libertatis in præfiniti effectus appositione, non secus ac scientia media ac conditionata eiusdem effectus futuritio, patiatur: ac proinde eius antecessione absolutam potentiæ & effectus libertatem non magis, quam scientiæ mediæ eam præfinitionem regulantis, lædi posse: principium aliud æquæ certitudinis, ac præmissa reliqua, statuendum est.

7. Suppono ergo demum: præsuppositionem futuritionis conditionatæ contingentis, ac scientiæ mediæ de ipsa satis non esse, vt in quauis alia rerum, & conditionum peristhasi, & hypothesi contingens illud futurum sit: si enim in hypothesi alia ponatur cum principiis illis de se cum alterutro extremo componibilibus ac indifferentibus, aliquid aliud connexum essentia sua cum altero extremo determinatè, & incompossibile cum alio extremo illi opposito, contingens conditionatum extremum illud, cui illud aliquid in hypothesi additum connectitur, minimè sub ea tota hypothesi erit; etsi sub alia, cui connexum illud de se cum altero determinatè extremo non adesset, contingens conditionatum vere foret. Patet hoc de se, & in eo, qui non compeditus libere conditionatè quiesceret, si autem in hypothesi compedes etiam apponantur, non libere quiesceret conditionate, sed quiesceret necessario: item qui visendi amici carcerati causa esset libere carcerem aditurus, sub hypothesi quod lictoribus, & satellitibus comitatus, ne viam recusare posset, ac refugere, carcerem necessariò aditet, ac ingrederetur: item, qui sine prædeterminatione physica libere consentiret, sub illa consentiret necessariò: pono autem, vt affirmantium euasionibus locum obturem, prædeterminationem ad consensum non esse partiale constitutiuum causæ liberæ creatæ in actu primo (vt Thomistæ volunt) sed supererogatoriè, & vltra necessaria principia ad consensum (vt affirmantes aduersarij cum pluribus possibile iudicant) à Deo concedi: quod autem proximum principium, ac non remotum consensus physica prædeterminatio tunc esset, parui ad præsens suppositum refert, vt patet: imò inane absolutè est; vt constat ex dictis à numero tertio ad sextum inclusiuè, inde verò aperte, & euidenter constat dependentiam futuritionis contingentis, & liberæ conditionatæ effectus cuiusuis, ac subinde scientiæ mediæ de ipso, ab absoluta effectus eiusdem futuritione esse ab hac absoluta futuritione ex purificatione hypothesis eiusdem; sub qua futurus conditionatè contingens, & liber effectus ille esset, ac fore conditionatè præuisus per scientiam mediam fuit. Ratio est clara: quia, etsi ex purificatione alterius hypothesis non omninò eiusdem, vel saltem liber, effectus ille absolutè non esset; futuritio tamen eius conditionata sub illa hypothesi; sub qua talis esset, nec omninò eadem purificata est, ac scientia media de ipsa, saluæ & constantis veritatis consisterent. Ergo tota dependentia futuritionis conditionatæ contingentis, & liberi effectus, ac subinde scientiæ mediæ de ipso ab ipsius absoluta libertate, & contingentia purificata conditione & illa ipsa hypothesi purificata prorsus eadem, nihilo immutata, sub qua conditionatè contingens & liberum esset ac ità fore per scientiam mediam præuisus est, solummodo esse potest. Patet consequentia: quia dependentia omnis alicuius ab alio, ab eo solum esse potest, quo posito: illud aliquid subsistit, & eo ablato aufertur: vnde fit, quod, si absolutè purificetur, & apponatur vltra hypothesim ex indifferentibus principiis, & conditionibus omninò compactam & sub qua contingenter conditionatè futurus effectus visus est, aliquod aliud principium, seu conditio ex parte actus primi, & hypothesis purificatæ se tenens, & de se connexum, ac determinatum ad effectum illum, & hypothesis indifferentiam, & effectus libertatem absolutè euertat, vt patet: manente tamen huius conditionata, sub hypothesi prorsus, & adæquatè eadem libertate.

8. Quoniam verò & in statu absoluto consensum, è prædestinatiua saltem prouidentia apponendum, & futuritio conditionata contingens sub tali auxilio, eiusque scientia media præcedit, quæ tamen ex parte hypothesis posita non sunt, vt ex prædestinatione auxilium donetur, eoque absolutè posito ex coniuncto vtriusque inferatur ineuitabiliter consensus absolutè futurus: explicanda est connexio, quæ in eo absoluto coniuncto, quod absolute præcedit natura consensum, cum

absoluta huius existentia, intercedit: ne iuxta proximum notatum ex præcedentia scientiæ mediæ ad auxilij collationem, & consensum absolutum huius absoluta libertas videatur euerti: in hanc difficultatem recens Theologiæ auditor primus incidi: qua postea video Doctos, & acutos recentiores multum diuexari; cum tamen re penitius penetrata, nec parum vexarentur: etenim nec scientia media sola, nec coniunctim cum auxilij, & hypothesis indifferentis de se se purificatione cum absoluta effectus futuritione connexionem habet physicam: scientia enim media sola cum futuritione conditionata, quod obiectum ipsius præsuppositum est, connexionem solummodo habet: cum autem purificatione conditionis essentiam suam non variet, nec mutet eius purificatione absolutæ effectus futuritionem ipsa secundum se non connectetur. vti nec illius accessu consensum absolutum scientia illa media formaliter representat. Sed nec coniunctam ex vtraque: quia nec purificata conditio adiuncta connexa physicè cum futuritione, adhuc conditionata, nedum cum absoluta, effectus est: vnde, & coniunctim totum secundum omnem sui partem, & adæquate sumptum de se se physicè inconnexum est. Dices, etsi, tam scientia media, quam conditio purificata seorsim secundum se spectatæ nullam connexionem cum absoluto consensu habeant, atque in coniuncto illo inuariatæ essentialiter perstent; tamen in coniuncto illo connexio aliqua est cum absoluto consensu, vt implicet sine hoc illud coniunctum physicè perstare: ergo nil præstat argumentum. Respondetur negando suppositum antecedentis: etsi enim scientia media nullam omnino physicam connexionem cum absoluto consensu habeat essentia sua, quam, neque adiuncta purificatione conditionis repræsentat; habet tamen cum consensu conditionato essentialem, ac subinde aliquam connexionem ratione illius, inchoatam, siue conditionatam, si purificetur conditio: logicam scilicet, vti eam conditio futuritio habet, cui scientia media connectitur, & quam idcirco nequeat non mediatè participare, & quæ purificata conditione transeat in logicam connexionem absolutam. Tota ergo connexio coniuncti eius, ea solum connexio extrinseca ipsi est, quam habet futuritio conditionata cum absoluta effectus futuritione: quam quidem physice non infert: siquidem idem effectus physice, & entitatiuè est vtroque statu futuritionis, solum, quoad statum, diuersus: & statum quidem verificationis solum, non veræ dependentiæ, connexionis, & influxus, seu prioritatis naturæ, quæ eiusdem ad seipsum esse non potest. Itaque solum est connexio futuritionis conditionatæ ad veritatem futuritionis absolutæ posita conditione, logica, & consequentiæ: quatenus futuritio conditionatæ veritatis prioritate, maioris vniuersalitatis prior, quam absoluta futuritio, purificata conditione ab absolutæ futuritionis veritate obiectiuè priori pendet: ideò enim futurus conditionate contingens est: quia purificata conditione absolutè contingens erit; non autem contra: vnde, cum conditio purificatur, (quo solum casu præiudicari absolute contingentis libertati poterat) status conditionatus consequens est, & absolutam contingentis libertatem supponens, cui proinde nequeat officere.

9. Hinc apparet scientiæ mediæ præcessionem, cum ordine prædestinatiuo confertur de facto auxilium, effectusque contingens à Deo absolutè obtinetur, nullatenus huius absolutæ libertati obesse, nec hypothesim, quoad contingentiam effectus immutare: cum prorsus, quatenus physicè ad ipsum præcedit, & conducit, indifferens sit; neque ex eo, quod ex scientia media donetur auxilium diuersimode voluntate m ad consensum moueat, ac sollicitet, atque ex simplici intelligentia donatum ad eundem sollicitaret, & moueret: quare, etsi vtilis, ac necessaria scientia media sit ad Dei prædestinantis securitatem, ac prædestinationis infallibilitatem, & certitudinem; ad effectus verò contingentis influxum, & liberam absolutè illius positionem impertinenter se habet: ac proinde, quoad eius contingentiam, siue conditionatam, siue absolutam, non magis variat hypothesim, cui additur, vel aufertur, quam si eidem hypothesi addatur hominis, liberè sub ea hypothesi consensuri, gladius vel galerus, nihil prorsus in eum consensum influentes: cum autem coniuncti ex scientia media & conditionis absolute positæ, & purificatæ cum effectu connexio intrinseca non sit, sed extrinseca à futuritione conditionata, vbi purificata conditio est, mutuò accepta, immò eadem, nihiloque diuersa vt diximus, & patet, quia è sola futuritione conditionata, & purificatione coaditionis ex scientia simplicis intelligentiæ eadem ad futuritionem contingentis absolutam consequentia deducitur) atque ea logica solum & consequentiæ connexio, & necessitate solummodo consequente & ex suppositione absolutæ contingentiæ effectus sit, (vt etiam ostendimus) fit plane eiusdem effectus libertati derogare minimè posse. Derogare vero quamcumque necessitatem, & connexionem physicam intrinsecam, atque identificatam cuiuscumque principij, aut conditionis physicè antecedentis, naturaque & causalitate prioris; quæ omnia notata, ad veram quæstionis huius, & aliarum difficultatum affinium in scholæ nostræ principiis, decisionem habenda præ oculis semper sunt: sed aiunt tamen acutuli, nescio qui; physice causalitatis connexionem ritè, rectéque coniuncto illi scientiæ mediæ dirigentis auxilij collationem, & absolutæ positionis, & existentiæ auxilij denegari, in nostris principiis; cum absoluto consensu, at vero absolutam physicam coniuncti illius realiter à consensu absoluto distincti connexionem negari à sano homine minimè posse: cum nil aliud physica connexio cum alio realiter diuerso sit, quam, illud sine hoc esse physicè non posse: ac subinde ex illius physica existentia legitima illatione huius existentiam physicam inferri: quod in coniuncto scientiæ mediæ, & purificationis conditionis aperte inuenitur: id autem sine connexione physicæ causalitatis reperiri in coniuncto illo posse respectu absoluti consensus patet; siquidem in præscientia absoluta (& mille aliis) physica cum sui obiecti absoluta futuritione connexio, non autem physicæ causalitatis inveniuntur in iis, quæ quovis gradu natura præcedunt connexionem physicam quæ causæ, seu causalitatis cum posteriori, & effectu non sit impossibilem esse liactenus ostendimus neque præscientiæ exemplo, quæ suo obiecto posterior est, vllove alio poterit adhuc apparenter instari: distinctio autem physica extremi, quod nequit sine physica alterius existentia physice existere, si intrinseca ipsi connexio, & immediata cum illo sit physica esse coniungitur; secus, si extrinseca, mediata, & ratione alterius, quod concernit, solumque logice cum extremo illo connectitur, vt de coniuncto illo respectu consensus absoluti ostendebamus, docentque nostri omnes, qui necessitatem absoluti consensus in coniuncto illo inclusam, non physicam, sed logicam, & consequentiæ vocant.

CERTAMEN III.

Quartæ sententiæ negatiuæ conclusio prima contra præscindentem præfinitionem demonstratur.

1. SIt prima conclusio: præfinitio præscindens à media liberis, atque ab effectus libertate nec scientiam mediam proinde concernens natura sua, vel, vt sui regulam supponens, effectus abolet libertatem. Probatur contra pauculos recentiores: quia posita præfinitione præfata nulla est in voluntate, siue agente libero potestas ad ponendam omissionem effectus ita præfiniti ergo neque vlla in actu primo libertas, sed omnino necessitas, & determinatio voluntatis ex parte actus primi ad effectum ita præfinitum: consequentia patet ex definitione causæ, vel potentiæ liberæ data, & explicata certam. secundo quæ in potestate indifferente, & indeterminata ad vtrumvis essentialiter consistit, & determinatione ad vnum, atque impotentia absoluta ad extremum alterum prorsus aboletur. Antecedens

tedens probatur: quia posita præfinitione non est potestas in voluntate ad ponendam negationem effectus ita præfiniti cum eius præfinitione, siue in sensu composito præfinitionis; alioqui carere effectu præfinito eius præfinitio posset: id quod intrinsecæ eius absolutæ efficaciæ, & essentiali connexioni demonstraris certam. 1. à num. 3. contradicit, sed neque est potestas in voluntate ad ponendam effectus ita præfiniti negationem in sensu diuiso, nisi sensu Thomistico, & abusiuo, abunde à nobis impugnato tom. 1. de Deo vno, d. 3. quæst. vlt. & qui tantundem est, atque, si non adsit ea præfinitio: quæ conditionata potestas est, non absoluta ad absolutam effectus libertatem requisita: & conditionata, quæ ex parte subiecti absolute, etsi ex parte obiecti conditionata, non adsit, solumque esset, ex parte adhuc subiecti, si præfinitio abesset: vnde euidenter potius ostenditur eam præfinitionem potestatem ad ponendam ita præfiniti effectus negationem prorsus euertere: cum, nisi ea præfinitione, sicuti, & quavis necessitate tollente libertatem causæ absolutè sublata, esse ea potestas minime possit: ergo nulla est potestas in voluntate eiusmodi præfinitione posita ad apponendam negationem effectus ita præfiniti. Patet: quia vltra potestatem causæ liberæ ad ponendam præfiniti effectus negationem in sensu, vel composito, vel diuiso præfinitionis posita præfinitione ipsius, nulla potestas esse, excogitative, nisi fictitie potest: iam vero, quod nec in sensu diuiso, non Thomistico, sed vero, & ad rem vtili, nulla sit posita præfinitione præfata ad effectus ita præfiniti negationem apponendam ex parte voluntatis in actu primo potestas, probatur aperte: quia eiusmodi potestas est potestas voluntatis ad auferendam, & diuidendam à negatione effectus præfiniti, vel (proprius loquendo) impediendam præfinitionem, ne ex parte actus primi fuerit per exercitium absolutum liberum suæ potestatis indifferentis absolutè exercitum in appositione effectus ita præfiniti: atqui hæc potestas nequit esse in voluntate: ergo nec potestas ad negationem ita præfiniti effectus in sensu diuiso præfinitionis non fictitio, sed vero, & ad rem vtili. Minor proxima probatur: quia ea potestas in sensu diuiso præfato, seu impediendi ne fuerit ex parte actus primi, atque diuidendi ex parte illius antequam ex parte illius esset, præfinitionem effectus præfiniti à negatione eiusdem effectus præfiniti, solum esse potest cum præfinitionis pro illo priori positio, & antecessio ab eiusmodi exercitio absoluto libero voluntatis in apponendo effectu præfinito pendet: atqui præfinitio omninò præscindens à mediis liberis, effectuque præfiniti libertate, adhuc conditionata, sub quavis hypothesi effectus præfiniti scientiaque media illius, nullam dependentiam, imò nec dependentiæ vmbram, ab exercitio vllo libero voluntatis in apponendo effectu præfinito, non solum absoluto (vt opus reuera est) sed nec conditionato in sui positione pro priori actus primi, & antecessione habet: cum ab his omnibus independenter eius præfinitio à Deo concipiatur, & habeatur: ergo neque est in voluntate potestas, in sensu diuiso vero, & ad rem vtili, seu diuidendi præfinitionem à negatione effectus præfiniti.

2. Respondent primo Recentiores in voluntate esse potestatem coniungendi negationem effectus ita præfiniti cum sui præfinitione secundum se præcise sumpta, secus vt coniuncta cum mediis efficacibus: sicuti, & est ad negationem effectus liberi, ad quem quis à Deo prædestinatur prædestinatione sola spectata, secus coniuncta cum mediis efficacibus. Præcluſa tamen solutio hæc iam est certam. 1. à num. 3. vbi ostendimus præfinitionem absolutam consensus de esse, mediisque inspectatis intrinsecè, atque essentia sua efficaciam, & connexionem physicam cum effectu præfinito habere, ac subinde cum eius negatione incompossibilitatem, quam quidem prædestinatio non habet: quia effectus, ad quem prædestinatur, voluntas efficax non est, sed eius efficacia erga media est, nec ad effectum, vt obiectum etiam efficaciter volitum, porrigitur: ac proinde solam rationem efficaciæ mediorum, & scientiæ mediæ, cui ad sui infustrabilitatem innititur, connexionem logicam, sicuti, & mediorum efficacia, mediaque scientia, qua dirigitur ad prædestinandum Deus, cum effectu absoluto, solum modo habet, & quæ potestatem physicam absolut & simpliciter talem non lædat, quia consequens, ad huc cum mediis efficacibus coniuncta, solum est nec, si antecedens in eo coniuncto, vel præfinitionis, vel prædistinationis, & absoluta necessitas, & connexio cum effectu præfinito, vel ad quem prædestinamur, & incompossibilitas cum eius negatione admittatur, saluari eius libertas in nostris & certis principiis potest, vt ex dictis tam hic, quam tomo primo, de Deo controuersia 3. disputatione prima, quæstione vltima, vllatenus potest: quare responsio hæc ex eorum principiorum impenetratione procedit.

3. Idcirco laudati à nobis sæpè Recentiores subtiles, & Commagistri nostri Murciani respondent; Non esse in voluntate potestatem coniungendi negationem effectus ita præfiniti cum eius præfinitione præcisè sumpta, vt præfati Recentiores aiebant, esse tamen potestatem absolutam ad impedendam præfinitionem, ne pro priori suo naturæ poneretur, ac præcederet per liberam negationem effectus in sensu diuiso, quam primi non adeo acuti Recentiores negabant: ita vero Murciani potestatem hanc voluntatis ad negationem effectus præfiniti in sensu diuiso præfinitionis de se connexæ cum effectu, & cum eius negatione inconiungibilis meditaturi: etsi enim, inquiunt, ex prædicato intrinsecæ efficaciæ eiusmodi præfinitio connexionem habeat cum medio efficaci: ast indifferens est, vt existat cum medio intrinsece efficaci, vel efficaci solum extrinsecè: solumque cum alterutro connexionem habet: quare, & sine vtroque esse absolute nequit: in iis autem, quæ cum duplici extremo disiunctim connexionem habent, dependentia eorum ab eo extremo, quod de facto ponitur, admittenda est: præsertim cum vtriusque simultanea positio repugnat (vt in præsenti medij natura sua efficacis, & natura sua indifferentis, solumque extrinsecus efficacis in ordine ad liberum effectum) vt patet in effectu, qui ab alterutra causa prouenire natura sua debet, & indifferenter potest: quare, & alterutri connectitur; & tamen ab ea, quæ de facto in ipsum influit eius existentia de facto pendet: scientia item visionis de existentia futuri, etsi non pendeat ab hac causa determinatè, cum ab hac, vel alia poni futurum, ac subinde eius visio posset: ast de facto ab hac, à qua de facto futurum ponitur, & huius, & visionis eius existentia absolute pendet. Ratio à priori est: quia realis connexio disiunctim, cum alterutro extremo, cum nequeat esse absolutè ad indeterminatum extremum, ad vtrumque determinata sub conditione negationis alterius extremi ex oppositis est: quæ, subinde purificata conditione negationis vnius extremi, in absolutam connexionem, cum extremo altero determinatè, atque ab illo determinate dependentiam transeat. Cum igitur præfinitio hæc præscindens cum alterutro medio, vel natura sua efficaci, vel extrinsecus solum efficaci à consensu, seu effectu libero, disiunctim natura sua connectatur, seu cum vnoquoque ex illis determinate sub conditione negationis extremi alterius, fit, vt, posita negatione medij natura sua efficacis, cum solum extrinsecus efficaci, quod de facto ponitur, connectatur determinate, ab eoque pendeat: cuius efficacia, cum per liberam effectus præfiniti omissionem tolli à voluntate antecedenter possit, atque reddi medium illud inefficax, fit, vt præfinitio, quæ ei determinato medio, eiusque efficaciæ de facto connectitur, à libero consensu, & effectu voluntatis, æque, atque medij ipsius efficacia, in sui existentia, & absoluta pro suo priori naturæ positione dependeat.

4. Multa discursus hic subtilis Recentiorum, satis difficilia, mouet. Primum principium, & causam necessariam, connexamque essentia sua cum suo effectu siue proximo, siue remoto (cuiusmodi præfinitio, cum auxilij, tum effectus præfiniti est) posse ab illo in sui existentia pendere. Nec enim idem est eam causam seu principium sine eo effectu esse non posse, ac pendere in sui existentia propria dependentia ab illo, & reliquis, à quibus ille dependet. Alioqui potentia notionalis, personaque Patris proprie penderet à persona Filij, cui essentia sua connectitur, ita, vt esse sine illo nequeat

(quod hæreticum esse ostendimus controuers. de Trinit. d. 2. quæstion. 3.) nec citius Pater Filio, quam Filius Patre, Prior origine foret : quod est etiam erroneum. Secundò, cum effectus omnis posterior natura causa sua physice actiua, quoad existentiam sit : ac proinde suæ causæ physice actiuæ absolutam existentiam (sine qua ex parte actus primi causari absolutè nequit) pro priori naturæ ad absolutam sui existentiam supponat : implicat effectus existentiam absolutam ad existentiam absolutam suæ causæ supponi (vt ad veram dependentiam existentiæ causæ ab existentia effectus sui supponi oporteret) quin posterius natura ad prius natura reuocetur, & sui causam, seque subinde ipsum, manifesta, & multiplici contradictione natura antecedat, cuius contradictionis euidentia mutuam causarum physicam sui existentiam ad causandum requirentium causalitatem in diuerso etiam genere iidem Recentiores exhorrent. Tertio dependentia rei ab alio in sui existentia auxilij ab illo præstandi indigentiam ad sui existentiam essentialiter in re illa supponit : vt de se patet, & controuers. de causis demonstraui cum Vasquez contra Petrum Hurtado. Hanc indigentiam auxilij à suo effectu, proximo, vel remoto, nequit habere causa, etiam necessaria, de seque connexa cum illo ad sui existentiam : ergo nec dependentiam ab illo. Probatur minor, causa necessaria essentia sua, vbi primum absolutè est, habet ponere effectum, qui extremum suæ essentialis connexionis est, & si mediata causa sit, causas intermedias, non solum necessarias ad effectum, sed à quibus immediata necessitate, & infallibilitate effectus ille, cui de se connectitur determinate, infallibiliter proueniat : ergo sine indigentia auxilij ab effectu, vel intermediis causis, præstandi, de se, suaque essentia habet ea omnia ponere, quæ ad existentiam sui simultaneam cum termino, seu effectu, cui connectitur, & sine quo proinde esse non potest, requiruntur : quare quod sine illis esse absolute nequeat, non quidem indigentia causæ necessariæ connexæ essentia sua cum effectu est (verbi gratia præfinitionis cum effectu præfinito) sed potius ineuitabilis, infrustrabilisque natura sua causæ necessariæ potestas impos se continendi ab effectus sui productione : exempla vero Recentiorum ad oppositum suadendum sumuntur ex effectu natura sua disiunctim connexi cum causis suis, quarum neutra determinatè ad eius positionem necessaria sit, sed alterutra : respectu quarum dependentia esse optimè potest, ac de facto est ab ea determinata à qua de facto producitur ; in causa autem effectus, vel proximi, & immediati, vel mediati, & remoti, cui essentia sua, siue disiunctim, siue determinate, connectatur, dependentia ab illo, vel determinatè, vel disiunctim sumpto, absque contradictione prædicta esse non potest : quare causæ, & actionis ad effectum connexio absolutæ dependentia ab illo à nemine hactenus dicta est ; sed cum addito dependentiæ à posteriori : sicut imago picta hominis solum cum addito *picti* homo dicitur.

5. Verum ad doctrinam connexionis realis physicæ, & intrinsecæ causæ cum effectu, vel effectus cum causa alterutra disiunctim veniamus : quæ quidem in causis, & effectibus pure realibus esse nequit : cum nullus pure realis respectus ad terminum præcisum, vel vagum esse possit, quem sola ratio, non sine figmento, inducit : cum nihil realiter, ac non pure intentionaliter præcisum aut vagum esse in rebus possit ; etsi à nobis, qui eos terminos beneficio rationis intentionaliter inducimus, ea connexio cum duplici termino disiunctim sæpè ad disputationes admittatur. Sed neque modo explicato à Recentioribus : nempe, connexio illa physica cum vtroque determinatè extremo conditionata est, cum vnoquoque sub conditione negationis extremi alterius oppositi, id enim non minus implicat, quam rem pure physicam, & in se, suaque entitate absolutam conditionatam esse, exempla nihil de intrinseca pure physica connexione conditionata probant ; sed de extrinseca solum dependentia, & causalitate passiua grammaticali de facto ab ea causa, à qua de facto producitur ; ex qua intrinseca absoluta connexio cum hac causa determinatè, à qua de facto producitur, cum aliæ absint, à quibus produci possit, nullatenus infertur. Alioqui, cum ab alio quam à primo producente effectus conseruatur, intrinseca eius connexio absoluta, quare, & effectus alius esset deficiente vel absente eorum productore : nihilque esset, quod conseruaretur ex his quæ conseruari soluta videmus ; sed ea omnia producerentur primo : & quis credat etiam physicam conditionatam connexionem rei intrinsecam sola extrinsecæ causæ negatione posita in absolutam rei eidem immutatæ intrinsecam, & essentialem transire ? certè nimis credulo auditore ad fidem hanc opus est ; cum & extrinseca termini positione nouis relationibus res accidentarie mutari ægrè à Deo à nonnullis deglutiatur : sed quorsum connexio illa pure physica, & realis vnius ad plures terminos disiunctim, & vage vnum, vel alium, vel conditionata ad eorum singulos determinatè si alij absint, tanto, tamque debili molimine adstruantur, videamus : vt scilicet voluntatem, seu præfinitionem Dei in medium, seu auxilium efficax, vel natura sua, vel solum extrinsecus à consensu, seu effectu libero ferri disiunctim posse monstretur : vel, vt decretum seu eius connexionem intrinsecam cum pluribus terminis disiunctim explicabant Recentiores ad eorum singulos determinate, sed conditionate sub conditione scilicet negationis alterius : id autem etsi non et falsis illis principiis vltro dabimus, quia cum voluntatis affectus ratione, & cognitione ducatur, quæ, & terminum vagum, & præcisum, & sub hypothesi Deo etiam potest proponere (vt controuers. de Incarnat. sæpè, vel probauimus, vel supposuimus) in sic propositum obiectum, vel disiunctim, vel conditionatè Dei voluntatem ferri posse libenter fatebimur.

6. Cæterùm eo admisso discursus totus Recentiorum non infert connexionem intrinsecam præfinitionis cum effectu præfinito, præscindentis de se à mediis efficacibus, vel de se indifferentibus, & extrinsecus solum efficacibus, ac proinde indifferentis ; vt cum alterutris, alterutriusque electione coniungatur, connexione solum medij de se indifferentis & extrinsecus solum efficacis, atque ab effectu ipso absolutè, & antecedenter impedibili, vel alia, adiustar huius connexione intrinseca ; cum effectu præfinito connectit : etenim cum præfinitio hæc præscindat à mediis, & effectus libertate, atque eius efficacia in effectum secundùm se feratur, non curata, neque attenta eius libertate, neque scientia medij, qua ea præfinitio non dirigitur : nequit à mediorum indifferentium de se, (à quibus omninò in sui efficacia, & intrinseca connectione præscindit, quæque pro posterum naturæ eligit, & quibus effectum præfinitum exequitur, benignitate, efficaciam, & connexionem benignam cum effectu præfinito intrinsecam, & ab hoc, & efficacia benigna mediorum absolutè & antecedenter impedibiliter trahere. Secundo ex necessitate, qua præfinitio de se ad alterutrius medij efficacis, vel natura sua, vel extrinsecus talis electionem Deum antecedenter determinat, euidens est, eius efficaciam, & connexionem cum effectu præfinito antecedentem, & ab eiusmodi electione & medio benigne efficaci absolutam esse : quia, ni absoluta, & antecedens præfinitionis efficacia, & connexio cum effectu foret ; de se se Deum ad alterutrius medij efficacis electionem non determinaret : nec nisi posita conditione effectum absolutè inferret. Tertio : etsi connexio præfinitionis intrinseca, adhuc erga media, & eorum electionem, conditionata esset, quia absoluta respectu præfiniti est, posita conditione, seu negatione medij natura sua efficacis, transire in absolutam eiusdemmet præfinitionis intrinseca connexio non posset ; sed alterius efficacis decreti absoluti, absolutam connexionem inducere : neque enim, quod essentia sua fertur, effectus etiam, in obiectum conditionatum, idemmet ferri in absolutum potest. Denique, si Recentiores isti, vt alias contra Recentiores alios, connexionem intentionis efficacis, seu præfinitionis cum affectu præfinito ab illius in effectum influxu mediato diuiderent, in æquiuocationem, & fallacem hanc doctrinam, & adeò à nostris principiis alienam conclusionem minimè incidissent ; viderent enim influxum mediatum in effectum per medium fluxum ipsum, qui à medio, & influxu determinabilis esse debet : quia illi se ipso, & essentia sua conformis est.

7. Nihil

7. Nihil ergò hac discursuum machina argumenti nostri euacuatur: quod sic breuiter ostendo: id quod essentia sua præscindit à medio determinato, nequit in sui existentia pendere, tanquam à termino vi eius apponendo, à medio determinato: cum eo medio sublato, appositoque alio eius essentia actu persisteret; alioqui essentia sita à medio determinato penderet, si absque illo esse absolutè non posset. At præfinitio præscindens, eiusque efficacia, & connexio intrinseca cum effectu præfinito essentia sua præscindit à medio determinato de se indifferenti, & extrinsecus solum efficaci ab effectu libero, sic præfinito: ergò nequit in sui existentia ab eiusmodi efficacia, ac subinde ab effectu libero, tanquam à termino in sui absoluta positione, & existentia pendere: eadem vi repellitur præfinitio præscindens ex præcisione, quam à scientia media habet: inde enim eius præcedentiam esse pure antecedentem, ac eius cum effectu præfinito connexionem, & necessitatem, quam causæ alias liberæ affert ad illum producendum, antecedentem & libertati aduersam esse absque vlla consequentis necessitatis vmbra (quam alij in suis præfinitionibus per scientiam mediam regulatis, tametsi inaniter aucupantur) euidentius est: si quid autem effugij ex scientia media, siue comitante siue per accidens supposita præscindentis huius præfinitionis auctoribus tentetur cert. 4. occupabitur illud de benigna efficacia mediorum præclusum omnino hic est. Aliud denique de principio remoto, præscindentibus, & non præscindentibus præfinitionibus commune, satis superque obturauimus certam. 2. à num. 3, denique ne vllam, etsi aliam euadendi viam expeditam aduersarijs relinquamus crassa quædam doctrina à nonnullis (quorum nomina honoris, & modestiæ causa reticeo, etsi se ipsi Typis prodiderint) vt principium merito remotum posse sub meritum cadere defenderent: atque inde difficultates quasdam Incarnationis in Vasquiano decretorum eius ordine componerent excogitata, quaque pro præscindentibus, vel non præscindentibus præfinitionibus vti aduersarij possent, reijcienda hic breuiter erit. Aiunt enim causas, & principia remota effectus, causas, & principia per accidens esse ad effectum producendum: nihiloque magis ad ipsum natura præcedere quam musica in Aratore, vel Architecto ad arandum, vel ædificandum, vel pileus legentis ad strudendum: eis quippe exemplis causam per accidens Aristoteles non semel explicuit.

8. Inde dici nunc posset: quemadmodum musica, & similes causæ per accidens nihilo modum operandi Architecti immutant: ita etiam nec præfinitiones, cum causæ remotæ, & per accidens, iuxta eam doctrinam, sint, nihilo etiam modum operandi agentis liberi creati immutare. Cæterùm causam remotam non esse causam per accidens (de qua Aristoteles ibi) à sano Philosopho cogitari, nedum asseri nequit: cum causæ remotæ dent proximè existentiam, & virtutem, qua immediatè influit, & producit effectum: quare longe aliter se erga effectum habent, ac musica in Architecto respectu ædificij; & causa per accidens ab Aristotele eo exemplo declarata. Secundo, si causa remota necessaria, & essentialiter requisita ad proximè productionem sit: qua ratione per accidens, sicut musica respectu ædificationis in Architecto respectu effectus erit: cum ea deficiente, nec proxima causa, nec eius effectus esse absolutè possent? Si autem non essentialiter requisita: quia ab alia potest causa proxima produci, & tamen de facto ab hac producitur, præcedentiam naturæ suo loco, & priori ad effectum de facto habet, æquè atque essentialiter requisita causa ad suum effectum: eoque solùm differunt: quod essentialiter, & necessariò hæc ad suum loco suo effectum, & priori naturæ antecedit; illa verò ex accidenti respectu sui effectus eam prioritatem naturæ sortitur: quia hic ab alia causa esse æque posset. Id quod; & causæ proximæ non essentialiter requisitæ ad effectum contingit: nempè, ex accidenti respectu effectus ipsum natura antecedere; nec tamen inde causa per accidens, sicut musica ædificantis ad ædificium est, sed vera causa de facto sui effectus eam est; tametsi ex accidenti causa illius sit: quod in eam doctrinam memoratos Doctores egit causam omnem, quæ ex accidenti talis vere est, cum causa per accidens confundentes negaturos subinde Philosophicum illud, & rationis naturalis lumine notum axioma: *quod est causa causæ, est causa causati.*

CERTAMEN IV.

Conclusio secunda contra præfinitiones non præscindentes à mediis, & effectus libertate, & per scientiam mediam essentia sua regulatas.

1. SIt negatiuæ nostræ sententiæ conclusio secunda. Præfinitio, etiam essentia sua regulata per scientiam mediam de effectu contingenti sub conditione medij de se indifferentis, extrinsecusque ab effectu ipso solummodo efficacis, est impossibilis vtpote absolutæ præfiniti effectus, libertati contradicens. Probatur conclusio eisdem argumentis, quibus præscindentem certam. 3. impugnabamus. Omnis necessitas simpliciter, & absolutè talis, vt sit effectus, seu absolutam positionem pro naturæ priori antecedens pugnat cum eius effectus libertate absoluta: atqui necessitas præfinitionis, per mediam etiam scientiam essentia sua regulatæ, est necessitas simpliciter, & absolutè talis, vt effectus sit, & antecedens pro naturæ priori absolutam præfiniti effectus positionem: ergò pugnat cum absoluta effectus præfiniti libertate. Maior est Patrum, & Theologorum omnium axioma euidens de se, & rationis lumine notum à nobis demonstratum tom. 1. de Deo vno controuers. 3. d. 1. tota ex scripturæ quæstion. 1. ex Patribus quæstione 2. ex scholasticis, & ratione quæst. vlt. Minor probatur: quia omnis necessitas præcedens effectus absolutam positionem: cogensque ex parte actus primi, & prioris naturæ, vel prohibens, aut resistens, vt sit, vel non sit effectus, est simpliciter, & absolutè necessitas, vt effectus sit atque antecedens natura effectus absolutam positionem vt vidimus cert. 2. atqui necessitas præfinitionis est necessitas vt præfinitus effectus sit, quæ absolutam rei positionem præcedit, cogitque, vt effectus præfinitus sit, prohibeque, & resistit, vt non sit: ergò est necessitas absolute, & simpliciter talis, atque naturæ priori absolutam eius effectus positionem antecedens. Proxima minor probatur, quia necessitas absolutè, & simpliciter, atque antecedens absolutam effectus positionem nihil aliud est, quam connexio intrinseca, & essentialis causæ cum absoluta positione effectus: ità, vt implicet causam absolutè esse, quin sit effectus, quem proinde connexione, & determinatione suæ intrinsecæ causæ efficaciæ, & connexionis necessariò, & infrustrabiliter pro posteriori naturæ apponit, ac deuoluit: atqui præfinitio intrinsecam habet efficaciam, & connexionem cum effectu præfinito, cuius causa est, ratione cuius, nequit esse sine effectu præfinito, quem proinde efficaciæ, connexionis quæ suæ determinatione necessario, & infrustrabiliter deuoluit, & apponit; ergò habet in se ac de se affert antecedentem absolutam ac simpliciter talem necessitatem effectus præfiniti.

2. Eodem fere recidit argumentum, quod expressius instruximus certam. 3. contra præfinitionem, præscindentem quia libertas causæ in actu primo, ac subinde effectus, (qui eius libertate ad vtrumvis solummodo liber in actu secundo extrinsecus est) essentialiter dicit potestatem indifferentem causæ ad effectum, & eius negationem, seu omissionem (si contradictionis libertas sit) nec determinatam ad vnum, vt vidimus certam. 2. numer. 1. Sed posita præfinitione effectus alias liberi (regulata etiam essentia sua per scientiam mediam) nulla est potestas agentis liberi creati ad negationem, seu omissionem effectus præfiniti, siue in sensu compositi, siue in sensu diuiso vtili ad saluandam causæ, & effectus absolutam libertatem, vt vidimus ibidem 2. ergò nulla est causæ, & effectus præfiniti absoluta libertas. Minor probatâ

probata est citato certam. 2. quid specialis effugij ex præsuppositione scientiæ mediæ, qua ea præfinitio efficientia sua regulatur, aut ex benigna mediorum extrinseca solum efficacia, libertateque, & contingentia conditionata effectus, quas ea scientia supponit huius præfinitionis assertores quærant, videamus, & præcludamus. Aiunt primo connexionem intrinsecam præfinitionis huius absolutam cum effectu absoluto absolutè non esse, sicuti neque absolutam efficaciam, sed tantum cum mediis extrinsecus solùm efficacibus in hypothesi præuisis, quæque subinde irritabilis antecedenter sit: effugium hoc præclusimus cert. 1. n. 3. ostendentes efficaciam, quare, & connexionem præfinitionis huius cum effectu absoluto ad ipsum effectum absolutum extendi, nec in mediorum præuisorum absoluta positione sistere: vt locus quæstioni detur, quæ de absoluta præfinitione & decreto de mediis absolute apponendis tantummodo non est; sed de præfinitione, seu efficaci intentione, qua Deus effectum conditionatè contingens, & liberum sub eis mediis futurum, & præuisum, efficaciter velit absolute esse: ac proinde absolute effectum liberum cum intrinseca illa præfinitionis efficacia, & connexione illa absoluta antecedente, naturæ, & causalitatis priori, absolutam effectus existentiam, & executionem omninò repugnat.

3. Nec plus præstat euasio alia: velle nimirum ea præfinitione, & efficaci intentione efficaciter Deum, vt sit, non solum effectus; sed per media illa de se indifferentia, efficaci æque benignæ, extrinsecus à futuritione contingenti conditionata effectus, sub quibus fore præuisus est. Etenim in præfinitione, & intentione efficaci de se, & intrinsecè connexa cum effectu, quæ ad eorum mediorum electionem præcedat, & moueat, vti communiter ab aduersariis asseritur, locum non habet: siquidem ea intentionis efficacia, & connexio absoluta, etsi ex scientia efficaciæ mediorum benignæ à Deo habeatur, secundùm se tamen formaliter media illa efficaciter non vult, licet ex ea ad media efficacia pro posteriori eligenda determinatus maneat (nè efficacia intrinseca ergà effectum intentum effectu carere possit: ac subinde efficax de se, & essentia sua Dei voluntas frustrari) connexio tamen, & efficacia absoluta præfinitionis, & intentionis illius cum effectu ità intento, & præfinito natura sua, etiam antecedenter infrustrabilis, & inirritabilis anterior prioritate naturæ, & causalitatis electione illa mediorum efficaciæ benignæ est, & quæ benignitate mediorum efficaciæ benignæ apponendorum, aut electionis natura posterius emolliri, ac curari nequeat, vt vidimus certam. 2. & 3. Secundò, vtrumque, nempe finem proprie talem, & media qua talia vnico actu, & eodem realiter in nobis & intentionaliter in Deo amari non posse ostendimus quæstion. 1. certam. 3. toto; sed necessario intentionem propriam finis, & finem amatum debere electioni, & amori mediorum propter ipsum præcedere. Quare cum id, quod finis respectu alterius ad ipsum conducentis de se esse posset, & simul cum vtili hoc amatur, non quidem vt finis amatur, sed vtrumque propter aliud quod non, nisi vtriúsque interuentu obtineretur: vt dicebamus de intentione gloriæ propter merita: quia non, nisi cum splendore illo coronæ certamine, ac proprio etiam labore partæ, iustis eam efficaciter intenta à Deo esset: & tunc libertatem meriti aboleret, cum ex connexione, & efficacia absoluta anteriore natura ad meritum, sine quo obtineri finis ille nequit, non esse minimè possit.

4. Vlteriùs vel intentio illa efficax, ac præfinitio absoluta effectus præfiniti, non per alia, sed per hæc, benignæ efficaciæ media adhuc retinet physicam connexionem absolutam respectu effectus ità præfiniti; vel ex eo, quod, non nisi per media illius benignæ efficaciæ esse velit simul absoluta illa & irresistibili efficacia & connexione physica intrinsecè effectui præfinito absoluto non connectitur: ità, vt eam præfinitionem in se esse, & effectum non esse non repugnet. Si primum: ergò cum absoluta illa connexio præfinitionis cum effectu præfinito persistat pro priori naturæ ad absolutam effectus præfiniti positionem, etiamsi simul medium benignæ efficaciæ præfiniatur, & ametur, non esse absolute effectum cum efficacia, & connexione illa intrinseca præfinitionis pro priori naturæ præsupposita ad absolutam effectus positionem pugnabit: ac proinde effectus præfinitus ex necessitate antecedente naturæ, quare non liberè sed necessariò absolutè proueniet. Sin verò ea præfinitio effectus per medium illud efficaciæ benignæ ex eo, quod in vtrúmque simul feratur absoluto effectui non ità absolute, ac rigidè, sed benignitatis medij ad ipsum connectatur, vel potius coniungatur, eiusmodi solum præfinitio erit: præfinio effectum per media hæc benigna, quibus & mea præfinitione ità de facto à sua causa fiat, vt non fieri absolute possit, atque præfinitio hæc mea subinde antecedenter & absolutè irrita reddi, atque frustrari, & si ex præscientia, qua ad eam præfinitionem concipiendam regor, & futuritione conditionata per eam repræsentata frustranda atque irritanda non sit.

5. Sed eiusmodi præfinitione libertas quidem absoluta effectus saluabitur; ast efficacia intrinseca præfinitionis illius absoluta circa effectum, atque cum illo absoluta connexio qua eam præfinitionem, quia efficax absolute essentia sua est: cum omissione seù negatione effectus præfiniti coniungi repugnet, omnino negabitur: & suppositioni, in qua disputamus, de possibilitate præfinitionis de se efficacis antecedentis absolutam positionem effectus, illúmque attingentis, vel seorsim vel simul cum alio efficacis antecedentis absolutam positionem effectus, ac subinde essentia sua cum eius absoluta positione connexæ, & cum eius negatione incompossibilis. & effectus præfiniti libertatem seruantis contradicetur: etenim connexio essentialis præfinitionis cum effectu absoluto præfinito, & impossibilitas illius absoluta existendi in se, quin absolute effectus existat, seu coexistendi cum eius effectus negatione, contradictorie pugnat cum possibilitate absoluta existendi eiusmodi præfinitionem, quin effectus præfinitus existat seù coëxistendi cum eius negatione, vt de se claret: eadem hac impugnatione conuincitur euasio eadem aliis verbis satis aduersariis frequens. Nimirum, præfinitionem non præscindentem talem ab ipsis possibilem admitti & affirmati, qui à libertate effectus præfiniti non præscindit; sed in effectum, & modum libertatis eius simul absolute efficaciter fertur: sed cum modus libertatis effectus, nil aliud sit, quam ità à causa ex parte actus primi indifferente ad vtrumuis procedere vt absolutè, & antecedenter natura potuerit non procedere, & omitti; si id præfinitio intendit efficaciter, vel eius efficacia intrinseca substantiam effectus, simul adhuc cum libertate, contra disputationis suppositionem, non pertingit: vel quatenus substantiam effectus pertingit, ac subinde sine effectu, nequit absolute pertingere, qua simul eius libertatem (quæ in eo stat, vt ità à sua causa procedat, vt potuerit absolutè non esse) contradictoria prædicata & præfinitio adunat, nempe posse absolute in se persistere, quin existat effectus, qua in eius libertatem efficaciter fertur; qua vero in effectum ipsum, non posse in se existere, quin effectus existat.

6. Priusquam præcipuam aduersariorum tentatam euasionem ex suppositione scientiæ mediæ præcludam, difficiliores, & tardiores aliæ occupandæ sunt. Prima de necessitate ex principio extrinseco causæ liberæ, quod effectus, & operationis libertati non obesse aiunt Hectamen solutio Anselmo, & Patribus iniuria est. Nonenim eos, vel supinæ ignorantiæ, quia præscientiam, & prædestinationem extrinseca voluntati nostræ principia esse nescierint; vel inutilis atque inepti laboris, qui cum id nossent tanto studio ea principia extrinseca cum libertate voluntatis libertate, ac non ea via facillima, conciliarint, & quæ proinde libertatem non lædat. Secunda solutio, de connexione solum mediata, & extrinseca præfinitionis cum effectu præfinito exclusa est cert. 1. à num. 3. Tertia item, de principio remoto, ac non immediato ac proxime influxuo difecta est cert. 2. à num. Quarta, de principio & causa remota, quæ solum respectu remoti effectus causa per accidens sit, sicut Mustat in ædificatore, & quæ modum operandi non immutat, impugnata est cert. 3. num. vlt. Quinta Recentiorum, cæteris deterior, solutio specialiter præfinitionis existentiam absolutam à libero nostro absoluto libertatis pendere contendit, ac proinde illi officere minimè, quia omissione libera consensus fieri à nobis pro priori potuit, ne pro suo priori præcederet æternitate, dependentiam autem ne eius præscientia præcederet æternitate, dependentiam autem

autem ab effectu libero absoluto, cui connectitur præfinitio, ex ipsa præfinitionis connexione deducunt: inde enim ab illo, tanquam à termino necessario connexionis essentialis suæ pendere euidens est: cum inde esse in se præfinitionem, quin effectus præfinitus existat euidentissimum sit: verum ex antecedentia in duratione, seu æternitate potius, præscientiæ ad absolutum contingens temporarium ad præcedentiam naturæ præfinitionis ad effectum præfinitum consequentia non, nisi ab eis, duci potest qui antecedentiam durationis cum antecedentia naturæ & causalitatis respectu effectus contra Anselmum, & reliquos Patres confundant, qua confusione admissa consequentiùs Aristoteles, (vt à plerisque putatur, præscientiam futurorum, etsi erroneè, Deo negauit.

7. Ratio verò ex connexione essentiali præfinitionis cum effectu præfinito petita est solutio quarta Albeldæ simili argumento à nostris contra prædeterminatiuas præfinitiones, & physicas prædeterminationes Dominicanorum Recentiorum efformato: & quæ rursus nulla necessitate antecedente, natura sue physica, siue intentionali posse creatam libertatem, diuinitus adhuc læsi euidenter probet: imò & causæ omnes naturales eorumque effectus libertate gaudere eadem ratione facile probabuntur: siquidem essentiali connexione effectis suis connectuntur, ac subinde ab illis in sui existentia pendent: quare, & poterit ab eis causarum suarum existentia absoluta ipsorum negatione impediri: ac subinde earum ad operandum antecedens determinatio, & necessitas naturalis operationis, & effectus libertati non oberit: & miraculi tandem instar est Doctos & ingenij præstantia nobis & cunctis venerabiles Recentiores naturali necessaria, & essentiali causæ cum effectu suo connexione, vnde hactenus à Philosophis, Patribus, & Theologis cunctis eius in operando, ac subinde effectus necessitas demonstrata est, & vtrique libertas negata: vtriusque libertatem defendi, & necessitatem excludi: æstimo id, & similia quantumvis magnis, & subtilibus ingeniis Dei prouidentia sæpe accidere, ne, vel ipsi, vel nos, qui adeo heberes sumus, nostris discursibus nimis fidamus, & inaniter glorientur: cum in rebus adeo perspicuis ingenij Proceres deprehendamus cespitasse: æquiuocationis, & fallaciæ huius occasionem deteximus certamine 3. à numero 3. vbi hunc discursum, & rationem Recentiorum pluribus rationibus, & absurdorum illationibus disiecimus: quare hic solum addo: solutiones hoc, & antecedente numero perstrictas, & quasi per transitum breuiter, ac ferè remissiue impugnatas præfinitionibus, cum præscindentibus, nec scientia media regulatis, tum prædeterminatiuis Dominicanorum Recentium Thomistarum, tum denique (vt plurimum) physicis horum prædeterminationibus esse communes: quare à nostris, qui communiter (vno vel altero excepto) solum regulatas per scientiam mediam admittunt, reliquas verò præfinitiones actum, siue effectuum liberorum abiiciunt, absque manifestis instantiis & inconsequentiis adhiberi nullatenus posse.

8. Veniamus ad specialem solutionem pro præfinitionibus essentia sua per scientiam mediam regularis ex scientiæ huius dependentia in sui existentia à consensu absoluto petitam. Si enim, (inquiunt) essentia sua scientiam hanc præfinitio supponit, nequit non in sui existentia demum ab absoluto consensu, seu effectu libero pendere, à quo purificata conditione, & futuritio conditionia primum, ac deinde scientia media eam repræsentans, in sui existentia, & consistentia pendet: quare, & sicut hæc antecedente potestate voluntatis per omissionem consensus purificata conditione impediri potuerunt, ne fuerint, ita etiam eorum existentiam supponens præfinitio: quare nec magis, quàm hæc, absolutam effectus libertatem, quam essentia sua supponit, potetit impedire. Non leuis hic inter Recentiores aliquot nostros, qui non satis doctrinam de scientia media penetrarunt, de impedibilitate scientiæ mediæ, ne fuerit à nostro absolutè libero consensu, quam solutio supponit, his, & controuersia. Negant quippe aliqui illam à nostro libero consensu esse absolutè antecedenter impedibilem, ne fuerit, nonnullos ex priscis nostris Doctoribus, & præsertim Molinam pro hac absoluta inimpedibilitate recitatis verbis producentes. Cæterum, nec Molina, nec alius, qui eius, & societatis hac in re doctrinam percalluerit referri pro eiusmodi impedibilitate iure potest: etenim dependentiam absolutam futuritionis condionatæ purificata conditione, ac subinde scientiæ mediæ illam repræsentantis expresse admittunt, & in primis statuunt, vt inde absolutam effectus, seu consensus libertatem cum prædestinatione quæ scientiam mediam claudit, eiusque certitudine, & infallibilitate componant: si enim ab eo in sui existentia absolute non penderet, sed independenter à libero consensu absoluto aliunde posita præcederet, absoluta consensus libertas saluari haud quaquam posset: siquidem, & absolutum exercitium libertatis nostræ erga consensum antecederet; neque illud supponeret, ab eiusve positione veniret: quare, & absolutam, ac simpliciter talem, & antecedentem necessitatem ad absolutum consensum eius, & voluntatis absolutæ libertati aduersam, nostræ adduceret voluntati: eiusmodi verò dependentia absoluta scientiæ mediæ in sui existentia ab absoluto libero consensu admissa, euidenter proxime infertur, libera (quæ haberi à voluntate poterit, cum libere consentit) omissione consensus scientiæ mediæ existentiam potuisse impediri: quod ipsum est illam esse à voluntate nostra absolutè impedibilem ne fuerit: quare locis illis, tam Molina, quam cæteri nostri Prisci Doctores de impedibilitate consequentis solum ex suppositione, quod tam ipsa, quam absolutus consensus, à quo in sui existentia purificata conditione absolutè pendet, existant: ac proinde non esse repugnat, quandiu sunt, siue ex suppositione quod sint: quandoque vero loquuntur de scientia media prout à purificatione conditionis præscindit communisque est ei, quæ habetur de conditionatis contingentibus, quæ nunquam erunt; sic enim accepta scientia media, sicuti, & conditionatum contingens, quod repræsentat, & obiectiuè supponit vt veritatem obiectiuam solum sub hypothesi purificationis conditionis habet, ita etiam, & obiectiuam dependentiam pendulam sub hypothesi eadem pro conditionis etiam absoluta purificatione ab absoluto consensu habet: nec potest proinde absolutè, & actu pendere, nisi purificata absolutè conditione, tunc scilicet, cum solum officere absolutæ voluntatis & consensus libertati posset.

9. Verùm ea futuritionis condionatæ, ac subinde scientiæ mediæ absoluta dependentia pro casu purificationis conditionis à libero absolute consensu, tantum est, vt veritas obiectiua conditionatæ futuritionis, & scientiæ mediæ illius, sua quæque prioritate perstiterit: ostendimus autem eandem illam, & obiectiuam conditionatæ futuritionis, & formalem, scientiæ mediæ persistere, etsi hypothesi ex parte per alicuius additionem, & detractionem variata, effectus contingentia varietur: quia hypothesi variata variatur necessario futuritio conditionata effectus: estque alia ab ea, quæ sub hypothesi illa prima fuit, quæ semper perstat sub illa ipsa hypothesi prima, etsi hac per additionem principij absolutè de se determinati ad vnum extremum ipsique essentia sua connexum & extremo opposito repugnans effectus illius contingentia conditionata pereat: ac subinde posito eo principio, cum reliquis etiam hypothesis illius, cui adiungitur, pereat (vt necessario peribit) effectus illius absoluta libertas: ergo & præfinitio innixa futuritioni conditionatæ, eiusque scientiæ sub hypothesi illa prima persistet, nec poterit mediatè ratione futuritionis, & scientiæ conditionatæ, cui innititur, à contingente, & libero absolutè effectu pendere: nisi casu, quo absolutè illa ipsa inuariata conditio, & hypothesis, sub qua contingenter effectus, & futurus erat conditionatè, & conditionate præuisus apponatur. Patet consequentia: quia veritas illa specialis obiectiua futuritionis contingentis conditionatæ, & formalis veritas scientiæ mediæ, casu absolutæ purificationis hypothesis suæ tantummodo, & absoluta contingentia effectus obiectiue pendet; non autem casu purificationis hypothesis alterius: ergo casu purificationis hypothesis variatæ (maximè per additionem principij intrinsecè, & essentia sua connexi cum altero extremo, & incompossibilis cum extremo opposito)

ab effectu absolute libero absolute non pendet : ergo, nec præfinitio per illam scientiam specialem mediam sub hypothesi illa poterit ratione dependentiæ scientiæ mediæ, cui, etiam sua essentia, innititur à consensu absoluto pendere : quare eius necessitas : & connexio absoluta omninò simplex absoluta, & antecedens esse conuincitur, nullatenusque in sui positione absolutam effectus præfinitionem supponens, ab eave dependens. Huic à priori euasionis huius impugnationi notata certam. 2. num. 7. præmissimus, eique innititur efficax argumentum ab absurdis à nostro Vasquez notatum ; si ex eo, quod sub vna hypothesi effectus contingenter conditionatè, & esset, & præuideretur, principia alia necessaria, nec indifferentia ad vtrumvis extremum liceret absque læsione libertatis in statu absoluto ad illum producendum adiungere: vel pessima illatione ex contingentia conditionata sub illa hypothesi, eandem sub alia conditionate inferre : quod & nos attigimus loco citato : instantiam verò aduersariorum ex præcessione absoluta scientiæ mediæ, ex qua ordine saltem prædestinatio conditio, seù auxilium purificatur, & à Deo confertur retulimus ibidem.

CERTAMEN V.

Vltima conclusio contrà præfinitionem actus liberi non supponentem, sed concernentem scientiam mediam, & auxilia efficaciæ benignæ, præcedentium confirmatio, & vindicatio.

1. SIt tertia, & vltima conclusio : scientiam mediam actus liberi, & efficaciæ benignæ, solumque ab extrinseco talis, non supponens, sed solum pro posteriori ad futuram concernens præfinitio quia ex comprehensione suæ omnipotentiæ claudentis auxilium aliquod saltem, benignæ efficaciæ, cui voluntas non resistet quare, & eiusmodi præfinitio de se & natura sua solum à Deo concipi possit, atque à Deo auxilij eiusmodi efficaciæ præfinitionem, seù scientiam mediam ad eius electionem debeat expectare, cum effectus ita præfiniti libertate pugnat. Hæc conclusio affinis secundæ iam probatæ est : cui tamen præfinitionis solummodo regulatæ per scientiam mediam Assertores, contra quos ea conclusione secunda pugnauimus, pet inaduertentiam contradicunt ; cum ab vna præfinitione ad aliam legitima (me iudice) illatio sit : siquidem, & præfinitio hæc natura sua scientiam mediam, & auxilia efficaciæ benignæ, eorumque electionem concernens, licet non supponens, natura etiam sua libertatis effectus æquam curam habet, eique æque tandem connexa est, atque per scientiam mediam regulata præfinitio : quare, & benignæ efficaciæ auxiliorum (quæ absolute, casu purificationis absolute auxiliorum, à consensu absoluto libero pendent, possuntque proinde impediri, ne fuerint iuxtà nos Doctores) non adfuturo, absolute consensu libero, neque ea præfinitio haberi à Deo posset : quare, & à negatione huius solummodo concernentis, nec supponentis scientiam mediam præfinitionis, & præfinitio illam natura sua supponens confutatur. Hinc constat iisdem, quibus impugnata hactenus est regulata per scientiam mediam præfinitio, & hanc scientiæ mediæ connotatricem impugnari ; & contrà iisdem quibus hanc impugnari illam. Huius ergò quare, & vtriusque impugnationem, quam Herize contra præfinitiones vniuersim adiecit citata d. 23. quia nequit esse potentia absoluta indifferens ad vtrumque extremum absque decreto indifferenter concurrendi ad vtrumvis. Hoc autem decretum (quomodocunque explicetur) applicatiuum efficaciter, quatenus ex parte Dei, est, omnipotentiæ voluntati creatæ, vt ea pro libito suo ad vtrumuis extremum vtatur : ergo pugnat cum præfinitione, & voluntate antecedenti efficaci Dei, ex parte Dei adhuc, de altero ; nedum omnino & absolute efficaci atque essentia sua infrustrabili de vno extremo à voluntate eadem apponendo, & subinde incompossibili cum extremo altero huic opposito, siue contrariè, siue contradictorie, etenim voluntas hæc est : ex memet decerno efficaciter, vt absolutè, & irresistibiliter sit consensus voluntatis ; illa verò : ex memet efficaciter applico, & subdo omnipotentiam meam voluntati, vt ea pro libito vtatur ad consensum, vel ei oppositum ; quod idem ipsum est, volo efficaciter ex parte mea, vt consensus sit absolutè & determinatè à voluntate ; ac simul volo efficaciter ex parte mea, vt fit, vel non fit à voluntate : quæ apertè sibi inuicem contradicunt. Hoc argumentum omnes præfinitiones effectuum liberorum quouis modo excogitatas refellit.

2. Generaliter etiam refelluntur ex pluribus Patrum testimoniis, quæ produximus tom. 1. de Deo vno d. 1. quæstion. 3. dum ab auctoritate Patrum decreta prædeterminatiua recens Thomistica, & Dominicana confutaremus : quibus propterea repetendis hic abstineo, præter vnum vel alterum : quale illud erat Damasceni 2. de fide cap. 30. pro Dei Præscientia, quam voluntas eius etiam erga bona extensiore. *Præscit enim* (inquit) *ea etiam, quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt, at non item ea præfinit. Nec enim vitium admitti vult : nec rursus virtuti vim affert.* Vbi de efficace voluntate, quam Deus de se habeat nostra actionis honestæ, loqui constat : quia inefficaciter honesta omnia, quæ agimus vult : Damasceno ipso non solum non ignaro, sed teste frequentissimo vt victimas, dum de salutis omnium voluntate inefficaci, & seiù desiderio diuino ageremus. Secundò, quia sola efficax absoluta voluntas Dei vim actioni nostræ afferre potest, quam ideò reiicit ; non autem inefficax illa, quam ideò erga actionem eam nostram in Deo admittit : ergò non solum voluntatem efficacem actionis nostræ honestæ, quia libera esse debet, ac subinde alterius cuiuscunque liberæ reiicit vniuersim à Deo ; sed & argumento, quod persecuti hactenus sumus ab euersione libertatis reiiciendam necessario demonstrat : omnesque solutiones aduersariorum ex principio remoto, nec immediatè influxiuo mediorum de se indifferentium, benigna efficacia, & reliquas præcludit Chrysost homil. 12. ad Hebr. *Non antecedit sua voluntate nostras, ne nos non laudare arbitrium* voluntate vtique efficaci, ob eadem, quæ pendimus in Damasceno. August. 3. de libero arbitrio c. 18. *Si laboriosum est omnia mandata memoriæ hoc breuissimum* (quasi aphorismum Theologicum & Catholicum) *tene, quæcunque ista causa est voluntatis nostræ* (an remotas excludit ?) *si non potest ei resistí, sine peccato ei ceditur*, quia vtique sine libertate, quod & actionibus cunctis ex causa cui resisti non possit, (vt ex præfinitionibus earum efficacibus) omninò euitari esse nequit. Hieronymus epistola ad Damascen. de filio prodigo libertate arbitrij donatum hominem ait, vt viuat *non ex imperio Dei* (imperioso voluntatis eius nutu, scilicet ex quo aliud agere nequeat) *sed ex obsequio suo* : id est, *non ex necessitate, sed ex voluntate.*

3. Vltima negantis vniuersim sententiæ tribus conclusionibus membratim statuæ probatio è dilucida aduersantium oppositionum solutione petenda est : inde enim clarebit aduersarios hac in re nostros, nostræ tamen scholæ commilitones, gratis, saltim à nobis, fors à principiis eius communibus, & consequentia deficere : maximè, cum nihil à ratione nisi ex vtriusque communium principiorum impenetratione, apparentia aliqua opponant. Ab auctoritate verò nihil, nili Thomistico sensu, & intelligentia pro decretis eorum prædeterminatiuis productum, atque ab hisipsis nostris confectum : quare, & nunc eorundem solutionibus adhibitis euanescent. Primo opponunt illud Isaiæ 46. *Omnis voluntas mea fiet.* Psalm. 113. *Omnia quæcunque voluit fecit*, quæ, cum semper, & de lege euenire dicantur, ex naturali connexione voluntatis Diuinæ cum obiectis creatis volitis, (quæ efficacis solùm voluntatis Dei propria est) fieri à Deo dicuntur. Nec dici potest de immediate exequente voluntate efficaci

efficaci Dei esse sermonem: siquidem, & nostræ efficaces executiuæ voluntates, qua tales, id etiam habent: vt nunquam careant effectu: quare nulla propria Dei, ac voluntatis eius laus esset eis testimoniis contenta, si de immediata executiua Dei voluntate efficaci sermo foret. Nec de ea in nostris principiis sermo esse potest: cum respectu effectuum liberorum decretum indifferenter concurrendi, quod solummodo cum effectus libertate componi posse fatemur, proximum executiuum ex parte Dei sit: ergo de efficaci intentiua voluntate Dei eis locis est sermo, siue præfinitione. Certè hoc argumentum necessitatem potius probat, quam possibilitatem præfinitionis pro Dei arbitrio concipiendæ, vt creata fiant: si enim creata aliqua absque Dei præfinitione ex sola inefficaci voluntate fieri à Deo possunt, vt ij fatentur: ergò, quod Deus omnia quæcunque vult faciat, non arguit quod ex voluntate efficaci ea faciat, nec voluntatis, qua creata, quæ vult facit, intrinsecam volitis, & creatis connexionem. Instas plerique, quæ quidem non perfunctorie, sed serio, atque aliqualiter, etsi non omnimode, efficaciter tamen non absolutè efficaciter, sed ex parte sua, & inefficaciter absolute Deus voluit in cælo, & in terra facta non sunt: vt patet in recta vita, & salute æterna prædestinatorum. Ergo voluntas, de qua verificatur facta à Deo omnia, quæ voluit, efficax absoluta est.

4. Hæc instantia plus probat, quam aduersarij intendant de actibus liberis: nempè omnes ex efficaci Dei intentione apponi debere. Respondeo ergò sermonem esse de voluntate Dei absolutè inefficaci, ast ex parte Dei, seu quatenus ex parte Dei esse potest, absque læsione libertatis efficaci, & vehementi, quantum potest, satisque est, vt effectus de facto obtineatur: cuiusmodi est ardentior intentio, ac desiderium vehementius, quod Deus de iustitia, & salute æterna prædestinatorum, quam præscitorum habet: ex qua ad media, & auxilia congrua, quibus finalem iustitiam, & salutem obtinendam de facto, si darentur, præsciuit paranda & conferenda, etsi non necessitate, determinetur: quia eorum effectuum efficax absolute intentio non est, vehementiùs tamen impellitur, quia quantum (salua effectus intenti libertate cum efficaci absolute voluntate Dei incompossibili) ex parte Dei efficax magis esse potest erga iustitiam, & salutem prædestinatorum quam erga reproborum iustitiam, & salutem; etsi seria Dei, & efficax voluntas sit, vt citato loco docuimus, & instantia supponit: mouet enim Deum ad auxilia, & media præscitis præstanda, quibus in iustitia decedere, ac æternam salutem consequi possent; ast non adeò efficax, ex parte adhuc Dei est, atque haberi ab ipso potest: vt ex effectu electionis mediorum demonstratur: quæ etsi sufficientium de se electio sit, & habiturorum effectuum, si præscitorum abusus, & voluntatum ipsorum defectus abesset; tamen eorum auxiliorum, ac mediorum non est quibus & voluntarum, & præscitorum abusus, & defectus certo abesset: & hanc quidem solutionem eis Textibus germaniorem iudico ea, quæ communiter à nostræ negatiuæ sententiæ Patronis adhibetur: nempe ea testimonia de voluntate mediorum, seù prædestinatione Dei ad liberos effectus iustitiæ, & salutis in cælo & in terra factis, obtentisque à Deo in hominibus intelligi debere: sunt enim expressa de omnibus à Deo in cælo, & in terra factis, & volitis in se ipsis: in quibus iustitia, & salus prædestinatorum planè continentur: iudico etiam solutionem hanc doctrinæ verioris, vt de se patet, atque ex dicendis contr. 7. de prodestinatione, clarius adhuc patebit.

5. Opponunt rursus, *subest tibi, cum volueris posse*: non vtcunque, sed indefectibiliter, atque irresistibiliter, ab alio: vt Hester 13. dicitur; *non est, qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris saluare Israël.* Ne autem ex materia, & occasione, qua dicta hæc sunt, facile respondeas: impotentiam resistendi voluntati Dei hic assertam non esse, quoad liberas hominum voluntates, & effectus inde ex liberis voluntatibus eorum præcisè apponendos: sed de voluntate Dei sua potentia contra obstinatam Holofernis voluntatem de Israëlis perditione ventis: audi Augustinum de animæ salute ipsius arbitrio demum à Deo commissa in hæc scribentem de corrept. & gratia cap. 14. *volenti Deo saluum facere nullum humanum resistit arbitrium*: quæ tametsi de facto sint, cum tamen generaliter dicta sint, regulam generalem continent: quæ defectum salutis in quouis (vel vno) quem Deus saluum facere velit, cum voluntate Dei de ipsius salute inconiungibilem demonstret: vnde à nemine, quem Deus saluum facere velit resisti de facto, imo nec resisti posse asseri merito debeat: id autem voluntati soli efficaci Dei ratione intrinsecæ efficaciæ, & connexionis cum salute volita potest conuenire. Respondeo: voluntati Dei quantum ex parte Dei efficax esse potest, efficaci de cuiusque salute nullius, (vnius adhuc) arbitrium resistere posse potestate, seù possibilitate consequente, idque stata certa regula, & lege: quia in Dei voluntate, & potestate media, quibus de facto à singulis, & omnibus (quantumvis rebellis voluntatis homo aliquis sit, & sine figmento rationis cogitetur) salutem obtineat: atque ad ea, vel præcognita ante voluntatem illam efficacem, quantum ex parte sui efficax esse potest, ab ipso concipiendam, vel certè ante eorum electionem cognoscenda, ex eiusmodi efficacia intentionis de facto semper mouetur Deus: eaque electione antecedenter ad arbitrij creati vsum posita, aut ponenda, est arbitrio creato resistentia impossibil,s potestate consequente: cuius solum aduersam impossibilitatem, vt Augustinus nobis à se ostendi monstraret, dixit: *nullum humanum resistit arbitrium*: vt ex facto ipso resisti à nobis voluntati Dei possibilitate consequenti doceret; ne, si resisti ab arbitrio humano voluntati Dei non posse absolute diceret, & decipi facile possemus, & sibi contradicere videretur, tot locis asserenti, voluntati Dei resisti absolutè posse, quot ex ipso citata controu. 3. d. 3. quæst. 2. & alibi, cum ea, tum præsente controuersia retulimus.

6. A ratione arguunt tertiò. Potest Deus promittere, imò & de facto promittit nobis nostra bona opera absque præiudicio libertatis eorum: Ezech. 36. *faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Vnde Augustinus 11. de prædestinatione sanctorum. Prosper 9. gent. aiunt, *Deum illa promittere facturum se, vt faciant, quæ iubet vt fiant.* Ergò & potest bona nostra præfinire. Probatur consequentia. Non minus connectitur intrinsecè, & essentia sua promissio Dei cum absolutè promissis ex prædicato fidelitatis, quam præfinitio cum absolutè præfinitis ex prædicato efficaciæ: promissio autem absolute promissum antecedenter positum, ac præuisum absolute non supponit: sicuti, nec præfinitio absolute præfinitum. Alioqui Prophetia, nec promissio nisi illusoria foret: quare vel vtraque, vel neutra, ratione scientiæ mediæ de conditionato contingenti, quam concernit natura sua, vel supponit, vel benignæ mediorum efficaciæ quibus vel exequendum absolutè præfinitum est, vel præstandum absolutè promissum cum huius libertate componetur. Respondetur facile negando antecedens, quo admisso (quidquid nonnulli incassum effugij tentent) negari consequentia nequit. Id Isaiæ loco minime probatur: quia non quod nos facturi sumus, siue bona nostra opera, ac subinde libera Deus ibi promittit: nec illæsa libertate nostra promittere posse, sed solum ex parte sua, vt in præceptis eius ambulemus, seù bona opera exerceamus: cui promissioni satisfacit, auxiliorum, quæ efficacia, vel prænouit, vel ante eorum electionem nouerit, electione, atque absoluta donatione: ad quam solum extrinseco promissioni suæ prædicato fidelitatis tenetur: quodque de se antecedentem potestatem ad bene operandum vel secus voluntati creatæ relinquit. Nec plus aliquid Augustini, & Prosperi verba significant.

7. Obiicit à ratione etiam Arrubal: quiuis homo habens in sua potestate media, quibus fundamenti à parte efficacis nostræ voluntatis de opere libero alterius dispositio si adhibeantur, de facto consequatur, quod ab alterius etiam libertate pendet, eaque in sua potestate habere prænouit, potest cordatè id, quod ab alterius libertate consequendum, & consequendum sub eis mediis prænouit

efficaciter intendere (v. g. Panem à Pistore pretio exhibito ab intendente qui in suo illud marsupio habet, & nouit) quin alterius efficacia intentionis suæ libertati alterius, necdum absolute exercitæ, sed posterius natura exercendæ officiat: Ast Deus, & habet, & se habere prænoscit, media quibus si adhibeantur de facto à nostra libertate consensum ac bona opera obtinebit: ergo, & poterit cordarè illa efficaciter intendere, quin intentionis eius efficacia eorum libertati, necdum absolute exercitæ sed posterius natura exercendæ officiat. Negari à Vasquez antecedens à nonnulliis refertur: quia efficaciam intrinsecam respectu panis nunquam fore putat, sed solum respectu electionis, & exhibitionis pretij, verius antecedente admisso, negatur consequentia, quia intentio nostra, quantumvis efficax, non connectitur natura, & essentia sua, cum extrinseco effectu efficaciter volito, (maxime, si ab alterius voluntate pendet) sed irritari potius, atque absque illo esse absolute potest: quare neque vllam affert voluntati alterius necessitatem. Diuina vero intentio efficax connectitur intrinsecè, ratione efficaciæ suæ, cum obiecto quouis volito, siue quo esse non potest: ac proinde infrustrabilis natura sua est, & libertati voluntatis alterius, à qua effectus pendeat, omninò repugnat, & huius generis efficaciam intentioni creatæ respectu effectus extrinseci negatam solum à Vasquez puto; admissam vero respectu electionis mediorum non eiusdem omninò generis, sed affinem: quæ ad hanc efficaciter intendere cogit, quin ad eam libertatem ipsi relinquat, sed naturalem cum illa habeat connexionem: ac proinde sit naturaliter infrustrabilis; non autem absolutè, & omninò infrustrabilis, sicut efficacia voluntatis, & intentionis diuinæ: cum creata efficacia intentionis posita possit adhuc Deus electionem mediorum absolute impedire, & ipsa effectu electionis frustrari.

8. Denique difficilior obiectio à paritate scientiæ mediæ quæ consensum liberum absolutum naturæ prioritate, absque libertatis eius præiudicio antecedit, ad præfinitionis, saltim scientia ipsa media regulatæ, possibilitatem desumpta plus satis à nobis disiecta est certam. secundo à numero septimo & octauo toto, est enim consequentia à principio, nec de se, nec, vt coniuncto cum purificatione conditionis, intrinsecè connexo physicè cum absoluta effectus futuritione, imò nullatenus conducente, iuuante ue proximè, vel remotè motionem intentionalem purificatæ conditionis, siue auxilij, ad absolutam consensus, siue effectus futuritionem, sed impertinenter prorsus ad id se habentis. solumque logicè connexi cum absoluto effectu, illumque absolute supponentis; ad principium, non solum vtcunque conducens ad absolutam effectus, seu consensus futuritionem, sed intrinsecè, & essentia sua physicè, ac metaphysice connexum cum ipsa, & quod absque illa, pro posteriori naturæ, & causalitatis posita, seu apponenda, esse in se omnino repugnet: quale principium præfinitionem effectus liberi esse (de qua disputamus) ostensum satis à nobis est certam. 1. ex quibus omnibus aperte concluditur ordinem prioris, & posterioris intentionis electionis mediorum, & executionis respectu creatorum effectuum liberorum, si de intentionibus effectus liberi determinati sit sermo, in voluntatibus seu affectibus diuinis omninò esse impossibilem: siquidem intentio omnis efficax Dei, seu præfinitio, decretumque omne consensum, seu effectum creatum liberum quouis gradu priotitate naturæ antecedens, cum huius libertate pugnare euicimus: ac proinde de subiecto non supponente esse, falsamque ideò affirmantem sententiam ostendimus.

QVÆSTIO III.

An sit præfinitio de effectu libero disiunctim, & vage, possibilis, ac subinde inter eam, & executionem ordo.

HOc vnum in disputatione hac de voluntatibus diuinis in quibus intentionis, & executionis ordo cogitari queat, examinandum restat. Nam & voluntates efficaces Dei conditionate ex parte obiecti de libertatibus absolutè præfinitis, in præfinitione hac de effectu libero disiunctim, hoc nimirum, vel illo præfinito, continentur, vt supra vidimus, moxque vlterius explicabimus, quare nihil vtilius, & subtilitatis Theologicæ decreto seu præfinitione hac ex parte obiecti disiunctim exactè discussa desiderabitur.

CERTAMEN I.

Præfinitio, seù intentio efficax vaga, siue de affectu libero disiunctim, malè à nonnullis, absurdisque consequentiis, & asseritur & negatur.

1. PRæfinitionem hanc ex parte obiecti liberi præfiniti vagam negant docti scholastici Magistri ex vtraque schola Thomistica, & nostra, & insignis Dominicana. Soarez 3. de auxiliis cap. 17. num. 2. & 14. & 1. p. lib. 1. de prædest. c. 13. à num. 4. ad 6. inclusiue & lib. 3. cap. 10. num. 3. Zumel tom. 1. variarum pag. 360. & 361. Ledesma de auxiliis a. 9. pag. 173. prob. 3. pag. 179. colum. 2. Aluarez 2. de auxiliis d. 13. num. 4. Herize, cum tract. 1. de scientiis d. 7. tum tract. 3. d. 21. qui cum aliis etiam Recentioribus citatur ab Arriaga tom. 1. de Deo vno, tract. de prouidentia, disput. 35. sect. 3. subsection. 1. num. 71. §. *Quod si dicas.* Albertin. tom. 1. quæstion. seu corollar. 3. Theolog. ex 4. princip. Philosoph. Alarcon tract. 4. de prædestinat. cap. 7. § 2. 3 num. 36. Horum argumenta ad duo capita redigi possunt. Alterum imperfectionis, quam eiusmodi præfinitio Deo affert, vel supponit: cui præsertim Herize, & Recentiores ab Arriaga innominati nituntur: quia putant supponere necessario in Deo scientiam vagam, siue de hoc, vel illo obiecto confusè, & indeterminatè, siue solum secundùm rationem aliquam communem propositis, nec distincte individuantibus differentijs cognitis: ac rursus huius, vel illius voluntatem efficacem potentialem, perplexæque determinationis, & suspensam iudicatam, vt cum ignarus, ac determinationis, & concilij inops infans vel pomum vel imaginem, aut ouum sibi à Matre dari efficaciter vult, & lachrymis poscit: sed hanc quidem argumenta, æquè inefficacem vagam, seu indeterminatam necessariis, quam de liberis (de quibus nunc) effectibus, hoc vel illo impugnant: siquidem siue efficax siue inefficax voluntas Dei, siue de effectu libero, vel necessario, hoc, vel illo, sit & scientiam obiecti amandi debet supponere, & dignam Deo determinationem voluntatis suæ, à qua perplexitas, & suspensio omnis ex concilij, & determinationis inopia orta abstinere debere: quod autem de effectu, etiam libero, disiunctim neiuntatem inefficacem imò seriam, atque ex parte Dei aliquatenus efficacem debeant omnes admittere constat ex Dei præceptis, quæ de individuis actionibus non determ-

natè hæc, aut determinatè illa disiunctim tantummodo sunt: ac proinde indiuidua quavis exhibita à nobis Dei præcepta implentur: atque à Christo Domino quavis numerice acceptatione mortis ea æque, atque ea quam exhibuit, præcepto moriendi satisfieret: ea verò omnia Dei præcepta voluntatem seriam Dei de eo quod præcepit, vel continere, vel supponere certum omnino est, in ea verò fundamenta omnia Doctorum præfatorum infringuntur, siue ex scientiæ suppositæ vagitate, siue ex voluntatis perplexitate, & suspensione, quem puerilem aduersarij iudicabant: verum scientiam de obiecto & veritate disiunctiua (quæ cuiusque tamen indiuidui determinati penetrationem à Deo non excludat) nusquam imperfectionem, sed summam diuinæ scientiæ perfectionem inuoluere, inde constat: quod disiuncti veritas obiectiua diuersa à veritate cuiusvis extremi determinati procul dubio sit, atque hac determinata veritate deficiente, disiunctiua persistat: verum siquidem est, Petro non futuro, Petrum vel Paulum extiturum, eo præcisè, quod Paulus extiturus sit. Atque item in effectibus, qui alterutram solum è duobus causam ad sui existentiam essentia sua reposcunt, neutram autem determinatè, vt viso oculos, non requirere dextrum determinatè verum est; requirere autem dextrum, vel sinistrum: quod disiunctiue verum, si Deus nesciret, dubio procul omniscius non esset: quare ad omniscientiæ diuinæ perfectionem scientia de obiectiua veritate disiunctiua spectat: tantum abest, vt scientiâ ea diunâ indignam imperfectionem deuoluat: sed neque cognitionem seu scientiam prædicati communis à differentialibus, siue specificis siue indiuiduantibus præcisiuam Deum dedecere docuimus supra & controuers. de Incarnat. fusiusque controu. de anima: vbi ostendimus præcisiuam prædicati vnius ab alio rei eiusdem realiter cum visionis & intuitionis prædicato non pugnare, sed amicè componi, & quamvis cognitio Dei præcisiua ex parte obiecti esse non posset, posse tamen obiectum motione respectu voluntatis, etiam diuinæ, præscindere, notauit bene Quiros: vt patet in medio essentia sua ad duo vtili, & conducenti, quod ex vnius intentione Deus apponeret, ad cuius tamen electionem sola vtilitas ad illud, non autem ad aliud voluntatem Dei moueret. Rationi alteri de imperfectione voluntatis suspensæ, & quasi perplexæ respondere omnes debent, vt dixi in seria voluntate de eo quod nobis fieri iubet non determinate, sed disiunctim. Neque enim ex inopia consilij, & voluntatis perplexitate vt pueri, cum omnia & singula penitissimè scientia sua penetret, sed motiuis aliis honestissimis, ita fieri à nobis & vult, & iubet, cum aliter aliquid determinatum à nobis fieri & velle posset, & iubere.

3. Cæteri negatiuæ sententiæ Patroni imperfectionem voluntatis efficacis de obiecto disiunctim variis ex capitibus inducunt. Primum: quia supponit eius assertio hoc tantummodo præuideri à Deo posse in actionibus liberis salua earum libertate; quasi scientiam mediam de quavis in particulari non haberet: nec voluntate præfinitiua determinata cuiusvis earum, ferri in illam non posset: cæterum, si præcisa impossibilitas præfinitionis efficacis determinatæ actionis liberæ ad hanc rem attendenda tantum esset: cum hæc sit cum actionis præfinitæ libertate incompossibilis: satis inde præfinitionis disiunctiuæ ad saluandum actionum liberarum libertatem non possibilitas modo, quæ disputatur, sed necessitas probaretur: sed cum prædestinatione, seu præparatione auxiliorum efficacium regulata per scientiam mediam absque præfinitione disiunctiua hac certò, & infallibiliter obtinendis effectibus liberis absque præiudicio libertatis ipsorum prouideatur: certum est præfinitionem disiunctiuam, nec titulo libertatis actionum in particulari necessariam diuinæ prouidentiæ à suis Patronis induci, etsi ipsa posita libertas non lædatur. Item vagæ huius præfinitionis absolutam efficaciam cum suo obiecto pugnare contendunt: quia, cum de hoc vel illo medio, vel effectu sit, de nullo que determinate, cuiusque, & singulatim & coniunctim omisso ex libertate voluntatis posset apponi: quare, & eius præfinitionis efficacia cassari. Mirum est aliquot ex nostris, qui hoc argumento vruntur, ex iis esse, qui præfinitionem actionis in particulari, & earum absolutam efficaciam cum huius libertate; & potestate antecedente voluntatis ad omittendam actionem componunt, quam hoc negant argumento insuper falso absolutè assumunt, quia cunctos diuisim effectus potest voluntas omittere posità præfinitione disiunctiua, posse, cunctos etiam coniunctim eodem recidit præfiniti disiunctim effectus, vel causæ ad illum certitudinem, quam præfinitio diuinaque efficax voluntas habere debet, præfinitioni huic disiunctiuæ de se non competere. Maximè, cum naturâ, & essentiâ sua scientia media non diuigatur: quandoquidem è simplici intelligentia effectus, & medij disiunctim præfiniendi præfinitio hæc disiunctiua haberi potest: sed certè ex scientia sola si mplicis intelligentiæ habita de effectu libero disiunctim præfinitio, seipsa ratione suæ intrinsecæ efficaciæ vtroque effectu coniunctim carere non posset, vt diximus: quare alterutrum se ipsa certo, & infallibiliter inferret, etsi ad executionem medij, & executionem extremi alterius apponendi scientia media opus sit, vt effectus apponendi seruetur libertas.

4. Secunda sententia possibiles Deo præfinitiones de obiecto vago siue disiunctim, hoc, vel illo, affirmat: ita Granados 1.p.cont.3.tract.3.d.5. sect.3. à n.19. Cardin. de Lugo d.7. de Incarnat. num.39. Arriaga d.7. log. num.66 & tom. 1. de Deo vno tract. de voluntate. Quiros tom.1. de Deo d.75. sect 5. num.35. Ruiz de Montoya d.7. de voluntate sect.7. num.2. & sect.10. & fusius de prouidentia d.8. tota vbi sect.4. num.10. conclusionem in terminis tradit ex præmissis in sectionibus antecedentibus, explicatque minutius sect.5. atque S. Thom. & Scholasticorum authoritate illustrat à sect.6. Hemelman tomo 1. in 1.p tit.7. tota d.3. & hi quidem omnes in eo merito conueniunt: quod præfinitiones hasce necessarias ad alterutrius ex disiunctis contingentibus existentiam: quare & ad disiuncti existentiam veram prorsus negent: quia, etsi ea præfinitio de hoc vel illo contingenti apponendo non præcederet alterutrius determinata voluntate Dei, & medij determinati efficaci voluntate, & effectiua præparatione, & appositione, æqua certitudine apponeretur contingens illud determinatum: vnde & disiunctim illud, quantum satis ad veram illius existentiam est, etiam apponeretur: siquidem altero è contingentibus disiunctim acceptis absolutè existenti, verum omnino est vnum, vel alterum existere, cum disiuncti cuiusvis existentia absoluta appositione termini, seu extremi vnius absoluta satis necessarioque verificetur: vt patet in hac propositione *Aliquis homo*, vel *Petrus* aut *Paulus currit*: quæ Petro solo cutreate vera est, ac proinde obiectiuam veritatem, cui ea propositio conformatur, disiunctum habet ipsum: quod si disiunctum ex terminis, contingentibus quidem absolute, sibi tamen repugnantibus, & aduersis, & quorum alter alterum excludat, atque à rebus remouear, constet, non solum voluntate vnius extremi, seu termini disiuncto illo clausi satis absolutè disiunctum ipsum apponetur, sed aliter apponi repugnabit. Quia, cum vtrumque apponi simul repugnet intentio, aut voluntas seria, ac non inepta, & stolida, Deoque proinde indigna aliter apponendi disiunctum, quam vnius determinati appositione, omninò repugnabit: erit enim conatus serius voluntatis diuinæ tendens actiue in impossibile: dixi voluntate seria & aliquatenus actiua: quia efficax circa terminum contingentem determinate disiuncti ex contingentibus constantis, ipsius libertatem euertere certum ex quæst 2. est: quod si vtrumque extremum contingens, seu terminus disiuncti voliti à Deo, vt potest, sibi mutuo non aduersentur neque alter alterum excludat determinatè, vt in hoc disiuncto *Petrus*, vel *Paulus currit*, alterius voluntate seria Dei satis apponetur: poterit autem vere apponi voluntate vtriusque determinate v.g. & cursus Petri determinatè, & cursus etiam Pauli determinatè: si enim vtriusque cursus apponitur, alterutrius cursum apponi certissimum est: etsi non solum disiunctum, sed amplius etiam, nempe vtriusque coniunctum apponatur: ostendimus enim in logica propositionem disiunctiuam eiusque veritatem, ni ex terminis sibi repugnantibus disiunctim constet, vtriusque etiam appositione & existentia consistere.

5. Sed in his, ac similibus contendens: disiunctiuam

seu vagam de coniuncto contingentibus sibi repugnantibus necessariam in Deo esse : verbi gratia , vt sit , vel non sit consensus Petri : quandoquidem diuersum obiectum est ab obiecto præfinitionis de consensu Petri determinatè : quare , etsi disiunctum illud actiue voluntate determinata executiones alterius ex illis satis ametur; aſt absolute non satis disiunctum amatur : verum nihil creatum necessariò à Deo amari amore vllo ostensum satis à nobis est : quare ex eo , quod sit disiunctum illud obiectum diuersum , diuersæque etiam bonitatis , à bonitate extremi alterius determinati non probatur amoris Dei erga disiunctum obiectum contingens necessitas. Secundo : cum præfinitio , & amor Dei , de quo disputamus , actiuus sit, ac subinde tendens in disiuncti positionem eo ipso quod vnius extremi positione disiunctum sufficienter , vt vidimus , opponatur : immò si ex contingentibus sibi inuicem repugnantibus disiunctum constet (vti hoc in quo iustatur) planè non posse aliter à Deo præfiniri , siue volentate seria actiua amari , quam seria extremi determinati actiua voluntate : quare ad Dei, vt summum , complacentiam de obiecto disiuncto , non autem ad decretum , seu præfinitionem & voluntatem actiuam Dei instantia hæc extra rem quæstionem deuoluet : quare Hemelman , & Quiros extra rem, & titulum quæstionis, ipsis etiam , præfixum disputant, & digladiantur. Tertio : cum obiectum illud disiunctum ex contingentibus repugnantibus sit, quorum vnum alterum excludat , supra cuiusque determinatam bonitatem & entitatem addit necessariam exclusionem alterius nec amplius continet , quam quodlibet est vel non est : quod nullatenus est contingentis veritatis , aut bonitatis , sed prorsus necessariæ : & quæ chimæram excludat : quare , etsi excluſio illa ametur vlterius amore disiuncti , amor ille de contingenti , de quo disputamus, amor non est , sed de obiecto necessario : quia esse simul est impossibile : sicuti , nec esse , nec non esse ; sed certe , cum quodvis ex repugnantibus sibi extremis oppositi formalis excluſio ipsiſo sit , nihil vlterius à Deo, quam extremum alterum amatur , cum amatur alterius excluſio : quare male Hemelman , & extra rem , ex eo , quod necessariò etiam Deus amet obiectum hoc *quoditlibet est , vel non est* decretum disiunctiuum Dei probat: ac proinde meritò eius probatio displicet nostro etiam Quiros sect. 5. cert. 2.

CERTAMEN II.

Nostri Ruiz rationes aliæ pro affirmatiua sententia reiectæ : vbi de amore Dei erga peccatum possibile præcisiuè.

1. SEd nec nostri Ruiz probationes plures nobis non placent : eo siquidem principio nituntur : quod Deus plura amet , atque efficaciter amet , quæ essentia sua terminum solummodo disiunctum , seu vage hunc vel illum recipiunt : verbi gratia , visio neutrum determinatè oculum , sed è duobus alterutrum : potestas item libera actus oppositos, nullum tamen determinatè , sed hunc , vel illum vage : putat autem nihil realiter respectiuum amari posse , quin eius terminus simul ametur. Porrò hoc argumentum , de se , nihil de amore necessario Dei erga creatum vagum , vel aliquod vage probat, nisi connexionem aliquam Deo intrinsecam cum hac , vel illa creatura supponat : sed neque ea suppositione, datis exemplis , aliisque similibus , quæ affert , præfinitiones, & decreta (nimirum actiua , & efficacia, de quibus nunc , termini , seu obiecti disiuncti adhuc necessarij) probat : siquidem , nec Deus ea suppositione facta, nec causa , aut potestas vlla realis cum termino , disiunctim adhuc existente , actu essentia sua connectitur (maximè cum disiunctim non nisi vel alterius determinate , vel vtriusque existentia esse absolutè possit , vt diximus) sed solum cum terminis vt possibilibus : ad quorum agendam possibilitatem , nec potentiæ, nec voluntatis diuinæ actiuitas extenditur : visionis vero exemplum , ni , vt possibilis solum cogiteur , quo pacto neque in eam , neque in alterutrum vage oculum actiuè Dei voluntas fertur , actiuam Dei voluntatem erga oculum alterum vage non probat : tum quia visio oculos, vt sui causam supponit : quare cum ea à Deo efficaciter amatur , vt obiectum apponendum oculorum existentia , etiam à Deo præuisa , præcedit : quare nec efficaci actiua visionis voluntate amari efficaciter quoad actiuo modo à Deo poterunt. Rursus in Ruiz sententia voluntas Dei erga realiter respectiuum in terminos omnes , quos volita efficaciter res entitate sua realiter respicit , necessario fertur , cum re ipsa adeo amatur : siue respectus ille titulo prædicati specifici , siue titulo indiuidualis prædicati rei conueniat. Statuit enim voluntatem diuinam , sicuti, & scientiam præcisiuam , in re obiecta non esse , vt in respectum vnum rei , quin in alium ipsi realiter identificatum , ferri nequeat , vel scientia Dei vel eius volitio : visio autem omnis alterum determinatè oculum re ipsa respicit , nisi à duobus proueniat, quæ tunc determinatè etiam respicit vtrumque coniunctim, non diuisim : quare nullius visionis respectus realis , ni ad vtrumque , alterum determinatè oculum re ipsa esse potest : vnde respectus ad alterutrum disiunctim realis visioni nulli realiter sumptæ est , sed à ratione nostra prædicato specifico , præcisò per rationem etiam, solummodo conueniens : quatenus , quia indiuiduum nullum visionis absque determinato altero , vel vtroque oculo, à quibus determinatè prouenit esse potest , prædicatum specificum , absque altero saltim oculo , non posse esse vere iudicamus : quia nulla visio absque altero vel vtrumque determinatè esse potest : secundum autem eum præcisionis statum, nec à Deo in huius sententia cognoscitur , nec amatur cuius scientia , & voluntas , neque , quoad effectum præcisiua ad terminum vagum physice ac sine rationis (quæ sola terminorum vagitatem indicit) esse posse superius ostendimus ac de sese percipuum est.

2. Nec similius vero aliud principium , cui ea Ruiz ratio innitur , est. Nempè amorem rei realiter respectiuæ , ad terminos omnes realis respectus illius rei etiam debere ; id quod , & ex supra dictis , & ex sufficiendis absurdis facile patebit : etenim rem ad plura conducentem de sese , ac vtilem , & Deus , & nos sæpe ad vnum ex illis consequendum , & propter illum tantummodo , vt finem eligimus , & apponimus ; quin consequutionem intendamus alterius , nec eius rei ad aliud attendamus aut curemus , nedum amemus , vtilitatem. Secundo iuxta huius doctrinam potestas creatæ voluntatis seu libertatis creatæ in actu primo ad peccandum connectitur essentia sua cum peccato possibili , eiusque essentia, saltem vage , ac proinde æque à Deo cum libertas ad bene, maléque agendum amatur, peccatum atque bonum opus , amabitur ; quod in statu , & pro statu possibilitatis vtrique extremo disiuncti , etiam operi bono , repugnat , vt de rebus , & de obiectis omnibus ostendimus d. de obiectis extrinsecis , & creatis , ad quæ Deus voluntas , & amor extenditur : quod si , vt ibidem docuimus ex possibilitate obiecti cognita ad eius existentiam amandam Deus solummodo moueri potest : inferetur absurde : Deum disiunctim velle , vt sit , ac existat peccatum , æque atque vt existat opus bonum : cum esse alterutrum , siue vnum , vel alterum esse indifferentem velit , cum vtriusque disiuncti amat : insuper peccantia dolorque de peccato admisso essentia sua respectiua admissi absolute , & anteriori duratione existentem peccati est : ex quo quicumque , etiam Deus , amans , & ardentissimè peccatoris pœnitentiam , amabit abolitam existentiam peccati, si terminus cuiusq; respectus rei amatæ necessariò amari debeat à Deo cum res ab ipso amatur. Hoc autem absurdum & absurdo amplius est : sed si in amore peccati possibilis sisteret illatio satis absona , & absurda (me iudice) foret , tamen nonnullis non dissona , sed rationi consona videatur : quare eius dissonantia , & absurditas examinanda , & ostendenda hic est : examen autem hoc supponere debet (quod sumsum citato loco ostendimus , & proximè retulimus) scilicet

scilicet creata omnia obiecta pro statu præcisiuæ suæ possibilitatis amari à Deo posse. Nisi enim id supponatur, nec quæstioni huic locus erit, nec specialis absurditas amoris Dei erga peccatum, si esset, ostendetur.

3. Herize d. 18. de volunt. cap. in 9. (quem pauculi, teste Quiros infra, sectantur) docuit peccatum possibile præcisiuè à Deo amari, qua tale. Adsonare videtur Ruiz d.26.de volunt. sect.6. num.1. asserens Deum velle, vt peccato conueniant essentia, & passiones suæ ex suppositione, quod sit, vel possibile, scilicet, vel existens: quod scilicet contra rationem sit, eo ipso, quod sit contra Deum: quod sit de se, & essentia sua detestabile & abominabile, neque vsquam directè, & per se amabile, sed indirecte, & per accidens solum: qua Dei complacentia, quam secundum quid solum appellat, odium potius peccati absolute, quam complacentiam de illo diuinam inquit contineri: &, quoad odium, certissima doctrina hæc est: sed cum qua, complacentia secundum quid, immò, nec affectus complacentiæ, quantumvis diminutæ, quovisve addito imminutæ possit consistere: etenim complacere de malis, siue essentialibus, siue accidentalibus, siue personæ, siue rei cuiuspiam solum ex odio illius esse potest; nullatenus vero ex aliqua complacentia, quæ in illa, vel de illa habeatur: atqui complacentia de essentia, & passionibus peccati, siue possibilis, siue existentis est per hunc Doctorem complacentia Dei de malo essentiæ, & passionum peccati: ergo ex multa complacentia, nec complacentiæ diuinæ vmbra in peccato, sed de effuso, atque (vt sic loquar) impote Dei in illo odio potest procedere: cæterum mirandum non est tantum Doctorum conclusione sua ipsa sibi, & conclusioni suæ contradixisse: cum Dei amorem, seu complacentiam, & necessariam quidem, erga conuenientiam prædicatorum essentialium, & metaphysicas passiones rei cuiusvis, sicuti & Theologi plures, admiserit: cum autem suorum prædicatorum essentialium, & metaphysicorum metaphysicam conuenientiam negare nequeat; negare complacentiam Dei erga illam, quin principium illud deserat sine inconsequentia minimè potuit: & quidem complacentiam Dei, non secundum quid solum, quam admisit, sed simpliciter, & absolutè talem, quam admittere non auder, sed prorsus negat: etenim circa conuenientiam metaphysicam prædicatorum essentialium, & metaphysicarum aliarum omnium rerum, absolutam, & simpliciter talem complacentiam necessariam Dei admittit; ac subinde in ea sola conuenientia absolutam bonitatem, ratione cuius res secundum essentiam, & passiones metaphysicas considerata à Deo necessaria complacentia ametur: quare, & vtrumque de peccato secundum essentiam, & passiones metaphysicas debet fateri, vel inuitus.

4. Hemelman tom.1. in 1. part. tit.7. d. 2. Martinon 2. part. d.13. Quiros tom.1. etiam 1. d.45. sect.4. & alij ex priscis, & Recentioribus Theologis communiter peccatum possibile præcisiuè, & secundum essentiam, & passiones suas metaphysicas consideratum adhuc, amari à Deo, immò, & amari posse negant: & Martinon oppositum Catholicæ fidei aduersari non immeritò censet, non tamen satis hoc probat ex eo, quod toties in scriptura asseratur. *Deo impium, & impietatem eius odio esse* asseratur, vt vidimus proximè antecedente disputatione: etenim testimonia omnia illa de impio eiusque impietate absolutè existentibus sunt; non de eis, vt possibilibus præcisiuè: quin immò pro eo statu, nec impium, neque impietatem eius odio haberi à Deo posse verosimilius ex nostro generali principio, quod in res pro statu possibilitatis præcisiuè Dei voluntas ferri non possit, omnino est, & specialius ex materia præsente: cum nemo ob impietatem præcisiuè possibilem odio haberi à Deo possit; alioqui sanctissimus quisque antecedenter absolutè peccabilis, puta Ioannem vtrumque Baptistam, & Euangelistam Sanctum Petrum, & in communi sententia Deiparam, in Scotica vero (quæ humanitatem Christi, etiam Hypostatice vnitam, absolutè, & antecedenter peccabilem docet Christum Dominum qua hominem odio haberi à Deo posset, qua de eis testimoniis formaliter, & immediate affirmatiua sententia non contradicit, vt Martinon censet: mediatè verò aduersatur, vt inferius ostendam: quare merito, vt dixi, affirmatiua sententia eis testimoniis aduersari dici absolutè potest. Huic sententiæ communi negatiuæ lubens proinde subscribo: eoque lubentior, quod in plurium Patronorum eius inconsequentias non verear incidere. Plerique enim eorum, vt Hemelman, Quiros, & alij Dei amorem in essentias rerum ob metaphysicam essentialium prædicatorum, & proprietatum metaphysicarum conuenientiam, seu (quod idem est) præcisiuam earum possibilitatem ferri posse, immò necessario ferri fatentur: vnde, vt nuper expendebamus, Dei erga essentiam, seu præcisiuam possibilitatem peccati amor negari vel ægrè vel absolutè nequit: id quod, & generale illud principium nostrum confirmat, cum ex opposito amor Dei erga peccatum possibile præcisiuè inferatur, qui tamen aliunde impossibilis etiam ab hisce Doctoribus, etsi inconsequenter, ostenditur. At potuisset sane facile Quiros inconsequentiam hanc vitare doctrina illa de veritate solum mathematica, *vt duo bis ducta sunt quatuor*, quæ speculabilis est, non autem volibilis, & quam possibilis præcisè conceptus, & veritas obiectiua imitatur his vocibus significata, *si existat peccatum non existet aliquid contradictorium*, vt affirmatiuæ argumentis respondeat eadem: quippe solutio æque omnibus argumentis pro amore Dei erga possibilia præcisiuè omnia satisfaceret.

5. Probatur nostra, & communis negatiua sententia. Primo ab absurdo, quod contra citata testimonia scripturæ infertur, nempe Deum non odio habere, sed amare potius absolutè existens peccatum. Probatur: quia, quidquid in statu possibilitatis sufficientem bonitatem habet, vt amorem quovis modo, & gradu sollicitare, terminaréque possit: positum absolutè melius, fortiúsq, amorem terminare potest & mouere: vt inductione per omnia & ex terminis ipsis patet: quidquid enim gratum est, quod possit in se esse præcisè, gratiùs procul dubio est quod absolutè in se sit, cum ei ex absoluta existentia status melior æstimabiliorque accrescat, atqui peccatum possibile præcisè sufficientem habet bonitatem per se ad mouendum, & terminandũ Dei amorem, & complacentiam: ergo eam, multoque maiorem habebit ad terminandam, & mouendam diuinam de eius existentia absoluta complacentiam, quæ odio Dei de peccati absoluta existentia locis illis reuelato contradicit. Aduersatur item aliis scripturæ, & Patrum testimoniis, quibus ostendimus Deum, nec desiderare, nec efficere peccatum posse. Nam in opinione, quam supponimus de amore Dei erga possibilia præcisiuè, eorum pro eo statu complacentia radix prima est desiderij, etiam efficacis, nec solum inefficacis, de cuius possibilitate complacentia habetur: quare nequit dari complacentia de obiecto possibili, cuius desiderium repugnet. Nihil tandem indecentiæ respectu voluntatis, & amoris diuini in desiderio, siue complacentia absolutæ existentiæ peccati excogitabis, quod in amore, & complacentia de eius præcisiuè possibilitate non deuoraueris: cum sola obiecti eiusdem variatio statuum intercedat. Probatur secundò à priori, implicat malum simpliciter, & absolutè tale esse obiectum amoris, pro quovis statu tale sit, ac concipiatur: est siquidem, qua tale alij obiectum: atqui peccatum, qua peccatum, essentia sua malum absolute est, vt Patres, & Theologi clamant, dum malum culpæ à malo pœnæ, & sensibili diuidentes, hoc malum secundum quid, illud autem simpliciter, & absolutè malum appellant: ergò implicat in statu vllo peccatum amari, in nullo quippe, adhuc præcisiuæ possibilitatis, absque essentia sua esse potest, eo etiam modo, quo possibilia in statu præcisiuæ suæ possibilitatis esse possunt, & dicuntur.

6. Hinc patet solutio ad argumenta: non solum, quia status possibilitatis præcisiuæ rei cuiusvis inceptus est ad terminandum amorem, vel odium; sed quia casu, quo aptus ad id esset, eum affectum terminaret, quem essentia sua ferre posset, non alium quem non posset. Tametsi, qui statum possibilitatis præcisiuæ aptum terminare rei possibilis amorem ex conuenientia metaphysica prædicatorum essentialium absque vlla repugnantia, vnde & rem absque contradictione in rebus & physicè

physicè esse posse conuincitur, statuunt, eamque bonitatem motiuam ad sui amorem (vti aliis rebus) pro eo statu esse contendunt, inconsequenter peccati pro eo statu amorem Deo, saltem possibilem, negant: cum in eo etiam eiusque prædicatis ea conuenientia adsit. Vrgent tamen Recentiores, vt virtualem saltem amorem peccati possibilis in Deo probent: quia amat suam omnipotentiam connexam essentia sua cum possibilibus, in quibus peccatum est: qui autem amat id, ex quo infertur aliud ineuitabiliter, vti terminus ex re essentialiter connexa cum ipso infertur, virtualiter saltem terminum amat: vt patet, in amante peccatum, qui eo ipso virtualiter damnationem suam amat: ac vniuersim, quicunque amat causam essentialiter connexam cum effectu, eo causæ amore effectum virtualiter amare censetur: obinde Hemelman tom. 2. in 1. part. maximè à tit. 9. d. 1. connexionem Omnipotentiæ cum possibilibus negat. Verum in odio Dei de peccato nostro, in reuelatione actiua seu decreto efficaci reuelandi illud, negare connexionem cum peccato nequit, vbi, si quas argumentum habet, retinet vires, sed nullas habet; etsi enim vires habeat respectu termini, quem affert, vt effectum, res expresè, & formaliter amata (vnde solum exempla possint aliqua verisimilitudine peti) non autem respectu termini, quem res non affert, sed supponit potius, vt in se sit, vt euenit odio Dei de peccato, & reuelationi actiuæ, seu decreto illud reuelandi: eueniretque omnipotentiæ si connexa realiter de sese cum possibilibus foret.

7. Argumenta cætera, quæ ex Recentioribus affert Quiros, & diluit sectione 5. à num. 24. solum probare contendunt, Deum non posse odio habere peccatum pro statu possibilitatis: quod certum mihi est: cum docuerim nihil pro statu possibilitatis præcisiuæ affectum vllum, siue odij, siue amoris terminate posse, etsi eius pro eo statu cognitio sollicitare voluntatem possit ad desiderium, vel efficax, vel inefficax de absoluta obiecti existentia, vel ad fugam ab eius existentia, iuxta obiecti pro eo statu cogniti bonitatem, vel malitiam: inde vero nullatenus infertur posse Deum amare peccatum pro eo statu præcisiuæ possibilitatis; immò verò illud pro eo statu eadem ratione amare non posse, qua nec potest odisse: in quam demum rationem per ambages, & circumloquia distinctionum, non admodum perceptibilium, venit tandem Quiros noster ea sect. num. 30. vbi solutiones à se tactas breuius, & clarius collegit: quas ideò induxit, ne eius inconsequentia de amore possibilium bonorum pro statu possibilitatis præcisiuè, siue secundum conuenientiam metaphysicam prædicatorum essentialium absque contradictione ad impossibilitatem amoris de eadem conuenientia peccati pro statu possibilitatis præcisiuæ apertè deprehenderetur: & hæc nos extra chorum, & rem præsentem à Recentioribus coactos dixisse de difficultate, quæ commodius in Theologia quiesceret, satisfuerit: iam ad præsentis quæstionis de præfinitionum erga nostros liberos actus disiunctim possibilitate, eorundem libertate illæsa, vtilemque Theologiæ exinde doctrinam tradendam redeamus.

CERTAMEN III.

Præfinitio vaga de actibus nostris, seu extremis liberis salua eorum libertate probatur, vbi multa Theologiæ vtilia consectaria.

1. PRobatur præfinitionis vagæ, seu de obiecto, & effectu libero bono disiunctim, hoc vel illo possibilitas: quia nec Dei perfectioni, nec effectus ex illa apponendi libertati repugnat: ergo est absolute possibilis. Dixi de obiecto bono: quia, si in disiuncto alterum extremum tantum bonum sit, eique oppositum malum, & peccatum (quod vt dixi amari à Deo pro quouis statu repugnat) nequit disiunctim adhuc amari disiunctum: siquidem, vt ita ametur debet Dei amor in alterutrum extremum æquè, & indifferenter ferri: quod repugnat determinationi odio habendi ac non amandi peccatum, quam de se Deus, eiusque voluntas habet: itaque de obiecto disiuncto, quod extremis, siue intrinsecè, siue extrinsecè, & fine, & circunstantiis bonis constet, conclusio nostra, & communis iam Doctorum, procedit: duorum autem in antecedente positorum probo primum: nempè perfectioni diuinæ voluntatis non repugnare: & primo non ratione scientiæ, aut volitionis solummodo de obiecto vago, quæ solæ in Deo consequenter admittendæ sint, vt vidimus certam. 1. Nec ratione frustrabilitatis intrinsecæ absolutæ, quam ea præfinitio habeat, & cum intrinseca ipsius efficacia pugnet: ostendimus enim ibidem ea præfinitione posita, etsi neutrum disiuncti extremum determinatè apponendum, tamen ex illis alterum, quo verificetur absolutè alterutrum poni: ita, vt repugnet vtrumque coniunctim non apponi, cum & disiunctim extremis liberis bonis constet, ac proinde, & sit de se amabile, nec eius amor vllam Deo imperfectionem afferat, vel supponat, à Deo amari absolute poterit; ni efficacia eius amoris intrinseca cum effectus alterius ex ipsa apponendi libertate pugnet: vt in secunda antecedentis parte non repugnare in antecedenti eodem assumebatur.

2. Ea verò pars antecedentis, ne ab aduersariis quidem negatur, sed supponitur potius, vt vidimus certamine 1. argumento ipsorum primo: facilèque ostenditur: si enim disiunctum, quod præfinitur, liberis extremis contradictoriis constet: vt præfinio Petri erga Paulum amorem hunc, vel eius omissionem tali tempore: nihil amplius necessitatis amandi, vel non amandi Paulum eo instanti Petro affert, quam ipsius libertas in actu primo, siue potestas ad amandum, vel non amandum Paulum instanti eodem. Hæc autem, sicuti ad neutrum determinatè instanti illo apponendum Petrum cogit, neutriusque determinatè pro eo instanti appositionem impossibilem reddit: ita neutrius abolet libertatem, eiusque defectum coniunctim reddat impossibilem: quia nequit Petrus pro eo instanti, nec amare, nec non amare ob contradictionem in coniuncto hoc nec amandi, nec non amandi inclusam; ad quam nulla nisi chimærica potestas esse potest: ergo nec præfinitio diuina de amore hoc Petri erga Paulum, vel eius omissione in hoc instanti disiunctim Petri in eius amoris omissione vel appositione in eodem instanti libertati contradictionis officiet, etsi extremum vtrumque præfinitum pro eo instanti coniunctim, finitulque absolute deficere vereri id sane adeo perspicuum est, vt diutius in eo ostendendo immorari non expediat. Aliunde tamen, quam ex libertatis contradictionis ea præfinitio disiuncti, seu vaga de alterutro extremo libero contradictionis disiuncta videtur forte repugnare: quia iuxta dicta nihil aliud voluntati liberæ Petri libertate contradictionis erga amorem Pauli, vel eius omissionem affert, vel ergo alterius liberam appositionem efficit, potestve efficere quam libera pro eo instanti voluntas Petri qua libera & habeat, efficiat: quare de extremo alterutro libero apponendo, non quidem præfinitio quæ essentia sua efficax de se erga suum obiectum esse debet, sed pura libertas contradictionis Petri ad amandum, vel non amandum Paulum esse poterit.

3. Certè si constituta Petri voluntas in actu primo libera libertate contradictionis ad amandum vel non amandum Paulum pro priori naturæ ad Dei amorem de eis contradictoriis extremis pro eo instanti supponatur, argumentum conuincit: solam complacentiam de libertate contradictionis Petri ad eum amorem, eiusque omissionem pro eo instanti esse, cum eam supponat, neque vllatenus agat: eaque suppositа alterutrum extremum contradictionis pro eodem instanti esse necesse sit, atque vtrumque coniunctim pro illo deficere prorsus impossibile, vt diximus: quare nil Dei præfinitio, & voluntas circa alterutrius necessitatem, & vtriusque coniunctim defectum agere potest: vnde nec assequi potest impossibilitatem agere tenus actiua, nedum efficax, erga disiunctum illud: subinde, nec præfinitio disiuncti illius esse potest: sin autem

autem amor Dei erga disiunctum illud liberi amoris Petri erga Paulum vel omissionis eius in eo instanti constituram in illo Petri priori naturæ non supponat, sed potius, vt potest, antecedat efficax quidem amor, & præfinitio disiuncti illius ex contradictotiis liberis constantis esse optimè poterit: ex qua alterutrum, liberè necessario pro eo instanti necesse sit, & vtrumque pro illo coniunctim deficere sit impossibile: ac subindè teneatur Deus, & Petrum pro illo instanti, eiusque absolutam voluntatis in actu primo libertatem contradictionis ad vtrumvis constituere.

4. Discursu simili probatur, præfinitionem de extremis positiuis, siue contrariis de se, vt odium, vel amor Petri erga Paulum in hoc instanti, siue non oppositis inuicem, vt hic vel ille amor, vel actus fidei, & charitatis disiunctim præfinitis neutrius apponendi absolutæ libertati officere: etenim, si contraria extrema disiunctim præfinita de se sint, nullam maiorem alterius apponendi determinate necessitatem, alteriusque determinate apponendi impossibilitatem voluntati affert, quam ipsa voluntas, qua libera in actu primo libertate contrarietatis in hoc instanti ad odium, vel amorem habeat: ast hæc non obstat absolutæ liberæ appositioni alterutrius extremi libertate contrarietatis: ergo neque de alterutro ex contrariis apponendo præfinitio. Inde vero id ipsum probatur de præfinitione alterutrius extremi, ex non contrariis de se, atque inuicem oppositis: siquidem nihil aliud maioris necessitatis ad alterius determinate ex illis appositionem, aut impossibilitatis ad appositionem alterius determinate voluntati affert: imò verò cum extrema disiunctim præfinita contraria de se non sunt, neutiquam alterum excludit: cum neque id ratione suæ contrarietatis, quam non habent, præstare possit, nec vi disiunctiuæ solum præfinitionis de alterutro disiunctim apponendo, vtriusque simultas reddatur impossibilis; sed solum vtriusque coniunctim defectus, vt patet: ad quem proinde defectum libertatem, contradictionis adhuc non relinquit: relinquit tamen ad alterutrum, & contradictionis & contrarietatis libertatem.

5. Id quod explicandum exactius restat, quam fuerit hucusque, à subtilibus etiam Commagistris nostris Marcianis Recentioribus explicatum: etenim præfinitio vt libertatem alteri actus ex præfinitis apponendi seruet, oportet vt alterius omissio è pura contradictionis libertate posita priori naturæ alterius absolutam appositionem non præcedat: si enim apposita vnius ex disiunctim præfinitis actibus omissio ex libertate contradictionis absolutè præcedat, cum vtriusque coniunctim omissio absoluta, vi disiunctiuæ præfinitionis alterutrius actus sit, vt diximus, absolute impossibilis, alterius actus appositio erit necessaria: sicuti eius omissio alterius omissione supposita impossibilis: quare alter, qui apponetur actus liber non erit: quemadmodum, cum alter ex duobus extremis contrariis ex libertate contradictionis omittitur à voluntate alterius appositio necessaria erit: si in pura actus suspensione nequeat vt volunt aliqui voluntas permanere: quare neque vtrumque ex contrariis actibus coniunctim omittere: quod procul dubio ex vi præfinitionis disiunctiuæ de actu alterutro voluntas creata habet: ergo, vt actus alterius disiunctim præfiniti, siue alteri de se repugnantis, libertas seruetur, illius, qui apponendus est absoluta in eius appositione libertas exercita supponenda ad alterius omissionem est; vel saltem exercita absolutè à voluntate in huius alterius absoluta omissione supponi ad actus appositionem nequit; tametsi, cum actus disiunctim præfiniti sibi inuicem non repugnant altero etiam actu libere posito à voluntate, atque absolutè præsuppositio, alter liberè etiam libertate contradictionis poni à voluntate possit, vel omitti: quia alterius præfinitio, etsi vtrumque simul omitti prohibeat tantum, quare neque vtriusque appositionem exigat, tamen huic vtriusque coniunctim appositioni absolutæ non contradicit.

6. Sin autem præfinitio disiunctiua de alterutro ex contrariis actibus sit, puta odio vel amore Petri erga Paulum: tunc quidem omissio amoris, nec potest liberam odij appositionem natura præcedere, siquidem vtriusque, vt diximus omissio coniunctim: vi præfinitionis est prorsus impossibilis: quare, & alterius actus ex contrariis disiunctim præfinitis omissione præsuppositа alter necessario ponetur: etenim cum ratione contrarietatis actuum disiunctum præfinitorum alter alteri mutuo repugnet, etsi præfinitionis vi præcisè: vtrumque simul apponi non prohibeatur: ast vi contrarietatis naturalis actuum disiunctim præfinitorum (qui materia, seu obiectum eius præfinitionis sunt) vtriusque coniunctim appositio prohibetur: quare ex libera præsuppositione alterius, omissio necessaria nec liberà proximè alterius omissio est: etsi, quia ex libertate contrarietatis, quam præfinitio de alterutro ex contrariis actibus disiuncti in præfinitis voluntati reliquit, alterum quod omissum est, æque, atque illud quod positum est, potuit pro naturæ priori à voluntate absolutè apponi, liberè etiam libertate contrarietatis, actus, qui appositus absolutè non est, dicendus sit absolutè omissus; quamvis hac libertate absolutè exercita, & suppositа in actus oppositi absoluta positione, libera alterius omissio non sit, vt diximus, proximè, sed remotè solum: quatenus pro priori ad exercitium libertatis contrarietatis ad vtrumvis apponendum, potuit absolutè præ altero apponi: nusquam enim in voluntate fuit ad alterum ex contrariis apponendum suppositа alterius absoluta appositione libertas.

7. Hic aduerte præfinitionem alterutrius actus disiunctum vulgo per duplex hoc decretum conditionatum à Recentioribus explicari: *decerno, vt, si non, sit actus fidei Petri, sit actus eleemosynæ*: & hoc alterum simul: *& decerno, vt, si non sit actus eleemosynæ, sit actus fidei*: quibus decretis vnum hoc innuitur: nempe, præfinitione disiuncti illius alterutrius apponendi necessitatem induci, atque vtriusque omissionem coniunctim excludi: quod certissimum, vt diximus, est: quare ex vnius omissione alterius absolutam positionem legitimè inferri: cæterum propriè loquendo male duplici eo conditionato decreto præfinitio disiunctiua explicatur: etenim conditionatum propriè obiectum dicit conditionis conducentiam aliquam, etsi non determinantem, & necessitantem de se ad conditionatum sub ea futurum: vt autem ex dictis constat omissio alterius actus ex disiunctim præfinitis, si aliquo modo pro priori naturæ ad conditionatum alterum extremum disiuncti præfiniti apponendum natura præcedat, vt debet, si ad ipsum conditio, & subinde aliquo modo conducens sit ad alterius appositionem: quare ex vi præfinitionis, quæ coniunctum illud duplicis voluntatis propriè loquendo conditionatæ contineat nunquam alteruter actus disiunctim præfinitus liberè apponetur, contra horum Recentiorum, & omnium communem sententiam, quam hic statuimus, dixi autem ex vi præfinitionis: quia cum præfinitio, seu decretum conditionatum ex parte obiecti absolutam efficaciam, & connexionem cum obiecto sub conditione solum præfinito habeat, quoties conditio libera voluntati creatæ est, in eius appositionem nihil prorsus agit: quare, si actus alter ex præfinitis, nobis de se liber, à nobis anteactò ad negationem alterius absolutè appositam apponatur, vt potest (quando quidem libera nobis omissio est) nihil tunc in actus appositione præfinitio, eiusque efficacia habebit: siquidem alterius omissio (quæ conditio purificanda necessario erat, vt præfinitio erga illius absolutam appositionem efficiam absolutam haberet) pro naturæ priori ad huius actus appositionem absolutam non præcessit: quare præuenta aliunde à voluntate nostra, eiusque libertate in actu absolute apponendo absoluta conditionatæ illius præfinitionis efficaciæ est: nihilque, etsi alterius omissio adsit, quod ist hic in actum præsuppositum agat omnino habebit: quare etsi stante ea præfinitione libere actus ille apponatur à voluntatis quidem libertate libera apponitur, nusquam autem ex vi præfinitionis, vt dixi.

8. Quæ dicta hactenus sunt de præfinitione disiunctiua actus liberi nostri huius, vel illius eadem de eodem vnico actu pro diuersis durationibus, seu instantibus disiunctim, hoc, vel illo, si ita à Deo præfiniatur, dicta volumus: sicuti enim præfinitio duplicis actus disiunctim neutrius determinatè apponendi, necessitatem, alteriusque determinatè apponendi impossibilitatem voluntati nostræ affert; sed solam alterius apponendi necessitatem.

& impossibilitatem omittendi vtrumque simul : ita eiusdem actus præfinitio pro pluribus instantibus disiunctim hoc scilicet, vel illo apponendi absolutam necessitatem illum apponendi in hoc instanti, & impossibilitatem apponendi illum in instanti alio non inducit; sed solam necessitatem illum apponendi in alterutro, & impossibilitatem illum omittendi in vtroq; quo circa, vt eius actus in vno ex illis instantibus absoluta libertas saluetur, oportet, vt non supponatur in alio, vel aliis pro priori naturæ omissus : quodsi supponatur omissus (vt libertate contradictionis omitti immediatè, & proximè potest) actus ille in instantibus reliquis, necessario, ac nullatenus liberè apponetur in instanti quo à voluntate elicietur: vt de actibus contrariis disiunctim præfinitis dicebam, si ex libertate contradictionis ad vnum, eiusque omissionem, huius omissio pro priori naturæ apponeretur ad absolutam positionem alterius. Tunc necessario prorsus apponendum : quia, cum supposita illius omissio huius alterius omissio coniunctim, vi præfationis disiunctiuæ de alterutro actu apponendo, est absolutè impossibilis: quod ipsum est de vnico actu pro diuersis instantibus disiunctim, hoc, vel illo, absolutè præfinito.

9. Dixi autem si omissio in aliis instantibus reliquis pro quibus disiunctim actus idem præfinitus est ex libertate contradictionis proximè, & immediatè, vt potest, suppositis pro priori naturæ præcederet : quia eo solummodo, atque ex ea solum contradictionis libertate à voluntate potest omissio actus in instanti alio pro priori naturæ posita ad ipsum pro suo instanti altero eliciendum præcedere, ac subinde ipsius libertati officere, cum pro instantibus disiunctim hoc vel illo præfinitus absolutè est; secus autem si ex libertate, quasi contrarietatis apponatur, ac non nisi dependenter à positione actus libera pro instanti, quo apponitur, in aliis instantibus pro quibus disiunctim præfinitus est eiusdem actus ponatur omissio : tum enim exercitium libertatis in actus pro suo instanti positione omissionem eius in reliquis præuenit: quare, nec potest ab omissione sui pro reliquis instantibus eius in suo instanti appositio præueniri, vt necessario pro suo instanti eliciatur ex omissione præsupposita in reliquis, actus qui pro priori in suo productus est: quare & seipso sui omissionem cum omissione etiam sui pro reliquis instantibus incompossibilem (quæ necdum est, nec naturæ prioritate antecessit) liberè excluserit. Non secus atque cum ex libertate contrarietatis physica ad extrema contraria odij, & amoris, erga idem obiectum sibi inuicem repugnantia, amor elicitur, poniturque subinde negatio odij cum ipso incompossibilis: quæ, si vt absolutè poruit, ex libertate contradictionis apponeretur, nec possit voluntas vtrumque omittere, atque in suspenso ab vtroque manere, ex libertate contradictionis, ac non contrarietatis apposita pro priori naturæ præcederet, amor non liberè, sed necessario posterius natura eliceretur, vt nuper ostendebamus : etenim, quod ratione suæ intrinsecæ incompossibilitatis, naturalisque mutuæ repugnantiæ contraria extrema libertatis contrarietatis potentiæ ad vtrumvis ex contrariis apponendum habent, vt coniunctim, ac simul à voluntate apponi nequeant, habet etiam incompossibilitatis ex vi præfinitionis disiunctiuæ de hoc, vel illo actu, vel de eodem, in hoc, vel illo instanti, vel vtriusque simul, vel eiusdem in vtroque instanti omissio coniunctim: quare omissio alterius actus, vel eiusdem in altero instanti dependenter à positione alterius, vel à positione eiusdem in alio ex libertate quasi contrarietatis esse debet, vt actus appositi, & omissionis actus alterius, vel eiusdem in instanti, quo appositus sit, absoluta libertas saluetur.

10. Sed quid, inquies, de libertate actus eiusdem erit pro hoc vel illo instanti disiunctim præfiniti erit, si non apponatur, sed omittatur in instanti primo ? poteritne liberè absolutè secundo, & vltimo à voluntate apponi ? Poterit quidem : si tamen appositio eius in secundo instanti naturæ prioritate omissioni eius in instanti primo præcedat, ac non nisi dependenter à positione actus illius in secundo instanti omittatur in primo : quod tunc fiet, cum ex reuelatione, vel aliunde scientia de eius appositione absoluta in secundo instanti adsit in instanti primo atque ex ea in illo actum omittat; non, nisi ex ea scientia de facto actum illum pro primo illo instanti omissurus. Tunc enim omissio in primo instanti, tametsi tempore, & duratione positionem actus in instanti vltimo præcesserit (quod actus libertati non officit, vt patet in æterna certa, atque infallibili de se futurorum præscientia absoluta) natura vero, & causalitate nullatenus præcedit; sed actui in secundo illo, & vltimo instanti positionem subsequitur : quare neque eius libertati potest officere : id quod Murciani Recentiores, oppositum censentes, non satis attenderunt: quia præcedentiam in duratione à præcedentia naturæ non separarunt. Hæc omnia sedulo obseruanda pro variis quæstionibus, & difficultatibus Theologicis componendis : libertatis nempè, & meriti humanitatis Christi Domini in mortis à Iudæis acceptatione præcepta : cuius scilicet antecedenti impeccabilitati præceptum acceptandæ mortis adiunctum æquam necessitatem acceptandi illam, hac, vel illa numero acceptatione, vel hoc, vel illo vitæ tempore Christi humanitati imposuit, ac si ab ipsa apponenda acceptatio, hæc, vel illa, vel hoc, vel illo tempore à Deo præfinita absolutè foret ens ad necessitatem peccandi venialiter & scandalorum in mundo futurorum cum cuiusvis hominis ad singula, & omnia distributiuè venialia vitanda, & omnium distributiuè hominum ad mortalia quæque fugienda absoluta libertate componendam : de componenda etiam cuiusvis hominis, absoluta libertate ad bonum consensumetsi nemo rebellis adeo voluntatis esse possit; qui auxiliorum in Dei omnipotentia clausorum cumulo valeat de facto resistere. Ac Demum aliis similibus difficultatibus complanandis viam certaminis huius doctrina ostendit.

QVÆSTIO IV.

An inter Dei volitiones imperantis, & imperatæ ordo esse queat.

POstremæ huic quæstioni de voluntate Dei agitandæ occasionem dedit noster Ruiz de Montoya d. 3. de Prouidentia, sectione octaua, numero quinto dicitans : an actus voluntatis diuinæ alium actum voluntatis eiusdem possit imperare ? sicut in nostræ voluntatis actibus euenire posse Theologi cum Sancto Thoma 1. 2. quæstione 17. articulo quinto communiter admittunt, de factóque experimur nobis frequentissimè accidere. Si enim id in diuinæ voluntatis actibus possibile sit, & ordinem actus imperantis, & imperati in voluntate diuina possibilem esse certissimum est.

CERTAMEN I.

Imperans & imperatus actus eorumque ordo voluntati Dei non repugnat.

1. NOster Ruiz sect. 8. citata à numero 6. ad 9. inclusiuè duabus conclusionibus enixè contendit actus imperantes, & imperatos diuinę voluntati repugnare : quare & eorum inter se ordinem, & subordinationem. Repugnantiam eorum actuum, ac subinde eorum ordinem inter se multo ex capite probat obiiciendo ac difficiendo à nobis certamine secundo, ne hic pobtum ibi ad solutionem repetatur. Est autem actus imperans voluntatis volitio efficax volitionis alterius imperatæ : ex qua voluntas ad imperatam hanc, ita actus determinata manet, & physicè, sine intentionaliter ad acta, vt hanc, imperante volitione adstante, nequeat, ex parte actus primi adhuc, omittere. Dissut tum

rem actus voluntatis imperans, eiusque, siue physica, siue intentionalis actiuitas, & adactio ad imperatum ab actiuitate & adactione physica, vel intentionali intentionis efficacis finis ad medij necessarij electionem: quod intentio efficax ad electionem illam actiuè alterutro, vel vtroque modo physico, vel intentionali ex parte actus primi determinet, quin electionem ipsam pro obiecto habeat, atque expressè formaliter velit; actus vero imperans in imperatum, tanquam in obiectum formaliter, & expressè volitum ferri debeat, & reflexè illum velle, verbi gratia, *Volo elicere volitionem, & affectum misericordiæ, pœnitentiæ, humilitatis, &c.* Hæc omnibus Doctoribus communia, & stata, atque hic supponenda ex fusiori nostra disputatione de actibus imperantibus, & imperatis ad controuersiam de actibus voluntatis.

2. Mittenda verò nunc quæstio, quam ibi examinabimus, subtilior, an possit esse actus imperij non absolutè efficax, & actiuè physicè, vel intentionaliter determinans ex parte actus primi, adigensque voluntatem ad actum imperatum eliciendum, tametsi actiue physice, vel intentionaliter sit actus illius imperati, ad eumque eliciendum alterutro, vel vtroque actiuitatis genere ex parte actus primi voluntatem inducens ac impellens, vt auxilium & cogitatio voluntatem ad actum ex parte actus primi suo modo, etsi non determinet, sollicitat tamen, & impellit, & habitus adquisitus plurium sententia ad actus proprios voluntatem quam non determinat, & adigit, actiuè tamen agit: ac demum vera, ac seria, non tamen absolutè efficax, finis intentio ad mediorum electionem agere, ac inducere intendentis voluntatem potest, inducitque de facto sæpè ad aliqua eligenda, vt vidimus quæstione 1. tametsi eam non cogat. Mittenda tamen quæstio hæc in præsentiarum fuit: quia præsentis quæstionis difficultas tota non ex specialibus eius quæstionis decidendæ principiis pendet, sed vtrique communibus; ac proindè in actibus imperantis actus efficacis, & imperati ab aliis hactenus disputatis, & admissis instituenda hæc quæstio fuit; ne alterius de subiecto ab aliis non supposito, nec disputato, sed importunè hic disputando, quæstionem intruderemus, quæ ex resolutione, & principiis præsentis quæstionis decidendæ decisa manebit.

3. Dicendum est contra Ruiz citatum, voluntati diuinæ actus imperans, & imperatus, eorumque inter se ordo non repugnat. Probatur: quia in Dei voluntate est per se, & per omnes Doctores actus intentionis, & electionis mediorum ad fines intentos, atque inter eos ordo prioris, & posterioris, vniusque ab altero, quasi dependentia, & subordinatio: qua electio mediorum ab intentione prouenit, ipsamque pro naturæ & causalitatis quasi priori in voluntate diuina supponit, intentio vero finis pro eo priori posita in voluntate eam ad mediorum electionem agit, adigitque, si efficax intentio sit: ergo in voluntate diuina actus imperans, & imperatus, similisque inter illos ordo, & subordinatio esse potest. Non dixi, est de facto, sed esse potest: quia nullus actus imperatus in nobis adhuc essentialiter supponit imperantem ab eoque pendet, (vt patet in actu misericordiæ, & pœnitentiæ à charitate imperatis, qui iidem absque eo imperio esse possunt) sicut electio omnis pendet ab intentione, atque eos actus ita subordinatos in Dei voluntate, (quem nisi propter finem operari est impossibile, vt sæpè vidimus) de facto esse euidens est: imperantem verò actum actus alterius in voluntate Dei esse euidens à ratione non est, neque sciri à nobis nisi ex reuelatione potest. Consequentia est legitima quia omnes repugnantiæ contra actum imperantem, & imperatum voluntatis diuinæ, eorumque inter se ordinem, & subordinationem à Ruiz excogitatæ, & excogitabiles de facto in actibus intentionis, & electionis, huiusque ad illam dependentia, & subordinatione sunt complanatæ, vt singularum subordinationem, & dependentiam electionis ab intentione voluntatis diuinæ applicatione clarebit certam. 4. Probatur secundo, & confirmatur à priori ratio præcedens: quia, tametsi actus omnes voluntatis diuinæ, qui à nobis numerantur diuersis physice & realiter loquendo & inter sese, & cum voluntate ac diuinis reliquis idem sint: inde solum euincitur vnum ab alio imò neque à voluntate diuina posse physice, & realiter distingui: quare nec vnum ab alio, neque à voluntate ipsa physice, & realiter causari, atque procedere: at vero & inter se vere, ac sine vlla nostra fictione intentionaliter distingui suadent diuersa Dei libera decreta per intrinseca Deo adæquate constituta: quorum vnum deficiente altero; imò possibilitas innumeris verè, ac omni mentis nostræ fictione secluſa persistit, veræ distinctionis alicuius (tametsi non physicæ & realis ob essentialem amoris, siue omniamoris quoad substantiam & modum diuini infinitatem) euidenti argumento, & irrefragabili, vt vidimus controu. 4. de voluntate volitionis diuinæ liberæ, quæ libere constitutionem adstruentes ex hac vero intentionali vera actus voluntatis diuinę à voluntate ipsa, & scientiæ ab intellectu, quibus tamen realiter physicè identificantur, ostendimus tom. 1. de Deo vno controu. 1. de scientia d. 2. & hoc tom. controu. de volunt. d. 2. dari in Deo vera prædicata potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ realis intentionalis (etsi non realis physicæ) ad suos actus eliciendos, nec solum logicam eorum actuum potentiam, vt plures contendunt argumentis, quæ ibi facile diſsecimus, tametsi ab eis inclamarentur euidentia: sicque, & scripturæ, & Patrum, & ante actorum hucvsq; Theologorum doctrinam de vero potentiæ intellectiuæ, vltra actuum potentiam logicam, siue possibilitatem verum & realem intellectum, & voluntatem stabiliuimus, non vno, neque exiguo veritatis, & rei Theologicæ commodo.

4. Hoc autem statuto ex citatis locis principio euincitur clarè in diuinis actibus summa identitate reali physica, & inter se, & cum potentiis diuinis, eorum veram intentionalem distinctionem, & aliorum ab aliis, quibus realiter physice identificantur: productionem, & dependentiam non repugnare, nec solam inter eos fictam ratione, atque nostro modo concipiendi distinctionē, & dependentiam posse intercedere, vt citatus Ruiz num. 6. à medio quasi cerum, & in Theologia statutum ac sine disputatione tenendum putauit. Inde vero constat primo: dependentiam, cum diuini iudicij ab obiecti apprehensione, cui realiter identificatur, tum actus voluntatis diuinæ, siue prosecutionis siue fugæ à iudicio diuino, quo vel bonitas, vel malitia obiecti assertiuè proponitur, tametsi reipsa hi actus physicè identificētur: tum deniq; (vt propiùs ad rem præsentē accedamus) electionis ab intentione inter se physicè realiter identificatis non rationis nostrę creatorū adinstar de diuinis cogitantis figmentum, sed veram intentionalē dependentiam esse: constat secundo: hac ex parte distinctionem, & dependentiam veram intentionalem actus imperati ab imperante non repugnare. Cum autem actus intentionis distinctio, & dependentia hæc sit actu cum ista distinctorum & subordinatorum in amore, seu actu voluntatis diuinæ eodem & adequatè specificato ab vnico specificatiuo & totali amoris diuini, constat tertio: neque indè repugnare veram distinctionem, & dependentiam intentionalem alterius ab altero inter actum imperantem, cuius ratio à priori, tam pro actibus intentionis, & electionis, quam pro actibus imperante, & imperato est, quam sæpè dedimus t. 1. de Deo vno contr. 2. de scientia & hoc tom. controu. 4. de volunt. de adequato obiecto specificatiuo scientiæ, & volitionis diuinæ agentes, vbi verum diuinum actus scientiæ Dei, & bonum diuinum actus amoris diuini adæquatum obiectum primarium, & specificatiuum esse ostendimus; & tamē id non obstare quominus plura obiecta motiua creata, finaliter etiam, & occasionaliter, ob quæ hoc, vel illud Deus velit pro voluntatis diuinę diuersis verè intentionaliter actibus adsint, & assignentur: quia, licet increatis motiua, ob quæ actus voluntatis habentur, eos necessario specificent, quia eorum specificationem, immò realem physicam existentiam illorum non supponunt, sed obiectiuè suo modo faciunt; in actibus tamen scientiæ, & amoris diuini, essentia, & entitate sua ab omni obiecto creato, pro quovis eius, etiam possibilitatis, statu independentibus, totos ab æquæ necessitatis physicę primario adequatè specificatos supponunt: quare, quoad eorum physicam realem entitatem, & specificationem obiectiuè illos faciendi, & specificandi motiua obiecta creata aditum occlusum inueniunt, cum secundo loco adueniunt. Ex quo principio nostro hoc etiam tom. contro. 5. d. 1. q. 1. virtutes Dei morales dilucide statuimus, ac propugnauimus: è cuius aduertentia minori in earum de-

fensione valde antecessores nostri, diúque sunt vexati: per auia sæpe & repugnantia gradientes, vt ibi ostendebamus.

5. Ex his autem principiis nostris, eorumq; (etsi summatim) memoratis fundamentis ratio à priori pro actus imperantis, & imperati & subordinationis ac dependentiæ veræ in Dei voluntate intentionalis, non physicæ, actus imperati ab imperante realis possibilitate, & non repugnantia facile efformatur. Possibilitati distinctionis actus imperantis ab imperato verè realis intentionalis non physicæ, atque ita veræ subordinationi, & dependentiæ actus imperati ab imperante nonobster identitas eorum actuum physica, & realis ex vna parte: ex alia verò non obstat primaria adequata specificatio amoris, seu omniamoris diuini à diuina bonitate, quominus in alia obiecta secundaria, cum intrinseca, tum extrinseca Deo etiam motiua, vt finem media, &c. ferri possit, quin amorem diuinum specificent & augeant: sicque amor diuinus essentia sua omniamor, quoad substantiam, & modum, atque identicè, & indiuisibiliter infinitus per termini, etiam extrinseci denegationem augeatur, & quasi per partes crescat, atqui ex his solum capitibus repugnantiæ actus imperantis, & imperati distinctio, veraque subordinatio, & dependentia vnius ab alio petuntur à Ruiz, possuntque apparenter opponi; ergo, actus eorumque subordinatio, & dependentia vnius ab alio non repugnant in voluntate diuina. Minor repugnantiarum complanatione constabit certamine secundo. Maior probata manet numero 4. 5. & 6. Probabitur sententia hæc, eiusque fundamenta vlterius confirmabuntur conclusione 2. iam subiicienda.

CERTAMEN II.

De facto actus imperans, & imperatus adsunt Dei voluntati: vbi obiectionibus occurritur.

1. PRobatur conclusio ex Ierem. 31. n. 3. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*: vbi affectus misericordiæ, ex quo nos per peccata auios ad se Deus traxit ac reduxit, ex Dei in nos charitate esse dicitur, atque illa particula *ideò*, non innuitur solum, sed declaratur: atqui affectus misericordiæ proprie dictæ, & exercitæ, neque est formaliter, & proprie acceptæ charitatis actus, neque ex motiuo, & obiecto formali charitatis: ergo aliundè verificari debet, & actum misericordiæ illius diuinæ erga nos causari, (vt ibi asseritur) à charitate, quam ex motiuo, formalique obiecto charitatis, quod ab eo actu misericordiæ formaliter respiciatur. Nequit autem hic aliunde causari à charitate nisi quatenus actus charitatis Dei erga nos eum misericordiæ diuinæ erga nos imperet: ergo in Deo datur de facto actus charitatis erga nos imperans, & imperatus misericordiæ, illi vere, & realiter intentionaliter subordinatus ab eoque dependens. Minor primi syllogismi probatur: quia motiuum, seu obiectum formale misericordiæ, omniumque eius actuum formaliter talium est subleuatio miseriæ alienæ ob honestatem propriam miserentis in eo affectu, & subleuandi exercitio: quare & est honestæ quidem concupiscentiæ actus, atque complacentiæ propriæ miserentis: actus autem omnis charitatis est vel complacentia in altero ob eius bonitatem, vel ex ea necessario ortus. Maior ex textu ipso in illa explicato patet, & consequutio est legitima: subsumptum ad consequentiam secundam (quæ æque inoffenso curit) antecedens est certum.

2. Dixi autem de actu formali misericordiæ, nam, materialiter loquendo omnis actus misericordiæ, & in proximorum commoda cadens charitatis dicuntur, & qui eos exercent charitatiui vocantur, epulæque, ac merendæ confraternitatum statis diebus assuetæ *charitates*, vulgo dicuntur: quia materia apta charitatis proximi propter Deum, imò & ex proximi ipsius complacentia apta sunt, commoda huius quæcunque: & quorum exercitio charitas & complacentia in proximo, vel vnicè innotescit, vt inde vulgaris illa amoris, seu charitatis definitio sit: *Amare est velle alicui bonum*, & illud, *qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo*? Ioan. epist. cap. 3. num. 17. quibus similia Iacobus cap. 1. suæ num. 13. Confirmatur argumentum è textu Hieremiæ petitum ex alio Leonis Pap. serm. 1. de Natiuit. vbi ex Pauli locis variis, præsertim ad Ephes. & sensu & verbis hanc sententiam compingit vt nos ad gratias Deo Patri agendas pro Incarnationis mysterio adhortetur. *Qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos misertus est nostri: & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, vt essemus in ipso noua creatura nouum figmentum.*

3. Probatur tertio: quia voluntas permissiua peccati prædestinatorum quorumvis pœnitentia finali saluandorum est medium ad præintentam eorum salutem: atque vniuersim cuiusvis medij efficacis ad salutem intrinseca Deo electio: arqui medium quodvis ad finem à Deo intentum amari à Deo potest ex intentione præhabita finis: ergo, & voluntas permissiua peccati cuiusvis prædestinati per finalem pœnitentiam Deo intrinseca potest à Deo amari ex intentione salutis: siquidem permissio peccati esse potest, & est effectus prædestinationis, vt videbimus controuersia 7. d. de effectib. prædestin. vniuersim autem de omni electione medij efficacis ad salutem, quod peccati permissio non sit, sine controuersia vlla: medium ad illam esse atque ex eius intentione à Deo electuro amabile: quare & ea ratione amari à Deo posse certissimum est. Inde vero probatur eam electionem à Deo ex intentione salutis amari de facto. Nihil enim est, vnde ab eius amore Dei voluntas retardetur cum Deo electionis ipsius ac conducentiæ remotionis illius scientia perfectissima æque, atque proximioris conducentiæ mediorum per ipsam eligendorum, adsit. Quo circa, etsi in nobis sine reflexa voluntate erga electionem mediorum, solaque cognitione, & scientia conducentiæ mediorum ad finem intentum possit voluntas ad electionem mediorum immediatè, & proximè procedere: quare neque ex prædicato electionis, vt sic imperium intentionis in illam requiratur, aut, si electionis habendæ & conducendæ ipsius remotioris ad finem obtinendum in nobis etiam scientia præcedat, non dubium quin sicut reliqua ad finem intentum quovis modo, & gradu, vel proximiore, vel remotiore conducentia, & electionem ipsam expresè ex ea intentione amare inducemur: quare, cum ex perfectione Dei, eiusque omniscientiæ necessario conducentis electionis remotioris ad finem æque, atque proximioris mediorum eligendorum, adsit, dubitandum non est, quin ex ea intentione Deus ad eam amandam de facto inducatur. Nec inde infertur ad hunc etiam amorem reflexum amoris electionis extrinsecorum mediorum, & sic in infinitum inducimam retrinsecorum mediorum, & sic in infinitum inducimam retrinsecorum mediorum, & sic in infinitum inducimam ret

imperatus, sicuti, & intentio, & electio tametsi *realiter physice* idem sint, *realiter* vero intentionaliter non sunt idem, sed diuersi. Secundum: quia crescere paulatim, & quasi per gradus Dei amor intelligeretur, si quasi priori naturæ in actu imperante expressus amor imperati actus, nondum pro illo priori concepti admitteretur: negandum absolutè est, atque in actibus intentionis & electionis in statum: tum, quia, quod expresse non ametur actu intentionis electio, non tollit, quod pro illo intentionis priori amor, qui electio est, non adsit, nec possit adesse: tùm quia, vt diximus certam. hoc 2. n. 3. expresse ante conceptam à Deo electionem amari à Deo electio ipsa potest, ac debet. Negandum autem absolute est, iuxta doctrinam à nobis datam certam. 1. num. 6. de primario obiecto, & adæquato specificatiuo amoris Diuini, ex quo omniamor, & infinitus é genere suo per denegationem termini, etiam extrinseci, ante & independenter ab omnibus aliis obiectis euadit, ac supponitur; ac proinde qui nequeat realiter intentionaliter diuersorum inter se accessu, vel recessu crescere, aut diminui, & ex quibus constet conflari.

5. Confirmatio secunda nostri Ruiz, tametsi verum num. 8. assumat: non scilicet posse Deum discurrere, quia nequit assentiri conclusioni ob connexionem præmissarum, non inde tamen à Theologis, neque ab ipso negatur, quod ob aliud, quam Diuinam veritatem primarium scientiæ suæ obiectum, & adæquatum specificatiuum, nequeat Deus veritatibus creatis, tanquam motiuis ad assensum vti, cum ipse, & Theologi plerique Recentiores vnam creaturam in alia creatura, imò Deum etiam ipsum, tanquam in medio formali, & determinatiuo posse ab ipso Deo cognosci: in eo autem motionem intentionalem medij illius formalis, & determinatiui creati ex parte obiecti ad assensum veritati creatæ, imò & Deo ipsi fatentur: quid, nisi aliud obstaret, incommodi foret si ob connexionem præmissarum Deus conclusioni assentiretur, formaliterque discurreret? Secundò: cum in intentione, & electione, ac moralibus virtutibus Deum moueri, habereque affectus voluntatis suæ propter creatam bonitatem, & honestatem, & vtilitatem ad illam ab his Doctoribus non negetur, imò negari nequeat, non valet consequentia à negatione motiui creati respectu scientiæ diuinæ ad negationem motiui respectu diuini amoris. Aliunde quàm ex impossibilitate motionis obiectiuæ veritatis creatæ negatur à Theologis Recentioribus cognitio diuina discursiua, siue vnius creatæ veritatis ex alia, etiam diuina, admittentibus tamen in Deo rei cognitionem in alia; quia præpositione *in* non denotatur physica realis distinctio cognitionis obiecti, quod cognoscitur; quæ tamen ad formalem discursum requiritur, & præsuppositione *ex* denotatur, diuinæque scientiæ repugnat.

6. Nos autem aliunde negamus scientiæ diuinæ motionem obiectiuam à veritate, siue diuina, siue creata, vt *in* vel *ex* illa aliam veritatem cognoscat, vt videre est tom. 1. de Deo vno, controu. 2. de scientia d. 7. quæst. 1. & quæstion. 5. per totam: inde tamen ad motionem obiectiuam aliorum obiectorum respectu amoris diuini ad obiecta alia negamus illationem: quia fundamenta negandi ibi hic non currunt, vt ea legenti constabit. Neque item putamus maiorem distinctionem cognitionem vnius *ex* alio quam *in* alio importare: satisque, ni alia eo loco adducta obstarent, veram intentionalem cognitionum distinctionem fore, vt vnum *ex* alio, & formali discursu, æque ac in alio, cognosci posset. Tandem tertia Ruiz pro sua & contra nostram doctrinam confirmatio numer. 9. extra rem est. Siquidem ab indistinctione actus tendentis ad plura obiecta materialia ob eandem rationem formalem, & impossibilitate subordinationis veræ ipsius, vt ad vnum materiale obiectum tendit, ad se ipsum, vt in aliud fertur, tota confirmatio procedit; cum tamen actus imperans, & imperatus non sint actus idem ob idem motiuum diuinæ bonitatis ad plura obiecta materialia tendens, sed ex motiuis ab ea diuersis concepti, & eliciti: quare, & in quibus distinctio vera, & subordinatio locum, vt vidimus, habeat.



CONTROVERSIA QVINTA
DE MORALIBVS DEI VIRTVTIBVS.

1. PRÆMISSA Volitionis Diuinæ natura, libertate, ſpecificatiũque eius, & motiui explicatione, quam generalitate ibi opportuna, dedimus controu. 4. ſatis fusè: iam de Moralibus Dei virtutibus (quæ, & libertatem volitionis, & motionem, vt intrà hanc, vel illam virtutis moralis ſpeciem conſtituantur, ſufficientem debent ſupponere) rectè vtique methodo, & claritate diſputabimus. Dixi virtutibus Moralibus: de Supernaturalibus ſiquidem nulla eſt controuerſia. Tum; quia reſpectu Dei, ſiue ſubiectiuè nulla ſupernaturalis virtus eſſe poteſt, etiam ex iis, quæ nobis ſupernaturales ſunt: cum nullus virtutis actus non connaturaliter ipſi, qui in vtraque bonitatis phyſicæ, & moralis ſummè, atque infinitè è genere ſuo bonus habetur. Tum etiam; quia erga formalia obiecta nobis ſupernaturalia; (vnde eorum actus ſupernaturalitatem reſpectu noſtri trahunt) de volitionibus diuinis dictum ſatis controu. 4. à nobis fuit, de actibus profecutionis diuinæ voluntatis diſputantibus, ſpe nimirum, & fide. De charitate verò, qua ſuam bonitatem Deus reſpicit, & ob quam ſe mutuò diuinæ diligunt perſonæ, dictum etiam abunde eadem controuerſia eſt. Qua verò nos ex complacentia noſtri diligit Deus, conſtat formaliter ſupernaturalem actum non eſſe: quare & ad Moralem amicitiæ virtutem pertinere: de eaque ita eodem loco diſſeremus, vt nihil vlteriùs reſtet diſputandum.

2. Hanc porrò de virtutibus Dei moralibus controuerſiam apud antiquos, nec admodum recentes ſcholaſticos, integrè, dignéque pro cuiuſque ſcribendi modo, & inſtituto, ſiue ſummario, ſiue fuſiori, verſatam non inuenio. Apud recentes verò curtè, & ieiunè: quippe qui ex minus percepta diſtinctione motiui actuum diuinorum ab vnico eorum ſpecificatiuo, in ea ferè ſola vniuerſali quæſtione hærent, ac ſiſtunt tandem: an in Deo morales virtutes ſint admittendæ? quin ad morales virtutes in ſpeciali in Deo indagandas, & explicandas eorum ſtudium, & examen deſcendat; niſi ad celebrem noſtro ſæculo inter Vaſquianos, & Soariſtas controuerſiam de ſtrictæ iuſtitiæ virtute in Deo admittenda vel ſecus & eam quidem vnus ſolum ex Recentioribus, vel alter, pro dignitate, in qua ea diſputatio à præfatis ducibus fuit conſtituta, attingunt, & verſant. Nos autem rem, materiamque totam controuerſiæ huius titulo contentam, & generatim, & ſpeciatim ex inſtituto examinabimus, ac definiemus: ne ſi perfunctoriè ſolùm, & curſim de eis agamus, meliùs nobis, (vt de aliis iudicamus) fuerit controuerſiam omiſiſſe: eam verò in duas diſputationes partimur. Prima de virtutibus moralibus vniuerſim ac ſpeciatim (iuſtitia propria, ac ſtricta, atque vtraque eius ſpecie, ſcilicet diſtributiua, & commutatiua exceptis) aget. Secunda de ſtricta ac propria iuſtitia, eiuſque memoratis ſpeciebus.

DISPVTATIO I.

MATERIAM, eiuſque examinandæ ordinem diſputatione hac prima ſeruandam proximè propoſui, ite-tùm hic non repetendum.

QVÆSTIO I.

Sintnè in Deo virtutes morales admittendæ.

DIFficultas hæc, (qua totam, vt dixi, controuerſiæ huius materiam Recentiores plerique æſtima-

sint, contineri) facile ex dictis controuersia 4. non semel, maximè disp. 2. quæstion. 4. 5. & 6. dum Dei amorem erga creata obiecta propter ipsa, eiusque erga creaturas rationales amicitiam proprium statuimus, venit profligandæ. Verùm, quia aliter de vtraque opinantes, ne morales à Deo virtutes ablegent absurde, in difficiles, auiasque doctrinas Theologicas abeant; quæstionem hanc per otium examinandam instituo, vt ex earum doctrinarum impugnatione, nostraque decisione ibi iactorum principiorum veritas, & clarescat magis, & robustius confirmetur.

CERTAMEN I.

Rei difficultas, & doctorum sententiæ confutatæ.

1. EO generalis huius quæstionis difficultas à ratione constitutiva, quoniam omnis actus virtutis moralis, vt formaliter talis euadat, obiecti specialis cuiusvis virtutis propter ipsum, siue eius obiectiuam honestatem propter seipsam respicere debeat, & intendere; quin ea propter aliud velit, ad aliamve bonitatem effectu, & intentione vlteriùs ordinetur: atque ex alia parte, quidquid Deus vult, & operatur propter se operetur, ac velit, ac perfectissimo suo effectu ordinaturus necessario videatur: fieri plane videtur, vt misericordiam, ac beneficentiam erga nos, (& idem est de virtutibus moralibus cæteris) propter se ipsas, earumque creatam obiectiuam honestatem, neque exercere possit; nec velle nedum de facto velit, aut exerceat; cum eas omnes propter se, ac suam tandem bonitatem amet. Certè Deum creata obiecta omnia propter se, vt finem velle, & operari tandem, vt vltimum finem pluribus scripturæ & Patrum testimoniis Theologi plerique contendunt, vt vidimus locis citatis ex controuers. 4. quæ etiam certam. 2. memorauimus. A ratione verò plura pro eo principio inducuntur; quæ tamen omnem à Deo virtutem moralem propellunt: & quorum proinde eis locis non meminì: quia directè ad hanc generalem quæstionem spectabant: quare & opportunius hic certam. 2. proponentur, & examinabuntur. Quamuis autem hæc ità sint; nemo tamen Deo virtutes morales vniuersim negare ausus hactenus fuit: vt inde asserentes Deum omnia creata propter se ipsum, vt finem proprie talem, velle, & operari, nihilque subinde creatum, propter ipsum agere, vel amare controu. 4. quæst. 4. & 5. citatis efficaciter confutarim: quod virtutes omnes morales Deo negare absurdissimè cogantur, efformato nuper argumento; id quod & Theologis omnibus, & scripturæ, & Patribus est liquido aduersum.

2. Ideircò non admodum antiqui Doctores, qui hanc absurdam illationem ex illo principio expressius notarunt, varia satis, effugia tentarunt, vt nec principium, quod auctoritate, & vetustate in Theologia sanctum censebant, desererent, nec absurdam illationem admitterent. Primum ex amoris diuini, quo se, & virtutum honestatem amat Deus indiuisibilitate desumitur, referente Herize citata disp. 18. cap. 4. numer. 27. & Arriaga citata disput. 26. tota sect. 2. quin motiuum formale creatæ honestatis, quam propter ipsam diligit Deus, quatenus eius terminat amorem, ad Deum referatur, & propter ipsum, vt finem ametur. Modi tamen eius Patroni, vt virtutes Morales Deo seruent, sanctum ipsis Principium vti in scriptura expressum *vniuersa propter semetipsum operatus est*, cuius non satis bene intellecti reuerentia discurrunt, plane deserunt: etenim si æqua primo idemmet actus siue physicè, siue Metaphysicè etiam indiuisibilis ad vtrumque obiectum creatum, & increatum, quin ad hoc creatum vt finem ordinet, sed propter ipsum terminatur: verum vtique est, creata obiecta, propter ipsa amare, ac non propter se ipsum; tametsi se propter se ipsum simul eodem actu amet. sicuti cum nos duo alia obiecta propter se vt finos inadæquatos simul, eodemque actu (vt certe possumus) actu amaremus: vel duplici, si mauis, interesse connexo, aliquid eligeremus, atque exequeremur ex fine vtroque, quod nusquam vellemus aut exequeremur ex altero tantùm, neutrum ex obiectis illi propter aliud amaremus.

3. Multa hic contentione Recentiores aliquot amorem eundem, indiuisibilem etiam formaliter Dei in Deum & creata simul, vt obiecta formalia ferri non posse contendunt: cum tamen ex dictis de essentiali, & vnico specificatiuo, & primario obiecto amotis Dei, nequeat hic in obiectum aliquod formaliter ferri, quin in Deum primarium suum obiectum & specificatiuum adæquatum formalissimè indiuisibiliter feratur, vt sæpè controu. 4. & in simili de scientia monui & ostendi to. 1. de Deo vno controu. 2. quare nostrorum Herize & Arriaga impugnationes ex diuersitate formali necessaria amoris Dei, quatenus ad creata propter se, ab ipso quatenus ad Deum propter ipsum tendit, absolutè nihil præstant; etsi iuxta ipsorum, & eorum, quos impugnant doctrinam rationem mouendi obiecti formalis à ratione specificandi respectu amoris, etiam increati, non diuidentium, vim ad hominem habeant non exiguam: illud solide vtrique contra hunc modum opposuit. Nempe nihil amplius indecentiæ, Deoque indignæ imperfectionis afferri ex eo, quod creaturæ, vt obiectum adæquatum scù propter se, vt finem adæquatum, tendentiæ amoris, & affectus Dei in ipsa, quatenus in ipsa, à Deo amentur: quam ex eo, quod in ipsa propter se, & vt inadæquatum finem diuinus amor feratur: quod sic ego ostendo: quia non minus diuino amori eiusque summæ perfectioni repugnat inadæquatè à creato obiecto specificari, atque inadæquatè specificatiue pendere; quam adæquatè specificatiuè pendere, atque specificari. Secundò: quia amor ille indiuisibilis, formaliter etiam, in vtrumque tendens ex parte obiecti creati à summa, dignaque Deo perfectione morali deficeret: cum absque illa in sua morali specie esse non posset, bonumque, & perfectum, præsertim summe tale, ex integra causa esse debeat: quare, & ex cuiusque defectu sit imperfectum, & malum. Hinc autem constat quam sint malæ impugnationes, quas vt aliis meliores posuit de suo Arriaga n. 8. vers. *Melius ergò*, & n. 9. Meliorem scilicet necessario esse amorem Dei propter se & propter aliquam aliam honestatem creatam, quam si propter se solùm esset, eoque meliorem, quo propter creata plura foret: siquidem, quo plura creata formalia obiecta respiceret, plura, vnde à perfectione deficeret procul dubio affectus ille haberet. Nec mirum est hunc, & reliquos, qui rationem motiui formalis, à ratione specificatiui, seu specificandi respectu affectus diuini, non satis dispexerunt similibus discursibus iactari, atque vanis impugnationibus tempus, & cartas absumere. Denique modi huius impugnationes alias dedi controuers. 4. d. 2. quæstion. 4. & 5. ex iactis anterius ea disputatione principiis: eo regredere.

4. Secundum effugium aliorum apud Herize num. 30. est Deum velle quidem honestatem virtutum moralium, vt obiectum tamen materiale, ac se solum ipsum vt obiectum formale, & propter quem illam amet, vt amari à Deo omnia ex scriptura censent: id autem non obesse quominus Dei amor virtutum earum moralem honestatem sortiatur; quia ex obiecto virtutis, quam affectus, materialiter adhuc, attingit æstimant sufficienter desumi virtutis honestatem. Hanc cæteris solutionibus iudico peiorem: etsi enim retineat, saluetque Deum omnia propter se ipsum, vt finem, velle & operari sensu ab ipsis intento, abiicit tamen fixum Philosophis & Theologis principium: nempe moralem virtutis honestatem requirere respectum, & amorem obiecti honesti propter ipsum ex Arist. 2. Ethicor. cap. 4. & S. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 7. ad 3. (ex quibus reliqui) docentibus ad iustitiæ virtutem satis non esse iusta, sed iuste operari oportere. Secundò: quidquid amatur propter aliud, vt finem solum amatur præcisè, vt vtile ad illud: quod commune quidem est cunctis, quæ ad illud vtilia sunt, siue de se honesta, siue non honesta, & indifferentia sint, solumque differre subiecto vtilitatis illius possunt: quare quæ ità solum amantur nequeunt vllam actui honestatem,

quo

quo materialiter solum honesta & formaliter, vt vtilia solum attinguntur, magis afferre, quam quæ indifferentia vt vtilia tamen ad eundem finem amarentur; ne dum ex diuersitate specifica virtutum materialiter solum honestarum, atque vt vtilia solum ad vlteriorem finem amatarum, diuersitas moralis specifica earum amori communicari, & ab ipsis ità amatis trahi. Denique eo permisso quatenus ex virtute quauis materialiter solum à Deo amata eius moralis honestas in diuinum deriuat amorem, ex Deo ipso propter se amato non desumitur, sed ex obiecto creato: quo & imperfectio non summè perfecti actus eo discursu ab hisce vitanda admittetur, & ratio, qua cuncta non, nisi propter se ipsum amare Deum contendunt, euacuetur.

5. Tertium effugium, (quo nuper dictis occurri vtcunque posset) excogitarunt Recentiores apud Arriagam sect. 1. init. & numero 5. & sequitur Quiros disput. 13. sect. 2. Nempe virtutes, & honestatem earum omnem moralem ad Deum natura sua, vti ad finem referri: quare, quod ad Deum affectu referantur, atque propter ipsum, vt finem amentur, non obesse, quominus is affectus, & amor propriæ virtutis eius sit cuius obiectum proprium propter Deum amatur: ita enim amari illa honestissimè possunt, & debent: quare nec possunt à sua honestate deficere, quia amentur vt debent. Hanc doctrinam nullatenus quoad virtutes morales impugnat Arriaga, vt titulo sectionis promittit vniuersim; sed plus etiam, quam tacitè versu *nonnulli*, & vers. *fusè nonnulli*: etsi, tam hic, quam versu *melius ergo* ex scriptura, & ratione in virtute amicitiæ eam impugnet: ob speciale complacentiæ in persona ex cuiusque non alterius, complacentia amicitiæ amor esse debeat. Sic autem ego hanc doctrinam facile conuello. Primo: quia, & si per impossibile Deus, eiusque bonitas non adessent formaliter, & ad terminum respectus obiectiui, honestas obiectiua moralium virtutum non deficeret; tametsi defectu primæ causæ agentis, & idealis, creatæ reliquæ virtutes deficerent: etenim eo etiam casu miseriæ proximè succurrere, fortiter, ac temperate in appetendis, agendisque se hominem gerere, suumque cuique tribuere rationi consonum esset: item Deo, eiusque bonitate, existentibus, tamen non attentis, neque vllatenus intentis, ea ob intrinsecam eorum honestatem præstare, agere, & appetere virtutum moralium per omnes Philosophos, & Theologos est; tametsi eo præcise, ad vitam æternam non conducant, nisi aliquo saltem modo ad Deum actu referantur sit Theologis sub lite. Tertio, si earum honestas natura sua ad Deum, vt finem, ob quem amandæ sunt referantur: nulla virtus moralis, sed sola virtus charitatis erit, ad quam omnium, quæ propter Deum tandem, vel agimus, vel appetimus, propriè, & tantummodo, amor spectat. Quarto, & vrgentius quia si honestas omnis moralium virtutum essentia sua Deum, eiusque summam bonitatem, vt terminum obiectiuum sui ità respiciat, vt ob ipsum debeat amari, vt debitè ametur: ergo quoties non ita amatur, non debite, & honeste, sed indebite, & turpiter atque inhoneste amatur: quare subuenire egeno, vt eius miseram subleues, & sic de aliis Moralibus virtutibus, non solum moralis virtus non erit, sed actus vitiosus erit, & peccatum.

6. Dices: morales virtutum nostrarum honestates, non ità stricte Deum, eiusque bonitatem, ob quam amentur, necessario, & determinate respicere, vt nequeat etiam earum exercitium propter se amari, quin eius amor ob Dei bonitatem expresse habeatur, atque in ipsam vltimo feratur: cum autem vlterius in Deum expresse fertur moralis virtus in effectu solum, & impropria est sed quæ Deo conueniat: sin autem in obiectiua virtutis moralis honestate affectus sistit, nec propter Deum, vllatenus vt finem, sed propter ipsam ametur, moralis virtus in affectu etiam, & propriissima habetur; quæ tamen Deo, eiusque perfectioni repugnet, qui nihil extra se, nisi propter se ipsum potest amare: sed in primis ratio illa debiti amandi creatam bonitatem propter Deum, vnde à Deo virtutes morales amari, & haberi propriè probabas, deseritur. Secundo: misericordia verbi gratia in effectu subueniendi proximo solum, misericordia non est: quin ex vitioso affectu, ac turpiter potest amari, & exerceri: nempe, si id ex inani gloria aut venere ametur, ac fiat: quare, vt propria misericordiæ finem, & rationem formalem requirit, & misericordiæ specialem, (& sic de reliquis virtutibus) nec virtuti alteri communem qua deficiente ab ea plane virtute amor ille deficiet: tantum abest vt addito motiuo proprio charitatis nempe *propter ipsum Deum* moralis virtus propria in sua specie consistat: tametsi constituatur actus ille in charitatis Theologicæ specie meliori: Quod si ordinata honestate ipsa obiectiua morali per affectum nostrum ad finem vlteriorem, ad quem potest, quin in ipsa, & propter ipsam sistat affectus in specie propria virtutis moralis potest affectus ille persistere, qui indigenti ob venerem subuenit, atque ob inanem gloriam ieiunat, religionemve exercet, misericors, temperans, ac religiosus absolute ac propriè erit, quod est absurdum: denique sistendo in bonitate cuiusvis virtutis propter ipsam virtus moralis potest exerceri propriè, immò propriissime per te, quin propter Deum exercetur, ità solum exercetur à nobis, cum propriè, ac intra propriam speciem exercetur, & ametur: & de hoc est quæstio præsens in Deo: ergo solutione hac non solum falso respondes, sed tollis quæstionem: Denique virtutum moralium exercitium proprium, non de facto solum, negas, sed de possibili, ac propositæ difficultati succumbis, rationique à priori ex amabilitate honestatis creatæ propter se, quam admittis, ad eius diuinum amorem, qui essentia sua omniamor est, admittendum omninò pates.

7. Quartum effugium memoratum ab Arriaga sect. 3. fuit. Deum habere complacentiam in creaturis bonis propter ipsas ac proinde in creatura rationali, & virtutum moralium obiectiua honestate, propter ipsam; at verò reflexo amore hanc ipsam complacentiam, literam quidem, amare propter se, vnde, & creatum honestatem virtutum moralium, & rationales creaturas propter ipsas directo amat amore & earum affectum proprium exercet easque tandem amat reflexo amore propter seipsum: Mitto alia, quæ ab huius effugii inuentoribus misceri refert Arriaga, alio tamen spectantia: ne cum ipso examini, & impugnationi eorum, quæ alterius sunt instituti, extra chorum, tempus, & laborem absumam. Contra primo: quia, vel amor directus honestatis, & bonitatis creatæ ità propter ipsam est, vt tandem sit propter Deum, vt vltimum finem eo etiam amore directo volitum; vel est propter ipsam sistendo in illa. Si primum is etiam amor directus non est ob honestatem obiectiuam virtutis moralis formaliter, vt de se patet, & hactenus ostendimus; nihilque afferitur, quo difficultas contra Morales Dei virtutes mitescat. Si secundum, in primis amor Dei propter creatam honestatem virtutis moralis, quin sit propter ipsum Deum, summamque eius bonitatem admittitur, cuius oppositum effugio hoc suo recentiores contendunt. Secundo. Hoc admisso, frustra amor reflexus excogitatur. Tum: quia in eo quidquid difficultatis, & indecentiæ amoris diuini de creata honestate, & bonitate propter se, quin sit vlterius propter Deum excogitari potest in amore illo directo deuorandum, vel euacuandum est. Tum: quia cum reflexus amor de præhabito directo sit, ipsumque proinde non destruat, sed supponat, nec modum tendendi in creaturas propter se solùm ipsi essentialem, & intrinsecum auferre, immutareue potest, vt vlterius in Deum tanquam finem tendat, ac tandem terminetur: quare neque eo amore reflexo excogitato, & superaddito, respectus illius ad creatam bonitatem, & honestatem tanquam vltimum suæ affectiuæ tendentiæ terminum imperfectionibus si quæ sint, expurgatur.

8. Horum nonnullis quinto aliquot Recentiorum effugio occurrendum videtur: illud commemorant Herincx cap. 4. numero 23. & Arriaga sect. 3. numer. 16. Nempe: creatam bonitatem, & honestatem virtutum moralium per actum solum imperatum amari propter se à Deo posse: & ortum quidem necessariò ab actu imperante Diuino earundem bonitatis, & honestatis moralis creatæ propter ipsum Deum: ex quo imperio amor ille creaturarum propter se ad Deum eiusque bonitatem immediatus ac formaliter, & necessariò manet relatus: etsi enim efficax actiuè non sit, nec cogat Dei voluntatem ad

amorem

amorem creaturarum propter ipsas, nec pereat eius amoris libertas, ac subinde & eius exercitij laudabilitas, & virtutis moralis diuinæ honestas; est autem efficax in referendo ad Deum, vt vltimum finem amorem creaturarum propter se, si, vt potest, à Deo ex imperio illo concipiatur. Mitto impugnationes Herize ex impossibilitate actus imperantis, seu imperij, & actus imperati in diuinis volitionibus, tum ob impossibilitatem diuersorum connotatorum extrinsecorum pro diuersa vtriusque actus libertate constituenda, quæ æquè omnem intentionem, & electionem diuersam impugnat, atque æquè ex diuersitate actionis pro finis diuersitate potest diuersa vtriusque assignari in huius sententia libertas. Male etiam diuersitatem actus imperantis ab imperato impossibilem contendit ex identitate adhuc formali, nec solum reali, actus vtriusque in amore, siue omniamore diuino, etsi per omnimodo intrinseca Deo eius constituatur libertas; æque enim ratio hæc impugnat in amore diuino intentionis, & electionis diuersitatem. Male item impugnat ex dependentia, quam actus imperatus ab imperante importat, in diuinis impossibili; etsi enim non bene ab Arriaga redarguatur ex dependentia lata, ac non stricta in personis diuinis admittenda, vnde ad similem dependentiam in communibus admittendam perperam, & erroneè consequentia deducitur; ast in dependentia quali quali, æqua tamen electionis ab intentione necessario à Theologis admittenda, omnia Herize argumenta cassantur: nihilque pro eiusmodi dependentia electionis ab intentione tuenda excogitari potest, quod simili actus imperati ab imperato adstruendæ non æque subseruiat: fateor ab eis, qui actiuitatem veram intentionalem à reali, & physica actiuitate in Deo intrinsecis, & immanenter operantibus potentiis, & actibus non, vti nos diuisimus, dispexerunt, nec actus imperantis in imperatum, neque intentionis in electionem influxum, atque in his necessario respondentem dependentiam veram adstrui explicari, intelligiue, nisi chimærice, minime posse: vera siquidem dependentia, & influxus physicus realis eiusdem realiter, nedum formaliter, ad seipsum prorsus repugnat.

9. Iam ad rem ipsam doctrinæ, & effugij eius, ad præsens quod attinet, sic eius falsitatem, & insufficientiam ostendo: quid enim sit de distinctione actus voluntatis imperantis ab intentione & imperati ab electione (cuius examen subtile alibi controuersia de anima habuimus, atque ab intentione efficaci ægrè actus imperantis inuenitur distinctio) certe quoad cuiusvis generis actiuam determinationem voluntatis ad medij electionem, & ad actum imperatum nulla est actus imperantis ab intentione efficaci distinctio. Ergo posito diuino imperante misericordiæ affectum seu virtutis cuiusvis alterius affectus hic misericordiæ liber non est: quare neque misericordiæ honestate moraliter bonus consequentiæ infallibilitatem timentes aduersarij antecedens doctrina illa sua infirmare tentarunt: quod probo, eo quippe vis imperij impulsiua à vi impulsiua consilij differt, quod illa ad actum imperatum determinat de se, illa vero se ad actum consilij non determinat, sed inducit. Secundò per vos imperium illud non determinat in agendo; ergo nec in referendo: quare, & actus misericordiæ imperatus quin in Deum referatur esse poterit. Probatur consequentia: quia si liber voluntati absolute relinquitur ex imperio illo affectus misericordiæ ex quocunque motiuo, & principio habendus liberè, ex quo velit, motiuo, ab ipsa concipi poterit: quare, quin ex motiuo propter Deum, & ex imperio illo concipiatur. Tertio vel indecens est actum misericordiæ propter huius honestatem solam à Deo concipi, quin vlterius sit propter Deum, vel non? Si primum: de sese diuina voluntas eam habet determinationem conditionatam, vt si quando Deus misereatur propter Deum ipsum misereatur: ergo imperium hoc inutiliter adstruitur. Si autem affectus ipse misericordiæ propter solam misericordiæ honestatem indecens non est, imperium illud inutilius inducitur, & ineptius. Quarto his missis eo imperio posito præcisè affectus diuinæ misericordiæ ob eius virtutis honestatem solum, non refertur intrinsecè formaliter immediatè in Deum tanquam vltimum, & vltiorem finem; sed extrinsecè solum, & mediate, vti reliqui imperantes actus in finem imperantis referuntur, in doctrina eorum, qui actum imperantem ex fine aliquo respectu imperati ab intentione efficaci respectu electionis medij vnici distinguunt in eo: quod electio ob eundem finem intentum elici debeat, secus imperatus actus ob finem imperantis; in actiua quippe determinatione antecedente voluntatis ad electionem, vel actum imperatum nullum est inter actum imperantem & intentionem efficacem discrimen excogitabile: Ergo actus misericordiæ imperatus ob solam honestatem misericordiæ secundum totum intrinsecum sui admittitur in Deo, quin intrinsecè immutetur, ac vlterius in Deum vt finem referatur; in quo, vt dixi num. 7. indecentia, quam hi fugiunt, deuoranda erit, vel euacuanda: quod si, vt hæc vites, dicas, ex actu imperante actum misericordiæ non posse hunc elici secundum intrinsecum sui, nisi, vt vtilem ad finem imperantis, ac tandem propter Deum plane à Deo actus moralium virtutum relegas; quas tamen effugij huius doctrina in ipso tueri contendis.

CERTAMEN II.

Morales virtutes in Deo firmius adstruuntur, & à propositis difficultatibus facile vindicantur.

1. TAmetsi propositæ difficultatis certam. 1. num. 1. tentatæ hactenus à Recentioribus nostris solutiones, hactenusque à nobis confutatæ, illius arduitatem satis ostendant; ex nostris tamen principiis doctrinaque data tom. 1. de Deo vno controu. 2. de scientia de obiectis illius, & adæquato specificatiuo, & tom. hoc, 2. controu. 4. de volunt. dispur. 1. quæst. 2. atque ad rem præsentem proximius d. 2. quæst. 3. 4. & 5. videtur facile complananda. Eam porro noster Vasquez docuit clarius reliquis recitatus cit. quæst. 5. certam. 2. num. 3. nec multo obscurius Herize ibidem citatus, tametsi, sicut ex veteribus, nec admodum recentibus plures, rationem mouendi à ratione specificandi diuinos actus minus distinguens, earumque diuersitatem non satis dispiciens à solutionis, & doctrinæ soliditate demum defecerit: amoris, & affectus omnis moralium virtutum in Deo Deum ipsum finem vlteriorem, ob quem à Deo amentur nominis saltem errore admittens. Probatur igitur conclusio: amor virtutum moralium in Deo propter ipsas vt finem est, quin vlterius propter Deum, tanquam finem eo amore formaliter amentur: ast id solum requiritur per omnes Philosophos, Theologos, & rationem naturalem, vt virtutes morales in Deo formaliter sint: ergo virtutes morales sunt formaliter in Deo. Minor, & consequentia negari minime potest. Maior probatur ex dictis citata q. 4. & 5. implicat Deum amare creatum aliquid propter se vt finem *qui* intentum (quod satis ad rem præsentem, & virtutes morales alias ab amicitia foret) imò & amari propter se, adhuc vt finem *cui*, vt eisdem locis ostendimus: ergo implicat amor virtutum moralium in Deo, qui non propter ipsas, vt finem, atque eas vlterius in Deum, referat tanquam in finem, propter quem formaliter amentur. Antecedens probatum abundè est citatis controu. 4 q. 4. & 3. Probatur secundo: bonum enim absolutè honestum est amabile propter se: atqui virtutum moralium amor est bonum honestum absolute: ergo & amabile propter se. Minor certissima apud omnes: maior item æque apud omnes certa, eo quippe honestum ab vtili differt, quod illud propter se amabile sit; hoc autem non, nisi propter aliud sit amabile consequentia vt iacet, est irrefragabilis. Pergo. Atqui Dei amor è conceptu & essentia sua omniamor, quoad substantiam, & modum est, siue amor amabilium omnium omnimodo, quo ex parte ipsorum, & amoris amabilia sunt: ergo, & boni honesti virtutum moralium propter se amabilium, est amor eius propter se, & libere quidem. Nam ad

modi amoris, bonitatis creatæ perfectionem Dei spectat in eis amandis libertas, vt ostendimus controu.4.

2. Dices primo: ex prædicato omni amoris diuini male inferri: omne bonum creatum amari à Deo omnimodo, quo amabile absolutè est: siquidem, & virtus amabilis est à nobis limitate; & tamen non ita amabilis à Deo: quare oportet limitari proximum antecedens, vt solum omnium amabilium absque imperfectione amor Dei omniamor sit: quo nihil, secunda hæc ratio probabit: sunt enim imperfectiones plures Deo indignæ in amore Dei erga honestatem virtutum moralium propter ipsam vt finem, quin referatur vlterius tanquam finem in Deum, propter quem ab ipso ametur: solutionis huius nulla firmior impugnatio esse potest, quam imperfectionum diuini amoris erga honestatem moralium virtutum propter ipsam absterſione. Prima esto: honestatem virtutum moralium creatam esse relatamque natura sua ad Deum: quare non rectè amabilem nisi propter Deum. Assumpti æquiuocationem, & in sensu intento falsitatem detexi cert.1.n.5. iuxta ibi dicta respondeo: est relata tanquam ad terminum actiuum, & idealem, siue imitandum, fateor; tanquam ad terminum amabilitatis, seu propter quem sit amanda necessario atque solum amabilis honestas creata, nego primam assumpti partem. Neque enim terminus essentialis, physicus adhuc, bonitatis, seu boni amabilis, est terminus amabilitatis illius: vt patet in bonitate pœnitentiæ, cuius essentialis physicus terminus peccatum est: & in bonitate misericordiæ, cui miseria proximi subleuanda est etiam essentialis Physicus terminus: quin alterver terminus amandus, vel à pœnitente vel à misericorde fit, vt pœnitentia, aut misericordia, earumve honestas ametur. Atque, ad rem propius, veritas entitatiua creata ad Deum tanquam ad principium primum efficiens, & ideale imitandum, & terminum subinde essentialem physicum refertur, & tamen in se & ratione sui cognoscibilis, & vera est; quin Deum, vt terminum cognoscibilitatis, & veritatis, ob quam solum, vt rationem formalem, cognosci possit, sitque, à Deo etiam, cognoscibilis, respiciat: quod ipsum in honestate, bonitateque morali, nihilque aliud inuenitur: quare ex diuina scientia de veritatibus creatis in se, & secundum propriam veritatem, nec solum ob diuinam veritatem, & cognoscibilitatem, vlterius concluſio, & efficaciter probatur.

3. Secunda imperfectio est diuini amoris limitatio; si de virtutibus moralibus propter earum tandem honestatem, vt finem à Deo habeatur: siquidem ex fine, & ratione formali motiua speciem affectus omnis desumit: quæ quidem ex limitatæ bonitatis fine infinitæ perfectionis desumi nequit, sed limitatæ. Hac obiectione facile se Complutenses Recentiores expediunt sicuti & obiectione sequenti: existimant enim infinitatem actuum vitalium diuinorum, ex Deo identico quasi subiecto sola modo desumi, nulla obiecti adhuc formalis & motiui ratione habita, sed male se expediunt: quia falso nituntur principio à nobis funditus euerso tom.1. de Deo vno controu.2. de scientia d.2. Respondeant alij iuxta effugia varia tentata, & à nobis etiam præclusa cert.1. Respondeo negando inferri amoris diuini limitationem. Ad cuius subiunctam probationem dicito in actibus aliunde adæquate pro, quasi priori ad rationes formales, & motiua aliunde specificatis perfectionem à motiuis formalibus, seu specificatiuis pro posteriori aduenientibus non desumi: sunt autem huiusmodi motiua alia omnia, & specificatiua creata amoris diuini, qui ex Deo, vt adæquato obiecto primario, & specificatiuo adæquato specificatum, siue in tota infinita simpliciter perfectione sui generis & omniamorem constitutum supponunt: ac proinde nequeunt illi perfectionem aliquam siue illimitatam, siue limitatam in linea amoris communicare: quare ei nihil intrinsecè affectiuæ tendentiæ, in ipsa adhuc bona creata tribuunt, quod quatenus pro priori in Dei bonitatem increatam ferebatur, non solum realiter, sed formaliter etiam non haberet; tametsi obiectiua illa tendentia, & omniamor formaliter adhuc indiuisibilis, respectu Dei ipsius amor, & complacentia sui sit: atque in vnaquaque persona charitas, & amicitia ad alteram personam propria, & necessaria, respectu autem honestatis cuiusvis moralis virtutis propter se, eadem ipsa amoris formalitate à Deo amatæ moralis speciei illius amor liber, & moralis speciei illius virtus: vnde constat rursus non posse, adhuc formaliter metaphysicè, sine iudicij, & cognitionis nostræ deceptione asseri, aut intelligi, in moralem aliquam seu bonitatem aliquam creatam Dei amorem ferri, quin in Deum ipsum, eiusque bonitatem feratur, tanquam in obiectum adæquatum specificatiuum, & rationem formalem omniamoris sui, etsi non, vt finem amandi creatam bonitatem, & honestatem propter ipsam, vt diximus, eo amore formaliter indiuisibili amatam: eoque sensu, etsi improprio, & partiali solum finis ratione attenta, omnia propter se, vt finem diligi à Deo dici aliquatenus possit id quod, vt dixi, citati supra Vasquez & Herize præ ceteris clarius viderunt: etsi posterius tandem rationem obiecti primarij, & adæquati specificatiui perfectionis diuini amoris cum finis ratione ob partem, vt sic loquar, rationis finis explicatam repertamque in primario, & specificatiuo perfectionis actus adæquato, videantur tandem confudisse.

4. Porrò, vt hæc bene percipiantur, oportet plura, quæ in actibus, & obiectis creatis deprehendimus, & didicimus, dedisce re, vt, cum de intrinsecis Deo (qui melius obiaz teste Dionysio Areopag. scitur nesciendo) agimus, oportet plerumque, atque in proposita doctrina, vel maxime. Tangit enim infinitatem simpliciter, & è genere, & concepto suo per denegationem termini, etiam extrinseci, ante non ex instituto, nec disputatam, nec satis explicatam: quare videnda est ea de re quæstio de homogenea indiuisibilitate, & incompositione, adhuc metaphysica, cuiusmodi prædicati diuini tom.1. de Deo vno, controu.1. disput. de attributis negatiuis nomine, & negatiuis definitione, & controu.2. de scientia d.2. ne hic repetantur: etsi breuiter eam doctrinam tom. hoc 2. contr.4 sæpe posuerimus; atq; ex dictis de scientia diuina ad actum amoris, & volitionis diuinæ applicuerimus: ex qua nunc obiectionem hanc, & instare, & repellere pronum est: etenim actus scientiæ, siue omniscientiæ è genere, & essentia sua infinitæ diuinæ veritatum creatarum, etiam in se, & secundum se sumpsarum scientia, & repræsentatio formalis est (nec solum vt illæ Deo eminenter contentæ, & identificatæ Deus ipse sunt, siue vt in ipso, tanquam medio, si velis, quod reuera cognoscuntur) ac proinde creata veritas specificatiuum & taxatiuum scientiæ, & representationi diuinæ, quatenus eius repræsentatio est fore videbatur: quia tamen omniscientiam è diuina veritate omnino constitutam in esse, quam ex primario obiecto, & perfectionis specificatiuo supponit, nihil perfectionis scientiæ diuinæ affert, aut minuit: ita ergo omni bonitati creatæ respectu amoris Dei propter ipsam contingit.

5. Tertia imperfectio amoris creatæ bonitatis, & honestatis propter se, ac non propter Deum vt finem vlteriorem desumitur ex inæqualitate in morali perfectione virtutum moralium, cum inter sese cum respectu amoris Dei, & aliorum propter Deum: at assignare in Deo actum minoris perfectionis de se, quam alius sit, imò, qui non sit summe perfectus indecens Deo est: ergo, & assignare in Deo amorem honestatis moralis propter ipsam, quin vlterius propter Deum, eiusq; bonitatem, vt finem ametur, indigna Deo continet imperfectionem. Respondent Herize, Amag. & alij cõmuniter imperfectionem priuatiuam, seu quæ actui & prædicato cuiuis diuino eius capaci debeatur, possit, ita esse in genere, seu specie sua Deum eiusq; prædicata decere, secus negatiuam, cuiusmodi in sua linea incapax prædictum diuinum sit. Perfectionis autem honestatis moralis speciei nobilioris defectum in specie de se minus perfecta imperfectionem priuatiuam non esse, Deo eiusq; prædicatis indecentem, sed negatiuam confirmant exemplo scientiæ & amoris diuini, in quorum altero maiorem metaphysicè perfectionẽ Theologi recognoscunt, quin obinde alterum è genere suo imperfectius denegent Deo, & vtrumq; hanc dubio, attributis (quæ negari Deo salua fide nequeunt) non vitalibus nobilius è genere suo est. Cæterum nec solutio placet, nec instantiæ quidquam præstant. Nihil enim horum ad idem genus metaphysicum spectat, vt de se patet: sed primo diuersa prædicata sunt, honestas autem moralis amoris diuini intra idem genus honestatis moralis est, & cuius amor diuinus est capax: quare cuiuscumque perfectionis moralis defectus imperfectio priuatiua Deo indigna erit: & scientiæ ipsio instatur doctrina & solutio. Neque enim in Deo scientia vnius obiecti creati imperfectionis, imperfectionem scientia obiecti creati perfectionis in bona Theologia admittit, porrò

potest, atque omni scientiam Dei è partialibus scientiis diuersorum obiectorum metaphysicè constari, contra memoratum principium de simplicitate, & in compositione homogenea metaphysica cuiusvis prædicati diuini à nobis quam ab aliis, explicatius propositum, & plus satis ostensum locis citatis num. 4.

6. Ex eo autem principio, & dictis proxime eodem numero facile oppositio hæc diluitur: cum enim è Deo obiecto primario, & totius suæ perfectionis adæquato specificatiuo totam, & infinitam simpliciter perfectionem (non autem tanquam à fine proprie, & absolute tali, vt dixi) Dei amor ex parte obiecti trahat; quin motiua alia creata, quidquam ei perfectionis, vel augeant, vel diminuant: nec circa obiectum aliquod versari Dei amor possit, quin tota perfectione, atque, vt omniamor, & diuinus, versetur: æque & infinitè perfecto amore circa æeatam bonitatem, & honestatem de se maiorem versatur: vt de scientia Dei, erga vilissima obiecta ob eandem rationem dicebamus sæpe tom. 1. de Deo vno controu. 2. Porro illud *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, & alia, quæ ex scriptura Deum creatu omnia propter semetipsum vt finem velle, & operari sonare videntur, alio vero eorum locorum: & germano sensu explicuimus contr. 4. d. 2. q. 4. & 5. vt nihil hic de eis vlterius dicere opus sit.

QVÆSTIO II.

An reliquæ morales virtutes in particulari, præter iustitiam strictam Deo conueniant?

Moralium virtutum species vniuersaliores quæ ad voluntatem spectant, ad tria capita reducuntur: temperantiam nimirum, fortitudinem, & iustitiam strictam, sub quibus specialiores, virtutes plures continentur. Cum autem nihil de iustitia stricta quæstione hac, neque hac tota disputatione, agendum nobis sit, sed sequente prolixiore, solum agere hic oportet de temperantia, & fortitudine, quæ ad ipsum operantem solummodo referuntur, & de aliis nonnullis, quæ, quia ad alterum sunt, vt liberalitas misericordia ad iustitiam quæ ad alterum est, reductiue, etsi non stricte, & tanquam eius species propriè videntur pertinere, de amicitia verò, quæ ad alterum etiam est disputauimus fusè controu. 4. vt nihil hic de ea disputare sit opus. Potest autem de præfatis virtutibus Moralibus habitualiter, siue de earum habitibus, atque expedita Dei ad earum exercitium, & actus facultate disputari, vel de earum actibus, & exercitio actuali, & de primo constat esse in Deo expeditam ad virtutum moralium, quas in eo, siue proprie, siue aliqualiter & imitatiuè, ac metaphoricè admittemus facultatem expeditam: quo solum sensu earum habitus in Deo admittuntur, atque in Dei attributis, seu necessariis prædicatis, Dei essentiam metaphysicam consequentibus numerantur à Scoto in 4. d. 45. quæstion. 1. §. *non trobrobando*; tametsi proprie habitus, nec sint nec dici possint vt ibi Scotus, & S. Th. 1. cont. gent. cap. 92. Ruiz de Montoia d. 55. de volunt. sect. 1. init. & Theologi communiter, & nos etiam docuimus tom. 1. de Deo vno controuers. 2. disp. 2. quia habitus propriè ratio imperfectionem minus expeditæ potentiæ volitiuæ, aut intellectiuæ ad suos actus supponit: quæ summè expeditam Dei voluntatem ad actus quoslibet honestos exercendos dedecet prorsus.

CERTAMEN I.

De temperantia, & fortitudine, earumque partibus.

1. Nihil ferè hic præter communia doctoribus asseri à nobis possunt: dicenda tamen à nobis sunt: tametsi facilia & obuia, ne lector aliquid in nobis desideret, aliosque libros adire cogatur. Dicendum ergo cum omnibus Primo. Virtus temperantiæ in Deo non datur. Ratio omnium data est à S. Th. 1. p. q. 21. art. 1. ad 1. expressiùs 1. contra gent. cap. 92. n. 5. quia temperantia proprie accepta, in moderandis passionibus appetitus sensitini, qua concupiscibilis, essentia sua versatur: ergò cui impossibilis appetitus sensitiuus est, & temperantiæ virtus est impossibilis: is autem appetitus sensitiuus Deo repugnat: ergò, & virtus temperantiæ propriè accepta repugnat; egregiè ergo Arist. 10. Ethic. cap. 8. dediis aiebat. *An temperantes?* at quidnam fuerint? An laus est *importuna si prauas dij cupiditates non habere dicantur?* Consentit conclusioni & rationi Scotus in 4. q. 1. ad 2. cum suis. Durand. etiam q. 1. ad 2. Capreol. in 1. d. 45. q. vnica conclus. 13. Ferrara 1. contra gent. cap. 92. Caietan. & reliqui interpretes 1. p. quæstion. 21. artcul. 1. Ruiz disput. 55. de volunt. sectiion. 1. numero 4.

2. Inde dico secundo: Nec Metaphoricè Deo temperantiæ virtutem, eiusve partes conuenire: quia nec Deo passiones spirituales sunt, quæ virtute egeant moderattice temperantiam propriam imitante: quod, eo etiam loco, & textu Aristoteles docuit temperantiam Deo ob passionum vniuersim defectum, & impossibilitatem negans: quoniam verò ira metaphoricè propter effectum, tametsi ordinatissimum, & effectum puniendi Deo tribuitur, mansuetudo, quæ pars temperantiæ est, Metaphoricè Deo sæpè in scriptura, & Patribus iure tribuitur Daniel. 3. *Fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam*, & alias sæpe: quo etiam pacto clementia, vt minimum tribui Deo debet immò metaphora minore: quia eius minus est moderari penas debitas, & iustitiæ punitiuæ; quod absque vlla passionis inordinatæ animi suppositione valer reperiri. Minus autem vere Ruiz noster n. 7. Clementiam, vt partem temperantiæ propriè dictæ, ac subinde propriam temperantiam in Deo admittit, siquidem, vt ipse in ratione communi conclusionis primæ ait, temperantia propria passiones appetitus sensitiui necessario supponit: quare ea suppositione, & sensu tantum mansuetudo, & clementia partes propriæ siue species temperantiæ, in nobis vtique, à S. Th. dicuntur 2. 2. q. 157. a. 3. sensu autem nostro metaphoricè accomodatissimo Clemens Deus Exodi 34. Paralip. 10. Ionæ 4. ac pluries, atque Ecclesiæ orationibus Deus compellatur.

3. Dico tertio: fortitudo proprie Deo non competit, competit autem metaphora accommodatissima. Prima pars probatur ratione, & Auctoritatibus conclusionis primæ: quia fortitudo supponit irascibilis appetitum, eiusque affectibus timoris, & audaciæ, quos moderetur intercedit: quare cui sensitiua irascibilis, immò & ira propriè, timorque, & audacia repugnat (vti Deo) & fortitudo propria repugnabit. Metaphorice autem Deo fortitudinem (qua perfectionem præsefert, & effectus habet magis manifestatiuos potentiæ subiecti fortis) conuenire citra dubium est: quare, & Deo tribuitur 1. Reg. 2. Iob. 9. Psalm. 7. & alias sæpè Magnanimitas, vt pars potestatiua fortitudinis, ab eius perfectione deficiens (vt ex Andronico, & Macrobio air S. Th. 2. 2. q. 129. a. 5.) tendirque ad eximie laudabilia, & honorabilia, mediumque rationis ponit, ac tenet circa magnos honores (iuxta Arist. 2. Ethic. c. 7. & S. Th. q. cit. a.) proprie Deo non conuenit, ob difficultatem in moderandis passionibus à ratione per excessum, aut defectum, quam essentia sua importat: quod si ab hoc abstrahatur magnanimitas idem prorsus, quod magnificentia erit de qua post modum.

4. Patientia

4. Patientia, & longanimitas Deo metaphoricè saltim conueniunt; siquidem Deo in scriptura tribuuntur. Prima Exod. 34. 6. & 18. Iudith. 8. 14. Psalm. 144. & 85. Secunda ad Romanos 2. 2. Petri 3. Psalm. 102. & alibi. Proprie vero neutra Deo conuenit. Patientia quippe rationis bonum contra impetum tristitiæ conseruat, malaque tolerat ex August. lib. de patientia cap. 2. & S. Thom. 2. 2. quæstion. 136. a. 1. Horum autem omnium incapax Deus est: quare & patientiæ propriæ longanimitas solum addit extensionem animi ad aliquid longe, & diuturnè distans ex Tullio laudato à S. Thom. ibidem art. 5. quo materia solum à patientia differt, quæ intra speciem moralem eo etiam extenditur, quin suum prætergrediatur obiectum: quare eadem virtus vtraque est in genere moris, idem iudica de constantia, & perseuerantia quarum prima supra patientiam arduitatem, secunda diuturnitatem malorum expressius dicit iuxta S. Th. q. 137. a. 3. quare & metaphoricè tribuendæ Deo sunt, etsi de Deo nusquam in scripturis legantur.

5. Magnificentia, etsi secundaria fortitudinis pars, & quæ in nobis moderandas per ipsam passiones supponat: ac superandæ difficultati dispendij bonorum temporalium intendat, iuxta sanctum Thomam 2. 2. quæst. 134. art. 4. proprie tamen illam Deo conuenire docet 1. p. quæstion. 21. art. 2. ad 1. & 1. contra gentes cap. 93. init. Ruiz noster citat. sect 1. num. 13. quia expeditio, vel propensio ad res magnas faciendas ab eis abstrahit imperfectionibus, in Deoque inuenitur: quare & absolutè & propriè magnificentia Deo tribuitur, cum Magnificus in scriptura absolutè nominatur Psalm. 76. *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus faciens mirabilia.* Luc. 1. *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* & Psalm. *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.* Psal. 103. *quàm magnificata sunt opera tua Domine omnia in sapientia fecisti.* Psalm. 8. *Eleuata est magnificentia tua super cælos.* Atque Exodi 15. Isaiæ 33. & alibi Magnificus absolute Deus dicitur: & quamuis creata omnia etiam præstantissima Dei eiusque potentiæ comparatione minutula absolutè sint, & perexigua; in se tamen, etiam abiectissima creata ea potentia, arteque, & sapientia diuina egent, vt eis titulis magna dici merito, atque haberi debeant: vt citato loco ex Psalmo 103. expressè notatur.

CERTAMEN II.

De virtutibus nonnullis ad alterum relatis, ac proinde iustitiæ aliquo modo annexis.

1. PRima ex his virtutibus liberalitas proprie conuenit Deo; ità Soarez opusculo de Iustitia sect. 1. num. 26. contra Vasquez 1. p. d. 185. cap. 7. §. 1. & 2. est etiam nostri Ruiz proximè sect. 2. S. Thom. & Arist. infra recitandi. Probatur ex Psalm. 103. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: & omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore: & Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Iacobi 1. *Qui dat omnibus affluenter.* Lucæ 6. *Benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi* & rursus *benefacite iis, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, & solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos.* Et ex multis in eandem sententiam aliis. Probatur ex Aristotele 4. Ethicor. cap. 2. & Auicenna 9. Meth. cap. 7. S. Thom. 1. p. quæstion. 21. art. 1. ad 1. & art. 3. corp. sub fin. & 1 cont. gent. cap. 93. sub init. Ratio autem horum, & communis est: quia liberalitas propriè nihil aliud est quam bonorum alteri donatio, nulla in ea vtilitate, commodoue attento præter donandi honestatem, vt proxime Aristoteles aiebat: nemo autem ità propriè donationem suorum bonorum absque vlla vtilitatis, aut commodi à creaturis, quibus ea donat capiendo, (& à quibus capere commodum non potest) ob puram donandi honestatem exercet. Ergo nulli ità proprie liberalitas competit, ac Deo: quare egregie Auicenna proxime à S. Th. proximè etiam laudatus Deum summa proprietate liberalem agnoscit, & docuit. Confirmatur: quia, ni Deus propriissime liberalis sit, nec creaturis beneficus esse poterit, gratiæque aut beneficij alicuius in ipsas collator contra dogma fidei, vt patet siquidem, etsi beneficentia propria complacentiam in persona ob cuius vtilitatem conferuntur beneficia, & dona superaddat, vel supponat, tamen & debitum, & respectum ad proprium largientis commodum in beneficij donatione excludit: quo quid quid liberalitas propria exigit continetur.

2. Dico 2. Dei liberalitas multo proprior perfectiorque sublimisque est ex specie seu genere suo quamis liberalitate creata: quin ideò à proprietate liberalitatis decidat, sed potius intra liberalitatis moralem honestatem mirifice euehatur. Maior perfectio probatur ex maiori amplitudine materiæ: extenditur quippe non solum ad temporalia, & pretio, seu pecunia æstimabilia (quæ non sphæra materiæ liberalitatis creatæ sunt; sed ad spiritualia, & supernaturalia, tanquam ad materiam propriam Dei liberalitas se, immò præcipuè porrigit, in donatione vero eorum omnium, & singulorum liberalitatis diuinæ perfectio elucet alia creatæ libertati impossibilis. Ita enim bona sua creaturis largitur, vt nihil vtilitatis, & commodi illis detrahens supremo tamen eorundem dominio donatione ipsa se non abdicet suo. Contra verò liberalitatis creatæ donatione rerum à se donatarum dominio se abdicet donator, & in donatarium necessariò transferat quod quidem non è liberalitatis proprietate, sed ex creati donatoris, & dominij imperfectione, vsu venit.

3. Quod autem cum ea diuersitate, & excellentia liberalitatis diuinæ respectu creatæ à proprietate liberalitatis illa non deficiat, ex proxime dictis facile constat: atque item ex aliis prædicatis, quæ creatis proprie conueniunt. Deo autem cum proprietatis excellentia tanta, vt diuinorum cõparatione in creatis analogice solùm & similimodo reperiantur, vt esse, & ens, bonum, verum, & reliqua vnde constat ad argumenta nostri Vasquez quibus hoc solùm certe probat, nec aliud forte contendit ab eo quod diximus, scilicet Dei liberalitatem ab imperfectione entitatis materiæ pretio solum æstimabilis, in qua solum creata nostra liberalitas esse, atque exerceri potest, esse immunem, atque ab imperfectione etiam abdicationis dominij eorum quæ à Deo donantur, quæ liberalitatis nostræ exercitio necessario fit ob creati dominij imperfectionem quare mirum non est Aristotelem Philosophos, & S. Th. Theologosque reliquos, cum de liberalitatis nostræ virtute agunt ad materiam pretio æstimabilem, eam restringere, atque in eius exercitio dominij abdicationem in donatore necessariam docere, quia donatione perfecta, ad liberalitatis exercitium prorsus necessaria, in donatarium transfertur, ac subinde perit necessario donatori: cum ni eiusdem dominium, plenum, & insolidum penes duos simul esse non possit. Dei autem dominium cum generis alterius & supremi sit, inferiori creato, quod passim vocant, non aduertatur: neque creatum hoc vndecumque, siue Dei siue hominis largitate, siue aliunde, proueniat subordinationi, & subiectioni ad dominium diuinum, se subducere potest.

4. Et hæc sane plana est, ac reliquis solidior solutio & a S. Th. exhibita 1. contra gentes cap. 93. vers. sin. cuendum autem est à solutione alia nostri Ruiz cit. sect. n. 14. quod nimirum Dei largitionibus aliqualis donatio abdicatio in ipso interueniat: quia aliquod dominium nobis suis largitionibus confert Deus. Inde vero aliquat abdicatio dominij diuini minimè infertur, vt ex dictis patet. Secundo sibi contradicit. Dominio quippe supremo tet. Secundo sibi contradicit. Dominio quippe supremo nullatenus neque aliqualiter se Deus abdicat per te: Inferioris autem seu bassi incapax perte etiam Deus efficitur nec pro priori ad sua largitionem habuit. Ergò nullatenus illo se abdicat rei largitione. Simili contradictione laborat confirmatio, quod scilicet per votum maxime solemne diminiu particulare personæ Religiosæ suarumq; rerum in Deum transferatur, cuius nimirū Deum incapacem immediate asserebas. Deniq; vel ad proprietate liberalitatis absoluite talis requiritur donatione dominij abdicatio vel secus si secus: frustra ad proprietate liberalitatis diuinæ, requiritur alicjualis hæc abdicatio. Si primū, aliquali hac & non

non absolutè tali abdicatione dominij Dei per eius largitionem aliqualis solum Dei largitas, & liberalitas defenderetur. Datæ ergò solutioni communi, & nostræ standum meritò: de proprietate diuinæ liberalitatis cum summa excellentia, & excellentia proprietatis: inde verò & ob Dei summam dignitatem, & bonorum quorumque à Deo increata profectorum magnitudine notatam, certamine 1. num. 6. tactamque hic num. 1. à Iacobo cap. 1. censerem Dei largitatem libertatis nomine non satis digne Deo explicari, sed magnificentiæ voce: iuxta scitum illud Panegyristæ in non absimili ad suum Imperatorem. *Priuatorum vita copia est inter se esse munificos. Tua beneficia, vt maiestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt.*

5. Sed enim inde obiici ex Sancto Thoma potest, 2. 2. quæst. 117. art. 6. ad 1. docente. *Ratio prouenit ex eo, quod amat homines, quibus dat, non autem ex eo quod afficiatur ad ea quæ dat, & ideo magis videtur pertinere ad charitatem, quam ad liberalitatem.* Missa nostri Ruiz solutione num. 16. & aliorum, quæ motiuum formale actus diuini cum specificatiuo adæquato illius male confundit: respondetur ex dictis num. 1. fine. Complacentiam in persona, cui bona largimur, largiturque Deus, & finis cui rationem: respectu largitionis, & voluntatis largiendi illa habet, nullatenus affectum ad bona ipsa largienda, nullo debito, aut commodo largientis excludere: quod satis est, vt liberalitatis affectus proprius sit, licet non ex complacentia in bonis datis, (quod solum verba Sanct. Thom. excludunt) sed ex complacentia in homine cui donantur: quare ad charitatem etiam & magis spectant saltim imperatiue, qua non supposita bona illa ipsa qua homini bona amari à Deo absque vllo alio respectu debiti, & commodi proprie minime possent: illudque magis, satis innuit propriè illa bona, absque illo alio respectu, quod est proprium, & speciale obiectum liberalitatis) à Deo amari; ac proinde eiusmodi affectum liberalitatis esse proprium: imò amari bona alterius absque commodi proprij respectu, ac solum quia alteri bona vt ad liberalitatem oportet, absque complacentia præsupposita in eius persona omnino repugnat, tantum abest, vt virtuti liberalitatis officiat.

6. Denique obiicitur Aristot. 10. Ethicorum cap. 8. sub med. de Diis ita scribens: *An ridiculi videbuntur, si commutent & deposita reddant, & huiusmodi cætera agant?* Inseritscule. *An liberales, & cui dabunt? Absurdum est insuper si nummos etiam habeant, aut aliquid tale*: negatuque temperantia, & fortitudine Diis concludit: *ita per omnia discurrenti cuncta, quæ sunt circa actus, parua quædam, & non digna Diis immortalibus sane videntur.* Hic textus non contra liberalitatem solum, sed contra omnes morales Dei virtutes pugnare videtur. Respondet Ruiz num. 18. ex intento Aristotelis, qui eo capite suscipit probandum perfectam fœlicitatem non in vita actiua, sed contemplatiua sitam esse, probatque, quia Deos maximè Beatos esse putamus, atque fœlices, quin actiuæ vitæ virtutes exerceant, vt recitatis verbis probat. Bene ergo virtutes morales vitæ actiuæ in Deo non admittit, atque inde intentum probat: quod satis contra hactenus datas tuas, & nostras conclusiones erit. Communis solutio Sancti Thomæ 1. parte, quæst. 21. art. 1. ad 1. fine: Durand. in 4. d. 46. quæst. 1. ad 2. & Scolasticorum est: solum negari ab Aristotele Deo virtutes circa ciuiles, & politicas actiones: quare & ita ab eis cum textum recitari. *Ridiculum est secundum virtutes Deum laudare, aut virtutes politicas in Deo ponere*: quæ solutio bona quidem est, sed aptioribus vocibus iuxta superius dicta explicabitur. Nempè negare Deo virtutes morales creatas, & ad materiam & imperfectiones, quæ Deum dedecent determinatas: vti conceptis verbis Aristotelis obiectis satis claret, atque ex capitis eiusdem fine. Vbi Deos, si rerum humanarum, (vt putatur) curam habent, studiosis hominibus beneficia conferre: quare, & in eos liberalitatem exercere ingenuè fatetur.

7. *Benignitas*, iuxta Andronicum, *Est habitus voluntarie benefactiuus*, & Isidor. 10. Etymolog. capite 2. *Benignus est vir sponte benefactiuus*: (addit pro affabilitatis virtute, & vocis benignitate) *& dulcis eloquio*, & quoad animi benignitatem, à beneficentia nullatenus distinguitur, vix misericordia in Deo distinguetur, cum enim vt patet, & hæc solum beneficentiæ addat eius, cui beneficia conferenda sunt, miseriam, & indigentiam quam supponit: Deusque creaturis tantum, indigis, atque Dei ipsius mendicis benefacere possit, benignitas & beneficentia Dei, quæ misericordia propriè non sit esse non potest: propriè autem benignitatem & beneficentiam Deo conuenire ex data eius definitione constat: sicuti & ex adiuncta, & necessaria indigentia creaturarum conuenire ipsi propriè misericordiam. Confirmatur ex frequenti scriptura Psalm. 68. *Benigna est misericordia tua.* Sap. 1. *Benignus est enim spiritus sapientiæ.* Ioël. 2. *Quia benignus & misericors est.* Rom. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Luc. 6. *Ipse benignus est supra ingratos, & malos*: atque ex eodem cap. referebamus num. 1. propriè, verò iuxta Ticonij, & Augustini receptissimam regulam interpretandi scripturam, accipienda necessariò sunt. Consonant Patres omnes; pro quibus vnus Basilius in re adeò apud ipsos vulgari, & cunctis nota recitandus in Psalm. 114. Ad id: *Misericors Dominus & iustus*, scribens: *Cum iudicat commensuratumque infirmitati nostræ iudicium infert, benignitatis erga nos affectu potius, quàm æquipensatione nos plectens.* Quod autem ad vocis benignitatem, seu affabilitatem ab Isidoro additam spectat. Sapient. 8. dicitur. *Non enim habet amaritudinem conuersatio illius; nec tædium conuictus illius*: sed lætitiam & gaudium.

8. Veritatis multiplex acceptio est, ac pro eius diuersitate virtus moralis non vna secluſa eius acceptione pro veritate in cognoscendo, & iudicando (quæ moralis virtus voluntatis non est, sed intellectus, & ad scientiæ controuersiam spectans) quandoque veritas pro iustitia vsurpatur. Psalm. 84. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt*, atque alibi: in qua acceptatione de veritate agemus d. 2. sumitur etiam pro veritate in dicendo, seu veraciter: quæ ex Aristotele 4. Ethic. cap. 14. *est se vnumquæ talem in suis dictis ostendere, qualis est*, quibus verborum, & operationum externarum cum indicio, & affectibus internis conformitatem, complexus est, & explicatius S. Thom. 2. 2. quæst. 109. eam veracitatis virtutem Deo propriè tota sua amplitudine conuenire ex ipsa definitione claret: tamque certum est, quam sit certum: Deum mentiri, fallacemque in dicendo esse non posse, neque operibus suis hypocritam, ac deceptorem. Confirmatur ex Psalm. 85. vbi dicitur: *Pattens, & multæ misericordiæ, & verax est.* Rom. 3. *est autem Deus verax.* Confirmatur: quia alias fidei diuinæ certitudo, veritas infallibilis nutabit & corruet: idcirco conclusio hæc S. Thom. proximè & 1. contra gent. cap. 93. num. 7. & reliquorum Scholasticorum dogmatica est. Huc etiam spectat fidelitas in promissis diuinis, quæ veracitatis nomine in scriptura significatur: non semel & loco Pauli ad Rom. 3. proxime recitato: sed quanquam veracitas siue primo modo, siue pro fidelitate vsurpata debitum sonet, & contineat: non autem creaturæ, cui vel loquitur, vel promittit Deus contra ipsum, promissione adhuc, quæsitum & paratum; sed decentiæ diuinæ est: qui sibi, nec mentiri cum loquitur, nec promissis non stare potest, cum promittit: vt fusè controuersia de Incarnatione, atque obiter alibi docuimus iterumque d. 2. de virtute iustitiæ ex instituto docuimus.

CERTAMEN III.

De gratitudine Dei erga iustos.

1. DE gratitudine Dei exorta lis est sæculo proximo illam asserunt Vasquez 1. 2. d. 215. cap. 1. n. 2 d. 223. c. 8. fine, & assectæ. Lorca disput. 44. de gratia, §. *his præmissis*: qui, cum Deum ex iustitia propria, adhuc distributiua, præmium bene operantibus reddere posse negent, ex gratitudinis virtute reddere docent.

Contra verò Soar. relect. de libert. Dei d. 2. sect. 2. num. 3. & tom. 3. de gratia lib. 12. cap. 30. à num. 8. Salas 1. 2. tom. 1. tractatu 7. d. 7. num. 5. Theophil. Raynaud. natural. Theolog. dist. 8. quæst. 2. art. 5. Koninck de actib. supernatural. d. 8. dub. 1. num. 8. Ruiz fauet, licet vtramque sententiam, & Vasquij potius mentem, quod ad gratitudinem attinet, cum Soario conciliet sect. 4. num. 6. etenim Vasquez (& Affectæ subinde) d. cit. 223. sine monet: Deum, cum beneficia à creaturis nequeat accipere gratiam illis habere, agere, aut referre minime posse; cuna autem, vt iam videbimus, gratitudo, siue in affectu, siue verbo, siue opere, proprie accepta essentia sua beneficia supponat, indeque oppositæ sententiæ Doctores in primis Deo gratitudinem propriam negent, de re ipsa nequit Vasquianis, & Soaristis dissidium esse, sed solum de nomine. An scilicet gratitudo in bonis præmiandis sensu aliquo à Theologis non omnino improbando Deo sit concedenda necne? quo super nobis disputandum, & definiendum in præsentiarum erit.

2. Dico primo: gratitudo proprie accepta, atque, quatenus ex latinæ linguæ peritis accipi potest, Deo repugnat: æstimo in conclusione hac vtriusque sententiæ Doctores esse concordes. Probatur: quia, etsi abstracta vox *gratitudo* latinis priscis in vsu non fuerit, fuit tamen in vsu eisdem vox concreta *gratus*: talis autem dicitur apud ipsos, qui pro accepto beneficio gratiam habet, agit, vel refert: vt videre est in Cicerone, Terentio, Plinio, Seneca, apud Latinæ linguæ dictionaria, & Thesauros quosvis. Vnde probatur conclusio: gratitudo ea latinitatis proprietate supponit essentia sua in eam habente beneficij receptionem ab eo, erga quem ob præstitum beneficium habenda gratitudo est: ergo erga eum, à quo haberi beneficium nequit, nequit aliquis habere gratitudinem. At Deus à nullo habere beneficium potest, ergo nec potest ea latinitatis proprietate habere erga aliquem gratitudinem. Subsumptum probo: quia non ab aliqua persona diuina: quia nihil gratuito; & liberè vna persona in diuinis recipit ab alia, vt ad beneficij receptionem opus erat: sed neque à creatura aliqua recipere potest, cum nullo creato obsequio vtilitatem, siue ad bene, siue ad melius esse Deus indigeat, vt scriptura testatur ad Roman. 11. Prouerb. 9. Iob. 22. & 35. Psalmisque frequenter. Confirmatur: quia nihil vltra creatori Deo debitum exhibere ipsi creatura potest: immò, quod infra ipsi debitum non sit: maxime cum opera ipsa honesta etiam supererogationis, Dei dona, & beneficia sint atque in gratiæ auxiliis ad ipsa necessariis à Deo data, beneficium autem non nisi ex iis quæ vltra debitum recepta sunt conferri ab aliquo potest. Confirmatur tertio: quia beneficium conferens in collatione illius aliquam respectu recipientis superioritatem exercet ex Aristot. 4. Ethicor. cap. 3. sub med. & illud Christi Domini. *Beatius magis est dare, quam accipere.* Hanc autem repugnat à creatura haberi, & exerceri respectu Dei: immò ab vlla ex diuinis personis respectu alterius demum Dominium actuale Dei in nostra omnia, liberè etiam à nobis exhibita formaliter à nobis non prouenit, sed solum materialiter: quatenus scilicet materiam apponimus, ad quam intrinsecum omni Dominium Dei exercitè absque vlla sui additione extendat.

3. Dico secundo: gratitudo proprio aliquo vero Theologico sensu in reddenda honestorum operum mercede est in Deo admittenda. Conclusio hæc est contra Soaristas, & nostrum Ruiz, & quam solam Vasquez contendit cum Soario de nomine solum certans: siquidem, vt ex ipso refebamus, gratitudinem Deo acceptatione primæ conclusionis cum Soario, & reliquis eisdemque doctrinæ vbique suæ principiis insistens. Ne autem à Deo noua propria hæc Theologica gratitudinis quam Deo Vasquez, & nos tribuimus, videatur, audiatur Cic. 1. de natura Deorum dicens: *Deum hominibus gratificari*: quod, sermonis proprietate, idem est, atque ex grato animo siue gratitudine gratiam referre: negat autem statim Deum hominibus *facere gratum*: quia id obsequium tanquam aliquatenus superioribus, & subiectionem Dei aliqualem respectu ipsorum sonare videtur. Hinc Ciceronis modum loquendi vitandum à Theologis monet Ruiz ex dicendis ad obiectionem secundam: quia falsuat Deoque indignum proprietate sermonis ita inhibitam gratitudo habet, vt eo sublato gratitudo propriè, eiusque conceptus absolute non maneat, quemadmodum nec opinionis conceptus sublata iudicij fallibilitate, & veritatis incertitudine: quare opinio nullo proprio vero sensu, & opinionis conceptu tribui Deo à Theologis potest: sed conceptum verum & proprium ac speciale eius vocis *gratitudo* significatum ostendet ratio conclusionis subiicienda.

4. Etenim bonum aliquid alicui tribuere, eo quod vltro gratum aliquid alicui exhibeat, etsi huic vtile per possibile vel impossibile non sit, honestum quidem, & bonum moraliter esset: non ex alia virtute charitatis, iustitiæ, fidelitatis, &c. ergo gratitudinis. Atqui Deus homini præmium tribuit bonorum operum, eo quod in his complacet, quia honesta, & sibi grata vltro ab homine exhibentur, tametsi vtilia ipsi non sint: ergo non alia virtute quam gratitudinis. Confirmatur: quia, etsi gratitudo creata solum sit ob beneficia, & bona nobis vtilia & commoda ab alio nobis exhibita, ideò tamen est, quia non, nisi de nobis commodis, & vtilibus ex concupiscentia, ob animi, & affectus nostri vtilitatem, complacemus. Deus autem ob suæ bonitatis & voluntatis perfectionem, & excellentiam summam de honestis operibus sibi prorsus inutilibus, atque citra vllam bene operantium ius contra ipsum ex bonis operibus quæsitum, bonitatis & perfectionis suæ magnitudine, & eminentia gratificandi ipsa debitor sibi (vt sic loquar) ipsi constituitur? etsi, non adeo stricto debito, adhuc sibi (si promissionem excipias) vt sibi, ni mercedem redderet, deficeret. Confirmatur secundo: quia, etsi ratione vtilitatis, grata hominibus bona vltro oblata sint, in illisque complaceant, & vicem rependant offerentibus; negari tamen nequit ideo illa affectu, & effectu gratitudinis rependere, quia ipsis grata: quantumvis enim vtilia ipsis essent, si ingrata, seu non grata sint materia gratitudinis esse nequeunt: ergo gratitudo, etiam nostra, respicit exhibita beneficia vtilia & commoda nobis, qua nobis gratia, vt gratiam habeat, ac referat ea exhibenti: atqui Deus iustis ob opera bona, quia honesta, sibique grata & vult reddere, & reddit mercedem: ergo in eo affectu, & effectu est specialis ratio, quæ in solo gratitudinis nostræ affectu reperitur; tametsi ob animi creati abiectionem, vt dixi, ea solum grata nobis sint, & apud nos gratiam habeant, quæ nobis commoda sint, & vtilia.

5. Vnde constat aliquid speciale, & essentiale prædicatum virtutis gratitudinis nostræ in affectu Dei erga iustos ob honesta opera, atque in effectu, ea compensandi reperiri; quare, & virtutem propriam gratitudinis ab imperfectionibus gratitudinis nostræ (quæ solum ob proprij beneficij, vtilis & commodi nobis exhibiti est) suppuratam ipsi esse tribuendam, sicut de reliquis moralibus Dei virtutibus philosophari, cum aduersariis etiam, hactenus fuimus. Ab opinione vero, Deo à Theologis iure negata, paritas non est. Nam quidquid speciale, & specificum in opinione, vt ab aliis iudicijs diuersa, inuenitur, est incertitudo, & fallibilitas, cuius nihil simile in diuinum iudicium cadere potest: denique opera nostra honesta vltra debita Deo non esse, immò verò illa ipsa esse diuinæ liberalitatis, & gratiæ dona rationi beneficij Deo à nobis collati prorsus absit, secus autem obest; quominus, etsi ex eius gratia, & liberalitate, gratum ipsi aliquid vltro exhibeamus, è cuius complacentia, & intuitu mercedem nobis conferre velit, & conferat de facto, atque gratam sibi, & honestam in eo opere exhibendo industriam nostram compenset: videat lector an causa Vasquez cadat, (vt exploratum supponit impugnatione vltima Ruiz) dum gratitudinis virtutem in conferendis iustorum præmiis Deo adscribit; ne iustitiam in ea retributione faceretur de quo d. 2.

CERTAM

CERTAMEN IV.

De obedientiæ, obseruantiæ, & Religionis virtutibus statuitur.

1. Dicendum vniuersim est: nullam virtutem moralem, quæ respectum inferioris ad superiorem dicit in Deo esse admittendam: est conclusio S.Thom.1. contra gent. cap.93. sub med. & Theologorum omnium, de fide, & lumine rationis naturalis euidenter nota: siquidem ad Hebræos 6. *Maiorem non habere* dicitur Deus Psalm.49. *Excelsus super omnes gentes*, id est rationales creaturas omnes, ex quibus solus Dominus, & superior alterius esse potest. Additur: *Quis sicut Dominus Deus noster, &c.* Vbi non superior solum Deo negatur, sed etiam æqualis: Sapient.12. *Quis enim dicat tibi quid feceris? aut quis stabit contra iudicium tuum, &c. Non enim est alius Deus, quam tu.* Quibus naturalis ratio continetur ex summa Dei excellentia supra omnia, etiam rationalia reliqua, ac subinde supremo in ea omnia dominio, & principatu, cui proinde habere superiorem repugnet, ac subinde virtutis cuiusvis habentis respectum ad superiorem potestatem exercitium omne. Dices dictamen rationis, & conscientiæ vnicuique vim legis habet, cui obediat, ex Aristotele 1. Ethic. capite vltimo, post med. ergo dictamen rationis diuinum vim legis habet cui obediat Deus: in primis antecedens malè probatur ex Aristotelis citato loco, qui de appetitu sensitiuo est.

2. Negat consequentiam Ruiz; quia rationis dictamen nostrum legis æternæ seu dictaminis diuini, & superioris, quod cunctis notum facit promulgatio est, secus Deo dictamen proprium, quod aliud superius, seu superiorem legem non habet quam Deo intimet, aut promulget, cuique propria obedientia præstari queat: solutio hæc tangit aliquid probabile neminem, scilicet, nostri bene, vel male, siue iuxta, vel contra conscientiam, & dictamen propriæ rationis operari posse absque Dei (saltem, qua legislator supremus est) aliquali notitia. Ex quo deducitur contra Lugo, & alios, peccatum Philosophicum à Theologico re ipsa subtiliter diuidentes, nullum peccatum purè Philosophicum, seu cum omnimoda Dei ignorantia commissum esse posse: siquidem dictamen proprium rationis, sine quo peccatum Philosophicum esse nequit, Dei legislatoris aliqualis notitia, & promulgatio est: sed huius examen rigidum alterius est loci. Aliud continet certum, atque è re præsente solutio dictamini solum proprio, & qua tali nec superiori, quod propria lex subinde sit: quantumvis illud lex impropriè & abusiuè dicatur propriam obedientiam præstari non posse: quare nec homines qua propriæ rationis dictamen qua proprium sequuntur proprie non obedire, quod satis est, vt Deus (qui suæ rationis dictamen non nisi vt proprium sequi potest) propriè obedire nequeat: quæ doctrina ex communi doctrina, quæ docet legislatores creatos supremos suis legibus quoad vim coactiuam non teneri satis confirmatur. Hinc patet Christi obedientiam Deo & Patri in Euangelio professam propriè intellectam eius qua hominis non qua Dei fuisse siue secundum humanitatem non secundum diuinitatem.

3. Dico secundò: obseruantiæ, & religionis virtutes morales Deo repugnant. Prona sane est ex generali principio euidenti, & dogmatico de impossibilitate superioris, & excellentioris respectu Dei (qui cunctis principatu, & omnigena excellentia eminet) demonstratio: siquidem obseruantia, & religio omnis superioritatem, & excellentiam eius, cui exhibetur, respectu exhibentis essentia sua, vt motiuum supponit. Quod autem Christus Dominus Patrem maiorem ipso esse quandoque profiteatur, de se, qua hominem, siue secundum humanitatem, non autem qua Deum, siue secundum diuinitatem loqui communis Patrum contra Arrianos expositio est, vt vidimus contro. de Trinit. d.1.& d. de comparatione personarum: vbi nonnullos Patres de Christo secundum diuinitatem; seu, qua Deum illud interpretantes retulimus; aduertentes tamen vocem maioritatis impropriè tunc à se vsurpari, Patres docuisse quatenus solam Patris Originariam præcedentiam, filijque ab ipso originariam præcessionem (quæ absolutæ dictæ, & omnimodæ æqualitati personarum minimè deroget) significat; ne Arianismus incurratur, eorumque consentiatur errori: eadem ratione de Oratione Christi Domini ad Patrem, & sacrificio cruento & incruento corporis sui Deo oblati (qui actus religionis sunt) sentiendum procul dubio est: eum, nempè, qua hominem, siue secundum humanitatem, ea omnia exercuisse, non qua Deum.

4. Acrior contra hanc conclusionem eiusque principium è Dei ipsius iuramento (qui actus etiam religionis est) toties in scriptura posito Genes. 20. & 50. Exod. 13, 23. 33. n.11. & 14. Deuter. 2. 4 10. 29. 30. Psal. 88. & 109. Sapient. 12. Isai. 14 & alibi pluries. Cæterum cum iuramentum (ex Augustino serm. 28. de tempor. & S. Thom. 2.2. quæst. 89. art 1. & 4. Philosophis, & Theologis, ac ipsa naturali ratione) sit testem maioris sapientiæ, & authoritatis, quam sit asserens, afferre ad maiorem assertæ veritatis, & pollicitationis securitatem, & certitudinem, vel audientibus, vel promissariis ingenerandam, atque ideo iuramentum per Deum actus religionis sit: quia summæ veritatis, & veracitatis diuinæ professio est: Deusque nec alium authoritatis maioris, qua asserti, & promissionis suæ certitudinem, & firmitatem confirmet, neque se ipso maioris authoritatis ipsa sit, eum nunquam propriè iurasse, iurareve posse euidentissimum est: quare metaphoricè solum Deus iurat, se ad humanam consuetudinem demittens, & ad nostram incredulitatem sese accommodans, vt nobis, quod oportet firmius suadeat iureiurando interposito facilius, firmiúsque credimus. Sic Athanas. sermon. de passione & cruce Domini columna 4. Chrysostom. ad Hebræ. 6. homil. 11. colum. 2. Hieron. in 14. Isai. ad id. *Iurauit Dominus exercituum.* Ambros. 1, de Cain, & Abel. cap. 10. circa med. Cyrill. Alex. 6. in Genes. vers. med. August. 16. de ciuit. cap. 32. post med. & in Psalm. 88. colum. 2. Basil. homil. 29. de pœnitentia columna secunda, Philo. lib. de Cain & Abel & libro 2. allegoriar. legis, in obiectionibus contra Dei iuramentum, quos omnes recitat. Ruiz d. 55. sect. 5. Neque verò ea benigna sua ad nos accommodatione, cum iurat, nos decipit, etsi propriè, vt diximus, non iurat: suam quippe prænuntiatis implendis eo improprio iuramento fidelitatem adstringit, & prænuntiationem facit, remque, eo etiam indefectibilis fidelitatis suæ titulo, firmam vt dicemus quæst. 3. certam. 1. numero 6.

QVÆSTIO III.

De Dei promissione, Pacto, & similibus, quoad proprietatem, & vim, seu obligationis inductionem.

QVem dicendis, examinandisque d. 2. hæc afferet quæstio: quare, & de diuinæ Promissionis, pacti, & similium existentia, ab eius proprietate, vel metaphora abstrahendo, agendum in primis erit: deinde promissionis, siue pacti, & similium, quatenus ex parte alterius expacifcentibus est, natura, & essentia statuenda. Tertiò de proprietate, qua Deo conueniat: quartò an Deo obligationem implendi promissa aliquam, & ex qua illam virtute inducat?

CERTAM

CERTAMEN I.

De existentia, & essentia diuinæ promissionis.

1. DEi de aliquibus à se præstandis ad homines facta promissio constat ex scriptura frequentissima in terminis & voce promissionis ipsa Genes. 21. & 22. init. n. 10. 1. ad Timot. 4. ad Rom. 1. ad Hebr. 6. Actor. 1. synonyma pollicitationis voce 1. Ioann. 1. ad Hebræ. 4. genes. 28. Exod. 12. num. 32. Deuter. 1. & pluries: vocibus autem aliis pacti, fœderis, testamenti eadem ex parte Dei promissio ad homines facta asseritur; licet aliud, quod hæc vltra promissionem addunt, & concernunt itidem significetur: vtramque enim mutuam duorum promissionem dicit l. *Pactum* de Pollicit. quæ proinde absque alterius ex paciscentibus, fœdusve ineuntibus, atque, in re præsenti, Dei promissione mutua esse non potest, vt de se patet: fœdus addit materiam pacti, & mutuæ promissionis determinatam: nempè, pacem dimicantium, seu ante fœdus inimicorum, & discordium. Pacti igitur nomine Dei ad homines promissio habetur multoties. Genes. 9. & 16. Exod. 6. 19. & 31. Deuter. 4. Isai. 55. Psalm. 77. & conuentionis voce. Sapient. 12. & Matt. 20. fœderis vero nomine Genes. 6. & 9. Exodi 2. 23. & 29. frequentius lib. Numeror. & Deuteron. Ierem. 49. 54. & 61. & frequenter in Ezech. & Osæa. Testamenti demum voce eadem Dei cum hominibus mutua promissio, quæ nomine pacti, & fœderis cum ipsis dicitur: quare & Dei ad homines promissio absolutè significatur. Nam, quod testamentum vlterius ex naturali, & ciuili iure ad sui valorem essentialiter requirit, in Deum cadere nequit: est siquidem testaris mors (vt obseruat Paulus ad Hebr. 9.) Deo promittenti, & paciscenti impossibilis: quare pro pacto Dei testamentum in scriptura poni acutè, & doctè obseruat. August. libro 1. locut. de genes. num. 94. dicens: *Amant scripturæ pro pacto ponere testamentum*: quibus similia scripsit Hieron. Hierem. 31. ad id *Ecce dies veniunt & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum non secundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum*: quæ sic retulit Paulus ad Hebræos 8. *Consumabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum; non secundum testamentum, quod feci Patribus eorum.* Atque id Exod. 24. *Hic est sanguis fœderis* ita retulit ad Hebræ. 9. *Hic est sanguis testamenti*: & Eccles. 44. *in carne eius stare fecit testamentum.*

2. Stat ergo his omnibus vocibus Dei de aliquo præstando hominibus promissionem constanter esse ferè vbiuis à scriptura assertam, vt autem an propria vocis acceptione, an impropria solum, & metaphorica asserta illa fuerit? statuatur, & deinceps de diuina promissione disputanda clarè examinari, ac definiri queant: quidnam Dei promissio essentialiter contineat, ac sit statuendum in primis erit. Qua in re prima sententia docet: promissionem diuinam nihil aliud, quam propositi, & voluntatis diuinæ de re aliqua præstanda assertionem continere. Refertur S. Bonauentura in 1. d. 17. art. 2. q. 3. corpor. ante med. quatenus ait: ratione promissionis diuinæ de præmio ipsum diligentibus præstando *quodammodo* solum, *ac non absolute ad illud reddendum obligari: vnde sequitur* (subinfert) quam appellat promissionem, non *esse simpliciter promissionem.* Referuntur etiam pro eadem sententia Greg. in 1. d. 17. q. 1. art. 2. post concl. 2. probat. 2. principali & ad 4. Aureoli. Marsil. in 1. q. 18. art. 4. col. vltim. ad 1. & 5. obiectionem, dum aiunt coronam gloriæ ex nullo debito, sed ex gratuita & liberali voluntate Dei donari, & Maior in 2. d. 27. q. 1. sub init. idem docet, ac proinde posse illam absolute negare, vbi & Richard. art. 2. q. 3. ad 3. solut. posteriore ad negandum debitum ex ciuilmodi promisso coronæ potius inclinat, & Scotus in 4. d. 46. sub finem: dum secluſa promissione, Deum simpliciter, & absolutæ gloriæ debitorem negat: expressius Durandus in 2. d. 27. q. 2. n. 15. eam sententiam docte scribens: *Promissionem diuinam in scripturis non sonare aliquam obligationem, sed insinuare meram dispositionem diuinæ liberalitatis.* Est autem expressissima sententia nostri Soarez d. 2. de libertate diuina sect. 2. à num. 10. præsertim num. 13. 14. 15. 27. & 28. Non assequor tamen, quo pacto hanc promissionem simpliciter credat, ex qua Deus obligatus, & debitor ad promissa præstanda sit, quibus ea præstare promisit teneatur: de quibus infra à num. 4.

3. Dicendum est: promissionem diuinam aliquid aliud præter assertionem, seu intimationem voluntatis diuinæ de re facienda, & huius futuritione contineri, ita communiter Theologi Sanct. Bonauentura loco citato dicens: illam quandam, quam dixit obligationem *non ex necessitate, sed ex sua mera benignitate in Deum cadere: quia voluit promittere, & pactum firmare cum iis, qui eum diligunt*: quandam vero appellat, ac simpliciter talem negat, vt ex ea quæri ius creaturis promissariis contra Deum non admittat: neque eum ex illa, ipsis è rigore iustitiæ debitorem constitui, vti ex creata nostra promissione alteri facta nobis contingit. Accedit Argentina ibi ea d. 27. art. 4. post med. multis Durandum refellens asserensque: Deum ex promissione sua gratuita manere debitorem. Consonat Gab. q. vn. art. 1. probat. concl. 1. & solut obiectionis ante 2. concl. Richard. art. 2. quæst. 3. ad 3. & clarius adhuc in 4. d. 46. art. 1. fine. Vasq. part. 1. d. 83. c. 6. & 1. 2. tom. 2. d. 215. c. 2. cum Asselis Ruit d. 56. de volunt. sect. 7 à n. 11. Probatur ex sententia expressa Fulgentij 1. ad Monim. c. 24. med. dicentis. *Sic autem Deus non omnia promisit, quæ prædixit; quamvis prædixerit omnia quæ promisit: sicut non omnia prædestinauit, quæ præscivit; quamvis omnia prædestinata præsciuerit.* Concludit fine: *iustificandis ergo atque glorificandis prædestinatum misericordia sua opus prædixit pariter, & promisit; iniquis autem prædestinatum iustitia sua opus prædixit tantummodo: non promisit.* Cuius rationem subdit cap. 25. initio, quia promissio de profectu promissario non de ei tristibus, & nociuis tantummodo esse potest. Nec præstat si dicas: Fulgentium de assertione, & prædictione rerum, non autem voluntatis diuinæ eas donandi agere: siquidem, cum ex futuris à Deo prædicantur: immò non, nisi à Deo, fore queant, in eorum prædictione voluntas Dei de eis præstandis satis, & absolutè asseritur; secundo quia eadem est ad rem rerum, & voluntatis Dei assertio, vt sit promissio, vel secus.

4. Probatur ratione: quia propria promissio non stat in assertione nuda rei alicui obuenturæ, & præsentis voluntatis illam præstandi in assertore: atqui promissio diuina propria promissio est, ergo non stat in nuda Dei de eis assertione; sed aliquid vlterius addit. Minor probatur satis conclusione 2. ac insuper admittitur, (vt videbimus) à Soario nostro, cum quo decertamus. Maior probatur: etsi enim quis alteri dicat suam voluntatem, quam de præsenti habet quidpiam ipsi in posterum donandi, ex eo præcisè ac nudè, nec promittit, nec id ipsi donare ex promissione tenebitur: nec ille alter de implenda postea donatione iure contra assertorem illum in alterutro, siue conscientiæ, siue contentioso foro agere poterit: quare, & assertor salua conscientia, & iure omni retractare potest pro libito voluntatem, nihilque illorum ipsi postea donare: ergo quia ea voluntatis donandi assentione nuda, & præcisa, non stat promissio. Negabis consequentiam: quia Dei voluntas habita semel, atque infallibili Dei testimonio asserta, mutari, deficereque nequit: quare homini (cui beneficium præstandum interest) semel Dei testimonio propalata, tantundem certitudinis haberur de re præstanda: imò longe maius, quam alio quod ad promissionis creatæ constitutionem supra præsentis voluntatis, veram etiam, assertionem addendum est. Contra verò: quia certitudo illa est ex veritate diuina in iudicando, & veracitate in dicendo, atque ex voluntatis diuinæ constantia, & immutabilitate, non autem ex fidelitate in promissis præstandis: quare tota ea certitudo præstandorum ex assertione, & reuelatione Dei de sua voluntate præstandi aliqua Ioanni, non ipsi Ioanni sed Petro, vel alteri facta extaret: quo in casu promissio Ioanni facta à Deo non esset: ergo nulla est solutio.

5. Inde

5. Inde probatur secundò conclusio. Assertio diuina præsentis voluntatis de aliquo præstando, etsi obliget, vel vt sic loquar) diuinam veritatem, vt infallibilitatem in cognoscendo, & veracitatem, seu infallibilitatem etiam in dicendo, vel potius ex eis oriatur, attributis, quæ ad iudicium, & testimonium diuinum supponuntur; ast nec Dei fidelitatem in promissis præstandis adstringunt: quæ, etsi per impossibile, Dei voluntas de præstandis assertа non esset, vel semel habita deficeret, ac proinde, nec reliqua præstarentur: nullatenus læderetur; sed solum veritas, & veracitas Dei in cognoscendo, & dicendo & diuinæ voluntatis constantia, & immutabilitas atque ex diuina promissione Dei fidelitas in promissis implendis adstricta manet, ac deficiente adimpletione, læderetur formaliter, & deficeret: ergo in nuda assertione diuina de voluntate aliquid præstandi, ei etiam cuius interest, à Deo facta non est propria promissio. Patet consequentia: quia propria promissione ineuitabiliter manet obligata fidelitas promittentis formalissimè sumpta ad implenda promissa: ex quacunque virtute sit obligatio, siue fidelitatis solum, siue iustitiæ, de quo postmodum Tertiò: per Soarium, quem impugnamus, promissione sua Deus debitor constituitur, & sibi, & creaturæ, cui promittit præstandi promissa: at talis mera assertione voluntatis præsentis de eis præstandis non constituitur, vt dicebamus: ergo aliquid aliud continet diuina promissio vltra præsentis voluntatis assertionem diuinam: denique assertio pura supponit obiecta cognita, & facta: quare tota speculatiua, & de factis, ac præsuppositis pro priori ad ipsorum cognitionem est, nec ipsorum actiua: promissio vero non est de factis, ne sit illusoria, sed de faciendis: maxime, cum ex promissione ipsa, ac non aliter fiunt: ergo promissio non est nuda assertio, sed aliquid aliud: nempe enunciatio ei, cuius interest, qua fides enuncіantis de aliquo illi præstando obpignoratur, seu qua Hispanè loquendo, *se empenna la palabra*, illud præstandi promissario.

6. Multa alia ex scriptura, & ratione congerit Ruiz, quorum virtus tota in præfatas rationes deducenda denique est: sed & plura cit. sect. 7. à num. 5. ex Soario congerit pro eius sententia, quorum fere omnium impetus datis nostris rationibus languescit: eo enim fere omnia euadunt: vt ostendant præstanda quæque promissa maiorem certitudinem ex promissione, quam ex assertione simplici diuina habere non posse: quod certissimum est, sed tamen ex pluribus titulis diuinorum attributorum haberi eandem certitudinem posse est æque certum: titulo enim decreti diuini omnimodam facienda ex illo certitudinem habeant, etsi nec cognoscerentur, nec de eorum effectione, & futuritione adesset assertio: quæ tamen, si adsint, & infallibilitatis diuinæ in cognoscendo eadem, & nullatenus maiorem, titulis tamen formaliter pluribus formaliter habent: sicque accedente promissione titulo etiam diuinæ fidelitatis vlteriore. Argumentum tertio loco inductum, quod scilicet simplex nostra assertio de aliquo faciendo iuramento accedente promissoriam obligationem inducat, sitque promissio ob adductum per illud diuinæ authoritatis subsidium in faciendi firmitatem, quæ authoritas eadem in simplici eius assertione est. Respondetur assertioni simplici de faciendis iuramentum adiunctum vim promissionis afferre: quia iurans adducit Deum in fideiussorem de faciendis: quare, & præsumitur meritò suam fidem verbis illis oppignorare pro enunciati impletione, maxime cum verbum dabo significandæ promissioni aptum de se sit, & quo sæpe enuntiatur promissio, vt iamiam dicam, at si declaret se solum Deum in testem adducere veritatis præsentis animi, quem habet dandi illud, quod à se asserit dandum, tunc quidem iuramento illo promissio minimè euadet, vt bene Ruiz; cum autem Deus in scriptura quod faciendum simpliciter asseruit iurat, promissio absque dubio est, quia eo iuramento suam fidem eius impletioni adstringit, vt Paulus de adolito iuramento ad Hebr. 6. ait: *in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum vt per duas res immobiles* (nempe veracitatem in dicendo & fidelitatem in promissis adimplendis, quam iuramento adstrinxit) *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*, cum duplici illo titulo diuino veritatis, seu veracitatis in dicendo, & fidelitatis adstrictæ prædictorum impletioni per Dei iuramentum, quo prædicta eorum promissio euadit, non possint prædicta nobis non adesse. Denique arguit Soarius: ea quæ promissa à Deo ex veteri testamento referuntur in nouo simplici assertione de futuro in illo extare vt 2. Regum 7. *Suscitabo semen tuum post te*: & Psalm. 131. *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: Ergo quia sola assertione Dei promissio continetur. Respondet bene Ruiz enunciationem de futuro circa aliquid præstandum commodi ei, cuius interest, factam ex circumstantiis determinari ad promissionem significandam, nec solum enunciatiuè: vt constat ex institut. de verbor. obligat. §. 1. vbi his promissionem contineri dicitur: *Dabis? dabo*, & ff. eodem titulo l. 2. *si quis ita interroget dabis, & responderit: quidni? & is vtique in causa est vt obligetur*, & l. 3. *Si illud factum fuerit dabo*: & illud Matth. 20. *quod iustum fuerit dabo vobis*: assertiones de futuro non enunciatoriè solum, sed promissorie ex circumstantiis vulgo significare, & significasse demonstrat. Et confirmatur: nam quæ solam enunciationem de futuro sonant, ex circumstantiis, non enunciatiuè, sed præceptiuè significant vt in præceptis Decalogi omnibus patet, & plerisque humanis quæ plerumque enunciationibus de futuro, & faciendis à superioribus imponuntur. Ex quibus amplius admittere debet Soarius, quam intendit, ac velit. Nempe, promissiones, etiam creatas nudis assertionibus præsentis voluntatis de aliquo postea præstando contineri, nisi ex circumstantiis promissorie vlterius, nec nude assertiuè, significare posse admittat: vti enunciationibus illis diuinis, ex quibus arguit euenisse certissimum est; ac proinde non in nudis assertionibus Dei extitisse. Adde eisdem enunciationibus, & assertionibus diuinis Dei iuramentum accessisse vt Psal. illo 131. Oppositis verbis præmittitur, *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu, &c.* Quo iuramento enunciatio diuina de futuro à se præstando in promissionem euadit Dei fidelitatem assertione nuda minimè oppignoratam, enunciatorum impletioni adstringens vt num. 6. siue ex Paulo docebamus.

CERTAMEN II.

De diuinæ promissionis proprietate, virtute, & effectu.

1. Dico primo propria promissio in Deo est admittenda. Probatur, quia cum à Deo frequenter in scriptura, tam veteri, quam in nouo Testamento Dei promissiones occurrunt, eaque loca Patres omnes non commemorent solum, sed vel obiter, vel ex instituto interpretentur: nemoque promissionem Dei ibi assertam cum addito diminuente, vel aliquo eius vocis improprietatem denotant, sed absolute, & simpliciter admittat; quin de eius proprietate, vel leuiter dubitet: propriam Dei locis hisce promissionem contineri indubitato supponunt, & credunt. Confirmatur: quia Patres in loca scripturæ reliqua, quibus aliquid Deo tribuitur quod proprie ipsi non conueniat, illud impropriè, metaphorice, aut per exaggerationem dictum, vt aliud quod proprium Dei est intimetur, obseruant. Confirmatur secundo ex Tridentino sic dogmatice loquente sess. 6. cap. 16. *Iustis propositam esse vitam aeternam tanquam gratiam filij per Christum Iesum promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam.* Quibus ratio etiam à priori insinuatur: quia ex sola propria promissione promittentis fidelitas promissis implendis obstringitur: ast Dei promissione eius fidelitas implendis promissis obstringitur, Tridentinum supponit, ac vidimus certamine primo. Ergo eadem ratio continetur primo, Cotinth. 1. *Fidelis Deus per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri*: & 1. ad Tess. 5.

n.4.& 2. c.3.2. ad Timot.2. *ille fidelis permanet : negare seipsum non potest* : & ad Hebr. 2. 23. *fidelis est enim qui repromisit Deus.* Denique tam frequentia scripturæ testimonia ex liberis Historicis veteris Testamenti, ac non figuratæ locutionis, atque ex nouo Testamento toties antiquas Dei promissiones eo nomine referente, & approbante, aliaque docente proprietate sermonis accipi debere iuxta antiquam, & statam regulam interpretandi scripturas, certum est : Maxime, cum ea propria acceptione nihil Deo dignum, aut in Theologia absurdum, aut scripturæ aduersum contineatur, vel inferatur vt iam videbimus : quin promissionis natura, & proprietate penetrata eam in Deum cadere posse ratione naturali probabilius, ac verisimilius mihi est contra nostrum Ruiz sect.1. num.8. vt ex dictis & dicendis facile constabit.

2. Vna solum indignitatis,& indecentiæ nota ex propriè accepta promissione videtur Deo appingenda: quod, scilicet, illa debitor eorum, quæ promittit, creaturis promissariis, vt in promissoribus creatis euenit, constituatur. Hoc proinde erit certam. præsenti secundo loco accuratè examinandum: qua inter debitum omne,siue iustitiæ, siue tituli alterius cuiuspiam, ex sua promissione ortum sibi Deum imponere & obligationem implendi vniuersim negat noster Ruiz d.56. sect.2. sed debitum, & obligationem omnem in res ipsas promissas à Deo cadere, quin, indirectè adhuc cadant in Deum, vt docet à sect.3. ad 6. inclusiuè, id quod peculiari discursu, & docta, atque erudita obseruatione distinctionis duplicis obligationis in iure & bona Theologia morali traditæ statuit. Duplex enim obligatio iure & Theologia morali designatur : alia personalis, qua promittentis, aut pacisCentis persona obligatur promissario, aut pacisCenti alteri: alia realis solum,qua res solum non autem persona promittens, ac pacisCens promissionis,aut pacti adimplectioni obligatur: vtramq; obligationem earumq; discrimen sic tradit Vlpian. l. *actionum genera*, ff. *de obligationibus & actionibus. Actionum genera sunt duo in rem, quæ dicitur vindicatio, & in personam, quæ conditio appellatur: in rem actio est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus : & semper aduersus eum est, qui rem possidet : in personam actio est qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum:* ex quo iure & instit. de obligat. & act. §. *Appellamus*, & fine, §. antecedentis, Syluester verbo actio num.2. actionem realem definit : *quæ non supponit obligatum eum contra quem dirigitur*, & Angelus ex pluribus eod. verbo : *qua sequitur rem, & non personam, nec per eam dicitur persona obligata* : qua actione ex hypoteca speciali contractu assignata, & subiecta contra quemvis eius possessorem frequenter agitur : & quidem Nobiles, & Magnates viros non manere personaliter obligatos ad contractus, vt personali actione agi contra ipsos queat, vt ciuili, & municipali Hispaniæ iure fuit statutum. Et quamvis indirectè maneant, etiam in conscientiæ foro obligati ; si tamen id contractu ipso cautum ipsi velint, vt, ne indirectè adhuc maneant obligati contrahentes, sed eorum tantum bona, adhuc indirectè adimplectionis contractus debitores, & obligati nullo foro aut iure manebunt : iure igitur nobilitatis magnitudinis, & excellentiæ suæ Deus promissione, pactoque cum creaturis inito nullum promissa præstandi debitum personale contrahit, quod vt nobis innotesceret (addit Ruiz) pactum promissionemque suam testamenti voce sibi impropria, in qua nullum testator ante mortem, (qua sola confirmatur illud validumque est) nec post mortem (qua testans perit) debitum personale incurrit, significari voluit,vt nullum sibi debitum & obligationem,sed rebus solum promissis promissione imponi sua nobis ostenderet.

3. Soarius verò contra locis citatis certamine 1 numero 2. fine docet, Deum promissione sua debitum, & obligationem præstandi quæ promisit, personale contrahere,non qualecumq; sed etiam correlatiuum, & quo ius quæritur, pareturque creaturæ contra Deum,vt stet promissis, eaque impleat atque opere exequatur : ita etiam, vltra eius asseclas omnes docuere ex antiquis Theologis plures, in quibus Thomistæ veteres numerantur, qui Dei iustitiam propriam, siue commutatiuam, siue distributiuam, siue legalem erga homines, maximè in præmij æterni rettributione asserunt exerceri. Nullus quippe ex eis debitum rerum solum promissarum, non autem Dei promittentis, ante nostrum Ruiz excogitatum, cuiuscunque, siue ex quacunque virtute debitum sit : cum autem iustitiæ debitum præmij præstandi Deo promittenti vi promissionis suæ concedunt, eiusmodi debitum esse recognoscunt, vt non, nisi contra ius ad præmium homini è Dei promissione quæsitum : quare, nec sine ipsius iniuria, negari à Deo possit : vnde & debitum hoc Dei promittentis correlatum esse iuri creaturæ promissariæ contra Deum quod negatione præmij promissi violaretur, vti de iustitiæ debito hominis promittentis præstandi promissa, & iuri promissarij, iustitiæ etiam, vt promissa repetat à promittente omnes censemus : superSedendum hic examini sententiæ huius est, quatenus debitum hoc iustitiæ propriæ & strictæ esse docet : huius siquidem examen rigidum in disputationem secundam reseruamus. Nunc autem illam eatenus solum referimus & examinamus : quatenus, scilicet, in Deo debitum (ex quacunque virtute demum sit) correlatiuum admittit cuique ius, exigentiaque qualiscunque in creatura promissoria respõdeat,vt à Deo repetat sibi promissa. Pro hac in generatim & à iustitiæ debito correlato abstrahente sententia refertur à nostro Ruiz. Vasquez etiam noster 1.2.tom.2.d.215.cap.2.vbi de eo nihil, sed de æqualitate meriti condigni cum præmio, ratione cuius venale gloriæ præmium meritò dicatur. Sed tamen id docuisse videtur cap.3. & 1 parte, d. 85. capite sexto, post medium, §. *At verò*. Cæterum longè alia mens est nostri Vasquez.

4. Dicendum igitur est : Deum ex pacto, & promissione sua rerum promissarum debitum vi promissionis suæ illas nobis reddendi contrahere : ac proinde debitum illud nos, tanquam terminum relationis debiti illius diuini respicere, & connotare, non tanquam terminum correlatum per ius aliquod,& exigentiam,quæ debito illi in nobis respondeat, ac simul cum illo ex diuina promissione in nobis oriatur. Hæc est Vasquij nostri expressa vbivis & citatis locis doctrina,ius omne nostrum, & exigentiam ex parte nostri contra Deum, vt ab eo repetamus promissa prorsus negantem : quare, & solum terminum ; non autem titulum exactiuum in nobis vt reddatur agnoscentem : suppositio autem titulo debiti in Deo reddendi promissa promissariis creaturis, has debiti illius diuini (quod prima conclusionis parte mox stabiliendo docemus) terminum non correlatiuum esse euidentissimum,atque ex terminis ipsis notum est,neque ab vllo negatum,aut negabile.Nam debitum æque relatiuum est ad personam,cui ex promissione debetur, atque ad rem, quæ promittitur : quare non minus implicat debitum ex promissione non esse respectiuum personæ cui promittitur, quam rei promissæ non esse respectiuũ.Confirmatur:nam factaper impossibile impossibili,creatura,cui res promitti, tur,vel secundum subStantiam,vel secundum accidens,aut conditionem, sub quibus ei à Deo promittitur,ãmmò non ita existentibus,aut extituris vnquam debitum absolutum in Deo non esset;æque,atque casu,quo res promissæ esse non possent:ergo debitum illud æque essentialiter respectiuum est personæ, cui promittitur, atque rei promissæ tanquam termini. Antecedens mille exemplis obuiis demonstratur. Promisisti Petro personaliter in sequentem annum, domum, quam hoc anno habebas ; Petrus intra hunc annum obiit,debitum cessat defectu personæ, cui promisisti, æque ac si intra hunc annum domus ipsi promissa,vel incendio, vel ruina periret. Denique promissio Dei non est rei secundum se à Deo ponendæ in vniuerso, aut rebus,aut luci;sed huic,cui promittitur donandæ,quare,etsi in se, & existentia sua res promissa à Deo ponere- tur,non autem in eius potestate, cui à Deo fuit promissa, debito promissionis suæ Deus non satisfaceret ; ergo debitum illud qualecunque, quod ex promissione sua Deo suboritur, personæ, cui promittitur tanquam termini essentia sua respectiuum est. Solumque:an sit respectiuum eius tanquam termini correlati ratione iuris,aut exigentiæ alicuius,ex qua promissarius promissa possit à Deo repetere ? lis apud Doctores debitum ex promissione sua in Deo subortum admittentes poterit esse:in qua sola pro negatiua sententia stant, qui huic conclusionis nostræ parti falsò referuntur aduersari.

5. Iam verò prima conclusionis pars de debito in Deo

Deo è promissioo sua creaturis facta admittendo, & authoritate, & ratione probatur: & in primis eam æstimo Theologis, & priscis, & Recentioribus communem: ita citati Vasquez, & Soarius, quoad hoc præcisè, concordes cum Assertarum ex nostris, atque externis docta turba frequentissima. Ex antiquis S.Bonau. in 2.d.27.a.2. q.3.ad 2.Ricard.q.3.ad 3.Ricard.art.11.§ vlt.difficult.Andreas de Vega q.5. de iustificat. ad confirmat. tertij argumenti. Natalis Beda annotationibus contra Iacobum Fabrum in Comment. epist. ad Rom. consur. propositionis 21. quæ est: *Bonitas Dei tanta est, vt nihil debere possit.* Iodocus Toletanus Apolog. pro decret. Trident. in caput.11. sess.6. tit.de bonis operibus q.4.§. *Quantum verò*: Et quanquam S.Thom.1.2.q.111.art.1.ad 2.debitum dicit inferioritatem debentis, respectu eius, cui debet (quam sententiam & rationem plures ex Thomistis veteribus sequuntur) id sane de debito solum iustitiæ ex iure contra Deum eius promissione creaturæ parto, & quæsito, & verum, & S.Tho. mentem habet: debitum quippe aliud expresse fatetur S.Thom.ad Rom.4.in id, ei autem qui operatur lect.1.col.2. subdens: *scilicet opera iustitiæ, merces æterna retributionis, de qua dicitur Isai.4. Ecce merces eius cum eo non reputatur secundum gratiam tantum, sed secundum debitum: secundum illud Matth 20. Nonne ex denario conuenisti mecum?* Idcirco doctissimus Thomista, ac Dominicani Ordinis Magister Generalis Franciscus Romæus libello de libert. & necess. operum eidem Sancto Thomæ doctrinæ insistens debitumque inferioritatis Dei ad promissarias creaturas, id est ex iustitia, seu iure contra ipsum è promissione creaturis quæsito, cum Sancto Thoma negans, circa medium tamen Deum sibi potiùs è promissione sua, quam creaturis debitorem esse fatetur, sicuti & Ioan. Bunderus compendio concertationum tit.6.art.5.versic. *Aliud dicitur meritum*, quod debiti genus Ruiz ipse, debiti Deo ex sua promissione agnati acerrimus impugnator, multis confirmat, & fatetur sect.3.à n.1.ad 14.& cert.6.n.3. ad 7. tametsi proprium debitum esse neget, quia ad alterum non est, non satis, vt videtur, attendens sine iure alterius vllo contra Deum posse debitum, hoc ad alterum, tanquam terminum purum, nec correlati iuris absolutè esse: imò & necessario esse debere, vt n.4. demonstrabamus: eodem sensu stricto nimirum debiti iustitiæ ex iure contra Deum ipsius promissione nobis parto, & quod inferioritatem Dei respectu nostri deuoluat, negat illud Deo Dominicus Sotus 3. de nat.& grat.cap.7. sub finem. Horum Theologorum, qui aduersari parti huic conclusionis videntur, mentem exploraui, cum, vt appareat nobis esse minimè aduersos: Tum, vt Patres, qui quandoque, & sibi, & nobis sonant contradicere, concordiam, & explicationem facilem habeant: illud solum cum Vasq.cit. d.215.c.3.§. *Sed vero*, obserua tam Remissum condignitatem meritorum nostrorum ad gloriam, quam Caluinum etiam absolutè apud eund. Vasquium d.214.c.5.& c.1.&2. negare probant, quia debitum Dei eius bene meritis retribuendæ de facto gloriæ posita etiam promissione, non adest.

6. Probatur vlterius ex Patribus, Chrysost. illud ad Rom.4. *ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*: his commentatur serm.8.col.2. *Nunquam imputaretur, nisi, & ipse homo aliquid attulisset: itaque hic debitorem sibi Deum habet: debitorem autem, non vilium rerum, sed magnarum. sublimiumque*: & hom.3.in Matth. post med. *quando enim aliqua præclare fecerimus, habemus eum debitorem ob res bene gestas*: quibus nempè merces ab eo promissa tom.1. homil.de nomine Abraham. *Spes non pudefacit, quia Dei est promissio: & dona promissa sequuntur eius naturam, qui promisit*: vtique quia eorum reddendorum debitum contrahit ex promissione: cui, si deficiat non reddendo deficiet in se (vt mox cum Dionysio arguemus) quare æque indefectibilia sunt è Dei promissione promissa, ac Deus ipse promittens indefectibilis est: sublato autem debito in eo ex promissione sua suborto, etsi promissa deficerent, non deficeret Deus: quare nec Dei promittentis naturam indefectibilem eius promissa sequerentur, vt Chrysost. aiebat. Augustin. in Psal.83. sub fin *Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo: Non ei dicitur redde, quod accepisti; sed redde, quod promisisti*: serm.18.de verbis Apostoli: *In his, quæ iam habemus, laudemus Deum largitorem: in his quæ non habemus, teneamus debitorem, debitor enim factus est non aliquid à nobis accipiendo; sed, quod ei placuit, promittendo*, subinferius: *Possumus exigere Dominum nostrum. Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* serm.151 de temp. *Laudemus Dominum, quia eius fidelia promissa retinemus, nondum accepimus: Parum putatis, quia promissorem tenemus; vt iam debitorem exigamus? Promissor Deus debitor factus est bonitate sua, non prærogantia nostra.* Fulgent. præfat. lib. ad Monim. post med. *ille author est debiti, qui author est doni. Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem. Non quia indigens ab aliquo accepit; sed quoniam abundans largiter tribuit*: & infra, *Ecce qualis est Dominus noster, vt donando debeat, & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non pigeat, in quantum enim gratis largitur opera per gratiam, in tantum debitor ex promissione invenitur*: Greg. Magn. Homi. 37. in Euangelium circa fin. de S. Cassio Narniensi Episcopo cui promissus in gloriam ingressus, die natalis Apostolorum à Deo fuerat: ait, *cum, cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione, cœpit habere debitorem.* Cyprian. lib. de opere & eleemos. sub fin. *Deum sibi computat debitorem.* Anselm. 2. cur Deus homo c.5. sub med. promissionis humanæ exemplo ait: *Deus bonitate sua hominem creando ipsum se, vt perficeret inceptum bonum, quasi obligauit*, vtique promissione simili: illud vero *quasi* additum ab ipso fuisse, vt iustitiæ strictæ debitum, non autem absolutè debitum à Deo excludere patet ex obligationis assertæ explicatione subiuncta esse nimirum, *necessitatem seruandæ honestatis, & immutabilitatem honestatis eius.*

7. Hæc omnia tot tantorumque Patrum Deum debitorem debiti promissa præstandi è sua promissione orti subiectum (eo modo, quo subiectum concipi, asserique suorum prædicatorum Catholicè potest) asserentium sub vnum posui obtutum: vt constet, non esse vnius solum, aut alterius Patris oratoriè, siue exhortatoriè, non autem disputatoriè, & rigidè loquentium assertum (vt respondit Ruiz sect.6.n.2.) sed scripturæ testimonia concordi sensu, & mente rigidè interpretantium. Quod si ea solutio teneret, vanè Ruiz ea ipsa testimonia accurata sua eruditione coniunxisset, vt res promissas à Deo proprie hominibus deberi probaret: si debitum in eis assertum non proprium, & absolutè tale, sed Oratorium, & Concionatorium esset. Secundo probari ex innumeris Patrum testimoniis alia, Pauli præsertim, testimonia interpretantium, quibus propriè debitum esse, & æternæ vitæ coronam præmium, & mercedem iustis bene operantibus à Deo promissam dicitur; vt Ruiz ipse contendit. Nec enim debita illa propriè esse possunt, ni Deus promittens illa præstare debeat, atque è promissione sua debitor proprius, & absolutè sit, ac tenetur: quod argumentum tota sua authoritate, & robore instruetur oportuniùs certam.3. vbi doctam singularem, ac subtilem nostri Ruiz sententiam prosttam n.2. probatione hac confutabimus, atque propositis eius fundamentis, & oppositionibus aliis occurremus. Probatur quarto: ex testimoniis pluribus scripturæ Pauli præsetim ad Hebræos 6. recitato, & perpenso à nobis certamine primo, numero sexto, *interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum fortissimum, &c.* quia scilicet, diuinæ assertioni hæreditatis capiendæ, è veritate, & veracitate asserentis indefectibili, & immobili iuramenti accessu, quo Dei fidelitas assertorum impletioni deuincitur, atque assertio in promissionem euadit, ex immobili etiam, & indefectibili Dei fidelitate fit promissa hæreditas indefectibilis, vt ibidem expendimus: item ex pluribus aliis Pauli locis citatis, ac recitatis certamine hoc secundo, numero 1. quibus promissa implere, Dei fidelitati incumbere dicitur, ex quibus postremus solum repetendus ex 2.ad Timot.2. *ille fidelis est, negare seipsum non potest*, quia eo Paulus rationem debiti huius diuini proprie; & absolutè talis presse, ac valide dedit, explicatam ab Anselmo proxime, & tactam à Chrysostomo testimonio secundo, atque, vt reor, ex loco hoc Pauli ductam, & subtiliter illustratam sic à Dionysio Areopag.8. de diuinis nominibus med. *Negatio sui est à veritate prolapsio. Veritas autem est: & à veritate*

prolapsio est ab eo quod est prolapsio: si ergo veritas est: negatio autem veritatis est prolapsio ab eo, quod est, Deus ab eo quod est prolabi non potest: neque id est, quod non est, vt aliquis dicat, ac non posse non potest.

8. Ratio igitur Pauli, & Dionysii, Chrysostomi, Anselmique verbis contenta, & apud Patres, & Theologos communis. Deus omnia ea præstare extrinsecus sibi debet, ac tenetur sine quibus intrinsecus esse non potest: at, sua promissione posita, intrinsecus deficeret, si extrinsecus non præstaret promissario, quæ ipsi promisit: ergo ea debet sibi, ac tenetur præstare è sua promissione. Maior probatur, quia nihil magis debitum eo, quod ita quis ponere, præstareque tenetur, vt non ponere ac præstare omninò nequeat: aut non præstare aut ponere ea, quibus non positis, ac præstitis intrinsecus ipse deficeret omninò nequit Deus: ergo ad id maximè tenetur, sic ex prædicato veracitatis in dicendo mentiri nequit, ac propriè tenetur, debetque sibi, verum loqui, quandocunque loquatur: ex prædicato immutabilitatis, & constantiæ voluntatis suæ non mutare decretum, vbi illud absolute concepit: atque ex prædicato infrustrabilitatis concepti semel decreti sui, ponere absolutè in rebus atque exequi quod decreuit. Minor autem recitatis testimoniis contenta patet: quia, si posita sua promissione non præster Deus promissario quod promisit, deficeret eius veritas in præstandis promissis, seu fidelitas, quæ Deo intrinseca, Deusque ipse est: ac subinde intrinsecus deficeret, ac non esset Deus: iure igitur, & titulo promissionis suæ tenetur debetque sibi ex fidelitate, quisquis promittit, præstare promissario, quæ promisit; quamvis eo fidelitatis titulo nullum ius promissario intrinsecum ad repetenda promissa contra promittentem accedat: quia debitum illud fidelitatis in promittente solum futuræ, vel defecturæ est, si non impleat promissa, solamque eius honestatem respicit; non promissarij, qui nec impletione promissi, nec eius defectu fidelis erit aut infidelis ex promissione vero vnius creaturæ, seu hominis ad hominem alium ius proprium, & quasi intrinsecum promissario suboritur, ex quo potest à promittente promissa repetere, & contra ipsum ex iustitia agere, iurisque huius correlativum debitum iustitiæ, nec fidelitatis solum promittenti, è sua etiam promissione adnascitur: vt non præstans promissa contra iustitiam, etiam, nec solum contra fidelitatem, vt totis iuribus constat, se gerat: quare egregiè Cicero 2. de inuentione dixit, *Pactum est quod inter aliquos conuenit, quod ita iustum putatur vt iure præstare videatur.* Cæterum debitum solum fidelitatis ex sua promissione Deo, ac sibi suobortum præsenti instituto satis est, quin iustitiæ etiam debitum iuri creaturæ promissariæ contra Deum respondens suboriatur. Tum quia iuris, ac debiti ex iustitia examen sequentis disputationis est. Tum quia de debito solum fidelitatis Deo ipsi è sua promissione quasi impositio testimonia scripturæ, & Patrum, atque adducta ratio procedunt.

CERTAMEN III.

Confutatione specialis, ac specioſæ doctrinæ noſtri Ruiz vltima concluſionis noſtræ probatio.

1. PRobatur vlterius concluſio vniuersim, & specialiter contra nostrum Ruiz. Res à Deo promissæ debentur proprio debito ipsarum creaturis, quibus fuere promissæ: ergo à Deo debentur propriè creaturis promissariis: ac subinde debitum proprium ea præstandi promittenti Deo ex sua promissione suboritur. Antecedens ipsa nostri Ruiz doctrina multis scripturæ, & Patrum argumentis, & testimoniis ab ipso fundata sect. 3. ex quibus sunt, quæ retulimus Deum promissorum à se creaturis debitorem expresse asserentia cert. 2. n. 6. Nunc alia, quæ res debitas asserunt tantum (vt antecedenti ad consequentiæ illationem assumitur) referemus. Ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*: clara hæc; sed clariora adhuc Patrum: Commentaria Anselmus. *Ei, qui post fidem quam gratis acceperit operatur, opera bona non imputatur merces* (*id est non recompensatur æterna remuneratio*) *secundum gratiam* (*id est, secundum fidem recipientium*) *sed secundum debitum operationis suæ*: cui consonat S. Thom. recitatus certam. 2. num. 5. Chrysostomus serm. 8. ad illud caput, & citata homilia de Abraham. *In iis, quæ speramus, non ita est, sed is qui laborauit necessario* (non gratuito, & liberè) *coronas, & præmia consequitur.* Ambrosius 1. officior. cap. 16. postinit. pendens id Matt. 5. *gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Non in terra mercedem præmia sit esse reddendum: quid alibi poscis, quod alibi debetur.* Consonat sibi 7. in Luc. cap. 15. sic autem cap. *de duobus filiis.* Auguſt. præfat. in Psalm. 31. sub finem. *Debet bonis operibus regnum cœlorum aii*: de gratia & libero arbitr. cap. 4. sub init. *Ad vitam piam, & bonam conuersationem cui* (inquit) *merces æterna debetur adiutorio & gratia Dei relinquendum esse locum*: & tract. 3. in Ioan. *si tibi debebatur, merces tibi reddita est non gratia donata.* Ex eodem sententia illa 297. Prosperi, & Arausicani 2. Concilij est. *debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant*; & mercedem quidem bonis operibus, eisque proinde in Dei promissione debitam multoties scriptura commemorat Genes. 17. Prouerb. 11. Sap. 5. & 10. Matt. 4. & 5. epist. 2. Ioann. & Apocalyp. 11.

2. Rursus 2. ad Timoth. 4. idem præmium bonorum operum coronæ nomine debitum significatur ab Apostolo. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex*: quæ ita ponderat Auguſt. tract. 3. in Ioan. circa med. *Audi Apostolum confidentem gratiam, & posteà debitum expectantem.* Subinferius: *Audi illum iam flagitantem debitum, qui primo indebitam susceperat gratiam. Reposita est mihi corona iustitiæ, iam debitum flagitat: iam debitum, erpit. Nam vide verba sequentia: quam reddet mihi Dominus illa die iustus Iudex.* Et corona quidem non, nisi victoribus militis, est: vt Apostolus c. 2. dixerat: diciturque Iacob. Apoc. 2. & 3. sicuti, & brauium (quæ eiusdem cum corona significati vox ad rem præsentem est, & supponit necessario ex contendentibus victorem: quare & ad 1. ad Corinth. c. 9. indifferenter altera pro altera ponitur) idem debitum ex retributione beatitudinis iustis facienda continet: de qua Luc. 14. ad Colos. 3. Prouerb. 12. & 13. Psal. 17. 18. 118. 2. Reg. 22. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. synonymaque remunerationis voce ad Hebr. 10 & 11. 2. Corint. 6. vtraque enim vox idem significat, quod Hispanè paga, seu satisfactio: quæ non, nisi debitæ rei, est. Tantundem etiam ad debitum hoc significandum præmium, ac merces, seu corona valet, quo nomine bene operantibus reddenda æterna vita proponitur. Sap. 4. & Tob. 4. verum nec positi verbo Pauli loco 2. ad Timot. 4. & depositi nomine, quo vsus fuerat Paulus c. 1. *Potens est depositum meum seruare*, idem præmij æterni debitum continetur, nec pactum vtrumque locum pendens. Bernard. 1. de gratia & libero arbitrio sub finem dixit: *Dei promissum ius nostrum appellat depositum: & quia credidit promittenti, fidenti promissa repetit. Promissum quidem ex misericordia, sed tam ex iustitia persoluendum. Est ergo quam Paulus expectat corona iustitia, sed iustitia Dei, non sua: iustus quippe sit, vt reddat quod debet: debet autem quod pollicitus est.* Hæc faciunt plura alia, quæ ex iustitia stricta deberi à Deo iustis præmium vitæ æternæ sonant, citanda: etsi enim eum strictæ dictæ iustitiæ debitum non significent: aut debitum ita propriè eius præmij intelligunt, vt non, nisi strictissimo iustitiæ, satis explicari Patres putent. Vlterius pignus, & arrabo pro debitis propriè adhibetur: Deus autem pro gloriæ promissæ adquisitione bonis operibus pignus, & arrabonem dat ad Eph. 1. *Credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem adquisitionis*: quæ sic legit Chrysostomus ibi: *quod & arrabo hæreditatis nostræ in redemptionem adquisitionis*: plura in hanc veritatem subdens. Denique insessionis: plura in hanc veritatem subdens. Denique mercedem to venale, ac nostris operibus, tanquam pretio, emendum exlorem

cæ orum regnum sæpè proponi: vt iustorum meritis exhibitis à iusto, non minus, quàm pretio accepto, quod venditur debeatur. De quo argumento multa selecta eruditione Vasquez citata d. 215. Ruiz citata sect. 3. à num. 24.

3. Hæc inconcussum faciunt nostri argumenti antecedens. Nempè res à Deo promissas debitas esse promissario, & obligatas, ac proinde vi diuinæ promissionis debitum passiuum proprium suscipere, vt præstentur. Vnde inferebamus: ergò debitum proprium præstandi actiuè promissa suscipit è sua promissione Deus. Restat solum illatio probanda. Probatur autem primò quia promissio omnis (& speciatim diuina) est de re, non secundum se sumpta, sed præstanda à promittente ei, cui promittitur verbi gratia pecuniam, fundum quidue aliud, atque in re præsenti præstandi gloriam verbi gratia) ergo præstatio actiue à promittente promittitur, quæ vtique, non nisi à promittente esse potest, ac debet; quod idem est atque deberi à promittente vi suæ promissionis actionem præstandi promissa. Confirmatur quia promissa non sunt debita secundum se, immò neque ab alio indeterminatè, sed determinatè à persona promittente: ac proinde, etsi promissario aliunde, quam à promittente, centum scuta promissa obueniant, nec promissio impletur, nec eius debito satisfiet. Confirmatur confirmatio vtraque ex bonorum à Deo homini promissorum conditione & materia: siquidem promissa nobis à Deo omnia supernaturalia bona sunt: gloria scilicet iustis bene operantibus, quidue aliud supernaturale, vel in se, vel in figura temporalium in lege veteri Hebræis (quibus omnia in figura contingebant) promissorum, iuxta Patres, & Theologos omnes, aut supernaturalia, vti non, nisi à Deo, esse possunt, ità nec, nisi à Deo, deberi. Item: debitum illud reale rerum promissarum maximè præstandarum, seu faciendarum nequit in ipsas res cadere, quæ cum promittuntur nec dum plerumque sunt, nec se ipsas præstare promissario possunt; nisi, quatenus promittentis potestati subduntur, vt præstentur, aut fiant. Denique ex definitione debiti, & actionis personalis, vt à reali differt, à nostro Ruiz eruditè notata eadem consequentia probatur. Nam citata l. *Actionum genera ff. de obligation. & actionibus* vbi personalis actio, siue quæ in personam est, nostraque in personam nec in rem solum iuri, eiusque debito innititur, sic definitur, vt vidimus certam. 2. numer. 2. *in personam actio est, qua, cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum.* Atqui promissio omnis est personæ alicuius obligatio de re aliqua promissario præstanda, seu danda, vel facienda: ergò est actio personalis debito personæ promittentis de re illa præstanda vel facienda innitens. Minor probatur ex iuribus recitatis certam. 1. num. 7. ex institut. & digestis *de verborum obligationibus*: vbi ex verbis dandi, aut faciendi, & præstandi de futuro aliquid alicui, quibus promissio continetur, personale debitum id præstandi, & faciendi, & obligationem ab ità promittente contrahi expresse definitur: idque naturali ratione euidens est. Nec enim alio, quam promissione, aut oblatione, aliquid faciendi, aut præstandi alicui, promittens debitum, & obligationem ea promissario præstandi contrahere potest: neque eis positis illa contrahere non potest.

4. Iam distinctio illa debiti realis, & personalis, qua hæc argumenta euadere conatur Ruiz, eorum impetum non eludit. Neque enim ex promissione realis pura rei oblatæ & promissæ obligatio absque personali promittentis esse potest; licet ex aliis titulis purè realis obligatio absque personali esse possit, ac sit frequens in iure vtraque: vt ex adductis ab eo exemplis clarebit, etenim testamenti, & testantis voluntas vltima, qua realis solum, ac non personalis obligatio, & debitum præstandi bona legatario, vel hæredi testatoris inducitur, nullatenus testatoris promissio est; sed legatæ rei, seu hæreditatis donatio conditionate & suspensè vsque ad mortem testatoris: quà & vltima voluntas testatoris, & absoluta eius siue hæredi siue legatario legati aut hæreditatis donatio completur. Similiter, qui hypothecæ titulo, aut iure bona immobilia actione repetit hypothecaria, non promissionis sed dominij, & venditionis titulo immobilia bona illa, à quouis ea possidente repetit: est quippe in quauis hypothecæ specialis appositione dominij directi, & proprietatis bonorum hypothecæ illi subiectorum, venditio absoluta ei cuius interest hypothecæ appositio; tametsi vtile dominium maneat penes quemuis eorum possidentem, quousque ex eo dominio proprietatis, vt hypothecario de reliquo satisfiat, hypotheca secundum dominium vtrumque alteri tertio, vel quoad vtile etiam hypothecario ipsi vendatur, illud verò de paciscente eximente expresse suam personalem obligationem, ac debitum, verum habet, tunc nullum debitum personale incursurum; æque tamen verum, compertumque, nullam in eo pacto promissionem absolutam, siue absolute talem ità paciscentis intercedere; sed solum fieri ab illo alteri paciscenti facultatem, & iurisessionem vt ex re illa, quam solum, non autem se ipsum obliget, sibi vbi oportuerit, suaque interfit, satisfaciat.

5. Illud de nobilibus, & magnatibus Reipublicæ, si promissio absoluta pactumve illam absolutè talem continens intercedat, in foro externo, & politico solum locum habet, vt à personalibus eius fori personas eiusmodi indecentibus vexationibus, & extorsionibus non subiiciantur; secus in naturali, & conscientiæ iure & foro ex quo dubio procul ex promissione & pacto absolutè talibus stare promissis debito & obligatione personali, nec indirectè solùm, vt quidam volunt. Quod etsi de iustitiæ debito, quod promissarij ius ad promissa contra promittentem supponit, verum sit, at de fidelitatis de promissione eiusque essentiæ inseparabiliter coniuncto falsum omninò est. Siquidem honestatis propriæ debitum personale directe in personam cadit. Sed (quidquid de directione vel indirectione debiti personalis promittentis cuiusvis, quantumvis nobilis, Magnatisque sit) debitum tamen absolutum implendi promissa in illo absolute omnes admittunt. Ruiz etiam ipse in hominibus; quia in rationali Republica naturale, inquit ille, est, vt promittens promissis stet. At verò Deus respectu cuius, lex nulla esse potest, (cum supremus omnium, & Dominus, & arbiter sit) neque à Republica neque à persona vlla eiusmodi debitum indirectum, & obligationem nulla lege potest subire. Sed tamen, etsi debitum ex iustitia propria, qua ius contra ipsum ex lege illa, & promissione sua promissario quæratur, subire nequeat; aut honestatis, siue ex propria honestate, quod è rectæ rationis dictamine proueniat, optime potest debitum contrahere, & habere: vt verè ac propriè non mentiendi, & similium debitum habet, & contrahit, ac proinde non mentiri tenetur. Vnde argumento illi occurritur. Debitum proprium, seù propriè tale ad alterum, seu alteri essentialiter est, non sibi. Alteri verò debere Deus nequit, quia debitor qua talis inferior creditori, siue ei, cui debet, qua tali, constituitur: id quod Deo repugnat: ergo, & repugnat proprium debitum Deo. Negatur tamen facile maior ex dictis; si vniuersim debitum proprium accipiatur, ac non pro debito ex iustitia, seu alio quouis, quod ius in eo, cui debetur, contra debitorem importet: constat enim debitum proprium honestatis propriæ sibi quemque habere, tenerique ex honestate, nihil sibi turpe, atque inhonestum, seù indecens efficere: multoque arctius ac principalius Deum, qui prima regula, & exemplar honestatis creaturis rationalibus est.

CERTAMEN IV.

Reliquis oppositionibus occurritur.

1. OPpones plura Patrum testimonia negantium Deum, gloriæ etiam (quæ promissa bonis iustorum operibus est) & augmenti gratiæ debitorem. Augustin. 1. confess. cap. 4. *Supererogatur tibi, vt debeas? & quis habet quidquam non tuum. Reddis debita nulli debens; donas debita nihil perdens.* & epist. 106. ad id 2. ad Timott. 4. *Proposita est mihi corona iustitiæ*; obiiciens; *si ex fide quomodo gratis? quod enim fides meretur, cur*

non potius redditur quam donatur? respondet. *Non dicat ista homo fidelis: quia, cum dixerit; vt merear iustificationem, habeo fidem: respondetur ei: quid habes, quod non accepisti*? quibus Dei debitum reddendi gloriam nostris operibus iustorum duplici ratione videtur ab Augustino negari: Tum quia, Dei sunt: Tum etiam: quia proinde nihil prius à nobis donatum est iuxta illud ad Rom. 11. *quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* ideò vita æterna operibus iustis reddenda gratia Dei dicitur ad Rom. 6. *& gratia pro gratia* Ioan. 1. Ex eo vero debito, ex quo Dei potius, quam hominis, bona opera sunt, iuxta id Luc. 7. *Numquid gratiam habet seruo illi*? vnde concluſit Dominus, *serui inutiles sumus quod debuimus facere fecimus*: præmiandi debitum proprium Deo negat Theophilact. verbis hiſce. *Seruo necessitas incumbit, vt faciat mandata Domini, nec, vt bonum opus sibi adscribere debet: quippe, si non operatur, dignus est multis plagis; cum autem operatus fuerit contentus sit, quod plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc pretium, vel honorem necessariò quærere*: ac infra ex 1. Corinth. 9. *Væ mihi, niſi Euangelizauero*: confirmans ſubdit. *Non, quod debeat ei aliquid Dominus; immò seruus debet Domino suo, vt faciat omnia eius mandata*: & Bernard. ſerm. 1. in Annunt. ſub init. *Merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini.* Demum ad Rom. 4. aiebat Paulus. *Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam, sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. tametſi meritis de congruo iuſtificatio peccatoribus ſit promiſſa. Acceptum autem ferre continet imaginariam, & ſimulatam ſolutionem creditoris volentis reuera remittere, quidpiam ſibi non ſolutum à debitore. l. *imaginaria* ff. *de regulis iuris* l. 1. ff. *de pactis*; vbi autem remiſſionis voluntas reuera eſt, debitum remittendi, & iuſtificandi impium non eſt: ergò nec iuſtificandi meritis de congruo impium è promiſſione diuina, quare, nec Dei, de quouis alio promiſſio, Dei debitum illud præſtandi proprie Deo affert. Miror hæc, & multo plura ſimilia contra proprium Dei debitum præſtandi promiſſa à noſtro Ruiz congeſta, & oppoſita ex Patribus fuiſſe: cum expreſſè res à Deo promiſſas, debitas proprie hominibus promiſſariis æque contra ipſum pugnent. Præterea: cum ipſe hæc non ſuppoſita Dei promiſſione intelligenda eſſe fateatur ſect. 2. num. 10. fine. Bernardi mentem aperiens, eiuſque teſtimonio alio probans ſect. 3. vt aliis aliorum Patrum à ſe recitatorum probare etiam poſſet. Denique: cum fere omnibus teſtimoniis Patrum, quæ hic, ſuis oppoſitionibus confirmandis adiunxit apertam ex eorum mente poſſet deprehendere ſolutionem, iam pridem à noſtro Vaſquez citatis locis exhibitam.

2. Reſpondetur ergo ad Auguſtini loca, nihil Deo, ſiue vtile, (vt ad iuſtitiæ debitum oporteret) aut iucundum, & placidum, quia honeſtum, Deo à bene operantibus anticipato ad ſuæ gratiæ largitionem donari à nobis, qui ex propriis viribus, & abſque gratiæ Dei præuentione, nihil honeſtum iuſtumue, & laudabile poſſumus operari, vt dogma fidei contra Pelagianos, & Semipelagianos fert: quare, neque Deo ex nobis exhibere, ſed principalius potius ex Deo auxiliante, ratione cuius auxilij Dei potius, quam noſtri bona omnia opera noſtra, ſunt dona atque ratione gratiæ, & beneficij in eis à Deo accepti eorum præmium, & merces, gratia dicitur, & gratia pro gratia à Patribus, & Theologis: vt videre eſt in Fulgentio: 1. ad Monim. cap. 10. & 11. & locis recitatis ex præfatione libror. ad Monim. certam. 2. num. 6. Anſelmo de concordia grat. & prædeſtinat. cum lib. arbitr. cap. 3. col. 3. Auguſtin. de corrept. & grat. cap. 13. ſub med. dicente. *Ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè, quippe ipsa intelligitur, quæ gratia in Euangelio legitur gratium pro gratia, id est pro his meritis quæ contulit gratia*: quam expoſitionem verbis relatis Ioan. 1. repetit tract. 3. in Ioann. & cap. 106. Enchir. fine, eandemque adhibet verbis Pauli ex 6. ad Rom. oppoſitis cap. 107. init. ac de gratia, & libero arbitrio cap. 8. & 9. vbi illud Pſalm. 102. *qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Eodem ſenſu ſic exponit. *Quia eius miseratione bona operamur, quibus corona reddetur*, vt autem hoc ſolum ſenſu gratiam eſſe vitæ æternæ coronam aſſeruiſſe Auguſtinum, neque alio vſquam ex debito, & retributione, deque debita iuſtorum operibus mercede reddendam negaſſe conſtet: videatur ex libro de correptione, & gratia cap. 6. vbi quæſtionem illam epiſtol. 106. tractans quo ſenſu reddi, aut non gratuito potius dari bonis operibus æternam vitam negauerit; his explicuit. *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa Dei dona esse cognoscerent* (Pelagiani eorumque reliquiæ Semipelagiani) *non esset reprobanda ista sententia: quoniam vera merita sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: prorsus rectissime illis dicitur. Dona tua coronat Deus; non merita tua, quæ tibi à te ipso sunt.* Eadem eſt Proſperi ſententia 1. de vocation. gentium cap. 17. poſt med. Greg. Mag. in Pſalm. 142. pœnitentialem, 7. ad verſum. *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam.* Bernard. ſermon. 61. med. dicentis. *Meum proinde meritum miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quam diu ille miserationum non fuerit.*

3. Sed enim, ne his, aliiſque Patrum teſtimoniis minus penetratis in re preſenti, atque in condignitate meriti ad gratiam, & gloriam in ſanctorum operibus iuſtis Catholicè admittenda aberretur gratiæ omnes quæ ad condignitatem eiuſmodi præmij in iuſtorum operibus, atque ad debitum proprium illud reddendi (ex fidelitate ſaltem) quod in Deo adſtruimus, intercedunt enucleandæ ſunt: & in primis gratia auxilians, de qua Patres citati, & recitati proximè. Hæc autem, etſi ad opus honeſtum, & abſolutè laudabile, & meritorium ſatis ſit, ac proinde meriti condignitatem ex parte conſtituat, non tamen conſtituit adæquatè, etiam, ſi opus intrinſecè, & eſſentia ſua ſupernaturale ſit: verbi gratia fidei actus in peccatore, vt dogma Theologicum fert: quare, & gratiæ habitus, ſeu forma ſanctificans alia, ſiue actus, ſiue habitus ex parte operantis requiritur, qua intrinſecus meritorius valor operis eluetur ad condignitatem meritoriam gratiæ, & gloriæ, omnium etiam Theologorum ſententia: qua de re, & modo eleuationis non ſatis ab aliquibus bene intellecto egimus controuerſ. de Incarnat. & controuerſ. de merito vbi condignitatem meriti, nec promiſſionem, neque acceptationem Dei, quidpiamve aliud vltenus requiritur probabilius longe, atque abſolute verum eſſe docuimus, quare illa Pauli ad Romanos 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* & 2. Corinth. 4. *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus*, &c. Ex quibus Magnus Gregor. in Pſalm. 142. Pœnitential. 7. ad verſ. recit. Fulgent. 1. ad Monim. cap. 10. à medio, Cyrill. Alexand. ad id Lucæ 7. *Numquid gratiam habet seruo illi*? Cyprian. lib. 4. epiſtol. 6. ſub fin. & Senonenſ. Concil. fid. decret. 16. circa finem iam recitando videntur noſtris operibus eiuſmodi condignitatem ad præmium gloriæ denegare, atque hanc eorum condignum merito longe excedere: de operibus ſecundum intrinſecum ſumptis quantumvis ex Dei auxilio profectis, intelligenda ſunt, vt verba ipſa, & ſonant, & ſuadeat ipſa autem vt ſanctitatem operantis, à qua ad condignitatem eleuantur concernunt: quod autem in ipſis iuſtorum operibus præmiandis Dei miſericordia, quæ eorum imperfectionibus ignoſcat, atque indulgeat neceſſariò interueniat (vt obſeruant, aſſeruntque. Hilar. in Pſal. 51. illud: *quoniam melior est misericordia super vitam* eo ſenſu acutè exponens, Hieron. Dialog. aduerſ. Pelagian. longè ab initio Gregor. Mag. 9. Moral. cap. 11. init. alias cap. 14. fine ad id Iob. 9. *etiam si habuero quippiam iustum non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor*:) de operibus ipſis ſecundùm ſe eſt ſermo, non autem vt operantis, & iudicandi Iuſtitiæ, & ſanctitati coniunctis: cui earum ab amico Deo imperfectionum neglectus debetur, indulgenſque (vt ſic loquar) oblivio: quare in ſanctitatis, & gratiæ donatione, non autem in eorum præmio iuſtis reddendo indulgentia earum ſolumliter intercedit.

4. Hæc pro condignitate meriti operum, & auxiliante, & ſanctificante gratia Dei profectis & eleuatis, quin promiſſio Dei de eiuſmodi præmio reddendo ad eiuſmodi condignitatem (vti reor) intercedat, aut requiratur,

quiratur. Cæterùm eiusmodi condignitate meritorum independenter à promissione posita & admissa ad præmium ipsis reddendum Deus nullatenus vero aliquo sensu stricte & propriè non tenetur, promissione secluſa; tametsi titulus iusto homini in eis operibus adsit, vt pro operum suorum qualitate, & quantitate valoris tantundem præmij illius à Deo reddatur. Non secus, atque exigentia cuiusi creaturæ naturalisque agenti adest ad tantam perfectionem, qualitatum & facultatum, vel ad talem effectum determinatæ perfectionis entitatiuæ intensiuæ, aut extensiuæ à Deo obtinendum adest, iusque eius ac debitum naturale appellamus; tamen quia neque stricto aliquo iure contra Deum creaturæ quæsito, neque debito aliquo propriæ honestatis à creaturis concedere Deus tenetur ea, quæ ità exigunt: immò ea absque vlla creaturarum iniuria, propriaue ipsius indecentia physica, & morali absoluta potestate denegare illis Deus potest, ac non semel de facto denegauit. Posita autem Dei promissione de ita laxo iure & exigentia, siue debito eius, quod vel à causis, & creaturis naturalibus exigitur, vel à iustorum hominum honestis, & ex gratia Dei exhibitis operibus reddendo, Dei debitum ex honestate propria, vt minimum, consurgit illud reddendi: cum autem ad ità promittendum Deus non teneatur, Dei gratia etiam in eiusmodi promissione de præmio reddendo interueniat necesse est. Huc faciunt verba concilij Senonensis decreto fidei 16. cuius nuper meminimus: *facit tandem misericordia locum vicissique iuxta meritum operum suorum* (secundùm se solum spectatorum vt diximus) *non absoluta condignitate quidem* (*nec enim condignæ sunt passiones huius temporis* &c.) *sed gratuita magis, & liberali promissione, qua conuentione facta de denario diurno conduxit operarios in vineam suam.* & Trid. 6. c. vlt. sub fin. *Tanta est dominj erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, qua sunt ipsius dona.* Sententia ad Verbum desumpta ex Cœlestino Papa 1. epist. 1. c. 12. & ex Aug. epist. 106. ad id 2. ad Timot. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ*, vult autem, non quia, quæ merita non sunt, merita esse velit: esset enim velle contradictorium, & chimæram; sed quia voluntate iustificandi & formalem iustitiam donandi operanti vult, vt ad condignitatem gloriæ opera, quæ ratione auxiliantis suæ gratiæ dona ipsius, & meritoria de congruo intrinsecus erant eueherentur: ac voluntate promittendi gratuita, & liberali ex promissione sua debita fierent. Huc etiam spectauit Bernard. serm. 1. in Annuntiat. sub init. id Pau. *Non sunt condignæ*, &c. *Neque enim talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* vt scilicet creaturæ ius omne ad præmij retributionem excludat; non autem Dei debitum, ex decentia atque honestate propria fidelitatis suæ in promissis præstandis, quam asserit recitatis verbis n. 3. ex 1. de gratia, & libero arbitrio sub finem: Huc denique faciunt testimonia Patrum à nobis recitata cert. 2. n. 6. & alia, quæ superfluitatis tædio omittimus. Ex dictis enim satis constat, quot titulis, & sensibus meritis nostris gratiè reddenda vita æterna, & gratia pro gratia dicatur.

5. Illud quod postremo loco obiiciebamus n. 6. ex nostro Ruiz de promissione diuina iustificationis nostræ ex meritis de congruo: qua non obstante imaginaria solùm & gratuita creditoris Dei, ac proinde non debentis remissio intercedat, infirmum valde est. Primo: quia de eiusmodi diuina promissione iustificationis impij ex meritis solùm congruis, quæ supponitur, minimè ex scriptura Patribus aut Theologis constat. Tùm etiam: quia, etsi de ea constaret argumentum imaginariæ solutionis, ac virtualis remissionis in accepto ferendis meritis congruis nec condignis ad iustificationem ex promissione, secus in retributione vitæ æternæ iustorum operibus eius meritoris de condigno; quia ex condignitate meriti pretium, & solutio æqualis præmio reuera exhibetur: ac proinde imaginariæ solutioni locus non est in reddendo præmio ne ipsa soluto. Cæterum ex promissione facta meritis solum congruis æque Deus tenebitur ex fidelitate reddendo promisso, atque ferendæ accepto satisfactioni & solutioni peccatoris; sicuti ex promissione æternæ gloriæ operibus condigne meritoriis eius illam tenetur, retribuere, quin opus sit ea accepto ferre, quia præmij solutio, & pretium verum eiusmodi operibus exhibetur: ac proinde certum vniuersim est, quod asserimus: ex quauis Dei promissione teneri Deum ad promissa præstanda, debitumque ea reddendi incurrere: quare promissione posita, & facta à Deo, meritis de congruo etiam, non esse ipsi liberum accepto ferre solutionem, & satisfactionem peccatoris in eius iustificatione ex meritis congruis præstanda, & efficienda: sicuti, neque liberum ipsi est iustorum obeuntium meritis condignis coronam gloriæ reddere, quam promisit: quia inhonestè se gerere ac fidelitati suæ promissis præstandis deficere Deo liberum, integrumque (vt diximus ex Dionysio & naturali ratione) nusquam est.

6. Inde verò tandem obiicies gloria, vt præmium, & corona, atque vniuersim præmium quodvis, coniunctum, & inseparabile à merito esse non debet: quod enim necessariò coniunctum, & inseparabile ab opere est, præmium illius esse nequit, nec potest illi in præmium proponi, neque vt præmium illius conferri, vt de se, ac mille exemplis patet: atqui posita diuina promissione coronæ gloriæ, & præmij vitæ æternæ operibus iustorum decedentium gloria, & vita æterna coniunctæ necessario, atque inseparabiles eiusmodi operibus, vt illa non conferre & ab operibus separare Deo adhuc liberum non sit, sed prorsus ipsi etiam impossibile: ergò promissio Dei gloriæ, vt coronæ, vel de re impossibili est, vel debitum eam reddendi operibus iustorum decedentium non affert, contra nostram conclusionem. Simile argumentum contra absolutam præfinitionem gloriæ, vt coronæ ante præuisa absolute merita video à nonnullis magnificari, quia ea posita nequit non dari à Deo gloria ob merita, ab his ve separari ratione efficaciæ, & infrustrabilitatis præfinitionis illius. Respondetur facile: præmium, non posse esse rei natura sua inseparabilis ab opere, quod illud meretur, atque huic natura sua necessario coniunctæ; secus autem ex voluntate extrinseca præmiaturi, ità præmiare irreuocabiliter, vel decernentis; vel promittentis; nec aliud quam primum distinctionis huius membrum exempla vlla probabunt.

7. Instabis in retributione gloriæ debitæ ob merita condigna ex vi, & debito promissionis nequit esse retributio gloriæ ob merita, sed ob fidelitatem seruandam in promissis. Nequit item in ea retributione esse aliquod actuale virtutis, etiam fidelitatis exercitium, quod nisi ex libertate actus, & exercitij cum absoluta potestate ad oppositum (quam posita promissione ad non præstandam gloriam Deo negamus) esse non potest: negare autem Deo in gloriæ retributione actuale virtutis exercitium, ac insuper eam à Deo propter merita retribui absurda sunt, ergò, & asserere in Deo debitum fidelitatis ad reddenda præmia meritis nostris ex vi promissionis suæ. Respondetur negando: non posse retribui à Deo gloriam propter merita, siue formaliter in præmium meritorum ex eo, quod ex Dei fidelitate in promissis præstandis reddatur: quia non pugnat aliquid appeti, fierique ob plures fines, aut motiua adhuc non subordinata, quæ vnum totale motiuum, aut finem constituant, vt Physicis, & Animasticis est notum: longe vero minus repugnat: cum alterum motiuum subordinatum alteri est; vt patet in electione medij ob vtilitatem ad finem intentum ob huius tandem bonitatem amati: in re autem præsente motiuum operum, vt gloria retribuatur subordinatum motiuo fidelitatis in promissis præstandis est; immò, sine cuius attentione, & respectu in eis retribuendis non staretur promissis, & fidelitati: siquidem gloria non vtcumque nobis promissa à Deo fuit, sed vt corona: atque in bonorum operum præmium: quare neque aliter promissioni & fidelitatis suæ Deus satisfaceret, ni eam præmium, atque ob opera & merita nostra nobis redderet. Secundum quod vt falsum, & absurdum infertur, nihilominus est, sed verum, & necessario in Deo pluries Catholicè, ne in fidem peccetur admittendum: vt in dicendo vero, ac non mentiendo quoties aliquid loquitur: in exequendo id, quod efficaciter præintendit: & in iis omnibus vel præstandis vel omittendis, quorum, vel omissio, vel executio necessario alicui Dei attributo aut prædicato aduersatur. Tunc enim actualis executionis, aut omissionis voluntas, & exercitium in se immediatè formaliter libera esse nequit

quit; sed mediate solum, vt summum, in voluntate libera, quæ supponitur ad huiusmodi voluntatem, & exercitium necessarium: verbi gratia in prætentione aliquid faciendi, in voluntate aliquid loquendi, & reuelandi, atque in re præsenti, in promittendi voluntate.

DISPVTATIO II.

De stricta & propria Dei ergà homines, seù rationales creaturas Iustitia.

REM ingredimur inter Vasquianos præsertim & Soaristas Theologos valde controuersam, & ad fastidium penè agitatam, multisque æquiuocationibus obnoxiam, & fortassis plenam. Eas verò vt vitemus, iustitiæ acceptiones laxiores præmittendæ sunt, propriæque, & strictæ natura explicanda, atque in suas species, & partes proprias (nec solùm potestatiuas, quas vocant, & aliqualiter similitudinarias) diuidenda. Exquibus demum præsentis disputationis punctum, scopus, ac difficultas ita proponatur dilucidè, vt nullus æquinocis responsionibus, argumentis, ac subterfugiis pateat locus.

QVÆSTIO I.

De Variis Iustitiæ acceptionibus, atque strictæ essentia, & speciebus.

AN qualibet Iustitiæ acceptione subiicienda, & explicanda (etsi non strictæ, de qua præcipue disputatio hæc instituitur) qua ratione, atque in quibus Deo conueniat examinare, & statuere, tametsi obiter, oportebit.

CERTAMEN I.

Amplissima Iustitiæ, quam legalem vocant acceptio.

1. CVm Iustitiæ nomen ipsum æqualitatem cum aliquo importet, fit, vt omnis æqualitas affectus seu operationis nostræ cum lege, aut rationis dictamine recto iustitia dicatur: qua acceptione idem prorsus, quod virtus sit, atque virtutes omnes permeet, & complectatur. Eam Iustitiæ acceptionem docuit Arist. 5. Ethicor. cap. 1. sub init. ità ample iustitiam acceptam definiens: *Videmus omnes talem habitum dicere iustitiam, quo homines apti sunt ad res iustas agendas, & quo iusta agunt, & volunt iusta.* Cuius definitionis bonitatem sic confirmat: *videtur iniustus esse, & qui à legibus exhorbitat, & qui plus capit*, atque *iniquus: quare patet, & iustum esse eum, qui legitimè facit, & eum qui æquus est, iustum ergò est quod est legitimum, & quod est æquum.* Subinferiusculè colligit inde. *Omnia legitima esse quodammodo iusta: ea namque, quæ à facultate ferendarum legum sunt definita, legitima sunt: & horum vnum quod iustum dicimus esse: ipsæ autem leges de omnibus dictant*: quod in singulis virtutibus illicò ostendit: consonat Augustinus 19. de ciuit. cap. 21. & 27. post medium scribens, *in vnoquoque iustitia est, vt obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel fugiendo, vel resistendo.* serm. 59. de temp. post med. *Iustitia non aliud est, quam non peccare: non peccare autem legis præcepta seruare.* Anselm. Dialog. de veritate cap. 13. post med. *Iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata*: & fine confirmat, *quia iusti aliquando dicuntur recti corde*, id est, *recti voluntate: aliquando nulli sine adiectione cordis, quoniam nullus alius intelligitur rectus, nisi, qui rectam habet voluntatem: vt est illud gloriamini omnes recti corde, & illud: videbunt recti, & lætabuntur.* Consonat. S. Thom. 2. 2. quæstion. 57. art. 1. & 6. corpor. fine. Explicans ad iustitiam virtutes omnes pertinere, quatenus homines, vt Reipublicæ partes, ad bonum commune earum actus, quemadmodum, & leges, referunt: vt dicitur l. *Iustitia ff. de iustitia, & iure*. Atque eo sane respectu, vt sic distinguitur ab Aristotele proximè sub capitis finem: quia, qua virtus bonum solum operantis respicit, sicuti, & obedientiæ, quæ leges etiam attendit, quatenus talem honestatis propriæ regulæ sunt. Vnde 3. Politic. cap. 3. obseruat non esse eundem boni ciuis, ac boni viri virtutem. Hinc Arist. citat. cap. 1. approbat vulgare illud. *Iustitia in se virtutes continet omnes* & concludit. *Hæc igitur iustitia non pars virtutis; sed tota virtus est.* & Ambros. 2. de Abrah. cap. 10. sub init. *Iustitia sola est, quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes.*

2. Duo ex dictis sunt prona. Primum: Iustitiam ità late acceptam, in eam, quæ propriæ conscientiæ, & rationis dictamini, quatenus bonum Reipublicæ concernit, conformatur, & in eam quæ legibus idem commune bonum attendentibus se se adaptat, diuidi posse: & postrema quidem hæc proprietate, & rigore sermonis iustitia legalis est; secus prima, quæ tametsi bonum etiam commune, quod iuuant leges, attendat; ast non attendit leges ipsas, è quarum attentione, & respectu formaliter legalis est, & sermonis proprietate cõpellatur: quare & ei qui legibus, nec subsit nec possit subiacere, dummodo in virtutum exercitio commune Reipublicæ bonum attendat potest primo modo explicata iustitia conuenire; licet secundo modo nequeat, id quod obseruandum, vt ducibus de iustitiæ acceptione hac ampla Deo concedenda, vel neganda, aduersæ sententiæ concilientur. Secundum autem: hac eadem amplâ acceptione virtutes omnes, tàm distributiuè: quare & vnamquamque earum seorsim, quàm collectiuè, siue coniunctim sumptas, & simul positas iustitiam appellari. Primo modo virtutes omnes distributiuè, & sigillatim iustitia dicuntur sæpè in scriptura, quoties plurali numero dicuntur, siquidem omnium virtutum coniunctum non patitur pluralitatem, sic Psal. 10. *Iustus Dominus & iustitias dilexit*, & Psalm. 18. *iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Deuteron. 4. *Scitis quod docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus* cap. 27. *facies mandata atque iustitias quæ ego præcipio tibi*, quibus similia habentur cap. 33. vers. 21. Paralip. 7. Psalm. 7. 49. 88. & aliis, & illis Matth. 3. *sine modo sic decet nos implere omnem iustitiam*; vbi omnem distributiuè sumi contextus suadet: iustitiæ verò pro omnium virtutum coniunctim, ac simul sumptarum collectione acceptio est etiam frequens propriis, & frequentior apud Aristotelem, & recitatos Patres, num. 1. vt eorum verba perpendentibus constabit. Eaque acceptio frequentissima scripturæ est Ezech. 18. & sæpè alibi iustus is solum dicitur, qui omnia legis singulatim enumerata seruat: atque ex generali illa Iacobi regula, cap. 2. *quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*, quatenus, scilicet, quominus reus, & iniquus, seù iniustus absolutè non sit reliquorum obseruatio non obest. Et quidem, qui graviter in aliquo tantum delinquit, iniustus absolute est apud omnes. Neque enim eum, qui occidit, non autem furatur, aut mœchatur, iustum absolutè, vulgò, aut Theologicè habemus, aut dicimus, sed absolute iniustum, impium, & iniquum immò verò, si, vt iustus quis absolute esset, legis, aut præcepti vnius obseruatio latisfaret; contra vero omnium omninò transgressio, vt iniustus esset, absolutè requireretur, vix iniustus absolutè

sur aliquis foret, atque ij quos iniquissimos reputamus, absolutè iusti omnes forent: cum vix, & ne vix quidem, de eis quis fuerit, qui ità omnes leges, & virtutes proteret, vt nullam prorsus omninò obseruet. Ratio autem est: quia æqualitas, cuiusuis generis sit, cum parte solum extremi alterius satis non est, vt ipsi æquale aliquid absolutè sitve dicatur; alioqui palmus vlnæ absolutè æqualis foret ac diceretur. Æqualitas autem cum lege, aut rationis dictamine in materia alicuius legis, & virtutis tantum in ordine ad bonum commune, solum est cum parte earum: quare nec est absoluta æqualitas, & iustitia cum illis: quam rationem asserti sui profunde subdit Iacobus immediatè numero 11. *qui enim dixit, non machaberis, dixit & non occides. Quod si non machaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

3. His præiactis explicationibus, & diuisionibus iustitiæ, ità vniuersim acceptæ, dubitatur à Theologis primo: an legalis iustitia explicata propriè Deo conueniat? in quo de nomine solum (vt bene Ruiz d. 57. sect. 2. n. 1.) Catholicis Doctoribus esse controuersia potest. Asserunt Scotus in 4. d. 46. q. 1. §. *de primo dicendum*. Sotus de iustitia & iure lib. 3. q. 5. art. 4. ad primum sub finem: Rebell. lib. 1. q. 4. sect. 4. Lorca 1. 2. d. 44. de gra. §. *Hæc ergo ratione*. Nauarrete 1. p. q. 21. art. 1. controuers. 28. §. 6. quam sententiam variis eiusdem conclusionibus, ac præcipuè eius propositione citato num. 1. attentis, vt probabiliorem, proprioriſque modi loquendi sectatur planè Ruiz noster. Negant verò Argentina in 4. d. 46. qu. vnic. artic. 1. sub init. vbi etiam Bassolis, Ioan. opuscul. de Iustitia Dei sect. 4. numero 8. Pesanius 1. p. quæstion. 21. art. 1. d. vnic. concl. 2. P. Ioann. Præpos. ad eundem articulum dub. 3. qui tamen (sicut & reliquis negatiuæ Patroni) de iustitia legali, vt specie virtutem dicit fundatam in iure totius Reipublicæ præualente contra priuatorum iura, & commoda, qui sunt partes illius loquitur: quo pacto in iis qui partes reipublicæ non sint, nec communibus eius commodis, vti, fruique possunt, nequit legalis iustitia reperiri: quare, neque in Deo, qui nec pars vniuersi proprie est, nec contrà quem in vniuerso ius proprium potest excogitari: & sanè ità accepta iustitia non ampliot strictæ iustitiæ species, quæ speciale genus iuris proprij in altero essentia sua supponat: quare eius sic acceptæ non est præsentis quæstionis examen, sed disputationis sequentis. Solum ergò de iustitia legali, quatenus commune bonum Reipublicæ, seu vniuersi, segesque omnes illud concernentes attendit (siue illud attendens pars vniuersi propriè sit; siue non; siue respectu ipsius, & contra ipsum ius aliquod proprium vniuersum hoc habeat, siue non habeat) potest nunc de legali iustitia Dei disputari. Neque dubitandum est, quin ea virtus, quatenus commune Reipublicæ bonum, quod & leges etiam attendunt specialis sit virtus, à reliquis diuersa, neque eas formaliter claudens, adhuc tanquam species, etsi virtualiter, & imperatiue omnes complectatur: quatenus ex eo fine, & intentione possunt reliquarum virtutum actus eligi, imperari, atque procedere: quare neque ampla illa iustitiæ acceptione, qua vel omnes distributiuè virtutes permeat tanquam species, vel omnes coniunctim tanquam partes, quibus iustitia absolutè talis confletur, eam specialem virtutem, quæ vniuersi bonum attendat continetur; sed pars potius iustitiæ, sic acceptæ est, sicut speciales aliæ virtutes, quibus omnibus totalis iustitia in nullo deficiens constatur, vt autem de legali Dei iustitia speciali, quatenus vniuersi bonum in suis affectibus, & operibus Deus, attendit, distinctius, liberiusque, statuamus de iustitia Dei ampla illa acceptione, qua coniunctum virtutis omnis in nullo deficientis significatur, statuendum in primis erit: vt constet specialis virtutis, legalis decisionem, nullateaus ab scriptura, aut Patribus fuisse attactam: quare in eius examine, ac decisione male à nostro Ruiz ad scripturam, & Patres prouocari.

4. Dico ergo primo iustitia provt omnem virtutem, tam distributiuè, quam collectiuè in nullo deficientem significat, & coercet in Deo est: conclusio dogmatica in scriptura Patribusque expressa est, & à nullo subinde Doctore Catholico negata, nec, citra fidei nostræ iniuriam, ab vllo neganda est, siquidem idem ipsum dogma impeccabilitatis Dei, atque in præsentis conclusionis terminis expressum illis Psalm. 10. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit*. Psalm. 50. *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris*. Psalm. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis*. Secundò: ex aliis locis, quibus iustitia Dei adeò reliquis creatis præcellens asseritur, vt illius comparatione hæ omnes iniustitiæ, atque in multis à iustitia, & rectitudine deficiant. Psalm. 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, vt ibi exponunt Hilarius Arnob. Euthym. Gregor. Magn. Hieronym. qui etiam epist. ad Ctesiphontem, & expositores reliqui atque Bernard. serm. 61. in cant. med. serm. 5. de verb. Isai. 64 *Omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ* ad quæ etiam Patres, & interpretes & Isid. 1. sent. c. 27. §. 3. vbi hyperbolicè iustitiam creatam, quamuis comparatione Dei dicitur peccatum: eo, nimirum sensu, quo lucernæ lux solis comparatione tenebrescit, & disparet iuxtà Gregor. proximo loco citandum ad verba hæc Iob. 4. *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur? & c. 9. Non iustificabitur homo compositus Deo*. c. 25. *Numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere*. Ad quæ loca interpretes videndi, præsertim Mag. Greg. 5. Moral. c. 26. lib. 9. c. 1. 9. 11. 26. & 28. & lib. 11. c. 1. Aug. lib. ad Orosium contra Priscillianistas c. 10. Hier. epist. ad Damasc. vers. fin. Dialog. 1. aduersus Pelag. versus med. idcircò Anselm. dialog. de veritate c. 10. post definitionem iustitiæ ea amplitudine acceptæ, eiusque probationem infert. *Si verò rectitudinem illam dicimus propter se seruari, & nullæ aliæ rectitudine* (quam diuina) *tam conuenienter dici posse videtur: sicut enim non aliud illam, sed ipsa se seruat, nec per aliud, sed per se: & ità non propter aliud, sed propter se.* &c.

5. Dico secundo: specialis virtus iustitiæ legalis propriè Deo non competit (adhuc modo explicato, quo sub hanc præsentem potest quæstionem venire, abstrahendo ab eo, quod solum, ei qui propriè vniuersi pars, & contra quem proinde ius vniuersi prævaleat possit conuenire) competit autem quatenus dicit virtutis exercitium ob vniuersi commoda legibus intenta. Probatur prima conclusionis pars; quia, vt supra dicebamus legalis iustitia propria dicitur, quæ cum attentione, & respectu ad leges exercetur: ergò cui repugnat ex lege, & ob legem operari, repugnat operari ex iustitia legali. Atqui repugnat Deo ex lege, siue ob legem operari: ergò repugnat Deo operari ex iustitia propria legali: subsumptum probo, quia respectu Dei repugnat dari propriè legem, quæ essentialiter dicat superioritatem illam ferentis respectu eius, pro quo lex fertur: & quæ respectu Dei esse prorsus in aliquo nequit. Probatur postremum hoc: quia Deus sui ipsius nequit esse superior: reliquis autem (quæ creata necessariò esse debent) essentialis Deo subiectio est, & superioritati repugnans. Hanc rationem attigere etiam doctores negatiuæ; cum autem ab aliis rationibus, quæ in legali propria iustitia interueniunt, & ob quas etiam illam Deo denegant, præscindar, illos omnes hæc nostræ conclusionis pars prima Patronos habet exploratos: quod autem à Patribus, & Theologis sibi ipsi lex dicatur Deus; impropriè accepta lege dicitur: vt significetur, ab æterno rectæ rationis suæ dictamine (quod naturalis rationalibus creaturis æterna lex est, & creaturam rectarum legum origo, & archetypus) nullatenus posse deflectere: quod, quia firmiter sancti, atque ad rationis dictamen in suis operibus sequendum habitualiter obstinati imitantur: iustis non esse posita lex dicitur: quanquam absolutè physicè, ac metaphysicè possint ab illo, ac subinde à recto, & bono deficere. Citius ergo Deo, qui nullatenus à recto suo dictamine deficere potest, lex propria posita negabitur. Item: licet Princeps legislator, quoad vim directiuam suis dicatur legibus teneri; tamen proprie, & absolutè legibus suis subiacere nullatenus dicitur: quia sibi superior non est, nec amplius, quam dictamini recto, ex quo leges condidit, sequi tenetur, ex lege tamen alia naturali ipsi ac potestati suæ superiori, quæ prorsus respectu Dei, esse nequit: quare ex solo rectæ suæ rationis dictamine, & decentia sibi ipsi, non autem legi vlli debita, rectè necessario operatur; quin possit, quotiescumque operetur, à recto, & bono deficere.

6. Secunda conclusionis pars est nostri Ruiz, & Doctorum omnium pro sententia affirmante relatorum numero 3. neque ab vllo negatiuæ sententiæ Patrono negata, à sanoue Theologo neganda. Probatur: quia vesse Deum agereue aliquid ob bonum commune Reipublicæ (quod leges intendunt) atque etiam vniuersi, honestissimum est: ac proinde Deo decentissimum: huicque deficere, absque alia præstantiore ratione (etsi ius in Republica, & vniuerso proprium contrà Deum non adsit) inhonestum, ac turpe, vt de se patet: ergò in Deo est specialis illa virtus, quæ bonum Reipublicæ, quod leges, & vniuersi habitualiter attendat, eique cum Dei indecentia deficere non patiatur. Probatur secundò: quia, vt concluſ. 1. probatum est, iustitia, provt omnes virtutes, & distributiuè, & collectiuè acceptas significat, & coërcet atque omnem ab eis vel earum aliqua deficientiam seù defectibilitatem excludit, in Deo continetur (id quod intelligendum est de virtutibus omnibus, quæ essentia sua imperfectionem, aut indecentiam in eam habente nec arguant, nec deuoluant) Atqui velle, agereue Deum ob bonum commune Reipublicæ, ac vniuersi nullam imperfectionem aut indecentiam arguit, aut deuoluit in ita volente, aut agente: ergò & in Deo est, & ita vt omnem ab ea deficientiam seù defectibilitatem ab eo excludat. Probatur tertio ex iis, quæ concluſ. 3. statim dicemus. Cum autem in hoc respectu & attentione ad bonum commune Reipublicæ virtus hæc specialis Dei cum legibus omnibus Reipublicæ, & communitatis, quæ commune bonum illarum præcipuè, & directè intendunt, conueniat; dubium non est, quin aliquatenus siue ex parte obiecti formalis, & directi legum legalis virtus dici meritò debeat. Contra hanc secundam conclusionis affirmatiuam partem argumenta absolute negantium Deo legalem iustitiam non militant, immò neque eorum mens discordat, vt diximus, atque argumenta eorum memorata demonstrant.

7. Dubitatur secundò. An legalis iustitia in Dei prouidentia, & gubernatione rerum secundùm se sumptarum naturali, ac supernaturali exerceatur? & de propria negandum est ob rationes supra tactas; de impropria verò, quam admittimus, concedendum: etenim, quo ad creatorum agentium, & dispositionum naturalium exigentiam, vniuersi bonum, commoda, & splendorem à Deo primum inditam in naturali prouidentiâ, & gubernatione vniuersi, Deum illam, vt plurimum, attendere, & experientia demonstrat, & Philosophi Sapientiores, & Patres obseruarunt: vt Athenagoras libro de resurrectione post medium, Dionysius Areopagita c. 8. de diuinis nominibus à med. & vers. fin Tertull. 2. contra Marcionem cap. 11. fine & 12. sub init. August. lib. de quant. animæ c. 33. Ambros. in Psalm. 1. id Isaiæ 40. *Ecce gentes, vt stilla situlæ, & sicut momentum stateræ reputatæ.* Qui in eo iustum Dominum, & iustitiam, nostro hoc sensu, exercere aiunt: vt & Epiphanius hæresi 66. post epiq. Marcell. pag. 3. vbi etiam creati arbitrij libertatem constitui, seruatique iuxta eius exigentiam, non bonitati Dei solùm, sed & iustitiæ tribuit: sicuti & plures alij Patres à nobis recitati tom. 1. de Deo vno controuers. 3. d. 1. qu. 1. & 2. & in retributione bene, vel malefactorum ex temporalibus bonis, si iniusti, ac non sancti bene operantes sunt; ex spiritualibus, si iusti eadem gubernatrix Dei iustitia legalis explicata (vt abstraham modo an stricta sit?) intercedit, elucet in præmio infidelis Regis Babylonis Ezechiel. 29. & Ægyptiarum obstetricum masculos fœtus Hebræos occultantium exodi 1. vt Magn. Gregor. interpres est 8. Moral. cap. 2. post medium: in Romano imperio obseruauit Augustinus 5. de ciuitate cap. 12 & 13. & generaliter qu. 24. ex lib. 83. quæstionum quibus consonat S. Thom. 1. 2. q. 21. art. 3. & 4. qu. 114. art. 10. De iustorum vero, & prauorum iusta à Deo in alia vitâ retributione Athenagoras citato lib. post med. ad finem pene. Multa, & præclara Chrys. in 2. ad Timott. 1. homil. 3. & c. 3. homil. 8. sub moralis init. & 2. Corinth. 4. homil. 9. sub init. moral. ad Philip. 2. serm. 6. fine tom. 2. homil. 4. de Lazaro circa med. tom. 3. orat. 4. de prouidentia, seù faro, & lib. 1. de Prouidentia versus finem. Nazianz. carmine Iambico 1. quod est de se ipso aduersus inuidos vers. fin. Cyrill. Hierosolym. Cath. 18. col. 1, inde resurrectionem probans, Aug. 1. de libero arbitrio, & in Psalm. 72. *id labor est ante me donec introm in sanctuarium Dei & intelligam in nouissimis eorum.* Clem. Romanus 3. Recognit circa med. Basil. Homil. 12. in princip. Proverb. circa med. Tertull. 1. contra Marcionem c. 13. init. Clem. Alex. 1. Pædag. c. 8. longe à med. contra negantes Dei Prouidentiam, Anselm. cap. 11 Prosol. Damasc. 2. de fide c. post med. recitati à Ruiz d. 57. sect. 3. & alij, qui Dei iustam prouidentiam ex iusta operum retributione, vel in præsenti, vel in alia vita probant frequentissime: quod argumentum continent illa loca Hier. 12. *Iustus es Domine, si disputem tecum, verum tamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur?* &c. & Abacuc. 1. post med. *Respicere ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, & taces, deuorante impio iustiorem se?* & quæ in idem subdit. c. 2.

CERTAMEN II.

Propriæ, & strictæ iustitiæ definitio, explicatio, & in suas species diuisio.

1. VIgata apud omnes strictæ, ac propriæ iustitiæ definitio, ex constanti Philosophorum, & Iurisconsultorum sensu his traditur ab Vlpiano ff. de iustitia & iure. *Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*: quæ definitio ad verbum habetur institut. eodem titulo §. *iustitia*. Traditur etiam confuse à Patribus Aug. 1. de liber. arbitr. c. 13. sub init. *iustum, quid dicam esse nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur?* 19. de ciuit. c. 21. circa med. *iustitia ea virtus est, qua sua cuique tribuit.* q. 31. ex lib. 83. quæstionum sub initium. *Iustitia est habitus animi communi vtilitate conseruans suam cuique tribuens dignitatem.* Nyssen. orat. Catech. cap. 26. sub init. *iusti est pro meritis cuique tribuere, ab inferius: iustitia est proprium, vnicuique illa tribuens, cuius principia & causas prius secerat.* Nazianzen. carmin. Iambico 15. post initium: *iustitia est non plus ceteris requirere.* Isidor. 2. Etymol. cap. 24. circa med. et Socrate definit. *qua rectè iudicando sua cuique distribuuntur.* Eandem definitionem tradit Aristot. 5. Ethic. cap. 1. subiunctis enim definitioni ex ipso citatæ certam. 2. & 3. restrictionibus, in hanc de stricta propria hactenus ita tam generalis illa sua recidit prorsus: quare præsata iustitiæ propriæ definitio, vt dogma à Philosophis, Patribus, ac Theologis fixum, certumque ad rectè, in quæstionibus disputationis huius decidendis, habenda est. est autem in iustitia omni propria, & stricta æqualitatem rerum, in quibus exercenda est, essentialem respectum habere, inde enim iustitia, siue æqualitas in primis nominatur.

1. Ex ea verò definitione constat, ad iustitiæ propriè, & strictè dictæ rationem requiri, vt ius in eo ille strictum, ex quo, vel iuxtà quem alter contra alterum agat, vel sibi repetendo, aut retinendo aliquid ex iure suo contra alterum, vel alteri dando, aut denegando ex iure siue iuxta ius alterius, fit autem semper, vt iuri stricto alterius, inter quos exercenda iustitia est, debitum eius materiæ, in qua exercenda iustitia, est, in altero respondeat: ita, vt, ni is eam materiam habenti ius illud ad illam non tribuat, vel habenti ius in illa quia eam iusto possidet titulo, auferat, contra iustitiam, peccet, vt iniquus fur, vel rerentor. Porro hoc eodem modo indebito vnius respectu iuris alterius rem habere plures reputant: vt debitum alteri strictum esse nequeat, quin, & ius strictum sit in alio, cui exercendo, citrà iniustitiam, nequeat deficere. Cæterùm, etsi strictum debitum alicuius alterius, quin in hoc altero ius strictũ sit contra illum aliquem esse minimè possit; at ius hoc eius conditionis esse debere, vt illud habentem ex iustitiæ obligatione ad iuris illius exercitium, & vsum contra debitorem constringat, ne contra iustitiæ virtutem in exercitij omissione peccet, falsum omninò est. Etenim creditor quiuis ius strictum habet contra

contra debitorem huius debito stricto respondens, vt debitam summam ex iure suo, & stricta iustitia possit repetere, repetatque, si velit; cum tamen ad sui iuris vsum, & debiti repetitionem à debitore nullatenus ex iustitia compellatur: vt ni suo iure vtatur, ac repetat contra iustitiam delinquat: immò verò, vt ex amicitia, charitate, misericordia non petat, sed debitum potius totum condonet debitori suo stricto illo iure repetendi nullatenus prohibetur, vt patet id quod in hac disputatione præoculis habendum, vt æquiuocatio, ex qua affirmantes, & negantes strictæ ac propriæ iustitiæ Dei erga creaturas exercitium sæpè decertant, facile deprehendatur.

3. Iam stricta & propriæ iustitiæ species sunt iustitia commutatiua, iustitia distributiua præmiorum iustitia punitiua, seù vindicatiua: vt legalem specialem (de qua satis cert. 1.) missam nunc faciam, iustitia commutatiua essentia sua respicit æqualitatem dati, & accepti in iis, ad quæ ius aliquis habet atque alter ea ipsi reddendi proprium, ac strictum debitum. Eiusmodi æqualitatem dati, & accepti ita essentialiter à iustitia propria ac stricta commutatiua respici, vt nisi in iis esse strictam iustitiam repugnet, docuit Arist. 1. Ethic. c. 2, S. Th. 22. q. 61. art. 3. Ad hanc autem rationem dati & accepti propriam, idem Aristot. 5. Ethic. cap 4. & 5. videtur requirere, vt dominium dati, ex iustitia nullatenus penes dantem absolute remaneat, totumque dati eius dominium transeat, sitque penes illud ex iustitia, iureque stricto suo recipientem. Hoc tamen additum omnes fere iustitiam in Deo propriam specialem, & strictam asserentes, de speciali propria, & stricta iustitia esse negant; sed solum iustitiæ inter imperfectos agentes ex iustitia, nempe rationales creaturas: quod adeò apparentibus fundamentis ostendere conatus est noster Fassolus tom. 2. in 1. p. q. 21. art. 1. dubit. 1. à num. præsertim 17. vt negantem non rum etiam Ioannem Præpositum ad eundem articulum dub. 1. §. 2. à versu *Ad 1. arg. mentum aliquo modo* pene traxerit secum. Verum ego iis etiam omnibus fundamentis solita, debitaque, ac natiua mihi ingenuitate perpensis non acquiesco. Censeo enim hoc quod citatis locis ex 5. Ethic. Arist. dixit, nihil prorsus præter explicationem materiæ essentialis, seù necessariæ iustitiæ ab ipso designatæ 1. Ethic. c. 2. vocibus dati, & accepti addere. Neque enim datum, acceptumque absolutè absque absolutè talis dominij rerum datione, & acceptione esse potest: absolutè verò talis dominij datio, & acceptio absque eius abdicatione ex parte dantis, & translatione in accipientem esse nequit: quare nihil his terminis additur, sed dati, & accepti absolutè talium natura, & essentia explicatur. Aliud, quod Arist. 5. Ethic. cap. 2. vers. medium, & Philosophi addunt, pro materiali materiæ, in qua versari iustitia debet (nempè, vt sit vile recipienti) facilius posset ab vniuersalissima iustitiæ commutatiuæ ratione reiici, atque asseri ad iustitiam commutatiuam inter rationales creaturas tantum exercendam pertinere. Sed de hoc ex instituto q. 2. cert. 2. num. 3. & 4.

4. Secunda species iustitiæ propriæ specialis, & strictæ, vt diximus, iustitia distributiua est. Versaturque in bonis Reipublicæ, & communitatis, pro cuiusque meritis distribuendis; cum autem merita, non ex præcisa operum quantitate secundum se sumptorum attendantur semper, sed plerumque etiam personæ operantis dignitas ad eorum influat æstimationem; dubitatur: an æqualitas inter meritum, & mercedem illius seruanda mathematica, seù Arithmetica, an geometrica, & proportionalitatis esse debeat? Siquidem, non quantum mathematicè opus sit, sed moralis, ac prudens solum personæ atque dignitatis eius quantitas, & magnitudo ad æquam compensationem considerandæ est, quæ mensuræ mathematicæ, non subiacet, sed solum prudenti æstimationi. Ego verò censeo, si in præmium operum bona etiam publica distribuantur (aliud quippe erit de eis, quæ ob solam dignitatem personarum quandoque distribuuntur, & quæ præsentis disputationis è re non sunt) Mathematicam, & Arithmeticam æqualitatem, valoris meriti operis cum præmio seruandam ex iustitia distributiua, atque dignitatem personæ ad præmij qualitatem solum esse pensandam; quia respectu minus dignæ personæ recte operantis apta præmij materia est quę respectu dignioris esset inepta. Puta pecunia respectu Gregarij militis strenuè dimicantis apta præmij materia est; secus autem respectu viri Principis, seù Magnatis æquè strenuè se in bello gerentis, quem honoris solum præmia decent, æquè tamen in hoc genere magnitudinis cum præmij pecuniæ Gregario præstandi magnitudine; etsi quandoque præmij quantitas ad qualitatem, & qualitas ad quantitatem trahi ex operantis circumstantiis, & adiunctis possit: vt controuers. de merito, eiusque ad supernaturale præmium eleuatione fusè docui, nec nimis curtè controuersiis de incarnatione, plures de satisfactione, & merito Christi arduas alias difficultates inde complanans. Quoniam verò præmiorum distribuendorum bona communia Reipublicæ sunt ex eius iure eam æqualitatem præmij in distributione seruare ex iustitia tenetur distribuens, & naturæ, & Reipublicæ lege, atque ex iure inde etiam orto personæ rectè operanti præferreque, si præmium vnicum sit competitoresque plures digniorem, si cuti & cum plures ad concursum & certamen, siue literarium siue militare quidue simile pro præmio aliquo consequendo vocantur. Tunc enim digniori iure naturali indispensabili debetur: non autem minus digno, tametsi digno; nisi concursus ad examen solius sufficientiæ sit, vt in præbendis, seù beneficiis patrimonialibus, quæ dicunt, sæpè contingit.

5. Tertia iustitiæ propriæ, & specialis species est vindicatiua, seù punitiua iustitia quæ in suppliciis iuxta scelerum magnitudinem infligendis, ergà iniquos, & prauos exercetur à legitima iudicis potestate, in iudicibus creatis legitima potestas à Republica tandem prouenit, quæ vel per se immediatè, vel per Principem, in quem ipsa ius dicendi, atque gubernandi contulit potestatem, iudicem constituit, cuius constitutione, & acceptatione, manet Reipublicæ ex iustitia obligatus ad æquam vindictam de malefactoribus per pœnas inflictas sumendam, atque item priuatis personis à delinquente læsis, quarumque proinde interfit vindicta, & satisfactio: quare sic constituto iudici liberum, integrumque non est pœnam debitam delinquenti non infligere; sed in pœnæ debitæ, siue ex parte, siue ex toto remissione in Rempublicam, & priuatam, si adsit, personam delinquentis crimine læsam peccabit contra iustitiam quod ipsum de Republica, si sibi ius puniendi reseruat, & de Principe, Regeque, cui etiam ea potestas à Republica facta est, dici prorsus debet. Cæterùm Deo, cui natura sua ac prorsus à lege omni exempto, nec ab alio, sed à se ipso omnium creatorum iudici, ac Domino, etsi, qua iudici formaliter, ius vindictæ malefactorum proprium, & strictum competat, non autem puniendi obligatio, quæ ex iure, vel reipublicæ, vel priuatæ personæ læsæ contrà ipsum oriri solummodo posset: quod quæri, pararique siue priuatæ personæ, siue creaturarum vniuersitati à delinquente læsis contra Deum nequit. Vnde fit, vt iudiciariæ huius potestatis diuinæ iurisque supremi vindicandi, atque puniendi delicta exercitium integrum, liberumque omninò natura sit, quin in pœnarum, siue ex parte sui siue ex toto, remissione delinquenti cuiuis facta, contra iustitiam, iusve aliquod delinquat; tametsi iure suo proprio, & stricto vti contra delinquentes possit, vtaturque de facto, cum ex ea iudiciaria potestate fontes punit; ac proinde & ius illud, in delinquentes exercet, quo ius hoc proprium Dei contrà delinquentes valdè à iure priuatæ personæ læsæ delictis alterius differt. Huius enim ius iudiciarium non est, nec ad malefactorum etiam contra ipsum punitionem, & vindictam, sed pure commutatiuæ iustitiæ, vt tantundem ei refarciatur, quantum damni passus alterius scelere fuit: ex quo agere coram publica potestate contrà sui læsorem debet: & quod ad animi cruciatum, coram Deo, qui eius vindictam sibi ad Roman. 12. reseruauit illis verbis *Mihi vindicta, vt ego retribuam dicit dominus*: ne odiis, & hostilitatibus, pro animi cruciatu, & dolore vindicando se se homines dissecarent, & discerperent; vt contr. de Incarnat. naturalem in æternitate pœnæ ob mortale quoduis infligendæ iustitiam Dei probantes explicabamus.

QVÆSTIO II.

Sitnè Dei ad creaturas commutatiua iustitia.

AN in Deo sit specialis propria, & stricta iustitia vniuersim ? solet ab aliquibus primo loco disputari. Verum, cum genus nullum secluſa rationis præcisione, & figmento extra omnes species suas esse possit, nulla alia ratione, an Deo iustitiæ specialis propriæ & strictæ, vniuersim siue genericè sumptæ conueniat examinari, definirique melius potest, quam omnes eius enumeratas species disputatione singulatim percurrendo. Si enim nulla enumeratarum specierum iustitiæ specialis, & propriæ Deo conueniat, nec genus iustitiæ specialis propriæ, & strictæ Deo competere euidentissimum est. Si autem species aliqua iustitiæ specialis propriæ & strictæ Deo conueniat, & genus conuenire æquè est certum & perspicuum: cum species sine genere suo nullibi esse vllatenus possit. Quocirca meritò ineuitabilis inconsequentiæ arguuntur à Fasolo 1. p. quæstion. 21. art. 1. dubit. 1. numero 5. Ricard. in 4. d. 46. art. 1. quæstion. 1. Nazarius 1. p. q. 21. art. 1. controuers. vnic. Gonzalez Albelda d. 63. qui iustitiam specialem propriam Deo vniuersim negant; cum tamen eius propriam speciem distributiuam ipsi concedant.

CERTAMEN I.

Contradictoriarum sententiarum Patroni, & solida nostræ negantis fundamenta aliqua.

1. IVstitiam commutatiuam Dei ad homines secundum se spectati, omnique eius promissione, & pacto cum hominibus secluso nemo Theologorum agnoscit; eo verò supposito iustitiam commutatiuam Dei ad homines asserunt Aureolus in 1. d. 46. art. 1. colum. vlt. & in 4. d. 46. art. vnic. à med. Supplementum Gabriel. ibi q. vnic. concluſ. 2. Capreol. in 2. d. 27. qu. vnic. art. 3. vbi in hanc sententiam S. Thom. explicat multis locis, & cum aliis vbi negatiuam docet conciliat: quem imitatur Syluester 1. p. conflatorij qu. 21. art. 2. §. 5. multorum interpretationem ad S. Thom. loca esse dicens. Ipseque in affirmantem etiam non obscurè videtur iuisse. Cæterùm S. Thom. & vtriusque huius Thomistæ sententia solum est de æqualitate, quasi quantitatiua operum à iusto, & sanctificante gratia informato procedentium (vt ex locis, quæ latè congerit Fasolus dub. 2. à numer. 26. ad 29. incluſiuè legenti constabit) quod secluſa etiam promissione præmij gloriæ ea opera habent, vt nos etiam, & negantis sententiæ Primipilus Vasquez noster fatetur. Secluſa autem promissione, nec ius ad gloriam iustis fore: neque Deum cum illis ex iustitia commutatiua in gloriæ retributione se gerere posse concors horum, & omnium Theologorum sententia est: quare ex veteribus scholasticis pro affirmante sententia vnus reperitur aut alter. Pluribus siquidem antiquis, quos Fasolus num. 30. in affirmantem sententiam interpretari conatur, nihil aliud sua interpretatione, & locorum inductione euincit, quam opere iustorum habere cum præmio supernaturali æqualitatem, eam verò Recentioribus multis expensis fundatam tradidit Soarius noster tom. 3. de gratia lib. 12. cap. 30. tom. 1. in 3. p. d. 4. sect. 5. & 6. tom. opuscul. relect. de libertate diuina d. 2. sect. 2. ac fusa tota d. de iustitia Dei: Valentia 1. p. d. 1. qu. 21. puncto 1. quos imitati sunt. Rebellus 1. de iustit. qu. 4. sect. 3. Raguſa 3. p. d. 3 §. 6. d. 20. §. 2. Granado tom. 2. tract. 7. d. 4. sect. 2. Fasolus tom. 2. in 1. p. q. 21. art. 1. dubit. 2: num. 26. Dicastillo de iust. & iure lib. 2. tract. 1. d. 2. dubit. 2. num. 47. probabilemque censet; Ioannes Præpositus 1. p. quæstion. 21. articul. 1. dub. 1. §. 2. à versu *Aduerte his* ad partragraphi finem. Didacus Ruiz d. 58. sect. 1. vt ex variis eius conclusionibus. 1. 2. & 3. & ex sect. 4. ac deinceps constat. tametsi speciali suæ doctrinæ de debito rerum promissorum non autem promittentis à nobis impugnatæ d. 1. qu. 3. Tannerus d. 1. de Incarnatione qu. 2. dub. 6. & 1. p. d. 2. qu. 10. dub. 20. Puente Hurtado 3. p. tota d. 12. Arriaga 1. p. tract. 1. d. 31. à sect. 2. ex iacto principio d. 30. de dominio dorum in solidum simul circa rem eandem; citatur etiam à Tannero & à Ruiz sect. 2. numer. 3. Albertin. tract. 1. corollar. quæst. 18. Theolog. ex 1. prin. Philosoph. d. 3. ex cæteris huic affirmatiuæ sententiæ adhæsere Medin. 1. p. q. 1. a. 2 Aluar. ibidem 44. n. 33. Cabrera ibidem d. 7. & 8. Rubeus in 4. d. 46. init.

2. Sententia Deo commutatiuam iustitiam ad homines siue creaturas rationales absolutè negans veriorque cui dubio nobis, & communior Theologis semper fuit. Pro qua sunt ij omnes, qui specialem strictam propriamque iustitiam vniuersim ad homines negarunt Alex. 1. p. qu. 39. m. 1. Albert. qu 80. m. 2. art. 2. p. 2. colum. 2. & ad 8. Durand. in 2. d. 27. qu. 2. & in 4 d. 46. qu. 1. art. 1. concluſ. 3. & 4. Gregor. in 1. d. 17. qu. 1. artic. 2. longe à med. probat. præsertim 2. Maior. in 2. d. 17. qu. vnic. init. Marsil. qu. 18. art. 4. versus fin. ad 1. obiect. & ad 5. rationem principalem. Scotus in 4. d. 46. qu. vnic. §. *de primo videndum* iuncto §. *ad præpositum* in solut. 2. Bassolis ibi artic. 1. Supplementum Gabriel. q. 1. art. 2. concluſ. 2. & d. 49. q. 4. art. 3. dub. 3. med. Trigosius in 1. p. S. Bonauent. qu. 17. art. 1. dub. 1. Pesant. 1. p. qu. 21. d. 1. Lorca 1. 2. d. 44. de gratia §. *His præmiſſis* 3. p. d. 8. concluſ. 1. Salon. 2. 2. qu. 57. art. 4. ad 3. & 4. Medina 1. 2. qu. 114. art. 3. ad 4 ex initio positis & dubio ibi proposito & 3. p. qu. 1. art. 2. dub. vltim. §. *ad vltimum argumentum*. Vazquez 1. p. d. 85. & 86. 1. 2. t. 2. d. 223. & 3. p. t. 1. d. 7. d. 9. t. 4. quæstion. 85. artic. 3. dub. vnic. Bann. in 1. p. qu. 21. art. 1. vbi Molina. §. *quinto addendum* & seq. & 1. de iustit. d. 7. §. *Obserua*. Arrubal. 1. p. qu. 21. art. 1. num. 5. Lessius 2. de iustit. cap. 18. dub. 8. num. 57. fine de perfect. diuinis lib. 11 cap. 6. num. 61. & 62. lib. 13. cap. 2. Osorius 6. de iustit. Nauarrete tom. 2. in 1. p. controuers. 28. Stapleton. 10. de iustific. cap. 10. Raynaudus 5. de virtutib. num. 104. Torres 2. 2. tom. 2. d. 5. dub. 1. num. 7. dub. 2. num. 1. & dub. 2. Koninc. de fide d. 8. dub. 3. & 4. tom. 2. de Sacram. d. 1. dub. pænit. dub. 4. num. 23. & quotquot Vasquez Scholam sunt hactenus professi Prouinciani nostri ferè ad hæc tempora omnes; in quibus Magnus Magister meus Didacus Daza, aliique plures à nobis relati controuers. 2. de incarnat. d. 2. quæstion. 2. & 3. certam. 1. Ex aliis verò, qui Deo vniuersim strictam iustitiam non abnuunt, commutatiuam tamen nobiscum negant. Magist. 4. d. 46. §. *sed quomodo*. S. Thom. 1. 2. quæst. 21. art. 1. corp. & in 4. d. 46. quæstion 1. art. 1. quæstiun. 1. corp. circa med. & 1. cont. gent. cap. 93. vers. fin. & cap. 94. Scotus in 4. d. 46. qu. 1. §. *Ad propositum* & solut. argument. Ægid. in 2. d. 27 qu. 2. art. 3. & 4. solutionibus argument. Richard. ibi art. 2. quæstion. 3. ad 3. & in 4. d. 46. art. 1. quæstion. 1. Argent. qu. vn. art. 1. consone sibi in 2. d. 27. qu. vnic. art. 4. concluſ. 2. & ad 1. Carthus. in 4. d. 46. quæstion. 1. & 2. & in 2. d. 27. quæstion. 2. in relat. sententiar. S. Thom. ne referens Petrum Lombardum & Alrisiodorensem, Capreol. in 4. d. 45. quæstion. 1. artic. 1. concluſ. 1. & ad argument. Aureoli contra illam Deza in 2. d. 27. quæstion. vnic. art. 3. not. 1. Caietan. 22. quæstion. 61. art. 4. ad 1. Ferrara 1. cont. gent. cap. 91. *sed dubium* & §. *Ad cuius euidentiam* Conrad. 1. 2. quæstion. 114. art. 1. circa respons. ad 2. Sotus 3. de iustitia qu. 3. art. 4. & ad 1. de nat. & gra. lib. 3. cap. 7. Ruard. Tapper. art. 11 cont. Luther. §. *Tertia est difficultas* contelle. fide cap. 73. vers. med. §. *Cæterum cum dicit* & med. §. *Dionysius vero Carthusian.* & sequent. Vega. lib. 10. in Tridentin. cap. 1. post med. opusc. de iustificat. qu. 5. ad

ad 3. §. *Ad confirmationem.* Bellarmin. 5. de iustificat. cap. 16. fine Arragon. 2 2. q. 61. art. 4. Zumel. 1. 2. q. 114. ac Interpretes S. Thom. 1. part. q. 21. art. 1. Caiet. & Bann. Pesant. d vn. concl. 3. Gonzalez Albelda d. 63. sect. 1. Ripa. Nazar. & Nauarrete noster Ioannes Præposit. dubit. 1. §. secundo.

3. Ex quorum citatione liquidò constat, quantum nostra hæc sententia Deo iustitiam commutatiuam propriè talem negans Scholasticorum authoritate affirmatiuè excedat: siquidem ex Priscis Theologis vnus Aureolus exploratus eius assertor contra reliquos fuit, vixque alter ex æquiuoca aliqua sententia sua alicubi prolata, vtcumque, à Recentioribus induci cassò labore pro illa potest, cum eam de iustitia, vt summum, distributiua loqui, & textu ipso, & ex aliis eius locis, vbi de commutatiua iustitia ex instituto disputabat apertum sit: vt videre est in Capreolo locis citatis. Sed quoniam affirmatiuæ sententiæ Patroni Recentiores S. Thomam distortis plurium locorum eius allegationibus, & interpretationibus in suas partes trahere contendunt. Constanter illum Deo commutatiuam ad homines iustitiam propriam negasse ostendendum hic erit, & quidem loca omnia, quæ ex S. Thom. pro affirmatiua inducuntur iuncta etiam Capreoli interpretatione in 2. d 27. q. vnic. art. 3. init. dicentis ad Durandi obiectionem S. Thomam in summa distinctionariorum sententiam negatiuam hanc mutasse, cum nullus summæ locus id suadens afferatur à Capreolo, inane est: quin neque sententiæ huius negatiuæ retractationem à Sancto Thoma in summa præstitam Capreolus ipse credidit, cum eo ipso loco, & citato alio, ex 4. sententiarum d. 2 5. negatiuam nostram conclusionem vti S. Thom. doctrinam tueatur: loca verò ipsa, quæ ex Sancto Thoma pro affirmatiua sententia proferuntur à Capreolo, & à nostro Fasolo vbetius congeruntur, solum probant mentem Sanct. Thomæ, & Capreoli fuisse operibus iustorum, quæ secundum se, & intrinsecum sui considerata æqualitatem & condignitatem cum supernaturali præmio gloriæ non haberent ex sanctitate operantis, & gratiæ iustificantis informatione æqualitatem & condignitatem sortiri, vt num. 1. diceb amus: quare non inde à iustitiæ proprietate præmij retributionem deficere, si reliqua ad iustitiæ propriæ speciem aliquam ex enumeratis requisita non absint; vti ad speciem commutatiuæ in Sancto Thoma sententia absunt, abesseque eius argumentis monstrabimus ex locis 1. part. & 1. 2. & 2. contra gentes desumptis, quæ Doctoribus sententiæ suæ communia, & receptissima sunt, nec leui roboris sui argumento: cum tot, tantosque Scholasticos, tot etiam sæculis, in eius negatiuam sententiam pertraxerint.

4. Probatur primo ratione Sancti Thomæ 1. p. q. 21. art. 1. corpore, vbi de iustitia commutatiua ait. *Hæc non competit Deo, quia, vt dicit Apostolus Rom. 2. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quibus hæc ratio continetur, iustitia commutatiua Dei ad creaturas rationales necessario, & ex specie iustitiæ commutatiuæ versari debet inter acceptum prius, & tantumdem redditum in compensationem: atqui nihil prius accipit Deus à creatura rationali: ergo neque ex iustitia commutatiua potest reddere tantundem. Minor probatur: quia nihil à creatura rationali Deus, sensu aliquali potest recipere, nisi bona opera meritoria: atqui hæc non accipit quin prius Deus ipse donet aliquid, ratione cuius (etsi alia deessent) ea ipsa honesta opera Deo debeantur, eiusq; censentur: ergo nihil accipit prius Deus à creatura, quod soluere deinde, atque ex iustitia commutatiua reddere possit. Confirmatur: quia idem ipsum nequit aliquem debitorem alicui, & creditorem illius constituere: atqui bona ipsa opera honesta, & Dei beneficia, ac dona sunt, quæ dubio procul Deo debemus: ergo eis ipsis non possumus se victi creditores Dei constituti. Confirmatur secundo: quia neque solutio, neque obligatio ex iustitia propria commutatiua oriri, fundarive potest in dato, aut accepto creditoris, atqui nostra bona, & honesta opera, bona sunt Dei, & principalius, quam nostri: ergo eis nequit fundari, oririve satisfactio nostri, aut obligatio Dei ex iustitia propria, & stricta commutatiua. Dices: opera nostra honesta ex dominio & potestate indifferenti atque bono vsu arbitrij nostri gratiæ auxiliantis procedere debere, & factoque procedere: qua ratione à nostra etiam libertate sunt. Deoque exhibentur, nec ea ratione, & denominatione à Deo, eiusque gratia prouenium magis, quam operatio, seu effectus à duplici principali principio, seu agente essentialiter subordinato inuicem in operando, quatenus ab vno est, ab altero cum principio sit, aut esse ab illo dici queat. Patet in visione quavis à potentia, & obiecto, siue immediatè, siue mediis speciebus, tanquam à duplici partiali agente, siue principio essentialiter subordinato inuicem in elicienda visione: quæ quidem, vt ab obiecto est, non est à potentia, neque è contra, vt à potentia esse ab obiecto dici potest. Et quidem, si etiam, quatenus à nostro arbitrio bonoque vsu nostro gratiæ auxiliantis, ab hac & Deo opus nostrum venire proximè, & formaliter censeatur, & quid laudis, meritique nostri in bonis, ac honestis operibus erit, quod Deus, non quidem ex iustitia propria commutatiua, sed ex quavis alia virtute præmiet in nobis? Siquidem, vt à gratia Dei formaliter opus nostrum honestum est, meritum apud ipsum, nobisque, nostræque industriæ ad laudem imputabile non est: atqui, vt à nobis etiam proximè, & formaliter honestum opus nostrum, iuxta argumenti huius doctrinam, est, à Dei gratia est: ergo nec meritorium apud Deum, nec nobis ad laudem imputabile est, quod est erroneum.

5. Nihilominus solutio hæc eis etiam instantiis, & exemplis confirmata nullius est ponderis: etsi enim in comprincipiis, & concausis subordinatis essentialiter in operando, atque vno solum eodemque gradu ad operationem, & effectum concurrentibus propria cuiusque in suo ordine virtute, atque in illa ab alterius virtute impendentibus, verum omnino sit: effectum, & operationem, vt ab vno comprincipio est, & procedit, nec esse, nec procedere ab alio, vt visionis exemplum euincit; aft in iis, quorum alterum principium non in operando in actu secundo solum, sed in actu etiam primo subordinatur, verum non habet. Tunc enim nequit ab ita à subordinato principio operatio, & effectus procedere, quin vt ab eo etiam prouenium, ab illo alio principio, seu comprincipio, cui ita alterum subordinatur, prouenia. Sicautem res habet in arbitrio nostro respectu gratiæ auxiliantis diuinæ, qua etiam posse bene operari iuxta fidei dogmata completur, & cuius vsus arbitrio nostro committitur: quare & implicat bonum arbitrij nostri vsum esse, quin, & gratiæ qua in actu primo completur bonus etiam vsus sit: quin neque aliter, nisi per bonum arbitrij, cui, qua tale quoad vsum sui, gratia auxilians committitur, potest ad bonum, & honestum opus Dei auxilium concurrere: quare eiusmodi opus, provt ab auxilio arbitrij vsum, & industriam non excludit, sed includit: nec huius vsus, & industria gratiæ in ipsum excludit, sed includit influxum: quare, nec laus, & meritum nostrum in bono opere euacuatur. Cum autem, & gratia auxilians omnis à Deo, Deique sit, & ex qua bonus arbitrij, & gratiæ vsus absolutè erit, ex scientia huius conditionata Deo nobis donetur, & bonus ipse arbitrij, & gratiæ vsus honestumque opus physica eius auxilij donatione merito, morali, prudentique omni æstimatione donari nobis à Deo censetur, *in radice bonæ vocationis*, vt ex Augustino, & aliis Patribus Theologi omnes fatentur, voluisseque Deum misericordem, vt indefectibiliter præmianda *merita nostra sint, quæ sunt ipsius dona*, cum libere atque è sua in nos benigna voluntate illis vitæ æternæ præmium promisit, quod tamen absolutè posset denegare. Adde (quod adeo exacta, & subtili concursus gratiæ & arbitrij nostri in opus honestum indagine ex Patribus & Scholasticis opus non habet) honestum quodvis opus nostrum, & Dei, & nostrum indiuisim opus esse: cum essentialiter, & gratiæ Dei, & arbitrij nostri opus procul dubio sit ex fidei dogmatibus: eo autem, quod indiuisim essentia sua bonum vtriusque est in sui positione, & absoluta exhibitione, nequit in eius, ex parte adhuc sui, exhibitione, alterius creditor strictus fieri, illumve stringere, & iustitia præsertim commutatiua, debitorem tenere, vt de se patet: atque exemplo bonorum, quæ plurium pro indiuiso necessario sint, ac permaneant (quibus nullus aliis simul dominis satisfacere ex iustitia,

eosve debitores tenere potest, ni partiali se dominio abdicet (certissimum est: abdicatio vero in præsenti est impossibilis cum nequeat non bene operans ex parte sui ad bonum opus, eiusque positionem concurrere idve in Deum transferre: nec bonum opus absque concursu Dei per gratiam exhibere. Hoc autem argumentum ex necessitate concursus generalis Dei, vt causæ primæ, æquo robore formatur, siquidem eo etiam titulo indiuisim realiter sibi exhibere debet, quod à quavis creata exhibetur, ac ponitur indiuisim.

6. In hac essentiali iustitiæ commutatiuæ dati, & accepti conditionem imbibitam esse diximus abdicationes dominij ab eo, qui ex iustitia, præsertim commutatiua, aliquid dat, & transmutationem dominij in eum, qui ex iustitia illud aliquid recipit. Vnde efformari validum aliud argumentum pro nostra negatiua conclusione solet; sed, cuius tot affirmatiuæ Patroni effugia tentarint, vt eis præcludendis certamen integrum secundum nce admodum breue, opus sit. Idcirco breuius arguo secundò cum Sancto Thoma 2. contra gent. cap. 93. & aliis locis citatis & Theologis omnibus antiquis: quia de ratione essentiali iustitiæ propriæ, & præsertim commutatiuæ debet esse in altero ius proprium, ex quo rem possit pro sua voluntate & arbitrio exigere ab altero, isque debeat reddere debitum ad nutum alterius, ne sit iniustus erga illum: atqui Deo repugnat debitorem esse, taleve strictum debitum habere rationali creaturæ: ergo & repugnat Deo iustitia propria commutatiua erga creaturam. Minor probatur: quia tale debitum strictum, & proprium iustitiæ, ex iure stricto alterius contra ipsum dicit in eo subiectionem, & dependentiam à voluntate alterius, scilicet creditoris habentis ius in illum, vt reddat, quod ipsi debet: quod prorsus Deo repugnat in vlla circumstantia, coniunctove rerum conuenire. Dices: debitum, subiectionem, & dependentiam illam à voluntate alterius in debito reddendo, ne contra iustitiam, & iniuste agat, & qua subinde ab illo omnimoda necessitate impeccabilis omnino Deus agatur, naturalem quidem, siue è superioris lege prouenientem imperfectionem Deo indignam eiusque perfectionibus repugnantem esse: at, si è libera Dei voluntate promittendi proueniat, nihil Deo indignum, atque eius perfectionibus repugnans inuoluere: id enim solum est, ex libera suæ voluntatis determinatione pati necessitatem Deum posse, quam sæpè de facto patitur (nempe ex efficaci finis alicuius intentione electionis necessitatem) reddendi promissa. Sed contra: quia necessitates istæ ex intentione efficaci finis ad electionem, & ex promissione ad promissa solam dicunt necessitatem ex Deo intrinsecis perfectionibus infrustrabilitatis diuinæ voluntatis, & veracitatis, seu fidelitatis, & libertate affectus intrinseci Deo: quare solum à seipso & libertate voluntatis suæ, suisque perfectionibus, & decentia propria necessitatur Deus; ast debito proprio iustitiæ ad alterum admisso, ortoque ex iure alterius admittitur ad alterum subiectio & dependentia ex stricta ab alterius voluntate, quæ etsi è libera promissione tandem prouenianr, imperfectionem dicunt Deo indignam. Confirmatur: quia implicat libera & expressa voluntate Dei posse Deum subiectum creaturæ, & ab ea obsolutè dependentem se constituere: quia essentia sua independens ab ea illique superior est: quare voluntas illa esset de obiecto contradictorio, & subinde impossibilis: ergo implicat se constituere à libera adhuc promissione sua debitorem proprie & strictæ respectu creaturæ in quo & subiectio, & dependentia ab huius voluntate continetur.

7. Argumentor tertio: implicat debitum proprium, etiam ex promissione, alicuius rei ad alterum in eo qui absque huius alterius iniuria & iniustitia re eadem vti pro libito potest: atqui Deus vti pro libito potest rebus, & creaturæ rationali adhuc promissis, absque iniuria, & iniustitia creaturæ facta (etsi ex debito decentiæ veracitatis suæ absolutè promissis rebus vti nequeat eas non præstando) ergo Deo implicat debitum proprium creaturæ, adhuc ex promissione. Minor probatur: facta adhuc promissione à Deo de re quavis præstanda creaturæ, stat dominium absolutum & supremum ab ipso inabdicabile, atque intransferibile in creaturam rei illius promissæ: ergo, & potestas vtendi pro libito re illa, eam vel præstando, vel denegando promissariæ creaturæ absque iniuria, & iniustitia in creaturam promissariam. Consequentia certissima est. Antecedens probo: implicat aliquem iniuriam, seu iniustitiam alicui irrogare in vsu, & exercitio iuris sui proprij, ac legitimæ potestatis: Ast denegare rem promissam creaturæ, est vsus iuris, & legitimæ potestatis diuini supremi à Deo inabdicabilis, & in creaturam intransferibilis, æque atque illam præstare creaturæ promissariæ: ergo implicat in rei promissæ denegatione à Deo irrogari iniuriam, & iniustitiam promissariæ creaturæ. Minor proxima probatur. Nam dominium Dei supremum inabdicabile & intransferibile in creaturam, est dominium, & ius, seu potestas vtendi creatis rebus omnibus, & singulis in omnem earum vsum, tam productionis & conseruationis, quam non productionis earum eos omnes vsus indiuisibiliter, non solum physicè (quod satis ad rem præsentem foret) sed, & metaphysice, indiuisibiliter concernens, vt docuimus de omnipotentia, atque omnibus attributis diuinis vniuersim t. 1. d. 1. de essentia & attributis, atque t. hoc 2. contro. 4. de voluntate: nimirum, eorum singula in omnes terminos, & actus possibiles eadem, metaphysice adhuc, indistincti ac indiuisibili formalitate ferri: quare facta impossibili tendentia, seu extensione illius ad aliquem terminum, aut vsum absolute possibilem aliunde, quam positione termini, aut vsus oppositi absolutè possibilis, aut obiti culo alterius perfectionis diuinæ intrinsecæ prorsus Deo attributum diuinum pessumiret: implicat ergo per ius intrinsecum creaturæ adhuc promissione quæ litum contra Deum, vsum denegandi rem promissam fieri iuri & Dominio Dei formaliter impossibilem, quin supremum, & inabdicabile Dei dominium in omnia, & singula creata pereat: etsi non pereat ex eo quod è Dei intrinseca decentia & fidelitate ex promissione diuina eiusmodi vsus impediatur.

8. Arguo quartò: quia, vel promissio Dei vi sui, & essentia sua ius strictum contra Deum creaturæ parit, atque respondens ipsi debitum strictum creaturæ (nec solum sibi ipsi, ac decentiæ suæ) ponit in Deo, vel non ponit ac proinde, nec ius strictum quæritur creaturæ contra Deum ex promissione sua. Si primum: ergo ex promissione diuina de præstanda gratia iustificatiua, vel gloria meritis solum de congruo peccatoribus ius his strictum contra Deum quæritur ac debitum etiam strictum ipsis reddendi Deo agnoscitur: ac proinde ex iustitia propria commutatiua eas Deus retribuet contra affirmantis sententiæ præcipuos Recentissimos Patronos, Ruiz d. 58. sect. 10. Fasolum dubitat. 1. numero 7. Arriagam d. 1. sect. 3. sub sect. 1. §. *Conclusio nostra* argumentum petito ex Tridentino: addentes gratiam Deo promissam adultis satis attritis in Sacramento pœnitentiæ non dari ex stricto ipsorum iure, ac debito Dei, vi promissionis illius; ac proinde, neque, huius accessu meritis congruis, esse propriæ coronam iustitiæ, mercedem, aut brauium, vt esse respectu iustorum bene operantium, & mercentium de condigno dicitur à Tridentino: ergo vi & efficaci promissionis diuinæ, nec quæritur promissariæ creaturæ ius strictum contra Deum, neque huic adæquatum debitum iustitiæ præstandi promissa. Nec valet requiri vltra promissionem operum quibus promittitur intrinsecam ex operantis iustitia, & sanctitate condignitatem. Primò; quia in plurium ita respondentium sententia, absque promissione condignitas operum iusti operantis non est. Secundò: quia, etsi condignitas in eius operibus sit citra promissionem, vt vere est: ast ius nullum ex ea condignitate strictum contra Deum quæritur iusto bene operanti: quare totum hoc ius, & debitum strictum è sola diuina promissione oriri debet, ab oriatur, vnde, & ex promissione facta à Deo operibus de congruo: nam ius ex promissione ortum totam æqualitatem cum re promissa habet, vt, tantillo etiam minori re, quam promissa ei nequeat satisfieri: æqualitas autem cum præmio operum de congruo solum præstat, vt merita illa à præmio non excedantur iustaque sint, ac proinde de materialiter iusta & iustitiæ apta materia de sese sint, si strictum ius operantis, & debitum præmiantis adesset & ex promissionis essentia, & natura proueniret, quæ inde prouenire non posse ex promissione

missione facta à Deo meritis de congruo hactenus in aduersariorum doctrina probatum est.

9. Confirmatur : quia promissio à persona debiti stricti capaci facta alteri capaci iuris contra illam non pendet quoad iuris, ac debiti inter illas inductionem ab æqualitate rei, seu operis exhibendi ab eo cui sub illo promittitur cum præmio, seu re promissa : quin ex gratuita omnino & liberali promissione, ac nullatenus onerosa ius strictum contra promissorem, & in hoc debitum strictum præstandi promissa necessariò suboritur : Atqui per vos ex promissione Dei de aliquo præstando sub conditione operis meritorij de congruo, ac non de condigno : & multo magis ex promissione eius prorsus gratuita & liberali non oritur in creatura promissaria ius strictum contra Deum promittentem, neque in hoc debitum strictum iustitiæ, sed sibi solum, decentiæ & fidelitatis ad præstandum promissario rem promissam : Ergo promissio, siue gratuita, siue onerosa, Dei ad creaturam non inducit ius creaturæ contra Deum, nec in hoc debitum creaturæ : quia hic eius debiti, ille verò iuris eius incapaces sunt. Potrò hoc argumento ostenditur : quare, & quomodo Deus ex promissione sua, etiam onerosa, debitum solius fidelitatis, non autem iustitiæ contrahat : id quod imperceptibile citati nuper aduersarij censent, & ex negatiuæ nostræ sententiæ Patronis fatetur noster Ioannes Præpositus : sicut enim per hos Doctores cum promissio Dei de præstando aliquo sub onere operis non meritorij de condigno, ac multo magis prorsus gratuita, & liberali, ac nullatenus onerosa, intelligi potest contra id quod in promissione creaturæ rationalis ad aliam certa ac stata euenit lege) Deum solum ex fidelitate, sibique ex decentia sua manere obligatum non autem creaturæ ex iustitia iureve huic contra ipsum ex ea promissione quæsito, debitoque ipsius præstandi promissa suborto : quod, nisi ex incapacitate iuris eius in illa, ac debiti stricti creaturæ in Deo, nequit prouenire, idem ipsum cum Dei promissio sub onere meriti de condigno, & æqualis rei sub illo promissæ euenire facile percipi potest : immò, & intelligi debet ; cum solum ex præfata incapacitate proueniat. Vnde etiam fundamentum totum aduersariorum à ratione ex natura, & vi promissionis petitum euanescit vt patet.

CERTAMEN II.

Eiusdem negatiuæ conclusionis probationes reliquæ.

1. SIt probatio quinta (quam certamine 1. numero 6. huc remisimus) ex natura dati & accepti : in qua abdicationem Dominij rei datæ in dante ex iustitia, eiusque translationem in accipiente diximus contineri q. 1. certam. 2. num. 3. vel si mauis, inseparabiliter, atque indefectibiliter illam comitari ac sequi : vt proinde in ea virtualiter contineatur. Ratio est, quam ibi insinuauimus : quia implicat rei absoluta donatio consummata, & perfecta cum dominio absoluto ex parte dantis. Ergo implicat absoluta donatio consummata, sine abdicatione dominij ex parte dantis, & translatione illius in recipientem, alioqui dominium absolutum rei absolutè, & consummate donatæ in dante perstaret simul cum dominio absoluto rei eiusdem ex parte recipientis absque repugnantia quam in minori syllogismi primi asserebamus. Probatur autem hæc minor, ex iuris axiomate, quo illam probamus contro. 2. de Incarnat. d. de necess. Incarnationis ad satisfactionem pro mortali peccato de rigore iustitiæ : quia, ni rei eiusdem dominium absolutum ex parte recipientis implicet cum dominio absoluto ex parte dantis circa rem eandem absolute, & consummate donatum, non implicabit dominium in solidum rei eiusdem penes duos simul, vt patet : ergo implicat dominium rei absolute, & consummate donatæ ex parte recipientis, cum rei eiusdem absoluto dominio ex parte dantis. Maior iuris axioma est : quod ad eius firmitatem satis esse deberet, ni Recentiores, plusquam oporteat, liceatque, illius firmitatem subtilitatibus (nescio an futilitatibus) tentare, imò & illud amouere fuissent aggressi : quos tamen loco citato de Incarnatione satis impugnauimus, vbi earum subtilitatum paralogismos deteximus.

2. Probatur tamen ratione à priori ibidem data, è dominij absoluti essentia, & stata definitione ex qua proxime Axioma illud iuris deductum est, atque immediate demonstratur : *Dominium rei absolutum, seu in solidum* (quod vocant Iurisperiti) *est facultas vtendi illa pro libito, & independenter ab alterius voluntate, & consensu in omnem eius vsum absque iniuria alterius, siue, quin iuri alterius in aliquo rei illius vsu derogetur.* Atqui, si rei eiusdem dominium absolutum, seu in solidum penes duos simul esset, neuter pro libito, & independenter à voluntate, & consensu alterius posset ubique eius iniuria, siue, quin eius derogaret iuri, re illa in omnem eius vsum, imò & qualemcunque, vti : posset enim alter velle ex iure suo rei vsu incompossibili cum vsu alterius re illa vti : equum v.g. quiescere, vel illo equitare, cum eodem equo equitare alter Dominus vellet : neut. 1 ergo Dominus eiusdem rei simul esset. Definitionem hanc Petrus Puente Hurtado de Mendoza (primus duorum Dominorum insolidum rei eiusdem simul inuentor) vitiosi circuli arguit, ne saltem inoffenso ad suæ conclusionis curreret euctsionem, eius tamen subsantialem conceptum negare ausus non est : quod satis ad eius conclusionis confutationem erit : ipse vero, & eius in ea sententia assectæ, ac nonnulli sententiæ aduersæ, aliis, atque aliis quisque vocibus suas definitiones dominij tradant, vt circuli vitium obiectum declinent, alij vero circuli calumniam multis à communi definitione propellunt, eoque grauissimæ de re controuersiæ magnam partem diuertunt, vt videre est in Arriaga d. 30. sect. 1. Sed, cum de re, & substantia dominij conueniatur, nihil de eis curandum ; sed concludendum ad rem præsentem argumento hoc. Implicat ratio dati absolutè, & accepti absque abdicatione dominij ex parte dantis, & translatione illius in accipientem : ast implicat ex parte Dei dantis creaturæ dominij in rem datam abdicatio, & translatio in creaturam recipientem : ergo implicat Dei ad creaturam vera ratio dati, & accepti : ac proinde iustitia commutatiua, quæ absque dato, & accepto proprie & absolute dictis esse non potest.

3. Argumento diluendo variè aduersarij definitionem dominij absoluti, & insolidum explicare, ac distinguere tentant & inde ductum axioma iuris præfatum (non posse scilicet eiusdem rei dominium absolutum seu insolidum simul penes duos esse) vt absque abdicatione dominij rei datæ ex parte Dei dantis & translatione in creaturam recipientem propriam dati, & accepti rationem, quare & iustitiam commutatiuam inter Deum, & rationales creaturas intercedere posse tueantur. Primò aiunt in Iurisprudentiam, eiusque principia reuerentiores ex aduersariis, præfatam dominij insolidum definitionem intelligi debere quoad illam particulam *absque iniuria, seu, quin derogetur iuri alterius in vsu rei absque eius consensu ; immo cum eius venitentia* de iure eius Ordinis, & æquali cum iure dominij alterius absoluti, & insolidum rei illius ; secus de iure ordinis Superioris excedentis, & excellentioris, seu eminentioris in rem eandem, quale est dininum. Ex quo infertur legitimè, non posse dominium insolidum, & absolutum ordinis eiusdem penes duos esse simul. At verò dominium absolutum Ordinis eminentioris, & excellentioris in vno cum dominio Ordinis inferioris circa rem eandem in altero simul posse, immò & debere, consistere : & quidem definitio dominij absoluti, & insolidum, indeque iuris axioma deductum de dominio gentium, & ciuili, quod æquale, eiusdemq; Ordinis in quouis homine cum dominio alterius sit solummodo sunt : quin de Dei dominio superiori cogitaretur : immo nec de dominio alto Regis, qua supremus Dominus est, ac non, vt priuata persona Reipublicæ, comparato cum dominio basso priuatarum illius personarum : sed nec cogitari potuit : cum circa rem eandem in Deo, & in Principe absolutum

absolutum superioris Ordinis dominium simul cum Dominio absoluto Ordinis inferioris in reliquis hominibus explorato consistat: inde verò opus est ad rationem propriam rei à Deo absolute & consummate datæ, atque à creatura acceptæ dominij Deo proprij, ac diuini abdicatione, & eius in creaturam translatione vtrinque repugnantibus, & dari à Deo nobis plura absolute data, & à nobis accipi, certum ex fide, & ratione est: indeque nobis dominium absolutum, & insolidum suboriri non minus, quam eorum, quæ nobis ab aliis hominibus donantur æquè ferè est certum: alioqui ex fructibus, qui nobis à Deo dantur, aliquid ab aliis nobis subripi peccatum non esset; & tamen, cum ea omnia nobis à Deo dantur, eorumque dominium acquirimus suo se dominio non abdicant, ac æque in nos illud transfert Deus, sed & nostrum inferius, & Dei supremum in Dei dona illa simul perstat.

4. Huic rationi & solutioni multifariam instructæ in iuris principia obseruantiores meoque iudicio Sapientiores aduersarij Recentiores insistunt demum: ex quibus suprà, & melius Fasolus citata dubit. 2. numero 36. exemplo causalitatis vniuersalis Dei, quæ causalitates particulares causarum secundarum non excludit illam confirmans: imò neque in omni iustitia commutatiua humana necessariam esse dominij abdicationem ex parte vnius, eiusque in alterum translationem ait: vt patet inquit in mutuo, pignore, deposito, & commodato. Hoc autem postremum parum præstat, etsi enim rei ipsius nonnullis ex his contractibus dominium non transferatur in alium, ast alicuius actionis, illius in quē actio ex his contractib. alteri paratur, etsi transeunter, dominiū transferendum est, vt patet; neq; aliter spectare ad cōmutatiuam iustitiam creatā possunt. sed nec primam soluit difficultatē. Nam, etsi donatorum à Deo absolutū dominium adquirat creatura recipiens æque, atq; donatorum à creatura alia, insufficiens tamen dominium est ad iustitiam commutatiuam dati, & accepti inter Deum & creaturam fundandam, etsi ad eam fundandam inter creaturas satis sit. Etenim manente in Deo dominio superiori, longeque excellentiori, ac supremo circa rem ita donatam creaturæ, nequit ex illo creatura vti re donata independenter à consensu, & voluntate Dei, & citra iniuriam, læsionemque iuris Dei vsui creaturæ de re illa renuentis: quin, nisi ex consensu Dei positiuo, vel permissiuo vsus illius re sibi, etiam à Deo donata, vti potestate iuridica, imò nec physica, nullatenus creatura possit: in eo quippe supremum, creatoque excellentius longe, & superius stat, vt dominium creaturæ in omni, ad omnemque licitum rei ex vsum iure etiam subdatur diuino; hoc verò nullatenus, neque ad licitum, & citra iniuriam creaturæ, rei vsum à creaturæ eius Dominæ voluntate dependeat: quare implicat ex acceptione rei à Deo, indeque orto eius dominio, in creatura satis esse dati, & accepti, & dominij vt inter Deum & ipsam iustitia commutatiua intercedat: hæc siquidem talem rei acceptionem indeque ortum dominium requirit, vt ex eo accipiens à consensu alterius, respectu cuius ipsi iustitia commutatiua cum illo intercedit nullatenus ad licitum rei vsum dependeat; imò illo renuente, possit ex iustitia, & iure dominij rei ab ipso etiam acceptæ agere contra illum: quod ipsum in dominio alto Regis, aut Reipublicæ ad communia: huius commoda necessaria in bona priuatarum eius personarum eorum dominium bassum habentium proportione fernata vsu venit.

5. Secundò solutionis eiusdem insufficientia constat ex parte acceptionis Dei à creatura ad iustitiam inter ipsos requisitæ, & dominij in Deo per illam recipiendi, quæ omnino deficiunt. Etenim nihil potest Deus recipere à creatura, quod compenset, quove eius data compensentur (nihil vnquam, nec solum nihil vtile, aut commodum sibi, sed absolutè & omnino nihil) ast id necessarium prorsus est, vt inter vtrumque iustitia commutatiua intercedat: ergo implicat hanc intercedere inter vtrumque. Negant aduersarij maiorem, quia bona opera honesta (quæ, hominis, etiam suppositā gratia Dei auxiliante, & libera sunt, nec, nisi ex hominis libertate, & potestate, ad vtrumvis poni, Deoque exhiberi queunt) ab hominis voluntate & potestate indifferente ad illa ponenda, & non ponenda ponuntur: sine quorum positione sub dominium Dei non caderent, nec venire vsquam possent à Deove accipi. Contra vero est: quia ad rationem dati, & accepti ad iustitiam commutatiuam necessariam, datio solum physica, ac physice libera dati, & ab alio accepti, siue quæ ex physica solum potestate dandi, vel non dandi, seu agendi, & non agendi prouenit, satis non est, nisi ex morali, iuridica, vt sic loquar, & ciuili potestate dandi alteri, eiusque dominio, quod licitè, & citra eius iniuriam posset pro libito sibi retinere, atque alteri non dare proueniat: atqui, etsi ex physica arbitrij libertate & potestate physica indifferenti voluntatis honesta opera, ita ab homine physice apponantur, vt possent physice non apponi, ac proinde nec Dei dominio subiacere, at non ita ex morali iuridica & ciuili potestate Deo ab homine exhibentur, vt ipsi non dare, ac sibi suoque dominio, & vsui ea reseruare illa homo possit: quin semel eis physice ab homine positis, velit, nolit homo, illa sub Dei dominium cadunt: Ergo nihil prorsus homo Deo dat moraliter, & ciuiliter, siue ex iuris sui potestate, ciuili iuridica, & morali vt dati, & accepti ratio necessaria, & essentialiter requisita ad iustitiam commutatiuam inter ipsum & Deum reposcit.

6. Subsumptum antecedens constans est apud omnes, atque exemplis, ex quibus nostræ negatiuæ conclusionis Patroni arguere à paritate contra affirmantes solent, perspicuum, quorum robur principio nostri huius subsumpti innititur: cuius veritas si absit, nec exempla vera essent, nec si aliunde vera essent, paritas teneret. Etenim etsi seruus Religiosus, & filius hoc vel illud agendi, & lucrandi in domini, Religionis, & Parentis commodum, & vtilitatem, vel etiam non agendi, & lucrandi physicam arbitrij sui libertatem, & potestatem habeant, ac non agentibus liberè illis, nihil operum illorum dominio, & vtilitati, Domini, Religionis, & parentis subesset: quia tamen ex morali, ciuili, & iuridica potestate serui, filij, ac Religiosi: qui ea sibi licite, & citra illorum iniuriam reseruare possent, cum illis ea exhibent minime eorum positio sub illorum dominio non prouenit, sed præfatis, seruo, filio, ac Religioso, nolentibus sub illorum dominium veniunt, nequit inter vtrosque ratio dati, & accepti ad iustitiam commutatiuam necessaria, atque essentialiter requisita inueniri, ac proinde nec iustitia commutatiua inter eosdem intercedere: firmum ergo, ac certum subsumptum illud antecedens est. Scio Fasolum, & alios paritati ex seruis, & filiis respondere: inter filios & parentes de bonis Castrensibus, & quasi, & inter filios emancipatos posse iustitiam commutatiuam inueniri: atque inter seruos quotidie cum Dominis iustitiæ pactum inueniri: quo operas Domini seruis liberas relinquunt, vt se alant, & sibi lucrentur quotquetantam summam, vel paulatim, vel simul stato tempore Dominis pro libertate appendant. Sed instantia hæc, & similes nec vrgent nec argumentum debilitant. Sunt enim ex dominio, & iure Dominorum pro eorum arbitrio abdicabili, siue, quoad aliquas, siue quoad omnes operas serui, quarum abdicatione à Domino facta per pactum illud serui dominio tam ille, quam illarum lucra iuridico, & ciuili fiunt: ac proinde potest cum Domino ex iustitia contrahere, ac pro sua libertate pacisci. Bona item Castrensia, vel quasi, filij, Patris bona ex iure non sunt. Deus autem ita omnium nostri, & operum creatorum essentia sua physica Dominus supremus est, vt nullius possit se dominio abdicare, nec aliquid in se, & in rebus absolute esse, quin illius dominio subiaceat: illud de emancipato filio nihil firmius affert: & aliud de morali, ac ciuili diuisione filij à Patre, cum quo ante emancipationem eadem censebatur persona addit, quod præsentis difficultatis non est: quare multa addit, quod præsentis difficultatis non est; quare multa addit, quod præsentis difficultatis non est; quare multa addit, quod præsentis difficultatis non est;

fatio deficere : cum in eo instanti quo acceptatione donatio consummatur dominium rei donatæ absolutum, & insolidum nec possit non inquiunt, in donante simul pro eodem instanti etiam esse, cum dominij actus donatio sit, qui sine dominio, quod eius potentia,& principium actiuum est, esse non possit ; nec subinde actus potentiæ suæ destructiuus esse queat : quod argumentum etsi stomachentur nimis noster Cardin. Lugo d.19.de Incarnat. & Bernal. d.7. variisque impugnationibus, & instantiis, tam illud quam conclusionem repellere conentur atque illius pondus eleuare. Succumbunt tamen demum, vt vidimus controu.2. de Incarnat. d.1. q.3 cert.3. n.1. Recentiores alij alias argumento huic solutiones tentarunt quas eo cert. num.3. satis confutauimus, memoratque, ac refellit Arriaga cit. sub sect.2. num.7. à §. *Hinc argumento* vsque ad §. *forte aliquis* 4. quoad conclusionem horum Doctorum negantem vniuersim iuris principium de impossibilitate dominij absoluti, & insolidum penes duos simul circa rem eandem demonstratiue pugnatum à nobis è dominij absoluti,& insolidum essentia ac definitione, cum hic n.2.tum citato cert.de Incarn. n.1.vbi illi euasioni quæ pro præsenti quæst.tentari posset (etsi conclusio vniuersim negatiua, & argumentum pro ea factum minimè ea euasione defereretur) occurrimus.Nempe dominium Dei perseuerare absolutè,& insolidum simul posse cum dominio insolidum creaturæ circa rem eandem : quia scientia sua Deus facere potest, vt in omnem,quem ipse velit, rei vsum annuat domina creatura. Etenim potestas vtendi re pro nutu tandem alterius sine eius iniuria potestas dominij insolidum, & vtendi re independenter à voluntate alterius, imò altero etiam renuente citra eius iniuriam non est.

8. Quoad Sophisticí autem argumenti solutionem eam excogitauimus cum prælo controuersias de Incarn. pararemus,quam postea Arriaga §.*illo forte aliquis quarto* fortuito excogitabilem, ac statim vt improbabilem rejicit, nosque adhibuimus citato loco de Incarn.cert.4.n.1. eis fundamentis innixam, quæ, & eis satis probabilitatis faciant, ac plus satis præfatum argumentum, seu potius Sophisma debilitent : cui,vel ideo aduersarij minus fidere prudenter deberent : quod,non ex peregrino aliquo,raróque contingenti casu è temporum, & inopinato circumstantiarum occursu(qui posset proinde tot sapientissimos Philosophos Iurisconsultos tunc latere,cum axioma iuris illud concordes statuerunt)sed ex frequentissimis,& bardis etiam, notissima donatione,& contractibus quotidianis:emptionibus venditionibus,locationibus, conductionibus peteretur : in quibus axioma, & principium iuris deficere valde iuri ipso,ac Iurisconsultis sapientissimis foret iniurium.Respondi ergo citato loco de Incarn. cert.4. n.1.& nunc iterum respondeo:principia actionum moralia opus non esse,vt cum his persistant, & coëxistant simul:vt ex principiis moralibus gratiæ,Sacramentis nempe,quorum vix aliquid(& quod solum effectum non causat,neque causare potest) gratiæ effectui, atque eius productioni coëxistit : cum verba successiue prolata fere omnia transierint,cum gratia siue effectus quivis alius Sacramenti per illa constituti producitur : & in dominio, cuius actus,seu actiones eius destructiuæ aliquot sunt:vt donatio,& destructio rei, cuius dominium habetur, est adhuc apertius:cum re destructa illius dominiũ simul adhuc pro vnico instanti persistere,vel ipsis terminis implicationem præ se ferat : nimirum Dominum absolutè ea insolidum quempiam, tunc esse posse, cum res absolute non existit, quod ipsum de instanti primo alienationis rei per gratuitam donationem, vel onerosum contractum emptionis, venditionis apparet:vt enim rem secundũ se non destruat donans,vel vendens,destruit sibi cum eam eis actib. alienat. Satis ergo dominio est in instanti immediato ad donationem antecessisse, ex quo pro instanti donationis illud conseruandi per negationem destructionis, seu donationis rei,vel amittendi per rei destructionem,donatione, aliamve eius voluntariam alienationem integra, ac libera voluntati Domini potestas est.

9. Porrò, quæ contra hanc solutionem ex actus & potentiæ physicæ necessaria simultate obiicit, & replicat Arriaga adeo ex dictis euanescunt, vt ne commoratione quidem,opus habeant : immò nec de physicis actibus,& potentiis adeo explorata vniuersim sunt, vt eo cert.4. ostendimus:quæ vero ad argumenti confirmationem addit, nihil præter verba & formas arguendi denuo ponunt : quare,nec proponenda hic fuerunt.vt soluerentur.Illud denique contra hanc iustitiæ inter Deum,& homines commutatiuæ, ex Dei promissione ortæ assertionem omittendum non est, quod ex aliquibus Doctoribus citata controu.2.de Incarnat.1. proponebamus.Nempe ex debito iustitiæ in Deo orto ex sua promissione creaturæ facta inferri maxime sub onere alicuius à creatura præstandi inferri, Deum famulum, & locatorem operæ suæ fieri posse creaturæ, & operæ quidem, cuiusvis sordidæ, & vilissimæ : eo autem semel admisso,& omnium suarum operarum, actuumq; internorum creaturæ commodorum pro huius nutu posset se illi debitorem etiam constituere : quare & se illius seruum, & mancipium, emptitio magis (hoc enim suorum actuum internorum dominium à Domini nutu,& iure independens habet) fieri creaturæ : id quod, vel aures horrent ipsæ Arriaga d. 31. sect.3. sub sect.3. à versu. *Tertia obiectio*, respondet : horrorem quidem vocibus solum, & auribus esse non in re per illas significata : siquidem debitorem Deum creaturæ esse promissa præstandi,vno titulo fidelitatis,vt admittimus, vel titulo iustitiæ,eandem indecentiam habet,vel potius non habet, sed debito à sola fidelitate non est debitum creaturæ, sed Deo solum ipsi cui nequaquam à creatura respondet ius contra Deum(in quo vel locationis, vel conductionis, aut seruitutis ratio earumque indecentia fundatur) licet quod sibi ex fidelitate sua præstare Deus debet, quia promisit præstandum creaturæ necessariò sit, cui fuit promissum : itaque creatura terminis *cui* promissi & donationis promissæ rei non autem debiti ex fidelitate diuini est,in quo solum indecentia realis, nec solum vocalis famulatus,& seruitutis in omnibus sit cõtinetur,nec in famulatus operæ vnius quam seruitutis omnium, nisi extensiua maior. Vnde à debito Dei ex iustitia creaturæ vnius operæ ab ipso promissæ ad promissionem & debitum subinde creaturæ omnium, negari consequentia nequit, vt secunda solutione Arriaga tentauit, cuius tertia etiam solutio de vilibus quibus concionibus Natalium, vel vis coactiua, vt seruus quis fiat, &c quas seruitus importat,atque in Deum non cadunt : eis enim deficientibus, & seruitus & intrinseca eius indignitas præfata persistat,vt patet in ingenuo, ac præstanti viro, qui se vltro ob finem honestissimum se alicui in seruum traderet,vt S. Paulinus effecit, ac S. Dominicus honestissime seriò & enixe tentauit.

CERTAMEN III.

Leuiora pro negante nostra sententia, & qua contra ipsam faciunt rejeiuntur,

1. DVo quæ pro negante nostra sententia afferri ab aliis eius Patronis solent consulto omisi : quia alterum leue semper mihi visum est : Alterum vero quia, etsi non adeo sit leue, sed valde in Aristotele fundatum, atque à Sancto Thoma, non semel, ac veteribus scholasticis admissum, & cui proinde nos citata controuersia 2.de Incarnatione d.1.quæst.2. certam.2.3. merito consensimus, nostræque conclusionis probationem primam commisimus, vti veræ, ac firmæ rationi, quam ideo, ne nunc quidem, vt inutilem reuocamus : ea tamen-abstinemus, quia aduersarij ad quæstionem de nomine reuocare illam, vtcunque, nec omnino in verosimilibus discursibus possunt,vt ex dicendis num.3.patebit. Primum, atque explorato leue pro sententia nostra negatiua solet ita efformari iustitia commutatiua, nisi redditione æqualis, pro æquali esse non potest : atqui in redditione præmij promissi à Deo operibus iustorum (nempe gloriæ & vitæ æternæ) non seruatur æqualitas : præmiat quippe Deus Sanctos suos vltra con-

dignum, iuxta Paulum dicentem. *Non sunt condignæ, &c.* & Patres ac Concilia, imò nec præmium tantum, non excedens merita nostra, esse non potest, vt ex eis etam locis constat, quæ ex meritorum natura loquuntur, non ex lege, aut voluntate libera Dei: ergo nequit in eo præmio reddendo iustitia à Deo etiam supposita promissione exerceri. Respondet noster Ioan. Præpos. loco citato §.2.n 6.versu *ex quibus patet*, excessum præmij non obesse iustitiæ commutatiuæ, & ad æqualitatem redditioni, & satisfactioni; sed in excessu solum non exerceri, sed liberalitatem aut misericordiam: vt patet in debitore centum, qui ducenta creditori præstaret: & idem esto de punitione citra condignum, vt inflictione partis pœnæ debiti pœnalis, ex iustitia pœna redderur, licet ex misericordia alteri parti debiti pœnalis pœna remittatur. Ac demum inquit hoc totum de facto solum probat, non de possibili: ac proinde iustitiam commutatiuam inter Deum, & hominem intercedere vi promissionis suæ non posse (vt contendimus) minimè probat.

2. Fateor argumento, vt à nostro Præpos. proponitur satisfieri: quia solum proponitur de redditione præmij de facto, quin impossibilitas Dei præmiandi opera iustorum non excessiue, siue per aliquid essentia sua eiusmodi merita excedens (quod testimoniis Pauli, & Patrum contineri notabamus) in efformando argumento ab ipso expenderetur: si enim Deo præmium non excedens dignitati operum & iuri ex eius promissione creaturæ quæsito impossibile sit: (vt ex operum & præmij natura videntur ex Paulo Patres docere) & redditio ad æqualitatem, atque ex iustitia propria impossibilis foret: cum nihil præmij esset, quod parte sui debito, iurique creaturæ æquale esset; alioquin iam esset præmium aliquod æquale possibile contra hypothesim; secus autem res habet, cum præmium, resvè, qua soluitur, non ex natura, & genere suo, sed partium solum additione est maior debito soluentis, & iure creditoris: vt exemplo debiti, & solutionis excedentis pecuniariæ conuincitur, vt eius parte debito minori ex iustitia satisfiat, & vlteriores partes ex misericordia, aut liberalitate donentur. Facilius respondeo Paulum, & Patres, dum condignitatem ad gloriam operibus nostris negant, eis secundum se, ac non, vt eleuatis per gratiam, & sanctitatem operantis, negare, sub qua sola consideratione præmiari ex iustitia præmio gloriæ, haud quaquam possunt: possunt tamen præmiis aliis naturalibus accedente promissione in aduersariorum sententia debitum strictum Dei ad creaturam ex promissione diuina admittentium: quare eo argumento non conuinci contra ipsos iustitiam commutatiuam Dei ad homines impossibilem, sed solum in præmio gloriæ, quo de facto præmiat ex iustitia, æqualitate, & condignitate sic considerata, merita, & opera nostra non præmiare. Sed verò nostra merita, & opera dignificata ex iustitia, & sanctitate operantis, atque eleuata ad condignitatem præmij ex genere suo supernaturalis gratiæ, & gloriæ ex iustitia commutatiua, & ad æqualitatem quam habent, præmiarij in aduersariorum sententia, accedente promissione, quæ debitum Deo respectu nostri, illam præstandi adducat: nec nisi additione vlterioris partis, aut gradus gratiæ, & gloriæ, quam meritis iusti respondeat præmiari vltra condignum iusti possint. Quo sensu Pauli locum Patres aliqui vsurpasse videntur, tamen sensus germanus datus à nobis est.

3. Secundum argumentum pro negante nostra sententia ex materia necessaria, & essentiali iustitiæ communiter desumitur: quæ in bonis vtilibus, & commodis, vel secus personis, in quibus iustitia commutatiua est constituitur iuxta Aristot. 5 Rhetor. c. 9. & 5. Ethicorum c. 2. vers. med. sunt autem ea omnia, quæ vitam alterius eiusvè lucra, & pecuniaria emolumenta, seu honorem, & famam, vel breuius ad esse, vel ad bene, vel ad melius esse alterius spectant: vnde S. Tho. 1.2.q.21.art.3.ait. *Distributio secundum iustitiam fit alicui ex eo, quod agit in profectum, vel nocumentum alterius.* Et certum constansque Philosophis, & Theologis de iustitia præsertim commutatiua, vt sic disputantibus, in alterius commodis, materiam eius necessariam materiam iustitiæ fuisse designatam: atqui Deo nihil commodi, vel incommodi, vtilève vel nociuum, siue ad esse, siue ad bene, vel melius esse præstari à creatura potest, vt patet, & sæpe scriptura clamat: ergo nec in vtrumq; necessaria iustitiæ commutatiuæ materia inuenitur: quare nec iustitia commutatiua reperiri potest. Hoc argumentum satis est firmum, & cui valde fidat S. Th. vbi iustitiam commutatiuam inter Deum, & homines negat locis citatis cert. 1. & quo solo negatiua sententia ab omnibus aduersariorum argumentis facile protegatur. Nec verò illo aduersarij conuincantur, respondent, iustitiam, de qua Aristot. Philosophi, & Theologi disputarunt, cuiusq; materiam designarunt, eam solum fuisse, quæ inter creaturas rationales, seu homines versatur: quibus, ratione imperfectionis suæ, commoda, & vtilia, incommodave; ac nociua ad esse, vel bene, aut melius esse plura, imò omnia, quæ ipsum pertingant esse possunt: cæterum in Deo, respectu cuius nihil creatum commodum, vel incommodum, vtile aut nociuum esse potest, altioris, eminentioris; iustitiæ materiam reperiri, penes rei ipsi gratæ, vel ingratæ, nempe honesti, vel turpis actus ab homine appositionem; & quidem eo solum titulo iuri diuino ab impio sceleribus derogari, atque Deum lædi in eo videtur: quia iuxta illud ius Dei erga rationales creaturas, vt piè viuentes ipsi obsequantur, sanctisq; operibus colant, verum Dei ac proprium, & strictum est, cui pia vita debitum à nobis redditur; impia verò, ac scelesta, etsi, citra Dei ipsius damnum, plane derogatur: vt idcircò peccatis à Patribus Theologis, & fidelibus cunctis dicatur Deus offendi: cui communi statæq; apud omnes locutioni, & sententiæ ab his, qui iustitiæ commutatiuæ, vt sic, iniuriæque ac iniustitiæ materiam commodis solum, & incommodis coërcent, aperte contradicitur.

4. Hæc sunt, quæ huic rationi, veritatis specie aliqua, atque ad vulgi saltem plausum aduersarij respondent: & quibus ad quæst. de nomine possit facile argumentum deduci: vt propterea ipso inter alia, quæ non ita facile ad q. de nomine reduci ab aduersariis possunt, vsi non fuerimus sed tamen iis, qui eo etiam vt pro sententia nostra negatiua volent robur ostendendum: & rationum, quibus ad q. de nomine reduci tentatur, infirmitas explicanda: & primò quidem, si commoda, & incommoda pro iustitiæ, atque iniustitiæ commutatiuæ materia necessaria ab his solum designata fuissent, qui moribus hominum instituendis solummodo insistebant probabilis ea solutio, veróque similis, vt minimum sont: quod scilicet iustitiæ creatæ, atque inter creaturas exercendæ, ac non vniuersim sumptæ, materiam designarint; cum autem Theologi omnes veteres (Aureolo excepto) & S. ipse Tho. de iustitia commutatiua vniuersim, & quæ ad Deum etiam extendi posset dubitantes; atque ea tenderetur disputantes, eam nihilominus ob materiæ necessariæ defectum à Deo reiecerint, designatam illam commodi, vel incommodi proprij materiam iustitiæ commutatiuæ vniuersim sumptæ eorum omnium sensu, & iudicio communi esse euidenti sane argumento est. Confirmatur, quia nec Philosophos, nec præfatos Theologos latuit, de actibus internis bonis, & honestis alterius: ex quib. nihil commodi, aut nocumenti alteri paretur posse hunc alterii cum illo altero pacifci, ac proinde pactū omnino creatum posse inter illos ita intercedere: quod tamen defectu materiæ commodi, vel incommodi alteri ex pacifcentibus, ad iustitiæ commutatiuæ pacta non aduocarunt, sed ea materiæ designatione reiecerunt, vt videat Fasolus, quo iure ex pacto hoc inter creaturas: quod iustitiæ commutatiuæ esse supponit, simile inter Deum, & creaturam iustitiæ commutatiuæ esse contendat: iam illud de iure Dei læso per peccata nostra, quod strictum dicebatur, nullius est roboris; ius enim proprium Dei, vel est dominij, vel iurisdictionis. Ius dominij nequaquam peccatis propriè læditur, liquidem nullius rei dominium eis à Deo aufertur, quin physici actus appositione aliquid quoad extensionem appositi, quoad malitiam verò seu defectum nusquam sub Dei dominium cadere peccarum potuit, neque ad id Dei dominium extenditur; sed solum dominium physicæ potestatis, & libertatis creaturæ, à quo, vt proueniat solummodo, malitia actus, & formale peccati est, ius verò iurisdictionis iustitiæ commutatiuæ eius non est, vt patet: quare neque ex iustitia à nobis seruari potest, sed ex obedientia, vel materiali vel formali, nec nisi ex inobedientia alterutra contraire absque vlla tamen eius iactura offensa autem Dei merito dicitur, quia infensa Deo malitia, & peccatum est: sicuti praua aliorum facta quæ nihil etiam nostra referunt, nos

sæpe

sæpe offendunt, & quî Deus peccato offendatur offendere dicuntur, quia rationis nostræ rectæ dictamini aduersantur.

5. Opponitur primo contra nostram conclusionem turba plurima locorum scripturæ, quibus Deus iustus dicitur maxime in benefactorum reddenda mercede, quæ in metaphoricum sensum detorquere non licet: sed quid inde? an vocis *iustitia*, aut *iusti*, proprie acceptio pro iustitia *commutatiua* vnica est? oppositum ostendimus affatim q. 1. certam. 1. & 2. & vulgari satis acceptione, quisquis alteri conuenienter; & ad æqualitatem obsequitur, satisfacitve in materia quavis, etiam absque strictæ iustitiæ debito suo, ac iure alterius adhuc iustus iustéque in eo se gerere meritò dicitur, quia materialiter saltem iustus est atque iustitiæ materiam seruat, vel æqualitatem: immo vero, siquid vrgentiora Pauli testimonia pro iustitia propria, & stricta Dei probant, pro distributiua non autem pro commutatiua probant, subdit enim in eorum vrgentissimo 2. Corinth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex*: quod autem ex Deo, vt Iudice, siue ex iudiciaria eius potestate est, ex distributiua, non autem ex commutatiua iustitia est; sed nec de distributiua iustitia eius loci sensus est, sed de iustitia pro fidelitate, vt docte & subtiliter Bernard. 1. de grat. & liber. arbitr. sub fin. his interpretatur. *Dei promissum suum appellat depositum, & quia credidit promittenti fidenti promissum repetit*: ac fere statim: *Est ergo, quam Paulus expectat corona iustitiæ; sed iustitiæ Dei, non suæ, debet enim* (sibi vtique) *quod pollicitus est*: quod totum fidelitatis Dei debitum, non autem iuris Pauli esse ex Bernardi verbis patet: eodem pacto respondetur aliis locis, quibus gloriæ præmium, corona, brauium, ac merces à Paulo, & Euangelio: siquidem corona, brauium, potius iustitiæ distributiuæ est, quam commutatiuæ; merces autem, quæ ad commutatiuam videtur spectare eis locis materialiter sumitur, quatenus æqualitas præmium, & merita seruabitur, etsi illud ex fidelitate promissionis tantummodo redderetur.

6. A ratione ex natura promissionis argui contra nostram sententiam solummodo potest: quia promissio, pactumve acceptatum natura sua non solum inducit promittenti debitum & obligationem fidelitatis præstandi promissa, sed, & debitum commutatiuæ iustitiæ promissario, atque huic ius iustitiæ contra promittentem, & pacisCentem cum ipso: maximè, si pactum, aut promissio onerosa sit, vti promissio Dei de gloria reddenda est: ergò ob suam promissionem debet ei iustitia commutatiua Deus homini bene operanti reddere tantundem gloriæ, quantum condigne suis operibus meretur. Respondetur facile antecedens adhuc decretis promissionibus dubium, ac mihi falsum, esse. Si enim quis alteri promitteret, etiam onerose, vel cum altero paciscereturexplicans se solum velle ex fidelitate alteri obligare, non autem ex iustitia, nusquam illi ad præstanda promissa ex iustitia teneretur, debitumve promissario contraheret, neque is contra illum ius strictæ iustitiæ adquireret; cum tamen vera promissio, & pactum staret, tametsi eo effectu & debitum strictum iustitiæ inducendi in promittente, & ius strictæ iustitiæ in promissario careret: vnde facilius intelligitur in promissione vera diuina ratione incapacitatis debiti iustitiæ in promittente Deo, & iuris contra ipsum stricti, & iustitiæ in creatura promissaria prouenire, quod ex arbitraria voluntate creaturæ promittentis verè promissioni creatæ potest contingere. Hoc verò omissio, ostendimus cert. 1. n. 8. ex ita obiicientium sententia, & doctrina veram in Deo promissionem dari, quin debito strictæ iustitiæ promissario obligetur ad præstanda promissa, sed solum ex fidelitate: ac proinde quin ius strictæ iustitiæ contra ipsum ex ea promissione adquiratur: quare distinguendum antecedens esset, atque de creata promissione concedendum, negandum verò de diuina cum consequentia.

7. Sed pro nostræ doctrinæ luce, & coronide solidus æque, ac subtilis discursus Petri Christologi serm. 25. audiendus est in hæc scribentis. *Nonne homo hominis exiguæ cuiusque obligatione constringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cauet & non tenetur*? videtur nobis hactenus aduersus; perge tamen. *Sed dices: Esto quod debeat, quo exigente restituat*? homine, cuius ius in Deum ex tot cautionibus est? cuique ex illis debitorem esse dixerat responsurum putares, sed audi. *Sc*, inquit, *ipso: quia non potest ille mentiri, idem ipse est, & executor, & debitor*. Debitum autem ex veracitate, seu impotentia mentiendi, siue necessitate veracitatis in promissis implendis, nihil aliud est quam fidelitatis debitum, ex quo seipsum solum, non autem alium, vt ait Chrysolog. promissorum exactorem, aut executorem habere potest. Miteris hoc testimonium à docto aduersario nostro Fasolo pro stricto iustitiæ debito Dei respectu creaturæ rationalis, sed cuique iuxta præconceptam sententiam omnia sonare consueuerunt.

QVÆSTIO III.

An iustitia distributiua Deo conueniat?

Tametsi iustitia distributiua tota sua latitudine ad præmiorum, & pœnarum pro bene, vel secus factis distributionem æquam extendatur, hic tamen pro iustitia præmiorum tantum, vt à distributiua pœnarum distinguitur ex vsu DD. hac de re disputantium vsurpanda fuit: à nobis præsertim, qui ex diuersis principiis diuersimode de vtraque censendum iudicamus.

CERTAMEN I.

Diuersæ Doctorum sententiæ, vbi de Sancti Thomæ mente.

1. Affirmant quotquot iustitiam commutatiuam in Deo asserunt, recitati à nobis q. 2. cert. 1. num. 1. duodecim, nimirum, numero; & ex negantibus Deo commutatiuam iustitiam viginti sex citati etiam à nobis ibidem n. 2. medio à versu *ex aliis verò*: quia noster Præpos. citatus eo num. 2 fine nec iustitiam propriam distributiuam in Deo admittit, vt iam referam. De Sancto Thoma hac in re sententia dubitatur à Doctoribus: quem plerique pro affirmante hac exploratum lect. 2. fine censent Patronum 2. ad Thim. 1. vbique explicans, quo modo sit corona proprie iustitiæ gloria, ait ibi esse gratiam in radice merendi, *iustitia, quantum ad actum, qui procedit ex voluntate* ad Hebr. 6. lect. 3. circa med. *Duplex est meritum: vnum, quod innititur iustitiæ, & illud est meritum condigni, aliud, &c.* & 1. 2. quæst. 112. articulo 3. ad 1. ex illo glossæ ad Roman. 5. *Deus recipit eum, qui ad se confugit, aliter esset in eo iniquitas*. Respondet: *loqui de illo, qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrij, iam per gratiam informati: quem, si non reciperet, esset contra iustitiam, quam ipse statuit*. & 2a 2. q. 61. art. 4. ad 1. de iustitia strictè sumpta agens *iustum esse Dei iudicium* fatetur. Sed hæc tamen pro iustitia distributiua non præstant: solumque de iustitia materialiter sumpta, quatenus æqualitas inter meritum, & præmium seruatur germine intelliguntur, quin debitum iustitiæ ex parte præmiantis, quod iustitia stricta supponit, ac requirit, vllatenus probent: immò, si postrema verba recitata ex art. illo 3. ad 1. *contra iustitiam, quam ipse statuit*, nempè promissione sua, expendantur, satis ostendunt debitum fidelitatis, solum à S. Thoma ibi in Deo recognosci ac proinde iustitiam ab ipso lata illa, proprie tamen significatione, vsurpari, qua omnes virtutes exercet, & cui opponitur quævis iniquitas quam glossa in Deo admittendam aiebat & Sanctus Thomas ea periphrasi *contra iustitiam* explicuit, ac defendere solum eo loci contendit.

2. Sunt tamen adhuc pro iustitia distributiua Dei in

terminis vrgentiora testimonia. Primum ex 4.d. 46. q.1. art.1. quæstiun.1. corpore circa med. vbi explicata essentia, & distinct. iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ ait: *Sic ergo ratio distributiuæ iustitiæ Deo proprie conuenire potest: in quantum scilicet æqualitatem proportionis seruat in communicatione bonorum suorum dans vnicuique proportionaliter secundum suum modum. Vnde Dionys. in 8.cap. de diuinis nominibus quod iustitia laudatur in Deo, in quantum omnibus secundum dignitatem distribuit, sed iustitia commutatiua per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem, & creaturam recipientem Deo competere non potest secundum propriam acceptionem: quia beneficia Dei semper excedunt merita creaturæ.* Quibus ea proprietate, qua iustitiam commutatiuam negat Deo, distributiuam expresse concedit: idcirco Capreolus in 2. d.27.q.vn.art.3. init, affirmantem in præsenti sententiam sequens, vt retulimus q.2. cert.1. n.2. sentiens tamen S. Thomæ sententiam absolute non esse, fatetur hoc loco illam tenuisse, retractasse verò illam in partibus summæ, ex quibus nullum testimonium retractationis eius profert: imò verò iustitiam distributiuam Dei multis S. Th. testimoniis probat eius articuli decursu, & in 1. distinct. 45. quæst. vn. art. 1. conclus. 14. & ad argumenta. & certe nusquam fuisse à S. Thom. retractatam in summa constat ex 1. p. q. 21. art. 1. corpore vbi de Dei iustitia ex instituto agens eadem iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ diuersitate explicata commutatiuaque à Deo reiecta de distributiua subdit. *Sicut igitur ordo congruus familiæ, vel cuiuscunque multitudinis gubernatæ demonstrat huiusmodi iustitiam in gubernante: ita ordo vniuersi, qui apparet tam in rebus naturalibus quam in rebus voluntariis demonstrat Dei iustitiam*: consonat sibi 1. contra gentes cap. 93. vers. fin. ea propter sententia hęc affirmans S. Thom. communiter reputatur, etiam à negatiuæ sententiæ Patronis ingenuioribus: à quibus pro illa plerumque, & contra seipsos absque controuersia proinde citatur: tametsi ex eis non defuerint aliqui, qui ex contextibus ipsis eum de iustitia stricta distributiua non loqui non contemnendo discursu suadere tentarunt, etsi non omnia, & præcipua id suadendi fundamenta textibus ipsis inclusa animaduerterint.

3. Censeo ergo cum hisce, eis locis S. Thom. sententiam in re præsenti affirmantem non docuisse imò verò absolute pro negatiua stetisse: quare immerito pro affirmatiua vulgò citari. Primum obseruatione textuum ex aliis memorata: quia in eis S. Tho. æque seruari iustitiam distributiuam, & gubernatricem à Deo ait in distributione suorum bonorum iuxta dignitatem, & exigentiam causarum & rerum naturalium ac iuxta merita operum causarum, seu agentium liberorum: quod primo loco probat Dionysij testimonio, est distributio ob exigentiam causarum naturalium: id verò, nec Dionysij nec S. Thom. nec Doctoris alicuius iudicio strictæ iustitiæ distributiuæ est: ergo nec distributio ob exigentiam similem meritorum agentis liberi strictæ iustitiæ distributiuæ esse potest. Confirmatur: quia testimonio secundo ait: æque, & tam ex ordine, & proportione seruata à Deo in rebus naturalibus, quam in rebus liberis demonstrari Dei gubernatricem, & distributiuam iustitiam: quatenus scilicet ex eo ordine cernitur Deum rebus, tam naturalibus, quam liberis iuxta vtrarumque dignitatem, & exigentiam de bonis suis eis prouidere, & impertiri: ergò non alia, & absimilis Dei gubernatrix distributiua iustitia rebus liberis, quam naturalibus, sed omninò similis, demonstratur ex ea distributione ad vtrumque dignitatem, & exigentiam à S. Thoma. Atqui ea respectu exigentiæ, & dignitatis rerum naturalium strictæ iustitiæ distributiuæ non est: ergo nec respectu liberorum. Respondet Ruiz: cum aliquid coniunctim de pluribus asseritur, de singulis, iuxta cuiusque capacitatem intelligi debere: cum autem res naturales, vtpote irrationales iustitiæ omnis ad ipsas exercendę à Deo incapaces sint male inde inferri respectu liberarum eius capacium iustitiam distributiuam propriam non exerceri. Bona quidem solutio argumenti, vt à primis textus obseruatoribus proponebatur: probantibus, nempe, erga naturales res iustitiam distributiuam à Deo non exerceri, quia incapaces sunt illam terminandi: cum enim in eo à liberis, seu rationalibus dissimiles sint à dissimili plane, & male argumentum procedit, subindéque bene Ruiz nostri solutio.

4. Nos autem arguimus ex proportione distributionis iuxta dignitatem, & exigentiam rerum naturalium, & liberarum, quam similem S. Thomas asserit vtrobique, nec magis, aut potius ex distributione proportionata ad dignitatem, & exigentiam rerum liberarum, quam naturalium (abstrahendo & immemorata harum incapacitate) distributione bonorum Dei ipsius gubernatricem distributiuam iustitiam demonstrari, & apparere; quare admisso (vt admittitur à S. Thoma & omnibus) eam distributionem rebus naturalibus iuxta earum dignitatem, & exigentiam è iustitia propriè distributiua non esse, recte, & à simili prorsus infertur, nec in distributione rebus liberis iuxta operum ipsarum meritum, dignitatem, & exigentiam è iustitia propriè distributiua le gerere Deum: cuius ratio à priori vtrobique est: quia in neutris est ius exactiuum strictum, vt ita Deus dignitati, & exigentiæ suæ in bonorum distributione annuat: neque in hoc strictum debitum alterutrius ita annuendi, sed precaria exigentia quædam vtrarumque rerum, nullumque illis ex parte Dei debitum respondens, id quod testimonio primo docet Sanct. Thom. verb. illis *in communicatione bonorum suorum*: quod enim alteri stricto iure ipsius debetur, non tam debitoris, quam creditoris, cui debentur bona communi æstimatione censentur, ac vulgari phrasi dicuntur. Secundo expressius id docet S. Th. locis n. 5. statim recitandis: vlterius probatur ex testimoniis ipsis oppositis nihil ibi de iustitia Dei absolute talis proprietate: ibi enim vnam solum proprietatem, qua à commutatiua differt, recensetur: nempe, quod hæc æqualitatem arithmeticam seruare debeat, distributiua verò solum proportionalem pro rerum dignitate: in hoc autem tota distributiuæ essentia non stat: sicuti neque commutatiuæ, nisi ius, ac debitum strictum ad æqualitatem arithmeticam, vel proportionalem reddendi accedat. Hanc ergò solam proprietatem distributiuæ iustitiæ, nempe seruandi proportionem iuxta rerum naturam, dignitatem, & exigentiam in suorum bonorum distributione seruari à Deo ait: non autem in reliquis ad strictam iustitiam distributiuam requisitis: vt eximit prima parte testimonij primi, & patet ex voce exceptiua *in quantum*, & secunda eius parte quoad proprietatem iustitiæ commutatiuæ seruandæ æqualitatis arithmeticæ commutatiuam ipsi negat: *quia enim*, inquit, *beneficia semper excedunt merita creaturæ*. Nec amplius quidquam eo & reliquis testimoniis ex prima parte, & 1. contra gentes Sanctus Thomas contendit.

5. Ex eius verò, quod secundo loco promissimus probatione præfatæ interpretationes illuitantur; siquidem debitum strictum creaturæ, ac subinde ius illius contra ipsum (sine quibus iustitia propriè & stricte distributiua esse nequit) omninò à Deo, supposita eius etiam promissione, repellit: etenim 1.2. quæstione 114. articulo 1. ad 2. duplicem explicans sensum, quo meritis naturalibus aliqua naturalia, & meritis supernaturalibus aliqua naturalia, & meritis supernaturalia præmia deberi dicantur subdit. *Neutro tamen modo dicitur debitum propter hoc quod Deus creaturæ obligetur; sed potius in quantum creatura debet subiici Deo, vt in ea diuina ordinatio impleatur: quæ quidem est, vt talis natura tales conditiones, vel proprietates habeat, & quod talia operationes consequatur*: quibus in aduersatiua. *Sed potius in quantum creatura debet subiici Deo, &c.* Quam debito & obligationi negatæ in Deo apposuit rationi à se, non semel, contra iustitiam Dei, quæ debitum in ipso strictum requirat, iterum insisteus: quod debitor alteri proprius, qua debitor, illi alteri sit necessario subiectus, item quæst. 114. art. 1. ad 3. ait: *quia actus nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione diuinæ ordinationis, non sequitur, quod efficiamur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi: in quantum debitum est, vt sua ordinatio impleatur*: & 1.p.q.21 a.1.ad 3. debitum idem sic explicat: *Debitum est Deo vt impleatur in rebus id, quod eius sapientia, & voluntas habet.* Quare eis omnibus locis, & creaturæ ius in Deum, & debitum huius creaturæ expresse excluit, sine quibus iustitia, vel commutatiua, vel distributiua bonorum Dei esse non potest vt cert. 1.

cert. 1. pro 1. nostra conclusione arguemus. Scio nostrum Ruiz d. 56. sect. 4. à n. 7. hæc loca pro debito proprio rerum præstandarum non autem creaturæ, cui præstanda sunt, sed potius Deo ipsi præstituro afferri, in quo consenimus; dissentimur tamen in eo: quod debitum rerum solum, non autem creaturæ cui præstanda sunt, sed solum præstituro, vt Dei iustitia propria erga illam exerceatur, satis esse putat: quod supra impugnauimus.

6. Negatiuam sententiam sectantur, quotquot vniuersim propriam Dei erga homines iustitiam negant, magno numero à nobis recitati. Speciatim verò Durandus in 4. d. 46. quæstion. 1. Azor. noster tom. 3. Moralium institut. lib. 1. cap. 10. quæstion. 3. tametsi quendam eius modum admittat, in eamque etiam variis locis, & argumentorum solutionibus videtur inclinare Ruiz etiam noster disput. 58. etsi vocibus aduersetur, Molina supra; & Vasquez d. 86. cap. 2. cum aliis Ioann. Præpositus 1. p. quæstion. 21. art. 1. dub. 2. numer. 12. quorum reliqui præter Azorem, tametsi modum aliquem iustitiæ distributiuæ expresse non admittant, ex omnium tamen rationibus eam absolute Deo denegandi, satis constat, eos omnes illam secundum modum aliquem, seu quodammodo in Deo admittere: sicuti & commutatiuam, vt superius diximus, materialiter sumptam pro æqualitate siue Arithmetica siue Geometrica, & proportionali dati & accepti: vt mox expressius nostra secunda conclusione explicabimus: atque ex eis doctoribus immò & sacra Pagina deducemus: sed pro hac sententia numerandus in primis Sanct. Thom. erit: vt patet ex iis quibus hactenus genuinam eius mentem à communiori eius interpretatione vindicauimus: quibus & nos libenter subscribimus eorum sententiam duplici conclusione insinuata explicatius, & distinctius certamine secundo tradituri.

CERTAMEN II.

Secunda sententia duplici conclusione explicata probatur.

1. Dicendum primo est. Iustitia strictè distributiua secundum totam suam essentiam, & proprietatem nequit Deo ad creaturas, adhuc rationales, ac laudabiliter, & meritorie de condigno operantes conuenire. Habet citatos Patronos conclusio. Probatur: quia iustitiæ cuiusvis operatio vnius respectu alterius debet esse ex stricto debito vnius ad alterum, & iure stricto huius in illum debito illius correspondente (vltra æqualitatem siue proportionalitatis & geometricam vel Arithmeticam & ad amussim) ast nihil meritis operum, & dignitati operantis siue proportionaliter siue Arithmeticè æquale potest Deus distribuere ex debito ipsius proprio, & stricto respectu eius creaturæ, neque ex iure stricto & proprio huius contra ipsum: ergo ea distributio Dei nequit esse ex iustitia propria, & stricte distributiua. Maior satis à nobis monstrata est qu. 1. certam. 2. atque qu. 2. certam. 1. & 2. & his etiam locis minor: sed vlterius hæc minor probatur ex dictis quæst. 1. certam. illo secundo; quia debitum illud iuste retributionis oriri debet, vel ex iure particularis creaturæ, vt particularis, seu priuata persona est, ac non pars Reipublicæ rationalis, vel ex iure reipublicæ rationalis in bona Dei distribuenda, & subinde creaturæ rationalis, vt pars eius Reipublicæ est: sed neutromodo potest creatura rationalis rectè operans, iusta etiam, & sancta, & condigne subinde merens, bona supernaturalia Dei ius contra Deum acquirere, cui in illo debitum strictum creaturæ respondeat; ergo. Minor hæc probatur vniuersim primo, quia alias ad certam præmij supernaturalis retributionem opus Dei promissione non foret: cum citra illam ex iure, & debito illo Dei certo, & infallibiliter à Deo retribueretur, quin fieri aliter à Deo posset, id quod vel aduersarij ipsi meritò negant.

2. Secundo particulatim: quia rationalis creatura etiam condigne illa bona promerens, vt persona particularis ac priuata est, etsi æquiualens Arithmeticè, vel Geometrice cum præmio ponat, dignusque, altervero modo, præsit, non potuit ius exactiuum stricte, sed precariæ solum exigentiæ quemadmodum res omnes naturales suas proprietates, & perfectiones naturales exigunt à Deo, sed nec ex iure reipublicæ rationalis & subinde nec meritorie, & condigne operantis rationalis creaturæ, vt pars eius reipublicæ est: siquidem bona illa Dei sunt propria, non autem rationalis reipublicæ, quoad ius, & dominium illorum; tametsi eius propria, quoad receptiuam capacitatem dici possint: quia irrationales creaturæ incapaces eorum sunt: atqui de suis solum, ac non de bonis alterius, potest quis, siue voluntate, siue præcepto, siue lege legitimè, ac non contra ius alterius, ne dum ex iure, disponere; ergo nec de distributione bonorum Dei potest respublica, rationalis adhuc, sed Deus solus pro condigne operaturis legitimè, & ex iure disponere. Mitto Deum omni creatæ potestati superiorem non dominio, sed iurisdictione etiam esse superiorem: quare nec legi alias etiam legitimæ reipublicæ rationalis creatæ esse subiectum, nec distribuendi ab ea habet potestatem. Confirmatur quia lex iustæ distributionis potestati Magistratus à Principe vel republica commissæ in bonis solum reipublicæ, vel absolutè, vel pro vrgenti, & accidentaria occasione est, non autem in bonis eorum, vt particulares, & priuatæ personæ: quare neque erga bona eorum, vt priuatæ personæ sunt ea æqua proportionaliter, vel arithmeticè distribuendi debitum aut obligationem inducit; cum ergò bona omnia merito, etiam condignitatis, operantibus, pro cuiusque valore meritoue distribuenda à Deo ipsis solum, non autem reipublicæ rationalis sint, nequit ex illius iure ità distribuendi debitum vllum habere: quare nec ità illa ex iustitia distributiua bene operantibus impertiri; etsi eam possit in distributione illorum, immò, & seruet æqualitatem, & proportionem. Confirmatur denique, quia, si priuatus quis Reipublicæ bona sua conciuibus bene operantibus ea proportione distribuat, nullo sanè debito suo, iureue illorum, neque ex iustitia stricte, & proprie distributiua distribuet. Nec præstat recursus ad Dei promissionem, ex qua nullum creaturæ ius quæri contra Deum, nec debitum Dei strictum creaturæ, sed sibi solum ipsi, & fidelitatis, vt ex Patribus & ratione, ac nuper ex S. Th. fusè monstrauimus.

3. Dicendum est secundò: iustitia distributiua, quoad proprietatem seruandæ æqualitatis proportionaliter ad cuiusque meritum, ac proinde aliquomodo potest, debetque Deo concedi. Hæc conclusio omnium Doctorum est, etiam eorum, qui nobiscum negatiuam conclusionem de proprie, & stricte distributiua iustitia docuerunt immò verò nec ab vllo Catholico Doctore potest negari, ità enim eaque proportione, & meritorum cuiusque ad præmij magnitudinem ratione habita reddi præmia à Deo posse, imò & de facto esse reddenda constans scripturæ & Patrum ac Theologorum (nemine dempto) sententia est 2. Corinth. 9. *qui parcè seminat, parcè & metet.* Ioannis 14. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Matth. 16. *reddet vnicuique secundum opera eius:* quod ad verbum etiam scripsit Paulus ad Rom. 2. & 1. Corinth. *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Idemque ipsum in parabolis minarum, & talentorum continetur: quanquam illis aliud etiam dogma significetur simul maius, nempe meritum nostrum, quod maiori subinde præmio seruata proportione rependetur maiori gratiæ auxilio in ratione gratiæ, & doni à domino prouenire id etiam expressit Dionysius Areopagita recitatus à S. Thoma certam. 2. ex 8. de Diuinis nominib. & post pauca; *diuina enim iustitia omnia disponit, ac determinat, omniaque non confusa inter se, nec permixta custodiens, iisque sunt omnibus, quod cuique accommodatum est tribuit pro ea, qua vnumquodque eorum, qua sunt attingit dignitate.* Id ipsum S. Thom. docuit expresse recitatus etiam eodem num. 2. & sane eam proportionem seruare in præmiis reddendis, quam merita operantium seruant inter se se, etsi non ex debito vllo, bonum atque honestum est, & in quod proinde absque vlla imperfectione ferri de fa-

cto, atque habitualiter possit honestissimè inclinare.

4. Sed inde obiicies primo, is actus eaque habitualis inclinatio virtus aliqua vel actualis, vel habitualis in Deo est; non fortitudinis, non misericordiæ, nec liberalitatis, nec alterius virtutis propriè: ergò iustitiæ proprie, vel commutatiuæ, vel distributiuæ, vel legalis specialis, at, nec commutatiuæ, nec legalis specialis est per nos, ergo distributiuæ iustitiæ proprie virtus est. Prima consequentia probatur: quia moralis nulla virtus propriè talis esse in aliquo potest, quin ad aliquam speciem virtutum moralium assignatarum, agnitarumque hactenus Philosophis, & Theologis propriè spectet; alioqui innominatæ, & ignotæ innumeræ virtutes, vltra illas notas, pro cuiusque libito quotidiè essent admittendæ, quod absurdissimum in Philosophia, & Theologia est. Negatur tamen consequentia illa. Plures siquidem virtutes Morales Philosophis, & Theologis, adhuc in creatis, admittuntur, quæ ad nullam earum generalium specierum classem propriè spectent, & directè, sed indirectè solùm, & reductitie: quatenus proprium aliquid, non autem totam essentiam virtutis alicuius ex speciebus illis participant: quare partes illius specie, potestatiuè solum dicuntur. Ad eum igitur modum distributio præmiorum à Deo meritis cuiusque proportionata, cum eam distributiuæ iustitiæ proprietatem seruet, etsi alteram huius essentialem partem ità ex debito ad creaturam, & huius iure contra Deum ad eiusmodi distributionem præmia largiendi reductitiè ad iustitiam distributiuam pertinebit: quia quodammodo ratione eius proprietatis (etsi non absolutè & strictè, iustitia distributiua est.

5. Obiicies contra secundam conclusionem; distributio seu collatio præmiorum à Deo est ad æqualitatem Arithmeticam meritorum cuiusque; ergo potius in eo commutatiuæ, seruat proprietatem, quam distributiuæ, quæ non Arithmeticam, sed proportionis seruat æqualitatem. Antecedens certum ex scripturæ locis est & consequentia videtur certa. Maxime cum Arist. 5. Ethic. c. 2. sub fin. dicat; *Vna quidem species est ea, quæ in distributione consistit, aut honoris, aut pecuniarum, aut caterarum rerum, quæ inter eos diuidi possunt, qui in eadem ciuili societate versantur: in his enim fit, vt quispiam, & non æquum habeat ad alium, & æquum*, quia personæ dignitas attenditur iuxta id, quod subdit. c. 3. post init. sic. *Quod in distributionibus est, omnes vno ore pro dignitate quadam oportere esse dicunt.* Quod explicatius deinde persequitur; quare maiori minorique dignitati æque respondet maius, & minus; & tamen in quantitate necesse est esse vnius ad alterum inæqualitatem. Magna, & quàm oporteat, maior controuersia Doctoribus est: an Deus in præmiorum pro meritis distributione commutatiuæ, an distributiuæ iustitiæ seruet proprietatem? commutatiuæ formam seruari docet Vasq. 1, p. d. 86. c. 2. distributiuæ potius seruare docent omnes, qui distributiuam iustitiam esse admittunt; etsi inde formam commutatiuæ etiam seruari, negare non debeant, commutatiuam absolutè negantes, vt ex dicendis patebit. Pro hac sententia stat Ruiz noster tota d. 59. à n. 3. Noster autem Ioann. Præpos. supra dub. 2. n. 13. & Ruiz d. 59. sect. 1. cum 3. vtriusque virtutis formam seruari docet, cui, & nos consentimus, & primo: commutatiuæ formam seruari, constat ex locis scripturæ datis n. 3. & ex nostra doctrina de eleuatione nostrorum operum ad præmij supernaturalis condignum meritum ex dignitate, & sanctitate operantis: ad tantum nimirum Arithmeticè, nec amplius, quam opus secundum se, ac seclusa operantis dignitate, ex naturalibus præmiis mereretur: quod argumentum ex eodem principio, non adeò explicato, nostri Vasquez pro hac parte est.

6. De distributiuæ etiam seruata adeò in meritis præmiandis forma, maior est difficultas supra attacta; cui tamen satisfieri facilius posset, si operibus æquis è maiore gratia habituali operantis maius præmium respondere doceremus cum Soario tom. 3. de gratia lib. 2. cap. 22. & Castellanis nostris omnibus, etiam Toletanis nostris recentioribus non paucis: quia, & dignitas operantis maior & minor in retributione attenderetur iuxta Aristotelem, esset que in ea æquale & inæquale quod explicuimus, etiam respectu operantium eiusdem speciei ornatorum: at vero, cum nos eam sententiam, & contra de merito vniuersim, & controuersiis de satisfactione, & merito Christi reiecerimus; tametsi in operibus humanitatis Christi, & reliquorum iustorum, atque Deiparæ præmiandis (si eius maternitas formalis sanctitas sit, vel speciei altioris quam nostra gratia habitualis, vt citatis controuersiis suspicabamur) dignitas etiam personalis attendi, ac proportionaliter ad illas præmia ipsis distribui facile deprehenderetur, cæterùm adhuc in sanctorum, ac iustorum reliquorum per eiusdem speciei gratiam habitualem meritis præmiandis, tametsi ex maiori augmento gratiæ præmium operis non augescat probatur: quia, & proportionalis æqualitas distributionis præmiorum in eis præmiandis à Deo attenditur, & seruatur: siquidem, sicut se habet præmium, vt quatuor, respectu meriti, vt quatuor, ità præmium vt duo, vel vt octo respectu meriti, vt duo, vel vt octo, sicut reipublicæ honores, &c. maiores, pro maiori personæ dignitate, minores verò pro minori distributi seruant proportionem, atque in eis distribuendis proportionalis æqualitas subinde seruatur.

7. Quoniam verò in attentione sola dignitatis personarum ad honores &c. ipsis tribuendos nequit æqualitas ad amussim, & arithmetica, sed solum prudenti æstimatione morali seruari: quia dignitatis attentæ magnitudo, sub arithmeticam mensuram non cadit: quare respectu omnium, pluriumque, & singulorum bona reipublicæ eo titulo recepturorum forma commutatiuæ iustitiæ nullatenus seruari potest; at verò in meritis plurium iustorum remunerandis respectu singulorum, & omnium distributiuæ sumptorum forma commutatiuæ iustitiæ seruatur, quia ad amussim, & æqualitatem Arithmeticam valoris meritorum, & tanti pro tanto, vt aiunt, in singulis, & omnibus distributiuæ sumpti præmium est: simul autem distributiuæ iustitiæ forma in præmiis collectim, & præmiis disiunctim sumptis seruatur: quia proportionaliter ad merita omnes præmiantur; quod deficeret, si vnus solum esset præmiandus, seu qui præmiaretur, possetue præmiari: quia proportionalitas, seù proportio proportionum in bonorum retributione, siue meriti, siue dignitatis titulo, & personarum, & retributionum illis faciendarum pluralitatem requirit: sibi enim, & respectu eiusdem proportionum æqualitas esse non potest: quo plane distributiua à commutatiua iustitia, quæ respectu vnius esse potest valde differt; non tamen differentia contradictoria, & commutatiuæ iustitiæ repugnante; quin hæc plures, in quibus, seù respectu quorum exerceatur, etsi non requirat non excludit: quare neque seruari in omnium collectim sumptorum præmio afficiendorum retributionibus proportionalitatem, eam vero etiam à Deo attendendam verba illa recitata ex Matthæo, & Paulo, & *tunc reddet vnicuique secundum opera eius*, satis ostendunt, & ipsi attentionis eius honestas suadet.

8. Certè, si hactenus dicta bene teneantur, nihil est, quod aliqua difficultatis specie obiici possit non præoccupatum. Nam quod commutatiuæ forma seruatur seruandæ etiam formæ distributiuæ non officit: cum alteri non contradicat, ac proinde non simul solum sed eodem etiam actu attendi valeat, & obseruari. Quod autem in distributiua creata bonorum reipublicæ, quæ amplius vni, vel quo pluribus, minus singulis distribuuntur per accidens distributiuæ iustitiæ, & formæ est è bonorum limitatione, & materiæ distribuendæ cuiusmodi. Quod verò forma etiam legalis iustitiæ specialis, & gubernatricis vniuersi commune bonum intendentis à Deo seruetur, non obest, quominus seruetur forma distributiuæ aliarum, vt proximè de harum simultanea obseruatione dicebamus; quare, etsi hæc, & tacta à nobis cursim alia multis confirmationibus opponat Ruiz noster, nec paucioribus instantiis & doctrinis soluat, hæc de illo dixisse sit satis.

QVÆST.

QVÆSTIO IV.

An iustitia propria, & strictè vindicatiua sit Deo tribuenda.

VIndicatiua iustitia à distributiua, de qua proximè, materia solum differt necessariò, non forma præmiorum; quippe solùm distributiua illa est; vindicatiua verò, de qua in præsenti, suppliciorum tantum distributiua est, & pœnarum: quare vtraque distributiuæ tota sua amplitudine acceptæ ambitu continetur; tametsi ratione diuersæ de vtraque decisionis, & fundamentorum eius merito, vt diximus vtriusque quæstiones fuerint à nobis diuisæ.

CERTAMEN I.

Sententiæ oppositæ, & affirmantis nostræ fundamenta leuiora.

1. VIndicatiuam, seu punitiuam iustitiam propriam strictam denegant Deo, quotquot iustitiam strictam & propriam Deo vniuersim denegarunt relati q. 2. cert. 1. num. 2. si duos inconsequentiæ notatos doctores excipias, qui iustitia vniuersim Deo negata, distributiuam tamen tota sua amplitudine acceptam ipsi concesserunt. Cæterum Soarius d. de iustitia diuina sect. 5. tametsi Deo iustitiam propriam speciatim distributiuam præmiorum concedat; at verò pœnarum inflictiuam in Deo non proprie vindicatiuam, seu punitiuam esse admittit: sed solum specialem illam prouidentiam, & gubernatricem esse late contendit, eam generalem &c. vocans, ratione amplitudinis materiæ, ad quam legalis prouidentialis, & gubernatrix Dei iustitia vltra pœnarum pro demeritis inflictionem extenditur; non autem, quia non iustitiam strictam, & solum generalem, quæ omnem virtutem continet esse putet: quare non parum vt air Ruiz d. 60. sect. 1. num. 1. sententia hæc ab eorum, qui iustitiam solum generali illa acceptione in Deo admittunt, sed valde discordat. Quarta verò Molinæ Lessij, & Lorcæ sententia, quam hac in re idem Doctor commemorat, qui vindicatiuam Dei iustitiam non propriè talem, sed partem eius potestatiuam esse volunt, quia ab eius proprietate deficiat, eadem cum sententia est omnium negantium iustitiam strictam vniuersim, & consequenter vindicatiuam Deo: ij siquidem omnes ideò negant, quia puniendi peccata affectus, & exercitium, quare & inclinatio ab affectu, & inclinatione proprie vindicatiuæ iustitiæ deficit; tametsi formam eius, & proprietatem aliquam seruet: ac proinde pars potestatiua vindicatiuæ iustitiæ in Deo sit, admittique possit: id quod, nec Soarius negat, licet ab aliis negantibus differat, quod hi ad nullam specialem iustitiæ propriè, & strictè dictæ speciem, sed solum potestatiuè ad vindicatiuam; Soar. verò ad specialem gubernatricem proprie acceptam pertinere contendat: quem sequitur Fasol. dub. 56. vbi solum prouidentialem esse vult, & probat alios citans.

2. Secunda sententia iustitiam propriè, & strictè punitiuam, seu vindicatiuam in Deo recognoscit: ita omnes qui distributiuam proprie acceptam Deo concedunt relati à nobis q. 2. cert. 1. n. 2. circa med. versu *ex aliis verò*: in quibus Gonzal. Albelda, quamuis inconsequenter ad suam sententiam iustitiam strictam & propriam vniuersim Deo negantem: sed ex iis etiam qui distributiuam iustitiam denegant Deo, punitiuam, seu vindicatiuam iustitiam strictam, & propriam Deo specialiter concedunt, Magister in 4. tota fere. d. 46. vbi S. Th. q. 1. art. 2. sæpè, & præsertim quæstiunc. 4. & art. 3. S. Bonau. art. 1. maxime q. 4. vbi Richard. & Carth. q. 1. præsertim col. postrema, & quod magis mireris Durandus ipse, iustitiæ strictæ Dei impugnator generalis, propriam punitiuam in Deo admittit ea d. 46. q. 3. fin. dicens, *Secundum iustitiam proprie dictam deberi pœnam quæ pro meritis intelligitur.* Consentiunt etiam, qui vel ad commutatiuam, vel distributiuam proprie eam reducunt, inferius citandi: item qui neutrum ex his propriè acceptam, vel expresse sicut nos Deo concedunt: in quibus noster Ioannes Præpositus supra dub. 4. n. 16. versu *Respond. affirmative* (tametsi n. 17. à proprietate iustitiæ vindicatiuam deficere doceat, qua vindicatiua, iuxta propriam ipsius explicationem asserat tandem, vel eis limitationibus vtramque illam Deo concedunt, vt negare videantur ex quibus est noster Ruiz d. 60. quibus & nos vltrò consentimus. An verò ad specialem iustitiam commutatiuam, an ad distributiuam propriam, aut ad speciem alteram quam piam virtutis iustitiæ strictæ spectet? Scholasticis eit quæstio, illi similis, quam de præmiorum distributione à Deo facienda, siue, quoad proprietatem, siue, quoad formam examinauimus q. 3. de quo cert. 3 commutatiuam esse censuit Aureolus in 1. d. 46. art. 1. post 3. propositionem col. vlt. §. *est autem* Argentina in 4. d. 46. q. vn. a. 1. concl. 2. Sotus 3. de iust. q. 5. art. 4. ad 1. Arag. 2. 2. q. 61. a. 5. circa solut. 1. circa solut. primi argumenti Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 1. c. 10. q. 4. licet hic quodammodo solum iustitiam omnem propriam, quare, & hanc adeò admittat, vt qu. 2. obseruabamus: vnde solum quoad formam, non autem quoad proprietatem iustitiam commutatiuam esse de vindicatiua admittit. Ad distributiuam autem spectare insinuauit Magister, in 4. d. 46. §. *sed quomodo.* Clarius S. Th. ibi q. 2. art. 2. ad 1. Rich. art. 1. q. 1. corpore post med. Scotus q. 4. fine Carth. q. 3. col. 2. Capreol. in 1. d. 45. q. 1. art. 1. ad arg. contra 1. concl. Caiet. 2. 2. q. 61. art. 4. §. vlt. Salas 1. 2. tom. 1. tr. 7. d. 7. n. 5. Nauarrete 1. p. tom. 1. contr. 28. §. 6. versu *circa auctoritatem.* Ruiz noster citata d. 60. tota sect. 4. & 5. Alij verò vtramque commutatiuam scilicet & distributiuam in puniendis damnatis exerceri à Deo censent. Denique Soarius & Fasolus ad neutram spectare vindicatiuam sed ad gubernatricem & prouidentialem iudicant, vt vidimus n. 1. fundamenta harum sententiarum quatenus nostræ aduersantur subiiciam inferius nostræ probatione satis debilitata.

3. Leuia quædam pro affirmante nostra sententia circa quæstionem propositam præcipuam producenda sunt, ne quis eius veritatem non satis firmis fundamentis imponat. Et primum sit, quod ex frequentissimis scripturæ testimoniis desumitur, quæ specialissimè in delictorum punitione, seu temporali, seu æterna iustitiam Dei exerceri clamant: quia ea semper redditur à Deo iustum: vt videre est Iob. 3. Esther 14. Isaiæ 59. Threnor. 1. Daniel. 9. Psal. 7. 9. 10. 97. 128. sap. 12. ad Rom. 1. atque alibi millies, quorum firmitati accedunt in eandem sententiam Patrum vel ea loca commentantium, vel libros de aliis scribentium, concors sensus & iudicium, Clem. vterque Rom. & Alex. Nazianz. Tertul. Basil. Damasc. Ambros. Anselm, Chrysost. recitati à nostro Ruiz d. 57. sect. 3. & 4. Aug. 3. de liber. arbitr. cap. 4. à med. 13. de Trinit. cap. 12. sub fin. quæst. 2. super exod. lib. 2. c. 143. inchoata exposit. epist. ad Rom. vers. med. de natura boni c. 7. fin. 1. Retract. cap. 26. Greg. Magn. lib. 2. in 1. Reg. c. 2. sub med. 8. moral. c. 8. post med. lib. 29. c. 5. ad id Iob. 38. *Auferetur ab impiis lux sua.* Fulgent. 2. de remiss. peccator. c. 6. sub init. c. 9. sub fin. c. 21. post med. Prosper. ad excerpta Genuens. dub. 6. August. de prædest. sanctor. c. 9. dicentem, *ex vno omnes esse in condemnationem sine dubitatione iustissimam* exponens dub. 6. & 8. ac rursus epigr. 16. quorum etiam testimonia recitat idem Ruiz d. 60. sect. 2. à n. 8.

4. Ex his autem omnibus arguit Ruiz quod ea specialitate concordia, & frequentia à scriptura, & Patribus de aliquo asseritur, proprio, ac non metaphorico, tropicoue sensu intelligendum est: atqui de punitione peccatorum à Deo iustam, atque ex iustitia esse his omnibus scripturæ, & Patrum concordibus, & frequentissimis esse, immò & iustissimam esse dicitur: ergo proprio sensu, ac non metaphorico, tropico, seu figurato sensu dicitur, debetque à Theologis intelligi, ergo de iustitia vindicatiua

tiua proprie & stricte tali. Responderi tamen facile potest, vt supra testimoniis totidem pro commutatiua, aut distributiua iustitia propriè tali: admisso toto syllogismo negando consequentiam secundam: quia, vt diximus ibi propria iustitiæ acceptio, & significatio multiplex est, nec vnica pro iustitia propria, & stricta immò vero eius pro redditione æqualis propriam, & vulgatissimam omnium esse, etsi ea ex iure, & debito, in quibus strictæ iustitiæ essentia fundatur non sit: quod solum à scriptura, & Patribus tot testimoniis intendi certum videtur: siquidem ea solum ratio in eis assignatur: quod pœna, & delictum iusta, id est ad æqualitatem sint; quin pœna, & supplicium Dei excedat. Præterea, vt ex regula interpretandi scripturam constat, quoties Deo aliqua quantumvis frequentia in scriptura tribuuntur, quæ proprie accepta absurdum aliquid, ac Deum indecens continent, proprie, & simpliciter accipienda non sunt, sed figurate, secundum quid, aut metaphoricè: at reliqui affirmantis nostræ sententiæ Patroni in vindicatiua iustitia stricte dicta aliquid indignum Deo contineri docent: nempe debitum non solum pœnarum patiendarum in peccatore sed & debitum strictum actiuum iustitiæ eas puniendi in Deo (vt in rationis communis solutione dicemus) quod nec in Deo est, nec Deum decet, ergo in eorum doctrina maior syllogismi firma non est nec sine distinctione admittenda, sicuti & minor ex quibus consequentia ad rem præsentem non teneat.

5. Communis ratio reddere iniquis debitum supplicium, tantumque, quantum meretur eius iniquitas honestum est, & virtutis specialis, tam in supremo iudice Deo, quam in creatis iudicibus: atqui ad nullam aliam ex moralibus spectat: ergò ad iustitiam vindicatiuam strictam, & propriam. Confirmatur: quia, si in pœna, quæ excederetur merito delicti, à Deo, qua iudice (nec solum, qua supremus creaturarum Dominus est) iniuste stricte, seu contra strictam iustitiam Deus ipse ageret: ergo adæquatione pœnæ, quam, vt iudex, Deus infligit ad meritum delicti ex stricta iustitia vindicatiua se gerit: confirmationis huius argumentum irrefragabile iudicat Ruiz sect. 3. nu. 18. Sed eadem solutione vtrumque euanesceret, & primum diluimus in simili q. 3. cert. 2. n. 4. asserentes in præmiandis ad exactam æqualitatem iustorum meritis virtutem, procul dubio, aliquam à Deo exerceri, quæ ad nullam aliam quæ iustitiæ strictæ non sit directe, & tanquam eius species pertineat; aft neque ad strictæ iustitiæ speciem aliquam, & directe pertinere: quia neque ex iure stricto vnius contra alium, & huius debito ad illum (sine quibus species nulla strictæ iustitiæ, omnium sententia, esse potest) à Deo exercetur: quare cum actum præmiandi exactissimè iustorum merita indirecte solùm, & reductiuè ad iustitiam spectare, tanquam partem potestatiuam illius, quia, quoad obseruationem æqualis in præmiis reddendis strictæ iustitiæ forma à Deo seruatur: aft defectu iuris, & debiti stricti inter præmiantem, & præmiatum à iustitiæ strictæ proprietate deficit in Deo, quod ipsum ratione defectus eiusdem de actu puniendi in Deo dictum puta: formaliter, & directe nullius ex generalibus virtutibus moralibus esse, sed solum esse iustitiæ partem potestatiuam.

6. Hanc vim argumenti; quod contra affirmantem, suam etiam, sententiam ex huius solutionis doctrina confici posse vidit, conatur eludere Ioannes Præpositus: contendens iustitiam propriam vindicatiuam solum esse iustitiæ proprie dictæ potestatiuam partem, quæ debitum, iusque strictum natura sua non requirat, ac subinde à iustitiæ propriè & stricte dictæ proprietate deficiat; etsi tota proprietate vindicatiua iustitia sit, atque iustitia alterius, quæ debitum & ius strictum requirit, pars solum potestatiua. Contra tamen: quia ea doctrina de iustitia vindicatiua vniuersim sumpta, prout ab increata abstrahit, & creata singularis, contra Aristotelem, reliquosque Philosophos, & Theologos est, qui iustitiam (stricte talè, & requirentem debitum vnius & ius alterius strictum in illum diuidunt in commutatiuam, distributiuam, & vindicatiuam & partem distributiuæ tota sua amplitudine acceptæ reputant: ac proinde iustitiam propriam, & strictam diuisione prima in commutatiuam & distributiuam diuiduut adæquatè: in ea vindicatiua, seu distributiua pœnarum pro sceleribus delinquentium continetur. Tertiò: quia, vt huius quæstionis præfatione dicebamus iustitia distributiuæ pars in præmiis reddendis à vindicatiua, quæ alia pars est in reddendis pœnis, seù suppliciis sola materia bonorum seù malorum pro meritis, nullaque alia formali ratione differunt, at per te pars illa distributiuæ præmiorum debitum, & ius è sua ratione formali requirit: ergo, & pars distributiua pœnarum. Quartò demum, quia hac abstractione à stricto debito, & iure in vindicatiua secundùm se spectata admissa, eadem facilitate in distributiua admitteretur, admittique debebit; quin contra hanc in Deo, & commutatiuam admittentes, quidquam Ioannis Præpositi & reliquorum negantium argumenta præstent, semel hoc iuris, & debiti stricti carcere perfracto.

7. Inde facile negatur confirmationis, cui adeò Ruiz noster fidit, consequentia, antecedente admisso; cum enim duo essentialiter iustitia propria, & stricta vindicatiua requirat, ius nempe & debitum strictum, atque demeriti, & supplicij æqualitatem, etiam ex parte potest actus ab ea desicere eiuè contrariari, nempe ob æqualitatis, vel ob iuris debiti defectum: quare supplicium excedens iustitiæ vindicatiuæ contrariaretur, adhuc in Deo, vt Iudice, si per impossibile excederet; quin non excedens ex iustitia stricte vindicatiua sit ob debiti stricti defectum: sed multa eruditione, & ratione Theologica debitum hoc strictum puniendi peccatores in Deo contur ostendere, ne ea ex parte in eorum suppliciis à stricte & proprie vindicatiua iustitia eiusmodi exercitium deliciat: fundamenta fortiora eo deueniunt, vt, ex quo le Deus iudicem omnium legum suarum, & pœnarum promulgatione rationalibus creaturis declarauit puniendi illos, non ius solum, sed & debitum habeat, contra quod & iustitiam ageret, si eos non puniret: iuxta id Psal. 49. *existimasti iniquè quod ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam*: scilicet peccata tua. Dixi principium fundamentorum pro debito stricto Dei ad præsat infligendas adstruendo à nostro Ruiz excogitatorum: quia alia plura fundamenta ipsius supra à nobis impugnata quod rerum ipsarum debitum absque debito personæ, qui eas alteri debeat, ad stictam inter eos iustitiam constituendam sit satis. Cæterum nec apparentis roboris ratio vim habet siquidem nec iudiciaria Dei potestas ab ea promulgatione pendet, eaue constituitur; sed ipsius natutæ, & essentiæ est agnata potestas, conditionalis respublica eo ipso, quod sit, subiecta, & subordinata natura sua est. Promulgatio verò illa pœnarum, in ita puniro finaliter peccatores Deus efficaciter statuisset, nullatenus Deum ad inflictionem pœnarum tenere: tenet autem ex decreti sui immobilitate, & veritate promulgationis suæ, cum decreti eius, tum pœnæ infligendæ: quod quantum à debito stricto iustitiæ abfit supra in superioribus ostendimus, est quippe debitum decentiæ suæ, ac sibi ipsi totum, non alteri.

8. Nec aliud verba adducta Psalmi 49 suadent: *iniqui* enim nomen, quo iudicandum peccatorem peringnominiam compellauit, non strictam solum iniustitiam significat, sed peccatum quodvis vt patet. Secundò in eo Psalmo, etsi de finali iudicio alterius vitæ agatur, non tamen de illo solo, sed & in præsenti, nec cum peccatoribus solum, sed cum iustis, vt constat ex verbis anterioribus præsertim 14. & 15. nec verba obiecta de penis infligendis, sed de conuincendis peccatorum sceleribus sunt, quin eorum tergiuersationi illis locus superfit vllus exceptioniuè de falso impositis criminibus vti in Tribunalibus euenit: maximè, quibus peccatores, & sceleisti iustices adsunt, constat ex textu ipso opposito, & immediate antecedente: quod sic habet. *Sedens in iudicio* (siue vt index) *aduersus fratrem tuum loquebaris: & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti & tacui*: autem me, per silentium, tuis contra innocentes consentisse calumniis putes, tuæque prauitati: *existimasti iniquè quod ero tui similis?* calumnias, scilicet, tuas probans, & non potius reprobans, atque in iudicium obseruans? *Arguam te*, de eis & reliquis sceleribus tuis, quæ recensui, & *statuam contra faciem tuam peccata*, omnia, tua vt eorum tu ipse in iudicio meo oculatus testis contra te ipsum fias: meque iniquitatum ostendam, non quidem, Patronum, sed potius obseruatorem, exactissimum iudicem, vnde clarè eis verbis intentum Ruiz nostri non probari.

CERTAM

CERTAMEN II.

Solidior affirmantis conclusionis probatio.

1. TOta, vt vidimus affirmantis strictam iustitiam vindicatiuam Dei in punitione peccatorum difficultas stat, in strictis iure, & debito pœnæ inter Deum, & peccatorem, ostendendis, quod assignare desperarunt plures. Ruiz noster autem satis fæliciter adinuenit: multiplici verò ex capite, me iudice, orta difficultas fuit & adoleuit. Primum: quod iudiciariam potestatem creatam, siue ex electione, ab increata, & diuina minus, quam oporteret, distinguentes ea omnia, quæ in potestate creata ad iustitiam vindicatiuam strictam exercendam requiruntur, in increata, & diuina ad exercitium propriæ, & strictæ vindicatiuæ iustitiæ requirebantur: cum autem in potestate creata debitum puniendi delinquentes viderent requiri, respondens reipublicæ iuri, vt vindicta de scelestis sumatur à iudice per ipsam rempublicam proxime, vel remote ad id muneris constituto: atque item ex iure, quod eiusmodi electione, & constitutione alicuius à republica, vel Principe in iudicem priuatæ illius personæ habent, vt æquum inter ipsas iudex seruet, seruarique faciat, ac proinde personæ alterius conciuis delicto læsæ damnum à lædente eiusve bonis resarciat. Hoc autem totum in iudice natura, & essentia sua physicè tali, ac supremo, Deo nullatenus inuenitur, inueniriuè potest: cum, neque ex reipublicæ, siue rationalis, siue vniuersi electione iudex constituatur: quare neque adiunctæ similium electionum legi subiaceat, neque eius aut priuatarum personarum stricto iuri sit obnoxius, sed sui prorsus iuris, & dominij in illas, & vniuersam siue rationalium, siue irrationalium etiam, rempublicam permaneat, etiam, cum ipsarum iudex persistit.

2. Secundo non animaduerterunt iuris, ac debiti ad iustitiam vindicatiuam strictam, & propriam requisitorum à debito, & iure ad alias species virtutis iustitiæ propriæ diuersitatem: in his quippe debitum ex parte operaturi ex iustitia est, ac proinde est debitum actiuum, seù aliquid erga alterum agendi, in quo ius sit id ab eo recipiendi, ex quo debitum, seù obligatio huic respondens insit; cuius omnino oppositum in iure ac debito ad iustitiam vindicatiuam requisito contingit. Nam debitum passiuum solum, & recipiendi nimirum pœnam, in delinquente eam passuro à legitima potestate est: ius autem eam infligendi actiuum, ac in iudice solùm, ac penes legitimam potestatem pœnam infligendi est, non autem penes reum vt patet. Tertiò non obseruarunt ius strictum debito respondens, atque ad exercendam inter duos iustitiam strictam natura sua sufficiens, non inducere in illud habente ius exercendi, eoque vtendi necessitatem: neque enim, qui ius pro centum verbi gratia, vel quouis alio recipiendis ab alio habet, debito, aut necessitati ea ab alio, vel per se, vel per publicam potestatem recuperandi est obnoxius; sed solum id pro libito agendi habet potestatem; alias qui debitum ab alio non repeteret, sed remitteret, contra strictum ius, ac proinde contra strictam ageret iustitiam: quod plusquam erroneum, ac plane hæreticum est.

3. Dixi autem *natura sua* ius hoc illud habenti tribuere recuperandi ab alio potestatem: quare in prima rerum diuisione, & antequam hominum conuictus in rem publicam, sub eiusque iudice redigeretur, qui iure suo hoc ex motiuo res ad æqualitatem reducendi vtens ab alio recuperaret iustitiæ actum proprium haud dubio exerceret; at verò republica, ac eius iudicibus meritò constitutis, nequiuis in sui satisfactione præ auaritia, & proprij commodi impote amore excederet, neuo inde conciues reipublicæ, suoque malo, frequentissime rixarentur iuris huius vsus priuatis, quo ad ea, quæ auctoritate publica, & externo iudicio, & foro recuperari possunt interdictus est, totusque ad iudices deuolutus: quoad occultam verò eorum, quod alias vel absolute, vel circa graue suum damnum nequit, compensationem relictus: vndè non solùm licitè, & citrà iniustitiæ culpam (vt; doctores concordant) sed honestè atque ex iustitiæ strictæ virtute poterit quis bona sibi debita recuperare à debitore: modo ex eius virtutis proprio motiuo nuper explicato recuperet. Quod, etsi Doctores communiter non expresserint, non negauerunt: à nemineque existimo negandum. De debito autem stricto ad iustitiæ virtutem necessario, si actiuum iudicis, & potestatis per rempublicam, aut Principem constitutæ sit, ipsius vsus, vbi se occasio det, necessarius debituque est, cum reipublicæ, tum personæ læsæ; quin iudex illum pro arbitrio possit omittere, nisi contra alteram saltem, quandoque contra vtramque iniuste se gerat; in aliquid occurrat, quo maiori reipublicæ bono pœna alias debita vel temperetur, vel remittatur. De passiuo verò debito delinquentis, non ita stricta obligatio, & debitum patiendi pœnam pro delicto est, quoad pœnam personalem purè, ac non recompensatiuam damni alteri illati per delictum vnde à graui supplicio, etiam post sententiam à iudice latam potest fuga se eripere ad quam ius habet naturale: vt de damnatis ad Triremes Doctores omnes censent: immò Physica quantumuis inuoluntaria pœnæ passione physica delinquentis soluitur.

4. Denique iudiciariam hanc Dei potestatem, & ius strictum iustitiæ vindicatiuæ plures probant ex illo ad Rom. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam*: quod ex Deutron. 32. desumpsit Paulus, vbi hæc: *Mea est vltio & ego retribuam* infrà: *sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum*: & Apocalyps. 19. *& vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius*: nempè meretricis, quæ terram corrupit: quæ, etsi id probantia rationi conclusionis mox subiiciendæ non officerent, tamen quia male intellecta officiunt veritati, rigide interpretanda hic sunt & primo quidem si ex ea lege sua Deum se iudicem constituisse delinquentium iudiciariamque obtinuisse in omnes potestatem, quam alias non haberet eis locis asseri intelligatur mala, & absurda interpretatio est: siquidem iudiciariam supremam potestatem natura sua, nec aliunde, adhuc ex arbitraria sua lege, & voluntate habet: solum ergò ea loca, potestatis, & iurisdictionis eius natura sua à Deo præhabita in sanctorum à malis afflictorum solamen tantum euulgationem continent. Secundò cum ea verba sanctis in hac vita degentibus vindictæ de malis eos affligentibus, & per iniuriam lædentibus reseruationem Dei potestati, & iudicio promulgent, si de satisfactione, & compensatione omni, etiam damni, cuiusuis illati à scelestis essent, vt sonant; neque Iudices creati possent ea damna legitimè, & ex iure læsis resarcire; neque hi per illos intendere, & exigere absque culpa compensationem, vt patet: id quod plusquam falsum omnibus est.

5. Duorum igitur iudicium vindictæ de malis eorumque sceleribus penes Deum solum esse eis locis euulgatur. Pœnæ ob illorum moralem turpitudinem in alia vita debitæ, cuius satisfacta etiam in hac vita per æquam damni compensationem parte læsa, sæpè debitum integrum perseuerat, & hoc vindictæ ius natura sua Dei vnius est, qui de se solus, & valoris demeritiui culparum notitiam exactam, iustumque subinde iudicium ferre atque exequendi habet potestatem; tametsi in extremo iudicio Apostolicos viros ad iudicium malorum, sit aduocaturus, & Angelos prauos carnifices pœnarum sensus in sceleratos alios executores. Alterius autem debiti temporalis adhuc eis verbis Dei reseruatur vindicta: nempe, quæ dignitati formali inimicitiæ sceleratis in proximos respondet vltrà sceleris sui meritiuum debitum, eam dignitatem, seu debitum formale vocabamus, vt à valore, & dignitate demeritiua, quam valorosam dignitatem pœnæ dicebamus, diuideremus controuers. 2. de incarnat. ad naturalem nec

solum legalem iustitiam Dei in æternitate pœnæ ob lethale valoris demeritiui absolutè finiti ostendendam. Igitur inimicus eo quod se alterius inimicum constituit, factisque, vel aliter se illi talem ostendit, illius odio formaliter dignum, & qui omnibus eius beneficiis priuetur, malaque proportionaliter ab eo patiatur. Huius autem odij, & satisfactionis animi, etiam temporalis, quorum dignus formaliter inimicus est vindictam, vltionemque Deus sibi eis locis reseruat etiam, non damni illati temporalis compensationem; ne se inuicem odiis, & hostilitatibus priuatis homines perdant, & proscindant, cum ob reipublicæ hominum bonum, tum, quia priuato dolore quisque in priuati inimici vindicta, & vltione excederet. Dixi *priuati*; nam publici reipublicæ hostis cuique non solum vindictam qualemcunque permittit, sed vsque ad eius internecionem præcipit. Deuter. 15. vers. 16. *delebis nomen eius sub cælo; caue ne obliuiscaris*: id verba ipsa vltio, & vindicta, quæ damni illati compensatio non sunt, sed amaritudinis ac doloris animi satisfactio & consolatio satis significant, & vox etiam *hostes*. Deo autem, qui nec excedere, nec ignorantia nec passione animi in vindicta de inimicis sumenda potest, nec habet potestatem superiorem, vltio vindictæ de inimicis, qua talibus, iure competit suo.

6. Hæc pro germana eorum locorum interpretatione: ex qua constat Deum in puniendis peccatoribus, siue ob debitum, & dignitatem formalem inimicorum eius, siue ob dignitatem demeritiuam debitumque valorosum delictorum iudiciariam suam propriam legitimam potestatem exercere ad debiti pœnarum passiui æqualitatem; atqui actus omnis punitionis à iudiciaria legitima potestate, atque ad debitam pœnarum æqualitatem debito passiuo delinquentis proueniens, ex iustitia proprie, & stricte iustitia, & punitiua, seu vindicatiua prouenit eiusque exercitium proprium & formale est: ergò in Deo est proprie, & strictè iustitia vindicatiua & formale exercitium ipsius. Hoc argumentum eludi aliter nequit, quam negando propriam, & strictam iudiciariam potestatem, ac subinde Deum proprie, & stricte iudicem nostrum, totiusque rationalis reipublicæ, & vniuersi, quod citra errorem fieri nequit, cum toties in scriptura talis dicatur. Quod autem potestas iudiciaria hæc debitum & obligationem actiuam puniendi in Deo non habeat à legitima iudiciaria potestate, & iure stricto, & proprio puniendi illam non extrahit, vt vidimus ex diuersitate debiti passiui solum, quod ad hanc iustitiam requiritur: quod, etsi cum iure iudicis legitimi ad conuertentiam dicatur: ast tenere se ex parte iudicis, & actiuum proinde esse nequit, sed passiuum solum, & ex parte delinquentis se tenens: quin etsi in iudicibus creatis, & ex electione reipublicæ, aut Principis ius hoc legitimum cum obligatione puniendi coniungatur: quatenus ab ea obligatione prouenit formaliter iustitia inter partes formaliter non exercetur; sed quatenus ex legitimo iure, & potestate iudicis est: etsi absque ea legitima eius potestate, quæ in iudice supponitur, aut concernitur obligatio ei adiuncta puniendi in illo non esset.

7. Non posse autem aliter hoc argumentum eludi constat quia nec, qui iustitiam propriam & strictam vindicatiuam denegant Deo, aliunde, quam ex defectu debiti actiui necessarij, & essentialis legitimæ iudiciariæ potestati ad iustitiæ punitiuæ exercitium proprium negant: quia seruari pœnarum à Deo infligendarum cum delictis, eorumque demeritis æqualitatem non inficiantur: seruarique saltim à Deo posse negare nequeunt, quòd ad iustitiam punitiuam ea ex parte propriam, & in actu primo in Deo admittendam est satis: sed contra strictam, & propriam Dei iustitiam à Deo exercitam, exercendamque in damnatos opponitur ex parte æqualitatis necessariæ inter pœnam, & delictum vulgare illud apud Patres, & Theologos proloquium *Deus punit citra condignum*. Respondeti etiam vulgo solet, vt supra de præmio Beatorum vltra condignum ea parte pœnæ, quæ à Deo infligitur, cum parte debiti delicti supplicium æquari, licet vlterioris pœnæ sit remissio, in qua iustitia punitiua non exercetur, sed misericordia: sed plenior est planiorque ex nostris principiis solutio, (etsi præfatam non improbemus) debiti pœnarum, seu dignitatis valorosæ demeritiuæ delicti nihil prorsus remitti damnatis, vt Apocalyps. 18. dicitur, *quantum glorificata est in deliciis suis tantum date illi tormenti*, &c. ast debitæ dignitatis formalis inimicorum suorum innumeras eis pœnas debitas remitti. Ex qua distinctione dignitatis, & debiti pœnarum inimicitiæ Dei, quæ æternum in damnatis perstabit, pœnæ, quoad durationem infinitæ, & per æternitatem inæqualitati eius per supplicij excessum, fit etiam facile satis, iuxta dicta citato loco de incarnatione: vbi de formali debito, & dignitate pœnæ suis æternum inimicis infligendæ, alias plurimum ipsis tota æternitate remitti exinde monstrauimus.

CERTAMEN III.

Ad distributiuam, commutatiuam, & legalem propriè sumptas secundum diuersas considerationes vindicatiuæ iustitiæ Dei spectat.

1. His omnibus consentimus conclusione præsertim adeò facilis probationis, vt sola ipsius expositione probetur: etenim si pœna inflicta cum persona sola delinquentis ad æqualitatem delicti pœnam passiui comparetur commutatiua iustitia est, vt diximus ad Arithmeticam æqualitatem tanti supplicij pro tanto, nec minoris nec minori valoroso, ac meritino debito à Deo exercita: sin verò cum damnatis, & punitis à Deo cunctis inquorum omnium pœnis ad æqualitatem cum debitis cuique inflictis proportionalitas, seu proportionum proportio, & æqualitas seruatur proprie distributiua iustitia, secundùm distributiuæ vniuersim sumptæ in præmiis pœnisque pro meritis distribuendis rationem: cum ex debito, & meritis malorum, iureque stricto Dei supplicia ab ipso infligantur. Quatenus verò in ita punitis delictis bonum commune reipublicæ rationalis, cui etiam, vt partes illius peccatores sunt, eam pœnarum satisfactionem debent, iusque in illos, vt tales rationalis respublica pœnes suum Principem Deum habet, Deus attendit gubernatricem, & prouidentialem exercet iustitiam, quam legalem dicere poteris: quatenus ex commune bonum, quod semper leges intendunt, iuxta stricto, & proprio scelestos meritos, & pœnarum debitotes punit quatenus autem legalis iustitia debitum, & obligationem iudicis ad puniendum supponit, certum est illam, neque in malorum suppliciis exerceri, nec in Deo esse vsquam posse.

2. Patet inde quid demum de iustitia propria stricta, & speciali Dei vniuersim in hac disputatione sit dicendum: eam, nempe, non solum Deo concedi posse, sed debere: quatenus è suo conceptu debitum & ius alterum ad alterum vniuersim requirit abstrahendo à debito actuo eius, qui illam erga alterum, & habet, & exercet, & à passiuo etiam debito eius, erga quem exercetur: cuius omnes iustitiæ species, quæ eiusmodi debitum actiuum in eas exercente requirunt, à Deo, vt pote ipsi indigum & impossibiles esse relegandas: vt contra hactenus ea asserentes ostendimus, solumque contenderunt Valquez & Theologi reliqui negatiuæ sententiæ Patroni contra affirmatiuæ Doctores, qui omnes debiti solummodo actiui rationem habentes de iustitia Dei vtrumque disputarunt; vti, & nos quæstion. 1. certam. 2. de legali speciali, & quæstione secunda, & tertia de commutatiua & distributiua bonorum: cæterùm, & iustitiam strictam vniuersim, & tres totidem similes eius species, quæ debitum solum passiuum in eo, erga quem ab altero eiusque iure exercendæ sunt, (vt nos ingenuitate potius, quam ingenij acumine indagauimus, inuenimus, & fundauimus) admittentur in Deo sunt. Dixi autem similes species, non eadem quia iuxta adinuentum hoc nostrum iustitiæ strictæ ac propriæ genus diuisione prima immediata in aliamque debitum actiuum requirit & in aliam, quæ

quæ passiuum solum est, diuidenda. Deinde alterutra in commutatiuam distributionem, & legalem: quare etsi voce omninò, & quoad seruandam æqualitatem vtraque earumque species conueniant, tamen debito in altera actiuo, in altera verò passiuo solum discordant, non eædem alterius speeies cum speciebus alterius sunt, sed solummodo similes, & his quidem præuenimus obiectionem ab inconsequentia eorum quæ antecedentibus conclusionibus quæst. 1. & 2. & 3. negatiuis iustitiæ specialis legalis distributiuæ, & commutatiuæ in Deo, illæ siquidem omnes de eis speciebus iustitiæ, quæ actiuum debitum exigit procedunt: datæ verò proxime de speciebus iustitiæ, quæ debitum solum passiuum requirit.

3. Oppones contra proprietatem vindicatiuæ iustitiæ S Thom. 2. 2. quæstion. 80. art. 1. ad 1. dicentem iustitiam vindicatiuam esse iustitiæ partem potestatiuam, non autem subiectiuam siue eius speciem illis verbis: *pertinet ad partem iustitiæ adiunctam.* Sed respondetur: truncata Doctoris cuiusque verba facile pro quauis sententia afferri posse textus integer est; *vindicta quæ fit auctoritate publicæ potestatis secundum sententiam iudicis pertinet ad iustitiam commutatiuam.* An Deus sententiam in malos vindictæ seruans, & ferens Iudex supremus & suprema reipublicæ rationalis potestas non est? subdit statim; *sed vindicta quam quis facit proprio motu non tamen contra legem, vel quamuis à iudice requirit pertinet ad virtutem iustitiæ adiunctam.* Opportunius, apparentiusque postrema hæc textus pars opponeretur contra id, quo diximus in priuati occulta compensatione posse, si ex debito fine peragatur iustitiam vindictam exerceri. Sed solutio ex dictis est prompta. Agit quippe sanctus Thomas de iustitiæ specie, quæ debitum actiuum in eo, à quo exercenda est requirit, vt in publica iudicis potestate, non autem de iustitia, quæ debito solum passiuo eius in quem exercenda est & huius stricto iure, etsi non obligante ad iustitiæ exercitium satis habet, de quo S. Thom. ibi, ne meminit quidem.

4. Verbis primæ partis textus eiusdem videtur S. Th. iustitiæ vindicatiuæ exercitium, quare & ipsam ad commutatiuam reuocare: sicuti & qu. 108. art. 2. ad 1. illis verbis: *sicut recompensatio debiti legalis pertinet ad iustitiam commutatiuam: recompensatio autem debiti moralis, quod nascitur ex particulari beneficio pertinet ad virtutem gratiæ; ita etiam punitio peccatorum, secundùm quod pertinet ad publicam iustitiam est actus iustitiæ commutatiuæ.* Sed his non negat esse distributiuam absolute, sed quatenus ad delictum vt eius compensatio est comparatus; vt nos etiam docuimus, quatenus verò ad plures proportione delictorum in cuiusque pœnis seruata distributiuam vt diximus iustitiam à Deo exerceri docet in 4. d. 46. q. 2. art. 2. ad 1. dicens: *vel dicendum (& melius) quod æqualitas ista proportionalitatis est: non æqualitatis, & attendenda est, non secundùm comparationem pœnæ ad culpam, sed secundùm comparationem duorum peccantium ad duas pœnas: & sic intelligenda sunt omnes auctoritates, quæ videntur æqualitatem culpæ & pœnæ demonstrare;* & 2. 2. q. 61. art. 4. ad 1. ad distributiuam etiam reduxit vindicatiuam vt Caietanus ibi §. vlt. exponit; sed hæc videntur commutatiuam toties à Sancto Thoma & à nobis hic in punitione, & vindicta assertam excludere. Verum cum melius dicit bonum in prima solutione (quod satis nobis esset) iuxta commutatiuam vindictæ de peccatis supponit. Secundò melius ait ad argumenti quod ibi versabat solutionem, non autem absolute, quod à ratione ex coniunctione trium specierum iustitiæ in malorum suppliciis disiectum ex conclusionis probatione, & explicatione, est: atque in simili quæst. 3. certamine vltimo.



CONTROVERSIA SEXTA
DE PROVIDENTIA DEI.

DE Prouidentia vniuersim, quoad eius existentiam, sphæram rerum, quibus ea prouidetur modumque, quo circà ipsa versatur, examinanda primum venit. Secundò vero eius essentia statuenda, atque species, in quas Metaphysicè dissecatur, numerandæ. Non autem examinandæ hic singulatim: siquidem altera ex eis, quæ prædestinatio est, iustam ad sui examen controuersiam septimam requirit, & explebit. Excipit autem meritò controuersia hæc præcedentes de Scientia, & voluntate Dei, earumque actibus: quia in alterutris, vel vtrisque, Dei prouidentia consistit, vt disp. 2. videbimus.

DISPVTATIO I.

De Prouidentiæ existentia, obiecto, & modo.

NOTA hæc disputatio statuendis fidei dogmatibus de diuina prouidentia erga creaturas impenditur: & eo quidem ordine, quem disputationis titulus ipse præfigit.

QVÆSTIO I.

Sitne in Deo creatorum prouidentia absolute, atque vniuersim.

PRæscinditur in hac quæstione à rebus determinatis, erga quæ Deus prouidentiam exerceat. & modo, quo eis prouideat; id quod sequentibus quæstionibus examinandum veniet, eritque statuendum: solumque agitur: an Deo absolutè creaturarum prouidentia competat? quod quibuscunque, siue his, siue illis, hocque, vel illo modo prouideat, verum absolutè habebit.

CERTAMEN I.

Negantes Deo prouidentiam creaturarum omnem recensentur: vocis etymo, ac rudi explicatione præmissa.

1. PRouidentia (si vocis etymologia, atque vnde illa desumpta, nominataque sit, attendatur) id ipsum, quod procul videntia, seù visio significat. Quoniam verò aduerbium porrò idem quod procul quandoque valet. 6. Æneid. *quæ sunt ea flumina porrò*, prouidentiam ex eo aduerbio dictam voluit Boëtius 5. de consolat. prosa 6. his verbis: *Prouidentia potius dicitur, quod porrò à rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum acumine cuncta prospiciat*: ex quo etiam aduerbio deriuatæ prudentiæ nomen Doctores plures credunt, in quibus August. in Psalm. 73. fine, Isidor. 10. etymol. lit. P. init. *Prudens dictus*, ait, *quasi porrò videns: quoniam incertorum præuidet casus*. Cum autem procul distantiam eius qui videt, ab eo, quod videtur, importet: atque distantia, vel loco, vel duratione esse possit, vocis etymologia solum attenta, prouidentia, tam loco, quam tempore dissitorum, videntiam, seù visionem significabit. verum prouidentia Philosophorum, ac Theologorum omnium vsu, & acceptione pro scientia, seù visione, ac videntia eorum, quæ procul adhuc, & distantia duratione sunt, iuxta vocis etiam etymon vsurpatur. Cicero 2. de iuuent. *Prouidentia est, per quam futurum aliquod videtur, antequam factum sit.* & 2. de diuinat. *Medicus morbum ingrauescentem ratione præuidet, insidias Imperator, tempestates gubernator.* S. Thom. 2. 2. quæstion. 49. art. 6. corpore fine, *importat prouidentia respectum quendam alicuius distantis ad ea, quæ in præsenti*

sensi occurrunt, & ordinanda sunt. Nec localem distantiam attendit Boëtius citatus, vt censet Ruiz, de Prouidentia d. 1. sect. 1. n. 2.) immediatis ante recitata verbis illis. *Si præscientiam pensare velis, qua cuncta cognoscit* (Deus) *non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis: vnde non prouidentia, sed prouidentia potius, &c.* solum enim ostendit, quod alibi sæpius, respectu æternitatis visionis Dei, qua Deus omnia videt, nihil esse proprie futurum, aut præteritum duratione, vt voces *nunquam deficientis instantiæ*, satis produnt: idque explicat exemplo videntis infima cuncta localiter distantia ex cacumine verbis immediate sequentibus iam recitatis.

2. Cæterum, tameth, vocis sola etymologia attenta, prouidentiam, præscientiam, aut præuisionem futurorum significet: quia tamen, si non certo futura, sed probabili solum fundamento, coniecturaque prudente cognouimus, de bonis futuris, vt eueniant, dispositiones rerum & causarum securiores, & congruentiores; de malis verò impedimenta, mediáque, vt non eueniant, vel, cum euenerint in bonum vertantur, mitiusve cadant prudenter curamus, fit, vt prouidentia, non tam pro futurorum præscientia, & præuidentia, quam pro cura de rebus apte conuenienterque disponendis propria acceptione à Doctis quibusque fuerit vsurpata. Hinc Cicero 2. de natura Deorum. *Talis mens mundi* (ita Deum appellat) *cum sit eo eamque causam, vel prudentia, vel prouidentia appellari recte possit, hac potissimum prouidet, & in his maxime est occupata.* Ac 1. de diuinat. ait: *Esse Deos, & eorum prouidentia mundum administrari: eosdemque consulere rebus humanis, nec solum vniuersis, sed etiam singulis*, consone proinde, ac breui, rerum disponendarum curam Dei prouidentiam Patres, quasi voce synonyma, appellarunt. Ambrosius ad id 1. Corinth. 1. *Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Damascenus 2. de fide capite 29. Hugo Victorin. apud Alens. prima parte, quæstione 26. m. 2. *procurationem* vero vocauit Nyssenus, vel potius Nemes. de facultate animæ recitandi d. 2. quæstione 1. certamine 1.

3. Dixi autem *de futuris ni certo, sed probabiliter, prudentique coniectura prænoscantur*, absolute futura nimirum: etenim prouidentia, & cura, dispositioque de agendis, non autem de iis quæ facta supponuntur esse potest, quare nec de certo cognitis futuris, quæ sui cognitioni certæ fatura, & facta pro naturæ priori debent præcedere, ac proinde curæ, procurationi, dispositionique omni vt eueniant, vel secus aditum occludunt, si ita vel secus futura certo præuideantur: ij verò, quibus ea cura, & prouidentia de futuris euentibus prouidetur, scientia de præsenti, & de actu existentibus, cum cognoscuntur, cognoscendi sunt, vt eis de rebus aliis prouideatur. Neque enim nondum factis, ac solum possibilibus prouidetur eo prouidentiæ genere & modo, quo in præsenti disputatur: ex eorum nimirum benevolentia (quæ, vt diximus controuersia quarta, possibilia pro statu, præcisiuæ adhuc, possibilitatis nequit attingere) atque vt bene, & congruenter naturi suis habeant, quæ sunt. Etsi autem in Deo coniecturalis, nec prorsus physicè, & metaphysicè certa futurorum scientia, nequeat admitti: est autem illa posterior prouidentia: quia futura à Deo disponuntur, & causantur ex eorum scientia simplicis intelligentiæ, vel conditionatæ futuritionis, vt d. 2. edisseremus. Quare hæc modo pro rudiori prouidentiæ intelligentia ad quæstionem *an sit?* necessariò præmittenda, fuerint satis.

3. Iam vero Diuinam omnem erga res creatas prouidentiam ij omnes, qui Deum esse, vel dubitarunt, vt Protagoras, vel negarunt, vt Diagoras apud Lactantium Firmianum 2. diuinarum institution. capite secundo, sub initio à capite septimo de ira Dei, aliisque à nobis relati tomo primo, de Deo vno controuersia prima, d. 1. quæstione prima, certamine primo Dei prouidentiam vel non credebant, vel negabant: eius enim qui non est, nulla prouidentia esse, existimarive potest: ex aliis vero Philosophis, qui diuinam naturam à rebus non ablegarunt, Heraclitus, Democritus, atque ex ipsis acerrimus erroris confirmator, Epicurus omnem Dei erga res creatas prouidentiam negarunt, testibus Lactantio citatis locis, Nysseno 8. Philosoph. capite tertio, & libro quarto, vel potiùs Nemesio de facultate animæ capite 44. sub init. Epicurum Epicurei omnes hac in re sunt sectati apud nuper citatos, & apud Saluianum 1. de Prouidentia columna secunda, quibus addit Lactantius 10. de ira Dei Leucippum, & Theodorum, atque eruditissimus noster Ruiz proxime sectione secunda, numero quarto citat illum Ambrosius vbi proximè Philosophos alios. Porrò Epicurei Dei prouidentiam *fatidicam anum* per ludibrium compellabant apud Ciceronem 2. de natura Deorum. Nec video quonam ab hoc discrepet errore Aristoteles locis referendis quæstione secunda, certamine primo, numero secundo asserens omnia à natura administrari, & singula non à Deo, nisi, quod in hac materia locis aliis sibi contradicat, atque in alios errores eat, partim solum prouidentiam Dei admittens. Empedocles insuper & alij apud Aristotelem 2. Physic. textibus 43. 44. & 46. asserentes multa casu esse in vniuerso facta, & aëris locum, & animalium partes plurimas: ac demum casum esse causam cœli, & stellarum, omnisque conuersionis, motus, & ordinis vniuersi, quibus non multa solum, sed omnia demum creata diuinæ subtrahunt prouidentiæ, & casui subiiciunt.

5. De Stoicorum vero Philosophorum circa Dei prouidentiam mente Authoribus priscis non conuenit fatis: siquidem Nemesius proxime columna prima, *eos nullum locum diuinæ prouidentiæ reliquisse*, testatur: quod ipsum est omnem Dei erga creata prouidentiam negasse. Contra verò Lactant. 1. diuin. instit. capite 2. sub init. Saluianus 1. de Prouident. columna prima, in præcipuis, acerrimisque diuinæ prouidentiæ assertoribus, & propugnatoribus Philosophis Stoicos recensent: atque eius scholæ peritissimus Cicero libro 2. & 3. de natura Deorum Stoicorum sententiam pro futurorum diuina præscientia, & prouidentia stetisse constanter docet. Censet ergò Ruiz noster aliquam solum diuinæ prouidentiæ partem erga creata aliquot, nempe agentia libera, negasse: quatenus fatum admittebant, quo illa libertate spoliabant: idque solum Nemesium ex ipsis testari voluisse. Cæterum, cum fato omnia in creatis omnibus peragi Stoici docerent, si illud extra Deum non in ipsius mente, & voluntate constituerent, omnem diuinam erga creata cuncta prouidentiam, nec solum partem eius aliquam, negarent. Sin vero in Deo intrinsecis fatum constituerent, vt verè constituebant, nec aliam Dei prouidentiam, quam suo nutu, & fato omnia agere, ac regere credebant, erga homines, & agentia libera prouidentiam Dei in fato illo fatebantur, etsi eorum libertatem proteri prouidentia Dei fateri cogerentur: quare generali sua doctrina fati, quo agerentur omnia, libertati creatæ, non autem existentiæ prouidentiæ erga eiusmodi agentia contradicerent, sed eius, vt summum, perfectioni: quo per consequentias ad prouidentiam, quam asserebant vniuersim, quoad eam partem negandam, & contradictionem doctrinæ suæ cogi possent. Verosimilius est Stoicos aliquot ea Nemesij tempestate, earum consequentiarum, & aliarum impetu à sua schola circa Dei prouidentiam defecisse: ac proinde illum de sui temporis Stoicis fuisse locutum: Doctores verò reliquos de priscis, ac scholæ stoicæ Principibus, qui de sua scripserunt secta, vel quorum doctrina aliorum scriptis fuerat euulgata, pro Dei prouidentia stetisse.

CERTAMEN II.

Catholica veritas de Prouidentia Dei erga creata absolute, & vniuersim asseritur, & vindicatur.

1. NIhil, quam Dei de creatis, & vniuerso prouidentia, in Scripturis sacris frequentius. Etsi enim plerumque, non de Prouidentia Dei erga creata absolute, & ea præcisione, qua in præsenti disputamus, nullam determinatam materiam creaturarum, siue in genere, siue in specie, siue in individuo determinantes, loquantur; sed potius particulatim creaturas, vel aliquot, vel omnes individuatim, quibus Deus prouidentiam habeat, determinent: tamen eisdem locis, quibus circa creata, vel aliquot, vel omnia Dei prouidentiam scriptura tradit, prouidentiam ipsius erga creata absolute, & vniuersim docet: cum nequeat Dei prouidentia erga creata aliqua vere affirmari, quin ipsius prouidentia erga creata absolute, & vniuersim asseratur vere. Siquidem ratione individui vnius, in quo verificatur propositio, specie, seu genere verificari necessario debet, etsi contingens prædicatum sit: vti, si Petrum v. g. currere verum absolute est, ratione illius hominem currere verum absolute erit. Quoniam vero q. 2. circa quæ creata determinate, vel aliqua, vel omnia Dei prouidentia sit, discutietur, quæ ex scriptura ibi producemus aduocari huc posse fuerit satis adnotasse, ne repetantur: illud Eccles. 5. de prouidentia vniuersim, & præcisè ab hac vel illa materia videtur extare. *Ne dicas coram Angelo: non est prouidentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Quibus infortuniorum terrore incusso, ne Dei prouidentiam absolute negent, mortalibus præcauetur.

2. Eadem de causa plura Platonis, Socratis, Aristotelis, Crysippi, Photini, & aliorum plurium ex sapientioribus Philosophorum, sicuti & Cyrilli, Clementis Alexand. Theodoreti, Lactantij Nemesij Nisseni, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Theophili Antiocheni, & & reliquorum Patrum, qui ab Ecclesiæ exordio pro Dei prouidentia contra Atheorum, Epicuræorum, & aliorum Philosophorum errores varios pugnauerunt, testimonia recitare in præsentiarum omittimus: ea quippe omnia particularem, ac determinatam aliquam prouidentiæ materiam concernunt: quare eo solummodo, quo de plerisque scripturæ locis nuper dicebamus, præsentem docent conclusionem. Vnum tamen vel alterum ex eis à materia abstractius hic producam. Ambrosius cit. loco in epist. ad Corinth. *Tanta dementia hos tenuit Philosophos, vt, cum Deum esse, mundumque ab eo factum fuisse fatereatur: Deum nihilominus ab omni cura, & prouidentia mundi, vt sine anxietate esset Beatus, liberarunt,* Subinferius. *Est aliquid hac asseueratione stultius? vt fecisse dicat mundum, & curam eius non agere? vt quid fecit, si non ad illum pertinet quod facit?* Continet testimonium hoc demonstrationem, quam alij etiam Patres pro Dei prouidentia erga creata omnia attigerunt, à nobis q. 2. efformandam, atque ex ipsis confirmandam. Quoniam autem, qui non ratione, sed stoliditate, & dementia, in aliqua aguntur, non tam discursibus, quam fustibus, ac tormentis insanam mentem reuocantur. Eo solum pacto cum negantibus absolute & vniuersim prouidentiam Dei erga creata agendum esse sapienter aureis hisce verbis obseruabat iam pridem Clem. Alex. 5. Stromat.

3. *Ex quæstionibus aliæ sunt, quæ sensu indigent: vt si quis quærat, an ignis sit calidus? sunt etiam quædam dignæ, quæ puniantur: huiusmodi est quærere probationes, an sit prouidentia?* ac de ea disputatores dubio, nedum negatiuos, *tormentis potius, quam argumentis, conuincendos esse:* subiungit. Neque alio respiciebat Ecclesiastes recitatus n. 1. fine, vbi non rationibus, sed malorum minis, ac terroribus, contra negantes Dei prouidentiam agebat. Nec aliter Deus cum de sua erga creaturas prouidentia deterius, leuiter adhuc, ac per inaduertentiam cogitantibus, suspicantibusque se gerit, quam benigna quidem, sed castigatione aliqua tamen, eos admonendo: ita sinistra, nescio qua contra Dei prouidentiam suspicione tentatos, admonitos se à Deo fuisse testantur Ephrem Syrus in sui reprehens. tom. 3. Bibliot. pag. 99. & Basil. Epist. 165. ad Eustathium. Maiori sane periculo, ac vitæ suæ discrimine ad ritè, rectèque de Dei prouidentia censendum noster Castellæ Rex Alfonsus cognomento *Sapiens* vulgari idiomate, & *saluo* reuocatus à Deo fuit: cum enim curiosius, liberiusque, quam oporteret, hominis structuram, eiusque conseruandi modum rimatus aliqua, cum ad maiorem structuræ illius perfectionem, tum ad eius diuturnitatem maiorem inuenisse se crederet, quorum defectum in opere, ac de eo prouidentia posset reprehendere: fulmine ad ipsius pedes exitus contorto de sua vesania admonitus ad sanam ea super re mentem rediit: vt scribit Mariana noster; præ sua ingenuitate, eruditione mira, sagacique rerum Hispaniæ indagatione antiquitatum nostrarum pene (quod ad historiæ suæ fidem attinet) oculatus testis.

4. Eleganter (tametsi non prorsus à materia determinata abstractè) Dei prouidentiam docuit & probauit sapientia cap. 12. sic fata. *Tua autem Pater prouidentia gubernat, quoniam dedisti, & in mari viam:* quod argumentum ita apprime edisserit Theophilus Antioch. ad Antioch. column. 3. *Quemadmodum, si quis ceram nauim suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum impellere, certe credit aliquem quo gubernatur, in ea esse gubernatorem: sic certe nemo sit adeo abiecti animi, quin credat Deum gubernatorem omnium, quamuis oculis carnalibus eum non assequatur.* Hoc ipso Nauclerii exemplo, & argumento vsus, hanc confici demonstrarique putauit Theodoretus 5. Epitom. diuinor. decret. c. de Prouidentia: idem Patresplerique meritò censent. Nec aliud argumentum (etsi materia, vel vocibus potius differant) ab eo est, quod Patres, Philosophique Sapientiores omnes ad vnum, & Catholici Theologi efformant, ex mira vniuersi dispositione, perpetuitate, constantique, & vniformi cælorum motu, subtili viuentium (hominis præcipuè) formatione, & structura, in quibus tot organorum, tantaque diuersitas ad varia vitæ munia, functionesque obeundas, opportune formatorum: ac seruatorum necessaria prouidentia visitur. Hoc sane argumentum diuinam prouidentiam, cum absolute, tum erga creata omnia, quibus visibile hoc vniuersum constituitur; plane demonstrat. Nec enim eam vniformem rerum varietatem, & ordinem constantem casu & fortuitò euenire posse, vel ex ipsa casus, & fortuiti natura, ac definitione euidentissimum est: non autem immediatam illam erga creata omnia esse, nisi vlterius inde discursus pergat, & protrahatur, vt q. vlt. protrahetur. Sat enim esse dicunt aberrantes Philosophi ibidem recitandi & referendi cert. 1. si mediis creaturis aliquot nobilioribus & rationabilibus, v. g. Angelis, vniuerso à Deo prouideatur. Sed tamen de aliquibus saltem creaturis hisce, quibus mediis, siue intermediis, Deus cæteris, eorumque, & vniuersi commodis absolute prouideat (quod hic solum contendimus) imò, & seipso immediate prouideat, præfato argumento euidens sit.

5. Iam, quæ Epicuræi, ac reliqui Philosophi omnem Dei prouidentiam absolute negantes pro suo hoc bellino errore producunt, inania adeo sunt, vt affectatæ ignorantiæ prorsus videantur. Primum Lactantius 2. diuin. Institut. sub init. & 7. de ira Dei his carminibus ex Epicuro attigit.

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Quam rationem sermone soluto ex eisdem refert Nisenus 8. Philos. c. 3. vel potius Nemesius de facultatibus animæ supra scribens. *Democritus, Heraclitus & Epicurus, neque vniuersis, neque singulis à Deo prouideri vorus, neque vniuersis, neque singulis à Deo prouideri voluerunt. Epicurus enim dicebat: quod beatum sit, & immortale, nec ipsum habere negotia, nec alteri exhibere: quare nec iracundia, nec gratia teneri.* Nec mirum peccatores hosce,

hôsce, belluinosque Philosophos, qui solum sensibilibus commodis, & corporis abiectissimis gulæ voluptatibus inhiabant, totisque mentis nisibus prouidebant, neminem, nisi ex proprio, vel commodo, vel aduerso incommodo alicui, de reve aliqua prouidere posse arbitratos esse: tametsi probos plures, præsertim Magistratus, & Gubernatores proprij commodi, vel incommodi oblitos neglectores, rebus ac de rebus plurimis prouidere, experientia ipsa discere potuissent.

6. Postremis verbis recitatis à Nemesio ex sententia, & ratione Epicuri (nempe *quod beatum sit, & immortale, &c.*) alia huius contra Dei prouidentiam ratio continetur expressius ex Epicureis recitata ab Ambrosio numero 2. verbis illis *Deum nihilominus ab omni cura, & prouidentia mundi, vt sine anxietate esset beatus liberarunt.* Cuius rationis vis tota est: prouidentia omnis de re quapiam, prouidentis curam affert, vel potius cura ipsa est: sit cura omnis cum anxietate est: Ergo prouidentia omnis perfectæ beatitati, ac præsertim summæ, & diuinæ, sicut & anxietas omnis, repugnat. Rursus ergo prouidentia omnis repugnat Dei immortalitati. Probatur: quia cura omnis ratione anxietatis, quam viuenti subiecto necessario affert, vitæ, eiusque diuturnitati aduersatur, ac viuentem exedit. Vnde latinæ linguæ periti, vt macrum debilemque, ac pene confectum viuentem significent, curiosum, curionemque, id est cura exesum, etiam illum, qui curæ incapax est, peritopum vocare solent: vt videre est in Plauto Aulularia 16. 26. *E. agno scio magis curiosam nusquam vllam esse bestiam. M. volo ego scire, qui sit agnus curio. E. qui ossa atque pellis totus est: ita cura macet.* Et nullo quidem magis, quàm cura, consumi nos experimus: quare & prouidentiam omnem immortalitati Dei aduersari certum videtur. Sed tamen curam, & prouidentiam nonnisi incertis de mediis, & euentibus; minusque potentibus pro libito media efficacia adhibere, euentusque tuto dirigere, & præuenire anxietatem afferre experientiis quotidianis est notum: eoque minorem, vel majorem, quo minor maiorve est ignorantia, vel impotentia prouidentis. Quare omniscio, atque omnipotenti Deo nullam prouidentia, & cura de creatis, summæ beatitati, aique æternitati aduersam anxietatem afferte. Tertium Epicuræorum argumentum referente Saluiano 1. de prouident. colum. 2. directè prouidentiam Dei erga homines oppugnat: idcircò vbi de ea speciatim q. 2. agamus opportunius rejicietur; tametsi, cum de præcipua Orbis parte sit, si eam negligi à Deo admittatur, idem potius de reliquis eius partibus dicendum videatur.

QVÆSTIO II.

De Prouidentia Dei erga homines, & rationales cæteras creaturas; ac ipsarum liberas actiones.

IN hac diuinæ Prouidentiæ parte, cum ob materiæ dignitatem, tum ob speciales, quæ in ipsa sunt, difficultates agendum primo loco est, vbi de prouidentia Dei erga creata particulatim, siue materiam determinatam harum, vel illarum creaturarum concernente, disputandum est. Deinceps verò de reliquarum creaturarum prouidentia, in qua communes solum, & generalliores difficultates occurrunt.

CERTAMEN I.

Philosophorum prouidentia erga rationales creaturas negantium errores, eisque catholica, & naturalis veritas contradicens.

1. PRæter Atheos, & Epicuræos, ac memoratos reliquos Philosophos q. 1. cert. 1. qui prouidentiam Dei de creatis vniuersim negantes, eam etiam erga rationales creatas omnes, & singulas aperte negarunt, fuêre alij, qui Dei erga creata prouidentiam non omni ex parte negantes, sed potius erga aliqua admittentes, erga rationales verò creaturas, vel omnes, vel aliquot siue immediatam, siue mediatam negauerunt. Et quidem erga rationales omnes illam inficiati liquido sunt Euripides, & Menander: qui, etsi erga irrationales creaturas Dei prouidentia opus esse faterentur; rationalibus autem Dei prouidentiam superfluere aiebant: vt ex ipsis sic refert Nemesius dicto capite 44. de facultat. animæ column. 2. *Mentem, quæ in vnoquoque sit, cuique prouidere asserunt: Deum vero nemini.* Quibus non vniuersim Dei prouidentiam erga creata, (vt censet Ruiz disp. 1. sect. 2. num. 6.) sed erga rationales personas, quæ solum nominis voce negantur, sibique prouidere mentibus suis abunde posse ab his Philosophis iudicabantur, ab eisdem Philosophis excludi manifestum est. In horum errorem incurrisse videri alicui possent Damascenus, Theodoretus, & Nyssenus libris de philosophia falsò ei ascribentis. Cum reuera Nemesij sub alio titulo sint ob aliquot ipsorum verba oportunius referenda, & explicanda q. 3. cert. 3. n. 6. & 7. & mirum esset huius erroris impugnatores validos in eum lapsos credere. Erga homines verò speciatim, non autem erga Angelos (quos genios, & intelligentias vocabant) prouidentiam diuinam negasse videntur Philosophi, qui Deo curam atque considerationem sublunarium rerum negarunt, in quibus fuit Aristoteles teste Clem. Alex. 5. Stromat. post med. Ambrosius 1. offic. cap. 13. circa med. Nazianz. orat. 33. prima de Theolog. Nizetas in orat. 16. seu de pauperum amore. Theodoretus 6. Græcanicar. affect. & Epitom. diuinor. decret. cap. de prouident. Euseb. 15. præparat. Euangel. capite 4.

2. Item omnium vniuersim, nulla excepta, rerum ordinem, & dispositionem deferens naturæ, vt refert Nemesius vbi proximè. *Aristoteles à natura vult administrari singula, vt 6. Ethicor. ad Nicomachum obscure significat.* Clarius autem id docuit 8. Physicorum cap. 1. longè à med. 3. de partib. animal. c. 13. longè à med. 12. Metaphysic. text. 52. fine. Ad præsens autem specialius libro illo 6. Ethic. cap. 11. longè à med. sagacitatem, & intellectum, seu principiorum cognitionem, & scientiam à natura esse ait, cap. 13. init. addit etiam mores. *Omnibus singulis mores inesse quodammodo natura videntur: etenim iusti natura, fortesque, atque ad temperantiam nati natura videmur.* Ob indita nimirum semina virtutum. Quibus locis ita videtur sentire, vt naturalibus inclinationibus à Deo inditis, cuique rerum in prima vniuersi conditione, satis, & res, & vniuersim habeat, vt quidquid commodi, ordinisque conuenientis, cum vniuerso, tum eius partibus obtineatur: ac proinde vlterior de eis cura, & prouidentia in Deo superfluat: quod pro irrationalibus creaturis, quæ ratione, & arbitrio carent, præcipue facere videtur, vt illis ad proprium, & commune vniuersi commodum pro rationalium, & liberarum creaturarum consultatione, & electione, naturalis inclinatio & determinatio sit: de quo vbi de generali hac doctrina agemus. Censeo autem (quod ad præsens attinet) Aristotelem erga hominum mores, & actiones citato loco diuinam prouidentiam absolute non negasse, nec totam naturalibus cuiusque hominis inclinationibus reliquisse,

vt

vt verbum illud *quodammodo* recitati testimonij satis declarat.

3. Accedit Aristotelem, naturalibus hisce hominum inclinationibus non obstantibus, libertatem, potestatemque ipsorum contra illas agendi, ac subinde in eorum actionibus libertatem, meritum item, & demeritum, seu laudem, & vituperium constanter docuisse: adeò, vt pro his tuendis præscientiam futurorum Deo negasse à nonnullis putetur: quare ea naturali inclinatione hominis satis esse, vt eius honestis actionibus tuto in sui, & vniuersi commoda consuleretur, iudicare non potuit. Insuper eorum in agendo à causa prima dependentiam, & subordinationem æqua firmitate recognouit, primamque hominis in agendis indeliberatam cogitationem adeò esse, quæ absque Dei de nostris actionibus attentione, consideratione, cura, & prouidentia esse minimè possunt. De Ciceronis sententia circa Dei prouidentiam de liberis nostris actionibus dubitatur à nonnullis. Nam libro 2. de natura Deor. Dei prouidentiam, & præscientiam nostrarum actionum multis argumentis videtur stabilire. Cæterum ibi non tam id definiens, quam in vtramque disputans partem est locutus: siquidem lib. 3. fide disputationem Balbi contra Stoicorum sententiam, de prouidentia, & præscientia diuina humanarum actionum verosimiliorem disputatione Cottæ pro iisdem iudicauit. Deinde vtramque, & præscientiam, & prouidentiam nostrarum actionum, vtpote earum libertati noxiam, & aduersam Deo expresse negauit secundo de diuinatione: idcircò meritò Augustinus 5. de Ciuitate capite nono prope medium de Ciceron aiebat: *Dum homines vult facere liberos facit sacrilegos, &c.*

4. Quæ hactenus de humanis actionibus faciendis, siue de prouidentia, vt fiant dicta ab Aristotele, & Cicerone sunt. De iam vero factis ita Aristoteles censuit 10. Ethic. cap. 8. sub fin. *Qui mente operatur, & eam colit, disponitur optime: is, & amicissimus Deis immortalibus est. Nam, si Dij curam humanarum rerum, vt existimatur, aliquam habent, rationi sane consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere quod est optimum, maximeque sibi cognatum, (hoc autem fuerit ipsa mens) & in eos qui maxime hæc amant, & honorant beneficia vicissim conferre, tanquam curam iis, quæ sibi sunt chara, nc diligentiam adhibentes.* Quibus, & prouidentiam Dei: erga res omnes humanas tam proborum, quam improborum hominum non probare vniuersim, sed vulgarem potius opinionem existimare videtur, eamque solum erga probos à Deo haberi, admittendum esse: similiter 2. magnor. Moral. cap. 8. circa med. aiebat. *Atque Deum malorum* (hominum) *curam habere fas non est*: nempe quoad prosperos euentus, quos proinde, sicuti, & aduersos proborum, casui, & fortunæ, non autem diuinæ prouidentiæ, adscribit, & immediate docuerat scribens. *Talium Dominum præficimus Deum, vt bona, malaque meritis distribuat. At fortuna, & quæ à fortuna tam vere, quam, vt fors tulerit, fiunt. Quod si eiusmodi distributori Deo adscripserimus malum ipsum iudicem faciemus: neque iustum, id nefas Deo deputare.*

5. His porrò testimoniis ita de sententia Aristot. censeo. Nempe testimonio primo & secundo, non de prouidentia vt sic, sed de prouidentia benefica, & amica erga homines fuisse locutum, in eoque ibi aberrasse à vero, quod eam erga improbos haberi à Deo posse negauerit: quasi eius bonitas infinita malitia operum nostrorum necessariò, & insuperabiliter sit vincenda. Secundò: tam eis, quam tertio, & postremo loco temporales, quos fortunæ attribuit, euentus prosperos, & aduersos nostros, materiam præmij, vel supplicij pro nostris meritis, aut demeritis non reputasse, vel implicantia docuisse: si enim materia præmij, supplicijque esse admittit, nec aliis præmianda nostra merita, puniendaue delicta recognouit: cum Deum Iudicem iustum, & pro cuiusque merito distributorem fateatur) eorum dispertorem, casum, & fortunam, Deumque dispertitionis ipsorum incuriu, & negligentem, nequit sine implicatione admittere, nec, quin iniustum iudicem, & distributorem nefarie, vt ipse ait, admittat. Aberrat item, si censeat prosperos, aduersosq; casus materiam præmij, supplicijque non esse: cum certum, atque experientiis quotidianis compertum sit, impios sæpe in hac vita ærumnis, etsi non ad condignitatem, temporalibus à Deo puniri; iustos item quandoque huius vitæ bonis, etsi non ad æqualitatem præmiari: vt in Beato Iob videmus. Tandem omnem Dei curam, & prouidentiam de nobis nostrisque actionibus negarunt Philosophi Aristotele antiquiores, quorum meminit Elyphaz Themanites, & quibus adhæsit, Iobi 22. num. 13. *quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat: & circa Cardines cœli perambulat*: & alij memorati Psalm. 93. n. 7. qui dixerunt. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*, & Psalm. 72. impij dicentes. *Quomodo scit Deus? etsi est scientia in excelso?* nimirum actionum nostrarum, vt earum prauas puniret. Nec potest error hic Patronos aduocare, Prosperum ad capitula Gallorum respondens, Fulgentium 1. ad Monim. c. 6. asserentes, Deum præscire mala quæ non facit: ast non prædestinare, nisi quæ facit nempe bona de stricta enim prædestinatione loquuntur, non de prouidentia communi.

CERTAMEN II.

Diuina de rationalibus creaturis, atque earum actionibus prouidentia ex fide, & naturali ratione demonstratur.

1. PRouidentia Dei erga rationales creaturas eis omnibus scripturæ testimoniis probatur, quibus de prouidentia vniuersim probata est q. 1. & vniuersalis erga creata omnia probabitur q. 3. siquidem in creaturis rationales etiam continentur, ac de eis præcipuè fere omnibus testimoniis agitur, ac de faciendis actionibus, siue eis, vt fiant illis omnibus, quibus Dei ordinationi, & voluntati resisti de facto, & possibilitate etiam consequente, minime posse à rationali creatura dicitur, recitatis à nobis controu. de volunt. & recitandis hic disputq. vlt. q. vlti: & ea speciatim loca, quibus siue ad præmiandum hortando, præcipiendo, iuuando, ac disponendo: à malis vero consilio, lege, minis, terroribus, supplicijs præcauendo, ac impediendo, ne fiant, inducitur Deus: quæ ad Exodum, Psalmos, Sapientiales, ac Regum libros obuia sunt, ac frequentissima, & quibus proinde referendis parcendum fuit. De actionibus vero nostri iam factis ex omnia scripturæ loca Dei prouidentiam probant, in primis, quæ temporalia supplicia in peccatores præsertim obstinatos narrant v. g. in Pharaonem, & Ægyptios apud Exodum: ingentes terræ promissæ, cum ibi, & libro Numer. Iosue iudicum, Regum, Machabæor. & aliis: tum ex bonis temporalibus etiam, quibus populum suum oppleuit, cum pie, atque ex lege se gererent: ac fortiter et æternitate pœnæ malis in Euangelio inductæ, præmiique iustis à Deo promissi: quorum temporalia illa veterum præmia, & supplicia typum gerebant. Denique ea omnia, quibus aduersam iustorum fortunam à Deo in bonum versam, prosperamque impiis conuersam in malum siue temporale legimus, siue æternum: vt in mendico Lazaro, & diuite epulone: quorum Lucæ 7. tam diuersus exitus historia certe fuit, communi Patrum, & interpretum sententia, tametsi parabolæ quoad colloquium definitis cum Abraham aliquid habeat, vt in Tragicomœdiis & idcirco quandoque parabola ab aliquot Patribus (etiam Chrysost. qui historiam esse docet) appelletur. Nec alio excusari temeritatis melius potest Theophilactus insipientes vocans eos, qui historiam esse docent; nempe quoad omnia, etiam colloquium illud.

2. Ex Patribus eadem Dei erga rationales creaturas, atque earum actiones ad fieri ipsarum, & ordinationem, postquam ab eis sunt factæ militant omnia, quæ ex ipsis producemus, q. 3. & quæ produximus quæstionibus & difficultatibus memoratis de voluntate Dei, item quæ produximus tomo 1. controuersia 3. de Decreto con-

cursus

currendi cum causis liberis creatis d.1.q.2.vbi ex decreto concurrendi de se efficaci determinate ad vnam partem, & prædeterminatiuo illius omne Dei de nostris actionib. iudicium iustum, præmijque, & supplicij nostri pro bene maléque gestis iustitiam euerti, vt ingens absurdum è Patribus deduci ostendimus: id quod absurdum reputare non possunt, nisi iustæ retributionis bene maleve operantium rationalium creaturarum curam, & prouidentiam penes Deum esse libere supponerent: videatur præcipuè Ennodius Ficinens, recitatus ibi cert.1.n.6. Accedunt testimonia alia plurima, & scripturæ, & Patrum, quæ contr.7.d.1. pro Dei prædestinatione, & 8. pro reprobatione referemus: quibus, & Dei de nostris actionibus in fieri, & post factum esse prouidentia apertissime continetur. Demum inducenda hic sunt omnia scripturæ, & Patrum loca, quibus gratiæ Dei necessitas, cum ad quamvis rectam, & honestam operationem nostram exercendam, cum ad tentationes vincendas, ac tandem in vitæ honestate, ac sanctitate perseuerandum contra Pelagianos, & Semipelagianos ab eisdem Patribus asseritur: quorum testimonia plurima Deo dante dabimus tom.1. de ente supernaturali controu. de gratia auxiliante.

3. Porro à ratione ea omnia argumenta pro Dei erga rationales creaturas, earumque actiones specialiter militant, quæ pro veritatibus cunctis nuper memoratis ab scriptura, & Patribus assertis ad nostras citatas controuersias producemus. Deinde quæ pro Dei prouidentia de creatis omnibus & singulis eformanda à nobis sunt, cum à priori ex creaturæ & Creatoris debito, tum ex recta rerum à Deo conditarum dispositione, ordine & conseruatione. Etenim qui Creatoris titulo, & quasi iure creaturarum à se factarum omnibus, & singulis prouidere vt non ipsis, sibi autem, ac perfectionis suæ stricto iure debet nobilioribus, ac perfectioribus prouidere potius debebit: quare nec poterit de eis cura neglecta ipsas prouidentia sua præterire: sunt autem rationales creaturæ omnium quæ à Deo sunt conditæ, imò & condi ab ipso possunt è genere seu specie sua perfectissimæ: ergo nequeunt in Dei prouidentia omitti. Hoc argumentum prouidentiæ Dei de rationalibus intellectualibus creaturis speciale attigit Aristot.8. Ethicor recitatus à nobis cert.1. n.4. quamvis ibi de benigna Dei in bene operantes solummodo loquatur, argumento tamen à contrario, etsi ab opposita odiosa, & inimica Dei prouidentia in improbos euincitur.

4. Vlterius eadem Dei prouidentia erga rationales creaturas probatur: quia Dei, rerum conditoris, est illas ad proprias suas operationes, functionesque naturales obeundas cum adæquata potentia, plena facultate, & absoluta potestate, de lege ordinaria, ac de se ipso constituere; etsi ex causarum secundarum coniuncto, & exigentia naturali id quandoque possit impediri, vt in monstrosis mancisque effectibus videmus: in quibus etiam Dei prouidentia valde æqua elucet exigentiæ naturali causarum secundarum & dispositionum attendens, vt q.3. videbimus. Atqui agentia libera creata de sese, ac secundum se solum sumpta cum plena facultate, & adæquata potentia & absoluta potestate ad liberas, & proprias operationes, ac functiones naturales obeundas constituta non sunt; neque se in illa possent, semel etiam condita, constituere. Ergo ita illa plene, & absolute potentia libere exercendi suas operationes, & functiones naturales constituere diuinæ prouidentiæ erit. Minor probatur primo: quia cum agentia creata sint, absque Dei decreto concurrendi cum ipsis nequeunt absolute operari, cuius positio in eorum potestate non est, sed solius Dei prouide agentium liberorum exigentiam, vel indigentiam attendentis, & suum concursum cum ipsis præparantis.

5. Secundo: quia, cum agens liberum, qua tale, eiusve voluntas in incognitum ferri nequeat, obiecti, siue amplectendi, siue fugiendi absoluta potestas absolutam illius cognitionem essentialiter claudit, vel requirit: hanc autem nequit voluntas adquirere de primi obiecti cognitione, ad quam nullus voluntatis actus præcedit: vnde primam in negotio quovis humano, etiam naturali, cogitationē à Deo esse Patres, Philosophi, ac Theologi omnes fatentur. Insuper neque ad plures subsequentes actus obiecta ita disponi, & occurrere, vt eorum cognitiones menti ingerantur humanæ potestati subest; sed opus est prouidentia, & dispositione diuina: eisque ita positis obiectis, vt naturaliter operentur impedimentorum amotio non penes hominem, sed penes Deum plerumque regulariter est: Absolute verò semper, qui potest causarum naturalium cursum, & dispositionem inuertere, vt vel non occurrant, vel impediantur: ac demum ita iam dispositis obiectis, atque ex parte sui, & potentiæ cognoscitiuæ expeditis eorum exigentiæ, seu indigentiæ cognitæ, & præuisæ potest Deus concursum suum pro suo arbitratu, vel retrahere, vel exhibere. Ecce quot ex partibus diuina prouidentia agentibus creatis liberis, vt operari absolute possint, atque de facto operentur necessaria demonstretur.

6. Tertio id ipsum euidens naturalis rationis lumine esse demonstratur. Nulla quippe gentium, adhuc, quæ falsos coluerit Deos, natio fuit, cui ita rationis lumen tenebresceret, vt à suis quæque Diis precibus, orationibus, hostiisque, & victimis actionum suarum, & effectuum, quos sibi proficuos optabant fœlicem exitum, ac infortunatorum auersionem, non precaretur; cum tamen nemo, nisi demens prorsus, & stupidus aliquid ab alio petat, nisi ab eo, cuius voluntate, industria, dispositione & potestate obtinendum esse cognoscat: ergo rationis naturalis ductu notum hominibus, adhuc barbaris cunctis, est nostrarum actionum, & effectuum fortunatorum euentum, ac infortunatorum auersionem penes Dei potestatem, voluntatem, & dispositionem esse; quod ipsum est Deum rationalibus creaturis tam de earum actionibus quam de effectibus, & euentibus omnibus eas contingentibus prouidentem fateri. Simile argumentum è gratiarum actione, tam particulari, quàm sacrificiis publicis ad eam publice Diis suis habendam, & profitendam pro fœlici actionum, & effectuum euentu, apud gentes omnes deputatis. Nemo enim nisi insanus, & vecors, ei cuius voluntate, potestate, & dispositione fastum aliquid sibi obuenisse, vel à se infastum diuertisse non iudicat, gratias agit, aut refert.

CERTAMEN III.

Oppositionum solutio.

1. EX dictis specialis contra diuinam prouidentiam erga rationales, & liberas creaturas, earumque actiones, & effectus, seu euentus difficultas ab Euripide, & Menandro excogitata, ac recitata cert.1. n.1. facile complanatur. Etenim menti, quæ in vnoquoque est, tot tantaque deficiunt, vt sibi suisque rebus prouideat, quot, quantaque recensuimus cert.2. n.4. & 5. obiicitur autem specialis in re præsenti difficultas alia, quæ Epicuræos prouidentiam Dei absolute negare fecit teste Nemesio cit.c.44. de animæ facultatib. col.2. & Saluiano 1. de prouid. col.2. ex misera tristique bonorum, hilarique, & opulenta in hac vita impiorum fortuna: quod & Aristot.8. Magnor. moral. ante med. prosperos, aduersosq; euentus nostros fortunæ adscribere, diuinæq; prouidentiæ subtrahere, fecit, ita enim scribit. *Talium Dominum præsicimus Deum, vt bona, malaque meritis distribuat. At fortuna, & quæ à fortuna, tam vere, quam, vt fors tulerit, fiunt: quod si eiusmodi Distributori Deo adscripserimus, malum eum iudicem faciemus, neque iustum id nefas Deo deputare.* Et sane in eam incidens difficultatem Dauid Psalm.72. *pene motos pedes suos*, ait, vt pene in viam impiorum, Deo de nobis nostrisque rebus prouidentiam negantium, abiret.

2. Respondit tamen difficultati, illam tam diu perstitisse: *donec intrem in Sanctuarium Dei*, cælum nempe, æternæ nostræ beatitudinis sedem, *& intelligam in nouissimis eorum*: scilicet non in præsentibus (vt August. ibi) sed in iis, quæ ipsis à morte perpetuò atque interminabili malo in vita actorum supplicio euenient: Cuius magnitudine, & æternitate temporalis bonorum, & fœlicitas, & duratio euanescit, ita, inquit, vt, tunc etiam, Domine, cum eis bona illa, quæ adeo infastum exitum præ eorum abusu, & nequitia habuerunt, vel donabas, vel permittebas, non tam beneficus in eos, quam illusor habendus esses, & impostor præstigiosus, si mens nostra à tua bonitate, & ipsorum ma-

litia diuertat: eam sane vim,& emphasim versus sequentis verba habeat, *verumtamen propter dolos* eorum *posuisti* impositisti *eis: deiecisti eos, dum alleuarentur*, vt breui instantanea, quasi phantastica, fictaque solum, fœlicitate ad solidæ adeo, ac æternæ pœnæ calamitatem deuenerint: vt versu 20. concludit, *velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*. Deinceps vero sua in ærumnis patienter receptis, quin à Deo per impietatem discederet, fœlicitate exultat, ac subdit: *Quid mihi à te est in cœlo? aut à te quid voluì super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei: & pars mea Deus in æternum.*

3. Itaque, etsi temporalia infortunia, & mala, mala quidem physica sint, & quandoque à Deo vt diximus in delictorum pœnam impiis, & eorum correctionem simul, vbi ei adhibendæ locus datur, nec morte in pœnitente æternæ impiorum pœnæ continuato iunguntur: contra vero bona temporalia bona physica absolute sint: cum vitæ tamen alterius bonis, vel malis comparata, nec bona nec mala æstimari debent: nisi, quatenus alterutra æternis, vel malis vel bonis inseruiunt: neutraque condignitatem, aut æqualitatem meriti, & dignitatis Sanctorum, nec demeriti, & indignitatis impiorum pertingunt, vt in eis distribuendis meritorum, demeritorumque ratio à supremo iudice Deo haberi debeat. Tum: quia vtraque temporalia, nec meritum, nec demeritum æxequant; tum, quia, & vtraque indifferenter ad iustitiam, & impietatem, ac subinde ad propriam & æquam meriti iustorum, & demeriti impiorum mercedem conducunt. Ex quibus manifeste deducitur: expertam distributionem bonorum temporalium plerumque malis, & perditis hominibus, ærumnarum piis, ac iustis à volente etiam, nec solum permittente, Deo integritati iudicij eius non derogare: cum neque in materia propria, & determinata præmij, & pœnæ actorum ab ipsis ea inæqualitas sit, nec in absolute inæstimabilibus, vt bonis, & malis, ni hominum rectus vsus, vel abusus illorum accedat. Quin imò, cum Deus iudex iustus necessariò sit, ex ea inæqualitate partitionis temporalium à Deo sciente, & volente etiam plerumque, & animi nostri immortalitas inde in primis (neque iudice vnicè) demonstratur, & alterius vitæ iudicium, nec multò obscurius, & longius corporum nostrorum resurrectio: vt meritorum demeritorumq; comites, præmij, aut supplicij comites sint.

4. Inde etiam Ecclesiast. 9. *Omnia in futurum incerta seruari* proponit, & ex prospera malorum, & aduersa bene meritorum fortuna fusè perpensa probat, ac si diceret, inquit Hieron. *Hæc autem fiunt incerto statu seruantur omnia & non est in præsenti retributio meritorum, sed in futuro*: Idemque argumentum futuri in altera vita præmij ex eadem difficultate breui sed viuide præsit Isaï. 45. *Væ qui contradicit factori suo, testa de samiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo: quid facis: & opus tuum absque manibus est*: Septuaginta. *Nunquid arans arabit terram tota die?* quam lectionem secutus, & interpretatus est Cyrill. vt sensus sit: non semper iustos laboraturos laboribusque adeo exercendos sine fructu, & præmij quiete, quæ à laborantibus, non vesanis, labore, & sperantur, & tempore messis percipiuntur: subiungunt continuo. *Nunquid dicet lutum figulo, &c.* iuxta vulgatam lectionem recitatam. Itaque eius loci sensus genuinus, & litteralis Cyri Christum figurantis, & Christi ipsiusque, & aduentus, & euentus hic prænunciati is est. Hominem à Deo factum, ipsius præsertim, vel professione cultorem vel vita, quantumvis temporalibus ærumnis oppressum, de Deo quasi de impotente, & manco, vel incurio operis sui, & qui ad propriam illius perfectionem, & fœlicitatem, & laborum præmium & requiem, vel nequeat, vel negligat perducere, non nisi impie, ac nefarie querulum esse posse: maxime, cum videat Deum populo in captiuitate Babylonica seruitute dura, & calamitatibus oppresso, & quasi à se reiecto, & neglecto de Cyro libertatis eorum assertore, atque ad proprias sedes, requiem, bona, & splendorem restitutore prouidisse: ac insuper de Christo, per Cyrum figurato, populi sui à seruitute, atque ærumnis peccati, & Diaboli in libertatem filiorum Dei vindice, & assertore: quare n. 11. subdit. *Hæc dicit Dominus Israël, Plastes eius ventura interrogate me super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi*: non præsentibus afflictionibus, calamitatibus solummodo intenti quorum suam in posterum curam recensitis omnibus, cælo terra, ac reliquis, quæ in hominum commoda formauit & futuris eorum fœlicitatibus præmuniens deinceps demonstrat. Nec minus difficultate perpensa capite 1. Habacuc eandem solutionem dedit sub capitis finem, & toto cap. 2. expenditurque, & datur sæpe libris Machabæorum.

5. Eandem rationem & solutionem præfatam difficultatem incurrens Plato in Phædone, siue de anima versus finem est assecutus. *Si enim*, inquit, *mors esset dissolutio, ac discessus: id lucri ferrent mali: quod per mortem, & à corpore, & à sua ipsorum improbitate vna cum anima liberarentur. Nunc vero cum hæc immortalis esse videatur nullum aliud fuerit ipsis refugium, neque salus à malis præter quam, & optima & sapientissima fiat.* Sicque post hæc, & libera à peccatis perstet, ac vicem pro bene gestis recipiat. Mirum obinde non erit Spiritu Sancto plenum Paulum ex eadem difficultate futuræ vitæ iudicium, & præmia pœnasque demonstrasse verbis illis 1. Corinth. 15. *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus*, vt bene ibi Chrysost. Theodoret. Theophilact. Hieronym. Ambros. & Anselm. Clem. Rom. 3. recognit. circa med. *Hoc ipsum quod in præsenti vita non redditur vnicuique pro actibus suis fidem inabitabilem facit scientibus Deum esse iustum, quod iudicium erit.* Cyrill. Hierosolym. Catechesi 18. col. 1. sic alterius vitæ iudicium probat. *Respice autem, & istud multi homicida in lecto impune defuncti sunt, vbi igitur Dei iustitia? sæpe autem qui homicidia quinquaginta patrauit, semel tantum eaque pactitur: vbi igitur illorum quadraginta nouem pœnas dabit, nisi post hanc vitam fuerit iudicium, & retributio?* Eadem fere Isidorus Pelusiota libro 3. epist. 154. Nazianz. carm. 1. iambico de seipso aduersus inuidos in idem argumentum ita scribit.

Ac dignitatis ordo iustus disparis.
Graue aliter esset rebus hic duris premi,
Nisi summus olim verteret talos Deus.

Pluraque alia in idem subnectit Chrysost. tom. 1. in 1. Corint. 4. homil. 9. in moralib. sub init. etiam de iudicio sic accipito sermonem. *Quomodo inquit? interrogas vt: tu vero respondе iustus est hic Deus, & iuxta meritum retribuit vniquique? vel non secundum meritum? & manifestè vult faciliter agere, & delitiarisbonos autem in aduersis esse: minime inquit. Nec enim homo pateretur: vbi igitur bene hic operati fuerint bonis fruentur? vbi autem mali contrarijs? nisi futura sit vita quædam post hanc, & retributio?* Consonat sibi 2. ad Timot. 1. homil. 3. ante med. moral. 3. orat. 4. de prouid. seu de fato t. 2. homil. 4. de Lazaro circa med. & tom. 2. in 2. ad Philip. serm. 6. fin. 2. ad Timot. 3. homil. 8. sub initium moral. Quibus addendi Patres reliqui ad memorata Pauli loca præsertim 1. Corint. 15. & alia ex Ecclesiast. & Psalmista non interpretantes solum, sed cursim attingentes, sicuti ad illam Hierem. 12. *Quare via impiorum prosperatur?* & Habacuc. 1. *Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?* & alia c. 2. speciatim Aug. num. 2. citatus in Psalm. 72. & lib. 20. de ciuit. cap. 28. fine tract 25. in Ioann. colum. penult. & 28. sub med. eandem rationem expressit Athenagoras, inde, & iudicium, & resurrectionem ad æternam vitam deducens.

QVÆSTIO III.

De Prouidentia erga prauas actiones.

QD Prouidentiæ diuinæ de creaturis reationalib. illarumque liberis operationibus hactenus à nobis ex scripturæ Philosophorum, & Theologorum concordi sententia assertæ & demonstratæ, plenam intelligentiam quomodo illa circa actiones prauas, quæ non, nisi

tionalis ac liberæ creaturæ,sunt,habeatur exerceaturque à Deo oportet explicare.

CERTAMEN I.

Dei erga prauas actiones ex Scriptura,& Theologis prouidentia probatur.

1. HAc in re actiones prauas in Physicum actionis prauæ & illam vt materiale peccati est, siue provt à nobis ex libertate notitia legis aduersantis,& cæteris prærequisitis procedit, ac tandem vt formale peccati, seu morali malitia vestitam, diuidi ab authoribus video. Ego verò tertium hoc membrum præsenti examine omittam: quia re ipsa, ac secluſa fictione nostra,formale peccati à materiali ipsius, quod hi Authores dicunt, & nuper explicuimus,nihilo differre censeo: nam quidquid ei superadditur, vt vnum quid, & forma seu malitia denominans ita exercitum actionem peccatum, purum rationis nostræ figmentum esse, & de quo non alia, quam de cogitatione nostra fingente haberi à Deo prouidentia possit: Distingui verò actio prava, vt materiale peccati, seu vt etiam formale peccati est,debet, quatenus ad Dei prouidentiam de ipsa agimus, in duplici statu, seu signo, naturæ: scilicet, vel pro priori naturæ ad eius existentiam; quo pacto diuina prouidentia versari videtur, vt actio prava,seu materiale peccati pro posteriori naturæ absolute sit,vel pro posteriori naturæ ad eius existentiam, vt de actione illa prava semel facta, & præuisa aliquid vlterius agat eámve ordinet, vel ipsa vtatur ad aliquid aliud agendum.

2. Et circa actionem prauam, vt existat, & sit, omnem Dei prouidentia negauit Auerroes 12.Metaph. comm.37. & 42. & fine paraphras. argumento cert.4. referendo, ac refellendo. Nec nimium ab hoc errore visus est mihi distare Iul.Sirenius 3.de prouid.c.12.sub init.(scribens (teste Ruiz d. citata c.7.n.4.) *voluntates prauas,& omnes operationes peccatorum,etiam ad Deum relatas, temere, vel fortuito vecunque euenire, Catholice fateri possumus.* Quod autem temerè ac fortuitò alicui obuenit, procul dubio citra,vel extra ipsius euenit prouidentiam. Deceptus autem fuit: ea solum quæ ex intentione, & voluntate alicuius veniunt, non casu & fortuito ipsi,ac non extra eius prouidentiam, reliqua verò temerè illi, & casu, ac vltra eius prouidentiam contingere credens. Et credefem Arist. erga actiones prauas vt sint,etiam intentiuam, prouidentiam non admisisse, cum semel tantum eam erga pias actiones,& iustos admiserit 10. Ethic.c.8.sub fin. recitatus q.1.cert.1.n 4. De prauis vero actionibus in actu secundo posit(que,& factis diuinæ prouidentiæ, & ordinationi ad aliquid aliud efficiendum (præter Atheos qui Deum negant, & Epicureos paucúlosque alios Philosophos priscos Dei asserores, eius vero prouidentiam negantes q.1.cert.1. Euripidem,& Menandrum, qui vt vidimus q.2.cert.1.n.2.eam erga rationales creaturas omnino reiecerunt)nemo siue Philosophus,siue Theologus est,qui neget:eamque Patres omnes constanter,& consone fatentur,demonstratumque abunde ab ipsis est ex dispari meritis vitæ huius fortuna, ex qua & iudicium nostrarum actionum, ac debita retributio in sæculo alio, nostraque subinde relurrectio demonstrabatur q. hac 2. cert.1. inde enim euidens est præuisa à Deo absolute peccata ad iustitiam exercendam ordinari:quæ,& absolute diuinæ prouidentiæ subiacere,vt puniantur.

3. Prima igitur conclusio euidens omnium Patrum,Doctorum Theologorum,& Philosophorum præter Atheos Epicureos,Euripidem,& Menandrum) communis sententia & dogmatica in fide est. Actionum prauarum in actu secundo, & absolute existentium peccatorum prouidentia in Deo est: ex eorum punitione demonstratur primo. Secundo probatur inefugabili consequentia ex fide certissimis principiis Constat quippe expressis 45.scripturæ testimoniis actiones prauas esse eas cum libertate,aduertentia legis prohibentis,& dictaminis rationis,contra quæ fiunt, & alias (si quæ sunt) omnibus requisitis vt sint absolute peccata,in bonum,siue aliorum, siue ipsorum peccantium à Deo frequenter esse cõuersas.Patet ex historia Genes.de peccato fratrum Ioseph in eius ab ipsis venditione Ægyptio; in pœnitentia delinquentium de admissis peccatis toties à scriptura asserta: populi,iudicij Dauidis,Apostolorum Petri,Pauli:& Matthæi,& aliis, quam à Deo eiusq; prouidentia fuisse fidei dogma etiam est,item humilitas, timor, & similes affectus ob peccata commissa pluries à scriptura narrati, cunctisque experimentis propriis comprobati: Christi,& Martyrum gloria,ex Iudæorum crucifigentium,tortorum, & carnificum flagitiis suborta. Vnde conclusio hæc negari nequit, quin scripturæ non semel, sed sexcenties negans aduersetur,propriaque experimenta contemnat.

4. De actionibus prauis, etiam ex aduertentia, libertate,& requisitis cunctis,vt prauæ sint, pro naturæ priori ad ipsorum absolutam existentiam siue vt sint(non tamen intensiue) contra Auerrois errorem memoratum n.2. Dei prouidentiam Catholici omnes Theologi ex sacra pagina & concordi Patrum sententia tuentur. Alex.1.part.q.36. m.4.art.1. Albertin.1.p.q.67. m.3. partic.4. S.Thom.in 1. d.39.q.2.art.2.corp.fin.q.5.de verit.art.4.1.p. q.22. art.2. ad 2.4.& 5. Carthus. in 1.d.39.q 2. col 3. & 4. Durand. q.3. etsi dicat pro illo priori prouideri ne fiant, quo totum quod intendimus non dicit, etsi non contradicat, negetve prouideri à Deo vt fiant non intentiue adhuc. Richard.ibid.art.2. Argentina art.4.Aureolus d.40.art 3. S.Bonau.d.46.art1.q.5. circa fin. Ferrara 3. contra gent. c.71. concordant doctrinæ S.Th. omnes eius interpretes ad locum 1.p.Caiet.Bañez Nazar.Molina,Vasquez,ac reliqui,Pennotus item 5.Propugnac.c.9. quibus & Ruiz citata disp.2,& nos assentimur. Sed statim occurrit difficultas de nomine videtur enim,si Deus de actionibus prauis, ac peccatis vt sint prouidentiam habere admittatur dicendum itidem esse, actiones prauas, & peccata esse à Deo prouisa: quod,& effectus esse diuinæ prouidentiæ absurde significat: idcirco illationem negandam docent Aureol.art.2,col.1.§. *autem*.Vasquez sub fin.Commentarij ad art.2.citatum. Nescio tamen,qua ratione Scholastico rigore consequentia negari queat, actu circa obiectum aliquod admisso,huius ab illo denominatio: est siquidem negare denominationem passiuam obiecto, circa quod actiua admittitur in eo,qui circa illud versatur,v.g. admisso,quod ego amem Petrum, negare Petrum amari à me: id est idem ipsum,quod in antecedente admittitur,in consequenti negare. Quod autem ignaris illud præterea absurdũ sonet,ipsorum,non consequentiæ vitium est:cum prouidentia de esse, ac proinde erga actionem prauam, & peccatum rei cuius prouidentia est efficientiant non sonet (ipsis Aureol.& Vasq.ac reliquis Theologis fatentib.)cui proinde passiua effectus denominatio debeat, aut posse respondere.

5. Secunda hæc,& communis conclusio probatur:primo ex sacræ paginæ innumeris locis, quibus Deus præcipere illas,ad easque dicitur adhortari,suadere,excitare, ac monere 2.Reg.24. Exod.9.& ad Rom.9.aliisq;innumeris,quæ pro Thomistico decreto prædeterminatiuo materialis peccati produximus,atque indebitum,gentiumq;sensum exposuimus,tom.1.de Deo vno contr.3.d.2.q.2.cert.1.tot. ea siquidẽ omnia adeo in scriptura frequentia, etsi lapsui, & errori minus Sapientium exposita, Deus esse voluit, vt hanc prouidentiæ suæ erga nostras actiones prauas veritatem intimaret; nec citra suum consilium altissimum, & prouidentiam euenire putaremus. Clarius autem adhuc traditur Act.2. vbi de Christo Domino ad Iudæos dicitur. *Hunc definito consilio,& præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* & cap.4. *conuenerunt vere in ciuitate ista aduersus Sanctum tuum Iesum, quem vnxisti Herodes,& Pilatus cum gentibus,& populis Israël facere,quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Consilium autem hic(vt ex textu patet) quod Deus de nefaria Christi cæde habuit,seu,quod idem est,iuxta S.Tho. 1.p.q.22.a.1.ad 1.prouidentiam significat.Neque hic finis vlterioris intentio medio infando illo facinore Iudæorum præscito conditionate consequendi defuit Deo ipsi, vt ad prouidentiæ proprietatem opus erat: vt ex scriptura constat,& Ecclesia canit in Symbolis.*Propter nos homines, & propter nostram salutem.*

6. Sed clarius, atque irrefragabilius de prouidentia Dei, vt actiones prauæ sint, non intentiuè, vt diximus,

& explicabimus, ac proinde, quin finis vlterius conſequendi per eas prauas actiones intentio proinde prouidentiæ Dei erga illas deſit, teſtimonium habetur Geneſ. 45. vbi ad fratres ſuos Ioſeph ait. *Neque vobis durum videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum*: ſcilicet veſtro ſcelere. Ac ſubinferius: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi Patrem Pharaonis*. Vbi potiores benignæ Dei, tam in ipſum, quam in fratrum ſalutem prouidentiæ in venditione illa ſceleſta, quam prauis, diriſque in ipſum fratrum conſiliis tribuit, vt ipſius exaltationem, fratrumque ſalutem & commoda per inhumanum illud ſcelus eorum aſſequeretur: cui ſimiles alij ſcripturæ textus produci facile poſſent, productique à nobis ſunt citat. tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. quæſt. & cert. citatis & cert. 2. & ſequentibus ſparſim producendis. Quod his ſubiiciendiſque in eandem ſententiam teſtimoniis, & rationibus opponi poteſt, inferius proponemus, atque opportunius, ſemelque, ac ſimul pro omnibus diluemus ſummatim. Eius enim difficultatis ſolutio ad controuerſiam ſeptimam d. vlt. de effectibus prædeſtinationis plenior ſpectat.

CERTAMEN II.

Id ipſum ex Patribus ſtatuitur.

1. SAnctus Petrus inducias ſeptem dierum ad diſputandum per vafritiem & malitiam Simoni Mago petenti concedens, ſic ait: *Credo enim, quod per Dei prouidentiam geſtum ſit ad vilitatem tuam, vt poſſim tibi in hac ſeptem dierum comperendinatione abſque ſtrepitu exponere*. Dionyſ. Areopagita 4. de diuin. nominib. verſ. fin. *Quin etiam iis, qui mali euaſerunt, ad eorum, vel priuatum, vel communem vſum prouidentia benigne vtitur*: Refert Petri verba Clem. Rom. 1. Recognit. pag. 7. & lib. 8. verſ. fi. hæc ex eius diſcipulo Aquila Petro preſente & approbante, *eos, qui ad mala declinarant Angelis regendo permiſit his, qui non per ſubſtantiam, ſed per propoſitum, cum Deo permanere noluerunt, inuidiæ, & ſuperbiæ vitio corrupti: dignos ergo dignorum principes fecit*. Ecce peccatorum admiſſorum ſupplicium: & permiſſionem peccatorum odij, &c. quæ Dæmones in puniendis damnatis ſceleſtis ſibi traditis exercent, quam clarius ſtatim aſſerit: *ita tamen eos tradidit, vt non habeant poteſtatem in eos faciendi, quod volunt, niſi ſtatutum ſibi ab initio terminum tranſeant, quem ſane tranſire nequeunt*. Vbi, & pœna inferenda Dei prouidentia taxari dicitur. Clem. Alex. 4. Stromat. med. *Nihil fit ſine voluntate Domini vniuerſorum. Reſtat igitur, vt dicamus ea, quæ ſunt huiuſmodi* (praua) *euenire Deo non prohibente. Hoc enim ſolum ſeruat, & prouidentiam, & Dei bonitatem. Non prohibere eos, qui afflictiones exercent perſuaſum habere conuenit: & ad bonum vti audacibus captis aduerſariorum*, & 1. Stromat. dixerat. *Maximum eſſe diuinæ prouidentiæ argumentum non ſine re, vt vitium inconducibile maneat, & inutile*: vti ea ſecluſa maneret. Cyrill. Hieroſolym. Catecheſ. 8. *O Sapientiſſimam prouidentiam, quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem conuertit*, (vt in fratribus Ioſeph. oſtendit) & ſubdit: *& permittens ipſis ex odio vendere fratrem, occaſionem accepit officiendi, vt repugnaret*, in quam etiam ſententiam inducit illud Pſal. 118. *Quoniam omnia ſeruiunt tibi*. Baſil. homil. 9. *Quod Deus non ſit author malorum*: ſub finem. *Prouidentiſſimus rerum humanarum diſpenſator Deus vtitur ad noſtram exercitationem malignitate Dæmonis; quemadmodum Medicus viperæ veneno*. Quo exemplo rem explicat ad illud Iſai. 13. *Dominus mandauit genti belliceſæ*, & ad id Pſal. vox *Domini præparantis ceruos*.

2. Exemplo eodem explicant Theodor. ad id Rom. 9. *Deus volens oſtendere iram*: & Chryſoſt. Homil. 36. in Matthæ. addens Imperatoris exemplum. Damaſcenus 2. de fide cap. 29. poſt med. ait. *Ea enim, quæ in nobis ſunt non prouidentiæ ſolum ſunt, ſed liberæ noſtræ poteſtatis, & arbitrij: prouidentiæ vero; hæc quidem* (quæ honeſta) *ſecundum acceptationem: hæc autem ſecundum permiſſionem*: nempe, quæ bona & honeſta non ſunt, vt illicò diſtinguit, & explicat. Orig. Homil. 3. in Geneſ. *Multa ſine Dei voluntate geruntur, nihil ſine prouidentia*: quin et ſubſunt etiam praua. Boët. 4. de Conſolat. Proſa 4. ſub fin. *Solæ eſt diuina vis, cui, mala quoque, bona ſunt: cum eis competenter vtendo alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur: vt quod ab aſſignata Ordinis ratione receſſerit, hoc licet in alium, tamen ordinem relabatur: ne quid in regno prouidentia liceat temeritati*. Hugo Victorin. 1. de Sacram. part. 2. c. 13. *ſecundum hanc vniuerſalem prouidentiam cunctorum, non ſolum ſuis, quæ bona fecit, ſed alienis quoque, quæ non facit mala, ſed permiſit, quod debitum eſt diſpenſat, ne nihil in regno ſuo iuſtam ordinationem euadat. Nam & ipſa iniquitas ex hac prouidentia ſtipem habet; & non potuit, vel ipſa malitia, in obtinionem venire apud prouiſorem omnium*. Quod eo cap. & 20. perſequitur. Conſonat illud Tertulliani notiſſimum, *Deus in omnia ſufficit, nec poteſt eſſe ſuæ perſpicacia prænaricator*. Hæc etiam faciunt Patrum reſponſa à nobis recitata contra, & præſertim tom. 1. de Deo vno controu. 2. d. de obiectis ad quæ diuina Scientia extenditur quæſt. de ſcientia conditionatorum, vbi eam ex Patribus ſtatuebamus ad eas quæſtiones reſpondentibus. *Cur Deus Angelum & hominem præſciius lapſus eorum, ſi creaturus condidit? Iudam in Apoſtolum, Saulem in Regem*: ſimili adſtante præſcientia lapſus elegerit? *Cur incarnationem diſtulerit* idololatriæ ea dilatione futuræ non ignarus? Et plura alia Patrum teſtimonia ſubiicienda certamine quinto, dum præcipuæ obiectioni ſatisfaciamus.

3. Copioſius hac in re Auguſtinus pro hac concluſione ad Pſalm. 9. col. 2. ait peccatis à Deo locum dari: *quia iam cernit occulta Sapientia Dei, quemadmodum omnes cruciatus, aut vt exerceant conuerſi ad Deum, aut, vt conuertantur, admoneant, aut in damnationi vltimæ præparent obduratos: & ſic omnia ad diuinæ prouidentiæ regimen referantur, qua ſtulti quaſi caſu, & temere, nulla diuina adminiſtratione fieri putant*, ait: *narrabo mirabilia tua*, de prædeſtinat. Sanct. cap. 16. circa med. verba Pauli ad Rom. 11. commentatur: *quid eſt ſecundum Euangelium inimici propter vos, niſi, quod eorum inimicitia, qua occiderunt Chriſtum in Euangelio ſine dubitatione profecit? & hoc offenſa in Dei diſpoſitione veniſſe, qui bene vti nouit etiam malis: non, vt ei proſint vaſa iræ; ſed, vt, ipſo eis bene vtente, proſint vaſis miſericordiæ*: Tranſtulit ad verbum Reſa ſuo commentario in id caput vndecimam ad Romanos idem verò Auguſtin. in Pſal. 7. ad id, *& in eo paratus vasa mortis, ſagittas ſuas ardentibus efficit*. Sagittas haſce intelligit venenatas hæreticorum doctrinas ex ſacris litteris prauè, & iniquè depromptas: quod in ante actorum penam Deus diſponit. *Propterea diuina prouidentia etiam iſta diſpoſitio tribuenda eſt; non, quod ipſa peccauerit* (*erroris turpis merito*) *facit; ſed, quia ipſa ordinat, cum peccauerint*: vt in impios errores labantur, alia antecedta quæ turpiora permittendo, iuxta 1. ad Rom. n. 1. *quia, cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt*, &c. *Propter quod tradidit illos in deſideria cordis eorum in immunditiam*, n. 22. & n. 24. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*: & cætera ad finem vſque capitis.

4. Libro item 3. de Trinitate cap. 4. ſub init. *omnibus ad incommutabile arbitrium ſententia ſua proportionibus ſiue per eius gratiam, ſiue in aliis per proprias voluntates*. Quam ſententiam repetit cap. 100. & 101. enchiridij & ad id Pſalm. 100. *Magna opera Domini*, de corrept. & grat. c. 7. poſt med. tract. 27. in Ioan. verſ. fin. de natura boni contra Manichæ. c. 36. fine 2. de morib. Manichæ. c. 7. celebrior, adhuc eius ſententia eſt c. 96. enchiridij. *Non ergo fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit: aut ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo*: ſinere quippe, vt fiat malum, permittendi, tametſi non mali permiſſi, cluditur voluntatem, de Geneſi ad litt. lib. 8. c. 23. *Deus naturas creat bonitate, & voluntate, ordinat poteſtate: ſic in naturis nulla ſit, quæ ab illo non ſit; in voluntatibus autem nulla bona ſit: cui non præſit, nulla mala ſit, quæ bene vti non poſſit*: capite 24. *Deus bipartito ſua prouidentia*

dentiæ opere præest vniuersæ creaturæ. Naturis, vt fiant; voluntatibus autem, vt sine suo iussu, vel permissu nihil faciant, & circa med. cit. cap. 4. & 3. lib. de Trinit. *Nihil enim fit, visibiliter, & sensibiliter, quod non de interiori aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque republica*, & 5. de Genes. ad litt. cap. 20. fine, *dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat sæcula; quæ creaturæ; cum primum conditæ sunt, tanquam implicita indiderat; quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit, prouido motu administrare cessaret.*

5. In eandem sententiam Augustini discipuli constanter scribunt, & concordes de malorum scelerumque permissione ex prouidentia diuina. Prosper in Psal. 100. ad id *Magna opera Domini* & ad excerpta Genuensium dubit. 7. Fulgent. 1. ad Monim. cap. 26. sub init. & c. 27. Magnus Greg. lib. 33. Moral. c. 13. alias 18. & 19. ait: *Secreto ergò dispensationis ordine, vnde saluti permittitur iniquitas diaboli, inde perficitur benignitas Dei.* Similia habet cap. 10. alias 13. & lib. 34. cap. 6. & 7. dixeratque lib. 6. cap. 12. id quod exemplo refugientis ab vna parte ambitus cælorum, qui nequit non ad aliam accedere ambitus eiusdem explicuit Anselmus 1. *cur Deus homo?* cap. 15. med. subdens: *ità quamuis homo, vel malus Angelus diuinæ ordinationi subiacere nolit; non tamen eam effugere valet, quia si vult fugere de sub voluntate iubente, currit sub voluntatem punientem (factum) & transit sub voluntate permittentis, vt fiat.* Quo etiam spectant testimonia alia Patrum, quibus d. 3. probabimus id omne quod ab vno diuinæ prouidentiæ ordine recedit, necessariò in alium prouidentiæ eiusdem ordinem recidere. Audiendus est iterum Origenes hom. 3. in Genes. sub init. *Memento: quod nihil sine Dei prouidentia fieri diximus; non sine voluntate. Prouidentia namque est, qua procurat, & dispensat, & prouidet quæ geruntur: voluntas vero est, qua vult aliquid, vel non vult.* Quare & ea, quæ sub Dei voluntatem non veniunt, sed sub eius solam permissionem, quæ solæ prauæ actiones, & peccata sunt diuinæ prouidentiæ ambitu doceri contineri.

6. Sed & Chrysostom. iterum audiendus in 2. ad Timot. cap. 4. homil. 8. in morali colum. 2. *Scito: Quod omnia Deus prouidet: quod liberi arbitrij conditi sumus: quod alia quidem operatur; alia verò permittit: quod nihil mali vult fieri: quod non ex sola ipsius voluntate fiant omnia sed ex nostra quoque. Mala omnia ex nostra tantummodo fiunt: bona omnia ex voluntate nostra, & ipsius adiutorio, quod nihil ipsum latet; non tamen quia nihil ipsum latet idcirco omnia operatur ipse.* Cyprian. lib. 1. epist. 3. ad Cornel. ad id Matt. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit sine Patre vestro* legit: *sine Patris voluntate*: & subdit: *cum ille, neque minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa, & magna, aut non sciente aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri?* eundem locum explicat Theodoretus ad id Ezech. 29. *& merces non est reddita ei*: his verbis: *Per hæc declarat Deus, nihil se inuito factum iri. Duo enim* (inquit) *passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadet sine Patre vestro, qui in cælis est, quem nihil latet eorum, quæ fiunt. Verum alia quidem ipse moderatur; alia verò fieri permittit modo libero.* Non quidem quia Dei erga actiones prauas moderamen, & prouidentiam omnem abiiciat, cum eius admittat erga illas permissionem, sed quia non sola eius permissiua voluntas (in qua eius erga illas prouidentia præcipuè stat) apponendis eis interueniat, quin nostræ voluntatis determinatio expectetur, vt vtriusque & prouidentiæ Diuinæ, & arbitrij potestati subdantur, iuxta Damascenum recitatum numero 4. sub init. ex quo modum hunc loquendi desumpsit, & 5. Epitomes diuin. decretor.

7. Porrò & eandem locutionem mutuatus ex Damasceno fuit Nemesius de anima, & eius facultatibus (qui Philosophiæ titulo Nysseno tribuebatur) dum (vt refertur, ac eius libro non extat) *prouidentiam esse eorum quæ non sunt in nobis* eodem sensu explicandus est, immo & se ipse explicat cap. 40. post med. dicens: *cum in nostra sit aliquid potestate, & prouidentia sit, necesse est ab vtrisque quæ fiunt euenire. Nam si ex altero tantum accideret, non esset alterum. Sed, cum, quæ fiunt, mixta sint; aliquando proficiscentur à nostra voluntate; aliquando fient ratione prouidentiæ; aliquando manabunt ex vtroque*, cap. 44. colum. 2. *Non omnia, quæ prouidentia geruntur naturæ sunt; etsi, quæ naturæ sunt, prouidentiæ ministrantur. Multa enim, quæ Dei prouidentia accidunt, non sunt naturæ opera: vt de eo, qui hominem occidit ostendimus: est enim pars prouidentiæ naturæ, non ipsa prouidentia*: ac deinceps singulas res, & actiones, tam bonas, quam malas diuina prouidentia gubernari ostendit. Vnde constat Damascenum, Theodoretum, Nyssenum, vel potius Nemesium, eis etiam locis, quibus abuti quispiam contra actionum nostrarum, prauarum præsertim, diuinam prouidentiam posset, fuisse ab eis maximè assertam illam, & vindicatam.

CERTAMEN III.

A ratione, & explicatione prouidentiæ Diuinæ erga actiones prauas, eadem probatur conclusio.

1. RAtiones ad prouidentiam Dei erga prauas actiones ostendendam in datis scripturæ, & Patrum testimoniis, dandisque certam. 4. fundamentum habent præcipuum: cum ex eis constet, sicuti, & ratione naturali, Deum peccata punire, ac proinde, etsi de se inordinata essentia sua sint, atque intrinsecus inordinabilia, (vt bene vidit S. Bonauent. in 1. d. 46. art. 1. quæst. 5.) extrinsecus autem ordinabilia à Deo sunt ad actum iustitiæ punitiuæ exercendum, citius, potiusque, quam à iudice creato. Item ordinabilia sunt peccata absolute commissa à peccatore ad pœnitentiam, humilitatem, cautionem de cætero, maiorem in virtute opposita profectum, ac in Deum charitatem feruentiorem, vt experimentis quotidianis, cum in nobis tum in aliis didicimus. Cum autem hi actus, etsi peccata, quorum occasione eliciuntur, essentialiter concernant, sint honestissimi, & subinde ex Dei misericordia, & gratia necessariò oriundi, non potest non pro priori naturæ ad ipsorum elicientiam, & existentiam absolutam misericordem Dei prouidentiam peccatis præuisis, vt ij actus sint à peccatoribus, gratiosè, & benignè negotiari: quare prius natura ad eiusmodi honestos actus peccata admissa extrinsecus à Deo eiusque prouidentia ordinati, quam à peccatoribus ipsis ordinentur: vt prima nostra, & communi, Catholicaque conclusione dicebamus: contra quam nullum est, vel apparens argumentum, cuius occasione errare, vel parum sanus hæreticus possit.

2. Secunda æque Catholica, & Dogmatica nostra, & communis conclusio probatur à ratione. Primò: quia cum prouideatur à Deo actioni honestæ eliciendæ ex libertate contrarietatis, (quam solam admittunt negantes puræ omissionis possibilitatem voluntati creatæ) nequit actioni honestæ (amori verbi gratia libero) prouideri, quin, & prauæ (odio scilicet) prouideatur: cum nequeat esse ad vnum extremum, quin & ad aliud oppositum sit libera potestas: atqui circa actiones honestas, & liberas Dei prouidentia est ex parte actus primi: ergo & circa prauas. Probatur secundò ex dictis pro prima: etenim, si ex peccati permissione enumerata, & enumeranda alia certam. 4. plurima, bona à Deo colligi possunt: ergo, & peccati permissio ex fine, & intentione ea colligendi, obtinendi habetur à Deo: ergo proprie Deus prouidet de peccatis, vt sint, tametsi non intentiue, permissiuè tamen. Postrema consequentia euidens est: cum prouidentia, vt aliquid sit non intentiues, sed permissiue, iuxta huius prouidentiæ explicationem subiiciendam, nihil aliùd sit, quam interna Dei dispositio, & voluntas permissiua, vt aliquid eueniat mali ex fine, &

intentione alicuius boni vlterioris obtinendi. Prima consequentia probatur. Nam voluntas illa permissiua peccati non est Deo necessaria, sed libera vt patet: ita enim Deus peccata, seu actiones nostras hic, & nunc, & in his circumstantiis à nobis eliciendas permittit, vt non permittere potuerit, ac de facto pluribus non permisit, quibus permittere etiam potuit, qui vt eis non permitteretur obsecrarunt, & quod permissum ipsis non fuerit, gratias, & habent, & agunt Deo. Pergo, voluntas permissiua peccati libera Deo est: ergo & honesta, modoque honestissimo, & perfectissimo in genere moris à Deo habetur, vel saltem haberi potest. Atqui honesta, nedum honestissime habita, non erit, haberiue à Deo potest, ni ex fine, & intentione vlterioris boni; & maioris ab ipso obtinendi occasione peccati ea voluntas permissiua peccati: ergo ex fine, & intentione boni alicuius & maioris quidem quam non permisso, & impedito peccato foret à Deo concipitur, & habetur, consequentia est legitima, & maior Syllogismi certa. Nulla enim libera Dei voluntas, nisi honesta, bonaque moraliter esse potest.

3. Minor probatur primò: quia si ea voluntas permissiua peccati in permissione peccati extrinseca obiectiua, siue tanquam in obiecto volito, & vltime volito sistat, quin ad vlterius bonum tendat, quod intendit, nihil habet boni, adhuc physici, in quod tendat, siquidem peccati permissio extrinseca, & obiectiua stat in negatione auxilij efficacis, quæ secundum se, adhuc physicum bonum, nedum morale non est; sed prorsus physicum malum: atqui honesta voluntas, nequit esse, nisi boni moralis obiecti voluntas; ergo, si voluntas permissiua peccati in vlterius bonum obiectiuè morale non tendat, bona moraliter, & honesta esse non potest. Probatur secundo, quia velle permittere peccatum in eo, qui illud potest impedire, solum sistendo in permissione, nihilq; aliud intendendo, vitiosa potiùs quam honesta voluntas videtur, & quæ interpretatiua saltem peccati voluntas sic: cum nihil vlterius sit, quod intendi per illam possit: Tertiò: quia, cum nec Physicum bonum in extrinseca & obiectiua permissione peccati sit, vt diximus, nec physica voluntas, nedum honestate morali induta, esse erga illam potest, quin extrinsecus bonitate alterius obiectiue vestiatur, ob quam ametur: siquidem voluntas prosecutiua non, nisi in bonum, & bonitatem aliquam, vel intrinsecam, vel extrinsecus adscititiam esse physice possit. Quarto nulla agenti libero digna operatio, & volitio (quæ finis volitio non sit) nisi propter finem esse potest: atqui permissio obiectiua peccati finis suæ voluntatis non est: tum quia nec bona physicè adhuc, nedum moraliter est, vt diximus: ergò vt digna sit agente libero (nedum perfectissimo, vti Deus est) ob vlterius aliquod bonum intentum ab ipso, vt finem, esse debet.

4. Quintò eadem minor suadetur: quia, ni voluntas permissiua peccati intentionem Dei, vel suppositam ad illam, vel in ea inclusam colligendi, & obtinendi per illam, atque occasione peccati permissi maiora bona, quam sublata permissione, & peccato impedito in vniuerso forent, euacuatur plerorumque Patrum, & Theologorum doctrina, qua occurrant argumento Auerrois, negantis, vt vidimus certam. 1. num. 2. & aliorum addubitantium vel scrutantium diuinæ prouidentiæ erga prauas actiones decentiam, eiusque rationem, quam præfati Patres, & Theologi in primis, ac fere vnicè, reddunt ex amplioribus bonis à Deo ea permissione, & intentis & obtentis vniuerso. Sexto demum probatur: quia, vt vidimus cert. 2. & 3. scriptura, & Patres in actionis prauæ seu peccati permissione aliquid vlterius boni per illam, & peccati occasione, obtinendi à Deo intendi docent expresse. Quibus omnibus, me iudice aduersantur, qui negant ex fine vlterioris boni obtinendi posse à Deo peccatum permitti, ac proinde, & permissionem peccati prædestinationis effectum esse posse.

5. Indecentia vero diuinæ bonitatis, & voluntatis, quam ita sentientes obiiciunt (nempe non posse amari medium remotius ob finem intentum, quin proximum fini, & fine quo conducentiam ad finem remotius illud non haberet, ametur: quare nec permissio peccati ob bonum peccati occasione ac non aliter obtinendum, quin & intermedium ametur) subtilem, & solidam habet solutionem datam à nobis controuersia 2. de incarnatione d. de fine incarnationis, atque hic fusè iterum dandam controuers. 7. d. de effectibus prædestinationis, vbi ostendemus media remota, & quæ, non aliter vtilia ad finem & conducentia physicè sunt, nisi proximorum mediorum interuentu, ob finem nihilominus immediate amata, qui illorum ob eum finem amor, & effectus inter media debeat attingere, per illaue transire, & ad intermediorum amorem electio remotioris determinet: tametsi remotior intrinseca electione, & ex finis eiusdem intentione eligatur, atque apponatur: quo indecentia illa præmota euanescit.

6. Hac vero intentione vltetioris finis, & boni permissione obtinendi ex occasione prauæ, hic, & nunc, actionis, & peccati statuta in voluntate Dei permissiua peccati, probatur vlterius prouidentia Dei explicatione ipsius prouidentiæ facili, atque ab inumeris nostri Ruiz ad eam explicandam conclusionibus (magnam partem bonis doctis, & subtilibus, sed præ multitudine minuzissima confusionem menti facessere aptis) expedita, ex eo quippe fine Deus, eiusque prouidentia circa prauæ, hic & nunc, actionis, & peccati (quam velle præ sua bonitate nequit) existentiam ita negotiatur, ac commoda cuique, ex à se volendis, & fine quibus actio prauæ esse absolute nequit, scientia præsupposita, d. 2. à nobis eruminanda, & definienda. Primo creatam voluntatem, seu creaturam rationalem, cui (& me iudice) necessaria voluntatem identificatam condit: Deinde duplici cogitatione altera impellente in actionem prauam ob bonum aliquod delectabile, quod menti, seu voluntati repræsentat, altera retrahente ab illa ob oppositionem eius actionis legi, & dictamini rationis, non absque voluntate Dei conditis: item offensæ, siue offensionis Dei, & suppliciorum ob eiusmodi actionem incurrendorum, quæ vel omnia, vel pleraque, cogitatio ab actione prauam retrahens repræsentat etiam voluntati.

7. Et quidem his à Deo positis potentia creata absolute talis in actu primo ad actionem prauam, eiusue omissionem physicè indifferens absolute constituitur, tametsi altera ex his cogitationibus sufficiens solum, neque habitura effectum sit, id enim potestatem antecedentem absolutam ad vtrumuis voluntatis creatæ non aufert, sed consequentem solum, vt sæpe tomo 1. de Deo vno docuimus, & controuers. 7. & 8. dicemus: vbi ex qua scientia cogitatio sufficiens ab actione retraheret prauæ donetur à Deo ex instituto docebimus. In hac vero sufficientis donatione solum, ni alterius efficacis denegatio adsit (quod ex parte adhuc cogitationum est) peccati permissio adæquatè non est. Si enim simul cogitatio alia efficax, seu effectum habitura donaretur adhuc prauæ impediretur, atque absolute non esset: quare tantenus sufficientis donatio ad peccati permissionem expute cogitationum attinet, quatenus libertatem voluntatis ex parte actus primi constituit, qua sublata actio prauæ illa, & peccatum minimè foret; ast cogitationis alterius efficacis, habituræque effectum denegatio permissionem actionis prauæ seu peccati, quatenus ex parte cogitationum est, facit, & completiue constituit. Tuto hoc numero permissionem peccati, quatenus ex parte cogitationum est, solummodo explicui, atque ipsius adæquatam, & completam ea solum ex parte constitutionem: ad eius quippe omni ex parte absolutum complementum, & constitutionem, aliud quodiam subiicio vlterius desideratur, nempe concurrendi decretum præfatis omnibus natura posterius, quare, & vltimo loco explicandum.

8. Itaque absoluta potestate voluntatis ad vtrumuis, seu libertate ipsius in actu primo per voluntatis existentiam, & vtriusque cogitationis assistentiam absolutas, vt explicuimus, constituta, ad actionis prauæ existentiam in actu secundo, immò, & potestatem proximam ipsius absolutam voluntatis nostræ aliquid vlterius requiritur: Dei scilicet decretum concurrendi cum ipsa, ab cuius natura, & conditione tom. 1. de Deo vno ad satietatem, & nauseam oblonga controuers. 3. cum hæreticis præsentis, & immediatè antecedentis sæculi, cum Dominicanis Thomistis, & aliquot ex nostris, præsertim recentibus, disputatum est disput. vlt. ac statutum qu. 2. decre-

tum

eum hoc esse, quod indifferens, siue indifferenter concurrendi ad vtrumuis, nostri vocant; sed ita intelligendum, vt illo Deus solum velit suam omnipotentiam applicare creatæ voluntati, vt ea ad operandum, non secus atque habitu supernaturali indito pro libito ad quamlibet liberam operationem, adhuc honestam, quin concursum adhuc disiunctim ad alterutrum velit vt docebamus citata quæstione secunda, certamine secundo, numero quinto, & maxime 7. Ad prauam autem concursum suum actioni nostræ identificatum adhuc disiunctim Deum velle non posse arctius probauimus: etenim cum eiusmodi voluntas Dei de concurrendo, & actiua sit, nec præcisiua subinde ex parte operationis, nequiret non in actionem prauam; hic, & nunc, & peccatum disiunctim ferri iuxta dicta controuersia illa 3. d. 2. quæstione 3. certamine 4. à numero 6. quod absurdissimum esse ostenditur ex dictis hoc tom. controuersia de voluntate d. 6. quæstione 3. Decretum autem hoc esse præfatis reliquis natura posterius, & vltimum subinde permissionis peccati complementum constat: quia decretum concurrendi cum causis creatis modo earum cuiuis accommodo, earum exigentiam absolutam expectat, & supponit: quæ, nisi causa, seu potentia creata, vel necessaria, vel libera adæquata in genere causæ creatæ in actu primo proximo constituta, absolutè esse nequit. Ex quibus omnibus constat, quot, quantaque Deus ex fine boni vlterioris peccati permissione obtinendi circa peccati existentiam, absque vlla erga prauam actionem, & peccatum voluntate, & affectu negotietur, cum prauam hic & nunc actionem, & peccatum permittit: ac proinde prauatum etiam actionum, non solum post quam factæ sunt, & præuidentur, sed & pro priori naturæ ad earum existentiam, & antequam sint, & præuideantur prouidentiam habere.

9. Dixi autem numero 6. pleraque nostri Ruiz solidas, & subtiles, non autem dixi omnes: quia sectione 6. num. 2. concl. 1. ait: Deum, cum ex præfata intentione, & prouidentia erga prauam, hic, & nunc, actionem, & peccatum suum offert concursum voluntati non excipere illam, sed positiuè intendere totam actionem prauam, qua ratione actio creata & ens creatum est, ratione cuius à Deo est dependens, eiusque indiget concursu, quod in prædicato actionis prauæ etiam specifico, & contrario diuinæ legi repetiri fatetur num. 3. conclus. vero 2. numero quinto ait: Deum, cum vult concurrere ad prauam actionem non velle specificam actionem prauæ rationi, & legi contrariam; sed ab hac abstrahere, etsi in ea etiam transcendentalem rationem entis, & actionis ab eaque in præscindibilem velit. Hæc quidem sensu, animoque Catholico dixit nescio tamen an satis aduertens voluntatem illam concursus actiuam esse: ac proinde impræcisiuam formalitatum in actione praua identificatarum, vt dicebamus numero 8. versus finem, æque, atque concursus ipse impræcisiuus est. Secundo, cum rationem entis, & actionis transcendentem, atque, metaphysicè adhuc, impræscindibilem à formalitate actionis prauæ specifica legi, & rationi contraria, ferri in illam quin in hanc diuinam voluntatem impræscindibile, & inintelligibile est. Sed Catholica intentio & animus Doctoris tanti liberius à difficultatibus respondisset, iuxta dicta à nobis num. 8. voluntatem diuinam ad concurrendum cum causis liberis applicationem solam suæ omnipotentiæ, cuius vsum pro libito causæ liberæ prorsus permittit: nec vlterius concursum ipsum suum creatæ causæ actioni identificatum, adhuc disiunctim pro obiecto habere: maxime cum actio, hic, & nunc, praua alterum extremum est. Duas alias huius conclusionis rationes in cert. 5. reseruo, vbi opportunius pro solutione argumenti Auerrois ponendæ sunt, ne ibi repetantur.

CERTAMEN IV.

Auerrois difficultati, & Catholicorum curiositati fit satis.

1. AVerrois pro suo errore negante circa actiones prauas specialem prouidentiam argumentum erat: quia omnino perfecti, sapientis, boni, potentisque, prouisoris est omnia mala arcere, & impedire in rebus prouisis: atqui prauæ actiones mala sunt, atque non arcentur à Deo, qui rerum, quas prouidet non, nisi omnino perfectus, sapiens, bonus, ac potens admitti debet: ergo Deus actionum prauarum prouidentiam non habet, nec prouisor est. Huius tantum difficultatis solutio ad rei huius conclusionem expectatur, dudumque, à piis Catholicis etiam, desiderata est, ac proinde à Patribus adhibita: distingue igitur maiorem: *arcere, & impedire mala* quæ idem ipse nescit, & nequit vertere, seu conuertere in maiora bona ex malis ipsis elicienda fateor; quæ scit, & potest ipse in maiora bona ex eis oriunda conuertere, nego: Similiter distingue minorem *praua actiones mala* sunt, quæ Deus permittens sit, & potest vertere in maius bonum, concedo minorem; quæ nec scit, nec potest in id conuertere nego minorem: & nego consequentiam. Hanc solutionem tradunt Patres frequentissime, præsertim Augustinus, cuius vulgatissima, & celeberrima sententia est ex cap. 100. Enchiridij: *Deum non esse permissurum vt fierent mala, nisi ex malis ipse posset facere bene.* Hugonij item Victorini 1. de Sacram. fidei p. 4. c. 23. sub init. dicentis. *Non debet in compensatione minoris boni impediri quod maius est bonum, ab illo qui optimus est.* Quare solum restat maiora bona, sint, quæ ex peccati occasione à Deo colliguntur, ad solutionis firmitatem ostendendam recensere.

2. Et primo quidem Patres actiones prauas, & peccata secundum se etiam spectata pulchritudini perfectionique maiori vniuersi inseruire docent: id sæpe Augustinus cap. 10. & 11. Enchirid. *Ex omnibus*, inquit, *constitit vniuersitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & suo loco positum, eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Nec enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur: rerum cui summa potestas.) Cum summe bonus sit vllo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque à Deo esset omnipotens, & bonus vt bene faceret etiam de malis,* & cap. 27. *Melius enim iudicauit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere,* cap. 96. *Quamvis enim ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona; tamen, vt non solum bona, sed etiam sint, & mala, bonum est. Nam, nisi esset hoc bonum, vt essent & mala, nullo modo sinerentur ab omnipotente bono.* Quod, & primum testimoninm ad rem hanc expendunt Scholastici cum Magistro in 1. d. 46. cap. *quod vero,* & cap. *quid enim* eidem doctrinæ insistit (nimirum ex deterioribus, & perfectionibus, bonisque, & malis maius intensiue bonum, maioremque absolute perfectionem vniuersi, & extensiue minorem, quam si bonis solum, & totum constaret) & exemplis appositissimis confirmat lib. 3. de lib. arbitrio cap. 5. post init. monet: ne, quia anima sine peccato melior secundum se sit, quam cum illo, inferatur, sine peccato fieri debuisse: & subdit. *Non est autem vera ratio, sed inuidiæ infirmitas: cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaueris, iam nihil aliud velle fieri: tanquam, si perspecto cælo, nolles terram factam vnquam omnino.*

3. Statim verò plurimis, vtilitatibus ex corporibus deterioris naturæ, ac subinde minoris bonitatis, & perfectionis, quam cælum, vniuerso obuenientibus, sic discurrentes confutat: atque inserius alio exemplo suam doctrinam sic illustrat. *In eo plerique homines errant: quia, meliora cum mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis quærunt; velut, si quis*

quam

quam perfectam rotunditatem ratione comprehendens ſtemachetur, quod talem in nuce non inueniat. Quod ipſum & aliis exemplis illuſtrare proſequitur. Sed præclarius adhuc in eandem ſententiam ſcripſit 11. de Geneſ. ad litt. capite enim 7. init. & med. admittit: *meliorem eſſe naturam quæ peccare nollet*: eos autem, qui inde talem, & non aliam eſſe à Deo faciendam concluderent, ita ſtultitiæ arguit cap. 8. ſub init. *Cum æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt, & immoderate augendo vnum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, ſi dicerent: quoniam excellentior ſenſus eſt videndi, quam audiendi: quatuor oculi eſſent, & aures non eſſent? ita ſi excellentior eſt creatura rationalis, quæ Deo ſubditur, &c. quis recte intelligens dicat, talis eſſet iſta, qualis illa: nec videat, ſe nihil aliud dicere, quam non eſſet iſta, ſed ſola eſſet illa?* Repetit cap. 10. & conſonat cap. 14. contra aduerſar. legis & Prophetar. & de natura Boni cap. 32. 33. & 37. & q. 41. & 42. & 53. ex lib. octoginta trium, & 11. de Ciuit. cap. 18. init. malos futuros à Deo creandos non eſſe. *Niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commendaret: atque ita ordinem ſæculorum* (vniuerſi) *tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret*: aliis ſtatim exemplis illuſtrat ibi; vnde, & alterum recitabimus num. ſequenti.

4. Id ipſum & rationibus, & exemplis aliis confirmat cap. 22. ex quibus illud nequaquam omittendum, quod ex ſupercilio deſumpſit, *quod ſi radatur*, inquit, *quam prope modum nihil corpori, & quam multum detrahitur pulchritudini*: Hanc ipſam & doctrinam, & ſolutionem ebibit ex Auguſtino Hugo Victorin. 1. de Sacram. fidei p. 4. vbi à cap. 17. ad 33. oſtendit vniuerſi, quam partis, bonum, ac proinde illius bonum maius curandum, etiam neglecto, & promiſſo partis malo: cui doctrinæ, & rationi inſiſtit in ſumma tract. 1. c. 13. etſi vtrobique durius loquatur dum ex maioris boni vniuerſi amore, & intentione peccata Deum velle dicit. Sed tamen de permiſſiua voluntate loquitur, vt conſtat ex cap. cit. 23. ſub init. vbi diſcurſum concludit. & citato cap. 13. Summæ eandem rationem didicit ex Auguſtino Anſelm. col. 4. Elucidarij, vbi Angelos malos futuros, nec tales fore, ſi crearentur, à Deo ignoratos creatos reſpondet: *propter ornatum ſui operis: vt enim* (ſubdit exemplo luculentiſſimo) *pictor nigrum colorem ſubſternit, vt albus, vel rubeus pretioſior ſit: ſic collatione malorum iuſti clariores fiunt*. Claudat diſcurſum & ſolutionem hanc, qui eum indagabit, & perfecit Auguſtinus 11. de ciuit. cap. 18. citato non longè poſt recitata verba exemplo alio, & ſcriptura confirmans: *Sicut ergo* (ait) *ita contraria contrariis oppoſita ſermonis pulchritudinem reddunt? ita quadam, non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur: apertiſſime hoc poſitum eſt in lib. Eccleſiaſtico* (nempe c. 33.) *contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera Aliſſimi, duo, & duo, & vnum contra vnum*. Quod enim à ſummo artifice Deo regulariter, & quaſi ſtata lege factum vbivis, atque in omnigeno opere ſuo ſemper videmus: id vel maxime ad operis totius perfectionem maiorem ſpectare euidenter demonſtrat: idcirco ad diuinæ Prouidentiæ laudem elegans, & copioſus, rerum cum in Phyſicis, tum in moralibus innumeras contrarietates recenſet Clemens Roman. 8. Recognit. quatuor ante finem paginis.

5. Doctrinæ huic de maiore vniuerſi ſeu rationalis Reipublicæ perfectione ex virtutibus, & vitiis, ſiue malis, boniſque moralibus quam ex ſolis bonis conſtantis, (cui data ex Patribus ſolutio argumenti, quod verſamus initiuit) conſentiunt Scholaſtici. Sanct. Thom. 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 2. quæſt. 48. artic. 2. ad 3. quæſt. 49. art. 2. corp. & 3. contra gent. cap. 71. maxime numero 5. quæſt. 3. de potentia art. 6. ad 4. & in 1. d. 44. art. 2 ad 5. Alex. 1. p. quæſt. 38. m. 1. initio, & art. 1. quæſt. 40. m. 3. Albert. 1. p. q. 27. de malo m. 5. ad 1. q. 67. m. 1. col. 2. & in 1. d. 44. apud Carthuſ. infra Sanct. Bonauent. in 1. d. 46. art. 1. q. 6. corp. Richard. ſimilibus locis Carthuſ. cum Ægidio & aliiſque 3. Caiet. ad quæſt. 22. & art. citatum ex prima parte ad 2. vbi expoſitores alij. Eandem concluſionem tenent. Marſil. d. 46. citata art. 1. & Ferrara loco citato contra gentes; licet vocibus ab Auguſtino diſcors doceat cum peccatis mundum *extenſiue* perfectiorem, & meliorem, ſed *intenſiue* meliorem ſine illis fore. Et demum eam luculentiſſime docuit noſter Ruiz citatus totis ſectionibus 3. 4. & 5. Cæterum Durandus in 1. d. 46. quæſt. 2. ſub finem, Vaſquez 1. part. quæſt. 22. art. 2. §. 2. & d. 107. cap. 3. circa med. (quos Recentiores plures ſectantur) docent mundum minus perfectum eſſe cum prauis actionibus, & peccatis, quam ſine illis, videtur docuiſſe Sanct. Thom. in 1. d. 46. quæſt. 1. artic. 3. ad 6. dicens: *Quædam mala ſunt, quæ, ſi non eſſent vniuerſum perfectius eſſet: illa, ſcilicet, quibus maiores perfectiones priuantur, quam in alio adquirantur: hoc præcipue eſt in malis culpæ, quæ ab vno priuant gratiam, & gloriam, & alteri conferunt bonum comparationis, vel aliquam rationem perfectionis: quæ etiam non habent, poſſet perfectio vltima haberi: ſicut ſine patientia actus in perſecutionibus illatis poteſt aliquis ad vitam æternam peruenire. Vnde, ſi nullus homo peccaſſet, vniuerſum plenius humanum melius foret.* Sed cum tot locis aliis Patrum concluſionem, & doctrinam defendat, nihil ex hoc teſtimonio, vt ſonat, habetur, niſi Doctoris ſancti hac in re varietas, & mutatio ſententiæ, vt bene Ruiz ſect. 5. num. 1. qui eum explicat de hominibus communi prouidentiæ relictis, ac ſponte propria non peccantibus, quod nequaquam fieret, ni omnes genij, & voluntatis meliores eſſent: ſed certe non loquitur de bonitate hominum radicali, & ſecundum ſe ſumptorum, vt eos ſolutio ſumit, ſed vt actuali bono, & malo morali ſubſunt omnes. Quare pro Sancti Thomæ in operando conſtantia æſtimo vniuerſum, ſiue omnes homines diſtributiue hic à Sanct. Thoma ſumi, non collectiue, vt partes actu vniuerſum, & coniunctim componentes ſunt: comparat enim perfectionem vnius reſpectu peccati, & mali alterius, vnde prouenit: quæ eſt perſonæ, & individui ad individuum, non ad omnium collectionem, & coniunctum, quod vniuerſum coniunctim, & Reſpublica rationalis eſt.

6. Sed certe contra hanc Patrum doctrinam & ſolutionem extant nonnulla à ratione difficilia. Primum à S. Thom. tactum proxime, atque à Durando expenſum: quia bonitas comparationis maior quæ adquiritur comparatione deterioris, ſolum eſt quoad apparentiam, & commendationem extrinſecæ exiſtimationis, quæ maior concipitur boni ad mali adſpectum: aſt intrinſeca boni perfectio in re, ac in ſeipſo etſi malum abeſſet æqua ademque præſtaret, etſi non ita clarè dignoſceretur. Ergo ex adiunctione mali, nequit in ſe bonitas vniuerſi, quæ in bonis remanet creſcere: imò tota eius bonitas coniunctim maior eſſet, ſi pars altera, quæ malorum eſt bonorum eſſet: neque enim malum, qua tale, poteſt bonum, ſiue intenſiue, ſiue extenſiue conſtituere: Reſpondetur, iuxta Patrum rationem datam præciſè. Negando bonitatem maiorem comparatiue eſſe ſolum, quoad apparentiam, ſed re ipſa maiorem eſſe. Quia, etſi comparatio vniuerſi partim ex bonis partim ex malis conſtantis, cum vniuerſo totidem bonis omnino conſtituto, in quo extremo plures procul dubio partes bonitatis ſunt, ac proinde & coniunctum ex totidem bonis plus bonitatis habens ſit: tamen ea maior bonitas vniuerſi ex partis bonis conſtituti, quam ſit in alio totidem partibus malis, & bonis ad medietatem conſtituto, extenſiue, & homogeneis, vt ſic loquar, corporis inſtar maior bonitas eſt non intenſiua & heterogenea, & corporis artefacti: ad cuius artificium, & intrinſecam pulchritudinem & perfectionem partium diſſimilitudo, & perfectionis, ac bonitatis entitatiuæ earum inæqualitas requiritur; vtque pars artefacti alia robuſta, alia debilior, alia item elatior, alia depreſſior in idem artefactum congruentior, & tandum conueniant; vt Patrum exemplis euincitur humanæ fabricæ, picturæ, poëmatis, ſoluræque orationis quam, vocalis picturæ ad inſtar, elatam aliquando, aliquando demiſſam (non extra rem noſtram) nec ſemper pleno numero eſſe debere iunior Plinius docebat. *Nam quemadmodum*, inquit, *in picturis nulla res magis quam vmbra commendat, ita orationem ſummiſſæ docet.*

7. Cogita ergo, Deum non potentia ſolum, ſed arte etiam ſumma, & materiale hoc, & morale, ſeu ſpirituale

spirituale vniuersum architectari voluisse, vt vere voluit: an cœlo solo, & luce illum ex arte oppleret, aëre, terra, aqua, & igne, & cæteris relictis? potentiam quidem suam exerceret, artem vero nullam: ità etiam, si sanctos solos in morali, & spirituali mundo, peccatis omnibus impeditis, constitueret, gratiæ, potentiæque suæ multum poneret, artis vero parum: neutrumque vniuersum pulcherrimum artefactum esset; tametsi opus lucidissimum foret. Nec in Republica alterius sæculi, ea malorum in inferno, & sanctorum in cœlo sortis, & conditionis inæqualitas, & dissimilitudo deficiet: vt ea vtrorumque cum meritis, ac demeritis concordia discordi artefactum illud etiam Dei digna tanto artificæ pulchritudine perennet: ex qua forte tanta in damnatis etiam pulchritudo, vt quatenus artefactum quod digno supplicio constituunt, cum Beatorum splendore decertent: iuxta id Psalm. 47. *sicut oves* (Beatorum symbolus) *in inferno positi sunt.* Omisi ad maiorem perfectionem vniuersi excessum bonitatis maioris plurium excellentissimarum virtutum expendere, quæ absolutè non, nisi occasione permissi peccati exerceri possent: vt pœnitentia, patientia iniquarum, & immanium persecutionum, martyrium, ac feruens in impios Zelus, quæ saltem non in ea intensione, nisi occasione, peccati, haberentur, vt feruor charitatis, & Religionis, qua se martyres Dei cultui, & amori victimas offerunt, & deuouent. Ac tandem merita omnia Christi non, nisi occasione peccati obuenturi, vt Patres expresse docent, quæ sola vniuersi præsentis amplioris ex puris iustis constantis bonitatem, etiam extensiuè infinitè antecellunt: in enumeratis verò etiam aliis præter multam extensiuam bonitatem intensiua etiam pulchritudinis artefacti, huius ex malis bonisque conflati præ alio solis bonis constanti mirificè elucet: cum tot virtutum perfectissimarum speciebus, quæ in illo alio esse non possunt, & perfectionibus earum, quæ de facto non essent: etsi absolute possent, mundus hic splendeat: & tamen consulto omisi, quamvis solutioni & doctrinæ datæ adeò opitulentur, atque interim à Patribus ad præsentem doctrinam, & solutionem tangantur, vt solutionem Patrum, nullo alio excessu bonitatis occasione peccati habitæ attento, respondentium, eiusque energiam, & soliditatem explicarem, & ostenderem; quæ in parte mundi æquæ iustorum ac essent iusti omnes mundi alterius vim etiam habet, nec aduersariorum argumentis cedit; quæ, nisi ex ea suppositione speciem adhuc difficultatis non habent. Propterea fere reliqua omnia prætermitto: quia doctrina data Patrum, ac dilucide explicata anticipatam solutionem posuimus.

8. Tria solum restant contra præfatam doctrinam. Primum ab aliis oppositum ex Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, vbi ex Hierothei suaque mente vt absurdum infert, *quod malum erit ad omnes*, id est ad vniuersi perfectionem spectabit, si aliqua ratione bonum esse admittatur, vt intelligit S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 9. ad 2. absurdius autem longè admitteretur illud esse ad maiorem vniuersi perfectionem: inferetur item, & per se aliqua ratione, nec solum per accidens bonum esse peccatum contra Patres, & Scholasticos omnes, vnde, & peccatum, vt vniuersum hoc constituens, nec solum bonum, sed melius reddens, amabile à Deo esset: amabile enim natura sua, & magis amabile est, quo non solum bonum sed melius est: qua ratione actus adeò videtur Hugo victorinus, vt velle peccata Deum videatur admisisse locis citatis n. 3. His autem omnibus eadem doctrina facile respondetur ex eodem capite Dionysij desumpta. Malum scilicet secundum se, & intrinsecum naturæ suæ, nec bonum esse, nec esse adhuc diuinitus posse ac de eo sic sumpto, & bono admisso, recte inferri illud quod vt absurdum Hierot. & Dion. reiiciunt. Inde verò recte etiam inferretur non esse solum per accidens bonum, ac proinde, & à Deo esse amabile & magis amabile quam bonum solum ergo amabile & bonum extrinsecus est, quatenus extrinsecus ordinabile, & ordinatum est, quod natura sua inordinatum, & deordinatio ipsa est: atque eo loco positum, quo artefactum pulcherrimum constituat, quod ex voluntate permissiua Dei, & prouidentia eius, per accidens extrinsecus, & contra suam naturam habet: sub eaque ratione, & bonum, & melius & amabilius etiam à Deo constituunt: sed nihil amplius id est, quam Dei ordinationem, permissionem, & prouidentiam, qua aptis locis actiones praua, & mala collocantur, & amet, bonas & meliores, & magis amabiles à Deo esse: quod Dionysius sub eius capitis finem enixè, & efficaciter probat. Inde etiam constat nulli creaturæ licere peccati alterius creaturæ permissionem quod sine sui rationabilis incommodi, iurisue iactura potest impedire: quia nec vniuersi artifex est, nec, si in rempublicam potestatem habet, aliter habet, quam, vt peccata impediat, nec permittat, etsi ex eis maiora bona oriunda cognoscat; sed solum ea permittat quandoque ad maiora peccata vitanda, vt prostibula in ciuitatibus aliquando à Principe, & potestate publica permittuntur.

CERTAMEN V.

Eidem Auerroïs difficultati, aliter atque aliter fit satis.

1. HVcusque communem Patrum solutionem rigide, & dilucide explicatam, vt par erat vindicauimus non quia solutiones aliæ eius difficultatis nobis non suppeterent; sed quia vt rei difficultas illam ad sui eneruationem non exigat, nostra tamen & solita in Patres eorumque doctrinam obseruantia id exigebat, & quamuis ita quandoque Patres loquantur, vt videantur asserere Deum bonum ac melius de malis peccatorum facere sciret, ac posset, nusquam peccata permissurum: quare, & hanc esse vnicam eius difficultatis solutionem; ita vero non natura rei solummodo attenta loquuntur, sed difficultate, vt à proponentibus, vel dubitantibus proponebatur inspecta: quod nimirùm malum, seu peccatum in vniuerso permitti à Deo non debuerit, nisi maius aliquid boni ea permissione lucraretur: id quod de eo dubitantes non videbant (quo scilicet modo ex deterioris permissione perfectio, & pulchritudo vniuersi augesceret) ostenderunt eis Patres solutione præfata; non negantes aliunde absque Dei indecentia saluari optime posse peccati permissionem; immò plerisque testimoniis significantes satis.

2. Constat ex Augustino eius doctrinæ auctore, & illustratore, & qui cap. 96. & 100. enchiridij, & aliis locis citatis certam. 4. num. 3. versus finem statuere videtur Deum non permissurum mala, *nisi de eis sciret, & posset facere bene.* Nam 3. de lib. arbitr. cap. 5. vbi cauendum ait, ne ex eo quod melius aliquid fore videamus inferamus in Deo debitum faciendi, quod melius fore videmus, id quod improbat verbis recitatis certam. 4. numer. 2. fine, atque iterum 11. de Genes. ad litt. cap. 8. recitatus num. 3. circa med. Teneret autem illatio, si Deus id quod melius esset vniuerso facere deberet; ergò ex natura rei ad id non tenetur, sed clarius hanc suam mentem explicuit 1. contra aduersar. leg. & Propher. cap. 14. post med. dicens: *quibus autem videtur sic hominem fieri debuisse, vt peccare nollet, non eis displiceat, sic esse factum, vt non posset peccare, si nollet. Nunquid enim si melior esset, qui non posset peccare, ideò non bene factus est, qui posset & non peccare?* fuisset autem non bene, sed male factus, si melius obiectiue, & ex obiectis faciendis facere debuisset Deus. *Aut verò vsque adeò desipiendum est, vt homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet? aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minime potuisse? Auertat hoc Deus à cordibus piorum.* Id quod confirmatur iis omnibus, quibus, & auctoritate, & ratione Deum necessitatum non esse ad optimum faciendum, adhuc ex suppositione, quod facturus aliquid sit: quod mutuò, & his testimoniis, quæ afferri pro oppositio solent, confirmatur.

3. Ex hac doctrina duæ aliæ solutiones argumenti propositi se facile produnt. Prima ex parte Dei, eiusque supremo dominio, & potestate erga creaturas omnes, etiam faciendas, vel non faciendas,

vt eas facere, vel non facere possit, sinereque, vt fiant, vel impedire: quare & eo iure dominio, & potestate sua suprema nullo operis, aut vniuersi commodo maiori, immò absolute nullo, attento, potest sapientissime honestissimeque malas generis etiam moralis, siue actiones prauas, & peccata permittere pro libito, vel impedire; tametsi non melius sensu vllo, sed longe peius mundus haberet. Probatur: quia vel peccata permittere nequit, vel secus; si secus haberur intentum; si nequit: ergo actiones prauæ eius dominio, & potestati liberæ vt sint vel non sint in rebus non subiacent, sed ex necessaria omninò Dei voluntate impedientur, ac non erunt, vnde neque erga voluntatem suam non permissiuam, sed impeditiuam peccati libertatem, & potestatem indifferentem voluntatis in actu primo habebit. Vnde nec physicum actionis, hic, & nunc, prauæ à Deo erit: cum Deus, permissiuam adhuc potestatem, vt sit, hic, & nunc, ea actio minimè habeat.

4. Ex quo infertur, è duobus æque falsis, & absurdis, vnum: vel actiones prauas, hic, & nunc, neque esse de facto, contra infaustam generis nostri, plusquam quotidianam, & frequentiorem, experientiam: immò neque esse vnquam posse, vel totum reale actionis hic & nunc prauæ à nobis adæquatè & totalitate causæ pendere, quin Deo in eis eliciendis, & operandis subdamur, subdiue possimus: quocumque enim modo in eis eliciendis subdi Dei potentiæ, & voluntati posse defendas, permitti actiones, hic, & nunc, prauas posse ac de facto permitti contra tuam doctrinam admittes. Nisi enim fatearis totam actionem nostram, hic, & nunc, prauam nulla à Deo eiusque potestate, & voluntate, dependentia adhuc permissiua à nobis totalitate causæ esse: eius omnipotentiam, & vim ad extra actiuam nobis applicari nostræque determinationi ad eius actionis elicientiam subdi ex Dei voluntate libera debes fateri: atqui hæc ipsa est voluntas permissiua actionis, hic, & nunc prauæ, vel illam completiuè constituens: ergo non potes negare voluntatem permissiuam Dei erga prauam, hic, & nunc, actionem nostram, quin asseras nos eiusmodi actionem omninò independenter à Deo, eiusque omnipotentia, & voluntate, adhuc permissiua, totalitate causæ producere.

5. Iam verò ni è Dei voluntate permissiua actiones nostræ pendeant, nec liber Deus in eis impediendis, vel permittendis pro sua potestate, & dominio sit in primis Dominica illa oratio, *& ne nos inducas in tentationem*: id est prauè agere non permittas, stolida duplici titulo erit. Primo quia nec permittere, nec aliquid omninò circa eius existentiam, vel non existentiam negotiari Deus potest: cum id totum penes nos solos sit: Tum, quia libere agere erga alterutrum non potest: stolidum autem est ab aliquo petere, quod non potest immò & quod non præstare non potest: vt de se patet. Secundò omnis pia, immò & prudens gratiarum actio Deo pro non admissis peccatis, & quod tentationibus non succubuerimus à republica rationali prorsus eliminatur ob eandem rationem: quod id, neque à Deo libere habuerimus, nec omninò habuerimus; quæ tametsi fidei dogmatibus aduersentur, rationis etiam naturalis lumini, & instinctui contrariantur, ex quo gentes omnes, quæ aliquam Deitatem cognouerunt, Deos quæque suos, vt recte operarentur, atque à turpibus, quas æstimabant, actionibus liberarentur orabant, ab eisque liberati gratias agebant. Denique omnis necessitas gratiæ Dei ad superandas grauissimas quasq; tentationes, & consectaria alia fidei dogmata euertuntur iuxta hanc doctrinam. Maior argumenti Auerrois iuxta hanc doctrinam distinguenda ad formam solutionis erit, concedenda de prouisore, qui ex dominio non prorsus independenti, & absoluto rerum, quibus prouidet; neganda vero de Deo, qui ex tali dominio prouidet, vti prouidere Deum creatis cunctis demonstrauimus.

6. Denique ni peccata à Deo permitti connaturalioris prouidentiæ, & dispositionis Dei, cum ex parte sui, tum ex parte rationali creaturæ liberæ, cui prouidet, esset, confirmatio in gratia à Deo paucorum non esset, cum quæ connaturalioris prouidentiæ sunt, non pauca, & rara sint, sed frequentissima, ac fere omnium: Secundò non esset adeò excellens adhuc in supernaturali prouidentia priuilegium, & eximium, vt Patres omnes, in B. V. MARIA. & Apostolis prædicent & extollunt: cum id prorsus naturalis prouidentiæ, non dum ordinariæ supernaturalis foret. Tertiò vulgus tribunum hominum, qui peccare sæpe mortaliter, venialiter quotidie omnes & singuli relinquuntur satis apparentem, nec ratione vacuam haberent querelam, quod extra naturalem sui prouidentiam extrahantur, vt peccent. Vnde quarto inuidiæ & malignitatis notam difficile Deus excuteret, sicuti & volentis & auctoris actionem hic & nunc prauam, & peccatum, ac insuper auctoris peccati. Siquidem à connaturali prouidentia hominem extrahere debet peccaturum propriaque industria & prouidentia extraordinaria sibique reseruata, & quasi sequestrata dispositione vteretur vt peccatum existeret: iam si connaturaliter prouidentia erga rationales, ac liberas creaturas sit, posse, & defectu quandoque permittere peccatum facile argumento Auerrois satisfiet: concedenda enim est maior in prouisore, à cuius prouidentia, & voluntate libera operatio, eiusque operatio prouidenda est, atque operatio ipsa essentialiter non pendeat, & circa rem cui connaturalius posse permittere, & permittere quandoque malum non sit: neganda vero de Prouisore qualis Deus est, à quo essentia sua, & operans libere, eiusque libera operatio dependet, & circa rem, cui mali permissio connaturalior est, cuius prouidentiæ permissiuæ malorum etiam moralium connaturalitati maiori sinis in mundi, & visibilis, & spiritualis fabrica à Deo intentus maxime inseruit: expressusque est Eccles 3. *Non possumus eis quidquam addere, vel auferre, qua fecit Deus, vt timeatur.* Huius timoris potentissimum motiuum sumi ex creatis, & humanis mali, permissio peccati experimento cognita est; quare, & medium ad eum finem efficacissimum ac subinde connaturalissimum; vt idcirco sapienter ad eum locum tomo primo Biblioth. dixerit: *Sciendum est hac, qua videntur esse veluti symbola spiritualium rerum, quare si quem videas ob quem facta sunt* (etiam mala) *omni prorsus cura defectu.*

QVÆSTIO IV.

An Dei prouidentia circa omnia omninò, & singula creata versetur.

OStensa iam, & expedita Dei prouidentia erga rationales creaturas liberas, earumque liberas actiones, etiam prauas, in quibus speciales occurrebant difficultates: de reliquis omnibus, in quibus eadem, & communis est ratio, & difficultas pronum est disputare. Attamen, cum specialis difficultatis, quæ in malis, & physice defectuosis creaturis, & monstrosis effectibus apparet, in similibus de actionibus moraliter prauis, & monstrosis maneat præuenta proxime solutio.

CERTAMEN I.

Philosophorum errores, & affirmata sententia aliorum auctoritate, & dogmatica ex scriptura, & Patribus probatur.

1. PRouidentiam Dei erga singula, & omnia creata negauit sæpè Aristoteles illam naturæ soli tribuens locis datis quæstione 2. certam. 1. numero 2. sed

sed æstimo Aristotelem eis locis solum negare, vel singularium, qua talium, non autem specierum, siue eorum secundum specificæ prædicata, quæ continent, & horum prædicatorum ratione, & titulo omnia etiam indiuidua: quemadmodum S. Th. ad omnia indiuidua secundum prædicarum entis concurrere Deum dixit (ex quo & alij sic loquuntur) nequaquam indiuiduationem à concursu Dei implicatorie excludens (vt male intelligunt aliquot Thomistæ crassiores) sed titulum concursus ad indiuiduum totum indiuisim ostendens: & idem S. Doctor etiam docet productione indiuiduj succedentis loco corrupti speciem semel in mundo productarum perpetuitati prouidere Deum, quia eorum singularium prouidentiam obinde neget. Rursus citari pro hoc errore Aristoteles posset eo fundamento, quo futurorum contingentium, & vilissimarum rerum scientiam (sine qua prouidentia esse nequit) negasse dicitur: quod non satis solidum fundamentum est, vt explicatione mentis Aristotelis vidimus tom. 1. de Deo vno contr. 2. d. 3. (vbi de scientia Dei erga creaturas) satis constat.

2. In eundem errorem ire visus est Clemens Alexand. 5. stromat. post med. vbi inter errores Philosophorum in scripturam incidentium, nec intelligentium, hunc recenset. *Aristoteli autem venit in mentem vsque ad lunam deducere prouidentiam, ex hoc Psalmi. Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.* Quod, & ipsi tribuunt Ambros. 1. Offic. cap. 13. circa med. Ethicor. 1. Nazian. orat. 33. 1. de Theolog. num. 34. & orat. 5. de Theologia Nizetas in eius orat. 10. de pauperum amore ad verba, *quin potius* Epiphan. hæres. viiim. Theodoret. 6. Græcanicar. affect. & in epitome diuinor. decret. cap. de Prouid. Eusebius de præparat. Euang. lib. 15. cap. 4. Dazianus orat. ad Græcos, Laertius in vita Aristot. Auerr. 12. Metaph. comm. 50. Rabbi Moyses lib. 3. cap. 18. & August. 5. de Genes. ad lit. cap. 21. æstimo autem illum circa obiecta diuinæ prouidentiæ non erraſſe, sed circa modum mediationis, vel immediationis, maxime, si eius certo sit, liber de mundo ad Alexandrum, vbi ait: maximè decere Deum omnia, etiam minima gubernare, & illis prouidere, quod ipsum de Platone censeo: nam & sublunaria, terram, aquam, & corruptibilia, nec solum cœlum, & Angelos, vt aliqui putant, diuinæ prouidentiæ subiecit in Thimæo, seu libro de natura post initium & versus med. & dialogo 10. de legib. post med. ait. *Opifices quanto peritiores sunt, tanto arte vna in proprijs ipsorum operibus & parua simul, & magna exquisitius absolutiusque perficiunt. Deus vero, qui sapientissimus est, & curare potest, ac vult, parua, quæ facilius gubernari possunt propter pigritiam, & ignauiam negliget? nullo modo.* In modo ergo creatis aliquibus prouidendi solum Plato de prouidentia Dei forte erravit, de quo quæst. 5.

3. Sed erroris huius contra diuinæ prouidentiæ vniuersalitatem arguitur. Hieronymus in 1. Abacuc ad id, *mundi sunt oculi tui ne videant malum*, vbi ait. *Absurdum est ad hoc de ducere Dei maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotue moriantur: cimicum, pulicum, & muscarum, qua sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum præcedere debeant.* Nec satis est, quod aliqui contra contextum respondent, negari à Hieronymo rerum earum abiectarum ac despicabilium scientiam, & prouidentiam à Deo successiuè, ac per momenta singula habitam, & habendam; satis autem ab huius erroris impostura liberam & Catholicam suam mentem Hieronymus explicuit, his immediatè subiunctis. *Non simus tam fatui adulatores Dei, vt, dum potentiam eius ad ima deprimimus in nos metipsos iniuriosissimus, eandem rationalium quam irrationalium prouidentiam esse dicentes.* Solum ergò vult aliam esse, & nobiliorem rationalium quam irrationalium in Deo prouidentiam, quod & Paulus 1. Corinth. 9. illis verbis: *numquid Deo cura est de bobus* (vbi præfato errori fouat fauere) prius expresserat. Nimirum speciliori cura, & prouidentia, qua hominibus prouidet, legibus etiam & præceptis ad honestæ vitæ institutionem latis, quæ pro brutis honestatis omnis, & legis audiendæ incapacibus, ferri nequeunt: etiam, cum de iis ad homines leges feruntur.

4. Explorati ergo contra vniuersalem, & minutissimam erga creata omnia & singula errantes auctores sunt. Primo qui quæstion. 1. certam. 1. Prouidentiam omnem Dei erga creata negarunt. Secundò: qui quæstion. 2. certam. 1. erga rationales omnes creaturas, vel homines saltem illam negabant. Tertio: qui eam erga actiones pravas & peccata inficiabantur quæstion. 3. certam. 1. Si enim his (quæ creaturæ certo sunt) horum sententia Deus non prouidet, procul dubio omnibus, & singulis creaturis eorundem sententia non prouidebit: illi item, qui Iob. 22. Dei prouidentiam ad sublunaria non extendi ore, & errore Eliphaz aiebant. *Nubes latibulum eius, cardines cæli perambulat nec nostra considerat.* Rabbi etiam Moyses lib. 3. cap. 18. qui ex sublunaribus solum hominem ob intellectus præstantiam, & splendorem cura Dei dignum, eius prouidentiæ subiecit à qua sublunaria reliqua omnia excluſit, teste etiam S. Thom. 1. p. quæstion. 22. artic. 2. corpor. Cæsar item Iulius ex hominibus Principes & Proceres solum Dei, siue Deorum suorum curæ esse, eorumque prouidentiæ subiici censuit, ni ex impostura, vel ex propria sententia Lucanus Cæsaris ad tumultuantes milites exhortationem his carminibus concinnauit, & retulit.

Nunquam se cura Deorum
Sic premit vt vestræ vitæ, vestræque saluti
Fata vacent; Procerum motus hæc cuncta sequuntur,
Humanum paucis vivit genus.

Quibus Rabbi Moyses error ampliatur: dum Dei prouidentia ad Proceres solum homines restringitur, omni vulgarium cura à Deo, siue diis suis neglecta: quo, & mediata etiam ipsorum prouidentia erga prorsus neglectum ab ipsis hominum vulgus reiicitur. Ex Mahometanis Auerroes, Auicenna, & Algazele negantibus Deum distinctam singularium scientiam, ac proinde negandæ de singularibus prouidentiæ fundamentum firmum adstruentibus, solus Algazel ab ea negandi consequentia non defecit. Auicenna enim tract. 9. metaph. c. 6. toto in bonorum ordinatione, & malorum permissione Dei prouidentiam probat. Auerroes autem singularium prouidentiam Deo attribuit, cuius testimonia recitat Marsil. in 1. q. 38. art. 3. & Ferrara 1. contragentes c. 50. sed tamen, homines in iis singularibus prouidentiæ Dei subiectis non recenset: cum eos expresse ab ea excluserit vt vidimus q. 2. cert. 1.

5. Pauci ergo ex gentium Philosophis Deo singularium omnium prouidentiam negarunt, ex iis, etiam, qui addubitasse quandoque videntur, tamen aliquando in Catholicam veritatem de prouidentia Dei erga singula, & omnia creata naturali rationis ductu deuenerunt; vt de Platone, & Aristotele vidimus num. 2. & Aristoteles quidem 12. Metaph. c. 2. ex constanti rerum ordine prouidentem omnibus causam causarum primam constantem, à corporeis secretam, & permanentem his verbis demonstrat. *Quonam pacto ordo erit non existente aliquo, perpetuo, separato permanente*, quod ipsum repetit quoties argumento de primo motore Deum demonstrat, vt vidimus tom. 1. de Deo vno controuers. 1. d. 2. Præterea, quæ ex lib. de mundo ad Alexandrum memorabamus num. 2. ac recitabimus de Dei erga minima, & vilia quæque cura, & prouidentia, simillima recitatis eo num. 2. ex Platone: qui etiam in Phædone, siue de anima post medium huic ex Socrate recitatæ sententiæ insistit. *Arbitratus sum intelligentiam omnia gubernare & hoc modo ponere, quo optime se habeant:* & Photius apud Theodoret. 6. græcanicar. affection. de Prouidentia post med. & Atticus apud Euseb. 15. de præparat. Euangel. cap. 4. & ipsi Platonici, Catholicæ huic veritati adhæsere: sed & Cicero ex ordine rerum Deum vnum demonstrasse videtur vt citato tom. & controu. de Deo vno d. eadem 2. retulimus Prouidentiam eandem Dei de singulis & omnibus creatis docuere Porphyrius teste Cyrillo Alexand. 4. Dialog. de Trinit. & 3. contra Iulianum inter principium & med. Pythagoræ vero Philosoph. Principis exploratissima ea sententia fuit, ita de illo scribit Salvianus 1. de Prouidentia sub init.

Pythagoras, *quem quasi* Magistrum suum Philosophia suspexit de natura & beneficiis Dei differens, sic locutus est. *Animus per omnes mundi partes commeans*, (id est Deus quem mundi animum vocabant) *atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt*, &c.

6. Porro veritas hæc non solum naturaliter euidens est (vt datis aliquot insinuatur. & dum ratione agamus ostendetur) sed de fide etiam est passim in scripturis sacris tradita sapient. 6. *Æqualiter est illi* (Deo) *cura de omnibus*, cap.12. *Non est alius Deus, quam tu, cui est cura de omnibus*, cap. 8. sapientia genita. *Cum eo eram cuncta componens.* cap.14. *Tu autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernas.* Et rursus. *Attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ecclesiast.1. de sapientia, siue, vt creatam, & increatam complectitur, siue creatam solum, vel increatam, vt per creatam communicatur, siue formaliter, siue obiectiuè: *ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est, & effudit illam super omnia opera sua*: (in quibus omnibus, & proprio cuique ordine, & dignitate elucet) *& super omnem carnem* (hominem scilicet, in quo præterea formaliter etiam est) *secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se*: & his quidem specialiter, & præcipuè: quare & seorsim data dicitur: cum, vt sapientiam diligant, tum in eius dilectionis præmium, vt Salomoni, & aliis. Accedunt testimonia, quæ ad prouidentiam vniuersim, & speciatim erga rationales creaturas, earumque actiones, etiam prauas, antecedentium quæstionum certaminibus primis ex scriptura produximus. Mitto id sap. 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere constituisti*, quæ tamersi ad pœnarum inflictarum quibusdam, iuxta grauitatem peccatorum, æqualitatem dicantur, tamen, vt generale principium in omnibus Dei operibus affertur, ad demonstrandam in hac particulari materia proportionem, & æqualitatem ad numerum, mensuram, & pondus fuisse seruatam: quare generalem ibi doctrinam, etsi speciali materiæ applicitam tradi docet Augustin. 4. de Genes. ad litt. cap. tert. quart. quint. & quæstion. ad Orosium cap.89.

7. Mitto etiam vrgentissimum, & præcipuum testimonium ex Matth. 6. & 10. & Lucæ 12. de Dei prouidentia erga passeres, ceruos, fœnum, lilia, capillos &c. quæ consonant dictis Psalm. 146. vers.8. *qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Quæ pro Dei erga minutissima, & vilissima quæque prouidentia inferius expendemus: vnde ad reliqua nobiliora euidens ducitur argumentum Christi etiam Domini (qui eo vsus est) auctoritate confirmatum. Denique vniuersalem hanc Dei erga omnia, & singula quæque creata, prouidentiam tota scriptura à capite, vt aiunt, ad calcem nos expressè docet Genes. cap.1. vsque ad hominis creationem: vbi irrationalium vniuersi creatio ornatus, dispositio, ac semina inditarum ipsis virtutum ad agendum, atque eorum operationes, & fructus à Deo esse traditur: & in his ipsis capitibus erga creandum postea hominem, cui iis omnibus aulam apparabat (vt Iudæus Philo de mundi opificio, & Patres plures recognoscunt) prouidentia elucet. Deinceps Scriptura tota instruendo, inducendoque homini ad rectam, honestamque vitam legibus, adhortationibus, conciliis, exemplis, minis, promissis, terroribus, beneficiis in sanctos, pœnisque in scelestos impensis, ordine sæpe ad vtrumuis naturæ inuerso, vt plagis Ægypti, euersione Hierico, & aliis Moysis, Iosuè, & Prophetarum, ac noui testamenti miraculis stupendis insumitur: quorum singula, & omnia Dei erga creata cuncta, & præcipue erga homines eorumque operationes, prouidentiam demonstrant. Ad eam ex scriptura ostendendam loca notauit non pauca Chrysost. 1. de Prouidentia à colum. 5. & in acta Apostolorum cap.1. à colum.3. & alibi sparsim: quod & alij Patres mox citandi præstitere. Vberior ea in re Lactantius Firmianus secundo diuin. institut. à cap. 10. Copiosior adhuc Saluianus libro primo & secundo de Prouidentia.

8. Vt autem adeò apertus scripturarum sensus non esset Patrum omnium, (qui non, nisi ex scripturæ mente sentiunt, & scribunt) in hanc veritatem consistentem illum nobis perspicuum redderet: eam nos docuit S. Petrus apud Clem. Rom. 1. Recognit. vers. med. & lib. 3. pag. 3. nonnullas partes prouidentiæ, extraordinarie etiam recenset: & lib.8. pag.4. ait: *generales autem, & specialis partium simul, hoc modo est: quasi ab initio omnia fecerit Deus, & vsque ad finem per singula quosque prouidentiam gerat, vt minutique reddat pro actibus suis*, illud *quasi* tantundem valet ac *vt qui*: item ad *instar*, vt Ioann. 1. *gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* Et quamuis de hominibus tantum postrema verba sint, tamen primis rationem dedit, quæ prouidentiam de omnibus rebus probat: maxime, cum eas pro meritis sit distributurus, & toto fere cap. ad singula, etiam vilissima Dei prouidentiam descendere approbat. Non est animus nunc singulorum Patrum testimonia (quod immensum esset) recitare; sed vnius tantum, vel alterius: maxime, cum illustriora aliquot recitanda sint certam.2. & 3. quare cæteros Patres recenseo, ex Latinis Boët. 4. de consolat. Prof. 6. & 7. & toto lib.5. Hieron. ad id Matth.11. *Nonnè duo passeres* ad Ephes. 5. *gratias agentes semper pro omnibus* ad Hierem. 32. post. med. *Nunquid difficile* ad Zachar. 4. *Septem isti oculi domini sunt.* Ambros. 1. de offic. cap.13. & 14. 1. Corinth. cap.1. p. 4. August. 5. de ciuit. cap. 11. & aliis lib. 10. cap. 14. ante med. & 5. de Trinit. cap. 4. tract. 14. in Ioan. circa med. ad id *Pater venit hora* &c. lib. 1. & 2. de ordine, 3. de lib. arbitr. per totum. Cyprian. ad Demetr. apologia tota maxime pag. 2. Hilar. can. 5. & 10. in Matth. Prosper. lib. Sententiarum ex August. sentent. 277. & 281. verbis datis certam. 5. num. 6. Paulin. epistol. 36. de Prouidentia. Saluianus libris octo de eadem. Gaudentius Brixiens. Pirfat. ad suos libros. Lactant. Firmian. 1. diuinar. institut. cap. 2. lib. 2 ac p. 8. lib. 7. de præmio, & ira Dei, à c. 7. & libro de opificio hominis. Bernard. recitandus certam. quarto, Anselmus in elucidario præsertim circa medio, & sparsim latini reliqui Patres Dei erga cuncta prouidentiam, vel proponunt, vel supponunt.

9. Consonant Latinis Græci Patres, Dionys. Areopag. de cælesti Hierarch. cap. 9. toto, maximè versus finem, vbi. *Vnum enim est omnium principium, una prouidentia*: inferiuscule, *vna quidem de omnibus ministra prouidentia*, fine. *Nos apertè, planeque docent, vnam esse ad omnia pertinentem prouidentiam*, & 8. de diuinis nominibus post med. iustitiæ nomine prouidentiam Dei erga omnia, & aliis, & his tradit. *Diuina enim iustitia omnia disponit, & determinat: omniaque non confusa inter se, nec permixta custodiens iis, quæ sunt, omnibus quod cuique accommodatum est tribuit, pro ea, qua vnum quodque eorum quæ sunt, attingit dignitate.* Dexerat autem de Diuina scientia cap. 7. vers. fin. *omnium est artifex, & semper omnia componit: efficitque causa indissolubilis cohærentia, & ordinis omnium: finesque priorum cum sequentium principiis semper connectit, & vnam vniuersi conspirationem, concentumque pulcherrime efficit.* Concordant Iustinus Martyr quæst. 146. ad Orthodox. Irenæ. lib. 2. cap. 45. post med. Clem. Alex. 7. Stromat. pag. 3. sub init. lib. 5. pag. 21. Pædagog. cap. 8. Isidor. Pelus. epistol. 154. Nazianzen. orat. 1. colum. 2. orat. 3. & sequent. orat. 15. in plagam grandin. num 14. orat. 16. *de pauper. amore.* num. 44. orat. 34. secundo de Theolog. Basil. homil. 8. *in dimit. anar. tempore* famine med. orat. de precatione colum. 2. Chrysost. 1. orat. seu lib. de Prouident. Homil. ad popul. Antioch. ante med. Nyssen. *de infantibus qui præmature abripiuntur* post init. orat. catechet. cap. 8. inter med. & fin. Athanas. contr. gent. longe à med. & vers. fin. orat. 3. contra Arrian. vers. med. de incarnatione verbi, & aduentu column. 1. & 3. in Synopsi, lib. 15. Ecclesiast. Cyrill. Alexand. aduers. Platon. 2. in Iulian. sub med. & 4. post med. Damascen. Dialog. cont. Manichæ. & 2. de fide cap. 12. à med. lib. 2. cap. 29. Nyssen. 8. Philosophi potius Nemes. de animæ facultatibus cap. 42. 43. & 44. Athenagor. lib. de Resurrect. maxime à med. Maximus serm. 48. de Prouidentia. Dorotheus de institt. fratrum: doctor. 17. Theodoret. decem sermonib. de Prouident. & de curat. græcaniear. affection. Cyrill. Hierosolym. catech. 8. circa med. & 18. sub init. Eusebius Cæsariens. de

de præparat. Euang. cap. 5. lib. 12. cap. 28. copiosius Æneas Gazæus in Theophrasto vers. med. & Iulius Sirenius locis citatis, quibus adde Theologorum omnium consensum cum Magistro in 1. d. 44. & 46. & S. Thom. 1. p. quæst. 22. & 3. cont. gent. à cap. 71. ad 75. inclusiue.

CERTAMEN II.

Veritatis eiusdem demonstrationes Philosophorum, & Patrum auctoritate confirmatæ.

1. PRimam demonstrationem attigimus supra ad Prouidentiam Dei de nostris actionibus demonstrandam; nempe naturalis vbique gentium omnium hominum sensus, ex quo ad precandum Deum cultu, sacrificiis, victimis publicis, vel orationibus & inuocationibus etiam priuatis, non solum pro actionibus propriis, sed euentibus in re quauis fortunatis, & infortunatorum auersione confugiunt: *quod enim vniuersi videtur* (inquit Aristot. 10. Ethicor. cap. 2. post med.) *id esse dicimus. Qui autem fidem hanc tollit, non valde credibilora dicet.* Etenim omnium de re quauis consensus rationalis naturæ sensus est ab eius conditore cum ipsa ratione inditus, quare falsus esse nequit, quin ab eius Auctore natura inclinata ad falsum oriatur, naturaliter, quod est impossibile; tametsi ex accidenti, & mero Dei arbitrio prouidentiæ extraordinariæ possit adeò ad erroris physici actum inclinari, de quo controuers. de fide. Hic autem, & naturæ proinde rationalis sensus recurrendi precibus, cultu, & sacrificiis deputatis &c. pro re quauis ad Deum continet essentialiter alium de diuina omnium prouidentia, regimine, & dispositione; alias in eo recursu ad eum cuius potestate, & prouidentia res geri non sciret, erraret: ac proinde diuina prouidentia rationalis naturæ lumine nota est. Hanc demonstrationem exhibet Cic. 1. de natura Deorum sub init. *Sin autem* (inquit) *Dij, neque possunt nos iuuare, nec volunt, nec curam omnino, nec quid agamus animaduertunt, nec efficitur ab ijs ad hominum vitam promanare possit: quid est quod vllos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus.*

2. Præclarius autem eam demonstrationem dedit Nemesius de animæ facultatibus cap. 44. in hæc verba. *Res singulas regi prouidentia magno argumento est, quod naturaliter eius notitia hominibus est insita. Nam difficili, & necessario nostro tempore statim ad numen diuinum, & preces confugimus: velut natura nos sine doctrina ad Dei opem perducente. Non autem sine doctore nos natura ad id duceret, quod eadem natura non fert, vt fiat. Nam in repentinis perturbationibus, & timoribus sine electione, neque deliberatè, & tanquam aliquid consideramus, Dei nomen inuocamus. Quidquid autem naturaliter quamque rem insequitur, in eo tanta vis est ad demonstrandum, vt contradici nihil possit.* Nec minus viuide Tertullianus 17. Apologetici aduers. Gent. post med. hanc demonstrationem ita expendit. *Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? qua, licet carcere corporis, pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, licet libidinibus, & concupiscentiis euigorata, licet falsis Diis exancillata; cum tamen resipiscit, vt ex crapula, vt ex somno, vt ex aliqua valetudine & sanitatem suam patitur, Deum nominat: hoc solo: quia proprie verus hic vnus Deus bonus & magnus. Et quod Deus dederit omnium vox est. Iudicem etiam contestatur illum: Deus videt, & Deo commendo; & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Tertulliani Magistri hac in re similis, & ex parte transcriptor Cyprianus, lib. de idolor. vanitate post med. ait. *Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris, & principis admonetur, dici frequenter audimus, ô Deus! & Deus videt: & Deo commendo: & Deus reddet: & quod vult Deus: etsi Deus dederit. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.*

3. Secunda demonstratio sumitur ex ordine, harmonia, concordiaque constante, ac perpetua partium contrariarum, ac dissimilium, motuumque vniuersi, statis, firmisque legibus succedentium. Hanc demonstrationem attigit primus Aristoteles 12. Met. cap. 2. verbis hisce. *Quonam pacto ordo erit non existente aliquo, perpetuo, separato, permanente?* Quam ad verbum transcripsit Eusseb. 7. de Præparat. Euang. cap. 2. eandem exemplo illustri sensibiliorem fecit Athanas. orat. cont. gent. vers. fin. dicens. *Quemadmodum, si musicus, vbi lyram adaptauerit, & grauia acutis, & media extremis ex arte sua coniunxerit, certum designatumque melos absoluat: ita quoque Dei illa Sapientia rerum vniuersitatem, vt lyram tenens, & aërea terrenis copulans, & cælestia aëreis, vniuersaque cum singulis coaptans, circum agensque nutu suo ac voluntate vnum mundum, mundique vnum ordinem absoluit recte, & congruenter*: quæ licet de prima mundi conditione dicta videantur, de eius etiam in eo ordine, & harmonia permanentia sunt dicta, illis verbis: *rerum vniuersitatem vt lyram tenens*: iam scilicet factam: & quæ, ni à Dei prouidentia teneretur, partium diuersitate, & contrarietate ipsa discordaret, id quod expressiùs, & luculentiùs dixit Boëtius 3. de consolat. prosa 12. sub init. sic fatus. *Mundus ex tam diuersis, contrariisque partibus in vnam formam minime conuenisset, nisi vnus esset, qui tam diuersa coniungeret. Coniuncta verò naturarum ipsa diuersitas inuicem dissociaret, atque diuelleret: nisi esset vnus, qui, quod nexuit, contineret. Non tam verò certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi vnus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret.* Nec obscurius Damascen. 1. Fidei cap. 3. post med. *quomodo enim aduersantes natura* (*ignis dico: & aqua, aëris, atque terræ*) *in vnius mundi complementum concurrissent ad inuicem, & sine dissolutione perduranent, nisi quapiam omnipotens virtus, & ea coniunxisset, & semper conseruet indissoluta?* & post alia in rationis huius confirmationem subdit. *Non temeritati talem tribuemus potentiam: esto enim casus, temeritasque generatio: cuius erit ordinatio?* Constans vtique, & perpetua.

4. Demonstrationem tertiam prædictæ proximam ex quauis vniuersi parte, contrariis qualitatibus, atque adeò diuersis formis figuris, dispositionibus, constante, & persistente. Athanasius paulò ante recitata ex ipso verba acutè attigit, ac breui in simplicioribus, rudioribusque mundi partibus expendit verbis hisce. *Elementa omnis sensibilis substantia, calida, frigida, humida, sicca in vnum contemperans, sua potentia efficit, vt illa sibi mutuò infesta non sint; sed vnam consonamque harmoniam in commune absoluant.* Demonstratio autem hæc in nobilioribus aliis mundi partibus, speciebus perfectioribus, & perfectioribus singulis apertior, & apertior, pro maiore cuiusque perfectione, est, vt vidit Augustinus 5. de ciuit. cap. 11. circa med. scribens. *A quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, à quo est mensura, numerus, pondus; à quo est quidquid naturaliter est, cuiuscumque generis est, cuiuscumque æstimationis est, à quo sunt semina formarum, formæ seminum, atque formarum: qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam: qui & animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum; rationali insuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui nec solum cœlum, & terram; nec solum Angelum & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ floscul um, nec arboris folium sine suarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit: nullo modo est credendum regna, dominationes, & seruitutes à suæ prouidentiæ legibus alienas esse voluisse.* Quibus non naturalia modo, etiam minima, ac vilissima, sed & politica, ciuilia, & moralia, omnisque Reipublicæ rationalis cuiusuis ordinem diuinæ prouidentiæ quoad omnes eius partes subiacere apertissimè, & luculentissime demonstrat.

5. Luculentius tamen adhuc è cuiusuis animalis mem-

bris, eorumque ordine, & proportione cum inter sese, tum ad munera varia animastica obeunda rem demonstrat 5. de genesi ad litt. sub init. scribens. *Si viderent tantum ordinem, quantus in membris cuiuslibet animantis apparet, non dico medicis, sed cuilibet mediocris considerationis homini, nonne clamarent: ne puncto quidem temporis, Deum (à quo est omnis mensurarum modus, omnis pavilitas numerorum, omnis ordo ponderum) ab eius gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quam eam totam esse vacuam nutu, & regimine prouidentiæ, cuius extrema, & exigua videas tanta dispositione formari, vt aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem?* Sane incusum, & conceptum illum dissimulandi impos Galenus exclamauit 9. de vsu partium cap. 5. ante med. *Nonne Opificis prouidentiam admirabimur, qui à corde sursum per thoracem, ac totum collum venas, atque arterias, ad ipsum vsque caput simul deductas, inde has quidem ad plexum retiformem; illas autem ad summum capitis verticem produxit?* Ad demonstrationis huius robur, & lucem faciunt, quæ de cœlorum ornatu, & concentu, de terræ, & pratorum, montium, fluminum, fontiumque ortu maris fluxu, & refluxu, fœcunda, ac florida varietate aëris, auibus, fulgetris, aliisque meteorologicis impressionibus, metallis, ac pretiosis gemmis, & lapidibus: De animalium speciebus, multitudine, deque eorum visibus, respiratione, sensibus, memoria, somno, vigilia, somniis, imaginibus, motu, &c. Naturales Historici, & Philosophi Medici magno studio, indagine, & obseruatione deprehensa scripserunt: Plinius, Galenus, Dioscorides Rondoletius, atque alij innumeri, quibus de rebus fere cunctis, & singulatim Aristoteles disputauit.

6. Quartam à posteriori demonstrationem subiiciam ex iis, quæ ad politicam, & ciuilem hominum vitam, & Rempublicam tuendam, spectant: in eam iuuenis nulla arte cultus olim incidi: iam verò senex non omnino contemnendam, & in demonstrationib. veritatis huius præterendam iudicaui. Etenim ad Reipub. cuiusvis conseruationem plurimis ministris opus est, quorum ministeria, pleraq; nullius honoris, imò ignominiæ multæ cum sint, nihil fere vtilitatis habent; multóq; longe minorem quam pleraque alia, quæ nihil ingenij, aut animi dotum requirunt, præter quam hominem esse. Huiusmodi sunt viarum publicarum versores, stabulorum, & cloacharum mundatores, puteorum fossores, tortores, & carnifices, & plures opifices præfatis, & vilitate, & inutilitate affines, qui nusquam ministerio diteſcunt, imò verò vix miserrimam, & famelicam vitam agere possuat. Videmus autem eiusmodi ministeriis homines Reipublicæ politicæ nunquam deficere: immò plures nonnulla eorum, & successionem in illa (si plures simul Ministros non capiunt) ambire: suæ nimirum miseriæ, atque ignominiæ sordidos candidator: interimque à peritioribus in ministeriis illis sese in Discipulos tradere, vidi ego cum in eam incidi demonstrationem, pluresque viderint, quasi scholas carnificum, tortorum, discipulis non vacuas, nudis humanitate, non minus, quam vestibus. Quod si eos omnes perconteris cur ministeriis aliis æque facilibus, minusque vilibus, & valde vtilioribus se non exerceant? & quare fœdis illis, & inutilibus tanto studio inhient, & incumbant: eorum omnium responsum vnum, & commune est, quod à misero viarum publicarum, & stabulorum versore audiui: quem misericordiæ gratia, tunc, cum iuuenis in hunc discursum incidi, labore, ignominia, & miseria sui ministerij propositis, vt vtiliori, purioriquè se addiceret, adhortabar. Video, inquit, ea omnia, quæ sum multos annos in hoc ministerio expertus, at hoc est fatum meum: & gratias pro consilio agens virga asinum egit: fatum ille propensionem, cui resistendo par non erat, in vile id ministerium vocabat: quam ego è Dei prouidentia pro Reipublicæ bono immissam huic, & similibus recognoui: vnde Deum præcipuum Reipublicæ omnis politicæ, ac subinde Reipublicæ totius vniuersi gubernatorem arbitror demonstrari.

7. Quin eam demonstrationem à priori dedit Lactantius 7. de ira Dei capite 4. inter init. & med. scribens. *Quid tam dignum, tam proprium Dei, quam prouidentia? sed si nihil curat, nihil prouidet; amissa igitur diuinitatem omnem. Qui ergo totam vim totam Dei substantiam tollit: quid aliud dicit, nisi Deum omnino non esse.* Vnde Epicurum Deum fatentem, & prouidum mundi negantem stultum, contradictoria admittentem putat. *Etenim* (ait) *si Deus est, prouidens est.* Possidonius verò à Cicerone relatus apud Lactant. censet Epicurum, *vitandæ apud vulgus inuidiæ causa*, ore tenus Deos admisisse, quos cum prouidentia negabat. Ruiz noster d. 1. sect. 4. num. 5. hanc demonstrationem moralem solum esse censet, sine certitudinis, & infallibilitatis moralis, non autem physicæ infallibilitatis, & certitudinis, & simpliciter talis: siquidem libera voluntate rebus prouidet, quas creauit, & seruat, potens absolute illarum curam absque vlla physica, vel metaphysica repugnantia negligere; esti eius bonitati moraliter repugnet cum ad melius (cuiusmodi est eorum quæ creauit, & seruat curam habere quàm omittere) morali necessitate teneatur: in primis hæc ratio primam demonstrationem, seu illationem, mox subiiciendam, quam ipse simpliciter necessariam reputat, moraliter solum necessariam esse directè probat: secundo moralem necessitatem Dei ad optimum seu melius abunde contra ipsum confutaui, casu adhuc, quo operaturus sit, non paucis eius Doctoris inconsequentiis notatis & omissis. Tertio ipse ait n. 3. deduci ex creatione rerum à Deo prouidentiam discursu, quem n. 11. tertiam demonstrationem absolute appellat: nempe quod propter finem eas creuerit, & ad cuius consecutionem proinde propensi illi omnes, & ordinate tendunt. Quarto: quia nec conseruatio earum à Deo fine fine est. Ex eadem igitur intentione efficaci finem obtinendi per causas naturales, & inefficaci per liberas media aliqua adhibere tenetur, vt & ipse, & illæ finem assequantur; alioqui nullatenus intentione finis, sed pura complacentia foret. Quod: quia conseruatio ipsa, & permanentia rerum semel productarum ex eo fine, & ordo ipse in illum, ad prouidentiam sine dubio spectat & à Deo est.

8. Sextò: rerum & ordinis earum conseruatio neque esse à minori potentia, sapientia, arte, & voluntate, quam diuina, ergo vel est à Deo, qui ea produxit, vel ab alio qui eas habeat æquales: multiplicata vero Dietate duplex Deus admittetur: vel potius exulabit à rebus vterque cum qui verus Deus est, vnus essentia sua sit, cunctis eminens, & per distantiam essentia, potentia, scientia, arte, & voluntate infinitam Superior, & excellens, vt t. 1. de Deo vno contr. 1. demonstrauimus. Hanc rationem video tactam à Damasc. 2. de fide c. 29. init. dicente. *Nam neque deest, neque consequens est alium prouisorem: sic enim defectus vterque subiaceret.* Ex quo neutrum esse Deum euidens foret. Rectè igitur, & demonstratione simpliciter tali, & absolute, nec solum moraliter necessaria illatione ex eo, quod Deus verus sit, & mundi, & omnium quæ in eo sunt conseruatorem, gubernatorem, & prouisorem esse demonstrat: Vt autem id, quod Ruiz nostro facem videtur fecisse, detegatur, oportet animaduertere, disputationem hanc, & demonstrationes de Dei prouidentia ergo mundum, & omnia, quæ in eo sunt, supponere & mundum esse productum, vt est, ex cunctis ipsum componentibus constantem, & ordine rerum, quem in ipso videmus; illum insuper ipsum cum eo etiam ordine rerum perstare, & conseruatum esse: hisque suppositis inquiritur: an, tam eius conseruatio, quam reliqua, quæ ad ipsum spectant, esseque in illo experimur, à Deo prouideantur? non autem: an ex eo, quod Deus illum eiusque rerum ordinem primo produxerit, Dei etiam ergo illum prouidentia cum conseruationis, tum reliquorum, quæ in ipso sunt penes Deum esse inferant? ita enim considerato præcisè Deo, ad prouidendum primo productis de conseruatione, & reliquis Deus physicè, & moraliter liber est: quare inde nulla esse potest moraliter necessaria certa, & necessaria demonstratio; aſt ex suppositione quod mundus totus cum eo ordine conseruetur, ac perstet à Deo ita illum seruari, & perstitere debere, ac proinde suam in eo prouidendo libertatem exercuisse demonstratu.

9. Demonstratio sexta à Iobo c. 34. emphatica interrogatione illa traditur. *Quem posuit super Orbem terræ, quem fabricatus est?* nempe & perstat: ac si ita arguat. Cura rerum ordinisque permanentis, quem videmus, penes illum esse debet, qui ita illas, earumque ordi-

nem

nem primo constituit ac produxit : atqui Deus res omnes mundi, earumque ordinem primo produxit, & constituit : ergo rerum omnium mundi, atque ordinis earum cura penes Deum est, esseque debet. Hanc demonstrationem Iobo expressius posuit Athenagoras, lib. de resurrect. post med. dicens. *Oportere eos, qui Deum admittunt, vt conditorem huius vniuersitatis, illius ipsius sapientiæ, & iustitiæ attribuere rerum omnium custodiam, & procurationem; si modo fundamento constituto ac principiis semel admissis inhærere velint.* Clarius Ambros. lib. officior. cap. 13. med. sic fatus. *Quis operator negligat operis sui curam? quis deferat, ac destituat, quod ipse condendum putauit? si iniuria est regere, non est maior iniuria fecisse? cum, aliquid non fecisse, nulla iniustitia sit, non curare, quod feceris, summa inclementia est.* Et 1. Corinth. p. 4. *Est aliquid hac asseueratione stultius, vt fecisse dicatur mundum, & curam eius non agere: & quid fecit si non ad illam pertinet quod fecit?* Damasc. 2. fid. c. 29. sub init. *Necesse est eundem esse eorum, quæ sunt, & factorem, & prouisorem. Nam neque decet*: & reliqua ex eo recitata num. 8. Confirmat inferius sic. *Solus Deus est naturæ bonus, & Sapiens: vt igitur bonus prouidet; non prouidens enim non bonus, Nam, & homines, & animalia ratione capta propriis natis naturaliter prouident; &, si non prouident, vituperantur.* Magn. Gregor. 24. in Iob capite 11. alias 26. in verba data ex Iob *Per se quippe mundum regit, qui per se condidit*: post pauca. *Si per se ipsum regere non negligit, quod creauit: quod bene creauit, vtique bene regit: & quæ nec dum facta, curauit, vt essent, quæ sunt facta non deserit.* Quam demonstrationem ab oppositio probat Nemesius lib. de animæ facultatibus capite 44. columna prima negata prouidentia, Deum rerum conditorem esse consequenter negari, dicens. *Nam qui putant hoc vniuersum casu, & temere constitutum, merito dicunt omnia vacare prouidentia: quorum enim nemo creater sit, eorum quis erit Procurator? Est enim euidens temere debere ferri; quæ à principio temere creata sunt.*

10. Aduertendum tamen animo est: in iis quæ ex Patribus recitabimus plures rationes adhiberi, quæ naturaliter Deo, rerum, quas semel condidit prouidentiam incumbere solummodo demonstrant; non autem metaphysicè: cum Deo liberum absolute sit, quæ semel condidit, destruere, neglecta naturali exigentia rerum natura sua permanentium semel productarum vt diutius conseruentur, & permaneant, & cum debitis perfectionibus, tum sibi, tum in ordine ad finem. Agentibus verò naturalibus, cum determinatas, vel natura sua, vel additis qualitatibus, vel facultatibus ad suos quæque effectus, & finem in quem ordinata à Deo sunt vires, & actiuitatem habeant: nequeunt, quod semel effecere, non conseruare, & tueri (casu quo vt putatur conseruatio permanentium penes causas secundas sit, quod controuers. 1. de generat. multis confutauimus) nec à successiuorum successiua productione absistere. Sola ergo ratione, quam dedimus numero 8. tetigitque Damascenus ex factis, faciendisque, vt quæstioni præsenti detur locus suppositionibus ibidem notatis, ratio hæc simpliciter necessaria atque demonstratio absolute talis euadit, vt ibidem diximus. Mitto alias veritatis huius rationes pro diuina minimorum, ac vilissimorum mundi prouidentia statim certam. 4. subiicienda: similiter, an hæc prouidentia Dei erga omnia per seipsum immediate an mediate per creata, vel creatum aliquid exerceatur à Deo? anve immediate à Deo esse aliquibus saltem ex datis demonstrationibus ostendatur? Horum enim omnium examen, & decisio ad quæst. 5. spectat, vbi contra vltimum hac in re non ignobilium Philosophorum errorem pugnabimus.

CERTAMEN IV.

Minimarum atque abiectissimarum omnium & singularum rerum diuina Prouidentia dogmatica, & euidens est.

1. TRaditur expresse, & specialiter conclusio hæc à Christo Domino Matth. 6. 10. & 11. & Luc. 12. vbi Dei cura & prouidentia de vilissimis animalculis, & passeribus, floseulis, fœnoque agri, capillis (scilicet in vilium reliquorum exemplum) habetur; vt Dei nos curæ, & prouidentiæ subesse, debereque committere argumento à minori ad maius euidentissime connitat, ac efficacissimè suadeat, verba eis locis sunt ab eo. *Nonne duo passeres*: ad quæ Cyrill. Alexand. 5. thesaur. cap. 2. post med. *Quod si putatis indecens ad minima quoque Dei prouidentiam erubescatis aliquantulum quæso audite Christum. Nonne duo passeres, &c.* Alterum ex Matth. 6. *Considerate lilia agri, &c.* Ita ponderat Augustin. 10. de Ciuitate cap. 14. circa med. *Plotinus Platonicus Dei prouidentiam vsque ad hæc terrena, & ima pertingere, floseulorum, atque foliorum pulchritudine comprobat: qua omnia quasi abiecta, & pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi forma intelligibilis, & incommutabilis, simul habens omnia perseuerat. Hoc Dominus IESVS ibi ostendit, vbi ait, considerate lilia agri quomodo creseunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quia, nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Quem locum egregiè ad rem hanc interpretantur. Hieronym. ibi: Prosper. sent. 281. Cyrill. proximè, & Cyprian. libro 1. ep. 3. ad Cornel. inter principium & med. Rursus probatur ex Matth. 8. vbi eiiciendi à Christo Dæmones, rogabant eum dicentes: *Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum, &c.* Vnde Cyrill. 12. thesaur. capite 14. sub med. Dæmones Dei potestate teneri, ne porcos, sordida animalia, inuaderent optime collegit 4. id Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter*, de finibus duobus, altero localis distantiæ spatij vniuersi, altero distantiæ dignitatis, & perfectionis maioris, & minoris rerum, quibus vniuersum constat sapienter interpretatur Bernardus de gratia, & libero arbitrio: *A summo*, inquit, *cœlo vsque ad minimum vermiculum.*

2. Demum omnia scripturæ testimonia recitata & memorata à nobis cert. 1. n. 6. & 7. cum de rebus omnibus & singulis vniuersi huius, (in quibus dubio procul abiectissimæ etiam, & vilissimæ continentur) loquantur, præsentem conclusionem expresse absque noua ponderatione stabiliunt Sed vnum solum illustrissimum ad rem hanc, & specialissimum testimonium omittendum non est, quod doctè obseruauit Ruiz noster d. 1. sect. 4. ex Prouerb. cap. 30. post med. vbi hæc habentur. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formica populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: lepusculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet; & egreditur vniuersa per turmas suas: stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Vnde arguitur: Hæc animalcula opera ad suum commodum & conseruationem sapientiora Sapientibus exercent: atqui ea non exercent ex ratione, & consilio, & electione, cum irrationalia sint, & incapacia rationis, sed ex instinctu à Deo indito, cuiusque eorum naturæ, vt vitam tueantur, & commode, quatenus ex ipsis, seruent: cui instinctui ad id exequendum & obtinendum Deus potentia sua concursu, & materiæ, ac mediorum ex fine sibi præstituto administratione continuo præstoque adest. Quæ (imò primum Dei instinctu his animalculis indito à Deo) satis ad rem præsentem essent, vbi de Dei erga hæc etiam animalcula sicuti ad

reliqua

reliqua nobiliora prouidentia solum agimus non disputantes, vt diximus, an immediate per seipsum, an per alium illam habeat Deus. De apibus aliisque pluribus vermiculis simile argumentum efformabimus, atque aliud etiam: sed nunc ex scriptura solum pro hac veritate puguamus.

3. Ab authoritate verò Philosophorum Sapientiorum, & Patrum eadem veritas munitissima est. Et præter data ex ipsis testimonia pro Dei erga omnia creata singulatim, ac subinde abiectissima, & vilissima prouidentia cert.2.& 3. illud Platonis Dialogo 10. de legib.post med. quin de re præsente speciale est repetendum. Vbi habet: *Opifices quanto peritiores sunt, tanto arte vna in propriis ipsorum operibus, & parua simul & magna absolutius, exquisitiusque perficiunt. Deus vero qui sapientissimus est, & curare potest, ac vult parua, qua facilius gubernari possunt propter pigritiam, & ignauiam negliget? nullo modo.* Aristot.1.de partib.animal.c.5.med. *viliorum animalium rationem propensionemq; puerili fastidio spreuisse, dignum nequaquam est: cum nulla sit res natura, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur.* Subinferius: *Cum in omnibus natura numen & honestum pulcherrimumque sit ingenium.* Accedit Plotinus relatus, citatusque ab Augustino verbis datis n.1.& Galen. cert.3. num. 5. quem Medici, & Anatomici reliqui imitantur, quibus testimoniis non sententia solum, sed & eius probandæ argumenta mox explicanda continentur: ex Patribus illa recitata ex Cypriano de elementis, quæ mixtis fere omnibus corporibus viliora abs dubio sunt: & ex Augustino cert. 3. n.4.& 5. & hic n.1, Plotinum approbans, & ex Euangelio confirmans, item 11. de Ciuitate capite 22. à med. *Vbi: Deus ita artifex est magnus in magnis, vt minor non sit in paruis. Quæ parua non sua granditate, qua nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt.* Illustriora ex ipso, & aliis Patribus dabimus statim, dum ratione agamus. Audiendus tamen est Cyrillus 5. Thesauri cap. 2. post med. vbi hæc. *Superbia certe vitium Deo inicere conamini, cum dicatis non esse decens, vt minimarum rerum Creator sit: ipse autem omnium Creator est etiam minimorum, & omnibus prouidet, & se propter misericordiam suam participabilem reddit.* Legendi demum pro re hac sunt Augustin. & Patres reliqui contra Manichæos disputantes, quorum, & error, & eius impugnationes, & fundamentorum solutiones connexæ sunt, & affines.

4. Pro veritate hac demonstranda æquo robore militant demonstrationes omnes à nobis datæ cert.3. prouidentiam Dei erga vniuersum, eiusque partes singulas, & omnes euincentes: adeóque dilucide militant, vt applicatione materiæ præsenti opus non sit & repetitione fastidiosa. Quare speciales pro hac materia subiicio. Prima esto; quia ni minimorum, & abiectorum, sicuti, & reliquarum vniuersi partium prouidentia sit, nec vniuersi partibus, nec vniuerso de optimo eius bono (in quod vt in finem partes eius omnes contendunt iuxta Aristotel. 12. Metaph. text. 51. fine) bene prouideret. Hoc autem repugnat: ergo minimorum, & vilium adest Deo prouidentia. Minor quoad bonum partium nobiliorum probatur: quia abiecta, & minima cibo, & prædæ nobiliorum cedunt, aliisque vsibus inseruiunt, quousque ad hominum vsus, cum in victu, & in vestitu, tum in salutis conseruatione, vel recuperatione, tum in sapientiæ exercitio, tum in fræuanda puniendaue superbia & contumacia tandem perueniant: item nec adeo nobiliora splenderent, nisi è vilium ordine, & loco debito positorum collatione. Totius autem vniuersi bono optimo, maximæque perfectioni, & pulchritudini summoperè deseruiunt: eis quippe neglectis, ac deficientibus præ conditoris incuria, tanta rerum varietas cum debita dispositione, (ex quibus pulchritudo resultat, eoque maior, quo plura varia rectè disposita confluunt) vniuerso deficeret: quod ex instrumentorum, vocumque consonantia, & harmonia, ex grauibus, acutis & variis vocibus, & sonis suauiore, & perfectiore, quam, si ex grauibus solum, vel solum acutis constaret, demonstratur. Sed audiamus maiorem integram, imò & argumentum ex Augustino 11. de Ciuitate cap.22. sub init. dicente. *Nec nitendum* (Manichæi) *quam in suis locis, naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur, quantumque vniuersitati rerum pro suis proportionibus deceant, tanquam in communem Rempublicam conferant* (minima & abiecta hæc) *vel nobis ipsis, si eis congruenter, atque scienter vtamur, commoditatis tribuant: ita, vt venena ipsa, quæ per inconuenientiam perniciosa sunt, conuenienter adhibita in salubria medicamenta vertantur*: & subdit. *A terrenis vsque ad cælestia, & à visibilibus vsque ad inuisibilia sunt aliis bonis alia bono meliora: ad hoc inæqualia, vt essent omnia.* Vnde nihil superfluit.

5. Sit secunda demonstratio. Prouidentia de minimis, & vilibus etiam nullam affert Deo imperfectionem vilitatis; imò multò maiorem perfectionem prouidentiæ diuinæ constituit, & demonstrat, quam, si solum de nobilioribus foret: atqui Deo id quod in quouis genere, & linea maiorem perfectionem, absque imperfectionis mixtura, continet, & ostendit, concedendum est: ergo, & minimorum, atque vilium, & abiectorum etiam, nec solum nobiliorum prouidentia concedenda Deo est. Ad hanc demonstrationem reducendæ sunt plures, quæ, vt distinctæ numerantur: quia, vel absque ea nihil probant, vel solum aliquam maioris partem probant: eius verò partem 1. (quod scilicet è vili sordidoque obiecto nihil prouidentia Dei vilitatis, aut sordium trahat) Probo primum ex Sap.7. verbis illis. *Attingit autem ubique propter suam munditiam*, natiuam, & essentialem scilicet, & vilitatis incapacem, quam sic statim probat. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Dei sinceræ: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Vox illa *claritatis* clarum ad rem explicandam exemplum solis, & radiorum eius oculis ingerit ipsis: quo sic vtitur Nemesius de animæ facultatibus capite 44. post med. *Aut ob superbiam Deus imperium, & gubernationem rerum singularum despicit* (*quod dictu est nefas*) *aut* (*sicut ipsi loquuntur*) *quod inquinationem deuitet: quod sicut radij solis vim habent attrahendi humorem omnem stagnantis inquinati solem, eiusque radios cum cano lutem referunt, sed integros, & ab omni sorde puros manere dicunt: quomodo Deum rebus humanis* (idem est de aliis sordidis, & abiectis) *profanari existimant?* Qui vnque natura, & essentia sua purior, abstractior, & inquinamenti omnis incapacior sole, & radiis, imò prorsus incapax est. Hanc vim ea verba continent. Eam vero distinctius explicuit Anastasius Synaita 2. de rect. fid. dogmatic. longe à med. scribens: *Vt etiam demus solem non nihil fœtoris colligere ex istis corporibus, non continuò inquietur: Deum contrahere, vel tantillum contagij. Nam autem cum Sol* (*perinde ac cætera corpora*) *passionibus obnoxius sit; nec tamen quidquam corruptionis fœdium: qua fronte dixeris; Deum eisdem subiacere, & esse participem, cum ab illis sit longe seiunctissimus.*

6. Eodem Solis exemplo rem hanc explicarunt frequenter, ac illustrarunt Patres plures quos recitauimus 1.1. de Deo vno controuer.2. d.3. imò, & exemplo nostrorum oculorum, & visus, qui in prauo hoc hominis manubio solis, & radiorum huius ad instar sunt, explicari id ipsum potest non obscurius: quod si Nemesij verba attentius inspiciantur, non solum primam maioris Syllogismi partem probant, quatenus exemplo illo prouidentiam Dei de sordidis, & vilibus quibusque creatis ab eorum sordibus puram & limpidissimam meridiana luce clarus ostendunt; sed, & vlterius secundam maioris eiusdem partem demonstrant ab oppositio: quatenus supposita nulla indecentiæ contractione prouidentiæ Dei ex eius ad sordida, & vilia extensione non nisi ex imperfectione eorum prouidentiam & curam à Deo posse negligi vel omitti docet 1. Vnde consequens ineuitabile est Deum de eis curare eisque prouidere, vt suæ conuenit perfectioni: ac proinde de eis prouidentiam in Dei perfectionibus esse numerandam: verba autem quibus hic discursus continetur prima illa sunt. *Aut ob superbiam Deus imperium, & gubernationem rerum singularum despicit* (*quod dictu est nefas*) adeo vt, ne ab aduersariis dici tentetur, vt sequens textus asserit, *Aut sicut ipsi loquuntur, &c.* Idem argumentum pro secunda illa maioris parte continent verba illa Cyrilli: *Superbia commune vitium Deo injicere conamini, cum dicatis, &c.* & Aristot.

Aristot. illa : *viliorum animalium rationem, propensionemque puerili fastidio spreuisse, dignum nequaquam est* : & illa Platonis. *Propter pigritiam, aut ignauiam negliget* ? minima, scilicet, & vilia curate, eisque prouidere, quorum quoduis vitij, & imperfectionis Deum argueret. Horum testimonia integra dedimus numero tertio. Et sanè absurdissimæ dementisque superbiæ, fastidij, ignauiæ, ac pigritiæ esset (ni ex impotentia, aut inscitia æque absurdè esse admittatur) res abiectas, earumque ordinem ad sui aliqualem imitationem Deum condidisse, ac præ aliquo ex dictis eorundem curam, gubernationem, & prouidentiam negligere ac dedignari. Demum, si ex obiecti prouisi imperfectione Dei prouidentia imperfectionem aliquomodo traheret, nec perfectioribus creaturis possit prouidere, cum eæ etiam sint necessariò imperfectæ : quod contra aduersarios est.

7. Sed iam, quæ directè, & non ab oppositò solùm, secundam illam maioris partem probant, producamus. Et primum quod Plato obseruauit verbis ex ipso recitatis numero tertio ab exemplo creatorum Artificum ibi : *Opifices quanto peritiores sunt, tanto arte vna in propriis ipsorum operibus & parua simul & magna absolutius, exquisitiusque perficiunt. Deus vero qui sapientissimus* &c. Id quod obuiis, & frequentibus experimentis didicimus. Nempe non æquam in artefactis curam perfectionis minimorum, quam nobilium partium solum, sed quandoque maiorem à peritissimis artificibus in minimis artefacti expoliendis, & perficiendis, vt in lepusculo, musca, vermiculo, viuidius pingendo quam in depingendo homine curam, & artis suæ industriam apponi : ità, vt quandoque ars & industria Artificis maioribus, & nobilioribus picturæ partibus deficiat. Ratio autem est : quia creati Artificis sensus, & attentio, vt ex arte operetur, limitata est : quare, quo plus in vnum perficiendum attentionis ponitur, eo magis alteri defraudatur, & deficit. Item : quia labore cum in attentionis, & executionis maiore, & diuturniore vires artificis creati lassantur, ac generatur ipsi fastidium : nec potest pluribus simul æque intendere, cum minor esset ad singula sensus, si pluribus intentus simul foret : quare, vt in abiectis, vel minimis atque in præcipuis, & nobilioribus partibus absoluta pictura sit, tempore, & laborandi, atque à labore diuertendi Artifices creati vel maiori, vel minori (vt cuiusque peritia, & dexteritas maior, vel minor est) opus habent. Inde verò rectè concluditur, Deum, qui sapientissimus opifex est, & de minimis & abiectissimis æque ac de magnis simulque potest curare & prouidere non posse non de minimis ac vilibus, æquè ac de maximis prouidere : idque Dei arti summæ esse gloriosissimum : quia exactissimè prouidere magnis, & paruis, nobilibus, atque vilibus, quin horum attentissima, & accuratissima prouidentia aliquid exquisitissimæ perfectiorum creaturarum deroget, perfectius longè est quàm nobilioribus eadem, ac modo, cura & gubernatione prouidere : immò cum omnium est Deo solo digna prouidentia, ac diuina est : quæ, nec Deo digna, nec Dei prouidentia esset, ni omnium foret, vt in omnipotentia, scientia, & idæis diuinis demonstrabamus.

8. Secundam partis eiusdem secundæ demonstrationem dedit Aristoteles verbis datis numero tertio ex lib. eius 1. de partibus animal. cap. 5. med. quorum prima, quibus viliora animalcula curæ Dei prouidentiæ docuit, repetiuimus numero sexto sub fin. nunc subiuncta ab ipso ratio tantum repetenda. *Cum nulla sit res naturæ, in qua non mirandum aliquid habeatur.* Post pauca : *cum in omnibus naturæ numen, & honestum, pulchrumque sit ingenium.* Etenim eo digniora sunt Dei prouidentia creata, quod sui supremi artificis bonitatem, sapientiam, & artem magis nobis viatoribus, aut facilius ostendunt, quam nobiliora, & spiritualia, quæ clarè, & in se pro hoc sane non cognoscimus : ità, vt bene, & attentè inspecta nos in Dei conditoris admirationem, & stuporem rapiant : ergò eis prouidere Deo dignissimum, & perfectissimum est. Attigit etiam hoc argumentum Aquila Magistro suo Apostolorum Principe Petro approbante apud Clem. Roman. 8. Recognit. inter med. & finem ; sed posuit luculentissimè illud Augustinus in Psalm. 148. sub med. Sic fatus : *Attendat charitas vestra : quis disposuit membra pulicis, & culicis, vt habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum ? vnam bestiolam breuem, minutissimam considera, quam volatile ! si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ, qua mouetur : vt pro se fugiat mortem ; amat vitam : appetit voluptates, deuitat molestias : exerit sensus diuersos : viget in motu congruo sibi ? quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat ? quam tenuis fistula est, qua sorbet, quis disposuit ista ? quis fecit ista ? expauescis in minimis ? lauda magnum : qui fecit in cælo Angelum ! ipse fecit in terra vermiculum.* Similia scribit 3. de Genes. ad litt. à cap. 13. & lib. 5. cap. 11. fin. cap. 22. & 1. de Genes. contra Manichæos cap. 16. 2. de moribus Manichæ. à cap. 9. Basil. homil. 6. Hexamer. post med. Theodoret. de curat. Græcanicar. affection. libro 6. sub med. ex Platone. Anselm. in elucidario colum. 5. atque adhoc argumentum scribit eruditè & luculenter Plinius maior libro 11. cap. 2. multaque doctè notat Ruiz in formicis, araneis, bombicibus earum texendi artibus, nullo quam naturæ inditæ seruatæque à Deo magisterio ipsas aliasque bestiolas ab ortu comitantibus, quo & illa præsertim tendunt, quæ ex Prouerb. cap. 30. retulimus numero secundo.

9. Probatur rursus eadem maioris pars secunda quia ratio ordinis, siue ordinatio mediorum in finem nequit non esse perfectio, immò maxima agentis perfectio est vt de se patet : est siquidem modus agendi nobiliorum agentium, rationalium scilicet, & liberorum : ex quibus præcipuum agens, & primarium, quodque rationalia, & libera agentia reliqua archetypum habent, & imitantur Deus est : ac proinde nulla eius actio erga media cuiuscunque conditionis, siue abiectæ, & vilis, siue perfectæ, & nobilis esse potest, quin ordinata ab ipso ad finem aliquem (quicumque ille sit) procedat. Atqui prouidentia stat in ordinatione mediorum in finem : ergo prouidentia etiam vilium & minimorum & perfectio est, & in Deo inuenitur. Hæc ratio est sancti Thom. 1. p. quæstion. 22. artic. 2. corpor. Ruiz noster confirmat : quia excellentia virtutis actiuæ transeunter stat in maiori extensione ad distantiam maiorem : vt patet in omni agente operatiuo extra se & proprium subiectum : ergo, cum Deus effectis omnibus suis creatis intimè immensitate sua sit præsens, nequit esse in producendis, prouidendisque alia maior à Deo distantia, quam entitatiua : qua, scilicet, creata eo magis à Deo distent, quo entitatiua perfectione minori, & minori magis, ac magis à Deo seiunguntur : quare quo minoris & minoris perfectionis entitatiuæ, nempe vilioris, abiectioris que entitatis, & naturæ creata sint, eo Dei illa efficientis ac prouidentis fortiorem potentiam, prouidentiam perfectiorem ostentant : quare, & vilissima creata arguunt vtramque in Deo summam. Hæc secundam illius maioris partem probant ; non verò se solis conclusionem, nisi prima pars maioris eiusdem probata supponatur : nempe, nihil Deum indecentiæ, aut imperfectionis trahere ex cura, & prouidentia minimorum, & vilium, quæ in vniuerso sunt, alias hæc omnia Dei perfectiones esse non possent ; etsi magnæ creatorum perfectiones sint, quæ perfectiones imperfectionibus, quarum capacia sunt, admixtas non detrectant.

CERTAMEN V.

De monstrosis, & infortunatis casibus, & effectibus Dei est Prouidentia: vbi doctrinæ Syrenij, & Molinæ animaduersio.

1. IVlius Syrenius 4. de fato capite 25. Monstrosos effectus, & casuales, & fortuitos à Dei prouidentia extraxit: dum casuales esse, casuque accidere, respectu etiam Dei, dixit. Quod enim alicui ex sua prouidentia, scientia, voluntate, & intensione aduenit, non casu, & fortuito euenit, sed ex prouidentia scientia, & intentione ipsius. Addit vero casuales, & fortuitos esse respectu Dei, non, vt seipso ac per seipsum operatur, sed, vt mediate per causas operatur particulares: atque hoc modo vitare videtur absurdum illud, quod ex absolutè dicta propositione illa prima inferebamus: nempe monstra, & fortuitos nobis euentus diuinæ prouidentiæ absolute non subiacere. Infert autem inde: respectu Dei, vt per causas particulares etiam operatur casuales simul, & fortuitos esse monstrosos effectus & casus omnes, & non casuales, & fortuitos, intentos, & non intentos pro causarũ per quas mediatè operatur diuersitate. Quod enim, ait, ouis à lupo rapiatur, vt per ouem mediate operatur Deus, fortuitum, & casuale, & præter Dei intentionem est; secus autem, vt mediatè operatur per lupum; nam per ouem eius conseruationem, ac subinde à Lupo non deuorari intendit, ac vult; vt autem mediate operatur per lupum huius esum, & cibum ac subinde ouis deuorationem vult, & intendit.

2. Certe si additionis huius doctrinam solum Syrenius posuisset (quidquid de eius veritate sit, vt infra videbimus) nihil censura dignum, atque errandi periculo obnoxium doceret. Sed tamen cum propositionem primam absolute posuerit, censoriæ virgæ manet obnoxius: maxime, cum additionis huius doctrinam, & exemplum ad confirmationem, & explicationem absolutæ suæ propositionis illius primo positæ, potius quàm ad moderationem, & temperaturam adhibuerit: in quo à bona etiam consequentia defecit. Etenim à propositione solum secundum quid, & cum addito vera, absolutam inferre, & admittere mala aperte consequentia est, quam, ne pueri quidem logici patientur. Sed Syrenius nec semel, nec dissimili erroris periculo eo inferendi genere vsus est. Nam libro quinto de diuina Prouidentia capite 12. sub init. voluntates, & operationes nostras prauas, temerè, & fortuitò etiam respectu Dei vtcumque euenire fateri nos catholicè posse eodem consequentiæ vitio docuit, vt ex ipso recitabamus quæstione tertia, certamine primo, numero secundo; id quod probat: quoniam illæ omnes contra Dei voluntatem, ac subinde intentionem eueniunt; cum tamen, vt absolutè fortuitò, & casu respectu Dei vtcumque euenire, ac subinde diuinæ prouidentiæ non subesse dici non solum catholicè, sed vere adhuc, posset, oporteret, vt neque ex scientia (iuxta Boëtij & reliquorum Doctorum memoratam casus & fortuiti definitionem) neque ex voluntate permissiua Dei prauæ nostræ voluntates & operationes euenirent & hæc ne aliquis ad Syrenij doctrinam offendat præcauisse sit satis.

3. Tutius bonæ consequentiæ attentior Pemotus 5. propugnaculi capite septimo, numero quarto docet monstrosos effectus casuales & fortuitos esse non quidem absolutè Deo, seu respectu Dei, sed solum respectu primariæ intentionis Dei, licet respectu intentionis secundariæ Dei ipsius casuales, & fortuiti, quare nec Deo absolute casuales & fortuiti sint; nec tales esse Deo dici absolute possint. Probat: quia Deus intentione primaria, & quasi de suo, atque ex se habita non, nisi bonum, & perfectum intendit: cuiusmodi monstruosi, & defectuosi effectus non sunt: quare, nec possunt esse, nec præter, imò, & contra primariam Dei intentionem, casque subinde ac fortuitò respectu primariæ intentionis Dei euenire. Respectu autem secundariæ Dei intentionis, quam non ex sese, ac prorsus de suo, sed attento causarum naturalium influxu & concurrentia, cum effectus ill producendi sunt, ac producuntur, nec casuales nec fortuitos esse: Cum Deus exigentiæ connexi illius causarum annuere intendat; ex quo non casu quidem, sed naturaliter defectuosi illi, & monstrosi effectus procedunt, id quod è Sancti Thomæ sententia esse videtur quæstione 23. de veritate articulo secundo dicentis. *De prima intentione naturæ esse, quod animal perfectum producatur, sed, quod producatur animal imperfectum est ex secunda intentione naturæ: quæ ex eo, quod non potest præter suam imperfectionem tradere formam perfectiorem, tradit id, cuius est capax.*

4. Demum (vt omnes Dei prouidentiam erga effectus defectuosos, & malos ac fortuitos, & casuales opiniones immediatè, & directè attingentes referre absolinimus) Molina noster 1. part. quæst. 22. artic. 2. & 4. affirit Deum effectuum casualium infortunatorum, qui ex libera creaturæ operatione (etiam non praua moraliter) prouenient, immediatam prouidentiam non habere, sed solum præscientiam, & permissiuam voluntatem: vt suffocationum libera sua voluntate, & determinatione, fluuium ingredientis ad natandum, & similium. Cum autem mediatam prouidentiam in Dei scientia, & voluntate permissiua Dei, nec nisi ob finem vtique aliquem habenda admittat, casuales, & fortuitos respectu Dei esse omni sensu negat. Dixi hanc solam Molinæ opinionem restare, vt omnes hactenus excogitatæ opiniones immediate & directe Dei prouidentiam erga monstra, & mala physica & infortunatos effectus casualesque, & fortuitos attingentes recenserentur: indirectè enim, per consequentiam, & mediate ad eas etiam spectant: an Deus faciat, ac velit monstra, & casuales defectus, prout casuales monstrosi, & defectuosi realiter formaliter sunt. Negant quippe Sanct. Bonauent. in 1. d. 37. artic. 1. quæstione 2. corp. & ad argumenta. Richard. ibi artic. 4. q. 2. corp. & ad argum. quia casualis & fortuitus effectus dicit defectum intentionis in causa, quæ à Deo non est. Secundò: quia temerarium, qua tale, non est à Deo vt authore. Tertiò: quia, si à Deo casus & fortuitum qua tale sit, & causetur, erit fortuitum & casuale respectu Dei.

5. Sit prima conclusio. Monstrosi, & casuales effectus tales non sunt respectu Dei, ac subindè diuina sibi iacent prouidentiæ. Probatur ex Sapient. 8. numero 1. vbi de scientia Dei practica (quæ idem quod prouidentia, nec sine Dei voluntate est,) dicitur. *Monstra fiet antequam fiant*: monstrum autem in præcipuis casualibus & fortuitis est: respectu autem eius, qui alicuius euentus scientiam practicam, & voluntatem præhabet, casualis fortuitus & præter intentionem non est, cum casus (ex Boëtio iam recitando, Aristotele, Philosophis & Theologis cunctis) non solum non intentus, sed inopinatus ei, cui casus, & fortuitum est, esse prorsus debeat: inde Boëtius 5. de Consolat. prosa 1. circa med. nullum respectu collectionum causarum omnium, à quarum nulla per se causetur, casum esse posse concludit. Quo enim (ait) *coercente in ordinem cuncta Deo locus esse fortuitis meritati reliquus potest?* Vnde statim colligit cum Aristotele, & aliis Philosophis casum solummodo respectu causæ particularis illum neque intendentis, nec per se causantis esse posse: sic autem inferius concludit. *Iam igitur definire casum: esse inopinatum, ex concursibus causis iis, quæ ob aliquid geruntur, effectum. Concurrere verò, atque constituere causas facit ordo ille inuitabili connexione procedens, qui de prouidentiæ fonte descendens tempora suis temporibus disponit*: quod exemplo fluminum ex eodem fonte manantium, & iterum in eundem alium confluentium illustrat metro 1. Nazianz. orat. 3. contra Iulian. colum. 4. numero 13. *Velut per circulum quendam mundum hunc vniuersum gubernat, ac moderatur: rerumque omnes nostras fluctuantes simul, minimeque fluitantes, & quæ per mutationes quidem mouentur, ac sursum, deorsumque agitentur, aliasque aliter se habeant, ac quando-*

cum

sum ad diuinæ prouidentiæ ordinem, & constitutionem fixæ, & stabiles sunt, etiamsi per contraria gradiantur, orat. 15. in plag. grandin. colum. 2. n. 4. *expone, vnde huiusmodi plagæ, & flagra oriantur, & quæ sit eorum ratio: verum inordinatus quidam, ac præposterus, & gubernationis omnis expers vniuersitatis motus ac temeritas; tanquam videlicet, nemo sit, qui rebus moderandis præsit, & denique casus hæc ferat? An potius vniuersa hæc rerum moles prouidentiæ frano* (cui casus non est) *eam ducente in aduersum moueatur, & collocetur?* Hoc vtique.

6. Augustinus quæstione 4. ex octoginta tribus init. *Quidquid casu fit, temere fit: quidquid temere fit, non fit prouidentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non prouidentia vniuersus mundus administratur*: atque à negatione consequentis negationem antecedentis ita concludit: *Illud bonum cuius participatione sunt bona cætera, quæcunque sunt, non per aliud, sed per seipsum bonum est: quam diuinam etiam prouidentiam vocamus. Nihil igitur fit casu in mundo.* Scilicet respectu Dei, eiusque prouidentiæ, per quam fit: in Psal. 31. ad id *verum tamen in diluuio aquarum multarum aut: si casibus reguntur homines* (etiam respectu Dei) *nulla prouidentia aliquid geritur.* Et 3. de Trinitate capite 2. sub init. *defectus luminarium & raro existentes quædam species syderum, & terræ motus, & monstrosi partus animalium, & quæcunque similia, quorum nihil fit sine prouidentia Dei.* 5. de Genes. ad litt. id Psalm. 148. *ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*: notat contra putantes partem aëris inferiorem casu non prouidentia agi dictum esse: his verbis. *Nihil enim, tam videtur casibus volui, quam omnes istæ procellosæ, & turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioribus* (*quod non immeritò terræ nomine deputatum est*) *facies variatur, & vertitur: sed, cum addidit: quæ faciunt verbum eius: satis ostendit earum quoque rerum ordinem diuino subditum imperio latere nos potius, quam vniuersitatis deesse naturæ.* Prosper in eadem Psalm. verba. *Quorum nihil fortuitis motibus subiacet: & singula quæque eius legibus seruiunt, qui, vt vult de omnibus, atque in omnibus secundum causas occultæ rationis operatur*: & sent. 28. ex Augustinianis. *Cum Saluator dicit vnum passerem non cadere in terram sine voluntate Dei, & quod fœnum agri, quod post paululum mittendum est in clibanum, ipse tamen format ac vestit: nonne conformat non solum istam mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verum, etiam vilissimas eius, abiectissimasque particulas diuinæ prouidentiæ regi: ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus?* Anselmus circa med. elucid. rogat. *Accidit quid casu?* Respondetque. *Nihil omnino, sed ordinatione.* Inferiusculè. *Casus nihil est. Scriptum autem est* (Iob. 5.) *nihil in terra sine causa fit.*

7. Ratio prima. *Casus est inopinatus euentus*, ex Boëtio recitato numero quinto & Philosophis & Theologis cunctis: ergò respectu Dei omnia præscientis, antequam eueniant, nihil est casus. Vnde thesauri inuentio à fossore sciente inueniendum casus ipsi non est: vt bene Aristoteles secundo Physicorum capite quinto & sexto à textu 51. Secunda ratio: quia casus debet esse præter intentionem, & ordinem causantis, cui casus est, & quod subinde causa illius per accidens sit, vt ait Aristoteles citato capite 5. Damascenus 2. fide capite 25. circa medium, omnes Philosophi & Theologi. Nihil autem, quod ex præscientia alicui euenit præter omnem eius intentionem, etiam permissiuam, euenit. Nihil autem est quod non ex scientia Dei sit, ac subinde intentione, permissiua saltim, si praua actio est, & ordinatione positiua, si solum physice malum, & defectuosum sit: ergò nec casus respectu Dei. Confirmatur: quia nullus effectus extrahitur ab ordine, & intentione causæ vnius adhuc particularis, vt casus respectu illius esse possit, nisi per aliam causam impedientem causæ illius ordinationem, & determinationem de se ad agendum: quod ab aliqua causa accidere causæ primæ vniuersali Deo repugnat. Vrgetur: quia monstra, portenta rariquè, & casuales effectus omnes vltra intentionem physicam, & naturalem exigentiam coniuncti causarum naturalium confluentium ad cuiusque effectus productionem, non sunt, sed iuxta coniuncti illius determinatam actiuitatem, & exigentiam; tametsi respectu causæ cuiusque illius coniuncti, nec iuxta determinatam actiuitatem, & exigentiam, seu intentionem sit: quare, etsi huic sit casualis, secus autem omnium coniuncto: ergo multo minus erit præter Dei, illud coniunctum libere, & ex aliquo fine disponentis, intentionem. Tertia ratio: quia causa respectu cuius euentus casualis est, non est causa per se euentus casualis, sed per accidens: atqui Deus nullius effectus causa per accidens esse potest: ergò nullus effectus potest esse casualis respectu Dei. Maioresť Aristotelis secundo Physicor. capite quarto, textu quarto collato cum capite sexto, text. 66. & 67. Sanct. Thom. 3. contr. gent. capite 86. med. & 1. parte, quæstione 19. articulo sexto corp. & 1. 2. quæstione 109. articulo primo ex Auicenna 10. metaph. capite primo, idcirco reducente effectus sublunarium in motum cœlorum, Sanctus Bonauentura in 2. d. 37, articulo secundo, quæstione secunda. in *sed contra* Oxami quodlib. primo. quæstione 17. Richard. ea d. 36. articulo quarto, quæstione 1. ex Auicenna 1. Physicor. cap. 14. Damascæni, Nemesij proxime, ac Philosophorum & Theologorum omnium minor probatur: quia causa omnis per accidens in causam superiorem aliquam per se reduci debet, vt ijdem docent; quod supremæ causæ Deo repugnat.

8. Ob præfatas rationes naturales, seu demonstrationes, nihil in vniuerso monstrosum, & casuale respectu Dei esse; sed, quidquid tale respectu causæ alicuius secundæ particularis est, ex scientia intentione, & prouidentia Dei euenire docent Philosophi Sapientiores citati, & recitati à nobis quæstione tertia, certamine 1. ab init. ad numerum 5. inclusiue item Ammonius in Porphyrium. Ioannes Grammaticus in 2. Physicor. vbi etiam Simplicius, & in 2. de cœlo text. 52. quibus altioribus fidei nostræ fundamentis innitentes consentiant Catholici Theologi omnes ad vnum. Magister in 1. d. 45. cap. *voluntas ergo* vbi omnes eius interpretes ex Augustino 3. de Trinitate capite secundo sub init. à nobis recitato supra Alexand. 1. part. quæst. 26. metaph. 4. a. 2. Magnus Albert. 1. part. quæst. 67. metaph. 3. Sanctus Bonauentura in 1. d. 45. dub. 4. & in 2. d. 37. artic. 2. quæst. 2. Sanctus Thomas 1. part. quæst. 19. artic. 6. corp. quæst. 22. artic. 2. ad 1. vbi eius interpretes omnes Caietan. Bañez, Vasquez, Molina, Zumel & reliqui, & quæst 103. art. 7. ad 2. & 3. quæst. 116. art. 1. corp. & ad 2. 3. cont. gent. capite 92. vers. fin. quæst. 2. de verit. art. 14. ad 5. quæst. 3. articulo 8. ad 3. Richard. in 2. d. 37. toto art. 4. maxime q. 2. Carthus. in 1. d. 39. quæst. 3. col. 2. §. *Præterea de hac materia.* Durandus ibi quæst. 3. art. 1. n. 9. Capreol. in 1. d. 40. artic. 2. concl. 1 3. Ægydius in 2. d. 11. quæst. 1. articulo 2. corpor. Okam, proxime Henric. quodlib. 6. quæst. 10. præcipuè à medio, Ferrara 3. cont. gent. cap. 93. pauciſque, verbis scholæ omnes Thomistica vtraque, Dominicana, & Iesuana nostra, Scotica, Nominalis, & Durandina Porrò ex dictis hactenus eius quæstionis (an aliquid in rebus & actionibus liberis nostris, etiam prauis contingens respectu diuinæ prouidentiæ dici debeat?) facilis se dat resolutio vnica conclusione negatiua: omissis variis conclusionibus, contra quinque modos affirmandi propositos à nostro Ruiz disputatione prima, sectione nona, & rationibus aliis postremæ, & generalis suæ conclusionis, ab statim assignanda missis etiam.

9. Sit ergo secunda negatiua conclusio: quia effectus omnes naturalium causarum ab efficaci natura sua Dei voluntate, & prouidentia necessario, & ex antecedente necessitate natura, & causalitate ipsorum productionem proueniunt: quare, & ita sunt, vt ne pro priori quidem naturæ ad sui absolutam positionem, posita diuina de ipsis prouidentia potuerint non poni: quare nec libere in se ponuntur, ac diuinæ prouidentiæ coniunguntur vt illi non coniungi absolute potuerit, ac subinde illi contingenter iungantur. De liberis nostris actionibus perperam schola Thomistica Dominicana inde contingentiam respectu diuinæ prouidentiæ negat: quia hæc decretum prædeterminatiuum

tiuum earum neceſſario claudat ; nec multò melius è noſtra , Thomiſtica etiam , ſeſuana aliquot : quia earum præfinitionem ſcientia media regulatam includat : vtrovis enim libertatem noſtrarum voluntatum & actionum euerti (etſi clarius & notius primo decreto quàm ſecundo) ſatis contendimus 1.1. de Deo vno contra 1.3. d.1. & tom. hoc 2. contr. de volunt. d. vlt. Pennotus verò contra 5. propugnaculum, vt libertatem arbitrij & operationum noſtrarum ſeruaret illæſam earum contingentiam reſpectu diuinæ prouidentiæ admiſit, cui præluxit Conradus 1.2.q.79.art.1.§. *Nota talis inquam* : ſed hi etiam aberrant à vero : quia , cum diuina prouidentia de liberis noſtris actionibus nullam de ſeſe intrinſecam connexionem, & efficaciam includat , ſed ſolum ratione ſcientiæ mediæ , qua regulatur connexionem habeat , quæ logica ſolum, & conſequens eſt, & neceſſitatem ſolam conſequentem habet coniunctionis cum effectu purificata conditione , & eius ſeruat reſpectu arbitrij noſtri contingentiam, non minus, quam effectus ipſe liber, à quo demum ſcientiæ, & prouidentiæ poſitio pendet, ſuæ cauſæ libertatem non lædit, etſi neceſſario, ac non contingenter ex ſuppoſitione quod ſit, ſeu quamdiu eſt, eſſe debeat de quo d.2. & 1.1. de Deo vno ſæpè & hic contr.7. de ſcientia, qua prædeſtinatio, & decretum auxilij efficacis collatiuum regulantur , agentes , dicemus quæ nunc proximas concluſiones apparenter oppugnant tertia concluſione diſparent.

10. Dico tertio contra citatos num.4. fine. Monſtra, & caſuales, & contingentes noſtros effectus qua tales, & caſuales ſunt, vult & cauſat Deus. Non loquor de prauis hic, & nunc actionibus noſtris, quæ ſolum permittit, nec adhuc interpretatiue , ſed ſerio prohibet , & auerſatur, atque vt non ſint, quantum ſatis eſt, & vltra ex parte ſua facit, & præſtat ; de monſtroſis & caſualibus naturalibus. Probatur : quia monſtrum ex Ariſtotele 4. de generat. animal. cap.4. & 2. Phyſic. text.83. & Doctoribus cunctis. *Monſtrum eſt effectus naturalis à ſui agentis naturalis perfectione raro degenerans* : vt homo v.g. biceps, aut monoculus. Atqui Deus vult , ac ſua prouidentia facit , & diſponit , vt effectus à ſui agentis perfectione raro degener fiat : ergo vult, & cauſat monſtrum qua tale. Probatur minor : quia vult & cauſat Deus , ſuaque prouidentia diſponit coniunctum cauſarum omnium confluentium , aut ita degeneres , & raro à ſuæ cauſæ perfectione egreſſantur , & fiant. Quo ipſo argumento de caſualibus aliis effectibus , non adeò raris , & ſimiliter de contingentibus, & liberis noſtris actionibus non prauis moraliter. Probatur : quia ad vtrorumque caſualitatem , & contingentiam collectionem cauſarum , vt caſu reſpectu cauſæ particularis cuiuſque, & actiones liberæ , & contingentes, non prauæ à nobis fiant Deus diſponit, vt bene obſeruat Sanctus Thomas 1.part. quæſt.19.corp. fin. & quæſt.22. art.4.corpor. fin. & prior Dionyſius 4.de diuin. nomin. Nec tamen inde (vt ij contra quos datis concluſionibus pugnauimus contendunt) infertur reſpectu diuinæ prouidentiæ effectuum monſtroſitatem , caſualitatem , & contingentiam intendentis, & cauſantis, monſtroſos, caſuales, & contingentes eſſe ; ſed ſolum reſpectu cauſæ particularis , à cuius perfectione raro effectus monſtroſi degenerant, & à cuius intentione, naturalique determinatione , & exigentia, ac ordine phyſicove agentis liberi, præſcientia etiam , & ordine intentionali recedunt, caſuales: ac denique contingentes, & liberi effectus reſpectu noſtri , à quorum indifferenti poteſtate liberi ſunt, & denominantur.

11. Imò verò inde potiùs euincitur , nec monſtroſos, nec caſuales , nec contingentes effectus eſſe reſpectu Dei eiuſque prouidentiæ erga monſtroſitatem , caſualitatem, & contingentiam reſpectu cauſarum particularium ſecundarum cùm id ipſum , & præſciat , & intendat , & cauſet, vel permittat ſaltem Deus : quare nec præter eius ſcientiam , intentionem , directamque cauſalitatem , & virtutem , alio , quam , quo tendebat , ab vlla alia cauſa detortam , monſtroſitas , caſualitas, & contingentia illa procedit : ac ſubinde , nec reſpectu Dei monſtroſe , caſualiter , & contingenter fit, ac eſt ; fieret autem & eſſet, ni directè præſcita , intenta , & cauſata vel permiſſa à Deo fuiſſet. Confirmatur : quia vt bene Sanct. Thomas quæſtione 22. articulo ſecundo ad 2. *Corruptiones , & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem ; ſed tamen ſunt de intentione naturæ vniuerſalis , in quantum defectus vnius cedit in bonum alterius , vel totius vniuerſi.* Vocat autem naturam particularem , quæ rei cuiuſque eſt ; vniuerſalem rerum coniunctum , ex quo defectuoſi caſualeſque effectus proueniunt , quatenus altera alterius , vel omnes in vniuerſi commodum natiua inclinatione propendent , vel Deum , qui eis commodis intentus , vbique de ea natiua propenſitione prouidit. Et hac quidem doctrina penetrata , vndecim contra præfatas concluſiones aduerſariorum argumenta , quæ ex illius attentione minore orta ſunt , prorſus euaneſcunt ; videat illa , qui volet , apud noſtrum Ruiz ſectione ſeptima ab initio, & ſolutiones ſectione octaua , vbi numero decimoquarto , argumento aduerſariorum à ſimili deſumpto ex miraculo , quod tale eſſe aiunt reſpectu Dei noſtras & ſuas concluſiones confirmat : quia reſpectu Dei nullum miraculum eſſe poteſt vt Sanctus Thomas bene obſeruat 1. part. quæſtione 105. articulo octauo corpor. ſcribens. *Nihil poteſt dici miraculum comparatione potentiæ diuinæ : quia quodcunque factum diuina potentia comparatum eſt minimum.* Quantumvis reſpectu potentiæ creatæ magnum ſit , & excedens. Vnde argumento aduerſariorum inuerſo legitime infertur : reſpectu Dei, eiuſque prouidentiæ nihil contingens , caſuale, & monſtruſum eſſe : ex priori Sanct. Thom. teſtimonio , & dictis quæſtione tertia de Dei erga actiones prauas prouidentia , quomodo monſtra , & deffectuoſi effectus, etſi mala phyſica ſint in ſe , poſſunt vniuerſi maiori perfectioni inſeruire , vel rei alterius bono , ac obinde à Deo intendi , ordinari , ac prouideri , vel etiam ob fines alios, quibus inſeruire valeant , libere à Deo præſtitutos , vt vlterius addebamus , & quidem etſi intra ſuas ſpecies defectuoſa monſtra ſint , aſt aliquid diuinæ bonitatis phyſicè participant , & imitantur vt amati à Deo poſſint , & amentur , cum ab eo de facto , & abſolute fiunt.

12. Dico quarto contra noſtrum Molinam, infortunatis euentibus ortis ex liberis creaturæ actionibus , & applicationibus , etiam prauis , non permiſſiuè ſolum , ſed poſitiuè erga illos prouidet Deus : dixi ortis ex liceis actionibus etiam prauis , non autem de actionibus etiam prauis , quæ ſunt euentus nobis omnium infauſtiſſimi. Eis quippe Catholici omnes cum Molina conueniunt Deum permiſſiua ſolum voluntate prouidere. Nec de eis Molina ſpecialem hanc ſuam concluſionem poſuit. Probatur concluſio : quia , etſi libera creaturæ actione effectus infortunati pendeant , verbi gratia , ſuffocatio ingredientis liberè ad natandum, vel gradientis vltrò per anfractuum , vel eminentiarum culmina lubrica, & greſſu difficilia præcipitium ; tamen vt ſuffocatio , vel præcipitium , & ſimilia de facto eueniant plura alia poſitiuè confluunt , & plura impedimenta remouentur. Accedit , quod eorum pleraque effectus prædeſtinationis ſunt , vt in gratia decedant , qui , ni infortunatis illis effectibus perirent , à gratiæ ſtatu peccando deciderent ; alij verò , ni naufragio diuitias perderent aliudve infortunium incurrerent , nec à peccato reſipiſcerent , quod proſperis potius euentibus augerent. Certum autem eſt effectus omnes prædeſtinationis , & media omnia nos ad meliorem frugem aduocantia , non permiſſiua ſolum , ſed poſitiua ipſorum voluntate à Deo prouideri. Denique plerumque in pœnam peccatorum infortunia maximè poſitiua , & iuſtiſſima voluntate , & prouidentia Deus diſponit.

QVÆST

QVÆSTIO V.

An Deus creatis cunctis immediatè per se ipsum prouideat.

HOc solum admodum, quo Deus cunctis prouideat creatis postremo loco examinandum restat. Siquidem, etsi per virtutes administras à Deo ad cæterarum curam, prouidentiam, & gubernationem habendam, & immediatè exercendam destinatas, & delegatas, omnibus tamen Deus prouideret: vti imperatores, & Reges Pro regibus, Gubernatoribusque Prouinciarum, quibus personaliter non adsunt, vt earum negotia quæque per se ipsos videant, disponant, & prouideant; tamen prouinciarum Regni sui omnium curam gerere, & prouidentiam habere absolutè, ac verè dicuntur. Quare an per se ipsum creatorum omnium Deus immediatè curam gerat; an mediate & per alium, seù per alios aliis prouideat? præsentis quæstionis scopus, & examen est.

CERTAMEN I.

Philosophiæ Principum, Platonis, & Aristotelis errores.

1. VIdimus quæstion. 4. certam. 1. Platonem, & Aristotelem in sphæra obiectorum, seù rerum creatarum, quibus prouidet Deus non errasse, neque eam iusto angustiorem designasse tandem: cum expressè ad creata omnia, & singula extendi docuerint: quare immediatè prouidentiæ terminos curtiores, angustioresque solummodo potuerunt designare: vt idcirco Nazianzen. orat. 1. de Theolog. colum. vltim. Aristot. prouidentiam angustam, & ieiunam vocare fors meritò poterit, de immediata, & per se ipsum habita, & exercita à Deo, erga creaturas singulas prouidentia; & Iulius quidem Syrenius 4. de Prouid. rectè omninò de diuina Prouidentia in omnibus sensisse iudicauit, ac multa eius eruditione, textuumque recitatione confirmat. Platonem verò alij plures ab omni circa Dei prouidentiam errore purgare contendunt. Fusum de vtriusque mente examen omnium textuum pro alterutra parte allegatione, ponderatione, & pro vtraque interpretatione, instantiarumque, & solutionum replicatione prolixa, nec scriptoris, nec scripti scholastici: quare neque instituti nostri est; breui tamen, & quantum scholastica patitur disputatio, de vtriusque mente iudicium nostrum profe-remus.

2. Et de Platone quidem constat in Timæo, seu lib. de natura post init. dixisse: *inordinatum & fluitans ex inordinata iactatione redegit in ordinem* vers. med. *ea apud nos sententia semper rata, indubiaque præ cæteris habeatur: quod Deus ea, cum talia non essent, quam pulcherrime, optimeque fieri poterant, ordinauit*, & Dialog. 10. de leg. post med. ait: *scire Deos non esse res paruas contemnendas, nec voluptatis, pigritiæ, vel doloris causa omittendas*, & ita exemplo confirmat illo supra à nobis recitato. *Opifices quanto peritiores sunt, tanto arte vna in propriis ipsorum operibus, & parua simul, & magna exquisitius, absolutiusque perficiunt. Deus verò qui sapientissimus est, & curare potest, ac vult, parua, qua facilius gubernari possunt, propter pigritiam, & tenuitatem negliget? nullo modo* Hæc pro sententia Platonis de immediata Dei per se ipsum erga creata omnia, & singula prouidentia. Nihilominus censeo illum erga omnia immediatam non asseruisse. Nam in Timæo, seu lib. de natura totus est Plato in laudibus diuinæ prouidentiæ circa partes vniuersi, atque expresse inter principium, & medium ait: *Diis à se creatis* (nempe Angelis, siue intelligentiis) *animalium generationem, & gubernationem demandasse; nec attingere per se ipsum voluisse, ne incorruptibilia prodirent*: cum quo stat horum curam non negligere, nec præ ignauia omittere, vt peritorum opificum exemplo fundet: nam, & hi industriorum discipulorum bene ab ipsis instructorum arte, & manibus picturæ, sculpturæ, aut artefacti alterius, cuius perficiendi absolutissimè curam non negligunt, nec præ ignauia omittunt, demandarit.

3. Accedit Patres antiquos Platonicæ doctrinæ studiosissimos, addictissimosque, vt plurimum Asseclas, ita de eius in re hac mente censuisse. Nissenus 8. Philosoph. cap. 3. & 4. seù potius Nemesius de animæ facultatibus cap. 44. init. Cyrill. Alexand. 2. contra Iulianum sub med. & libro tertio post med. *paragraph. Non ex his solis*, Proclus. 6. Theolog. Plat. cap. 6. Plutarchus de fato. Marsilius Ficinus in Protagora, & de Theologia Platonis cap. 5. & lib. Plotini de pulchritudine cap. 5. Confirmatur: quia ad purum Platonici Philosophi, ac doctrinæ Platonicæ in omnibus tenacissimi ita ex Præceptoris sui sententia de cura corruptibilium diis creatis, siue intelligentiis à Creatore Deo demandata aiebant: vt quosdam dæmones, id est Angelos, corruptibilis hominis actionum custodes, ac præsides constitutos à Deo docerent: penes quos rerum agendarum administratio exitus, & bonorum fortunæ cura esset, eorum doctrinam statam, & concordem recitat Augustinus 9. de ciuitate cap. 1. *Constitutos esse medios Angelos inter homines, & Deos: vt hinc perferant desiderata; inde referant perpetrata.* Confirmatur vrgentius. Nam Aristoteles Platonis auditor, eiusque doctrinæ in plerisque aduersus, altè adeò hunc ex Platone errorem, ebibit, vt cum euomere illum non potuerit, proprium tandem etiam fecerit, lib. de mundo ad Alexandrum sub med. dicens: Deum non per se immediate, sed mediis administris causis omnia, minima etiam, gubernare, vt Persarum Rex omnia sui Regni per suos ministros gubernat: & quamuis hic liber explorato Aristotelis non sit, valde tamen hæc sententia ex alio eius errore iam recitando Aristotelis fuisse conuincitur: idcirco recte S. Th. 1. p. q. 22. art. 3. corp. hunc indubitato errorem Platoni adscribit.

4. De Aristotele obiteriam sententiam tulimus Platonis errorem memoratum ebibisse. Ne tamen Præceptori prorsus consentiret præfatum errorem, & aliter fundauit, & auxit. Non enim ideò Deo immediatam, & per se ipsum creatorum imperfectiorum curam, & prouidentiam denegauit, ne corruptibilia, incorruptibilia quasi è contactu diuino, fierent; sed quia eorum cura, & prouidentia per se ipsum immediatè Dei maiestatem dedeceret, haberetur que à Deo per virtutes administras mediata decentior, & dignior, vt exemplo Regis Persarum ostendi putabat: cuius, & regum similium maiestatem se ipsis de vilibus, & abiectis immediate curare, ac prouidere minimè decet, & 12. metaph. cap. 9. eidem insistens rationi, ait. *Absurdum esse primam mentem de quibusdam cogitare: & melius esse quadam non videre, quam videre.* Quod non de pure speculatiua visione dixit, (vt vidimus contr. de scientia tom. 1. de Deo) sed de practica scientia, prouisiua, & consultiua dispositionis rerum, quarum curam habeat: hoc enim, & verbum *cognitare*, & contextus suadet, & verbum *videre*, quod solam speculatiuam cognitionem sonat. Nam, etsi *videre*, physicè loquendo solam obiecti visionem, & aspectum sonet; in politicis, & moralibus, agendisque quibusque tantundem valet, ac prouidere de electione dispositioneque rerum agendarum. Sic vulgo, cum aliquid à nobis agi petitur respondemus, ni statim rei agendæ, & dispositionis conuenientia se prodat. *Videbo* & his, quæ à rege Hispano præstari petimus, quasi ex lege & prælo responsum illud est: *volo verè.*

5. Ampliauit, & extendit Aristoteles Magistri Platonis de mediata solum per Angelorum ministerium Dei erga creata sublunaria prouidentiam, asserens: primum corpus à Deo moueri; cætera verò corpora moueri à primo

illo, nempe cælo : sublunariam scilicet, motus omnes, & proinde gubernationem, non Angelis, siue intelligentiis, sed cælo à Deo commissam esse docens : vt videre est 12. metaph. cap.2.tex 37. in quem errorem ex praua locorum scripturæ, quam legit intelligentia incidisse censent Patres à nobis citati q.2.cert.1.n.1. Sed text.52. fine & 8. Physic. inter med.& fin.docuit singulorum prouidentiam, & gubernationem immediatam naturæ incumbere ; quare mediatam solum naturæ conditori Deo concessit : quem etiam errorem 6. Ethic. tradidisse his refert Nemesius lib. de facultatib.animæ c.44. col.2. *Aristoteles à natura sola vult administrari singula : vt 6. Ethic. ad Nicomacum obscurè significat*, scilicet locis ex eo libro recitatis q.2. cert.1.nu.2. Naturæ verò nomine, nihil aliud intelligit quam rei creatæ cuiusuis, ex quibus vniuersum constat,& omnium coniunctim sumptarum naturas, & natiuas inclinationes ad suas operationes commodum, & conseruationem, & sui, & præsertim vniuersi cælestium corporum, & causarum vniuersaliorum, quas in creaturis recognoscit virtute, & influxu temperatas. Naturæ verò Auctorem, primumque motorem Deum, earenus solum de mediis, vt suam natura quæuis, & particularis natura, & natura vniuersa, seù vniuersum totum conseruationem commodum, & finem assequeretur, prouidisse, quatenus naturæ eam natiuam inclinationem, & naturalem impetum ad ea omnia indidit, cum eam condidit,

6. Cum autem is solum Aristotelis in hoc suo errore non omninò vecors, & insanus, satisque ab ipso locis ex 6.Ethic. insinuatus sensus esse videatur : non nimium ab eo errore distare mihi visi sunt Durandus, & Adoia concursum immediatum Dei cum causis secundis ad suos effectus negantes, vt vidimus in Physicis, contr. de actione, & passione, vbi Durandi sententiam aliunde confutauimus, quin ab hoc absurdo, (quod non mediocre sed magnum est) illam confutaremus. Etenim, si semel productis causis creatis Deus cum eis ad suos effectus non concurrit, sed se solis illæ immediatè, & adæquatè, iuxta suam quæque virtutem, & natiuam inclinationem impetumque eos edunt : nihil à prima mundi constitutione à Deo immediatè productum est, neque vlterius prouisum in naturalibus effectibus (cuiuscumque generis) immediatè est : immò neque in liberis : quorum,scilicet, absque libertatis læsione seruandorum gratia in primis concursus Dei cum agentibus liberis negatus ab his est (vt expressior Adola declarat) indeque consequentiæ ergò, & cum causis creatis naturalibus negatur.

7. Erroris Platonici, & Aristotelici particula est Iulij Cæsaris error à nobis ex Lucano recitatus q.4. cert.1. n 4. censentis Deum à vulgarium hominum prouidentia vacare, Principumque, & Imperatorum vulgi prouidentiam immediatam committere : vt autem appareat, ad quam leuia offendicula, quantaque inconsequentia Plato, & Aristoteles in communem vtrique errorem incurrerint, Deoque immediatam prouidentiam corruptibilium & sublunarium rerum denegarint, vtriusque fundamenta ipsorum principio de creatorum omnium immediata à Deo productione, & creatione aduersantur. Etenim si ex immediato Dei quasi contactu per immediatam prouidentiam Dei de ipsorum conseruatione, & commodorum, ac finis cuique proprij assecutione corruptibilia incorruptibilitatem Dei immediatè ipsis prouidentis participarent ; citius planè ex immediato Dei concursu, & efficientia ipsorum entitatem intime pertingentem Dei eorum conditoris participarent incorruptibilitatem : quare nisi negata Deo prima rerum per se ipsum immediata conditione, immediata earum prouidentia ipsi obinde negari consequenter nequit : sed neque ob indecentiam immediatæ prouidentiæ earum in Deo ab Aristotele somniatam : sapienter enim subtiliterque Ambrosius 1. Officior. cap.13.: *Si non est probrum Dei minutissimas quasque res facere : ergò nec regere.* Specialia verò argumenta, quibus hic error, & alius peculiaris Aristotelis de rerum immediata prouidentia, & gubernatione à natura sola confutantur, certam. sequenti astruemus.

CERTAMEN II.

Dei Prouidentia immediata erga res creatas omnes, & singulas Fidei, vt minimum, proxima est, & à Patribus tradita.

1. PRobatur prima præfixæ conclusionis pars ex scripturæ testimoniis datis quæst.4. certam. 1. num. iis enim omnibus, absque vllo discrimine, Dei de cunctis prouidentia asseritur, nulla mediationis, & immediationis respectu vnius, quam alterius creaturæ differentia assignata : quin testimonio illo ex sapient. 6. *æqualiter est illi cura de omnibus* nulli creaturæ mediatius, aut immediatius, quàm alteri Deum prouidere manifestè docemur : quare communis Platonis, & Aristoteli error de immediata Dei prouidentia respectu intelligentiarum, vel cælorum, mediata vero respectu sublunarium, & corruptibilium apertè reiicitur. Singulorum non æqua nobis cura de iis est, quorum curam, & prouidentiam aliis delegamus, in aliosque reiicimus, atque à nobis abiicimus, ac de iis, quorum per nos metipsos curam, & prouidentiam agimus, & habemus. Indeque erroris huius frustulum, vel eius ad instar à Iulio Cæsare ex cogitatus error ablegatur. Pateretà tam hi errores, quàm error Aristotelis de immediata prouidentia à sola natura repugnare verbis illis Sap. 14. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Dispositio autem hæc à Deo, & per Deum hic asserta immediata est prouidentia, omnia pertingens à fine vsque ad finem, seù *à maximo Angelo vsque ad minimum vermiculum*, vt ex Bernardo recitabimus q.4. num.1. fine.

2. Huc etiam facit illud Psalmi 146. *qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Hæc enim prouidentiam de alimento horum animalium in Deo docent : & immediatam, & per se ipsum à Deo, vt verbum *producit* demonstrat ; cuius loco est significatu sequenti versu verbum *dat* positum est. Productio enim, absolutè dicta, de immediato agente solum proprie dicitur ; non de mediato, nisi cum addito mediationem concursus, & actionis denotante. Nec alio spectant, quæ Christus Dominus Matth.6. & 10. ac Lucæ de Dei erga viles passerculos, quorum nullus absque Dei voluntate cadere, ac subinde, nec viuere, & seruari dicitur : de liliis agri, quæ à Deo ipso vestiri adeò sollicitè dicitur : de capillis capitis nostri, quos à Deo numeratos, ne absque eius scientia, & nutu decidant ex capitibus nostris, ac pereant : Deum per se ipsum immediatè, ac non solum mediatè, & per aliquid aliud à se conditum, curam, ac scientia, & voluntate propria, nec solùm alterius, cui commiserit, prouidentiam rerum, etiam minimarum omnium habere, apertissimè demonstrant : item illud Matth. 8. de dæmoniis Christum orantibus, vt ingredi porcos permitteremus, iuxta Cyrilli Alex. doctam obseruationem à nobis tam quæst.4. certam.4. num.1. versus finem. Quod si, & animalibus sordidis, ac vilibus, herbis, foliis floribus, & fœno, igni, & sterquilinio natis, se ipso prouide Deus, nec solum mandata alteri cura : citius de aliis omnibus longe perfectioribus, se etiam ipso, immediate curabit : argumento, quo Christus Dominus citatis Matth. & Lucæ locis discipulis suadet, ac plane demonstrat.

3. Porrò Plotinus Platonicus hoc ipsum, ac si à Christi Domini ore recepisset, docuisse refertur ab Augustino 10. de ciuit. cap. 14. circa med. cuius verba recitauimus quæstion. 4. certam. 4. num. 1. med. Patres verò immediatam Dei per se ipsum, nec solum per delegatam prouidentiam, aut virtutem, siue particularem, siue naturæ vniuersæ administram

administram, creatis prouidere consone docent, & testimoniis per antecedentes quæstiones omnes recitatis contendunt: vt textibus ipsis, & contextibus facile deprehenditur: idcirco pluribus omissis, nonnulla tantum expressiora ex dotis q.4. hic memorabo. Primum Apostoli Petri apud Clementem Romanum 10. Recognit. pag. 4. *scientis: generalis autem est, & specialis partium simul* (Dei cura, & de rebus dispositio) *hoc modo: est quasi* (seu vt qui) *ab initio omnia fecerit Deus & vsque ad finem per singulos quosque prouidentiam gerat.* Secundum Dionys. 9. de Cœlesti Hierar. vers. fin. *vnum enim est omnium principium, vna prouidentia*: Inferiuscule. *Vna quidem de omnibus altissima prouidentia*: siue. *Nos aperte, planéque docent: vnam esse ad omnia pertinentem prouidentiam.* Non est autem vna prouidentia omnium, & ad omnia Dei, de aliquibus per seipsum prouisoris, & delegati ab ipso mandatarij prouidentia de aliis: nec tota Dei, & altissima: si naturæ creatæ prouidentia est, vt patet de diuin. nominib. c.7. vers. fin. *Omnium est artifex* (Dei scientia) *& semper omnia componit: estque causa indissolubilis coherentiæ, & ordinis omnium: finesque priorum, cum consequentium principiis semper connectit: & vnam vniuersi conspirationem concentumque pulcherrime efficit*: quid clarius? Hoc forte ex cap. 8. post med. *diuina enim iustitia* (accommoda rebus prouidentia) *omnia disponit, & determinat: omniaque, non confusa inter se, nec permixta custodiens, ius, quæ sunt, omnibus, quod cuique accommodum est, tribuit pro ea, qua vnumquodque eorum, quæ sunt, attingit, dignitate.*

4. Addendi hic sunt innumeri Patres citati à nobis quæst. 4. certam. 2. n. 9. huic veritati, & sententiæ Dionysij consentientes: item testimonia omnia Patrum, qui prouidentiæ Dei erga omnia demonstrationes naturales nobis dederunt, recitata à nobis ea quæst. certam. 3. fere toto: omnia enim, non solum Dei erga omnia absolute prouidentiam, sed etiam immediatam esse expresse docent, & ostendunt. Recolenda hic sunt Augustini Platonis Platonico hac in re consentientis verba data q. 4. cert. 4. n. 1. Platonis, & Aristotelis, qui hanc veritatem attigerunt locis datis ibi num. 3. licet alias ab ea illos defecisse constet. Data insuper ex eodem Augustino ibidem num. 4. & 7. ex Nemesio, & Anastasio Synaita numero quinto.

CERTAMEN III.

Diuinæ prouidentiæ erga cuncta creata immediatio naturali rationis lumini vicina monstratur.

1. PRo immediata hac Dei erga res omnes prouidentia per seipsum, ac non per alium, cui eam adhuc delegarit, erga aliquas exercita, totidem quot pro absoluta eius omnium earum, & singularum prouidentia absolute posuimus q. 4. certam. 3. demonstrationes extant: vt sola aliquali applicatione ad rem hanc, & explicatione egeant. Prima ex communi omnium hominum sensu, & iudicio, pro faustis quibusque in materia quavis obtinendis, atque auertendis à se malis, & infaustis precibus, & sacrificiis, & priuatis, & publicis ad Deum recurrentium, & pro obtentis bonis, & malis à mandatis gratias eidem agentium: si enim eorum omnium euentuum prouidentia immediata ad Deum per seipsum non spectaret, non ad eum orandum naturalis ratio duceret, sed ad orandum alium, penes quem tota eorum immediata cura esset prouisorem & ad quem (ni simulator deceptorque esset) oratus semper remitteret aliquando Deus, ne tam diu aberraremus, ipsumque oneraremus, fatigaremusque precibus importunis. Recole verba eo certam. 4. recitata numero 1. ex Nemesio, Tertulliano, & Cypriano numero 2. quorum singulis fere hæc diuinæ in res omnes, & singulas immediatio continetur.

2. Demonstratio secunda ex partium vniuersi adeò inter sese dissimilium substantia, magnitudine, figura, naturaque, qualitatibus, & temperamento, motu, inuicem contrariarum, & pugnantium, consonantia, & concordia, qua permanenter, & perpetuo imperfectissimum vniuersi ordinem confluunt, ac persistunt immediationem prouidentiæ Dei in creata, & singula omnia ostendunt. Hanc demonstrationem, & vniuersim, & speciatim in creaturis aliquot expendebam, certam. illo 4. à num. 3. ad 5. inclusiue, ex Aristotele, Athanasio, Eusebio, Boëtio, Augustino, quorum verba etiam singula huius demonstrationis pro immediatione prouidentiæ Dei in omnia robur mitificè explicant, & edisserunt; stat autem in eo: quod partium, adeò diuersarum, & contrariarum, atque inter sese pugnantium, ordo, vt perstet tamdiu, & persistat non minore prudentia, consilio, arte, potentiaque indigeat, quam ea, qua primo inter adeò diuersa, aduersa, & mutuò pugnantia constitutus est: immò, cum pugna, & strages diuturnitate pugnandi incalescant natura sua, & augeantur, maiore arte, & potestate opus esse videtur, vt in pace, & ordine constanter sint, quam, vt primò in eis constituerentur, ni Dei conditoris ars, & potentia vltra eius constitutionem esset infinitè maior: si ergo ab immediata prouidentia, & cura huius ordinis seruandi Deus, eius conditor, abscedit, ea creaturis aliquot mandata (vni quippe nequit: quia non esset creatura sed Deus, vt arguam inferius) eligè ergò huic curæ, & prouidentiæ rerum conditarum mandandæ quas velis creaturas, & Angeli quidem quos elegit Plato videntur aptiores.

3. Sed cum plures sint, ac liberi, atque parti creaturarum alter, alter verò parti alteri tantùm (& sic alij & alij) prouidentiæ huius immediatæ commodiore partitione prouideat: nullus ex eis commodo, & perfecto ordine vniuersi (cuius seruandi cura penes ipsum nec est, nec, nisi cura, & prouidentia de omnibus, cuius incapax singulus quisque est, haberi potest) consulet; sed partium quisque suarum studio, & cura commoda vniuersi negliget: præter quam, quod ex sola arbitrij, & voluntatis diuersitate certa adeo constans, & stata eorum circa ordinem, & dispositionem rerum, conuenientia, atque ordo ipse rerum constans, fixusque est, nusquam foret; licet alter alteri vicissim suarum partium in hoc, vel illo ordine seruando: immò, & vniuersi conuenientiam ostenderet. Denique: cum hic ordo in rebus plerisque corruptibilibus sit, oporteatque in pereuntium, ac deficientium locum alia, & alia indiuidua, in quibus, & species, & vniuersi ordo, ac splendor conseruetur, denuò, & continua in dies producta succedere: oportebit etiam deputatis Angelis immediatis rerum prouisoribus ea producendi independenter à Dei actuitate, & concursu etiam communicari potestatem; quod cum prædicato creaturæ, essentja sua à Deo in essendo, & operando dependentis, omninò repugnat.

4. Sin verò cum Aristotele & Durando, naturæ creatæ immediatam rerum omnium prouidentiam, vel partem, vel in totum, delegatam à Deo mauis, vt corruptibilium, & sublunarium cælo, vel rei cuiusvis naturali impetui, & natiuæ inclinationi: cum ea rationis incapacia sint, & prouidentiæ (quæ non nisi ex ratione, consilio, & deliberata pro occurrentia euentuum, & circumstantiarum esse potest) incapacibus prouidentiam asseris delegatam. Rursus nuper factas impugnationes omnes maiori impetu in te currentes durius excipies. Ecquis enim cuiusque proprij commodi natiuam cuique effræ nem inclinationem ad vniuersi commodum temperabit? Ecquis moderabitur potentioris contrariæ partis vires, ne absumant aduersam debiliorem, ordoq; & perfectio vniuersi nusquam cesset, & constans ac pepetuus persistat? An irrationalia, & in anima sua comitia perpetua habent, sententiam dicunt, vt plurium suffragiis vniuersi ordo continuus perseueret? Quis demum actiuiorem, potentioremque partem orabit, & apud ipsam intercedet, vt actiuitatem suam moderetur, atque à natiuo temperet impetu, vt debilior aduersa perseueret? Mitto delegationem agendi independenter à Deo irrationalibus, immò insensibilibus, & inanimis etiam cunctis necessariam, vt immediata rebus cunctis seu vniuersæ naturæ prouidentia delegetur, vt nuper ostendi: quod sane in

hia

his multò dissonantius, & absurdius est, ac repugnantius. Demonstratio hæc illa Iobi 34. emphatica interrogatione continetur: *quem posuit super orbem terræ, quem fabricatus est.*

5. Tertia demonstratio sit ex prima rerum omnium conditione seu creatione, quæ per Philosophos omnes, non Atheos, & Doctores Catholicos à Deo omnium primo conditore est, atque proximis etiam Iobi verbis attingitur: etenim rebus productis per se ipsum prouidere eius est, qui primo eas produxit, easque alterius curæ relinquere, cum eis possit se ipso prouidere est prorsus indecens, & vitiosum: atqui Deo primo rerum omnium conditore defectus potentiæ ad prouidendum per se ipsum non est: ergo eas, vel earum aliquas, curæ ac prouidentiæ cuiusvis alterius remittere, ac non per se ipsum prouidere, indecens, ac vitiosum Deo esset, ac subinde impossibile. Hoc argumentum ita instruebant eo certam. 3. num. 9. Athenagoras Ambros. & Damascenus maiorem eius, natiua etiam brutorum prouidendi filiis quos genuerunt indefectibilique inclinatione, demonstrans. Et quidem fœminas, & viros, qui genitos, recensque natos filios aliis alendos, educandos, & de necessariis prouidendos exponunt, impios scelestos iudicamus: nec ipsi à nostri omnium iudicio discordant, clanculum semper, etiam non turpiter genitos, ita exponant. Gregorius item Magnus inibi recitatus expressius *Deum per se regere, quod per se creauit*, dixit, & confirmauit: atque ab oppositio eam demonstrationem instruebat, ibi etiam recitatus Nemesius. Monui autem ibi num. 8. hanc demonstrationem, non ex eo solum, quod res primo produxerit Deus procedere; sed ex eo etiam, quod, tam ipsæ, quam earum ordo, & vniuersi pulchritudo persistant. De huius enim persistentiæ causa prouidente est quæstio. Alias enim, cum Deus non productionis, cum rerum, tum ordinis earum solum, sed, & vtrumque vel seruandi, vel destruendi pro libito Dominus sit, absque vlla indecentia sua posset ea omnia semel à se producta non seruare; sed statim pro instanti immediate sequente destruere: quare & obiectum, seu subiectum quæstionis, & prouidentiæ abolere.

6. Confirmatur; Nam rerum conseruatio prouidentiæ effectus est: ast rerum conseruatio in finem à Deo immediate, & per se ipsum est: ergò ab eius prouidentia immediata ac per Deum ipsum habita, & exercita: Minor in nostris principiis controuers. de alterat. d. de eius successione, quo ad res natura sua permanentes satis solide est fundata: nunc autem vniuersim de rebus omnibus demonstratur: Nulla enim res, neque omnes simul sumptæ, possunt pro vllo instanti se ipsas producere; nec mutuo aliæ ab aliis pro eodem instanti physicè causari, vt tom. 1. de Deo vno controuers. 1. d. 2. demonstrationem præcipuam à priori de existentia causæ primæ instruentes ostendebamus: atqui physica rerum conseruatio est physica rerum pro instanti, quo conseruantur productio: ergo nullius conseruatio, pro quouis instanti est vel à se ipsa, vel ab alia mutuò & vicissim, sed immediatè à Deo. Hoc argumentum errorem Aristotelis de immediatione prouidentiæ à sola natura euidenter confutat: æquè atque Atheos primam causam negantes citato loco confutabat: secus autem eos, qui Deum immediatè ac per se, vel Angelis, vel corporibus cælestibus prouidere dicant, & per alteros sublunaribus, quorum primum instans Plato, secundum aliquando docebat. Nam hi iam primam causam conseruantem, sicuti & primam producentem (quod solum eo argumento demonstratur) assignant, cæterum aliunde impugnatur error iste: quia cum plurium nouæ productiones ad prouidentiam spectent, quicunque immediati soli aliarum rerum prouisores sint, & plurium conditores, & primo conditores adæquatè & adæquati erunt: vnde, nec Deus omnium conditor (vt fides docet, & non Athei aduersarij admittunt, & ratio naturalis demonstrat à nobis in Physicis controuers. de actione creata, & concursu Dei instructa) habendus, dicenduque erit.

7. Quarta denique demonstratio, & à priori sit. Est Deus: ergo omnium quæ in mundo sunt curam, & prouidentiam per se se, ac immediate gerit. Probatur consequentia, quia per se ac immediatè cunctis prouidere, ac eorum conseruationi, & commodis prouidendis sufficere perfectio sine vlla vmbra imperfectionis, aut repugnantiæ est: ergò & Deo digna. Atqui Deus entitate sua omnia se digna necessario habet: ergo habet omnibus rebus immediate, & per se ipsum prouidere. Maior quatenus imperfectionem, & repugnantiam omnem ab immediatione prouidentiæ excludit claret ex solutione data fundamentis Aristotelis, & Platonis certam. 1. numer. 7. Quoad positiuam verò perfectionem eiusmodi prouidentiæ immediatæ prouisoris cunctorum per se ipsum demonstratur. Quia cunctis per se ipsum attendere, quin eorum multitudine fatigetur, aut attentione, aut cura aliorum ab aliorum cura, & attentione, vel præsus distrahatur, vel tanti illum de illa remittat, nulla locorum intercapedine potentiam debilitari, aut temporum vicissitudine, & distantiis frangi prouidentem eius virtutem, summa, soloque Deo digna perfectio est, quæ, vel spatiis lassaretur, temporibus languesceret, prouidendorum multitudine distraheretur, atque à necessariis cuique prouidendorum deficeret, atque alterius cuiusuis immediata cura opus haberet, limitata, finita Deoque indigna virtus prouisiua foret. Hoc totum breuius pressit Lactantius recitatus certam. illo 4. numero 7. concludens eum qui hanc vim immediate rebus creatis omnibus prouisiuam à Deo tollit, nihil aliud citius præstare, quàm Deum ipsum à rebus auuere.

8. Probatur secundo demonstrationis huius consequentia prima Damasceni ratione alia verbis ex ipso recitatis eo numer. 7. fine viuidè satis, & acutè pressit; etenim, cum non minor scientia ars, & potentia ad conseruandas, & disponendas in suos fines res omnes, quam ad eas primo producendas, atque in eos primo ordinandas requiratur, prouidentia omnium per se ipsum, & immediata in nullum cadere potest, qui illam æquas cum scientia, arte, seu industria, & potentia Dei omnia producentis non habeat, ac proinde, qui etiam Deus non sit. Vel ergo, qui hanc immediatam, & per se ipsum prouidentiam habet, est idem ille ipse Deus, qui omnia condidit primo; vel est Deus alius. Si primum habetur intentum. Si secundum duplex inducitur in rebus Deus: quo mutuo se alter alterum à rebus excludit: cum Deus essentia sua vnus sit, ac pluralitatem excludat; quare admisso alio à primo conditore prouisore per se ipsum immediato rerum, tollitur procul à rebus Deus: ac proinde ab oppositio consequentis huius valet euidenter consequentia Lactantij & Damasceni. *Est Deus: ergò est immediatus rerum omnium eas sunt prouisor per se ipsum* Paulo aliter vtramque consequentiæ huius demonstrationem paucis complexus est Damascenus vbi proximè. Nam vel primò conditor omnium habet potestatem conseruandi, & prouidendi semel à se conditis cunctis, & prouisor immediatus, & per se ipsum, quàm assignaueris primo prouisa omnia conseruandi, vel quiuis eorum alterius tantum muneris obeundi habet facultatem. Si primum, vel duos Deos iniocis cum vnum sufficiat, ac non necessarius Deus, & superfluus rebus Deus repugnat: quare, & repugnabit obinde vterque, & ob proximè datam rationem vel vnum tantum Deum per se ipsum, & immediate rerum omnium conditorem, & prouisorem admitti vt contendimus. Si autem neuter habet vtique neuter parem facultatem, *debilitati*, inquit, Damascenus, *vterque subiaceret*; quare & neuter Deus foret.

9. Fusiùs quæstionem hanc de immediata Dei per se ipsum erga res creatas omnes, & singulas prouidentia siue de modo, quo Deus cunctis prouideat perfectus sum: atque naturales demonstrationes à Patribus, vel tactas, vel expressas, & sub his terminis omnibus, *mediatæ Dei, & per se ipsum* prouidentiæ ab illis, & scholasticis omissas, ne modus hic immediatæ Dei, & per se ipsum prouidentiæ demonstratus à Patribus, & scholasticis, absolutéve demonstrabilis à minus docto, vel dubitaretur, vel non credereretur, ob illud Regis Persarum (quo Aristoteles Philosophorum Princeps deceptus est) & reliquorum Principum, qui mediati, so-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lum, & per ministros suos regna gubernant: quia aliter ob mentis & potentiæ suæ limitationem nequeunt. Cæterùm, si res ipsa gubernandi per alios, & curam aliorum aliis demandandi bene, vt à Patribus inspecta, & penetrata est consideretur: cum mihi aliud sit, quam curam aliorum ministris intermediis demandare, atque à se abiicere: Principes, qui prouinciarum curam Ministris delegant illarum in seipsis curam, aut prouidentiam non reseruant, sed tantum erga Ministrorum, quibus delegant vt singulorum, & singularium curam habeant, designationem, & curæ ac prouidentiæ ab eis habitæ ponendam rationem. Quo circa cum singulorum, & singularium omnium vniuersi prouidentiam scriptura, Patres, & scholastici in Deo absolutè asserunt, & demonstrant, immediatam, & per seipsum habitam docto cuique, & suggerunt, & cuincunt. Sumus autem, cum scribimus, præsertim de re momenti tanti, & docemus, sapientibus, & insipientibus, seu minus sapientibus, vt sapientiores fiant debitores.

10. Ne verò quispiam putet immediata hac Dei erga omnia, & singula creata prouidentia hactenus demonstrata inferiorum aliquot creaturarum rationalium, nempe hominum, & Angelorum prouidentiam aboleri; aduerte cum Caietano 1. part. quæstione 22. articulo 3. ex Sancto Thoma 3. cont Gent. cap. 76. id minimè ea conclusione asseri, aut intendi, neque ex demonstrata conclusione inferri: solum enim assetimus, & demonstramus rationem ordinis omnium, & singularum creaturarum in finem primarium penes Deum esse ipsum, quin creatum aliquid pro libito, & arbitrio alteri in suum finem independenter ab ordine intrinseco Dei ordinatione, & prouidentia præscripto ordinare deleget, & mandet (vt Plato & Aristoteles somniarunt) sed iuxta ordinem à Deo singulis creatis præscriptum res gubernent, mediaque etiam à Deo eiusque prouidentia destinata, Deo etiam ex eadem prouidentia cooperante; non quidem ex Dei indigentia, sed potius dignatione exequuntur. Eum verò à se præconceptum ordinem rationalibus creaturis, præsertim Angelis bonis, & quandoque malis, reuelat, ac seruari præcipit: & in Scriptura, & Patribus est frequens, & controuersia de Angelis ostendemus. Causis verò irrationalibus Physica, vt sic loquar, præscriptæ ordinationis suæ intimatione, quatenus physica actiuitate & natiua inclinatione ad id agendum, quod earum conditor Deus de vnaquaque vult, in sui ipsarum conditione, & ordinatione accepta pergunt. Qua sanè ratione mediatè, etiam quoad externam gubernationem, & executionem, & immediatè rebus prouidet omnibus: quatenus gubernatione extrinseca, & executione mandatariæ istæ creaturæ ordinationis diuinæ intimatione siue morali, siue physica mediatè operatur, & extrinsecè gubernat res omnes Deus: & immediatè etiam, quatenus immediatè ac per seipsum ad has omnes mandatarias creaturæ functiones voluntate sua iuuat, disponit, & cooperatur.

DISPVTATIO II.

De Prouidentiæ diuinæ essentia, & diuisione.

TAMETSI d. 1. quæstione prima, certamine primo è vocis Etymologia, & Patrum dictis nonnullis, rudi Minerua, quid Dei prouidentia sit præmiserimus: illius tamen essentia eis Patrum effatis, quasi innolucro tradita, euoluenda nunc est, atque rigore scolastico explicanda, & statuenda. Deinde verò in suas speciales diuidenda, vt

de inceps, quæ disputatione Theologis vtili & opportuna, opus habeant, singulatim disputentur.

QVÆSTIO I.

Quibusnam Prouidentia Dei vniuersim constet?

VT præsentis difficultatis Scopus, in quem, & præsens quæstio collimare debeat, in apertum producatur, supponendum est: Diuinam prouidentiam immanentem Deo intrinsecam operationem, seu actum esse operationem, inquam, etsi veram, non tamen realem physicam, sed solum realem intentionalem, vt tom. 1. de Deo vno, controuersia secunda de Scientia Dei d. 2. quæstione prima ostendebamus, vtróque vero titulo constat non, nisi in operatione, vel intellectus, vel voluntatis, vel vtriusque Dei prouidentiam stare posse: quoniam nec purè spiritualis substantiæ (qualis Deus est) immanens alia operatio esse potest: nec operatio purè intentionalis, quæ vel intellectio, vel volitio non sit. Vnde Sanctus Maximus centur. 3. capite 13. tomo quinto. Biblioth. Alexand. Aphrodisæus 1. quæstione naturali. capite 75. (apud Iulium Syren. 4. de prouidentia capite 27.) tanquam ex Aristotele per motum & vnius rei in aliam, seu propter aliam, & creatam transmissionem rerum in finem Dei prouidentiam definientes, non tam essentialem definitionem diuinæ prouidentiæ tradere, quam eam per obiecta & effectus aliquatenus ostendere credendi sunt. De quo fusè Aureolus in primo d. 40. articulo primo: quare præsens controuersia de ea solum esse potest, an alterutra operatione intellectus, vel voluntatis Dei, an vtraque diuina, erga res omnes, & singulas demonstrata d. 1. consistat prouidentia.

CERTAMEN I.

Exactior difficultatis dirimendæ explicatio, & Doctorum sententiæ.

1. PRæmittendum est, Prouidentiam omnem, ac proindè Dei, scientiam, & voluntatis actum, vt essentialem (vt minimum) conditionem seu adiectum requirere: ita vt alterutra sublata nequeat prouidentia subsistere. De scientia constat: quia ea sublata de mediis, & fine, atque illorum in hunc ordine, nequit esse in Deo actus voluntatis ordinandi media in finem: cum voluntas in incognitum ferri nullatenus possit: ergo, etsi in actu voluntatis ordinandi res creatas in finem, ac prouidendi eis de mediis adæquatè consistat, scientiam de eis essentia sua supponit. Actum verò voluntatis per eiusmodi scientiam directum, vt adiunctum essentiale prouidentiæ requiri, sine quo prouidentiam Dei esse repugnet; tametsi in ea scientia sola rotum directum significatum essentiale stare contendas, certissimum est. Siquidem scientia illa voluntati ordinandi res in finem & mediorum ad illum consequendum prælucens est scientia vel simplicis intelligentiæ de possibilitate, seu media de conditionata futuritione, cum finis, tum mediorum, nullatenus actiua est & practica, nisi medio actu voluntatis; sed solum speculatiua, & de se indifferens ad ordinandas res in finem, & prouidendum, seu disponendum eis media, per quæ illum consequantur consequive possint: quare eiusmodi scientia communis, & rebus à Deo prouisis,

& rebus à Deo prouisis, & non prouisis, immò purè possibilibus omni, non solum ordinatione in finem, & mediis omnibus ad illum consequendum, verum & existentia propria absolutè destitutis est.

2. Actus verò imperij vlteriori, quem in intellectu Dei nonnulli, iam referendi, ponunt (& in quo solo prouidentiam Dei volunt esse sitam) præfatos actus, & voluntatis, & scientiæ ipsos regulantis, & dirigentis essentialiter supponit; quomodocumque actus imperij esse possit, vel authoribus explicari siue imperatiuè formaliter, vel æquiualenter, vt à nonnullis Thomistis exemplis pluribus ex Genes. 1. *fiat firmamentum, &c.* dicitur explicari, siue iudicio assertiuo, solum de præsente Dei voluntate condendi, & ordinandi res in finem, quem cuique præstituit, & disponendi media ad illius consequutionem, quo scilicet dicat, iudicetque Deus, *volo rem in hunc finem condere, & dare media, quibus illum assequatur*, vt explicat Ruiz noster inferius referendus: vtrouis enim modo præfatos actus voluntatis, & scientiæ essentialiter imperium illud supponit. Qui autem prouidentiam Dei ex æquo, ex duobus illis actibus, & scientiæ dirigentis, & voluntatis per eam directi aiunt conflari, planius præmisso huic nostro assentiuntur: idcircò Patres plures aliquando Dei prouidentiam in eius scientia, aliquando in Dei voluntate, quandoque in vtraque videntur collocare (vt locis ipsorum in hac quæstione referendis constabit) vt hac ipsa varietate præmissi huius veritatem firmam eorum mentibus fatereatur: ita scilicet vtrumque actum ad prouidentiam Dei essentialiter requiri, vt alterutro sublato Dei prouidentia, neque esse, nec concipi valeret.

3. Sed verò, vt Doctorum hac de re sententiæ dilucidè proponi, & percipi valeant, ac, vltra æquiuocationem, & confusionem omnem, improbandarum rationes, & impugnationes, nostræque sententiæ veritas, & fundamentorum eius robur plenius, & clarius appareant, actus omnes, cum intellectus, tum voluntatis Dei, qui necessario, siue directo, siue præsuppositiuè, & connotatiuè, ac indirectè, & in obliquo ad prouidentiam de rebus habendam interueniunt, specialius, explicatiusque oportet euoluere: & de scientiæ dirigentis actum voluntatis de ordine, & extrinseca Deo gubernatione, & transmissione rerum in finem, per media, quibus eum assequetur, vel saltim assequi possit, constat esse scientiam, & de possibilitate finis, mediorum, & conducentiæ horum, vt eiusmodi finis de facto obtineatur illis adhibitis: si omni serietate, qua potest in finem obtinendum, etiam liberè à creatura rationali, atque seruata arbitrij, & operationum eius libertate voluntate sua Deus feratur: sin autem non omni serietate, qua potest res creatas liberas (respectu quarum solum maiori, vel minori serietati voluntatis, seu intentionis finis, per eius liberas operationes obtinendi, & prouidentiæ, qua illas in eum ordinat finem, ac media disponit, locus est) vult in finem, quem illis præstituit ordinare, atque de facto perducere, sola scientia possibilitatis consequendi finem (ad quem illas ordinat, intenditque prouidentia illa serio quidem, at non serietate omni, qua potest, & solum, quatenus ex parte sui prouidentis satis sit, vt non per ipsum stet finis non assecutio) voluntatem illam ita ordinandi illas in finem, & disponendi media diriget, atque antecedet. Hoc totum omnibus in confesso est, ac de se patet. Etenim, nec finis seriò intendi à cordato aliquo etiam homine potest, quin de eius possibilitate cognitio præcedat, neque ex ea intentione, vtcunque seria, eligi media, vt finis, absolutè possit obtineri, nisi eorum conducentia, vt obtineri per illa absolutè possit præcognita.

4. Denique, si intentio Dei, & voluntas finis obtinendi per liberos creaturæ rationalis actus, quantum ex parte Dei esse potest, seria sit, ac media natura, & entitate sua, atque ab intrinseco sui efficacia esse non possint (vt ex dictis tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. tota supponimus nec disputamus) nequit cordate Deus medium eligere, quod habiturum effectum finis obtinendi scientia conditionata non præuouerit: nè, & causa serio à se intenta cadat, & prouidentia Dei, sicuti creata nostra incerta sit, casibusque, & fortuitis obnoxia: quibus omnibus, nempè, & omninò seriæ ex parte Dei intentioni finis obtinendi dependenter à creatæ libertatis vsu, & exercitio, & prouidentiæ certitudini, & infustrabilitati, atque creatæ libertati conciliandis, diuinæ scientiæ mediæ, per scripturam, & Patres æquiualentibus traditæ, vox, & breuior, & clarior traditio facit (nec nisi fauente Deo) nostri Molinæ, & coætaneorum Magistrorum nostrorum simultanea (nullo alterius conscio) vbivis gentium fusior ad scholarum formam doctrina, & explicatior: abundè à nobis explicata tom. 1. de Deo vno controuersia 2. de scientia Dei, à disputat. 5. & controuersia 3. disp. 1. tota, & hic contr. 4. disput. 6. De quo iterum q. 2. cert. 3. & 5. vbi grauem in directione illa difficultatem, ad quam iuuenis offendi, & terigi contra de scientia, & de volunt. (&, quatenus ibi opus fuit, complanaui) penitus dissoluam.

5. Mitto scientias alias visionis causæ, vel physice, vel moralis, quarum absoluta exigentia præuisa Deus ad effectum aliquem prouidentiæ suæ, vel se solo, vel cum alia causa exequendum mouetur, quas proinde ad prouidentiam spectare docent Recentiores nonnulli citati ab Herize tract. 1. d. 10. cap. 1. & refutati ab eodem tract. 3. d. 22. cap. 2. à num. 10. quibus tamen suæ impugnationi obnoxius iisdem locis ex parte ipse consentit; censens, nempè, ad defuncti prouidentiam, ex qua resurgat eius vt primo producti visionem spectare. Cur autem non addit ob eandem etiam rationem vt mortalis sed ista verò scientiam omnem, quomodocunque absoluti effectus prouidentiæ causatiuam scientiam practicam, & directiuam censent: quare & cum scientia prouisus, seu prouidentiæ confundunt quæ practica, & directiua voluntatis, ac modum obtinendi, & media, & finem, in quem res ordinanda est præscribens esse debet, vt patet. Nec pluribus opus est, vt scientia visionis horum & similium obiectorum à scientia ad prouidentiam spectante, de qua, an prouidentia sit vel illam essentialiter constituat? quæstio esse inter Theologos possit, eliminetur: licet ipsi alterutrum affirmeut. Neque enim potior lubens opiniones pro cuiusque cogitatione non satis probabiliter fundatas, in quæstionibus, vel Philosophicis, vel Theologicis multiplicari; earumque subinde in vnaquaque catalogum singulis quæstionibus adeo inutiliter crescere, & paragraphis multis, & oblongis impugnare: quasi pluribus iam pridem non multo operæ pretio ad relationem, & confutationem admissis, tedio & lectorum satis non foret.

6. Actus intellectus, qui imperium sit, taleque antè esse à nonnullis dicitur, actum scientiæ, vel simplicis intelligentiæ, vel mediæ, & voluntatis ordinandi creaturam, & disponendi media ad finem in eorum etiam sententia subsequitur; tametsi non idem actus, neque eodem modo ab omnibus imperij intellectualis authoribus asseratur, & explicetur iuxta explicationem imperij intellectualis vniuersim. Sotus 1. de Iust. quæstione 1. art. 1. ad 1. Bartholom. Medinæ 1. 2. quæst. 17. articulo 1. ad 2. & Thomistæ Dominicani docent esse actum intellectus, quo alicui intimatur aliquid faciendum ex imperantis voluntate, qui actus, nec iudicium assertiuum sit, nec præsentis, sed imperatiui modi verbo possit explicari, iuxta S. Thom. 1. parte, quæst. 17. art. 1. corp. aientem, *talis intimatio* (quam rationis seu intellectus esse immediatè docuerat) *exprimitur per verbum imperatiui modi. Puta; cum alicui dicitur hoc fac*: quibus similia habet quæstione 57. articulo sexto, & Aristoteles sexto Ethic. capite nono, & decimo. Noster Ruiz d. 3. sectione septimo, numero 9. & sectione num. 2. hoc intellectuale imperium nihil aliud esse docuit quam iudicium assertiuum de præsenti modi iudicium voluntatis à Deo præhabitæ, ordinationis, & transmissionis rei, cui prouidet, in finem ab ipso præintentum per talia media, verbi gratia, *Volo Petrum ad beatitudinem perducere, & hæc media conferre, quibus eam de facto, & libere consequetur.* Hoc iudicium in Deo voluntatem Dei de eius salute per hæc media concepta necessario consequens, & asserens tam certo est, quam certo Deus est omniscius: actum verò hunc imperium esse non adeo certum.

7. Noster

7. Noster Herize tract. 3. disputatione 22. capite 4. à num. 35. præter imperium voluntatis, quod primum primarium, & principale, & necessarium mouens ad actiones potentiarum cuiusque (quod monasticum, siue vnius, & eiusdem ad seipsum eundem, & vnum appellatur) esse statuit, aliud imperium intellectuale ab imperio illo voluntatis primario tanquam à capite deriuatum in Deo etiam recognoscit in Sancti Thomæ gratiam: atque exemplo moralis, & politici explicat: quemadmodum enim audito consiliario Princeps potest ita annuere, vt ei etiam imperet, vt si quando illum in executione, & vsu eorum, quæ eius consilio statuit efficienda, remissum videat, hortetur, & vrgeat ad ea exequenda: sic voluntas consiliaria intellectui potest ita annuere, vt simul ipsi imperet, vt si quando, vel difficultate executionis, vel aliunde retardetur, ipsum adhortationibus, rationibusque eisdem propositis imperiosè (ipsius enim imperio actu illo sponte sua se subdit voluntas, liberarum determinationum Princeps, & caput) vrgeat, vt media apponat, atque iam ab ea statutum exequatur. Ad hunc igitur modum imperium intellectuale in Deo ponit Herize, resecatis tamen imperfectionibus: ac proinde concludit intellectuale hoc imperium è primaria voluntatis diuinæ determinatione non esse admittendum, vt difficultates semel ab ea statuti retardantes,) quæ respectu voluntatis diuinæ esse nequeunt) ab executione superentur: nec stare in actu intellectus, qui iudicium assertiuum, & de præsenti indicatiui modi non sit, sed solum modi imperatiui (quem intellectus actum impossibilem reiecerat à numero 29. ad 34.) sed stare solum in iudiciis proponentibus diuinæ voluntati viui de mediorum electionem ad ipsam contipiendam, & vsum ex finis intentione præsupposita: atque hæc iudicia merito imperia intellectualia esse gratiùs asserit, quam probet, atque Deo repugnant: cui nequit ad vrgendum opus viuidius, aut vlterius aliquid proponi, quam fuerit pro priori proposítum.

8. De his intellectus, & voluntatis diuinæ actibus enumeratis, & iuxta Doctorum varias sententias hactenus explicatis lis non recens Theologis est: quisnam ex eis, vel prouidentiæ adæquatè sumptæ essentia sit, vel eam essentialiter constituat? In qua quæstione prima sententia prouidentiam in actu scientiæ diuinæ dirigente voluntatem ordinandi res, quibus prouidetur à Deo, & transmittendi illas in finem eis ab ipso præstitutum per talia media connotato actu voluntatis, à quo practica scientia sit, prouidentiam constituit. Eam verò scientiam simplicem intelligentiam antiqui ex citandis pro hac sententia dixerunt: quo nomine scientiam conditionatorum etiam contingentium coercebant, cuius propria, & specialia scrutati non sunt, neque ex instituto disputarunt: tametsi eam, quoad substantiam agnouerint, & docuerint: quare nec proprio nomine scientiæ mediæ, quo à scientia absolutè libera, & absolutè necessaria, ac præcisæ possibilitatis, & absolutæ futuritionis differt, compellarunt. Nostri verò omnes, qui post editam Molinæ concordiam scripserunt, & primæ huic sententiæ adhæserunt prouidentiam rerum naturalium scientia strictæ simplicis intelligentiæ sola, rerum verò contingentium scientia etiam media constare docent: stant pro hac sententia prima Durand. in 1. d. 41. quæstione sub fin. Alexand. prima parte quæstione 28. m. 1. articulo 2. Albertus 1. parte, quæstione 63. art. Richardus in primo d. 39. articulo secundo, quæstione 1. d. 40. articulo 1. Aureolus articulo secundo, circa primam opinionem, Gabriel quæstione vnica, articulo 1. init. Marsil. in 1. quæstione 41. init. Altisiodorensis 1. summæ capite 10. quæstione 1. Carthus. in 1. d. 39. quæstione secunda post med. d. 40. quæstione 1. post med. Tarentasiam & Vdalricum citans (probabilemque reputat sanctus Bonauentura pro secunda sententia citandus) Bellarminus tomo tertio, libro secundo de gratia, & lib. arbitrio capite nono, §. *Disputant.* Valentia 1. parte, quæstione 22. punct. 1. §. *Est autem*, quæstione 23. 1. parte, quæstionis punct. secundo, §. *Mihi primum*, & parte secunda, punct. 1. init. Fonseca tomo tertio metaph. libro 6. capite secundo, & quæstione 5. sectione 2. §. *verum alij*, Lessius 11. de perfect. diuin. capite 1. numero 1. fin. Pennotus 5. Propugnaculi capite 1. Iulius Syren. 5. de prouidentia capite sexto. Herize disputatione 22. capite septimo à numero 57. & cap. 4. à num. 35. Ioannes Præpositus prima parte, quæstione 22. articulo 1. dubitatione prima, numero 4. & 6. vers. *quari potest*. Fasolus prima parte, tomo secundo, quæstione 22. articulo 1. dub. 1. à numero 10. fusè.

9. Vlterioris voluntatis siue electionis mediorum siue vsus scientiam directricem nonnulli ex illis imperium vocant: quatenus ex præsuppositа voluntate, seu intentione finis efficaci (à qua habet ea scientia practicam in eorum sententia esse) non prouidere de mediis vllis, & non transmittere creaturam in finem à Deo efficaciter præscriptum fieri nequit. Cum autem prouidentia in ea electione, & ordinatione rei, cui à Deo prouidetur per media in finem præintentum consistat, fieri videtur, vt ea intentione efficaci finis præsuppositа iudicium de mediis, & modo quo obtineri is finis à re, cui prouidetur, potest, Deum ad electionem, & vsum mediorum horum si vnica sint, vel saltem horum, vel illorum, si adsint plura, quasi ex imperio determiner. Hoc voluisse Herize dum iudicium antecedens electionem & vsum mediorum imperium merito dici posse asseruisse, ni alia eius doctrina obesset, facile crederem: idque solum citati ex nostris pro hac sententia voluere, dum imperium hoc iudicium quandoque vocarunt, ea autem doctrina euanescunt omnia, quæ contra hanc sententiam opponit Ruiz d. 3. sectione 5. à numero 3. scientia enim de re, & modo, quo fieri rectè potest, ex intentione efficaci finis (quam & ipse ad prouidentiam necessario præsupponi putat) rebus à Deo prouisis, & non prouisis, prædestinatis, ac non prædestinatis communis non est, (quo omnes Ruiz impugnationes nituntur) vt patet: quare, hæc sententia eo solum impugnari solide potest, quod apertè falsum supponat, de intentione efficaci finis in Deo ad prouidentiam prærequisita: cuius oppositum in specie prouidentiæ alicuius nempe prædestinatione reiicit, & pro virili confutat Herize tract. 3. d. de elect. ad gloriam ante merita præuisa: quare non, nisi repugnanter eam intentionem efficacem ad prouidentiam in genere, & vniuersim potest admittere (vt non prærequiri ostendam) locum impugnationes illæ non habent: quia ex inefficaci finis intentione scientia de mediis, & modo illum obtinendi, nec quoad speciem ad electionem, & vsum mediorum determinat intendentem: vt imperium, vero aliquo sensu dici possit.

10. Item cum ex intentione efficaci finis, & mediorum scientia ad electionem, & vsum ipsorum, saltem quoad speciem determinat intendentem, ea determinatio à scientia illa mediorum formaliter non est, sed ab intentione illa efficaci determinante intellectum ad inquisitionem mediorum, eisque adinuentis, ac propositis voluntatem ad illorum electionem & vsum. Eis quippe adinuentis, & opportunis iudicatis, si per impossibile Deus, & per possibile homo intentione illa efficaci absisteret, idem ipsum iudicium de mediis, & modo, quo præintentus efficaciter finis ille obtineretur, ad eorum electionem, & vsum nequaquam intendentis voluntatem determinaret: quare, nec illud imperium absolutè, neque ex suppositione intentionis efficaci finis dici proprie potest: cum intentio efficax sola & consultationis, & hac suppositа electionis, & vsus determinatio, & imperium sit. Melius ergo sententia hæc prima de essentia prouidentiæ in scientia dirigente voluntatem, cuiusque actum connotante defenditur ab aliquibus ex citatis, expresséque à nostro Herize cap. 4. num. 36. qui intentionem efficacem finis, nec prærequirit ibi, nec potest, nisi repugnanter, ad prouidentiam prærequirere, vt proximè ostendimus. Præpositus, & Fasolus (qui & intentionis connotatum addit) per connotationem ad actum voluntatis, quem dirigit, electionis, & vsus statuunt prouidentiam, id quod & in sancto Thoma & in Doctoribus aliquot citandis pro sententia tertia (præsertim in nostro Molina locis ibidem citandis) multum fundamenti habet, quare & hic secundus, & commodior primæ sententiæ modus potest recenseri per connotationem ad actum diuinæ voluntatis non quidem prærequisitæ intentionis, quem satis diffeci-

mus, sed directæ electionibus & subsequutæ, qui modus non ita facile impugnabitur, nisi ostendendo cum à tertia sententia nullatenus: sed voce tenus solummodo differre, vt certamine tertio ostendemus.

11. Secunda sententia docet, prouidentiam in actu voluntatis Dei eligendi, & disponendi media ad finem adæquatè essentialiter consistere, præsuppositâ, seu connotata scientia ipsum dirigente, quam vel simplicis intelligentiæ pro naturalibus effectibus, vel mediam pro contingentibus. & liberis esse docuimus. Extant sententiæ huius Patroni Scotus cum suis in prima d.40. quæstione prima init. (vbi Sanctus Bonauentura articulo primo, quæstione secunda, & in tertia d. 7. quæstione tertia d. 17. articulo primo, quæstione prima, ad 3.) Gregorius d.40. quæstione prima, articulo primo. Henricus quodlib. quarto, quæstione decimanona. Cameracens. apud Gabriel. supra: Echius, de prædestinatione centur. 1. numero decimoseptimo, apud Soarem d.87. capite tertio, Soar. primo de essentia prædestinationis capite 16. & 17. qui eam sequitur, sicuti & Vasquez prima parte, d. 81. capite secundo fine, iuncta disput. 87. capite tertio, in eamque sententiam venit tandem Lessius de prædestinatione sectione secunda, §. 1. fine. Henriquez prima parte, tractatu tertio, d. 22. capite sexto, numero 51. capite septimo, numero 57. & 58. Argentina in primo d. 40. quæstione prima, articulo secundo. Arrubal prima parte, quæstione 22. articulo primo, d. 63. capite tertio. Acort. libro primo, capite 29. quæstione secunda. Denique Doctores omnes qui imperium (maxime monasticum, & eiusdem ad se ipsum) voluntatis solius actum esse volunt, non autem intellectus. Huic sententiæ fauent præter datos citatis locis Vasquez rursus 1. 2. d. 49. capite quarto. Suarez iterum d 19 metaph. sectione sexta & septima. Molina citandus. Maior in tertio d. 33. quæstione septima de prudentia. Alma in tractatu tertio, Moral. capite secundo. Oxam in tertia quæstione 12. articulo quarto, conclusione tertia, iterum Henricus quodlib. 9. quæstione sexta. Hangestus capite primo, Moralium §. tertio, corollar. tertio, Castro primo de lege pœnal. capite primo & secundo, Ioannes Medina de grat. capite secundo, & valde probabile reputat Arriaga noster de prouidentia d. 32. sectione prima, conclusione secunda, numero vndecimo, sed in hac sententia duplex modus etiam esse poterat. Primus qui nullam aliam connotationem scientiæ requirat in actu voluntatis diuinæ, vt prouidentia sit quam intrinsecam dependentiam eius à scientia quæ ipsi debet prælucere, vt dirigatur, ducaturque in obiectum voluntas & hoc modo scientia non magis siue in recto siue in obliquo constitutioni essentiali prouidentiæ cum actu voluntatis inseruiet quàm voluntas ipsa, quæ essentiale sui actus principium & causa est: quare solum supponetur ad prouidentiam sicuti ad actum voluntatis, qui seipso & essentialiter eum habet repectum, & connotationem ad sua principia necessaria, & essentialiter præsupposita, ac præ requisita. Hoc modo sentire videntur, qui in actu voluntatis prouidentiam constituunt, quia in actu voluntatis, non autem intellectus imperium adæquate sit, atque in imperio sit prouidentia constituenda. Secundus modus vltra hanc connotationem scientiæ præsuppositæ actui voluntatis eligentis, & disponentis media ad finem intrinsecum, & essentialem, aliam connotationem scientiæ actui secundum se accidentariam, eiusque essentiæ adscititiam, & quasi extrinsecam; prouidentiæ vero, & ipsi actui voluntatis, vt prouidentiam constituat essentialem addere videntur. Alterutriusmodi Patronos ex citatis ad purum haud facile discernes: nam, cum hanc sententiam probant media vtriusque probandi miscent.

12. Tertia sententia docet prouidentiam ex æquo ex scientia præuia, & directiua electionis mediorum in finem rebus prouisis à Deo constitutum, & electione ipsa, tanquam essentialibus partibus conflari atque constitui, sic censent Alexander Alens. part 1. q 26. de Prouid. & prædest. m.2. quæstione 28. m. 1. articulo secundo & tertio. Albertus prima parte, tractatu 17. quæstione 67. membr. primo corpore, Marsilius citatus numero septimo. Petrus Tarantasia apud Soarium citatum numero decimo. Rogerius, & Petrus de Aquila apud Aquar. addit. ad Capreolum in primo d. 40. & rursus controuersia de prædestinatione, Molina prima parte, quæstione 22. articulo primo, d. 1. §. *Quod si petas*, quæstione 23. d. 2. §. *statuenda est nihilominus*. Tametsi pro prima sententia à nonnullis referatur Herize tractatu tertio, d. 2. capite sexto. Arriaga de prouidentia d. 32. sectione prima, numero decimoseptimo, conclusione tertia, quibus adde scholasticos, qui prouidentiam modo in præscientia, seu actu intellectus diuini, modo in electione, siue actu voluntatis videntur varie, & inconstanter collocare. Hi verò sunt Magister in prima d. 35. sub initio, & articulo 40. capite primo, & vltimo. Altisiodorus prima summæ capite nono, quæstione prima & secunda, & capite 10. nec non Sanctus Thomas variis locis certamine tertio subiiciendis. Hac enim varietate firmum iudicium, æque scilicet vtrumque actum, nec potius vnum quam alium ad prouidentiam spectare, ostendunt non obscurè: quod ipsum ex varietate Patrum simile argumentum pro hac sententia instruetur certamine quinto apertior pro hac sententia stat Sanctus Thomas quæstione quinta de veritate articulo primo, & in primo d. 40. quæstione secunda. Denique eandem sententiam docuit Magnus Magister meus Didacus Daza manuscripto de prouidentia d. 1. paragrapho sexto.

13. Quarta sententia in actu intellectus, enumeratis, hisce posteriore, qui imperium sit, pro electione mediorum, & ordinationis rerum à Deo in finem cuique finem præscriptum, vel potentiæ diuinæ monaster, vel rebus ipsis prouisis ciuiliter, & politicè intimetur, siue imperatiuo, nec assertiuo iudicio, siue iudicio assertiuo, iuxta modos diuersos explicandi intellectuale hoc imperium à nobis notatos numero quinto, & designandi terminum, cui seu, ad quem dirigatur, feratur, que, & intimetur imperium eiusmodi quo super Doctorum modos distinctius examinabimus certamine 2. vt sine confusione impugnemus; examinare verò illos eosque differimus vitandæ repetitionis gratia, cum ibi sigillatim (vt opus erat) impugnarentur. Temere vero modi imperij intellectualis ad prouidentiam ab Herize in gratiam sanct. Thomæ explicati, & admissi sententiam referre omitto: quia, & imperium intellectuale non contineri, & absolutè & ad hominem ostendi numero 8. & 9. & in Deo esse actum illum, tametsi imperium non sit, ostenderam num. 6. Prætereo itaque Thomistarum Dominicanorum sententiam, qui vbique nem, seu scientiam, aut præscientiam absolutam de absolute futuris, quæ, & Dei decretum, & imperium de absoluta futuritione consequitur ad Dei prouidentiam aduocant: quia censent eiusmodi absolutam præscientiam futurorum ipsorum causam esse. Id quod etsi falsum sit, & falso principio innitens, omittendum hic est: cum principium de causalitate absolutæ præscientiæ Dei in futura præscita multa Patrum, & Theologorum eruditione, nec rationum pondere minori, reiecerimus tom. 1. de Deo vno contr. 2. d. 5. q. 3. à cert. 2 per totum: ostendentes Dei absolutam præscientiam futurorum causam non esse, sed potius illa supponere, aliunde quam ab ipsa præscientia in suo esse, & absoluta existentia pro duratione, pro qua absolutè erunt; idque necessarium esse, vt contingentium futurorum libertas absoluta cum Dei & ipsis absoluta præscientia possit consistere.

CERTAM

CERTAMEN II.

Imperium intellectuale imperatiui modi ordinationis rei in finem per aptorum mediorum à Deo electionem, nec prouidentia est, nec illam in Deo constituit; immò imperium esse nequit.

1. PRima sententia prouidentiam Dei actu imperij intellectualis diuini statuens, vel complens est eorum qui imperium hoc explicant iuxta primum modum illud explicandi à nobis datum certam. 1. num. 5. vt scilicet sit Dei cognitio, quæ iudicium assertiuum non sit; sed eis vocibus imperatiui modi respondeat *fac hoc*, seu æquiualentibus, supponatque, & contineat motionem v. g. natis ab operante conceptæ. Cuius sententiæ author extitit S. Antonin. 1. part. titul. 4. cap. 10. init. Capreol. in 1. d. 40. quæst. 1. art. 1. conclus. 1. art. 2. concl. 2. & 3. iuxta suam generalem doctrinam de actu imperij in 3. d. 33. art. 2. quæst 6. ad 3. Sotus 1. de iustitia quæst. 1. conclusione prima, Caietan. prima parte, quæst. 22. art. 1. & quæst. 23. art. 1. vbi Bañez, Zumel Nauarrete, Albelda, Nazarius, & reliqui interpretes Dominicani recentiores Aluarez de auxil. d 17. & lib. 5. d. 35. n. 5. §. *Dicendum est*. Hanc vero intellectualis imperij rationem, & explicationem cum vniuersim tum respectu Dei traditam à Sancto Thoma contendunt citati Sancto Antonino posteriores, cum ex loco 1. 2. à nobis recitato numero 5. tum ex aliis locis 1. part. quæst 22. & 23. quæ tamen nihil clarius, quam nostram sententiam probant, ex scripturæ, & Patrum locutionibus proferunt plura, quæ hunc imperij intellectualis modum sonant, non autem contineant: vt post assertam sententiam videbimus. An verò imperium ita explicatum monasticum sit, & Dei ad seipsum, suasque potentias volitiuam scilicet, & extrinsecus actiuam mediorum, quibus ad finem res prouisæ ordinantur, vt Deus mediorum electionem vrgeat, & vsum? an verò politicum sit imperium, & ciuile ad res, & media ipsa producenda directum? vtrumque videntur docere præfati Doctores: tametsi immediatè ad Deum ipsum, cuiusque potentias dirigi putent, & monasticum esse, indeque ad creata media extendi, quæ illo esse iubentur, vel obaudiunt iuxta phrasim in Iobi, & Psalmorum ac sapientialium libris vulgatem.

2. Hunc tamen imperij modum Thomistarum Dominicanorum & sequacium nostri omnes Thomistæ Iesuitæ à Deo rejiciendum validè multis titulis probant, huic modo specialibus, & aliis omni imperio intellectuali diuino (quovis modo explicetur) communibus ex imperij superfluitate, ex creatæ libertatis euersione, & impossibilitate eius ad quem dirigatur hoc imperium intellectuale: quas communes impugnationes postremo loco vrgebimus, ac persequemur, dum à capite contra quodvis imperium intellectuale diuinum quovis modo explicatum pugnabimus. Nunc quod speciale modi huius imperij est confutandum erit. Et primum eo quod actum intellectus, quod iudicium non sit de re facienda, adstruat, & solum verbali externo huic imperio *fac hoc* respondeat. Etenim & hæc cognitio in nobis imperium non est; sed solum per extrinseca illa verba immediatè orta ab efficaci voluntate intimandi aliis voluntatem Principis, aut superioris, de iis, quæ à subditis fieri vult, è sua iurisdictionis potestate, significatur subditis voluntas Principis de iis quæ ab his ex ea iurisdictionis potestate fieri decernit: ad quod vltra conceptam ab illo voluntatem ex suæ iurisdictionis potestate iudicium eius enunciatiuum, & assertiuum præconceptæ illius voluntatis suæ præcedit, & aliud de conuenientia eam intimandi subditis & verbis illis imperatiui modi, quibus possit ac debeat subditis intimari, vt obsequi teneantur: nec quid aliud cognitionis cuius intimatio & imago verba illa imperatiui modi sint intercedit vt superioris voluntas intimandi aliam suam ex potestate iurisdictioneque habitam subditis suis, atque vt sufficienter & abunde, vt exequi illam teneantur, intimetur. Confirmatur: quia; quod externo illo, & verbali imperio intimatur subdito est imperium Superioris interius de re: atqui, etsi plura iudicia, cognitiones superioris imperium illud externum verbale præcedant, nulla ex enumeratis, immò nec internus actus ille, quem fingis externo imperio formaliter respondens, intimatur; Sed sola voluntas superioris habita ex potestate iurisdictionis: ergo hæc sola imperium internum est non actus ille quem fingis. Antecedens probatur primò: quia subditi omnes, quibus externè verbis illis superioris imperium interium intimatur, voluntatem superioris nobis intimati dicimus, ac censemus, eique obsequi, vel repugnare, cum iussa vel exequimur, vel omittimus, nemo autem dicit sibi aliquam cognitionem superioris intimari, neque ex eo, quod iubentis cognitioni alicui, immò & dictamini rationis, ex quo voluntatem intimatam superior concepit, vt hoc vel illud subditus agat adueniatur, dummodo iussa capessat, quia ita superior vult, debitæ obedientiæ adhuc formali, deficiet, tamersi ad obedientiæ suauitatem, facilitatem, ac subinde perpetuitatem debitamque erga superiorem reuerentiam ea subditi cum dictamine superioris concordia valde conducat, & quasi reductiuè, & circumstanter ad obedientiæ perfectionem spectet.

3. Inde confirmo: id, quod nemo hominum præcipientium experitur, curatve intimare, vt interius suum imperium alteri intimet, nec subditorum aliquis inquirit, immò nec percipit, vt imperium internum superioris ad ipsum directum recognoscat procul dubio imperium superioris internum non est: atqui nullus præcipientium superiorum experitur, cum internum suum imperium vult subditis intimare, velle se intimare orationem illam mentalem formaliter respondentem verbis externis imperatiui modi *fac hoc*, sed solum voluntatem suam absolutè talem, & seriam ex potestate iurisdictionis, vt subditi in hac vel illa materia hoc vel illud faciant; nec subditi curant scire, an ipsis de imperio illo intellectuali satis constet per exterius imperium; sed an constet sibi de absoluta illa voluntate seria superioris, vt hoc vel illud in hac vel illa materia agant: ergo hæc sola superioris voluntas interius imperium, eiusve completiuum est: non autem illa mentalis oratio vocali imperatiui modi formaliter respondens. Confirmo vlterius: quia, & reges, & subditi etiam eius præceptum decretum Regis idcirco appellant: quia ea voce seria eius voluntas absoluta de re agenda à subditis propriè, & solum significatur. Confirmo vlterius: quia, vt sciamus an leges, & præcepta eisdem vocibus imperatiui modi intimata obligent, vel secus, hic, & nunc: frequenter an finis legis & præcipientis in ea ferenda hic, & nunc, cesset, inquirimus: cum ex huius defectu solum possit cessare, siue non esse, aut fuisse pro, hic, & nunc, superioris voluntas, non autem oratio illa mentalis modi imperatiui. Cum autem stante moraliter per non retractationem imperio interno semel à superiore habito, eiusque intimatione per extrinsecum imperium, quod retractatum non est, adsit certo obligatio: ergo vel imperium internum non stat in oratione illa mentali modi imperatiui, sed in sola absoluta seriaque superioris voluntate, vel omnes Theologi (etiam hi, quos impugnamus) vane consumimur, inquirendo, cesserne hic, & nunc finis legis, & imperij interni superioris, vt rem licite agi, vel omitti iudicemus: cum ex finis defectu non quidem internum superioris imperium, quod in mentali illa oratione situm est, deficiat pro hic, & nunc per aduersarios, sed sola voluntas legislatoris, quæ internum imperium superioris non fuit. Similiter inutilis & inepti damnat imperium hoc omnium Theologorum laborem, qui ex variis adiunctis, & circumstantiis an seria fuerit superioris voluntas de hoc vel illo agendo, vt subditis obligationem consulant, vel ab illa eos excusent venantur.

4. Venio ad communem impugnationem imperij huius interni modi imperatiui, ex eo, quod intellectus essentia sua tendat in verum, saltem apparens, ac proinde in iudicium, & discursum & necessariam ad hæc apprehensionem obiecti adæquatè eius actus diuidantur: quare, & nequeat esse actus intellectus, qui, vel apprehensio, vel iudicium, vel discursus non sit extra hos omnes actus actum intellectualis imperij ponere videntur eius Patroni: siquidem respondent intellectum vt speculatiuum eos solum actus habere posse, secus vt præceptiuum. Verum *si præceptiuum* accipiant separatim à practici ratione, & iuxta modum, quo intellectus imperium esse volunt, petunt solutione ista principium: siquidem ex prædicato essentiali intellectus, & hactenus cognita in Philosophia sphæra tota actuum, ad quos edendos potentia est, ostenditur apertè actus qui extra tres enumeratos sint, intellectus actus esse non posse: quare nec posse esse intellectum eo modo præceptiuum. Si autem *præceptiuum pro practico* vsurpant: cæteri actus practici intellectus, intra tres illos continentur, neque vllus extra illos intellectus, qua practici, actus hactenus ab aliquo excogitatus est: immò neque extra actum iudicij: vt patet in arte, prudentia & cæteris virtutibus intellectualibus, earumque actibus. Quare, si actum hunc suum intellectualis imperij ex practicis esse aduersarij velint, ad aliquem è tribus enumeratis debent illum reducere: ne omnium sententia à practicis intellectu, & actu, æque ac ab speculatiuis, ac subinde ab omnibus intellectus actibus, exulet. Quod si ad simplicem apprehensionem illud intellectuale imperium reducere malint. Opponit Ruiz d.3.sect.3.num.3.& 4.simplicem apprehensionem omnem ad iudicium præcedere debere: atque in re præsente ad iudicium de re, & modo, quo, vel facienda recte est, vel fieri recte potest, & voluntatem insuper imperantis superioris, vt ita fiat à subditis præcedit, hoc autem intellectuale imperium post hanc voluntatem imperantis est: quare nec simplex apprehensio esse potest. Secundo, quia simplex illa apprehensio indifferens est ad res prouisas, & ordinatas in finem per talia media, & ad non prouisas, neque ordinatas, multóque magis quam iudicium quod ipsam sequitur, ac voluntatem Dei ordinandi res in suum finem per media accommoda antecedit: & tamen iudicium hoc actus prouisis, & non prouisis prædestinatis ac non prædestinatis à Deo indifferens est vt patet: atqui prouidentia determinata ordinatio rerum prouisarum determinatè in suos fines esse debet: immò & imperium quodvis determinationem de re aliqua determinatè est. Ergò simplex apprehensio interna modi imperatiui, nec imperium internum præcipientis, aut prouidentis alicuius esse potest, neque prouidentia, maxime prouidentia Dei cuius scientia & cognitio omnium vnissima, & simplicissima, etiam metaphysicè scientia Dei, & omniscientia est. Postremæ impugnationi ad quæstionem præsentem Ruiz, Herize, & reliqui nostri contra hunc imperij modum in primis insistunt, & fidunt.

5. Cæterùm contra eos, qui imperium hoc intellectuale modi imperatiui mentalis defendere velint, admittentes ad simplicem apprehensionem pertinere etiam in Deo oppositiones non nimis vrgent. Neque enim admittent apprehensionem hanc imperatiuam iudicio de re, & modo, quo res fieri debeat, & voluntatis de re ita facienda directiuo præcedere & inseruire; sed esse imperatiuam apprehensionem, & de re ita facienda iuxta eius voluntatis, & decreti, quod talis apprehensio supponit præscriptum. Quo duæ primæ impugnationes quiescunt: nec medium, quoad iudicium illud directiuum voluntatis debere præcedere probetur. ad manum erit: immò nec vt probetur apprehensionem omnem iudicio alicui apprehendentis præcedere, & inseruire debere, maxime, si apprehensio directiua alterius, & ad alterum imperatiua solummodo sit: quem satis est ad iudicium de debito iuxta præstandi ex eius imperij intimatione moueri. Sed & iudicio alicui præcipientis, & imperantis apprehensionem illam imperatiua inseruire posse dicent: nimirum iudicio de existentia sua, vti omnes apprehensiones inseruiunt, quæ sui ipsarum formales etiam ex parte obiecti propositiones sunt: Inde constat apprehensionem hanc simplicem intellectualem imperatiuam indifferentem, & communem rebus prouisis prædestinatis, ac non prædestinatis non esse, vti de apprehensione inseruiente iudicio directiuo voluntatis de mediis, & ordinatione rei prouisæ in suum finem rectè probatur. Etenim intellectuale hoc imperium voluntatem determinatam ordinandi hanc rem determinatè, & per media hæc determinata supponit, & iuxta ordinem determinatum de re, & mediis illi ab ea voluntate præscriptum, de re & mediis illis imperat determinatè, non autem de rebus aliis à Deo, nec præuisis, nec prædestinatis. Illud de scientia Dei, quæ re ipsa: immò, & metaphysicè, infectilis, & vnissima iudicium est, non est, quo minus sit etiam suorum obiectorum apprehensio: qua sublata ratione iudicium, ne in Deo quidem, esse posset. Quod si ratio apprehensionis Dei scientiæ non repugnat, neque hæc imperatiua repugnabit, nisi ob proxime debilitatas, vel elusas rationes. Et quidem hanc imperatiuam apprehensionem suadere aduersarij possent ex illa probabili opinione: quod voces, & orationes vocales, mentales similes, quarum imagines substitutæ sunt, significent primò, & representent, non obiecta: quare oporter imperio, seu imperatiui modi intimationi externæ, imperium simile internum respondere, vt prototypum, quod imitetur.

6. Video tamen hæc omnia falsa esse. Nam, etsi verbalis oratio, mentalis imago & repræsentatio sit, necesse eam ad placitum significare, & pro illa, vt significetur suo substitui. Sed pro obiecto eodem, quod mentalis oratio mentaliter representat. Primò: quia, si mentalem significaret, pro eaque vt primo & primario significato substitueretur, eius formalis imago non esset: sua illa essentia sua formalis repræsentatio, & significatio obiecti sui, vt primarij significati sui est. Ergo eius, qua repræsentatiua, & significatiua mentaliter est, vocalis imago, eiusdem obiecti, tanquam primarij significati sui repræsentatio, & significatio vocalis esse debet; alias, etsi mentalis orationis, vt obiecti primo significati imago foret; non tamen secundaria, & substituens pro mentali oratione esset, sed æque primaria, ac mentalis oratio primaria sui obiecti repræsentatio est. vt ergo mentalis substituat, oportet, vt obiectum ipsum, quod illa intimat, & significat menti, sensibili modo intimet vocalis oratio, & representet, vt vtriusque repræsentatio similis sit, ac non dissimilis, & dissimilis, nempe sui, & diuersi obiecti ab obiecto alterius formalis & expressæ repræsentationis: ergò vt euenit in illo typo Cæsaris, eiusque transumpto, vt nequeat hoc prototypo similis esse, ni Cæsarem seipso immediate, sicut prototypus, repræsentet, quin immediate prototypum, & per illum repræsentet Cæsarem, eumque sensibus proponat, ac significet: ita prorsus in oratione mentali, & vocali euenit. Accedit: quod, si vocalis mentalem, vt obiectum significaret: non minus intimatur nobis mentales actus orationibus vocalibus, quam obiecta: cuius oppositum experimur. Iam ergo obiectum creationis imperatiuæ illius apprehensionis sui designare oportebit, & idem ipsum, quod imperij vocalis imperatiui modi obiectum sit: & quod apprehensionem imperatiuam, vti eius obiectum natura, vel quasi natura præcedat: certe nullum aliud præcedit nisi voluntas seria, & absoluta præcipientis, quæ, vt absolutè existens nullatenus imperatiuo modo percipitur, neque imperio opus habet, vt fiat, cum supponatur. An opus, vt possibile? certè eius apprehensio, & iudicium præcessit natura voluntatem seriam, & absolutam de opere faciendo, & cum illa perfixit: nec ergo possibilitatem apprehensio imperatiua, vt ipsa sit, cui potest, cum supponatur rei possibilitas, cum apprehenditur.

7. Dices apprehensionem illam imperati ab apprehensione illa possibilitatis, & voluntatis seriæ de eo tum absoluta existentia, vt absolutè fiant, & existant. Bene: ergo apprehensio illa imperatiua attingit, & apprehendit rei possibilis absolutam existentiam: ergo eam non imperat vt sit, & absolutè existat, sed fiatum & absolutè existentem supponit à voluntate efficaci, & nullo apprehensionis huiusmodi interuentu: quare nec actiua illius esse vllo modo potest: nihil enim actiuum esse potest eius, quod natura sua facium supp-

ponit

ponit, neque imperare faciendum absolutè, siue vt absolutè fiat: quare, nisi asseras ita imperatam rem apprehensione illa imperatiua, vt terminum apponendum tangi, non autem vt obiectum apprehensum, nil est quod respondeas; id autem est asserere posse dari actum intellectus circa aliquid, cuius, nec iudicium, nec discursus, nec apprehensio sit, esseque actum præceptiuum, non autem intellectiuum: quod apertè repugnat vt vidimus num.4. & hac solutione vitari contenditur. Hæc apprehensionem imperatiuam monasticò imperio, siue eiusdem imperantis ad seipsum, suasque potentias, siue volitiuam, siue actiuè executricem rei ab imperante ipso exequendæ apertè confutant apprehensionem esse illam posse ex obiecti impossibilitate: vt, vel inde, modus hic monasticè imperandi satis reiiciendus sit, vt impossibilis, etsi plura alia eius reiiciendi capita subiicienda deessent. Iam verò modus hic imperatiuæ apprehensionis imperio politico, & ciuili ad alterum, qui rem executurus sit, directo facisse reiicitur. Primò: quia cum interni impetij mentalis modus iste, non aliis, sed imperanti ipsi apprehensiuè, & interius intimet *fac hoc*: implicatorius, & ineptissimus erit, nec idem habebit obiectum cum obiecto imperij, seu intimationis externæ oratione vocali imperatiui modi *fac hoc*, subdito executuro faciendæ est implicatorius: quia imperanti interius intimabit, vt faciat, quod non ab ipso, sed ab alio fieri imperat: inde etiam probatur ineptissimus, æque, atque intimare Ioanni, vt faciat, quod à Petro præcipis fieri. Neque idem habebit obiectum apprehensio interna præcipientis modi imperatiui cum verbali externa modi eiusdem interna: siquidem actionem imperat præcipientis ipsi præcipienti, externa verbalis actionem subditi subdito imperat. Vnde diuersum obiectum altera ab alterius obiecto significat, intimat, ac repræsentat: quare nec altera externæ internæ substituitur, nec idem obiectum significat, ac repræsentat, vt necessarium esse ostendebamus super.

8. Quod si dicas: imperium internum non formaliter imperatiui modi esse, & respondens ad verbum vocalis imperio *fac hoc*; sed æquiualenter solum: vt internum imperium præcipientis sit huic propositioni externæ ad verbum formaliter respondens: *hoc faciendum est à subditis*: vel huic: *volo ferìò vt subditi hoc faciant*. Quod quidem verbali illa oratione modi imperatiui aptè subditis intimatur. Primò: si illa prima oratio, *hoc faciendum est à subditis*, valeat tantundem atque *faciant hoc subditi*, vel *à subditis hoc fiat*, quo pacto oratio imperfecta, ac non assertiua est, imperatiuoque æquialet factis impugnationibus omnibus pater. Si autem assertiua sumatur, atque secundæ, *volo vt subditi hoc faciant*, æquialeat: tuum plane modum imperij intellectualis præcipientis non assertiuo, sed imperatiuo modo, quem hactenus impugnauimus, deseris: & incidis in modum imperij intellectualis secundum à nostro Ruiz excogitatum, vt in eo prouidentiam, eiusque complementum constitueret: secundò proindè eius subiaces impugnationibus iam subiiciendis. Tertiò, nec monasticum imperium, siue præcipientis ad seipsum esse poterit, vt huius imperij Patroni volebant. Id quod vniuersim de imperio intellectuali interno quouis modo explicetur: postremo loco ostendemus. Quartò vlterius nec potest esse ciuile, & politicum vt iamiam contra Ruiz ostendo. Porrò qui hactenus efformata argumenta æquali lance, & iudicio perpendit, ac ea, quæ deinceps contra quodvis intellectuale imperium producemus, ac nuper pollicebamur, legat attentè, & meditetur, deprehendet, quàm immeritò Sotus vbi supra ægre ferat, fueritque conquestus: quod sua hæc sententia de imperio intellectuali interno imperatiui modi *parum consideratè*, à quibusdam impugnetur; cum tamen ex prædicato intellectualis, & ex prædicato non assertiui: sed imperatiui modi sui grauissimis difficultatibus, nec hactenus expeditis ab ipso, eiusque sequacibus paucis, sit modus iste imperio obnoxius; nec vnam tantum repugnantiam deuoluat: de prædicato *modi imperatiui* hactenus ostendimus, & de prædicato *intellectualis* deinceps monstrabimus: idcircò à modi *huius* euulgatione communiter à reliquis Theologis vtroque ex capite refellitur à Molina 1.part. quæst.23. art.1.& 2.d.2.§. *Hac tamen sententia*. Vasquez 1.2. d.49. cap. 3. num.14. & locis citatis in 1.part. Suarez d.19. metaphys. sect.6. num. 8. sect.7. num.12. & 13. Salas 1. 2. tom.1. tract.6. d.2. Etsi falsò pro oppositò ab vno, vel altero referatur. Azore tom 1. libro 1. cap.29. quæst. 2. Fonseca 9. metaph. cap.2. q.6. sect.2. de essent. prædestinat. cap.16. num.8. & 1. de legibus cap.5. Lessius 1. de prouidentia c.1. dub.3. & 14. Luis Torres. 1. 2. d.99. dub.5. quos refert Herize tract.3. d.22. c.4. num 29 ac ipse sequitur: licet scientiam de mediis electionis, & vsus voluntatis directum imperium intellectuale immeritò, vt vidimus, appellet: Mordicus enim imperium intellectuale ad electionem mediorum, siue voluntatem Dei ordinandi rem prouisam per talia media in finem impugnat, eiusque fundamenta conuellit ab eo num.29. ad 34. inclusiuè. Adde modi huius imperij impugnatores Doctores omnes citatos pro tribus sententiis relatis certam.1. præsertim non admodum antiquos, ipso tamen vetustiores. Quibus adde etiam ipso nouiores pro eisdem sententiis à nobis relatis, & nostrum Ruiz de Montoya huiusmodi intellectualis imperij validum oppugnatorem d.3. sect.7.

CERTAMEN III.

Intellectuale imperium assertiuum de præsenti à nostro Ruiz excogitatum, & fundatum reijcitur.

1. VErum Ruiz ipse ea sect.7. à num.7. & tota sect.9. imperium intellectuale de extrinsecus faciendis admisit, non quidem oratione mentali modi imperatiui; sed modi indicatiui, & enunciatiui: quæ, nimirum, perfecta oratio, seu propositio de præsenti assertiua sit voluntatis diuinæ de re aliqua in finem præscriptum ordinanda per talia media, v.g. *volo Petrum ad beatitudinem per talia media perducere*: quod iudicium & imperium intellectuale, & prouidentia eiusve complementum sit, atque exterius oratione illa imperatiui modi, *fac hoc*: vel *hoc tibi faciendum est* (si res cui prouideretur rationalis sit) intimetur, & quatenus partium suarum est operationem ad finem ex parte creaturæ rationalis, & libere etiam ponendam, debita eius libertati suauitate, & temperatura, in creatura illa Deus efficiat. Id tantum voluisse S. Thom. locis omnibus citatis hactenus, & Thomistas reliquos veteres pro imperio intellectuali imperatiui modi contendit sect.7. à num.8. solum enim aiunt imperium internum (siue creatum, siue diuinum) non posse externè vocibus vt percipientis imperium creaturis intimari; nisi oratione externa verbi, & modi imperatiui. Atque hanc esse scripturæ, Chrysostomi, Dionysij & aliorum Patrum mentem probat: insuper ex ratione practici, & determinationis, in scientia, quæ imperium, prouidentia, vel adæquatè, vel inadæquatè & completiuè sit requisitæ, quæ scientiæ directiuæ voluntatis diuinæ electionem mediorum, quibus ad finem præstitum res prouisa ordinatur, desicere contendit: vt referemus, cum eius, & ab authoritate, & à ratione fundamenta diluemus. Respectu vero cuius imperium hoc enunciatiuum, & assertiuum sit, & ad quem dirigatur, an ad Deum ipsum eo imperantem monasticè; an ad creaturaturas politice, & ciuiliter? statuit primò tota sect.8. nullum imperium intellectuale, & rationis (ac subinde neque hoc suum assertiuum, & enunciatiuum voluntatis diuinæ de præsenti) posse esse monasticum ad Dei voluntatem mouendam, vt volitionem rei faciendæ concipiat, & vrgeat; sibi autem loqui Deum ait, & Dei ad seipsum imperium illud esse, quatenus voluntatem, & potentiam Dei executricem (siue ea formaliter diuina voluntas sit, aut omnipotentiæ attributum ab illa formaliter diuersum) dirigit, vt determinatè, ac non cæco modo exequatur opus faciendum, si iudicium solum de eo, vt possibili, ac non de faciendo determinatè applicationem voluntatis & omni-

potentiæ

potentiæ ad operis executionem antecedat: vt ait certamine 9. conclusione 4. à num. 8. sect. 10. à num. 7. ad 6. argumentum sect. 11. num. 1. 2. 5. & 6. in quorum 2. & 6. ac deinceps docet: intellectuale hoc iudicium, quod Deo locutio, & assertio sola ipsius est, non imperium, respectu creaturarum ex eo dictamine faciendarum, siue à Deo solo, siue à Deo, & causis secundis imperium ipsis physicum esse, ad modum ciuilis, politici, & moralis, quod ad alios ab imperante dirigitur: non autem morale ciuile, & politicum propriè: quia hoc, cum per rationem intimandum sit, ad solas creaturas rationales dirigi potest: imperium autem physicum intellectuali intimatione opus non habet, sed sola determinatione, & necessitate physica, quam ita imperatis, & prouisis affert, vt sint, & operentur iuxta eiusmodi imperium assertiuum, & prouidentiam.

2. Hæc totius cogitationis nostri Ruiz & fundamentorum, quibus eam adstruere, atque ab oppositionibus contra intellectuale imperium & vniuersim, & diuinum vindicare tribus, & dimidia sectionibus totis, & fusis, contendit, breuis, & dilucida summa est: in ea tamen falsa plura, & implicantia esse videntur: solumque excogitata, vt difficultates grauissimæ contra intellectuale imperium ab anterioribus propositæ eluderentur, atque illud, tanquam prouidentia ciusve complementum in S. Thomæ gratiam (qui tamen ab illo abfuit longè) defenderetur: cum nihil in eis, præterea inueniatur quod huiusmodi imperium verò similiter suadeat, vt ex subiiciendis constabit. Et primo, eludendis solum difficultatibus excogitata omnia fuisse, earum propositione, & doctrinæ huius ad illarum elusionem, atque occupationem applicatione constat. Prima ab Aureolo in 1. d. 40. art. 1. opinione 2. acutè perpensa, quam & nos fusè sumus persecuti certam 1. num. 6. Etenim, vt de imperatiua apprehensione ibi dicebamus, iudicium hoc nequit esse causa operis absolutè faciendi, vt fiat eo modo quo facienda est: ergò nec imperium, & prouidentia illius. Consequentia est legitima: quia prouidentia debet esse causa operis faciendi, & vt fiat eo modo quo facienda est omnium (nemine dempto) Philosophorum, Patrum, & Theologorum sententia. Antecedens probatur. Non causa: quia supponit opus absolutè faciendum eo modo, quo faciendum est: cum sit eius iudicij obiectum, vt faciendum absolutè est: proindè est ipso posterius, vt absolutè faciendum est, & fore iudicatur. Respondet: cognosci quidem, non in seipso, vt præsens est æternitati Dei; sed in Dei volunrate de eius effectione, & modo quo efficiendum absolutè est: sed, vt mittamus præsentiam futurorum in æternitate, in qua re ipsa à Thomistis Dominicanis Recentioribus dissentit (tametsi minus doctis æquiuoce quandoque loquatur) contra primò: quia vt ostendi tom. 1. de Deo vno controuer. 2. d. 6. nihil Deus in alio, tanquam in medio formali potest cognoscere, maximè futura contingentia in voluntate efficaci de se connexa cum rei absoluta effectione; etiamsi voluntas efficax Dei remotissima causa, & rei, & modi sit, vt ostendi contra Suaristicas præfinitiones controu. 4. de voluntate Dei disput. 6. de ordine intentionis, & executionis possibili in Dei volitionibus, nedum cum immediata causa voluntas efficax Dei est, vt est voluntas prouidentiæ & causa essentialis æque, atque decretum concurrendi: hic enim militant omnia, quæ ab authoritate, & ratione Ruiz totis ferè quatuor tomis congessit, vt ire pessum contingentium futurorum libertatem ostenderet, & nos pro intento eodem opportunius disposuimus, & auximus tom. 1. de Deo vno controuers. 3. tota d. 1.

3. Secundò: quia vel iudicio hoc de re absolutè facienda, & futura, ac modo, quo facienda est, habito absolutè in decreto, tantum cognoscitur decretum, & esse intentionale rei præcognitæ possibilis, & mediorum ac modi quo facienda est possibilium, vel vlterius tendit cognitio, & iudicium illud in intrinsecum, & entitatiuum esse absolutum, & rei, & modi ac mediorum, quibus absolutè facienda est; sicuti voluntas efficax tendit, extenditurque actiuè ad rei, ac modi, mediorumque quibus efficienda est, effectionem, & existentiam in seipsis ac secundum suum intrinsecum esse absolutum. Si primum solum cognoscitur res, moduſque eius faciendæ possibilis cum denominatione voluntatis efficacis simplicem earum scientiam subsequutæ, quæ rei, & modi secundum se, & intrinsecè sumptarum statum præcognitum possibilitatis non immutat, nec ea ab illo extrahit; sed formaliter solum facit volita, etsi actiuè pro sigilo naturæ posteriori in se absolutè existentia faciat: Nec aliud quid præter verba dat illa vulgaris, & captiosa plurium distinctio arduis difficultatis Theologicis eludendis, quam eluendis, atque illudendis in disciplinatis aptior decentia absoluta rerum ordine intentionis, & ordine executionis. Rebus quippe vera absoluta existentia ordine executionis solummodo cõuenit: ordine verò intentionis formaliter loquendo, solummodo conuenit rebus extrinsecum ipsis desiderium, siue absolutè desiderati. Tertiò detur rebus absolutum aliquod esse intentionale vltra possibilitatis statum præcognitum ex voluntate earum efficaci subsecuta, quod necdum absolutum intrinsecum esse rerum secundum se sit, & attingat: certò illud esse & rei, & modi quo facienda absolute in se erit minimè est: ergo de iudicio de illo esse intentionali non scitur formaliter à Deo absolutum esse, & rei, & modi, quo faciendum est; sed aliud esse, & modi, & rei, his ab ea intentione absolute, & formaliter tributum: ergò ex eo iudicio non procedit Deus ad executionem, & rei, & modi absolutè faciendæ, sapiens, scientisque absoluti esse rei, & modi quo facienda est. Patet, nam esse illud absolutum intentionale, quodcunque sit, & quomodocumque explicueris, non est esse rei, & modi, quo facienda absolutè illa est: ergo per scientiam & iudicium de absoluto illo esse intentionali rei, & modi, nec scit, nec iudicat formaliter Deus de absoluto esse rei, & modi faciendi, sed de alio: ergò per illud iudicium præcisè non exequitur Deus, quod à se absolute, quoad rem ipsam, & modum faciendum esse prænouerit: atqui ad id solum statuitur iudicium hoc, & intellectuale imperium (in quo, vel prouidentia, vel eius complementum stet) vt non nisi ex iudicio de re, & modo absolutè à se vel solo, vel cum causa creata faciendis, eiusque directione sapiens Deus formaliter, & conscius opus exequatur: ergo, si iudicium illud vim esse illud absolutum intentionale rei, & modi, quo facienda est formaliter à voluntate efficaci eorum ipsa attributum, ad intrinsecum esse absolutum rei, & modi quo facienda est, & actiuè à voluntate illa efficaci pro posteriori naturæ per ipsorum absolutam executionem tribuendum, sua repræsentatione, & assertione non progrediatur, pertingat, & penetret, non procedit Deus ex scientia, iudicio, & dictamine de re facienda, & modo, quo ab ipso, vel solo, vel cum causis secundis facienda est, ad rei & modi absolutam executionem (sua solo titulo, & ratione assertiuum hoc imperium in Deo eiusque prouidentia locum per Doctorem hunc potest habere) sed ex iudicio absolutæ existentiæ intentionalis, & rei, & modi, quam non facit, & causat, sed supponit.

4. Quod si absolutam rei, & modi executionem, & esse intrinsecum absolutum repræsentatiuè, & assertiuè iudicio illo intellectualis imperij attingatur, (vt alterum dilemmatis membro dicebamus) iudicium, & imperium hoc his natura, vel quasi natura, posterius est, tametsi ad illud cognitione voluntatis efficacis, tanquam medio ducatur; quod enim medium iudicandi de re aliqua sit dicium de illa natura præcedat euincarque rem illam materiale, & terminatiuum obiectum esse, non tollit hanc, qua terminatiuum obiectum est, sui repræsentationi omni præcedere natura debere; sed tantum ante illam solum, sed medium, in quo cognoscitur natura eius repræsentationem antecedere: generale enim, ac certum est illud principium philosophicum, & in nullo obiecto deficiens: *ex obiecto, & potentia pariter naturæ* maximè, cum notitia de obiecto quantumvis pure materiali, & terminatiuo iudicium est, vt in casu nostro: siquidem in quocunque medio cognoscatur, & esse, aut forè absolutè iudicetur, huius absoluti esse natura, vel quasi natura debet apprehensio præcedere, ne nondum cognito assentiamur, & temerè esse iudicemus. Denique futura res, faciendaque absolutè iudicium, ac scientiam diuinam de eius absoluta effectione, & futuritione, naturæ vel quasi natura præcedere docet hic Doctor multa, &

& accurata eruditione, & Patrum obseruatione passim asserentium, *futura non ideo esse futura, quia à Deo præsciuntur* (absoluta vtique futurorum præscientia) sed contra potius *id. o à Deo præsciri, quia sunt futura.* Indèque, & aliis rationum momentis contra Dominicanos Thomistas Recentiores probat præscientiam absolutam futurorum causam, neque esse, neque esse posse: nostrorumque operam contingentiam, & libertatem cum diuina absoluta de ipsis præscientia conciliat, vti nos ex ipso, & propriis ponderationibus, rationibusque ostendimus tom. 1. de Deo vno controuersia 2. d. 5. quæst. 8. à certam. 2. quare negare hic author nequit futuris absolutè, & faciendis naturæ, vel quasi naturæ prioritatem, & præcedentiam respectu scientiæ, & iudicij huius diuini (quod imperium, & Dei prouidentiam, eiusve complementum esse voluit) de absoluto esse intrinseco, & futuritione rei, & modi quo facienda absoluta est: ac subinde non potest non eiusmodi iudicio diuino negare erga res prouisas eorumque absolutam existentiam, & modum quo faciendæ sunt causalitatem: ac proinde iudicio huic imperij, & prouidentiæ rationem deferre non potest, vt contendimus: ni suæ, & Patrum doctrinæ, & consequentiis à se ex instituto approbatis, confirmatisque deficiat: quo eodem argumento tentata alia ab eodem Ruiz occupatur solutio. Nempè obiecta pure materialia, cuiusmodi creata omnia sunt, præcedentiam naturæ respectu scientiæ diuinæ ab ipsis secundum se totam prorsus independentis habere non posse, id ego fateor; ast cum ipso, & Patribus nuper memoratis, quasi naturæ præsuppositionem in obiectis creatis respectu scientiæ de ipsis diuinæ fateor requiri: quatenus, ni in se absolutè essent, infinita scientia, & formalis de se omnium, à nullo pendens, expressio & repræsentatio ad absolutum esse earum nec tenderet, neque explicaretur: sicuti neque immensitas ad spatium, nec æternitas ad tempus, quæ nusquam, nunquamque forent: & quidem hanc quasi naturæ causalitatem futurorum in præscientiam, illa, & Patrum locutiones à nobis, & à Ruiz admissæ continent.) *Præsciuntur à Deo, quia futura,* non * contra, *quia præsciuntur esse futura.*

5. Arguo secundo generali illo & antiquo argumento contra intellectuale omne imperium quovis modo explicatum: quia imperium hoc intellectuale neque est monasticum, & eiusdem imperantis, atque in re præsente Dei ad seipsum, nec ciuile, & politicum, nempè ad alium, vel ad alios, atque in re præsente ad creaturas ex ipso, & iuxta ipsum producendas: ergò non est imperium. Quod, nisi alterum è duobus, esse nequit. Negatiua pars de imperio intellectuali, & rationis monastico probatur (secunda enim ne hoc iusto longius euadat probanda erit certamine sequenti) Quia neque est monasticum respectu voluntatis, seu volitionum eius, qui cognoscit ea intellectuali cognitione, siue imperatiui, siue enunciatiui modi, & iudicij de præsenti. Primo: quia actus voluntatis imperium proprium, & intrinsecum volituro intellectus non requirunt, nec patiuntur. Non requirunt: quia multi absque imperio ex arbitrio, & voluntatis libertate (iuxta imperij vtriusque intellectualis authores) ad vtrumvis plures actus voluntatis debent præcedere ex obiecti indifferenti propositione & voluntatis facultate & libertate eliciti. Secundò: quia, si ad omnes voluntatis actus imperium requiratur, vel dabitur processus infinitus & actuum voluntatis, & intellectualium imperiorum, vel voluntati auferetur primatus libertatis, & dominium in actiones cæteras eius, in quo est, ac tribuetur intellectui; si in aliquo eius imperio, ad quod ipsum actus liber voluntatis non applicuerit sistendum sit: quia, ni ex libertate intellectus liber sit, ex libertate voluntatis, cuius nullum liberum actum, aut exercitium supponit liberum esse non potest, ac tota actionum nostrarum libertas peribit: siquidem omnium, etiam primi actus voluntatis principium determinans imperium intellectuale erit, quod nec vnde liberum, sed necessarium sit. Quod si imperium hoc intellectuale monasticum ad omnes voluntatis actiones non requiritur, sed, vt plures eius actus sint, satis obiecti propositione voluntas habeat (vti aduersarijs sarenbus habet, ad nullum intellectuali imperio egere, haud segniter concluditur; siquidem & ad quemvis assignabilem sola obiecti propositione, & facultate voluntatis appetitiua obiecti propositi, habere illam, quidquid vt in actum prodeat requiritur, cæterorum actuum exemplo, & ratione demonstratur.

6. Quod autem, nec imperantis voluntas ad suos actus monasticum intellectuale imperium patiatur, ac proinde, & tale imperium sit impossibile de diuinis volitionibus probat Ruiz sect. 8. à n. 6. Quia inter actus diuinæ voluntatis, nequit esse actus imperans, & imperatus: quare multominus actus imperatus ab imperio intellectus ex inferioritate & subiectione (inquit) quam actus imperatus voluntatis dicit respectu imperantis, & necessaria distinctione reali inter vtrumque, quæ actuum diuinorum destruat realem identitatem etiam identitatem omnium volitionum, siue omni volitionis diuinæ, & alia à nobis dissecta contro. 4. de volunt. d 6. q. 4. quare possibilitate admissa volitionis imperantis, & imperatæ in voluntate diuina aliunde probo impossibilitatem imperij monastici intellectualis respectu actus voluntatis, qui sit imperatus: & primo de actu intellectualis imperij Thomistarum recentium Dominicanorum per cognitionem modi imperatiui *sic hoc* omittenda non est facilis Arriagæ nostri impugnatio, & obseruatio ex omni grammatica cuiusvis idiomatis sit: in nulla enim modi imperatiui prima persona inuenitur, sed secunda solum, & tertia: vtique, quia imperium intellectuale (cuius si esset imitatiuum verbale foret) omnibus gentibus cuiusvis nationis, & linguæ censetur impossibile. Secundo de vtróque modo intellectualis imperij respectu volitionis probatur vniuersim impossibilitas. Quia de essentia imperij est afferre determinationem, & necessitatem actionis imperatæ, quam imperatum agens absque imperio illo non habebat: sed nullo imperio intellectuali assignato, & adintento afferri potest voluntati diuinæ (& idem est de reliquis) determinatio, & necessitas actus quem antea non habebat: ergò respectu volitionis diuinæ nullum ex assignatis, aut ex assignabilibus intellectuale imperium esse potest. Discursus concludit, si præmissæ sint firmæ: quarum maior axioma & ipsa imperij essentia, & definitio est. Minor est etiam certa: quia imperium omne assignatum, & assignabile de faciendis ab imperante ipso, vel solo, vel cum aliis, supponit determinationem voluntatis per volitionem efficacem de faciendis & modo, quo facienda sunt, quæ subinde affert necessitatem physicam ita ea faciendi in imperante (si ab eo agenda sint) & moralem in aliis, seu ciuilem, vel quasi, si ab alio sunt agenda; ast nullum ex assignatis, vel assignabilibus imperium intellectuale aliam, siue ad aliud necessitatem & determinationem potest afferre voluntati imperantis: ergo nullum imperium intellectuale assignatum, vel assignabile potest afferre denuo voluntati imperantis aliquam determinationem, & necessitatem ad actum proprium, vel quid aliud, ad quod necessitas, & determinatio voluntatis non præsupponatur.

7. Maior de hactenus assignatis, & excogitatis imperiis intellectualibus est certa: siquidem vterque modus intellectualis imperij supponit necessitatem, determinationem voluntatis ordinandi rem prouisam determinato hoc modo per voluntatem efficacem præhabitam de mediis aptis ad finem ipsi è Dei intentione præscriptum: ad quod solum per aptum ex hoc intellectuali imperio elicitum posset voluntas determinari, ac necessitari: sed de omni intellectuali imperio assignabili probatur. Quia nullatenus esset liber actus voluntatis ex imperio intellectus eam ad illum necessitate, & determinante, ni imperium illud actum voluntatis liberum, & ad ea omnia efficacem, & determinantem supponat, vel penes intellectum sit actionum rationalium, & humanarum liberras, & dominium, cum dispendio primæ, & primariæ libertatis, & dominij voluntatis suæ in proprias cuiusque actiones: cum enim imperium intellectuale hoc necessitatem voluntati, & determinationem ad actum imperatum afferat, ac proinde actus nequeat esse proximè, & immediatè liber; sed nec mediatè, ni intellectuale imperium nullum actum voluntatis liberum supponens proximè, & formaliter liberè ab intellectu eliciatur: quod, ni intellectus libera potentia sit fieri nequit: sed nec potest imperium hoc actuale respectu po-

entiarum imperantis exequentium imperata imperium, & determinatio esse. Si enim respectu potentiæ, seu omnipotentiæ diuinæ, creatorum omnium executricis, loquamur, in mea, & verosimiliori, opinione omnipotentiam diuinam cum eius voluntate formaliter etiam & metaphysicè identificante probatum iam est. Vniuersalius autem id probo, etsi realiter etiam potentia exequens à volitiua in Deo differret. Primò: quia necessitas, determinatio, & applicatio potentiæ exequentis ad operandum irresistibiliter in imperante supponitur inducta per voluntatem efficacem, quam imperium intellectuale supponit, vt ostendimus. Secundo: quia intellectuali imperio aliis potentiis, quæ obiectorum propositione, & cognitione non ducuntur imperare, perinde est atque *surdo* (vt aiunt) *narrare fabellam*. Tertiò ex omnium Philosophorum, & Theologorum doctrina qui dominium, & imperium totum in cæteras potentias sibi coniunctas supposito, vel subiecto, soli voluntati, & despoticum illud, tribuunt; vt eas omnes, absque obiecti cognitione, & propositione, statuta à voluntate exequi faciat, & obedire. Quarto demum argumentum illud ex omni bono idiomatis cuiusvis grammatica locum hic etiam habet contra modum intellectualis imperij Thomistarum recentiorum; siquidem, si imperare propriis potentiis exequentibus non repugnaret, modus verbi imperatiuus primam personam habere in bona grammatica posset, & deberet.

8. Horum pleraque attingens noster Ruiz tota sectione 8. titulo, & conclusione præfixa monasticum non esse neque respectu voluntatis ad vlteriorem volitionem de effectu, seu re & modo, quo facienda extrinsecus absolutè est à voluntate extorquendam, nec ad inducendam potentiis exequentibus imperantis necessitatem, & determinationem, quam ex præsuppositа voluntate efficaci de absoluta effectione, & existentia rei, & modi quo facienda est ante intellectuale imperium præhabent: respondet sectione 11. numero 2. & 6. vbi ait iudicium assertiuum voluntatis Dei de re, & modo, quò facienda est respectu Dei locutionem esse, nusquam vero imperium, tantumque inseruire, ne Deus cæco modo, atque inscius de re, & modo, quo facienda absolutè est, solaque cognitione possibilitatis rei, & modi, quo fieri potest, quæ voluntatem de eiusmodi effectione præcedit, vtrumque exequatur. Sed tamen hæc contradicunt dictis ab ipso Authore sect. 6. vbi numero 2. ait. *Idem imperium Dei quatenus efficaciter mouet ac dirigit prædestinatos ad credendum, sperandum, & diligendum sicut oportet, vt sic est imperium monasticum, quo Deus suas operationes exequitur, & propria sibi facultate operandi fungitur.* Ergò admittit imperium esse, nec solam locutionem respectu Dei eo iudicio imperantis. Contra secundò: quia seclusa ab eo iudicio inductione necessitatis & determinationis ad rem extrinsecus, & modum, quo absolutè facienda est potentiis volitiuæ, & executiuæ imperantis, excluditur ratio, & essentia imperij monastici ab eo iudicio, *qua* (Authoris huius verba sunt de essentia imperij vniuersim, & in supremo genere sumpti sect. 11. num. 8. agentis) *consistit in hoc quod iudicium intimans efficacem volitionem eo ipso necessitatem inducat, vt fiant, res quas iudicat esse faciendas.* Atqui ea determinatio, & necessitas potentiæ volitiuæ, & executiuæ imperantis præsupponitur inducta per ipsius voluntatem efficacem de re, & modo, quo absolutè facienda est vt ipse non semel fatetur; nosque proximè demonstrabamus: ergo nequit esse imperium monasticum, & respectu Dei, vt citatis verbis hic author admittit, etsi quandoque tale imperium esse minus debita consequentia neget.

9. Id autem quod constanter totaque sect. 8. docet, & probat (non posse scilicet intellectuale hoc imperium mouere ad vlteriorem volitionem de opere faciendo atque ea ratione monasticum esse) minimè cohæret cum eo, quod addit, nempè solum esse allocutionem Dei, *ad seipsum, vt videns animaduertens, sciens & prudens prodeat in opus certum, ac determinatum cum directione determinata rei faciendæ tanquam de facto faciendæ.* vt scribit sect. 11. n. 2. etenim cum iudicium illud requiratur, vt *sciens & prudens*, &c. per illud prodeat in opus Deus imperium ad ipsum, saltem ratione executiuæ potentiæ suæ monasticum est, non sola allocutio: Nec valet determinationem, & necessitatem operandi præsupponi inductam executrici potentiæ à voluntate efficaci in huius doctrina: siquidem, nec sufficit eadem necessitas, & determinatio ab efficaci voluntate priùs inducta operibus creatis, vt fiant, quo minus iudicium illud respectu eorum imperium physicum, & ad alterum sit. Secundò inquiro: an illud *sciens & prudens*, tantumdem valeat, atque *vt ex scientia, prudentia, & operis faciendi visione Deus operetur*, qui ad se eo iudicio loquitur, vt verba sensu, & significatione apud omnes recepta sonant? an solum comitanter, & per accidens vt in opus prodeat illud iudicium se habeat in Deo? Si postremum prouidentia non est, neque eius complementum; tota enim prouidentia per se causa est, vt Deus operetur ad extra; nec solum, vt causa per accidens & materialiter Dei operationem comitans se habet, vt musica in ædificatore: & hic Doctor ex professo esse causam, & exemplarem & efficientem, vt Deus ad extra operetur, fatetur, & probat. Alias, nec respectu creaturarum, vt passiue fiant: quod necessario in quæ ex ipso fiunt vt causa per se, nec solum ad ipsarum effectionem comitanter se gerit: si autem dicas primum illud iudicium, quod Deo causa per se est, vt operetur ad extra, & creaturis, vt fiant, non est locutio Dei ad creaturas per se, plerumque rationis, & auditionis incapaces, vt asseris, sed ad seipsum non qua omnipotentem: patet, quia omnipotens formaliter, nec rationalis, nec volitiuus (si à voluntate omnipotentia formaliter differt) est; sed solum operatiuus ad extra & transeunter: quare nec ratione omnipotentiæ rationis & auditionis capax, vt nuper de irrationalibus creatis dicebamus: ergo locutio illa Dei ad seipsum per iudicium illud præcedens vt Deus sciens & prudens prodeat in opus, &c. ad seipsum, qua rationalem & volitiuum est, siue ad seipsum secundum eam potentiam & naturam, cui obiectum proponi, quæque ratione dirigi possit, ac moueri nempe voluntatem: cui huic proponitur obiectum nempè, vt *ex*, & ratione illud iudicium Deus operetur ad extra, ab eaque vlteriorem & volitio de re, & modo, quo absolutè facienda est sollicitatur: imò, & determinatur per eiusmodi iudicium, & imperium, contra tuum aliud assertum & contrationem determinandi scilicet ad actum & determinationem voluntatis præsuppositam.

10. Opportunè hic huius sententiæ fundamentum conuellam, antequam alias eius impugnationes perquar: quia eorum solutio ex proximo discursu hinc capient ac mutuò illum illustrabit. Totum enim fundamentum est: quod scientia simplicis intelligentiæ, quæ indifferens est, prouisiue, ac non prouisis communis, nec determinata, vt res hæc, & tali modo fiat: quæ nec opus, & modum faciendum repræsentat, nec de ea practica est, nec decens, vt Deus sciens, & prudens de opere absolutè faciendo in opus prodeat, atque operetur; cum tamen & prouidentia scientiam de se præhabeat, & ex qua Deus sciens, & prudens de opere faciendo vt faciendum absolute est, operetur. Respondetur ad primum, seu primam partem fundamenti: scientiam illam esse essentia sua practicam, adhuc in actu primo, quamvis sit de re facienda, & modo quo facienda est pro quovis statu; sed practicum in actu primo & speculativum esse differentias accidentarias scientiarum desumptas extrinsecus ipsis à potentia vel impotentia exequendi rem cum modo, quo facienda cognoscitur, vt contra de actibus intellectus, & contra. 1. Dialect. dicebamus. Nam & Angelus perfectissimè cognoscit res, & modos quibus facienda plura ab aliis sunt: quæ tamen ab ipso fieri nequeunt, cuius potestatis defectu cognitiones illæ speculativæ sunt, nam practicæ, vt in aliis fusiùs quibus res eo modo fieri posset. Quoad determinationem vero rei, & modi quo facienda est, cum fiet, vti res, & modi huius est, horum determinatè obiectorum est, ac non aliorum obiectorum: etsi similis aliorum obiectorum, quoad rem, & modum, quo fieri possint actu Deo: ac proinde communis subiectiue ea scientia prouisis, ac non prouisis rebus est: obiectiue autem diuersa: quoad determinationem vero actum

rei faciendæ, vel secus, nec de ratione scientiæ practicæ est, nec ad intellectum spectat, cuius solum est obiecta cognoscere, & voluntati proponere, vt eius ductu, & luce præuia, non cæco, & irrationali modo pro libito, & arbitrio suo, & ex præconsiliato in illa obiecta, vel complacentiæ, vel desiderij affectu feratur, vel non feratur. Quod si efficaci feratur desiderio in obiectum iam huius efficiendi determinatio actiua adest, non autem alterius efficiendi, in quod efficaci desiderio voluntas non fertur: ac proinde determinatio actiua, scientiæ practicæ extrinseca etiam est à voluntatis actu efficaci, quem sua obiecti propositione ab illa sollicitat, & obtinet. Hinc constat scientem, & prudentem Deum opus externum aggredi, cum ex voluntate efficaci, cui præconsiliatum præcessit opus aggreditur: & præconsiliato, quoad rem quidem, & modum, quo exequendum opus est: tametsi non quoad statum absolutæ existentiæ, quem post, seu per absolutam executionem habebit, quem efficaciter desiderare, & actiuè voluntate sua determinare (ni actum agere ineptissimè velit) nusquam posset, si absolutè factum, & existentem in se voluntati proponeret, vt decerneret faciendum.

11. Quare omninò fallaciter, & ex rudi æquivocatione ea propositio assumitur: spectare nimirum ad Dei decentiam in operando, atque, vt non cæco modo, sed sciens, & prudens operetur iudicium de re, & modo quo opus faciendum est, vt faciendum, seu futurum absolutè efficaci Dei voluntate est; nec solum vt potest fieri, expectandumque illud iudicium pro naturæ priori, vt prodeat Deus ad opus exequendum. Dicetur enim ante executionem præsupponi, & prænosci debere executum implicatione manifesta: tametsi, vt faciendum, id est, cum omnibus, quæ absolutè habebit, quoad substantiam, & modum, cum res pro naturæ posteriori fiat, pro statu tamen possibilitatis, & factibilitatis illo ipso modo debeat prænosci, vt non cæco modo, sed sciens, & prudens Deus, & quivis alius opus faciendum efficaciter decernat, & deinceps exequatur. Atque, vt appareat, quam male ex scientia, & prudentia, secundum quam, &, ex qua debet operari ad extra Deus, vt se digne decenter, atque ex perfecta prouidentia operetur, iudicium hoc enunciatiuum voluntatis efficacis de absoluta existentia rei, & modi, quo facienda est ab hoc authore necessarium abducatur, aduertendum est: ad dignitatem, decentiam, & perfectionem prouidentiæ, ex qua sciens, & prudens, ac non cæco modo operari debet Deus, expectare solummodo posse scientiam, & præscientiam faciendorum ab ipso, quæ facultati, & potentiæ ipsius inserviat, quæ dirigi in se, & per se eiusmodi scientia possit, atque obiectorum eius propositione ad illorum prosecutionem duci, & induci ac respectu eius tantum; non autem respectu aliarum, quæ in se, & per se dirigi ea scientia ad obiecta, & operationes propositas per scientiam illam prosequendas, siue exequendas non possunt, solumque extrinsecus, & denominatiuè ab actu eius facultatis, quæ ex scientia, & propositione obiectorum ipsum elicit, & quo medio ad operandum facultas alia determinatur: Cum autem facultas obiectum propositione de se, & per se dirigibilis, atque ex præconsiliato determinabilis atque determinatiua aliarum facultatum ipsi coniunctarum, supposito, vel subiecto sola voluntas sit: fit planè, vt illud iudicium proponens obiectum faciendum, & modum, quo faciendum est, quod ad actum voluntatis de opere faciendo, & modo, quo faciendum est mouere voluntatem possit esse requisitum vt agens rationale (atque in re præsente Deus) ex scientia, prudentia, ac non cæco modo, sed digne, & rationabiliter operetur: illud vero ad hoc, nec requiri, nec pertinere, quod voluntatem ad eiusmodi actum de opere ita faciendo, nec mouet nec potest mouere: atqui per hunc Doctorem iudicium illud de voluntate efficaci operis, & modi, quo absolutè faciendum est, præsupposita, non mouet ad vlteriorem actum voluntatis de opere, & modo absolutè faciendo; immò nec potest mouere vt vidimus numero 9. sed sola scientia simplicis intelligentiæ, quæ voluntatis actum de opere faciendo posteriori iudicio enunciatum direxit & præcessit: ergò sola scientia simplicis intelligentiæ, non autem iudicium illud actus voluntatis de opere faciendo enuntiatiuum requiritur, & pertinet ad perfectam agentis rationalis (atque in re præsenti Dei) prouidentiam, siue, vt decenter, dignè, non cæco modo, sed sciens, & prudens rationale agens operetur.

12. Ab exemplo Archytecti, cui templi, vel domus struendæ ignigraphia, seu orthographia satis non est, vt in opus prodeat prudenter, quoúsque eam domus delineationem, & exemplar probans eius dominus futurus, vt illud exemplar in eius structura sequatur, præceperit reliquis orthographiis (si quæ sint) reiectis, solum probat: expectandum iudicium exemplar illud approbantis Domini, eiusque determinatam voluntatem exterius Archytecto intimandum, quia capax intimationis voce, aut scripto est: quæ intimatio externa decretum dicitur, quia non aliud quam decretum Domini intimat pro quo externa intimatio illa substituit, atque imperium Domini, ac cuius aliena voluntate executio necessario pendet ad Archytectum est; cæterum, cum iudicium exemplar illud proponens, aptumque iudicans, & ex cuius præ aliis electione, vt ad ipsum domus ædificetur Domini voluntas determinatur, domum ipsam, iuxta illud ædificandum, nec proponat, nec domus facienda, vt absolutè facienda, siue in statu absolutæ suæ effectionis, ante, vel post electionem, iudicio illo de exemplaris propositi rectitudine à Domino eligente, eiusque instruenda executiuè domo imitationem præcipiente habeatur: nil aliud hoc exemplo deducitur, quam iudicio de rectitudine exemplaris, iuxta quod domus facta nondum est, sed fieri posse proponitur, electio Domini, vt iuxta illud ac non aliter domus fiat ab eius voluntate obtineatur. Nec ampliùs suadent testimonia Dionysij, & Damasceni, quæ de causis exemplaribus, & idæis diuinis sunt, quas stabiles in mente Dei asserunt: causa vero exemplaris imperium non est: imò nec in mente diuina formaliter est vt formalis scientia, & repræsentatio est, sed, vt obiectum: vt de diuinis idæis diximus tom. 1. de Deo vno controu. 2. disput. vlt. approbante ipso Ruiz tom. de scientia d. 82. à sect. 6. ex his ipsis locis Dionysij de diuinis nominibus capite 5. circa finem, & Damasceni orat. 1. de imaginibus pag. 3. quæ pro hoc suo intellectuali imperio recitat, & expendit sectione 9. num. 12. 13. & 14. malè explicat verba illa Dionysij à se ex citato loco recitata, *quas scripta diuina prædestinationes appellant, diuinasque ac bonas voluntates, quæ constituunt*, iuxta idæas, seu idæaliter: *& faciunt omnia* actiuè, & prouidentialiter ex omnipotentia intelligenda venire; siquidem obiectiuè solum diuinæ voluntates vsurpantur, cum idææ, vel exemplaria dicuntur à Dionysio, & Patribus reliquis: vnde quod confirmatione vltima assumit (prouidentiam scilicet esse causam exemplarem rerum) & falso tribuit Boëtio 4. de consolat. Prosa 6. vers. med. seipso euanescit. Reliqua, quæ ex scriptura, & Patribus pro intellectuali suo imperio diuino adducit, æque, immò verbis, sonoque tenus, non huic suo, sed Thomistico, imperatiui modi, quod reiicit, magis fauent: & pro imperio intellectuali ad creaturas faciendas directo faciunt: quod dilemmatis, quo argumentum secundum contra imperium quodvis intellectuale proponebamus numero 5. pars est secunda à nobis iam probanda: quare opportunius post secundæ huius partis, cui ea loca videntur directo aduersari, probationem obiicientur, ac diluentur.

CERTAMEN IV.

Imperium intellectuale, immò nullum, Deo intrinsecum respectu creaturarum esse potest.

1. QVod autem intellectuale hoc imperium respectu creaturarum, ad easque directum esse non possit: de rationalibus, & liberis creaturis earumque liberis operationibus probauit iam pridem efficaciter Aureolus vbi supra: quia imperium omne diuinum intellectuale essentia sua verum, & antecedens natura, & causalitate ad imperata extrinseca connexum est essentia sua, & ex parte antecedentis & sui prioris quodvis naturæ cum imperatis ad illarum absolutam existentiam determinans, necessitatemque inducens: atqui necessitas, & determinatio ex parte causæ & prioris naturæ ad absolutam effectus existentiam se tenens, huius libertatem euertit: ergo imperium intellectuale, & Dei prouidentia, quæ in eo stet, eoue compleatur, prouisi & imperati effectus euertit libertatem: atqui actiones liberæ creatæ prouisæ, atque in hac sententia imperio intellectuali prouidentiam vniuersim complente, seu constituente, sunt etiam imperatæ; ergò earum libertas per prouidentiam aboletur. Hoc argumentum contra imperium intellectuale Thomisticum eoque sitam prouidentiam, æque irrefragabile est, ac si contra physicam prædeterminationem causæ creatæ liberæ formaretur, vel contra decretum Dei prædeterminatiuum causæ liberæ ad suas operationes: vt expendebamus t. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. multa scripturæ, conciliorum, decretorum, sedis Apostolicæ, & S. Inquisitionis, Patrum, & scholasticorum eruditione, neque rationis pondere leui. Ruiz vero, cui scientia media ex vsu est, respondet certam. 10. num. 3. iuxta suam, & communem Suaristarum præfinitionum liberæ actionis regulatarum per scientiam mediam, imperium hoc suum, eoque constitutam prouidentiam Dei de creatis liberis actionibus non, nisi præhabita scientia media eiusque directione, ac regulatione à Deo haberi: ac subinde vsum libertatis nostræ conditionatum, siue operationis nostræ conditionatam liberam futuritionem supponere: idque satis esse, vt determinatio, & necessitas antecedens natura, & causalitate ipsarum absolutam existentiam, & futuritionem absolutæ libertati non officiat. Solutionem hanc confutauimus, & radicitus conuulsimus controuers. 4. de voluntate d. 6. quæstion. 2. tota contra Suaristas præfinitiones: ostendentes, præfinitionem antecedentem absolutam actus liberi, regulatam etiam per scientiam mediam ex præsuppositione futuritionis conditionatæ actus, & exercitij liberi nostræ voluntatis inimicitias cum absoluta actus præfiniti libertate non deponere, neque hostilitatem exuere; sed solum non adeò intimè illam insipicientibus dissimulare: id quod in prouidentia est clarius: siquidem Dei prouidentia principium necessariò, & essentialiter requisitum creatæ omnis actionis, & effectus est: quare nec status conditionatus potest ab illa, nisi fraudulenter præscindere: quouis enim gradu anteriori eam collocare velis, non potest non pro omni statu actionem antecedere atque pro illo eius libertati officere; quod præfinitio Soaristica (quæ necessarium, & essentiale actionis principium non est, sed solum supererogatorie & supererogationis) non habet: quare & absque eius præsuppositione in gradu vllo anteriore potest vere, & bene status conditionatus actionis liberæ constitui.

2. Secundò impugnatur prouidentia actionum liberarum imperio intellectuali ad ipsas constituta: etenim imperium actionum creatarum liberarum à rationali creatura faciendarum, vt respectu illius debito, & congruenti modo habeatur, ac feratur intimatione intellectuali creaturæ rationali opus esset, vt actionem imperatam à Deo eliceret: nec physica solum inclinatio, quæ physica determinatione, & necessitate inducta agentibus naturalibus congrua, & idonea est, respectu agentium rationalium congrua esse potest: atqui imperium hoc intellectuale, quod per te, vel prouidentia est vel illam vltimo constituit de nulla actione liberra creata rationali creaturæ intimatur intellectuali intimatione congrua, & debita, sed solum physica, atque eius dignitatem decente; cum tamen de omni actione libera congruam & agenti libero connexionem prouidentiam habeat: ergo prouidentia actionum liberarum creatarum diuina in eo intellectuali imperio non stat. Confirmatur, quia actionum nostrarum indifferentium nullum imperium diuinum est; aliàqui ea ipso non essent ex obiecto indifferentes: quandoquidem ex imperio essent bonæ, & earum omissiones prauæ, Deique imperio aduersæ, & tamen earum omnium est in Deo prouidentia: vrgetur: quia vt fatentur actores, quos super intellectuali imperio impugnamus, prauarum etiam actionum est in Deo prouidentia, & tamen earum imperium in Deo esse nequit: siquidem earum est in Deo seria non perfunctoria ac verbo solum tenus, prohibitio. Nec præstat si dicas: esse prohibitionem moralem actionum prohibitarum; imperium vero de illis Physicum: eum vero physicum hoc imperium necessitatem, & determinationem ineuitabilem, inducat, vt physicè agens liberum irresistibiliter operetur, omni circulatore fallacior Deus eam actionem moraliter prohiberet: omnique Tyranno immanior, & crudelior, dum prohibet vt puniat, quod despotico imperio physico ab agente libero consilij, & potentiæ resistitiuæ impote extorquet. Tria hæc, quæ hoc numero posuimus Dei prouidentiam de liberis actionibus in nullo interno Dei imperio de extrinsecus faciendis stare posse, quare neque in intellectuali imperio, hand iuuiter suadent: ac proinde Dei voluntatem, qua creaturas rationales per media apta, & sufficientia vel etiam congrua, de se tamen indifferentia (vt ad libertatem seruandam oportet) vt bene operentur, atque æternum consequantur salutem, prouidet, & disponit, de auditis quidem ipsis efficacem, ac si velis imperium omnipotentiale esse, & improprium, vt iam ostendam; De actionibus autem ipsis liberis, atque salutis æternæ meritoriis, nec imperium esse posse, nec voluntatem efficacem, vt tria hæc, & num. antecedente instructum argumentum euincunt: solumque de eis imperium esse posse morale, quod nullam earum efficiendarum necessitatem, & determinationem, adhuc moralem, liberis agentibus absolutam afferat; sed solum conditionatam, vt nimirum peccet liberum agens, si Dei imperio non obsequatur, imperatas sibi à Deo actiones omittendo, sicuti & eiusdem imperio prohibitas exercendo.

3. Sed vniuersalius ad nullam creaturam, etiam intellectualem imperium hoc intellectuale dirigi posse priumve respectu illius imperium Dei ad alium esse proprium, atque ipsum, etsi enim etiam ad creaturas irrationales intimatum Dei imperium proprium esse posset, quod ibarum refellam; illud tamen non intellectus, & scientiæ Diuinæ actus foret; sed actus voluntatis. Probatur primo ex illo Psalmi 110. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.* Quibus præcipua creaturarum laus attribuitur, quod ad creatoris nutum, & imperium, de sumitur, quod ad creatoris nutum, & imperium, qualequale, cum in essendo, tum in operando obediant exactissime: idem enim valet exquisita, atque exacta; atqui exactio hæc obedientiæ creaturis cuiuis possibilis respectu Dei, respectu voluntatis Dei, non autem iudicij intellectualis esse dicitur: ergo imperium, quolequale, Dei respectu creaturarum, siue ad creaturas tendas directum non in iudicio, siue intellectuali alicuo actu, sed in voluntate, seù actu voluntatis diuino ad Psalmista recognoscitur. Patet, quia respectu eius actus qui imperium formaliter est, siue Dei imperantis, cuius imperantis formaliter creaturis, earum esse debet obedientia Deo creatori. Probatur secundò, & proponitur ratio à Priori sententiæ Psalmistæ, & intenti nostri ex dictis certam. 3. num. 6. & 7. etenim de ratione imperij vniuersim est afferre necessitatem, & determinationem quam ante illud non habebat res imperata ad existendum,

dum, seu operandum, vel vtrumque; atqui hanc affert solus actus voluntatis diuinę antecedens, ac præsuppositus ad quemuis ex assignatis, & assignabilibus actibus imperij, quod dicitur, diciue potest, intellectualis, vt creaturæ sint vel operentur; non autem eam afferre creaturis potest actus aliquis ex assignatis, vel assignabilibus intellectualibus: vt eo loco ostendebamus: ergo solus voluntatis, non verò intellectus, qualequale imperium Dei respectu creaturarum esse potest.

4. Confirmatur minor, quæ sola desiderare posset probationem: etenim iudicium illud enuntiatiuum de præsenti indicatiui modi (qui solus in Deo est esseque potest, vt constat ex impossibilitate actus intellectus modi imperatiui ostensa certam.2.à num.6. & certam.3. num.6. ante med.) voluntatis efficacis de creaturæ absoluta existentia, & effectione, eatenus solùm necessitatem, & determinationem, vt creatura ità absolutè sit, & fiat, ac operetur attingit, quatenus attingit voluntatem efficacem præsuppositam, quæ eius obiectum est, & in se formaliter eam necessitatem, & determinationem absolutè essendi, & efficiendi creaturis se ipsa affert, quia se ipsa formaliter determinatio, & necessitas antecedens ad ipsum est: ergo non aliam absolutè essendi, & efficiendi necessitatem, & determinationem creaturis affert iudicium illud, sed eam, quæ efficacis voluntatis est, seù à voluntate efficaci formaliter est, asserit, atque enuntiat de præsenti; inde rursus: cum iudicium hoc voluntatis efficacis diuinæ speculatiuum sit, respectu necessitatis, determinationis creaturæ vt absolutè sit, fiat, & operetur sola ac pura speculatio, nullatenus vero actiua determinatio & necessitas, vt absolute creatura sit, fiat, & operetur; immò, nec practica scientia, & imperium poterit esse. Confirmatur vlterius: quia iudicium de absoluta existentia rei pro aliqua duratione, pro qua absolutè est, vel fuit, vel erit, est iudicium de necessitate consequente existentiæ rei pro illa duratione, inclusâ formaliter in ipsa rei existentia pro illa, quæ est ipsa formalis exclusio suæ absolutæ negationis pro illa duratione; & tamen necessitatis illius consequentis, nec iudicium practicum nec determinationem actiuam necessitatem affert, sed purè speculatiuum iudicium est necessitatis illius, quam supponit: ergò, & iudicium, necessitatis, & determinationis antecedentis, vt res absolute sint &c. inclusæ formaliter in voluntate efficaci Dei, quam ex parte sui obiecti supponit, purè speculatiuum erit, nulliusque necessitatis, ac determinationis, vt res absolutè sint, ac fiant, actiuum & practicum, nedum inductiuum erit. Denique solutio, quæ huic argumento adhiberi ex nostri. Ruiz doctrina posset, ex decentia Dei prouidentis, ne cæco modo, sed sciens, & prudens de opere faciendo, vt faciendo absolute operetur Deus, adhuc imperio monastico Dei ad se ipsum, (cuius solum actuè operandis decentia referre posset) disiecta est certum. 3. à num. 8. Ad imperium verò, quasi ciuile politicum, & physicum, & ad alium, nempè creaturas, quarum, vt sint, & fiant passiue prouidentia propria ipsarum non est, nec vmbram adhuc veritatis ea solutio habet: earum quippè nihili refert iudecentia prouidentiæ, & prouisoris; dummodo nihil eis inde de sua absoluta existentia, & perfectione imminuatur.

5. Vltimum caput impugnandi hoc intellectuale imperium Dei respectu creaturarum est imperij proprij interni cuiusvis diuini, ac pure physici ad creaturas, quæ creaturæ sunt, impossibilitas. Dixi *purè physici* atque ad creaturas, *qua creaturæ sunt*, vt rationales etiam complectar, respectu quarum, qua rationales sunt intellectuale hoc imperium (immò neque vllum aliud Deo internum) imperium proprium esse non posse ostendi num.1. & 2. ex capite multiplici. Probatur physicum imperium internum, quod proprium Dei esse volunt, ad creaturas, seù respectu creaturarum, qua talium, stat in determinatione, & necessitate physica ipsis extrinseca, Deoque & actui intellectus (& idem est si in actu voluntatis efficacis constitueretur) diuini intrinseca, & identificata, vt creaturæ absolutè fiant, sint, ac operentur: atqui hæc physica necessitas, & determinatio Deo intrinseca extrinseca creaturis, vt absolutè fiant, sint, ac operentur, proprium imperium non est: ergò nullus actus internus Dei, siue scientiæ, siue voluntatis eam afferens necessitatem creaturis, est proprium imperiũ ad ipsas. Minor probatur primo: quia imperij proprij terminus essentialiter correlatus, & respondens ex parte eius, ad quem fertur, & respectu cuius imperium proprium, seu præceptum dicitur, est obedientia propria: atqui in creaturis, qua talibus, atque ex physica illa necessitate, & determinatione Deo intrinseca, tamen extrinseca existentibus, & operantibus, obedientia propria non est: ergo neque illa Deo intrinseca, & creaturis extrinseca ac physica determinatione ad ciusmodi actus, & executiones correlatas est proprium imperium. Maior ex terminis ipsis per se nota mihi, & omnibus communiter est: sicuti & minor. Sed Ruiz noster sect.11. num.9. minorem admittit: tametsi obedientiam ampliari posse, non renuat, vt comprehendat, quamuis effectus, absque vlla resistentia, assecutionem, verum ampliatio significati vocem à proprio significato ad aliud, quod ipsius proprium non sit, significandum extrahi ac deduci conuincit: idcircò negat absolutè maiorem: atque obedientiam propriam, non quidem imperio proprio vniuersim, siue omni imperij proprij speciei terminum essentialiter correlatum, & respondentem esse; sed morali tantum, & politico, seu ciuili imperio non autem physico, quod in actu Dei interno ad creaturas, siuè respectu creaturarum admittit. Ego verò æqua ampliatione, & metaphora imperij vocem ad imperium physicum seu physicam determinationem ab alio extrinsecus inductam significandum extendi video, atque obedientiæ vocem ad significandam irresistibilem ex ea physica necessitate, & determinatione executionem: ac subinde per se omnibus notum reor eo solum genere, & modo quo possibilis obedientia subditi est, esse imperium possibile, atque eo etiam genere, & modo hoc impossibile esse, quo est obedientia impossibilis. Cum autem obedientia huic imperio physico, purè tali, ad creaturas omnes, qua tales præcisè directo metaphorica solum, Ruiz ipso fatente sit; nec propria obedientia esse possit ex parte subditarum creaturarum exequentium, imperium purè physicum Dei ad ipsas metaphoricum solum esse potest.

6. Sed, quamuis per se notum sit, probatio est difficillima: quia nihil eis afferri potest, vel clarius, vel anterius; ad hominem tamen, & ab absurdis probari aliquando, & hic in primis possunt: qui enim per se nota negat, nequit consequenter, & absque absurdis philosophari. Contra igitur ad hominem primò: quia Ruiz ipse num. 14. legis nomen ad creaturas irrationales latæ (idemque est de rationalibus, non qua rationalibus, nec rationali modo latæ ad ipsas) metaphoricè accipiendum fatetur respectu earum creaturarum: quare & ita eam vocem accipi Prouerb. 14. *legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, & Iob. 38. *vsque huc venies, & non procedes amplius*, &c. Quibus libris frequens figuratarum locutionum vsus est: atqui ea voce legis aperitur Dei voluntas efficax, ac iudicium eius enuntiatiuum de præsenti, ne mare ea præfixos terminos transiliat; ergò non est metaphorici imperij locutio, & significatio, si in illis proprium imperium est. Nec valet legis nomen propriè de imperio, seu præcepto pro tota Republica lato, non autem ad particulare eius membrum, seu partem directo esse, ac proinde in eo metaphoricam acceptionem eius vocis fuisse. Primo enim lex adiuncto, & signato particulari ad quem fertur proprietate sermonis lex particularis dicitur, atque idem, quod imperium, siue præceptum significat: eis verò locis designatur: ergò sermonis proprietate legem particularem seù imperium significat: ex eo quippe adiuncto ad proprie significandam legem particularem determinatur, quæ non designata materia, seù termino, vel subdito particulari & determinato ad omnes lata proprietate sermonis significaretur. Contra secundò: quia nequit esse imperium proprium absolutè vbi subditi non sunt. Sed voluntas efficax de faciendis ad extra, & intellectualis cognitio, siue imperatiui modi siue indicatiui eius voluntatis enuntiatiua de præsenti rebusque creatis determinationem, & necessitatem physicam afferens, vt sint, est imperium absolutè vbi subditi non sunt; siue

ad nullos absolute tales subditos directum: ergo non est proprium imperium: Maior est per se nota: neque est minor obscurior: siquidem imperium hoc est rebus, quæ non sunt, vt sint: quare rebus nullis absolutè pro eo priori, quoad eas fertur, cum fertur: tametsi pro posteriori naturæ ad imperium hoc, & prouidentiam; vti eius effectus, absolutè sint: idcirco ad Romanos 4. de hoc imperio dicitur; *vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, quod imperium solum metaphoricum esse concedit Ruiz num. 14. vnde, quæ ex Augustino in Psalm. 104. ad id vocauit famem super terram Oecumenio & Magistro subiungit, nihil præter metaphoricam continent locutionem. Contra tertiò: quia determinatio, & necessitas hæc actiua physicè, & effectum antecedens, inuenitur in causis omnibus naturalibus, quibus nemo imperium proprium respectu suorum effectuum, vel parum sanus concedet.

7. Hinc patet solutio ad plura scripturæ loca, quæ pro intellectuali hoc imperio afferri solent ex Genes. 1. *Dixitque Deus fiat lux* &c. Psalm. 32. & 143. *ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt:* & pleraque in Euangelio similia Matth. 8. *Dic verbo, & sanabitur puer meus.* Centurio aiebat, cuius veritatem, & fidem, admiratione etiam, Dominus probauit, qui & leproso ibidem ait: *volo: mundare*, & cap. 9. & Marc. 2. ac Lucæ 5. *surge tolle lectum tuum & vade in domum:* item Matth. 14. *iube me venire ad te super aquas*; & ad adolescentem viduæ filium defunctum. *Adolescens tibi dico: surge*, &c. & ad Lazarum. *Lazare veni foras*, & alia sexcenta vbiuis scripturarum, quæ Patres imperij, præcepti, & iussionis nomine intelligunt, & interpretantur: cum tamen dicere actus intellectus sit, non voluntatis: vt de diuinæ mentis verbo Psalm. 32. dicatur. *Verbo domini cæli firmati sunt*: & ad Hebr. 11. *Aptata esse sæcula verbo Dei.* Nequit autem frequens, & vbique constans, scripturæ locutio metaphoricè explicari, inquit Ruiz sect. 11. num. 10. ni rationi efficaci, & ad metaphoricam interpretationem cogenti propria locutio aduersetur. Cæterùm, cum fere omnia loca dictionem Dei per imperatiuum modum sint, si de interno intellectuali imperio Dei intelligantur Thomistarum Recentiorum imperium contra Ruiz, non modi indicatiui assertiuum, & enuntiatiuum de præscuti quod Ruiz vult, euincunt: quod si iuxta hoc ob rationes, quas ipse attingit propriè ea loca interpretari posse negat ob plures multoque firmiores alias contra vtrumque intellectualis imperij diuini modum à nobis adductas penitiusque, & altius fundatas ac perpensas metaphorico ac non proprio imperij sensu explicari meritò patiatur: illa ergo omnia de imperio proprio interno Dei, siue intellectus, siue voluntatis diuinæ (quod definire scripturæ, & Spiritus Sancti intenti de dogmatica nec solum opinabili, veritate tradenda fuit referebat nihili) nusquam esse intelligenda respondeo: sed ita efficaciam potentiæ, & voluntatis diuinæ, atque physicam creaturarum omnium ab illis in essendo, & operando nobis, & pro nostro subinde captu externi imperii superioris ad subditos, eis imperatiui vocibus explicari, quibus ad illos superioris determinata voluntas de hoc vel illo determinatè faciendo intimatur: vt creaturarum omnium physica, & necessaria potentiæ, & voluntati diuinæ subordinatio, & subiectio, moralis subordinationis, & subiectionis, subditorum voluntati superioris aptissimo, & appositissimo exemplo explicaretur: illa vero loca ex Psalmo 148. & ex Psalm. 32. explicuimus controuersia de Trinitate d. 12. quæst. 1. certam. 1. Catholico sensu imperium, & iussionem ad verbum non continere; sep solum originis Prioritatem Patris respectu filij ex Patrum sensu, etiam eorum, qui eis vocibus largè quandoque vtuntur. Ad creaturas autem verbum ipsum proprium imperium. Athanas. orat. contra idola esse non probat ad verba Psalmi 148. vbi nec ad verbum, (vt aduersarij contendunt) sed solum ait: ad ipsum haberi à Patre sermocinationem scientiæ suæ origine præhabitæ communicatione: quo vero pacto verbo per se requisito Deus omnia faciat, dixi ibi qu. 3. errat. 1.

8. Denique prouidentiam ad actum intellectus imperatiuè, & præceptiuè distantem, quid iuxtà voluntatis determinationem, atque eius præscripto agendum sit, pertinere probat: quia prouidentia est pars prudentiæ subiectiuè, siue eius species: atqui prudentia est intellectus virtus, præcipiens quid agendum determinate sit, iuxta determinationem voluntatis; ergò, & prouidentia actus intellectus est præceptiuè dictans, quid iuxtà voluntatis determinationem sit agendum. Maior probatur, nam prudentia à prouidendo, siue procul videndo dicitur, iuxta Bedam ad cap. 10. Proverb. vers. 23. S. Thom. 1. p. quæst. 22. art. 1. corp. & 2. 2. quæstion. 49. art. 6. Tullium. 1. de inuentione fol. 4 Macrob. in somnium Scipionis fol. 2. vnde prouidentiam dictam, fuisse aiebant Boetius 5. de consolat. Prosa 6. Cicero 2. de iuuentute, & 2. de Diuinat. August. in Psalm. 73. fin. Isidorus 10. Etymolog. lit. P. init. vbi *prudens*, & *prouidens* indifferenter vsurpat. Minor est Arist. 6. Ethicor. cap. 9. sub init. & cap. 5. post initium vbi intellectus virtutem esse prudentiam docet: esse autem præceptiuum agendorum, & ibidem indicat & expressius docet c. 10. à med. fatus: *Prudentia præcipua est, finis enim ipsius est, quidnam sit agendum aut non agendum præcipere.* Quæ sic interpretatur S. Thomas 2. 2. quæst. 47. artic. 8. corpore. *Est tertius actus prudentiæ: præcipere: qui quidem actus consistit in applicatione consiliatorum, & indicandorum ad operandum. Et quia iste actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est, quod iste est principalis actus rationis practicæ, & per consequens prudentiæ.* Respondetur sub lite esse maiorem quibusdam, (in quibus Vasquez) & aliis negantibus, & solum partem potestatiuam prudentiæ prouidentiam esse admittentibus, de qua lite alibi nos; nec satis ex vocum prudentiæ, & prouidentiæ etymologia eadem probatur. Maiore vero admissa. Minor quoad vtramque sui partem aduersariorum sensu intentam, est omnino prorsus probabilitate carens; neque apparenter adhuc ex Aristotele, & sancto Thoma recitatis probatur, quoad primam adhuc. Nam Aristoteles exprese ait: actum de agendis præcipientem prudentiæ finem esse non autem prudentiæ proprium actum, siue prudentiam actualem formaliter, sed effectum eius vltimum, & finem, qui extra ipsam virtutem esse debet. Neque enim sui ipsius finis esse potest, indeque præcipua virtus est: quia reliquarum virtutum exercitiis rectis debet interesse: quod si non de fine intento, sed de vltimo eius virtutis actu, & post præconsiliationem habito, nempè iudicio approbante, determinante, vnam ex triis, de quibus consilium habitum, & præconsiliatum circa agendum, hic & nunc, fuit: illud quidem colorem sensu laxo præceptum rationis dici potest, quo dictamen rationis dicitur, estque postremus actus, ad quem intra sphæram suam intellectualis virtus prudentiæ extendi potest, & proximè, intra suam sphæram tamen, agendæ (quæ rationis practicæ, & prudentiæ finis sunt) pertingens: inde præcipuus prudentiæ actus est: in hunc sensum interpretabatur Aristotelem S. Thomas recitatus: cæterum post eam iudicij approbationem de medio, & modo hic, & nunc agendi liberum voluntati est ita esse agendum decernere, nullo Doctore dubitante: quare nullam affert determinationem voluntati aut potentia propriæ vel alienæ, vt ita operetur: ac proinde nec præceptum proprium est, vt omnes fatentur aduersarij: secunda minoris pars est prorsus improbabilis, quod scilicet actus intellectus, & prudentiæ præceptiuus de rebus agendis debeat esse iuxta determinationem præscriptam ab actu præsuppositio voluntatis, intentionem voluntatis omnis actus prudentiæ, & prouidentiæ rectæ supponit; ast de medio, & modo, quo obtinendum est, agendumque vt obtineatur electionem, & determinationem voluntatis supponit insomnium Philosophis videretur. Audiatur S. Thom. 1. p. quæstion. 22. art. 1. ad 3. *Prouidentia est in intellectu sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim prouidet de agendis, nisi velit finem:* & quæstion. 23. art. 4. corp. init. *Prouidentia, sicut & prudentia est ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem.* Quibus vtrobique solam intentionem finis ad prudentiam, & prouidentiam supponi docet. Quod autem præceptiuam rationum ordinandorum in finem, siue agendorum

agendorum rationem esse dicat: laxe, vt diximus, præceptum accipit; quem ad modum regulæ facultatis cuiusuis præcepta dicuntur, & qui eam docent, Præceptores. Quod autem rationem, & in intellectu existentem esse asserat, aduersariis non fauet: cum solum post intentionem finis esse, & asserat, & probet immò, nec nobis aduersatur: vti ex iam probanda nobis sententia clarebit.

CERTAMEN V.

Diuina prouidentia, & scientia dirigente voluntatem ad mediorum electionem & electione ipsa æquè, & directò constituitur.

1. IMperio intellectuali proprio à Dei prouidentia, immò, & interno omni pure physico à Deo prorsus excluso, & relegato proximis certaminibus 3. & 4. quidquid quæstionis restat de nomine, & puris vocibus est, vt bene iudicarunt Vasquez 1. p. quæstion. 87. cap. 3. fine Soar. 1. de essentia prædestinationis cap. 17. num. 13. Herize Ioann. Præpositus Arriaga, & communiter Recentiores: quos immerito reprehendit Ruiz d. 3. sect. 1. num. 8. quia præter examen illud de iis, quæ prouidentia dicat in recto, vel in obliquo, an scilicet scientiam in recto, & voluntatem in obliquo? an hanc in recto, & in obliquo scientiam; an in recto vtramque? (quas de puris vocibus quæstiones esse fatetur) magna dere quæstio sit: an præter scientiam dirigentem mediorum propositione, & imperium intellectuale ad prouidentiam saltem complendam requiratur? Ego vero nescio, an extremum defendere non magna solum, sed maxima res sit, ac difficillima: in ea verò quæstione, quam ipse cum reliquis de puro nomine esse meritò fatetur ea pars seligenda est, quæ pro priori vocum acceptione rem ipsam veritatis videtur attingere.

2. Dicendum igitur nobis est: Prouidentiam omnem, quare, & diuinam propriè, & ex parte rei obiectæ duos illos actus, & scientiæ mediæ proponentis & saltem apta ad præintentum approbantis, atque ad eorum electionem dirigentis, ac insuper electionem ipsam, nihilque aliud, ipsam directe, & ex æquo prouidentiam essentialiter constituere. Ita Doctores omnes citati certam. 1. numer. 11. pro sententia 3. Probatur primo ex Paulo ad Romanos 8. *quos præscivit, & prædestinavit*: ergò, prædestinatio aliquid ad præscientiam, seù actum intellectus addit: quod quidem nil aliud, quam voluntatis actus, qui destinatione proprie significatur, esse potest, ea vtique præscientia de mediis directis: ergo, & prouidentia, cuius species prædestinatio est, atque ab aliis prouidentiæ speciebus non forma, sed materia distinguitur. Confirmatur ex Augustino de dono perseuerantiæ cap. 18. vbi illud ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*. Ita interpretatur. *Quod*, ait, *præscivit non vetè intelligitur, nisi prædestinavit*: quia, etsi præscientia pars prædestinationis sit: ast, nisi actus voluntatis prædestinationis voce expressus accedat, prædestinatio absolutè, & adæquatè non est. Confirmatur vlteriùs, & expressius ex eodem Augustino ibi ca. 14. ita prædestinationem ex instituto definiente. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*: vbi vtrumque, & præscientiam mediorum gratiæ, & eorum præparationem in sua voluntate, & ipsorum electione ad essentiam prædestinationis explicandam in recto, & ex æquo aduocauit. Confirmatur 3. ex eodem Augustino de prædestinatione sanctorum: cap. 10. vbi suæ huic doctrinæ consonus, & insistens scrib. *Prædestinatio sine præscientia esse non potest; potest autem sine prædestinatione esse præscientia*: quia pars, sine toto esse potest; totum autem sine parte esse nequit, & cap. 17. de dono perseuerantiæ, *in sua quæ falli, mutarique non potest præscientia opera sua disponere; id omnino neque aliud quidquam est prædestinare*. Ecce dispositionem, quæ voluntatis est non nisi in sua, siue cum sua præscientia, prædestinationem esse docet.

3. Augustinianæ doctrinæ addictissimus Fulgentius, & hanc sententiam ex ipso videtur ebibisse 1. ad Monimum. cap. 7. fatus. *Prædestinationis nomine, &c. misericors, & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prædicatur*. Dispositio autem, etsi voluntatis sit, sine disponendorum scientia non est, & rursus. *Prædestinatio est præparatio operum eius*: quæ vtrumque sane actum importat: vterque vero videtur definitionem ex Boëtio didicisse 4. de consolat. prosa 6. Sic prouidentiam vniuersim definiente. *Diuina ratio in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit*. Nyssenus 8. Philosoph. cap. 2. seu potius Nemesius de animæ facultatibus cap. 43. *Rerum procuratio à Deo suscepta*: & rursus, *voluntas Dei per quam omnia quæ sunt, aptè gubernantur*; atque iterùm *prouidentia est procuratio Dei circa ea quæ facta sunt*. Damascenus 2. de fide cap. 29. *Quæ ex Deo est in ea quæ sunt cura*: item *voluntas Dei per quam omnia quæ sunt conuenientem habent gubernationem*. Hugo victorin. apud Alens. 1. p. qu. 26. m. 2. *Prouidentia est curæ rerum*. Cura autem, & procuratio rerum, haud dubio, non solum scientiam, vt clientis commoda cognoscat Procurator, & penetret, sed, & voluntatem ea applicandi, & disponendi pro bono ipsius includit; neque alicui prospicere (quod idem est ac prouidere (is dicitur, qui ei profutura solummodo nouit, sed qui ea apponere vult, ac disponit; inde quasi per causam prouidentiam definiuit. Theophilus Anthiochen. cap. 1. ad Antiloc. verbo vno asserens *esse bonitatem Dei*: inde enim rerum à se factarum commoda quasi indagare eaque ipsis disponere voluntate sua Deus habet. Vnde Boëtius vbi proximè, aiebat, *Omnia gubernari bonitate Dei*. Quoniam verò vtrumque, & scientiæ, & voluntatis diuinæ actum Dei prouidentia claudit recitati, ac reliqui Patres, alterutro illam quandoque exponunt, non excludentes alterum, sed, vt quid notissimè ad prouidentiam pertinens, supponentes. Quo testimoniis pro prima, & secunda sententia certam. 1. memoratis fiet facile satis, & quæ pro prima prouidentiam in scientia sola constituente circumferuntur vocis, etymologiæ solum intendunt; quæ verò pro secunda illam in solo voluntatis actu animi curam, solum, & beneficam anxietatem, vt sic loquar, intendunt.

4. A ratione probatur primò conclusio argumento à paritate appositissimo: etenim Dei auctoritas in testificando, & veritate eius infallibili in cognoscendo, & iudicando de reuelandis, & testificandis, quæ est quasi passiua eius infallibilitas, & veracitate, quæ est impossibilitas actiuæ alios dicto suo fallendi illud cum iudicio suo non conformando, directè, & ex æquo essentialiter omnium sententia constituitur; tametsi testificandi veracitas iudicij infallibilitatem supponat: quia sine vtroque testimonij auctoritas diuina non constat. Ast sine scientia proponente media apta ad finem, & eorum electionem dirigente, etsi voluntas ea velit apponere efficaciter, de factoque ex creaturæ cui prospicit amore, & complacentia apponat, cæco & fortuito & vulc, & apponit, nusquam verò proinde; Si autem media perfectissimè percalleat, non autem ea eligat, non prouidet creaturæ; ergo, etsi electio mediorum posterior natura sit scientia mediorum ad electionem dirigente, prouidentia vtroque actu constabit: sicuti diuini auctoritas testimonij, & iudicij infallibilitate, ac indefectibili veritate atque diuina veracitate Dei dicentis directè, & ex æquo constituitur per omnes quia absque alterutra diuini testimonij auctoritas non constat; tametsi altera alteram, quasi physicè supponat, sitque ea posterior.

5. Secundò: quia in duobus sine quibus nequit totum quod res aliqua importat subsistere, rectum, & obliquum ex parte rei obiectæ non est; sed est solum ex parte modi nostri concipiendi; vt sæpè in similibus monui; totum autem, quod prouidentia dicit, est præparatio mediorum, quod voluntate fit, ac non cæca & ignorans,

quæ

quæ per scientiam, qua cæcitas, & ignorantia mediorum formaliter depellitus, formalissime præstatur: ergo neutra in obliquo sed vtraque in recto prouidentiam ex parte rei obiectæ essentialiter constituit. Secunda hæc ratio totum secundæ sententiæ (in solo actu volitionis, siue electionis mediorum prouidentiam statuentis, fundamentum eneruat. Etsi enim electio illa, sicut quiuis alius voluntatis actus, scientiam obiecti prosequendi necessariò requirat, & tamen essentialiter non constituatur in recto, sed tantum præsupponat, & connotet in obliquo, tanquam necessarium quid ex parte obiecti, vt eius prosecutiuum actum voluntas eliciat; at verò actus ipse voluntatis nullatenus scientia obiecti, vel intellectus est, sed solius voluntatis, ea scientia solicitatus, & oriundus. Prouidentia verò, etsi, qua parte electionem mediorum continet, scientiam solum præsupponat, & connotet; qua vero sapiens sciens formaliter, & prudens non autem ignara, & cæca est formam ipsam scientiæ mediorum essentialiter claudit.

6. Dixi nihil aliud prouidentiæ essentiam constituere præter mediorum, seu agendorum ad finem rei cui per ipsam prouidetur scientiam, & electionem: quia decretum de re cui prouidetur toti prouidentiæ præcedit, eiusque executio, vt dicam. d. 3. qu. prima certam. 2. Nil item vlterius vt probatum est certam. 2. 3. & 4. quibus intellectuale omne imperium, siue imperatiui, siue indicatiui modi, quod electione posterius à nonnullis ad prouidentiam inducebatur ab ea exterminauimus, sed neque prius: quia his prior sola intentio finis est: ex qua de mediis, & agendis ad eius consecutionem prouidetur: quare non magis ad prouidentiæ essentialem constitutionem vocari potest, quam causa quæuis ad constitutionem sui effectus. Demum excluſiuam hanc cæterorum omnium conclusionis nostræ partem expressè docuit Augustin. cap. 17. de dono perseuerantiæ recitatus numero secundo explicandum hic videbatur, quod scientiæ genus directiuum electionis mediorum, & cuius conditionis mediorum, tam scientia dirigens, quam electio directa esse debeant, vt prouidentiam constituant; ast prouidentiæ vniuersim sumptæ nullum scientiæ genus, & conditio specialiùs, siue ipsius, siue mediorum eligendorum assignari potest, quæ in aliqua prouidentiæ specie non deficiat: quare, cum species prouidentiæ recenseamus, & explicemus, sua cuique scientia electionis mediorum, & agendorum directiua eiusque, & electionis materia, seù obiectum opportunius assignabuntur.

QVÆSTIO II.

De Prouidentiæ in suas species diuisione, & earum explicatione.

QVm scientia directiua electionis mediorum, seu agendorum ad præstitutum rei prouisæ finem obtinendum, & horum electione essentiam prouidentiæ constituerimus, fit plane ex scientiæ, & electionis, atque obiectorum vtriusque diuersitate diuidi in suas species prouidentiam posse: ea autem distinctione, & diuisione loquimur, quam actus scientiæ, & voluntatis, qui vnissimi Deo physicè sunt, patiuntur, iuxta dicta tom. 1. de Deo vno, & hoc 2. controuersiis de scientia, & voluntate Dei.

CERTAMEN I.

Diuinæ Prouidentiæ species omnes ex obiectis, & actibus recensentur.

1. EX obiectis, & subiectis, quibus prouidentiæ diuinæ diuisio, Cum enim à subiectis, quibus prouidetur, & mediis, per quæ prouidetur, quædam causæ naturales, & necessariæ in operando sint, & media item, per quæ ipsis prouidetur, sint etiam effectus necessarij, prouidentia de necessariis, & obiectiuè, siue ex parte obiecti necessaria erit: ex parte verò subiecti libera, vt hæc determinata, & per hæc determinata media est; tametsi per hæc, vel alia quibus prouideri posset ac de facto prouideretur, non ab alio quam à Deo prouideretur iuxta dicta tota disput. 1. maximè quæstion. 4. Hanc subiectiuam diuinæ prouidentiæ necessitatem conditionatam non absolutam esse inde satis constat: quod semel producta quæuis in primo instanti è supremo suo in creata omnia dominio Deus pro secundo instanti, subtractione sola concursus destruere, & annihilare (vt scholastici loquuntur) pro suo libito potest: quibus sublatis prouidentia de ipsis esse non posset. Sed neque vlla fuisset adhuc pro instanti primo quo fuissent: cum rei nullius prima productio prouidentia respectu ipsius sit; vt docuimus ex Patribus S. Thoma, & ratione quæst. 1. certam. 5. num. 6. & 7.

2. Sin autem subiecta, & media, atque agenda ad præstituti finis consecutionem libera in actu primo, & indifferentis potestatis ad vtrumuis sint, liberam, ac non naturalem obiectiuè, siue ex parte obiecti cui prouidetur, & mediorum, atque agendorum per quæ prouidetur prouidentiam esse certum omnibus est: cum nihil aliud sit liberam obiectiue, siue ex parte obiecti prouidentiam esse quam esse liberum & subiectum & obiectum circa quæ versatur: quare diuina prouidentia meritò in naturalem, & liberam, sumpta alterutrius denominatione è subiectis & obiectis cuiusque primò distinguitur. Est autem aduertendum practice, & vt rapiat Deus creaturis, siue naturalia entia, siue libera sint, prouidet, Dei prouidentiam erga alterutra adæquatè sumptam à prouidentia erga altera adæquatè sumpta secundum se totam minimè differre. Siquidem, & media eligit ac interserit libera, vt de suis effectibus ad finis assecutionem agentibus naturalibus prouideat: vt libera manus nostræ ignis applicatione ad combustibile, vt calorem inducat, illudque igne faciat: & libero Angelorum bonorum, seu malorum ministerio ad confirmationem naturalium extraordinarium confluxum ad pluuias beneficas, vel ad terrificas inde necessariò ortas tempestates, quod si hæc ad iustos exercendos ac reducendos peccatores ordinentur: iam media hæc naturalium, ac necessariorum effectuum liberis agentibus, ad finis ipsis præstituti assecutionem in eorum prouidentia miscentur.

3. Rursus prouidentia, ex parte etiam obiecti diuiditur in naturalem, & supernaturalem, quod si de naturalitate, & supernaturalitate quoad substantiam loquamur diuisio hæc, non prouidentiæ vniuersim sumptæ diuisio est, sed alterius membri diuisionis primæ: nempè prouidentiæ liberæ subdiuisio: in qua dubio procul media, & plura agenda supernaturalia, quo ad substantiam, ad finis supernaturalis beatitudinis æternæ consecutionem intercedunt: vt fidei, spei, & charitatis habitus & actus: gratiæ insuper, formaliter sanctificantis, gratumque Deo operantem constituentis, eiusque honesta opera quæuis ad condignitatem meriti vitæ æternæ eleuantis, habitus. Consulto inter media quoad substantiam supernaturalia, non memoro gratiæ auxilia, quæ ad salutis nostræ negotium frequenter in-

percedunt

tercedunt, atque ad honestum vndequaque, & bonum opus morale quodvis requiruntur: quia, an ad eiusmodi bonum opus, quod gratiæ habitu accedente meritorium de condigno augmenti gratiæ, non autem ea gratia adstante, de congruo solum, & eodem modo vitæ æternæ: ad quam congruitate quadam mediatè conducat, ansamque porrigat Dei bonitati auxilium gratiæ supernaturale, quoad substantiam necessario intercedat? quia hac de re grauissima, (si quæ alia in Theologia) lis inter Vasquistas, & Soaristas est multa accurata eruditione, & d. à nobis dirimenda tom. 1. de ente supernaturali (Theologiæ nostræ 5.) controu. 2. an ad quodvis bonum opus morale, quovis modo, & gradu ad vitam æternam conducens gratia Dei per Christum, etiam quoad substantiam, supernaturalis requiratur, nec talis quoad modum tantum sufficiat? libera vero prudentia naturalis ea erit quæ ad naturale quidpiam ab agente libero, & liberè obtinendum de mediis, & agendis prouideat: eaque ad actus indifferentes, nec saluti æternæ noxios, nec proficuos, qui à plerisque in nobis magna probabilitate admittuntur, subserviet.

4. Quod si de prouidentiæ naturalis, & supernaturalis quoad modum tantum diuisione loquamur: tam prouidentiæ naturalis, quâ liberæ subdiuisio esse potest. Cum enim supernaturalitas mediorum, ac rerum quoad modum tantum in eo stet, vt quamvis res, aut medium eligendum, & apponendum intra virtutem actiuam, & exactiuam causarum naturalium sit, ac proinde neque naturæ totius actiuitatem, & exigentiam superet, & excedat; tamen hic & nunc, vt naturali fluxu, & cursu causæ pergunt, aut pergerent, nec medium, aut res illa ab eis fieret, neque exigeretur. ni Dei absque naturalium rerum exigentia, & pro libito solum suo, causarum indebita coniunctio, ex qua medium illud apponeretur, resque vel effectus absolutè prodiret disponeretur; vel absque ea coniunctione, & confluxu causarum, hic, & nunc indebito, vel se solo Deus causæ absentis concursum supplens, medium vel rem ad finem intentum absolutè eligeret, & apponeret: id quod, cum tam respectu causarum, & effectuum naturalium, quam liberorum possit Deus pro suo arbitrio, dominio, & potestate præstare ex finis cuique earum præfixi intentione, vt eum, vel naturalis: vel libera causa assequatur: fit sane: vt supernaturalis quoad modum tantum prouidentia, tam in naturali, seu necessaria obiectiuè, quam in libera ex parte obiecti habeat locum. Vtraque verò prouidentia quoad modum solum ex parte obiecti naturalis, & supernaturalis aliter nominari vulgò solet: nempè prouidentia ordinaria: quia de lege ordinaria naturæ, & causarum naturalium exigentiæ, & quasi iuri diuina prouidentia stat; cum autem ius & exigentiam hic & nunc naturæ, & causarum naturalium in mediis disponendis & apponendis non attendit, sed negligit, atque ordinaria illa naturæ lege solutus operatur rebusque prouidet è prouidentia extraordinaria se gerit: sic Altologis inopinatas pluuias, grandines, cælique, & aëris tempestates, terræ motus, monstra, ac portenta disponit, ac producit.

5. Ex parte verò prouidentiæ ipsius obiectiuè, siue ex parte obiecti, liberæ, quoad intrinsecum sui, ac Dei ipsius alia diuisio, & diuersitas est: est siquidem prouidentia vna, qua media etsi de se indifferentia, tamen ab extrinseco efficacia ad finis intenti consecutionem agenti libero prouidet (siue naturalis, siue supernaturalis, quoad modum, & substantiam prouidentia sit) vt patet in prouidentia, qua prædestinatis prouidet de mediis ad vitæ æternæ consecutionem. Est item alia prouidentia, qua de aptis, & sufficientibus quidem mediis ad finis consecutionem non autem efficacibus agentibus liberis à Deo prouidetur: vt patet in mediis, de quibus Deus non prædestinatis prouidet ad finis gloriæ consecutionem, quam ipsis serio vult absolutè, atque desiderat, vt vidimus tom. hoc controuersia de voluntate. Et, quamvis exempla hæc in prouidentia libera supernaturali, siue quoad substantiam, siue quoad modum, sint posita, vtraque tamen prouidentia de mediis efficacibus, & sufficientibus purè naturalibus ad purè naturalem finem consequendum: quare, & prouidentiæ purè naturalis in vtramque diuisio habet locum, vt patet. Dixi hanc diuisionem secundum intrinseca prouidentiæ, Deoque ipsi, fieri mente nostra rectè posset. Nam prouidentia de efficacibus tantum mediis essentia sua scientiam mediam directiuam electionis ipsorum claudit; quæ autem de sufficientibus solum mediis est, medium conditionatorum contingentium scientiam non includit, vt certamine 2. vniuersim, & speciatim de prædestinatione controuersia 7. & de reprobatione controuersia 8. ostendemus. De actu etiam electionis, & voluntatis mediorum efficacium vni prouisorum, solumque sufficientium alteri, viderur in prouidentia de alterutro intrinseca, & prouidentiæ & Deo ipsi diuersitas, vt amplior gratia, & beneficium collatum vni præ altero suadet: maximè, si ad finalem iustitiam in posttremo tentationis conflictu conseruandam, vel pœnitentiam adquirendam, ea collatorum mediorum diuersitas sit. Verum ea diuersitas speciem affectiuæ electionis mediorum erga vtrumque non variat, sed solum intra speciem eandem probat esse erga vnum quam erga alterum, affectiuè, & dilectiuè maiorem: quare & quasi accidentariam alterius ab altera prouidentia, non autem specificam diuersitatem.

6. Maior lis Theologis nonnullis de præfatis prouidentiæ diuisionibus aliundè consideratis, an genetis in species sint? affirmasse videtur Sanct. Thom. in 1. d. 40. quæstione 1. articulo 2. vbi Durand. quæst. etiam 1. num. 6. Capreol. quæst. vnica, articulo 1. conclusione 2. & communiter interpretes, in 1. part. quæstio. 22. consentiunt. Marsilius in 1. d. 41. articulo 1. Camerarius Dialog. Cathol. cap. 1. §. 4. Soarez 1. de prædestin. cap. 18. Herize cit. d. 22. cap. 7. num. 66. Negat verò Vasquez 1. part. d. 87 i cap. 5. num. 23. & Magister meus Didacus Daza citato manuscripto de prouidentia in quæst. logicæ quam Theologicæ disputationi aptiore, censeo de re non posse Theologos decertare: si enim scientiæ, & volitionis diuinæ actus secundum intrinsecum accipiantur indiuisus actus scientiæ obiectorum, & vnius physicè, ac metaphysicè etiam insectilis est: quod ipsum de actu voluntatis diuinæ suis propriis controu. & locis ostendimus: quo solum sensu negantes Doctores loquuntur, neque affirmantes contradicunt. Cæterum, cum iam vsus Theologorum obtinuerit, vt pro diuersitate status obiectorum (imnò & obiecti eiusdem) Dei scientia, quasi specificè, diuidatur apud omnes in scientiam necessariã, seu simplicis intelligentiæ & scientiam visionis, seu liberam de absolutè nimirum existentibus rebus pro sua duratione etiam absolutè liberis: nostraque schola societatis speciem aliam scientiæ inter vtramque mediæ, re à priscis traditam Patribus, & Theologis propria scientiæ mediæ, seu conditionatæ nomenclatura docuerit, altè fundauerit, atque luculenter explicuerit, pro statu futurorum contingentium conditionatorum, à duobus possibilitatis, & absolutæ libertatis, & futuritionis diuerso, fit sane primo: prouidentiam, quæ scientiam conditionatam contingentis ad electionem mediorum directiuam essentia sua claudit, &, quasi specifica differentia, ab alia quæ illam essentia sua non claudit differre: fit inde secundò: vt ex obiectorum, & mediorum seu agendorum entitatiua, vel morali diuersitate eodem modo, & scientiam, & electionem: ac subinde prouidentiam, quasi in species minutiores, simili Theologica loquendi facultate subdiuidere possimus. Nec de his plura.

CERTAMEN II.

Scientia naturalem, & liberam prouidentiam cum mediorum electione constituens, atque huius conditio explicatur.

1. DIximus scientiam, quæ prouidentiam quamvis constituat, electioni, quasi natura præuiam, eiusque directiuam esse debere: idque ita probauimus q. 1. à certam. 2. & maximè certam. 5. vt vlterius supponendum sit, non probandum. De electionis verò conditione agendum hic tantum est non de natura, qua, & finis intentionem essentia sua supponit, cum ad mediorum inquisitionem, si non præsto menti adsint, & occurrentium ad conclusionem de ipsis, & iudicium ferendum de potiori, securiorique ad finis consecutionem, si ex tota, qua potest intentionis serietate eligendum sit: tum denique ad electionem mediorum ipsam, quæ absque finis intentione esse non potest. De electionis ergò conditione solum hic agitur, & breuiter quidem. An scilicet efficax esse debeat mediorum, quæ eligit, voluntas, & electio? an satis sit esse inefficax desiderium saltim serium, quod tamen absolutam efficaciam non pertingat: quemadmodum de intentione, & desiderio diuino salutis omnium, etiam reproborum, serium, ac non perfunctorium esse ostendimus contro. de volunt. non tamen absolutè efficax, immò neque salutis prædestinatorum per merita liberosque actus obtinendæ intentionem Dei quantumvis seriam ex parte Dei, seu quatenus in ipso est, efficaciam absolutam pertingere non posse ostendemus contro. 7. de prædestinatione ex acto principio contro. de voluntate. Breuiter ergo vt dixi, & ex omnium sententia dico electionem mediorum, qua prouidentia constituitur debere esse absolutè efficacem, & mediorum effectiuam, non satis esse efficaci remissiorem, & segniorem, quantumvis eam infrà absolutam efficaciam seriam adstruas. Ratio est: quia quantumvis quis desideret media, dummodo ea absolute non apponit, res exterius non gubernat, nec disponit ad finem: ergò, quousque ea efficaciter velit apponere, non prouidet de mediis ad finem. Ne verò putes prouidentiam vltra efficaciam electionis absolutam mediorum eligendorum efficaciam requirere, vt non nulli hallucinari videntur: potest vera prouidentia electione mediorum sufficientium quidem, non autem efficacium constituì, vt satis insinuauimus hactenus, & hac controuersia de voluntate d. de affectibus Dei creaturarum prosequutiuis.

2. De scientia verò electionis directiua (vt esse debet, quæ prouidentiam constituat) explicare oportet: quænam ex scientiis simplicis intelligentiæ, & visionis electionis, cum qua prouidentiam constituat directiua sit? & visionis mediorum, ac effectuum scientiam esse non posse, & diximus, & de se patet: cum media, & effectus ipsa absolutè sequentes, absolutam electionem, & scientiam eius directiuam, quare & prouidentiam, adæquatè constitutam supponant, quarum affectus absoluti sunt. De scientia ergo simplicis intelligentiæ, & media (quæ solum restant) potest esse disputatio, cuius definitio pro omni specie prouidentiæ nequit esse prorsus eadem. Quare de prouidentia naturali, & necessariâ ex parte obiecti, siue, quæ de causis, & effectibus naturalibus, & necessariis habetur, seorsim, & de obiectiuè libera, seu, quæ erga agentia libera liberosque effectus versatur, seorsim etiam definiendum erit: vtra ex eis scientia electionis mediorum, seu agendorum ad finem rei, cui prouidetur, cum eiusmodi electione prouidentiam essentialiter constituat: & quidem scientiam simplicis intelligentiæ, cum de possibilitate finis, & mediorem, & agendorum omnium ad finem ad vtramque prouidentiam præsupponi, certum, constansque apud omnes est: cum vera, seriaque finis intentio, quæ ad omnem prouidentiam essentialiter supponitur, incognita finis possibilitate concipi, haberique à Deo non possit: immò neque ab homine, ni possibilis finis existimetur (saltem per errorem) ea vero possibilitas per scientiam simplicis intelligentiæ à Deo cognoscitur: simili ratione probatur scientiam de mediorum eorumque conducentiæ ad finem intentum possibilitate electionem ipsorum, & subinde prouidentiam, debere, vt mininum, præcedere: quia electio mediorum, & agendorum ad finis consecutionem, non vtcumque seria ipsorum voluntas, sed absolutè efficax est, quæ incognita eorum possibilitate haberi nequit: & hæc quidem apud Theologos omnes communia sunt, atque indubitata.

3. Lis ergo apud scholasticos ea solum esse potest: vtra ex eis scientiis simplicis intelligentiæ, & conditionata prouidentiæ naturali, & necessariæ, & liberæ ex parte obiecti, vt explicuimus, proximè, & immediatè, seù vltimo directiua ad electionem mediorum, & agendorum ad præintentum finem sit, vt cum electione ipsa, quam proximè, & vltimo dirigit, prouidentiæ essentiam (vt diximus quæstione prima, certamine quinto) constituat? An pro vtraque prouidentia sola simplex intelligentia sufficiat? vel sola scientia media, vel altera ex his pro altera, altera verò pro altera solum sit satis? In hac vero quæstione dicendum primo cum omnibus Theologis est: in prouidentia naturali, seu necessaria ex parte obiecti, solum scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate mediorum, & agendorum, & conducentiæ ipsorum in finem esse immediatè proximè, & vltimo directiuam electionis: ac subinde, iuxta nostram sententiam, contra aliquot Thomistas, & nostrum Ruiz, probatam quæstione 1. fere tota eam solam scientiam essentiam prouidentiæ naturalis cum electione per ipsam directa constituere. Ratio est data: quia respectu mediorum naturalium, ac reliquorum agendorum in prouidentia pure naturali, ex parte obiecti necessaria, & mediorum actiuitas, conducentia ad finem naturalis, ac necessaria, nusquamque indifferens ad vtrumvis est, neque agendorum hue effectuum aliquid est liberum: atqui respectu causæ naturalis, & necessario operaturæ, atque agendorum, seu effectuum non liberorum sola datur scientia simplicis intelligentiæ pro priori ad ipsorum electionem, & executionem absolutam: ergò ea sola est directiua immediatè proximè, & vltimo ad mediorum, & agendorum electionem, vt finis obtineatur.

4. Dices: tota determinatio actiuitatis, & exigentiæ causarum naturalium mediorum, & agendorum ex prouidentia hac naturali obiectiue subditur arbitrio Dei, qui pro libito potest eis concursum ex parte sua ad effectus edendos denegare, vt sæpe causis naturalibus denegauit: idque posterius natura ad eorum electionem, & absolutam positionem, quorum absolutam existentiam, concursus diuini exigentiam absolutam expectat, & præuidet absolutè, vt cum ipsis concurrere annuat absolutè, vel renuat: ergò ex sola scientia simplicis intelligentiæ de possibiliare mediorum, & causarum naturalium nequit immediatè & vltimo ad illorum electionem procedere; sed debet præterea etiam eiusmodi electioni naturalium mediorum, & agendorum scientia conditionata de decreto concurrendi libero Dei, si ea naturalia media adhibeantur. Respondetur prouidentiam purè naturalem, & ex parte obiecti necessariam ex intentione efficaci finis absoluta semper à Deo haberi: ex qua intentione ad ea omnia, quæ necessaria sunt ex parte ipsius ad finem obtinendum, præstanda antecedenti necessitate tenetur: cum autem eis mediis naturalib. electis, & positis absolute & decretum concurrendi, & concursus Dei cum illis necessaria sunt: non est Deo liberum decretum concurrendi quare, nec sub hypothesi electionis mediorum ex ea intentione habitæ contingens conditionatè est Dei decretum, & concursus, vel eius negatio, si hæc ex prouidentia naturali purè adsit. aliquem sint apponenda. 2. si eam finis intentionè ex quia pure naturalis, & necessaria ex parte obiecti prouidentia & mediorum electio habetur efficacè absolute vocari nobis aast seriam illam intentionè finis esse negare non potest: quæ

quo autem pacto seria finis intentio erit, si id sine quo finis obtineri absolutè nequit, atque in sua tantum voluntate, & potestate est, præstare nolit, & apponere: nempè decretum concurrendi? quare ex seria illa intentione finis nequit non ad decretum concurrendi cum causa naturali antecedenter necessitari: ne intentio illa non seria, contradictoriè esse possit, quæ supponitur, atque essentia sua seria est: sicuti ex seria intentione salutis reproborum, ex qua auxilium, saltim sufficiens, confert, & decretum concurrendi ex parte sua apponere, ob eandem rationem tenetur: quia ex parte actus primi sublato, auxilium sufficiens non est, neque consensus ad salutem necessarius in potestate absoluta voluntatis.

5. Dicendum est secundò: ad prouidentiam liberam ex parte obiecti ortam ex intentione diuina seria finis liberè à creatura rationali, siue agente creato libero obtinendi (non tamen seria tota serietate, qua Deus finem liberè à creatura obtinendum, seu quemvis liberum eius actum, citra efficaciam adhuc potest intendere) sola etiam scientia simplicis intelligentiæ immediatè proximè, & vltimo directiua electionis mediorum sufficientium est; & cum hac ex æquo eiusmodi prouidentiam constituens. Hanc conclusionem non video ita apud Doctores expressam, immò, cum de prouidentia vniuersim erga actus liberos disputant, & solam prædestinationem (quæ perfectissima prouidentia est) attendunt, conclusioni huic quotquot scientiam mediam admittunt sæpè videntur aduersari scientiam mediam esse directiuam electionis mediorum in omni prouidentia libera ex parte obiecti ex intentione finis, seu actus liberi à creatura obtinendi, vel supponentes passim, vel obiter asserentes, vt videre est in nostro Ruiz: tametsi, tam hic, quàm cæteri, cum de prouidentia erga reproborum salutem agunt nostræ generali huic doctrinæ in illa specie prouidentiæ suffragentur. Cæteris fusiùs magisque ex instituto nostræ huic conclusioni aduersatur Herize noster de prouidentia d. 22. cap. 3. à numero 25. vbi ad diuinæ prouidentiæ perfectionem spectare vniuersim, & absolutè ait, præscire, quid ex medio, quod electurus ad intentum finem, præstiturusque est, eueniet. Si donetur: vnde & imperfectam fore Dei prouidentiam, quæ eiusmodi conditionata præscientia ad electionem mediorum non dirigatur. Sed tamen cap. 7. numero 60. §. *Respondeo* ad nostram doctrinam, sicut & alij, se recepit: negans electionem medij sufficientis in non prædestinatorum prouidentia haud quaquam scientia media dirigi, ac regulari.

6. Probatur conclusio nostra vniuersim, quia seria, ac vera absolutè intentio Dei de actu libero nostro, seu fine alio per actum liberum nostrum obtinendo, satis habet, si talis intentio sit, ex qua moueri possit, de facioque moueatur Deus ad eligendum, præstandumque nobis medium, vt possimus, atque nostræ absolutæ potestatis sit actum intentum à Deo elicere, seu intentum alium ab ipso finem per liberum nostrum actum obtinere: atqui ad huius medij electionem sufficit præcisio, & directio solius scientiæ simplicis intelligentiæ, nec potest præcedere, & dirigere scientia media, seu conditionata de eo, quod libere à nobis eueniet, aut fiet, si tale medium nobis donetur: ergo sola scientia simplicis intelligentiæ, non autem media de eo, quod eueniet, atque à nobis fiet, si illud medium nobis præstetur, prouidentiam liberam ex ea intentione ortam constituet. Maior probatur: voluntas enim finis de se motiua electionis medij agit ad eius consequutionem, non est complacentia de pura possibilitate finis (adhuc in sententia nobis confutata contra de volunt. de complacentia Dei in rerum possibilitate pura) sed existentiæ finis rerum, nec perfunctorium, solum desiderium, & intentio. Minor probatur primò: quia medium sufficiens tantum ad finem, qua sufficiens solum, dicit possibilitatem actiuam efficiendi, quatenus ex parte eius est, cum voluntate, cui donatur actum liberum, & eo medio finem vlteriorem, si finis vlterior intentus à Deo est, ac subindè possibilitatem passiuam actus liberi, seu finis vlterioris intenti, vt eo medio prætito à voluntate fiat: atqui sola scientia simplicis intelligentiæ cognoscitur à Deo eiusq; voluntati proponitur, vt eligat hæc, & omnis possibilitas obiectorum creatorum, atque eorum existentiam, quæ esse, vel operari possunt, quod intendit, decernat: ergo sola scientia simplicis intelligentiæ non autem conditionata de eo, quod à voluntate nostra fiet, ac eueniet, si medium illud sufficiens donetur, directiua est electionis medij sufficientis & improuidentiæ habitæ ex eiusmodi intentione.

7. Confirmatur eadem minor: quia ad electionem medij solummodo sufficientis, qua talis, nulla scientia media conditionati contingentis futuri sub illo potest dirigere, & inducere voluntatem Dei serio intendentis actum liberum nostrum, vel finem ipso vlteriorem: sed nulla scientia (ea excusa) potest antecedere, dirigere ac inducere voluntatem Dei ad medij sufficientis, qua talis electionem, præter simplicis intelligentiæ: siquidem scientia visionis, quæ restat non ante, sed post medij electionem est: ergo sola scientia simplicis intelligentiæ est directiua, & inductiua voluntatis Dei ad electionem medij sufficientis ad actum liberum, seu vlteriorem finem à Deo intentum, qua talis. Maior probatur efficaciter: quia scientia media futuri contingentis sub eo medio sufficienter nulla est de actu libero futuro sub illo: quia sub medio illo, non est futurus, alioqui non sufficiens solum medium, sed efficax foret: immò ideò sufficiens solum est, quia actus sub illo futurus non est. Sola ergo scientia conditionata futuræ negationis actus liberi seu vlterioris finis intenti sub eo medio sufficienti, siue, quod sub eo medio actus liber, & vlterior finis intentus non erit Deo (cuius scientiæ falsitas repugnat) adesse potest: atqui hæc nequit dirigere, & inducere voluntatem ad eius medij, sufficientis solum, electionem: quin immò eam ab eius electione prorsus retraheret, si præcederet: ergo nulla scientia media contingentis conditionati potest dirigere, & inducere Dei voluntatem ad electionem medij, sufficientis solum, ad actum liberum, seu vlteriorem finem verè, ac serio præintentum. Antecedens, seu minor proximè subsumpta probatur: quia implicat eum, qui verè ac serio intendit, ac desiderat, vt aliquid fit, dirigi, ac induci ad medij alicuius electionem ex certa, & infallibili scientia, quod sub illo medio non erit: ita enim, atque ex ea scientiæ eligens electione ipsa tenderet, vt non esset, quod præintenderat verè, ac desideraverat: serio, vt esset, intentione ipsa, ex qua ad eius electionem mouebatur: vafreque, ex industria, & data opera, procuraret, ac disponeret vt non esset, quod intendere se iactabat illusoris, & circulatoris vitio, ingenuo homine (nedum Deo optimo) indignissimo. Confirmatur denique eadem minor & postremus hic discursus in eius confirmationem instructus: quia ob rationem, & absurda in eo contenta quicunque scientiam mediam tuentur Doctores, Deum scientia media non futuri consensus reprobi in finalem pœnitentiam, vel consensus peccatoris in actum prauum sub conditione medij, seu auxilij solummodo sufficientis, quod ei confertur ad illud eligendum, & conferendum dirigi, ac induci minimè posse, vel peccatoris, & reprobi salutem verè non intendere nec serio desiderare aiunt: sed potius perditionem, ad quam ex eius media illud apponit, scienque, & volens ex industria, dataque opera procurat.

8. Dices: hæc eadem inferri, etsi Deus, non ex scientia media non futuri actus liberi, seu vlterioris finis intenti sub conditione medij sufficientis solum à se eligendi, & creaturæ rationali præstandi, illud absolutè eligat & præstet. Negari quippè nequit, eam scientiam conditionatam de non futuro consensu libero sub illo medio, si præstetur, adesse absolutè Deo, cum illud eligit; & nihilominus ea scientia, posita etiam vera intentione consensus liberi, à sufficientis illius medij electione non retardatur; quin seriæ Dei intentioni, & vero desiderio consensus nostri liberi, seu vlterioris finis aduersetur, ergo nec, si ea scientia dirigatur electio medij sufficientis, cum præfata intentione ac desiderio pugnabit. Nec satisfacies, si dicas: eam scientiam non adesse Deo formaliter sumptam pro priori ad electionem sed solum materialiter, sicut reliqua diuina, scientiæ simplicis intelligentiæ directiuæ electionis illius, identificata, vt scientia visionis, & aliorum conditionatorum scientia; imò, & immensitas, æternitas, omnipotentia, &c.

quæ ad eam electionem impertinenter se habent: in primis enim Deus medium illud sufficiens non eligit cæco modo, & euentus ex illo, si detur, futuri ignarus, atque ex sola scientia possibilitatis effectus, seu consensus liberi ex illo: eligit enim illud præ efficaci alio, sub quo, si donetur, consensum forè cognscit, alioqui, si ex scientia sola possibilitatis cōsensus sub medio quovis vnum ex eis eligeret, pro sufficienti efficax eligere posset: cum consensum ab alterutro possibilem esse prænoscat: quare, & insciis omninò reprobum prædestinaret, cum ei media, quibus certissimè liberaretur præpararet, atque disponeret: vnde prædestinatio & reprobatio casui & fortunæ pareret: nec Deo ita insscio prædestinanti gratiæ à prædestinato deberentur ampliores, quàm à reprobo debeantur: vtrique enim Deus id solum sciens, prudensque de suo contulit, quo vterque posset liberari, si velit; nisi, vti medium, quo posset liberari conferret, scientia possibilitatis consensus sub mediis propositis sola non contentus, expectaret scientiam consensus conditionatè futuri, vel non futuri sub illo, quæ quidem formalissima scientia media est. Si autem ea scientia conditionata debet medij sufficientis electionem antecedere, quin tamen eam retardet de factoque detineat, & id quidem absque contradictione cum seria intentione consensus liberi, seu vlterioris finis intenti; ex qua sufficiens solum medium eligitur, discursus totus noster proximus cessat. Respondetur non omnem scientiam, quæ comitanter solum pro priori ad electionem vt illius retardatiuam se habet eius causam esse, cum potiùs de se causa sit, vt non sit electio. Patet in muliere, quæ domo egressuta, vel ad templum sacri audiendi, vel animi gratia ad agrum, prænoscit sui impudicum amatorem occursurum, & nihilominus suæ libertatis, aut pietatis iure vtens egredi statuit: ac de facto egreditur: & tamen aspectus & affectus turpis amasij causa non est, etsi adstante eius præscientia, etiam, qua posset domi contineri, ea egredi liberè statuerit: quia non ideo, sed alia de causa, vel honesta, vel licita egreditur.

Si ergò scientia media de non futuro consensu sub medio sufficienti, vt retardans ab eius electione pro priori ad illum comitanter se habeat, & tamen, non ideò quia sub eo medio consensus futurus non est, sed alia de causa eligatur, scientia illa causa electionis ipsius non est: eligitur autem à Deo ex intentione consensus, & ex iure seruandæ suæ libertatis, in quavis Dei electione exercendo, quibus motiuis eius medij electioni satisfit: nam ex intentione consensus nostri seria quidem, sed non tota, qua, citra efficaciam absolutam contrariam consensus eiusdem libertati Deus potest seriotate, de medio sufficienti positiuè (quod satis intentioni illi est) prouidetur, neque ex eo fine, quia sub eo medio consensus conditionatè non futurus præuisus est potest donari, ita, vt non futuritio illa conditionata consensus in electionem medij sufficientis influat, nec electio illa seriæ intentioni salutis aduersetur, vt discursu nostro dicebatur. Quia verò, neque ex ea seria intentione aliquid vltra positiuam auxilij sufficientiam ad consensum dare tenetur, libertatis suæ eligendi ex omnibus, quæ sufficientiam positiuam habeant integrum ad electionem seruat: quin scientia media de non futuro consensu retardari detinerique à sufficientis electione anteriori debeat, vt fœminæ exemplum euincit: itaque intentio illa seria, ac vera consensus ad id solum Deum cogit; ne ex illa medium sufficiens, qua negatiuè etiam sufficiens, & quod non habiturum effectum cognitum per scientiam mediam est (etsi comitanter proindè Deo electuro ea scientia media adsit) eligatur; non autem, vt ea etiam adstante ob fines alios medium illud negatiuè etiam sufficiens non eligatur; ad electionem verò, & prouidentiam medij efficacis pro prædestinationis scientia media non comitanter se habet, vt non nisi habiturum effectum conditionatè, taléque pro priori ad electionem cognitum eligatur, in quo ampliori respectu prædestinatorum Dei gratia elucet quam respectu reproborum, quibus auxilium, quod efficax ipsis scientia media prænoscitur, non donatur; sed solum ex scientia simplicis intelligentiæ sufficiens. Et hæc propositæ difficultati sufficiunt. An verò constante, ac non obstante ea seria consensus liberi nostri, seu vlterioris finis (verbi gratia, æternæ salutis) intentione medium, seu auxilium sufficiens, quia negatiuè sufficiens, & quia tale per scientiam mediam præscitum à Deo est, possit eligere? loci huius vbi generaliter, & vniuersim de Dei prouidentia agimus, atque eius species explicamus non est, sed specialis controuersia octaua de reprobatione.

CERTAMEN III.

De scientia media directiua electionis efficacium mediorum ad finem liberum, & cum illa specialem, & perfectissimam de actibus liberis prouidentiam constituens asseritur contra Recentes.

1. DIfficultas hoc certamine vniuersim examinanda & expedienda de scientia, quæ debeat dirigere decreta electiua, & appositiua mediorum de se indifferentium, & extrinsecus ab effectibus efficacium perfectissima, infructrabili, ac certa de effectibus liberis præintentis à Dei prouidentia in scholæ Thomisticæ Iesuanæ Doctoribus, eiusque assectis, qui mediorum ad actus liberos efficaciam extrinsecus ab his pro suppositionis conditionatæ statu sumendam esse censent, locum solummodo habet eam in specie quadam prouidentiæ huiusmodi nempè prædestinatione, ex annis non multis Recentiores nostri disputarunt acerrimè: ad eam minimum offendentes difficultatem, in quam ego olim Recentissimus Theologiæ auditor inciderain, & vt mea purabam primus; tametsi sequenti anno cuius Henno & à se, & ab ingeniosis aliis ex nostris Castellanis tactam difficultatem referat citata d.22. cap. 3. cum. 8. *vt respondeam*, medio atque fusè d.23 cap.14.num.100. obiect.3. cum tamen ab antiquioribus scholæ nostræ Doctoribus, nulla ea de re controuersia fuerit: alterutribus cunctis scientiam mediam directiuam esse decreti electiui, & collatiui auxilij, seu medij ita efficacis prædestinatis: inde scientiæ mediæ, eiusque ex scripturis & Patrum doctrina erutæ assertorem, propriisque ad scholas, & controuersias vocibus, & argumentis illustratorem nostrum Molinam in primis suspicientibus, & commendantibus, quod eius scientiæ interuento prædestinationis certitudo, & infrustrabilitas cum prædestinati libertate in actu primo, & secundo facili negotio componatur. Cum autem eadem intentionis seriotate, & destinationis certitudine, qua prædestinatis gloriam, actum quemvis liberum, etiam indifferentem rationali creaturæ velle Deus possit: totumque aliter seriotinabus Recentioribus ab euersione libertatis actus prædestinati, si medij, vel auxilij efficacis electio, & collatio ex præuia scientia media dirigente proueniat, desumatur: oportunius hic ea de re vniuersim de prouidentia certa, & infrustrabili Dei, circa quemvis actum liberum, agentes disputabimus: cum ex prouidentiæ, de quovis actu libero certitudine, eiusque libertate simul omninò definienda quæstio: tametsi ab his qui rectius quas examinant cuncta vtilia exactè lustrare, reflaque methodo ab vniuersalioribus tradere non nimis curatus in specie prouidentiæ huius (prædestinatione minimum) fuerit controuersia hæc versata.

2. Fuit autem nobis, & Castellanis, vt video, ad controuersiam hanc difficultas petita ex absoluta prædestinatia scientiæ mediæ decretum absolutè medij illius, ab extrinseco etiam efficacis, electiuum, & collativum regulantis in prouidentia hac ad actum liberum sub medio efficaci liberè futurum, qui proinde, nisi hoc medium (quæ conditio ad eius conditionatam futuritionem fuit) purificato, & absolutè pro priori naturæ posito absolutè futurus esse non potest: si medium illud ex scientia media

media dirigente, eoque subinde natura, & causalitate priore, purificetur, atque absolutè apponatur, videtur, & voluntatis, & actus creati libertas pessumire: etenim posita absoluta existentia, & præcedentia scientiæ mediæ, decretóque electiuo, & purificatiuo, medij ita efficacis ac subindè absoluta etiam purificatione, existentiæ, & præcedentiæ medij ipsius, nulla potestas voluntatis creatæ (immò, nec diuinæ) ad actus omissionem esse posse videtur: esset enim potestas ad coniungendum duplex, vel potius multiplex contradictorium. Nempè, & conditionatæ futuritioni, & subindè scientiæ mediæ, & decreto electiuo, & collatiuo absolutè medij illius per eam directo, & regulato: siquidem omissione absoluta data posito absolutè, & purificato pro naturæ priori medio, & conditione actum liberum sub ea forè nusquam, nunquamque verum esset: immò verum semper fuisset actum eiusmodi sub eo medio, si daretur, non esse futurum; quod futuritioni eius conditionatæ sub eo modo repugnans, & formale exciusiuum est: ac subinde, & scientiæ mediæ de eius conditionata futuritione sub medio illo, & decreti absolutè electiui & collatiui medij illius. Cum autem tot ex omissione illa absoluta repugnantię contradictoriæ inferantur, nullaque ad contradictorium, vel vnicum, coniungendum diuinæ etiam nedum humanæ & creatæ voluntati potestas absoluta dari queat, fit planè: posito pro priori naturæ ad actum liberum medio illo ex scientia media decretum electiuum & collatiuum illius dirigente non esse in voluntate creata omittendi illum absolutam potestatem proximam, sed nullam: cum nulla alia absoluta potestas voluntatis sit, nisi, quæ eo medio indifferenti completur, cum aliud non adsit. Hoc autem scientia media regulatum sui pro priori naturæ absoluta positione antecedentem connexionem cum actu: & impossibilitatem omissionis in actu primo affert: sed nec in voluntate potestas ad medium illud abolendum, & medium aliud afferendum, sub quo omittat, casu quo omitteret, perstaret. Non ad abolendum medium illud: cum actus omnis sui principij physici perfectiuus sit, & cui principij sui physici destructiuum esse repugnet. Sed nec ad aliud medium adducendum. Tum, quia mediorum eiusmodi (puta primarum cogitationum) electio penes creatam voluntatem, eiusque potestatem, & deliberationem non est: tum, quia ad deliberandum, seu quoquo modo ex libera omissione cogitationem aliam, sub qua omitteret, adducendam, cogitatio alia deberet præcedere, quæ de facto, & absolutè non adest: & de qua instauratur difficultas eadem, si ex scientia media dirigente decretum electiuum, & collatiuum ipsius ea cogitatio à Deo inferretur. Demum ante primam cogitationem, in qua argumentum locum habet, prior alia esse non potest: quare nec potentia adhuc remota omittendi adesse voluntati potest.

3. Hanc difficultatem Herize noster d. 23. cap. 14. citato num. 192. tametsi initio numeri solidam eius, ac veram solutionem attigerit (quam d. 22. cap. 3. num. 26. explicandam eo loci promiserat) propè medium tamen diuertisse videtur à vero, respondens: medium indifferens de se, & extrinsecus efficax, eiusque electiuum, & collatiuum decretum ex duplici Dei scientia prouenire, ac regulari: nempè, & simplicis intelligentiæ, & conditionatæ: & quidem, quatenus ex prima prouenit satisfit exigentiæ effectus, seu actus liberi, qui, vt fiat, ac sit, medij, seu auxilij entitate, ex quacunque scientia proueniat, satis habet: vt autem non, nisi scientia media adstante à Deo eligitur mediuna illud, & apponitur; satisfit dignitati perfectissimi prouisoris actus liberi nostri, qui incertus, & quasi in suspenso de euentu contingenti ex ipsis futuro, non sine imperfectione de mediis ad ipsum prouideret. Addit tamen: ad perfectionem hanc prouidentiæ, & prouisoris perfectissimi non spectare, vt ex scientia media futuri euentus de mediis prouideat: id enim prouidentiam actus liberi non perficeret, sed destrueret. His planè primam suam, & veram solutionem, atque doctrinam deserit, ad quam redit: tandem numero eodem. Hanc Herize doctrinam de electione diuina, & collatione medij indifferentis ab extrinseco efficacis è duplicis scientiæ directione, & simplicis intelligentiæ, & mediæ, vnicam difficultatis præsentis componendæ censentes, sectati sunt, ac mordicùs defendunt Recentiores ex nostris Antonius Perez, eiusque asseclæ. Gaspar de Ribadeneira de prædestinatione d. 1. atque alij in manuscriptis: explicatitamen aiunt: ex quavis harum scientiarum decretum absolutum ab alio ex alia scientia à Deo conceptum diuersum, ex quo solo absolutè medium conferretur, etsi aliud abesset in Deo esse admittendum: & ex decreto quidem regulato per simplicem intelligentiam collato medio, libertatem in actu primo proximo constitui: cum nihil incompossibile cum omissione actus ex eo medio futuri ex parte actus primi supponat: vti decretum aliud scientia media regulatum supponit: scientiam, scilicet mediam futuri actus infallibiliter si purificetur, absolutéque apponatur conditio, quæ ex ita regulato per scientiam conditionatam decreto purificatur, atque ex parte actus primi apponitur. Vnde constat in casu omissionis ex parte actus primi possibilis, non quidem actum primum physicum, qui eo medio seu conditione absolutè posita completur, esse implicatoriè destruendum: sicut scientia media destrueretur, cum ex alio decreto per simplicem intelligentiam (quæ eo etiam casu perstaret) absolutè esset, & persisteret.

4. Dicendum nihilominus est, in omni prouidentia perfectissima Dei erga actum & finem quemvis liberum rationali creaturæ, & quæ electione mediorum ab extrinseco efficacium constare debeat, debere etiam absolutum decretum electiuum, & collatiuum ipsorum scientia media dirigi, ac regulari. Hæc nostrorum omnium Doctorum conclusio est: à qua Herize veritus recedere à proxima cogitatione, tametsi sua, destituit citato numero, ad solutionem necessitatis logicæ actus & logicæ impossibilitatis omissionis, ex qua respondere cæperat, demum recurrens. Probatur conclusio: eiusmodi prouidentia perfectissima essentia sua certitudinem, & infrustrabilitatem euentus, seu finis contingentis erga quem est, prorsus habet: ast, ni medium natura sua, & ab intrinseco efficax, contra Thomisticam Iesuanam scholam admittatur, nequit ea prouidentia perfectissima natura, & essentia sua certitudinem, & infrustrabilitatem euentus contingentis prouisi habere, si medij ab extrinseco solum efficacis absoluta electio, ac subinde collatio scientia media de conditionata euentus futurifione sub medio illo non dirigatur, ac reguletur: ergo in eiusmodi prouidentia medij ita efficacis electio, & collatio proinde absoluta, scientiæ media dirigitur, ac regulatur. Maior est certa ac dogmatica in specie altera prouidentiæ huius, nempe prædestinatione, ex eo præcisè, quod eius perfectionis prouidentia exactissima sit. Minor verò obscurior non est: etenim prouidentia obiectiuè libera perfectissima essentia sua duo hæc solum in sua natura, & essentia claudit: præscientiam euentus ex mediis, & horum electionem, & præparationem, ni eam imperio intellectuali (quod schola nostra reiicit satisque fusè impugnatimus quæst. 1.) vel constituas, vel compleas: atqui electio absoluta medij intrinsecus indifferenti ad euentum, eiusque oppositum per se, & secundum e sumpta solum affert medium intrinsecè indifferens, quodque subinde cum euentus defectu & omissione æque coniungibile, & amice componibile sit, atque cum ipso actu: ergo electio ipsa medij illius, nec secundum le sumpta, nec ratione medij quod affert atque absolutè apponit, certitudinem, & infrustrabilitatem euentus illi perfectissimæ prouidentiæ adducit: ergo solum ex scientia directiua (quæ sola altera prouidentiæ pars est) potest eiusmodi electio & collatio absoluta medij, ac subinde prouidentia eam euentus contingentis prouisi certitudinem, & infrustrabilitatem sortiri. Atqui nequit eam sortiri è sola scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate euentus, quæ electionem eius medij dirigat: cum eadem scientia possibilitatem defectus, & omissionis euentus illius æque repræsentet, atque euentus ipsius possibilitatem ex medio illo ad cuius electionem dirigit: ac proinde, & de se, & coniuncta etiam cum electione, & absoluta medij positione, æque est cum euentus defectu, & omissione sub illo medio ea scientia coniungibilis: ergo nisi absoluta electio & collatio medij illius ex scientia media de euentus conditionata futuritione

sub medio illo præcedat intrinseca & essentialis certitudo, & infrustrabilitas euentus prouisi eiusmodi perfectissimæ Dei prouidentiæ, ac Deo quam exactissimè potest contingentis euentus prouisori nusquam poterit adesse.

5. Stata quidem hæc Thomisticæ scholæ societatis doctrina, & gloria in re scholastica præcipua: scientiæ nimirum mediæ explicatione, & illustratione concordiam certitudinis, & infrustrabilitatis diuinæ de creatis nostris actibus, & euentibus liberis cum horum libertate ex patribus, & Theologica ratione, Scholasticis, & Controuersistis in apertum adduxisse. Quod si eiusmodi media scientia mediorum de se indifferentium, & extrinsecus efficacium Dei absolutam electionem, & subinde collationem eorum non dirigat: quare nec ad illam prioritate, quasi naturæ, præcedat, prouidentiamque exactam Dei de nostris contingentibus constituat; horum quidem contingentia, libertasque saluabitur; intrinseca, & essentialis vero eius prouidentiæ certitudo, & infrustrabilitas euentus contingentis pessumibit, vt hactenus demonstrauimus: ac subinde improbus tantorum Doctorum in ea scientia eruenda, explicanda, adstruenda, ac vindicanda labor deterrimo sensu improbus erit, planéque otiosus, & rei Theologicæ prorsus inutilis. Is enim fructus eius scientiæ Theologiæ commodus est: certitudinem diuinæ huius exactissimæ prouidentiæ de nostris contingentibus prouisis cum horum contingentia, & libertate conciliare; qui si abesset, otiosa, inutilis, ac pernicioſa Theologiæ scientiæ mediæ doctrina esset, ac disturbandis Scholasticorum mentibus appositissima: vt in eius vsu ad controuersias de incarnatione, & alias Theologicas dirimendas, quæ hanc concordiam non concernunt, apud Recentiores plures est videre: qui inanibus ex scientia media discursibus Theologiam quæstionibus de possibili inutilibus opplent, vtilibus Theologiæ, quæ de facto est, vel omissis, vel leiunè ac perfunctoriè, & indigné vix attactis. Vnde constat, quam immeritò, atque in scholæ suæ Magistros, & Duces irreuerenter Recentiores memorati num. 3. à directione decreti electiui, & collatiui absolutè eorum mediorum in prouidentia exactissima Dei de nostris contingentibus inclusi scientiam mediam excluserint: solámque simplicis intelligentiæ admiserint ad decreti illius directionem. Dixi excluserint: nam si etiam cum simplici intelligentia scientiam mediam dirigere decretum absolutè electiuum, & collatiuum medij illius admittant: iam in toto illo coniuncto scientiæ adæquatè directiuæ scientia media præcedit medij illius absolutam pro priori naturæ ad actum, seu euentum prouisum positionem: cum qua ponitur ex parte actus primi, & ad actum seu euentum absolutum necessitas, & ad eius omissionem impossibilitas antecedens: atque difficultati contra communem nostram conclusionem quę eos exorbitare, atque in auia, & prærupta ire egit, sunt cum nostris reliquis obnoxij.

6. Sed quandoquidem Recentiores isti eius difficultatis metu à directione decreti illius absolutè electiui, & collatiui medij extrinsecus solum efficacis in prouidentia hac actus seu euentus contingentis exactissima scientiam mediam volunt excludere: quidnam scientia media in exactissima prouidentia præstabit? quasve in eius conceptione partes aget? quodve munus subibit? Dei, inquiunt omniscij, nulliusque ignari mentem ornare, ac prouidenti ex alia simplicis intelligentiæ scientia de euentu seu actu nostro contingenter futuro comitanter assistere: cuius comitante assistentia Deo prouidenti, quod de rei euentu, & medio illo incertus, & ignarus prouideat, dici absolutè non potest: Quemadmodum, nec de fœmina, cui occursus amantis turpis, libidinosique eius aspectus, & affectus si ad sacrum, vel concionem audiendam templum adit: non tamen ex eius euentus scientia, comitante solum, sed ex alia, ex qua templum adire decernit. Cæterùm, si scientia conditionata euentus sub illo medio, si apponatur, futuri, nullatenus, vt absolutè eligatur, inseruit; sed respectu eius electionis meré comitanter scientia illa media se habet: Deus non eligit, nec prouidet de eo medio, quia est euentus conditionati sub eo futuri conscius, & prudens, magis quam, quia conscius, & prudens oscitationis Turcæ, vel ortus vermiculi, aut floris in hortulo; ea enim omnia, & reliqua æquè comitanter cum scientia simplicis intelligentiæ (quæ sola electionem dirigit medij illius, ac prouidentiæ de euentu contingenti subseruit per te) Deus, quia omniscius cognoscit: ac proinde æque comitanter (quod ad medij electionem, prouidentiamque de euentu contingenti per illam prouiso attinet) cum scientia simplicis intelligentiæ eorum omnium scientia se habet, atque scientia media de futuritione conditionata euentus sub medio eligendo, si apponatur: ergo non aliter dicetur Deus eligere, & prouidere de medio ad euentum contingentem, non ignarus sed sciùs futuritionis conditionatæ euentus contingentis sub medio illo, quàm scius, ac non ignarus oscitationis Turcæ, vel ortus vermiculi aut floris in horto. Ecquid autem horum comitans scientia perfectionis prouidentiæ, & prouisoris, seu prouidentis Dei de medio ad euentum contingentem afferr? Ergò nec scientia media de futuritione euentus conditionata, quæ medij ad illum electionem non dirigat, nec prouidentiam ingrediatur, sed solum scientiam simplicis intelligentiæ electionem dirigentis, & subinde prouidentiam de medio ad euentum illum constituentis comitetur, quidquam perfectionis, certitudinis, ac infrustrabilitatis diuinæ prouidentiæ, & prudenti electioni medij illius, ac subinde exactissimæ prouidentiæ potest afferre.

7. Dices: obiecta alia omninò disparatè ad euentum contingentem se habere: quare & ad electionem & prouidentiam de medio ad illum: ast futuritionem euentus eiusdem conditionatam, ac subinde eius scientiam conditionatam respectu futuritionis eiusdem euentus absolutæ, & electionis, & prouidentiæ de mediis ad ipsam non se habere disparatè, & impertinenter, licet se respectu earum comitanter habeat solum. Contra quidquid ad aliud nullatenus conducit impertinenter se ad aliud habet, tametsi id, quod ad aliud conducit alio titulo comitetur: id enim quod ad rem aliquam nec est, nec sit, impertinens omnium sententia, & definitione adrem illam est. Vel ergò scientia media de futuritione conditionata euentus contingentis sub medio illo eligendo, quo absolutæ huius futuritionis à Deo prouidetur, electioni, & prouidentiæ de medio ad contingentis absolutam futuritionem conducit, ac inseruit, titulóque perfectionis, electionis, & prouidentiæ ad contingentis absolutam futuritionem in Deo subinde ponitur vel nullatenus ad perfectionem electionis; & prouidentiæ illius conducit ac inseruit, nec eo titulo in Deo prouidente & eligente medium illud ponitur sed titulo alio: nempe omniscientiæ Deo propriæ, seu, quia omniscius esse Deus debet? Si primum scientia media de futuritione contingentis conditionata sub medio eligendo, non comitanter solum, sed antecedenter se habet ad eius electionem, & prouidentiam de eius absoluta futuritione, sicuti reliqua, quæ horum absolutæ existentiæ conducentia, atque inseruientia sunt: si autem dicas secundum: nempe perfectioni electionis, & prouidentiæ illius nusquam scientiam illam mediam inseruire: neque eo titulo perfecti & prudentis electoris & prouisoris, sed alio titulo omniscij in Deo poni, non solum comitanter sed prorsus impertinenter ad eam Dei electionem, & prouidentiam earumque perfectionem se in Deo habebit, æque atque aliorum obiectorum scientia; neque ex eius scientiæ assistentia Deus formaliter sciens, & prudens de euentus futuritione, seu formaliter non ignarus prouidebit, sed solum materialiter. Vnde qua prouisor contingentis euentus perfectus haud quaquam erit, sed de euentus futuritione suspensus ac formaliter incertus. Confirmatur hæc omnia: quia eius scientiæ comitantia sola formaliter, non vero formali præsuppositione ad electionem medij, aut ingressu in prouidentiam; nequit prouidentia certa de euentu contingenti formaliter constituí, vt patet: at de conceptu prouidentiæ perfectissimæ, & exactissimæ diuinæ (de qua disputamus) est certitudo formalis siue esse formaliter certam: ergo sola comitantia scientiæ mediæ non constituitur, nec euadit Dei prouidentia de euentu contingenti (vt esse debet) formaliter exactissima, & perfectissima: subindéque nec Deus perfectissimus de euentu illo prouisor (qui talis perfectissima formali-

ter

ter prouidentia constitui solummodo potest) nisi ea scientia media præcedat.

8. Denique pura hæc comitantia scientia mediæ sine directione, & antecedentia ad electionem medij in prouidentia perfectissima impugnatur, & confirmatur nostra communis conclusio. Etenim, quicunque creatus, & prudens prouisor eorum quæ serio intendit, & quibus, vt eueniant, exactè vult prouidere, antequam media eligat, & ad eorum absolutam existentiam de mediis prouideat, quid sub eis futurum absolutè sit, nec solum, quid ex eis esse possit, sagaci, &, studiosa industria, & diligentia coniectatur: nec prius media eligit, nec postea alia, sed ea, sub quibus, si adhibeantur, certius, securiusque (intra coniecturam tamen, & probabilitatem quam solum potest) euentum forè conditionatè prænouit: nec ea eligeret, si certiorem notitiam de euentu conditionatè futuro sub eis vel aliis mediis se habiturum speraret, priusquam hanc etiam adquireret ac præhaberet: ergo ad perfectam mediorum ad serio tota qua intendi serietate potest) intentum finem absolutè obtinendum electionem, exactamque prouidentiam scientia de futuritione conditionata (quam certa ab intendente & ita exactè prouidente haberi possit) debet natura præcedere, atque medij electionem illam dirigere: ergo & in Deo contingentem nostrum euentum ita serio intendentem, & exactissimè de eius absoluta futuritione prouidentem scientia media certa, & infallibilis de eius conditionata futuritione sub medio eligendo debet antecedere eius electionem, ad eamque dirigere, nec sola simplex intelligentia de possibilitate eius sub medio illo ad electionem eius & prouidentiam hanc sufficiet. Exemplum scientiæ solum comitantis, vt aiunt fœminæ de aspectu, & affectu amasij impudico, si Templum sacri audiendi causa adeat, vt decernit è re aduersariorum non est, sed potius è nostra. Siquidem, vt eius euentus non ignara sed sciens, prudensque templum adire absolutè dicatur, eius voluntatem determinatam, ac deliberatam debet non comitari solum sed præcedere. Non quidem vt quid ad voluntatem adeundi templum inducens & dirigens: sic enim ex ea scientia adeundo templum peccaret, sed, vt quid ab eo templi aditu retrahens, quod ad deliberandum de adeundo templum vel domi manendo debet præcedere: non minus quam scientia ad templum adeundum inducens vt patet: siquidem vtraque scientia libertatem voluntatis in actu primo, atque indifferentem potestatem ad vtrumvis, vel manendum domi, vel templum adeundum constituit: quare liberam, ac deliberatam voluntatis determinationem adeundi templum, qua talem antecedit: ac proinde nec ignaram, sed scientem, ac præsciam euentus illius templū adisse fœmina absolutè & meritò dicetur, quæ immeritò ita diceretur, si determinationem determinatam, ac liberam templum adeundi non præcederet, sed comitanter solum euentus illius scientia conditionata ac subindè pure materialiter, se ad illam haberet: quare exemplum hoc ex re, & conclusione nostra est, non aduersariorum: siquidem ad libertatem determinationis adeundi templum, cui solum inseruire potest, debet scientia occursus, & affectus praui Amasij ex parte actus primi præcedere; tametsi ad physicum determinationis inducendum à qua retrahit potius ex parte actus primi non præcedat, sed comitetur: scientia autem media euentus prouidendi sub eligendo medio, si adhibeatur inductiuum de se ad medij electionem est; nec alio titulo in exactissimo, & perfectissimo euentus prouisore, nisi qua inductiua ad eam electionem, eiusq; infrustrabilitatem est requiri potest, ad inductionem autem ad medij illius electionem debet abs dubio ad illam natura præcedere, atque ex parte actus primi supponi: qua præcedentia secluſa comitanter adesse prouisori Deo ad eiusmodi electionem, perfectamque, & exactissimam de euentu prouidentiam, nec citius, nec magis, quam reliquorum omnium scientia, & attributa reliquæ Deo, qua Deo, non autem, qua perfecto prouisori, debent adesse.

CERTAMEN IV.

Difficultati propositæ aliorum solutiones rejectæ.

1. DIfficultatibus contra nostram hanc, & communem cæterorum conclusionem appositis respondent plures, nec indocti Recentiores: principium remotum, nec immediatè inductiuum, & influxiuum in actuum libertatem, & potestatem voluntatis proximam, & absolutè talem ad vtrumvis non constituere: quare ex eius principij remoti determinatione ad vnum, & infallibili connexione cum illo eiusque incompossibilitate cum extremo altero, nullatenus principij proximi indifferentiam, ac subinde neque actus, seu euentus libertatem euerti: quare principij remoti ita connexi cum actu exclusionem ex parte actus primi ad absolutam potentiæ, & actus, libertatem nullatenus requiri. Decretum autem electiuum, & collatiuum medij, seu auxilij regularum per scientiam mediam, ex quorum coniuncto cum absoluta medij illius positione actus necessario, est futurus, & eius omissio impossibilis, remotum principium est, & scientia media, qua regulatur, adhuc remotius, & quorum neutrum influxiuum in actum, cui ex remotis suis locis, & signis connectuntur: sola siquidem potentia cum medio, seu auxilio indifferenti de se principium influxiuum in actum illum adæquatum, & totale est: quare nec decretum regulatum ea scientia, nec scientia ipsa potentiæ, & actus libertati absolutæ officiunt, nec ad eam constituendam, seruandamque pro naturæ priori ad actum debent excluſæ supponi. Huius solutionis fundamentum ita disieci contra 4. de volunt. d. 6. quæst. 2. certam. 2. à num. 3. vt otiosè prorsus nunc à fundamento solutionem hanc confutarem: vsque adeò hebetiores alij Recentiores, quorum presso (honoris causa) nomine meminimus ibidem certam. 3. num. 7. post med. principium, & causam remotam à causalitate effectus remoti, ac subinde à potentia, absolutè tali, causandi effectum illum remouent: vt causam per accidens solum, vt musicam in ædificatore ad ædificandum, effectus illius esse velint, & impertinenter se ad illum habere: quare causæ, & potestatis proximæ nihilo posse, siue remota causa, & principium adsit, siue absit immutare, sed rudem hanc, & plane paradoxam doctrinam relegaui ibidem num. 8. Tertio alij ad principia exttinseca voluntati operaturæ (cuiusmodi decretum absolutè electiuum & collatiuum medij de se indifferentis, ac scientia media illud regulans sunt) quæ eius libertati officere proinde nequeunt, recurrunt, & hoc confutaui certamine 4. num. 6. estque Thomisticæ Dominicanæ præfinitionis, ac prædeterminationis, & creatæ libertatis concordia, ac tentata ab eis prima solutio, sicuti, & alia Recentium Murcianorum pro suis Suaristicis præfinitionibus, (quæ præsenti difficultati aptari facillimè potest, & ex connexione ipsa intrinseca, & physica præfinitionis (& idem est coniuncti de decreto regulato per scientiam mediam, scientiaque ipsa, & purificatione conditionis) principij cum effectu libero delumitur ratione cuius connexionis ab effectu ipso libero tam præfinitio, quam coniunctum illud in sui existentia physice dependeat, tanquam à necessario connexionis termino: quare nec eius libertati quam supponit possit officere. Hoc etiam disieci ibidem numero septimo, & certamine 3. numero tertio.

2. Quinto alij recentissime respondent: absolutam purificationem, & existentiam conditionis, mediive indifferentis illius à decreto illo regulato per scientiam mediam, quare neque à scientia media, determinate non pendere: cum ex alio, aliisque decretis purificari, apponique, & in se existere absolutè posset, & æque, atque ex hoc regulato per scientiam mediam absolutè existens, & appositum medium illud, seu conditio est: inde,

inde, inquiunt, medij eius absoluta existentia & purificatio à quovis eorum decretorum determinato præscindit: quorum subinde nullum determinatè præcedit absolutam conditionis, seu medij, & euentus existentiam; quare è conditionis, seu medij illius absoluta existentia, & appositione ipsa nusquam bene, ac rectè decretum ex eis alterum determinatè infertur: ac proindè quatenus ad actum liberum per se absolutè medium illud præcedit à decreto regulato per scientiam mediam atque ab ea scientia, quibus determinatè eius absoluta existentia non connectitur, minimè procedit: inde neque actus, seu euentus liber ab eo medio proueniens: atque adeo, nec decretum illud actus pro naturæ priori supponit, quem subinde potest adquirere, & medium illud, à quo per se causatur, & procedit, ab eo decreto regulato per scientiam mediam determinatè proueniat: non autem (vt posset) proueniat à decreto per scientiam aliam regulato. Nihil præstat solutio: solum enim probat per se, ideſt essentialter; medium illud ab eo decreto scientia media regulato, tanquam à principio sui vnico, & essentiali ad suam absolutam existentiam, in suo absoluto esse non pendere; non autem de facto verè, & absolutè tanquam à sui absoluta causa pro priori naturæ absolute existente non pendere in sua absoluta existentia pro posteriori naturæ de facto absolutè ponenda, cum ex eo solo decreto ita regulato medium apponitur, & pro vlteriori alio posteriori actus ab eo proueniens: inde vero tota oritur difficultas coniungendi cum coniuncto illo pro naturæ priori, & antecedenter, etsi non essentialiter, de facto tamen, & absolutè posito, connexo cum euentu seu actu, atque cum eius omissione incompossibili, omissionem: quare & omittendi (sine qua libertas ad actum illum esse nequit) potestatem, ac rursus: quomodo decretum illud ita regulatum possit per actum, ad quem vtpotè effectum suum (esto remotum, quod parui refert vt dixi num. 9.) de facto pro priori naturæ absolutè existens supponitur adquiri, atque in suo esse dependere sine repugnantia mutuæ causalitatis physicæ manifesta. Confirmatur: quia vtraque repugnantia, non stat in eo quod causa, & effectus per se eo sensu aliqua sint, siue quod effectus essentia sua ab illa vnicè essentialiter dependeat, aut ex accidenti; sed ex eo, quod absolute vere, ac de facto à causa effectus causetur, & dependeat. Alioqui omnis fere effectus natura sua permanens posset suam causam producere, vt calor calorem, atque ignis ignem, &c. à quibus producti ex accidenti fuere: cum eo sensu, per se, & essentialiter ab his determinatè eorum absoluta existentia non pendeant: siquidem produci ab aliis possent. Secundo: ni hæc causis vere talibus de factoque producentibus respectu effectuum repugnent: quia causæ, & effectus sunt: nec causis, & effectibus per se, id est essentia sua talibus, repugnare vllatenus suadebis, aut defendes. Tertiò, & medium, siue auxilium, à quo actus, siue euentus contingens prouenit, posset ab actu in sui absoluta existentia pendere: siquidem ita essentialis causa eius illud auxilium non est, vt æque ab aliis produci nequeat: Vnde rursus: etsi medium, seu auxilium physica prædeterminatio esset saluari contra hos Recentiores, posset actus libertas: cum prædeterminationis huius absoluta positio dependens ab actu libero physicè esse posset, nec aliam, quam consequentem, necessitatem induceret.

3. Murciani Recentiores ex suo principio, ad decretum comitans concurrendi ad actum determinate cum creata voluntate componendum cum huius & actus libertate excogitato, (nempe cum duorum, seu duarum libertatum exercitium ad aliquid absolute liberum apponendum requiritur, seruari in eo apponendo vtriusque, & eius, quod apponitur libertatem, quoties huius conditionalis veritas saluatur: *si alter ex parte sua hoc agat, alter ex parte sua, seu, quod ipsius est, ad id aget*: Tametsi in alterius potestate non sit actio alterius) præsenti difficultati respondent: seruari libertatem voluntatis & actus prouenientis ex medio indifferenti de se absolute, non aliter posito, quam per decretum regulatum per scientiam mediam: quamvis, vt ita ortum: ratione scientiæ mediæ, quæ supponitur cum omissione actus sit incompossibile, nec scientiæ mediæ, ac decreti illius præcedentium absoluta positio, & præcessio ab eius actus positione, & libero voluntatis exercitio in eius appositione pendeat aut pependerit: quare neque abijci, aut impediri, ne pro suo priori fiat, vel potius fuerit, à libero voluntatis exercitio in illo actu edendo valeat, neque, vt suo loco, & signo prius fuerit, adquiri: etenim, etsi hæc ita sint, quia conditionis, seu medij ex hoc, vel illo decreto, hac vel illa scientia regulato purificatio, & absoluta appositio, penes creatam voluntatem non est sed penes diuinam coniunctim cum creata in actus productione, & requisitorum, vt suam voluntas creata exerceat præmotione euendam: vt suam voluntas exerceat satis erit, si Deus, quod ex parte sua est præstet, nempè medium illud indifferens (quod de facto ex decreto regulato per scientiam mediam solummodo ac non aliter, siue per nullum aliud decretum aliundè regulatum in suo absoluto esse actuali, & existentia apponitur) absolutè per aliud medium regulatum per scientiam simplicis intelligentiæ, vel conditionatam aliam quampiam, pro casu omissionis apponere. Hoc enim satis habetur ad veritatem conditionalis illius. *Si alter ex parte sua agat: quod penes ipsum est, alter etiam, quod penes ipsum, seu ex parte sua est, ad id ipsum aget*: quo solo vtriusque exercitia circa id ipsum libertas abunde saluatur. Video cogitationem hanc ingenuosis aliis Recentioribus placuisse. Nobis autem, qui sincerius veritatem quærimus, nec per ambages adeundam putamus: nec multis discutiam machinis, sed quam possint pauciſſimis inueniendam, aliisque tradendam putamus, principium illud ad sensum, & intentum vtrumque Recentiorum istorum nusquam non displicuit: & quod ad concordandam nostram in actu hoc determinato exercendam libertatem cum decreto Dei comitanti concurrendi ad eundem actum determinatè inutilem, & repugnantem ostendi tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 3. q. 3. decretum hoc comitans determinationem voluntatis creatæ multo ex capite quovis modo adstruatur confutatas: quare, quoad hoc impugnationibus supersedendum mihi nunc erit.

4. Quatenus verò ad præsens attinet, facile impugnatur discursus: quoties enim effectus indiuisus ab exercitio duplicis libertatis duorum ad illum absolutè ponendum pendet, necesse est, vt de facto absolutè illud apponatur ab vtroq; quod ex parte ipsius, seu penes ipsum est de facto apponi: maximè, cum exercitium libertatis ex parte vnius, pro naturæ priori ad exercitium, & potestatem liberam alterius requiritur, quandoquidem ubi exercitio alterius absoluto non est huius ad vtrumque extremum libera absolutè potestas: ergo satis non est, quod alter aget conditionatè, quod ex parte ipsius est, si alter, quod ex parte sui est, egerit, vt huius alterius libertas absoluta libertas: sed oportet vt vterque, quod ex parte ipsius est, absolutè faciat. Atqui per hoc non ponitur de facto, & absolutè ex parte Dei, quod ex parte ipsius apponi necessario absolutè debet, ad omissionem actus, & sine quo omissio illius est absolutè alteri voluntati creatæ antecedenter impossibilis, etsi conditionatè in casu omissionis apponendum verificetur: ergo non saluatur de facto absoluta libertas in actu primo, seu potestas eius ad actum, vel eius omissionem: quare neque actus libertas de facto à voluntate eliciendi. Maior tuerisim est certa: & cum vnius exercitium liberum antecedenter, & pro naturæ priori requiritur ad libertatem in actu primo, & liberum subindè exercitium alterius esse tendens (maximè in nostra schola) ex definitione causæ & potentiæ liberæ *quæ positis requisitis omnibus ad operandum potest operari, vel non operari*: iuxta quam ponenda omnia requisita ad operandum, & non operandum, absolutè, & de facto sunt, vt operari, vel non operari pro libito in actu primo absolutè, & de facto causa liberè possit: quare, non posito absolutè vno ex requisitis ad alterutrum deficit plena, & absoluta ad vtrumvis potestas. Hinc contra necessitatem decreti prædeterminantis, & prædeterminationis à nostris Doctoribus infertam non prædeterminatis physicè auxilium sufficiens, & potestatem liberam ad vtrumvis adesse non posse.

5. Minor est aduersariorum: qui plane fatentur ne-

scilicet

xilium, seu medium de se indifferens, & solum ab extrinseco efficax vnicè à decreto regulato per scientiam mediam pendere, & vnicè de facto apponi; cum quo coniuncto non solum potentia absoluta, & de facto non est omittendi, sed est ad omissionem cum eo coniuncto repugnantem, & incompossibilem, antecedens absolutè, & de facto impotentia, & impossibilitas: ac proinde solum admittunt conditionatum, necdum absolutum, decretum, quod esset, si voluntas omitteret ex alia scientia regulatum, quo auxilium, seu medium illud absolutè poneretur: & cum quo esset absoluta omittendi potestas, quæ planè cum coniuncto auxilij, vnicè ex decreto per scientiam mediam de facto regulato absolutè positi, non est. Confirmatur vrgentissimè in schola nostra Thomistica Iesuana (in qua disputamus) cuius argumenta omnia eneruantur, si potestas libera absolutè, & proximè talis sufficienter constituitur ex potestate absoluta ad vnum tantum extremum, & potestate conditionata ad aliud, si hoc aliud, seu casu, quo hoc aliud adesset, etsi de facto, & absolute non sit: quia, inquient, cum adest decretum prædeterminatiuum, & prædeterminatio ad actum, si tamen omitteret eæ non adessent, sed quod agendum ex parte Dei esset, vt omitteret. Et contra cum absolutè his solum ex parte Dei positis omittit, esset tamen, si non omitteret voluntas, sed ageret, decretum prædeterminatiuum, & prædeterminatio ad actum, tametsi in potestate voluntatis nostræ non sit, quæ à Deo sunt de facto impedire, ne fierent, nec quæ à Deo tunc essent afferre: staretque conditionalis illius Recentiorum veritas, cuius sola verificatione libertatem, & Dei, & nostri in exertio libero circa actus saluari arbitrantur. Quid ergo Recentiores Thomistas Dominicanos à libertatis euersione, & negatione, ac impossibilitatis auxilij sufficientis impugnant isti Recentiores: quibus, vt se protegent, atque in ipsos tela retorqueant, æreum adeo principio suo clypeum ministrant,

CERTAMEN V.

Firma præfatæ difficultatis solutio.

1. SOlida ergo propositæ difficultatis solutio, facilis quidem, si doctrina nostra scientiæ mediæ medullitus penetretur atque exenteretur, se prodit. Explicui autem tom. 1. de Deo vno controu. 2. de scientia, & hic controu. de voluntate d. 6. quæst. 2 penitius soleto, scientiæ mediæ naturam quantum ad difficultates eorum locorum proprias, opus erat, atque opportunum: ex quibus illud ad præsentem difficultatem memorandum est. Connexionem, scilicet, scientiæ mediæ, quasi physicam, intrinsecam, & propriam, etiam cum conditio purificata, atque absolute posita est, ac proinde, & coniuncti ex scientia media, & conditionis purificatione constati cum obiecto scientiæ mediæ tantummodo esse: sicuti, & cuiusvis scientiæ de re quapiam, pro quocunque statu per illam repræsentato, connexio intrinseca cum re illa pro eo solum statu, pro quo illam repræsentat est, esseque solummodo potest: etiamsi illi extrinsecus, quidquid velis adiungatur: siquidem nihil alicui rei extrinsecus aduenienti, & adiunctum potest intrinsecam cum alio connexionem, quam de se res non habebat affigere, & afferre. Sicuti nec potest naturam, & essentiam rei mutare, quod ei extrinsecus solum adiunctum est: immò nec res ipsa eadem in natura & essentia sua manere, si alicuius adiuncti extrinseci, vel etiam intrinseci: accessu intrinseco eius naturæ connexio cum alio, quam natura sua non habebat adduceretur: de eadem enim natura secundum entitatem, & essentiam suam connexionem habere, ac simul non habere cum alio manifestam contradictionem inuoluit: verum quidem est, rem de se cum aliquo intrinsecè natura, & entitate sua non connexam per aliquid intrinsecè inhærens, vel etiam extrinsecus adiunctum, ad vnum determinate agi & adigi, posse actiue, vel impeditiuè: vt physica prædeterminatione à Deo immissa voluntati, vel decreto prædeterminatiuo, aut præfinitione actus contrarij, vel de omissione illius extrinsecus assistente voluntati fiet voluntatis, quamvis intrinsecus & natura sua indifferenti, & inconnexæ, vel actus, vel eius omissio necessaria, & extremum alterutrum impossibile: quare in coniuncto ex voluntate, & adiuncto erit alterius extremi physica & antecedens necessitas, & impotentia, seu impossibilitas antecedens physicè extranei aduersi.

2. Sed tamen opus ad id est vt physica necessitas determinatio, & connexio cum extremo altero, ac subinde alterius oppositi impotentia absoluta, physicaque, & antecedens impossibilitas, & incompossibilitas coniuncti huius cum extremo aduerso tota ab adiuncto voluntati, seu rei de se inconnexæ cum extremo altero, atque cum alterutro componibili toti illi coniuncto afferatur, quin voluntas, seu res de sese indifferens ad vtrumvis, & inconnexa cum altero extremo aliquid de suo ad antecedentem necessitatem, & connexionem coniuncti illius cum extremo vno, & impotentiam, seu incompossibilitatem cum altero aduerso conferat de suo, sed ab adiuncto extrinseco, siue ipsi indito, siue assistente, cum quo coniunctum illud cum altero extremo antecedenter connexum, & cum aduerso pugnans constituit, solummodo patiatur. Notatum & exemplis adductis physicæ prædeterminationis, & decreti prædeterminatiui, seu præfinitionis actus, vel omissionis determinatæ componentis, seu constantis coniunctum voluntatis, & prædeterminationis, seu decreti, aut præfinitionis alterius extremi ex oppositis, in quo absoluta, & antecedens necessitas extremi vnius, & impotentia, ac impossibilitas extremi aduersi tota, penes physicam prædeterminationem, decretum prædeterminatiuum, seu præfinitionem vnius extremi, ipsisque intrinseca, & essentialis est, totaque ab eis coniuncto illi affertur; quin ad eam antecedentem necessitatem coniuncti illius ad vnum extremum, & connexionem, atque impotentiam ad oppositum, & cum ipso incompossibilitatem aliquid de suo partialiter adhuc, ex parte sua, reliquum quod de se in coniuncto illo indifferens est, adducat, & conferat. Si enim physica prædeterminatio, vel decretum, aut præfinitio alterius extremi, cum quibus voluntas coniunctum illud natura ad extremum illud antecedens conflat, connexa cum extremo illo natura, & essentia sua non esset, & cum opposito extremo incompossibilia, in coniuncto illo, nec esset antecedens necessitas ad illud, nec ad oppositum antecedens impotentia, & impossibilitas. Ex terminis item ipsis euidens hoc ipsum notatum est: quia, cum coniunctum quodvis nihil aliud sit, aut contineat, quam partes, quibus constatur, si partes eius omnes indifferentes in se ad vtrumque extremum sint, nullaque earum cum altero extremo antecedenter connexa, & cum opposito incompossibilis, coniunctum totum indifferens physicè ad vtrumvis erit, nec ad alterum necessitatem antecedentem, ad alterum vero oppositum impotentiam, & incompossibilitatem physicè, & realiter continebit. Maxime in præsenti materia, in qua vim motiuam medij indifferentis, nec adiuuat scientia media, nec immutat; sed omnino se impertinenter habet ad ipsam, vt dicebam controuersia de voluntate d. 6. quæstione 2. Siquidem medium illud indifferens, ex quavis alia scientia conferretur, eadem vi, & modo ad actum moueret.

3. Ex his porro notatis duobus certis, & euidentibus duo ad rem præsentem, euidenter etiam inferuntur. Primum scientiam mediam, quæ (quæ vtpotè decreti vnici electiui, & collatiui directiua) absolutè medij de se indifferentis, solumque ab extrinsecus efficacis ad actum creatum, seu euentum contingentem pro naturæ priori, ad actum seu præcedit conditionis purificatione seu (quod idem est) medij illius absoluta positione, intrinsecus, & natura sua absolutè cum absolutè futuro contingenti actu vel euentu physicè non connecti, cum quo ante purificationem conditionis seu medij illius absolutam positionem non connecteba-tur; sed solum cum eo, vt conditionatè futuro;

quod solum ante conditionis, & medij illius absolutam positionem repræsentabat essentia sua, quam intrinsece variari repugnat, vt patet, & euicimus n.1. Secundo infertur ex dictis notato & n.2. Neque ex adiuncto medio, ac posito absolute, seu conditione de se ad vtrumvis indifferenti, & cum alterutro extremo componibili putificata posse, extrinsecus adhuc potentiam de se liberam ad vtrumque cum absolute futuro contingenti connecti: nec subinde coniunctum ex potentia de se indifferenti, ac de se etiam medio indifferenti ad vtrumvis conflatum connexionem physicam cum altero extremo ab eo coniuncto absolute efficiendo, & futuro, habere posse: quare neque in coniuncto illo determinationem, & necessitatem physicam antecedentem ad actum ab eo absolute futurum; nec ad oppositum impotentiam seu impossibilitatem antecedentem physicam esse, cogitarive posse: quæque (vt definitio necessitatis physicæ antecedentis, siue ex parte causæ ad effectum & impotentiæ physicæ antecedentis ad eius oppositum à Patribus & Anselmo ad verbum vtar) *faciat, vel prohibeat rem esse, vel non esse*, atque alio etiam nomine à Scholasticis necessitas consequentis, non quidem solum illationis, sed physici effectus, qui ex antecedente physicè sua causa priori naturæ posterius natura sequatur. Cum autem sola necessitas, & determinatio physica antecedens (quam consequentis vocant) principij adæquati, & coniuncti ex parte causæ physicæ requisiti ad effectum, & impotentia, seu impossibilitas antecedens ad eius oppositum potentiæ, & effectus libertati possit officere, atque coniuncto decreti regulati per scientiam mediam de effectu contingente conditionato, & purificationis conditionis, seu medij indifferentis per decretum illud, nulla physica determinatio, & necessitas antecedens ad effectum contingentem ex eo coniuncto mox absolute futurum adsit, nulla item omittendi physica antecedens impotentia, seu impossibilitas eo coniuncto, neque potentiæ adæquatæ, & coniuncti illius, neque effectus indè absolutè futuri libertatem lædi posse manifestum est.

4. Cæterum cum posito absolutè medio, seu purificata conditione decreto vnico per scientiam mediam regulato, effectum absolutè esse necessarium sit, atque eius omissio cum eo coniuncto sit incompossibilis, explicandæ restant, cuiusmodi sint eius coniuncti natura antecedentis ad actum necessitas, & ad eius omissionem impossibilitas: quocirca, cum causæ, & effectus necessitas omnis in antecedentem, seu consequentis vt diximus, & consequentiæ, logicam purè, seu consequentem adæquatè diuidatur (vt ostendimus contra Recentiores Thomistas Dominicanos tom.1. de Deo vno controu.3.d.1) bene Herize noster loco citato certum.1. & 2. respondit: necessitatem ad actum & subindè ad omissionem impossibilitatem, & impotentiam illationis & purè logicam seu consequentem in eo coniuncto esse, quæ nullatenus rei, seu effectus libertati aduersetur, & in rei absoluta existentia præsuppositа fundatur, non autem in suæ causæ ad operandum, remque apponendam necessitate, & determinatione, qua rei illius contingentia in fieri ab ea causa tolleretur: est quippe necessitas, qua res est ex suppositione quod sit, seu, qua rem, si est, quandiu est necesse est esse: vt cum Patribus: præsertim Boëtio, & Anselmo t. 1. de Deo vno controu.3. disput.1. fusè, nec semel diximus, & demonstrauimus. Verum, tametsi veritatem Sapiens Theologus attigerit non tamen penitus illam eiusque fundamenta omnia perculluit: ac proinde inconstans eodem loco ab ea deflexit, viamque tentauit aliam à nobis impugnatam cert.3. ideò autem à vero auiauit, nec veram solutionem præfatam, quam attigit primo potuit sustinere, quia necessitatem coniuncti illius ad actum, & ad omissionem eius impotentiam & impossibilitatem intrinsecam coniuncto esse putauit: quo admisso cum coniunctum decreti, scientiæ mediæ illud dirigentis, & subinde cum ea de se connexi, & purificationis conditionis, seu medij vnicè ex ita regulato decreto appositi, secundum se totum pro naturæ priori ad absolutam effectus positionem præcedat: nequit non eius coniuncti intrinseca ad eum effectum determinatio, & necessitas, & ad eius omissionem impotentia, & impossibilitas pro priori etiam naturæ effectum antecedere: quare & necessitas, ac determinatio ad effectum, & impotentia, ac impossibilitas ad oppositum, nequit non esse antecedens, & consequentis, contra veram quam tentauit hic author solutionem, quod, scilicet consequentiæ, & logica solum, ac purè consequens foret.

5. Vt ergo vera hæc solutio de necessitate solum logica, & illationis seù consequentiæ, vel, vt Patres & Scholastici veteres aiebant pure consequente sustineatur, oportet eam necessitatem intrinsecam illi coniuncto esse limiter negare, & ostendere: quod satis demonstratum hic est num.1. vbi, nec scientiam secundam se, & intrinsecum sui cum absoluta futuritione effectus connexionem habere, nec vt coniunctam cum absoluta purificatione conditionis seu absoluta medij de se indifferenti positione (quomodo coniunctum totum secundum totum intrinsecum coniuncti illius est) habere illam cum absoluto effectu connexionem, vt ostendimus numero 2. quare neque esse intrinsece coniuncto illi antecedentem ad absolutum effectum determinationem, & necessitatem, ac subindè ad eius omissionem impotentiam, & impossibilitatem vt num.3. ostendebamus. Denique explicandum est: quomodo, & vnde extrinseca solum necessitas illa sit, ac proinde logica solum, illatiua, & consequentiæ atque absolutum effectum supponens esse possit: quique eam sibi necessitatem extrinsecam coniuncti illius absolute acquisierit, posueritque sua absoluta contingenti existentia & positione: ex huius enim intelligentia, quam par esset minore, Herize parum in ventare laborata constitit. Recentioresque alij impugnati cert. & 4. difficillimas, fuæque, & nostræ de scientia mediali auxiliorum efficacia aggressi sunt vias: atque alij ad earum hasce concordiæ prædestinationis cum libertate nostra percipiendas tardiores, scientiam mediam, ex qua auxilium conferatur ab vsu absoluto nostræ libertatis indubitabilem non esse docent, nescientes quæ, & nolentes vim ipsum libertatis nostræ subuertunt. Et eius adhuc Molinæ nostro (cum alias, tum maximè in re præsente) sapientissimo Magistro) suam hanc scientiæ mediæ indubitabilitatem imponunt absolutam: cum ille expresse loquatur, si consensum absolutum præcedat, id est ex suppositione, quod præcesserit; non autem pro naturæ priori ipsius positionem quod prius, & his acutius, disperta à cæteris Scholasticis clarius, distinctiusque primus tradit Molina.

6. Est igitur extrinseca hæc, ac subinde consequens necessitas coniuncti illius à futuritione extrinseca conditionata effectus illius sub conditione medij, & conditionis de se indifferentis, & extrinsecus efficacis absolutæ positæ, & purificatæ quam solam conditionatam futuritionem scientia illa media repræsentat, & supponit. Nec alia est in coniuncto illo necessitas absolute ponendi effectus ab ea, qua ex futuritione conditionata ipsius, & purificatione conditionis infertur eius futuritio absoluta: quæ, ni posita conditione sit, futuritio conditionata contradictione manifesta periret: vel potius pro priori sua maioris vniuersalitatis ad eiusdem effectus futuritionem absolutam non fuisset: ac subinde nec scientia media in illius sub eadem conditione, & medio de se indifferenti ad effectum, & ad eius oppositum extremum conditionata futuritione, quam, vt suum obiectum, supponit vsquam fuisset: immò vero conditionata futuritio oppositi extremi omissionis, vel contrarij effectus, qui eam inducere ac deuolueret: quare, & scientia media ab ea certo foret. Vnde constat futuritionem conditionatam effectus sub ea conditione, & medio, quod absolutè purificatur, & apponitur, anterius natura ad absolutum effectum immediatè ab eodem effectu absoluto pendere: ratione vero illius futuritionis conditionatæ effectus sub eadem conditione & medio indifferenti de se, quam scientia media supponit, & scientiam mediam ipsam, quæ etiam natura (etsi remotius, vt decretum medij illius collarium regulans effectum ipsum absolutum antecedit) ab eodem absoluto effectu pendere mediate, vt sit: pollicor subinde à causa libera sua per absolutam omissionem illius contingentis effectus absolute impediri, ne scientia illa fuisset, nec pro signo, & priori suo naturæ ad absolutum illum effectum absolutè præcessisset, acquirique potuisse: imò adquisitam à causa libera per sui effectus absolutam positionem, in primis, & immediate conditionatam eiusdem effectus futuritionem: secundò, & mediate scientiam

scientiam mediam de illo, ac demum mediatius, sed non meritoriè, vt diximus tom. 1. de Deo vno controu. 2. de scientia, & controu. 3. de decreto concurrendi cum causis liberis creatis, decretum medij illius collatiuum. Totum ergo coniunctum quod prius natura absolutum effectum contingentem antecessit, ab eiusdem absoluta contingenti ac libera positione in sui existentia pendet: sed mediatè ratione dependentiæ immediatè futuritionis conditionatæ, quæ ad scientiam mediam, & reliqua coniuncti subsequentia supponitur: quare & ab vsu, & exercitio libero causæ in effectus contingentis absoluta positione, & quod absolutè præcesserit natura ad ipsum, dependet, acquisitumque est, & ne præcederet potuit per omissionem sub auxilio eodem impediri: foret enim tunc scientia media de conditionata omissione, nec ex scientia, quæ modo est daretur: si à Deo pro libito daretur, vt potest. An verò daretur? Puræ diuinationis, non autem disputationis Theologicæ, negotium est.

7. Cum verò certum, constansque sit necessitatem absoluti contingentis, quæ ab vsu, & exercitio libero causæ liberæ in eius absoluta positione pendet, vt sit, suoque loco fuerit, potuitque impediri, ne suo illo loco fuisset (tametsi semel positum abiici nequeat, & à suo illo loco siue contradictione amoueri) necessitatem consequentem logicam illatiuam, seù consequentiæ ac libertati, & causæ liberæ, & effectus contingenti, non aduersam, sed amicam solummodo esse, non antecedentem, & libertati vtriusque aduersam: constans etiam ac certum esse debet necessitatem hanc extrinsecam, mutuóque, vt sic loquar, à futuritione conditionata acceptam, imò eandem, atque coniuncto illi extrinsecam, nec causæ creatæ, nec effectus contingentis libertati absolutæ efficere posse; etsi ex suppositione coniuncti illius, & conditionatæ futuritionis, quæ consequentem illam necessitatem, ex quocunque decreto, & scientia Dei purificaretur conditio inuoluit, atque in coniunctum illud deuoluit impossibilitate logica, & consequente nequeat effectus non esse. Vnde, patet æquinocationis fallacia, quæ tot alias ingeniosos nostros Recentiores decepit. Inquirentes, & excogitantes modos à nobis impugnatos totis cert. 3. & 4. vt cum auxilio illo posito vnicè ex decreto regulato per scientiam mediam, nec aliunde in hac prouidentia exituro absolutam potestatem omni repugnantia exclusa omittendi effectum illum inuenirent: cum coniunctum illud extrinsecus participatam necessitatem consequentem effectus absoluti supponat; tametsi per totum intrinsecum coniuncti illius, quod de se totum indifferens est, vt ostendimus, & quod solum naturæ priori effectum absolutum contingentem antecedit, causæ liberæ effectum contingentem omittere liceat potestate antecedente.

8. Sed quæ (inquies) absoluta potestas de facto adest ad absolutè omittendum actum purificante & ponente absolutè auxilium, quo absoluta potestas constituitur decreto illo vnico regulato per scientiam mediam vt indè futuritio illa conditionata à liberæ nostræ potestatis absoluto exercitio obiectiuè pendeat solámque consequentem necessitatem auxilio de facto posito inducat? Nisi enim pro naturæ priori decretum absolutè præcedat positiuè, de facto, auxilium quod de facto ab eo vnicè pendet absolutè non est; ac subinde neque ad actum absoluta vlla nostra potestas, quæ illo absolutè posito essentialiter constituitur. Si autem pro naturæ priori decretum illud positiuè præcedit, vt absolutè auxilium, & potestas nostra, quæ ad actum de facto est, consistant, nulla est absoluta potestas ad eius omissionem nisi chymærica: cum decretum illud essentia sua futuritionem conditionatam ponat, & supponat; vtpotè per scientiam mediam essentialiter regulatum, atque essentia item sua auxilium (purificationem, scilicet, conditionis qua conditionata actus futuritio inabsolutam necessario transit) pro naturæ priori ad actum ipsum deuoluat: ac subinde absolutam eius omissionem reddat pro eodem priori impossibilem: quare neque ab exercitio vllo libero absoluto nostræ absolutæ potestatis, quæ eo decreto ponitur, potest conditionata actus illius futuritio obiectiuè pendere. Respondetur potestatem absolutam ad actum, vel eius omissionem entitate, & auxilij, & voluntatis nostræ adæquatæ constitui; cuius actiua vis ad vtrumvis, nec augetur, nec minuitur aut decurtatur, à quovis decreto ponatur illam complens auxilium; nec determinatur ad aliquod extremum, impediturve ad aliud apponendum, nisi id quod ipsam antecedit totam de se, & intrinsecam habeat cum altero physicam connexionem, & cum altero extremo incompossibilitatem afferatque: eam autem decretum illud regulatum per scientiam mediam de se, & intrinsecè non habet, nec affert, licet ratione futurionis conditionatæ, quam essentia sua mediatè supponit, & conditionis purificatione, seù auxilij indifferentis absoluta positione, cui causaliter connectitur, Logico solum, & illationis transitu conditionatus actus transeat in absolutum: ea verò conditionata futuritio quæ supponitur, obiectiuè solum ad scientiam & decretum illud ac verificatiuè non autem physicè actiuè supponitur: quo in genere obiectiuo ab absoluta actus futuritione pendet vt primum sit, sicuti, & scientia, & decretum illud: quæ proindè, etsi hanc physicè causent dum sunt, obiectiuè tamen ab ea causa sunt; vt essent, eamque in alio genere causarent, vt iam dico.

9. Et hæc quidem pro difficultatis huius aperta solutione sufficiunt; sed duo adhuc fors ab acutulo aliquo contra hanc doctrinam, & solutionem obiicienda, etsi aliundè petita. Primum futuritionis conditionatæ constantiam, & obiectiuam consistentiam, & veritatem à contingentis absoluti positione non pendere: quandoquidem plura futura conditionata suo modo sunt, & quæ obiectiuam consistentiam, & veritatem habent, quin conditio purificetur, & contingentia conditionata transeant in absoluta, à quibus, vt absolutè positis, ipsorum, vt conditionatorum, veritas, & constantia obiectiua dependeat, verum cum futuritio illa contingentis effectus conditionata sub conditione sit, ita etiam, & eius, & veritatis dependentia absolutè à contingente effectu non est, quovsque purificata condione effectus absolutè sit: certum quippe est hoc genere dependentiæ obiectiuæ, ac verificatiuæ apud omnes: non ideo verum contingens absolutè conditione purificata esse, quia fore, si conditio poneretur, conditionatè verum fuit, sed contra: quia posita absolutè conditione absolutè consensus est aut erit, forè conditionatè, si poneretur, verum. Sicut ergo ea futuritio suspensa est; ita, & dependentia, quovsque apponatur conditio: quarum autem non apponitur absoluta ab effectu absoluto sub illa non est; sed suspensa solum dependentia ab illo manet. Secundò fors aliquis opponat. Scientia media absolutè præcedit absolutum contingens quod ex medio, seu conditione absolutè etiam ex scientia media positum est: ergo nequit ea scientia media à contingenti absoluto pendere: quin inter causam, & effectum absolutè existentes, vt causent, detur mutua causalitas: quam, scilicet, vt repugnantem, adhuc in diuerso genere, execramur. Respondetur mutuam causalitatem vtrinque physicam causarum existentium absolute, vt causent, repugnare: physicam verò ex parte vnius, non autem physicam ex parte alterius, sed merè obiectiuam, & verificatiuam seu verificationis sui obiecti ex parte alterius non repugnare. Et hanc quidem solam habet scientia conditionata, & mediatam, à contingente absoluto ex conditione, seu medio absolutè posito per scientiam mediam, quæ proinde ipsum physicè causat, & naturæ priori absolutè præcedit. Siquidem eatenus solum, ac non aliter aliaue dependentia à contingente illo absoluto pendet mediatè, & suo modo quatenus eius scientiæ obiectum, nempè contingens conditionatè futurum, eiusque obiectiua veritas, & consistentia, quam scientia illa supponit à contingente absoluto, purificata conditione, obiectiuè, & verificatiuè pendet: dependentia autem eiusdem pro statu conditionato, & pro quo absolutè non est; à se ipso in statu absoluto physica esse non potest, quæ eiusdem ad seipsum esse nequit: sicut, nec nisi ad statum absolutum physice dependentis, & effectus sui terminari, vt cunctis Philosophis est notum. Obiectiones paralogisticas plures mitto ex dictis solutu faciles, quippe quæ eandem vanis terminis difficultatem replicant, nec augent.

DISPVTATIO III.

De præsuppositis, & subsequentibus, seu causis, & effectibus diuinæ prouidentiæ.

STATVIMVS d.2. Prouidentiam in electione, seu affectiua mediorum ad finem aliquem rei, cui à Deo prouidetur, ab ipso præstitutum dispositione, & præparatione voluntati Dei intrinseca, atque scientia Dei eiusmodi præparationem, & electionem mediorum dirigente, ac regulante adæquatè consistere: siue ea scientia simplicis intelligentiæ sit, pro Dei prouidentia erga causas, & effectus naturales, & pro liberis etiam, si solum sit prouidentia sufficiens, seu quoad sufficientiam, vt possit absolutè mediis indifferentibus electis, atque ita in Dei voluntate præparatis finis obtineri, siue sit scientia media pro exactissima prouidentia de præstituto fine per ea media electa à Deo atque in eius voluntate præparata, tametsi contingenter obtinendo. Cum autem electio omnis intentionem finis essentia sua concernat, & supponat, intentio autem bonitatem, ob quam intendatur, & quandoque motiua alia, & occasiones obiectas, vt intendatur finis: ac insuper finis, motiuaque ista, ob quæ Deus huic creaturæ liberæ hunc finem præfigit, hæcve præ illis media eligit, & in voluntate sua disponit, Deo ipsi solo nota sint, nobis autem ignota: *Quis enim nouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?* Non est animus de iis disputare, quæ scire non possumus: nec nisi cæco, & temerè disputaremus, cum de causis, & præsuppositis, ac subsecutis prouidentiam, præsertim liberis, disputamus: sed de intentionis ad prouidentiam, maximè exactam illam, ac certam de fine, tametsi contingente de se, obtinendo, efficaciæ, inefficaciæ: ac serietate modo: id enim solum ad exactam prouidentiæ notitiam disputare vtile est, multumque ad prædestinationis Theologicas quæstiones rigidè examinandas, & rectè definiendas conducens. Deindè verò de subiecto prouidentiæ, cui nimirum de mediis ad finem ipsi à Deo præstitum prouidetur.

QVÆSTIO I.

De efficaciæ, ac serietatis modo in intentione præcedente prouidentiam obiectiue liberam, seu de causis, & effectis liberis requisito.

REstringimus disputationem ad intentionem prouidentiæ obiectiuè liberæ necessariò præeuntem, quia modus serietatis, aut efficaciæ, vel inefficaciæ intentionis præcedentis ad prouidentiam obiectiue necessariam, seu de causis, & effectibus naturalibus, ac necessariis, nihil vtilis doctrinæ parabit rei Theologicæ, siue efficaciæ modus esse intentioni illi inesse debeat (vt vero est similius) siue illi modus inefficaciæ sufficiat.

CERTAMEN I.

Prima communis, & facilis conclusio de prouidentia obiectiue libera, de mediis sufficientibus ad finem.

1. DIcendum primo cum communi Doctorum sententia. Ad liberam obiectiuè, siue erga causas & effectus liberos prouidentiam generatim sumptam, efficacem finis seu intenti effectus intentionem non præsupponi: ita expressè Alex. 1. p. q. 26. m. 6. Albert. q. 63. m. 2. p. 2. S. Thom. de verit. q. 6. art. 1. corp. & in 1. d. 40. q. 1. art. 4. vbi Durand. q. 1. n. 6. Capreol. q. 6. art. 1. concl. 2. Marsil. q. 4. art. 1. notab. 2. Ferrara 3. cont. Gent. cap. 94. Vasquez 1. p. quæst. 87. cap. 4. Soar. 1. de essent. prædest. cap. 13. n. 5. & Recentiores S. Thom. interpretes 1. p. quæst. 22. art. 1. vbi Molina, Vasq. Valent. pun. 1. §. *est autem* Zumel ibi quæst. 5. Arrubal. & Herize refertur. Syluester in consitorio q. 22. art. 2. Becan. 1. p. cap. 3. concl. 4. Iul. Syren. de prouident. cap. 6. fine Pennotus 5. Propug. cap. 2. Ruit d. 4. sect. 2. & 3. Arriaga aliique à nobis citati contra d. 4. q. 3. sect. 1. n. 7. pro intentione Dei vera ac beneplaciti, nec solum signi, salutis omnium hominum ex quæ probis etiam de sufficientibus mediis ad salutem prouideat.

2. Est tamen contra negantes veram beneplaciti intentionem Dei de reproborum etiam, hominum salute esse, sed signi solum, quatenus media vult, & apponit sufficientia ad salutem, quæ illam ipsis velle significent: quia non nisi ex intentione finis media ad ipsum apposit iudicamus. Hos Doctores citaui eodem certam. n. 6. tametsi, vt ibi ostendi, ita variè & inconsequenter à nobis loquantur locis, vt quid demum de vera beneplaciti erga salutem hominum, etiam reproborum, voluntate diuina senserint, non facile possit liquido deprehendi ac definiri. Nisi quod vlterius ex illis Theologi Magistro consentiunt in 1. d. 46. §. *nunc videre* & totis distinctionibus 45. 46. & 47. constanter dicenti voluntatem Dei veram, & beneplaciti esse ipsum Deum: & voluntatem quæ Deus est semper impleri, quæ approbat etiam glossa in 12. ad Rom. Intentio autem salutis, ex qua Deus reprobis etiam media sufficientia prouideret, si vera ac beneplaciti foret, & Deus ipse ab his diceretur, ac semper impleretur; quod non euenit. Censent ergò, censeréque consequenter debent, veram Dei intentionem, ex qua obiectiue libera prouidentia de mediis ad finem intentum prouideatur efficacem esse debere: quare media solum sufficientia reprobis data ex intentione efficaci alterius finis obtinendi, quam salutis eorum, atque prouidentia ista ad eum finem obtinendum esse à Deo prouisa; ac proindè, nec hominum reproborum salutem esse à Deo verè, & voluntate beneplaciti intentam, sed signi solum.

3. Sed, quidquid de horum mente sit, quæ si intentionem veræ, ac beneplaciti Dei ergà reprobatum etiam salutem aduersatur ab omnibus iam reiectatur, & refellitur, parumque scripturis, & Patribus consonat, immò multum aduersatur, (vt videre est citata q. 3. à cert. 1. per totam) quare & parum est in fide tuta, ex eo autem quod Deus ex vera & beneplaciti intentione salutis omnium etiam reproborum his de sufficientibus solum mediis ad salutem prouideat, cum eiusmodi intentio eam de mediis ad salutem reproborum præparationem, & prouidentiam antecedens efficax esse non possit, vt porè effectu careat, quod efficaci de se Dei voluntati, & intentioni repugnat: atque alia ex parte prouidentia ergà salutem reproborum libera obiectiuè siue de causis & effectibus liberis apertè sit: fit planum atque vno solum gradu remotius fidei dogmata concernens ad prouidentiam omnem liberam obiectiuè vt sic intentionem efficacem finis ex quo de mediis prouidetur ad finem intentum efficacem esse non debere,

4. A ratione probatur secundò : quia eo intentio inefficax à pura complacentia differt, quod hæc nullatenus inductiua sit ad agendum aliquid, vt id, de quo quis complacet, obtineatur : quia supponit essentia sua obiectum, de quo complacentia est, obtentum : ergo quidquid inductiuum est alicuius rei seu medij ad finem obtinendum est eius intentio, seu desiderium : ergo ad prouidentiam liberam obiectiuè vniuersim, seu electionem mediorum solum sufficientium ad finem liberè à nobis obtinendum causandam, seu apponendam satis est desiderium & intentio finis illius inefficax, probatur : quia omnis voluntas inductiua de se volentis ad aliquid agendum, vt res volita obtineatur, est eius rei desiderium, seu intentio potens de se volentem inducere ad aliud aliquid eligendum, vt finis obtineatur intentus. Sed intentio inefficax finis liberè à nobis obtinendi est voluntas de se inductiua volentis ad agendum aliquid, vt ille finis obtineatur : quia medium sufficiens aliquid procul dubio est, vt obtineatur finis ille : ergò intentio solum inefficax finis potens de se est inducere, ac mouere volentem ad electionem medij sufficientis, seu, quod idem est, alicuius conducentis, vt finis obtineatur, ac subindè causandi prouidentiam obiectiuè liberam, de mediis sufficientib. ad finem liberè à nobis obtinendum, quæ eiusmodi electione completur : ergò ad id efficax intentio non requiritur : quia absque aliquo requisito ex parte actus primi ad aliquid agendum, nihil potest esse absolutè potens ad aliud agendum. Conclusio hæc amplius roboratur ex probatione secunda.

CERTAMEN II.

Conclusio secunda.

1. DIcendum est secundò : Neque ad prouidentiam obiectiuè liberam de mediis efficacibus ad finis liberi consecutionem, & quibus illum Deus de facto obtineat, efficax intentio prærequiritur. Habet aduersarios : Lutherum apud Roffensem art. 16. sic fatum. *Nobis ad infera spectantibus apparent res arbitrariæ ; sed ad superna spectantibus omnia sunt necessaria : quia non sicut nos, sed, sicut ille vult, ita videmus, facimus, patimur omnes, & omnia.* Caluinum 2. de liber. arbitr. *qua fortuita maxime videntur ea dicimus fieri necessariò, non suapte natura : sed quoniam æternum, & stabile Dei consilium in eis gubernandis regnat.* Habet tamen conclusio nostra Patrinos Doctores omnes, quos citauimus controu. 4. de volunt. d. 6. quæst. 2. pro sententia nostra negantes, possibilitatem adhuc præfinitionum diuinarum de creatis actibus liberis, etiam regulatarum, concernentiumque scientiam mediam de eorum conditionata futuritione. Ex aliis verò, qui regulatas per eiusmodi scientiam cum nostro Soario admittunt, requiri tamen ad prouidentiam mediorum efficacium, quibus actus, seu finis noster de facto, & infalliliter obtineatur, cum eodem plerique negant ; tametsi in quæstione de facto, atque in specie prouidentiæ huius de mediis efficacibus ; prædestinatione scilicet, eorum nonnulli intentionem efficacem salutis prædestinatorum omnium semper de facto antecedere prædestinationem putent ; alij verò solum salutis æternæ non omnium, sed aliquorum eximiè prædestinatorum, in quibus alij plures, alij pauciores, & hos, vel illos, pro cuiusque opinantium præconcepta de eorum meritis, & sanctitatis excellentia, æstimatione, & in ipsos deuotione, & in primis Deiparam Virginem recensent : vt controu. 7. de prædestinat. videbimus.

2. Huic igitur conclusioni secundæ neganti necessitatem intentionis efficacis erga finem & prouidentiam de mediis efficacibus finem obtenturis. Dominicani solum recentiores, qui Deum, non nisi decretis de se efficacibus, & prædeterminatiuis de actibus liberarum causarum agere cum ipsis posse tuentur aduersarij sunt. Nam Doctores etiam alij, qui ad perfectionem prouidentiæ omnis spectare aiunt finem intentum obtinere, cum electionem mediorum efficacium ad finem intentum in omni prouidentia obiectiuè libera esse debere concedatur, tametsi ex efficaci de se intentione eiusmodi electio, ac subindè prouidentia non proueniat, sed ex inefficaci satis ad suum intentum habebunt. Probatur primo conclusio intentio efficax effectus, seu finis cuiusvis liberè à creatura habendi, & obtinendi pugnat inuincibiliter cum effectus, seu finis illius, & causæ creatæ effecturæ, & obtenturæ libertate : Ergò suo obiecto contradicit, ac proindè est impossibilis : at nihil impossibile potest reuera ex parte causæ præcedere ad realem aliquem effectum : siquidem, vt reuera præcedat debet esse in rebus, atque esse possibile : ergò intentio efficax effectus, seu finis liberi creaturæ, nequit præcedere, ac requiri ex parte causæ ad electionem & prouidentiam obiectiuè liberam de mediis efficacibus. Antecedens primum abundè monstratum à nobis est controu. 4. de volunt. d. 6. qu. 2. ex quo inoffenso consequentiæ fluunt.

3. Probatur secundò : quia, etsi præfinitio, & intentio efficax effectus creati liberi cum eius libertate, suoque proinde obiecto, ac secum non repugnaret : non repugnat tamen ex intentione inefficaci atq; citra efficaciam, præsertim tota, qua potest, serietate seria, media efficacia, & effectum intentum obrentura eligi, & de eis ad eum ita seriò, etsi inefficaciter intentum finem ex ea intentione prouideri : ergo intentio efficax eius effectus non requiritur ad electionem de mediis efficacibus, & prouidentiam obiectiuè liberam de ipsis ad effectum intentum obtinendum. Consequentia est certa : quia nihil requiritur ad aliquid, quod sine illo obtineri non repugnat, seu potest absque ipso obtineri. Antecedens probatur : quia, etsi intentio efficax effectus liberi, non solum inducat, & moueat intendentem, sed determinet etiam ad media efficacia ad finem facto obtinendum eligenda, non obindè repugnat ab intentione eiusdem effectus inefficaci, seria tamen, præsertim tota serietate, qua intendi serio effectus ab intendente, desiderarique potest, moueri intendentem ad efficacis medij electionem, vt patet : imò in eo, qui primæ nostræ conclusioni aduersabantur errabant : quod intentio finis, quæ ad media efficacia eligenda, & apponenda, vt finis de facto obtineretur, seria, & vera intentione esse non potest, sed solum signi.

4. Probatur vlterius, & vrgentius antecedens, ac simul tertio nostra hæc secunda conclusio. Quia vis motiua intentionis finis liberi seriæ tota serietate, qua intendens illum desiderare potest, non solum mouet, sed (quod amplius est) determinat intendentem ad electionem medij efficacis, quo de facto liber ille effectus obtineatur : atqui intentio inefficax absolutè effectus liberi, & citra efficaciam intrinsecam respectu eius effectus, potest esse intentio seria tota serietate, qua Deus intendens potest effectum illum desiderare ergò potest intentio absolutè inefficax effectus liberi, nec efficaciam respectu illius pertingens non solum mouere, sed & determinare Deum intendentem, vt media efficacia, quibus de facto effectus ille obtineatur, eligat, & apponat. Maior videtur perspicua. Nam intentio seria effectus liberi tota serietate, qua intendens potest illum desiderare, determinat intendentem Deum ad agendum ex parte sua quidquid possit vt finis obtineatur : alioqui non illum intendet tota serietate, qua potest : cum possit illum ita intendere, vt nihil, quod possit, vt illum obtineat omittat : at Deus intendens effectum liberum potest ex parte sua eligere, & apponere media efficacia ad effectum liberum intentum : ergò intentio illa Dei effectus liberi seria tota serietate, qua Deus illum desiderare potest, non mouet solum sed determinat Deum ad illa media eligenda, & apponenda.

5. Minor probatio videtur fors plerisque difficilior : quia nihil aliud efficacia intentionis communiter censetur, quamvis determinandi seipsa intendentem efficaciter finem ad electionem mediorum efficacium, quibus intentus finis de facto obtineatur. Hinc præfinitores Soaristæ præfinitionem consensus liberi nostri non repugnare contendunt huius libertati : quia non repugnat determinatio antecedens voluntatis diuinæ ad electionem medij efficacis, non de se, sed solum extrinsecus, cuius ratione connectatur mediatè solum, & extrinsecus præfinitio cum consensu præfinito. Cum autem medij eius intrinseca connexio cum consensu præfinito determinatè

non sit, sed disiunctim cum illo, vel eius omissione, nequit præfinitio magis eius libertati officere quam medium illud efficax, quod eius libertati in stata nobis doctrina, non obest, cum non sua, & per seipsa immediatè, sed medij illius connexione mediatéque antecedenter connectatur. Hoc robustissimum Præfinitorum illorum fundamentum, & ab aduersantibus argumentis ab euersione libertatis tutissimum præsidium ac euasio subtilior, & plausibilior quæ ægre ab aduersarijs præcludatur, & expugnetur: quia cum Præfinitoribus hisce tantundem in intentione finis efficaciam, nihilque amplius valere; ac vim determinandi seipsa intendentem ad mediorum efficaciam electionem existimant.

6. Cæterum iudicium, seu apprehensio hæc, de identitate adæquata reali formali efficaciæ intentionis cum vi eius determinandi seipsa intendentem ad electionem mediorum efficacium, satis à nobis reiecta est quantumvis sit communis contra u. 4. de volunt. d. 6. q. 2. vbi ostendi posse determinationem intendentis ad media efficacia, ad finem in eius intentione diuina, non absolute efficaci, siue absque intrinseca efficacia respectu finis reperiri; quamvis nequeat (vt verè nequit) dari intentionis efficaciam absque ea determinatione: idque præstiti detectione æquiuocationis, quam continet Præfinitorum memorata doctrina, & solutio, mediationem medij, vt agat præfinitio efficax consensum præfinitum, cum mediatione eius medij, vt cum eo connectatur confundens; cum tamen præfinitio consensus seipsa cum illo ex prædicato intrinsecæ suæ efficaciæ connectatur. Ex quibus ita summatim recensitis probatur apertè minor. Omnis intentio, aut desiderium efficax finis, seu effectus cuiusvis habet ex prædicato intrinsecæ suæ efficaciæ intrinsecam, & essentialem connexionem cum fine, & effectu intento, & desiderato, (vt ibi probatum est, & patet de se: quia efficacem intentionem Dei esse, & effectu carere repugnat) ast vis determinatiua, seu antecedens determinatio intendentis ad electionem mediorum efficacium ad finem, seu effectum, quam per se, & intrinsecè solam intentio finis habeat, non continet connexionem cum effectu, seu fine intento, sed solum cum electione & appositione mediorum efficacium: ergò citrà efficaciam ac proinde absolute inefficax intentio finis, seù effectus liberi, potest, non solum mouere sed determinare intendentem ad mediorum efficacium electionem; si tamen tota serietate, qua potest citrà libertatis alienæ determinationem, effectus liberi intentio sit: tunc enim determinatur intendens Deus ad agendum, quantum ex parte sua, & penes ipsum est, vt effectus liber obtineatur: quare, & ad eligendum, & apponendum medium efficax, quod suæ est potestatis.

7. Et quidem, cum duo à Deo, eiusque intentione determinari (admissa præfinitionis nostrorum actuum libertatis possibilitate) efficaciter possint: & mediorum efficacium electio extrinsecùs & de se indifferentium, & consensus liber creaturæ: cur nequeat determinatio voluntatis diuinæ efficaciam respectu electionis mediorum habere, ibique, quoad intrinsecam efficaciam sistere, nec vlterius ad consensum liberum creaturæ transgredi, tametsi extrinsecus ratione mediorum efficacium, ad quorum absolutam electionem, & subindè appositionem, quibus de facto necessitatem consequenti consensus absolutè erit, ad ipsum consensum non progredi nequeat?

Maxime cum determinatio consensus liberi nostri in voluntate diuina sit determinatio voluntatis alias liberæ alienæ; determinatio verò ad electionem mediorum efficacium ad finem intentum, sit determinatio voluntatis alias liberæ propriæ, nequeat autem ratio adhuc apparens assignari: cur Deus non possit intentione, & voluntate libera sua antecedenter determinari ad agendum, totum, quod suæ libertatis, & potestatis solius adæquatè est; quin determinet, quod est etiam alienæ potestatis & libertatis. Huc, & firmius, & aptius facit doctrina illa Præfinitorum de præfinitionis connexione intrinseca, & immediata cum electione medij efficacis, non autem cum consensu præfinito, nisi mediata, & extrinseca solum, ratione connexionis medij efficacis, quæ in prædicato determinationis solum ad electionem medij efficacis sistat: in quo cum efficacia intrinseca intentionis respectu consensus non contineatur, nulla efficaciæ intrinsecæ, respectu consensus intenti, quæ ab illa intentione abest, cum huius libertati repugnantiæ vmbra apparet.

8. Si vero præfinitiones actuum nostrorum (adhuc Soaristæ mediam scientiam concernentes, & facile saltem benignæ) non admittantur: posse Deum intentione finis seu effectus liberi tota serietate, qua intendi ab ipso potest, intenti ad medij efficacis electionem antecedenter determinari; quin determinet antecedenter consensus liberi absolutam existentiam (cuius libertatem eiusmodi antecedente determinatione diuina funditus euerti cum reliquis negantibus præfinitionis nostrorum actuum possibilitatem merito iudicamus) æqua facilitate probatur: in ea quippe opinione intentio illa Dei determinans de se Deum ad electionem medij efficacis est determinatio ex parte obiecti, siue ad effectum & obiectum possibile: determinatio verò à Deo eiusque intentione consensus, seu actus nostri, qui liber nobis maneat, est determinatio effectus, seu obiecti repugnantis: quare hac repugnante determinatio illa penitùs possibilis. Maneat ergò firma, & constans deinceps minoris illius veritas: posse nimirum intentionem Dei finis, seu effectus liberi creati seriam tota serietate, qua ille à Deo intendi potest, quæ citra efficacem, ac proindè inefficax absolute sit, non solum mouere, sed determinare antecedenter Deum ad medij efficacis electionem: quare nec ad eam electionem & prouidentiam obiectiue liberam de mediis efficacibus, quæ eiusmodi electione completur, efficax intentio Dei finis, seu effectus creati liberi (tametsi non repugnaret) prærequiritur, nec debet præcedere.

9. Egi autem paulo fusius de minoris probatione: quia eius veritas non adeo erat communiter nota: imò ex iis, quæ in nostris intentionibus ad mediorum omnium, quæ possimus, securiora, & certiora, vt de facto finem obtineamus determinantibus inuenitur, falli prorsus videbatur, cum ad ea media eligenda determinari antecedenter, neque eueniat, neque, nisi ex efficaci finis intentione possimus. Est autem discrimen: quia intentio efficax nostra, cum suo obiecto, & effectu intento essentia sua non connectitur cum frustrabilitate effectus sua sit, potestque sine illa ipsa efficacia intentionis eius subsistere; quod aliter in diuinæ intentionis efficacia euenit, quæ essentia sua cum suo obiecto, & effecto fine, & effectu connectitur, atque infrustrabilitate in se est, quin absque illo pro duratione, pro qua efficaciter intentus est, persistare possit: tum etiam quia cum effectu extrinsecus ab altera causa dependens penes intendentem eiusque potestatem absolute non sit, nequit mutuus conatus, efficaciaque intentionis creatæ finis alicuius extrinseci, & à causis aliis dependentis adeò, quam intentio de se afferens antecedentem determinationem intendentis ad agendum ex parte sua, quantum potest, vt finem de facto obtineat, & quam possit certissima, & securissima media ad illum obtinendum eligat, & apponat: nec vlterius creatæ intentionis efficacia, Deo in omnibus subordinata, & à causis aliis creatis plerumque in effectu intento extrinseco obtinendo dependentem ad effectus extrinseci intenti determinationem, physicamque, & essentialem cum ipso connexionem potest pertingere; sicut perfectissima efficacia intentionis diuinæ ratione essentialis suæ infrustrabilitatis intrinsecam habere cum fine intento, & essentialem connexionem quam cum nequeat cum fine, & effectu libero nostro, falsa enim & nostra libertate habere: respectu solum agendi, quantum ad seriò tota serietate, qua potest, intentum finemque effectum liberum ex parte sua, ac proindè ad medij efficacis electionem, dignam voluntate diuina efficaciam habet, atque antecedentem determinationem fortiatur.

CERTAM

CERTAMEN III.

Vlterius, delicatiusque examen qualitatis præuiæ intentionis prouidentiæ liberæ obiectiuæ.

1. DVplicem de mediis ad finem liberum præintentum prouidentiam obiectiuè liberam præcedentibus conclusionibus distinximus: alteram, quæ de mediis sufficientibus sit: alteram vero de mediis efficacibus, & quibus de facto intentus effectus, & finis liber obtineatur. Cum autem vtrique prouidentiæ veram, seriamque intentionem finis liberi debere necessario præire; atque intentionis diuinæ serietas, & quasi intentio, & conatus, minor, maiorque affectiuè pro Dei libito esse possit, vt vidimus: quantæ serietatis intentio sit, quæ alterum debeat, possitque præcedere minutius, non tamen scrupulatim examinandum hic, & subtilius est: quod, non intra curiositatem, superfluámque, & Theologo viro indignam disputationem fors manebit; sed ad rei Theologicæ vtilitatem, & diuinæ prædestinationis, gratiam Dei, & beneficentiam maiorem dignoscendam suo loco vlterius progredietur: & de serietatis magnitudine (citra absolutam, vt diximus) respectu finis liberi, requisita, & possibili in intentione præuia prouidentiæ obiectiuè liberè de mediis sufficientibus facilior est ex dictis resolutio.

2. Dico primò: intentio finis liberi seria summa, & tota serietate, qua Deus potest illum intendere: nequit præcedere prouidentiam liberam de mediis sufficientibus solum ad finem liberum intentum obtinendum. Cum dico *liberi solum*, non excludo inter media aliquot media efficacia ad intermedium, qui intentus ad ea finis liber non est, vel ex quo finis ille infallibiliter obtineatur: siquidem, etsi ad actum efficax medium sit, respectu tamen finis intenti efficaciam, nec medium, nec actus ille habet si immediatum ad finem obtinendum, seu actum, quem infallibiliter finis sequetur, sit sufficiens solum: vt in reprobis nonnullis diu iustis, ob vnum mortale damnatis. Probatur facile conclusio: intentio finis liberi seria, tota serietate, quæ illum Deus potest intendere ipsum determinat ad agendum ex parte sua, quidquid potest, vt finis intentus liber de facto obtineatur: at dum non est eius electio & prouidentia de mediis efficacibus, sed solum sufficientibus non agit, qua tum ex parte sua potest, vt de facto finis liber intentus obtineatur: ergo nec electio nec prouidentia illa de mediis sufficientibus solum est, neque ex intentione esse potest seria summè, & tota serietate qua Deus potest illum finem liberum intendere.

3. Dico secundo: Ad eandem prouidentiam obiectiuè liberam de mediis sufficientibus solum ad finem intentum intentio seria finis vltra minimum serietatis non requiritur vt præcedat; ast potest quæ magis, & multo amplioris serietatis habeat, prouidentiæ præire. Prima conclusionis pars probatur: quia eo ipso quod absolutè intentio finis seria, verumque eius desiderium sit, est actiua, & inductiua intendentis ad aliquid ex parte sua agendum, & apponendum ad finem intentum, alioqui non seria intentio, verumque finis desiderium; sed pura complacentia foret: sed intentio finis seria minimo serietatis seria intentio illius, verumque desiderium absolutè est: ergo est inductiua, seu potest de se inducere intendentem ad aliquid agendum conducens saltem absolutè ad finem intentum, tametsi non ad agendum, quod maximè ad illum finem conducat: eiusmodi autem est medium absolutè sufficiens: ergo ad hoc à Deo eligendum, & prouidendum intentio absolutè seria, minimo etiam serietatis, sufficit, nec magis seria requiritur, vt electionem, & prouidentiam de mediis solum sufficientibus præcedat.

4. Potest autem intentio amplioris minimo serietatis eam prouidentiam antecedere (dummodo summum serietatis non pertingat iuxta dicta conclusion. 1.) vt secunda parte conclusionis dicebatur. Ratio est: quia ex intentione, non summè seria, non determinatur Deus antecedenter ad electionem medij efficacis, sed manet liberè ad electionem efficacis vel sufficientis ad finem præintentum: ergò intentio amplioris serietatis minimo potest præire electioni, & prouidentiæ medij solum sufficientis ad finem per ipsam intentum. Probatur secundò: qua maioris serietatis minimo Deum salutem Reproborum intendere, testatur ipse frequentissimè expressè, & per parabolas, ac similitudines, & affectibus doloris vehementis de eorum perditione, & aliis, quæ vidimus, & expendimus controuersia quarta de voluntate d. 4. quæstione tertia à certamine tertio. Ni enim maiori minimo serietatis conatu, & intentione seria Deus Reproborum salutem intenderet, ac desideraret à veritate desiderij sui multum excedens: atque per mendactum, & simulationem desiderij illius, & intentionis suæ magnitudinem, & vehementiam nobis commendasset: quod est impossibile. Prouidentia autem salutis Reproborum de mediis solum sufficientibus ad ipsam est: ergo prouidentia de iis solum mediis ex multum seria intentione finis potest procedere.

5. Quo autem magnitudo serietatis citra summum possit pertingere in intentione, ex qua de mediis solum sufficientibus ad finem intentum prouideatur, designare nostræ facultatis, & prudentiæ non est. Id tamen solum prudenter asserere possumus: ad gradum serietatis, quæ versus, & circa circum, & prope summum serietatis, non physice solum, sed & moraliter non posse pertingere intentionem, quæ solum de mediis sufficientibus ad finem intentum prouideat: & hæc sit circa serietatis magnitudinem quam potest pertingere intentio antecedens prouidentiam obiectiuè liberam de mediis solum sufficientibus, tertia & postrema conclusio probatur: quia, tametsi intentio finis, quæ affectiuè summum serietatis, quasi physicè in Deo non pertingit, & claudit, non determinet affectiuè, & quasi physice Deum ad electionem, & prouidentiam de mediis solum efficacibus, & quibus præintentus ab eo finis liber de facto infallibiliter, ac certò obtineatur: ast intentio, quæ circa circum, & propè summum serietatis moraliter pertingat: moraliter etiam pertingit vim motiuam, ac de se inducentem summa affectiua, & quasi physica serietate intendentem finem illum liberum. Atqui summa hæc affectiua: & quasi physica serietas, & intensio intentionis Dei finis liberi; affectiuè, & quasi physicè, Deum determinat ad electionem medij efficacis ad illum finem: Ergo intentio seria, quæ circa circum, & prope summum serietatis illius effectiue, & quasi physicè moraliter sit, moraliter Deum ad electionem, & prouidentiam medij efficacis determinabit, ac proinde ex illa procedere, posseve procedere ad electionem, & prouidentiam medij solum sufficientis prudenter asseri absolutè nequit; etsi metaphysice loquendo asseri possit. Quia, licet moralis solum impossibilitas electionis, & prouidentiæ de mediis solum sufficientibus ex determinatione intentionis illius solum moralis ad electionem, & prouidentiam de mediis efficacibus, non reddat electionem, & prouidentiam de mediis solum sufficientibus metaphysice, & prorsus absolute impossibilem: ast adeo reddit illam difficilem, vt moraliter impossibilis debita, & communi tam iuris, quàm hominum æstimatione meritò habeatur: vixque, & raro superabilis: prudentiæ autem iudicium de rerum possibilitate ex vix, raróque non auctam mora liter, possibilibus esse non potest.

6. Dico quartò: Intentio summè, vel circa circum, ac prope seria (citra efficaciam tamen, & absolutè inefficax seu non efficax de se se, & secundum intrinsecum sui) potest ad prouidentiam obiectiuè liberam de mediis efficacibus ad finem intentum præcedere; non tamen requiritur vt præcedat. Prima conclusionis pars probata satis est ex dictis certamine secundo, præsertim a numero sexto, & nuper num. 5

ex.

ex quibus constat altero modo seriam intentionem affectiuè, quasi physicè altero vero seriam intensionem moraliter determinare, (nec solum vtcunque inducere) absolutè posse Deum intendentem finem liberum ad electionem, & prouidentiam obiectiuè liberam de mediis efficacibus ad finem intentum: quare, & posse hanc ex illa intentione esse: immò & esse necessario Quod autem à Deo seria intentio finis liberi ad eam electionem, & prouidentiam non prærequiratur (vt secunda parte conclusionis dicebamus) probatur: quia minor longè intensio, & serietas intensionis requiritur, vt intendens ex illa de mediis efficacibus ad finem intentum liberum eligere, & prouidere possit, quam vt debeat: Ergò, vt ita eligat, & prouideat Deus de mediis efficacibus ad finem liberum intentum non prærequiritur intentio summè, vel propè summum affectiuè, quasi physicè, intensa, & seria liberi finis illius. Patet consequentia: quia alioqui idem ipsum prærequireretur quasi physicæ intentionis & serietatis in intentione, vt moueret, ac mouere posset intendentem ad electionem, & prouidentiam de mediis efficacibus ad finem intentum; atque, vt posset mouere, ac moueret necessariò ad eiusmodi electionem, & prouidentiam de mediis efficacibus ad illum finem liberum intentum, quod falsum est, fors repugnans.

7. Confirmatur: Nam ita frigidè intendisse Deum omnium, & singulorum, Reproborum salutem (cum adeo ardens salutis omnium, etiam peremptorum, & Reproborum desiderium suum testetur iuxtà dicta) vt vi intentionis illius, aliquibus saltem eorum (quorum potuit salutem ardentius adhuc desiderare, ac verosimiliter de facto desiderauit ardentius) de mediis efficacibus ad salutem eligere, ac prouidere non potuerit, verò mihi simile non est: immò verò censeo intentionem salutis, ex qua Reprobis singulis, & omnibus de mediis solum sufficientibus prouidit, sufficientem vim motiuam, seu inductiuam, etsi non determinatiuam, ad electionem mediorum efficacium habuisse. Quo enim pacto vehemens adeo Dei intentio, & desiderium salutis ardens, atque adeo vt in scripturis venditatur, esse posset, quod ipsum non solum ad electionem, & prouidentiam de mediis efficacibus ad salutem non induxit (vt potuit non inducere de facto, quia liberum eum, nullatenusque physicè, aut moraliter ad medij efficacis electionem, & prouidentiam determinatum relinquit, vt nuper dicebamus) sed neque inducere Deum ad illam potuit? intentionis quippè vehementia, & desiderij ardor, tametsi non summus, vel prope summus cum exclusione potentiæ motiuæ ad electionem, & prouidentiam de medio efficaci manifestè repugnat: immò verò Catholicæ contra Hæreticos Theologiæ non exiguus labor fuit huius intentionis de salute Reproborum, ac desiderium ardens absolute à scriptura, & Patribus assertum cum negatione, & defectu electionis, & prouidentiæ diuinæ de mediis efficacibus, quibus de facto salutem Reprobi consequerentur concordare: nedum cum defectu virtutis motiuæ ad eam electionem, & prouidentiam, cuius concordiæ citato loco è controuersia quarta de voluntate, & hic certamine secundo à numero quinto, & hoc 3. principium posuimus, fusius huius difficultatis solutioni extendendum atque explicandum controu. 8. de reprobatione, vbi eius difficultatis exequendæ, & examandæ propria est sedes.

8. Denique examinandum hic restat, an intentio minimæ serietatis requisitæ, vt absolutæ seria intentio finis liberi sit, vim, & inductiuam virtutem de se se habeat, vt possit ita intendentem mouere ad medij etiam efficacis electionem, quo de facto finis obtineatur: ac subindè non solum summè, vel propè summum seria intentio, sed nec ardens, & quasi intensa supra minimum serietatis ad prouidentiam obiectiue liberam de mediis efficacibus sit satis. Quo super dico quinto: Intentio minimum serietatis habens requisitum, vt seria absolutè sit, non habet de se. & in se vim, & potestatem ad inducendum Deum intendentem ad electionem mediorum efficacium, sed sufficientium solum: ac proindè ad prouidentiam obiectiuè liberam de mediis efficacibus ardentiorem prærequisitum. Ratio est: quia desiderij, & intentionis minima serietas est, quæ sufficit ad desiderij, seu intentionis finis alterius veritatem, siue, vt vera absolutè, ac non ficta, seu signi intentio, seu beneplaciti sit, in eo obiecto complacentia pura: ad hoc autem satis habet, si affectus voluntatis obiecti illius, seu finis sit, & actiuus, seu potens de se inducere desiderantem, seu intendentem finem ad aliquid ex parte sua, &, quod penes ipsum est, conducens absolutè, vt finis intentus obtineat apponendum, vt supra ostendimus: at ea verò, quod finis intentio actiua sit, potensque de se inducere Deum intendentem ad electionem medij solum sufficientis ad finis consequutionem, tametsi inductiua non sit ad medij efficacis electionem, est actiua, & potens de se inducere intendentem ad agendum aliquid ex parte sua, & quod penes ipsum est ad finis consecutionem: ergo vera, & seria finis intentio, minimo serietatis ad id requisito, non est de se potens inducere Deum ad electionem medij efficacis ad finem intentum; sed minimo serietatis attentior, & quasi physice intensior requiritur. Ea vero libertatem contradictionis eligendi, vel non eligendi media sufficientia relinquet, & contrarietatis hoc, vel illud ex pluribus sufficientibus de se intendenti faciens, non autem de se, atque ex se ipsa eligendi efficax præ sufficienti, vel sufficiens præ efficaci. Porro quæ pro necessitate efficaciæ intentionis ad omnem prouidentiam: quare & ad obiectiuè liberam prærequisitæ opponi possunt commodius diluentur quæstione sequenti certamine secundo. Omnia enim æquiuocationi, prauæque intelligentiæ aliquot testimoniorum ex Patribus, & scholasticis exceptorum innituntur, quorum meum certam 1. aperietur.

QVÆSTIO II.

De subjecto Prouidentiæ.

DE subiecto non autem obiecto Prouidentiæ agimus. Nam eius obiectum ea omnia contuetur, quæ scientia dirigens, & electio diuina prouidentiam constituentes attingunt. Subiectum autem id solum, cui de mediis ad præfixum ipsi finem prouidetur.

CERTAMEN I.

De Prouidentiæ vniuersim acceptæ subjecto.

1. VT difficultatis hac super re scopus percipiatur, expedire prius oportet, quæ sub titulo præsentis disputatione digna non sint, sed præsupponi ab omnibus debeant. Nempè quidquid produci, effeque in se non repugnat subiectum prouidenti esse posse. Etenim possibilibus omnibus, ac singulis posse Deum cum ea velit producere, produxeritve suum cuique finem præfigere, atque ipsi de mediis, vel sufficientibus (si res cui prouidetur, & finis liber ipsi sit) vel efficacibus certum de se est. Maxime cum certum, atque euidens sit, nihil Deum, nisi ordinate ad finem aliquem posse producere: quia alias non, vt rationale agens, & in eo genere præstantissimum posset operari, quod repugnat: vnde, & repugnat creatum aliquid posse à Deo creari seu produci, ac non ex aliquo fine, ad quem proinde ipsi de mediis posset à Deo prouideri: quare in ipsa rerum creatarum possibilitate esse esse subiectum *cui* diuinæ prouidentiæ imbibitum est vel

vel saltim eam metaphysicè immediatè consequitur, vt de eo quæstio, aut difficultas esse non possit. Hoc tamen tam ex parte creaturæ, quam prouidentiæ totum intra possibilitatem est: nempe subiecti possibilis respectu, & relatè ad prouidentiam possibilem quæ ipsi à Deo possit impendi: difficultas autem est. An creatura, pro eo præcisiuæ possibilitatis statu, priusquam ad existentiæ statum extrahatur, actualis prouidentiæ subiectum *cui* Deus de mediis ad finem aliquem, ad quam illam velit pro posteriori producere obtinendum esse possit? Inde enim: an rerum creatio, seu prima productio inter effectus proprios prouidentiæ sit recensenda? definiendum post modum erit.

2. Dicendum nobis est: Prouidentiæ subiectum, *cui* scilicet de mediis ad præfixum ipsi finem per ipsam exercitè à Deo prouidetur, non posse esse creaturas pro statu possibilitatis præcisæ sed vt subiectum *cui* prouidentiæ sint ipsarum existentiam absolutam requiri, ac præsupponi. Hæc est expressa Scripturæ (meo iudice) Patrum, & Sancti Thomæ sententia: in quam post multas conclusiones, vt eam cum opposita sententia componeret (quam aliorum Patrum esse putabat) tandem venit Ruiz noster d. 4. sectione quinta, conclusione 5. pro ea referens Alexand. prima parte, quæstione 26. m. 7. articulo 1. Albertum, quæstione 67. m. 4. articulo 1. particul. 4. Durandum in 1. d. 39. quæst. 3. num. 6. Soarium 3. de attributis capite 10. numero 2. & 3. atque æstimo ab Scholasticis reliquis indisputatam supponi: quibus aduersatur Herize noster d. 22. capite septimo, n. 55. vbi decretum rei productiuum ad eius prouidentiam adducari posse aiunt de facto vero adaccatum negat, non sanè firma ratione. Probatur primo lòcis scripturæ omnibus, quibus d. 1. Dei erga creata prouidentiam absolutè, & vniuersim, & specialim erga omnia, & singula imperfecta, & perfectissima bona, & mala, vilissima & sordidissima, nobilissima, & excellentissima probabamus: eis quippe omnibus de iam factis, & existentibus solum creaturis est sermo, & Dei de illis prouidentia, & cura prædicatur: sufficiat nunc duo repetere. Vnum ex Sapient. 14. *Tu autem Pater prouidentia ab initio* (quo scilicet vniuersim conditum à te est) *cuncta gubernas*: in cunctis autem absolute talibus ea solum, quæ aliquid absolute sunt numerantur. Dicitur autem gubernatio Deo immanens, & externe actiua seu prouidentia de iam mundo facto esse, non quod Deo ab æterno non adfuerit, sed vt de factis esse ostendatur, & capite sexto, dicebatur. *Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter est illi cura de omnibus*, quæ fecit; nimirum alia plura ex scriptura. & Patrum ad eius loca interpretatione producemus quæstione quarta, certam. 1. à num. 6. vbi primam rei productionem non esse effectum prouidentiæ rei ipsi tanquam subiecto *cui* à Deo impense probabimus.

3. Nemesius de facultatibus animæ capite 42. sub med. *Non idem est prouidentia, quod creatio* (creandi decretum) *Nam creationis est recte efficere quæ fiunt; prouidentiæ consulere iis, quæ facta sunt*: quæ sæpe non solum inter se se apud hos, sed supposito, & subiecto realiter differre aït: vt alius sit, qui faciat, alius qui factis consulat; & prouideat. Vnde ritè, rectéque à se disputari de prouidentia, seu procuratione rerum, qua à se iam factis Deus consulit, seorsim à tractatu de creaturis, qua eas condidit, rectitudine. Damascenus 2. de fide capite 29. init. *Prouidentia est voluntas, per quam omnia, quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt*: pende, *quæ sunt*. Quod non habent, quæ necdum sunt, sed possunt præcisè esse: subinfertur. *Deus igitur est, qui est factor, & prouisor, & factiua eius virtus, & contentiua, & prouisiua bonæ ipsius voluntas est*. Quibus rerum effectionem, virtutemque factiuam, virtuti prouisiuæ, & prouidentiæ, vt quid ab eis diuersum præcedere, supponique expressit. Confirmant id ipsum Patres plures, inde probantes Dei de creatis prouidentiam, quod ea ipse condiderit; atque inde eorum curam, & gubernationem suscipere ipse, neque aliis committere debuerit: quo discursu absolutam rerum creationem, & existentiam absolutam earum à Deo, totum, & vrgentissimum motiuum ipsi fuisse, vt earum curam susciperet, atque eis consuleret, ac prouideret, apertè docent. Nihil autem ad scipsum, vt titulus, & motiuum, vt sit, potest absolutè præsupponi. Hoc discursu vtuntur Ambrosius primo officior. capite 13. & 1. Corinth. primo, Cyrill. 5. Thesauri capite secundo, vers. fin. Aliique Patres à nobis recitati d. prima de prouidentia erga res creatas demonstranda.

4. Est item expressa, vt dixi Sancti Thomæ sententia. Nam prima parte quæstione 65. agit de opere creationis, postea vero quæstione 105. de opere gubernationis, vti adæquatè distincto: gubernatio autem rerum adæquatum prouidentiæ obiectum est: quare, & hanc à decreto creandi rem, cui à Deo per eam prouidetur diuersam adæquatè esse, ipsumque, & rei subinde existentiam absolutam supponere, consequens in Sancti Thomæ doctrina est expressè, vel suppositum, vel assertum: clarius autem quæstione quinta de veritate articulo primo, ad nonum ait. *Prouidentia differt ab arte diuina, & dispositione: quia ars diuina dicitur respectu productionis, sed dispositio* (quæ totum obiectum prouidentiæ, gubernatioque externa est) *respectu ordinis productorum; Prouidentia autem dicit ordinem in finem artificiati*. Nempe per mediorum ad illum consequendum præparatam, Deo internam, & immanentem dispositionem, quæ externam illam pro obiecto, & effectu habet: ac proinde artefacti absolutam existentiam, & absolutam ex arte illa effectionem supponit: clarius adhuc in primo ad Rom. lect. 5. de prædestinatione, (prouidentiæ specie) ait: *Non dici prædestinari, quod fit, sed quod iam factum est*. Hæc sunt eius. *Potest aliquis de futura re, seu operatione dupliciter disponere, vno modo, quantum ad ipsam rei constitutionem, sicut artifex disponit facere domum: Alio modo, quantum ad vsum, & gubernationem rei, & ad hanc secundam prædispositionem pertinet prædestinatio*: Consonat 3. parte, quæstione prima, articulo tertio ad 4. docens: *Prædestinationem supponere præuisam substantiam prædestinati*: Quare, & substantiæ eius absolutam existentiam, quæ ad præuisionem illam necessario supponitur. Non potest autem aliunde prædestinatio absolutam prædestinati substantiam, & existentiam necessario supponere, nisi, quia prouidentia est, & interna. Deóque immanens præparatio mediorum in finem: nam, quod media, & finis, huius, vel illius conditionis sint, id præstare, aut exigere in hac specie prouidentiæ, scilicet prædestinatione haud quaquam possunt. Nequit ergo de S. Thom. pro hac conclus. suffragio dubitari.

8. Probatur à ratione conclusio. Primo: quia prouidentia est cura, & gubernatio, atque immanens Deo, & æterna dispositio, & ordinatio rerum: at dispositio, gubernatio, &c. supponit absolute subditos gubernandos, & res, de quibus disponendum, & cura de aliquo suscipienda illum absolute aliquem, de quo, pro quo cura suscipitur. Sed creata pro statu possibilitatis præcisiuæ aliquid absolute, siue absolutum aliquid, non sunt: ergo nec subiecta apta curæ diuinæ, atque immanentis, & æternæ gubernationis dispositionis, & ordinationis, siue prouidentiæ diuinæ: ergo hanc debet præcedere absoluta existentia creaturæ, cui, seu, de qua prouidendum à Deo est. Confirmatur: externa gubernatio, dispositio, & ordinatio rei per media in finem, siue naturalem, siue supernaturalem ipsi à Deo præfixum supponit procul dubio rem ordinandam, disponendamque per ea media in finem: ergo, & electio eorum mediorum, quibus ita gubernatur, disponitur, & ordinatur: quare, & prouidentia, quæ hac electione completur, rei, quæ per ipsam ita gubernatur ordinatur, atque disponitur absolutam existentiam supponit; alioqui, & externa illa ordinatio posset existentiæ rei, cui de eo ordine, dispositione, & gubernatione externa prouidetur, absolutè præcedere, contra id, quod in antecedente supponitur. Dices gubernatione Reipublicæ per leges, & statuta gubernari Rempublicam, eiusque partes, & priuatos homines, non solum, qui sunt, sed qui postea erunt, necdumque existunt: quare falsum esse vtriusque argumenti antece-

dens. Respondetur subiectum *cui*, cuiusque bono eis legibus prouideatur esse Rempublicam: quæ eadem his priuatis hominibus deficientibus, & illis succedentibus perseuerat moraliter, & omnium æstimatione. Sed quid, inquies, si ante absolutam Reipublicæ aut communitatis fundationem leges, & statuta à fundatore ferantur (vt fieri consueuit) pro eius bono? Respondeo: eam esse conditionatam ex parte obiecti de bono communitatis, si fuerit, prouidentiam, quæ quoysque communitas absolute sit in absolutam prouidentiam transire nequit. Disputamus autem de prouidentia Dei, etiam ex parte obiecti, absoluta, de conditionata enim ex parte obiecti, admissa voluntatis Dei ex parte obiecti conditionatæ possibilitate, nulla potest esse difficultas quin de nondum absolutè existentibus conditionata prouidentia tanquam de subiectis *cui* possit haberi.

6. Probatur secundò ex nostris principiis: quia prouidentia & cura Dei de rebus quibusque, tanquam subiectis *cui* essentia sua est cura, & prouidentia affectiua de eorum bono: ac proinde quæ complacentiam absolutam in rei illius, entitatiua saltem, bonitate, vel claudat, vel supponat: nulli enim rei affectu vllo, siue complacentiæ, siue desiderij, velle bonum possumus, vt ipsi bonum est, nisi ex complacentia in eius aliqua bonitate, qua nobis id, cui illud volumus, placet. Atqui in re, seu de re possibili præcisiuè pro statu illo, Deus nec habet, nec habere potest complacentiam vllam: ergò nec de illa vt subiecto *cui* & cuius bonum, quà eius bonum, desideret & prouideat potest habere prouidentiam. Minorem probaui fusè controu. 4. de volunt. d. 2. q. 2. cert. 3. num. 3. vbi ostendi: Deum affectu complacentiæ, nec libero, nec necessario in res possibiles pro eo statu ferri: quia pro statu illo præcisè nullam habent absolutè bonitatem, sicuti neque entitatem, sed solum habere possunt: quod satis non est, vt actu absolutè amentur, & placeant, sed solum, vt possint amari, pro statu absolutæ existentiæ, desiderio, vt eam habeant, & complacentia cum habuerunt; ibi obiectiones soluì, hic ideò non repetendas.

CERTAMEN II.

Occurritur obiectionibus.

1. DIces aduenturo hospiti parari domum, & cibaria ab amico, vt eum digno apparatu, digna mensa & conuiuio excipiat. Si autem dicas aduenturum hospitem absolutæ existentiæ, & bonitatis esse, ob quam amico, à quo ipsi hospitium accuratè paratur, placere absolutè potest, & absolutè placet: ex eaque complacentia absoluta amicus ea hospitij commoda ipsi vult parare, atque absolutè disponit, quod secus possibilibus pro statu possibilitatis, siue, qua possibilibus præcisè contingit, quia neque entitatis, neque bonitatis, quare neque amabilitatis quidquam pro eo statu, &, qua possibilia præcisè, absolute habent, qua Deo placere absolutè primum possint, ab eoque ex ipsorum complacentia bona alia ipsis desiderari, ac prouideri vt nuper dicebamus: Si inquam, hæc dicas, non satisfacies difficultati: vt sequentes instantiæ suadebunt. Primò enim: sicuti nondum præsenti secundum locum, & durationem absolutè, & affectu, & effectu media ad ipsius bonum, & honoris, & voluptatis, disponuntur, non satis apparet adhuc, cur nondum præsenti secundùm entitatem rei nequeant ab eius beneficentissimo conditore, & affectu, & effectu commoda anticipato disponi? immò verò ita à Deo factum in vniuersi huius structura, vt nondum existenti homini illud omni rerum necessariarum supellectili instrueret, non ad vitæ nostræ necessitatibus solum, sed commodis, & voluptatibus, honestis prouideret docte obseruauit Philo Hebræ. de mundi opificio, ex quo interpretes: vt meritò Seneca de Dei inde erga hominum genus benefica prouidentia dixerit. *Non necessitatibus tantummodo nostris prouisum est: vsque in delitias amamur.* Decreto insuper incarnationis, quod prius decreto de absoluta existentia hominum omnium (in Soistarum & Soaristarum sententia) vel saltem plurium, iuxta Doctores reliquos, cunctis hominibus de separationis remedio, ac medio consequendæ salutis prouisum à Deo fuit: ergò existentia absoluta non supponitur ex parte subiecti *cui*, vt ipsi prouideatur, ordineturque per Dei prouidentiam ad finis ei præfinitos consecutionem.

2. Sed primum à paritate absentiæ localis, & temperandæ ad absentiam absolutæ entitatis & existentiæ subiecti, *cui* prouidetur disiectum est proxime, & clarè ex peculiari nostro principio. Vnde, & secundæ obiectioni facile respondetur: prouidentiam mundum, eiusque ornatum, & delicias anticipasse temporaneè homini, post tempore, non autem natura, & existentia posterius aduenturo: sed huius potius prosua durationè absolutam existentiam à Deo præsam prius natura fuisse, vt ipsi de commoda, ac delitiosa domo posterius natura prouideretur. Ad vltimam obiectionem respondetur: incarnationem omnium saluti à Deo prouisum de reparationis remedio, & medio salutis, absolutè quidem quoad medij, & remedij intrinsecum valorem, & virtutem omnium, possibilium etiam reparationi, & saluti sufficientem & vltra, absolutè verò, quoad intrinsecum prouidentiæ iis solum, quorum existentia absoluta antenor præuia decreto incarnationis occasio fuit: & quasi natura processit: nondum autem existentibus solum fuit obiectiue conditionata de remedio, & medio salutis prouidentia, si forent pro naturæ posteriori. vt sæpè Pharmacopola, dum de remedio febricitanti absolute prouidet, amplius multo, quàm ægro illi opus sit, ea viuæ esse possit pharmaci parat, si forte assi in similem morbum incidant: quorum simul de morbi remedio, & salutis prouider medio: conditionata vero respectu horum prouidentia, non absoluta est.

3. Duo alia objici contra nostram conclusionem possunt, quæ Ruiz supra num. 8. & 9. attigit pro sua conclusione 3. & 4. Nam prouidentia absolute talis est immanens præparatio mediorum rei attributorum ad finem commodum, & fælicitatem ipsius: sed decreto creationis rerum parantur à Deo media ad finem, & felicitatem ipsarum: siquidem per creationem rebus naturas facultates, & inclinationes ad propria commoda inditæ ipsis à Deo & concreatæ sunt: ergo ante rerum absolutam existentiam prouidentia Dei præcedit: quare prouidentia nequit supponere rei absolutam existentiam, quam res ex prouidentia decreto ipsius creatum inclusam supponit. Respondetur decreto creatiuo facultates, & inclinationes à re distinctas ad finem commodum, & fælicitatem nusquam creata recipere à Deo, sed decreto alio, quod creationis decretum, & effectum præsupponat. Siquidem res accidentia, & facultates suas reipsa prius natura debet præcedere. Concreatæ vero & congenitæ rei facultates illæ dicuntur non naturaliori durationè: quia, ex quo primum absolute sunt, & existunt res, eis facultatibus à Deo donantur: intrinsecè identificatæ vero rebus potentiæ, & facultates (cuiusmodi animæ facultates esse diximus) secundum se solum sumptæ aptitudines, & capacitates solum, non autem media ad finem consequendum proprie sunt, & nominantur: media enim proprie sunt, quæ verè, & proprie inter rem, finemque ipsi, vel naturaliter, supernaturalem præfixum, consequendum intercedunt, nec solum reperiunt, facultates verò, siue meritè sibi cumque conducunt, siue actiuæ etiam, rei creatæ identificatæ, tamen si ad finem ipsi à Deo præstituum consequendum altervtro, vel vtroque etiam genere conducant inter rem tamen ipsam, & finis consequutionem reuera intercedere, ac mediare nequeunt: quare nec earum cum re ipsa creatiua voluntas materialiter adhuc (volebat Ruiz conclusione tertia, numero septimo,) prouidentia de mediis rei prouisis ad finis consecutionem esse potest: neque prouidentia decreto rei creatiuo præcedere, hoc ve, & subinde rei creatio, ex præsupposita prioritate naturæ moueri, ac promanare, vt contendit Ruiz conclusione 4. num. 9.

4. Alterum

4. Alterum obiici potest contra nostram, & communem conclusionem, quod pro sua quarta conclusione, numero illo nono attigit Ruiz: etenim (inquit) ea ratione Deus mundum creauit, vt homines aliquot prædestinare vellet, alios vero reprobare: & Sanctum Petrum, & Paulum creauit, vt eos prædestinaret: ergo creatio rerum ex prouidentia mouetur, & procedit pro naturæ priori præcedente. Mala illatio: siquidem oppositum ex antecedenti infertur: in quo, *vt prædestinaret* mundum creatum, ac similiter Petrum ex fine prædestinationis asserit: finis autem, cuius intenti assecutio & absoluta existentia decreto creatiuo mundi, vel Petri, est prouidentia prædestinatiua, seu prædestinatio. Ergo huius absoluta existentia, nequit decretum creationis mundi, vel Petri quasi natura præcedere; vt ad ea moueat. Paret: nam finis pro signo, & priori naturæ, quo desideratur, & intenditur absolutè non est: quare nec mouet, *quia est*; sed mouet finaliter, ac intenditur, & desideratur, vt sit. Aduerte etiam quod intenditur pro exemplo primo nihil contra nostram conclusionem deuincere: in eo quippe exemplo (vt intenta ab hoc Doctore consequentia probaretur obineret) solum probat productiuum, seu creatiuum decretiuum rei vnius posse esse prouidentiam respectu rei alterius, cui eo creatiuo decreto rei alterius prouideatur, quodque sit subiectum *cui* prouidentiæ, seu cui per ipsam prouidetur) ad huius prouidentiam spectare apertissimum est.

QVÆSTIO III.

An, quove pacto prouidentia semper finem intentum assequatur?

TItulo ipso præfixo satis quæstionis, & difficultatis Scopus proponitur? tametsi sub illo speciales difficultates lateant seorsim, hac etiam quæstione, examinandæ.

CERTAMEN I.

Quo sensu diuina Prouidentia necessario effectum obtineat?

1. PRimo ita aliqui non pauci effectus ac finis intenti consequutionem diuinæ prouidentiæ adnectunt vt id de ratione prouidentiæ Dei genericè sumptæ esse putent: quare, & cuiuis speciali, & indiuiduæ prouidentiæ deberi: vt homini, & bruto animal, Petróque & Paulo hominem esse: ita censent illi omnes, quos pio necessitate intentionis efficacis finis ad mediorum electionem, & prouidentiam prærequisitæ recensebamus: efficax quippe omnis Dei voluntas de se, & ab intrinseco infrustrabilis est, atque adeo absolutæ sui obiecti existentiæ, & effectioni connexa: expresse in terminis, neque illatiuè solum, hanc prouidentiæ ipsius secundum se, nec solum ratione intentionis præsuppositæ, connexionem cum finis assecutione docent: Caietan. prima parte, quæstione 22. articulo primo, quæstione 23. articulo sexto, vers. fin. Bañes, Ripa, Nazarius eadem quæstione 22. articulo 1. sed & ij voluntatem saluandi omnes homines præsertim Reprobos, veram, seu beneplaciti esse negant; solumque signi esse admittunt: quatenus media ad eam consequendam hominibus vult, præparat, ac præstat, siue de iis mediis prouideat. Cum autem prouisiua mediorum voluntas cum eis, vt effectibus suis connectatur, nihilque aliud, vel de se, vel ex intentione præsuppositi salutis, vt finem, seu obiectum volitum, vel præintentum respiciat, fit, vt semper, & necessario prouidentia effectum obtineat in horum sententia, nec possit eo frustrari. Maxime: quia, vt animaduertebant, quæstione prima, certamine primo, numero secundo. Doctores isti, neque negabant, neque poterant negare media illa ad salutem hominum conducentia, etsi non determinantia, ex alio fine, quam salutis hominum à Deo verò intento eligi, & apponi: cum Deus rationale agens perfectissimum, nihil non ex fine aliquo possit operari; nec nisi ex finis intentione electione mediorum esse possit. Quod si intentionem salutis hominum veram ideo negant, quia in pluribus non obtinetur; finis alterius intentionem: ex qua media illa à Deo eliguntur, & prouidentur, & quamvis aliam, ex qua media à Deo eligantur, ac prouideantur efficacem, ac de se connexam, cum finis assecutione debere esse fatentur: vt constat ex dictis contra 4. de voluntate d. de affectibus prosequutionis Dei erga extrinseca obiecta. Sententiæ huius fundamenta, à ratione debilissima sunt: ab authoritate vero siniistræ, & æquiuocæ testimoniorum aliquot intelligentiæ nituntur, vt ex dicendis constabit.

2. Dico primo cum Theologis reliquis. De ratione prouidentiæ, vt sic vniuersim & generice sumptæ non est connexio cum absoluta existentia finis, & effectus intentio, siue assecutio ipsius. Probatur: implicat aliquid esse de ratione aliqua generica, quod communiter, & vniuersaliter non sit in omnibus & singulis speciebus & indiuiduis sub eo genere contentis, imò quod vni ex eis deficiat: atqui speciei vni prouidentiæ obiectiuæ liberæ, ac omnibus eius indiuiduis deficit ratio connexionis intrinsecæ, vel de se se: vel ex præsupposita intentione & cum absoluta existentia, & assecutione finis, & effectus intenti: ergo eiusmodi connexio, cum absoluta existentia, & assequutione finis intenti non est de ratione prouidentiæ generice, & vniuersaliter sumptæ. Maior est per se, etiam puerulis logicis, nota. Consequentia legitima. Minor probatur: quia nulla prouidentia obiectiuè libera connecti potest ratione intentionis efficacis, quam de se, & essentia sua prærequirat, & supponat cum finis absoluta existentia & assequutione: tum quia ex efficacia intentionis finis, seu effectus liberi eius destrueretur libertas, nec prouidentia obiectiuè libera absque contradictione esset: tum quia, etsi salua libertate obiecti intentio efficax finis, effectus liberi posset liberam obiectiuè prouidentiam antecedere, non tamen eam necessario antecederet, sed eadem prouidentia ex inefficaci finis intentione haberi à Deo posset, vt quæstione prima ostendimus, ac proinde de se, & ab intrinseco prouidentia illa cum intentione efficaci finis liberi, tanquam prærequisito essentiali connexa non est. De se autem, & intimè prouidentia nec ratione mediorum de se indifferentium, quæ præparat, nec scientiæ mediæ quam includit nec ratione coniuncti ex vtraque connexa est cum absoluta existentia, & assequutione finis, seu effectus intenti vt videbimus d. 2. quæstione secunda, certamine quinto, nec si connecteretur effectui seu fini, ad quem de mediis prouideretur seruaretur libertas, vt eadem quæstione ponebamus sæpe: Ergo de se, & ab intrinseco sui prouidentia obiectiuè libera non connectitur cum existentia absoluta, & assequutione finis, & effectus liberi intenti: vnde in omni prouidentia obiectiuè libera eam connexio cum absoluta existentia, & assequutione finis & effectus liberi de se, & secundum intrinsecum prouidentiæ illius deficit, vt minore syllogismi nostri assumebamus.

4. Dixi autem de se, & ab intrinseco sui nullam prouidentiam obiectiuè liberam posse habere connexionem cum absoluta existentia, & assequutione finis;

& effectus liberi intenti: quia tamesi altera prouidentiæ obiectiuæ liberæ species, quæ est de mediis efficacibus ad finem obtinendum, fine, & effectu intento carere non possit, proinde, neque eius assequutione frustrari, id tamen de se, atque intrinseca sibi cum fine, & effectu intento physica connexione non habet, sed extrinsecùs solum, & à connexione logica, quam futurum conditionate contingens purificata conditione cum absoluta sua existentia, & futuritione habet, vt diceebamus d. 2. quæstione secunda, certamine quinto, vbi multa ad concordiam certitudinis & infrustrabilitatis prædestinationis cum prædestinati, atque operationum eius libertate à nostro Molina fœlicissimè ex Patribus, & Priscis Theologis eruta atque illustrata posuimus, Recentiorum & nodis expedita, & tenebris liberа, pristinoque suo splendori restituta: verum, etsi hæc in specie prouidentiæ obiectiuè liberæ de mediis efficacibus non ita essent: in altera tamen specie prouidentiæ obiectiue liberæ, quæ de mediis solum sufficientibus apertè ex ratione, & iis, quibus de eis solum mediis sufficientibus ad finem prouidetur (vt Reprobis ad salutem quam ea prouidentia non assequitur) certò minor illa probaretur, & discursus ille teneret. Siquidem, quod in specie hac prouidentiæ omnibusque eius indiuiduis (necdum vni, quod satis erat) deficit, de ratione generis sui non est, vt per se patet.

4. Dico secundo. De ratione totius prouidentiæ; siue coniunctì omnium simul sumptarum specierum prouidentiæ qua Deus habet de rebus est finis & effectus intenti assequutio, est omnium etiam Theologorum conclusio. Ratio est, quia nihil, quod fit, vel omittitur absque voluntate Dei vel factiua, vel permissiua ob finem aliquem esse potest: ergò nihil in rebus fit, vel omittitur, quod non sit à voluntate Dei factiua, vel permissiua illius ob aliquem finem: Ergo nihil in rebus fit, vel omittitur, quod ex aliqua Dei prouidentia non fiat, vel omittatur. Probatur consequentia hæc: siquidem prouidentia Dei nihil aliud præter scientiam directiuam voluntatis diuinæ de medio ad finem apponendo, siue de faciendo actiue, vel permissiue aliquo ad finis alicuius consequutionem includit præter hanc ipsam de aliquo agendo ad finem aliquem voluntatem: vt constat ex dictis disputatione secunda: iam verò si nihil extra, & absque aliqua Dei prouidentia poni in rebus potest, vel omitti: ergò, neque extra totum coniunctum prouidentiæ diuinæ ex omnibus specialibus Dei prouidentiis, quasi conflatum. Vnde rursus: ergo tota prouidentia Dei, ita ex omnibus specialibus Dei prouidentiis conflata ratione alicuius partis, seu specialis prouidentiæ, qua constat, & conflatur assequetur semper, nec poterit non assequi finem, seu effectum intentum, vt conclusione hac nostra, & communi asseritur.

5. Conclusionem, & rationem etiam, nobis dederunt Patres, & ex ipsis Sanctus Thomas, Aug. de Spiritu, & lit. cap. 33. vers. med. *Infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt; verum seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant: experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper inuicta est: vinceretur autem, si non inueniret, quod de contemptoribus faceret, aut vllo modo possent euadere, quod de talibus ipse constituit. Qui enim dicit, verbi gratia, volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur: ita, vt quisquis eorum hos noluerit, in pristino semper molat: videtur quidem, quicunque contempserit contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pristinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest:* ac rursus, *ideo eius voluntas inuicta est: quia Deus, ita vult, vt omnes salui fiant, vt etiam velit eos punire, si ipsi repugnent*, & capite 32. sic conciliauerat negationem resistentiæ à voluntate creata diuinæ cum resistentia impiorum. Psalmo 26. & Actor. 7. *ita enim facit contra voluntatem Dei iubentis, vt non euadat voluntatem eiusdem punientis:* eiusdem sententia vulgatissima est, *de faciendibus, quod non vult Deus, facit ipse quod vult*: Eodem modo rem explicant Anselmus 1. *Cur Deus homo?* capite 15. med. Gregorius Magnus 33. Moral. capite decimo alias 13. Isidori 1. sentent. capite secundo, aliique Patres edocti à Boëtio quarto de consolatione prosa quarta.

6. Id ipsum docet, vbiuis hac de re agit Sanctus Thomas, illis etiam locis, quibus primæ conclusioni nostræ aduersantes ipsum producunt, vt prima parte, quæstione 22. articulo secundo, ad 1. vbi ait. *Cum omnes causæ particulares contineantur sub vniuersali causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ vniuersalis effugere*: omnem scilicet: quia alias causæ vniuersalis Dei (qui non, nisi ex ordine ad finem aliquem operari aliquid potest) effectus non esset, nisi ex ordine, & prouidentia eius ad finem aliquem obtinendum proueniret: quare nec Deus causa vniuersalis omnium foret, & quæstione sexta de veritate, articulo primo corp. & articulo tertio corp. sub init. idem docet, & explicat exemplo naturalis virtutis generatiuæ, quæ quandoque à fœtu perfecto, in quem natura sua ordinatus à Deo est, deficit, monstrum, & fœtum defectuosum producens. *Sed tamen ipse defectus diuinitus ordinatur ad aliquem finem: & sic nihil potest deficere à generali fine prouidentiæ; quamuis quandoque deficiat ab aliquo particulari fine*: & prima parte, quæstione 19. articulo sexto dixit. *Cum igitur voluntas Dei sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est quod diuina voluntas suum effectum non consequatur. Vnde, quod recedere videtur à diuina voluntate secundum vnum ordinem* specialis prouidentiæ, *reuelabitur in ipsum secundum alium*, prouidentiæ specialis alterius. *Sicut peccator, qui, quantum est in se recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iustitiam punitur.* Quam eandem recidentiam in alterius prouidentiæ ordinem eius, qui ab ordine vnius prouidentiæ recedit tradit etiam quæstione 103. articulo sexto corp. & consonat his in 1. d. 40. quæstione prima, articulo secundo vt constet, qua veritate, & Angelici Doctoris laude citati Dominicani Thomistæ numero primo, ob testimonium præcipue recitatum ex quæstione 22. articulo secundo ad 1. quod pro secunda hac conclusione est, sententiam retractasse dicant, quam nos conclusione prima cum communi Theologorum traditione dimidimus.

7. Dico tertiò: De ratione prouidentiæ non esse assecutionem finis vniuersalis gloriæ suæ ostendendæ, & manifestandæ, qui omni Dei prouidentiæ speciali communis & præintentus simul cum particulari cuiusque specialis prouidentiæ à plerisque ex nostris Recentioribus putatur: ac fusius quam à reliquis à nostro Ruiz citata d. 4. de prouidentia sectione tertia, numero quinto traditur & explicatur: vt, scilicet, finis illius vniuersalis intentio simul cum particulari prouidentiæ cuiusque, quamque ex particularibus prouidentiis antecedat, & qui respectu finis illius vniuersalis particulares prouidentiarum fines veluti media æque conducentia ad illum vniuersalem obtinendum sub disiunctione à Deo amentur ac prouideantur. Hanc verò sententiam suam expressam Sancti Thomæ arbitrantur præfati Recentiores verbis recitatis numero sexto ex quæstione sexta de veritate articulo primo corp. & articulo 3. corp. sub init. quibus consonat 3. cont. gent. cap. 94. his verbis, *Aliquis defectus est præter intentionem particularis agentis, qui est secundum intentionem agentis vniuersalis.* Sed neutrum testimonium amplius euincit, quam nihil deficere à generali fine vniuersalis agentis Prouisoris rerum: id est à toto fine siue omni fine, quem in omnibus, & singulis prouidentiis, quas omnium vniuersalis prouisor habere de rebus omnibus debet: tametsi à speciali fine agentis particularis deficiat: quia non hunc solum finem particularem agens vniuersale, & omniProuisor Deus habere potest, & debet. Nec, quæ ex prima parte, quæstione 22. articulo 2. ad 2. afferri ab his Recentioribus solent, intentum eorum probant; sed

sed solum specialem finem agentis, & Prouisoris vniuersi esse maius bonum vniuersi, quod quandoque ex malorum, & naturalium, & moralium permissione, ac non impeditione resultat.

8. His nostris Recentioribus aduersantur, & tertiæ huic nostræ conclusioni fauent, Herize tractatu tertio citato d.21. capite vltimo, numero 24. Magnusque Magister meus Didacus Daza manuscripto de prouidentia d.1. §.quarto, quamvis prouidentia quavis æquiualenter saltem ostensionem potentiæ bonitatis, & misericordiæ suæ, ac subinde, & gloriam suam Deum assequi fateantur prouidentia illa, in quam recidit, qui ab alia recedit. Hanc vero gloriam, etiam æquiualentem à Deo in ea prouidentia obtentam, intentam à Deo ante recedentiam subiecti absolutam ab alia prouidentia negant, & bene; quamvis fundamentis, quæ nobis non satis probentur, vt certamine secundo videbimus: vbi de necessitate antecedentiæ finis particularis per eam prouidentiam, in quam recidit agetur, ac reliqua ad recidentiæ huius exactam intelligentiam tradentur. Nunc autem à capite vt aiunt tertiam nostram conclusionem probo & aduersam nostrorum Recentiorum impugno: quia communis, & vniuersaliter omnem Dei prouidentiam specialem transcendens finis gloria sua, vt sua, esse non potest: nec ad aliam consequendam, vt finem particulares fines specialium omnium prouidentiarum Dei ordinari: tametsi ea prouidentiam omnem specialem Dei in hoc vniuerso sequatur: Ergò, etsi hanc Deus in quavis sua de creatis prouidentia assequatur: non assequetur finem vniuersalem, & omni prouidentia sua intentum: Consequentia est ligitima, & euidens.

9. Antecedens probo; & primam eius partem primo: quia, & gloriam suam, qua suam Deus intendat, ac velit eam ex sui complacentia atque vt sibi commodam, & proficuam debet velle; quod implicat. Tum: quia non nobis, & nostri gratia, sed sui, eam vellet, vnde omnis eius in nos gratia, & misericordia à scriptura toties commendata abolebitur. Tum, quia omnis nostra laus, ac Dei æstimatio, gloria, & plausus creaturarum, ipsis quidem bona, & honestissima, Dei eiusque boni, & commodi refert nihil vt controuersia quarta de voluntate ostendebam. Secundam vero partem antecedentis probo, ac simul primam confirmo. Etenim, si finem hunc generalem gloriæ suæ Deus in omni sua prouidentia intendit per iustitiæ in punitione peccatoris, vel misericordiæ in iusti salute, ostensionem disiunctim consequendum; vel per quemvis aliam finem particularem prouidentiæ specialis cuiusvis, iam fines particulares quos simul cum generali illo gloriæ suæ in omni prouidentia speciali Dei admittebas, repellis. Si quidem particulares illi fines, quos appellas, non quidem fines, sed media ad vniuersalem illum gloriæ consequendum sunt: cum ipsi, sicut reliqua in ordine quovis prouidentiæ cuiusvis generalis illius gloriæ Dei gratia, amentur, ac fiant. Nec satis est, eos fines inter medios vocare: inter medij enim ad ditamentum finis essentiæ, & significato contradicit: cum finis essentia sua sit. *Cuius gratia cætera fiunt*: vt fusiùs cum nostro Vasquez ostendebam in physicis controuersiis de causa fin. Secundò: claret inde; non nostri gratia, & complacentia nobis omnibus prouisorum, si ita nobis prouideret: impugnationes alias huius doctrinæ, & tertiæ nostræ conclusionis confirmationes iam subdo in explicatione recidentiæ creaturæ decidentis ab ordine prouidentiæ vnius in ordinem prouidentiæ vlteriore, & exactiore, præstanda certamine sequenti:

CERTAMEN II.

Recidentiæ decidentis ab ordine vnius in ordinem prouidentiæ alterius vberior explicatio.

1. DEcidentis ab ordine prouidentiæ vnius obiectiuè liberæ in ordinem alterius recidentia dogma Theologicum est, satis ac sæpè ab Augustino & Sancto Thoma expressum recitatis locis certamine primo, numero quinto, & sexto, satisque etiam, ac sæpius, aliis licet vocibus, à scriptura traditum: & certè, si, tam scripturæ, quam Augustini, & reliquorum Patrum, & Sancti Thomæ verba debita attentione legerentur, nihil de hac recidentia vlterius disputari oporteret; sed tamen, cum memoratis nostris Recentioribus duo adhuc ad exactam & plenam recidentiæ huius intelligentiam restant disputanda. Primum: An prouidentia, eiusque ordo, in quem recidit decidens ab ordine alterius absolutè, eius ab ordine illius prouidentiæ casum prioritate naturæ antecedat, ita vt electio auxilij sufficientis pro male vsuro Reprobo ex intentione alicuius finis præintenti absolute ante malum vsum Reprobi, lapsumque eius ab ordine misericordis prouidentiæ de ipsius, & ob ipsius salutem continuato ordine, & filo vsque ad eius punitionem proueniat, & perueniat? non secus, ac si bono auxilij collati vsu ex intentione absoluta salutis eiusmodi vsum antecedente, & auxilij electio, & reliqua intermedia continuato prouidentiæ eiusdem ab intentione ad obtentionem & executionem finis ordine procederent. Secundum: An intentio illa absolutè antecedens prouidentiam, eiusque ordinem, in quem recidit ab alia, eiusque ordine decidens non absoluta solum, sed efficax esse debeat?

2. His super memorati nostri Recentiores affirmatiuè vtrique difficultati respondent; vt videre in ipsis est, & præsertim in Didaco Ruiz citata disputatione quarta, sectione tertia, numero quinto in eorum manuscriptis etiam versatissimo, & ipsorum hac in re sequaci. Aiunt enim finem illum gloriæ Dei omnibus, & singulis specialibus Dei prouidentiis communem, & vniuersalissimum, atque necessario per varios particulares fines disiunctim, & vagè (per hunc, scilicet, vel illum) obtinendum absolutè, & efficaciter intentum ante lapsum peccatoris ab ordine prouidentiæ misericordis esse; ficuti, & ante bonum collati auxilij vsum absolutum iusti qui ab ordine misericordis prouidentiæ non decidit. Quo fit, vt alteruter iuxta continuatum ordinem, & prouidentiam disiunctiuam ante, & independenter à lapsu, vel adhæsione absoluta alteri parti ordinis, & prouidentiæ illius disiunctim habitæ, atque præordinatæ pergat, ac Deus præcipuum, & vniuersalissimum gloriæ suæ finem obtineat. Contra vero Herize & Daza nostri locis proximè citatis, nec intentionem illam, nec prouidentiam eiusque ordinem ad finem gloriæ Dei per iustitiam punitiuam decidentis culpa sua ab ordine prouidentiæ misericordis efficacem, & absolutam ante lapsum absolutum eius antecedenter præcedere merito contendunt.

3. Sit ergo cum illidem prima conclusio. Absolute efficax intentio prouidentiæ, eiusque ordo prouidendorum mediorum ad absolutam consequutionem gloriæ suæ per ostensionem iustitiæ punitiuæ non est in Deo antecedens absolutum lapsum peccatoris culpa sua decidentis ab ordine misericordis prouidentiæ diuinæ erga ipsum, eiusque salutem. Probari ex dictis controuersia 4. de volunt. d.4. memoratis hic quæst.1. facile videtur: quia efficacia antecedens pugnat cum lapsu peccatoris, per culpam suam, ac subinde cum iustitia punitiua Dei, & absoluta eius ostensione, & gloria Dei inde captanda: ergo & cum assecutione eius vniuersalissimi finis gloriæ Dei, quæ ex efficacia antecedenti in-

tentionis, & prouidentiæ illius ante absolutum lapsum peccatoris culpa sua decidentis ab ordine misericordis prouidentiæ de ipsius salute. Prima antecedentis pars probatur facile: quia efficacia intentionis, & prouidentiæ Dei antecedens natura lapsum peccatoris, absolutam lapsus huius libertatem, & culpam ausert: sublata vero culpa iusta punitio redditur impossibilis: ac proinde iustitiæ diuinæ in lapsu illo puniendo ostensio & consequenter gloria per iustitiæ diuinæ ostensionem captanda. Hoc contra antecedentem lapsui absoluto absolutam efficaciam intentionis, & prouidentiæ, in quam peccator recidit, satis non est: quia, cum lapsus peccatoris medium vnicum obtinendi finis non sit: sed eius etiam omissio, & negatio, ex intentionis illius efficacia de fine gloriæ suæ obtinendo per bonum, malumve gratiæ vsum, nequit voluntatis nostræ ad vtrumvis vsum indifferens potestas, & libertas impediri: quare rationibus pro 2. conclusione subiiciendis, prima hæc potest solummodo probari.

4. Deo secundò: cum iisdem Doctoribus. Decidens peccator prauo vsu auxilij sufficientis ad salutem ipsius collati, non recidit in alium ordinem prouidentiæ pro naturæ priori ad ipsius lapsum ex intentione finis illius generalissimi gloriæ diuinæ antecedenter absolute præparatum, sed conditionate, solum, sub conditione, scilicet, lapsus peccatoris per propriam culpam ab ordine prouidentiæ misericordis erga eius salutem, ex huiusque seria intentione, quarum vtraque, etsi ab intrinseco inefficax, absolute tamen ad lapsum, peccatoris, & deficientiam absolutam ab eis antecedenter prioritate naturæ præcedat. Hanc solam conditionatam voluntatem absolutè ex parte subiecti antecedentem puniendi homines, si prauo vsu gratiæ sufficientis ab ordine misericordis illius prouidentiæ ex absoluta intentione salutis ipsorum ortæ culpa sua labantur decidant, ac peccent, tradunt Augustinus, cæterique Patres, & Sanctus Thomas, qui recidentiæ in ordinem durioris prouidentiæ punitiuæ peccatoris per peccatum labentis ac decidentis ab ordine misericordis alterius prouidentiæ de ipsius salute Authores cæteris Theologis extitere. Augustinus quippe certamine 1. numero quinto, primo loco recitatis à verbis illis, *qui enim dicit*, voluntatem, vt serui laborent prius, & requiescant semper postea, absolutam proponit: vt autem semper molant conditionatam ex parte obiecti, non autem prorsus absolutam, vt *quisquis eorum hoc noluerit* quod ipsum est, atque *siquis eorum hoc noluerit*, & 2. loco, *vt etiam velit eos punire, si ipsi repugnent*. Id ipsum continent verba Sancti Thomæ, tametsi non ita expresse: & verba ipsa dogmatis huius: nimirum recessus ab vno ordine prouidentiæ vnius, & relapsus in ordinem alium prouidentiæ alterius, probat non esse hominem antecedenter æque ordinatum absolutè ad gloriam Dei consequendam, siue per lapsum, & iustitiæ Dei ostensionem in eius supplicio, siue per gratiæ bonum vsum, & consecutionem salutis, & misericordiæ in bonitatis Dei ostensionem.

5. Si enim æque primo antecedenter per vtrumvis medium seu finem (vt hi aiunt) inter medium, subiectum, seu homo ad gloriam Dei ordinatus est, non recedit ab ordine præfixæ prouidentiæ ad illum finem alterutro medio, seu fine inter medio electo, vel ostendendæ iustitiæ peccato admisso, vel vsu bono gratiæ Dei misericordiæ, & bonitati ostendendæ pro arbitrij proprij facta ipsi per Dei intentionem, & prouidentiam de mediis facultate inseruiens: dummodo vtrumque medium ex ea intentione, & ea prouidentia disiunctim ordinatum non omittat: vt exemplis quotidianis manifestum est: seruus enim, aut mandatarius aliquo missus, vt quidpiam agat, si ei à Domino, vel mandante disiunctim, & æque ordinetur, vt hac, vel illa ex duplici (quæ adest) via pro libito eat, quacunque ex illis pergat à Domini, vel mandatis voluntate, & ordine non recedit, ni neutra perrexerit. Confirmatur: quia ea prouidentia, & ordinatione æque antecedente absolute ad finem gloriæ Dei, siue per bonum vsum gratiæ, siue per malum disiunctim, & peccatum, non magis recedet male viens, & peccans, quam bene vtens: siquidem æque vterque alter vni ordini ex duobus disiunctim, & antecedenter per Dei prouidentiam ad illum finem consequendum positis adhæret, æquéque ab altero ordine recedit: atqui solus male viens peccator recedere ab ordine prouidentiæ præsuppositæ, & absolutè talis dicitur: ergo, quia sola prouidentia de eius salute absolutè, & absolute talis lapsum absolutum peccatoris quo recedit ab ordine prouidentiæ, antecedit, alia vero prouidentia punitiua, in quam recidit tandem, absolutè talis ante absolutum peccatum, & lapsum non est: sed ad summum conditionata, si homo labatur, ac peccet, & quæ posito absolute lapsu in absolutam, vel transeat, vel inducat.

6. Probatur vlterius nostra conclusio: quia, si prouidentia, eiusque ordo ad præintentum finem gloriæ Dei per ostensionem suæ iustitiæ in puniendis peccatis est absoluta, & absolute antecedens lapsum peccatoris, æque, ac bonum vsum gratiæ, non esset, cur Deus in scriptura, Patresque passim scriptis suis commendarent seriam, ac impensam Dei voluntatem de omnium, etiam Reproborum, salute, & quod eorum perditio, & punitio è Dei de se, & quatenus ex ipso, eiusque effectu est, non proueniat: sed quasi ab inuito, & nolente, vicemque ipsorum miseriam dolente prauis eorum voluntatibus, & peccatis extorqueant. Patet: quia ex se etiam, suaque voluntate absoluta, notam Reproborum peccatis exercitis eiusque iustitiam cognitibus, antecedenter verè, ac proinde serio, vult in ostensionem suæ iustitiæ, & ad finem gloriæ suæ consequendum iustam eorum punitionem: siquis voluntate sua absoluta vera, seriaque eorum vult salutem, & ostensionem gratiæ; & misericordiæ suæ ad eundem finem gloriæ suæ obtinendum. Cur ergo velle eorum perditionem negabitur, immò eam abhorrere, dolere vehementer, nisi per circulationem, & illusionem dicetur? vehemens autem à Deo voluntas, & desiderium salutis eorum in Deo, & à Deo ipso prædicatur, vt vidimus controuersia quarta de voluntate d. 4. quæstione tertia ferè per totam? ideo autem vera hæc sunt: quia salutis voluntas, & prouidentia absoluta sola antecedens est bonum, prauumve vsum voluntatis creatæ; perditionis autem eorum non omnino absoluta, sed ex parte obiecti conditionata, si peccent, scilicet, vt iustum antecedit: immò ex absoluta illa salutis peccatorum voluntate, & intentione sufficientia secundum se auxilia vt sæpe diximus donantur, efficacia vero non inde sed ex Dei Dominio erga omnia sua dona negantur: quod si hominum perditio à Deo antecedenter ad omnem lapsum, & peccatum esset cum eorum salute disiunctim intenta, vel prouisa, vt alterutro modo finis gloriæ Dei obtineretur, negatio auxilij efficacis è Dei voluntate punitiua posituè eueniret: quod valde est absurdum, vt controuersia 8. videbimus: daturque à Deo auxilium sufficiens, & inefficax, quia inefficax, inuida nimirum, & maligna voluntate.

7. Mitto rationem aliam nostrorum Heriæ, & Duæ: quod, scilicet, cogeretur Deus velle peccatum cum ex intentione gloriæ suæ capiendæ ostensione iustitiæ suæ peccatorum punitiuæ, quæ cum fine peccati quod essentia sua supponit esse nequeat, quidquid auxilium peccato eo ordine prouideretur; prouideretur vtique, qua vtile ad suæ iustitiæ punitiuæ ostensionem ad quam vtile solummodo est, quatenus vtile est ad peccatum, quo solum medio potest iustitiæ diuinæ ostensioni, indeque capiendæ Dei gloriæ inseruire: quæ nec aliter, vt ad hanc vtile amari, & prouideri à Deo potest, nisi vt vtile immediatius, & proximius ad peccatum est, quod proinde immediatius amore, & affectu illo prouisuo à Deo ametur. Hoc inquam pro conclusione nostra hac secunda missum facit argumentum: quia, vt ostendi controuersia tertia de incarnat. atque hic rursus ostendam controuersia septima de prædestinatione, d. de eius effectibus contra præfatos Doctores eorumque hac in re Doctorem Gabrielem Vasquez ibi permissionem peccati ex intentione pœnitentiæ, & beneficentiæ prædestinationis esse de facto, nec solum esse posse probabo, atque argumenti huius, quod æque

contra eam nostram conclusionem militat, atque ab eisdem Doctoribus instruitur, monstrabo imbecillitatem. Præstat nunc postremum ad plenam, absolutissimamque rei præsentis intelligentiam examinandum An, scilicet, necessitas assequutionis finis alicuius à Deo intenti toti coniuncto ex omnibus specialibus Dei prouidentiis solummodo concessam à nobis certamine primo, numero quarto, conclusione secunda, (& quam nulli seorsim prouidentiæ adhuc ad vniuersalem finem gloriæ Dei obtinendum conuenire posse monstrauimus hactenus) ex efficacitate, seù efficacia aliqua toti illi coniuncto ex specialibus omnibus prouidentiis conflato intrinseca ad aliquem saltem vage illarum finem obtinendum proueniat? Qua in re Ruiz noster citata d. 4. sectione tertia, numero tertio, conclusione tertia affirmatiuè respondet asserens; de ratione coniuncti illius omnium prouidentiarum esse efficaciam illam ad aliquem saltem prouidentiæ alicuius ex ipsis finem assequendum, ac proinde toti coniuncto illi intrinsecam efficacem esse, quod explicatius docet, numero 4.

8. Dico tertio: Nulla efficacia ad aliquem adhuc obiectiuè liberæ prouidentiæ alicuius vage, hunc vel illum finem, de facto, & absolutè assequendum intrinseca est toti illi prouidentiarum omnium diuinarum obiectiuè liberarum coniuncto: ac subindè ex intrinseca eius efficacia, necessitas absolute assequendi aliquem prouidentiæ alicuius ex ibi contentis finem minimè prouenit: est contra Ruiz probanda, non quidem ex euersione libertatis operis, seu effectus liberi præuisi, vt iuxta nostra principia contra necessitatem, & efficaciam omnem antecedentem ad effectum quemvis liberum probandam aliquis putaret: id enim solum euenit cùm necessitas, & efficacia antecedens effectus alicuius determinati, & in indiuiduo est; non autem cum est effectus, seù actus alicuius disiunctim, huius, vel illius: vt controuersia sexta, de Incarnatione d. 1. quæstione tertia, certamine tertio ostendebamus. Probatur ergo vnicè ratione, qua Ruiz ipse immediatè numero quinto, secundam suam conclusionem probauerat, ac nos certamine primo, numero quarto, conclusionem eandem, secundam etiam nostram, probauimus: ideò enim nequit non coniunctum illud omnium prouidentiarum aliquem finem ab aliqua ex prouidentiis in eo inclusis intentum assequi, & absolute obtinere; quia quivis eget concursu causæ vniuersalis primæ scilicet Dei, rationabiliter ex fine, & prouidentia operantis, & media ad illum disponentis: itaque necessitas hæc est intrinseca, & passiua effectus, & indigentia diuinæ prouidentiæ, vt sit, quia creatura est, & sine Deo, eiusque prouidentia aliqua esse subinde nequit: non autem est necessitas actiua alicuius prouidentiæ, à qua est, & causatur, nec coniuncti totius; quod solum ratione illius prouidentiæ hunc effectum, & finem assequetur de facto, & ratione alterius alterum; tametsi neuter actiua necessitate antecedenter ab ea, à qua procedit, atque absolute est, neque à reliquo coniuncto, & in actu primo determinetur, vt fiat, atque absolutè existat.

8. Contra sex conclusiones tota hac quæstione à nobis positas, & fundatas nihil opponi potest, quod cuiusvis probatione non difficiatur, atque euanescat, si à ratione agatur; idcircò rationes Caietani, Aluarez, & sequacium contra primam nostram conclusionem, certamine 1. memoratas à Ruiz nostro certamine primo à numero 10. & dissectas sectione 4. à numero 7. seipsis collabentes omitto. Sed contra primam opponitur Boëtius 4. de consolatione Prosa 6. post init. & circa medium, vbi si singularum rerum, etiam fortunæ, prouidentiam esse ait, formam immobilem, & stabilem, quæ eis immobilitatem, & stabilitatem, ac immutabilitatem præstat, premitque *indeclinabilem causarum ordinem, qui res mutabiles, & alioqui temere fluituras, propria incommutabilitate coerceat.* Quibus similia scribit. Nazianzenus orat. contra Iulian. aliquantum ab initio, & Ecclesia sic orat. *Deus cuius prouidentia, in sui dispositione non fallitur.* Respondetur: his Patres, & Ecclesiam solum docere conclusionem nostram secundam positam certamine de coniuncto omnium prouidentiarum specialium, quæ in Deo sunt: quod totum nihil creatum præterfugere potest: quia quidquid ab vnius prouidentiæ ordine decidit, ac recedit, recidit in ordinem alterius, vt explicuimus hactenus: sicque nihil temerè fluctuat, casuve, & fortuna extra Dei prouidentiam iactatur; sed quidquid in rebus est, vel non est, intra prouidentiam continetur, ac proinde falli Deus non potest, nec Dei prouidentia. Boëtium huius sententiæ, & locutionis Authorem audi, & se, & ipsam ita explicantem sub eius prosæ finem. *Ordo enim quidam cuncta complectitur: vt quod ab assignata ordinis ratione decesserit licet in alium, tamen ordinem, velabatur: nequid in regno prouidentiæ liceat temeritati:* Opponitur definitio prouidentiæ à Damasceno 2. de fide capite 69 initio à nobis recitata quæstione secunda, certamine 1. numero tertio, vbi de existentia necessaria subiecto *cui* prouidentiæ agere Damascenum, non autem de omnibus effectibus, & finibus intentis vidimus: & quidem, cum ipse 3. de fide capite nono, vers. finem primus post Chrysostomum voluntatem Dei antecedentem, & quantum ex se ipso est, à consequente distinxerit, vt varios prouidentiæ Dei modos explicaret: & demum Deum, *Præsertim, præcedenterque velle omnes saluari:* In prouidentiæ Dei modis enumeret: quem effectu, & fine intento carere in plerisque nostrum sciebat: quo pacto nullam specialem prouidentiam eo carere negaret, omnesque, & singulas subindè, effectum, & finem intentum obtinere doceret? Quod autem sub iuferius definitioni illi subiunxit, nosque ibidem retulimus, eandem atque definitio ipsa, sensum continet. Nec refert hanc rationem postremis illis immediatè subiunxisse vt eorum veritatem probaret. *Omnia enim quæcunque voluit fecit: & voluntati eius nullus restitit.* Solum enim probat *bonam Dei voluntatem esse omnium concentuam, & prouisuam virtutem omnium*, vt dixerat, ac proinde nihil extra eam, atque prouidentiam totam omnia continentem, & prouidentem egredi posse (vt diximus ex Boëtio, & Nazianzeno) ac diuagari.

QVÆSTIO IV.

De prouidentiæ effectibus, & genere causalitatis ab ea in ipsos exercitæ.

PRouidentiæ cuiusque specialis Dei effectus singulatim recensere, nedum examinare, & statuere, inutilis, magnam partem, operæ esset, prolixæque, immò impossibilis: quare de aliquot eorum generibus agendum est, de quibus Doctorum communis consensus est vel dubitatio: quo autem genere causæ à prouidentia causentur statuendum etiam hic est; ne quid ad prouidentiam spectans indisputatum relinquatur.

CERTAM

CERTAMEN I.

Effectus prouidentiæ examinantur, ac statuuntur.

1. HAc de re sub titulo mediatæ, vel immediatæ operationis, conseruationis, & gubernationis rerum per Dei prouidentiam egit noster Ruiz latissimè disputatione quinta, per duodecim oblongas sectiones totas, quibus multa scripturæ, & Patrum eruditione, rationumque momentis pleraque discussit ac statuit philosophica, disputationibus Theologicis supponenda potius, quam ex instituto examinanda, & statuenda: in iis sunt. Primò immediatus Dei concursus ad creatarum rerum, & primam productionem, & conseruationem, siue se solo, siue in secundarum causarum consortio eas, vel conseruet vel producat. Mediatus item Dei concursus, & operatio ad res omnes, quas mediis causis secundis, vel producit, vel conseruat. Eo enim ipso, quod earum causas secundas immediatè conseruat, & producit, eorum effectus omnes mediatè producere, & conseruare certissimum, atque euidentissimum est: hic vero non probandum, nec disputandum, sed ex physicis potius controuersia de causa sufficiente supponendum: interim legat, qui volet, Ruiz præsertim sectione 2. 3. & 4. solum ergo disputandum hic Theologicè erit: an rerum creatarum à Deo, tam mediata quam immediata productio, conseruatio externumque regimen, dispositio, & gubernatio sint effectus proprij prouidentiæ Dei.

2. Dico primo: Conseruatio rerum est effectus proprius prouidentiæ diuinæ cum erga res alias, tum ergo rem ipsam, quibus, vt subiecto *cui* prouideat. Ratio est: quia rerum conseruatio, cum rei vnicuique, tu in aliis rebus ad finem cuiusvis, vel connaturalem, vel Dei arbitrio, vltra, immò supra naturalem eius potentiam, & exigentiam præstitutum, vtile & conducens est: Ergo ex intentione illius finis consequendi potest à Deo vel rei ipsi, vel rebus aliis de eius conseruatione prouideri: quare, & rei conseruatio esse effectus prouidentiæ, vel de re ipsa, vel de alia vel aliis, tanquam subiecto *cui* de mediis prouidetur à Deo habitæ, & impensæ. Quando autem ex prouidentia conseruatæ rei impensa, vel aliis exhibita de facto causetur, ex conducentia conseruationis rei, vel ad eius, vel ad alterius, seù aliarum etiam finem intentum pensandum est. Vnde sæpe prouidentiarum plurium, & rei ipsi, & pluribus aliis impensarum rei vnius conseruatio effectus erit, verbi gratia, iusti conseruatio, vt piis adhortationibus, & operibus, & sibi ad propriam salutem, & aliis verbo, & exemplo ad salutem ipsorum proficiat: eandem conclusionem probant testimonia ex scriptura & Patribus, quæ mox afferemus & eam cum duabus sequentibus tradunt.

3. Dico secundò: prima omnium rerum productio effectus diuinæ prouidentiæ est: ita vero vt vnius rei productio sit effectus prouidentiæ rei vel rebus aliis vt subiectis quibus à Deo prouidetur impensæ, non autem prouidentiæ impensæ rei primo productæ tanquam subiecto *cui* prouidentiæ illius, qua primo producitur. Probatur per partes, & prima ex dictis quæstione tertia, certamine primo, numero quarto, conclusione secunda, quia nihil creatum produci, ponique primo in rebus absolutè à Deo, vel se solo vel in consortio causarum alio modo potest, ni ex aliquo siue, ad quem vtile, conducensque sit: quare nec poni potest, nisi ex aliqua prouidentia. Secunda pars conclusionis æqua facilitate probatur: quia rerum prima productione prouidet Deus subiectis salutem aliis, quibus prouidet de mediis ad finem consequendum: in naturalibus patet: in herbæ, & fœni productione, quibus, pecora alantur, ac viuunt: aliquot minorum animalium cum cælestium, seù aër eorum, tum terrestrium, & æquatilium, vt maiorum pœdæ, & alimento cedant: tum denique fungum, fruticum, alimentorum, & animalium omnium productio eo est, vt tuendæ, & oblectandæ viræ hominum, eorumque commodis, & vsibus inseruiant: in supernaturalibus vero gratiæ auxiliis, & donis productis, vt æternam beatitudinem omnes homines assequi possint, atque ut eis plures de facto assequantur: & quidem, cum aliud primo nisi ex Dei prouidentia aliqua producatur, ut prima parte probauimus: atque ex prouidentia de re ipsa primo producta, ipsique, vt subiecto *cui* impensa, produci primo nequeat, vt probatione tertiæ partis conclusionis ostendemus: necessario prouidentiæ de re alia vel aliis, vt subiecto *cui* effectus prima rei cuiusvis productio erit.

4. Tertia conclusionis pars quæ difficilior apparet probatur etiam facile ex dictis quæstione secunda, certamine primo à numero secundo: quia, id, quod ponitur necessario ex parte subiecti *cui* prouidetur, nequit esse effectus prouidentiæ ipsius: atqui absoluta rei primæ productio, & existentia supponitur ex parte subiecti *cui* prouidentiæ, cui scilicet per illam prouidetur: ergo nequit esse effectus prouidentiæ eiusdem. Discursus legitime concludit. Maior est euidens ex terminis nota: quia alias daretur mutua causalitas, & præcedentia, ac posterioritas naturæ inter eamdem productionem, & prouidentiam ipsam, id quod multiplici ex parte repugnat vt in controuersiis notis, cum Physicis, tum Theologicis multoties ostendimus. Minor probata à nobis est quæstione secunda eiusdem certamine primo à numero secundo, præsertim probata à ratione numero sexto, ex nobis certo principio (nemesi contra Doctores plures) facto controuersia quæsita, de voluntate disputatione secunda, quæstione 1. certamine 3. numero 3. à cap. deinceps à nostris vindicatis obiectionibus vindicaro. Deinde eadem minor ex scriptura & Patribus amplius simul cum tribus conclusionibus hoc certamine staturis, ac tertia tuenda confirmabitur: quia testimonia de his omnibus agunt

5. Tertia conclusio externum totum regimen, seù gubernatio, & dispositio extrinseca causarum, rerumque omnium ad finis etiam assequutionem (vbi de facto est) inclusiue, est effectus prouidentiæ: est inobitata omnibus conclusio. Probatur: quia externa gubernatio, & dispositio rerum in finem, stat in earum conseruatione, mediorum prima productione causarum occurrentium secundum naturæ, & causalitatis, physicique, & naturæ ordinem ad finem intentum, eiusque consequutionem confluxu, & coaptatione: hæc autem omnia à Deo ex aliquo fine, eiusque intentione proueniunt, vt partim est conclusionis prima & secunda & notum est omnibus, non Adeis notum: ergò tota extrinseca rerum gubernatio, & dispositio ad finem assequendum, quare & ipsa eius assequutio (si adsit) effectus prouidentiæ alienius est. Probatur consequentia: quia quidquid à Deo ex intentione alicuius finis obtinendi fit, ex eius prouidentia fit, estque prouidentiæ effectus: siquidem nihil aliud prouidentia est, quam scientia diligens voluntatem absolute electiuam, & appositiuam, atque ipsa voluntas absoluta electiua, & dispositiua eorum, quæ ad finem aliquem præintentum assequendum conducunt.

6. Sed audiamus scripturam, & Patres tres propositas conclusiones totas, atque minorem syllogismi, quo tertiam partem conclusionis secundæ probauimus numero quarto, simul comprobantes. Primum scripturæ testimonium sit ex 1. ad Hebr. 1. vbi Dei filius citur: *portans omnia verbo virtutis suæ*, ad quæ Chrysostomus homil 2. circa med. *Ecce, & hoc audiamus ipse verbo suo cuncta facit, feraque, inquit, omnia: hoc est gubernet omnia, siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est conservare mundum*, rerum conseruatione, & dispositione, quam fecit,

fecisse. Commentarius Ambrosio tributus. *Portans, id est gubernans, omnia eo verbo virtutis suæ, per quod fecit omnia. Non enim minus est gubernare mundum, quam creare:* subdit rationem etiam à Chrysostomo proxime recitatis subiunctam. *Nam, increando quidem, ex nihilo rerum substantiæ productæ sunt; in gubernando vero, ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant continentur.* Primas. *Portans pro eo, quod est gubernans & regens. Verbum igitur Dei Patris, omnia, qua fecit, verbo virtutis suæ portat: hoc est potentia virtutis suæ, & verbo visionis suæ omnia gubernat, ac regit. Non enim minus, &c.* Theodoretus sic exponit. *Non enim solum fecit omnia, sed ea etiam dirigit, & gubernat: insignem autem eius ostendit potentiam, cum dixit verbum ei sufficere ad omnium fabricationem, & eorum curam, & providentiam:* Consonant Theophilact. & Haymo ad eum locum, Anselmus etiam. *Portat, id est sursum tenet, ne decidant, & in nihilum reuertantur: vnde creata ab ipso fuerant.*

7. His sane locis res creatas iam primo à Deo eius postmodum conseruationi, gubernationique subdi à scriptura, & Patrum sententia, & interpretatione docemur: ac proinde rei primam productionem, & existentiam, & eam velit Deus gubernare conseruatione, ac dispositione explicata aliarum rerum siue producendarum, siue loco, tempore, &c. disponendarum, ac proinde, vt eis prouideat debere supponi: neq; esse posse prouidentiæ de ipsa vt subiecto *eius* effectum iuxta tertiam 2. conclusionis partem. Cætera verò conclusionibus asserta esse absolutè effectus prouidentiæ; quod totum eadem subtilitate distinguens complexus est locus alius ad Colos. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & omnia in ipso constant,* quæ ita interpretatur Chrysostomus homil. 3. *scilicet in ipsum pendet omnium hypostatis. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc, vt essent produxit* (creandi voluntate,) *sed & idem ipse, nunc quoque, ea conseruat, & tuetur* (prouidentia) *ita, vt, si ipsius curæ destituerentur, mox perirent, & corrumperentur: sed non dixit conseruat, quod crassius fuisset: sed, quod subtilius: nempe, quod omnia in ipsum pendent: duntaxat ad ipsum annuere, & inclinari* (iure, scilicet, creationis ab ipso Deo indigaque exigentia in suis omnibus) *satis est ad conseruandum, & constringendum.* Theophilact. *Nec ipse ea tantum condidit: verum etiam ea ipse continet: itaque, si ab eius providentia auellantur pereunt. Non dixit autem ad ipsum pertinent sed quod exactius est in ipsum respiciunt, vergunt, & ab eo pendent.* Quæ Sancti Chrysostomi sententiam, iuxta nostram paraphrasim, etiam exprimunt. Theodoretus, *Non solum* (ait) *est omnium opifex: sed etiam curam gerit eorum, qua fecit: & gubernat creaturam, qua stat per eius sapientiam, & potentiam.* Mitto plura alia scripturæ, & Patrum ea exponentium pro his omnibus testimonia quæ pro sola rerum à Deo, eiusque prouidentia multa sua eruditione possit Ruiz noster citata disputatione 5. sectione 2. à medio, & tota sectione tertia, cum tamen tres totas conclusiones eadem energia contineant: quia recitata pro eis confirmandis sufficiunt.

CERTAMEN II.

Quonam causæ genere Prouidentia Dei suos effectus producat, & de annexis quibusdam?

1. Dicendum est primò Dei prouidentiam causam materialem, formalem, aut finalem creatorum suorum effectuum non esse: ita communiter omnes nullo excepto. Non formalis, quia neque eos vllatenus informat. Non materialis, quia, nec ab eis informatur, nec cum eis quidquam integrat, nec constituit. Non finalis: quia non prouidetur rebus à Deo, vt eius prouidentia sit; sed potius, vt res persistent, commodèque persistent atque ad suos quæq; fines perueniant: & quamvis Deus finis sit, ad quem creata omnia tendunt, ac tandem siue mediatè, siue immediatè ordinantur, suo quæque loco, & gradu obtinendum: ac proinde in obliquo à prouidentia de mediis creaturarum, vt finis tangatur Deus, prouidentiæ ipsi identificatus totum id de materiali est, non de formali: quare illud Augustini quæstione 24. ex octoginta tribus: *Porro illud bonum, cuius participatione sunt bona cætera, quæcunque sunt, non per aliud sed per se ipsum bonum est: quam diuinam etiam prouidentiam vocamus:* Nihil pro finali causalitate prouidentiæ increatos effectus magis, quam pro causalitate formali immensitatis, æternitatis, & reliquorum attributorum in ipsa quovis sensu ea verba Augustini vsurpentur: sed ibi tamen Augustin. non de summo bono, vt finalis rerum, in obliquo adhuc, causa est, loquebatur; sed vt participabile ac diffusiuum sui in creaturas, quod quidem actiuè, & media prouidentia fit, fierique solummodo potest: quare, & prouidentia nominatur.

2. Dico secundò cum omnibus Theologis, & Philosophis. Prouidentia diuina in res creatas causæ, & causalitatis actiuæ, seu effectiuæ munus, & genus exercet: citaui Philosophos omnes: quia non desunt Scholastici, qui putent Deo, ac subinde prouidentiæ diuinæ actiuæ causalitatis genus, & munus in res mundi creatas, ab Aristotele & Auerroe fuisse negatas. Cæterum oppositum de his Philosophis censent Sanctus Thomas, & reliqui: quod presse, tametsi, quantum satis est, probat Scaliger exercitat. 362. & 365. §. 4. fusius vero Pennotus 8. Propugnaculi capite secundo, nec pluribus opus est, vt mens Aristotelis pro Dei, suæque prouidentiæ actiuitate increata omnia demonstretur, quam iis, quæ de primo motore, & causa prima actiua Deo scripsit, eiusque increata actiuitate necessaria, ex qua Deum existere, absolutèque esse demonstrauit locis à nobis citatis 1. de Deo vno controuersia prima, d. 1. quæstione secunda, vbi speciatim vim huius demonstrationis pro Dei existentia examinauimus. Probatur primò ex locis scripturæ, & Patrum datis, citatisque, & ad nostrum Ruiz remissis certamine primo, numero sexto & septimo ex illo Ioannis 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Actor. 17. *In ipso enim vivimus, mouemur, & sumus.* 1. Corinth. 15. *Deus autem dat illi corpus, sicut vult.* Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me,* &c. capite autem 9. 38. 39. multa de syderum cælorum, elementorum, & animalium operationibus, recenset, Deoque, ac eius prouidentiæ, vt præcipuo agenti, & effectrici attribuit Psalm. 103. & 146. *Qui producit in montibus fœnum, &c.* & 138. *Tu formasti me: & posuisti super me manum tuam,* & Psalmo illo 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Proverb. 3. *Dominus sapientia fundauit terram, & stabiliuit cælos prudentia.* Matth. 5. *Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit.* Lucæ 1. *Pater meus cælestis pascit illa:* vbi & Matth. 10. ac totis scripturæ libris passim extant præ hac conclusione testimonia innumera: quæ illam de fide, atque in eius dogmatibus sitam esse probant. A ratione verò Theologica est certa conclusio: quia prouidentia, & scientiam de rebus creatis practicam, ac subindè earum actiuam, atque item absolutam electionem, & voluntatem, quæ agendi ad extra proximum principium Deo est, essentialiter claudit.

3. De causæ exemplaris, & ideæ, siue formæ rerum extrinsecæ, ad, & iuxta quam rationalia agentia, & ex arte operantia plerumque sua opera, & effectus producunt causalitate, an prouidentia increata suos effectus, quos diximus, illam exerceat? nonnulla est Theologis difficultas: in qua Alexand. prima parte, quæstione 26. m. 2. prope fin. & men. 3. articulo tertio. Albertus quæstione 67. m. 2. argument. 5. & 6. & m. 4. articulo 1. & Capr. in 1. d. 40. articulo secundo, conclusione 1. & 3. Sanctus Thomas d. 39. quæstione secunda, articulo primo, d. 5. ac

de veritate quæstione quinta, articulo primo, ad 1. & prima parte, quæstione 116. articulo secundo corpor. & ad 3. teste Ruiz citata d. 5. sectione prima, numero primo, Richardus d. 39. articulo secundo, quæstione prima, Durandus quæstione sexta, articulo primo affirmatiuè respondent, eisque consentit Ruiz, etsi ab Alexandro, Alberto, & Richardo, seu potius Capreolo, dissentiat numero secundo, quod hi causam exemplarem rerum creatarum prouidentiam esse velint ratione scientiæ practicæ, quæ imperium siue voluntatis, siue intellectus præcedit: ipse vero contra ratione imperii intellectualis, quod post omnem voluntatis actum est; & quo prouidentia diuina, vel stat, vel completur iuxta eius memoratam sententiam d. 2. quæstione prima, prouidentiam exemplarem causam rerum esse malit. Quo supet constatus satis est ex dictis contra suppositum, & suppositivum suum intellectuale imperium citata quæstione prima, toto certamine tertio. Nunc igitur de sententia præsenti, quacunque ratione, & modo ab eius Doctoribus asseratur, agendum, ferendumque iudicium est.

4. Dico tertiò, Prouidentia causa exemplaris suorum creatorum effectuum non est, nec respectu illorum munus ideæ vllatenus exerçet. Probatur facile ex dictis tomo primo, de Deo vno controuersia secunda, d. vltima, quæstione 3. de idæis diuinis, certamine quarto, vbi ostendimus eas non stare in actu scientiæ vllius diuinæ, sicut, nec artificis alicuius creati ex arte operantis sed in obiectiua forma, iuxta quam, atque ad cuius imitationem artefactum opus efficiendum est. Probatur rursus testimonio ipso Boëtij 4. de consolatione Prosa 6. quo pro contraria sua conclusione aduersarij in primis vtuntur: *Sicut artifex faciendæ rei formam mente percipiens* (obiectiuam, scilicet formam, quam, non qua, formaliter præcipit) *mouet operis effectum, & quod simpliciter, præsentariéque prospexerat* (ecce iterum obiectum) *per temporales ordines ducit: ita Deus prouidentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit.* Nec aliud volunt, quæ ex ipso subinferius sic recitantur. *Illud certè manifestum est immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse prouidentiam:* formam ait Ruiz extrinsecam artefactis in mente artificis existentem: quod ipsum idæa vel exemplar est: sed quid inde nonne forma extrinseca rerum prouidentia est ratione scientiæ earum exactissimæ & practicæ, quam includit. An sibi tam prope contradiceret? Mouet autem hic Ruiz nostet testimonia illa Dionysij & Damasceni, quæ nihil præstare, vt idæam scientiam diuinam esse probent ostendimus citata quæstione tertia de idæis certamine quarto, immò probare oppositum.

5. Restant dubiola dictis affinia, & faciliora. Primum: An diuina prouidentia ars proprie dicta sit. Respondetur partem artis propriæ esse, non tamen ad omnia, ad quæ ars, extendi prouidentiam, nec secundum se totam esse artem: Quod ars sit patet, quia scientiam practicam, & artificiosam, vt rebus prouideatur, prouidentia includit, vt bene citati Doctores Prisci numero tertio. Inde probatur secunda responsi nostri pars. Nam scientia practica, & artis, seu artificiosa ad possibilia omnia se extendit, prouidentia verò, eiusque scientia ad facienda solum, atque de facto extitura: immò vt diximus quæstione secunda, certamine primo à numero secundo, & quæstione hac certamine primo, numero 4. 6. & 7. de obiectis, seu subiectis *cui* seu quibus prouideatur, de solum absolute existentibus haberi prouidentia potest. Demum prouidentiam secundum se totam, & adæquatè sumptam non esse artem constat ex Sancto Thoma Capreolo, & aliis citatis: qui docent prouidentiam aliquid supra scientiam practicam artificiosam, seu artem addere: & ex ratione, & essentia prouidentiæ à nobis cum plerisque Doctoribus (reque ipsa nec modo loquendi & concipiendi solum attenta, cum omnibus præter Thomistas Dominicanos Recentiores, & Ruiz nostrum) statuta, atque probata d. 2. Etenim vltra scientiam illam practicam actum voluntatis, absolutæque electionis, & appositionem mediorum ad finem præintentum prouidentiæ effectus claudit: ergo secundum se totam, omnemque sui partem ars non est.

6. Secundum dubium: An prouidentia sit proprie dicta dispositio? Magister in 1. d. 35. sub fine, conser latius dispositione, quæ de faciendis solum est, patere prouidentiam, quæ etiam de peccatis, ac non faciendis habetur: æquiuocatione vocis *secundo* primo loco *positè*: secundò *moraliter* acceptæ mittor. Est dubium de puro nomine: missa enim proprietate eius vocis specialissima tradita à Sancto Thoma 1. 2. quæstione 49. articulo primo, ad 3. & articulo secundo ad 1. Durandus d. 39. quæstione tertia, numero 5. & 6. qua ad res habentes partes dispositio tantum refertur: bifariam est, & æquiuoca eius vocis acceptio propria apud Patres, & Theologos. Primo pro interna dispositione rerum ab aliquo exterius disponendarum in ipsius consilio, & voluntate vt Isaiæ 14. *cum dispositione inibitur bellum: & vir ea salus vbi multa consilia*: & Psalmo 83. *Decliuium in corde suo disposuit*, & Isaiæ 38. *Dispone domui tuæ*, & testimonia vulgari nostro, & latino idiomate vltimæ Testatorum dispositiones, & voluntates vocatur: qua acceptione voce dispositionis vsus est Pelagentius 1. ad Monim. capite septimo, sub initio, & fine, & Boëtius 4. de consolatione Prosa 6. post init. ea acceptione propria quidem prouidentia dispositio est, vt bene Alexand. prima parte, quæstione 10. membr. 2. columna secunda. Albertus quæstione 9. m. 2. vers. finem, quamquam & hac acceptione dispositio latius quam prouidentia patet: siquidem cinq primo facienda, nec solum gubernanda iam facta interna esse dispositio possit.

7. Altera vero dispositionis, propria etiam, seòque vulgatior pro externa rerum dispositione, & ordine ab interna illa, & actiua Dei prouidentia habetur Lucæ 22. *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Sapient. 3. *In multis bene disponentur*: cap. 8. *Disponens omnia suauiter*: capite vndecimo. *Omnia in numero, & mensura, & pondere disposuisti*, capite duodecimo. *Iuste omnia disponis, & cum magna reuerentia disponis nos*, & Ecclesiast. 33. *Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere: omnes vias eius secundum dispositionem eius: sic homo in manu eius, qui se fecit*: ita etiam dispositionem vsurpat frequenter Boëtius vbi proximè, ipsa quoque sua prouidentiæ definitione, & ea sane acceptione prouidentiam dispositionem esse, dicive non magis polle, quam causa quævis suus effectus sit, de hauique nomine compellatur, manifestum est: ea siquidem vocis acceptione dispositio effectus prouidentiæ est, atque hæc causa illius vt patet: quamvis ita accepta dispositio latius quam effectus prouidentiæ patet: cum in iis, quæ à Deo cum ordine, & dispositione aliqua partium inter se producuntur pro priori ad ipsorum gubernationem, & præsciendo ab eo, quæ ad aliorum gubernationem, & finem his allegendum producantur: quare, & ex Dei erga creaturam prouidentia proueniunt dispositio illa rerum Deo extrinseca, (& specialissime dicta iuxta Sanct. Thom. & Durand. citato numero sexto initio) in rebus inueniatur.

8 Tertium & postremum dubiolum: An prouidentia fatum, non ethnicum, & erroneum, sed Catholicum, & Theologicum sit? & fatum prouidentiam dici posse admittit Boëtius loco proxime citato: quamnus in ipsa adunata est dispositio, & ordo rerum in ipsa adunata est dispositio, & ordo rerumque causarum ad fines prouidentiæ ipsius dispositarum, & coordinatarum, quæ dispositio, & ordo rebus inhærens proprius, & vsitatius fatum dici feretur, & merito. Quia fati vox ad ordinem effectuum à causis, cælo, & Astris ad ipsos necessario fluentium, & adigentibus significandum primùm à Thessalis inuenta, & vsitata fuit; quare adactione & ineuitabili inductione liberarum creaturam ad suos effectus

effectus edendos, quasi immobili causarum vniuersaliorum, cæli, Astrorum, &c. ordine sublato (vt Catholicè auferri debet) ordo causarumque dispositio Deo extrinseca & rebus inhærens mobilis tamen, & quoad operationes creatas liberas à causis earum absolute cultabilis propriissimè fatum Catholicéque dicetur: quare cum Boëtius hanc doctrinam ratione & exemplo artificis creati confirmasset, atque explicuisset concludit. *Illud certè manifestum est: immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse prouidentiam: fatum vero eorum, quæ diuina simplicitas gerenda esse disposuit mobilem nexum, atque ordinem temporalem.*

9. Neque Augustinus aduersatur quinto de Ciuitate capite nono post medium dicens: *Ordinem causarum vbi voluntas Dei plurimum potest neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus*: tametsi ab eo quod Deus fatus locutusque est semel, *id est immobiliter, atque incommutabiliter.* Psalm. 61. fatum Catholicè, illum à Deo præconceptum & prænuntiatum ordinem causarum dici posse, à seque dicendum fatum asserat: *nisi hoc nomen iam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari.* Hæc de prouidentia satis, vt ex eis quæ hac controuersia, & quarta præced. de voluntate ac tomo primo, controuersia secunda de scientia, & 3. de decreto concurrendi cum causis liberis decisionem eorum, quæ in rebus ad prædestinationem, & reprobationem spectantibus difficilia arduaque videbantur plana, ac debita claritate & ingenuitate sua natiua constituimus, sola, facilique generalium principiorum, præeuntium applicatione (vt è docendis aliis commoda methodus requirit) gradum expeditiorem faciamus.

CONTROVERSIA SEPTIMA
DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM.

VENIT vltrò grauissima Theologiæ controuersia non, nisi magna inscrutabilium iudiciorum, consiliorumque Dei reuerentia, & more Apostoli exemplo disputanda: siquidem cur alias diuina Prædestinatio non item alias rationales creaturas pertingat in arcanis Dei à nulla creatura penetrandis rationibus est situm: vt d. de causis Prædestinationis clarebit. Vltrò inquam se disputationi nostræ hæc controuersia sistit: quia difficultatibus reliquis Theologicis, atque humano discursu ex fidei nostræ dogmatibus theologicè examinandis, ac decidendis principia omnia generalia (cum tomo 1. de Deo vno controuersia 2. de scientia, & controuersia 3. de decreto concurrendi cum causis liberis creatis, & 2. hoc tomo, controuersia 4. de voluntate d. 6. quæstione 2. de præfinitionibus liber. action. creaturarum, & tandem controuersia 6. de prouidentia d. 2. quæstione 2. certamine 3. à numero quarto, ac totis certaminibus sequentibus) ita examinauimus rigidè, dilucidéque statuimus, vt qui ea non oscitans, sed debita legentis attentione sola eorum ad præcipuas controuersiæ huius difficultates Theologicas applicatione facili, ac simplici habeat opus, vt de eis ritè, rectéque definiat; quæ verò in controuersia hac examini Theologico possunt subiacere, hæc summatim sunt. Primum de existentia, & essentia Prædestinationis Sanctorum. Secundum de eius causis: tertium de eius effectibus. De quibus eodem disputationum succedentium ordine agemus.

DISPVTATIO I.

De existentia prædestinationis diuinæ.

HOc 1. loco (vt in aliis controuersiis merito præstitimus) examinandum statuendumque in hac controuersia est: ne de subiecto non supponente otiosa, atque inanis videatur disputatio: vt autem id, cuius existentia examinanda, statuendaque præsenti disputatione est, liquido, & absque vlla vocis æquiuocatione constet id in primis statuendum erit.

QVÆSTIO I.

Quid prædestinationis voce à Theologis in hac controuersia intelligatur?

QVod Arius eius vocis, cum apud Philosophos, tum apud Patres, & scripturam vsus quæstioni huic locum fecit, ac forte necessitatem, ne forte Theologicæ controuersiæ huius disputationes, & decisiones æquiuocis locis claudantur, atque turbentur.

CERTAMEN I.

Proprietatis significationis, & receptionis Theologicæ vocis Prædestinatio *dignoscendæ principia.*

1. PRædestinationis vox, cum ex verbo *destino* & præiuncta præpositione *præ* conflatur, ex alterutra parte

parte varia significata, earum etymologia attenta, potest habere: & verbum *destino* sermonis proprietate respectu destinantis idem prorsus est, atque *animo statuo, decerno, definio*, vt videre est apud amplissimum, & eruditissimum Robertí Stephani dictionarium ab editione eius tertia apud Calepin. nostra hac tempestate aliorum accurata obseruatione auctum, vt dictionario illi æqualeat, apud dictionarium etiam Ciceronis. Quia verò in iis, quæ arbitrio alicuius ad aliquid destinantur, siue numeris, siue dignitatis exteriore nominatione destinantis voluntas fixa declaratur: & hæc ipsa nomenclatura, exteriorque designatio verbo etiam destinandi significari apud linguæ peritos solet: vnde destinare aliquem Consulem, Prætorem, Ducem, Regem, tantundem valet, atque designare, exteriusque significare, & ostendere: qua vocis acceptione 1. Machab. 5. dicitur: *destinauit aliquos de populo* (id est *designauit*) *& adierunt ad Regem*, & ad Rom. 1. de Christo Domino: *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, & resurrectione mortuorum*, id est virtute resurrectionis suæ ex mortuis ostensus, declaratus, atque ea resurrectionis nota nobis significatus, designatus, atque euulgatus Filius Dei, & controuersia vltima de Incarnat. ex Græcis Patribus cum nostro Vasquez ostendimus: mitto aliam verbi huius acceptionem semel apud Liuium lib. 3. Decad. 4. notatam pro suspicari, suspectumve de aliquo aliquem habere. *Animis*, inquit, *Leucippum omnes cædis authorem destinabant*: quanquam & hic tantundem, ac designabant, valere censeam.

2. Ex eadem significatione eius verbi propria, & primæua ortum est, vt non semel mittere incertum aliquem, ac determinatum locum, aut negotium tractandum, & agendum significet, sic vulgo sagittæ *in Scopum destinari dicuntur*, & sors acceptione eadem datis verbis ex 1. Machab. 5. destinati aliqui de populo dicuntur, vt scilicet Regem adirent: quia nimirum ex animi intentione, & decreto mittentis personam, vt ad negotium, vel locum determinatum, vel sagittæ, vel legati eant, ab ipso mittuntur: ex his autem atque aliis eius verbi acceptionibus, & significationibus (quas breuitatis atque ad rem præsentem inutilitatis causa omitto) quibus ad alia item significanda extentum illud est, constat: è primæua propriaque significatione verbum *destino* animi statutum, definitionem, ac decretum significare, cum nulla sui significati, & significationis ampliatione ad aliquid aliud vlterius significandum extensum vsquam sit, quod animi decretum, ac definitionem non supponat, & concernat, nec ea, ampla adhuc eius verbi significatione, consignificetur. Rursus primæua hæc, & propria eius verbi significatio ex vsu eius ea verbi significatione vbique scriptorum frequentissimo constat, loca ex prophanis apud eorum quemvis obuia omnibus passim occurrunt: quare ea singulatim referre operosum esset, & inutile: satis nunc fuerit adnotasse inde eam verbi huius acceptionem in dictionariis latinis omnibus primum locum, vti primæuam, & propriissimam sibi vindicasse. Nec in sacris scripturis eius acceptio minus frequens: idcirco duo testimonia sufficiant. Alterum ex 2. Machab. 6. *destinauit* (Eleazarus) *non facere illicita propter vitæ amorem*: & 2. Corinth. 9. *vnusquisque prout destinauit in corde suo non ex tristitia*, &c.

3. Quoniam vero destinatio seu animi propositum, tam de malis, siue physicis siue moralibus, quam de alterutro genere bonis, idque, cum sibi: tum alteri concipi à destinante, esseque potest, fit, vt æqua proprietate propositum animi de bonis, vt de alterutro genere malis, siue respectu sui, siue respectu alterius dici possit, ac de se ad propositum alterutrum significandum indifferens verbum destino sermonis proprietate sit. Cum autem malum, vel bonum, de quo inferendo, vel ex parte destinantis pro curando propositum & destinatio concipitur, alterius est: hæc dicitur destinationis subiectum non quidem physicum, & passiuum inhæsionis physicæ, sed intentionale, & obiectiuum, &, cui passuro destinatur, seu qui patiendo, vel fruendo, malo vel bono destinantis, proposito destinatur. Hinc malum, vel bonum de quo alteri inferendo propositum à destinante concipitur accusatiuo casu actiua voce quandoque ponitur: subiectum vero intentionale, & obiectiuum seu persona altera de cuius bono, vel malo propositum, seu destinatio habetur, in casu datiuo: iuxta regulam generalem de vocibus, quibus alicuius commodum vel incommodum significatur: Cicero 3. de Officiis 59. *Cum eorum alteri diem necis destinasset*. Quandoque vero subiecti intentionalis, & obiectiui habita præcipuè ratione, non autem commodi, vel incommodi, bonum vel malum in datiuo, persona vero altera cuius est, in accusatiuo collocatur, sic Virgil. 2. Æned. 26. *& me destinat aræ*, & Celsus lib. 3. cap. 4. *Asclepiades, vbi ægrum triduò per omnia fatigarat, quarto die cibo destinabat*. Et constructio quidem hæc Theologis & scripturæ sacræ in re præsente vsitatior, vt constat, & ex subiiciendis locis videbimus. Dixi verbum hoc, de se ad bonum, vel malum vel destinanti, vel alteri, de quibus inferendis decretum, & animi propositum concipitur æqua proprietate significandum aptum esse; tametsi ex incapacitate subiecti destinantis ad malum, vel physicum, vel morale decernendum ex materiæ, seu obiecti significandi subtractione & impossibilitate malum significare in illo nequeat, id quod pro infra dicendis aduerte.

4. Altera verbum prædestino componens pars est præpositio *præ* secundum se solum sumpta significatum proprium primæuum, & frequentissimum idem quod *ante* habet, tametsi nonnunquam nec ineleganter tantumdem ac propter valeat, *vt præ multitudine, præ ira, præ inopia, præ lachrymis*: Eo autem sensu in alterius vocis compositionem non venit, sed solum in primæua illa propria, & vsitatissima, qua nimirum significat anterioritatem vnius respectu rei alterius: cum rerum anterioritas vero: & realis physica esse possit (videlicet tempore, loco, natura, causalitate, dignitate, iuxta modos prioris sæpe ex Aristotele memoratos, maioris vniuersalitatis, qui ad rem præsentem non est, prætermisso) vel realis intentionalis (qua scilicet iudicio, affectuve alterius, siue æstimatione, vel amore, atque electione vnum alteri præfertur, fit, vt, cum vocibus aliis in compositionem adiungitur, in earum significatis anterioritatem ex dictis aliquam, siue realem physicam, siue realem intentionalem respectu alterius denotet, ac importet: &, cum nominibus iungitur, frequentius prioritatem dignitatis, & excellentiæ in re per nomen significata denotat, maxime, si adiectiua nomina sunt: vt tantundem valeat plerumque, atque nominis eius superlatiuum: quin ad aliquid alium respectum comparatiuum dicat, vt *prædiues præclarus* idem atque *ditissimus* seu *valde diues, clarissimus, valdeve clarus sit*, quin de se minus diuites, vel claros alios esse significet: nisi addatur nomen aliud, quo respectu aliorum excellentia, & excessus denotetur: vt *omnium ex omnibus, vel inter omnes*.

5. Sin vero præpositio *præ* cum verbis ad tertiam aliam vocem componendam veniat, quamlibet ex prædictis prioritatibus pro significatis verborum diuersis solet significare. Quo circa, cum verba omnia tempus consignificent temporis præcedentiam frequenter, ac de lege (vt aiunt ordinaria) præpositio præ adiuncta designat, ni per directum verbi significatum aliudve adiunctum ad alterius generis præcedentiam, & anterioritatem respectu alterius significandam determinetur: vt in verbo *præcurro, præambulo*, ante alium localiter, siue cursu, siue incessu quenquam ire significatur. Ex adiunctis: si in aula, vel conclaui quisnam præcedat? præcesseritve interroges, vel asseras, de præcedentia, vel locali, vel honoraria, & dignitatis ex ordine locali vndecumque ex hominum placito localiter siue per sessionis loca statutò te, vel rogare, vel asserere; non autem de temporaroria alicuius præ alio perspicuum est. Cum vero verba, quibus positio *præ* adiungitur, vel æstimationem, vel affectum significant, vbi de pluribus, erga quæ hi actus exercentur expressa est mentio, vel ex adiunctis suppositá, aut denotata prioritas intentionalis, vel æstimationis, vel affectiua patientis, (vt grammatici vocant) personæ, vel rei cui verbum applicatur significatur, vt *præfero Petrum Ioanni*, vel *reliquis*: immò *præfero Petrum*: prælatio enim in æstimatione, non nisi respectu alicuius, vel aliorum esse potest: in his autem æstimationis verbis locum habet regulæ generalis (de significanda antecedentia temporis, seu durationis per verba, quibus *præ* adiungitur) exceptio subiuncta: quod scili-

cet ex directo verbi simplicis, cui *præ* adiungitur, significato ad aliquam determinatam prioritatem, ac non durationis significandam determinetur: quia, quod ad æstimationis prælationem attinet, impertinens prorsus temporis anteceſſio eſt.

5. Secus autem res habet in verbis simplicibus, quæ affectum animi, ſeu voluntatis ſignificant: quibus, ſi præpoſitio *præ* adiungatur, ita perſonæ, vel rei patientis anterioritatem intentionalem affectiuam ſignificant, vt tamen durationis anterioritatem non excludant. Cuius ratio eſt: quia prius etiam duratione amare non exigua amantis prærogatiua & excellentia eſt, & in verbi proindè ſignificato vt quid impertinens non prætereunda, & omittenda: ſed cui ab amato affectiuè rependendæ ſit inſudandum: cuius rationem ſolidam, & acutam de beneficio, (cuius anima, & vita amor eſt) referendo cum ab alio præuenimur agens exemplo è Romanis bigis, quadrigiſque petito his Seneca noſter dedit, & illuſtrauit. *Oportet illum, velut carceribus incluſum, operiri ſuum tempus, ad quod velut dato ſigno proſiliat. Magna ſiquidem celeritate opus eſt, vt aſſequatur antecedentem.* Idcircò anterioritate ſui erga nos amoris ex æternitate nos vt ipſum redamemus hortatur, onerat, iuréque cogit Deus Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexit*, & Ioan. ep. 1. cap. 4. numero 19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Denique aduerte in verbis, quæ affectum animi ſignificant, ſimplicia aliqua ex illis, quoad intentionalem affectiuam anterioritatem ſignificandam, aliis etiam affectum animi ſignificantibus ex præſuppoſita *præ* compoſitis æquiualere: quia ſiue comparatione cum aliis, & ante latione alicuius ad alios ſimplicium illorum verborum ſignificatum proprium nequit ſubſiſtere. Huiuſmodi eſt verbum *eligo* generatim ſumptum, quod tantum valet ac præamo, ſeu prædiligo, aut præ aliis ſiue rebus ſiue perſonis deligo & amo: quia electio, quæ proprium eius ſignificatum eſt, niſi vnius ex multis, & præ reliquis amati eſſe nuſquam poteſt. Quod ſi his ſimplicibus verbis affectiuis præpoſitio *præ* adiungatur, vt *præeligo* vel temporis etiam anterioritati, vel alteri non intentionali affectiuæ, vel affectus intentioni maiori ſignificandæ, ſecus pleonaſmo, inſeruiet.

7. Videar fors mei inſtituti Theologici oblitus grammaticum agere, & ſuperſtitioſum grammaticum; ſiquidem proprias vocum & verborum ſignificationes probo, & ratione; cum illæ tamen ſigna ad placitum ſint à ſolo conſenſu, & beneplacito hominum hoc potius, quam aliud, atque hoc, vel illo modo ſignificantes, & in quibus proinde ſi de ſignificati proprietate ratio quæratur, tyrannica illa *ſit pro ratione voluntas*, prudens ciuiliſque prorſus ratio ſit: idcircò eruditus alias Grammaticus Brocenſis dum Philoſophum egit bonam grammaticam vacuis quibuſdam ſubtilitatibus turbauit, vt in eius arte ac notis ad ſyntaxim nouæ artis grammaticæ Nebricenſis eius induſtria additis, & intruſis cernere licet: quarum omnium quæ ad aduerbium opus extat ridiculum exemplum eſto: & ea quidem in vocibus ſimplicibus verum habent; in compoſitis autem ex partibus, præſertim ſeorſim ſignificantibus, & propria cuiuſque partis ſignificatione (quæ quidem ex hominum placito ſolummodo fuit) compoſitæ vocis ſignificatio propriæ diſcurſu eſt, & ratione venanda: immò inde etiam à linguæ cuiuſque peritis compoſita verba ſunt, vt vocis præcipuè ſignificato modus aliquis, qui ſimplici voce illa ſignificari è prima eius inſtitutione non poterat particulæ acceſſu ſignificaretur: & id ſane in omnium compoſitarum vocum ſignificatione venire compertum eſt: vt idcirco verba hæc cognatæ ſignificationis (cum ſuis ſcilicet ſimplicibus) à Latinis Grammaticis dicantur. Quam verò mei Theologici inſtituti memor fuerim, dum totus ad latinitatem videbar diuertiſſe ex ſequenti certamine conſtabit: ſiquidem ex dictis non ſolum quid diuina, de qua diſputamus, prædeſtinatio proprietate vocis natiua, & à Theologis ſuſceptа ſignificet ſtatuetur, ſed variæ eius acceptiones b a liis, & aliis vſurpatæ, nec prorſus impropriæ, tametſi ad hanc controuerſiam non aduocandæ notabuntur: & inde prauæ, atque erroneæ Doctorum grauium, & Catholicorum locutiones, minuſque propriæ, citra periculum tamen ſimile, nonnullæ deprehendentur: ac demum qua ratione electionis voce quaſi Synonyma diuina prædeſtinatio Sanctorum à ſcriptura tradatur.

CERTAMEN II.

Propriæ aliquot vocis Prædeſtinatio *acceptiones, & quæ ex vſu Theologis?*

1. EX dictis hactenus conſtat animi propoſitum de re aliqua facienda prius tempore conceptum, quam ab alio de eadem facienda decretum ſimile habeatur, prædeſtinationem proprietate ſermonis dici poſſe, & eum, qui ita primus propoſitum habuit, prædeſtinare: id eſt prius alio rem aliquam faciendam deſtinare: Latinæ proprietatis ergo, nec ſolum Eccleſiaſtici vſus *prædeſtino* eſt, vt Robertus Stephanus in ſuo peramplo Theſauro putauit: & adeo certo aſſeruit, vt nihil aliud de eo verbo obſeruandum poſuerit. Vt autem præter proprietatem vſus verbi *prædeſtino*, & ſui nominis verbalis *Prædeſtinatio* apud Eccleſiaſticos, Theologoſve ex dictis oſtenſam, aliſque ex capitibus ſtatim iuxta dicta certamine primo oſtendam, apud Ethnicos etiam linguæ politioris latinæ, vel parentes, vel peritos, & vſu etiam eas voces (& ea quam nuper ratione, & proprietate diſcebamus) fuiſſe conſtet: audiatur Æmilius probus ita in Eumene locutus. *Primus Leontius Macedoniam occupare prædeſtinauit*: Vbi ex ſola temporaria anteceſſione propoſiti & deſtinationis occupandi Macedoniam ad ſimilem deſtinationem ab aliis poſtea habitam, & conceptam id prædeſtinaſſe proprietate ſermonis ad Æmilium dicitur.

2. Etſi autem hac ſolum ratione anterioritatis in duratione Sanctorum à Deo in gloriam deſtinatio prædeſtinatio latini ſermonis proprietate dici recte poſſe videatur; tamen, cum in omni Dei deſtinatione, quæ non, niſi ab æterno, & ex æternitate concipi, atque intrinſeca Deo æternitate durare poteſt ratione ſubiecti deſtinantis, ſatis ſignificetur *præ* Dei propoſito & deſtinationi additum ſi ad eam ſolam anteriorita-tem temporariam ſignificandam adderetur pleonaſmum Doctis Theologis ſonaret: cum ea anterioritas durationis deſtinationis diuinæ eo ipſo, quod diuina, ſeu Dei deſtinatio eſſe dicatur ſatis ſit ſignificata Doctis, Theologiſque, & expreſſa, immò & non nimis Dei ignaris; quamvis pro rudioribus ad id etiam ſignificandum adhiberi poſſit, & adiungi. Propter quos vicandum adhiberi poſſit, & adiungi. Propter quos videtur expreſſius adhuc eam diuinæ electionis anterioritatem in duratione Paulus fidelibus explicuiſſe ad Epheſ. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti.* Cæterum profundioris myſterij ea verba ſunt: illud enim *in ipſo*, idem eſt ac *in Chriſto*, cuius immediatè memorati relatiuum eſt: dixerat enim, *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto.* Cum autem benedicti à Deo Patre eiuſmodi benedictione ſpirituali, *in cæleſtibus* (id eſt ad cæleſtem vitam, & gloriam æternam ſpectante) non ſolum Paulus eiuſque coætanei, & tempore Succeſſuri Chriſtique vita, & mortе (qua eius merita ſunt conſummata) durationе poſteriores benedicti fuerint, atque illo pronomine fuerint à Paulo comprehenſi, ac primo aſpectu difficile appareat Chriſti merita anteceſſoribus tempore ſuis profuiſſe, adiicit Paulus exemplum difficilius, tamen fidelibus credendum *ſicut elegit*, &c. Ac ſi diceret: non

non solum eorum iustificationi temporariè anteactæ: sed æternæ eorum electioni, scilicet tempori cuncto anteriori, vtpote *ante mundi constitutionem* à Deo habitæ Christi merita profuisse: quare eam meritorum Christi electioni iustorum præcedentiam, natura, & causalitate, vel quasi, anterioritatum dictione illa in ipso *ante mundi constitutionem* Paulus explicuit: non autem electionis diuinæ ex æternitate antecessionem satis superque ex eo, quod Dei electio esset, expressam. Vnde constat, male existimasse Oram, & Gasam. Vnde constat, male existimasse Oram, & Gabriel in Iud. 40. particula *pra* solam anterioritatem destinationis & propositi diuini tota anteacta Dei æternitate à Patribus, & Theologis denotari, quod vt diximus pleonasmi vitio non careret, saltem, pro perioribus.

3. De proprietate vocis *prædestinatio* ratione localis anterioritatis constat locum in ea non habere, quia impertinens ad ipsam, eiusque significatum est: sicuti & dignitatis etiam, nisi quatenus intentionalem affectuam anterioritatem concernit, de qua postea: de naturæ vero, & causalitatis anterioritate, quæ ratione *pra* adiunctæ voci destinationi respectu suorum effectuum (quicunque illi sint) conuenit, dubitari potest. An particula *pra* sermonis proprietate, ac citra pleonasmum denotetur. Dubitandi ratio est: quia cum destinatio sola propositum animi de aliquo agendo, ac de se actiuum significet, causam in actu primo rei cuius destinatio faciendæ est, significat sine *pra* adiuncto: quare, & prius naturæ, & causalitatis: ergo ad illud significandum vocula *pra* illi adiuncta superfluit, ac non sine pleonasmo destinationi adiungitur. Dicendum nihilominus est ad eam prioritatem proprietate sermonis significandam voci *destinatio* proprietate sermonis à Patribus, & Scholasticis *pra* adiunctum in hac voce *prædestinatio* merito fuisse. Ratio est: quia absoluta prioritas, & posterioritas vnius respectu alterius absque absoluta vtriusque existentia, in quovis ordine prioris, & posterioris siue loci, siue durationis, siue naturæ, & causalitatis nusquam est. Vnde qui solus in primo loco consessus sederet, nullo alio sedente in consessu eodem prior alio absolute, & actu in eo consessus non sederet: & qui prima durationis temporis extitisset, nullo alio succedenti tempore producto absolute, & existente nulli absolute præduraret: atque in re nostra, causa, quæ effectum absolute non producit, atque in rebus ponit, prior effectu absolute non est: sed solum in potentia, & conditionate, si causet, & effectum absolute ponat. Nec aliud vox illa actus primi, seu in actu primo causis secundum se sumptis attributa significat quam eo loco, & gradu esse, vt adueniente effectu sit illo exercite & absolute prior, vt ei qui solus sederet primo loco consessus, vel primo tempore durare contingeret, si alius veniat, qui posterius, vel duret, vel sedeat: etsi ergo *destinatio* sola actuum propositum, & causam subinde in actu primo destinati effectus designet: designat actum primum in potentia, & conditionatum solum; si scilicet ab ea effectus causetur, & suo loco absolute sit, & apponatur; non autem actum primum, eiusque absolutam prioritatem naturæ, & causalitatis, quouisque eius effectus absolute sit, & pro signo naturæ, & causalitatis posteriori, & suo absolute loceur. Addita autem voci *destinatio* quæ actum primum, & naturæ prioritatem actuui propositi respectu rei, & effectus destinato conditionalem & in potentia significat (vocula illa *pra* effectus absoluta futuritio) quare & absoluta propositi illius, & destinationis animi causalitas, & prioritas naturæ absque Pleonasmo vllo significatur.

4. Notauit hoc Thesauro suo linguæ latinæ citato Stephanus verbo *prædestinatio* ex Augustino (vbivis prædestinationis significatum explicuit) his verbis: *Prædestinatio authore Beato Augustino à præmittendo, & præeuendo, & prærodinando futurum dicitur.* Nempe absolute futurum: quod enim absolute futurum non est, nec absolute dicitur futurum. Quanta vero Stephanus veritate id ex Augustino retulerit, ex rigida, & Scholastica definitione prædestinationis ex eodem Sancto Doctore infra recitanda constabit. Consonant Præceptori Augustino discipuli addictissimi Fulgentius 1. ad Monim. Prosper respons. 15. ad capitula Gallorum, quorum verba fecit etiam sua Concilium Valentinum sub Lothario capite tertio, sic præscientiam à prædestinatione diuina discriminans; *præscire dicitur Deus illa etiam, quæ facturus non est, vt sunt peccata; prædestinare autem alia omnia quæ sunt ipso authore facienda.* Vtique actu, & absolute facienda cuiusmodi non sunt, quæ factibilia ab ipso solum intra sui possibilitatem inclusa ad absolutam effectionem, suique existentiam nusquam transibunt. Eadem sententia plurium Patrum est à nobis citatorum, vbi magnitudinem sphæræ obiectiuæ amotis diuini, ac diuinæ scientiæ comparauimus. Ratio autem Theologica est: quia prædestinationis voce specialissima, ac perfectissima prouidentiæ obiectiuè liberæ significatur: quæ, scilicet, sit, mediorum solummodo efficacium ad finem, seu effectum liberum creaturæ rationali à Deo præstitutum, & præintentum electio prouisiua, mediorum; non quidem casu electorum, sed ex efficaciæ ipsorum scientia Dei certa, & infallibili in ipsa prædestinatione inclusa, vt de perfectissima hac prouidentiæ specie (in qua prædestinatio est) generatim docuimus controuersia sexta de prouidentia d. secunda, quæstione secunda, certamine tertio, à numero quarto, & certamine quinto per totum ac proinde prædestinatio necessitatem logicam consequendi finis, seu effectus liberi intenti concernit: & mediorum, tametsi extrinsecus efficacium, efficacem Dei suapte natura infrustrabilem voluntatem suo proprio significato complectitur: quare id, quod fini, & effectui suo absolute coniungendum necessario est, ac subinde respectu illorum absolutam vt dixi naturæ, & causalitatis prioritatem particula *pra* significatam, nec nuda voce destinatio significandam, vnde ad id significandum non superfluo, & cum pleonasmo, sed necessario, & propriissimè ad vocem prædestinatio aduocata à Patribus, Theologis Scholasticis fuit. Non ignoro Chrysostomum, Theodoretum Damascenum & alios Patres ex illo ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ*, voluntatem Dei de omnium (etiam reproborum quæ non erit) salute colligere: sed hi tamen laxius *prædestinationem*, sicuti & *propositum* vsurparant: quia in Græco textu (quo præcipue Græci Patres vtebantur) pro *propositum* habetur *beneplacitum*: quod totam propositi, ac prædestinationis vim, & energiam non continet; continet autem, quod satis eorum institituto probandi Dei seriam, intentionem, voluntatem, & generalem prouidentiam erga omnium salutem, erat: quare reliquo *prædestinationis*, & *propositi* omisso significato, eo, in quo cum *beneplacito* conueniunt, sunt tantummodo vsi.

CERTAMEN III.

Aliquæ acceptiones propriæ vocis Prædestinatio è prioritatibus intentionalibus quas importat.

1. QVoad prioritatem intentionalem veram, & realem rebus extrinsecam in æstimatione, & affectu alterius, & particula *pra* in ea voce *prædestinatio* proprietate latina significabilem significari illam respectu finis, & effectuum prædestinationis quorumvis promptum videbatur asserere. Siquidem & finis à Deo præstitutus

præstiturus intentiuo eius affectu aliis rebus non ita intentis à Deo præfertur : ac tam ipse, quàm effectus prædestinationis electiua, effectiuaque Dei voluntate, aliis quæ à Deo, vel ad eum finem, vel alios non eliguntur apponunturve ab ipso affectiue anteferri perspicuum est. Cæterùm eam affectiuam prælationem obtinendi de facto, & absolutè finis, & effectuum reliquorum prædestinationis, tam respectu finium reliquorum non intentorum, quam aliorum effectuum de facto non apponendorum, qui tamen prædestinationum aliarum effectus, & absolute, & de facto positi esse subindè possent, nusquam præpositione illa *pra* in voce prædestinationis inclusa à Theologis significari, immò nec sermonis proprietate denotari posse certum mihi est. Etenim tam intentio finis, quam eius, & reliquorum effectuum inter mediorum ad eius absolutam assecutionem apposititiuæ, atque effectiuæ voluntates diuinæ ad eorum effectionem tendunt nulla autem Dei voluntas rei factiua tendens, vel gradu quovis siue proximo, siue remoto, ad rei effectionem, qua talis, & respectu rei per illam faciendæ prouisiua, seu prouidentia, aut prædestinatio (quæ prouidentiam vt genus suum includit) esse potest : ergo nec finis intentio eiusve aut reliquorum inter mediorum absoluta effectio, & appositio qua illorum intentio, & appositio, siue respectu illorum, qua efficiendorum effectus prouidentiæ aut voluntatis Dei rebus prouisiuæ, aut prædestinatiuæ est ; tametsi prouidentiæ, & prædestinationis Dei erga res alias sint effectus ac insuper voluntatis Dei ipsarum quovis gradu effectricis. Minor probata à nobis est contro. 6. de prouidentia d.2. quæst.2. fere tota vbi ostendimus expressis testimoniis Nemesij, aliorumque Patrum, & S. Thomæ, & rationibus, (nostra etiam non contemnenda) voluntatem Dei actiuam factiuamque rei respectu illius siue erga illam prouisiuam, seu prouidentiam : quare prædestinationem esse non posse, quæ essentia sua obiectum seu subiectum cui per ipsam prouidetur, factum supponit non facit nec nisi implicatoriè facere potest cum factam pro priori supponat, vt ad finem præstitutum per media dirigat, & gubernet.

2. Quo circa, tametsi res ipsas omnes prouidentia aut prædestinatione effectas nonnunquam laxiore significatione prouisas, prædestinatasque Patres aliquot, & Scholastici appellent ; hi tamen omnes, cum proprius rigidiusque loquuntur, res, seu personas solas, erga quas prouidentia aut prædestinatio à Deo habetur ; prædestinatas, & prouisas, obiectaque, & subiecta prædestinata vocant : res autem alias, de quibus ad præstitutum finem obtinendum prædestinatis, prouisisque vt subiectis, & obiectis, & ex eorum complacentia à Deo prouidetur prouidentiæ, & prædestinationis effectus ; intentus verò finis, è cuius præsupposita (vt diximus controuersia 6.) intentione, prouidentia, aut prædestinatio : erga obiecta, & subiecta illa habetur, terminus, & finis prouidentiæ, aut prædestinationis, ad quem per media prouidentiæ ordinantur prædestinationis subiecta, merito ab eisdem Theologis Scholasticis nuncupantur : sed enim quandoque tam scriptura quam Patres, dum mente, historia, & consideratione in aliquo sistunt, quod reuera medium ad finem prouidentiæ, aut prædestinationis, ex qua medium illud reuera sit, nec vlterius historia, & cogitatione pergunt, de medio illo, tanquam fine, & termino, non autem tanquam de effectu, & medio loquuntur : quia, etsi prouidentiæ, & prædestinationis terminus, & finis (qui gloria, atque æterna nostra beatitudo est) re ipsa non sit, partis tamen ipsarum, quam solam tunc, vel historia, vel doctrina tradere, & explicare intendunt, terminus, & finis, vltra quem explicanda, tradendaque solum prouidentiæ pars non progreditur, omninò est, iuxta dicta n. 2. & iam dicenda : sic prædestinatos ad fidem & formalem iustitiam, & adoptionis gratiam sæpe in scriptura, & Patribus legimus : ad fidem de Hebræorum populo sæpe in veteri testamento scribitur, & Paulus ad Coloss. 3. numero 12. *Induite vos sicuti electi Dei, &c.* Neque enim Coloss. omnes fideles, ad quos scribebat, prædestinati, iustique erant, nec tales esse Paulus Ecclesiæ ex Dei reuelatione tradere voluit : quod solum significatur etiam Actor. 13. loco explicando quæstione 2, certamine 1. de gratia verò, & iustitia formali, seu adoptione filiorum Dei ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Ac rursus, *prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei* ; de qua Fulgent. 1. ad Monim. capite 8. & 13. *Quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit etiam ad iustitiam*, & Augustinus in Enchirid. capite 100. *Prædestinationem ad gratiam*, dicit ; licet an de gratia adoptionis, an de auxiliante, & præueniente loquatur, non satis explicuerit : ad veritatem autem æque commode prædestinatio partialis siue incompleta (vt ait Lessius, & secundum quid, Soar. 1. de Prædestinatione cap. 3. numero 14.) dici potuit quamuis prædestinatio hominis subiecti, & obiecti absolute tales ad gloriam tanquam terminum, & finem dici solummodo possit, quod supponit Tridentinum sess. 6. cap. 12. & Canon. 15. recitandum quæstione 2. certam. 1. numero 6. obiter reiicienda Soarij locutio cap. 4. numero 3 ; etenim non solum prædestinari propriè homines ad visionem, sed & hanc prædestinari ad hominis fœlicitatem ; sed in primis dici magis propriè nequit quam prædestinari ad seipsam (quod improprissime dicitur.) cum visio ipsa Dei hominis fœlicitas sit. Secundò : quia illud *ad* denotat apud omnes rem, seu terminum, & finem à prædestinatione efficiendum, non autem obiectum, seù subiectum, prædestinationis, quod factum prædestinatio essentia sua supponit è suo prouidentiæ generico prædicato, vt superiùs docebamus ex dictis contro. 6. de prouident. d. 3. q. 1. Vltra autem Dei seu hominis fœlicitas terminus, & finis est à prædestinatione faciendus non obiectum, seu subiectum prædestinationi præsuppositum, & quod solum prædestinari ad finem aliquem apud Theologos dicitur.

3. Pronum autem hisce iam explicatis, & positis est de prioritate intentionali affectiua (de qua examinare proposuimus num. 1.) an vi particulæ *pra* voce prædestinationis apud Patres & Theologos denoterur ? definite. Enim prælatio, ac prioritas affectiua vnius præ alio non de rebus, siue intermediis, siue terminis, aut finibus à prædestinatione efficiendis disputari propriè loquendo potest : cum ob rationes eo numero datas, tum ob tactas, atque insinuatas n. 2. quia finis, & inter media alia prædestinatione præparanda, & efficienda obiecta, siue subiecta prædestinationis non sunt, vt vidimus ; sed res solum, & terminus prædestinationis, & quæ non ratione, & gratia siue ex complacentia sui prædestinatione tanguntur, sed ex obiecti, & subiecti prædestinationis complacentia, & quia huic bona (siue iucunda, & beantia, siue vtilia, & ad eius summam iucunditatem, & æternam, ac supremam fœlicitatem conducentia) à Deo prædestinatione, & amentur, & fiant : in affectiua autem vnius præ alio prioritate, & prælatione absolute iudicanda illorum præcipua habenda ratio est, quæ ratione sui, nec relate ad alia, in quibus complacemus ; sed ex ipsorum, seu in ipsis complacendo affectus fertur : siquidem quoad affectum attinet, eiusque æstimabilem, seu æstimatiuam prioritatem, quæ inde, & ex complacentia in ipsis quibus bona, & vtilia amantur, quasi materialiter se habent : tametsi bona hæc, inter sese solum comparata, alia alijs affectiuè præferantur, vt finis omnis amor medium amor præfertur ; sed eadem ratione, & proportione subiectum, in quo complacemus ; ex cuiusque complacentia finem ; ac media ad finem volumus bonum amori affectiua æstimatione, siue affectiue, mediis, ac fini nunquam præfertur : de qua re plura in Philosophicis diximus contro. de actibus voluntatis : egitur *prædestinatio* vocalæ *pra* virture, & significationis energia prælationem hanc, & prioritatem intentionalem affectiuam perhuc, siue subiecti, seu obiecti prædestinati respectu prædestinabilium aliorum, qui tamen prædestinati non sunt, & sermonis proprietate, & vsu scripturæ, Patrum, & Theologorum significat : quia maxima prælatio in affectu diuino est aliquem prædestinare, ac per ineffabilia meditio ad tantum bonum ineffabiliter diligere velle præ aliis, quos sæpè, & commodè posset. Hinc prædestinatio prædestinati electio frequenter in Nouo Testamento maximè ab Apostolo dicitur : quia ex plurimis, qui æquè possent, relictis, lectus, seu electus est.

4. Porrò Catherinus libro 3 de prædestinat. cap. 2. & 3. quosdam eximiè electos ad gloriam esse ait : eos scilicet

scilicet, qui ante ipsorum merita absolute præuisa ad illam à Deo electi sunt, & paucos hos fuisse censet; alios vero non ita eximiè electos, & respectu quorum eximie illi electi, prælatique in electione & affectu diuino sunt non fuisse, nisi post absolute præuisa à Deo ipsorum merita ad gloriam electos: atque hanc prælationem affectiuam ita ante præuisa merita electorum ad gloriam respectu electorum ad ipsam non, nisi post merita absolutè præuisa, censet proprietate, & vsu eius vocis denotari: vnde nec saluandos, & electos ad gloriam omnes, sed solos paucos illos eximie, seu ante merita absolute præuisa electos esse prædestinatos. Hanc Catherini sententiam Sotus in caput 9. ad Rom. digressione de prædestinatione *erroris in fidem notat*: Banes hæresim censet prima parte, quæst. 23. articulo 7. vt autem æquum, rectumque de Catherini doctrina, & propositionibus iudicium, & censura feratur, singulatim illæ omnes examinandæ sunt: & prima, qua electis ad gloriam quosdam eximie electos, alios non eximie electos vocat recte, & ex vsu eius vocis apud Theologos Scholasticos loquitur. Recte: quia eximia electio, & in affectu magna prælatio est electorum aliquot, prædestinatorumque à Deo ad gloriam maiorem præ aliis ad minorem electis, & prædestinatis. Ex vsu autem Scholasticorum, vt videre est in pluribus Scholasticis, cum antiquis, tum Recentioribus: nec ratione à nobis clara negari ab vllo Theologo potest. Quod autem eximiam electionem præ aliis electis in eo ponat, quod illi ante merita absoluta: hi vero post merita absoluta electi à Deo ad gloriam sint nullam censuram meretur: vtrumque electionis modum in prædestinatis, & in aliquibus primum admittunt Scholastici non pauci Okam Gabriel in 1. d. 40. & 41. alijque non infimæ notæ, quin ab aliis censuris male accipiantur: quia merita illa, post quæ absolutè præuisa electos ad gloriam plures volunt, non naturæ cum Pelagianis, aut Semipelagianis, sed gratiæ per Christum esse Catholice defendant, de cuius veritate statim iudicabimus. Tertia Catherini propositio, solos scilicet eximie, seu ante merita efficaciter ad gloriam electos pauculos propriè, & Theologice: dici posse prædestinatos: quia prædestinatio rigide, & proprie sumpta eam efficacem electionem antecedentem merita significet, etsi ab ipso animo hæretico non dicatur, sed in prærogatiuæ ita electorum à pluribus admissæ commendationem, temeraria nihilominus propositio est.

5. Probatur: quia Catherini solius contra omnes Theologos, definitionem prædestinationis & omnem rationem Theologicam est, vt ex dicendis patebit. Siquidem Okam, & Gabriel, qui eam in electis ad gloriam nonnullis antecedentem meritis efficacem electionem admittunt, eosque eximie electos obinde vocant: ast illos eximie etiam vocant prædestinatos, quin electos alios non efficaciter ante merita propriè prædestinatos negent, sed solum excessum illum, quia supra prædestinationem alios contingit prædestinationi adiectum: immò vero prædestinationem propriam Theologicam in prædestinationem ante merita diuidunt, & ad rationem Theologicam accommodè (ni aliud infra dicendum certamine quarto obesset.) Nam electio saluandorum omnium ad gloriam præ aliis non saluandis affectiuam Dei erga illos prælationem dicit, tantundemque valet, atque illorum præ aliis ad gloriam affectiua Dei destinatio: quare: & prædestinatio. Cum autem *præ* illud destinationi diuinæ Sanctorum ad gloriam additum prælationi huic affectiuæ, seu anterioritati ipsorum respectu reproborum in affectu Dei significandæ, satis totam suæ significationis virtutem impendat aduerbio illo *eximiè* aut simili alio, prælatio affectiua Dei erga antecedenter ad merita efficaciter electos præ aliis non, nisi post absolute præuisa merita electis debuit explicari: quod secus habet in voce electionis ad gloriam, cum enim voce electionis ad gloriam prælatio illa affectiua Dei, seu in Dei affectu electorum ad gloriam saluandorumque respectu non ita electorum & saluandorum, sed reproborum satis exprimatur: additæ voci electionis particula *præ* prælationem, & prioritatem aliam in Dei affectu ita (vt hi volunt Doctores) antecedenter ad merita efficaciter electos respectu non electorum efficaciter ante merita vi sui significati, & proprietate sermonis significabit. Quod satis confirmatur ex Ecclesiæ totius vsu: cum enim eximie prædestinatam sanctam aliquam, obindeque Sanctorum factis à se adscriptam (præcipue Deiparam) ex prælatione eius præ aliis prædestinatis in Dei affectu commendat, sic canit; *elegit eam Deus, & præelegit eam, &c.* tametsi eximium hunc Dei affectum erga illam præ aliis etiam saluandis non ex efficacia intrinseca antecedentis electionis, sed ex maiori sanctitate, & gloria, ad quam electa illa est, Ecclesia metiatur. Denique Catherini locutio Patribus, & toti non Theologiæ solum, sed & fidelium Ecclesiæ (qui saluandos omnes prædestinatos absolute, & semper appellant) ea propositione aduersatur: videatur Sanctus Augustinus de dono perseuerantiæ capite 9. Fulgentius de fide ad Petrum capite 35. & tam ipsi, quam Patres reliqui vbivis de prædestinatione agunt. Addo vlterius, *in fide periculosam* eam propositionem esse: cum tantus Patrum Theologorum, atque Catholicæ Ecclesiæ, nemine discordante, in re ad fidem spectante consensus, non nisi, ex reuelatis esse possit: vbi autem, vel veritas hæc, vel eius principia fuerint reuelata ex dicendis quæstione 2. dignoscetur.

CERTAMEN IV.

Prædestinationis respectu meritorum pura prioritas materia, & ex dictis conclusio.

1. DEnique intentionalis alia sine mixta ex reali, & intentionalis posterioritatis negatione anterioritas vocula illa *præ* voci *destinatio* addita prædestinationis voce denotatur: & cuius in prædestinatione intelligendæ, & nobis commendandæ à scriptura. Concilijs, Patribus & Catholicis Doctoribus cunctis maxima ratio habeatur: ea vero est, qua Dei prædestinatio motionem omnem intentionalem meritiuum operum prædestinandi antecedit Dixi autem mixtam ex reali prioritate positiua prædestinationis ad merita omnia nostra, & negatione intentionalis motionis meritorum, ad quam prædestinatio sequatur: etsi enim ex reali physica prædestinationis ad merita prioritate naturæ ipsius à meritis intentionalis posterioritas satis ac me iudice euidenter apud politiores Philosophos excludatur; voluere tamen Patres, & Theologi Scholastici ea particula *præ* expresse, ac citra discursum eiusmodi posteriioritatem respectu meritorum, & in his responsuram intentionalem prioritatem respectu prædestinationis excludi: & relatè quidem ad merita naturæ Pelagiana, & Semipelagiana, eam meritorum prioritatem intentionalem ad prædestinationem, & responsuram in hac posterioritatem ad merita illa voce prædestinationis vi vocula *præ* (qua sola potest) prædestinationis prioritatem sine vlla posterioritate ad illa significantis excludi dogma fidei est. Addo, nec nimis (me iudice) à fidei dogmatibus distare, prædestinationis vocem vi particulæ *præ* inclusæ exclusionem posterioritatis ad merita etiam ex auxilio Dei supernaturali profecta ob quæ prædestinatio à Deo habeatur, ac subinde omnimodam ac puram prioritatem absque vlla posterioritatis mixtura proprietate sermonis apud Scripturam, Patres, & Theologos significari. Tum, quia prædestinatio omnis principium meriti ex auxilio supernaturali oriundi necessario est, & nequeat principium vllum meriti sub idem meritum cadere, vt dogma Theologicum ferr, à nobis sæpe contra minus in illud reuerentes Recentiores

statutum. Tum denique quia, etsi principium meriti sub meritum cadere absolute posset, non tamen principium merè liberaliter, & gratuitò à Deo concessum, & habitum vti prædestinatio de facto habita à Deo fuisse ex scriptura, Patribus, & Theologis fere cunctis certo monstratur vt ex dicendis d. de causis prædestinationis q.3. clarebit.

2. Quoniam vero destinare aliquem ad finem, seu effectum, & euentum in bonum, & in malum intra propriam eius verbi significationem esse potest, vt dixi certamine primo, numero 3. ac proinde ipsi addita præpositione *præ*, qua prioritas aliqua destinationis propria denotetur, videtur verbum *prædestino* in bonum, vel in malum posse proprietate sermonis vsurpari, restat examinandum: an prædestinatio diuina in bonum, & in malum, siue culpæ, siue pœnæ accipi indifferenter possit, ac sermonis proprietate vsurpetur. Qua in re prædestinationem diuinam in malum culpæ, neque accipi aliquando, neque posse vllatenus vsurpari dogmaticum est, vt docent Augustinus 10. de prædestinatione Sanctorum. Fulgentius 1. ad Monimac. capite 14. Prosper respons. 15. ad capitula Gallorum, aliique Patres, & Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore capite 3. *Præscire Deus dicitur illa etiam quæ facturus non est, vt sunt peccata: prædestinare autem alia omnia quæ sunt ipso authore facienda.* Vnde Trindentinum sess.... Caluinianam prædestinationem ad peccata anathematizat capite 17. id autem prouenit ex summa morali bonitate, & perfectione Dei prædestinantis, vt citato numero obseruabamus: præ sua enim perfectione, bonitate morali quoad specificationem ita ad bonitatem moralem & honestum Deus, eiusque voluntas determinata est, vt malum morale adhuc ad finem honestum nequeat amare, nedum, vt finem in quem, & rationalem creaturam, & media ad illud dirigat intendere, vt opus erat ad hoc, vt illam ad malum morale destinaret: idcirco quamvis prouidentia Dei erga peccata admittenda à Catholicis sit, vt vidimus controuersia 6. Prædestinatio vero est prorsus Catholicè neganda. Ad malum autem pœnæ an proprie prædestinare damnandos dici possit? liberior per fidei dogmata videtur disputatio.

3. Cum autem pœnæ debitæ malum velle honestissime Deus possit; ac proinde in Deo etiam prædestinatio indifferentis significati in bonum vel malum physicum proprietate sermonis videtur esse: idque suaderi poterat ex Sancto Augustino 14. de dono perseuerant dicente. *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio.* Si enim neque in pœnæ physicum malum, sed in bonum solum prædestinatio Dei esse, ac proprietate sermonis dici posset, frustra adderetur *quæ in bono est*, vt eam in bonum esse cognosceremus: quare, vt eam à prædestinatione Dei in physicum pœnæ malum, quam censebat Sanctus Augustinus possibilem, & nobis proprietate sermonis significabilem adiunxisse eam dictionem videtur. Dicendum nihilominus est, ex Deo prædestinante prædestinationem Dei absolutè dictam in bonum semper sumi à Patribus, scriptura & Scholasticis, sumique debere: id suadent Sancti Augustini verba, cuius sententia dictione illa, *quæ in bono*, est prædestinationem Dei semper in bono esse monstratur, vt appositiue, non vt additamentum distinctiuum ab alia prædestinatione in malum physicum pœnæ, intelligatur, atque vt explicet, quod in subiecto relato continetur, vt in hac dictione *Deus qui bonus est*, & similibus, qua Deus à malo Deo, qui esse posset non distinguitur. Secundò: quia nullibi scripturarum aut Patrum prædestinatio Dei, nisi in bonum dicitur absolutè. Quod enim idem sanctus Augustinus 5. de ciuitate capite 5 & lib. 15. capite sexto, & Enchirid. capite 100. Fulgent. 1. ad Monimac. & lib. de *gemina* prædestinatione sæpè, Isidorus 2. de summo bono capite sexto, Concilium Valentinum capite tertio prædestinationem ad pœnam dicant, sine addito ad pœnam non dicunt, nec ibi de propriè dicta prædestinatione adhuc in bonum, quam prædestinationi in pœnam opponunt loquuntur: sed de voluntate mercedis pro bene, maléve absolute gestis remuneratiua, quæ proprie prædestinatio dici iuxta dicta nequit, ampliusque ex dicendis constabit.

4. Tertio: quia, vt vidimus controuersia quarta, d. 6. Deus non, nisi dolens, tristis, atque inuitus coactusque (vt hi affici sublatis imperfectionibus Deus potest) hominum sceleribus absolute patratis ad ultima physica pœnæ, & supplicij venit, quibus affectibus non veniret si illa anterius intenderet, ac prædestinaret. Quarto: quia malum physicum, qua tale, amabile non est per se, & propter se, nec physice, nec moraliter: ergo nec intendi, vt finis possit, vt propter ipsum media eligantur, & ordinentur, sed solum amari ob alium finem, &, vt medium possit; vnde nec prædestinari aliquid ad illud propriè: quia absoluta, & propria prædestinatio ad aliquid, vt ad illud tanquam finem est, non autem tanquam ad inter media ad quæ propria, & simpliciter prædestinatio non est, vt obseruabamus cum Lessio, Soario & aliis certamine tertio, numero secundo pro aliquot Patrum locutionibus, sed secundum quid inchoata & incompleta & quamvis malum alterius, quia ipsius malum, ex displicentia, & odio in ipsum amari possit, vt controuersia de anima, & actibus voluntatis docuimus. Dei odium inimicitiæ in peccatorem ante absolutam eius lethale haberi nequit: quare nec pœnæ malum ex eius odio reprobis à Deo intendi, ac peccati premissione parari; sed solum post peccatum absolute admissum, & præuisum decerni voluntate punitiua, & infligi, quod nullatenus prædestinare est: &, ac tunc quidem, pœnæ malum Deus decernit, & infligit, præcisè qua malum reprobi est; sed ex iustitia vindicatiua cum ob dignitatem formalem inimici, tum ob meritatem valorosam, (quas distinximus controuersia 5. de Incarnatione, & explicuimus) in illius punitione vtroque titulo exercenda. Tantum abest, vt ante admissum à damnando peccatum Deus illius pœnam ex se se intendat, & media quibus de facto eam infligat præparet voluntate sua atque disponat, vt ad mali physici pœnæ prædeterminationem propriam opus erat. Mitto probationem aliis efficacem: quod peccatum (sine quo eius missio ad pœnæ infictionem inrentam ex ea intentione eligenda, ac præparanda vtilis non est) amandum à Deo foret: quod repugnat. Hæc siquidem ratio nobis est legis, vt constabit d. quarta, de effectibus prædestinationis; inter quos peccati permissionem ex intentione bonitatis, & pœnitentiæ ex illo habendæ à peccatore numerabimus eique Argumento facile occurremus.

5. Ex prolixo: hoc significationis vocis huius *prædestinatio* examine, non tamen inutili constabit facile, quid, quantaque proprietate Dei prædestinatio in Scriptura, Patribus, & Theologis significet: ex prædestinante quippe nos Deo in bonum prædestinati esse significata, immò absolutè, & simpliciter dicta in summum eius bonum quod simpliciter eius bonum est, & reliqua, quatenus illi subseruiunt, ad illudque conducunt, bona sunt: vnde, quatenus ad illa prædestinatio dicitur, secundum quid, & incomplete dicitur iuxta dicta certamine tertio, numero secundo ex parte subiecti prædestinati rationalis creatura significatur, quæ sola tanti boni capax est. Destinationis vt ratione etiam Dei destinatis anterioritas ad subiectum, effectusque omnes prædestinationis ex æternitate notatur. Vi autem adiunctæ particulæ *præ* anterioritas infallibilis causalitatis, certæque coniunctionis prædestinationis cum re, seu fine, ad quem subiectum prædestinatur item prioritas, seu anterioritas intentionalis affectiua, qua scilicet in affectu Dei prædestinatus non prædestinato præponitur: ac denique prioritas, & anterioritas ad merita absoluta siue naturæ Pelagiana, aut Semipelagiana, siue ex supernaturali Dei auxilio prouentura, absque vlla mixtione posterioritatis prædestinationis ad ipsa, in quocunque alio genere prædestinationis posterioritas respectu meritorum prædestinati cogitati

cogitari inducique tentetur: maximæ prædestinationis, quæ de facto fuisse a scriptura & Patribus asseritur. Diuina ergo prædestinatio creaturæ rationalis vnius præ alia ad gloriam certò, & infallibiliter ex illa consequendum meritis absolutis creaturæ vndecumque habitis pure prior, absque vlla respectu eorum posterioritate præsentis controuersiæ materia est, ac tota latinæ linguæ proprietate, voce *prædestinationis*, vt hactenus ostendimus significata, & vulgari Theologica ipsius definitione Augustini contenta: *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*: quanquam prædestinationis pura prioritas respectu meritorum d. de causis prædestinationis fundanda altius à nobis sit.

QVÆSTIO II.

De Prædestinationis diuinæ erga saluandos existentia.

RAtio quæstio, non tam de conclusione, quam de eius probandæ fundamentis solidis esse potest. Non enim apud Patres, & Doctores Catholicos solum diuinæ præstinationis erga saluandos existentia, siue eorum ad gloriam de facto obtinendam Dei voluntate ordinatio certa, & infallibilis existens dogmatica veritas est: verum apud Hereticos etiam ferè omnes est dogma inconcussum: tametsi in prædestinationis natura, & conditione à Catholica fide aberrarint.

CERTAMEN I.

Errores contra Prædestinationis existentiam dogmaticam, eiusque fundamenta aliquot examinantur.

1. DIuinam erga rationales creaturas prædestinationem ad gloriam à capite negarunt, quicunque negarunt esse Deum recitati à nobis tom. 1. de Deo vno controuersia 1. d. 1. q. 1. cert. 1. cum prouidere, & prædestinare non, nisi existentis, viuentisque actu actiones esse possint. Alij etiam, qui Deo admisso eius tamen prouidentiam vniuersim negabant, quos accuratè recensuimus controuersia sexta de prouidentia d. 1. quæst 1. certam. 1. à num. 3. ex aliis, qui pro errore citantur cribratos: etenim, qui genus negat, species eius omnes negare certum est: Prouidentia verò genus ad prædestinationem est atque hæc species illius. Tertiò alij, qui Dei erga creata omnia prouidentiam non abolebant; eam tamen erga rationales creaturas omninò negebant: quare & prædestinationem, quæ erga rationales creaturas prouindentia procul dubio est. Huius erroris Patronos, & sectarios retuli citata contr. 6. d. 1. q. 2. toto cert. 1, eiusque fundamenta, quæ Sapientiorum Philosophorum mentes turbarunt, discussimus certam. 3. ex parte vero, non quidem subiecti prædestinandi (vt memorati errores) sed materiæ finisve, ac rei, ad quam creaturæ rationalis Theologica atque absolutè dicta prædestinatio est, errores plures Philosophorum possent recenseri à Spiritu Sancto ex instituto confutati toto Ecclesiastes libro horum nominibus omissis circa creaturæ rationalis fœlicitatem vltimam, ac suprematn beatitudinem: ibi enim singulatim omnia, quibus quisque hominum se crederet pro suo genio fœlicem vanitatem vanitatis esse probat, atque in Deo solo nostram fœlicitatem esse concludit.

2. Eosdem errores omnes ac præcipuos eorum Authores recensuit Augustinus libris de ciuitate Dei, ac confutauit, ac nos tom. 2. de ente supernaturali controuersia de beatitudine, quicunque ergo in alio, quam Dei possessione, & fruitione, in quibus nostra gloria, & summa, ac simpliciter talis fœlicitas, & beatitudo per scripturam, Patres, & Theologos sita est, constituunt ex parte materiæ finis, ac rei, ad quam à Deo prædestinantur aberrat, ac Theologicè prædestinationi aduersatur: quæ, vt diximus ad gloriam, & veram nostram beatitudinem, in Deo vt obiecto possidendo, eiusque fruitione sita essentialiter est. Eos autem errores referre, ac singulatim confutare præsentis instituti non est, sed controuersiæ citatæ de beatitudine. Inde verò in Deo obiectiue, in Deique ipsius possessione per eius intuitiuam visionem, vel de eo ita possesso fruitione, & gaudio formaliter beatitudinem consistere nostram, & gloriam ad quam à Deo prædestinamur, & simpliciter dictæ prædestinationis res, & materia est, supponimus cum Patribus, & Theologis non disputamus: quare huius loci controuersia cum iis solum est, qui ex parte subiecti prædestinationis, seu prædestinati aberrarunt à vero.

3. Et memorauimus quidem numero 1. eos qui vniuersim circa subiectum prædestinationis errarunt. Partim autem non sane animo, & mente errauit Catherinus memoratus quæst. 1. certam. 3. num. 4. asserens non omnes ad gloriam electos, & Dei speciali prouidentia certo, & infallibiliter saluandos prædestinatos esse, sed paucos ex ipsis ante præuisa absolutè eorum merita electos: eius autem propositionis censuram à Soto, & Bañes latam ibidem retulimus, nostramque Theologicæ temeritatis notam adiecimus, quam probauimus toto numero 5. immò, & esse in fide periculosam addidimus, cuius additi probationem in hanc quæstionem remisimus dandam ex scripturæ, & Conciliorum testimoniis pro saluandorum prædestinatione exploratis recitandis expendendisque certamine 2. Hic solum recito verba Augustini, & Fulgentij ibidem citatorum. Augustini 9. de dono perseuerantiæ sunt: *ex duobus piis cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur? inscrutabiliora sunt iudicia Dei: illud autem fidelibus debet esse certissimum: hunc esse ex prædestinatis; illum autem non esse.* Fulgentij de fide ad Petrum capite 35. *firmissime tene, &c. nec quenquam eorum quos non prædestinauit ad vitam, vlla posse ratione saluari.* Quod verum non est, ni saluandi omnes prædestinati itidem sint.

4. Porrò statuta Dei prouidentia erga homines, ac rationales cæteras spirituales creaturas, earumque actiones (de vtrisque enim eadem ratio est) de mediis quibus præcipuum, & supernaturalem suum finem assequi omnes possint, & de facto eorum aliquæ consequantur, Deum eam habere pronum est, ne integram naturam fine, cuius capax est orbata per Dei bonitatem relinqueretur: quod tametsi è supremo Dei Dominio fieri absolutè posset, dum factum certò non constat, non factum ratio suadet. Maxime, cum temporales malorum fœlicitates, iustorumque ærumnæ non casu, ac fortunæ gentilitiæ temeritate, sed ex æqua, & sapientissima Dei prouidentia venire, nisi ad Dei prouidentiam specialem erga iustos, quos per tot trifia ad finem æternæ gloriæ, & commodis cunctis temporalibus longe præstantiorem, sua misericordi voluntate dirigit, ac perducit, recurratur, defendi non possit: vt vidimus citata controuersia 6. d. 1. quæst. 1. certam. 3. Ea verò specialis Dei prouidentia, qua de mediis, quibus certo ac non casu, de facto gloriæ suæ æternæ finem assequantur, qui eum consequuntur, ipsissima prædestinatio est: item, cum nihil absque Dei prouidentia in rebus eueniat, salusque, & gloria æterna plures ex fide, atque infallibili Ecclesiæ Dei declaratione contingat, id ex speciali Dei prouidentia erga illos, prædestinationéque euenire certissimum est. Tertio: cum prædestinatio quorundam ad fidem iustitiam, & charitatem passim in scriptura afferatur, hisque, si cum perseuerantia sint, effectu ipso coniuncta sit æterna salus, & gloria, & ad eam etiam prædestinatio erit: præsertim, cum illis vita, & salus æterna à perseuerantibus obtinenda sit, neque id Deus, cum ad illas rationalem creaturam prædestinat, ignoret.

5. Quæ autem loca Conciliorum, & scripturæ præ-

destinationis Sanctorum existentiam de fide formale dogma reddant, non ita conuenit inter Scholasticos DD. Supponitur autem à Tridentino sess. 6. c. 12. & Canon. 15. damnante asserentes, *Hominem iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum.* Vbi nota prædestinatos ad iustitiam, vti sunt quotquot iusti sunt, absolutè prædestinatos non dici, sed secundum quid: quia ad eam prædestinatio secundum quid solum prædestinatio, non autem absolutè apud Patres Concilia & Theologos dicitur vt quæst. 1. certam. 3. num. 2. dicebam. Prædestinationis existentiam similiter supponunt Concilia alia Mileuit: & Arausican. 2. recitanda d. 3. quæstione 2. Ex scriptura affertur à nonnullis id Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei: percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Sed de remuneratiua voluntate, & præparatione gloriæ, non autem mediorum ad illam, est sermo: vt Deo gloriam parandi, & homini recipiendi eadem causa merita præuisa absoluta fuerint, vt germanius plures eum locum interpretantur: subditur enim. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Confirmatur: eodem quippe modo fertur immediatè in scelestos reprobos ob absoluta impietatis suæ demerita damnationis sententiæ: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo*, &c. quæ retributionis pro bene, maleve gestis voluntas propriè prædestinatio non est, vt vidimus quæst. 1. certamine 4. num. 1. tametsi ita Patres quandoque laxiori acceptione prædestinationem appellent notatis locis eo certamine, numero 3. sub finem: & Arausican. Concil. capite tertio, ac insuper Ambrosius 5. de fide scribens: *Quorum merita præsciit, eorum præmia prædestinauit.*

6. Inducitur à plurib⁹ illud Actor. 13. *crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam*: quasi illud *præordinati* idem ac *prædestinati* sit: ea tamen vtriusque vocis eo loci æquiualentia admissa vitæ æternæ nomine solam fidem, ad quam prædestinati essent, qui ex auditoribus crediderunt, non pauci interpretes volunt: ita enim fides appellatur Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: Ad quem locum Euthymius & Cyrillus illum Actorum locum de fide interpretantur: quæ obinde etiam Dei Regnum dicitur Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est*, iuxta Cassiani doctam explicationem: sed quidquid de hac interpretatione (probabili quidem) sit illud certum nobis, & doctissimis interpretibus iam citandis est: eos omnes, & solos tunc primum credidisse Apostolo prædicanti, qui in ea ciuitate prædestinati ad gloriam erant esse omninò incredibile. Nec ratio idonea apparet, vt eorum omnium prædestinatio tunc Lucæ reuelaretur, maxime, vt, eis adhuc viuentibus, euulgaretur: germanus igitur eius loci sensus est: tunc primum prædicanti Apostolo credidisse quotquot ex præconcepto diuinitus æternæ gloriæ; & viæ ad illam inueniendæ desiderio dispositi ad fidem in audientium cætu inuenti sunt. Ita Salmeron ad eum locum & Iulius Chrisoldus laudatus à Lorino ibidem, Venerabilis Pater Gaspar Sanctius etiam ibi Lessius de prædestinatione sectione 3. & Magnus meus Magister Didacus Daza in manuscripto de prædestinatione d. 2. §. 1.

7. Afferri etiam vulgò solet illud 2. ad Timoth. 2. *Nouit Dominus, qui sunt eius* & ad Rom. 11. *Non repulit Dominus plebem suam quam præsciit.* Quod August. cap. 18. de dono perseuerantiæ explicat de prædestinatione. Ea tamen Lessius noster proxime num. 30. de electione ad fidem interpretatur iuxta illud 1. Petri cap. 1. *Electis aduenis secundum præscientiam Dei Patris.* Secundò plebs, & populus Dei, & qui eius esse à scriptura dicuntur fidelium Ecclesia fide in ipsum aliqua nota vel circumcisionis, vel Baptismi ad eius cultum, & obedientiam non autem idolorum, destinata in Scripturis sacris intelligitur. Tertio: non satis eo nomine scientiæ, ac præscientiæ explicatur: An de scientia prædestinatorum post merita, iamque Beatorum, perpetuóque Dei futurorum possessione æterna, an de præscientia eorum ante merita sit sermo? Quartò cum prædestinatio scientia sola Dei electionis de mediis infallibilibus præuia non contineatur, etsi de scientia anteriori ad merita sit eis in locis sermo: non tamen in terminis sermo erit de prædestinatione, nisi id ex contextu eorum locorum aliunde, quam ex eis verbis ostendatur. Quod ipsum dicendum est de locis illis, quæ vulgo etiam ad rem hanc adducuntur ex 1. ad Ephes. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*: ex illo, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Hæc enim de prædestinatione secundum quid ad formalem sanctitatem, & adoptionis gratiam sunt expressa, quin toto eo capite aliquid sit, quod iuuet (nedum cogat) de prædestinatione simpliciter dicta, siue ad gloriam, ea interpretari: nisi quod in Pauli phrasi *propositum* idem quod *prædestinatio* est: vt cunctis est notum, atque in simili textu ad Rom. 8. vidimus cert. 2. n. 1. quare, etsi ratione termini expressa prædestinationis asserta hic à Paulo prædestinationem videatur, est tamen asserta ratione vocis *propositum* adiuncta.

CERTAMEN II.

Pro existentia Prædestinationis ad gloriam ex Scriptura testimonia firmiora.

1. PRimum testimonium sit ex 8. ad Rom. numero 29 *Nam, quos præsciit, prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Magnus meus Magister Daza non satis huic testimonio fidit, sicuti nec Lessius de prædestinatione, sectione 3. Nam Toletus ibi conformitatem per gratiam adoptionis, qua filij naturalis Dei Iesu Christi fratres constituimur, intelligit: ad eamque solum prædestinatos eo textu asseri. Vasquez autem in paraphrasi ex qua Cornelius ibidem, & Lessius vbi proxime ad conformitatem passionum cum Christo, de quibus dixerat immediatè, diligentibus Deum omnia, quantumuis aduersa, cooperari in bonum. Sed vel maxime ex hac clausula præmissa ab Apostolo prædestinationem ab ipso assertam esse ad gloriam, ac simpliciter talem, nec secundum quid ad gratiam adoptionis solum, vel conformitatem cum Christo in passionibus videtur mihi videre: sunt enim verba. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* An omnibus? nequaquam, siquidem plures Deum diligentes aduersis frangantur, ac tentationibus, præsertim grauibus, succumbunt, atque excidunt sæpe à charitate. Ideo de quibus Deum diligentibus loquatur subdit, quasi notam & characterem: *his qui secundum propositum vocati sunt sancti*: vbi *propositum*, non propositum, seu prædestinationem secundum quid ad Dei charitatem, seu sanctitatem, & adoptionis gratiam (quæ dubio procul erga omnes Deum diligentes, & iustos est, etiam illos, quibus, non in bonum sed in malum aduersa, & tentationes, quibus eedunt cooperantur) sed propositum, & prædestinationem simplicirer talem, & ad gloriam cui illos certò & infallibiliter coniungat, aperte significat: inde enim euenit, vt omnia illis eadem in bonum obueniant.

2. Idcirco statim in textu nostro rationem hanc prædestinationis diuinæ certitudine, & infallibilitate subiunxit. *Nam quos præscinit, & prædestinauit, eos conformes fieri imaginis filij sui.* Non vtique in adoptiuæ filiationis per gratiam conformitate defectura tandem, sed perenni, & cum gloria, ad quam prædestinati sunt æternum associanda & perfitura: ex eius quippe gloriæ, & salutis æternæ intentione effectum est, vt mala etiam, & aduersa ita prædestinatis iusta aduersa, ac dura quippe disposuerit, vt non interitus occasio essent; sed causa potius æternæ salutis: quia etiam in re Primogenito prædestinatorum fratri similes Deus suos prædestinatos effecit: vt, sicut ille, per aduersa vincerent triumpharentque in cælis: vtriusque enim &

morris, & resurrectionis, & gloriæ Christi per illam meminit num 34. *Christus Iesus, qui mortuus est, immò, qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Nec video quomodo exemplari prædestinatorum filio incarnato conformitatem per ea passionum media velit, ac prædestinet, quos in gloriam in qua perfecta quæ nobis cum ipso, qua homine & cum Patre nostro Deo similitudo, & præcipua est, iuxta eundem Apostolum. *Similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est*, non prædestinet: Confirmatur ex num 31. vbi pretij mortis, & Passionis Christi pro æterna nostra salute in aliquibus ob illud obtinendi, atque amoris, quo illi pro nostra salute Pater non pepercit, expressam facit mentionem, vt prædestinationis prædestinatorum secundum propositum, quo à salute æterna prædestinati non excidant: motiua potentissima Deo proposita explicet, & ex amore illo, quo Pater pro nobis ad mortem suum filium dedit, concludit: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* gloriam etiam Dei proposito, & prædestinatione pro sua bonitate, & pretij magnitudine electis paratam. Confirmatur ex numero tertio, vbi prædestinatos, quos dixit, electos Dei vocat: *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Electi autem Dei absolute proprie prædestinati, & soli in scriptura dicuntur.

3. Secundum testimonium ex eodem capite & hactenus expenso immediatè subnexum, atque ipsius ad rem nostram validissima confirmatio sic habet. Post quam enim dixit: *Omnia diligentibus Deum secundum propositum vocatis* in bonum cooperari: quia ex certa Dei scientia prædestinati à Deo sunt ordinem ipsum specialis Dei erga illos prouidentiæ propositi: seu prædestinationis, quoad gloriam gradatim perducuntur, his subtexit, *quos autem prædestinauit* (ex præscientia infallibili, vt immediatè dixerat) *hos, & vocauit*: Ecce gradum primum prædestinationis præfatæ executiuum, *& quos vocauit, hos & iustificauit*: ecce gradum secundum. *Quos autem iustificauit, illos & glorificauit*: ecce gradum postremum executionis, & obtentionis finis gloriæ, & prædestinationem, quam de diligentibus Deum vocatis secundum propositum asseuerat, vt rationem redderet, cur eis omnia, quantumvis aduersa, ac difficilia in bonum cooperentur: quia nimirum ex proposito, seu prædestinatione Dei habita ex præscientia eius infallibili nequeunt à bono, ad quod prædestinati sunt, & præordinati (id est summo bono) decidere: quia vt hoc textu ait, quos prædestinauit, vocat ea vocatione, quam habituram effectum certo præsciuit: indeque ad iustitiam perseuerantem infallibiliter deducuntur: atque inde indefectibiliter ad gloriam, ad quam eos prædestinauit peruenient, multo vt plurimum certamine, sed à causa cadendi periculo nullo. Nil ergo pro existentia diuinæ prædestinationis Sanctorum hoc textu, & antecedente se mutuò iuuantibus, & interpretantibus expressius dici potuit, & illustrius: & quibus nihil nebulæ possit offundi, vt ex iam abigendis aduersantium, siue potius de eorum claritate addubitantium, nebulis facile clarebit.

4. Inquiunt primo: qui eorum claritatem in dubium vocant, Chrysostomum, & Græcos Patres, atque ex Latinis Gregorium Magnum, & Hieronymum, & Ambrosium seu, qui commentariorum in eam epistolam horum operibus insertorum authores (graues quidem, nec contemnendæ authoritatis) extiterunt, illud glorificauit, non de æterna glorificatione per beatitudinis æternæ assequutionem, sed de temporaria, atque huius vitæ glorificatione intelligere: & verbum sanè Græcum tantundem, atque *magnificauit*, significat: vt idcirco Græci Patres in eam videantur interpretationem concordes venisse. Vnde Sanctus Ambrosius, seu Doctus ille Commentariorum Auctor, & Sanctus Thomas, prima parte, quæstione 23 articulo secundo, atque Græcæ linguæ peritissimus Cardinalis noster Bellarminus tomo 2. controuersiarum de Sacramentis libro 1. de Baptismo capite 8. §. *Habemus igitur*, plurescque eius epistolæ codices vulgatissimi *magnificauit*, pro *glorificauit* legunt. Cæterum, licet *magnificauit* de temporali gloria, & plausu intelligi alias posset, nequit ramen in præsenti textu, ex capitis contextu de ea intelligi sistendo in ipsa, vt prædestinatio, de qua hic Paulus, vlterius ad gloriam, & magnificationem æternam non progrediatur, tendat, ac intendat. Totum enim caput est de vita spirituali, ac non secundum carnem, & ex qua æternam vitam, & hæreditatem, ac cohæreditatem cum Christo, si cum ipso compatiamur, moriamurque expectantes inde resurrectionem obtinendam, quam scilicet nondum habemus: tametsi adoptionem gratiæ habeamus, quam non expectamus vtique, dum possidemus. Ex quibus constat, de qua conformitate imaginis Filij sui Sanctos prædestinatos dicat: itaque gloriam temporariam, nisi quatenus æternæ subseruiat, prædestinationis, de qua hic Apostolus terminus: immò nec effectus esse potest; cùm ex meritis Christi sit, qui sola bona spiritualia, & æternam salutem: temporalia vero solum quatenus his possint inseruire promeritus nobis est. Confirmatur demum ex immediate subiunctis numero 31. *Quid ergo dicemus ad hæc, si Deus pro nobis, quis contra nos.* Vt aduersis, ac tentationibus vincendos prædestinatos tandem non esse indubitabile ostendat: cum tamen contra eos, pro quibus Deus absoluta prædestinatione ad gloriam non sit, plures, pluraque esse, quæ eos de facto turbent, ac deturbent, sit certum: eaque securitate, & certitudine, quam Dei erga electos suos prædestinatio facit, cunctis aduersis singulatim bellum certus de victoria reliquo capitis indicit.

5. Terium testimonium sit ex eodem Apostolo epistola eadem ad Romanos capite nono, numero 13. vbi Iacobi & Esau exemplo rem diuinæ prædestinationis, & reprobationis absolutæ ita fidelibus proposuit. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret)* scilicet prædestinationis, & reprobationis, absolute talium in illis figuratarum) *non ex operibus sed ex vocante Deo dictum est ei* (Rebecæ) *quia maior seruiet minori, sicut scriptum est* (Malach. 1, numero secundo,) *Iacob dilexi* (nempe prædestinatorum imaginem) *Esau autem* (reproborum figuram) *odio habui.* Ac toto reliquo textu exemplo hoc, variisque scripturæ testimoniis, & exemplis adductis probat, & concludit: prædestinationem, & reprobationem omnem, siue ad fidem, siue ad iustitiam, siue ad gloriam: tametsi de ea, quæ ad fidem, ac populum specialem Dei est vt plurimum loquatur: in ea quippe forma prædestinationis diuinæ ad reliqua omnia ab Apostolo describitur in Iacobo: sicuti & in Esau reprobationis forma dicitur figurata: quare, & litterali sensu figurato à Paulo Sanctorum prædestinatio asseritur: sicut & rebus, & personis veteris Testamenti pluribus, & Christus Dominus, & Noui Testamenti, fideique nostræ Mysteria ad literam adumbrata, & figurata sunt, vt idem Paulus ait, ac pluribus ex veteri Testamento recitatis, in nouoque expletis sæpe ostendit: sicuti & Christus Dominus, & Euangelistæ in Euangeliis ac Sanctus Petrus in epistola declarant.

6. Quod verò non solum prædestinationem ad fidem & populum Dei, & reprobationem ab illis (quæ instituti sui illo capite præcipua materia erat) in Iacobo, & Esau repræsentatam velit, sed absolutam ac simpliciter talem prædestinatione, scilicet ad gloriam, atque reprobationem aduersam constat. Primò: quia *propositum secundum electionem vocat*, quæ tantundem in eius phrasi, ac *prædestinatio* absolute, & simpliciter talis valeat. Secundo: quia odij, & dilectionis in Esau & Iacob vocibus ait fuisse absolutè per Malachiam significatum: quæ non, nisi de perpetuo amicis beatis, & perpetuo inimicis reprobis absolute dicuntur: non autem de peccatoribus solum ad tempus prædestinatis, atque reprobis ad tempus solum iustis. Tertio etiam: ex eo quod in Iacob, & Esaii figuratos *vasa misericordiæ*, aliosque *vasa iræ* absolutè vocat: tum vasa misericordiæ non, nisi prædestinati absolute dicantur apud Scripturam & Patres, & rationem, nec iræ vasa, nisi absolutè, & simpliciter reprobi,

reprobi. Quarto eis absolutis compellationibus vtrorumque non contentus Paulus exemplo figuli, & massæ pro ipsius arbitrio in vasa ad hoc, vel illud ministerium formandæ illis verbis numero 21. rem explicuit. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Notas alias vnam absolute prædestinatorum, aliam absolutè reproborum, his immediate subiunxit numero 22. & 23. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta* (permissiue à Deo parata ac vitio suo facta materia idonea solum) *in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*: apta vero vasa iræ in interitum ex Dei permissiua electione, & præparatione, ac vasa misericordiæ præparata à Deo positiuo affectu, & electione in gloriam, quidnam aliud quam absolutè prædestinati? Denique Patres, & Concilia de absolute prædestinatis, ac reprobis intelligunt, ac validissimè illo loco prædestinationem, siue adæquate, siue inadæquatè sumptam ex naturæ meritis Pelagianis, vel Semipelagianis non esse irrefragabiliter concludunt, vt videbimus d. 4. quæstione secunda.

7. Quartum testimonium pluribus constat ex Euangelio vbi electorum nomine prædestinati ad gloriam, siue absolute & prædestinati omnium Patrum & interpretum concordi intelligentia asseruntur. Matth. 20. ex parabola operariorum vineæ concluſit Dominus. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, numero 16. in quam sententiam verbis eisdem iterùm concluſit Dominus capite 22 numero 14. ex parabola alia nuptialis conuiuij, ex quo ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores eiectus est conuiua, qui absque nuptiali veste conuiuij assederat mensæ; & capite 24. de postrema Antichristi persequutione frangendis sanctitate, & Spiritus robore validissimis Christianis pari ait numero 22. *Et, nisi breuitati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi*: quam sententiam scripsit ita Marcus capite decimotertio, numero 20. *Et, nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro, sed propter electos, quos elegit, breuiabit dies*: quia scilicet ea breuiatione dierum non frangendi visi prædestinati, & electi illi sunt, ac fuere ad infallibiliter obtinendam gloriam prædestinati, qui proxiliori persequutionem sub eisdem auxiliis, per quæ prædestinati sunt, frangendi, atque à iustitiæ perseuerantia, & gloria decisuri conditionatè videbantur. Numero autem 22. *Exurgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa, & portenta ad seducendos* (id est potentissima de se se, vt seducant) *si fieri potest etiam electos*: quod ipsum Matthæum dicto capite 24. numero 24. sic scribit. *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur* (*si fieri potest*) *etiam electi*. Parenthesi vero, *si fieri potest*, vtrobique adhibita, consequens impossibilitas erroris, & peccati finalis absolutè, ac simpliciter prædestinatorum ad gloriam propria significatur, vt patet: euincturque vtroque Euangelistarum horum capite electorum nomine sæpe repetito, toties prædestinatos de facto à Deo, ac subindè existentiam prædestinationis Sanctorum in illo asseri, atque enunciari, vt præter dicta numero 31. *Congregabunt electos eius*, apud Matthæum, & apud Marcum numero vigesimo septimo. *Congregabit electos suos*, euincit.

DISPVTATIO II.

De essentia Prædestinationis.

QVÆ sub disputationis titulum examinanda veniunt, breuem facilemque decisionem apud nos haberent, si vero simultioribus tradendis solum, non etiam de Scholasticorum aliorum doctrinis lectores instruere curaremus, atque illos legentium æquiuocationi expositas locutiones in agendum Theologis cæteris, vel admittendum, vel reiciendum sensum deducere. Primo ergo examinandum est: an prædestinatio Sanctorum Dei intentionem, siue inefficacem gloriæ ipsorum includat. Secundo: an efficacem gloriæ ipsorum in Deo intentionem absolutam supponat? Tertiò: quid demum claudat, quidque sit diuina Sanctorum prædestinatio!

QVÆSTIO I.

An Prædestinatio gloriæ Sanctorum intentionem aliquam diuinam formaliter claudat.

DIxi *formaliter*; nam interpretatiuè, seu virtualiter intentionem aliquam gloriæ Sanctorum ad illam infallibiliter, certóque obtinendam nulli Theologorum dubium hactenus fuit esseve potest, quin in prædestinatione Sanctorum claudatur: cum hæc, vt minimum formalem mediorum efficacium, certoque cum ipsorum gloria coniungendorum claudat electionem nullaque medij alicuius ad finem electio absque finis intentione formali, saltem præsupposita esse, concipique ab aliis Doctoribus, qui gloriæ ipsorum ipsorum intentionem formalem in prædestinatione ipsorum claudi arbitrantur, nonnulli efficacem gloriæ ipsorum intentionem esse volunt; alij vero, nec efficacem de facto, nec de possibili contendunt. Quare de hoc speciali primum agemus, vt locus posterius disputandi de primo maneat locus.

CERTAMEN I.

Prædestinatio efficacem gloriæ Sanctorum intentionem formalem minimè claudit.

1. PRædestinationem Sanctorum ad gloriam efficacem Dei intentionem de ipsorum gloria formalem continere: immo & in hac sola formali intentione efficaci gloriæ Sanctorum eorum prædestinationem consistere, docuere Alexand. 1. part. quæst. 28. m. 3. Ocam. Gabril. & Guill. de Rul. in 1. d. 40. & 41. Xtus Senensis 6. Biblioth. annot. 51. Catherin. de prædestinatione

natione lib. 3. cap. 2. & 3. Camer. Dialog. Cathol. cap. 2. & alij apud Turrian. opusc. de electione : censent enim prædestinationem idem prorsus, atque electionem absolutam ad gloriam, nec quidpiam aliud, nec aliam, alterutram esse ; siquidem vt vidimus disp. 1. q. 2. cert 2. n. 3. prædestinati in Euangelio electi synonimè dicuntur ; tametsi eorum aliqui, (vt Oram, & Gabriel) minore consequentia doceant ex Sanctis, plerosque (scilicet non eximie prædestinatos) non esse ante absoluta ipsorum merita ad gloriam absolute electos ; cum tamen, etsi non eximie prædestinatos absolute esse fateantur : quod fieri non potest, si electio absoluta efficax ad gloriam idem, quod absoluta prædestinatio, valeat atque vtraque synonyma vox sit, quam inconsequentiam vocum incurrunt citati reliqui (præter Camerarium asserentes electionem absolutam formalem efficacem ad gloriam ante præuisa absolute Sanctorum merita non esse ; cum tamen per ipsos, & Theologos reliquos Sanctorum merita prædestinationis effectus sint, ad quæ proinde prædestinatio antecedit. Catherinus ab hac inconsequentia se liberauit, asserens solos illos pauculos eximie, seu ante merita ipsorum absolutè præuisa à Deo ad gloriam efficaci ab intrinseco voluntate, & intentione formali gloriæ ipsorum ad gloriam electos esse, dicique absolute prædestinatos. Sed tamen temerariam, atque in fide periculosam propositionem incurrit (vt vidimus d. 1. q. 1. cert. 3. n. 4. & 5.) dum se intutum à vocis inconsequentia recepit.

2. Scotus in 1. d. 40. q. 1. docet, *prædestinationem esse electionem creaturæ intellectualis effi acem ad gratiam & gloriam.* Vocat autem electionem, non quatenus electio de voluntate dandi media ad finis intenti consequutionem, vulgo à Philosophis, & à Theologis cum Sancto Thoma 1. 2. dicitur : cum enim finis à Deo prædestinante intentus sit gloria prædestinatorum, omnium sententia, voluntas quævis Dei prædestinantis erga prædestinatorum gloriam, siue antecedens prædestinationem, siue inclusa formaliter (vt vult Scotus) in prædestinatione ipsa, nequit esse eo sensu electio, sed intentio : vocat ergo Scotus electionem efficacem illam gloriæ prædestinatorum voluntatem formaliter in prædestinatione inclusam, quatenus per illam prædestinati ex tota intellectualium, siue Angelorum, siue hominum massa præ aliis non prædestinatis eliguntur, vel seliguntur, vnde, & electi absolute in scriptura dicuntur, (vt nuper obseruauimus d. 1. q. 2. cert. 1. num. 7.) atque præ aliis ad gloriam destinati, ac sermonis proprietate prædestinati, vt diximus disputatione eadem, q. 1. cert. 3. prioritatem affectiuam intentionalem prædestinatione significatam explicantes : sed nec Scotus dubiam suam hanc mentem reliquit. Huic enim sententiæ de inclusione voluntatis formalis efficacis Dei erga prædestinatorum gloriam insistens in 3. d. 7. q. 1. ait prædestinationem esse prærordinationem alicuius *ad gloriam principaliter* (hoc est finaliter, & tanquam ad finem præcipuè, & propter se volitum) *& ad gratiam in ordine ad gloriam*, vtique ad finem. Sequuntur Præceptorem hac etiam in re Scotistæ, & alij, in quibus S. Thom. dum aiunt prædestinationem *esse præparationem gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro* eius autem, cuius, nec solum ad quod, prædestinatio est, efficax voluntas est, vt patet in prædestinatione mediorum ad finem, seu gratiæ auxiliantis ad gloriam, quibus consensit Soarius 1. de prædestinatione cap. 5. n. 11. contendens ex scriptura electionem ad gloriam, quam ante merita efficacem esse censet in prædestinatione includi.

3. Inducì pro hac sententia potest Augustinus cap. 3. de prædestinatione Dei vbi ait prædestinationem *remunerationis*, quæ idem est, ac gloriæ : ac frequenter vocat eam indifferenter prædestinationem, ac præparationem *gloriæ*, seu *ad gloriam* atque *gratiæ*, seu *ad gratiam* vt cap. 10. enchiridij, vt vtramque æque efficaciter prædestinatione sua velle, ac præparare electis suis Deum ostendat. Eadem ratione pro hac secunda sententia adduci posset Fulgentius 1. ad Monimac. cap. 8. & 13. dicens : *quos prædestinauit ad gloriam prædestinauit etiam ad iustitiam.* Quibus significat æque directe, & efficaciter in gloriam atque in gratiam iustificantem, & subinde auxiliantem, vt prædestinatus iustificetur (quæ ideo iustificationis dici solet) Deum ferri prodestinatione sua. Ex his tamen Augustini, & Fulgentij (vt suspicor) locis duplicem prædestinationem in Deo distinxerunt nonnulli, quos Turrianus citato opusculo de electione sectatur : nempe prædestinationem alteram ad gratiam, & meritæ omnia prædestinati, vndecunque habita seu habenda antecedentem : alteram ad gloriam ex meritis gratiæ illa prædestinatione paratæ, partæque à Deo habitam, & posterius conceptam. An vero ex vtraque hac prædestinatione, & præparatione efficaci voluntatis diuinæ vna gratuita & liberali gratiæ, altera ex meritis & remuneratoria gloriæ prædestinationem adæquatam, & simpliciter & absolute talem constituant : vt secundæ huic sententiæ videantur annuere non exprimunt. Censeo autem illos ab hac sententia longe distare. Non primam liberalem prorsus gratiæ, siue ad gratiam auxiliantem prædestinationem ob finem gloriæ conceptam à Deo fuisse supponunt potius, quam negent : quare & ea supponunt in prima prædestinatione electionem efficacium mediorum ad gloriam, & ob gloriam intentam eis mediis infallibiliter, certoque obtinendam : quare & prædestinationem, de qua agimus simpliciter & absolute talem contineri.

4. Dicendum nobis est : intentionem, seu electionem gloriæ prædestinati præ alio efficacem formalem in prædestinatione non includi, neque illam solam esse Sanctorum prædestinationem : est contra citatos pro duabus antecedentibus sententiis, & fortasse contra Soaristas omnes, qui cum Præceptore tanto electionem ad gloriam formalem ante præuisa merita efficacem admittunt. Est autem conclusio omnium, qui præfinitionem omnem actus liberi nostri eiusve effectus determinati negant : eos retuli controuersia 4. de volunt. d. 6. quæst. 2. Probatur facile conclusio : gloria prædestinatorum executiuè, siue in executione danda illis à Deo est propter merita, & pro meritis absolutè anteactis cuiusque ipsorum sed cum electione prædestinati præ non prædestinato, seu intentione formali efficaci gloriæ ipsius pugnat executiue donari ipsi gloriam à Deo propter merita, seu pro meritis absolute anteactis, si eiusmodi intentio, seu electio formalis efficax gloriæ prædestinatio sit, vel in prædestinatione includatur : ergo nec prædestinatio est : neque in prædestinatione includitur : consequentia est euidens. Maior est dogma fidei contra Lutherum, & Nouatores statuendum d. 4. de effectibus prædestinationis q. vlt. Minor probatur : prædestinatio præcedit prioritate naturæ, & causalitatis gratiam auxiliantem, & iustificantem, à quarum altera merita condigna vitæ æternæ, atque ex executiue donatione gloriæ præmianda, oriuntur, atque ab altera formaliter dignificantur, quæ proinde, ac subinde merita effectus prædestinationis sunt, vt dogma Theologicum, fideique, vt minimum proximum, fert : Ergo intentio, seu electio illa formalis efficax gloriæ prædestinati, & eius vel prædestinatio est, vel prædestinationem intrat vel constituit vtramque gratiam & bona opera prædestinati ob illa, & pro illis absolute anteactis præmiandi natura, & causalitate antecedit. Infero inde : ergo abolet eorum operum libertatem, ac subinde meritum : ergo pugnat cum executione donationis gloriæ à Deo propter merita, quibus sublatis dari ob illa gloriam à Deo repugnat.

5. Vltima hæc illatio euidens ex penultima est : quam sic probo : omnis causa, & principium præcedens natura, & causalitate ad suum effectum, atque intrinseca sua natura, & essentia physicè, & realiter connexum cum eo effectus sui libertatem euertit ; atqui efficax illa intentio, seu electio formalis gloriæ prædestinati præ non prædestinato, quæ vel prædestinatio est vel intrinsece prædestinationem constituit, per alterutram sententiam præcedit natura & causalitate opera prædestinati, tanquam effectus suos, æque ac prædestinatio, quæ est, vel quam intrinsecè constituit, vt vidimus, & de se patet : insuper ex prædicato intrinsecæ suæ efficaciæ natura, & essentia connectitur physicè cum operibus prædestinati, tanquam effectibus suis : Ergo abolet eorum libertatem, ac subinde meritum discursus est legitimus. Maior abunde à nobis probata est controu. 4. de volunt. d. 6. q. 2. contra omnem præfinitionem actus liberi, siue regulatam per scientiam mediam, quam essentia concer-

nat,

nat, & obiecti subinde libertatem, siue non regulatam pro eiusmodi scientiam, & præscindentem ab actus præfiniti libertate. Minor probatur: quia, vel intentio illa, & voluntas efficax gloriæ prædestinati ob huius merita donandæ est de eius donatione secundum se sumptæ independenter seu præscindendo à meritis, & à ratione præmij illorum in ea donanda, vel est de ea donatione gloriæ propter merita, & opera honesta prædestinati, vt volunt Soaristæ, & quicunque verosimilius de electione ad gloriam prædestinati ante absoluta eius merita philosophantur, vt eam cum operum prædestinati libertate, ac subinde laudabilitate, & merito componant: vtrovis modo efficax illa formalis intentio & voluntas dandi gloriam prædestinato; quæ prædestinatio sit, vel prædestinationem constituat, iuxta has opiniones, antecedat pugnat cum donatione executiua dandi gloriam ob merita prædestinati; ergo.

6. Minor proxima probatur: Etsi enim voluntas seu intentio antecedens efficax dandi gloriam prædestinato præscindat à ratione ob merita executiue, nec tamen neget, ac proinde de se se indifferentem Deum relinquat, vt ob merita, vel secus executiue gloriam prædestinato donet: vt tamen executinè ob merita donet non aliter fieri potest, ni eligendo auxilia de se indifferentia, & ab extrinseco efficacia ex efficaci illa intentione, & voluntate antecedente formali dandi gloriam præstinato, ex qua illa eligit media, vt per opera prædestinati de facto ita executiue, ac non alia via independenter à meritis, donetur, vt ex ea intentione, & voluntate efficaci posset: ast ea auxilij electione posita antecedenter etiam ad prædestinati opera, & coniuncta necessario cum efficaci illa intentione, & voluntate donationis gloriæ etiam antecedente, vt ex illa executiue gloria à Deo donetur, nequeunt opera illa à prædestinato antecedenti vlla potestate non apponi; ac proinde necessitate antecedente, & nusquam ex antecedente libertate, seu indifferente potestate: quare nec libere ac meritorie opera illa apponentur: ergo neque executiue gloria prædestinato poterit eo modo donari, vt dicebamus numero 5. Antecedens est certum. Nan coniunctum illud voluntatis efficacis dandi gloriam secundum se prædestinato & electionis auxilij, vt opera exerceat, ob quæ executiue gloria donetur secundum se totum antecedens natura, & causalitate est opera illa à prædestinato elicienda: ac insuper ratione efficaciæ intrinsecæ illi antecedenti intentioni, & voluntati donandi gloriam prædestinato prædeterminatæ iam, vt sit per opera prædestinati, essentialiter, & intrinsecè connexum physicè est cum operibus prædestinati: atqui, vt ex controuersia quarta de voluntate d. 6. q. 2. omne principium, & causa antecedens natura, & causalitate effectum, & operationem, & de se, ac natura, & essentia sua intrinsecè connexum cum illo affert necessitatem antecedentem potentiæ effectus, ac destruit vtriusque libertatem. Dices Deum cum ex efficaci illa intentione donandi gloriam prædestinato illum modum donandi gloriam propter merita prædestinati eligit de facto, eligere etiam, vt cum libertate, sine qua merita esse nequeunt à prædestinato fiant: ac proinde non posse non libere à prædestinato fieri, ne Dei voluntas efficax de eorum operum libertate frustretur. Recidit solutio in secundum modum intentionis, seu voluntatis efficacis antecedentis ad merita de donanda gloria prædestinato ob merita, quem hoc numero impugnandum etiam susceptimus, & facile: quia eiusmodi voluntas antecedens efficax de opere eliciendo, si efficax absolute natura, & essentia sua, & ab intrinseco sit de opere, & eius libertate simul est de obiecto contradictorio, & repugnante, ac subinde impossibili: nempe, vt non possit opus, seu res absolutè non esse ex vi antecedentis necessitatis ab intrinseca antecedentis eius præfinitionis Dei efficacia inductæ, ac insuper ex vi præfinitæ à Deo efficaciter libertatis operis, vel rei illius non possit non opus illud bonum ita à prædestinato esse: vt absolute possit antecedenti potestate non esse: quæ sibi manifestè contradicunt, vt vidimus etiam citata illa quæstione 2. & fusius tom. 1. de Deo vno controuersia 3. d. 1. quæst. 6. vbi solutionem eandem adhibitam à Thomistis Recentioribus Dominicanis pro decreto concurrendi ad actum liberum cum agente, seu causa secunda libera argumento huic nostro multis difficultatibus etiam ex doctrina euidenti, & logicis puerilis nota in modalium propositionum contradictoriis rite assignandis. Hoc argumentum hic perfecutus sum vt quæst. 3. de electione ad gloriam ante, vel post præuisa merita proxime hic semel positum facile, ac sine recursu ad tomum illum primum de Deo vno possit lectoribus inseruire. Qui autem solutiones alias, quæ vtcunque, minorique verisimilitudinis specie possint ei adhiberi, & earum impugnationes videre desiderent controuersiam quartam de voluntate Dei d. 6. quæst. adeat, & citatam ex t. 1. de Deo vno contro. 3. disput. quæst. 6.

CERTAMEN II.

Occurritur obiectionibus.

1. REstat authoritatibus memoratis pro prima, & secunda sententia num. 1. 2. & 3. satisfacere illud quod in Euangelio *prædestinati* synonyme electi nominentur ad gloriam, constat ex dictis d. 1. qu. 1. certam. 3. numero 3. prædestinationis nomine prælationem etiam intentionalem affectiuam Dei erga prædestinatum per non prædestinato, seu reprobo vi particulæ *pro* sermonis proprietate significari, quæ etiam verbo *eligo* & *electio* pro proprietate sermonis significatur: est enim ex aliis relictis *lego*, ideóque prædestinati *electi*, & prædestinatio *electio* dicitur: non quia dicat efficaciam ergarem, seu effectum, & finem, ad quem *lectus* eadem pra aliis relictis *electus* prædestinatus dicitur, quam electio non personalis sed mediorum, ac (vt sic loquar) medialis respectu mediorum, aut rerum præ aliis electarum solet importare. Quod autem S. Thomas dicit *prædestinationem esse præparationem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*, nec solum ad gloriam, solum probat illam esse mediorum efficacium ad illam consequendam efficacem voluntatem, quæ sola propriissime gloriæ præparatio est. Augustini locus ex capite 3. de prædestinat. Dei non Augustini, cui is liber expositus, sed Plenitudo Augustini est, vt eruditi Ecclesiasticorum Scriptorum Censores iudicant.

2. Item locus ipse satis ostendit Authorem de prædestinatione propria Theologica quæ in omni bona & Catholica Theologia merita absoluta prædestinati etiam prima præcedit, non loqui, sed de executiua & remuneratiua præmiandi merita, præuisa omnia voluntate, quæ proprie prædestinatio, de qua hic, non est: cum eam *remunerationis prædestinationem* appeller, ex sola eius voluntatis ad remunerationem cuius voluntas est, & ad merita remuneranda præcedentia duratione ex Dei æternitate: quod vero *gloriæ* vel ad *gloriam* sequi *gratiæ* vel ad *gratiam* prædestinationem cap. 20. Enchiridij atque alibi dicat Augustinus. nihil pro efficaci voluntate gloriæ prædestinati in prædestinatione ad illa tenda præstat, vt constat ex dictis ad testimonium S. Thomæ. Fulgentij locus nihil magis intento aduersantium sententiarum fauet: solumque proinde his consnibus euincitur prædestinationem gloriæ seu ad gloriam seu præparationem mediorum efficacium ad illam necessario ex aliqua gloriæ intentione, saltem præsupposita, vera, & seria oriri debere, vtpote mediorum ad gloriam, vt finem, realem formalem electionem. Dixi *saltem præsuppositæ vera, & seria intentione*, ne præmaturè nunc post modum disputanda definiam: an fortè licet vera intentio aliqua gloriæ, vtsi non intrinsecè efficax, in prædestinatione claudatur? De quo certum. An præsuppositæ prædestinatione ad gloriam Theologice ac proprie acceptæ, intentio (quæ electio ad gloriam vulgo à Scholasticis Recentioribus nominatur) efficax sit, esseve debeat? De quo quæstione secunda.

3. A ratione oppones: si in Dei prædestinatione ad gloriam prædestinati sola mediorum efficacium ab extrin-seco

seco (quæ tantum admittimus) electio efficax respecta illorum claudatur, non autem efficax etiam gloriæ prædestinati intentio, seu voluntas liberum prorsus Deo erit positis mediis omnibus, ac meritis etiam condignis gloriæ, à prædestinato gloriam illi non præstare de facto: siquidem merita, etiam condigna iusti, in gratia adhuc obeuntis, tametsi de se condigna, & præmio gloriæ morali æstimatione æqualia sint, ac subinde gloriam à Deo in præmium exigant de se se, non tamen de se exigunt exactiue, ex iustitia, iuréve stricto quæsito per illa prædestinato contra Deum: sed precario, seu deprecatorie: ad cum fere modum quo causa physica adæquate, & cum omnibus requisitis ad operandum à Deo concursum exigit, deprecatorie solum, non exactiue, & iure stricto sibi contra Deum parato: de merito condigno secundum intrinseca omnia operis, & dignitate operantis spectato certum omnibus Theologis est, atque à ratione firmum, vt constat ex controuersia de merito de merito condigno. Si autem possit Deus gloriam absolutè ita prædestinato negare absque efficaci gloriæ voluntate, fiet, prædestinationem posse absolutè coniungi cum gloriæ de negatione, ac subinde non esse *præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur*, vt sanctus Augustinus vniuersa Theologia prædestinationem definit: quare nec prædestinationem esse: ergo debet voluntas efficax gloriæ prædestinati, ratione cuius liberum Deo non sit (vt alias esset) gloriam prædestinato negare, in ipsa eius prædestinatione includi.

4. Respondetur: nihil ad rem præsentem argumentum præstare: etsi enim voluntas, seu intentio efficax gloriæ prædestinati formaliter in prædestinatione non claudatur, sed solum præsuppositiue præcedat, non potest Deus donatione gloriæ prædestinato condignis meritis illius decedenti abstinere, nedum positiue resilire. Ne vero pro præcedentia ad prædestinationem illius voluntatis efficacis, & intentionis gloriæ prædestinati, seu electionis eius ad gloriam ante præuisa merita postea argumentum idem recurrat. Respondeo omni secluſa efficaci voluntate, siue incluſa, siue præsuppoſita ad prædestinationem liberum Deo absolute non esse gloriam prædestinato cum merito eius condigno decedenti denegare: cum ex Scriptura Sacra Patribus, & tota Theologia constet illam ita decedentibus Deus anteacto promisisse, nec minus promissis stare ex fidelitate, quam decretis ex efficacia, & constantia voluntatis teneatur. Secundo: ad infallibilitatem, ac certitudinem salutis æternæ prædestinati obtinendæ per prædestinationem opus non est, vt potestate etiam antecedente non obtineri à prædestinato salus nequeat, cum ei bene, vel male operandi, etiam finaliter relinquat, ac subinde amittendi salutem, antecedentem potestatem: solum ergo certitudo illa, & infallibilitas, & necessitas consequutionis salutis à prædestinato, & impossibilitas, seu impotentia non consequendi illam, quæ prædestinatione includitur, consequens esse ratione scientiæ mediæ ex cuius directione electio mediorum, sub quibus in gratia decessurus conditionate prædestinandus visus est si donentur, à Deo concipitur, & cum scientia media prædestinationem constituit, per quam mediorum absoluta positione putificatur conditio; qua posita nequit non necessitate logica, & consequente conditionatum in absolutum transire.

5. Cum autem (tametsi Deus gloriam in gratia decessuris prædestinandis non promisisset) scientiam etiam mediam de suis decretis contingentibus habeat, vel ea sola (absque promissione vlla de suo decreto dandi gloriam prædestinato, si in gratia decederet, illum prædestinaret) certitudinem, & infallibilitatem consequendæ per media illa gloriæ à prædestinato, etiam quatenus penes Deum est, prædestinatio: haberet ratione consequentis necessitatis decreti illius absolutè dandi prædestinato gloriam purificata beneficio prædestinationis conditione decessus prædestinati in gratia, sub qua conditionate futurum à Deo decretum illud præuisum ab ipso est quamvis nec ex inclusa, vel præsuppoſita ad prædestinationem intentionis efficacia, & suæ constantia voluntatis, nec anteactæ suæ promissionis fidelitate, nec meriti condigni exactiua iuris contra Deum quæsiti exigentia, necessitatem antecedentem decreti dandi absolutè gloriam prædestinato haberet; sed liberam prorsus illud decretum omittendi, ac indifferentem potestatem. Solutio hæc lucem recipit ex dictis controuersia sexta de prouidentia d. 2. quæstione secunda, certamine quinto, & dicendis hic quæstione secunda, vt ex iactis hoc tomo secundo, & 1. de Deo vno principiis facilem, veramque prædestinationis diuinæ certitudinem, & infallibilitatem cum prædestinati libertate concordiam à Molina nostra illustratam breuissime explicabimus. Quod autem Deus suorum contingentium decretorum conditionate futurorum scientiam etiam mediam habeat ostendimus tomo primo, de Deo vno, controuersia secunda, de scientia d. 5. quæstione tertia, certamine secundo, atque ab vrgentiori subtiliorique difficultate, quæ Molinam, & ingeniosos alios Recentiores nostros turbauit, vindicauimus certamine 3. à numero sexto.

CERTAMEN III.

Inefficax adhuc intentio, seu voluntas formalis gloriæ prædestinati formaliter in prædestinatione minimè clauditur.

1. HActenus intentionem, seu voluntatem formalem efficacem quamvis gloriæ prædestinati in prædestinatione formaliter, neque esse, neque includi adhuc posse, monstrauimus. An vero inefficax saltem intentio, seu formalis aliqua voluntas gloriæ prædestinati formaliter in prædestinatione claudatur, etsi non momenti tanti, quæstio tamen Theologica est in qua Doctores discordant. Affirmant nonnulli, quorum partibus accessisse videtur Vasquez prima parte, d. 91. capite quarto, numero 20. tametsi, vt in re parui ponderis, non conatu multo, quo solet in grauioribus, neque exacto rationum, pro ea adhuc affirmatiua sententia examine, vt eius ratio, qua in eam inclinauit ostendit. Alij vero negatiuam partem in hac quæstione tuentur ita omnes, qui prouidentiam vniuersim in scientia Dei solummodo collocabant relati controuersia 5. de prouidentia d. 2. quæstione secunda, id enim ipsum de prædestinatione eius specie iudicant: tametsi actum voluntatis diuinæ electionis mediorum efficacium ad finem intentum gloriæ obtinendum, ac subinde, & eius formalem intentionem concernere non negent, nec possint. Expresse negatiuam hanc partem docuit Sanctus Thomas prima parte, quæstione 23. articulo quarto dicens: *electionem* (ad gloriam scilicet, quæ intentio est) *in Deo esse priorem prædestinatione*. Durandus in 1. d. 41. quæstione secunda, numero vndecimo, quia inquit prædestinatio pars, seu species prouidentiæ est: Prouidentia vero sicut, & prudentia proximè, & immediatè circa media solum ad intentum finem, non autem circa finem versatur, ex Aristotele 6. Ethicor. cap. 9. text. 11.

2. Pro negatiua hac parte standum nobis est, licet non in solo actu scientiæ practicæ, & directiuæ ad agendum actu, seu prudentia prouidentiam constituerimus; sed in coniuncto ex ipsa, & electione mediorum ad finem obtinendum, iuxta dicta controuersia quinta de prouidentia disputatione 2. quæstione 1. & efficacium quidem mediorum, si specialissima, & perfectissima prouidentia obiectiue libera sit, atque infallibiliter certoque cum effectu, aut

sine intento contingenda vt vidimus d. eadem secunda, quæstione secunda, à certamine secundo per totam: Ratio autem nostra conclusionis huius petenda est ex nostris principiis iactis controuersia 5. de anima d. de actibus physicis animæ, qua volitiuæ, quibus tomo 1. de Deo vno controuersia 2. de scientia. & tom. hoc 2. de Deo vno vsi sumas non semel controuersia 4. de voluntate, & 6. de prouidentia: quia electio formaliter, siue physice, siue intentionaliter vera electio debet esse ex intentione finis, tanquam causa, & ob finem præamatum, ita, vt ex eius finis amore vere, siue physicè, siue intentionaliter voluntas ad electionem appositionemque mediorum moueatur: atqui implicat id quod vere, siue physice, siue intentionaliter ab aliquo causatur identificari cum illo, ac non extra seipsum vere, siue physicè, siue intentionaliter illud præsupponere: Ergo implicat veram electionem, siue physicam, siue intentionalem formalem veræ alterutro modo intentioni finis formali identificari ac non extra se positam verè alterutro etiam modo præsupponere. Atqui actus voluntatis, qui cum scientia directiua prouidentiam omnem, ac subinde specialissimam, & perfectissimam obiectiue liberam prouidentiam Dei erga prædestinatos suos, siue prædestinationem constituit, vera formalis electio intentionalis mediorum efficacium ad eorum salutem, vt finem, est: ergo nequit vere' intentionaliter intentioni finis salutis eorum identificari, ac extra se positam verè intentionaliter non præsupponere.

3. Confirmatur, quia implicat actum imperatum formaliter verè imperatum, siue physicè in nobis, siue intentionaliter solum in Dei voluntate, identificari cum actu imperante, ipsumve includere, à quo vere alterutro modo imperatur: ergo implicat electionem mediorum ad finem vere, & formaliter talem cum intentione vera, & formaliter tali finis illius identificari eamve includere. Patet consequentia: quia in hoc quod est electionem vere, & formaliter talem mediorum ad finem supponere essentia sua finis intentionem, ex qua voluntas ad mediorum electionem, siue physice in nobis, siue solum intentionaliter in Deo (vere tamen ac sine vllo rationis figmento, vt sæpe hoc & præcedente tomo ostendimus) moueatur, & applicetur æque omnino se habet atque vere formalis actus imperatus voluntatis, siue nostræ, siue diuinæ respectu actus, vere & formaliter imperantis (esto inter electionem respectu intentionis, & actum imperatum respectu imperantis secundum alia sit diuersitas quam velis) atqui ea solum ratione actus imperatus verus, & formaliter talis, siue physice, siue intentionaliter ab alio actu imperatus, nequit cum hoc imperante alterutro modo identificari: ergo nec electio mediorum ad finem vera, & formalis potest cum finis illius intentione vera formali identificari, nec illam realiter formaliter includere: ergo nec prædestinatio Sanctorum ad gloriam, vt finem, qua veram intentionalem formalem electionem mediorum ad illam continet, & claudit, potest identificari in seve continere formalem veram intentionem gloriæ illius: minus autem longe potest hanc continere, qua scientiam Dei directiuam ad eiusmodi electionem mediorum in se continet prædestinatio: ergo prædestinatio Sanctorum ad gloriam intentionem formalem, vereque talem formaliter salutis Sanctorum nullatenus in se claudit; sed solum vera intentionali prioritate quasi naturæ, & physicæ causalitatis, supponit. Huius vero præsuppositionis ratione electio virtualis, & interpretatiua finis intentio dici recte potest: in quo frequentes Patrum locutiones fundantur, qui prædestinationem obinde electionem ad gloriam vocant: quod ita intelligi Recentiores Theologi volunt: vt ad gloriam expresse, & formaliter, atque efficaciter, & ante merita volitam in se fuerint locuti: de quo quæstione 3. breuior nobis quam ipsis, sed iusto tamen fusior disputatio est futura.

4. Dices: argumenta hæc solum probare veram formalem electionem quamvis intentionem finis formalem, & puram aliquam pro naturæ priori, vel physico, vel intentionali supponere debere: ac subinde prædestinationem ad gloriam, qua electionem mediorum ad illam includit, eius intentionem formalem puram debere etiam supponere: id autem non obesse, quominus in electione ipsa mediorum formalis etiam, & vera intentio finis, etsi non pura sed mixta seu coniuncta cum expressa etiam, & formali voluntate, & amore mediorum inueniatur: cum vtrumque obiectum scilicet medium, & finem eodem actu amari non repugnet, immò id videtur necessarium, cum medium, qua medium, & vtile ad finem nequeat à respectu ad finem, quem, qua vtile essentialiter respicit, præscindere: ac proinde neque medij amor à finis connotati essentialiter à medio qua tali possit amore præscindere. Atque hac fors ratione actus imperati & imperantis paritas euanescit. Quia forte in re ab electione respectu intentionis differt, quod imperati obiectum, non qua vtile, & respectiuum ad obiectum imperantis, sed propter seipsum ac bonitatem suam secundum se consideratum possit, ac debeat actu imperato amari. Cæterum) quidquid de hoc discrimine actus imperati respectu imperantis, & electionis respectu intentionis sit) contra hanc euasionem est, quod citatis locis dicebamus. Nempe non posse esse, neque exerceri motionem propriam finis, nisi verè præmouendo intentionaliter saltem ad medium electionem, neque hanc veram electionem formalem esse posse, nisi præamatum finem verè intentionaliter supponat: quo circa, etsi finem, & media eodem actu physice & intentionaliter eodem, amari non repugnet, vt verè non repugnat: ait repugnat amari eodem illo actu finem, vt finem, seu vera intentione formali, & medium, vt medium, ac formali electione: cum finis vera motio respectu eiusdem actus physicè, vel intentionaliter eiusdem, qui mediorum amor sit, nequeat à fine exerceri, atque eius amor: ac ipse præamatus affectum & amorem mediorum præcedere.

5. Dum ergo eodem affectu coamari vtrumque, siue vtriusque amorem esse posse eundem probant, nullam in illo veram formalem intentionem mihique in eo electionem formalem veram reperiri posse contra solutionis intentum euincitur. Quod autem medium, qua tale pro essentiali bonitatis seu vtilitatis suæ termino finis bonitatem habeat, & consumat, non probat actu electionis mediorum finis bonitatem amari, ac propter illam expresse amatam, seu ponas electione ipsa amandam, actum electionis elici debere: sed solum ex eius præsupposito amore, & intentione formali. Neque enim bonitatis formalis obiecti expresse, & formaliter amati terminum essentialiter etiam connotatum actu, quo obiectum illud amatur expresse, & formaliter amari opus est: vt patet in amore pœnitentiæ de anteacto peccato, quod bonitatis & honestatis pœnitentiæ terminus essentialiter connotatus est, attamen amore pœnitentiæ non amatus formaliter, immo nec absolute, interpretatiuè adhuc amari à Deo vllatenus potest, etsi autem finis bonitas ab eligente media amari formaliter possit ac proinde electione ipsa interpretatiue ametur, atque eo à peccato (qui terminus essentialis bonitatis pœnitentiæ est) respectu voluntatis diuinæ discordet: tamen non ex eo, quod terminus bonitatis, seu vtilitatis, ob quam media eliguntur essentialis bonitas finis sit, amari debere electione ipsa formaliter expresse finem (quod repugnare argumenta nostra contendunt) sed solum posse, & de facto amari interpretatiue per illam vt dixi num 3. fine.

6. Nostri Vasquez pro affirmatiua, in quam ille ivit, sententia, & contra nostram negatiuam eiusmodi sunt argumenta, vt illum obiter tanquam de re momenti parui, nec plena ingenij sui attentione digna egisse probent: eo enim omnia nituntur, quod gloria effectus prædestinationis sit, ex Pauli testimonio ad Rom. 8. à nobis d. 1. quæstione secunda, certamine secundo à numero tertio recitato, & ex sancto Augustino, eiusque discipulis, elisque Patribus reliquis, & Theologis certum: ergo in prædestinatione

tione amor formalis, & expressus gloriæ continetur: cum non, nisi ipsorum amore, Deus effectus ad extra causet. Recurrunt nonnulli ad locum Pauli ita interpretandum, vt non de propria Theologico sensu, quo disputamus, prædestinatione, & electione ad gloriam æternam ibi ab Apostolo agatur: frustraneè tamen: Tum, quia de illa ibi agi ostendimus numero 3. & interpretationis illius coniecturas leuissimas discecimus numero 4. ac deinceps. Tum etiam: quia, vt ex illo loco gloria effectus prædestinationis propriæ, & Theologicæ non conuinceretur, eius tamen effectum esse dogma Theologicum, & Patrum est, vt nuper dixi; quod satis superque est, vt, non negari à Catholico Theologo debeat, sed admitti: illo igitur admisso, negatur gloriam formaliter, & expresse debere absolute, adhuc inefficaciter (quod solum Vasquez intendere poterat, cum efficacem voluntatem, seu electionem ad gloriam ante præuisa merita, ante quæ prædestinatio est, toto impetu impugnet vt quæst 3. videbimus) à Deo amari prædestinatione, qua absolute causatur remotè, quatenus immediatè causat gratiam auxiliantem, & iustificantem, eisque merita coadigna, quibus prædestinatus decedens meritoriè causat, obtinetque gloriam à Deo de facto, & executiua illorum remuneratione.

7. In voluntatibus autem diuinis, quæ remotæ solum causæ effectus sunt, quatenus scilicet aliqua immediatè apponunt, ex quibus effectus illi proueniant, opus non est formalem, & expressum illorum effectuum amorem formaliter contineri, sed illorum mediis quibus tandem effectus illi remoti apponendi sunt: & mediorum quidem immediatè apponendorum expressus amor efficax esse debet ni eius absoluta positio à creato arbitrio, & libertate etiam dependeat. Quod autem nihil creatum à Deo absque expresso, & formali ipsius amore causetur, vt probationi consequentiæ subsumebatur verum est: cum ob voluntatem Dei executiuam: tum etiam ob remotissime finis intenti causatiuam, nempe intentionem ipsius, qua ob perfectissimum modum agendi Deo agenti rationali primo, & perfectissime libero debet necessario tribui, vt non nisi propter finem operetur iuxta sæpe à nobis repetitum etiam naturalis Theologiæ dogma. De intermediis autem voluntatibus mediorum, & intermediorum electiuis, & executiuis ex intentione finis illius, eiusque motione à Deo habitis, & conceptis amari finem non oportet; sed eius amorem intentione illa, ex qua concipiuntur, pro priori vero naturæ intentionali, vt diximus, supponere.

QVÆSTIO II.

Quonam tota essentia Prædestinationis contineatur?

Excluſimus quæstione 1. à prædestinationis essentia formalem, & expressum omnem finis amorem seu intentionem, siue efficacem, siue inefficacem, quorum Theologi aliqui vnam, alteram vero, alij in prædestinationis essentiam, volebant intrudere: iam verò, quænam in ea positiuè claudantur examinare oportet, atque statuere. Id quod breui, facileque præstabimus ex dictis controuersia 6. de Prouidentia 4. secunda.

CERTAMEN I.

Memoratis sententiis alij nostræ scholæ propria ab authoritate statuitur.

1. SEntentiæ omnes de essentia prouidentiæ recitatæ controuersia 6. d. 2. quæstione 1. certamine 1. breui memorandæ hic sunt, non tamen Authores, quos pro vnaquaque citauimus recensendi; tametsi eorum plerique de prædestinatione potius, magisque ex professo, locis citatis disputantes suas sententias protulerint. Prima igitur sententia prædestinationem in actu imperij mentalis intellectuali imperatiui modi constituit. Sic Thomistæ citati eo certamine, numero 5. Ruiz verò numero eodem, & numero 12. in actu assertiuo de præsenti modi indicatiui præhabitæ absolutæ voluntatis diuinæ imperium hoc intellectuale quod prouidentiam, & prædestinationem, vt minimum compleat, constituebat. Herize recitatus ibi scientiam directiuam electionis mediorum ad finem prouidentiæ: quare, & prædestinationis imperium intellectuale abusiue dixit Thomistis nomine consentiens, à quibus re longissime discedebat: atque ita imperium intellectuale prædestinationem essentialiter constituere fassus est. Secunda, post trimembrem de imperio intellectuali memoratam, sententia in scientia practica directiua electionis mediorum ad finem connotante tamen ipsam electionem si tam prouidentiam putabat: quare, & prædestinationem in scientia de mediis efficacibus ad salutem eorum electione connotata docet consistere Patronos citauimus ibi numero 7. Ex quibus veteres simplicis intelligentiæ nomine rem scientiæ mediæ coërcebant Recentiores ex Molina nostro, quod ad prædestinationem attinet, scientiam mediam constanter, & distinctius designabant. Tertia sententia prouidentiam, & ad rem præsentem, prædestinationem in actu electionis, & præparationis mediorum efficacium ad finem adæquatè locabat siue solo, siue cum connotatione ad scientiam de mediis illis actus illius directricem. Authores citauimus ibidem numero 10. Quarta sententia ex actu scientiæ directiuæ electionis, & dispositionis mediorum, atque in re præsenti efficacium ad finem gloriæ obtinendum, atque in actu voluntatis electionis & dispositionis eorum mediorum per eiusmodi scientiam directo prædestinationem ex æquo constare docet. Doctores sententiæ huius dedimus ibidem numero 11. & certamine 5. numero 1. & quæstione 2. certamine 3. numero 1. Tametsi Doctores ante Molinam nostrum scientiam electionis mediorum efficacium ad gloriam consequendam re quidem mediam simplicis intelligentiæ nomine (nondum scilicet eius propria scientiæ mediæ voce adinuenta) cocrcebant. Cæteri vero post Molinam, & cum ipso scientiam mediam compellarunt.

2. Dicendum cum his Doctoribus sententiæ quartæ est. Prædestinationem, & scientia directiua ad electionem mediorum efficacium de factoque coniungendorum certo cum gloriæ à Deo intentæ assequutione, & electione eorum mediorum absoluta & efficaci (meritis prædestinati siue intermediis, siue postremis, & finalibus exceptis quæ absolute ad consequutionem gloriæ media fuerint) essentialiter ex æquo constitui, & adequatè compleri: excepi merita prædestinati: quæ etsi absolute media sint, & à Dei voluntate, & principaliter apponantur, non tamen ab efficaci voluntate ipsius possunt apponi iuxtà sæpè tom. hoc 2. & tom. 1. de Deo vno à nobis dicta de repugnantia voluntatis efficacis de actibus liberis potentiæ liberæ cum huius, & illorum libertate, (tametsi ea efficax de se voluntas per scientiam mediam reguletur) sine

qua meritum nullatenus esse potest. Quoad reliquum conclusionis est Doctorum quartæ illius sententiæ memoratæ de essentiali prouidentiæ constitutione: quatenus verò ad directionem scientiæ mediæ ad electionem mediorum efficacium spectat, est sententia omnium Doctorum Thomisticæ nostræ scholæ Iesuiticæ citatorum pro secunda, & tertia sententia de eadem prouidentiæ constitutione, ac reliquorum exterorum scholæ nostræ, & Molinæ ibi citati, & in concordia hos prolixo Elencho recensuimus tom 1. de Deo vno contiouersia 3. disputatione 1. quæstione 6. quorum computatum numerum plus trecentis viginti pro hac sententia constare tandem deprehendimus solus ex iis, qui decreta de se efficacia de actibus nostris liberis, siue effectibus per eos liberè à nobis obtinendis, atque auxilia intrinsecè efficacia ad illos exhorrent, ac scientiam subinde mediam admittunt, Neotericus nescio quis eam scientiæ mediæ directionem respectu electionis, & collationis auxilij extrinsecùs efficacis ad actum nostrum liberum, atque effectum quemvis virius per illum, qua liberum, à nobis obtinendum, tanquam libertati, & merito proinde actus illius contrariam, denegauit, ac subinde ad electionem mediorum, siue auxiliorum ita efficacium ad actus prædestinati honestos, & condignè meritorios gloriæ de facto per illos à prædestinato obtinendæ.

3. Solus inquam: Nam licet difficultate eadem, in quam recens Theologiæ auditor incidi: tactique (teste Herize post modum euulgato) nonnulli è Castellanis nostris Recentioribus fuerant, turbatus Herize ipse fuerit, demum non fuit à communi hac assertorum scientiæ mediæ, & vera doctrina deturbatus de eius ad mediorum, seu auxiliorum efficacium electionem, & collatiuam absolute voluntatem, vt citato loco vidimus directione; ille verò Recentior quamvis referat pro sententia, negant scientiæ mediæ eiusmodi directionem, vt libertati actus aduersam nostrum etiam Petrum Hurtado: illustratorem difficultatis prefatæ primum Castellanis, (vt Toletanus ergo nostris) inuentorem presso nomine ab Herize citatum verius, quam eius sententiæ Authorem dixisset: insuper asserit scientiam mediam, si causa sit collationis auxilij efficacis ad actum, vel eius oppositum, sine qua non conferretur, libertatem ad illum actum non perstituram integram: at vero tunc etiam semiplenam actus libertatem perstituram docet, se ad alia argumenta ab ipso efformata referens, & eandem aliquam actus libertatem semiplena maiorem, tunc etiam tuetur; immò eandem ac si scientia media causa, sine qua non, conferendi auxilij efficacis, non foret: id quod legitime, & irrefragabiliter ex iactis ibi principiis concludit maiori, quam solet, claritate: nam, quæ pro integritate libertatis, tunc etiam seruanda posuit ambagum amplius quam vtilitatis habent: & tandem hic author ita explicat conclusionem aduersam: vt Deus habeat decretum anterius dandi auxilium, si scientiam mediam de eius efficacia, siue consensus nostri conditionati sub illo, ac non dandi, si eam non habeat, sed oppositam potius de eius inefficacia, vel si actum liberum (& idem est de omissione) efficaciter præfiniat, dependenter à scientia media sciens reflexè se non daturum eiusmodi auxilium, si scientiam mediam inefficaciæ, siue actus non futuri conditionatè sub illo haberet. Absoluta autem directio electionis auxilij efficacis per scientiam mediam neutrum horum decretorum requirit: quare, & si ita positis actus libertas læderetur (de quo post modum) ex simplici, & absolutè tali scientiæ mediæ directione nec infertur, neque asseritur ab hoc Recentiore lædenda. Solus ergo Neotericus nescio quis alter.

4. Sed iam probatur conclusio ex Augustini definitione cap. 14. de dono perseuerantiæ. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*: quam definitionem recipiunt Theologi Doctores omnes ad vnum: ea vero præscientia, & præparatio suorum beneficiorum (media scilicet illorum electione, qua sola possunt præparari) in Deo ex æquo, & in recto ad prædestinationis essentiam explicandam, & definiendam ab Augustino adhibentur: Ergo vtraque in effectia prædestinationis includitur ex sancto Augustino, & schola tota Theologica eam definitionem admittente: quod autem præscientia ibi ab Augustino, vt pars essentialis prouidentiæ assignata scientia media sit facile ex eius definitionis verbis ostenditur: dicit enim esse, *præscientia beneficiorum Dei quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*: Aft media gratiæ seu beneficia Dei de se, & natura sua indifferentia, ac solum extrinsecus à consensu libero prædestinati efficacia, (vt ad eius libertatem seruandam est opus, vt sint) *quibus certissime liberantur quicunque liberantur*. Sola scientia conditionata, seu media de consensu, seu actu prædestinati conditionatè sumpta, si donantur esse possent: ergo ea præscientia pars essentialis prædestinationis ponitur Sancti Augustini definitione. Minor probatur: quia scientia simplicis intelligentiæ strictè dictæ præcise solum dantur gratiæ auxilia seu beneficia Dei, quibus liberati absolute possint, non autem *quibus certissime liberantur quicunque liberantur*. Scientia verò visionis strictè dictæ posterior natura prædestinatione, cuius effectus absolutus consensus est in eandem recidit sententiam. Augustini sententia alia 1. de prædestinatione Sanctorum capite decimo, ita prædestinationem à gratia auxiliante distinguentis: *Inter gratiam porro, & prædestinationem, hoc tantum interest: quod prædestinatio est gratia præparatio, gratia vero ipsa donatio.* Ecce enim præparationis solius ibi expresse meminit, quod id ad discrimen causæ, & effectus inter ipsam, & gratiam assignandam (quod solum intendebat) satis esset: præparationis tamen nomine præscientiam implicitè inclusit: sine qua præparatio gratiæ prædestinationi necessaria, & de se, & ex eius definitione esse non poterat. Denique prædestinationis essentiam præscientia conditionata constare sæpe aliud etiam agens supponit: sufficiat nunc ex ipso referre, quod de prædestinationis certitudine, & infrustrabilitate scribit de correct. & gratia capite septimo. *Horum* (prædestinatorum) *si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus*: & primo ad Simplician. quæstione secunda, ac epistola 107. de prædestinatione Sanctorum capite 16. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, vt vocantem non respuat*, & Ambrosius id ad Rom. 9. *Miserebor: cuius misebor*, ita paraphrasticè explicat: *misericordiam illi dabo, quem præscio toto corde conuersurum ad me.*

5. Eadem definitio sancti Thomæ prima parte, quæstione 23. articulo primo. *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*: Vbi rationem non pro actu intellectus diuini solum, sed pro tota interna Dei dispositione intellectuali, & affectiua ad saluandum, & certo ac infallibiliter saluandum prædestinatum posuit: ea quippe definitione prædestinationem ea acceptione, qua sagittæ in scopum emittò, ac directo missæ in illum destinatæ dicuntur, (vt obseruabam controuersia sexta, de prouidentia d. 1. quæstione prima, certamine primo,) vsurpauit, dum ita prædestinationem definiuit: vt scilicet, tam certò, & infallibiliter interna illa Dei ratione, & dispositione mediorum efficacium ad vitam æternam iturum, peruenturumque prædestinatum doceret; atque in Scopum à Sagittario strenuo missæ sagittæ licet non ita, vt hæ à sagittarij decreto, & instabili ipsis impetu aguntur, & feruntur in Scopum, in vitam æternam ferantur aganturque Dei prædestinatione prædestinati, sed suo arbitrio, & libertate diuinæ prædestinationi, & gratiæ coagentes, & cooperantes, vt ex Sancto Thoma, & fide edoceam, & ratione: quocirca, cum nisi ex certa, & infallibili scientia media conditionatæ cooperationis prædestinati subdonandi auxilij hypothesi translatitij certò ad vitam æternam, sagittæ in Scopum instat, vllo vero sensu dici queat; eam ad mediorum efficacium, quibus, ac non aliter, in vitam æternam more sagittæ de facto, certoque transmittendam prædestinatum, atque electionis talis rectricem esse in prædestinatione sanctus Thomas docet. Dices fin-

etiam

ctum Thomam quæstione sexta, de veritate articulo tertio corpor. certi huius ordinis causæ prædestinationis ad finem, seu effectum ipsius rationem reddidisse cum vllum auxiliorum, quæ Deus in sua habet potestate, ex quo disponere, ac præparare potest, immò præparat, vt prædestinatus non cadat, si autem cadat vt resurgat, ac non pereat: quemadmodum ob cumulum infinitorum, vel pene infinitorum individuorum speciei cuiusvis, quæ virtute omnipotentiæ suæ coërcet, vt vni pereunti alterum, & alterum speciei succedat, & substituat, in quo species conseruetur, perire hæc absolute, & prorsus corrumpi nequit: ac proinde species rerum incorruptibiles censentur; tametsi eorum individua singula, & quatenus in singulis suis individuis sunt, species etiam corruptioni subiaceant. Si autem S. Thomas scientiam conditionati euentus contingentis sub auxilio, si donetur, in prædestinatione includi, & electionem auxilij illius prædestinatione etiam inclusam, dirigere censeret, frustra ad eam moralem solum certitudinem ex cumulo illo auxiliorum petitam recurreret, vt certitudinem causalitatis prædestinationis ad finem, seu effectum, ad quem prædestinatio est, expediret; siquidem ratione scientiæ eius mediæ metaphysicam etiam certitudinem, Dei prædestinatione digniorem, & debitam in eius causalitate ad finem, & effectum inueniret. Non ergo eiusmodi scientiam agnouit: vel saltem noluit eam prædestinationi inseruire; nedum in ea includi, video in testimonij huius interpretatione ad rem præsentem vexatos Doctos Recentiores. Nam, quod rem scientiæ mediæ, S. Thom agnouerit, constat ex eius testimoniis pluribus datis tom. 1. de Deo vno contra. 2. de scientia.

6. Hærize d. 22. cap. 3. numero 18. respondet: non egisse ibi S. Thom. de certitudine formali causalitatis absolute prædestinationis ad salutem, sed de obiectiua auxilij congrui ad ipsam: quæ, cum in vnoquoque nulla sit, ad moralem illam cumuli auxiliorum recurrit: in hac solutione quiescit tandem Arriaga tom. 1. in 1. parte, d. 33. sect. 1. numero 5. vers. *Secundo ad Diuum Thomam.* Hæc solutio dat, nihil S. Thom. nec de scientia media, nec de certitudine formali prædestinationis, quoad finis obtentionem, & causalitatem cogitasse: immò nec vltra obiectiuam illam moralem certitudinem aliam formalem meliorem illi occurrisse: cum tamen ex obiectiua, formalis certitudo statim occurrat, ac desumatur: quare nec de obiectiua certitudine futuri contingentis ex necessitate consequenti, & suppositione quod sub conditione illius auxilij, & medij obtinenda esset salus, nec de formali scientiæ, & prædestinationis cogitasse tunc S. Thom. videtur. Id vero difficillimum est in eo, qui hoc ipsum apprimè nouerat, ac toties docuerat: scilicet morali solum illa, & obiectiua, atque inde formali etiam prædestinationis, ac minus, quam Dei prædestinationem deceat, nobili contentum ad nobiliorem aliam, ac prædestinatione diuina dignam certitudinem metaphysicam, cum ex parte obiecti sui (nempè conditionatæ futuritionis contingentis salutis æternæ sub eo auxilio & medio) tum ex parte sui, & formalis certitudinis metaphysicè, quam prædestinatio ratione scientiæ mediæ inclusæ continet in re momenti nati statuenda doctrinæ suæ, vel sui potius, oblitum S. Thom. non recurrisse. Secundò respondent Recentiores apud eundem Arriagam ibidem numero 4. versu, *vt ad Thom. exordiar.* adhuc præsupposita scientia media à S. Thom. in ea solutione locum eius solutioni fuisse: quia eadem posset scientia media videri multis vocationibus non consensurus. Vnde ad cumulum omnium pro certitudine euentus recurrendum videtur, vt S. Thom. recurrit, quasi eadem scientia media, cui determinatè consensurus ille sit, si donetur Deus nesciat. Nec satis est, quod pro hac solutione, seu interpretatione ipsi etiam probata respondet Arriaga: forte non consensurum illi, ni aliis prius vocaretur quibus scilicet, vt non cesserit, fracta tamen aliquantulum vocati pertinacia fuerit, ac durities emollita: verum tunc vocationes illæ anteactæ, ac mediis illis voluntatis emollitio ad hypothesim scientiæ mediæ consensus sub determinato auxilio, & ita dispositæ per anteactas vocationes voluntatis spectant: quin ad moralem consensus necessitatem ex toto cumulo, & collectione auxiliorum in Dei potentia contentorum recurrendum S. Thomæ esset; sed ad emollitionem voluntatis illius per tot anteriores vocationes, & consensum tandem conditionatum eius ita dispositæ sub vocatione postrema: quod totum scientia media determinata, ac metaphysice certa euentus sub vnoquoque ex anterioribus, & postremo auxilio, & vocatione habetur. Mitto aliorum Sapientium eius testimonij subtiles interpretationes, nec earum meditatas difficultatis ex eo propositæ solutiones.

7. Mens igitur Sancti Thomæ eo loci ac difficultatis inde ortæ, & propositæ solutio in aperto esse videtur: eum scilicet ad cumulum auxiliorum recurrisse pro ostendenda certitudine effectus, seu finis prædestinationis obtinendi non quasi oblitum satis ipsi scientiæ mediæ, & obiectiuæ: ac formalis eius metaphysicæ certitudinis, & infallibilitatis effectus ex purificata medij conditione per electionem eius, quam dirigit, & prædestinationis, quam constituit, immò vero illius valde memorem ad cumulum auxiliorum recurrisse: non quidem, vt inde moralem certitudinem scientiæ mediæ, & subinde prædestinationis, qua includitur, euentus contingentis absolutè futuri purificata conditione, siue obiectiuam siue formalem ostenderet: sed, vt metaphysicam certitudinem, cum obiectiuam futuritionis absolutæ finis, seu euentus contingentis, tùm formalem scientiæ mediæ, & prædestinationis purificata ex ipsis conditione demonstraret. Cum enim contra vtramque, & obiectiuam, & formalem certitudinem metaphysicam euentus contingentis, purificata etiam conditione, obiici posse videret auxilij cuiusvis, seu medij purificandi intrinsecam indifferentiam atque cum omissione contingentis euentus, seu finis, ad quem prædestinatione apponitur absolute, & purificatur, physicam etiam coniungibilitatem: quare, & posse metaphysicè, immo & physice contingere, vt prædestinatus aliquis periret, ad cumulum auxiliorum in Dei prædestinantis manu, & omnipotentia clausorum recurrit: cui toti collectiuè sumpto nulla, quantumvis rebellis rationalis creatura potest ita resistere, vt nulli ex illis sit consensura. Deique subinde dominium ad liberas etiam operationes ab ipso pro libito obtinendas excutiat. Inde enim fit, vt cui determinatè consensurus sit, ne cadat, vel permissa cadere resurgat, si à Deo donetur, ipsius scientiam mediam non lateat, quam de consensu rebellis creaturæ, quæ nulli ex toto cumulo auxiliorum consensura esset, non haberet; nec posset eam prædestinare vt d. 3. quæst. 1. ostendemus: quare, vt certitudinem metaphysicam, scientiæ mediæ, & prædestinationis, quæ eam includit purificata per ipsam conditione finis, seu euentus absolute apponendi rarione consequentis necessitatis ad cumulum auxiliorum in omnipotentia clausorum recurrit; non, vt moralis (seu quæcumque illa sit, de quo post modum quæst. 1. citata (consensus prædestinati necessitate toto illo cumulo auxiliorum suborta certitudinem causalitatis in finem, seu euentum contingentem absolutum purificata conditione explicaret, atque defenderet: id quod & verba ipsa Sancti Thomæ, & exemplum, & doctrinæ suæ consequentia demonstrant. Ex ea vero doctrina Sanctus Thomas nobis probata, fundataque quæst. illa 1. atque Recentiorum difficultatibus expedienda de cumulo auxiliorum, cuius omnibus, & singulis collectiue sumptis nulla creatura restituta sit, positive de facto resistere, difficilis ad speciem; obiectio est contra necessitatem directionis scientiæ mediæ ad mediorum efficacium electionem, de qua, & aliis certamine sequente.

CERTAMEN II.

A ratione eadem conclusio & libertatis nostræ stabilitur cum diuina prædestinatione concordia.

1. PRobatur à ratione conclusio: quia prædestinatio intrinsece, ac natura sua est certæ, infallibilisque causalitatis respectu finis gloriæ, & intermediorum contingentium, quorum, seu ad quæ prædestinatio essentia sua infrustrabilis est; nequit autem natura, & essentia sua infrustrabilis esse, certæque, & infallibilis causalitatis respectu finis intenti, gloriæ scilicet prædestinati, & intermediorum contingentium, quorum, & ad quem finem prædestinatio est mediorum efficacium electio, qua prædestinatio completur nisi ex scientiæ mediæ de futuritione conditionata effectuum intermediorum contingentium, & gloriæ subinde libere à prædestinato sub eis mediis obtinendæ directione habeatur à voluntate diuina; ergo scientia media eorum conditionate sub eis mediis futurorum requiritur ad prouidentiam: immò & ipsam cum electione illorum mediorum essentialiter ingreditur, & constituit: consequentia quoad directionem est euidens, quoad constitutionem, & ingressum scientiæ in prædestinationem efficax. Nam alioqui prædestinatio formaliter, & intrinsecè infrustrabilis non esset, nec certæ, & infallibilis causalitatis, sed solum præsuppositiuè, & extrinsece ratione scientiæ mediæ, quam extrinsecus supponit. Maior est constans dogma Theologicum adeóque de se rationis lumine constans, vt inde Pristi Hæretici Prædestinatores nostrarum voluntatum, & humanarum actionum libertatem cum infallibili intrinseca certitudine, & infrustrabilitate prædestinationis ipsarum consistere non posse censerent: ac subindè libertatem earum prorsus negarent: cui difficultati componendæ, & eorum errori ex ea suborto confutando diu multumque à Patribus, Boëtio, Augustino, & aliis præsertim Anselmo fuerit insudatum; quin tanto, tamque felicissimo labore obtineri potuerit, ne difficultate eadem ex prædestinationis diuinæ certitudine, infallibilitate, finisque, & effectus sui infrustrabilitate in eundem errorem acti postea alij Hæretici fuerint, Lutherani, & Caluinistæ, demum à proximo sæculo in eo perstiterint nostrarum actionum virtute diuinæ prædestinationis, seu præfinitionis ipsarum à nobis irresistibiliter libertatem negantes, vt vidimus tom 1. de Deo vno controuersia 3. d. 1. quæstione quarta & sexta.

2. Minor autem probatur: quia, ni scientia media dirigens auxiliorum, seu mediorum efficacium electionem, & cum hac prædestinationem constituens admittatur, alterum è duobus necessario fiet: nempe vel prædestinationem frustrabilem de se, & natura sua esse nec certè & infallibilis causalitatis in liberos suos effectus, & fines, contra statutam, fixamque apud omnes maiorem, vel effectus, & finis prædestinationis contingentiam, & libertatem perire contra id, quod in quæstione præsente supponimus, atque edocet fides: vel enim prædestinatio nostrarum actionum, & tandem gloriæ, seu electio illa respectu mediorum efficacium ab intrinseco efficax, etiam respectu actionum nostrarum, & gloriæ efficax est, ac proinde eius efficacia, siue mediatè, siue immediate ad absolutam actionum nostrarum, & gloriæ existentiam se extendit, vel nec immediatè, ac se ipsa prædestinationis illius intrinseca efficacia ad absolutam actionum nostrarum, & gloriæ existentiam terminatur, seque extendit, nec mediatè ratione intrinsecæ efficaciæ mediorum, & auxiliorum ad actiones nostras honestas, & gloriæ meritorias apponendas: quia, nec earum voluntas Dei efficax est, nec media, & auxilia ad eas obtinendas electa, & dispositæ Dei prædestinatione efficacia essentia sua, & intrinsecus sunt, sed indifferentia de se se, & cum omissione actionis nostræ, ad quam prædestinatione diuina eliguntur, ac disponuntur componibilia. Si primum: cum, tam Dei voluntas, & prædestinatio, quam media ad actionem nostram, ac subinde gloriam obtinendam prædestinatione electa, & dispositæ illas natura, & causalitate physica antecedant efficacia intrinseca prædestinationis, seu electionis, & mediorum: quare, & determinatio & necessitas, vt illæ absolutæ sint antecedens illas natura, natura & causalitate erit: ac subinde earum libertatem euertent: vt tom. 1. de Deo vno controuersia 3. d. 1. tota præsertim q. 6. à ratione effugiis omnibus obturatis euincimus. Si autem dicas secundum: cum, nec in prædestinatione, seu electione mediorum indifferentium prædestinatione electorum de se efficacia intrinseca actionis nostræ, & gloriæ absolute apponendæ sit physica, & metaphysica necessitas, vt apponatur absolutè, atque effectu, & fine non careat prædestinatio, in ipsa eiusque mediis non sit, quæ cum indifferentia eius, & mediorum intrinseca contradictorie repugnet: ergo, & prædestinatio effectu, & fine, ad quos prædestinatio est, natura sua frustrabilis, nullamque physicam, aut metaphysicam causalitatis certitudinem in finem, & effectus suos contingentes, & liberè obtinendos habebit ni scientia media de conditionata futuritione ipsorum sub his, vel sub illis mediis eorum, quæ prædestinatione apponenda sunt electionem dirigat atque ea prædestinationem, vt diximus constituat.

3. Hac quidem ratione non solum conclusio nostra, sed & libertatis, & meriti actionum sanctarum Prædestinatorum, & deinde gloriæ, ad quam prædestinati (suo quisque gradu) sunt, cum certitudine, & infallibilitate causalitatis in ipsas, & infrustrabilitate diuinæ prædestinationis concordia probatur, & clarescit: & ea sanè iam pridem contra Prædestinatores à Patribus adinuenta, & tradita, & ab Anselmo ad Scholasticum morem cæteris proximius in sua concordia digesta, aliasque sæpe, ac per partes (vt se occasio dabat) sparsim (sicuti & Scholastici veteres præstiterunt) vt constat testimoniis, quæ ex Patribus, & Scholasticis pro luximus tota fere controuersia 3. citata. Cæterum ex sparsis his Patrum, & Scholasticorum testimoniis penetratis subtiliterque ad scholasticam formam & dictum contextis, ac præcipuè ex profunda concordiæ Anselmi meditatione, atque intelligentia, concordiam eandem opusculo integro tituli eiusdem edito noster Ludouicus Molina adeo promouit, & illustrauit, vt illius Author magna sui & Societatis nostræ gloria apud scholas, non immeritò, à plerisque habeatur, easque, magnam partem, viderint alij an meliorem, assecias fuerit, vt constat ex citata illa controuersia 3. ex ibi autem iactis principijs, & controuersia 4. de voluntate d. 6. quæst. 2. & controu. 6. de prouid. d. 2. q. 2. certum, breui, & facillimè concordia hæc explicatur: liberas quippe arbitrij, & operum, ac meritorum prædestinati, ac subinde consequutionis gloriæ ab ipso, cum nihil in prædestinatione sit physice ac metaphysice cum prædestinati absolutis meritis prius natura connexum, nec, qua mediorum electionem continet (cuius efficacia intrinseca erga absolutam eorum appositionem solum est, ibique sistit, nec vlterius ad prædestinati opera merita & gloriam absolutè apponenda progreditur) nec rationè scientiæ mediæ, quæ electionem illam dirigit, atque in prædestinatione clauditur: cum eiusmodi scientia purificata etiam conditione cum absoluta operum, & gloriæ prædestinati positione, physice aut metaphysicè intrinsecus connexa non sit, sed extrinsecus solum connexione logica, & arguitiua (vt sic loquar) mutuoque accepta & eadem obiecti sui conditionati cum respectu absoluto, vti conditio, & hypothesis, sub qua futurum conditionatè est, purificetur: neque ratione intentionis gloriæ prædestinati ad eius prædestinationem præsuppositæ, quam intrinsecè efficacem non esse, immò neque esse posse citatis locis ostendimus: nec ratione mediorum efficacium ea electione præparatorum dispositorumque: cum de se, & intrinsecus indifferentia sint, solumque extrinsecus ab opere ipso prædestinati conditionatè futuro efficacia: sit plane, nullam physicam efficaciam, determinationem, aut necessitatem antecedentem

dentem natura, & causalitate, siue ab intrinseco prædestinationis, siue ab extrinsecùs præsupposita intentione gloriæ prædestinati, siue à mediis efficacibus prædestinatione præparatis, & absolute dispositis ad prædestinati opera gloriæque assecutionem absolute absolutam præcedere: quare nec operum prædestinati, nec subinde gloriæ per illam obtinendæ contingentiam ac libertatem lædi prædestinatione vllatenus posse; siquidem sola determinatione, & necessitate antecedente natura, & causalitate respectu operis faciendi, siue, vt opus sit, lædi potest arbitrij atque operationis eius absoluta libertas, vt citatis locis ex Boëtio, Anselmo & cæteris Patribus, & naturali ratione demonstrauimus latissime. Vnde altera concordiæ pars ex parte libertatis arbitrij, & operum nostrorum cum diuina prædestinatione facilis est, atque vt reor apertissime demonstrata.

4. Neque vero ex parte certæ atque infallibilis causalitatis prædestinationis, & infrustrabilitatis ab effectu, & siue, ad quem prædestinatio est ob arbitrij nostri ad eiusmodi effectus, & fines præstinationis indifferentiam & cum eorum defectu, & negatione compossibilitatem seu componibilitatem, ac subinde in eorum effectuum, & finium positione, & assecutione contingentiam, & libertatem ab arbitrio nostro exercitam, concordia ista deficiet. Etenim, licet ob præfatam arbitrij indifferentiam, effectuumque, & finis absolute ab ipso apponendorum contingentiam & libertatem (quam posita etiam prædestinatione ostendimus) necessitatem causæ, siue in absolute causando respectu illorum habere prædestinatio nequeat: quare neque necessitati causandi, & antecedenti ad illos absolute apponendos, innixam certitudinem, infallibilitatem, atque infrustrabilitatem; ast, cum scientiam mediam de futuritione conditionata finis, & effectuum prædestinationis contingentium, ac liberorum sub mediis eligendis, electionis ipsorum directricem prædestinatio claudat: quare, & secundum intrinsecum sui: nempe scientiam mediam, futuritionem finis, & effectuum conditionatam, si ea media eligantur, & apponantur, supponat, atque electione eorum absoluta, in prædestinatione item intrinsece, & essentialiter inclusa, absolute apponantur atque contingentium illorum conditiones purificentur: neque cum contingentis, & liberi finis, & effectus conditionate sub eisdem mediis futuri prædestinatione posita (quæ media, seu conditiones easdem purificat, & absolute ponit) absolute esse negatio finis, & effectuum prædestinationis vllatenus potest: quare nec prædestinatio fine, & effectibus suis frustrari: sed illos certò infallibiliter, & necessariò obtinebit: ea scilicet necessitate illos obtinendi, qua conditionate futurum purificata, positaque absolute conditione sua debet in absolute futurum transire, atque illico transit, eaque impossibilitate deficiendi à futuritione absoluta, qua conditionate futurum absolute posita, & purificata conditione sua non esse absolute futurum minime potest: ea vero nec physica necessitas causalitatis, & antecedens natura futuri conditionatè, purificata etiam conditione ad se ipsum absolute futurum, siue ad absolutam sui futuritionem est: sicuti, nec defectus, & negationis sui absolute impotentia physice antecedens, ac pro naturæ priori physica defectus sui impossibilitas, vt patet, ac ostendimus controu. 4. d. 2. q. 2. cert. 5 sed tam necessitas essendi absolute purificata conditione, quam impossibilitas, seu impotentia non essendi tunc absolute logica, arguitiua, & consequentiæ, ac mere consequens est: qua nimirum id, quod est, & ex suppositione, quod sit, necesse est esse: ac subinde non esse est impossibile. Ea quippe solum necessitas eiusdem ad seipsum, vt sit, & impotentia seu impossibilitas, vt non sit esse cogitarive potest. Constat autem consequentem solum necessitatem essendi, & impotentiam, seu impossibilitatem non essendi contingentis, & quantumvis liberi effectus, quamdiu est, siue ex suppositione, quod sit, ipsius contingentiæ, causæve suæ indifferentiæ minime officere. Dixi autem prædestinationis necessariam coniunctionem cum absoluta finis, & effectus sui absoluta existentia, ac proinde causalitatis eorum certitudinem infallibilitatem, atque infrustrabilitatem ex præsuppositæ à scientia media (quam præstinatio includit) futuritione conditionata illorum sub mediis eligendis, & mediorum purificatione solummodo, venire, esse immò illam ipsam, quam conditionata futuritio, contingentis cum sui absoluta futuritione, posita absoluta conditione, habet. Tum illius absoluta futuritione, & scientia media, ac ratione ipsius prædestinationem, extrinsecùs, mutuóque acceptam solummodo: si enim intrinsecam aliam cum futuritione absoluta contingentis, purificata conditione per prædestinationem admittas, rem admittes contradictoriam, & impossibilem, ac simul contingentis libertatem euertes. Vtrumque ostendi citatis proxime locis, præsertim vltimo.

5. Rationes alias afferunt Doctores nostri, Soarius cum suis præfinitoribus antecedenter, cum gloriæ per merita prædestinati obtinendæ, tum cæterorum actuum liberorum, & effectuum contingentium ipsius: quia (inquiunt) imprudenter quis efficaciter intendat, ac præfiniat finem, aut effectum ab alterius voluntate, & arbitrio pendentem, quin prius media potiora, tutioraque ad eius voluntatem flectendam in illum, vt ab ea finem, seu effectum obtineat quam possit certo rimetur mente iudicioque, & discursu ex notis experimento similium genio, & inclinatione illius, à quo effectus libere obtinendus præfiniendus est, perquirat & coniecteur: saltem is qui futuri conditionate euentus sub hac, vel illa hypothesi, & peristhasi rerum scientiam certam habere non potest, vt in viris cordatis, & sapientibus quotidie experimur: quo suo studio satis ostendunt toris se nisibus, & animi, & mentis contentione, quam possint, certam contingentis conditionati scientiam indagare prius, vt post modum illud esse, quo absolute efficaciter ex parte sua velint, & ab alterius libertate obtinere prudenter intendant, atque ex ea intentione aptiora, illique obtinendo ex præcognitis securiora media eligant, & apponant: ergo ad absolutam efficacem intentionem finis, & effectus contingenter, & libere ab alterius arbitrio obtinendi prudenter concipiendam expectanda est ab ita illum absolute efficaciter intenturo, quam possit certissima scientia euentus, seu finis ab alterius arbitrio obtinendi, sub mediis indifferentibus de se se, vt libertati eorum seruandæ oportet: atqui ita inuenturus, & præfinitus absolute, & efficaciter Deus finem gloriæ, & effectus liberos prædestinato, atque ab eius arbitrio obtinendos, potest habere certam eorum, atque metaphysice infallibilem conditionatam scientiam: ergo, vt prudenter absolute efficaciet, & antecedenter eos intendat, ac præfiniat, mediaque efficacia ex ea intentione efficaci deinceps eligat, & apponat, scientiam mediam finis, & effectus illius contingentis, & liberi prædestinato expectare debet, vt prudenter illos efficaciter intendat, ac præfiniat, mediaque ad illos obtinendos suauis efficaciæ prædestinatione sua eligat, & apponat.

6. Item: quia in quocunque efficaciter antecedenter intenturo, & præparaturo media ad effectum contingentem præuenire efficacis suæ voluntatis infrustrabilitatem, quantum potest perfectio, ac prævenire minus, quam potest, explorata, Deoque indigna imperfectio. Hæc vero ratio supponit possibilitatem diuinæ præfinitionis, seu voluntatis diuinæ absolute efficacis & antecedentis de fine & effectu nobis contingenti, & libero, quin huius, & arbitrij nostri libertati officiat, dummodo voluntas, & præfinitio illa per scientiam mediam reguletur; eam vero sententiam aperte, vt arbitror, confutauimus controu. 4. de volunt. d. 6. quæst. 2. Ad præfens autem missis nostri Herize impugnationibus quæ inibi à nobis datas recident tandem, vt vrgeant. Inquiro an electio mediorum efficacium cum gloriæ assequutione coniungendorum ordine prædestinatiuo à Deo habenda eam intentionem efficacem, & antecedentem actus nostros liberos, & gloriam per illos, ac subinde contingenter obtinendam necessario requirat, necne? Si non requirit, scientia media ad prædestinationem titulo antecedentis efficacis intentionis gloriæ ad prædestinationem, & electionem mediorum efficacium, certo cum gloria prædestinati, & infallibiliter coniungendorum non requiretur. Siquidem ex non efficaci gloriæ intentione, & electio, & prædestinatio illa haberi à Deo absolute potest. Requiri autem per hoscc non potest,

qui

qui ex inefficaci haberi vtramque à Deo absolute posse constanter defendunt. Sed nec per rationem potest requiri: quia cum præfinitio illa principium essentiale proximum, & sine quo non electionis, & prædestinationis sit, à qua sola, vel in hypotesi, vel absolute auxilia, & media illa efficacia certo, & infallibiliter conjungenda cum gloria prædestinati purificari, apponive possint: implicat ante præfinitionem electionem, & prædestinationem. scientiam mediam præcedere vti eas regulas, quas essentialiter, & necessario supponit.

CERTAMEN III.

Prædestinationis ex inefficaci gloriæ intentione per scientiam mediam constituendæ ratio vlterior.

1. LEssius noster de auxil. cap. 4. num. 16. Molina 1. part. quæst. 22. art. 1. ad 2. quibus Herize subscribit citatis tract. 3. art. 22. cap. 3. num. 25. probant: quia, etsi eodem auxilio, sub quo gloria, & effectus noster contingens libere habendi essent, ex quacunque scientia simplicis intelligentiæ solum electo, & dato gloria, & effectus noster contingens absolute, & libere obtineretur: ac proinde neque gloriæ effectus contingentis absoluta existentia, neque eorum cum auxilio eiusque causalitate absoluta eo posito coniunctio directione scientiæ mediæ ad eius electionem, & appositionem absolutam, non habeant opus: at perfectio diuinæ prouidentiæ ex parte Dei prouidentis requirit vt ante auxilij, & medij de se indifferentis electionem, & appositionem absolutam, quæ sub illo futurum, vel non futurum sit, si adhibeatur, adhuc ex inefficaci finis intentione, à Deo præuoscatur ne æco modo, & in incertum tendat, id quod latè ex scriptura Augustino, & Ambrosio recitatis à nobis certam. 1. n. 4. sub finem. Herize num. 25. & 26. fere toto probare contendit: ita vero, vt ad prouidentiam omnem diuinam obiectiue liberam saltem ex inefficaci etiam finis intentione generice sumptam, cognitionem euentus liberi sub medio eligendo si daretur, spectare Patres docuerint. Hoc autem generalius est, quam testimonia Patrum, quibus probat: cum hæc de speciali prouidentiæ specie, scilicet prædestinatione sint: neque iam ab authoritate, sed à ratione de necessitate directionis scientiæ mediæ ad efficacium mediorum electionem à Patribus, & à tota nostra schola asserta res agatur vt doctrinæ eorum & nostræ ratio Theologica assignetur in huius Doctoris & reliquorum Vasquez nostri asseclarum sententia negante prædestinatione efficacem voluntatem gloriæ prædestinati, supponi nec includi. Secundo non satisfacit obiectioni à se allatæ numero 26. quod ex inefficaci intentione finis, sicut efficacia media apponere ad illum obtinendum, neque obtinere Deus cogitur ita mediorum efficacium conditionata scientia, sed solam possibilitatem efficientiæ, siue actiuitatem, & eorum de se se conducentiam ad finem simplici intelligentia prænosse debebit, habebitque satis, ea siquidem scientia nouit, quod satis est, vt cordate apponat media, quibus finis absolute possit obtineri, quod solum intentio illa, vera quidem, & seria, sed inefficax reposcit.

2. Quod si vltetius medium non solum actiuum sit, sed de facto effecturum, & extrinsecùs efficax, eoque finis, seu gloria de facto obtineatur vltra Dei intentionem non erit, (nedum contra illam) cum illam non esse possibilem sed absolute existentem, & de facto à prædestinato obtineri verè desideret Deus & intendat. Confirmatur: quia prouidentia diuina erga reprobos, & præscitos vere diuina, ac Deo digna prouidentia de eorum salute est, atque ex seria, veraque intentione, etsi inefficaci, salutis ipsorum à Deo præhabita, ac præsupposita est: immò, vt Herize, tam hic, quam alias sæpe supponit, æque eiusdemque serietatis, & propensitionis in ipsorum, atque in prædestinatorum salutem: ergo in ea prouidentia salutis reproborum ex æque serietatis & propensitionis in ipsam, atque in salutem prædestinatorum intentione præsupposita, nulla est Deo indigna imperfectio: atqui ex simplici solum intelligentia conducentiæ mediorum prouidetur per illam reprobis de mediis ad salutem: ergo in primis de ratione prudentis. Deoque dignæ prouidentiæ erga effectum contingentem, & gloriam, seu finem quempiam libere à nobis obtinendum ex inefficaci eorum intentione habitæ, non est media ad gloriam, seu finem contingentem amplius, quam ex scientia simplicis intelligentiæ de conducentia mediorum ad ita præintentam gloriam, seu finem contingentiæ similis obtinendum de mediis ad ipsum à Deo prouideri: quandoquidem species aliqua prouidentiæ veræ diuinæ. Deoque dignæ ex simili inefficaci finis intentione salutis reproborum à Deo sola simplicis intelligentiæ de mediorum conducentia ad illam obtinendam habetur. Infero secundo ergo perfectè, seque digne Deus ex sola scientia simplicis intelligentiæ de conducentia mediorum efficacium de facto prouidebit de mediis ad salutem similiter inefficaciter nec magis præintentam prædestinatis. Negas consequentiam hanc: quia ne temerè, & cæco modo media apponat vltra conducentiam intrinsecam eorum ad finem prænosse debet, quem sint effectum habitura, ne imparatum, nec latis prouidum, prouidentiæ suæ effectus excipiant. Contra: ergo, & prænosse debet non solum scientia simplicis intelligentiæ conducentiam mediorum, de quibus prouidet reprobis; ad salutem, sed etiam scientia media de reproborum abusu, & perditione prænosse debet, quem exitum media sufficientia ipsis prouidentia ita eligenda & adhibenda habitura sint, vt de mediis illis ad salutem absque imperfectione, seque digne Deus reprobis prouideat: ne imperatum ipsum, nec latis prouidum euentus prouidentiæ illius suæ erga salutem reproborum excipiant. Hoc autem & antecedenti contradicit & dogmati Theologico, in quo ipsum fundatur: nempe Deum non prouidere reprobis de mediis ad salutem ex scientia media perditionis conditionatæ ipsorum sub eis mediis si eis donentur, seu quia prænouit illos sub eis mediis perituros: id enim est, vt pietate dignum & seriæ voluntati salutis eorum, & vero dolori de eorum perditione aduersum, & quasi de industria eos perdere voluisse.

3. Sed enim ratio hæc nostrorum Molinæ Lessij & Hærize si non ex prædicato vniuersalioni prouidentiæ diuinæ, vt postremus voluit reddatur) ne posita ea à nobis absurda, & impugnationes incurrantur) sed ex prædicato specialis prouidentiæ perfectissimæ (sanctimodi prædestinatio Sanctorum ad gloriam est) duplici fundamento ex factis à nobis principiis controu. 6. de prouidentia firma consistet. Primum ex suppositione, quod æqualiter inefficaci gloriæ intentione, & propensione, vt illam tam prædestinati, quam reprobi obtineant, præsuppositæ, prædestinatis præ reprobis specie illa prouidentiæ perfectissima (prædestinatione nimirum) de mediis efficacibus ad eam de facto obtinendam prouideat: cum tamen ex vi intentionis, & propensionis affectiuæ Dei ad vtrorumque gloriam prædestinatis qui sunt, sufficientia solum, nec de facto effectum habitura; iis autem qui nunc sunt reprobi, efficacia auxilia, & media ad gloriam habitura, quæ absolute effectum posset prouidere: si enim ex speciali ratione prædestinationis eueniat, impugnationes, & absurda contra Herize producta cessabunt, ratioque necessitatis directionis scientiæ mediæ ad mediorum efficacium prædestinatis prouidendorum electionem, & appositionem absolutam prædestinatione exercendam, quæ insufficientiam solum pro reprobis prouidentia: & electione locum non habeat assignabitur: specialis autem ratio cur electio mediorum efficacium prædestinationi inclusa, ac subinde eorum absoluta appositio ex æque inefficaci, nec magis propensa ad prædestinati, quam ad reprobi salutem intentione præsuppositæ per scientiam mediam dirigi, ac regulari debeat, secus autem electio mediorum sufficientium solum in prouidentia pro reprobo habenda ex dictis controu. 6. de prouidentia di-

quibus.

quæst. 2. cert. 2. à num. 8. & cert. 3. petenda est. Etenim, licet ex vi æque inefficacis illius intentionis gloriæ, & salutis vtriusque efficacis medij ad salutem electio, & appositio habenda à Deo necessario non sit, haberi tamen absolute à Deo potest: vbi autem à Deo absolutè habetur dubio procul fini gloriæ præintento obtinendo ab eo, respectu cuius ea electio habetur, directe quidem magis conducit; ac inseruit: eligere autem, & apponere medium fini vere ac serio præintento directe inseruiens, & conducens, non vero ex scientia conducentiæ, & in seruitutis, (vt sic loquar) ipsius directæ ad ita præintentum finem seriæ illius finis intentioni, vt non aduersetur, minus sane concordat; ac plane euentus curam, quæ haberi absolute ex ea intentione ab eligente medium illud potest, negligi plane connincit: quod quidem electionis, & specialis illius prouidentiæ, atque de medio efficaci ad finem ita prouidentis prædestinato ipsumque prædestinantis imperfectio est: quare, & eæco modo, ac temere de medio illo prouidere, vt imparatum, & quasi inuoluntarium gloriæ absolutus euentus Deum prædestinantem inueniat vitio ipsi iure verteretur: in prouidentia vero medij sufficientis ad salutem erga reprobum habita, cum nullo alio quam intrinseca, & essentiali conducentia ad finem præintentum medium conducat, & inseruiat quæ tota simplicis intelligentiæ, scientia sola Deo electuro innotescit. Scientia vero conditionata quæ sub eius hypothesi à Deo electuro habetur haberiq; potest de non obtinenda gloria reprobi, si illud medium eligatur & apponatur, sit, quæ præintento fini aduersatur, atque eius intentione præsupposita ab eius electione Deum retardat, nec potest inducere, sit: quod ad eiusmodi electionem sola simplicis intelligentiæ de conducentia medij illius, & possibilitate gloriæ obtinendæ per illud inseruiat: quia ea potentia absoluta gloriæ à reprobo obtinendæ per eiusmodi electionem, & prouidentiam solummodo constituenda dignoscitur, tametsi non vt dirigens, & inducens ad eam electionem, sed ab ea potius Deum retardans comitanter solum scientia conditionata de non obtinenda gloria sub illo medio, ita prouidenti, & omniscio Deo adsit.

4. Secundum rationis eiusdem tuendæ firmum etiam fundamentum adhibendum est ex dictis ead. contr. 6. d. 3. q. 1. cert. 2. à n. 4. & cert. 3. n. 5. & 6. vbi serietatem, & propensionem veræ intentionis diuinæ (inefficacis tamen absolute) erga finem aliquem causis secundis liberis contingentem (qualis est finis gloriæ à creatura rationali arbitrio etiam suo obtinendæ) minutius, quam Scholastici cæteri, perscrutantes inter plura alia scitu digna, deprehendimus: intentioni veræ, ac seriæ Dei inefficaci erga eiusmodi finem tantam serietatis, ac propensionis affectiuæ erga ipsum diuersitatem, & inæqualitatem, citra efficaciam absolutam, atque intra inefficaciam absolutam contentæ posse competere, vt Deum inefficaciter eum finem intendentem ad media solummodo efficacia eligenda, & apponenda vi propensionis in finem illum intentionis (intra inefficaciam tamen) summæ determinare antecedenter possit. Id autem minus res Theologicas hactenus scrutantibus, atque de diuinis ad humanorum effectuum normas, & leges definientibus, difficile, adeo cert. illo 2. à n. 4. rationibus Theologicis complanauimus, atque emolliuimus, vt, an demonstrauerimus, lis, vt minimum aliis iure esse possit: inæqualitates alias serietatis propensionis affectiuæ in finem veris, seriisque intentionibus intrinsecus certam. illo 3. reperimus, & adeo in aliquibus earum minimam, vt ad efficacia media eligenda Deum intendentem non solum adigere; sed vel agere nequeant, vel mouere; sed ad sufficientia solum: imò, & ex sufficientibus & inefficacibus minima: eam vero in aliis, quæ vt cogere ad electionem efficacium non valeat, mouere tamen, atque agere ad illam Deum intendentem possit, & hanc intentionem, nec summum, nec prope summum serietatis & propensionis affectiuæ (citra efficaciam vero) attingere non debere ostendimus citato numero sexto vbi, & numero 7. ostendimus. Inde vero esse veram, ac seriam Dei erga reproborum etiam salutem inefficacem intentionem nec minimo vel circa circum serietatis, & propensionis contineri. Hac vero propensionis, & serietatis inæqualitate in intentionibus Dei efficacibus erga finem creaturæ rationali contingentem, libereque eius etiam arbitrio absolute obtinendum (ac in re præsente gloriam à prædestinatis) deprehensa, adest facilis; nec vna tantum ratio necessitatis directionis scientiæ mediæ ad electionem mediorum efficacium pro Prædestinatorum gloria absolute obtinenda in eorum prædestinatione absoluta.

5. Prima: si intensionem salutis eorum summe intra inefficaciam absolutam nec illius consequendæ libertati, & merito prædestinati aduersam) serietatis, & propensionis ad ipsorum salutem esse dicamus; tunc enim ex ea intentione æque determinatus antecedenter manet Deus ad mediorum efficacium electionem absolutam, & appositionem, vt nuper dicebamus, ac si intentio illa efficax foret; ex ea vero antecedente determinatione media absque notitia efficaciæ ipsorum eligere absolute, & apponere æque imprudens (quantum ad eorum electionem, & appositionem attinet) foret, ac si ex efficaci salutis intentione & præfinitione ea eligeret, & apponeret: sed, quoniam paucorum ex prædestinatis salutem summa ea serietate, & propensione præintendisse Deum arbitror (vt de eximie, quos vocant, prædestinatis Theologi aliqui censent) nec nobis in re Theologica pro libito diuinandi genium est: etsi rationes Theologicæ quæstione 3. pro horum numero decurtando non adessent: sit ratio secunda, eorum omnium salutem vltra mediocritatem, versusque summum serietatis, & propensionis præintentam à Deo fuisse: ex qua adeo seria, & propensa salutis ipsorum intentione in Deo præsupposita, minus etiam prudenter se Deus gereret, si mediorum efficaciam ad salutem prædestinatorum quam versus, ac fere prope summum serietatis, & propensionis intendebat, ante eorum electionem, & appositionem absolutam non prænosset, media vtique scientia. At inquies ex intentionis præsuppositæ serietate, & propensione in reproborum, qui sunt saltutem, moueri Deus posset vt efficacia ad illam auxilia conferret, quo in casu prædestinati essent, quin è physica, & morali determinatione intentionis præsuppositæ ad auxiliorum efficacium electionem scientiæ mediæ necessaria directio probati queat. Respondetur ad quæstionem de facto, & necessitate scientiæ mediæ includendæ in prædestinatione, quæ est ad directionem electionis mediorum efficacium quæ de facto in prædestinatione includitur; quam certam, & infallibilem de consequutione finis, & effectus ad quam prædestinatio est, scriptura, Patres, & Theologi asserunt satis rationis assignari ex inæqualitate, & excessu serietatis, & propensionis ad prædestinatorum salutem in intentione diuina salutis ipsorum præsuppositæ ad electionem mediorum efficacium, de quibus nunc de facto ipsis prouidetur: Tametsi alias prædestinatio aliqua ex æque, nec magis seria, & propensa intentione salutis, quam quæ nunc ad prouidentiam mediorum sufficientium pro reprobis supponitur, non repugnaret, vt repugnare deinceps ostendemus.

CERTAMEN IV.

Rationes aliæ vindicantur.

1. DVas alias rationes dedit nobis Vasquez noster prima parte, d. 93. capite primo, numero quarto & quinto. Primum: quia tametsi ex inefficaci intentione salutis auxilia efficacia à Deo prædestinatis donentur, bonus tamen eorum vsus Deo, & principaliter tribuendus est ex scriptura Patribus, & Theologia tota, dogmatica etiam: ergo debet Deo auxiliorum efficacium bonus vsus noster voluntarius esse. Ast nequit Deo esse voluntarius, nisi ex scientia media efficaciæ ipsorum, siue futuritionis conditionatæ boni nostri vsus sub illis ab ipso donentur, vt patet: ergo ex ea scientia media debent à Deo donari. Secundam rationem sic instruxit: vocatio con-

grua, siue efficax auxilium prædestinatione à Deo collatum rationem specialis gratiæ, præsufficiente à Deo alias conferendo, & reprobis collato, debet necessario habere, sicuti habere debent proprij omnes, & directi prædestinationis effectus. Atqui nequit auxilium, seu vocatio congrua, & efficax rationem specialis gratiæ, & beneficij Dei habere, nisi ex scientia efficaciæ, & congruitatis ipsius bono vsu conditionate sub ea vocatione futuro constitutæ, & ex quo maius nobis bonum esse habet, vocatio illa à Deo donetur: ergo necessario ex scientia media efficaciæ, & boni illius nostri vsus conditionate futuri debet nobis à Deo donari. Maior est dogma Theologicum: minor probatur, quia quidquid commodi, bonique nobis, quantumvis magni, ab ignaro confertur, nobisque ex illo percipitur, beneficij, & gratiæ (nedum specialis, & maioris gratiæ à Deo perceptæ) nequit rationem habere. Secundo: quia si nuda vocationis, & auxilij à Deo donandi, donatique de facto, bonoque ipsius nostro vsu conditionate futuro non attento entitas considéretur, cum sæpe reprobi crebrius, intensiusque vocentur, maior absolute gratia, & beneficium ex prouidentia erga reprobos ipsis, quam ex prædestinatione prædestinatis conferetur, contra dogma Theologicum præfatum. Ratio vtraque displicet nostro Herize loco citato, impugnaturque impetu magno numero 24 per paginam integram; eius tamen impugnationes omnes facile exarmantur ex prænotatis num. 4. & inde deductis num. 5. Nituntur enim in eo omnes: quod, nisi ex præsupposita formali intentione efficaci gloriæ, aut consensus ad illius affectionem à prædestinato, vel saltem interpretatiua in ipsa medij efficacis electione inclusa (quam nec ipse, nec Vasquez nec nos admittimus) nec specialis gratia in donatione auxilij efficacis, prædestinato, tametsi ex efficaciæ eius conditionata scientia donetur, possit reperiri, nec bonus noster auxilij efficacis vsus Deo voluntarius reputari. Posita autem inæqualitate, & excessu serietatis, & propensionis erga salutem prædestinati, vel in summo, vel versus, aut prope summum in intentione absolute inefficaci, ex qua prædestinato præ reprobo auxilia efficacia donentur. aderit Deo determinatio antecedens ad auxiliorum efficacium præ sufficientibus electionem pro prædestinatis, ac subinde in horum electione, & boni vsus ipsorum, & consequutionis gloriæ à prædestinato interpretatiua voluntas, ratione quarum, & formalis intentionis præsuppositæ, vel summæ, vel prope, aut versus summum seriæ, & propensæ in prædestinati salutem, & interpretatiuæ in electione ipsa mediorum efficacium inclusæ (citra absolutam earum efficaciam, & connexionem intrinsecam absolutam prædestinati consensui, & cum salute) id totum specialis gratiæ, inefficacis auxilij donatione, & voluntarietatis boni vsus, & consequutionis salutis à prædestinato ex directione scientiæ mediæ reperitur, quod ex formali, & interpretatiua intentione, ac præfinitione efficaci absoluta boni illius vsus, & consequutionis absolutæ gloriæ ipse volebat reperiri.

2. Non possum autem non mirari Doctorem hunc, qui formalem consensus nostri liberi, & gloriæ per illum obtinendæ, ex qua præsuppositia efficacia media prædestinato à Deo eligantur, & donentur auersatur, & interpretatiuam etiam in electione efficacium inclusam, atque auxilium efficax, quia efficax, siue, vt efficax eligi à Deo absolute, donarique prædestinato constanter negat; quia ea voluntate efficaci, & electione auxilij, quia, & qua efficacis, euerteretur actus nostri libertas, Soarij rationem secundam impugnans numero 21. nihilominus ipsum adeo formaliter negare, & contentiosè electione auxilij efficacis è sola inefficaci intentione nostri boni vsus, & meriti, & consequutionis gloriæ per meritum adiuncta etiam scientia media præuia, & dirigente, eiusmodi electionem, consensum, & meritum nostrum voluntarium Deo esse, ipsique proinde principaliter tribuendum, & auxilij efficacis donationem prædestinato speciale beneficium, & gratiam ipsi à Deo collatam esse. Hæc quippe duo Patrum, & Catholicæ Theologiæ dogmata sunt, atque iis, quæ ex ipso nunc referebamus statutis inde solum defendi possunt: quod auxilio efficaci collato ex præuia, & dirigente scientia media de bono nostro vsu, & consequutione gloriæ donetur ipsius præ sufficienti electio absoluta, & collatio, & bonus eius noster vsus, absolutus voluntarius Deo sit, eique præcipue tribuendus, & inde in longe vtilioris medij ex vtilitatis maioris præscientia donati, maior longe gratia, & beneficium donantis, vt bene Vasquez, cum quo ipse in nuper relatis concordat, referebat: quæ autem in eis principiis opponit, leuia sunt, atque hic diluenda: cumque rationes duæ nostri Vasquez firmiores persistent, tum, vt non vna solum via à nobis ostensa numero quinto, ex inæqualitate seriestis, & excessu propensionis in salutem prædestinati in intentione ad electionem mediorum efficacium præsupposita, dogmata illa duo defendantur: dato etiam, quod ex æquæ omnino seriestis, & propensionis salutis reproborum, ac prædestinatorum intentione, illis sufficientia, his vero efficacia media donentur, in qua suppositione omnes Herize impugnationes procedunt. Vlterius (ne aliquid, quod eius argumenta vrgere posse dissimulem) suppono: amorem etiam, seu beneuolentiam, & complacentiam personalem, siue in personis prædestinati, & reprobi; quam Dei misericordia ipsis conciliat, & ex qua ipsis vt fini *cui* auxilia sufficientia absolute eligit & donat, esse prorsus æqualem. His igitur omnibus admissis eneruandæ sunt Doctoris huius rationes.

3. Prima eius impugnatio contra Vasquez rationes est: quia reprobus & prædestinatus in affectiua salutis intentione diuina, æquales prorsus sunt: adde, & in beneuolentia Dei in personis vtriusque, nec alio affectiuè in Dei erga ipsos voluntate differunt, sed in scientia: quia nimirum prædestinatum consensurum conditionate sub auxilio donando Deus scientia media illius electionem, & donationem absolutam antecedenter præuouit; contra vero reprobum sub donando auxilio non consensurum: nihil ergo voluntarij habet respectu Dei bonus vsus auxilij efficacis in prædestinato. Iquidem nec electio illa ad bonum vsum prædestinati formaliter pertingit magis, quam ad bonum, vel malum vsum reprobi: quare neque efficaciam pertingit, quæ bono vsu prædestinati per nos constituitur: vnde quantum ad Dei voluntatem, & affectum attinet, siue erga prædestinatum, siue erga collatum ipsi auxilium in nuda auxilij collati entitate sistit, qua indifferens in actu primo ad bonum eius, vel malum vsum, cuius omissionem, prædestinatus constituitur. Atqui voluntas causæ, & principij indifferentis, qua indifferentis præcisè non est virtualis, aut interpretatiua voluntas effectus inde de facto obuenientis, vt patet de se: alias malus vsus auxilij sufficientis in reprobo Deo voluntarius virtualiter, & interpretatiuè dici deberet. Cæterum suppositia solum intentione inefficaci boni vsus prædestinati determinatè, tametsi electione ipsa auxilij efficacis ex intentione illa, & scientiæ mediæ directione bonus eius vsus expresse, & formaliter non ametur, virtualiter, & interpretatiue amatur: ac proinde bonus ille vsus Deo voluntarius liberque est, ac præcipue ipsi imputandus: etsi enim nuda auxilij entitate, qua principium indifferens ad bonum eius vsum, vel ad oppositum constituit attenta eius præcisè sumpta electio interpretatiua, & virtualis voluntas boni vsus non foret: Ast boni vsus determinate intentione suppositia, atque virtute ipsius electione auxilij efficacis, sub quo bonus vsus conditionate futurus determinate est, & prænoscitur potius, quam auxilij alterius sufficientis, non solum, quod datur reprobo ex simili, & æquali intentione salutis, sed quoad dari ex intentione eadem potuit ei, qui non est prædestinatus, electio ita prænoti efficacis auxilij voluntas virtualis, & interpretatiua boni illius vsus determinate prædestinati est; tametsi non efficax intrinsecè respectu ipsius, ast affectiua: tum ob intentionem boni illius vsus determinate, quam essentialiter supponit, ac proinde intrinsecus concernit, tum ob determinationem logicam medij illius ad boni vsus absolutam finem, quam fore conditionate ante electionem præcognouit, si illud auxilium donetur, atque electione absoluta

&

& donatione ipsius absolutam necessariò necessitate consequente (vt sæpe diximus) facit, ac reddit. Ad determinatè ergo apponendum bonum vsum auxilij illius, quem prædestinato determinatè intendit, certóq; & infallibiliter apponendum prænouit, tantundem determinationis electio illa voluntaria & libera Dei ex intentione, & scientia media determinarè futuri boni vsus, & necessitatis apponit, ac si physicam prædeterminationem apponeret: tametsi non apponat necessitatem antecedentem prædestinati, & boni vsus libertati repugnantem, sed logicam solum, & consequentem: quod si ex electione medij ab intrinseco efficacis, talisque præcogniti, etsi expresse, & formaliter præintentus effectus per illam non ametur: quia tamen ex illo indefectibiliter effectus absolutè erit, si adhibeatur, atque ex huius veritatis præscientia ad præintentum effectum eligitur, electio hæc interpretatiua, & virtualis effectus illius determinate est, atque ratione illius ita habitæ electionis non solum eius medij appositio absoluta, verum, & absolutus effectus voluntarius & liber eligenti: ita etiam Dei ex intentione vera, & seria boni vsus auxilij à prædestinato, & scientia media futuritionis conditionatæ, si auxilium hoc ipsum præ aliis sufficientibus eligatur, electio, qua absolute auxilium hoc, ac subindè futuritionis boni vsus absolutæ necessitas apponitur, virtualis, & interpretatiua boni illius vsus volitio libera erit, Deóque ita scienti, & volenti bonus ille vsus prædestinati voluntarius, & liber ipsique principaliter proinde tribuendus. Quod enim alterius scilicet prædestinati ad eum bonum vsum, & eius oppositum seruetur antecedens, & in actu primo indifferentia, & libertas sub ita electo auxilio, infallibilitati ac certitudini absolutæ consequutionis ipsius sub eo auxilio collato, quæ solum ex parte intendentis curatur & attenditur non officit: vnde eius ita electi electio virtualis, & interpretatiua absoluti boni vsus est, & merito indicatur; tametsi obsit, quo minus electio illa, & voluntas ab intrinseco efficax boni illius vsus absoluti, adhuc interpretatiua, & virtualis sit, ac iudicetur. Confirmatur: quia ideo, qui ponit medium necessarium, & determinans ad effectum maxime ex intentione ipsius effectus eius electione, & appositione censetur virtualiter interpretatiue, velle effectum, formaliter, & expresse ea electione non amatum: quia scienter, volenterque eligitur aliquid cum illo connexum, & cum eius defectu incompossibile: atqui electione auxilij efficacis ad bonum vsum prædestinati ex huius determinate intentione, & scientia media de futuritione boni vsus conditionata sub illo præcisè eligitur, & ponitur scienter, volenterque aliquid connexum cum bono vsu absoluto prædestinati, & incompossibile cum eius defectu logicè saltem: ergo ita illud eligens electione ipsa vult virtualiter, & interpretatiuè bonum illum vsum prædestinati.

5. Confirmatur vrgentius & præcluditur euasio, quæ posset tentari de connexione, & impossibilitate absoluta, & simpliciter tali, (quæ sola in mediis intrinsecè efficacibus est) ad effectum requisita ad interpretatiuam, & virtualem volitionem effectus per mediorum electionem; quin logica alia consequens, & secundum quid (quam solam in auxiliis efficacibus admittimus) sit satis. Etenim in virtuali, & interpretatiua peccati voluntate (siue omissionis illud, siue commissionis sit) amor actionis prohibitæ, quia delectabilis, vel actionis alterius incompossibilis cum actione præcepta, solum affert necessitatem omissionis actionis præceptæ, & non omittendi prohibitam consequentem, ratione formalis (ac nullatenus antecedentis, & simpliciter talis) incompossibilitatis, consequentisque solum omittendi actionem, qua exercetur, & fit, vel agendi oppositam contrariam, quamdiu illa libere exercetur; & tamen amor vtriusque peccati, nec expresse, & formaliter voliti, neque amabilis, virtualis, & interpretatiuus illorum amor est, ex eo, quod ex scientia necessitatis consequentis apponendi actionem prohibitam, & contrariam præceptam omittendi, quamdiu hæc libere apponitur, ratione incompossibilitatis consequentis actionis exercitæ cum sui omissione, & oppositione actionis contrariæ: ergo citius electio diuina medij efficacis a consensu, seu bono eius vsu conditionato sub illo ex præscientia boni illius vsus conditionati, & necessitatis consequentis ipsius, & impossibilitatis etiam consequentis illum omittendi, & apponendi vsum contrarium electo absolute, & apposito illo medio, etsi nullam antecedentem necessitatem vnius, & impossibilitatem alterius afferat prædestinato; erit voluntas virtualis, & interpretatiua Dei de bono illo vsu, ac subinde is Deo absolute voluntarius erit, & principaliter tribuetur. Præsertim, cum ea electio ex formali, & expresso amore, & intentione boni vsus illius determinate essentialiter à Deo habeatur, eamque concernat: vnde euanescit ratio illa, cui tanquam fundamento à priori suam hanc primam totam impugnationem imponebat Herize; nempe voluntatem etiam efficacem principij indifferentis non esse voluntatem virtualem, & interpretatiuam alterius determinate termini, seu effectus indifferentiæ illius: id enim verum est, si voluntas illa, nec ex scientia vlteriori necessitatis alicuius ad vnum extremum indifferentiæ, & impossibilitatis alterius extremi principio indifferenti adiunctis habeatur, neque ex amore, & intentione formali extremi illius determinatè, sed solum efficiendi potentiam, & principium indifferens ad vtrumvis, atque adeo ex scientia solum ad id agendum necessaria: vt reprobis eliguntur auxilia sufficientia ex scientia simplicis intelligentiæ, non autem media mali vsus eorum sub ipsis, neque ex huius mali vsus sed potius oppositi boni vsus intentione; secus autem euenit in electione auxiliorum efficacium pro prædestinatis, quæ, & ex intentione boni vsus determinate, & ex scientia media adiunctæ auxiliis illis logicæ, & consequentis determinationis, & necessitatis essendi bonum illum vsum, & impossibilitatis similis essendi oppositum sub eis adeo habetur.

6. Rationem aliam gratiæ, & beneficij specialis in electione, & collatione auxilii efficacis prædestinato præ collatione sufficientis, si ipsi daretur, daturque reprobo non stare contendit in memoratis principiis Herize inefficacis intentionis salutis prædestinati, æque ac reprobi, adde, & dilectionis æqualis personarum vtriusque: quia electio illa, etsi interpretatiua, & virtualis voluntas, absoluti boni vsus, & gloriæ per illum à prædestinato obtinendæ sit, nisi tamen expresse efficacia auxilij, ac subinde bonus ipse vsus, quo in ratione efficacis constituitur ea electione, quantumvis ex scientia media boni eius vsus, & efficaciæ medium ametur, solum indirectè amabitur, & bonus vsus, & medij efficacia: atqui in hoc non stat ratio maioris gratiæ, & beneficij in donatione auxilij efficacis præ sufficienti: Ergo maioritas gratiæ, & beneficij non amatur à Deo illud auxilium eligente & conferente electione illa formaliter, & directè, sed materialiter, & indirectè: ergo Deus illa electione auxilij inefficacis præsufficienti non est formaliter specialis, & maior benefactor prædestinati ex quantavis media scientia illud donet. Probat consequentiam: quia maioris, & specialis hæc beneficentia honesta est: ergo eius honestas, ipsaque maioritas propter seipsam debet amari ab eam exercente, & formaliter eam habituro: nec satis erit maioris beneficij, & gratiæ maioritatem materialiter, indirectè, & interpretatiue ea electione amari, vt ex ea honestate, & virtute, atque, vt specialis benefactor, Deus se erga prædestinatum gerat: sicut sufficit ad vitium, & inhonestatem eius contrahendam ipsam materialiter, & indirectè velle: quo à virtute discriminatur. Adde beneficij, quasi animam, & formam ex beneuolentia, & amore, seu complacentia in persona desumi, quam æquam erga reprobum, cui sufficiens, & prædestinatum, cui efficax auxilium confertur in Deo esse supponimus; ac proinde nec potest alterum altero esse formaliter amplior gratia, aut beneficium maius. Argumentum hoc, vt ab Herize proponitur leuis est ponderis, ac etiam strictius à nobis instructum. Maioritas enim doni, quod confertur honestas formalis virtutis siue beneficentiæ, siue charitatis non est; sed eius materia amplior solum: quare ipsam formaliter, & directè, qua talem, amari vt maior gratia & beneficium formaliter conferatur opus non est, sed materialiter solum & indirectè: id scilicet, quod maius donum est ob formale beneficentiæ charitatis ex scientia maioritatis, & commodi amplioris doni illius ei, cui confertur, do-

nando: adstante enim forma beneficentiæ, & charitatis, & affectu donantis ob eius virtutis formale motiuum, (quod ea materiæ in qua exercetur maioritate, vel minoritate, nec diuersa est, nec augetur, nec minuitur, vt patet) materiæ maiori applicitum maiorem gratiam, & beneficium constituit; minori vero applicitum minus, dummodo scienter, ac voluntariè à donante absolute applicetur, quod vt vidimus ex scientia media habetur.

7. Et ratio est: quia maioritas beneficij sumitur à materia doni, & beneficij, non à forma, seu affectu beneficentiæ formalis: vt patet in eo, qui ex feruentiore amore in aliquem minus longè, quam alter, qui ex amore, & complacentia absolute in ipsum sed minus ardenti multo maius donum, sciens, & volens conferret: dubium enim non est, quin is magis in donatarium beneficus liberalis, & benefactor formalis esset, quam alter, qui ardentiùs eundem donatarium amans, complacensque in illo, sciens etiam, volensque donasset minus; licet ob feruentiorem, intentioremque amorem, & complacentiam erga ipsum magis, seu maior eius amicus, quam largior alter donator foret. Cuius ratio est: quia amicitiæ, & charitatis magnitudo ex affectu sumitur; ast beneficentia, & largitas ex doni magnitudine vltro, scienter, ac subinde voluntarie, gratuitò, & quia donatario bonum, non autem donanti commodum taxatur: quare non opus est, vt aliter, quam, vt virtutis exercendæ materiam oporteat, ametur ad maius donum, & beneficium donatoris constituendum: materiæ autem virtutis exercendæ virtualis, & interpretatiuus amor est satis, dummodo formæ seu formalis motiui virtutis illius amor adsit expressus: in quo virtus à vitio per Theologos omnes, vt dicebat Herize, maxime differt: quod, vt hoc formaliter contrahatur, exerceaturque ac formalem constituat peccatorem eius turpitudo, & inhonestas amari, nec debeat non possit, formaliter, & expresse, neque ob ipsam actio praua sed indirectè virtualiter, & interpretatiue eam amari sit satis vt patet: quibus & argumentum, quod in confirmationem impugnationis ab Herize propositæ subiunximus manet solutum. Sed, vt magis vtriusque oppositionis infirmitas appareat. Addo limitationem eius regulæ generalis de necessitate expressi, & formalis amoris honestatis virtutis exercendæ, vt amor, & exercitium formale virtutis illius, atque eius induat formalem honestatem, quam notabam, & probatam controu. de virtutibus: eam nimirum intelligi in aliis omnibus præter beneficentiam, & charitatem, seu amicitiam: limitationis ratio est aperta; quia tum charitas, & amicitia & beneficentia ex complacentia personæ, quam amamus, cuique benefacimus haberi, exercerique debent, quin ex amantis, & benefactoris formaliter talis complacentia haberi formaliter, exercerique possint: vt autem ob honestatem, quæ in eis virtutibus, seu, qua honestis earum amor, & exercitium formaliter amentur, & exerceantur, opus est, vt ex amantis & benefactoris, (qui terminus *cui* essentialis eius honestatis est) complacentia, seu, quia ipsis ita amare, ac benefacere ita honestum est habeatur, eiusmodi exercitium, & amor, neque ob alterius in eo exercitio commodum, ac bonum exerceantur, atque ex eius demum complacentia sed nostri amentur, & exerceantur actiones illæ: quod est ab honestate propria, ac formali charitatis, seu amicitiæ, beneficentiæ largitatis, & gratiæ deficere. Hac ratione principium illud, quod apparentiam impugnationi, quam diluimus, afferebat ad rem præsentem euacuarur. An vero possit axilium efficax, vt tale præcognitum à Deo ad eius absolutam electionem, & collationem prædestinato, ita etiam salua in eius bono vsu libertate, & merito atque assequutionis gloriæ prædestinati per illud, à Deo conferri, quod toto eo capite supponit Herize impossibile, videbimus iam certamine sequenti.

CERTAMEN V.

Necessitas directionis scientiæ mediæ ad electionem mediorum efficacium prædestinatiuam probatur vltimo, & ab obiectione huc remissa ex certamine primo, numero septimo vindicatur.

1. Cæteris fusius necessitatis directionis scientiæ mediæ ad prædestinationem necessariæ, & allectæ ab scholæ nostræ Doctoribus primis, ac primis examinaui, stabiliui, atque ab aliorum excoptatis contra illas difficultatibus præcipuis asserti: quia supponi potius à nobis Recentioribus, quam probari obiter, vt summum, ac frigide, ratione vna, vel altera breui attacta non fundata ne memoratis quidem nedum solutis Herize nostri contra earum plenitudinem non ad modum Recentibus impugnationibus præfixus animaduerti: id quod pauculis nostris Recentioribus directionis necessitatem impugnandi, & deferendi occasionem fors dedit, & facilitatem: dum datas tacitasque ab Herize difficultates, nec apud ipsum, nec apud alios ex instituto viderent solutas: idcirco eas omnes ex instituto quæstione hac diluere, eamque validiori ratione fundare necessitatem operæ pretio non exigua fore iudico. Addo necessitatis eiusdem rationem potiorem, atque ex proprie dictæ prædestinationis natura essentia, & definitione immediate depromptam: ennim prædestinatio Theologica proprie accepta, & ad gloriam, est antecedens, & tempore, & natura destinatio prædestinati ad gloriam, & salutem per media in Dei voluntate præparata, & suo tempore conferenda. Ac antecedens hæc destinatio ad gloriam à Deo, ante scientia media in voluntate, & electione diuina efficacia illa media præparentur esse non potest: ergo necessario eorum electio prædestinatiua Dei ex scientia media esse debet. Maior est Patrum dogma & Theologorum omnium. Minor probatur: destinatio aliquis ad aliquid proprie, & essentialiter dicit aliquam saltem eius determinationem ad illud, quæ repugnat vagiati (vt sic dicam) termini, & disiunctioni ad illum & aliud ergo, qui ab alio destinatur ad aliquid, in eo, per quod, seu medio quo destinatur ad illud, determinationem aliquam debet recipere ad illud, nec potest destinari medio aliquo, quod omnino indifferenter ad illud, & aliud se habeat, atque omni determinatione ad illud potius, quam aliud prorsus careat: vt patet in destinatione, & missione sagittæ in scopum à Sagittario, à quo impulsum, quo in illum determinate ferretur debet recipere: atque ratione aperta: si enim ab illo medium ad id, ad quod destinatur, vel aliud omni indifferentia indifferens, & indeterminatum prorsus reciperet, non destinaretur ab illo ad id, ad quod destinari ab ipso diceretur: tametsi, vt ad aliud, ex medij indifferentia omnimoda, poterat ad illud, ad quod destinari ab illo alio dicitur, ab alio quouis, vel casu, vel forte, fortuna, vel destinati, quem dicis, vel alterius à destinante arbitrio, peruenirer.

2. Ast cum medium, quo prædestinatus à Deo destinari, seu prædestinari ad gloriam libere, & meritorie, seu per bonum, & meritorium eius vsum obtinendam potest de sese, & ab intrinseco indifferens ad vtrumque esse debeat, nullatenusque efficax essentia, & entitate sua ad bonum eius vsum determinans, & determinatus (in nostra schola scientiam mediam admittente in qua vna disputamus, & discurrimus, ac fusè ostendimus in simili contra decretum concurrendi prædeterminatium tom. 1. de Deo vno controu 3. tota d. 1.) vt à Deo destinante determinationem aliquam accipiat prædestina

prædestinatus ad gloriam per bonum vsum medij illius, ac meritorium, necessitatem determinationemque boni vsus cum eius medij & arbitrij indifferentia, ac subinde cum eius boni vsus libertate componibilem prædestinatiua ad gloriam electione debet recipere: & scienter quidem: cum non irrationalis insipiens, cæca, temeratiaque, & imprudens & quæ ipsius destinationi tribui nequeat, sed rationalis & sapiens, cordata, & prudens destinatio Sanctorum ad gloriam esse debeat: sed necessitas, & determinatio boni vsus medij, seu auxilij de se indifferentis, & extrinsecùs efficacis electione prædestinatiua eligendi & apponendi, & cum eius & arbitrij indifferentia atque vsus eius libertate, & merito componibilis, solum esse potest necessitas consequens, & logica à futuritione conditionata boni vsus auxilij, si donetur, à quo efficax illud redditur, & absoluta auxilij eius per electionem prædestinatiuam positione: ergo necessitas hæc consequens, & logica à futuritione conditionara consensus sub auxilio illo vt absolute eligatur, & donetur à Deo sciri debet ad, & ante absolutam eius prædestinatiuam electionem, vt scienter eam determinationem & necessitatem boni illius vsus cum auxilij & arbitrij indifferentia & boni vsus libertate componibilem à Deo prædestinatus recipiat, ac proprie ab eo prædestinetur. Sciri autem id scientia nulla alia præter scientiam mediam potest: ergo scientiæ mediæ præcedentia, & directio ad electionem auxilij efficacis prædestinatiuam, siue ad prædestinationem necessaria est. Euasio de sufficientia comitantiæ scientiæ mediæ præclusa est controu. 6. de prouid. d. 2. q. 2. certam. 3. Neque huic argumento aptari facile potest. Ni enim ex scientia dirigente ad destinationem ipsam determinatio ad bonum vsum, ac meritum, gloriæque consecutionem formaliter recipiatur destinatio, ac determinatio scienter, & prudenter à Deo esse non potest: tametsi scientia media Deo eligenti medium comitanter electioni medij adsit: nullatenus enim destinatio sciens, & prudens electio ipsa erit, neque à Deo erit determinatio, vt ex dictis patet.

3. Quæ contra boni vsus illius libertatem ex directione, ac præsuppositione scientiæ mediæ ad electionem, collationemque auxilij efficacis absolutam opponuntur à Recentioribus nonnullis disiecimus citato proxime loco ex controu. 6. certam. 5. atque ita, vt eorum meminisse amplius non oporteat. Aliunde tamen contra necessitatem directionis scientiæ mediæ ad prædestinatiuam electionem auxilij efficacis oppones. Scientia simplicis intelligentiæ, seu potius visionis omnipotentiæ suæ, sola Deus nouit in ea contineri cumulum auxiliorum, cui toti coniunctim nequeat de facto prædestinandus quivis resistere, seu in quo auxilium aliquod *tui* de facto ille consensurus sit, si donetur contineatur: vt cum S. Thoma supra docuimus & d. 3. quæst. 1. ostendemus. Ergo ex eiusmodi scientia destinari, seu prædestinari quis poterit à Deo ad gloriam, & salutem pro priori ad scientiam mediam de futuro conditionate bono vsu prædestinati, & gloriæ consecutione per ipsum, si detur auxilium illud in illo cumulo contentam, sub quo determinate consensurus condittonate est, si donetur. Nego consequentiam in nostra doctrina facillime. Cum enim, vt diximus prædestinatio essentialiter determinationem, & necessitatem consequentem boni vsus auxilij, & consequutionis gloriæ absolute per illam in voluntate diuina præparante illam prædestinato importet eaque determinatio consequens, necessitas boni vsus, & consecutionis gloriæ in voluntate illa ex scientia omnipotentiæ suæ continente cumulum illum auxiliorum possibilium; nec ratione sui nec ratione scientiæ, ex qua adeo habetur, quaque dirigitur, & regulatur, inueniatur, fit expectandam esse scientiam mediam boni illius vsus, & consequutionis gloriæ per ipsum sub auxilio determinato, & singulari in cumulo illo auxiliorum omnium contento, sub quo determinato consensus conditionate futurus est, si donetur: ex qua, & electione absoluta, collationéque auxilij illius determinati per illam regulata, atque directa consequens, & logica necessitas boni illius vsus absoluti, & consequutionis absolutæ gloriæ habeatur. Hoc inquam in nostris principiis apertissimum est.

4. Nam scientia illa omnipotentiæ, & cumuli illius auxiliorum possibilium in eius virtute contentorum præcisè solum representat Deo possibilitatem alicuius auxilij indeterminatè, & vage, sub quo posterius prædestinandus consentiret, si donaretur. Vnde ex ea scientia quodcumque determinatè, & determinatum eligatur (etiam illud, sub quo consensurus prædestinandus sit, si eligatur & donetur) non eligitur scienter à Deo, siue ex scientia determinationis, & necessitatis logicæ, & consequentis boni absoluti eius vsus, & absolutæ consequutionis gloriæ prædestinato, quam reuera defert, ac deuoluit, & qua à Deo scienter destinari in eum bonum vsum, & consequutionem gloriæ absolutam determinatè prædestinandus ille à Deo dicatur, vt ab ipso prædestinetur, vt vidimus: ex ea igitur scientia solum potest Deus immediatè, & proxime procedere ad intentiuam gloriæ voluntatem huius prædestinandi præ alio, & neque ex hac præcisè illa determinatio, & necessitas vlla gloriæ prædestinati per eius merita contineri in nostris principiis potest: Cum ea efficax de se se absolutè esse nequeat; quia, antecedens cum sit boni illius vsus, & consequutionis gloriæ per illum libertati repugnaret: quare, etsi intentione inefficaci gloriæ, & scientia omnipotentiæ, totiusque continentiæ auxiliorum pro prædestinando possibilium positis, indifferens adhuc manet Deus, vt illum destinet, vel non destinet gloriæ, neque vllam determinationem, ac necessitatem adhuc logicam, & consequentem concernit nec ipse sciens, & prudens in prædestinandum deuoluit, quousque natura, intentionaliter posterius auxilium, sub quo determinato consensurus: gloriamque obtenturus conditionate est, si donetur, consensumque, & gloriæ consequutionem conditionate sub illo, si donetur, scientia media prænouit ex eaque illud absolute eligens, & apponens consequentem & logicam illam necessitatem, & consensus, & liberæ consequutionis gloriæ prædestinatorum auxilio illo collato defert, ob quam ad gloriæ finem absolutè consequendum determinatè destinetur, & verè, ac propriè prædestinetur, vt ratione postrema numero 1. & 2. ostendebamus: eam vero præluxisse præcipuè S. Augustino, & S. Thomæ definitionibus suis dubium mihi non est, & de S. Thoma ostendi certam. 1. numero 7. dum aliis difficilem, mihi facillimum textum explicarem. De S. Augustino ex suæ definitionis verbis constat apertius. *Præscientia, & præparatio beneficiorum* seu auxiliorum gratiæ *Dei*, quorumnam? *Quibus certissime liberantur quicunque liberantur*, id est illis ipsis, quibus de facto, & certissime liberantur.

5. Hinc deduces: præfinitione, seu intentione efficaci gloriæ ante præuisa merita (quam Soaristæ admittunt) siue ex scientia illa præcisa omnipotentiæ, & cumuli totius auxiliorum in eius virtute inclusorum præcisè, siue ex scientia media (vt Soaristæ hactenus explicarunt) à Deo habita, & concepta prædestinationem formaliter stare non posse, quousque auxilij electio absoluta regulata per scientiam mediam (permissa eius cum præfinitione illa compossibilitate) consensus liberi, & consequutionis absolutæ gloriæ per ipsum ita electi sub eodem ipso determinato auxilio posterius accedat: ea siquidem auxilij absoluta electione formali, & præparatione beneficij Dei, sui auxilij gratiæ ille, cui eligitur, & præparatur absolute in Dei præscientia, & voluntate certissime liberabitur: non autem ilia ad gloriam illius electione, seu efficaci intentione ac præfinitione ex qua ad auxilij eius electionem proceditur, tametsi eo ipso, quod efficax ad gloriam illius electio sit, virtualis & radicalis prædestinatio esse debeat: ea siquidem posita determinatus vere intentionaliter antecedenter manet Deus ad auxilij efficacis absolutam electionem, sub quo (iuxta Soaristarum præfinitorum explicationem) conditionatam futuritionem consensus liberi, & consequutionis gloriæ, antequam gloriæ electionem, & intentionem efficacem conciperet, prænouit, vel prænoscet iuxta regulationem aliam intentionis efficacis, seu electionis illius ad gloriam ex scientia omnipotentiæ, & cumuli auxiliorum possibilium in eius virtute inclusorum: sed tamen intentione hac efficaci ad gloriam, ex qua Deus determinationem præ-

parandi media certo gloriam obtenturæ antecedentem formaliter recipit, non recipit formaliter & proxime ita electus determinationem illam consequentem, & logicam adhuc in voluntate Dei necessariam, vt formaliter sit prædestinatus, siue ad gloriam per media destinatus infallibilia, quoúsque hæc eligantur. Ex qua electione proxime, & immediate donentur eisque in vitam æternam electus ille transmittatur, vt S. Thomas aiebat, per proximum eius effectum prædestinationem definiens, vt vidimus certamine primo, numero septimo.

6. Sed huius occasione video apud præfinitionis antecedentis de nostris liberis actibus regulatæ per scientiam mediam, eamve concernentis Patronos Recentiores nostros magnam litem excitari: an scientia sola omnipotentiæ suæ, quæ ratione cumuli auxiliorum in eius virtute contentorum creaturam quamvis, quo velit ducere Deus potest inspectata scientia media post necessario ipsi Deo adfutura de auxilio determinato cui creatura consentiet, si donetur, possit Deus consensum eius liberum præfinire salua æque libertate, ac si scientia hæc conditionata consensus liberi præfinitionem diuinam præcederet? Nostri certè nihil ea quæstio refert, qui vtrauis scientia regulatas præfinitiones consensus liberi nostri cum eius libertate, & suo proinde obiecto repugnare ostendimus controu. 4. de voluntate d. 6. quæst. 2. Sed Herize (cuius non refert maioris, quia eadem præfinitiones horret) regulatas per scientiam illam omnipotentiæ magis exhorret, indignasque Deo censet, citata d. 22. c. 3. num. 19. versu. *Secunda quod*, quem imitantur Recentiores alij: quia putant Deum ita præfinituram ex scientia confusa de conuersione aliquo vage auxilio ex inclusis in cumulo illo auxiliorum, & quasi tentando cumulaturum auxilia ex ea scientia ad actum præfinitum: ego vero quæst. 2. citata præfinitorum sententia admissa regulatam per scientiam potestatis suæ ad conuertendum quo velit rationalis creaturæ cuiusuis voluntatem admitti posse non dubito absque vlla scientiæ confusione & vagitate, & præfinitionis diuinæ imperfectione. Hæc enim veritas obiectiua vna & determinata est, in cuius proinde scientia, nequeat esse vagitas, & confusio: nimirum Dei potestas, & Dominium, & creaturam rationalem vertat liberè, conuertatque quo velit & in cumulo subinde auxiliorum de se indifferentium aliquod esse cui sit responsura: quare, & id Deus necessario absque vlla confusione cognoscit, nec pro illo signo amplius ex qua cognitione absque frustrationis decreti sui periculo physico præfinire potest actum liberum & gloriam per illum cum tali intentione & modo ni eorum libertati præfinitionis efficacia & connexio antecedens cum ipsis efficeret: nec pro tunc ad cumuli illius auxilia indiuiduatim, disiunctimque percurrenda, vt cuinam ex illis consensum rationalis creatura sit, perquirat, nec nisi disiunctim dispiciat diuinus intuitus descendit; sed ea necessaria veritate primum cognita, & creaturæ actu libero præfinito singulatim auxilia cumuli illius simul cognoscit, & sub quibus determinate consensura, sub quibus non consensura sit, si donetur: ac vi præfinitionis illius ex primis, si plura sunt, vnum eligit. An vero necessitas consensus sub aliquo auxilio collectionis illius conditionatè futuri, si donetur creaturæ rationalis libertati obsit, alterius loci difficultas est: nempe disputationis tertiæ, quæstione prima, vbi per otium examinabitur.

CERTAMEN VI.

Aliqui Recentiorum scrupuli expediuntur.

1. SCrupulus Recentiorum primus est: An, vt ex præfata intentione inefficaci salutis prædestinari per bonum vsum auxilij efficacis scientia media præeunte, & dirigente eligatur illud auxilium, quia ita efficax præscitum a Deo est, nec nisi efficax præuisum ab ipso eligendum, oporteat voluntatem aliam Dei efficacem reflexam de non dando eo auxilio, nisi efficax sit ad ipsius electionem, quasi natura, præcedere? an insuper tunc boni vsus nostri, & consequutionis salutis, & gloriæ per ipsum libertati officeret? Circa primum intercessirum decretum illud, vt Deus eligat, reflexe, & confirat auxilium efficax, quia præuisum efficax, non collaturus, & electurus si inefficax esset præuisum censet Recentior contra quem dicendum est: nullo talis decreti reflexi interuentu opus esse, vt auxilium efficax, quia præuisum efficax, nec aliter eligendum, dandumque de facto à Deo eligatur, atque donetur, ex quacunque intentione salutis efficaci, vel inefficaci. Probatur ex intentione efficaci regulata per scientiam mediam de futuritione conditionata boni vsus, & assecutionis gloriæ per illum, quam hic Author possibilem, & compossibilem cum boni vsus, & assecutionis gloriæ libertate ait: quia ex ea intentione efficaci manet Deus antecedenter determinatus ad eligendum auxilium præuisum efficax conferendum, negandumque, quod viderit inefficax: ergo opus non est interuentu decreti illius non solum, vt eligat & conferat sed, vt determinatus antecedenter sit ad necessario eligendum, & conferendum auxilium efficax: quia præuisum efficax, quin eligi ab ipso possit, si fuisset præuisum inefficax. Nec pluribus eget partis huius probatio. Altera pars ex intentione inefficaci præsupposita ad electionem æque facile probatur. Quia, etsi ea intentio inefficax non determinet Deum, vt efficax auxilium præuisum præ inefficaci eligat necessario, & apponat; ast non obest, quo minus libere ex eius efficacia præuisa ad illud præsufficienti eligendum, & conferendum moueatur. Da igitur ita de facto motum (vt potest) ad eius electionem, & collationem, tunc ita à Deo electum esset & collatum de facto, quia efficax præuisum, vt non daretur, eligererurque de facto, nisi præuisum esset efficax: tam certum est, quam est certum affectum quemvis voluntatis, deficiente fine, aut motiuo ex quo conceptus à voluntate de facto est, defecturum: quia essentia sua affectus quivis à suo fine, & motiuo dependet; & tamen decretum illud reflexum non intercedit.

2. Circa secundum censet idem author *ibi* interuentu eius decreti reflexi de non dando auxilio, nisi efficaci boni eius vsus nostri, & assecutionis gloriæ per illum libertatem posse ire saltem plenam in scholæ nostræ principiis. Dicendum secundò contra ipsum plene in nostris principiis eo decreto reflexo interueniente esse seruandam libertatem. Ratio est prompta: quia decretum conferendi auxilium, si præuideatur efficax, secus si inefficax solum habet efficaciam conditionatam sub conditione scientiæ mediæ terminatam, & vltimo connexam antecedenter, tanquam cum termino vltimo efficaciæ, & connexionis suæ ad auxilium, si efficax præuideatur, & ad eius negationem, si videtur inefficax: ergo purificata conditione per subsequutam scientiam mediam de futuritione conditionata nostri boni vsus auxilij, & consequutionis gloriæ, & salutis, seu efficaciæ auxilij solum habet connexionem, & efficaciam absolutam antecedentem cum absoluta existentia auxilij illius, nec aliam antecedentem connexionem habet, efficaciamve absolutam cum bono vsu, imò neque actiuitatem in illum, nisi mediatam ratione actiuitatis immediatæ, quam in illam habet auxilium illud quod necessario ex eo decreto reflexo, & subsequuta scientia media de efficacia illius eligendum, apponendumque absolute est: atqui auxilij illius connexio, & necessitas actiua, & antecedens cum nostro bono vsu ipsius nulla est, sed solum logica, & consequens: actiuitas quippe eius ad illum determinata & determinans ad bonum vsum potentiam, seu arbitrium non est, sed indifferens nostroque arbitrio subdita: ergo non tollit boni vsus nostri libertatem. Patet ex sæpe a nobis dictis ac demonstratis. Scholæ nostræ principijs: nempe solam necessitatem antecedentem natura, & connexionem causæ ex suo priori causalitatis actus libertati officere posse. Secus autem, quæ logica solum, & consequens sit, ex futuritione conditionata actus liberi sub eo auxilio,

auxilio, atque extrinseca huius efficacia, & eius absoluta positione.

3. Confirmatur ex doctrina Suaristarum præfinitorum nostrorum actuum liberorum, qui suarum præfinitionum absolutam connexionem cum actuum præfinitorum libertate inde componi putant, quod media solum actualitate indifferenti auxiliorum actus præfinitos agant absolute, & cum ipsis connectantur; tametsi quia falso & male connexionem præfinitionibus intrinsecam cum actibus cum earum actualitate mediata, & ratione auxiliorum confundunt, difficultatem non soluant; solueretur autem, si intrinseca connexio earum vltra absolutam auxilij efficacis positionem non procederet, vt in casu nostro non pergit. Confirmatur secundo, ex communi nostrorum omnium doctrina qui ex statis nostræ scholæ principiis disputarunt in terminis: an præfinitio actus liberi è sola scientia dominij & potestatis suæ nostrum arbitrium eiusque liberos actus ratione cumuli auxiliorum in sua omnipotentia clausorum inexpectata formali scientia media de iis quibus determinate consentiemus post modum adfutura, vt præsiniat, sit Deo possibilis? quam præfinitionem tametsi Herize nonnulliq; alij impossibilem censeant ratione imperfectionis & indecentiæ, Deo indigne quam is præfiniendi modus includit, nemo tamen fere eam rejicit; quia præfiniti actus libertati absolutæ aduersetur nisi regulatas etiam per scientiam mediam actuum nostrorum præfinitiones eorum libertati absolute aduersas nobiscum defendat, ratione intrinsecæ & antecedentis natura & causalitate necessitatis & connexionis earum cum absolutis actibus præfinitis, & subinde impossibilitatis antecedentis absoluti deffectus eorum, vt vidimus certamine 5. num. 6. cum autem, vt nuper diximus numero 2. decreti illius reflexi de non eligendo, dandoque auxilio, nisi post modum præcitum efficax scientia media fuerit, dandoque & eligendo si tale fuerit posterius præuisum absoluta connexio, posita etiam scientia media & purificata conditione cum absoluta auxilij efficacis existentia sit, ibique sistat neque ad absolutam actus nostri tanquam determinum essentialem à se connotatum alterius progrediatur, sit plane actus nostri absoluti libertatem, nec vera ratione, nec in scholæ nostræ principiis lædi; imo vero Doctorum nostrorum, qui ea principia percaluere, sententia, libertatem eo etiam reflexo decreto dandi auxilia si efficacia præuisa fuerint secus si ineffi cacia sartam tutamque seruari.

4. Sed videamus quid habeat roboris argumentum quo in scholæ nostræ principiis minuendam, magnam partem, decreto illo reflexo actus libertatem hic recentior conuincitur eius robur eo summatim reducendum est, ne singulis eius confirmationibus & solutionum quas affert impugnationibus examinandis inutiliter cartas opleamus & perniciosè legentium confundamus mentes, si Deus habeat decretum omnino independens à meo actu vel omissione, etiam conditionate futuris efficax de se, de illius existentia absolutè impediendâ) verbi gratia, de impediendo absoluto actu furti eius omissionis aboleret libertatem, & actum furti redderet absolute impossibilem in scholæ nostræ principiis: atqui decretum illud conferendi auxilium, si præuideatur post-modum efficax scientia media, qua proinde non regulatur, nec dirigitur, est decretum impediendi actum furti absolute, & omnino independens ab eius actus contingenti, & libera omissione etiam conditionate futura: liquidem scientiam de ea mediam non supponit vt patet: ergo abolet in scholæ nostræ principiis tam omissionis furti, quam actus furti absolutam libertatem. Minorem probat numero 12. argumento, quod directius probat totam conclusionem suam. Nam decretum illud est decretum dandi auxilium, si præuisum fuerit efficax, ac subinde eius efficacia ad eam præscientiam supposita, ad eius electionem, & collationem absolutam supponatur, cum qua, & absoluta auxilij electione, & positione ex parte actus primi ad furandum actus furti est impossibilis, ac simul est decretum non eligendi auxilium si præuisum fuerit inefficax, siue solum sufficiens: Ergo eo præuiso sufficienti, nec efficax dabitur, nec sufficiens ad furandum, vel non furandum, siue quo nequit esse ad omissionem furti proxime libera, & indifferens absoluta potestas, vt opus erat ad omissionis furti absolutam contingentiam, & libertatem in hæc sane recidunt omnia Doctoris huius argumenta cum pro conclusione sua probanda tum pro solutionibus, quas sibi ab aliis adhibitas refert euacuandis, ac reuinciendis adhibita. Distingue maiorem argumenti primi: independenter omnino ab actu, vel eius omissione conditionate adhuc contingenter futura, tanquam à præsupposita tantum ad decretum impediendi nego maiorem tanquam à præsuppositio vel essentialiter connotato pro posteriori ad decretum & pro priori naturæ ad absolutam eius efficaciam, & connexionem cum auxilio efficaci eiusque electione, permitto maiorem: similiter distinguo minorem: est decretum illud reflexum de auxilio efficaci eligendo, si tale fuerit præuisum, & secus, si solum præuideatur sufficiens, independens à futuritione illa contingente conditionata, tanquam à præsuppositio tantum concedo minorem, tanquam connotato etiam pro posteriori ad ipsum, & pro priori ad eius absolutam efficaciam, & connexionem cum auxilio efficaci, eiusque absoluta electione, & donatione, nego minorem. Siquidem, cum decretum illud conditionatum ex parte obiecti sit, si nimirum scientia media de eius efficacia adsit, vt decreti illius absoluta efficacia, & connexio cum auxilio illo, eiusque electione absoluta sit, purificanda est conditio scientiæ mediæ quam concernit, positione absoluta ipsius, ac proinde conditionata futuritio contingentis sui obiecti præsupponenda, vnde negatur facile consequentia.

5. Dixi autem in secundo membro distinctionis adhibitæ maiori *permitto*. Nam, etsi connexio, & efficacia decreti illius absolutæ cum electione, & donatione auxilij efficacis tantum esset, nec scientiam mediam, contingensque conditionatum eius obiectum supponeret, dum tamen concerneret electioni, & collationi auxilij præuiam, actus libertati non officeret. Ponè enim Deum ex scientia naturali dominij, & potestatis suæ in omnes liberos actus arbitrij creati ratione cumuli auxiliorum in omnipotentiæ suæ actiua virtute clausorum decernere, vt potest absolute, auxilium efficax, non quidem conditionate, si efficax aliquod in illo cumulo esse præuiderit, sed absolute prorsus, quia aliquid in eo cumulo efficax contineri prænouit, decretum illud ita à Deo conceptum absolutam efficaciam, & connexionem de se habet anteriorem prorsus scientiæ mediæ cum absoluta electione, & donatione auxilij efficacis, quia tamen ita concernitur essentialiter à decreto illo scientia media ad absolutum illius effectum & necessarium, nempe ad electionem, & collationem absolutam auxilij determinati, quod in illo cumulo efficax præ cæteris est, atque tota efficacia, & connexio antecedens in auxilio sistit, nec ad actum ex illo futurum extenditur: & insuper efficax auxilium illud seu habiturum effectum si donetur (quod scientiæ illius mediæ obiectum necessario præsuppositum est) ab exercitio libero, & contingenti conditionato, tandemque absoluto auxilij in entitate absolute posita pendet saluaretur in nostris principiis nemine discrepante libertas. Adde à præfinitionibus (ex quibus hic Author est) per præsuppositæ scientiæ mediæ directionem actuum nostrorum absque libertatis eorum læsione ex simili concernentia essentiali scientiæ mediæ ad electionem, & collationem absolutam auxilij determinati, quod præ aliis efficax est, admittendum necessario esse cum absoluta efficacia, & connexione decreti illius cum actu illo absoluto illæsam seruari libertatem, vt vidimus cert. 5. & n. 6. meminimus nuper n. 3.

6. Argumentum præcipuum, quo minorem primi hic Doctor probat (& probari directè etiam conclusionem suam notabamus numero quarto) eadem æquiuocatione, & fallacia laborat qua, tam ipse quam Recentiores alij decepti sunt, vt electionem, & collationem auxilij, seu medij efficacis ab extrinseco ad actum liberum, & meritorium, adhuc in speciali, ac perfectissima prouidentia obiectiue etiam, siue ex parte obiecti libera, atque ad rem præsentem in prædestinatione, ex scientiæ mediæ directione salua actus libertate, ac

merito

merito esse non posse docerent: nempe quia præsupposita ex parte actus primi scientia media dirigente electionem, & collationem absolutam auxilij efficacis, actusque proinde conditionata futuritione, qua efficax illud extrinsecus constituitur, nequit ex electione, & collatione absolutâ auxilij illius, potestate vlla, non esse, vel actus, vel omissio conditionate sub illo auxilio, si donetur, suppositâ, atque infallibiliter per scientiam mediam, & electionem ipsa directam absolute antecedens ad auxilij, & actus absolutam positionem. Hoc tamen argumentum seu æquiuocationem disiecimus, deteximusque fallaciam d. 3. de prouidentia quæstione 1. certamine 5. vbi impossibilitatem extremi oppositi omissioni, vel actui conditionate futuro sub auxilio ex scientia media, eiusque directione absolute electo, & collato consequentem solum, & logicam siue illationis eiusdem in statu vno ad seipsum pro alio, nusquamque antecedentem natura & causalitate (quæ sola libertati actus, & indifferenti potestati, seu libertati causæ in actu primo officere valet) esse posse monstrauimus; solum instari posset decreto illo reflexo posito dandi auxilium, si efficax præuideatur, secus si inefficax nulla præsuppositâ scientia media posset contingere nullum auxilium efficax præuideri: ex eo autem decreto determinatus est Deus ante omnem vsum, etiam conditionatum creatæ libertatis ad non dandum auxilium sufficiens: ergo tunc non posset constituere in actu primo libertatem, seu proximam & indifferentem ad vtrumvis creatæ illius voluntatis potestatem: quia nullum auxilium dari tunc à Deo posset, quo ea indifferens potestas constitueretur. Non efficax, quia nullum est, nec præuideri potest, non sufficiens; quia sufficiens à Deo donari ex decreto illo reflexo repugnat. Respondetur casum esse contra suppositum quæstionis, quæ est de decreto conferendi auxilium efficax, & non aliter, quod prædestinato conferatur, & respectu cuius de facto efficax est. Secundo ex parte Dei prædestinantis casus est absolute impossibilis ratione absoluti eius dominij, & potestatis in liberas omnes rationalis cuiusvis creaturæ actiones, & cumuli proinde auxiliorum actiuè in omnipotentia ipsius clausorum, vt cum hoc etiam Doctore supponimus. Demum hic Doctor plus argumentis suis probat, si quid probat, quam velit: nempe eo decreto non minui solum actus libertatem, sed funditus euerti, quod renuit, vt argumenta perpendenti constabit. Secundo, & conclusio, & argumenta ipsius cum his, quæ sequentibus capitibus, maxime penultimo, & vltimo docet, & discurrit minus cohærent, vt lector doctus videbit. Nos enim verosimiliorem doctrinam sectari tradere, & vindicare cupimus, neminem nisi vt opus ad id fuerit, insectati.

CERTAMEN VII.

Recentiorum Scrupuli tres expediti.

1. Est vero secundus Recentiorum scrupulus: An, vt electione prædestinatiua auxilium efficax, quia efficax ex scientiæ mediæ de ipsius efficacia directione eligatur, ac prædestinatione propria, vt diximus, donetur, ex intentione præsertim inefficaci boni vsus ipsius, & obtentionis gloriæ per ipsum, opus sit eius efficaciam electione ipsa amari, vt à reprobo, cui bonus vsus auxilij præstiti, & gloriæ assecutio per illum æque serio à Deo intenditur (vt nunc supponimus) discernatur. Amari debere ea electione prædestinatiua ad discretionem illam à Deo faciendam & eligendum auxilium efficax quia efficax prædestinatio, censent. Soarius 1. de essentia prædestinat. capite 7. numero 10. & Recentiores plures, quibus ansam præbuit Herize contendens speciale beneficium respectu prædestinati à Deo esse non posse, ni expresse, & directe auxilium efficax, quia efficax electione discretiua prædestinati à reprobo adeo ametur vt ex ipso recitauimus ex d. 22. capite tertio, numero 24. versu *Tertium*. Quia de nil. quo prædestinatus, & reprobus, quoad amorem Dei formaliter affectiuum pares sunt: cum ex æque seria intentione salutis eorum apponatur auxilij entitas, quandoque intensior sufficientis pro reprobo, quam efficacis pro prædestinato. Secundo arguo pro Recentioribus, quia eligi auxilium efficax, præscitumque efficax nequit esse, nisi ob motiuum efficaciæ eius præscitæ; alias nec opus esset illam vt eligeretur auxilium illud præscire, nec eligi, quia efficax dici posset: at moueri illam, vt auxilium eligatur & ametur, nequit nisi eadem efficacia ametur: ergo, vt eligatur prædestinatus quia efficax, debet efficacia ipsa expresse & formaliter electione ipsa amari.

2. Dicendum nihilominus est: vt auxilium efficax, quia efficax, seu non eligendum, si inefficax præscitur, electione prædestinatiua à Deo absolute eligatur, & apponatur amari eius efficaciam opus non est. Probatur primo ex dictis certamine tertio, numero octauo. Etenim ex eo præcisè, quod efficaciæ auxilij præscius, atque ex intentione inefficaci, determinata tamen boni eius vsus, & consequutionis gloriæ à prædestinato ductus, & ex præscientia illa directus ad electionem efficacis prænoti Deus procedat, tametsi eius efficaciam expresse, & formaliter electione ipsa non amet, curare tamen illam ex intentione illa magis de bono vsu, & gloria prædestinati, quam de ipsis curaret, si ex scientia illa, sed ex scientia simplicis intelligentiæ elegisset pro illo sufficiens solum, vt reprobo eligit, certissimum est. Insuper ita directam electionem auxilij efficacis ex intentione illa habitam esse voluntatem interpretatiuam, & exercite (etsi non efficacia absoluta) actiuam boni vsus prædestinati, quod non habet electio auxilij sufficientis pro reprobo: vnde, & gratia, & beneficij specialis habere efficacis præ sufficiente auxilij, ita electi, & collati donationem ostendimus certamine quarto à medio numeri tertij, ac deinceps: in autem satis discernitur affectiue prædestinatus à reprobo: tametsi in salutis intentione nuda, ac præcisa sint in Dei affectu æquales, nec efficacia auxilij electione ipsa ametur, dummodo ideo, quia præcognita eligatur, atque inde, & de intento fine magis à Deo electione ipsa, quæ illius interpretatiua voluntas est, afferens prædestinato, vt dixi, certamine 5. logicam & consequentem illius obtinendi necessitatem, & determinationem.

3. Etenim inde perspicuum est intentionem illam salutis, & gloriæ prædestinati æqualem etiam, illi, quam Deus habet gloriæ, & salutis reprobo, respectu huius totas suas vires, & motionem affectiuam non explicare de facto, & exercere: quandoquidem, nec scientia efficaciæ alterius auxilij mouet Deum de facto, vt præ sufficienti, quod reprobo confert, efficax illud donet: nec scientia inefficaciæ auxilij sufficientis, quod ei donat, ne donet illud detinetur. At respectu prædestinati intentio salutis æqua etiam totam suam affectiuam motionem explicat, & exercet: cum Deum retinendo ne auxilium donet, quod sufficiens solum scientia condionata nouit: tum mouendo, vt donet, quod efficax prænouit, scientia eadem. Quo fit, vt, licet electione ipsa efficacis auxilij eius efficacia, finisque gloriæ expresse, & formaliter non ametur, impulsa tamen, & motione affectiua intentionis eius electione auxilij, quia efficax præuisum est, exercite, & in actu secundo ametur ea eadem ipsa intentione salutis prædestinati magis, quam reprobi respectu cuius, atque licet salutis eius intentio, non tamen totam suam affectiuam virtutem, & motionem in Dei voluntate exercet: inde ad rationem ab Herize tactam patet solutio, atque ad secundam à nobis subiunctam: etsi enim non ametur expresse electione ipsa auxilij eius efficacia prænota, amatur tamen interpretatiue per illam, & intentione ipsa formaliter exercite, & in actu secundo affectiuæ motionis, quam intentio illa in se inhibitam & intrinsecam habet: & quam, ni efficaciæ auxilij amedia scientia præcederet, electione ipsius exercere non posset: quare & verum est, quia efficax ex ea intentione absolute eligi, & apponi.

4. Tertiam

4. Tertiam probationem conclusionis primæ secunda super re eadem conclusione eiusque probatione ita subiungo. Dicendum est secundo: electione ipsa medij efficacis, quid præuisi efficacis, nequit expresse, & formaliter eius efficacia amari: ex hac conclusione si probetur prima, quæ negatiua de facto est, probata firmiter manebit: a negatione quippe potentiæ, tam physicæ, quam logicæ seu possibilitatis ad negationem actus generis alterius est illatio legitima. Probatur secunda hæc conclusio: quia efficacia auxilij amari electione illa (immo affectu illo Dei) nequit amore desiderij, aut complacentiæ: ergo nec potest electione illa regulata per scientiam mediam absolutè amari: siquidem alterutro solum ex his amoribus à Deo amari potest quod amandum ab ipso est. Antecedens probo: atque in primis non posse amari electione illa amore desiderij patet: siquidem desiderium nequit esse de re, quæ ad ipsum supponitur pro eo statu, siue, vt esse supponitur: quia desiderium omne essentia sua est de re, vt fit, vel saltem vt in alio statu, vel aliter fit, quam ante desiderium esse supponitur ac desideraturo proponitur ac innotescit: atqui Deo proponitur efficacia auxilij illius per scientiam mediam electionis auxilij efficacis directricem, ac proinde ad eam supponitur: ergo nequit auxilij efficacia prænognita, & præsupposita electione illa amore desiderij amari, sed nec amore complacentiæ: quia complacentia solum potest esse de obiecto eiusque bonitate absolute existente, cuiusmodi non est obiectum possibile, aut conditionate futurum: ast efficacia auxilij præcognita per scientiam mediam electionis prædestinatiuæ directricem stat formaliter in futuritione conditionata boni vsus, & consequutionis gloriæ per illum, si illud auxilium donetur: ergo nequit esse de efficacia auxilij illius amor complacentiæ. Maior est nobis certa & statuta controuersia 4. de voluntate d. 2. & ex qua amorem complacentiæ Dei de possibilibus, qua talibus, rejecimus contra non paucos ibi quæstione secunda, ac similiter futura conditionata qua talia: ibidem quæstione tertia eo adeat lector cum ad manum hoc tomo habeat: vbi etiam obiectionis postremæ inneniet solutionem, etsi enim efficacia auxilij, seu futuritio conditionata boni nostri vsus sub auxilio præscita ratio sit inducens, vt aliud ab ipsa ametur electione ipsa; nempe auxilium formaliter, & expresse, & bonus eius vsus interpretatiuè: id tamen affectu desiderij istorum amatur, non autem complacentia in ipsam: quia bonitas, non vt existens absolute representata, solum excitat ad desiderium sui, vt existat in alio statu non autem in illo: atque absque complacentia in illo non absolutæ suæ existentiæ, pro quo complacentiæ obiectum incapax est, vt eis locis fusius respondebamus, atque explicabamus

5. Tertius Recentiorum scrupulus. An si electione illa auxilij efficacis, quia efficacis præsciti, efficacia ipsa auxilij amaretur formaliter, & expresse (quod ipsum de amore interpretatiuo ipsius dubium esse poterat) boni vsus, & consequutionis gloriæ per illum libertas periret. Perituram supponit Herize sæpe citato capite 3. & Recentiores alij, contra quos negatiue respondeo: quam negatiuam resolutionem supponit Soarius 1. de essentia prædestinat. cap 7. numero 10. Ratio est in aperto: quia, cum efficacia auxilij stet in futuritione conditionata boni nostri vsus sub auxilio eodem ad electionem illam præsupposita electionis illius in illam, siue formalis, siue interpretatiuus amor (nunc permissus) solius complacentiæ esse posset: quare ad illam electio, qua desiderium, & secundum antecedentem suam actiuitatem minime terminaretur, nedum secundum causalem suam efficaciam, & connexionem, quæ sola eius statu libertati & purificata conditione eiusdem boni vsus libertati absolute posset officere: solum ergo terminaretur in bonum vsum sub eo auxilio conditionate futurum: quia complacentia de ipsius conditionata futuritione esset, quam tunc supponeret: qua desiderium vero, & actiua ea electio esset, efficaciam totam; & actiuam connexionem in auxilium tunc solum exercere posset nusquam in eius efficaciam terminaretur: quia vero eius interuentu bonum ipsum vsum mediate, tunc etiam, sicut nunc, causaret, certoque, & necessario necessitate logica, & consequente ex futuritione conditionata, quam ex eius boni vsus, & consequutionis gloriæ absolutæ intentione electio illa supponit, actiuitatem suam in bonum vsum; & gloriam prædestinati absolutam exercet, essetque respectu eorum interpretatiuum desiderium, tametsi respectu eorum intrinsece efficax interpretatiuum adhuc desiderium non sit: quare nec potest ipsorum absolutæ libertati officere.

6. Scrupulus quartus. An directiua electionis prædestinatiuæ scientia ad purum, & adæquate media sit, & quorum conditionatorum contingentium? Et circa primum certum est plures nostro intelligendi modo actus scientiæ naturalis de rerum naturis, essentiis, conditionibus, & proprietatibus requiri, saltem remotè ad prædestinatiuam electionem: plures etiam actus visionis causarum moralium naturalium existentium in tota prædestinationis serie ad eius effectus apponendos intercedere vt vniuersim notauimus, & quantum satis sit, recensuimus controuers. 6. de prouident. d. 2. quæst. 1. n. 3. & 4 nec specialem in prædestinatione (de qua hic) seu prædestinatiua medij efficacis electione, quæ in prouidentia, & electione medij sufficientis pro reprobo non inueniatur habet difficultatem, & de re neutrobique vllam, vt ibi notabam: quare de scientia solum media oportet hic definire ad quænam obiecta conditionatè contingentia, eorum quæ in tota prædestinationis cuiusque contextura obueniunt, ostendatur? Breuissimè autem statuo, eorum omnium contingentium, quæ quouis gradu ad finalem gratiam, in qua prædestinatus quisque decedit conducunt conditionatam, seu mediam scientiam de ipsorum conditionata futuritione ipsius prædestinationem essentialiter ingredi, atque electionum mediorum quarum collectione ordinata illius prædestinatio integra completur esse directricem, reliquorum vero contingentium, quæ in prædestinati vita eueniunt, nec ad finalem eius gratiam vllatenus conducunt scientiam mediam non ingredi, neque electionem prædestinatiuam vlla ex parte dirigere. Ratio est facilis. Quia vniuscuiusque prædestinatio est non ad gloriam vtcunque, sed ad tantam determinatè gratiæ & iustitiæ finali, iurique, & exigentiæ ipsius respondentem: vnde quidquid ad cumulum gratiæ, & iuris illius ad tantam gloriam, ad quam vnusquisque prædestinatur, vt medium ad eius contingentes actus quibus particulæ gratiæ, & iuris illius respondens, conducit, à Deo præsciendum conditionatè præparandumque est, vt certissime liberetur, & saluetur, eo salutis, & gloriæ gradu, ad quem præscientia & præparatione beneficiorum Dei, seu prædestinatione diuina infallibiliter ducitur ac perducitur. Reliquorum vero contingentium, quæ nullatenus ad gratiam finalem conducunt media, tametsi efficacia, prædestinatione, seu electione prædestinatiua non apponi certum ex eadem ratione est. Quare neque futuritionis conditionatæ illorum scientiam prædestinationem ingredi, neque ad prædestinatiuam electionem supponi.

7. Explicatius minutiusque conclusio euoluta, docet actus omnes indifferentes (si tales in actionibus nostris admittantur) mediaque siue cogitationes Dei prouidentia haud dubio dispositæ ac præparatæ nos ad illos inducentes de facto è Dei prædestinatione non esse neque efficaciæ mediorum illorum, futuritionisve conditionatæ eorum actuum condionatam scientiam, vt electionis prædestinatiuæ directiuam, vsquam ingredi: scientiam vero mediam efficaciæ auxiliorum, & futuritionis conditionatæ contingentis oblationis paruuli ante vsum rationis emortui à parentibus vel aliis, quibus ad regenerationis lauacrum offertur, & intentionis legitimæ, ac requisitæ baptizantis paruli prædestinationem ingredi? Item mediorum efficacium, seu conditionatæ futuritionis sub illis bonorum operum, ac meritorum prædestinari iusti adulti, etiam per peccatum mortificandorum. Hæc enim per peccatum reuiuiscere, & gratiam ipsis respondentem per subsequutam pœnitentiam restitui omnium Theologorum communis sententia est: secus eam quæ ex opere operato

ex sacramentis percepta fuit: quare scientia media de contingenti eiusdem perceptione conditionata ea solum parte, qua ex opere operantis gratiæ aliquid bono illo ad sacramentum accessu perceptioneque recipit ad prædestinationem spectabit. Rursus scientia media de honestis actibus, & de congruo solum auxilia gratiæ ad pœnitentiam prædestinato peccatori pro merentium eius prædestinationem ingredietur: remote enim ad gratiam, & iustitiam finalem prædestinati illius conducunt. Denique, & permissionis peccati media scientia ex cuius pœnitentia iustior, humilior atque ad ampliorem gratiam lapsus prædestinatus resurget, ac pristinam recuperabit: secus peccatum ipsum, quod, licet recuperationis illius, & augmenti gratiæ occasio sit, à Deo tamen præparatum nusquam fuit, nec intentum. Dixi *denique*. Nam, licet decretum gloriæ ob finalem iustitiam prædestinati collatiuum necessario prærequisitum medium sit ad gloriam, ad quam quis prædestinatus est, vt de facto, formaliter, actu, & exercite ab ipso obtineatur, & possideatur: liberum autem, & contingens sub hypothesi decessus prædestinati in gratia, non est; sed necessarium ex fidelitate promissionis diuinæ de gloria ita decedentibus largienda: quare nec scientia media de eo esse potest; esset autem ni ea adesset absoluta promissio.

CERTAMEN VIII.

Vltimi cæteris grauioris scrupuli expeditio.

1. QVintus scrupulus Recentiorum, & qui in re præsente postremus est. An, licet, vt auxilium efficax prædestinatione, seu electione prædestinatiua donetur, scientia media efficaciæ auxilij, seu conditionatæ futuritionis euentus contingentis sub illo essentialiter ad eiusmodi electionem prærequiratur, & ex parte prædestinationem constituit, vt hactenus ostendimus; alio autem non prædestinatiuo, siue prædestinatiuæ electionis ordine, possit ex scientia solum simplicis intelligentiæ à Deo donari? ac subinde electionis medij efficacis absolute sumptæ scientia media essentiale principium directiuum non sit? sed solum electionis prædestinatiuæ, seu ex certitudine, & infallibilitate euentus contingentis absolute obtinendi prædestinationis essentia inclusis? videtur enim ex vna parte principium directiuum omnis electionis, & collationis auxilij efficacis absolute esse debere: siquidem quocunque modo, & ordine à Deo efficax auxilium absolute eligatur, & conferatur ex fine aliquo ad quem, non conducat solum, sed de facto, & cum effectu ducat, eligendum, donandumque à Deo esse: & à Deo, non quidem inscio, & incerto euentus, non solum quem potest, sed quem habiturus de facto est ad finem, ex cuius intentione eligitur, atque à Dei prouidentia ordinatur, etsi ex inefficaci finis intentione à Deo prouideatur, atque ad finem illum ordinetur; si quid valent datæ hactenus à nobis, vel ex aliis approbatæ rationes pro necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem constituendam dirigendamque prædestinatiuam electionem maxime propugnatam certam.3.

2. Aliunde vero videtur scientiam mediam de auxilij, seu medij de se indifferentis, & extrinsecus efficacis, efficacia principium essentiale directiuum electionis omnis auxilij illius absolute esse non posse, salua contingentis euentus libertate, ac subinde scientiæ mediæ quæ supponebatur essentia consistente: quare, & sententiam affirmantem contradictionem inuoluere, cum scientiam mediam destruat, quam supponit: si enim scientia media essentiale principium directiuum electionis auxilij efficacis ab electionis huius secundum essentiam, & intrinsecum sui nude sumptæ, & consideratæ natura essentialiter præsuppositum, & prærequisitum sit: fiet, vt in statu absoluto nulla electio, & collatio absoluta auxilij efficacis à Deo esse possit, quin scientiam illam essentialiter, & principium sui natura & causalitate præsupponat. Cum autem absoluta auxilij illius entitas, existentia, & intrinsecum esse dependentiam à Deo ipsum vere potente eligere, & conferre imbibitam medullitus habeat, nequeatque Deus illud eligere, & conferre, nisi per aliquam electionem vere possibilem: fiet tandem, absolutum esse intrinsecum, & entitatem auxilij efficacis scientiam illam, vt sui principium essentiale etiam supponere: nempe principium, cum quo purificata conditione per auxilium & ipsum, & contingens quod sub illo erat conditionate futurum, eoque posito in absolutum transit, & absolute non esse ex principio, causaque sui & præquisito essentiali, & antecedente natura prorsus repugnet: quod ipsum est liberum, & contingens absolute non esse. Sed neque conditionate: cum nec in statu illo, vllove ab essentia sua essentialique respectu ad principium illud essentiale sui queat præscindere: quare, & scientia media, quæ eiusmodi principium est debeat in hypothesi poni ac præcedere, sub qua æque necessarius bonus auxilij efficacis vsus erit, atque illa electione, quæ ex collatione, atque auxilio absolute positis necessarius absolute fore nuper concludebatur.

3. Ob hæc argumenta duæ possent esse hac super re Theologorum scholæ nostræ opiniones. Quarum altera, si alterius aduersæ fundamento verisimiliter satisfaciat satis probabilitatis habebit. Pro affirmatiua (quam numero secundo fundabamus) essentialis præcedentia, & directionis scientiæ mediæ ad auxilij efficacis quascumque, & omnem etiam non prædestinatiuam electionem, responderi ad negatiuæ fundamentum posset, ab iis, qui principia remota omnia, causas per accidens, & censent & appellant, scientiam mediam causam auxilij, à quo proxime eius bonus vsus, & contingens effectus absolute prouenit, & principium rerum solummodo esse vt patet, & causam per accidens, vt musicam in Architecto ad ædificandum. Alij voce non adeo dura fors respondeant: causam, remotamve quodvis principium vere causam, & principium, neque ita per accidens, esse; at vero, cum proxime non influant, earum carentiam, seu negationem ex parte actus primi proximi, quem non constituunt, non requiri: quare principij proximi, & auxilium & creatam voluntatem adæquate constituti indifferentiam ad bonum auxilij vsum, vel eius omissionem, aut vsum oppositum saluat determinationis, & connexionis principij remoti, per se etiam essentialiter, remotè tamen, requisiti cum bono vsu auxilij illius huius libertati officere minime posse. Hæc sane, & alia, quæ pro compositione præfinitionum nostrorum actuum regulatarum per scientiam mediam cum earumdem libertate ex Soatistis nostris referebamus controuersia 4. de voluntate d. 6. quæstione secunda responderi etiam hic possent; quæ tamen longius memoranda nunc, & confutanda non sunt, cum ea omnia eo loco tetigerimus. Solum addo ea ad præsens minori probabilitatis specie responderi, quam pro illis præfinitionibus posse. Cum hæc principia per se, & essentialiter, adhuc remote requisita ad auxilium efficax, eiusque bonum vsum non sint; in præsenti vero, tam electio efficacis auxilij essentia sua per scientiam mediam regulata, quam scientia ipsa media, qua regulatur, tam auxilij efficacis quam boni vsus ipsius principia, licet remota, necessaria tamen, & essentia requisita sunt.

4. Dices connexionem illam, tum electionis auxilij efficacis essentia sua per scientiam mediam regulatæ, quam scientiæ mediæ regulantis cum bono auxilij vsu, & effectu contingenti purificata conditione, seu auxilio efficaci per eam electionem absolute posito, consequentem esse, & logicam esse; tametsi in coniuncto electionis illius, & auxilij efficacis absolute posito, & antecedente naturæ & causalitate absolutus bonus illius vsus contineatur: est enim connexio à futuritione conditionata, quam scientia media supponit, vt obiectum, tota prouenit,

&

& quæ vt diximus controu.6. de prouidentia d 2.quæst.2. certam. 5. à boni vsus auxilij illius absoluta positione tandem obiectiue pendet: hæc autem ex auxilio de se indifferenti, & extrinsecus efficaci solum à conditionata boni vsus futuritione ab arbitrio creato libere ponitur: ita nimirum, vt ab arbitrio illo non poni posset, atque absolute omitti: quo, & futuritio conditio sub eo auxilio non esset, sed scientia subinde media, nec per ipsam essentialiter regulanda auxilij illius electio: ac proinde impediri absolute ab arbitrio creato ea omnia pro priori naturæ possunt, ne fuerint; tametsi semel posita impediri nequeant ne sint, ex suppositione scilicet, quod sint, ac pro naturæ priori præcesserint: immò nec bonus vsus absolutus auxilij, qui, vt illa omnia pro naturæ priori, suo quæque loco, & gradu in suo genere præcesserint absolute existens prioritate naturæ in casu purificationis conditionis per absolutam auxilij positionem in genere alio obiectiuæ præcedentiæ absolute existens supponitur: ac proinde solum ex suppositione, quod absolute sit eo auxilio posito, infertur cum bonum vsum necessario absolute sub auxilio illo posito fore: ea autem necessitas consequens solum, & logica necessitas est, non physicæ causæ, & antecedens, vt de se patet, & dicebamus citato certamine quinto ad argumentum simile Recentiorum contra præcedentiam scientiæ mediæ ad prædestinatiuam electionem auxilij efficacis directiuæ, & necessario directiuæ, si ordine prædestinatiuo habenda à Deo ea electio sit. Mutuam vero hanc causalitatem in diuerso hoc genere, & necessariam ad conciliandam libertatem nostram, cum certitudine, & infallibilitate causalitatis prædestinationis circa euentum contingentem, ad quem per media de se indifferentia, & extrinsecus solum efficacia prædestinamur, nullatenusque repugnantem suppossuimus, & ostendimus eodem cert. 5. Nihil sane apparentius, & subtilius pro affirmante sententia adducti n.2. excogitari posse videtur.

5. Statuta enim indifferentia auxilij entitatiua, quam quæstio hæc supponit, nihil argumentum oppositum probat. Certum quippe est entitatem auxilij secundum se cum boni vsus negatione esse coniungibilem, quod si de facto coniungendum cum illa foret, si daretur (vt coniungenda esse sufficientia, quæ reprobis dantur certissimum est, licet de se ac entitate sua cum bono ipsorum vsu potuerint coniungi) ex scientia solius simplicis intelligentiæ possent conferri: quare essentia, & entitate sua electionem regulatam per scientiam mediam non respiciunt vt à Deo absolute apponantur: vnde in hypothesi in qua secundum solam, nudamque entitatem suam positum auxilium est, futuritionem conditionatam sui boni vsus non respicit, cum neque eius essentia electionem regulatam per scientiam mediam supponat, quod si ita posito in hypothesi auxilio secundum nudam suam entitatem cum bono vsu coniungendum conditionate sit (vnde efficaciam extrinsecus fortitur) atque à Deo per scientiam mediam videatur; tametsi eius efficacia bono vsu conditionato constituta, & per scientiam mediam à Deo cognita, aliter quam ex scientia media auxilium illud ad finem intentum eligi absolute à Deo nequeat, & apponi; auxilium illud intrinsecam connexionem cum futuritione illa conditionata boni vsus, quam ex accidentaria ipsi electione ita regulata intrinsecus non supponit, entitate sua non habet, quæ secundum se absque electione ita regulata apponi à Deo absolute potuit; sed ratione extrinseca, & contingenter ipsi adiunctæ efficaciæ, seu boni vsus conditionata sub ipso futurione: quare nec suæ entitatis positione ex parte actus primi, qua, & conditio purificatur, & conditionatus vsus bonus in absolutum transit, necessitas physice, & natura antecedens ad bonum vsum absolutum ponitur: licet ex huius auxilij absoluta positione, & futuritione conditionata, quam essentia, & entitate sua (qua sola actum primum ad bonum sui vsum constituit) nec contineat, nec respicit, sed extrinsecus, & accidentarie adiungitur, necessario resultet: est igitur æquiuocatio, & fallacia argumenti in eo: quod scilicet electio per scientiam mediam regulanda, qua ratione efficaciæ, extrinsecæ prorsus, auxilij præuisæ auxilium præuisum efficax apponendum asseritur necessario, ita necessario apponendum ratione entitatis intrinsecæ, & essentiæ auxilij ipsius in argumenti pro negante sententia præmissis supponatur.

6. Sed affirmantis sententiæ argumentum necessitatem omnimodam electionis per scientiam mediam regulatæ, vt auxilium efficax, taleque à Deo cognitum absolute apponatur non prorsus euincit: etenim auxilij sufficientis reprobo dati, inefficacia extrinseca à negatione conditionata boni vsus cognita à Deo per scientiam mediam est: sed tamen absoluta inefficacis illius, & sufficientis auxilij electio, & absoluta appositio per scientiam mediam non dirigitur, vt ostendi contr.6. de prouidentia d. 2. q. 2. cert. 2. & dicam controu.8. d. 1. q. 2. Ergo, etsi efficacia auxilij, efficacis extrinseca à conditionata boni vsus futuritione, per scientiam mediam à Deo cognoscatur, non est opus, vt eius absoluta electio, & appositio essentialiter, & necessario per scientiam mediam dirigatur, & reguletur. Probatur consequentia, ideo auxilium inefficax, & solum sufficiens eligi absolute potest electione non regulata per scientiam mediam, quia dari potest, non quia inefficax, etsi tale esse cognoscatur, sed solum quia sufficiens positiue: ast auxilium efficax, etiam si tale cognoscatur, potest à Deo eligi absolute, ac dari, non quia efficax, sed præcisè, quia positiue sufficiens: ergo potest à Deo eligi absolute electione non regulata per scientiam mediam. Minor stat, dummodo repugnantia non ostendatur: sed probatur positiue; quia auxilium efficax, qua vtile, & conducens, seu positiue sufficiens amabilitatem habet intrinsecam: ergo, & amabilitatem, quin vlterius voluntas in extrinsecam eius efficaciam tendat, eave ad eligendum absolute apponendum illud moueatur: ea autem conducentia, vtilitas, siue sufficientia positiua sola simplici intelligentia à Deo cognoscitur: ergo ea sola diriget eam auxilij illius apponendi electionem, & voluntatem: si autem id voluntas Dei potest ex fine exercendi suam in ea electione libertatem, & constituendi poteptiam in actu primo proximo ad bonum vsum, & eius oppositum auxilium efficax, quia conducens, & positiue sufficiens præcisè, poterit illud ex sola simplici intelligentia, non quia efficax eligere.

7. Quod si ex determinati boni vsus seria, veraque (tametsi inefficaci) intentione de medio efficacis prouideat Deus, difficilius plane est, non, quia efficax, atque non spectata scientia media de efficacia, & bono vsu ipsius pro priori ad eligendum à Deo absolute eligi, & apponi nequeat, sed ob rationem Molinæ, Lessij, & aliorum à nobis propugnatam cert.3. n.3. Definitè ergo in difficultate concludo neutrius sententiæ fundamenta posita (quæ quidem vrgentiora videntur) alterutram partem concludere. Non affirmatiuæ, quia ex proxime dictis constat auxilium de facto ab extrinseco efficax, non quia efficax, necessario eligi à Deo debere, sed posse etiam eligi solum, quia positiue sufficiens, si ex alio fine, quam boni vsus liberi, & effectus contingentis, & determinati obtinendi, sed indeterminate, & pure permittendo creatæ voluntatis determinationi alterutrum, à Deo eligatur vt decretum concurrendi indifferenter cum arbitrio creato permissiue solum erga alterutram ipsius determinationem se habere docebamus tom. 1. de Deo vno disput.3. quæst.2. Neque negatiuæ sententiæ fundamentum intentum euincit, vt vidimus proxime num.4. & 5. æstimo tamen ob rationes contra affirmantem sententiam num.6. atque hoc 7. datas directionem scientiæ mediæ essentialiter ad auxilij efficacis electionem non requiri, tametsi ad prædestinatiuam electionem, & de quouis contingente fine, ad quem est intento de auxilio efficaci prouidendum sit, ad electionem similem essentialiter requiratur.

QVÆSTIO III.

De electione ad gloriam ante absoluta merita prædestinati præuisa.

QVIuersaliori titulo, quam ab aliis solet, quæstio proponitur. De electione enim solum efficaci ante merita absolute præuisa magna contentione à Theologis nostris disputatur, ex quo Vasquez & Soarez, (duo illa Scholastici belli fulmina) tot post Herculeos Scholasticorum veterum labores plus nobis vltra Theologiæ ostendentes super ea quæstione magno, & ingenio, & studio decertarunt; sed tamen vniuersalius proponenda visa nobis est: cum, vt nihil quod ad antecedentem electionem ad gloriam à Deo Patres tradiderunt omittatur: tum, vt eorum, quæ Vasquistæ, & Soaristæ ex scriptura, & Patribus pro sua quique sententia, & contra aduersam producunt, æqua iudicis lance librentur. Quæstio autem de adultorum prædestionatione procedit: infantium enim paruulorum cum gratia Baptismi ante vsum rationis decedentium nulla merita sunt.

CERTAMEN I.

Ante absolute præuisa merita eligi ad gloriam prædestinatos: certum omnibus est, de eius vero electionis efficacia non item.

1. SEnsu certe aliquo vero, & Theologico prædestinatos ante præuisa merita ad gloriam electos esse Theologo viro dubitare non licet: ita enim, & scriptura & Patres passim loquuntur vt vidimus ex scriptura d. 1. quæst. 2. cert 2. num. 3. fine num. 6. & num. 7. toto. Dilecti insuper dicuntur absque vllo ipsorum merito n. 5. & 6. ex puraque Dei misericordia, & gratuita voluntate, id quod Iacobi Prædestinatorum typo, & Esau reproborum exemplari, ac insuper massæ eiusdem partim in vasa honoris, partim in contumeliæ vasa pro figuli arbitrio electæ, dispositæ, Paulus explicuit ibi, & confirmauit. Ex quibus certum omnibus est omnino Prædestinatos ante omne ipsorum meritum ad gloriam, perpetuamque cum ipso amicitiam à Deo fuisse ex scriptura, Patribus ad ea scripturæ testimonia, liquido constare: quare, & electionem ad gloriam ante præuisa prædestinatorum merita à Theologis omnibus vero aliquo Theologico sensu admitti absolute debere, nec posse omni vero Thologico sensu à sano, & Catholico Doctore absolute negari sola est locutio quædam difficilis Augustini ex quæst. 2. ad Simplician. (de qua rursus certam. 4. fusius agetur) ad institutum efficacis electionis antecedentis merita prædestinati ad gloriam, quam, dum negare semel videtur: atque his iterum verbis: *non tamen electio*, ad gloriam *præcedit iustificationem* (quæ vtique ex prædestinatione procedit,) *sed electionem iustificatio* (quæ post prædestinationem ordine naturæ est, & causalitatis intentionalis hac ratione probat. *Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab eo, qui reijcitur*: quæ nimirum distantia ante merita, ac demerita prædestinati, & reprobi non est: quare prædestinati ad gloriam ante merita electio vlla esse per Augustinum nequit: verum cum de efficaci electione ad gloriam ibi agat hanc vt summum ibi negasset. Secundo forte, etsi non ad rem ipsam, ad absolutam denominationem electionis, siue ad gratiam, siue ad gloriam vnius præ alio diuersitatem aliquam ex parte ipsorum (quam distantiæ nomine explicauit) ac præsupponi censuit.

2. Cæterum, verus sensus Theologicus electionis prædestinatorum præ reprobis ad gloriam, quo admittitur ante præuisa absoluta prædestinatorum merita, à Catholicis cunctis Doctoribus electio eiusmodi absolute debeat, speciatim, & determinate assignari non ita facile potest: si enim electionis antecedentis merita nomine intentionem solam salutis eorum velis significari, ab eius erga prædestinatorum gloriam efficacia, vt nunc supponimus, præscindendo: cum eam etiam erga reproborum salutem habeat Deus, nequit inde eorum præ reprobis electio asseri: cum sint in ea intentione salutis, & gloriæ reprobi prædestinatis æquales: quare neque hi ab illis discreti, vt ad proprietatem electionis vnius præ alia oportebat. Nec satis videtur efficacium mediorum per prædestinationem præparatus prædestinatis accessus, quia prædestinatiua, ac præparatiua mediorum efficacium gratiæ voluntas ad gratiæ media, non autem ad gloriam se vlterius extendit, maximè in nostra sententia negante electione mediorum propria finem amari. Tum etiam: quia ex intentione inefficaci tantum seria tametsi, veraque finis efficacia media ad finem intentum adhiberi posse non ita est omnibus certum. Sed tamen ex dictis controuersia 7. & controu. 6. de prouidentia electionis ad gloriam prædestinati præ reprobo ante eius merita absolute præuisa verus, proprius que determinate sensus duplex facile inuenietur. Primo ex dictis controu. 6. d. 3. q. 1. certam. 2. & 3. vbi inæqualitatem serietatis, & propensionis in finem intentum, in inefficacibus absolute intentionibus veris ostendimus, vimque vniuscuiusque motiuam ad electionem mediorum, vel sufficientium, vel efficacium, vel vtrorumque, iuxta maiorem, vel minorem intentionum inefficacium serietatem, qua fieri poterit verosimiliter, vniuersim taxauimus: inde enim dici recte, facileque potest: salutem, & gloriam prædestinatorum inefficaciter quidem, ast propensius, impensiusque inefficacium mediorum electionem, ac subinde ante eorum merita absoluta intentam esse, quam reproborum salus inefficaciter intendatur: ac proinde in intentione ipsa gloriæ prædestinati eius à reprobo ex parte Dei ante illa merita absoluta illam intendentis, claret discrimen sufficiens, ob quam prædestinatus præ reprobo ad gloriam electus ante præuisa merita eius iure iudicatur.

3. Secundus verus Theologicus sensus electionis ad gloriam prædestinati præ reprobo ante illius absoluta merita à scriptura Patribus, & Theologis cunctis admissus, atque admittendæ, æque facilis, atque, vt æstimo, communior ipsis est, admissa æqualitate quoad serietatem & propensionem intentionis diuinæ erga vtriusque salutem nullaque in eo vtriusque diuersitate. Cum autem ex parte intentionis gloriæ prorsus æqualis tantum, nequeat discrimen necessarium, vt prædestinatus præ reprobo ad gloriam æque vtrique intentam electus sit, ac iure dicatur oportet ad mediorum efficacium electionem pro salute prædestinati, potius quam pro salute, & gloria reprobi ex ea intentione ortam, siue ad eius præstinationem recurrere: eius vero accessu multo ex capite intentio illa, vel prædestinatio ex ea intentione orta, atque absoluta prædestinati merita antecedens, ipsius præ reprobo electio ad gloriam absolute est, & iure dicetur. Primo: quia prædestinatio, siue electio efficacium mediorum per scientiam mediam de eorum efficacia directa ex intentione determinatæ salutis prædestinati, & gloriæ ipsius voluntas interpretatiua est, vt vidimus d. 1. quæst. 2. certam. 4. num. 3. à medio, ac deinceps, quæ deficit respectu reprobi, cui, etsi æquali intentione, sufficientia solum auxilia ad salutem proponuntur. Secundo: quia eorum electione per scientiam mediam directa, seu prædestinatione destinationem, determinationemque, seu necessitatem consequentem aliquam, nimirum ad gloriam suam, Dei voluntate prædestinatus præ reprobo habet, vt vidimus ea quæstione certam. 5. atque de prædestinati gloria Dei intendentis cura affectiue maior, quam de gloria reprobi est eorum mediorum electione, vt vidimus cert. 3. num. 7. Ac denum, tametsi æqua intrinsece de vtriusque gloria intentio Dei sit, tamen respectu gloriæ prædestinati totam suam actiuitatem, & affectiuam motionem exercet de facto,

facto, quin eius aliquid otietur, dum ex scientia media de auxiliorum efficacia non, nisi auxilia efficacia, præparat, prouidetque prædestinato Deus, scientiaque media de inefficacia auxilij sufficientis ex ea intentione detinetur, ne illud ipsi donet; cum tamen ex æqua intentione salutis, & gloriæ reprobi, similique scientia inefficaciæ auxilij sufficientis, quod ipsi donet, eius donatione non absit neat; nec scientiam mediam de efficacia auxiliorum aliorum, quæ eidem denegat expectat pro priori ad ipsorum electionem quam habiturus non est: itaque totas suas affectiuas vires exercite & in actu secundo electionis mediorum, ad quam Deum mouet respectu prædestinati, gloriæque ipsius, intentio illa explicat ac exerit, non autem respectu reprobi eiusque salutis, vt illa ipsa quæst.2. certam.7. numero 3. dicebamus: cum respectu illius vis motiua ad efficacium mediorum electionem intentionis illius otietur, solumque materialiter, & identice, non autem realiter formaliter præcedat: quare, tametsi, secundum se præcisè sumpta, æqua respectu gloriæ vtriusque sit, vt se tamen, suamque affectiuam vim, & motionem in electionem maiorum ad finem explicat, exerit, & exercet, etiam ex parte actus primi prædestinati præ reprobo electio ad gloriam ipsius merita absoluta antecedens absolute est, ac meritò nuncupatur.

4. Hoc itaque, vt minimum, sensu electione prædestinatorum ad gloriam ante ipsorum merita præuisa absolutè dogmatice statuta: an eiusmodi antecedens prædestinationem, & merita electio prædestinatorum ad gloriam efficax sit de facto, esseve possit aut debeat? apud Scholasticos Theologos dubitatur, in ea vero quæstione duplex tantum Scholasticorum opinio absolute altera affirmans, altera absolute negans absque vlteriori examine, & distinctione mentis Authorum referri solet: cum tamen sit in quæstione proposita dubium tiplex. Primum: an electio absolute efficax prædestinati debeat prædestinationem, ac subinde merita absoluta prædestinati antecedere? secundum, an de facto ita antecedat? Tertium, an ita saltem possit antecedere? ex horum dubiorum in quæstione præsenti indistinctione, atque inaduertentia antecedentis electionis gloriæ ad merita prædestinati ab omni Theologia vniuersim ab eius efficacia, & inefficacia præscindendo admissiæ, à nobisque explicatæ hactenus, factum apud Authores est, vt tam pro affirmatiua, quam pro negante sententia tumultuario, & indiscriminatim prolixus, aut horum, cum ex antiquis, tum ex Recentioribus Scholasticis syllabus texatur, dum Recentiores quemcunque electos ante præuisa merita, immò & ipsorum prædestinationem, prædestinatos absolute docentem legunt (vt omnes docere absolute debent cum non nisi ex intentione salutis absolutæ prædestinatio, & mediorum efficacium pro prædestinatis electio esse queat siue efficax intentio siue inefficax asserenda sit) statim pro antecedente electione absolute efficaci ante merita prædestinati illum describunt. Insuper eos Doctores Recentiores, qui de facto affirmant, quasi pro causa communi omnibus referunt omnes: cum tamen longe aliter alij, atque alij in quæstione de facto affirment. Alij autem de facto affirmant, quia aliter fieri posse negant, atque ita necessario fieri debere arbitrantur. Alij vero fieri posse aliter fatentur, ita vero à Deo factum censent: eo etiam discrimine pro negante sententia de facto stare Doctores possint: vt alij de facto intentionem gloriæ, siue electionem prædestinati ad gloriam absolute efficacem, & antecedentem ad illius merita negent: quia eam cum meritorum, ac subinde obtentionis gloriæ, per illa merita libertate æstiment repugnare. Alij vero, quia, etsi cum ea amice iudicent componibilem, tamen à Deo habitam eiusmodi absolute antecedentem efficacem intentionem, seu electionem ad gloriam prædestinati iudicent non fuisse: Ego vero his notatis Doctorum pro alterutra parte ab aliis relatorum differentiis, & sensibus distinctius procedam, nec tam longum, quàm alij Catalogum pro alterutra quæstionis præsentis parte proponam.

5. Et ex antiquis Scholasticis neminem pro altervtra sententia tuto referri posse censeo. Non quidem pro affirmante, quia hi de electione prædestinati ad gloriam ante eius absoluta merita præuisa absolute disputarant, nulla absolutæ efficaciæ intrinsecæ ipsius antecedentis electionis ad merita absoluta prædestinati facta mentione, quin de antecedente absolute electione eius ad gloriam sensu à nobis explicato, atque ab eius absoluta efficacia, vel inefficacia præscindente sunt plane locuti, vt statim in S. Thom. pro ea sententia affirmante ex variis eius locis recitato ostendemus: sed neque pro negatiua sententia certa fide referri veteres Scholastici possunt, quin facile de executiua Dei, & collatiua voluntate gloriæ prædestinato (quæ ex fide non, nisi propter præuisa merita, est) explicari possint, ac debeant. Debeant inquam: quia cum electione prædestinati ad gloriam non, nisi ob præuia absolute merita constantius, expressiusque negant, de executiua, & collatiua gloriæ loqui se apertius produnt: quia electionem prædestinati ad gloriam absolute talem vero Theologico à nobis explicato sensu negare nequeunt: quin cum Theologis omnibus, tanquam dogma Theologicum vbivis ea de re agunt admittunt: ergo pro affirmatiua sententia de facto electioni efficacis absolutæ gloriæ prædestinati ante eius absoluta merita præuisa, nec aliter haberi à Deo prædestinationem posse ni eiusmodi electio procedat, asserunt Bañez 1.part. q.23. vbi etiam Zumel Nauarrete, Ripa, Nazarius, Albelda, ac reliqui Recentiores Dominicani, qui in 1. part. S. Thom scripserunt, & in decretis prædeterminatiuis, ac physicis prædeterminationibus actionum creatarum contingentium Magistrum Bañez Ducem sectantur: cum enim media, seu auxilia efficacia ad gloriam contingenter per actiones liberas obtinendam prædestinatione à Deo exhibenda, intrinsecus efficacia, ac proinde ad actiones liberas, & gloriam determinate à prædestinato obtinendam determinata, ac determinantia de se sint, nisi ex intentione efficaci absolute & intrinsece tali eligi à Deo, ac prædestinatione donari non posse consequenter censent: idque è simplici intelligentia, quam solum admittunt, vt patet ex iis quæ diximus controuersia 6. de prouid. d. 2. quæst. 2. certam. 2. conclus. 1. & d. 3. quæst. 1. nempe ad prouidentiam diuinam erga causas naturales de se ad effectus edendos determinatas, & necessarias, atque erga eorum effectus, solam scientiam simplicis intelligentiæ, & naturalem inseruire, atque solam intentionem efficacem debere præcedere. Proinde suis hisce Thomistis Recentioribus consentit, ac reliquis (Bañez excepto) hac etiam in re præiuit Aluarez 1. de auxiliis d. 3. conclus. 3. citatur Scotus cum suis, sed fide non bona.

CERTAMEN II.

Omissis Thomistis sententiæ, & Patroni.

1. CVm Thomistis agendum hic non est, nec cum Scotistis aliquot Recentioribus, qui à suo Præceptore, & reliquæ doctrinæ suæ consequentia deficiunt, cum satis eorum fundamenta tom.1. de Deo vno fuerint à nobis disiecta. Aliter longe affirmatiuam de facto sententiam plures alij sequuntur, qui physicas nostrarum actionum prædeterminationes, decretaque prædeterminatiua reiectant: quare, & scientiam mediam de conditionata contingentium nostrorum, vel implicite, vt ante Molinam Scholastici veteres omnes, vel explicite in terminis omnes scholæ nostræ Thomisticæ Iesuanæ, qui Molinam nostrum ea in re habent præceptorem: quorum acuratum & copiosum elenchum posuimus tom.1. de Deo vno controu.2. de scientia, & præsertim controu. 3. de decreto diuino concurrendi ad liberas creatas operationes d.1. fere tota atque eos omnes redegimus ad summam. Ex iis ergo non pauci affirmatiuæ sententiæ in quæstione de facto adhærent, ita vero, vt mediorum, seu auxiliorum ad salutem extrinsecus solum, vt docent, efficacium pro prædestinatis electio, atque subinde prædestinatio absque

absoluta efficaci de se se electione prædestinati ad gloriam antecedenter ad eius merita absolute præuisa esse à Deo potuerit. Sic censeo docuisse Caietanum ad locum citatum ex 1. part. Sotum in 1. d. 41. quæst 1. §. *Potest aliter.* Et si qui alij de electione hac antecedente & absolutè efficaci ad gloriam in terminis ex vetustioribus Scholasticis asseruerunt: illi enim omnes auxilia intrinsecus efficacia, ac subinde decreta intrinsecus efficacia, contingentium per ipsa renuentes, vt citatis locis vidimus, scientiam mediam implicite, vt efficax antecedens electio illa absq; adeo aperta cum contingentibus, ita antecedenter intenti, libertate pugna consisteret, vt postea explicatius alij iam citandi, docuerunt. Ex nostris Doctoribus Salmeron tom. 4. part. 3. tract. 14. Cardinal. Tolet. in cap. 8. ad Rom. annotat. 31. vbi Pererius d. 24. Cardinal. Bellarm. 2. de gratia & libero arbitr. cap. 35. Henriquez de fine hominis cap. 11. cæterisque fusius & distinctius, acutiusque Soarius 1. part. lib. 1. de prædestinat. c. 8. & opuscul. 3. de auxil. cap. 16. intrinsecam eius antecedentis electionis efficaciam cum gloriæ ob absoluta merita contingentia intentæ, & contingenter, ac liberè obtinendæ, ac huius, & illorum libertate ex directione intentionis, seu electionis per scientiam mediam componens: atque electionem auxiliorum efficacium extrinsecus pro prædestinatis, eorumque prædestinationem ex efficaci quoad intrinsecum electi intentione, & electione præstinati ad gloriam haberi à Deo potuisse, & ibi, & vbivis ea ipsi res occurrit, asserit, vel supponit. Soario consentiunt prorsus Fasolus 1. p. tom. 2. quæst. 13. artic. 1. dub. 3. multa, & accurata eruditione, ingenij pondere & acumine sententiam illustrans. Arriaga tract de prouidentia, & prædestinatione d. 35. & 36. totis, Curiel in prima Petri cap. 2. controuersia 4. concl. 4. Mendoza Augustinianus in quodlibeticis quæst. 1. scholastica §. *Secundo loco.* Pesantius in p. 1. quæst. 23. art. 5. d. 10. & 11. Arrubal. 1. p. d. 72. & 73. supponitque sæpe Annatus discursibus, quos Apologia pro scientia media contra eius impugnatores efformat: citantur in id Lucæ 12. *Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Maldonatus, Iansenius, Sa, Barradas; sed hi certè electionem pro prædestinatione vsurpant, quod ipsum voluit citat. Tolet Granados denique vtramque sententiam affirmantem & negantem vult conciliare tandem, sed dictis à se contradicit conclusione 1. & 2. quæ sane pro affirmatiua hactenus sententia sunt.

2. Pro affirmatiua hac sententia de facto S. Thom. aperto stare eius Patroni cum Recentiores Thomistæ Dominicani, tum etiam Thomistæ nostri Iesuitæ contendunt, citata enim qu. 23. artic. 4. ait. *Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, quia est ratio ordinationis in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præsupposita voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus velit illorum salutem.* Nec bene à nostris Molina articulo 5. d. 1. m. 6. Valentia punct. 4. §. 4. & 5. Vasquez cap. infra citando 10. Lessio etiam infra sect. 2. ratione 10. num. 23. Becano infra obiect. 2. salutis æternæ nomine iustificationem, & perseuerantiam finalem in hac vita interpretantur. Siquidem idem apud omnes, atque gloria valet æterna salus. Et S. Doctor de salute, quæ finis præintentus prædestinatis sit, & ex cuius intentione prædestinantur, loquitur expresse. Ea vero finalis salus, quæ finis intentus prædestinatis est, gloria ipsa est non iustificatio, & perseuerantia in hac vita, quæ medium ad finem intentum est, & in 1. dist. 41. art. 2. ad 1. *Electio diuina est, qua aliqui ex ordine suæ sapientiæ ordinantur ad finem beatitudinis, sed prædestinatio est secundum quod præparantur eis ea quæ perducunt in finem; & ideo sicut voluntas ordinans in finem præcedit actum voluntatis præparantis ea, quæ ducunt in finem, ita electio prædestinationem præcedit.* Et quæst. 6. de veritate art. ait, *prædestinatio supponit dilectionem, per quam Deus vult salutem alicuius: ac proinde etiam electionem, per quam ille qui infallibiliter dirigitur ad finem ab aliis separatur.* Et hæc vrgentiora S. Thom. pro affirmante sententia testimonia sunt, nam quæ afferri solent ex hac 1. p. q. 22. art. 2. ad 9. & art. 3. corp. & cit. quæst. 41. art. 2. ad 2. & citata quæst. 23. art. 5. ad 3. vbi ait: electionis, ac prædestinationis Dei nullam ex parte nostri, adhuc ex gratia, causam, & diuersitatem dari, sed in purum Dei arbitrium & voluntatem gratuitam reduci debere earum rem afferuntur. Neque enim electionem Dei merita absoluta prædestinati antecedentem absolute talem (sed aliquo vero Theologico à nobis dato dogmatica) asseuerarij negant; sed solum illam antecedenter ad merita absolute efficacem, quam citati Doctores affirmatiuæ Patroni contendunt: sed ostendamus facile, & paucis vrgentiora recitata Authoribus secundi modi recitatis n. 6. ex vsu esse non posse.

3. Etenim in eis S. Thomas ex necessaria præcedentia intentionis finis, seu electionis, ac dilectionis prædestinati præ reprobo, vt illum obtineat, ad electionem & præparationem mediorum ad vllum obtinendum, probat eiusmodi intentionem, seu electionem finis gloriæ prædestinato præ reprobo ad prædestinationem, seu præparationem mediorum efficacium ad illam à prædestinato obtinendam debere præcedere: ac subinde de facto ad prædestinationem præsupponi: ergo si loquitur de intentione finis gloriæ, seu electione, & dilectione prædestinati præ reprobo ad illam absolute antecedente, & efficace, hanc necessario præcedere ad prædestinationem debere ait: ac proinde non, nisi ex electione efficace absoluta, & antecedente prædestinationem esse posse contra hos Doctores asserit, solisque Thomistis Recentioribus fauet; quod hi renuunt: sin autem non loquitur de antecedente efficaci absoluta electione ad gloriam, nec ipsis, nec Thomistis fauet; nec minimum negatiuæ sententiæ aduersatur, sed adhuc existendus restat S. Thom. vt genuina eius mens an negatiuæ aduersa, vel secus sit, deprehendatur. Vtique vbi proxime S. Thom. explicat, vt & 3. p. d. 23. exp. 1. num. 10. de præcedentia electionis, & dilectionis prædestinati præ reprobo ad gloriam ipsius prædestinati, quæ in prædestinatione ipsa includatur, sitque ipsa adæquum sumpta prædestinatione prior prioritate maioris vniuersalitaris, quatenus, iuxta Thomistas plures, Dei scientia, & volitio prius ad obiectum in communi, siue ad eius vniuersalius prædicatum terminata intelligi debeant, quam ad prædicata eius in particulari, vt scilicet ad efficaciam auxiliorum vniuersim auxiliis efficacium consideratis electio ipsorum, quam ad ipsa in particulari efficacia, qua formalis prædestinatio terminatiua intelligatur prioritate vniuersalitatis maioris præcedere, confirmari putant nonnulli ex q. 6. de veritate artic. 3. corpore vbi ait: post electionem prædestinati præ reprobo ad gloriam prouidere media, vt non cadat, vel si ceciderit, resurgat. Sed plane S. Thom. agit locis citatis de præcedentia intentionis, seu electionis ad gloriam, quæ causalitate, & prioritate naturæ quali physica ad præparationem, & electionem mediorum efficacium in particulari præcedit, quæ prioritate illa maioris vniuersalitatis nequit contineri: loci autem ex quæst. 6. de veritate artic. 3. corpore sensus, prioritatem etiam naturæ, quasi physicam continet (si alteram quam continet vt iam videbimus) electionis prædestinati præ reprobo ad gloriam respectu præparationis, seu prædestinationis, & electionis mediorum efficacium in particulari, non autem prioritatem maioris vniuersalitatis. Tertio alij respondent in sententia sancti Thomæ prouidentiam, & prædestinationem stare in actu imperij intellectualis, siue imperatiui modi (vt Thomistæ Dominicani Recentiores volunt) siue indicatiui de præsenti (vt vult noster Ruiz impugnati à nobis affatim controuersia 6. de prouidentia dispu. 2.) quod post intentionem finis, & electionem mediorum efficacium à Deo habeatur: sed eiusmodi imperium commentitium de se & S. Thomæ suppositititium esse ostendimus ibidem: quare, licet Soarius, qui iis vtitur pro affirmatiua sua sententia testimoniis huic interpretationi, & solutioni ex mente S. Thom. consentiat 1. de prædestinatione capite quinto, numero 13. & reliqui, genuinamque Magister mens Didacus Daza arbitretur, genuina S. Doctoris mens non est.

4. Aliunde ergo, & locorum Sancti Thomæ probabilior, & ad eius mentem germanior sensus reperiendus nobis est, quin antecedentem ad merita absoluta

luta prædestinati, & absolute de se efficacem eius præ reprobo electionem ad gloriam contra reliquos præter citatos paucos prædeterminantes Dominicanos, tam affirmantis, quam negantis sententiæ Doctores necessariam ad prædestinationem à sancto Thoma traditam admittamus. Primus esse potest ex quæstione sexta, de veritate articulo tertio corpore, ex qua nobis opponitur: vt sentiat ex intentione salutis creaturarum rationalium, & scientia simplicis intelligentiæ de virtute omnipotentiæ suæ, qua scit pro singulis, & omnibus illis auxilia efficacia extrinsecus seu habitura effectum contineri, decernat aliquibus præ aliis non de auxiliis, efficacibus solummodo, ex ea gloriæ eorum intentione, & dilectione ipsorum prouidere, quin eius decreti efficacia vltra auxiliorum absolutam positionem ad bonum vsum absolutum contingentem creaturarum rationalium, ac libere per illum obtinendam gloriam absolute extendatur. Eo igitur decreto ex intentione salutis earum habito interpretatiuè saltem, & virtualiter magis earum salus, ac ipsæ ad illam diliguntur ac præ aliis eliguntur, atque ab eis electiue, & dilectiuè separantur, vt loco citato obiiciebatur: ex ea vero potiori illarum per decretum illud dilectione postmodum posteriori signo electione auxiliorum per scientiam mediam regulata eliguntur auxilia in particulari efficacia, qua prædestinatio consistit vel completur, atque à Deo è præsuppositæ gloriæ dilectione, & electione respectu gloriæ, inefficaci intrinsecus, prædestinatio procedit. Secundus sensus sit sanctum Thomam censuisse eis locis intentionem salutis, & gloriæ formalem, & expressam prædestinatorum præ reprobis, horumque electionem specialem inefficacem, & citra absolutam efficaciam, esse propensiorem, & impensiorem, quam erga non prædestinatorum salutem, etsi vera quidem, & seria intentio horum etiam respectu sit: quare & ea ipsa prædestinatos à reprobis, primo in Dei voluntate discerni, & separari inde posterius natura, quasi physice, electione auxiliorum efficacium seu prædestinatione item Dei voluntate discernantur, ac separentur iuxta dicta num. 2. & fors S. Th. ex effectibus voluntatis earum propensionem metitus, & intentionem (vt æstimatione humana fieri frequenter, & prudenter solet) maiorem gratiam auxilij efficacis pro prædestinatis non nisi ex propensiore, & intensiore intentione salutis fieri posse, iudicauit.

5. Tertius sensus est iuxta dicta numero 3. vt dilectio prædestinati ad gloriam, atque intentio gloriæ illius nullatenus formaliter excedens propensione, & seriebate intentionem gloriæ reprobi secundum se præcise, prædestinationis, seu electionis auxiliorum efficacium causa in actu primo sit, ac necessario debeat præsupponi, sicut ad electionem quamvis mediorum finis intentio, vt ratiocinatur bene S. Thom. eandem vero electionem ipsa mediorum efficacium, seu prædestinatione, ad quam mouet, totasque affectiuè motiuas vires suas exerit, & exercet, causam exercite, & de facto prædestinationis constituit: sicut actione, & causalitate sua causa quævis sui effectus causa absolute, & actu præcedens, ac prior ipso constituitur; tametsi eadem actione, & causalitate effectus constituatur sui causa posterior: quatenus autem vis illa intentionis motiua ad electionem mediorum efficacium, quæ respectu gloriæ reprobi æque intensæ oriatur, respectu prædestinati tota tota exeretur intentio salutis prædestinati, secundum eam etiam vim in actu primo motiuam, totasque suas vires affectiue impulsiuas ad mediorum electionem realiter formaliter præcessisse conuincitur respectu prædestinati, secus respectu reprobi: ac proinde realiter formaliter loquendo intentione ipsa gloriæ entitatiuè, & materialiter eadem prædestinatum præ reprobo in actu etiam primo, non solum ad merita, sed & ad prædestinationem à reprobo in ordine ad æternam salutem discretum, & separatum fuisse, atque præ hoc dilectum, & ad gloriam electum; tametsi inefficaci, æquaque omnino intentione vtriusque salus à Deo intendatur: fusius, exactiusque forte, quam aliquibus oportere videretur S. Thomæ mentem exquisiui: cum, & meæ in ipsum deuotioni, & obseruantiæ satisfacerem, tum, vt his explora-

tis, explicatisque sensibus, similium nec adeo vrgentium locutionum apud Scholasticos veteres ab affirmantis sententiæ Doctoribus citatos sensum neganti sententiæ minime aduersum hoc vno eodemque labore ostenderem.

6. Eandem affirmatiuam sententiam, non adeo vniuersaliter de prædestinatis omnibus, sed de Beata Virgine, Apostolis, Baptista, Hieremia, aliisque dignitate, & sanctitate præstantissimis prædestinatis (vt scilicet hi solum, quos eximie prædestinatos vocant fuerint efficaciter ante præuisa absolute eorum merita ad gloriam electi) tenuerunt Ockam in 1. d. 1. quæstione vnica, lit. G, Gabriël ibi art. 2. concl. 2. & 3. Catherinus 1. de prædestinatione cap. vlt. & lib. 3. initio & in cap. 8. ad Rom. tametsi vt vidimus d. 1. quæst. 1. his lapsus fuerit, censens Beatos reliquos prædestinatos appellandos non esse; quo super ipsum ibi consutauimus: quod autem electio hæc efficax ad gloriam absolute antecedens, de quibusdam prædestinatis asseratur de reliquis negetur, nullum in scriptura, & Patribus fundamentum habet immo vero cum expresse de saluandis, prædestinatisque omnibus eorumque electione, & prædestinatione ad gloriam æque, eodemque modo Patres, & scriptura absque vlla eius distinctionis indicatura loquatur, his Doctoribus ita distinguentibus aduersantur, sed neque à ratione vetissimilitudinem ea distinctio habet, cum eximij illi sancti sanctitate, & gloria maiore cæteris præcellentes solum intentionem gloriæ & sanctitatis ex parte obiecti maioris in Deo requirant, non autem ex parte subiecti, seu intrinsecè diuersam, & efficaciorem quam gloriæ, & sanctitatis minoris aliorum intentio tametsi proportione eorum seruata æque de mediis efficacibus ad maiorem, vel minorem sanctitatem, cuique intentam, absque vella ex parte efficaciæ intentionis diuersitate prædestinatis omnibus à Deo prouidebitur.

7. Denique Aliazar in Apocalyps. cap. 3. ad id. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Censet Deum primo efficaciter præfiniisse numerum saluandorum, non designatis singularibus personis saluandis: postea verò, cum videt aliquem à iure, quod, vt esset ex eo numero habebat, & ad coronam, & ad gloriam ex operibus, & iustitia excidere, alteram in eius coronam & locum subrogare, efficacia illi auxilia ministrare, vt ex meritis ad gloriam, & coronam alterius eligatur. Hæc tamen opinio, & est singularis, & absurda. Nam, vt bene Cornelius ibi, non homines coronis, sed coronas hominibus præparauit, sicuti nec propter locum gentes, sed propter gentes locum. Secundo primum illud decretum somniatum prorsus est: immo contra scripturam Patres, & Theologos: quia nullius est electio misericors, aut dilectio huius præ alio, cum ex nullius complacentia sit: ex misericorde vero electione, & dilectione vnius præ alio ad salutem & complacentia illius negotium prædestinationis totum inchoari dogma Theologicum est. Secundo vel ex eo decreto is, qui à iure vt vnus ex eo num. esset excidit, prædestinatus erat atque etiam qui in eius locum qui illo excidit substituitur: vterque esse non potest prædestinatus: quia neuter à iure decideret à numero neque à corona: quare neque alter alteri succederet: si autem neuter prædestinatus asseratur alter ad eum numerum saluandorum, & ad gloriam, absque prædestinatione Dei perueniet, quod est erroneum: ac quibusnam personis numerus ille saluandorum implendus sit ante absolute præuisa merita, & iustitiam Deo in incerto erit, quod est absurdissimum. Si autem dicas eum, qui alteri succedit prædestinatum esse non autem alterum, qui à iure excidit & corona: iam prædestinatus ille de numero saluandorum est, atque ad gloriam ante merita & iustitiam finalem electus præ altero reprobo contra te: prædestinatus quippe omnis eo ipso ad gloriam electus absolute est, atque in scriptura Patribus, & tota Theologia dicitur. Rursus: cum decretum illud primum efficax sit: eo ipso quod prædestinatione ad numerum præfinitum saluandorum hic aliquis pertineat, salutis perdendæ contingentiam, & potestatem amittet, & antecedentem illius obtinendæ necessitatem subibit; ac si ipse efficaciter antecedenter ad merita electus ad gloriam foret: quod, tam singulari cogitatio-

ne

ne vitari tentabatur. Atque (vt alia omittam) cum gloria, & corona actus cuiusque vitalis sit, nemo in alterius coronam succedere citius potest quam alterius vitalem actum elicere; quod per totam philosophiam repugnat. De loco Apocalypsis, eiusque genuino sensu certamine 3. dicemus.

8. Pro negante sententia antecedentem & efficacem absolutam electionem ad gloriam ante præuisa absolute merita prædestinatorum ad illam citari etiam ex veteribus Scholasticis plures solent, non meliore quidem fide, quam pro affirmante referebantur: quo enim expressius firmiusque eiusmodi antecedentem merita electionem illorum ad gloriam negant de electione ad gloriam executiua & retributiua, seu exercitè remuneratiua se loqui profitentur: siquidem, vt certamine primo diximus electionem gratuitam intentiuam, & prædeterminatiuam ante absoluta prædestinatorum merita absolute talem tametsi non absolute efficacem, nullus vnquam Scholasticorum negauit; nec, nisi contra scripturam Patres & Theologicum proinde dogma negari vllatenus potest; idcirco Priscorum Theologorum inutili pro hac sententia recitatione abstineo. Stant igitur explorato pro negatiua hac sententia ex his, qui contra proximi sæculi Hæreticos scripserunt Albertus Pighius 8. de libero arbitrio capite secundo, Richardus Taper articulo 7. §. *Nec re ipsa.* Hieronymus Osserius 9. de iustitia Ioan. Exius in suo Chisopacto centur. 1. Driedo de concordia liberi arbitrij, & prædestinatione parte secunda, capite tertio, ad 3. Cardin. Sadoletus in capite 8. ad Roman. Stapleton in capite nono, & orat. de hoc argumento, Bartholomæus Camerarius dialog. Cathol. capite 5. Ioannes à Bononia, & Franciscus Carthag. tract. de prædest. Noster Turrian. opusc. de elect. diuina, Molina 1. p. q. 23. articulo 2. d. 2. & articulo 3. d. 1. m. 7. & 8. Valent. eadem quæstione, pun. 4. Vasquez 1. parte, d. 89. & 3. parte d. 23. Salas tom. de gratia manuscripto tractatu 15. & 14. sectione 15. referens Medinam vtrumque, Ludouicum Legionensem, Sixtum Senensem Adamum, aliosque authores ad triginta: tametsi in eis veteres plures, quos vt dixi Patronos exploratos sententiæ huius non reputo, Lessius item satis fusè tractatu de prædestinatione sectione 2. Becanus prima parte, capite 14. quæstione 4. Herize 1. parte tractatu 3. d. 23. à cap. 9. ac deinceps Hachetus tract. 2. quæstione 23. d. 3. capite 3. Gamachæus quæstione 23. capite 6. assert. 2. Moncæus tom 1. d. 4. cap. 4. Cornel. in id Petri 1. *Satagite, vt per bona opera*, &c. Ioannes Præpos. (qui tres postremos refert) 1. parte quæstione 23. articulo 8. dub. 8. §. 2. Sed mirum plane est, Arriagam capere voluisse in sermonibus citatum Herize, quasi tandem huic sententiæ affirmanti concesserit. Fasolum vero in suas affirmantis partes citatum Molinam trahere voluisse. Cum tamen, tam hic, quam Herize omnem contingentis nostri effectus efficacem præfinitionem absolute, & quomodocunque habitam, & regulatam iudicent cum eius contingentia, & libertate contradictorie pugnare, vt diximus controu. 4. de volunt. d. 6. q. 2. quare eo suo generali princip. q. huius affirmatiuam partem excluserunt, quibus etiam ego ex cod. principio subscribo.

CERTAMEN III.

Irrito pro alterutra sententia ab eius Patronis ex scripturæ testimoniis pluribus laboratur.

1. PRoducitur pro negante sententia illud Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (gloriæ vtique) *à constitutione mundi*: nempe ex æternitate, ex qua mundum fieri constitutum à Deo fuit: *Esurui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. quibus æternæ præparationis regni, seu electionis efficacis gloriæ prædestinatis præ reprobis pro causa merita absoluta eorum redduntur, sicuti & præparationis gehennæ, seu electionis efficacis reproborum ad inferni pœnas statim absoluta ipsorum impietas illis verbis. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Esurui enim, & non dedistis mihi manducare, &c Verum hoc loco agi de gloriæ electione executiua, & absolute, atque exercite remuneratiua Dei voluntate, de qua nulli (nisi Nostratibus relatis, recitatisque à Maldonato) dubium est, quin merita absolute esse diximus d. 1. q. 2. cert. 1. n. 5. & ex verbo *possidetes*, & antithesi de damnatis claret. Lis autem est de electione, vel antecedente prædestinationem, vel ita inclusa gratuita & liberali, quam omnes fateri debemus efficax sit necne? Nec aliud probat illud ex Matthæo. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo*, iuncta etiam Patrum plurium interpretatione, qui de præparatione ob merita præuisa absolute ex æternitate cum locum intelligunt: sicuti & illum 1. Corint. 2. *Oculus non vidit*, &c. *quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Enimdecreto illo executiuè præmiandi exercite absolutorum iustorum merita veritas eorum locorum certissima fiat; tametsi intentiua electio efficax absoluta antecedat gloriæ prædestinatorum non propter merita absolutum, tanquam motiuum, habita, sed per merita tanquam medium obtinendæ in Deo præcedat.

2. Affertur illud Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus?* quem locum, etsi S. Augustin. de prædest. Sanctor. c. 17. sub finem afferat, vt probet electos fideles fuisse, *non quia fideles erant*, sed, vt ea electione fideles *fierent, atque essent*: eaque interpretatione adsensi quiescant, duriuscula tamen est: sicut enim eligere pauperes in hoc mundo non fuit illos eligere, vt pauperes in eo fierent, vt finem, sed eorum paupertatem vt conditionem ex parte subiecti ad eorum electionem suppositi; ita & fidei diuitiæ, ac merita vt conditio ex parte subiecti supposita ad eundem electionem æque significatur, vt exprimit Syriaca translatio verbis hisce. *Nonne pauperes mundi huius diuites autem in fide elegit Deus vt sint hæredes Regni illius, quod promisit iis qui diligunt ipsum?* Qua electione sententia clarior facto ipso comprobata apparet, atque occurritur instantiæ, quam patrem putat Fasolus: quod scilicet electi etiam dicantur hæredes Regni; cuius tamen hæreditas non conditio ex parte subiecti eligendi suppositi ad electionem fuit, sed electionis terminus nusquam illi suppositus, sed per ipsam electis afferendus: vt enim hæredes fierent ac regni hæreditatem adirent electi sunt: ita sane; sed, cum in electione, & terminus, & subiectum electionis sit necaliud, quam Regni hæreditas terminus electionis (de quahic) esse possit ac fuisse ea electione explicetur: non item reliqua, quæ ex parte subiecti eligendi præsupposita eadem electione & facto ipso electionis comprobantur. electionis eius termini dici possunt. Confirmat seruum hunc atque vrget argumentum solita sua interpretandi soliditate Vasquez noster 3. p. d. 23. c. 11. n. 168. ex mente ipsa, & intento Iacobi loco recitato, illud enim extendere non esse personarum acceptionem in Ecclesia habendam, vt scilicet diuites in honore, & pretio præ suis diuitiis sint, pauperes vero fideles despectui habeantur: idque Dei exemplo, qui pauperes mundi huius diuites vero fidei merito ad Regni sui hæreditatem elegit suadet efficaciter Iacobus, & apprimè confirmat: vt perfunctoria Soarij nostri euasio de æqua amabilitate diuitiarum fidei adeo in pauperibus, atque in diuitibus locum non habeat, ea vero solida Vasquez interpretatio vltima firmatur: ex immediatè subiunctis à Iacobo de diuitum vitiis. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos*; vt licet, & diuitum tyrannidem, & oppressorum pauperum fidelium patientiam ostendat, atq; hos subinde ex fide, & patientiæ meritis ad regnum Dei electos, illos vero ob vitiorum suorum demerita ab eo reiectos demonstret.

3. Cæterum non minus Vasquio rigidus testimoniorum scripturæ, & Patrum interpres Magister meus Dilucidus Daza nihil ex hoc loco ad rem præsentem putat esse ci: neque agi in illo de electione diuina prædestinatorum ad gloriam regni nomine significatam: quæ, cum adeo ignota (tunc præcipuè in Christianæ Ecclesiæ primordiis

diis, vbi ne ex effectibus quidem dignosci poterat) occulta, & arcana sit, non potuit cunctis fidelibus in argumentum, & exemplar (quod è re omnibus notissima petendum erat) adduci, vt personarum acceptio dissuaderetur. Regni igitur nomine iudiciariam, & Episcopalem in Ecclesia potestatem pauperibus, Apostolis fide, & meritis diuitibus à Deo factam à Christo Domino datamque post resurrectionem Matth. 28. verbis illis *data est mihi omnis potestas, &c.* Notissimum erat fidelibus, quo etiam sensu explicari cum Cyrillo etiam putat illud Matth.19. *Amen dico vobis quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Huic verò Regni Dei pauperibus merito verò ditissimis Apostolis habitæ à Deo electioni consonat Chrysologus explicans illud Matthæ.4. *venite post me, &c. Petrus*, inquit, *& Andreas, Iacobus & Ioannes germanitas combinata immo paupertas geminata in Apostolorum Principes eliguntur: erant census pauperes, sed innocentia locupletes: arte viles, sed vitæ merito pretiosi: captores piscium, sed piscatores hominum iam decreti.* Secundo de electione, & vocatione ad fidem, & Ecclesiam interpretatur: quod & regnum etiam Dei dicitur Lucæ 17. 21. *Ecce enim Regnum Dei intra vos est*: & illud Matth.8.12. *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*: immò Matth.25. & Cælorum regnum dici ex parabola decem Virginum obseruat sapienter Magnus Gregorius homil.12.in Euangelio, & confirmat ex verbis illis Matth.13. *& colligent de Regno eius omnia scandala*, quibus Zizaniorum parabola explicatur.De vocatis enim efficaciter ad fidem,& Ecclesiam Christi absolutè electio diuina dicitur 1. Petri 1. *Electis aduenis dispersionis, &c.* ea vero vocatione efficaci, externaque, & temporaria electione pauperes diuitibus à Deo præhabitos experimento cunctis notissimo constabat, vt ad personarum acceptionem exemplo diuinæ electionis eliminandam oportebat. Nam, & Pharisæi Ioan.7. aiebant. *Nunquid aliquis ex principibus credit in eum?* & Christus Dominus Matth.11. *Pauperes euangelizantur:* & Lucæ 4. de se illud Isaï. *Euangelizare pauperibus misit me* interpretatus est: ac demum. 1. Cotinth.1. dicitur: *videte vocationem vestram fratres quoniam non multi sapientes,non multi potentes,non multi nobiles*, &c.

4. Ea interpretatio Dazæ nostro nobisque magis placet quod sit Augustini sententiæ conformior sic; enim Dei Regnum fides, & Ecclesia Christi est, ad quam electio temporaria, & externa per vocationem efficacem pauperum iam existentium talium, præ diuitibus habita à Deo notissima cunctis erat. Constat vero pauperes præ diuitibus ad regnum eligi non posse, siue vt illa regnarent, quin ad fidem, & subinde, vt essent Ecclesiæ Christianæ fideles, eligerentur: ac proinde fidem electionis terminum esse, paupertatem vero secus: quia hanc electioni supponi ad argumenti contra acceptionem personarum efficaciam est necesse: & facto ipso supposita constabat. Sed oppones: regnum promissum iis, qui Deum diligunt, non fidem, quæ ad dilectionem cui regnum promittitur supponitur, & Christianis iniquis Deum non diligentibus, regnum commune cum bonis & diligentibus est: quare, etsi fides, & Ecclesia fidelium Dei regnum aliàs dicatur, hoc tamen loco Iacobus eo sensu, & acceptione Dei Regnum non vsurpat; sed pro regno à Deo finaliter diligentibus ipsum iustis promisso, æterna nempe beatitudine & gloria: quare vtraque interpretatio euanescit, præstareque Vasquez argumentum videtur. Respondetur tamen primo: fidem, & Ecclesiam Christianam esse etiam à Deo promissam toto veteris legis testamento, quod totum vmbra nostri Testamenti Noui fuit: illud autem Deum diligentibus dicitur promissum: tum quia extra fidem,& Ecclesiam Christi iusti, ac diligentes Deum esse non possunt; cum tamen extra illam peccatores solum promulgato Euangelio esse queant: tum quia iustis specialiter regnum promissum est: quoniam fidei Christianæ Ecclesiæ, & Sacramentorum eius fructum vsumque præcipuè habent, atque ex eorum speciali amore, & beneuolentia, & promissum,& institutum fidei, & Ecclesiæ Christianæ regnum à Deo fuit. Respondetur secundo opposita regni acceptione admissa: Iacobum ex nota externa, ac temporaria electione per vocationem efficacem ad fidem argumentum, vt diximus ad suum institutum sumpsisse: de iure vero hæreditatis gloriæ radicali, quod iur fide est, fuisse locutum, non de proximo, & formali, quod stat in sola sanctitate, & formali iustitia; cuius est fides necessaria radix: eo enim sensu, & causa ab Apostolis Petro & Paulo fideles omnes (in quibus plures, haud dubio, peccatores erant) sæpe in eorum epistolis Sancti nominantur & electi. Denique vt aliquid obiectio præstaret, & Iacobum electione arcana ad regnum & hæreditatem gloriæ ex præuisis meritis absolutis pauperum demus locutum ad executiuam & exercitè remuneratiuam recursus patebat.

5. Sed illa testimonia, in quibus certitudo electionis prædestinationis, & vocationis nostræ ad gloriam,eiusque assequutio infallibilis à nostro bono vsu gratiæ dependens traditur efficacissima pro negatiua sua sententia æstimantur à nostris Lessio, Cornelio, & aliis supra primum ad Romanos 11. *In te autem bonitatem Dei,si permanseris in bonitate,alioquin, & tu excideris, sed & illi si non manserint in incredulitate inserentur.* Ergo nihil ante vtriusque absoluta opera decretum à Deo efficaciter de eorum salute est, sed vtriusque absoluta opera ad id expectantur 2. Petri. *Satagite,vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: ergo ante illa certa de se electio; quare, nec de se efficax fuit. Apocalypsis 3. *Tene quod habes,ne alius accipiat coronam tuam.* Vbi eadem, quæ in primo loco consequentia; sed primo loco Iudæos, qui sibi tantum salutis promissionem factam (gentibus ab ea exclusis) gloriabantur, compescit Paulus: & ostendit gentes à salute non esse exclusas, nec de ea Iudæos debere esse securos, ni bonis operibus instent: nam, & apud Iudæos reprobi erant, & apud gentes prædestinati atque electi aliquot sunt ex meritis gratiæ saluandi, ac per illa saluandi decreti, & electi: quare, qua potestate antecedente operari bene, vel secus, possunt obiectiue certam suam electionem facere, atque ne excidantur, vt rami inutiles, efficere, vel secus, iuxta illud etiam Pauli, *ne forte cum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar*: tametsi consequente potestate nequeat electus efficaciter excidi, ac non certam electionem, & vocationem suam facere ratione futuritionis conditionatæ, & scientiæ mediæ, qua ea efficax electio regulatur: vti Doctores qui hæc opponunt de prædestinatione debent fateri: vnde, & Petri locus explicatus manet: tamen de formali electione ad gloriam nemo, præter obiectantes, interpretatur; sed de electione ad gratiam efficacem, siue prædestinatione, vt summum, cuius efficacia bono eius vsu, tanquam conditione, causaque formali extrinseca constituitur: Æcumenius in Catena Græcorum Patrum, Hugo, Beda Carthusianus, & glossa certitudinem, non quidem electioni ipsi intrinsecam sed subiectiuam ipsius electi, vel aliorum, apud quos electionis certitudo ex bonis electi operibus, vel maxime habetur. Demum de electione temporaria, seu vocatione ad fidem germanior eius loci sensus est, in quo synonime electio, ac vocatio dicuntur: quæ certa sit, cum effectum sortitur.Et textu græco *firmam* alij legunt: quia bonis operibus fides roboratur, atque obsirmatur quis ab resistendum erroribus, & vitiis, vt statim Petrus adiunxit. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Apocalypsis locus distinctione potestatis antecedentis, & consequentis satis ad præsens habet quovis modo corona Episcopo Philadelphiæ ab obiicientibus explicetur. Sanct. Thom. art.6. ad 1. non de corona gloriæ suæ ex iure prædestinationis, seu electionis à Deo ad ipsam,sed ex iure anteactorum meritorum Episcopi illius intelligit: ac proinde eam incertitudinem habita prædestinationis, seu electionis ad gloriam (quæ Episcopo illi probabilius adfuisse creditur) ratione non esse intelligendam. Nec video quid contra, vel præter textus litteram diceret: qui cum locum de corona, seu dignitate Episcopali, quam habebat interpretaretur: hanc enim, non autem gloriæ coronam habebat: eam autem, quam habebat tenere, & retinere in tentationibus (vti antea contra eos officio, fideique non deficiens retinuerat) iubetur ne illam

alius ei vt inerti, ac muneri impari, ac deficienti succedens accipiat Dei de suo grege postulante, & orante cura, & dispositione: quod nec à Cornelij nostri mente versu *simili modo*, fine est alienum.

6. Neque vero ab affirmantis sententiæ Doctoribus ex scriptura laboratur operæ pretio maiori, & 1. ex illo Matth. 24. de Antichristi persecutione postrema, quæ tanta fore à Christo Domino prædicitur, *vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, & cuius, ni *propter electos* (addit Marcus *quos elegit*, emphaticè) dies breuiarentur, nemo saluaretur, vt sensus sit: breuiatos dies tribulationis illius, ne antecedens efficax electio electorum tribulatione diuturniore superatura impediretur. Vnde Ioannis 6. *Hæc est voluntas eius qui misit me Patris: vt omne, quod dedit mihi non perdam ex eo quidquam*, &c. Quod ita explicat August. 5. contra Iulian. c. 4. *Isti intelliguntur Christo dari, qui ordinati sunt in vitam æternam* quam scilicet se eis dare asserit Christus Ioan. 10. *& non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Est ergo de electione prædestinatorum ad gloriam sermo, & ea quidem antecedente ipsorum merita absoluta, & efficaci, vt ex emphasi Marci, & verbis Ioan 6. datis significatur. Probaturque rursus ratione: electio enim redditur pro causa, vt diuturnitas persecutionis Antichristi impeditura saluationem prædestinatorum auferatur dierum breuiatione, sicuti & præparationis reliquorum auxiliorum, præ sufficientibus, efficacium, quibus de facto prædestinati, seu electi salus obtineatur: quare, & antecedens ad hæc omnia, ac subinde ad merita & perseuerantiam ex his oriunda & posteriora. Quod autem absolute efficax ea intentio, seu electio prædestinati ad gloriam sit, patet; siquidem ineffitacem electionem salutis erga reprobos etiam habet, & tamen in primis fieri plane & omni sensu potest, vt in errorem inducantur; quod de electis illa dictione, *si fieri potest etiam electi*, asseritur impossibile: sicuti & illis, *& non rapiet eas quisquam de manu mea.* Secundo eiusmodi electione, quæ intentio gloriæ solum inefficax sit, reprobi etiam sunt electi: ergo, & propter illos breuiati dies illi dici deberent, cum vtrisque etiam breuientur. Tria hic tanguntur. Primum de impossibilitate perditionis electorum, seu prædestinatorum, salutisque eorum necessitate, quod consequente necessitate salutis, atque impossibilitate perditionis ratione prædestinationis, ex quacunque, inefficaci etiam, intentione salutis ipsorum ortæ satis verificatur interuentu scientiæ mediæ de conditionata futuritione salutis sub auxilio gratiæ internæ, & externæ etiam protectionis, seu remotionis impedimentorum, quibus non amotis perirent: quam prædestinatio vtramque gratiam absolute afferens supponit; quod autem ea impotentia perditionis electorum non sit antecedens ex efficaci intentione antecedente salutis ipsorum, siue eorum electione, ad salutem ex eodem textu constat: vbi dicitur, neque electos, seu prædestinatos ipsos, neque vllum omnino hominem saluandum, nisi persecutionis illius tempus decurtaretur illis verbis: *& nisi breuiarentur dies illi non fieret salua omnis caro:* fieret autem certè salua prædestinatorum caro, siue prædestinatus, & electus omnis, si antecedente ad eius prædestinationem, ac subinde opera & salutem per illa obtinendam, absoluta, & efficaci voluntate, & electione diuina esset prædestinatus ad salutem electus: ex ea quippe efficaci, & prorsus antecedente intentione salutis, & electione prædestinati ad gloriam antecedenter etiam, in quavis rerum peristhasi eius salus necessaria erat, eiusque perditio impossibilis: quare & non breuiatis persecutionis illius diebus: sicuti, & ea durante prædestinati alij auxiliis efficacibus saluti erunt, eique cum victoria resistent, quibus similia pro quovis prædestinato efficacia, ad perduraturæ etiam persequutioni illi resistendum Dei potentiæ, & scientiæ aderunt.

7. Secundum quod electione pro reprobis etiam admittenda, si ex æquali salutis vtrorumque intentione dies persecutionis breuiarentur di sectum, est certamine primo, numero 3. & certamine secundo, numero 5. in explicatione mentis Sanct. Thom. ostendimus enim, adhuc æqualitate entitatiua intentionis salutis vtrorumque admissa, non vno tantum sensu ex parte actus primi etiam, & anterius natura ad prædestinationem, & merita absoluta prædestinatos præ reprobis diuina illa intentione esse ad salutem electos talesque merito haberi, ac nominari debere. Secundò certamine illo primo, numero secundo, & certamine 3. numero 4. fuit probabiliter, ac pro non nimis subtilibus, modum aliam eius antecedentis electionis prædestinati præ reprobo ad salutem ex inefficaci absolutè intentione salutis ipsius ex maiori feruetate, & propensione (etsi efficaciam adhuc) in salutem prædestinati, quam in salutem reprobi proposuimus satis fundatum ex dictis controuersia 6. de prouidentia d. 3. quæstione prima, certamine secundo & tertio. Tertium, & posterius in textus huius ponderatione, & obiectione tactum (qui scilicet modo propter, & pro electis speciatim perfectionis illius dies breuiati dicantur: cum tam prædestinatis, quam reprobis breuiatione illa dierum persecutis cessauerit) explicuit doctè, & subtiliter meus Magister Daza. Quia nimirum pro illis merito breuiati perfectionis dies dicuntur, qui anteactæ eousque perfectioni illi restiterant, neque fuerant hactenus in errorem inducti, erantque, ni breuiarentur dies inducendi: ii vero solum erant prædestinati, & electi, quam reprobi iam omnes, vel fere omnes anteacta persecutione inhibi in errorem fuerant, vt moraliter loquendo nullus diuturnitate perfequutionis inducendus superesset: ac proinde, non pro his, aut propter hos, sed propter electos speciatim breuiati dies illi merito dicentur. 2. quia breuiatio testationis erat externæ protectionis gratia in eo posita, vt per impedimenti ablationem salus obtineatur, vel ruina vitetur: & quia reprobi in eo essent, vel iam ceciderant, vel casuri erant, breuiati, vel non breuiatis illis diebus] ideo eorum breuiati reprobi gratia externæ protectionis non fuit, nec efficiæ, & congruitati inspirationis, & vocationis internæ aliquid contulit, vt prædestinatis contulit & electis quare non propter, seu pro reprobis, sed pro, & propter prædestinatos illa persequutionis breuiatio facta merito dicitur, ad quorum tantum perseuerantiam conduxit & in quorum cessit absolutam saluationem, & salutem: ac subinde prædestinationis ipsorum effectus fuit. Hoc eodem sensu Apostolus 2. ad Timot. 2. *Omnia sustineo propter electos* speciatim *vt & ipsi salutem consequantur* videtur dixisse, licet omnibus prodesse posset, quæ Apostolus patiebatur, & ex desiderio salutis omnium ea sustineret: quia, etsi cunctis prodesse ea possent, ast electis, seu prædestinatis profutura de facto, & cum effectu speciatim cum ea sustineret, meditabatur.

8. Inducitur pro affirmantibus id Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit* (gratuita hæc interpretes omnes voluntate) *Patri vestro dare vobis Regnum*, cæli nempe, ad quod possessionem temporalium eleemosynæ loco elargitione lucrandum statim hortatur. Cum enim discipulos de necessariis ad vitam sollicitos atque vano egestatis timore ex Euangelica, quam ipsis prædicabat, paupertate subtimidos videret, argumento à maiori ad minus affirmatiuo eam solicitudinem & timorem vanum egestatis depellit, atque eos in paupertatis amore valide obfirmat. Qui enim gratuita, & liberali voluntate regnum cælorum dare voluit, facilior vitæ temporariæ necessaria subsidia datumus monstratur: quod nusquam ostenderet, si voluntas dandi regnum meritis promissum post merita absoluta præuita solummodo à Deo haberetur: ea enim necessaria promissione & fidelitate (vt minimum) voluntas esset non libera, nedum gratuita, & liberalis: quare ex illa, rameth de re maiore liberalis, & gratuita, de re adhuc minore, alia haud quaquam legitime inferretur: sed in primis Chrysologus timorem eis verbis è discipulorum cordibus à Christo depulsum magnitudinis præmij à Patre constituti, ac discipulis ea dictione propalati esse censuit sermon. 23. scribens. *Nam promissionem regni sine timore seruilis status audire non potest*: puraque, & plumore seruilis status audire non potest: puraque, & plamora in eandem sententiam alia: Secundo Regnum eis

eis verbis prænuntiatum, illud ipsum est quod immediatis verbis: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Hoc autem regnum Ecclesia Dei, & eius sanctitas, & morum probitas fidelium intelligi vult Barradas tom. 2. concord. Euangel. lib. 1. cap. 26. cuius propagandæ curam eis verbis Apostolis Christus intimet, & suadeat, cui, si ipsi curam omnem suam impendant, necessariorum ad vitam illorum tuendam, atque seruandam curam, & prouidentiam penes Deum fore pollicetur: vnde sensus oppositi nobis cohærentis textus erit: ne vitæ vestræ necessaria subsidia defutura ab eo timueritis, qui vos ad amplissimam in Ecclesia sua potestatem, & principatum, rem scilicet longe maiorem, gratuita sua, & liberali elegit voluntate: sed esto regnum gloriæ cum plerisque sane Doctoribus eo loci intelligamus: & sit sermo cum Apostolis solis, vel è persona ipsorum cum omnibus fidelibus, (vt cum Euthymio volunt Maldonatus ibi & Barradas proxime nec de electione efficaci antecedente merita) nedum, vt aduersarij volunt prædestinationem, nec de prædestinatione ad gloriam textus intelligi potest: quia ex fidelibus plures, atque ex Apostolis Iudas, nec ita ad gloriam erant electi, nec prædestinati: immo vero reprobi & præsciti: nec, nisi impie, contra Christi apertissimam scientiam pie locutus Christus dicetur de omnibus prædestinatos, & electos esse iudicans: Sat ergo erit, si antecedens prædestinationem, & merita voluntas gloriæ, & complacentia illa esse intelligatur, salutis omnium gratuita, & liberalis intentio inefficax & communis ad argumenti efficaciam cum enim ex intentione sufficientia, & necessaria ad salutem media, & subsidia spiritualia ad vitam æternam, longe excellentiora necessariis ad vitam temporalem (de quibus solum soliciti erant discipuli) gratuito etiam & liberaliter cunctis Deus prouideat, ritè, rectèque infertur, de necessariis ad vitam, gratuitò etiam, & liberaliter, Deum discipulis prouisurum: præsertim suorum animorum, & Ecclesiæ fidelium curæ impensis: Denique, & de electione ad gloriam post merita solummodo præuisa complacentia illa dandi eis regnum textui conformius explicanda videatur. Cum enim immediatè dicatur: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, auctarij loco, ad præmium principale iustitiæ obseruationis mandatorum vobis promissum, necessaria ad vitam suppeditabuntur, subditque rationem. *Nolite timere*, &c. quia, cui placuit gratuito promittere meritis vestris cœli, & gloriæ regnum, & gloriam in præmium, seque obligare, quod, condignis etiam, præstare non tenebatur, citius vitæ necessaria præstare placebit: quo satisfit ponderationi necessitatis voluntatis dandi gloriam ex meritis, ex qua ad gratuitam suppeditandi necessaria vitæ illatio negabatur: currit autem ex gratuita promissione, & obligatione dandi eam ex meritis. Ac tandem, cum ex gratia merita illa oriantur, quibus datur gloria, atque in voluntate gratuita dandi gratum interpretatiua dandi gloriam contineatur, gratuita gloriæ donatio moraliter censetur: vnde sanctus Augustinus sæpe *gratiam pro gratia* gloriam vocat: & Trident. sess. 6. capite 14. *gratiam libere promissam, & mercedem fideliter reddendam*.

9. Pro affirmantibus circumfertur illud Actor. 13. *credidérunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam*. Sed, quam extra rem afferatur, constat ex d. 1. quæstione secunda, certamine primo, numero sexto, & certè *præordinati* tantumdem, atque prædestinati apud Augustinum 17. de bono perseuerant. S. Thom. & Scholasticos valet: prædestinatio vero, etsi ante absoluta merita prædestinati sit; at efficax gloriæ voluntas non est: inducuntur ab eisdem testimonia ex 1. ad Ephesios, & 8. & 9. ad Rom. in quibus, & electi, & dilecti, & vocati secundum propositum, id est beneplacitum, & gratuitam, non autem remuneratoriam Dei voluntatem, & antequam boni quidquam, aut mali egissent, de Iacob, & Esaü dicitur, quibus, & electio, dilectio, & propositum Dei præcedere dicitur, atque secundum propositum, & electionem, quod tantundem est atque ex electione, & proposito vocationem efficacem, & cum iusti perseuerantia, & gloria coniungendam præparari (quod prædestinatione, prouidentiaque prædestinatorum propria, & quæ merita eorum absoluta præcedit formaliter sit) electio vero, & dilectio, seu propositum gratuitum, & liberale prædestinationem, & merita antecedens, atque perseuerantiæ, & gloriæ prædestinatorum indefectibiliter coniungendum, nequit non efficax de se esse. Respondetur tamen: propositum, secundum quod vocatio prædestinatorum propria esse dicitur, siue electionem, & dilectionem Dei nihil aliud, quam prædestinationem significare, vt ea loca ex instituto expendentes, & interpretantes vidimus d. 1. quæstione 2. certamine 1. fine & certamine 2. quare, neque electionem, seu propositum secundum quod vocatio dicitur infallibiliter cum perseuerantia, & gloria prædestinati coniungendum prædestinationi, sed vocationi, quæ secundum propositum esse dicitur solummodo natura præcedere: propositum autem, quod prædestinatio est, secundum electionem esse dicitur, non, quia electio efficax finis gloriæ propositum, seu prædestinationem determinans præcedat: sed quia libere, ac liberaliter, siue è puro arbitrio, & electione Dei illud habentis propositum à Deo habeatur, nullis prædestinati, vel non prædestinati proposito illo suo meritis demeritisve absolutè excitato: sed insistunt sæpè Suarius, atque affirmantes reliqui: vocationem, & gratiam finaliter efficacem, coniunctamque, atque infallibiliter cum perseuerantia, & gloria coniungendam, præcipuamque partem & complementum prædestinationis plerumq. ex præcedentibus, absolutè meritis prædestinati à Deo absolute decerni atque donari: ergo nequit ex mera Dei electione, gratuitoque arbitrio esse, ac dici absolutè, & indefinitè, seu vniuersaliter propositum, seu prædestinatio, plerumque ex meritis, præcipua, ac potiore sui parte habita, nisi ratione electionis efficacis antecedentis secundum se totam absoluta merita prædestinati, ex qua propositum efficacis vocationis, seu prædestinatio habeatur.

10. Respondetur Paulum ibi, & Augustinum, Patres, & Theologos reliquos ex ipso loqui de prædestinationis proposito per modum vnius voluntatis, quin varia signa partialium decretorum quibus tota illa series constituitur, priorum, posteriorumque vere, intentionaliter, non physice: sicque accepto per modum vnius proposito, & prædestinatione tota, & omnium à primo ad vltimum, & finale efficax auxilium perseuerantiæ coniunctum complectente, ex eo, quod decretum mere gratuitum de auxilio primo efficaci ex nobis non fit, ex quo tota decretorum prædestinationis series inchoatur, nempe tota prædestinatio & propositum, non ex meritis sed gratuitum esse à Paulo, Patribus, & Scholasticis dicitur, quia aliquis ob rationem factam (quam nemo ignorat) gratuitam, & liberalem absolutè esse prædestinationem an sit negare: sicuti & series tota auxiliorum à primo ad vltimum & perseuerantia quæ huic coniuncta est, gratis dari dicitur: quia eius seriei initium ex nobis non est; tametsi auxilium efficax finale, perseuerantiaque pro illo accepta ex meritis à gratia anteriori ortis sæpe donetur. Et ratio est: quia in primo auxilio ita concatenatorum efficaci datur in radice, & virtute posterius: quare, primo gratuitò. & liberaliter donato series tota gratuitæ & liberali Dei donationi innititur: eaque ablata liberali donatione subrueret: vt auferretur quidem, si vocatio prima ex nobis, nostræ naturæ viribus & meritis esset (quod solum vt prædestinatio, seu propositum vocationis, & vocatio secundum propositum ex Dei electione, liberoque, & liberali arbitrio esset) excludere voluere Paulus contra Iudæos, qui operibus legis, & propriis viribus salutem obtineri effutiebant; & Augustinus contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui solum tenuissimum initium, ansulamque prædestinationis Deo ex nobis, naturæque nostræ viribus oblatam volebant: itaque ex gratia & liberalitate Dei tota simul & adæquate sumpta prædestinatio esse absolute merito à scriptura dicitur, sine qua absolute esse non potest, neque inchoari, & in cuius gratuito, & liberali initio reliqua, quibus completur, & absoluitur gratuito virtualiter, & radicaliter donantur. Qua etiam ratione, si coniunctim de voluntate dandi gratiam,

& gloriam, tanquam de voluntate vna loquamur, electio ad gloriam, ex meritis licet gratia liberalis, & gratuita dici potest, intelligique eo sensu, & acceptione recte poterit illud Augustini contra Semipelagianos 7. de corrept. & gratia: *homines* scilicet *gratis electos fuisse ad regnandum cum Christo.* Hæc iuxta doctrinam Augustini, qui de prædestinat. Sanctorum capite 17. & vbiuis vocationem *secundum propositum* propriam prædestinatorum censet. Alij enim Patres apud Iustinian. 8. ad Rom. num. 5. (ex quibus Lessius de prædestinatione sect 3. num. 30.) quamcunque vocationem ex liberali Dei voluntate, ac non ex operibus legis, & naturæ, vocationem secundum propositum dici ab Apostolo censent, communemque esse etiam sufficienter ex gratia Dei vocatis non prædestinatis: ac proin. de n. 38. fideles omnes vocatos secundum propositum ibi intelligit: quasi pia coniectura, & ex præsenti eorum statu prædestinatos illos omnes Apostolos censeat, & vocet, vt significat August. quandoque de bono perseuerantiæ cap. 22.

CERTAMEN IV.

Irrito etiam pro alterutra sententia certatur ex Patribus.

1. POrrò ex dictis ad scripturæ loca pro altervtra opinione ab eius Patronis inducta satis constat nihil pro alterutra firmum ex Patrum testimoniis ad eadem loca scribentium firmum afferri pro alterutra sententia posse: quare eorum recitatione, & explicatione abstinerem, ni eorum multitudine, & inculcatione minus Doctos turbari quandoque posse iudicarem: ergo per capita saltem, & quasi per summam, memoranda, & explicanda non inutiliter censeo: & pro negatiua in primis afferuntur ad id Matthæ. 20. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Chrysostom. homil. 6. in Matth. scribens: *Sed, quibus labore, atque sudore paratum est:* Epiphanius hæresi 69. *Si laboraueritis erit vobis paratum.* Cyrill. 10. Thes. c. 6. *illis, quos excessus certandi commendauerit.* Ambros. 5. de fide cap. 3. *vt ostenderet patrem quoque non petitionibus deferre solere sed meritis: quia Deus personarum acceptor non est. Vnde Apostolus ait, quos præscivit, & prædestinauit. Non enim ante prædestinauit, quam præsciret, sed quorum merita præscivit, horum præmia prædestinauit.* Quem Apostoli locum ita etiam interpretantur vt meritorum absoluta præscientia prædestinationem ad gloriam anteceserit. Origen. 7. in eam epist. Theodoret. Theophil. Euthym. Oecumen. Sedul. Theodul. apud Salmer. Tolet. & Iustinian. in cap. 8. & 9. ad Rom. & Damasc. Dialog. contra Manich. nos ad iustitiæ, & sanctitatis opera hortatur: *vt in eorum numero simus, quos Deus bonos fore præscivit, atque ad æternam vitam præordinauit*: idque deinceps ipsum explicatius ait: *præuidens Deus ea, quæ nos sponte facturi sumus, ea scilicet, quæ sunt in nostra potestate, etiam ea, quæ non sunt in nostra potestate prædefiniuit.* Sed Vasquez d. 93. citata c. 3. (qua erat ingenij, & interpretandi sinceritate, & rigore) plerosque ex Græcis Patribus citatis censet non prædestinationem, siue electionem ad gloriam precise, sed ad gratiam etiam, qua ad gloriam prædestinati ordinantur siue proprie, & stricte, & rigore Theologico acceptam prædestinationem, & voluntatem ex meritis, seu operibus ex nobis, naturæque viribus absolute factis, atque à Deo præuisis habitam à Deo esse iudicauisse: quare præsenti suæ sententiæ directo testimoniis illis non fauere; sed nondum exorto ventilato, atque ab Augustino profligato, ex quo redderentur cautiores Semipelagianorum errori, vt priscis Patribus ante, exortos ventilatosq; atque ab Ecclesia examinatos alios errores, immò & scholasticis Doctoribus peritissimis, & acutissimis eis fauere vsu venit, & Damasceni verba ansam huic interpretationi offerunt non leuem. Sed, quidquid de hoc sit, de prædestinatione, & præparatione æterna ad præmij, & regni donationem, & collationem executiuam facile præfati Patres explicantur, vt Ambrosij, (qui difficilior ex recitatis est) locus expressit: & petitionis materia suadet, quæ de executiua sedium ad dexteram, & sinistram collatione erat, & verba *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo* satis suadent: executiuam vero præmij, & gloriæ præparatiuam voluntatem affirmantes electionem efficacem ad gloriam ante absoluta merita prædestinati, non negant, sed fatentur Catholici; imino vero sua ipsa conclusione asserunt, & supponunt: cum electionem illam suam antecedentem ad gloriam non, nisi per merita ipsa absoluta obtinendam, & propter eadem absolute præuisa dandam asserant, & defendant.

2. Augustini locus pro negante sententia vrgentior, atque huc ex instituto explicandus remissus cert. 1. numero 1. ex quæst. 2. ad simplician.) ita vt Bellarminus 2. de lib. arbitrio cap. 15. mutatam postea in suam affirmantem ab Augustino negatiuam fuisse asserat. Hanc vero sic videtur tradidisse quæst. 2. ad Simplician. *Non quia Deus inuenit opera in hominibus, qua eligat; ideo manet propositum prædestinationis; sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, qua iam eligat ad regnum Cælorum*: inferius. *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio*, subdit rationem. *Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab eo, qui reiicitur*: Ante opera vero absoluta nulla est subiecti, vel eligendi, vel reiiciendi distantia, seu diuersitas, ob quam eligatur alter, alter reiiciatur, vt patet: in eadem vero sententia constitit semper Augustinus, vt liquet ex 4. de prædestinat. Sanctorum, & de bono perseuerant. c. 20. & 21. & serm. 7. de verbis Domini secundum Matth. gratuitam electionem ad gratiam ab electione ad gloriam, quam non, nisi ex meritis, & remuneratoriam agnoscit, sic distinguens; *elegit autem, & secundum illius gratiam, & secundum suam iustitiam.* Qua imbutus præceptoris sui doctrina, & mente instructissimus discipulus Prosper 2. de vocat. gent. c. 35. ait: *Deus ergo iis, quos elegit* (ad gratiam, vt ex sequentibus liquet) *sine meritis dat, vnde ornentur ex meritis: & frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis: cum ad hoc operentur vt electi sint*, scilicet efficaciter ad gloriam: siquidem inefficaciter indepenedenter, & antecedenter ad merita, vel prædestinatione ipsa interpretatiue, vel anteriori intentione salutis eorum formaliter, electos ad gloriam prædestinatos vetque admittit iuxta dogma Theologicum sensibus à nobis explicatis certam. 1. à num. 2. & cert 2. à num. 4. & præsertim vbi discretionem prædestinati à reprobo pro priori naturæ ad prædestinationem à S. Thom. num. 3. tactam (etsi velis ab Augustino nuper) explicatione vltima designauimus. Demum cum Augustinus ante haresim Semipelagianam ortam examinatam, & ex instituto discussam, in eam cum Græcis Patribus consenserit, vel inclinarit: cum tunc ex præuisis meritis naturæ, quæ gratiam præcederent, nec aliter decerni nobis à Deo gratiam doceret, ita, cum ex meritis gratiæ absolutis dari gloriam Catholicè censeat, non, nisi ex eis absolute præuisis decerni à Deo gloriam prædestinatis, & eorum electionem efficacem ad gloriã à Deo haberi censuisse credendus est. Respondetur tamen eis locis efficacem voluntatem executiuam, & collatiuam gloriæ asseri ab Augustino: aliam vero efficacem intentiuam electionem prædestinatorum ad gloriam, ex qua efficacia ad hanc obtinendam media prædestinatione præparentur ab eo non negari, nec asseri: etsi enim reprobi à prædestinato diuersitatem supponendam ad electionem indefinite dicat, ad denominationem electionis, sensu aliquo non satis ab ipso explicato, requisiuit, vt eo etiam sensu electionem prædestinati præ reprobo de eorum exemplaribus Iacob, & Esau agens absolute electionem ad gratiam obinde expresse negarit, tametsi sensu alio occulto aliquam electionem ipsorum his tandem admittat: *quod si electio hic fuit aliqua, vt sic intelligamus, quod ad Roman. 11. dictum est: reliquiæ per electionem gratiæ salua facta sunt: non, vt iustificarentur, sed vt eligantur, quæ electio fiat: ad vitam æternam, sed vt eligantur, quæ iustificentur.*

iustificentur : certe ista electio ita occulta est, vt in eadem conspersione nobis apparere non possit : alias cum id de electione absolute dicat, quin nominet efficacem, omnem electionem ad gloriam ante absoluta merita prædestinati minus catholicè negaret, ac sibi contradiceret : cum ea quæstione ita agat contra Pelagianorum errorem, quem vbivis confutat, vt ad eam se quæstionem, vti exactissimam suam contra eos disputationem, remittat : id autem re ipsa electio ad gratiam est, quam citat serm.7. electionem expresse vocauit. Nec vltima ratio quidquam præstat. Nam cum Semipelagianismum, post valide ab ipso confutatum, tenuit merita ex propriis viribus medium, & necessarium ad gratiam à Deo obtinendam censebat : Quare neque velle gratiam poterat ex eorum antecedente intentione, siue propter merita vt finem, quin ordinis intentionis, & executionis esset inuersio, & rerum ipsarum contradictio : vt scilicet, quod natura sua medium est, eius, quod natura etiam sua finis solum illius esse poterat, finis esset, nec posset velle dare gratiam, quia meritum semipelagianum dare vellet, quod gratiæ effectus non erat, sed naturæ. Cum autem merita ex gratia Dei media ad gloriam sint, ex huius intentione antecedente, ac propter gloriam, vt finem per merita obtinendam amari illa, atque gratiæ auxilia præparari absque vlla repugnantia & inconsequentia posset Augustinus docere, ac velle Deum dare gratiam, quia vult dare gloriam, quæ illius, mediis meritis, effectus est.

3. Affirmantis sententiæ Patroni producunt Augustinum 7. de corrept. & gratia scribentem de prædestinatis. *Quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem vt dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum. Electi sunt autem ad regnandum cum Christo.* : cum Christo vero regnare de regno temporariæ iustitiæ, & gratiæ in hac vita nusquam dicitur, sed de æterno solum beatitudinis regno, quod rursus explicuit. *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum*, c. item 12. & 13. regnum, ad quod electi sunt, & à gratia temporaria, & à perseuerantia distinguit, & æternum esse ita scribit. *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi perseuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus sine fine beatissimus seruabitur.* Et quidem erectio hæc ad regnandum cum Christo non est ad gratiam primam vocationis, nec temporalis iustificationis, & adoptionis : nam ex numero ita electorum plures deficiunt perseuerantiæ defectu, quare nec *integerrimus*, nec sine fine Beatissimus seruabitur: quare nec eiusmodi electio, quæ perseuerantiæ, ac subinde gloriæ æternæ electi non coniungitur, propria prædestinatorum est, vt est electio ad regnandum cum Christo, & sine fine, de qua hic, & vbivis de eiusmodi electione loquitur. Audiatur cap.22. de bono perseuerantiæ. *Si qui obediunt ; sed in regnum eius, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt* : cum ergo ad gratiam vocationis, & adoptionis, & perseuerantiam cum gloriæ regno ipsorum coniuncta, electos sine meritis esse oporteat ex Augustino prædestinatos quosvis, vt tales & secundum *propositum* in eius, & Pauli phrasi *vocati* sint, ad gloriam etiam sine meritis, ac proinde antecedenter ad merita, & efficaciter electos esse censendus Augustinus est docuisse : siquidem electio sine meritis ad Regnum, gloriæ ex qua media efficacia ad perseuerantiam, & gloriam cum eis infallibiliter coniungendam prædestinatorum *siue vocatorum secundum propositum* propria, & necessaria, & gratuita, atque eorum absoluta merita præcedens, ac sine eorum meritis à Deo habita per Augustinum non, nisi efficax esse potest : immò id totum proxime videtur Augustinus docuisse, cum aiebat. *Quicunque ergo ab illa originali damnatione ista gratia diuina largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuretur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, qua per dilectionem operatur vsque in finem perseuerant, etsi quando exorbitant emendantur.* Dubium autem esse poterat an ea defectura essent, ni antecedens eorum ad gloriam electio, & discretio gratuita ab Augustino asserta essent, ex ab ipso crederetur, & foret idque de mente esse Augustini constat vlterius ex eius intelligentissimi discipuli Prosperi epistola ad ipsum quæ extat ante Augustini libro de prædestinat. Sanctorum, vbi doctrinæ præceptoris de prædestinatione super hac re explicationem ab ipso reposcit : *Quomodo per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles sunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, ne occasionem negligentiæ habeant si se prædestinatos esse desperent.* Quia scilicet censebat electionem, & gratuitam, & ante merita efficacem, cum ad finem, tum ad gloriam ad prædestinationem, & vocationem electorum & vocatorum *secundum propositum* ab Augustino esse constanter assertam. Atque ita eius mentem in Gallia à Massilienſibus intellectam : vt esse de electione & proposito diuino cui resisti ab electis, atque ita vocatis nequeat, refert Prosper ibi & Hilarius sua epistola ad Augustinum, quæ epistolæ Prosperi iuncta circumferrur : quin Gallorum impostura Præceptori suo Augustino ipsi ibi conquerantur, nec Prosper ad capitula Gallorum c.7. & 2. de vocat. gent. c 16. nec Fulgentius 1. ad Monimac. cap.8. & 13. nec Augustinus ipse : immò vero tam Augustinus lib. de prædestinat. Sanctor. & de corrept. & grat. quam ipsi eius Assectæ Augustini sententiam ex scriptura confirmare contendunt. Accedit Augustinum illud 1. ad Timot. 2. *vult omnes saluos fieri* non semel, sed sæpe, de solis prædestinatis intelligere : ac proinde gratuitam, atque à meritis independentem intentionem gloriæ ad electionem mediorum solummodo efficacium inductiuam, & cui resisti non possit solam agnouisse : vt omne hominum genus in duas classes, alteram ita electorum antecedenter, alteram electorum diuiserit, vt taciti etiam, nec reclamantes Prosper, & Hilarius de sancti Augustini mente apud Gallos stata, & euulgata suis epistolis ad ipsum retulere.

4. Hæc tamen omnia neque ex intento, neque ex textu sunt, neque ex mente Augustini pro affirmante sententia, intentum enim Augustini libris de correptione, & grat. de prædestinat. Sanctorum, de bono perseuerantiæ, & vbivis de gratia, & prædestinatione ad gloriam agit contra Pelagianos, & Semipelagianos erat meritum omne ad gloriam quovis modo, & gradu conducens ex Dei gratia, non autem ex operibus viribus naturæ adhuc initiatiuè, & inchoatiuè esse : ac proinde gratiæ, & prædestinationis nullam ex parte nostri, & naturæ viribus causam dari : ex quo fit, vt de electione, non quidem directa, & formali ad gloriam, siue gloriæ prædestinatorum, sed gratiæ, siue ad gratiam formaliter, hoc est de præparatione gratiæ efficacis ad gloriam infallibiliter per eam obtinendæ, siue formali in eius phrasi prædestinatione (quæ interpretatiue, & præsuppositiue ratione intentionis, ex qua gratia eiusmodi eligitur, gloriæ per eam obtinendæ voluntas est) loquatur Augustinus, quoties de electione gratiæ ad regnum, siue ad regnandum cum Christo loquitur : nihilominus, nil omnino de eius intentionis præsuppositæ ad prædestinationem, siue electionem, & præparationem gratiæ illius efficacia, vel inefficacia (impertinente scilicet prorsus ad institutum illud suum quæstione) curans. Id ipsum contextus Augustini vbique suadet : cum electionem semper cum prædestinatione coniungat, gratiæ electionem vocet, & æternam in Dei voluntate, & temporariam in eius effectu, gratiæ nimirum donatione, & collatione, vtramque gratuitam, atque meritis ex nobis, & naturæ viribus non esse probat 1. de prædestinat. Sanctorum ex illo ad Rom.11. *Reliquiæ per electionem gratiæ salua facta sunt*, in cuius libro, c.17. ait : *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt ; sed qui eliguntur, vt credant.* Vocatione autem non fiunt formaliter electi, neque ad gloriam, neque ad finem æternæ, & interna Dei electione, quæ vocatio non est, neque esse potest ; sed externa solum, ac temporaria, quæ internæ, & æternæ illius voluntatis diuinæ, & efficacis effectus est : sed neque actiue electi electione alia antecedente ad fidem, aut gloriam fieri vocatione illa possunt, ex qua vocatio ipsa eiusque præparatio, seu prædestinatio ita vocati proueniat : Cum causa per suum effectum nequeat fieri nisi implicatorie, quod prius natura est, ad posterius se ipso trahatur, & posterius natura retro trahatur ab seipso prius : censet

igitur vocatione ipsa efficaci externè, & temporariè prædestinatos ad fidem, iustitiam &c. formaliter electos constitui, sicuti, & prædestinatione ipsa, electione æterna, & interna (quam à temporaria, & externa tanquam causam ab effectu ibidem distinguit) formaliter ab æterno electos absque vllis naturæ meritis: ac subdit: *hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ*: ostendens se de nulla alia electione prædestinatorum quam de æterna prædestinatione, seu præparatione gratiæ, quæ interna Dei æterna electio formaliter sit, & de gratia ipsa, quæ formaliter sit temporaria, & externa prædestinatorum electio, vllatenus egisse cap. autem 18. de electione ad gratiam absque vllis meritis ex nobis se agere profitetur, nihilque aliud electionis æternæ prædestinatorum nomine intelligere his Apostoli verba illustrans, ostendit. *Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem prædestinans nos in adoptionem filiorum Dei, non quia per nos Sancti, & immaculati futuri eramus, sed elegit, prædestinauitque, vt essemus.* Si ergo *prædestinans elegit*, vtique prædestinatione elegit, qua in sanctitatem ordinamur, & filiorum adoptionem, per gratiæ efficacia media, quæ prædestinatio, seu gratiæ, & ad gratiam formalis electio deuoluit: quare, neque formalis electio ad gloriam esse potest, cum ad sanctitatem, & adoptionem filiorum ordinari, tanquam finem dicatur, & sanctitas medium ad gloriam sit, & ad quam proinde gloria vt medium eligi nequeat, quin ordo inuertatur, & finis propter media, siue vt sint media, aperta contradictione amentur: sed nec filiorum adoptio ab operum sanctitate, & honestate diuersa per bona opera obtinenda, vt media electio formalis esse potuit, quin adoptio, qui finis Sanctorum operum est, simile, & contradictoria necessarij ordinis inter finem & media inuersione ametur: ex quibus concluditur: electionem prædestinatorum formalem, & gratuitam ab Augustino vtique assertam, solum electionem seu præparationem gratiæ efficacis, atque prædestinationem nusquam ex meritis naturæ, sicuti illa non *quia per nos*, &c contra Pelagianorum, & Semipelagianorum errorem expressit; sed vt merita ex gratia, cuius solum prædestinatio formalis electio est) sanctitatemque, ac deinde gloriam (ex cuius intentione prædestinat & prædestinatione eligit prædestinatos) in nobis obtineat: tametsi; quia, vt diximus, electio gratiæ efficacis, seu prædestinatio ex fine gloriæ habita virtualis, & interpretatiua gloriæ voluntas est, atque consequente impossibilitate ab ea inseparabilis, sicuti & gloriæ intentio inefficax huic formali gratiæ efficacis electioni seu prædestinationi coniuncta, electio ad gloriam prædestinati præ reprobo dici queat, iuxta dicta certam. 2. & 3. à n. 3.

5. Insistunt tamen affirmantes: etsi eius erroris confutandi occasione, de electione prædestinati ad gloriam formali, & efficaci & antecedente gratuito ad merita eius Augustinum egisse, nec solum de gratiæ formali electione ex illis Prosperi epist. citata ad ipsum. *Illud etiam: qualiter diluatur, quasumus patienter inspicientiam nostram ferendo demonstres: quod retractatis* (alias *pertractatis*) *priorum de hac re opinionibus pene omnium par inuenitur & vna sententia, qui propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam acceperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in quæ futurus esset voluntate, & actione præscierit.* Priorum autem nomine Patres Augustino, & Prospero anteriores intelligit, non Massilienses Semipelagianos vtrique coæuos, qui antiquiorum illorum Patrum authoritatem, & sententiam tueri profitebantur: etsi autem Patres aliquot antiquiores dixerint prædestinationem ad gratiam efficacem, eiusve propositum in Deo esse ex præscientia alicuius inchoationis, initijque meriti nostri ex viribus naturæ (vt supra ex Græcis aliquot & Augustino aliquando referebamus) nemo tamen dixit ex præscientia finis vitæ: ergo eorum par vna, & communis iam sententia fuit de proposito gloriæ ab operibus independenti, ad quod solum præscientia exitus meritorum finalium expectari ab ipsis putabatur. Secundo quia finalis exitus actionis *sub ipso gratiæ adiutorio* gratia ipsa non est, vt patet, sed gloria: ergo eius præscientia absoluta ad propositum gloriæ, non gratiæ Patribus illis expectandus à Deo putabatur; & contra hanc etiam præscientiam absolutam ad propositum diuinum, siue electionem ad gloriam prædestinatorum scribit Augustinus libris de prædestinatione Sanctorum, dum propositis omnibus à Prospero, & Hilario quæstionibus respondet, atque propositum, & electionem formalem ad gloriam independentem, & antecedentem ad merita non solum naturæ viribus, verum & ex gratia habitis statuit; tametsi voluntatem, siue electionem aliam executiuam, & collatiuam gloriæ Catholicam loca pro negatiua sententia productis, ac sæpe alias fatetur. Confirmatur: quia Massilienses seu Semipelagiani vnaque prædictorum Patrum sententiam ampleci sunt, alteram de prædestinatione ad gloriam ex meritis nostris, seu viribus naturæ absolutis, à nobis habitis, ac Deo oblatis ad prædestinationem, eiusve fatum obtinendum, ac primam gratiam ab ipso obtinendam, quod postmodum in Semipelagianis damnatum est: alteram de prædestinatione, siue electione prædestinatorum ad gloriam non, nisi post absolute præuisa merita ipsorum ex gratia prouenientia, cum perseuerentia ad mortem vsque, qua consummarentur: ac proinde Augustino contra vtramque in Semipelagianis repertam sententiam pugnauit: primam hæreticam esse conuincens; secundam, etsi non hæresis notans, vt minus sibi probatam, & probabilem reiiciens. Quod autem, & hanc secundam sententiam Semipelagiani tenuerint constat ex Prospero eodem ita Massiliensium Semipelagianorum sententiam referente. *Qui autem crediturí sunt, quæve vt credendo, quæ deinceps per Dei gratiam sit inuanda, manifesta præscire Deum ante mundi constitutionem, & eos prædestinasse in regnum, quos gratia vocatos dignos futura electione, & de hac vita bono fine excessuros esse, præuiderit.* Confirmatur tertio ex dictis supra Augustini sententiæ de verbis secundum Matth. *Elegit autem Deus, sine dubio quæ Apostolus. & secundum suam gratiam ad gloriam* tamen ordine intentionis antecedenter ad merita & gratuitò) *& secundum illorum iniquitatem*, ordine executionis inquiunt, siue executiua, & collatiua gloriæ electionis quo difficilem illum textum pro parte negante ex quæstione secunda ad Simplicianum, & reliquos Sancti Augustini de electione ad gloriam post merita absolute emolliuur.

6. Sed, vt reliquos omnes, qui gratiæ electionem gratuitam, ac merita antecedentem in Augustino negant de formali antecedente, & efficaci electione ad gloriam esse suadeant, notant. Non esse idem apud Augustinum eligi aliquem ad aliquid (v. g. ad filium, aut gloriam) atque esse, aut fieri electum ad illud. Posterius enim hoc est esse, aut fieri conformem electioni, priori in eius ad quod primo eligitur consecutione. At hoc autem inducunt illud ex c. 17. de prædestinatione Sanctor. *intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur, vt credant*, qua scilicet vocatione, cum credentes fiant, qui ad fidem eliguntur, conformes electioni fiunt, & sunt & fiunt eoque solum sensu electi, qui ante vocationem eligi dicuntur esse, & fieri rectè possint & de corrept. & grat. *Electi sunt, quia secundum propositum vocati sunt*: id est, vt proposito, seu electioni antecedenti conformes, siue iuxta illam euadant: quo Prosperi recitatus numero 2. spectasse videtur dicens *non aliter operentur, vt electi sint*, & de prædestinat. Sanctor. c. 2. Augustinus. *Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt faciat in eis, eos elegit.* Sed vero frivola, & inanes hæc omnia sunt. Postremum hoc additamentum paradoxum est, & prorsus, etiam grammaticè, falsum, qui actiuæ voci verbi actiui passiuam nostrum, rio in bona grammatica necessario respondere firmiter norunt, vapulabuntque, si in eo fatendo, vel humanitantillum. Erat autem in facultatibus omnibus grammatica præ omnibus eius Præceptoribus peritissimus Augustinus, vt eligi aliquem, quin eadem actione electione fiat, sicque formaliter passiue electus afferat, insolitamve locutionem, & grammaticam frustra introduceret. Nec in testimonijs ex ipso, & Prospero inductis quidquam paradoxa hæc præsidij habet, vt constat ex dictis num. 3. & 4. vbi de electione formali antecedente dicta

dente efficaci, & gratuita ad gratiam, non autem ad gloriam testimonia illa esse monstrauimus. Et vocatione ipsa formaliter constituta, vbi de electione externa loquitur Augustinus, vel prædestinatione ipsa, vbi de interna, & æterna Dei electione loquitur. Et sane superfluo Doctores isti exoticam eam phrasim Augustino imponunt, cum distinctione illa sua ordinis, intentionis, & executionis ipsis familiari, satis habeant, vt perfunctoriis solutionibus ad testimonia Patrum (quorum contextum plerique ex Recentioribus Scholasticis non legunt, & intentum non attendunt) pessimo in scholas inducto more vtcunque responderent. Deinde, vt additamentum illud insolitæ, & hactenus inauditæ locutionis suaderetur, atque, vel partim affirmanti probandæ, vel obiectionibus contra illam eluendis, aut verosimiliter eludendis, ex vsu esse posse oporteret, electionem efficacem antecedentem expressam, & formalem gloriæ, vel eius, ad quod prius quis eligitur, & cui illius assecutione fit, esseque conformis, ac subinde in ea phrasi electus, aliquo Augustini textu, atque verosimili interpretatione probari: nisi enim ea prima electio statuatur, cui secunda conformetur, non extat, illa vero prima electio nec adductis, neque vllo Augustini testimonio verosimiliter probatur vt ex dictis num. 4. constat: vnde ille ordo intentionis, & executionis voluntatum, seu electionum gloriæ efficacium ad rem præsentem euanescit, neque verbis illis Augustini ex sermone illo 7. recitatis, quæ aperte de electione gratiæ, siue ad gratiam sunt: quod autem occasione erroris Pelagiani, ac Semipelagiani confirmandi locis pro affirmante sententia productis de electione gratuita ad gloriam ante merita absoluta ex gratia prouenientia contra Patrum antiquiorum communem sententiam, eam non admittentium, nisi post merita gratiæ sententiam suam Augustinus dixerit, neganti sententiæ contra affirmantem plurimum donat: nempe communem, vnamque, & statam apud Patres antiquos sententiam negantem fuisse, à qua nimirum nisi Ecclesiæ declaratione, ac definitione in oppositum extante, (quam hactenus non extare aduersarij fatentur) nulli, ne Augustino quidem, citra temeritatem recedere liceret. Falsum autem est vllam de efficaci electione ad gloriam antecedente merita absoluta ex gratia præuenientia ante Scholasticos sæculi proximi, nedum apud antiquos Patres, extitisse.

7. Secundò Augustinus vbivis de electione gratuita, ac sine meritis agit, de ea vt dogmatica veritate à scriptura, & Apostolo præsertim, tradita agit: atqui per aduersarios electio gratuita, & ante merita prouenientia ex gratia dogmatica veritas non est: ergo nullibi Augustinus de electione ad gloriam antecedente merita gratiæ agit, sed solum de antecedente merita naturæ siue Pelagiana siue Semipelagiana ad prædestinationem, vel secundum omnem sui partem vel secundum eius inchoationem & initium, vt Semipelagiani errorem Pelagij modificabantur. Confirmatur: quia Augustinus, vbivis electionem antecedentem merita Pauli testimoniis, atque argumentis ab eo tactis in primis confirmat. Pauli vero testimonia, & argumenta omnia contra electionem ad gratiam, seu prædestinationem ex meritis purè nostris, siue ex operibus per naturæ vires habitis, omninò sunt: ergo pro hac solum electione efficaci ad gratiam, seu prædestinatione antecedente merita naturæ, ab eisque independente agit Augustinus. Tertiò Augustinus ex instituto contra Pelagianos, ac Semipelagianos agit contra electionem ad gratiam, seu prædestinationem dependenter, & subsequenter ad merita viribus naturæ habita, ita electi, & prædestinati, sicuti & Paulus contra Iudæos, qui iustificandos se ex legis operibus naturalibus arbitrabantur: atqui locis omnibus, quæ ab aduersariis producuntur, & reliquis, quibus de antecedente electione ad merita prædestinati (quæ æque ab ipsis pro affirmante sua sententia produci possunt) nullisque proinde aliis, contra Pelagianorum errorem de subsequente electione gratiæ, & prædestinationis, ad merita naturæ pugnat Augustinus: ergo contra hunc eis omnibus pugnat, non contra aliam opinionem prorsus Catholicam, quam, nusquam (aduersarijs ipsis fatentibus) insectatur. Patet: quia verbis, locisque omnibus explorato sententiæ erroneæ, quam ex instituto Augustinus, cum Paulo impugnant, aduersis contra illam eos non pugnare, sed contra aliam occasionalem, contra quam extendi, vtcunque possunt, pugnasse, est sano cuivis homini incredibile: immò, & Augustino, & Paulo irrationale: nempe vbique, quasi instituti sui præcipui, tantique ad fidem momenti, quod sibi eis omnibus locis proposuerunt, oblitos ad occurrens aliud, de quo cum disputationem instituebant non curabant, sed casu incidisse totam disputationis suæ aciem diuertisse. Quarto inde atque ab absurdo vrgentius arguo: quia concilia, quibus Pelagianorum, & Semipelagianorum errores damnati in Ecclesia ab Augustini temporibus fuit, testimoniis Pauli, & Augustini acti ad eorum damnationem immerito fuerint, cum omnia vtriusque loca iuxta affirmantis sententiæ Patronos de electione ad gloriam antecedenter ad merita orta ex Dei gratia sensum legitimum, atque ab vtroque intentum habeant, non autem de electione ad gratiam (quam si habeant eis Doctoribus non prosunt cum in eo iuxta intentum, & institutum Pauli, & Augustini intelligi necessario debeant) vnde, imprudenter saltem, eis testimoniis actos, motosque eorum Conciliorum Patres, & Ecclesiam: immò, & Ecclesiam seductam ad eorum errorum damnationem fuisse dici posset: quod est blasphemum. Quin, si sensum ab affirmantis sententiæ Patronis legitimum etiam Pauli, & ipsum interpretantis Augustini testimonia habeant, habereque possint, altero de electione ad gratiam efficacem, & prædestinatione independenter à meritis naturæ non excluso, posset quivis errores Pelagij, & Semipelagianorum damnatos non esse contendere: sed potius sententiam negantem electionem efficacem ad gloriam ante merita absoluta à gratia prouenientia, atque ab eis independentem: siquidem testimonia Pauli, iuxta Augustini intelligentiam, quæ damnationi prætenditur, eum sensum legitimum, & capiunt etiam, & habent. Alij vero æque vtramque negatiuam sententiam electionis efficacis ad gratiam, seu prædestinationis antecedenter ad merita ex propriis viribus, & gloriæ antecedenter ad merita gratiæ fuisse damnatam, cuius oppositum affirmantis Patroni, & Theologi reliqui certum esse asserunt, & supponunt. Iam Prosperi testimonia ab affirmantibus inducta Vasquez ita intelligit 1. part. d. 89. c. 5. vt electionem etiam ad gloriam, scilicet collatiuam, & executiuam ex meritis ab adiuncta gratia profectis, cum Patribus omnibus Semipelagiani admiserint, vt ea referunt loca, nusquamque de eo illos fuisse ab Augustino, aut Prospero refutatos; sed solum de eo quod adiunctam gratiam primam auxiliantem, & prædestinationem ex operibus nostris initium, inchoationem, & ansulam saltem tenuissimam sumpsisse docuerint: Id quod solide euacuandæ difficultati oppositæ tat erat.

8. Addo Semipelagianos vlterius non admisisse specialem Dei prouidentiam, siue specialis gratiæ præparationem erga prædestinatos præ reprobis, sed gratiam etiam suam æqualiter, & in communi vtrisque offerre: ab ipsis vero inæqualiter participari, prout ex propriis viribus ad illam percipiendam, promerendamque inæqualiter conabantur: ac proinde prædestinationem, & reprobationem, per quam alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ, iuxta Apostolum, fiunt, non incipere à libera, & gratuita Dei voluntate dandi aliis specialem gratiam, efficacem, qua certo ad regnum obtinendum dirigentur aliis prætermissis: vnde aliorum prædestinationem ad regnum, atque aliorum à regno reprobationem in voluntate efficaci diuina illud conferendi, aut denegandi post præuisa merita, & bonum absolutum, vel malum vsum gratiæ illius in commune, & æqualiter cunctis oblatæ, inæqualiter vero pro naturalis conatus inæqualitate participatæ sitam solummodo esse: quare nec Deum bona opera, aut merita vlla prædestinatis donare: sic eorum sententiam refert Augustino Prosper epist. citat. *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Hilar. sua etiam epistol. ad August. sic etiam ex illis recitat. *Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, qua ipse donaturus est; sed fidem elegit in præscientia vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum*

ipsum elegerit, aut Spiritum Sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur, Augustinus verò in hoc etiam eos condemnat, quod ex ita partis meritis, & perseuerantia præuisis prædestinatio minime gratuita & liberalis ad regnum à Deo habeatur, ac non potius ex gratiæ specialis præparatione per occasiones singulas, qua, & merita omnia & perseuerantiam donat, vt iuxta suam prædestinationis definitionem se præparatis gratuito à Deo beneficiis, *Certissime quicunque liberantur liberentur*. Vt ex Dei tandem prædestinatione totum negotium directionis certæ, & infallibilis prædestinatorum in gloriæ regnum, & salutem propagatur, atque prædestinatio absolute, qua vasa honoris quidam præ aliis fiunt, ante merita absoluta dicatur: qua in re à Græcis Patribus, quorum authoritate Semipelagiani se protegebant, discessit fortasse, quia minus caute de re, & modo loquendi Semipelagianis præluxerant. Nomine vero à non ita de re Semipelagianissimum redolentibus, primo, & ab Ambrosio, & à Hieronymo in id *quos præscivit, & prædestinavit* ad Rom. 8. & Fulgentio 1. ad Monim. cap. 14. discessit, prædestinationem ex præscientia absoluta meritorum, ex gratia adhuc prouenientium, absolute dictam constanter, & vbique negans: immò lib. de Prædestinat. Dei c. 3. (si ipsius Author sit) non simpliciter, & absolute talem omnino apud ipsam gratuitam, & liberalem prædestinationem ex absoluta meritorum gratiæ præscientia admisit, sed cum addito *remuneratoriam* his verbis *ex præscientia virtutis prædestinatio fit remunerationis* absolute. Est autem ratio: quia prædestinatio Sanctorum ad gloriam dicit auxiliorum gratiæ, quibus certo ad illam de facto, & absolutè, & infallibiliter consequendam diriguntur, ac destinantur præparationem, quæ absolute, & secundum se totam nequit esse ex meritis gratiæ ad quæ præcedit: quare neque ex meritis absolute præuisis esse, dicive absolute potest: tametsi, provt ad præmium solum ex meritis præuisis ex æternitate à Deo præparatum refertur, dici prædestinatio ad ipsum merito possit: vt ad Pauli locum recitatum proxime sapienter obseruauit S. Thom. ita locutus: *Dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum, & malorum est ratio prædestinationis, & reprobationis, & hoc rationaliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam, quæ datur meritis.* Denique Prosperi verba illa: *quod retractatis* (typorum vitio pertractatis legitur) *priorum de hac re opinionibus pene omnium par inuenitur, & vna sententia.* Patres Augustino, & Prospero antiquiores, *priorum* nomine, haud quaquam denotare: sed Pelagianos, vtroque etiam antiquiores: quorum doctrinam Semipelagiani abiicere se profitebantur, quoad omnes, & singulas partes, quibus prædestinatio secundum totam suam seriem, & adæquate sumpta constat, ex meritis, & operibus naturæ constituendam; cum tamen in eandem ex æqua gratia prædestinatis, ac reprobis per occasiones singulas oblata à Deo, inæqualiter tamen pro alterutrorum inæquali conatu absoluto naturæ absolutè participata (vt nuper ex ipsis Prosper epistola eadem referebat) & quo absolute conatu præuiso, alij vasa honoris, alij vero contumeliæ vasa fierent, in eandem Pelagianorum opinionem, seu potius hæresim, à qua recedere profitebantur, recidere nt: id quod satis declarant sequentia Prosperi verba: *eos quorum apr, & vna sententia* ab ipso dicitur, designantia: nempè *qui propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam acceperant* (absolutam) *vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ fecerit*, &c. Nemo autem antiquorum Patrum ex præscientia absoluta operum, etiam ex speciali Dei gratia prouenientium, alios vasa honoris alios contumeliæ à Deo fieri docuit (si Græcos aliquot, qui Semipelagianis incautè præluxisse putantur excipias) sed Pelagiani soli, quibus tandem dogmate de gratiæ oblatæ æqualitate, eiusque per occasiones singulas inæquali participatione pro conatu naturæ inæquali nolentes, volentes, iuxta Prosperum, & Hilarium consensere.

9. His opposita, apponendaque omnia pro assumante sententia August. testimonia vrgentiora; etiam illa recitata n. 3. facile exarmantur; sed hæc etiam ostensam hactenus Augustini mentem de electione formali expressa, & efficace ad gratiam antecedenter atque independenter proindè à meritis Pelagianis, ac Semipelagianis per naturæ vires habitis semper fuisse, aperte demonstrant: enim c. illo 7. de corrept. & grat. dixerat: *eligitur in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ sui; iam autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* His autem vltra expressam electionem gratiæ (quæ gloriæ formaliter non est) cum Apostolo assertam, Apostoli eiusdem argumento contra Iudæos, qui legis notitia, & naturæ facultate operibus, propter quæ Dei gratiam iactabant se consequi, vtitur contra Semipelagianos, & sensu quidem eodem, vt arguat nempe si ob merita ex naturæ viribus orta Dei gratia, & prædestinatio à Deo habeatur, gratiam non fore gratiam: ergo horum solum præcedentiam ad gratiam, & gratuitam electionem, seu prædestinationem Dei probum antecedere non posse. Confirmatur: quia de electione meritorum ex Dei gratia malè, & contra scipsum argueret: quia ex eo, quod merita ex gratia prouenant, Dei dona beneficia, & gratia sunt: quia vt idem constanter ait à Deo donantur, *in radice congruæ vocationis*: ergo falsum de gratia ob merita ex gratia ac subinde gratis donaretur, male argueret, gratiam non fore gratiam: atque à Deo male inde gratiam ob eiusmodi merita dari posse negaret. Confirmatur totum verbis Augustini sequentibus; *electi sunt per electionem, vt dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum suorum: quia gratia illa est omne meritum.* Confirmatur secundo: quia merita præcedentia ex gratia non euacuant rationem gratiæ in gloria, quæ ob eiusmodi merita datur: ergo male caluderet præcedentiam meritorum prædestinati ad electionem gratiæ proximis verbis, *quia gratia est illis omne meritum.* Si loqueretur de meritis gratiæ, ac non virium naturæ prædestinati solummodo. Antecedens est Tridentini supra recitati, vbi gloriam pro meritis ex gratia ortis datam, *gratiam pro gratia datam* appellat, & August. cum sæpe alias, tum epist. 105. *Vnde vita æterna meritis præcedentibus redditur; tamen, quia eadem merita quibus redditur non nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam etiam* (nempe vita æterna) *gratia nuncupatur.* Quarto verba ipsa opposita: *electi sunt, quia secundum propositum vocati sunt*: satis ostendunt non loqui August. de electione gloriæ efficace, & antecedente merita, & vocationem: sed de electione gratiæ; alias enim vocatos, quia electos, quam electos; quia vocatos diceret: siquidem non vocatio electionis, sed electio potius vocationis causa foret: quoniam vero vocatio efficax gratiæ auxiliantis per singulas occasiones vsque ad finem vitæ, quas omnes prædestinatio complectitur coniuncta, & infallibiliter certoque connexa cum iustitia, perseuerantia, & gloria æterna est ratione scientiæ mediæ, qua dirigitur, electio ipsa eiusmodi vocationis, siue prædestinatio virtualis, & interpretiua electio ad iustitiam perseuerantiam regnum siue regnandum cum Christo est, ac merito appellatur, siquidem è sola motione fidei, & mandatorum absque vlla determinatione, atque infallibili, adhuc consequente, necessitate motionis ad iustitiam, & æternam vitam, vita æterna dicuntur Ioan. 12. *Mandatum eius vita æterna est*, & c. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum*: immò auxilium quodvis gratiæ, sufficiens adhuc, neque effectum habitum ex eo solum, quod absolute habere effectum possit gratia iustificationis ab August. epist. 105. & alibi frequenter vocatur, vt mediocriter in ipso versatis notum est; citiùs prædestinatio secundum se totam, & adæquate sumpta, siue electio ad gratiam per singulas occasiones determinatè infallibiliter, & necessariò consequenter saltem, cum iustitia perseuerantia, & gloriæ regno connexa electio ad iustitiam ac in ea perseuerantiam & regnum, siue regnandum cum Christo, & potiori quidem iure, ab August. dicetur. Confirmatur: siquidè ex necessaria consequenter, & infallibili coniunctione vocationis sufficientis reprobo datæ cum eius perditione; tametsi, nec ex intentione antecedente, adhuc inefficace, neque ex decreto regulato per scientiam mediam de eius perditione, & iniquitate, electus ad vtramque reprobus dicitur ab Augustino ibidem scribente, *Deum cæteros Apostolos elegisse ad regnum: Iudam vero ad effundendam suum sanguinem.*

10. Denique

10. Denique eadem consequente necessitate constat prædestinatorum numerum integerrimum electione gratiæ efficacis regulata per scientiam mediam, & in prædestinatione inclusa seruandum, nec posse, possibilitate consequente, electione gratiæ illius,& virtuali ad regnum,resisti; tametsi electio efficax ad regnum merita non antecedat: quod autem efficacia auxilia per occasiones, etiam singulas, ad bona opera iustitiam, perseuerantiam,& gloriam denique obtinendam ex inefficaci gloriæ intentione eligi à Deo, & conferri prædestinatis possint diximus hic,& ostendimus non semel, fusiusque ex instituto contr.6.d.3.q.2.cert.2.& 3. Quare nihil inde ex ratione interpretationi eorum testimoniorum ab affirmatiuæ Patronis subiuncta euincitur: immò nescio, qua fronte ab aliis præter Dominicanos Thomistas (cum quibus nunc non agimus) ea ratio afferatur: quandoquidem cæteri (cum quibus res nunc est) è sola inefficaci gloriæ intentione totum negotium(quod absque electione gratiæ efficacis per occasiones singulas fieri nequit) prædestinationis petagi à Deo posse fatentur. Ex quibus negligenda potius, quam diluenda veniunt plura alia testimonia Augustini,quale illud est ex c.14. de corrept. & grat. *Deo volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium; sic enim velle, & nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat: nec superet potestatem.* Vbi nec de voluntate, & electione remuneratoria gloriæ propter merita præuisa (quibus Deo volenti saluum facere de facto, & exercitè non resistit, neque alia subinde virtutis voluntatis, & potentiæ diuinæ commendatio foret, quam si diceret, neminem illis restiturum qui non resistit, siue ex suppositione, quod non resisterit) sermo esse potest; sed de voluntate & electione ad gloriam antecedente merita, immò nec voluntate conferendi auxilia efficacia ad perseueranter merendum, quæ salutis expressa,& formalis voluntas non est, qualem Augustini verba significant: sed nec de voluntate, siue intentione salutis, & gloriæ inefficaci, cum sit volenti Deo saluum facere non solum resisti ab aliquo possit, verum & à plerisque (reprobis scilicet) de facto resistatur. Confirmat vero Augustinum hanc doctrinam de potestate Dei ad homines pro suo arbitrio saluandos, si velit ex 1.Reg.10. *& abierunt potentes,quorum Deus tetigit corda cum Saul.* Ex cuius regni intentione efficaci Deus Principum populi corda tetigerat. Ne verò de fine temporali(materia à Deo scilicet diuersa) extra rem adduci nonnulli respondeant ita eos viget. *Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere,magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas: quis alius facit, vt fiat in correpti corde correptio, vt cœlesti constituatur in regno*; & c.20.idem responsum ita confutat. *An forte existimant ad regna terræ facienda Deum voluntates inclinare: ad regnum verò cœleste obtinendum Deum non inclinare,quorum voluerit voluntates?* de gratia & libero arbitrio c.46.illud Ambrosij, *quem vult religiosum facit*, ad idem probandum laudat & inducit,& cap.49. scribit: *Eum sine peccato esse, quem Deus vult talem esse.* Ambros. locus ex lib.7.in Lucam truncatus (etsi ad genuinam eius mentem) recitatur,vt non totam aperiat: integer sic habet.*Quos dignatur,vocat, &, quem vult,religiosum facit*, vbi explicatur voluntas Dei obtentura certo, & infallibiliter actus liberos nostros,sine vlla resistentia: est enim non nuda voluntas Dei illorum intentiua, sed,vt coniuncta cum efficacis vocationis electione, quam illa prima verba declarant,*quos dignatur vocat* congruè nempè, atque ita vocando,*quem vult religiosum facit*, & sanè,cum absque efficaci intentione salutis antecedente ad medium electionem è sola efficaci, & efficacium mediorum electione diuina salus obtineri, ac certò, & infallibiter obtineri, à nobis possit, vt aduersarij fatentur,nequeat-que,nisi Deo absolutè volente saluum facere obtinere: oportet, vt intentione inefficace salutis ita saluandorum Augustinum sententia generalis, absque intentionis illius efficacia, ab aduersariis saluetur: vt nec ita saluandi possint resistere: in eis autem sola impotentia consequens resistendi ratione adiunctæ,atque ex ea intentione subortæ electionis mediorum efficacium per scientiam mediam, vt diximus,directæ,& regulatæ inuenitur:quare ea generali Augustini doctrina, nihil eum de efficaci intentione absoluta salutis mediorum electionem ac subinde merita saluandorum antecedente cogitasse fatendum aduersariis est,vt certè non cogitauit; sed solum de potestatis siue omnipotentiæ diuinæ virtute, in qua respectu voluntatis, quantumvis rebellis humanæ efficacia auxilia, tametsi intrinsecè indifferentia continentur: ac proinde si Deus circa salutem cuiusvis,quantum potest facere, velit, nullum arbitrium creatum vsquam de facto resistet,immò nec poterit consequente possibilitate resistere, (etsi antecedente vtpotè liberum possit) nec diuinam voluntatem impedire,aut superare potestatem.

11. Nec fortioris armaturæ illud est,quod ex August. 3. contra Iulian.c.3. afferebatur ad duplicem voluntatem efficacem, siue electionem ad gloriam,alteram ordine intentionis merita absoluta prædestinati antecedentem, alteram ordine executionis ad illa subsequentem.*Elegit autem,& secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam.* Hic enim, sicut & reliqua loca Augustini, & de electione ad gratiam,non autem ad gloriam formaliter & expressè est, sed virtualiter solum & interpretatiuè, nec merita ex gratia excludens, sed Pelagiana, & Semipelagiana solum excludens ex vitibus naturæ, contra quæ solum vbivis de electione gratuita prædestinatorum agit inuehitur: id quod ex eo c.3.speciatim præstat & expressè.Probat enim esse electionem gratuitam ex 11.ad Rom. *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Ex quibus infert.*Si enim de tuo opere præsumis: ergo merces tibi redditur non gratia condonatur: si enim gratia est, gratis datur.* Cum autem de prædest.Sanct.c.10.dicat eo prædestinationem à gratia differre, quod illa gratiæ præparatio sit, gratia verò sit ipsa donatio: atque hic gratiam condonari,gratisque donari, de auxilio gratiæ,sicut Apostolus per quod alij ab aliis discernuntur, planè loquitur. Alij vero vtramque electionem colligere volentes ex eodem August. q.2. ad Simplician. quod ibi præter electionem *iustificatorum* ad vitam æternam aliam, qua *qui iustificentur* eliguntur, (tametsi occultam) agnoscat, satis ostendunt parum se in August.esse versatos: immo & Augustini textum, quem producunt non legisse: vt enim vidimus supra n.2. solum ait se non satis intelligere: quo modo nulla præcedente meritorum diuersitate ex parte electorum propria ad primam vocationis gratiam electio esse possit,quam Apostolus ad Rom.8. illis verbis, *vt secundum electionem propositum Dei maneret non ex operibus sed ex vocante dictum est*,&c,& sane eligi *qui* siue,*vt iustificentur*, eligi ad gloriam esse vllatenus,intelligive non potest: cum gloria ad iustificationem non ordinetur; sed potius è conuerso ad gloriam ordinetur iustificatio:quare de electione ad gratiæ vocationem sermo est perspicuus. Tandem alij idem excitati c.3.contra Iulian. verbis illis, *nullum elegit dignum,sed eligendo facit dignum* conantur deducere: agit enim apertè de electione ad gratiam;alioqui cum negatiua vniuersalis de omni electione sit, si de electione ad gloriam loquatur, nullam ex meritis condignis esse hæresi manifestâ doceret. Mitto illud quod inconsultius adhuc ad intentum idem producunt ex c.8.de bono perseuerantiæ: *inscrutabile iudicium Dei esse:cur ex duobus peccato originali,aut actuali infectis vnus assumitur aut vocetur,congrua vocatione,alter relinquatur,& vel non vocetur omnino, vel non congrue vocetur?* Denique *cur ex duob.iustis vni detur perseuerantia,alteri non item?* Id enim de electione ad vocationē,& gratiā est,& ex parte illorum nullā inueniri,assignarive posse rationē discretionis illius ac proinde ad occulta Dei, ac voluntatis iudicia recurri solummodo cum Apostolo posse significat: ea fors etiam ratione donum perseuerentiæ,etiam secundum eam prædestinationis partem,quæ perseuerentiæ dono respondet, dari sine meritis aliquando August.significat:quia ex æquè iustis vni sæpè à Deo datur,& alteri denegatur:quare,nec in ea discretione ratio meritorum videtur haberi.Concludo ergo,nihil ab authoritate pro parte altervtra firmum afferri; tametsi pro affirmante debiliora adhuc sint,quæ proferuntur.

CERTAMEN V.

Quousque Vasquez contra Soarium minùs solidè discurrerit sum matim expeditur.

1. CONuenit vtrique (vt diximus) absque efficace intentione salutis & gloriæ prædestinati saluari eum à Deo ex speciali prouidentia posse, totamque Dei erga illum prædestinationem atque huius effectus omnes posse consistere contra Thomistas Recentiores Dominicanos hic omissos, atque in simili de necessario decreto prædeterminatiuo nostrorum contingentium fusè confutatos tom. 1. de Deo vno controu. 3. tota disput. 1. atque hac etiam controu. & quæst. non semel. Ostendimus enim ex inefficaci, vera tamen, & seria intentione salutis reproborum sufficientia auxilia ipsis à Deo prouideri, quam veram intentionem salutis eorum (vt vidimus controuersia 4.) licet ex Thomistis hisce pauculi duriores in Deo, non sine temeritate, negent, reliqui tamen cum reliquis Theologis, scriptura, & Patribus concedunt: quare illorum pauculorum ratio, (quod nisi ex efficaci finis intentione media applicari ad finem absolute nequeant) ex eo Theologico dogmate de mediis sufficientibus pro reprobis ex inefficaci salutis ipsorum intentione à Deo prouisis confutatum abunde est: immò & humana etiam experientia, cuius oppositæ eam rationem confirmare volebant: Siquidem ex intentione vera inefficacia media, quæ iudicio nostro intento fini consequendo inseruire absolutè possint, plerumque applicamus, tametsi securiora, & efficaciora alia ad finem obtinendum: quia eorum applicatio maioris stabit applicare omittamus. Ratio autem à priori est: quia de ratione efficacis intentionis finis est intendentem determinare ad faciendum, quantum potest vt finem intentum consequatur: quare ea omnia quæ in sua habet potestate ad finis certiorem securioremque assequutionem applicet, & apponat non intendere efficaciter finem aperte conuincitur. Cum autem infrà eam intentionis motionem determinatiuam ad securioris, & efficacioris medij applicationem, motio intentionis veræ, non determinatiua ad securioris medij, sed solum ad sufficientis appositionem non repugnet: immo neque ad huius appositionem, non determinatiua, sed impulsiua solum, ex eo, quod efficacia media non adhibeantur, veritas intentionis non reiicitur: quin potius ex motione ad medij sufficientis applicationem vera seriaque (licet non tota qua esse poterat serietate & intentione) intentio finis conuincitur: cum implicet medium vere ad finem eligi, & applicari nisi finis vera intentio præcedat. Reliquorum verò Recentiorum Thomistarum Dominicanorum ratio, quod inter intentionem finis, & electionem mediorum proportio requiratur, vt efficacium electio non, nisi ex efficaci finis intentione, possit oriri, ne casu Deus in horum electionem, & finis subinde consequutionem, & vltra quam intenderit, videatur incidere, ex dictis facile subruit. Etsi enim in eorum mediorum electionem, & finis consequutionem ex motione determinatiua præcedentis inefficacis intentionis non veniat, venit tamen ex motione impulsiua intentionis illius; vnde nec vltra quam intenderit finem consequitur: Cum vere iuxta hos Thomistas eius consequutionem intenderit. Nec casu in illam, & mediorum efficacium incidit electionem: cum ex præconsiliato, suæque voluntatis arbitrio, & deliberatione in ciusmodi electionem & finis consequutionem sciens, volensque libere venerit, ac deuenerit: non secus, atque in ipsam inefficacem finis intentionem, nec vnde determinatus venit, atque, velut in intentionem finis eiusdem, veniret. Sed hi casum contingentis actus, seu effectus respectu liberi agentis, cum huius, & effectus libertate male confundunt: illud demum de proportione inter intentionem & electionem quoad efficaciam (quod vel impugnata casualitate, & fortuito respectu eligentis male probant, vt vidimus, vel nullatenus probant) falsissimum est. Nam, vel debet esse actuum ipsorum subiectiua, quoad efficaciam proportio, vel obiectorum seu in obiectis, ad quæ illi actus ferantur, ac tendunt: subiectiua autem non requiritur; alioqui nullus medij ex intentione inefficaci finis electio efficax esse potest. Cum tamen ipsi fateantur ex intentione inefficace salutis reproborum electionem efficacem mediorum sufficientium eis de facto prouisorum à Deo haberi: sed neque obiectiua siue ex parte obiectorum, in quæ tendunt, requiri ea proportio potest. Tum, quia ea ad actuum proportionem impertinens est: tum, quia ex intentione salutis reproborum plurium, efficacia media plura ad actus conducentes ad ipsorum salutē à Deo eligi ac prouideri, cum vt honestos actus exerceant tum, vt tentationes superent (plura, inquam, sæpe etiam quam prædestinatis pluribus, qui sola pœnitentia finali auteactæ totius diuturnæ vitæ saluantur) negare præfari Thomistæ non possunt. Hæc (præter generalem rationem de euersione libertatis, & contingentiæ obtinendæ salutis ab ita antecedenter electis prædestinatis tactam, præsertimque citatis locis, atque postmodum premendam) ad institutum præsens rationi & sententiæ Thomisticæ, & hisce Dominicanis de necessitate intentionis seu electionis ad gloriam merita absoluta prædestinatorum antecedentis (in terminis vt aiunt) confutandis fuerint satis.

2. Venio ad nostros eorumque asseclas externos, qui ea necessitate exclusa alterutri sententiæ in quæstione de facto adhæserunt. Soarius affirmantium primipilus, & Princeps adeo strenuè pro affirmatiua discurrit, atque certauit, vt plura cogitare otiosum prorsus fecerit, & impossibile citatis locis præsertim de auxiliis, c. 19. vt nostri Vasquez negatiuæ sententiæ Ducis acerrimi argumentis satisfaceret: & certè laudem transcribendo Recentiores aliqui mererentur, si Soarium, ex quo transcribebant saltem citassent, summa verò doctrinæ pro affirmante sententia est, vt antecedentis merita prædestinati efficacis intentionis possibilitatem (qua sublata affirmatiua de facto sententia sua euidenter ruineretur) obfirmet: statuit primo, in diuinis volitionibus diuersum, inuersumque ordinem intentionis, & executionis intercedere debere: vt primo voluntas à finis amore ad mediorum amorem gradatim, posterius, & posterius, quo media remotiora, & remotiora sint ad remotissimum vsque descendat: 2. vero executionis ordine à remotissimo hoc voluntatis amor incipiat ac inde ad proximiora, & proximiora fini posterius & posterius ascendat: id quod, & necessarium videtur, cum media remotiora proximiorum causæ sint, supponique absolute ad posteriorum executionem debeant, & in prædestinationis ordine ab aduersariis, ex intentione inefficaci salutis prædestinatorum necessario admittendum: cum ordine intentionis finis amor antecedat: ordine vero executionis auxilij amor ex eo fine primus sit, deinde meriti ex auxilio orti, ac tandem finis amor executiuus sit postremus: quod autem amor finis ordine intentionis aliorum amorem antecedens efficax, vel inefficax sit, nihil refert finis etiam liberi, & contingenter à nobis obtinendi libertatis, dummodo ex scientia media diligente efficax ille amor primus, seu intentio finis à Deo concipiatur, iuxta eiusdem Soarij doctrinam generalem de præfinitionibus diuinis contingentium nostrarum operationum: statuit secundo, in electione, seu intentione efficaci illa prima Dei gratuita, & prorsus sine meritis illud *gratis*, vel ex parte actus, seu intentionis ipsius accipi posse, vt scilicet ad eam concipiendam nulla omnino merita absolutè præsupposita, ad gloriam electi Deum absolute moueant, ac meritiue inducant: vel accipi posse ex parte obiecti, vt scilicet prædestinati gloria à Deo efficaciter intendatur efficaciter conferri, siue habeat, siue non habeat merita: ac proinde intendatur gloria gratuitò, siue non onerosè ex vi intentionis illius conferenda: vel potius contra ex parte obiecti onerosè, ac non gratuito conferenda efficaciter intendatur: scilicet ob merita prædestinati, atq; vt præmium & corona ab ipso consequenda. Ait igitur gratis, & sine meritis siue

siue ante meritū vllum absolute præuisum ex parte actus prædestinati gloriam à Deo efficaciter intendi: ex parte vero obiecti ea gratuita prorsus intentione persistante Deum gloriam prædestinati multifariam intendere efficaciter posse. Primo, vt sine meritis à prædestinato obtineatur excludendo positiuè prædestinati merita ab eius gloriæ intentæ collatione, seu illam ipsi gratis, ac liberali prorsus donatione conferre intendendo: quo pacto baptizatis non adultis gloriam efficaciter videtur Deus intendisse. Secundo, neque includendo ex parte obiecti merita prædestinati, sed ab illis pro eo intentionis gloriæ signo præscindendo, quin vel gratuitam, & liberalem vel onerosam gloriæ donationem intendat: vt liberum proinde ita gloriam intendenti Deo sit, siue ob merita & in præmium remuneratorie, siue liberaliter & gratuito pro posteriori eam velle prædestinato, & executiuè conferre, quin alterutra voluntate posteriore intentioni illi primæ suæ aduersetur. Posita vero posteriore voluntate efficaci, qua determinatè velit gloriam gratis conferre, non poterit prædestinato eam ob merita conferre, quin huic posteriori suæ voluntati contradicat vt patet: sicuti, nec posset gratis, & liberaliter gloriam conferre, si loco eius posterioris voluntatis oppositam aliam, quam poterat, de gloria vt corona & præmio, ac remuneratorie conferenda positiuam voluntatem habuisset.

3. Secundum hunc modum confirmat: quia, si quis decernat egeno succurrere solum, postea potest modum ex pluribus, quibus succurrere potest eligere: nempe, vel liberali donatione, vel mutuò, vel debita solutione; si egenus ille creditor ipsius sit, quin altera ex his electione intentioni efficaci succurrendi præcisè aduersetur, sed potius illam iuuet, ad debitumque effectū deducat. Secundo: quia potest Deus pluuiam, & vbertatem fructuum terræ tali tempore efficaciter decernere, quin id per causarum naturalium dispositionem, vel Sancti alicuius preces, aut merita, vel per gratuitam, ac prorsus vltroneam ac miraculosam dispositionem suam à se agendum decernat: postea vero citra vllam cum voluntate, seu decreto illo repugnantiam, & oppositionem, quouis ex his modis, pluuiam, & vbertatem pro suo arbitratu decernere, atque exequi: cuiusvis enim ex his mediis, aut modis electio per primum illud de pluuia & vbertate terræ decretum libera vt de se se patet, atque integra Deo est. Hunc autem modum minus sibi probatum Soarius ipse in Deo ait: quia imperfectum videtur prius de genere, quam de specie decernere Deum cui omnia, quoad speciem, & modum à principio, ac simul, non minus, quam quoad genus, cognita, ac certo explorata sint: cuius autem, & confusus scrupulus hic, vt inde modus iste deferatur. Confusus: quia modum, & medium decreti, seu efficaciter intenti secundum se finis cum specie confundit, quasi finis secundum prædicatū genericum decreto illo anteriori efficaciter intendatur, ac non secundū specialiora omnia eius diuiduantia etiam prædicata. Hoc vero ratione diuinæ scientiæ ex prædicato diuinæ (licet, non quia intuitiua: vt alij putant, cui prædicato obiectiue præscindere, vt sæpe ostendi, non contradicit) repugnat, & ex parte etiam decreti, cuius efficacia præcisiua ex parte obiecti esse non potest, vt sæpè etiam monstrauimus. Si ergo, vt Soarius significat, de rei efficaciter intentæ absque modi, & medij intentione eodem modo, atque de intentione rei, secundum prædicatum genericum, sine specifico censendum sit, non quidem minus Deum decens modus hic secundus erit, sed aperte inuplicatorius, & repugnans: quare censeo Soarium genus, & speciem laxe, nec stricta metaphysica, & logica significatione vsurpasse, ita vero pro re decreta, & efficaciter intenta secundum se, quin modus, seu medium, quo facienda est, simul decernatur ex parte decentiæ diuinæ nulla est indecentiæ vmbra quin Soarius ipse in modi huius confirmatione secunda intentionem Dei de pluuia, & fructuum terræ vbertate, absque vllo scrupulo, possibilem posterius admisit.

4. Tertium modum sibi probatiorem intendendi efficaciter gloriam prædestinati gratuito ex parte actus, atque antecedenter ad eius merita, ast dependenter ab illis ex parte obiecta affert Soarius: vt scilicet gloriam prædestinati per medium meritorum determinatè, siue vt præmium, & coronam, ac non aliter obtinendam, antecedenter decernat: ex eaque intentione auxilia efficacia eligat, ex quibus iustitiam adeptus prædestinatus, eam perseueranter mereatur, ac subinde ob merita condigna, quibus ille decedit, gloriam vti efficaciter intenderat, vt coronam, & præmium ipsi donet. Nullam autem in hoc modo repugnantiam inter efficacem Dei voluntatem intentionis efficacis gratuitæ ex parte actus, & independentis à meritis, & eius obiectum, gloriæ scilicet, dependenter à meritis atque non aliter, nisi vt præmium & coronam donandæ: quare, & eius voluntatis cum executiua gloriæ, vt præmij & coronæ concordiam esse apertissimam sic explicat, & confirmat. Primo: quia in contractu venditionis gratis quis vult huic, & non alteri rem suam vendere, & tamen eius donationem gratuitam non vult, sed onerosam, & pro pretio. Secundo qui præmium de suis bonis certaturis liberali voluntate statuit, & proponit, non vult tamen bona illa gratuito & liberaliter sed onerosè ob certantis merita donare. Tertiò si ita proponens præmium certantibus tantæ esset virtutis, & industriæ, vt sua opera, & consilio ita aliquem posset iuuare, vt certo vincetet, ac præmium propositum infallibiliter consequeretur, suæ huius potentiæ & industriæ conscius absque vlla repugnantia, & imprudentia posset, gratuito etiam, & liberaliter ante absoluta certaminis merita velle illi præmium, & coronam victori à se etiam liberaliter propositam, neque aliter quam ob victoriam in eo certamine consequendam: atque ex ea gratuita, & efficace antecedente voluntate operam, & industriam suam certanti impendere, & applicare potest efficaciter velle, vt his suppetijs in certamine vincat, atque ob exercitam absolutè strenuitatem, & victoriam obtentam præmio & corona certaminis præstituta coronetur. Hoc autem exemplum, in quo nulla gratuitæ, & liberalis efficacis voluntatis de illo certante præmiando, vel cum suo obiecto, vel cum voluntate posteriori præmij, & coronæ collatiua repugnantia inuenitur, est conclusionis affirmantis possibilitatem efficacis intentionis diuinæ merita prædestinati antecedentis, prorsusque liberalis, & gratuitæ de gloria ex meritis determinate, & non aliter quam, vt corona & præmio donanda, causus idem, atque vt aiunt ipsissimus est. Et sane alterutro ex duobus postremis modo gloriam adulti prædestinati à Deo antecedenter, gratuitò, & liberaliter intendi, nec ab oppositæ sententiæ Patronis negari posse videatur: eam quippe ita gratuito inefficaciter absolutè à Deo intendi fatentur. Quare vel eam Deum intendere præscindendo à medio determinato meritorum ex parte obiecti, vel per merita determinate (vt verosimilius) obtinendam, quin inter gratuitum intentionis, & onerosum obiecti non, nisi ex meritis, obtinendi, & ita executiuam donationis gloriæ ex meritis voluntatem sit repugnantia, aut oppositio vlla. Quod autem aduersarij intentionem illam efficacem esse negent, ad conuenientiam, vel oppositionem gratuiti intentionis cum onerosa obiecti intenti, & executionis ex intentione illa huius inefficacia, vel efficacia nihil refert. Hac vero antecedentis efficacis intentionis, seu electionis gloriæ statuta possibilitate, vt de facto pro prædestinatis in Deo adsit rationes, & à priori, & ab absurdo Soarius & eius sectarij inducunt commodius referendas reffellendasque certamine octauo, cum nostram primam conclusionem statuamus, ac vindicemus.

5. His omnibus, & singulis pro intentionis gloriæ, siue electionis efficacis merita antecedentis prædestinati ad illam possibilitate à Soario excogitatis, Vasquez noster multis sese opponit neque satis plerumque firmis (vt aliis ipsius, hac in re sectariis visu venit) quæ hic reijcienda visa nobis sunt, firmiorib. in certamen vltimum pro eorum, & nostra negatiua sententia reseruatis, ne eius veritas ex probationum, & fundamentorum debilitate apud æquos rerum æstimatores, vt non subruat, vacillet: & malè

in primis contendit Vasquez disp. 89. c. 7. & 3. p. d. 23. c. 8. ordinem intentionis solum in Dei voluntate esse: Executionis vero in solis rebus, & obiectis, sine scilicet, & mediis executis: cum ipse efficacem etiam intentionem finis per media & causas physicas obtinendi in Deo concedat, ac postmodum voluntatem concurrendi cum ipsis ad finis executionem. Nec dubium esse possit, quin media remotiora ad executionem præcedentia proximiorum ad finem ex Dei executiua voluntate ob finem aliquem præintentum, & anteriore ad voluntatem Dei mediorum fini proximiorum prouenire debeat: quare, & ordinem executionis in diuinis etiam voluntatibus reperiri, siue ex efficaci, siue ex inefficaci finis seu effectus per intermedias causas à Deo apponendi intentione executiuæ illæ Dei voluntates proueniant. Secundo male contendit in Soarij doctrina aliquid volitum fore ordine executionis non eodem, vt deberet, sed diuerso atque aduerso etiam modo, quo ordine intentionis volitum est: ac proinde efficacium voluntatum ordines non conuenire inter se se, sed inuicem maxime discordare. Assumptum probat: quia ordine intentionis voluit Deus merita *propter gloriam*: ordine vero executionis vult dare gloriam, vt Soarius ait, propter merita, leuis probatio: quia est grauis in philosophia æquiuocatio. Distingue: vult ordine intentionis merita propter gloriam, *vt finem intentum ac non habitum, sed per merita obtinendum*, fateor, *vt medium, & motiuum morale habitum, suaque absoluta existentia ad merita apponenda Deum mouens & inducens*, nego. Similiter distingue alteram assumpti partem, ordine executionis, *vult dare gloriam propter merita vt finem*, nego vt *medium, & motiuum absolute præhabitum, & existens suaque absoluta existentia mouens, atque inducens Deum vt in præmium & coronam, gloriam, vt ordine intentionis præuoluerat, donet*, fateor: Ecce harum vtriusque ordinis voluntatum concordiam summam, vt mittam eiusdem æquiuocationis fallaciæ suæ Vasquez ipsum patere: cum ex inefficaci gloriæ intentione, siue propter gloriam, vt finem, auxilia, & merita prædestinati apponi fateatur: ac rursus propter merita ita absolute posita, in eorum præmium, & coronam ordine executionis gloriam conferri. Nec præstat, quod Vasquez instat, merita, scilicet, non esse media physica, sed moralia, quæ eundem ordinem proinde in voluntate operantis, atque in executione debeant seruare: siquidem solum sunt media quatenus mouent voluntatem operantis, siue volentis obiectum. Quocirca si ante præuisa absolutè merita voluntas ad efficacem gloriæ prædestinati mota est, nihil restat postea motionis moralis meritis erga Dei voluntatem exercendum. Sed tamen duplici intentionis, & executionis ordine admisso, quem necessario vidimus admittendum, tametsi ordine intentionis gloria vt fine voluntas efficaciter, & adæquatè moraliter mota sit nihilque restet meritis motionis moralis eo ordine agendum; restat tamen agendum totum ordine executionis eorum absoluta existentia præuisa, qua sola potest præmij, & coronæ executiuam collationem exigere, & gloriam, vt talem meritiua motione causare: quod ipsum fateri Vasquez debet admittens Deum posse effectus causarum naturalium ante harum absolutam præuisionem decernere: hæ siquidem non solum illos physico influxui ordine executionis causant, sed naturali precaria exactione voluntatis concurrendi executiuæ à Deo: quam precariam executionem sua absoluta existentia fortiuntur, atque ordine illo intentionis ad efficacem antecedentem intentionem diuinam effectuum ipsorum non habuerunt. Quod autem vltimo instat Vasquez Deum ordine intentionis, & consultationis præconciliari, ac statuere debere, non solum, quid liberalis, & misericors, sed, vt Iudex [illegible] sit: ac proinde merita absoluta expectanda, vt [illegible] iam prædestinati efficaciter intendat; ordines con[illegible]dit aduersos & motiua sibi pugnantia coniungit: statuit ergo Deus liberaliter ordine intentionis gloriam dare ordine executionis, non, nisi, vt iustum Iudicem, post merita præuisa.

6. Tertio impugnat antecedentis intentionis & electionis efficacis huius possibilitatem d. 89. citata ex Okamo: quia circa id, quod aliquis non sibi sed alteri libere consequendum proponit, atque adeo, ex eius intentione iudicat non debere moueri, nec necessitari mouendum ad apponendum ex parte sua, quod opus est, vt finem ipsi ab alio intentum obtineat, nequit ille aliquis intentionem efficacem illius finis habere, cuius alterius quotionem absolutè in sua potestate non habet, ob frustrationis periculum, & incertitudinem obtinendi finis, quem alteri intendit; tametsi media ex ea intentione inefficaci possit efficaciter velle, ac de facto alteri conferre, è suique parte apponere, etsi ille alter, cui finis ab altero intentus, & proprius est, mediaque, & ipsum finem in sua habet potestate ad media adhibenda, nisi ex efficaci finis voluntate nequeat moueri: sicuti, & ille aliquis, si finem sibi intenderet, quem, & media necessaria in sua omninò potestate haberet. Sed falsis pluribus innititur impugnatio. Primo enim videmus non pleraque quæ ab alterius voluntate pendent, puta officium, beneficium, ita vehementer, & nobis, & aliis obtinendum intendere, vt ex vi intentionis illius ad eius executionem, quantum possumus moueamus, & nihil ad eius assequutionem fortius, & potentius vi eius intentionis omittere possimus: nescio autem quid aliud intentio efficax nostra habeat, quam determinate nos ad agendum, quantum possimus, totum, nihilque quod in nobis sit omittendum ad intenti finis consecutionem: etiam cum nobis aliquid efficaciter volumus, vt salutem à medico, alimentum, & vestitum à vendentibus; quorum voluntates in nostra potestate non sunt, nec ibi concursus causis naturalibus necessarius, cum per illas aliquid efficaciter obtinere intendimus. Ratio est: quia infrustrabilitas de ratione efficacis intentionis nostræ, etiam circa ea, quæ ab alterius libertate non pendent, minimè est. Etsi autem sit infrustrabilitas de ratione intentionis efficacis diuinæ, atque in casu præsenti, datis à Deo efficacibus etiam auxiliis meritum, & gloriæ per illud assecutio nostræ libertatis, ac indifferentis potestatis sint possintque absolutè antecedenter potestiue non apponi: ast non apponi nequeunt consequenter impotentia, & impossibilitate: quare intentio illa efficax essentialiter per scientiam mediam præsuppositam directa, vt Soarius ait, eamque proinde auxilij efficacis donatione deuoluens imbibitam necessitatem consequentem intenti finis habet: Quod est satis, vt frustrari nequeat: atque hac ratione Deus in Scriptura corda, seu voluntates nostras in manu sua habere dicitur, vt eas quoquo versum deducat, & vertat infallibiliter, atque indefectibiliter quo velit: atque ab August. c. 97. enchirid. & c. 14. de corrept. & grat. *Deum magis habere in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*: Quare vt verum haberet ratio in creatis intentionibus, secus in diuina. Secundo Vasquez ipse contendit, Deum intendere efficaciter hominibus abundantiam fructuum per causas naturales, & agrorum culturam ab ipsis consequendam, quæ cultura libera est, & potestatis ipsorum. Discrimen finis propositi proprij eius, qui intendit, vel alteri ad possibilitatem antecedentis intentionis finis proprij non alieni, nisi ad plenam vel non plenam potestatem intendentis iam impugnatam recurratur, non capio: atque (vt mittam omnia, quæ vult Deus ob suam tandem gloriam, vt communiter dicitur; quare, & sibi & proprium finem, ac reliqua vt media ad ipsum velle) amicitiæ amor ita nos in amatum transfert, vt ea, quæ nobis ex complacentia nostri à natura insita, ex illius complacentia amemus ipsi, atque velimus. At certè tentatum discrimen de iis, quæ penes intendentis potestatem sunt, vt conferat, non stat in eo, quod aliis intendat, vel sibi, sed in eo, quod se solo immediate, & proxime possit, ac efficaciter velit conferre: tunc enim dari dependenter ab alterius libertate, & opere repugnabit, vt pateret: sed tunc intentio voluntas illa non erit, sed executiua solum sui obiecti, cum nihil ad eius obtentionem rationem medij habere possit. Si autem ita finis intentus, vel intendenti, vel alteri ita in ipsius potestate esset, vt se solo illum exequi possit, & etiam dependenter ab alterius libertate, atque operatione, quam tamen in sua habet potestate, vt nostras habere Deum diximus; nec aliter, quam per alterius liberam operationem conferre, atque exequi finem statuat; tunc voluntas illa efficax antecedens absolutam alterius operationem, & intentio efficax obiecti sui erit; non tamen ea

ea immediatè effectus executiuè poterit apponi, sed expectanda operatio alterius necessario erit: tametsi ita efficaciter intendentem intentio illa ratione efficaciæ suæ intrinsecæ seipsa determinet, vt efficacia media ad eam operationem, quam ratione ipsorum in sua habet potestate absolute obtinendam adhibeat: ita ergo Deum se posse habere in electione, seu intentione efficaci gloriæ prædestinati Soarius ait iuxta tertium modum intendendi gloriam ipsius, vt præmium, & coronam, nec aliter quam per ipsius merita obtinendam: quare tertia hac impugnatione non tangitur.

7. Sed tertium modum Soario probatiorem impugnat rursus Vasquez. Quia actus internus, & externus in eadem specie virtutis necessario esse in statu Theologia debent: maxime, cum internus actus specificam honestatem ab externo accipiat: atque in præsenti, vt sit actus gratitudinis, misericordiæ, aut liberalitatis, efficax voluntas gloriæ prædestinati, debet respicere non solum obiectiuam harum virtutum honestatem (quod omnibus virtutibus commune est) sed etiam in materiali obiecti rationem peculiarem: nempe compensationem obsequij, vt gratitudo sit, miseriæ subleuationem, vt misericordia, & puram largitatem, vt sit virtus liberalitatis: tametsi enim his tribus virtutibus aliquid commune, & independens ab obiectis conueniat, velle scilicet liberè, & absque vlla necessitate physica, aut morali obligationis tribuendi, tamen in specie aliqua earum constitui voluntas nequit, nisi speciale eius respiciat & pertingat, *Si autem gratis, & sine meritis*, quod de efficaci electione antecedente ad gloriam, denotat, vltra commune illud libertatis physicæ & moralis, speciale, quod in virtute liberalis donationis est donatio, & voluntas exequens gloriæ liberalis, & gratuita esse debet, ac non ex meritis: cum, vt exequens voluntas intentioni illi respondeat, nec aduersetur; tum, vt donatio ad aliam virtutem specialem ab ea, in qua electio illa efficax seu internus actus est, à quo procedit, contra statutum dogma moralis Theologiæ non pertineat: ergo implicat efficax electio illa antecedens liberalis, sine, ac independenter à meritis prædestinati cum executiua voluntate, & donatione dependenter à meritis quæ de fide ex meritis, & remuneratoria est: in proponente autem præmium certaturis atque efficaciter intendente, & iuuante, quantum potest, vnum ex certantibus, vt superet, & præmium à se propositum (quo proxima ratio videbatur eneruari) assequatur, duas actiones externas duasque internas distinguit: harumque quamvis in eadem specie virtutis cum externa, quam efficaciter intendit constituit: interna siquidem præmij propositio, & eius traditio externa prorsus liberalis est, certantium communitati, ac fori Reipublicæ, si præmia de suo aliàs ponere debeat. Præmij autem distributio eiusque voluntas efficax, erga alteram ex certantibus, quæ distributionem illam pro obiecto habet, etsi liberè, & physicè, & moraliter habeatur liberalis non est, sed gratitudinis & remuneratoria seu distributiuæ iustitiæ vti externa ista distributio: quod si alius à proponente, & collaturo præmium efficaciter intendat, adiuteturque subinde, quantum potest, alterum ex certantibus, vt præmium consequatur, cum media solum possit conferri, idque liberaliter, si ita conferri ab ipso contigerit, nimirum quod intentio efficax, ex qua illa donat liberalis etiam sit, illud de voluntate emptionis & venditionis extrarem videri ait. Pacisci enim de re, & pretio ad eam virtutem pertinet ex cuius fine quis pacisci tur, & quandoque ad nullam, immò quandoque ad vitium, si ex fine fornicationis, ludive immoderati, & vitiosi pacisci atur. Extremum de intentione inefficaci, quæ idem vtique virtutis opus cum externa actione non facit leuius videtur, nec liberalitatis, sicut efficax intentio, affectus est, sed beneuolentiæ ad plures virtutes cõmunis. Hæc tamen, etsi acutissima, intentum non euincunt. Si enim præmium quis proponat ex intentione efficaci, vt alter ex certaturis illud consequar, ex qua etiam illum, quantum possit adiuuet, vt vincat, præmiumque donet victori, dubium non est, quin præmij donatio ad gratitudinem, vel iustitiam distributiuam spectet, ad quam antecedens illa efficax intentio, spectare non potest, cum debitum victoriæ non supponat, similiter, vt Vasquez ipse aiebat voluntas efficax vendendi, seu paciscendi, ex qua rei traditio ex iustitia fit, ex iustitia esse nequit, sed ex alio quopiam motiuo esse potest: ergo non oportet, vt intentio efficax antecedens voluntatem aliam alicuius actionis executiuam ad eandem virtutem ad quam actio, & executiua eius voluntas spectant, pertinet: neque id, nisi de actu interno immediatè, & directè executiuo actionis externæ, atque hac externa moralis Theologia docet, potuitve docere; nec vim vllam habet oppositio, nisi ex debita subordinatione physica intentionis, & electionis ex ipsa quæ ob finem intentionis esse debet, siue efficax, siue inefficax intentio sit: quare, & contra Vasquez ipsum vim habet exemplum, si quam habet. Demum eundem tertium modum impugnat: quia, si vnico actu intentionis gloriæ, seu intentionis antecedentis gratuitæ, & liberalis, non nisi ex meritis donandæ, ferri intelligatur poterit quidem ferri in gloriam per, vel propter merita, siue ex meritis seu ordine meritorum ad eam voluntatem concipiendam, qui altero ex his tribus modis explicetur, nequitque verificari, nisi merita præuisa in eam voluntatem influant: quod & ipsius antecedentiæ, & liberalitati repugnat: quare, nisi electio illa efficax antecedens præscindens à meritis (iuxta modum secundum iam impugnandum) asseratur, prorsus repugnat: sed cum Vasquez ipse 1. 2. d. 1. de intentione finis doceat illam ferri in finem cum ordine, & relate ad media necessario debere: quare non posse non directè in illum, & indirecte ad merita ferri idem sibi responsum iudicet, & electionem, seu intentionem illam gloriæ antecedentem, & efficacem ferri in gloriam cum ordine, & relatè ad media meritorum, ac proinde ad merita etiam indirectè.

8. Secundum de antecedente intentione seu electione efficaci ad gloriam præcisiue à mediis determinatis, siue à meritis impugnat Vasquez, quia ex vi eius electionis antecedentis, seu intentionis efficacis gloriæ præcisiue posita etiam posteriori electione medij determinati meritorum ad eam consequendam, immo & electione mediorum efficacium pro obtinendis meritis ad hanc subsequuta monetur homo liberè ad merendum, & obtinendam gloriam per merita: Ergo, etsi non mereatur, nihil ponetur cum intentione, & electione meritorum prædestinati, & auxiliorum efficacium ad merita absolutè incompossibile; atqui nec deficientibus meritis à gloria efficaciter antecedenter intenta excideret, cum intentio illa, & electio antecedens, & ab intrinseco efficax gloriæ cum eius absoluta positione, & existentia essentia sua connectatur: Ergo eis intentione, & subsecutis electionibus, nullaque facta impossibili sed possibili absolutè positione consequeretur prædestinatus ad gloriam sine meritis, quod Soarius negat, & electioni consequutionis gloriæ ab ipso determinate per medium meritorum prorsus repugnat. Respondere tamen Soarius facile in suis principiis potest: antecedentem illam suam electionem, seu intentionem gloriæ, vel saltem electionem subsequutam medij determinate meritorum, & auxiliorum efficacium ad ipsam scientiâ conditionatam mediam directiuam, & subinde conditionatam etiam meritorum, vti eius obiectum, futuritionem supponere: quæ, si merita in statu absoluto deessent, vt potestate antecedente possunt, non præcessissent: quare impossibilem absolute esse suppositionem coniunctionis defectus absoluti meritorum, & electionis ipsorum, tanquam medij determinatè electi ad absolutam gloriæ consequutionem: ad eam quippe coniunctionem opus est vt electio ipsa supponatur absolutè præcedens, & existens: quare & absoluta existentia meritorum positis absolute efficacibus auxiliis, cui futuritio eorum conditionata & scientia media, ac tandem electio ipsa, cum auxiliorum, tum medij determinati meritorum innititur: ad coniungendum autem absolutam meritorum existentiam & eorum absolutum defectum, purificata per mediorum absolutam positionem conditione, nulla esse potest in voluntate, nisi fictitia & chimærica potestas, vt de se patet, ac sæpe docuimus: quare sola est potestas ad non merendum, ac impediendum, ne futurio conditionata, atque electio, tum meritorum, tum auxilij illius, in suo genere præcesserit: quæ est potestas non merendi eius,

qui absolutè potest, atque in sua potestate habet impedimentum possibilitatis consequentis non merendi, pro priori ad absolutum meritum quem apperiuit impedire, ne fuerit, vt respondimus sæpe ad componendam absolutam libertatem actus contingentis cum electione & collatione absoluta efficacis auxilij per scientiam mediam regulatis, & directis: quare, ni aliunde hæc oppositio vrgentius prematur vt pressimus contr. 4. q. 2. contra Soaristicas præfinitiones vniuersim, ac iterum in re præsenti vrgebimus cert. vlt. facile me eluetur, vel eludetur impugnatio.

9. Impugnat secundo: quia, quidquid Deus vult gratia ipsius, seu propter ipsum vult, vel gratia alterius, seu propter aliud, quin possit voluntas præscindere ab vtroque: sicut nec potest præscindere, vt aliquid velimus, quin ex nostri, vel alterius complacentia velimus: ergo Dei voluntas efficax circa gloriam prædestinati, vel versatur circa gloriam, eiusque donationem propter se, & gratia sui, atque sic apertè vult dare gratis, & sine meritis: id est enim dare gratis, dare scilicet gratia donandi, & ipsius donationis & (præter exclusionem meritorum in ea voluntate) infertur inde: electionem medij meritorum ad consecutionem gloriæ locum non habere, adhuc pro posteriori: quia voluntati illi efficaci aduersaretur: vel versatur circa gloriam eiusque donationem, non gratia ipsius & propter ipsam, sed propter merita, & tunc iam includit merita: cum autem nihil Deus possit velle nisi propter se, & gratia sui, vel gratia alterius & propter aliud, atque primo modo excludantur merita, secundo vero includantur, fit planè voluntatem illam ab inclusione, & exclusione præcisiuam esse chimæricam, & impossibilem. Ad exemplum volentis efficaciter ex misericordia succurrere egeno non definiendo pro eius voluntatis signo priori donationem, vel mutuo, vel debiti compensatione succurre respondet: iam assignari specialem virtutem misericordiæ, quæ componi possit cum quovis ex assignatis modis executiuè succurrendi; in voluntate autem illa donandi gloriam abstrahendo à meritis, non posse assignari specialem virtutem, quæ cum donatione executiua propter merita componi queat. Sunt autem hæc cæteris debiliora. Nam pone (quod Scriptura asserit) eam Dei voluntatem ex misericordia fuisse, & est casus, quem admittis: & sane, cum merita ipsa ex misericordia Dei oriantur potest ipse conferre gloriam ex duplici voluntate misericordiæ, & iustitiæ, seu gratitudinis, vel vnica ab alterius motiuo inadæquate concepta, & adæquatè ab vtroque: vel propter vnum vt principale motiuum, alterum vt impulsiuum: vel denique exercere, & exequi materialem actionem iustitiæ, aut gratitudinis in donatione gloriæ ex solo motiuo misericordiæ. Ratio autem illa nititur æquiuocatione notata supra à nobis in alia eius impugnatione, vocum gratia, & propter se, vel propter alium: accepto quippè *gratia & propter se vel propter, & gratia alterius finaliter, & medialiter,* (vt prælius ad formam, quâ aptius ad latinitatem loquar) verum est nullum actum voluntatis cuiusvis posse ab vtroque præscindere, propter autem meritiuum, non est finaliter acceptum, seu finis respectu gloriæ, quæ ob ipsa datur, sed potius medium morale, seu motiuum, per quod illa in executione dabitur: quare absque vlla repugnantia voluntas illa antecedens, siue electio efficax prædestinati ad gloriam in ipsam eiusq; donationem ob misericordiæ honestatem, vel alterius virtutis motiuum, quin medium meritorum includat, vel excludat, potest præcisiuè ferri: & sanè cum, quod ad motiuum attinet, nullum sit intentionis inefficacis gloriæ prædestinati à Vasquez assertæ, ab efficaci discrimen importunè ad eius efficaciam impugnandam medium istud assumitur. Ratio, ob quam secundus hic suus modus minus Soario placet, quia scilicet videtur admittere Deum prius de genere, quam de specie decernere, quod, cum ex parte diuinæ scientiæ, tum ex parte efficaciæ diuinæ voluntatis repugnat, vt ostendimus, in modi huius explicatione benigna, quam supra dedimus. Soarij ratio vim non habet, vt ipsi, in suo philosophandi modo, displiceat.

CERTAMEN VI.

Haud maiori operæ pretio Vasquiniani aliis Soarium impugnant.

1. IMpugnat Lessius primo. Quia hoc modo electionis reprobi ante præuisa merita positiuè etiam videntur à gloria excluſi: tum quia cœtus Beatorum numerum hac electione efficaci præfinitum vti ædificium certo lapidum numero, & certo Conuiuarum numero, & ordine conuiuium, eius assertores esse docent: cum autem non efficaciter electi nequeant non numerum illum complere, ac supra illum addi alij sine mutatione præfixi ordinis, & dispositionis ædificij nequeant, electione eiusmodi ante præuisa merita non ineluſi, excluſi à gloria positiuè erunt, ac demum cum ex ea solum efficaci electione ad gloriam auxilia efficacia ad perseuerandum donentur, qui ita electi non sunt, videntur ab auxiliis illis & perseuerantia positiuè excluſi: vrgeret primum, si aduersarij certum illum numerum saluandorum commu, & ædificio cælesti inferendorum, quoad augmentum, & decrementum concedant: quare nec mentam contiuij illius molemve ædificij, certis corporeæ magnitudinis terminis, & proportionibus delineatum volunt. Secundum non vrget magis. Electio quippe efficax necessaria non est, vt auxilia efficacia donentur, adhuc prædestinatis in horum sententia, qui ex intentione inefficaci salutis prædestinationem, & electionem auxiliorum efficacium etiam ad perseuerandum possibilem admittunt; sed solum requiritur, vt ita electis, & prædestinatis non possint non conferri: quare ex determinatione hac conferendi auxilia efficacia ita electis prædestinatis ad perseuerandum reprobi, respectu quorum remanet intentio inefficax salutis, ex qua dari à Deo ea auxilia possunt, & ab eis non remanent excluſi sed ex mera Dei libertate, quam eis electionis similis absentia facit. Vnde secundo Lessij impugnatio euanescit: quod scilicet Deus non videatur sincerè velle reprobis salutem; sed eorum potius saluti insidiari: quandoquidem de industria ea denegat auxilia, quibus nouit saluandos, quæ si exitus auxiliorum ignarus de auxiliis prouideret, plerisque reprobis contingerent; verum cum id ex mera Dei libertate, non ex prædestinatorum præfata electione ad gloriam proueniat, nil contra hanc præstat obiectio; immo ei tenetur Lessius obiectans respondere: cum ad prædeterminationem, & electionem auxiliorum efficacium ad perseuerandum, scientiam mediam regulantem, & directiuam requirat: electionem vero sufficientium pro reprobis comitari similem scientiam fateatur; & tamen Deum ex vera, sincera, seriaque salutis ipsorum intentione ea auxilia eligere fateri dogmaticè debeat iuxta solutionem huius difficultatis à nobis datam controu. 4. & 6. immo etiamsi in anteactorum peccatorum pœnam ea industria ea tribuat: quia tunc etiam ex correptionis, & respicientiæ fine ea confert, ab ea intentione sincera, seriaque salutis ipsorum non abstitit, de quo rursus 8. de reprobatione: indèque euanescit scandalum, quod apud populum electio hæc potest ingenerare: idem enim ipsum Catholica prædestinatio ingenerare potest apud Pelagianos ab Augustino prædicata scandalum fecit, quia non satis ab ipsis intellecta. Parui ergo habendum scandalum est, quod è sola ignorantia, aut prauo aliorum intelligentia ortum habet, vt Theologico examine, aut vera, aut probabilia tradantur. De quibus cum ad modum subtilia, & populi, seu cœtus, ad quem est nobis sermo, captum superantia sint, tacere præcipit prudentia, vt de rebus ad prædestinationem spectantibus subtilioribus.

2. Tertia impugnatio. Quod eiusmodi electis iustis possint respondere reprobi damnandi se antecedenter ad gloriam electos, atque efficacibus auxiliis à Deo non præuentos, vt bene viuerent, ac perseuerarent, vt electi, & præuenti fuerunt, & prædestinati. Hæc enim obi ectio

obiectio ex prædestinatione prædestinatorum, & negatione prædestinationis reproborum, æquo robore contra Lessium, & Catholicos omnes instrui potest. Neque enim ex electione efficaci ad gloriam, sed ex electione auxiliorum efficacium pro prædestinatis ac non efficacium, sed sufficientium pro reprobis, totas suas vires, (si quas habet) desumit. Sed habet certè nullas: cum enim siue ex intentione efficaci, siue inefficaci donata auxilia intrinsecus indifferentia, & efficacia, seu ineffi-cacia extrinsecè sint, antecedentem tam in reprobis, quam in prædestinatis absolutam ad bonum, prauumque eorum vsum potestatem relinquant, industriæ, bonoque libero vsui locum relinquunt, pro quo prædestinati laudem, & præmium, reprobi vero vituperium mereantur, & supplicium. Solumque dicere reprobi possunt, non ita Deum erga ipsos beneficum, atque erga prædestinatos fuisse. Quibus tamen ipse in operariorum vineæ parabola iam dudum respondit: *An de bonis meis non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est? quia ego bonus sum*, & illo amplius. *Tolle quod tuum est, & vade.* Siquidem & reprobis non de eorum bonis, & debitis, sed de suo etiam, & vltra debitum, gratis plura in auxiliis sufficientibus Deus contulerit. Nihil ergo iustitiæ in reproborum prouidentia, & damnatione seruandæ electio illa efficax, & antecedens merita prædestinatorum ad gloriam potest officere. At inquit Lessius saltem Dei bonitate officiet. Dona enim supernaturalia gratis, & è sua mera bonitate communia esse solent, vt in Angelorum Sanctificatione, hominum redemptione, Sacramentorum participatione, & aliis pluribus, æque ad omnes à Deo profusis patet, qui bonitatis suæ, vel inclinationis, legi deficeret, si quibusdam efficaciter ex se solum, & absque eorum merito ad gloriam electis, alios ex se etiam ipso solum ab ea electione excluisset: obiectio hæc vt bonum Deum faciat, absolutum Dominum negat, nec rationis vmbram habet, vt in naturalibus vnam creaturam alteri præferre possit, vt experimur, in supernaturalibus nequeat: cum non minus supernaturalium, quam naturalium Dominus sit, atque ad supernaturalia illud quale quale ius, atque exigentia precaria absit creaturis, Deóque ipsis debitum: & parabola etiam inæqualis donationis operariis in donis supernaturalibus sit. Exempla de sanctificatione nil præstant Angelis communi: non probatur fuisse omnibus æqualem, immò aliis impertitam fuisse, quam aliis maiorem verius est: quid ergo discrepat alios præ aliis ad gratiam vocationis ampliorem & ad gloriam impensius fuisse amatos; Redemptio ad omnes creaturas eius capaces extensa non fuit, cum eius Angeli participes non fuerint: immò nec æqua quoad applicationem, vel per Baptismi sacramentum, aut pœnitentiæ: nec medium sufficiens ad remedium, & reparationem nonnullis promissum nonnulli opinantur. Mitto perspicua plura.

3. Quarta Lessij impugnatio: Promissio omnis est signum voluntatis promittentis: ergò absoluta absolutæ, conditionata vero solum conditionatæ voluntatis. Atqui promissiones omnes, & omnibus in scriptura à Deo de vita, & gloria æterna factæ conditionatæ sunt, sub meritorum scilicet conditione: ergo nulla est in Deo erga aliquem adhuc prædestinatorum, nedum erga eos omnes absoluta efficax, & antecedens eorum absoluta merita ad gloriam electio. Confirmatur: quia obinde nemo nostrum conditionatè promittit alicui, quod absolutè dare decreuit. Confirmatur secundo: quia Deus eodem modo omnibus promittit gloriam sub conditione meritorum atque inferni pœnas sub conditione demeritorum, ac proinde vtrumque ex conditionata solum voluntate, non autem ex absoluta efficaci, & antecedente absoluta merita, aut demerita, quam erga damnationem non habet, neque ex iustitia, aut retributione remuneratoria habere potest. Atque insuper, cum minæ illæ erga omnes sint, veræ, seriæ, atque ex animo esse debent; essent autem respectu prædestinatorum inanes minæ vanaque terriculamenta, quæ, nisi ex ignorantia antecedentis efficacis electionis suæ ad gloriam, incutere ipsis timorem minimè possint. Rursus electio hæc Dei ratione auxiliorum efficacium, quæ Deus in sua habet potestate, & ita electo necessario donat, cum eorum meritis absolutis, & perseuerantia connexa est, atque ad conuertentiam proinde cum ipsis dicitur: contra verò cum non ita electis deneget efficacia auxilia ad merendum, & perseuerandum eorum non electio cum negatione meritorum, & perseuerantia ipsorum ad conuertentiam etiam dicetur: ergo idem est, promitto tibi gloriam si eam perseueranter merueris, atque promitto illam, si te anteacto elegi contra vero eius tibi iacturam minitor, si te non elegi ad eam. Quod, & à communi sensu, & ratione hominum, & à Dei bonitate alienum est: immò implicatorium, cum tota retribuendæ gloriæ, vel ab ea decidendi conditio electio diuina, vel non electio sit, non quæ sonat & significatur conditio meritorum, aut demeritorum. Respondetur facile: promissionem illam ad omnes factam, & æqualem sub conditione fieri debuisse, cum non sit absolutè dandæ gloriæ reprobis, qui tamen illam ex auxiliis sufficientibus obtinere absolutè potestate antecedente possunt: ratione cuius antecedentis potestatis non merendi illam, atque impediendi subinde electionem illam efficacem regulatam per scientiam mediam conditionatorum meritorum, ne suo loco, & priori in suo genere præcessisset, potuit fieri, adhuc suppositâ electione respectu prædestinatorum, conditionata promissio: cum ea electio solam necessitatem consequentem obtinendi gloriam ita electis prædestinatis inducat in Suarij sententia: id quod conuellendum aliunde est, vt vim hoc argumentum habeat: maximè, cum promissio hæc conditionata gloriæ motiuum (vt minimum) & incitamentum, non leue, sit ad merendum: vnde facile confirmationes omnes infirmantur, sed facilius subruunt omnia, si promissio conditionata, & ipsi suppositæ necessario conditionata voluntas ante absolutam electionem ad gloriam constituatur, quæ, etsi necessaria ad eam promissionem non sit, nullatenus autem subsequuta repugnat. Postremo, vt vim, & difficultatis vmbram habeat, probandum erat: quæcumque ad conuertentiam dicuntur synonimè dici, quod est improbabile, præsertim in iis, quæ ob physicam connexionem vnius cum alio (qualis est inter electionem & merita prædestinati) ad conuertentiam dicuntur, in iis siquidem vnum re ipsa ab alio diuersum eorum nominibus significari certum est.

4. Quinta, & sexta Lessij impugnatio eodem recidit. Nempè ex hac electione antecedente merita, & efficace quorundam ad gloriam, tolli, cum in vnoquoque omnem bene operandi sollicitudinem, cum in viris Apostolicis animarum zelum. Siquidem si electus ita ad gloriam sum, ab ea excidere nequeo: & quamvis per merita obtinendam electus atque in eis etiam mea sollicitudo in Dei electione, & decreto numeretur; ille me ad ea omnia, ignarum etiam, & inertem efficaciter excitabit, sin autem ex electis ita non sum, frustranea est præceptorum, & consiliorum Dei studiosa obseruantia: quia etiam adhibita saluandus certo non sum, quin antecedens bene merendi, & salutis potestas, & libertas, alio mihi, quam in damnationem cedat: certa autem irriti, ad rem, etiam possibilem, consequendam laboris cognitio & iudicium impedit prorsus, tollitque conatum: quod ipsum argumentum contra zelum aliorum de mea, & reliquorum salute militat; tametsi per eorum zelum, & labores illorum mandanda executioni sit mea, vel reliquorum salus decreta: nam, & hoc nihil ipsis de ea cogitantibus, neque solicitis suo tempore fiet, & ad id efficaciter excitabuntur, quin vltra statutum numerum electorum, & mensuram perfectionis, & salutis, ad quam quisque electus à Deo est addi aliorum solertia, industria, & zelo quidquam possit. Hoc tamen totum Pelagianorum, & Semipelagianorum argumentum præcipuum, vel potius erroris sui totum fundamentum fuit: & quod sublata etiam antecedente electione, seu intentione efficaci gloriæ prædestinati, positaque prædestinatione, & electione mediorum efficacium extrinsecus, certa tamen, & infallibili de salutis assequutione (vt Lessius ipse ex intentione inefficaci salutis admittit) eandem vim contra prædestinationis certitudinem habet: cui cum nostra libertate conciliandæ Patres omnes, & Scholastici, atque accuratissimè & subtilissime Anselmus, & Molina noster, nostrique omnes postea

infuda

runt : quare, cum impugnatio supponat electione hac Soaristica necessitatem antecedentem ad meritum, perseuerantiam, & gloriæ consecutionem per ipsam non induci, maxime si, iuxta tertium Soarij modum, non nisi per merita obtinendæ gloriæ electio efficax sit, quæ absque libertate esse non possunt, nil in eo argumento, & impugnatione est, quod non æque Lessij & nostrorum omnium prædestinationem impugnet : ei tamen respondemus pro prædestinatione omnes, eius certitudinem, & infallibilitatem à nostro absoluto bono auxiliorum vsu, solertia, & industria ratione scientiæ mediæ, cui prædestinatio eiusque certitudo innititur, pendere : quare, & posse absolutè à nostro malo vsu impediri, ne suo signo, & priori præcessisset : iuxta illud Petri. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis* : quod ipsum de & pro sua electione discurrit Soarius, & supponit obtinebitque, quousque aliunde à doctrina, & suppositione trudatur. Libertas autem alio quam in damnationem reprobis cedere ex dictis constat ; siquidem industria bonoque vsu reddere auxilia efficacia possunt absolutè, neque ex efficaci intentione damnationis, & mali vsus, immò nec ex inefficaci, sed potius ex vera, & seria boni vsus, & salutis intentione ipsis à Deo tribuuntur. Et hæc impugnationis pars contra Soaristas non est, qui negant reprobos ante merita positiuè excluſos, sicuti negamus omnes. Nouatores eo argumento impugnant ; vt ante merita positiuè excluſos, vt ipsi contendunt, concedamus : quia, non aliter se exterius Deus gereret, quam denegando eis auxilia efficacia ne pereant : sed saluentur. Et certe quoad externorum mediorum, & appositionem verum assumunt : errant tamen quoad internos Dei electionis & intentionis affectus, quos ob eorum salutem à Deo conceptos habitosque scriptura Patres, & Ecclesia testantur. Ex quibus patet, quid, quantumque aliorum zelus labor, & industria aliis ad salutem consequendam, augendamque perfectionem, & gloriam posset ea etiam posita electione, sicuti, & prædestinatione prodesse : proficeretque iis speciatim electis, & prædestinatis quorum bonus vsus auxiliorum, immò & auxilia ipsa illorum zelo industria, hortatu, & prædicatione obtinenda elegisset, sicuti in omnium sententia prædestinauit.

5. Septima Lessij impugnatio : quia ea electio à naturali cursu, & dispositione rerum discordat. Si enim ante præuisum primum peccatum habita à Deo est : ergo, etsi illud non fuisset iidem, eodemque gradu homines bearentur : at nunc multi ex prauo concubitu nati, qui nec in statu proinde innocentiæ nascerentur, beandi sunt : ergo non iidem tunc bearentur. Secundò, cum electio hæc circa singulares homines tali corpore, & anima constantes eisdem cibis tunc, quibus nunc, vti illos opus esset, cum ex ciborum varietate corpora ipsorum, cum in se, tum in semine ex quo erant coagmentanda variarentur. Tertiò materiæ particulas per diuersa corpora dispersas colligere Deus teneretur, vt iidemmet beandi nunc perstaret corpus : maiori scilicet, quam generalis resurrectionis miraculo. Insuper, cum ad electionem hanc vnius præ alio, etiam non electi supponi existentes, & singulares debeant ; si eorum non electio vti aliorum electio, ante primum peccatum fuit, infertur : eosdem, qui peccato commisso eo etiam non commisso, & in statu innocentiæ fuisse damnandos : quod similibus absurdis patet multisque affinibus aliis. Verum, si aduersarij negent hominum electionem, & prædestinationem ante præuisum Adæ peccatum fuisse, & solum ex meritis Christi post peccatum decreti : quare nec Adami gratiam in statu innocentiæ effectum fuisse prædestinationis, (quod verius mihi est) eosdem qui nunc in statu innocentiæ saluandos homines minimè infertur : & omnia opposita disparent. Sed quoniam hoc ordini decretorum incarnationis Soaristico minus concordat, admissa electione hominum eorumdem, qui saluandi nunc sunt, ad gloriam, non oportet eos eodem modo tunc, ac nunc procreantur, propagari : cum extrinsecum eorum substantiis, etiam singularibus sit : sicuti in Soarij sententia Christus, & ante Adæ peccatum, atque ex eo remotè, & proximè ex Beata Virgine propagationem absolutè, & secundum substantiam futurus præuisus est. Neque item iisdem cibis vti opus est, vt eadem corporum materia persistat : extrinsecum quippe id illis partibus nutriti, & aliti est, sicut de geniti generatione diximus : Cum nutritio iuxta Philosophum sit partialis nutriti generatio. Atque hoc totum in humanitate Christi, si ante Adæ peccatum in Soarij sententia à Lessio ad impugnationem admissa, fatendum est : cum non iisdem cibis, quibus in statu innocentiæ, Adæ peccato admisso fuerit vsus. Quod autem ita Deus res perstante innocentia disponeret, vt materiæ pertinaculæ omnes, quibus beandorum nunc corpora coalescunt, & tunc eadem corpora coagmentarent infinitam Dei sapientiam probat, quæ rerum, & causarum omnium cursum tunc disponeret, vt omnes illæ particulæ in sua quæque corpora naturali cursu confluerent, quod planè non naturæ cursu rerum, debitoque ipsis à Deo concursu, & dispositione, sed miraculoso in generali nostrorum corporum resurrectione à Deo peragetur. Vnde nec obiectio tam multa acutè, & erudite mouens quidquam contra Soaristicam electionem ad gloriam euincit.

6. Octaua Lessij impugnatio : quia, si electione illa efficaci ad gloriam antecedente merita atque per merita obtinendam eligit Deus simul gloriam cum meritis prædestinati (vt tertio modo Soarius aiebat) vel saltem electionem gloriæ immediatè, & ante auxiliorum electionem, sequitur electio efficax meritorum, quæ ex ipsa erunt prædestinati, eiusque præfinitæ gloriæ dignitate meritiuæ respondent : inde verò infertur : eorum operum absolutam positionem in manu Concilij nostri, seu in potestate nostra non esse : quod contra scripturam est, & contra dogmaticam arbitrij nostri libertatem, etiam extrinsecam, quæ eorum operum præfinitione aboletur : vnde præfinitio, non autem libertas nostra pro causa reddenda est, cur ea opera sint. Ac tandem, cum eorum operum, ac meritorum plura tepida, & imperfecta sint, ea etiam ita à nobis fieri Deus efficaciter antecedenter vellet, quod nec stat cum illo, *Estote ergo perfecti ; sicut & Pater vester perfectus est* : nec cum diuina sanctitate, perfectione, & bonitate, perfectioni scilicet operum metam intransgressibilem præfigere, & operum imperfectionem, & negligentiam nostram etiam efficaciter amare : ac nos tandem inertiæ, & negligentiæ nostræ, atque imperfectionis operum nostrorum promptam, & expeditam excusationem in Dei efficaci voluntate haberemus. Hic tangitur iterum difficultas de euersione libertatis & meriti operum nostrorum per eiusmodi electionem : quod si verum esset, quod de Soatio Lessius refert supra sect. 2. nempe, docere electionem ad gloriam tantam, & determinatam esse non autem per merita determinata, sed vniuersim, siue hæc, vel illa vim contra Soarium : immò, & absolutè non haberet : siquidem decreto efficaci de opere nostro disiunctim hoc vel illo, cuiusvis libertatem absolutè non euerti ostendimus controuersia 4. d. 6. quæst. 3. ac demum ex dependentia electionis illius regulatæ per scientiam mediam à nostra absoluta libertate, & operum ex ea liberè apponendorum, vt Soarius ait, impugnationis impetus infringitur, ni aliunde pressius, vt diximus, vrgeatur impugnatio. Vnde nostra libertas, quæ electionis illius suo genere, & ordine causa fuit, non autem electio pro causa, nostrorum meritorum, & operum adæquata reddi etiam debet : inde excusationis inertiæ nostræ, & imperfectionum in Dei efficacem voluntatem & electionem rerum gestarum vanitas apparet. Nec demum, ita Deus illud opus in ea perfectione, quam habituram scientia sua conditionata nouit, eligit, & præfinit, vt præfiniat, ne habeat maiorem, quam ex operantis potestate, & libertate potest absolute habere ; sed solum præfinit, ne habeat maiorem quo opposita ex Dei desiderio de maiori nostrarumque operum perfectione, atque ex Dei bonitate sanctitate perfectione euanescunt.

7. Impugnatur communiter sententia hæc affirmans à negatiuæ Doctoribus, ex orationis inutilitate à prædestinatis, vt saluentur contra orationem Dominicam illis verbis : *Adueniat Regnum tuum* : cum ita electi à Deo ex se ipso atque antecedenter ad merita non possint non saluari, insuper ex 1. ad Timot. 2. vbi dicitur :

vnumquemque fieri posse vas contumelia ex vase in honorem: cui illud Apocalyps. consonat, *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, quasi hæc possit amitti. De quo loco supra: Et illud Corint. 9. *Castigo corpus meum &c. ne forte, cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar*: quod posita eiusmodi electione efficaci ad gloriam, à Deo ex seipso ante & independenter à meritis electi amitti ab ipso gloriam est prorsus impossibile. Respondit olim Soarius, argumentum hoc esse improbabile, quia nemo eatenus contra eiusmodi electionem efficacem ad gloriam ante præuisa absolutè merita prædestinati vsus fuerat: impugnauit Vasquez 3. p. cit. d. 23. cap. 10. ab authoritate negatiua male inferri argumenti nondum tacti improbabilitatem: oporteret enim tactum ab aliis omnibus esse, atque, vt improbabile reiectum, ac insuper aliqua aperta ratione eius improbabilitatem ostensam; eo enim argumenti, & discursus improbabilitas ostendi solummodo potest. Quamdiu enim ratio ab omnibus tacta insoluta manet, non quidem improbabilis, sed euidens esse conuincitur: quod in re præsente confirmatur apertius. Nam Oxam, Gabriel & Catherinus pauculis illis eximiè prædestinatis, quos solum efficaciter ante ipsorum merita electos ad gloriam putant, omnem prorsus potestatem, & libertatem illam amittendi eiusmodi electione auferri planè fatentur: quare neque authoritas negatiua à Soario improbabilitatis, impugnationis, & argumenti huius contra ipsum præsensa adest. Insuper maxima eius impugnationis probabilitas, immò efficacia inde satis ostenditur: quod Soarium ipsum recurrere, vt ei respondeat, coegerit ad suppositionem extrinsecam, quæ etsi natura antecedens operationem sit, eius tamen libertati non officiat: quod ad concordiam absolutæ præscientiæ, & prædestinationis cum operum nostrorum libertate, tametsi ad manum Patribus esset, neglectum, vt friuolum, & inutile, ac falsum ab ipsis omnibus reiectum est, præcipuè ab Anselmo, qui cæteris impensus, arctius, & subtilius de ea concordia disputans c. 12. n. 9. & 14. discutit, ac definiuit: immò & Soar. ipse 1. de concursu Dei eandem in simili solutionem repellit de voluntate Dei non concurrendi nobiscum c. 13. n. 14. alia vero solutio quam tentauit moxque subiiciam, licet non satis ab aliis præclusa fuerit: tamen ita eam postea insectabimur vt nihil præstare illam æquis rerum æstimatoribus facilè appareat. Respondet secundo: vt libertas tollatur ex suppositione aliqua antecedente operationem inferre vi sua debere aliquem actum singularem cum determinatis circumstantiis: sed hoc solum requiritur, vt ille actus cum determinatis circumstantiis necessarius absolutè sit, eiusque omissio in illis absolutè impossibilis: vnde infertur gloriam indiuiduam & in tali mensura donandam ad quam electione absolutè antecedente prædestinatus eligitur, ipsi necessariam atque eius defectum ex suppositione illa electionis (quam prorsus antecedentem esse hæc solutio admittit) esse absolutè impossibilem: esse vero electionem illam prædestinati ad gloriam singularem, & in tanta mensura Soarius fatetur vbique. Secundo ipse fatetur electionem ad hanc, & tantam gloriam prædestinati esse cum his circumstantiis determinatis singularium meritorum, vt cert vlt. videbimus. Denique etsi cum eis determinatis circumstantiis meritorum electio illa ad gloriam absolutè antecedens habita à Deo non fuisset, ac proinde ad ipsius meritum perstaret prædestinato libertas, non tamen ad illam, vel consequendam, vel amittendam, quemadmodum Soarius ipse 3. p. d. 83. sect. 2. & 1. de concursu Dei c. 11. ex vnione hypostatica non manere humanitati Christi libertatem ad peccandum, tametsi ei maneat libertas ad merendum fatetur, in præceptis operibus: quia actus quibus impleuit præcepta cum determinatis circumstantiis, & in singulari ex antecedente vnionis hypostaticæ suppositione determinari antecedenter non erant, erat autem antecedenter determinata negatio peccati.

8. Alij autem huius affirmantis sententiæ Doctores ita præfatæ impugnationi respondent, vt tolli libertatem prædestinatis ad gloriæ consequutionem (quod solum ea impugnatione contenditur) admittant, at manere eis ad illam spontaneitatem, quæ tamen cum brutis, etiam ad suæ fœlicitatis assequutionem communis sit, & quæ sola ad gloriam à Caluinistis in hominibus admittatur, & nos brutorum more ad gloriam agi, atque sua hac electione ire, atque ita respondentes via argumenti in Caluinismum adigi sua solutione demonstrant. Quarto respondent alij ita Scripturam loqui, non quia electus amittere gloriam absolutè possit, sed vt sit in timore: sed dant impugnationi, quod intendit: ac insuper Dei per scripturas hasce comminationes illicitas, & illusorias facit cum de re impossibili prorsus esse concedat, & subinde à veritate alienas. Quinto alij respondent ita electum absolute posse damnari, non tamen ex suppositione, siue in sensu composito electionis; sed in sensu diuiso, sicut de prædestinato posse absolutè damnari Catholicis omnibus fatendum est, licet ex suppositione in sensu composito prædestinationis absolutè damnari nequeat. Hoc rejicit Daza: tum quia est Caluinistarum, & Recentiorum Dominicanorum Thomistarum solutio ab authoribus, contra quos agimus, in vtrisque impugnata. Tum etiam, quia humanitas Christi peccare absolutè non potest, nec posse absolutè peccare dici potest licet in sensu diuiso vnionis hypostaticæ siue ea sublata peccare posset. Ergo dummodo in sensu composito electionis illius nequeat electus peccare finaliter, ac subinde amittere gloriam ad quam electus est, & damnari absolute non posse finaliter peccare gloriam amittere, & damnari contra scripturæ, & Catholicorum sententiam dogmaticam dicendus erit: sicuti ob impotentiam similem peccandi in sensu composito vnionis hypostaticæ Christi humanitas absolutè prorsus etiam antecedenter impeccabilis dicitur. Verum, si Soarij doctrinam respondentes percalluerunt, facilè se ab his impugnationibus expedient. Etenim Caluinistæ, & Dominicani Thomistæ auxilia ab extrinseco solum bono nostro vsu efficacia, & intrinsecus indifferentia abhorrent: atque inde scientiam mediam ad electionem efficacem ad gloriam, & efficacia auxilia pro electis eligenda Deum dirigere execrantur: quare, & omnem prorsus dependentiam à nostro arbitrio, & libero vsu absoluto auxilij, cum efficaciæ ipsius, tum electionis vtriusque mordicùs negant, totum electionis illius efficacis, prædestinationisque suæ negotium, robur, & connexionem cum gloria à Dei solius arbitrio pendere: vnde & eius diuisionem à nobis vllatenus pendere non posse, nec pro priori ad eius positionem vt non poneretur. Hæc vero electio Soaristica prædestinatorum, quamvis motiuè & meritoriè à nobis nostrisq; bonis operibus absolutis, meritisve, non pendeat, cum ante ipsa sit; at vero, cum scientiam mediam operum conditionatè futurorum, vt sui regulam, supponat, atque vtraque, & scientia, & conditionata operum futuritio in alio obiectiuo genere à futuritione contingente absoluta, ac subinde & arbitrij nostri potestate indifferente purificata conditione, per auxilij illius absolutam positionem pendeat, sit plane, vt tunc etiam, cum electio est, sit pro naturæ priori ad eius positionem ad eam impediendam ne sit plena in prædestinatis electis absoluta potestas: quare, & ad eam diuidendam, ac subinde in sensu diuiso per electi potestatem, & libertatem absoluta finaliter peccandi, amittendi gloriam, & passiuè damnandi absoluta potentia, & possibilitas: vti omnes de Catholica prædestinatione philosophari debemus. Atque hoc sane sensu Soar. possibilitatem, seu absolutam potestatem amissionis, gloriæ & damnationis electorum in sensu diuiso electionis esse admittit: quia eius positio potestatem diuidendi voluntatis nostræ, quam iuxta doctrinam datam supponit, & ad eam ponendam, vel diuidendam est, non destruit. Quare ni altiùs euertio libertatis, & potestatis, amissionis gloriæ, & damnationis ita electi absolutè impugnetur, nihil ex scriptura, aut instantiis præfatis contra Soarium, & assecias obtinebitur.

CERTAMEN VII.

Magni mei Magistri Dazæ & ipso posteriorum vrgentiora contra Soaristas argumenta retusa.

1. ALiis rationibus peculiaribus affirmantem Soaristicam sententiam impugnauit Doctissimus, & acutissimus Magister meus Didacus Daza manuscripto citat. de prædest. d. 3. §. 4. Prima ex constitutione libertatis diuinorum decretorum solum per extrinseca connotata procedit. Etenim decretum efficax gloriæ liberum est: ergo in ea opinione de constitutione libertatis diuinorum decretorum per extrinseca connotata gloria ipsa absolutè posita debet constitui: atqui re ipsa & absolutè non nisi propter merita est ac ponitur: ergo decretum, & electio efficax gloriæ non nisi gloria absolutè posita propter merita haberi à Deo potest; quare, & ante merita absolutè posita à Deo haberi, & concipi liberè repugnat æquè, atque electionem illam à Deo liberè: ac non liberè simul haberi. Vrgeo ab oppositio: decretum, seu electio efficax, & libera gloriæ effectu ipso gloriæ absolutè positæ debet in hac opinione constitui: ergo, si ante absolutè posita merita nostra, & absolutum vsum nostræ libertatis absolute extrinsecus exercitè est posita gloria nostra: ergo eius absoluta exercitè, & extrinsecus à Deo appositio ab absolutis meritis, & vsu libertatis nostræ non pendet, immo nec pendere potest. Hoc autem pugnat cum Catholica, & dogmatica veritate de electione executiua prædestinati ad gloriam, huiusque collatione propter merita quam Catholicè aduersarij ipsi statuunt, voluntque cum sua electione efficaci antecedenti merita componere. Nec patet in opinione connotatorum extrinsecorum effectuum ad decretorum Dei libertatem constituendam recursus ad ordinem intentionis, & executionis electionis duplicis liberæ, anterioris scilicet ordine intentionis, & posterioris ordine executionis. Etenim, vt vidimus executione, & absoluta positione exercita gloriæ quodvis liberum Dei decretum constituendum necessario est. Vnde controu. 4. de voluntate Dei d. 4. & 6. in hac opinione ordinem intentionis & executionis euerti contra ipsam ostendimus. Nec magis præstat actiones extrinsecas ex fine Dei voluntate in eis edendis præstituto realiter specificari, & entitative diuersificari: etsi enim falsa hæc doctrina admittatur, atque ad diuersitatem connotatorum pro decretorum diuersitate designandam inseruiret: forsque etiam ad ordinem intentionis inefficacis cum ordine executionis tuendum, non vero intentionis efficacis obiecti directè voliti: cum enim efficacia ipsa decreti liberè etiam à Deo concipiatur nullo alio quam obiecti absoluta extrinsecè existentia & positione efficacia illa libera decreta potest constitui, vt patet. Impugnatio hæc à Deo efficax, & ad manum in ea opinione connotatorum est, vt mirer nostrum Vasquez, Herize, & alios eius ea in re sequaces, qui ita solum decretorum diuinorum libertatem defendi posse, ferè euidens putant, eo contra Soaristas discursu vsos non fuisse. Etenim, licet aliter ipse de libertatis diuinorum decretorum constitutione censeat demonstrationibus, quas tales, hi putant pro oppositia constitutione libertatis diuinæ per extrinsecus effectus, & connotata satis arcte eos ab oppositio principio in præsenti vrgerent. Atque ita ego impugnationem hanc Dazæ auditor præcipuam, & efficacissimam æstimabam. Iam vero, cum ex cogitata, probataque à me potentia, & motione vera, & reali (licet non physica) intentionali, absque reali physica diuersitate actus à potentia in intellectu, & voluntate diuina constitutionem libertatis decretorum Dei per ei prorsus intrinseca adæquate nec difficili Philosophia, & Theologia composuerim, leuem post hac impugnationem reor, eaque subinde abstinendum.

2. Impugnant Daza idem, & Herize (euidenter putant) primum modum electionis huius efficacis, scilicet præcisiuæ, ex parte adhuc obiecti, à merito. Etenim ex vi anterioris eius voluntatis non potest non potestate vlla Deus gloriam ita ad illam electo tribuere, siue adsint, siue non adsint eius merita: ergo, nec potest potestate vlla ita electus illam à Deo non recipere, siue adsint, siue absint eius merita: esto maneat libertas ad meritum, quod efficacia electionis non pertingit: consequentia est legitima à necessitate actus agendi, seu impotentia actiua non donandi exercitè, & completè ad necessitatem passiuam recipiendi, siue impotentiam passiuam non accipiendi. Antecedens ipsa electio præcisiua est. Si enim deficientibus meritis posset gloriam non dare ea electione posita, eius efficacia absoluta à meritis non præscinderet, quandoquidem eis non positis careret effectu. Vrget acutè Daza: quia gloria per se primario, & proximè libera prædestinato non est, neque esse potest: Ergo solum potest ipsi libera esse secundario, & mediate ratione immediatè libertatis prædestinati ad merita, à quibus ipsa pendet: atqui ea electione efficace donandæ à Deo gloriæ præcisiua à meritis seu, siue non adsint, siue adsint merita, gloriæ donatio fit inconnexa, & independens à meritis: ergo nec secundario nobis libera esse potest. Probatur consequentia: libertas nostra solum potest secundario donationi gloriæ conuenire ob dependentiam eius à meritis nobis proxime, & immediate liberis: sed hanc aufert donationi gloriæ electio illa efficax anterior præcisiua à meritis: ergo, & secundariam, quare & omnem nostram, siue respectu nostri, libertatem. Confirmat exemplo: si enim quis à lictoribus comprehensus in carcerem ducatur, vtique velit nolit ducendus, etsi tunc etiam liber maneat, vt velit ire vel nolit, non tamen vt in carcerem eat, vel non eat, quo scilicet velit nolit trahendus à lictoribus est. Confirmat rursus à contrario. Si Deus ante præuisa absolute cuiuspiam demeritis statuisset ei gloriam non dare, liberum ei gloriam amittere non foret, etsi liberum esset mereri illam, vel non mereri, quod attinet ad meriti intrinsecum (quod suppono ex pacto, aut promissione Dei non pendere) qua antecedenter ad merita voluntate efficaci Dei erat à gloria excluſus.

3. Arctissimus tamen ad speciem nodus, nec alius, quam Gordius, soluendus ex iam dictis facile soluitur: etsi enim electio hæc independenter à meritis subiectiuè habita à Deo sit, & obiectiuè etiam ad gloriam, præcisiuè ab illis donandam, si abesset, ac subinde ab eis independens: de meritis, quoad meritiuam motionem intelligendum est, non autem quoad conditionem, & dependentiam obiectiuam electionis illius. Eam enim scientia media regulari: quare, & ab ea eiusque obiecto, nempè conditionata futuritione meritorum, ac tandem absolutis meritis, ac libertate (à quibus futuritio eorum conditionata obiectiuè, & verificatiuè pulsicata conditione pendet) docent pendere Soaristæ. Quare libertatis meritis, & vsu nostræ libertatis absoluto, prædestinati electio illa non fuisset, ac subindè ex vi ipsius gloriæ collatio non esset: quare, licet hæc vi electionis illius cum meritis, quo ad motionem meritiuam non connectatur neque ab eis dependeat, quia ab ea motione independenter donanda efficaciter, & præcisiue gloria decernitur, connectitur tamen cum eis ac dependet priori obiectiuæ illius dependentiæ, vt sit, purificata conditione, à libero vsu voluntatis prædestinati in meritis absolutè apponendis, quare & secundario libera gloriæ donatio nobis est cum autem per subsequentè electionem medij vlterius Deo ita efficaciter præcisiuè præligati possibilis, merita, quæ ea electione moriuè, seu quo ad motionem meritiuâ excluſa non fuerant, determinate eligantur, illam de facto absolutè (vt dogma fidei docet, ad gloriæ donationem exercent. Atque, vt breuius soluamus nem totam cingam cum præcisiua illa electio efficax gloriæ Soaristica ex parte obiecti à donatione gloriæ quam efficaciter respicit, motionem meritorum, si adsint, non excludat positiue, sed solum positiue non includat, neque ad futuram determinet, vt gloria donetur, sicuti nec determinat non ad futuram gloriæ donationi, & executiuæ voluntati solum

excludit ab executiua voluntate, donationeque gloriæ, ita electo ad illam, motionem meritisam conditionatè, nempè, si ea merita non adsint, cogitque ita eligentem Deum, vt tunc etiam, cum merita absuerint, aliundè gloriam, quam ex motione meritorum conditionatè præuisorum donet: quare illud *siue sint, siue non sint merita* (quod ex parte obiecti electionis illius est) *eligo, & donabo gloriam*, non ita intelligitur de independentia donationis, eorumque motione meritiua eius à meritis, etiamsi fuerint, sed solum, si non sint; neque, vt media per subsequentem electionem, vt gloria exercite donetur, determinatè eligantur; alioqui ad gloriam donandam electione illa merita, & eorum meritiua motio essent positiuè exclusa, nec solum præcisiuè non inclusa: quo solum sensu, & æquiuocatione difficultatis speciem præfata impugnatio, & confirmationes habent. Illud (quod incautos posset forte decipere) de lictoribus exemplum ad rem non est: cum illi medium independens à libera carcerandi hominis voluntate ad ipsumque, velit, nolit, in carcerem intrudendum ex efficace voluntate eius consensum voluntarium in carcerem eundi positiuè excludent, determinatè elegerint, & apposuerint. Habere fors similitudinem aliquam posset, si lictor scientiam mediam infallibilem ex Dei reuelatione haberet eum hominem sponte, & arbitrio suo in carcerem iturum, ingressurumque, nec medium violentum comprehensionis adhiberet paratumve haberet in voluntarij, ac liberi illius ingressus defectum, sed determinatè per voluntatium, & liberum hominis ingressum, ipsum, ac non aliter, carcerari eligeret ex voluntate efficace à medio alterutro præscindente. Eo vero casu nihil contra Soaristicam sententiam exemplum illud concludit, vt patet.

5. Præcisiuæ huius efficaciam electionis impugnat Daza secundo: quia beneficium Redemptionis nostræ per Christum, & Sacramentorum, valde extenuaretur. Cum enim anterius electi ad gloriam, tam infantes, quam adulti prædestinati forent, nec Adami peccatum posterius: nec originale à posteris deinceps contractum, nec meritorum, & sanctitatis defectus: immo nec actualium peccatorum demeritum, & malitia gloriam ipsis consequendam possent absolutè impedire: cum vi electionis illius, his non obstantibus, gloriam non consequi minimè possent. Addit gratiæ ipsius nobis ad bene operandum beneficium nimis imminui, etsi ex Dei solum beneuolentia puta, vel etiam ex meritis Christi donetur: quantum enim beneficij, inquit, erit excitari iuuarique, vt nostro opere labore, ac merito habeamus quod alias ex electione illa habere nullatenus possumus. Si tamen vt diximus certamine sexto, numero quinto prædestinatorum electio non nisi post Adæ peccatum, & Christi incarnatio post illud meliore Theologia decreta admittatur, ea absurda euanescunt. Sin autem, vt alij volunt ante illud Christus Redemptor etiam decretus fuit, & ex eius meritis habita eiusmodi dilectio, ferè æque absurda disparent; ac demum vt electio illa à medio meritorum determinato præscindens subsequenti electioni medij illius determinati locum facit, ac relinquit ita & medio redemptionis Christi, & Sacramentorum, quo deficiente ex vi præsentis decreti, anterioris adhuc ad voluntatem executiuam donationis gloriæ ita electis non donaretur: quare ex vi præsentis decreti ingentes gratiæ Redemptionis, & Sacramentorum beneficiis pro obtenta gloria sunt habendæ, quæ alias ex vi præsentis decreti non obtineretur, etsi vi aliorum decretorum esset obtinenda: maximè, cum electio illa efficax intentiua non autem executiua sit, neque talis esse possit, sed alterutrius medij electioni ad donationem gloriæ necessario subordinata. Postremum de imminutione beneficij gratiæ auxiliantis infirmius adhuc est, nec satis attendens, quantum distet laudis æstimabilitatis, & gloriæ inter benemeritum boni alicuius, & non benemeritum, sed purè illius possessione felicem: cognosci autem facile inde potest, quod gloria humanitati Christi iure etiam hypostaticæ vnionis debita in expectatis eius meritis collata ab illius amantissimo Deo non fuit, ne tantum eius beatitati gloriæ, & splendoris deesset: quem, quia discipuli passionis eius atrocitati, & ignominiis intenti, non attendebant stultos illos Emmaus euntes appellauit verbis illis, *ô stulti & tardi corde, &c. nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: Quasi quæ meritis gloria parta alicui non est, quod ad æstimabilitatem attinet, non sua censenda sit, sed aliena.

6. Secundum modum electionis efficacis antecedentis gloriæ non præcisè, sed conferendæ per merita impugnat idem Daza: quia ea electio nequit in vtrumq; simul & directè ferri: quia vt Soarius ipse fatetur, voluntas finis expresse, & directè nequit ea esse mediorum voluntas: gloria vero, & merita finis, & media sunt: quare vtriusq; nequit esse eadem voluntas expresse, & formaliter. Neque efficax gloriæ voluntas formalis potest voluntas virtualis meritorum esse. Cum medium vnicum dandi gloriam Deo merita non sint, qui potest illam absque meritis conferre: sed nec potest velle gloriam directè, & indirectè merita, siue gloriam cum ordine ad merita in communi: quia Deus sicut scientia sua non præscindit rationem communem ab indiuiduis, ita nec voluntate & affectu: quod melius probaretur: quia, si efficacia eius voluntatis merita etiam indirectè pertingit, nequit præscindere, cum actiua sit, nec actiuum principium vllum præscindere in effectu seu obiecto in quod fertur vllatenus possit, vt sæpe monuimus; sed nec potest indirecte ferri in merita particularia, per quæ obtinenda est, (vt tandem ferri Soar. fatetur 3. de auxiliis c. 19. n. 20.) electio illa potest: quia ordo gloriæ ad merita per quæ conferenda est, non est ipsi gloriæ intrinsecus, cum eadem gloria aliundè, & cum merita adsunt, secluso Dei promissione dari posset: immo, & absolutè non dari quod ea secluso, ac meritis solum congruis in sententia Soarij manentibus, nequit non ipse admittere: ergo ordo ille extrinsecus gloriæ est à voluntate Dei volentis, seu post modum volituri dare illam propter merita ergo nequit amari gloria danda propter merita indirectè ratione ordinis ad merita, quin reflexè à Deo ametur voluntas illa natura posterior præmiandi merita per gloriam. Hoc autem Deo repugnat, nempe reflexa, & imperans voluntas voluntatis alterius, ac proinde (& ob alias rationes leuiores) tametsi quis ab alio quopiam præmiaturo, & homo à Deo, possit dignitatem aut gloriam, vt præmium: quare & præmiandi voluntatem alienam efficaciter velle, nequit tamen Deus suam efficaciter velle: ego vero leuia hæc omnia iudico: etsi enim per Soarium, & nos finis, & media formaliter, qua talia, nequeant voluntate eadem reali formali & intentionali expresse, & directe amari ob veram prioritatem, & influxum amoris finis, qua talis, siue intentionis in electionem, vt contra Recentiores plures controu. de anima, & hoc tomo sæpè monstrauimus: ast materialiter vtrumq; simul formaliter directè, & expresse potest amari, vt ibidem ostendimus. Secundo Deum suos actus reflexè amare efficaciter posse, & imperare contra Ruiz, & antiquos plures cuicimus contr. 4. disp. 6. q. vult. Nec inde ad omnem virtutis actum directum reflexus, & imperans alius constitui in Deo debet, cum ipse non ex difficultate, sed ex libertate sua perfectissima pro libito actus suos imperet, vel promptissimè absque vllo eliciat imperio, si velit. Tertio demum, quoad obiectum electionis, seu intentionis gloriæ ob merita conferendæ designandum eadem difficultas est intentionis antecedentis inefficacis à Daza, & omnibus admissæ, & catholicè necessario admittendæ, atque electionis, & intentionis efficacis, tametsi hæc alias ratione intrinsecæ efficaciæ difficultates patiatur, de quibus certamine 8.

7. Contra conclusionem affirmatiuam in quæstione de facto opponit idem Daza: quia cum Deus gloriam voluerit efficaciter per merita, & media singularia, quibus obtinenda de facto erat, vt bene Soarius proximè aiebat, fit plane, vt per merita Christi, quibus de facto obtinenda erat (nimirum passionis, mortis, &c.) obtinendam decreuerit. Vel ergo Christus ante peccatum Adæ præuisum decretus, vel post illud præuisum: si ante illud: ergo, & ante illud passibilis decretus Christus est contra omnes Doctores: siquidem absque passibilitate ipsius passionis, & mortis eius merita esse non poterant, vel saltem necesse erat, vt Deus non modo pec-

cati permissionem vellet, sed ipsum peccatum, sine quo eius passibilitas, & merita passionis, & mortis, quibus obtinenda à nobis erat gloria, esse non poterant: immò iuxta Soarij doctrinam, & consequentiam. 3. part. tom. 1. d. 5. sect. 3. peccata etiam flagellantium, crucifigentium, &c. quæ passiuè à Christo recepta, passio meritiua, & satisfactoria ac redemptio nostra erat à sceleste ipsorum actione reipsa indiuisibilis, ac eadem. Secundo: si Christus post præuisum peccatum Adæ, & originale fuit decretus, atque ob ipsum electio hæc prædestinatorum ad gloriam facta, cum absque illa, atque ex sola inefficaci intentione gloriæ tanti Redemptoris, & redemptionis beneficium, & gratia collata nobis est, cur non ex inefficaci intentione auxilia ad perseuerantiam finalem, longè maioris æstimabilitatis nobis prouenient? Item cum gratiæ auxilia Adamo in statu innocentiæ prouisa, & prouidenda cuius cæteris si non peccasset, neque hi originale contraherent, & quibus in statu innocentiæ perseuerarent, & saluarentur ex simplici intentione salutis eorum prouenirent, cur non & post præuisum Adæ, & originalia nostra peccata decretumque Christum Redemptorem: siquidem tanto Redemptore decreto & habito intentio illa inefficax tantum habebat tamque validum motiuum, vt ad auxilia efficacia perseuerantiæ adeo obtinenda iuuaretur? Congruæ quidem rationes istæ sed admodum efficaces non sunt. Prima de necessitate amandi peccatum non vrget si Christus absolutè ante illud præuisum decretus sit, & conditionatè solum Redemptor passibilis, si peccatum posteriori signo eueniat, vt plures Theologi censent: sed nec si absolutè etiam passibilis Redemptor absolutè pro priori ad peccatum fuerit decretus: sat enim erit Deo velle peccatum permittere, vt causa, & intentio redemptionis possibilis Deus non cadat; etsi absque peccatis nequeat obtineri, vt de peccati permissione cum Soario licet propria ratione dicemus d. 5. de effectis prædestinationis illum prædestinationis effectum esse ostendentes. Ad reliqua constat decreto & habito post peccatum Redemptore tanto motiuum adeo excellens potensque Deo extitisse, vt efficaciter ad gloriam prædestinatos, alias absque ipso non eligendos. Ex dictis autem ad primum constat gloriam prædestinatorum per merita pœnitentiæ aliáve quæ peccata supponant vel prædestinatorum vel aliorum ipsos per iniuriam & nefas exercentium efficacem esse posse, quin Deus ex ea velle peccatum cogatur, vt idem Daza obiiciebat.

8. Denique ex Vasq. alij opponunt antecedentē voluntatē & intentionē gloriæ æqualem esse ex scriptura in Deo, pro prædestinatis, & reprobis, respectu quorum efficax non est vt patet. Ergo nec pro prædestinatis; sed illud *vult omnes homines saluos fieri*, non probat intentionis salutis pro vtrisque æqualitatem, cum absolute verum sit, vtrorumque salutem à Deo intendi, etsi impensius prædestinatorum salus intendatur: quod ab huius intentionis efficacia intrinseca præscindendo satis verosimilius respondet Soarius quam admittendo vnam salutis intentionem pro omnibus æqualem, addendoque efficacem aliam pro prædestinatis vt admittit citato loco & putat probabiliorem 1. p. tract. de prædestinatione: etenim nemo absque noua ratione, & ex se solum ipso rem eandem efficaciter simul, & inefficaciter intendit, multoque minus absoluta & conditionata voluntate cuiusmodi inefficacem voluntatem salutis omnium Soarius esse affirmat. Maxime cum ex intentione inefficaci illa communia auxilia efficacia ad actus honestos omnes, & meritorios dari à nobis à Deo possint atque haberi à Deo adæquata prædestinatio vt supponit vbique contra Dominicanos Recentiores, idem Soarius, immò ex eiusmodi intentione ad plures actus meritorios, & honestos virtutisque excellentioris, & absolute perfectiores, quam sit prædestinatorum plurium finalis pœnitentia & conuersio non paucis reprobis dantur: ergo & ex eadem inefficaci intentione poterunt dari dabunturque auxilia efficacia ad finalem pœnitentiam prædestinatis, quin efficax alia intentio salutis ipsorum præcedat. Ac tandem cum prædestinatis etiam auxilia sufficientia aliquot, & pleraque quandoque dentur, aliaque efficacia, atque alia aliis inter se, & ad eundem finem subordinata ex eadem certè finis intentione debent subordinari, & conferri, quin sufficientia ab inefficaci, efficacia vero ab efficaci conferantur: nequeunt autem ab efficaci sufficientia donari in Soaristarum sententia, qui inter auxilij conferendi, & intentionis ex qua confertur efficaciam proportionem requirunt, indeque electionis antecedentis prædestinatorum ad gloriam stabilire contendunt: ergo conferuntur, tam sufficientia, quam efficacia auxilia prædestinatis ex intentione, quæ ad ea omnia subordinata potens absolutè per Soarium est, inefficaci. Argumenta contra negantem nostram sententiam ab affirmatiuæ Patronis ex ratione petita seorsim non propono: quia certam. seq. contra vnamquamque ex duobus statuendis conclusionibus, dum ea dilucidam, proponam.

CERTAMEN VIII.

Duplici conclusione negans sententia stabilitur, & ab oppositis vindicatur.

1. DE facto prædestinati ante merita ipsorum præuisa non sunt ad gloriam efficaciter electi: ita eligi absolutè modo aliquo Soaristico possent. Hebet Patronos quos dedimus cert. 2. n. 8. Probatur conclusio: quia per hos Doctores, cum quibus disputamus absque eiusmodi efficace antecedente electione prædestinati ad gloriam, & prædestinatio adæquatè, & totum subinde salutis eius certo, & infallibiliter consequendæ negotium ex inefficace intentione salutis transigi, peragique à Deo potest: Ergò ex natura rei electio seu intentio illa efficax antecedens gloriæ prædestinati ad eius prædestinationem superfluit. At nullum est fundamentum ad asserendum electionem, seu intentionem efficacem gloriæ prædestinati ipsius prædestinationem, ac subinde merita absoluta de superfluo antecedere. Ergo non præcedit. Patet consequentia postrema: quia nihil superfluum ad rem aliquam admittendam de facto, & hic fundamento ad ipsam est. Antecedens vero posterius etiam illationis probatur: quia neque in scriptura, aut Patribus eius electionis asserendæ fundamentum aliquod adest, vt ostendimus cert. 3 & 4. neque vllum à ratione est eiusdem asserendæ præsidium, vt ex rationum, quibus aduersarij vtuntur propositione examine, & solutionibus iam ostendo: Prima Soarij, & asseclarum ratio, intentio finis proportionata esse debet in connaturaliori prouidentia, quantum fieri absolute possit electioni mediorum, atqui magis proportionata est intentio efficax finis salutis, & gloriæ prædestinati, cum electione efficacium mediorum ad eius assecutionē, quam inefficax eius salutis, & gloriæ intentio: ergo connaturaliori prouidentia intentio efficax gloriæ, & salutis prædestinati eius prædestinationi præcedet, quam solum inefficax intentio. ergo efficax intentio de facto prædestinationem eiusdem prædestinati antecedit. Patet consequentia: quia in rerum prouidentia ea de facto admittenda est, quæ connaturaliora esse deprehendatur. Cæterùm ratio hæc valde exugis est, & infirma: etsi enim proportio inter intentionem, & electionem, quoad efficaciam in connaturali, seu connaturaliori prouidentia seruanda admittatur (& gratis quidem, cum ex intentione inefficaci in connaturalissima prouidentia ab omnibus admissa efficax medij alicuius electio sæpe à Deo, & à nobis etiam habeatur) non infertur seruandam esse inefficacia intentionis, & obiecti electionis, seu medij electi, sed electionis ipsius, inter intentionem autem, & electionem ipsam quoad efficaciam proportio seruaretur, etsi electio medij solum sufficientis esset: siquidem medij illius efficax ea electio foret. Secundo iidem Soaristæ omnesque Theologi admittunt reprobis ex inefficaci intentione auxilia plura efficacia eligi conferrique de facto ad actus honestos, & vitæ æternæ meritorios: plura, inquam, etiam quam eligantur, & conferantur multis prædestinatis: ergò connaturali prouidentia non requiritur ea proportio

proportio efficaciæ inter obiecta electionis, & finis intentionem. Dices: proportionem eam requisitam non esse inter efficaciam mediorum ad intermedia quæque obtinenda, & finis intentionem, sed inter efficacia media ad finem intentum v.g.gloriæ, ad quem auxilia illa efficacia reprobis data ad actus honestos intermedios efficacia absolutè non sunt: siquidem cum gloriæ intentæ assecutione, & obtentione absoluta non coniunguntur: Contra tamen est, quia Soarius ipse, & asseclæ admittunt ad effectus plures per causas naturales, interuentu etiam liberarum obtinendos, ad pluresque actus nostros liberos indifferentes, immò solum moraliter honestos, nec vitæ æternæ (in eius doctrina) meritorios, inefficaciter solum à Deo intentos, media efficacia, & intentum ab ipso effectum habitura, disponi, & eligi ab ipso, atque donari: ergo non requiritur in connaturali prouidentia proportio, quoad efficaciam medij electi ad finem intentum, cum ipsius intentione.

2. Tertiò: connaturalior hæc prouidentia ex proportione seruata, quoad efficaciam intentionis, & electionis inter sese, & cum auxiliis, seu mediis ad finem intentum absolutè per illa de facto obtinendum impugnatur à priori. Etenim, vbi, nec causis, nec mediis aliquid virtutis, aut debitæ dispositionis in aliqua prouidentia à Deo suppletur, nihil connaturalitatis eiusmodi prouidentiæ potest deficere: ergo neque potest esse alia, quæ respectu illius sit connaturalior, consequentia est legitima: quia eo, cui in aliqua linea, & ordine nihil deficit, nihil in eadem linea potest esse perfectius & maius: siquidem id, quo in ea linea, & ordine ab alio superaretur, ipsi in ea linea, & ordine deficeret: contra id, quod in antecedente ad consequentiam supponitur: iam antecedens ipsum ex terminis euidens est. Siquidem maior, minorve connaturalitas prouidentiæ ad aliquid præstandum, aut obtinendum ex eo, quod magis, aut minus, vel virtutis, vel debitæ dispositionis causarum, & mediorum ad illud habendum per prouidentiam suppleatur desumi necessario debet, atque vnicè potest: ergo summa prouidentiæ connaturalitas, & cui nihil deficiat connaturalitatis in linea, & ordine prouidentiæ connaturalis, inde solum desumi potest, ac debet, quod nihil per ipsam, siue virtutis, siue debitæ dispositionis ad aliquid intentum de facto habendum, causis, aut mediis suppleatur. Pergo iam ex discursu facto. Atqui per prouidentiam causarum, & mediorum, seu auxiliorum efficacium, quibus de facto intenta prædestinati gloria, & salus æterna obtineatur, atque eorum auxiliorum electio per scientiam mediam directa (& quod ipsum est prædestinatio illius) ex sola inefficaci intentione salutis à Deo habitam, nihil causis, & mediis, quibus salus obtinenda est virtutis, aut debitæ ipsis dispositionis à Deo suppletur: ergò ea prouidentia summe connaturalis est, & cui in linea, & ordine prouidentiæ connaturalis nihil deficiat, ac proinde, respectu cuius nulla alia connaturalior esse queat. Assumptum antecedens probatur: probata siquidem iam est consequentia ex illo deducta. Etenim inefficax intentio salutis, & gloriæ prædestinati intrinsecam, & naturalem virtutem habet ad mouendum Deum, eiusque voluntatem ad electionem mediorum, seu auxiliorum efficacium ad salutem prædestinati de facto, absolute, & cum effectu obtinendam, quin aliquid virtutis intentioni illi inefficaci ad electionem, neque huic ad auxiliorum efficacium appositionem neque his, & voluntati prædestinati ipsis instructæ ad obtentionem absolutam gloriæ per eam prouidentiam, seu prædestinationem à Deo suppleatur: insuper nec quidquam debitæ his causis mediis singulis, aut omnibus prædestinatione & prouidentia hac ex inefficaci salutis prædestinati habita à Deo suppletur. Quia, cum, tam electio illa mediorum, siue auxiliorum efficacium ad salutem, quam auxilia illa efficacia, ac demum salus indifferentia de sese sint, vt ex efficaci, vel inefficaci intentione salutis prædestinati apponantur, & proueniant: quare nec ipsis ex efficaci intentione salutis prædestinati prouenire, apponi, atque disponi determinatè, connaturale, ac debitum (Soario, & asseclis fatentibus) sit, nihil ea prouidentia, & prædestinatione habita à Deo ex inefficaci intentione salutis prædestinati suppleri, addi, vel omitti, euidens est.

3. Hæc fors Soarius præsensit: atque adeo videtur rationem hanc suam primam non adeo nudam, & simpliciter efformasse, sed aliis etiam terminis, & adminiculis vestitam, & implexam, vt eorum multiplicitate, & confusione lectoribus perplexitatem, & oppugnaturis faceret difficultatem. Sed pars ea iis, qui non satis solida, minusque solide probant, ac tuentur, vulgaris, ac trita, nunquam nos decipiet, si singulatim terminos omnes adiunctos euoluamus, & quid, quantumque vnusquisque valeat examinemus. Adiungit ergo ad maiorem hanc connaturalitatem prouidentiæ, & prædestinationis ex intentione efficaci salutis prædestinati, quam ex inefficaci probandam: id quidem, etsi ex obiectiua dispositione prouidentiæ non requiratur, vt ostensum hactenus à nobis est, requiri tamen ex perfectione Dei prouidentis, eiusque beneuolentia; ac beneficentia speciali erga prædestinatos. Sed contra primum ex subiectiua Dei prouidentis perfectione, rogo ita arguentem. An eiusmodi prouidentia, vt efficacia auxilia ad intentam gloriam de facto obtinendam, eorumque electio non, nisi ex intentione efficaci salutis, proueniant, ita ad perfectionem subiectiuam Dei prouidentis spectet, vt, ni ita prouideat imperfectionem aliquam, siue debitæ ipsi perfectionis in prouidendo defectum Deus incurrat, necne? si primum: ergo, contra ipsum Soarium, nequit Deus ex inefficaci intentione salutis aliquem prædestinare, neque ad effectum aliquem nobis liberè obtinendum de mediis efficacibus prouidere, cum nequeat habere prouidentiam rei cuiusvis imperfectam debitave perfectione priuatâ. Si autem absq; vlla imperfectione positiua, vel priuatiua Deus ex inefficaci salutis, vel alterius cuiuspiam effectus liberè à nobis obtinendi intentione nos prædestinare potest, ac de mediis efficacibus ad illum de facto obtinendum prouidere, nihil ex Dei perfectione desumi potest argumenti, vt de facto non ex inefficaci finis intentione prædestinet, ac de mediis efficacibus ad finem certè & infallibiliter obtinendum prouideat, sed efficaci solum. Siquidem ex alterutra intentione, citra omnem impefectionem, eiusve vmbram de mediis efficacibus prouidebit: illud de maiore beneuolentia, & beneficentia, gratiaque Dei erga prædestinatos, quam erga reprobos leuissimum est, atque seipso nutans. Siquidem, vt vidimus d. 2. ex dictis controu. 6. de prouid. citra efficaciam intentionis, & amoris gloriæ prædestinati potest esse in prædestinatum, eiusque salutem amor impensior, atque intentio maior. Ad beneficentiam vero, & gratiam ampliorem, posita etiam intentionis, & amoris æqualitate dari auxilia efficacia ex scientia conditionata prædestinatis, quin ex simili scientia, quæ reprobis congrua, & efficacia visa sunt, donentur satis fore: id quod non bene negauit Lessius de prædest. sect. 5. n. 51. Quod vero postremo affert Soarius Beatissimam Virginem in Deiparam antecedenter ad ipsius merita absoluta de facto electam fuisse iuxta Ecclesiæ versiculum. *Elegit eam Deus, & præelegit eam*: quasi illo *præ* ea efficacis electionis diuinæ antecessio denotetur: quod ipsum censet de Apostolorum electione ad Apostolatum ex illo Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Si autem eam dignitatem prius meruissent, quam Deus ipsis illam decerneret, ipsi potius elegisse Christum, quam ipsos Christus foret dicendum, quare vtrumvis negare singulare reputat Suarius, & absurdum: sed vtrumque negat Vasq. 3.d. d.cit.c.2.& 4. negandumque esse latè contra Soarium defendit: & quidem illud de electione efficaci Virginis in Matrem ante absoluta merita, ex illo Ecclesiæ versiculo *præelegit* debili consequentia deducitur. Tum, quia illud *præ* de antecessione æternitatis electionis ad effectum interpretari quisque absque impugnatione potest. Maxime, cum id de sanctis Virginibus aliis, Ecclesia etiam canat. Secundo, si Maternitas Virgini ex eius meritis, nec data nec conferenda erat, paritas non est ad electionem ad gloriam prædestinatis ob merita conferendam: sicuti neque ab electione in Apostolatum. Si autem ex meritis Dei Mater effecta est præcipua. Contra exemplum hoc, atque contra electionem ad gloriam stabit difficultas. Et tandem, his omissis, cum electio, & Virginis in Dei Matrem, & Apostolorum in Apostolatum ex sola antecedente inefficaci intentione disponi à Deo potuerit, vt post præuisa merita efficax electio haberetur: sicuti, & prædestinatio ad gloriam iuxta Soaristarum doctrinam, male ex eo,

quod electio ad eas dignitates Virginis, & Apostolorum pro Dei arbitrio antecedens eorum merita efficax fuerit, ita fertur, finisse etiam in prædestinatis ad gloriam electionem simulem: est siquidem à libera determinatione Dei circa vnum ad aliam omninò inconnexam cum illa ac disparatam determinationem eius liberam circa aliud, disparata etiam prorsus illatio.

4. Sit secunda conclusio, electio antecedens absoluta, & efficax ad gloriam in executione liberè à nobis, & contingenter obtinendam est impossibilis ac repugnans, ersi essentia sua per scientiam mediam reguletur, ac dirigatur, & quovis modo explicetur: ita Doctores pro prima concl. citati præter nostrum Ioan. Præpositum, qui stat pro affirmantibus in quæst. de possibili cit. loc. dub. 7. Porrò huius conclusionis probatio, prima probatio præcipua est: cum à potentia ad actum negatiuè irrefragabilis consequentia sit: est autem efficax ab euersione libertatis, & contingentiæ obtinendæ à nobis gloriæ in executione huius conclusionis probatio, mihique, non vtcunque efficax, sed euidens; si totum eius robur penetretur, exeratur; tametsi, vt vidimus eius vires totas non omnes eius conclusionis Authores collegerint, & exeruerint, vt, euasione ex præsuppositione essentiali scientiæ mediæ ad electionem illam dirigentis ab aduersariis tentata, eludi ita minus doctis possit, vt non videatur intentum concludere, idcirco in conclusione hac nostra expressi. *Etsi essentia sua electio efficax absoluta antecedens per scientiam mediam reguletur, & dirigatur*: vt nihil in eo præsidij, atque verosimilis effugij aduersarijs esse præmonerem. Ratio autem est, quam dedimus contr. 4. de volunt. Dei d. 6. q. 2. à cett. 3. Vbi actuum nostrorum contingentium, ac liberorum præfinitiones, essentia etiam sua per scientiam mediam de ipsorum conditionata futuritione directas, ac regulatas, cum eorum libertate repugnare monstrauimus: quia, licet ratione scientiæ mediæ, & futuritionis conditionatæ præsuppositæ logicam solum, & consequentem necessitatem nullatenus cum absoluta eorundem contingentia, & libertate pugnantem, extrinsecus, atque à futuritione conditionata ipsorum mutuatam eiusmodi præfinitiones habeant, tamen ratione infustrabilitatis connexionisque cum absoluta actuum nostrorum existentia & futuritione ita antecedentibus præfinitionibus absolutis essentialis, & intrinsecæ absolutam antecedentem naturæ necessitatem aliam absolutæ existentiæ, & futuritionis actuum nostrorum, eorumque subinde libertati repugnantem inducunt: ac proinde ex parte hypothesis adhibitæ statum alium conditionatum necessarium, ac minimè contingentem constituunt à contingenti illo, qui ex hypothesi auxilij indifferētis intrinsecè principij, & voluntatis solum constituebatur, fuitque scientiæ mediæ ad electionem illam dirigentis obiectum, atque ea etiam efficaci electione posita (non tamen antecedenter ex parte hypothesis adhibita) perfisteret: ex parte siquidem hypothesis efficaci illa electione antecedente ad gloriam adhibita statum alium futuritionis gloriæ non conditionatæ contingentis, sed necessariæ futuritionis gloriæ à prædestinati libertate prorsus independentis constituetur. Hoc argumentum ad formam pressius vrgebam citato loco, vbi præfinitorum ex directione, & regulatione scientiæ mediæ tentatas euasiones plures obturato præcluso, vt nihil hic oporteat repetere.

5. Et hæc quidem in quovis modo electionis, sive præcisiuæ à meritis, sive positiue à meritis dependenter ex parte obiecti efficaciter à Deo volitæ concludunt: Etsi enim præcisiua à meritis electio efficacia sua merita, seu opera nostra non pertingat: quare nec cum eorum absoluta existentia, vel futuritione connectatur, ac proinde neque eorum officiat absolutæ libertati, at vero cum existentiæ, & obtentioni absolutæ gloriæ prædestinati connexa de sese antecedenter natura, & causalitate præcisiua illa ex parte obiecti à meritis, & operibus prædestinati sit, gloria illa antecedenter ad merita non poterit non esse, vt bene Vasquez respondet 3. p. d. 23. Soario contendenti ex præfinitione, seu electione absoluta gloriæ præcisè prædestinati operum eius, seu meritorum libertatem non euerti: quod nusquam à se negatum, oppositumve contendi Vasquez ait, sed solum libertatem absolutæ obtentionis gloriæ à prædestinato eiusmodi electione antecedente pessum ire: quandoquidem antecedenter ad opera prædestinati libera non potest non ex efficaci illa electione absolutè gloria à prædestinato ita antecedenter præcisiuè ad gloriam electo obtineri. Quod ipsum dicendum est, licet electio illa dependenter ex parte obiecti à meritis disiunctim, hoc scilicet, vel illo à Deo habeatur: siquidem cum necessitate antecedente etiam ad hunc, vel illum actum, aut opus nostrum, cuiusvis determinati, & singularis actus, aut operis exercendi, apponendique, absolutam perstare libertatem satis ostendimus contra de Incarnat. de libert. & merito Christi in operibus præcepti disputantes, & contra. 4. de volunt. Dei d. 6. q. 3. de decreto, seu præfinitione disiunctiua ex parte obiecti agente. Cæterum cum in secundo modo electionis absolutæ, & efficacis antecedentis ad gloriam conferendam, obtinendamque à prædestinato dependenter à meritis, non à meritis vage, & disiunctiuè, sed singularibus, & determinatis illisque ipsis (iuxta Soarium supra) sit, quibus obtentis de facto est, nulla illis libertas, (quare nec meritum) ratione libertatis ipsorum secundario gloriæ obtentioni libertas poterit conuenire.

6. Tandem, etsi merita non in particulari, & determinata simul cum gloria ipsis obtinenda, sed vage solum, & disiunctim, efficaciter absolutè, & antecedenter à Deo intenderentur, nulla contrarietatis libertas, vt per finale aliquod peccatum positiuum damnaretur ita electo ad gloriam prædestinato maneret: ex ea quippe efficaci voluntate impossibile est Deo velle concurrere ad aliquem actum cum intento efficaciter obiecto incompossibile non minus quam si expressè actum incompossibilem esse voluisset: ea quippe actus, seu obiecti intenti & voliti efficaciter expressa & formalis volitio alterius contrij incompossibilis obiecti virtualis nolitio efficax est ipsius volitioni repugnans, & contradicens. Vnde quicunque aliquid incompossibile cum altero efficaciter valt, virtualiter vult efficaciter omissionem huius alterius incompossibilis, quæ proinde ipsi, si actus præcepti omissio sit ipsi imputatur ad culpam. Cum autem absque voluntate concurrendi siue positiua siue permissiua ex parte Dei absoluta, & quatenus per ipsum est efficaci concurrendi ad actum nullus actus positiuus esse à nobis antecedens possit, atque concurrendi ex parte sua ad actum peccaminosum finale atque prædestinati damnationem ob illud eiusmodi electione ad gloriam æquè exclusa efficaciter concurrendi ad illum à Deo ipsiq; impossibilis virtualiter fit, ac si formaliter & expressè efficaciter ad illum actum concurrere noluisset: Fit planè omne peccatum finale atque damnationem præsertim ob illud esse absolute in electo antecedenter ad gloriam ob merita etiam determinata & vagè perseuerantiæ finali coniuncta prorsus impossibile: quare & ipsi libertatis contrarietatem vt per peccatum finale positiuum damnetur, ita electo prædestinato eripi, atque aboleri, Atque his etiam Oxam, Gabrielis, Catherini, & aliorum de electione simili aliquorum eximiè prædestinatorum tantum, etsi temperatior mens confutata: cum nullius ita electi prædestinati contrarietatis libertatem posse subsistere absque electionis, & contrarietatis libertatem posse subsistere absque ostenderimus. Mittenda demum, nec memoria (eadem impugnatione) digna in re præsenti videtur opinio doctissimi, Deum prædestinato quædam auxilia gratiæ, nimirū quib. series prædestinationis ipsius inchoetur, ex ineffacaci gloriæ intentione eligere, & donare, reliqua vero ex efficaci intentione efficaci: quæ proinde quasi ab ordinis illius medio mouere Deum ad electionem, donationemq; auxiliorum atque motione sua incipere operati: ea quippe opinio & factis impugnationibus obnoxia est, & absque vllo verosimili, & apparenti fundamento procedit dum partem prædestinationis, & ordinis auxiliorum ad ipsum spectantium, & quibus salus de facto obtinenda à prædestinato est, ineffacaci intentioni, partem vero efficaci absque vlla necessitate, aut rationabili congruentia tribuit, immò vero irrationabiliter: cum omnium auxiliorum ordinatorum, & conditionatorum ad salutem de facto obtinendam, ordo, & dispositio ex eodem finis eius amore, & intentione prouenire intelligi rationabiliter possit, ac debeat.

DISPV

DISPVTATIO III.

De causis diuinæ Prædestinationis.

1. DIVINÆ prædestinationis causæ hac disputatione examinandæ, indagandæ, atque statuendæ (eo scilicet sensu, quo internorum Dei affectuum causæ locum in bona, sanaque Theologia habent) ternario numero primaria diuisione claudiuntur, finalis, subiectiua, & efficiens. Subiectiua rursus in subiectiuam ex parte actus, nimirum, cui actus ipse internus prædestinationis diuinæ physicè identicè inest, ac pro imperfecto nostro intelligendi modo, concipitur inhærere, atque in subiectiuam ex parte obiecti dissecatur. Hæc autem subiectiua ex parte obiecti causa, nihil aliud est, quam rationalis creatura prædestinabilis, seu capax prædestinationis, atque, si de actu secundo loquamur prædestinata de facto à Deo causa item prædestinationis efficiens subdiuiditur in causam efficientem elicitiue, & efficientem motiuè, quæ omnium Philosophorum, Theologorum sententia ad genus causæ efficientis saltem reductiuè spectat: quia absoluta sui existentia vt causare absolute possit opus habet: efficiens causa elicitiuè prædestinationis, vt & cuiusvis actus, & operationis vitalis realis intentionis diuinæ, diuinam voluntatem, Deumque ipsum esse sicut & causam materialem, & cui prædestinatio physicè identicè insit ex prædicato actus vitalis, & operationis intentionalis diuinæ (cuius, vt talis idem esse debet, & efficiens elicitiuè, & subiectum) Deum etiam ipsum esse apertè conuincitur. Solum ergo de causa materiali obiectiuè, siue subiecto prædestinationis ex parte obiecti, atque de causa efficiente motiua ipsius potest esse controuersia, dum de causis prædestinationis disputatur.

2. Et circa prædestinationis obiectiuum subiectum in actu secundo eæ omnes creaturæ rationales sunt, quæ à Deo prædestinatæ de facto ab æterno fuere, siue Angeli, siue homines beandi: cum eis omnibus efficacium auxiliorum, *Beneficia, quibus certissime liberentur, Præscierit, ac præparauerit Deus*, quod ipsum prædestinasse de facto illos est, iuxta essentialem prædestinationis definitionem. De subiecto autem prædestinationis ad gloriam per merita absolute obtinendam, (vti omnes, qui sunt prædestinati, tam ex Angelis, quam ex hominibus ad rationis vsum peruenturi prædestinati fuere in actu primo loquendo, siue de subiecto prædestinationis eiusmodi capaci, certum etiam est rationales omnes creaturas quæ vocari à Deo congruè possunt, vt iustitiam, atque in ea perseuerantiam, ac tandem gloriam obtineant, subiecta prædestinationis ex parte obiecti in actu primo esse. Dubium autem est, an ita rebellis creatura rationalis esse possit, respectu cuius nulla omnino congrua vocatio in Dei omnipotentia adsit, quia omnibus, & singulis ac proinde toti auxiliorum possibilium cumulo sit restitura? Circa efficiens verò motiuum. prædestinationis disputari potest, de meritoria eius causa, occasione, conditione sine qua prædestinatio non esset. Rursus de causa meritoria ex parte ipsius prædestinati, seu alterius; atque de meritoria causa, vel viribus naturæ vel gratiæ, de conditione ex parte prædestinati apponibili, vel apponenda, vt prædestinetur.

QVÆSTIO I.

An repugnet creatura absolute imprædestinabilis à Deo?

INquiritur de absoluta repugnantia: moraliter enim saltem repugnare, concors etiam nostrorum (apud quos solum quæstio locum habere potest) Doctorum, & vera sententia est. Pendet autem quæstio (ni eadem sit) ab ea: an repugnet creatura toti auxiliorum omnium possibilium coniuncto, seu collectioni restitura? Si enim ea non repugnet neque eius absoluta imprædestinabilitas in ordinaria prædestinandi prouidentia, principiis nostris (quæ prædestinationem omnem scientia conditionati consensus sub auxilio aliquo regulari docet, nec præfinitiones etiam Soariſticas necessarias ad prædestinationem admittit) repugnabit.

CERTAMEN I.

Ad pleniorem quæstionis sensum notata, & placita Doctorum.

1. SVpponendum est: voluntatem quantumvis rebellem, & ad peccandum obstinatam, non solum in tota auxiliorum gratiæ possibilium collectione, sed in quovis eorum habere ad non peccandum, & obseruandum præceptum, siue positiuum, siue negatiuum sit, quod instet, sufficientem potestatem. Alioqui neque in præcepti obseruatione mereretur, neque in transgressione peccaret contra id, quod quæstio supponit. Siquidem obseruare absolute non posset, nec posset non transgredi: quare operis prohibiti omissio, præcepti autem appositio ex antecedenti necessitate oriundæ, non è libertate absoluta necessaria ad moralem honestatem, & meritum, turpitudinemque, ac demeritum à voluntate alterutra ex illis foret. Ex quo constat quæstionem hanc non esse, an possibilis sit creatura de se se determinata antecedenter ad peccandum? Quæ in terminis, vt vidimus implicat: sed an sit possibilis creatura, quæ etsi natura sua ad peccandum, cum quovis seu omnibus ac singulis auxiliis determinata non sit: immo vero cum singulis non peccandi compos, & potestatis antecedentis ad peccandum vel non peccandum sit; tamen de facto cum singulis, & omnibus pro praua suæ libertatis determinatione, & indifferentis potestatis suæ vsu, & quolibet ipsi dato sit peccatura: quemadmodum, etsi cum auxilio inefficaci, & sufficienti solum, voluntas Petri v. g. possit non peccare pro suæ libertatis abusu de facto peccabit, si detur: si enim ita res habeat cum singulis & omnibus eius prædestinatio, quæ scientia conditionata regulanda in nostris principiis est, erit impossibilis, atque creatura illa imprædestinabilis.

2. Inde notandum secundo est discrimen, vel summulistis, siue Dialecticæ candidatis notum, suppositionis terminorum confusæ, & determinatæ: etenim ex eo, quod propositio vera in suppositione confusa alicuius termini communis sit non infertur in suppositione eiusdem termini communis determinata veram aliam æquisonantem fore v.g. *Alter oculus requiritur ad videndum; ergo hic oculus requiritur ad videndum vel hic oculus requiritur ad videndum* minimè infert; sed hunc, vel illum requiri, vt suppositione eius termini confusa significabatur, vnde variatis termini suppositionibus præfati ascensus, descensusque inutiles ad inferendum sunt;

sunt, ascensus inquam à negatiua propositione termini determinatè supponentis ad aliam termini supponentis confusè: alioqui ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis in argumento descensus facti à suppositione confusa ad determinatam consequentia non teneret, vt tenere ex Aristotele & summulistis debet, descensus autem affirmatiuus à confusa ad determinatam non valet, vt vidimus. Contra verò ascensus à suppositione determinata ad confusam affirmatiuus valet, verbi gratia, *Alter determinate oculus requiritur ad videndum hac visione: ergo hic, vel ille requiritur ad hanc visionem*: Quia ratione vnius de disiuncto alterutrius verificari propositionem necesse est; atqui descensus negatiuus à suppositione confusa ad determinatam rectus etiam, & validæ consequentiæ est, verbi gratia. *Neuter oculus requiritur ad hanc visionem*, ab altero nimirum binarij alterius, vel ab vtroque essentialiter pendente: ergo *neque hic oculus requiritur, neque alter oculus requiritur ad illam*; Alioqui ab opposito consequentis ascensus affirmatiuus factus à suppositione determinata ad confusam non teneret.

3. Ex harum suppositionum diuersitate declarata, altera similium, diuersi tamen generis suppositionum diuersitas valde etiam ad præsentis quæstionis intelligentiam, & decisionem conducens explicanda est, qua æque faciles, atque fallaces pro affirmatiua sententia paralogysmi præcaueantur. Terminus quippe communis signo vniuersali affectus dupliciter potest supponere: & distributiuè pro singulis termino illo communi significatis, & collectiuè, seu pro coniuncto omnium, siue omnibus coniunctim acceptis, & in his etiam, quod de accepto coniunctim termino verificatur, verificari de omnibus ac singulis distributiuè sumptis non est opus: nec de aliquo seorsim indiuiduo; neque, quod de omnibus, & singulis seorsim, & distributiuè negatur negari de coniuncto ex illis conflato necesse est: immo neque, quod affirmatur de eis distributiuè sumptis de eis coniunctim, & collectiuè sumptis verificari debet, vt mille exemplis obuiis patet. Quare ex vna ad alteram suppositionem ascensu, & descensu argumentari non licet; quin potius, quandoque verificatio alicuius prædicati de indiuiduo determinato, vel indiuiduis omnibus distributiuè sumptis infert eiusdem prædicati de omnibus simul falsificationem. Ecce omnis actus voluntatis diuinæ determinatè, & distributiuè sumptus imperabilis à Deo est, implicat autem omnem eius actum coniunctim nullo excepto imperari: siquidem nulla esset in Deo libertas, & imperium primum, primum imperium (manifesta contradictione) non esset. Hoc inquam notatum nostram quæstionem expedit: sine quo in terminis videretur implicare. Supposuimus enim numero primo, omne auxilium gratiæ ad vitandum peccatum, & obediendum legi, siue præcipienti, siue prohibenti, ad peccandum, potestatem liberam voluntati relinquere, cui coniungi cum legis transgressione, & peccato proinde non repugnet; cum autem id respectu omnium, & singulorum verum sit, potentia peccandi omnibus, & singulis positis videtur supponi; cui subinde supposito repugnet voluntatem aliquam omnibus auxiliis, & singulis non posse absolutè resistere, vt nonnulli negantis sententiæ concedunt: quibus absque hoc notato, locus præsenti quæstioni, & negatiuæ sententiæ non videtur patere. Patet autem amplissimus hac suppositionum diuersitate de omni auxilio distributiuè, & de omni auxilio coniunctim accepto, vt ex dictis constat, ampliusque ex dicendis patebit.

4. His præmissis nostrates, non admodum antiqui, Doctores, vt iam memorando Dominicanorum contra efficaciam auxiliorum ab extrinseco nostro consensu argumento expeditius occurrant, asserunt: non repugnare rationalem creaturam omnibus, & singulis auxiliis gratiæ ad non peccandum, & honestè operandum etiam coniunctim sumptis, restituram, si darentur, & à Deo proinde absolutè imprædestinabilem: quare, & hoc quod ex nostra de auxiliorum efficacia opinione, tanquam rem absurdissimam deducere Dominicani contendunt, nihil absurdi continere. In hanc sententiam visus est inclinare Soarius libro tertio de auxiliis capite 14. numero 16. eius sequacibus prælucens. Eum vero ex instituto docuerunt nostri etiam Herize prima parte, d. 22. numero 18. Arriaga prima parte, d. 36. sectione prima, numero quinto, & in manuscripto plures Recentiores, in quibus sæpe à nobis impugnati Complutenses, qui aliquam ex eis existere futuræ creaturam negant. Alij vero eius sententiæ assecłæ de existentibus, extituris, & præteritis nihil certo definiri posse arbitrantur: & hi quidem verosimilius ex ea sententia philosophantur. Admissa enim eius creaturæ rationalis possibilitate, cum ex eo genere aliquam condere, vel nullam ad diuinorum decretorum arcana pertinere res puræ diuinationis est altervtrum asserere & quod Dei reuelatione, & prophetia (quæ de neutro hactenus est) egeat, vt non ineptè alterum asseratur. Scio Recentiores in negatiuam sententiam de præteritis, præsentibus, & futuris metu locorum scripturæ, & Patrum, quæ pro negatiua sententia de eiusmodi rationalis creaturæ possibilitate ab eius Patronis circumferuntur actos fuisse, vt ea de factis à Deo, & facienda explicent; nullo tamen operæ pretio, vt iam ex dictis clarebit.

5. Opposita vero sententia negans creaturam rationalem toti auxiliorum omnium possibilium collectioni, & coniuncto restituram, si donentur, ac subinde absolute à Deo imprædestinabilem esse possibilem, verior, securiorque longe est: eam quidem contra nostram de efficacia auxiliorum ab extrinseco sententiam, vt dogmaticam supponunt Dominicani omnes (quasi eiusmodi nostra sententia, in oppositum errorem cogamur) ea prope modum transcribentes, quæ nostræ de efficacia auxiliorum ad id inferendum præscripsit eximius noster Doctor Soarius, vbi proxime. Verum affirmantem sententiam, vt minus certe vera sit, aut sua probabilitate non carere, proculque ab errore esse, & nostrorum qui eam defendunt authoritas & discursus satis ostendunt. Eidem negatiuæ sententiæ eisdemque fundamentis adhærent Franciscani pauci à sua Scotica schola, vt alias ostendimus deficientes: qui, etsi cum Scotistis reliquis auxiliorum efficaciam in physica prædeterminatione poni execrentur; tamen in Dei antecedenti omne libertatis nostræ exercitium præfinitione collocant, neque à nostræ voluntatis vsu libero desumi posse arbitrantur: idque ex eo, quod, alias, rationali creatura à Deo absolutè imprædestinabilis esse posset, in primis, mutuato etiam ex Soario nostro discursu, confirmant, omnium argumentorum contra physicam prædeterminationem, quam mordicus negant difficultatum (vel ipsis insuperabilibus) se vltro inuiscentes; immo eidem Dominicanorum de auxiliorum efficacia sententiæ. Hi siquidem tandem non in nuda physica prædeterminatione, sed, vt coniuncta cum diuina præfinitione collocant de nostro consensu. His vero circa efficaciam auxiliorum sententiis ablegatis, negatiuam in re prædicti sententiam tenent Soarius citato loco, vbi, etsi in vtramque anceps, in hanc tandem propensior inclinat; indubius vero eam determinate tuetur tom. 2. de gratia cap. 24. numero 18. Didacus Ruiz de Montoya tom. de prouidentia d. 6. & 7. per totas, & d. 11. sect. 4. numero 9. & d. 39. de prædestinatione per totam: Ægid. Koninx libro primo de actibus supernaturalibus d. 2. dubio 7. numero 98. & 112. Vbi eam sententiam nostrorum omnium esse ait, qui homines prædestinati ad gloriam, vt coronam, ante præuisa absolutè merita defendunt, sequuntur, & ingeniosi in manuscriptis Recentiores.

CERTA

CERTAMEN II.

Nostra hæc negativa sententia ab authoritate Scripturæ, & Patrum firmissimè fundatur.

1. Obuia sunt, tam apud Dominicanos, quàm apud nostros, præcipuè apud eruditissimum Ruiz, Scripturæ, & Patrum testimonia, quibus negans nostra sententia statuitur: quia tamen omnia tædet transcribere, ponam, quæ satis superque ad eam suadendam sint selectiora, notans vbi reliqua legi possint Prouerb. primo. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Vbi Regis corde, scilicet potentissimi, maximeque sui iuris, & potestatis inter reliquos homines, & suo libito obstinatè addictissimi, & effrenis, & exemplo cuiusvis creaturæ obstinatissimæ, & rebellis voluntatem significat à Deo absolutè pro sua voluntate flexibilem, nec mediorum omnium, seu auxiliorum possibilium collectioni restituram: quare nullam à Deo absolutè imprædestinabilem esse: inde friget aduersariorum Recentium euasio: nempe, eius loci sententiam ad existentes, præteritas, & extituras rationales creaturas restringentium: in qua etiam interpretatione, & ineptæ diuinationis plurimum est, cum sine fundamento nullam rationalem creaturam ex illis à Deo rebellis eorum sententia possibilibus creatam fuisse, aut fore creandam statuatur, & à Patrum, qui indefinitè, ac proinde vniuersim de omni creatura rationali, nulla excepta eam sententiam intelligunt, interpretatione aperta dissentio. Tertiò ratione à Patribus pro ea sententia statuenda subiunctæ è Dominio Dei in rationales creaturas earumque opera petuntur, quæ sanè de nulla earum, vel de omnibus probant, cum nulla earum Dominium Dei valeat subterfugere. Quartò idem suadet exemplum, quo Salomon eam sententiam explicitam voluit, de aquarum diuisione in eam quam voluerit Agricola partem: inquit enim, *sicut diuisiones aquarum ita cor Regis*, qui nimirum, sicut diligenti, & diuidenti aquæ, ne hac, vel illac eas deducat resistere nequeunt, nec Dei voluntati potest resistere: eo tantum excepto, quod Agricolæ aquæ neque antecedenter resistere valent; cor autem, seu rationalis voluntas consequenter solum resistere nequit; possunt autem antecedenter si ipsi libertatis iura seruentur: & hanc quidem potestatem Dei, qua eos, quos voluerit ad nutum parere Deus faciet quantumvis rebelles Christus Dominus illa cœnæ nuptiarum parabola expressit, verbis hisce Luc. 14. *Compelle eos intrare huc*: Quare ex vtroque testimonio sententiam nostram deducunt Patres innumeri recitati à nostro Ruiz locis proxime datis. Monitum tamen lectorem velim his, & iam subiiciendis scripturæ Patrum, & Scholasticorum testimoniis nostrum Ruis citatis locis, & aliis præfinitionum diuinarum erga nostros liberos actus scientiæ conditionatæ innitentium possibilitatem, & erga eorum plures existentiam probare, id quod nullatenus ex illis deducitur, sed solum media illi ad certam consecutionem, respectu cuiusvis rationalis creaturæ supereste: quare nullam absolutè ab ipso imprædestinabilem esse posse, quod solum in præsentiarum disputamus.

2. Tertius locus esto Ioanne 3. *Spiritus vbi vult spirat*: Quo exemplo spiritus Sancti potestas ad regenerandos pro sua misericordia per gratiam, & iustificationem homines quoscunque aptissime explicatur. Etenim, sicut ventis omne spatium, locusque patet, vt illac perfluet, ita, & Spiritus Sancti inspirationibus rationalis quæque creatura: vt Patres, & Commentatores ibi. Huic sententiæ consonat alia Ioannis 5. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, ita Filius, quos vult, iustificat.* At nullus mortuus esse potest à Patre absolute insuscitabilis: ergo nec peccator à Filio per suam gratiam absolute inconuertibilis, & iniustificabilis, subinde neque absolutè imprædestinabilis. Quartum testimonium sit S. Matthæi 3. *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Vbi lapidum nomine durissimam quanque voluntatem creatam, & cor saxeum intellexit, docuitque Dominus Dei gratia emolliri, atque in Abrahæ filium per fidem, & gloriam euehi illud posse. Alludit autem locus iste repetitæ sententiæ ab Ezechiel. capite vndecimo. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*, & capite 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Potest autem præstare, quod promisit, etiam durissimis, & præstitit. Quintus locus est ex Lucæ 18. vbi præ Dominicæ contra huius sæculi diuites sententiæ admiratione rogantibus, *Qui potest saluus fieri?* Respondit Dominus. *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Ergo citius, quæ possibilia apud homines sunt, erunt possibilia apud Deum: atqui nulla est creaturæ obstinatio possibilis, quæ ab illa auxiliis gratiæ præuenta auferat antecedentem bene operandi potestatem: ergo, nec quæ à Deo auferat liberam antecedentem potestatem faciendi per auxilia gratiæ suæ, vt creatura quævis rationalis bene operetur. Sextus locus è plurimis scripturæ testimoniis desumitur, in quibus voluntati Dei à nemine resisti posse expresse traditur. Ad hæc Euangelij loca vide Patres plures apud Ruiz citatis locis, & compendiosius, ac facilius apud Catenam auream Sancti Thomæ. Genes. 50. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Vbi, de liberis fratrum actionibus prauis, & voluntate Dei solummodo permissiua, nedum intentiua, & prædestinatiua, est sermo Iudith. 16. numero 17. *Tibi seruiat omnis creatura: quia dixisti, & facta sunt: misisti Spiritum Sanctum tuum, & creata sunt; & non est qui resistat voci tuæ.* Quibus continetur argumentum Chrysostomi mox referendum. Esther 13. *Domine Domine Rex Omnipotens: in ditione enim tua vniuersa sunt posita, & non est qui possit tua resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Multa autem libere facienda à Rege erant vt Israël saluaretur: & neque in eis qui Dei voluntati resistat esse posse ait, ac Patres de vniuscuiusque salute eam repetunt sententiam. Posset autem Dei potestati, & voluntati salutem illam faciendi creatura aliqua ex possibilibus, qui omnium mediorum & auxiliorum gratiæ ad eius salutem intentum obtinendam esset restitura.

3. Septimus locus ex 9. ad Rom. *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere quidem aliud vas in honorem aliud in contumeliam?* Ad quæ Petrus Diaconus de Incarnatione, & gratia capite 7. *Alios saluat gratuito dono; alios derelinquit iusto iudicio qui potestatem habet ex eadem massa facere*, & cætera, & infra: *Miserebor cuius miserebor.* Et sane si locus iste quoad exemplum adhibitum de hominum prædestinatione gratuitæ Dei voluntati possibili sit de Angelorum etiam prædestinatione, qui plus quam specie ab hominibus existentibus, immò, & possibilibus differunt, & est & ob identitatem rationis probat: quare citius non de existentibus solum sedet de possibilibus hominibus, & creaturis rationalibus ob rationis etiam identitatem probabit. Et sane eorum verborum hebraismus nulla prædestinati præ reprobo habita ratione præ solo Dei nutu prædestinandum significat, quod vulgata Exodi 33. Vnde desumptus à Paulo locus est, magis expressit. *Miserebor cui voluero: & clemens ero in quem mihi placuerit:* nullo meæ voluntati substracto, aut misericordiæ incapace. Concludit autem Paulus. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* Cum ergo respectu rationalis creaturæ prædestinationem Dei gratuitum donum esse ex his locis dogmaticè colligatur: nec possit gratuitum donum esse, nisi donanti possibile sit, prædestinationis

cuiusvis creaturæ possibilitas, atque adeò coniuncto auxiliorum gratiæ aliquod necessario Deo esse, cui saltem vnaquæque restitutura non sit, videtur dogmaticè etiam asserendum. Rursus tota prædestinandi ratio in Dei misericordem voluntatem reducenda, est ex his locis, ac subinde in eius voluntatis omissionem prædestinationis negatio: at respectu rebellis tuæ creaturæ in eius incapacitatem, non autem in voluntatis illius, erga illam impossibilis, omissionem reduci potest. Tertio pende illud etiam Pauli, *Cuius vult miseretur*, vbi electio subiecti, cuius misereri velit, per ampla Deo tribuitur nulla rationali creatura excepta: quare nulla est, cuius misereri prædestinatiuè Deus nequeat.

4. Octauus locus ex 2. ad Corinth. 9. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.* Cui consonat alter ad Ephes. *Qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Hæc porrò de existentibus præteritis, & futuris de facto intelligi vetat. Primum: quod eadem via, qua de possibilibus aliquibus de aliquibus, quæ, vel sunt, vel fuerunt, vel erunt, negari poterunt: cum non constet, cuiusnam generis & duritiei absolute existentia sint condita omnia, vel condenda quod si incertum esse hoc dicas: & scripturæ testimonia incertæ (quod hæreticum est) veritatis erunt. Secundo: quia de omnium obstinatissimo Pharaone Rege, qui extitit, dictum est Exod. 9. *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Quin ad fortitudinis, & potentiæ suæ ostensionem naturæ Pharaonis obstinationi, & duritiei de suo ob durationem adiunxit. *Ego indurabo cor Pharaonis*, quod sic non durissimis, & maximè rebellibus possibilium voluntatibus hominem elegisset inanis esset, ac vana potentiæ, ac fortitudinis suæ ostentatio: non secus ac si quis homo, vt omnium fortissimum, & validissimum se ostenderet, singulare certamen, non cum vno ex robustissimis viro, sed cum aliquo ex communibus, vel non à Deo robustis homine iniret. Tertiò rationes eius sententiæ in eis testimoniis assignatæ sunt, Dei omnipotentia, & dominium in creaturas omnes, etiam rationales, quæ nulla rationalis creatura potest subterfugere. Hæc semel summatim ad euasiones similes testimoniis sequentibus Patrum præcludendas dicta volumus. Rectè igitur Gamaliel. Actor. 5. Iudæis discipulos persequentibus dicebat. *Quoniam, si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: Si vero ex Deo est non poteritis dissoluere illud:* Etsi rebellibus fidei voluntatibus deterrentia ab illa mala in illos depluant omnia.

5. Vulgata satis ad rem præsentem est illa Hieronymi Apostatæ Iuliano superfacili, ac subita Sancti Matthæi ad Discipulum è Telonio à Christo Domino attractione respondentis sententia. *Dominus omnium creaturarum*, (nec tantum earum, quæ sunt quod satis ad harum attractionem præ suo nutu erat) *Ad se trahere poterat quos volebat.* Celestinus Papa, epistola secunda, ad Episcopos Galliæ capite secundo. *Desperat de Clementia Dei qui eum ad subueniendum morienti sufficere, vel in momento,* (nedum toto vitæ spatio, atque aliqua ex innumeris occasione) *posse non credit:* Vti aduersarij non credunt. Magnus Basilius apud Petrum Diaconum de Incarnatione, & gratia Iesu Christi capite octauo. Hanc Ecclesiæ totius Græcæ orationem refert. *Malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserua: omnia enim potest. Quem enim* (nullo vtique excepto) *volueris saluas, & non est qui resistat tibi.* Ecce rationem, & sententiam verbatim etiam orationis Mardochæi citato capite 13. Esther. S. Ambrosius libro septimo, capite tertio, in Lucam. *Dominus quos dignatur vocat. Si voluisset ex indeuotis deuotos fecisset: Dominus quos dignatur vocat* (sub. inferius) *& quem vult Religiosum facit.* Omnium luculentissime Sanctus Chrysostomus Iudith argumentum memoratum huic sententiæ adiunxit his verbis Homilia 2. in Psalmo 50. columna 5. *Si Deus dixerit adultero: iam nolo, vt adulter sis; verba statim verterentur in opera. Si dixerit fornicatori: cessa ab immunditia tua: illico mens eius in melius mutatur: & vt scias, quia ita est, dixit, fiat cœlum: & factum est cœlum; præcepit fieri terram, & verbum eius in opere cessit. Volo fieri luminaria, statim facta sunt, & opus completum est cœlum: Sol, & Luna præcepto eius consumant cursum suum: volo fieri Angelos, & in puncto horæ tot millia facta sunt. Et, qui ex nihilo hæc omnia fecit, si vult sermone suo, tua peccata non valet soluere, & post pœnitentiam in Angelicum constituere gradum? &c. Si Deus voluerit nullus impediet.* Pende cœlum, terram, astra, &c. è possibilitate vocata, vt Dei voluntati obsequerentur: quare, & quamvis rationalem creaturam è possibilitate etiam vocatam Dei voluntas, vt saluetur de facto, obsecuturam: quia ipsi medis, quibus obsequatur, & per quæ absolutè prædestinatur minimè deerunt Cyrill. Hierosolymit. fin. præfin. ad Catheches. *Potens est Deus qui nouit corda ipsa & scit quis sit verus, qui vero simulator germanum quidem suum seruare: hypocritam vero fidelem efficere si modo cor illi præbuerit.* Ipse Deus & Cathechesi. pluribus gratiæ effectibus enumeratis post medium concludit. *Respice magnum hunc Præsulem, & gratiarum Parochum* (Dispensatorem) *Deum: quomodo in vniuerso mundo alij quidem castitatem, alij studium pertinacia, &c. tribuit.* Prudentius in Hamartigenia post med. vniuersim canit.

Inuitone aliquis potis est, peccare Tonantes
Cui facile est in corde hominis compunere sensus
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudoris
Pulsibus, & totum venis infundere horrorem?

CERTAMEN III.

Sanctus Augustinus cum Asseclis Patribus pro eadem stat, certatque sententia.

1. OMnium verò luculentissimè, & frequentissimè in hanc scripsit sententiam virtutis gratiæ Dei Encomiaster eximius Augustinus, & in primis reintam Magistri sui Ambrosij sententiam, non sensu, sed bis, laudat, & vsurpat: videlicet de bono perseuerantiæ capite 19. & 1. de gratia Iesu Christi capite ab. exclamans. *O censura hominis Dei ex ipso hausta fonte gratiæ Dei*: De correptione, & gratia capite 12. sub initium. *Deo volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Inferiuscule. *De ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit.* De bono perseuerantiæ capite octauo. *Possibile est Deo auersas, & aduersas in fidem suam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis aduersitatibus cedant, neque ab ijs aliqua superati tentatione discedant.* 11. de Genes. ad litteram capite 10. de perditissimis etiam reprobis sic. *Posset ipsorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam Omnipotens est?* posset plane (non autem à Deo plane posset in aduersantium sententia, cum, ex illis à Deo rebellibus creaturis eorum aliqui fierint, necne? planum non sit) *Cur ergo non fecit? quia noluit, cur non voluerit penes ipsum est Deum.* Non erit autem penes ipsum nolle conuertendam, sed penes ipsam illam nullo auxilio conuertendam, sed libero arbitrio capite 14. *Illissime credimus etiam peruersas, & fidei contrarias voluntates Omnipotentem Deum posse conuertere, & cætera: Sed, nisi posset Deus etiam duritiem cordis auferre, non diceret, auferam ab eis cor lapideum, & dabo*

dabo eis cor carneum, capite 97. Enchirid. *Vbi est illa omnipotentia, qua in cœlo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, si colligere filios Hierusalem voluit, & non fecit? An potius, & ea filios suos ab ipso colligi noluit? sed ea nolente filios eius collegit ipse, quos voluit*, &c. Post reliqua vero concludit. *Quis enim, tam impie desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, & quando voluerit, & vbi voluerit eos bonum non posse conuertere?* Vbi præter claritatem sententiæ illius, *Tam impie desipiat*, profunditatem expende: impietas enim debitæ Deo, eiusque potentiæ, & veritati obseruantiæ aduersatur: insipientia vero, siue (vt sic loquar) desipientia, non, nisi rationis luminis euidentiæ naturali repugnans error est: ergo euidens naturæ, & rationis lumine est, nec solum dogmatice, & ex fide certum, Deum potuisse conuertere omnes, & singulos filios Hierusalem, qui de facto exiterunt (eos etiam, quos non conuertit, quantumuis durissimos, & rebelles) si eos etiam conuertere voluisset. Atqui id nequit esse naturæ lumine euidens, nisi omnes, & singulos ex possibilibus posset conuertere de facto, & conuerteret, si vellet: ergo nemo est ex possibilibus, qui omnibus coniunctim auxiliis resisteret, si Deus illum conuertere per illa vellet: ac subinde nemo est possibilis, quem Deus absolute prædestinare non posset: subsumptum patet; reliqua enim inofensè peruia rationi sunt. Etenim, si non omnes, & singulos è possibilibus posset de facto conuertere, & conuerteret, si vellet Deus: cum incertum, naturæ saltem lumine, sit, an ex his, vel ex mollioribus fuerint Filij Hierusalem, qui de facto exiterunt, hos omnes conuertendos esse pro Dei incarnati voluntate naturæ lumine euidens esse nequit: siquidem si ex illis durissimis aliqui exiterint (quod incertum naturæ lumine, immo, & absolute etiam, per aduersarios plures, & prudentiores est) omnes pro Dei voluntate conuertendos fuisse repugnat.

2. Huic eidem sententiæ insistit de bono perseuerantiæ, cap 14. post initium adsonat scribens. *In massa perditionis Tyrios, & Sydonios fuisse relictos, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent.* Positi autem à Christo sunt in obstinatorum exemplum, & duritiei Iudæorum exprobrationem. De his autem etiam præ Tyriis, & Sydoniis obstinatis, & durissimis subdit inferius. *Nec istis obfuisset, quod non poterant credere* (consequenti nimirum impotentia) *si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & mollitis cor lapideum vellet auferre.* Et libro primo ad Simplician. quæstione secunda. *Cum ergo alius sic, alius vero sic moueatur ad fidem: eademque res sæpe vno modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat: vnum moueat, alium non moueat: quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaiæ mentem ad fidem applicaret.* Et inferius: *Quis dicat modum, quo ei persuaderetur, vt crederet, Omnipotenti Deo defuisse?* Vnde infert: *Nullius Deus frustra miseretur: cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Atque infra. *Non potest effectus misericordiæ esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit.* Hoc sane, & nos fatemur, & aduersarij negant. Subditque rationem: *quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset vt mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Cum ipsi infinita pene suppetant vocationum media, quæ variet, & eligat, in quibus non vnum tantum erit, quod quantumvis duro congruat, annuatque, nec resistat vocatus: de prædestinatione Sanctorum sub med. *Et, si illos quibus stultitia est verbum Crucis vt ad Christum venirent docere voluisset, procul dubio venirent, & ipsi. Non enim fallit, aut fallitur, qui ait: omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me*: de correptione & gratia, capite 12. sub fin. *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur. Et ideo, quamvis infirma, non deficeret, nec aduersitate aliqua vinceretur*: & cap. 6. med. & 8. sub init. *quid moliturus es contra verba dicentis* (ô Pelagiane) *Rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, vt vellet? Sed, quia præparatur voluntas à Domino; ideo pro illo non posset esse inanis oratio*: In aduersariorum vero sententia, & moliri aliquid contra illa verba possent, & audere, etiam posita Christi oratione, dicere fidem defecturam ob Petri rebellem voluntatem, quæ contra scripturæ sententiam ex qua rationem Augustinus vniuersalem Petro applicuit, præparari à Deo minime posset. Eandem doctrinam confirmat de corrept. & grat. capite 14. post med. duplici exemplo. Altero 1. Reg. 10. *Abiit cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda, filij vero Belial.* &c. ad quæ inquit. *Nunquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saule quemquam eorum, quorum tetigit corda Deus, vt irent cum illo, aut iisse aliquem postilentium, quorum, vt hoc facerent, corda non tetigit?* Alterum ex 1. Paralyp. 12. *Spiritus Domini induit Abisai principem inter triginta, & dixit: tui sumus Dauid, & tecum futuri filij Iesse*, &c. Ad quæ sic Augustin. *Nunquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potius facere eius voluntatem, qui in eius corde operatus est per Spiritum suum, quo indutus est, vt hos vellet, diceret, & faceret?*

3. Dies nos, & Chartæ deficient, si reliqua Augustini in hanc nostram, & suam sententiam testimonia recitemus; idcircò iuratorum Discipulorum eius nonnulla referre satis sit, vt sententiam hanc de eius non verbis solum, sed mente fuisse probetur. Prosper 1. de vocation. gent. capite vltimo. *Quantumlibet impiorum malignitas accusetur resistens gratiæ Dei: Nunquid probabitur eam, quibus est collata meruisse?* Ecce collatam, ac proinde à Deo quantumvis malignæ, & resistiuæ, voluntati fatetur: *aut illa virtus gratiæ, quæ sibi, quos voluit subdidit, conuertere eos, qui inconuertibiles permansere, non potuit?* Epistola de libero arbitrio ad Ruff. post med. *An dicendum est voluntati Dei humanas obsistere voluntates? &, tam feros, tamque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideo non audiant: quia prædicationi impio corda non pateant? & quis istis corda mutauit, nisi, qui finxit sigillatim corda eorum?* Pende vniuersalem propositionem voluntati Dei humanam non obsistere, eiusque rationem extremis verbis datam: quod, scilicet, Deus eius conditor, & subinde Dominus sit. Ad excerpta Genuens. responsi. 8. post med. *Manifestissime scimus, non solum Tyrios, & Sydonios, sed etiam Corozain, & Bethsaidam potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fuisse, si hoc in eis Dominus voluisset operari.* Quod præter alia Christi verba illis probat. *Nemo nouit filium, nisi Pater, & cui voluerit filius reuelare: & sicut Pater viuificat mortuos, ita & Filius, quos vult vinificat.* Cir. epistola ad Ruffinum circa med. id 1. ad Colossi. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Pendens ait. *Hoc tanto, & tam ineffabili bono nemo inuentus est dignus: sicut dicit Apostolus*, &c. Fulgent. 1. ad Monim. capite 8. med. & cap. 9. id ad Ephes. 1. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*: sic expendit; *sicut ergo præparata est per prædestinationem voluntas, qua bonum velimus: sic etiam opera bona præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Etsi ergo de se voluntas parata ad bonum non sit, sed potius obstinatissimè ad malum, tam ea, quam bonum eius opus præparari à Deo potest, ita vt ad illud non apta solum, sed nata videretur, noua sui per gratiam quasi creatione: quod Paulus aptissimè, & profundissime significauit voce illa; *creati*, & fine capitis, & capite 14. circa medium. *Hoc homini gratuita iustificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum. Hanc voluntatis præparationem superius sanctæ scripturæ testimonio demonstraui, quo dictum est: præparatur voluntas à Domino. Ab ipso ergo voluntas præparatur, qui in nobis, & velle, & perficere misericorditer operatur.*

4. De Incarnatione, & grat. Iesu Christi capite 31. sub finem. *Sola Dei voluntas humanæ salutationis est*

causa : ira enim in indignatione eius , & vita in voluntate eius , ira igitur eius nostra iniquitatis est meritum , vita vero nostra voluntatis eius est donum : sicut enim Pater suscitat mortuos , & viuificat, eosdem autem viuificari vult , quos vult saluari : sic ergo , quos vult saluat, quemadmodum, quos vult , viuificat : Nihil enim voluit, & non fecit, & c.19.post med.ex 2.Corint.4. *Deus,qui dixit de tenebris lumen splendescere illuxit in cordibus nostris,* Ostendit nullam adeo auersam , & aduersam bono esse posse voluntatem,quam Deus,qui è summè repugnantibus luci tenebris splendorem vocauit , & fecit , in bonum flectere nequeat : legatur etiam c.28. & 29. in eandem scribens sententiam. Petrus Diacon. de Incarnat.& grat.Iesu Christi c.7. & 8. sæpè vniuersim docet Deum potuisse omnes homines saluos de facto facere.Si voluisset, & id ipsum sæpius docet glos.toto c.9. ad Rom.maxime versu. *Quid adhuc quæritur*, vbi inquit. *Talis erit vnusquisque,qualem vult Deus esse*.Anselm.& ipse,si quis alius Augustinianus doctrina, Commentar. epist.ad Rom. c.9. ad id. *Ante quam aliquid egissent boni,aut mali, &c.* ait. *Non enim dicit Apostolus electionem voluntatis humanæ , vel naturæ ; compar enim esset in vtroque mortis damnationisque conditio , sed electionem procul dubio gratiæ &c.* Vbi non solum opera præsupposita ad Dei electionem excludit , sed & naturam , quæ in aduersantium sententia supponenda est , non ex illis , quas adeo rebelles admittunt , vt eligi per gratiam nequeant.

CERTAMEN IV.

Pro eadem sententia Patres interpretes, & Scholastici reliqui.

1. AD duo demum scripturæ loca frequentes in hanc sententiam Patres veniunt. Alter est compulsionis,seu coactionis,quam Deus creatis voluntatibus etiam obstinatissimis posse facere , & fecisse quandoque (salua tamen earum libertate) dicitur Lucæ 14. *Exi in vias & sepes , & compelle intrare vt impleatur domus mea.* Et Exod.11. Pharaonem ad dimittendum populum compulit , immò , vt miseræ seruituti inhærentem , & cunctabundum , ac recusantem Ægypto exire ipse compelleret. *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum & post hæc dimittet vos,& exire compellet*, & mille aliis frequentibus sacræ paginæ exemplis , quibus in oppositum propensissimis , etiam obstinato , voluntatibus,vti Pharaonis , & aliorum , nihilque minus volentibus , immo nihil magis de suo nolentibus eo Dei dispositiua voluntas, quo vult , siue internis inspirationibus , siue externorum malorum terroribus de facto deducit. Quin ita cum nobis omnibus agi orat Ecclesia Dominica 4. post Pentecost.illis verbis. *Adde nostras , etiam rebelles, compelle propitius voluntates.* De quo latè Ruiz noster de prouid.d.7. per totam,in cuius tertia sect. egregiè expendit exempla Hieremiæ,qui c.20.aiebat. *factus est mihi sermo Domini in opprobrium,& in derisum tota die & dixi ; non recordabor eius, nec loquar vltra in nomine illius, & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausus; ossibus meis , & defeci , ferre non sustinens*, & Pauli 1. Corint.9. *Si euangelizauero non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit* , & Actor.17. *Incitabatur spiritus eius in ipso* (Paulo) *videns idololatriæ deditam ciuitatem.* Vtrumque adnotarunt ad Hierem. locum Theodor. *Hoc* (inquit) *ipsum accidit Paulo , dum tacitus expectaret*, & Hieron.*Conceptus enim sermo diuinus,nec ore prolatus ardet in pectore.* Nec minus ad fidem à Iudaismo visione & voce illa Actor.9.*Saule Saule quid me persequeris ? durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Compulsus Paulus fuit, quam conuersus ad Euangelizandum compellebatur : cum autem eis,similibusque Dei inspirationibus,& terroribus vehementibus, quibus sæpè ad id,quod vult , compellere, & necessitate quodammodo voluntatibus nostris afferre dicitur , nullatenus absoluta eis,& antecedens necessitas libertati earum aduersa inducitur,scitè enim Bernard.de grat.& lib.arbit.longè à medio. *Quanto cunque compellere vel trahere videatur ad salutem benignus pater, qui omnes vult saluos fieri , nullam tamen indicat salute dignum,quem ante non probauerit voluntarium,* Cuius eam rationem dedit : *Cum terret, aut percutit , vt faciat voluntarios , non vt saluet inuitos : quatenus dum de malo mutat in bonum , transferat , non auferat libertatem.*

2. Compulsionis ergo nomine, & vehemens inclinatio voluntatis in id , quod Deus vult,& coniunctio de facto sic inclinatæ voluntatis cum illo,quod de se obstinatissimè auersabatur,ac proinde subsequens,seu consequens eius necessitas ostenditur. Cum autem ea compulsio non solum obstinatissimis , & omnium durissimis , Pharaonis Hieremiæ,& Paulo, & aliis fuerit indicta, sed omnigenæ sortis , & conditionis hominibus ad nuptiarum cenam Luc.14.vocatis,manifestè conuincitur eiusmodi vim,quæ salua eius libertate,voluntatem realem quamvis, etsi obstinatissimam , & durissimam cum consensu , quem ipse velit , infallibiliter coniungat Deo minimè dehcete : ac subinde nullam adhuc possibilibus, esse diuinæ prædestinationis incapacem.Præclarus in huiusmodi compulsione diuina perditissimarum voluntatum explicanda fuit. S. Bonauent.in 2.d.25.p.2.a.vn.q.5. corpore sic fatus, *Tunc autem voluntas mutatur , quando ipsa volente vnum, potenti virtute affectio immittitur ei ad contrarii,& de volente fit nolens : ita,quod vna affectio expellitur,& contraria inducitur: sicut patet,cum Deus de amatore temporalis, facit temporalis contemptorem,& hæc dicitur esse quædam compulsio & ratio diuina.* Legendi super ea compulsione sunt ad eum locum Theophylact. & Euthym. Titus Bostrens.l.1.Bibliot.Cassian.collat.13.Chremonis c.18. ante med.Origen.in 25.c. Numerorum homil, 20. col. penult. glos.ordin. vbi ad id Rom.9. *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ*,ait. *Notandum : quod quibusdam nec gratiam apponit,cum aliis infert eam quasi coactis.* Eandem demum diuinæ inspirationis vim,& efficaciam in quoscunque aversissimos cum effectu coniunctam obseruauit Cyrill. 4. in Ioan. c.12. sub initium in illo Ministrorum ad Pontifices responso Ioan.7. *nunquam sic locutus est homo* , ita illud ponderans. *Verba eius animos vigore suo penetrans,feriant intima cordis : & , vel inuitos , ad alta de eo cogitanda pertrahunt.*

3. Alter scripturæ locus,ad quem Patres frequenter nostram sententiam trahunt est Prouerb.8. *Præparatur voluntas à Domino* ; & c.21. init. *Dirigit corda Dominus seu præparat corda Dominus* (vt ex 70. legunt Theodot. annotationibus ad eorum versionem) scilicet , quasi non rebelli cordi gratia sua iuuamen præstet tantum , sed nouam quoad inclinationem in bonum , paret operaturis,vt creati in operibus bonis à Deo proinde dicantur à Paulo supra ponderato. Audi de hac præparatione , & præuentione voluntatis creatæ per Dei gratiam Gelasium Papam tom.de anathem.vinculo post med. *Non per ipsorum propriam emendationem, suoque intellectu, vel meritis suaque virtute , vel possibilitate conuersi sunt,vel sanantur , sed per gratiam Dei sanati sunt vt conuerterentur.* At si molliorem voluntatem,quam in illa rebellissima aduersariorum creatura Dei gratia , vt creaturas conuertat, earum virtutem,& possibilitatem expectaret, suo intellectu,virtute, & possibilitate , qui conuertuntur , conuerterentur. Concil. Arausican.2. Can.23. *Quando homines ita faciunt, quod volunt,vt diuinæ seruiant voluntati : quamvis volentes agant quod volunt ; illorum tamen voluntas est, à quo præparatur , & obtur , quod volunt.* Gregor. lib.11.Moral.cap.5. post med. *Sicut nemo obsistit largitati vocantis , ita, &c.* obsisteret autem rebellis illa vestra creatura , cap.6. post init. *Si Sancti Spiritus gratia superno munere iuxta vocem prædicantis infundatur , statim terra subueritur , quia pectoricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur.* Nihil ergo Dei potentiæ illa immobilitas , & obstinatio creaturæ illius potest officere , quominus mutari à Deo per illam absolutè queat. Cyrill. 11. in Ioan. c. 21. ad id Ioan.17. *Cum essem cum eis ego seruabam eos : & nemo ex eis periit nisi* , &c. hæc ait. *Quod seruare potest, quis velit, longe à naturæ creaturarum abest.* Non abesse autem molliorque natura,

natura, quam vestræ illius, attendenda sit, vt Deus creaturam saluare, & seruare valeat.

4. Nyssen. orat. 5. in Cant. post init. ad id, *Surge veni*, exclamat. *O vim mandati huius! Reapse Dei vox est, vox potestatis: quemadmodum in Psalmorum libro dicitur: Ecce dabit vocem suam: quæ vox potestatis est, ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Etiam modo prolatis adiacentem verbis hisce, surge ac veni, mox è mandato sit opus ipsum: simul enim, atque vim, potestatemque sermonis illa recepit, exurgit, atque assistit ei.* Cyprian. epist. 3. ad Cornel. alias 55. vers. med. *Plantationem plantatam à Deo Patre non esse quos videmus, non frumenti stabilitate solidari; sed tanquam paleu dissipantis inimici spiritu ventilari.* De quibus Ioan. in epistola sua (prima scilicet cap. 2.) dixit: *ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis.* Plantata vero à Deo non erat, ne, qui sic plantati, vt tandem deficerent ex nobis, id est electis non erant, atque à Deo exierunt, nec permanserunt, quia non erant secundum propositum, & prædestinationem voluntatis diuinæ, vt aiunt Augustinus de bono perseuerantiæ c. 8. fine: ac fæpius, pluresque alij Patres apud Rutz nostrum cit. d. 6. de prouid. sect. 3. & 4. Cum autem ea vnica, & totalis ratio, cur deficiant à Patribus assignetur: immò, & cur possint deficere, voluntatis creatæ duities procul dubio ab eisdem rejicitur, vt ob eam Dei propositum prævalere nequeat. Eadem doctrina communiter traditur à Patribus ad ea scripturæ loca, in quibus vocatio efficax ad Dei dona sortis nomine explicatur, vt Matthiæ ad Apostolatum Actor. 1. *Cecidit sors super Matthiam*, & ad fidem, virtutem, & salutem Psalm. 15 *Funes* (id est sortes, vt Augustinus ibi) *ceciderunt mihi in præclaris.* Chaldæ. *Sortes ceciderunt mihi in dulcedine*, & sequenti versu sortis eius materiam explicans ait. *Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi: benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*; & Psalm. 30. *In manibus tuis sortes meæ*, vt salus, & æterna hæreditas non casu & fortuna, sed Dei voluntate, & arbitrio, tam ipsi, quam electis reliquis obtigisse dicat, vt Eccles. 17. *destinauit illis sortem veritatis*, idcirco in veteri lege Dei voluntas sortibus explorabatur. Iosue 18. 19. vnde Prouerb. 16. *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Indéque in noua Christi lege, vt Actor. 1. *Et dederunt eis sortes*: iuxta quam vocis acceptionem Paulus ad Ephes. 1. *In quo, & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum voluntatis eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et ad Coloss. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Et Petrus Simoni Mago Actor. 8. *Non est tibi pars neque sors in fide hac*, & c. 26. *Vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos.*

5. Hinc sors apud Patres pro prædestinatione diuina vsurpatur. Hieronym. Commentar. Prouerb. vulgo Bedæ attributo, ad cap. 18. fin. *Sors*, inquit, *est occulta, & incomprehensibilis prædestinatio ex diuina regula procedens: quæ inter potentes (hoc est electos) dum singulis propria assignat, dijudicat.* Consonat Ambros. lib. 4. epist. 16. ad Irenæum longè ab initio, & Prosper epistol. ad Ruffin. circa med. ad locum recitatum ex 1. ad Coloss. citebat. *Hoc tanto, & tam ineffabili dono nemo inuentus est dignus; sed quicunque electus est à Deo factus est dignus.* Et Augustinus ad locum Psalmi 30. *Sortes dixit, (quantum ego existimo) gratiam, qua saluati sumus: quare sortis nomine appellat gratiam Dei, quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam vbi dicitur iste facit, iste non facit, merita considerantur, & vbi merita considerantur electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra inuenit sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit; non quia digni fuimus. Hæc est sors.* Porro hæc, & alia plura è sortis nomine, quo Dei prædestinatio in scriptura significatur, eo præsertim fine dicta à Patribus sunt, vt merita nostra, siue naturæ viribus Dei electioni, & prædestinationi præire (vt Pelagiani, aut Semipelagiani asserebant) prorsus rejicerent: verum & incapacitatem creaturæ, vt à Deo prædestinetur confutant: siquidem non omnino liberum, & in potestate Dei absolutè erit hanc creaturam præ incapaci illa prædestinare, cum hanc prædestinari repugnet: quare nec sortem illi præ hac destinare. Confirmatur: quia in hac sententia, etsi non absolutis demeritis, ac propriè demeritiuè conditionatis tamen, hæc incapax prædestinationis creatura, seù capaci alia discernit: atque à prædestinationis sorte excludit, vt arguunt Dominicani: quibus, nisi ex capacitate prædestinationis, & sortis creaturæ omnis rationalis, satisfieri nequit. Tertio: quia sors hæc in manu Dei, seu beneplacito Dei tota est: ac proinde ad eas omnes creaturas rationales extenditur, ad quas Dei extenditur potestas & voluntas: atqui harum quævis ad omnes possibiles creaturas rationales extenditur, ne curta, limitata, Deoque indigna sit: ergo omnibus hisce potest euenire. Quarto: quia huic sorti existentes omnes creaturæ rationales, suo quæque tempore, subiacent: ergo, & possibiles: nullo quippe titulo potiori, aliæ aliis possunt subiacere: dies carthæque nos deficerent (vt de Augustino dicebam) Patrum ad rem hanc testimonia recitantes, sed data sufficiant.

6. Ex Scholasticis Deum quamvis rationalem creaturam nulla excepta, etiam obstinatissima, conuertere, & prædestinare posse, quin vlla sit, respectu cuius medium, aliquod saltem, quo de facto conuertatur, & saluetur Dei potentiæ, & voluntati non subsit docent Alexand. 2. part. quæst. 74. m. 7. & 3. p. q. 70. m. 4. S. Bonauentura recitatus n. 8. S. Thom. in cap. 9. ad Rom ad id. *An non habet potestatem figulus, &c.* in & c. 11. ad id. *Sic ergo, & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt*, 1. p. q. 111. art. 1. corp. indefinitè quare & vniuersim ait. *Solus Deus efficaciter potest mouere voluntatem creatam*, & q. 23. art. 5. & 1. 2. quæst 112. art. 2. ad 2. quæst. 113. art. 7. corp. & de veritate quæst. 22. art. 8. corpor. & ad arg. art. 9. corpor. & fin. solutionis argumentor. præclarissimè vero quæst. 6. de veritate art. 3. corp. post med. vbi exemplo perpetuitatis specierum constantis, cum individuorum cuiusque corruptibilitate, quia ex diuina prouidentia loco deficientis alterum speciei eiusdem perpetuo succedit, certitudinem, & infallibilitatem diuinæ prædestinationis cum creatæ voluntatis contingentia, & potestate deficiendi ita conciliat. *Hoc modo est in prædestinatione: liberum enim arbitrium deficere potest à salute: tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod, vel non cadat; vel si cadat, quod resurgat: sicut exhortationem, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi.* Quibus ad cumulum auxiliorum, & inuaminum creatæ voluntatis, quem Deus in sua continet omnipotentia, apertè recurrit. Eius hac in re sententiam (etsi ex eis Recentiores, non eius sed diuersis, vt dixi certam. 1. & aduersis principiis) Dominicani omnes sectantur. Ægydius in 2. d. 25. quæst. 1 art 3. ad argum. dubij lateralis, §. *Aduertendum.* Argent. quæst. vn. art. 4. med. Richardus art. 4. q. 2. corp. & ad argum. Item in 1. d. 40 a. 3. q. 3. d. 47. art. vn. q. 1. corp. & ad 2. S. Antonin. 1. part. tit. 4. cap. 2. §. 9. Conrad. 1. 2. q. 36. a. vlt. corpor. fine. Supponit Okam in 1. d. 41. q. vn. post med. vbi etiam Gabriel art. 1 concl. 1. & in terminis idem Gabriel cit d. 25. q. vn. a. 3. dub. 1. propos. 2. Nicolaus de Orbellis ea d. fi. Maior in 1. d. 1. q. vn. circa finem Richard. Iap. a. 7. contra Lutherum valde ante med. p. 301. & proprius ad med p. 812. med. Dicedo de redemptione generis humani tract 2. part. 1. confid. 1. fin. & 1. de grat. & lib. arbitr. ac fæpius vtrobique. Adde sacros omnes interpretes ad citata scripturæ loca. *Cor Regis in manu Domini: & compelle eos intrare.* Cuius compulsionis vim his apprimè explicuit Abulensis Iosuë 11. q. 81. circa med. *Interdum gratia pulsatiua ita fortis, vt homines velut inuitos extrahat: & tunc, quicunque pulsatus ab illa meuebitur.* Quod statim exemplo adhibito sic illustrat, & confirmat. *Quemadmodum amatores interdum ita vehementi incitantur amore, vt magis furere quam amare videantur.* Et qu. 82. docet etiam obduratos homines eiusmodi gratia infallibiliter ad bonum rapiendos: similiter ad hæc, & cætera recitata scripturæ loca commentatores reliqui loquuntur: quorum verba transcribere prolixum esset & otiosum. Constet ergo auxilia efficacia (in quocunque eorum efficacia consistat) respectu omnium, & singularum rationalium creaturarum, etiam possibilium, Deo non deesse: quare eas omnes, & singulas diuinæ prædestinationis esse capaces, ita esse Patribus, & Doctoribus, tam expositiuis, quam Scholasticis communem, vt ab ea absque singularitatis, vt minimum, nota recessus non liceat: maximè cum oppositæ asserendæ nulla ab eius Patronis, quæ Patres, & Doctores latuerit ratio

efficax
scripr
cuiſ
b

asſeratur; quin potius Patrum, & Doctorum, imò & ipſa Scripturæ pro noſtra ſententia rationes attactæ inconcuſſæ persiſtant, vt deinceps quæſtione præſenti monſtrauimus.

CERTAMEN V.

A ratione eadem ſententia probatur, & aſſeritur.

1. PRimum præcipuumque pro hac ſententia locum habent rationes à Patribus, & ſcripturæ recitatis teſtimoniis propoſitæ ex prædicatis, ſeu attributis diuinis, omnipotentiæ, & dominij diuini. Prima eſt: De conceptu Omnipotentiæ diuinæ eſt cuiuſvis creaturæ rationalis conuerſionem fidem, atque ſalutem meritorie per eas obtinendam, eſſe in manu Dei. Atqui creaturæ reſpectu cuius nullum auxilium efficax, & congruum, & cui ipſa conſenſura ſit, ſi donetur, in Dei Omnipotentia claudatur, nec fides, nec conuerſio, nec ſalus per eas obtinenda erit in manu Dei: ergò, ſi eiuſmodi creatura eſſe poſſet, Deus non eſſet Omnipotens, quod prorſus repugnat: ergo eiuſmodi creatura eſt impoſſibilis. Maior eſt expreſſa ſcripturæ & Patrum recitatorum, & reliquorum omnium quos breuitatis cauſa recitare omiſimus. Et probatur naturali ratione in ea propoſitione imbibita. De conceptu Omnipotentis eſt eſſe in ſua manu plene, atque expedite ponere auferreve abſolutè à rebus, quidquid in eis poni abſolutè, auferrive ab eis poteſt: aſt cuiuſvis creaturæ rationalis fides, conuerſi, &c. ac per eas ſalus, poni in rebus ab eiſque auferri abſolute poteſt, ſiquidem ſupernaturali auxilio quævis creatura rationalis credere, conuerti, atque ita ſaluari abſolutè poteſt. Ergo de conceptu omnipotentis eſt ea omnia in rebus ponere, ab eiſque auferre plenè, & expeditè abſolutè poſſe. Secundo de conceptu omnipotentis eſt nullum alium plus, magiſve poſſe circa aliquid poſſibile, quam poſſit ipſe; ſed, ni Deus habeat in manu ſua plene, expedite & abſolute fidem, & conuerſionem, & ſalutem per illas, alicui creaturæ rationali abſolute poſſibilem, creatura illa plus, magiſque abſolute potens erga illa poſſibilia erit, quam Deus. Ergo Deus, ni omnis creaturæ rationalis fidem, conuerſionem, ſalutemque per illas, ipſis abſolute poſſibilem plene expedite, & abſolutè in ſua manu habeat, non erit omnipotens. Poſtremi huius Syllogiſmi ſuadetur minor: quia ea poſſibilia plene abſolute, & expedite ponere, auferréve poſſet creatura illa auxilio ſufficienti inſtructa, in manuque ſua abſolute haberet; non autem haberet Deus, qui in ſua Omnipotentia auxilium, cui conſenſura illa eſſet, ac reſpectu illius congruum non haberet, plene autem expeditéque poſſe abſolutè aliquid ponere, vel auferre, plus, magiſque erga illud poſſe eſt quam non poſſe plene, & expedite illud ponere, vel auferre.

2. Syllogiſmi primi minor probatur, vt aliquid abſolutè in manu alicuius ſit, eius abſoluta poſitio, vel ablatio penes ipſum eſſe debet, ita, vt volente, facientéque ipſo, quantum ex ſe, ſuaque voluntate, & poteſtate velle, & agere poteſt, ſenſu aliquo vero non poſſit non id, quod in eius manu eſt abſolutè non eſſe, nec alterius obſiſtentia, & renitentia de facto impediri: vt ex Patrum datis teſtimoniis patet, ex terminiſque fere: quod enim me prorſus nolente, & quantum poſſum in oppoſitum conante alterius voluntate abſolutè, vel ponitur, vel auferitur, meæ poteſtatis atque in mea manu abſolute non eſt, ſed potius in manu, & poteſtate alterius. At ſi rebellis à Deo creatura admittatur, reſpectu cuius nullum prorſus in Dei potentia claudatur auxilium efficax, congruaque, & habitura effectum vocatio ad fidem conuerſionem, & meritum æternæ ſalutis, volente facienteque Deo quantum poteſt, omni vero ſenſu poteſtatis, etiam conſequentis, poterunt abſolute non eſſe, atque ab illius creaturæ rebellis voluntate, & poteſtate obſiſtentia & renitentia de facto impediri; imò, & neceſſario, neceſſitate conſequente impedientur, ne ſint: ergo ea creatura à Deo rebelli admiſſa præfatæ operationes ipſius, & æternæ ſalutis merita in Dei manu, & poteſtate Dei, vt in ea minore aſſumebamus non erunt. Nec præſtat, ſi dicas poteſtatem creaturæ illius antecedentem ad fidem conuerſionem, ac meritum ſalutis æternæ eſt ex auxilio ſupernaturali gratiæ Dei, quæ in manu, & poteſtate Dei eſt non autem creaturæ illius: quare in manu, & poteſtate Dei tribuentis auxilio gratiæ ſuæ abſolutam poteſtatem creaturæ illi ad eas operationes, ratione cuius ipſa in manu eius creaturæ ſunt, eas ipſas operationes eſſe ac dici debere. Etenim, licet ex ea ratione recte inferatur in manu, & poteſtate Dei eſſe phyſicam illius voluntatis creatæ poteſtatem, quæ, & voluntatis productione, & auxilij ſupernaturalis ſufficientis ad eas operationes illius adæquate conſtituitur; aſt operationes illæ determinatæ potius, quam eis aduerſæ, quas æque, & poteſtas diuinctim reſpicit, ea poteſtatis donatione præciſè in manu Dei non ſunt. Cum ea ipſa determinatior vlterior creaturæ ad illas potius, quam aduerſas, expectetur, quæ non aliter penes Deum eſſe, donarique ab ipſo creaturæ illi poſſint, niſi, quatenus auxilia ſupernaturalia, quibus antecedentem creaturæ ad bene operandum poteſtatem complet, ex ſcientiæ mediæ futuræ operationis ſibi illis determinate auxilia donat, ac ſubinde operationem ipſam æquiualenter donare merito æſtimatur, vt ſapienter Auguſtinus, reliquique Patres, & Concilia aiunt *in vocatione congrua*. Cum autem reſpectu rebellis illius creaturæ ſub nullo auxilio eius fides conuerſio, &c. ſint conditionate futura; quare, nec de eis ſcientia media eſſe poſſit: nec eas in rebus abſolutè ponere, atque illi auxilij ſupernaturalis, quod ſufficiens ſolum eſſe valet, donatione conferre in Dei manu, & poteſtate eſſe poterit; etſi eius auxilij donatione in manu ipſius ſit conferre illi ad eas operationes abſolutam poteſtatem.

3. Ex vniuerſali etiam Dei Dominio in creata omnia poſſibilia, etiam quæ nondum ſunt, ex quo ea, quæ non ſunt, æque, atque ea, quæ ſunt vocare poteſt, imo vnde ea omnia, quæ ſunt vt eſſent vocauit, eodem robore probatur concluſio. Etenim ex infinitate è genere ſua Dominij Dei, quod extrinſecè creata (etſi non intrinſecè reſpiciat) concernit, vt de omnipotentia diximus, ad omnia omninò poſſibilia Dominium diuinum extendi debet, eo præciſè quod in ſeipſis poſſibilia ſint, & non repugnent, ita vt ſi minutulæ vnius entitatulæ (nedum perfectæ à Deo ſupernaturalis operationis fidei, conuerſionis) &c. poſſibilis dominium, & potentia non eſſet diuinum dominium, & potentiam, ſiue omnipotentiam eſſe repugnaret: cum autem eo ipſo quod Dominium diuinum ſit ſuperius longe, ac definitè ſuperius, & maius creato quouis dominio circa res omnes, & ſingulas creatas poſſibiles eſſe debeat, nullam creaturam rationalem ſuarum etiam operationum æque, nedum magis, Dominam quam Deus ſit, eſſe poſſe. Inde dogmata illa Theologica Auguſtini Patrum, & Conciliorum orrum habent. *Deum in nobis facere, non ſolum, vt poſſimus, ſed etiam, vt velimus, & facere, vt faciamus.* Non æque ſolum ac nos, ſed magis ac longè principalius: ac proinde voluntates noſtras liberas. *Magis in Dei manu, & poteſtate, quam in noſtra eſſe*, ac ſimilia aliaſque omnia, reſtituta, nec confenſura ſi à Deo donarentur, ac proinde de reſpectu cuius nullum omnino auxilium efficax, congruaue vocatio, ſed ſufficiens ſolummodo eſſe poſſet, prorſus repugnat. Quod autem eiuſmodi creatura non repugnante ea omnia Theologica dogmata: nullatenus vera eſſe poſſent, ſed eſſent neceſſario falſa, probatur: quo enim pacto operationes illæ fidei, conuerſionis, &c. creaturæ illius magis, ac principalius ſub Dei dominium quam ſub dominium creaturæ illius caderent, atque eſſent? cum poſito ſemel à Deo auxilio ſufficienti ſupernaturali, quo phyſicum eius in ſuos actus dominium, & poteſtas indifferens completur, & conſtituitur, quodque ſolum poni à Deo poteſt, operationes illas ponere, vel non ponere in manu, & poteſtate creaturæ illius ſolummodo eſt, non autem poteſtate, & manu Dei? quo inſa-

per

per pacto facere potest Deus, non solum, vt possit creatura illa, sed *vt velit, & faciat*, si protestatem solam ad eas operationes, vel eis aduersas indifferentem, & indeterminatam conferre, facereque Deus ipsi potest, quin vlterius, vt determinate eas velit, ac faciat possit facere? nec in donatione auxilij, quo eam ipsi fecit protestatem determinate operationes illas, atque earum determinatas voluntates dare interpretatiuè, virtualiter, atque in radice congruæ vocationis (vt Patres aiunt) possit æstimari, quia eas determinatè potius, quam ipsis oppositas voluntates, & operationes sub auxiliis ab ipso donatis, vel aliquo absolutè donatu possibili fore conditionatè prænouit? sed nec dominium vllum Dei erga eas operationes creaturæ illius absolute tale (nedum mains, & principalius, quam sit creaturæ illius in ipsis) siue physicum, siue politicum, & quasi ciuile potest defendi: siquidem dominium, vt sit, alterutrum coercens, facultas vtendi re in omnem eius vsum pro Domini libito quouis alio renitente absque iuris alterius illius siue physici, siue politici quasi ciuilis præiudicio, & plena facultas est rebellis autem creaturæ illius possibilitate ac non repugnantia admissa præ eius renitentia earum operationum, imò & creaturæ illius ad eas determinatas operationes vsus Deo est impossibilis.

4. Tertio probatur conclusio ex oratione, qua quivis homo, quantumvis obstinatæ duræ, ac rebellis voluntatis pro sua conuersione orare, non licite solum, sed vtiliter, & fructuosè potest, atque eum cum spe orare Deum honestissime possumus, debemusque hortari: immò, & Ecclesia simissima, certissimaque fide, quod eam precibus suis obtinere à Deo possit pro obstinatissimis, ac peruicacibus Iudæis, Hæreticis, & Paganis orat, consequique de facto fiducialiter sperat. Atque ex scriptura, authenticisque Ecclesiasticis historiis constat, obstinatissimum: infensissimumque fidei hostem Paulum à Deo conuersum, atque Ecclesiæ, & Stephani, precibus eidem Ecclesiæ atque Apostolatui donatum, atque alios quam plures ad pœnitentiam atque eximiam sanctitatem Dei gratia perductos. Confirmatur: quia nemo est adeo rudis, ac barbari genij, adeòque prauis moribus assuetus, aut erroribus obscuratus, qui tamen Deum esse fateatur, & nihilominus se à Deo conuerti ad meliorem frugi posse: imò, & conuertendum, si Deus velit, non credat: siquidem cum stupidissimos gentium omnium, & obstinatissimos Mahometanos, dum falso suo Prophetæ, atque irrationali suæ legi renuntiare, atque Christi fidem, & legem sectari hortamur & rationibus vrgemus, ac pene constringimus, nullum promptius, frequentiusque ab eis responsum audimus, quam nondum velle Deum, vt sectam suam abiurent abiuraturosque, atque in Christum credituros, cum Deus volet. Et sane cum eius rebellis à Deo creaturæ non repugnantia, & possibilitate admissa, eius generis aliquas non esse de facto à Deo productas, in rerumque natura absolutè positas; sed omnes generis illius intra puræ possibilitatis carcerem manere conclusas non constet, magna duris hominibus, genioque, vel consuetudine prauis in malum propensis, & obstinatis, an ex eius generis creaturis essent, qui conuerti à Deo de facto nequeant dubitandi ratio, ac subinde non omninò irrationaliter desperandi occasio præberetur: quare iure ea de eiusmodi creaturæ possibilitate opinatio, vtpote Dei omnipotentiæ, supremoque Dominio iniuria communi insuper, non Christianæ solum Ecclesiæ, sed omnium hominum sententiæ, fideique, & spei nostræ aduersa eliminanda prorsus est: vltima probatio omnibus sententiæ nostræ Doctoribus communis à confutatione vnici fundamenti sententiæ aduersæ petenda est: eam mox proponemus, & persequemur ostendentes cum eius creaturæ repugnantia constare rationalium omnium, & singularum creaturarum libertatem: præstat modo peculiarem nec à Patribus tactam Recentiorum aliquot, quibus noster præiuit Ruiz, conclusionis nostræ, & communis probationem examinare.

CERTAMEN VI.

Peculiares probationes Recentiorum examinantur.

1. EA vero probatio sumitur ex seria intentione, & voluntate diuina generali de omnium hominum salute per eorum libera opera, & merita ab ipsis de facto obtinenda à Paulo asserta 1. ad Timot. cap. 2. atque à nobis, vt dogmatica statuta controu. 4. d. 6. quæst. 1. ac frequenter controuersiis sequentibus supposita. Supponit autem insuper probatio ad hanc seriam generalem salutis omnium hominum voluntatem, & intentionem concipiendam Deum nulla scientia media dirigi, ac subinde nullatenus à futuritione conditionata nostri operis, & merita sub auxilio gratiæ Deique vocatione futuri: vnde neque eiusmodi seriam voluntatem, & intentionem salutis vllatenus posse pendere, aut impediri, ne à Deo concipereturque, & fuerit, vt penderet impedirique posset, si scientia aliqua media dirigeretur, vt de prædestinatione diximus. Hoc etiam in scholæ nostræ principiis certum est, ac vero, & indubitato supponendum. Hinc infertur per scientiam necessariam, ac simplicis prorsus intelligentiæ habere Deum quidquid scientiæ opus est, vt generalem illam veram intentionem, seriamque salutis omnium voluntatem concipiat. Inde pergunt: At nulla alia sufficiens ad eam voluntatem concipiendam sufficientia simplicis intelligentiæ necessaria, ac prorsus à nostræ libertatis exercitio independens Deo adesse potest, nisi scientia, qua omnipotentia sua contineri saltem aliquod auxilium, cui consensurus de facto sit quivis ex omnibus homo, si donaretur, cognoscat; etsi pro eo signo, quodnam illud determinate sit non repræsentetur: id autem pugnat cum non repugnantia seu possibilitate rebellis à Deo creaturæ rationalis illius omnibus & singulis auxiliis Dei de facto restituræ, si donentur: ergo ea rationalis creatura repugnat. Minor probatur: quia ea creatura non repugnante, aliquis ex omnibus homo, immò, & plures esse possunt, respectu quorum nullum congruum auxilium in omnipotentia, & dominio Dei claudatur: quare ex necessaria scientia comprehensiua omnipotentiæ, & dominij diuini etiam quoad extrinsecos terminos, & obiecta omnia ipsorum obiectiua veritas illa quod omnis homo alicui auxilio adhuc indeterminatè, & vage huic, vel illi exclusis in omnipotentiæ virtute, Deique dominio subiectis sit consensurus. Probant maiorem: quia vero intentio, ac desiderium, seriaque, atque ardens, tametsi inefficax, voluntas, (cuiusmodi de omnium hominum salute in Deo à Paulo Patribus & Catholicis Theologis asseritur) de eo concipi, haberique prudenter (ac Deo subinde digne) ab illo solummodo potest, qui illud in manu, & potestate sua habeat, atque habere præuideat, & nouerit. Nequit autem Deus scientia alia necessaria, & pure simplicis intelligentiæ, quam designata in maiori illa propositione, salutem omnium serio, à se intentam, & ardenter desideratam in manu, & potestate esse sua prænosse: ergo sola illa potest illam veram intentionem, ardensque desiderium, & seriam voluntatem salutis omnium sufficienter præcedere. Maior proxima probatur: quis enim serio, etsi inefficaciter nisi per imprudentiam, desideret, quod assequi in sua manu, & potestate non habeat habereve nesciat? ac insuper perpetuo in desideriis maneat, quin sibi, ac desiderio suo satisfacere se, ac de se posse cognoscat, & cuius satisfactionem ab alio solum sperare, & procurare possit? Confirmatur: quia nequit Deus desiderare, verè, & serio vt sit chimæra. Secundò: nec potest inefficaciter desiderare, vt non sit aliquid necessarium: immò nec de eius existentia, siue de eo, quod sit displicere: Ergo nec desiderare adhuc inefficaciter vt sit aliquid sibi impossibile. Demum per aduersarios Deo volenti serio inefficaciter salutem hominis restituri necessarium non est quod in eius manu plenè expediteque sit,

atque

tque esse Deus sciat illius salutem: ergo est contingens. Patet: quia, quod necessarium non est, contingens est, iuxta regulas summulistis Dialecticis notas de modalium contradictoriis assignandis: certè, si contingens, possibileque absolutè est, ex eius euentu de facto nil absurdi, aut inconuenientis debet inferri: inferretur autem hominem solum, cuius consensus in manu, & potestate sua solummodo esset, non autem Dei, superbe iactari posse se solum posse Dei desiderio serio de facto satisfacere, non autem ipsum Deum: item, & desiderium illud Dei serium frustraneum per totam æternitatem reddere: quod dissonum plane videtur, & absurdum.

3. Missa impugnata facili solutione, quam sibi adhibent Recentiores, in hoc argumento, & confirmationibus parum, tam ab authoritate Theologica, quam à ratione roboris video. Ab authoritate Theologica: quia frustrabilitatem, & consensus defectum intentionis veræ ac seriæ voluntatis de reprobi salute non ex solo abusu, & rauo vsu auxilij sufficientis pro eius solius libito, arbitrioque libero ipsius, sed Dei etiam contra statam Theologiam eæ omnes probationes probant, siquid probant. Cum certum apud Theologos omnes sit ex parte Dei salutem reprobi vere serio, & ardenter intendentis consensus, & conuersionis defectum esse non posse, sed ex parte reprobi ipsius tantummodo: cui Deus, ex quacunque demum scientia salutem inefficaciter, etsi adeo vere serio, & ardenter intendat, ac velit, ac de mediis sufficientibus ad conuersionem perseuerantiam, & salutis consequutionem prouideat, eorum liberum vsum plene permittit; quin ea intentione, & mediorum sufficientium prouidentia posita consensus, conuersionisque de facto reprobi, atque assequutionis gloriæ per illam in manu, & potestate plena, & expedita Dei vlterius sit, sed penes liberam reprobi solummodo voluntatem. Hic autem ea omnia absurda à Recentioribus illataque inueniuntur, & currunt, si ea sint absurda censenda. Nec præstat respectu reproborum alicui saltem ex possibilibus consensurorum conuertendorumque, si donarentur plenam absolutamque esse in Deo potestatem eiusque scientiam necessariam, vt serio inefficaciter eorum salutem intendat, ac de mediis pro libito prouideat, ac proinde, cum serio inefficaciter ea scientia præsupposita intendit, ac de sufficientibus præ sua libertate prouidet reprobis, illis, voluntarie se vsui libertatis, & arbitrij illorum, quoad intenti finis absolutam consequutionem de facto permittit, ac subdit potestate absoluta sua sibi prænota, vt illum absolute, & de facto obtineat, vti nolens: quod respectu reprobi nulli ex possibilibus auxiliis consensuro, & conuertendo, nec habet, nec potest Deus habere; sed velit, nolit intento fine necessario carebit.

4. Nil inquam hoc præstat. Primò: quia intentio illa inefficax, quantumvis seria, & ardens salutis reprobi, ac mediorum ad eius conuersionem, & salutem obtinendam sufficientium per scientiam eius plenæ, & absolutæ potestatis Dei ad conuersionem, & salutem reprobi de facto, & absolute per aliud aliquod siue determinate, siue vage auxilium, hoc vel illud, obtinendam minimè regulatur formaliter, sed per scientiam possibilitatis conuersionis, & obtentionis salutis reprobi à Deo per auxilium gratiæ: quæ, etsi nullo auxilio obtinendæ de facto sint, omnibus, & singulis gratiæ auxiliis obtineri possunt: quare, & per illa possunt absolute à Deo obtineri: immò ad prouidentiam de mediis solum sufficientibus ea intentione posteriorem nec scientia de absoluto defectu conuersionis, & salutis reprobi sub ipso formaliter præcedit, nec scientia vtriusque sub alio auxilio siue vage, hoc, vel illo, siue determinato absolute futuræ; tametsi ad denegandum in peccati pœnam auxilium efficax, sub quo conuersio, & salus reprobi absolute foret, futuritionis huius conditionatæ media scientia præcedat. Si autem, neque ad intentionem illam seriam inefficacem, neque ad prouidentiam mediorum sufficientium pro vllo reprobo nullatenus ea scientia præcedit, eiusmodi intentione, & prouidentia Deum potestate illa plena, & expedita ad conuersionem, & salutem illius de facto obtinendam vti nolle, atque ei pro arbitrio suo renunciare potest censeri, vrgeturque intentione communi illa salutis omnium ex quavis scientia habeatur, non renuntiat iuri conferendi cuivis hominum auxilia efficacia, cum ex illa conferat libere auxilia efficacia (ratione quorum in sua potestate conuersionem, & salutem eorum habet) prædestinatis, qui sunt posseque omnibus: ergo solum pro posterioti electionis, & prouidentiæ iuri, & potestati suæ renuntiare, atque pro suo arbitrio vti nolle, potest intelligi: ergo ad intentionem illam concipiendam opus non est, vt pro priori ad ipsam scientia vlla plenæ illius potestatis præcedat, vt ipsi per eam intentionem libere à Deo renuncietur. Pro posteriori autem signo electionis mediorum sufficientium providentiæ erga reprobos, pro quo iure illo conferendi efficacia nolle vti, ac renunciare intelligitur, scientia illa necessaria non est alicuius possibilis auxilij congrui indeterminati, & vage in omnipotentia sua contenti, sed media de auxiliis determinatis efficacibus, quæ reprobo negetur, & neque hæc negantur ex intentione inefficaci salutis reprobi, quæ ad ea deneganda, nequit inducere; sed potius ab eorum negatione Deum retrahere, neque ex ea intentione, & scientia media denegatione conditionata conuersionis, & salutis reprobi sub auxilio sufficienti quod donatur: ex qua scientia & intentione absolutione potius retrahitur Deus: solum ergo ex scientia conducentiæ, & sufficientiæ positiuæ illius auxilij ad reprobi conuersionem, & salutem, quod in Dei omnipotentia continetur, eligi illud vi intentionis illius potest: Ergo ex nulla scientia necessaria conuersionis salutisque reprobi sub auxilio indeterminatè, & vage, hoc vel illo, vel media de futuritione vel non futuritione conuersionis, & salutis, salus serio, ardenterque, etsi inefficaciter, omnibus hominibus intenditur ac de sufficientibus mediis reprobis prouidetur: quin ad eam communem intentionem, & sufficientium mediorum pro reprobis electionem consensuros illos sub auxilio aliquo, vel vage, vel determinate præsciri formaliter oporteat.

5. Inde constat falsam esse maiorem primi Syllogismi efformati ab hisce Recentioribus numero 1. ad medium scilicet solam scientiam naturalem, & necessariam, atque independentem à nostræ libertatis exercitio de alicuius auxilij saltem vage, cui consensurus, quivis homo sit inclusione in diuina omnipotentia posse, ac debere Deum dirigere ad seriam, etsi inefficacem intentionem communem salutis omnium hominum concipiendam. Ostendimus enim proxime eiusmodi scientiam intentionis illius, non solum respectu omnium hominum & rationalium creaturarum possibilium (de quibus omnibus quæstio procedit) verum respectu absolutè existentium directiuam de facto non esse, nedum esse debere, sed sola scientia conducentiæ auxiliorum in Dei potentia clausorum ad conuersionem, & salutem creaturæ cuiuvis, atque possibilitatis absolutæ earum ab auxilio illo cuiusvis creaturæ conuersionem, & salutem posse à Deo inefficaciter toto ardore, ac serietate, citra efficacium possibili, intendi. Ad eius maioris probationes datas numero 2. respondetur eas omnes in eo peccare: quod serietatem & ardorem inefficacis intentionis diuinæ cum ardore, & serietate intentionis efficacis de se, & ab intrinseco infrustrabilis confundit. Hac enim nec per aliud obtinendum finem potest aliquis intendere, nisi in manu & potestate sua habeat, vt ille alius intentum finem indefectibiliter apponat; alioqui & frustrabiliter, ac subinde inefficaciter finem illum intenderet, contra efficacis intentionis naturam, atque dignam Deo prudentiam, & perfectionem; inefficaci vero intentione (quantum intra inefficaciam seria) finis per alium obtinendi, siue, vt alius finem pro suo arbitrio & libertate obtineat, cum inde non teneatur Deus media efficacia (quibus in sua manu finis ab alio assequutionem infallibilem, tenfie à Recentioribus intento habeat) adhibere, quod ea adhibita in sua potestate, adesseque sibi sine vage, siue determinatè prænoscat, ac de reliquo vsum eorum, & finis assequutionem alterius (quem serio vult, vt assequatur) arbitrio & potestati permittat: quod etiam respectu rebellis illius creaturæ præstaret, sicut de facto respectu reproborum omnium præstat, quorum abusu libero perpetuo inefficaciter desideratis, sineque salutis eorum carens Deus perstat: eo siquidem ipso, quod creaturæ libertati permittit finis assequutionem ea intentione permittit, nec media efficacia per electionem adhibet, siue ea

ex ipsorum, siue ex voluntatis suæ defectu, dummodo sufficientia adhibeat, vt intentionis illius veritati, & serietati satisfaciat, quæ ad potestatem absolutam illi homini à Deo faciendam per media sufficientia extenditur, atq; ita procurandum, non autem vlterius à Deo faciendam illud de impossibilitate desiderij diuini, adhuc inefficacis, de existentia chimæræ, vel non existentia entis necessarij paritatem ad rem præsentem non habet: cum vtrumque absolutè impossibile sit, &, ad quod obtinendum medium nullum adhuc sufficiens esse nequit: atque in impossibile cognitum desiderium esse non possit, nec sine medio quod ad finis intenti assecutionem conducat: salus autem creaturæ illius absolutè possibilis, & Deo ipsi eius assequutio possibilis per media sufficientia in sua omnipotentia contenta, quæ illam consequendi rebelli illi creaturæ absolutam facerent potestatem.

6. Probant secundo Recentiores ex infinitate satisfactionis, & meritorum Christi morte consummatorum, quæ delictis cunctis, præmissq; possibilibus excessit, vt ad Hebr. 4. dicitur: *pro omnibus gustauit mortem*. Ex quo præter simile argumentū proxime effornato, & disiecto sic vrgentius ab absurdo nostram, & suam hanc sententiam ijdem probant Recentiores. Nulla est possibilis adeo rebellis creatura, respectu cuius auxilia efficacia possibilia absolute non sint, non aliqua solum, sed omnia etiam auxilia quæ sunt de facto sufficientia. Patet: quia in doctrina de efficacia auxiliorum extrinsecus solum à consensu nostro constituenda (in qua solum quæstio procedit) eo ipso, quod auxilium sufficiens quoad positiuum sufficientiæ, & potestatis physicæ antecedentis ad consensum sub illo sit consensus, sub illo possibilis cuiuis rationali creaturæ absolute est, quare, & efficacia consensu illo constituenda est absolute possibilis. Pergunt Recentiores: ergo merita Christi, quæ præmium omne absolute possibile, & vltra infinities, merentur auxilia efficacia omnib. & singulis, quantumvis rebellibus, & obduratissimis creaturis rationalibus: ergo, & absolutè possibilis est meriti Christi huius respectu auxiliorum horum efficacium cuiuis creaturæ rationali, etiam obstinatissimæ, remuneratoris. Patet etiam siquidem ex impossibilitate absoluta remuneratoris absoluta remuneratio, quare, & meritum, quod vtrumq; essentialiter respicit erit necessario absolutè impossibile. Ast Deus, nequit esse remunerator eorum efficacium auxiliorum donatione rebelli illi creaturæ nulli auxilio consensuræ, cum ea in manu, dominio & potestate sua non habeat respectu illius creaturę, in aduersatiorum sententia: ergo sola illa creatura in cuius absoluta potestate antecedente est auxilia efficacia reddere poterit esse remuneratrix meritorum Christi præmio illo, quod absolute est promeritus, atque adeo aliquid Christus promeritus est quo Deus ipsum remunerare non potest, si rebellis illa creatura non repugnet.

7. Respondetur tamen facile ex suppositione, quod creatura illa adeo rebellis, & dura nulli auxilio consensura sit, efficaciam auxilij eius, scilicet consensu, siue conditionato, siue absoluto constituendam, repugnare: quare in ea suppositione merita Christi ad auxilia efficacia illi creaturæ, qua efficacia non extendi potius, quam ad impossibilia realia, quia in ea suppositione, vt dixi eorum efficacia repugnat; ac proinde, nec Deum, nec creaturam illam aut aliquem alium remuneratorem esse in ea suppositione præmio efficacis auxilij, in suppositione eadem repugnante: quia nec creaturæ illius, nec alterius cuiuspiam, Dei etiam potestate, fieri potest, vt creatura illa ex suppositione quod nulli auxilio consensura sit, alicui sit consensura illudq; auxilium consensu suo efficax reddere possit. Considerata vero & creatura illa, & auxilij cuiuis ipsi possibilis, quib. adæquata eius potentia in actu primo ad consensum, vel eius omissionem vel dissensum cōstituitur, possibilem absolute consensum illi rebelli creaturæ esse: quare, & auxilij efficaciam eo consensu constituendam; ast, & Deo etiam esse absolute possibilem eius auxilij casu, quo consensura sub illo creatura illa foret, donationē, ac proinde, & pro priori ad vsum libertatis creaturæ, & auxilij eius donationē auxilij conferendi essentia solummodo considerata, cui efficacia non repugnat, potestq; vt possibile solum præmium sub merita Christi venire, nec Deo auxiliū cum ea antecedenti potestate ad efficaciam conferre, repugnare: quare neque esse auxilio illo, possibiliter solum efficaci, meritorū Christi remuneratorē, sicuti nec creaturæ illi (non quidem eorum meritorum esse remuneratricem quod implicat) sed consensu suo, quo auxiliū in actu 1. potest efficax reddere absolutè sibi possibili materiam præbere auxilij efficacis à Deo donandi ex subsecutura post, nec pro illo priori repugnante, scientia media de ipsius conditionato consensu sub auxilio illo, eiusdemq; auxilij efficacia: tametsi quia, & consensus conditionatus creaturæ pro posteriori signo vsus libertatis creaturæ illius, ac subinde scientia media consensus de conditionata futuritione sub auxilio illo abest, imò adest oppositā de negatione consensus sub illo, nequeat illud, quia efficax donare: sicuti nec exercitio illo & vsu libertatis creaturæ illius posito & expectato auxilium illud efficax reddere, nisi chimærica coniungendi contradictione consensum cum eius negatione potestate vllatenus potest.

CERTAMEN VII.

A solutione vnici fundamenti opinionis aduersæ nostræ, & communis probatio postrema.

1. POstremam hanc rationem tribus datis cert. 5. ibi non adiunximus ante examen rationū, quas cert. 6. reiecimus: sed in hoc certam. reseruauimus vbi erant aduersariorum fundamenta eruenda: quia ex eorum euersione desumenda postrema ratio est: vnicum autem affirmantis sententiæ aduersæ fundamentum ex euersione libertatis creatæ desumitur: quia, si ad attributa necessaria omnipotentiæ, ac Dominij diuini spectat continētia alicuius saltem vage, & indeterminatè auxilij, cui creata quęvis rationalis sit consensura, ac subinde creaturam rationalem nulli omninò auxilio potestatis, & dominij diuini consensuram esse repugnet: ergo ex necessitate eius consensum antecedente, cum in omnipotentia, & dominio diuino, tū in natura creaturæ cuiusvis rationalis (quæ omnia eius consensum natura antecedunt) non potest non alicui auxilio Dei consentire: ergo ex necessitate antecedente natura consensura est: ergo non libere iuxta firmissima nostra in Philosophia, Theologia, scriptura, Patribus & Conciliis de libertate causarum & effectuum principia & consequentias ad non eam fere probatas tom. 1. de Deo vno controu. 3. fusissima d. 1. per tot, sed tamen, nec libertatem creaturæ rationalis, & operationis eius euerti, neque vllatenus eo argumento probari ostendendum hic est, vt nullo fundamento opposiram sententiam de possibilitate creaturæ à Deo rebellis nulli prorsus auxilio consensuræ, & subinde impręde stinabilis niti monstremus: id autem in primis probo. Etenim ex necessitate etiam antecedente natura, & causalitate alicuius ex pluribus effectibus disiunctim, & vage non tollitur libertas causæ ad quodvis eorū determinate apponendum: ergo neque ex necessitate antecedente natura creaturæ cuiusvis rationalis ad consensum sub aliquo auxilio disiunctim, & vage creaturę, & consensus illius sub auxilio quovis indeterminato tolletur libertas. Consequentia est certa: imò certior ea, quæ in antecedenti continetur: siquidem necessitas antecedens alterutrū agendi physice, & absolute posita, ex parte antecedentis præcedit: necessitas vero consentiendi alicui auxilio vage, huic, vel illi ex contentis in dominio, & omnipotētia Dei physicè, & absolutè posita consensum nusquam præcedit: cum nunquam coniunctum, & cumulus totus auxiliorum in Dei omnipotentia, & dominio clausorum, (in quo solum toto, & coniunctim sumpto necessitas consensus alicui auxilio disiunctim, ex quibus coniunctum illud, & cumulus auxiliorum omnium conflatur, esse concipiq; & admitti potest) ex parte actus primi à Deo donetur, & adsit.

2. Antecedens mille exemplis à Theologia, & Philosophia admissis, & ab omnibus admittendis probatur: Primo enim Christi Domini humanitas ex antecedente impeccabilitate vi vnionis hypostaticæ ipsi inductā, & præcepto absolute ipsi imposito acceptandi mortē (& idem est de reliquis præceptis naturalibus positiuis aliquid agendi) physicam necessitatem antecedentem agendi, eliciendique actum acceptandi mortem disiunctim, hunc vel illum

habet: & tamen per Theologos omnes ad huius determinate, & singularis actus elicientiam retinet physicam libertatem; tametsi moralem, atque maioris æstimabilitatis apud Deum præmiaturum ad meritum à Recentioribus requisitam non retineat, vt vidimus controu. 6. de Incarnat. q. 3. vbi distinctionem hanc physicè, & moralis, seu meritoriæ libertatis confutauimus. Secundo probatur ex necessitate creatæ voluntatis ad consensum, vel dissensum disiunctim, circa obiectum propositum, sicut plures volut, non potest purè omittere, vel ad consensum vel eius omissionem disiunctim si pure omittere potest; cum tamē in cuiusque extremi determinate appositione se ex libertate gerat. Tertio probatur ex necessitate, quam natura sua, Deique specialissimo priuilegio deficiente omnes homines (immò, & creatura rationalis quævis) committendi aliquot saltem veniale, quam moralem necessitatem, vt minimum esse omnes fatentur: physicam autem æstimat cum pluribus Vasquez noster 1. 2. d. 143. c. 3. 7. & 16. ac d. 207. cap. 2. num. 15. & quia maiorem necessitatem, quam sit in infideli, vel diu, multumque perseuerante in lethali, & iniustitiæ statu ad committendum aliquod mortale reputant esse: & tamen ea necessitas in quovis iusto, etiam admittendi aliquod veniale disiunctim, atque in infideli diuturnoque peccatore committendi aliquod mortale vage, & indeterminate, non aufert libertatem peccat, siue mortalis, siue venialis, quod determinatè & in singulari ab his committitur: Ergò nec cuiusvis rationalis creaturæ necessitas consensus alicuj vage, & indeterminatè ex Dei omnipotentia & Dominio contentis auxiliis. Quartò: in quovis mortali cuius mortalitas ex magnitudine materiæ diuisibilis ex homogeneis partibus minutulis conflatæ, ad quamvis seorsim partem minutulam siue lethali apponendam potestas physica, & moralis est; secus autem ad eam simul cum aliis siue lethali apponendam: ergo & ad non consentiendum, dissentiendumve cuivis determinato auxilio, potestas creaturæ rationali consensuræ sub aliquo vage esse absolute poterit: tametsi ad non consentiendum, seu dissentiendum illo simul, & coniunctim cum aliis potestas ipsi non sit sed ad consentiendum necessitas.

3. Probatur secundo: quia necessitas hæc consentiendi alicui disiunctim auxilio ex contentis in Dominio, & omnipotentia Dei (quæcunque, & cuiusvis generis necessitas sit de quo inferius) nisi ex toto cumulo auxiliorum possibilium nequit induci: atqui cumulus totus auxiliorum ad nullum actum seu consensum rationalis creaturæ ex parte actus primi absolutè præcedit: ergo ea necessitas ad nullum actum, seu consensum creaturæ rationalis singularem & determinatum abolet, impeditve ipsius libertatem. Probatur consequentia ex sæpe dictis, tam hic controu. 4. d. 6. quæst. 2. quam tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. quia sola necessitas ex parte causæ, & actus primi absolute præcedens potest, tam ipsius, quam effectus, & operationis libertatem abolere aut impedire. Minor probatur: quia ad quemvis consensum singularem, & potestatem voluntatis in actu primo ad ipsum constituendam vnum auxilium sufficit, & regulariter solum absolute præcedit, nusquam autem totus cumulus auxiliorum alicui creaturæ rationali possibilium, vt patet: immò cum auxilia cuivis rationali creaturæ possibilia actus ipsius vitales, & subinde infinita syncathegorematicè sint, vt nunquam tot simul esse queant, vt plures eius vitales actus esse absolute per totam æternitatem, ex qua, & per quam creari à Deo potuit rationalis creatura esse non possint, totum auxiliorum absolute possibilium cumulum ad aliquem singularem in aliqua duratione determinata eliciendum consensum simul ex parte actus primi præcedere prorsus repugnabit: quare, & ex cumulo illo auxiliorum necessitatem natura antecedentem ad consensum induci. Nec valet ex dissensu, seu negatione consensus absoluta auxilio, quod absolute etiā hic & nunc ad consensum ex parte actus primi præcedit consensuram esse sub aliquo alio, quod absolute etiam hic, & nunc absolute præcedat; ex eo enim, quod aliquod auxilium vage, & indeterminate, cui consensura rationalis creatura sit, si donetur, debeat in omnipotentia contineri: & ex necessitate respondente in creatura consentiendi sub aliquo vage auxilio ex contentis in omnipotentia, solum infertur posse auxilium aliquod, cui consensura voluntas hic, & nunc esset, à Deo donari; non autem consenti ab ipso debere: cum adeo frequenter à Deo negetur: immò & possit Deus non solum auxilium tale, sed omnia etiam sufficientia auxilia supernaturalia creaturæ illi rationali etiam existenti, negare, pluribusque, & pene innumeris creaturis rationalibus, nec productis, nec producendis (respectu quarum eadem necessitas consentiendi alicui vage, & indeterminatè auxilio ex contentis in omnipotentia verificatur) de facto denegauit: cum autem auxilium illud efficax de facto hic, & nunc ex parte actus primi ad consensum præcedere nequeat, ni à Deo donetur, ex eo, quod non debeat à Deo donari, infertur aperte non debere præcedere.

4. His fere omnibus aduersariorum fundamento DD. quos sequimur nostri respondent, libertatem, rationalis creaturæ cum necessitate consentiendi alicui vage, & disiunctim auxilio ex contentis omnipotentia, & dominio diuino, doctè satisque componunt, sed addendum aliquid vlterius est, quo doctrina eorum, vt non prouehatur magis saltem clarescat, atque necessitatem illam consentiendi sub aliquo auxilio à creatura rationali futuri, antecedentem non esse plenius, planiusque ostendatur. Admisso enim Deum, vel ad auxilium, quod habiturum effectum si detur, atque ab extrinseco conditionato creaturæ illius consensu efficax in sua Omnipotentia claudi cognoscat, coniungendum tenēri (quod vt vidimus falsissimum experientia ipsa & ratione est) vt totum cumulum auxiliorum possibilium Dei omnipotētia, & dominio clausorum hic, & nunc ex parte actus primi simul ponere, quate & absolute ad consensum præcedere; tamen neutro modo libertas creaturæ illius, consensusque tunc eliciendi, lædi potest: quod sic ostendo. Connexio illa omnipotentiæ cum consensu creaturæ illius non est connexio intrinseca immediata omnipotentiæ cum consensu ipso, sed mediata solū, & extrinseca ratione auxilij illius cui consensura voluntas est, si à Deo donetur, & absolute consensum præcedat, & ratione cuius verum est non posse non creaturam illam toti cumulo auxiliorum non consentire, atque alicui vage indeterminate, huic scilicet, vel illi auxilio consensurum necessario: ergo eius solum rationis, & generis connexio omnipotentiæ cum creaturę illius consensu erit, cuius generis connexio cum illo, & necessitas consensus illius aut negationis illius impossibilitas eo determinato auxilio, vel toto etiam cumulo auxiliorum ex parte actus primi posito fuerit: atqui illius auxilij, ac cumuli totius auxiliorum ratione illius connexio, & necessitas consensus & negationis eius impossibilitas solūmodo consequens, & logica atq; extrinseca ipsis est, à futuritione conditionata sub eo auxilio, si donetur; non autem intrinseca auxilio illi, & ratione illius toti cumulo auxiliorum ac physicè antecedens: ergo connexio illa omnipotentiæ cum consensu ratione auxiliorum in ipsa clausorum: atque ei respondens in creatura rationali consensus necessitas, & negationis eius impossibilitas consequens solum, & logica est, atque extrinseca, non intrinseca, ac physicè consensum antecedens: sola autem intrinseca, ac physicè antecedens necessitas consensum potest huius, & voluntatis lædere libertatem; consequens autem & logica neutrius libertatem lædere potest, vt cunctis Philosophis, & Theologis est notū.

5. Consequentiæ sunt legitimæ si veritatis firmæ sit vtrumque antecedens, & subsumptum ad consequentiam secundam facile probatur, vel potius patet in doctrina, ex qua disputamus de auxiliorum efficacia ipsis nullatenus intrinseca, sed extrinseca solum à futuritione conditionata consensus sub illis. Ea enim statuta neque auxilio determinato, cui, si detur, consensura voluntas est, nec in toto cumulo auxiliorum possibilium ratione illius absolute positis plus quam consequens, & logica consensus creaturæ illius necessitas esse potest: cum, nec in auxilio illo, neque in toto auxiliorum cumulo entitatiuè, ac secundum intrinsecum sumptorum (quo solum pacto consensum physice, & ex parte actus primi antecedunt) vlla sit cum consensu connexio ad ipsumve determinatio, sed omnimoda ad consensum, eiusque negationem, & dissensum indifferens, atque indeterminata potestas. Primum vero antecedens ad illationem primam æqua facilitate probatur. Quia connexio omnipotentiæ solius (etsi intrinseca cum creaturis possibilibus admittatur) in ordine ad aliquid agendum, ad id solum

solum immediata, & intrinseca admitti potest, quod se sola, nullaque alia causa creata necessario interueniente, & media agere potest. Quocirca connexio omnipotentiæ cum nostris actibus vitalibus etiam necessariis in ordine ad illos efficiendos, ac non liberis, qua à nostris facultatibus vitalibus proueniunt, non immediata, sed media solum esse potest, quatenus scilicet facultates ipsas nostras vitales ex parte sua operaturas agere potest, eisque mediis actu ipsos quatenus ab ipsis proueniunt, nequeunt actus illi à potentia sola immediatè prouenire seu produci, & actiue apponi, atqui consensus creatæ voluntatis cuiusvis nequit ab omnipotentia sola apponi, atque produci, quin mediet necessario, & creata voluntas, & vocatio ad ipsum intentionaliter inducens, & mouens (siquidem in incognitum ferri voluntas nequit) ergo intrinseca, & immediata connexio in ordine ad producendum apponendumque consensum pro suo arbitrio, & voluntate, vel, si velit Deus, nequit esse omnipotentiæ solius, sed mediis auxiliis, & voluntate illis instructa ad operandum: ergo omnipotentia, dominiumque Dei cum creaturæ rationalis consensu vitali, & libero, quatenus ab eius voluntate est, siue in ordine ad faciendum, vt hæc operetur, consensumque ex parte sua eliciat, immediata & intrinseca omnipotentiæ solius, & secundum se entitatiuè sumptæ solum, esse non potest, sed ratione auxiliorum, quæ continet, & quibus necessario intermediis efficere solummodo potest, vt creata voluntas ex parte sua consensum apponat: quare eatenus solum in manu, & potentia sua illius voluntatis consensum habet, habereque de se Deus potest, quatenus auxilia innumera habet quorum alicui consensura voluntas sit.

6. Connexio itaque immediata, & intrinseca Omnipotentiæ, & Dominij diuini solius entitatiuè, & intrinsecè sumpti cum solis innumeris illis auxiliis est, cum consensu vero vitali, & libero creaturæ, qui absque immediata motione, & influxu intentionali, & voluntatis creatæ ex parte sua à Dei Omnipotentia nequit, ratione auxiliorum contentorum in omnipotentia, quibus consensura illa est, si ex Dei libito donentur vt in antecedente illo primo dicebamus. Confirmatur: quia ex ea sola connexione, seu continentia auxiliorum immediata, & intrinseca Omnipotentiæ, & Dominio Dei, & subinde consensus creaturæ ratione illorum (tametsi alia immediata, & intrinseca Deo connexio, & continentia esset possibilis) Dei Dominium, & potestas in consensum cuiusvis creaturæ melius, atque ab omni difficultate expeditius intelligitur, & cum creaturæ cuivis libertate componitur, vt patet. Confirmatur secundo: ex dictis sæpè controu. 4. de volunt. & 6. de prouident. & 7. hac de prædestinatione: vbi ostendimus posse voluntatem efficacem Dei esse cuius efficacia, & connexio ad auxilia solummodo congrua, & efficacia terminetur, quin ad consensum nostræ voluntatis sub illis se extendat, & ea etiam voluntate posita illæsam seruari, & voluntatis, & consensus libertatem: quia in ea vel ex ea necessitas solum consequens, & logica voluntatis, & consensus inducitur, non vero physica, & antecedens. Quam doctrinam Soatistæ præfinitores ad suas actuum liberorum præfinitiones per scientiam mediam regulatas tuendas locum habere perperam docent, vt solum ratione auxiliorum efficacium, & eadem auxiliorum connexione & necessitate (consequente & logica nimirum) connectantur cum consensu præfinito: quod locum in præfinitionibus illis quarum efficacia intrinseca consensum ipsum attingit, tametsi scientiam mediam consensus alias liberi, qua dirigantur essentialiter supponunt citatis locis maxime controu. 4. d. 6. q. 2. fusè monstrauimus: sed eo nunc permisso exemplo voluntatis diuinæ connexæ seipsa immediatè ab intrinseco cum efficacibus auxiliis solummodo, non autem cum consensu ipso, cum quo tamen ratione auxiliorum mediatè, & extrinsecus solummodo connectatur (siue ea consensus præfinitio siue auxiliorum efficacium præfinitio tantummodo sit) connexio omnipotentiæ cum consensu cuiusvis rationalis creaturæ pro Dei libito, & voluntate ratione auxiliorum efficacium in sua omnipotentia, & Dominio clausorum, quæ proinde absolutè dare illi potest, si velit, atque insuper necessitas diuino huic dominio, & potestati ex parte cuiusvis creaturæ respondens consentiendi, si Deus auxilium aliquod efficax ex contentis dominio, & omnipotentia sua dare ipsi voluerit apprime dilucidèque explicatur.

7. Prona ex hactenus dictis est (neque vna tantum) ad fundamentum vnicum contrariæ sententiæ solutio. Prima Doctorum sententiæ nostræ nobis anteriorum ex dictis vsque ad num. 4. nimirum necessitatem ex Dominio, & potestate Dei ratione auxiliorum efficacium, quæ in eius omnipotentia clauduntur, consensus cuiusvis creaturæ rationalis subortam, non esse necessitatem consentiendi auxilio vlli ex possibilibus determinatè, & seorsim sumpto quod solum hic, & nunc absolutè ad consensum præcedit, sed alicui vage, & indeterminatè ex coniuncto illo toto, & cumulo auxiliorum, quod nunquam totum ad consensum absolutè antecedit, ex qua necessitate vaga consentiendi alicui ex auxiliis illis indeterminatè necessitas creaturæ illius ad consentiendum soli illi determinato auxilio, qui solius hic, & nunc eius absolutum consensum absolutè antecedit, minimè infertur: vt bene præfati Doctores datis à nobis ferè omnibus exemplis ostendunt, atque ex notatis nostris cert. 1. liquido apparet: sed quoniam solutio hæc variis instantiis, & vlterioribus argumentationibus implicari potest, quas persequi, ac rejicere prolixius nunc quam vtile foret si ea necessitas admittatur esse (vt aduersarij contendunt, antecedens, vel talis esse non negetur) sit secunda planior ex dictis à numero 4. & expeditior solutio: negando illam antecedentem esse ac solum esse consequentem admittendos; etsi enim omnipotentia, & Dominium Dei in actus voluntatis creatæ, & creaturæ rationalis natura Dei omnipotentiæ, & dominio essentialiter in operando subdita eius consensum natura antecedat, tamen nihil in eis est absolutè, ac de se connexum immediate, & intrinsecè cum consensu absoluto creaturæ illius, posita etiam donandi auxilia efficacia voluntate, sed solum mediatè, & extrinsecus ratione auxiliorum efficacium, ab extrinseco solum creaturæ consensu talium: licet Dei omnipotentia & dominium intrinsecus ad auxilia aliqua, ita extrinsecus efficacia respectu creaturæ cuiusvis terminetur, quæ, si cuivis creaturæ dare (vt potest) pro libito velit, consensum ab illa infallibiter obtinebit, quin ipsa consequente possibilitate, vel auxiliis, vel Dei Dominio potestati, & voluntati ea donandi possit resistere: tametsi antecedente possibilitate vtrique resistere absolutè possit.

QVÆSTIO II.

A prædestinationis nostræ causa efficiens motiue meritorie ex parte prædestinati detur, dariue saltem possit?

DIxi *efficiens motiue meritorie* vt quæstionem ad terminos Theologica disputatione dignos restringerem; voce enim efficiens finalem causam excluſi: quam prædestinationis, adæquatè etiam sumptæ dari, nempè gloriam nostram extra quæstionem est: siquidem ex præconcepta gloriæ, & salutis nostræ intentione, ac vehementi desiderio gratiæ suæ dona omnia à primo ad vltimum vsq; nobis à Deo eligi, prouideri, ac ministrari dogma Catholicæ fidei est. De efficiente autem prædestinationis nostræ causa *elicitiue* constat etiam ex Philosophia & Theologia tota ex parte nostri causam assignari nullatenus posse: cum prædestinatio actibus vitalibus intellectus & voluntatis diuinæ adæquatè confletur, respectu quorum proinde tota vera (etsi non physica) intentionalis elicientia à Deo qui eius actibus viuit esse necessario debet: cum vitalis omnis actus habeat immanenter produci atque in eodem à quo elicitur subiectari: ac proinde ex parte prædestinati

actiuus elicitiuè in suam prædestinationem influxus, vel minimus repugnat: idcirco addidi *motiuè* vt efficientis amplitudinem ad specialem efficientis intentionalis motionem (de qua Patribus & Theologis priscis cum Hæreticis, & Nouatoribus asseclis esse controuersia potest) disputationem coarctarem: quoniam vero efficiens motiuum id omne complectitur, quod, vt absolutè existens, (quod efficientis causæ proprium est) intentionaliter actum, siue intellectus, siue voluntatis sollicitat: idque vel occasionaliter, vel meritoriè fieri contingat; addidi *meritorie*, vt ad speciem hanc merioriæ intentionalis motionis ex parte prædestinati præsentem redigerem quæstionem: de occasionali enim intentionali motione lis est diuersa: addidi *ex parte prædestinati tantum*, vt gratiæ Dei adiutorium omne secluderem ad suæ prædestinationis motionem meritiuam: eius quippe interuentu quæstio est alia inferius expedienda. Quare in præsenti prædestinatum in puris, vt aiunt naturalibus, siue secundum eius proprias naturales, vel actiuas, vel exactiuas vires accipimus, vt cum explorato Hæreticis Semipelagianis, seu Massilienſibus solummodo disputemus. Oportet autem horum errorem liquido, Ducemque, & Patronos exploratos præmittere, atque immeritò à nonnullis Doctoribus accusatos firma eruditione ac rigido examine ab ea suspicione liberare.

CERTAMEN I.

Semipelagiana præsertim ad purum de re præsente hæresis examinatur rigide.

1. DIxi Semipelagianam hæresim, & Authores, & fautores præsertim ad purum cert. hoc examinandos esse, ac recensendos; etsi concernentes aliæ in re presente Hæreses, & Authores memorandæ sint, vt ad Theologorum plenam illarum instructionem, atque eruditionem oportet. Prima igitur Valentini Basilidis, & sequacium effutientium hominum aliorum animas suapte natura esse terrenas, siue terrenis cupiditatibus subditas, ac prauis earum terrenis affectibus necessario addictas, propterea reprobari, vtpote prædestinationis diuinæ incapaces, aliorum verò hominum animas spirituales esse, ac totas spiritualibus sanctisque ac honestis affectibus suopte ingenio, geniove addictas necessario, & impeccabiles, ac subinde cum hominibus, quos constituunt, prædestinati: qua in re præter communem cum iam recensendo errorem alio hi peccant, hominumque animas specie distingentes aliasque terrenas, aliasque spirituales contra fidei dogma de nostrarum animarum omnium spiritualitate, ac immortalitate. Secunda Bardasseni, & Priscillianistarum hæresis fuit asserentium homines, ob bonum, prauumve genium, seu ingenium è corporisque constitutione orta ex diuersitate constellationis, & adspectus astrorum in cuiusque conceptione, & natiuitate alios prædestinari, alios reprobari, cum primo error hic secundus commune aliquid habet: quod scilicet nostrarum actionum libertatem euertat; nosque subinde ad gloriam meritis, nec solis meritis è Dei gratia ortis (vt fides docet) obtinendam, eligi, ac prædestinari negat: quamvis diuersimode, quod è naturali animarum nostrarum genio, atque impote suarum actionum inclinationi natiuæ prima hæresis tribuebat, secunda hæc corporum nostrorum naturali constitutioni tribuat. Addit autem secunda hæc hæresis errorem alium de fato gentilico in ortus, conceptusque vniuscuiusque constellatione ab Ethnicis Philosophis, Astrologis præsertim, constituto. Contra hos errores agendum hic non est, controuersis enim de cœlo, & de anima vtriusque specialiter abunde confutauimus: quoad communem vtrique libertatis euersionem egimus ibidem; & plus satis tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. & tom. hoc 2. controu. 4. Notauerunt autem confutaueruntque errorem vtrumque Leo epist. 91. cap. 11. Augustin. de hæresibus in 35. & cap. 70. & 5. de ciuit. cap. 2. Concil. Brachar. 1. capite 8. & quatenus ad constellationem in cuiusque ortu ex illo Hierem. 10. A signis cæli nolite timere, &c. & ad Rom. 9. *Sed & Rebecca ex vno concubitu*: atque è simili conceptu, & ortu *Phares, & Zaran de Thamar* æque confutatur. Sed hi errores, quamvis ad prædestinationis initium ex parte prædestinati pertineant, fuerintque proinde hic memorandi, quia in disputatione hac integram quæstionem non merentur: ad specialem tamen quæstionem in terminis non spectant.

2. Spectat autem ad illam æquiualens fere in terminis ipsis error Origenis 1. Periarch. c. 6. 7. 8. & 9. ac lib. 3. cap. 10. asserentis animas nostras sui in corpora immersioni præuixisse, vtpote anterius tempore ex mundi nimirum initio à Deo creatas, vt referebamus controu. 1. de Incarnat. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 4. vers. fin. eo igitur tempore, quo corporum suorum productioni, temperaturæ, & constitutioni, atque immersioni subinde, & informationi præcesserunt, bene, maléve operatas animas nostras originis putauit, ac pro earum bonis, malisve meritis de se reque habitis ad gloriam prædestinatos ab illave reprobatos fuisse homines illis constitutos, teste Hier. epist. 150. cap. 2. vbi eius quoad præsens attinet errorem ex illo ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni egissent aut mali* (Iacob, & Esaü reptoborum, & prædestinatorum typi egregiè confutat: obseruans hunc Origenis errorem ortum ex Platone duxisse, qui primus animarum aut hominum, quos constituunt existentiam præduxisse docuit: Eundem Origenis errorem memorant refelluntque alij à nobis memorati citato loco de Incarn. & Soario 1. de prædestinat. c. 4. circa quem errorem confutandum addenda hic plura speciatim non sunt: tum, quia errotis huius confutatio in terminis præsentis quæstionis scopus non est: tum, quia isidem, quibus Semipelagianus error in ea examinandus, refellendusque susceptus, confutatur abunde, & is Origenis error propelletur.

3. Propius ad quæstionis huius scopum & terminos attinet Pelagij, & Celestij sequaciumque de Principis nomine Pelagianorum hæresis notissima. Nempe hominem naturæ viribus gloriam condigne promereri suis operibus absolute posse, quare, & proinde adæquatam prædestinationem ad illam, ita enim appellabant dandi hominibus gloriam Dei voluntatem) gratiam vero Dei naturæ nostræ prorsus indebitam ad bona quæuis nostra, & meritoria opera absolutè, necessariosque pretium subinde negabant, solumque ad facilius perpetranda requirebant: gratiam tamen hanc nihil aliud quam legis notitiam, & doctrinam, seu prædicationem esse vociabant. Itaque homines & iustificari, & in gratia, & iustitia, siue sanctitate proficere ex naturæ viribus, tam quoad potestatem antecedentem, quam quoad consequentem Pelagiani aiebant: quare, & id totum quoad substantiam ex naturali prouidentia, nusquam vero à supernaturali prædestinatione ipsis prouenire: atqui ob hæc ab eis parta bona opera, iustitiam, & sanctitatem gloriam ipsis à Deo decerni, atque donari. Ita horum hæresim referunt Concil. Carthag. habit. anno 415. epist. ad Innocentium Papam à triginta quoque Episcopis conscripta à Concilio Africano (cui adfuit Augustinus (circa tempora Bonifacij Papæ à Concil. Senonens. anno 1528. præfat. ad decreta fidei à Trident. sess. 6. can. 1. & 3. contra Pelag. ab Innocent. Pap. 1. epistol. ad Concil. Milevit. quæst. 93. à Hieron. epist. ad Thesiphontem, & libris contra Pelag. à Gregor. Mag. 1. in Ezechiel. homil. 9. ab Augustino toto fere lib. 6. de gratia in cuius cap. 3. 5. 6. 7. & 49. docet gratiam à Pelagio admissam, legem, & doctrinam solummodo esse: gratiam vero Dei ad bene operandum, iustitiæ, & ingressum, & progressum absolutè aliquando à Pelagio admissam, subdole admissam haud naturæ vires adeo præstitas intelligendo restatur c. 19. 20. 21. 42. & 46. & lib. de gestis contra Pelag. in Concil. Palestin. qui extat apud nostrum Soarium tom. 1. de grat. & in edit. operum Augustini Parisiis anno 1614. ac tandem citato lib. de grat. Christi cap. 47. hæc habet: *si ergo consenserint* (Pelagiani) *nobis: non solum posthaec in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene* (quam illi à Deo esse admittebant) *sed ipsam quoque voluntatem* [illegible] *dicimus*

actionem diuinitus adiuuari ; vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamq; esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in quo nos sua, non nostra, iustitia iustos facit ; vt sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est : nihil de adiutorio gratiæ Dei (quantum arbitror) inter nos controuersiæ relinquetur. Magistro Augustino in Pelagij errore, ad rem præsentem quod attinet, referendo illius addictissimi discipuli concordant. Isidor. lib. Orig. §. *de hæresibus.* Prosper epist. ad Ruffum de grat. & lib. arbitr. ex Historiographis, Baronius tom. 5. Annal. fol. 175 & anno 410. à num. 6. anno 411. numero 52. Vincent. Lirinens. cap. 34. Platina in vita Innoc. Gabriel. Prateol. lib. 14. de vitiis, & dogmatibus hæreticorum verb. *Pelagius* noster Iacobus Gualterius sæculo 5. ad ann. 500. fol. 373. cap. 3. Castro de hæresib. verbo gratia : ex Scripturariis & controuers. Maldonatus in cap 13. Ioan. Card. Tolet. in 5. ad Rom. Iustinian. & Cornel. à lapide in c. 2. ad Philippens. Bellarm. Card. 1. de gratia & lib. arbitr c. 1. Valent. in 2. d. 8. q. 1. pun. 5 Becanus tom. 1. summæ Theolog cap. 16. de prædestinat. qui & ex Scholasticis doctoribus sunt : ex quibus item sunt Magister in 2. d. 28. vbi S. Bonauentur. dub. 1. Scotus, & Durand. cum suis ac cæteri Magistri Commentatores §. item Thom. quodlib. 1. art. 7. atque obiter citato loco ex 2. 2. & 1. p. q. 23 de prædestin. vel tangit, vel supponit, ad quæ loca, vel distinctionaria, quicunque Dominicani ipsum, vel Magistrum interpretantur. Adde etiam nostros Scholasticos omnes S. Thomæ interpretes, præsertim Vasquez 1. p. d. 89. num. 1. & 2. 1. d. 91. c. 2. n. 7. & fusius adhuc 1. 2. de necessitate gratiæ eruditissime disputantem tom. 2. à disputatione 186. ad disputationem 197. inclusiuè, in cuius tomi fine, exemplar Concilij Palæstini adhibuit Soarius tom. 3. de auxiliis cap. 1 & tom. 1 de grat. prolegom. 5. §. 2. & 3. vbi subdolas Pelagij professiones fidei detegit, Prologom. 6. toto Pontificum, & Conciliorum acta producit Herize disp. 25. art. 2. non exigua eruditione. Ruiz de Montoya tom. 3. in 1. part. tract toto 3. de prædestinationis exordio per solas vires naturæ, eadem de Pelagiano errore d. 14 sect. 1 num. 1. & aliquoties obiter attigit, & supponit errotis Semipelagiani, & affinium aliorum toto eo tractatu ex instituto confutandorum occasione, Nouiores ipso Scholastici Recentiores Semipelagiano etiam, & affinibus sententiis repellendis intenti, ne nominant quidem Pelagianum errorem. Memorandus tamen erat : quia ex eo, eiusque principio de libertate creata tuenda vterque manauit, vt vidimus tomo 1. de Deo vno controuersia 1. & 3. atque ex eisdem principiis Theologicis, vterque diffinitur.

5. Semipelagianus igitur error (quem proprius Hilarius, & Prosper Pelagianæ hæresis reliquias vocant) ad iustificationem ipsam : immò & sanctas operationes perfectiores, ipsique formali iustificationi subinde proximiores, gratiæ internæ Dei per Christum necessitatem Semipelagiani admittebat, solumque initium quoddam ad fidem, & salutem quantulumcunque exiguum, tenuissimæ congruitatis meritiuæ (quam obinde ansulam solum, & occasionem vocabant) vt Dei gratia ad fidem supernaturalem efficaciter vocarentur, atque in sanctitatem, & perfectionem etiam promouerentur exigebat. Illud vero initium, siue naturalis fidei actum, ex naturali aliquo, non illicito, sed prudenti motiuo, siue naturali salutis desiderio, & inde orta petitione, vel fidei, vel salutis esse, vt adeo gratia interna ad reliqua donaretur, & iuxta id Matth. 7. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis*, Ex diuina promissione donaretur. Requiri vero initij illius Deo à nobis ex viribus, bonoque naturæ vsu per salutis nostræ explicitam, vel implicitam voluntatem, vt suam Deus ad cætera opem, & gratiam nobis adiungat ex illis Christi Domini, *vis saluus fieri*, ac similibus saluti à se impertiendæ præmissis, à ratione vero probabant : quia, ni, quale quale, meritum aliquod ex nostro vsu facultatis, ac boni naturæ nobis à Deo inditi, ansulave, & occasio ipsi offeretur, nec libertatis nostræ itra seruari putabant, neque æquitatem voluntatis, ac prouidentiæ diuinæ, si nullo libertatis nostræ vsu expectato, neque ex parte nostri, electi ad fidem, gratiam supernaturalem auxiliantem, & iustificantem, & gloriam demum differentia, & discrerione ab eo qui non electus ad illa, sed reprobatus est, imperio potius dominantis, quam iure regentis, nec sine acceptionis personarum vitio, vnum ad salutem prædestinaret, alium vero pro suo tantum nutu non prædeterminaret, sed prætermitteret. Vnde constat Semipelagianos meritum, vt summum de congruo ex viribus naturæ ad primæ gratiæ collationem, & prædestinationis nostræ exordium, occasionem, & principium solummodo posuisse, sicuti & ad reprobationem non prædestinatorum initium : vt mirandum sit Doctores aliquot Scholasticos demeritorum Semipelagianorum primæ gratiæ supernaturali, ac prædestinationi Dei initium posuerint congruitate, aut condignitate ab ipsis asserta, fecerint quæstionem : multoque mirabilius ex illis aliquos de condignis meritis locutos Semipelagianos satis leuibus fundamentis censuisse, vt videre est in nostro Ruiz d. cit. sect. 3. num. 3.

6. Ne vero post hac de eo, non solum opinio sed quæstio sit, audiatur Hilarius epist. ad Augustinum sub init. vbi de horum nomine, & errore ita scribit. *Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum, id est solummodo, medium quærat ; non tamen ipsa iam valeat :* & Cassianus, qui eorum creditur ab eis Theologis Præceptor collat. præfert. 13. sic fatur : cap. 13. sub init. *Occasiones quodam modo Deus quærit, quibus humanæ segnitiei corpore discusso, non irrationabilis munificentia suæ largitas videatur : dum eam sub colore cuiusdam desiderij, ac laboris impartit ; vt nihilominus gratia Dei semper gratuita perseueret, dum exiguis quibusdam, paruisque conatibus tantam immortalitatis gloriam inæstimabili tribuit largitate.* Id quod toto deinceps cap. confirmat, & lib. 12. de institutione renunciat. cap. 11. & 13. vt scilicet meritum diuinæ largitati ex nobis prætentum præ sui renuitate & gracilitate, gratuitæ Dei suæ gratiæ, & gloriæ tandem donationi, & largitati non magis, quam si non præcederet, officiat : videaturque à Dei bonitate occasio in titulum coloratum (vt aiunt quæsita potius, quam à nobis oblata, ne irrationabilitatis ipsius largitas accusetur, & aperto videatur conuicta : cognouit, fassusque id de Semipelagianis est Augustinus de prædestinat. Sanctor cap. 2. vbi solutionem hanc ipsorum ex tenuitate meritorum nostrorum primam gratiam ac prædestinationis proinde initium præcedentium ab ipsis datam sic refellit : *Videte si aliud agitur isto modo, nisi, vt gratia secundum merita nostra detur quolibet modo,* (ac si dicat tenuissimo ac vix congruo) *ac sic gratia non sit gratia :* quantumvis enim exigui meriti remuneratio illa sit, gratuita prorsus, & liberalis ipsius donatio non est : quare nec ipsa gratia erit. denique Cassianus cit. lib. 12. prætentorum meritorum primæ gratiæ, & initij prædestinationis nostræ conceptis verbis excludit condignitatem c. 14. sic fatus. *Dicimus enim secundum Saluatoris sententiam* (recitatam ex 7. Matth.) *dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri ; sed petitionem, pulsationem, & inquisitionem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei, id, quod petimus dederit.* Ex quibus secunda nostri Ruiz re super hac conclusio num. 8. scilicet, & si non condignitatis, proportionem, tamen aliquam absolutè talem propriorum meritorum ad primæ gratiæ, atque prædestinationis initium fuisse à Semipelagianis admissam confutatur, cum expresse in illis colorem, seu titulum solum coloratum, & occasionem à Deo potius quæsitam libertatis exercendæ recognouerint. Aliud vero desirium, in quod acti ab Augustino Semipelagiani sunt, de meritis demeritisque conditionatis infantium ante vsum rationis correptorum refellere, quare & referre præsentis instituti non est, cuius nihil refert, quæ, & qualia merita gratiæ primæ, & prædestinationis exordio præcedant, dummodo ex propriis viribus orta assignentur. Vbi autem disput. actionis referre merita hæc conditionata semipelagiana possint, egimus d. de scientia media, & controu. de merito agemus ; nec diximus pauca controu. de Incarnat.

7. De Semipelagianorum errore dubium Scholasticis, & controuersistis ad rem præsentem est, an perseuerantiam per occasiones singulas in fide, bonis operibus, iustitiaque, & sanctitate, ac subinde electione ad gloriam conferendam de facto, & executiue merita ex viribus naturæ, vltra eam, quæ ad primam gratiam internam, & prouidentiæ supernaturalis, siue prædestinationis initium necessario præire docebant, prærequisierit. Noster Ruiz.

sect.4. prætenta merita naturalia non solum ad primam gratiam, & prædestinationis initium, sed ad perseuerantiæ initium, & gloriæ conferendæ voluntatem multa eruditione, & ponderatione contendit, & in primis verbis illis Cassiani primo eius testimonio recit. n.6. ex collat.13. num.13. *Dum exiguis quibusdam, paruisque conatibus tantam immortalitatis gloriam inæstimabili tribuit largitate,* videtur euinci. Maxime, cum seq. cap.14. perseuerantiæ vnius præ alio primam rationem, & radicem arbitrij in bono prauoue suæ naturalis facultatis vsu collocet tandem. Secundo: quia nisi Augustini & Semipelagianorum disputatio esset de electione ad gloriam, & perseuerantiæ donum, frustra recurrerent ad merita naturalia conditionata diuersa infantis cum Baptismo decedentis, & conditionata naturalia demerita alterius absque illo decedentis, si diutius viuerent, in quibus electio ad gloriam absque eorum operibus est & in adultis, quibus prædicatum Euangelium non est. Tertio: quia de prædestinatione, seu electione ad perseuerantiam, & gloriam lis Augustino & assectis contra Semipelagianos fuit: scribente Hilario epistola ad S. Augustinum in columna 2. *Quod autem dicit sanctitas tua: neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute percepta: hactenus recipiunt Massilienses: vt quibus detur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur.* Subinferius: *Nolunt istum perseuerantiam ita prædicari, vt non, vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit.* Vnde columna 3. *Cæterum quidlibet donatum sit prædestinatis, id posse amittere, & retinere propria voluntate contendunt; quod tunc falsum esset: si verum putarent eam quodam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non possent. Inde est, quod & illud pariter non accipiunt: vt eligendorum, reiciendorumque esse definitum numerum velint.* Hilarij relationi consonat Prosper epist. sua ad August. post med. scribens. *Massilienses refugero fateri: Deum secundum propositum, & consilium voluntatis suæ aliud vas condere in honorem aliud in contumeliam,* ac statim. *Nec acquiescunt electorum numerum, nec augeri posse, nec minui*: inferiusculè. Quibus epistolis de hoc Massilienssium vlteriore errore circa donum perseuerantiæ certior factus Augustinus fuit, vt constat ex eius libro de bono perseuerant. c.6. sub initium, vbi eisdem Hilarij verbis scripsit. *Sed nolunt, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari vt non vel supplicetur emereri, vel amitti contumaciter possit.* Cum autem c.2. & citato c.6. ac 17. meritis ex gratia ortis bonum perseuerantiæ posse à nobis obtineri Catholice, & fusè probet: tamen eo cap. 7. prope med. merita perseuerantiæ etiam Semipelagiana his rejicit & incusat. *Sed hæc inquiunt, vt à Deo demitur nobis fides impetrat quæ incipit à nobis: quam fidem & incipere & habere & in ea vsque in finem permanere, tanquam id non accipiamus, nostrum esse contendunt:* & infra. *Nolunt hominibus prædicari dona Dei esse, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide*: siue formata per gratiam, siue informi vt è libri totius contextu claret, & lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 12. 13. & 14. contra Massilienses de matura morte in gratia, quæ perseuerantia clauditur prædestinatorum, nullis humanis meritis, sed gratia Dei contingere fusè contendit: constat ergo ex dictis Semipelagianos perseuerantiam, & electionem ad gloriam, nec solam primam gratiam meritis naturalibus, & ex arbitrij nostri viribus expresse tribuisse.

8. Cæterum Vasquez noster 1.p.d.89.c.5.notab.3. §. *ex quibus* & duobus postremis, ex quo & assectæ nonnulli, censent semipelagianos nullatenus amplius meritis nostris ex nuda facultate arbitrij nostri oriundis tribuisse, quam ad primam gratiam, & prædestinationis exordium fotmalem, & proximam meritiuam congruitatem, quin ad gratiam vlteriorem perseuerantiæ per occasiones singulas atque electionem ad gloriam subsequutam, vlterius à primo meritum ex propriis viribus congruum requirerent: & quamvis Ruiz noster accurata, summaque sua, & singulari eruditione oppositam sententiam adeo vt vidimus, illustrauerit: video in aliorum mentibus indagandis, tam profundam nostri Vasq. ingenuitatem, vt in iis, quæ ad eruditionem Theologicam, atque alienarum mentium penetrationem spectant, semper aduersarios quosque vicerit: id quod & oppositis testimoniis perpensis (quæ ipsi erant ex vsu aliàs frequenti, & notissima) in re præsente euenisse comperio: quare, & eidem Vasquez subscribo, Ratio est: quia, si ad subsequentia opera omnia, quibus perseuerantia obtinetur, merita pure nostra, solaque arbitrij facultatè prærequiri censerent, non proprius Pelagianorum reliquiæ à Prospero & Hilario dicerentur, quam ab Scholasticis semipelagiani, vt censet Ruiz ipse sect.1. num 2. quia inquit, non dimidium erroris Semipelagiani, vt iure Semipelagiani dici possent, sed eius per exiguam partem, vt cuiusvis totius reliquiæ esse solent, pertinebant: si enim ad opera omnia Dei gratiam omnem vltra primam, ad fidem, & conuersionem perfectam nostris meritis præueniri docerent, non per exiguam sed magnam, & dimidiam, ac vltra asserebant erroris, eam gratiam in omnibus arbitrij viribus subnicerent, neque eius præcedentiam ad absoluta merita, gloriæ etiam facilius exercenda, quam Pelagius admisit, fatererentur: Vlterius Ruiz ipse sect.5. Cassiani in suo, & Massiliensium errore doctrinam inconstantem, & aduersam per capita notans, quartam esse vult num.7. quod Massilienses excepta fide, & salutis desiderio ad reliqua opera, & tentationes vincendas gratiam Dei requirerent; secus Cassianus, vt statim probat num.8. Secundo Prosper cit. epist. hanc ex Massiliensium doctrina refert sententiam, qua videbatur oppositum verbis primis confirmari. *Ad gratiam qua in Christo renascimur per naturalem pœnitentiam, quærendo, pulsando peruenitri, vt ideo accipiat, ideo inueniat, quia bono naturæ bene vsus ad saluantem gratiam initialis gratiæ ope valeat peruenire.* Quamnam initialem gratiam, cuius ope ad saluantem gratiam possit homo peruenire intelligit ex doctrina Massiliensium Prosper: An illam, quæ per occasiones singulas ad perseuerandum, & opera prima vocationem gratiæ subsequentia, quibus perseueratur. Hanc nequit intelligere: liquidem ea initialis gratia non est, cui in ordine gratiæ, ac prædestinationis, in quo alia gratia præcedit, cui ordine prædestinatiuo gratiæ vlteriores catenatæ posteriores sunt: quare nec in eo ordine esse, ac dici initiales possunt; sed nec talis dici potest respectu operis cuiusque perfecti ex illis quibus per occasiones singulæ perseuerantia habetur, & quibus omnibus perseuerantia tota adæquatè continetur. Si enim ad eas omnes, & singulas gratias merita naturæ præcedunt, nullo respectu sui operis, quo perseuerantia, & gratia saluans obtinetur initium elicitum meritum naturæ, vt sui initium supponat: quare & implicat respectu sui operis gratiam initialem esse: solum ergo gratiam initialem in ordine gratiæ & prædestinationis asseri à Massiliensibus Prosper refert, quæ sola illa sit, quæ in ordine gratiæ, & prædestinationis prima sit, ex qua catena illa prædestinationis inchoatur, cuiusque opus actus primus perfectæ fidei, & conuersionis elicitus, ob quem reliquæ gratiæ ad opera reliqua quibus, & perseuerantia, & saluans gratia obtinetur, suo quæque gradu succedunt. Perperam autem & contra contextum nimirum & textum, seque ipsum Ruiz sect 3.n.9. sine initialis gratiæ nomine gratiam creationis, & naturæ ipsius nostræ intelligit: tum, quia ipso teste, meritis naturæ nemo semipelagianorum tantum tribuit, vt sine gratiæ Dei supernaturalis opitulantis ope ad saluantem gratiam perueniatur: tum etiam, quia gratiæ supernaturalis operatio, & adiutorium necessarium arbitrio naturali nostro, vt ad saluantem gratiam perueniatur texta ipso extrito, vt ad saluantem gratiam perueniatur texta ipso exprimitur: *ad saluantem gratiam initialis gratia ope valeat peruenire*; Opis autem non intrinseca cuiusque facultas, & potestas, quæ iuuatur est, sed adiutorium alienum vt patet: quare nec initialis gratia quæ opera naturæ fert gratia creationis & naturalis arbitrij facultas cui illa fertur esse intelligive potest.

9. Tertio probatur: quia Cassianus Semipelagianorum Dux vulgo, & à Ruiz ipso habitus sæpe merita naturæ Dei ad gratiam præuenire, sæpe ab ea præueniri docet cit. locis, vt videbimus cert.2. de ipsius causa agentes; nec de viro ingenio, & eruditione præstantissimo toties sibi eisdem fere locis indigna, mediocris adhuc interaturæ, homine inconstantia contradicere credi conuenit potest: quare, & initialem, quam diximus, gratuitam meritis naturalibus arbitrij præueniri, in perfectioribus autem, & vlterioribus à gratia arbitrium præueniri necessesse

fuisse credendus, vt minimum, est, ni eius mens ad Catholicum sensum omnino reducenda possit intelligi. Quarto Prosper epistola ad Sanctum Augustinum sub initium Massilienſium sententiam sic scribit. *Qui autem credituri sunt* (fide imperfecta) *quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda* (perfecta vtique) *mansuri sunt præcise ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in regnum suum quos gratis, vocatos*, [quia adeo tenuibus, & perexiguis naturæ meritis, quæ gratuitæ; vt ex Cassiani sententia vidimus, vocationi non officiant) *dignos futuros electione*: ad regnum suum meritis ex gratia ortis, nec solius naturæ, in quibus non dignitatem, sed vix proportionalitatem ad prædestinationem, seu electionem ad gloriam Semipelagiani, vt vidimus, agnoscebant) *& de hac vita bono sine excessuros esse prauiderit*, quibus ad prædestinationis gratiam seu, quod idem est, electionem ad regnum; & vocationem secundum propositum, merita fidei imperfectæ præcedere in Massilienſium sensu docet: indeque vocationem, qua deinceps iuuetur ad fidem, & reliqua, & perseuerantiam ex gratia indebita naturæ, qua ad regnum demum perueniatur, debita autem congrue fidei perfectæ, & operibus sanctis ex gratia, & vocatione Dei ortis, & charitate formatis, atque ex horum omnium bono in gratia decessu præscientia, prædestinationem, seu electionem ad regnum & vocationem secundum propositum absolute inchoari: quæ omnia præter influxum meritorum naturæ in primam vocationem, & prædestinationis initium Catholicissima sunt, & in eo solum Semipelagianos errasse ostendunt manifeste. Quinto idem Prosper eadem epistola post medium clarius adhuc in eo Massilienſium errorem constituit. *Cum duo*, inquit, *sint quæ hominis operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse quam gratiam*: hæc nostræ, & aduersæ sententiæ æque fauent; sed pergit. *Et initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum esse stare, qui saluat.* An non salutis initium illud realiter formaliter est, ex quo primum bona valetudo inchoatur, non autem in quo illa augeretur, & perficitur? Inchoatur vero salus prædestinati in prima gratia, & vocatione, & prædestinationis exordio; reliquis verò ad opera, & perseuerantiam gratiis, & vocationibus vlterioribus, quibus, & intermediis ex quibus catenatis, ordo, & dispositio extrinseca prædestinationis texitur, augetur, & perficitur: ergo semipelagiani merita naturæ ad primam gratiam, & vocationem, ac subinde prædestinationis initium, non autem ad gratiam vlterioribus operibus, & perseuerantiæ necessariam, quibus valetudo bona augetur, & perficitur, noua naturæ merita per occasiones singulas requirebant. Sextò, Augustinus semipelagianam mentem expressit. *Sed hæc, inquiunt, vt à Deo dentur, nobis impetrat, qua incipit à nobis: quam fidem, & incipere, & habere, & in ea vsque in finem permanere tanquam id non à Domino accipiamus nostrum esse contendunt.* Septimo; quia eo solum satis ad suum intentum Massilienſes habebant, vt non irrationabili munificentia (vt Cassian, aiebat) alter ad tantum bonum prædestinationis ad gloriam eligeretur, atque ab altero non prædestinato, citra huius querelam discerneretur.

10. Porrò nostri Ruiz testimonia, & argumenta in aduersum facile diluuntur. Atque, à clarioribus inchoando, certum est ex dictis d. 3. quæst. 3. Quod Vasq. noster citato loco supponit, & præcipue impugnat Ruiz testimoniis præfatis: Massilienſes nimirum de alia electione antecedente ad gloriam diuersa ab ea, quæ in prædestinatione, seu prædestinatio ipsa est, nusquam esse locutos: quia de alia, vt ea quæstione vidimus, nulla veterum, siue Patrum siue Scholasticorum disputatio: immò mentio adhuc fuit: neque ante Recentiores proximi sæculi fuit controuersia. Secundò recursus Massilienſium ad merita conditionata naturalia infantium, & eorum, quibus prædicatum Euangelium est ad electionem aliam formalem ad gloriam, quam ad partialem prædestinationem adultorum ad fidem, vel totalem infantium solummodo Massilienſibus excogitabatur, vt ex datis textibus patet. Tertiò: testimonia, quibus Massilienſes negasse dicuntur perseuerantiæ donum ex Dei gratia per occasiones singulas & omnes impertitæ, nisi merita naturæ noua pro eis omnibus & singulis in prædestinato præcederent, id minime probant, neque ex eo, quod Dei gratiam esse admitterent, ex meritis naturæ esse negarent. Siquidem adeo naturæ merita extenuabant, vt, primæ etiam gratiæ donationi gratiæ, & liberalitati Dei non officiat. Negant autem, quia ex primæ gratiæ auxilio secundum propositum, siue ordine prædestinatiuo ex naturæ viribus à Deo obtento, merito condigno, reliqua à Deo obtineri gradatim censebant quod vlterioribus gratiis formalem gratuiti rationē in se ipsis tollit, fatente Augustino etiam cum Catholicis omnibus; tametsi in radice primæ vocationis, vnde catenatè proueniunt gratiæ sint, vt cum Catholicis etiam, Massilienſes admittunt: catenus, vt ipsis non negetur, primam illam gratiam, vnde catena illa, & series prædestinationis inchoatur, gracilibus suis naturæ meritis inchoetur: in quo solum à fide deficiunt. Demum: quod absolutè prædestinatus possit à perseuerantia deficere, ac non prædestinatus perseuerare, ac subinde saluandorum numerus possit absolute augeri vel minui: non ideo aiebant; quia semel prædestinati, & electi non electi esse possint defectu meriti vlterioris naturalis ad gratiam perseuerantiæ vlteriorem, qua donum perseuerandi confertur: vel contra semel non prædestinati, & non electi possint meriti naturalis exhibitione ad gratiam perseuerandi, ad quam electi, & prædestinati de facto non sunt, de facto peruenire ac numerum subinde prædestinatorum augere: id enim, bardis etiam quibusque, apertam affert contradictionem, quod prædestinatus simul, & non prædestinatus esse quis possit; atque aliam in Massilienſium doctrina: quod prædestinatus, & electus ad perseuerandum ex meritis naturæ in eorum doctrina (vt aduersarij contendunt) necessario præsuppositis pro posteriori naturæ, cum ad præsuppositа merita, tum ad inde obtentam prædestinationem possit merita naturæ abolere: quod est implicatoria potentia, vt, quod factum iam est, fiat infectum; atque ex aduerso non prædestinati ex præcedentia defectus meritorum naturalium vt prædestinationis suæ negatio absoluta adesset, merita vt prædestinentur æqua implicatione possint apponere.

11. Solum ergo voluere Massilienſes, vtpote libertati arbitrij creati seruandæ attenti, totique intenti, electos & prædestinatos ad non perseuerandum, sicuti etiam non prædestinatos, libertatem in actu primo non amittere, vtique pro priori ad prædestinationem vel non prædestinationem: ac proinde non prædestinatos, & perseuerantes, atque à num. electorum excluſos, primos, electos vero & perseuerantes primos, ex quibus perseueraturorum, ac electorum numerus augeatur: secundos esse absolutè posse: quod certissimum, & Catholicissimum est, tametsi consequentem impossibilitatē eorum ad extremū oppositum prædestinationis in primis, & negationis prædestinationis in secundis suppositæ, quam Augustinus & Prosper in sua Catholica etiam doctrina, voce tenus aduersa, attendebant, non curarint: errauerintque, quod ad prædestinationem coniunctim, & per modum vnius sumptam, merita naturæ prærequisierint, quatenus eius initio, & inchoationi per gratiæ primæ collationem, cui reliqua concatenantur, erroneè illa prætenderint, cum ad plenum arbitrij nostri dominium, tum ad iustam, & rationabilem ex parte bonitatis diuinæ, de se æque in omnium beneficia propensæ, prædestinati à non prædestinato, absque vlla acceptionis personarum acceptione, discretionem tuendam. Hæc enim vna eorum vox, ratioque fuit apud Prosperum citata epist. circa med. *Quia iustitia Dei in eo sit, vt qui non crediderint* (imperfecta illa fide, quæ primæ gratiæ ad perfectè credendum posuit initium) *pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter vniuersos velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et his quidem Semipelagianorum error satis propalatus sit: tametsi aliquando nolentes, & coacti obiter neque ex instituto, & professione in totum Pelagianum errorem incurrerint, vt postea notabo.

CERTA

CERTAMEN II.

Semipelagiani erroris Princeps rigide exploratus: vbi de Cassiani sententia.

1. MAgna de erroris huius antesignano, & Patronis apud eruditos controuersia quam elaritatis gratia in duas partes diuidemus. Prima erit de eius Duce, & Patronis, cum primum sectam fecit, de eaque in terminis à Patribus & Ecclesia disputatum est, atque obstinato contra ipsos à sequacibus secta ista propugnata. Secunda de Patribus, qui ante eius controuersiæ in Ecclesia ortum obiter videntur, iudicanturque à non paucis, nec ineruditis Doctoribus illam tradidisse: quorum, etsi eam verè docuerint, dispar est causa, vt patet: siquidem de rebus nondum ab Ecclesia disputatis, nedum nondum ab ea statutis ac definitis, at vero, maximè in rebus arduis, deficere humanum, neque pietate, eruditione, ingenioque indignum est, atque doctissimis sapientissimis, & sanctissimis viris insuetum, vt primorum Philosophorum, Patrum & scholasticorum exemplis frequentissimis edocentur: in rebus autem ab Ecclesia disputatis, nedum etiam definitis, & pro quarum parte altera eius stant Doctores præcipui; rationes, fundamentaque sua, quæ subinde minus solida esse non possunt, alteri parti nihilominus pertinaciter adhærere iis fundamentis non apertè solutis, insolubilioribusque non productis, sine ingenij doctrinæ, modestiæ, pietatisque iactura fieri minimè potest. Hæc dixerim, vt rigidum mentis Patrum in hac re, & similibus, vbi oporteat, examen, nec nobis, nec Doctoribus aliis impietati ab indoctis vertatur: vbi enim de re quapiam iudicium ferendum, dicendumq; est, nullam aliam pietatem inuenio, quam non mentiri. Nec minus pietatis habet vbi lapsi fuerint adnotasse: quia authoritatis suæ pondere incautos alios traheret in ruinam: veniamus ad primam examinis authorum erroris huius partem.

2. Eius vero Authorem, & Ducem Cassianum extitisse quicunque eum à Semipelagianis censent indubitato tradunt; verum quidquid de eius in re hac doctrina sit (de quo statim) erroris eius Ducem non fuisse, & primum authorem, sed ante ipsum vi argumentorum contra Pelagianum suum errorem, Iulianum ad Semipelagianismum temperasse, author nobis est Augustinus lib. 4. ex sex quos contra ipsum scripsit c. 3. sub init. Vbi hanc eius doctrinam, refert. *Ad capessendam perfectionem hominem adiuuari, quod ipse posuit* (vtique volens) pergit Augustinus, *volens intelligi hominem per se incipere sine gratia, quod perficit gratia.* Cæterum, cum hic semel, vique argumentorum contra pristinum suum errorem actus id docuerit: Cassianus vero (si in eo errore fuit) non semel, nec aliud agens, sed sæpe, ex instituto productisque fundamentis docuisse primo videatur, non immeritò eius erroris Dux haberi poterit. Sed tamen Cassianum in eo errore fuisse non à Deo exploratum, atque alij plures iudicant, censeo, non tamen eum ante vtriusque partis momenta perpensa ab eo assero immunem. Et quoniam illis æque librandis iudicioq; de illo in re adeo apud eruditos controuersa tandem doctrinæ, ingenij, sanctitatis eius, examen, & iudicium præcedere oportet, certa de iis erga Cassianum iudicia præmitto: & præter communem illam Massilienssium laudem ex Prospero, ipsorum hoste, epist. ad August. vers. finem. *Multum nos, & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo Sacerdotij honore supereminent.* Et sub finem: *Meritis, atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat.* Quæ Cassianum vtpote Massilienssium Sacerdotum præcipuum, ac Prosperi sententia erroris eius Antesignanum in primis tangit, sunt de Cassiani ipsius vita, doctrinaque specialissima, & grauissima magnorum virorum testimonia.

3. De eo quippe eiusque scriptis Prosper ipse iam gnetior in suo Chronico, absque vlla nota, summaque cum laude his meminit. *Ioannes Eremita cognomento Cassianus in Massilia insignis & facundus scriptor.* Gregor. Turon. 10. Histor. Francor. capite 29. de Abbate Arcio agens Cassianum cum Basilio connumerat, & inter Sanctos Cœnobiarchas: duo quippe Cœnobia alterum virorum, alterum fœminarum instituisse author est Gennadius, S. Eugenius S. Lupicini discipulus regulæ Cassiani addito *venerabilis* cognomento meminit, teste Surio tom. 1. die 1. Ianuarij S. Iulian. Tolet. Archiep. 2. Prognosticon. cap. 15. & 33. bis Cassianum citat, & cum Augustino coniungit. Sygisbertus in Chronico anno 427. Cassianum, vt virum Præclarum commemorat. Raphaël Volaterran. lib. 13. antropologiæ verbo *Cassianus* eius opera laudat impense. Genebrardus anno 421. pag. 433. illum inter Scriptores Ecclesiasticos cum Euagrio, absque vlla nota, recenset, eumque à Leone Pontifice tunc Diacono Cardinali, vt contra Nestorium de Incarnatione scriberet, rogatum fuisse ex Gennadio refert S. Benedictus in Regula cap. 42. & 43. & eius tandem Monachus Cassiod. lib. de institut. diuinar. lect. cap. 29. (cuius extant verba in Chronico generali S. Benedicti) centur. 1. capite 3. anno Christi 500. ait: *Cassianum Presbyterum, qui conscripsit de institutione fidelium*, sedulo legite. Gregorius vero Magnus Cassiani lectione frequenter delectatus legens & S. Fulgentius Ruspensis Episcopus collationum lectione ad perfectiorem vitam vehementer accensus apud astrum Guesnay. lib. 1. c. 50. numero 6. S. Gregor. Turonen. lib. 10. histor. Francor. c. 29. de Pelagia S. Aredij mater ait: Cœnobium ædificauit, in quo, non modo Cassiani, verum etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasteriales vitam instituerunt, celebrantur regulæ. Bernard. peculiari regula sua c. 4. iubet pro spirituali profectu legi collationes Cassiani. Tritemius de scriptoribus Ecclesiasticis pag. 218. de Cassiani operibus agit. *In his collationibus Sanctorum vtilis, & necessaria Monachorum institutio est.* Vincentius Bellouacensis de S. Dominico collationes Cassiani assiduè dicitur lectitasse doctrinæ eius generali non approbatione solum, sed ingenti laude & commendatione subiuncta lib. 20. speculi historialis c. 18. quem morem S. Thom. Aquinati fuisse in eius vsu habetur; atque 2. 2. quæst. 184. & 189. ad suam doctrinam de statu perfectionis confirmandam Cassiani, vt probatæ, nusquamque suspectæ authoritatis Doctoris testimoniis vtitur. Sanctus denique Patriarcha noster Ignatius vigilantissimus omnium Cassiani operibus & collationibus in primis continuò legendis incubuit. Eademque lectionem prodientium ad perfectionem omnem institutione Magistri Nouitiorum regulam esse voluit. c. 5. de regula ipsius. Noster Didac. Alvarez de Paz, t. 2. lib. 3. c. 4. pag. 5. *insignes* Cassiani collationes appellat. & omnem spiritus doctrinam continentes: est autem Alvarez insignis Theologus & scripturarius Professor, ac præcipuus nostri sæculi vitæ spiritualis Magister: noster etiam Theophilus Raynaudus sæculi nostri Doctor, & scriptor facile princeps in suo Valeriano t. 2. n. 2. easdem collationes vocat *perfectionis medullam.* Est autem valde notandum collationem 13. Cassiani, & tunc, nuncque habitaque semper fuit eas sententias continere, ob quas præterim Cassianus à Prospero lib. contra collatorem de Semipelagiano errore accusatur, & carpitur. Item Eucherium Cassiani scripta fusius scripta in Epitomem redegisse testantur Gennadius de viris illustribus in Eucherio. Adiicitur Gennadius de viris illustribus in Eucherio. Adiicitur nensis (etsi parum Cassiano æquus) anno 451. quam epitomen vidisse ait Tritemius vbi proxime, testaturque Gennadius iam citandus, & Cardin. Petrus Damian. lib. 5. epistola 19. atque in Iudice operum Eucherij apud Bibliothecam tria eius opera desiderari dicuntur. Primum de laudibus Eremi ad Hilarium: secundum epistolarum ad sacram diuersos. Tertium compendium D. Cassiani, & Dimyf. Carth. opusculum Garæi opera post collat. 13. Cassiani sub hoc titulo nuper appositum, *doctrina Catholica Dionysij Carthusiani pro præcedenti collatione ab ipso subiuncta.* Nihil vero ibi doctrinæ eius collationis corrigit, sed in summam omnia eius testimonia & rationes redigit solumque addit §. 4. quasdam Prosperi regulas & observationes & §. 5. quoddam Ambrosij testimonium. Quanta vero Cassiani laus est, duos adeo Illustres Doctores suorum

operum

operum, non probatores solum, sed ad publicam vtilitatem compendia illa pro faciliori legentium vsu scripsisse.

4. Sed vero his, vel non lectis, vel non obstantibus, Prosp. Aquitanicus Semipelagianorum, siue Massilienſium erroris, non sequacem modo, sed Patronũ, ac Ducem Cassianum censuit, & opusculo integro contra collatorem proinde confutauit: cuius præsertim authoritate effectum fuit, vt in Concilio Romano septuaginta Episcoporum sub Gelasio Papa, vti Apocrypha fuerint damnata, vt constat ex c. *sancta Rom.* dist. 15. Ado Viennensis in suo Chronico anno Christi 433. Semipelagianum ostendere Cassianum multis contendit: ex quo præcipuè Baron. Gualterus, Gordonius, & Alardus Gazæus eos in damnando de Massiliensium errore imitantur Vasquez, Soarius, & Herize & Ruiz de Montoya citatis citandisq; locis, & postremus hic cit. d. 14. sect. 1. n. 4. sect. 5. num. 11. concludit. Excusatione propositionum hac super re notatarum accusari Ecclesiæ contra Cassianum censuram memoratam ex c. *sancta Romana* dist. 15. sed tamen si Illustrium eorundem, & eruditorum. Historiographorum (qui super hac, & aliis eius doctrinis referendis Cassianum accusant) varietas, & inconstantia, ac secum ipsis repugnantia animaduertatur, haud magni eorum damnatio fors videatur habenda. Et de Prospero quidem Gennadius Massiliensis Episcopus, vir sanctitate, & doctrina sub illius tempora præcellens, de viris illustribus ad librum Hieronymi quem *de Prospero scripsit, & librum eius aduersus opuscula adiecto suppresso nomine Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria, ille infamat notum.* Et quamvis eum obiude cum Cassiano Sixtus Senens. 6. Biblioth. annot. 184. & Ioan. Motinens operibus Prosperi ipsius industria cusis erroris Massiliensis incusent: Vincentius tamen Bellouacensis, plusculum S. Th. antiquior 4. p. Histor. lib. 20. c. 58. & S. Antonin. 2. p. histor. tit. 11. c. 11. Gennadij hanc de Prospero querelam, dum sine huius defensione, illiusq; reprehensione memorant approbare videatur: immò S. Antonin. tit. 10. c. 10. expresse approbauerat dicens Cassianum à Prospero *cursiue, & superficialiter* lectum esse: potuisseque ipsum quidquid in Cassiano reprehendit, in bonum sensum interpretarii: vti etiam Gaspar Casalius censet tandem lib. 1. de quadripartita iustitia cap. 31. etsi initio dubitauerit: de quo nos, ac de Gennadij doctrina inferius. Iam vero, quo loco Adonis ac reliquorum historialium super Cassiani doctrina authoritas sit reponenda, cum ex falso ab eisdem Cassiano impositis, tum ex eorum circa præsentem eius errorem referendum inconsequentia, & varietate videamus. Ado enim cautissime de gratia, & libero arbitrio Cassianum legendum, monens addit, sed & *Encratitarum hæresi* (quæ teste Rabano Mauro carnium esum, & coniugij vsum illicitum esse docebat) *incautius fauit*: cum tamen nihil ei errori ad sonum in scriptis Cassiani legatur, notatumve ab alio vsquam fuerit.

5. Ado item, ex quo etiam Baronius Gualterus, & Gordonius aiunt Cassiani opera expurgata à Cassiodoro fuisse qui tamen c. 29. diuinar. institut. à victore quodam (scilicet Martyritano Episcopo) id præstitum testatur. Baronius vero tom. 5. pag 654. & Gualterus addunt: ea Cassiani opera ab Eucherio etiam fuisse correcta Alardus Gazæus Dionysium Carthusianum collat. 13. correctorem adiicit, cum tamen vterque nihil doctrinæ ac fundamentorum in suo Epitome (præsertim ex collat 13. Dionys.) omiserit, vt vidimus sub numeri tertij finem: quin Dionysius opusculo ibi citato, ac eiusdem Gazæi opera collationi illi adiuncto §. 2. hęc à Prospero vehementer accusata Cassiani verba affert quod *resistentes quoque, & longe positos vocet: multos alliciat ad salutem: peccare volentibus subtrahat coniam voluntatis explenda.* Et sane cum Cassiani propositiones collationis illius 13. quibus præcipuè, & ex instituto impugnandis librum totum contra collatorem Prosper euulgauit, quibusque Cassianus Massiliensium hæresi consonasse, vel adfauisse in primis videtur, in ea collatione quam nunc habemus illis ipsis verbis, quibus à Prospero confutandæ proponuntur, extent: erroris Massiliensis à tot grauissimis eius correctoribus castigatum correctumque nihil fuisse, euidentissimum est. Denique Baronius tom. 5. citata pag 654. ait: Cassianum, quem nunc habemus, sanum esse, & ab omni prorsus errore purgatum, (quod, & Cassiodorus vbi proximè, & Rosveidus in vit. Patrum Prologom. 6. censuere) cum tamen exter nunc collat. 13. quod toto illo suo libro contra collatorem reprehendit Prosper, cuius authoritas, vel vnice illum de errore Massiliensium fecit suspectum: quare dum id etiam Catholicum Baronius iudicat, dum totum Cassianum, quem habemus, sanum prorsus approbat, totum fundamentum ipsum de Massiliensium errore appellandi & condemnandi euertit, ac rigidæ suæ censuræ nescius contradicit: sed nec in magnis adeo viris totis historicis, consequentia tam rigida quærenda exigendaque est. Potiori iure expostulandus in consequentiæ huius venit eximius noster Doctor Franciscus Soarez Theologiæ Scholasticæ sæculi proximi columen alterum, consequentiæ proinde, & tenax, & Patronus, qui cum Baronio, & citatis ipso antiquioribus Massiliensis erroris damnat Cassianum 1. part. lib. 2. de prædestinat. (qui de eius causa est) c. 7. & tom. 1. de grat. Prolog. 5. c. 5. cum tamen in opusculum..... dixerit se nihil erroris in Cassiano, quem vtique cum integra collatione 13. habemus, inuenire. Denique doctrinæ Cassiani hac super re infamatores Historici in eo etiam secum, & cum veritate certant: quod Gualterus, & alij recte Cassianum de Christi gratia contra Pelagium scripsisse primum lib. de Incarnatione dicunt; postea vero in collationibus lapsum in Semipelagianismum esse. Constat autem ex ipsius Cassiani præfatione lib. de Incarnat. illum collationes scripsisse antequam opus de incarnatione Leonis Pontificis hortatu contra Nestorium aggrederetur, vt notauit Gennadius, fateturque Baronius tom. 5. pag. 567. qui absque fundamento vllo, gratisque ait, Leonem id muneris Cassiano demandasse, vt quæ ex Semipelagianismo ex collationibus anno anteriori, & ante Concilium Ephesinum, eius operis occasione tradiderat, retractaret, nec solum contra Nestorium scriberet; immò, & contra omnem verisimilitudinem cum nulla in opere illo de incarnatione Cassiani anterioris suæ doctrinæ mitior interpretatio, nedum retractatio inueniatur: quorum alterum, & tunc necessario fecisset, si à Leone de suspicione eius hæresis monitus, eiusque purgandæ Pontificis consilio, & hortatu illud opus susciperet. Quin vndecunque suspicionis conscius, dum viueret, eam à se, vel retractatione, vel sensus Catholici sui explicatione, vel sententiæ qualiscunque esset suæ defensione, suæ doctrinæ, & animi sanitatem necessario, & ex instituto ostenderet: quod præstitum nusquam ab ipso fuit. Quæ autem ex Cassiano his Authoribus errorem sonant, inferius producemus oportunius:

6. Ex aduerso autem Cassianum ab omni Semipelagianæ hæresis nota & suspicione iusta liberant Gennadius eius sub Chrysostomo condiscipulus loco citato Ioan Dominici Dominicanus Cardinalis, & Episcopus Rhagusæus S. Antonini (ipso teste) vnicus Magister libro cui titulus *amor charitatis* & S. Antoninus citatus, ac fere ad verbum recitatus n. 4. & Bellouacens. n. 3. Henric. Cuychius Episcopus Ruremundensis annot. 1. censoria in Cassianum Petrus Ciaconius annotationib. in Cassianum propos. 2. Pesantius 1. p. q. 23 a. 5. d. 2. Gasp. Casalius cit. etiam eod. n. 4. fusè verò ac recentissimè multo ingenij, & eruditionis pondere noster Ioan. Bapt. Guesnay edito lib. cui tit Cassian. illustrat. Lugd. anno 1652. antiquiores benignas aliorum Cassiani interpretationes referens, & tacitus lib. 1. c. 62. probans: quib addi merito possunt, quoquot ex priscis Patrib. & scriptorib. eius doctrinam absolute commendasse retulimus num. 3. præcipue Eucher. & Dionysius Carthus. eius, nullo mutato, per Epitomem transcriptores, & Leo Papa, qui paulo ante habitum Ephesinum consilium, cum scilicet Cyrillus Alexandr. aliique Catholicissimi, & doctissimi Patres florebant, scribendi contra Nestorium Cassiano curam, quasi delectu mandauit: quod homini erroris Semipelagiani, & ex iam vulgatis, vt vidimus collationibus suspecto (etiam in Doctorum probatæ vndique fidei Catholicæ penuria) non, nisi per imprudentiam summam mandaretur. Adnumerari defensoribus Cassianæ in re hac doctrinæ Catholicæ, docti plures Recentiores possunt, quos ita censentes audiuimus, tametsi prælo defensiones Cassiani non dederint: in quibus Pater Ioan. de Ituren emeritus Theologiæ Professor, qui modestiæ causa Ioan. pij nomine Comment. in 1. p. S. Th. prælo

emisit, ac de Cassiano ab ea suspicione liberando doctum manuscript. reliquit. And. de Saussay. Illustris Doct. Sorbon. in suo Martyrologio Gallicano ipsum inter laudatissimos Patres numerat, & supplemento ad 10. Kalend. Augusti singula ipsius scripta, collationes etiam, non approbat solum, sed magnis encomiis extollit: verba recitat citatus noster Guesnay c. 63. vers. fin. Quanto vero iure, & fundamento præfati DD. de Cassiano censeant ex eius testimoniis præcipue, & interpretationibus, quæ aduersariis ipsum damnantibus occasionem dedere iudicandum erit: interim illud ad doctrinæ huius in Cassiano sanctitatem credendam, & absolute, & maxime contra aduersarios omnes, (si Vasquez excipias) plurimum facit: quod Cassianus sancti Chrysostomi Diaconus, & discipulus ipsique amicissimus, & amantissimus semper fuerit, & qui non solum irridente verum in aduersa tristissimaque fortuna Chrysost. adhæserit, eiusq; causam egerit fidissimè, & cuius manu de rebus suis afflictis, iniquoque exilio Chrysostomus Innocentium primum per litteras fecerit certiorem, vt constat ex Innocentij eiusd. epist. ad Clerum Constantinopolitanum, vbi ait: se Chrysostomi de exilio suo litteras manu Cassiani accepisse: vt inde constet male Siggebertum in suo Chronico, anno 427. dixisse Cassian. à Chrysostomo eiectum Galliam aduentasse, cum ne Chrysost. exilia ab illo eiusque amicitia potuerit diuelli, sed ipsum potius exulem indiuiduè comitatus fuerit, vt consultius censet Baronius, atque clausula epistolæ Innocentij præfata satis innuitur: quare Galliam, vel Chrysostomi causa ab eius inimicis exulem aduentasse probabilius alij censent; vel vita illo functo sponte illuc venisse: cum ergo Cassianus Chrysostomi addictissimus discipulus, fidentissimusq; fuerit, & sententiæ Cassiani ac verba prope modum eadem Magistri sui amantissimi Chrysostomi sint (vt statim, ac postmodum de Chrysost. agentes videbimus) cum, quæ catholicè prorsus in re præsente omnibus sonant: tum quæ minus catholice aduersariis videntur sonare: certe non alio sensu à Cassiano quam à Chrysost. dicta credi ab æquis rerum æstimatoribus debent. Quo circa Vasquez ex aduersariis solus in iudicio hoc consequentiam tenuit, eandem, quoad præsens, de vtroque ferens sententiam: etsi enim Gelasij memorata sententia Cassiano nociua, & specialis adsit, absoluta tamen eius doctrinæ damnatio non est: nec à consequentia damnationis Chrysostom. in sententiis concordem, de quo non agebatur, non inclusum excluſit. Chrysostomi ergo reuerentia saltim, venerabilis alias, doctrinaq; & sanctitate conspicuus Cassianus ab hæresis Semipelagianæ suspicione videtur liberandus. Atque hac arguendi ratione pro doctrinæ Cassiani puritate afferri possunt, quotquot fausum ab eo errore liberant, inferius referendi: in quibus Trithemius, & Driedo, cum enim vt docte Vasquez cit. disp. 91. c. 9. obseruat, durius Cassiano Faustus loquatur in libris de gratia, & libero arbitrio, quos habemus, quia scripta Fausti generaliter, vt Driedo tr. 2. de captiuit. & redempt. c. 2. p. 7. vel libros illos speciatim, vt Trithemius, Catholica approbant id citius de Cassiani doctrina tenentur sentire.

7. Sed sunt plura Cassiani testimonia, quibus ad omnia bona opera gratia Dei inspirantis, interneque nos vocantis opus nobis esse expresse, & Catholice docuit. Nam lib. 12. de institut. renunciant. c. 9. 11. 17. & 18. ex instituto docet initium vocationis non esse ex operibus nostris, aut natura, sed ex gratia, verba omnia præ multitudine, & sententiæ repetitione tædet referre: Sed hæc tamen, quæ firmum hac in veritate Cassiani animum, atque in errorem aduersum stomachum demonstrant ex c. 16. libri illius præteq; eunda non sunt. *Quam sit igitur ineptum, & sacrilegum, quidquam de bonis actibus nostra industria, & non Dei gratia, vel adiutorio deputare, manifeste probatur Dominica protestante sententia: sine me nihil potestis agere:* capite etiam 19. *Quibus manifestissime perdocemur: & initium voluntatis bonæ nobis Domino inspirante concedi, &c. & perfectionem virtutis ab eo similiter condonari; nostrum verò hoc esse, vt exhortationem, auxiliumque, vel remissius, vel enixius exequamur.* Eandem doctrinam expresse docet, multisque confirmat collat. 3. de tribus abrenunciationib. à c. 10. vsque ad 19. collat. 4 c. 4. & 5. collat. 5. c. 14. & 15. collat. 7. c. 8. collat. 10. c. 10. & 11. Et miraculi sane instar est, nec Prosperum, qui collationes impugnandas, titulo etiam opusculi illius præscripto, suscepit; neque iudicij eius contra Cassianum sequaces horum testimoniorum suis scripsisse meminisset, vt, quoquo illa modo interpretantes, à sensu Catholico diuerterent: quod satis omnibus probare debet Prosperum de præconcepto contra Cassianum iudicio statuendo solummodo curasse, & reliquos ex eius solum sententia potius, quam lectione Cassiani; atque operum ipsius Genuini sensus indagatione Semipelagiani erroris reum egisse. Veniamus tandem ad collationem illam 13. quam attentius legendam Prosper, & inpugnandam suscepit, ac vehementius accusauit: in eius vero capite 3. Catholicam suam, & sancti Augustini sententiam recognouit; in qua, si perstitisset, inquit Prosper nulla Catholicis de integra Cassiani ad rem hanc fide disputatio: immò addubitatio esse posset: sunt autem Cassiani verba. *Quibus manifeste colligitur, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi.* Sed vero in ea sententia Cassianum etiam in collatione illa perseuerasse potuisset facile Prosper recognoscere, & sequentia, quorum ipse non meminit, fatebuntur cap. enim 8. ait. *Adest igitur inseparabiliter nobis diuina protectio: tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, vt non solum comitetur eam, sed etiam præcedat iugiter prouidentia: quam expertus Propheta confitetur dicens: Deus meus misericordia eius præueniet me,* capite 17. *Protector, ac Saluator dicitur, quod prouocat, aduocat, & ignorantes, atque inuitos attrahit ad salutem.* Demum c. 18. non solum eidem sententiæ insistit, verum, & genuinæ sui interpretationi, vbi sonat locutus aduersè, luculentissimam viam indigitat: &, quasi digito, verbis hisce demonstrat. *Idcirco hoc ab omnibus Patribus definitur diuini esse muneris primum, vt accendatur vnusquisque ad desiderandum quod bonum est, sed ita, vt in alterutram partem plenum sit liberæ voluntatis arbitrium.* Subdit etiam boni operis possibilitatem, & perseuerantiam gratiæ Dei esse tribuendam: concludit etiam. *Si autem vniuersitatis Deus omnia in omnibus ordinandus est operari: vt incitet, protegat, atque confirmet non vt auferat, quam semel concessit arbitrij libertatem.* Quæ, cum, non solum in opere collationis toto simul cohæreant à Cassiano, sed in eadem collat. 13. (ex qua, vel maxime ille à Prosp. & sequacibus hæresis Massilienſis accusatus) adeò expressa sint, atque doctrinæ à se libello 12. de instit. renunciat. & reliquis memoratis collationibus consonum, eis Cassianum errorem suum tegere, vel falsitatis inconstantia in diuersa fuisse & aduersa iactatum (vt ex Prosp. Vasq. d. 89. cit. c. 5. & 12. d. 199. c. 4. & Ruiz cit. d. 14. citius de ea inconstantia præfixo tota sect. 5. respondent) periculosum non est: non solum de viro hoc ingenij, & doctrinæ laude cæteris tunc præstante, & Academiæ Massiliensis Scholastico Theologo Magistro vnicè probatissimo (vt Guesnay noster probat) sed nec de bardo, stupidoque homine, qui non ingenij, & doctrinæ inquam, sed vel memoriæ aliquid retinet, nec eius quod scribebat litteræ posterorum diœtionis vix scriptæ obliuio foret. Quod vero alij respondent: his Cassiani sententiis Catholicum sonantibus de externa solum gratia legis, & prædicationis, quam ipse cum Massilien. sib. gratiæ prœuenientis nomine intelligebat fuisse locutum: multis aliis testimoniis Cassiani hinc inde collectis, à Deo fluolum est, vt Ruiz ipse cit. sect. 5. sine inauditum rejiciat, & certe (quidquid de locis illis congestis sit, & de veritate sententiæ, quod prædicatio externa gratia Dei sit: cum illa solum necessaria non asseratur; de quo fusè t. 1. de ente supernaturali contr. 3. de gratia auxiliante) recit. testimonia quæ de gratia internæ vocationis & inspirationis expressa sunt, minime ea solutione euacuantur.

8. Et quoniam recitatis proxime Catholicis precibus Cassiani testimoniis genuina eorum, quæ in ipso scripserat Cassiani sententiæ sonant in Catholicum sensum interpretatio lagianismum sonant in Catholicum sensum interpretatio ostenditur: videamus, quæ contra ipsum ex eius scriptis duriora ab aduersariis producuntur. Primum ex citata collatione 13. quæ Prospero totum in collatorem Cassianum stomachum mouit, repetendum hic est, ea collatione capite decimo tertio ait. *Occasiones quodammodo Deus quærit, quibus humana fragilitas corpore dissolu-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non irrationabilis munificentia suæ largitas videatur; imdum eam sub colore cuiusdam desiderij, & laboris impartit; vt nihilominus gratia Dei semper gratuita perseueret, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus, tantam immortalitatis gloriam inæstimabili tribuit largitate. Dixerat autem c.89. & 12. Dixitque postea c.15. liberum arbitrium facultate, viribusque suis posse præbere salutis initium, credendo, timendo, desiderando, petendo pulsando, per vigilias & ieiunia lib.12. de institut. renunciant. c.14. *Dicimus enim secundum Saluatoris sententiam.* Matth.7. *Dari quidem petentibus, aperire pulsantibus, & à quærentibus inueniri; sed petitionem istam, pulsationem, & inquisitionem nostram non esse conditionem, nisi misericordia Dei, id quod petimus dederit.* Tertium testimonium est ex lib. 6. de institut. renunciant. c.18. vbi ait, gratiam Spiritus Sancti dari; provt se quisque suo labore, & industria dignum præbuerit. Hæ sunt, quæ durius in Cassiano sonant. Cum autem ea omnia idem sonent, neque omnia ex libro collationum sint, sed ex lib. de institut. renunciant. qui eum à Semipelagianismo defendunt quod in lib. collat. non ex propria sententia sed Patrum, qui, iuxta cuiusque inscriptionem in eis sunt locuti, & relatiuè solum scripserit ex parte solum protegunt, quem alia ex parte Censoriis ictibus apertum nudumque relinquunt: suæque quoad collationes adhuc defensioni fidem debilitant; ex his est Henricus Cuychius annotat.1. Censor. in Cassian. qui postremum testimonium de gratiæ iustificantis formaliter in æquitate, provt se quisque ex gratia auxiliante, cui suam adiungat industriam, disposuerit, non absque assensu interpretatur: sed defensio hæc ad secundum testimonium non ita facile extendetur. Præterea, tam secunda hæc quam prima & tertia iam subiicienda interpretatio, & defensio genuinam Cassiani mentem, & legitimam defensionem non assequitur. Tertia itaque interpretatio, & defensio Petri Ziaconij proposit.2. citata est opus per arbitrij nudas, & puras vires elicitum, dispositionem, & causam remotam per accidens, & indirectam esse: quod & Scholastici plures, qui post Arausicanum secundum (in quo de Pelagianorum reliquiis semipelagianis, siue Massilienſibus actum est) immò, & post Tridentinum scripserunt, etiam docent, vt quæst.3. videbimus. Hanc Cassiani interpretationem alij probant: nec video cur non etiam noster Ruiz de Montoya ipsam pro Cassiano sequatur: siquidem hunc sensum de causa per accidens remota, nec actiua, & à nobis data, sed passiua, & à Deo quæsita, vt ait d.16. sect.1 num.8. (vbi Marcum Eremitam obiude à Massilianismi liberat suspicione, & sect.2. multis confirmat) Catholicum reputat: etenim in primo ex durioribus Cassiani testimoniis legerat, & contra ipsum recitauerat. *Occasiones quodammodo Deus quærit*: quin reliqua eius testimonij huic intelligentiæ repugnent: maxime cum ipse sectione citata, numero 5. opera aliqua moralium virtutum, quibus lex naturalis impletur, graui tentatione deficiente viribus naturæ tribuat. Alij respondent: virtutes morales propter naturalem honestatē elicitas promoueri à Deo per fidem, ob honestatem supernaturalem eliciantur. vt autem promoueantur, debent, etsi non meritorie, & influxiuè, ast materialiter vt subiecta promouenda sui promotioni precedere: sed nec in habente fidem diuinam ijdem certum existimant ad actum etiam supernaturalem omnem excitatione Dei per supernaturalem vocationem, & gratiam opus esse. Ac tandem duplex gratiæ, & vocationis excitantis Dei internæ genus esse aiunt: alterum genus, quasi communis, & vniuersalis gratiæ excitantis ad omnem bonum affectum, & conatum nostrum: alterum specialioris gratiæ, atque vehementioris, qua motus excitati per generalem gratiam illam promoueantur, atque hanc in Zachæo, & latrone, & centurione ex fidei per generalem gratiam conceptæ merito recognoscere Cassianum aiunt, in Beato Iob, fideq; Abrahami collat.13. c.14. cuius fidem aliquam, cum inspiratam à Deo negat, eam non ex Dei gratia illa generali habitam censet, sed tantum non esse à solo Deo specialiori gratia, absq; vsu libertatis eius infusam, vt testimoniis iam ex eo c. recitandis significari videtur.

9. Nolumus autem tot ambagibus, atque doctrinis, quæ prolixius Theologicum examen requirunt, sinceram mentem, & genuinum sensum Cassiani, qui satis ab ipso videtur expressus indagari: germaniorem ergo Cassiani interpretationem, & solidiorem eius à Massilianismo, eiusque suspicicione vindicationem eam putamus, quam ipse testimoniis recitatis à n.7. expressit: non solum sententiam negantem gratiæ Dei cuiusvis bonæ nostræ voluntatis, & actus initium, vt ineptam, & sacrilegam rejicientis testimonio primo, ex lib.12. de instit. renunc. c.16. sed & duobus postremis ex collat.13. cap.18. productis: quibus id solum se velle declarauit, non ita gratiæ Dei nostrorum actuum, & operationum honestarum negotium esse tribuendum, quasi nihil in eis de suo arbitrij creati libertas Dei gratiæ necessariæ cooperant, ipsaq; bene vtens apponat. Hoc igitur solum Cassianus oppositis contra ipsum testimoniis durioribus videtur clare contendisse. Atque eam constantem vbique Cassiani mentem fuisse, (missis aliis ex ipso citatis, recitatisq;) collationis illius 13. c.13. (ex quo acrius impetitur) contextus & sequentium capitum textura, & contextura suadere facile videtur. Etenim largitatem gratiæ, cui tribuendæ occasiones Deus quærere dicitur, & colorem, non gratiæ, ex qua necessario præeunte operamur, seu, ex qua prædestinatiua dispositio, atque prædestinatio inchoatur; sed electionis, ad executiuam donationem gloriæ intelligit præ cuius magnitudine merita ex gratia profecta, eiusque bono vsu nostro, & cooperatione parata à Deo nihili habenda sunt, vt tantæ largitatis gratiam non euacuent: id quod ex illo 2.Corint.4. *Momentaneum & leue æternum gloriæ pondus, &c.* patet. Quod autem, non de labore, & merito è puris arbitrij viribus, sed ex gratia etiam Dei nos iuuante, & cooperante nobis ad gloriæ tantæ meritum, quantulumcunque illud, agat his plane ostendit. *Idcirco prædictus Magister gentium, licet gratia Dei Apostolatus gradum sortitum se fuisse testetur; tamen, se quoque diuinæ respondisse pronunciat dicens: & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laborauí; non autem ego, sed gratia Dei mecum*, vti agens scilicet omnis mei laboris principalius. *Nam, cum dicit laboraui conatum proprij signat arbitrij: cum dicit: non autem ego, sed gratia Dei, virtutem diuinæ protectionis ostendit: cum elicit mecum, non otioso, neque securo, sed laboranti eam cooperatam* (non subsequutam) *fuisse declarat.* Cum ergo aliis omnibus Præcellentes Pauli conatus, & labores ipsos, & Cassiano atque omnibus fatentibus, ex Dei gratia fuerint, nec, nisi ex illa, ipsique cooperatione arbitrij Pauli potuerint prouenire, atque in eis conatum, cui gratiam tantæ largitatis, præ sua magnitudine gratuitæ, ex Pauli sententia Cassianus asserat, tria de huius mente in eo textu apparent. Primum non agi ibi de electione ad primam gratiam vocationis, sed ad gratiam retributionis gloriæ: secundum agi de meritis solum ex gratia partis. Tertium, nullum aliud meritum, aut conatum voluntatis nostræ, *quod exigi, vel expectari* initio dixerat, ibi à Cassiano recognosci, quod ex sola arbitrij facultate ad gratiam vocationis præcedat; sed solum, quod gratiæ Dei præuenienti cooperetur, quod ipsum ex dictis à se c. 12. persequi se Cassianus ipse c.13. profitetur ita illud inchoans. *Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus* (nullo vtique excepto) *adiuuat.* Quare: quod statim subiungit conatus nostros Deus *exigit & expectat*, non de expectatione vt gratia donetur, ac sit, sed vt nobis cooperetur, quæ iam est *vt in omnibus cooperetur*, intelligi potest ac debet: cum alioqui in illis, quæ ipsam præcedant bonis, non cooperaretur: quare solum vult nouita gratiam Dei solam bona in nobis operari, vt arbitrij in eis edendis non expectetur vsus, c. vero 14. hanc suam sententiam vlterius multis confirmat exemplis, in Beato Iob, primum ab illis verbis. *Si enim contra inimicum non sua virtute sed Dei solius fuisse gratia protegente* (cui proinde arbitrium Iobi nullatenus cooperaretur) *congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ diuinæ tantum opitulatione suffultus* tot Diaboli tentationes superasset, adhuc inquit, querelæ Sathanicæ. *Numquid Iob frustra timet Deum?* Sed auser manum tuam locus esset, sed, cum non iteretur, *non Dei* (vtique solius) *sed illius viribus se victum Sathanas confiterur.* Addidi textui huic illud *solius*: tum, quia erat in 1.p. textus, quam è Sathanæ silentio probat: tum, quia infetiusculæ virium Iobi ex protectionis diuinę explicatione à se subintellectum probat

his verbis. *Non eum ab illius*, Sathanæ, *impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum.*

10. De fide item centurionis elogium Christi Matthæi 8. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* In eundem sensum sic expendit. *Nullius enim laudis esset, ac meriti; si id in eo Christus quod ipse donauerat,* (solus scilicet, & in totum, nullo arbitrij centurionis cooperantis vsu, industria, atque interuentu: neque enim adeo rudis Theologus, hebesque Cassianus, vt industriæ arbitrij nostri, & cooperationi gratiæ, qua præuenimur, atque à Deo iuuamur suam laudem meritumque non agnouerit) *prætulisset; alioquin dixisset, non dedi tantam fidem in Israel*: quo solum sensu cap. 13. & anteriori textu huius capitis 14. à Cassiano expresso, à nobisque parenthesi proxima explicato, vim, & veritatem Cassiani aduersatiua pars extrema habet: immo sensu alio, ne apud Bardum quempiam, verissimilitudinem habere poterat, vt eam proferre, scribereque suo nomine auderet: siquidem fidei, operisque cuiusvis è libertate arbitrij nostri cooperantis gratiæ, & vocationi Dei donatio à Deo non formaliter in se, sed *in radice congruæ vocationis*, iuxta Augustini phrasim, non ita à Deo donatam fidem, & opera nostra, vt nihil in eis laudis, & industriæ nostræ adeo inueniatur, vel rudi alicui Theologo sonaret: ex contextu eodem, & explorata mente, & intento Cassiani in aperto est Catholicissimus sequentis infra propositionis sensus de fide Abrahami ad id Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham*, vbi ait. *Non enim illam fidem, quam ei Dominus inspiraverat, sed illam, quam vocatus semel, atque illuminatus à Domino per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iustitia. Vnde non immerito fidei eius constantia comprobatur, &c.* Vbi duplicem fidem Abrahami alteram supernaturalem ex Deique gratia ortam, quam Deo *inspiratam* vocat: alteram vero ex solis viribus naturæ, & arbitrij libertate profectam, & cuius merito laudaretur agnitam assertamque à Cassiano eius aduersarij contendunt: non attendentes. Secundam hanc Abrahami, quam dicunt, ex viribus arbitrij solius ortam textui aperte repugnare: cum eam esse dicat, *quam vocatus semel atque illuminatus à Domino per arbitrij libertatem*: supposita nimirum Dei vocatione & illuminatione, quæ nil aliud, quam interna vocatio, & illuminatio gratiæ est *poterat exhibere.* Est igitur germanus sensus, mentique, & sententiæ quam Cassianus pergit conformare confirmis: in fide, quam Deus absque arbitrij gratiæ cooperantis libertate Abrahamo infudisset, nihil esse, quod Deo probaretur, ab eoque à Deo laudaretur, neque in eius subueniente gratia Dei perseuerantia. Rursus eidem sententiæ suæ inferius insistens ad id Deutron. 13. iuxta lectionem Septuaginta interpretum. *Si surrexerit inter vos Propheta*, &c. ait: *Quid ergo, cum istum Prophetam, aut somniatorem surgere permiserit Deus, itane eos, quorum fidem probare disponit, protecturus credendus est, vt nullum penitus locum, quo suis viribus cum tentatore confligant, libero eorum reseruet arbitrio?* Inferius vero id 1. Corinth. 10. *Qui stat videat ne cadat*: his ponderat. *Sollicitam reddit arbitrij libertatem, quam vtique nouerat percepta gratia, vel stare per industriam, vel cadere per negligentiam posse*: pende *percepta gratia*, non vtique absque illa totumque, ac solum in 14. & 13. intentum fuisse: non ita nos gratia Dei toties à se, ad quodvis bonum opus, & salutis initium catholicè prærequisita, præueniri, vt nihil ad bonum eius vsum, vel abusum potestatis arbitrio nostro relinquatur, his collectim, & per summam concludit. *In his igitur omnibus approbatur: ita semper diuinam gratiam propriis eum conatibus congredi aduersum spiritales faciat inimicos, vt non etiam propriis eum conatibus congredi aduersus spirituales faciat inimicos: in quibus, vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem suam superatus intelligat: & ita discat, non de sua fortitudine, sed de diuino semper sperare suffragio, atque ad suum iugiter recurrere Protectorem.* Huius interpretationis veritati, & ingenuitati fidem faciunt innumera eius loca recitata, maiorique ex parte, vitandi tædij causa, citata numero 7. quibus expresse gratiæ Dei tribuit cuiusvis boni nostri operis initium.

11. Sed quid inquies de Prospero illum Massiliensis erroris reum agente: de Gelasio Papa eius scripta damnante: de Celestino Papa eundem re super hac fugitiua epist. 1. ad Episcop. Galliæ: pro Prosperi, & Hilarii, & Augustini doctrina. Quid demum de tot eruditissimis Chronologis: immo, & Scholasticis suspectum, vt minimum illum Semipelagianismi habentibus, dicendum erit? Et de Prospero, cuius authoritate reliqui de Semipelagianismo suspectus Cassianus fuit, vidimus, quam acriter Gennadius conquestus fuerit, quod innoxium non famauerit. Bellouacense, & S. Antonino querelas tacite approbantibus, & S. eodem Antonino è sua, & Illustris Ioan. Dominici sententia scribente: quod scripta Cassiani curfim, & superficialiter legerit: cum ea eo sensu intellexit quo illa impugnauit, quæ in bonum pœrius, & Catholicum sensum posset intelligere, vt graues alij Doctores interpretati sunt, & accurata nostra interpretatione num. 10. & 11. monstrauimus. Sed Prosperum Catholicæ veritatis contra errorem Massiliensium Presbyterorum plurium zelo contra Cassiani collationes scripsisse certum omnibus est: atque ea, quæ carpit in deteriorem sensum, tametsi non genuinum, neque examine accurato intelligendi non omnino imprudentem excogitationem tunc temporis habuisse. Tum, quia illorum omnium, etiam sapientiorum, Magister Cassianus habebatur, cuiusque proinde sententiis præposterè inelectis, tanquam spectatissimæ in Ecclesia authoritatis, & doctrinæ viri Presbyteri illi se protegerent: quare eas fecisse, quo ab eius discipulis vsurpabantur, & accepisse, & impugnasse, nulloque alio examine earum attentiore præmisso contra illum, vsque ad probra, scandalique ruinam non est. Neque enim primus ex Catholicis fidei Propugnatoribus humanum id passus est, nec postremus. Exio enim, Catholicæ fidei acerrimo contra Lutherum propugnatori, idem in Tauleri scriptis damnandis, quod aliquot eius sententiis detortis suum errorem Lutherus confirmaret, accidisse animaduertit Ludouicus Blosius in defensione Tauleri verbis hisce. *Taulerus Catholica fidei cultor integerrimus ea, quæ scriptis sana, & plane diuina sunt, vt cognoscere possunt, qui in illis sunt versati. Sed Ekius ardore Ecclesiæ succensus indigne tulit, quod Lutherus magnifice laudaret Taulerum, & sententiis suis prona dogmata confirmare niteretur*: infra. *Ekius non putans se falli dicit: vtinam Taulerus prorsus latuisset, & non euolaret in monasteria; ego vero in nomine Domini dico: vtinam Taulerus vbique gentium cognitus esset, atque à compluribus diligentissime legeretur: verum Ekius, [illegible] minus circumspecte damnauerit Taulerum, nondum à studiosè lectum: nequaquam tamen maligne fecisse credendus est; sed feruens ille zelus, quo inuehebatur in Lutherum facile illi persuasit, vt præpropere inieuam de sanctissimo viro Taulero sententiam ferret.* Quæ sane excusationis, Doctorem quemvis Catholicum, Sanctumque, & doctrina præstantissimum decens, ratio sancto Prospero multo est decentior: cum Cassianum Massiliensium Presbyterorum, in aliis omnibus Ducem, & Magistrum esse certò nosset: atque Presbyteros illos non, nisi ex Magistri mente, eius testimonia producere, nec leui fundamento credidisse censendus Prosper sit: vt reliquum mentis eius examen impensius imprudenterque omiserit, erroris eius illum egerit reum, atque aperta illa huic errori aduersa, quam solam legit sententia Cassiani inconstantiæ ipsum argueret.

12. Cum autem reliqui eius erroris, vel reum, vel suspectum Cassianum agentes Prosperi, vel maxime, vel vnice authoritate, & sinistris interpretationibus nitantur, ex dictis ipsorum suffragia fundamenti eius coercione subruunt, & concidunt. Ad illam librorum Cassiani inter apocriphos relationem à Gelasio Papa citato capite *Sancta Romana*, Respondetur ex glossa, Antonin. 2. p. histor. tit. 17. cap. vn. §. 18. Archidiacono Cotarro. 4. p. decret. cap. 17. numero 1. Driedo de Catholicis institutionibus sacræ scripturæ c. 4. fol. 21. ex Hugone de S. Victore, & lib. 4. de dogmatibus fol. 209. pag. 2. apocrypha appellari dubiæ, nondumque exploratæ ab Ecclesia fidei, & authoritatis, vt in Ecclesiasticis lectionibus vsurpentur: sicuti vsurpari Patrum aliorum, non ita Notatorum solent: quin absolute erroris damnentur, vel suspicionis de illo eis nota absolutè feratur: eorumque priuata subinde

subinde lectio licita cunctis manet solumque suspensa ipsorum in maturius examen, authoritas, quæ Prosperi sententia, & libro contra collatorem euulgato fuerat in dubium vocata: sed inquiunt Celestinum Papam epistola pro Prospero, & Hilario, & Augustini de gratia doctrina, quam illi propugnabant, scripsisse compescendam esse quorundam Presbyterorum audaciam qui Augustini doctrinæ de gratia obloquebantur: qui haud dubiè Massilienses erant, quorum præcipuus, & Magister Cassianus fuit, & contra quem Prosper ex instituto scripserat pro Augustiniana doctrina. Cæterum, etsi eorum Presbyterorum præcipuus, & Doctor Cassianus fuerit, nusquam tamen doctrinæ de gratia Augustinianæ oblatrauit, neque eius, dum sua scriberet, meminit adhuc: quare ea Celestini sententia non tangitur. Maxime, cum constet Vincentium quendam Massilienſem Prebyterum Vincentianas quasdam contra eam Augustini doctrinam scripsisse obiectiones, Prosper opusculo integro respondit, atque alios Presbyteros Massilienses capitula quædam contra eandem Augustini doctrinam de gratia collato studio & ex communi ipsis sententia composuisse (in quibus Cassianum fuisse, nullo fundamento, aut probabilitatis specie asseri poterit) contra quos etiam Prosper scripsit librum quem *ad capitula Gallorum* pro Augustini doctrina nominauit: cum ergo exploratos doctrinæ Augustinianæ hostes, & cum Propero super ea certantes habeamus, eoque charactere Celestinus eos, contra quos scribebat notauerit: Plagiarorum more, & vitio, quempiam alium ad eorum numerum trahemus: eo solum quod Presbyter Massilienſis fuerit, eove etiam nomine, quod reliquorum Presbyterorum Massilienſium fuerit ingenio, & doctrina præstantissimus, atque Academiarum Scholasticus primipilus, ac de cætero Magister: cum nihil eius doctrinæ exploratum in suis scriptis reperiatur, vt vidimus, nec aliqua vsquam cum Prospero super Augustini doctrina concertatio, in qua à Prospero, & Hilario victus declarari à Celestino posset. Accedit Cassianum libris de Incarnatione vbi apertum, non solum Nestorianis, sed & Pelagianis bellum indixit, hanc etiam Semipelagianam hæresim, Pelagianæ reliquias scilicet, acriter insectatum esse. *Eam* dicens, *venenosam certi erroris, incerti nominis, nuper in diebus nostris ortam*, vt bene obseruauit Guesnay noster lib. 1. Cassiani illustrati c. 64. num. 11. sub cuius finem hæc ex Cassiano etiam recitat, ita scribens. *Nunc quod paulo austerius dicere capimus exequamur: vt omnes sciunt in Pelagianis cineribus ignes quærere te, & nouis Sacrilegiorum flatibus fauillas veteres excitare.* Cineres autem erroris Pelagiani non error ipse, sed eius reliquiæ, Semipelagianus error, vocitatus à suo exordio fuit: nec nouus flagitiorum flatus fauillarum veterum error ipse Pelagianus dici vsquam potest. His forte deceptus Baronius, & alij libris de Incarnatione Semipelagianissimum à Cassiano retractatum crediderunt; quem potius ab ortu suo illi inuisum probant.

13. Ad Historicos: ex eorum, quoad rei huius historiam, varietate, inconstantia, & contradictionibus notatis num. 4. & 5. claret, testes varios esse, nec fidem facere posse, suamque ex Prosperi iudicio, inlecto Cassiano sententiam dixisse. Quod, & Scholasticis Cassiano aduersis euenit, qui, si attente, ac sine damnationis præiudicio, vt nos fecimus, Cassianum legissent, aliam forte de eius scriptis ferrent sententiam. Nec dubium est, quin illustres illi tres sacris infulis insigniti Dominicanæ familiæ primi Magistri, & primores, in Cassiano & Prospero versatissimi, aliorum historicorum, & Scholasticorum iudicio lancem, vt non deprimant, æquent. Nempe Ioann. Dominici Rhagusæus Archiepiscopus, S. Antoninus Florentinus, Vincentius Bellouacensis Præsul. Quibus, si Eucherium Lugdunensi, Episcopum, vi ctorem Episcopum Martyritanum opera Cassiani, & sententias omnes, non approbantes modo, sed pro commodiori fidelium vsu in Epitomen redigentes, vt vidimus, Gennadium Massilienſem Episcopum, ac Leonem Papam addideris defensionis Cassiani lancem præponderare videbis. Nec æstimo accurata nostra textuum difficiliorum, & contextuum meditatione, & interpretatione, (cui antecessores nostri, dictis aliorum referendis, computantisque solum contenti, non incubuerunt) eleuandam: id autem laboris suscepi, tum, vt de more non aliorum sententias transcriberemus tantum, dum nostram scribimus: tum, quia in aliorum censuras sumus semper charitatis lege difficiles, atque in aliorum doctrinis ea quibus excusentur, inquirimus, non quibus damnentur (quod Cassiano Doctissimo suæ tempestatis, sanctissimo viro, communi tunc, & post hac, monasticæ, atque Euangelicæ perfectionis Magistro, vel maxime debetur) tum quia in omni republica meliorem innocentiam æstimo, quam correctionem. Præsertim, cum eius hominis delicta erroresque sunt, qui præ sua excellentia, & amplitudine errandi, ac delinquendi facere authoritatem, nec solum exemplum, possint: nec pudeat prorsus imitari, quod in præclaris viris admissum conspicitur: ac non obscuro loco nata fœditas venditetur: quæ conspicuos adeo Parentes possit iactare fidei ergo, vt non veritati, splendori consulere illum reor, qui Patrum, præstantiumque Doctorum, vbi erroris aliquid sonant, ita textum contextumque rimatur, vt Catholicum eorum sensum ibi adinueniat, &, quantum veritas patiatur, in apertum producat, idque etiam præfidij hæreticis auferat, vt nudos prorsus illos, atque inermes Doctores Catholici adoriantur: id nobis tam prolixi laboris in causa fuit, vt perpensis cunctis, quorum pleraque, non ita ab aliis inspecta minutatim fuerant, docti alij cum plena, vt aiunt causę Cassiani notitia sententiam ferant, quod ipsum de Patribus aliis iam præsto.

CERTAMEN III.

Aliorum Patrum circa Semipelagianissmum sensa eruuntur.

1. GRæcos Patres ante hæresim Pelagij: quare, & Massilienſium, exortam, nedum examinatam atque damnatam, humani aliquid passos Catholico animo Semipelagianis præluxisse Doctorum virorum sententia est: & Clemens Alexand. 7. stromat. ac Cyrillus item Alexand. 3. contra Iulianum à Theologorum, quos viderim nemine excusantur, sed in Semipelagianissimum lapsi citra disputationem creduntur, eorumque sententiam amplexatus Chrysostomus iudicatur ab Arnobio præfatione in eius opera, Molina in concordia d. 41. Vasquez 1. p. d. 89. c. 4. & 91. c. 8. ego vero, vt de Clemente, & Cyrillo iudicium tantisper differam, Chrysostomum, ne materialiter quidem ad Semipelagianissmum impegisse censeo cum Sixto Senensi 5. Biblior. suæ annot. 102. Soario 1. p. c. 2. de prædestinatione c. 8. qui accurata sua in Chrysostomo vindicando opera plerosque Recentiorum subscribere fecit. Mouetur: quia homil. 28. in Genes. Dei gratiam *præuiam* vocat. Sed nihil ibi firmum, cum de gratia externæ protectionis per impedimentorum remotionem, quæ nostræ industriæ, & arbitrij libertati non subiacet, expresse loquatur illud sane firmius ex homil. 38. affert vbi Dei gratia *preces nostras semper præuenientes* à Chrysostomo dicitur & homil. 12. in 1. ad Corinth. ad id, *quid habes, quod non accepisti*, ita scribit. *Acceptum habes non hoc, aut illud, sed omnia, quæ habes. Nom enim hæc rectè facta tua sunt* (principaliter nempe) *sed diuinæ gratiæ etiamsi fidem dicas*, (in qua Semipelagiani aberrarunt) *ea extitit ex vocatione.* Adde homil. 28. in Matth. sic fatum. *In gratia Dei totum possumus, sine gratia autem nihil*, & sane cum Catholica contra Semipelagianam doctrina in Pauli epistolis, qui ipsum interpretati Chrysostomo commentaria in autem insusurrasse legitur, & creditur, id doctrinæ suæ momenti tanti ad fidem de gratia Christi reticuisse, neque voluisse inspirare, vt labi Chrysostomus posset, non videtur credibile: maxime cum constet ad locum Pauli citatum totam Pauli sententiam fuisse à Chrysostomo penetratam. Aliis argumentis, & coniecturis nostri Soarez, & ex epist. Celestini ad Episcopos Galliæ, vbi semipelagianum Massilienſium errorem *pernicioſam* appellat *nouitatem*, (quæ, si Græcorum Patrum,

& Chrysostomi sententia fuisset, nouitas non foret) & ex damnatione eius erroris anticipato, (vt inquit Augustinus epist. 106.) à Græcis Patribus in Concilio Palæstino (quod nusquam fieret, si Græcorum Patrum sententia fuisset) satis probabiliter respondebat Magister meus Daza: Nouitatem in Ecclesia latina rectè dici potuisse, cum à Massilienſium tempore illo audiri in illa cœperit; atque absolute in Ecclesia tota: quia eo vsque à nullo, adhuc Patrum Græcorum, fuerat ex instituto asserta, sed ab vno, vel altero obiter, & aliud agente cursimque posita, vnde & ad coniecturam ex Concilio Palæstino eius erroris damnatione petitam solutio est procliuis: cum nondum esset paucorum illorum Patrum sententia euulgata, & recognita: vt mittam Patres ad iudicia in Conciliis ferenda, non tam ex suis, & aliorum sensibus, necdum ab Ecclesia discussis, quam Spiritus sancti inspirationibus, & motibus agi.

2. Ego itaque vt Chrysostomum ab erroris Massilienſium, materialis etiam, suspicione liberem recitatis testimoniis, & ratione prima ducor, ac insuper ex datis vindiciis Cassiani: cum enim Cassianus sapientissimus, addictissimusque in omnibus doctrinæ Chrysostomi fuerit, ideoque licitum esse quandoque mentiri in collatione 17. Abbatis Ioseph. c. 12. & 17. significauerit, quia id docuerat Chrysost. 1. de Sacerdotio fine & homil. 32. & 57. in Genes. & epist ad Olympiam ex eodem sensu, quo Cassianus, circa gratiæ præcedentiam iudicasse credendus est: ibi etiam vbi aduersum aliquid videtur locutus; obinde in Cassiani Catholico sensu indagando, & ostendendo Chrysostomi negotium præcipuè agi supra monebam: sunt etenim discipuli & Magistri locutiones simillimæ, & quæ subinde nequeant concordate in sensu diuelli: immo vero durius aliquando Chrysostomus loquitur, vt, nisi ex præsuppositæ sententiæ cum Cassiano discipulo communitate, & data à nobis explicatione vix, ac ne vix quidem, in sensum Catholicum trahi Chrysostomus possit, vt ex sequentibus clarebit: ait enim homil. 12. in epist. ad Hebræos. *Deum non præuenire nostram voluntatem, ne tameret libertatem.* Respondet vero Soarius præuenire idem ibi valere ac physice prædeterminare, vt in Damasceno, dum Deum non præfinire actiones nostras liberas legimus, de prædeterminatiua physica prædeterminatione intelligimus, non autem alia Soaristica benigniore, sed hanc sententiam à Damasceno negari Vasquez & nos facile contendimus & probauimus. At contra interpretationem Chrysostomi instat Magister meus Daza: quia illis ipsis locis, quibus Soarez eam confirmat, ait Chrysostomus Deum gratia sua nos præuenire, vbi non loquitur de præfinitione physice prædeterminatiua sibi scilicet contradicens: esset autem bardi cuiusdam, aut fallacis hominis æquiuocatio eisdem ipsis locis verbum idem, iam vno, iam alio sensu vsurpare: sed ex instantia hac genuina Chrysostomi, & Catholica sententia obiecto, ac similibus locis, deprehenditur. Nempe Deum voluntatem, & operationem nostram non præuenire se solo illam operando: quin etiam suas partes, & primas physice (tametsi non principales, & moraliter primas) in libere operando voluntati, gratia etiam sua præueniente (vt præueniri ibidem admittit) relinquat; alioqui voluntatis, & operationis euerteretur libertas: quam gratiæ præuenientis assistentia, & cooperatione seruandam Cassianus ex Chrysostomi Magistri doctrina aiebat. Nec fallit Chrysostomus eum eadem voce iam asserit, iam negat: ex anthitesis enim vicinitate alio se, atque alio eius significatu eadem voce, vti monet, atque explicat satis. Dixi autem voluntatem gratia præuentam primas physice in operando partes, & si non præcipuas, & moraliter partes habere, quia determinatione tota sua physice, gratiam sibi à Deo præstitam, vt ad opus bonum ex parte actus primi compleatur, ad opus exequendum, atque operationem identicam secum trahit; tametsi, quia gratia ex congruitatis eius scientia à Deo donatur, præcipuum agens: & cui opus ipsum, principaliter in morali æstimatione debetur, haberi prorsus debeat, Deoque subinde donatori in radice congruæ vocationis, vt August. & Theologi Catholici docent, attribui.

3. Inde difficillimi, durissimique testimonij ex Chrysostomo homil. 17. in Ioann. pars prima à nullo eius vindice emollita facile expediretur: sic autem ait, *Deum suis in nos beneficiis nostras non præuenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse.* Voluntates quippe non in actu primo, sed in actu secundo pro earum actibus liberis, & in actu secundo vsurpat, & in eis iuxta proximè dicta primas physice partes nos, arbitriumque nostrum habere, atque eo sensu à nobis incipiendam esse certissimum est, gratiámque operationem voluntatis cooperando exercitè non præuenire, sed sequi potius determinationem voluntatis & arbitrij, cui in operando subditur, & quo trahitur ad identicam cooperationem cum determinatione qua trahitur: sed hanc solutionem ipse conuertus, secundaque testimonij eiusdem pars, quæ primam explicat, apertissime videtur excludere: subdit enim continuo Chrysostomus. *Sed cum nos prompti paratique animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones*: siue vt homil. 12. in epist. ad Hebræos ait. *Tum multam affert auxiliationem.* Dixit autem hæc Chrysostomus pendens interrogationem illam Christi Domini quid quæritis ad duos Baptistæ discipulos Andræam, & socium, qui eum audito de ipso Baptistæ testimonio statim sunt secuti: & quorum proinde bonam voluntatem, & desiderium inuitaret. Bonum vt postmodum salutis occasiones, siue auxiliationem multam suæ gratiæ offerret: quare incipiendum, quam ex nobis ad beneficia, & auxiliationem Dei ad salutem præcessuram dixit, physicum per actum diuersum ab eo, qui ex Dei auxiliatione procedit, ac prouide ex nobis solum, & viribus naturæ profectum videtur asserere, non autem præcedentiam illam subtilem scholasticam operationis eiusdem, prout à nobis, & prout à gratia, quam arbitrij nostri determinatio ad cooperandum identicè trahit. Testimonij difficultatem professus initio fui: cum autem videam Chrysostomum toties necessitatem gratiæ præuenientis quodvis nostrum bonum opus agnouisse, asseruisseque sibi nunc illum & sibi & veritati Catholicæ à se ex Paulo cognitæ repugnasse credere non possum. Censeo ergo Chrysostomum hic inceptionem ex nobis, neque ad primam gratiam quamvis, neque ex solis nostris, & arbitrij viribus intellexisse, sed ad multam quandam, seu magnam Dei auxiliationem, & beneficia grandiora, ad quam merita priora, non ex naturæ solum viribus, sed ex gratia, & beneficio, non adeo in se magnis, & ingentibus profecta inordinata prouidentia, etiam supernaturali præcedunt: id fundet mihi materia textus, quæ erat de Andræa, & ignominiat alterius Baptistæ discipuli ex Magistri sui testimonio de Baptismo Christi in Spiritu sancto Christum sequentium quos ipse ad Apostolatus culmen euecturus erat, atque euexit: eos vero ex Dei gratia interna Christum fide secutos, ac desiderium Baptismi in Spiritu sancto, quem à suo Magistro audierant, de quo à Christo Domino interrogabantur, concepisse, non negat ibi Chrysostomus immo vero, vt non asserat expresse, supponit: dum ex Ioan. Baptistæ testimonio quosdam ex eius discipulis Christi moribus & doctrinæ oblatraſſe; hos vero duos Christum, eiusque doctrinam fuisse statim secutos ait; quo differentiam internæ motionis, & vocationis antemationi testimonij, & prædicationis Baptistæ in his præaliis adiunctæ, manifeste recognoscit, atque de duobus sequentibus ait illico Christum secutos: vt offenderetur nullo eos humano motiuo, incitamento, (ac hi discerent solo diuino) repente audito Magistri testimonio illum sequendi sanctam determinationem concepisse, Chrysostomi verba sunt. *Maximum autem argumentum est recta eos mente secutos, quod nullo horum* (suspicium enim fuisset) *sed solo auditu, quod in spiritu sancto esset Baptizaturus sequuti sunt*: quæ interpretatio germanior mihi visa est, illa, quam dedit Sixtus Senensis Bibliot. annot. 101. quod scilicet Chrysostomus de gratia subsequente, & habituali loquatur, dum gratia nos præueniri negat.

4. De reliquis vero primoribus, & quasi Principibus Sanctorum Patrum, Damasceno, Cyrillo Alexandrino (etsi qui similes alij ex Græcis in Semipelagianismi suspicionem vocantur) tametsi eorum defensio à plerisque deperetur, censeo tamen illos nullatenus Semipelagianismo, & Massilienſibus præluxisse; licet hi se eorum testimoniis protexerint, & citata loca eum errorem sonent.

Mouen-

Moueor: quia, vt vidimus tom.1. de Deo vno controu.3. d.1. q.2. vbi de Patrum circa prædeterminatiua decreta Dominicanorum Recentiorum sententia egimus, eorundem Patrum testimoniis plurimis ostendimus recte eos de indifferente arbitrij nostri gratia etiam à Deo præuenti, potestate docuisse, atque nostræ libertatis cum efficaci Dei gratia percaluisse concordiam: quare eos, vt humani arbitrij seruarent libertatem gratiæ præuenientis ad quodvis bonum opus necessitatem negasse credibile non est. Maxime cum ijdem omnes gratiam prædestinationis, & vocationem secundum propositum misericordi, gratuitæque Dei voluntati vbique tribuant, & magnifice commendent: quare eos gratiam in totum arbitrij nostri opera ita præuenientem, vt in eis edendis suas ipsi partes non relinquat, quas habere recitatis ibidem locis asserunt, & contendunt solummodo negant, quo etiam pacto explicandus venit Marcus Eremita sanctitate, doctrina, & miraculis illustris tom.5.alias 3.Biblioth.Patrum lib.de paradiso & lege spirituali in Prœmio scribens. *Iubet Deus, vt homo in primis cognoscat, & , cum cognouit, amet, & voluntatem depromat: vt autem mens exerceatur, laborem perferat, vt autem opus aliquod perficiat gratia Dei largitur volenti, & credenti: quare voluntas hominibus est, velut auxilium à natura insitum, qua absente, ne Deus quidem, quidquam operatur, tametsi facultate non caret: quod fit ob humani arbitrij libertatem, igitur operis perfectio Dei est, voluntas autem hominis*: quibus Dei, eiusque gratiæ operis perfectionem siue operæ perfecta solum videtur tribuere, bonum vero affectum hominis voluntati & arbitrij viribus, quas Dei auxilium naturæ inditum appellat: vtrumque vero Semipelagianum explorato est. Sed tamen non auxilium, vt Semipelagiani, sed *velut auxilium* improprietatem loquendi denotans, dixit, consequenter ad ea quæ anterius dixerat: Deum facultatem bene operandi nobis tribuere, ab eoque semper in virtute præueniri, nunquamque ipsum à nobis, adhuc in bona voluntate ex Pauli sententia, *ipse est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*: & superius paululùm ex 1.Cor.12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto*, dixerat, *quomodo quis orabit nisi in Spiritu sancto?* & sub opposita verba, exemplo ferri arte facti scindentis, non suo: sed artificis impulsu, subdit. *Hunc in modum homo, licet exerceatur, & laboret operans, quod bonum est, Dominus tamen clam in ipso operatur*: & sub primo capitum titulo c.1. *Primum omnium certo scimus Deum totius boni esse authorem, cum principium, tum medium, tum finem porro impossibile esse nos, quidquam boni, facere, aut credere, nisi per Christum Iesum, & Spiritum sanctum omne bonum à Domino gratuito nobis datum est*. Vnde inferius de bonis operibus gloriandum nobis non esse sæpe deducit c.4. *Omnis virtutis initium, & Auctor Deus est: vt Sol diuini luminis*, in quam sententiam sub titulo 2. c.2. & 56.& 154.frequens scripsit: cæteros Patres, cum Græcos, etiam Damascenum & Cyrillum, & aliquot Latinos, qui aliquando Semipelagianismo videntur adsonasse multa eruditione ab eius suspicione liberat noster Ruiz d.28. fere tota, quæ omittimus breuitatis causa: quia reliquis Patribus de errore Semipelagiano lis intentata non est. Denique Augustinus aliqua, aliud, vt ipse ait agens, quæ videntur Semipelagianismo præluxisse, & quibus Massilienses pro se Augustinum, eiusque Asseclas Prosperum, & Hilarium redarguebant, vt constat ex obiectionibus Vincentianis, & capitulis Gallorum. De eis tamen nihil agendum hic est: tum, quia, quæ bonum, & Catholicum sensum habebant, retractauit ipse 1. de Prædestinatione Sanctorum c.3. & 1. retract c.23. pleraque, quæ autem bonum capiebant sensum, explicuit, tum per se, eis libris & rescriptis ad Prosperum, & Hilarium, tum rogatus per Prosperum, ad obiectiones Vincentij, & Gallorum capitula.

5. Orto verò iam Massilienssium errore, eisque ab Ecclesiæ Patribus bello indicto eius defensores Patres aliquot notantur, quorum hic etiam causam examinare oportebit. Primus accusatur Gennadius Episcopus paulò post Cassiani doctrinam Catholicam immerito diffamatam à Prospero dixerit recitatis supra verbis certam. 2. ex suo libro de scriptoribus Ecclesiasticis, cum tamen Cassiani doctrinam de gratia & libero arbitrio doctrinæ Prosperi contrariam his immediatè subnexis fateatur. *Re enim vera Cassiani, & Prosperi de gratia Dei, & libero arbitrio sententia in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ*. Cum tamen Prosperi ea de re doctrina, cæterorum cum quibus pugnabat doctrinis, vtpotè ad purum Augustiniana, & Patribus conformior à Celestino, aliisque summis Pontificibus prælata videatur. Baronius, Gordonius, & Gualterus, Gazæusque ita de illo censent, licet, cum illum Massilienssem Episcopum factum post modum videant, cum iam male error Massiliensium in Ecclesia audiret, duo primi tunc iam ea suspicione liberatum esse aiunt, cum in Episcopum assumptus est: sed rogare illos vellem vnde tunc illa fuerit suspicione Gennadius liberatus? An retractatione erroris prioris, de ea quippe nullum est in eius ætatis monimentum. An, quia male fundata contra ipsum suspicio collapsa est? Id credo: sed inde nunquam illum Massiliensibus consensisse demonstratur, vt censet Soarius Prologomen.5. de grat. c.5. num.35. cui ego subscribo, ex Platina etiam, qui in vita Symmachi Pap.eum diligentem Augustini imitatorem appellat, & authorem libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui Augustini nomine circumfertur, fuisse iudicat: & Adrianus Papa epist.1. ad Carolum Regem, quæ est 3. tom.1. epistolarum Pontificum pag.737.cum Sanctum, & Catholicum appellat, & cuius proinde testimonia, tanquam magnæ in Ecclesia à Prædecessoribus Pontificibus, & Conciliis fuerint recepta, atque ex vsu pro suis dogmatibus constituendis: quare eorum exemplo pro sanctarum reliquiarum veneratione, de qua ibi Adrianus scribit, Gennadij testimonia producens ait: *In sacris prædictis Conciliis prædecessorum meorum Sanctissimorum Pontificum hæc oblata sunt testimonia*. Quod si aliquam Pelagiani, seu Massilienssis erroris suspicionem Gennadius aliquando incurrisset minime fieret: à Prospero autem non satis æque intellectum Cassianum Gennadius queritur, & immediate ait: re enim vera illos dissentire: tum, quia dissensus vera causa, non æqua Cassiano Prosperi interpretatio, fuerit: vnde Celestini ad Episcopos Galliæ pro Prospero, & Hilario contra Massilienses approbatio Gennadij doctrinam non tangit: vt supra de Cassiano dicebamus.

6. Faustum Rhegiensem erroris eiusdem reum agunt Ioan.Magentius, & Petrus Diaconus, & Fulgentius Ruspensis, qui teste Isidoro de viris Illustribus septem libros contra Faustum scripsit. Ado Viennensis Cæsarius, & Auitus etiam Vienensis & Baronius hunc libris eius de gratia, & libero arbitrio ab hoc errore non liberat, vti nec Vasquez, & Soar. locis citatis: sed tamen eum ab eo longe se motum habendum censent Gennadius de viris illustribus in *Fauste*. Tritem. de Scriptoribus Ecclesiasticis pagina 236. Driedo de captiuit. & redempr. generis humani tract.4. c.2. p.4. quibus ego etiam subscribo. Primò ob eius sanctitatem publico, & annuo cultu ab Ecclesia Rhegiensi 16. Ianuarij celebratam. Secundo ob insignis sanctitatis, & doctrinæ Faustæ repetita à sancto Sydonio Appollinari Episcopo Albernensi ipsius coætaneo duabus epistolis, & quodam Eucharistico de Fausto Tertio, quia Concilium Arelatense ipsi commisit, vt Concilij nomine, & suo epistolam ad Lucidum Presbyterum Gallum contra errorem prædestinatorum, quo erat infectus scriberet cui prorsus catholicæ & doctæ eius Concilij Patres subscripsere: id autem muneris doctori non per omnia probatæ doctrinæ, sed de errore aliquo suspectæ non committeretur à Patribus Concilij. Quarto, & præcipue, quia sexcenties Catholicam hac de re doctrinam professus est, atque inter duos extremos eius temporis errores, alterum salutis nostræ negotium totum Dei gratiæ & prædestinationi, absque arbitrij, & libertatis nostræ vsu tribuendum, alterum illud totum arbitrij facultati deferentium vtrumque egregiè confutat, vt ait Driedo, gratiæ, & liberi obsequij nostri necessitatem prædicans & probans libris de gratia, & libero arbitrio ex quibus impetitur, lib.1. c.6. vtrique errori scripturæ eripit arma suamque Catholicam de vtriusque (gratiæ scilicet & libertatis nostræ) necessitate explimit, vt cum alterius necessitatem contra alterum ex illis errorem seorsim probat, negari à se alterius necessitatem nemo decipiatur: eius verba sunt. *Sic apud regeneratos, quando gratia sine labore, vel labor sine gratia in scripturis ponitur,*

nitur, *supprimitur, non separatur: cum vnum sine altero dicitur tacetur alterum, non negatur: secundum illam regulam, quam Antistes Augustinus insinuat: non omnia quæ tacentur negantur.* Atque è Paulo 1. Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui; non ego, sed gratia Dei mecum, sic monet: vide quo modo ad gratiæ donum semper iungit laboris obsequium: & quia mentionem solius laboris intulerat, cito, quasi ad amplexum matris gratiæ recurrit, dicens. Sed gratia Dei mecum: gratia Dei sum id, quod sum. Primas partes soli gratiæ pio subiectus adscripsit: media quoque labori Magister obedientiæ deputauit: vtrumque in consummatione moderatus gratiam laboremque coniunxit. Non dixit ego sine gratia, vel gratia sine me; sed gratia Dei mecum: quæ prius sigillatim distincta protulerat, quam bene in sermonis fine connexuit!* Cui sententiæ insistit c. 15. 16. & 17. vbi hæc: *Græca sententia nimietates, & æqualitates sunt similis improbitas: par impietas, si totum soli gratiæ, vel si totum soli adscribatur labori: quid nos oportet inter ista sentire? nisi, vt semper gratiæ subijciamus laborem, & semper gratiam cum labore sociemus: ante omnia arrogantiam laboris fugiamus.* Quid pro Catholica necessitatis gratiæ veritate cautius, id fonte ex c. 11. *Qui, vel initium operis sibi præsumit arrogare vel finem, ad illum merito dicitur: nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam:* immò plerisque locis, ex quibus ipse erroris Massilienſis siue Semipelagiani arguitur: vti ex c. 4. vbi contra prædestinatores ait. *Tu intra gratiæ vocabulum includis fatale decretum: si vnus ad vitam, alter ad perditionem, vt asserunt, deputatus est, sicut quidam Sanctorum dixit non iudicandi nascimur, sed iudicati.* Quibus, ne fugillare Augustinum nomine cuiusdam, dicatur, illud *Sanctorum* prædestinatores referre, non Augustinum, Fausti defensores ingeniosi aiunt, quod est plane falsum: cum Sanctos nominare non possit, quos Hæreticos confutat, & appellat, Augustinum ergo, vel Catholicum alium Patrem ibi allegat, prædestinatores & fatales Hæreticos ab absurdo, quod ex eorum sententia *non iudicandi, sed iudicati nascamur* confutantem: siquidem non ex industria vlla & cooperatione libera arbitrij nostri gratiæ Dei iudicabimur, saluabimurque, vel damnabimur.

6. Cum autem ait capite 16. *Quod si (quemadmodum abrupta* prædestinatorum *blasphemat impietas) alij ad mortem præordinati, alij prædestinati videntur ad vitam: nullam Christi veniendi causam; nullam moriendi habuit necessitatem.* Hæc autem, tametsi prædestinatorum errorem abiiciant, quia ex fatali necessitate peccandi peccatum nostrum, quod tota veniendi, moriendique occasio Christo Domino fuit, peccatum non fore conuincitur, etiam negantes gratiæ Dei necessitatem ad bene operandum, & salutem consequendam refellit: siquidem Christum veniſſe, mortuumque fuisse, vt gratiam nobis ad bene operandum, & salutem meritis ex gratia ipsius profectis consequendam nobis promeretur, atque ita nos redimeret æque dogmaticum est: ac proinde sublata libera nostra cooperatione gratiæ Dei prædestinatorum hæresi Incarnationis finis primarius, ac subinde Incarnatio, eiusque necessitas auferretur: quæ tamen per eam hæresim non auferretur, etsi id abesset, cum posset dici à prædestinatoribus Christi aduentum, & mortem præuiso peccato expectatum fuisse, vt saluandos prædestinaret: quare ibi Faustus potius qua negantes gratiæ per Christum, necessitatem ad bene operandum confutat, quam absolute qua prædestinatores, id quod ex c. 8. ad ea verba: *reddet vnicuique secundum opera sua;* opponitur nempe, *vbi salutem hominis non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratia collocauit,* opponitur, potius Catholicam mentem Fausti ostendit: cum largitionem gratiæ à salute diuersæ: quare, & gratiæ auxiliantis ad famulantis operationem expresse admittat. Aliud ex c. 12. *filium prodigum per insitum sibi bonum ad Paternos recurrisse amplexus,* mirum est à Theologo, non prorsus inerudito opponi, cum subdat: *sed gratia quæ pulsauerat peregrinantem ipsa suscepit reuertentem,* quem sensum habet, quod de Abel ait lib. 2. c. 6. vbi ante legem (ne de illa gratiam, quam fatetur, intelligas) diuinæ munificentiæ dona viguisse fatetur, atque sanctum Abel ex fide inchoasse, & profecisse his docet, *nisi fides, quæ eum virtutum amatorem fecerat inspirasset.* Ea vero Dei donum fatetur ibidem scribens: *quod nequaquam obtinere potuisset, nisi ad Domini donum (fidei) famuli accessisset obsequium.* Confer c. 4. ad id *operamini cibum, qui non perit,* dixerat: *cibus, id est intellectus litteræ perire, cibus vero gratia, id est fide permanere describitur,* & c. 5. *quod creditur gratia largitur est,* quod autem eius infensi censent cum gratiæ præuenientis quodvis bonum opus nomine gratiam creationis cum Semipelagianis intelligere; non æqua, sed male lima præiudicij contra ipsum suspicio est. Id etiam vti vigentissimum à Magistro meo Daza contra Faustum producitur ex lib. 2. c. 8. *Nec hoc quidem videbor incautus, si profitear: quod aliquoties in dispositionibus nostris, non quidem in vita nostra primordiis; sed duntaxat in mediis gratias speciales, & ex accidenti largitate venientes voluntas nostra, Deo ita ordinante, præcedat: vis sanus fieri: & baptizandus interrogatur. In Centurione, Cornelio, præcessit voluntas gratiam. Nihil hic, vt opinor redolet præsumptionis: cum, & hoc ipsum ineffabiliter asseram: quod Deo ipsam debeam voluntatem. Præsertim, cum in omnibus eiusmotibus ad opus gratiæ referam, vel inchoationis initia, vel consummationis exordia.* Ex hac autem disiunctione videtur Faustus bonæ voluntatis initia non gratiæ semper & necessario deferre: cum ad consummationem præire latis putet. Hic etiam locus, quod sæpè diximus, & obseruauimus, probat: quanti scilicet ad sententiam tandem in rebus ferendam referat præiudicium disputantis: cum profundus adeo, atque omnis litteraturæ, etiam latinitatis peritissimus Doctor quæ in eo loco excusare non possunt minime viderit. Primum particulam *vel* copulatiuæ particulæ vim, & significationem habere apud peritos Latinos, (ex quibus Faustus) elegantissimam, vt in dictionariis Stephani, & auctioribus Calepinis est videre. Sæpe Terentius & Cicero ea illum acceptione eleganter vsurpant, illa Ciceronis de claris Oratoribus phrasis nunc satis sit, *Multorum, vel honori, vel periculo seruire,* id est, *honori & periculo,* id est tam vni, quam alteri, siue vtriquo, ac nostro Hispano idiomate vox ò quæ particula vel respondet, eum vsitatissimum coniunctiuum significatum latis elegans habet, *ayudaretes, ò comiezes, ò acaues, tomarte, ò me ames, ò me aborrescas.* Sicque à Fausto his accipi *vel* textus ipse demonstrat. Cum præuentionem gratiæ à voluntate *non in vita primordiis,* id est primis vitæ spiritualis operibus, & voluntatibus salutis initijs vt ea gratiam Dei præueniri excluderet, sed vlteriores speciales gratias Dei, & largitates primis his voluntatibus, & salutis initijs ex Dei etiam gratia subortis concessas, iam ait, illas ipsas primas voluntates Deo etiam ex constanti sententia sua deberi. Denique lib. 1. c. 17. ait absurdum inferri. *Si hæc Dei trahentis misericordia, non nisi digna detur, iam gratia Dei humana vtcunque seruitus emendatur.* Ex loco autem antecedente refutatur apertè Vasquez d. 91. c. 9. n. 51. asserens Faustum Cassiano pene totum: quia existimauit in omni opere bono incipere, & gratiam præuenire debere.

7. Quæ verò erroris Semipelagiani præfatis Authoribus suspicionem in Faustum mouerunt leuiora sunt quam vt contra eius tot locis expressam, & constantem sententiam, possint præualere, & sane Ioannis Maxentij interponsione epistolæ Hormisdæ Pap. ad possessorem, & Petri Diaconi libro de Incarnatione cap. 8. qui de Semipelagianismo Primi Faustum infamarunt authoritas non magni ponderis est. Cum à Monachis Scythiæ pro ea causa (quam Euthychianam nonnulli cum Baronio censent) Romam fuerint missi: deinde responsio illa Maxentij imprudens Hormisdæ reprehensio est: quare nulli eius in ea, vt minimum epistola, criminationi fidem faciemus. Denique Petrus Diaconus, vt in Prospero dixi declinat Augustinianę zelo aduersas vmbras facile dissipabiles potuit insectari: certe de Fulgentio Ruſſense Isidor. de vir illustrib. aut scripsisse septem libros contra Faustum, qui tamen cum nullibi operum Fulgentij simo nec Scriptoris alterius mentione extent, rumore aliquo vago illos Isidorum memorasse verosimilius est. Faustum à Fulgentio conuersum ex Pelagianismo libros prorsus Catholicos de gratia & libero arbitrio in Fulgentij gratiam scripsisse eius defensor Trithemius ait: id tamen somniosimile esse ostendit noster Guesnay lib. 1. Cassiani illustrat. c. 63. n. 18. Quod autem Fausti opera in Apocryphis cap. *Sancta Romana*, 15. d. à Gelasio Papa numerentur, nec aequo

æquus de illis sparsus rumor à Petro Diacono, & priscis citatis in causa fuit, promptaque habet in simili de Cassiano datam solutionem. Ruffinus eiusdem erroris suspicionem subiit cum ob Prosperi epistolam ad ipsum, tum quia eius opera citato eius capite *sanctæ Romanæ* in Apocryphis recensentur, sed ob prædicta leuem contra ipsum coniecturam hæc faciunt: maxime cum eius opera à Gennadio laudentur. Denique Vincentius Lirinensis similem fuit apud aliquos calumniam passus, nullo alio titulo, quam inerudita eorum æquiuocatione, quod cum Massiliensi Presbytero Vincentianarum obiectionum quibus Prosper respondit nomine conuenerit: cum re professione & loco adeo fuerit ab eo diuersus. His ergo à Massiliensis erroris suspicione vindicatis illustrium adeo pietate & doctrina Patrum authoritate nudos Semipelagianos Massilienses eorumque errorem adoriamur.

CERTAMEN IV.

Massilienses explorato, eorumque error confutatur.

1. Diximus cert. 2. ex hæreticis Iulianum Pelagianum, contra quem ex instituto scripsit Augustinus, argumentis à Pelagianismo in Semipelagianismum declinasse. Primum, ex eius sententia ibi recitata claret: fuit is Memorij Episcopi Capuani, S. Augustini familiarissimi, & filius, & Episcopatu successor. Huius obiter, & argumentis instantibus, quasi per vim, temperati Pelagianismi sententiam Massilienses Presbyteri, magnam partem, neque motibus, & doctrina ignobiliorem amplexati, ac mordicus tutati sunt: eorum plerique solo Massiliensium, Gallorumque nomine nobis innotescunt, collatoq; studio aduersus vitæ iam functi Augustini. Commentarios contra Pelagianos quindecim capitula ediderunt, Vincentius vero Massiliensis Presbyter, pro causa communi Massiliensium priuatum studium, & laborem aggressus, obiectiones sexdecim contra eiusd. Augustini. super prædestinationis nostræ negotio doctrinam scripsit: quæ de eius nomine à Prospero, & reliquis postea Vincentianæ obiectiones nominantur: eo nimirum animo, vt infamata Augustini doctrina, in qua non Pelagiani solum, sed & Semipelagiani sui erroris amuletum repositum videbant, hæresis suæ contagium latius, longiusque propagaretur. Quibus effectum est; vt quamvis Prosper eis obiectionibus: quantocyus multa eruditione, & ingenio occurrerit, nihilominus contagium multas Ecclesias Galliæ peruaserit in quibus Genuensis fuit, ex qua Presbyteri Camillus, & Theodoret. decem alia capitula pro sua doctrina contra Augustinianam euulgarunt, quibus etiam Prosper ipse respondit: eiusdem erroris asseela habetur vitalis quem à nemine excusari video, imò ab Augustino accusari epist. 107. contra ipsum, atque initium fidei ex nobis concedit, quin ex aliis eius locis Catholicam doctrinam de necessaria præcedentia gratiæ ad bonum quippiam expresserit, vt in bonum sensum cum aliis hactenus explicatis interpretationem mereatur: imò, vt obseruat Herize d. 25. c. 7. n. 72. an Pelagianismum à se excusserit, non satis constat. Denique Raymund. Lullius Catalaunus Mercator in quingentis articulis à Leone 11. damnatis in directorio inquisit. p. 2. q. 9. hunc habet sexagesimum quartum. *In faciendo bono non oportet nos sperare, quod Deus incipiat: quia iam inceperit, quando nos creauit*: quibus gratiam creatiuam solum creationis cum Semipelagianis ad bonum inchoandum, vt minimum, admittit: imò vero, cum indefinita propositio de bono faciendo sit, Pelagianum potius errorem, quam Semipelagianum videtur continere, & art. 7. *Homo potest venire ad salutem per virtutes morales: & habere de gloria paradisi tantum, quantum vult habere*: quod postremum, etsi benignum habere sensum in homine non adeo rei Theologicæ ignaro, nec de illusione Dæmonis suspecto, quia ad virtutes morales gratiam Dei per Christum non negat; tamen ex recit. art. 64. constat eum nullam aliam, quam creationis gratiam recognoscere: quo argum. idem error videtur contineri in articulis 62. 65. 66. 67. 68. 69. in quibus, nulla gratiæ mentione, sæpe asserit liberam hominis potestatem adquirendi virtutem contemplationem amorem, & amicitiam Dei, quantum, quando, & vbi vult. Quod, vt dixi, non Semi, sed toti pelagianismus est.

2. Contra hunc tamen errorem dogma Catholicum fidei est, nullum opus ex naturæ, & arbitrij solum viribus elicitum primam gratiam prædestinationis ad gloriam, quantumvis tenuiter, & occasionaliter, siue, vt ansulam adhuc, promereri: quare nec propriæ prædestinationis adæquatè, & secundum sua omnia obiecta, & effectus sumptam, causam efficientem exactiuam, & vltatenus meritoriam dari ex nobis posse. Definita hæc veritas contra Massilienses fuit primo à Celestino Papa epist. 1. c. 7. 8. & 9. ex quibus illud assumo, quo Catholicam nostram sententiam in scripturis, vbivis ea de re agitur, expressam testatur his verbis: *in omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei legimus esse vindicandum: eamque nihil posse cœlestibus auxiliis destitutam.* Sed & illud ex c. 8. non reticendum: *quod omnia studia, & omnia merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda sint: quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quod ipse donauerit.* Repetit c. 12. tanquam communem, suorum prædecessorum sententiam, nec dubitandum *ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quam fit vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere.* In quibus capitibus plura ex Innocent. 1. epist. ad Concil Mileuit. quæ est 26. & inter epist. Augustini 93. atque etiam ex Zozimo Pap. epist. ad Episcop. Africanos. Notatur vero: margine epistolæ Celestini 1. c. quæ pro hac veritate recitantur ipsi adiecta fuisse, non à Celestino ibi scripta sed vt non ex malitia, ex ignorantia notatum est: cum eadem à Prospero contra Collatorem c. 10. & à Petro Diacono de Incarn. & grat. c. 8. ex Celestino recitentur. Adde pro eadem veritate Leonem Mag. epist. decretali ad Nicetam Aquileyens. Episc. 86. alias 87. c. 3. & serm. 1. de ieiunio decimi mensis Gelasium Pap. tom. de anathematis vinculo inter medium, & fin. Definita etiam contra eosdem postmodum fuit ab Arausicano 2. can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 14. 16. 17. 18. 25. & à synodo Moguntina habita anno 1594. c. 7. §. 2. ac demum à Tridentino sess. 6. cap. 5. sunt autem aperta, & frequentissima veritatis eiusdem testimonia, quæ præfata Concilia pro citatis suis definitionibus, & Patres præsertim, qui contra recens subortum errorem Massiliensium pugnarunt) Augustinus, scilicet, Prosper, Hilarius & Fulgentius) producunt Psalm. 55. vers. 8. *Pro nihilo salvos facies illos*, iuxta doctam, & subtilem ad rem hanc Hieronymi interpretationem Dialog. 2. cont. Pelag. Augustin. 1. de prædest. Sanctorum c. 6. Prosperi ad dub. 4. Genuensium. secundo Isai. 65. *Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant*: quo testimonio vsus est Paulus ad Rom. 10. n. 20. Tertio ex Paulo eximio, omniumque sapientissimo gratiæ Dei per Christum Prædicatore 2. ad Timot. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid* (quovis scilicet modo, graduque ad salutem conducens (*ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Dei est.* 1. Corint. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesu nisi in Spiritu Sancto.* Quibus locis ad rem hanc iidem Patres, & Arausicanum Concil. 2. Can. 6. ac Patres reliqui vtuntur. Item 1. Corint. 4. *Quis est qui te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* & quamvis ad litteram: non de gratiæ internæ acceptione à Deo, sed Prædicatorum sit, de quibus frustra, ad emulationem & contentionem Corinthij gloriabantur materiæ tamen vicinitate, & intento etiam ab Apostolo vlteriori sensu, ad gratiæ internæ, & bonorum operum omnium à Deo acceptionem textum intelligunt, Prosp. Fulgent. & Arausic. Concilium cit. Can. 6. & ex ipsis post hæc Theologi Catholici omnes, 1. ad Philippens. 1: *Qui cœpit in vobis opus bonum* (Christus nempe) *perficiet vsque, &c. c. 2. Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quibus aperte operis, & voluntatis bonæ inceptio atque initium, nec tantum eius perfectio, Dei gratiæ ab Apostolo tribuitur: quare eis testimoniis contra Semipelagianorum errorem plures anticipato, & ante eius ortum, ac post ipsum natum, cæteri Patres, & Theologi in primis vsi sunt.

3. Sed epistola sua ad Romanos totus est Paulus in hac veritate demonstranda nempe opera legis, etiam scriptæ, absque Dei gratia eiusque adiutorio per Christum exhibita, nullatenus ad salutem, & prædestinationem ad gloriam posse inseruire: vtque ea ratione Romanis, & reliquis gentilibus salutis per fidem, & gratiam Christi consequendæ animos faceret, ad fidemque & Ecclesiam Christianam pertraheret: iustus texeretur tomus, si omnia, quæ ad rem præsentem in epistola faciunt essent pendenda, præsertim c.9. ex quo non pauca expendimus supra, dum gratuitam nostri à Deo prædestinationem d.1. statueremus. Sed, quoniam eo Pauli instituto, ac intento propalato semel, quicunque eam epistolam legat attente, ea omnia facile ad nostrum institutum poterit obseruare: vnum tandem eius textum producam, in quo non solum nostra Catholica conclusio, sed validissima contra Semipelagianos ratio continetur: extat tamen citat. epist c.11. num 5. vbi, post quam salutem, ac prædestinationem ad illam non, nisi ex gratia Dei, fuisse, esseque anterius probauerat, concludit: *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salua factæ sunt*: vnde arguit. *Si autem gratia, iam non ex operibus*, gratiam non supponentibus *alioquin gratia iam non est gratia*. Cum autem Semipelagiani electionem ad salutem, siue prædestinationem electionem gratuitam, & gratiæ esse admittant, vt debeant, eodem Pauli argumento ad contradictionem è suo errore (quod scilicet gratia prima, ac subinde prædestinatio secundum se totam, suaque obiecta, & effectus omnes adæquate sumpta ex operibus naturæ sit) deducuntur: quod nimirum gratia, quam asserunt, gratia non sit. Huic Pauli testimonio, & argumento vtpote contra Semipelagianos validissimo ad eos confutandos insistunt Concil. Arausic. 2. Can. 6. 17. & 25. Tridentinum sess. 6. c. 5. Augustinus de prædestinatione Sanctorum c.2. *Quæ vtique*, inquit, *non est gratia, si eam vlla merita præcedunt*, & libro de gestis contra Pelagium in Concilio Palæstino (qui extat apud Soarium tomo primo de gratia Prologom. 5. capite septimo) sic ait. *Ipsum quippe gratiæ nomen, & eius nominis intellectus auferetur, si non gratis datur*: quæ repetit inferius. Fulgent. de incarn. & grat. c. 18. *Iniuste dicitur gratia: quia non gratis homini datur, sed bonæ retribuitur voluntati*: ac infrà. *Atque ita gratiam non miseratione tribuentis sed æquitate Dei retribuentis accipimus*. Et hanc rationem ex Paulo desumptam præcipuam contra Semipelagianos reputat Vasquez noster citata d. 91. capite 15. vberiusque proinde persequitur, ac egregiis Patrum testimoniis confirmat. Priusquam firmissimæ huius rationis solutiones præcludam, non possum non aliam rationem Augustini contra Semipelagianos proponere ex quæstione 68. libri octoginta trium, æque, ac breuem, efficacem: *Licet quis sibi tribuat, vt vocatus veniat* (id enim suæ libertatis est) *non tamen potest sibi tribuere, quod vocatus sit*: siquidem suæ potestatis, & libertatis non est, quod vocetur.

4. Sed tamen cum Semipelagianus, Massiliensium error meritum, non quidem condignum gratiæ, sed congruum, exiguum, ac tenuissimum, ex congruis etiam, & ansulam qualem qualem ex nostris viribus ponerent, vt constat ex dictis certamine 1. & ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum non ita videtur efficaciter ratio hæc contra Semipelagianos concludere: siquidem Vega in Trident. lib. 8. c. 4. existimat meritum congruum ab eo, quod ob illud donatur, rationem gratiæ non auferre, sed meritum solum condignum ipsius, cui sententiæ adfauisse dicitur Cardin. Tolet in c. 8. ad Rom. vbi tamen solum docet conditionem solum sine qua non, vt manus extensio recipientis ad donantem, in qua nulla meriti ad donum ratio datur, rationem gratiæ in hoc nullatenus impedire. Cæterum doctrina hæc Vegæ Apostolo, Patribus & Conciliis præfatis, & naturali philosophiæ est aduersa. Etenim Apostolus de operibus legis, absque gratia, ac subinde viribus arbitrij, & naturali eius facultate exhibitis, quæ cum electione gratiæ æqualitatem non habent, neque non habere condignitatem ad illam Paulus ignorabat, dixit euacuare rationem gratiæ, si ex illis electio gratiæ haberetur, conferreturque gratia à Deo: ergo ex Paulo meritum congruum solum, qualecunque, destruit rationem gratiæ in eo, quod ob illud donatur ex Pauli sententia: insuper ex Patrum sententia, qui eius consequentiam contra Semipelagianos vsurparunt: cum enim initium, (vt ad euasionem argumenti assumebatur) Massilienses meritum ex viribus solum naturæ ad gratiam, & prædestinationis ad gloriam, & salutem initium, ac proinde congruum solummodo prætenderent: imò gratissimum, & vix meriti aliqualis rationem attingens, quodque ideo ansulam ad eiusmodi prædestinationem & gratiam appellabant. male Patres inferrent gratiam non fore gratiam, si meritum congruum solum, neque illius æqualitatem, & condignitatem attingens rationi gratiæ non adueniaretur. Tertio doctrina hæc rationi, & philosophiæ naturali opponitur. Primo quia, sicut beneficium conferre intuitu cuiusvis retributionis accipiendæ rationem liberalitatis, largitatisque, ac proinde puri beneficij, & gratiæ euacuat: vti etiam illud conferre ratione cuiusvis rei acceptæ. Ratio autem vtriusque & à priori est: quia largitas, & liberalitas stricte dicta, atque gratia, ad prorum, accepta commodum, bonumque alterius solummodo, nihilque boni, aut commodi donatoris respicit: atque ex alterius, cui donatur, complacentia omnino, nusquam vero ex complacentia donantis debet proficisci: quare respectus quivis ad bonum, commodumve, ex gratum donatori, siue acceptum, siue accipiendum, ipsique ex alterius complacentia haberi nequit, sed ex complacentia donatoris, puræ liberalitatis, & gratiæ ratione euacuat: ac, si donator gratum, seu sibi commodum acceperit, ideoque aliud largiatur, quantumvis excedat, quod eius intuitu largitur virtutem propriam liberalitatis non attinget, neque illud gratiæ proprie rem, & nomen, sed gratitudinis splendidæ: siquidem, vt Cicero, Seneca ac virtutum peritiores speculatores, & exploratores Philosophi reliqui docent, ad grati animi officium spectat plus etiam referre, quam acceperis, & terracem tellurem imitari, quæ acceptum semen cum fenore reddit. Quo, & solutioni alteri, quæ pro Semipelagianis tentari posset (immò & ab ipsis tentata videtur, dum merita naturæ quæ gratiæ, & prædestinationi prætendebant à Deo extenuebant) nempe à gratiæ, & prædestinationis beneficio Dei longe, & pene immensum quæ sui tenuitate, excedi, ac proinde nec posse gratiæ rationem impedire, aditus præcluditur: quantumvis præstinationis gratia ea tenuissima opera, & vix meriti magnitudine antecedat, dummodo eorum intuita à Deo prædestinatio ad gloriam habeatur, & gratia donetur, gratia nusquam erit, tametsi gratitudo esse posset.

5. Verum, etsi Doctus Vega ea in re lapsus videtur, non tamen leui offendiculo lapsus dicetur; sed difficilis textus Tridentini occasione, quem eo loco interpretabatur ita enim habet Tridentinum sess. 6. capite 8. *Nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides siue opera ipsam iustificationis gratiam promereri: & ideo hominem iustificari gratis*. In fide autem meritum congruum iustificationis est: Ergo meritum congruum ex sententia Tridentini rationem gratiæ non euacuat, vt ait Vega, & pro solutione Semipelagianorum dicebamus, sed solum meritum condignum subsumptum expressa, & repetita August. sententia est epist. 105. *Neque ipsa fides peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc imperat: neque enim nullum est meritum fidei*. *Quia fide ille dicebat Deus propitius esto mihi peccatori: & discedit iustificatus meritò fidelis humiliatus*, epist 106. rursus. *Si quis dicatus meritò fidelis humiliatus*, epist 106. rursus. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus immò gratissime confitemur*. Tanta est huius difficultatis arduitas, vt non solum doctum eruditumque Theologum Vegam deturbauerit (qui tamen postea capite 15. effatum illud suum ex c. 4. fine limitatione dicendum non fuisse moneat, ac proinde lectorem erat vt deberet) sed & Primores alios Theologos turbauerit: Heriæ nostros Soarez, & Vasquez solutiones ait easdem, nostrorum §. *Censeo secundo*, & sequente Tridentinum ibi solum negasse, fidei & reliquis operibus formalem impij iustificationem antecedentibus meritum omne, etiam congruum simpliciter dictum & tale, quod scilicet, sine ex ordinatione acceptatione, aut promissione Dei cuius præmio

mio connectatur; non autem meritum congruum, non ita connexum cum formali iustificatione: quare nec ab solute, & simpliciter tale: quod instituto Concilij, quod iam excluserat Semipelagiana merita c. illo 5. erat satis: scilicet ad ostendendum, *quomodo intelligatur impium, per fidem, & gratis iustificari*: vt in titulo eius capitis 8. præfixerat explicandum: quare illa ratio eo etiam c. 8. ex Paulo à Concilio subiuncta. *Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia*, non eodem sensu Pauli à Tridentino sumitur, & quo capite illo 5. sumpta ab eo Concilio fuerat, sed alio, accomodatissimo tamen ad suum præsens speciale institutum. Nam, vt Paulus, & cum ipso Concil. c. 5. ex oratione gratiæ integre, puréve sumptæ omne meritum, quantumvis tenuè, & secundum quid contra Semipelagianos, vel contra Hebræos excludebant, ita ex ratione gratiæ simpliciter talis, quæ in formali etiam impij iustificatione à Concil. eo c. 8. asseritur meritum etiam congruum simpliciter tale, modo explicato, ad formalem iustificationem æquo robore à Concilio excluditur. Hæc tamen solutio, in qua Herize, quasi in tuto quiescit, Vasquez & Soarez quas impugnauerat, solutionibus minus longe nobis placet. Primò: quia meritum congruum simpliciter tale, vti ab Herize explicatur, nequit fidei, & operibus, ac iustificationis formalis dispositionibus præcedentibus ex gratia Dei per Christum profectis denegari: cum extet in scriptura de iustificatione formali impij eas infallibiter subsequenda Dei promissio, siue extra Sacramentum per contritionem perfectam, siue intra Sacramentum pœnitentiæ, per imperfectam contritionem: quare difficultatis tentata ab Herize euasio præcluditur. Secundo Concilium in suæ rationis confirmationem Pauli testimonium, & rationem producit: quod alio, quam Pauli sensu, & mente ipsa producere, quin accommodatitio illo sensu & discursu afferri explicaret, indignum Concilio foret. Tertio: quia eadem solutione ab argumento Pauli, & Patrum, ac Conciliorum se possent Semipelagiani protegere, respondentes eorum omnium sensum, & illationem contra merita simpliciter talia, & pro gratia simpliciter tali, non autem integre, & pure tali solummodo extitisse; ipsos autem merita ex viribus naturæ tenuissima, & quæ vix meriti secundum quid, nedum simpliciter talis, ex viribus naturæ gratiæ, & electioni prætendisse, ac semper gratiæ, & misericordiæ simpliciter talis illis adseruasse, & asseruisse, vt ex memorata ipsorum doctrina patet: faciliusque respondere posset quispiam in eorum doctrina iuxta meriti simpliciter explicationem ab Herize datam, negando initio illi tenuissimo ex nostris viribus oblato diuinæ gratiæ, & prædestinationis promissionem.

6. Porro Vasquez solutio 1. 2. quæst. 118. c. 5. num 42. (quod probabilem censet Soarez 2. de prædest. c. 6. n. 46. & in quam tandem tentatis multis recidit ipse num. 50.) magis attigit verum, si duo seiungantur. Alterum, quod de iustificatione formali impij Concilium non ageret, dum eam gratis, & non ex merito fidei, & præcedentium ad iustificationem esse definit; sed solum de auxiliis de primo ad vltimum fidem, merita, dispositiones, ac tandem subsequutam iustificationem antecedentibus: quod asserit vterque, etsi Soarez agi etiam ibi de formali iustificatione concedat. Hoc inquam excludendum est, vt vera Concilij interpretatio, & difficultatis solutio attingatur. Nam, etsi verum sit, (vt reuera est in phrasi Augustini) gratiæ iustificationis, & iustificantis nomine gratiam auxiliantem merito donari, vt late Vasquez probat: ast ea acceptione hic à Concilio non vsurpari, sed pro gratia formaliter iustificante impium certissimum est. Hoc recte probat Herize num. 88. §. *verum hac solutio* ex capitum contextu. Nam c. 5. ex instituto gratiam auxiliantem, & illam ex meritis, siue bonorum operum, siue fidei imperfectæ, atque ex viribus solis naturæ non dari contra Pelagianum, & Semipelagianum errorem definierat c. 6. eis erroribus iam propulsis dispositiones Catholicas, & præuias ad formalem iustificationem, siue iustitiam, iusti vt quid diuersum ab ipsis, designat, *disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum*, & capite 7. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur*: quare vlterius de iustificatione, de qua proxime immediato capite, & cuius dispositiones capite anteriori recensuit, ac explicuit Concilum, agere, ac inquirere, & recta methodus exacte adeo à Concilio eatenus obseruata, & debita claritas, æquiuocationi nullatenus obnoxia plane coniuncunt. Adde id ipsum ex capitis titulo euidentius demonstratur, is enim est vt nuper retulimus. *Quomodo intelligatur impium per fidem, & gratis iustificari*? In quibus alterum supponit, nempe per fidem, & conuersionem in Deum ex gratiæ adiutorio elicitam impium iustificari, vt dixerat c. 6. eoque suppositio alterum quærit: quo scilicet pacto cum earum dispositionum præcedentia, quod gratis iustificemur, & gratiæ ratio in iustificatione ipsa formali subsistat? Adde secundo Concilium in definitionibus hisce de gratia auxiliante nusquam ea phrasi Augustini vsum gratiam iustificationis appellasse: sed adiutorium, auxilium, vocationemque Dei. Secundum in vtriusque solutione excludendum est, quod asserant fidem & opera iustificationem, quibus Concilium meritum formalis iustificationis negant, esse fidem, & opera solis naturæ viribus elicita, & Pelagiana, aut Semipelagiana: id enim capitum expensa contextura, & eius capitis octaui titulus, & intentum satis reiiciunt, maxime, cum de eo ita fuerit c. 5. à Concilio definitum, vt deinceps c. 6. & 7. nulla eius erroris exiterit mentio nedum iterata definitio.

7. Excludenda tandem est tentata alia Soarez euasio, qui his duobus exclusis ait; negari à Concilio congruum etiam meritum fidei, & reliquarum dispositionum præcedentium ex gratiæ auxilio profectarum, quatenus ab arbitrio præcisè hominis, & nondum formaliter iustificati, qua ratione, & consideratione præcisè attenta, nullam, meriti adhuc congrui, rationem fides, & dispositiones præfatæ ad formalem impij iustificationem habent. Excludenda autem hęc euasio est: quia, si ex eo, quod fides, & dispositiones à merito etiam congruo excluduntur à Soario, quia credens, & se disponens iustificatur iam non supponitur, contra Augustinum recitatum, & veram communemque Catholicam Theologiam à ratione meriti congrui subsequentis iustificationis excluduntur: quare, & extra Concilij mentem excluduntur, sin autem defectus antecedentis iustitiæ formalis fidei, & operum, se ad formalem iustificationem disponentis rationi meriti congrui fidei, & operum, quibus se fidelis ad illam disponit, non officit, superflue id atque ad confundendam vim argumenti, non autem ad illud soluendum adhibetur. Secundo, vt bene Hærize, cum nullus extiterit de merito congruo fidei, & operum ex auxilio gratiæ profectarum, an ea præcisione, vt procedunt præcisè ab arbitrio creato, gratiam aliquam mereantur, siue non, auxiliationis, siue iustificationis sed solum an opera nullatenus reipsa à gratia, sed à solis arbitrij viribus gratiam alterutram, qua vel adiuuatur, vel iustificatur operans, congrue, & aliqualiter mereantur, extra rem Concilium, quod contra errores suborros agebatur, & ad eas subtilitates scholasticas attenderet, atque multo inconsultius definiret. Tertio vrgentius refello: quia, etsi opus meritorium de congruo gratiæ alicuius, quouis modo supernaturales absque comprincipio gratuito, & indebito supernaturali iuuante arbitrij facultatem naturæ, re ipsa esse non possit, vt fides docet; ast comparatione meriti, quod in eod. opere est, materialiter pure se habet, quin meriti rationem formaliter augeat, totaque meriti ratio, quæ in opere illo est, formaliter ex eo, quod ab arbitrio creato libere, ac bene eo auxilio vtente proueniat, desumitur: ergo admisso (vt in hac solutione admittitur) opus illud ab auxilio Dei, etiam physicè prouenire, nec aliter apponi posse, meriti congrui iustificationis formalis catholicè in eo opere admittendi, ratio tota in eo, provt ab arbitrio creato prouenit asserenda contra hanc solutionem est. Video antecedens esse contra Soarez tom 3. de gratia lib. 12. capite 32. ita respondentem, & Herize illum impugnantem numero 89. §. *verum neque hæc*, & Recentiores alios: mihi autem est certum, lateque probatum tomo secundo, de ente supernaturali controuersia de merito, qui præsum expectat: ideirco fundamenta pertingam, ne impugnationis fitmitas hic desideretur.

8. Primum est: quia auxilium prærequisitum ad physice eliciendum opus non auget eius valorem, aliquatenus eleuans dignitatem operantis, vt gratia iustificans eleuat dignitatem operantis, vt, quia à iusto elicitur condignitatem meriti gratiæ pertingat opus, quod alias intra solam congruitatem maneret. Patet: quia, si loco auxilij intrinseci ab auxilio extrinseco potentia compleretur, opus, quod idem cum illo eliceret, eiusdem meriti opus eliceret; cum tamen auxilio illo extrinseco nullatenus dignitas, & æstimatio operantis augeretur. Secundo: quia ratio comprincipij physici necessarij ad physice, & libere operandum præcise nec auget, nec minuit operis valorem sed id tantum habet, vt compleat potentiam, vt se pro libito possit operans ad vtrumvis physicè (loquor de creatis) realiter exercere. Primo: quia entitas, seu facultas physica arbitrij, quæ alterum, & necessarium comprincipium physicum, & essentiale operis meritorij est, nec auget meritum, & valorem, etsi nobilior in vno homine, quam in alio, vel in Angelo, quam in homine, & perfectior sit. Secundo: quia, qui imperfectius ex perfectiori auxilio operatur nunc, quam alias ipse, vel alius cum imperfectiori auxilio operetur, non inde magis meretur, aut perfectius; quin potius imperfectius, minusque ac debilius eius operis meritum est, quam si ex imperfectiori auxilio æque bene operaretur. Tertio probo à contrario: quia, qui maiori perfectioríque physice auxilio præuentus à Deo peccat non inde demeriti operis vitiosi valor ad pœnam minuitur, immò vero multum augetur. Quarto probo à priori ratione, quæ præfata omnia confirmat: quia tota meriti, & demeriti quoad intrinsecum sumpti ratio, non quidem ex potentiæ ad physicè operandum, vel non operandum nobilitate, ac perfectione sumitur, sed ex bono, malove vsu operantis pro libito bene, vel male, & in altervtro genere perfectius, & imperfectius, intensius, vel remissius, de eo enim iure laudari, vituperarique, magisque, vel minus potest; non autem de excellentia, & perfectione potentiæ completæ, quia absolutè alterutro modo potens operari est constitutus: immo inde vnice laudatur ab Spiritu Sancto. *Qui potuit transgredi & non est transgressus, &c.* Bonus autem, vel malus vsus potentiæ adæquate iam constitutæ proxime formaliter arbitrij, & operantis est, quia sua determinatione comprincipia reliqua ad cooperationem despoticè trahit. *Dixi meriti, quoad intrinsecum*: nam ex dignitate operantis extrinsecus meritum ad condignitatem meriti præmij supernaturalis eleuari Catholicum dogma est: licet eleuationis huius modum verum non omnes Theologi, neque ex eis plures attigerint, vt vidimus controuersia de Incarnatione, vbi rem ipsam à nostro Vasquez attactam illustrauimus.

9. His autem exclusis verum Tridentini sensum subodorati sunt Vasquez, & Soarez vt num. 6. dicebamus: quatenus iis omnibus ad gratiam auxiliantem, ex qua, tum fides, tum opera reliqua ad iustificationem formalem impij præcedentia Concilium eo loci respexisse variis illis modis iam exclusis asseruerunt, atque explicare conati sunt; tametsi rem totam non fuerint plene assecuti. Reseruabatur id quidem magno meo magistro Dazæ, qui manuscripto citato de prædestinatione d. 4. §. 1. n. penult. vers. med. rem ipsam paucis (vt nobis aliquid relinqueret) explicuit, subtiliter aduertens, Concilium, non negasse fidei supernaturali, & operibus ex Dei gratia profectis, quibus impius ad gratiam formalis iustificationis disponitur, meritum iustificationis ipsius, sed gratiæ, & rationis gratiæ, quæ in ipsa est iustificatione. Quia primum gratiæ auxilium ad fidem supernaturalem, vel motum in Deum, ex quo tota series meritorum de congruo iustificationis formalis inchoatur, nequit sub eiusmodi fidei, vel motus in Deum meritum cadere, cum ad ea omnia præstitum supponatur: in iustificatione vero ipsa eis dispositionibus præuiis obtenta tota ratio gratiæ, & doni gratuiti à Deo à gratuita prorsus illius auxilij gratiæ primi desumitur, ratione cuius gratia solummodo in radice est, sicut gloria quæ ob merita datur, & auxilium secundum quod datur in præmium operis ex primo auxilio eliciti. Vnde fit, vt, quæ nequeunt primum auxilium illud gratiæ, quod supponunt, promereri, vt de fide, & reliquis, quæ ad impij iustificationem interueniunt, probauimus, gratiam, seu rationem gratiæ realis formalis, quæ in iustificatione est, nequeant promereri. Hanc esse Concilij eo loci mentem constat primo ex textu vbi non dicitur: *non mereri iustificationem, sed ipsam iustificationis gratiam.* Secundo, quia enumeratis actibus, quæ iustificationem præcedunt, meritum congruum ad ipsam contra Augustinum (cuius authoritate ad definitiones de rebus hisce in primis vtebatur) & totam Catholicam Theologiam non negauit, vt autem negauerit eis meritum ad gratiam, quæ solum radicaliter, seu in radice in iustificatione inuenitur, fundamentum in bona Theologia habuit fundamentum, quod produximus. Tertio: quia hac interpretatione series cuiusque rectà constat, atque optima definiendi prius veritates anteriores, & quæ ipsas consequuntur, posteriores posterius, quin alicuius repetatur definitio. Nam c. 5. meritum formalis iustificationis prædestinationis, & salutis quantumvis initiale, remotum, & tenue ex propriis tantum arbitrij creati viribus abiecit contra Pelagium, cuique reliquias Semipelagianos, c. 6. Catholicas dispositiones ad formalem iustificationem ex gratia Dei ortas enumerat: quæ alia, & consectaria veritas est, c. 7. hanc iustificationem formalem consequi definit: quæ est veritas diuersa, & ordine posterior: quoniam vero in eis dispositionibus meritum congruum ad iustificationem recognuit difficultati, quæ inde contra iustificationis gratiam emicabat c. 7. occurrere voluit, vt titulo capitis explicuit *Quomodo intelligatur impium per fidem, & gratis iustificari*, id autem explicuit ex definitione contra Semipelagianos præmissa c. 5. non iterum eam contra ipsos superfluo repetens, sed illa, tanquam firmissimo præiacto principio vtens, vt discursu nostri Dazæ edisserui. Pro ipsius principij firmitate rationem Pauli eodem prorsus sensu repetens quo capite 5. etiam contra Semipelagianos adduxerat dum principium, quo hic vtebatur, ex instituto & directe statuebat.

10. Semipelagianorum fundamenta lenissima sunt: & primum de libertatis nostræ læsione, aut etiam euersione, ni primam gratiam efficacem, & prædestinationis initium ex propriis viribus, & puro arbitrio mereamur, ex ignorantia efficaciæ gratiæ præuenientis, & infallibilitatis, ac certitudinis prædestinationis profectum est: arbitrabant enim, tam hi, quam Pelagiani ita hæc esse, vti ab Hæreticis prædestinatoribus, tunc temporis asserebantur, atque testimonia aliquot Augustini male intellecta ipsi sonabant: nempe, tam gratiæ efficaciam ad bonum opus quam prædestinationem ad finem, seu effectum intentum ad quem prædestinamur, volentes, nolentes atque inuitos nos trahere: quod sane fieret, si intrinseca efficacia, & connexio cum opere, aut effectu foret; secus autem si extrinsecus à futuritione conditionata, tam operis, quam finis intenti ac subinde à futurione absoluta libera ipsorum dependens, vt concordiam vaicam infallibilitatis, certitudinis, & prædestinationis cum arbitrij ac operum nostrorum libertate scientiæ mediæ interuentu & beneficio explicantes dicebamus. Addo ea ignorantia in vulque supposita rationabilius Pelagianos, quam Semipelagianos errasse. Ratio enim hæc probaret præcedentiam absolutam gratiæ, ita efficacis, & prædestinationis euasivis operis libertatem euertere: quare, tametsi auxilium primum gratiæ anterioris operis ex propriis viribus eliciti, quo ipsum meremur libertati non obste, tamen operis primi ex eo auxilio orti, ac cæterorum subsequentium vsque ad iustificationem, & perseuerantiam, cui gloria coniungatur euerteret libertatem. Secundum fundamentum: quod omnis nostra solicitudo de salute tollatur, omnino etiá irrationabiliter à Pelagianis assumebatur, tametsi irrationabiliter ex eadem ignorantia assumatur ab vtrisque. Locus enim solicitudini orationi, & industriæ nostræ, relinquitur, vt gratiæ extrinsecus solum efficaci cooperemur, cum non cooperati ipsi absolute pro arbitrio & libito nostro absolute & antecedenter possimus: tum etiam vt efficaciæ similis auxilia ad recte operandum deinceps & perseuerandum à Deo obtineamus, tametsi non ad primum gratiæ auxilium quod à Deo sine nobis & gratuitum prorsus esse debet, nec solicitudo, nec industria, nec oratio nostra esse debeat, nec possit. Tertium fundamentum de vitio acceptationis personarum in Deo admittendo in gratiæ eius electione, & collatione vni præ aliis, quin in illo præ his bonum aliquod ex ipsis præcedat, offeraturque ab hisce: quare, & quod Deus in prædestinatione

destinationis negotio ex potestate dominantis, potius quam ex regentis & gubernantis iure & æquitate se gerere videatur: ex ignorantia viri] acceptionis personarum, & materiæ, quam essentialiter supponit, & in qua solum versari potest omnino ortum est: eiusmodi enim vitium materiam iustitiæ, siue commutatiuæ, siue distributiuæ concernit; cuiusmodi gratiæ, & beneficij dona minime sunt, in qua auxilium primum ad bene operandum est constitutum: quare iure quidem supremi sui dominij in bonisque suis beneficiis elargiendis, in prædestinatione vtitur Deus, non autem ex potestate contra fas, iusque dominantis.

QVÆSTIO III.

An, quoue sensu verum sit proloquium illud: Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam?

HÆc propositio adeo recepta est à Catholicis Theologis, vt aliquo vero sensu negari non possit: quoniam vero sensum Pelagianum, si de gratia pro singulis occasionibus, & operibus, & Semipelagianum, si de gratia prima auxiliante, & pro opere primo supernaturali intelligatur, facile capit, oportet sensus eius varios à Theologis datos proponere seorsim, & examinare, vt qui minus caute à Catholicis Theologis admissi Pelagianismum, aut Semipelagianismum, vel incurrunt, vel concernunt, à Catholicis deinceps Theologis cauentur, vtque appareat demum Catholicus, sanæque mentis prorsus, fidei sensus, quo ea propositio possit, debeatque in Theologia Catholica admitti: quamvis autem quæstio hæc ad controuersias de gratia spectare videatur, æque tamen ad præsentem disputationem de causa prædestinationis spectat sicuti de præcedente dicebamus: siquidem tantundem est hoc disquirere ex parte nostri de prima gratia ad opus primum supernaturale, qua prædestinationis ordo, & dispositio inchoatur, vel de gratiis cunctis, quibus tota eius dispositio, & ordo constituitur, atque de causa prædestinationis totius, vel eius initij disputare.

CERTAMEN I.

De eius proloquij sensu Scholasticorum ex naturæ viribus sententiæ explorantur.

1. HVnc sensum adeo videtur expressisse S. Thom. variis, multisque in locis, vt aliquandiu in eo fuisse nec ab eius discipulis negetur, vt constat ex 2. sententiarum d. 5. q. 2. a. 1. ad 28 q. vn. art. 4. corp. sub med. vbi probat: *Quia, sicut homo, se habet in potentia naturali ad gratiam, ita actus virtutum moralium se habent, vt dispositiones naturales ad ipsam: vnde non exigitur lumen gratiæ præcedens*, & inferiuscule: *Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare: faciendo enim quod in se est gratiam à Deo consequetur*, & ad 3. lumen interius gratiæ ad id non requirit, exemplo conuersionis Pauli, quæ exterius circumfulgente lumine, non autem interiori facta dicitur: quod extrinsecum lumen, & occasiones ac incitamenta extrinseca Dei prouidentia disposita, nec conuertendi arbitrio subiecta, tametsi in eius salutem ordinata Dei gratiam appellauerat, sine qua se homo ad gratiam internam nequit præparare, & ad 4. per id quod in naturali ratione est posse, quamvis etiam barbarum se præparare ad gratiam habendam à Deo, & fidem, & alias virtutes: quam præparationem, si præstet Deus præsto aderit gratia, & necessariis ad salutem consequendam ait de verit. q. 14. a. 11. ad 1. *Si aliquis nutritus in syluis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ea quæ sunt credenda*, vel &c. & ad 2. *Si nos fecerimus, quod in nobis est, vt scilicet ductum rationis naturalis sequamur Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis necessarium est*, quæst 24 art. 1. ad 2. *gratiam, qua opera meritoria facit, quamvis non possit homo ex libero arbitrio acquirere; potest tamen ad gratiam habendam se præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, si faciat quod in se est*. & art. 15. corp. nihil aliud requirit, vt præparemur ad gratiam Dei supernaturalem, etiam auxiliantem. præter diuinam prouidentiæ, qua homo (omnis scilicet) ad bonum dirigitur, directionem: quod donum naturale esse probat: *Nam in nullo inueniuntur omnes homines conuenire, nisi in aliquo naturali*, & in 4. d. 17. q 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 4. *etiam ille, qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, si secundum suam cognitionem peccatum sibi displiceat*. Eandem sententiam, & si cum limitatione, sic docet in 1. d. 41. art. 3. ad 1. *dari gratiam homini, quia præparauit se* viribus naturæ: *ita vero, vt coniunctio quia denotet dispositionem non causam* meritoriam vt corp. negauerat, & vnde ait non tolli ea præparatione dispositiua rationem gratiæ obtentæ, quæ solum cum merit. pugnat. & de puero, quantumvis barbaro, cum primum ad vsum rationis peruenerit ait 1. 2. q. 89. art. 6. corpore, *cogitandum occurrere, ac deliberandum de seipso: & siquidem seipsum ordinauerit ad debitum finem per gratiam consequetur remissionis originalis*. Eandem sententiam docet in 2. d. 42. q. 1. a. 5. ad 7. & de verit. q. 28. art 3. ad 4. recitatus à Capreolo in 2. d. 40. q. 1. art. 3. ad argum. 3. Demum in epist. ad Rom. c. 10. lect. 3. excusatos barbaros inuincibiliter fidei ignaros à peccato infidelitatis ait: *si fecissent quod in se est Dominus eis secundum suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicationem, &c.* addit, *Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est mouente corda ipsorum ad bonum*: quibus etsi motionem gratiæ internæ videatur admittere ad faciendum quod in se est præuiam, ast, iuxta superius recitata, nil aliud intelligit, quam motionem per extrinseca motiua & incitamenta, & per innatam, & naturalem inclinationem ad bonum omnibus communem, ac subinde naturalem.

2. Produximus fusius S. Thom. testimonia in quibus aperta pro sensu eius proloquij præfixo in certaminis titulo sententia est, cum vt constet eum in eo aliquandiu nec semel extitisse, vt eius discipuli & interpretes fatentur, tum aliquando dum ita censebat doctrinæ suæ difficultatem sensisse, voluisseque componere doctrina illa de dispositione præuia per naturæ vires, non autem merito præuio ad gratiam vt vidimus testimon. recit. ex 1. d. 4. art. 3. ad 1. idcirco retractasse sententiam 1. 2. q. 109. art. 6. toto præsertim ad 2. & q. 112. art. 3. corp. & ad 1. & art. 2. corp. & ad 1. vbi de faciente quod ex se est ex viribus gratiæ supernaturalis proloquium intelligit, nullamque esse posse præparationem ad illam ex viribus naturæ: & 2. 2. q. 10. art. 4. fine. Euertit fundamentum, quod de puero barbaro in syluis enutrito & de centurione pro opposito attulerat dicens: Centurionem non, nisi fide supernaturali ac operibus ex illa, Petri ad ipsum missionem promeruisse, ac 3. cont. gent. cap 159. quod gratiæ impedire possit solummodo arbitrio concedit: sic proinde de S. Thom. censent Capreol. in 2. d. 28. sub fin, & Durand. ibi q. 5. num. 5. inconstantiam opponens Deza d. 19. art. 1. fin. Caiet. 1. 2. q 109. art. 6. § *nec obstat*. Qui alias priorum locorum explicationes versus articuli finem aggreditur. Soto 2. de natura, & gratia c. 3. & alij, quibus subscribit Ruiz noster d. 21. sect. 2. num. 14. & quidem S. Thom. ea in re varius ex modestia potius, quam leuitate fuit. Nam communi Theologorum ætatis illius in primo concessit, potius quam ex seipso sensit vt constat ex testimonio primo recitato illis verbis: *& ideo aliis*

consenteiendo dicimus, in secundo vero sensu ex firmissimis Theologiæ principiis humanæ authoritati scripturam, fidemque præferendo discurreus propriam, veramque sententiam dixit. Nec mirum: siquidem eius Magister Albert. in 2. d. 28. art. 1. ad 4. & 2. p. q. 18. sub fin. & Angelos gratiam operibus è sola arbitrij facultate congruè fuisse promeritos, & in nobis esse factum quo potestatem ex gratia, & infallibiliter adquiramus: quia Deus omnibus æque gratiam offert, nos autem secus: *Sed si conuertimur faciendo quod in nobis est, statim accipimus.* Ita 2. p. q. 18. citata, q. vero 100. m. 1. quasi ea retractans ait: *Profanum est dicere, nisi quod gratia semper præuenit voluntatem, & erigit eam, vt velit bonum.* Similiter Alexand. Aiensis. 1. p. q. 28. membr. 3. art. 1. ad 1. & q. 129. m. 8. §. 1. de puero mysteriorum fidei ignaro, qui faciat, quod ipse est ex naturali cognitione, & inuocatione Dei acquisiturum à Deo potestatem ex gratia ad illa credenda, siue per internam inspirationem, siue per Angelum, aut hominem à Deo ad eius institutionem misso, & 3. p. q. 69. m. 5. art. 2. §. 1. corp. & ad 1. eundem proloquij sensum docet; tametsi non ex merito congruo sed interpretatiuo & art. 3. corpor. reddit rationem æque oblationis gratiæ suæ omnibus, quam dedit Albertus proxime, dederantque olim Massilienses explicatius idem tradit ad 6. & m. 3. art. 3. sub finem addens, *præuenit tamen illa actio gratiam vt disponens ad ipsam* vtique, vt meriti ab illa congruitatem etiam excludat, sicuti proxime ex membro 5. referebamus. Ex quibus constat quid intelligat gratiæ nomine eadem q. 69. m. 1. art. 2. corp. dicens: *nullos esse conatus liberi arbitrij ad bonum, nisi excitentur à gratia*, naturalem quippe cognitionem Dei intelligit gratiam appellat & infra citatis pròxime locis explicuit, eodem sensu videtur nostro Ruiz prædictum proloquium accepisse S. Bonauentura, qui tamen in 2. d. 26. q. vlt. & d. 28. art. 1. ad 4. & art. 2. q. 1. corp. ad 3. & 4. & in 4. d. 15. p. 1. art. 1. q. 5. corp. necessitatem gratiæ præuenientis omnino, vt ad gratiam formaliter iustificantem præparemur, asserit constanter: quia citata d. 28. art. 2. q. 1. ait: gratiam naturalibus arbitrij additam esse habitum timoris seruilis, vel innatam visceribus ab infantia pietatem vel Dei vocationem, & locutionem excitantem ad eiusmodi præparationem quam in operibus moraliter honestis constituit. Sed certe cum expresse ea quæst. & ait: locis omnino præuenientis gratiæ necessitatem constanter doceat: leuissime eis coniecturis ad oppositum inducitur. Nam ea, quæ ibi recenset gratiam à se prærequisitam non asserit esse, sed ab eo præscindit, nec disputat adhuc: ait siquidem. *Quidquid illud sit quod super additum est naturalibus adiuuans aliquo modo*, &c. Actus vero moraliter absolute honestos ex gratia Dei speciali per Christum necessario fore cum Patribus Bonauentura & Scholasticis aliis, ac præsertim nostro Vasquez, qui strenuè, ad victoriam vsque, pro eo certauit ostendemus tom. 1. de ente supernatur. controu. de grat. auxiliante disputatione de eius necessitate: quare sanctus Bonauentura ab eo proloquij sensu abfuit quam longissimè.

3. Guillelm. Parisiens. 1. p. tract. de merit. col. 4. Angelos sanctos & primos Parentes in statu innocentiæ ex solis viribus naturæ aliquid in ordine ad gratiam supernaturalem & certo obtinendam promereri potuisse. Alter Guillelm. Altisiodorens. lib. 3. tract. 2. quæst. 5. *Et qui facit quidquid in se est semper dat gratiam, aliter non reciperet confugientes ad se*, & stare ad ostium vt pulsanti, & facienti quod in se est, & aperienti gratiam præbeat. Dixit autem lib. 2. tract. 11. c. 1. q. 4. *Si gratia large sumatur pro omni gratis dato à Deo, bene concedimus, quod liberum arbitrium non possit in opere de genere bonorum sine gratia*: illo vero si large accipiatur. Satis prodit se non loqui de gratia absolutè supernaturali, & per Christum vbi negat. *Posse nos sine gratia gratis data aliquod bonum operari.* S. Antonin. 1. p. tit. 4. c. 2. fine concedit viribus arbitrij præparationem, etsi non meritum ad gratiam. & tit. 13. c. 2. & 3. conferendam puero etiam iustificantem peruenienti ad vsum rationis si se ad debitum finem pro capacitate vsus rationis ætatis illius se ordinet, videtur autem p. 4. tit. 9. c. 5. § 4. necessitatem præuenientis omnino gratiæ ad iustificationem, & salutem recognoscite, & proloquium præsens de facienti quod in se est, *in quantum est motus à Deo*, explicat. Theophil. Rayner. consensit 1. sensus ex S. Thom. testimonijs datis q. 24. de verit. & in 2. d. 28. & Alex. in Pantheologia verbo *prædestinatio* c. 2. circa med. vbi meritum de congruo concedit verb. *spes*, c. 3. med. v. *gratia* c. 3. verb. *liberum arbitrium* c. 4. & 10. post med. verbo *liberatio à peccato*, c. 21. tamen c. 24. dicat, in præparatione ad gratiam nostram voluntatem esse gratiæ *pedissequam*, & med. *præparare ad gratiam esse Dei principaliter operantis, & mouentis liberum arbitrium & pulsantis ad ostium.* Arbitrij vero consentientis cooperantis, & aperientis. Ægyd. Rom. pro primo proloquij sensu immerito refertur ex 2. d. 28. q. 1. art. 1. fin. vbi ait. *Faciendo quod in nobis est, etsi non ex condigno, tamen ex congruo Dominus dabit nobis gratiam*: tamen cum articulo 3. corp. post. med. ni præcedente diuina vocatione, & bonis cogitationibus à Deo immissis, liberum arbitrium ad gratiam sufficienter mouerì posse neget, & idem explicatius doceat art. 4. dubit. 2. teral, sub init. constat non loqui eum de præparatione ad gratiam auxiliantem ex viribus naturæ, sed ad iustificantem & ex viribus auxiliantis gratiæ Dei. Paludanus etiam immerito in primum illum sensum ex viribus naturæ trahitur ex 4. sentent. d. 14. q. 2. quod attritionem solum virtutem moralem pœnitentiæ vndique honestam sufficientem præparationem ad gratiam iustificantem reputet: oporteret enim, vt illam ex viribus solis naturæ esse doceret, quod non docet. Capreolus etiam non æquius citatur ex 2. d. 29. art. vlt. col. penult. quod S. Th. testimonium referat ex 2. d. 28. art. 4. dicens: ad præparationem gratiæ iustificantis prærequiri gratiam gratis datam diuina prouidentia, nec differre quid illud sit, siue excitatio voluntatis à Deo siue occasio ægritudinis, vel quid huiusmodi: solum enim probat Capreolum ibi nec definire, nec disputare voluisse quid gratia illa necessario præueniens sit: & quamvis in 2. d. 40. art. 3. vers. finem videatur sequi sententiam Sanct. Thomæ de parte peruenientè ad vsum rationis, non explicat an ordinatio illius in bonum, ac debitum finem, qua fidei, & iustitiæ gratiam præparetur ex solis viribus naturalis rationis fiat, an ex gratia ad eam ordinationem, & motum in bonum prærueniente: sed tamen cum in 2. d. 28. art. 1. concl. 5. contract. S. Thom. pro gratiæ præuenientis necessitate ad quamvis præparationem ad vlteriorem gratiam consentiat expresse, & distinct. 29. art. 1. conclus. 4. med. præter general. Dei influentiam, & debitum naturæ auxilium gratiæ specialis & indebitæ ad bonum absolute nec quodvis requirat sicuti, & fine distinctionis, vbi nullum testimonium S. Thom. pro opposito sensu admittit, non sine gratia prærueniente exemplum illud & proloquium: facienti quod in se est admittere censendus omnino est.

4. Aliunde, tam Capreolus, quam Deza in 1. d. 18. in sensum ex viribus naturæ adducuntur à nonnullis: tum quia hic art. 1. concl. 2. ille q. vn. art. 3. ad 15. cum Gregor. Arimin. de necess. motionis, & gratiæ specialis Dei ad quodvis simpliciter, atque omni ex parte honestum moraliter requirant: quo, solo nomine gratiam videntur requirere: sed, vt diximus, valde de re, & veritate gratiam requirere: sed, vt diximus, valde de re, & veritate gratiam requirunt. Tum etiam, quia Capreolus sub eius distinctionis finem, & Deza concl. 4. ad 1. Durandi contra illam ex simili naturalis dispositionis ad inductionem formæ à naturali agente, respondent: probare propriam, & vltimam dispositionem ad gratiam esse à Deo non autem à facultate arbitrij: quare remotam dispositionem eius facultati taciti tribuunt, & Deza, cum ea conclusione docet, hominem absque speciali gratiæ Dei auxilio sufficienter se præparare non posse: insufficienter posse videtur admittere: sed male ex eo, quod vnum negent, alterum ipsos admittere arguitur: Caietanus plane sensum de solis viribus naturæ admittit 1. 2. q. 5. art. 6. toto maxime §. *Ad euidentiam*, & q. 109. §. *Non obstat*: asserens hominem non se disponere, ac præparare simpliciter ad gratiam, sed solum secundum quid ex parte sua & tom. 1. opusc. tract. 4. q. 1. de contrit. pertinet §. *ex quibus* collato cum sine corporis docet attritionem naturalem intrinsecè immutatam fieri dispositionem ad gratiam extrinsecus per gratuitam *Dei motionem & dilectionem qua dignatur vos nostra adquisita conuersione vt dispositione vltima ad suum proprium opus quod*

est charitas, quæ infunditur. Vnde aliqui Caietano excusationem prætendunt, pro S.Thom.Scoto, Gabriel. Durand. examinandam cert.2.Coniad 1.3.q.89.art.6. casum motus in bonum, & rectæ ordinationis in finem pueri in syluis enutriti possibilem admittit, eique, illa posita, de necessariis ad fidem,& salutem prouidendum; sed necessitatem gratiæ præuenientis ad eam ordinationem, & motum non excludit quam ad omnem dispositionem hominis ad gratiam constanter docet q.109 art.6. & q.112. toto articulo 2. & 3. Conradus alter de contractibus tract.7 q.100. concl.2. med.& argum 4. sub init. & fin. docet facienti,quod in se est non solum ex gratia sed ex viribus solis naturæ necessariam notitiam ad salutem esse concedendam. Ferrara,me iudice, Catholicum sensum de faciente, quod in se est,ex viribus non solius arbitrij sed gratiæ præuenientis simul constanter,& liquido retinet 3. contr.gent.c.149. & c.159. quamvis hic videatur nonnullis concedere dispositionem negatiuam ex viribus naturæ per quas non apponatur impedimentum peccando. Sed certe illud per vires naturæ ad peccati impedimentum refert non ad eius ablationem: ait siquidem Deum ex se præsentem esse gratia sua non solum in actu primo, sed in actu secundo, *pulsando & mouendo*: quare qui ex facultate arbitrij impedimentum ponunt peccati, & Dei pulsatione & motione in eius sententia non peccando impedimentum ad gratiam,& salutem auferreat. Magister Victoria immerito etiam pro sensu facientis, quod in se est ex viribus solis naturæ venisse refertur à nonnullis ex relect. vlt. de præuenientibus ad vsum ration.p.3. post propos.3.num.14. quod doctrinam S.Thom.de puero in syluis nutrito, & gratiam iustificationem statim obtenturo, si bonum appetat, & malum auersetur referat nec impugnet, non enim ait eam conuersionem ad bonum, atque fugam à malo ex viribus solis naturæ fore, sed ad eam sequuturam pueri iustificationem, vt ait S. Thom. vadecunque illa prouenerit, de quo non disputat. Refertur etiam Can. relection.de pœnitentia p.5.longe à med. §. *Tertio etiam attrito*,quod doceat, *attritionem ortam ab amore naturali Dei super omnia fore esse dispositionem idoneam,vt virtute baptismi & pœnitentiæ gratia conferatur.* Verum, etsi his Canus à vero aberret, quod amorem Dei super omnia naturalem admittat, ad præsens autem non errat: nam dispositiones ad iustificationem in sacramento percipiendam ex Dei arbitratu,& absque vlla de se proportione,adhuc remotissima, tales sunt,vt constat in ablutione ad Baptismum, & aliis multis. Melius pro eo sensu adducitur ex relect. de sacram. in genere p.2.vbi, licet versus med. de init. iustificationis non, nisi ex gratia Dei, recte loquatur tamen inter princip. & med.§. *Ad primum vero*, & clarius inter med. & finem, §. *Igitur illa opinio*, & vniuersim, facienti quod in se est ex naturæ viribus,tam in lege naturæ, quam gratiæ auxilia gratiæ ad iustificationem à Deo collata conferendaque esse fatetur,& puero etiam in syluis enutrito.

5. Dominicus Soto in eodem sensu axioma illud, *faciendi quod in se est*, accepisse refertur ex 4. d.18. q.3. art.3. & Cano deterius: quia attritionem prorsus naturalem ex metu amissionis temporalium esse sufficientem dispositionem ad iustificationem in sacramento obtinendam: in quo,etsi aliunde peccet, non tamen in præsente quæstione, vt in Cano dicebamus nuper. Aberrauit tamen in illa 2. de natura & grat. c 3. sub init. vbi opus moraliter bonum ex viribus solum naturalibus asserit esse dispositionem impropriam,saltem sufficientem,& remotissimam ad iustificationem extra sacramentum; imò, & *viam de se sternere ad charitatem.* Quibus *improprietatem* eius à se dictam pro insufficientia, & improximitate non toto improprietatis rigore ostendit: nam, quod de se tale ad aliquid est, ac se habet rigide impropriùm non est, subdit: *præsertim, si in huiusmodi se operibus peccator exerceat intentione flectendi Deum, qui durum sibi cor emolliat ad pœnitentiam, quem nimirum sinem sicuti, & honestos alios potest sibi naturaliter præstituere*, & solutione ad 1. ait, *hominem ex naturalibus habere detestationem quæ sit remotissima dispositio ad gratiam*: & lib.1. c 21.col 2. idem de omni opere moraliter bono ex naturalibus solum habito docuerat & c.21. sub init. & lib.2. c.12. fine: quare etsi axioma de faciente quod in se est ex Dei præuentione illiusque cooperatione catholicè interpretetur c.illo 3.circa fin. in frequentem sibi oppositum sensum c.12. relabitur & in cap.1. ad Rom. ad illa verba, *ita vt sint inexcusabiles*, & in 4. d.1. q.2. art.3. circa med.ante argumentum 2.S.Thom.Ioan. VVigerius Dominicanus etiam in eodem sensu proloqui ex viribus naturæ fuit c. 18. instit. §.4 init.vbi hæc: *Præparatio ad gratiam fit per speciale auxilium Dei quod semper est præsens homini facienti quod in se est.* Loquitur autem de præparatione proxima, & auxilio parato ad illam in actu primo nondum tamen præstito,vt *quantum in se est faciat*, vt continuo explicuit. *Dicitur autem facere,quod in se est,quando cessat à peccato,& anhelat ad bonum rationis*, id est rationis naturalis dictamini, & virtuti conforme, & proportionatum, vt clarius explicat inferiuscule dicens: *Cum concursu generali mediante syndereſi, & assistente fide possumus aliquomodo conari ad bonum, licet non possimus perficere*, ac infra: *sit conati Deus sua proclamata misericordia adest & conuertitur ad eum suo auxilio speciali, quod dicitur gratia præueniens.* Delphinus 4.de libero arbitrio circa med.sub tit. *quanta sit nunc potestas arbitrij & quid sit hominem facere quod in se est?* Censetur sensui ex viribus arbitrij consensisse concl.1. pag.161. quod S. Thom. doctrinam de puero in syluis educato in fide, & necessariis ad iustitiam & salutem ex Dei gratia instruendo,si se recte ordinet ad bonum approbet,& lib.5.de iustificat.post med.in q. *Possintne, qui Euangelij prædicationem*, verbis Alexand. datis, & dandis Gabrielis confirmet: sed cum vtrobique inferius,& maxime in postremo sape, præsertim pag.193. & 205. asserat nullam præparationem ad gratiam, nisi ex auxilio gratiæ esse posse eis Doctoribus in infallibilitate auxilij necessarij ad fidem, & salutem consequendi ab illo, qui se ita præparauerit, consentit; secus vero in eo, quod præparatio illa è sola facultate naturæ sit. Eius etiam sensus suspicio amouenda est à Bartholomæo Medina 1.2. cum, vbi magis videtur inclinare, vt q.89.art.6 ad 2.arg.Capreoli,& q.109. art 6. ad 2. & 3. valde in sensum bonum explicabilis loquatur. Tum etiam: quia q.76.art.2.ad vlt.arg.expresse ait. *Deus dat vniuersis hominibus sufficiens auxilium, vt recte, & studiosè vitam instituant: quod si facerent sine dubio illuminarentur*, & q.109. art.10. post solutionem 4. rationis obiectianis cuidam respondens addit ad hunc fin. *Præberi à Deo omnibus hominibus diuinarum inspirationum vicissitudines.* Etsi autem finis ille virtutis moralis ab ipso dicatur, ac proinde qui ad virtutes morales gratiam Dei per Christum (quam entitatiue & secundum substantiam supernaturalem putantes se debere) non requirunt, cum in malum sensum interpretentur, ipse tamen melius censet gratiam specialem,& quoad modum (quod satis est) supernaturalem ad virtutis moralis cuiusvis actum requirit, atque expresse præparationem per illos quamvis, ad fidem, iustitiam, & salutem antecedere, ac præuenire profitetur: quo in præsenti peccare nequit; tametsi in principio illo non melius ipsis, sed deterius opinaretur.

6. In eodem sensu de viribus solum naturæ fuisse arguitur. Magister Bañez 2.2 q.10.art.1.med. respons. ad 4. quod dixerit: qui nitatur, quantum in se est, & proponat toto vitæ tempore secundum rectam rationem agere, pie credendum esse illuminandum illum,& iustificandum per gratiam,sed cum 1.p.q 23.art.3.dub.3.dixerit expresse de præparante se ad fidem,& iustitiam certo consequendam per conuersionem ad bonum, & fugam à malo cum ad vsum rationis peruenerit, verum solummodo esse posse, si ea præparatio ex gratia præueniente Dei esse asseratur, non citra eius iniuriam de eo ita censetur: quamvis auxilium illud præueniens vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis per immissam à Deo inclinationem in bonum ex naturali rationis lumine cognitum esse posse dicat, in quo de entitate physica gratiæ præuenientis decipi, vt summum potest; non autem circa præuentionis eius necessitatem. Argentina etsi in 1. d.7.art.3.post med.dicat facienti,quod in se est nunquam defuturam à Deo fidei suæ manifestationem, & infusionem gratiæ Spiritus Sancti, ac Deum, vt ita ille faciat, & ad eum eiusque gratiam redeat, prius admonere per gratiam præuenientem, & spirituales impetus loquitur tamen

tamen de proxima dispositione, & præparatione ad fidem; siquidem dist. 41. q. vn. art 2. §. *Respondeo quod Augustinus*, & ad 2. & 3. rationem docet opera virtutum moralium ex sola arbitrij facultate, & generali influentia esse absq; gratia præueniente posse, & esse etiam cum de congruo merito, nec abusiue gratiæ, & prædestinationis, quod de merito & præparatione remota saltem nec à Deo proxima debet intelligi. Hoc ipsum de merito congruo gratiæ ad auxilia gratiæ vlterioris ad actus supernaturales atque ad prædestinationem & gratiam asseruit Chrysostomus Iauellus in operibus moralibus ex pura arbitrij facultate elicitis comment. de prædestin. ad q. 23. 1. p. c. 5. vt ex toto contextu constat: tametsi speciale Dei auxilium ad ea opera vocet; illud siquidem naturale debitumque naturæ esse declarat. Nauarrete 1. p. q. 19. art. 8. controu. 23. pag. 457. ait, *licet, quando viribus naturæ facit homo totum quod in se est non se disponat ad gratiam, quæ ex natura sua & necessario exigat gratiam, sed solum pie credendum sit, quod Deus non denegabit gratiam, seu auxilium supernaturale; tamen aliquo modo dicitur præparatio illa dispositio.* Didacus Aluarez 7. de auxiliis d. 56. & 57 doctè, & catholicè pro necessitate gratiæ præuenientis ad initium iustificationis, quantumvis remotum, ac subinde prædestinationis decertat: trahere tamen illum (vt alias) in sensum de faciente, quod in se est, è sola naturali arbitrij facultate contendit Ruiz noster d. 21. sect. 6. à n. 33. quod doceat opera entitatiuè naturalia ex obiecto virtutum moralium, ac subinde neque auxilium gratiæ supernaturale, quoad substantiam, requirentia, sufficere ad iustificationis exordium: quasi inde negandum sit ex gratia Dei per Christum supernaturali, quoad modum, debere procedere: insuper quia d. 77. concluf. 2. asserat industriam ministrorum Ecclesiæ exhortando, prædicando, &c. esse causam regulariter, & sine qua non, tametsi non principalem, interioris vocationis, & inde subortæ conuersionis, quæ tamen industriæ nequeunt de se supernaturale aliquid in vocato, & conuertendo producere, qua etiam de causa S. Thom. 1. 2. q 112. in necessitate gratiæ præuenientis præparationem ad fidem, & gratiam iustificantem iam assertam, non satis firmum steriisse, & alios Doctores iudicauit. Quasi Deus qui agens principale internæ vocationis ab eis asseritur naturali causæ cooperans supernaturale aliquid sua vtens absoluta potentia, nequeat in eius consortio producere: maxime supernaturale, quoad modum, quod esset ad rem præsentem satis.

7. Dominicanis hisce continuato recitatis, qui ex recentiore ipsorum schola esse constanter voluit, de eius proloquij sensu examinandus est Mercenarius Zumel in 1. 2. q. 89. art. 6. d. 2. p. 2. dicto 4. maxime §. *sed obseruandæ valde* &c. d. 3. p. 2. confirmatione primæ conclusionis d. 4. præsertim d. 4. conuersioni per lumen naturalis solum rationis, ex quo puer statuat secundum rectam rationem viuere, & malum fugere statim eum esse à Deo illustrandum, & mouendum efficaciter ad omnia, quibus infallibiliter iustitiam consequatur, & quamvis hoc limitet q. 113. art. 4. ad 2. post maiorem explicationem conclusionis 4. & 5. dicens, cuivis ad vsum rationis peruenienti Dei auxilium ex parte intellectus, & voluntatis adesse, vt ita bene moraliter conuertatur, ac ponat iustificationis initium; ait tamen eundem illum actum conuersionis in adulto absque eo auxilio Dei, ac puris naturalibus poni absolute posse: quare & posse absolute poni iustificationis initium, consequens in eius doctrina est, vbi etiam sententiam illam primam voluit temperare, quæst. item 109. a. 6. q. vn. post concl. 4. §. *hæc assertio*, vbi infallibilitatem consecutionis necessariorum ad iustificationem ex conuersione facientis, quod in se est, assertam retractat in sensum facientis quod in se est ex viribus solis naturæ expresse relabitur scribens: *Quamvis ex operibus misericordiæ cessatione à peccato eiusque imperfecta detestatione & ex aliis bonis operibus viribus naturæ præcisè factis inuitetur diuina misericordia, vt conferat auxilia pro conuersione ex mera gratia, & mera liberalitate, non tamen esse id ex lege vniuersali & infallibili Dei.* Nec longe ante concluf. 5. *eiusmodi opera esse ait impetratoria & per modum impetrationis inuitando diuinam misericordiam impetrare auxilia.* Verum quidem est hunc Doctorem, tam ante, quam post recitata necessitatem gratiæ omnino præuenientis assipositionem, præparationem, & impetrationem entitatiuè ad iustificationem, atque ipsius initium asserere: quare nihil de eius constante sententia, ac mente deprehendi præter contradictionem potest: vt plerumque euenit iis qui noua tam ex conceptis, statutisque sibi principiis fiunt, sed ex librorum in quos incidunt lectione & sententiis transcribunt: ex scholis & familiis aliis alienantem examinauimus n. 2. vt Alexand. Alens. & Bonauentura ex Franciscanorum familia. Sed iam ex Scotica & Nominalium, plerumque Franciscanorum, aliorumque scholis super hoc proloquio Doctorum sensæ aperiendæ sunt. Sed prius referendus est Henricus quodlib. 4. prius q. 9. post med. scribens: primam gratiam non habere entitatem meritoriam, *nisi congrue; non propter quam, sed sine qua non, conferatur vni prima gratia gratum faciens, quæ alteri denegatur cum apud Deum non sit personarum acceptio.* Nota Massilienſium rationem, ac nomine gratiæ gratum facientis non formaliter sed motiue, & auxiliariter intelligere quodlib. 5. q. 20. post med. negat peccatorem posse diu stare in detestatione peccatorum, & aliorum actus bonos morales ad quos *facultate, & viribus naturæ potest, quin Deus moueat liberum eius arbitrium aliquo motu gratiæ gratis datæ, vt bono simpliciter efficaci*; sub infra. *Ad talem autem statum diuturnitatis in bene moraliter, quilibet potest venire faciendo quod in se est* (per vires vt explicuerat naturæ) *Et in hac, quantum est ex libertate arbitrij potest alium præuenire, vel simul cum ipso accedere*: ad gratiam auxiliantem, ad consensum simpliciter, & perfecte in bonum.

8. Scotus in 4. d. 41. q. 2. art. 2. vers. 5. seu § *Ad hoc intellectum* docet peccatorem quemvis, etiam infidelem, ex naturalibus posse cognoscere peccatum, vt offensiuum Dei, præmij impeditiuum, & inductiuum supplicij, & obinde ipsum detestari detestatione vndequaque totaliter absolute, & simpliciter honesta; subditque. *Ita modus dicitur esse attritio, & est dispositio sine meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis*; & concludit. *Ita ter esse difficile saluari, quod apud Deum non sit acceptio personarum*, vt Massilienses aiebant; & in 2. d. 28. q. vn. prope solut. argumentor. agens de præcepto dilectionis Dei super omnia ait. *Quandoque voluntas ultimum finem præcepti exequitur, licet informis, & disposita sic de congruo ad gratiam gratificantem, seu oblatæ, vel resistit, & peccabit mortaliter, vel consentiet, & iustificabitur.* Vbi de voluntate sola, ac sine gratiæ auxilio loquitur & gratiam gratificantem non formaliter gratificantem, sed auxiliantem ad actum supernaturalis dilectionis Dei super omnia, quæ vltima dispositio ad formalem iustificationem, eique connexa est, intelligit: siquidem assistentiæ solum gratiæ resistentia, vel consensus voluntatis effectus potest, non autem gratiæ formaliter iustificanti & gratificanti, quæ nihil motionis, vocationisque habet, cui vel consentiatur, vel resistatur: sed ipse clarius ostendit loqui se de voluntate nuda Deum super omnia diligente. Nam de hac dilectione Dei super omnia agens in 2. d. 27. q. vn. art. 3. ex instituto probat liberum arbitrium per solas vires naturæ posse eam elicere. De Occamo Nominalium Principe nihil est firmum, vt eum ex variis naturæ axioma intellexisse iudicemus, adhuc in 1. d. 41. q. vn in primæ sentent. impugnatione eius eum versensum venit apertus & frequentissimus insignis eius discipulus Gabriel in 1. d. 41. art. 3. dub. 1. docet vtum actum, scilicet liberi arbitrij, esse dispositionem de congruo ad media prædestinationis, quo deficiente, gratia non infunderetur in 2. d. 22. q. 2. art. 3. facienti, quod in se est, per vires naturæ dandum esse gratiam d. 27. q. vn. art. 2. concl. 4. etiam infidelem per naturæ vires consensum ad Deum, gratiam de congruo mereri dub. 4. facienti, quod in se est per naturæ vires de lege gratiam conferri in 3. d. 27. q. vn. art. 3. dub. 2 proposit. 1 statuit dilectionem Dei super omnia ex arbitrij naturalibus viribus haberi posse, & proposit. 2. *Præceptum amoris Dei super omnia potentia ordinaria non posse stare sine gratia; quia secundum legem ordinariam cuilibet facienti, quod in se est, & per hoc dispositio ad gratiæ susceptionem Deus infundit gratiam*: intelligit autem dispositionem vltimo per eum necessariam, & ad gratiam formaliter iustificantem. Ne vero rem, & ad gratiam formaliter iustificantem. Ne vero de hoc dubitaretur, fere statim subdit: *Hunc amorem quia*

quia est actus perfectissimus omnium actuum ex naturalibus haberi possibilium, esse immediatam, & vltimam dispositionem ad gratiæ infusionem. Maior in 2. distinct. 28. quæstione 1. colum. 12. ad argumentum 17. §. *Ad fornam*, ait, *si adultus mediocriter vtatur naturalibus, licet interdum non habeat auxilium speciale, datur ei alio tempore: dummodo bene vtitur naturalibus*: sabinferius: *si bene vtatur naturalibus illi datur præuenire supernaturalia*, & columna sequente de Magdalena, & Paulo agens, *qui optime vsi sunt quatenus Deus eis assisteret*, tametsi id non de lege fieri dicat, cum asserat alios æque bene vsos fuisse relictos. Marsilius eiusdem sensus arguitur, quia in 2. d. 28. articulo 3. sine dixit. *Hominem Dei auxilio præuentum posse ex puris naturalibus mereri primam gratiam de congruo.* Si autem ea, quam meretur prima gratia est, auxilium, quo ad illam promerendam præuenitur à Deo, gratia in eius sententia absolute non est: sed tamen docte Marsilius duplex gratiæ indebitæ naturæ, & supernaturalis proprie, & absolute talis genus distinguit: alterum quoad modum solum supernaturalis, & hanc ad opera virtutum moralium requirit, atque speciale proinde auxilium Dei vltra generalem influentiam (in qua omnia Dei auxilia naturæ vndecunque debita claudit) atque sine specialis eius auxilij præuentione: quare, & sine gratia Dei nihil arbitrium nostrum boni agere posse Catholice, & constantissime statuit eo articulo conclusione 3. & 4. & post articulum 4. ad septimum argumentum. Alterum vero genus est gratiæ supernaturalis quoad substantiam, & hanc sub meritum congruum operis boni ex speciali auxilio illo gratiæ, quoad modum solum supernaturalis, Catholice etiam docet.

9. Eadem de causa de eodem accusatur sensu Gregorius Arimin. floridus, etsi vetus, scholarum delicium in 2. d. 28. articulo 1. vbi ait, initium quodvis etiam remotissimum iustificationis, nisi ex gratia esse non posse, quia absque eius præuentione nihil, in genere motis adhuc, bonum absolute tale immo nihil non malum absolute agere possimus. Ex quo doctrinam recitatus proxime desumpsit, sed male inde vterque in sensum ex viribus solis naturæ trahitur, vt in simili supra alios excusantes ostendebamus. Richardus pro eo sensu merito recitatur, quia in 1. d. 28. articulo primo, quæstione secunda ait. *Loquendo de remota, & indirecta dispositione liberum arbitrium per sua naturalia cum sola generali motione primi momenti potest se ad gratiam gratum facientem disponere.* Quibus consequenter d. 41. articulo secundo, quæstione secunda possibilius censet dari dispositionem remotam & meritum congruum è puris naturalibus ad prædestinationem expresse. In eundem consensit sensum Ioannes Bachon Carmelita in 1. d. 41. quæstione vnica circa fin. meritum congruum prædestinationis arbitrio è sola generali Dei influentia concedens Durandus in 2. d. 28. quæst. 5. ex professo tuetur viribus solis naturæ absque speciali adiutorio motioneque Dei nos disponi posse ad gratiam, vtique immediate, & sufficienter: quia, inquit, etsi natura & gratia supernaturalis diuersi ordinis sunt, non obest quominus vnius ad aliud ordo sit immediate dispositiuus: vt agentia corporea diuersi, & inferioris ordinis, atque anima, ordinem tamen, & facultatem habent disponendi immediate ad infusionem animæ à Deo: addit vero id meriti, & dispositionis ad gratiam prædestinatis non, nisi ex speciali Dei prouidentia contingere, quæ pars prædestinationis sit, complectentis quidquid quouis modo hominem iuuat, vt salutem, & finem prædestinationis assequatur: in quo additamento sibi contradicit. Siquidem totus obiectiuus ambitus prædestinationis, vltra gratiam specialem prorsus indebitam naturæ, eiusque effectus non extenditur, extra quam motio illa solum generalis, & naturæ arbitrij debita, atque inde ortum meritum, & dispositio proxima ad gratiam sunt, esseque Durandus statuit. Mitto apparentem aliam horum contradictionem cum eo, quod dixerat in 1. d. 39. quæstione tertia fine. *Deum scilicet omni creaturæ rationali contulisse auxilia per quæ potest vitare mala culpæ & impedimenta suæ salutis.* Intelligit enim auxilia hæc arbitrium, præcepta & consilia præcisè, quæ omnibus dari, ait, d. 46. etsi specialis motionis Dei, & adiutorij interni, in quibus Dei gratia est, pluribus negari ibidem dicat, quo similis species contradictionis eiusdem Durandi 4. d. 14. quæstione prima de pœnitentia omni ex parte honesta euanescit. Eiusdem sensus reus agitur Dionysius Carthusianus in 2. d. 27. quæstione tertia ante medium, dum tacite Richardi sententiam relatam dum non impugnat videtur approbasse de dispositione & merito remoto, & secundum quid gratiæ infidelis etiam facientis quod in se est, eaque distinctione dispositionis mediatæ aut remotæ, & immediatæ ac propinquæ putat Richardi, Sancti Thomæ in sensu priori, & Durandi sententias posse componi; sed tamen non docet expresse facienti quod in se est absque speciali motione vltra communem, & debitam naturæ eam dispositionem remotam & meritum secundum quid gratiæ possit contingere: quare piæ explicationi locum reliquit. De eodem sensu damnatur Dionysius alter Cistersiens. in 2. d. 27. quæstione vnica, articulo primo, notab. 2. quod dixerit. Gratia gratis data specialisque non est gratum faciens, sed quæ stat cum peccato mortali, potest dici *quodlibet auxilium ad actum bonum bonitate præcise morali sicut habitus scientiarum, vel reuelatio & huiusmodi.* Cum autem (inquit Ruiz citata d. 21. sectione 4. numero 13.) habitus scientiæ naturalis prorsus sit, vt Dialecticæ, Philosophiæ, &c. & viribus naturæ adquiribile: ergo auxilij specialis nomine, quod præuenire necessario merita omnia, & præparationem quamvis ad gratiam asserit, naturale prorsus auxilium, & facultate sola adquiribile intelligit: quare cum eo articulo conclusione 4. & articulo 2. conclusione 1. & sequentibus, & articulo tertio, Corol. 1. & 2. docet gratiæ specialis præuenientis necessitatem merita, & dispositiones qualvis ad gratiam (vti etiam docuerat d. 25. quæstione secunda, articulo primo, conclusione 5.) nihil naturæ & facultati nostræ naturale indebitum requirit. Sed vero adhuc piam interpretationem patitur: cum enim expresse toties necessitatem gratiæ præuenientis Catholice ad merita, & præparationem gratiæ & ante illum textum, & postea requirat: non ad id ipsum naturale prorsus, atque omni ex parte solummodo requisisse credendus est; sed habitus scientiarum supernaturales saltem quoad modum: quod inde suadetur, quod eos cum reuelatione naturæ indebita, immo fide supernaturali potius interna reuelationis nomine significata coniunxit. Secundo illo *sicut* non designasse materiam gratiæ specialis Dei præuenientis, nempe per internam illuminationem & motionem qualem habitus scientiarum & reuelatio in intellectu causant. Neque enim habitus scientiarum vniuersim ad opus morale mouere vir doctus iudicabat, qui plerosque scientiarum habitus speculatiuos esse cognoscebat.

10. Potiori iure pro eo sensu refertur Gerson 1. parte, Alphab 65. littera G, tractatu de vita spirituali lect. 1. dicens: *Nolo negare, quin anima possit ex sua virtute naturali bene moraliter agere, & faciendo quod in se est, se ad vitam gratiæ disponere.* Vnde apertius redditur (quod excusari vtcunque in alio sensu poterat) eodem malo sensu illud ab ipso dictum Alphabetum 24. in regula moralium littera M. *Nulli facienti, quod in se est, (hoc est bene vtenti donis iam habitis) deest Deus in necessariis ad salutem; siue illa sint credenda, siue operanda.* In eundem sensum citatur Alphonsus Tostatus vulgo Abulensis, quia eius Episcopatus sacris infulis fuit insignitus in cap. 19. Matth. quæst. 181. ad 4. & in c. 21. Matth. quæstione 211. vbi ait facientibus, quod in se est, Deum præsto adesse, vt gratiam, tum ad fidem prærequisitam, & auxiliantem ad reliqua opera supernaturalia, tum gratiam ipsam formaliter iustificantem impertiatur, cæterum vtrobique ait Deum semper vt faciamus quod in nobis est vltra naturales vires rationis, & arbitrij pulsare interius, præueniendo: quare ad quamvis præparationem ad fidem, & supernaturalia, quoad substantiam dona, gratiam Dei prærequiri expresse fatetur: ac subinde nec iustificationis, nec prædestinationis initium sub merita congrua iustificandi, & prædestinandi posse vllatenus venire. Adam Goddam in 1. d. 17. quæstione prima, dubio secundo, fine docet amorem Dei super omnia & aliorum ob ipsum naturaliter haberi à nobis posse,

subditque: *Existimo quod semper in habente notitiam necessariam ad salutem, eo ipso Deus infundat gratiam, (quia scilicet faciendo, quod in se est, naturaliter ita Deum amabit) nec aliter potest esse de ista lege statuta*: Nempe facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Quibus non solum remotam dispositionem initij iustificationis, sed proximam præparationem meritum, & dispositionem formalis ipsius iustificationis operi ex propriis solum & naturalibus arbitrij viribus concedit. Nicolaus Orbellis in 2. d. 27. & 28. art. 2. Richardi memoratam sententiam & sensum ex propriis solum viribus sequitur. Bononia in 2. d. 29. q. vnica fine. *Existens in peccato mortali sine gratia, si facit quod in se est, & quidquid potest ad hoc vt non pecret vitat omnia peccata: quia ex hoc ipso gratia Dei infunditur*: ipsum verò loqui de faciente, quod in se est viribus naturæ ex contextu constare fides penes nostrum Ruiz sit proxime numero 23. Refertur etiam in eum sensum Hadrianus quodlib. 4. quæst. 1. §. *Ad sciendum autem*, vbi ex Psalm. 143. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & deprecationem eorum exaudiet*: & gloss. ad Rom. 5. qui iniquitatis Deum arguendum fore ait, si refugientes ad se non reciperet, doceret: & paratum esse Deum succurrere facienti quod in se est in necessariis ad salutem vel ministerio hominum, vel auxilio alio suo ipsum iustruendo; sed certe neque ibi, neque quolib. 7. quæstione 4. med. vbi dilectione Dei super omnia poni nos in statum salutis ait, excludit auxilium præueniens, cui cooperetur, quantum ex se est, faciens, vel Deum super omnia diligens. Abertus Pighius refert à fide dignis Doctoribus (teste Ruiz sect. 5. num. 2. scripsisse lib. de libero arbitrio contra Caluin. pag. 99. facienti, quod in se est, per vires naturæ Deum conferre auxilia gratiæ: aliis verò locis citatis à Ruiz idem post med. §. *Neque hoc recte*, etsi nostras præparationes, & opera dispositiones ad recipiendum Spiritum Sanctum, si adsint, & non recipiendum, si desint, dicat: tamen eas dispositiones ex puris naturalibus esse non explicat; tametsi medelam, & sanitatem misericordiæ, & gratiæ Dei antecedere dicat: gratia enim formaliter iustificans medela, & sanctitate propriè, & formaliter significatur. Immò vero superius fidem, vt ad Deum regrediamur, & misericordiam imploremus, longe antea requisierat. Driedo lib. de concordia lib. arbitr. cum prædestinatione p. 2. c. vlt. §. *Hic iam, si dixeris*, sensum proloquij ex viribus solis naturæ tradit, vt pie credendum sit ita facienti, quod in se est, Deum gratiæ auxiliis etsi non illico tandem ad futurum tametsi de captiuitate & redemptione generis humani tractatu 4. capite secundo, parte 3. vsque ad finem, & parte 4. & parte 8. memb. 2. sentent. 3. & 5. & m. 4. conclusione prima, sed præsertim, & explicatius tractatu 5. capite secundo, vers. fin. fol. 126. explicet de sola remotione impedimenti peccatorum in quæ ni faceret, quod in se est, incurreret, quibusque magis distans à præparatione ad gratiam, atque ea minus dignus redderetur.

11. Richardus Tapper de libero arbitrio, articulo 7. circa med. §. *Doctores autem*, scribit. *Quod tamen etiam Deus adest facienti, quod in se est ex puris naturalibus ad illustrationes & instinctus diuinos, ad quos ex immensa erga peccatores charitate inuitatur, non autem ex vllo merito aut dignitate pie creditur; sed, quod semper, & quasi infallibili ordinatione eis adsit, vt necessaria salutis largiatur, diximus superius ex scripturis non certo constare posse, pie tamen hoc confidimus.* Et hîc quidem meritum omne, & dispositionem positiuam ad gratiam vllam ex necessariis ad salutem: quare, & ad primam auxiliantem, initiumque iustificationis, & salutis, ac subinde prædestinationis naturæ viribus denegat, secus autem dispositionem negatiuam per impedimenti peccatorum ablationem, quam tacitè exclusione positiuæ dispositionis tantum, satis fatetur, & anteriori, posterioique contextu expresse facultati naturali arbitrij concedit. Castro de lege pœnali libro secundo, capite 14. columna 5. & 6. ignaro de Mysteriis, & necessariis ad salutem, facienti tamen, quod in se est, non esse permittendum tandem, vt sine fidei notitia moriatur; &, si non protinus illi detur, dandam vero illico gratiam, quæ cum gratum, & iustum formaliter faciens non sit (auxiliantem intelligit) eamque ad faciendum: auctorius, quod in se est datam, dandamve necessario esse videtur negare: ac proinde de faciente, quod in se est, ex puris naturalibus, & sola arbitrij potestate loqui videtur Ioann. Medin. Cod. de pœnitent. tract. 1. quæst. 1. §. *Nunc ad motiua*, sine pro eodem sensu refertur, immeritò tamen. Tum: quia de fide supernaturali loquitur, quam ex viribus solis naturæ haberi posse ne Semipelagianis quidem, nedum Catholico alicui Theologo nonit in mentem. Tum: quia gratiam solum super abundantem & extraordinariam excludit Michaël de Medina 3. de recta in Deum fide c. 1. inter princ. & med. ab eo sensu ex viribus naturæ, tametsi de reliquo textus excusari benignè posset, ob Semipelagianam rationem, qua suum effatum probat, & concludit inexcusabilem se reddit, sic enim ait. *Quod* (scilicet alius in fidem veniat, alius in infidelitate fordescat) *quanquam quidem in diuina iustitia inscrutabilia reducant: ego tamen nullum in meritis, vel demeritis, qualia ante fidei adventum, vel postea per vsum fidei suscipiendæ haberi possunt referre: quod eam opinionem quæ à prædestinatione nostra excludit ex animo oderim. Nec enim possum aquo animo ferre Deum maiori affectu ad quemcumque hominem trahi, quàm ad alium.* Vega 6. in Trident. c. 17. & in fidei ignaro adulto sequente honestum, & fugiente turpe ex sola legis illius cognitione naturali, & humano modo habita, Deum præsto adfuturam gratiæ formalitèr iustificantis infusione fusè docet, & probate contendit: quo benigne interpretationi viam occlusit, & iisque libro 13. capite 12. columna vltima scripsit. *Vt hoc argumento possemus conuincere, quemlibet virorum posse secundum legem communem conuerti: quia nullus est virorum, qui non possit bene vti naturalibus: si autem qui hoc fecerit Deus qui nemini deest facienti, quod in se est, auxilium sine dubio præstabit sufficiens ad veniendo supernaturalia.* Constat enim ex asserta prius atque ex instituto à se probata doctrina illud *ex naturalibus, & facienti quod in se est* absque vlla gratiæ præuentione, cui ex naturali sua facultate voluntas cooperetur ab eo intelligi. His tamen contradicit ipse lib. de iustificatione c. 7. proposit. 1. 2. & 5. & solut. ad 2. argumentum contra illam & libro 8. c. 11. asserens, in naturalibus nullam vim meriti de congruo, aut dispositionis ad gratiam: tametsi male, eo libro 8. c. 5. 11. & 15. neget meritu congruo gratiæ rationi obesse. Cordubalibro 2. quæstionar. de ignorantia quæst. 4. maxime propos. 3. probata, & 7. & longe inferius, §. *Ad commune autem* eundem sensum ex viribus naturæ facienti, quod in se est, Deum non defuturum gratia sua supernaturali, vt ipsam supernaturali dilectione super omnia diligat, & obiecto humaliter iustificetur Proloquium intelligit, & quæst. 2. ad 4. argument. ait, facere *in hunc sensum facienti, quod in se est, per vires naturæ Deus non denegat gratiam: quia præsto est Dei auxilium illustrantis hominem & mouentis ad cognoscendum, & amandum illum, vt finem supernaturalem, & ad se vltimate, & perfecte diligendum ad gratiam*: iustificantem scilicet. In eum etiam sensum incidit, dum ei in Cassiano medicinabatur Ciaconius annotationibus in ipsum proposit. 2. citaturque pro eodem sensu Antonius Pantusa libro de prædestinatione & gratia capite 6.

12. Matthæus Fælisius d. 24 institut. Christianæ can. & 21. Calderarius in Psalm. 50. lect. 1. eidem Scholastico axiomati sensum ex viribus naturæ male texto dicenti inseruit. Ioannes à capite fontium assertione Catholica de libero arbitrio sub med. non ita clare pro eo sensu loquitur, vt Catholice intelligi optime nequeat. Palacios in 2. d. 29. disputatione 1. fine actioni, operique omnes puris naturalibus elicito rationem dispositionis directæ etiam remotæ, negat: sicuti toto contextu disputationis, in quibus tacite rationem indirectæ dispositionis admittit: immò & expresse colum. 7. & 8. quatenus se ita admittit: immò & expresse colum. 7. & 8. quatenus se ita naturæ viribus bene vtens minus, quam male vtens gratia indignum reddit, eius verba, §. *Iam vero sane. Nam, qui ad modum prædictum vitam suam moderatur infidelis, faciliorem habet transitum, vt illuminetur ad Christianam pietatem quam qui corruptam vitam degit.* Carthagena de prædestinatione disputatione octauo circa med. §. *Respondendum igitur*, quandoquidem

homo fecerit, quod in se est, iuxta id, quod potest, siue per vires naturales, siue per vires supernaturales, Clementissimus Deus illuminabit illum vt credere possit. Nec ideo equidem assero illud operari, quod in se est per vires naturales esse verum, infallibilem, rigorosamque dispositionem ad gratuita dona; sed certe congruitatem quandam, qua potius se tenet ex parte diuinæ bonitatis, quod post pauca magis explicat dicens ad iustificationis, ac subinde prædestinationis initium, *naturam concurrere per modum remouentis impedimenta: qui concursus est accidentarius.* Quibus duo docet, quæ nostri Ruiz d.15. ex instituto, & sæpe obiter d.21. & explicatius d. 22. sensum Catholicum, & ab omnibus admittendum habere posse docet. Nempe opera nostra ex viribus naturæ solis facta esse occasionem, non quidem Deo à nobis oblatam, sed ab ipso arreptam ad gratiæ collationem, id valent verba illa Carthagenæ, *congruitatem quandam, qua potius se tenet ex parte diuina bonitatis.* Secundum disponere ad gratiam tantum remouendo impedimenta peccatorum, quibus maior gratiæ recipiendæ indignitas adesset: id continent verba Carthagenæ postrema, & alij ex recitatis dixerant: propterea à Ruiz laudati in hoc Doctorum cathalogo Doctores nostræ societatis omissi: quia ij fere omnes plenius, planiusque quàm alij eius proloquij Catholicum, & dogmaticum sensum expresserunt, vt certamine tertio videbimus. A quibus Didacum Ruiz non excludo, licet nonnulla præsenti difficultati inutilia cum præmisisse d. illa 15. & d. 21. explicasse vel replicasse videam: de quo certamine sequente: sed nec Cardinalem nostrum Toletum in cap. 8. epistola ad Roman. annot. 31. vers. fin. etsi ait. *Quamvis aliquam causam esse affirmemus ex parte hominis, propter quam hos Deus ad fidem, & gratiam vocare voluerit, & proposuerit, non autem illos; non propterea tollit rationem gratiæ diuinæ.* Duo autem circa sensum proloquij huius videntur à recitatis Doctoribus pro sensu, ex viribus naturæ asseri. Primum in operibus è sola arbitrij facultate, absque vlla gratia speciali Dei præueniente, dari causam, & rationem meriti congrui, aut dispositionis ad gratiam supernaturalem, siue primam, & vnde supernaturalis prouidentia, & prædestinatio inchoetur, siue vlteriorem gratiam à prima, immò etiam ad formaliter iustificantem, iuxta varias sententias recitatas. Secundum aliquo modo dispositis per vires naturæ gratiam supernaturalem alteram esse infallibiliter, & quasi stata lege, vel saltem piæ, ac prudentis æstimationis morali certitudine adeo conferendam, vt prædictorum plerique aiunt, negantibus nonnullis. Negantes eiusmodi infallibilitatem proloquium præsens adæquate, ac plene non explicant, tametsi eius explicent partem, de facultate, ex qua facere, quod in se est, quisque possit, vt initium saltem primum iustificationis & prædestinationis apponat: quæ in præsenti prædestinationis, & in controuersia de gratiæ & iustificationis initio, pars est præcipua: siquidem, vndecunque meritum primum, ac dispositio ad gratiam aliam non præsuppositam habeatur, siue ex puris naturalibus arbitrij nostri, siue ex gratiæ etiam auxiliantis præuentione necessaria, quæstioni eidem remanet locus: An ita primo operanti gratia vlterior, & cooperanti cum hac vlteriori, & sic vsque ad iustificationem de lege, aut piæ, ac prudentis æstimationis morali certitudine sit infallibiliter à Deo conferenda.

CERTAMEN II.

Nullum, quantumvis tenue, & remotissimum prædestinationis, aut iustificationis initium merito, aut dispositioni directæ, & per se vel etiam indirectæ, & per accidens, positiuæ, seu negatiuæ è solis arbitrij creati viribus differri salua fide Catholica potest.

1. CONclusio hæc primæ proloquij partis sensum erroneum excludit, vt inde facilius Catholicus deprehendatur certamine 3. excludit autem sensus omnes hactenus à Doctoribus excogitatos, & excogitabiles, vt oppositi effati duricies, atque fidei Catholicæ oppositio, vel temperetur, vel tegatur, vt singula Doctorum temperamenta, & tegumenta euoluentes singulatim ostendemus. Habet autem conclusio præter dogmatum fidei, quæ subiiciemus authoritatem Doctorum omnium, etiam quos certamine 3. producemus, eorum etiam omnium, qui gratiæ præuenientis ad quodvis opus absolute bonum, & honestum necessitatem expresse docuerunt, nec alicubi retractarunt, id ipsum negantes expresse, vel oppositam præsenti conclusioni docentes, vt de non paucis, quibus infimis discursibus aduersa imponebatur sententia ostendimus certamine 1. & illico summatim referemus: insuper qui conclusionem aduersam retractarunt vt S. Thom. recitatus eodem certamine numero 2. & inibi Albertus, & Rayner num.3, Qui vero immerito de opposita conclusione arguuntur sunt S. Bonauent. eo numero excusatus, item Paludanus Ægid. Rom. Capreol. & Deza numero 3. & 4. Conrad. senior ibid. Ferrara & Magist. Victor. Delphin. & Barthol. Medina n.5, Bañez, Aluarez, & Marsil. n.8. Dionys. vterque Carthus. & Cisterciens. num.9 Alphonsus Tostatus Abulens. num.10. Pighius ibidem, Ioannes Medina numero 11. Hos autem omnes prolixius certamine 1. singulatim ab eo sensu ex naturæ viribus excusaui, & hic summatim recensui, non solum, vt Catholicæ conclusioni tot Scholasticorum Theologorum (quorum vtpote rigidius disputantium, & loquentium in rebus dogmaticis authoritas est ex humanis summa) momenta subiungerem: verum, ne dum oppositam conclusionem quomodolibet temperatam erroris insimulo videar contra antiquos omnes, (quos pro opposita stare vulgo creditur) pudorem soluisse: quanquam & id agendum esset, si pro opposita (quod Deus non permitteret) stetissent, vbi de fidei diuinæ, vt in præsenti euenit, authoritate, & indignitate res agitur. Nam quandoque Scholastici discursibus quam Patrum, & Conciliorum lectioni attentiores ad fidei dogmata bona fide, & animo, incautè tamen, videmus offendere: idque Scholasticis Theologis S. Thomæ coætaneis existimo, vt plurimum, contigisse: cum illum ipsorum authoritate secuti, & Albertum Magnum, videam concessisse; tametsi vterque tandem ex proprio studio, & sententia ab eis discesserit, & resipuerit. Iam vero ita Scholasticis Theologis omnibus dogmatica hæc conclusio (profundi Doctoris nostri Vasquez, vel maxime opera) facta est communis, vt nisi sciens, volensque, nequeat deinceps aliquis aberrare. Antiquioribus autem, qui aberrarunt lapsus non est æqualis, & omnibus communis. Nam Iauellus ad omnia gratuita Dei dona, etiam formalem iustificationem, & gratiam gratum facientem dispositionem arbitrij viribus, & facultati concedit cert. 1. numero 6. Zumel num.7. Gabriel num.8. Bachon. Durand. Gerson, & Richardus num. 9. & Nicolaus de Orbellis num.10. Corduba n.11. His vero non Semipelagianissimum

solum sed Pelagianismum incurrere videntur. Pelagiani enim ad opera non ad initium iustificationis tantum, sed ad gratiam gratum facientem, & iustificationem ipsam immediate, & proximè à Deo recipiendam necessaria, & præuia naturales vires arbitrio creato deferebant; Semipelagiani vero ad primam solum gratiam auxiliantem, vnde, & iustificatio, & prædestinatio inchoatur. Probata vero impotentia dispositionis meritiuè cuiusvis puræ arbitrij naturali facultati, adhuc ad iustificationis, & prædestinationis initium, contra modum vtrumque concludetur.

2. Probatur autem: quia, quomodolibet ponatur ex arbitrii viribus iustificationis, & prædestinationis, cuique suæ, & propriæ initium, est Massilienſium & Semipelagianorum sententia: atqui hæc damnata est ab Ecclesia, vt Hæretica: ergo & scholasticorum sententia illa, quomodolibet ab eis explicetur. Maior ostenderur inferius; dummodo singulos, quibus à Massilienſium errore suam sententiam diuidere, ac separare Scholastici præfati contendunt singulatim referemus & confutabimus. Minor probanda primum, & ex professo erat, vt semel pro præsenti disputatione & pro controuersia de gratia errorem hunc, & quidquid ipsum concernit euerteretur. Atque nonnulla ab authoritate recitaui contra eum errorem q.2.cert.4.n.2.& 3. plura perstringens ex scriptura, Conciliis, & Patribus, & citans quæ aliaque plura, si quis ad longum legitimaque contra hunc errorem intelligentia firmissima velit videre Vasquez noſtrum (cui reliqui ea debent) adeat disputationibus citatis maxime 91. à c.11. Nihil enim aliis Doctoribus, cum ad copiam, tum ad ponderationem, & methodum præter transcribendi laborem fastidiosum reliquum fecit. Venio ad maioris probationem: quam, ne verbis quidem (vt conati sunt alij iam refellendi) eluserunt, Guillelmus vterque Parisiensis, Altisiodorensis relati cert 1.n.3. Argentina, & Iauellus n.6. Scotus, Gabriel, & Maior num.8. Ioan Bachon, & Richardus n.9. Vega. Corduba & Pantusa n.11. qui meritum congruum gratiæ prædestinationis operibus iustificandi & prædestinandi ex pura naturæ facultate profectis, easque præuenientibus absolute, & expresse concedunt: quod, ad summum, immò & eo minus, Massilienses contendebant, vt constat ex q. 2. sæpe præsertim cert. 1. & 4. atque ex iam contra alios modos subiiciendis. Nec satis meriti. quod in operibus ex naturæ solum facultate gratiam præuenientibus recognoſcebat rationem dissimulauit Zumel cod.cert.1. n 7. verbis illis, quod scilicet merita gratiæ non quidem absolute, congrua adhuc, ea opera sint, sed solum initiatiua, & impetratoria. Quid enim aliud operis boni congruum meritum habet, quam bonitate sua donaturum inuitare, vt aliquid, tametsi eius valori inæquale, & excedens; quia meritum eius condignum non est, præ sua tamen bonitate largiatur. Illud verò *impetratorium* meriti absolutè congrui rationem non euacuat, sed demonstrat, ex Augustino epist. 105, verbis illis recitatis quæst 2. certamine 4. num. 5. *Neque ipsa remissio peccatorum sine merito est, si fides hanc impetrat.*

3. Haud melius ab errore Massilienſium se expediunt, qui vim operum naturalium meritiuam gratiæ, quam defendunt, illis verbis extenuant, *meriti vix meriti, & secundum quid meriti*: si enim *vix* meritum est, meriti rationem saltem congrui pertingit; alioqui, ne vix quidem meritum esset, illud vero *secundum quid* merito congruo absolute tali conuenit. Nam simpliciter, & absolute dictum meritum solum condignum meritum communiter dicitur. Et demum, vel in operis mere naturalis bonitate, & honestate, quæ meritum secundum quid solum est, ex naturæ solius viribus habita adest Deo aliquid incitamenti inuitationis, atque obiectiuæ suasionis, ob quam gratiam largiatur vel nihil? si nihil, nec secundum quid meritum est, si aliquid ad meriti absolute congrui nihil vltra requiritur, vt de se patet, & quia vlterius aliquid in ratione meriti congrui vniuersim sumpti non poteris nec nobis ostendere, nec tibi inuenire; quamvis in vno merito congruo maiori, siue ex specie sua, siue ex intensione operis meritori), incitamenta, inuitationem, & obiectiuam suasionem reperias maiorem. Recurrunt, vt Semipelagianismum fugiant, nonnulli ad meritum solum remotum immò remotissimum gratiæ, sed non operæ pretio maiori: etenim, si de prima gratia, cuique prædestinatorum, & iustificatorum loquantur, sibi ipsis ea euasione contradicunt: quia in eorum sensu, quidquid in vnoquoque iustificando, & prædestinato primam auxiliantem ipsi gratiam meritorie absque anteriori auxilio gratiæ præuenientis præcedit ex facultate naturæ est, vt ipsi suo hoc ore fatentur: ergo, quod respectu primæ illius gratiæ auxiliantis, proxime etiam, & immediatè præcedit, ex pura facultate arbitrij naturali ante primam gratiam auxiliantem non est, sed gratia alia prior præcedit contradictione manifesta, & in qua nihilominus instauretur argumentum. Si autem dicas opus ex viribus naturæ proficiscitur respectu gratiæ primæ auxiliantis proximum, & immediatum meritum esse, at respectu vlteriotis, & vlterioris gratiæ auxiliantis, quovsque ad iustificationem formalem, & perseuerantiam finalem perueniatur remotius, & remotius meritum ex viribus naturæ esse, & respectu iustificationis & perseuerantiæ remotissimum: id ipsum Massilienses dicebant, vt vidimus quæst.1. certamine 1. ac pluries, & quicunque à Pelagij errore ex parte solum deficientes iustificationis, & prædestinationis initium tantummodo sub merita, & opera nostra pure naturaliter elicita euenire Semipelagiani defendant: ac demum Massilienses tenuissimum quodvis meritum, occasionem ex propriis naturæ meritis, seu ausulam requirebant, de eoque damnantur.

4. Meritum congruum adhuc, primæ gratiæ auxiliantis cautiores alij operibus è sola naturali arbitrij facultate exhibitis recusant concedere, solamque dispositionis rationem in illis admittunt: vt qua ponunt Conciliorum & Pontificum, Patrum de oppositio definitiones, voce saltem tenus, euadant. Aiunt enim dispositiones hasce ad causam materialem spectare, cuius præcedentia respectu gratiæ admittenda ab omnibus in subiecto gratiam recepturo est, nec rationi gratiæ officit, vt obstet, à meritum, & in genere causæ efficientis, ad quod causa meritoria reducitur, gratiam præcederet: quæ erat Patrum & Conciliorum ratio præcipua, & in præcedentia inuenta dispositionis non currit: nec dispositio proportionem cum forma, quam meritum cum præmio requirit: ac proinde dispositio naturalis ad gratiam supernaturalem respectu autem meritum esse posse: ita Albertus n.1. tomus primo testimonio, & S.Th. 1. d.41.art.3.corp.& id. q.89 art.6.corp.relatus n.1. antequam sententiam reuocassent Alex.n.2.Caiet.n.4. dispositionem solum *secundum quid* esse ait. Dominicus Sot.relatus n.5 insufficientis & remotissimam. Durandus de dispositione clarior: in primis hæc additamenta diminuentia rationem dispositionis quam operibus hisce concedunt Caietanus, & Sota eisdem argumentis, quibus merito congruo ab aliis enerui & similia adhibita repulimus, reijcienda sunt: inconueniens enim, si quod in ratione dispositionis inueniatur, eis additamentis nec vitiatur, nec emollitur, vt ex dictis clarebit. Etenim opus honestum, & bonum morale illud dispositio physica ad gratiam supernaturalem non est, per hosce, sed moralis solum: quatenus, scilicet, bonitate, & honestate sua Deo placet, & ex cuius complacentia Deus mouetur ad gratiæ dona ita honeste, ea operanti elargienda; alioqui eorum operum bonitas, & honestas absoluta impertinens, & inutilis ad eiusmodi dona à Deo obtinenda foret: atqui nil aliud meritum congruum in opere honesto, & absolute bono à primo assertum omnino est: ergo dispositionis nomine non ipsam meriti congrui, quam verbis negant, operibus bonis ex sola naturæ facultate concedunt: ac proinde diuersitas causalitatis harum dispositionum à meriti congrui causalitate nulla inuenitur: & paritas materialis præcedentiæ subiecti gratiam recepturi ad gratiæ receptionem disparet: immò, si dispositionis, physicæ etiam, ratio & motio accurate dispiciatur, percipiatur que, ita uenietur plane non ita respectu formæ, ad quam subiectum disponit, pure materialiter concurrere, esti ex parte materiæ formam recepturæ supponatur, vt munus agendi non quidem physice, sed intentionaliter in formam, ad quam disponit, non exerceat: exigit quippe vere à Deo, vt formam subiecto quod ipsa disponit, introducat: quod longe diuersum causandi genus est à causalitate pure materiali subiecti ipsius pure receptiua, atque causalitati

causalitati meriti ad præmium prorsus simillima; nisi, quod meritum morali non physica actus bonitate, & honestate Deum mouet ad præmium conferendum, contra vero dispositio physica solum bonitate, & entitate ad inducendam formam subiecto, quod ad illam recipiendam ornat, ac disponit: ratione cuius formalis ornamenti, & dispositionis subiecti ex parte causæ materialis se tenere dicitur: ast ratione exigentiæ formæ, ad quam subiectum disponit ad genus causæ efficientis intentionalis, æque, atque causa meritoria reduci debet: ac proinde, si morali, ac non physica solum bonitate ad formæ inductionem moueret, ab eius inductione gratiæ rationem depelleret: cum ergo morali bonitate opera honesta ex facultate sola naturæ ad gratiæ infusionem, & operantem disponant, & Deum moueant largiturum, vt vidimus (vocat eas dispositiones) æque gratiæ rationi officient, ac si meritum, vti reuera est, esse admitteretur. Illud demum de proportione requisita inter meritum, & præmium, secus inter dispositionem, & formam, ad quam disponit, & futile ad rem præsentem est: Cum dispositio moralis idem vt videmus ac meritum in re præsenti sit: & præterea est aperte falsum. Nam dispositio stricte talis, si naturalis sit, ad formam supernaturalem esse repugnet: siquidem ex eo, quod dispositio naturalis propria daretur, daretur naturalis exigentia ad ipsam, vnde & ipsam supernaturalem esse repugnaret: siquidem entis supernaturalitas essentia sua non solum actiuitatem sed exigentiam omnem naturæ excludat; secus autem meritum congruum: Cum enim ex mera gratitudine remunerandum sit, atque hæc possit in retribuendo superabundanter se gerere, atque vltra condignitatem, & æqualitatem obsequia præstita præmij compensare amplior in merito congruo ad præmium supernaturale quam in dispositione stricte tali locus esse potest. Mitto Concilia & Patres omne initium operibus bonis è pura arbitrij facultate habitis iustificationis, & prædestinationis Catholice denegandum præscripsisse: quare, quouis modo, & nomine ea harum initium esse, (vt in solutione sequenti expendam.) Mitto euasionem Herize nostri d 27. c. 5. de dispositione solum physica, satis initio impugnatam, quantumvis se, & illam ipse acuerit.

5. Henricus relatus præfato cert. 1. n. 7. docet vt ab hisce se definitionibus protegat eiusmodi opera esse causam gratiæ à Deo præstandæ, *non propter quam, sed sine qua non gratia auferretur*, verum, neque ea voce satis protegitur: etenim causa, siue conditio, sine qua non, ex mera Dei voluntate, arbitrio, legeve, aut promissione absque vlla conditionis de sese spectatæ motiua virtute, quin sit causa, propter quam secundum se spectatam aliquid Deus ad eius præsentiam largiatur, recte intelligi potest: quia tota largitionis eius motio sola, vel Dei promittentis fidelitas, vel & constantia ac immutabilitas decretorum eius est, vt patet in ablutione baptismi, & aliis in sacramento ad gratiæ infusionem requisitis: Ast, quoties, non ex Dei promissione causa sine qua non alicuius ab ipso præstandi est, causa *sine qua non* quin causa *propter quam* id adeo donetur, sit, esse non potest: quia, tunc causa *sine qua non* ex eo, quod secundum se spectata habet, vt apponat Deus, vel largiatur id, cuius est causa *sine qua non*, esse talis debet; alioqui, cum neque ex Dei promissione, fidelitateque, aut immutabilitate decreti, neque ex alio extrinseco talis sit, nisi ab intrinseco sui eam conducentiam necessariam, vt illud aliud sit, atque adeo præstetur, habeat prorsus impertinenter, & disparate ad illius existentiam, & largitionem adeo se habebit: quare ea, sicut reliquis impertinentibus & disparatis deficientibus illud aliud esse potest, adeoque præstari, æque, ac si illa existerent; quod rationi causæ *sine qua non aperte* contradicit. Cum ergo opera ista bona, & honesta non sint causæ *sine qua non* ex Dei promissione, & decreto, de quo nullatenus constat, & ex quo quidvis aliud quod honestum & bonum absolute non foret causa *sine qua esse posset*, restat, vt causa sine qua non gratiæ à Deo conferendæ ea honesta, & bona absolute talia opera sint, quia bonitate sua morali naturali Deo placent, eumque mouent, vt gratiam suam ita operantibus largiatur: quod ipsum est causam, propter quam, eius largitionis gratiæ esse. Et sane id in suo hoc sensu, quo illud proloquium Henricus explicuit de faciente numerum, quantum in se est, & vtente recte, honestéque suis naturalibus viribus in boni iuxta rectæ rationis naturalis dictamen, Deum gratia sua supernaturali adfuturum causam *propter quam*, nec solum, sine qua non, gratiæ illius, dum negat, admittit. Et quid enim operis absoluta illa bonitas, & honestas tantopere ab ipso requiritur, vt gratia à Deo operanti conferatur, si non magis Deum eius largitorem mouet cum adest, quam si abesset, vt operanti gratiam largiatur. Secundo impugnatur euasio: quia canones Concilij Mileuitani, & epistolæ Innocentij 1. ad illud, quæ est 26. & habetur tom. 1. Concilior. & 91. apud tom. 2. August. ac Zozimi Pa. quos fragmentatim recitat Massilienses Celest. Pa. ep. 1. ad Episcop. Galliæ c. 3. can. 7. & 8. & ab Arausicano Concil. can. 3. 6. & 25. initium iustificationis ex operis boni cuiusvis ex nostris viribus, non posse inchoari: quare neque ex bonis nostris operibus pura naturali arbitrij facultate exhibitis initium adhuc iustificationis prædestinationis desumi: contra Massilienses, qui id solummodo asserere, definiunt. Dum ergo ex operibus bonis nostris prima gratia auxilians, vel sola ex qua iustificatio, & prædestinatio nostra inchoatur proueniat, siue tanquam merito congruo, siue tanquam dispositione, siue tanquam causa & conditione, vel occasione, sine qua non, prouenire dicatur, iam ex pure nostris operibus initium iustificationis contra præfatos Canones dicetur. Itaque, quocunque verborum, euasiones præfatas earum Authores verterint, eis definitionibus manent obnoxij, & re ipsa meritum congruum gratiæ iustificantis, siue primo auxiliantis, vt minimum, concedunt, quantumvis, voce tenus, negent, vt vidimus.

6. Respondent aliqui vt apud Herize, pro eorum nonnullis, docere illos totam rationem merendi, disponendi ad gratiam operibus è sola facultate naturæ præstitis extrinsecus à gratia auxiliante prouenire, ex quo eis aduenit supernaturalitatis modis, sine quo meritum, & dispositio subinde proportionata ad gratiam non est; ita enim docere videntur Scotus in 2. d. 28. q. vn. §. *ad quæstionem* & in 3. d. 27. q. vn. §. *ad quæstionem*. Gabriel d. 23. q. 2. art. 1. fine art. 2. concl. 2. Durand. in 1. d. 17. q. 2. num 21. Caiet. 22. q. 171. art. 2. ad 3. quibus præluxit S. Th. in 2. d. 25. q. 2. art. 1 ad 1. dicens: *quod quamvis liberum arbitrium de se possit in substantiam actus, non tamen in formam eius, per quam meritorius est*: iuxta hæc in corpore præmissa: *licet sufficiat liberum arbitrium, quoad actum conuersionis, non sufficere, quoad efficaciam conuersionis ad meritum. Hæc enim est per gratiam, quæ actui infundit supernaturalitatem.* Cæterum doctrina hæc & falsa est, & ad præsens insufficiens: falsa quia, vt ostendi controu. de merito tom. 2. de ente supernaturali, tota meriti ratio realiter formaliter loquendo honestis operibus quibusque ex recto libero vsu arbitrij operantis creaturæ rationalis desumitur, nullatenusque à gratia auxiliante realiter formaliter loquendo; secus realiter materialiter. Etsi enim meritum omne gratiæ, & donorum supernaturalium, quorum absque præuio gratiæ adiutorio esse in Catholica doctrina non potest: quia nihil arbitrij facultas ad vitam æternam conducens quouis gradu, etiam remotissimo, & absque gratiæ adiutorio valet absolute operari: id autem ad materiale meriti, nempe opus ipsum, apponendum requiritur, & spectat, non autem ad meriti, quod eo in opere, est non nisi ex gratiæ præuenientis, & cooperantis adiutorio apponendo, realem formalem rationem. Meriti enim ratio tota realis formalis in eo quod penes operantem est, debet constitui; nullatenus vero in eo, quod prorsus alienæ est potestatis: vt auxiliantis gratiæ infusio, & ad operandum præuentio, quæ tota tota penes Deum est, & ratione cuius Deus illam conferens ipsius boni vsus principalis causa, & author est: imò ex scientia media boni vsus, nostri illam conferendo; ipsum nobis vsum, & meritum ex hoc realiter formaliter nobis obueniens donare nobis merito censetur, nec solam gratiam, qua, vt necessario comprincipio fecit: dedituque nobis absolutam bene ac meritorie, & laudabiliter operandi, & vtendi potestatem, arbitrio tamen nostro, quo ad vsum, & identice connexam & essentialiter subordina-

tam cooperationem despotice subiectam. Hinc Eccles. 31. Sanctor. laudes, & merita ex solo bono vsu gratiæ, quæ est à Deo præueniente, & facultatis ei cooperantis, non autem ex gratiæ præuentione censentur verbis illis, *Beatus vir, qui inuentus est sine macula, &c. quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Vbi, etsi ea, non absque Dei auxilio præueniente, præstita à Sanctis fuerint; ast quatenus ad eorum laudem, & meritum reale formale attinet, illius nulla ibi mentio, quia nihil ad id attinet, sed recti vsus eius, qui male, & auxilio illo vti poterat, tantum: quia inde tota realis formalis ratio meriti desumitur, vt rationis ductu claret, obstetuatque Molina p.1.q.23. art.4.& 5. d.1.m.8. 9. & 10. præsertim §. *quod autem actus.* De S.Thom. & aliorum citatorum mente citata controu. de merito diximus: sed, quidquid de eius doctrinæ veritate sit, ad præsens non est. Si enim Doctores ad meritum, & dispositionem ad gratiam operis eliciti ab eo, qui, quod in se, ex viribus naturæ, facit, modum illam supernaturalitatis, in quo meriti realis formalis ratio stet, ex supernaturali præcedente auxilio prouenientem requirunt: iam initium iustificationis, & prædestinationis, quod primo auxilio ponitur, nec merito, nec dispositioni morali operum facientis, quod in se est ex puris naturalibus, possunt defendere, Siquidem ad rationem meriti, & dispositionis ad gratiam quamvis, gratiam aliam ipsa, ad quam disponitur, anteriorem, & primam subinde auxiliantem in quovis eorum operum requirunt.

7. Quinto alij operibus ex facultate naturæ meriti, aut dispositionis positiuæ rationem omnem negant, solumque negatiuam concedunt dispositionem per ablationem impedimenti (quo male vtens arbitrij sui facultate peccatis admissis appositis gratia Dei se redderet indignum, & magis abutens indigniorem) peccatorum quæ faciens, quod in se est, totum, atque in bonum totis nisibus contendens impedit, atque euitat, nec gratiæ Dei elargiendæ impedimentum apponit: ita Driedo recitatus eo cert.1. n.10. Corduba, & Palacios recitati n.11. Aluarez 7. de auxiliis d.55. eamque doctrinam Catholicam, atque ab omnibus admittendam censet noster Ruiz de Montoya d.16. citata sect.1. tota; tametsi in conclusione aliud eius temperamentum addat, quod & Palacios apposuerat, & discursum, mox subiiciendam, euasionem continet, & à n.11. præcautiones plures, ne mortalia omnia viribus naturæ vitari à nobis posse cogatur admittere. An vero id satis caueat? altioris indaginis, nec huius loci negotium est; sed tom.1.de ente supernaturali controuersia de gratia auxiliante disput. de necessitate gratiæ. Iam, quoad præsens attinet, Bellarmin.1.de gratia, & liber.arbitr.c.15. Soarius Prologomen.5. de grat. c.6. lib.8. c.7.& opusculo 3. de auxil. c.2. ac 1.part.2. de prædestinatione c.18. Lessius de gratia efficaci c.10. eam euasionem probabilem saltem æstimant: id autem ita à capite, & vniuersim refello primo: quia negatio vlterioris, & omnis peccati præter originale, quod omnibus inest, formaliter, vt remotio formalis impedimenti, vlteriorum peccatorum est, æque immo amplior per somnum, & amentiam ponitur: cum per alterutrum peccatorum omnium, etiam venialium, nec solum mortalium, apponatur, & per multum temporis in habitualiter amentibus, & insensatis: atque in omnibus toto infantiæ tempore, quibus tamen, non obinde gratia Dei, cuius capaces sunt: & qua opus habent ad salutem, nempe habitualis per Sacramentum, aut extra illud, confertur: vt in infantibus, & amentibus infidelibus patet: Ergo sola ratio formalis ablationis impedimenti peccatorum præcisè, & qua formalis illorum ablatio est, ea infallibili lege consequendæ à Deo gratiæ necessariæ ad salutem dispositio non est, vt eo proloquio significari præfati Doctores volebant. Dices: in infantibus ante vsum rationis, & in adultis, qui diu etiam vsu rationis, habitualiter carent, ablationem impedimenti peccatorum non esse ex eo, quod, quantum est in se, in ordine ad bonum, fugamque mali faciant, cum aliter agere libere, atque ex consilio, & deliberatione possint: siquidem ideo non peccant, quia nequeunt ex deliberato operari, ac proinde nec peccare, nec mereri; in adultis vero non amentibus, sed rationis vsum habentibus expeditum, in remotione impedimenti peccatorum: quibus sic vel absolute, vel magis indignos redderent, ratione & facultate arbitrij in boni, & honesti naturalis prosequutione, fugaque mali inhonesti, ac turpis reperiri, quod ex vsu recto facultatis suæ naturalis, quod in se est, in bonum faciant, ac peccata, seu impedimenta gratiæ remoueant: ac proinde in eis illud axioma Theologicum habet locum: quem in amentibus, & infantibus ante rationis vsum habere non potest: quod scilicet scientibus, quod in se est, atque ex honesto vsu rationis impedimenta remouentibus, Deus non deneget, sed conferat gratiam. Hoc ego hoc à te expectabam: ergo non datur adultis ratione vtentibus gratia facienti, quod ex se est, ob remotionem formalem impedimenti præcise & formaliter, sed obiectum, bonumque rationis, & arbitrij vsum quo ab eis peccata remouentur: atqui hic actus vsus, positiuum quid, & positiue laudabilis est, & dispositionem ad gratiam tua hac solutione ingreditur; ergo non tribuitur gratia facienti, quod in se est ob dispositionem, seu meritum pure negatiuum, siue ob solam remotionem formalem impedimenti peccati, quo male vtens gratiæ largiendæ priuationem mereretur, eaque se rederet, vel absolute, vel magis gratia indignum; sed ob positiuum dispositionem moralem, & meritum quale quale positiuum, quod hactenus impugnati Doctores Massilienses consonè gratiæ elargiri prætendebant.

8. Secundò vt gratia se, cum auxiliante, tum iustificante indignos reddant peccato originali, quod impedire nequeunt, habent satis. Tertiò in natura præterea lapsa, & per originale corrupta, atque in naturalibus etiam vulnerata, ac debilitata, in malumque propensa, nihil, quod malum siue mendacium, & peccatum non sit, possumus: quare nec vnius tentationis victoriam absque gratiæ auxilio, vt citata controuers. de grat. auxiliante ostendemus. Quarto, quocunque modo, ex facultate naturæ, rectoque eius nostro vsu gratiæ largitio à nobis, nostrisque operibus dependere dicatur, definitionibus præfatis obuiabitur. Vnde ad omnia scripturæ testimonia ex 1. ad Timott.1. *Miserior diam consequutus, quia ignorans feci*: & Lucæ 23. *Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Respondetur, probare quidem, peccatum minus minorem indignitatem gratiæ, seu dignitatem rendi gratia, & beneficio Dei continere: quod tamen in mortalibus, quoad obiectiuam sphæram dignitatis formalis vtriusque mortalis genus, difficultatem patitur non leuem vt vidimus controu. de necessitate incantionis ad satisfactionem pro mortali, non semel tamen de dignitate meritiua, & valorosa pœnæ dubium non fit, quin in grauiori, quam in leuiori ex mortalibus fit, quin in grauiori, quam in leuiori ex mortalibus sit dignitas subiectiue, & obiectiue maior: id autem formalit ipsius positione ponitur, & remotione aboletur: quam solam curandam non esse, sed vsum libertatis malum, magisque vel minus malum ac deteriorem astendum esse vidimus nuper, & aduersarij, velint, nolint, debent ad rem præsentem fateri, atque in solutione argumenti nostri primi fatebantur: Minor autem mallitia, quæ ex ignorantia in peccatis inuenitur, ex peccantis libertate non est, sed quia cum ea ignorantia illa non potuit peccans ad illam malitiam peccato suo peruenire, ad quam, si adesset eius scientia, pertingeret: quod si ea ad stante peccatum minus præ maiori huius grauitate ampliore detentus, ac detritus aggrederetur, ex gratia Dei maius peccatum omitteret, nec à Deo prauo potestate arbitrij sui vteretur: quare amotio maioris impedimenti ex vsu naturalis suæ facultatis præcisè non haberet; sed ex gratia Dei, ac proinde defendendæ huic sententiæ doctrinæ de dispositione negatiua & formali uersariorum formalis amotio peccati, non præcisè solum, vt amotione impedimenti peccati, seu impedimenti gratiæ est; sed etiam, vt à recto vsu facultatis arbitrij creati est, ea scripturæ doctrina minime inseruit.

9. Sextò demum Caietanus relatus eo cert.1. num.4. illis verbis, *Materialiter extrinsecus, & ex dignitate potius, quam intrinsecus*, opera bona ex facultate solum naturæ dispositiones ad gratiam asserens: id plane docuit: quod ipsis, secundum suam adhuc bonitatem, per accidens prorsus sit gratiæ elargitioni quovis modo interesse.

interesse. Id docuit expressis verbis Palacios relatus n.11. vocans illa causam,& dispositionem per accidens, & indirectam,vti noster etiam Ruiz d.16.cit.sect.1.& 2.&d.22. sect.2.vbi addit esse causam arreptam potius à Deo,& acceptam,quam à nobis, nostraque naturali facultate datam,aut oblatam,quod ipsum valet illud Caietani *extrinseeus solum ex Dei potius dignatione*. Hanc etiam doctrinam admittendam ab omnibus censet Ruiz ac longè à Massilienſium errore distare: in quo nimiam duritiem contra Cassianum notabam in non excusando ipso à Massilienſium errore: siquidem testimonio illo Cassiani ex collatione 13.recitato q.2.cert.1.ob quod in primis de Massilianismo, vel Semipelagianismo accusatur hanc eandem doctrinam statuit verbis illis, *Occasiones enim quærit Deus*: quid enim quæritur non offertur; nec datur sed inuenitur, accipiturque atque arripitur, quin porrigatur: quare, si eo etiam modo occasione, & dispositione accepta, passiue, nec per bona opera naturalia à nobis actiuè data, & oblata Massilitanismus continetur in Cassiano, in Ruiz doctrina eadem contineatur necesse est: & sane ea non excusari, si euoluantur verba, satis clarebit. Etenim vel verbis causæ per accidens, ac solum indirectè intelligitur,facere,quod in se,& ex puris naturalibus est, perinde se habere ad gratiæ largitionem, atque musica in ædificatore, vel pileus in musici capite ad ædificandi & psallendi exercitium se habent: ea enim proprie causa per accidens ab Aristotele, & Philosophis nuncupatur; sed ad rem præsentem, nec sufficit,nec est: ea enim nullo sensu causa est & occasio effectus; sed illo addito *per accidens* causæ omnino eam impertinenter, adhuc materialiter, se ad effectum habere denotatur: quod ad sensum eius proloquij, facienti, quod in se ex viribus naturæ est, Deus non denegat gratiam,non solum insufficiens est, sed prorsus inutile. Si autem vltra impertinentem illam eorum operum assistentiam, cum respectu recepturi, tum Dei largituri gratiam, ad huius largitionem aliquid aliud significare velis, quo non prorsus impertinenter se ad gratiæ elargitionem, atque obtentionem à Deo se habet: iam ex parte intrinseci operum illorum conducentiam aliquam ad gratiæ elargitionem admittis, iuxta aliquem ex modis impugnatis, vel quem velis alium, quo dispositionem, seu occasionem à nobis actiuè Deo oblatam, nec solum passiuam, & à Deo acceptam fateberis, teque ipso non semel, sed per disputationes plures teste Semipelagianismũ incurres. Confirmatur: nam causa per accidens in alio sensu ab Aristotelico, quo de pure impertinentibus dicitur, solum appellatur, quæ non est causa necessaria, siue essentialiter ad aliquem effectum requisita, cui proinde per accidens, siue accidentale sit ab hac determinatè causari,cum æque ab alia causaretur: ac proinde, & huic determinatæ causæ illum producere: cum ab alia posset absolute in eius effectus productione præueniri eo ipso,quod hic ab alia esse causa absolutè posset. Hoc autem non tollit, quod, cum illum effectum de facto causat,actiuè,siue physicè,siue intentionaliter pro suæ causalitatis genere moueat,influatque in illum effectum.

10. Et certe hac secunda acceptione causam per accidens vsurpat Ruiz quatenus ex eius rationibus, & explicationibus,& confirmationibus percipi potest; etsi quandoque in primam, & propriam, sed rei præsenti insufficientem, vt dixi, causæ per accidens acceptionem, ne Massilianissmum incurrere deprehendatur, videatur recurrere, & vtramque miscere: inde enim causam per accidens, & indirectam probat: quia Deus ex seipso vult omnes homines saluos fieri, & ex hoc desiderio, cum facientibus quod in se ex viribus est si tales inueniat auxilia gratiæ tribuit, tum indignis etiam, quos per abusum arbitrij inuenit: in his autem nihil Deo offertur, sed ex ipsorum malitia arripit Dei bonitas occasionem, ac similiter ex illorum recto vsu, & occasione, quæ si abesset, etiam gratia conferretur occasione alia: quare, etsi verum sit dari indignis, quia indignis,& bene vtentibus arbitrio, quia bene vtentibus: Illud, quia materialiter non autem formaliter, seu pro motiua causalitate sonat: quia motiuum est misericordia, & bonitas Dei erga vtrosque exercenda. Fateor in peccantibus locum causalitatem hanc materialem obiectiuam habere posse; at vero locum in bene operantibus nequit habere, nec ad rem præsentem est sufficiens, neque vtilis. Si enim non alio modo dignitas bene vtentium,atque indignitas abutentium arbitrio se ad gratiæ elargitionem habet: æque verum erit, non facienti, quod in se est, immò abutenti facultate arbitrij Deum esse gratiam largiturum: atque item æque verè Deum dare gratiam homini, quia peccat, atque quia non peccat, sed bene & honestè naturaliter operatur: quod adeo absonum, atque ab eius proloquij sensu ab omnibus Theologis intento alienum est, vt ampliori impugnatione non egeat. Nec præstat recursus ad legem, & promissionem Dei de elargitione gratiæ suæ rectè operantibus, & vtentibus naturali arbitrij sui facultate, secus eo abutentibus, & peccantibus. Vt enim ea lex & promissio extaret, quæ non extat, iam aliquid complacentiæ in operibus naturalibus honestis in causa, & motiuo fuisse conuincitur ad eam promissionem, & legem pro eis ferendam, quæ pro prauis, & indifferentibus lata non fuit: quare aliquid tandem actiuæ motionis respectu elargitionis gratiæ concederetur. Atque hinc constat à causalitate pure materiali obiectiua peccati, & indignitatis se peccatis suis, & arbitrij abusa indignum reddentis ad similem causalitatem recte illo vtentis, atque honeste operantis consequenti non posse tenere: etenim peccatum, & male operanti inducta indignitas per illud de sese à gratiæ elargitione Deum auertere, solummodo potest: quare nequit ad illam largiendam Deus solicitari, nedum obiectiue induci: ergo, si ad eius præsentiam, & cognitionem Deus boni aliquid peccanti largitur non ob illud: motiue sed ob exercitium alicuius perfectionis suæ potest solummodo id agere. Actus vero honestus, & absolutè bonus, vndecumque oriatur, non solum Deo proponit obiectum non auertens, nec displicens, sed de se ac natura sua Deo placens cui bonitas omnis, siue physica siue moralis amabilis est, & in qua nequit ipsi displicere. Quo circa quoties ad eius positionem boni aliquid, ita bene operanti vult,& largitur ex eius operis morali honestate,atque complacentia in ipsa id à Deo amari præstarique euidens est: eo siquidem modo, nempe ex complacentia in sui bonitate bona omnia moralia siue naturalia siue supernaturalia Deum mouere,& ex parte obiecti præcedere apta solummodo sunt,vt patet; alioqui nec de supernaturalibus bonis ex eo, quod obiectiuè vlteriorum gratiarum largitionem præcedant, eas meritorie causare, & motiue præcedere inferetur: vnde gloriam dari propter merita motiue formaliter ex scriptura certo non deduceretur,quod est erroneum:siquidem,ni ita hæc,quæ diximus, sint, de causalitate materiali satis ea loca scripturæ explicarentur.

11. Missas volebam aliorum,etsi non indoctorum solutiones ad discriminandam hanc reiectorum scholasticorum sententiam à Massilienſium errore: quia ex hactenus de eo errore dictis q.2.cert.1. diffici à quovis facile possent: sed pro non adeo attentis lectoribus summatim ea tentata discrimina referam in terminis, atque refellam. Lessius noster citato c.10.in appendice ait: Semipelagianos, ne externam quidem gratiam ad bene operandum naturaliter admisisse, occasionem, prædicationem, tentationis amotionem, &c. quam plane præfati Theologi admittunt: verum, cum hæc omnia Pelagiani admitterent expresse, Semipelagiani, qui solum ab eis discreparunt, quod non ad omnia opera ad iustitiam, & prædestinationem totam, & salutem necessaria, sed solum ad earum initium, ad primam gratiam auxiliantem gratiam externam etiam admiserunt, nec vsquam à Prospero Hilario, & sancto Augustino, qui nihil non erroris Semipelagiani minutatim notarunt, & impugnarunt, quod eam externam gratiam negauerint accusati, & confutati Massilienses sunt: vt hoc de Massilienſibus referant, qui tanquam ipsorum Principem, ac Ducem Cassianum accusant, mirum est eos non animaduertisse Cassianum gratiam hanc externam præuenientem omnia opera nostra honesta expresse admisisse collatione 13. capite 14. 15. 17. 18. & libro 12. de institutis renunciant.16. & apud Faustum Reghiens. 1. de gratia, & libero arbitrio capite 12. Secundo idem Lessius ibidem, & Bellarminus 4. de gratia, & libero arbitrio

cap.4.

cap. 4. Paulus Orosius Apolog. de libert. arbitr. med. & prior Abulens. in c. 19. Matth. quæst. 168. ad 6. aiunt negasse illos Dei concursum ad omnes nostras humanas actiones: siquidem ex Pelagij persona hæc scribit Hieronymus epist. ad Ctesiphont. *Nunquid si voluero curuare digitum, mouere manum, ambulare, semper mihi auxilium Dei erit necessarium?* atque hæc Pelagij ad Deum colloquium subnectit. *Recede à me quia mundus sum: non habeo te necessarium, dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem vt faciam quod voluero. Quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris.* Sed certè cum Pelagius gratiæ solum per Christum auxilium solummodo negauerit idque solum à Concilio Mileuitano fateri compelleretur subdoleque admiserit auxilij gratiæ nomine gratiam creationis, & naturæ debitam intelligens, concursum Dei naturæ debitum non negauit, sed cum æquam ad bonum, & ad malum, atque ad indifferentia opera completam potestatem arbitrij crederet ex eo, quod ad bonum auxilium Dei & gratiæ per Christum Catholici Patres necessarium admitterent, ad opera etiam indifferentia auxilium simile necessario ab ipsis admittendum irrisoriè, & argumento ab absurdo contendebat. & sane ab explicatione hac erroris Pelagiani, & Semipelagiani, vel eo Doctores Catholici abstinere debent: quod illas definitiones Conciliorum Mileuitani, Arausicani, & Pontificum de necessitate grætiæ per Christum præuenientis nostra opera ad salutem, & iustificationem conducentia, prorsus euacuantur: cum ea explicatione admissa de necessitate concursus diuini ad illa possent intelligi. Secundo: quia, si id negasset Pelagius ab Augustino, Prospero, Hilario, & aliis qui eum, eiusque reliquias Massilienses sunt insectati notatum esset, & repulsum: quod præstitum non est. Tertio: quia æque contra ipsos auxiliantis Dei per concursum necessitas ad actus prauos definiretur, nisi erroneè dicas, id omissum, quia Deus ad illos non concurrere à Conciliis putaretur. Tertio idem Lessius ibidem ait Massilienses errasse, quod immediatum fidei supernaturalis meritum operibus naturalibus tribuebant, quod Theologi præfati negant: sed certe de eo Massilienses, ne curarunt quidem, cum quamvis ansulam, & initium ex parte prædestinandi, & saluandi apponi Deo vellent, vt acceptio personarum in gratia elargienda & his præ aliis prædestinandis in Deo vitaretur; ad quod remotissima quævis dispositio, ac meritum satis ipsis foret. Secundo: euacuantur hac explicatione præfatæ definitiones de gratiæ necessitate, ad fidei salutis, & prædestinationis initium. Vndecunque enim ex viribus naturæ etsi remotissimè ex nobis & natura inchoetur salutis & prædestinationis initium ex nobis ac non ex Dei gratia est, vt supra dicedamus. Quarto alij aiunt Massilienses gratiam internam omnem, etsi arbitrio naturalem, & debitam negasse, secus Theologos præfatos; sed id, ne Pelagius quidem, vt proximè vidimus, nedum Massilienses negarunt. Immo si Massilienses (vt hi arbitrantur) Cassianus fuit internam Dei inspirationem expresse admittit 12. de instit. renunciant. c. 16. citato, quod de naturali, vt minimum inspiratione, intelligi ab his Doctoribus debet, vt intra Massilienses tenere & numerare Cassianum aliquo iure possint, sed quo in eisdem præfatos Theologos debeant recensere. Secundo definitiones memoratas de necessitate gratiæ Dei per Christum ad fidei prædestinationis, & salutis initium euacuant: cum non nisi erroneè cogitationes omnimode naturales gratiam Dei per Christum recognoscere nequeant. Quinto aiunt Massilienses de merito condigno solum initij iustificationis fuisse locutos, de congruo vero Theologos præfatos. Dissectum hoc fuit q. 2. cert. 1. ex quibus omnibus patet quanto fidei commodo noster Vasquez docuerit multaque accurata ex Patribus eruditione monstrauerit nullum bonum vndiq; & absolute opus morale absque auxilio gratiæ per Christum efficaci creato arbitrio posse.

CERTAMEN III.

De infallibilitate gratiæ largiendæ scienti quod in se est; eiusque proloquij certo & Catholico sensu, atque in eum nostrorum Molinæ & Cardinalis Toleti assertio, & vindicatio.

1. HOc ad integram proloquij eius veritatem tolli examinandum: etsi enim ex viribus naturæ opera gratiæ, saltem initialis, ad fidem iustitiam, perseverantiam, & prædestinationem morales dispositiones, seu merita congrua esse admittantur, an infallibili, certaque lege eam essent à Deo obtentura sub lite maneret: cum meritis etiam condignis præmiandis, nedum congruis Deus natura, & essentia sua non teneatur, sed solum ex promissione, si in gratia nimirum condigne mereat decesserit. Infallibilitatem hanc gratiæ consequendæ siue initialis, siue vlterioris, pro cuiusque sententia relata examine 1. docent vterque Guillermus Parisiens. & Alexandorus numero 3. Conradus iunior Cano num. 4. Vvigerius num. 5. Argentina, Iauellus, & Nauarrete numero 6. Zumel, & Henricus num. 7. Gabriel num. 8. Adam God. Nicolaus de Orbellis, & Driedo numero 10 Richard. Tapper Michaël Medina, & Vega num. 11. Lessius num. 11. Temetsi Nauarrete, & Driedo, *pie id solum credendum* docent, quod absolutam infallibilitatem excludunt, sicuti & Zumel asserens id non esse ex lege vniuersali & infallibili. & Gabriel de lege ordinaria non absoluta. Hos autem omnes quoad hanc infallibilitatem, siue absolutam siue de lege ordinaria pro bene operantibus ex arbitrij viribus, siue statuta, siue ex Dei bonitate coniectanda plus in hac sententia, quam Massilienses docuisse eorum mihi est. Neque enim infallibilitas hæc ab ipsis aliisue asserta legitur, aut notatur, adhuc ab iis, qui scrupulatim eorum doctrinam notarunt: neque id ipsorum interesserat, solum enim ex parte prædestinatorum apponi, offerrique Deo occasionem, dispositionem & ansulam, et eos præ reprobis, qui eam non offerebant, fine acceptione personarum ad fidem, & iustificationem eligere ac prædestinaret, non autem exactiam, occasionem, & dispositionem, vt quicunque illam offerenti, gratia fides, &c. adeo, de lege adhuc ordinaria, obtinerent; sed Deo quosdam ex eis, relictis aliis, elegere integrum prorsus foret. Fateor tamen contra infallibilitatem hanc nihil hactenus ab Ecclesia esse definitum.

2. Cæterum infallibilitas hæc consequutionis gratiæ auxiliantis, & initij prædestinationis ex operibus honestis moralibus ex facultate solius naturæ citra iuxta præfatorum Theologorum sententiam, siue vlterioris gratiæ, si illam necessario auxilium gratiæ præueniens requirant: nullo fundamento: immo contra valida fundamenta affirmari, & sine fundamento ex scriptura asseri, aliqui ex nuper citatis, atque ex aliis relatis certe, merito obseruarunt, idque pie credendum proinde dixerunt: nullus enim scripturæ locus pro ea infallibilitate gratiæ siue primæ, operibus ex facultate sola naturæ factis cum specie adhuc probabilitatis adducetur: sed neque pro infallibilitate gratiæ vlterioris ob eiusmodi opera ex gratiæ præuenientis auxilio exhibita. Nullibi enim auxilium gratiæ, & iustificatio subsequens, aut perseverantia eiusmodi operibus, immo, nec longe perfectioribus supernaturalibus promittitur, non solum instantaneè, & per tempus breue, sed diuturne etiam & per longum tempus exhibitis. Alioqui frustra, & illusoriè ab Apostolo diceretur omnibus ad Philipp. 1. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Cum veterani, & studiosissimi

studiosissimi virtutum milites frustra timerent: plures præsertim, qui eo perfectionis peruenerunt, & cum eis tentationum de grauibus congressum Dæmones timeant: etsi enim verum sit regularite,& relatione secluſa,vtrum odio an amore dignus sit neminem scire, ex vitæ tamen longæ accurato perfectionis studio, & exercitio constante, & in dies crescente affectuum & inclinationum inordinatarum, mussitante quidem, subiectione, aliisque multis etsi non euidenter ac certo physice, prudenti tamen & morali certitudine quandoque de suo statu gratiæ, ac in Deum studioso ac diuturno obsequio iudicare affirmatiuè plures poterunt: vt vix physicè, & ne vix quidem moraliter de opposito dubitandi locus eis remaneat: iis siquidem indiciis, & fundamentis aliis sæpè, præsertim confessionis & spiritus Sanctorum virorum Patres de eorum statu gratiæ, vitæ, ac perfectionis sanctimonia prudentissimam, ac minimè dubium moraliter cum obiectiuè tum subiectiuè iudicium efformant: quod proinde pluribus multò in seipsis experimento deprehensis indiciis de seipsis perfectissimi illi virtutis veterani poterunt efformare; si tamen diuturno vigutum exercitio etiam ex gratia, ita in se deprehenso vlteriora gratiæ auxilia lege aliqua, vel ex promissione, vel arbitrario à Deo statuta, vel ex Dei bonitate morali aliqua certitudine deducta debeantur; ecquid timoris, nedum tremoris, ad quem omnes serio Apostolus hortatur cordate in eis de salutis amissione,perseuerantiæ defectu & damnatione esse in illis potest. Confirmatur pluribus Ecclesiasticis, & fide dignis historiis.Ex quibus constat plures diu Sanctos, atq; in virtutis,& perfectionis omnis studio versatissimos, & præstantissimos viros auxiliis, quibus perseuerarent, de facto destitutos fuisse damnatos: quare de eo omnes etiam Sanctissimos, non timidos solum sed tremulos esse debere merito Apostolus sua illa generali adhortatione testatur; cuius veritati infallibilitas auxiliantis gratiæ ex diuturno virtutis exercitio contradiceret. Confirmatur id ipsum. Secundo: quia infallibilitatis eius fundamentum ex scriptura, ad quod eius assertores recurrunt, est illud: *vult omnes homines saluos fieri*: ex hoc vero, non hæc, sed alia longe diuersa infallibilitas assistentiæ gratiæ Dei bene operantibus deducitur: quam mox in Theologici illius proloquij sensu vero & Catholico statim subiiciendo, aperiemus. Denique ex bonitate Dei pie adhuc eam infallibilitatem certo credere, immò nec prudenter,maiori probabilitate,quam oppositum possums coniectari: cum ea Deum ad ipsius exercitium non ita sui,vel physicè,vel moraliter impotem rapiat, vt non illud, sicuti & iustitiæ, & attributorum reliquorum erga creaturas exercitium diuino arbitrio,etiam addito salutis omnium desiderio ardenti, integrum prorsus non sit: vt patet in plurium finali impœnitentia, & non paucorum, vt diximus diu multumque Sanctorum finali, quo vitam claudunt peccato.

3. Si ergò,nec bene operantibus ex facultate naturę sola (quod fieri vt diximus nequit)nec bene diu etiam operantibus ex Dei gratia debetur lege vlla gratia vlterior auxilians,ac subinde neque infallibiliter obueniet citius, quã deficiet,ecquis proloquij illius:*facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*:quod axioma Theologicum esse initio quæst.supposuimus,verus legitimus & Catholicus sensus erit:Omnes siquidem videmur excluisse.sed certe vnus adhuc non verus,& Theologicus solum, sed, & dogmaticus sensus eius proloquij,&à reliquis præter hactenus impugnatos scholasticos,etsi non ab eorum aliquot explicatus,sed attactus,& suppositus reliquus est.Dico igitur tandem:sensus verus,Theologicus & dogmaticus eius axiomatis est:nullum adultum rationis vsum habentem auxilio gratiæ sufficienti ad bene operandum destitui:quare,& facienti quod penes ipsum est gratiam Dei minime abesse quæ vt absolute possit eius potentiam absolutam in actu etiam primo complens necessario præcedit. Axioma illud hunc sensum capere, & de se patet, & amplius ex subiicienda mox obiectione vnica à ratione clarebit. Probatur eius sensus veritas & germanitas primo à cæterorum sensum præmissa exclusione & falsitate demonstrata:ast nullus alius eius axiomatis sensus verus est esseve potest:ergo hic admitti vt germanus eius sensus debet,ni axioma ipsũ reiiciatur.Probatur 2. quia, vt axioma istud à Scholasticis ex scriptura proberur recurritur, vt dixi,demum ad illud: *Vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire*. Inde autem minimè infertur bene antea ćto operantibus naturæ viribus,imò neq;ex gratiæ auxilio,vlteriora auxilia Deum largiturum,sed nemini auxiliis gratiæ suæ defuturum vt bene operentur ad salutem ac demum suis operibus consequantur.Ex desiderio enim salutis serio solum infertur legitimè mediorum sufficientium,vt illam assequantur appositio. Obsicies tamen:proloquium illud esse de facientibus,quod in se est,sensu vero præfato etiã ad non facientibus,quod in se est extendi,nec esse de facientibus speciale:nam gratia Dei præueniri vt bene operari absolutè,& complete possint, non operantibus etiam conuenit per nos. Respondeo eo etiam tendere proloquij illius sensum: nempe neminem sui mali vsus causam in Deum,ex parte sua necessariis ad rectum vsum & salutem deficiat,sui posse specie vlla probabilitatis querule refundere,sed in seipsum solum,&,quod quantum in se est non faciat. Siquidem sufficiente gratia anticipatò à Deo præuenti per id,quod in ipsis deinceps est,abutuntur, qua alij faciendo quod in se est vtuntur bene:quasi proloquio illo ex sacris dogmatibus æquiualenter contra prauos reprobos de Dei bonitate,& beneficẽtia,imò,& in ipsos inuida malignitate,querulos Theologia clamet: *facite, quod in vobis est,& Dei gratiam,qua benigne, beneficeque præuenti estis*,nec dispicitis, illi cooperantes, vt potestis, cognoscetis. Ex quibus, & doctrina scholæ nostræ Thomisticæ Iesuanæ de efficacia auxiliorum extrinsecus à futuritione consensus nostri conditionata speciale aliquid pro prædestinatis eo proloquio dicetur: quod in gratia Dei abutentes reprobos non eadat, etsi æque inde eorum abusus reprehendatur.Nimirum gratiam efficacẽ,quia efficax est, bene vtentibus prædestinatis datam,qua ratione in ratione gratię,& beneficij est gratia maior ab ipsorũ bono vsu absoluto aliquo modo pendere,eiusq; efficaciæ,& maioris gratiæ defectum pendere sensu eod. à reproborum prauo vsu absoluto:quatenus futuritio conditionata consensus, à qua auxilij prædestinati efficacia desumitur obiectiua dependentia à consensu absoluto libero prædestinati,etiã cum auxilium absolute collatũ à Deo est, dependet;sicuti & efficaciæ negatio ex conditionata negatione consensus desumpta à libera absoluta negatione ead. consensus dependet simili dependentia obiectiua: qua materiam auxilij prædestinationi aptam prædestinatus, ineptam vero reprobus apponit, omni ad vtrum,vel alterum à Deo donandum merito,& inductione secluſa,vt hoc,& priori tomo de Deo vno non semel explicuimus.

4. Et hunc sane proloquij illius sensum legitimum & vnicum esse (etsi non adeo explicite) vel attigerunt, vel supposuerunt DD.alij ab impugnatis omnes:quia reliquos omnes sensus aliorum impugnarunt,& ex necessitate gratiæ prœuenientis ad bene simpliciter & absolute quoviſq; gradu conducenter ad salutem operandum videtur certo deduci.Nostri vero DD.in primis propinquius,clariusq;insinuarunt:& quamvis memorati aliquot gratiam Dei auxiliantem ad virtutum moralium opera exercenda necessariam,non reputent, & probabilem etiam aliquorum externorum sensum quo tamen meritum omnium eorũ operum ad gratiam recipiendam excluditur, existiment. Ast hunc à nobis explicatum in communibus scholæ nostræ principiis,& ex sententia propria admittunt. De duobus tantum Doctoribus nostris,Molina scilicet,& Card.Tolet. an proloquium illud de operibus ex facultate naturæ ex propria sententia intellexerint quæstionẽ esse nõnulli voluerunt:& Card.Toleto quęstioni occasionem dedere verba illa ex commentario ipsius in ep.ad Rom.c.8.annot.31. vers.fin.*quamvis aliquam causam esse affirmemus ex parte hominis,propter quam hos Deus ad fidem,& gratiam vocare voluerit,non autem illos, non propterea tollĩ rationem gratiæ*:ob quæ de duobus à nonnullis accusare Tolet.Primum:quod gratiã Dei ob pure naturalia opera bona dari à Deo cum Massilienſib.admittat,Secundum:quod rationi ex Paulo, Patribusque, & Conciliis contra Massilienses præcipuè contradicat, censeatq; rationem meriti congrui ex nobis absque Dei gratia Deo exhibiti, quod verbis illis,*propter quam* asseruit, rationi gratiæ ob illud præstitæ non obesse vt Andreas de Vega supra asseruit, qui propterea apud Theologos male audit, maleque censuris accipitur, verum oppositio prima verbis ipsis Toleti aduersatur: nihil enim ibi ex propria sententia absolute asserit, sed solum hypothesim ponit, vt de alio ex eius suppositione iudicium absolutum ferat: alt

enim *quamvis affirmemus* : quæ potius probant ab ipso ex propria sententia de oppositio præmisse quod solum in ea hypothesi ponit, absolute negari, nec alium sensum, quam faciendi quod in se est gratiæ necessario ipsum, bona quævis opera præuenturæ cooperando ab ipso admitti. Secundum vero absque fundamento ipsi imponitur : cum solum in hypothesi illa *aliquam causam* gratiæ qualem qualem scilicet ponat. & pure materialem vt physica manus protectio ad pecuniam dantur : in qua nec impetrationis nec meriti vllius ratio ad donandam pecuniam attendatur : & tamen, quia donari in eius manum pecunia nequit, quin eam recepturus extendat, porrigatque verum est dari ei ab alio pecuniam quoniam manum porrigit, quod est subiectum statim à Toleto exemplum : quare illud *propter* non causam motiuam, adhuc congruè, vt Vega aiebat, sed hanc pure materialem denotat : ac proinde in huius causa & crimine Toletus non est, cum assignatam à se, adeò diuersam operum ex viribus naturę causalitatem ad gratiam, quamvis admitteretur, rationi gratiæ non aduersaturam, longè diuersum ac verosimile sit.

5. Molinam etiam nostrum Semipelagiani erroris insimulauerunt primo Thomistæ, ex eo, quod prædeterminationes physicas Dei præuias ad rectè operandum valide rejecerit. Eorum tamen impugnationes debiles sunt, & quæ, cum à nostro Lessio de gratia efficaci c. 10. tum à nobis tom. 1. de Deo vno contro. 2. de scient. & 3. de decreto concurrendi ampliorem etiam, quam mereantur solutionem receperunt : verum ex specialibus quæ Molina idem scripsit in concordia ad qu. 14. art. 13. d. 10. 11. & 14. arreptis nostri Vasquez contra Theologos aliquot antiquos certam. 2. confutatos argumentis, Zumel citatis supra locis, præsertim tom. 1. opusc. sect. 2. à conclus. 4. ad 7. à pag. 290. & solut argumentor. & tom. 3. à pag. 167. circa conclusionem 11 & sequentibus illum ad præsens aptius accusat : sed quibus antiquos plures, ac seipsum, iuxtà suprà eius doctrinam memoratam, accusare citius posset : cum apertius eorum omnium doctrina, & inexcusabilius Massilianismum sonet. Molinæ vero effata, etsi minus penetrantibus oculis, malignisque & inuidis auribus adsonare eiusmodi errori videantur, ipsum verò sinceris, & attentis oculis legentibus constans eius vbique mens, & contra Semipelagianismum sensus apparebit ; probatur ex eius epistola anno 1594. in nostro Collegio Salmantino ad seruata, ad Patrem Antonium de Padilla Scholasticum ibi Professorem nostrum de eius hac in re mente dubitantem : ex qua occulatus testis Herize noster d. 27. capite secundo, hæc ad verbum transcripsit. *Digo que nobusque V. R. prauio facere nos totum, quod in nobis est, & subsequi gratiam præuenientem : que esso es doctrina de Pelagianos, ò Semipelagianos ? y noso colige talde mis obras, ni demis papeles, ni respuetas, antes todo lo contrario.* Ex quibus constat ipsum omnem præcedentiam operum nostrorum præuiè ad Dei gratiam præuenientem omnem constanter negasse, ac proinde, tam remotam, quam proximam, tam meritiuam, quàm dispositiuam, siue positiue siue negatiue, & solum per impedimenti, & indignitatis pec catorum, in quæ incideremus, ni bene operaremur, atque vteremur arbitrio. Quo posito verba ipsius quæ æquiuocatione aliorum magis patent recitanda sunt, vt appareat an sensum, quem eorum author professus est legitime capiant : disputatione 10. citat. hæc habet. *Quoties ex nostris viribus naturalibus conamur facere, quod in nobis est, præsto nobis esse auxilia gratiæ, ea vt oportet ad salutem efficiamus :* Inferiusculc. *Sicut Deus præsto est per concursum generalem libero arbitrio vt naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit : sta præsto est illi per auxilium gratiæ sufficiens, vt quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet :* in conantibus ad fidem, & pœnitentiam exemplum subiungit : simile habet d. 11. & d. 14. numero 5. longe à med. *Christus nobis promeruit auxilia non solum, quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere, quod in nobis est, præsto essent ac præuenirent, vt sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam ; sed etiam quibus sæpe excitaremur omnino* : & d. 9. §. *Patet tertio*, ait : *licet Deus non vocet ad fidem propter merita aliqua eius, qui vocatur, immo sæpe eos etiam misericorditer vocet, qui pertinaciter obsistunt : nihilominus magis indignus, vt supernaturaliter adiuuetur & vocetur is est, qui sinistra intentione quam qui paratus obedire veritati ad audiendum accedit.* Hæc sane speciem præcedentiæ operum, & conatuum nostrorum ex naturalibus, propriisque viribus respectu gratiæ, & vocationis supernaturalis, vel maxime, apud nostrum Molinam præferunt.

6. Et ea quidem specie Lessius noster Doctissimus cum primis Molinæ discipulus citato capite 10. decretus præcedentiam eam à Molina cum antiquis Scholasticis admissam fatetur ; neque aliter, quam illos, excusandum putat : quod scilicet ante accuratum Massilienses erroris examen, & confutationem à nostro Vasquez, cum contra Massilienses, tum contra præfatos Scholasticos illi omnes bona fide, & per inaduertentiam scripserint : cui & magnus Magister meus Daza concessit manuscripto de prædestinatione d. citata, § 2. Ruiz etiam noster d. 21. citata sectione 6. à numero 19. ad 27. iuxta suam doctrinam de negatiua dispositione per amotionem impedimenti, & indignitatis peccatorum, quam peccantes, maléque vtentes arbitrij viribus gratiæ supernaturali exhibendæ à Deo, ab ipsisque recipiendæ suis peccatis apponerent, à seque bene operantes, atque naturali facultate arbitrij vtentes in bonum, remouent, à Semipelagianismo vindicat Molinam : cui explicationi postremum Molinæ testimonium locum facere videtur, non incongruum. Verum neque eo seruato, eum errorem omninò vitari contra eundem Ruiz obtendimus certamine secundo, à numero 9. neque eum sensum mentis suæ explicatione proximè recitata Molina sibi imputari patietur : cum præcedentiam omnem nostrorum operum è sola arbitrij facultate respectu gratiæ semper, & vbivis scriptorum suorum rectam, negatamque testetur Herize eiusmodi explicationem præ oculis habens citato loco aliter Molinæ testimonia interpretatur : vt, scilicet, cum quem ex puris naturalibus actum naturalem fidei, vel pœnitentiæ, ni gratia Dei præueniretur, gratia ipsius supernaturali Deus præueniat, vt supernaturalis, atque vt ad iustitiam, & salutem oporteat euadat. Hoc videntur sonare testimonia duo prima ex d. 10 & 14. recitata. Addit autem ipse secuti, & Ruiz prome, id totum ob opera ita ex viribus naturæ, vel præstita, vel fore præuisa, ni Dei gratia præueniretur ex meritis Iesu Christi, ob quæ gratia sic conantibus promissa est, in Molinæ sensu euenire, quin conatus illi nostri naturales aliquid ad Deum mouendum conferant de suo. Recusas hic communis vtrique fuit à nobis difectus certa. n. 12. Quod autem speciale Herize aiebat facile rejicitur. Cum enim Molin. citatis testimoniis nullus actus fidei, aut pœnitentiæ pure naturalis, ac sine gratia Dei se ingerentes ex parte actus primi, vt supernaturalis aliquo saltem modo, & vt oportet ad salutem euadat, absolute sit futurus, nec præuideri à Deo possit, vt se ad efficientiã ipsius facultati arbitrij præueniendo, & cooperando gratia sua ingerat : quod si gratiam adiunctam actui mere naturali, quem absolute ex parte nostri supponit, modum aliquem realiter modaliter diuersum cum volũtate creata adiungere dicas, iam gratiam, eiusque effectum in sensu Molinæ subsequi opera ex facultate sola arbitrij (quo velis ex impugnatis modo) fateris necesse est, atque expressæ ipsius declarationis contradices.

7. Ea ergo explicatio mentis suæ cum recitatis eius testimoniis, aduersum quid sonantibus, recte facilimèque cohæret in sensu vnico vero, & Theologico, quem iuxta ipsius nostręque Thomisticæ Iesuanæ Scholæ doctrinam dedimus : quod, scilicet, nullum opus absolute honestum, & simpliciter bonum, absque gratia Dei per Christum de se indifferente, nec ad vnum determinate fieri posse, ac proinde, neque à Deo conatus arbitrij nostri naturalis in bonum in statu vllo, siue absoluto, siue conditionato posse videri. Visis autem subinde conatibus absolute gratiam Dei ad ipsos absolute apponendis pro posteriori adiungi non posse, cum adiuncta absolute pro priori ad ipsorum elicientiã supponatur : solumq; ex scientia simplicis intelligentię pręuisis conatibus ex gratia sufficiente possibilib. Deum se gratia sufficiente adiungere posse arbitrij nostri naturali facultati vt absolute possimus : prouisis autẽ conditionate sub hypothesi gratiæ suæ sumus, vt absolute, & de facto bonos eos conatus habeamus illa ipsa gratia

gratia se Deum adiungere: & hanc esse Molinæ nostri, mentem cum ex eius principiis de concordia, tum ex meritis in re præsente suæ declaratione præmissa, tum denique ex testimoniis ipsis, quæ reputantur à nonnullis aduersa, constat aperte. Primum ex d.10. etenim solum docet præsto nobis conantibus ex parte nostra Dei auxilia adesse vt operemur ad salutem oportune, seu quod idem est conemur: quibus præfatus sensus non solum aduersus non est, sed facile continetur, & eximitur. Præsertim adiuncto testimonio, secundo disputationis eiusdem, quod primi illius explicatio à Molina subiungitur: scilicet, eodem modo Deum nos præuenire gratia sua ad bonam moraliter, & honestam operationem efficiendam, atque ad physicas quasvis operationes volentes physice operari voluntate concurrendi, qua suam nobis ex parte actus primi antecedenter ad absolutam operationem, quam ex nobis solum physicè absolutè producere nequimus, ex parte actus primi adiungit voluntati nostræ, vt pro libito ipsa vtentes physicè absolutè operemur, sed vero, quid aliud testimonio 3. ex d.14. (vbi hanc gratiæ auxiliationem meritis Christi iure attribuit) contineri videatur, ex eo, quod dicat, semper præsto Dei gratiam nobis conantibus in bonum adesse, non autem qua semper, sed *sæpe* solum *excitemur omnino*: quibus quandoque ad conatus nostros bonos Dei gratia excitare nos ac præueniri negasse videtur, ac proinde admittere absque gratia Dei excitante, & præueniente posse nos conatus absolutos in bonum habere atque ad gratiam supernaturalem disponi.

8. Aduerte Molinam duplex gratiæ supernaturalis genus, ad duplicis etiam generis actus supernaturales cum Arminensi admisisse (quæ fusius postea Vasquez noster citatis locis ex prima parte, & 1. 2. ex instituto explicuit, constituit atque multa eruditione, & profunditate fundauit, vt nos tamen primo de ente supernaturali, clarius adhuc, ex eius mente, & eruditione fundauimus) nempe gratiæ, & operum supernaturalium, aliorum quidem supernaturalium quoad modum solum, cuiusmodi, & actus virtutum moralium, & gratia Dei ad ipsos prærequisita est; aliorum verò etiam, quoad substantiam supernaturalium vt actus fidei, spei, & charitatis perfectæ, & auxilia gratiæ ad eos prærequisita. Ait ergo conatus nostros in bonum bonos moraliter, ex gratia Dei supernaturali, quoad modum necessario; iuxta eius doctrinam, & mentis suæ explicationem præfatam oriundos, nonnunquam ad gratiam: secundum substantiam supernaturalem ad supernaturales actus secundum substantiam, disponere, ac proinde, & eis gratiam hanc supernaturalem ab arbitrio nostro præueniri, tamet, sicut gratia omnis suos, ita & supernaturalis hæc suos actus præueniat nostramque ad ipsos excitet voluntatem: Sed tamen cum ex eorum conatuum præuentione, & dispositione gratia secundum substantiam supernaturalis ad suos supernaturales actus confertur, tametsi respectu illorum excitans, & præueniens absolute sit; ast respectu arbitrij absolutè non omninò excitans, & præueniens est cum ad illam adeo conatibus illis, ex gratia alia etiam ortis, obtinendam prius excitata præuentaque fuerit, atque inuigilauerit. Cum autem nullis honestis conatibus nostris præcedentibus gratia illa supernaturalis quoad substantiam, ad fidem verbi gratia, nobis à Deo (vt sæpe è Christi meritis euenit) donatur: tunc quidem arbitrium nostrum absolutè, & omnino, nec solum respectu actus fidei, à Dei gratia præuenitur, & excitatur: & hæc genuina Molinæ nostri mens est, atque germana interpretatio: vt autem videas quanto nostrorum consensu sensus hic axiomatis receptus sit, lege nostros Valentiam 1.2. quæst.4. punct.2. circa finem, quæst.6. punct.4. tit. *gratiam non cadere sub merito*, §. *Porro* & seq. 2. 2. d.1. punct.1. argum.5. & solut. punct.4. ad 2. obiect. Beliarm.6. de grat. & lib. arbitr. c.6. ad 3 obiect. confone addicta lib.2 c.8. ad 3. argum. Vasquez citatis locis, post quem omnes. Soar. 1. p. lib.2. de causa prædestinationis c.6. maxime c.7. 9. & 18. lib.3. de auxil. c.2. fusius lib. de grat. locis fere supra citatis, Meratius, & Alarcon. de Prædest. Arrubal. 1.p.d.75. Herize supra, Granados infra citandus, Fasol. 1.p. quæst.23 art.5. num.2. & 3. commentarij. Arriaga tom.1.d.37. sect.1. à §. *dicendum*. Ioannes Præpositus 1.p. quæst.23. art.8. dub.3. num.30. §. *Dico opera naturalia ipsius prædestinati*, ac deinceps, atque vno verbo reliqui; tametsi, vt dixi, qui opera virtutum moralium gratia Dei auxiliante non indigere putant, isthac illa antiquorum aliquot impugnatorum sensum defendi etiam posse, non multo operæ pretio contendant.

QVÆSTIO IV.

Possitne dari operibus ex Dei gratia ortis causa meritoria prædestinationis propriæ?

DIximus hactenus de causa meritiua, aut moraliter dispositiua prædestinationis ex operibus ipsius prædestinati pure naturalibus, eamq; dari nullatenus posse definiuimus: vnde verò ita exploratum est similibus operibus alterius à prædestinato, & alienis prædestinationis eius causam meritiuam, aut dispositiuam dari non posse, vt quæst. indignum à scholasticis meritò iudicetur. Id enim operum puræ naturę insufficientiam vtrique quæstioni ad meritum ac dispositionem ad gratiam supernaturalem habet communem. De operibus vero ex gratia Dei ortis (de quibus est quæstio præsens) an causæ meritoriæ prædestinationis esse possint? duplex disputatio est valde diuersa: an operibus propriis prædestinati causa meritoria dari possit? an saltem alienis? atque ex diuersis principiis dirimenda. De prima ergo agemus quæstione præsente, de alienis verò meritis q.5.

CERTAMEN I.

Opera, ex gratia etiam Dei facta, prædestinationis propriæ causa meritoria esse nullatenus possunt.

1. PRobatur in primis conclusio argumento Pattum (tantæ legitimatis & energiæ, vt à nemine Theologorum in dubium vocetur) ex 1. ad Ephes. *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem vt essemus sancti*, & ad Rom.8. *vocauit nos vocatione suæ sancta vt essemus sancti*. Vnde Hieron. ad Ephes. 1. August. de corrept. & grat. c.9. & 1. de prædest. c.18. fine de dono perseuerant. c.13. & 14. ac epist.17 & 10. item, q.2. ad Simplician. atque alij Patres frequentissimè inferunt: *ergo non, quia futuri eramus sancti*. Similem illationem fecerunt Concil. Arausican. 1. Can.28. Arausic.2. Can.2. ex 1. ad Timot. iuxta ipsorum & aliorum Patrum lectionem. *Misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis*. Ex quo sic intulere: *ergo non, qui futurus eram fidelis*. Vnde ad rem nostram illatione accomodata arguo sic. Deus prædestinauit, elegit, vocatque prædestinatos, vt fideliter piè, sanctéque ex gratia sua viuant, eisque vitæ suæ meritis æternam salutem, atque æternam vitam consequantur, vt fidei dogma est: ergo non prædestinauit elegit vocatve eos, quia fideliter, pie sanctéque erant ipsi victuri siquid Patrum, & Conciliorum valet illatio: vndecunque fidelis illa, pia, & sancta vita à prædestinatis habeatur. Postremum hoc addidi, ne quispiam putet consequentiam hanc Conciliorum, & Patrum contra Pelagiana, ac Semipelagiana merita pure naturalia, quæ ea illatione confutabant, solummodo tenere, non autem contra merita ex Dei gratia profecta: etenim consequentia hæc, non ratione materiæ, sed formæ tenet: vt enim sapienter animaduertit S. Thom. 3.part. quæst.2. artic.11. & quæst.29. de verit. articulo 6. particula *vt* causam finalem denotat;

denotat; particula vero *quia* causam designat efficientem, ad quam intentionali sua motione, & efficacitate meritoria causa spectat, & quæ absque absoluta sui existentia causare nequit, vt cunctis Philosophis, & Theologis est notum: cum autem causa finalis, ac proprie finaliter mouens affectum erga ipsam, *vt sit*, debeat ad effectum suæ existentiæ ad quem, *vt sit*, mouet, neque absolutè esse, neque vt absolute existens voluntati proponi ad effectum illum desiderij, vt absolute sit, excitandum (ecquis enim desideret, vt aliquid sit, quod absolute est, & esse iam anteacto prænouit) immo vero positiue nondum existens proponi voluntati debet, vt ad absolutè existentiæ suæ affectum, & desiderium finaliter moueat: cum autem, vt meritoriè, & actiuè intentionaliter moueat fidelis sua, & sancta vita, vt particula illa *quia* denotatur, absolutè existens supponi, ac prænosci debeat, nihilque absolute existens, ac non existens esse, ac proponi simul sine contradictione possit, implicat plane aliquid (quidquid illud sit) causare, ac mouere finaliter voluntatem vt in se absolute sit, ac simul eandem meritoriè seu actiue intentionaliter mouere, quia est: quare ratione formæ nec solum materiæ argumentum Patrum & Conciliorum, ac subinde & hoc nostrum intentum concludit: imò ni eo vis consequentię Concilior. & Patrum deducatur vt mouere finaliter, & vt sit, ac simul meritoriè & *quia est* idem ipsum ob deprehensam repugnantiam nequeat nullam aliunde rationem materiæ de qua agebant vim eorum consequentia haberet, vt patebit cuivis.

2. Probatur vlterius argumento eorundem Patrum petito ex eiusdem Pauli verbis ad Rom. 9. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei*, (nimirum Rebecæ Genes. 25. num. 23.) *quia maior* (Esaü reproborum figura) *seruiet minori* (Iacobo prædestinatorum typo) *sicut scriptum est* (Malach. 1.) *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, Vbi, etsi, quæ in lege veteri fiebant, non autem ex fide, & gratia per Christum opera à merito prædestinationis, & electionis ad salutem, fidemque, & iustitiam Paulus excludat: ac proinde eo testimonio Patres contra Pelagianos, ac Semipelagianos vtantur, sunt autem duo in eo testimonio, quæ omne meritum etiam ex gratia prædestinati ad suam prædestinationem excludunt. Primum *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, quibus omne meritum vniuersim ad electionem Iacobi præ Esaü in huius dominium, & dilectionem Dei erga ipsum specialem, demeritumque omne Esaü ad destinationem seruituti, & Dei odium (quo nomine eius, & præscitorum quos præfigurabat reprobatio significata iuxta Apostolum est, sicut nomine electionis, & dilectionis Dei erga Iacob, figulatorum in illo sanctorum prædestinatio) à Paulo secluditur. Cum autem negato genere de aliquo species eius negatione ipsa generis omnes negentur, recte ex eis locis Spiritus Sanctus per Apostolum merita legis, & naturæ, ac non ex fide, & gratia Christi præcedere prædestinationi negat, atque ex eo loco Patres, & Concilia Pelagianos, ac semipelagianos, qui merita naturæ prædestinationi, vel in totum, vel ex parte prætendebant obtruncarunt; sed tamen cum merita etiam ex gratia Christi sub genere illo meriti ad prædestinationem vniuersim negato, altera species sit, & contineatur: æque, si prædestinationi Sanctorum prætendantur eis locis à Paulo memoratis, & explicatis, eiusque testimonio retundentur. Secundum in eius testimonij parenthesi illa continetur: *vt secundum electionem propositum Dei* (id est prædestinatio diuina iuxta interpretes Patres & Theologos omnes) *maneret*: in ea vero rationem independentiæ omnimodæ prædestinationis à merito quouis, & vndecunque habito Apostolus dedit: quia nimirum Dei prædestinatio ad salutem ex mera Dei electione gratuita, & misericordi vnius præ alio, quem non prædestinat, omnino est: id quod toto deinceps capite probat.

3. Primo ex illo Dei ad Moysen Exod. 33. n. 19. *Miserebor, cuius miserebor: & misericordiam præstabo, cuius misereor: igitur* (infert Paulus) *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: cum tamen voluntas Dei remuneratoria, ac meritis nostris excitata *currentis* & *volentis* esse agnoscatur, ab eodem 2. ad Timoth. 4. n. 7. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, ideo reposita est mihi corona iustitiæ*. Proinde scelerata, & impœnitentiam suam in Dei non prædestinantis, sed reprobantis voluntatem his verbis propositæ, *quæritur*? de nobis Deus, *voluntati enim eius quis resistit*? reprobi videantur posse refundere. Huic impiæ obiectioni, quoad illationem reproborum in terminis non respondet Paulus: quia præsentis sui instituti non erat, sed à capite, & radice eam retundit, quantum satis præsenti suo instituto erat, vt fere, ac bene noster Cornelius à lapide: sic enim Paulus statim *ô homo* Græca lectio *atqui homo* cuius emphasis: *& tu cum homo sis*: quis es qui respondeas Deo? ac si Hispane diceret: *y tu, siendo vos hombre os poneys a dimes, y diretes con Dios cerca de lo que el quiere, y con su infinita sabiduria y bondad dispone*? Ita Gregor. 9. Moral. c. 8. *Respondere Deo non posse conuincitur, qui homo nominatur: qui per hoc, quod de humo sumptus est, iudicia superna disputare dignus non est*. Huc igitur ratione, quod contra Dei voluntatem opponendum aliquid ab homunculis sit, nec de ea fratio à Deo vndecunque quærenda generatim, & à capite satisfacit, vt ad institutum de electione, & prædestinatione sat erat: idque luti, & figuli Sapient. 15. num. 8. Isai. 45. num. 9. & Ierem. 18. n. 6 adducto exemplo fundet. *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam*? *quod si Deus volens ostendere*, &c. vbi de pro arbitrij Dei æquitate, & ratione in eligendis, ac prædestinandis ex eadem hominum massa (cuius absolutus, supremusque Dominus est, multo magis, quam luti figulus Dominus sit) aliquibus aliis relictis, & permissue indurantis, reprobatisque à fide iustitia, & salute respondere in terminis vt aiunt voluisse satis ostendit, cum exemplo luti, mere passiuè se habentis respectu figuli, istique de ipso formatiuè in hoc vel illud vasis genus voluntatis vtantur: vt inde nihil amplius prædestinatos, & electos ad suam prædestinationem agere ostendat, quam si inanime, & mere passiuum quid respectu ipsos eligentis, & prædestinationis suæ forent: quare eam totam Dei misericordi gratuitæque voluntati esse tribuendam (quod solum presentis instituti sui erat) alia ratione intermissa de praeuisu gratiæ Dei, reprobis etiam datæ, & aliunde, & alibi in terminis eorum obiectioni satisfaceret; vt alibi ex instituto & ad speciale id institutum satisfacit. Dixi hanc fere esse Cornelij à lapide interpretationem: quia ipse non tam de prædestinatione, & reprobatione ex præuoluntatis diuinæ affectiue præparantis salutem, & permissue damnationem; sed glorificandi, vel damnandi bene vel male absolute meritos intelligit, vt concludit, *sed ego genuinam*.

4. Verum germaniorem sensum nostrum non de effectibus electionis, ac prædestinationis à Deo vnius præ alio, sed de electione, & prædestinatione nobis fecerunt illa, *cum nondum nati*, &c. Cuius rationem parentheti illa (*vt secundum electionem*, &c.) Paulus istam interfunt enim, & textus de dilectione, seu electione, & institutione ratio de proposito, seu prædestinatione: ac inuenere Patres, & Scholastici de eis hunc textum intelligunt, & contra Pelagianos, & Semipelagianos eo sensu vtuntur, nec alio Cornelij vti possent: siquidem ad vocationem ad fidem, & iustitiam populi gentium præ Iudaico ex operibus gratiæ quidem suæ, ac semper ad præmium, ac poenam æternam opera Deus expectat, vt conferre de facto velit, vt iam expendemus: quare in neutro secundum Dei electionem, sed secundum opera propositum Dei maneret contra Pauli sententiam; neque absolute antequidquam boni egissent, aut mali, vt Iacobi electionis, & dilectione diuina, atque Esaü odio, & reprobationi exemplum adducta Apostolus & contendit, & ostendit. Ratione vero Pauli sic argumentor. Prædestinatio vnius propositum Dei, siue ad fidem, siue ad iustitiam, siue ad gloriam vnius præ alio esse, manereque semper debet secundum meram Dei electionem, ac puræ misericordiæ diuinæ exercitium, & gratuitam voluntatem: atqui si ex operibus prædestinati vndecunque, etiam ex Dei gratia habitis propositum, & prædestinatio vnius præ alio à Deo haberetur, neque esset, nec maneret secundum meram Dei electionem & pure misericordem, & gratuitam

Dei voluntatem: ergo non est ex operibus prædestinati etiam ex gratia profectis. Maior est textus ipse parenthesis illius confirmata à Paulo ex textu Exodi, ac rursus illius verbis, & illatione Pauli. *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: ac rursus exemplo luti, & figuli, qui ex potestate, & dominio, quod in lutum habet mero, & puro absque vlla differentia, aut motiuo oblato ex parte massæ (omnino substantiæ, qualitatis & conditionis cuiusl.) vt præ alia massæ parte in vas contumeliæ relictæ eligatur in vas honoris: inde enim ostendit Paulus ex sola suprema suæ in rationales omnes creaturas potestatis iure, & dominio absque vlla qualitatis, aut conditionis ex parte massæ hominum totius siue originali, siue actualibus infectæ, vel etiam puræ, siue in puris naturalibus oblatæ, (si ita offerretur) Deum ex misericordi, & pure gratuita voluntate posse de facto eligi eius partem in vas honoris, & misericordiæ quod ipsum est illam prædestinare & eligere) alia parte pro suo mero arbitrio in vas contumeliæ, iræ, & indignationis relicta.

5. Minor vero Syllogismi proximi probatur facile. Primo: quia quod ex pura misericordia, & mero dominio, gratuitaque voluntate Dei fit, nullum aliud motiuum habet, quam sui vsum dominij, & miseriæ alienæ subleuationem, & beneficentiæ gratuitæ, & liberalis exercitium erga illum, circa quem exercetur, ex parte huius appositum. Atqui si electio, & prædestinatio propter opera, & merita electi, & prædestinati etiam vndecunque profecta foret, aliud motiuum ex parte prædestinati haberent: ergo non esset prædestinatio, & electio purè misericors & gratuita ac liberalis, sed remuneratoria, quæ gratuitæ, ac liberali contradicit: vnde & illa Patrum contra Semipelagianos consequentia, *Ergo iam gratia non esset gratia*, & vrgentius teneret: siquidem illi non quidem meritum absolute tale, vt contraria præsenti nostræ opinio, sed ansulam quandam, & occasionem tenuissimam à prædestinato oblatam Deo ad electionem, & prædestinationem contendebant, Dices hanc ansulam cum ex puræ naturæ viribus Deo offerretur, nihil gratiæ ex parte Dei supponere: ac proinde consequentiam tenere: *ergo iam gratia non est gratia*: ast in casu quæstionis præsentis supponi esse ex gratia, & auxilio, ac prædestinatione Dei, nec solis naturæ viribus in vno genere profecta merita, & opera illa, quæ prædestinationem, & auxilia Dei causant in genere alio: ac proinde gratiam, prædestinationem, auxiliumque Dei, vt operum causam, & radicem absolute supponere, quam sua causalitate nequeunt proinde destruere: quare non valere consequentiam illam in suppositio quæstionis præsentis, quod ex Dei gratia, & prædestinatione ea opera eliciantur. Cæterum suppositum quæstionis non est de operibus ortis ex gratuita pure misericordi, ac liberali prædestinatione, & auxilio, seu auxiliante gratia Dei, qua gratia, & gratuitum donum formaliter est: sic enim supponeretur contradictorium ad quæstionem: nempe, & voluntatem prædestinatiuam, & auxilium posse esse gratuita simul, & liberaliter habita, ac simul remuneratoria, & onerosa: quod quæstioni subditur, & principium continet alterutro modo decidendi quæstionem pro eius principij possibilitate, vel repugnantia statuta.

6. Aliud solum supposuimus ad quæstionem, in quo alij repugnantiam recognoscunt, alij possibilitatem: nempe, causalitatem mutuam in diuerso genere, siue proximam, siue remotam, ac insuper merita de quibus disputamus non esse ex naturæ viribus sed ex supernaturali auxilio Dei, non autem ex gratuito & liberali Dei dono, & voluntate profecta respectu prædestinati, & electi operaturi vt ex quæstionis titulo, & explicatione patet. Hoc autem supposito atque aliunde ex Pauli testimonio, atque fidei dogmate, quod electio prædestinatio, & auxilium indebitum naturæ, & supernaturale gratuita, mereque liberaliter, ac misericorditer respectu prædestinati habita, concessaque à Deo sint, recte arguitur ratione gratuiti, & liberalis, ac pure misericordis electionis & prædestinationis, ac subinde gratiæ respectu prædestinati, quæ in eo auxilio inuenitur, meritis prædestinati ex ea electione, & auxilio profectis non potuisse prædestinationem, auxiliumque à Deo obtineri, quin quæstionis suppositum destruatur. Iam quod respondetur argumento ex repugnantia affectus, & doni liberalis, ac simul remuneratorij, & onerosi ad rem non est. Si enim repugnat eidem affectui, & electioni diuinæ (vt vere repugnat) remuneratoriam meriti, ac solum liberalem & gratuitam simul esse: cum pure liberalem fuisse gratuitamque, ac misericordem ex scriptura habeamus, eam ex meritis prædestinati, etiam ex supernaturali auxilio ortis, esse non posse euidens est, vt contendimus: quod adhuc esse in radice ex gratia vnde merita illa proueniunt (implicatione demonstrata omissa) satis non esset, vt electio, & prædestinatio in se absolute gratuita, liberalis pureque misericors diceretur, sed cum addito *in radice* in se autem onerosa, & remuneratoria, vt voluntati Dei dandi gloriam executiuè ob merita iustorum ex auxilio gratiæ profecta euenit, in se scilicet onerosam absolute: remuneratoriamque solum esse, ac tantummodo liberalem, & gratuitam in radice, & hic quidem radix principiumque gratuitum reperimus in voluntate dandi gratiæ auxilia quæ absolute, & merita præmianda & voluntatem Dei executiuè præmiatiuam præcedit: in casu vero nostro minimè.

7. Etenim prædestinatio, & electio, ex qua auxilia supernaturalia ortum habent, tanquam ex partiali, & essentialiter requisito motiuo ob merita absoluta adeo concipienda, habendaque est, nec nisi ob illa potest à Deo concipi, & haberi, atque in se absolute esse. Vnde in nullo signo possunt absolute auxilia supernaturalia, & merita inde orta præcedere, in quo remuneratoria absolutè electio, & prædestinatio non sit: quare radicem, principiumve aliquod ad ipsam, etiam in alio genere causæ gratuitum, pureque liberale ratione meritorum ab auxilio supernaturali prouenientium ex parte Dei, nullatenus potest supponi: vt ad voluntatem Dei executiuè præmiatiuam supponitur in gratuita, meréq; liberali voluntate Dei auxiliorum dispositiua, & collatiua, quæ absolute in se posita, & auxilia, & mera, & præmij illorum executiuam voluntatem antecedit: quæ obinde gratuita, seu gratiosa in radice voluntatis illius, dispositiuæ, & collatiuæ auxiliorum dici merito queat. Vnde constat distinctionē illam ad gloriam, siue prædestinationis propriè dictę ab Oxamo, Gabr. & Cather. tentatam, & assertam, in prædestinationem, siue electionem ad gloriam prædestinatorū præ aliis non prædestinatis, seu præscitis ante absoluta merita ex supernaturali Dei auxilio, vel post illa de propria Dei prædestinatione, quæ de facto fuit, implicatoriam, quoad secundum membrum distinctionis esse. Cum omnis prædestinatio, vt bona opera essent, pure liberalis, gratuita & misericors fuerit ex scriptura, & Patribus. Ac denique quia prædestinatio à voluntate conferendi auxilium ad meritum de facto ex illo habendum, & coniunctum cum finis assecutione inchoatur: cum sit in illa *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunq; liberantur*: nec possit meritis inde ortis obtineri: quia principium meriti, quouis gradu tale, nequeat sub meritum cadere, vt sæpe alias ostendimus contra 3. de Incarn. d. 3. q. 3. cert. 1. n. 3. & contra 6. d. 1. q. 4. maxime cert. 7. quare neque hic sit longius repetendum. Hæc autem quæ posuimus omnia æque merita per modum pretij & solutionis, & ordine intentionis Scholastico, atque executa, & absoluta impugnant: quocunque enim modo merita explicentur, si Deum ad prædestinationem, & auxiliorum electionem, & collationem meritorie moueant iam gratia non foret gratia, neque electio, prædestinatio, & illorum collatio misericors, & gratuita: ac insuper consequentiæ illæ Patrum & Conciliorum non tenerent: & hæc sint in præsentiarum satis. Propterea conclusio hæc, de facto loquendo, omnium Theologorum est cum S. Th. 1. p. q. 23. a. 5. & 1. 2. q. 114. art. 5. quos sequuntur Vasq. 1. p. d. 91. c. 6. Soar. 2. de causa prædest. c. 20. Valent. 1. 2. q. 114. a. 5. d. 4. vbi Zumel. de eriã 4 Arrubal. 1. p. d. 76. c. 2. Herize d. 28. c. 2. n. 8. Granados tr 7. d. vlt. Ioan. Præpos. 1. p. q 23. a. 8. dub. 4. Fasol. ad can. 1. q. art. 5. n. 2. & 3. Commentarij, & hi quidem omnes conclusionem negatiuam de possibili etiam tuentur: quia principium meriti sub meritum cadere posse repetant impossibile; si tamen Soar. excipias 2. de causa prædestinationis cit. c. 20. cit & 3. p. tom. 1. d 10. sect. 4. distinctione illa sua ordinum intentionis, & executionis principium meriti ordine executionis posse sub meritum ordine intentionis venire docens, & Granados loc. cit. qui eandem conclusionem de possibili tuetur.

CERTAMEN II.

Quidnam ad prædestinationem propriam opera ex ipsa, & gratia Dei profecta conferant demum?

1. SEd enim, quamvis meritorie, nec causa, nec vllo modo gratiæ, & prædestinationis suæ principium operibus ex gratia profectis prædestinatus possit apponere, lis adhuc inter scholæ nostræ Doctores, qui gratiæ efficaciam extrinsecus à consensus nostri futuritione solummodo admittunt est: an sensu, & ratione alia operibus illis, quibus gratiæ efficacia, ac proinde gratia propria prædestinationis, & prædestinatorum completur causa prædestinationis suæ, aut conditio, sine qua non dici possit? in ea quippe sententia, si prædestinatus gratiæ Dei, vt potestate antecedente potest, non cooperaretur, nec gratia efficax illa foret, nec eius electio prædestinatio. Video hanc inter nostros litem totam de nomine esse, nec semel à nobis eius decidendæ tom. 1. de Deo vno, & secundo hoc iacta esse principia; sed tamen quia Dominicanæ Thomisticæ Recentioris scholæ Doctores ex hac difficultate in nostris principiis, variisque nostrorum ad eam expediendam loquendi modis elatis vocibus condamant, nos vtique à nobis contra Apostoli, seu potius Augustini, & Patrum ex ea sententia ad rem prædestinationis iam dogmaticam, accommodationem, discerni. Quæstionem hanc de nomine rigidissime examinare, atque loquendi propriores, aptioresque modos aliis, qui æquiuoce arguendi, & contra nos inclamandi locum præfatis Thomistis facere possent reiectis, statuere, ac definire laboris ad rem præsentem vtilis, nec leuis operæ pretij fore iudicaui. Tametsi non à Deo profuta, atque ab aliis disputatur, contentione versandam quæstionem existimem: quorum replicata argumenta, & instantiolas proinde omittam, eorum loquendi modos, & sententias summatim solummodo recensens, vt post modum pro prioribus vocibus rem ipsam nostris omnibus Doctoribus communem tradamus.

2. Duo autem apud eos omnes firma, & statuta præmittenda sunt. Alterum in sensu composito, vt aiunt, prædestinationis, & collationis gratiæ efficacis ex scientia conditionata futuri recti vsus, & consensus nostri gratiæ cooperanti, potestate consequenti, non posse non bonum illum vsum, & consensum gratiæ Dei non esse; & tamen potestate antecedente posse, quia futuritio conditionata, ex qua scientia conditionata, qua illius auxilij efficacis electio prædestinatiua dirigitur, & prædestinatio ipsa completur, obiectiua dependentiæ à bono vsu gratiæ illius, & consensu nostro absoluto purificata conditione, & gratia absolute posita, pendet, vt primo sit, & præcesserit, vt docuimus contra minus in nostræ scholæ principiis instructos recentiores contro. 6. de prouidentia & hac 7. de prædestin. eorum sophismatibus disiectis. Hinc autem euidens sit nostro bono vsu gratiæ, & cooperatione pendere, quod gratia, quæ prædestinatione nobis confertur, propriéque prædestinatiua, seu prædestinationis est, talis sit, atque ex prædestinatione, seu speciali erga prædestinatos prouidentia, non autem ex communiori erga reliquos etiam non prædestinatos, prouidentia proueniat: etenim efficacia gratiæ eam ad prædestinationē nec solum ad communem de omnium (loquimur de adultis) salute pertinere facit: atqui hæc, vt vidimus à bono nostro vsu gratiæ, consensu & cooperatione absoluta pendet vt diximus: ergo & quoad gratiam propriam prædestinationis & prædestinatorum pertinet ab eisdem itidem pendet, id rectè probant nostri ex 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem*, id est efficacem, & *electionem faciatis*: id est, faciatis prædestinatiuam, seu prædestinationem, quæ nihil aliud, quam electio vocationis, & gratiæ cum euentus, seu consensus certitudine, est; ità expresse Molina 1 p. q. 23. artic. 5. d. 1. n. 6. & 12. Vasquez d. 91. cit. c. 7. Arrubal. cit. disp. 77. Valent. citato art. 5. punct. 4. §. 8. versu *secundo sequitur*. Heriæ supra atque ex nostris reliqui, & scholæ nostræ Sectarij Iom. à Bononia opusc. de prædestinatione parte 1. & 2. Bartholomæus Camerar. Dialog. Cathol. capite 4. §. 1. & cæteri, fuitque iam olim sententia Henrici quodlib. 4. quæst. 19.

3. Alterum apud eos omnes statum, firmumque præmittendum obseruauit aliis expressius, magisque ex professo Vasquez noster d. 92. c. 2. tametsi reliqui scholæ, & doctrinæ nostræ de auxiliorum efficacia sequaces, tum nostri, quam externi in eius explicatione, vel argumentorum aduersantium solutione, idem ipsum doceant: est autem præmittendum illud actus electionis liberæ Dei auxilij efficacis, seu habituri effectum, si donetur, ita presupposito, & præcogniti, siue prædestinationis liberæ Dei eiusmodi scientia conditionata posteriori, nullum ex parte prædestinati, causam, aut conditionem vllam dari vllatenus posse: id quod probat bene Vasquez et Hieron. ad id Hierem. 10. *Scio Domine, quod non est in manu hominis via eius*, & August. 1. retract. c. 22. in potestate hominis esse vias suas in melius commutare; sed *potestate sibi data à Deo per gratiam*: iuxta id Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Cuius vtique potestatis donatio nostræ potestati nullatenus subditur; sed est solius omnino potestatis, dominij, & libertatis diuinæ. Notatum autem velim præsentem difficultatem æque habere locum in prima gratia efficaci, ex qua effectuum prædestinationis continuata series, & contexta inchoatur, atque in vlterioribus gratiis efficacibus, quibus series tota illa contexitur, & terminatur; est vlteriores illæ gratiæ operum ex præcedentibus aliis efficacibus auxiliis merito congruo obtinentur, ac tenuiter ratorie à Deo donentur: cum enim, vt auxilia propria prædestinationis, ac prædestinatiua sint, efficacia esse debeant: atque ob dependentiam, quam efficacia solum ab extrinseco consensu nostro libero à nostris Doctoribus admissa ab ipso consensu habet, præsens oritur difficultas, siue mere gratuito, & liberaliter à Deo gratia efficax donetur (vt de prima gratia prædestinatiua diximus) siue remuneratorie, & ex meritis, saltem congruis, operum ex anterioribus gratiæ auxiliis proiectorum, vt dari potest, idem præsenti quæstioni locum patet, an ob efficaciam auxilij necessariam, in quovis auxilio, vt prædestinatione eligatur à Deo, atque donetur, atque efficaciæ illius dependentiam à nobis & consensu prædestinati explicatam, prædestinatio tota, quatenus ad singula, & omnia auxilia efficacia extenditur à prædestinato, eiusque operibus aliquo modo prodeat: ac proinde hic suis operibus suæ prædestinationis, etsi non meritorie causa principium, aut conditio sit, dicique possit? quod noto contra Doctos scholasticos, qui dependentiam non meritoriam prædestinationis à prædestinato cum dependentia meritoria, de qua suprà confundantes, de primo solum auxilio efficaci prædestinatiuo notant esse præsentem quæstionem.

4. Vasquez vtrumque causalitatis genus, ac dependentiæ confundens d. 92. capite secundo citato negat nos prædestinationis nostræ, causam vt conditionem dici posse: quia, etsi vlteriora auxilia efficacia à primo prædestinatiuo operibus ex ipso ortis promereri possimus de congruo, ac proinde, & ipsa, ac prædestinatio, prout ad illa vlterius terminatur, nostræ potestatis sit, at vero, quod auxilium primum prædestinationis donetur, nostræ non subiacet potestati: respectu autem quorumcunque auxiliorum, quæ in nostra sint potestate, & prædestinationis quatenus ad ipsa extenditur, causam nos proprius, potiusque, quam conditionem dici debere censet, ex illo Augustini lib. 1. retract. capite 22. *quod in nostra potestate est nos sumus causa*. Cæterum, vt nuper notabam cum hæc difficultas ex dependentia efficaciæ auxilij necessariæ, vt auxilium proprium prædestinationis sit, ab arbitrio, & consensu nostro subdestinationis sit, ab arbitrio, & consensu nostro suborta omnino fuerit ac procedat, atque ea dependentia æqua in primi auxilij, atque in vlteriorum efficacia iæqua in primi auxilij, atque in vlteriorum efficacia iæqua in primi auxilij, atque in vlteriorum efficacia iuentur, inutilis, atque extra rem præsentem prorsus ea

ea primi auxilij prædestinatiui à reliquis, & prædestinationis, quoad hæc extenditur, ab ea quatenus ad primum illud terminatur distinctio à nostro Vasquez assignata, atque ex confusione & coniunctione duplicis valde diuersæ dependentiæ auxiliorum propriæ prædestinatiuorum, & efficacium ab arbitrio, & consensu nostro meritiuæ vnius, ac non meritiuæ (de qua solum in præsenti) alterius omnino est profecta: quod autem ait eo modo, quo auxilium efficax, & proprio prædestinatium, & prædestinatio, quatenus ad illud terminatur à nostro arbitrio, eiusque libero consensu dependerit, atque in nostra fuerit potestate, eius causa proprie & absolute iuxta Sancti Augustini testimonium dici debeat, quibusdam ex nostræ Scholæ Doctoribus placet; aliis vero æquo amplius displicet: quia eiusmodi dependentia siue efficaciæ auxiliorum prædestinatiuorum, siue prædestinationis ipsius, quatenus extenditur ad ipsa vtrovis modo quisque loquatur, me quidem iudice, referat nihil.

5. Rigide ergo atque ad præsentem quæstionem seorsim Vasquez, Arrubal Valentia citatis locis, & communiter nostri Doctores, quos sequitur magnus meus Magister Didacus Daza d. citata §. 3. circa finem versu, *sed quamvis inter Authores* censent in potestate prædestinati esse non prædestinari, ac proinde negationis huius veram causam, (vel si malis conditionem) arbitrio suo prædestinatum in actu primo, & in sensu diuiso à sui prædestinatione esse posse: cum enim efficacia auxilij, siue qua eius à Deo prouiso prædestinatio esse nequit, ex consensu quia gratiæ solius operatione, nisi arbitrij cooperatio adiungatur, atque identice comitetur, esse non potest, vt diximus, dependeat, atque gratiæ præuenienti cooperari, vel secus libero arbitrio prædestinati, atque in eius subinde potestate sit: ac insuper ad negationem rei, quæ à duobus principiis essentialiter pendet, alterius defectus negationis rei illius sufficiens & adæquata causa sit: fit, vt negatio, seu defectus liberæ cooperationis gratiæ præuenienti consensum, qui essentialiter è cooperatione vtriusque pendet, sufficienter adæquate, & absolute: quare & efficacia gratiæ, quæ ab illo desumitur, remoueatur, ac subinde prædestinatio, quæ gratiæ solummodo efficacis præparatio est: ergo negatio prædestinationis suæ, siue, vt non prædestinetur, in prædestinati potestate absolutè est, vt idcirco Prosper ad 3. capitulum Gallorum dixerit: *Ideo non prædestinati, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti.* Non autem esse in nostra potestate prædestinari probant: quia, etsi efficaciæ gratiæ causa simus, non tamen sumus causa, vt gratia illa à nobis donetur: quid autem ratio hæc pro extrema hac parte negatiua absolutè (cui dissentimur) sententiæ huius præstet, cum nostras statuamus conclusiones apparebit.

6. Aureolus in 1. distinct. 40. & 41. articulis primis Exius de prædestinatione, centur. 3. numero 2. quos imitatur Molina loco citato, censent prædestinatum esse causam sine qua non prædestinationis ipsius, quoad totam potestatem, & effectus ipsius: quia consensus, & cooperatio nostra gratiæ præuenienti, provt libera, & à nobis, nec effectus gratiæ, nec diuinæ prædestinationis, quæ media solum gratia ipsum operatur, est: ac subinde, quod vtriusque causa, aut conditio sit, non est cur repugnet. Assumptum probatur: quia gratia præueniens liberum in operando adhuc partiale principium non est: quare consensus noster liber, qua liber, à nobis solum est, non à gratia: quod in doctrina nostri Soarij 2. de prædestinatione capite 20. numero 6. non parum roboris habet: ait quippe, consensum effectum auxilij gratiæ solummodo vt præuenientis esse: præuentio autem, & excitatio voluntatis ab auxilio gratiæ præcisè sumpta in genere causæ formalis tota tota est, per sui informationem, & formalem repræsentationem obiecti: quare vlterius alterius aliquid in genere causæ efficientis auxilio illi præuenienti erga consensum nostrum liberum concedendum est, vt cooperans arbitrio nostro in libero consensu ipso (quod in genere causæ formalis, & vt præueniens præcisè habere nequit) iuxta Patres & Theologos sit ac dicatur. Cæterum, cum ea præueniens gratia boni, & motiuorum, quæ voluntati formaliter repræsentat, ipsamque opposita cogitatione detentam, atque in aduersum in actu primo distractam, ad consensum alliciat, & actiue intentionaliter sollicitet ac moueat, atque illum ab ea de facto sua hac sollicitatione obtineat, vere consensus nostri vt à nostro libero arbitrio, causa etiam absolute est dicique debet: atque ea ratione ipsi arbitrio non præueniens formaliter solum gratia, sed in suo genere causæ actiuæ intentionalis gratia ad consensum, vt à nobis etiam, & liberum, cooperans indiuisim est: quare ex eo, quod gratiæ præuenientis effectus consensus liber non sit: male ab his Doctoribus probatur posse, & gratiam, & prædestinationem, vt ad ipsam terminatam, ac consensu illo libero, tanquam à causa, vel conditione pendere: tametsi aliunde earum conclusio verum habere possit, vt inferius dicemus.

7. Dico primo cum omnibus nostris Doctoribus, in nostra, & arbitrij potestate esse non prædestinari: quare, & in prædestinati potestate in actu primo considerari non prædestinari, in sensu tamen diuiso à prædestinatione. Probatum satis id est à nobis Doctoribus numero 3. sed est contra conclusionem non contemnenda difficultas, etsi ab eis intacta: quia difficultas illa ab aliis Recentioribus, & à nobis fusè quæstione 1. examinata, tunc temporis ex instituto non disputabatur: ex ibi ergo statutis: argno sic. In cumulo auxiliorum Dei Omnipotentia clauorum aliquod, & aliqua necessario clauduntur, quibus prædestinatus consentiet: ergo, etsi huic, cuius præparatione prædestinatus possit in actu primo non consentire, cum omnibus dissentire nequeat, poterit Deus etiam huic auxilio dissentientem, ac proinde ex vi præparationis auxilij huius non prædestinatum, per alterius pro suo solum libito præparatione prædestinare, vel præparatione cumuli totius auxiliorum: in primis obiectio hæc dat negationem cuiusvis prædestinationis in particulari, & per quodvis auxilium particulare impedire nostræ physicæ potestatis esse, atque arbitrij nostri facultati subesse: quod satis esset ad conclusionem de facto tuendam: illud de præparatione totius cumuli auxiliorum simul fors implicat: quia infinita syncathegorematice sunt, nec possunt à Deo tot produci simul quin restent plura. His autem missis, & solutione communi de necessitate consentiendi alicui vage, & impotentia renuendi omnibus coniunctim motali solum, quæ physicæ potestati dissentiendi non obsit, vt ea quæstione 1. referebamus, nec improbabamus: iuxta nostram solutionem ibidem datam dicito: Deum ita pro suo libito ex necessaria sua omnipotentia, & dominio cumuli auxiliorum, posse quemvis prædestinare, vt quovis, & omnibus auxiliis ab extrinseco solum consensu libero arbitrij creati efficacibus, consensus huius libertatem non excludat: immo vero ad efficaciam ipsam constituendam: quare, & efficaciæ singulorum, & omnium auxiliorum à libero arbitrio dependentiam concernit, atque ex parte materiæ auxiliorum proprie prædestinatiuorum, ad prædestinationem supponit. Quo ad varias formas obiectionum ex eo principio petendarum præsto adest occupatio, & præuenta solutio.

8. Dico secundo contra Doctores citatos numero 5. prædestinatio, nec solum negatio prædestinationis ex parte materiæ, & obiecti necessarij præparandi per prædestinationem in nostra potestate, & arbitrio libero prædestinati est. Hoc docuit Arrubal; & amplius addendum, & me iudice expresse continetur illa 2. Petri 1: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quod eo solummodo intelligi potest, quatenus à libertate absolute nostri boni operis appositioneq; absoluta ad quam nos Petrus hortatur, futuritio eiusdem operis conditionata qua gratia illa efficax constituitur, & meteria subinde apta, & necessaria prædestinationis obiectiue pendet, ac proinde scientia etiam media, quæ electioni, seu prædestinationi defert certitudinem, atque euentus absoluti infallibilitatem: id ipsum docuit Damascenus Dialogo contra Manich. scribens. *Bona agere, & boni effici contendamus vt in eorum numero simus, quos Deus bonos fore præuidit, & ad vitam æternam præordinauit*: id est prædestinauit. Neque enim alium sensum, qui Massiliensium non sit, præter-

præter præfatum habere ea verba possunt. A ratione vero non video, qua consequentia esse in nostra potestate ratione materiæ necessariæ, circa quam, ac subinde in arbitrio prædestinati suam prædestinationem negari ab his possit, qui prædestinationis negationem in potestate nostra esse docuerunt. Nullo enim alio modo ex arbitrio, & potestate libera voluntatis, vt non prædestinemur, causæ esse possumus, nisi, quatenus ex libera potestate arbitrij non consentire, seu dissentire auxilio gratiæ possumus, reddereque illud non efficax, sed inefficax, ac proinde gratiam illam reddere ineptam prædestinationi, quæ essentia sua illius efficaciam, vt materiam, & obiectum per illam præparandum ex efficaciæ illius conditionata scientia, essentialiter supponit: atqui eadem illa potestate ad vtrumvis indifferente, consentire auxilio eidem potest, illudque reddere efficax, & materiam, seu obiectum aptum prædestinationi: ergo in eadem potestate nostra est ponere ex parte obiecti, & materiæ essentialis prædestinationi, prædestinationem eo tamen discrimine: quod nostro dissensu adæquate & necessario prædestinatio potest à nobis auferri: quia eo à nobis posito dissensuri prædestinatio libera minime Deo sit, posito vero consensu, ac subinde constante eius conditionata futuritione: & auxilij efficacia, quæ per eam completur, & constituitur, consensurum prædestinare, vel non prædestinare liberum integrumq; adhuc Deo est: quod non tollit, quod ex parte materiæ, & obiecti necessarij ad prædestinationem eius causa simus, sed solum quod adæquata totalis, & completa vndique causa simus prædestinationis.

9. Dico tertiò: Tota prædestinatio ex parte, non quidem meriti, aut motiui, sed materiæ necessariæ, & obiecti totius adæquate sumpti in prædestinati potestate est, ratione efficaciæ, seu complementi auxilij quod à libero nostro consensu desumitur: consentio in conclusione Aureolo Exio, & Molinæ citatis num. 6. non tamen in eius probatione quam ibidem reieci. Sed tamen Arrubali supra citato in conclusione & probatione etiam consentio libentissime, cum videam à magno meo Magistro Didaco Daza probari; quamvis nostro Soario & Herize videam displicere. Et quidem, quoad complementum, & constitutionem efficaciæ omnium auxiliorum prædestinatiuorum à primo ad vltimum probatum est probatione eadem, qua secundam conclusionem probauimus: cum, quoad dependentiam auxiliorum à nobis, quoad efficaciam, seu ratione efficaciæ eadem ratio sit de primo auxilio prædestinatiuo, ac de reliquis, siue intermediis, siue postremis, vt vidimus num. 3. quare tota difficultas est de gratia ipsa auxiliante entitatiuè sumpta, nec solum, quoad constitutionem, & completum efficaciæ suæ entitatiue enim, nec solum, qua efficax est, accepta, effectus prædestinationis est, & quæ de facto non nisi prædestinatione tribuatur prædestinato: entitatiue autem sumpta ab huius libertate dependere non potest, etsi quoad efficaciæ constitutionem, & complementum dependeat: sed quoad entitatem, nec solum, quoad efficaciam absolute à libertate prædestinati dependere facile probatur. Etenim non aliter entitas ipsa auxilij absolute, & de facto datur prædestinato, nisi ex prædestinatione (neque enim datur primo ex prouidentia communi erga eius salutem, & postea pro naturæ signo posteriori ex prædestinatione entitas auxilij; alioqui simul duplici causa totali & causalitate superflue, vt minimum, poneretur, atqui ex prædestinatione, ne secundum entitatem quidem poneretur, ponive posset, ni efficax esset: ergo eius, secundum entitatem etiam suam, absoluta existentia, & appositio, quæ sola est ab ipsius efficacia pendet. Atqui hæc pendet ab arbitrio libero prædestinati ad consensum: ergo, & auxilij absoluta appositio, & existentia, ac subinde prædestinatio secundum totum effectum gratiæ, adæquate, & secundum eius omnem partem sumptum, pendet ab arbitrio prædestinati. Hac probatione difficultas proposita, & quæ Soar. huic conclusioni infensum fecit, disparet, & leuioris armaturæ impugnationes Herize contra Arrubalem frigescunt.

10. Dico quarto & vltimo: prædestinatus etsi causa remota prædestinationis suæ per liberum gratiæ auxilianti consensum sit, & negationis prædestinationis si non prædestinaretur, sicut reprobi non prædestinati per liberum dissensum, aut omissionem consensus, quo, vel meriam, & obiectum necessarium remouent vel apponunt, nihilominus causa proxima prædestinationis, imò & absolute causa prædestinationis suæ, vel negationis prædestinationis, nec sunt nec absolute dici possunt. Quod causam absolute talem prædestinationis est omnium nostrorum Doctorum conclusio, quoad causam negationis prædestinationis non est ita ipsis communis. Immo vero ab eorum plerisque absolutè, ac sine limitatione, & additamento aliquo asseri non prædestinatos negationis seu prædestinationis causam esse. Eadem vero vtriusque partis ratio est: quia prædestinatio immediate, & per se imò & absolute stat in electione mediorum efficacium, præ inefficacibus, ex scientia media efficaciæ eorum, qui eliguntur, & inefficaciæ aliorum, quæ proinde non eligitur, sed reijciuntur respectu prædestinati: negatio vero prædestinationis stat in negatione electionis mediorum efficacium, quæ respectu cuiusvis non prædestinati elici à Deo absolute possent: qui in sua potentia respectu cuiusvis creaturæ rationalis auxilia extrinsecus ab ipsius consensu conditionato efficacia habet, vt ostendimus n. 2. Quod autem hæc media efficacia Deus eligat prouideque his non autem illis quibus æque posset à consensu libero rationalium creaturarum nullatenus pendet. ergo nec ab eis absolute pendet prædestinari vel non prædestinari. Probatur, & explicatur vis illationis huius: quia est absque mediorum aptitudine, & scientia horum per illa electio esse non possit, ac proinde mediorum aptitudo ad electionem omnem supponatur: ast, quod hæc præ aliis æqualibus eligantur, media ipsa causa absolute non sunt, sed sola voluntas, & libertas eligentis, tametsi eorum aptitudo & conducentia ad finem intentum, vt materia, & obiectum aptum electioni, vel liberæ omissioni electionis supponatur, ergo nec eam mediorum aptitudinem apponens causa electionis, vel omissionis eligendi illa absolute erit.

11. Confirmatur vlterius quia repugnante immò non existente subiecto prædestinationis, vt supra ostendimus non posset à Deo prædestinari; & tamen, quia solum ex materia præsupposita, & subiectum *cui* prædestinationis, nec aliter ad electionem mediorum efficacium, & præ inefficacium inducens, causa suæ prædestinationis, neque absolute est, nec dici absolute potest: ergo nec auxiliorum efficacia, etsi apta, & necessaria electioni ac prædestinationi auxilia, & obiecta prædestinationi positiue posita constituat, causa prædestinationis, aut non prædestinationis absolute est, dicive potest. Ex quibus omnibus constat pro iure, reprobus, & prædestinatus discrimen suæ prædestinatione vnius ac non alterius esse absolute negentur; tametsi materiam aptam prædestinationi & negationi prædestinationis alter, vel alter, imò vterque pro sua libertate apponat: quod Paulus non solum verbis *Tu quis es, qui te discernis* in simili, & æquiualenti, sed & exemplo figuli, & massæ luti præsuppositæ, è solo libitu opifici in adeo diuersos vsus effformatæ apertissime proposito, & illustrauit. Ne ergo deinceps Dominicani Thomistæ & recentiores ad raucitatem vsque frequens illud sibi assumant Thomisticam nostram Iesuiticam scholam in scholasticis disputationibus inclament, *quis est, qui te discernit*, audiantrumq; aures deinceps obtundant, sed fauchm suarum nostrarumque aurium damno consultius præcaueant: cum prædestinatiua discretione prædestinatam à non prædestinato se minime discernere perspicuum ex dictis fiat, tametsi executiue gratia de se indifferenti vtique ex eo cunque prouidentia, conferatur, alter consentiendo, alter vero dissentiendo se discernant: ac sic materia, & obiectum prædestinationis, ac non prædestinationi aptum obiectiue ab eorum libertate pendeat, & apponatur, quemadmodum futuritio conditionata consensus, aut negationis quæ efficaciam, aut inefficaciam auxilij constituit, & dispensè prioritate maioris vniuersalitatis præcedit, obiectiue, ac verificatiue ab eorum consensu, vel dissensu pendet.

QVÆSTIO V.

An Christi Domini opera ex Dei gratia profecta prædestinationis alterius causa esse possint, ac de facto sint?

DE Christi meritis, an prædestinationis aliorum causa esse possint? agendum hic restat, vt disputatio præsens de causa prædestinationis penè absoluatur: cum ex iis, quæ de eis statuantur facilis sit de aliorum meritis decisio. Ne vero quæstioni de nomine in vtrorumque meritorum erga aliorum prædestinationem causalitate locus supersit, aduerto (quod in anterioribus suppositum potius fuit quam explicatum: quia in eis nemo dubitauerat, neque distinctione, vt in hac nonnulli, præcauendum censuerat) quæstionem non esse; an alterius merita substantiæ ipsius voluntatis seu volitionis diuinæ necessariæ, ac prorsus ab omni extrinseco (nedum libero & contingenti) independentis; causa esse possint? sed eius, vt ad obiecta, & effectus propios, prædestinationis libere fertur, siue id necessariæ Dei volitioni physicè realiter identificetur, solumque sit realiter intentionaliter defectibile, vt diximus siue extrinseci obiecti, effectus, vel actionis, connotatione compleatur; vel aliter iuxta alios modos constituendi liberæ Dei volitionis, & decreti libertatem. Quod autem liberam hanc volitionem præmij cuiusvis intuitu meritorum à Deo præstandi mereatur, quicunq; ita à Deo præstandū meretur euidens cuuctis est: cum non aliter in præmium, & propter merita dari à Deo illud possit, ni ad liberam volitionem, & decretum illud alicui conferendi meritis ipsius Dei moueatur: quocirca sanctus Thomas 3. p. q. 24. art. 4. Alex. q. 3. m. 5. 5. Bonauent. in 3. d. 11. art. 1. q. 3. Albert d. 10. art. 3. Richard. art. 4. quæstione vltima. Durandus quæstione illa 3 primo illo sensu Christum, etsi omnes effectus prædestinationis nostræ promeruerit, actum ipsum prædestinationis promeritum negant.

CERTAMEN I.

De merito Christi Domini, & in hominum atque Angelorum prædestinationem influxu, & causalitate, Doctorum sententiæ.

1. EXplicatione puncti difficultatis manifestum fit eo gradu, & extensione Christum Dominum meritis suis nostræ, & Angelicæ prædestinationis causam fuisse, quo effectuum eius fuerit causa: vt nimirum si omnes eius effectus meritis suis prædestinato, siue homini, siue Angelo à Deo obtinuerit, adæquatæ prædestinationis illius causa censendus sit. Sin autem non omnes eius effectus, sed aliquos tantum, partis prædestinationis respondentis illis tantum effectibus, quos prædestinato promeruit ipsique à Deo obtinuit, ac proinde prædestinationis eius inadæquatæ causa debeat solummodo reputari. Vnde constat veram quæstionis huius de causalitate meritorum Christi in hominum, vel Angelorum prædestinationem ex iis, vel maxime, pendere, quæ de merito Christi respectu Angelorum, & hominum exactè discussimus controu. 6. de Incarn. d. 21. q. 2. & sequentibus: quare ex ibi statutis principiis nostris sententiam in re præsente cert. 2. dicemus. In ea verò Capreolus in 3. d. 18. quæst. vn. art. 3. *Christoph. de Ortega de Deo Vno.* Tomus II. ad argument. Scoti contra 4. concl. Soncinas ibi concl. 3. Ferrara 4. contra gent. c. 55. Driedo de captiu. & redemptione gener. humani tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4 ad 1. obiect. & tract. 4. tract 2. p. 8. m. 3. Adamus in cap 1. ad Ephes. & vlt. verba ad Philipp. & ad Rom. 3 ad ea verba *vbi est gloria tua?* & in cap. 1 epist. 2. Petri, censent, nec fidei, nec aliarum dispositionum, ex Dei etiam gratia profectarum, formalem impij iustificationem præcedentium, quare nec prædestinationis, quoad eos effectus, & gratiæ auxilia adeos requisita, causam meritoriam Christum Dominum esse: quia, etsi Christi merita impium non iustificent formaliter; at quoad efficaciam applicita iustificantem & remissiuam peccatorum formaliter gratiam immediatè in horum sententia inducunt: quare pro nullo priori applicari nobis possunt, quin statim nobis, & remissionem peccatorum & formalem sanctificationem inducant: ac proinde pro nullo alio priori anteriori, & remotiori ad iustificationem (ad quod procul dubio fides, & dispositiones reliquæ ex gratia Dei auxiliante profectæ spectant) applicari nobis possunt. Eandem sententiam saris indicant Ruard. art. 6. §. *Iterum obijcitur*, & Franciscus Somnius 2. demonstrat. Euangel. tract. 1. c. 19. Eam vero sententiam absurditatis, & erroris in fide notat Vasquez 1. parte d. 94. cap. 1. & rom. 1. in 3. parte d. 77. & merito, vt cert. 2. concl. 1. videbimus.

2. Soarius noster tom. 1. in 3. p. d. 41 sect. 4. & fusius 1 p. 2. de prædest. c. 14. num. 12. & 21. (vbi nostri Vasquez impugnationibus pro virili contendit occurrere) specialiter discurrit. Quia etsi Christum ante Adæ lapsum, eiusque præuisionem secundum substantiam prædestinatus, atque absolutè merens præuisusque adeo in sententia fuerit tamen, cum non, nisi post præuisum Adæ peccatum, mortalis, & passibilis fuerit à Deo decretus, merita eius, vt morte consummata, & in singulari, vt his, qui sunt prædestinati præ aliis, & specialiter applicita non potuisse à Deo præuideri, sed in communi & vt fundata in morte Christi erga Deum, & homines omnes communi, & æquali censet. Vnde, etsi Christi meritis prædestinati debeant suam prædestinationem absolutè, & gratiam omnem, qua ipsorum gratia, & beneficium est, non autem comparatiuè, atque, vt est eorum præ aliis non prædestinatis in salutem destinatio, electio, atque ab eis non prædestinatis discretio: quia ex merito communi pro omnibus, mereri quidem potuit, vt prædestinati ita in salutem destinarentur, non autem vt alij, pro quibus æque, vt ita etiam destinarentur, promeritus est, non destinarentur, cuius potius oppositum meruit; tametsi hos præ aliis ob merita sua prædestinare, vel etiam omnes, vel nullos liberum Deo reliquerit: ac proinde non electio aliorum à prædestinatis Dei solum arbitrium, non autem Christi merita causam habuit habereve potuit. Confirmat exemplo testatoris mandantis hæredi, vt tot Virgines in matrimonium collocet: cuius voluntas, & etsi causa sit, vt electæ ab hærede dotem, & matrimonium obtineant, vt autem non electæ ab hærede ab eo beneficio excludantur, ac proinde, vt electæ præ aliis, seu reiectis ab eo aliis illæ fuerint, non quidem testatoris voluntas, quæ pro omnibus, æqua, & communis fuit in causa est, sed sola voluntas hæredis. Quoniam vero Vasquez d. citata hanc doctrinam confutauerat: quia Christus Dominus specialiter pro prædestinatis merita sua applicuisse, & orasse Discipulorum nomine designatis dicitur Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*: vnde, & prædestinatorum præ aliis ab speciali illa applicatione, & oratione Christi exclusis, prædestinatio etiam comparatiuè, &, vt electio præ aliis non prædestinatis est, videtur suaderi: ad ordinem suum intentionis, & electionis inter efficaces Dei voluntates primo Soarius recurrit. Aitque ordine intentionis, & salutem Prædestinatorum præ aliis, & suo ordine prius, & prius media fini illi propinquiora à Deo præ sua mera voluntate fuisse decreta: in cuius demum secreta, arcanaque consilia, non autem in humanam Christi voluntatem, vt principium, & radicem totum prædestinationis negotium reducendum est: Cum Apostolus ad Rom. 11. exclamet. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei!* Quo posito specialis illa applicatio meritorum Christi, atque pro prædestinationis rario ordini executionis potuit solummodo inseruire, vt hi nihil nimirum præ aliis saluarentur; non

autem vt eligerentur, qui intentionis ordine electi efficaciter à Deo supponebantur: id quod non ex adeo difficili doctrina sua de ordine intentionis, & electionis inter voluntates efficaces finis, & mediorum contingentium, & liberorum, sed ex textu ipso potuisset apparentius suadere: dicitur enim. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Scilicèt à te datis iam ante orationem hanc meam, quæ datos à te illos supponit electos. Denique: cum Vasque ipse (inquit) fateatur specialem illam applicationem meritorum Christi per orationem pro prædestinatis solum ex Dei inspiratione, & motione Spiritus Sancti ex intentione salutis ipsorum, atque medium vtique fuerit ad eorum salutem consequendam, ac subinde ad prædestinationem, huius effectus fuit: & cum orationem, & specialem applicationem meritorum Christi natura anteceſſerit, sub huius motionem, & causalitatem venire non potuit: quare, nec totam prædestinationem, &, quoad omnia media, & effectus suos, Christus promeruit. Mitto alia, quibus contra Vasquez contendit ad motionem illam, & inspirationem orationi Christi præuiam diuinam intentionem salutis prædestinatorum liberam sine connotato extrinseco assignabili, admitti contradictoriè in eius sententia ad eius libertatis constitutionem: alia item, quibus contra eundem contendit eam intentionem absolutè efficacem esse. His siquidem ipsis seipsum Soarius impugnat: siquidem vt controuersia 6. de prouidentia, & hac ipsa 7. de prædestinatione dixi, ex inefficaci finis cuiusvis, & in re hac salutis prædestinati, efficacia media, quibus de facto infallibiliter obtineatur, prouidere Deum posse Soarius ipse fatetur. Cæterum in multis his, quæ Soarius præ sui discursus facilitate, copia, & subtilitate, vt alias semper ad rem præsentem mouet, immota vellem non pauca.

3. Primum: Quod merita in communi solum ac non in particulari, ac singulari præuiderentur à Deo ante Adami peccatum: id enim rationi visionis intuitiuæ, cui in eius sententia ex parte obiecti præcisiuam esse repugnat, conuenire sine contradictione nequit; est autem diuina scientia cuiusvis obiecti intuitiua (ipso etiam fatente) essentia sua cognitio. Insuper cum re ipsa nihil Christus operatus fuerit nisi in peccati remedium, atque ab ipso reparationem, tanquam primarium finem, & incarnationis à Deo, & operum suorum à Christo intentum ad omnia eius opera, ac merita vniuersim sumpta peccatum præcesſit, si ad eius merita redemptiua debuit, vt Soarius supponit, præcedere: ac proinde nihil meritorum Christi absolutè ante Adami lapsum præuideri: item quod ait visa merita Christi ante Adæ peccatum vt fundata in eximia eius erga Deum, & homines Charitate: Si intelligit de amore Christi erga Deum terminato præcisè, & qui amoris erga proximos deinceps oriundi fundamentum sit, & in quo hominum amor solum fundamentaliter videatur: cum necessarius Christi erga Deum amor omnino in eius sententia sit, meritorius non erit: quare, & electio prædestinatorum, vt dilectio etiam atque in illorum commodum ac beneficium tendens ex meritis Christi contra ipsum Soarium non erit. Si autem intelligat amorem, qui simul in Deum, & hominum redemptionem propter Deum: cum redemptionis amor in eius doctrina absolute lapsum hominem supponat, pro priori ad lapsum hominis, nec esse absolute potuit, nec à Deo præuideri, multóque minus actus alij meritorij, qui ex eo amore redemptionis hominum propter Deum suborti fuere: tum, quia liberè ab eo suborti, & qui in causa, quæ solum tunc videbatur, nempe in amore redemptionis videri certo absolute non poterant. Tertio ordo ille intentionis, & executionis efficacium Dei voluntatem erga libera Christi opera & meritoria mouendus hic non erat. Tum, quia cum eorum libertate, ac merito contradictoriè pugnat, vt sæpe maximè controu. 4. de volunt. d. 6. ostendimus & hac controu. 7. non semel. Tum quia in operibus ordine solum intentionis acceptis nullum meritum esse potest, sed solum ordine executionis, quo physicè, & executoriè à merente apponuntur: vnde contra Soarium fiet: vt prædestinatio adhuc, qua prædestinatis benefica, nec solum qua electio respectu aliorum præfectiua Christi meritis nullatenus debeatur: ad quod solum is ordo à Soario mouetur. Tum demum, quia in eo amore, ac meritis Christi ordine illo per Soarium præuisis potuit esse specialis applicatio pro prædestinatione præ non prædestinatis, si ordine executionis sit admittenda, vt sit illorum comparatiua electio. Nec potuit solum sed debuit: cum ordo intentionis debeat necessario, quoad obiecta, etsi non quoad statum, omnino respondere ordini executionis. Exclamatio illa Pauli pro arcanis Dei consiliis in negotio nostræ prædestinationis extra rem, & Pauli mentem inducitur, qui eam semper ex meritis Christi factam dogmaticè docet. Cum enim Christi merita siue specialiter pro aliquibus applicita, siue non applicita, Deum non determinent, nec cogant, vt illos prædestinet, etsi, quod satis, superque, & immense redundans meritorum pro prædestinatione aliorum est, non apponat, semper nobis ad arcana Dei Consilia venerabundus recursus debitus in negotio prædestinationis patet. Quartum, quod de oratione contra Vasquez obiecit æquo robore Soarium ipsum impugnat: quomodocunque enim pro omnibus hominibus absque speciali vlla oratione, aut applicatione pro prædestinatis fuerit Christus merens, ex gratiæ auxilio promeritus fuit, atque de facto ipsius merita; ac subinde ipsi data auxilia gratiæ prædestinatorum electionem ac prædestinationem, qua ipsis proficua fuere, quoad reliqua gratiæ dona à Deo obtinuerunt: ac proinde ab auxilio gratiæ Christo ad opera meritoria datis prædestinatio eorum inchoatur: quæ tamen, vtpote eius meritis præcedentia, Christus promereri non potuit: ergo nec prædestinationem adæquatam prædestinatorum, quod proficua quam promeritum esse fateris, si quid tua obiectio probat.

4. Testatoris exemplum, etsi probet aliquid gratia, & beneficij vlterioris virginibus eligendis earum designatione ab hærede præstandi reliquisse testatorem, qui tot virginibus dotem ex suis bonis legauit; non tamen probat electionis eius Virginum illarum, quæ aliis relictis ab hærede speciali in illas beneficio fit, causam non esse testatorem, cuius voluntate, & legato sublatis electio illarum præ aliis ad dotes illas non esset: immò neque ab eius hærede, qua tali; esse vlquam posset: quare & electionis illius causam esse voluntatem dotes pro re maritandis legantis Testatoris Soarius ipse merito fatetur, vt mox videbimus. Adde testatorem eo ipso, quod numerum eligendarum taxauit, nullusq; determinatè exclusit, cum eas in singulari eligendas hæredis permissa voluntati, ea taxatione ipsa numeri à se facta causalitas, vt reliquæ manerent excluſæ: quare, si res hæc exemplo hoc omnino esset aptanda, ac definienda Christum meritis suis electionis comparatiuæ prædestinatorum præ aliis causa, in sensu etiam, quo à Soario negatur, procul dubio foret; sed quoniam Christus voluntate, ac meritis suis omnium hominum in singulari salutem, & voluit, & meruit, exemplum ad rem non est, neque ab eo ad rem præsentem tenet contra Soarium illatio. Tenet autem aliter contra ipsum ab eo exemplo illatio alia. Si enim, vt ipse exemplo ipso illo contendit, aliquid beneficij, & gratiæ Virginibus ab hærede designatis ab ipso confertur, quod non manet à voluntate testatoris, sed à sola hæredis illas in particulari, & individuatim designantis: idque ipsum in prædestinatione libera Dei ob merita Christi esset admittendum, vt scilicet aliquid gratiæ à Deo illos eligente specialis, ac soli ipsi, nec meritis Christi debitæ in prædestinatos admittendum sit, sibi aperte contradicit: statuit enim merito & Catholicè totum, quod beneficij, & gratiæ diuina prædestinatione affertur prædestinatis, meritis Christi debere ab ipsisque causari: cuius aperta ratio, & exempli disparitas est: quia Christi merita pro prædestinandis omnibus in singulari, & eorum omnium individuatim prædestinatione extiterunt, quin Christi meritis, & voluntate numerus prædestinandorum hominum taxatus Dei voluntati, solummodo singularibus intra eum numerum eligendis relictis, vt ita aliorum intra eum numerum omissio, (quorum scilicet electione numerus eligendorum è Christi meritis, & voluntate completus, nec prædestinatos caperet alios) prædestinatis locum fecisset, ac proinde in horum beneficium cederet: cum autem nec numerum prædestinandorum à Deo Christi voluntate, & meritis taxatus fuerit, nec singularis aliquis

aliquis eligendorum omissus, sed pro omnibus in singulari, & omni individuatim prædestinatione fuerint, quod non prædestinati excluſi à numero prædestinatorum ex libera Dei electione fuerint, nihil amplioris beneficij, gratiæque attulit, & contulit, prædestinatis, quam illis etiam in prædestinatorum numerum adscitis afferret. Ex quibus illud contra Soar. clarescit, Exemplum hoc, vt ab ipso expenditur, alteri sententiæ suæ parti aduersari, alteri vero ad quam ab ipso inducitur, minime posse facere.

5. Quod autem aiebat ex æquali, & communi pro omnibus merito Christi electionem comparatiuam prædestinatorum præ non prædestinatis non esse meriti Christi effectum, neque ipsi deberi De merito Christi, tam ordine intentionis, quam executionis, siue ante, siue post Adæ peccatum præuiso. eandem vim habet: quare vltra falsa, quæ in eis doctrinis, cum absolute, tum ad hominem deprehendimus, inutiliter, vt initio diximus, à Soario mouentur: eius vero argumenti debilitatem, & solutionem facilem satis indicauimus numero proximo, attigitque sufficienter Vasquez fusiusque Magister meus Daza citatis locis, ex quibus, clarius adhuc, illud reijciemus certamine secundo. Cæterum noster Alarcon non satis se ab illo expeditum censens d. de causa prædestinationis multis contendit Christum pro exclusione reproborum à prædestinatione, & auxiliis efficacibus speciatim merita sua applicuisse, atque Deum orasse. Primo ex datis verbis Ioan. 11. *Non pro mundo*, id est non pro prædestinatis, *rogo sed pro his quos dediſti mihi*, id est prædestinationis. Sed intento, & interpretationi textus contradicit, subditur enim. *Et nemo ex eis periit* (pro quibus vtique oro) *nisi filius perditionis*. Iudas nimirum, qui non prædestinatus, sed reprobus erat. Nomine ergo mundi non reprobi, nec nomine datorum à Patre pro quibus Christus orauit prædestinati intelliguntur; sed horum nomine Apostoli, & discipuli, qui Christum comitabantur, erantque ipsius fidem prædicatione propagaturi, atque ij omnes, qui eorum prædicationem, atque Apostolicum exercitium erant post modum susceputi & imitaturi, siue prædestinati essent, siue non prædestinati, quin Pater aliquis doctusve, aut rigidus interpres orationem illam ad prædestinatos omnes extendat. Nec Alarcon ipse, nisi suæ doctrinæ oblitus ad eos omnes potuerit extendere, cum prædestinationis antiquorum Patrum non oratione; sed gratiarum actione causam Christum fuisse doceat. Probat secundo: quia honestissime, atque ex virtute iustitiæ vindicatiuæ in peccatorum vindictam negationem auxiliorum efficacium ad salutem, & prædestinationem à Deo petere, sicuti ex Dei Charitate, & zelo Prophetæ vt in scelestos mala depluant Deum orabant ipsique dira, infaustaque omnia imprecabantur: atque Abeli sanguis in Cain, & animæ Martyrum etiam beatæ in Tyranos verbis illis Apocal. 9. *vindica sanguinem nostrum*, clamabant pro supplicio, iuxta nostrorum Viegas Pereit, & Alcazar doctam interpretationem. Ac Petrus Christi virtute, & verbo suo Ananiæ, & Saphyræ mortem intulit, teste sancto Augustino de mirabilibus sacræ scripturæ, Gregorio Magno 1. Regist. cap. 24. Chrysostom. ad eum locum Actor. Et mortem quidem impœnitentem auxiliorum efficacium ad pœnitentiam finalem denegationi coniunctam (quod ipsum est negationem prædestinationis virtute Christi imperare, atque impetrare, vt apud venerabilem Patrem Gaspar Sanchez ibi, & Salmeron tractatu 21. Patres aliquot obseruant, ex quibus Basilius est in proœm. his verbis. *Non dignus habitus à sancto Petro est Ananias, qui de agenda pœnitentia quidquam audiret: nec tantum spatij saltem naneisceretur, quo vel leuiter animo indoleret.* Si autem virtute meritorum Christi ea Petro fuit data potestas, vt ob Ecclesiæ commune bonum, ac ne alij Petro successoribus, ac in eis Spiritu Sancto mentirentur; quidni idem Christi voluntati, ac meritis ob eundem finem, atque ad iustitiam honestissime, vt diximus, exercendam in peccatores concedatur. Adde Christum Dominum vt aliarum virtutum, ita & huius exemplo nobis præire oportuisse: maxime cum ea non à Sanctissimis Prophetis solum, sed adeo etiam Patre, cuius perfectionis vitæ suæ exemplis, & adhortationibus, imitationem voluit nobis Christus intimare in denegatione auxiliorum efficacium finalium, & prædestinationis peccatoribus ob anteacta delicta, sæpissime, atque honestissime exerceri videret.

6. His autem omnibus à se non ignoratis, sed præ eorum debilitate suppressis ac per neglectum omissis vno verbo præcauit, taciteque, & anticipatè respondit Soarius supra eius virtutis exercitium, etiam in præsenti materia negationis auxiliorum finalium efficacium, & prædestinationis peccatoribus non prædestinatis ob peccata prius ab ipsis admissa, honestissimum quidem; at officium redemptoris & Mediatoris hominum non decere: cuius ipse memor semper aiebat proinde Ioannes 3. numero 17. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: cui & fini, & muneri negationem prædestinationis velle reprobis, ac meritis suis impetrare manifeste repugnet: quin imo Ioa. & Iacob. fulmina in Samaritanos quod ipsum diuersorio adhuc, recipere nollent virtute Christi imperare, atque adeo impetrare volentibus benigne corripuit, verbis illis, *Nescitis, cuius Spiritus sitis*: mei nempe, nunc in aduentu primo hominibus eorumque saluti omnino proficui; non Spiritus Æliæ in vindictam de peccatoribus propensi, vt Patres & interpretes omnes: & sane si Christi merita & sanguis pro vindicta peccatorum clamassent, quo pacto melius clamasset quam Abel iuxta Paulum ad Hebræ. 12. atque eius interpretes omnes. Petrum autem mortem Ananiæ, & Saphyræ impetrantem etiam denegationem auxilij efficacis à Deo voluisse, ac impetrasse, nec Patres recitati, nec vllus alius interpres docet: neque id, quod interius arcanum occultumque fidelibus erat, sed mors ipsa subita, quam videbant, atque, vt summum damnationis eorum à Deo præsumptio inde fidelibus facile suborta documento esse potuitne in oblatis Deo defraudarent, ac mentirentur: instat nihilominus Alarcon Christum Dominum etiam in primo aduentu non solum Redemptoris, ac Mediatoris hominum, sed & Iudicis eorum munus habuisse: ac proinde Iudicis exercitium hoc in vindictam peccatorum opportunum ipse fuisse, non indecorum. Assumptum probat ex illo Ioann. 5. *Omne iudicium dedit Filio*, &c. & capite 9. *in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident caci fiant.* Quem locum de iudiciaria Christi in primo aduentu, & mortaliter viuentis potestate, & exercitio in prædestinationis, & negationis eius negotio à nostro Barrada tomo tertio, libro secundo, capite secundo intelligi ait. Cæterum in hac instantia nimis purum Scholasticum ætatis suæ egit, sono, non sensu litteræ, testimonia scripturæ producens. Nemo enim Patrum, Interpretum, aut Scholasticorum est, qui primum locum de Iudiciaria Christi, qua hominis potestate in primo eius aduentu, & mortalis erga viuos adhuc homines exercenda eum locum interpretetur; sed Christi iam immortalis, & erga homines viæ, ac vitæ exacto curriculo. Secundum testimonium de Iudiciaria potestate, eiusque exercitio ab Alarcon intentis minime à nostro Barrada intelligitur: nam etsi capite secundo, vers. fin. sub titulo, *In iudicium ego veni*, &c. vers. aut §. *Credidit mendicus ille*, sub finem aliquid eiusmodi sonet, tamen Chrysostomi de iudicio occasionali, siue occasione, vt grauius Pharisæi iudicarentur ex Christi, qui non crediderunt, Ethnicis, & ignorantioribus credentibus, aduentu sententiam sequitur, & eis verbis explicuit, vt ex anteriori contextu patet, & ex toto contextu paragraphi sequentis, maxime fine vt autem videret Alarcon quam, & cuius interpretationem sequeretur: & intercederet in testimonio illo satis haberet, si hæc apud Doctissimum Euangeliorum interpretem Maldonatum ad illud caput, & locum numero 39. legisset. *Aliam iudicij interpretationem, quam alius quidam Theodoretus affert, nouorum hæreticorum interpres, vt pro iure, ac potestate accipiatur iudicandi ineptam iudico.* Addo iudiciariæ eius

potestatis exercitium Christi Domini in negotio prædestinationis Prædestinatorum & negationis prædestinationis absque iniusta, & iniqua acceptione personarum admitti non posse: cum diuturniores grauioresque longe peccatores, quam reprobi plures fuerint, sint etiam non pauci prædestinati: quod, etsi ex mera Dei liberalitate, & misericordia absque acceptionis personarum vitio fieri possit factumque, vt diximus fuerit: at vero ex iudiciaria potestate absque eo vitio fieri nullatenus à Christo Domino potuit

7. Denique Herize, (quem sectatur Arriaga disp. 37. sect. 5.) disput. 29. c. 3. n. 22. alia ratione specialem hanc meritorum, & voluntatis Christi causalitatem in negationem prædestinarionis reproborum probat, vt causa electionis comparatiue prædestinatorum præ reprobis dici Christus possit: siquidem nouit scientia media oblatione & exhibitione meritorum pro omnibus Deum illos prædestinaturum, hos vero non prædestinaturum, atque ex ea scientia merita exhibuit: quare, & negationem prædestinationis interpretatiuè voluit: sicuti, & quisquis medium infallibiliter connexum cum effectu aliquo ex scientia connexionis eius infallibilis apponit, velle interpretatiuè effectum illum, & indirectè censetur. Vtrum idem Herize n. 32. & 33. huic modo, & rationi diffidit tandem: & in eis quidem, cuius oppositum absolute intenditur ab apponente effectus infallibiliter connexos cum eo, quod apponitur, nec interpretatiua, nec indirecta voluntas est effectus illius, vt in permissione peccati constat: quæ tametsi voluntas sit auxilij sufficientis cui connexum peccatum est, eo connexionis modo, quo meritis Christi negatio prædestinationis connexa est, atque à Christo præcitur: tamen, quia bonus auxilij vsus, & peccati potius negatio serio à Deo intenta est, atque ex ea intentione à Deo confertur indirecta adhuc, & interpretatiua peccati voluntas non est: & in re præsente est adhuc ratio vrgentior. Siquidem Christi merita pro omnium salute, & prædestinatione Deo exhibita, ipsum, vt omnes prædestinet, non cogant ad id tamen solummodo inducunt, & conducunt; nusquam autem, vt alicui deneget prædestinationem auxilium vero indifferens ad vtrumvis sufficiens, ad vtrumvis voluntatem sollicitat: demum muneri Redemptoris, cui impossibilis voluntas negationis salutis, & prædestinationis expressa est, repugnat eius negationis indirecta, & interpretatiua: vti Deo ob rationem similem peccati indirecta, & interpretatiua voluntas: cuius enim obiecti voluntas expressa alicui est impossibilis, indirecta, & interpretatiua eius obiecti voluntas eidem repugnat. Referri possunt pro extrema sententia in re præsente DD. alij, qui Christum Dominum, etiam quoad proficua prædestinati causam prædestinationis adæquatam fuisse negant: quia inter prædestinationis effectus beneficium Redemptoris sui, Christum nempe ipsum, eiusque merita recensent, quæ dubio procul Christus Dominus absolutis suis meritis (quæ solum merita sunt, non autem in spe, & per modum pretij, & solutionis à nonnullis nuper excogitata) dubio procul non potuit promereri. Hanc difficultatem attigit Soarez supra contra Vasquez, nollens autem, & contra seipsum, vt vidimus numero 3. sub finem. Quoniam vero conclusioni vtrique nobisque, & aliis fere omnibus communi, aduersatur vbi eam statuerimus certamine secundo opportunius diluetur. Aliunde etiam posset sententia prædestinationis adæquatè, quoad prædestinatos scilicet omnes ex meritis Christi impugnari, nec segniter contra Doctoresplures, vt eodem certam. videbimus, vbi impugnationem proponemus, ac diluemus.

CERTAMEN II.

Nostra sententia de causalitate meritorum Christi in Prædestinatorum electionem conclusionibus distincte proponitur, & probatur.

1. PRima conclusio Reliquorum à primis Parentibus hominum prædestinatorum causa prædestinationis adæquatè sumpræ quoad ipsis proficua merita sua Christus Dominus certo, & catholicè fuisse dicendus est antiquiorũ Scholasticorum conclusio, antiquæ primis, & recentioris Scholæ Thomisticæ Dominicanæ, ac Thomisticę etiã nostræ Iesuiticæ (vt æstimo) antiquæ illius conformioris omnes referunt, & sectantur Bañez 2. p. q. 14. a. 6. §. *Hæc controuersia*. Mol. disp. 1. in articulum 5. & 4. Valent. d. 1. punct. 4. § 1. Vasquez d. 94. cit. c. 2. & 3. Fonseca tom. 1. met. lib. 4. c. 2. q. 6. sect. 2. concl. 3. Soarez t. 1. 3. p. d. 1. sectione 2. & 1. p. lib. 2. de causa prædest. c. 11. Arrubal. d. 11. c. 2. n. 5. Granad. t. 2. tract. 2. disp. 1 num. 5. Tanner. t. 2. 3. q. 4. dub. 2. assert. 3. Arriaga vbi proxime Ioan. Propol. 10. q. 23. art. 8. dub. 4. n. 44. vers. *Dico Christus*. Probatur ex 1. ad Ephes. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, nec, qua *Deo*, solum: cum terminus de Redemptore sit expressus: qui, vt Deus, Patri in omnibus ad extra cooperans non est, sed vt homo, operibus dignitate, & Deitate filij dignificatis meruit, & condigne pretium, & satisfactionem exhibuit. Ex quo sic arguitur quidquid est effectus prædestinationis in nobis intra benedictionem spiritualem Dei in cœlestibus, id est in ordine ad salutem spiritualem, & æternam est: at quidquid benedictionis Dei spiritualis in cœlestibus in nobis est in Christo, qua homine atque ex eius meritis, & Redemptione est: ergo quidquid in nobis effectus prædestinationis est in Christo, siue ex eius meritis & Redemptione est: quare & totius prædestinationis, vt omnes suos ambit effectus omnium, saltem reliquorum à primis parentibus (de quibus conclus. 2.) hominum causa meritis suis extitit Christus. Dices effectus & executiue, siue ordine executionis totius prædestinationis nostræ causam meritis suis Christum extitisse, secundum ordine intentionis, quo Deus, & salutem omnium prædestinatorum intendit, saltem inefficaciter, & media efficacia ante absoluta Christi merita etsi per merita illa posterius natura executiue habenda, anterius natura efficaciter decreuit: in eis vero anterioribus decretis Dei ordine intentionis diuinam prædestinationem consistere; alia vero ordine executionis subsequentia non prædestinationem, sed eius executionem continere. Contra primo: quia beneficæ illæ voluntates Dei erga prædestinatos, benedictiones, & præcipue benedictiones Dei spirituales in cœlestibus sunt: ergo in Christo, atque ex eius meritis eas etiam habuimus, in quo, & cuius meritis benedictiones habuimus omnes iuxta Paulum. Contra secundo: quia Christus meritis suis gratias, & benedictiones spirituales in cœlestibus nobis obtinuit, non vt cunque, sed mediatiue, reconcilatiue, & propitiatorie: quatenus scilicet Dei offensi, grauiterque in peccatores infensi voluntatem propitiam reddidit illis exhibita, ipsique, vt mediator eos reconciliauit, vt dogma Catholicum est: id autem meritis suis Deo exhibita non posset efficere, si ante merita sua absolute exhibita ira Deum erga peccatores placatum supponeret: vt eos iam in suam gratiam, atque æternam salutem elegisset ac prædestinasset. Tertio, quia efficax electio gratiæ, & auxilij efficacis ad salutem per merita Christi exercite & executiue obtinenda, posterius, pugnat cum eorum absoluta libertate ac merito, suoque obiecto contradicit, vt controu. 4. d. 6. atque hac controu. 7. d. anteced. q. vlt. de electione ad gloriam ante præuisa absolute merita late monstrauimus. Oportune Chrisostomus ad iam recitata verba

verba dixit. *Per quem nos benedixit per eundem nos elegit*, & Photius apud Erumenium. *Benedixit per filium, elegit per filium, charos fecit per filium.*

2. Quarto: quia textus de prædestinatione est expressus, & electione, nec executione solum: continenter enim subditur. *Sicut elegit nos ipsos ante mundi constitutionem vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum eius per Iesum Christum in ipsum.* Vbi expresse de electione & prædestinatione ad gratiam formaliter sanctificantem, siue habitualem, & adoptionis filiorum Dei, nec solum de executiua voluntate gratiæ eius, ad electionem, & prædestinationem ipsam est Apostoli sermo: indéque electionem ad gratias spirituales in cœlestibus, siue quovis gradu, & modo ad cœlestem gloriam, & æternam animi beatitudinem spectantes, & conducentes meritis Christi (vt dixerat) deberi digna Apostolo, & Spiritu Sancto ratione Theologica confirmat: Etenim, si infensos sibi, immo & infensissimos peccatores meritis Christi ita placari potuit, placatusque de facto Deus, cuiusque voluntas fuit, vt infensione, inimicitiisque depositis, ac neglectis, eos nihilominus in sui amicitiam, & adoptiuam filiationem vt eorum meritorum interuentu & intuitu clementer relegerit, debitæque in illos iræ, & vindictæ parcens benignissime prædestinarit: ergo eisdem etiam meritis intercedentibus motus Deus ad gratias reliquas spirituales in cœlestibus, siue ad vitam æternam conducentes, ipsamque vitam æternam eosdem elegit ac prædestinauit. Patet consequentia. Minor quippe distantia à voluntate Dei vincenda, atque superanda est in destinatione iam electi ad amicitiam, & adoptiuam filiationem, ad destinationem eius ad reliqua dona ad æternam salutem conducentia, atque ipsam gloriam (ad quam ex amicitia & filiatione adoptiua ius habet hæredis eodem Paulo teste & Catholica fide contestante) quam à destinationis ad pœnam mortemque, & vindictam, tum positiuam, tum negatiuam beneficiorum scilicet Dei maxime amicitiæ Dei, & ad ipsam conducentium statu per peccatum. Nec dici potest prædestinationem, & electionem ad gloriam, ac media, quibus prædestinandi infallibiliter perseuerent, ac certo illam consequantur multum valde vlterioris gratiæ, & beneficij Dei addere supra reconciliationem per gratiam adoptionis absolute, quæ temporalis esse absolute posset, nec cum perseuerantia, & absoluta gloriæ consequutione æternum coniungenda: ex eo autem quod meritis Christi debeatur illud quod minus est deberi vlterius illud quod à Deo efficit donum, & præmium maius, non magis inferri legitime posse, quam si ex eo, quod quis totius cuiuspiam partem fuerit promeritus, totum adæquatè sumptum meruisse arguatur. Respondetur in meritis finiti valoris instantiam locum habere, secus in meritis Christi valoris infiniti: & quamvis eis exhibitis absolute liberum Deo fuerit & totum beneficij quod in prædestinatione, & electione ad gloriam continetur: immo, & partem eius electionis scilicet ad gratiam: ast cum statu apud omnes Theologos regula taxandi præmia meritis Christi, cum in se, tum in nobis ab ipso recipienda, atque recepta ex possibilitate, & non repugnantia, ea in seipso vel in nobis recipiendi: atque ex alia parte tota difficultas in propitiando nobis peccatoribus Deo, quem infensissimum peccatis nostris habebamus fuerit optime Paulus eis meritis infinitis Christi, quibus infensionem deposuit nos ad sui amicitiam eligens, vlterius beneficium illud adæquate sumptæ prædestinationis & electionis ad perseuerantiam, & gloriam consequendam eisdem meritis deberi optimè intulit: ostendens nobis non ex consequentiæ rigore metaphysico, sed ex reuelato vtroque præmio reuelatam etiam sibi, quæ Deo adfuit ab vno præmio ad alterum meritis Christi tribuendum congruitatem.

3. Eo ipso cap. ad Ephes. 1. extant pro eadem conclusione, & veritate testimonia quam plurima vt totum ad Ecclesiæ intimandam editum à Spiritu Sancto per Paulum videatur: Inferius enim numero 7. habetur: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius*, numero 9. *Sacramentum voluntatis diuinæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo* (Christo scilicet) *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt*, numero 11. *In quo* (scilicet Christo) *nos sorte vocati sumus prædestinati*, & de prædestinatione ad gratiam constat ex 3. ad Roman. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et quamvis eo ipso ad gloriam, ad quam ius nobis iustificatio & gratia gratum faciens affert, ex meritis Christi electos nos virtute doceat, formaliter tamen id docuit Paulus c. 5. 6. & 8. atque 1. ad Timot. c. 2. & ad Titum c. 3. & de omni gratia (omnem scilicet prædestinationis effectum complectente) & beneficio Dei argumento à contrario ex peccato, ipsumque malis comitantibus, & sequentibus prauum hominem, probat ad Rom. 5. scribens: *sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Probatur vlterius ex 1. Ioannis, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & ex 1. ad Timott. 2. *Omnes homines vult saluos fieri.* Etsi enim ea intentio salutis hominum ad non prædestinatos etiam extendatur, sicuti, & Christi illuminatio venientium in mundum, eo quidem modo, quo & intentio salutis vniuscuiusque, & illuminatio est intelligi debet; etsi erga prædestinatos impensior sit salutis intentio, & illuminatio per efficacia, & congrua media: reproborum per sufficientia solum, vt diximus: id enim satis, vt omnium velle salutem omnesque illuminare, vere, & absolute dicatur: ex ea vero intentione media illa vtrisque à Deo eligi, & disponi per Christi solum merita, ac subinde prædestinatis quæ efficacia, præter testimonia data scripturæ, ad eum locum obseruauit Augustinus epist. 59. q. 6. scribens: *vnus enim Deus, & vnus Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, vt illud, quod dixerat, omnes vult homines saluos fieri, nullo modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem, non Deum solum, quod semper verbum erat, sed hominem Christum Iesum cum verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ex quo etiam loco, & similibus aliorum Patrum apud Benedictum Iustinianum Magallan. in Pauli locum, & apud Maldonatum in 1. Ioan. Herize cit. t. 2. duplicem in Deo salutis hominum intentionem fuisse contendit. Alteram ante Adæ lapsum & imminens aliorum vel contractum originale (iuxta varias Doctorum dispositiones ordinis decretorum Incarnationis) & quæ ad generalem solum prouidentiam spectet: alteram post incarnationem, & merita Christi præuisa. Sed vero cum peccato Adæ præuiso Deus ab intentione illa prima salutis omnium non destiterit, siquidem ex illa cunctis prouiderit de Redemptore superfluo secunda illa altera intentio salutis hominum ac sine fundamento vllo rationabili inducitur, vel prima illa cessasse dicetur, vt secunda succederet. Secunda deterius adhuc (eo etiam omisso) asserit Christum Dominum intentionem illam salutis omnium meruisse, cum ex intentione salutis omnium Christus fuerit decretus, ac subinde præcedentem existentiæ suæ intentionem illam nullatenus potuerit promereri. Nec Augustinus, Patresque alij citati de ea intentione loquitur, sed de omni solum, quod ex ipsa præstandum, præstitumque hominibus fuit, vt verba Augustini præ se ferunt, nec loqui potuerunt: siquidem *propter nos homines, & propter nostram salutem* incarnatum Dei verbum fuisse fides Catholica Symboli nobis, atque ipsis semper fuit.

4. De gratiis omnibus & effectibus prædestinatorum ex meritis Christi adæquate sumptis, meritis Christi illas deberi statutum hactenus fuit. An verò omnes prædestinati; nullo excepto) fuerint ex meritis Christi adæquate prædestinati vertitur in quæstionem: atque asserunt plures ex citatis locis Pauli, qui nos indefinite redemptos, electos, & prædestinatos adeo in Christo & per Christum docet quod tantundem valet, ac si de omnibus diceret, & testimon. ad Ephes. 1. num. 7. recitato ad initium numeri 3. de omnibus expresse loquitur, *instaurare omnia*, &c, & subiuncto inferius testimonio ex 5. ad Rom. *sicut per vnum hominem*, &c. *ita gratia Dei*, &c. *in plures abundauit*, & epist. Ioan. 1. c. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: vbi omnes mundi

huius, quandocunque, incolæ comprehenduntur. Vnde merito Prosper ad obiect. Vincentian. respons. 1. *Sanguis Christi Redemptio est totius mundi*, & 1. ad Timott. 2. *vnus enim Deus, vnus, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit in Redemptionem semetipsum pro omnibus nobis.* Et ratione probatur communiter: quia, cum ex fine aduentus Christi & incarnationis in nostri Redemptionem, tum ex pretio, valoréque, & meritiuo, & satisfactorio meritorum, ac mortis Christi infinitis ad omnium omnino Redemptionem, ad omnemque prædestinatiuam gratiam, & vltra infinitè extendi complectique posse citra dubium est: quod autem extensa de facto eius merita & satisfactio fuerit Christo Domino glotiosius est: ac subinde ex statu Theologico principio concedendum: cuius meritis præmium omne possibile in his, quæ Deus de facto posuit, præstitum de facto à Deo fuisse, eiusque merita (etsi absque illis præstari à Deo possent) expectata à Deo fuisse, vt in eorum præmium præstarentur, apud Theologos statutum est: cæterum, vt in iis, quæ de facto Deus, cum nobis, cum Christo etiam, eiusque humanitati dedit, data eius infinitis meritis de facto in præmium decernantur examinare rigide, & subtiliter oportebit, quænam ex illis absolutam Incarnationis, Christique ac meritorum eius existentiam absolute antecesserit. Cum enim Christus, eiusque merita non, nisi absolutè existentia, mereri aliquid absolute possint: quæ anterius natura ad Christi, ac meritorum eius absolutam existentiam, siue Christi humanitati, siue hominibus collata à Deo beneficia sunt, ob eius meritis præstita adeo non fuisse certissimum, atque euidentissimum est: non quia ad ea, immò vltra infinities, plura, & maiora eorum meritorum valor non sufficeret; sed quia cum ante, & absque eis collata absolute à Deo ea beneficia supponatur, nec posterius natura, nec dependenter ab eis meritis absque multiplici contradictione collata fuisse asseri possunt. Quæ autem quorumque Prædestinatorum beneficia, & gratiæ collatæ absolute ante Christi, atque operum eius absolutam existentiam supponantur, ex ordine decretorum incarnationis ab vnoquoque præscripto definiendum cuique erit, vt consequenter Theologisetur: iuxta præfixum vero à nobis controuers. de Incarnat. de solis primis parentibus (quos proinde præsenti conclusione noluimus incluſos) potest esse controuersia expedienda inferius concl. 2. vniuersales vero scripturæ locutiones, paucorum exceptioni ad quam ratio firma Theologica ex locis aliis scripturæ & Patrum dogmatibus, & legitima illatione cogamur, minime officiunt.

5. Duo autem superius attacta atque huc oportunius diluenda remissa contra primam hanc conclusionem facere possunt. Alterum: quod Christus ipse Redemptor, & gratiæ auxilia collata ipsi ad merendum, sub eius merita, atque absolute supponuntur, cadere sine contradictione nequeant, vt dicebamus nuper: ex alia vero parte cum omnium, & singulorum prædestinationis effecta sint: ergò nullius nostrum prædestinationis, secundum omnes eius effectus, atque vt ad eos omnes illa extenditur meritis suis adæquata causa extitit Christus, subsumpta minor probatur: etenim, quod ex intentione salutis prædestinatorum Deus ipsis de Redemptore Christo prouiderit dubitari non potest: cum ex intentione salutis, etiam reproborum, datus nobis Christus Redemptor fuerit: idque ex dogmate fidei vniuersim, & indefinitè statuente *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Nec solum ex ea intentione salutis prædestinatorum, sed ex scientia media certa, & infallibili Dei de effectu prædestinatiuæ suæ voluntatis specialis erga prædestinatos, si veniret, atque illis gratiæ auxiliis mereretur, æque atque ex scientia media boni nostri vsus, & consensus prædestinatorum auxiliis gratiæ à primo ad vltimum pro iustitia finali seruanda, quæ obinde ipsis ordine prædestinatiuo, siue ex prædestinatione à Deo donantur: ergo, & Christus & auxilia ipsi data ad merendum ad seriem, ordinemque concatenatum effectuum prædestinationis cuiusque nostrum spectat, & primum proinde beneficium est, vnde is prædestinationis ordo inchoatur. Inde vero prædestinationis adæquatæ sumptæ, &, vt omnes suos effectus respectu vniuscuiusque prædestinati ambit, & complectitur, Christum meritis suis causam non esse euidens est, vt patet. Respondent Albertus in 3. d. 10. quæstione 3. articulo vltimo, sanctus Thomas quæstione etiam 3. fin. S. Bonauentura d. 17. articulo 1. quæstione 3. & alij antiqui, quos sequitur Vasquez d. 94. & Daza supra citus: effectus prædestinationis cuiusque ea solum beneficia censeri, quæ media peculiaria cuique prædestinato sunt prædestinationis suæ, & ad salutem infallibiliter consequendam; Christum autem meritis suis nullo prædestinato medium peculiare prædestinationis, & salutis certo, & infallibiliter ab ipso consequendæ esse, sed potius prædestinatis omnibus commune: quare, etsi, vt expendimus cunctis ad prædestinationem, & salutem ei to consequendam conducat, non effectus prædestinationis alicuius, sed causa potius efficiens intentionalis omnium debet censeri. Non quiesco, ac proinde non acquiesco: ex dictis enim constat Christum meritaque eius à Deo esse ex *præscientia, & præparatione beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur* quod ipsum est ex prædestinatione, ac subinde eius effectus esse. Quod enim alterius prædestinati gratiæ etiam, & beneficium sit, nihil gratiæ, & beneficij, & infallibilitatis consequendæ salutis ob hoc tollit, aut minuit. Maxime, cum pro quouis prædestinato, eiusque de reliquo prædestinatione in solidum, vt aiunt, ita Deus de Redemptore Christo eiusque meritis prouiderit, ac si soli illi esset de reliquis beneficiis ad salutem de facto obtinendam prouidendum, ac solus ille de reliquo esset prædestinandus: vt diximus de Incarn. controu. 1.

6. Melius respondetur Christum Redemptorem, eiusque merita ex prouidentia communi, & intentione erga omnium salutem esse à Deo prouisa; non autem prædestinatiua erga hominem vllum, scientiaque conditionata prædestinatis aliquorum: etsi enim, neque peccati occasione, ab intentione salutis creaturæ suæ benignissimus Dominus non abstiterit; quandiu tamen filius incarnatus Mediator, & Redemptor, atque eius opera valoris infiniti absolute non extiterunt, interesserunque, vt iusta, & grauis eius in peccatores infensio placaretur, non eo vsque de odio remissum à Deo est, vt de prædestinationis in aliquem, nedum in omnes peccatores, ingenti beneficio cogitarit: quare hominibus de Redemptore, vt sufficienti solum omnibus, & æquali remedio prouidit: id quod ex scientiæ simplicis intelligentiæ directione actum, & ex communi prouidentia: fumitione conditionata prædestinationis aliquorum ob merita illa, atque eius conditionata scientia simplicem intelligentiam illam directricem, identice etiam, comitante, neque attenta pro eo signo neque intenta: ad eum modum, quoad prouidentiam gratiæ sufficientis reprobi præparatio & prouidentia ex scientia simplicis intelligentiæ solius de gratiæ conducentia vt rectè operentur, nec peccent, sed saluentur, directione procedit; non autem ex euentus sub ea gratia conditionatè futuri scientia media, quæ, identicè etiam, scientiam simplicis intelligentiæ directricem in Deo ita prouidente, & omnifico comitatur. Ex quibus liquet: Christum mediatorem, gratiamque auxiliantem ad eius merita ab ipso exhibita, meritáque, quantumvis prædestinatis propria specialiter ad salutis consequutionem, effectus prædestinationis non esse, sed prouidentiæ communis, totiusque grannis non esse, sed prouidentiæ communis, totiusque grannis destinationis, quæ post modum à præparatione auxiliorum efficacium pro prædestinatis ob merita Christi inchoatur, causam adæquatam. Alterum obiici communiter Christum præcedentium gratiam omnem, imò eandem conclusionem poterat. Nempe antiquorum ellum, suis meritis obtinere minimè potuisse: quare neque eorum prædestinationem: quia nec oratione pro eaquam anteacto iam præsciebat ab ipsis acceptam: nec gratiarum actione, quæ absolutè collatum receperunque beneficium pro naturæ priori supponit; nulla autem alia via applicari hominibus Christi merita potuerunt, nisi alterutro, cum tamen speciali applicatione eorum opus sit, vt Deus ob illa gratiam ipsis præparet, & largiatur. Obiectio hæc contra alios plures qui applicationem hanc specialem necessariam reputant ardua valde est, non autem contra nos, qui eam nullatenus necessitam putamus fuséque ostendimus controuersia 2. de incarnatione

tione atque ad hanc in terminis difficultatem controu. 2. disput. 1. quæst. 4. certam. 2. Denique quo pacto Christus gratiam progenitoribus suis omnem fuerit promeritus, etiam qua illius progenitores esse mouerint, ac proinde ipsius existentiam absolutè antecedentem, ibidem quæst. 6. certam. 2. ostendimus. Quare repetendum hic non est maxime, cum huiusmodi gratia ad prædestinationem, de qua hic agimus, & salutis æternæ meritum, & consecutionem directè non spectet, sed ad alium finem, præmumque aliud diuertat.

Iam de merito Christi prædestinationis primorum parentum adæquate sumptæ (de quo conclusione abstraximus prima) causa fuerit necne? subtilior esse potest ob difficultatem subiiciendam disputatio. Etenim dona primis parentibus in statu innocentiæ adeo infusa, cum auxiliantis, tum habitualis gratiæ, tum gratiæ augmentum, eorum in Deum charitate perfectissima, antequam pomi comestione delinquerent, Christi aduentum ac merita proinde absoluta ipsius pro naturæ priori antecesserunt: quare ob eius merita, nec primis parentibus collata à Deo sunt, nec dari in ordine decretorum incarnationis, qui de facto fuit, à nobisque, & patribus admittitur controu. 3. de incarnat. l. 1 & 2. nullarenus potuerunt: cum certum ex ibi dictis à nobis sit, Christum Dominũ non, nisi post absolute præuisum primorum parentum peccatum fuisse adeo absolutè decretum: atque ad peccatum illud, cum gratia auxilians, vt illi præceptum obseruarent, nec transgrederentur, tum reliqua à Deo infusa ipsis dona, atque ab ipsis etiam amore in Deum, aliisque piis actionibus, & affectibus adquisita præcepti transgressione, & peccato amittenda, illorum menti oberrarint, ne tanto sui malo, atque in beneficium munificentissimum Dominum tanta ingratitudine delinquerent, iam verò ex eis auxiliis donisque supernaturalibus & infusis à Deo gratis, & ipsorum honesto virtutum exercitio ante præcepti transgressionem attributis eorum prædestinationem (prædestinatos enim protoparentes nostros pie fatentur atque ad quæstionem præsentem supponitur) inchoatam esse, atque ex meritis Christi continuatam post modum, & absolutam, vt minimum, fuisse facile probatur. Etenim ad primorum parentum pœnitentiam, quia ad Dei gratiam redire ea omnia mortua, quibus gratior eorum culpa, malumque ipsis maius effecta fuere, mentibus ipsorum proposita sunt, vt vehementius dolerent: ea vero fuere dona omnia supernaturalia ipsis à Deo, ipsorum pro statu innocentiæ amatore munificentissimo, gratis infusa, ac insuper gratiæ augmentum ab ipsis ex Dei auxilio partum & quæsitum: quibus omnibus transgressione illa præcepti priuati sunt & departa sibi virtutum exercitio gratia etiam, vt primo collata est ad prædestinationis effectus pertinere non leuibus fundamentis constabit disp. sequent. Cum ergo hæc omnia, quæ ad primorum parentum prædestinationem vti eius effectus propriì spectant, ipsis Christus posterius natura decretus promereri non potuerit, nec prædestinationem ipsorum adæquate sumptam & secundum effectus omnes suos, quos concernit, & ambit, promereri potuisse concludi manifestè videtur.

Sit nihilominus secunda conclusio: Christus Dominus Protoparentum prædestinationem adæquatam & secundum omnes suos effectus sumptam fuit absolutè promeritus: probatur 1. ab authoritate scripturæ, & Patrum indefinite asserentium pro nobis, & pro omnibus hominibus Christum Dominum venisse, passum, mortuumque esse: quod saltim de iis, qui in massa perditionis, (in qua Prothoparentes nostri procul dubio fuerunt) extitere intelligendum dogmatice est. Secundo ex scriptura Patribus, & Conciliis supradictis constat præuaricatos præuaricatoresque omnes homines (in quibus protoparentes haud dubio sunt) omni benedictione, gratiaque spirituali in cœlestibus per Christum, & in Christo atque ob eius merita esse benedictos: atqui in eiusmodi benedictionibus Protoparentum nostrorum præcipue habendæ sunt effectus prædestinationis omnes, & maxime ipsa prædestinatio. Ratione insuper Theologica supra facta pro conclusione prima. Quia quæcunque gratiæ dona hominibus collata ex meritis Christi collata fuisse, dummodo eius absolutam existentiam pro naturæ priori absolutè Deo collata non præcesserint, tenendum est: atqui nullus effectus prædestinationis Protoparentum nostrorum atque adeo nec prædestinatio ipsa prout ad quẽpiam eorum terminata proritate naturæ Christum, eiusque merita antecessit: ergo omnes effectus prædestinationis protoparẽtum nostrorum, ac subinde prædestinatio ipsorum adæquate sumpta, &, vt ad omnes suos effectus terminatur, eosque omnes ambit, & coercet, ex meritis Christi sunt. Minoris probatio, & argumenti huius, & præcedentium ab authoritate robur totum erit, & aperta difficultatis propositæ euacuatio, atque solutio. Et quidem dona gratiæ auxiliantis, & gratum facientis, tum à Deo gratis infusa, tum propria industria, & gratia auxiliante primis parentibus parta Christi aduentum, & eius merita absolute antecessisse, continuataque serie ad eorum meritorios, actus, & gloriam, quam prædestinatione sua protoparentes obtinuerunt conduxisse etiam, ac naturæ etiam priori antecessisse difficultas proposita demonstrat, non autem ex ea præcedentia conducentia, & continuatione dona illa effectus predestinationis esse conuincitur; immò verò tales non esse, sed alterius prouidentiæ ad prædestinationem ipsorum, eiusque effectus primos, & initium dicendum est ac facillimè probandum. Etenim dona illa gratiæ pro innocentiæ statu primis parentibus, & gratis à Deo data, & adquisita, ex salutis eorum intentione, & prouidentia non prædestinatiua ipsorum, sed communi, ac simili, pro eo statu, ei, quæ pro statu naturæ lapsæ de reproborum salute habetur orti prorsus fuere: ergo non sunt prædestinationis illorum effecta. Probatur antecedens. Etenim prouidentia illa fuit, vt gloriæ æternæ vitam, & salutem seruato, & perstante innocentiæ statu, vitæ illorum perpetuitate, nusquamque morte illam interrumpente, & interueniente per præcepti obseruationem, atque innocentiam, virtutum per tempus aliquod, Deo soli notum, nec nobis obinde temere diuinandum exercitio auctam, ac illustratam consequerentur: ad quod de sufficientibus solum mediis, non autem de efficacibus (vti ad prædestinationem oportebat) prouisum ipsis adeo fuit: ac proinde ex prouidentia simili ei, quæ de reprobis pro statu mortalitatis habetur. In eo vero mortalitatis statu prouidentiæ alius ordo inchoatus est præfixis aliis omnino legibus status viæ morte cuiusque terminandæ &c. Atque pro reprobis auxilia sufficiẽtia, pro prædestinatis efficacia fuerunt ex mortis Christi prouisa; quæ tamen ad consequendam salutem ab hominibus in statu innocentiæ immortalitatisque, vt prouidentia illa prima pro statu innocentiæ homium dispositum sufficienter fuerat, conducere, sine contradictione non possunt. Proinde effectu prædestinationis prædestinatorum omnium (ac subinde Protoparentum nostrorum) ab auxiliis efficacibus post peccatum à Deo datis, quare & prædestinatio ipsa tota inchoatur atque tota, tota meritis Christi debetur.

Dico tertio Prædestinationis, adæquate etiam sumptæ fere omnium Angelorum (paucis nimirum Protoparentum custodibus, & tentatoribus exceptis) causa meritis suis extitit Christus. Conclusionem hanc non video solide posse ab authoritate probari: illud enim (quod magis illi consonare, atque adfauere videtur) ex 1. ad Ephes. num. 9. *Sacramentum voluntatis diuinæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Nihil probat, instauratio enim non nisi de antea perditis, ac deturpatis, confractisque, aut detritis intelligi potest: ac proinde de Angelis intelligi ad rem præsentem nequit cum boni, nec perditi confractiue, nec deturpati fuerunt, aut detriti; qui vero deturbati, confractique, ac deturpati fuerunt dæmones, nusquam fuerunt (nedum meritis Christi) instaurati: instauratio igitur in cœlis ex meritis Christi facta de reparatione sedium malorum Angelorum, quæ ex prædestinatis per Christum hominibus æquali gloria, qua, ni essent illi præuaricati, eas obtinerent, replendæ sunt (vt Patres & Theologi docent) intelligi solummodo potest. A Theologorum authoritate destitutam censet Aluarez, Vasquez, VVadingo, Lugo, Bornal, alijque Thomistæ vetustiores, qui primam præsertim gratiam Angelis etiam bonis promeritum fuisse Christum negant: idque ex communi adeo Theologorum sententia esse putant, vt absque singularitatis nota asseri oppositum non posse iudicent, vt vidimus

mus controu.6 de incarnat.disp.2.q.2.cert 1. n.4 immerito tamen, cum plures Theologi ætatum omnium primores, quos ibi num. 3. retulimus primam etiam, & auxiliantem, & iustificantem gratiam, reliquaque supernaturalia dona Angelis cunctis promeritum Christum fuisse, quare, & prædestinatis adæquatè sumptam prædestinationem, asserunt expresse; immo vero, qui Christum Dominum ante absolute præuisum Adæ peccatum fuisse decretum docent, ita censere debent, vt consectarie theologizentur: ne eorum quę in præmium meritis Christi dari, citra repugnantiam incommodumque vllum, adeo possunt, datum de facto negetur: in nostra vero sententia controu.3.de Incarnat.d.1.q.4.d.2.q.cert.3. de præuisione absoluta peccati Adæ ante absolutum incarnationis decretum, maior est difficultas, etsi de omnium omnino Angelorum gratiis etiam omnibus, & adæquata prædestinatione absolute loquamur, insuperabilis. Idcirco custodes, & tentatores Protoparentum Angelos excipimus, quia eorum, vel obseruatio, vel transgressio impositi Angelis præcepti Protoparentum peccatum natura antecessit, siue, vt custodes tales à Deo deputarentur, bonumque, & præcepti obseruationem alumnis Protoparentibus suaderent, siue, vt cacodæmones vero eos ad transgressionem præcepti tentarent, & inducerent: quare, & gratia prima vtrisque adeo collata, vt obedirent, nec prævaricarentur, Protoparentum etiam peccatum pro naturæ priori, ac subinde Christum antecesserit, nec potuit sub eiusdem Christi merita cadere. Ex huius autem exceptionis probatione de gratia, etiam prima, reliquorum Angelorum ex Christi meritis fuisse quare, & eorum adæquate sumptam prædestinatiouem facile à contrario probatum est. Si quidem nulla reliquorum, gratiæ, etiam primæ, supernaturalia dona ad peccatum protoparentum, ac subinde atq; ad Christi aduentum, ac merita suppositа in reliquis Angelis pro priori naturæ, quare & ea etiã fuisse Christi meritis donata (vti absque repugnantia, & incommodo vllo dari potuerunt) in bona Theologia fatendum est. Et hæc pro tertia nostra conclusione satis: de cuius principio, nempe merito Christi respectu gratiæ Angelorum, & quorum Angelorum fuse egimus controu. 6. de incarnation.d 2.q.2 certam. 2. & 3.

Dicendum est quarto: præfatis, siue Angelis, siue hominibus prædestinatis, prædestinationis suæ non solum, qua eorum dilectio absolute, sed, qua præ reprobis non prædestinatis electio est, meritis suis Christus Dominus causa fuit: est contra Soarium, & asseclas; nostri vero Vasquez & sequacium conclusio. Et quamuis de nomine solum & modo loquendi eorum dissidium esse possit, cum catholice de re ipsa ipsis conueniat, reliquisque Doctoribus catholicis debeat conuenire (Christi scilicet merita ad omnium hominum supernaturalia omnia dona, & prædestinationem promerendam extendi, atque à Christo Domino ex intentione seria ea omnia, & præfatis omnibus obtinendi fuisse Deo exhibita, quin, vt reprobi nõ prædestinarẽtur aliquod Christi opus Deo præstitũ fuerit, aliquaue eius oratio intercesserit vt contra Alar. cor. supra disseruimus) tamen modus hic loquendi. Vasquianorum & nostер retinendus est, quia scripturis conformior: cum Paulus electionis nomine (nec dilectionis solum) ad fidem, gratiam, gloriamue à Deo ordinatos, & prædestinatos appellet: atque in Euangelio electi sæpe, & expresse dicantur prædestinati locis supra citatis aliisq; pluribus, quæ facile ex concordantiis scripturæ possunt proferri: electio autem, & electus prælationem electi. Respectu non electi proprietate sermonis significat, vt Soarius ipse fatetur, & supponit vt oppositam statuat conclusionem. Et quidem si specialis aliqua meritorum suorum ex parte Christi pro prædestinatis admittatur facile difficultas Soarij à ratione expedietur; sed ea speciali applicatione non admissa, expedienda à nobis, nec difficulter est. Est autem difficultas, quia cum electio comparatiue significet, scilicet vnius affectiuam assumptionem, aliis relictis, ac sine horum proinde relictione eligi, assumique affectiue præ illis ille alter nequeat: qui aliorum relictionem meritis suis non causat, vti non causauit Christus merita sua pro omnibus offerẽs, prædestinationem electorum prout electio, proprie, & præ aliis non prædestinatus est, causare non potuit meritis suis; si, prout dilectio prædestinatorum est, procul dubio causauerit. Cæterum, si vim aliquam argumentum hoc habet Soarij contra ipsum, & Patrum frequentissimam locutionem; nec nos ordine vllo etiam executionis, electionis nostræ ad gloriam nostris meritis, nec Christus meritis suis electionis nostræ ad gratiam causam esse dici absolute poterit. Secundo: nec dici potuerit nos è Dei liberalitate, & misericordia prædestinatos per electionem gratiæ ad gloriam fuisse: vt scripturæ & Patres passim affirmãt. Siquidem, nec Dei liberalitas, & misericordia, nec Christi merita, vt reprobi non eligantur ad gratiam, atque per electionem gratiæ ad gloriam sunt causa, nec merita nostra vt reprobi à gloria de facto, & executiue secludantur. Non ergo opus est, vt aliquis eius quod propria sua significatione aliqua alia concausa causa propria absolute sit, ac dicatur, ea omnia quæ concernuntur ab ipso causari, sed solum, quod significatur directe, & in recto, vt aiunt, vndecumque reliqua, quæ indirectè, & in obliquo concemuntur, & significantur apposita sint, & causentur. Patet in mutationum omnium causis, quarum nulla negationis formam in subiecto præcedentis causa est, sed aliunde ponitur supponit, & solam formam in subiecto illo directe ponit, atque inde mutationis illius causa absolute est, ac vere nuncupatur. Item cum alios non eligi de facto effectum negatiuus, seu electionis defectus, vt eius causa de facto Christi merita fuerint, satis videtur eorum electionem de facto. Et si non ex eorum impotentia, & natiua inclinatione, ab eis non esse causatam: liquidem verum absolute est illorum electionem non esse meritis Christi causatam, cum causata positaque in rebus absolutè nullatenus fuerit. Ac demum: cum ita Christus Dominus merita sua pro omnium salute, prædestinatione, & electione indifferenter vniuersim, & communiter humana sua voluntate Deo exhibuerit, & obtulerit, vt tunc etiam voluntatem suam in diuinam resignauerit, atque anticipato, quoad eligendos, relinquendosque Dei voluntati, vti (in omnibus semper) conformauerit, ex ea resignatione, & conformatione anticipata, id totum, quod ea in re præstitutam à diuina voluntate fatemur, meritis, & voluntate Christi factum debemus fateri: est prædestinatio etiam, vt electio prædestinatorum præ reprobis est à Dei voluntate procul dubio est, & causatur: ergo & Christi voluntate, & meritis est habita, etiam prout est reproborum relictio.

QVÆSTIO VI.

An aliquis purus homo prædestinationis aliorum meritis è Dei gratia ortis causa esse possit, ac de facto fuerit.

QVæstio hæc quidquid ad prædestinationis creaturam rationalium causam disputandum restabat absoluet in puris autem hominibus reliquos à Christo Domino homines, etiam Deiparam, comprehendimus.

CERTAMEN I.

De possibili quæstio deciditur.

1 CIrca possibilitatem prædestinationis adæquatè sumptæ creaturæ rationalis ex meritis puræ creaturæ alterius duplici ex capite esse potest difficultas.

Prima absolutè loquendo, nullaque alia facta suppositione. Secunda ex suppositione, quod ex Christi meritis habita à Deo de facto fuerit creaturarum rationalium, vt nuperos tendimus & ex hac suppositione specialis difficultas est: quia cum dignitas Christi, atque operum eius meritiuus

meritiuus valor talis tantusque sit, & auxiliis omnibus creaturæ cuiuis rationali ad orationem meritumque omne habendum sit causa, & natura subinde prior illico, atq; ante omne meritum creaturæ alterius, prædestinandi videntur, quotquot Deo prædestinandi videbuntur Non solum quia vlteriora alterius merita expectare, vbi infinita Christi merita adsunt, superfluum omnino esset (id enim ex natura rei legeque prædestinandi ordinaria fieri non posse solummodo probaret non autem ea etiam suppositione de potentia adhuc absoluta) sed quia, & meritis, & dignitati Christi indecès videatur, ac proinde in ea suppositione nullatenus possibile. Hæc autē difficultas contra conclusionē pro B. Virgine in quæstione de facto à nobis certam. 2. statuendum, directo militat: quare opportunius ibi tractanda, & expedienda à nobis erit. Secunda difficultas. Quia, etsi auxilia vni rationali creaturæ ad orandum, merendumque auxilia omnia intrinseca, ac de reliquo prædestinationem alterius, à Deo solo prorsus liberaliter, ex seque, vel ex Christi etiam meritis donentur: ex auxilio illi vni collato, vt pro altero mereatur, & oret, huius alterius videtur prædestinatio inchoanda: cum indeleius ad gloriam infallibiliter consequendam, atque ex scientia media prædestinationis, ac præuisionis de auxiliis reliquis à Deo futuræ si vni illi auxilium donetur, vt pro hoc altero mereatur, & oret, atque ex intentione salutis alterius huius prædestinandi procul dubio exordiatur. Illud autem auxilium primum, vt vnus ille mereatur, oretque pro altero, sub eadem illius merita quæ antecedit cadere nequit, vt patet: siquidem nequit principium meriti sub idem meritum venire, vt sæpe cum communi Theologorum docuimus, & contra inquieti ingenij recentiores paucos demonstrauimus. Si autem dicas: auxilium illud ad orandum, merendumque pro altero ex anterioribus naturā illius vnius meritis esse à Deo collata loco difficultatem moues, quam non soluis. Siquidem de auxilio illo ad meritum illius vnius, ob quod ei ad orandum, merendum, impetrandumque pro altero auxilia intrinseca, & efficacia ad salutem argumentum idem recurrit: cum ex auxilio illo prima catenata series ineffabilis ordinationis ad gloriam certo ab altero consequendam incipere eodem argumento monstretur.

2. Soarius noster ab hoc argumentum, quod ipse, vt vidimus q. 5. certam. 1. consulto contra Vasquez, inconsulto contra se etiam ipsum efformauit, in quæstione præsente de possibili videtur negatiuam partem docturus, assenturusque puram creaturam adæquatam prædestinationem alterius, ne potentia quidem absoluta Dei, posse absolute promereri: quia primum illud auxilium ad orandum, merendumque alteri, vnde huius alterius prædestinatio inchoanda necessario est, promereri absolute nequit. Id siquidem contra meritum Christi etiam pro adæquata nostra prædestinatione, tanquam irrefragabile argumentum opponit; tametsi aliunde meritum adæquatæ nostræ prædestinationis, quæ nostrum beneficium est, cum communi Theologorum, & Patrum, atque scripturæ fideique dogmate defendat, nec suæ huic impugnationi, cui æque subinde, atque alij Theologi subiacet, solutionem tentauerit, quam tamen nos dedimus quæst. 5. citat. certam. 2. Arriaga noster disputat. 37. section. 2. num. 21. §. *dicendum de re*. Affirmatiuam partem tuetur, ac propositæ difficultati respondet: posse dari alteri creaturæ puræ ad auxilium adorandum merendumque alteri auxilia omnia, huic intrinseca, efficacia à primo ad vltimum, quo perseuerantia completur, ac salus infallibiliter ab hoc altero obtinebitur, quin auxilium illud oranti, ac merenti illi ex intentione salutis alterius à Deo donetur: ac proinde, quin sit prædestinationis huius alterius effectus, vnde prædestinationis ordo, & catenata series inchoetur: quo facillime fiet vnum ex Dei auxiliante gratia prædestinationis alterius, adæquatè etiam sumptæ, causam esse absolute posse. Obiicit autem sibi §. *Dices hac ratione*: quemuis prædestinationis suæ adæquate etiam sumptæ causam esse absolutè eo modo posse: admittit plane consequentiam, vt necessariam quæ sanè eo modo asserta longe à semipelagianismo abest, nullique absurdo Theologico patet. Censet igitur auxilium efficax ex scientia media operationis futuræ, & consecutionis salutis si illud donetur, absque eius salutis intentione operaturo per illud prædestinato conferri à Deo ex alio fine posse, ac subinde non esse prædestinationis illius effectum: at vero, si ex salutis eius intentione donetur, non posse non illius prædestinationis effectum esse: ac demum necessariam esse illationem mutuam inter possibilitatem dandi auxilium merituro alterius prædestinationem ad meritum ex quo prædestinatio hæc est à Deo concipienda, ac non ex intentione salutis prædestinandi, & possibilitatem tribuendi auxilium efficax ex quo obtinenda ineffabiliter est meritoria actio, & salus prædestinando ipsi, non ex eius actionis & salutis eius intentione & desiderio.

3. Dicendum igitur est: puram creaturam prædestinationis alterius adequatæ causam de congruo meritoriam absolute esse posse. Est conclusio maioris partis Theologorum, qui de ea, vel expresse disputarunt, vel supposuere, in q. de facto affirmantem conclusionem defendentes nostrorum Ioannis Præpositi citatis q. 23. a. 8. dub. 5. art. 46. versu, *non solum Christus* citati etiam Roderici Arriaga, Arrubalis Ferdinandi Salazar. & aliorum certam. 2. Conclusionibus de facto à nobis statuendis pro quibus ac subinde pro hac plures Patres absolute stare ibidem constabit. Videtur autem esse contra nostrum Herize ibidem citandum, qui pro negatiua conclusione de facto ratione vtitur, quæ etiam de possibili negatiuam videtur suadere à nobis tacta num. 1. in prima proposita difficultate sed tamen, etsi huic suæ rationi obnoxius pro affirmatiua hac nostra conclusione ibidem stetit. Huius autem conclusionis rationes ab Arriaga datæ non placent. Nam primum illud, quod ex scientia media consensus, & salutis per illud consequendæ absque huius intentione dari alicui auxilium efficax possit, est impossibile: cum scientiæ conditionatæ euentus sub aliquo medio directio, & vsus ad eligendum medium illud, non nisi ex intentione euentus illius esse possit: ad alios quippe fines intentos scientia media impertinens est, ac subinde electionem medij illius ad eos obtinendos dirigere repugnat. Displicet secundum, non posse, scilicet medium habiturum effectum ex intentione effectus, seu finis obtinendi à Deo donari, quin sit effectus prædestinationis. Si enim ex intentione inefficaci vera, ac seria, atque ex scientiæ simplicis intelligentiæ directione, quæ sufficit, vt medium ex inefficaci finis intentione donetur, (vt plane potest donari, quia ad illum finem conducens, & q. 5. certam. 2. vidimus) ex prædestinatione nō dabitur, quæ necessario scientiæ mediæ directionē requirit: quare neq; erit prædestinationis effectus.

4. Tertium de necessaria illatione mutua à possibilitate donandi auxilium efficax merituro ad meritum, ex quo certo prædestinabitur alter; ac non ex intentione salutis huius eo merito prædestinandi, sed ex fine alio, ad possibilitatem donandi auxilium efficax & congruum ad consensum, & salutem à prædestinato obtinendam per illum, non ex consensus, & salutis intentione, sed ex alio fine non magis placet. Primo: quia omnibus Theologis aduersatur: quorum nemo hactenus dubitauit prædestinationem, eiulque effectus à primo auxilio efficaci seu congrua vocatione prædestinato collata inchoari: immò id omnes, vt certum supponunt, ac proinde ex intentione salutis eorum à Deo donari; errarent autem in ea suppositione omnes, si non ex ea intentione, sed ex alia auxilium & vocatio congrua donari prædestinato à Deo posset: tunc enim ex prædestinatione ad salutem minime donaretur, vt patet. Fateor tamen non ita facilem, neque in terminis, vt aiunt, obseruatam hactenus fuisse rationem disparitatis. Esse autem ea videtur, quod congrua vocatio, & auxiliū efficax ad cōsensum de se, naturaque, & essentia sua ad illum obtinendum ordinetur, nulliq; alteri finis speciali, nec fines omnes transcendenti, possit inseruire: ac proinde, neque ex alio fine speciali, & nō trāscendēte possit, secūdū conducentiā quā habet, siue ad posse siue ad actuale esse finis illius à Deo eligi, & apponi: vnde fit notitiā nō solum simplicis intelligentiæ de conducentia, sed, & mediam de effectu, seu cōsensu & salute quæ futura erit, si donetur à Deo expectandā esse, vt à Deo donetur, atque ex huius etiam directione eligatur ne quis ex Deo inopinatis bene operetur, & de se, quasi furtiuo, salutē præripiat; seū autē alterius alteri auxilia gratiæ & prædestinationē meritura, & existentia & merita speciali, nec solum trāscendentali fini possint absolute inseruire, tam hæc, quā auxilia ad meritū, ex quo alter auxiliū efficax, vtinā etiā cōsensus, & salutis, demum effectum habituri ex alio fine, & scientia eligi à Deo possit, & apponi, id quod si meritum ex quo auxilium illud alteri obtinendum à Deo est oratio pro illo nō sit

vt de Christi meritis diximus apertius faciliusq; percepturus est: imo etsi oratio pro illo sit cum meriti proprij orantis, & consecutionis amplioris gloriæ per illud ratio obiici ab oratione nequeat, vt soli fini obtinendi alteri auxilium deseruire de se oratio illa possit vnde constat quo iure dixerimus certam. 2. etiam ex intentione inefficaci salutis hominum potuisse Deum de Redempore & auxiliis ad merita quibus omnis prædestinatæ creaturæ extitura prædestinatio erat prouidisse ex sola simplicis intelligentiæ non autem scientiæ mediæ directione, id enim totum liberum Deo est cum multis aliis specialibus finibus Christus eiusque merita inseruire apta sint. Dixi autem *Specialibus finibus non transcendentibus*. Vt obiectiones ex fine gloriæ Dei, & exercendæ suæ libertatis præoccuparem. Sunt enim fines transcendentes omnem lectionem, & operationem Dei ad extra ex quouis speciali fine eligat, ac operetur ad extra Deus.

Et proximè dictis probatur facilè conclusio, Quia omnis effectus prædestinationis ad gloriam alicuius debet esse appositus ex intentione salutis, & electione directa per scientiam mediam de salute per effectum illum infallibiliter, certoque consequenda: atqui auxilia data alicui puræ creaturæ ad merendum alij auxilia ipsi intrinseca, & certo, infallibiliterq; coniungēda cum gloria possunt eligi, conferrique à Deo, neque ex intentione salutis ipsius inefficaci (ex quo solummodo salua vtriusque libertate possunt, vt sæpe ostendimus) à Deo eligantur, & apponantur: ergo possunt non esse effectus prædestinationis. Tunc autem effectus prædestinationis ab auxilio primo intrinseco prædestinati alterius incipient atque prædestinatio inchoabitur. Atqui hoc potest absolutè vnius mereri alteri de congruo, vt aduersarij etiam fatentur: ergo & initium prædestinationis. De eo verò solum difficultas erat, vt adæquatè sumptam prædestinationem & secundum omnes eius effectus vnus alteri promereri de congruo absolute posset, vt ex aduersariorum ratione claret. Dices. Prædestinatio adæquatè sumpta plura alia auxilia efficacia prædestinatio illi continet, vltra primum: ergo ex eo, quod primum illud absolute pura creatura alteri possit mereri de congruo, posse illi de congruo adæquatè, & secundum omnes suos effectus sumptam prædestinationem perperam infertur. Respondetur meritum congruum præmio ad amussim minime respondere, vnde & suscipere magis, minusque congruitatis respectu præmij, maximè finiti posse meritum etiam idem: ac proinde meritum idē respectu vnius auxilij congruentius quam respectu plurium fore: ast non amittere respectu horum simul absolute congruitatem: ad eam enim satis est ad illa elargienda ansam, & occasionem esse absolute posse, vt Patres cōtra semipelagianos supra dicebant, inde etiam rationem gratiæ euerti. Secundo: cum merita perfectiora elici ex gratiæ auxilio à pura creatura absolute possint, ad maius, & maius præmium congruitas meriti in operibus perfectioribus ipsius poterit absolute reperiri. Pone ergo opus, cuius congruitas meritiua vnum tantum auxilium efficax alterius pertingat: perfectius, & perfectius ipsius opus merito æque congruo plura, & plura in præmium pertinget. Denique Deiparæ merita à Deo excellentia considera: quę, sicut de Matris Dei dignitate Theologi docent, infinitatis meriti fere premunt vestigia: & in eis cum absolute puræ creaturæ sint, non solum ita obiicere, sed vel obganire conclusioni erubescs.

CERTAMEN II.

Definitur quæstio de facto.

IN quæstione de facto negat Soar. supra puram illam creaturam causam prædestinationis creaturæ alterius extitisse, atque affirmantem sententiam singularitatis notat consentit Soarij conclusioni Arriaga vbi proxime num. 23. §. *Dico tertiò*, etsi non consenserit censuræ consensi, & Herize disp. 29. num. 50. conclusioni solum, ex diuerso tamen fundamento. Duo primi eo fundamento à ratione nituntur, quod prædestinati omnes simul, & pro signo naturæ eodem ante omnia merita electi efficaciter ad gloriam, siue intentione, vel ordine intentionis prædestinati, cuius proinde, & prædestinationis anterioris ad merita omnia nullum meritum causa esse potest; tametsi in mediis, & gloria exequendis, siue ordine executionis locum merita vnius ad alterum prædestinatum possint habere de facto nec semel habuerint. Sed fundamentum hoc de electione efficaci, siue prædestinatione ad gloriam intentiua, seu intentionis ordine, ante præuisa merita impiorum ostendimus, eoque respectu meritorum prædestinati ipsius, (de quibus solum Soario, & assectis cum Vasquez, & eius discipulis quæstio ibi fuerat) non stante de meritis alterius à prædestinato idem dicendum est legitima consequentia deducitur. Neque omnium prædestinationem; seu electionem efficacem ad gloriam ordine intentionis ante præuisa cuiusque prædestinandi ad filiationem, & prædestinationem merita ad idem naturæ signum pertinere fundamentum habet vtrum: cum necconiunctæ natura sua omnes illæ prædestinatorum electiones sint, nec aliquod afferatur ex scriptura Patribus aut statu aut communi Theologorum sensu expresso, aut ex aliquo apud eosdem recepto principio deductum. Soarius specialiter arguit, quia ex auxiliante gratia pro meritu data ad merendum alteri auxilia, quibus recte oretur, & gloriam consequatur prædestinationis effectus ac subinde prædestinatio inchoetur, quæ tamen sub meritum quod ex illis procedit cadere nequeunt. Sed & hoc effectum satis est certam. 1. arguit ex Gregor. magno l. 4. dialog. c. 8. scribente: *quia ipsa quoque perennis regni præsentio, ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi per labore perueniant, quatenus postulādo mereātur, & quod accipere, quod eis Deus ante secula dare disposuit.* Sed cum hæc de meritis propriis prædestinati sint extra rem afferuntur. Producit prosperum etiam secundo de vocat. gent. cap. vlt. vel penult. aientem: per electionem Dei fluxum orationis, & sollicitudinis etiam alicuo vt orationis Tobiæ pro vxoris à dæmone libertate exemplo ostendit) deferendam non esse: *cum implenda voluntatis Dei* (executiue nimirum) *ita sit præordinatus effectus*. Cæterum etsi executioni inseruire dicat, vt nos etiam fatemur, electioni, seu prædestinationi ad gloriam ex inefficaci salutis intentione ortæ inseruire non negat Prosper; immò expressè de orationibus, & operibus prædestinati his verbis asseruit. *Frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum ad hoc operantur, vt electi sint*: quod etiam vult Augustinus ab eodem Soario productus ex cap. 11. de bono perseuerantiæ scribens. *Si qui sunt nondum vocati pro eis, vt vocentur oremus: fortasse etiam sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur.* Elt enim sensus non de executione solum, sed & de electione ad fidem, quæ ex aliorum orationibus concepta est, alias frustra non concipienda. Et sane tam hi quam cæteri Patres similiter loquentes nihil de Soaristico hoc ordine intentionis, & executionis voluntatum efficacium vsquam cogitarūt (quē potius, vt ex eorum Principiis cōstat aliquā libertati interuenientiū nostrorum operū, & subinde meritis infēsissimū, si de eo cogitassent reiecisset, sed de difficultate ab Ethnicis de euersione libertatis, studiisq; nostri in tempore in vtilitate, cum nostra electio, & prædestinatio æternitate in Deo præcesserit: cui inde apertissime satisfaciunt, quod electio, & prædestinatio ipsa, vt æternitate antecederet ex nostris orationibus, & rectis operationibus, tametsi tempore posterioribus, natura pependerit atque naturę ordine fuerit posterior, vt sæpe diximus, Aliud argumentum ab absurdo efformat, quod sicut & Herize fundamentum peculiare, cōtra conclusionē primā obiicimus, ac diluemus,

2. Dico primo: Deipara reliquorum omnium prædestinationem adæquate sumptā, & secundū omnes eius effectus de facto est promerita, si de prædestinatis ex meritis Christi iuxta dicta q. 1. certam. 2. loquamur. Conclusionē hanc ex Patrū eruditione, & soliditate æquiualētibus terminis tradauit, ac Theologicè illustrauit noster Ferdinādus Salazar in cap. 8. Prou. ad vers. 19. & de concept. cap. 21. à num. 2. ad 11. in inclusiuè, vt huius numeri fine (de prædestinatis accepto) improbabile, nec immerito censuerit, ac nobis aliquid addendi exemerit facultatem, cui conclusioni, si in eius examē & definitionem incidisset, nec solā quæstionem ne merito vnius ad prædestinationem alterius vniuersim tractasset, Mag. meus Diana cōsētiret vt ex concluſ. 2. cōstabit. Et de prædestinatis hominib, loquēdo, probatur primo, quia ex Patrū Salazar hic locis ingenti copia recitatorū cōmuni, & expressa sententia omnis gratia hominibus post peccatū primorum parentum à Deo præparata, & collata est per Mariam, eiusque merita-

nunc

ta ; nec solum per merita virginalis eius fœtus Christi Redemptoris : atqui omnis effectus prædestinationis est gratia præparata collataque à Deo homini prædestinato: ergo omnis effectus prædestinationis hominum redemptorum,ac subinde prædestinatio eorũ omnium adæquatè sumpta per Mariam eiusque merita habita à Deo fuit confirmatus:quia vsque adeo omnia gratiæ dona meritis Matiæ redemptos homines debere Patres constanter asserunt, vt etiam originalium omnium ab ipsis contractorũ remissionem purgationemque,ac detersionem eisdem Mariæ meritis deberi constanter etiam iidem Patres expresse fateantur : vbi præclara antithesi malorum omnium ab Eua,& Adamo in posteros inductorum,eorumque non ad plenum solum,sed ad exuberantiam reparatione, & inductione bonorum gratiæ in eosdem per Mariæ rem ponderant & illustrant Iræneus,Tertulian. Epipham. Augustt. Petrus Damiã. Ildephonsi.Bernard.Cyrill.Alexand.recitati à Salazar. citat. c. 2. num. 8. 9. & 10.aliisque in eandem sentent. ab eodem recitati c. anteriori & ad prouerb 8. vers. 19. Probatur secundo ex Patribus pluribus ad eum versum ab eodem Salazar productis, quibus inter captos, infensosque obiude homines Deo,ac ipsum Deum,huiusque,& suum filium mediatricem reconciliatricem, ac reliquorum redemptricem æqua extensione , etsi non æqua dignitate , cum Redemptore filio , ac proinde ipsi corredemptricem appellant. Basil. Seleucian. Episc.serm.de Incarnat. *Aue,qua inter Deum,& homines mediatrix intercedens, efficis, vt interiectus inimicitia paries tandem aliquando euertatur , terrenaque cœlestibus coniungantur.* Ephrem de Laud.Virgin. *Aue mundi mediatrix gloriosissima: Aue mundi salus : Aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix.* Bernard. serm. de verb. Apocalyp. *fidelis Maria, qua salutis autidotum,& viris, & mulieribus propinauit. Illa enim(Eua)ministra seductionis , hæc propitiationis:illa suggessit prauaricationem,hæc intecit redemptionem.* Multis etiam in hanc sententiam est Anselmus de excell. Virg. cap. 9. & 11. Arnold. Carnotens. tract. de laudib. Virgini. *Stabat iuxta crucem Maria , non minor, quam matrem Dei decebat : fortasse,quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi etiam sua ipsa morte , cuius acerbitatem in talis , tantique filij morte patiebatur , se aliquid æstimabat publico Redemptionis vniuersi muneri addituram.* Quasi id non addere de suo , & adiungere Dei Filij ac Redemptoris matrem dedeceret , id enim illa Arnoldi verba valent , *non minor, quàm Matrem Dei decebat* , in quam sententiam plura Arnoldus tract. illo.

3 Sed luculentius idem ipse tract. de verb. illis. *Mulier ecce Filius tuus.* Corredemptionis vniuersi Marianæ cum filio rem totam , & modum pluribus , sed his præsertim edisserit. *Nimirum in tabernaculo illo* (Caluariæ , & crucis) *duo videres altaria , aliud in corpore Christi, Christus carnem, Maria immolabat animam : optabat vero ipsa ad sanguinem animæ , & carni, suæ addere sanguinem, & eleuatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum , & cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium. Sed hoc solius Summi Sacerdotis priuilegium erat , vt de sanguine munus intra sancta inferret : cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum.* Vtique cum Deo Filio suo etiam offenso mediando , scite enim S Bernard. sermon. citat. *Tam vtique neque ipsa mulier benedicta inter mulieres videbitur otiosa : inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus enim est mediatore ad mediatorem istum : nec alter nobis vtilior,quam Maria.* Eius vero mediatione offensi Dei Filij voluntas humana inclinatajita Patris,& suam voluntarem Diuinam placare hominibus perrexit,continuò subdit Arnoldus : *cum,tam propria,quam matris vota charitas Christi perferret ad Patrem:cum quod mater peteret, Filius approbarer. Pater donaret,diligebat Pater Filium, & Filius Patrem,Mater vero pest vtrumque ardebat:vnumque erat,quod diuersa exhibebat officia,quod Pater bonus,quod Filius pius,quo Mater sancta intendebat,quod in commune elaborabat dilectio simulque se complectebantur pietas , charitas, & bonitas, Matre supplicante, filio interpellente , te Patre propitiante Filius ad pectus Matris, & vbera , Pater ad Filij crucem, & vulnera , respiciebat : & quid inter hæc tanta pignora nõ moueret?* Indigẽtiæ igitur nostræ,& suæ pietatis conscia,nec mysterij redemptionis per Filium ignara,non solum illum, qua hominem ad eam peragendam, hortabatur, precibusque vrgebat , sed tam his , quam animæ immolatione suæ incruenta , in Filij morte, & cruentæ pro hominum reconciliatione , & repatatione ardentissimis votis,& Filium,qua Deum,& Patrem, mediatrix placebat, ac se filij redemptione præ charitate,& misericordia inserebat, eiusque interuentione expectata , & à Filio peracta est,& à Patre acceptata;cui etiam in Filij, cõmunis vtriq; pro nobis ad mortem oblatione , quasi ex condicto Deiparam communicasse aureis hisce verbis docuit Bernardus tom.1.sermon. 51.c.4.*O mira circa nos vtriusque parentis I.C. pietatis dignatio!ô inæstimabilis Dei,& Virginis dilectio charitatis!qui, vt seruum redimerent , communem Filium tradiderunt propter nimiam charitatem,qua Deus, & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt* : ita etiam censent Patres plures apud Salazar in cap. 8. prouerbior. vers. 15. Nec puto Filium à patre , nisi ex Matris, cuius tanti Filius iure ipso referebat , consensu voluntateque concordi in mortem pro reliquorum redemptione tradendum:id enim tantæ Matris dignitatem decebat.Hæc porro pro merito Virginis de facto gratiæ omnis redemptionis cuiusmodi effectus omnis prædestinationis reliquorum à Virgine ipsa hominum sunt) aperte faciunt , & ab authoritate rem euincunt : ac subinde reliquorum omnium hominum prædestinationes adæquatè sumptas meritis Deiparæ deberi . maxime, cum redemptionis gratia omnis ex meritis Christi , non, nisi morte ipsius consummatis,fuerit quàm vt proxime ex Bernardo recitata,atque aliis citatis Patribus & ratione subiuncta pene infiniti meriti consensus, & Filij in mortem pro omnibus oblatio natura anteiuit.

4. Cæterũ cum conclusio de omnibus ex meritis Christi prædestinatis fuerit atque Angelos omnes præter paucos protoparentum,vel custodes vel tentatores ex meritis Chr.adæquate prædestinatos dixerimus q.5.certam 2.nihilq; de Virgin. merito dignitatis respectu gratiæ Angelorũ,quorũ nemo redemptus recõciliatusq; Deo fuit præfata testimonia asserant ; immo de gratia prima cum auxiliante,tum iustificante nullum sit Patrum testimonium, difficileque admodum pluribus Theologis ex Christi (nedum Deiparæ) meritis fuisse, non videtur ad plenum probata conclusio , nec facilis probatu. Accedit gratiam Angelorum nullam gratiam redemptionis fuisse:ac proinde neque ex meritis Christi realiter formaliter morte consummati:vnde antecessionis meritorum Virginis ad Filij mortem, & meritorum eius consummationem, vt pro posteriori gratiæ Angelis donaretur , argumentum præfatis testimoniis contentum, & ad rem præcipuum respectu gratiæ Angelorum vim non habet. Sed vero , cum Patres de gratia solum redemptionis ibi egerint, mirum non est nihil in eis pro gratia , & prædestinatione Angelorum de qua etiam conclusio nostra est nobis esse præsidii. Est autem iuratione Theologica vniuersali pro omnibus non parum. Etenim, quemadmodum de Christo Domino dicebamus, de ipsius etiam Matre Theologi statuunt proportione seruata : quidquid honoris , gloriæque per scripturam,fidei, & stata Theologiæ dogmata liceat, ac Deiparam eiusque merita deceat, concedendum ipsis de facto in bona Theologia est : atqui Virgini , eiusque meritis gratiam omnem , atque prædestinationem subinde adæquatam reliquorum ab ipsa hominum , & Angelorum præfatorum, deberi per scripturam , fidei , ac Theologiæ stata dogmata licet , Deiparamque decet , atque ipsi est gloriosissimum:ergo de facto est in bona Theologia admittendum de scriptura constat minor:cum potius plura in ea sint,quibus,etsi non efficaciter, ansula saltem huius conclusionis præbeatur , & fidei dogmata potius ei dem conclusioni fauent : cum Patres absolute gratiam omnem Mariæ, eiusque meritis deberi affirment , nulla Angelorum , hominumque distinctione , aut limitatione adiecta : atque Ecclesia *Matrem gratiæ* indefinitè , ac proinde vniuersaliter appellet. Neque vllum Theologicum dogma contradicit : cum puram creaturam (nec tantæ,atque Maria est dignitatis) alteri adæquatè prædestinationem promereri absolute teste statuerimus Theologorum auctoritate , & ratione : & insuper nullis puri hominis aut Angeli ex enumeratis , gratia aut meritum absolutam Mariæ, & meritorum eius existentiam antecesserit, vt inde repugnantia Theologica possit tentari

Sed expedienda tamen veniunt opposita à Soario, & Herize qui obiicit: puros omnes homines simul, & pro eodē signo fuisse prædestinatos, falsum tamen est, ac fere bonæ Theologiæ improbabile, si non excipiatur Deipara, quam ex prædestinatis per eius filium primogenita eius filia, atque ante reliquos naturæ ordine prædestinatam, vt docte Soar. 1. 2. ii. 3. p. d. 3. sect. 5. vers. finem versu *dici potest*, fol. mihi 38. col. 1. Quia primaria intentione matris præseruatiue redimendæ Christus aduenit: ex quo pro naturæ prioti ad reliquos prædestinatam ex Christi meritis fuisse, in eius etiam sententia de electione efficaci, & prædestinatione ad gloriam ante præuisa merita prædestinati, consequens est. Et quidem non omnes simul natura prædestinatos à Deo fuisse inde rectè censet Arrubal disput. 80. cap. 2. Quod plurium conceptio, & existentia absoluta (quæ abs dubio eorum prædestinationi vt vidimus supponitur) Sanctorum aliorum, ac præsertim, & frequentius Mariæ meritis, ac precibus debeatur: qua ratione Arriaga supra in opinione, quæ electionem efficacem ad gloriam, nec præsuppositiue, nec constitutiue ad prædestinationem requirit, certum esse docet; licet electione efficaci ad prædestinationem alterutro modo requisita male oppositum censeat. Obiicit secundo Herize, ad Christi dignitatem, & decentiam spectare, vt eis primum positis nullius alterius merita ad negotium prædestinationis reliquorum expectentur. Nihil contra conclusionem probat obiectio, cum ex Patribus viderimus, simul, & pro eodem signo motionis voluntatis Diuinæ, & Matris, & Filij merita ad reliquorum redemptionem concurrisse: vnde Christi merita nihil posteriorum meritorum Virginis expectarunt, ad in eorum consortio Deum, vbi primum extitere, sed reliquorum prædestinationem mouerunt, & vniuersim vlterius aliquid pro posteriori naturæ ex Dei voluntate expectari non ex ipsorum intrinseca cuttitate, dignitati Christi, ac meritorum eius infinitati non derogat. Ita enim physica eius mors natura meritis posterior expectata est, vt in nostra redemptione, & prædestinatione præmiarentur. Et quamuis è dignitate vnionis omnia humanitati Christi collata dona deberentur ad pleraque tamen & præcipua conferenda merita Christi posterius natura expectata à Deo sunt, quia gloriosius eis expectatis conferrentur. An non & ipsi gloriosius merita etiam Virginis expectari, vt Mater, cuius honor in filium redundat, corredemptricis, & gratiarum omnium Matris gloria afficeretur? obiicit Soarius. Ergo Sancti potuerunt mereri de congruo prædestinationem, & substantiam incarnationis, maxime Deipara, & alij Christi Progenitores, qui, vt ex ipsis propagaretur sunt promeriti. Negatur consequentia, quæ nec fuiorem solutionem meretur: cum omnium sententia Christi absoluta existentia, ac proinde substantia incarnationis, & prædestinatio omnem omnium prædestinatorum gratiam, ac meritum natura absolutè antecesserit: à merito vero progenitorum, vt tales esse ex Christi gratia mererentur, ad meritum prædestinationis, & substantiæ incarnationis, & mala consequentia est, & ad rem præsentem impertinens.

Dico secundo: etsi Sancti alij aliis prædestinationem adæquatam promoueri absolute possint, vt diximus, nemo tamen alterius prædestinationem adæquate sumptam de facto meruit. Consentio Herize Arriagæ, & magno meo magistro Dazæ. Non tamen priorum rationibus; sed quia nimirum gratia auxilians alteri ad alterius prædestinati gratiam intrinsecam, primam etiam, promerendam effectus primus prædestinationis est ex intētione, & scientia media salutis consequendæ ab illo alteri donata: cum meritis Christi, & Marię mediatricis, corredēptricisq; satis placitus Deus fuerit ad omnium, & singulorum prædestinationem concipiendam, nec oporteat alterius merita expectari, vt omni conducentia ad salutem cuiusque à Deo apponantur & amentur: immo oporteat ad Filij, & Matris gloriam singularem non expectari: quod autem Augustinus, & Patres allij dicant Ecclesiam & fidem non habituram in Paulum nonasset Stephanus, huius orationem medium determinatum prædestinationis Pauli fuisse probat, sed non est post quem eius prædestinationis effectus cœperint ab auxiliis Paulo intrinsecis.

DISPVTATIO IV.

De effectibus prædestinationis.

CONditiones, vt, ea quæ ad gloriam conseqnendam conducunt, conferuntque, effectus prædestinationis sint plures ab aliquibus recensentur, atque ab aliis negantur. Vnde inter eos non vna, nec breuis ac plerumque otiosa disputatio instituitur: quibus ablegandis sola definitio prædestinationis satis esset, si attenderetur. Quidquid enim beneficij Dei non conducentis solum, sed coniungendi de facto cum salute æterna cuiusuis ex huius intentione vltra naturæ debitum prædestinatis obuenerit ex præscientia, & præparatione beneficiorum Dei, quibus ille certissime liberabitur, ac subinde ex eius prædestinatione proueniat, quare & prædestinationis ipsius effectum esse citra dubium est. Hinc quæstio illa, An, vt prædestinationis effectus Dei gratia, & beneficium naturæ aliquo modo indebitum, & cum gloria cōiungendū sit, ex meritis Christi esse debeat ablegāda est: id enim examen alterius loci est: an scilicet gratia omnis, modo quouis, supernaturalis non solum ad gloriam producens de facto, sed absolute conducens meritis Christi debeatur? Quod ad controuersiam de gratia pertinet directo. Ad præsens autem, quidquid de eo asseratur, vel negetur, si Dei aliquo modo supernaturale beneficium alicui collatum, & cum eius gloria coniungendum deprehēdatur, effectum prædestinationis ipsius habendum esse extra dubium est. Quænam vero horum tam in hominibus, quam in Angelis prædestinatis meritis Christi debeantur disput. 3. q. 5. vbi: an & quibus adæquatam, seu ita adæquatam prædestinationem Christus fuerit promerita statuimus. Ex quo effectus prædestinationis & Angelorū & hominum, qui ex meritis Christi fuerint qui etiam non fuerint absque alio examine, & disputatione facile à quouis dignosc̄etur. Quæ igitur præsenti disputationi subiicienda omnino sunt. Primum, an naturalia prædestinatorum ipsius substantia, & existētia, effectus prædestinationis sint. Secūdo de supernaturalibus, bonisq; operibus, & extrinsecis aliis. Tertium an gratia, & merita peccato prædestinati interrupta, vt primo etiam collata, & existentia, in prædestinationis effectis debeant, recenseri? an etiam in eō peccatis permissio debeat numerari?

QVÆSTIO I.

An naturalia prædestinati bona effectusque prædestinationis sint.

IN naturalibus prædestinati bonis de quibus nunc intrinseca ipsi bona à Deo collata omnia continentur. Et primo ipsius substantia, & entitatiua existentia absoluta, siue eius essentiæ, & substantiæ identificata, siue, ipsi superaddita vt recentiores Thomistæ Dominicani contendunt. parui enim ad rem hanc refert alter vtro modo opinetur. Secundo substantiæ illius passiones seu affectiones, vt bona indoles genij, & bona inclinatio ad bonum & honestum; quam ad inhonestum, & turpe propensior. Hæc nonnulli animi dotes physice ipsis superaddita esse volunt. Ego vero similius longe organorum corporis, quibus anima ipsi immersa ad suas vtitur functiones, esse reputo. Nullusquam enim potentias vitales animo ipsi physice superadditas ab eoque diuersas recognosco, immo eiusmodi potentias ab animo diuersas physice, & superadditas repugnare non admodum segniter ostendi controu. de anima, disput. de ipsius potentiis. Cæterum alterutra opinio sententiæ de hac referendæ intererit parui, cum in mea etiam sententia bona indoles, genijmque aliquid vltra substantiam homiais prædestinati physicè addat, tamen id non

id non ad animi potentias, sed organa, quibus ad suas vti-tur functiones, constituat. Ac tandem extrinseca alia naturalia bona prædestinato continet quæstio.

CERTAMEN I.

Quæstionis Scopus Doctorum sententiæ, ac nostra circa naturam, & substantiam prædestinati de facto decisio.

1. SI quæstionis titulus attentè inspiciatur, facile præsentis quæstionis dispicietur Scopus in eumque collinabimus, ac pleraque ad eius decisionem media ab aliis Doctoribus: cum ab authoritate, tum à ratione mota quiescent. Non enim quæritur, an naturalia præfata prædestinati effectus prædestinationis absolutè sint, sed an sint effectus prædestinationis *sua*) nempè ipsius prædestinati, non alterius cuiuspiam: quod, vt prædestinationis effectus essent, satis foret: cum alicuius prædestinationis, ac proinde prædestinationis absolutè effectus inde præcisè essent, quod obtentioni gloriæ alterius, ob quam prædestinatus alter eis naturalibus à Deo donaretur, inseruirent, vt de se possint & quæst. 2. ostendemus: etenim filij adeo vltra naturæ facultatem, & exigentiam hic, & nunc parentibus dati (vt Ioannes Baptista Patribus, & ætate, & Matris sterilitate infæcundis, & alij orationibus potius quam naturæ debiti effectus) prædestinationis Parentum suorum fuisse certum est; cum inde plurima merita, quibus gratia, & gloria parentibus augescerent, obuenerint: eademque ratione de aliis quæst. 2. agetur. Solum ergo de eis naturalibus bonis prædestinato à Deo collatis, & cum eius gloria de facto coniungendis, an prædestinationis ipsius propriæ effectus sint, in præsentiarum disputatur: quidquid de alia quæstione, an sint effectus prædestinationis alterius, seu alienæ, sit dicendum: neque enim ex eisdem principiis vtraque quæstio dirimenda est, sed ex diuersis valde vnaquæque, vt ex dicendis constabit: vnde etiam clarebit, malè à pluribus affirmatiuæ sententiæ in quæstione præsente Patronis ex eo, quòd alienæ prædestinationis naturalia bona prædestinati effectus esse deprehendantur, & propriæ effecta esse deduci: nec melius ab aliis vtramque quæstionem in vnam absque vlla distinctione confundi.

2. Soarius noster lib. 3. de prædest. c. 7. docet præfata omnia, & similia naturalia, & effectus prædestinationis prædestinati ipsius esse. Consentit Herize 1. p. d. 30. c. 5. num. 24. pro qua citat etiam Arrubalem 1. p disput. 81. c. 3. sed ex huius limitatione, quam statim refert, potuisset ipsum non referre. Petit enim Arrubal vt naturalia præfata effectus prædestinationis sint, vt supra exigentiam, & nexum causarum naturalium à Deo producantur: quod nec Herize, nec Soarius requirunt, vt constat ex eodem Herize num. 26. vbi de requisito Arrubalem reprehendit. Quocirca, etsi Herize citato num. 24. in eis omnibus naturalibus vt effectus prædestinationis sint, quod sint aliquo modo supernaturalia requirat, de supernaturalitate extrinseca ab intentione Dei sola finis gloriæ naturæ indebitæ, ex qua (licet ad naturalium causarum virtutem, & exigentiam spectent hic, & nunc ea omnia producantur, & fiant: quod valde diuersum est, atque ad supernaturalitatem vniuersim, etiam quoad modum, insufficiens: siquidem naturalitas, vel supernaturalitas vniuersim ex eo, quod naturalium causarum vires, & exigentiam superent, vel non superent, nec excedant, à Conciliis Patribus, & Theologis cunctis desumitur; non autem ex fine naturali, vel supernaturali arbitrario à Deo in eis edendis sibi præstituto. Patet primo: quia alias, cum rem quamvis ex fine, vel naturali, vel supernaturali posset Deus pro libito producere nihil firmum de rei cuiusvis supernaturalitate, vel naturalitate posset à nobis cum probabilitate definiri: cum de fine, ex quo à Deo productæ res sint, constare nobis cum fundamento adhuc probabili, nequeat, sicque vanæ diuinationis negotium. Secundò: quia nihil contra Pelagianos, vt Semipelagianos à Patribus, & Conciliis esset confectum: cum illi vocationi, & gratiæ internæ ex fine salutis, & gloriæ supernaturalis datam à Deo fuisse non negarint, immò verò supposuerint, vel virtute concesserint; sed solum iuxta naturæ vires, & exigentiam nexumque, & ordinem causarum naturalium hîc, & nunc prædestinatis à Deo conferri. Falso etiam citatur pro sua, & Soarij conclusione vniuersali ab Herize præfatus Arrubal: siquidem ea d. 2. substantiam prædestinati prædestinationis suæ effectum esse expresse, & mordicus negat: capite autem illo 3. de bona indole, & aliis secundum substantiam naturalibus, at vltra exigentiam, nexumque, & ordinem causarum prædestinati substantiæ à Deo superadditis solummodo loquitur. Consentit tamen vniuersali huic conclusioni, Nazar. 1. parte, quæstione 23. articulo 2. controuersia vn. conclus. 10. & noster etiam Arriaga d. 38. sectione 1. subsect. 2. numero 9.

3. Dicendum primò: substantia ipsa, & entitas prædestinati non est de facto prædestinationis effectus: ita Vasquez noster disput. 93. c. 4. Arrubal citato cap 2. Albelda d. 72. Machin. d. 48. sect 2. concl. 1. Fassol. q. 23. art 2. dub. 5. conclusio hæc de facto probatur ab eius Patronis, atque à Fasolo vnicè ex duplici principio. Altero, quod adæquatè etiam sumpta prædestinatio meritis Christi debeatur. Altero, quod Christus, adhuc secundum substantiam, non nisi post peccatum præuisum, & omnium prædestinandorum substantiam, & absolutam existentiam à Deo decretam, decretus etiam à Deo sit. Primum ferè dogmaticum (quoad hominum præsertim prædestinationem) reputo ex dictis controuers. 3. quæstione 5. quoad Angelos vero omnes prædestinatos falsum, si de Protoparentum custodibus loquamur, iuxta inibi dicta: cum eis prima gratiæ dona cum eorum gloria coniungenda promereri Christus non potuerit, etsi reliquis Angelis prædestinatis ea etiam de facto verosimilius meruerit. Secundum, quoad totum, verum non est. Siquidem, tametsi Christus Dominus non, nisi post Adæ peccatum, & plurium etiam hominum Originalia, ac subinde eorum omnium existentiam fuerit decretus; non tamen post, sed ante reliquorum hominum absolutam existentiam, ad quorum procreationem gratia ex meritis Christi de facto antecessit, vt vidimus controu. 3. de Incarnat d. 2. q. 1. cert. 3. num. 3. respectu quorum nihil hoc argumentum præstare potest. Secundò probari solet ex pluribus Augustini locis, quibus contra Pelagianos, & Semipelagianos solum contendit nullam causam antsulamve dari ex parte prædestinati ad suæ prædestinationis initium, quia non datur ad primam vocationem: ergo quidquid primam vocationem præcedit, gratiam, & effectum prædestinationis non esse supponit, tanquam rem, etiam hæreticis ipsis, notam, & innegabilem: cum ante hominis creationem (ex qua inchoanda, iuxta propositam sententiam gratia, & effectus prædestinationis esset) nullum, quantumvis exiguum meritum præcedens posset ab eis ad illum à Deo obtinendam prætendi: quibus consone, etsi nos absque meritis vllis creari, ac subinde gratis, admittat, atque rationabiliter creationem gratiam dici posse dicat, epistola 90. & 95. tamen gratiam & effectum prædestinationis esse negat: quia *alia* inquit *est gratia qua prædestinati vocamur iustificamur, & glorificamur*, & epistola 105. quibus reliqua, quæ vocationem gratiæ antecedunt, à gratia, effectuque prædestinationis remouet longissimè.

4. Verum Augustini testimonia ea ex parte ponderata parum contra affirmantem sententiam vrgent, nec amplius neganti nostræ conclusioni fauent. Primò enim Aduersarij dicunt (ac nemo potest non fateri) Augustinus omnibus eis locis aliisque mox subiiciendis cum Pelagio eiusque asseclis & reliquis Massilienſibus pugnabat, qui extrinseca plura gratiæ Dei deputabant, solamque internam gratiam vocationis, vel omnem cum Pelagio, vel primam cum Massilienſibus, ac subinde iustificationis, & prædestinationis initium nostris viribus, & me-

ritis subiiciebant: quare, vt ad rem cum ipsis disputaret, atque eorum errorem propelleret de prædestinatione, quatenus à prima gratia internæ vocationis censetur, loqui solummodo debuit: nam de extrinsecis aliis naturalibus gratiam prædestinationis esse Heretici illi non negabant, immò vero asserebant, atque inde rationem gratiæ in internis Dei vocationibus subdole Pelagius apud Patres fatebatur, gratiam illam naturalem: immò, & externæ prædicationis intelligens, & admittens. Confirmatur: Nam effectum primum prædestinationis non semper incipere à prima adhuc interna vocationis gratiæ, certius, notiusque est, quam vt ab Augustino ignorari posset, aut negari: immò sæpe prædicationem fidei, & orationes Sanctorum & similia effectus prædestinationis, & anteriores internæ vocationi gratiæ frequentissimè docet, vt vidimus contra. 2 de scientia conditionata independenter à decreto subiectiuè absoluto, & obiectiuè conditionato, in eius responsionibus ad quæstiones Paganorum: Ergo ideo prædestinationis effectus ad gratiam internæ vocationis restrinxit, quia de ea solum his ipsi cum Pelagianis, & Semipelagianis erat, non quia externas alias gratias atque naturalia reliqua, ac subinde substantiam prædestinati absolutè relegaret. Confirmatur: quia nos ipsi, & reliqui negantis sententiæ Doctores præfata, & pleráque alia similia, in quibus etiam filios, eorumque conceptionem, & ortum, ac miraculosam salutis, & vitæ aliquorum orationibus, atque Sanctorum meritis impetratum inter prædestinationis, saltem alterius, & quandoque propriæ, effectus recensemus, & certam. 2. probabimus: ergò prædestinationis gratiæ, & effectus non sola gratia internæ vocationis, & intrinsecorum supernaturalium bonorum ex sententia Augustini, & nostra continentur; sed & alia naturalia, quamvis ad controversiæ suæ cum Pelagio, eiusque asseclis, & reliquiis institutum, reliquas, præter gratias internas vocationis, iustificationis, & glorificationis, ab effectibus prædestinationis se mouerit, tanquam ad eam controversiam impertinentes.

5. Eisdem tamen illis locis aliunde inspectis negatiua nostra conclusio ex sensu, & mente probatur Augustini: vt vero id constet duo in eius sententia exploratissima (ex quibus ipse contra Pelagianos, & eius reliquias eis locis, & vbivis discurrit) statuenda sunt. Primum agere eum semper de gratiis, & effectibus prædestinationis cuiusque propriæ, non autem alienæ. Id patet: quia in eis solum gratiis, & effectibus prædestinationis propriæ, an ex purè naturalibus prædestinati ipsius, vt minimum inchoarent, præfati hæretici aberrarunt, non autem ex alienis naturalibus. Cum autem ad gratiam Dei per Christum admittendam in negotio nostræ prædestinationis scripturæ (Pauli præsertim) testimoniis à Patribus cogerentur, ad gratiam creationis cuiusvis prædestinati recurrebant, vt diximus: ex eo autem quod de gratiis, & effectibus prædestinationis cuique propriæ, non autem alterius, & alienæ Augustinus ageret, fit planè, illum, dum negat creationē, & reliqua iure creationis debita dona prædestinato absq; vllis eius meritis, ac proinde gratis à Deo collata esse gratiam, & effectū prędestinationis, non negare esse gratiam, & effectum prędestinationis absolutè, provt omnem prædestinationem complectitur, siue propriam prędestinati, siue alienam, & prædestinati alterius, sed solum prædestinationis propriæ ipsius prædestinati: de eo quippe solum, ac determinatè contra Pelagianos ad rem, atque ex instituto ab Augustino agebatur: vnde, etsi ea ipsa dona secundum substantiam naturalia effectus prædestinationis alienæ ab Augustino, & à nobis cum debitis circumstantiis circamine 2. assignandis admittantur, nihil doctrinæ Augustini in eis locis, nec præsenti nostræ ex ipso statuendæ inconsequens admittetur, & aduersum: quare quæ diximus n. 3 Augustinum nos, ac reliquos negatiuæ huius conclusionis Authores vltra internam vocationis, iustificationis, &c. gratiam, gratias, & effectus alios, & quandoque eis anteriores admittere certum est, atque ad ponderationem illam locorum Augustini euacuandam efficax, non autem nobis aduersum, ac subiiciendæ ponderationi euacuandæ satis: ex eo vero, quod Hæretici illi, vt gratiam per Christum in negotio nostræ prædestinationis, & propriæ vniuscuiusque à se admitti Patribus obtenderent, ad gratiam creationis, & donorum iure creationis cuique à Deo inditorum recurrerint, effectum est, vt Augustinus ex re, & scopo controversiæ cum ipsis habitæ ad ea omnia examinanda an ad gratiam, & effectus prædestinationis, cuique prædestinato propriæ spectent, atque ferendam de eo sententiam satis opportunè procederet. Secundum in Augustini doctrina, & sententia exploratissimum, atque in bona Theologia absolutè dogmaticum (si de Protoparentibus non loquamur, omnem hominum prædestinationem, eiusq; gratiam, & effectum meritis Christi deberi, ac subinde ipsa gratiam Christi, & per Christum.

6. His positis testimonia Augustini memorata pro nostra conclusione, negante subsistantiam prædestinati prædestinationis eius effectum esse, firmiter inducuntur, & primo illud ex epistola 90. & 95. quod integrum ad rem præsentem sic habet. *Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus*: quia non præcedentium aliquorum operum meritis cuiusque, sed gratuita Dei bonitate donata est; *alia est tamen gratia, qua prædestinati vocamur, iustificamur, & glorificamur*: ac si dicat, frustra à Pelagianis, & Semipelagianis ad gratiam creationis, eiusque iure dona reliqua prædestinato donata recurritur, vt gratia Dei prædestinatum, tam ipsa creatio, quam reliqua eius iure subsequuta, & obuenientia prædestinato, atque prædestinationis effectus sint, & censeantur: gratia quippe, & effectus prædestinationis cuiusque alterius ordinis, & linex, quam creationis, & iuris naturæ sunt: eandem subdolam eorum hæreticorum gratiæ Dei in prædestinationis vniuscuiusque negotio necessario interclusæ confessionem, gratiam creationis intelligentiam, impiam, & hæreticam versutiam his aduersatur August. ep. 105. *Aurea Deus hanc fallaciam à cordibus nostris, vt naturam ipsam, qua homines conditi sumus, dicamus & gratiam Christi, qua prædestinati sumus.* Postremis autem verbis, dum gratiam prædestinationis *gratiam Christi* absolutè dicit, omnem gratiam, & effectum proinde prædestinationis ex meritis Christi esse debere asserit, atque indubitatum Catholicis dogma supponit: ex quo principio dogmatico eundem recursum hæreticorum pro gratiæ Dei necessitate pro negotio prædestinationis vniuscuiusque prædestinati ad gratiam creationis eisdem pistremis verbis refellit, & tribus eisdem epistolis sanctè constanter, & expressius iam recitatorum rationem subdens eandem, epist. 90. & 95. his verbis. *Christus enim non est mortuus pro nobis, vt homines essemus, sed vt iusti essemus*, epist. vero 105. verbis hisce: *Christus non pro nullis, vt homines conderentur, sed pro impiis mortuus est vt iustificarentur.* Quod ipsum repetit de natura, & gratia capite 11. & serm. de verbis Domini capite 14. in quibus ratio hæc Augustini continetur, omnis gratia, & effectus prædestinationis vniuscuiusque nostri est gratia Redemptionis, & ex meritis Christi morte consummatis: at mortuus non est, vt homines conderentur, atque essemus: ergo nullius nostri creatio, & absolutum esse, siue substantia prædestinationis suæ gratia, & effectus est.

7. Alia ratione ex postremis verbis Augustini ipsum pro nostra stare conclusione inferius ostendam: nunc autem euasionem proximæ sententiæ, & argumenti à nostro Soario, & asseclis tentatam præstat occupare. Respondent igitur Augustinum loqui de creatione, siue de productione hominis, eiusque natura, & substantia secundum se solum spectatis: non autem, vti ob finem ita supernaturalem gloriæ producitur, & in rebus appositum. Ea tamen solutio testimonia, & rationem Augustini ad conclusionem suam, & nostram de facto non euacuat, præsertim in ita respondentium doctrina: eorum Soarius, vbi ita respondet, eiusque asseclæ reliqui non certius, vbi ita respondet, eiusque asseclæ reliqui non certo alio fine sed vnico gloriæ supernaturalis prædestinati, atque vnico Dei decreto de existentia, & creatione absoluta prædestinati ob finem gloriæ positum de facto in rebus, & creatum absolutè prædestinatum vtumquemque defendunt: atqui Augustini testimonia de hominis creatione, & appositione absoluta in rebus, decreto de aliis decretis, & finibus, ob quos decreti absoluti proinde, quo conditus, & appositus est, loquuntur: non conditus,

condique, & apponi à Deo posset prædestinatus: ergo eius creatio, & positio absoluta à Deo ex fine gloriæ supernaturalis prædestinati ex meritis Christi, gratiáque subinde, & effectus prædestinationis de facto fuisse negatur, iuxta ipsorum doctrinam, ab Augustino: immò iuxta eorundem doctrinam intentio finis, ex quo homo decretus fuerit præsupponi ad decretum de eius conditione debet atque eodem decreto, quod electio ad eum finem est, amari: quare vt ex fine gloriæ homo absolutà condatur, nequit aliter, quam ex eo fine decerni; tametsi semel ex alio fine conditus, decretusque absolutè homo, possit à Deo ad finem gloriæ ordinari: tunc autem homo ipse, eiusque substantia, & productio ex supernaturalis gloriæ suæ fine non esset: quare, nec iuxta hanc solutionem, prædestinationis gratia, & effectus, Christi meritis debetur. Tertiò: quidquid contra præfatos Hæreticos eis locis Augustinus contendit, cassatum ea solutione est: cum ipsi hominem, eiusque creationem absolutam ex fine supernaturalis gloriæ suæ, & ex meritis Christi fuisse æqua facilitate responderent. Quartò, supernaturalitas necessaria ad effectum, & gratiam prædestinationis ex meritis Christi, è fine supernaturalitate non desumitur, sed ex defectu virtutis activæ, & ex activæ naturalium causarum ad illa, iuxta Patres, & Concilia, & entis supernaturalis essentiam, & definitionem ab ipsis explicatam, & à tota Theologia receptam, vt contra Herize notabamus n. 2. quin, si præuia ad finem suprà exigentiam, & actiuitatem naturæ totius, omniumque causarum naturalium non sint, nec finis suprà naturam, ac proinde supernaturalis esse potest. Quintò: cum non minus reprobi, quam prædestinati ex fine gloriæ supernaturalis ipsorum fuerint per hos Authores à Deo absolutè decreti, producti, atque in rebus positi, & illos etiam omnes ex meritis Christi fuisse productos dicendum iuxta hanc solutionem erit: quoniam, etsi nihil contra dogmata Theologica videatur rigore consequentiæ contineri, minus tamen benè auribus sonat ei propositioni apud Theologiam insuetis.

8. Postremo Augustini testimonio ex epist. 105. verbis illis, *sed pro impiis solummodo Christus mortuus est, vt iustificarentur* (quæ repeti diximus de natura & gratia c. 11. & serm. de verb. Domini cap. 14. eorum sententia supposita vel æquiualenter asserta c. 14. de bono perseuerantiæ his verbis. *Si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione diuersi*) aliud est ab eius authoritate pro negatiua hac conclusione argumentum. Etenim impij, & perditionis absolutè massa non sunt homines pro statu possibilitatis adhuc præcisiuè, sed iam vel peccato originali saltem infecti, vel ei proximè obnoxij, atque ad massam perditionis ex Adamo eiusque præuaricatione pertinentes (loquor cum Augustino de puris hominibus reliquis à Deipara qua nullo ex eis modis impia nec ad perditionis massam pertinens, peccatóve originali obnoxia fuit; sed præseruatiuè, nedum à peccato, verum ab obnoxietate, & debito eius à filio, & per filium multis retrogradibus redempta) quod absoluta solum propagatione ex Adamo, qua eius propagines, atque ad eius familiam pertinentes, atque peccato, absolutè obnoxij constituuntur, fieri potest: ergo ad prædestinationem adæquatè sumptam, & qua prædestinatus ex perditionis massa decernitur à reprobis (qui alia massæ illius pars sunt) ac subinde gratiam omnem, & effectum prædestinationis, supponitur absoluta eorum ex Adamo propagatio, productio, & existentia, ex sententia Augustini: ergo nequit esse prædestinationis ipsius gratia, aut effectus. Dices, posita (vt reuera fuit) cæterorum à Deipara inclusione in pacto Prothoparentum pro posteris, eorum propagatio ex Adamo est originalis peccati ipsorum vltimum complementum, ergo non solum supponuntur homines peccato obnoxij, sed iam etiam peccatores, si eorum propagatio, productio, & absoluta existentia ad initium gratiæ prædestinationis ex meritis Christi est supponenda, ac proinde, & gradatim posterius, & posterius erunt homines per Christi merita prædestinandi. Respondetur primò propagationem ex Adamo, se ipsa, sola, & formaliter sumpta non esse complementum vltimum originalis peccati, sed vt coniuncta cum negatione infusionis gratiæ in primo illo instanti durationis, qua homo primum extitit, atque ex Adamo propagatus est: si enim tunc simul gratia infundatur, quæ formaliter peccato opponitur, omni mortali etiam originali, etsi ob inclusionem in pacto Prothoparentum, atque ex ipsis propagationem in Adamo peccauerit, & obnoxius originali contrahendo sit, ipsum tamen non contrahet: vt qui Deiparam in pacto inclusam, debitumque originalis contraxisse volunt, illud tamen non incurrisse defendunt, atque ea ratione Theologizantur omnes. Sed tamen eo permisso: quod posterius, & posterius homines per Christum, eiusque merita prædestinentur, nihil absurdi continet, sed veritatem aliam, quam docuimus probauimusque contron. 3. de incarn. disp. 3. de ordine decretorum incarnationis disputantes. Porrò à ratione æque firmiter, immò firmius adhuc probari conclusio hæc de facto potest ex conclusione 2. eiusque probationibus iam subiiciendis: quibus vniuersim substantiæ cuius prædestinati negatur posse esse suæ prædestinationis effectum, etenim à potentia ad actum negatiuè inuitabilis prorsus consequentia est.

CERTAMEN II.

Nec de possibili substantia prædestinati prædestinationis eius effectus est.

1. Dicendum est secundo. Substantia, & productio prædestinati nequit esse suæ prædestinationis effectus. Habet eosdem Patronos quos dedimus pro conclusione prima, dum enim illam à ratione probant, rationem impossibilitatis hic assertæ, vt non ad formam & in terminis adstruant, & efforment, attingunt tamen. Sed miseris magis, Soarium ipsum contentiosum etiam Patronum habet Prologomeno 3. de gratia vbi veram rationem gratiæ naturæ prodnctioni conuenire non posse contendit: quia, vt Deus bonum velit homini, vt bonum illius est: atque, vt ad rationem gratiæ requiritur, oportet, vt homo iam productus supponatur, quod verissimum est, at ipsius doctrinæ consequens, siquidem per Soarium nil potest esse effectus prædestinationis, quin gratia sit, & supponat substantiam & naturam hominis cui gratia est: atqui substantia & natura hominis prædestinati eiusque absoluta productio, nec supponit, nec potest supponere substantiam, & naturam prædestinati: ergo neque est, neque esse potest gratia, & effectus prædestinationis ipsius per, & contra Soarium ipsum. Attigit tamen, vt dixi hoc loco, vnde in consequentiæ redarguitur rationem, qua illam posset vitare: Eam rationem satis congruam reddidit Magister meus Didacus Daza ex communi nostro Magistro Patre Vasquez: quia nimirum finis beatitudinis, & gratiæ cuiusvis ad ipsam conducentis, & perducentis prædestinatum comparatur ad hunc vt finis *qui* ad finem *cui*: atque, vt forma ad subiectum, non autem vti finis ad medium: at forma omnis supponit natura sua ac necessario subiectum iam existens: ergo & finis beatitudinis, eiusque intentio, & mediorum ad ipsum de facto consequendum prouidentia, & prædestinatio supponit prædestinatum, cui gloria intendenda, & de mediis ad illam prouidendum per prædestinationem est. Argumentum hoc de se satis congruum, & verosimile apparet: tamen aliquid aliud restat addendum ad totam eius efficaciam explicandam; quod nescio an ab eius efformatoribus fuerit indagatum vel omissum: Æstimo autem indagatum non fuisse: quia vterque complacentiam Dei erga possibilia pro statu præcisiuæ possibilitatis esse posse plane admittit; quo admisso, ratio finis *cui*, & cuius gratia, siue ex cuius complacentia finis gloriæ *qui*, & propter quem media à Deo amari, fierique debent, etiam ex ea sui pro statu possibilitatis complacentia, & salutis, ac beatitudinis eius amore, fieri, (tametsi anterius ad beatitudinem, mediáque reliqua

ad

ad ipsam) non posse, minimè probat; ac proinde nec medium, seu effectum esse prædestinationis repugnare, vt cum eis Doctorib. 2. hæc conclusio statuit.

2. Ex nostris autem principiis ex eo, quod prædestinatus sit finis *qui*, & subinde, ex cuius complacentia, cum finis *qui* siue eius beatitudo, ac propter ipsam media, quibus ea à prædestinato obtineatur, amentur, eligantur, & prædestinatione prouideantur, prædestinati existentiam, & productionem absolutam debere necessario supponi, ac proinde non posse illam effectum prædestinationis esse facile, ac dilucide probatur. Omnis amor finis *qui*, & subsequens electio mediorum ad illum obtinendum debet necessario esse ex complacentia in fine *cui*, siue persona, cuius gratia, cum finis ipsi amatur, tum media ad illum ipsi obtinendum prouidentur: atqui omnis complacentia in fine *cui* siue persona, cuius gratia ipsi finis amatur, & media ad illum obtinendum prouidentur, absolutam productionem, & existentiam finis *cui*, & personæ necessario supponit: ergo omnis amor finis *qui*, & mediorum ad illum obtinendum, eorumque prouidentia supponit necessario absolutam productionem, & existentiam finis *cui*, siue personæ, cuius gratia, & finis *qui* & media ad ipsum consequendum amantur, & prouidentur; ergo absoluta productio, & existentia finis *cui*, seu personæ, cuius gratia, & finis, & media amantur, & ad illum obtinendum prouidentur, amoris, & prouidentiæ horum nequit esse effectus. Postrema hæc consequentia est euidens; nihil enim potest esse principium productiuum eius, quod natura & essentia sua absolutè productum, & existens supponit; ni plura contradictoria contra mutuam causalitatem causarum, quæ, vt causent absolutam existentiam supponunt, à nobis, cum in physicis, controuersia de causis, tum in hoc, & reliquis Theologicis tomis notata admittantur. Pergo: atqui omnis prædestinatus est finis *cui*, seu persona, cuius gratia finis *qui* beatitudinis suæ, & media ad illum amantur atq; prædestinatione prouidentur: ergo nequit esse amoris finis, & mediorum, atque prouidentiæ illorum, siue prædestinationis effectus: concludit euidenter discursus, si primi syllogismi minor firma consistat, quam sic probo. Nulla complacentia esse in aliquo potest, pro statu solius possibilitatis præcisiuè cognito, & considerato, sed solum in positiuè existenti: atqui respectu finis *cui*, seu cuius gratia finis *qui* & media amantur, ac prouidentur, est complacentia aliqua: ergo supponit eius finis *cui*, & personæ, cuius gratia, non solum possibilitatem præcisiuam, sed positiuam eius absolutam existentiam & productionem. Concludit etiam syllogismus, si maior sit firma; probata vero à nobis, & ab oppositionibus vindicata fusè est contr. 4. de voluntate disp. de affectibus Dei erga creaturas, & summariè controu. 6. de prouidentia. Quod si ex quo fine alio, quam suæ beatitudinis productus prædestinatus, & existens absolutè ad sui prædestinationem supponatur inquiras. Dico, si de fine determinato speciali roges, rem puræ diuinationis inquirere te, cum plures esse possint, nec sit de aliquo reuelatio, neque apud Patres aliquod indicium insinuatum, communi locutioni, quod ad finem gloriæ conditi à Deo simus satisfeci citata controu. 6.

3. Iam fundamentis contrariæ sententiæ occurrere pronum ex dictis pro nostra sententia est, dicunt primo; substantia prædestinati ita ad obtinendam ab ipso de facto gloriam conducit, vt sine ea nequeat ab ipso gloria obtineri, vt de se claret: idque à Deo non ignoratur, cum prædestinatum producit: sed reliqua media, quæ ita, atque ex scientia gloriæ per ipsa de facto obtinendæ ex eo præcisè, quod ita, & ex ea scientia à Deo apponantur, sunt effectus, & gratia prædestinationis: ergo & substantia prædestinati, gratia, & effectus prædestinationis suæ erunt. Distingue iuxta dicta primam partem maioris: substantia prædestinati est aliquid necessariissimum ad obtinendam ab ipso gloriam, vt *medium* nego, vt *subiectum*, & finis *cui* ipsa intenditur, & ad quam media à Deo præparantur, concedo: inde autem, vt vidimus, potius infertur eius substantiam à prædestinatione non poni, sed supponi. Quod autem dicitur Deum non ignorare substantiam illam cum gloria coniungendam, imò id scire, cum prædestinandum producit, materialiter, & comitanter identicè, admittendum est: formaliter verò, & directiuè ad prædestinati productionem, est falsum, & negandum; cum enim non ex intentione gloriæ suæ, sed ex alio fine homo productus primo, & absolutè existens prædestinationi suæ natura præcedat, ex ea scientia de ipsius coniunctione cum gloria sua (quæ, ne intenditur quidem pro signo illo, neque intendi ipsi vt diximus pro illo potest) nequit ipsius absoluta productio, & existentia à Deo decerni: ac prouidè, etsi ea scientia omniscio Deo adsit ad eas à Deo decernendas impertinenter prorsus se habet. Secus ad media infallibiliter coniungenda cum salute & gloria prædestinati ex subsecuta ad eius productionem intentione vt prædestinationem apponenda, quæ nisi ex scientia media eiusque directione disponi, appon que prædestinatiuè non possunt, vt d. 2. demonstrauimus.

4. Dices, mors opportuna, & quandoque immatura, & primum absolutum non esse prædestinati, suæ est prædestinationis effectus, vt constat ex illo sapientiæ. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, &c. Et vniuersim de electis omnibus propè finale iudicium visturis dicitur Matth. 24. *Sed propter electos breuiabuntur dies illi*, persecutionis Antichristi, vt mundus hic, atque eorum vita subinde finiatur, ne persecutioni succumbant, & pereant: ergò & eius absolutum primum esse, & substantia primo existens, & producta prædestinati prædestinationis eius effectus est, essève saltem absolutè potest. Contrariorum quippe eadem (vt vulgo dicitur) esse ratio debet. Confirmatur: quia plurium peccatorum conseruatio, quoslibet eos tandem de anteacta perdita vita sua pœnitet, & finali pœnitentia saluentur, effectus prædestinationis ipsorum procul dubio est: ergo & eorum prima absoluta productio, & existentia. Probatur consequentia; siquidem & substantia prædestinati conseruata eadem est, quæ primo producta & productio qua sequenti duratione producitur vel eadem est cum prima ipsius productione, vel ipsi omninò similis, & æqualis. Antecedenti vtroque admisso negatur consequentia vtraque; quia tam mors quam vitæ conseruatio accidentarium quid est primo productæ substantiæ prædestinati, quam realiter vtraque essentia sua supponit, & quæ vt subiectum, & finis *cui* prædestinationi necessario supponitur, vt vidimus; secus autem mors, aut conseruatio.

5. Opponitur S. Th. 1 p. q. 23. art. 8. dicens conceptionem Iacob precibus Isaac Patris à Deo obtentam prædestinationis ipsius Iacob effectum fuisse: ea verò, fuit substantiæ Iacob prima existentia, & productio. Cæterum S. Thom. nullatenus eo articulo docet, quod opponitur, quæ autem aduersariis ita absonare potuerint argumentis: *sed contra* eius articuli, vbi nihil S. Thom. affirmat, sed solum dubiam reddit quæstionem, quam verlat vt in reliquis argumentis, *sed contra* solet, & neque de hac quæstione agit sed de illa, an prædestinatio alicuius peculiaris Sanctorum possit iuuari: neque de conceptione Iacobi sed de natiuitate, quæ ad hoc deseruit, vt posset fide parentum ab originali mundari. Directè autem quæstioni respondens tandem, solum concludit, Isaaci orationem aliquo modo ad effectum prædestinationis Iacob iuuisse: quia ni conceptus natusque fuisset prædestinato non esset impleta, quod verissimum est: quia neque esset prædestinatus, neque vllus prædestinationis eius effectus non tamen, quia conceptio ipsa effectus esset prædestinationis illius, sed quia eius productio, & existentia ad prædestinationem Iacobi, ac subindè omnes prædestinationis eius effectus necessario supponenda, non esset, ac proinde quæ ipsam impetrarunt, Isaaci preces prædestinationem iuuerunt, etsi ipsa prædestinationis Iacobi effectus minimè fuerit. Reliqua quæ Soarius, & assecłæ contra præmissas conclusiones à paritate, & exemplis opponunt, eo consequentiæ vitio laborant quod notabamus n. 1. ex eo enim, quod prima vnius productio effectus prædestinationis alterius fuerit de facto, esseve possit, & propriæ prædestinationis esse de facto, vel saltem esse posse inde concludunt, vt ex ratione nostræ conclusionis clarè.

CERTA

CERTAMEN III.

De reliquis naturalibus quoad substantiam bonis prædestinati variis conclusionibus deciditur.

1. Nihil naturale, vel substantiæ prædestinati identificatum, vel pro naturæ priori præsupposito effectus prædestinationis eius esse potest, siue ea, quoad modum etiam naturalia, siue supernaturalia quoad modum, & quantumvis miraculosa sint. Conclusio hæc ex conclusionibus duabus præmissis euidenter deducitur hoc argumento: omnis effectus prædestinationis cuiusvis prædestinati essentia sua posterior naturâ est prædestinatione ipsius, ac subindè eo omni, quod ad ipsam necessario præsupponitur: atqui ad cuiusvis prædestinationem necessario eius substantia præsupponitur: ergo omnis effectus prædestinationis cuiusvis posterior est natura, quam substantia prædestinati. Tum sic; nil, quod substantiæ, & naturæ prædestinati identificatur, ipsamve præcedit, siue naturale illud prorsus, siue supernatutale sit, potest esse eius substantia, & natura posterius vt patet: ergo nec effectus prædestinationis prædestinati. Hinc infertur primo in nostra, & aliorum verosimiliori longè sententia potentias animæ, cuius sunt, realiter identificante effectus prædestinationis esse non posse: infertur corporis, & organorum eius temperamentum, quod, vt diximus bonam hominis indolem, genium, & ingenium compler, & constituit, siue iuxta, siue vltra exigentiam & actiuitatem causarum naturalium à Deo productum pro naturæ priori ad animæ infusionem fuerit, effectum prædestinationis hominis per illam constituti esse minimè posse, & alia plura de extrinsecis hominis absolutam productionem substantiam, quovis modo, & gradu antecedentibus, similiter æqua certitudine inferuntur, quæ proinde sigillatim referre prolixum esset, ac otiosum.

2. Dico secundo: Quæcunque naturalia omninò, siue prædestinato intrinsecus adiuncta siue extrinsecus, iuxta causarum naturalium puram actiuitatem, exigentiam, & dispositionem debitam effectus prædestinationis prædestinati ipsius esse non possunt: est ferè dogmatica conclusio. Probatur: omnis effectus prædestinationis debet esse, aliquo modo saltem, supernaturale: sed quæcunque iuxta puram actiuitatem exigentiam, & dispositionem debitam causarum naturalium, & sunt, & fiunt, nullo modo sunt supernaturalia: ergò quæcunque ita fiunt & sunt effectus prædestinationis esse non possunt: Consecutio est legitima. Maior dogmatica, minor mihi etiam dogmatica ex Conciliis, & Patribus contra Pelagium, & asseclas agentibus: quos, quia naturæ puræ actiuitate, & naturali causarum, absque alicuius vltra creationis, & naturalis dispositionis iura, interuentu, opera prædestinationi prætendebant hæresis damnarunt. Dixi mihi dogmaticam, ne modum supernaturalitatis inefficacibus, iuxta puram exigentiam actiuitatem, & dispositionem naturalem ex fine supernaturali à Deo in alicuius rei secundum substantiam naturali productione intento à Soario, & Herize, & aliis ad inuentum absolutè gtaui censura sugillem, tametsi eum efficaciter reiecerim certam. 1. num. 2. ex entis naturalis, & supernaturalis definitionibus tota Theologia, ex Patribus Conciliisque receptis, atque ex euacuatione omnium, quibus Patres, & Concilia præfatos Hæreticos vrgebant, & damnabant. Hinc inferes animæ potentias, etsi ab ea realiter diuersas, & superadditas, vt ordinaria prouidentia producuntur effectus prædestinationis esse non posse: idemque de bona indole ingenio, & maiori perfectione temperamenti, (quo hæc constituuntur) naturali rerum cursu adquisita à nobis, & sic de pluribus aliis.

3. Dicendum tertiò: naturalia, quoad substantiam, omnia, quæ absolutam prædestinati existentiam, & substantiam supponunt ac de facto gloriæ consecutioni subseruiunt, siue intrinsecus ipsi inhærentia sint, siue extrinsecus adiuncta, dummodo præter naturalem causarum, rerumque actiuitatem exigentiam, & dispositionem (causis etiam naturalibus ad illa inadæquatè concurrentibus) à Deo sunt, & fiunt, effectus prædestinationis prædestinati illius, sunt in hac concl. Theologi omnes, illi & etiam, qui super præmissis decertarunt, amicè conueniunt; Soarius videlicet cum suis, Vasq. cum asseclis, & Herize; tametsi hic cum Soaristis plus nimium doceat, vt vidimus proxime: scilicet ex supernaturalitate finis, ob quem à Deo producuntur quæcumque cum gloria prædestinati infallibiliter coniungentur, satis habere modi supernaturalis, vt effectus prædestinationis sint, & gratia subindè per Christum licet ex naturali rerũ, & causarum naturalium cursu, & dispositione proueniant, Quo super aliam Soaristarum inconsequentiam alibi prosequendam noto. Negant enim operi bono morali vitæ æternæ meritum omne, quantumvis, intra congruitatem adhuc, minutulum: cum tamen iuxta hanc doctrinam, etsi naturali rerum cursu proueniant, tam bona moralia opera, quam cogitationes, quibus ad ea impellimur, ex fine gloriæ prædestinati mediis ipsis consequendæ satis modi supernaturalis per ipsos habeant, vt effectus prædestinationis, & gratia subinde per Christum sint, atque habeantur. His tamen alio, vt dixi, missis, probatur nostra communis conclusio: quia ea quæcunque vltra naturalem, & debitum cursum, & dispositionem, hic, & nunc, rerum & causarum naturalium prædestinato siue intrinsecus siue extrinsecus certo coniungenda cum eius salute intenta à Deo disponuntur adiunguntur que etsi naturalia quoad substantiam sint, aft hic & nunc non sunt prædestinato ipsi, neque vniuersæ totique rerum naturæ absolutè debita sed indebita ac subinde hic & nunc siue quoadmodum vltra ius naturæ totius & supernaturaliter à Deo collata & prædestinato à Deo collata & ad gloriam intentam non solum possibiliter sed de facto infallibiliter consequendam conducentia, ergo & effectus prædestinationis sunt, & gratia per Christum nec ex debito creationis prædestinati & naturæ totius vt ex dictis patet.

4. Hinc claret, potentias animæ prædestinati, si ab illa iuxta minas nobis probatam, & verisimilem sententiam, animo inditas, & superadditas admittantur, vltra exigentiam & actiuitatem animi inditas perfectiores effectum prædestinationis esse posse. Claret secundo melius natiuo corporis, & organorum temperamentum quo, & melius ingenium genium, & indoles constituitur, vltra hic, & nunc debitum causis, & dispositionibus naturalibus supernaturaliter post hominis constitutionem, & productionem effectum prædestinationis esse posse: de factoque (vt in S. Isidoro Episcopo Alberto Magno, & aliis per historias fide dignas didicimus) in pluribus fuisse. Claret tertiò Sanctorum aliorum preces, & orationes, vt prædestinatus alius non laboretur, vel lapsus conuerteretur, ac resipisceret, prædestinationis illius effectum esse posse, ac multoties de facto esse. Item natalium locum, vbi in fide, & bonæ educationis Magistros, & opportunitatis per quas in bonis moribus quis instrueretur, aditus casualis ad viam, vbi quis vel repentè moritur, vel violenter occiditur, vel alterius pompa ducitur funeralis, vel ad templum, vbi eloquens, feruensque verbi Dei concionator prædicat, quotum, vel omnium vel singulorum occasione prædestinatus conuertitur, effectum prædestinationis absolutè esse posse: item præmaturam iusti mortem, & vitam prædestinati alterius, quovsque conuertatur ac demum plura eiusmodi alia, quæ absque prolixitate non recenserentur, atque innumera alia præ sui multitudine à nobis ignota, Deo autem in prædestinationis nostræ negotio vltra rerum naturalium cursum vnicuique prædestinatorum singulatim inspecta, procurata, atque prouisa. O ingratæ socordiæ nostræ obliuionem! ô paterna amplius, Dei nostri de salute nostra oculatissimam, vigilantissimam, atque vt sic dicam insomnem curam!

CERTAMEN IV.

De victoria tentationum.

1. CIrca tentationum victoriam cum gratia entitatiuè supernaturalis auxilij intercedit, ne illi succumbamus, effectum prædestinationis esse dubium adhuc Hæreticis non est. Cum autem sola naturali entitatiuè vocatione à lapsu detinemur, triplici ex capite potest esse apud Theologos difficultas, & opinandi diuersitas: quia triplici ex capite, seu principio entitatiuè naturali teneri possumus, ne labamur. Primo per naturalem cogitationem: qua, vel ad opus bonum cum peccato incompossibile de facto diuertamur, vel ob naturalem peccati dissonantiam, & rationis naturalis dictamini dissonantiam, & monstruositatis eius horrorem, ab eo patrando auertamur: atque ex hoc capite, qui, vt plurimum, soarizant, arque opus quodvis moraliter solum bonum gratia Christi, ac similiter victoriam tentationis, (dummodo omnium, vel valde plurium non sit) non egere censent, victoriam tentationis vnius vel alterius effectum prædestinationis, & gratiam per Christum esse consequenter negant. Secundo vinci tentatio potest ex diuersione ad indifferens opus naturale (in opinione valde probabili eiusmodi indifferentia opera admittente) cum actione peccaminosa, ad quam tentatione impellimur, incompossibile: cum autem ad opus indifferens gratia per Christum necessaria non sit, ea tentationis victoria non videtur esse prædestinationis effectus; ita cum aliis recentioribus olim Theologizabamur. Tertiò ex vitioso affectu, aut opere incompossibili cum peccato, ad quod tentamur, potest tentatio superari: peccatum autem nullum, quare neque illud, quo ab alio diuertimur, Dei gratia per Christum eget: imò, neque à Deo esse vllatenus potest, sed solum à nobis: quare eiusmodi victoriam tentationis effectum prædestinationis esse nullus, quem viderim in terminis asseruit: immò, qui vniuersim victoriam tentationis generatim, & absq; modorum horum quibus obtinetur, discrimine notato gratiæ Christi, & effectibus prædestinationis adscribunt, inde fortiter ab aliis impuguantur.

2. Dicendum tamen est primò: victoriã tentationis quãvis, quo visque modo ex dictis obtentam, ex gratia Christi esse debere, ac subinde prædestinationis effectum. Et quidẽ, si primo modo honestis moraliter operibus cum peccato, ad quod inducebamur incompossibilibus, aut cogitatione dissonantię peccati ad rationalem naturam probari facile posset ex sæpè iam insinuatis, atque ex instituto docendis contr. de grat. auxiliante per Christum, vbi nullum morale opus honestum fieri, nullanq; tentationem vinci absque gratia Dei per Christum posse ostendemus, ibiq; cogitationes illas, ex quib. honestè operamur, atq; à peccato ob eius dissonantiam dictamini rationis recto auertimur, tametsi entitatiuè, & quoad substantiam naturales supernaturales esse, quoad modum, insinuatum nuper n. 3. & 4. explicatius, minutiúsq; trademus. Probatur autem vniuersim conclusio de tẽtatione quovis ex dictis modis superata, qua absolutè superata. Primò ex oratione Dominica, qua Deum, *ne nos inducat in tentationem*, oramus: cum autẽ orationes Christianæ nonnisi gratiæ per Christum, & ad vitam æternam conducentes, esse possint, fit victoriam tẽtationis, quam ex Christi institutione Deum oremus gratiæ Dei per Christum, & effectibus prędestinationis adnumerari debere. Rationem Theologicam dederunt nobis Patres, omnes eius orationis periphrasim eius loci consonè adhibentes, *ne nos tentationi cedere permittas*: quod ad victoriam tentationis præcisè à Deo fit subtractione efficacis cogitationis pravæ, cui de facto succumberemus, ni à Deo eiusq; prouidentia subtraheretur, &, cui cogitatio ad opus indifferens, quo à peccato diuertimur minimè præualeret: subtractio autẽ cogitationis illius efficacis pravæ externæ protectionis gratia Dei, & per Christum est: tametsi cogitatio purè naturalis ad indifferens opus gratia Dei per Christum non sit, nisi vltra naturalem cursum, & dispositionem causarum naturalium, (vt fieri potest ad motionem pravę cogitationis imminuendam, vt efficaciam non pertingat, à Deo prouideatur) tunc enim, etsi internæ vocationis gratia non sit, ad externæ protectionis gratiam explicatam in subtractione efficacis cogitationis pravæ, quæ cogitatione operis indifferentis inefficax redditur, procul dubio spectabit. Hæc ipsa ratio in tertio modo vincendi tentationem ad vnum per peccatum aliud suum locum habet, qua præcisè tentationis ad peccatum victoria est, vt dixi: facta vero comparatione admissi, quo atrum vitatur, incompossibile cum admisso, absoluta victoria tentationis non est: tentatio enim est bicornis, & cornu eius vno tentatus vincitur absolutè, ac proinde victor, absolutè non est; præsertim, si æqualia admissum & omissum sint: quare sub præfixam conclusionem non venit, quæ de victoria absolute tali est, nec sub eam rationem; sed quid si admissum veniale sit, vel mortale etiam leuius, quam præ eius incompossibilitate omissum?

3. Dicendum censeo secundo: gratia Dei, & per Christum subtractione cogitationis pravæ efficacis ad grauius peccatum intercedit, ac subinde ea qualis qualis victoria, etsi non absoluta; ast tentationis grauioris, et effectus prædestinationis ita vincentis prædestinati; id sua probatione probat ratio instructa pro 4. conclusione, vt patet: duæ verò conclusiones præfatæ impugnari possunt argumento, quo primam à nonnullis impugnari. Aiunt enim victoriam tentationum, qua talem præcise ad vitam æternam non conducere; qua talis enim nullum vitæ æternæ præmium meretur, nisi actu alias meritorio vincatur, quod in duobus saltem modis posterius vincendis tentationem locum non habet, vt patet. Quod si dicas peccata saltem esse impedimenta vitæ æternæ consequendæ, &, quo grauiora fuerint, esse impedimenta maiora, atque eatenus ad illam conducere, vti impedimenti cuiusvis amotio ad finis intenti assecutionem conducit: vt id de mortalibus, & eorum victoria verum sit; ast de venialibus non item: cum gratiæ, iunctæ ad gloriam veniaiter peccantis minimè aduersentur hoc grauiora, siue leuiora venialia sint. Cæterum cum videam victoriam tentationum præcisè tantum nos è Christi institutione Deum precari, à quo nihil non ad vitam æternam aliqualiter conducens petere ex honestate, & virtute possumus, non possum non intentionis victoria qua tali, & præcisè, conducentiam aliquam ad æternæ vitæ consequutionem agnoscere, & in victoria tentationis ad mortale, quo gratia, iusque ad gloriam extinguerentur conducentiam ad illam, ne obiectantes quidem, audere negare. Inde verò negsin victoria venialium negare possumus: cum hæc de merito congruo gratiæ efficacis ad tentationes vincendas, ac subinde ad mortalia dissonantia, neque insuper se ipsis gloriæ consecutionem, quo vlq; claudatur, & debito pœnali ob ipsa incurso ad assem, vt aiunt, retuntium, omnemque æqualitatem rigidam satisfiat, ex fide Catholica impediant.

QVÆSTIO II.

An supernaturalia dona omnia, etiam iustificatio, & merita prædestinati peccato intrinseca, vt primò collata sint prædestinationis effectus.

SVpernaturalia, quæ à solo Deo effectiuè sunt, & directè ad prædestinationem spectant (extrinsecus redegit Paulus ad vocationem, iustificationem, & gloriam, ad Rom. 8. verb. illis, *quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos glorificauit.* Quibus, & habitus supernaturales fidei, &c. ad iustificationem præuios supposuit, non excluſit. Scio glorificatione à Hieronymo, Gregorio

Gregorio Magno, Chrysost. Theophilacto, & Theodoreto non æternam gloriam, sed temporalem maiestatem, splendorem, & plausum intelligi legentibus proinde *magnificauit* pro *glorificauit*, sed cum vulgata *glorificauit* legat, & retineat, atque ex contextu Pauli de æterna gloria prædestinatorum Paulum ibi agere ostenderimus, cum ex eo loco Sanctorum prædestinationem probaremus, de glorificatione, & gloria æterna prædestinatorum intelligendus Paulus cum communi aliorum Patrum, & stata Theologorum sententia indubitanter est. Præclarè Augustinus de prædestin. Sanct. c. 17. *glorificauit illo vtique fine, qui non habet finem.* Porrò de his omnibus nulla apud Theologos controuersia esse deberet, quod effectus prædestinationis essent, si vocum abesse abusus. Sed tamen, vt is reiiciatur aliquorum sententiæ de eorum ferè singulis referendæ, requirendæque erunt, vt de re, & debitis locutionibus deinceps Theologis conueniat: vna solum Theologica disputatione dignior quæstio his de rebus ex citata à nostris Vasquez, & Soatez fuit: an iustificatio, & merita prædestinati peccato interrupta, non vt restituta solum (de quibus eadem, & de aliis est ratio) sed vt primo collata, & habita in prædestinationis effectibus sint recensenda.

CERTAMEN I.

De reliquis supernaturaribus donis, præter iustificationem, & merita prædestinati intercissa, vt primo collata.

1. NOnnulli, qui prædestinationem in sola electione efficaci antecedenti ad gloriam constituentes gloriam solam effectum prædestinationis esse docent: falluntur tamen in supposito, ex quo discurrunt: siquidem, neque eiusmodi electio est, nec si esset in ea prædestinatio consisteret, vti ex iam dictis constat. Deinde ex eis etiam suppositis malè discurrunt, vt mox videbimus concl. 1. Durandus ex aduerso gloriam solam ab effectibus prædestinationis excludit: quia prædestinatio, sicuti, & prouidentia omnis tota tota circa media versatur, nec ad finem progreditur: iuxta statam Theologis sententiam & definitionem prædestinationis, & prouidentiæ. Certè Durandus ex meliori principio quidem, sed melius tamen non discurrit. S. Bonauent. è num. omnia inter effectus prædestinationis recenset excepta gratia primæ vocationis efficacis: quia ea communis prædestinatis cum reprobis (quibus haud dubio absque prædestinatione, erga quos nulla prædestinatio est, effectus prædestinationis esse nequeunt) ac subindè nec tales erunt in prædestinatis. Circa auxilia gratiæ non efficacia sed sufficientia prædestinatis collata Vasq. effectus prædestinationis vniuersim negat cap. 1. nec solum de datis ad vitandum peccata (de quib. eadem, ac de permissione peccati ratio esse videtur examinanda q. 4.) sed etiã de datis ad bene operandum supererogatorie, de operib. ipsis meritoriis, provt à nobis nostroq; libero arbitrio ab effectibus prædestinationis excludunt Henric. quodlib. 4. q. 19. & quodlib. 8. q. 5. & nostet Mol. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. d. 1. m. 8. & 9. fine, ac 10. §. *Hinc efficitur* exemplo caloris, qui, vt à causa secunda est, nec à Deo est, neque eius effectus: ergo nec opus meritorium, &, vt à nobis, Dei est, nec effectus eius, vt esse necessario debet, quidquid prædestinationis effectus sit. Hæ sunt sententiæ omnes, quæ in re præsente aberrarunt à vero: contra quas generali vnica conclusione asserente præfata omnia effectus prædestinationis verum semel, simulque attingeretur. Sed quoniam contra quamvis probanda esset sigillatim vniuersalis discursus minor, quæ ab illa de aliquo ex illis singulatim negatur, atque specialia cuiusque fundamenta erant etiam eruenda, partitis contra vnamquamque conclusionis facilius, atque commodius generalis nostræ, & communis conclusionis veritas dabitur, ac percipietur.

2. Sit contra primam sententiam concl. 1. Alia plura *Christoph. de Ortega da Deo Vno*, Tomus II. præter gloriam præueniunt prædestinato ex ea electione efficaci ante merita ipsius ad gloriam, etsi in ea prædestinationem stare admittamus: ergo plura alia sunt effectus prædestinationis; quidquid enim ab alio prouenit, atque est, effectus illius est. Probatur antecedens. Nam electio illa efficax, ita antecedens, est intentio efficax gloriæ, nec seipsa immediatè illam exequens in prædestinato, sed per merita proximè, & per auxilia gratiæ, & gratiam iustificantem, quæ merita illa dignificantur ad gloriæ præmium: sed omnis electio, & appositio mediorum, mediaq; ipsa apposita ex intentione quavis finis (etiam inefficaci nedum efficaci) sunt eius intentionis effectus: ergo enumerata hæc, nec solum gloria, sunt intentionis seu electionis illius ad gloriam effectus: atqui per te intentio, seu electio hæc efficax ad gloriam est prædestinatio: ergo ea omnia, nec sola gloria, sunt effectus prædestinationis. Decepit autem sententiæ illius Patronos æquiuocatio qua effectum cum obiecto confuderunt: sicuti, & Durandum secundæ sententiæ huic è Diametro aduersæ authorem. Ne vero aliquis post hac ad electionem efficaciam gloriæ post merita præuisa recurrat, vt conclusionem tueatur, aduertet electionem post præuisa merita executiuam gloriæ voluntatem solummodo esse omnium sententia, ac nusquam prædestinationem: quare gloria, qua præcisè ab ea electione procedit, effectu prędestinationis esse non posse, sed solum, qua à præparatione mediorum, & meritorum ob quæ gloria decernitur, estque prędestinatio, cuius immediatiores effectus media illa & merita abs dubio sunt.

3. Sit contra Durand. 2. concl. Non solum media gratiæ formalis iustificatio, atq; ex illis prouenientia merita gloriæ, sed gloria etiam ipsa est effectus prædestinationis. Probatur conclusio: quia per hunc Doctorem media illa omnia ac merita sunt effectus prædestinationis: atqui gloria est illorum omnium, ac meritorum effectus: ergo & gloria est effectus prædestinationis. Probatur ex vulgari, & certo axiomate rationis naturalis lumine notissimo. Quidquid enim causa causæ alterius est, causa est effectus ab hac altera causa causari: cum autem id, cuius aliquid causa est, nequeat non esse effectus illius, quia causa, & effectus necessario correlata sunt, & ad inuicem dicũtur, sit planè gloriam, quæ ex mediis, & meritis causatis à prædestinatione causatur, causari etiã à prædestinat. Durandi fundamentum in æquiuoca, vt dixi proximè, confusione laborat: ita enim habet. Prædestinatio tota tota circa media versatur, nec vltra media progreditur, est siquidẽ essentia sua, *præscientia, & præparatio mediorum efficacium ad finem gloriæ præintentum*, siue, vt August. & ex ipso Theologia tota, *beneficiorum Dei: quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*, nihilque aliud est: atqui gloria finis est, ac non medium ad seipsam, vt patet: ergo prædestinatio non est gloriæ, sed mediorum ad ipsam, ac subindè nec ipsa prædestinationis effectus. Distingue maiorem prædestinatio tota tota circa media, seu in mediis est, nec vltra progreditur effectiuè nego: progredi enim, ac versari effectiuè absolutè debet ad, & circa effectus omnes à mediis illis, quæ præparat causatis, vt diximus affectiuè, subdistingue formaliter, & expresse concedo: media siquidem solum formaliter, & expresse præparat, vultq; prædestinatio, virtualiter, & interpretatiuè nego: sic enim finem, ex cuius præsupposita intentione media præparat, vult etiam prædestinatio.

4. Tertia conclusio contra S. Bonauent. Auxilium, primæ etiam vocationis efficacis, vnde prædestinatio per media intrinseca prædestinato eorumque series, & catenatus ordo inchoatur, & iustificatio prima prædestinati effectus prædestinationis sunt. Loquor de eis secundum se, præcindendo ab eorum interruptione, vel non interruptione per peccatum: ne importune, & anticipato quæstionem de iustificatione ac merito per peccatum prædestinati interruptis: ac demum per pœnitentiam restitutis, an, vt primo etiam collata, effectus prædestinationis sint pertingam? De qua à certamine secundo ex instituto disputato. Probatur autem conclusio facillimè: in primis enim vocatio illa prima efficax, & iustificatio etiam prima prædestinati gratia, & beneficium supernaturale Dei, & per Christum est, fateturque S. Bonauentura: insuperque conducens, & certo, atque infallibiliter producens ad gloriam prædestina-

tum, ac subinde cum eius gloria certo etiam, & infallibiliter coniungendum: id etiam certissimum est, licet minus à sancto Bonauentura attentum, vt ex fundamento oppositæ suæ sententiæ constabit: ergo prima illa vocatio efficax, & iustificatio prædestinati est prædestinationis effectus. Probatur consequentia. Quidquid per naturalis gratiæ conducens perducensque certo, & infallibiliter prædestinatum ad gloriam, ac subinde cum illa certo, & infallibiliter coniungendum, est proprius effectus prædestinationis ipsius, id totum habent prima vocatio efficax, & iustificatio prædestinati: ergo sunt effectus proprij prædestinationis ipsius. Inde euanescit fundamentum sententiæ aduersæ sancti Bonauenturæ: quod scilicet prima iustificatio, & vocatio efficax gratiæ, & per Christum, ex prouidentia supernaturali quidem, at non ex prædestinatione habeatur. Sed quare? vtique quia licet cõducat ad gloriam reprobi, ast non eum certo, & infallibiliter ad illam perducit. Cum ergo id etiam habeat respectu prædestinati ex prædestinatione ipsius ipsi proueniet. Probatur secundò ab absurdo: quia eodem fundamento vlteriores gratiæ vocationis efficacis, & iustificationis, intermediæ per peccatum in prædestinatis pluribus, æquè atque in reprobis interrumpendæ non esse prædestinationis effectus, contra S. Bonauenturam, & omnes, erit dicendum. Aliam probationem conclusionis subiiciam statim, dum quartam conclusionem probem. Porro tres conclusiones præmissæ communes Theologis reliquis sunt, vnde non parum præsidii vlteriores habent.

5. Sit quarta conclusio contra nostrum Vasquez. Auxilia sufficientia collata prædestinato prædestinationis eius effectus possent esse, atque in pluribus prædestinatis de facto sunt, ita Soatius supra cap. 6. & Herize supra etiam cap. 2. num. 11. loquor autem de sufficientibus auxiliis non secundum negationem consensus nostri in bonum, & peccati admissionem, in ea negatione imbibitam (si cogitatio ab actu prohibito retrahens, vel ad præceptum actum inducens sit) & qua vocationis sufficientia, secundum totum quod dicit, completur: id enim esset miscere etiam importune quæstionem aliam postea examinandam, peccati permissio effectus sit prædestinationis? loquor ergo de cogitatione seu vocatione gratiæ sufficientis, & per Christum prædestinato donatæ secundum intrinsecam positiuam eius virtutem, & conducentiam ad bene operandum, & salutem prædestinati. Nec loquor de auxiliis sufficientibus omnibus prædestinatis adultis à Deo collatis, qui nimirum ad vitæ finem conuertuntur ad fidē, & cum ferè obeũt, baptizãtur, cum vitam in infidelitate, ac vitiis fere totam transegerint; sed quorum prædestinatio, & ordinatio ad gloriam per intrinseca gratiæ dona, & vocationes efficaces prius inchoauerit. De aliis enim cum non dum prædestinatio per intrinseca auxilia prædestinatiua inchoauerit, quousque per primum proprie prædestinatiuum inchoetur sufficientia auxilia, non ex prædestinatione, sed ex communi prouidentia supernaturali conferri illis à Deo censendum in quæstione præsente est, in qua abstrahimus à quæstione de permistione peccati. Loquimur ergo de aliis prædestinatis quorum prædestinationis series per auxilia efficacia intrinseca inchoata est, atque interea, & alia subsequentia interiacent sufficientia, atque de his æstimus posse esse, ac sæpe de facto esse prædestinationis effectus secundum conducentiam, & virtutem intrinsecam ad rectam operationem considerata, & si eam non obtineant de facto à prædestinato. Probatur conclusio quia, etsi ea auxilia de facto non coniungantur cum recta operatione prædestinati, ad quam excitant ipsum, & intentionaliter directe inducunt ac mouent, ac subinde per rectam illam operationem non coniungantur cum gloria prædestinati, quare nec certo, & ineffabiliter eum de facto ad gloriam perducant: ast vt obiecta Deo, ita cum vocanti, & frequentissime vocanti, ad gratiarum actionem mouere possunt, & medio effectu, eiusque merito, certo, & ineffabiliter cum gloria prædestinati coniungi atque de facto in pluribus prædestinatis, ita certo & ineffabiliter coniungentur: ergo & esse possunt, ac sæpe de facto sunt prædestinationis effectus. Consequentia probata fuit in simili pro conclusione tertia. Probatur inde secundo, quia nihil gratiæ supernaturalis ad catenatam seriem, & ordinem prædestinationis spectans potest ex communi prouidentia supernaturali, ac nõ ex speciali, & quæ prædestinatio sit præstituto à Deo prouenire: neque enim ex prouidentia communi & speciali prædestinationis prædestinatio absolutè talis contexi potest: at tunc ad seriem, & catenatum ordinem prædestinationis auxilia illa sufficientia spectarent, de facto que in pluribus prædestinatis spectant: ergo ex speciali prouidentia, & prædestinatione à Deo prouenire possunt, ac de facto proueniunt prædestinatis pluribus. Nihil affert pro se Vasquez, quod nostræ ita intellectæ, ac probatæ conclusioni officiat: Omnia enim auxilia sufficientia ex parte inductionis, & suasionis directè ad operanda præcepta, & ad omittenda prohibita considerant solum; non autem vt illa ipsa obiecta aliarum virtutum esse possunt, & sæpè de facto sunt, contemplantur.

6. Sit contra Henricum, & nostrum Molinam conclusio quinta. Merita omnia prædestinati, vt à nobis nobisque arbitrio ex gratia Dei operantibus, ipsique cooperantibus sunt prædestinationis effectus, est Valentia, 1. 2. tom. quæst. 23. punct. 4. ac supra citatorum Vasquez Soarij cap. 5. concluſ. 2. Herize cap. 3. ac reliquorum Theologorum conclusio, ac me iudice re ipsa conclusio dogmatica. Probatur: omnia operum nostrorum merita talia sunt formaliter, provt à nobis, nostrique arbitrij in actu primo, non, nisi Dei auxiliante gratia potentis absolutè operari, vel non operari, libera determinatione, & vsu auxilij gratiæ in bonum, ad quod auxilio illo gratiæ Dei possumus: atqui omnia merita operum nostrorum, qua talia sunt dona Dei, & gratia per Christum ad gloriam conducentia, atque de facto certo, & infallibiliter perducentia quemvis ex nobis prædestinatum: ergo merita omnium operum prædestinati, provt ab ipso, liberoque arbitrio ipsius se in bonum, & auxilio gratiæ eiusque bono vsu determinante sunt, prædestinationis effecta. Maior probatur ex illa sapientiæ laude rectis & honestis operibus exhibita, *qui potuit transgredi & non est transgressus facere mala & non fecit*, etsi autem auxilium gratiæ ad non transgrediendum, & faciendum bona, ac non mala ex parte actus primi requiratur ad posse (in quo nihil nobis meriti, & laudis) quod eis verbis, *qui potuit*, &c. tota tamen laus in eo est, quod bona, quæ eo gratiæ auxilio potuit, ac non mala, quæ etiam potuit, fecerit determinatione, rectóque vsu indifferentis suæ potentiæ ex naturalibus suis, & supernaturali adiutorio gratiæ adæquatè constitutæ. Confirmatur: quia, etsi gratiæ auxilium partialiter cum voluntate, & arbitrio nostro ad bonum opus meritorium concurrat, concurrit tamen vt quid, quo ad vsum & operationem nostræ libertati, & voluntati subiectum, quam ex parte actus primi nostrum determinat: ergo, quod de facto etiam in opus illud bonum exeat, atque influat gratiæ auxilium, & exerceat prodeat nostræ actuali determinationi, vt à nobis est, debet: stat autem in ea vtriusq; cooperatione in bonum tota meriti ratio ergo tota meriti ratio formalis debetur ei, in opere bono, vt à nobis, à quibus ad influxum & cooperationem in bonum opus per determinationem, vt à nobis est, auxilium Dei prærequisitum trahitur. Denig; confirmatur ex August. & aliis Patribus & Theologis, qui ea solum ratione bona nostra opera, ac merita Dei dona, & beneficia esse docent in *radice*, scilicet *congrua enumeratione*: ergo formaliter, nec solum radicaliter loquendo alicuius sunt: Deo autem seclusò, cui formale actuale meriti in opere nostro formaliter respondeat, quia solum radicaliter iuxta Patres respondet, restat, vt nobis formaliter ea radicalia comprincipio necessario gratiæ suæ à Deo donato rectéq; ventibus solummodo, & adæquatè respondeant, ac subindè in opere bono, provt à nobis tota ratio meriti sit, & vt à nobis, atque esse absolutè possit gratiæ Dei auxilium prærequiratur ac præcedat, vt in maiore propositione syllogismi assumebatur.

6. Porrò Henrici, & Molinæ fundamentum valde est infirmum. Quod enim calor, provt ab igne, effectus Dei provt simultaneè concurrit non sit, non probat bonum opus provt ab homine effectum gratiæ Dei cooperantis effectum non esse; cum hæc, vt opus bonum à prædestinato effectum sit, ex parte actus primi flocciret ipsique suadeat, ac subinde opus ipsum, & meritum (quod ei, vt à prædestinato est, Deoque maliter competit vt diximus) gratiæ effectus est. Deinde proinde illam donantis ac prædestinationis, qua à Deo donatur. Quod si exemplum, quo decepti sunt Authores sunt,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

altius rimarentur aliquid inuenirent, quo communem nostram Theologorum conclusionem tenerent, aduersamque suam auersarentur. Etenim licet solo simultaneo concursu Dei cum igne ad calorem productum attento, calor, vt ab igne formaliter productus, à Deo formaliter productus non sit: at vero si ignem ipsum, eiusque calefactiuam virtutem & determinationem à Deo productam esse animaduerterent calorem, etiam, vt ab igne est, effectum Dei absolute esse mediatum recognoscerent: inde bonum opus, prout ab homine, quod, vt ab ipso sit, in actu primo gratię prædestinationis sollicitat, atque prædestinato suadet, gratiæ, & prædestinationis eiusdem effectum esse. Neque inde arguas, etiam voluntatem peccantis, & cogitationem malesuadam, vt homo in opus prauum se determinet, ac peccet à Deo produci, ac proinde eius prauam determinationem; & subinde peccatum, Deo vt causæ tanquam mediatum effectum esse absolute tribuendum. Cum enim eis omnibus ante hominis determinationem à se ipso ad malum à Deo physicè productis, nihil determinationis antecedentis à Deo ponatur effectiue aut affectiue, homoue ab eo recipiat in Thomistica nostra Iesuana schola: immò, vero affectiue ea omnia vt bene à se positis homo ex indifferenti potestate, vt ad honestatem, laudem, & meritum operantis oportet, opusque est) operetur, Deus apponat, atque insuper tota actionum atque operum moralitas, siue ad ipsorum honestatem, laudem, ac meritum, siue ad inhonestatem, vituperium, ac demeritum, ex determinatione libera desumatur, fit plane, vt alterutrius principium, & primum sit, ibique sistat, vbi ea determinatio cæpit. Cum autem determinatio ad malum ab homine sit ab eoque cœperit, quin antecederet à Deo positis determinationis illius effectiue, aut affectiue à Deo receperit determinatio illa ab homine incipit atque est, quin ad Deum antecedentiæ omnia principia indifferentia ponentem, atque omnipotentiam suam ad concursum cum homine parantem principium determinationis illius inquirentes progredi possimus: cum ea omnia, vt ad actionem illam, & determinatione determinate physicè concurrant ab hominis arbitrio, cui subduntur in operando, per determinationem ipsius; & vsum eorum (qui solius potestatis eius est) despotice trahantur. Quamuis autem ita etiam physicè ea omnia ad vsum determinatum rectum absque vlla anteriori ipsorum determinatione deducantur: tamen cum auxilia efficacia, & ex affectu determinato (etsi non determinante) ad vsum bonum, ac deinceps ex scientia conditionata recti vsus sub illo futuri à Deo donentur, etsi non physica, morali tamen æstimatione determinatio illa physica hominis, vsusque rectus in Deo censetur merito habere principium, à Deoque donari *in radice congruæ vocationis* à Deo donatæ, vt Augustinus, cæterique Patres, & Theologi fatentur.

CERTAMEN II.

De iustificatione, & meritis peccato interciſſis, vt primo collata, & habit a prædestinato sunt, Vasquez, & Soarez & assectarum pugna, & eorum fundamenta ad examen, & trutinam vocata, & perpensa.

1 DVo supponit potius, quam disputat, quæstio præsens. Primum iustificationem, & merita prædestinati per subsequens peccatum interrupta, per succedentem posse pœnitentiam restitui: quod de vtrisque in reprobo aliquando iusto, ac bene operante: post vero lapso, atque deinceps aliquandiu (etsi non perseueranter) resipiscente per pœnitentiam æque censetur, & de restitutione anteactorum meritorum per pœnitentiam subsecutam communis Theologorum sententia est controuersa. de merito rigide à nobis examinanda, & opportunè proinde hic eius examen omittendum. Maximè, cum fusius prolixusque futurum sit, quam antiquioribus fuerit, nec possimus sententiæ de eo fundamenta nostra hic, per epitomen adhuc, & summatim ponere vt à lectoribus bene percipiatur. De iustificatione formali, seu gratia formaliter sanctificante præhabita à peccatore, an ac præsertim, quæ restituenda sit? nec apud Theologos conuenire video, an quæ meritorum principium sit, vt ea dignificans? an quæ ita dignificatis meritis fuerat adquisita. An quæ virtute sacramenti collata, an denique omnes? nec video ab aliter, & aliter opinantibus firma, vt plurimum, sententiæ suæ fundamenta produci: quare prolixius adhuc de eo nobis examen erit controuersia de gratia, non, nisi importune hic habendum. Nunc ergo ex suppositione, quod merita, & iustificatio formalis, siue habitualis gratia hæc vel illa peccato interceſſa per pœnitentiam ex eo, quod præcesserint peccato, per pœnitentiam prædestinati ipsi restituantur, vt primo habita, atque à Deo collata ante peccatum effectus prædestinationis prædestinati illius sint: difficultatis præsentis scopus, & Theologica disputatione dignus est. Dixi autem vt *primo collata*: nam, vt restituta nec post peccato interciſſa effectum prædestinationis esse quacunque ratione à Deo, siue titulo præcedentiæ peccato, quo interrupta sunt, siue absque illo, perseueranter, & continuato cum gloria prædestinati coniungenda, restituantur effectus prædestinationis esse, dubium esse non potest. Dixi, etiam si à Deo restituantur *ex eo, quod præcesserint peccato*. Si enim ex mero arbitrio, ac liberalitate diuina absque vlla adhuc remota, motione, & conducentia anteactæ ad peccatum, vel primo habita gratia à Deo restituatur vel æqualis, prima eius collatio ad gloriam prædestinati illius consequendam omninò impertinenter se habebit: ac subinde effectus prædestinationis illius esse non poterit: vt de se patet, dixi demum nuper, *adhuc remota motione*, si enim pœnitentia de peccato, quo gratia formaliter sanctificans primo collata interrupta fuit, inde etiam habeatur, quod gratia illa peccatum, de quo dolet prædestinatum, piuauerit, haud dubio ad eiusdem, vel æqualis gratiæ restitutionem prima eius à à Deo collatio, & receptio à prædestinato remote obiectiue conducet, atque effectus subinde prædestinationis erit: quod, tametsi perspicuum sit, obseruatum volui, quia à nemine vidi notatum.

2. His positis Vasquez noster d. 83. c. 3. Beccanus 1. p. tract. 1. c. 14. q. 3. n. 8. negant meritum, & gratiam peccato interruptam, ac postmodum pœnitentia succedente restitutam esse prædestinationis effectum vt ante peccatum primo collata fuit; sed solum prouidentiæ communi supernaturalis, quia ea etiam media, quæ ad salutem de se conducunt, etsi ad illam hominem de facto non perducant, à Deo prouidentur. Ratio eius præcipua est: quia nec conferuntur, nec conferri primo à Deo possunt ex voluntate, & intentione restaurandi illa per pœnitentiam de peccato, quo interrumpenda post modum sunt: nisi autem ex eo amore, & voluntate instaurandi illa per pœnitentiam de peccato postmodum illa interrupturo primum à Deo conferantur, nequeunt, vt primo collata esse prædestinationis effectus: ergo merita, & gratia peccato interrupta, vt primo collata sunt, absolute nec sunt, neque possunt prædestinationis effectus. Maior probatur, quia nequit absolute, & serio amari futura instauratio illorum per pœnitentiam antecedenter ad positionem, & absolutam præuisionem peccati, quin ametur peccatum, quod medium est vnicum, ac necessarium ad pœnitentiam, ac media ipsa illorum instaurationem: hoc autem Deo repugnat (vt ideo non Vasquez solus, sed Soarius oppositæ sententiæ author, & assectarum plerisque permissionem peccati ex amore pœnitentiæ, & intentione salutis per ipsam à prædestinato obtinendæ concipi à Deo posse atque effectum prædestinationis esse negent, quia, non, nisi medio peccato, quod pœnitentia essentialiter supponit, eius permissio conducere ad pœnitentiam, & salutem prædestinati potest) ergo implicat gratiam interrumpendam per peccatum, nec aliter quam pœnitentia de ipso instaurandam, vt instaurandam, siue ex amore instaurationis suæ per pœnitentiam à Deo primum conferri. Minor

probatur, quia nullum medium ad salutem prædestinati conferri à Deo ex prædestinatione potest qua conducens solummodo de se ad salutem ipsius, sed qua efficax, seu etiam coniungendum de facto cum ipsa, & perducens actu absolute prædestinatum ad salutem; ast merita, & gratia iustificans interrumpenda per peccatum subsequens, vt primo collata, non aliter actu, & absolute perductura prædestinatum ad salutem esse possunt, & de facto cum eius gloria coniungi, nisi vt instauranda per pœnitentiam de peccato, quo sunt interrumpenda. Ergo, vt qua primo collata, vt media prædestinationis à Deo apponatur, ac subinde effectus prædestinationis sint, qua instauranda, & ex amore proinde instaurationis ipsorum per pœnitentiam de peccato, quo interrumpenda sunt, debent à Deo primum conferri prædestinato: vt in minori assumebatur atque repugnare dicebatur in maiore quod eodem modo probat, etsi intentio gloriæ, seu, vt Soariste aiunt, electio ad gloriam prædestinati antecedens, ex qua media ad executionem, & assecutionem gloriæ eliguntur à Deo, atque præparantur inefficax, vel efficax sit. Confirmat: quia, cum prædestinatio catenatorum mediorum vsque ad gloriæ consecutionem series sit, eaque in meritis; & gratia interrumpenda, vt primo collatis esse nequeat, vt primo collatis, nisi, quatenus ex eo, quod primo collata sunt, titulum ponunt, ob quem per pœnitentiam de interruptura ipsa peccato instaurentur, vt nisi, qua instauranda & per instaurationem continuanda cum gloriæ assecutione nequeant pertinere, neque ex prædestinatione apponi primo possint, sed ex prouidentia, supernaturali quidem, qua de se conducentia quæuis ad salutem eius, cui de mediis sufficientibus à Deo prouidetur, apponuntur. Quæ vero instaurantur non interrumpenda, deinceps, sed continenter cum gloria prædestinati coniungenda ex alia prouidentia prædestinatiua, seu prædestinationis est, ab ea quæ à meritorum, & gratiæ primo collatorum inchoetur.

Soarez citato lib. 3. de prædestinat. c. 4. n. 5. Valentia ad citatam quæstionem 23. disput. 1. punct. 3. versu. *Secundum est.* Arrubal disput. 83. c. 1. Herize citata disput. 30. c. 4. num. 18. à versu *vt res aliqua.* Fasolus ad citatam quæst. 23. dubit. 3. Arriaga disput. 38. sect. 1. subsect. 1. à versu *secundum, an prima collatio,* & magnus meus magister Didacus Daza d. 5. de prædestinatione §. 2. (& ipse Vasquianorum Princeps, ex externis Gonzalez Albelda 1. p. d. 71. sect. 3. Trigos. in Bonauenturam 1. p. q. 13. a. 2. dub. 4. concluſ. 5. Nazarius ad citatam quæstionem 23. controu. vnica §. 3. concluſ. 3. Machen d. 48. sect. 1. conc. 2. asserunt, marita, & gratiam peccato interrumpenda, ac pœnitentia reparanda, vt primo etiam collata, effectus prædestinationis esse. Contra Soarium verò obseruat Daza argumentum nostri Vasquez specialem vim habere: quod ipsum contra Fasolum, & Arriagam obseruari æquo robore circa concluſionem de facto potest. Contra citatos vero Thomistas circa concluſionem de possibili, vt ex difficultatis propositione clarebit. Nostrum verò Vasquez male idem Daza reprehendit, quasi admiserit ex intentione efficaci gloriæ prædestinati merita, & gratiam peccato interrumpenda, ac per pœnitentiam reparanda potuisse à Deo primò conferri: quod quidem, si admisisset, constantissimæ vbiuis ipsius doctrinæ Vasquez, aduersatetur. Sed verò constantiæ, & consequentiæ laude notissimus, laudatissimusque Vasquez noster id nullatenus admisit, sed permisit solummodo, contendens ex ea efficaci intentione gloriæ rationis suæ supra à nobis propositæ robur minimè debilitari: quod certissimum est, vt eam perpendenti clarebit, atque ex speciali difficultate ipsius Dazæ contra Soaristas, & Thomistas, & efficacia intentionis gloriæ amplius deprehendetur. Ea verò sic habet, cum enim Deus ex illa efficaci intentione gloriæ eligat, & primo conferat: tanquam medium efficax, & ineffabiliter connexum cum gloriæ consecutione meritum, & gratiam prædestinati, quæ præscit peccato interrumpenda esse, nec, nisi per pœnitentiam, reparanda, & cum gloria coniungatur, nequit illa primo conferre, & eligere ex efficaci gloriæ quin, vel anterius, vel simul expresse, aut virtute velit reparare illa per pœnitentiam, vt gratia, ac meritum quæ primo eligit, & confert efficacia media ad gloriam sint, atque infallibiliter obtineant, quam aliter obtinere non possunt: at nequit velle pœnitentiam, antequam peccatum sit quin velit peccatum, quod siue expresse, siue virtute, & interpretatiuè velle non potest: ergo nec potest ex efficaci illa intentione gloriæ prædestinati eligere, & conferre primo gratiam, & merita peccato interrumpenda posteriùs, sed solum poterit Deus interrupta peccato præparare per pœnitentiam velle post præuisum absolutè peccatum, quo fuerunt interrupta.

4. Hoc tamen argumentum non magis viget, quam si ex intentione inefficaci gloriæ prædestinati electio, & collatio primæ gratiæ, & meriti interrumpendi per peccatum primò haberetur, ac fieret. Siquidem, quoad amorem formalem, & expressum mediorum, intermediorum proximiorum necessarium in plurium sententia, cum, motius primo eligitur, & amatur, eadem ratio est, siue efficaciter, siue inefficaciter finis ametur, dummodo ex eius amore, & intentione formaliter, vt media ad illum finem amentur media remotiora: cum media ad eum finem, & conducentia physicè esse possint nisi quatenus ad intermedia, finique proximiora media vel sufficienter, vel cum effectu vel de facto, conducunt, efficacia vero intentionis illius præsuppositæ solum adsit determinationem Dei intendentis, vt media, quibus de facto finis obtinetur adhibeat, ne efficax ipsius intentio causa cadat, atque intento fine frustretur: quod in casu præsenti instauratio gratiæ, & meriti primo collatorum per pœnitentiam, eique amore peccati fieri à Deo potest permissione peccati, quin ab ipso peccatum ametur, vt cunctis est notum, atque q. 4. videbimus, vbi permissionem peccati effectibus prædestinationis adnumerabimus. Quod autem ex intentione efficaci salutis prædestinanti ad peccatum, quo interrumpenda meritum, & gratia primo collata sunt ad permissionem peccati determinatus antecedenter Deus maneat, nihil indecentiæ continet, quam video à recentioribus aliquibus timeri. Siquidem peccati permissio honestissima Deo est: iisdem fauentibus: nec diuinæ decentiæ referat determinari ad illam mediate, vel immediate, dummodo, libere, neque necessario esse, & natura sua ad eam permissionem determinetur, illud nunc in Soario affirmantis sententiæ huius Principio æquo animo ferre non potest magister meus Daza: nempe gratiam, & merita primo collata, tametsi per pœnitentiam non reuiuiscentur esse posse prædestinationis effecta: quia vt obiecta ad actus meritorios charitatis, humilitatis, & alios pollunt prædestinato inseruire. Putat enim Daza ad effectus prædestinationis ea solum pertinere, quæ efficienter ad actus excitant meritorios: immerito autem huic Soarii doctrinæ succenset. Plura enim obiecta extrinseca etiam, & exercitiue etiam naturalia, indebita tamen hic, & nunc natura, & vniuersitati rerum eiusque naturali cursui, & ordini, ac subinde supernaturalia tantum quoad modum, in effectibus prædestinationis cum Vasquez recenseo, vti nos etiam recensuimus, quia mediis meritis ad gloriam conducunt, perducûtq; prædestinatũ, tametsi sola obiectiua, & intentionali ratione mediis cogitationibus, quas excitant ad meritorios actus conducant perducantque de facto prædestinatum; citius ergo merita, & gratia primo collata, & quoad substantiam supernaturalis, ac de facto obiectiua intentionali motione media sui cogitione ad actus meritorios conducens ac perducens prædestinatum ad gloriam effectus prædestinationis in eis Vasquiana & nostris principiis erit, immo vero si efficientia intentionalis actuum meritoriorum satis non sit ad prædestinationis effectus, neque ipsa excitans ad illos gratiæ effectus prædestinationis erit: quod & Daza ipsi, Patribusque & Theologis cunctis aduersatur: siquidem neque ipsa physicè efficienter, sed solum intentionaliter voluntatem mouet, sicuti & præmissæ ad assensum conclusionis vt diximus controuersiis de intellecta & voluntate, facisque Daza ex Vasquii doctrina debet.

5. Dicendum cum citatis num. 2. Doctoribus gratiam, & merita peccato interrupta, & restituenda per pœnitentiam etiam, vt primo collata à Deo effectus prædestinationis esse. Probatur primo conclusio ex proximo dicto, quia, vt obiecta mediis actibus meritoriis de facto & citro perducunt ad gloriam prædestinatam, ex cuius intentione, ac scientia media infallibilis consecutionis à Deo primo eliguntur, & conferuntur prædestinato: vt primo ergo, collata sunt prædestinationis effectus: nihil enim aliud ad effectum prædestinationis requiritur, vt patet quod

quod si catenationem, & nexum non interruptum priorum mediorum cum posterioribus vsque ad gloriæ consecutionem requiras: in gratia & meritis primo collatis, & per peccatum interruptis, cum actibus meritoriis subsequentibus obiectiua hac motione ordo, & nexus minimè interruptus vsque ad gloriæ consecutionem apertus est. Etenim, licet per peccatum ius formale gratiæ ad gloriam, & condignitatis meritoriæ ad ipsam meritorum anteactorum interruptorum intercidatur, extinguatur, seu mortificetur, ac proinde inter ea, & gloriæ consecutionem, quoad ius gloriæ, & condignitatem meritoriam eorum, vt primo habitorum, pereat, aſt intentionalis motio obiectiua ipsorum ad actus meritorios, ad quos, vt primo à Deo collata excitant vt obiecta, nusquam peccato succedente perit, aut interrumpitur, sed in fluxu illo suo intentionali eis actibus continuatur ad gloriæ prædestinati consecutionem, atque pro statu etiam illo peccati, quo ius gratiæ, & condignitas meritorum ad gloriam extinguitur, integer manet, immo statu illo ipso ad aliquos actus meritorios, v.g. humilitatis obiectiua illa motio magnopere iuuatur, & augetur, etsi sub alia consideratione, (cui soli vt plurimum vtriusque sententiæ Doctores attenderunt) iuris gratiæ primo collatæ, & primo habitorum meritorum dignitatis ad gloriam cum mediis subsecutis continuatio, non, nisi earum instauratione per pœnitentiam habendæ, non ita facile, & clarè deprehendatur, ni peccatum quo illud ius, & dignitas prima ad gloriam interrumpenda sunt ametur, sed videndum est, an ea continuatio, & coniunctio eorum, vt primo habitorum media pœnitentia necessario requiratur, vt illa vt primo collata à Deo, ac primo habita à prædestinato. Effectus prædestinationis proprij sint? atque item an eius continuationis, & coniunctionis, cum gloria per pœnitentiam necessitate admissa, nihilominus ex intentione gloriæ, & ex prædestinatione eligi primo & apponi à Deo possint, quin à Deo ametur peccatum. Si enim alterutrum sit, negantis sententiæ fundamentum subruit, atque affirmans nostra, & communior sententia solidissime etiam sub hac consideratione plerumque à Doctoribus vnice attenta fundabitur.

6. Vtrinque vero argumentum Vasquij deficere subtiliter contendit Daza: quia opus non est conferri primo gratiam, & merita peccato interrumpenda ex amore pœnitentiæ, quo reparanda sunt, vt patet in reprobis: quibus similia dantur ex simili gloriæ intentione, nec tamen ex pœnitentiæ, qua interrupta reparentur amore: neque opus est, vt media omnia habeant causalitatis alia alijs, & coniunctionem & continuationem; sed satis est vnumquodque eorum cum parte obtinendæ gloriæ sibi correspondenti de facto, certoque coniungi, vt ad seriem prædestinationis eiusdem pertineant; nec comparari debent vt media propinquiora, & remotiora, & necessariò subordinata, vt quædam per alia ad finem conducant, sed immediate, & proxime ad illum vnumquodque conducit, tametsi omnia, & singula, vt de facto conducant, finemque gloriæ obtineant perseuerantiam, vt conditionem requirant, siue hæc meritis primo datis impendatur, siue donetur à Deo gratis, nec in ipsam influant, nec habeant causalitatis moralis coniunctionem, vt gloriæ assecutioni coniungatur; quamuis non, nisi accedente perseuerantia, coniungi obsecutioni gloriæ possint, cum autem non aliunde meritum, mediumue vnum ex intentione alterius apponi à Deo debeat, vt contexat seriem eiusdem prædestinationis, nisi quatenus vnum in conducentia de facto ad gloriam intentam medio alteri proximiori, qua medium formaliter, & meritum proximus est, subordinatur, non autem, qua est conditio solum, vt in perseuerantia patet: fit plane non esse opus merita ad gratiam primo collatam & peccato interrumpendam ex intentione, seu amore pœnitentiæ, per quam restituenda, instaurandaque sunt primo eligi, donarique à Deo, vt ordine prædestinato siue habitura effectum consecutionis gloriæ atque ad illam efficacia ab ipso donentur, dummodo respectu iuris gratiæ, & dignitatis meritorum illorum, & consecutionis gloriæ de facto propter illa, vt conditio solum, pœnitentia, qua instauranda sunt, solummodo se gerat: vti exemplo perseuerantiæ respectu omnium meritorum, etiam non interruptorum, euincitur: quod autem pœnitentia, vt conditio solum, non autem, vt medium, meritumue inter medium, & gloriæ proximius se habeat respectu gratiæ, & meritorum primo collatorum peccato interruptorum, instaurandorumque per pœnitentiam facile, & dilucide probatur: etenim merita, & gratia primo collata, & interrupta, ac post modum per pœnitentiam restituta medio merito pœnitentiæ, qua instaurantur, aut iure quod affert gratia per pœnitentiam parta, nec merentur, iusue ad gloriam adquirunt, immo nec in iure, ac merito gloriæ coniunguntur, crescunt & augentur, sed solo anteacto iure, & merito ipsorum restitutis gloriæ ipsis respondenti solam realiter formaliter iunguntur, non autem respondenti alteri parti gloriæ merito pœnitentiæ, qua instaurantur, & iuri gratiæ per illam adquisitæ, illi ergo eidem gratiæ, & respondenti gloriæ realiter formaliter restituta de facto conducunt, iunguntur ac ordine prædestinationis coniunguntur, cui iungerentur, si eis non interruptis perseuerantia absque nouo prædestinati merito vt fieri plane potest] accederet: quin respectu gloriæ vi ipsorum prædestinato adquisitæ, meritum pœnitentiæ, atque ob illud gratia prædestinato collata plus conducat aliud quam perseuerantia meritis non interruptis, citi pro interruptis pœnitentia substituit, vel quam ex parte respectu eorum constituit, vt finaliter ad præmium à Deo inueniantur & ex parte sua ad gloriæ influant consecutionem. Hæc Dazæ subtilis cogitatio explicatius à nobis tradita, & Vasquij argumentum debilitat, & instantiam Dazæ ipsius præuenit (quam proinde omitto) ac satis affirmantem nostram sententiam probat.

7. Admissa verò connexione, & continuatione influxus, & causalitatis moralis meritorum peccato interrumpendorum in pœnitentiam, & eorum ipsa media restaurationem via alia æque subtili effectus prædestinationis esse ipsa posse idem Daza meditabatur ex alio principio: Quod, scilicet, iustus operibus bonis reparationem sui à lapsu futuro per pœnitentiam possit congruè promereri, vt docent sanctus Bonauentura in 2. d. 28. explicatione litteræ S. Thom. in cap. 6. ad Hebræos lect. 3. Bellarminus tom. 3 lib. 5. de iustitia c. 22. quod & Dazæ, & nobis maxime placet, nec aduertatur] doctrinæ S. Thom. 1.2. q. 114. a. 7. corp. vbi solum simpliciter dictum meritum, hoc est condignum, negat operibus iusti ad reparationem post lapsum: eodem quippe modo meritum reparationis à lapsa in quo iam est operibus bonis peccatoris negat, quibus meritum congruum reparationis suæ negari nequit. Ex eo vero principio constat merita iusti lapsuri, tametsi lapsu, & peccato, quo ad condignitatem impediantur, & mortificentur; quoad congruitatem meriti reparationis per pœnitentiam à lapsu futuro viua, etiam peccato, & lapsu succedente persistere: proindeque ex eis auxilium efficax ad pœnitentiam, qua, quoad condignitatem meriti gratiæ amissæ, & gloriæ subinde viuificantur: quare, & cum reparatione sui, & merito pœnitentiæ, atque aliis subsequentibus prædestinatiue continentur, fintque eiusdem prædestinationis effectus. Dices, debere etiam in Dei intentione, & voluntate continuari, quod, nisi merita ex intentione, & amore instaurationis ipsorum per pœnitentiam, & meriti pœnitentiæ ipsius fieri nequit. Hæc autem ante præuisum peccatum amari à Deo nequeant, ni ab ipso ametur peccatum, & Vasquij nostri argumentum contendebat: ergo hac via eius argumentum non soluitur. Negat Daza opus esse, vt meritum vnum ex intentione alterius conferatur, vt ad eandem seriem prædestinationis pertineat; sed satis esse, vt vtrumque ex intentione eadem gloriæ conferatur, vt suprà vidimus: quare neque opus esse, vt merita illa peccato interrumpenda ex intentione pœnitentiæ, qua instauranda sunt ac meritis eius conferantur. Sed quia hoc modo non satis clare expeditur aliter, quam modo primo, difficultas, nec continuatio meriti interrupti, & connexio influxus pœnitentiæ ad finis gloriæ consecutionem explicatur, addit: voluntatem instaurandi meritum interruptum post permissionem peccati, & absolutam eius à prædestinato admissionem à Deo haberi, ex moralique influxu meriti congrui operum iusti prædestinati: quare, & esse causalitatem moralem continuatam inter voluntatem dandi primo

meritæ

merita, & voluntatem ea instaurandi post præuisum peccatum ad executiuam vsque dandi gloriam, quibus tota series prædestinationis, atque effectum eius completur, quin opus sit antecedenter amari formaliter peccatum eiusue instaurationem, adhuc conditionate si lapsus, aut permissio peccati contigerit; tametsi ex decreto hoc non inferretur peccatum, eiusue instaurationem fore ante peccati absolutam præuisionem amandum: maximè, cum eæ omnes voluntates ex inefficaci solum intentione gloria prædestinati habeantur, quæ permissione peccati non interrumpitur, habita etiam ex eadem salutis intentione: immo etsi ex intentione excludendi à gloria prædestinatum haberetur, eum inefficax solum esse respectu prædestinati solummodo possit inefficaci gloriæ illius non aduersatur, ac proinde neque ab hac, præuiso etiam peccato, debet Deus absistere absistitue, in reprobis adhuc, etiam, cum in ante actorum peccatorũ pœnam, peccatum, siue impœnitentiam finalem permittit. Duplici igitur hac via Vasquij, & sequacium argumentum infringitur, & conclusio nostra affirmatiua communior probatur.

8. Tertio debilitatur idem vnicum negatiuæ sententiæ argumentum, & præfatæ duæ probationes affirmantis nostræ roborantur ex alia Vasquij doctrina asserentis & bene, specialem gratiam in donatione auxilij efficacis propria prædestinationis, & prædestinati satis saluari, si ex scientia media efficaciæ auxilij seu futuritionis conditionatæ effectus, si donetur, à Deo eligatur, & fiat quin opus sit efficaciam etiam ipsam à Deo amari, cum amatur, primumque auxilium, mediumque illud confertur: ergo licet efficacia meritorum iusti prædestinati interrumpendorum conditionata instauratione per pœnitentiam admissi postea peccati compleatur, opus, non erit ex eius, ac peccati amore illa primo conferri, vt conferantur, vt media efficacia, & prædestinati propria, atque, vt speciales gratiæ, & effectus prædestinationis; sed satis est, vt ex scientia efficaciæ, seu obtinendæ gloriæ à prædestinato, si donentur, à Deo illa eligi, atque donari. Quarto denique totum argumenti illius robur infirmatur, & probatur nostra conclusio: quia permissio peccati concipi à Deo potest ex intentione inefficaci gloria prædestinati per pœnitentiam de peccato permisso, & amore pœnitentiæ ipsius, quo gloria ab illo obtinenda est, ac proinde esse proprium prædestinationis effectum: ergo gratia, & meritum interrumpendum per peccatum, atque per pœnitentiam instauranda primo etiam à Deo conferri possunt ex intẽtione inefficaci gloriæ prædestinati, & amore pœnitentiæ de peccato, quo interrumpenda sunt, ac proinde esse propria prædestinarionis effecta. Consequentia est legitima: quia & permissio peccati medium remotius ad gloriæ consecutionem est, atque ante peccati positionem absolutam concipitur à Deo, sicuti, gratia, & merita primo eliguntur, & conferuntur: nec nisi per pœnitentiam de succedente peccato potest gloriæ consecutioni de facto, & cum effectu inseruire peccati permissio; sicuti nec merita, & gratia primo collata per succedens peccatum interrumpenda, ac per pœnitentiam instauranda: ergo si his non obstantibus permissio peccati ex intentione gloriæ prædestinati concepta potest esse effectus prædestinationis, eisdem etiam non obstantibus collatio prima gratiæ, & meritorum peccato interrumpendum effectus prædestinationis erit. Antecedens probabitur statim quæst. 4. vbi ostendens permissionem peccati effectum prædestinationis ex intentione gloriæ de facto per pœnitentiam de illo consequendæ conceptam à Deo esse, quin inde vel formaliter vel interpretatiue, aut virtualiter amandum peccatum sit: quod vnicum negatiuæ sententiæ contra affirmantem nostram sententiam, vt vidimus, erat. Obinde obiectionibus proponendis, dissoluendisque hic parco: quia omnes eo tandem reducuntur, vt inde ad mittendum ab affirmatiuæ nostræ Doctoribus sit Deum amare peccatum.

QVÆSTIO III.

An permissio peccati sit effectus prædestinationis.

MAlum culpæ effectum prædestinationis esse non posse dogma Catholicum est vt sæpius tom. 1. De Deo vno controu. 3. d. 2. & tom hoc 2. contra fratres Ethnicos, & Prædestinatores, tum Priscorum Recentiorum Caluinistas Hæreticos ostendimus ex Patribus, & Concilio Arausicano can. vltimo & aliis, & ex ratione, quod prædestinatio omnis, sicuti & voluntas Dei in malum culpæ, atque inhonestum ferri non possit: quam his reddidit prosper ibi recitatus ex responsione 10. ad obiectum Vincentian. *Cuius prædestinatio nunquam extra iustitiam est.* Vti foret, etiamsi ex bono quouis siue malum culpæ prædestinaret. Sed enim per missionem peccati Deum non solum velle posse, sed & de facto velle certum Patribus, nobis, & cæteris Theologis est, ita enim aiebat Augustinus. *Deus non utique nolens, sed volens sinit peccata fieri.* Potest autem velle permissionem peccati dupliciter primò in pœnam anteacti alterius peccati, vt ad Rom. 1. dicitur: *Propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum, & faciunt, quæ non oportet.* Et alibi in scripturæ sacræ frequentissime. Vnde illud Augustini de prædestinatione Sanctorum cap. 8. *Miseretur bona tribuens; iudicat digna retribuens.* Cuiusmodi examen difficultatisque contra ipsum Theologicæ, nec admodum leuis expeditio sequentis disputationis de reprobatione est. Secundo ad præsentem quæstionem, cum ex permisso peccato nouminis bonum aliquod eius, (& maius quandoque, quam non permisso haberet) posset Deus deducere vt vitij alicuius medelam, & curationem, v. g. superbiæ, negligentiæ, per insignes actus humilitatis

Qui experimento fragilitatis, & malitiæ nostræ deprehenſiæ habentur peccata semper in bonum tandem nostrum cedere occasionaliter posse dubium non est. Recte enim Cassiodor. lib. de amicitia tract. De eius origine agebat. *Cum Deus nihil faceret malum, ipse mala nostra sic ordinat, vt nobis necendo non noceant: sed ad correptionem proposita proficiant ad medelam.* Quibus consonat Augustinus de corrept. & grat. c. 9. dicens: *vsque à Deo omnia Deum prædestinatis in bonum cooperari, vt etiam si qui eorum deuiant, & euanescant; etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quod humiliores redeunt &c.* Quod Dauidis lapsu & Petri negatione, & Damascenus 2. de fide c. 29. circa med. insta recitandus, & Augustinus iterum 14. de ciuit. c. 13. *Audet dicere superbis vtile esse cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant*, & Ambros. sermon. 47. de fide Petri ait, *Petrum postea quam negauit Dominum fuisse meliorem: Fidelior enim factus est postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit quam amisit.* Et quidem permissum iam à Deo, atque admissum absolute peccatum à prædestinato, quare & eius permissionem absolutam, in maius eius bonum, amplioremque gloriam à Deo eiusque prouidentia sæpe decoqueri, ipsa experientia didicimus, atque ita in bonum prædestinati ordinari: An vero permissio absoluta peccati peccatum absolutum antecedens nondum à Deo habita ex intentione salutis & gloriæ prædestinati, & quo ad ipsam efficax seu de facto cum ipsa coniungenda à Deo concipi haberique possit, aut de facto habeatur, ac tandem inde permissio ipsa peccati effectus proprius prædestinationis sit: præsentis quæstionis scopus est, & difficultas tota.

CERTA

CERTAMEN I.

Doctorum sententiæ.

1 PRo negatiua sententia stant Vasquez 1. p. d. 93. cap. 2. Becanus 1. p. tract. 1. cap. 14. q. 3. num. 15. d. 82. c. 2. Magister meus Daza supra §. 3. Quibus ex parte consentiunt plures, ac præcipui Doctores, qui negatiuæ huic sententiæ absolute prolatæ aduersantur. Asserunt enim non posse voliram, habitamque ex intentione gloriæ prædestinati à Deo permissionem peccari, vt vtilem per pœnitentiam ad prædestinati gloriam, quin peccatum, sine quo pœnitentia esse non potest, vel formaliter vel interpretatiue, seu virtualiter ametur à Deo, (quod iuxta dicta nuper omninò repugnat) vt præcipuum negatiuæ absolute sententiæ argumentum conuincere ipsis videtur. Ita expressè Soarius noster 3. de Prædestinat. c. 8. n. 12. & lib. 2. opusculor. qui est de concursu Dei c. 1. ad obiectionem 4. Herize citata d. 30. c. 6. n. 31. versu. *Natura permissionis sic explicata*. Fasolus supra in 1. p. q. 23. art. 2. dub. 4. num. 35. Cæterùm ex intentione gloriæ prædestinati non autem vt per medium pœnitentiæ à prædestinato obtinendæ, sed abstrahendo ab illo & ex amore aliorum mediorum, quibus æqua eademque gloria obtineri absolute potest (siquidem pœnitentia medium vnicum eam gloriam consequendi non est, cum aliis innumeris virtutum actibus, absque pœnitentia, & peccato, valeat obtineri) ex intentione salutis prædestinati posse à Deo permissionem peccati vt medium ad eam obtinendam eligi, & haberi ac proinde effectus prædestinationis esse: eos vero actus aiunt esse humilitatis fragilitate ex permissione peccati à prædestinato deprehensa, similesque alios ex eadem cognitione oriundos, atque à Patribus vbi proxime, alibique frequenter notatos. Sed tamen (cum hi Doctores videant eos etiam actus haberi à prædestinato ex cognitione fragilitatis propriæ experimentorum, non permissionis Dei, quam in seipsa viatores non agnoscunt, sed peccati proprij, quod illam consequitur, deprehensione: nec solum experimento tentationum, quantumuis grauium, & vrgentium, quia nostræ potestatis non sunt: quare nec nostræ fragilitatis argumentum, nisi eis non resistentia, & cessio accedat nostra per consensum, tentatio materia potius, & argumentum virtutis nostræ ipsis impertita est, &, quo vrgentior sit, materia, & argumentum maius) addunt: satis esse, vt effectus prædestinationis permissio peccati sit, eam ex scientia media futuræ humilitatis ex cognitione admissi à prædestinato peccati à Deo concipi ex intentione salutis eius per eos actus obtinendæ, & adhiberi, quin velit peccatum: quia solum vult, quod ipse facit, non autem quod solum permittit: permittit autem solummodo peccatum: facit autem humilitatem prædestinati ex peccato admisso quare illo præscito solum non voluit, humilitatem, & similes actus, ac per eos gloriam vult, ex eorumq; amore permissionem peccati eligit, & apponit.

2. Hæc sunt pro sententia ista media negante permissionem peccati ex amore pœnitentiæ, & intentione gloriæ prædestinati per illam obtinendæ effectum prædestinationis esse non posse; etsi possit esse ex amore humilitatis à Soario, & asseclis hactenus excogitata. Contra quæ illud in primis facit, quod vltimo retulimus: si enim ex eo, quod Deus ea solum velit, quæ facit, non autem, quæ tantummodo permittit, ac proinde respectu peccati quod permittit tantum, satis est eius permissionem ex scientia media peccati sub illa futuri à Deo eligi, & adhiberi, quin ex eius amore, tametsi ex amore humilitatis, &, gloriæ per illam determinate obtinendæ eligatur, vt effectus prædestinationis permissio peccati censeatur, ac sit: eadem peccati permissio ex amore pœnitentiæ, & intentione salutis prædestinati per illam determinatè obtinendæ, quin peccatum ametur, sed solum conditionatè præsciatur à Deo eligi ab ipso poterit: ac subinde & esse prædestinationis effectus. Dices humilitatem illam prædestinati aliunde quam ex peccati permissione, & experimentali cognitione admissi peccati posse à prædestinato haberi; secus pœnitentiam, quæ non nisi de admisso peccato esse potest, & respectu cuius medium vnicum, & essentialiter prærequisitum peccatum est: imprimis solutio hæc vim argumenti non euacuat. Si enim ex amore virtutis peccatum subsecutæ, & intentione gloriæ per illam determinatè obtinendæ permissio peccati eligi potest à Deo ex sola præscientia conditionata illius, quin ex amore formali, vel virtuali, ac interpretatiuo peccati eligatur: quia id solum amat Deus, quod facit, non verò, quod solum permittit, vt peccatum, hoc totum, etsi peccatum medium vnicum ad virtutem, per quam gloria prædestinati obtinenda est, vnicum sit, æquè inuentur, ac si non vnicum esset, sed alia adessent plura: ergo eadem ratione permissio peccati ex amore pœnitentiæ illud necessario præsupponentis, & intentione gloriæ per illam determinate obtinendæ eligi à Deo potest, ac proinde esse prædestinationis effectus.

3. Contra secundò: quia humilitas prædestinati, ex cuius amore, & intentione gloriæ per ipsam obtinendæ permissio peccati à Deo eligitur, non est humilitas specifice solum sumpta, nec alia individua humilitas ab ea, quæ de facto ex permissione peccati apponitur: aliæ enim omnes, nec apponuntur, & quæ aliunde apponantur, seu apponerentur permissionem peccati cum gloriæ assecutione non coniungerent, cum nullatenus inter se ordinem haberent: nec permissio quæ ipsas nullatenus antecedit per ipsas gloriæ assecutioni vllatenus inseruiret, vt effectus prædestinationis esse possit: atqui humilitas prædestinati: quæ de facto ex permissione peccati apponitur, est medium vnicum, vt sic loquar, seu potius materia necessaria, peccatum æque, atque pœnitentiæ: ergo nulla solutio. Minor probatur, quia ex permissione peccati humilitas orta essentia sua est humilitas de peccato, seu fragilitate deprehensa ex admisso peccato, vt vidimus num. 1. sicut est de admisso peccato pœnitentia: affectus enim voluntatis quouis fine, aut motiuo, & obiectiua occasione variata essentialiter variantur: quare humilitas, aliunde quam ex peccato admisso concepta alia esset ab humilitate inde orta, & quæ ex permissione peccati apponitur in prædestinato. Contra tertio: quia esse medium vnicum ad gloriam intentam prædestinato non requiritur ad hoc, vt sit prædestinationis effectus; alioqui, cum intenta gloria prædestinato, cuius absque humilitate ob admissum peccatum, quare & absque peccati permissione posset à prædestinato per alios actus virtutum aliarum obtineri, nec humilitas ob admissum peccatum, neque huius permissio effectus prædestinationis essent contra ita respondentes aduersarios; denique, cum nihil effectus prædestinationis sit, esseue possit, nisi medium efficax, & de facto consungendū cum assecutione gloriæ à prædestinato: atq; nec peccati permissio, nec de peccato admisso, humilitas, nec quidquā aliud quouis modo ad gloriā conducens efficax medium, sine de facto cum gloriæ assecutione coniungi possit, nisi media pœnitentia de peccato permisso, & admisso à prædestinato, respectu cuiusuis effectus prædestinationis, vt talis sit, pœnitentia medium vnicum erit ad eius efficaciam, & coniunctionem cum gloria ac proinde iuxta modum philosophandi horum Doctorum argumentum Vasquianum hic concludit.

4. Nequit eligi prædestinatiuè, sive vt effectus prædestinationis, permissio peccati, nisi ex intentione beatitudinis: aut nequit eligi ex intentione beatitudinis permissio peccati prædestinatiue, sive vt effectus prædestinationis, nisi eligatur ex intentione, seu amore pœnitentiæ, qui Deo prorsus per vos repugnat ante præuisum peccatum absolutè, quia est voluntas, vel formalis, vel interpretatiua, & virtualis peccati intermedij sine quo pœnitētia esse non potest: ergo nequit eligi à Deo permissio peccati prædestinatiuè sive vt effectus prædestinationis. Maior syllogismi ab aduersariis, immò & ab omnibus Theologis admittitur. Minor probatur facile ex dictis: quia permisso ac subinde admisso peccato à prædestinato, nequit permissio peccati, aut aliquid aliud ad gloriam prædestinati conducens esse medium efficax, sive de facto coniungendum cum assecutione gloriæ à prædestinato, nisi media pœnitentia.

tentia,qua prædestinatus iustificetur, atque in iustitia decedat,atque ita humilitas,& reliqua ad vitam æternam efficaciter ad eius gloriam conducant, ac de facto eum eius à prædestinata coniunctione iungantur , vt patet : atqui nequit medium vllum eligi prædestinatiue,siue, vt effectus prædestinationis, nisi vt efficax,seu de facto coniungendum cum assecutione gloriæ à prædestinato: ergo nequit eligi peccati permissio prædestinatiuè,nisi,vt mediũ efficax,& de facto coniungendum per pœnitentiam cum assecutione gloriæ è prædestinato. Nequit autem per vos eligi à Deo permissio peccati,aut humilitas vt mediũ efficax,& de facto coniungendum per pœnitentiam determinate cum assecutione gloriæ à prædestinato , nisi ex expresso amore pœnitentiæ, & subinde amore, vel expresso vel interpretatiuo peccati , sine quo pœnitentia esse non potest,& cuius amor Deo repugnat:ergo in vestris principiis permissio peccati effectus prædestinationis ad gloriam,etiam per humilitatem, vel aliam quampiam virtutem è peccati admissi experimentali cognitione de facto ortam esse minime potest quare nec intentio vestra media potest,salua consequentia vestra hac doctrina, & solutione consistere ; quare , vel negandum vobis absolute est permissionem peccati effectum prædestinationis esse posse:vel etiam ex amore pœnitentiæ , nec solum humilitatis,aut virtutis alterius permissionem peccati à Deo cõceptã esse prædestinationis effectũ erit à vobis admittedũ.

5. Hæc, etsi gloriæ intentio , ex qua permissio eligitur inefficax sit, vim suam habent . siquidem seipso proxime, immediatè vtile ad intentum finem non est, sed medio alio,& quia vtile ad aliud medium proximum est , vt vtile ad hoc proximius , cuius interuentu esse vtile ad finem solummodo potest , debet ex intentione illius amari , ac subinde ex medij proximi amore eligi ob illum finem , & apponi, vt ex finis illius intentione apponatur. Cum autem permissio efficax solũ,ac de facto coniũgenda cũ fine eligenda prædestinatiue sit nec nisi media pœnitentia, & peccato coniungenda cum gloria de facto, ac subinde efficax esse possit etsi ex intentione inefficaci salutis , & gloriæ procedat etiamsi ex inefficaci intentione gloriæ eligatur prædestinatiue peccati permissio ex amore pœnitentiæ, atque,vt hi necessario inferri inde putant ex amore peccati eius permissio eligenda à Deo erit,quod repugnat:ac subinde permissionem peccati effectum prædestinationis esse absolute , & omnino repugnabit. Fateor ex intentione efficaci vltra motionem intentionalem communem intentioni efficaci & inefficaci esse determinationem physicam voluntatis ad electionem medij determinate huius,si vnicum medium sit,vel huius, vel illius,si plura. Cæterùm quoad subordinationem motionis intentionalis ad electionem medij remotioris ex amore proximorum fini nulla est efficacis ab inefficaci intentione finis , ex qua media eliguntur diuersitas , neque in vna quam in alia difficultas maior.

medium est:tametsi vt electio materialis,& extrinseca sit, oporteat, vt conducentia, & vtilitas , etsi efficax medium sit,efficacia ipsa,& coniunctio de facto cum fine illo , ob quem tamen non eligitur, sed ob aliam, ab illud medium eligente prænoscatur.Ratione stratent quia intentio finis ad dandam illi existentiam solummodo , siue efficaciter, siue inefficaciter , nihilque aliud mediorum electione, & appositione intendit ; ast,cum fine amore formalis vtilitatis ad eum finem apposita finem absolute causare possint, si sufficientia sint , causentque absolute , & de facto illum,si efficacia,æque, ac si, vt vtilia formaliter ad illum finem electione intrinseca eligerentur, atque apponerentur;sit, vt æque intentioni finis electio hæc extrinseca, & materialis mediorum absque formali amore vtilitatis ipsorum ad finem illum inseruiat, atque formalis electio, & amor mediorum, vt vtilium ad eum finem:vnde & intentionis eius effectus erunt. Confirmant: primo electione ipsa mediorum, quæ non vtilis solum ad intentum finem, sed prorsus necessaria est, atque ex intentione apponitur, quin vtilitatis suæ ad finem amore apponitur, Secundo confirmant ex intentione satisfaciendi Deo pro peccato, ex qua actus charitatis propriæ , & strictæ imperatur, & elicitur ob solam Dei bonitatem , non autem ob vtilitatem eius ad satisfactionem intentam ; alioqui non charitatis actus proprius , sed concupiscentiæ foret. Sed tamen sicut charitatis actus ex intentione satisfaciendi Deo non imperaretur , nisi eius vtilitas ad satisfactionem, ac subinde materia apta ad satisfaciendum prænosceretur , ita nec media materiali , extrinsecaque electione ex intentione finis apponerentur, nisi eorum vtilitas , & conducentia , ac efficacia (si medij efficacis electio est futura) fuisset præuota , ex his concludunt : permissionem peccati electione hac extrinseca , & materiali eius vtilitate ad intentam gloriam prædestinati cognita solum , eligi à Deo non autem amata : quare neque pœnitentiam , aut humilitatem ex subsecuto peccato habendam) qua solum media de facto coniungi cum gloria prædestinati , mediumque efficax ad ipsam esse potest) neque peccatum ipsum inter medium amari à Deo vllatenus debere vt deberent amari si electione intrinseca , & qua vtilis formaliter ad gloriam intentam prædestinato , atque de facto cum ipsa coniungenda permissio peccati ex intentione gloriæ prædestinati eligeretur ; quia non aliter , quam pœnitentia , & subinde peccato intermediis vtilis , ac de facto coniungenda gloriæ prædestinati permissio peccati esse potest , vt bene Vasquez arguebat.

2. Doctrinam hanc simili difficultati diluendæ applicitam confutauimus controu. 3. de incarnation. d. 1. n. 1. cert. 1. à num. 3. & toto certam. 2. priusque eam posuerat noster Petrus Hurtado de Mendoza 1. 2. tom. 2. d. 134. sect 4. & d. 135 sect. 1. subsect. 2. vt singularem, & Principiis Philosophicis , & Theologicis aduersam. Et in primis fundamenta quibus in illam eius Patroni dicti vel seducti potius sunt ex minori eorum principiorum attentione fuêre suborta. Etenim duæ intentionis in electionem mediorum ad finem ; ac subinde positionem , & executionem finis per media motiones considerandæ distinguendæque sunt. Alter motionis physicæ ad electionem illam , vel necessariò , & determinantes, si intentio efficax sit, vel indifferenter , & absque vlla determinatione , si inefficax solum sit intentio de fine: & ad hanc præcisè sumptam motionem physicam cognitio vtilitatis , aut efficaciæ eius, quod ex intentione illa ad finis assecutionem apponendum est, nullatenus requiritur ; tametsi necessario ad finis intenti assecutionem intercedat , vt patet in electione de cuius necessitate , ne vtilitate ad finem intentum consequendum , nihil prudentes cogitantes physice voluntas nostra ex finis intentione mouetur ,atque , si efficax intentio sit , ad medij efficacis electionem determinatur.Ratio autem est:quia ad physicam motionem præcisam vnius causæ ab alia cognoscitiue ne opus non est, cum is motus,qua talis,naturalis sit; nec motui causarum naturalium vllatenus dissimilis ; physicæ vero solum causæ ad effectus motio cognitionem nullatenus requirit. Habet verò intentionem hac physica motione ad mediorum electionem cum assecutione gloriæ à prædestinato , nisi media præuenti

CERTAMEN II.

Euasio electionis extrinsecæ præfato argumento præcluditur.

RIpalda tom 1. de ente supernaturali, disput. 66. sect. 3. ex doctrina Soarij tom. 3. de gratia lib. 12. c. 11. num. 2. & sæpè à nobis confutati Complutenses nostri recentiores manuscripto de voluntate d 6.m. 2.num.29. & de prædestinat d.8.m.2. a.§ 4. vt argumento hactenus pro negante sententia efformato satisfaciant , duplicem electionem distingunt Alteram formalem,& intrinsecam, qua medium, vt vtile ad finem intentum formaliter eligitur : & eam quidem non posse esse medij remoti , nisi proximius intermediũ, sine quo illud vtile ad finem non est ametur, & ex eius etiam amore remotum eligatur , vt argumentum nostrorum Vasquianorum euincit, Alteram vero electionem esse aiunt materialem , & extrinsecam, qua medium,vtile quidem ad finem,non autem, qua vtile, neque ex finis illius intentione ametur , sed aliunde ob fines alios,ad quos medium illud vtile etiam , ac proprie

motionem aliam intentionalem, seu obiectiuam, ad quam proinde cognitio vtilitatis (& quandoque efficaciæ) eorum, quæ apponenda ab intendente, intercessuraque ex electione sunt ad finem obtinendum, debet ad eorum electionem in intendente præsupponi. Dixi autem cætera, *quæ apponenda ex electione sunt*: quia electio ipsa ex electione non apponitur, nisi reflexe ex intentione finis electio ipsa, superfluè quidem ametur, aut eligatur tamen, vt absolutè potest. Eius vero vtilitatis mediorum prænotio ideo solum requiritur ad eorum electionem: quia electio, nisi ob mediorum bonitatem esse non potest, quæ in eis nulla alia, quam vtilitatis ad finem intentum est: vnde intentionalis motio seu obiectiua, quam dicimus, intentionis & electionis elucet: quæ nihil plane aliud est, quam bonitatis mediorum bonitati finis ad mouendam obiectiuè & intentionaliter voluntatem subordinatio, atque ad eiusmodi motionem dependentia ab obiectiua finis bonitate & motione.

3. Porro, illam subordinationem, & dependentiam obiectiuam, & intentionalem amoris mediorum, siue electionis ab finis amore, & intentione neges: vtilitatem mediorum aut efficaciam ad finem obtinendum, vt extrinseca hæc electio ab intendente finem habeatur debere ab illum intendente prænosci, nullo apparenti, & quoad speciem adhuc, vero simili fundamento suadebis. Vnde & nihil verosimiliter respondere poteris argumento contra tuam hanc sententiam efformato à Petro Hurtado, vbi proxime subsect. 3. Si enim medium, qua vtile ad finem intentum cum præfata subordinatione & dependentia intentionali, & obiectiua vtilitatis medij ad mouendam voluntatem ad electionem à bonitate finis, eiusque intentione non admittas, nulla est ratio assignabilis, vt post intentionem, & cognitionem vtilitatis medij, quæ amanda item per electionem non sit, electio voluntatis ad determinandam potentiam exequendam debeat, intercedere, ac non potius ex ea intentione, &, si placet cognitione vtilitatis nusquam amandę potentia exequens immediate determinetur ad medij appositionem: siquidem motibus voluntatis magis & irresistibilius, quam voluntas ipsa immo despotice prorsus potentia exequens subditur, atque incunctanter obediet. Si autem hoc admiseris. Philosophiam animasticam totam subuertis, & electiones tuas extrinsecas eliminas, quas contendis inuehere: siquidem omni electione sublata extrinseca electio esse non potest. Confirmatur: quia nullum motiuum debet prænosci à voluntate ad aliquem eius effectum, nisi, vt eam inducat, & moueat ad affectum erga obiectum, in quò motiuum illud esse recognoscitur; idque iuxta Philosophiam, & Theologiam vniuersam atqui ad electionem hanc extrinsecam requiritur prænotio vtilitatis, quæ motiuum electionis mediorum est: ergo, vt vtilitas ipsa inducat voluntatem ad effectum electionis mediorum, quibus ea ad intentum finem consequendum adesse cognoscitur; sin vero secus vtilitatis ad finis intenti assecutionem prænotio ad electionem extrinsecam tuam nusquam requiritur.

4. Arguo tertio: ac simul præfata omnia confirmo. Etenim ita electio hæc tua extrinseca ex alio fine, & motiuo vtilitatis ad ipsum apponitur, vt nisi ob vtilitatem medij electi ad ipsum non apponeretur, atque ea postante apponeretur, etsi intentio finis alterius respectu cuius extrinseca electio est, non habetur ab eligente nec vtilitas ad finem alium ab eo, cuius intentione eligitur, impertinenter prorsus se habet ad eiusmodi electionem: ac subinde, & finis extrinseci bonitas, & intentio, vt ob vtilitatem ad finem alium, atque ex eius intentione medium eligatur se prorsus impertinenter habent: ac proinde, neque electio illa ob vtilitatem ad finem alium intentum effectus intentionis alterius finis esse absolutè potest. Confirmatur: quia tota vis motiua, & causalitas finis, atque intentionis eius in electionem mediorum, atque media ipsa ab Aristotele, & tota Philosophia, & Theologia in eo stat, vt *Gratia finis cætera apponantur* & amentur: ergo quidquid gratia finis, & ob eius tandem bonitatem, & amorem non eligitur & apponitur extra totam sphæram, & motionem finis, & intentionis illius est, ac subinde eius effectus esse nequit: atqui ni medium, vt vtile ad finem, ex cuius intentione apponitur, eligatur, gratia finis, nec eligitur, nec apponitur, ergo vt effectus finis, & intentionis electio sit, in medium, qua vtile ad finem, ferri debet, ac subinde electio extrinseca & materialis, & quæ non fertur in medium, qua vtile ad finem intentum aliquem, & formaliter ex eius amore, & intentione, sed finis alterius respectu intentionis, finisque illius electio nullatenus erit, sed huius alterius, respectu cuius iatrinseca, & formalis electio est: quare extrinseca, & materialis electio ab his recentioribus excogitata vanum figmentum est, & omninò repugnans.

5. Illud autem, quod recentiores hosce in primis decepit, & quo hæc omnia posse instari videbantur, ex actu charitatis imperato ex intentione satisfaciendi Deo pro peccatis, vt huius effectus sit, tametsi non ob vtilitatem ad satisfactionem ipse eliciatur (quia tunc charitatis actus proprius non esset, cum aliud quam diuinam bonitatem respiceret, ob quam solam proprio charitatis actu debet Deus amari nil roboris aut paritatis habet, si bene euoluatur ad electionem extrinsecam, & materialem medij, non vt medij, & vtilis ad finem, sed materialiter solum talis, etenim actus ille eo in casu electio, ad finem satisfaciendi non est, sed medium solum, atque qua vtile ad satisfactionem electum sicuti extrinseca alia media, quæ affectus voluntatis non sunt, ad eius, vel alterius finis consecutionem eliguntur: de medij autem ratione non est, vt affectiue feratur ad finem, suamque ad illum vtilitatem amet, sed solum vt illam habeat reipsa, cum plura media sint, quæ sine affectu erga obiectum vllum, sed physice solum ferantur, nullatenus vero affectiue nec finis affectiua sint. Cum igitur conducentia, & vtilitas physica medij huius, nempe actus charitatis, quia affectiuus actus est ad satisfactionem pro peccatis, stet in affectu erga Deum solummodo, ac non erga aliud illum elicienti commodum, vel honestum, atque medium solum ad finem intentum consequendum sit, non autem electio, nec ob vtilitatem ad satisfactionem elici debet, nec potest; sed ob suum proprium motiuum, ex quo solum elici potest, ac debet: vnde illatio à medio hoc, etsi affectiuo erga aliud, ad electionem erga vtilitatem medij, & natura, atque essentia vt vidimus sua affectiuam à Deo distorta ac mala est, ac si à medio quouis non affectiuo, ad eius electionem deduceretur: siue ab eo quod non potest aliquid, ad aliud, quod illud potest, ac debet. Et quidem exemplo ipso consequentiæ vitium, ac nostræ statæ hactenus in Philosophia, & Theologia doctrinæ veritas claret. Nam electio, qua actus charitatis vtilis, ac medium ad satisfactionem imperatur ob eius vtilitatem ab intendente satisfactionem habetur, & physice ad actum charitatis determinat satisfacientem per illum, qui proinde extrinsecus solum ab electione illa illum ob deprehensam in eo vtilitatem, atque ex amore finis imperante ad finem affectiue refertur: sicut, & media reliqua quæ nisi ob vtilitatem ad finem, atque ex eius amore eligerentur apponerenturque, nullatenus eius gratia cætera fierent vt cum Aristotele tota Philosophia ac Theologia hactenus docuit, atque statuit: ipse vero affectus imperatus quidem actus ex intentione illa, non autem electio ad eum finem nullatenus est.

6. Ex dictis porro claret, quod sæpe scriptis hisce meis notaui, lectoremque præfationibus singulis monui, instatiis à paritate doctrinam fundare vsum esse recentioribus scholasticis frequentissimum rationibus à priori non satis perspectis: quæ, si inspicerentur attente inuenirentur plerumque diuersæ, nec stata ante à Philosophia, & Theologia adeo intrepide ab eis recentioribus, vt in casu præsenti, turbarentur. Denique ab absurdo extrinsecas hasce electiones coram eorum defensoribus recentioribus Complutensibus impugnabam. Quia si sola intentione finis, & comitanter posita scientia vtilitatis, aut efficaciæ medij ad illum obtinendum electio eius non ob eam vtilitatem, sed ob aliam eiusdem medij ad alium finem eiusque præcognitionem directiuè præcedentem electioni, electio hæc formalis ob hūc finē vere est electio ex desiderio, & intentione finis alterius, ad quē medij illius vti-

vtilitas, nec voluntatem ad sui electionem mouet, & ob quam medium, nec eligitur, nec amatur: cum nihil fere sit, ad quod aliud quoduis non sit Deo vtile, & è contrà, vt efficiens physicum, vel intentionale, vel vt materia, occasio, & cætera; idque Deo, cum quoduis esse vult, ac desiderat, comitanter innotescat; nihil de facto producet, quod non verè eligat ex intentione alterius, & quin alterius decreta electiones, & intentiones vere ad electiones, decretaque aliorum omnium mutuo, implicatoriè tamen antecedant. Dices non amari ea obiecta, vt finem, & intentiue, sed desiderari solum: quare nec inuicem intentionem vnius determinare, aut mouere physice ad electionem alterius. Contra ergo nullius appositio, & electio est effectus intentionis alterius, si vltra desiderium vnius, & comitantiam scientiæ de vtilitate alterius ad ipsum aliquid vlterius requiritur, vt electio vera quam dicis extrinsecam, desiderij illius sit, atque vt desiderium illud sit intentio respectu electionis eius, Secundo: designa, quidnam in tua hac doctrina sit illud vlterius. Dices in mutuo de se vtilibus præter desiderium eorum, & mutuæ vtilitatis scientiam comitantem, cum vnius, quam alterius non sit ratio maior, vt ex alterius intentione decernatur, fiat, atque eligatur extrinsece, ex libertate voluntatis eius, qui vtrumque decernit, ac desiderat pendere, vt vnum eligatur, extrinsece adhuc, decernatur, ac fiat ex desiderio, & amore alterius: quare, vt huius desiderium intentiuum, siue sit illius electio, verum respectu intentionis alterius doctrina absolute verissima est, sed quæ electiones tuas extrinsecas ab scholis eliminet.

7. Infero primo: ergo desiderio & amore cuiusuis obiecti adstante etiam scientia de alterius à Deo decreti vtilitate ad illud assequendum ordinata satis ea desideria non sunt, vt eorum alterum intentiuum seu intentio & causa sit desiderij alterius; hoc vero alterum electio vera & effectus illius: vt asserebas; sed vlterius ordinatio libera ab vtrumque desiderante, vnius in alterum requiritur. Contra secundò: ordinatio hæc libera à voluntate vtrumque desiderantis nil aliud esse potest, quam desiderium vnius propter se, & alterius propter alterum illud, siue vt vtile ad ipsum, quod ipsum est propter eius vtilitatem ad illud alterum amari, ac proinde ac intrinseca electione eligi, quocirca hæc solutio intrinsecam solum electionem, veram admittit, extrinsecam vero quam hi recentiores intrudere contra statam Philosophiam, & Theologiam intrudere conabantur chimericè ostendit impossibilem. Cum ergo electio omnis vera ob medij vtilitatem habenda necessario sit, nequeatque medium vt vtile eligi, & amari in horum sententia, quin intermediæ sine quibus vtile ad finem medium re ipsa esse nequit, vel formaliter, vel interpretatiuè ab ita eligente ametur, atque peccati permissioni fi peccato intermedio vtilis ad gloriam siue per pœnitentiam siue humilitate, siue per alia quamuis virtute ob illud concipienda à prædestinato consequendam, fit plane vt eligi à Deo permissio peccati ex intentione gloriæ prædestinati nequeat, atque esse effectus prædestinationis, quin vel formaliter vel interpretatiue ab ipso ametur peccatum, vt robuste, atque hactenus insolubiliter negantis sententiæ author noster Vasquez arguebnt: quare aliunde tentanda à nobis solutio erit, vt affirmans sententia possit consistere.

CERTAMEN III.

Affirmans sententia nobis probatur, atque à præfato argumento, aliisque leuioribus vindicatur.

Dicendum nobis absolute est permissionem peccati prædestinati prædestinationis eius ad gloriam etiam media pœnitentia determinatè consequendam, effectum esse. Ita Bañez 1.p.q.23.disp.3. Magister Albiz de prædest. d.4.sect.13.§. *Mihi autem hoc fundamentum* medium sententiam Soarij, & suam olim retractans è Dominicana schola Bañez citat. q.23.a.1. notab.3.a.4.dub.1. Zumel d. 1.concluſ.7. Albelda d.7. sect.5. Nazarius Contron. vnica sect.9 Machin.d.48.sect.9. Trigossius in Bonauenturam 1. p.q.13 a.2. dub.4. concluſ. 6. Probatur permissio peccati medium non vtile solum, sed efficax seu coniungendum certo, & infallibiliter cum gloria prædestinati est. atque ex eius gloriæ intentione à Deo electum, & appositum, etiam per pœnitentiam de peccato admisso obtinendæ: ergo est effectus prædestinationis. Consequentia patet. Vltrema antecedētis pars in qua est difficultas tota probatur discursu facili, atque vniuersali dato pro conclusione simili citata controu. 3 de incarnat. d.1. q.2. cert. 3. qui ea nobis magis placet, quod Vasquij principiis innititur, vt contra eius argumentum ex inimicis nostris sit nobis salus. Potest tamen amari permissio peccati (quæ de facto à Deo amatur) ex intētione pœnitentiæ & gloriæ prædestinati pœnitētia determinata interuenīēte obtinendæ, quin formaliter, vel interpretatiue vlloue modo à Deo ametur peccatum: atqui opposita solum necessitas amandi aliquo modo peccatum, si ex eorum intentione eligeretur peccati permissio, oberat, quominus effectus esset prædestinationis: ergo permissio peccati est effectus prædestinationis. maiorem probat Magister Albiz discursu postea examinando: Sic autem ego ex Vasquij doctrina 1. 2. tom. 1. disput. 4. c. 2. vbi satis docte, & subtiliter antiquo suo principio à coætaneis impugnato insistit. Nempe inter media, seu proximiora media nec habere rationem finis, neque exercere finis causalitatem respectu mediorum remotiorum.

2. Probat ex Germana interpretatione, & sensu Aristotelis. 2. Physicorum text. 29. finem definiens, *cuius gratia cætera fiunt*, etsi autem ab Argyropolo illud *cæterum* additum sit, additum tamen est ex Aristotelis mente, vbi quis de fine egit. Nam 1. Ethicor. cap. 7. boni absolute talis, & absolute, ac de se amabilis quod ipsum finis apud ipsum est naturam esse ait. *Ad id cuius gratia cætera aguntur?* & subdit *in actione etiam omni, electioneue id quod est finis bonum & amabile absolute est: huius enim gratia cætera omnes agunt.* Et 2. met. c. 2. causæ finalis processum infinitum in euidenter confurat: *item ipsum, cuius causa finitimale autem est, quod non est alterius gratia, sed causa cæterorum esse, si tale erit vltimum, non erit infinitum: quod si nihil tale non erit ipsum cuius gratia; sed, qui faciunt infinitum, latet eos, quod boni naturam auferunt.* Constat ergo apud Aristotelem bonum, seu amabile absolute idem prorsus quod finem absolute, & quamuis datis textibus boni absolute talis nomine honestum solummodo intellexit, quia principale bonum rationalis creaturæ (cuius proprium est operari propter finem) secundum rationis rectæ dictamen operantis est: at verum cum sæpe rationali creaturæ à recta ratione in suis affectibus deuiare contingat: triplex non quidem absolute bonorum, sed amabilium (in quibus non absolute tantum in se, & propter se amabilia claudantur) genus distinxit 8. Ethicor. c. 2. nempe bonum antonomasticus tale, vt ex ipso diximus, seu honestum: secundum item, & vtile, quod ita definit. *Atque id vtile, videtur esse per quod efficitur aliquod bonum*, quæ diuisio eadem boni in honestum, vtile, & delectabile cum S. Thom. 1. p. q. 5. a. 6. communiter traditur, *quare* (subdit Aristoteles) *fit, vt amabilia sint ea secundum bonum* (id est honestum) *& secundum vt fines.*

3. Ex hac verò Aristotelis constante doctrina, non solum probatur non posse esse processum infinitum causarum finalium, in quauis linea appetendi, cum in bono propter se amabili in quouis motu voluntatis ordine sistendum sit, quod sit primum mobile intentionale voluntatis in quouis ordine motuum affectiuorum eius, quod propter se ametur, non propter aliud immo cuius gratia, & propter quem cætera illius ordinis amentur: quod nulli, quod propter aliud amatur, nec nea amatur potest conuenire. Tum, quia non amatur, nec fit propter se, quod vlteriotis finis gratia fit, & amatur:

tum,

tum, quia eius gratia & propter ipsum cætera non fiunt; in processu autem illo causarum finalium, seu finium subordinatorum vltimum assignetur deest, quod propter se ametur, nec propter aliud, vlterius nihil in ea linea causa finalis, seu finis erit. vt acutè concluſit Aristoteles & efficaciter ex ratione hac recitatis verbis ex 2. Metaph. c.2. *sed qui faciunt infinitum* latet eos *quod boni* (id est finis, iuxta eius phrasim) naturam auferunt: quia nimirum ex ignorantia essentiæ, & natura finis ita philosophantur. Non, inquam ad solum ex hac certa doctrina Aristotelis de finis essentia, & natura probatur, sed id, quod intendimus: scilicet media remotiora, nec amari, neque eligi (imò nec posse) propter proximiora fini media, atq; ex horum amore eorumque gratia, vt solide & subtiliter hoc discursu. Medium nullū amari, aut eligi ad aliud potest, quod propter se amatur, & intenditur, nisi, vt vtile ad aliud, eiusq; gratia; non autem sui gratia, seu propter se: ergo nec medium aliquod gratia alterius medii amari, eligiue potest. Consequentia probatur: quia bonitas, quæ intrinsecè insita, vel inhærens atque immediatè afficiens subiectum amabile propter se & gratia sui illud non reddit, nec facit, nequit aliud quod extrinsecus solum, & mediatè afficit amabile reddere propter ipsum, gratiave ipsius: quare implicat, vt id quod propter se, gratiaq; sui amabile non est alia amabilia reddere propter ipsum; bonitas: ergo & amabilitas mediorum omnium, qua talium, & vtilium relatiua cum sit, non absoluta formaliter motiuè, ad finem, propter quem è cuius amore & gratia amatur solummodo refertur: ac subinde cuncta propter illum solummodo amantur & eliguntur, ac eligi, & amari possunt, non autem vnum medium propter aliud.

4. Probatur vlterius & confirmatur ratio præcedens à priori id solum debet amari adhuc indirectè, qui terminus formalis est bonitatis, ob quam amatur, non autem terminus materialis, quem, vtcunque bonitas pertingit, & concernit, atqui terminus formalis bonitatis cuiusvis, est sola bonitas finis, non autem bonitas, seu vtilitas aliorum mediorum, etiam proximiorum: Ergo sola bonitas finis amari indirectè debet amore, & electione mediorum etiam remotionum à fine, non autem mediorum proximiorum bonitas seu vtilitas. Consequentia est legitima. Maior probatur multis exemplis, & pœnitentiæ de qua potissimum est præsens difficultas. Etenim pœnitentia eiusque bonitas essentia sua peccatum concernit ac pertingit; & tamen, quia terminus materialis solum, non autem formalis bonitatis pœnitentiæ est, peccatum, ne indirectè quidem, amore pœnitentiæ amatur. Minor probatur: quia, vt ex dictis patet, mediorum omnium bonitas vtilitas ad finem est, nec simpliciter, & absolutè talis, sed relatiue, ac respectiue ad finem: quare, nec illum gratia sui, & propter se amatur, nec mouere voluntatem potest, vt aliud gratia ipsius, & propter ipsum ametur. Et sane nemo Chirurgum vocat propter scissionem venæ, ac sanguinis effusionem, sed propter solam sanitatem, quam secundum se, & propter seipsam amat, etsi ad scindendam venam, & vt sanguis fundatur eum vocet; quod valde diuersum est, & significat. Etenim particulæ *vt, ad* idemmet, quod propositiones *ob* & *propter* minimè significant: sicuti Hispane, *para esto* non significat idem, atque *por esto*: postremum significat motionem intentionalem, sicuti latinè, *ob* & *propter*: primum autem physicam efficientiam illius respectu alterius: quare eis, quæ ordine executionis priora sunt competit esse *vt sit* aliud eo ordine posterius. siue *paraque sea otro*, quod ordine intentionis, seu motionis intentionalis prius, & primum est v.g. finis ipse. Quam differentiam significationum acute obseruauit S. Th. 1. cont. gentes c. 86. & 87. ac 1.p.q.19.a.5. vbi Caiet. & Vasq. d. 82. c.2. & cit. d.4. ex 1.2. c.2. §. *Caterum* à linea, *his omnibus adde & hinc etiam* docens. Deum non velle vnam creaturam propter aliam; velle tamen vnam creaturam esse propter aliam: id est, vt docte Vasq. velle vnam creaturam esse, vt sit alia: quod in linea essendi physicè est, atque particula *propter* adiuncta *adesse* denotat; adiuncta vero eadem particula *propter* non *adesse*, sed ab obiecto, & eorum voluntatem, motionē intentionalem voluntatis diuinæ ab amata creatura ad amorem alterius denotat, quam S. Th. Caiet. & Vasq. non admittunt, ne à creaturis specificari diuinam volitionem admittant, si respectu illius motionem finis creaturæ conuenire concedant, ac subinde Deum, quem suæ volitionis adæquatum specificatiuum recognoscunt, finem volitionis erga quamvis creaturam vocant; tametsi, non propriè talem esse bene aduertant, vt Vasq. cit. dis. 4. c. 1, docte obseruat: quia nimirum specificationem à motione finali respectu voluntatis, & volitionis diuinæ non satis dispexerunt, vt nos contr. de volunt. distinximus eam tamen eis locutionibus, & moderationibus distinctionem subodorati sunt, & intenderunt, vt cit. contr. 4. de volunt. dicebamus.

5. Vt autem communi aduersariorum argumento, quod sua, vt minimum, apparentia, & difficultatis specie plures affirmatiuæ nostræ sententiæ DD. vt vidimus turbauit, dare satisfiat ostendendum restat explicatius, quomodo medium proximius fini terminus materialis respectu vtilitatis, & conducentiæ ad finem, ob quam remotius medium amatur & eligitur ab intendente solummodo sit. Etenim vtilitas, & conducentia ad finem medij remotioris mediata solum, & remota re ipsa est, & quæ, nisi media conducentia, & vtilitate immediatiore, vel immediata absolutè medij immediati ad eum finem esse non possit, nec nisi chymericè cogitari: atqui vtilitas, ob quam amatur medium remotius est vtilitas realis, ac non chymerica: ergo amatur ob vtilitatem terminatam ad conducentiam proximiorem mediorum ad finem: ergo hæc terminus formalis, nec solum materialis est vtilitatis, & conducentiæ remotioris, ob quam medium remotius ex intentione finis eligitur, & amatur: ac subinde indirectè saltem ab illud eligente erit amandus. Hoc totum est argumenti robur; sed tamen instatur aperte in amore pœnitentiæ de admisso peccato, cuius bonitas, & honestas vera, & realis essentialiter respectiua est admissi peccati; & tamen terminus formalis bonitatis pœnitentiæ non est, nec indirectè amore pœnitentiæ amandus. Nec occurres satis, si dicas, ideo id esse, quia peccatum malum, ac proinde inamabile est; secus autem medij proximioris fini conducentiam proximiorem, qui terminus essentialis est conducentiæ, & vtilitatis remotioris medij remoti: inde enim vrgentius instatur: quia terminus formalis amabilitatis, seu bonitatis, ob quam aliquid amatur, nequit non amore, quo illud directè amatur, ipse indirectè amari: ergo peccatum, quod nec directè, nec indirectè amatur, amariq; nequit amore pœnitentiæ terminus formalis bonitatis pœnitentiæ non est; & tamen est terminus æquè essentialis bonitatis pœnitentiæ, atque medium proximum, eiusq; vtilitas & conducentia proxima ad finem vtilitatis, & conducentiæ remotioris medij remoti: ergo ex eo quod vtilitas, & conducentia illa proxima terminus essentialis vtilitatis, & conducentiæ remotæ sit, non infertur esse terminum formalem vtilitatis huius remotæ. Totum ergo argumentum aduersariorum debilitatur ex dictis, termini enim essentiales physicè, & metaphysicè, etiam bonitatis, ob quam, seu ratione cuius formalis rationis obiectum amatur, si eius termini in essendo siue physicè, siue metaphysicè solummodo sint, non vero amabilitatis, & obiectiuæ motionis intentionalis non sunt eorum termini formales: ac proinde intra materiales terminos bonitatis illius se tenent. Sunt autem termini formales amabilitatis illi solum, quorum amor ad eorum amorem illorum amori, quoad intentionalem, & obiectiuam motionem subordinatur, vt electionis mediorum amor, quorumvis finis amori: quod mediis remotis respectu proximiorum non euenit, vt ostendimus; tametsi in essendo vtilitatis remotioris proximior & immediata fini terminus essentialis sit, & qua subalata vtilitas medij remoti deficeret, ac defectu materiæ medij electio ex amore finis, atque *ob*, seu propter ipsum medium, nec eligeretur, nec amaretur.

6. Contendes adhuc contra maiorem terminum materialem debere amari indirectè amore directo eius, cuius terminus materialis ille est: siquidem amore bonitatis cuiusvis siue honestæ, siue delectabilis, siue vtilis amatur persona, cui honesta delectabilis, aut vtilis res volita est: ast persona eiusque bonitas terminus materialis eius bonitatis, ob quam res illa amatur solummodo est: ergo terminus solum materialis boni, & bonitatis, ob quam illud amatur, debet huius amore amare. Negatur facile minor: quia, etsi bonitatis, quæ est terminus, seu obiectum formale amoris finis *qui*, seu electionis mediorum ad ipsum, persona eiusque bonitas terminus solum materialis sit: ast eiusdem amoris, qua in finem *cui*, siue in personam, cui illa bona sunt, tendit terminus & obiectum formale.

& directum persona ipsa eiusque bonitas est: quare etsi attenta bonitate finis & medij, quæ amatur, terminus materialis persona sit, ac proinde amore finis *qui* aut medij ad ipsum, qua in ipsa præcisè, & formaliter tendit, amori personam non oporteat; amari tamen amore illo, qua respicit finem *cui*, directè quidem, in communi philosophia necesse est. Quod si, vt verosimilius iudico, amor, & complacentia elicita, ac deliberata in persona alterius *cui* finem *qui*, vel ad hunc vtilia volumus, re ipsa à finis *qui*, vel ad hunc vtilia amore differt, ac re ipsa amorem finis *qui* & subinde mediorum præcedit, nusquam amore finis *qui*, & mediorum ad ipsum personam, eiusve bonitas indirectè adhuc amabitur: quia terminus pure materialis eùm bonitatis finis amati tum vtilitatis mediorum ad ipsum est: siquidem non ideo finis siue honestus siue delectabilis mediumve vtile est, quia bona persona est cui illa amamus, ac subinde, nec boniras personæ in motione subordinatur obiectiue, tamesi eorum amor complacentiæ in persona, cui illa volumus, physice subordinentur, vt suprà de actibus imperante, & imperato docebamus certamine 2. n. 5. Constat ergo ex dictis nostrum Vasq. principij huius, & Aristotelici, & sui immemorem tantum argumento huic suo tribuisse, vt eo in primis conuictus in negantem sententiam ierit, Doctosque alios memoratos secum traxerit, nec parum negotij antecessoribus nostris, affirmantis etiam sententiæ Patronis, facessesit. Leuius multo contra affirmantem nostram sententiam idem Vasquez, & ex ipso assecla magnus etiam Magister meus Daza, obiiciunt. Omnis effectus prædestinationis debet esse gratia: atqui permissio peccati non est gratia; ergo nec effectus prædestinationis. Probatur minor quia permissio peccati est subtractio gratiæ efficacis ad non peccandum, quæ dubio procul, gratia est, longéque vtilior, quam eius negatio, & subtractio: ergo nequit esse gratia, quin gratiæ negatio, & subtractio cõtradictione manifesta gratia sit. Confirmatur minor: quia alias peccati permissio gratia ex meritis Christi foret, vti effectus omnes prædestinationis esse debent: atque prædestinatus quivis pro sui peccati, vel alterius permissione orare Deum posset: quæ dissona sunt, & absurda. Negatur nihilominus minor. Ad eius probationem primam distingue maiorem: est gratia, & vtilior prædestinato relatè ad terminum immediatum peccandi, aut non peccandi fateor, respectu quorum tandem efficacis gratiæ subtractio gratia esse non potest, vt bene argumentum probat. Relatè verò ad terminos mediatos, quibus coniungenda certo, & infallibiliter peccati permissio, & subtractio gratiæ efficacis ad non peccandum in prædestinato est, (nempe ad gratiam efficacem pœnitentiæ, & pœnitentiam, (& ampliorem inde gloriam à Deo obinde donandam) nego maiorem: atque inde constat, quo pacto permissio peccati in prædestinato effectus meritorum Christi sit, ac orationis materia absq; vlla dissonantia, & absurditate esse possit.

6. Magister Albiz loco cit. §. *Mihi autem*, aliter electione permissionis peccati ex amore pœnitentiæ, & intentione salutis per eam à prædestinato obtinendæ nullatenus amari à Deo peccatum probat, quia inquit ex amore etiam efficaci finis solum necessitatur intendens ad amandum ex necessariis ad finem, quæ ipse facturus aliquo modo, & appositurus est, non autem, quæ ipse nullatenus facturus est, sed ab alio infallibiliter erunt, ac fient: peccatum autem necessarium ad pœnitentiam Deus nullatenus facturus, appositurusque est, vt fides docet, sed solum permissurus, aliundéque est ab homine apponendum: ergo solam permissionem amare cogetur non peccatum. Confirmat exemplo pœnitentiæ, quam post præuisum absolutè peccatum Deus amat, quin peccatum vllatenus amare cogatur, quia aliunde appositum supponit. Huc recidit tantum Fasolus pro permissione peccati ex humilitatis amore, si confirmationem eius doctrinæ ab exemplo amoris pœnitentiæ post præuisum absolute peccatum excipias: quo merito abstinuit. Non enim ideo Deus non cogitur ex amore pœnitentiæ post præuisum peccatum, quia aliunde, ac non ab ipso positum absolutè est, sed quia, etsi necessarium ad pœnitentiam de ipso sit, positum iam ac præsuppositum ad amorem pœnitentiæ est: quare non est titulo vllo amandum, vt sit amore pœnitentiæ, qui ipsum absolute esse supponit; quod secus habet cum ante eius absolutam positionem pœnitentiæ, quæ sine illo prorsus esse nequit, amatur, atque ex eius amore permissio peccati amatur, & eligitur cum pœnitentia, & per ipsam cum salute prædestinati certo, & infallibiliter coniungenda: tunc enim non nisi medio, seu interuenieme peccato eius permissio vtilis ad pœnitentiam, & salutem prædestinati esse potest, nedum medium efficax, & certo cum eis coniungendum, vndecunque apponendum peccatum, siue à Deo, siue ab homine: quare ex amore siue efficaci, siue inefficaci pœnitentiæ, & salutis per ipsam, à prædestinato obtinendæ permissio peccati eligi posse non videtur, ni peccatum, sine quo vtilis, ac de facto ducens ad pœnitentiam, & salutem prædestinati non est, ametur: siquidem non alias, quam vt vtilis, seu conducens, atque perducens de facto ad ipsas ex ipsarum amore, siue efficaci, siue inefficaci permissio peccati, vndecunq; apponendi amabilis, eligibilisque non est, vt argumentum aduersariorum contendit. Quocirca, vnica eius argumenti solutio & maioris in argumento nostro pro nostra sententia efformato n. 1. probatio solida, ex eo defumi debet, quod media inter media, nec finis rationem habeant, nec debeant proinde indirectè adhuc amari, amore, & electione remotioris vti à numero 2. ad 6. inclusiuè demonstrauimus, atque à difficultatibus expediuimus.

8. Decreueram mediam hac in re aliam Recentiorum sententiam silentio præ ipsius futilitate præterire: ne vero in eam alij non solidioris ingenij post hac labantur breui illam memorare atque refellere operæ pretium fuerit. Aiebant ergo permissionem peccati mortalis prædestinati prædestinationis eius effectum esse non posse, secus vero peccati venialis permissionem: probant. Quia venialis permissio volita esse potest ex intentione alicuius actus meritorij, qui pœnitentia non sit, & de facto ad gloriam prædestinati conducat absque pœnitentia, siquidem gratia & gratia & amicitia Dei, formalisque iustitia prædestinati peccato veniali non interrumpitur: quare & perseuerantia in illa veniali interueniente solo absque pœnitentia prædestinato contingat, permissioque peccati cum eius gloria medio illo alio virtutis alterius actu coniungatur. Hi tamen non animaduertunt illum alium virtutis actum non ex peccati sola permissione præcisè, sed ex admisso absolute peccato veniali concipiendum necessario esse à prædestinato, ac subinde, & veniale illud (si quid prastaret argumentum, ob quod mortalis permissio ab effectu prædestinationis rejicitur) à Deo amandum effectu ex eius actus amore permissio peccati ab ipso eligenda, vt contra mediam aliam Soarij sententiam arguebamus cert. 1. Secundò peccatum veniale, tametsi gratiam non destruat, haud dubio tamen impedit gloriæ consecutionem quousque expellatur: quod cum per gratiam solam habitualem ipsi non aduertantem fieri nequeat pœnitentia, seu contritione de ipso, eiusque intuitu, & respectu gratia donata eluendum erit: vnde eidem argumento, quod in permissionem talis ex amore pœnitentiæ timere sibi cebunt. Alij demum ex aduersæ sententiæ arguunt Patronis aliquod scripturæ locis, (vt de indurationc Pharaonis, quæ permissio sola Dei fuit, & similium, quorum meminit Paulus ad Rom. 9. de peccati permissione à Deo in iuz potentiæ ostensionem iræque in prauos, & seelestos, & misericordiarum *gratia sua in vasa misericordia qua præparauit in gloriam*. Ex quibus Deum ex finis alicuius honesti amore peccata quandoq; ac sæpe permisisse constat) Docent peccati permissionem in aliquo prædestinationis altenæ effectum esse posse: secus vero propriæ prædestinationis cui peccatum permittitur: sed tamen distinctio hæc futilis est. Neque enim ex permissione peccati alteni obtendit Deus aliis viatoribus, potentiam iramque in sedstos, ac misericordiam & gratiam in prædestinatos, nisi medio peccato illorum, per quod eius permissio viatoribus solummodo innotescit.

DISP.

DISPVTATIO V.

De reprobatione Præscitorum.

OPortet primo Reprobationis existentiam statuere, vt de subiecti disputationis constantia constet, nec ferri in inane tota disputatio videatur: mox verò diuidenda in suas, quasi species reprobatio erit, vt debita, atque illustriori methodo, quæ de reprobatione esse possunt, difficultates examinentur, ac definiantur, atque earum specierum naturæ, & essentiæ innotescere, dignoscique possint.

QVÆSTIO I.

De reprobationis existentia, & diuisione.

REprobatio, de qua præsens disputatio instituitur, ea est, qua vel à gratia, siue conducente, siue perducente de facto etiam ad gloriam, vel à gloria Dei libera voluntate siue positiua, siue omissiua rationales creaturæ excludantur. De qua, an, quotuplexque sit? prima hac quæstione disputamus.

CERTAMEN I.

Reprobationis existentia de fide est, cuius non euidens ratio est; est tamen satis firma argumenti contra ipsam solutio.

1. DEum posse rationales, quas velit, creaturas à gratia ac subinde gloria sua excludere, cum ex sacra pagina, tum ex dogmatibus aliis in ea contentis perspicue, certoque deducitur: expresse enim Matth. 10. dicitur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potius eum timete, qui potest, & corpus, & animam perdere in gehennam.* Quod nisi excludendo eos à gloria, immediate, vel mediatè, excludendo eos à gratia, qua illam consequantur, fieri nequit, & alterutro modo fieri à Deo potest: exclusio autem modo alterutro à gloria reprobatio ipsa est, de qua agimus: ergo reprobatio, de qua in præsenti est Deo possibilis. Probatur secundo: ex supremo Dei in creata omnia dominio, ac proinde in gratiam, & gloriam, quæ ex creatis sunt: imò cum summum ex creatis bonis rationalis creaturæ gloria sit, ex huius dominio vel maximè, diuini increata dominij excellentia debitaque ipsi à creatura rationali obseruantia, ac reuerentia commendatur, vnde merito Paulus 1. Corint. 2. de perfidis, perditissimisque Iudæis Christi crucifixoribus aiebat, *si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Dominum autem potestatem absolutam donandi, vel non donandi pro arbitrio, & voluntate Domini id, cuius Dominus est, procul dubio includit: quod absque possibilitate donandi, vel negandi illud fieri nequit: simile argumentum sit ex liberalitate, & gratia, quam Deus in gratiæ, ac subindè gloriæ elargitione, (vt fidei dogma est) exercet; quam, nisi alterutrum pro libito, & suæ voluntatis libertate præstare, aut non præstare, vellèque, aut nolle, vel non velle posset, sed extremum alterum voluturus, præstiturusque ex necessitate esset vti facta negatione voluntatis & donationis gloriæ impossibili esset necessario illa rationali creaturæ præstiturus) exercere nullatenus posset. Denique probatur ex 1. Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar*: quibus reprobationem possibilem asserit, quam timet.

2. Reprobatio (de qua in præsenti) aliquorum de facto datur. Plura scripturæ testimonia, quæ reprobationem sonant, vt Eccles. 9. & 2. ad Timot. 3. & alia extra rem pro hac concl. inducentur, quia materiam à gratia, & gloria diuersam, circa quæ reprobatio Theologica solummodo versatur, concernunt, vt bene obseruant Vasq. dip. 95. & c. 4. & alij. Reprobatio à gloria absolute futura de fide est, ex Matth. 25. *ite maledicti in ignem æternum*, & aliis, quibus Angeli præuaricatores cælo detrusi, atque Tartarum lapsi, traditique, vt ignitis inferni rudentibus, siue æternis flammis reuinciantur, & mancipentur. Reprobatio à gratia efficaci (quæ directè, & immediatè prædestinationi aduersatur) inde euidenter deducitur: cum nemo absolute à gloria sua decidat, decidereve absolutè possit, ni gratia efficaci à Deo reprobetur: quare ex eisdem locis reprobatio aliquorum à gratia efficaci finali proxima fidei esse connincitur: est autem de fide ex aliis locis, quibus permissio peccati finalis (quæ nihil aliud est, quam reprobatio) absolutè existens traditur à Paulo illis vocibus, quibus absolutè reprobos, *vasa iræ*, ad Rom. 9. & ad Timot. 2. *vasa in contumeliam* esse, opposita *vasibus misericordiæ, & vasibus in honorem*, id est prædestinatis, consonant Patres & Concilia omnia, vel formaliter, & expresse, vel præsuppositiue, Concil. Valent. sub Lothario c. 3. *fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & præditionem impiorum ad mortem.*

3. Reprobationis cum à gratia tum à gloria possibilitas probata satis est rationibus datis n. 1. existentia vero reprobationis siue à gratia efficaci finali, siue à gloria probari à ratione efficaciter à nobis tunc solum potest cum aliquem peccando vel de anteactis impœnitentem obire, vel obiisse nobis constiterit, vel quia obeunti adsumus, vel quia ex historiis humanis authenticis didicimus: tuncque pro harum maiore, minoreve, authoritate maioris minorisve discursus eis innitentius efficaciæ erit. A priori verò nullam video rationē firmam de reprobationis alterutrius afferri posse; cum eam esse, vel non esse ex arbitrio & indifferente ad vtrumvis potestate, ex qua proinde neutrum determinate potest inferri. S. Th. q. 23. a. 3. corp. hanc reddit. *Ad prouidentiā* (cuius pars reprobatio est) *pertinere permittere aliquē defectū rebus, quæ prouidentiæ subduntur, vt supra dictum est. Vnde cum diuinā prouidentiā hominum in vitam æternā ordinē̄tur pertinet etiam ad diuinā prouidentiam, vt permittat aliquos ab isto fine deficere: & hoc dicitur reprobare.* Hæc tamen ratio, non tam probatio existentiæ reprobationis est, quam difficultatis, quæ contra ipsam posset opponi solutio, qua ostenditur ab vniuersalis Prouisoris rerum perfecta prouidentia non abesse minus bona quandoq; in aliquibus permittere, vt maius malum vitetur, vel rei alterius ex his quibus prouidet vel vniuersitatis & totius coniuncti earum omnium, imò si ciusmodi malum culpæ non sit, ob maius vel partium, vel totius coniuncti bonum positiuè facere & velle. Id quod exemplo Pictoris, & aliorum artificum, qui depressiores, obscurioresque partes alias artefactę statuæ, ac picturæ ponunt, vt aliæ, atque pictura tota perfectior euadat, vt supra ex Patribus ostendebamus contr. 6. de prouid. Nec amplius suadet prolixus Herize nostri discursus in rationis huius defensione d. 32. c. 1. a. n. 4. Nec aliquid amplius S. Th. contendit, quam ex permissione peccati (finalis scilicet, in qua reprobatio stat) nil imperfectionis in vniuersitatis prouidentiā diuinā inducij; imò perfectionis multum deduci: vt solum contendebat q. 22. art 2. ad 2. ad quem locum recitatis verbis se refert: cum autem ex eo, quod ciusmodi prouidentia imperfectionem non imbibat, & perfectionem, quam diuinis actibus potest (scilicet obiectiuam) afferat, ad eam habendam non cogatur Deus, possibilitas quidem reprobationis, ac non repugnantia probabitur, non autem existentia discursu facto suadebitur.

CERTA

CERTAMEN II.

Reprobationis diuisiones recensentur.

1. REprobatio damnandorum pro duplici termino, à quo reprobatio esse potest, de factoque respectu illorũ est, dupliciter accipi potest: vel pro reprobatione à gloria, vel pro reprobatione à gratia ad illam consequendã. Et quamvis hæc ab illa videatur dimanare, non tamen ab illa, plerumque saltem, dimanati si quidem reprobi pleraque à gratia reprobantur prius natura, quam reprobentur à gloria: imò & adulti omnes, atque infantes, quibus à Deo ex parte sui de sufficienti salutis remedio prouisum est (de quo q 2.) si reprobatio positiuè à gloria rigore sermonis vsurpetur: etenim reprobatio positiua eorum à gloria voluntas efficax excludendi reprobum ab illa est, quia inefficax sufficiat, quæ secum inefficacem etiam dandi illi gloriam patitur, ac proinde se cum gloria, & mediis efficacibus ad eam consequendam, ac subinde cum absolute reprobationis à gloria negatione absoluta est compossibilis, cum qua absoluta reprobatio à gloria, cui eiusmodi negatio contradicit, componi nequit. Efficax autem voluntas excludendi hominem à gloria ante præuisum absolute peccatum finale reprobi, cui aliquatenus de remedio salutis à Deo prouisum est, siue originale infantis, siue etiam actuale adulti, non solum executiuè, *sea* intentiuè, siue intentionis ordine à nemine Theologorum admittitur: nec sine fidei iactura admitti (meo iudice) potest patet: siquidem falso à Paulo diceretur, omnium hominum salutem Deum velle (quod de iis saltem, reprobis etiam, quibus de salutis remedio prouisum est, debet intelligi) si aliquos eorum efficaciter antecedenter ad omne ipsorum peccatum à salute & gloria excluderet cum voluntas inefficax obiecti cuiusvis adstante voluntate efficaci de eius negatione, vel de oppositio extremo, neminem obiecti illius inefficaciter solum voliti absolute volentem reddat, ac denominet: sed potius efficax de oppositio voluntas oppositi huius volentem absolutè denominabit, ac reddet.

2. Dixi verò *positiua reprobatio*: quia reprobatio negatiua reprobi à gloria esse etiam in Deo potest: quæ scilicet negatio voluntatis dandi gloriam reprobo sit, non voluntas negationis gloriæ ipsius. Ea verò reprobatio negatiua gloriæ, siue negatio voluntatis gloriæ pro reprobis, si omnis voluntatis, etiam inefficacis, intelligitur in Deo non esse respectu reproborum, quibus à Deo de sufficienti salutis remedio prouisum fuit, ex eodem Pauli textu, & sententia probatur apertè: siquidem respectu illorum saltem inefficax salutis & gloriæ ipsorum voluntas negari non potest. Quæ distinctio reprobationis positiuæ, & negatiuæ in altero reprobationis genere nempe à gratia æquum habet locum: cum positiuè velle Deus possit reprobum à gratia ad gloriam, siue efficaciter, & cum effectu siue sufficienter conducente excludere, possitque illem ab eisdem excludere negatiuè, sola negatione voluntatis dandi reprobo, vel alteram, vel vtramque: qua sola voluntatis diuinæ negatione à gratia omninò exclusus, reprobatusque reprobus manebit: cum absque positiua Dei voluntate dandi illi gratiam eam habere reprobus nequeat. Porrò cum gratia in sufficientem & efficacem communiter à Theologis diuidatur, & sufficiens ea sit, quaquis consequi gloriam absolute possit: efficax verò, qua illam de facto absolute consequatur. In quocunque eius efficacia consistat de quo nunc disputandum non est) reprobatio vtraque tam positiua, quam negatiua à gratia diuidenda est in reprobationem vnam à gratia efficaci solum, & alteram à gratia sufficienti etiam: in qua dubio procul reprobatio à gratia etiam efficaci est: quandoquidem efficax gratia sufficiens, quoad positiuum, quod sufficiens importat, est; tametsi aliquid vlterius siue intrinsecum addat, vt efficax sit, ac de facto cum salute, & gloria eius cui confertur, coniungenda. Hinc duplex in hac disputatione quæstio esse potest. Prima, an reprobi aliquot à gratia, sufficiente etiam, ad salutem, & gloriam, ac proinde ab omni prorsus gratia, siue positiuè, siue negatiuè fuerint à Deo reprobati, & excluſi: Quæ eadem prorsus quæstio cum illa est. An Deus reprobis etiam cunctis, siue infantibus, siue adultis de sufficienti saltem, remedio salutis prouiderit. Secunda quæstio est de reprobatione reproborum à gratia, & medio, siue remedio efficaci ad salutem consequendam, & hæc sane reprobatio est, quæ in iis reprobis, quibus de facto de sufficienti medio, ac remedio ad salutem, & gloriam prouisum à Deo est, prædestinationi ex quoad intrinsecum consideratæ, immediatè opponitur ex diametro, & directè: illa siquidè reprobatio à gratia, sufficiente etiam, siue ab omni gratia plus nec parum, addit supra id, quod prædestinatio speciale importat, nempè esse efficacis gratiæ præparationem cui immediatè sufficientis tantum, non efficacis præparatio contradicit, vt infra explicabitur.

QVÆSTIO II.

An sit reprobatio ab omni gratia, & remedio salutis respectu aliquorum reproborum.

VT distinctius in præsenti quæstione progrediamur in duas classes diuidendi reprobi sunt: prima infantum sine Baptismo decedentium originali peccato est, secunda infantium & adultorũ, vel cum illo solum, vel cum actualibus etiam absque Baptismo obeuntium: illorum maxime qui fidei, & Sacramentorum ignari moriuntur. Non loquimur autem de gratia auxiliante intrinseca, & interna vocationis sufficientis proximè, & formaliter ad salutem: hanc enim paruulis absq; Baptismo decedentibus, & adultis Barbaris vita functis absq; vlla veræ fidei notitia, siue qua piacere Deo saluarique nemo proxime potest, deficere certissimum est: ac proinde eos à gratia intrinseca & interna vocationis sufficientis proximè, & formaliter ad salutem esse à Deo reprobatos, & excluſos. Quare quæ bo præcisis de gratia, seu remedio sufficienti remoto ad salutem, quo mediata solum & remota salutis eorum possibilitas, & potestas, in qua potestas proxima concessa à Deo in virtute censeatur, quatenus in remoto illo medio, & gratia sufficiente datur id per cuius bonum, & industrium vsum, siue proprium, si adultus reprobus sit, siue alienum si paruulus ad sufficientem, & absolutam proximam salutis potestatem perueniret.

CERTAMEN I.

De infantibus ante vsum rationis absque Baptismo decedentibus.

1. NVllum ex his infantibus à gratia, & remedio explicato ad salutem sufficienti reprobatum à Deo fuisse (etiam illum, qui in vtero moritur materno, siue naturali rerum cursu, siue fortuito, & casuali; diuersimodè à Doctoribus aliquib. defenditur. Gabr. in 4. d. 4. q. 2. a. 1. ad eiusmodi baptizari decedentes paruuli in fide parentum saluari possint, ac proinde in ea, vel mediis ad ipsum, satis de remedio ad salutem à Deo prouideatur: dubius solummodo discurrit, non ausus asserere. Cajet. verò 3. p. q. 68. a. 2. & 11. cos parentum fide saluari posse ait: quare vel in ipsa, vel mediis sufficientibus ad illam à Deo datis de remedio sufficienti ad salutem paruulis etiam illis prouisi fuisse: ceterum impossibilitas salutis imbaptizatorum post Euangelicam legem (cui modus hic defendendi promissionem à Deo sufficienti remedio ad eorum paruulorum salutem innititur) Pontificis Pij V. iussu in Romana editione expuncta fuit. Quare nullus etiam ex Patribus Dominicanis

canis, vt plurimum Caier. assecl is, cum modum post modum tutatus est. Suarius noster 4. de prædest c. 4. assecl æq; ipsius Recentiores nonnulli aliter eandem sententiam tuentur. Aiunt enim semper à Deo aliquid in mente parentum, aut aliorum à quibus remedium proximius saluti paruulorum posset adhiberi ne imbaptizati obirent, v. g. inspirando matri, vt domo cuius ruina nusquam ab ea cogitata imminebat: egrederetur, vel ne illac iret, vbi rei inopinatæ subitus timor euenturus illi erat, ex quo faceret paruuli abortum. Sacerdoti item adstanti, vt illico paruulum baptizet statim moriturum: cum ille nihil tale, non timet solum sed nec suspicatur, aut cogitat. Additq; de solo tandem nomine esse hanc de paruulis quæstionẽ, cum tamen ipse res hasce (quæ melius quiescerent) vt pro Dei prouidentia de mediis sufficientibus ad horum paruulorum salutem moueat, ac pietatis specie meditetur.

2. Hæc tamen negantis sententiæ fundamenta à Soar. mota & excogitata melius vt dixi quiescerent. Primo enim absque vllo fundamento ea omnia diuinantur, vel somniorum in morem finguntur. Vnde enim illa matrum inopinato subita tecti, domusve ruina oppressarum sepultarumque inspiratio à Deo ipsis immissa, vt illico domo egrederentur innotuit; an illæ omnes ex alio sepulo aduenientes ipsis vigilantibus id reuelarunt, an (quod crederem facilius) dormientibus? Illæ vero quibus ex inopinato casu, siue in via, siue alibi occurrente subitus timor in causa abortus fuit, nunquam de eiusmodi cogitatione immissa illac non eundi, sunt apud aliquem testificatæ; quin sæpe nullam ipsis eiusmodi cogitationem occurrisse dicunt, cum casus eiusmodi referunt. Deinde sæpe paruuli in materno vtero obeunt ob naturæ debilitatem, noxiam ac pestilentem constellationem, aut epidemiã, contra quę nihil matribus aliisve immissæ cogitationes præstare possunt, vt in lucem paruuli edantur, atque baptisma recipere absolutè possint. Sæpè item in præsentibus Sacramentis, Ministro, nihilq; de periculo paruuli, nec de eo baptizando cogitante subito paruulus corripitur. Tertio demus eas omnes cogitationes menti matris, vel Ministri immitti: cum tamen, nec ipsis constet, an Dæmone, vel aliunde, quam à Deo immissæ illæ cogitationes sint, nec quicquid ipsis vndecunq; in mentem occurrerit, debeant executioni mandare: imò cum absq; vllo probabili saltem, fundamento agendum proponitur, vt in casibus dictis (vbi periculi mortis paruuli nec matri nec ministro baptismi suspicio adhuc leuis suborta fuit) exequi illud prudenter nequeant: non satis eis immissis cogitationibus de sufficienti salutis remedio à Deo prouidebitur: siquidem eo solum medio, & remedio, cuius applicatio ex cogitationibus immissis ad humanam illorum prudentiam, curam & industriam spectat sufficienter de medio, & remedio salutis præfatis paruulis potest prouideri, non autem aliis, ex quibus applicatio remedij proximioris ad eorum salutem extra omnem illorum prudentiam, & industriam humanam est.

3. Facilius, atq; sine eis diuinationib. possent in suis principiis Soar. & Assecl ę media gratię sufficiẽtis ad salutẽ remota (de quib. solũ pro paruulis quęstio esse potest presens, vt diximus) defignare: ipsi enim aiunt reprobationẽ saltẽ negatiuãa gratia efficaci, siue negationẽ prędestinationis, nec solam præcisionem voluntatis à prędest ante actuale etiã Adami, ac subinde ante originale paruulorum habitam à Deo fuisse, ordine scilicet ipsis familiari intentionis, non autem executionis, quo non nisi præuisum Adami saltem peccatum à gratia efficaci fuere paruuli, excluſi, & reprobati, quam solam exclusionem à gratia efficaci reprobationem positiuam appellant, vt videre est in Soario 5. de reprob. c. 5. de quo rursus sermo redibit: iuxta hunc autem modum philosophandi dicere facile possent paruulos non esse à medio remoto gratiæ sufficientis adhuc excluſos: etenim pro illo signo auxilium gratiæ sufficientis Adamo collatum, nec actualiter peccaret esu fruatur ligni prohibiti, sufficiens etiam auxilium, ne in illo reliqui homines, quorum voluntates ex pacto in eius voluntate moraliter erant collatæ peccarent, atque originali subiacerent, vbi primum ex Adamo procrearentur: ac proinde de sufficienti medio remoto ad salutem, & gloriam non peccando consequendam satis à Deo fuit ipsis in auxilio. Et quamvis medium hoc gratiæ sufficiens ad salutem fuerit ne Adamus, & reliqui homines ex eo propagandi in ipso peccarent, atque in seipsis originale contraherent, cum ex ipso propagarentur: quare nec remedium ad salutem dici pos-

se paruulis hisce eo medio prouisum videatur, quia remedium peccati infirmitatem, salutisque iacturam supponit: tamen remedium, proprietate etiam sermonis, de præseruatiuo ægritudinis, & salutis conseruatio dicitur: quo solum sensu redemptio per Christum absolute de B. Virgine Deipara dicitur: tametsi, nec in se peccati originalis, neq; in Adamo seruitutem debiti illud contrahendi incurrerit.

4. Ac demũ, si præfata principia Soaristarum, & ipsa cõsequens discursus noster id plane de paruulis hisce obtineret, de quo quæstio videtur inquirere: nępe nullum ex illis de medio remoto gratiæ ad salutẽ sufficiẽte esse à Deo excluſũ, ac reprobatũ, siue remediũ illud dicendũ sit, siue non sit absolute remedium appellandũ. Sed vero, vt in præfatis principiis præfatus discursus inoffenso procedat, & currat, esset q; absolutè possibilis nobis ad præsentẽ q. non probatur. Primo; quia ordinẽ illum intẽtionis & executionis Soaristicum diuinarum voluntatum efficaciũ à falsitate principiorum & aliunde discursus hic noster in doctrina Soaristica displicet, non probamus. Secundò: quia paruulorum præfatorum reprobatio omnis siue à gratia efficace, siue à sufficiente, vel ab alterutra eisdem, vel aliis conferenda prouidentia esse non potuit. Prouidentia omnis, de mediis quibusvis ad finem subiectum, cui de illis prouidendum absolute est, absolute etiã existens supponit, vt ostẽdimus contr. 6. de proud. atque Soarius ipse fatetur; paruuli autem, quibus prouidendum ita erat de salutis medio, seu remedio sufficienti pro signo illo naturæ priori ad Adæ peccatum, pro illo signo nec erant, nec videri proinde à Deo absolute poterant, vt ipsis de medio aliquo ad salutem prouideretur: siquidem ex eis plures, qui vel ex honesto concubitu, vel turpi etiam procreati à parentibus sunt, ex gratia Dei per Christum absolutè existentem, atq; absolutè operantem, ac promerentem ad primum inducente, vel à secundo retrahente parentes, sunt ex his propagati, & progeniti iuxta à nobis statuta contr. 3. 4. de Incarn. Christus autem non, nisi post Adæ absolutum peccatum, decretus absolutè à Deo fuit, & in se existens, quare, & eorum paruulorum plurium existentia absoluta, vt ipsis prouideretur de medio, adhuc sufficienti, ad salutem necessaria, pro signo priori illo naturæ ad peccatum Adæ, & absolutam Christi existentiam anterior non fuit, ac subinde prouidentia de medio sufficienti ad ipsorum salutem esse non potuit. Tertiò denique quia, vt diximus contr. hac 7. d. 3. de causis prædest. (vt iuxta Patrum sententiam Christum meritis suis causam prędestinationis adæquatæ, & totalis à primo ad vltimum auxilium gratiæ extitisse ostendemus, prouidentia de mediis sufficientibus gratiæ ad gloriã obtinendam, cum erga Adam, tum erga homines reliquos ante Adæ peccatum, eius peccato subsecuto, non interrupta solũ fuit, sed finita: fuit enim prouidentia salutis pro statu viatorum innocentium hominum, & statu illo innocentiæ ad gloriam, & ęternam salutem transferendorum: quo per Adępeccatũ, & sibi, & reliquis perdito prouidẽtia de mediis gratiæ ad gloriã cessauit: aliáq; ex Christi meritis fuit, inchoata: quæ sola, cum erga Adamum, tum erga reliquos de facto solum est, de qua proinde sola disputatur à Theologis cum præsentem versant quæstionem: quare ad gratiæ auxilium ad salutem Adamo physicẽ; ac posteris siue paruulis, siue adultis moraliter concessum, vt neminem ex præfatis paruulis à sufficienti medio, aut remedio ad salutem excluſum, ac reprobatum à Deo fuisse ostendatur extra rem, & quæstionem præsentem recurretur.

5. Dicendum igitur nobis est paruulos aliquot ab omni gratia, medióq; & remedio, etiam sufficiẽti, de quo est quæstio præsens excluſos reprobatosq; à Deo fuisse: est communior Theologorum conclusio Grego. in 1. d. 46. q. 1. sub med. Richard. a. 7. Gabr. in 4. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 2. S. Th. d. 6. q. 1. a. 1. ad 1. Driedo de capt. & redemp. gener. hum. tr. 5. c. 3. Pauli Orosij Apologia pro libertate arbitrij longè à med. Domini Soto 2. de nat. & grat. eam satis insinuanti, quos refert & sequitur Vasquez c. 2. d. 96. atque ex ipso Magistri meus Daza: est expressa & constans Augustini sententia capite secundo, de bono perseuerantiæ sine ait, paruulos aliquot negligentia parentum (non absque secreto tamen Dei iudicio) imbaptizatos obire; subdit vero: *Quid dicam, quod paruulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit expirat?* & c. 12. de grat. & liber. arbit. init. gratiam Baptismi Dei benignitate, & absq; meritis donari his inter alia probat. *Et aliquando filiis infidelium præstatur hac gratia, cum oc-*

cultæ Dei prouidentiæ in manus piorum quomodocunque peruenirent: aliquando fidelium filij non eam consequuntur aliquo impedimento existente, ne possit periclitantibus subuenire, c. 8. de nat. & grat. *Ego autem dico paruulum natum in eo loco, vbi ei non potuit per Christi baptismum subueniri morte præuentum, idcirco talem fuisse, id est sine lauacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit*: sufficiens autem medium, & remedium gratiæ ad salutem eo gradu, & loco, quo tale absolute est, absolutam eius abolet impossibilitatem, quamvis paruulis ad baptismum ad salutem Augustinus asserit defuisse ep. 305. sub med. *Quid dicam de inopinatis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam Religiosorum Christianorum præueniuntur, & baptismo præripiuntur infantes; cum è contrario sacrilegorum, & inimicorum Christi infantes aliquo modo in Christianorum manus venientes ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrent?* subinfra. *Qua tandem hic merita præcesserunt? si eorundem cogitaueris paruulorum, nulla sunt propria: vtrisque est illa massa communis: si parentum attenderis, bona sunt illa, quorum filij repentinis mortibus sine Christi baptismate periuntur.*

6. Et sanè, tum postremo hoc, & anterius recitatis locis, Deum nullo merito, sed gratia sua aliquibus infantibus Baptismi gratiam conferre, nec de merito speciali, vel illorum vel parentum aliis denegari contra Pelagianos contendat, omnem humanæ industriæ defectum, ob quem imbaptizati interirent, ad quam Pelagiani recurrant omninò repellit: clarius tamen eidem doctrinæ contra eosdem Pelagianos insistens idem expressit epist. 107. post medium, & probat. *Cum multis non detur paruulis* (gratia) *& sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibus, parentibus, Ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente non detur, cum repente antequam detur expirat, pro quo, vt acciperet currebat.* Eidē Augustinus & nostræ sententiæ de aliquot imbaptizatis paruulis decedentibus quin parentum, aliorumque omissio industria, & vsus eorum, quæ ipsis à Deo sunt collata, vt præfati paruuli baptizarentur, intercedat; sed sola Dei non volentis, seu nolentis dare, quod satis esset, vt ante obitum baptizarentur: quare nec de remedio sufficienti eorum paruulis prouidere ad salutem (quod ipsum est hos à gratia & remedio salutis sufficienti etiam reprobare & excludere) subscripsit Prosper lib. de ingratis c. 20. & 21. Nec ab hac Sententia abstessit Prosp. 2. de voc. gent. c. 23. aliàs 8. scribens, *ibi paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ semper impensa est vniuersis nationibus*, subiungit enim: *qua vtique, si bene vterentur eorum Parentes, & ipsi per eosdem iuuarentur*, loquitur ergo de natis non de mortuis in vtero materno, qui paucorum dierum homines, nec sunt nec dicuntur; nec de natis omnibus, sed, pro quibus reliqua adessent parentibus, quæ cum sufficientibus, vt ad fidem venirent, nationi cuiuis oblatis iuuare possent ad baptismum paruulorum, neque infidelitate parentum ab eo essent exclusi: sunt autem alia plura necessaria præter parentum fidem, vt eorum paruuli ad baptismi gratiam ante obitum peruenire absolute possint, quæ fidelibus piisq; etiam parentibus paruulorum absque baptismo decedentium data à Deo non sunt, vt ex August. vidimus, & Prosp. primis locis fatetur. Nec plus intendit c. 23. de vocat. gent. quam gratiam externam omnibus nationibus oblatam, vt ad fidem venirent, neque ex infidelitate parentum eorum paruuli sine baptismo decederunt: vt voluntatem salutis omnium in Deo probet.

7. Probata iam conclusio est à ratione citatis August. testimoniis inclusa: & satis quidem efficaciter, si cuasionum à Soaristis tentatarum n. 1. præclusiones à nobis datas n. 2. consideres. Porrò, quæ contra cert. hanc August. & veterum Theologorum verissimamq; sententiam à Soario, & assectis mouentur, momenti aliquid, ne vix quidē habēt. Primum ex meritis, & redemptione Christi pro omnibus hominibus etiam paruulis cunctis, qui dubio procul ad Christi redemptionem, à qua exclusi meritis Christi non fuere desumitur. Etenim pro omnibus hominibus: non autem pro Dæmonibus Christus mortuus dicitur sæpe ab Apostolo, & Patribus: ex quorum dogmatica sententia ex instituto id docet Prosper ad obiect. Vinc. c. 1. & ad capit. Gallorum c. 9. neque à Catholico Doctore negari potest. Verum inde solum probatur merita, & redemptionem Christi valoris meritiui, & satisfactorii ad omnes omnino homines non solum futuros, siue paruulos, siue adultos in mundo præsentes absolutè præteritos, & futuros aliquando imò & possibiles, non extendi solum, sed excedere eorum infinita Christi merita, & satisfactio pro eorum peccatis sint, vt contr. de Incarn. de merit. & satisfact Christi monstrauimus: item Christum neminem eorum voluntate sua à fructu eorum excluisse. vt contra nonnullos Recentiores ostendimus contr. 6. de prædest. Non vero inde infertur omnia quæ omnibus promeritus est atq; cum debita voluntate Dei subordinatione dari ab eo ipsis voluit de facto obtinuisse. Nam & omnibus efficacia auxilia & subinde prædestinationem & gloriam promeritus est pro eisque obtinendis merita & pretium superabundans exhibuit & voluntate illa subordinata diuinæ obtinendi; nec tamen id nec pleraque omnia alia eis: imò nec sibi obtinuit, quid ergo meritorum & redemptionis Christi eiusq; voluntatis redimendi omnes derogauit. Si aliquibus sufficientia adhuc auxilia de facto non obtinuerit. Nec ista Dæmones, quorum causa redemptionis, nec cum redemptione hominum communis erat, neque à Christo Domino agebatur ad eius redemptionem spectabunt.

8. Secundum desumebatur ex voluntate & desiderio vero serioque Dei saluandi omnes homines, quam ex scriptura, Patribus & Theologis statuebamus contr. 4. de volunt. Respondet autem Vasq. c. 3. n. 10. §. *circa alterum*, eam voluntatem etsi inefficacem seriam tamen & verum desiderium salutis omnium de adultorum salute solummodo ab scriptura asseri 2. Reg. 14. *Deus non vult perire animam*, & 1. ad Timot 2. *Deus vult omnes homines salui fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, Quibus locis cum ex materia, tum ex intento & fine eis intento, qui adultorum salus aperte est de eis solis sententia esse conuincitur. Tum ex postremis Pauli verbis: siquidem ad agnitionem veritatis venire adulti soli possunt, non paruuli aut vsum rationis vita decessuri: si id verum esset euanescerent difficultas, falsa tamen ea interpretatio mihi est etsi enim materia, & intentum eorum locorum de adultis solum sit ratio tamen, qua, & Sunamitis, & Paulus intentum suadet Dauidi, & Timotheo, ac media ad illud adhibere in adulto contendunt, generalis est: quod nemini mortem sed omnium salutem præ sua bonitate Deus velit. Quæ ratio in paruulis locum habet: imò verò, cum Deus Incarnationem Verbi in omnium, etiam paruulorum, redemptionem, & salutem decreuerit, paruulos in ea redemptionis, & salutis, nec omisit nec excluisit, sed includit: alioqui ad Christi redemptionem non pertinerent contra Vasq. & omnes: ego igitur admisso respondendum est, intentionem Dei, & voluntatem salutis seriam, verumque desiderium efficax non fuisse, sed inefficax: & quod tale (nec sola complacentia vt sit, debet habere intrinsecum vim mouendi Deum ad medij alicuius appositionem, non tamen vim determinatiuam ad aliquod, etiam sufficiens adæquatè appetendum, tametsi ex sufficientis medij, adhuc remoti, & inadæquati appositione bene salutis intentio seria, verumq; desiderium in Deo arguatur à Prosp. supra: quia è simplici complacentia sola, ac præcisa ad aliquid agendum in ordine ad finem motio voluntatis esse non potest: cum autem motio illa seriæ intentionis inefficacis determinans ad electionem mediorum non sit, etsi ad eam sit inductiua, ab ea intendens vel omninò, vel ex parte abstinere absolute potest: quare ad remoti medij electionem moueret, quia ad proximi electionem moueat: atq; ad electionem medij inadæquati, vel aliunde non expediti absolutè, vt sufficiens absolutè sit, quin ad electionem illius quo vel complendum, vel expediendum illud ad absolutam sufficientiam erat, moueat de facto: atque ita in paruulis illis absque baptismo, nullius alterius negligentia decedentibus, & quorum etiam salutem Deus inefficaciter, verè tamen, & serio intendit, ac desiderat, vsu venit.

CERTA

CERTAMEN II.

De adultis ad rationis vsum peruenientibus placita & deciſio.

1. REfertur in hac quæſt. de aliquorum adultorum à gratia, ſufficienti etiam reprobatione error Armacani lib. de quęſtionib. Armenorum q. 27 aſſerẽtis, aliquorum hominum peccata, æque atque peccata Dæmonum, lege à Deo lata eſſe irremiſſibilia: quare ea Dei lege, & decreto ſtante hominibus, qui ea peccata admiſerint auxilium ſufficiens denegari: cum nullum illi Dei abſoluto decreto prævalere abſolute poſſit ad remiſſionem eorum peccatorum, & ſalutem, quæ abſque remiſſione eorum obtineri abſolute nequit; eam ſententiam errorem in fide cenſent, multiſq; confutant S. Th. 3. p. q. 86. a. 1. Domi. Soto 1. de natur. & grat. c. 18 Vega lib. 13. in Concil. Trid. à c. 1. Vaſq. d. 97. c. 1. Quod ſi de lege decretum Dei de non remittendis eiuſmodi peccatis inuoluente Armacanus (vt verba ſonant) intelligatur, merito eam cenſuram ſubiuit: cum ad peccatores omnes illud Matt. 11 ſerio, nec illuſoriè dirigatur. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Ac ſæpè ſcriptura abſolute, ac indefinitè quare & vniuerſaliter, clamet Deum nolle peccatorem perire, ſed potius, vt conuertatur ad Deum & viuat. Neque vllus eſt ſcripturæ locus qui errori huic faueat vt docte præfati DD. oſtendunt, videréque eſt apud rigidiſſimum locorum ſcripturæ. & Patrum ad rem ſcholaſticam interpretem Vaſq. cit. etenim illud 1. Ioannis 5. *eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, vt roget quis*, non quidem abſolute, ſed cum tanta fiducia conſequendi, cum qua dixerat immediatè orandum pro non peccantibus ad mortem, vt Hieron. Dialog. 2. contra Iouinianum, & Caiet. ad eum locum, quos Vaſquez laudat, & ſequitur c. 1. n. 3. §. *Mihi verò*: item Matt. 12. *qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Quidquid enim hic per peccatum ad mortem & verbum contra Spiritum Sanctum intelligatur, & de irremiſſione futura eorum (quod huius loci non eſt) intelligantur, ſolam continent ea loca irremiſſionis prædictionem, (quæ cum ſufficiente abſolutè medio, & gratia ad obtinendam remiſſionem non pugnat) non autem abſolutam ex lege, & decreto Dei eorum peccatorum irremiſſibilitatem. Tertius locus ad Hebræ. 6. *Impoſſibile enim eſt eos, qui ſemel illuminati guſtauerunt etiam donum cæleſte, &c & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* Sed tamen illud impoſſibile tantundem, ac difficile, valere docte, & acutè intellexit Anſelm. vt Ioan. 5. *Quomodo vos poteſtis credere*, & c. 12. *non poterant credere*, id quod ex contextu eius, & ſequentis capitis proſundè & clarè oſtendit. Et ſanè quod valde difficile eſt, cum iure, tum communi hominum æſtimatione pro impoſſibili haberi, & tale appellari vulgarius eſt, quam, vt pluribus probetur.

2. Nonnullis diu iniquis, & in peccato obduratis in anteactorum peccatorum pœnam auxilia, non ſolum efficacia, ſed ſufficientia, proxima ad pœnitentiam, & implenda præcepta & intentionum victoriam aliquando. & aliquandiu, nec per breuem vitæ periodum, à Deo denegari, ab eiſque excludi ac reprobari ſubdubius videtur fuiſſe Henric. quodlib. 8. q. 5. magis in id quam in oppoſitum propendens: docuere autẽ expreſſe Abulenſis in c. 4. Matt. c. 11. Greg. Arim. in 1. d. 46. q. vn circa ſolut. 3. impugnatione ſolutionis 2. Caiet. in c. 19. Ioan. ad id, *Non poterant credere*. Roſſens a. 16. contra Lutherum Ruard. Tap a. 7. pag. 254. vti Patribus confirmius: tametſi oppoſitum magis pium eſſe fateatur. Sunt autem in hac ſententia tria animaduertenda. Primum non admitti ab eius Doctorib. omnimodam reprobationem à gratia omni, & medio ſufficienti ad ſalutem, ſiquidem ad priora illa peccata, quibus aſſueuerunt, obdurueruntq; & in quorum pœnam priuati deinceps ſufficientibus auxilia ſunt, vitanda, auxilia ſufficientia eis adfuiſſe fatentur, ac proinde eos ab omni prorſus auxilio gratiæ excluſos fuiſſe negant. Quod ipſum in ſuo illo errore de aliquorum peccatorum admiſſorum irremiſſibilitate ex lege, & decreto Dei Armacanus etiam ſupponit, & admittit: ſecundo Doctores illi, etiam poſt peccata illa pluries obdurate, & obſtinatè peccantium reprobationem à gratia ſufficiente omni, & per totum vitæ tempus reliquum non aſſerunt, ſed aliquandiu ſolum, per tempus, etſi non admodum breue: in quo ab aliis Doctoribus diſcordant: etenim breui aliquo tempore præfatos homines ſufficienti etiam ad ſalutem auxilio, idque in peccatorum pœnam, deſtitui experimento notum omnibus eſt: ſiquidem plerique ex eis ſine anteactorum ipſis ad ſalutem neceſſariæ, actuali memoria vlla, cogitationeque pœnitentiæ ipſis ad ſalutem neceſſariæ, aut præceptorum Dei continua aliquandiu per tempus breue, nec ſemel tantum in vita, ſed pluries vitam degunt, vt illud *ego ſto ad oſtium* & pulſo, non de continua pulſatione internis auxiliis (quæ abſq; immiſſis cogitationibus eſſe prorſus nequit) non interrupta ſed phyſicè momentis ſingulis continuata intelligi niſi experientia ipſa reluctante minimè poſſit. Sed vt bene Vaſq. docet, atque explicat c. 5. n. 26. exemplo hominis ad oſtium alterius pulſantis, qui non continuis, ac nunquam interruptis tunſionibus pulſat, ſed poſt primam pulſationem tantillum expectat, an reſpondeant quod ni fecerint, iterum ac ſi deinceps iterum, atque iterum pulſat; quarum pulſationum numerus, & interruptionis diuturnitas taxatio, & ſcientia penes Deum ſolum eſt: poteritque eſſe ob præfata peccata, cum ad vitæ medium, tum ad finem, & quæ cum peccatoris, qui anteactæ vltimæ vocationi, & internæ pulſationi Dei ad pœnitentiam: & ſalutem non reſpondit, & vel vi morbi, & periculi, aut aliorum deinceps ad alia omnino diſtractus moritur, iuſtiſſima damnatione coniungetur. Porrò mora pulſandi, & vocandi ſufficienter ad vitæ medium obduratis in peccatis anteactæ vitæ etiam prædeſtinatis, qui ad eius finem reſipiſcunt non ſemel contingit, vt experientia etiam compertum eſt. Sed præfati Doctores de reprobis in poſtrema vitæ parte, ne ſufficienter quidem vocatis ob anteacta peccata, poſt quæ nullatenus ſufficienter ad pœnitentiam, obſeruationemque mandatorum vocentur, videntur loqui.

3. Tertia de adultis in re præſente ſententia eſt: neminem, adhuc barbarum, atque in ſyluis degentem ſufficienti gratia, & medio abſolutè tali ad ſalutem deſtitui, tametſi proximo auxilio & gratia ſufficiente ad fidem, ac ſubinde ad ſalutem plures ex barbaris illis deſtituantur, vt eſt manifeſtum: quando quidem de fide Chriſti, aſit in Deum, eorum pluribus, ne cogitatio quidem, ſine qua gratia, & auxilium ſufficiens ad fidem eſſe non poteſt, nuſquam occurrit. De auxilio vero; & gratia proxima ad pœnitentiam de peccatis admiſſis tametſi non intuito, ac ſine phyſica interruptione omnibus etiam fidelibus adſit experimentis quotidianis notum eſſe nuper oſtendebamus; aſt exceptis illis, qui ſtatim in peccati pœnam ſubito obeunt, vel interimuntur atque à Deo illicito damnantur, cæliquos omnes, qui poſt admiſſum mortale aliquandiu viuunt, auxilio, & vocatione ſufficiente gratiæ ſuæ ad pœnitentiam & ſalutem per ipſum abſolutè ab eis aſſequibilem à Deo ſufficienter proximè vocari. Hanc ſententiam cum diſtinctionibus præfatis multa eruditione & meditatione Theologica docet Vaſquez noſter citata diſputatione 97. à capite 3. ac deinceps in eius vero ſententiæ parte prima de auxilio, & gratia ſufficienti abſolute remota tamen non proxima à qua adultorum nullus dicitur excluſus duo continentur. Alterum negatiuum, nempe adultis pluribus gratiam, & auxilium proximum ad fidem & ſalutem non dari: quod in infidelibus pluribus vt dixi mus patet, ac de quo ſubinde nulla Theologis controuerſia eſſe poſſit. Alterum poſitiuum, nempe auxilium & gratiæ remotè ſaltem ſufficientem ad ſalutem adultis omnibus collatam à Deo fuiſſe. Ex cuius bono vſu fieret, vt proximiora ad fidem & ſalutem auxilia & media ſufficientia ſaltem & quandoque etiam efficacia ipſi demum conferrentur, vt eo etiam ſenſu verum illud ſit axioma, *facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.* Quocirca cum axioma illud plures, non ex Maſſilienſibus, & Semipelagianis ſolum, ſed etiam ex ſcholaſticis Theologis de faciente, quod in ſe, ac de ſe ſolum eſt, ex naturæ viribus variis modis

quibus semipelagianismum vitari arbitrantur, intelligant (quem tamen vt eo loco vidimus non vitant) cauendum hic est, ne remotum illud auxilium, & medium sufficiens ad salutem prorsus naturale, ac debitum naturæ, eiusque naturali omnino cursui, & dispositioni esse admittatur, non autem, aliquatenus saltem, & indebitum, & quod Christi meritis debeatur, alioqui enim semipelagianismus non vitabitur, vt citato loco monstrauimus.

4. Sit ergo prima conclusio. Nemo adultus ab auxilio, & gratia, remote saltem, sufficiente ad salutem exclusus, ac reprobatus à Deo fuit. Huic conclusioni nemo Theologorum aduersatur, immò verò consentiunt, quotquot ea de re disputarunt. Alexander 3. p. q. 69 m. 3 a. 1. adult. & 2. p. q. 112. m. 8. casu 1. S. Thom. q. 14. de veritate a. 11. ad 1. S. Bonau. in 3. d. 25. a. 1 q. 2. ad vltim. Durand. ibi q. 1. n. 9. Gabriel in 2. q. 12. a. 3. dub. 1. Adrianus quodlit. 4. a. 1. principali pun. 2. Sotus 2. de natura, & gratia cap. 12. fine, & in 4. d. 5. q. 1. a. 3. fine Vasquez proxime, & posteriores reliqui ac postremo Quiros d. 19. de prædestinat. sect. 5. tam etsi male id ad paruulos decedentes sine baptismo extender. Est expressa sententia Pauli Orosij Augustino coætanei Apologia pro arbitrij libertate longè ante med. scribentis, *Mea semper hæc fidelis, atque indubitata sententia: Deum adiutorium suum, non solum in corpore suo, quod est Ecclesia: cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur, verum etiam in vniuersis in hoc Mundo gentibus propter longanimem sui, æternamque clementiam subministrare. Non, vt tu asseris cum discipulo tuo Cælestio: cum iam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura conuicta est, ex solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter vniuersis vnam gratiam contributam; sed speciatim quotidie per tempora per momenta, per atomos, & cunctis, & singulis ministrare.* Vbi amplius docet, quam nunc intendamus, & quod dicendis certam. 3. inseruiet: subdit verò, *quantum ergo de Dei adutorio gaudeam, per id metire, quod ministrari per singula, etiam gentibus probo: vt manifestum nobis esset, quam vsque in finem cauere, & quem fine cessatione inuocare debemus:* infrà: *itaque cum videas hominibus ignaris tantum diaboli incubuisse nequitiam in disperdendum, nullam hinc credis Dei in custodiendo gratiam præluisse?* Post pauca. *At verò, vt adesse adiutorium Dei, & per singula, & per singulos manifestius probes,* attendendum ait, illud quod Iob. 1. diabolus verissime dixit. *Nonne tu vallasti eum* ac post multa in sententiam eandem concludit. *Ex quo euidentissimè declaratum est nemini hominum deesse adiutorium: præsertim, cum seductor insistat, & insistit infirmitas.* Etsi autem de auxilio sufficienti proximo ad fidem pœnitentiam de peccatis admissis, an omnibus, & singulis concedatur mens Augustini explorata pro parte affirmante non sit, immò pro negatiua videatur stare, (de quo certam. 3.) de remoto vero auxilio sufficiente nemini negauit; immò verò iis quibus proximum negauit remotum illis ipsis locis concessit. Atque hanc eius fuisse sententiam de auxilio sufficienti remotè saltem ad salutem adultis omnibus à Deo prouiso vel inde satis claret quod eius discipuli & indiuidui asseclæ Prosper & Fulgentius eidem sententiæ constanter insistat.

5. Prosper igitur à suo præceptore Augustino, vbique in hanc materiam, & disputationem incidit, Dei adiutorium & auxilium gratiæ omnibus nationibus, earumque hominibus singulis à Deo collatū, quod obinde generale vocat, expresse docet 1. de vocat. gentium cap. 21. alias 7. lib. 2. cap. 13. alias 5 cap. 19. 20. & 23. lib. 7. cap. 25. alias 7. ex quo recitanda hæc opportune erunt. Quibus, præter conclusionis assertionem, præcauentur, quæ eius veritatem obscurare, eamque in deteriorum aliquem sensum possent detorquere. *Siue igitur nouissima contemplemur sæcula, seu prima, seu media notabiliter, & pie credatur, omnes homines saluos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam Dei beneficiis, eaque prouidentia Dei, quam vniuersis generationibus communiter, atque indifferenter impendit: fuerunt enim, & sunt huiusmodi dona ita generalia, vt per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adiuuari: quibus donis authorem suum per omnia sæcula protestantibus specialis gratiæ largitas superfusa est,* subiungit verò. *Deo autem placuit hanc multis tribuere, & illam à nemine subtrahere.* Specialis vero nomine gratiæ efficacem intelligit ad quærendum verum Deum, credendumque vera fide ac deinceps consequendam iustitiam de facto, ac demum salutem. Quam gratiam multis à Deo datam ait, diuitisque à gratia sufficiente, & communi, quam omnibus asserit à Deo concessam, & merito quidem nomen quippe specialis gratiæ, siue proximæ, siue remotè, solum efficaci gratiæ Theologis tribuitur: quia specialitas & maioritas indiuidualis, vel intentionis vnius gratiæ sufficientis præ alia ad gratiæ indiuidualia physica, de quibus nihil sciri scientia, vel doctrina Theologica docere potest, omnino spectant: quocirca in huius loci, & alterius ex Fulgentio statim recitandi à Vasq. interpretatione discordo, suspicatur enim c. 3. n. 20. versu *Tamen*, gratiæ specialis nomine nonnullis multisque concessæ, ac non omnibus, gratiam internæ vocationis, seu inspirationis ad bonum, alteram vero, non specialis: sed communis omnibus adultis datæ, externorum signorum, & beneficiorum gratiā Prosperum intellexisse: sed (præterquam quod specialis gratiæ nomen non pro interna quavis à Theologis, & Patribus sed pro efficaci solum vsurpata est, vt dixi, neque eo nomine ab aliquo eorum gratia internæ inspirationis ab externa diuisa vsquam fuit, sed frequentibus, & notissimis nominibus gratiæ internæ, & externæ ab eis semper diuisarum, externa signa, & beneficia quæuis, nisi per cogitionem, & iudicium de eorum æstimabilitate, & debito obsequio conferenti adultis ratione vtentibus (de quibus eis locis Prosper agebat) nihilo magis, quam infantibus ante vsum rationis correptive perpetuò à natiuitate, atque natura constitutione stupidis, & amentibus media, sufficient a adhuc remota ad salutem esse possunt: cum tamen hisce media sufficientia esse nequeant: consonat Fulgent. ep. 7. scribens. *Sicut medico nulla est incurabilis plaga, nec ullo aliquo tempore cælestis potest deficere medicina.* Quæ remotum saltem medium ad salutem sufficiens ad sui veritatem requirunt. Quæ non reprobant Augustt. testimonia ex lib. expositionis quarund. propos. in epist. ad Rom. c 62. & de prædestinatione & gratia, capite 15. de quibus cert. 3.

6. Porrò ex scriptura hęc conclusio de auxilio sufficienti, saltem remotè, ad salutem à Deo prouiso adultis ad vsum rationis peruenientibus omnibus & singulis probari solet ex 2. ad Timot. *vult omnes homines saluos fieri* quod de desiderio, vero, & serio salutis adultorum saltem à patribus, & Theologis communiter accipitur. tale autem esse non potest, ni de sufficientia saltem aliquo medio ad salutem omnibus prouideatur: verum etsi ex prouisione sufficientis medij ad salutem, verum desiderium salutis in Deo demonstretur: non autem contra ex desiderio salutis sufficientis absolute medij ad ipsam prouisio à Deo fluere colligitur, vt dicebamus cert. 1. n. 8. nec ius probatur ex illo ad Rom. 2 quod omnibus dictum, nec solum illis, à Paulo fuit. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autē duritiam tuam, &c.* Diuitiæ autem bonitatis, & benignitatis, ac misericordiæ Dei à peditissimis quibusque, & obduratissimis peccatoribus media auxilia, ac remedia sufficientia, gradu saltem remoto, ex quo accessu industriæ nostræ, sufficiens proxime posset adquiri ad salutem sunt; quæ contemnuntur ab ipsis cui non respondendo, contemptus autem, maxime vitiosus, & ex dutitia cordis, absolutam donationem ac receptionem medij, & auxilij neglecti, & præ cordis duritia contempti essentialiter supponit: cum medij, & auxilij solum possibilis, necdum dati, remediique sufficientis, nec dum absolutè appliciti, contemptus duritiave in eius non vsu seu ab vsu esse minime de facto possit. Probatur 1. ex 10 ad Rom. dicente. *Non est distinctio Iudæi & Græci* (quorum nomine Barbaras omnium gentium nationes, quod Dei de earum salute desiderium, & prouidentiam intellexit.) *Nam idem Dominus diues in omnes, qui inuocant eum. omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Ne autem gentes, quæ non Deum inuocant, in eumve credunt distinctionem Iudæorum ab ipsis, fusque excusationem prætendant, quod eum non inuocauerint, nec potuerint, cum nullum adhuc remotum principium ipsum inuocandi, in eumque credendi eis adfuerit, hanc eorum excusationem sibi obiecit. *Quomodo inuocabunt, in quem non credi-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diderunt ? aut quomodo credent, sine prædicante ? Respondet autem verbis Psalmi. 18. *Et quidem in omnem terram exiuit. Sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Quorum ? eorum nimirum de quibus psalmus ille loquebatur, nempe: *Cæli narrant gloriam Dei, & opera manuum eius enuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vnde constat, plurium Patrum interpretationem de de sensu mystico prædicationis Apostolorum à Paulo ibi intento, vt omnis terræ nomine tota Palestina, in qua iam tunc Apostoli prædicauerant, & scripturæ phrasi omnis, vel vniuersa terra dicitur: vel stylo Prophetico futura in vniuerso ab Apostolis prædicatio præteriti voce ab Apostolo prænuntietur, bonam quidem accommodatitie esse, aut litteræ rigore de prædicatione cœlorum, atque operum Dei harmonia in vniuerso, eiusque successiuus motibus constantia, ac permanentia, Paulum sicuti, & Psalmistam fuisse locutos, præfata contextus obseruatio, & explicatio demõstrat, vt docte censêt Iansenius in eum Psalmum, & Vasquez d. 97. cap. 5. num. 30. §. *Hæc vero expositione.* Id quod ex locis aliis Pauli epistolæ eiusdem cap. 1. firmatur. Ait enim num. 18. *Reuelatur enim ira Dei super omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit; inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, vt sint inexcusabiles: quia, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum* vbi perpende, *veritatem Dei in iustitia detinent*: & illud, *cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt*, Scilicet: quia notitia eis ex vniuersi structura, non naturalis solum, sine admixtione supernaturalis modi adiuncti, vt iustitiam seruare, atque actus illos religionis, & gratitudinis possent absolute exercere, atque ita ad vlteriorem gratiam fidei, & iustificationis disponi, detinuerunt iniustitia, & debitos illos actus religionis, & gratitudinis primæ illi Dei notitiæ non annuendo, atque eam euacuando, atque ob inde insipientiæ, idolatriæ, atque ignominiæ passionibus, quas statim recensêt, traditi à Deo sunt. Constat ergo ex Paulo remotum saltem salutis principium mediumque sufficiens adultis omnibus præstitum à Deo fuisse. Vnde supernaturalitas gratiæ quoad modum, in auxilio naturali, quoad substantiam, satis superque apparet.

7. Probat autem rursus sufficientis medij, remoti saltem ad salutẽ ex naturalis dictaminis rationis vltra exigentiam, & facultatem naturæ, à Deo cunctis gentibus, quãtumuis barbaris, ad vsũ rationis peruenientibus prouisionem. *quia cum iustitiæ Dei* (id est operum honestatẽ, & turpitudinem) *cognouissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia* (turpia & ignominiosa) *agunt, digni sunt morte*: quod vtique intellexissent, ni insipientiæ ob dictaminis primi ex Dei prouidentia speciali, & naturæ, quo ad modum saltem, indebita contẽptum traderentur: ita caput illud concludit. cap. verò 2. idem argumentum dictaminis rationis aliunde persequitur: nempe ex iudicio de præuiso aliorum actionibus, quas nemo ad rationis vsum peruenieus in aliis non damnat: ergo possent inde absolutè eas in se vitare, ac non inhonestè, sed ex honestate operari, atque ad vlteriorem fidei iustificationis, ac demum salutis, gratiam peruenire, ac proinde nemini eorum adultorum excusationis locus, quominus ad fidem, & reliquas gratias peruenerint, locus patet: cum ex recto medij illius remote sufficientis vsu potuerint ad illas peruenire. Hanc habet emphasim capitis eius secundi initium. *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum te ipsum condemnas eadem enim agis quæ iudicas.* Subdit autem num. 3. *Existimas autem hoc ô homo qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei ?* Subiungit vero. *An diuitias* &c. Quod expendimus ex parte alia, atque ex contextus eius filo vim etiam recipit hoc iustitutum inferius verò pergit: sine acceptione personarum Iudæi, aut Græci huiusue excusatione de suis malefactis, quod legem scriptam Iudæorum non acceperit esse à Deo rectissimè exercendum, cuius dignam Paulo rationem reddit, non sane aliam quam deriuat atque explicuimus) num. 14. *cum enim gentes, quæ legem* (scriptam) *non habent naturaliter* (quoad substantiam) *ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum.*

8. Porro assertioni huic de auxiljo sufficienti, saltem remoto, constanter insistit, Augustinus ibi etiam, vbi sufficiens auxilium proximum aliquibus obduratissimis peccatoribus (vt Pharaoni) creditur denegasse, cap. enim 62. libri expositionis quarundam propositionum in epistolam ad Roman. ait: *Sicut illa misericordia præcedens fidei tribuitur, merito & ipsa induratio præcedentis impietatis: cum tamen homini liberum non auferatur arbitrium, siue ad credendum Deo, siue ad impietatem, vt consequatur nos iudicium.* Quod saltem de remoto medio sufficienti ætl fidem cuius abusu impietas, ob quam indurationis, siue auxilij efficacis, siue sufficientis etiam proximi de negatione incurritur, necessario intelligendum est. similiter debet de sufficienti, saltem remoto, intelligi illud de prædestinat. & grat. cap. 15. de Pharaone, & Nabuchodonosore. *Hic manum Domini sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio.* De Pharaone vero solo dixerat cap. 14. *Patientia Dei ei valere debuit ad salutem, qua differens iustum, meritúmque supplicium, miraculorum verbera crebra dẽsabat. Nunquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere.* Quod de potestate per auxilium sufficiens, remotum saltem verificari, vt minimum, debet pro anteriori tempore, in quo ob vsum eius prauum, obdurationem cordis per sufficientis etiam, si velis, auxilij denegationem, tempore posteriori fuerit promeritus, ex quo loco patet illud excitato cap. 62. libri præfati expositionis propositionum in epistolam ad Romanos huic conclusioni non officere, sed prodesse eius sunt verba. *Non ergo hoc illi* (Pharaoni) *imputatur, quod tunc non obtemperauit: quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia talem se præbuit cui cor obduraretur.* Neque aduersatur, sed fauet conclusioni illud eiusdem Augustini de gratia Dei cap. 11. sub medium. *Si autem hoc adiutorium gratiæ, vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta fuerat, vt sine diuino adiutorio posset permanere, si vellet, non vtique sua culpa cecidisset: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. Nunc autem, quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est.* Vtrobique ergo fatetur abusum medij, & auxilij remote sufficientis ad peccatum vitandum, ob quod auxilio gratiæ sufficienti etiamsi placet, à Deo puniuntur, sed expressius adhuc 19. de ciuit. cap. 13.

9. Eandem conclusionem supponunt & probant idem Augustinus, Prosper, Fulgentius & alij certam, recitandi, imo, & recitati tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. *Deum non deserere hominem prius, quàm ab ipso deseratur.* quocunque illud sensu explicatur; similiter & proloquium Theologicum de quo d. 4. *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Quouis etiam modo intellectum: id enim conclusionis huius nihil refert. Tertiò probatur ex vehementi desiderio diuino salutis omnium, ex quo de eorum malis culpæ vehementer dolet, atque ad eorum supplicia æternumque interitum venit, immò trahitur inuictus, vt de voluntatis Dei de omnium salute vehementia & ardore agentes dicebamus controuersi. 4. d. 6. de diuinæ voluntatis actibus erga creata obiecta: etsi enim verum, seriumque desiderium salutis, absolutè tamen inefficax, actualem motionem ad electionem, & applicationem medij adhuc sufficientis ad salutem non inferat, quia vim solum motiuam, non autem determinatiuam ad medij alicuius electionem, & appetitionem importat; aſt valde à Deo ardens desiderium, atque in scripturis proclamatur, & quod præfatos effectus doloris, & violentiæ (eo modo, quo in Deo admitti possunt, & debent) cum de negatione auxilij, medijque sufficientis, saltem remotè, ad salutem nequit plane consistere: maximè respectu adultorum, qui propria culpa damnantur, & pereunt: de

quibus præsertim ea scripturæ loca expresse loquuntur. Quo enim desiderio salutis eorum de ipsorum peccatis dolebit Deus,& ingemiscet,inuitusque ad æternæ mortis, & damnationis supplicia, non trahi quidem, sed venire credetur: ex quo tamen desiderio nullum, remotissimum adhuc, auxilium sufficiens ad eorum malorum fugam, & salutis consecutionem elegerit, ipsique applicuerit? ea igitur omnia illusorie proclamata à Deo videbuntur, ni aliquo gradu saltem remoto, auxilij sufficientis ad salutem electione, & appositione eorum salutem in manu,& arbitrio ipsorum posuerit: qua item veritate, & fronte cum impiis, ac reprobis adultis omnibus de sua misericordia ipsorumque malitia iudicio contenderet verbis illis Isai. 5.num. 3. *Iudicate inter me, & vineam meam, quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* vltra scilicet enumerata, factaque extrinsecus à Deo, ac vineæ,id est populo, & animæ cuiuis applicita, vt fructum salutis ferret,ac produceret. Certe ni sufficiens,saltem remotè, adiutorium gratiæ suæ exhibuisset illi, atque applicuisset, facile aliquid vltra facere debuisse illum ad fructum salutis ab ipso percipiendum impius,ac reprobus quisque responderet: cum ad eum finem necessaria ad illum,& sine quibus obtineri nullatenus possit, debeant adhiberi,non præstito autem remoto saltem principio, & adiutorio gratiæ Dei,nullo sēsu necessaria ad salutem absolutè à Deo facta præstitaue à Deo sunt, vt non quatenus ex Deo,ac Domino vineæ est, sed vino solum vineæ, seu hominis ipsius, fructus eius bonus, & salutis deficiat.

10. Si autem remotum adiutorium, & auxilium gratiæ sufficiens ad actum aliquem honestum, ex eiusque bono vsu per actus illius elici etiam saltem sufficientia, reliqua proximiora ad salutem conferentur, quæ ob prauum eius auxilij vsum,& peccatum impio denegantur, præstitit sane de sese Deus, quod ad eum fructum, & salutem de se debuit impiis,ac reprobis donare: vitioque ipsi, vt patet, suo, ac non defectu alicuius, quod Deus ad eum fructum, & salutem de sese solum facere,& apponere absolute debuit;tametsi nō de se solum,sed ob eorum peccatū proximiora ad saluté sufficiētia etiam media denegauerit:quare recte cum impio,ac reprobo quouis,cui sufficientia etiam reliqua fructui,& saluti media, & auxilia proximiora obinde negaret posset iudicio contendere,& ipsum superare: & sanè eo æquiori iure cum impiis ac reprobis Deus ex eo capite certaret,quo vltra sufficientiam physicam physice etiam maiora auxilia saltem remota eis adhiberit, vt constat ex glebę (in qua vinea illa plantata, & facta est) vbertate,feracitate,ac fortitudine,vt significant verba illa numeri 1. *vineæ facta est dilecto meo in cornu,*(in fortiori, & fœcundiori fundi parte)*filio olei*, pinguissima scilicet,& *plantauit eam electam*, cùm ex plantationis solo,& profunditate, tum ex palmitum generositate, vtrinque talem, vt spem iis attentis intenti fructus vberrimi certam fere facerent, ni extrinsecus à bestiis & furibus diripientibus, inuaderetur:cui malo vitando, & *sepiuit eam*,vtque nulla eius vitis lapidibus, ne altas ageret radices, impediretur, *lapides elegit ex ea*:nec de reliquo cura alia supereſſet,nisi receptaculi,& torcularis,quibus botri exprimerentur, seruarenturque mustum, & vinum, ideo *ædificauit turrim in medio eius,& extraxit in ea torcular*. Et quamuis videam hæc litteræ rigore de synagoga, atq; Ecclesia Christiana, cuius illa vmbra, & figura fuit potissimum dicta scriptaque fuisse: ast ad gentes omnes extendi sua proportione non dubito,quorum Deus Dominus,ac bonus, benignusque est:ac de quo quamuis ad auxilia, adhuc sufficientia, liber prorsus sit) eiusque bonitate præcise sumpta nullaque ex parte nostri demeriti,& indignitatis occasione exhibita sufficientia omnia etiam remotissima, auxilia alicui denegasse adulto, nisi ex reuelatione, deprehensaque in aliquo experientia,quæ plane absunt,adsuntque potius opposita, credere impium sane foret:quod confirmatur ex illatione voluntatis Dei de omnium salute,eo quod vnus omnium Dominus Deus sit, & pro omnibus Christus mortuus fuerit;quæ ad auxilij, saltem remoti sufficientis donationem æquam vim habent. Denique Paulus ad Romanos 1.2.& 20. non solum conclusionem, sed & rationem nobis dedit ex creaturis, vniuersique huius structura mirabili Deum, non proclamantibus solum, sed menti, sensibusque ipsis Dei notitiam ingentibus,atque ex naturalis rationis dictamine de honestis, turpibusque actionibus,cunctis hominibus rationis naturalis vsu valentibus, quibus se vltra earum causarum exigentiam, & facultatem supernaturali, quoad modum saltem, prouidentia de omnium eorum salute sese Deus adiungit, vt honestum exequi,ac turpia vitare, Deum agnoscere, ac reuereri absolute possint, ac sic demum ad supernaturalem fidem, & salutem progredi, ac peruenire.

CERTAMEN III.

De sufficienti proximo ad fidem, & salutem auxilio conclusio postrema.

1 DE proximo sufficienti auxilio reprobis cunctis adultis, siue ad fidem, siue ad peccatorum antea eorum pœnitentiam prouiso, vel secus, à Deo Augustinus,eiusque discipuli difficilem fecere decisionem, & scio quidem plura eorum testimonia pro aliquorum reproborum ab eiusmodi auxilio proxime sufficienti ad fidem, & pœnitentiam exclusione circumferri, quibus eiusmodi exclusio, ne apparenter quidem, contineatur. Tale est illud Aug.ex 1. ad Simplician q.2. *Ad alios, vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Cui sententiæ consonat de prædestinatione Sanctorum cap.6. & 8.de bono perseuerantiæ cap.8.& 14.de prædestinatione & gratia cap.15. de natura, & gratia cap.18.Enchirid. cap.103. Sed tamen cum Dei vocationem (in qua semper gratiam Dei constituit, quæ nobis absolutam facit antecedentem,vt minimum, potestatem) illos etiam attigit, ac proinde vocatos absolute esse ac rite dici posse tantur,auxilium sufficiens vt responderent, atque absolutam proinde annuendi,& respondendi ex Dei gratia potestate in ipsis recognoscit:quare consequentem,& auxilij efficacis proprium eis denegat potestatem, qua non vocati solum,sed electi(vt à vocatis tantum differunt) constituuntur,& sunt,ex quibus statim illos fuisse negat.De obduratione item & excæcatione aliquorum, vt Pharaonis,& Populi Iudaici)plura ex Augustino (& scriptura etiam possent) & Patribus passim illorum etiam à sufficienti auxilio exclusione.Sed vidimus tamen cum sufficientibus auxiliis stare excæcationem, & obdurationem: quare ea omnia pro exclusione excæcatorum, & obduratorum à sufficienti etiam auxilio nihil præstant. Apparentior pro ea exclusione est sententia illa Augustini ad articulos sibi falsò impositos(ni Prosperi ex illius doctrina liber ille sit) ad art.7.dicentis, *Qui* (Deus) *nisi prius deseratur, neminem deserit, & plures ad se conuertit*:quam sententiam ad verbum etiam recitat Prosper ad obiectiones Vincentianas respons.7.Fulgent.1. ad monim. cap. 13. *Iuste deseritur a Deo,qui deserit Deum*:& Triden.sess.6.cap 11. *Deus namque sua gratia iustificatos non deserit, nisi ab eis deseratur*. c.13. *in Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debent, Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerit, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Cum autem nisi exceptiua vox sit, affirmat, quod reliqua oratione negatur:tentandemque valet,ac Deus deserit desertores. Quod autem desertio hæc perfufficientis etiam, auxilij denegatione à Deo fiat,videtur Prosper expressisse respons.15.ad obiect. Vincent. *Nemini,ait Deus correctionis adimit viam; neque quemquam bonæ possibilitate deponiat:quia,qui se à Deo diuertit, ipse, & velle, quod habuit, & posse sibi abstulit*: quod nisi auxilij sufficientis negatione debita,sibi auferre non potuit.

2, Hæc tamen multo ex capite debilitantur. Primò enim *nisi*, non semper habet exceptiuā vim,sed designatiuā conditionis,sine qua non aliquid agendum,quin ea posita asseratur, statuaturue agēdū illud esse,quod hic enuncia re constat. Cum plures desertores non deseri à Deo, sed conuerti Augustinus,& Prosper affirment:quod exceptiua vi,& significatu vocis *nisi* verum non haberet. Secundò: quia

quia de negatione auxilij efficacis, plus satis misere, aut infœliciter homo à Deo deseritur: At instat Vasquez cap. 2. num 14. §. *Respondere posset aliquis*, de negatione auxilij, & gratiæ primæ efficacis ad primum bonum opus faciendum, vitandumque primum peccatum deseri à interpretatione hominem à Deo; quem tamen prius homo non deserit, aut deseruit contra præfatam Patrum, & Tridentini sententiam. Respondetur tamen, iuxta hanc interpretationem, agi in ea sententia de desertione propria eorum, quibus Deus iam adfuerat aliquomodo per gratiam suam, siue iustificantem, vt primo loco Tridentini, siue auxiliantem, vt testimoniis reliquis; desertio enim discessionem ab eo, cui aliquatenus coniunctus desertor erat, proprietate sermonis significat ac proinde in denegatione auxilij, primæque gratiæ efficacis locum desertio propria non habet, in ordine seu materia gratiæ, cum nullam supponat Dei in eo ordine, & materia homini, cui denegatur, Dei assistentiam, & coniunctionem; sicut auxilij efficacis secundi denegatio ob prauum vsum primi sufficientis, quo Deus adfuit peccatori, quem vlterioris efficacis denegatione iuste, vt aiebat Fulgentius deserit Deus: vt sensus sit: Deus à nemine cui gratia, siue auxiliante, siue iustificante semel adfuit, de negatione vlterioris auxilij efficacis discedit, nisi ob prauum vsum sufficientis prioris: quod ipse efficax sua culpa absolute non reddit: ac proinde iustissimè à Deo, grauique ex causa & occasione data à Deo ita deseritur. Tertio, Vasquez noster cap. 6. num. 35. §. *Verba autem concilij*, desertionem hanc Dei de gratia non quidem auxiliante præuentiue, seu præueniente & operante sua siue ex se, & motiuè intentionaliter, sed de cooperante intelligit, quæ non conuertentibus se ad Deum deficit, iuxta Hugonem Victor. tract. 2. summ sent. cap. 3. & 1. de sacram. p. 5. cap. 24. Quod si gratiam cooperantem realiter diuersam ab excitante, & præueniente, atque de se motiue intentionaliter, & sua siue operante, ac circa voluntatem negotiante pro priori ad huius determinationem intelligat (vt videtur innuere) male respondet ac interpretatur: nam reuera gratia illa, ita ex se operans, & voluntatis determinationem præueniens, eademmet cooperans gratia Dei in eo, qui ei annuit, & cooperatur, solaque denominatio ab eius, & voluntatis operatione, & cooperatione differens gratiæ, & auxilij eiusdem est.

3. Ea verò entitatiua identitate auxilij, quod vtrique denominationi subiectum sæpè esse, esseque semper potest, admissa, solutio, & interpretatio solida est, & verissima: & qua tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. Proloquium hoc Patrum, *Deus neminem deserit, nisi prius ab ipso deseratur* contra decreta prædeterminatiua actuum liberorum instruebamus: etenim gratia, & auxilium Dei ita de se intentionaliter suadens, vt intentionaliter sollicitans voluntatem ad eius consensum, & determinationem nusquam motione, & suasione sua illam determinans, ad determinationem, & consensum voluntatis ipsius libertati, arbitrioque, quoad vsum, & operationem despoticè. Subditur, ac subiicitur (vt sæpè docuimus) vt ad identicam operationem, seu cooperationem (qua cooperans gratia, & auxilium cum voluntate sit, ac denominetur) ab eius voluntate, & arbitrio trahatur. Vnde fit realiter formaliter verum sit, gratiam voluntati identice cooperari, vel non cooperari cum voluntate, non ex sui ad alterum determinatione sed ex arbitrio, & libertate voluntatis, cui eius determinatus vsus, & operatio, & non operatio auxilij, & gratiæ collatione ipsa à Deo permissa, atque commissa fuit. Vnde fit, vt, quia voluntas pro suo arbitrio, & libertate auxilio gratiæ præuenientis sufficienti non annuit, & consentit, nec iuxta eius motionem intentionalem, & suasionem in bonum operatur, auxilium, & gratia sufficiens ipsi voluntati nec operetur in bonum, nec cooperans sit; non autem contra, quia auxilium, & gratia non operantur in bonum, voluntatem in illud non operari, neque auxilio cooperari: ac subinde verum, certumque, prius nos gratiæ deficere, Deumque vocantem deserere, quam ipse, eiusque gratia cooperans, & in cooperando nos deserant: quod expressè videtur vtrobique Tridentinum, sed maxime datis verbis ex cap. 13. *in Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debent*: vtique, vt fidissimo, tutissimoque ex parte sui præsidio, & adiutorio nostro, per quod, quominus bonum velimus; & operemur nullatenus stabit. *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum* auxilio præuenienti, quod nobis, quo ad vsum permisit, & commisit, *ita perficiet operans velle & perficere*, quoad totum, quod nostræ potestatis, & voluntatis est, à cuius arbitrio, & libera determinatione auxilium ad illa sufficiens, & cum illa absolutè potens, nequit resistere: quibus quidquid ex *nisi* & *prius* siue coniunctim siue separatim opponi posset euanescit: desertores autem plures, quos non deseri à Deo, ait Augustinus, de desertione explicata per non cooperationem non intelligit: in qua iuxta hanc interpretationem omnis Deum deserens à Deo deseritur, & illud *nisi* vim *exceptiuæ* habet, sed de sectione vlterion per denegationem auxilij efficacis, vt conuertantur; quod pluribus tamen primo modo desertis Deus sæpe donat. illud Fulgentij: *iuste deseritur à Deo, qui deserit Deum*; non ita facilem habet explicatum de desertione à Deo per denegationem gratiæ cooperantis, si illud iustè desertionem à Deo ex motiuo, & merito desertionis Dei ab homine, cum negatio operationis hominis negationi cooperationis Dei identificetur: quare desertione per denegationem auxilij vlterioris efficacis, vt conuertatur prius deserens, deberet intelligi. Verum si *iuste* non accipiatur propriè, & positiue ex parte Dei deserentis, sed negatiue, & ex parte hominis desertoris, vt tantundem valeat iniuste, atque absque vlla ratione, & inique contra Deum aget, & queretur, quod Deus negatione cooperationis, seu cooperantiis gratiæ ipsum deseruerit, cum eius negationis cooperationis Dei, & auxilij præuenientis præstiti tota tota causa homo ipse fuerit, cuius voluntati, & arbitrio auxilij illius operatio, seu identica cooperatio fuit à Deo commissa, vt explicuimus. Et hic est apertus prosperi sensus responsione illa 15. ad obiection. Vincentianam; vbi expresse ait, neminem *à Deo boni possibilitate* dispoliari: id est pœnitentia absoluta ad bonum, quæ sufficienti, vt minimum, auxilio constituitur; sed qui se à Deo diuertit ipse sibi (non Deus, qui boni potentiam omnibus tribuit, sufficienti suo auxilio, vt minimum adstans, & *velle bonum, & posse* (quod quidem in sensu diuiso à peccato solummodo est) peccati admissione *sibi abstulit*.

4 Sed quamuis præfata Augustini, & Patrum testimonia eas satis probabiles expositiones habeant. Sunt Patrum, & præcipue Augustini, testimonia adeo difficilia, vt Doctores, eruditioresque Theologi probabilem desperent interpretationem, ne exclusionem adultorum à gratiæ auxilio, adhuc sufficienti, proximo ad fidem, & pœnitentiam per tempus aliquod vitæ, & viæ suæ, nec momentaneum, sed notabile, exclusionem docuerint Isidorus de summo bono cap. 25. *Nonnulli ita à Deo despiciuntur, vt deplorare sua mala non possint*. Auxilio vero sufficienti possent deplorare: ergo negatur eis à Deo auxilium sufficiens iuxta Isidorum. Secundo pone illud *despiciuntur*: valet enim idem, ac curam Deus, seu prouidentiam eorum in ordine ad salutem deponit, atque obiicit. Quemadmodum, & nos eorum, quæ despectui habemus curam omnem abiicimus: illudque verbum *à Deo* hunc Dei de ipsorum salute neglectum, & incuriam totalem esse, adhuc de sufficientibus, ad pœnitentiam. Eis prouideat, & Augustini verba expositionis quarundam propositionum in epistolam ad Rom. cap. 62. de Pharaone à nobis recitata sunt certam. 2. num. 8. pro aliquotum adultorum à gratia etiam sufficiente exclusione, ac reprobatione vrgentissima. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperauit; quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia talem se præbuit, cui cor obduraretur*. Vasquez noster testimonij huius solutionem, quam vellet, ne Augustinum (cuius in spectantibus ad gratiam fidissimus interpres, & discipulus est, sententiæ suæ haberet aduersum omnino desperat cita. d. 97. c. 2. & c. 6. Daza vero insignis eius discipulus, magusque meus magister moralem quandam impossibilem credendi Pharaoni factam obdurationem cordis ob anteriora peccata ab Augustino assertam censet, ob quam credendi, fideique defectus adeo minus peccatum fuerit respectu anterioris infidelitatis ad eam obdurationem, & moralem credendi impossibilitatem, vt illius comparatione sumpta, & spectata posterior infidelitas obdurati iam Pharaonis imputabilis non sit æstimanda; tametsi imputabilis in se solum, absque ea comparatione sumpta, & spectata absolutè sit,

tè sit. Sed tamen comparatiuus hic sensus verbis,& sententiæ Augustini est prorsus aduersus.Siquidem vtriusque infidelitatis Pharaonis ante, & post cordis obdurationem mentione facta posteriorem in se imputabilem ad culpam absolute negat,solumque in causa obdurationis,scilicet infidelitate priori, imputabilem esse ait. Moralis autem illa impossibilitas, vel eiusmodi est, quæ abstulerit absolutam potestatem credendi Pharaoni, vel secus. Si primum, defuisse illi auxilium sufficiens proximum ad fidem ex sententia Augustini fateberis. Si secundum sententiæ aduersaberis. Eidem sententiæ suæ senior iam, & Episcopus factus insistit Augustinus verbis etiam à nobis recitatis certam.2.num.8. dè gratia Dei cap.11. *Si autem hôc adiutorium* (gratiæ) *vel Angelo,vel homini,quam primum facti sum, defuisset,quoniam non talis natura facta erat,qua sine diuino adiutorio* (sufficienti saltem) *posset permanere, si vellet non vtique sua culpa cecidisset:adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. Nunc autem quibus deest tale adiutorium* (vtique sufficiens) *iam pena peccati est*: deest ergo aliquibus ex sententia Augustini in peccati penam.

5. Dicendum nobis est auxilia sufficientia etiam ad fidem vel pœnitentiam proxima, ac subinde ad salutem proximiora,nonnullis adultis postquam ad vsum rationis peruenerunt (paucis tamen) in anteactorum peccatorum pœnam per notabile etiam tempus denegari,eosque exinde à gratia etiam sufficiente reprobari. Consentio Henrico,Abulensi,Gregorio, Caietano,Roffensi,Ruardo,Tapper citatis certam.2.num 2. tametsi aduersér præcipuis magistris meis,Gabrieli Vasquez,& Didaco Daza, Vasquianisque reliquis. In rebus quippe, quæ ad gratiam Dei spectant, primum nusquamque humana pure authoritate deferendum præceptorem habeo Augustinum, qui à Deo pro hac conclusione apertus stat,vt vidimus,& profundissimus, ingeniosissimusque eius vbiuis interpres Vasquez fatetur.Probatur vlterius conclusio : quia in pœnam peccatorum, in quibus præsertim reprobi aliquot diu obstinati vixerunt, per breuissimum aliquod tempus aliquando teste Vasquez auxiliis sufficientibus etiam,à Deo priuantur, vel periculo imminentis mortis toti intenti, vel eius metu,& horrore ita correpti,& attoniti,vt nihil de pœnitentia,atque animi salute cogitent,ne dum attendant;tametsi adsint fideles, & Sacerdotes ipsis de peccatorum pœnitentia, & animi salute inclamantes : id quod denuntiatione capitalis sententiæ sanis, valentibusque prorsus reis sæpe contingere experti sæpe sumus,qui eos vt se bene,& salubriter ad subeundam mortem disponerent iuuimus:vt mirum præ certæ mortis horrore attoniti pœnitentiæ & salutarium aliorum exhortationes, nescio an audiant certe non attendant:& in vtriq; tuporis vel omnimodæ ad mortem imminentem diuertionis tempus non instantaneum moraliter ad huc,sed notabile, quadrantis,horæ, & dici quandoque integri esse experimur;in quo cogitatio,& auxilium sufficiens proxime ad pœnitentiam, & salutem nec habet locum,nec habere potest:ergo si is horror,& totalis ad imminentem mortem attentio eum sufficiente cogitatione, & auxilio ad salutem incompossibilis per totum illud spatium in anteactorum peccatorum pœnam, immò plurium dierum phrænesis, & habitualis amentia donetur, diu multumque in via, ac vita sufficientis etiam, auxilij proximi denegatione improbus, reprobusque punietur,& iustissime punietur vt Augustinus aiebat.Dices quæstionem non esse de stupidis,amenibus,aut alio totaliter attentis,arbsorptisque,quin de salute,& pœnitentia cogitent,sed cum in ea cogitatione stet auxilium sufficiens, quæstio tua ineptissima erit; an scilicet homo cum auxilio sufficienti proximo ad salutem, cum illud habet, carere illo possit?id est an duo contradictoria possint esse simul?& tu sane ipse fateri debes per breuiculum tempus ex totali animi ad alia diuersione,atque obliuione salutis peccatores reprobos moribundos auxilij sufficientis cum ea auersione,& obliuione incompossibilis denegatione à Deo puniri,ac subinde damnari.Secúdo impossibilitas illa cogitandi de salute amplius per amentiam, & stuporem habitualem, quantumuis diuturnam vsque ad vitæ finem à Deo immissa in penam peccati continet voluntatem Dei, vt nihil cogitet de salute,æque atque,si ea non immissa impossibilitate vellet,vt nihil toto illo tepore cogitaret in anteactorú peccatorum, & obstinationis pœnam. Demum, vt alij audiant, & attendant cogitationi internæ,atque vltra causarum naturalem exigentiam, gratia, etiam sufficiens requisit, vt supernaturalis, quoad modum sit, & in anteactorum pœnam iuste denegabitur?

6. Secundo probatur conclusio ex 1. ad Rom. num. 22.verbis illis datis certam. 2. num. 7. quibus dicitur de Ethnicis, *qui cum* (Philosophi) *Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, nec gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis,& (in huius pœnam) obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt,& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominum, & volucrum, & quadrupedum & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelits turpitudinum afficiant corpora sua in semetipsis* eorum vero abominationibus enumeratis subdit. &, *sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*, quod tantundem valet, atque *obscuratum est cor insipiens eorum*, id est permissi sunt à Deo in errorem inuincibiliter cadere, vt nulla eis ratio deinceps agnoscat, quæ principium resipiscendi esse possit : iuicantes,cum idololatriam, tum vitia,in quæ ignominiosis suis passionibus aguntur,non solum peccata non esse sed esse etiam licita, vt bene Cornelius noster explicans illud in reprobum sensum. Vbi ergo cum errore, & indicio hoc cogitatio, & auxilium sufficiens credendi, colendique verum Deum, & pœnitentiæ de peccatis ponit in eis ethnicis consistere ? ergo ob peccata sua à gratia, etiam sufficienti proxima ad salutem reprobati diu à Deo fuerunt, & iuxta Paulum excluſi. Et quamuis hoc modo obscuratum cor Pharaonis, ipseque in reprobum sensum à Deo traditur, credi verò similiter nequeat, cum semper Moysis signa, & miracula sui magnitudine, excellentia, & notorietate, & multitudine Magorum signa, longe superarent; alia vero ratione eum credere non potuisse absolute, ac proinde fuisse ab auxilio sufficienti proximo ad fidem, obedientiam Dei, ac pœnitentiam reprobatum, atque in anterioris obstinationis pœnam à Deo excluſum, aliunde Augustinus docet.Nempe ex animi, & voluntatis obstirmatione ad non credendum obediendum, ac pœnitendum de peccatis, quæ à Deo efficax esse potest, vt eis etiam signa visa ilmoueri à præconcepto proposito infidelitatis, inobedientiæ &c. cogitationibus credenti, obedienti, lubortis absolute non posset, ac prinde illæ in circunstantiis sufficientes proximè ad eos actus,& salutem Pharaoni ita in actu iam secundo ex parte sui obdurato, non fuerint,quæ ante obstinatum, & obstirmatum illud propositum sufficientes fuerunt, & proinde & hoc propositum in se imputabile ad culpam fuit; infidelitas verò, & inobedientia eiusmodi propositum subsecuta, non in se,sed in illo,vt in causa,fuerint imputabiles. Cum autem etiam ea obstirmatione, & obduratione Pharaonis ex parte sua, & propositi præconcepti non obstante non solum sufficientes aliæ cognitationes, vt ab eo abstitere posset, sed efficaces etiam Deo suppeterent, atque in eius omnipotentia clauderentur: vtrisque Pharaonem priuare pœna illius propositi, & obstinationis liberæ tamdiu perseuerantis, iustissima, & si grauissima, fuit.

7. Sed opponit Vasquez noster. Priuatio auxilij, & gratiæ sufficientis proximè ad fidem pœnitentiam ac salutem, etsi absolutè esse à Deo possit (alioqui eius collatio gratia non foret) ast de facto in adulto aliquo fuisse credi,nisi è Dei reuelatione, de eius bonitate, benignitate,& misericordia, nequit : at nulla de eo reuelatio est : sin ostendat(inquit) nobis Augustinus vbinam scripturarum, aut Apostolicæ traditionis ad ipsum,nosque vsque in excellentia Dei peruulgatæ, ea Dei reuelatio extet : immò verò de oppolito videtur reuelatio extare ex vera, seriaque salutis omnium (ad vltorum præsertim) voluntate, ac desiderio vbinis sacrarum scripturarum expresso : vt de prouidentia auxilij, & gratiæ remote saltem sufficientis respectu adultorum dicebamus,arguebamusque certam. 2. num. 9. ergo nulli adulto, in quocunque statu viæ ac vitæ finæ negatum à Deo de facto est auxilium, & gratia proxima sufficiens

sufficiens ad fidem pœnitentiam & salutem. Nihil probat argumentum. Etsi enim de Deo, eiusque bonitate solummodo inspecta, & salutis omnium desiderio, ita sane iudicare, ac credere debeamus, vt in potestate adulti cuiusuis ipsius salutem absolute posuerit, ac proinde, quod eam non assequatur, penes ipsum demum absolute fuerit, ac non penes Deum, idque absque prouisione auxilij sufficientis à Deo præstiti sit impossibile; tamen collatione auxilij sufficientis remotè, vt honestè operetur adultus, sicque ad proximiora, & proximiora recipienda perueniat, satis à Deo præstatur, cum autem remoto illo auxilio, quo reliqua bono arbitrij sui vsu posset adquirere, abutens peccat, atque vlterioribus ad salutem proximioribus se indignum reddit, iam non sola Dei bonitas, & benignitas, salutisque adulti voluntas, & desiderium ad gratiæ auxilij collationem Dei menti oberrant; sed indignitas etiam peccatoris ob quam gratia omni proximiori, proximiori ad salutem non obstante Dei bonitate, nullaque eius derogatione & iactura, iustissimè poterit priuari, de factoque in sententia Vasquez per tempus, saltem breue, reprobi nonnulli ad vitæ extremum priuantur, barbarique plures, quibus veri Dei, & fidei lux ob anteacta peccata contra naturale rationis dictamen, nusquam affulsit, & paruulorum absque baptismo obeuntium salutem ex ea etiam bonitate verè; ac serio desiderat; & tamen eorum pluribus de remedio sufficienti, adhuc remotius, ad salutem Deus in Vasquez sententia non prouidet, vt vidimus. Sat ergo bonitati, & desiderio vero, ac seriò salutis adultorum erit remoti auxilij prouisio, ex qua industria, bonoque vsu ad proximiora & proximiora, fidei, iustificationi, & saluti possint peruenire. Opponunt à ratione Vasquez, & assecla: sine gratia sufficiente nec boni moraliter quidquam agere possumus, nec quidquam moralis mali vitare potestate adhuc antecedente: ergo, cui Deus auxilium, etiam sufficiens, denegauerit non poterit peccare. Concedit consequentiam Augustinus in Pharaone, concedereque debent obiectantes in reprobis peccatoribus, qui ad alia toti intenti nihil de pœnitentia, & animi salute cogitantes obeunt diem. Sed de antecedenti magna nobis disceptatio futura tom. 1. de ente supernaturali contro. de gratia auxiliante, aliunde, quam hactenus fuerit, antecedens illud à Doctoribus, in vtramque partem versatum: pendet enim eius decisio ex ea quæstione: an notitia legis, quatenus ad inducendam obligationem præcise requiritur, sit gratia aliquo modo supernaturalis, & per Christum? quam magister meus Daza multa eruditione, & ingenio excitauit, atque illustrauit.

QVÆSTIO III.

De essentia reprobationis à gratia communiter acceptæ à Theologis, & prædestinationi omninò aduersantis.

REprobationem à gratia omnino, & quasi è diametro, & contrariè prædestinationi aduersam, eam appello, quæ à gratia solum efficaci exclusio, & reprobatio est: quemadmodum prædestinatio gratiæ solummodo efficacis præparatio in diuina præsentia, & voluntate est: atque eo sensu & acceptione de reprobatione à Theologis communius, magisque ex instituto disputatur, quam de reprobatione à gratia etiam sufficiente; quare eo sensu acceptæ reprobationis explicanda hic essentia &, vt aiunt quidditas ex instituto erit; tametsi obiter (tanquam de re faciliori) de essentia reprobationis à sufficienti etiam gratia dicetur.

CERTAMEN I.

Reprobationis à gratia, etiam sufficiente, essentia statuitur: atque ad propriæ reprobationis essentiam statuendam notata.

1. CVm reprobationis essentia actum liberũ voluntatis Dei de gratia, siue sufficiente, siue efficaci, denegãda rationali creaturæ, vt minimum includat, neque atque, nisi ex scientia aliqua cum gratiæ denegandæ, cum creaturæ, cui deneganda gratia est, à Deo haberi. de vtraque reprobatione examinandum erit, quamnam scientiam, vel denegandæ gratiæ, vel rationalis creaturæ, cui deneganda alterutra gratia est ineludat, vel essentialiter supponat: ad eum modum, quo de prædestinationis essentia agentes examinabamus. Quocirca triplicis Dei scientiæ circa obiectum vtrumuis refricandã hic memoria erit: simplicis intelligentiæ qua, & subiecti reprobandi à gratia possibilitas, atque item possibilitas gratiæ, & essentialis eius, ac intrinseca ad salutem conducentia repræsentetur. Visionis item, qua vtriusque absoluta existentia à Deo cognoscitur, media, quid futurum, etsi contingenter & libere in creatura, & à creatura rationali determinate sit, Deo innotescit: & scientiam visionis de absoluta gratiæ existentia; vel eius absoluta negatione ad neutram reprobationem, siue vt eius constitutiuum, siue vt quid præsuppositum, requiri perspicuum est: siquidem neutrius gratiæ existentia absoluta est, quare neque visionis scientia, sed potius absolutæ negationis visio: quæ cum voluntatem absolutam non conferendi gratiam creaturæ illi rationali, qua voluntate reprobatio à gratiæ, vel adæquatè, vel saltem, completiuè constituitur, nequit reprobationem à gratia constituere, neque ad illam supponi.

2. De scientia autem simplicis intelligentiæ creaturæ rationalis scientia ad vtramque reprobationem à gratia supponi, non autem ipsam ingredi æquè certum est. Supponi quidem: quia, cum voluntas Dei à gratia alterutra excludendi, ac reprobandi, ex quocunque motiuo à Deo habeatur, libera Deo sit, & chimæra omnis, seu impossibile se ipso ab existentia & subinde possibilitate recipiendi gratiam sit exclusum, nec ex libera Dei voluntate pendeat, vt ab ea excludatur, sit scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate creaturæ rationalis ab alterutra gratia reprobandæ, atque excludendæ ad voluntatem liberam Dei de eius exclusione, & (quod idem est) reprobationem prærequiri? Dices id non inferri; sed solum scientiam de creaturæ excludendæ à gratia, & reprobandæ impossibilitate non posse ad reprobationem præsupponi; satis tamen esse præsupponi scientiam de creatura reprobanda præscindentem ab eius possibilitate vt à gratia alterutra eam velit Deus excludere: contrà verò, quia nequit non creatura reprobanda à gratia imparticulari secundum suam entitatem physicam & metaphysicam id est coniunctionem, & complexum metaphysicum omnium suorum prædicatorum essentialium à supremo genere vsque ad individuale inclusiue prænosci, alioqui non hæc creatura sed vel alia, vel nulla à gratia excludetur, atque in entitate hac physica, & metaphysica ex his omnibus prædicatis metaphysicè essentialiter conflatæ creaturæ stat ipsius possibilitas essentialiter, & à nobis etiam impræscindibiliter inclusa sicut in coniuncto prædicatorum chimeræ essentialis, & impræscindibilis impossibilitas ipsius: ergo nequit esse nisi chimærica scientia Dei de creatura hac ab eius possibilitate præscindens. Secundo ex parte voluntatis huius liberæ Dei excludendi hanc creaturam à gratia confutatur euasio. Est siquidem voluntas efficax priuationis eius à gratia, quæ nisi ex possibilitate, cum priuationis, tum subiecti quod possit gratiam habere, & priuationem pati, haberi à Deo repu-

gnat;esto præscindens illa scientia,à creaturæ possibilitate esse in Deo posset.

3. De scientia vero visionis creaturæ rationalis ab alterutra gratia excludendæ, ac reprobandæ dicendum est, ad eius reprobationem præsupponi; non autem ingredi reprobationem. Primum patet ex dictis controu. 6. de Prouid. & 7. de Prædestinat. Etenim reprobatio hæc ab alterutra libera proxime est, ac proinde ex parte actus primi debet Deus supponi potens proximè ad prouidendum creaturæ illi rationali de mediis, siue auxiliis gratiæ alterutrius, siue sufficientis siue efficacis, vel excludendum creaturam illam à gratia alterutra:atqui, vt citatis locis ostendimus, nequit prouidere Deus de alterutra gratia creaturæ alicui, ni prius eam absolutè existentem supponat, ac præuideat: ergo neque illam à gratia alterutra reprobare, ni ipsius absolutam existentiam viderit ac præuenerit: ac proinde ad reprobationem cuiusuis creaturæ rationalis à gratia alterutra necessario illius absolutæ existentiæ visio diuina præsupponitur vt prima parte nostræ assertionis dicebamus. Inde vero secunda eius assertionis pars facile monstratur, eam scilicet scientiam reprobationem ingredi minimè posse: nihil enim essentialiter præsuppositum, & necessario ad aliud prærequisitum huius essentiam ingredi potest. Et de præfatis scientiis simplicis intelligentiæ, & visionis hactenus dicta reprobatione vtrique à gratia, tam sufficiente, quam efficace communia sunt, & æquè pro alterutra facilia, sicuti & quod ad vtramque scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate, cùm gratiæ, tum negationis eius debeat, vt minimum præsupponi: alioqui enim libere exclusionem creaturæ rationalis ab alterutra Deus velle non posset.

4. An verò scientia hæc de possibilitate gratiæ, ac negationis eius alterutram reprobationem, vel vtramque ingrediatur;anue ingrediatur, vel supponatur saltē ad alterutram, vel vtramque scientia media dubitari potest? & quo ad reprobationem à gratia de qua fusius,& communius à Theologis disputatur, efficace subtilior, prolixiorque disputatio est certa, à nobis habenda. De reprobatione vero à gratia, sufficiente etiam, res est circa vtramque facilior: dicendumque proinde in ea scientiam mediam in eam reprobationem non ingredi, neque ad eam supponi certum id, atque indubitatum Theologis est. Probatur,quia eiusmodi reprobatione, seu voluntate denegandi,etiam auxilia sufficientia, non intenditur, nec agitur,curaturue à Deo de futuritione, vel non futuritione libera consensus boni à potentia libera creaturæ rationalis sub ea sufficientis auxilij negatione, sub qua impotens ad bonum consensum creatura illa est, ac proinde non libera & indifferens in actu primo ad bonum consensum, vel eius negationem,sed ad eius negationem antecedenter necessitata:ergo nec negationis eius, quæ sola determinate, & necessario necessitate antecedenti ab ea creatura erit, scientia media inde sub negatione auxilij,& gratiæ omnis esse poterit,ac subinde neque ad eam negationem gratiæ omnis decernendam, atque suo existentiæ modo apponendam potest nequiri: alioqui ad possibilis existentiam requireretur ex parte actus primi veri,& realis chimericum aliquid,& impossibile;quod est idem, atque possibibile aliquid constitui per aliquid impossibile, aperta nimirum, & amente contradictione.

3. Dicendum est secundo Reprobationem à gratia sufficienti scientia simplicis intelligentiæ, ne inadæquate, constituì,sed solum eam,vt diximus,supponere. Probatur quia voluntas efficax denegandi auxilium sufficiens, si sola satis certitudinis & infallibilitatis intrinsece habet; cum, vt neque auxilium absolute sufficiens sit, sed potius eius negatio, tum, vt non sit potentia in actu primo ad consensum bonum potens,ac indifferens,tum,vt eius consensus negatio determinate sit absolute:atqui certitudinis, & infallibilitatis intrinsecæ reprobationi huic horum trium, vel alicuius ex ipsis, titulo solum poterat requiri scientia simplicis intelligentiæ; vt quid reprobationem hanc inadæquate adhuc constituens: ergo nullatenus,vt inadæquate eā constituens,eam constituit aut ingreditur; tametsi ad eam necessario supponatur, vt numero 3. sub finem ostendebamus. Cõfirmatur,& explicatur hæc ratio,ac simul occurritur obiectioni, quæ ex dictis de intrinseca institutione prædestinationis per scientiam mediam poterat desumi, tametsi necessario voluntas, & electio auxilij efficacis prædestinatiua illam, vt sui directiuam præsupponat.Etenim quia prædestinatio certa & infallibilis atque infrustrabilis effectu suo,nempe consensu bono intrinsecus esse debet, neque id habeat, ex auxilio efficaci extrinsecus solum & entitatiue, ac intrinsece indifferente, neque ex efficaci voluntate antecedenti boni consensus idcirco ad prædestinationis essentiam constituendam adscisci tur,vt cum electione efficaci auxilij, quam dirigat, prædestinationem constituat: quæ proinde ab Augustino & Theologis cunctis definiatur præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur, cum ergo voluntas reprobatiua ab auxilio sufficienti, per scientiam simplicis intelligentiæ directa se sola certitudinem, infallibilitatem, atque infrustabilitatem intrinsecam effectuum suorum omnium, quos concernit,habeat, vt vidimus non est vnde ad eiusmodi prouidentiam constituendam intrinsecus possit aduocari.

CERTAMEN I.

Reprobationis prædestinationi contrariæ, & vulgatioris essentia examinatur.

1 DIxi quæstionis præfatione reprobationem hanc esse reprobationem solummodo à gratia efficaci; sicut ex aduerso præparatio gratiæ solummodo efficacis prædestinatio est huius solum reprobationis essentia vides à Theologis disputari,vt de alterius reprobationis à gratia,sufficienti etiam, essentia (de qua nos cert. 1.) ne verbum quidem apud Theologos videriat: cum de illa etiam Theologum instrui oporteret. Circa præfatas autem reprobationes à gratia efficaci, qui methodum non adeo, ac nos, religiose moralisque dicunt) obseruant, suntque paululum clarioris difficultatum diuinis incuriosi, plura referunt hîc placita,atque per otium & quandoque otiose confutant, quæ, vel alibi confuta præcedere deberent, vel essent postmodum, ac forsim propriis sedibus disputanda. Eiusmodi sunt: an scientia media de consensus negatione Deo ita reprobanti adsit absolute contra Dominicanorum recentiorum nouam (iudicio meo scholam thomisticam,eiusque principia phisicæ prædeterminationis, & intrinsecæ auxilium efficaciæ; quod supponi ex dictis de scientia media debet,quam disputari. Tale etiam est: an reprobatio hæc à gratia efficaci voluntatē excludendi reprobum à gloria, & regno absolute supponat,siue efficacem,siue inefficacē sicut prædestinatio salutis prædestinati supponit voluntatem? Hoc tamen præsentis quæstionis non est, sed sequentis, vbi de causis, & prærequisitis ex parte Dei ad reprobationem alicuius à gratia efficaci agetur. Data vero possibilitate; imo, & existentia, antecedentis illius voluntatis damnando; & excludendi reprobum à gloria siue efficacis,siue inefficacis, sicut gloriæ prædestinati antecedens voluntas in Deo admittitur, excludendam eam à reprobationis intrinseca, & essentiali constitutione,sicut de intentione gloriæ à prædestinatione diximus, manifestum est.

2. Quoniam vero reprobatio, cum à gratia, tum à gloria dicitur,circa eius essentiam,æco marte, atque Augustinus debatarum, vt aiunt, more plures Doctores digladiantur idcirco ad eos terminos quæstionem rediго, cui nemo aequiuocatione duplicis reprobationis possit impertinēter respondere:cum de reprobatione à gratia efficaci ad salutem expetēsis terminis rogemus, eiusque determinatam essentiam quæramus. Vnde constat nostrum Herice disp. 23. cap.32. cap. 2. plures intellectus, & voluntatis actus,ad essentiam reprobationis statuendam enumerasse quam, ad præsentem quæstionem de essentia reprobationis,à gratia efficaci cõtrariantis prædestinationi opportunè teret. Nempe iudicium de dignitate pœnæ,& damnationi

nis æternæ propter peccatum finale reprobi emortui absolute præuisum, atque item voluntatem efficacem Dei de exclusione absolutè, & executiue reprobi à gloria & additione eius inferno, æternisque cruciatibus, in quo iudicio solo reprobationem totam constituit, quam ita constitutam actus præfatus voluntatis quasi eius effectus, posterius sequatur; quæ dubio procul extra præsentem quæstionem sunt, atque ex confusione, & indistinctione duplicis reprobationis, tum à gratia, tum à gloria sunt dicta intempestiue, & de reprobatione, adhuc à gloria, quo ad exclusionem voluntatis præfatæ ab essentia reprobationis falso, & debili fundamento dicuntur ab Herize, & pro sua sententia, & ratione Molina. Soar. & Arrubal falso referuntur.

3. Ait enim reprobationem proprietate vocis ad actum iudicij pertinere, quo ob falsitatem eius obiecto dissentimur: quasi proprietate sermonis dissensus, & consensus voluntatis actibus non conueniat, vel iudicium, & dissensus ille à reprobo, ratione falsitatis, ac non potius malitiæ, & indignitatis moralis in Deo sit; immo vero actu potius voluntatis iudicium illud subsecutæ realiter formaliter Deo intrinsecæ reprobi à regno, & damnatio tota claudatur; quæ ex rei natura, atque secluso Dei pacto, & statuto, eo etiam iudicio posito, non esse absolute posset: vti respectu peccatoris in via, quandoque prædestinati, iudicium de dignitate exclusionis eius à gloria, & damnationis æternæ ob lethale admissum Deo sæpe adest, & tamē non adest absoluta illius à gloria exclusio, quia ad illud iudicium non est actus voluntatis de eius à gloria exclusione subsequutus, quoniam pro delinquentibus in via statutum non est, vt à gloria excludantur, & damnentur. Adde non adeo strictam Dei legem pro obeuntibus in mortali absolutè esse, vt quandoque suas non patiatur exceptiones: vt de voluntario suspendio, ac proinde in peccato absolutè mortuis aliquot Sanctorum precibus ad vitam excitatis, vt è fide dignis historiis vitæ S. Martini, & S. nostri Ignatij constat: locus autem ex S. Thoma. quæst. 6. de veritate art. 1. ad vltimum, cui Herize inuenitur contra eum expressus est. Ait enim: *nisi forte dicatur reprobare idem quod iudicare indignum*; quod ita dici aliquo modo posse significat; cum tamen dixisset reprobationem ex ratione sui nominis magis pertinere ad voluntatem.

4. Ad præsentem verò quæstionem in terminis propius veniens Herize à num. 10. ac suo illi principio insistens ex parte, at sibi etiam ex parte aduersus docet. Primo: reprobationem omnem ab auxilio efficaci supponere peccati indignitatem absolutam, siue dignitatem absolutam carendi auxilio efficaci ex parte reprobi, quia alias non est ex parte obiecti motiuum, & ratio ob quam à gratia excluditur efficaci, & quam reprobatio omnis proprietate sermonis essentialiter supponit, ac concernit, vnde infert actum voluntatis permissiuæ peccati, siue denegandi primum auxilium efficax anterius ad primum peccatum reprobi non esse proprie reprobationem à gratia efficaci; aut voluntatem permissiuam, seu denegandi auxilia efficacia vlteriora post primum peccatum à reprobo admissum, esse proprie reprobationem à gratia efficaci de qua disputamus. In parte hac postrema sibi, ac doctrinæ suæ de reprobatione à gloria nuper à nobis impugnatæ aduersatur. Etenim ad actum voluntatis excludendi reprobum à gratia efficaci ob admissum peccatum, & dignitatem carendi vlteriori auxilio efficaci ad salutem præcedit iudicium diuinum de dignitate reprobi ob peccatum anterius admissum carendi efficaci auxilio vlteriori ad salutem, æque omnino, atque ad voluntatem excludendi absolute, & executiuè à gloria, & damnandi reprobum præcedit iudicium dignitatis finalis excludendi illum à gloria, & damnandi. Ergo vtraque reprobatio stat in iudicio illo antecedente actum voluntatis, si (vt hic auctor vult) proprietate sermonis iudicium illud de debita pœna ob peccati indignitatem solum possit esse reprobatio. Certè in eo principio, quod ad reprobationem, tum à gratia, tum etiam à gloria quæ actu voluntatis alterutram denegandi iuxta Theologos constat, vel completur) propriè accepta indignitatē antecedi peccati ex parte reprobi illiusq; scientiam absolutam prærequirit, ac proinde voluntatem exclusiuam à prima gratia efficaci ante omne peccatum, nec esse, nec dici proprietate sermonis reprobationem, conuenit Heze cum nostro etiam Molina prima p. d. 23. ar. 3. §. *an vero permissio peccati.*

5. Molinæ fundamentum à reliquis acceptum pro eo leuissimum est principio. Nempe: reprobatio proprietate sermonis approbationi opponitur: approbatio autem, siue intellectus, siue voluntatis, quæcumque supponit dignitatem approbati: ergo & reprobatio omnis propria supponit indignitatem reprobati: id quod ex Pauli locis ad Hebr. Sexto, & ad Corinth. 9. confirmat. Sed licet verū id, & robur habeat, cum ex iure, vel quasi iure, approbādi aut reprobādi ad aliquid approbatio aut reprobatio eius ad illud aliquid est: ac proinde cum præmiū quoduis, aut supplicium creaturæ rationali est amandum vel conferendum; at vero, non qua præmium, aut supplicium, sed ex mea libertate, & arbitio amandum bonum aliquod alicui, vel eius negatio est, approbatio eius ad bonum, vel reprobatio eius ab illo nullam eius dignitatem, aut indignitatem supponit. Sin corrige Paulum ad rem, quam versamus scribentem de Iacobo & Esau. *Antequam quidquam boni egissent, aut mali, dictum est* (à Deo Rebecæ) *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Et quotidie homines, qui alicui de bonis suis, nulla dignitate recepturi: aut indignitate non recepturi attenta, sed pro suo libito, & bene placito volunt dare, vel non dare, voluntate non dandi illum à suis donis reliciunt, ac reprobant; dandi vero voluntate ad sua approbant dona. Ac demum, cum de reprobatione prædestinationi contraria agamus, atque prædestinatio non supponat per Catholicos Doctores dignitatem, sui meritum, titulumue vllum; nec reprobatio demeritum ex parte reprobi præsupponit. Si ergo prædestinationem, seu præparatiuam gratiæ efficacis voluntatem Dei respectu prædestinati; approbationem prædestinati ad gratiam efficacem, tametsi nulla ex parte eius dignitas, meritum perexiguumue præcedat esse admittas, voluntatem Dei de gratia efficaci deneganda reprobo ante omnem eius indignitatem, reprobationem propriam esse cogeris fateri. Si verò illam approbationem propriam esse neges satis, in quæstione de re, habebitur, si voluntas denegandi reprobo absque præsupposita eius indignitate auxilia efficacia reprobatio eo modo esse admittatur, quo voluntas de oppositio, scilicet dandi efficacia auxilia prædestinato absque vllo eius merito approbatio esse asseratur.

6. Aliunde vero Arrubal disputatione 88. & 89. voluntatem denegandi auxilium efficax, siue denegationis primi efficacis auxilij reprobo ante omnem ipsius peccatum, & indignitatem à ratione reprobationis prædestinationi aduersantis, ac contrariè opposita exclusio, solumque talem esse admisit eam, quæ ob indignitatem anteacti peccati admissi concipitur, habeturque à Deo in eius peccati pœnam, vt enim opposito modo prædestinationi reprobatio se habeat, oportet, vt non solum effectu, & obiecto, sed fine, ob quem hoc Deus vult reprobo, sese reprobatio prædestinationi opponat: aut nequit opponi ex fine prædestinationi seu voluntati conferendi auxilium efficax prædestinato, ex fine, & intentione gloriæ voluntas denegandi auxilium efficax reprobo, nisi ex intentione damnationis, & excludendi illum à gloria à Deo habeatur: ergo nec opponi voluntas hæc omnino, & contrarie prædestinationi potest, nisi præsupposito reprobi peccato & dignitate carendi auxilio efficaci. Probat consequentiam: quia damnatio, interitusque, & exclusio reprobi à gloria nequit à Deo amari, inefficaciter adhuc, nisi ob eius peccatum admissum, ac præsuppositum; ergo neque eo fine, & intentione negatio auxilij efficacis reprobo ante omne eius mortale eligi à Deo potest, & apponi principium hoc, ex quo Dei voluntatem denegationis primæ auxilij efficacis reprobo ante omne eius mortale à reprobatione exclusit Arrubal, posuit primus Molina citatus, cui annuit postea Soarius lib. 5. capit. 7. num. 6. sed vterque ideo voluntatem denegationis auxilij efficacis non solum primi & anterioris ad peccatum reprobi, sed omnium primo, &

reliquis peccatis reprobi posteriorum reprobatione omnino,& regione prædestinationi opposita maiori prudentia,meliorique Theologia,& consequentia exclusit:quia, vt ostendam q. 3. Deus nulli reprobo, quantumuis iterato (ne dum primum) peccanti) ex intentione executionis à gloria, & damnationis eius auxilij efficacis priuationem pro vitæ huius & viæ statu decreuit;tametsi in ante acti peccati,& innumerorum anteriorum pœnam ipsi à Deo decernatur.

7. Soarius in postremo hoc firmus ex communi sibi principio cum Molina postea ab Arrubale, vt vidimus, admisso duplicem reprobationem distinxit, positiuam scilicet, & negatiuam, & primam positiuam, vt reprobatio propria, atque è regione omnino prædestinationi aduersa, & contraria sit, vt ex opposito fine prædestinationi, & intentione scilicet exclusionis à gloria, & damnationis reprobi à Deo habeatur opus prorsus esse quæ respectu, iterato etiam peccantis, reprobi viatores haberi à Deo nequit, vt ex ipso retulimus, suppositumque ex dicendis q. 3. negatiuam vero vocat voluntatem denegandi efficacia auxilia reprobo, siue permittendi eius peccatum, quæ oritur ex defectu efficacis intentionis gloriæ reprobi.Distinctionem eandem eiusque membra alij,&alij aliter & aliter explicant. Fazolus comment. articuli.3.num. 6.& Arriaga d. 39. cit. sect. 1.num. 7. §.*quarto, & vltimo* voluntatem permittendi primum peccatum, seu denegandi auxilium efficax reprobo, reprobationem negatiuam vocant; voluntatem vero denegans ipsi auxilium efficax punitiue, siue in pœnam peccati iam ab ipso admitti appellant positiuam, atque hac distinctione huius explicatione, & intelligentia Doctorum plurium super causa reprobationis ex parte reprobi discordes sententias ad concordiam redigi posse arbitrantur. Certè ago, dummodo voluntas negandi auxilium efficax positiua sic, vndecumque, siue ex hoc, siue ex illo fine, siue ex huius vel illius finis, & efficacis, vel inefficacis intentionis defectu à Deo habeatur, nescio quo iure reprobatio negatiua ab efficaci auxilio dici debeat, aut possit: quowe disputationis fructu superfluis neque eis ad solidam doctrinam tradendam, falsasque refutandas, sed mere arbitriis distinctionibus vtamur; nisi, vt eis disputationes confundamus seria atque inanibus vocum subterfugiis, eis qui ad rem quæstionis & decisionis veritatem venire nolunt. Faciamus locum ampliorem.

8. Quod ad rem autem harum doctrinarum attinet Soarius efficacem gloriæ intentionem ad oppositam voluntatem conferendi auxilia efficacia prædestinato male requirit, vt prædestinatio,seu eius approbatio ad illud sit: cum ipse eam voluntatem conferendi auxilium efficax prædestinato, ac subinde prædestinationem ad gloriam per illud consequendam ex inefficaci Dei intentione, gloriæ esse posse fateatur: imo ex efficace gloriæ intentione esse non posse ostendimus supra. Secundo ad rem hanc in eius doctrina inutiliter adducitur: siquidem, cum voluntas denegandi auxilium efficax ideo per ipsum positiua reprobatio propria non sit, è regione, & contratiè oppositæ prædestinationi, quia non habetur ex intentione damnationis prædestinati, sicuti habetur à Deo voluntas conferendi prædestinato auxilium efficax, siue eius prædestinatio ex intentione gloriæ ipsius eum defectum intentionis voluntas denegandi auxilium efficax reprobo perueniret, tametsi intentio salutis prædestinati, ex qua prædestinatio oriretur inefficax solùm foret quare inutiliter ad suum intentum eius efficacia adducitur à Soario,& memoratur, sed & principium, in quo ex secundo Molinæ fundamento Soarius,& Arrubal conueniunt positiuam voluntatem denegandi reprobo auxilium efficax à positiua reprobatione propria à gratia efficaci, & tandem à gloria, atque è regione aduersante prædestinationi (quæ prædestinati ad gratiam efficacem,ac subinde ad gloriam approbatio est,excludant, videtur inanis, quia positiua reprobatis à gratia efficaci, ac deinceps à gloria, respicit gloriam, vt terminum à quo demum reprobatur,& separatur reprobus,non autem priuationem inde gloriæ vt terminum ad quem debet respicere sed ex quouis fine priuationis gratiæ efficacis voluntas positiua sit,positiua reprobatio, & segregatio proxime à gratia & remotè à gloria,alias per illa obtinenda, proculdubio erit: quod secus euenit in prædestinatione,quæ, cum essentia sua sit voluntas ordinans prædestinatum ad gloriam, vt finem per efficacia auxilia tanquam media, quæ præparat ad illum obtinendum, eligit,& disponit,nequit non finem gloriæ, respicere,atq; ei eius intentione concipi,& haberi;alioqui nec electio nec præparatio mediorum formalis ad gloriæ finem esse potest.Secùdo reprobatio propriè dicta positiua voluntate de obiecto opposito ne dum de opposito fine,prædestinationis,non egit;imo in positiua voluntate de obiecto opposito, scilicet priuatione gratiæ non quidem realiter formaliter:sed radicaliter solum potest consistere;quatenus scilicet ratione incompossibilitatis cum voluntate electiua,ac præparatiua medij efficacis ad gloriam, seu prædestinatione illius prædestinationis negationem respectu illius in Deo ponit, qua realiter formaliter prædestinatio excluditur, voluntasque omnis præparandi reprobo illi auxilium efficax, ex quocumque fine (imo absque omni fine,habita quia negatio sola positiuæ voluntatis est,proxime formaliter à gratia efficaci immediate, & mediate à gloria reiicitur formaliter reprobus, atque reprobatus: quidem formalis defectus & priuatio prædestinationis sine qua auxilium efficax esse non potest:ex defectu autem principij necessarij etiam inadæquati (ne dum adæquati, quale respectu auxilij efficacis prædestinatio est) negatio effectus necessario,& proximè afferturinane ergo ad rem hanc principium illud horum Doctorum nec inde ab ea inducta & petita reprobationis positiuæ,& negatiuæ distinctio plenior. Plena vero, & solida ea distinctio est, & reprobatio positiua ea dicatur, quæ sit voluntas positiua excludendi reprobum à gratia efficaci; negatiua vero, quæ sit prædestinatiuæ voluntatis donandi reprobo efficax auxilium; vel auxilia efficacia ad salutem de facto, & cum effectu consequendam, negatio; nulla finis, aut motiui,respectus ne ad ista habita ratione.

CERTAMEN III.

Essentia probationis à gratia efficaci, quo ad rem ipsam, reiectis aliorum placitis stabilitur.

1 PRima conclusio, essentia probationis à gratia efficace scientiam, & actum aliquem voluntatis Dei necessario includit. Est communis conclusio, tametsi in actibus scientia, & excitatio voluntatis diuinæ designandis nonnulli ab aliis, & à veritate, imo & à sua etiam communi hac conclusione discordent. Supponitur à Doctore Thom. 1.p. q. 23. a.3. dicente. *Sicut prædestinatio est pars prouidentiæ respectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam salutem;ita reprobatio est pars prouidentiæ respectu illorum,qui ab hoc fine decidunt.* Est prouidentia omnis scientiam Dei aliquam, & aliquem actum siue exercitium voluntatis diuinæ includit essentialiter,vt contra de prouidentia. d.2. monstrabimus:ergo vtrumque etiam reprobatio essentialiter includit. Probatur è probationibus conclusionũ de actibus diuinis,quos includit essentialiter reprobatio. Pro quarum claritate memorandũ est rum sunt actus simplicis intelligentiæ de conditionata gratiæ ad bonum consensum, & inhibita etiam ratione intrinsecæ indifferentiæ, ipsius possibilitate, & contingibilitate pro arbitrio voluntatis creatæ cum consensus negatione, & dissensu. Item scientiæ conditionatæ, seu mediæ, tam de consensus futuritione sub quibusdam auxiliis, quam negationis, consensus, seu dissensus etiam futuritione sub aliis, atque scientiæ visionis denegatione consensus, & peccato,auxilio solo sufficienti dato absolutè: ac demum iudicij de dignitate carendi auxiliis efficacibus vltrioribus, quibus à peccato resipisceret, atque in Dei gratia formaliter sanctificante iustitia, & sanctitate perseuerans visum claudere

ret, gloriamque asequeretur, cum etiam actus voluntatis diuinæ, qui in reprobatione hac adæquate sumpta intercedunt, recensendi sunt, cum, vt quinam ipsi essentiales sint, tum quænam scientia eorum directiua, & anterior iuxta primam conclusionem eius essentiam cum illis constituat clarius dignoscatur.

2. Missa quæ in primis intentione finis (quicunque ille sit) ex qua reprobatio à gratia efficaci à Deo habeatur: quia ea ex præsuppositis ad reprobationem (vtpotè ipsius causa intentionalis) per omnes est. Primus voluntatis actus est voluntas efficax dandi reprobo auxilium sufficiens ad salutem, cum quo ad positiuum sufficientiæ, tum, quo ad negatiuum efficaciter; tametsi inefficacia eius, non ametur, sed solum prænoscatur. Secundus actus est positiua voluntas denegandi auxilia reliqua efficacia, vel saltem negatio voluntatis dandi auxilium vllum aliud ex efficacibus ex libertate contradictionis exercitæ, & in actu à Deo voluntatem dandi auxilium aliquod efficax omittenti. Altervtrum autem exercitium voluntatis diuinæ, vel positiuum, vel omissiuum ad reprobationem requiri patet: quia, si vel vnius efficacis auxilij conferendi reprobo, voluntas in Deo esset, simul etiam cum voluntate conferendi sufficiens, quod de facto ipsi confertur, nec reprobus ille, nec illius reprobatio foret: ergo reprobatio dicit, vel positiuam voluntatem Dei denegatione omnium auxiliorum efficacium, coniungendorum de facto medio consensu, & obseruatione præcepti cum reprobi gloria, vel saltem omissionem exercitam voluntatis conferendi auxilia efficacia reprobo. Hæc vero voluntas denegandi efficacia auxilia, vel omissio voluntatis illa auxilia conferendi reprobo. Haberi à Deo potest, vel ante omne reprobi peccatum in se, vel in alio, nempe primo parente Adamo, vel post peccati alicuius admissionem, ac præuisionem absolutam. Hi sane actus è diuinæ voluntatis exercitio in reprobatione, de qua agimus à gratia, scilicet efficace omnium sententia absque dubitatione interueniunt, nihilque aliud.

3. Etenim voluntas efficax denegandi gloriam expressa & formalis post obitum reprobi in mortali ad reprobationem hanc à gratia efficaci non spectat: sed adæquatè constitutam subsequitur, & illius constitutio essentialis examine opus non habet: quia in voluntate damnandi reprobum, eumque puniendi in peccatorum pænam cum pœna essentiali (quam damni vocant) tum pœnam sensus regulata per scientiam simplicis intelligentiæ de earum pœnarum possibilitate præsuppositam explorato consistit: quare, ne inadæquatè quidem, scientia vlla constituitur expressa & formalis à gloria reprobatio; tametsi, cum præfatam scientiam simplicis intelligentiæ tum visionis obitus reprobi in peccato mortali, tum demum iudicium de dignitate absoluta damnationis, & pœnarum infligendarum essentialiter voluntas illa reprobans à gloria reprobum essentialiter præsupponat. De enumeratis ergo illis tribus actibus, quæ in reprobatione à gratia efficaci interueniunt definiendum hic est: quænam ex illis reprobationis eius essentiam ingrediantur, & inadæquatè constituant? quandoquidem iuxta primam conclusionem non solum voluntatis diuinæ, sed intellectus diuini actibus etiam (cum essentialiter prouidentia sit) ipsius essentia constitui debet, & prius quidem de actibus voluntatis, etsi scientia qua regulantur, posterioribus statuendum rectæ doctrinæ methodo erit: eis quippe statutis facilius, clariusque de scientia seu intellectus diuini actibus statuetur, quinam eiusmodi reprobationis essentiam inadæquatè etiam constituant: quandoquidem ij ad essentialem eius constitutionem aduocandi solummodo sunt, quos vt sui directiuos actus voluntatis iuxta suam naturam, & essentiam necessario, & essentialiter supponant, iuxta dicta contr. 6. disp. 1. de essentiali constitutione prouidentiæ diuinæ ex actibus intellectus, & voluntatis.

4. Secunda conclusio voluntas conferendi auxilium reprobo sufficiens essentiam reprobationis nullatenus ingreditur. Conclusio hæc crassius rem Theologicam tractantibus, & tumultuario discurrentibus displicebit: mihi vero maxime placet. Probatur primo: quia implicat voluntatem reprobatiuam alicuius à gratia efficaci ad salutem oriri à seria voluntate, desiderio, & intentione salutis eius, etsi non absolutè efficaci; tametsi, quia hæc inefficax absolutè est, cum voluntate reprobatiua illius à gratia efficace non repugnet: atqui voluntas conferendi reprobo auxilium sufficiens oritur ex vero desiderio voluntate, ac intentione seria salutis reprobi, vt ostendimus controu. 4. de volunt. & 6. de prouidentia, estque cunctis Patribus, & Theologis certum: ergo implicat voluntatem conferendi auxilium sufficiens reprobo esse voluntatem reprobatiuam ipsius à gratia efficaci. Discursus est legitimus. Maior perspicua: quia implicat oriri ex vera, seriáque intentione alicuius finis voluntatem alicuius impedientis, & præsertim de facto, certóque impediturj finis serio intenti consequutionem: cum eiusmodi intentio non nisi ad voluntatem medij, & conducentium ad finem, non vero assecutioni finis aduersantium, motiua sit, nedum ad voluntatem alicuius assecutioni finis intenti aduersi & impedientis: qua vero inefficax per scientiam mediam est præuisum, retractiuum est Deo ab eius denegatione ex intentione salutis reprobi, & purè comitanter se habet ad ipsius donationem, quin eiusmodi voluntate ametur, licèt è salutis intentione ea retractatio per scientiam mediam de eius inefficacia sollicitata vincatur, atque auxilium donetur: vt supra docuimus explicuimusque fœminæ conscię de occursu, & affectu libidinoso amasij, si concionis, vel sacri audiendi gratia templum, qua scientia ab aditu ad Ecclesiam retrahitur, & tamen pij finis sui gratia retractationem superans illam Templum adit, quin voluntate illa adeundi templum alterius libidinosum affectum moraliter, & interpretatiuè adhuc velit: quare quidquid positiuæ voluntatis in donatione auxilij sufficientis est, totum ex salutis reprobi intentione in Deo est, obstacula per scientiam mediam repræsentata, & Deum à voluntate retrahentia superante, ac perfringente: id quod verum etiam est, tametsi voluntas priuandi reprobum auxilio omni efficaci, sint in pœnam peccati, siue ex alio quovis fine Deo adsit: tunc enim auxilij inefficacia eiusque scientia media remouens prohibens solummodo est, ne auxilium sufficiens illud à Deo ex intentione salutis reprobi decernatur, doneturve: vti non decerneretur, nec donaretur ea adstante voluntate, si efficax esset ac præsciretur. Nullatenus ergo, tunc etiam, inefficacia auxilij sufficientis erit voluntatis illud conferendi obiectum volitum & amatum, adhuc interpretatiuè.

5. Tertia conclusio voluntas denegandi auxilium efficax coniungenda cum obitu reprobi in mortali peccato, & finali iniustitia (siue sit negandi primum auxilium efficax ad vitandum primum peccatum ex solo arbitrio, & Dominio Deo habita, siue vlteriora auxilia efficacia, ad vlteriora peccata vitanda, atque in primi peccati, & vlteriorem etiam pœnam à Deo concepta) essentiam reprobationis ingreditur. Conclusionem hanc ex parte in dubium vocarunt pauculi Recentiores malè excogitatis & fundatis conclusionibus, partim aduersis siquidem Arrubal, vt vidimus voluntatem denegandi auxilium efficax reprobo ante omne, ac subinde primum etiam, peccatum à reprobatione excludit: vti & Herize, d. 32. cap. 2. n. 10. qui n 9. reprobationem, saltem, quæ post reprobi peccatum est in iudicio dignitatis reprobi, vt auxiliis efficacibus priuetur omnino collocauit: quo voluntatem denegandi illa reprobo à reprobatione excluſit. Est autem omnium antiquorum Theologorum reliquorum & conclusio, atque ex dictis de prædestinatione certissima, & expressa cit. art. 3. vbi per omnia reprobationem à gratia efficaci (de qua in præsenti agimus) circa suum oppositum eodem modo, atque prædestinationem circa suum obiectum se habere docet, ac proinde includere voluntatem denegandi reprobo auxilium efficax ad vitandum peccatum, seu voluntatem permittendi peccatum, sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi auxilium efficax prædestinato. Verba eius sunt. *Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*: quibus, etsi pro reprobatione à gloria similem etiam conclusionem statuat, nostram tamen hanc de reprobatione à gratia efficaci addit expresse, Herize citatis numeris in subtilitates quasdam incidens à communi, & vera hac conclusio-

ne, atque à seipso defecit qui eam num.8. tradiderat, seipsum ad ea, quæ dixerat de prædestinatione d.12. c.7. referens, quantum vero aberret reprobationem, cum à gratia efficaci ob mortale antecedens, tum à gloria ob finalem reprobi iniustitiam in iudicio de dignitate pœnæ essentialiter adæquatè constituens ex dictis certamine 2. constat, clariusque constabit ex dicendis: vbi iudicium hoc ab essentia reprobationis cum à gratia efficaci, tum à gloria conclusione contra ipsum statuta prorsus rejiciemus. Nunc autem contra eundem, & Arrubalem de voluntate permittendi primum peccatum, siue denegandi auxilium efficax gratiæ reprobo ad primum eius peccatum vitandum ac proinde ante ipsum admissum, à Deóque absolutè præuisum coniungenda de facto, certóque cum iniusto reprobi decessu, & æterna damnatione ad reprobationem à gratia efficaci essentialiter spectare æque, atque reprobationem à simili gratia post peccatum admissum & præuisum, probatur eodem S. Thom. testimonio qui vniuersale de omni permissione peccati, & voluntate denegandi auxilium gratia efficax absq; vlla distinctione auxilij anterioris aut posterioris peccato, atq; in eius pœnam habito omnino est. Secundo quia voluntas reprobatiua, seu reprobationis prædestinationis voluntati aduersa, eo loco, & gradu reprobationem à gratia spectat, atque voluntas prædestinatiua ad prædestinationem: atqui voluntas prædestinatiua ad gratiam efficacem, etiam primam, coniungendamque de facto, & certo cum iusta morte prædestinati, atque præmio gloriæ ipsius essentialiter spectat ad prædestinationem: Ergo voluntas permittendi primum reprobo peccatum, seu denegandi auxilium efficax, quo, si daretur, primum peccatum illud vitaretur, coniungenda de facto, certóq; cum eius morte iniusta & damnatione spectat essentialiter ad reprobationem, quæ huic argumento præfati authores respondent ex proprietate vocis huius *reprobatio* à gratia, ex qua suam aduersam conclusionem statuere contendunt, discimus supra certam. 2. atque in quæstione reprobationis, non de nomine, sed de re ipsa reprobationis, de qua solum disputare Theologos decet, locum non habere monstrauimus: quod si in Deo pura omissio admittatur, (vt admitti posse censuimus) omissione etiam prædestinationis & præparationis auxilij efficacis pro reprobo, eius reprobatio ex parte exercitij liberæ diuinæ voluntatis ad eius reprobationem requisiti, satis constitueretur reprobatio: immò, & eum voluntas denegandi auxilium efficax adest, non se ipsa realiter formaliter reprobationem à gratia efficace constituit, sed solum realiter materialiter ac præsuppositiuè, in ea sententia de libertate contradictionis ad puram omissionem voluntatis diuinæ iuxta dicta certamine 2. num.9. voco autem voluntatem denegandi auxilium efficax cum multis loquens; quia an illa, an omissione pura voluntatis illud donandi se Deus in reprobatione de facto gerat incertum est.

6. Quarta conclusio: voluntas excludendi reprobum à gloria nullatenus essentiam reprobationis ingreditur. Est æque communis Theologis conductio de qua, ne Dominicani Thomistæ Recentiores qui voluntatem positiuam efficacem excludendi reprobos à gloria & regno ante omne ipsorum demeritum asserunt, dubitarunt. Ratio est: quia vel ea voluntas antecedens in Deo admittitur, vel non admittitur nisi post demerita reprobi, & peccata, qui vitam claudit in mortali, quæ de fide est, & executiua de facto damnationis reprobi: si hæc sola admittatur, atque illa Deo negatur, est voluntas planè posterior prouidentia excludente reprobum à gratia efficaci, quæ est dubio procul, anterior absoluta admissione & præuisione peccati, ob quod excluditur, à regno & reprobatur à gloria: si primam aliam voluntatem vltra hanc executiuam admittas, & peccato reprobi anteriorem. Contra primò: quia ciusmodi voluntas in Deo, non est quare reprobationem à gratia, quæ in Deo infallibiliter & certo est, in voluntate, quæ in Deo non est, vt quæst. 3. contra præfatos Thomistas ostendemus ponis, vel ex illa saltem essentialiter constituis. Secundò ea etiam voluntate excludendi reprobum à gloria ante omne eius peccatum, & demeritum in Deo admissa erit, sane eius finis intentio, ex qua ad mediorum electionem, nempe negationis auxilij efficacis, præceditur: at omnis prouidentia in electione hac posteriori, & præparatione mediorum ad finem præintentum constitit, atque eius intentionem solummodo supponit, vt diximus controu. 6. de prouid. vniuersim, & hac contr. 7. speciatim de reprobatione: ergo voluntas illa excludendi reprobum à gloria, & regno non ingreditur essentiam reprobationis. Confirmatur ex verbis S. Thom. dicti, numero 5. fine quibus reprobationem in voluntatem permittendi peccatum, seu denegandi gratiam, & anteriorem ad voluntatem inferendi damnationem, seu excludendi reprobum à gloria, sicuti prædestinationem in voluntate conferendi gratiam, & anteriorem ad voluntatem conferendi gloriam, executiuè scilicèt, constituit: quare vel voluntatem illam excludendi reprobum à gloria ante eius demerita non agnouit (vt verè non agnouit,) vel si eam agnouit, expresse à reprobationis essentia reiecit.

CERTAMEN IV.

De actibus scientiæ reprobationis constitutiuis.

1. QVinta conclusio. Iudicium de dignitate reprobi peccatoris carendi auxilio omni efficaci ad salutem ob admissum mortale nullatenus ingreditur eius reprobationem, adhuc ea parte, qua personalis reprobatio à gratia efficace est. Aduersos omnino Herize nostro. Probatur: quia iudicio eo habito, restat adhuc, ne ex iustitia punitiua, & vindicatiua auxilijs efficacibus in admissi peccati pœnam priuetur, notitia individualis efficaciæ, & inefficaciæ auxiliorum omnium, & singulorum in particulari: efficacium quidem, vt reprobo in pœnam denegentur, inefficacium vero, vt ab eorum donatione Deus non retrahatur ne pœna illa infligenda fustretur; hæc vero scientia media efficaciæ, & inefficaciæ auxiliorum sola directiua est, & ex qua tota futuritionis effectus certitudo formaliter adæquatæ (non obstante medij indifferentia intrinseca, & libertate voluntatis reprobi) desumitur in reprobatione, vt dictum ex scientia media de auxilij efficacia seu euentus conditionata futuritione sub illo, in prædestinatione dicebamus: atqui eo solum titulo tribuendi, constituendique certitudinem reprobationis, sicut & prædestinationis, scientia directrix actum voluntatis, vel conferendi auxilium efficax prædestinatione, vel illud denegandi reprobatione ad essentialem constitutionem, vel prædestinationis cum actu voluntatis altervtro scientia Dei aduocare potest: ergo iudicium illud de dignitate reprobi ob peccatum admissum carendi gratia efficaci, quo nulla reprobationi certitudo tribuitur, non potest essentialiter reprobationem constituere. Probatur secundò & confirmatur ratio præcedens, iudicium enim illud de dignitate pœnæ per reprobationem reprobo inferendæ, solum inferuit, vt in pœnam, atque ex fine puniendi illum, & honestate iustitiæ vindicatiuæ reprobo auxilium efficax denegetur ciusque negatio à Deo per reprobationem præparetur, & infligatur: ergo solum inseruit intentione finis, ex qua reprobatio à gratia efficaci peruenit, ciusque negatio à Deo præparatur & infligitur reprobo per prouidentiam reprobatinam, seu reprobationem: atqui nulla intentio, ex qua mediorum prouidentia allqua à Deo concipitur, & habetur, ingreditur essentialiter mediorum prouidentiam illam, quia ea intentio est prior natura, quam prouidentia illa mediorum quæ ex illa à Deo habetur: ergo multo minus iudicium illud de dignitate reprobi, quod intentioni illi anteriori est, essentiam reprobatiuæ voluntatis, siue reprobationis à gratia & auxilio efficaci ingreditur.

2. Sexta conclusio nec scientia simplicis intelligentiæ, sed sola scientia media formaliter cum actu, siue exercitio libero diuinæ voluntatis assertis, num. 6. & 7. essentiam reprobationis à gratia efficaci constituit. Probatur conclusio: quia scientia simplicis intelligentiæ dicplici

ptiel ex parte solum ad constituendam essentiam reprobationis spectare posset. Prima, quatenus conduci, necessariâque est ad voluntatem conferendi reprobo auxilium sufficiens ex intentione salutis ipsius, quam voluntatem simplex intelligentia de eius conducentia, ad salutem necessario præcedit: atqui hæc voluntas essentiam reprobationis non ingreditur, vt docuimus num. 4. Ergo nec simplex intelligentia eius directiua & anterior ad reprobationis essentiam spectabit. Secunda pars, (ex qua nonnulli scientiam simplicis intelligentiæ de essentia reprobationis esse arbitrantur) est: quia, cum nihil sub conditione impossibili verè futurum conditionatè esse possit: immò vero, nisi ex possibili causa, & hypothesi possit esse possibile, nedum conditionatè futurum sit, vt scientia media de inefficacia auxilij, seu denegatione condionata euentus sub illo, quatenus auxilium gratiæ in hypothesi, siue vt conditionem attingit, nequeat non attingere positiuam auxilij possibilitatem, ac proinde ea ex parte scientiam simplicis intelligentiæ continere: atqui scientia media eam hypothesis scientiam continens essentialiter, & secundum se totam, & adæquatè constituta essentiam reprobationis constituit, vt postrema parte conclusionis continetur: ergo scientia simplicis intelligentiæ essentiam reprobationis constituit. Respondetur veram possibilitatem, & citius futuritionem condionatam veram, à possibilitate conditionis & causâ pendere, nec posse ab illa præscindere adhuc: non tamen inde inferri scientia media eius futuritionis possibilitatem causæ, & conditionis, adhuc, qua hypothesim attingit formaliter repræsentari: solum ergo infertur attingere necessario, materialiter eius possibilitatem, siue id, quod possibile est, & præsuppositiuè positiuam eius possibilitatem: quia, ni eius possibilitas à Deo prænosceretur, haudquaquam ad veram futuritionem, vel euentus vel negationis eius dignoscendam apponi, & attingi pro hypothesi & conditione posset.

3. Postrema verò & positiua eiusdem conclusionis pars de essentiali constitutione reprobationis à gratia efficaci per scientiam mediam probatur: quia id, quod determinate voluntariè, ac liberè à Deo denegatur, debet necessario præsciri, vt patet, atqui reprobo denegantur auxilia efficacia, quia efficacia, & habitura effectum salutis, si donarentur: ergo debent efficacia & habitura effectum prænosci, vt denegentur, siue id positiua voluntate ea denegandi, siue pura omissione libera voluntatis dandi ea reprobo, contingat. Quod si dicas id solum probare scientiam mediam, de efficacia auxiliorum, quæ Deus reprobo negat voluntatis ea ipsi denegandi, siue omissionis ea ipsi conferendi directiuam quidem esse, non autem, ex parte adhuc, essentiam reprobationis constituere: quia in sola illa voluntate denegandi, vel omissione voluntatis ea reprobo conferendi videtur adæquatè consistere, directum tamen id in simili fuit, cum de essentia prædestinationis agentes scientia media, illam ex parte constitui docuimus: quia de cuiusvis prouidentiæ diuinæ essentia est intrinseca certitudo, quæ scientia remota certitudo intrinseca esse non potest: vnde & prouidentiam de auxilio sufficienti, vt potens ad vtrumvis rationalis creatura constituatur scientia simplicis intelligentiæ de illius auxilij conducentia ad effectum essentialiter constituitur, & scientia media de auxilij efficacia prædestinatio, quare & ea scientia, & voluntate conferendi illa, ex æquo, & directè prædestinationis essentia constituitur. Augustino, & Theologis proinde in eius definitione vtrumque in recto collocantibus, dum eam ita conuone, & constanter definiunt. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Cum autem contrario, & aduerso prorsus modo se reprobatio habeat, reprobationem esse *præscientiam & præparationem negationis beneficiorum Dei, quibus certissimè liberarentur, si eis conferrentur, & qua certissimè pereunt, quicunque pereunt.* Dicendum consequenter erit. Hoc ipsum de scientia media inefficaciæ auxilij sufficientis, quod reprobo confertur, ex salutis eius intentione intelligendum, eadem ratione est: etsi enim quatenus ex ea intentione datur, voluntatem illud reprobo conferendi, nec dirigat, nec constituat, vt supra dicebamus, sed ex sola scientia simplicis intelligentiæ de eius conducentia ad reprobi salutem: ac vero posita in Deo, vel concomitanter, vel antecedenter (iuxta statim dicenda ad proximè subiiciendam obiectionem) voluntate efficace excludendi illum (ex fine quo velis) à gratia efficaci, ex intentione salutis adhuc, conferri absolutè non potest, ni inefficax per scientiam mediam à Deo prænoscetur.

4. Obuiis auxilia efficacia denegantur à Deo decernunturque reprobo (pono obiectionem in voluntate positiua negandi auxilia efficacia: vbi apparentior est, & viuidior difficultas) quia efficacia, & decernuntur ipsi, quia inefficacia à Deo præuisa: ergo amantur à Deo voluntate illa tum negatio efficaciæ eorum, quæ reprobo denegat: tum inefficacia sufficientium, quæ reprobo concedit, cum autem negatio efficaciæ denegatorum reprobo, stet in negatione saltem conditionatæ futuritionis obseruantiæ præcepti, qua, & damnationem certo cuaderet, & salutem consequeretur, atque inefficacia sufficientis reprobo concessi stet in futuritione etiam conditionata transgressionis præcepti, siue in peccato ob quod absolutè, & de facto à salute excidet, & damnabitur reprobus, fiet planè Deum velle negationem obseruantiæ futuram conditionatè sub auxilis, quæ vult reprobo non adesse, & trangressionem ita etiam futuram sub auxilio, quod reprobo concedit. Respondetur negando primam consequentiam, vnde secunda inferebatur, etenim inefficacia, aut efficacia auxilia, quæ in effectus futuritione vel non futuritione, seu negatione futuritionis conditionatæ sub auxilio illo, si donaretur, consistit; amari à Deo affectu desiderij non potest: ex eius præscientia, quæ illam supponit, cum desiderium ad illud, quod ad ipsum supponitur, & positum prænoscitur, ferri nequeat, sed vt illud ad vlteriorem statum prouehatur; & peruenire, absolutæ nimium existentiæ, sed neque potest amari pro statu futuritionis conditionatæ affectu complacentiæ, vt sæpe diximus, sicuti neque pro statu præcisiuæ possibilitatis: complacentia enim solum esse potest de absoluta existentia boni, quod est, non autem quod esse solummodo potest, taleve esset conditionatè, si aliqua conditio poneretur, nisi per erroneam cognitionem (quæ sæpè in nobis contingit, Deo autem repugnat) esse absolutè repræsententur: veritas autem obiectiua scientiæ, etiam, cum absolutè physicè obiectum non est, intentionaliter obiectiuè pro suo statu, & tempore, quo enuntiatur, adest: quare circa conditionatum obiectum potest esse scientia Dei, etsi erga illum Dei amor pro eo statu esse non possit. Secundo negatur aliunde consequentia: quia malum morale præsciri quidem à Deo perfectio est; amati vero, adhuc pro materiali, siue, vt materiale peccati est, atque à reprobo amatur positiua imperfectio inefficacia vero auxilij stat in futuritione conditionata transgressionis, & peccati sub eo auxilio, si detur vt ait: erit ergo consequentia tua, Deus scit, quod scire potest, & debet: ergo, & amare, quod neque debet, neque potest. Negationem autem efficacium auxiliorum, ratione efficaciæ, futurive sub illis operis boni creati, cum finitæ solum bonitatis sit, non solum velle pro quocunque statu non cogitur Deus, sed velle, vt non sint, siue eorum negationem præcisè positiuè; & efficaciter ex multiplici fine honesto potest; dummodo eorum non esse malum moraliter, vt diximus, non sit.

5. Sed quid inquies denotat illud *quia*, dum velle negationem efficacis auxilij reprobo, *quia præuidit efficax*; & velle illi auxilium sufficiens tantum, & inefficax, *quia præuidet inefficax*, ni vnius efficaciæ obseruatione præcepti constitutæ negationem, nec alterius inefficaciani constitutam præcepti transgressione conditionata velit, sed solam auxilij efficacis entitatiuè gratiâ & secundum se sumpti negationem reprobo, & auxilij inefficacis secundum suum intrinsecum collationem. Interrogatio hæc plures Recentiores deterret, cum nihil inueniant quid efficaciæ aut inefficaciæ præscientia in voluntatem conferendi vnum, & negandi aliud reprobo agat, ni alteram oderit, alteram vero amore prosequatur: similique difficultati Herize circa donationē auxilij efficacis prædestinato, quia efficax præuisum, aliique ingenioſi vexati sunt, vt vidimus supra, Herize autem nemo in præsenti difficultate potest, qui voluntatis eliciendæ impedimenta purè talia, & retardantia solum ex parte obiecti, à motiuis

inducentibus

inducentibus, & allectiuis ad ipsam bene distinxerit: etenim horum præscientia, ni ad se voluntatem affectu aliquo afferat, nihil habet, quod circa illam agat: illorum vero præscientia voluntatem ad se non trahit, sed ab obiecti prosequutione diuertit, præscientiáque amotionis ipsorum expedit in actu primo voluntatem, vt in propositum bonum, & obiectum feratur: quare alterutrius præscientia suam improsecutionem, obiectiuè fugam causalitatem exercet, quin eius ad se amorem trahat, vel fugam: quare rectè dicitur, quia præuisum impedimentum est voluntatem prosequi obiectum nolle, & quia præuisa est eius amotio prosequi obiectum. Huius obuia sunt in physicis, & moralibus impedimentis absque vllo influxu physico, vel intentionali obiecto in operationes & effectus, exempla quam plurima quæ idcirco prætermitto: &, quia sola explicatione modi, quo Deus se habet in voluntate denegandi auxilium efficax reprobo, & conferendi sufficiens, & inefficax res tota clarescit.

6. Habet igitur Deus intentionem seriam, vtrumq; desiderium salutis reprobi, ex quo ad prouidendum ei de medio, seu auxilio gratiæ sufficienti, saltemque ad entitatem & positiuum auxilij mouetur. Habet item ex fine honestissimo, vel exercendi suum dominium, & potestatem, libertatemque in collatione, vel denegatione auxiliorum gratiæ suæ, quibus velit. cum absolute, tum efficacis, vel inefficacis, ex fine item iustitiæ suæ in peccatorem reprobum, post quam mortale commisit exercendæ, vel tandem ex fine honesto, ex quo velis, voluntatem denegandi auxilia omnia efficacia, quam diximus, efficacem. Porrò huic voluntati ex intentione alicuius finis honesti ex dictis satisfieret, si auxilia omnia gratiæ, tam sufficientiæ, quam efficacia reprobo denegarentur: sed tamen, cum ad id efficacia sua voluntas illa Deum non determinet, & adigat; sed ad ea solum deneganda, quæ efficacia sint, taliaque esse deprehendantur: atque ex parte alia seria salutis reprobi illius intentio, Deo, vt diximus, simul adsit, nec adsit otiosè, de prouisione auxilij conducentis de se se ad salutem reprobi illius Deum sollicitat: cum vero auxilia gratiæ cuncta entitatiuè, & secundum intrinsecum sui indifferentia sint, aprâque æque de sese, vt cum consensu ad quem mouent, vel cum eius negatione coniungantur de facto, si donentur, ac proinde efficacia, vel inefficacia consensus, vel negationis eius conditionata futuritione extrinsecus sint, fit planè, vt de auxilio entitatiuè sufficienti ad salutem, vt huius desiderij motioni satisfaciat, nequeat Deus reprobo prouidere, quin voluntatem efficacem denegandi illi auxilium, siue auxilia efficacia periculo exponat fustrationis cum ea efficacia pugnátem, ni auxilium donandum vtrum efficax, vel inefficax sit præuideat: quare inefficaciæ auxilij illius præuisio voluntatem in actu primo retardatam decreto negandi reprobo efficax auxilium expedit, vt illud, quod inefficax prænouit possit absolutè conferre, atque inde eius inefficacia, præscita solum, non amata, in causa est, vt auxilium illud secundum se conducens ad salutem reprobo ex salutis eius intentione à Deo donetur, quod si efficax esse prænosceretur, minimè fieret, reliquis efficacibus præcognitis reiectis, ac reprobo denegatis ex eodem decreto & voluntate efficaci denegandi efficacia omnia: quia efficacia ipsorum impedit voluntatem, vt auxilium conducens ad salutem efficaciter à Deo ametur, & conferatur: ne illius voluntatis intrinseca efficacia fustretur, atque inefficax subinde esse contradictione manifesta conuincatur.

7. Oppones tamen esto, non amet Deus inefficaciam auxilij sufficientis: quare nec futuram sub illo conditionatam futuritionis transgressionis præcepti, seu peccati, qua illius inefficacia formaliter constituitur; nec odio habeat efficaciam, seu futuritionem conditionatam obseruationis præcepti auxilij reprobo denegati: quia alterum inefficax præuisum est, alterum vero est efficax præuisum; interpretatiue tamen velle videtur transgressionem, & peccatum absolutum, cui ex certa, & infallibili scientia conditionatè futuri peccati sub illo auxilio, illud nihilominus ipsi donat, & reliqua efficacia, quibus, si darentur, transgressio, & peccatum non fore, æque certo, & infallibiliter prænouit: sed potius obedientiam, & obseruationem, remouet nihilominus, ac denegat: immò vero, cum ex scientia inefficaciæ vnum velit, conferatque reprobo, reliqua ex scientia efficaciæ ipsorum eidem nolit, ac deneget, reprobi saluti videtur insidiari, vellèque ex industria illum perire, quod liuidi gemj atque maligne Deoque indignæ, & subdolæ voluntatis prorsus est: quid ergo suam erga reprobos beneficentiam, misericordiam, & largitatem adeò magnificè in scripturis extollit: cum sciens, volensque id demum tribuat solum, quo certo pereant, miserioresque, quam si id totum negaretur (esto propria voluntate) siquidem omni auxilio, scilicet sufficienti negato, ac propria quidem voluntate perirent, cum peccare non possent, quo facere videtur Christi Domini de Iuda proditore sententia, *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*: quo non vita solum ipsius, sed & auxilia sufficientia. Cum quibus tamen de facto peccare, non fuissent. Respondetur negando in Deo voluntatem interpretatiuam, quæ, nisi ex lapsus alieni intentione, aut in eo, cui ex officio illum vitare incumbit, nec iure suo vtitur ex scientia etiam certa illius, si aliquid agat, locum non habet: vt patet in fœmina, quæ certa moraliter (idemque esset si certa esset physice, vel etiam ex reuelatione) de occursu, & prauo affectu amasij, si domo, vt Templum concionis, & orationis causa, vel animi gratia hortulum adeat, egrediatur, cui domo nihilominus egredienti libidinosi affectus alieni voluntatem interpretatiuam nemo tribuit, secundum de voluntate præsumpta mortis reprobi eiusque salutis infidiis, ex industria, malignaque & subdola voluntate locum non habet, in eo, qui nihil debens aliquid ex libertate, liberalitate, & beneficentia donat; licit non donet totum, quod potest, marime ex intentione seria boni vsus, & salutis, ex qua, vt diximus media donat Deus & sufficientia auxilia secundum positiuum, & intrinsecum conducentia ad salutem, neque ex scientia media inefficaciæ ipsorum præuia dirigente, vt supra etiam ostendimus: sed solum comitanter tatione alterius voluntatis denegandi ex honesto fine amplorem gratiam quæ in donatione efficacis gratiæ est. Deinque dominio & potestati, æque ac sufficiens, & creata reliqua bona subest, quin ius in eorum aliquod creaturæ adsit, præsertim in gratiæ dona respectu quorum, ne precariam quidem, & indigentiæ exigentiam habet.

8. Itaque in voluntate denegandi omnia, nec solum efficaciæ gratiæ auxila, suo iure honestissimè vtetur Deus: quin vlla creaturæ rationabilis querela esse possit, vt luti & figuli exemplo Paulus ex Propheta verissime aiebat: ea vero adstante voluntate efficaci denegandi, efficacia auxilia nihil amplius ex intentione seria salutis reprobi præstare illi potest, quam auxilia sufficientia, quibus eam assequi absolute possit si velit, atque citra efficaciam, quam satis esset, vberiora: quid ergo malignæ, subdolæ, atque insidiantis voluntatis erga reprobi salutem in Deo est, qui plus ad eius assequutionem ipsi ex voluntate illa salutis prærogat, quam debet, & quam ad possibilitatem, seu potentiam absolutam assequendi illam satis foret, solumque denegat auxilia gratiæ efficacis, non ex ea salutis intentione seria, veroque desiderio, sed ex voluntate alia ex qua, vt diximus, conferre non potest? inde beneficentiam suam in reprobo merito extollit, & securus iudicio cum eis contendit: siquidem ipse eis prærogat, quod non debet, & amplius quam salutis eorum absolutæ possibilitati sit satis: cum tamen nihil ex eis præstiterint, quæ debebant. De perditionis alicuius procuratione ex industria: esse non potest, nisi ex intentione, vt pereat media, quibus pereat inquirantur, atque donentur, quæ à Deo abest quam longissime, quin præscientia inefficaciæ auxilij sufficientis ex intentione salutis vtitur, vt aliquid reprobo proficuum de se, & absolute bonum ad salutem donet, cum maius aliud efficacis auxilij ex voluntate alia donare non potest. Postremum de maiori commodo reprobi in denegatione auxilii sufficientis tantum ad salutem, cum quo tamen peccat de facto voluntum ad salutem, cum quo non posset, etiam voluntate propria, & fine quo non posset, etiam voluntate propria, peccare, comparatione facta potentiæ cum absolutè admisso peccato (vt facta eis verbis à Christo Domino fuit, verum habet: quia maius malum morali æstimatione

matione, & rationis rectæ, & honestæ iudicio, peccatum est, quam bona sint naturæ, & gratiæ cætera dona. Deus autem, cum auxilium sufficiens, comitante etiam scientia inefficaciæ ipsius, donat, & vult, ne interpretatiuè quidem reprobi peccatum absolutè vult, & donat, nec inefficaciam, siue peccati illius futuritionem conditionatam amat, vt vidimus: facta vero comparatione eius, quod solum in actu primo, & pro priori ad peccatum est, ac reprobo amatur à Deo, atque confertur, melius longè est, quam eius negatio: siquidem auxilio sufficienti, quoad intrinsecum, & positiuum sufficientiæ, quod solum à Deo amatur, conferturque reprobo, absoluta eius potestas, & potentia physica supernaturalis: ad salutem constituitur, quam habere longè, melius reprobo est, quam non habere: arbitrio præsertim suo, quoad vsum subditam prorsus & subiectam: & quæ proinde sine prauo reprobi vsu, & malitia, mala illi, adhuc in actu secundo esse minimè possit, aut nociua: vt August. & Patres frequentes à nobis supra memorati respondebant ad quæstionem: cur Deus bonus hominem ita condiderit, vt melius esse, & peccare possit, ac non potius, vt peccare non possit; ac non esse bonus nequiret.

QVÆSTIO IV.

De causa reprobationis ex parte Dei.

EXaminata statutaque reprobationis natura, & essentia, oportet ipsius causas examinare, & definire: eæ vero & ex parte Dei creaturam rationalem à suo fine reprobantis, & creaturæ ipsius reprobatæ esse, apponique possunt: quare seorsim de causa ex parte vniuscuiusque, ad reprobationem disputandum, & primum de causis ex parte Dei præsente quæstione. In ea vero certum est dominium supremum, eiusq; Deo in sua omnia creata bona, & dona, ad rem præsentem speciatim supernaturalia auxiliantis gratiæ, ex quo pro suo arbitrio, vel omnia, vel efficacia, & habitum effectum, si donentur, absque creaturæ rationalis iniuria conferre denegareve potest, causam reprobationis esse, vt fatentur omnes, nosque proinde sæpè hactenus supposuimus: solum ergo esse quæstio potest; an vlterior actus diuinæ voluntatis, ex quo reprobatio à gratia auxiliante efficace, (eodem enim modo de reprobatione etiam à gratia sufficienti philosophandum erit) illam præcedat? in dubium autem est ad voluntatem denegandi reprobo auxilia efficacia, qua reprobatio, vt diximus, completur, præcedere, vt minimum, finem dominij, siue in donorum illorum supernaturalium largitione: subtractione exercendi, eiusq; exercitij intentionem; etsi reprobi peccata præcesserint, exercendæ etiam ibi iustitiæ vindicatiuę per auxiliorum subtractionis supplicium. Tota ergo præsentis quæst. difficultas est, an ex intentione inefficaci, vel efficaci, antecedente reprobi peccata, & demerita, priuandi ipsum gloria, atque inferno addicendi reprobatio eius ab efficacibus auxiliis (quorum scilicet subtractione, eo de facto deueniet, atque à regno excludetur) proueniat de facto, possitve saltem prouenire? ac proinde ea etiam intentio, vel efficax, vel inefficax exclusionis à regno, & damnationis reprobi, reprobationis à gratia efficaci, causa ex parte Dei sit, essève possit? quam quæstionem de intentione efficace solam video à Doctoribus ex instituto disputari; cum tamen de inefficace etiam nonnulla sint scientia & examine Theologico digna, quæstione 5. disputanda, post quam de efficacis possibilitate quæstionem quartam profligauerimus, ne multa simul examinantes confundamus.

CERTAMEN I.

Pro quæstionis expeditione notata.

1. ADuertendum circa præfatam efficacem voluntatem excludendi hominem à gloria, illumque æternis cruciatibus mancipandi ante eius peccatum præuisum dupliciter posse in Deo cogitari. Primo absolutè, & ex supremo dominio in creaturas, bonaque, & mala illarum, quin in exclusione à regno cœlesti, & damnatione æterna creaturæ rationalis huius demerita, & peccata attendat, videatve, quæ puniat, sed solum, vt suo in creaturas iure vtatur: de qua voluntate efficaci in Deo nunquam, nusquamque esse certum stata apud Catholicos cunctos lege est, quæ in nulla rationali creatura defecit, aut vsquam deficiet, id, vt minimum, probant illa Christi Domini finaliter mundum iudicantis verba. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: id est, qui solis apostatis Angelis, atque eorum similibus præuaricatoribus hominibus institutus, decretusque est: Suadet secundo sententia apud Patres, & Scripturam frequentissima, Deum, scilicet, ad mala cruciatusque (æternos præsertim) creaturæ rationalis ab eius sceleribus, malisque meritis coactum venire solum, & inuitum trahi potius, quam venire, cuius sententiæ præclara testimonia posuimus controuersia quinta, vbi desiderium seriam salutis omnium, etiam reproborum, statuebamus, suadet: tertio sententiâ alia amplior, nec minus Patribus frequens. Deum non permissurum creaturæ mala, nedum facturum ingens malum damnationis eius, nisi de eis posset facere, & de facto faceret bona: quare hac in re non de facto, sed de possibili absolutè, siue de potentia Dei absoluta quæstio apud Theologos esse solummodo potest. An Deus, non quidem, vt puniat commissa, sed vt suo dominio iuréque vtatur, creaturam rationalem innoxiam in puris naturalibus sine gratia, aut peccato conditam, possit absolutè eius damnationem, ac subindè exclusionem à regno efficaciter velle, atque decernere.

2. In ea quæstione Herize noster disputatione 33. citata c. 1. numero 8. noster etiam Ioannes Præpositus ad quæst 23. dub. 2. numero 103. & antiquiores plures affirmatiuam partem supponunt: neque vero Arriaga disputatione 39. sectione secunda, subsectione prima, Quiros tom. 2. de Deo vno, disputatione 17. sectione quarta, numero 16. Probat ille quia multum de crudelitate id procul dubio haberet: quemadmodum in homine, qui ad suum dominium in canem exercendum, ostendendumque, illum quotidiè semiassare efficaciter vellet, quamdiu is viueret; nedum rationalem creaturam eo solum titulo Deum velle efficaciter merè per æternitatem. Quiros vero probat 1. ex Augustino 3. contra Iulianum capite 18. dicente, *Deus non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Secundo, quia iustitia Dei arguit æternam vitam, in qua afflictus iustus temporaliter æternè fæliciter viuat, ne temporalia mala purè, & solum mala, absque vllo fructu, & respectu ad bona potiora, Deo solum permittente, nedum volente, patiatur: citius ergo arguet pura & adeo dira mala inferni ex Dei sola voluntate efficaci absque vllo pœnæ debito creaturam rationalem æternè pati non posse. Postrema hæc duo parum vrgent: Sanctus Augustinus enim planè loquitur de malo illo æterno in pœnam ob peccatum, & ex iustitia vindicatiua creaturæ rationali inflicto à Deo: vt verbum damnare, & ratio subiuncta, *quia iustus est*, ostendunt enim immeritum punire damnatione, & sententia pœnali propriè acceptis iustitiæ opponitur; cui non opponitur cruciatus & gloriæ negationem alicui efficaciter iure dominij à Deo decerni, & infligi, sed, vt summum Dei bonitati, & benignitati opponeretur, Paritas rationis subiunctæ non vrget, antecedens siquidem probatur

ex iustitia distributiua Dei pro meritis, demeritisque vniuscuiusque; quæ, cum in hac vita respectu iustorum, malorumque non exerceatur, aliam fore vitam in qua quisque bene, maléve gestorum vicem accipiat ex iustitia distributiua Dei demonstratur. Hoc verò in præsenti locum non habet, cum neque iustitia vindicatiua, neque distributiua, sed Dominum Dei, iusque vtendi pro libito re sua scilicet creatura rationali, in gloriæ denegatione, & additione cruciatibus exerceatur, & sanè vltra positam à se conclusionem de voluntate infligendi ea mala reprobis in pœnam, ad hanc etiam suos hosce discursus hic Doctor extendit cit. n. 16. qui tamen, vt vidimus illam solum probant. Apparentior longè est aliorum omnium eius decreti, & voluntatis efficacis antecedentis demerita possibilitatem negantium ex crudelitatis specie ratio petita, ac satis viuide exemplo illo ab Arriaga explicata de qua tamen videbimus statim quid probet.

3. Censeo igitur cum communi Doctorum voluntatem efficacem, & decretum excludendi creaturam rationalem à gloria, eamque æternis cruciatibus addicens atque eius demeritum antecedens (dummodo in pœnam & supplicium non sit) esse omnino possibile: id quod, ni Deum absolutè Dominum creaturarum rationalium negemus, negare nullatenus possumus: etenim absolutum quodvis Dominium, & in solidum in rem quamvis essentialiter est ius & potestas vtendi pro libito Domini re illa in omnem eius vsum absque iniuria alterius: ergo repugnat dari absolutum dominium in rem aliquam in eo, cui potestas vtendi re illa in aliquem eius vsum denegetur: atqui creaturæ rationalis vsus aliquis est, à gloria exclusio & cruciatuum perpessio, ac perpetua destructio: ergo, si potestas vtendi pro libito creatura rationali, in eos etiam vsus, pro libito Deo denegetur, absolutum eius dominium ei negatur. Dices dominium quidem Dei per se, & ratione sui ad omnes vsus creaturæ illius rationalis; ac subinde ad enumeratos extendi, ac proinde nulli alteri in eis, nec creaturæ illi rationali in eis ius aliquod violari; id autem non tollere quo minus Dei bonitati, mansuetudini, benignitati, & misericordiæ eiusmodi vsus aduersentur, & repugnent: quare, & si non ex alterius iure ex eis attributis debere sibi eis creaturæ rationali vsibus abstinere, tametsi suum dominium in illam per se & ratione sui, ad eos etiam vsus, & ad reliquos extendantur, sic diximus sæpè Deum, etsi dominium absolutum erga omnia creata habeat, nec possit amittere, posito tamen decreto aliquid agendi; aut promissione alicui creaturæ facta aliquid ei præstandi quoad eius subtractionem, aut negationem, vti dominio suo in rem illam non posse: licet ex decreto alteri, vt à Deo fiat, alterive ex promissione vt à Deo accipiat promissa non queratur, pareturque contra Deum: sed quia sibi ratione constantiæ & fidelitatis, suæ semel decreta exequi necessario debet, ac semel promissa præstare. Sed contra: quia cum bonitas, benignitas, & misericordia Dei in actu primo accepta attributa libera Deo non sint, sed omninò necessaria, atque cum Deo eiusque dominio ad conuertentiam dicantur, si realiter vsum domini Dei erga creaturam aliquam seipsis reddant impossibilem ipsius in illam dominium & potestatem ad vlus omnes creaturæ decurrant, cum eos reddant re ipsa Deo impossibiles, ad quos, vt tales, nullum reale dominium esse potest: aut vera potestas, cum autem ex libero aliquo actu voluntatis diuinæ vsus aliquis impeditur, vt decreto, aut promissione diuina illis ipsis actibus dominium Dei in creaturam decretam, & promissam exercetur, eius negationi, aut subtractioni repugnans, rationi illorum attributorum, non secundum se sumptorum: sed ex suppositione liberæ voluntatis Dei faciendi aliquid, vel præstandi, quod quidem ex domini Dei in rem præstandam vel faciendam descendit; appositione autem exercitij domini, aut potestatis cuiusvis actum oppositum domini eiusdem impediri clarius est, ac frequentius, quam, vt egeat probatione.

4. Probatur secundo: quia Deus ad decernendam, volendamque efficaciter gloriam creaturæ rationali ante illius merita, atque prorsus independenter ab eius meritis, potens, liberque est libertate, non solius contradictionis, quam aduersarij in Deo non admittunt, sed contrarietatis etiam, quam admittunt omnes: ergo & eli potens à se se & independenter à demeritis creaturæ rationalis ad decernendam, volendamque efficaciter negationem gloriæ eidem creaturæ: consequentia probatur; quia potestas libera & contrarietatis circa obiectum idem, eiusque debet esse ad actus positiuos, & incompossibiles, cuiusmodi non sunt actus efficax obiecti, & inefficax negationis eius, vt patet, qui simul esse absque dubio possunt. Antecedens est omnium sententia ratione dominij Dei in gloriam suam perspicua, & ab his Doctoribus, contra quos agimus, admissa: siquidem gloriam prædestinationis decerni posse, intendique efficaciter aiunt tripliciter; vel ob merita præuisa, vel cum respectu ad illa, scilicet, ad gloriam, vt coronam, vel tandem secundum se solam absque vllo respectu ad merita: tametsi hoc modo absolutè à Deo intentam, sub libertatem, & meritum eius, cui ita efficaciter à Deo intenta fuerit, venire illam, saltem quoad substantiam, non posse, bene fateantur. Tertiò: ni Deus pro suo arbitratu solum, independenter omnino à meritis, & respectu omni ad ipsa, ex solo dominio suo in gloriam velle efficaciter, ac præstare possit, nec posset illam dependenter à meritis, & cum respectu ad ipsa, vt præmium, coronamque efficaciter intendere, ac præstituere. Siquidem, cum gloria hæc, eiusque donatio in alterius dominio & potestate secundum se & entitatiuè sumpta non sit: nec in præmium præstitui intendique efficaciter, decerniue queat, nisi entitatiuè, & secundum se sumpte eius donatio, veræ alicui potestati, & dominio subiaceat, cum eius donatio in præmium ipsius secundum se, & secundum substantiam donationem includat: ergo potestatem donandi gloriam absolutam, secundum se, entitatem, & substantiam suam independenter à merito ex dominio Dei absoluto in ipsam supponit intensiò efficax, & decretum donandi illam in præmium, & coronam, quod non solum possibile sed de facto etiam hi Doctores in Deo admittunt.

5. Hinc verò probatur facile Deum inferno toti cum cruciatibus sumpto creaturam rationalem independenter prorsus à meritis, ac sine vllo respectu ad ipsa è solo dominio suo absoluto in ipsam, cruciatusq; illos posse absolutè destinare: cum enim gloriæ priuatio longè à Deo, ac penè infinitè maius creaturæ rationalis malum sit quam cruciatus omnes possibiles ipsius, vt ea essentialis damnatorum pœna proinde à Patribus, & Theologis merito censeatur, cruciatus verò omnes accidentaria pœna, & accessoria illius principalis: & tamen Dei in gloriam suam, & rationalem creaturam absolutum, plenumque dominium eius bonitate, pietate, benignitate misericordiaque impediri non potest, quominus is dominij sui vsus efficaciter amari, decerni, exerciteque erga creaturam rationalem sit absolutè possibile: ergo nec potuit eisdem impediri, quominus à Deo minus malis cruciatuum, erga creaturam rationalem vsus sit Deo absolutè possibilis. Hoc tamen Dei bonitati, benignitatique scriptura, Patres, & Theologi concedunt, decernuntque omnes debemus, vt nisi ex Deo eiusdem reuelatione illum potestate absoluta, ac dominij iure inferendi tantum malum, siue positiuum, siue priuatiuum creaturæ rationali immerito vsurum nunquam, opinemur, vt docte animaduertit Vasquez noster relatus, quæst. 1. cap. 3. numero 7. ac proinde cum nulla de eo, sed potamine 3. numero 9. ostendebamus: eam voluntatem efcacem in Deo non esse tenendum omnino est, Ad illud de cane quotidiè non citra crudelitatem à suo Domino in dominij sui exercitium, & ostensionem semiassando, inde est: quod moraliter vix sine delectatione, & iucunditate in eius cruciatibus, & querulis iactatibus sine vilatibus percipienda (quod dici solum animi est, & crudelis) ob solum exercitium sui in miserum canem dominij haberi vnquam possit. Tum quia, cum humanum dominium in vsus domini vtiles ordinetur, in eiusque cruciatibus vtilitas nulla Domini soleniatur, nisi ex eis capienda voluptas illorum in canem suum inficiabne, merito crudelitatis argueretur: dominium autem Dei in creaturas ad vsus earum ipsi vtiles, neque eis

est, neque esse potest: potestque se facile continere, ne de creaturæ rationalis æternis malis, qua talibus, delectetur, sed sola exercitij illius honestate absque vlla crudelitatis specie amari à Deo efficaciter potest. Denique voluntatis huius efficacis possibilitatem ostendemus ad hominem contra aduersarios, qui voluntatem efficacem exclusionis à regno, & æternæ damnationis rationalis creaturæ in supplicium, & pænam peccatorum ante eorum absolutam ab ipso positionem, & præuisionem esse absolutè possibilem, durius adhuc, diriusque admittunt.

6. Aduertit vero Arriaga, sectione 2. citata num. 8. in quæstionis explicatione, præfatam voluntatem efficacem excludendi aliquem à gloria independenter prorsus, & sine vllo respectu ex parte obiecti etiam, ab eius de meritis è re quæstionis præsentis non esse: cæterum, cum ipse quæstionem hanc eodem modo, & sensu intelligendam tractandamque ibidem dicat quæ electio efficax ad gloriam ante absolutè præuisa prædestinati merita ab ipso, & Theologis reliquis intelligitur, atque tractatur; ea vero quæstio, cum ab ipso Arriaga, tum à reliquis Theologis tractetur, atque intelligatur tripliciter ex parte obiecti. Primo præscindendo ex parte obiecti à meritis, & omni respectu ad ipsa, & ad solam gloriæ collationem, nihil de meritis, aut eorum negatione attendendo, vt donanda prædestinato gloria in executione sit, cui respondet voluntas, seu intentio efficax excludendi hominem à gloria, ipsumque damnandi æternis cruciatibus, præscindendo ab eius demeritis, eorumve negatione, de qua hactenus egimus: ergo & huic etiam examen, deque eius possibilitate, & facto ad quæstionem præsentem spectat, immo vero solo hoc sensu quæstio præsens de præcedentia de facto, aut de possibili voluntatis, seu intentionis efficacis excludendi creaturam rationalem à gloria, eamque æternis cruciatibus addicendi antecedenter ad absoluta, & præuisa eius demerita, ac subinde ad reprobationem ipsius à gratia efficaci, cuius defectu absolutè, certóque peccabit, locum habere potest: siquidem sensu alio de intentione efficaci excludendi illam à regno, eamque cruciatibus illis addicendi in pœnam formaliter, & formale supplicium peccatorum non in gloriæ exclusionem, & dolores illius æternos solum, sed in demerita, & peccata ea voluntas efficaciter feretur, vt cert. 2 videbimus: sed in sensu hoc intentionis efficacis de damnatione æterna rationalis creaturæ, vt damnatio propriè, seu pœna, & supplicium est, in quo solo ad præsentem quæstionem spectare censet Arriaga. Doctorum sententias videamus, cum de facto, tum de possibili, vt nostrum postmodum iudicium in vtraque quæstione feramus.

CERTAMEN II.

In quæstione de facto Doctorum placita referuntur.

1. IN quæstione de facto eiusmodi intentionem de exclusione reproborum à regno, & æterna ipsorum damnatione ob peccata pro posteriori naturæ ab eis admittenda, ac subinde vt pœna (damni tamen, non sensus) & supplicio in finem ostentionis iustitiæ suæ efficaciter pro priori ad absoluta demerita intentum, efficacem quidem illam admittunt Dominicani aliquot Thomistæ Bannez 1.p. quæstione 23. articulo 3. dub 2. vbi, & Zumel. Aluarez de auxil. d. 77. §. *Supponendum est quarto*, teste Ioan. Præposito ad citatum articulum, & d. 110. apud Herize d. 33. c 1. à numero 4. in quem relatis eius quinque conclusionibus non immerito inuehuntur ipse, & Arriaga. Prima enim eius conclusio est: *Dari in Deo voluntatem positiuam absolutam excludendi reprobos à regno ante ipsorum peccata absolutè posita, & præuisa*: intelligit autem efficacem ordine intentionis absolutæ intentioni efficaci dandi gloriam prædestinatis ante eorum merita absolutè præuisa, ab ipso, & assentis afferre omnino aduersam: illi vero conclusioni primæ quinta hæc eiusdem contradicit: *Reprobationem quantum ad vltimum eius effectum, seu exclusionem à regno, & punitionem causam necessariam ex parte reprobi habere peccatum, siue originale, siue actuale absolutum eius à Deo præuisum: vt nisi eo præuiso aliquem, non solum executiue, iuxta fidei dogma, sed neque intentiue possit absolutè, & efficaciter eis pœnis illos velle punire*: verba Aluarez his suis conclusionibus propemodum ipsa sunt: ipsissimæ vero sententiæ sibi contradicentium conclusionum. Primæ autem conclusioni præter Thomistas datos expresse assentiuntur Durandus, in 1. d. 40. quæst. 2. num. 6. Duchard. d. 41. articulo 3. quæstione 1. Goncalez Albelda ad articulum citatum, vbi discalceatus cursus Carmelitus tract. 5. d. 8. Ioan. à Sancto Thoma d. 10. articulo 1. Horum sententiæ, ex aliis tamen principiis vnus ex nostris accessit, Granados 1.p. tract. 6. d 2. satis fusè, & tract. 8. d vn. sect. 7. ex parte etiam Corduba. 1. quæstionar. quæst. 56. notat. Scoti præceptoris signa in negotio reprobationis sequutus, nisi quod in eorum primo ante absoluta opera ac demerita reprobi docet Deum decreuisse positiuè illum à regno excludere, non autem pœna sensus punire.

2. Fasolus ad citat. quæstion. 23. articulo 3. numero 3. vt essentiam explicet reprobationis, tot intellectus, & voluntatis Dei actus recenset, vt rem potius confundat, quam expediat: pauculis enim explicatior reperit, atque ad ferendam sententiam mens expeditior, vt ex dictis claret numero vero 6. ait, in primo signo, quo ante præuisa merita prædestinatis gloriam efficaciter voluit, non negatiuè solum, sed positiuè etiam se habuisse erga reprobos Deum volendo scilicet, etsi non ita efficaciter illis gloriam. Notat verò numero 10. contra Durandum non esse pro illo signo voluntatem efficacem: immò neque absolutam excludendi eos à gloria ne voluntati absolutæ de ipsorum salute aduersetur, suæque pietati deficiat, sed solum excludendi illos ab electione efficace ad gloriam, eamque voluntati negandi infallibiliter gloriam necessario docet præcedere, atque voluntati negandi media efficacia, & infallibilia ad gloriæ consequutionem. Hanc verò doctrinam tanquam Scoti abstrusam mentem, à séque in apertum deductam venditat ex 1. sententiar. d. 41. q. 1. §. *sed dici potest*, & sub quæstionis finem, vbi voluntati illi positiuæ exclusionis reprobi à regno, efficacique voluntati ad illud videtur problematicè saltem, & tanquam probabili sibi sententiæ assentiri: quod posset fortius confirmare Fasolus ex §. *potest aliter* quæstionis eiusdem. Cæterum pro signo illo antecedente demerita absoluta reprobi nihil Deum positiuè circa eius à gloria exclusionem voluntate sua agere ex Scoti mente, & sententia concors interpretum, & scholæ suæ Doctorum sententia est, quin ex memoratis eius textibus mens eius in oppositum pertrahi possit, aut induci: in eis quippe diluendi argumenta sibi opposita non vnam solum esse viam ostendit, sed multiplicem, nec eam tantum, quæ ex doctrina decisiohis suæ ad quæstionem, & difficultatem, quam ex instituto versat aperitur: sed de mente Scoti rigidè agemus numero proximo, in Fasoli vero nostri doctrina displicent nonnulla. Primum, quod ad idem signum voluntatis diuinæ reprobationem, eiusque initium, & prædestinationem aliorum, ipsiusque initium censeat pertinere (in quo & Theologi alij peccarunt) cum tamen certum, ac de se constans sit reproborum reprobationem, & prædestinationem: immò vnius prædestinationem, ac prædestinationem alterius disparate se habere: quare neque vtrarumque initium, idem esse potest, tametsi eodem modo in omnium reproborum singularium reprobationum decretis, & in reprobatione vniuscuiusque, sicuti, & in decretis prædestinationibus vniuscuiusque, atque omnium prædestinatorum, dum de speciali in aliquorum, siue reprobatione, siue prædestinatione disponenda, ordine ex scriptura, & Patribus non constiterit, censendum prudenti, & cordato Theologo sit: displicet secundo positiua illa voluntans antecedens, & decretum non eligendi efficaciter reprobum ad gloriam, quia omnino superfluit solaque omissione efficacis voluntatis ex contradictionis libertate

tate quam (Deo adesse ostendimus) reliquæ voluntates ad reprobationem necessariæ æque bene procederent. Et quantum ad eius antecedentiam voluntati efficaci denegandi auxilia efficacia, seu media infallibilia ad gloriæ consecutionem nescio quo pacto illam docuerit Fasolus, qui cum nostris omnibus voluntatem conferendi auxilia efficacia prædestinatis ex inefficaci salutis eorum intentione prouenire posse constanter etiam affirmat: quare & simili alia inefficaci voluntate non eligendi efficaciter, & infallibiliter reprobum ad gloriam possent ei & auxilia efficacia ipsi denegari, & sufficientia tantum conferri.

3. Sed ad Scoti mentem, & sententiam veniamus, quam Vazquez ex eius textu, discipulis, & scholasticis, vel coætaneis, vel vicinioribus palam fecit, docuit ergo Scotus loco citato in primo signo omnibus prædestinandis, reprobandisque propositis, primos elegisse efficaciter ad glorias, erga secundos mere negatiue, ac pure omissiue, quoad electionem ad gloriam, vel ipsorum à gloria exclusionem se habuisse in secundo signo elegisse primos ad gratiam efficacem perseueranter; circa secundos autem etiam in ordine ad gratiam pure negatiue, & omissiue se gessisse. In tertio signo præfinisse his permissionem lapsus in mortale perseueranter; ex qua, imo, & ex duabus omissionibus anterioribus electionum ipsorum ad gloriam, & ad gratiam, vidit illos absolute, & perseueranter peccaturos: eisque negationibus, seu omissionibus, & permissiua præfinitione signi tertij eorum reprobationem constituit in quarto signo ex præuisione præfata peccati perseueranter futuri ita iam à gratia efficaci reprobum reprobat efficaciter & punitiue à gloria deputatque cruciatibus æternis. Contrà verò duabus electionibus efficacibus ad gloriam, & ad gratiam efficacem iam prædestinatum & bene, ac perseueranter operaturum præuisum, præmiatiue, & executiue elegit ad gloriam. Sequuntur Scotum Bassolus in 1. d. 41. q. 1. a. 4. & Scotistæ reliqui Corduba excepto, vt vidimus. n. 1. fine; eius tamen loco Scoto adhæserunt Thomistæ plures memorati à Vasquez. d. 95. c. 1. n. 7. 5. *Scotum sequuntur*, quod suauior ipsis omissio electionis efficacis ad gloriam erga reprobos eorum meritis anterior quam efficax voluntas exclusionis ipsorum à gloria visa, & optimo quidè iure, videretur. In hac porro doctrina, & ordine decretorum Scoti plura Vazquez, & alij immerito reprehendunt Primũ negationes & omissiones electionem reprobi duorum signorum puras, quas in Dei voluntate iudicant impossibiles. Ostendimus autem controu. 4. de voluntat. d. 4. q. 3. cert. 2. omissiones puras, ac subinde libertatem contradictionis diuinæ voluntati negari non posse, quin, & voluntati creatæ ex defectu causæ exemplaris, & diuinæ omni effectui positiuo, nec pure defectui, siue effectui defectiuo solum creato necessariæ, denegentur. Qua in re cauenda aduersariorum fallax æquiuocatio est: quod nempe Deus erga absolutas negationes rerum suspensiue se haberet. Neque enim pura suspensio voluntatis est, eius circa obiecti appositionem libera, ac deliberata omissio: quæ, si essentialis, adhuc partialis obiecti eius voluntas sit, adæquata negationis absolutæ eiusdem obiecti causa erit, vt sæpe ostendimus, ac de sese patet. Sed eo principio dato: cum Scotus signo suo tertio voluntatem permissiuam peccati, seu denegandi gratiam efficacem designet: & in quarto signo voluntatem etiam positiuam, & efficacem denegandi gloriam reprobo, vtriusque negationis voluntatem positiuam, & efficacem à qua absolute causentur designat; tametsi pro anterioribus duobus signis non adsint. Neque enim (ipso Vaz. fatente. n. 9.) voluntas positiua necessaria in Deo, vt in suo modo negatio alicuius creati in rebus absolute sit, atque à Deo causetur in omni anteriori signo esse debet, sed satis est, vt sit in postremo, anteriori ad rei absolutam negationem. Id quod absolute verum est, & patet, contra eundem Vazq. n. 10. §. *quare*, *id quod* tametsi positiuum permissionis decretum pro illis signis prioribus haberi à Deo absolutè possit vt posse haberi Scotus admittit: quia etsi potens ad permissionis decretum, eiusque omissionem pro eis signis prioribus sit; cum tamen ad neutrum pro illis signis sit determinatus Deus potest pro illis præcisiue se habere, differreque ad vlterius, etiam postremum ante negationis absolutam positionem ad illam apponendam voluntatis suæ determinationem.

4. Aliundè vero numerus, & ordo signorum Scoti nobis displicuit. Primò, quod ad idem signum negatiua reprobatio à gloria & efficax electio ad gloriam ante præuisa absolutè merita vel reproborum, vel praedestinatorum reuocetur: omissa enim nunc impossibilitate antecedentis electionis prædestinatorum ad gloriam propter merita, & vt coronam donandam (de qua tamen supra) quod ad rem ipsam attinet, negatiua illa reprobatio à glotia; immò, & à gratia efficaci, atque electio efficax tam ad gloriam, quam ad efficacem gratiam omninò disparat, & impertinenter se habeut, aut iure nequeunt ad idem prius, & signum naturæ pertinere: vt num. 2. contra Fasolum dicebamus: qua in re magis nobis Fasolus, quam Scotus displicet: quia num. 3. non solum ad idem signum, sed ad eundem actum liberum Dei positiuam electionem prædestinati ad gloriam, seu gratiam efficacem, & positiuam reprobi exclusionem dicere pertinere dixi, *quod ad rem* attinet reprobationis & electionis: quia quod ad denominationem electionis vnius præ alio non ita impertinenter se habent vt vnius electio, atque alterius non electio, seu reprobatio in Deo esse non debeat, non tamen vtraque esse debeat pro eodem naturæ signo, & priori: hoc sensu Patres prædestinationem, cum reprobatione aliorum coniungunt, illam electionis nomine vocantes: quorum testimoniis Fasolus præsertim deceptus est, vt de re prædestinationis, & reprobationis sententiam illam suam doceret, ad rem autem ipsam ostendimus supra ne prædestinationem quidem cunctorum prædestinatorum in eodem priori, & signo naturæ habitam à Deo fuisse, nec potuisse. cum quorumdam existentia ipsorum prædestinationi, & destinationi, seu electioni ad gloriam necessario antecedens, ac supponenda posterior natura, aliorum prædestinatione. ac destinatiune ad gloriam sæpè fuerit: quod ipsum de reprobatione, vel positiua, vel negatiua, siue à gratia efficaci, siue à gloria eadem ratione probatur: ergo nequit cunctorum siue ad gratiam efficacem, siue ad gloriam destinatio, & electio, simulum exclusiue, siue positiua, siue negatiua ab alterutra ad idem signum, ac prius naturæ pertinere: secundo displicet tertium illud signum decreti permissiui peccati erga reprobum habiti de facto, quia otiosum, ac de superfluo positum est: cum enim pro secundo signo Scotico ex negatiuis illis exclusionibus & à gratia, & à regno scientiam mediam de futuritione conditionata vel consensus, & regni, vel negationis vtriusque sub auxiliis prædestinato cuiuis decreti, ac reprobo expositiua, vel negatiua voluntate denegandis, vt opus fuit ad prædestinandos, quos pro eo signo ex omnibus liberè ac prudenter prædestinauit, & non prædestinandos, quorum prædestinationem pro eodem etiam signo liberè omisit: certè pro eo signo sat scientiæ, & potestatis absolutæ habuit, vt hos non negatiuè solum, sed positiua etiam voluntate à gratia efficace excluderet, ac positiuè reprobaret decreto peccati permissiuo: sicut satis habuit scientiæ & potestatis, vt positiua voluntate alios ad efficacem gratiam destinaret, ac prædestinaret: ergo de superfluo, & otiosè tertium illud signum naturæ ad positiuam voluntatem, & decretum negationis auxiliorum efficacium, seu permissionis peccati inducitur à Scoto, & expectatur: etsi enim ex ea scientia, & potestate pro illo secundo signo sibi aditante ad determinandum se ad alterutrum pro illo ipso signo non cogeret Deus, sed possit determinationem ad posterius aliud signum absolute differre, ast cum pro illo secundo signo possit absolutè determinare ita factum censere debet in quæstione de facto, ni ex reuelatione, aut incommodo Theologico (quæ hic absunt) de suspensione pro illo signo, & dilatione determinationes ad signum posterius nobis constiterit: ne frustra per plura signa factum admittamus, quod per pauciora fieri de facto potuit admittatur: immo vero cum positiua prædestinatio aliquorum ad efficacem gratiam pro illo secundo signo, atque non solum præcisiua omissio positiuæ similis prædestinationis erga reprobos, sed & negatiua (vt iam ex eius doctrina ostendam) à Scoto admittatur: iam in negatione gratiæ efficacis reprobis determinatio voluntatis diuinæ pro illo secundo signo admittitur: quid ergo obest, vt circa eiusdem gratiæ efficacis negationem pro eodem signo secundo positiua determinatio fuerit.

§. Secundo

5 Secundo decretum hoc permissiuum peccati, ac subinde signum illud tertium (quod illi decreto concipiendo inseruit) ex doctrina Scoti eiusdem impugnatur. Docet enim ex duabus negationibus diuinorum decretorum erga gloriam & gratiam efficacem reprobi cuiusque quas in primo, & secundo signo posuit præuideri à Deo lapsum reprobi perseueranter: ergo ante illud tertium signum negatio gratiæ efficacis absoluta supponitur futura: ea enim non suppositа nequit lapsus absolute, & permanenter futurus esse, ac præuideri. Inde infero vlterius: ergo nequit à Deo concipi posterius natura decretum permissiuum peccati pro signo tertio; probatur consequentia. Omne decretum de obiecto quouis desiderium illius obiecti, & actiuum est: ergo repugnat decretum de obiecto aliquo quod anterius ad ipsum decretum absolutè futurum absolute supponitur, atque à Deo præuidetur. Patet consequentia, quia desiderium omne essentia sua fertur in obiectum suum, vt fiat futurumque sit, quod anterius ad ipsum factum futurumque absolutè neque est nec præuideturrecquis enim quod præhabet atque absolute futurum supponit vlterius,& posterius,vt fiat,futurumque absolutè sit nisi insipienter desideret: pergo. Atqui negatio absoluta auxilij efficacis(quod est obiectum voluntatis,seu decreti permissiui peccati omnium, & Scoti scientia) futura absolutè est in,& ex secundo signo negatiuæ reprobationis, seu liberæ omissionis prædestinationis, & voluntatis conferendi gratiam absolutam reprobo: ergo implicat concipi habereque à Deo pro signo posteriori tertio decretum permissiuum peccati, seu negationis auxilij efficacis, quæ anterius ex omissione illa libera, seu negatiua reprobatione ab auxilio omni efficaci in secundo, & ex secundo illo signo absolutè futura supponitur, atque absolutè à Deo præuidetur. Dices, omissionem illam voluntatis efficacis conferendi reprobo auxilium efficax non esse rigorosam omissionem liberam, ac deliberatam, quare nec reprobationem negatiuam pro illo signo habitam. sed solam suspensionem voluntatis conferendi, vel non conferendi auxilium efficax reprobo,vt pro eo signo mere præcisiue se habeat Deus, determinatione omni libera voluntatis suæ,siue positiua, siue negatiua tam circa auxilium efficax, quam circa eius negationem ad tertium naturæ signum referuata, vt fieri posse n. 3.& 4. dicebamus. Cæterum cum ex prouisione pura voluntatis liberæ circa auxilium efficax, eiusque negationem, nequeat negatio auxilij efficacis, quare nec reprobi absolutus, & permanens lapsus adhuc tanquam ex partiali medio aut principio inadæquate deduci, male Scotus docuisset, ex duabus illis præcisiuis tantum negationibus, seu omissionibus prædestinationis ad gratiam efficacem, & ad gloriam etiam in consortio decreti sui permissiui peccati, lapsum reprobi absolute & permanenter futurum deduci atque absolute fore à Deo præuideri, Scoti ergo explorata sententia in duobus primis signis non solum omissionem electionis ad gratiam efficacem, & ad gloriam, sed deliberatam omissionem electionis vtriusque,sine qua nec gratia efficax, nec gloria obtineri consequente possibilitate, & potestate queat; ac proinde reprobationem negatiuam in primis illis signis constituit:quare nequit pro eius doctrina euasio omissio tantum præcisiua pro illis signis tentari. Porro Bassolus, & Scotistæ omnes ita Scoti Præceptoris sententiam referunt, & sectantur,ac Thomistæ,quibus eam placuisse retulimus, Pesantins q. 23. citat. a. 7. d. 4. n. 4 & alij apud nostrum Ioannem Præpositum eadem q. a. 3. dub. 4. n. 111. §. *secunda sententia* vbi Scoti sententiam hanc immerito tribuit nostro Soario. 2. de concursu Dei. c. 5. §. *Tertia obiectionis occasione* & 1.p.lib. 5. de reprobatione c. 5. imo addit Soarium. c. 4. n. 5. admisisse positiuam nolitionem eligendi aliquos ad gloriam, & ad gratiam efficacem anterius ad iplorum demerita absolute præuisa. Deceptus autem valde deceptus est:siquidem Soarius constanter docet vbiuis, & ibi Deum ex inefficaci salutis reprobi intentione pro omni signo anteriori ad electionem mediorum sufficientium tantum pro reprobo, atque eius demerita absoluta, eum ad efficacia media pro eo eligendo absolute liberum, & expeditum esse; cum tamen deliberata omissione anteriore eligendi ipsum ad gratiam efficacem, & ad gloriam, siue negatiua reprobatione (& multo magis positiua nolitione vtriusque electionis) vtriusque electionis anterius ad ipsas & demerita reprobi impos absolutè & omnino impeditus esset.

CERTAMEN III.

In quæstione efficaci reprobationis à gloria reprobi de facto conclusio prima.

1 NVllum reprobum excludit de facto Deus à gloria voluntate efficaci ante eius demerita absolute præuisa:ac subinde nec ea efficax & antecedens à gloria exclusio, reprobationis eius à gratia efficace causa esse potest ex parte Dei. Ita expresse. S. Thomas. in cap. 8. ad Roman. in ea verba: *quos præscivit* & in cap. 9. lect. 2. fine q. 6. de verit. a. 2. ad. 9. ser. 3. contra gent. c. 161. vbi Ferrara Caietan. 1.p.q. 23. a. 5. §. *ad. 4.* & fine. 5. *Adverte* vbi reprobationem à gloria solius iustitiæ actum proprium esse docet,ac reprobi demerita absoluta, necessario supponentem. Viguerius,institution. Theologicar. c. 10. §. 8. Catherinus. 2. de prædestinatione. Orantius. 3. locor. catholic. c. 9. Stapleton. in cap. 9. ad Roman. versu. 30. ex nostratibus Granado excepto omnes Valētia. 1.p.q. 23. parte poster. de reprobat. pu. 3. Molina ibidem. a. 5. concl. 1. Vasq. d. 95. c. 4. 5. & 9. Soar. locis citatis; & 2. de auxil. c. 5. n. 5. & 6. ac lib. 5. c. 2. n. 4. c. 3. concl. 1. c. 6. n. 8. Becanus, 1.p.c. 15. q. 3. concl. & post tract. de prædestinat. & reprobat. c. 16. q. 1. Bellarminus de gra. & libero arbit. c. 16. §. *iam vero* 2. de amissione gra. c. 12. Herize cita. d. 33. Lessius de prædestinat. sect. 6. c. 5. & 6. Petauius c. 1. dogmatum Theologicor. lib. 9. c. 10. Monzæus. 1. de electione ad gloriam fine Ioan. Præpositus supra n. 112. Fasolus etiam supra, Arriaga etiam supra subsect. 3. Quiros. t. 2. de Deo vno. tract. 6. d 17. sect. 2. n 6. Bruicz. de Montoia de prædestinat. d. 16. sect. 16. n. 11. & si typorum errore huic nostræ,& suæ conclusioni & probationibus suis videatur in terminis aduersus hisce verbis. *Deo facto Deus ad permittendum peccatum originale, & ad permittendum primum peccatum hominis iustè mouetur ex intentione efficaci ostendendi iustitiam punitiuam.* Quibus hæc contradictoria immediate subnectit; *sed primus præcognoscit peccatum absolute futurum, & dependenter ab hac cognitione vult efficaciter ostendere iustitiam punitiuam.* omissum ergo typis fuit *non* præponendum verbo *mouetur* partis primæ ne conclusio tota in terminis implicet, ac probationibus eius ab authoritate subiunctis aperte aduersetur. Pro sua hac & nostra conclusione citat præter relatos patronos Magistrum in 1. d. 40. c. vlt. Arcolum ibi. a. 1. & d. 41. a. 1. & Gregor. ibi. q. vn. a. 2. ad. 4. ac ibidem Heruæum, & Maiorem Henricum quodl. 4. q. 19. quodl. 5. q. 5. quodl. 8. q. 5. Sotum. in c. 9. ad Roman. digressione de prædestinat. pag. 277. Syluestrum in conflatorio Driedonem. 1. p. concordiæ libeti arbitr. cum prædestinat. c. 4. quos & alios à ferelatos d. 15. sect. 16. *tertia opinio*, ac n. 14. & 15. pro sexta opinione, præ præsenti refert conclusione, quibus adde Scotum cum tota sua schola, qui licet reprobationem negatiuam à gloria peccati reprobi absolutæ futuritioni,eiusque præuisioni natura anteriorem in Deo admittant, positiuam vero anteriorem absolutæ futuritioni, & præuisioni fuisse constanter negant: denique cunctis memoratis adde Gamachæum de prædestinat. c. 12. §. *vltima restat, quæstio.* Hacher. 1. p. 4 23. d. 4. concl. 5. & alios iam memorandos.

2. Porro cõclusio hęc de facto cõtra voluntatem efficacem excludendi reprobum à gloria antecedenter ad eius demerita absoluta, atque eorum absolutam præuisionem, & reprobationem à gratia efficace, ex fine ostendendæ suæ iustitiæ punitiuæ in reprobos, vel prædilitis misericordiæ prędestinatos,simo ex quouis alio fine ex quo haberi à Deo absolute possit contradictorie decertat. Prima eius probatio ex Theologorũ,totque scholarum consensu,& authoritate desumitur. Maxime,cum ex eis proximo

sęculo sapientissime, accuratissimi dogmatum fidei examinatores defensoresque strenuissimi, & acerrimi, non vt cumque probabiliorem, sed fidei dogmata concernentem iudicent, ne sine grauibus censuris affirmatiuam abire patiantur. Catherinus eam vocat. *Horribilem, & pias aures verberantem: ipsumque Augustinum eam detestari, vt impiam. lib. 6. Hypognosticon.* Orantius de ipsa ait. *Quæ est Caluini & Bezæ, & aliorum hæreticorum nostri temporis.* atque eam *Deum confingere atrocem, & ferocem.* Stapletonius. *Hunc fuisse execrabilem sensum Caluini Deum iniquitatis, & iniustitiæ arguentis.* Viguerius supra c. 20. versu. 2. *repugnare cum diuina iustitia.* Qualterus sæculo 17. suæ chronolog. anno 1600. c. 7. *hanc fuisse Sibrandi hæresim referente Vuortio.* Bellarminus *Caluinisticam* appellat; vti & Becanus cita. q. 1. vbi quatuor propositionibus doctrinam Caluinisticæ prædestinationis ad gloriam proponit. Quarum prima, & secunda prædestinationem seu efficacem destinationem vnius ad vitam, & alterius ad mortem in Dei consilia meritis, demeritisue, ac præuisioni eorum anteriorem amore Dei arbitrio, & libito habitam docent. Tertia vero, & quarta propositiones ex eis efficacibus destinationibus præparari ac disponi media, quibus alter æternam vitam, alter vero æternam mortem infallibiliter incurrat. Destinationis vero seu prædestinationis ad gratiam, & gloriam, seu ad mortem & infernum voce, non quidé mediorum efficacium ad alterutrius consecutionem, sed alterutrius efficacem intentionem ex qua mediorum præparatiua voluntas tam efficacium quam sufficientium tantum, meritaque ac demerita absoluta posterius natura prouenianr. Tomo item. 1. opusc. Theologicor. eandem Caluinisticam prædestinationem ad vitam vel mortem æternam intentione illa efficaci alterutrius merita reprobi, demeritaue absoluta prædestinati, & reprobi antecedente, & ex qua medio cum alterutro sine intento infallibiliter coniungenda à Deo amentur; & prouenianr contineri septem Caluinistarum hac de re propositionibus adhibitis explicatius adhuc proposuit Soarius citatus præfatam efficacem Dei voluntatem excludendi reprobos à regno, & gloria sua ipsorum absolutis demeritis, ac præparationi subinde mediorum sufficientium tantum ad eorum salutem anterius à Deo habitam *improbabilem, & alienam à sana doctrina* censuit. Herize etiam *nulli Catholicorum illius defensionem permittendam esse* docuit. Demum Scotus præfatis omnibus anterior in 1. d. 41 q. vn. versu *secundum probatur* eiusmodi efficacem voluntatem Dei de exclusione reprobi à gloria eius absolutis demeritis anteriorem fore censuit crudelem.

3. Graues hasce affirmatiuæ sententiæ censuras, ex grauissimis Doctoribus retulerim, vt negatiuæ nostræ conclusioni authoritatem, quæ ex eis desumi possit concilium. Earum sane pondus dupliciter eleuare contendit Arriaga cita d. 39. sect. 1. subsect. 2. n. 11. Primo: quia posse Deum absolute futura, & præuisa reprobi demerita velle efficaciter illum à gloria, etiam in pœnam, atque ex affectu iustitiæ vindicatiuæ; excludere probabile ipse putauerat subsect. 1. §. 5. *Primo non posse*, & §. *Hinc infero*. Cęsuræ autem præfatæ *crudelitatis, iniustitiæ, horribilitatis, atrocitatis, ferocia, impietatis* in eam Dei voluntatem, non solum in eam de facto habitam, sed etiam in eam possibilem cadunt siquidem non minus Deo repugnat impia, atrox, ferox, crudelis, & iniusta voluntas possibilis, quam actualis: cum tamen communi etiam Theologorum sententia, & nostra statuta cert. 1. contra ipsum Arriaga absque vlla ex præfatis nota possit Deus ante cuiusuis rationalis creaturæ absoluta demerita præuisa eius à gloria exclusionem æternosque cruciatus (dummodo in pœnam delictorum non sit) efficaciter velle. Secundo censuras in Caluinisticam prædestinationem ad mortem, non ob intentionem illam efficacem exclusionis à gloria reprobi absolutis demeritis anteriorem, sed ob præfinitionem materialis peccati in Caluinistica reprobatione contentam cuius à Thomistica præfinitione materialis peccati discrimen non examinat: verum, (vt à postremo ordiar.) Doctores præfati, duas illas voluntates efficaces Caluiniani erroris seorsim recensentes seorsim etiam confutant, & propriis vnicuique censuris carpunt: & datis quidem exclusiuam reprobi à reo eius demeritis anteriorem, (de quo nunc) & ex qua ad materiale peccati præfinitio proueniat. Primum autem nil pŏ letis ab authoritate prædictis censuris imminuit. Etenim, vt voluntas illa de facto admissa impia, feroxque esset ac iniusta, ex adiunctis de facto circunstantiis, ac non ex intrinseca eius natura, & essentia posset prouenire, quæ proinde possent absolute ab eiusmodi voluntate absolute separari, ac deficere: quare ex eis defectibus in voluntate, quæ de facto est, non infertur omni Dei voluntati circa obiectum idem conuenire debere, quandoquidem absque eiusmodi circunstantiis circa obiectum idem haberi à Deo voluntas absolute posset, quod autem ex adiunctis, & circunstantiis, quibus de facto eiusmodi voluntas haberetur eos defectus de facto habita incurreret quos Patres, Doctores aiunt incurruram, non autem desese, ac natura solum sua spectatam conclusionis probationes, & toto decursu quæstionis dicenda satis ostendent.

4. Prima ac præcipua nostræ conclusionis probatio petenda est ex impossibilitate intentionis efficacisue voluntatis punitiuæ reprobante eius absoluta demerita præuisa ex fine iustitiæ suæ vindicatiuæ per eius à regno & gloria sua exclusionem, & æternis cruciatibus additionem: ea enim impossibilitate statuta, negatiua conclusio de facto ineuitabiliter, vt patet infertur. Sed tamen nunc argumentum hoc non persequor; tum quia de eius voluntatis impossibilitate statuenda certandum nobis erit, à cert. 5. tum quia conclusio præsens, non solum anteriorem de meritis voluntatem efficacem punitiuam intentiue per eius à regno exclusionem, sed omnem aliam quamuis ex quouis alio fine à Deo possibilem, ex iure supremi sui Dominij in omnem, etiam rationalem creaturam, de facto à Deo excludit, quare ex punitiuæ solum voluntatis anterioris ad merita absoluta reprobi impossibilitate exparte solum, non autem conclusio tota probatur, probatur ergo primo. Quia admissa adhuc eius voluntatis excludendi gloria reprobum ad eius demerita absoluta anteriori ex quo velis sine possibilitate Dei tamen bonitati, misericordiæ, benignoque ipsius in creaturas rationales Dominio debetur, vt nisi ex reuelatione Patrumue diuino Spiritu afflatorum communi, constantique sententia ita se erga rationales creaturas gerere Deum credi nec debeat, nec possit atqui ita se Deum erga illas nullo scripturæ, aut Patrum testimonio, nedum constanti, & communi sententia, constat, sed potius oppositum: ergo nullatenus id à nobis asseri debet, aut potest. Maior probatur: quia id quod extra, ordinariam expertamque Dei prouidentiam vsumque diuini extraordinario fundamento opus habet, vt asseratur de facto euenire: quemadmodum, vt aliquid asseratur de facto contingere, quod extraordinariam Dei prouidentiam, & vsum dominij sui in creaturas irrationales, & naturales causas, & effectus vniuersi: v. g. ignem fornacis Babylonici tres pueros non cremasse ni nobis ex scripturæ testimonio constaret asseri à nobis non posset, quia extra ordinariam Dei prouidentiam, vsumque dominij sui in naturales causas expertum est: atqui voluntas illa excludendi rationalem creaturam à gloria efficax & eius de meritis absolutis anterior, etsi ex aliquo fine, & iure dominij sui sit Deo absolute possibilis, est tamen extra prouidentiam ordinariam & communem vsum benignum, ac beneficium, vt expertum Dei erga rationales creaturas, atque ex Dei bonitate, & propensione ad benefaciendum suis creaturis præsumendum a Patribusque, & scriptura commandatum verbis illis quibus sæpe *scripturæ de Domino in bonitate iubemur*, ergo, vt ea voluntas credi in Deo asseriquue debeat, aut possit extraordinario fundamento scripturæ, constantisue & communis Patrum sententiæ opus erit. Minor primis syllogismi, ac simul secundi, probatur, quia nullo scripturæ, vel Patrum testimonio (nedum communi horum consensu) constat Deum ita se erga creaturam aliquam rationalem de facto gerere constat, imo vero oppositio modo se erga rationales omnes creaturas gerere de facto Deum constat ex scriptura, & Patribus frequentissimis, vt patebit ex solutione eorum, quæ ab aduersariis inducuntur, & aliis irrefragabilibus, quæ reliquis nostris argumentis adducemus.

5 Probatur Secundo. Deus de sese, & ante absoluta reprobi demerita non solum vere, & serio, sed & ardenter ipsius salutem vult, vt ex scriptura, & communi, constantique Patrum monstrauimus contro. 4. d. 4. q. 2. a. cert. 2. ergo

t. ergo. eius exclusionē à gloria, & salute de sese atq; ante absolutam demeritorum positionem & præuisionem efficaciter nec vult de facto nec amat. Probatur consequentia. Etsi enim voluntas inefficax obiecti cuiusuis, cum efficaci voluntate negationis eius compossibilis absolute sit, neutraque proinde inferat negationem alterius in essendo; at in denominando illum qui vtramque habet voluntatem, voluntas efficax negationis obiecti præualet impedit inefficacem, vt illum volentem absolute obiectum idem denominet; ita vt efficaci voluntate de oppositio, & contradictorio obiecti inefficaciter solum velit, inefficax eius volitio non solum nequeat ipsum absolute volentem illud denominare, sed nec ipsa absoluta ipsius voluntas, sed conditionata, & velleitas solum censeatur; & nominetur, vt patet in mercatore volente efficaciter & proficiente merces in mare, vt imminentem mortem euadat, quas tamen inefficaciter, tunc etiam, & ardenter conseruare, ac retinere desiderat, & tamen non à desiderio hoc ardenti inefficaci tamen, volens absolute illas seruare, sed potius à voluntate efficace illas in mare proiiciendi volens absolutā illas proicere denominatur, & asseritur: atqui Deus absolutè esse volens reprobi cuiusuis salutem denominatur, atque ab scriptura, & cunctis Patribus de se, atque ante absoluta illius demerita præuisa dicitur: ergo efficax voluntas Dei de se, & ante reprobi demerita absolutè præuisa de negatione salutis de facto à Deo abest. Confirmatur vrgentius. Non solum ita absolutè volens reprobi salutem, sed absolutè nolens eius mortem ab scriptura, & Patribus dicitur Deus. Sapient. 1. Ezechiel. 18. & 33. 2. Reg. 14. Tobiæ. 3. Oseæ. 13. Matth. 18. & 23. ad Roman 7. ac. 1. ad Timoth. 2. & 2. Petri. c. 3. & alibi scripturarum sæpe. Ea vero testimonia voluntatem absolutam (vt minimum efficacem Dei de sese, atque anterius ad reprobi demerita, absoluta præuisa ex eius morte atque à vita æterna exclusione, negationeque æternæ salutis expresse negant, & affirmanti aduersariorum sententiæ contradicunt: ecquod enim expressiusue velle proprioue, atque absolute talis voluntas mortis, & negationis vitæ & salutis reprobi esse potest, quam efficax de eius morte, & negatione salutis, & vitæ æternæ voluntas? confirmatur secundo, quia eis locis magis potiusque, quam reprobi mortem, eius vitam, & salutem æternam velle de sese Deus dicitur vnde etsi cum vitam, tum reprobi Deum de sese velle, contra verba eorum testimoniorum prima, admittamus, æternam tamen mortem reprobi Deum de sese efficaciter non velle euidenter deducitur. Etenim vitam, salutemque æternam reprobi inefficaciter solum velle de se Deum dogma Catholicum est: cum euidens de se sit magis vnumquemque velle id, quod efficaciter vult, quod vult solum inefficacirer.

6. Probatur tertio ex stata Patribus & Theologis distinctione volutū Dei in prædestinationis ac reprobationis rationalium creaturarū negotio scilicet in voluntatē antecedentem, & primariam, ac beneplaciti Dei de sese, & quæ nullam ex nobis, vitioue nostro occasionem sumat vel motiuum, sed è Dei solum natiua propensione nascatur, & in voluntatem Dei subsequentem, & secundariam, quæque ex nobis, nostroque vitio ortum ducat, illudque subsequatur. Et primam quidem vitæ, & salutis æternæ nostri omnium solummodo esse in Deo fatentur: secundam vero de æterna nostra morte nonnisi post demerita nostra præuisa, ac proinde subsequentem esse in Deo admittunt. Chrysost. serm. 1. in epist. ad Ephes. & Hom. 3. in Genes. vbi *Propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, non vt pereamus, nec, vt puniendos nos tradat, sed vt saluet.* Damascen. dialo. contra Manich. vers. fin. & 2. de fide c. 29. vers. fin. quod ita concludit. *Non ad puniendos nos plasmauit; sed, vt efficiat nos bonitatis suæ participes, vt boni; peccantes autem puniri vult, vt iustus.* Consonat rationi distinctionis Augustin. de spiritu, & litt. c. 33. longe ab init. Hieronym. ad id Malach. 1. *Filius honorat patrem*, & ad id Ezechiel. 16. *Ero tibi in confundere* Epiphan. hæresi. 66. Tertullian. exhortat. ad castit post init. confirmatur vtraque ratio proxima elongamini & ad tempus multum perditissimorum etiam, hominum tolerantia diuina frequentissima totiesque in scripturis sacris commendata. Nisi enim eorum pœnitentiæ ex ardenti salutis eorum desiderio de se solum, & bonitate sua præconcepto locum, ac tempus faceret Deus, nullatenus eos tandiu sustineret; imo vero, si anterius ad reprobationem ipsorum ab efficace gratia, & peccati permissionem voluntate efficaci eos à regno excluisset, voluissetque æternis cruciatibus mancipare morte inducta illico, ac peccarent primū eorum peccatum finale etiam foret cui statim æterna damnatio executiua succederet, vt quid enim plura excepranda ad id exequendum quod anterius etiam adde meriti tanti motiuum efficaciter à Deo volitum à Deo fuit? vnum in huius argumenti confirmationem locum Pauli ad Roman. 9 producam in quo multum præsidij adesse sibi aduersarij arbitrantur. *Quod si*, inquit, *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit vasa iræ apta in interitum*, &c. Si enim volentis ostendendi iram, efficax præsertim, peccatis eorum esset anterior, statim atque vasa in interitum apta peccato primo se effecerunt iram morte & temporali & æterna simul inducta magis ostenderet; sustinuit autem, quia posterius ad contumacem peccandi perseuerantiam, qua se iræ vasa consummata fecerunt, subsequentem iræ, & vindictæ suæ efficacem voluntatem, non vero anterius conceperat. Ita Chrysost. n 16. ad caput & verba recitata. *Quoniā vero longanimitate illa ad resipiscentiā* iuxta Dei vtiq; volutatē) nō vtebatur Pharao; sed se ipsū apparabat in irā (nō dum scilicet à Deo conceptam) *vsus est illo Deus ad correctionem aliorum sumpta, quam meruerat pœna. Non enim vult Deus ad eum modum suam ipsius potentiam notam facere, sed magis alia ratione: nimirum, vt prosit, & benefaciat.* Oecumenius ad locum eundem. *Apparatus ad interitum: id est, ad hoc addictus, & præparatus, vt perire oporteret: manifestans, quod ipse iræ Dei causa esset suaque ipsius perditionis. Nec enim Deus causa est malorum, sed quisque se ipsum vas efficit iræ quemadmodum, & vas benignitatis, & misericordiæ. Ita Pharaoni non Deus, sed ipsius malitia fuit causa, vt pateretur, qua passus est.* Consonat Rupertus ad eum locum, & subiicienda argum. 4.

7 Arguo quarto ex coactione, qua Deus ad peccatorum vindictam inuitum se à nobis trahi potius quam venire significat: nec sine dolore, lachrymis, gemitibus trahi. Dedimus in hanc sententiam ex scriptura & Patribus controu. 4. d. 4. q. 3. à cert. 2. pauca ideo memoranda ex illis hic erunt. Bernardi scilicet illa ex serm. 5. in natali Domini. *Ex se sumit materiam, & velut seminarium miserendi: Nam, quod iudicat, & condemnat, nos eum quodam modo cogimus.* Atque idcirco ait, *misericordiarum, & non iudiciorum Patrem* merito nominari. Nazianz. orat. de plaga grandin. sub Med. *Missa facta ira, quæ ipsius naturæ aduersatur, misericordiam quæ ipsi naturæ inest amplectitur. Ad illam enim à nobis vi pertrahitur. Ad hanc suapte natura fertur. Igitur non, nisi coactus, precutias*, &c. Saluianus ad id genesis *clamor Sodomorum* &c. à Deo illos puniturō dictum tantundem valere ait, ac si diceret *non fuisse voluntatis sua, vt perderet, sed quod ipsi extorserint, vt perirent.* In quam sententiam. 1. de prouidentia post med. & lib. 4. post initium plura eaque luculentissima scribit. Chrysost. Hom. 67. in Joan. illud videns ciuitate fleuit super illam ita in eandem sententiam expendit. *Hæc dicit scriptura, vt nostra causa deseri nos, & nobis ipsis perditionis nostræ authores esse demonstret. Deus autem non modo nos non dare relinquere, & punire vult, sed quoties punit, inuitus punit.* Ex his autem tribus Dei (vt cadere in illum possunt) affectibus, coactionis, qua inuitus, tristitiæ, ac doloris vehementis, fletu, & lachrymis solum in nobis explicati, nec satis expleti, quo dolens ad reprobi peccatoris supplicia æterna præsertim, punit, efficacissimum contra efficacem Dei voluntatem excludendi reprobum à gloria, æternisque cruciatibus addicendi, eius absolutis demeritis anteriorem argumentum desumitur. Etenim nemo ad eius, quod anterius de sese, atque efficaciter voluit, executionem venit inuitus, nec de eius executione, & euentu tristatur, nedum ad gemitus vsque, & lachrymas doleri; sed gaudet potius, fruiturque rei adeo vehementer desideratæ possessione, vt experientia, & explorata & cunctis, etiam heberioribus, horum affectuum natura patet. Ergo vel non adest Deo de sese, atque anterius ad reprobi demerita absolute futura, & præuisa, efficax voluntas illum excludendi à gloria, æternisque cruciatibus (ex quo

velis sine mancipandi, vel crocodyli, vt aiunt in morem plorat, quos de sese, ac suopte ingenio, & voluntate perdit, ac subinde est hominum asserrimus illusor, atque omni circulapore fallacior, quæ sunt blasphema.

8. Id verò illusionis, & circulationis pessimæ vitium toties Deus incurrere deprehenditur, quoties ad se, suamque gloriam omnes vocat verbis illis *Venite ad me omnes*, &c. reprobos etiam, quos tamen anterius à se ipso, & gloria sua efficaci volùtate habet amotos. Tunc etiam, cum dominica oratione verbis illis *adueniat regnum tuum*, vt ipsum enixe oremus, nos omnes hortatur. Tunc etiam, cum omnibus gloriæ suæ regnum indiscriminatim in præmium proponit, & promittit: siquidem anterius ad plurium absoluta demerita (reprobiorum scilicet) præpositæ promissæque in præmium gloriæ assecutio ex ea efficaci voluntate eos excludendi à gloria facta est ipsis impossibilis, ac subinde de re impossibili, & chimerica, & omnino illusoria ipsis erit gloriæ in præmium propositio, atque promissio. Neque verò illusio hæc, & circulatio vitabitur si dicas, Voluntatem illam efficacem excludendi reprobos à gloria anteriorum quidem absolutis reprobi demeritis esse, sed tamen propositione, & promissione gloriæ in præmium esse natura posteriorem: quare pro eo promissionis signo possibilem absolutè etiam reprobis esse, nec de re impossibili promissionem. Etenim illusionis, & circulationis complementum adsequens proximè naturæ instans differs, non autem illam à Deo aufers, vt patet. Argumentum quintum contra affirmantem sententiam ex euersione diuinæ libertatis ad habendam voluntatem executiuam donandi gloriam meritis absolutis, siue ob absoluta reprobi merita reprobi petendū est: quod euasionibus argumenti alterius ab euersione libertatis, & meriti reprobi, vt ob illud possit ipsi glora à Deo donari minimè patet: quamuis eas etiam simus deinceps præclusuri: sexto, Deum reproborum saluti maligne insidiari conuincitur: dum ex ea excludendi illos à gloria, & addicendi eos cruciatibus æternis anteriore efficace voluntate, quænam efficacia media ad salutem, & quæ inefficacia sint perquirit, ac deprehendit, atque ex ea scientia absis efficacia efficaciter remouet, & inefficacia (tametsi absolute sufficientia) quibus certò, & infallibiliter à gloria in tartatum ruent, idque ex efficaci vtriusque mali intentione, & voluntate prouidet ipsis: ita enim fieri necesse est vt eorum à gratia efficaci ex efficaci voluntate excludendi eos à gloria proueniat. Ecquid enim amplius ad malignas saluti reproborum insidias & vtriusque mali præparationem adeo requiritur? Probatur rursus absurdi huius illatio, quia non aliunde probatur Deum salutis prædestinatorum satagere, quam quia ex intentione salutis ipsorum, & scientia efficaciæ mediorum efficacia media, inefficacibus negligetis, eis eligi, disponit, ac procurat: quod si efficacia intentionis gloriæ ipsorum ex qua efficacia illa media à Deo eligantur præparenturque, ac disponantur prædestinatis requiratur, voluntati, seu intentioni excludendi reprobos à gloria, ex qua inefficacia media à Deo pro ipsis, eliguntur, præparantur, ac disponuntur, efficacibus omnibus prætermissis, efficacia per aduersarios asseritur.

9. Inde verò aliud contra affirmantem sententiam absurdum est proclive Deum nempe damnationis reprobi esse de facto authorem, tametsi reprobus ipse ex parte sua damnationis suæ sibi author sit, quod nunc omitto. Probatur absurdum hoc primo à paritate & ratione eadem, qua Deus salutis, & gloriæ prædestinati author absolute est, ac dicitur, tametsi prædestinato ad eius consecutionem suas partes relinquat. Probatur secundo: si quis sciens alterius præcipitium, si illac eat, atque ex ea scientia, & expressa efficaci, ex parte sua voluntate ipsum vt illac eat dirigeret, præcipitationis illius causa, & author omnibus fatentibus, esset, tametsi ille alter & voluntate, & gressibus suis præcipitationis suæ causa etiam, & author foret. Dixi Deum ruinæ in tartarum, casusque siue exclusionis à gloria Deum reprobo authorem causamque in affirmante sententia fore; non autem inferri inde Deum peccati & amatorem esse, vt nonnulli arbitrantur: quia cõsequentiæ huius debilitas ex dictis d. proxima de peccati permissione in prædestinationis effectibus recensenda facile deprehenditur. Omisso etiam ex ea anteriore, & efficace voluntate Deum mansurum determinatum antecedenter ad peccati perseuerantis, & finalis reprobi permissionem, quod absurdissimum reputant Recentiores; nos autem eam antecedentem Dei determinationem ad peccatum permittendum ex prædicatis Dei necessariis non prouenire, sed ex libero aliquo voluntatis suæ actu nihil prorsus absurdi continere ostendebimus ibidem. Duo vero aduertenda hic sunt. Primum argumenta præfata (sicuti, & Patrum testimonia subscienda) eandem prorsus vim contra affirmantem sententiam, & pro negatiua nostra habent, etsi pro eodem naturæ signo exclusio à regno, & permissio peccati, seu à gratia efficaci positiua reprobatio à Deo haberi asseratur, dummodo ante præuisa absoluta reprobi demerita sit, vt tunc voluntas illa efficax exclusiua reprobi à gloria foret; tametsi reprobationis à gratia efficaci causa esse non posset, cum ad idem naturæ signum vtraque pertineret. Secundum est: sententiam nostram non solum testimoniis, sed discursibus etiam ipsis Patrum hactenus probatam esse: deinceps autem testimoniis Patrum conclusionem de facto nostram in terminis esse probandam. Plura congerunt Valentia citatus. §. *Quarto probatur* Riet. de Montoia, & præpositus citatis locis, quorum plerisque promptam euasionem video, quod de voluntate executiua damnationis reprobi, exclusionisque à gloria, quam non nisi post merita eius absoluta esse Catholice aduersarij fatentur: & quamuis ad Patrum mentem ea interpretatio non sit, ad germanam tamen interpretationem eorum admittendam non ita facile trahi aduersarij poterunt nolentes, & inuiti, firmioribus ergo, etsi paucioribus, Patrum testimoniis agendum nobis contra aduersarios erit, vt ex Patribus conclusio nostra in terminis ipsis, atque omni discursu semoto probetur. In iis forte numeranda imprimis videantur prosperi testimonia plura, quæ quia discursu egent nonnullo, vt aduersarios conuincant pro secunda conclusione statuenda cert. 4. oportunius reseruantur: tametsi indirectè primam hanc conclusionem satis probet, vt eo loco clarebit.

10. Primo ergo Augustinus in prædestinationis, & reprobationis negotio communis Magister epist. 105. ait. *Quærimus prædestinationis causam, nec inuenimus: reprobationis autem causam quærimus, & inuenimus.* Vbi reprobationem à gloria intelligit; reprobationis quippe ab efficaci gratia adæquatè sumptæ, ex parte reprobi adhuc causa nec est, nec inuenitur: sicut inuenitur reprobationis à gloria: quare eam solum reprobationem à gloria esse Augustinus asserit, quæ post absoluta reprobi demerita est, & executiua ab aduersariis vocatur, intentiua illa efficaci, & anteriore reprobi de meritis, & cuius ex parte reprobi causa nec est, nec inuenitur, sicuti nec ad prædestinationem ex parte prædestinati, relegata omni reprobatione à gloria, quæ ex reprobi demeritis non sit. Fusius adhuc 6. Hypognost. sub initium in eandem sententiam scribit. *Quia vero iustus, & misericors Deus, præsciusque futurorum ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ, quos præscit, misericordia sua gratuita præparat, id est prædestinat ad æternã vitam; cæteros autem pœna punit: quos ideo punit, quia, quid essent futuri præsciit, non tamen ipse fecit, vel prædestinauit puniendos.* Iterum sub libri med. scribit. *Tenenda est inconcussa huius disputationis regula, quã diuinis testimoniis claruit: peccatores, antequam essent in mundo, præscitos esse tantum, non prædestinatos peccatores, siue ad peccatum; pœnam autem eis prædestinatam, secundum quod præsciti sunt. Parvulos quoque non renatos prædestinata pœna esse obnoxios, qui præscitis sunt non propriis voluntatibus, nisi tantum in Ada peccato, quod traxerunt nascentes, & in hoc manentes, soluerunt tempus vitæ præsentis.* Prosper ad obiectiones Vincentianas responsi. ad vndecimam. Ait *ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Antenor autem meritis reprobi efficax voluntas, de ipsius à gloria exclusione, nec ad gratiæ largitatem indebitam spectat, vt patet, nec ad retributionem, iustitiæ retributionem demeritorum quæ antecedit, cum non nisi anterioribus demeritis absolutis præcedentibus iustitiæ debitæ retributio esse possit. Agit vero de prædestinatione vniuersim sumpta

sumpta siue ad gloriam siue ad denegationem, & æternos cruciatus, vt ex immediatè antecedente textu constat, Qui sic habet. *Nec illam* (reprobi) *animam nequiter, turpiterque victuram, ad hoc, vt taliter viueret præparauit, sed talem futuram non ignorauit: & de tali iuste se iudicaturum esse præsciuit.* Quibus contexuit. *Atque ita ad prædestinationem eius*, &c.

11. Eadem vniuersali sensu de prædestinatione agens ad capitula Gallor. respons. ad cap. 14. aiebat. *Prædestinatio Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ.* & respons. ad. 2. obiectionem ex Vincentianis. *Quod multi pereunt, pereuntium est culpa; quod multi saluantur saluantis est donum, vt enim reus damnetur inculpabilis est iustitia Dei.* Consonat Fulgentius 1. ad Monim. cap. 5. ad 7. c. 13. & 14. & c. 17. init. quæstionem proponit: *an idcirco iniquos ad supplicium iuste prædestinauerit, quia eorum mala opera, licet futura præsciret, non tamen ipse prædestinauit, vt futura esset?* cui affirmatiue respondet, probatque vsque ad c. 24. vbi versus med. hæc addit, *Ostensurus itaque Deus, quid reddendum præsciuerit, & quid donandam: prædestinauit illos ad supplicium quos à se præsciuit voluntatis malæ vitio discessuros; & prædestinauit ad regnum, quos ad se præsciuit misericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.* Quibus solam destinationem ad malum siue priuatiuum, siue positiuum æternum reprobi post eius absoluta demerita absolute præscita in Deo esse sicut Augustinus, & Prosper, asserit. Beda. lib. quæstionum. q. 13. med. *Non est in dispositione Dei, quomodo peccator pereat. Sed tamen cum sciat eum peccaturum mortem ei præordinauit.* Non vtique antea. Inferius *prauitas nostra ab æterno mala in conspectu Dei præsentauit: Deus illam ad mortem æternam destinauit.* Posterius scilicet, non anterius ad præscientiam nostræ prauitatis, Concil. Valentinian. sub Lothario imperat. c. 3. *Confitemur prædestinationem electorum ad vitam, & impiorum ad mortem. In electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere; in damnatione autem perituroruni* (scilicet prædestinatione ad mortem, vt dixerat) *meritum malum præcedere iustum Dei iudicium quia Deus sua prædestinatione*, ad vtrumuis, *ea tantum statuit, quæ gratuita miseratione, aut iusto iudicio ipse erat facturus.* Quibus expresse destinationem reprobi ad mortem, quæ post absolute præscita eius demerita non sit aperte negat: quare executiuam asserit, intentiuam vero reiectat, inferiusque vero eidem sententiæ insistens ait. *Pœnam sane malum meritum eorum* (reproborum) *sequentem, vti Deum, quia omnia prospicit, præsciuisse, & prædestinasse, quia iustus est index:* non aliunde nec titulo alio, quam iustitiæ suæ exercendæ, quæ demerita eorumque præscientiam absolutam plane supponit.

CERTAMEN IV.

Negatiua etiam reprobatio à gloria reprobi absoluta demerita antecedens Scotica ablegatur.

1 SIt secunda in quæstione de facto conclusio. Reprobatio Scotica negatiua reprobi à gloria demeritis absolutis eius anterior in Deo non est. quare nec eius à gratia efficace reprobationem ex parte Dei antecedit. Certe conclusio hæc adeo frequens & expressa apud scripturam, Patres, & Theologos non est. Eam vero docet expresse noster Ioan. Præpositus supra n. 114. versu *dico secundo*. Atque à Prospero etiam non semel expressam animaduerti. Ita enim scribit respõsione 3. ad capitula Gallor. *quod huiusmodi* (homines reprobi) *in hac prolapsi mala siue correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt* (ad gloriam, vt ex statim adnexis hisce claret) *sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prauaricatione præsciti sunt* vtique absolute, nam conditionate non esse tales futuri sed obsecuturi, æque ac prævaricaturi sub aliis auxiliis præsciti sunt, vt patet, quare præscientia prævaricationis cõditionata scientia sub aliquo auxilio causa vt non prædestinarẽtur tam ad gratiã, quam ad gloriã causa in eis nõ magis fuit, quã nõ fuit in prædestinatis de quorum conditionata prævaricatione sub auxiliis aliquibus scientia etiam conditionata Deo adfuit. Cum autem absolutæ prævaricationis reprobi pereuntis scientia solam prædestinationem in mortem, seu reprobationem à gloria, siue positiuam, siue negatiuam per omissionem deliberatam, nec solum præcisiuam pro naturæ priori, sed absolutam non prædestinandi, ac eligendi reprobum ad gloriam possit esse antecedens: & Prosper asserat absolutam præscientiam prævaricationi reprobi esse causam negationis prædestinationis ad gloriã seu reprobationis negatiuæ, perditionis necessario quã pereunt, non autem negationem prædestinationis necessariæ eorum eiusmodi negatione inducẽdæ saltem consequẽte necessitate negationẽm prædestinationis ad gloriã, siue reprobationẽ negatiuã Scoticam demeritis reprobi anteriorẽ reiicit expresse. Si enim daretur, verum absolutè esset reprobum perire, & necessario, necessitate saltem consequente, perire, quia prædestinatus ad gloriam non est, falsum vero ideo eius prædestinationis negationem, & defectum esse, quia prævaricationis absolutæ ea negatione posterioris absoluta præscientia Deo adfuit.

2. Sententiam hanc Prosperi contra reprobationem Scoticam iterum lego apud eundem ad obiectiones Vincentianas respons. 12. vbi hæc habet. *Quia præsciti sunt causuri non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate, ac veritate permansuri:* vbi de prædestinatione ad gloriam, eiusque negatione, ad quas solum absoluta meritorum, vel demeritorum eligendi, aut prædestinandi, ac non prædestinandi, seu non eligendi ad illam potest, vt proxime dicebamus inseruire. Nec præstat si dicas, Prosperum loqui vtrobique de electione ad gloriam, eiusque negatione executiuis, non de priori, præsertim, negatione electionis, seu reprobatione negatiua priori natura, & quasi intentiua: imprimis enim cum propositiones Prosperi negatiuæ sint, non esse scilicet prædestinatos ad gloriam reprobos, quia sunt præuisi præscitique perseueranter casuri; ac prævaricaturi; atque negatiua propositio vniuersalis sit, & quidquid post se inuenit destruat, remoueatque à subiecto vnum è duobus necessario ex sententia hac Prosperi infertur omnem scilicet prædestinationem ad gloriam, eiusque oppositam negationem contradictoriam ante præuisa merita, etiam intentiuam contra aduersarios negasse; vel, quod verius, ac æque contra aduersarios est, solam reprobationem negatiuam, siue negationem prædestinationis & electionis ad gloriam post præuisa absolute reprobi merita in Deo agnouisse, ac proinde ea negata propositionibus, & testimoniis datis omnemque Deo, de facto saltem, adesse iudicauit negasse, quod solum secunda hac conclusione contendimus. Atque eadem ratione præcluditur euasio eadem propositioni alteri Prosperi testimonio primo contenti; *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt*, nostræque ponderationi excludenda est, si adhibeatur. Tertia conclusionis huius secundæ ac primæ etiam & postrema ab authoritate, & efficax (etsi ab authoritate negatiua) probatio sit: quia nullibi sacræ paginæ, aut patrum anterior meritis, aut reprobationi à gratia efficace reprobatio eius à gloria, siue positiua, siue negatiua, alterutriusue assertio vero similis legitur vt è testimoniis aduersariorum germana interpretatione, & solutione inferius subiiciendis clarebit. in quæstione autem de facto eorum etiam quæ Deo possibilia sunt, esse tamen, vel non esse absolute possunt esse determinate de facto, absque vllo scripturæ, & Patrum fundamento non nisi temere, ac pure diuinatorie asseretur, vt mittam, nec reprobationem à gloria siue positiuam siue negatiuam per merita vero mala reprobi de facto punitiue, & ex iustitia vindicatiua in pœnam executiue denegandæ possibilem Deo esse, vt q. 4. ostendemus.

3. A ratione probatur secunda hæc conclusio contra reprobationem de facto negatiuam à gloria absolutis reprobi demeritis, eiusque à gratia efficace reprobationi anteriorem, argumentis omnibus, quibus reprobatio-

nem positiuam efficacem, & eiusdem anterioritatis ad demerita absoluta reprobi, eiusque ab efficace gratia reprobationem reiecimus cert. 3. à num. 5. Siquidem negatio prædestinationis seu electionis reprobi ad gloriam, nec sola præcisio electionis illius pro signo illo, sed libera, ac deliberata pro signo illo anteriori ad reprobi demerita electionis illius absoluta omissio efficax est, & necessario connexa cum negatione electionis ad gloriam pro quouis signo & posteriori naturæ sequente, atque electioni eius efficaci ad gloriam necessariæ, vt gloria absolute à reprobo obtineatur, contradicens & repugnans ne duplex contradictorius simul in Deo absolute admittatur, tametsi pro diuersis signis naturæ ex quorum diuersitate contradictio nec vitatur, nec emollitur: quare ex illo anteriori signo deliberatæ illius omissionis electionis reprobi ad gloriam, seu Scoticæ reprobationis negatiuæ, quam impugnamus gloria reprobi est impossibilis, non minus, quam ex positiua eius à gloria efficaci, & ita anteriore reprobatione, ex qua impossibilitate argumenta contra positiuam efficacem anteriorem de meritis reprobi reprobationem ab eo numero instructa procedebant, quare ea quiuis facile contra negatiuam hanc reprobationem traducet, quin nunc ait se, & inutiliter repetantur. Secunda conclusionis probatio quæ etiam facit pro conclusione prima) à ratione fit, quam n. 3. fiae attigimus, quia vtraque reprobatio anterior à gloria ex iustitia punitiua non solum executiua, sed & intentiua anterius ad reprobi demerita est impossibilis vnde à negatione possibilitatis ad negationem existentiæ obiecti, & de facto est ineuitabilis consecutio. Tertio denique conclusionem vtramque de facto à ratione probo, quia alterutra à Deo de se se admissa durius multo diriusque in salutis, ac petditionis æternæ homin um segerere cum hominum Republica Deum: siquidem de sese, nullis reproborum demeritis spectatis, plures à Deo homines reprobos, quam sint prædestinati à salute æterna efficaciter, & infallibiliter, amittenda de facto excluisset, neminemque ex adeo paucioribus prædestinatis ante eorum præuisa merita efficaciter gloriæ mancipasset. Quod si adeo nonnullis durum videtur Deum de se nullisque spectatis reprobi demeritis tot eius generis homines à gratia efficace de facto reprobasse, vt inde errotis sui ansam Pelagiani, ac Semipelagiani satis ipsis magnam, & firmam desumpserint, & tametsi ea reprobatione locus merito, & demerito contra eorundem errorem à Patribus, & Doctoribus Catholicis ostendatur, adhuc tamen ad secreta Dei iudicia recurrendum humiliter nobis est vt à fidei dogmatibus hisce non recedamus, nec dirius quam ipsum deceat agere, nobiscum Deum iudicemus: quid ergo de anteriori prorsus tot hominum reprobatione alterutra nulla operum ratione habita, & spectata, quam defendere fidei dogmata non cogunt, imo nec leuiter fundant dicendum erit, vt arctiori, multoque duriori in ea difficultati satisfiat ni nostras Theologicas Doctrinas voluntariis inanibusque mysteriis velimus replere.

4. Apparentius aduersariorum fundamentum sumitur ex 9. ad Rom. vbi de illis prædestinatorum & reproborum typis Iacob, & Esau dicitur: *antequam quidquam boni egissent, aut mali; Iacob dilexi Esau autem odio habui.* Quare non ex demeritis, sed ex me ipso. Verum ibi de reparatione à gratia efficace solum, non à gloria, imo neque ex intentione adhuc inefficaci exclusionis reprobi esse sermonem, & de prædestinatione seu præparatione prædestinati efficaci ad efficacem gratiam solum directe, etsi indirecte ad gloriam inefficaciter solum ipsi præintentam sermonem esse ostendimus ex contextu, & Patribus, d. 1. quare extra rem præsentem est. Nec aptius quòd soli Dei arbitrio quorumdam electionem in vasa misericordiæ, & aliorum in vasa iræ Paulus tribuat, atque exemplo figuli partem massæ luti eiusdem in vasa honoris & partem aliam im vasa contumeliæ pro suo libito effingat. Neque illud cuius vult miseretur, & quem vult indurat: nec illud, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: Nec plura quæ ex Patribus ad præfata loca tumultuario congerunt aduersarij. Ea siquidem omnia de prædestinatione, seu præparatione efficacis gratiæ gratuita absque ipsorum meritis præuiis pro prædestinatis, & reprobatione ab illa reproborum aperta sunt, vt citato etiam loco, & aliis controuersiæ huius è contextu, & Patribus, ac scholasticis monstrau- non autem de electione ad gloriam immediate & directe, seu directa reprobatione ab illa: quare ea ad rem præsentem perperam adduci, inducique manifestum est. Sed notatum tamen pro his, & sequentibus testimoniis velim, ex eis nullum pro negatiua scotica reprobatione sono adhuc tenus, afferri posse: cum omnis de positiua Dei voluntate excludendi reprobos ab efficaci gratia, vel (vt aduersarij volebant) à gloria expressono ipso vocum sint proinde Scoticam reprobationem negatiuam, tametsi maiori in Deum specie pietatis subtilitateque Theologica inductam, nullam tamen in loco adhuc litteræ occasionem vel fundamentum habere certum mihi est.

5. Instant vero aduersarij ex illis eiusdem capitis noni versu 17. verbis Dei ad Pharaonem. In hoc ipsum *exeitaui te, vt ostenderem in te virtutem meam*: quibus ex intentione Dei potentiæ suæ ostendendæ in Pharaone durissime puniendo à Deo præhabita ipsum vel condidisse, vel etiam ad tantam regiam potestatem, qua Dei præceptis obstinato resisteret, ac resistens Dei potentia vinceretur, euexisse Deum videtur significariae proinde erga obstinatiorem saltem reprobum quemque (cuius figura Pharao fuit ita se Deum gerere, Deum eo loco significatur, respondet ex aliis, quos non improbat Ruiz, voluntatem quidem illam dure à Deo puniendi peccata Pharaonis ante eorum imo & eius absolutam futuritionem non eius solum, sed permittentis ipsius peccata, simulet eandem fuisse: quare nec reprobationis à gratia efficaci causam fuisse. Sed vero id satis aduersariis nonnnullis recentioribus ita pro sua sententia discurrentibus forer: ac insuper de facto admissa voluntate Dei, ex se solum ipso punitiua antea absoluta demerita, & exercitam obstinationem Pharaonis, quod hæc anterior permissiuæ peccati voluntati fuerit, vt reliqui aduersarij volunt, & connaturalius, & textui videtur conformius: vnde ipsis ad figuratam in Pharaone perditorum hominum à gloria, & à gratia efficace reprobationem consequenta est proclius. Negauda igitur est omnis Dei de sese voluntas puniendi peccata, & obstinationem Pharaonis temporalibus illis suppliciis, ante absolutam peccatorum, & obstinationis eius futuritionem, & præuisionem. Imo vero asserendum Deum ex eo textu, & contemtantum abfuisse ab ea anteriori peccatis absolutis Pharaonis de suppliciis illis ipsi infligendis efficaci voluntate, vt plurimis ab eo absolutè, & obstinate admissis ante eorum augmentum & obstinationis consummationem, eam efficacem durissime illum puniendi voluntatem non conceperit, sed ex voluntate potius ipsius ad resipiscentiam reuocandi, in qua eo vsque perstitit Deus ipsius pœnitentiam, & mediis vocationibus, & leuioribus malis inflictis sufferentia multa tentauerit. Vt ex illis Pauli verbis. n. 22. *Quod si Deus volens ostendere iram sustinuit in multa patientia vasa iræ* satis claret, & docent Chrysost. Æcumen. recitati cert. 3. n. 7. & Theophylactus eadem verba. Confirmatur ex Paulo ad Romanos. 2. vbi Pharaoni similes obstinatos ad pœnitentiam, cum ex Dei bonitate, qua multis etiam eorum peccatis prouocatus patientia multa desiderio salutis ipsorum insistens resipiscentiæ, tempus locum, & oportunitatem ipsis facit, hortatur, tum è posteremæ iræ & vindictæ Dei, si in obstinatione perfistant ab ea deterret his verbis. *An diuitiis bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis? An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* &c. Sed quid valet illud, *vt ostenderem in te* ni præintentum finem à Deo significet. Respondet docte profundus noster, & eruditus Vasq. d. cit. c. 7. n. 39. euentus minime intenti futuritionem quæ ea particula frequenter in scriptura denuntiatur, vt illis Isai. 6. & Lucæ 8. *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant, ac pluries.*

6. Denique opponunt illud sap. 12. *Neque Rex, neque Tyrannus in conspectu tuo inquirent de iis, quos perdidisti*

cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis: ipsumque qui non debet puniri condemnas, & ex tuum æstimas à tua virtute, per gloriæ exclusionem, & æternam damnationem, aduersarij intelligũt: quia cum dominium tuum in creata omnia ad omnem earum vsum Regum creatorum dominiis & potestatibus superius à Deo sit & infinite excellens, de hominum ipsis etiam suo modulo subditorum, & quantumuis innocentium perditione æterna etiam agere tecum ex iure, & potestate nequeunt: imo vero in eorum perditione iure tuo illo supremi in illos dominij, & potestatis vteris, ac iuste perdis, ex eo quippe fit vt tuum illos quantumuis innoxios perdendi libitum pro lege iustissima delatum perditione habenda sit. Miror textum hunc, eique subiunctam ponderationem serio à Theologo sano pro affirmante sententia produci. Primo, quia ea lectio textus, etsi ex aliquot latinis codicibus olim haberetur; id tamen apertus amanuensium errore contigit, correctumque proinde fuit, in vulgatæ correctione à Sixto Pa. 5. facta, & edita ex qua ita legendum præscribitur. *Et eum, qui non debet puniri, condemnare exterum* (id est extraneum & alienum) *æstimas à tua virtute*. Fuit autem errori amanuensium summa in præsenti facilitas notara à nostro Vasq. cit. c. 7. §. *ex variis opinionibus*, scilicet mutando verbi *condemnare*. 1. in 5. quo errore, mi 1. reliquo *t*. adderetur nullum sensum, vtcumque, reddi ea clausula posse, cum videretur, *t*. illud additum est: atque textus vitiatus ponderationi, & argumento præfatis locum apud minus rigidos Theologos, minusque scrupulosos, religiosos textum pro suis cogitationibus correptores fecit. Eius autem lectionis vitium, & ponderationis infirmitas, è toto capitis contextu & intento ostendendum nobis ex instituto hic erit, vt appareat quanto iure correctus hic textus à Sixto. 5. fuerit in Vulgata à se correcta & emendata: ea siquidem correctione anterioris vulgatæ non adhibita totius capitis cohærentia deficeret; imo textui toto, & intento capitis textus ille aduersaretur. Vt mittam modo, quam vane, & arbitrario aduersariorum ponderatio, condemnatione, & extraneitate nimirum à Dei virtute intelligi exclusionem perditorum, siue reprobationem à gloria. Illud etiam: quod ea ponderatio verba illa, *cum ſis iustus iuste omnia disponis*, quæ de iustitia vindicatiua delictorum aperta, & expressa sunt, de iustitia ex iure, & potestate dominij, non autem iurisdictionis, in homines quos perdit interpretetur: Mitto demum textum, ita lectum, & intellectum, non de intentiua efficaci anteriori de meritis perditione reproborum, sed de executiua contra aduersarios, & dogma Catholicum probare, vt ex verbis ipsis patet.

7. Venio ad capitis intentum, & contextum totum quibus vitiata ea ratio, & ponderatio contradicunt. Intentum capitis sic eius initio proponitur. *O quam bonus, & suauis est Domine Spiritus tuus in omnibus!* cuius bonitati, suauitati, & benignitati in creaturas omnes suas ostendendæ ex his quæ in hoc mundo efficit totum caput impenditur, imo ex his, quæ in ipsas videtur exercuisse supplicia duriora, vt iam videbimus. Et quæ ergo Dei bonitas, suauitas benignitasque Dei esset innoxium prorsus à gloria efficaci voluntate excludere, atque æternum dominij sui supremi in ipsum iure, & titulo solo? certe ius suum, citra culpam, non autem benignitatem, & suauitatem sitam erga illum exerceret, vt de se patet: ergo lectio illa, & aduersariorum ponderatio, & ratio inde petita intento capitis aduersantur. Sed toti etiam eius contextui repugnant, Illico enim, sic probat, *ideoque eos, qui exerrant, paritibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine*. Scilicet quia præ suauitate & benignitate sua in manibus etiam peccatoribus consummatis (id valet verbum *exerrant* sermonis proprietate) magnaque supplicia meritis, partem supplicij solum iniungis, nec tam in pœnam, quam in correptionem & monitionem vt peccatis absistant, respiscantque ad pœnitentiã & fidem tuam, qui totus vel præcipuus saltẽ finis ea mala adhuc meritis leuiora, infligendi, non autem eos affligendi, & puniendi tibi extitit finis, subditque exemplum immanium gentium idololatrarũ terræ promissæ Hebræis incolarũ, quos eum bello, bestiisue diris ac virulentis, vel verbo solo suo simul semelque exterminare, ac perdere posset, quin pœna infandis ibi memoratis eorum delictis excederet, noluit inquit textus, *sed partibus iudicans* (vt habetur. n. 10) *dabas locum pœnitentiæ* benigna illa magnanimitate, & patientia longanimi, ac misericordi, ex qua scilicet, ac ex te ipso solum *nec timens aliquem*, (pergit textus) *veniam dabas*, quantum ex te erat, *peccatis illorum* relíquum pro tunc pœnæ remittens, *quis enim dicet tibi, quid fecisti? Neque enim est alius Deus, cui cura est de omnibus*: qui solus eo iure rogare te facti rationem posset. & exigere, *neque Rex, neque tyrannus*, quibus, æque ac cæteris dominaris. Cum *ergo sis iustus iuste omnia disponis*, non alterius metu assue, si potes contextui huic lectionem illam vitiatam, & ponderationem tuam pro reproborum anteriori demeritis, efficaci exclusione à gloria intentiue, cui lectio vulgata correcta se ipsa, nullo studio nostro sed vocum proprio sono cohæret. Sicut & rationibus subiunctis. n. 16. *virtus enim tua iustitiæ initium est*: & quantumuis pœnam promptam, nullisque inductis datis scelestissimus quisque mereat vt, & exigat, tamen *ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis* supplicij dilatione saltem & n. 18. *Tu autem dominator virtutis*, id est non solum ad extra actiuæ sed & ad intra ex honestate per liberos affectus à te exercendæ, *cum tranquillitate iudicas*, quia nullius moralis virtutis honestate raperis, *cum magna reuerentia disponis nos*, nec proteris, perdisque vbi primum id meremur, vt exemplo erga immanes, & scelestissimas gentes illas ostenderet: subdit autẽ textus Spiritu S. dignam tantæ, tamque benignæ patientiæ & diuturnæ sufferentiæ Dei rationem. *Subest enim tibi cum volueris posse*: quo scilicet erga illa abutentes obstinatos, finaliterque impœnitentes pro libito vtens, non euadant indemnes, sed dirissime, & æterne puniti: reliquo vero capitis fideles Hebræos, atque in eorum persona Christianos, ne peccatis, suppliciisque temporalibus quandoque adeo affecti animum desponderent, sed hæc diuinæ, non tam vindictæ, & iræ, quam correptionis, & adhortamenti diuini ad resipiscentiam loco reponant, ac benignam in eis malis infligendis Dei erga ipsos dispositionem recognoscant, quam erga nefarias etiam gentes exercitam viderunt: cuius bono, qui penes ipsos demum est, vsu bonum tandem eorum malorum ac felicissimum exitum de Dei erga ipsos benignitate sperent. Quibus omnibus correcta lectio, nostraque conclusio cohæret, alia vero vitiata ratioque inde & conclusio affirmans aduersariorum toto dissidet cœlo, ac plane repugnat.

8. Textus huius litteram, profusè à Deo edisserui, atque exenteraui, non quidem, vt opposito vitiato, rationique ex eo vitio ductæ satisfacerem, quibus vulgatæ correctione plene satisfieret: sed vt exemplo hoc ostenderem, quod aliis etiam, sæpe monstraui: nempe valde tumultuario, & sono à Doctoribus pure Scholasticis, nec infimæ solum notæ, quibus præcipue discursibus, & subtilitatibus in re Theologica incumbunt, & innituntur scripturæ, & Patrum testimonia pro cuiusque cogitationibus corripiantur, non modica, sacræ scripturæ, & Patrum irreuerentia, & vitioso Theologici sui muneris neglectu cuius plane præcipua discurrendi, & definiendi principia scripturæ & Patrum testimonia esse debent, sed tamen in re præsente laudandum merito est aliquorum studium, & labor pro Dei erga nos exercita bonitate. Liranus & alij vitiato illo textu vtentes, innoxium, æstimatione hominum punitumque, atque à Dei virtute, & benefica voluntate, non autem reuera extraneum, & punitum interpretantur vt de beato Iobo eius conciues plerumque censebant. Huic tamen interpretationi aperte aduersatur verbũ *æstimas*, quod Dei iudiciũ significat. Alij melius, etsi nõ satis ad intentũ, & contextũ capitis conformes innoxium iudicio hominum non Dei qui eum puniebat intelligunt. Sed omnium optime, & Deo decentissime vitiatum textum (quo, & ipse fuit vsus) interpretatus est 3. Moral. vt iustus ibi memoratus Christus sit, qui cum omnino innocens fuerit & prorsus impeccabilis, fuit tamen pro nobis ac si peccator esset oblatus à Deo supplicijs, crucique oblatus fuit, vt 2. Corinth. *eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit* ac subinde extraneus & peccator inde ab hominibus iudicatus: in eo vero, & iustitia Dei, atque in nos amor, & suauitas, qua toto eo capite prædicatur, summopere enituit. Verum licet hæc interpretatio cum capitis intento tum

Dei decentiæ ingeniosissime conueniat cum reliquo capitis contextu discordat, vt ex dictis proxime facile apparet memoranda tamen cum honore fuit, ne tanti patris pietas, & ingenium illaudata maneret.

QVÆSTIO IV.

An reprobatio rationalis creaturæ efficax, & eius demeritis anterior natura, ex sine ipsam puniendi reprobationis à gratia efficace causa esse possit.

PRæfixo quæstionis titulo dubium ad eos terminos redegi, vt illud de anterioris efficacis voluntatis ad reprobi demerita titulo solum dominij supremi Dei erga omnes rationales creaturas concipiendæ possibilitate à nobis in præsentiarum proponi arbitrari nemo possit, eam siquidem ante præuisa, siue nullatenus præuisa perituri de merito: possibilem Deo absolute esse ostendimus q. 4. cent. 1. sed solum de possibilitate anterioris voluntatis efficacis, & intentiua puniendi reprobum ob eius absoluta demerita posteriori naturæ gradu absolute futura à Deo concipiendæ, & ex qua ad reprobationem à gratia efficace, (de qua in præsenti) Deus progrediatur: de qua subtiliter à nostris recentioribus disputatur. Video tamen non nihil quæstionis esse posse an ex ea voluntate excludendi hominem à gloria sine vllis eius demeritis absolute præuisa à Deo vt posse diximus, absolute concepta, ad deneganda illi efficacia auxilia ac subinde ad illius à gratia efficace reprobationem mereri, impellique Deus possit ac subinde & anterior reprobi de meritis & ipsius à graria efficace reprobationi voluntas illa efficax esse queat? quam quæstionem à nonnullis hic tactam proteri potius video, quam digno Theologico examine disputari, vt constabit certamine postremo.

CERTAMEN I.

Aliorum super quæstione proposita sententiæ, & negatiua nostra & communis decisio.

1 POssibilem eam efficacem intentiuè punitiuam voluntatem exclusionis reprobi à gloria eius absolutis demeritis, & reprobationi eiusdem ab efficaci gratia anteriorem, reprobationisque huius causam absoluta esse posse affirmant, ex iis qui de facto causam esse Deo aiunt, Doctores plerique. Ex nostris vero, qui id de facto cordatius ex Patrum, & communiori longe scholasticorum, vt vidimus, sententia negant intentiuè punitiuam efficacem voluntatem reprobi de meritis, & reprobationi ab efficace gratia præcedere affirmant tamen de possibili Ruiz de Montoia cita. d. 16. sect. 6 n. 29. §. *secunda conclusio* Granados, Arriaga d. 39. sect. 2. subsect. 1. §. 1. circa med linea. *Dico secundo*, & §. *hinc infero* vterque vero supponit ad eam voluntatem scientiam mediam eius directricem, ex qua reguletur supponi debere, nec nisi ita regulatam esse possibilem. Si enim sola simplici intelligentia directus eam efficacem voluntatem intentiuam puniendi reprobum anterius ad absoluta eius demerita præuisa Deus conciperet frustrationis periculo, contra efficaciæ suæ prædicatum, & essentiam natura etiam sua exposita esset vel operum, ac demeritorum posterius natura futurorum libertatem, ac subinde demeritum euerterent. Quid autem pro necessaria scientiæ mediæ præsuppositione, & regulatione ad possibilitatem intentionis efficacis puniendi reprobum anterius ad eius absoluta demerita, & reprobationem concipiendæ hæc probent et dictis in simili de intentione, seu electione efficace prædestinati ad gloriam ante eius merita absoluta satis constat. Probant enim parum. Etsi enim scientia media de demeritis eam efficacem voluntatem exclusionis reprobi à gloria non dirigat, neque ad illam supponatur, sed concernatur solum pro posteriori ad simplicem intelligentiam de continentia aliquorum auxiliorum efficacium respectu reprobi in cumulo contentorum, ac Dei potentia, & ex qua efficacia omnia illi denegare posita antecedente illa voluntate excludendi reprobum à gloria Deus tenebitur, efficax hæc voluntas satis à frustrationis periculo liberaretur, quin iuxta horum doctrinâ operis libertas, & eius defectu magis lædatur quam si ea voluntas per scientiam mediam præsuppositam dirigatur: siquidem non se ipsa, & mediis indifferentibus de sese, atque extrinsecus efficacibus natura sua coniungeretur in casu vtroque, nec nisi mediis illis ex scientia media adhibitis effectum intentum obtineret, quod ad operum reprobi libertatem saluandam in horum Doctorum sententia satis esset: vt de electione efficace ad gloriam ante absoluta prædestinati merita philosophabantur: sed de hoc, & an aliunde ratio demeriti, ex voluntate illa efficace & antecedenti ipsa deficeret agemus certam postremo.

2. Dicendum nobis est voluntatem efficacem intentiuam puniendi, & excludendi reprobum à gloria in pœnam anterius ad eius absoluta demerita, & reprobationem ab efficaci gratia à Deo haberi non posse, quare neque ex parte Dei causam esse reprobationis de qua disputamus, est omnium à nobis citatorum q. 4. cent. 3. n. 1. & 2. pro conclusione 1. in q de facto; & quamis Patres pro illa recitati pro hac de possibili expresse, & in terminis non sint, rationes tamen quas pro illa reddunt, hanc etiam probant, vt videre est duobus totis numeris vbi eos recitauimus: eam quippe constanter reddunt, vt eiusmodi antecedentem reprobi demerita efficacem intentiuam punitiuam voluntatem de facto negent, quia in ea punitiua ante absoluta demerita reprobi voluntate efficaci iniuste se erga illum gereret de facto Deus innocentem adhuc efficaciter, & absolute punire voleus, & condemnans: atqui in omni prouidentia possibili id ipsum reperiretur: ergo in omni possibili prouidentia ea voluntas non minus Deo repugnat, quam ipsi repugnat iniusta voluntas. Et repetenda hic sunt Prosperi verba recitata ex respons. 11. ad obiect. vincentianas illa in primis postrema. *Atque ita ad prædestinationem eius* Dei scilicet erga homines siue ad gloriam, siue ad æternam pœnam (*nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Si autem possibilis sit voluntas illa efficax intentiuè punitiua, nondum absolute merentis pœnam, posset referri aliquid ad prædestinationem Dei erga homines reprobatiuam, quod nec ad gratiæ largitatem indebitam pertineret, neque ad debitam retributionem pœnalem, cum nondum male merito, nec debent: puniri pœna efficaciter tam priuatiua, quam positiua à Deo decerneretur, indeque prædestinatio reprobatiua ipsius tota inchoaretur contra Prosperum, qui eis verbis *nil referri potest* non executiuam voluntatem retribuendi pœnam insonti, nec debenti, à prædestinatione erga reprobos omnino excludit. Illa etiam eiusdem Prosperi responsi. 2. ad captiua Gallor. Memoranda sunt. *Quod multi pereunt pereuntium est culpa; quod multi saluantur saluantis est donum vt enim reus damnetur inculpabilis est iustitia Dei*; quæ tamen in voluntate damnandi non reum culpabilis esset, implicitè inquit Prosper. Hanc vero sententiam didicit ex Præceptore suo Augustino recitato n. 1. citato vbi punitiue reprobationi à gloria, & damnationi reproborum demeritorum absolutam præscientiam necessario præcessuram, quia iustus iudex Deus est; cum tamen misericors voluntas præparans, & prædestinans saluandos, semper eorũ absoluta merita antecedat vt alebat testimonio 1. cui in ea differẽtia, & doctrina cõsonabat cõcilium Valẽtinianũ nomine electionis ad vitã, & electionis ad mortẽ, vt vidimus ibi, & ostẽdimus vtrũq; agere de omni electione, & prædestinatione ad mortem, sicuti de omni

de omni electione, & prædestinatione ad vitam: ac proinde dum punitiuam voluntatem efficacem, quæ solum post absolutè præuisa demerita sit admittunt, ne à iustitia, rectóque iudicis munere Deus deficiat omnem anteriorem absolutis reprobi demeritis intentiuè punitiuam reprobi efficacem voluntatem Deo fatentur impossibilem.

3. Eidem conclusioni, & rationi, pressius, & expressius adhuc insistit Augustinus epist. 106 ante med. scribens. *Quemquam immeritum, & nulli peccato obnoxium si Deus damnare creditur* (non dixit punire, vt non solam executiuam supplicij voluntatem intelligas, sed omnem, quæ punitiua, & pœnæ infligendæ sit) *alienus ab iniquitate non creditur*. Huius vero adeo constanti apud Patres rationis ab absurdo energia, & robur ex prima nostra probatione à ratione constabit, effugiis cunctis aduersariorum obturato, à ratione etiam præcluso. Nunc audiatur conclusio nostra in terminis, vt aiunt, ipsis ab August. recit. n. 2. cit ex lib. Hipognostic. *quos, reprobos, ideo omnis, quia, quid essent facturi præscit; non tamen ipse fecit, vel prædestinauit puniendos*: prædestinasset autem procul dubio puniendos, si anterius natura ad eorum absolura demerita, particula *præ* significatum (nam præ durationis certè prædestinauit puniendos) voluntate efficace exclusioni à gloria, atque æternis cruciatibus in pœnam destinasset: quod cum de facto non aliunde quam ex dissonãtia in ea Dei prædestinatione de facto illam deneget Deo, ipsi etiam denegar de possibili, cum nec vnde possit ea anterior voluntas dissonantiam exuere quod vidit didicitque ex Augustino Beda testimonio ibidem à nobis recitato ex quæstione illa 13. post med. vbi licet de facto etiam videatur sonotenus locutus, ast de possibili etiam loquebatur dicens. *Non est in dispositione Dei*, id est indecens Deum dispositio est, & impossibilis, *quo modo peccator peccet, sed eum sciat eum peccaturum mortem ei præordinauit*, id est prædestinauit: tunc enim, non prius, illam ei prædestinare decens, possibiléque Deo subindè est: in hoc tamen testimonio Bedæ aliud clauditur argumentum verbis postremis satis designatum: vt enim probet non esse dispositionis diuinæ quomodo peccator peccet, subdit rationem verbis postremis, quia ante peccatorum eius absolutam præscientiam non præordinauit, seu, quod idem est, non prædestinauit mortem æternam ipsius per gloriæ exclusionem, & æternos cruciatus: denotans dispositionem quomodo peccator peccet, siue prædestinationem ad peccandum Deo etiam esse tribuendam, ac proinde præordinationem, seu prædestinationem reprobi ad mortem anterius ad demerita eius absolutè futura, æque Deo repugnare, atque præordinatio, seu prædestinatio eius ad peccandum, cui prædestinatio ad mortem connectitur Deo repugnat: quod ipsum argumentum continetur, etsi non adeo explicitè continent verba proximè recitata Augustini: immò, & reliqua, tam eius, quam Prosperi, & Fulgentij hactenus recitata, in quibus omnibus fere legitur Deum nec præparasse, nec prædestinasse malam reprobi vitam, sed tale absolutè præscita illos morti, æternæ destinasse, & condemnasse: quia vtique si id anterius ad absoluta eorum peccata egisset ad peccandum ipsos prædestinasset. Atque hæc quidem duæ constanter apud Patres rationes statuendæ ex nostro Theologico Scholastico munere in primis erunt: eius enim est quam Deo pleni viri, non solum conclusionibus, sed & rationibus suis lucem monstrarunt, omni nostro studio, & lucubratione sequamur, vt maiori discursus naturalis luce, vel explicatione donetur ne rudioribus, minusve laboriosis lateat, ac subobscuriore loco relicta, non satis percipiatur.

4. Ita ergo primam Patrum rationem edissero. Anterior illa de meritis absolutis reprobi efficax ipsum puniendi exclusione à gloria, & inferni cruciatibus non solum est iniusta negatiuè, siue non ex iustitia, vt aduersarij etiam fatentur, sed est etiam contra iustitiam, & iniusta positiuè, quod aduersarij mordicus negant, ex quocunq, fine alio illa habeatur: ergo est Deo repugnans, & impossibilis, consequentia, ne ab aduersariis quidem ipsis negatur, nec à sano Theologo negari potest. Antecedens est recitatorum omnium Patrum: immo, & locorum scripturæ quos & hic, & q. 3. pro conclusione de facto dedimus: est item innumerorum Patrum, & Theologorum, qui voluntatum seu volitionum liberarum Dei omnium: quare, & possibilium ad prædestinationem, & reprobationem spectantium diuisionem adæquatam tradentes in duo hæc membra diuiserunt: scilicet, in antecedentem, seu quæ ex Deo solo, nullo arbitrij nostri vsu spectato habetur, & sequentem quæ arbitrij nostri vsum absolutum necessario spectat: atque omnem Dei punitiuam voluntatem ad secundum hoc membrum voluntatis sequentis spectare consonè, & constanter docent: quare quæ antecedens sit anterior absolutis demeritis efficax punendi voluntas seu volitio libera Dei, vt Deo indigna, & iniusta ac impossibilis ea distinctione à Deo relegatur: sed quoniam res iam à ratione agitur, probatur à ratione antecedens, omnis, non solum effectus, sed affectus etiam, efficax præsertim puniendi eum, qui noxius non Deum absolutè, & in actu secundo est, est contra ius, quod quivis, quandiu, & pro statu, quo innocens, siue nondum nocens est, vt non puniatur, ac proinde est positiuè etiam iniustus: atque pro statu priori naturæ ad absoluta reprobi merita innocens, & innoxius, seu nondum nocens, & noxius est: ergo non solum effectus, sed affectus etiam efficax punitiuus ipsius pro illo priori solum præuisi, & inspecti contra ipsius ius est, ac subinde positiuè etiam iniustus: cum autem affectus, seu voluntas illa efficax punitiua reprobi, pro illo priori, quo nondum absolute nocens, noxiusque præuisus est à Deo habeatur, positive etiam, & contra ius illius habita erit, distinguunt aduersarij maiorem: omnis affectus, efficax executiuus, concedunt maiorem: quia fertur in punitionem nondum noxij, & merentis, tanquam in obiectum directum, quod quidem contra ipsius ius pro eo statu, ac subinde positiuè etiam iniustus affectus est; omnis affectus intentiuus puniendi anterior absolutis demeritis, & efficax negant maiorem quia eiusmodi affectus intentiuus quasi reflexus actus iustitiæ est, qui etsi ex parte actus subiectiue iustitiæ non sit, quia in reum pro tunc, & pro illo priori non est, obiectiuè tamen, siue ex parte obiecti iustitiæ est, quia non vult reprobi punitionem pro illo priori, pro quo innoxius est, sed pro posteriori, pro quo noxius, & peccator absolute erit, ac iustè pro debito executiuè damnabitur, ac punietur. Hac solutione in tuto se aduersarij positos censent, quia nondum ab ea fuerunt exclusi: æstimo autem illos exclusos hactenus ab ea solutione non fuisse non tam eius securitate, seu inexpugnabilitate firmitatéque, quam impugnantium inertia.

5. Contra: quia efficax, intentiua etiam, voluntas puniendi quempiam pro statu quo nondum absolutè reus, ac delinquens absolutè est, & talis præuisus, sed talis esse solummodo potest illicita, & iniusta positiuè est iudiciariæ potestati creatæ: ergo etiam diuinæ. Negas consequentiam: quia ea potestas coniuncta in Deo est potestati supremi dominij in omnem, quem ipse velit, vsum rationalis creaturæ, secus iudiciaria potestas iudicis creati: contra tamen: quia efficax illa intentiua voluntas puniendi reprobum realiter formaliter à iudiciaria Dei potestate, siue à Deo qua supremus iudex rationalis creaturæ est adæquatè procedit, quin à iure supremi dominij in eadem creaturas, qua punitiua voluntas est adhuc inadæquatè possit realiter formaliter prouenire: quia qua ab eo iure dominij prouenit, nullam adhuc inadæquatam rationem punitiuæ voluntatis habere potest: sed prorsus materialiter se in Deo ad voluntatem illam qua punitiuam concipiendam habet: sicut immensitas omnipotentia, & reliqua, quæ Deo, eiusque iudiciariæ potestati realiter identificantur: atqui qua à iudiciaria potestate voluntas intentiue etiam punitiua ante absolutè futura, & præuisa reprobi demerita illicita, & positiuè iniusta voluntas est per te, vt in iudice creato fatearis: ergo & in Deo illicita, & iniusta positiuè est. Dices secundo: iudiciariæ potestati creatæ non licere voluntatem efficacem absolutam executiuam intentiuam puniendi reprobum anterius tempore ad absolutam existentiam delictorum, tametsi futuritionis eorum præscientiam absolutam habeat; & tamen executiua etiam voluntas puniendi reprobum licitè: immò & ex iustitia haberi à Deo potest anterius duratione, nec sola temporaria, sed ex æternitate, immò nequit aliter à Deo haberi;

ergo quoad posterioritatem delicti necessariam, ad licitum voluntatis puniendi non tenet paritas à iudiciaria potestate creata ad diuinam contra tamen quia ideo ad eam voluntatem executiuam etiam puniendi posterior duratione absoluta delicti positio expectanda à Deo non est, vt non solum licitè, sed ex honestate, & iustitia à Deo habeatur: quia, vt ais haberi à Deo in tempore, ac non ex æternitate minimè potest; cum nihil diuinum possit incipere: ac proinde, ni ex æternitate haberi à Deo ea voluntas, & iudicium possit, haberi à Deo nusquam posset: quare, & ipsi iudiciaria in rationales creaturas potestas periret, & voluntatis punitiuæ possibilitas, quam asseris. Tum etiam quia Deo, eiusque præscientiæ pro sua licet determinata duratione præsens absolutè delictum absolute est, æquè ac, cum absolutè in sua duratione est: de quo scilicet eo tempore, vt obiecto licèt non cum eo tempore, vt diuini iudicij mensura à Deo iudicatur, eâque voluntas puniendi concipitur, vt ostendimus t. 1. de Deo vno contr. 1. de Dei immutabilitate agentes, & controu. 2. de futurorum præsentia in æternitate, quorum memoriam reticuimus, tom. hoc 2. controu. 1. ordine earum quæ de Deo vno sunt: quarto hæc autem in creato iudice eiusque potestate iudiciaria nec sunt neque esse possunt: cum & iudicium ferre, & puniendi voluntatem habere in tempore possit, atque non possit delictum absolute præsens habere, & coexistens, pro sua adhuc duratione, tempori anteriori, in quo efficax voluntas puniendi à præscio etiam eius iudice creato haberetur.

6. Inde vero id solum verum habet quod instantia supponit Catholice Deum, scilicet, expectare non debere temporariam durationem, qua absolutè delictum sit, & absolutè existens per ipsum constitutus peccator, vt voluntatem etiam executiuam pœnæ efficacem concipiat: non autem inde infertur, quod pro aduersariis deducebamus: scilicet voluntatem efficacem punitiuam anterius etiam natura ad absolutam temporariam peccati existentiam, & præscientiam æternam ipsius haberi licitè à Deo posse: est enim consequentia à necessario, & ab eo, quod possibile deprehenditur: quia non potest non esse, ad explorato non necessarium, & de quo disputatur, possibile ne contingenter adhuc, sit? siue vt clarius, & in materia ipsa illationis eius vitium demonstrem, argumentum est: in Deo ad voluntatem efficacem etiam executiuam puniendi non expectatur posterioritas temporis absolutè existentiæ delicti, quæ à iudiciaria potestate creata expectanda est, vt licite concipiatur: quia expectari à Deo non potest: ergo neque expectanda erit à Deo posterioritas naturæ delicti, vt licitè voluntas efficax puniendi illud à Deo anterius natura concipiatur; cum tamen expectari à Deo ea posterioritas naturæ ad eam concipiendam absolutè possit: si enim non possit absolute à Deo expectari contra subtiliores aduersarios Ruiz de Montoya, & Arriagam, & contra dogmaticam veritatem, ad quam reliquos alliimus, ea efficax voluntas puniendi reprobos omnes anterius natura ad eorum absoluta demerita, ac præscientiam de facto erit in Deo, ecquod autem argumentum displiceat, cui hoc non displiceat? immò vnde illud desumitur instari fortius aduersarij possunt: etsi à iudice creato præsciantur certo delicta alicuius absolutè futura, illicita tamen ipsi voluntas anterior, duratione, & efficax puniendi ipsum, etiam intentiua, quia expectari ab ipso potestas absoluta existentia eorum delictorum posterius duratione futura: atqui expectari à Deo potest: absoluta existentia delictorum reprobi posterius natura futura: ergo si anterius natura ad delicta reprobi habeatur à Deo illicita, & positiuè iniusta erit, denique conclusionis, & rationum omnium probatio, & confirmatio est: quia quoties ad licitum actionis, siue volitionis, vt licita, ac non turpis, & inhonesta sit aliqua conditio ex parte subiecti volentis & operantis, vel obiecti circa quod versantur, ac tendunt, requiritur, nequit actio, vel volitio licita esse, quousque purificata, & absolute posita sit conditio: atqui ad licitum actionis, & volitionis punitiuæ, efficacis præsertim, siue vt licitè, ac non inhonestè exerceantur, requiritur absoluta positio, & existentia delicti puniendi, quæ pro naturæ priori ad absolutum reprobi peccatum non est, sed solum & primo pro posteriori signo præuaricationis absolutæ reprobi est: ergo nec punitio, nec efficax volitio punitiua anterius natura ad absolutam peccati positionem, & præuisionem contra reprobum à Deo concepta licita esset, sed omnino illicita, & iniusta proinde, ac subinde impossibilis. Maior dogma Catholicum, & principium proinde morale est: ex quo solo, qui nondum matrimonium contraxit cum fœmina, ambit tamen illud, & solicitat; nequit non turpiter, non solum cum, sed incoitum cum illa voluntate efficaci: immò inefficaci, vel complacentiæ solius, absoluta ferri: quia conditio matrimonij necessaria ad licitium earum actionis, & voluntatum, siue vt illæ libidinis turpitudinem exuerent nondum absolutè posita ex parte subiecti, & obiecti, ac purificata est: secundo inde etiam tametsi Deus grauem peccatorem licitè, & honestissime odio inimicitiæ prosequatur, si tamen pro priori naturæ ad grauis eius peccati positionem odio inimicitiæ prosequeretur illicitum planè, & positiuè iniquum eiusmodi odium foret. Nec de hoc plura, nisi otiosè.

7. Secundo probatur conclusio ratione alia testimoniis recitatis Patrum constanter, atque vnanimiter contenta: si Deus voluntatem efficacem intentiuam adhuc puniendi reprobum priuatiuè, vel positiuè etiam anterius natura ad ipsius absoluta demerita haberet, atque ex ea intentione auxilia efficacia ipsi denegare vellet (vt opus est, vt positiua illa reprobatio efficax à gloria reprobationis ab efficace gratia causa sit) eius planè demerita ex se ipso Deus in sua erga illum prouidentia disponeret, ac præpararet ipsius peccatum, atque æternæ proindè ipsius saluti insidiaretur, quod est absurdum, ac Deo impossibile. Assumptum probatur, ex eo enim Deus merita prædestinati ex se ipso disponere, atque benefica erga eum, & misericordi prouidentia præparat, ac de se se eius salutem solicitat, ac negotiatur: quia ex huius intentionæ (atque vt aduersarij volunt efficace) efficacia ad meritum, & iustitiam eius finalem eligit, præparat, ac prædestinatione sua disponit, atque eadem eius salutem æternam sollicitat, & negotiatur: atqui ex intentione efficaci perditionis reprobi, etsi ex intentione inefficace salutis sufficiens auxilium reprobo donet, tamen negatione omnium efficacium, quæ ipsi eligit, ac reprobatiuè prouidet, prouidet quidem de auxiliis efficacibus ad demeritum, & iniustitiam finalem cum morte, & perditione ipsius æterna infallibiliter coniungendam: idque ex scientia conditionata coniunctionis infallibilis cum illis: ergo eorum demerita, & iniustitiam finalem præparat ex se se, atque disponit sua prouidentia Deus, atque proinde reprobi salutis insidiatur. Confirmatur: quia non aliunde contra Hæreticos calumnias hasce in Deum Theologi omnes ab ipso propulsant: immò neque propulsare aliunde possunt, vt vidimus d. proxima, quam negando, auxilij sufficientis electionem, & denegatiuam efficacium ex intentione perditionis reprobi prouenire attigerunt, vt dicebamus, numero tertio, argumentum Patres, at omnium expressius Sanctus Augustinus, verbis illis *ideo punit, quia quid essent facturi, reprobi, præscivit; non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinauit.* Quod ipsum est præparauit, vel disposuit, vt Beda ibidem recitatus aiebat: atque si ex intentione efficaci, exclusionis à gloria, & perditionis æternæ anteriore natura ad absolutam existentiam demeriti ipsorum futura efficacium auxiliorum negationem elegisset dicturi bio procul puniendos prædestinasset, præparasset, ac de ipsese disposuisset, vt intenta prius efficaciter punitio succederet.

CERTA

CERTAMEN II.

Argumentum tertium Sancti Augustini illustratur cum aliis pro eadem conclusione reliquis.

1. DOctores sententiæ nostræ plures Deum amatorem peccati fore ac deduci ex opinione aduersa inferebant, quia amari medium remotius ex intentione finis, atque, vt vtile ad illud non posse, quin inter media, & fini proximiora, quibus mediantibus vtilia ad finem sunt, & sine quib. cõducentia ad ipsum remotiora illa esse nequeunt amentur: cum autem a gratia efficace reprobatio seu peccati permissio remotius medium ad reprobi intentam exclusionem à gloria, & perditionem sit, peccatum vero proximius, & quo medio, vtilis ad perditionem reprobi reprobatio, seu permissio peccati est, & sine quo conducens ad illam esse non potest, videtur peccatum necessario amandum à Deo fore, si ex intentione efficace perditionis reprobi ea reprobatio, & peccati permissio à Deo habeatur: fateor argumentum hoc aduersariis esse irrefragabile, qui principio illi, tanquam certo assentiuntur, atque inde negant peccati permissionem effectum prædestinationis esse posse: cæterum, cum nos supra principium illud necessarij amoris medij proximi ad finem vt ex huius intentione remotius medium ametur falsum esse ostenderimus, eo argumento abstinemus, atque inde amorem peccati in Deo argui absolutè non posse putamus: illud autem absurdum aliunde ab Augustino præsse, ac subtiliter deductum censemus verbis postremis proximè recitatis. *Non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinauit*: ita illud instruo. Nequit amari efficaciter, seu prædestinari, vt sit constitutum essentialiter ex aliqua forma, quod ante per illam constitutum non supponitur, quin forma ipsa eo amore, & prædestinatione ametur efficaciter, & prædestinetur: atqui reprobi puniendi, qua tales seu digni qui puniantur, peccato tanquam forma, qua realiter formaliter tales fiunt essentialiter constituuntur: ergo nequeunt prædestinari efficaciterque amari puniendi, siue, vt sint digni qui puniantur necdum præsupposito peccato, quin ametur efficaciter prædestineturque à Deo ipsorum peccatum. Antecedens ex terminis claret, milléque & omnibus exemplis, in quavis materia possibilibus facile ab vnoquoque ostendetur; atqui si reprobum anterius ad absolutam peccati positionem, & præscientiam, velit efficaciter punire, efficaciter etiam amat ac prædestinat puniendos, seu, vt digni sint qui puniantur: vt August. subtiliter eo loco inferebat: ergo ex efficaci illa voluntate anterius natura ad absolutam existentiam & præscientiam peccati reprobi infertur Deus peccati reprobi prædestinator, & amator.

2. Dices illud *puniendos* passiue dupliciter accipi posse. Primo passiue physice, quo pacto à prædestinatione, & amore puniendorum anterius natura ad ipsorum peccatum, siue, vt digni sint qui puniantur, qui necdum tales absolute erant, nec præuidebantur, ad amorem & prædestinationem peccati argumentum conuincere. Secundo passiue grammaticaliter, vt ea participalis passiua vox respondetur participio actiuo *puniturus*, quo pacto argumentum non probat dignitatem punitionis, & pœnæ, scilicet peccatum, quod nondum est, prædestinari amarique efficaciter, sed solam punitionem, qua ipsum actiuè Deus puniturus est, & ipse reprobus passiuè grammaticaliter erit puniendus contra primo: quia Augustinus aperte puniendos physicè passiuè vsurpauit. Neque enim dixit *non prædestinauit* solum, sed *non fecit, nec prædestinauit*, vt physicam eius effectionem, nec solam grammaticalem actionem, & prædestinationem punitionis futuræ, qua puniendi passiuè grammaticaliter denominarentur denotaret, & ex contextu confirmatur, quo Deum non, nisi post præscitum, & præuisum absolutè positum à reprobo peccatum ipsum punire, velléque punire ait, vt à Deo omnem actionem physicam, ac prædestinationem peccati, quod puniturus est, & ob quod vult reprobum pure auertat: ita vero accepta voce *puniendos*, argumentum à prædestinatione hac ad amorem peccati absoluti, quo puniendus reprobus constituitur conuincit vt fateris: contra secundo, quia, etsi vox *puniendos* passiuè grammaticaliter, non autem physice accipi ab Augustino dicatur: prædestinari ea acceptione puniendos à Deo non posse Augustinus ipse fatetur contra aduersarios, & ratio contra ipsos inibi contenta, atque à nobis explicata de necessitate prædestinationis, & amoris peccati in Deo admittendorum si ante præscientiam, & existentiam absolutam peccati eius punitio à Deo prædestinetur, & efficaciter ametur eodem impetu, & ex eodem naturali principio instauratur, & recurrit: etsi malum siue positiuum, siue priuatiuum reprobo infligendum secundum se, & intrinsecum sui malum sit, quin peccato eius cui infligitur, constituatur: ast in ratione pœnæ, & punitionis intentæ à Deo efficaciter, & prædestinatæ realiter formaliter, tanquam extrinseca forma essentialiter constituitur, non secus ac, licet dexteritas hominis columnæ secundum se sumptæ extrinsecum quid sit, ast columnæ dextræ qua dextræ seu columnæ, dextræ constituto, essentialis physica forma ipsum constituens omnium sententia est: atqui nequit prædestinari, amarique efficaciter constitutum, quod nondum tale est defectu formæ nondum absolutè positæ, quin forma ipsum constituens prædestinetur, & efficaciter ametur: ergo nequit amari efficaciter, ac prædestinari malum siue positiuum, siue priuatiuum reprobi in pœnam, & punitionem peccati anterius natura ad absolutam existentia peccati siue nequeunt prædestinari puniendi adhuc grammaticaliter passiuè, quin ametur efficaciter, ac prædestinetur ipsorum peccatum: confirmatur ex doctrina subtiliorum, qui aiunt gloriam, vt præmium, & coronam non posse eligi, præfinirique efficaciter à Deo antecedenter ad merita prædestinati absolutè existentia, quin merita ipsius, quibus in ratione præmij, & coronæ essentialiter constituuntur, simul præfiniantur, ac efficaciter eligantur: tametsi gloria secundum se solum sumpta non præfinitis, electisque simul meritis possit eligi, & præfiniri.

3. Dices rursus punitionem, & pœnam realiter formaliter tamen non constitui per absolutum peccatum, & delictum, sed per voluntatem ea malis, inflictis puniendi, & vindicatiuè compensandi, quæ, si in ea infligente Deo absit, inflictum malum pœna, punitioque delicti non erit, etsi positiue, & absolute peccatori infligatur: quare prædestinatione pœnæ, punitionis reprobi, anteriore ad eius peccata absolutè præuisa, non quidem, vt sit peccatum prædestinatur, amaturque à Deo, sed voluntas ipsius posterius natura habenda, & executiua punitionis, qua pœnæ inflictio, malumque reprobo inflictum in ratione pœnæ, & punitionis constituuntur, & quæ non nisi post absolutè præuisum peccatum, & honestissima erit: in primis hac solutione vti nequeunt subtiliores ex aduersariis Recentiores, qui electione, seu præfinitione gloriæ, vt coronæ & præmij à Deo retribuendi, merita, quæ gloria præmianda, coronandáque sunt, amanda necessario à Deo simul esse, ac præfinienda bene docuerunt, vt proximè referebamus. Secundo: doctrina huius euasionis solum probat ad formalem punitionem & pœnam præter ea, quæ ex parte obiecti realiter formaliter atque essentialiter ipsam in esse talis constituentia requiruntur, nempe absoluta existentia, & præscientia peccati reprobi requiri etiam affectum puniendi peccata præscita ex parte punientis, sicuti præmiandi ex parte præmiantis: ast ni peccata absolutè sint in puniendo, etsi affectus puniendi per errorem esset inflictum malum, reuera nec punitio, nec pœna foret: sicuti nec præmium quidpiam ex affectu ipsum præmiandi, putato alicui benemerito, re tamen immerito donatum. Dixi autem in principio illo, quoad argumentum hoc tertium sui vsus, prædestinationem coniuncti partium essentialium eius, ac subinde formæ ipsum essentialiter constituentis prædestinationem, & amorem efficacem, atque in casu nostro peccati arguere, ni pars eius, seu forma ante affectum & prædestinationem, coniuncti illius, siue, vt coniunctum tale sit, absolute posita supponatur: si enim præsupponatur absolute prædestinatione, & amore efficaci

partis,

partis, quod coniunctum completur satis est, quin pars præsupposita debeat amari, vt patet in affectu efficaci executiuo Dei puniendi reprobum post absolutè ab ipso apposita peccata atque à Deo præuisa, quæ quia Deus peßimè odit, nec solum amat; decernit executiue punire æterni vtriusque mali priuatiui, & positiui inflictione. Ratio est: quia partis coniuncti, quæ deficit, nempè mali infligendi appositione pœna obiectiuè resultat: & cum delicti motiuum adest, atque ex eius odio decernitur, quidquid & ex parte obiecti, & affectus Dei malum reprobo infligentis requiritur ad malum pœnæ, & punitionis adest, quin delictum ametur: sicut & peccatum contritionis nostræ, & pœnitentiæ motiuum est, quod odimus, dum de illo conterimur, non vero amamus: etsi autem dixerimus d. 1. Deum ex intentione pœnitentiæ inefficaci (& idem ad rem præsentem esset, si ex efficaci) anterius ad peccatum absolutè positum, & præuisum posse permittere peccatum, ac proinde & hanc permissionem effectum prædestinationis esse posse, & esse quandoque de facto: nil in re contra nos, & contra hoc argumentum instari potest: quandoquidem peccatum pars siue intrinseca, siue extrinseca pœnitentiæ constitutiua non est, sed solum ad illam, motiuum quod odimus, & de quo pœnitentia dolemus, & quamvis medium proinde sit ad pœnitentiam permissione proximius, non tamen cuius amore & gratia amari permissio debeat, vt suo loco supra ostendimus.

4. Hæc porrò ex parte decentiæ diuinæ petita pro conclusione nostra argumenta procedunt ex parte vero reprobi constat ex dictis d. 2. quæst. 3. certam. 8. à num. 4. intentiuam eam puniendi tam positiuè quam priuatiuè efficacem voluntatem absolutis reprobi demeritis anteriorem omnem contingentiam & libertatem vtramvis pœnam euadendi, & obtinendi gloriam, vel vitandi cruciatus absolutè abolere, atque vtramque subeundi antecedentem necessitatem reprobo inducere, tamesi essentialiter voluntas illa efficax per scientiam mediam demeritorum reguletur, ac dirigatur, vt de simili electione efficace prædestinati ad gloriam, vt coronam, etiam per scientiam mediam directa, & regulata præclusis aduersariorum effugiis ibidem monstrauimus: id quod apertius est si gloriæ exclusio, & æternis cruciatibus addictio non quidem, vt pœna, & punitio formaliter, ac dependenter à meritis malis, sed independenter, ab eisque præscindendo efficaciter à Deo alicui intendatur: tunc enim, & scientia media demeritorum reprobi, ad eam intentionem dirigendam impertinens est, nequitque natura præcedere: & quamvis posterius natura ex scientia media demeritorum efficacia auxilia reprobo denegentur sufficientibus concessis, ac proinde demeritorum eius libertas consistat; secus amissionis gloriæ & perpessionis cruciatuum, quæ, ex intentione efficace anteriore siue adsint, siue absint demerita, ab eisque independenter necessario erunt, vt in simili de electione prædestinati ad gloriam à meritis præscindente dicebamus: quocirca euasiones ex scientiæ mediæ directione quæsitæ tentari ab eis solummodo possunt, qui intentiuam illam antecedentem, & efficacem voluntatem excludendi reprobum à gloria, illumque damnandi, punitiuam, atque earum in pœnam inflictionem intentam efficaciter anterius ad demerita defendunt, cum quibus præsertim nunc certamus: sed hi, præter quam quod potestatem absolutam non amittendi gloriam, vitandique æternos cruciatus nequeunt defendere, vt vidimus nuper, vlterius impugnantur: quia opertet Deum demerita reprobi, eadem intentione efficaciter amare, & intendere, si malum, vt pœnam, & supplicium reprobo efficaciter intendit, vt dicebamus, & in simili de electione ad gloriam, vt coronam aduersarij fatentur: id quod contra fidei dogma est. Secundo, si determinata demerita reprobi, quibus tanto determinate supplicio, quo puniendi sunt, digni constituuntur simul cum pœna, & supplicio Deus efficaciter intendit, praui etiam operis puniendi libertas, ac subinde demeritum peribit, vnde & pœnæ ratio abolebitur, cum ex vi, & efficacia intrinseca antecedentis illius intentionis determinati demeriti, seu operis praui antecedens illud non apponendi potestas non restet, sed potius necessitas illud apponendi reprobo fiat: intendi autem demeritum determinatum, illudque ipsum, ob quod tanta determinate pœna puniendus reprobus est consequenter aduersarij docebunt ex doctrina Soarij quem hisce in rebus sectantur 3. de auxil. d. 19 num. 29. asserentis in simili de electione antecedente & efficace ad gloriam, vt præmium, & coronam intendi simul efficaciter merito determinata, ob quæ de facto donanda illa in præmium est: inde vero meritorum illorum libertatem euerti (vt nunc de demeritis intulimus) non obstante directione electionis illius per mediam scientiam ostendimus, d. 2. q. 3. cert. 8. quod si dicas ea intentione antecedente efficaci punitiua demerita quidem indeterminatè hæc vel illa, ex pluribus tanto supplicio æqualibus disiunctim præfinitis demeriti cuiusvis præ alio appositio libera reprobo maneret, vt ex contr. 4. d. 6. quæst. 3. constat: cæterum libertas contrarietatis ad demerita finalia per actum finalis pœnitentiæ vitanda, & ad gloriæ consecutionem reprobo periret: quia vt in simili de electione ad gloriam citata controu. 7. d. 2. quæst. 3. certamine 8. numero 6. dicebamus ex ea efficaci voluntate punitiua nequit Deus velle concurrere ad aliquem actum, seu effectum cum intento à se efficaciter obiecto incompossibilem: ea siquidem obiecti efficax volitio, cuiusvis alterius cum illo incompossibilis efficax virtualis nolitio est, quare & finalis reprobi pœnitentiæ, & consecutionis gloriæ ab ipso, atque concurrendi ad ipsas efficax est virtualis nolitio, quæ volitioni concurrendi ad illas, sine qua esse absolutè nequeunt repugnat.

5. Dicendum est secundo: & si efficax illa antecedens intentio exclusionis à regno, & addictionis reprobi æternis cruciatibus punitiua, & ex vindicatiua iustitia non sit, sed ex iure supremi Dei dominij causa reprobationis à gratia efficace, vt suis demeritis gloria reprobus in pœnam priuetur, flammisque æternis addicatur esse non potest. Probatur: quia nec demerita causa illorum malorum esse possunt: cum absoluta existentia, siue demeritis positis, siue ablatis non possit non esse: quare & prius natura ad demerita ea mala non inducere liberum Deo puniturо non sit, sed illa inducere necessarium: omnis autem quod in præmium, vel supplicium, condignamve operis retributionem ab aliquo donandum est, debet esse anterius natura ad bonum, malumve meritum alterius pœna illud donandi, vel infligendi, vel secus absolutáque donaturi potestas: alioqui non bonis, malive meritis, sed suæ necessitati illud donandi, vel infligendi donaretur, infligereturque, quod donatur ab ipso, vel infligitur. Secundo ea voluntate posita, & reprobatione à gratia efficace subsecuta, vt per demerita gloria priuetur, ac æternos cruciatus reprobus patiatur, si per demerita determinata hæc, quibus id futurum est, fieri decernatur prauorum operum libertas, ac meritum peribit quantumvis reprobatio ab efficace gratia per scientiam mediam dirigatur: si autem per demerita non determinata, sed hæc, vel illa indeterminatè, ac disiunctim, licet in alterutro determinato demerito apponendo liber reprobus maneat: ast ad finalem impœnitentiam liber non erit, cum Deus ad concurrendum ad pœnitentiam finalem liber non sit, vt proxime dicebamus. Tertio non ita facile finis vterque, & exercendæ iustitiæ vindicatiuæ, ex quo reprobatio à gratia efficace prouenit, & exercendi supremum suum ius, & dominium in perdenda saluandaque rationali creatura, scilicet reprobo illo, subordinari possunt; quare neque affectus ob eos fines à Deo eliciti: cum eorum neuter alteri subordinetur, vtiéve ad alterius consecutionem sit, quin ex parte sibi videntur aduersi. Pone enim ex iure illo supremi dominij & fine illud exercendi haberi primum adeo anteriorem illam efficacem intentionem, & voluntatem excludendi à gloria, & addicendi inferno reprobum; posterius vero ex fine iustitiæ suæ vindicatiuæ exercendæ efficacium auxiliorum ad non peccandum negationem, seu denegationem decernet: & dispice bene an finis ille exercendi supremum ius & dominium in rationalem creaturam in voluntatem hanc denegandi auxilia efficacia ex fine exercendi iustitiam vindicatiuam possit influere, ac mouere? Porro id vt summum, inuenies: finem scilicet illum, cum fine hoc comminanter in voluntatem denegandi efficacia auxilia influere, ac mouere, non quidem, quia natura voluntas excludendi reprobum à gloria præcesserit voluntatem reprobatiuam ab efficace gratia, quatenus ex iustitia vindicatiua

catiua procedit: sed quia ex duplici fine haberi hæc voluntas à Deo potest: quare ex his fundamentis 2. hæc conclusio satis firma consistit.

6. Denique circa Scoticam, & negatiuam reprobationem à gloria meritis malis reprobi, eiusq; à gratia efficace reprobatione anteriorem possibilem non esse, cum absoluta executiua, & libera exclusione à gloria, cum absolutè, tum ob reprobi demerita probata ex dictis, quoad vtramque partem conclusio est, etenim negatiua illa anterior demeritis absolutis reprobi à gloria reprobatio est deliberata omissio in Deo ex æternitate absolutè existens, nec solum præcisio ab electione reprobi ad gloriam pro eo signo priori, & primo ex Scoticis signis considerata, vt supra ex eius germana mente, ac genuina sententia ostendebamus: inde vero euidens est Deum pro nullo posteriori signo naturæ velle reprobo gloriam sine contradictione posse ex ea vero impotentia volendi gloriam reprobo efficaciter in primo illo signo facta Deo, sine cuius efficace voluntate nihil esse de facto potest, manet gloria absolutè impossibilis, eiusq; priuatio absolutè necessaria: quare, & huius priuationis contingentia, & libertas reprobationi negatiuæ à gloria repugnat: inde vero constat, & cum eiusmodi reprobatione negatiua à gloria exclusionem executiuam reprobi ab illa ob demerita ipsius esse non posse cum anterius longe necessaria ea reprobi à gloria priuatio necessaria sit: quare nec apta materia demeritorum retributioni: tum etiam, quia ex ea negatiua reprobatione à gloria contra libertatem demeritorum ea omnia inferuntur, quæ n. proximo inferebamus.

QVÆSTIO VI.

An inefficax intentio perditionis reprobi causa Deo sit reprobationis ipsius à gratia efficace? quæve Dei intentio, ac finis eam reprobationem præcedat?

DE præcedentia intentionis efficacis de reprobi perditione ad eius à gratia efficace reprobationem quæstio à Deo intentos Theologos DD. fecit, vt vix aliquis de eiusdem finis inefficace intentione, an præfatæ reprobationi præcedat, possitve absolutè præcedere? mouerit quæstionem, sententiamve tulerit suam: cum tamen eius quæstionis examen valde vtile, & dignum Theologis sit.

CERTAMEN I.

Negatiua quæstionis tam de facto, quam de possibili decisio.

1. APprime Theologus Vasquez noster vtilem hanc, & viro Theologo dignissimam quæstionem penitus non omisit. d. 95. c. 2. § 1. vbi ad primum argumentum, quod ibi diluendum suscepit respondet. Deum neminem reprobum à gratia efficace excludere ex intentione ipsum damnanda: quare, ne ex inefficace quidem intentione: loquitur autem in quæstione de facto, nec aliis rationibus suam hanc conclusionem probat, quam à se datis c. 4. & 5. contra præcedentiam efficacis intentionis de reprobi exitio, & perditione æterna ad ipsius à gratia efficace reprobationem, sed ad illas ipsas se refert: vidit enim profundus doctor in quæstione de facto, æquo illas robore contra inefficacem, ac contra efficacem intentionem militare, vt mox clarebit: quid autem præstent in quæstione de possibili, constabit ex conclusionis nostræ secundæ probationibus: contra vero nostet Ruiz de Montoya, d. citata non semel intentionem inefficacem de reprobi perditione eius à gratia efficace reprobationi, non de possibili solum, sed de facto etiam, natura præcedere, assertiuè, vt quid extra controuersiam, supponit. Nostri demum Granados. & Arriaga, dum efficacem intentionem præcedere absolute posse q. 4. cert. 1. docet, taciti inefficacis præcedentiam possibilem absolute esse fatentur. Horum sententiæ facile accedunt Richard. Durand. Bañez, Aluarez Zumel, Gonçalez Albelda, cursus discalceatus Carmelitus, Ioan. à S. Th. & Corduba à nobis citati q. 3. cert. 2. n. 1. dum efficacem intentionem excludendi reprobos à regno, ipsorum à gratia efficace reprobationi natura præire de facto duriuscule, nec satis (me iudice) tutè defendunt.

2. Dico primo: intentio inefficax exclusioni reprobi à gloria, & damnationis ipsius à gratia efficace reprobationem natura non antecedit de facto Probatur omnibus fere argumentis, quibus ex scriptura, Patribus & ratione efficacis intentionis præcedentiam de facto reiecimus q. 3. à cert. 3. Primo ex ardenti Dei voluntate, & desiderio de omnium, etiam reproborum salute: quod vetus, nouumque Testamentum à Deo, & toties nobis commendat. si enim reproborum mortem de se fe, ac puro arbitratu suo Deus ferio, ac vere, etsi inefficaciter, vult, desiderat, atq; amat, salutem illorum velle dici absolute non potest: etsi enim circa idē obiectum volitio, nolitioque veræ inefficaces tamen, esse simul in quauis voluntate, quare & in diuina, absolutè possint, vtraque vero stante, nequit illas simul habens ab altera tantum absolutè denominari. Non secus, ac eodem actu obiectum idem vel eius negationem disiunctim volens, alterum determinate, siue obiectum, siue eius negationem velle dici absolutè non posset: siquidem respectu æque vtrumq; vere disiunctim volentis inefficaciter, quod vno vel pluribus actibus æque vtrumque disiunctim velit, refert nihili. Dices referre maximi, siquidem actu eodem nequit alterum extremum ardentius alio, etsi inefficaciter amari, quare nec volens vtrumvis, vnum determinate præ alio velle absolutè dici poterit; secus autē si duplici actu atq; altero intensiore vnum disiuncti illius amet, quā aliud vt in rē præsenti reproborum salutem: tunc enim ab ardentiore alterius extremi desiderio, & voluntate, illud determinatè volens dici absolute debet, non autem extremū disiuncti alterum, scilicet ardentius amati obiecti negationem.

3. Contra primo: quia, etsi intensior voluntas, & ardentior erga alterum disiuncti extremum ad absolutam denominationē præualeat alteri voluntati tepidioti, ac remissiori circa extremum alterum, non tamen ita præualere potest, vt cum de volutate erga extremū hoc expresse agitur, citra mendacium, cum adest expresse, & absolute negetur: atqui cum de voluntate perditionis impij, ac reprobi scriptura agit, illam expresse, absolute, & vniuersim negat clamans, *Deum neminem perire velle*, nullius q; quantumvis impij, ac reprobi mortem, *voluntas Dei esse*: Ergo ea inefficax dē reproborum morte voluntas vera quantūvis remissa Deo non adest, nisi ipsum & scripturam mendacij redargui posse concedas. Contra secundo: quia semel admissa ea inefficace voluntate de reprobi perditione, intensior intentione salutis eorum esse conuincitur: ergo iuxta hanc solutionem falso etiam, & illuforiè velle horum salutem dicetur Deus: consequentia est clara. Antecedens probatur facile: quia non aliundè suaderi prudenter nobis probative à nobis potest, maior vnius intentionis, & desiderij ardor, & intentio, quā alterius intentionis de obiecto opposito, quam ex maiore vtrumq; volentis præparatione, accuratiore q; prouidentia, & dispositione mediorum, quib. vnum potius præ alio, certi iusq; de facto eueniat, atqui prouidentia præparatio & dispositio exactior, accuratiorq; lōge est mediorū quib. mors reprobi potius, quā salus, certiusq; & securius de facto eueniat: siquidem media cum eius æterna morte infallibiliter coniungenda ipsi præparantur, disponuntur, & prouidentur à Deo, ex voluntate & intentione salutis ipsius solum prouidentur à Deo media sufficientia, quibus illam consequi tantum possit, & vix quandoq; possit: ergo ea intentio inefficax tua de reprobi perditione, & morte intensior, ardentiorque in Deo est intentione de ipsius salute.

4. Confirmatur: quia ex hac voluntate admissa præparatur, prouideturq; reprobis à Deo negatio eius, quod potissimum gratiæ suæ est, nempè efficaciæ mediorum & auxiliorum

xiliorum gratiæ, quin gratiæ ex salutis intentione præstitæ relinquatur, quod vix nec sine multa Theologica lucubratione gratia esse contra Hæreticos defendatur: confirmatur secundo ab opposito, & vrgentius; etenim collatio gratiæ efficacis ex intentione inefficaci salutis prædestinati tantam intentionis huius intentionem arguit, & ardorem, vt inde, & vnicè, eius efficaciam, seu electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam ante eorum absolute præuisa merita à ratione probent: quod si id non euincant, vt vidimus, magnam tamen inde intentionis illius intensionem (citra efficaciam) euinci negari non potest: atqui per vos ex intentione vera, etsi inefficaci per reprobationem providetur à Deo negatio efficaciæ gratiæ, & auxiliorum ad salutem, qua constituitur efficacia auxiliorum ad mortem præintentam: ergo ex eiusmodi prouidentia reprobatiua ab efficacia mediorum ad salutem, magna & quam magna intentio intentionis illius de morte, & perditione æterna reproborum demonstratur; longéque, haud dubio maior, quam sit intentio intentionis de eorundem salute, ex qua sufficientia tantum media, & auxilia gratiæ ipsis à Deo prouidentur, nec salutis, sed perditionis effectum habitura: vrgetur demum ex scriptura, & Patribus: quia nemo inuitus, coactusque venit, trahiturve ad id quod anterius, ac de se fese magis, vel æque etiam & absolutè desiderat, atque eius oppositum, nec de illius euentu dolet, & lachrymatur: atqui per scripturam, & Patres Deus venit inuitus, trahiturq; coactus ad reproborum perditionem, & suplicia, doletque, & lachrymatur suo modo de eorum perditione: ergo anterius, ac de se ante ipsorum demerita, & subinde reprobationem à gratia, eorum mortem, & perditionem, nec magis, nec æque atq; ipsorum salutem, imò nec verè, ac serio, adhuc inefficaciter amat.

5. Patres dein absolute, & vniuersim voluntatem Dei de sese de perditione, & morte impij cuiusvis, quantumvis perditi negantes, inefficacem etiam hanc voluntatem negant: dedimus illos cum controu. 4. de volunt. tum q. 3. à cert. 3. A ratione vero illud etiam argumentum facit, quod contra efficacem perditionis reprobi voluntatem Dei de se, & illius de meritis absolutis anteriorem instruximus, q. 3 cert. 1. fine, & cert. 1. n. 5. quia, vt bene Vasq. supra, etsi Deus, è supremi Dominij sui iure nullis creaturæ demeritis spectatis, quibus ad exitium ipsi volendum excitetur, possit creaturæ rationali cuivis, & omni mortem, æternamque perditionem efficaciter, nedum inefficaciter pro suo libito velle; id tamen pio, benignóque ipsius in rationales creaturas suas dominio tribuere, deferréq; debemus, vt ni ita à Deo factum per scripturam, ac Patres nobis ipse significet, asserere teneamur factū non fuisse, sed esse potius infectum: atqui ita factum per scripturam & Patres nusquam nobis innotuit: ergo Deum de se se, & anterius natura ad reprobi demerita absoluta, ac eorum præuisionem eius mortem, & perditionem æternam inefficaciter de facto velle negare debemus. Probatur secundo ratione quia ea voluntas ex iure dominij præfati Dei de meritis reprobi anterior, efficax etiam, necdum inefficax esse in Deo absolutè possit; at ex intentione illa, inefficace etiam perditionis, & mortis æternæ reprobi, nequit Deus ipsum à gratia efficace ad vitandum, seu abolendum per pœnitentiam peccatum mortale finale reprobare: ergo nequit ea intentio inefficax mortis reprobi reprobationi ipsius à gratia efficace esse natura prior, & anterior: consequentia est legitima, vt de se patet. Antecedens est secunda nostra conclusio iam subiicienda, & probanda.

6. Dico secundo: intentio vlla de reprobi perditione, etiam inefficax, nequit absolutis reprobi demeritis, eiusq; à gratia efficace reprobationi natura præire: quare neque esse causa reprobationis ex parte Dei. Probatur conclusio eisdem rationibus, quibus possibilitatem antecedentiæ, & causalitatis in hanc reprobationem à gratia efficace intentioni efficaci perditionis reprobi ostendebamus q. 4. tota, ex Patrum authoritate contentis, & confirmatis. Prima erat, quia ea intentio punitiua non solum esset iniusta negatiue, sed positiue etiam iniusta, quia contra ius, necdum peccatoris, & nocentis, sed innoxij, & innocentis adhuc ea esset intentio: quare de obiecto iniquo & positiuè iniusto. Hanc Patrum rationem instruxi ad formam, eiusque vim explicui totam, atq; euasiones præcluси cert. 1. à n. 4. ad 6. inclusiue, ea vero æquo impetu contra inefficacem intentionem fertur: cum circa obiectum turpe, & iniustum non solum efficax affectus, sed & inefficax turpis, & positiuè iniustus sit. Tertiam rationem efformauimus ex amore peccati in Deo ab aduersariis absurdissime, & contra fidem admittendo vt ostendi fusè ibidem; tertiam ex Augustino desumptam edisserui ead. q. cert. 2. à n. 1. ad 3. inclusiue: quod scilicet ex intentione efficace punitiua peccato anteriore Deus peccati amator conuinceretur: quod est hæretica blasphemia, atque æque ex inefficace intentione punitiua deducitur vt ibi positas rationes penitebit patebit, & hæc quidem rationes contra intentionis punitiuæ inefficacis antecedentiam naturæ ad reprobationem à gratia efficace solummodo probant, non autem contra intentionis inefficacis à Deo ex iure supremi dominij habitæ antecedentiam ad eiusmodi reprobationem, quare nec vniuersim præsentem conclusionem probant: sed contra hanc etiam intentionem inefficacem demeritis absolutis reprobi, eiusque à gratia efficace reprobationi anteriorem faciunt alia quæ ead. q. posuimus.

7. Primum cert. 1. n. 7. quod scilicet Deus ex quocumque fine ea intentio anterior reprobi demeritis, ac reprobationi à gratia habeatur, si tamen ex illa efficacia media Deus reprobo denegat, atque negationem efficacium mediorum prouidet præparat, atque disponit, eius saluti infidiabitur, exitiumque, & peccatum præparabit, ac de se se disponet cum id, vt ipsum perdat ex quo velis fine præparet, prouideat, atque disponat, etsi ex fine puniendi, & retributionis delictorum non sit: id enim satis est, vt ex præhabita perditionis reprobi intentione ita agat Deus vt dixi: quemadmodum aduersò modo volens agere erga prædestinatos ex intentione salutis eorum saltem procurat, eamque prædestinatione sua præparat, prouidet atque disponit, etsi intentio illa inefficax, ex qua ita se gerit, salutis prædestinati non sit salutis, vt præmij, & coronæ, sed solum vt supremæ felicitatis ipsius: secundum argumentum intentionis inefficacis de reprobi perditione antecedentiam ad eius à gratia efficace reprobationem impossibilem, ex quovis habeatur, fine ostendens posuimus eadem q. 4. cert. 2. concl. 2. n. 5. à medio, efftq; tertia probatio conclusionis illius, scilicet anterioris illius intentionis finem, cum fine reprobationis, & damnationis reprobi ob demerita, non posse inter se se coordinari, ita, vt harum finis, fini intentionis illius subordinetur: sed, vt summum, comitanter se inuicem posse habere: vt ibi ostendimus, & explicuimus. Hic ergo repetenda non sunt, sed applicanda solum, quæ ibi docuimus.

CERTAMEN II.

Ex quo fine, & intentione reprobi à gratia efficace reprobatio prouenial, prouenireve possit statuitur.

1. HOc etiam minus, quam debeat, exacte à Doctoribus disputatum video: vnde in eorum pluribus in consequentiæ frequentes ad ea, quæ super hac re nus disputatis statuerant. Horum igitur edoctus malo rem hanc exactius discutere, ac perferutari decreui: est autem omnibus supponendum ex aliquo fine, & intentione Dei præscitorum à gratia efficace reprobationem prouenire: cum enim reprobatio prouidentiæ, vt vidimus species sit, atque prouidentia omnis mediorum ad præintentum finem sit præparatio, nequit non finem & intentionem reprobantis aliquam reprobatio præferri ab efficace gratia supponere Vasquez d. 95. citat. capite nono, numero 50. §. *Quæret tamen aliquis*, distinfines, & intentiones reprobationi eiusmodi antecedentes ex vulgari Doctorum sententia, & apparente satis scripturæ, & Patrum authoritate designat. Primum ostensionis gloriæ suæ per demonstrationem suæ potentiæ in obstinatorum vindicta, ac misericordiæ prædiuitis, & gratiæ suæ in beneficiis & præmiis, quæ confert prædestinatis, id quod expressum viderat ad Rom. 9. verbis illis. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam*

tiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: iuxta August. 2. de nuptiis, & concupisc. c. 16. ac de bono perseuer. c. 12. & 4. contra Iul. c. 8. ante med. vtrumq; finem & intentionem reprobationi præscitorũ ab efficace gratia in Deo præcedere multa eruditione docet, ac expltcat Ruiz de Montoya d. 16. sect. 8.

2. Addit vero ipse sect. 7 finis alterius intentionem aliam præscitorum reprobationi dictæ de facto natura præire nempè vtilitatis prædestinatorum ex reprobatione præscitorum ab efficace gratia capiundæ: id quod fusissima eruditione probat, sect. autem 5. n. 2. concl. 1. adiunctum de facto duobus illis finibus, & ostensionibus potentiæ in reprobis, ac diuitiarum gratiæ, & gloriæ suæ in prædestinatis vt compartialem finem ait, etsi totalis esse potuerit sicuti, & n. 2. concl. 2. & sect. 6. num. 29. concl. etiam 2. vbi eum finem efficaciter etiam intentum reprobationi à gratia efficace posse in Deo præcedere ait: verum n. 17. eiusd. sect. concl. 1, ait: intentionem efficacem ostendendi suam iustitiam per executiuam punitionem reproborum ob eorum absoluta demerita, & peccata ipsorum peccati, ac reprobationi ab efficace gratia de facto non præcessisse. Hoc autem etsi: quia de intentione efficace est conclusioni primæ cert. 5. recitatæ in terminis non aduersetur; virtute tamen aduersatur cum illi, tum conclusioni: eiusdem cert. n. 6. tum, quia argumentum speciale contra intentionis illius efficaciam euersione libertatis, & demeriti ob quod puniendus executiuè reprobus est iniustitiæ vindicatiuæ, & potentiæ diuinæ ostensionem in reprobo, quæ intenditur nihili ab eodem Ruiz habetur sect. 6. à n. 29. quia efficax illa intentio per scientiam mediam regulatur ac proinde in eius doctrina (tametsi falsa) libertatis, & de meriti ratio æquè efficacia intentionis illius admissa saluatur, ac si inefficax solum intentio foret. Tum, quia iniustitia positiua, ac indecentia intentionis punitiuę meritis reprobi malis natura anterioris æque contra inefficacem, atque contra efficacem intentionem punitiuam militat vt vidimus, & Ruiz ipse supponit: quare eodem fundamento quo efficax de facto negatur, inefficax negari de facto debet atq; eodem, quo inefficax de facto asseritur, efficax de facto debet admitti: cum idem solum idemque alterutrum affirmandi fundamentum vnicum sit, & vtrique commune.

3. Vt à veritate, & consequentia in præsenti non aberretur, dicendum est primo. Reprobationi impij à gratia efficaci intentio adhuc inefficax, eius demeritis anterior ostensionis suæ potẽtiæ, & iustitiæ vindicatiuę, in reprobo vel gloriæ, & misericordiæ suæ in prædestinato vel deniq; vtilitatis ex reprobi peccatis reprobatione, & suplicio, maioris à prędestinato capiũdę minime præcedit, imò nec potest absolutè præcedere. Probatur conclusio ex omnib argumẽtis cert. 1. efformatis ab absurdis prouidentiæ præparationis, ac dispositionis peccatorũ reprobi à Deo: item de amore Dei erga reprobi peccatum: deinde reparatis à Deo insidiis reprobi saluti, quod Deo est impossibile, conclusione vero quatenus de facto est ea insuper probant, quæ de facto intentionem efficacem de iisdem excluserunt q. 4. & inefficacem q. hac 5. cert. 1. Huic conclusioni consensisse videntur Vasq. & Ruiz docentes permissionem peccati, (quæ ipsa reprobatio à gratia efficace est) ex eiusmodi finibus, & intentione non esse probant ex citato Pauli loco. Vasquez d. 97. cit. c. 7. §. *Ad illa loca*, & sequente, cuius fine ait particulam *vt* ibi non intentum finem, sed solum euentum futurum prædicere. & enunciare ex phrasi scripturæ frequentissima Isaiæ 6. & Lucæ 8. *vt videntes non videant*, & alias sæpè Ruiz cit. d. 16. sect. 6. n. 20. & 21. ex Chrysost. & Oecumenio, recitatis sup. q. 3. cert. 3. n. 7. (quibus consonat Theophylactus ad verba Pauli) ita illum locum interpretatur, vt intentio ostensionis potentiæ, & iustitiæ vindicatiuæ in reprobos, non nisi post eorum peccata, quibus se vasa iræ, apta in interitum constituunt, absolutè præuisa, in Deo fuerit: cui doctrinæ Vasquez præluxit, instititque, vt suam proximè datam interpretationem particulæ *vt* confirmaret, n. 39. fine, §. *cogimur autem ita interpretari*, quoties, inquit, res illa voluntatis Dei absolute non est, vt non est peccatum, vel non est de primaria, sed solum secundaria eius voluntate, & peccatum supponente, qualis est, ostensio iustitiæ Dei vindicatiuæ & misericordiæ in peccati correctione, & pœnitentia, capite vero 11. n. 5. fine alium finem posuit ab Augustino designatum 1. ad Simplician. quæst. 2. post med. vt scilicet è reproborum perditione electi per timorem mundarentur iuxta id Psalmi 71. *Manus suas lauabit in sanguine peccatorum*, cum tamen finem cum peccatum supponat, ac subinde secundariæ voluntatis Dei sit anterius ad peccatum, & reprobationem à gratia efficace intendi à Deo non posse ait consone ad recitatam eius doctrinam locis memoratis, & d. 93. c. 2. quam Augustini eo testimonio esse probat probatéq; æque posset ex illo quod recitat ex 4. contra Iulian. prope med. *Demonstrans quid omnibus debeatur* (vtique damnationem ab originale siue contractum, siue imminens, & in Adamo absolute præuisum) *vt hinc discant, quos liberat, quæ sibi pœna debita* (quæ non nisi post peccatum debita est) *relaxetur*, & *quæ indebita*, contra id peccati debitum *gratia condonet*.

4. Dicendum secundo: finis ostensionis gloriæ suæ, siue donatione gratiæ efficacis ex misericordia, & beneficentia, & gloriæ prædestinatis, siue denegatione efficacis gratiæ, & gloriæ reprobis, item ostensionis supremi sui dominij, & libertatis in eis concedendis, vel denegandis, quatenus solũ ex eis denegatis, vel concessis cognosci à creaturis rationalibus in hac, vel in alia vita potest, reprobationi impiorum ab efficace gratia præintentus à Deo potest præcedere, ac de facto præcessit. Nota limitationem conclusioni huic nostræ adhibitam, *quatenus solum ex eis &c.* ne eam primæ conclusioni inconsequentem iudices, & aduersam probatur eius intentionis præcedentia reprobationi absolute possibilis: quia in ea præcedentia intentionis illius reprobationi, ac permissioni peccati nulla Dei indecentia, aut imperfectio apparet, quæ intercederet, si ex peccato, aut per peccatum, illudve supponendo ostensio gloriæ Dei, &c. futura, & præintenta à Deo esset. vt vidimus concl. 1. Præcedentia vero de facto intentionis illius probabiliter satis suadetur ex testimoniis scripturæ, & Patrum ab aduersariis contra 1. conclusionem productis; tametsi germanior eorum interpretatio sit, quam ibi dedimus de significatione euentus futuri, non finis præintenti, ex qua apertam solutionem habent testimonia innumera, quæ contra eand. conclusionem, & pro aduersa sua Ruiz concessit sect. 7. ex Patrib. ad eas qnæstiones respondentibus: cur bonus Deus peccata permiserit? cur primos Parentes præscius lapsus eorum, ac similiter lapsus malorũ Angelorum reproborumq; omniũ eos condiderit, & creauerit? quibus Patres respondent: ita à Deo factum, quia præsciebat etiam quanta ex eorum peccatis bona in mundo ponere poterat, & in prædestinatis, eratque in eis positurus de facto, si præfati homines, & Angeli conderentur, & peccarent, sed vbinam magni, & maioris boni inde à mundo, & à prædestinatis capiendæ finem præintentum permissioni peccati, & reprobationi impiorum à gratia efficace testimonia, & responsa illa Patrum asseruere? Præscientia siquidem, & potentia boni euentus ex peccati permissione futuri, & impiorum creatione certitudinem solummodo probant, quam non negamus, sed assertam à Patribus testimoniis illis fatemur.

5. Oppones contra negatam possibilitatem præcedentiæ intentionis, inefficacis etiam, gloriæ à Deo, & vtilitatis à prædestinatis capiendæ ex permissione peccati, etenim passio, & mors Christi, ciusque per illas actiua Christi, & passiua nostri redemptio præintenta, saltem inefficaciter fuit incarnationi, ac sceleribus Iudæorum in ea disponenda, exequenda, & peragenda, quare & reprobationi ipsorũ à gratia efficace ne tot, tamq; immania peccata perpetrarent: ergo licet ostensio gloriæ Dei in sua potentia, & iustitia vindicatiua, qua reprobos puniet, & misericordiæ suę erga prędestinatos cum maioribus commodis ex reprobatione, & peccatis reproborum, tum comparatione itæ in hos exercitæ magis elucens executiuè peccata, & reprobationem supponat, poterit tamen anterius ad ipsa inefficaciter saltem præintendi, atq; reprobationi impiorũ à gratia efficace prędecere ipsamque suo modo causare: vt factum testimonio Patrum videntur apertius sonare, confirmatur ex nostris principiis, statuimus enim inter media non habere rationem finis adhuc quoad finis motionem, ratione cuius remotiora ni proximiora fini amarentur, amari remotiora ad finem, atque propter finem amari non possent: ex hoc vero principio inferebamus permissionem peccati, siue reprobationem prædestinati per pœnitentiam recessuri à gratia efficace, qua illud vitaretur

effectum prædestinationis ad salutem pœnitentia obtinendam esse posse, quia inde peccatum quod necessarium medium ad pœnitentiam, ipsique, & saluti proximius, quam peccati permissio, seu ab ea efficace gratia est amādum à Deo minime infertur: ergo, etsi peccata reproborum media necessaria ad gloriæ ostensionem præfatam, eique proximiora sint, quam permissio peccatorum reprobis, siue ipsorum à gratia efficace reprobatio, poterit tamen præfata ostensio gloriæ Dei per reproborum peccata, necessario obtinenda anterius ad ipsorum peccata, & reprobationem à Deo amari, atque inefficaciter saltem intendi, quin inde peccata illorum amare teneatur Deus; atque adeo absque vlla Dei indecentia eius finis intentio inefficax reprobationi impiorum ab efficace gratia potuit absolute præcedere, de factoque, præcedet, vt Patrum testimonia videntur sonare.

Sed tamen facile obiectiones istæ diluuntur. Prima de intentione saltem inefficace redemptionis nostræ, & satisfactionis Christi per passionem, & mortem à Iudæis, & crucifixoribus inferendam non probat absolutam, & anteriorem sceleribus ipsorum, in earum patratione intercedentium esse, sed conditionatam solum, vt ex illis verbis Isaiæ. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum* satis explicatur. Secundo cum meritum satisfactioque Christi, & nostra ab ipso redemptio ex eius oblatione passioni, & morti à Iudæis infligendæ, atque ex morte ipsa tanquam à conditione illas consumante constiterit: atque mors ipsa ab alia adæquata causa, quam à Iudæis, & crucifixoribus honestissime inducta fuerit & apposita (nempe ex vehementissimo dolore de hominum peccatis à perfectissima in Deum & homines charitate suborto) potuit optime absolutè inefficaciter Christi satisfactio, redemptioque nostra morte per eam viam doloris, & charitatis Christi inducta, consumanda, (non autem alia via qua adæquate etiam impiorum Iudæorum, & crucifigentium inducta mors fuit) à Deo decentissime intendi, quin in ea linea expectanda peccata crucifigentium essent imo vero, de incarnatione agentes controu. de merito Christi. d. de iis, quæ fuit de facto promeritus Christum meritis morte purissima illa & honestissima via inducta consummatis gratiam crucifixoribus, vt tantum scelus, vitarent prometitum fuisse facile defendimus, & monstrauimus. Secunda obiectio quæ ad hominem ex principio illo nostro vrgentior videbatur, nihil probat. Non enim ex intentione efficace, vel inefficace punitionis, & vindictæ iustæ de reproborum peccatis anteriore ad absoluta eorum peccata, & à gratia efficace reprobationem Deum peccatorū amatorem contra aduersarios inferebamus, quia peccata media fini proximiora sint, quare, & remotiorum amore necessario amanda, id enim principium illud nostrum expresse negat; sed quia peccata ipsa obiectiuam punitionem, & vindictam honestam, ac non positiue iniquam, & iniustam, Deoque nusquam amabilem, inadæquate saltem constituunt (quod ipsum de aliis similibus est:) vt vidimus q. 3. & 4. & memorauimus q. hac. 5. cert. 1. num. 6. quod si Dei erga reproborum peccata amor ex ea inefficaci intentione non inferretur, alia tamen ibidem monstrata absurda inferrentur præparationis dispositionisque peccatorum & perditionis reprobi à Deo atque insidiarum à Deo intentarum, positarumque reprobi saluti, quæ satis superque eiusmodi intentionem adhuc inefficacem reprobationi & peccatis reprobi natura anteriorem Deo indignam ostenderent, atque impossibilem.

QVÆSTIO VII.

De causa reprobationis ex parte reprobi.

REuius aliis præsentem quæstionem, atque expeditius profligabimus, quia alias de causa reprobationis ex parte Dei, quæstiones quas simul examinant plerique seorsim disputauimus: quo confusionem, & æquiuocationi magna ex parte in sententia ferenda viam occlusimus. Ne vero in quæstione præsente locus aliquis æquiuocationi possit patere, erit aduertendum reprobationem, de qua disputamus, obiectiue sumptam nihil aliud continere, quam denegationē gratiæ efficacis ad non peccandum, seu non respiscendum finaliter ac perseueranter, sicuti & oppositæ prædestinationis efficax gratia ad non peccandum, seu respiscendum finaliter ac perseueranter adæquatum, & totale obiectum est: eiusque proinde si adæquate vel inadæquatè sumpti causa ex parte reprobi, vel prædestinati causa detur, & actus Dei prædestinantis, seu reprobantis adæquatè, vel inadæquatè sumpti causa suo modo dabitur ex parte reprobi, vel prædestinati. Dixi autem obiectum, non autem effectum, tametsi gratia efficax prædestinationis, eiusque negatiua reprobationis effectus sit: quia alterutrius effectus sunt alij qui neutrius sunt obiecta, vt gloria prædestinationis, & à gloria exclusio, & condemnatio reprobi reprobationis quorum causam dari ex parte reprobi, vel prædestinati ex quæstionem Catholicis Doctoribus, & fidei dogma est ex qua constat prædestinatum pro meritis gloria præmiari, reprobum vero pro demeritis suis vel actualibus, vel originalibus exclusione à gloria, & inferni cruciatib, puniri.

CERTAMEN I.

Notatis aliquot quæstionis, cum de re, tum de nomine, punctum ipsum ad purum proponitur, & Scopus expeditur.

1. NOtandum in primis est reprobationem à gratia efficace tam obiectiue, siue ex parte obiecti proprij, scilicet negationis gratiæ efficacis præfatæ, quam subiectiuè, seu ex parte actus, quo Deus reprobans ab eiusmodi gratia reprobat impium dupliciter accipi ad præsentem quæstionem. Primo adæquate, prout denegationem gratiæ omnis efficacis à prima ad vltimam denegationem (si plures & inter se coordinatæ in reprobatione aliquorum sint) continet, aut concernit, vel inadæquatè, prout gratiæ efficacis denegationem vnam solum, vel plures etiam, et coordinatis inter se, non tamen omnes coërcet. Huius autem reprobationis inadæquatè sumptæ causam ex parte reproborum adultorum, siue in baptizati, siue baptizandi male vixerint propriáq; voluntate deliquerint causam ex parte ipsorum dari posse: immò, & de facto dari dubium Theologis non est: cum certum vtique sit eiusmodi reprobos ob anteacta peccata invlteriora alia peccata finaliter ac impœnitentiam finalem labi à Deo permitti, quod ipsum est à gratia efficace ad finaliter respiscendum, vel non pecandum illos reprobari: id quod intelligendum etiam de venialibus quorum merito congruo solum, & iuniti, seu motiuo gratia efficax ad non peccādum mortaliter ad vitæ extremum à Deo quandoq; negatur: tunc enim à negatione gratiæ efficacis ad anterius illud veniale vitandū reprobatio inchoatur, & denegatione efficacis gratiæ alterius, ad non grauiter peccandum finaliter completur, vt de se patet.

2. Adæquata vero reprobatio, vt ad reprobos omnes extenditur dupliciter ex parte obiecti, ac subinde actus, & subiecti accepta esse potest. Altero enim diuisibilis est & partibus pro obiecti diuisibilitate constans, scilicet pluribus gratiæ efficacis denegationibus inter se coordinati vt nos per explicuimus. Altera vero indiuisibilis, quia vnica gratiæ denegatione inchoatur simul, & completur, & adæquate constituitur: quare idem est causam reprobationis huius ex parte ita reprobatorum quærere, atq; causam ultius reprobationis adæquatè sumptæ ipsorum inquirere: indiuisibilis autem huius adæquatæ reprobationis exempla sunt infantium omnium imbaptizatorum ante rationis vsum cum originali obeuntium reprobationes omnes: iis si qui denegatione auxilij efficacis vnica, vt baptizentur, atque originali mundentur tota tota, & adæquata reprobatio contingit: & cuius sane causa, &

fa; &

tiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: iuxta August. 2. de nuptiis, & concupisc. c. 16. ac de bono perseuer. c. 12. & 4. contra Iul. c. 8. ante med. vtrumq; finem & intentionem reprobationi præscitorũ ab efficace gratia in Deo præcedere multa eruditione docet, ac expltcat Ruiz de Montoya d. 16. sect. 8.

2. Addit vero ipse sect. 7 finis alterius intentionem aliam præscitorum reprobationi dictæ de facto natura præire nempè vtilitatis prædestinatorum ex reprobatione præscitorum ab efficace gratia capiundæ: id quod fusissima eruditione probat, sect. autem 5. n. 2. concl. 1. adiunctum de facto duobus illis finibus, & ostensionibus potentiæ in reprobis, ac diuitiarum gratiæ, & gloriæ suæ in prædestinatis vt compartialem finem ait, etsi totalis esse potuerit sicuti, & n. 2. concl. 2. & sect. 6. num. 29. concl. etiam 2. vbi eum finem efficaciter etiam intentum reprobationi à gratia efficace posse in Deo præcedere ait: verum n. 17. eiusd. sect. concl. 1, ait: intentionem efficacem ostendendi suam iustitiam per executiuam punitionem reproborum ob eorum absoluta demerita, & peccata ipsorum peccati, ac reprobationi ab efficace gratia de facto non præcessisse. Hoc autem etsi: quia de intentione efficace est conclusioni primæ cert. 5. recitatæ in terminis non aduersetur; virtute tamen aduersatur cum illi, tum conclusioni: eiusdem cert. n. 6. tum, quia argumentum speciale contra intentionis illius efficaciam euersione libertatis, & demeriti ob quod puniendus executiuè reprobus est iniustitiæ vindicatiuæ, & potentiæ diuinæ ostensionem in reprobo, quæ intenditur nihili ab eodem Ruiz habetur sect. 6. à n. 29. quia efficax illa intentio per scientiam mediam regulatur ac proinde in eius doctrina (tametsi falsa) libertatis, & de meriti ratio æquè efficacia intentionis illius admissa saluatur, ac si inefficax solum intentio foret. Tum, quia iniustitia positiua, ac indecentia intentionis punitiuę meritis reprobi malis natura anterioris æque contra inefficacem, atque contra efficacem intentionem punitiuam militat vt vidimus, & Ruiz ipse supponit: quare eodem fundamento quo efficax de facto negatur, inefficax negari de facto debet atq; eodem, quo inefficax de facto asseritur, efficax de facto debet admitti: cum idem solum idemque alterutrum affirmandi fundamentum vnicum sit, & vtrique commune.

3. Vt à veritate, & consequentia in præsenti non aberretur, dicendum est primo. Reprobationi impij à gratia efficaci intentio adhuc inefficax, eius demeritis anterior ostensionis suæ potẽtiæ, & iustitiæ vindicatiuę, in reprobo vel gloriæ, & misericordiæ suæ in prædestinato vel deniq; vtilitatis ex reprobi peccatis reprobatione, & suplicio, maioris à prędestinato capiũdę minime præcedit, imò nec potest absolutè præcedere. Probatur conclusio ex omnib argumẽtis cert. 1. efformatis ab absurdis prouidentiæ præparationis, ac dispositionis peccatorũ reprobi à Deo: item de amore Dei erga reprobi peccatum: deinde reparatis à Deo insidiis reprobi saluti, quod Deo est impossibile, conclusione vero quatenus de facto est ea insuper probant, quæ de facto intentionem efficacem de iisdem excluserunt q. 4. & inefficacem q. hac 5. cert. 1. Huic conclusioni consensisse videntur Vasq. & Ruiz docentes permissionem peccati, (quæ ipsa reprobatio à gratia efficace est) ex eiusmodi finibus, & intentione non esse probant ex citato Pauli loco. Vasquez d. 97. cit. c. 7. §. *Ad illa loca*, & sequente, cuius fine ait particulam *vt* ibi non intentum finem, sed solum euentum futurum prædicere. & enunciare ex phrasi scripturæ frequentissima Isaiæ 6. & Lucæ 8. *vt videntes non videant*, & alias sæpè Ruiz cit. d. 16. sect. 6. n. 20. & 21. ex Chrysost. & Oecumenio, recitatis sup. q. 3. cert. 3. n. 7. (quibus consonat Theophylactus ad verba Pauli) ita illum locum interpretatur, vt intentio ostensionis potentiæ, & iustitiæ vindicatiuæ in reprobos, non nisi post eorum peccata, quibus se vasa iræ, apta in interitum constituunt, absolutè præuisa, in Deo fuerit: cui doctrinæ Vasquez præluxit, instititque, vt suam proximè datam interpretationem particulæ *vt* confirmaret, n. 39. fine, §. *cogimur autem ita interpretari*, quoties, inquit, res illa voluntatis Dei absolute non est, vt non est peccatum, vel non est de primaria, sed solum secundaria eius voluntate, & peccatum supponente, qualis est, ostensio iustitiæ Dei vindicatiuæ & misericordiæ in peccati correctione, & pœnitentia, capite vero 11. n. 5. fine alium finem posuit ab Augustino designatum 1. ad Simplician. quæst. 2. post med. vt scilicet è reproborum perditione electi per timorem mundarentur iuxta id Psalmi 71. *Manus suas lauabit in sanguine peccatorum*, cum tamen finem cum peccatum supponat, ac subinde secundariæ voluntatis Dei sit anterius ad peccatum, & reprobationem à gratia efficace intendi à Deo non posse ait consone ad recitatam eius doctrinam locis memoratis, & d. 93. c. 2. quam Augustini eo testimonio esse probat probatéq; æque posset ex illo quod recitat ex 4. contra Iulian. prope med. *Demonstrans quid omnibus debeatur* (vtique damnationem ab originale siue contractum, siue imminens, & in Adamo absolute præuisum) *vt hinc discant, quos liberat, quæ sibi pœna debita* (quæ non nisi post peccatum debita est) *relaxetur*, & *quæ indebita*, contra id peccati debitum *gratia condonet*.

4. Dicendum secundo: finis ostensionis gloriæ suæ, siue donatione gratiæ efficacis ex misericordia, & beneficentia, & gloriæ prædestinatis, siue denegatione efficacis gratiæ, & gloriæ reprobis, item ostensionis supremi sui dominij, & libertatis in eis concedendis, vel denegandis, quatenus solũ ex eis denegatis, vel concessis cognosci à creaturis rationalibus in hac, vel in alia vita potest, reprobationi impiorum ab efficace gratia præintentus à Deo potest præcedere, ac de facto præcessit. Nota limitationem conclusioni huic nostræ adhibitam, *quatenus solum ex eis &c.* ne eam primæ conclusioni inconsequentem iudices, & aduersam probatur eius intentionis præcedentia reprobationi absolute possibilis: quia in ea præcedentia intentionis illius reprobationi, ac permissioni peccati nulla Dei indecentia, aut imperfectio apparet, quæ intercederet, si ex peccato, aut per peccatum, illudve supponendo ostensio gloriæ Dei, &c. futura, & præintenta à Deo esset. vt vidimus concl. 1. Præcedentia vero de facto intentionis illius probabiliter satis suadetur ex testimoniis scripturæ, & Patrum ab aduersariis contra 1. conclusionem productis; tametsi germanior eorum interpretatio sit, quam ibi dedimus de significatione euentus futuri, non finis præintenti, ex qua apertam solutionem habent testimonia innumera, quæ contra eand. conclusionem, & pro aduersa sua Ruiz concessit sect. 7. ex Patrib. ad eas qnæstiones respondentibus: cur bonus Deus peccata permiserit? cur primos Parentes præscius lapsus eorum, ac similiter lapsus malorũ Angelorum reproborumq; omniũ eos condiderit, & creauerit? quibus Patres respondent: ita à Deo factum, quia præsciebat etiam quanta ex eorum peccatis bona in mundo ponere poterat, & in prædestinatis, eratque in eis positurus de facto, si præfati homines, & Angeli conderentur, & peccarent, sed vbinam magni, & maioris boni inde à mundo, & à prædestinatis capiendæ finem præintentum permissioni peccati, & reprobationi impiorum à gratia efficace testimonia, & responsa illa Patrum asseruere? Præscientia siquidem, & potentia boni euentus ex peccati permissione futuri, & impiorum creatione certitudinem solummodo probant, quam non negamus, sed assertam à Patribus testimoniis illis fatemur.

5. Oppones contra negatam possibilitatem præcedentiæ intentionis, inefficacis etiam, gloriæ à Deo, & vtilitatis à prædestinatis capiendæ ex permissione peccati, etenim passio, & mors Christi, ciusque per illas actiua Christi, & passiua nostri redemptio præintenta, saltem inefficaciter fuit incarnationi, ac sceleribus Iudæorum in ea disponenda, exequenda, & peragenda, quare & reprobationi ipsorũ à gratia efficace ne tot, tamq; immania peccata perpetrarent: ergo licet ostensio gloriæ Dei in sua potentia, & iustitia vindicatiua, qua reprobos puniet, & misericordiæ suę erga prędestinatos cum maioribus commodis ex reprobatione, & peccatis reproborum, tum comparatione itæ in hos exercitæ magis elucens executiuè peccata, & reprobationem supponat, poterit tamen anterius ad ipsa inefficaciter saltem præintendi, atq; reprobationi impiorũ à gratia efficace prędecere ipsamque suo modo causare: vt factum testimonio Patrum videntur apertius sonare, confirmatur ex nostris principiis, statuimus enim inter media non habere rationem finis adhuc quoad finis motionem, ratione cuius remotiora ni proximiora fini amarentur, amari remotiora ad finem, atque propter finem amari non possent: ex hoc vero principio inferebamus permissionem peccati, siue reprobationem prædestinati per pœnitentiam recessuri à gratia efficace, qua illud vitaretur

effectum prædestinationis ad salutem pœnitentia obtinendam esse posse, quia inde peccatum quod necessarium medium ad pœnitentiam, ipsique, & saluti proximius, quam peccati permissio, seu ab ea efficace gratia est amādum à Deo minime infertur: ergo, etsi peccata reproborum media necessaria ad gloriæ ostensionem præfatam, eique proximiora sint, quam permissio peccatorum reprobis, siue ipsorum à gratia efficace reprobatio, poterit tamen præfata ostensio gloriæ Dei per reproborum peccata, necessario obtinenda anterius ad ipsorum peccata, & reprobationem à Deo amari, atque inefficaciter saltem intendi, quin inde peccata illorum amare teneatur Deus; atque adeo absque vlla Dei indecentia eius finis intentio inefficax reprobationi impiorum ab efficace gratia potuit absolute præcedere, de factoque, præcedet, vt Patrum testimonia videntur sonare.

Sed tamen facile obiectiones istæ diluuntur. Prima de intentione saltem inefficace redemptionis nostræ, & satisfactionis Christi per passionem, & mortem à Iudæis, & crucifixoribus inferendam non probat absolutam, & anteriorem sceleribus ipsorum, in earum patratione intercedentium esse, sed conditionatam solum, vt ex illis verbis Isaiæ. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum* satis explicatur. Secundo cum meritum satisfactioque Christi, & nostra ab ipso redemptio ex eius oblatione passioni, & morti à Iudæis infligendæ, atque ex morte ipsa tanquam à conditione illas consumante constiterit: atque mors ipsa ab alia adæquata causa, quam à Iudæis, & crucifixoribus honestissime inducta fuerit & apposita (nempe ex vehementissimo dolore de hominum peccatis à perfectissima in Deum & homines charitate suborto) potuit optime absolutè inefficaciter Christi satisfactio, redemptioque nostra morte per eam viam doloris, & charitatis Christi inducta, consumanda, (non autem alia via qua adæquate etiam impiorum Iudæorum, & crucifigentium inducta mors fuit) à Deo decentissime intendi, quin in ea linea expectanda peccata crucifigentium essent imo vero, de incarnatione agentes controu. de merito Christi. d. de iis, quæ fuit de facto promeritus Christum meritis morte purissima illa & honestissima via inducta consummatis gratiam crucifixoribus, vt tantum scelus, vitarent prometitum fuisse facile defendimus, & monstrauimus. Secunda obiectio quæ ad hominem ex principio illo nostro vrgentior videbatur, nihil probat. Non enim ex intentione efficace, vel inefficace punitionis, & vindictæ iustæ de reproborum peccatis anteriore ad absoluta eorum peccata, & à gratia efficace reprobationem Deum peccatorū amatorem contra aduersarios inferebamus, quia peccata media fini proximiora sint, quare, & remotiorum amore necessario amanda, id enim principium illud nostrum expresse negat; sed quia peccata ipsa obiectiuam punitionem, & vindictam honestam, ac non positiue iniquam, & iniustam, Deoque nusquam amabilem, inadæquate saltem constituunt (quod ipsum de aliis similibus est:) vt vidimus q. 3. & 4. & memorauimus q. hac. 5. cert. 1. num. 6. quod si Dei erga reproborum peccata amor ex ea inefficaci intentione non inferretur, alia tamen ibidem monstrata absurda inferrentur præparationis dispositionisque peccatorum & perditionis reprobi à Deo atque insidiarum à Deo intentarum, positarumque reprobi saluti, quæ satis superque eiusmodi intentionem adhuc inefficacem reprobationi & peccatis reprobi natura anteriorem Deo indignam ostenderent, atque impossibilem.

QVÆSTIO VII.

De causa reprobationis ex parte reprobi.

REuius aliis præsentem quæstionem, atque expeditius profligabimus, quia alias de causa reprobationis ex parte Dei, quæstiones quas simul examinant plerique seorsim disputauimus: quo confusionem, & æquiuocationi magna ex parte in sententia ferenda viam occlusimus. Ne vero in quæstione præsente locus aliquis æquiuocationi possit patere, erit aduertendum reprobationem, de qua disputamus, obiectiue sumptam nihil aliud continere, quam denegationē gratiæ efficacis ad non peccandum, seu non respiscendum finaliter ac perseueranter, sicuti & oppositæ prædestinationis efficax gratia ad non peccandum, seu respiscendum finaliter ac perseueranter adæquatum, & totale obiectum est: eiusque proinde si adæquate vel inadæquatè sumpti causa ex parte reprobi, vel prædestinati causa detur, & actus Dei prædestinantis, seu reprobantis adæquatè, vel inadæquatè sumpti causa suo modo dabitur ex parte reprobi, vel prædestinati. Dixi autem obiectum, non autem effectum, tametsi gratia efficax prædestinationis, eiusque negatiua reprobationis effectus sit: quia alterutrius effectus sunt alij qui neutrius sunt obiecta, vt gloria prædestinationis, & à gloria exclusio, & condemnatio reprobi reprobationis quorum causam dari ex parte reprobi, vel prædestinati ex quæstionem Catholicis Doctoribus, & fidei dogma est ex qua constat prædestinatum pro meritis gloria præmiari, reprobum vero pro demeritis suis vel actualibus, vel originalibus exclusione à gloria, & inferni cruciatib, puniri.

CERTAMEN I.

Notatis aliquot quæstionis, cum de re, tum de nomine, punctum ipsum ad purum proponitur, & Scopus expeditur.

1. NOtandum in primis est reprobationem à gratia efficace tam obiectiue, siue ex parte obiecti proprij, scilicet negationis gratiæ efficacis præfatæ, quam subiectiuè, seu ex parte actus, quo Deus reprobans ab eiusmodi gratia reprobat impium dupliciter accipi ad præsentem quæstionem. Primo adæquate, prout denegationem gratiæ omnis efficacis à prima ad vltimam denegationem (si plures & inter se coordinatæ in reprobatione aliquorum sint) continet, aut concernit, vel inadæquatè, prout gratiæ efficacis denegationem vnam solum, vel plures etiam, et coordinatis inter se, non tamen omnes coërcet. Huius autem reprobationis inadæquatè sumptæ causam ex parte reproborum adultorum, siue in baptizati, siue baptizandi male vixerint propriáq; voluntate deliquerint causam ex parte ipsorum dari posse: immò, & de facto dari dubium Theologis non est: cum certum vtique sit eiusmodi reprobos ob anteacta peccata invlteriora alia peccata finaliter ac impœnitentiam finalem labi à Deo permitti, quod ipsum est à gratia efficace ad finaliter respiscendum, vel non pecandum illos reprobari: id quod intelligendum etiam de venialibus quorum merito congruo solum, & iuniti, seu motiuo gratia efficax ad non peccādum mortaliter ad vitæ extremum à Deo quandoq; negatur: tunc enim à negatione gratiæ efficacis ad anterius illud veniale vitandū reprobatio inchoatur, & denegatione efficacis gratiæ alterius, ad non grauiter peccandum finaliter completur, vt de se patet.

2. Adæquata vero reprobatio, vt ad reprobos omnes extenditur dupliciter ex parte obiecti, ac subinde actus, & subiecti accepta esse potest. Altero enim diuisibilis est & partibus pro obiecti diuisibilitate constans, scilicet pluribus gratiæ efficacis denegationibus inter se coordinati vt nos per explicuimus. Altera vero indiuisibilis, quia vnica gratiæ denegatione inchoatur simul, & completur, & adæquate constituitur: quare idem est causam reprobationis huius ex parte ita reprobatorum quærere, atq; causam ultius reprobationis adæquatè sumptæ ipsorum inquirere: indiuisibilis autem huius adæquatæ reprobationis exempla sunt infantium omnium imbaptizatorum ante rationis vsum cum originali obeuntium reprobationes omnes: iis si qui denegatione auxilij efficacis vnica, vt baptizentur, atque originali mundentur tota tota, & adæquata reprobatio contingit: & cuius sane causa, &

fa; &

sa, & ratio originale peccatum in ipsis contractum ex parte ipsorum esse solummodo potest, vt inferius videbimus. Ad hoc etiam indiuisibilis reprobationis genus spectaret reprobatio eius, etiam adulti baptizati, qui vnico solum, eoque mortali admisso post baptismum peccato diem statim obiret, vnica videlicet gratiæ efficacis ad illud vitandum denegatione, quæ prima negatiua esset, quia nullam aliam supponeret, ac simul postrema, quia post eam nec tempore nec natura posterior gratiæ efficacis denegatio foret, de huius etiam indiuisibilis, & adæquatæ reprobationis adultæ causa ex parte reprobi ipsius agendum nobis inferius erit.

3. Communius difficiliusque Theologis examen fuit de causa reprobationis diuitis, pluribusque inter se coordinatis denegationibus efficacis gratiæ constantis: an scilicet ex parte reprobi reprobationis totius adæquatè sumptæ Deo reprobanti offeratur meritum, aut motium? cum autem offerri Deo ex parte reprobi meritum ad denegationes gratiæ efficacis posteriores prima certum cunctis Theologis sit, vt vidimus n. 1. eo demum tota apud illos quæstio deuoluitur, an denegationis primæ è qua diuisibilis hæc reprobatio à gratia efficace inchoatur meritum, ac motiuum Deo ipsum ita reprobanti offeratur. Dixi consulto *meritum, & motiuum* de eo quippe genere causæ ex parte reprobi, non autem de causa materiali pure quæstionem Theologis esse posse, dum de causa reprobationis adæquate sumptæ, & primam etiam gratiæ denegationem complectitur, ex parte reprobi disputatur: etenim dari sumptæ reprobationis adæquate ex parte reprobi materialem causam obiectiuam, nempe contingentem conditionem conditionatam consensus in bonum, & futuritionem conditionatam consensus in malum sub auxilio sufficienti solum, & denegatione prima auxilij efficacis non semel ostendimus: quia ni ita conditionate foret, à Deoque cognosceretur reprobationis materia obiectiua deficeret sine qua reprobum illum ab efficace sua gratia reprobare absolute non posset, vt in simili de prædestinatione dicebamus. Non secus, ac si consensus in bonum, vel ab illo dissensus, & consensus in malum impossibilis absolute esset, prædestinatio ac reprobatio defectu materiæ obiectiuæ esset Deo absolute impossibilis. Atque ex parte reprobi cuiusuis non solum obiectiuam pure, sed & subiectiuam etiam materiam reprobationis dari constat ex reprobandi ipsius possibilitate, qua deficiente reprobari à Deo minime posset. Secundo, quia, vt controu. de prouidentia docuimus, existentia ipsa actualis eius, cui prouidendum de mediis & subiectum prouidentiæ est necessario supponitur: quare causam materialem tam pure obiectiuam, quam subiectiuam ex parte reprobi adæquatæ prouidentiæ siue prædestinatiuæ, siue reprobatiuæ, seu reprobationis, vt primam etiam gratiæ efficacis denegationem continet ex parte reprobi dari dubium non est: quare tota quæstio esse potest an illius causa meritoria, & motiua ex parte reprobi detur, offeraturque Deo, vt conceptis verbis illis *meritum aut motium* proposuimus, quod materia pure obiectiua contingentis conditionati meriti ac demeriti in hoc reprobationis, & prædestinationis negotio non distinguentes Semipelagiani à fidei dogmatibus aberrarunt: Thomistæ vero recentiores Dominicani inanibus vocibus minus percepta rerum harum distinctione nobis obganniunt, & semipelagianismum ridicule intentant.

4. Et hæc quidem quæstionem de re apud Theologos possunt habere de nomine autem quæstio alia de causa reprobationis præfatæ ex parte reprobi esse potest nimirum reprobationis vt est reprobi relate ad prædestinatum alium, siue præ prædestinato ad efficacem gratiam admisso, derelictio, seu in malum (vt ita dicam) electio, id est ad gratiæ efficacis denegationem, an eius reprobationis adæquate etiam sumptæ, & vt primam gratiæ efficacis denegationem coercet, vt est huius præ alio reprobatio ex parte reprobi causa detur? id quod ad eum modum inquiritur, quo similem quæstionem supra discussimus de causa prædestinationis, vt est eius præ non prædestinato, seu reprobo ad efficacē gratiam immediate, ac mediate ad salutem, & gloriā electio, an ex parte prædestinati causa detur. Dixi autem *relate ad prædestinatum alium, siue præ alio prædestinato* alia derelictio, & in malum (vt ita dicam) *electio*: quia reprobatio omnis à gratia efficace (sicuti & contra prædestinatio) aliam inter obiecta ipsa, quæ à Deo præparantur, vnius præ alio rationem electionis imbibitam habet: nempe inter auxilia efficacia quæ reprobis à Deo illos reprobante denegantur, sufficientibus tantum ex voluntate, & intentione salutis reprobi eligendis solummodo Deo reprobanti permissis. Vtraque vero electionis huius comparatiue siue ad subiectum, siue ad obiectum supponit: non solum nullam creaturam rationalem creaturam omnibus, & singulis auxiliis cumuli totius ipsorum in Dei potentia contenti restituram, ac proinde ab ipso imprædestinabilem, esse posse vt d. de causis prædestinationis ostendimus, verum, neque vllam ex illis esse posse, quæ singulis & omnibus auxiliis in toto cumulo cōtentis sit cū censura, si enim aliquæ cunctis restituræ si donentur, aliæ vero creaturæ cunctis restituræ immittantur, neque inter obiecta auxilia ipsa danda vel deneganda, Deo, quoad efficaciam inefficacibus relictis daretur electio, cum aliquibus efficacia omnia essent, nec respectu illarum, inefficacia essent, præ quibus efficacia eligeret, neque respectu aliarum inefficacia Deus haberet, quæ illis conferret efficacibus reprobatione denegatis cum omnia illis efficacia forent, quare & essent illæ gratia efficace irreprobabiles. Hinc neque inter personas & subiecta ratio electionis comparatiuæ vnius præ alio in reprobatione esset: siquidem irreprobabiles creaturæ aliquæ absolutæ, imprædestinabiles vero absolute à Deo, aliæ essent, cum non posset Deus, aliam quam efficacem, & prædestinationis gratiam conferre, casu quo aliquam primis illis vellet conferre; secundis vero nullam aliam, quam reprobationis, & negationi efficaciæ iunctam conferre posset: dixi autem casu, *quo aliquam gratiam vellet conferre*; quia ad aliquam conferendam necessitatus Deus non esset, adhuc ex hypothesi negata, quod creaturæ aliquæ cunctis auxiliis, vel restituræ, vel consensuræ admitterentur.

5. Nullam autem creaturam omnibus & singulis auxiliis gratiæ restituram, quantumuis ea rebellis cogitetur, citato loco possibilem esse ostendimus. Nullam autem possibilem esse omnibus, & singulis gratiæ auxiliis in bonum consensuram, ac subinde absolutè irreprobabilem (quod altera præfati suppositi pars erat) probanda à nobis impræsentiarum est. Sic eam probo. Primo: à paritate alterius partis suppositi loco citato probatæ: dominium siquidem Dei supremum non solum ad donandam gratiam est, sed efficacem præ ineffeaci respectu cuiusuis rationalis creaturæ, quibus omnibus absque vlla exceptione oratio illa ad Deum proponitur: *Et ne nos inducas in tentationem*: quæ ni aliam quam efficacem gratiam aliquibus posset absolute exhibere frustra à Deo peteretur: frustra item de efficace, præ non efficace ab ipso præstitā gratię ab præfatis creaturis à Deo haberentur, agerenturque. Item quod eas præ aliis prædestinaret. Denique ratio à priori apertissima, & efficacissima est: quia creaturæ rationalis illius bona indoles, & genium nobilissimum ex quo singulis, & omnibus auxiliis, quantumuis gracilibus, in bonum, & contra malum esset libere consensura nil aliud esset, quam eius ad bonum, quo ad speciem de se, natura, & genio illo atque indole bona sua determinatio, quod quidem prædicatum proprium, & attributale Dei est, & quod proinde cum prædicato rationalis creaturæ contradictoriæ pugnet. Quod enim semper, & quibusuis, ac omnibus circunstantiis variatis alicui necessario, & certa statuque lege vsu venit ex antecedente naturali necessitate eius ad ipsum venire certum est. Repugnantia alia communis recentiorum est. Substantiam illam supernaturalem fore, vtpote gratiæ supernaturali essentialiter connexam, cum tamen substantia essentia sua supernaturalis repugnet. Cæterum substantiam supernaturalem natura sua supernaturalem non repugnare laudati sæpe à nobis conmagistri nostri ingeniosissimi recentiores multis subtilissime contendunt. Secundo eam rationalem creaturam supernaturalem, quo ad substantiam esse, quia connexa gratiæ supernaturali absolute natura sua foret, satis firmum non est. Primo: quia ea connexio absoluta ipsius cū gratia supernaturale ex eo quod cuiuis Dei auxilio in bonum consensura illa sit, si donetur. Neque exinde ius aliquod, aut exigentia (precaria adhuc, creaturæ illius, vt gratia: auxiliumue aliquod ipsius illi donetur in ea euincitur: quare, & omnia auxilia gratiæ suæ poterit ipsi Deus

naturaliter, & quin naturali alicui ipsius iuri deroget, denegare. Secundo ex naturali connexione adhuc rei alicuius cum aliquo supernaturali rei illius supernaturalitatem quoad substantiam euinci certum adeo non est, vt negari ab aliquo nequeat. Cum autem ea omnia rigide examinare, ac definire præsentis instituti non sit ea nunc repugnantia abstinemus. De eis vero cunctis videat nos lector t.1. De ente supernaturali controu. 1. quæ de ente supernaturali in genere est, ac propria eorum examinandorum sedes.

CERTAMEN II.

Quæstionis nostrorum de nomine negatiua decisio.

1 SOarius noster apud Vazquez etiam nostrum infra recentiorum nomine citatus eiusque Asseclæ docent electionis reprobatiuæ cum relate ad obiecta, tum relate ad subiecta & personas reprobas, præ non reprobatis causam ex parte reprobi dari. Ob quam scilicet & inefficax auxilium præ efficacibus denegatis à Deo ipsis præparentur atque efficacia denegentur, & reprobus præ non reprobo à gratia efficace reprobetur. Vtriusque ratio eadem ab ipsis affertur: quia cum conditionata futuritio negationis consensus in bonum sub auxilio hoc si donetur, in qua eius inefficacia formaliter, iuxta nostram communem nostris Doctoribus scholam, consistit, purificata conditione per absolutam eius auxilij collationem ab vsu libero arbitrij reprobi in negatione absoluta consensus in bonum, in quod tunc consentire absolute potest, obiectiue intentionaliter vereque absolute pendeat: quod auxilium illud absolute collatum inefficax potius quam efficax sit reprobus ipse in causa absolutè est: ergo, quod illius conferendi voluntas conferendi auxilium inefficax præ efficaci sit, ac proinde reprobationis est electio comparatiua obiectiue siue inter obiecta ipsa collata & denegata absoluta, & absolute causa reprobus erit. Vnde rursus & ipse erit absolutæ causa reprobationis suæ, vt est electio comparatiua ex parte subiecti seu subiecti reprobati à Deo à gratia efficace præ alio ab ea gratia non reprobati. Si enim sub eo auxilio absolutè dato, negationis consensus in bonum loco, consensum in bonum, vt absolute antecedenter potest, absolutè poneret: vt non reprobatur. Alter posuit absolute ex simili sua sub sibi collato auxilio absoluta, & antecedente ad vtrumuis potestate, à gratia efficace præ non reprobo, seu prædestinato reprobatus non esset quare, quod præ alio prædestinato reprobatus absolute fuerit ab ea sibi plane suoque absoluto prauo vsui auxilij collati debere absolute videtur.

2 Ex scriptura, & Patribus testimonia plura Soaristæ pro sua sententia producunt, possentque vrgentissimum aliud ex 1. corinth. 9. producere vbi hæc habentur. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Quibus reprobationem suam à libero arbitrij sui vsu absoluto gratiæ auxilio collato absolutè pendere Paulus aperte fatetur. Quatenus scilicet negatio consensus conditionata auxilij illius, qua inefficax, seu reprobationis auxilium est, à libero illo absoluto vsu prauo auxilij pendebat, vt ratione facta, hoc etiam testimonio confirmata, proxime dicebatur. His vero neglectis Vazq. cita. d. 9. 5. sect. 9. n. 55. §. *Ego tamen* præfatæ Soarij sententiæ omnino aduersatur, à qua etiam Vazquiani reliqui constanter abscedunt. Et Vazquez quidem cunctis Vazquianis: plaudentibus oppositam sententiam contra Soarium efficaciter ad hominem probat. Ille enim recte, & Catholice negat ex parte prædestinati prædestinationis suæ adæquate sumptæ & vt primæ gratiæ efficacis donationem & præparationem continet, causam dari; & tamen futuritio conditionata consensus in bonum sub eo auxilio, si donetur, seu eius auxilij efficacia quæ eiusmodi futuritione constituitur, purificata conditione per absolutam auxilij illius collationem non minus à libero absoluto consensu prædestinati in bonum obiectiue intentionaliter absolute pendet quam futuritio conditionata negationis consensus reprobi in bonum sub eo auxilio qua eius inefficacia constituitur, collato auxilio absolute à libera reprobi absoluta negatione consensus in bonum absolute dependeat: & tamen per se ea dependentia futuritionis conditionatæ, seu efficaciæ auxilij à consensu absoluto prædestinati satis non est. vt prædestinatus sit causa suæ prædestinationis adæquatæ, vt primum etiam auxilium efficax complectitur. ergo nec similis dependentia negationis conditionata consensus in bonum reprobo, ab absoluta libera negatione consensus reprobi in bonum sub auxilio ipsi collato satis erit, vt reprobationis suæ adæquatæ, vt primam etiam negationem efficaciæ, seu inefficaciam auxilij collati coeteri causa sit, atque absolute dicatur. Ratio hæc rem ad hominem demonstrat, atque veritati in quæstione de nomine indagandæ luculentam aperit viam.

3. Dico primo reprobationis comparatiue ex parte subiecti adequate sumptæ, siue vt reprobi præ non reprobo, seu prædestinato reprobatio est nulla ex parte reprobi causa dari ratione dependentiæ inefficaciæ auxilij, seu negationis conditionatæ consensus ipsius in bonum à libero consensu absoluto reprobi sub auxilio absolutè ipsi collato. Est conclusio Vazquez nostri, & Asseclarum contra Soarium & suos: nec solum de causa motiua, & meritoria sed materiali etiam & obiectiua ratione cuius neminem suæ prædestinationis, aut reprobationis causam absolute esse, dicique posse (ne dum, vt comparatiue præ alio prædestinetur, aut reprobetur) constabit ex concisione. 2. Probatur expresse ex Paulo & Patribus totum prædestinationis, & reprobationis negotium & causam in Dei miserentis, vel obdurantis arbitrium, ac nullatenus in bonum, vel malum vsum voluntatis, vnius præ alio non reprobato seu non prædestinato refundentes, vt Soarius, & Asseclæ ipsi fatentur vbique, & apud Vazq. proxime §. *Respondent tamen.* Licet alia subiiciant pro sua opinione, quæ non satis solide à Vazquez confutentur. Confutantur vero ratione hac qua probatur nostra conclusio: quia quoties ex parte vtriusque prædestinati scilicet, ac reprobi æqua ad vtriusque, siue prædestinationem, siue reprobationem, non solum ratio motiua, sed & materia obiectiua Deo alterum prædestinaturo, alterum vero reprobaturo omnino obiicitur, nihil plane, siue rationis materiæ, siue materiæ obiectiuæ ex parte alterius offertur, vt præ alio, reprobetur, vel prædestinetur. atqui motiue futuritionis conditionatæ siue consensus in bonum, siue negationis consensus, qua auxiliorum vel efficaci, vel inefficacia, & materia obiectiua vel reprobationis, vel prædestinationis auxilia constituuntur: æqua omino materia, & ratio obiectiua ex parte vtriusque offertur Deo reprobaturo, vel prædestinaturo: ergo nihil, siue rationis motiuæ, si materiæ obiectiuæ offertur ex parte alterius vt præ altero reprobetur à Deo, vel prædestinetur. quare neuter ratione futuritionis conditionatæ consensus, vel negationis eius causa est, vt præ altero reprobetur, vel prædestinetur. Minor constat ex dictis cert. 1. n. vlt. Ostendimus enim nullam creaturam rationalem esse posse quæ aliquibus auxiliis in Dei omnipotentia contentæ consensura conditionate non sit, si donentur, & quæ alias non sit non consensura, si à Deo conferantur: ac proinde respectu cuiusuis creaturæ rationalis plura efficacia, plura etiam inefficacia, ac subinde materiam obiectiuam prædestinationis, & reprobationis Deo offerri ac præsentari.

4. Dico secundo dependentia absoluta intentionalis obiectiua futuritionis conditionatæ, vel consensus vel negationis eius ac subinde efficaciæ vel inefficaciæ auxilij reprobus, quod vel prædestinatione, vel reprobatione donatum à Deo est, à libero absoluto consensu prædestinati, vel libera absoluta negatione consensus reprobi, satis non est, vt reprobationi suæ absolutæ, vel comparatiuæ ad non reprobatum prædestinatus vero suæ prædestinationis tam absolutæ, quam comparatiuæ ad non prædestinatum causa esse, dicique absolute possit. Est nostri etiam Vazquez conclusio, contra Soarium ac cæterorum scholæ Thomisticæ nostræ Iesuiticæ Doctorum vniuersim sumpta, tametsi in casu subiiciendo statim duo nostri strenuissimi Doctores eam citandi exceptionem patiarbitrentur.

arbitrentur. Probat Vazquez, quia ea de pœnitentia absoluta obiectiua: & intentionalis futuritionis conditionatæ consensus, vel negationis eius sub auxiliis, qua eorum efficacia, vel inefficacia constituitur, casu quo absolute prædestinatione, aut reprobatione efficax prædestinato, inefficax reprobo à Deo confertur, est dependentia materiæ obiectiuæ solius, siue de qua, vel circa quam deliberandum Deo non autem rationis, & motiui, vt vni efficax cognitum, alteri vero inefficax Deus tribuat. Dependentia autem materiæ obiectiuæ, necessariæ ad reprobationem, vel prædestinationem sola non est causa deliberationis alterutrius determinatæ à Deo habendæ: ergo ratione illius nec reprobus reprobationis suæ, nec prædestinatus prædestinationis suæ adæquatæ absolute, nedum comparatiue ad alium non reprobum, vel non prædestinatum causa esse dicitur potest. Minor probatur, nam cætera patent.

5. Siquidem etsi materiæ de qua, & circa quam deliberandum est aptitudo ad potentiam absolutam deliberandi supponatur, non autem est causa, cur de ipsa, vel circa ipsam hæc potius quam aduersa deliberatio à Deo habeatur. Idcirco rerum (atque ad rem præsentem auxiliorum) possibilitas, & possibilitas etiam, imo, vt diximus sæpe, actualis existentia, tam prædestinati, quam reprobi alterutri erga ipsos prouidentiæ nec solum efficacia, aut inefficacia auxiliorum) necessario vt materia obiectiua, quæ, & circa quam deliberandum est, vt alterutro modo Deus prouideat, requiritur, tamen, quia id solum habet, non autem rationem, aut motiuum, vt Deus alterutro modo prouideat, nec auxiliorum possibilitas, nec reprobi, aut prædestinati possibilitas, aut existentia, vt reprobetur reprobus, ac prædestinetur prædestinatus causa esse dicitur: confirmatur: quia tam Patres, quam scholastici, quam Hæretici cũ quibus de causa prædestinationis, & reprobationis disputabant, ad merita, ipsorum vt reprobarentur, vel prædestinarentur impugnanda quidem Patres, & scholastici, designanda vero Hæretici recurrerunt vt vidimus, tametsi materiam cum obiectiuam, tum subiectiuam multiplicem à nobis designatam recognoscerent: confirmatur ex sap. 15. n. 7. Isaiæ. 45. n. 9. Hierem. 18 6. atq; ad Roman. 9. vbi naturalem rationem minoris nostræ exemplo Lutee massæ ac figuli ita explicatur, & proponitur. *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* quibus quæcumque respectu deliberationis ab artifice ad hanc, vel illam formam inducendam, vt materia ex qua seu circa quam, vel obiectiua, vel subiectiua solummodo se habent, etsi ad alterutram deliberationem materia necessaria sint à causatione alterutrius deliberationis docetur, atque illustrissimo exemplo monstratur.

6. Generalis nostræ conclusionis exceptionem subtiliter excogitauit noster Molina supra ex Alense, Bonauentura, Henrico Gandauense, quæ placuit postmodum magno meo magistro Didaco Daza, & nostro etiam Granado. Censent enim in reprobis adultis, qui rite suscepto baptismo originale deposuerunt: reprobationis suæ cum absolute tum præ aliis causam specialem reperiri: siquidem auxilio sufficienti de se, vt præceptum seruare, ac non peccare absolute possent, reddereque illud efficax, absque eius auxilij ab vsu, & voluntatis suæ vitio, & transgressione voluntaria, qua illud inefficax reddidere reprobari absolute nequeunt: quare, & suæ reprobationis causæ sunt. Verum non video quid ampliùs roboris argumentum hoc habeat in reprobis adultis semel iustificatis ac post modum peccantibus, quam in aliis adultis, qui nunquam iustificati actualiter etiam deliquerunt: cum in vtrisque auxiliorum sub quibus peccauerunt inefficax à negatione voluntaria, & libera consensus in bonum absolute pendeat: ac subinde & materia obiectiua necessaria vt reprobari à Deo absolute possint. Hanc autem materiæ obiectiuæ necessariæ ad reprobationem dependentiam intentionalem à consensu absoluto libero reprobi non sufficere vt causa reprobationis suæ absolute reprobus sit, ac dicatur proxime ostendimus: sicuti similis dependentia efficaciæ auxiliorum, qua materia obiectiua necessaria ad prædestinationem constituuntur, à libero consensu absoluto prædestinati, vt ipse prædestinationis suæ adæquatè sumptæ causa sit ac dicatur minimè sufficit quare limitationis, & differentiæ huius nulla tanti Doctoribus ratio affertur.

CERTAMEN III.

In quæstione de re Hæreticorum & Catholicorum aliquot Doctorum placita, & quæ Catholicis certa esse debent.

Occurrit primo Pelagianorum hæresis asserentium reprobationis adæquatæ, & secundum omnem sui partem tam primæ, quam vlteriorum omnium, denegationis auxilij gratiæ efficacis supernaturalis, cum absolute, tum comparatiue ad alium non reprobum, seu prædestinatum sumptæ causam ex parte reprobi dari, sicuti, & ex parte prædestinati prædestinationis suæ adæquate etiam, eodemque modo sumptæ causam dari asserebant: quia nimirum ex naturalibus puris, seu iure naturæ arbitrio vtriusque debitis alter bono illorum vsu meritum aliquod, & motiuum natura anterius, vt supernaturali efficace gratia donaretur per occasiones singulas Deo offerebat; alter verò contra malo naturalium eorum vsu per singulas omnes occasiones, vt efficace supernaturali gratia priuaretur, offerebat Deo meritum natura anterius, & motiuum. Damnata ea hæresis fuit conciliis omnibus africanis ab Augustini tempore, ac reliquis conciliis Catholicis. & œcumenicis huc vsq; in Ecclesia habitis, quorum verba in re notissima proferre otiosum esset, & inutile. Maxime, cum eius damnationis fundamenta ex scriptura æque sint vulgata, & expressa ad Rom. 9. *Cuius vult, miseretur, & quem vult indurat.* Quod Iacobi, & Esau prædestinati, ac reprobi Typorum, quorum antequam quidquam boni egissent, aut mali alterum Deus dilexit, alterum vero odio habuit statim confirmat. Rationem vero exemplo figuli ex eadem omnino massa aliud vas in honorem, aliud vas in cõtumeliam pro mero arbitratu suo citra ipsorum iniuriam effingentis Mustratam vel oculis ipsis percipiẽdam proponit quibus testimoniis Patres hæresi Pelagiana vetustiores eam anticipato iugularunt, vt mirum fuerit alicuius vel ignorantia, vel dementia conceptam nedum subortam postea fuisse. Augustinus vero huic hæresi in primis confutandæ natus, à Deoque Ecclesiæ suæ datus non vno solum, sed pluribus totis libris editis Pelagianos confutauit. Nempe contra duas epistolas Pelagianorum, de prædestinat. Sanctor. de bono perseuer. De corrept. & gra. Et reliquis scriptis suis passim Et præter proxime ex Paulo memorata, & illam Pauli etiam rationem: quod si ex operibus naturæ gratia à Deo donaretur, iam gratia non esset gratia, aliam ex infantibus præmaturæ, & ante vsum rationis, altero baptizato, ac subinde prædestinato, altero, imbaptizato, ac reprobo correptio rationem instruxit, qua Pelagianos ad silentium vsque confutauit.

2. Massilienses Pelagiani erroris, quem cum Catholicis cunctis Doctoribus execrabantur, cineres exufflantes alterius erroris affinis scintillam inuenerunt, vt inde merito Pelagianorum reliquiæ habiti merito fuerint, atque infame Semipelagianorum nomen fuerint promeriti. Aiebant enim primâ gratiæ efficacis supernaturalis denegationem vnde incipit reprobatio, malo vsui pure naturalium virium arbitrij ex quibus bonus vsus esse posset in reprobis deberi sicuti, & primæ gratiæ efficacis supernaturalis vnde prædestinatio inchoatur, bono vsui naturalium virium debetur in prædestinatis. non autem per occasiones singulas reliquas gratiæ efficacis siue denegationes reprobi, siue donationes vlteriores prædestinatis bonum, malumue vsum virium pure naturalium, vt Pelagiani aiebant, præcedere: vt scilicet prædestinationis, reprobationisque initium solummodo naturæ solum merito, demeritoque vniuscuiusque prædestinati, vel reprobi debeatur: vnde prædestinationis, atque ad rem præsentem reproba-

tionis

tionis adæquatæ, & vt primam gratiæ efficacis denegationem continet causam demeritoriam ex parte reprobi dari, sicuti ad primæ gratiæ efficacis collationem, & prædestinationis initium meritum pure naturale, congruum quidem, & perexiguum ex parte prædestinati datur: is error eisdem testimoniis scripturæ reiicitur ab Affricanis conciliis posterioribus, & damnatur: eisdemque rationibus & exemplis à Paulo datis: quod scilicet, totum prædestinationis reprobationisque negotium in Dei vel miserentis, vel indurantis pro libito arbitrium purum reuocetur, quin vlla ex parte reprobi, sicut nec prædestinati ad prædestinationis, vel reprobationis initium causa aut motiuum tenuissimum detur; alioqui in illud posset alterutrius initium refundi, nec eadem omnino massa Deo prædestinationis reprobationisque artifici subesset: nec *Antequam, quidquam boni egissent, aut mali*, (vt de Iacob & Esau dicitur) alter eligeretur, ac prædestinaretur, abiiceretur vero, ac reprobaretur alius. Illud etiam argumentum Pauli acriter ab Augustino pressum æquam contra semipelagianam, atque contra Pelagianam prædestinationem, & gratiam vim habet; scilicet gratiam non fore gratiam cum prima meritis naturæ donetur, reliquæ vero meritis ex gratia prima, & vlteriori subortis: denique Augustinus euasionem semipelagianorum ad argumentum de infantibus immature correptis ex conditionatis meritis, demeritisque docte præclusit: quia merita, ac demerita absolute talia operibus, vel malis vel bonis absolutis solummodo possint competere; quare merita non merita, seu nulla, futuraque non futura contradictorie ea solutione prætendi.

3. Ego autem aliunde tandem eandem solutionem impugno. Cum enim semipelagiani in hunc errorem, & solutionem fatuam incurrerent, vt difficultati quæstionum Paganis, & Patribus ac Theologis vulgatissimarum occurrerent. Cur scilicet vnum, non absolute solum sed comparatiue ad alium, seu præ alio prædestinauerit, quem reprobat, cuius tamen nulla ex arbitrij sui speciali abusu deterior dispositio moralis aut amplius mali meriti præcedit (quod maxime in infantibus immature correptis claret) quin Deus personarum quam meritorum, acceptator sit, otiosumque prorsus, vel nihili ipsorum arbitrium in salutis perditionisque suæ negotio habeat, imo & libertatis eorum iura pertingat. Idcirco specialem causam deterioritatis moralis malique meriti amplioris in reprobo, quam in prædestinato solummodo inquirebant, nec demeriti originalis, omnibus tam reprobis quam prædestinatis meminerunt: qui in communi vtriusque peccato speciale reprobi demeritum, ac motiuum, vt præ alio reprobaretur non poterat designari. Atqui conditionata demerita vtrorumque, (etiam infantium, immature correptorum) communia etiam vtrisque demerita sunt: ergo perperam à semipelagianis ad infantis sine baptismo decedenti ac reprobi conditionata demerita, vt præ alio obeunte cum baptismo, & prædestinato reprobetur. Minor proxime subsumpta probatur: quia inbaptizatus ille reprobus si diutius viueret sub quibusdam cogitationibus & circunstantiis honeste victurus conditionate erat, et si sub aliis male, & turpiter victurus esset conditionate; ac similiter baptizatus ille prædestinatus, si diutius vixisset, etsi sub quibusdam circunstantiis, & cogitationibus bene viueret conditionate, ast sub aliis male viueret & conditionate, vt supra ostendimus: cum nemo, qui omnibus, & singulis cogitationibus, & circunstantiis possibilibus, vel consensurus, vel non consensurus in bonum, si donarentur esse absolute possit.

4. Huic semipelagiano errori minus caute videntur accessisse scholastici aliquot asserentes tam ex parte reprobi, quam prædestinati pure naturalem aliquem vsum arbitrij creati vel in malum, vel in bonum eorum vel reprobationis, vel prædestinationis initiū dare ac motiuum præbere. Ex his bonum illum, vel malum vsum pure naturalem, meriti, demeritiue, congrui tamen, & tenuissimi vel donationis, vel denegationis primæ gratiæ efficacis supernaturalis quibus prædestinatio, vel reprobatio inchoatur, ratione, & nomine donarunt; alij vero vix meritum, aut demeritum alterutrius esse voluerunt, sed occasionem solum, & ansulam arreptam potius à Deo, quam à prædestinato præstitam ipsi vel oblatam. Sed quoniam his etiam vocibus errorem suum Massilienses semipelagiani tegere conabantur, scholastici alij, meriti, ansæ, atque occasionis vocibus ex puris naturalibus, ad vniuscuiusque prædestinationis, aut reprobationis initiū Deo vel oblatis, vel etiam arreptis ad voces dispositionis vel positiuæ vel negatiuæ ad alterutrius initium ex facultate pure naturali tam reprobi, quam prædestinati vsurparunt, quæ semipelagianissimum non reddere ipsis videbantur. Scholasticos omnes singulorum horum modorum Patronos recensuimus. d. de causis prædestinat. varias eorum explicationes recensentes, ac refellētes proloquij Theologici illius *facienti, quod in se est*, Deus non *denegat gratiam*. Sed tamen cum dispositio illa siue positiua, siue negatiua, non physica solum sed moralis sit, si ex viribus puris naturæ à reprobo, aut prædestinato, ad suæ vel prædestinationis vel reprobationis initium esse asseratur, æque is vocibus atque aliis semipelagianismo exposita doctrina continetur, vt citato loco ostendimus. Ac proinde Catholicis Doctoribus certum esse debet nullam reprobationis suæ, vel absolutæ, vel comparatiue ad alium non reprobum seu prædestinatum, vt ad primam etiam gratiæ efficacis denegationem extendatur, siue ad reprobationis initium, ex parte reprobi per prauum arbitrij sui vsum actualem præsuppositum & natura anteriorem dari: cum ad hunc gratiæ efficacis denegatio anterior supponatur, quæ prima sit, ex qua eius reprobatio inchoetur, quod de Angelorum malorum reprobatione æqua firmitate tenendum est ob eandem rationem. Quare si de anteriori merito motiuo aut dispositione ex parte reprobi ad reprobationem adæquate sumpta vt initium etiam continet agatur.

5. De solo reprobi peccato in Adam & originali quæstio esse potest: & quidem reprobationis absolute solum sumptæ, non autem comparatiue ad alios homines prædestinatos: cum homines omnes tam reprobi, quam prædestinati (si Deiparam excipias) & in Adamo peccarint, & contraxerint originale: ac proinde commune motiuum ab vtrisque ad sui reprobationem cum in Adæ peccato, tum in originali contracto ad cuiusque reprobationem Deo ab vtroque offertur; tametsi Deus pro speciali sua in prædestinatos misericordia ipsos non reprobet, sed alios solum: quare, vt hi præ illis reprobentur nulla ex parte ipsorum causa specialis in eorum originali est, ac igitur, & quorum reprobationis absolute sumptæ originale reproborum causa sit, comparatiuæ enim reprobationis causam reprobi originale esse ob rationem datam Theologi omnes negant. S. Th. 1. p. q. 23. a. 5. ad 3. Durand. in 1. d. 41. concl. 4. & 5 Driedo. 1. p. concordiæ liberi arbit. & prædestinat. c. 3. concl. 1. & 3. post quatuor principales Vazquiani omnes cum præceptore suo Vazquez idvt explorarissimum d. 95. supponente potius sæpe quam disputante Soariste omnes cum duce suo Soarez. 1. de reprobat. c. 5.

CERTAMEN IV.

Theologorum ea de re sententia proponuntur, atque examinantur.

1 MArsilius in 1. d. 41. a. 2. negat peccatum tam in Adamo, quam originale à reprobis ex illo contractum causam reprobationis esse quod sensisse etiam referuntur alij, qui potius causam reprobationis esse suppoſuerunt reprobi originale: ac proinde de actuali reprobi solū disputarunt: quare solus Marsilius eius sententiæ fuit, vt reprobationis, vt primæ gratiæ efficacis seu prædestinatiuæ negationem continet, peccatum reprobi vel in Adamo, vel iam in reprobo contractum causa ex parte reprobi non sit. Econtra causam reprobationis illius ex parte reprobi ipsius originale arbitrantur vniuersim, S. Thom. q. 6. de verit. a. 2. ad 9. & in cap. 8. epist. ad Rom. lect. 3. & 4. Durand. & Driedo vbi proxime. Gregor. in 1.

in 1.d.41.a.1.concl.4.& 5.Adamus in caput 9. ad Roman. ad ea verba, *Quid ergo dicemus*. Ferrara 3. contra gent. c. 161. dum solum causam reprobationis actualibus suis peccatis ex parte reprobi dari negant.Eidem sententiæ adhæsere ignominati recentiores apud Catherin. & Ioan. à Bononia citandos, & noster Soarez cum assectis. Addit Soarez peccatum siue primi parentis, & in Adamo, siue originale iam à reprobis contractum ordine intentionis, & in Dei mente, ante illius executionem, & absolutam Christi incarnationem præuisum omnis reprobationis non solum negatiuæ(quam ordine vtroque executionis,& intentionis ante omnem peccati præuisionem esse putat) sed & positiuæ causam vniuersaliter esse. Doctrinæ huius vniuersalitate sese Vazquez cum nonnullis opponit, citandis infra in tertia sententia huius secundæ vniuersalitatem limitante:doctrinæ etiam de præuisione,& causalitate peccati Adæ,& originalis contracti ordine intentionis ad reprobationem omnem se etiam Vasquez idem opponit;tametsi eius impugnationem specialem mala solum Soarij solutio bonam fecerit cum debilis satis de sese impugnatio illa sit.

2. Id ergo impugnat Vazquez, cita.d. 95.c. 3. n. 13. §. *Hæc opinio* quia si ante Adæ peccatum, & Christum absolute præuisum omnes eius posteri præuisi cum originali ordine illo intentionis fuere, etiam Deipara cum illo vel non absque illo ex meritis saltem Christi, fuit præuisa (quod cum tota fere Ecclesia Soarez exhorret)ac subinde nec per Christum ab illo redempta. Respondet Soarez ignominatus à Vazq.n.4.§. *Respondent aduersarij*, Deiparam ordine intentionis ante Christum ordine executionis cum originali præuisam ordine tamen executionis post ipsum, atque ex eius meritis ordine intentionis ab originali fuisse liberatam, ac præseruatiue redemptam. confutat responsum Vazquez acerrime quia ordo existentiæ, & præuisionis absolutæ ordine intentionis in iis solum admittitur,quæ absolute futura aliquando sunt:siquidem ex efficacibus Dei voluntatibus, intentiua, anteriore & posteriore executiua,quæ effectu absoluto carere nequeunt, necessario constare debet: cum neutro ordine ex inefficaci solum Dei voluntate possit esse absoluta obiecti existentia & præuisio. Deiparæ vero originale nunquam,nusquamque absolute futurum per Soarium,& fere totam Ecclesiam fuit, idque proxime definibile merito à pleriſque Doctoribus iam censetur, cæterum male, & ex suæ doctrinæ obliuione ita à Soarez & Assectis respondetur,cum ipsorum doctrina de iis solum, qui originale contraxerunt non autem de B. Virgine, quæ illud per ipsos non contraxit,intelligenda vniuersaliter sit:quare negandum ipsis erat illatio absurda contra immunitatem Deiparæ ab originali ex meritis Christi, quod nusquam ab ipsa contractum & præuisum absolute ordine adhuc intentionis ex conclusione hac sua admittere cogebantur,vt patet.Sed tamen duo alia,quæ in hac doctrina, & solutione Soaristica continentur,facile reiiciuntur. Nempe Mariana præseruatiua redemptio ordine executionis ex meritis Christi ordine intentionis absolute præuisis: siquidem nulla esse,nec meriti alicuius seu meritiuæ motionis Christi opera ordine solum intentionis præuisa ostendimus sæpe controuersiis de incarnatione ex principio vniuersali à nobis demonstrato controu. de merito in genere. Secundum existentia absoluta,& præuisio peccati tum Adæ,tum originalis in posteris contracti ordine intentionis,est omnino falsa, & repugnans: quia absoluta hæc existentia & præuisio ordine intentionis ex efficaci solum voluntate, & intrinsecus infrustrabili Dei potest rebus,& obiectis suis prouenire:quare eis quæ amari,intendique efficaciter à Deo nequeunt, conuenire repugnabit: peccato vero Dei voluntas omnis, etiam inefficax,nedum efficax, ex fide Catholica omnino repugnat.

3. Tertia sententia secundæ præfatæ generalitatem limitat,censens originale reprobi cuiusuis causam adequate sumptæ reprobationis vt ad primam gratiæ prædestinatiuæ negationem se extendit generaliter admitti non posse ob limitationes necessario admittendas. Quarum primam designant Catherinus & Ioannes à Bononia opusculis suis de prædestinatione in reprobatione adultorum omnium reproborum, qui tamen baptismate ab originali mundati sunt (ideoque de iis qui perfecta contritione ab illo mundarentur)& tamen postea grauiter delinquunt,& pereunt: in iis enim denegatio gratiæ efficacis,& prædestinatiuæ ad primum actuale vitandum ex qua denegatione series tota reprobationis eorum inchoatur nequit ex originali antea contracto, iam vero remisso vt causa, & motiuo prouenire,cum tunc, cum ea gratia ipsis denegatur, originale illud non adsit, vt possit mouere Deum ad illam ipsis denegandam.Huic limitationi & rationi consentit Vazquez.c.3.n.14.§. *deinde eandem sententiam*.c.4. §.1.c.5.§.1.extendit autem limitationem hanc. c.6.ad imbaptizatos paruulos reprobos.Ne vero tot priscis scholasticis à se relatis.c.1. & 2. his limitationibus videatur aduersari. c.5. toto docet causam vniuersim, & generaliter reprobationis omnium reproborum adæquate sumptæ esse protoparentis Adæ peccatum, necdum vero contractum ex illo in ipsis originale peccatum,idque solum præfatos scholasticos asseruisse contendit.n.22.§. *in hanc sententiam* c.vero 6. n.31. §. *Ego vero censeo*.Addit erga imbaptizatos paruulos reprobos immediate post Adæ peccatum præuisum voluntatem inefficacem excludendi illos à gloria & regno cœpisse,ex qua de remedio,adhuc sufficienti ad originale vitandum non prouiderit.Eo vero cõtracto illico eos gloria excludere, eiusque æterna priuatione punire efficaciter voluerit.Fateor Vazquez nostrum plura aliis vero similiora sua hac doctrina attigisse, vt ex nostris conclusionibus cert. 5. statuendis clarebit. In eius vero recitata doctrina displicent alia.

4. Primum limitatio de adultis reprobis, qui originale per baptismũ deposuerunt, de quibus aliter, quam de aliis censendum quoad originalis influxum, & motionem in eorum reprobationem & denegationem gratiæ prædestinatiuæ primam:ratio Catherini,& Bononiæ Vazquio ipsi probata minime probat. Etenim debitum peccati subiectiuum & obiectiuum ita differunt, vt subiectiuo peccati destructione abolito obiectiuum sæpe perstat: vt patet primo in debitis pœnalibus obiectiuis, quæ post abolitum peccatum quod idem est, subiectiuum debitum perseuerant ex tempore anteriori, quo peccatum, seu subiectiuum debitum extitit.Imo ipse Vazquez eodem §. *deinde eandem sententiam* docet sublato, elutoque peccato, & subiectiuo Adami per pœnitentiam & gratiam, obiectiuum nihilominus priuationis gratiæ in posteris persistere ex eo quod eius peccatum extiterit.Et 1.1.in 3.p.ex vtriusque debiti diuersitate docet puram creaturam pro macula, & subiectiuo debito mortalis posse ex Dei gratia per contritionis perfectæ actum satisfacere,quare ad id incarnatione opus non esse;at vero non posse pro toto debito obiectiuo, à pura creatura satisfieri, cui proinde satisfaciendo necessariam fuisse incarnationem singulariter, magnaque subtilitate, & plausu scholasticorum asseruit.

5. Displicet secundo: quod immediate ac statim post Adæ peccatum præuisum vere ac serio, & si inefficaciter imbaptizatos paruulos reprobos à regno excludere, & gloria illos priuare ad eum velle docuerit, atque à seria salutis ipsorum intentione inefficace,quam ante Adæ peccatum habuit destitisse & sibi de eorum salute displicuisse. Cum enim ipso ex scriptura,& Patribus fatente post Adæ præuisum absolute peccatum, nulloque modo ante illud cunctis reprobis, quomodolibet reprobis de excellentissimo,ac præstantissimo medio,& remedio,tanto scilicet Redemptore,idque ex amore & desiderio vero,ac serio salutis ipsorum prouiderit.Ergo nec desiderio salutis ipsorum tunc absistit,nec de eorum salute sibi displicuit,& in perditione magis tunc, quam antea complacuit. Displicet tertio, imbaptizatos illos paruulos reprobos, statim atque propagatione sua ex Adamo originale cõtraxerũt à gloria efficaciter fuisse exclusos,ac æternũ eius priuatione dãnatos:cum pro eo signo à gratia,medio ac remedio ad salutẽ æternam consequẽdam,non solũ sufficiẽte, sed efficaci nemo eorum paruulorum excluſus sit; imo eorum pluribus post originale contractum de sufficiẽte, imo & efficaci medio & remedio, & gratia prædestinatiua prouisum à Deo fuit,contigitque prędestinatio,vt patet.Expectandum igitur à Deo posterius signum est, quo deliberato remedio efficaci ad originale contractum eluendum ante ipsorum mortem nolit prouidere,eorumque mors in originali peccato,vt imbaptizatos illos paruulos reprobos à regno excludere,ac priuatione gloriæ efficaciter,& absolute velit eos punire.

6. Quarta sententia Arrubalis 1.p. 1. 2.d.88. & 89. ex eo quod reprobatio pro prædicta, atque prædestinationi opposita, ex desiderio, & intentione, inefficace exclusionis à gloria, & damnationis reprobi debeat in eius sententia prouenire, atque intentio eiusmodi peccatum reprobi aliquod debeat supponere, reprobationis proprie dictæ initium, & obiectum primum à prima denegatione gratiæ efficacis qua originale admissum eluereretur censet inchoari in iis, qui ob originale damnantur, vt imbaptizatis paruulis reprobis euenit. In iis autem adultis, qui originali iam deposito propriis actualibus peccatis damnantur reprobationis initium non in prima denegatione gratiæ efficacis ad primum peccatum vitandum, sed in sequente denegatione gratiæ ad vlteriùs peccatum secundum vitandum, vel ad resipiscendum à primo illo, in quo ad mortem vsque perseuerat reprobus ille, constituit. Vnde reprobationis adæquate sumptæ, vt eius etiam initium continet ex parte cuiusque reprobi dari concludit. In reprobis paruulis imbaptizatis originale peccatum, ob quod baptismate, & gratia qua illud eluerent, priuantur: in reprobis vero adultis iam ab originali mundatis, primum eorum peccatum actuale, siquidem originale iam ab eis abolitũ causa cur gratia efficace, & prædestinatiua priuentur esse non potest. Hæc sententiæ huius nonnihil apud Arrubalem subobscuræ dilucida sume. Reiicienda tamen est: primo ex falso illo principio supra à nobis reiecto, quod ad propriam reprobationem, proprium que obiectum ipsius, & effectum intentio perditionis reprobi, adhuc inefficax debeat præcedere. Secundo: quod hæc, nisi præsupposito reprobi peccato haberi à Deo absolute nequeat, cuius oppositum ostendimus q. 3. cert. 1. Tertio, quia quod de adultis reprobis, qui iam originale deposuerunt, ait non posse eos ob originale, quod antea contraxerunt gratia efficace ad primum peccatum actuale vitandum priuari, falsum etiam ostendimus, n. 3. contra Catherinum, Bononiam, & Vazquez. Demum cum Adæ peccatum, non solum quatenus physice ipsius, sed quatenus posterorum omnium (excepta Deipara) in ipso tanquam in capite, & procuratore, moraliter est, peccata cum originalia, tum actualia omnia ipsorum anteceserit, etsi vera esse principia illa admittamus, negatio gratiæ qua originale omnium, & actuale primum adultorum illorum vitarentur ex intentione perditionis reproborum vtrorumque esse posse, quare & propria reprobatione causari, atque ad eius initium pertinere certissimum contra Arrubalem, eiusque sententiam esset.

7. Quinta demum, nec admodum hebes sententia esse posset: nullam reprobationis adæquate vt sui initium continet, sumptæ, & prout, vt ad primum suum obiectum, & effectum terminatur causam dari siue ex parte reprobi ipsius, siue protoparentis communis omnium Adæ. Probatur, quia inde incipit cuiusque reprobatio, vnde negationes gratiæ efficacis incipiunt, & continuata serie eius perditioni iunguntur, & concatenantur. Atqui negationes gratiæ efficaces concatenandæ iungendæque cum reprobi cuiusque perditione incipiunt à negatione gratiæ efficacis Adamo præstandæ, ne ipse physice, ac posteri reprobi, in ipso tanquam in capite, & procuratore (in quo vi pacti moraliter eorum voluntates fuerant collocatæ) moraliter peccarent: ergo ex ea, negatione gratiæ efficacis Adamo incipit cuiusque reprobi reprobatio, eaque proinde est omnis reprobationis posterorum Adæ initium. Atqui eius negationis gratiæ efficacis nulla est causa motiua, quæ ex parte, siue Adami, siue alicuius posteri reprobi Deo offeratur: Siquidem negatio illa efficacis gratiæ omne tam Adami, quam posterorum peccatum physice vel moraliter ipsorum antecedit: ergo nulla siue ex parte Adami, siue posterorum reproborum causa datur reprobationis alicuius adæquate sumptæ, atque vt sui initium continet, & ad suum primum obiectum & effectum extenditur.

CERTAMEN V.

Dilucida quæstionis decisio nostra.

1 PORro expedita & clara quæstionis huius decisione memoranda hic erunt aliqua à nobis alibi et instituto fundata. Primum, totam totã nostrã prædestinationem vt sui etiam initium continet, & primam gratuitam prædestinatiuam ambit meritis absolutis Christi deberi, vt ostendimus d. 3. q. 5. cert. 2. cõtra Driedonem Adamum, & priscos alios citatos cert. 1. n. 1. Secundo memorandum est, Christum Dominum, ac subinde eius merita absoluta, non nisi post præuisum Adæ peccatum, vt ipsius physice, ac posterorum in ipso moraliter est fuisse decretum, vt ostendimus conttou. de incarnat. de ordine decretorum eius disputantes: vbi ostendimus etiam decretam incarnationis aliquorum hominum & originalium aliquot existentia absoluta posterius fuisse. Cum autem gratia Angelorum, cum protoparentibus custodum beneque suadorum, tum etiam tentatorum eorumdem Protoparentum peccato natura præcesserit, certum inde est ex meritis Christi non fuisse: quare nec eorum prædestinationem quoad sui initium, imo, & finem, cum tota in gratiæ efficacis illius primæ ad præcepti obseruationem constitutis, meritis Christi debere: deberi autem Angelorum aliorum, quibus ex meritis Christi prima gratia similis obuenit. Ex his autem fit aperte negotium totum reprobationis quorumque hominum reproborum, etiam adæquate sumptæ post Adæ peccatum, moraliter ipsorum & aliquorum originalia, Christique Domini absolutã existẽtiam habitum, dispositumque Deo fuisse. Quia Christo Domino eiusque absolutis meritis, positis deliberatum à Deo fuit, circa subiecta quæ prædestinare ex illis vellet, quæ autem aeque eis ita præuisis prædestinare non vellet, sed potius à gratia sua efficace ad salutem reprobare. Prædestinationem autẽ nostrã (ac subinde, & reprobationẽ qui de facto fuit diuersam adæquate esse ab ea quæ pro statu innocentiæ foret, ni homines, ab statu innocentiæ decidissent multo ex capite ostendimus q. 5. citata quibus ita memoratis.

2. Dico primò: omnis reprobationis hominum ab auxilio efficaci, & originalis remedio præseruatiuo adæquate, vt sui initium continet causa ex parte proparetis Adæ data est. Est conclusio nostri Vazquez, & antiquorum scholasticorum apud ipsum, vt diximus n. 3. consentit Suarez cum assectis relatus n. 1. ac si Arrubalem excipiamus, nostri omnes Doctores probatur facile ex nuper memoratis. Quia tota prædestinatio libera ac deliberata, cum obiectiue, tum subiectiue, id est circa subiecta prædestinanda vel non prædestinanda, seu reprobanda habita à Deo fuit post Christi Domini, & meritorum eius absolutam existẽtiam: ita vt potuerit prædestinatus non prædestinari, sed reprobari à Deo, ac reprobus nõ reprobari, sed prædestinari: ergo reprobatio hominũ reproborũ omnis, & nuda Christi ac meritorum eius absolutam existentiam naturæ priori supposuit: ergo & supposuit natura Adæ peccatum. Consequentia hæc secunda patet ex memorato principio secundo. Scilicet Christum Dominum non nisi post absolute futurum executiue, & in seatque ita præuisum Adæ peccatum, fuisse à Deo absolute decretum: ergo reprobatio libera deliberataque tota habita à Deo circa omnes, & singulos reprobos posterius natura Adæ peccato habita à Deo fuit, & vno quidem gradu posteriori quam absolutæ existentiæ Christi, & meritorum eius posterior ea reprobatio fuerit. Atqui in Adæ peccato sufficiens causa, & motiuum est, vt eius posteri gratia Dei cum iustificante, & gratum faciente, tum auxiliante efficace, & prædestinatiua omni à Deo priuentur: ergo totius & omnis reprobationis hominum (qui omnes eius sunt posteri) causa datur ex parte communis parentis Adæ anterius natura peccantis. Porro ratio hęc de paruulis reprobis imbaptizatis conclusionem etiam sine eis de remedio sufficiente ad salutem prouisum, siue non prouisum à Deo fuerit suadet. Probant conclusionem scripturæ locca, quibus ex eadem massa & conditionis eiusdem (vtique damnabilis, perditionis, & male vt Augustinus, & Hipognost. aiebat) Deo prædestinaturo, reprobaturoue subiecta (sicuti massa figulo) quosdam prædestinari, reprobari vero alios à Deo docemus. Id enim de massa Adæ peccato

peccato, vt minimum imminenti obnoxia intelligi debet.

3. Dico secundo. Datur etiam ex parte cuiusque hominis reprobi reprobationis suæ ab efficaci auxilio, & remedio originalis contracti adequate sumptæ causa, meritum malum & meritiuum. Conclusio hæc generalis etiam est, ac neminem scholasticum Doctorem (Arrubale excepto) aduersum habet, neque habere potest, sed nec vllum habet expressum Patronum: quia Adæ peccatum secundum respectus omnes suos nemo hactenus euoluit, & explicuit, quibus explicitis cuiuis eius veritas clarebit. Igitur idem peccatum quod physice sumptum proprium Adami peccatum fuit, sumptum moraliter fuit etiam nostrum, cunctisque eius posteris commune, quorum voluntates in Adam vi pacti quoad nociuum etiam, in Adami voluntate collocatæ sunt sub conditione hac sola, quod ex Adamo propagentur, atque posteri eius fiant: qua purificata statim nullo alio expectato, illius physice peccatum, moraliter ipsorum idem ipsum peccatum est: id quod à Theologis & Patribus significatur dum dicunt posteros omnes in Adamo peccare, nihilque aliud: siquidem originale peccatum posteriorum, etsi ex Adæ peccato proueniat, nõ Adami, & in Adamo, sed ipsorum posteriorũ proprium & in ipsis solummodo peccatum est. His ita explicatis conclusio hæc secunda facile deducitur ex prima. Siquidem nequit non peccatum physice Adami reprobationem omnem, & totam posterorum eius præcedere, quin, idemmet peccatum, vt moraliter posterorum absolute tale præcedat, si tamen absoluta ex Adamo propagatio, qua absolute ipsorũ peccatum fit eorum reprobationi toti natura præcedat: præcedit autem: quia cuiuis prouidentiæ de mediis ad finem supponitur absoluta existentia, & productio illius cui de mediis prouidetur: cum autẽ reprobatio posterorum Adæ prouidentia sit, & posteri sint, quibus per illam de mediis ad finem intentum prouidetur eorum absoluta existentia, productio, & propagatio ex Adamo toti cuiusuis eorum reprobationi absolute præcedet, quare & absolutum Adæ peccatum, vt ipsorum moraliter est toti cuiusuis reprobationi ex parte ipsorum, vt causa, malumque meritum, & motiuum præceder. Porro ex prænotata præcedentia Christi, ac meritorum eius ad hominum omnem ac totam prædestinationem deliberatam ac subinde reprobationem, ac insuper præcedentiam peccati Adæ, ad decretum incarnationis quintæ illius singularis, subtilisque sententiæ subruit fundamentum: cùm a negatione gratiæ prædestinatiuæ, efficacis vt Adæ, & posterorum in ipso peccatum vitaretur nequeat incipere reprobatio hominum, quæ non nisi post peccatum illud, & Christum Dominum eius occasione decretum cœpit.

4. Dico tertio. Nullius hominis reprobi originale peccatum fuit causa reprobationis suæ adæquate sumptæ, vt initium sui, & primam gratiæ prædestinatiuæ negationem complectitur. (Excepti illis, quorum originalia decretum incarnationis antecesserũt) conclusio hæc videtur Doctoribus priscis, & recentioribus aduersa, vt patet ex relatis cert. 4. n. 1. pro sententia secunda, etsi antiquiores originalis voce non tota proprietate originale significasse, sed peccatum Adami, seu in Adamo, quod originalis omnis radix seu originale omne in semine est obseruauit citatus Vasq. n. 2. & cert. 4. n. 3. vbi eius sententiam retulimus qua huius nostræ veritatem vel attigit, vel subodoratus saltem est, probatur æqua soliditate ac facilitate. Voluntas permissiua originalis, siue subtractiua medij præseruatiui (puta gratiæ iustificantis) ne contrahatur est reprobationis initium, atqui ea voluntas & denegatio medij præseruatiui ne contrahatur originale est anterior natura originali absoluto, eiusque absoluta contractione in quouis reprobo: ergo nequit esse originali, eiusque absoluta contractione posterior natura, siue aboriginalis quod nondum pro eo signo denegatiuæ voluntatis, & denegationis gratiæ iustificantis seu remedij præseruatiui peccati originalis est) demeritum & causa motiua voluntas eius remedij præseruatiua, & remedij subtractio à Deo concipi, & prouenire. Consequentia hæc adeo certa, & legitima est atque illa, nempe principium meriti, præsertim proximum non posse cadere sub meritum, quod de principio demeriti, saltẽ proximo, quale est subtractio remedij, seu medij præseruatiui originalis, scilicet gratiæ formaliter sanctificantis in conceptionis instanti posteris infundendæ, & cum originali formaliter pugnantis, vt infusa facto Deiparæ fuit, & originale impediuit, vt fere tota censet Ecclesia, & tota iam exterius profitetur: quocirca obseruandum est discrimen peccati posterorum in Adamo, & originalis ipsorum: cum enim illud in eo solum stet, vt inclusi in pacto quoad nociuum etiam fuerint, quo pacto eorum voluntates moraliter, & quasi ciuiliter, & politice in Adami voluntate tanquam procuratoris communis collocatæ sub conditione vnica, quod scilicet ex ipso propagarentur eiusque posteri essent.

5. Vnde necessario factum vt ea per propagationem ex Adamo absolutam purificata Adami voluntas physica moraliter, & ciuiliter ipsorum voluntas foret, atque eius trangressione in ipso eiusque voluntate posteri deliquerint, quin medio vllo etiam gratiæ formalitet iustificantis infusione in conceptionis instanti potuerit illorum in Adamo peccatum impediri sicut originale eiusmodi gratiæ infusione impediretur, de factoque impeditum in Deipara fuit: quia nimirum gratia pugnat cum peccato, quod subiectiuè foret in subecto, cui ipsa inest, non autem cum peccato, quod non in illo, sed in alio est, vt est posterorum in Adamo peccatum: originale vero posteri, cuiusque peccatum, non in Adamo, sed in postero ipso est: Quare & gratiæ infusione in instanti conceptionis quo contrahendum erat impeditur, quin ita ab originali proprio præseruati peccatum in alio impediatur, vt de Deipara etiam censet Vazquez cum aliis qui eam in pacto, etiam quoad eius nociuum inclusam reputant: quare, & debitum incurrendi originalis, à quo præseruata fuit, æstimant incurrisse. Ex quibus etiam constat quanto iure Vazquez noster docuerit peccatum originale consistere in priuatione gratiæ debitæ in conceptionis instanti qua impediretur eius absoluta in posteris contractio, & ne eorum in alio, id est Adamo, peccatum, in proprium originale ipsorum transiret. Constat denique adultos reprobos ab originali per baptismum mundatos, & ob actualia vlteriora damnandos excipiendos ab hac conclusione non esse: vtcumque enim originale contractum & remissum in eorum reprobationem conducere contendas, negationem gratiæ præseruatiuæ illius supponit ob eamq; peccatũ Adæ, & reprobi ipsius in illo: quare ex illo reprobatio inchoabitur, ac subinde eius initium sub originalis demeritũ non veniet. Illa ergo exceptio in conclusione adhibita locum, & necessario, in nostris principiis habet. Siquidé eorum originalia, & negatio præseruatiuæ ab illis gratiæ, incarnationem, ac merita absoluta Christi Domini, quare, & reprobationis illorum initium natura antecesserunt: vnde, & illius adæquate sumptæ causa, & motiuum extitere.

6. Dico quarto & vltimo. Reprobationis eacodæmonum (etiam non tentatorum primorum parentum nostrorum, quibus tamen auxilia sufficientia promeritus Christus Dominus fuit. Iuxta dicta contra 6. de merito Christi) à gratia efficace si primum peccatum fuis viæ illis fuit, nulla ex parte ipsorum, vel creaturæ alterius extitit causa, sed tota illa in purum Dei arbitrium, & occulta iudicia refundenda est. Probatur facile quia ex parte illorum nullum peccatum demeritumue gratiæ illius præcessit: cum peccatum illud, quo status viæ vnicuique finitus est, primum fuerit vniuscuiusque peccatum, & quod denegationis gratiæ efficacis, vt ab ipso vitaretur causa, ac demeritum antecedens esse non potuit; alterius vero denegationis gratiæ efficacis ad vlterius aliud viæ peccatum vitandum causa esse nequiuit: quandoquidem nullum aliud ipsorum peccatum viæ, erat futurum. Peccatum vero Adæ etsi collationem gratiæ sufficientis ipsis datæ ex meritis Christi præcesserit, non autem ipsis, sed posteris solum hominibus gratiæ prædestinatiuæ seu efficacis ad non peccandum peccato suo Adamus promeritus est: neque in illo Angeli, sed Adæ solum posteri peccauerunt iuxta datam nuper peccati hominum in Adamo apertam dilucidamque explicationem. Dixi si Angelis peccato primo fuit vita finita, si enim locus, tempusque pœnitentiæ fuit eis (vt reor datum, postremæ partis reprobationis suæ motiuum, & meritoriam peccato illo exhibuerũt, vt pluribus impiis hominibus contingit. Porro ex dictis, quinam reprobationis effectus sint, tam certis notis dignosci ab vnoquoque facile possunt, vt nõ nisi otiose, & superfluo de eius effectibus disputatio institueretur: cum vnde exordiantur, & quo vsque perueniant scilicet ad reprobi cuiusque damnationem, & perditionem æternam inclusiue dixerimus.

DISPVTATIO VI.

De reliquis ad prædestinationem, ac reprobationem aliquo modo attinentibus.

TRia nec admodum difficilia sub hoc titulo examinanda veniunt. Primum: quonam confirmatio in gratia à prædestinatione, & induratio in malo à reprobatione differant? secundum, quid liber vitæ, vel mortis vltra prædestinationem, vel reprobationem addat? Tertium de certo cum prædestinatorum, tum reproborum numero.

QVÆSTIO I.

Quonam confirmatio in gratia, & induratio, seu obduratio in peccato, siue ad malum à prædestinatione, ac reprobatione differant.

ALiquo illas à prædestinatione, & reprobatione differre potius supponitur à Theologis quam disputatur: cum non omnes prædestinati confirmati in gratia sint, sed ex speciali priuilegio eorum pauci: nec obduratio cordis in mali siue ad peccatum sit omnium reproborum sed obstinatorum, & valde contumacium in peccato: quare quonam hæ à prædestinatione, & reprobatione differant restat examinandum.

CERTAMEN I.

De confirmatione in gratia notata, & Doctorum sententiæ proponuntur.

1 GRatia, in qua, seu de cuius confirmatione agimus Gauxilians non est, sed formaliter iustificans, gratumque Deo reddens prædestinatum cui confirmatio in gratia speciali Dei priuilegio contigit. Cum autem prædestinatio omnis, sine qua confirmatio esse non potest, donum perseuerantiæ contineat, & hoc confirmatio in gratia necessario, vel claudit vel supponit: nec eam solum, perseuerantiam, quæ satis prædestinationi foret. Etenim perseuerantiam prædestinationi necessariam instans immediate post iustificationem obitus sæpe fecit, ac facit vt beatissimi fœlicissimique latronis, ac recens baptizatorum obeuntium infantium exempla demonstrant. Requirit ergo confirmatio in gratia perseuerantiæ in ea pro viæ statu diuturnitatem de sese virtualem per multa, duraque tempora, certamina, occasiones, ac tentationes vehementes pluresque peccandi, atque à iustitia, & sanctitate recedendi, ita Doctores omnes antiqui, ac recentiores scholastici fere omnes. Probatur primo, quia alias sacrum confirmatorum in gratia collegium plus nimio ad prædestinatos omnes ampliabitur: secundo, quia confirmatio in gratia, siue obfirmatio alicuius contra peccatum absolute dicta, non est ad tempus aliquod, & occasionem & tentationem vnam vel alteram qualemcunque peccandi, sed ad omnes, & per tempus quodcumq; peccatorum quorumlibet inuasionibus & tentationibus quibuslibet, etiam acerrimis esse possit: quemadmodum, neque arx, ciuitasue aliqua firma obfirmataque absolute contra hostes, eorum impetus & militares inuasiones dicitur, quæ munimentis armis, militibus, ita solum instructa sit, vt ad tempus breuiculum, vnique solum vel alteri hostium incursioni sit restitura, sed quæ omnibus hostium inuasionibus quantumuis duris, ac vehementibus hostium inuasionibus & ad tempus quodlibet resistere apta sit, ac parata. Tertio probatur ab opposito confirmationis, & obdurationis reprobi in malo: quæ sane illius non est, qui ad tempus solum perbreue, vnique vel alteri etiam vehementi, Dei inspirationi, vt non peccet, peccatue absistat, resistit, sed eius solum, qui Dei frequentibus, vehementibus perque tempora, & occasiones plures inspirationibus resistere aptus, & durities cordis sui quasi natura est surdæque aspidis (vt Spiritus sanctus ait) instar aures cordis obturat. Ita Theologi omnes de cordis induratione, & obduratione perditorum in malo censuere Molina. 1. p. q. cita. a. 4. Herize. d. 33. c. 1. ex Sôto Driedone. Roffense, cano, & aliis Arriaga. d. 3. sect. 4.

2. Sed & Vasquium nostrum reprehendens, quod 3. c. 10. asseruerit etiam cum primo quis peccat vehementibus Dei inspirationibus obsistês obduratione in malum proprietate sermonis peccare: quod nusquam verum esse nisi pluribus vehementibus, inspirationibus per diuturnum tempus obsistat falsum reputat Arriaga, priusque reputauerat Herize: quare neque confirmationem in gratia illi aduersam absque diuturna per occasiones plures & vehementes acrium tentationum victorias, sermonis proprietate esse absolute non posse. Contra vero noster Christophorus de Vega Paletta. 16. Theologiæ Marianæ. cert. 10. n. 1186. § *Roboratur amplius* eam temporis diuturnitatem & per occasiones plures, & vehementes tentationum victoriam ad proprietatem confirmationis in gratia impertinentem ac libere confictam censet: siquidem diuturnitatis eius taxandæ nullum rationis fundamentum, sed solum pro cuiusque arbitrio esse possit quo in re Vazquio nostro videtur consentire. Horum autem Doctorum pugnam facile dirimes, si notati hac in re nostri verba attenderis, quibus diximus diuturnitatem resistentiæ peccatis, occasionibusque, & tentationibus vehementibus pluribus ad confirmationem in gratia requiri de sese, & virtualem seu habitualem esse: id est, vt eo dono tentationibus quantumuis magnis frequentibus & ad longum quodque tempus restiturus confirmatus in gratia sit, si adfuerint; quocirca conditionate victorias tentationum, inquam longo tempore concernit, si donentur, absque vlla tentationum, aut temporis mensura; quod autem longius breuiusque tempus maiorque, vel minor tentationum vehementium, & occasionum frequentia confirmatis in gratia absolute detur, per accidens prouius confirmatis in gratia est.

3. Neque enim confirmati in gratia æque in hoc viæ statu vixere, nec totidem, totque vehementibus occasionibus, & tentationibus fuerunt in hac vita ad peccandum tentati, & expetiti: cum tamen omnes æque absolute in gratia confirmati fuerint. Etsi autem ex vehementi alloqua Dei inspiratione, & illustratione perfectissima possit quis pluribus, & vehementibus tentationibus resistere, resistantque sæpe plures ex prædestinatis, id tamen non ex habituali principio, & permanenti non est, sed solum ex actuali; & trasseunte, ac proinde neque ex confirmatione in gratia, quæ habituale, & permanens Dei donum, & ad plures, & omnes tentationes vincendas, ad quas nulla, præter claram Dei visionem cogitatio bona, & inspiratio fa poteſt extendere. Similiter ex aduerso, & si quis vehementissima tactus tentatione, & instigatione in malum, pluribus Dei, & ardentibus inspirationibus & vocationibus improbus resistat, ac peccet, esseturque ardentioribus alius, si adesset restiturus; tamen, quia id non ex habituali aliquo & permanenti principio, sed trasseunti, nec pluribus aliis, quibus obduratio cordis in malo, siue ad malum, resistionem ex induratione, & obduratione propriè dicta resistit, ac peccat, si tamen ex principio permanente, & habituali, ac pla

ac pluribus, & pluribus vehementioribus Dei inspirationibus restituro tunc: vel semel improbus resistat, ac peccet, ex propriè dicta obduratione cordis, & absoluta in duratione cordis in malo resistet, & peccabit, vt bene Vasquez aiebat, quin Herize, & Arriaga impugnationes quidquam contra ipsum præstent, vt eas legenti patebit: quare earum solutionibus applicandis, & explicandis abstineo.

4. His prænotatis. Prima Catholicorum Doctorum sententia est Catherini 1. de prædest. Dei c. vlt. & lib. 3. cap. 1. & 2. illa sua electione ad gloriam efficace, & antecedente merita, & mediorum etiam efficacium electionem, quam respectu eximie prædestinatorum pauculorum admittit, eorundem confirmationem in gratia stare censuit: quia ea ita electis impotentia physica, & absoluta antecedens ad non peccandum mortaliter ita electis, inducitur: quare & ad iustitiam, & sanctitatem gratiamque sanctificantem amittendam ipsis aufertur libertas: Catherinum sectatus est Ledesma, de auxil. q. vn. princip. art. 5. ad confirmat. argum 6. vterque tamen libertatem ad merendum, vel non merendum, venialiterque peccandum, vel non peccandum ita in gratia confirmatis relinquit. Noster Valentia t. 1. in 1. p. q. 23. d. 1. p. 1. punct. 4. §. 7 versic vlt. & d. 8. de grat. q. 3. punct. 4 §. 2. post 4. conclusionem versu. *Tertio alia* in ea antecedente electione efficace ad merita prædestinati in gratia confirmati eius in gratia confirmationem constituit: ea vero impotentiam antecedentem peccandi mortaliter, & confirmato inducì, atque amittendi gratiam libertatem absolutè auferri negat. Hoc enim in sententia Catherini adeo est durum, ne dicam erroneum vt cunctis eius tempestatis Doctoribus Catholicis valde moueric stomachum, Ioann. à Bononia, de prædest. p. 2. opin. 3. priuatis cum Catherino colloquiis coram, & vulgato scripto illud confutauit: Dominicus item Soto in c. 9. ad Roman. digress. de prædestinatione Corduba 1. quæstionarij, q. 36. Bartholom. Camerar Dialogo Cathol. cap. 10. temerarium, scripturæ aduersum ac erroris nota dignum censent, ac Vega insuper in Tridentin. c. 1. idcirco Sixtus Senensis, qui id aliquandiu tenuerat, & docuerat, tandem retractauit. 6. Bibliothecæ annotat. 248. Horum iudicio Theologi, & scholæ omnes Catholicæ concordant, Scotica, & Thomistica vtraque Dominicana etiam recentior, & Iesuitica tam Vasquiana quam Soaristica, indeque Vasquiana efficacem antecedentem electionem prædestinati cuiusvis (confirmati etiam) ad gloriam Soaristicam impugnat, quod absolutam potestatem, & libertatem mortaliter peccandi finaliter ita antecedenter, & efficaciter electis non relinquat contra Thomisticam vero antecedentem etiam absoluto consensui nostro voluntatem efficacem prædeterminatiuam, & efficacem etiam suo modo antecedentem electi merita ad gloriam electionem: vtrisque autem totus labor, & studium est mille subtilitatibus consequentiæ illius ab antecedentibus meritum, liberumque arbitrij nostri vsum efficacibus Dei electionibus, & voluntatibus ad impotentiam & necessitatem absolutam libertati nostræ aduersam siue in operando, siue in peccando, mortaliter etiam consequentiæ legitimitatem negare, conarique ostendere illegitimitatem, vt hac contr. & c. 1. de Deo vno contro. 3. d. 1. vidimus.

5. Et quidem in eo se Thomistæ Recentiores à Calvinistis discrepare contendunt quod illi suis antecedentibus efficacibus decretis, electionibus, & prædestinationibus libertatem creatam euerti fateantur, atque absolutam ad oppositum impotentiam nobis induci, ipsi vero, id electionibus, efficacibus antecedentibus decretisq; prædeterminatiuis fieri constanter, & mordicus negent: sed ad rem præsentem specialius adhuc confirmationis impotentiam grauiter etiam peccandi non induci, neque ad grauia peccata admittenda libertatem confirmatis euerti sæpe scriptura testatur. Primo enim de saluandis Sanctisq; cunctis: quare, & de confirmatis in gratia dicitur Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala* (quibus vtique damnaretur, ac æternum periret) *& non fecit.* Apoc. 3. *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam*, prædestinatis omnibus, ac proinde confirmatis in gratia dictum, potestatem antecedentem absolutam ipsorum ad graue peccatum finale, quo à gloria deuient, & coronam æternam amittant continet expresse, sed omnium vrgentissimum illud est Pauli in gratia confirmati, quod 1. Corint. 9. de seipso dixit. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar*, illa enim voce *forte* absoluta euentus contingentia, & possibilitas (fatentibus Patribus, Catholicis interpretibus, & Scholasticis omnibus) denotatur in scriptura, ac subinde absoluta & antecedens Pauli à salute decidendi & grauiter peccandi potestas vti ad eum locum docent Euseb. Emissen. hom. 1. de init. quadrages. Origen t. 2. commentario in cap 8. ad Rom. fine, & Patres reliqui, qui in eiusdem interpretationem inciderunt: cum ergo confirmatio in gratia solum consequentem impotentiam peccandi mortaliter, & amittendi gratiam, atq; necessitatem perseuerandi in illa confirmatis in gratia possit afferre, eaque prædestinatis omnibus prædestinatione sola afferatur explicandum restat quidnam aliud, quod impotentia absoluta, & antecedens grauiter peccandi, & amittendi gratiam non sit, speciale illud confirmationis in gratia priuilegium ita confirmatis apponat.

6. Nonnulli apud Chrystophorum de Vega vbi proxime §. *perperam* docent esse illud fomitis extinctionem: eos tamen ipse refellit: quia ea in Adamo innocente fuit, quin fuerit in gratia confirmatus, quam amisit: verum nec prædestinatus fuit, prædestinatione status innocentiæ propria, alioqui nec gratiam, & innocentiam amisisset: extinctio autem fomitis sola confirmatio in gratia per hosce authores non est, sed cum prædestinatione coniuncta, cum qua complet in gratia confirmationem: sed melius confutantur: quia (Deipara excepta) nemo confirmatus in gratia peccati fomitem habuit extinctum: patet in Paulo in gratia cum primis confirmato verbis nuper recitatis & illis insuper. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: lex autem membrorum legi mentis & rationi repugnans, nil aliud quam vitiosa habitualis concupiscentia, ac peccati viuus, & viuidus fomes est: illis denique eiusdem Pauli verbis. *Datus est mihi stimulus carnis meæ qui me colaphizet*. Secundo alij apud Vegam eundem ibidem ad remotionem externarum Dæmonis suggestionum pro confirmatione in gratia saltem complenda, recurrunt: quos æque leuiter ipse confutat in Dæmonibus qui confirmati in gratia non fuerunt, etsi ab eis Dæmonũ suggestio fuerit remotè, ac nusquam ex illa peccarint: cæteris exceptis Lucifero, & ex eodem ordine supremo Angelis lapsis, reliqui inferiorum ordinum Dæmones illorum prauis suggestionibus actos peccasse dubium mihi non est vt contro. de Angelis. d. de statu viæ ipsorum ostendam, sed esto fuerint suggestiones Dæmonum aliorum ab aliis remotæ: cum prædestinati non fuerint earum suggestionum remotio confirmatio eorum in gratia non fuit, quæ sine prædestinatione esse non potest: quam amotio suggestionum in absolutam confirmationem in gratia compleret si adfuisset. Melius impugnantur: quia Angeli boni ordinis primi confirmati in gratia pro statu viæ non sunt etsi fuerint prædestinati, ac nullam à malis Angelis suggestionem passi, neque pati ab eis naturæ ordine seruato potuerint, vt citato loco videbimus. Secundo cum Dæmones prauis suggestionibus Tyrannos ad Apostolos cruciandos à Deo accenderint, & exacuerint, vt eos à fide, & Euangelica prædicatione dejicerent, atque exterrerent, eosdem Apostolos prauas suas suggestiones, vt fide, & prædicatione absisterent non immisisse incredibile est, cum tamen confirmatos in gratia Apostolos fuisse certum prorsus sit. Tertio demum: etsi omnis Dei externa protectio, & tam externarum, quam internarum tentationum ac suggestionum amotio ad prædestinationem, & propriam eius perseuerantiæ donum spectet, ad speciale tamen confirmationis, & obfirmationis in gratia donum non spectat: nec (me iudice) spectare potest, vt ex nostræ sententiæ probatione satis vero simile apparebit.

CERTAMEN II.

Nostrorum Vasquianorum, & Soaristarum ac Dominicanorum aliquot sententias expendo.

1. NOster Molina prima parte, quæstione 14. articulo 13. d. 18. docuisse videtur confirmationem in gratia prædestinationi, quam necessatio supponit, addere reuelationem de sua perseuerantia factam prædestinato, id quod expressius, explicatiusque docuit Vasquez prima parte, d. 90. capite secundo, numero septimo, & 1. 2. tom. secundo, d. 200. capite quinto, numero 33. quem noti Discipuli sectantur, & alij, in quibus Christophorus de Vega citato certamine 10. & numero 1185. §. *Censeo illum solum*: sub cuius finem refert etiam nostrum Balthasarem Aluarez Lusitanum Primarium Eborensis Academiæ Professorem: cuius patriam, & reliqua noto, ne illum esse putes nominis & cognominis eiusdem nostrum etiam, Castellanum tamen, venerabilem sanctitate virum, atque Sanctæ Theresiæ confessarium, & præciputum eius in spiritu Magistrum, ipsa testante, promotorem de cuius sanctimonia, & perfectione spirituali eiusdem sanctæ testimonium ex Dei reuelatione extat: illum Sanctorum omnium militantis tunc Ecclesiæ perfectissimum fuisse: eandem sententiam reputat Soarez tom. 3. de gratia libro 10. capite octauo. Probat Vasquez, quia confirmatio in gratia nec stat, nec stare potest in aliquo asserente absolutam necessitatem perseuerandi in illa antecedentem, ac simpliciter talem, neque item in consequente necessitate perseuerandi præcisè: eam siquidem prædestinatio cuiuis prædestinato facit: addet ergo eius necessitatis perseuerandi in gratia reuelationem, quæ subiectiuam addat, vt non obiectiuam perseuerandi certitudinem, & securitatem, ac non peccandi firmitatem. Huc euadit Christophori Vega ratio, seu potius explicatio supra numerum 1187. §. *Arbitror ergo*: quia obiectiua non peccandi necessitas nequit non esse vel antecedens, in qua vt vidimus confirmatio in gratia non stat, vel consequens, quæ prædestinatione continetur, nec potest esse obiectiuè maior, vt eo excessu maioris consequentis necessitatis stare vel compleri confirmationem in gratia dicamus: solum ergo esse potest maior subiectiua, firmitas necessitas, ac securitas non peccandi ex Dei reuelatione de perseuerantia futura facta prædestinato, ex qua deinceps obfirmatiore animo vitæ huius pericula, aggredietur, & negliget, quasi per contemptum quantumvis acres tentationes, quam alij prædestinati, quibus de sua perseuerantia in gratia ex diuina reuelatione non innotuerit: quare non ita obfirmato, confirmatóque animo in gratia, & perseuerantia esse merito dicuntur: id quod appositio exemplo præmisso explicuerat numero 1185. §. *Censeo illum*: si enim quis viam plerumque latronibus obsessam, ac semper proinde obnoxiam cum sociis aliquot ingressurus, ex Dei reuelatione nullum occursurum latronem solus sciret dubio procul obfirmato animo viam carperet, ac securus cum sociis aliis timidis tamen, persequeretur prosequereturque: ita, &c.

2. Opponit Soarius proxime & 3. de prædestinatione fine. Nec Ioannem Baptistam Paulum, & Apostolos confirmatos explorato in gratia, non habuisse prædestinationis, & suæ in gratia perseuerantiæ reuelationem, nec eius pro illis asserendæ in scriptura fundamentum extare: sed assumptum, falsum est, vt rectè Vega citato numero 1187. §. *Insuper et aliquis*, de morte enim, & martyrio suo, quo eius prædestinatio completa est habitam à Ioanne Baptista multo antea reuelationem Patres testantur, Andreas Cretensis oratione de amputat. capitis Baptistæ, scribens *Hic vero manifestam, & ante oculos positam mortem habebat ex tempore*, vt minimum, Baptistæ Christi in Iordane, vt Nazianz. orat. 39. ad illa Ioann. verba. *Ego à te debeo baptizari*, sic expressit. *Addo, & pro te (exploratum enim habebat fore, vt martyrio baptizaretur) & tu venis ad me: hoc quoque propheticum: futurum enim norat, vt quemadmodum ipse Herodem Pilatus fureret, ita quoque eum prius vita functum, Christus sequeretur.* Atque illud Baptistæ dictum de se, & Christo Domino dictum Ioann. 3. *Illum oportet crescere, me autem minui*, de capitis etiam sui per martyrium imminutione dictum propheticè à Baptista sanctus Augustinus censet. Suæ vero prædestinationis, ac perseuerantiæ in gratia reuelationem factam Apostolis fuisse constat primo: quia Sanctis pluribus aliis facta à sancto Thoma eiusque interpretibus asseritur, 1. 2. quæstione 112. articulo quinto, plurimisque fide dignis historiis: quare id Apostolis, quoad supernaturalia dona priuilegiatis præ cæteris Sanctis negari absque nimia audacia nequit: id de Paulo speciatim docet Vasquez proximè, §. *Adde Paulum*, ex illo: *vas electionis est mihi iste, vt portet, &c.* & Sanctus Thomas ex illo: *sufficit tibi gratia mea.* Melius impugnatur: quia fælicissimus latro certus ex Dei reuelatione illa; hodie mecum eris in Paradiso de sua prædestinatione, & perseuerantia fuit, aliique sancti instante obitu similem reuelationem ex fide dignis historiis habuerunt, & tantien nec Dimas, neque hi confirmati in gratia ab vllo habiti sunt. Nec valet reuelationes eiusmodi prædestinationis quidem eorum, non autem perseuerantiæ diuturnæ eorum in gratia, ad confirmationem requisitæ, vt vidimus fuisse: sed quid dicet citatus Vega qui perseuerantiæ diuturnitatem confirmationi in gratia impertinentem prorsus supra iudicabat: secundo reuelationem prædestinationis, multo ante obitum tempore, ac subinde diuturnæ in gratia perseuerantiæ insignes aliquot Sanctos habuisse fide dignæ etiam historiæ testantur, quos non proinde in gratia confirmatos censemus, secundo: quia Angelos bonos prædestinationis, ac perseuerantiæ suæ reuelationem habuisse, docet Vega ex sancto Augustino 11. de Genes. ad litteram capite 26. & 12. de ciuitate capite 11. quos tamen nemo confirmatos in gratia concedit: immo non fuisse vt indubitatum supponit Ruiz de Montoya de prædestinatione d. 50. sectione 4. numero 6. Addit numero 7. nec donum perseuerantiæ fuisse eis concessum, vti nec homini si in statu innocentiæ prædestinaretur datur: quia meritis solum Christi, statu innocentiæ per peccatum soluto aduenturi tantum donum seruatum est: ac tandem Angelis bonis solum posse datum à Deo fuisse, non autem ipsum velle multis Sancti Augustini testimoniis contendit: de his autem difficillimis additamentis per otium nos contra de Angelis disputabimus.

3. Displicet tertio sententia præfata: quia confirmatio in gratia siue obfirmatio contra peccatum mortale, non stat in securitate illa, quam facit iudicium certum de eo quod gratiæ impugnatores, vel non aderunt, vel si adsint non vincent, sed potius vincentur: illud enim iudicium ortaque ex eo securitas acriter, fortiterque, ac omni arte pugnantes contra peccatum, & ingruentes tentationes non facit, sed inertes potius, segnes victoriæ securitate, ac deides potius, & negligentes: id quod exemplo illo quo eam sententiam confirmabat Vega satis claret: qui enim certus non occursuros grassatores viam capesseret, securior quidem sociis de eo ignaris iter ageret, non autem ad pugnam paratior, animóque ad confligendum pro vita, & pecunia tuenda cum grassatoribus, si occurrant, ardentiore obfirmatioreque, vt patet, quod autem etsi antecedens necessitas non peccandi, seu peccandi absoluta impotentia confirmatione in gratia non afferatur afferri tamen ab ea aliquid possit, ac debeat, quo obfirmatior ex parte actus primi contra peccatum fortiorque, & confirmatior in gratia prædestinatus

stinatus reddatur certamine tertio ostendemus : quare nostri Vasquez , & Christophori de Vega fundamenta euanescunt : sed Balthasar. Aluarez pro eadem sententia arguebat à paritate diplomatis confirmationis beneficij , quo & ius percipiendi fructus beneficij affertur beneficiato , & iuris illius perpetuitas , nisi vocetenus paritatem ad confirmationem prædestinati in gratia per reuelationem prædestinationis & perseuerantiæ in gratia non habet, etenim confirmatio beneficij ius ipsum perpetuum percipiendi fructus , & impotentiam amouendi à iure illo beneficiatum , quæ ante illam non habebat affert beneficiato , reuelatio autem prædestinationis, & perseuerantiæ in gratia prædestinatione ipsa inclusæ , & inductæ prædestinati eas prædestinato , nec affert, nec auget : ficuti nec beneficiato iam confirmato reuelatio , & ex ea ortum in eo iudicium , quasi reflexum de sua confirmatione , & iure per illam sibi quæsito perpetuo firmius ipsi beneficium illud, & ius perpetuum percipiendi fructus minime faceret.

4. Soarez t. 3. de gratia libro 10. capite 8. cum in aliorum sententiis non quiesçat tandem numero 27. confirmationem in gratia à dono perseuerantiæ in illa nullatenus differre censuit ; id quod probat ex capite 2. ad Thessalon, & Psalm 36. ac 62. atque aliis scripturæ locis, quibus confirmare tantumdem valet , ac perseuerantiam tribuere. Secundo : quia sanctus Augustinus confirmationem in gratia , cum perseuerantiæ dono vbique confudit ; cum tamen dona gratiæ diligentissime diuidat : immo capite 11. & 12. diuidens adiutorium quod datur homini posse perseuerare si velit , & aliud , quo datur vt velit , & perseueret : atque hoc promissum esse Apostolis Ioan. 15. vbi fructuum suorum permanentia promittitur , datique cunctis , quibus , vt in bono perseuerantissime stent à Deo donatur , vltra quod nihil confirmatio in gratia continet , & quidquid Sanctus Thomas quæstione 24. de veritate articulo 9. de confirmatione in gratia docet dono perseuerantiæ conuenit : & quidquid Salmeron nostet præambulis notationibus ad epistolam Pauli , parte secunda , d. 14. & 15. de confirmatione in gratia , & perseuerantiæ dono summa eruditione congessit indifferenter , ac mutuo vtrique dono conueniunt : quoniam vero id contra statam apud sacros interpretes sententiam de aduentu Spiritus Sancti in Apostolos eos induendo virtute , & in gratia confirmando , & contra omnes Theologos vtrumque donum distinguentes (vt constat ex Sancto Thoma , prima parte , quæstione 100. articulo secundo ad 1. aiente conseruationem in gratia non fieri necessario per confirmationem in illa , & quæstione 24. de veritate articulo 8. dicente confirmationem viatoribus fieri per eorum à bono immobilitatem moralem seu valde difficilem mobilitatem , ad malum) esse Soarez vidit , concludit numero 29. §. *Sed licet* , accidentaliè confirmationis in gratia donum à dono perseuerantiæ distingui , vt gratia intensior à remissiore : vt scilicet donum perseuerantiæ constans maiori auxiliorum copia , & pro occasionibus cunctis, qua maiore excellentia, & facilitate (vtique subiectiua) contra maiores tentationes, & spirituales pugnas , in bono quis stet , & resistat malo , donum confirmationis in gratia sit ; perseuerantiæ vero , si minori copia auxiliorum , &c. constet , iuxta ab ipso dicta prima parte , libro tertio , de prædestinatione capite 10. §. *Dicere ergo possumus* , & quidem sententia hæc verum habere posset , si ipse auxiliorum nomine habitus potenter inclinantes ad actus quibus perstadum in iustitia est contra omnia, quæ illam, atque in illa perseuerantiam quoquo modo impugnent , verum hos habitus auxiliorum nomine non intelligit : immo vero illos ad confirmationem in gratia minime pertinere arbitratur : quare verum non habet : quia confirmatio in gratia habituale quid , & permanens donum est , auxiliorum vero copia actuale quid, & transiens, nec simul pro occasione omni, sed diuisim, & successiue pro vnaquaque occasione donatum.

5. Ledesma de auxil. quæst. vnica princ. art. 5. ad confirmationem argumenti 6. confirmationis in gratia additamentum supra perseuerantiæ donum in maiore perfectione gratiæ habitualis , quæ gratiæ consummatæ Beatorum patriæ sit simillima : in quo autem ea quam maxima similitudo stet , nec percipitur , neque ab ipso explicatur , nisi in impotentia absoluta peccandi , mortaliter , quam viatoribus confirmatis in gratia , sicut & Beatis ibi, vt vidimus supra , concedit. Porrò Ferrara 3. contra gent. capite 70. sine in maiori perfectione , siue intensiua , siue indiuiduali gratiæ habitualis confirmationem prior posuerat , sed quam maximam eius similitudinem gratiæ consummatæ Beatorum non admittit : addit vero ad confirmationis eius complementum Dei etiam erga confirmatum protectionem. Ferraram sequitur omnino Medina : verum Dei protectio externa per amotionem eorum , quibus perseuerantia in gratia , impeteretur fortius, atque impediretur ad prædestinationem , & communem prædestinatis cunctis perseuerantiam spectat , vt ex breuiatione persequutionis Antichristi postremæ pro prædestinatis cunctis facienda constat : & quidem fortioris diuturnioisque pugnæ amotione succumbant non pro duris , obfirmatioribusque ad pugnam militibus , sed pro delicatis , mollioribus , ac debilioribus militibus prouidetur : quare ad prædestinatos , non autem ad confirmatos in gratia , & contra peccatum obfirmatos , poterit spectare : si autem Dei protectionem internam intelligant , per auxiliorum internorum immissionem vberiorem iam sunt cum Soares proxime impugnati : denique illud de maiore gratiæ habituali , siue intensiua , siue indiuiduali perfectione impugnatur : quia Hieremias sanctior Isaia temere dicetur nullo scripturæ fundamento : ex qua præ Isaia confirmatum in gratia fuisse satis constat. Secundo nullum habitum per se infusum ad actus suos voluntatem inclinare (nedum potenter impellere) sed solum eius potentiam in actu primo ad illos complere ostendimus tom. 1. de ente supernat. controuersia de supernaturalibus habitibus. Tertio saltem ad frænandas naturales passiones ad actus rationi aduersos, & peccaminosos, quib gratia habitualis impugnetur expugnetur nihil illos habitus, vel parũ posse ex lapsu Adæ , Angelorum, præsertim Luciferi, diúque perfectissimorum hominum eis habitibus , & donis supernaturalibus ornatissimorum frequentibus lapsibus satis constat : quarto nullo habitu voluntatem , physicè, non solum prædeterminari , sed moueri adhuc diuinitus posse ostendimus tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. articulo 7. quinto (vt hæc omnia cessarent) gratiæ habitualis formale solum animi ornamentum, & perfectiuum est, non autem actiuè immediatè perfectiuum , ex Theologorum consensu , etsi aliorum habituum supernaturalium actiuorum sit radix in id enim solum admittitur, vt animam formaliter iustam, sanctam Deoque gratam constituat ; non vt eius potentiam actiuam ad supernaturales actus compleat adhuc , nedum adigat, & inclinet : ergo maior eius perfectio, siue intensiua , siue indiuidualis gratiorem solum Deo sanctioremque formaliter reddet prædestinatum , non autem magis actus supernaturalis , quo & peccato mortali resistatur , & gratia sanctificans conseruetur actiuum, Sexto demum cum gratia in qua quis confirmandus est maior, vel minor sit, & materia confirmationis, ac proinde mobilis de se à subiecto, in quouis gradu, & perfectione intra suam speciem habeatur : in nulla perfectione ipsius intra suam speciem suam potest eius confirmatio consistere.

CERTAMEN III.

De confirmatione in gratia, sententia nostra.

1. Assertio vnica. Confirmatio in gratia vltra donum perseuerantiæ , etiam diutinæ , & logicam necessitatem perseuerantiæ prædestinatione inclusam , habitum supernaturalem , non omnino per se infusum , sed actibus amoris Dei super omnia adquisibilem , & intensiorem eo qui pluribus diuturnis , ac repetitis

petitis intensisque valde actibus posset adquiri, quo moralis antecedens necessitas perstandi in gratia, & peccandi mortaliter impotentia confirmatis in gratia affertur, & inducitur: est expressa Sancti Thomæ conclusio. quæstione 25. de veritate, articulo 8. qui in ea morali immobilitate ad peccandum, seu mobilitate valde difficili à gratia ad peccatum confirmationem in gratia constituit. Probatur primo ex datis aliarum omnium sententiarum impugnationibus. Probatur secundo: quia confirmatio in gratia, & obfirmatio contra mortale quodvis eius destructiuum habitualis esse debet, & ex quo non logica solum & consequens necessitas perseuerandi, & peccandi impotentia, sed saltem moralis antecedens proueniat: at nullo alio quam præfato habitu melius ea confirmatio in gratia, & obfirmatio generalis contra quodvis peccatum mortale esse potest: ergo in eo stat confirmatio in gratia. Minor probatur: quia obiectum formale eius habitus, & motiuum actuum siue prosequutionis amicitiæ Dei, siue fugæ peccati ad quos voluntatem prædestinati inducit, ac mouet generale est cum ad habitam gratiam, & amicitiam habitualem Dei conseruandam, tum ad quodvis mortale ei aduersum, in quavis materia sit fugiendum: & quamvis actus amoris Dei super omnia id habeat etiam, tamen nec per modum habitus, siue habitualiter ac permanenter de se se non habet: tum quia physicè transiens de se est, quantumvis intensus sit: quare nec per se ipsum diuturnæ pugnæ, & victoriæ contra mortale quodvis inferuire aptum natum esse potest, nisi per habitum permanentem, & in quo permanenter, & habitualiter solummodo perseuerat: etsi autem, & actus contritionis imperfectæ de mortalibus ob generale motiuum, & ipsis adquiribilis habitus, etiam habitualiter, & permanenter aduerfetur, ac proinde amissioni gratiæ per mortale quodvis, ex parte actus primi, tamen & ignobilius motiuum est, quam confirmatos in gratia (scilicet ex prædestinatis sanctitate, & perfectione spirituali præstantissimos) deceat: & obfirmatio, seu confirmatio in gratia, & amicitia Dei directa ex motiuo solum amoris Dei super omnia esse potest; etsi ex motiuo etiam generali contritionis de peccatis, quo spirituale solum se conterentis commodum contra mortale omne attenditur gratia seruetur, & se ita conterens indirectè in illa confirmetur.

2. Quod autem habitu præfato prædestinatus antecedentem moralem necessitatem permanendi in gratia, & impotentiam subinde moralem peccandi mortaliter, contra omnes quantumvis graues, diuturnas, & importunas tentationes (vt speciale perseuerantiæ donum exigit) recipiat. Probatur facile: quia habitus pluribus, præsertim intensis actibus adquisitus, potenter à Deo potentiam ad similes actus impellit, vt antecedenter eam, etsi alias de se liberam, moraliter, determinet: quare, & communi æstimatione agentis naturalis ad vnum determinati ad instar efficiat operari: vt vulgari Prouerbio. *Consuetudo est altera natura*, circumfertur, & obuiis cuivis vitio assuetorum hominum comprobatur: inde illud Ioann. 5. Christi Domini ad Pharisæos. *Quomodo potestis credere* (doctrinæ fidei humilitatem suadente vbique, & redolente) *qui gloriam* (inanem, & mundi fastum) *ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis?* Et illud Ierem. 13. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere*, & alia sexcenta, quibus moralem necessitatem assuetudine actionum, & habitu inde orto, & impotentiam abstinendi ab eis, agendique oppositum hominibus induci scriptura testatur: atqui habitus Amoris Dei super omnia per accidens à Deo prædestinatis hisce infusus intensior est eo, quem diuturna actuum intensorum amoris illius, & frequenti repetitione adquirere ipsi possent, vt diximus: ergo moralem necessitatem perseuerandi in gratia, ac impotentiam peccandi mortaliter prædestinatis eis facient, qua non nisi per summam fere difficultatem peccare mortaliter absolutè queant: vt ad obfirmatum contra mortale animum est opus. Ne vero inde in tentationum grauium victoria confirmatis in gratia plerimum meriti minui obiicias, etsi non prorsus eis abolleatur meritum, quia ex libertate physica absolutè ea obsistunt: ita enim fatendum est si minimo, & quantum satis solum ad victoriam tentationis grauis fit, resistatur, vt in ea confirmatus in gratia quam non confirmatus meriti habeat minus: ast nunquam à Deo minimo actu præstantissimæ sanctitatis, & perfectionis viri, quales confirmati in gratia sunt, peccatis ex charitate, & præfato habitu per accidens infuso resistunt, & in gratia perseuerant, sed intensioribus, & perfectioribus, ad quos non physicam solum, sed moralem etiam habent libertatem.

3. Verum cum controuersia de animæ facultatibus & tom. primo de Deo vno controuersia tertia multo authoritatis, & rationis momento ostenderimus voluntatem nulla qualitate physica non solum determinabilem physicè ex parte actus primi esse (vt contra Thomistas Recentiores Dominicanos Vasquez, prima parte, d. 90. & sæpè alias docte obseruat) sed neque esse physicè mobilem, & inclinabilem: explicandum restat, quidnam intensissimi illius habitus per accidens, ad ipsorum confirmationem in gratia conferendum, prædestinatis aliquibus infusi nomine intelligamus: & quidem cum citatis locis voluntatem creatam intentionaliter solum mobilem, & inclinabilem, hoc est per alicuius obiectuam, & intentionalem, siue ex parte obiecti propositionem, esse docuerimus, nil aliud in nostra, ac vera sententia esse habitus ille intensissimus, moraliter determinans ad perstandum in gratia, & obsistendum grauibus, ac vehementibus tentationibus ad mortale inducentibus præter habituale dictamen rationis intensissimum esse potest de Deo cunctis creatis siue positiuis, siue priuatiuis bonis præferendo ei simile, quod ex frequentibus, diuique repetitis Amoris Dei super omnia actibus gignatur, ac permanenter persisteret. Sed quidnam dictamen illud est? nil sane aliud quam viuidissimæ species in memoria adseruatæ quæ ex repetitione, eorum actuum, & iucunditatis in eis experimento frequenti perceptæ, atque item ex repetitione actualium dictaminum ex quibus actus illi Amoris Dei elicuti sunt, proueniunt: quo solum pacto virtutis cuiusvis dictamina in sanctis viris habitualiter permanent, & virtutis eius habitus inest: ex eo vero adeo intenso, & viuido habituali dictamine confirmatis in gratia à Deo per accidens simul, semelque infuso adeo viuida actualia dictamina de Deo cunctis præferendo pro singulis occasionibus & tentationibus suboriuntur, vt male suadæ cogitationes, quantumvis vehementes, & actes motiuis in malum viribus moraliter, absolutè, ac ferè physicè etiam destituantur: quo sensu (tametsi non suo) Ledesmæ locutio verum haberet: quod scilicet confirmatio in gratia prædestinatorum aliquot in via, confirmatorum in gratia Beatorum in patria sit quamsimillima: Seruata nimirum proportione pro statuum diuersitate: sicut enim Dei visio indéque ortum euidens clarumque de Deo eiusque amicitia, & gratia cunctis creatis præferendo impotentiam physicam etiam peccandi Beatis inducit, ita etiam dictamen hoc confirmatorum in gratia viatorum moralem inducit peccandi impotentiam, vt vidimus.

4. Inde vero explicandum facile venit specialissimum atque Augustissimum Deiparæ priuilegium confirmationis ipsius non solum in gratia, & amicitia Dei absolutè, ac præcisè, sed in gratiæ, & amicitiæ Dei perfectione: quam specialem confirmationem in amicitiæ Dei perfectione, ex qua non solum nunquam venialiter peccauerit, vt dogma fert: sed nec venialiter peccare potuerit maximæ, ac pientissimæ omnium Matri lubens, & gratulabundus concedit: cum id à Deo facile per habitualia dictamina perfectiora & obiectiuè, & intensiue à Deo per accidens infusa intelligi ex dictis possit, & propugnari. Huic certè nostræ sententiæ fidem, lucemque dedit non exiguam Doctissimus noster Salmeron libro primo commentar

commentarior. in epistola Pauli parte secunda. d. 15. §. vlt. qui incipit. *Vt tamen magnus Thomas*, sub fin. scribens. *Per gratiam in statu viæ ita potest homo bono adstringi, vt non, nisi valde difficulter peccare valeat: propterea, quod ex virtutibus infusis vires inferiores reprimuntur, & voluntas in Deum fortius propendet, & ratio perfecitur in contemplatione diuinæ veritatis: cuius contemplatio in feruore amoris prouenientis hominem retrahit à peccato*: quibus principium proximum, & actuale retractionis à peccato diuinam contemplationem ex feruentibus amoris, actibus prouenientem esse dixit, scilicet habitualem, & permanentem, vt ad adhæsionem hominis bono habitualem de qua loquitur oportet: id quod explicari aptius, quam per dictamen habituale in speciebus ex amoris feruentis actibus in memoria relictis, & adseruatis nequit: tametsi Salmeron non ita plenè de habitibus natura sua adquisitis nobiscum sentiat, sed ex vulgatiori tunc Schola Thomistica videatur locutus. Monet autem bene à confirmatione in gratia donum perseuerantiæ non esse excludendum, quia moralis, necessitas perstandi in gratia, ac non peccandi mortaliter, ad confirmationem eiusmodi necessitati physicam peccandi potentiam, absolutam non excludit, nec metaphysicam & logicam, seu consequentem impotentiam peccandi claudit: quare neque ex sola morali illa impotentia eos peccaturos, & à gratia recessuros non esse, infallibile absolute non foret, ni ex logica & consequente necessitate infallibilitas perstandi in gratia, & non peccandi mortaliter de facto confirmatio accederet, vt patet, & nos etiam certamine primo ex communi Theologorum monebamus.

CERTAMEN IV.

De obduratione, seu induratione impiorum in malo, siue ad malum nostra sententia statuitur.

2 IMpiorum induratio in peccato dupliciter accipi potest. Primo actiuè, secundo passiuè: & actiuè quidem siue, vt sui principium actiuum importat certum est à Deo non esse, si secundum omnia, quæ includit sumatur (quo valde à confirmatione in gratia discordat, quæ tota tota à Deo, vt vidimus & agente, passiue, & intendente est) sed solum permissiue à Deo est, quatenus, vel peccandi vel perseuerandi in peccato logicam necessitatem includit quam sicuti, & peccatum Deus nec agit, neque intendit: cum tamen obduratio passiuè sumpta, & confirmationi in gratia omnino claudit. An vero reliquum, quod induratio in peccato, continet prouenire actiuè à Deo possit erit inferius videndum: passiue vero accepta induratio in peccato, est quam impius patitur, & à qua induratus dicitur in peccato: cum autem induratio passiua impij in peccato, in aliquo peccati genere, vel in omni genere peccati esse possit, diuidi debet in indurationem in genere aliquo peccati, & secundum quid talem, & in absoluram, & simpliciter dictam indurationem, seu quæ induratio in omni peccati genere sit: quo induratio in peccato, à confirmatione in gratia valde differt: tum enim confirmatio in gratia, & contra peccatum sine animi obfirmatione contra omne peccatum esse non possit, quia mortale quodvis, cuiusvis generis, & in quacumque materia sit gratiæ aduersetur, confirmatio in gratia, & obfirmatio contra peccatum mortale, quin simpliciter, & absolutè talis, & contra mortalia omnia generis, & materiæ cuiuscunque confirmatio sit esse non potest: obduratio vero cordis & induratio in peccato secundum quid subdiuidi adhuc potest in indurationem scilicet ex parte materiæ, seu generis peccati, in quo solum sit aliquis, vt diximus, & in indurationem secundum quid ex parte temporis, seu durationis: quia aliquandiu durat, & tandem in statu adhuc viæ: vitæque huius induratio cessat, & cor antea in peccato indurati, & obstinati emollescit vt à peccatis in quibus, & ad quæ induratus extiterat, abstineat, & tandem aliquando resipiscat. Denique induratio tam secundum quid alterutro modo, quam simpliciter, & absolutè in ordine ad tempus totum viæ, & mortalia cuiusvis generis omnia posse adhuc respectu alio ad auxilia gratiæ à malo retrahentia, atque inducentia in bonum simpliciter & absolutè talem, ac secundum quid solum indurationem in peccato cogitari: & iuxta hunc respectum ea induratio secundum quid erit, quæ aliquibus solum gratiæ auxiliis restitura de se, & natura sua sit, tametsi intensis & vehementibus, non autem omnibus, extraordinariæ etiam, & miraculosæ prouidentiæ gratiæ sit restitura. Ea vero absolutè, & simpliciter induratio in peccato eo etiam habito respectu censeatur, quæ omnibus etiam extraordinariis, & miraculosis diuinæ gratiæ auxiliis resistere apta de se, natâque sit. Dico autem omnibus non inclusis à Deo omnibus, vt aliqui pauculi in diuina potentia extraordinarissimi, & miraculosissimæ prouidentiæ non claudantur, quibus restiturus ita induratus non esset, vt eius nimirum voluntas verti à Deo quo velit absolute possit, vt supremum Dei dominium in voluntatem omnem creatam (à quo nulla induratione eximitur) vt diximus seruetur: tum etiam, quia moralis impossibilitas absoluta seu quam maxima impotentia recedendi à peccato non excluditur, ex eo, quod adeo extraordinariis auxiliis gratiæ possit superari. His prænotatis ad nostras conclusiones veniamus.

2. Dico primo: induratio in peccato reproborum propria & confirmationi prædestinatorum in gratia aduersans vltra consequentem necessitatem peccandi, & non abscedendi à peccato addit habitum intensissimum peccandi siue in aliquo peccati genere, si ex parte, & secundum quid ex parte materiæ, & obiecti induratio sit, siue absolutè in omni genere, si sit absoluta, & simpliciter induratio, & ex quo permanenter ad peccandum diuturne si vita suppetat diuturna, & contra vehementes, & frequentes Dei inspirationes, ac non abscedendum à peccato induratus impellatur, ac propendeat: conclusio hæc ex dictis de confirmatione in gratia, & datis pro nostra sententia probationibus huc aduocatis satis probabitur: quod enim necessitas logica peccandi, & perseuerandi in peccato, ad indurationem specialem, de qua loquimur satis non sit constat: quia alias reprobi omnes, qui ex vi reprobationis eam logicam necessitatem habent, essent ex induratis in peccato, ad quos sane plerique eorum pro statu viæ non spectant: quare habitus permanens ad peccandum, ac non abscedendum à peccato ex parte actus primi addendus est ex quo permanenter, & pro quouis vitæ tempore, & contra frequentes, & extraordinarias Dei vocationes, & auxilia sit adeo ad peccandum propensus, vt moralis necessitas peccandi, & impotentia à malo recedendi ipsi permanenter inducatur: nihil enim aliud supra logicam illam peccandi, & adhærendi mortali potest ad indurationem verosimiliter afferri, ac designari debet autem esse etiam ad diuturnam, & contra plures, frequentes, ac vehementes, & extraordinariæ, ac miraculosæ etiam prouidentiæ Dei inspirationes, vocationes resistentiam: alicui enim vehementi inspirationi: imo, & aliquibus, ac per occasiones aliquas resistere peccarèque, & peccato adhærere, nec respiscere aliquandiu, non solum reprobis absolutè, adhuc in aliquo peccati genere, non induratis, sed prædestinatis pluribus contingit: certè induratio hæc, & ex parte, vt sic dicam formæ absolutè talis, tametsi ex parte materiæ secundum quid, quia in aliquo solum peccati genere induratio est sæpe viatoribus contingit, atque eius generis fuisse censeo Pharaonis indurationem in non dimittendo populo contra vrgens Dei, tot signis, & flagellis etiam intimatum, ac demonstratum præceptum, & alias in aliis peccatorum generibus, quas scriptura alibi commemorat, atque ex authenticis, & fide dignis de aliquorum obstinatorum perditione historiis didicimus.

3. Absolutam vero, ac simpliciter prorsus, in omnique

peccatorum genere indurationem viatori alicui reprobo, etiam perditissimo contigisse non legi, neque obuenturam facile credam: ita enim vniuersim, & generatim omnigeno peccato mortali adhærere, atque animum vehementer ad ea omnia impelli ex motiuo quod in omnibus mortalibus inueniatur esse solummodo potest: illud autem duplex solummodo inuenitur; scilicet peccati grauis & malitiæ, seu grauis etiam offensæ Dei ratio: ob malitiæ autem, adhuc leuis, nedum grauis rationem vllum peccatum, nedum omnia, amari est prorsus impossibile: immo si materiæ circa quam, vel in qua peccata exercentur iucunditas, vtilitas, commodumve nostrum abesset, ea omnia necessario ratione malitiæ auersaremur. Ratione vero offensæ Dei grauis, quæ in omni mortali etiam reperitur, nisi ex odio formali Dei efficacissimo amari mortalia omnia nequeunt: cum autem odium hoc efficacissimum Dei, etsi absolutè possit, vix de viatore aliquo credi prudenter possit, aut præsumi, multo sanè minus habitus ex pluribus actibus eiusmodi procedens, & intensus, ad similes alios, & inde ad mortalium omnium amorem: quia graues Dei offensæ sunt potenter impellens vt ad eiusmodi indurationem oportet obuenturus viatori alicui credetur: de facto ergo obduratio eiusmodi propria Dæmonum prudentiæ æstimatione regulariter cēsēda est, an vero irregulariter alicui viatori de facto obuenerit obuenturáve sit ex dicendis de principio actiuo habitus permanentis quo induratio completur vt diximus, clarius commodiusque definietur: quid autem habitus ille à Deo potenter in malum, & peccatum impellens, ac moraliter necessitans sit ex dictis de habitu confirmationis in gratia satis constat.

4. Dico secundo: Præfatus habitus peccandi potenter in malum, & potenter impellens ac moraliter necessitans ad peccatum in genere, & materia aliqua peccati ac subindè induratio in ipso fœpè, ac frequentius (vt minimum) ex actibus pluribus peccandi in eo genere, ab indurato effectiuè progignitur. Probatur: quia habitus omnes adquisiti ad actus quoslibet eliciendos naturaliter, ac subinde connaturali prouidētia ex actuum similium, plurimumque, & plurium, quo intensiores habitus sunt, repetitione procedunt: quod autem fit ex causis naturalibus suis, & connaturali prouidentia sæpe, frequentius, & plerumque de facto fiunt (esto ab aliis causis super, vel præter naturaliter fieri absolutè possint) ergo præfatus habitus intensus impellens, moraliterque ad peccatum in genere, & materia aliqua necessitans ex plurium frequentium ac intensorum actuum generis eiusdem repetitione generantur, & actiue procedūt. Probatur secundo ex illo Ieremiæ 13. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas? & vos poteritis benefacere*, quibus moralis necessitas peccandi, & impotentia benefaciendi illorum in malo indurationem complens, & constituens significat (vt diximus cent. 3. n. 2.) Propheta: statim autem rationem, & causam impotentiæ moralis ad bonum, & necessitatis etiam moralis ad malum subdit Ieremias, *Cum didiceritis malum*, id est malo idololatriæ, de qua ibi, fueritis assueti: similiter probatur ex Ioanne 5. quomodo vos potestis credere qui *gloriam ab inuicem accipitis*: & aliis scripturæ locis frequentibus: est autem valde obseruandum habitum hunc indurationis in peccato aliquo naturaliter actuum peccandi in illo genere multitudine, & repetitione adquisitum, non adeo impellere indurareque hominem in peccato, atque oppositus habitus confirmationis in gratia hominem in illa confirmet, & contra peccatum obduret: siquidem ille habitus naturali virtute, & actiuitate actuum creatorum producitur, quorum etsi plurium, & intensorum actiuitas longè minor, & est & exercetur, quam ea sit, quam Deus speciali confirmationis in gratia dono, vt specialissimum priuilegium, & effusi in paucos, adhuc ex prædestinatis, amoris signum exercet.

5. Dico tertio: præfatum habitum obdurationis in aliquo peccati genere potest absolutè Deus se solum ipso, induratis per accidens infundere. Dixi in genere aliquo: nam de habitu obdurationis in omni peccato mortalis genere altius examen & aliunde post modum erit, est Vasquij nostri, & asseclarum, concl. 1. 2. t. 2. d. 90. c. 4. n 11. §. *Prima quidem* asserentis habitum vitiosum, in malum infundi à Deo per accidens posse nulla intensionis, aut propensionis limitatione, aut taxa mensuræ designata: immò Vasq. ratio à paritate concursus ad peccatum obliti creaturæ à Deo, de omni & summa etiam intensione, ac proinde quæ satis ad indurationem in peccato illius generis sit æque, & apertè probat: cum non ad remissiores gradus actus peccaminosi, sed ad intensos, etiam summè concursum suum offerat, ac præstet Deus, ac proinde ad summam habitus intensionem, vel ad nullam infinitam paritatis ratio, & mens Vasquij, & asseciarum extenditur, fateor huic paritati facile assignari disparitatē posse: cum Deus decreto suo concurrendi ad peccatum cum creatura ipsam ad peccatum nec inducat, nec inclinet, nec trahat nedum à Deo potenter, atque habitus indurans ipsam in illud impellat, moraliterque ex parte actus primi necessitet. Aliunde ergo conclusionem probo primo: quia habitus illius infusione nequit Deo, vt authori, creaturæ peccatum imputari: etsi enim per eiusmodi habitum moralis illa necessitas peccandi creaturæ recipienti inducatur; ast indifferentia, & libertas physica relinquitur, vt non nisi ex physicè libera creaturæ determinatione peccatum ab ea admittatur cum non admitti, etiam eo habito præsuppositio ab illo abhorret posset: quare sibi tandem ipsi creatura debet, quod peccet: confirmatur, quia tam externæ quam internæ tentationes acres, ac vehementer in peccatum ex parte actus primi impellentes potest Deus creaturæ immittere, dummodo ex fine vt labatur non sit, sed vt maiori cum laude stet, & illustriori victoria triumphet, atque maius præmium, & ampliorem coronam obtineat, quam si leues tentationes superaret, vel ex alio quo velis honesto fine: ergo, ex eodem fine poterit Deus habitum vitiosum intensum æquéque ex parte actus primi in peccatum impellentem infundere. Antecedens est certum, & in præcepto Domini de filij Isaac immolatione quo Abrahamum tentasse dicitur, comprobatum.

6. Confirmatur secundo: quia plures tam præue indolis, & ad aliquod vitij genus adeo naturæ propensi ex dispositione, & prouidentia Dei circa causas naturales ipsorum procreantur, vt vix ex quo etiam ad vsum rationis perueniunt, & ne vix quidem, ab eius vitij exercitio inspirationibus, & adhortationibus vehementibus parentum grauissimarum imminentium terrore, & inflictarum dolore, & horrore possint abstinere: ergo & habitum vitiosum indurationis in aliquo peccati genere quia certe hominem nihil magis impulsus, ac moralis necessitas ad peccandum in aliquo peccati genere ex parte actus primi apponit, poterit Deus per accidens infundere. Hæ autem confirmationes ideo verum habent, quia est in eiusmodi vehemens adeo propensio, & moralis cum necessitas ad peccandum mortaliter in genere aliquo, tam impotentia ad bonum, & honestum exercitium virtutis oppositæ ex parte actus primi à Deo, vel tentationes vehementissimæ immittente, vel naturales causas ad pessimam illam hominis indolem disponente, ac prouidente apponantur, cum tamen simul de sufficiente absolute auxilio ad obluctandum, resistendumque illis etiam potentissimis, & pessimis in malum propensionibus homini illi à Deo prouideatur, penes illum tandem hominem est quod præuæ suæ indoli, & immissæ tentationi succumbat, & peccet. An vero de facto eum indurationis in aliquo peccati genere habitum indurato alicui immiserit immissurúsve sit; Ceuleo Pharaonis à Deo immissum: idque vltra permissionem inobedientiæ in populi retentione illis verbis, *Ego indurabo cor Pharaonis*: significari, contra eam indurationem ex parte actus primi pugnatum à Deo tot portentis edictis, plagis & flagellis fuisse, vt iustitiæ, & potentiæ suæ magnificentiam, & in eius perditione, & in populi sui libertate demonstraret: quid autem in aliis reprobis à Deo actum agendumve de facto sit: nihil potest prudenter à nobis definiri nisi eius habitus, & indurationis in aliquo peccati genere infusionem à Deo, valde proportionatum sit superborum supplicium.

7. An vero habitus indurationis omni ex parte absolutæ, & simpliciter talis, siue in omni genere peccati immitti infundique per accidens à Deo possit maior est difficultas: in qua pro affirmante sententia fundamenta aliquot extant. Primum ex proxime dictis: quia absque vlla diuinæ bonitatis, sanctitatis, & iustitiæ, aliterúsve diuini attributi iactura,

ſtura : quare citra omnem Dei indecentiam fieri à Deo poſſit : cum inde nullius culpæ à creatura, cui eiuſmodi habitus, & generalis induratio in peccato à Deo per accidens infunderetur, admiſſæ author, cauſáve Deus eſſe, dicive poſſet, vt ex proximè dictis patet. Secundum : quia is habitus, & generalis in peccato induratio Dæmonibus, & damnatis cunctis ita à Deo infuſa videtur : Ergo, & infundi etiam à Deo per accidens viatoribus poterit : Conſequentia videtur legitima. Aſſumptum antecedens probatur : etenim Dæmones, damnati omnes ſtatim ac viæ ſtatu abſcedunt, & ſtatum damnationis pertingunt indurationem generalem illam in peccato omnigeno mortali patiuntur : eam autem acquiſito à ſe habitu non habent : ergo infuſo per accidens à Deo habebunt. Minor probatur (nam reliqua probatione non egent : etenim Dæmones, & damnati plures vno, vel ſaltem non multis mortalibus commiſſis via, vitáque præſenti abſcedunt, nemóque tot intenſis odij Dei formalis, & expreſſi actibus intenſis : quot ad generandum habitum odij Dei adeo intenſum, vt ad indurationem generalem in peccato opus eſſe diximus : ergo eum habitum, & indurationem generalem in peccato, nec Dæmon, nec homo vllus à ſe adquiſitum ex ſtatu viæ ſecum ad ſtatum illum damnationis adſportat : ſed neque inſtanti primo, & initio damnationis ſuæ poteſt illum acquirere : cum non niſi pluribus intenſis actibus odij formalis Dei, (quos omnes nequit damnatus inſtantivnico illo elicere) poſſit ab eis intenſiſſimus habitus ad indurationem illam neceſſarius generari : Ergo is indurationis generalis habitus à Deo per accidens infunditur cunctis damnatis, ſiue Dæmonibus, ſiue hominibus, vt primo argumenti huius aſſumpto antecedente dicebamus.

8. Dico nihilominus quarto : Habitum indurationis generalis in peccato nequit Deus viatori alicui per accidens infundere, ni forte abuſus gratiæ tantus immanibus, frequentibus, peſſimiſque omnigenis peccatis admiſſis in perditiſſimo aliquo viatorum (vltra menſuram quæ vt reor in aliquo ex reprobis erit) ſit, ob quem eius habitus infuſione puniri à Deo merito poſſit. Probatur concluſio quoad primam partem : quia non piis ſolum autibus, ſed & rationi diſſonum videtur, diuináque dedecens bonitatem viatorem purè, necdumque vitio ſuo noxium maléque meritum quoad mortalia perpetranda, in damnatorum exceptis pœnis, à Deo conſtitui, quid de ſe ſe, etiam originali præuiſo à Deo hominis cuiuſvis ſalutem deſiderat. Dices poſſe Deum ſimul cum habitu illo auxilia potentiſſima eidem viatori decernere, ac prouidere, quibus habitus illius quantumvis maxima in malum propenſio ſuperetur, idque in oſtenſionem virtutis, & diuitiarum gratiæ ſuæ. Reſpondetur tunc habitum illum indurationem in peccato abſolute non conſtituere cum neceſſitas logica peccandi ſine qua induratio in peccato eſſe non poteſt, & cum qua ſolum, & coniunctim, ac nuſquam ſe ſolo habitus ille poteſt indurationem conſtituere, viatori illi deficeret. Accedit : auxilio illo potentiſſimo ſimul ex parte actus primi poſito, ex parte etiam actus primi vires habitus ad malum impulſiuas frangi, debilitarique, vt ne moraliter determinent, neceſſitentque ad malum : immò etiam cum auxilium ſufficiens tantæ virtutis motiuæ in bonum conferretur, quanta eſſet habitus illius impulſiua virtus in peccatum : tunc enim ex parte actus primi voluntas in æquilibrio virtutis, & inclinationis ad vtrumvis maneret : quare ad neutrum moraliter neceſſitata, vt de ſe patet. Ex hac ratione concluſionis fundamenta ſententiæ affirmantis euaneſcunt. Primum : quia non inde negamus ; quod author peccatorum Deus foret, ſed aliunde. Secundum : quia etſi Deus habitus indurationis generalis in peccato damnatis cunctis foret, non inde infertur ſimilis habitus, & indurationis viatorum cauſam eſſe poſſe, ob rationem datam : cæterum nec damnato alicui, nedum omnibus, eius habitus, & indurationis cauſa Deus eſt : quia eorum obduratio non habitu, ſed odio actuali Dei vehementiſſimo in damnatis completur, quod licèt de ſe actus, nec permanens natura ſit damnationis tamen ſtatus Dei odium actuale, ſicut & mala cætera, continuum, permanens perpetuum, nunquam, nuſquamque interruptum, neque æternitate tota interrumpendum facit damnatis : cuius permanentiæ defectu odium actuale Dei, etſi viatori contingeret, eius indurationem in peccato nec compleret, nec conſtitueret.

9. Secunda vero concluſionis pars facile probatur : quia à Deo immanibus, & frequentibus delictis viatoris alicuius ſatis rationis, & motiui Deo apponeretur, vt citra bonitatis ſuæ indecentiam, & rationis ſuæ, ac noſtræ diſſonantiam ſtatu illo, quoad peccandum, damnatorum, ipſum puniret. Addidi vero menſuram peccatorum illorum, nullius reprobi de facto pertingere : tum quia in nullo à Deo frequentia, multáque, & immania in omni genere peccatorum ſunt, vt proportionem cum habitu generalis indurationis in peccato completum habeant, nec tantum demeriti, & motiui habeat, vt ad ſtatum illum infeliciſſimum pro viæ ſtatu viatori infligendum Dei bonitatem vincant, ac Deum trahant vel invitum idcirco eum generalis obdurationis habitum nulli reprobo à Deo infuſum credo : immò nec indurationis ſpecialis in aliquo peccati genere : ſi Pharaonem, vt diximus excipias. Neque enim Deus, in hominem ſat ex vitiata natura ad malum decliuem, & propenſum. *Tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ*, vt Pſalmo 61. dicitur, eius habitus infuſione irrueret. Maximè cum ſancti Auguſtini, & Patrum ſententia ob vitiatæ noſtræ naturæ propenſionem in malum potentiora, quam Adamo dederit, nobiſque daret, ſi ad nos vſque innocentiæ ſtatus peruenireț, gratiæ auxilia nobis prouiderit : immo, & magis longe efficacia ex Chriſti meritis, quam Angelis dedit, vt naturæ noſtræ infirmitatem maiori gratiæ fulero, & ſupernaturalis auxilij adiutorio fulciret : de quibus controu. de Angelis, & innocentiæ ſtatu agetur.

QVÆSTIO II.

Ecquid vitæ, mortiſque liber ſit, ac prædeſtinationi, vel reprobationi addat.

DE vitæ libro diſputarunt Scholaſtici veteres in prima ſententiarum (exceptis Scoto, Henrico, Gregorio, & Marſilio) Sanctus Thomas iterum prima parte, quæſtione 23. vbi eius Interpretes Vaſquez, Ruiz de Montoya, Ioannes Præpoſitus, Faſolus, etſi eam diſputationem alij Recentiores Scholaſtici omiſerint. Diſputarunt item Sacri Interpretes ad Pſalmum 68. verſu 29. vbi latè Lorinus, Exod. 32. Daniel. 12. Lucæ 10. Apocalyp. 3. & 17. de mortis libro, etſi in ſactis litteris expreſſa à Deo mentio non ſit, eſt autem fundamentum maximè ex iis, quæ de libro vitæ dicuntur.

CERTAMEN I.

E libri vitæ acceptionibus propria Theologia statuitur.

1 VItæ liber in Deo per metaphoram dicitur ex materiali libro, in quo memoriæ gratia actorum agendorumue (maxime circa electos ad dignitatem aliquam) aliquorum nomina, ab hominibus scribuntur. Proprietate siquidem sermonis Deo eiusque notitiæ præsenti semper & indefectibili natura sua, atque indelebili memoria, eiusque proprius liber omnino repugnat, vt obseruat ad rem hanc Augustin. 20. de ciuit. c. 15. fine verbis hisce. *Non Deum liber iste commemorat, ne obliuione fallatur, sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita. Nec enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit, vt sciat.* Vitæ igitur liber ob indefectibilitatem, & indelebilitatem longe maiorē scientiæ Dei de suis prædestinatis ad vitam quam conscriptorum in libris nostris sit, scientia ipsa Dei liber vitæ nominatur, vt proxime recitatis ita adnectit Aug. *Sed potius ipsa eius præscientia de illis, qua falli non potest, liber est vitæ in quo sunt scripti, id est præcogniti.* Eā sane metaphorā dedit olim Arist. 3. de anima text. 14. intellectum *tabulæ, in qua nihil scriptum, ac depictum* est comparans, vt cum intellectio accedit liber scriptus esse eadem metaphora intelligatur: porro vitæ liber multoties in scriptura legitur, non tamen semper Theologico sensu in quo de libro vitæ à Doctoribus præfatis disputatur, ac nobis disputandum est, libri enim, quibus de lege, ac præceptis Dei, agitur, Mosis, Prophetarum, ac de consiliis, & adhortationibus ad virtutem sectandam, & vitam æternam consequendam vitæ libri dicuntur; quia scripta in illis ad vitam æternam lectoribus conducunt. Ita enim habetur Eccles. 24. *Hæc omnia* (quæ ibi sapiens scripsit) *liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis, legem mandauit Moyses in præceptis iustificationum.* Quod si quæ ad vitam æternam conducentia Christus Dominus loquebatur, *verba vitæ æternæ*, merito à Petro appellata sunt: eodem iure & ratione eadem & similia scriptis tradita, scripta, ac liber subinde vitæ dicentur, sed tamen Theologico disputationis nostræ sensu fæpe alias de libro vitæ vel expressis, vel æquiualentibus vocibus est in sacris libris mentio.

2. Exod. 33. *Si non facis hoc dele me de libro vitæ, quem scripsisti.* Burgensis de libro virorum illustrium gentis iudaicæ, cuius Iosue, & Regum libri meminerunt intelligi voluit: de quo etiam loqui Psalmum 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Hieronym. & Hilar. non prohibent, sed insinuant. Verum cum historicus ille liber necdum inchoatus esset apud Hebræos Prophetice Moyses de futuro libro, tanquam de præterito locutus gratis dicetur secundo; quia liber ille scriptus à Deo ipso non fuit, sicuti neq; alius præter Decalogi librum; Moyses vero librum vitæ hunc à Deo ipso scriptum expresse testatur. Tertio ex Dei responso abiicitur. *Non; sed qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo.* Liber autem Dei proprius, & quasi sequestratus, à quo peccatis suis homines abolentur, seu scripti non sunt salutis haud dubio, ac vitæ æternæ liber, scientiaque Dei est. Et quanquam hæc similem verborum, psal. 68. interpretationem æque non refellant; ast viuentium nomine Beatos solum & saluandos à Psalmista semper significare constat ex illo *portio mea in terra viuentium*, aliisque locis pluribus, & vulgaribus. Quo autem peccato intelligi debeat, aut possit é libro vitæ scriptum deleri, postquam libri vitæ essentiā statuerimus opportunius docebimus. Idem vitæ liber Theologico sensu disputationis nostræ traditur Daniel. 12. *In illo tempore saluabitur omnis, qui inuentus fuerit in libro.* Saluandorum scilicet, & ad vitam æternam conscriptorum & Lucæ. 10. gaudentibus Discipulis, quod eis dæmonia etiam in Christi nomine subderentur Dominus ait. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* & 2. ad Timot. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: nouit Dominus, qui sunt eius*, vbi æquiualentibus vocibus vitæ liber adsitur: expressis vero ad Philippens. 4. *Cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.* Apocal. 3. *Non delebo eum de libro vitæ*: ac libri vitæ hoc proprio sensu extat mentio, capite 13. 17. & 20. fine, & capite 21. *Non introibit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; nisi, qui scripti sunt in libro vitæ*: capite autem 22. alio sensu liber vitæ memoratur. Denique Isai. 4. *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Hierusalem.*

3. Sed cum circa prædestinatos ad gloriam plures scientias, nostro intelligendi modo (quo pro obiectorum & statuum diuersitate eandem eius, & vnissimam scientiam partimur) easque immobiles, indefectibiles, infustribilesque habeat (mediam, qua prædestinatio constat, secundam prædestinationis ipsius tertiam operum ex prædestinatione à prædestinatis exhibitorum, quartam executiuæ ad gloriam electionis ob eiusmodi opera exhibita) videndum restat an hæ omnes scientiæ, vel quænam ex illis liber vitæ sit, aut constituat? duplicem aliam scientiam (de quibus in Soaristica sententia de inefficace antecedente electione prædestinatorum ad gloriam, & ad merita ipsa quæstio esse eodem iure posset: nempe an meritorum ordine intentionis, & gloriæ ipsius eodem ordine librum vitæ constituat?) consulto præmisi, etenim efficacem antecedentem & absolutam liberorum nostrorum operum, & cuiusvis effectus liberi, etsi mediatè, à nobis obtinendi impossibilem, ac operum & effectuum libertati contradicentem, tametsi illa per scientiam mediam essentialiter reguletur dirigaturque, ostendimus late contra Vasq. de volunt. d. 6. Secundo merita ordine intentionis fictitia solum merita esse ostendimus etiam satis contra Vasq. de incarnatione, & præsente etiam contra non semel, ac fusius controuersia de merito vniuersim; quare eæ quæstiones omittendæ à nobis fuerunt: maximè cum ex eis quæ de scientiis quatuor à nobis numeratis, quæ prædestinationi explorato interueniunt, & subsequuntur. Dicemus facile erit Soaristis de suis illis scientiis duabus ad rem præsentem definire.

4. Dico primo: scientia de executiua electione ad gloriam, siue de prædestinatis in gloria absolute collocandis proprius, & Theologicus liber vitæ est: ita sacri interpretes ad loca citata, & Theologici communiter citati à Ruiz d. 60. sect. 1. n. 2. Ioan. Præpos. 1. p. q. 24 & Fasol. Prudentius ex Patribus. Basil. in Psalm. 138. id *in libro tuo omnes scribentur*, ita exponit. *Non ideo dicit, quod liber quispiam sit in cælis, sed, vt libri mentione exactam scientiam significet*: vtiq; illam, qua post operum, ac meritorum contingentiam, atque vitæ pericula ne regnaturi præscirentur, præscientia absoluta indefectibili, & indelebili de ipsorum gloria quasi libro permanenter à Deo scribuntur: quod ipsum valet illud Luc. 10. *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo*: & postremum hoc *in cælis* tantumdem atque in gloria valere constat ex verbo *gaudete* quod de felicitate aliis superiore, & suprema est: vnde Patres legit frequenter *in libro vitæ*, æternæ nimirū, Chrysost. hom. 13. ad Philip. 4. propè morale. Cyril. Hieron. Basil. ad Isaiæ 4. pro ead. concl. stant August. recit. n. 1. & in Psal. 68. *deleantur de libro viuentium*: scribens. *Præscius ostendit, futuros omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum Filio sua in vita æterna. Hos, quos conscripsit, ipse continet liber vitæ.* gloss. ord. in ead. Psalmi verba sic ex Cassiod. Notitia Dei *qua prædestinauit* (quasi scripto designauit) ad vitam, *quos præscisit conformes fieri imagini Filij sui*, & ad id Apoc. 20. *Alius liber, &c.* ait. vel *liber est præscientia Dei: quia tunc aperte scient mali se non esse prædestinatos ad vitam, quam in mundo existentes sibi promittebant.* S. Iulianus Archiep. Toletan. 3. primum Aug. testimonium ex 20. de ciuit. cap. 15. transcripsit lib. 3. Prognostic. c. 39. Theophilact. ad verba data ex Luc. 10. scripta nomina in cælis ait, *non encæniis, seu atramento, sed in memoria Dei*: quæ nimirum non, nisi de absolutis, est Ansel. in c. 4. ad Philip. *quis est liber vitæ, nisi memoria Dei, in qua sunt illi, qui viuunt in æternum*, & in c. 3. Apoc. longè ab init. *liber vitæ præscientia dicitur diuina*: consonat Ioachim. Abb. in idem caput scribens. *Per librum vitæ memoria illa Dei accipienda est, de qua dicitur: in memoria æterna erit iustus.* Richard. Victorin. Apocal. parte 2. libro 1. c. 9. longè à med. *liber vitæ est sapientia*

Sapientia Dei, in qua omnes electi recte dicuntur scripti, & ad vitã æternã sunt prædestinati. Hugo Victor. t. 1. lib. quæstionũ in epist. ad Rom. q. 243. init. *Scribi in libro vitæ secundum præscientiam est esse præscitum, & præordinatum ad vitam.* Ac lib. instituт. monast. de clausтro animæ. c. 3. librum quartum vitæ ponit *Diuinam præscientiam.* Theophilact. ad ea Psalm. 68. *Et cum iustis non scribantur*, ait. *Per libros scriptura variam, ac multiplicem Dei cognitionem significat*; & in id psalm. 138. *in libro tuo* inquit. *Liber Dei est summa eius scientia: scriptura vero perpetua memoria.*

5. Dico secundo: hæc omnia expresse prædestinatione librum vitæ nec constitui, nec esse, sed sola præscientia Dei illum contineri testantur: in communiori sententia nostra de essentia prædestinationis ex scientia directiua electionis efficacium mediorum ad salutem, & electione ipsa vt eius complemento loquor: nam in eorum opinione, qui actu imperij intellectualis totam collocant prædestinationem his testimoniis prædestinatio à libro vitæ non ita facile reiicietur. Verum ea sententia, à nobis supra affatim impugnata, nunc permissa, prædestinationem in quocumque stet, librum vitæ, siue præscientiam, vt Patres aiunt saluandorum, non esse, probatur primo. quia, vt recto. S. Th. vbique, q. 7. de verit. a. 4. & in 3. d. 31. q. 1. a. 2. & q. 2. (quem sequuntur. q. vn. a. 2. cart. Hurtan. in 1. d. 40. q. 3. fine Ægydium etiam referens) & 1. p. q. 24. a. 1. prædestinatio, à libro vitæ, vt obiectum à sui cognitione, & scientia differt: ergo prædestinatio siue in actu voluntatis siue intellectus stet non est liber vitæ, seu scientia Dei in qua hic iuxta Patres, & scholasticos omnes consistit, sed scientiæ potius, seu libri vitæ obiectum S. Thomæ verba citato loco. 1. p. q. 24. a. 1. docte obseruata à nostro Vazq. in eius commentario sunt. *Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, est liber vitæ.* Secundo probatur à S. Thoma ibidem a. 2. corp. *quia liber vitæ potius*, seu proprie, *dicitur vitæ gloriæ, quam vitæ gratiæ*: ast prædestinatio in quocumque stet ad vitam gratiæ, imo ad sola media efficacia illius consequendæ immediate, directè, & executiue terminatur, illo siquidem tantum voluntas efficax & prouidentia seu præparatio est, etsi intentiue, inefficaciter tamen de se se, gratię vitam, vt medium proximius, & vlterius gloriæ vitam, vt finem intendat: ergo prædestinatio vitę proprie, & principaliter dictæ non est: probatur maior: quia vita Sanctorum absolute talis glorię solum vita in scripturis sacris appellatur, non autem vita iustitię tantum, nedum auxiliantis gratiæ ad eam consequendam. Etsi enim iustitia vita animæ sicut peccatum mortale animæ mors appelletur, tamen ideo est quia æternæ vitæ iustitia conducit, vt peccatum æternam mortem operatur, quarum altera simpliciter vita, altera vero absolute etiam & simpliciter mors est probat à simili S. Th. quia milites ad pugnandum solum non ad arma recipienda, fine quibus tamen vt mediis pugnare nequeunt: atqui prædestinatio mediorum, sine quibus vitam ad quam scribuntur prædestinati non obtinebunt solummodo est: ergo eorum scriptio in libro vitæ non est. Denique in communiori nostræ prędestinationis constituendæ sententia ex scientia media dirigente & mediorum efficacium electione, facilius probatur. Prædestinationem adhuc ratione scientiæ huius in se inclusę librum vitę esse non posse iuxta Scripturæ Patrum, & scholasticorum sententiam. Quia ea scientia communis est prædestinatis & reprobis, cum omnes, nullo excepto, auxiliis aliquibus consensuri, & consecuturi gloriam, & vitam æternam sint, ac ea scientia à Deo cognoscantur liberumque Deo sit, ea scientia posita hos vel illos prędestinare: ergo per illam prædestinati & saluandi non præsciuntur potius, esse saluandi, quam ij, qui non prædestinati sed reprobi sunt. Ergo illa scientia liber saluandorum, seu prædestinatorum, ac subinde vitæ liber firmus, certus, ac permanens non est.

6. Constat ergo ex duplici hac conclusione scientiam, seu præscientiam absolutam vitę & salutis æternæ absolute & executiue futurę prædestinatorum, eamque solam præscientiam vitæ librum proprie & Theologice acceptum esse. Duo tamen conclusioni huic ex duplici præmissa, & probata à Patrum authoritate obiici posse videntur primum ex Cassiodoro, & glossa supra recitatis & authore commentariot. in Apocalyps. insertorum Ambrosij operibus, qui librum vitæ prędestinationem esse dicunt contra secundam conclusionem. Communis autem, & Germana solutio est quam Cassiodorum, & glossam recitantes, breuiter dedimus. Nimirum prædestinare, & prædestinationem ibi, vt & alias sæpe, idem atque præsignare, ac præsignationem valere, quod non nisi scientia Dei de iam prædestinatis seu electis (vt glossa ex Cassiodoro præmiserat fieri nequit. Quæ acceptio, & significatio satis à Paulo traditur. 2. ad Timot. 2. n. 19. *Firmum fundamentum Dei stat: habens signaculum hoc. Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Loquitur autem de prædestinatis & vasis aliis in contumeliam hæreticis, Hymenæo &c. Secundo opponi possunt cum citati, tum alij Patres, & S. Thomas, qui scientiam prædestinationis ad gloriam, siue ad illam prædestinatorum vitæ librum esse docent: cum absolutè dicta prædestinatio executiua gloriæ voluntas non sit, sed solum mediorum gratiæ efficacium ad illam obtinendam: respondetur tamen prędestinationem ad gloriam pro absoluta electione ad gloriam (quæ non nisi post prædestinationem rigide acceptam, & absoluta merita ac subinde executiua esse potest) à Patribus, & Theologis sæpe vsurpari, vt electionem antecedentem absolutam ad gloriam reiicientes obseruabamus, id quod in S. Thoma locum vel maxime habet. cum 4. p. q. 24. a. c. corpor. q. 7. de verit. a. 5. 6. & 7. in 1. d. 40. q. 1. a. 2. 4. 3. ad. 3. & vbiuis de libro vitæ proprio. & Theologico egit, simpliciter & absolute de libro & scientia gloriæ, non gratiæ intelligi debere constanter affirmat.

CERTAMEN II.

De mortis libro, & aliis vtrumque librum concernentibus.

I MOrtis librum in Deo negant scholastici ex primoribus. Albert. magn. 1. p. q. 69. m. 2. Alexand. Alens. 1. p. q. 23. m 2. sub fin. s. 1. p. q. 24. a. 1. ad. 3. q. 7. de verit. a. 8. Bruiz de Montoia cita. d. 60. sect. 5. n. 7. concl. 2. Fasol. 1. p. q. 24. a. 1. n. 6. commentarij. §. vlt. Probat Alexander quia, *Sicut luce cognoscuntur tenebræ, non tamen ibi videntur: sic in libro vitæ cognoscitur mors, non tamen ibi videbitur, vel legetur: quia non cognoscetur ibi mors per essentiam, sed per priuationem, & ita non potest dici per se, nec proprie liber mortis, sed vitæ.* Huic tantum rationi fidit Fasolus, quæ eo tandem cuadit, quod, vt morti destinati cognoscantur, fat sit eos scientia, seu libro vitæ scriptos, & præscitos non videri: ita enim, vt tenebræ cognoscentur, quæ nusquam in se, sed priuatione visionis lucis videntur. Confirmari potest ex verbis glossæ ad id Apocal. 1. *Alius liber* datis cert. 1. n. 4. *Vel liber est præscientia Dei: quia tunc aperte scient mali se non esse prædestinatos ad vitam, quam in mundo existentes sibi promittebant.* Cum scilicet se in libro vitæ, seu præscientia saluandorum scriptos non videant. Albertus, & S. Thom. Probant primo: quia electi in libro scribuntur, non autem reiecti, ac repudiati; quales reprobi sunt. Secundo: quia Deum de sese vitam, ac vitę fontem mortis liber videtur dedecere. Hanc rationem altius inspectam ita confirmo, quia libri alicuius ij solum dicuntur, qui vel ab ipso, vel de eius mandato, & voluntate ab alio scribuntur, non autem, qui scribuntur, in eiusue scriniis, aut bibliotheca contra ipsius voluntatem inseruntur ab aliis; at vita solum, & æterna salus omnium, eiusque subinde præscientia & liber voluntatis Dei est, mors autem, & damnatio æterna reproborum eiusque subinde præscientia à Deo est contra Dei voluntatem, vt non nisi inuitus, & vocatus ab ipsis (vt Patres loquuntur) ad eorum mortem, & damnationem trahatur, vixque veniat Deus: ergo præscientia, mortis eorum, non eius liber, sed contra eius voluntatem in scientię sue scriniis, & bibliotheca ab aliis inseritur, ac reponitur. Ruiz aliam deducit rationem nostrę huic confirmationi non multum absimilem ex illo Malachię 3.

Scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum. Quo autem pacto mors & damnatio impij, à qua Deus faciem auertit, liber coram Deo scriptus dici poterit, & liber *monumenti*, siue ad perpetuam rei memoriam, pœnæ & damnationis impiorum cuius potius vult de se, ac pro sua pietate velle obliuisci Deus. Vt acute Cyrillus ad eum locum sic expendit. *Pœnam æqualem constituere oporteret: hoc etiam iniuria immemor prætermittit; scribit autem librum monimenti timentibus ipsum.*

2. Dico primo: liber mortis reproborum proprie & per se est in Deo. Ita Pererius in c. 7. Daniel. Vazquez proxime commentario, articuli 2. §. *Basilius tamen.* Ioan. Præpositus proxime, n. 2. §. *Aduerte.* 1, consensit tacitus Soarez 1. p. tract. 2. lib. 1. c 20. dum ex Patribus sententiam recitat nec refellit. Probatur ex Ierem. 7. verbis. *Recedentes à te in terra scribentur* quæ Hieronymus ad 7. Daniel. verba *iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Sic exponit. *Bonus liber ille est, quem sæpe legimus, liber viuentium. Malus liber, qui accusatoris tenetur manu: de quo Apocalypsis, accusator fratrum nostrorum. Liber iste terrenus est, de qua Propheta dicit: in terra scribentur*: in quo etsi reproborum demerita, de quibus à dæmone reprobi accusantur, contineantur, tamen cum virtute damnationem contineat, eumque libro viuentium, seu vitæ directe Hieronymus opponat, cui solus mortis, & damnationis opponitur directe, pro libro mortis positum à Daniele censet. Euthymius in psal. 138. ad id in libro tuo omnes scribentur, ait. *In libro igitur diuinæ scientiæ omnes scribuntur, tam iusti, quam peccatores,* & ad id psalm. 6. *cum iustis non scribantur*, inquit, *est alius liber, in quo* peccatores scribuntur: iudicium enim sedit &c. quod autem subdat Euthymius. *Verum hic liber, diuinæ scientiæ magis est vniuersalis. Est enim alius liber magis priuatus, in quo soli iusti scribuntur*: quasi ei aduersum mortis, & damnationis impiorum neget, nihil obest. Priuatum enim magis illum appellat, quoad denominationem libri, seu scientia approbationis, secundum quam reproborum librum solummodo negat Deo, qui respectu eorum approbationis scientiam nequit habere, non autem negat ipsi librum quo contineatur damnatio, & mortis impiorum, libro vitæ, & viuentium substantialiter aduersum: subdit enim illico: *Ea ratione, quod eos* (iustos) *tantum cognoscere hoc est approbare dicitur.* Clarius adhuc Basilius Isai. 4. sub med. ad id *Sanctius vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem*, ita illud Ieremiæ 7. simul exponens. *Iuxta sensum hunc duæ intelligi debent descriptiones. Vna quidem est eorum, qui ad vitam; altera autem eorum est, qui scribuntur ad perditionem.* Scholi. in psal. 68. ad id, *deleantur de libro viuentium*, ait. *Librorum ipsorum meminit Daniel. Iudicium*, inquit, *sedit, & libri aperti sunt, quod autem ait tale est. Haud quaquam potiantur beatitudine, quam nos per tuam gratiam adepti sumus.* Nec obscurior in eandem sententiam Nazianz. Orat. 9. ad Iulian longe à med. n. 4. scribit. *Nisi forte de quodam libro viuentium, percuntiumque libro nihil vnquam audistis. Illic enim omnes scribentur: vel, vt rectius dicam, iam scripti sumus, pro merito quisque confecti vitæ curriculi.* Subinferius. *Omnes Dei digito descripti sumus: nobisque irreuelationis die liber aperietur.* Cum igitur hæc tantorum Patrum testimonia à Deo aperta pro nostra conclusione sint, nec vllus ex Patribus librum mortis, seu præscientiam damnationis reproborum, libro vitæ prædestinatorum aduersum secundum substantiam, sed solum secundum denominationem aliquam negarit, non video quo fundamento conclusio hæc nostra viro Theologo negari queat: maxime cum à ratione iam subiicienda validissime etiam probetur.

3. A ratione ergo probatur, quia esse in Deo præscientiam absolutam mortis, & damnationis reproborum æque ac vitæ æternæ prædestinatorum præscientia sit. Ergo æque est in Deo liber mortis reproborum ac vitæ prædestinatorum, qui substantialiter in eiusmodi præscientia sola consistunt. Euasiones, quæ tentari possunt in aduersariorum rationibus datis continentur. Quare his disiectis, & illæ erunt præclusæ Prima Alexandri probat, Solum cognosci in præscientia saluandorum, seu vitæ libro in quo reprobi scripti non sunt, non esse ad gloriam electos: quemadmodum, nec intra possibilitatem vllos scripti in libro saluandorum non esse cognoscuntur, sed omissi, atque in alia prouidentia ex mero Dei arbitrio atque sine demeritis in electione ad gloriam prætermissi, seu omissi, in præscientia saluandorum non esse, omissique priuatiue noscerentur: quare positiue à gloria excluси, & damnati ob demerita, in prouidentia præsciente, ni damnationis, mortisque æternæ ipsorum præscientia absoluta vlterius adsit, non satis à Deo cognoscentur. Alberti vero, & S. Thomæ ratio à paritate prima nihil probat. Qui enim ad finem aliquem quem intendit aliquo ex pluribus eligit, certo numero ad eum finem necessarios, & vtiles elegit, vt Dux aut Princeps ad pugnam, & victoriam consequendam, reliquis reiectis, hos solum scribere opus habet, reliquos vero quos negligit secus; ac vero qui mercedis pro bene maleque gestis reddere ex suo munere vel tenetur, vel intendit tam meritorum, quam demeritorum bene maleque merentium, imo & sententiarum præmij promeritis, vel pœnæ pro demeritis vnicuique reddendæ librum debet habere, vt in Principibus, Potestatibusque humanis, & creatis patet, nec satis illis est promeritis præmiandos scribere, sed & opus est scribere pro demeritis puniendos. Vnde & supremum omnium iudicem Deum præscientiæ suæ libro non præmiandos æterna vita solum, & æterna morte puniendos continere perspicuum à paritate sit. Secunda eorumdem ratio rebus integris ante peccatum mortale à reprobo admissum perseueranterque ad extremum vitæ temporalis spiritum conseruatum vim habet maximæ suppetiis nostris suffulta & confirmata. Tunc enim Dei solum bonitas, & pietas attenditur ex qua ita impense omnium salutem de facto amat, vt contra eius exploratam voluntatem hominum peccata absolute sint, ac diuinæ scientiæ præsententat, eiusque permanente perpetuaque repræsentatione, tanquam libro, scribantur, ac subinde ob illa supplicium æternum infligendum: quare & statu illo solo attento, Dei scientiæ, & libro inferi potius illa, quam ab ipso, eiusve voluntate scribi, & apponi. At verò mortali perseueranter, & finali apposito à reprobis Deum non solum eorum damnationem, mortemque æternam ex iustitia sua absolute, & efficaciter, quare, & eamdem absolutam præscientiam velle; sed, & de absolute decretis, & executioni mandatis eorum damnationem morte & pœnis æternis ad plausum vsque manuum suarum, super eorum malis gaudere testis nobis est Ezechiel. c. 21. n. 17. *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo furorem meum in te.* Postrema Ruiz nobis ratio ex Malachia, & Cyrilli interpretatione concionibus, quam Theologis disputationibus aptior est.

4. Dico secundo: Rigido & Theologico sensu liber mortis stat in Dei præscientia absoluta mortis, & damnationis absolutæ & executiue apponendæ, probatur facile ex dictis de oppositio libro vitæ prædestinatorum. Etenim & decretum executiuum, seu damnationis & mortis eorum sententia ob eorum demerita æque in Deo est, atque decretum præmij & vitæ æternæ prædestinatorum ob eorum merita executiuum: æque item in Deo est vtriusque decreti executiui præmiandi æternum prædestinatos, æterneque puniendi reprobos absoluta præscientia: insuper absoluta præscientia decreti executiui præmiandi prædestinatos vita æterna est liber vitæ prædestinatorum: ergo absoluta præscientia decreti executiui puniendi æterna morte reprobos est liber mortis reproborum: æque enim in præscientia absoluta executiui decreti mortis æternæ reproborum permanenter atque indelebiliter repræsentatur, ac metaphorice scribitur, legiturque à Deo reproborum mors, & damnatio æterna, atque in præscientia decreti executiui præmiandi æterna vita prædestinatos, eorum vita æterna permanenter, ac indelebiliter repræsentatur, metaphoriceque à Deo scribitur ac legitur, vnde hæc vitæ liber dicitur vitæ: ergo & inde illa mortis liber eodem iure, & proprietate mortis liber dicetur. Certe ratio hæc excludi nusquam potest, nisi Dei omni scientia hæretice negetur, cum tam mortis reproborum, quàm vitæ prædestinatorum executiuum decretum, siue pro eorum bonis

bonis malisue meritis sententia Deo adsit, nec possit non ab ipso omniscio absolute videri atque cognosci. Vnde rursus à definitione ad definitum conclusio prima de existentia libri mortis in Deo demonstratur. Denique prædestinationis, ac reprobationis, siue præparationis in voluntate diuina auxiliorum efficacium prædestinatis ad gloriam, & vitam certo de facto obtinendam, vel sufficientium tantum reprobis, & cum eorum morte æterna infallibiliter de facto coniungendorum nec vitę; nec mortis proprietate Theologica dictæ librum formaliter esse satis ex dictis, ac de se claret cum neutrum auxilium, vita aut mors æterna formalis sit eius, cui conferatur, nec de sese alterutri iungatur, sed ex bono eius apud prædestinatos libero, contingentique vsu, atque abusu etiam contingenti, & libero apud reprobos: quare in neutrius scientia præcessisse firma, ac stabilis vel vita vel mors siue prædestinati, siue reprobi representari permanenter, scribique subinde, ac legi à Deo potest.

3. Dico tertio: meritorum demeritorumque finalium prædestinati, vel reprobi præscientia conducentes quidem libri ad eorum vel vitam, vel mortem sunt, non vero vitæ, mortisue libri Theologica proprietate. Prima conclusionis, & affirmatiua pars probatur ex Daniel. 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*: quæ Hieronymus in c. 24. Isai. sic exponit: *in quibus scripta erant opera singulorum.* Clarius Apocal. 20. *libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex iis, quæ erant in libris, primis, secundum opera ipsorum.* Psalm. 138. *In libro tuo omnes scribuntur.* Quem librum ad omnes iudicandos extendi, eosque omnes continere Patres communiter intelligunt, etiam Augustinus. t. 9. lib. soliloquior. Si eius ipse author est. c. 28. tametsi alias ipse, & Prosper ad solos prædestinatos extendi putent. Denique Ecclesia tota tracta missæ defunctor. Quotidie canit. *Liber scriptus profertur: in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur.* Ratione probatur ex dogmatica Dei iudiciaria suprema in rationales omnes creaturas potestate: quæ nusquam rite, ac recte pro cuiusque meritis exerceri à Deo, sicuti neque à creato aliquo iudice, potest, nisi ex meritorum demeritorumue cuiusque absoluta scientia: quę iudicio de eis omnibus vel ad vitam vel ad mortem æternam prudenter iusteque secundum vniuscuiusque gesta ferendo subseruiat eoque sensu laxiori vitæ mortisque liber dici Theologice potest. Quod autem proprio Theologico sensu quo de vtroque libro disputamus præscientia meritorum, ac demeritorum nec vitæ, nec mortis liber sit probatur: quia neutrius est absoluta præscientia, sed ad eam anterior. Id quod satis rigide, & scholastice notatum video in testimonio ex Apoc. 20. proxime recitato, in quo librum vitæ, vt diuersum à libris ex quibus mortui secundum opera iudicantur, seorsim, & singulariter Ioannes commemorat illis verbis: *& alius liber apertus est qui est vitæ.* Denique librorum vitæ, & mortis in scripturis memoratorum significationes alias, & alias pro eorum, quæ, ad mores præsertim tractant Patres, & interpretes tradunt, quibus nunc referendis nec locus, nec tempus est.

Vbi de Theologica acceptione rigidiore ab eisdem Patribus etiam tradita est nobis sermo.

CERTAMEN III.

Contra conclusionem secundam ex scriptura oppositio, vbi vtriusque libri indelebilitas statuitur.

1 OBiicies contra conclusionem secundam. Præscientia absoluta Dei de executiuo decreto absoluto cum præmiandi, prædestinatum, tum puniendi reprobum, æternæque eorum vel vitæ, vel mortis immutabilis, indelebilisque essentia sua est: at liber vitæ delebilisque est (vt constat ex illis exodi. 3. aut *dimitte illis noxam populi huius, aut dele me de libero vitæ*, & psalmi illis deleantur de libro viuentium) quod ipsum de libro mortis eadem ratione erit: ergo liber vitæ mortisue non stat in ea absoluta præscientia Dei. Missis aliis primi testimonij interpretationibus Burgensi confutati cert. 1. & aliorum verosimiliores & nostro Vazquez gratiore comment. articuli 3. *Tertio eundem locum* Primam optasse Moysem Dei gloria (absque sua tamen culpa) æternum pro fratrum venia, & salute priuari, vt postea Paulus etiam optabat ad Rom. 9. illis verbis *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ex ardentissima Dei & proximi charitate. Ita Chrysostom. homil. 1. de laudib. Pauli longe à med. lib. contra gentil. versus med. homil. 79. ad popul. Antiochen. Bernard. serm. 12. in cant. versus med. epist. 78. ad Suggerium sub init. Ricard. Victor. de gradib. violentæ charit. sub fin. Hug. Victor. q. 232. in epist. ad Rom. Sub disiunctione gloriæ temporalis, vel æternæ, sub qua etiam disiunctione; S. Thom. in c. 9 ad Rom. lect. 1. cui expositioni consentiunt Soto, Catherin. Salmeron vterque Cornelius & Cornelij à lapide. Ruiz de Montoia cita. d. 60. sect. 7. n. 9 §. *Nihilominus*, statuo plerosque ex citatis recitatus. Obseruat autem Vazquez Chrysostomum Theophilactum. S. Thomam, & Origenem (qui eiusdem interpretationis est) pro illo *optabam* legere *optauerim.* Salmeron legit ex Photio *optassem.* Quæ lectiones affectus Pauli, ac Moysis perfectissimam erga Deum, & proximos charitatem non minuunt, sed impossibiliratis optatæ ab ipsis rei cognitionem cognitam ab vtroque ostendunt, eorumque charitatem, quæ eos vltra possibilitatem omnem ad impossibilia præ eximio Dei & proximorum amore optanda ex parte obiecti conditionatæ, si possibilia forent, agebat coniiciebatque summopere commendant, vt iam explicabimus. Huic porro interpretationi suæ institit vbique Chrysostomus. 3. de prouidentia post med. 1. de compunctione eod. circa med. ad Roman. 9. hom. 16. ad longum recitatus à Salmerone in cap. 9. ad Roman. d. 25. versus fin. § *quod deinde allatum fuit.* Eum de more sectantur Theodoret. Theophylact. & Œcumen in c. 9 ad Roman. quibus adde Theonam. Abb. laudatum à Cassiano collat. 13. c. 6. Anselm. ad locum Pauli, Bedam collectaneis in eundem locum, Basilium in regulis fusiorib. q. 3. Hieronymum ad id Michææ 2. vtinam non essem, & t. 3. epist. 151. ad Aglasium. q. 9.

2. Certe eis affectibus Moysem, & Paulum perfectissimæ charitatis in Deum, & proximos exercuisse cum priuari citra peccatum gloria si possibile esset optarunt; patet: si quidem populi salutem ex qua gratissima Deo & innumerata populi illius opera honesta exhiberentur, nec paueiora infensissima vitarentur peccata: charitas autem perfectissime ordinata communia omnibus proximis, & communitati subinde bona tam positiua, quam priuatiua, commodis incommodisque priuatis cuiusque anteferri dicter, multoque magis gratis Deo obiectis apponendis, ingratisque, & infensis ipsi vitandis

vandis præponere. Etsi autem priuari glotia, delerique vitæ libro sit absolute impossibile, id tamen conditionate, ex parte obiecti, & sub hypothesi, quod possibile foret charitatis summum est: vt de affectu illo magni omnium Magistri Augustini celebratissimo, *si Augustinus esset Deus, & Deus esset Augustinus*, &c. communiter, ac verisimilè reputatur. Longeque maior charitas, quam pro amicis animam ponere: etsi hæc ex affectibus, qui obiectorum possibilitatem non prætergradiuntur, deducique subinde ad effectum absolute possunt summa charitas sit Christo Domino, teste Ioan. 5. *maiorem charitatem nemo habet* &c. Dices: Christum Dominum summæ charitatis exemplar (teste eodem etiam Paulo. 1. Corinth. 1. imitatores mei estote, sicut & ego Christi) eum charitatis actum non habuisse, vt vnione hypostatica, ac visione Dei æternum priuari ē Dei, & hominum charitate adhuc conditionate ex parte obiecti voluerit, cuius tamen charitatis perfectionem imitatus solum Paulus fuit, non assecutus, neque assequi vllus purus homo potest. Respondet citatus Ruiz. n. 15. vnionem hypostaticam, atque essentialem gloriam humanitatis Christi creatis cunctis bonis siue positiuis, siue priuatiuis coniunctim etiam sumptis longe esse maius bonum, & appretiatiuè æstimabilius, quare neque ex charitatis regula & perfectione hominum bono, & saluti potuisse a Christo Domino alterutrum postponi: sicut cuiusuis creaturæ gloria, & salus communi reliquorum saluti coniunctim sumptæ potest ex perfectionis charitatis posthaberi. Respondet secundo n. 16. ex Salmerone proxime citato. §. *cum autem Paulus* quoad gloriam paratum Christum Dominum fuisse ea priuari ne mundus inreconciliatus maneret, & inredemptus: quoad vnionem hypostaticam idem dicere, non poterat, cum ea sublata in communi sententia redimi mundus ab humanitate Christi non posset, & certe non esset redimendus. Audiendus denique pro interpretatione hac Hieron. citato loco epistolæ ad Aglasium. Vbi hæc per per admirationem scripsit. *Qua est ista tanta mutatio, inaudita prudentia*: vt pro charitate Christi nolit habere Christum? & videndus Chrysostomus à Salmerone recitatus citato §. *Quod deinde allatum fuit.*

3. Secunda vtriusque loci interpretatio est Moysem Paulumque ex nimia, certaque amoris Dei erga ipsos confidentia, vt ab ipsis alienaretur, vel libro vitæ, amicitiæ solutione, deleret periisse vel optasse; ni veniam populo daret, eumque reconciliaret sibi: quia ne illos ab amicitia sua repelleret, veniam reconciliationem largiturum populo Deum prudentissime credebant, imo inde illos amplius amaturum. Ita Basil. q. 3. citata sic fatus de Paulo *quia non ignoraret non posse fieri, vt is alienaretur à Deo, qui ob charitatem Dei gratiam abiecisset, seque ob eam causam multo plura accepturum, quam, qua dedisset.* De vtroque expressius Hieronim. in c. 2. Ionæ sub init. fusius, & elegantius Paulinus epist. 20. ad Amandum versus fin. Augustin. quæst. 147. in Exod. & iterum in psalm. 77. ad id, & non accendit omnem iram suam, ita de Moyse scribens, *Parabat deleri pro ipsis, quam ipsos. Sciens apud misericordem se id agere, qui, quoniam nullo modo deleret ipsum, etiam illis parceret propter ipsum.* Sic amantissima vxor, filiusque charissimus mariti, patrisque in seruum furentis districto ferro se obiiciunt, ac serui corpori se interponunt, vt ipsum ab heri furore liberent, qui eum, nisi charissimis pignoribus transuerberatis ferire non potest. Hanc interpretationem merito probant Valentia. in c. p. quæst. 24. pu. 3. Fasol. incarn. 3. fine. Ioan. Præpositus, Ibidem. §. Ad prius prætermissit. Ex alterutra vero interpretatione constat diuinæ præscientiæ librique vitæ constantiam, ac indelebilitatem neutrobique impugnari. Neque vero præfatis duabus anteferri potest (vt volunt Caietanus in Pauli locum, Bartholom. Camerar. c. 6. dialogi Catholici, Vazquez comment. præfari. a. 3. §. *Sed his præferenda*) expositio, vt *obrabam* Pauli. Ad tempus, quo ille in Iudaismo erat referatur: atque ex amore, quo tunc Iudæos prosequebatur, & tunc cum Christi erat Apostolus perseuerante in eorumdem amore protestantiam immediate anterius à se diuini testimonii obtestatione asseritam, & iuratam confirmaret, vt docte Vazquez ponderabat. Suo hanc interpretationem à Hieronymo, & Anselmo memoratam, ad eum locum, nec improbatam fuisse, satis tamen eam reiiciunt cum aliam, vt vidimus num. 1. & aduersam sequantur, & huic ne probabilitatem quidem deferant. Verum vel iuramentum est ad confirmationem amoris sui ergo legem, & Iudæos, odioque in Christum cum Iudæo Paulus erat: & de hoc esset plane iuramentum coniunctum cum omnibus id esset notissimum, neque alicui fidem posset superare: vel est de amore, quo tam Christi Apostolus Iudæos prosequebatur: & huic ex amore illo legis, & Iudæorum, probate minime poterat, sed solum improbare. Si enim legis & Iudæorum tunc veram reputabat amore, ac zelo Iudaico ita prosequebatur, atque à Deo oderat Christum, eiusque legem, & sequaces, potius infertur Paulum tam Christi Apostolum Christianæ legis amore & zelo pari odio Iudæis & legem esse prosecuturum, illi quo antea Christum eiusque legem prosequebatur.

4. Iustas ex psalm. 68. *Deleantur de libro viuentium* quibus, siue orat Psaltes, siue prænuntiat futurum ē libro vitæ delebilitas possibilis vt minimum, denuntiatur: sicuti & Apocal. 3. supponitur verbis illis *qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Monet autem ad psalmi verba Augustinus. *Non sic accipere debemus, quasi & eum quem scribat Deus in libro vitæ, & deleat illum, si homo dixit, quod scripsit, scripsit, Deus quemquem scribit, & delet? præscius est, prædestinauit omnes regnaturos cum filio suo in vita aterna hos, quos conscripsit, ipsos continet liber vitæ*: communiter, verosimiliorque solutio est *deleri* eis locis tantumdem, ac non scribi valere, vt ex Patribus tradunt Hilar. & Hieronym. ad psalmi textum Ansbertus & Haimo ad textum Apocal. & alij apud Lorinum ad verba psalmi. & Soar. 1. p. tract. 2. lib. 1. cap. 20. num. 18. Vazq. citato comment. 5. vlt. & Fasol. proxime, num. 4. §. *Hanc ob causam*. qui omnes eam interpretationem sequuntur quam Psalmista, ipse subiunctis statim verbis, *& cum iustis non scribantur* docit, ne quis primis illis deciperetur. Et quidem odium Dei pro amoris negatione frequenter in scriptura vsurpari patres, etiam Augustinus, obseruant, tametsi primæua significatione affectum positiuum significet: quare minor Augustinum tantopere proprietate vocis deleo, & primæua significatione citato loco instituisse, vt pro scribendi negatione ibi vsurpari fere non patiatur, vbi perperam si à Psalmista subiuncta satis ea significatio traditur. Secunda interpretatio Patribus, & scholasticis probabilis deleri toto rigore vsurpato, librum autem vitæ non; qui in Deo sit, sed vel in delendorum, aut aliorum de ipsis iudicio, & existimatione intelligit. Sæpe enim scriptura hominum de re aliqua existimationem rei ipsius nomine appellat, vt vidimus controuers. de incarnat. disputantes an Christus, vt homo proprietate sermonis prædestinatus fuerit Filius Dei? quo sensu Paulam actor 13. *Illud ego hodie genui te*, Psalm. 4. de resurrectione Christi qua Dei Filius hominibus probatus fuit interpretatur verbis hisce. *Resuscitauit Iesum sicut scriptum est, ego hodie genui te.* Et iterum ad Roman. 2. *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, vt docte Vazq. & nos plurimum scripturæ simili fenda locutionum obseruabamus ibidem, idcirco hanc interpretationem amplexi sunt Augustinus proxime, & Cassidor. ex quibus glossa, commentator Apocalyps. Ambrosij operibus insertus eoque iuniior (vt probat Bellarmin. de scriptorib. Eccles. verbo *Ambrosius*) editione Romana an. 1585. Ricard. in Apocal. p. 1. c. inter med. & fin. Rupert. 4 in exod. c. 29. ante med. ex scholasticis. Albert. 1. p. 69. m. 3. Bonau. in 4. d. 45. a. 2. q. 2. Argent. in. 3. q vni. a. 2. fine, neque improbat Vazq. citato.

5. Illam tamen improbant Fasolus ad eundem textum. n. 2. concl. 2. merito 2. quia Apocalypsis textus amplius

amplius aliquid innuit immediate subnectens, & *confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis Dei* apud quos de adscriptis, vel non scriptis in vitæ libro nulla falsa à qua decidant tandem, existimatio esse potest. Etsi Thomas eo a. 3. corp. his verbis, *non deleri de libro vitæ ponitur inter præmia iustorum: quod autem iustis repromittitur, non est solum in hominum opinione.* Eam quippe iusti, etiam viatores naucifaciunt iuxta id psal. 111. *In memoria æterna erit iustus ab auditione mala non timebit.* Nec temporale aliquid, cuiusmodi falsa hominum existimatio est, ad repromissa iustis præmia spectat, sed solum quod est æternum. Scio nonnullos ex illis Sanct. Th. verbis *non est solum in hominum opinione* deducere ipsum secundam hanc interpretationem, vt coniunctam cum tertia iam subiicienda probasse, etsi solam improbauerit. Est autem tertia interpretatio de libro vitæ iustorum ad tempus solum talium pro quo ius ad vitam æternam habere præsciuntur, at proinde in Dei scientia scripti sunt: à quo tamen peccato subsecuto perseueranter delentur à Deo, præscientiaque absoluta damnationis ipsorum, in libro mortis simpliciter tali scribuntur: Hanc interpretationem dedisse videntur Basil. Isai. 4. post med. Anselm. in. 3. Apocal. Hugo Victor. q. 243. & 244. Ricard. in Apocal. p. 2. lib. 1. cap. 9. Ioachim. Abb. in Apocal. 3. vbi Lyra, & Perer. d. 7. §. 2. alijque interpretes, & scholastici, in quibus Ruiz. cita. sect. 6. n. 6. §. *Prædictam expositionem.* Reiicienda tamen est quia vitæ liber nonnisi de absolute saluandis, & prædestinatis, electisque ex iure absoluto ex perseuerante iustitia finali ad gloriam in scriptura memoratur, vt vidimus docentque scholastici Albert. 1. p. quæst. 68. init. sanctus Thomas. q. 7. de verit. a. 4. corp. ante med. & aliis locis citatis. Iusti autem illi non perseueraturi; in iustitia ius ad gloriam absolute non habent, sed conditionate solum, quare neque ad gloriam, & vitam absolutè ex iure illo possunt scribi, nec vitæ ipsorum præscientia esse, aut liber vitæ absolutè talis, vt demum vidit Ruiz. num. 8. §. vt aliorum, quem his concludit solum habent ius (non perseueraturi iusti) *vt in libro vitæ scriberentur, si forent perseueraturi.* Accedit quod ab eo libro vitæ conditionatæ pro eo tempore, quo iusti sunt, si perseuerent (etsi liber vitæ dici absolutè posset) nunquam nusquamque delentur, deleriue vllatenus possunt, vt patet: quare *ni deleri*, pro *non scribi* ab scriptura accipi eis locis asseratur, iuxta primam expositionem, non autem propria deletione, & obliteratione eius, quod semel à Deo præfitum absolute atque scriptum est. Difficultas expediri minime potest.

QVÆSTIO III.

De certitudine, & comparatione numeri prædestinatorum, ac reproborum.

QVæstio hæc de certitudine, numeri vtrorumque respectu scientiæ, & intellectus diuini solummodo procedit, cum enim certitudo formaliter dicat iudicij, siue in iudicando firmitatem, quæ omnem de oppositio formidinem, & contingentiam cum obiectiuam, tum subiectiuam excludat: nemoque præter Deum, vel ex eius reuelatione, suæ adhuc, nedum aliorum omnium prædestinationis, aut reprobationis certitudinem, firmitatemue obiectiuam, aut subiectiuam, nisi temere ac per amentiam habere possit, fit planè vt ad diuinum intellectum, & scientiam de certitudine, & comparatione, numeri reprobotum tota quæstio deuolui debeat. Importune hic à Ruiz. d. 53. & Fasolus a. 4. cum certitudine numeri prædestinatorum de qua in præsenti, certitudinem prædestinationis quoad suos effectus à prædestinatis obtinendos coniungunt, & vnde illorum infallibilitas proueniat, & cum eorum contingentia, & prædestinatorum libertate componatur: id enim quæstionis alterius, & ex aliis principiis dirimendæ prorsus est: nempe ex principio scientiæ mediæ prædestinationem dirigentis & constituentis, atq; ex intentionali obiectiua dependentia scientiæ illius à libera prædestinati absoluta operatione, & consensu, vt suo loco vidimus supra atque hi authores docuerant non semel. Potest autem de certitudine numeri vtrorumque vniuersim agi, & specialius de numeri quantitate, & vtriusque numeri comparatione.

CERTAMEN I.

Affirmatiua quæstionis vniuersim sumptæ decisio.

1 NVmerus in formalem, seu numerantem, vt ternarius, centenarius, & in materialem, seu numeratum resue, quæ numerantur communiter diuiditur. Et de numero numerato præsentem quæstionem procedere certum vtique est: nempe quem, an numerum numerantem aliquem, prædestinati homines (idemque est de Angelis, determinate expleant, an etiam suum aliquem numerum determinate expleant reprobi? cum autem numerus omnis numeratus determinatis, & circunscriptis rerum numerararum vnitatibus adeo rigide constet, vt quauis ex eis addita, vel subtracta numerus idem nequeat consistere, fit ad numeri reproborum, vel prædestinatorum (quicumque ille in alterutris sit) certitudinem ac firmitatem constantiamque requiri, vt nemo ad alterutrum numerum spectans ab illo deficiat, ad alterumque accedat, cuiusuis enim detractione numerus idem consistere nequit: vti cuiusuis etiam additione numerus idem non potest, permanere: v. g. si ternario altera ex tribus vnitatibus, quibus constat deficiat binarius plane, non ternarius erit; sin vero altera vnitas accedat, non ternio numerus ille erit, sed quaterno. Inde autem fit secundo certitudinem numeri alterius respectu induci infallibilis Dei requirere, vt nemo ad alterum numerum spectans ab eo possit deficere, ad alterumque aliqua impotentia (nempe consequente, & ex suppositione quod semel reprobus, vel prædistinatus sit) saltem accedere nequeat. Certæ huic suppositioni, & euidenti aduersari videtur Catherinus. 1. de prædest. c. vlt summaria explicatione doctrinæ asserens, quantum est ex vi prædestinationis, præscientia secluſa, saluandorum, damnandorumque num. posse augeri, ac proinde inquit Ruiz, ex prædestinatis ad reprobos, atque ex reprobis ad prædestinatos esse posse transitum docet: quare vtrorumque numerum certitudinem firmitatemque absolute non habere, sed tamet si Chatherinus prædestinatorum numerum, non satis firmo fundamento nimium decurtauerit, vt de essentia prædestinationis, eiusque causis ostendimus. Quoad numeri tamen certitudinem, & firmitatem citato loco non errauit. Solum enim vult prædestinatione, ac reprobatione antecedentem necessitatem prædestinatis, vt saluentur, reprobisque, vt damnentur, non induci, non autem negat ipsis consequentem necessitatem afferri, ratione cuius scientiam secludit, quæ impotentiam consequentem supponit: vnde male à Ruiz tanquam Catherini doctrina additur, à prædestinatis ad reprobos, & contra transitum esse posse absolute, ac vicissim, quem expresse Catherinus negat, quia ex suppositione, quod prædestinatus quis, vel reprobus semel sit, talis non esse minime potest.

2. Dico primò : Numerus non solum formalis, & numerans, sed materialis, & numeratus (quicumque, seu quantuscumque sit) tam prædestinatorum, quam reproborum constans firmus certusque Deo tam subiectiue, quam obiectiue est, vt nemo ex alterutro numero contentis semel, ab illo detrahi possit, atque ad alterum transire. Est dogmatica Patrum, & Catholicorum omnium Doctorum conclusio contra errorem Auicennæ sub metaphysicæ finem, Ægyptiorum, & Stoicorum relatorum à sancto Thoma. quæst. 6. de verit. a. vlt. corp. & 1. part. quæst. 23. art. 8. asserentium diuinum de vnoquoque fatum, seu prouidentiam, & decretum inclinato per orationes, sacrificia &c. paccatoque numine in oppositum flecti mutarique posse, quare, & ex prædestinato in reprobum transire. Hunc etiam transitum ex libertate prædestinatorum, ac reproborum erroneè etiam docuerunt Massilienses (vt constat ex epistolis ad Augustinum prosperi post med. & Hilarij col. 3.) & Caldesmus in Psalmum Miserere lect. 23. Probatur conclusio ex verbis Ioan. 10. *Bonus pastor proprias oues vocat nominatim* &c. ad quæ sic Augustinus. tract. 45. in Ioan. col. vlt. *quis alius oues proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternam, nisi, qui nouit nomina prædestinatorum? vnde ait discipulis : gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Hinc enim eas vocat nominatim.* Clarius Ioannes ipse infrà. *Ego cognosco eas, & sequuntur me, & non rapi. Et eas quisquam de manu mea,* &c. Ad quæ etiam August. tract. 48. ante med. quid potest fur, & latro ? *non perdunt, nisi in interitum prædestinatos. De illis autem ouibus de quibus dicit Apostolus ; nouit Dominus, qui sunt eius : & quos præscinit ipsos & prædestinauit &c. de ouibus istis, nec lupus rapit, nec latro interficit : securus est de numero earum.* Prosper. 2. de vocat. gent. cap. 29. sub init. *Quod Pater Filio dedit, Filius non amittit : nec quisquam potest de manu eius rapere, quod accepit. Firmum fundamentum Dei stat, & mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat.* Hoc vero, & postremo Augustini testimonio aliud tangitur ex 2. ad Timoth. 2. ibi *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc cognouit Dominus, qui sunt eius* : quod ex littera, & contextu ad rem hanc iterum interpretatur Augustinus de corrept. & gra. cap. 7. & 5. de baptismo contra Donatistas. cap. 27. *Numerus ille iustorum, qui secundum propositum vocati sunt (de quibus dictum est, nouit Dominus, qui sunt eius) ipse est hortus conclusus, fons signatus.* Demum numerum prædestinatorum defectum pati imminuique non posse docet Augustinus idem epist. 106. ad Bonifac. col. 9. de corrept. & gra. capit. 13. init. de bono perseuer. capit. 8. circa med. ac iterum prosper cit. capit. 29. post med. & cap. 33. inter med. & fin. aliique Patres & interpretes ad loca recitata atque ac illum Ioan. 14. in domo Patris mei mansiones multæ sunt. ad, quem Nazian. orat. 331. de Theolog. num. 28.

3. Et quamuis de firmitate ac certitudine, cum subiectiua tum obiectiua numeri reproborum, & intransibilitate eorum ad prædestinatorum numerum expressa, frequens adeo apud scripturam, & Patres conclusio non sit tamen à certitudine numeri prædestinatorum, & eorum, adhuc vnius, ad numerum reproborum intransibilitate euidens adeo consequentia est vt à Catholico Doctore negari nusquam possit. Augustinus tamen de prædestinatorum numero, eiusque certitudine definiens verbis illis. *Ipse est hortus conclusus, fons signatus*, de reproborum etiam numero eiusque certitudine in defectibilitate, ac neminis ab ipso ad alium prædestinatorum transmigrabilitate simul definiuit : siquidem horti sepes, & clausura, fontisque signaculum, æque prohibet aliorum de foris in illos ingressum, atque illis inclusorum egressum, & de corrept. & gra. capit. 13. init. non solum ad prædestinatorum numerum minui posse negat, sed & addi *de iis, qui, cum annunciasset, & locutus esset, multiplicati sunt super numerum*, reprobis nempe. Prosper etiam de vocat. gent. capit. 33. inter med. & fin. scribens. *In ea electione, quidquid hominum in Christo prædestinatum non est, nullæ eidem ratione sociabitur. Omnes enim, qui in regnum Dei de cuiuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ipsa, quæ sæcula cuncta præcessit, adoptione signati sunt. Et, sicut nullus infidelium in hac sorte numeratur, ita nullus piorum ab hac sorte discretus est.* Idem nos docuit Abraham Lucæ 16. ratione postrema ob quam diuiti Epuloni Lazarum petenti negauit. *Et in his omnibus*, ait, *inter nos, & vos Chaos magnum firmatum est : vt hi, qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Clarius adhuc concilium Valentinum sub Leone 4. capit. 3. ad rem præsentem scripsit. *Apud Deum, vt sanctius Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Ad hoc siquidem facit Sapientis dictum* (prouerb. 19. de reprobis) *parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* De hac *immobilitate præscientiæ, & prædestinationis* (id est præordinationis cuiusuis erga creata) *Dei, ne quam apud Deum futura iam facta sunt, apud ecclesiastem bene intelligitur dictum : cognouit, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum.*

4. Ratio, quoad obiectiuam certitudinem numeri vtrorumque materialis, & numerati (ex quo etiam numeri vtrorumque formalis, & numerantis seu diuini de vtroque numero iudicij obiectiua, & subiectiua certitudo euidenter infertur) euidens est. Quis implicat aliquem ex prædestinatis ex suppositione, quod prædestinatus sit, vel ex reprobis ex suppositione, quod sit reprobus prædestinatum, aut reprobum non esse. Non solum ex necessitate essendi quidquid est, quandiu est, sed ex diuinæ voluntatis constantia, & immutabilitate, ex qua, etsi eius decreta æterna, & totius simul durationis de esse, ac natura sua non essent, sed tempore inciperent durationeque paci successiua durarent semel habita deficere non possent, sed æternitate à parte post necessario perstarent : ac vel ignorantiæ, vel leuitatis animi Deus argueretur. Idcirco deuteronom. 23. Dicitur Deus non esse vt *filius hominis, vt mutetur*, vel iuxta. 1. Reg. 15. *pœnitentiam agat.* Quare Malach. 3. de se ait. *Ego Dominus & non mutor.* Hac statuta maiore propositione certa ex fide, atque ex ratione euidente, extant etiam minorem subiungo. Atqui tam prædestinati, quam reprobi omnes, hi determinati, & singulares, non autem hi vel illi disiunctim prædestinati, vel reprobati à Deo sunt, nec plures, nec pauciores, vt ibi pra demonstrauimus : ergo necesse est hos in singulari ri, totque, nec pauciores, neque plures prædestinatos esse, totque in singulari nec plures, nec pauciores reprobatos, aut reprobos esse : ergo aliquem ex eo numero tam prædestinatorum, quam reproborum deficere, atque ex alterutro ad alterum numerum transire est impossibile. In eo autem statu numeri numerati, seu materialis, tam prædestinatorum, quam reproborum obiectiua immobilitas firmitas, ac certitudo, vt nequeat aliquis eorum a sua sorte deficere, atque ad aliam transire : ergo numeri tam prædestinatorum, quam reproborum, numerati, ac materialis obiectiua firmitas, & certitudo adest, atque euidenter demonstratur : Hinc Ægyptiorum Stoicorumque delira fundamenta euanescunt.

5. Apparentiora verò illa Massiliensium, & Calderini è prædestinati, reprobique libertate petita militer disparent. Ea enim solum probant præscientiæ mediæ, & subinde prædestinationis per eam conditutæ, in sui absoluta pro suo signo positione obiectuam intentionalem ab eorum absoluta libertate dependentiam pure materialem, nec mortuam, & meritoriam, vt supra ostendebamus. Inde autem non sic vt

fit, vt ex suppositione, quod quis semel prædestinatus vel reprobus sit, pro sua libertate possit ab alterutra sorte resilire, atque ad alteram migrare, ad quam nusquam potestas libertatis suæ se extendit; sicut nec ex suppositione consensus sua libertate absolutè positi, illum omittat, vel dissensum admittat: vtraque enim potestas ad contradictoria coniungenda, quare, & chymærica potestas foret. Quo circa, etsi illa Apocalypsi. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* & 2. Petri. 2. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis* crassè nec germano à nobis supra, & sæpe dato sensu intelligantur certitudinem prædestinationis quo ad effectus suos, & operum bonorum, & gloriæ vt cumque impugnarent, non autem quoad numeri prædestinatorum certitudinem, quam in præsenti defendimus, & demonstrauimus. Sicubi autem Deus decreta mutare, ac de semet à se conceptis pœnitentiam agere insinuari ab scriptura videtur, vt Ierem. 18. Ionæ. 3. Isaiæ 38. non de eodem omnino obiecto, in re, tempore, circunstantiis, & modo absoluto à Deo habitis decretis intelligenda sunt: quare neque ex defectu constantiæ, & æternitatis, qua necessario Dei decreta simul, semelque durant euidens conclusionis nostræ ratio eis testimoniis nutare.

6. Aliunde vero ex proximis Apocalypsis verbis, *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ratio nostra videtur posse impugnari, quo ad numerum numeratum, & materialem. Etsi enim numerus numerans, verbi gratia, centenarius, vel millerius, prædestinatorum certus, firmusque, cum obiectiue tum subiectiue Deo sit, ast prædestinati eum explentes in particulari certi ex eius numeri constitutione diuina non sunt, alioqui, quo pacto in locum vnius alius ingredi posset, vt eis verbis insinuatur? ergo numerus ille numerans centenarius determinatus, nec maior nec minor saluandorum prædestinandorum decretus à Deo omni prorsus certitudine, ac firmitate est, ij vero quibus in particulari explendus est, sub disiunctione solum, hi nimirum vel illi: quare ea ex parte minor probationis nostræ nutat. Placet cogitatio, & intelligentia eius testimonij nostro Ruiz de Montoia, sectione quarta, quam etiam confirmat primo. Quia Sapientis Architecti peritia est prius mansiones vel ædificia tot vrbis disponere, quam hos vel illos incolas destinare. Secundo ex Gregorio. vigesimoquinto moral. capite decimo ad id Iobi. 34. *conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis* ita scribente. *Quo electorum numerus certus, ac definitus ostenditur*: numerans quidem non numeratus, vt patet. Consonat Augustinus de corrept. & gra. capite decimo tertio sub init. ad illa Baptistæ Matthei tertio, *Facite dignum fructum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vosmet ipsos, habemus patrem Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Sic scribens. *Vt non desit numerus, qui promissus est Abrahæ.* Ac statim verbis Apocalypsis recitatis confirmans ait. *Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus*: ita etiam ex eo loco inferre dicuntur Primasius, Beda, Rupert, Haymo, Lyra, & alij. Singularem hanc cogitationem, & interpretationem ita reiecit. disputatione 2. quæstione tertia. cert. secundo, numero septimo, vt vlteriore impugnatione opus non habeant. Exemplum Architecti nil probat: multo enim peritior esset, si habitatorum vrbis qualitatibus conditionibus, muneribusque singulariterque præcognoscit pro eis vnicuique & singulis eorum domus, & mansiones accommodatissimas ædificaret. Ea vero præscientia, & peritia vltra creatam architecturam est, ac diuinæ in cœlestis Hierusalem structura reseruata: præterea ad rem præsentem crassum valde exemplum est, & aptatu impossibile: cum gloriæ mansio actus vitalis visionis fruitionisque Dei sit, vnicuique ita proprius, & essentia sua affixus, vt alterius esse repugnet, vt citato loco dicebamus. Patres ex anteriore præfinitione numeri numerantis prædestinatorum saluandorumque substitutione aliorum pro decidentibus ab eo numero, in quo antea fuerint, numerum numerantem seruari minime docent, sed ex gratuita misericordia aliquorum præ aliis qui æque prædestinati eligique subinde ad gloriam possent. Quod si præfato aduerso sensu Iobi, & Gregorij testimonia intelligantur tot erunt prædestinati, quot reprobi contra ipsum Ruiz, & veritatem: quin granum salis, quo absurditatem hanc temperare, voluit ipse numero septimo; §. id autem indiget eam in bonum saporem possit condire.

CERTAMEN II.

De numeri vtriusque quantitate, & comparatione.

1 QVem quantumque numerum determinatum expleant siue prædestinati, seu reprobi ē sola Dei (cui exploratissimus vterque numerus est) reuelatione: quæ nullatenus extat, posset nobis innotescere; ac citra temeritatem definiri: quare circa vtriusque numeri quantitatem id solum disputari corda te à nobis generatim potest, magnusne siue prædestinatorum, siue reproborum numerus, an alterutrorum numerus sit exiguus? potest autem vtrorumque numerus tam ex Angelis, quam ex hominibus vel coniunctim sumptis, vel seorsim, & separatim acceptis compositus considerari, siue de numero prædestinatorum, siue de reproborum numero agatur: sub qua etiam diuersitate acceptionum numeri prædestinatorum, ac reproborum disputandum etiam est, cum de vtriusque numeri, quoad magnitudinem, & quantitatem, comparatione agamus, vt debita claritate & disputatio, & decisio procedant. Et vtrumque numerum, ex Angelis, & hominibus tam prædestinatis, quam reprobis conflatum magnum esse, & valde magnum prima nostra, ac certa conclusio sit. Probatur facile, quia vterque numerus ex Angelis solis, & ex puris hominibus seu prædestinatis, seu reprobis conflatus magnus est: ergo vterque numerus ex vtrisque compositus valde magnus erit: siquidem numerus ex duobus magnis numeris conflatus nequit non magnus valde numerus esse: antecedens certum est, vt conclusione secunda, & tertia patebit.

2. Dico secundo numerus vterque seu prædestinatorum, seu reproborum Angelorum seorsim ab hominibus sumptorum magnus numerus, & valde etiam magnus absolute est. Quoad numerum reproborum Angelorum, siue Dæmonum probatur. Quia numerus, & multitudo Angelorum omnium à Deo creatorum innumerabilis, ac pene infinita est: atqui tertia eorum pars reproborum Angelorum, seu dæmonum est, vt constat ex Apocal. 12. numero quarto vbi draconis cauda *tertiam partem stellarum cœli* traxisse dicitur, & numero nono draconem de quo loquitur explicat. *Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius* (quos stellarum nomine vocauerat) *cum illo missi sunt*: ergo reproborum Angelorum numerus magnus valde est: innumeræ siquidem multitudinis pars tertia ma-

gna valde multitudo, & numerus est. Quod autem omnium Angelorum multitudo innumera, ac pene infinita sit. Constat primo, quia infimæ, & minimi numeri hierarchiæ Angelorum multitudo totam hominum præteritorum, futurorumque multitudinem duplo vt minimum superat cum horum singulis singuli Angeli sint deputati custodes ex iis qui in bono perstiterunt: cum autem infimæ hierarchiæ Angeli minus perfecti, & sapientes natura sua sint, ac de se proinde seductioni, & vitio apriores: dimidiam reproborum partem ex Angelis hisce fuisse prudenti, vero similiori, & connaturaliori ratione censendum est: cum autem pro hierarchiarum superioritate valde eorum numerum augeseat, vt communiter Theologi censent, quantus Angelorum creatorum ad totas nouem hierarchias spectantium numerus erit? Hinc quam maxima reliquorum Angelorum prædestinatorum multitudo demonstratum; cum ex eo textu sit multitudine reproborum duplo maior. Secundo quia bonorum, seu prædestinatorum Angelorum numerus præ sui multitudine innumerabilis ab scriptura asseritur Iob. 25. *Numquid est numerus militum eius?* Daniel septimo 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millium assistebant ei.* & Apocalypsis quinto *numerus* Angelorum Dei throno assistentium *millia millium* esse dicitur. Quo loquendi modo rerum innumerabilis multitudo significatur.

3. Dico tertio: prædestinatorum reproborumque hominum numerus valde etiam magnus est, de prædestinatis constat. Primo ex Genes. vigesima secunda vbi Deus ad Abraham. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris, & Ierem. trigesimo tertio. Sicut dinumerari non possunt stella cœli, & metiri arena maris; sic multiplicabo semen Dauid serui mei.* Quæ de spiritali filiorum vtriusque propagatione, qui ex lapidibus, aiebat Baptista nuper suscitari ipsis à Deo possunt intelligenda præcipue, & intellecta à Patribus sunt: scilicet de prædestinatis atque ex fide viua, sicut Abraham saluandis. Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam denumerare nemo poterat ex omnibus gentibus stantes ante thronum.* psalm. 138. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur* & Mattheo octauo. *Multi ab Oriente, & Occidente surgent; & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.* Probatur ratione, quia Christum pro omnium salute incarnatum totque durissima, & ignominiosissima crucem etiam, & mortem perpessum, pauculos solum homines saluari, reliquis innumeris perditis dedeceret. Secundo quia ex prædestinatis hominibus, reparandus sit, & numerus, & sedes, ad quas lapsi Angeli ibant, directique per Dei sufficientem gratiam fuerunt, etsi non peruenerint: ac proinde tot saltem homines prædestinati sunt, quot sunt Angeli reprobi, iuxta intelligentiam communem: quare cum tanta sit creatorum à Deo Angelorum multitudo, quantam proxime diximus, eiusque tertia pars perierit: quam maximus prædestinatorum hominum numerus euincitur: sed me quidem iudice non totus reproborum Angelorum numerus erit ex prædestinatis ad calculum implendus; sed quousque horum numerus pro cuiusque meritis pertingat, qui tamen magnus numerus erit. Quod autem reproborum hominum magnus valde numerus, & innumerus sit, facilius adhuc probatur. De eis enim vel maxime proloquium verum habet. *Stultorum infinitus est numerus*, & Psalm. 39. de eis dicitur: *Multiplicati sunt super numerum.* Huc etiam faciunt omnia, quæ de comparatione numeri prædestinatorum reproborumque hominum dicemus cert. 3.

4. Dico quarto: comparatione facta collectionis omnium prædestinatorum, & reproborum omnium, tam ex Angelis, quam ex hominibus compactæ maior longe prædestinatorum, quam reproborum numerus est. Probatur facile ex dictis. Quidquid enim sit de numero prædestinatorum, ac reproborum ad purum ex hominibus constati comparatione quoad magnitudinem vel paucitatem cum omnium Angelorum numerus omnium hominum numero immensum pene, nec solum ter excedat, ac sola tertia illorum pars reprobis constet, & si vnus solum vel alter homo Prædestinatis Angelis, duplo quam dæmones, seu reprobi Angeli pluribus collectionem prædestinatorum ex Angelis, & hominibus constatam collectioni reproborum ex vtraque natura numeri magnitudine, & quantitate excedere euidentissimum est. Accedit numerum prædestinatorum Angelorum infimæ hierarchiæ ex qua sola custodes omnibus & singulis singuli custodes deputantur; numero omnium prædestinatorum, reproborumque hominum coniunctim sumptorum vt minimum æquari cum tamen absolute loquendo plures ex omnibus reprobi, quam prædestinati citra controuersiam sint; quod valde prædestinatorum Angelorum numerum auget: quare, & numerum prædestinatorum ex ipsis, & hominibus collecti. Porro huius conclusionis probatione numerum Angelorum prædestinatorum numero reproborum dæmonum adeo esse maiorem; vt huic duplo excedat manifestum est: quare neque id conclusione & probatione separatim additis opus habet.

CERTAMEN III.

De comparatione numeri prædestinatorum ac reproborum ad purum ex hominibus coacti.

1 REs hæc nisi multiplici collectionis hominum omnium diuersitate præmissa claritate detecta, & probabilitatis fundamento aliquo neqat definiri. Prima ergo collectio ex omnibus hominibus tam fidelibus tam legis naturæ, scriptæ, & gratiæ, quam infidelibus esse, consideratique ad rem præsentem potest, & hominibus quidem tam infantibus ante rationis vsum, quam adultis obeuntibus. In qua acceptione dicendum est numerum reproborum, numero prædestinatorum longe ac longissime esse maiorem. Est conclusio omnibus Doctoribus Catholicis certa. Probatur: quia innumerabilior, infidelium, quouis triplicis illius legis respectu, quam fidelium turba est: & infideles omnes, quam adulti, quam paruuli obeuntes ad reprobos spectant. Addo collectione ex adultis fidelibus & infidelibus facta (*paruulis vtrorumque seclusis*) adde rationem pro additamento secundo ex sancto Thoma producendam. Ampliorem etiam esse numerum reproborum. Probatur primo ratione simili. Quia infideles adulti plures multo fidelibus sunt, ac reprobi omnes: cum tamen non omnes adulti fideles sint prædestinati. Addo etiam iuxta collectionem hanc, ex fidelibus & infidelibus factam numerum infidelium reproborum adultorum maiorem esse numero fidelium prædestinatorum ex paruulis, & adultis omnibus constante. Ratio est quia illorum numerus infidelium, fidelibus cum actis paruulis, & adultis præualet: ac insuper ex fidelium paruulis, quos addimus, multi valde in lege etiam scripta, & lege gratiæ sine circumcisione, ac fi-

ac sine baptismo decessere, ac decedent. Pro his tribus conclusionibus facit ratio. Sancti Thomæ prima parte, quæstione vigesimatertia, articulo septimo, petita ex indignitate naturæ humanæ, quam lapsam iam in Adamo: immò, & in se ipsa (Deipara excepta) in cuiusque prædestinatione, ac reprobatione Deus supposuit: etsi enim Dei bonitas meritis etiam Christi solicitata ad plures prædestinationem quam reprobationem: immò ad omnes etiam homines, & ex genio, vt sic dicam, suo, & ex tantorum meritorum sufficientissimo motiuo extendere posset: cum tamen vtrumque adhuc, ipsum ad aliquem, nedum ad plures, ex hominibus prædestinandos minimè cogant, omnium hominum dignitas, vt non prædestinentur, sed reprobentur adsit, ac diuinæ menti anterius natura ad electionem alterutram oberrot, bonitati suæ, & Christi meritis non parum dedit, cum tantam massæ corruptæ, sibique insensæ partem prædestinauit, etsi reprobata massæ eiusdem parte longe minorem.

2. Et quidem Dei bonitas ad beneficia maior propensio re integra, vt sic loquar, & de se se solum considerati credenda est, non autem positio ex parte nostri peccato: tunc enim non minus ex iustitia sua ad supplicia, quam de se ad veniam inclinat in negotio vero reprobationis voluit de facto ex reproborum numero maiore voluit apertius nobis innotescere, ac simul summam prædestinatis erga ipsos amorem benignitatem, ac beneficentiam suam, cum non solum nullo merito bono, sed merito à Deo malo, ob quod reprobatio cunctis debita erat, & ergà adeo plures ex eis exercita à Deo fuit se à Deo videant prædestinatos, ac subinde, & æternum, & ardentius ipsi gratias habeant, laudesque insonent, ac rependant quod enim frequentius, & vt plurimum euenit ex naturæ debito fieri reputatur: Ita, ideoque à Deo factum Isaias docet capite 24. atque subiuncto exemplo simul confirmat scribens. *Quomodo si paucæ oliuæ, quæ remanserunt* (reliquis perditis) *Excutiantur ex oleæ, & racemi, cum fuerit finita vindemia hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt,* &c. *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum*: Eadem rationem illis ad Roman. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram*, &c. Commentariis suis Beda, Ambrosiaster, Anselmus, & alij contineri volunt. Sanctus Augustinus item quæstione 23. in Exodio epist. 106. columna 8. de prædestinatione Sanctorum, capite 8. sed elegantius, pressiusque 21. de ciuitate capite 12. circa finem, *in qua* (pœna damnationis) *multo plures, quam in illa* (gratia, & misericordia efficacis Redemptionis) *sunt: vt sic ostenderetur, quid omnibus deberetur*, & epistola 157. ad Optatum versus med. hanc etiam rationem adiungit. *Atque, vt hinc quoque intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi vniuersæ, quod tam magnæ parti eius redditum cernerent*: stat pro conclusionibus hisce, maximè pro prima, & præcipua, cui alias adiunximus illud Esdræ 4. *Hoc seculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos*, subinferius: *Dabit tibi terram multam, vnde fiat fœtile; paruum autem puluerem, vnde auxum fit: sic & actus præsentis seculi. Multi quidem creati sunt; pauci vero saluabuntur.* Est autem liber hic summæ infra Canonicos authoritatis. Denique Apocalyps. 20. prædestinatorum saluandorumque, seu vitæ liber vnus esse dicitur, reliquorum multi, quasi reprobos præ eorum multitudine libri plures non capiant.

3. Dico secundo habita solum ratione prædestinatorum reproborumque hominum fidelium, tam ante quam post rationis vsum obeuntium in Ecclesia Dei legis naturalis antiquæ, vel Christianæ prædestinatorum, quam reproborum est numerus maior: ita noster Lorinus ad id Psalmi 138. versu 14. *Dinumerabo eos*, &c. Soarez 3. de prædestinatione capite tertio, Ruiz de Montoya supra sectione prima, numero quinto, valde in eam inclinat quibus adde Doctores iam citandos pro sententia affirmante maiorem numerum adultorum fidelium prædestinatorum, quam reprobatorum, cum tamen ei numero ingens copia infantium per Baptismum, circumcisionemve Ecclesiæ Fidelium adscriptorum, atque originali è luto ante vsum rationis obeuntium, & prædestinatorum qui numerus amplior valdè, quam prædestinatorum fidelium adultorum plane est: inde probatur conclusio; quia, etsi reproborum fidelium numerus maior, quam adultorum etiam fidelium prædestinatorum sit, paruulorum horum prædestinatorum accessu, quorum tantam esse copiam quotidie videmus, excessus ille adultorum fidelium reproborum, non solum æquatur, sed exceditur. Secundo: quia nihil in scriptura, aut Patribus est pro maiori reproborum, quam prædestinatorum numero quod non sit, vel de collectione omnium hominum tam fidelium, quam infidelium, vt constat ex datis locis pro conclusione prima, vel de collectione fidelium adultorum solum, vt constabit ex locis pro tertia nostra conclusione producendis: quare pro indulgentiore Dei misericordia, & prouidentia incertum fidelium suorum beneficentiore stare iudicium nostrum debet: vt plures ex eis prædestinatos, quam reprobasse censeamus.

4. Dico tertio: ex fidelium omnium collectione plures reprobati sunt, quam prædestinati: conclusioni huic expresse aduersantur, & contradicunt Sylvester tractatu secundo in Euangelio septuagesimæ & prima parte constatorij quæstione 23. articulo 8. ad 2. Carthagena discursu 10. de prædestinatione dubio penultimo aduersariique etiam referuntur Franciscus à Christo. in 1. d. 40. & 41. quæstione quinta de reprobatione, sed tamen de Ecclesiæ fidelium que omnium cœtu loquitur paruulis baptisatis non exclusis. Soarez etiam refertur vbi proximè, qui tamen non solum baptisatos paruulos non excludit, sed expresse includit: quare vterque pro secunda nostra conclusione stat, quin tertiæ huic vllateaus aduersetur. Hanc vero tertiam conclusionem tradunt expresse in caput 20. & 26. Matthæi ad verba illa: *Pauci vero electi.* Caietan. in capite vigesimoquinto, Matthæi ad parabolam de Virginibus, vbi & Lyranus, Arboræus 4. Theosophiæ, capite 20. Maldonatus ad versum 14. Matthæi 22. Molina prima parte, quæstione 23. articulo septimo, conclusione septima. Ruiz citata d. 54. sectione prima, numero decimosexto, conclusione 2. 3. 4. 5. Scio nostros Vasquez d. 101. capite quarto, & Fasolum supra numerum septimum, rem hanc iudicio nostro indefinibilem, ac Dei iudicio reseruandam censere: sed tamen Deus satis iudicium suum pro nostra conclusione aperuit, eámque plus libito nostro euentus ipse rerum, & naturalis ratio confirmauit. Primum probo ex Veteri Testamento, in quo figurate traditur frequentissime, vt videre licet in Ruiz nostro locis citatis. Pauca subdo à Nouo Testamento in hanc sententiam explicata. Primum sit ex arca Noë: *In qua* (1. Petri capite tertio) *Pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*: pergit. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.* Quæ Sanctus Augustinus 5. de Baptismo contra Donatist. capite 18. His interpretatur. *Qua propter, sicut apparet, homines in vnitate Catholica Baptizati, qui sæculo solis verbis, non factis, renuntiant, quomodo pertinent ad huius arcæ mysterium, in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio?* Hæc vero respectu adultorum fidelium locum tantummodo habent. Horum etiam typus erant sexcenta illa peditum millia Exodi 12. Ægypto egressorum ex quibus duo solum Chaleb, & Iosuë terram promissam, ad quam omnes ibant, sunt ingressi numerorum 14. De quo Paul. 1. Corinth. 10. *Non in pluribus eorum* (tametsi candem potu ciboque spi-

ritali, vt Paulus præmiserat, vti essent) *beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt*, &c. *Nostri, vt non simus concupiscentes malorum*: Quæ præclare nostram conclusionem continent, vt egregiè ponderant Irenæus libro quarto, capite 46. sub initium, & Chrysostomus Homil. 65. in Matthæo sub med. his verbis. *Quod* (puniendos iniquos fideles,) *Beatus Paulus à superioribus ostendit dicens, spiritualem potum omnes bibisse, & spiritalem cibum omnes comedisse; nec tamen omnes saluos fuisse, sed multos eorum in eremo procidisse.* Denique Isai. 10. & ad Rom. 9. *Si fuerit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient.*

5. Ex Nouo Testamento Lucæ 13. Discipulo ex Christi sermone colligenti, rogantique. *Domine, si pauci sunt, qui saluantur?* Ipsi, & reliquis Discipulis, neque vrcumque fidelibus loquens, respondo hoc suo concessit, & ratione subiuncta probauit: *Ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Ad quæ Sanctus Augustinus serm. 32. de verbis Domini sub initio. *Confirmauit Dominus, quod audiuit: & inquiens contendite intrare, &c.* Primum verbo, *contendite*: quia vt bene Sanctus Gregorius 11. moral. capite vigesimosexto. *Nisi mentis contentio seruet, vnda mundi non vincitur per quam anima ad ima venocatur*: ex quo eadem Laurentius Iustinianus de contemptu mundi, capite decimoquarto. Secundò ex portæ angustia, quæ plures, & gregatim non capite tertio. *Quod multi quærent intrare*, vtique adulti Fideles, qui soli quærunt: *Et non poterunt*, eadem ferè similitudine, *Arcta via, qua ducit ad vitam, & lata qua ducit ad perditionem*: Paucos illam ingressuros, eaque gressuros Discipulis Dominus aiebat, suadebatque Matthæi 8. quæ ita expendit Sanctus Augustinus in tertio contra Cresconium Grammaticum capite 66. post medium. *Ipsi boni, verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, comparatione malorum, falsorumque* (Christianorum) *pauci sunt: sic multa grana, quibus horrea complentur pauca dicimus comparatione palearum, quæ cum granis in eodem fundo nascuntur, & in eadem area triturantur.* Et sanctus Hieronymus commentario ad eum locum, & epistola decimaquarta ad Celantiam (ni Paulini Nolensis sit) post initium. Hilarius canonico 6. in Matthæo post medium Nazianz. oratione trigesimatertia, primo de Theologia columna penultima, *Arctam viam* propter sudorem, & *quia non à multis teritur*, aiunt, sed comparatione reproborum paucissimis. Tertius locus ex Matthæi 19. Marci 10. Lucæ 10. vbi ex difficultate salutis diuitum à Christo asserta videntur rectè intulisse Discipuli. *Quis ergo poterit saluus esse?* Quia auaritia quæ salutem à Deo difficilem diuitibus facit salutem commune etiam fidelium vitium est. Ierem. 6. *Omnes auaritiæ student à minimo vsque ad maximum.* Ad Philippum 2. Paulus de Christianis ait. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt.* Christus autem Discipulis respondit. *Apud homines hoc impossibile est*: valde scilicet rarum, & difficile, vt auaritia deposita angustam vitæ portam ingrediantur: *Apud Deum autem omnia possibilia sunt*: vt nempè paupertatis Euangelicæ studio auaritiam à se excutiant, seque salutis homines expediant: illico autem Petrus vt suæ ac reliquorum salutis sententiam audiret subiunxit. *Ecce nos reliquimus omnia*, paupertatis studium, & auaritiæ omnis excussionem allegans, *Quid ergo erit nobis?* Æterna siquidem salus reliqua esse nobis videtur? nec mora: Diuinum Oraculum audiunt, quod optabant. *Amen dico vobis, &c.* quod si ex difficultate victoriæ passionis auaritiæ solum, tantam Christus Dominus salutis difficultatem in omnibus hominibus, etiam fidelibus, recognoscit, vt eâm impossibilitatem appellauerit: quid aliarum passionum communium, luxuriæ, ambitionis vehementia attenta, quibus frequenter auaritia cedit inferre de saluandorum adhuc Fidelium paucitate debemus?

6. Quartus locus sit ex parabola seminantis bonum semen in agro suo, id est Verbum Dei in sua fidelium Ecclesia Lucæ 8. cuius agri, seu Ecclesiæ pars solum quarta fructum facit bonum: Quintus ex Matthæo 3. vbi ad rem præsentem describitur. *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igne inextinguibili.* Atea autem Dei propria, & propriissima Ecclesia Fidelium suorum est, vt sanctus Augustinus aiebat recitatus numero quinto, ex libro tertio contra Cresconium Grammaticum capite 66. & iterum libro quarto, capite 53. & sermon. 32. de verbis Domini propè medium, vbi hæc habet. *Aream video, & grana quæro, & vix videntur grana, quando area trituratur: sed venturum est, vt trituretur. Pauci ergo, qui saluabuntur, in comparatione multorum perituorum.* Sextus locus ex illo Pauli ad Fideles, primo Corinth. nono. *Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis*: Sitisque excurrentium ad brauium, & præmium paucioribus. Septimus ex Matthæi 20. & 22. Multi enim sunt vocati, pauci vero, quod de admissis ad mensam conuiuiumque speciale Dei, nempè fidelibus Patres omnes, & interpretes intelligunt: verum, cum ex ea mensa vnus tantum eiectus sit in tenebras exteriores, qui solus est damnatorum typus reliquis plurimis, in quibus prædestinati, & saluandi figurabantur, mensæ & conuiuio assidentibus relictis, pauciores reprobos esse, prædestinatos vero multo plures aduersarij contendunt: sed certè hoc contra infallibilitatem, ac veritatem conclusionis ex ea parabola à Christo deductæ directè, nec satis piè, & Catholicè militant: quo autem pacto conclusionis eius illatio, & veritas constitut Patres sapienter difficultati occurrentes ostendunt: vt scilicet ille conuiuio eiectus non personam singularem, sed massam, & collectionem reproborum significet prædestinatorum cætu longe ampliorem, vnde rectè, ac verè conclusio deducitur, Sanctus Hieronymus commentario in 22. Matthæi in illo vno omnes: *qui sociati sunt in malitia*, docet contineri. Sanctus Augustinus capite 20. contra Donatistas sub initio. *In illo ipso vno multam, sententem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni conuiuio Dominico viuunt, significare non dubitauit. Nam postea quam dixit ligatis manibus, &c. continuo subiecit: multi enim sunt vocati, pauci vero electi: quomodo hoc verum est, nisi, quia in illo vno grande corpus figurabatur omnium malorum ante Domini iudicium conuiuio Domini permixtorum, à quibus se boni corde interim, & moribus separant, simul manducantes, & bibentes Christum, & sanguinem Domini?* Eodem modo ad eum locum componit Anselmus difficultatem. Sanctus Augustinus vero exemplo concurrentium ad Ecclesiam hanc expositionem confirmat, quo etiam ad id ipsum vtuntur Origen. in 22. ex Matthæo tractatu vigesimo, fine Athanas. disceptat, *Adversum eos, qui in veritate iudicanda solius multitudinis ratio ferunt*: circa medium, Et tandem hanc Domini sententiam ita de fidelibus solum prædestinatis, & reprobis intelligi debere censet, vt deceptos asserat, qui ad infideles extendi putauerunt, de prædestinatione, & gratia, capite vndecimo, ab initio, & de vera, & falsa pœnitentia capite sexto.

7. A ratione vero probatur primo, ea quam ex indignitate, & indebito naturæ lapsæ dedimus numero secundo à medio, & numero secundo toto, quæ respectu fidelium adultorum, etiam qui originale per Baptismum eluerint, locum habet, cum certum sit eis prædestinationem non deberi, sed indebitam

indebitam esse : immò, & debitum obiectiuum carendi illa post abolitum originale ex tempore quod antecessit, ac in eis fuit, in ipsis etiam iustificatis perstare. Probatur secundo ratione, quæ tacta etiam à Sancto Thoma ibidem fuit, ac pro conclusione prima non minori robore certat : quia natura corrupta hominum omnium, etiam iustificatorum in malum propensior valde est, aliundéque sensibilium viuidioribus longè cognitionibus ad ea sectanda solicitatur, ac præuenitur quam sint à sensibilibus, turpibusque abducentes, atque ad honesta inducentes abstractiuæ pro statu viæ cognitiones, nimirum à sensibilibus necessario emendicatæ, ac subinde motionis segnioris : quare gratia, etiam vberè ex meritis Christi à sensibilibus illicitis ad spiritualia, & honesta fideles etiam homines sudoris laborisque ingentis vbique gentium, & legum negotium fuit : de populi Hebraici sceleribus Oseæ. capite quarto aiebat. *Sanguis sanguinem tetigit* : & Dauid. *Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Nec aliter de Christiani populi moribus sentire Patres, atque oculi etiam (proh dolor !) nostri patiuntur. At, inquis, ita sane est : in sceleribus hominum, Christianorum etiam vita plerumque transigitur, vt de vitiorum Pelago emergentibus dici illud Poëtæ debeat. *Apparent rari nantes in gurgite vasto* : sitque illud Senecæ proloquium etiam de Christianis verum. *Argumentum pessimi turba est* : Sed tamen cum in Christiana Ecclesia præsto adeo facilisque sacramentalis pœnitentiæ adsit, qua instantis sibi mortis temporalis (& æternæ, ni resipiscant) conscij peccatores fideles iustificentur, atque in Dei gratia, & amicitia decedant, pleroscque eorum, quantumvis inueteratos peccatores malorum dierum vitam in iustitia claudere credendum piè à nobis est. Cæterum quot ex Christianis Fidelibus mortis suæ postremi periculi immemores, ac prorsus ignari, naufragiis, incendiis subitis erumpentibus ex montibus flammis, atque ad milliaria plura cineribus terræ hiatibus prouincialibus, ædificiorum, vrbiumque ruinis extemporaneis, quas terræmotus, & aëris tempestates frequenter efficiunt : quot etiam ex inimicorum insidiis, hostium, inuasionibus repentinis, belluarum immanium insultibus, grassatorum incursibus, aëris, aut morborum contagiis celerrimis, atque præliis etiam absque Sacramentorum beneficio, & memoria decedunt?

8. De Fidelibus autem, qui vitio plerumque (vt aduersarij fatentur, & vident,) enutriti cum Sacramentis moriuntur : quot precor ex eis mortem, & periculum : subinde æternæ damnationis sibi instare credunt ? nihil scilicet omittente, omniaque mouente Diabolo, qui ad eorum peragendum interitum modicum tempus superesse optime nouit, vt ab ea cogitatione ipsorum animos diuertat atque vitæ diuturnitatem, vlterioremque pœnitentiæ locum ipsis adfuturum suadeat : iuuantibus amicis sæculi huius, atque in veterato periclitantium inueterato præsentis vitæ amore, contra quem non sine dolore ingente instare sibi charissimæ vitæ finem credere possunt, & nolunt : sed credant tandem, quot quantáque sceleribus inueteratos à vera pœnitentia diuertunt ? Dolores, dispositionis temporalium, & eorum quæ charissimis filiis, &c. postea euenient prouidendorum, anxia etiam ac vehemens cura : immò quot, quantaque eos tunc in desperationem agunt diuinæ Misericordiæ, quam tot tantisque sceleribus vltra condignitatem demeritam, & à se abactam recognoscunt ? Ecqua demum veræ pœnitentiæ finalis illorum prudens, & cordata æstimatio esse nobis potest vt plerosque ex illis contingere credamus, qui tunc solum, & fere primum vitia deserunt, cum à vitiis deseruntur ? id quod rectè ad rem hanc ponderant sanctus Augustinus de vera, & falsa pœnitentia capite decimo septimo, Homilia 42. post medium ex libro Homiliarum 50. Cæsar. Arelatens. tomo secundo Biblioth. homil. 43. & 44. decretum canonicum de pœnitentia distinctione septima alias causa 33. quæstione tertia. Cyprianus libro quarto, epistola secunda ad Antonianum post medium Isidorus 2. sententiar. de summo bono, Hugo Victor. 2. de Sacrament. parte 14. capite quinto circa medium. Laurentius Iustinianus de contemptu mundi sub mundi fine. Deinde : cum vera pœnitenti, nisi ex gratia Dei specialissima, & efficaci haberi ab homine nequeat, Dei inquam, quem tota, vel ferè tota vita sua tales isti fideles insensissimum inimicum tanto merito habuerunt, nescio qua probabilitate eorum cuiquanto gratiæ suæ dono tunc adfuturus iudicetur : tametsi in suæ bonitatis, & clementiæ ostensionem, ac misericordiæ exemplum vni vel alteri ipsorum tunc donet. Hanc etiam rationem pro nostra conclusione expendunt Cyprianus, & Laurentius Iustinianus vbi proximè, Sanctus Augustinus sermone 10. de Sanctis prope med.

9. Inquiunt tamen aduersarij, ita de anteactis temporibus fuerit : ita vero postremis sæculis fore temerè iudicabimus : siquidem quid in illis futurum sit ignoramus. Contra vero : quia in iis quæ ex naturæ corruptæ vitiosa inclinatione, viuidioríque, & efficaciore sensibilium, quam spiritualium motione (quæ totis, ac proinde postremis vitæ huius, & mundi sæculis persistent facta hucvsque experimur non aliter postea faciendum non solum probabiliter possumus, sed prudenter debemus iudicare : vide quæso bella, & seditiones toto orbe sub mundi finem futuras à Christo Domino prædictas, & cum ex Iacobi 4. ea, *Ex concupiscentiis nostris, quæ militant in membris nostris*, nasci solummodo credas : concupiscentiarum humanarum vt homines in peccata impellant vires quo loco, & gradu futuræ sæculis posterioribus sint facile dignosces : vide breuiandos dies postremos ne electi si fieri potest, à salute decidant : vt scias quantum futurum sit postremo sæculo robur. Ac tandem si sæculis Passioni Christi proximioribus, & illo ipso, quo sanguis Christi recens pro hominibus effusus, ac feruens Dei misericordias, & gratis hominibus exhalabat, & fidelium cor vnum, & anima vna proinde fuit, ita ex Christianis, & fidelibus plures vixerunt obieruntque, vt non renuis : vnde frugi melioris distantioribus, imò distantissimis à Christi Passione sæculis futuros fideles non dicam indicas, sed suspicaris. Rem hanc concludat Hieronymus morti vicinus, qui (teste Eusebio epistola ad Damasum tom. 2. operum Hieronymi) aiebat : vix vnum ex centum millibus perditæ vitæ hominum, verè in mortis articulo pœnitere. Nolo autem concludere verbis Chrysostomi homil. 40. ad popul. Antioch. versus med. & 34. ad Hebr. col. 2. & 3. & homil. 3. in acta : quia sententiæ dolorem, & horrorem calamus etiam ferre non potest.

10. Rogas denique curiosius : vter sextus, virorum, an mulierum num. prædestinatorum alteri præualeat ? Alexander 2. parte, quæst. 95. vers. finem. Scotus in 2. d. 20. quæst 2. fin. vbi Gabriël articulo 3. dub. 1. quæstionem definire noluere. Marsilius ibi q. 13. dub. 4. & S. Thomas quodlib. 3. q. 11. art. 25. censent vtriusque sexus numerum prædestinatorum æqualem : quia iidem prædestinati sunt, qui in statu innocentiæ prædestinarentur, si perdurasset : in eo vero statu par prædestinatorum numerus in vtroque sexu esset, quia par in eo virorum, ac mulierum foret numerus, & omnes in eo statu prædestinarentur : sed discursus hic Marsilij plura non satis explorata, & fortè falsa supponit. Primum eosdem nunc in statu naturæ corruptæ prædestinatos esse, qui in statu innocentiæ prædestinarentur, quod probatione multa opus habet, & nescio an habere possit sufficientem. Secundum non esse nunc prædestinatos plures, quam tunc forent. Tertium æqualem tunc fore numerum virorum, ac mulierum, quæ somnio similis diuinatio est : cum tunc etiam prolificum semen inæqualiter dispositum pro occasionum, & temporum, & hominum diuersitate esset futurum, alioqui vel omnes mares, vel omnes fœminæ procrearentur :

quod

quod & æqualitati numeri vtriusque sexus assertæ, & hominum obesset propagationi: vnde item norunt totidem, non dico eosdem quos in illo statu, prædestinatos in natura lapsa esse non plures, oppositum enim fortasse probabilius est sed de his omnibus fusiori calamo, maiorique fundamento disputare, nedum definire oportebit de statu innocentiæ disputantes.

11. Ruiz noster citata d. sectione 6. plures prædestinatos mulierum, quam virorum sexui. Primo quia multo plures mulieres, quam homines sunt, multoque pauciores hominibus absque Sacramentis bello rixis, itineribus, fluminibus, præruptis, latronum incursibus, naufragiisque repente, & inopinato decedunt: cum autem dociliores, faciliores, genio, & corde molliores sint, atque ad pietatem procliuiores, & timidiores, & metu gehennæ, quam ex fide credunt, & iuuantium adhortationibus plerumque ad veram pœnitentiam sacramentalem flecti credendum prudenter est: potius quam de viris perditis, qui mortis instantis conscij, & Sacramentorum participes decedunt. Accedit fœminas vt plurimum ex ignorantia, & fragilitate maiore, quam viros peccare, quare & veniabilius, quam homines æquè peccantes delinquunt: Denique, cum fœminæ in omnia pietatis opera, orationem, religiosum cultum, eleemosynam, conciones, Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ vsum frequentem, ieiunia, &c. sint propensiores, & minus hominibus peccant, & frequentius à peccato respiscunt: eumque parentum, maritorum, & consanguineorum consilis, & pædagogiæ obedientiores sint, multo paucioribus peccandi occasionibus sunt expositæ, & frequentius illis pietatis operibus, quæ ex Dei gratia malæ etiam vitæ interserunt, congruum bonitati Dei motiuum exhibent vt ea ad pœnitentiam veram finalem adducat: maximeque durorum plerumque maritorum continuum; vt sic dicam, martyrium perpessæ. Hæc fere Ruiz cui ego consentio: id tamen cum eodem authore viris vtpotè naturæ perfectioris lubens dabo: plures ex illis ad altiorem virtutis & perfectionis gloriæque gradum, quam ex mulieribus esse à Deo prædestinatos.

CONTROVERSIA OCTAVA
DE
THEOLOGICIS AD ANGELOS
SPECTANTIBVS.

AD plenam de Deo vno notitiam de eius ad extra operatiua potentia, & operatione disputatio necessaria videtur, & de potentia quidem ad extra operatiua (quæ ipsissimum, omnipotentiæ attributum non vitale est) non incorgrua methodo agimus t. 1. de Deo vno Contr. 1. de Attributis Dei non vitalibus d. vlt. De operatione verò Dei ad extra, seu effectis creatis, plura Philosophicum, quam Theologicum, examen requirunt, vt de creationis essentia, atque ab eductione differentia: atque ita Dei, & omnipotentiæ propria sit, vt nec principaliter, nec instrumentaliter attingi à creatura possit? Rerum item, quoad modum, & durationem emanationis à Deo possibilitas, quæ, & plura alia bonam Philosophiæ partem (è cuius puris principiis decidenda sunt) plane supponunt, hic non, nisi importune, intrudendam. An verò Deus plura melioraque, quam fuerit facere possit? disputator hic à nonnullis commodius autem ea de re agimus Controu. 4. de necessitate Dei ad optimum præstandum disputantes.

Solum ergo de Angelorum creatione, & existentia pauculisque aliis, quæ ex fide, & proprie Theologicis principijs pendent, difficultatibus agendum hic erit, vt quæ de illis dogmata existant, pro Th ologico munere complanentur, & primo quidem, de Angelorum creatione, & existentia, quæ, nisi ex reuelatis & Patrum authoritate firmiter statui nequit. Secundo; de Angelorum essentia, quæ similibus etiam principijs eget, vt ad plenum deprehendatur, nec sine vtriusque suppositione, quæstionum de eis habendarum subiectum consistit. Tertiò, de statu viæ, & reliquis ad possibilitatem Obedientiæ, vel transgressionis, tam malorum, quam bonorum Angelorum attinentibus. Quartò: de vtrorumque inter se colloquio, & modo, quo illud possit ab ipsis haberi: quod, licet Philosophicum sit, communemque cum animabus separatis, quæstionem contineat, tamen, quia sui difficultate locum apud, Theologos reliquos inuenit, ne eius metu, quam debita methodo, eorum mori videamur defeciſſe, alio remittenda non fuit. Quintò: de malorum Angelorum peccato, ac pœnitentiæ possibilitate, vel impossibilitate, æternisque cruciatibus, quamvis, quoad cruciatus Scholasticorum vsui potius, quàm methodo, morem etiam geramus: quia modus, quo igne cruciari spiritualis Substantia Angelorum queat, ex philosophicis, quam Theologicis principiis pendet. Sexto: de bonorum malorumque Angelorum, erga homines officijs, ac ministerijs Reliqua de Angelorum vtrorumque præscientia, locali motu, speciebus impressis, cognitionis, & voluntatis actibus, & pleraque alia ipsis, & animabus separatis, vel communia, vel affinia, purè Philosophica sunt, ac fere ex ijs, quæ de animis separatis sunt dicenda, omnino, quasi ex communibus principiis, definienda. Quare facilius, breuiusque, & opportuniùs absque principiorum repetita probatione, t. 2. Controuersiarum Philosophicarum post Controuersiam de anima separata ea omnia disputabimus.

DISPVTATIO PRIMA.

De Angelorum essentia, creationeque.

ANGELORVM nomen officij, non naturæ, esse consone Patres, & Theologi docent: & quod non eis solum, sed alijs conueniat. Primum constat ex Patribus, & interpretibus in id Psal. 103. versu. 4. & ad Hebræ 1. *qui facit Angelos suos Christoph. de Ortega, de Deo Vno.* Tomus II. *spiritus*, quos recitat Bubalus noster in 1. p. q. 50. art. 1. quæst. 1. diff. 1. d. 1. Secundum constat ex Isai. 9. Vbi *Christus Dominus magni consilij Angelus dicitur*, & Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante te*: Ioannes Baptista (Christo Domino interpræte Mathæ 11.) designatur, eo item nomine Sacerdotes omnes donantur à Malach. & Episcopi præsertim Apocalps. 2. & 3. atque epistolis septem ad Asiæ episcopos totidem: cæterum, vt absolute, nudeque prolatum Angeli nomen substantiam aliam rationalem ab homine diuersam (de qua in præsenti disputamus) significet, iam vsus obtinuit. Substantiam, communi bonis, malisque, nomine multiplici Philosophi significabant, nempe genij, intelligentiæ, Dæmonis. & Angeli, tametsi Dæmonis nomen ad malos Angelos determinate significandos restrictum à Philosophis etiam,

fuisse ex Apuleio retulit Augustin. de ciuit. Dei lib. 8. in Christiana Ecclesia semper in malum ea vox Dæmonis vsurpata est (vt Tertul. lib. de testimonio animæ capit. 3. & Augustin. 9. de ciuit. capit. 19. obseruarunt) sicuti Angeli nomen semper vsurpatum in bonum fuit id, quod ex Euangelio Ecclesia nostra didicit: quamvis vocis Angeli pro bono significando, & Dæmonis pro malo determinatio, & restrictio iam pridem à Sostena Philosopho facta referatur à Minutio Fœlice in suo Octauio in præsenti verò, ac fere reliquis disputationibus ad quintam vsque, Angelorum nomen secundum se, atque vniuersim, vt bonos, malosque coërcet vsurpamus.

QVÆSTIO I.

An Angeli existant in rerum natura.

De absoluta Angelorum existentia tota quæstio procedit; detur nempe in rebus; nec ne?

CERTAMEN I.

Angelorum existentia ex Philosophis, scriptura, & fide statuitur.

1 ANgelorum existentiam negarunt Saducei, de quibus actor. 13. *dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*, consentire Samaritani teste Bubalo proxime §. 2. versu *colligitur tertio* Georg. Dauid, cum aliquot socijs Lutheranis teste cochlæo de dictis, & factis Lutheri an. 1545. Lindano indubitant. Dositheus eius farinæ homo teste Prateolo, ex Philastrio in elencho hæreticorum verba *Dositheus* & Libertini apud eundem ex lindano verbo *Libertini*, à Caluino ipso confutati thesauro Catholico lib. 4. de Angelis §. *Negant*: Hieronymus Cardanus 10. de rerum varietate, & 9. de subtilit. apud Carpentarium in Alcinoum de doctrina Plat. Ait verò Cardanus, se Philosophum tunc agere, non Christianum, quasi aliter vt Christianus censeat verum, vt bene Bubal. §. 5. versu *colligitur secundo*, versu 3 *quare dicere* potius, neque, vt Philosophus loquitur, qui cæteris Philosophis (Atheos, epicureos excipio) aduersus, in eorum hac de re rationibus eneruandis leuibus argutiis est totus. Neque, vt Christianus, qui ab scripturæ, & Patrum, stata sententia (vt iam ostendam) recedens eius à ratione fundamenta omnia omni arte debilitat, vt aliter sentiendi viam aperiat faciliorem, quo vitio, hoc, aliaque dogmata ratione, examinantes Pij, alij, & Catholici recentiores, nescientes, nolentesque quandoque, nostro præsertim sæculo, laborant, *qui vanis* (cum Lactantio loquor. lib. 3. cap. 24.) *vera desfendunt vel ioci causa philosophantur, vel quasi, vt ingenia sua in malis rebus exerceant, vel ostentent*: cum tamen Philosophi, Theologique Christiani munus sit Dogmatibus fidei confirmandis rationis fundamenta, quam possint plura, proprijs etiam lucubrationibus, adiungere, neque antiqua argutiolis quibusque mouere, sed quoad fieri possit obfirmare: cæterum, vt alio ait Scaliger. in Cardan. exercitat. 307. num. 30. plures eius sententiæ, vel potius nequitiæ, & impietates, expungendæ videntur, *cum* (inquit num. 35.) *quot interdum verba fundit, tot flagitia turbido, & inconstanti ingenio committit*, S. Thom. citata quæst. 50. art. 1. ex Arist. 4. Physicor. text. 52. & 57. ignominatos quosdam priscos Philosophos, pro negatiua hac sententia refert, quos ego non reputo a ios, quam epicureos, & constanter Atheos relatos 1. 1. de Deo vno Controu. 1. d. 1. quæst. 1. Horum etiam fuit, Saducæorumque, mens corporeis, & sensibilibus, intenta, & quasi septa, & carcerata, nil vltra sensus cogitabat.

2. Sapientiores omnes Angelorum absolutam existentiam constanter docuerunt. Mercurius Trismegistus Moysi coëtaneus, iuxta Suidam, certe reliquos etiam septem illis decantatis sapientibus, antiquior, in Pimandro capit. 9. & in Asclepio apud Augustin. 8. de ciuit capit. 23. & 24. Orpheus centum ante bellum troianum annis apud Euseb. Cæs. 5. de præparat. Euang. cap. 3. & 4. Eugubinum 8. de perenni philosophia cap. 33. eius carminibus recitatis, & apud Lactantium, lib. 1. cap. 7. vbi, & Apollinis verba etiam intelligentis Angelos, seu Dæmones noscentis, Homerus ante ducentis post Orpheum annis apud Plutarchum libello, *quod oracula cessarint*, vt referunt August. 9. de ciuit. capit. 1. vbi Ludou. Viues, Eugubin, 11. de peren. Philosoph. capit. 13. & lib. 5. capit. 6. Euseb. Cæsar. cap. 4. citato vbi Hesiodum etiam Poëtam Philosophum centum annos Homero posteriorem Angelorum existentiam docuisse, ex Plutarcho citato libello quod, *oracula cessarint* retulit: idemque de Hesiodo referunt Lactant. lib. 2. capit. 15. Clemens Alex. adhortatoria ad gent. longe ab init, eius carmina recitantes, ex quo alia recitat Plutarchus citato lib. circa med. Thales insuper Milesius vatquinio prisco, Rom. Regi coætaneus apud Athenagor. Apologia pro Christian. ad Anton. imperat Phærecides Pythagoræ magister, & Pythagoras ipse apud Marsil. Ficin commentariis, & argumentis in Phædrum, quibus addit Plutarchus lib. de Iside, & Osirid. Xenocratem, & Chrysipum *genios, tam bonos, quam malos priscarum Theologorum*, inquit, *imitatione, admittentis*, & & Socratis Dæmon celeberrimus cunctis fuit, vt videre est apud Minutium felicem in octauio, Plutarchum toto libro de *Damone Socratis*, & apud Maximum Tyrium gemina de eo Apodixi apud Tertulian. capit. 1. Cyprianum Dei dolor vanitate num. 52. Clementem Alexandrin num. 1. stromatum & Augustinum 8. de ciuit. cap. 14. Eugubinum 8. Perenn. Philosoph. cap. 15. Andream Vectorellum de custodia Angelorum Aristotelis porro sententia de Angelorum existentia apprimè sima, vbique est vt patet ex octauo Physicorum 12. metaphysi. text. 41. & 1. de cœlo text. 100. & 10. Moral. cap. 7. & 5. met. cap. 5. Dæmonia in subluuiis recenset & 5. de partibus Animal. Heraclitu ad eum in casa furnaria sedentem accedere recusantes laudat & approbat adhortationem, qua ingredi eos iussit, *quoniam, ne huic quidem loco inquit Dei desunt immortales*, & 4. topicor. loco 64. *Deum, & studiosum posse praue agere*, ait, *non tamen actum*, quod de summo, ac primo Deo intelligi nequit, sed de genio, bono, siue Angelo, qui peccare potest, & si non peccauerit, nec sit peccaturus, & 2. Rhetor. de locis enthymemat: Dæmones esse supponit, locum à definitione tractans, quæ verò ex 12. metaphy. t. 48. & sect. 3. Problem. 1. pro sententia neganti afferri solent vt summum numerum Angelorum orbibus cælestibus ampliorem, negare sonant, loco primo; secundo verò, oracula sybillarum, tum melancoliæ naturali, non verò Angelis tribuere quod non est Angelos negare, vt patet certo ergo constat sapientes omnes Ethnicos Angelorum existentiam agnouisse, vt constat ex citatis locis, aliisque quos deinceps de eorum officiis disputantes referemus.

3. In scriptura nil quam existentiam Angelorum, frequentius: in veteri testamento genesis, exodi, judicium, Regum Psalmorum, & Prophetarum libris, in quibus Tob. 5. Angelos præcedere, adesseque & apparere hominibus, eosque solari in afflictionibus, & confortare; quandoque verò corripere, deterrere & celestes seuere, ad internecionem, & excidium, punire passim, legitur, vt loca, notare & adhuc, superfluum sit & concordantiarum purus labor sin nouo verò testamento, & si non adeo frequentia, sunt tamen loca quam plurima Matthæ 2. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* iterumque, & iterum eidem Angelos apparuisse in Euangelio scribitur, cū vt animi anxietatem, & hæsitationem de vxore Maria prægnante mysterij tanti

tanti renelatione propelleret ; tum ipsi cum Matre & Puero Iesu reditum ex Ægypto in terram Israël imperaret. Tertio celebris, stupendaque illa à Deo Gabrielis Archangeli ad verbi incarnationem peragendam legatio cunctis est nota apud Lucam cap. 1. verbis illis. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro &c.* Mathæi item cap. 4. discedente tentatore Angeli Christo accessisse, ac ministrasse dicuntur. Apparuisse verò, & confortasse Christum ad gethsemani orantem, & in agonia positum ab Euangelistis Angelus refertur, atque ab eodem Mathæo cap. 18. illud expressum *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei*, & capit. 25. reprobi postremo in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius mittendi denunciantur. Libris insuper, & epistolis canonicis, Euangelio posterioribus : existentiæ Angelorum veritas frequenter, vel traditur, vel supponitur. Ad Hæbr. 1. *cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu* 2. & plura alia in id ipsum, addit his terminans caput ; *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* 2. Petri. 2. *Angelis peccantibus non pepercit.* Apocalyps. 12. *Draco pugnabat, & Angeli eius &c.* & alia plura ab Angelis exercita, exercendaque eo libro dicuntur. Reliquis verò præ multitudine missis, id solum animaduerto, ijs omnibus certis vtriusque testamenti locis (sunt autem vt facile videbis, & statim occurrent, quam plurima) quibus Dæmonia esse, atque circa homines quidpiamve aliud mundi operari dicuntur : Angelorum existentiam vniuersim hic à nobis assertam tradi : nam & Dæmones Angeli substantialiter sunt, atque, vt diximus, æque voce Dæmonis, atque Angeli, imo & indifferenter, ab antiquis, præsertim Philosophis, significabantur ; quamquam Christianæ Theologiæ vsus, ex communi Patrum, ac veteris testamenti locutione obtinuerit, vt vox, *Angelus* simpliciter & absolute prolata bonum Angelum significet, *Dæmon* verò, aut *Dæmonium* significet malum. Sed ea diuersitate significatus vocis vtriusque simpliciter absolute, ac sine addito prolatæ accidentaria solum bonitatis, & maliciæ moralis, non autem substantialis Angelorum differentia, adhuc specifica, denotatur : ex omni siquidem Angelorum ordine, & choro) ac fortasse specie, & obsequentes boni, & praui transgressores Angeli steterunt.

4 Constat inde, quo iure definita Angelorum existentia fuerit à concilio Lateranensi, sub Innocentio III. ex quo loco desumpta eadem definitio est cap. *firmiter* de summa Trinitate, verbis huc, *vnum est vniuersorum principium creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initiis temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem : Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi Communem, spiritu & corpore constitutam.* Porro Patres omnes veritati huic vtpote in vtraque sacra pagina toties commendatæ, & expressæ, vnanimiter consentiunt ; tametsi eorum nonnulli, circa nonnulla alia de Angelis inferius disputanda, minus recte censuerint, eorum tamen recitandis testimonijs parcimus : tum, quia obuia, & innumera, tum quia non ita ad purum præsentem conclusionem tradunt vt non alia de Angelis examinanda contineant : quare vbi de his singulatim agemus oportunius, & citra rerum confusionem referentur. Solus est difficilis contra præfatam veritatem Augustini locutio quæst. 54. libri octoginta trium, scribentis ; *quod autem est melius omnis anima id Deum dicimus.* Angelus autem, de cuius existentia disputamus, & assertiue definimus ; anima quauis, etiam rationali melior, perfectiorque est ; non autem est Deus, sed infinite inferior Deo substantia, eiusque effectus, & creatura, vt nuper ex Lateranensi concilio referebamus : ergo, vel censet Augustinus Angelos perfectiores anima rationali non esse, contra inferius, ex scriptura, & rationibus statuenda, vel Angelos Deos, vel Deum ipsum esse, ac non creaturam, contra statutum Dogma fidei in Lateranensi concilio, vel demum Angelos nullos existere, imo nec posse esse contra nostram conclusionem : certe quoduis ex hisce adeo exploratum absurdum est, vt, vel inde constet Augustini verba, vt videntur sonare, nec ab ipso vsurpata fuisse, neque esse à nobis accipienda.

5 Etenim, quod Angelus Deus sit, nemini, sapientium, gentilium adhuc, placuit asserere : & si enim Græci, aliquot Poëtæ, & sapientes Angelos, siue genios, & intelligentias, Deos dixerint, (vt significat Theodoretus epitome diuinorum decretor. cap. de Angelis aiens : *nec, vt Græci Poetæ, ac Philosophi in Deos referimus*) & quandoque eo, eos donet nomine Plato, ac naturas ingenitas dicat, apud Euseb. Cæsar. 14. de Præparat. Euang. & Deos sæpe vocet ; sed ingenitos corporali, vti nos, generatione intelligit, non autem à se, ac non ab alio existentes, vt proprie Dei essent, atque deitate fruerentur oporteret ; Deos autem, non proprie dictos vocat, sed quatenus dignitatem, & excellentiam supra homines sortiuntur, & ad quam egregiis facinoribus, & si non naturæ, virtutis tamen præstantia, possint homines prouehi : quo vrique sensu Heroas in Deos transferri ex Hesiodo docuit in cratylo, vti ex eorum sensu aiebat Virgilius. *Pauci, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,*

6 Aperte enim ex Symposio scribit de natura Angelorum, Plato nusquam Diuinam pertingere, sed ipsa inferiorem, humana verò superiorem interiacere ; *Omnis natura Dæmonum*, (ait) *inter mortales, Deosque est media*, qui ergo tantus error quantum Philosophorum Æthnicorum tenebræ capere non potuerunt, tribui Augustino, & in eis versatissimo & ingenio, adeo præstantiori, ac insuper scripturæ, & Patrum Doctrina instructissimo, poterit vt Angelos proprie Deos putauerit : ergo animæ omnis nomine, non solum animam proprie talem, partemque hominis componentem, sed substantiam pure spiritualem creatam vti Angelus est, eo loci intellexit sic ex antiquis plures animarum nomine Angelos etiam donarunt. Philo Hebræ. lib. de somnis circa med. genera, seu species animarum diuidens, ac in eis perfectissimarum animarum genus recenset, atque *has*, inquit, *genios Philosophi*, Angelos vocant Sacræ litteræ nomine aptissimo ; sic etiam Plutarch. lib. de defectu oraculor. circa med. animas seu (meliori latinitate) animos, ex Philosophorum vsu Angelos vocat ibi, *si animæ secreti à corporibus aut omnino, quibus nullum est cum corporibus commercium sunt (quæ tuæ est, & diuini sententia Hesiodi) Dæmones custodes hominum casti terras obeuntes, eum animos in corporibus degentes ista vi*, (prædicendi futura) *priuamus ?* & Marsilius Ficinus t. 1. lib. *in Phædrum commentaria, & argumenta* ; cap. 2. ex Phærecide Syro, eiusque discipulo Pythagora, & Pythagoricis *inter hæc animaduerte, similem animarum describi casum à Pythagoricis, atque Dæmonum à prophetis*, quia illi animarum voce Angelos, seu Dæmones appellabant. Huic ergo vulgatissimo loquendi modo Philosophorum annuens, eo loco Augustinus animæ voce creatam omnem spiritualem substantiam, ac subinde Angelos comprehendens dixit, *quidquid omni anima, melius est Deum Deo*, Attamen rigidiori sermone, & proprio loquendo 1. Retract. cap. 26. num. 54. ait *magis dici debuit omni creato spiritu melius.*

CERTAMEN II.

Quid ex continua Cœlorum rotatione naturalis ratio de Angelorum euincat existentia?

NAturalis ratio, vel à priori, & causis, siue Physicis, siue metaphysicis, vel à posteriori, & effectibus ordinis alterutrius potest solummodo procedere, vt aliquid, seu demonstratiue, seu probabiliter, suadeat pro mediorum, seu principiorum, ex quibus discurrit; euidentia, vel probabilitate, vt dialecticis est notum: equidem Angelorum existentiam à priori, & per causas euinci, non demonstratiue solum, sed probabiliter ex adhuc, naturali ratione minime posse, certum omnibus est; siquidem Physica, & totalis Angelorum existentiæ causa Deus est, illos non quidem necessario, sed libere, pro suo arbitrio, ac libera voluntate, & decreto producens atque extra causas apponens: atqui, vt eos producendi decretum, & voluntas libera à Deo concipiatur, atque habeatur, potius, quam omittatur, nulla naturalis causa, siue intrinseca Deo, siue extrinseca, atque in creaturam reliquarum coniuncto, & natura potest, nisi ex fundamento, arbitrario, maiori designari: ergo ex causa Physica nequit Angelorum existentia, adhuc probabiliter, nedum euidenter, euinci. Minor probatur distinctione rationis petitæ ex bono vniuersi quam adhibet S. Thom. 1. p. qu. 50. art. 1. corp. quia nimirum ad bonum vniuersi, à Deo effecti, vt à causa efficiente, spectat, vt in eo sit aliquid quod perfecte (quantum effectui creato licet) Deum eius authorem, secundum virtutem, & potentiam, qua ipsum efficit, imitetur: Siquidem, & effectus bonum, & perfectio est assimilatio ad suum agens, quæ vniuersim ab omni agente intenduntur. Et si verò, in vniuerso ratione animæ rationalis eiusmodi assimilatio, ad Deum, per intellectum, & voluntatem vniuersi authorem, videatur reperiri, cum tamen animus rationalis imperfectum quid, vt pote substantia partialis, sit, nequit, per illam perfecta ad suum authorem per intellectum, & voluntatem assimilatio vniuersi reperiri, quæ esse in eo, potest, & oportet, quousque substantia spiritualis completa intellectiua, & volitiua, quæ nil sane aliud, quam Angelica Substantia est) in rebus esse admittatur. Verum hæc congruentiæ solum ratio est, notæ aliunde ex fide Angelorum existentiæ, & productionis, vt non, citra rationem, & conuenientiam omnem, facti à Deo Angeli videantur; non verò ex solum ratione facti, probabiliter adhuc, & verisimiliter iudicentur: vt Mysterij incarnationis, quod sola fide nobis innotuit, potuitque innotescere executi rationes, & congruentias plures Patres, & Theologi laudabiliter, subtiliter, & docte designant; ex quibus tamen solis, ne probabiliter quidem, eius existentia suaderetur.

2. Accedit, nec Deum perfectissimum, vt potest; quare, nec sibi, quam posset, perfecte simillimum mundum producere teneri, vt concors Theologorum sententia est; & etiam, infinities pene, plures, & plures mundos perfectiores, & perfectiores, & in quibus perfectior, & perfectior Dei (etiam quoad intellectum, & voluntatem, per quæ ad extra operatur) Authoris sui similitudo eluceret, Deum posse absolute producere, nec eius potentiam, nec artem mundi huius productione exhaustam fuisse, & effectam certum vtique est. Posse etiam substantias spirituales intellectiuas, & volitiuas productis longe nobiliores in rebus ponere, quas tamen de facto non posuit, cum tamen positas de facto, & productas à Deo fuisse æque argumentum probat: cum eis positis perfectius vniuersum foret ac suo Authori in potentijs intellectus, & voluntatis, quibus operatur, similius: sed neque effectum illum potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ, per quam omnia etiam irrationalia, & in anima operatur, ponere, neque id necessario in suis operationibus ad extra intendere debet, sed solum pro libito posse, & præstare, & intendere, in ijs etiam in quibus id exequi, & intendere potest: quia id solum probatur discursu præfacto: eam. rationem sufficienter de se motiuam esse, vt id intendere, & exequi absolute in rebus, & vniuerso pro mero suo arbitrio possit: non autem illius propositione motum de facto fuisse. Non ergo à priori, & per causas euinci, adhuc probabiliter, Angelorum existentia à ratione sola naturali potest, tametsi simul deprehensæ congrue ea ratio possit, designari. Tota igitur controuersia in re præsente esse Theologis potest, an ex effectibus aliquot, quos experimur, substantiæ eiusmodi separatæ spirituales (quas Angelos dicimus) existere, in rebus naturalis ratione, à posteriori, demonstrentur, aut efficaciter euincantur.

3. Ea in re duplicem (quod ad demonstrationem à posteriori, & ex effectibus attinet) extreme oppositam sententiam reperio. Prima demonstrari à posteriori, Angelorum existentiam vniuersim affirmat: ita docuisse videntur, Aristoles, & Plato, cum assecla; insuper S. Thom. proxime & 2. contra gent. cap. 46. & Thomistæ omnes vetustiores, iunioresque Dominicani, & reliquis paulo antiquioribus Theologis communis sententia absolute fuit; sed non omnes eadem ratione demonstrari Angelorum existentiam putant, vt inferius videdimus. Secunda sententia demonstrari ratione naturali, vlla à posteriori, & ex effectu aliquo in rebus deprehenso Angelorum existentiam absolute negat: ita expresse Auersa 1. p. qu. 50. sect. 1. §. *Alia etiam* Anticus d. 1. de Angel. num. 8. Meratius D. etiam 1. sect. 2. Arriaga t. 2. primæ partis de Angel. d. 1. sect. 1. per totam, atque eis præuit Valentia noster 1. p. d. 4. qu. 1. pu. 1. versu *quæret autem aliquis*, Vazq. 1. p. t. 2. d. 178. cap. 1. rationes à S. Thom. & antiquioribus adductas demonstrationes esse negans alijs vero, quas ipse producit, ac mox expendemus, efficaciam id ostendendi concedit; non autem demonstrationis efficaciam expressit: quare de efficacia istar probabilitatem maxima videtur locutus, vti expresse locutus est noster Quiros 1. p. t. 2. tract. 8. d. 1. sect. 1. numer. 7. quæ nimirum efficacia fere euidentiam pertingat: id, quod, vt minimum, censere videtur noster Ioan. Præpositus, ex Cœlorum motu concordi, & constante. Aristoles intelligentias, eos impellentes, & mouentes deducebat, certa à Deo lege, vt inde solum eorum numerum inquiri, deprehendique ratione posse crederet. 12. met. text. 41. quare tot solum intelligentias, seu Angelos, quot cœlorum motus text. 48. hac ratione concludit; *Si enim essentialia, vtique mouebunt, cum lationis finis sint*, quamquam, & oracula ab intelligentiis, siue Angelis sedli, apud Gentiles agnoscat. 3. de Histo. animal. cap. 10. de caprolemnij agens, & incantationes eisdem authoribus tribuit. lib. 8. cap. 24. & 3. de anima text. 29. non solum loco motiuas substantias spirituales separatas, verum, & intellectiuas homine nobiliores recognoscit & 1. de Cœlo cap. 9. Plures præter Cœlorum motores ac supra Cœli verticem ponit, in super. 7. Morall. ad idem cap. 17. fortunatorum minus sapientium bonum gubernatorem genium esse, sicut male compactæ nauis bonus quandoque accidit Nauclerus. Sed, licet aliunde, vt vidimus, Angelos esse, & plures, quam cœlestium orbium motores probaverit; ast ex eorum orbium motu, tam ipse, quam eius discipuli, & Theologi antiquiores demonstrari in primis Angelorum existentiã, ratione pure naturali, censentide cuius proinde primum, deinde de reliquarum rationum, quæ afferri solent efficacia, & euidentia agendum sorsim ex instituto erit, vt in re præsente sententia firma feratur.

4. Bubalus noster satis erudito, docto, & prolixo tomo de Angelis, quæstio. 2. difficulta. 1. paragrapho. 6. demonstrationem esse censet duplici via. Primo ex cœlorum Astrorumque, quæ de facto in rebus sunt, natura, & motu volubili, seu rotatione: secundo ex euidenti naturali repugnantia corporis, quod de se, atque ab intrinseca sua forma, tanquam à virtute in orbem, actiua rotetur: vt is motus necessario ab alio extrinseco impellente ac mouente actiue debeat procedere, & quidem libero, & intellectuali motore: Hic autem

autem motor cœlorum nequit esse Deus: ergo intelligentiæ, siue Angeli. His §. 4. præmittit cœlum in orbem, circa orbis centrum moueri, vel astra saltem, è quibus efformandum argumentum æque probat vt ab ea quæstione apud Patres Priscos, & Mathematicos Neotericos abstineat: num cœli motu suo astra sibi affixa secum moueant, an illis quiescentibus astra per illos suis quasi canalibus, moueantur. Aliorum verò discursibus ex motu hoc cœlorum reiectis ita ipse solidius arguit à versu *omissis autem*, quod nequit motu aliquo moueri à causa necessaria, & determinata ad vnum, debet à causa intelligente & libera (alia enim causa actiua non est,) moueri: atqui cœlum nequit moueri motu circulari à causa necessaria, & determinata ad vnum: ergo à causa libera, & intellectuali moueri circulariter solummodo potest. Ast ipsum cœlum causa intellectualis, & libera non est; ergo à se, vt à causa libera intellectuali moueri circulariter nequit, enthimema hoc euidendi subsumpto, & consequentia, constat. Primi Minor probatur. Motus circularis cœlorum, non est motus ad vnum, sed ad plura, quorum vnum deseratur, alterum verò adquiratur, vt patet; ergo nequit prouenire à causa necessaria, seu naturali, & determinata ad vnum, nec indifferente ad ipsum, vel alterum, siue ea intrinseca cœlo ipsi, siue extrinseca sit. Confirmatur, adhuc euidentius, si actiuam causam motus naturalem, & determinatam intrinsecam virtutem cœlorum esse dicas: quia potentia intrinseca, actiua, naturalis, mobilis cuiusque ad suum motum, est ad terminum, proprium-que bonum & perfectionem qua carere necessario debeat, vt moueatur, & qua habita, quiescat necessario, ac nequeat ad similem adhuc perfectionem, terminumque, & bonum suum à se moueri, cum præhabiti possessione, actuali æque eius appetitus saciatur, & actu expleatur: vt in rebus omnibus naturalibus patet. Neque enim aqua, frigore hoc indiuiduo habito aliud indiuiduum appetit, ad illudque mouetur, vt præhabito relicto hoc aliud adquirat: nec corpus vllum elementale, aut mixtum de sese vnum proprium locum reliquit, vt alium æque sibi connaturalem, & commodum adquirat, vt patet: quod autem bonum sublunaris orbis sit cœli motus, & circulatio, satis non est, vt ipsum motum, & sublunaris orbis commodum ex se, suaque natura, & quasi primaria intentione, cœlum appetat, ac intendat & enim proprium cuique bonum maxime bonum, & appetibile per se, & primario est, non autem bonum alterius; licet, secundario, & per accidens ex proprij boni appetitu, vel alterius, vel communitatis bonum appetatur, & inducatur: ita ex coniunctione, & dispositione inclinationis, & appetitus rerum de proprio bono in vnaquaque, altera alteram moderante, & contemperante communi vniuersi bono sapientissime à Deo prouidetur. Hinc scite Aristoteles 2. Politicor. cap. 2. *quod enim multorum commune est, in eo minima adhibetur diligentia. Nam de propriis maxime curant homines, de communibus autem minus, quam quantum singulis competit*, ex quâ apud homines experientia deprehensa ad naturalem rerum appetitum (qui per imitationem rationalis translatitiæ appetitus est, ac dicitur) idem seruata proportione euincitur.

5. Confirmatur quia, vt amicorum bona appetamus serio, deque eorum assecutione delectemur vehementer, opus sane est, vt amicitiæ amore interueniente cor, animaque vna nobis cum amicis sit, teste Arist. 7. Moral. ad eundem cap. 7. vt ita illorum commoda, vt propria æstimemus, ac serio, & ardenter appetamus, quia amoris interuentu illa communia nobis fiunt Aristotele attestante 8. ethicorum. cap. 9 & communi hominum sensu & experimento ex quibus manifestè fit, nullius rei appetitum, quod nostri imitatiuum, & per transfationem est, per se, & primario, in bonum alterius, vel communitatis ferri naturaliter posse, quare nec cœli appetitum in motum circularem suum, quantumuis orbi, sublunari proficuum de motu corporum à proprijs, & connaturalibus sedibus; vt pro vniuersi commodo vacuum repleant, ipsis connaturale non esse patet; siquidem grauitant cum attrahuntur, vt quidem aliorum motorum corporum, quibus contigua sunt, & in quorum locum succedunt; non autem ita succedentium natiua virtute, & inclinatione, vt in physicis ostendimus. Similiter, quod brachium ictui, quo pereat, excipiendo proprij commodi, quasi oblitum, se obiiciat, ne caput feriatur, ne ita totius corporis ex capite pendens commodum deficiat, ex animali motu, seu animæ (quæ totius commodum natura sua curat) imperio despotico in membra corporis venit; non verò ex naturali brachij ipsius impetu, & inclinatione natiua: quanquam tunc etiam proprio commodo brachium consulit, illudque illo motu intendit, vt docte Galen. de natural. facult. cap. 6. partes siquidem corporis maxime vnum præsertim, in homine faciunt: denique, quod de Pelicano dicitur proprio nostro pectus icere, vt sanguine, quo alendus erat, fuso pullos, vel à se, vel à serpente occisos respergens vitæ restituat, incertum reputatur ab Isidoro 12 originum cap. 7. Augustino in Psalm. 101. ad id *similis factus sum Pelicano*, de quo plura Albert. 23. de Anim lib. cap. 20. ac plurima Lorinus noster in Psalm. & verba citata. Sed admissa illa Pelicani historia, vt vera, id agi à Pelicano certius esset, vt nimio sanguine exuberantis, quandoque onere leuaretur: certum ergo naturalium omnium percursu sit; nihil à se moueri, siue in motum alteri, ac non potius, sibi proficuum primario. & directe propria forma actiue inclinare: quare, & inclinationem cœli ad circularem motum ob commodum orbis sublunaris naturalibus, principijs, & experimentis naturæ totius, aduersari: proindeque, eius circularem motum ab alio extrinseco mouente esse, iuxta naturalia principia, debere, ac nusquam à cœli intrinseca forma posse prouenire, id quod de quocumque cœlo possibili æque efficaciter probat. De eo vero quod de facto est, ac rotatur vlterius ostenditur: quia alias æterna eius à motu isto quies post vniuersale iudicium futura ex S. Thom. 2. id. 11. qu. 2. art. 6. ad 3. & in 4. d. 13. q. 1. art. 13. quæstiunc. 1. & alibi; & Theologis communiter contra eius internum impetum, & violenta foret; quod Diuinæ prouidentiæ perfectioni repugnaret: nempe creatum aliquid perpetuæ violentiæ damnare ac deuincire, iam vero, si ab extrinseco motore intellectuali, & libero (vtpote ad indeterminatum effectum & locum hunc, scilicet vel illum priori relicto impellente mouendum circulariter cœlum est, atque recursus ad Deum, vt causam particularem actiuam pro naturalibus effectibus Philosophum non deceat (quem pudeat cum ita recurrente Anaxagora ab Arist. rideri 8. Physicorum text. 2. & 1. metaphy. cap. 2.) intellectuales substantiæ creatæ libere cœlum mouentes ex circulari eius motu, naturali discursu, certo esse deducuntur: quod ipsum est Angelos à posteriori ex puris naturæ principijs demonstrari.

6 Hæc omnium summa est quæ paragraphis plurib[us] docte, & acute Bubalus, & quæ pro eius rationis euidentia naturali possunt afferri. Sed quamvis videam ea, & Aristotelicorum & Platonicorum ipsa vtentium authoritate Theologos veteres (paucis exceptis) Angelorum existentiam quasi exploratam à ratione docuisse; eam tamen longe à demonstratione distare certum mihi est. Primo quia circularis motus cœli, vel Astrorum huic demonstrationi necessario supponendus, (vt Bubalus fatetur §. 4.) euidens ac certum à ratione non est, cum steterint Mathematici recentiones, quiantiquorum rationibus pro circulari cœli motu perpensis ipsum quiescere, terram vero in gyrum volui docuerint, vt ex nostro Clauio cap. 10. in primum caput Sphæræ Sacroboscj refert Bubalus citatus, versu: *Notandum est*. Et quidem, si Philosophica ratione, (quam fuse adeo Bubalus persequitur) agenda res sit, terra, cuius cœli totius influxus referunt à se ipsa videtur circumagenda, vt toto suo commodo, (in quod primario & per se res omnes naturales suo opte ingenio inclinant) fruantur; non autem cœlum ipsum, quod nullum ex eo motu, & influxu commodum capit: quare ex inefficientia motus circularis cœlorum, ex quo discursus procedit, à demonstratione deficiet. Secundò cum cœlum pars vniuersi sit mirabili concordia cæteris cohærens, ipsumque componens, & cum nulla reliquarum orbis partium contrariis qualitatibus, (vt

sublunaria cætera inter se solent) pugnam gerens, sed potius cunctis beneficij influentiis, & aspectibus suis, proficiens, caque fouens, eorum commoda naturali hac sua amicitia, vt amicorum amantissimorum bona, videtur naturaliter transtatitie apprehendere, ac proinde appetere, vt de amicitia, & amicorum bonis ex citato Aristotele, & S. Thom. vniuersa philosophia & Theologia aiebat. ac proinde eo circulari motu proprium bonum in reliquis vniuersi amicissimis partibus inquirere. Accedit: quod cœlum, eo à reliquis orbis partibus differe, quod hæ suis quæuis partibus, & commodis tuendis nata est, perpetua in se, sed corruptibilis, & cuius species indiuiduorum successione seruentur: vnde cuiusuis innata, & se ab aliis tuendi, & sua conseruandi vis innata, & natiua propensio, vt vtroque actiuæ, & formalis resistentiæ, & impugnationis mutuæ genere nulla penitus species ab altera absumatur, ac pereat, sed indiuiduorum successione persistat: cœlum autem, cum incorruptibile sit, nec contrariis qualitatibus reliquarum orbis partium, alterabile, ac demum corruptibile, nulla cum eis pugna, & ab earum impugnationibus, se suaque tuendi, & vicissim impugnandi, natiua inclinatio, sed cunctis influxu, & aspectu beneficio fouendi, per circularem motum, quo cuncta perlustret, & vniuersis prospiciat, in quod plane creatum cœlum, & constitutum à Deo fuisse ratione naturali, & experimentis quotidianis monstratur, quocirca ex inclinatione natiua per se & primario reliquarum partium orbis ad particulare cuiusque bonum principium, nec nisi secundariò, & indirecte, ad bonum commune vniuersi, ac proinde ad mouendum se, vt illud adquirant, cum non habent, & quiescendum, cum habent, perperam nedum euidenter, ad similem natiuam cœli inclinationem ad motum vt priuatum bonum adquirat, & in habito quiescat. Argumentum deducetur. Arguitur enim ab eo, quod sibi natum est, ad id, quod natura sua aliis atque aliorum bono est constitutum, alicubi, sicuti & illa, quiescere debere; cum potius inferatur quiescere de se, & natiua primaria inclinatione minime posse, quia continuo circulari motu, id, in quod natum est, consequi solummodo potest: scilicet commodum reliquarum partium vniuersi sublunarium, ac subinde bonum vniuersi totius, sicuti sublunares, eius partes ad determinatum solum locum sibi commodum moueri à se primario possunt, ibique quiescere, quia ad illum obtinendum natæ constitutæque sunt: ac proinde in illum determinate natura sua propendent, & inclinant, ex eodem principio, quo præfatis rationibus, non solum euidentia obscuratur, sed apertius, quam ipsæ probent, occurritur, natiuus cœlo, ac nusquam ab extrinseco motore motus circularis ostenditur, etenim creata cuncta naturalia, cum facultatibus, & potentiis ad id agendum ad quod præcipue, & vt media à Deo creata, constituta que sunt natiuis, & intrinsecis sunt à Deo producta, vt in reliquis omnibus patet: atqui cœlum constitutum natura sua est, vt cunctis sublunaribus influxu, & aspectu suo ac singulis circulari motu, & omnibus successiue se applicando prospiciat: ergo cum ea natiua inclinatione, & intrinseca facultate naturali, se circulariter mouendi est à Deo productum; ac proinde non, vt ab extrinseco motore circumagatur, & roretur: & sane minus connaturalis prouidentiæ esset, id duplicis agentis suppositi diuersi alterius influxiue, alterius motiui, & applicatiui, interuentu ad continuum, & perpetuum influxum disponere, & peragere, quod vno; eodemque Deus posset. Huc recidit veterum pro connaturalitate motus circularis cœlo argumentum ex vulgari illo apud Philosophos, & Theologos principio, esse rei, est propter operari, siue propter suam operationem, vt ait S. Thom. 1. 2. q. 3. art. 2. & 1. p. quæst. 65. art. 2. & quæst. 105. art. 5. & prius dixerat Arist. 2. text. 17. *vnumquodque eorum, quorum est opus, est gratia operis*: quare non potest non natura sua esse actiue ad suum opus expeditum; alioqui, si expeditum de se, & natura sua non esset, actiuum natura sua non foret: non esset autem actiue expeditum natura sua, si alterius liberi creati agentis continuo repetito impulsu actiuo egeret vt absolute, & proxime, posset operari.

8 Quod Bubalus ait: suam propriam operationem expeditam in se habere: si alia sit, quam illuminatio, & influxus in totum sublunarem orbem, partesque, ipsius singulas, & omnes, iam primario intenta naturæ cœli operatio determinata designabitur, & motus ille localis in orbis sublunaris commodum primario intenta naturæ cœli operatio non erit, & quam naturalium reliquorum corporum, cœlo naturalem actiue esse non posse contenditur; sed solum intenta secundario, quæ nullo exemplo cœli natiuæ virtuti ostenditur repugnans: sin verò alia ab influxu, & illuminatione in sublunarem totum orbem non sit, ad hanc operationem actiue expeditum absolute, & proxime cœlum natura sua esse oportere, argumento proximo conficitur: quod de primario intenta à natura cuiusuis principij actiui operatione cæterorum exemplum concinit: vt omnia percensenti patebit. Denique argumentum quo pro cœlis quæ de facto sunt, ex eorum post diem iudicij vniuersalis æternam quietem, vtique violentam, absurdissime admittendam, si contra actiuum eorum, natiuam inclinationem ad motum foret, prorum vrget, esto enim sit æterna ea quies cœlorum futura, id sane ex naturalibus principiis deduci euidenter non potest, sed scriptura, & Patribus, vt summum. Nec minus Philosophi cum erit actiuam hanc ad motum circularem, virtutem qualitate superaddita à Deo insitam esse, quæ eorum innouatione post iudicij diem opposita indita (sicut & aliæ supernaturales claritatis, perfectioris à Deo ipsis inducentur) ad statum illum vniuersi postremum, & perpetuum accommode perpetuam ipsis quietem inducat, cum vniuersi eiusque statuum commodo, & perfectioni creaturæ, eo cœli sint, ac proinde nec motus, qui nunc, nec quies ipsorum futura, violenta ipsis erit, sed eorum naturæ, & fini conformis. Ac demum, qua, adhuc scripturæ, & Patrum authoritate, quaque firmitate cœlorum Empyreo inferiorum, quæ soli mouentur, quies æterna post iudicij diem futura nitatur alterius loci examen est, atque à quæstionum aliarum decisione pendens: an scilicet terra virens tota, ac florida arboribus, fructibusque ornata iucunde puerorum limbi, & perpetuæ habitationi se oblectamento naturali, sit permansura? vt Rea noster subtiliter de eo ex instituto disputans hispano idiomate tandem definiit, & aliqui censent. An rursus ea mixtorum corporum terræ ornamenta corruptibilia sint futura, an incorruptibilitate super naturam ipsorum à Deo donanda, vt successiuo motu, & influxu cœlorum terra ad successiuam, etiam eorum procreationem, & propagationem non egeat? quæ omnia importune hic disputarentur.

9 Sed vt præfata eius creationis ab euidentia naturali, & demonstratione defectum non ostenderent, sed extrinseca causa libera, & intellectuali cœlorum exhibem motus egeret, eam intellectuam substantiam liberam creatam esse debere, ac non potius Deum ipsum ratio naturalis clare, & euidenter, non cuincret. Recursus enim ad Deum, pro effectis naturalibus edendis, causis secundis prætermissis, tunc solum ridiculus Philosopho indignus, à naturali ratione aduersus est, cum causæ, & ad esse, & cum effectu proportionate esse, vel ex eorum naturis, vel similibus effectibus ad earum præsentiam semper subortis, deprehenduntur: atque hæc quæstio de Angelorum existentia esse illos non supponit, sed quærit neque esse aliunde ratione, euidenti aliqua naturali deprehenditur: ergo vel inde solum existentiam Angelorum negantes ex motu cœlorum euidenter conuinci, non possent. Secundo, vt ad Angelos, vel particulares causas potius, quam Deum pro cœlorum motu recurratur specialis aliqua proportio maior in eis, quam in Deo cum cœlorum motu ratione alicuius prædicati, in eo motu deprehensi deberet repetiri: neque enim sola coëxistentia creati vnius ad aliud effectum ipsi coëxistens satis est, vt ad ipsum, vt causam effectus alius recurratur; sed oportet, vt præter eius effectionem frequenter, ac semper deprehensam ad præsentiam alterius creati ratio aliqua, in effectu specialis, & proportionata specialiter sit creato alteri, in cuius præsentia efficitur, vt ipsi effectus causalitas tribuatur; alioqui dicito specierum visualium obiecti cuiusuis corporei productionem, soli, Luci per aërem diffusæ eadem ipsi,

ipsi, vt particulari causæ tribi. Nusquam enim nisi eis omnibus adstantibus species visuales diffundi comperiuntur: atqui nulla est specialis ratio in motu cœli, etiam ab extrinseca intellectuali, & libera causa admissi futuri) adstante etiam, & admissa aliunde existentia Angeli; specialiter huic proportionata præ Deo: vtrique enim adsunt, & vires, ita cœlum voluendi prohibito potestas & libertas: neque aliquid appatet, in eo motu, quod Angeli potius quam Dei potestatem & voluntatem determinate requirat: ergo non est cur existenti, etiam, & adstanti Angelo is motus cœlorum potius, quam Deo, tribuatur: nedum vt existentia, & assistentia Angeli, nusquam aliunde supposita, ex eo motu demonstretur mulcaue efficacia suadeatur.

10 Huc vsque fere Arriaga noster t. 1. in 1. p. d. 1. sect. 1. num. 2. circa recursum ad Deum: quibus, dum ea omittit Quiros t. etiam 2. tract. 8. d. 30. sect. 1. num. 4. tacitus dissensit, & principio non recurrendi ad causam primam pro effectibus particularibus producendis (quod vult absolute firmum num. 8.) admisso argumento ex energumenis, & magicis effectibus (quod efficacissimum ad præsens reputat) firmitatem imponit. Sed tamen primam huius argumenti partem non euacuat de non supposita existentia, & assistentia Angeli ad cœlorum rotationem, sed potius contra eam negantes demonstranda à ratione: cum enim, & Deum esse, certum sit, & proportionatum huic cœlorum motui efficiendo, æque atque Angelum quemvis, qui esse admittatur dummodo aliunde Angelum existere, & assistere nobis constet, ad Angelum, qui esse non constat, pro eo efficiendo recursus ineptior est, quam ad Deum, qui & existens, & proportionatus & assistens illi motui nobis innotescit: imo ad ipsum vbi causæ creatæ effectuum aliquorum non apparent, recurrendum necessario est, vt inprima rerum productione, & creatione clarescit, sed tamen ex iis, quæ Quiros idem contra euidentiam rationis huius ex motu cœlorum petitæ adducit num. 4. secunda hæc probationis pars, seu probatio valide fulcitur stando quippe rationi, & naturalibus principiis de Angelorum natura rationis solius lumine assequibilibus, Angelus in puris naturalibus, minus aptus, & proportionatus est, cui orbicularis cœlorum motus constans, & pro statu sublunaris orbis corruptibilis, perpetuus à Deo committatur, prolibito exequendus: cum natura sua peccabilis absolute sit, possitque Deo id committenti, non obedire: tum, quia ille Deus non est, cuius propria est impeccabilitas: tum, quia de facto Dei præcepto alteri non paruit. sed auersatus fuit, ac deliquit: quare in mouendo cœlo, ex suis naturalibus posset absolute non parere, sed motum libere omittere, sic omissione sua vniuersi corruptibilis ordinem inuertere, & si positiue (ad quod maior creata potestate, ac forte infinita virtus requiratur) inuertere non posset. Beatitudinis verò Angelorum status (ex quo ipsis impeccabilitas accedit) scientia, quæ media defutura sub gratiæ auxiliis hisce congruis in cœlorum motione obedientia eorum, cum supernaturalia sint, rationi naturali demonstrari nequeunt: cum autem Deus, & vniuersi author sit, eiusque optimæ gubernationi iure distinatus & quod naturalium causarum (cuiusmodi cœlum est) effectus influxus, & operationes efficaciter omnes & singulas decernens, constanti, ac perpetuo cœlorum motui se ipso insistere, aptior, accommodatiorque ratione naturali sola attenta videtur suaderi.

CERTAMEN III.

Quid ex variis energumenorum effectis miris de Angelorum existentia, & quatenus efficacia ratio naturalis ostendat.

1 Effectis hisce ratione naturali sola demonstrari, vel saltem maxima efficacia Angelorum existentiam suadere putarunt Philosophi, & Theologi citati cert. 2. num. 3. init, & Bubalus ibi citatus dif. 2. art. §. 2. fusissime: de maxima verò efficacia, quæ fere demonstrationem pertingat, Vazquez, Ioannes Præpositus, & Quiros eo etiam numero sub inferius citati experimur enim, atque gentium omnium professionis, religionis, & rationis cuiusuis historiis (quibus fidem adhibendam esse, in dubium, atque enidens est) legimus, effectus hosce ab energumenis arreptitiis, & Magis, qui non ipsorum solum, sed nullius corporeæ substantiæ virtute naturali fieri possunt in primis tantæ virtutis motiuæ localiter ipsorum, vel corporis alterius, seu resistiuæ localis ipsorum motui, vt plurium hominum robustorum, vel detentiuis, vel impulsuis viribus repugnent, & cum victoria obsistant, magorum opera perexiguis, & improportionatis, rebus, ac verbis effecta; itidem idiotæ, & linguarum, scientiarumque prorsus ignari variis linguis expeditissime loquantur, atque in quauis scientia disputent disertissime, occulta quandoque nullique hominum alteri præterquam homini, de quo loquuntur, nota, ac loco distantissima, neque ipsis nota, quartam sacris adiurationibus permittitur denuncient, & futura, ex ignotis nobis causis, certissimis coniecturis (quas sæpe euentus probant) prædicant; quo etiam spectant frequentia Idolorum apud gentes oracula, & de futuris, nec semel, nec casu vera, sed ex occultis causis, apud homines obuentura, quandoque verò falsa deceptoriaque. Hæc siquidem omnia robustioribus, quam corporis energumeni, aliisve corporeæ substantiæ, viribus fieri; certum est. Cum alij, quantumuis in furorem, & phrenesim vehementissimam acti homines, non tamen energumeni, eo virium non excedant, neque ab intrinseca, & natiua, neque ab aduentitia aliqua virtute, aut humore corporeo ipsis obenientium: ergo ab aliqua substantia corporeis omnibus potentiore, ac subinde spirituali, & intellectiua: ea omnia prouenire euidenter, atque, vt mininum, efficacissime, ac prope euidenter ratione natutali monstratur: id, quod in locutionibus ratiociniis Diuinatiobus, & oraculis statuarum, sacrificulorum, vatum gentilium, & energumenorum apertius adhuc est; substantiam, scilicet, scientiarum, linguarumque peritissimam, & quæ prædicunt futura, vel occulta locoque energumenis ignoto intelligentem, quare & intellectiuam statuis, vatibus, & energumenis, vt instrumentis vtendo ea omnia petragere: hæc autem solum Angelus esse potest: ergo ex his effectis euidenter, vel prope, Angelus esse, siue Angeli existentia conuincitur.

2 Minorem (quæ sola euidentiam, siue efficacitatem prope euidentiam, desiderare videtur) probare efficaciter contendunt Vazquez, & Quiros, quia ea substantia intellectualis in eis delitescens, & miros, illos effectus, cum per energumenos; & statuas, vates, magos, & res magicas, operans Deus esse non potest nec anima separata spiritualis, & intellectiua alterius de anima enim energumeni causam esse non posse, & per se patet, & euidentissima, experientia: quia, cum dependentia à corpore, & limitatione facultatum, & organorum eius operatur, vt patet contra Plutarchum recitatum cert. 1. num. 5. versus finem; sicuti, & de anima varum sacrificulorum Magorum, & incantantium ipsorum: quia, & alios suis incantationibus, orationibus, & sacrificiis inuocant: vltra hæc verò nil, præter substantiam, intellectiuam, spiritualem completam de se esse, intelligiue potest, quæ Angelus est, de cuius existentia disputatur: ergo ex eis effectibus Angeli existentia euidenter, vel saltem efficacissime ratione naturali conuincitur. Dei specialem, atque, vt particularis causæ in hos effectus influxum reiici euidenter putant Vazquez, & Quiros generali illo principio, quod ridiculus, & irrationalis sit in naturalium effectuum causis designandis recursus ad Deum; quod tamen principium, quantum ab euidentia naturali distet, vbi aliunde adesse particulares causas, eisque proportionatas, & aptas magis ad eos effectus, quam Deum non constat, pater ex dictis cert. 2. num. 9. Noster Vazquez in arreptitijs furnetibus probat: quia videmus eos interdum ad tempus aliquod musica (vt. Sauli contingebat) ac medicamentis aliis sanari: quia mimirum, Dæmones eos torquere, effectusque illos in eis efficere nequeant,

nequeunt, nisi prauos humores (puta melancholiam, bilem &c.) in ipsis concitando, qui musica, medicamentisque, vel corriguntur, vel ab efficaci actiuitate temperant, atque ab operatione, & effectibus suis impediuntur: quod si Deus se ipso effectus illos in arreptitiis, vt particularis causa operaretur, ab eorum operatione absistens nullis medicamentis adhibitis effectus illi cessarent: verum, si Deus non, nisi interuentu, & concitatione humorum ea fieri vellet vt potest, atque à Dæmonibus fieri solum modo posse Vazquez ait, connaturaliori prouidentia, non, nisi medicamentis adhibitis, eos effectus vellet Deus impediri. Efficacius, atque absolute euidenter, Deum ab speciali, in effectus hosce influxu, & causalitate excludit noster Ioannes Præpositus: tum quia eos in energumenis operantes cessare adiurationibus imperantur, atque obediunt, & cessant: tum quia plerique eorum effectuum, & actionum ad malum, & culpam prouocatiui sunt: tum quia pleraque ab energumenis: statuarum sacrificulorum, vtrumque gentilium oraculis effusa, ac denunciata falsa sunt: ac proinde, & qui ea in illis operatur potestati, & imperio alicuius subditus euidenter conuincitur, ac subinde, non esse Deus: mendax item, qui eis instrumentis falsa loquitur: nequam insuper, & iniquus, qui prouocet ad malum; quæ omnia Deo repugnant.

3 Animarum verò separatarum ab operibus energumenorum, & præfatorum reliquorum exclusio suppositа ab antiquioribus potius fuit, quam euidenti aliqua ratione probata, vel potius, per inaduertentiam omissa: quia nec ad eam recursus aduersariorum obuius hactenus fuerat, & communis; qui tamen Recentioribus nostris communis iam, & obuius merito est, ad pure naturalis ex eis effectibus demonstrationis euidentiam reiiciendam, verum Quiros citat. sect. 1. num. 10. qui eum recursum ad animas separatas satis probabiliter (rationi naturali standо) fundatum à nostro Arriaga citat. d. 1. sect 1. num. 3. à versu *dixi esse efficaciorem*, efficaciter ratione naturali præcludere contendit. Non autem, quia informantes, & coniunctæ corpori eos effectus efficere, nec in hominibus, quos componunt, & constituunt, nec in aliis possunt, ac subinde, nec separatæ à suis corporibus, eos præstare posse videntur. Id enim debile argumenti genus esse recognouit ob dependentiam, quam diximus num. 2. animæ informantis ad suas operationes à corpore, eiusque organis, instrumentis, atque dispositione, quibus virtutis animæ operationes sese accommodant, ac temperantur, sicut intellectus, facultas ne informans anima, ita expedite, clareque intelligat, ac separata, corporeque soluta, quia in coniunctionis, atque informationis statu dependenter ab organis corporeis intelligit: vnde nec apopleticum brachium, membrumue aliud, quod informat, mouet, nec potest absolute mouere: quia eius organa, dependenter à quibus operatura eius motum anima erat indisposita, sunt & impedita; cum tamen sani corporis membra omnia non solum possit absolute mouere, sed de facto moueat, ac facilime: ergo primo Quiros probat ex Iustino Martire Apologio pro Christianis ad Anton. imperator, & Aug. 9. de ciuit. cap. 11. in Plotino eandem de animabus separatis euasionem confutantibus, secundò: quia, cum plures adeo separatæ animæ sint, si is cum hominibus, & rebus corporeis conuictus, & commercium admittatur multo plures energumeni, & Idola, & Magorum opera forent, quam sint, & hactenus fuerint. Nec refert (inquit) plures longe Angelos animabus separatis esse; id enim naturali ratione non ostenditur efficaciter sed certe, vt præfata ratio, ex multitudine animarum separatarum præstaret, oporteret plures animas separatus Angelis esse ratione aliqua naturali efficaciter ostendi, quod inefficacius naturali discursu, quam oppositum, ostenderur. Secundo probat, quia cum anima separata, pars, & forma corporis, & hominis constitutiua natura sua sit, si eius cum corporibus conuictus, & commercij daretur potestas animabus separatis, daretur etiam viuificandi corpora potestas, si bene dispositо (embrioni præsertim) accederet. Nec valet (inquit) si dicas, animum corpori energumeni non vniri, sed solum assistere intime, ac subinde, nec ipsum, quouis modo dispositum viuificare, quod fieri absque vnione ad corpus nequit. Primo: quia anima ad viuificandum corpus, atque hominem constituendum vnione iuxta Philosophos plures non eger, sed se ipsa suppositis dispositionibus constituit, ac viuificat. Secundò quia, cum embrioni dispositо animam infundere, & vnire teneatur Deus iure naturæ, non est cur ad animæ separatæ, cui intimum cum illo commercium facit vnionem ad ipsum deneget.

4 Postrema hæc vrgentissima putat Quiros; ipsum verò pace videntur debiliora: illud quippe de viuificatione dispositi corporis ab anima sola absque vnione vlla superaddita vt probabilius oppositо esset, erat euidenter negantes aduersarios, nec maxima efficacia ratione (vt Quiros promisit) impugnatet. Secundo ex Philosophia de corporis dispositi viuificatione, peramam absque vnionis interuentu paucorum philosophorum est, nec, nisi ægre propugnatur ab impugnationibus aliis efficacissimis; secundum de embrione dispositо informando ab anima separata cui iure naturæ in ipsum infusio, & viuificatio, siue vnio ad hæc necessaria tribuenda leuissimum est. Anima enim separata alterius corporis, & hominis prius per illam viuificati, & constituti est, cum eoque, provt in corpore, & in homine illo se gessit, pœnas post resurrectionem datura, vel præmium receptura: ad cuius posterum iudicium separatam seruati ratione naturali, eius immortalitatem demonstrante, euidenter conuincitur: vnde, & embrioni alteri quantum velis dispositо, infundi iterum & vniri vt formam non posse euidens est vnius enim hominis solum anima quæuis vna esse debet, ne in altero supplicia subeat, in altero vero gloria fruatur, & ab alia plura quæ sunt loci alterius: vt autem fundamenta huius Recentioris cuncta conuellam, aduerto. Angelorum æque atque separatarum animarum nobis cum conuictum, & cum sublunaribus commercium ex meru Dei libito, atque arbitraria voluntate, nullo autem iure naturæ, precario adhuc, nedum ex actiuo, & contra Deum quæsito, siue Angelis, aut animabus separatis, siue corporeis rebus, pendere: vnde, siue Angeli, siue animæ separatæ plures sint, siue pauciores, nihil pro maiori energumenorum, aut possessorum ab eis numero, vt ipsis, tanquam instrumentis, operetur, ratione naturali euinci, adhuc probabiliter, potest: vt euinceretur, si naturali aliquo iure, & exigentiæ, adhuc precariæ, ea possidendi, ipsisue vtendi inniteretur, quæ enim iure eo naturæ prouenirent, non ita raro, sed frequenter eneniunt. Secundò quia nec illud ex parte possessorum corporum, quibus nocitura ab spiritibus possessio est, potest esse: neque ex parte prauorum spirituum, siue Dæmones illi, siue damnatæ animæ esse dicantur: quandoquidem si eorum voluntati, in hominum perniciem corporum possessio, & abusus permissus naturali iure aliquo esset, non nisi raro à Deo contra eorum voluntatem impediretur: eum tamen illa torquendi, perdendique homines, ac eorum corpora sublunarium abusu, voluntas prauis illis spiritibus continuo adesset. Rursus quia, cum corporea à pure spirituali diuersa respublica natura sua esse videatur, non est vnde alterutri cum alia competat naturalis, ac naturæ iure debitus conuictus, & commercium: quare id solum, quod à Deo ipsis arbitrario pure, permittatur, & secundum modum, quo à Deo permittatur. Atque hinc omnia, & singula quæ Quiros mouet solvuntur, & quiescunt.

5 Iam vero, quæ ex Athenagora, & Augustino contra possessionem corporum in energumenis, & aliorum quibus mira, quædam per magiam fiant, ab animabus damnatorum separatis (vt Plotinus Philosophus volebat) afferuntur, parum ad præsentem quæstionem euidente, aut efficacissima, à ratione pure naturali eius sententiæ confutatione faciunt, vterque enim Peter ex suppositione existentiæ Angelorum ipsis ex fide certo notæ; non autem ex euidente, vel efficacissima, & fere euidente, ratione pure naturali discurrebat. Nec præstat illos contra pure Philosophum egisse, qui nisi ex admissis Angelis ratione pure naturali, concludi non posset, nec ad illos, ex eis effectibus, nec animas separatas admittendas ex fide, sed sola ratione naturali conuinci. Primo enim, Patres non cum ipso Plo-

tino

tino disputabant, vt eum ratione naturali, vel ex admissis conuincerent, atque inconsequentiæ tenerent; sed vt falsitatis eius sententiam apud fideles, quos instruebant, arguerent: apud quos fidei notitiis vti ad eam ostendendam optime possent: imo eis suppositis melius congruentiusque rationi de possessione corporum ab Angelis, quam ab animabus separatis Christianos philosophari, potuerunt etiam gentilibus ostendere. Ac demum; cum Plotinum, tum Platonem, & Aristotelem, atque antiquiores reliquos Philosophos, non hanc solus de existentia Angelorum veritatem, sed & abstrusiores alias ex libris Moysis, & aliis oraculis vatum & sybillarum à Deo dispositis, vt fidei nostræ viam sterneret, atque tandem emissis potius, quam naturali ratione subodoratas scripsisse ostendimus observatione non incuriosa. Tomo controuersiarum de Triait. de incarnat. controuersijs, & disputationibus de vtroque Mysterio primis. Inde diluitur commune, & antiquum argumentum aliud pro euidentia naturalis & demonstrationibus præfatis existentiæ Angelorum, quam ex eis discursibus suasam peritiores Philosophi (qui ex solis naturalibus veritates indagarunt, & philosophabantur) consone, & constanter habuerunt. Id enim ex Dei reuelatione, & dispositione præfatis subodorati sunt, & apte quidem, ex ea supposita notitia discurrerunt ad idipsum. & concernentes alias veritates suadendas opponit sibi tandem Arriaga, n. 5. Euam saltem, ante quam nullus homo præcesserat, qui obiisset, damnatusque esset, vt eius praua anima per serpentem ipsam alloquens ad peccatum induceret, naturaliter agnouisse Angelum ipsi per serpentem loqui, ac nusquam animam separatam. Respondet tamè & bene Euæ nulla ratione naturali constare potuisse. nullum extra vel intra paradisum hominem, sibi, & marito Adamo præviuisse, obiisséque, vteius separatã animã ab allocutione per serpentem illum euidéter excluderet, sed solum ex sibi, vel marito Adamo, à Deo reuelatis.

6 Si ergo præfata omnia æqua lance librentur, liquido apparebit, quanto iure idem Arriaga n. eodem 5. *dicendum ergo est* concludat existentiam Angelorum argumentis hisce minime demonstrari, sed & Quiros ipse ab ostendendæ efficaciæ rationum harum naturalium maxime intentione deficit: tandem, sect. 11. dum probabiliora argumenta eiusmodi pro Angelorum existentia, quam quæ pro ea eneruandis afferuntur, solummodo concludit, qu'a (inquit) nil vniuerso incompletum experimur; ac proinde completas solum subsstantias esse, quæ in eo nobiscum commorantur, quam separatas animas incompletas, naturali rationi stando debet censeri; & hæc quidem ratio, alia ex naturalibus, & postrema pro Angelorum existentia, ex Magorum, & energumenorum effectibus petita est; sed majus aliquid probabilitatis pure naturalibus principiis minime inducit: etenim, & si nihil incompletum in vniuerso experiamur, naturali tamen ratione, qua animæ immortalitas demonstratur, eam defuncti cuiusvis corpore, tametsi partialis, & incompleta subsstantia sit, alicubi rerum, & vniuersi persistere naturali discursu paulisper ducto, atque protracto demonstratur. Vnde ergo majori probabilitate ratione naturali ostendit, non illam, sed subsstantiam aliam completam, miros illos Magorum, & energumenorum effectus per ipsorum corpora efficere, imo nec posse operari? inde tamen majori probabilitatis specie sic ostendo. Existentia quippe animæ alicubi ex eius immortalitate euidenter deducta, imo, & eius immortalitas inde solum euidenter ostenditur, quod eorum, qui in corpore bene egit, aut male, debitam mercedem, cum socio actionum corpore recipiat: quod fieri non posset, si corpore absceedens periret: nec iterum illud subinde esset viuificatura, vti peruentibus brutorum animis vsu venit. Hinc autem fit, vt eius solum corporis, cuius pars, seu compars fuit, cuiusque viuificationi destinata creatur, eiusdem consortio, & conuersationi inclinata, cum separata est, perseueret, eiusque ad conjectum, & commercium viuificationis vlterioris ex primæ viuificationis possessione, quæ situm: quocirca separatæ animæ ad corpus, aliud etiam non informatiua euocatio (quæ fors Samuelis animæ è Dei contigit voluntate) non solum præter, sed contrà eius naturam, ac vniuersi ordinem, & exigentiam erit, rariusque longe, quam energumenorum, & Magorum effectus miros, quos experimur: quare ad separatas animas pro eis officiendis recursus, vt contra euidentem rationem non sit; minus tamen rationi naturali congruus erit, eo vero præcluso totales subsstantias inuisibiles esse rationales, & liberas, à quibus eiusmodi effectus proueniant, quam magna probabilitate, citra euidentiam ratio naturalis ostendit, cum plerosque eorum effectuum Deo, vt authori tribui ratio etiam naturalis prohibeat, vt vidimus, numer. 2. fine.

QVÆSTIO II.

Quando creati Angeli fuerint, & vbi.

DVo hæc quæstionis titulo proposita longioris examinis non sunt; quippe quæ à ratione solide statui nequeant: cum enim & locus, & duratio creationi Angelorum è mero Dei arbitrio, omni naturalis, adhuc reliquarum rerum, precariæ exigentiæ lege soluto contigerit; nil à ratione naturali firmum pro duratione, & loco determinatis, quibus Angeli creati sunt, produci potest. Ergo ab authoritate sola definiendum vtrumque erit.

CERTAMEN I.

De duratione in qua Angeli creati sunt & primò extitere, statuitur.

1 DIcendum primo est: Angelos ab æterno creatos non esse, neque ex æternitate extitisse. Est de fide conclusio. Et si enim creaturam, quamvis natura permanentem (quidquid de essentialiter successiua) ac subinde Angelos, qui ex ita permanentibus sunt, creare ab æterno Deus pro suo libito possit; at non illos ab æterno creare voluisse, nec de facto creasse definitum est in Concilio Lateranensi relato ad verbum cap. *firmiter* de summa Trinitate, & de Catholica his verbis: *vnum est vniuersorum principium creator omnium, inuisibilium, visibilium spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet, & mundanam, deinde humanam.* Pende illud ad præsens *ab initio temporis*: quo Angelorum ab æternitate creatio, atque, ex æternitate existentia, ita excluditur, vt de eius definitione in eo textu nusquam dubitandi locus appareat: quare neque vllus ibi definitum hactenus dubitauit; tametsi de omnimoda subsstantiæ, & natura eorum spiritualitate, ibi etiam definita, male Doctores aliquot dubitauerint, vt d. 2. q. 1. videbimus; fateor tamen difficilem esse Basilij, huic Catholicæ veritati aduersam locutionem apud Vasq. inf. citandum ex n. 4. quæ sic habet *erat quidã vetustior quidam mundi generatione status super mundanis potentijs conueniens, supertemporalis, æternus, sempiternus*; & verbis reliquis satisfacit Vasq. explicatio de interuallo, quodam imaginario, & fluxo, quod cœli motum tẽpus nostrum constituentẽ iuxta Patres à se explicatos, d. 31. c. 6. anteceserit, vel iuxta Aug. c. 3. lib. imperfecti super Gen. qui præter tempus nostrum aliud anterius ex successiuis Angel. operationibus, si ante nostrum crearentur fore admittit; neutra vero explicatio verbis illis æternus, sempiternus satisfacit: quare nisi de statu Ang. æterno in Dei cognitione, cum Angelis in spiritualitate conueniente (quod mundana creata non habent, etsi à Deo ab æterno cognita) benigne intelligi nequit.

2 Solum potest serio à Catholicis disputari quo tempore fuerint creati Angeli, ac esse absolute cœperint an ante reliqui vniuersi creationem? an postea? an simul cum primo productis creaturis, cœlo nimirum, & terra die creationis, primo? an alio ex sequentibus die? vel alio creationis rerum posteriore? qua in quæstione Grecorum Patrum concors fere sententia fuit

anteriori tempore ad primum creationis cœli, & terræ diem Angelos fuisse à Deo creatos, ita Basilius, Orig. Anastas. Sina ita. Naz. Nicetas Moyses Episcopus, quibus ex latinis accessere Clemens Pap. Hieronym. Ambros. & Cassian. referente Soario 1. de Angel. c. 3. Franc. Amico de Angel. d. 2. n. 272. & ante ipsos Vazquez t. 2. in 1. p. d. 224. c. 1. vbi n. 3 refert etiam Bedam & Damascenum, & Isidorum. Molina vero q. 61. art. 3. addit S. Maxim. in centurijs Theologicis. Ioannem Oyparissiot. decad. 8. dec. Theol. c. 3. & 4. quorum communia fundamenta inferius reijciemus: ex græcis vnus Theodoretus apud Soarium ibidem, & Arriag. d. 1. sect. 3. Angelos non nisi post mundum materialem creatos, censet, imo neque à Deo creari potuisse: quia in loco aliquo creari necessario debebant, qui tamen, nisi mundi materialis creatione supposita nullatenus poterat esse; cæterum ea sententia, & ratio Theodoreti non fuit, sed quam fidelior, ac rigidior longe alienarum mentium examinator Vazquez retulit, c. 3. versu, *vt concilium definiret* n. 13. nempe cum corporea creatura simul tempore Angelos fuisse creatos, nec ratio digna Theodoreto est. Tum, quia in mundi corporei creatione, quæ nullum locum realem duratione anteriorem supponit; sed sua attulit productione, frigescit. Tum quia in loco reali corporeo, coque sensu alicubi creata produci à Deo debere falsum omnino est: cum spirituales solas scripturas creare Deus potuerit, tametsi alicubi id est cum propria præsentia alicui spatio imaginario respondente creari singula, & omnia debeant. Tum denique, quia simul tempore cum mundo corporeo creatis Angelis (quod solum Theodoretus voluit) alicubi localiter etiam proprie, non autem nullibi crearentur. Non igitur prius tempore, Angelis creatum mundum materialem Theodoretus asseruit, sed tempore simul; idque vtili adeo tatione non probauit, sed alia, & si non admodum efficaci verisimiliori ex 1. ad Hæbræ. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi*: quasi eorum creatio missio absoluta in mundi materialis administrationem eis verbis asseratur, ac proinde mundum ipsum administrandum natura prius, vel saltem simul non posterius tempore absolute esse supponat: cum absoluta administratio, nondum absolute existentium esse non possit. Hæc sane Theodoreti eo loco sententia, & ratio fuit, quamvis non satis firma: quia cum missio in ministerium (quod Angeli nomen significat non autem Angeli naturam, vt diximus) naturæ Angelicæ creatio non sit falso nititur fundamento.

3 Dicendum nobis est: Angelos non anterius, sed, simul duratione cum corporeo mundo fuisse à Deo creatos. Ita ex Patribus Græcis Epiphanius hæresi 6. ante med. Theodoretus vbi proxime ex Latinis Augustinus 11. de ciuit. c. 6. & 22. & contra Faust. c. 1. & 20. & de Genesi ad litt. c. 7. & 8 & si citato c. 3. libri imperfecti, & de incarnat. verbi (sic eius author est) c. 6. in certum, & in secreto humana ratione impenetrabili creationis Angelorum tempus censeat. Est item conclusio Bedæ t. 4 lib. in exhameron sub init. Hugonis de S. Vict. 1. de Sacram. p. 5. c. 3. & 4. Ruperti 1. in Genes. 10. & 11. Gregor. Magni 32. moral. c. 9. alias 10. vbi cœli nomine in mundi creatione Angelos, seu spirituales substantias intelligit. Certe Isidorus pro opposita sententia citatus ex 1. de sum. bono c. 12. sentent. 4. sicuti, & Beda t. 8. lib. quæst. separatar. q. 9. vbi Isidori non sensa solum, sed propemodum verba sectatur pro nostra conclusione eis ipsis locis stetere: etenim sententia 3. Isidorus inde ante omnem creaturam Angelum creatum probat, quia de ipsis dictum est, *fiat lux*: siquidem scriptura ait. *Prior omnium creata est sapientia lux enim dicuntur, participando luci aterna, sapientia vero dicuntur, ingenita inhærendo sapientiæ.* Sententia vero 4. vbi expressius ait *ante omnem creaturam mundi creatos Angelos esse*, addit: *& ante omnem creationem Angelorum Diabolus conditus est, sicut scriptum est: ipse* (Behemoth.) *principium viarum Domini*: cum autem Diabolum simul tempore cum reliquis Angelis à Deo conditum videret, primatum creationis cum Dæmonis respectu Angelorum, tum horum respectu cœli, & terræ dignitatis solum fuisse non temporis statim his verbis explicuit *unde ad comparationem Angelorum Archangelus appellatus est. Primus enim creatus extitit ordine prælationis non temporis antiquitate*, quo etiam sensu sententiam suam de anterioritate creationis. Behemoth. seu diabolo cæteris creaturis, quæstion. 32. moral. c. 18. explicat Gregorius, *quia ipsum eminentiorem fecit* Deus Denique Isidorus sententia 7. ait. *Prius de cælo cecidisse Diabolus creditur, quam homo conderetur: nam mox, vt factus est in superbiam erupit, & præcipitatus est.* Sed non potuit mox; vbi creatus est de cœlo cadere, & præcipitari, nisi in cœlo tunc, cum primum creatus fuit, esset, ac crearetur: quare eius creatio, cœli simul tempore, aut duratione, cum terræ conditæ creatione, nequit ex Isidori sententia fuisse vetustior.

4 Sed præter Epiphanij & Theodoreti authoritatem, quam magnam conclusio nostra ex aliis Græcis Patribus habet. Etenim Sophronius epistola professionis fidei suæ apud 6. Synodum actione 11. à cunctis Synodi Patribus, vt Orthodoxa recepta fe ait. *De principio visibilis mundi, & conditione, quæ facta est, Confiteor: quod omnia, non tantum visibilia, sed inuisibilia vnus Deus condit; & de non existentibus protulit, vt existerent & non existentia repente* (non successione præcedentis inuisibilium aduisibilia) vt *vt existerent, & horum multorum millium differentias prudenter produxit. Omnia enim per vnigenitum filium in Spiritu S. facit, qua & sapienti prouidentia continet vt Deus suis operibus præsideat, principiumque omnibus temporale constituens.* Pende illud *temporale principium*, quod quidem de tempore nostro cunctis nobis noto eiusque principio nobis adeo cunctis reuelato intelligi necessario debet: non de alio successionis Angelicarum cognitionum, in quod Augustini subtilitas incidit. Ac proinde principium creaturarum omnium, tam visibilium, quam impossibilium (de quo suam fidem ibi Sophronius exponit) de principio durationis, ac non alio, quam visibilis mundi, & temporis esse necessario intelligendum. Inde vero constat primo Cassianum loco supra citato minus attente dixisse, neminem fidelium de opposita sententiæ suæ veritate dubitasse. Cum tot Latini Patres primores, totque ex Græcis nominatissimi imo sextæ Synodi Patres omnes Græci plenumque nostræ conclusioni in professione fidei Sophronij subscripserint. Constat inde, Secundo S. Thom. prima patte quæstione 61. a. 3. ad primum nimis Cassiani (vt puto) præfatæ sententiæ fidisse, vt asseretet Græcos Patres concorditer sentire Angelorum creationem creatione mundi visibilis, & corporei durationc fuisse anteriorem. Ac demum, nec bona debita, quæ fide post Vazquei, & Molinæ nostri citatis locis accuratam eruditionem fere omnium Græcorum aduersa conclusio dici potest nostræue à Patrum authoritate præponderare, nisi ab his, qui vtrumque doctorem curfim, vt summum legerint.

Certe ab scholasticorum authoritate summam firmitatem conclusio nostra fortitur. est siquidem scholasticorum omnium veterum cum Magistro in 2. cap. 2. S. Thom. 1. p. q. 61. a. 3. vbi Caietan. Banez Pefantius, & reliqui Thomistæ Dominicanæ; & Iesuitæ scholæ Vazquez Molina, Valentia, & Ioann. Præpositus, Soar loc. cit. Franciscus Amicus de Angel. d. 2. Arriaga d. 1. sect. 3. Quiros d. 50. sect. 3. Granados, tt. 10. Æstius in 2. d. 2. §. 3. Probatur ex scriptura & (me iudice) firmius quam à Theologis aliquot satis doctis reputatur. Genes. 1. *in principio creauit Deus cælum & terram*, ex quo Epiphanius supra; *Clare indicat scriptura, quod neque post sydera facti sunt Angeli, neque ante cælum & terram: cum palam, & intransmutabile sit Dei hoc: quod ante cælum, & terram nihil erat ex creatis. Nam in principio fecit Deus cælum & terram: principium sit, & nihil ex creatis ante hoc ipsum sit.* quam ipsam loci litteralem interpretationem tradunt, Augustinus 12 Confession. c. 20. & 28. ac lib. 11. de Genesi ad litteram, cap. 4. ac plurics curfim in suis operibus supponens, & reliqui Patres communiter illi etiam, qui aliam litteralem eius textus interpretationem admittunt; vt enim constans scholasticis doctoribus

ribus sententia jam est prima parte quæstione prima articulo decimo, vno eodemque loco plures litteralis sensus ab spiritu sancto intentos posse contineri, & si vnus litteralis sensus esse admittatur alter à genuino, etiam litteræ sensu eo præcise, non excluditur, nisi ab ita vnum illum admittentibus Patribus, & interpretibus expresse reijciatur, & impugnetur: quocirca solutio ad hunc textum infirmandum ab aliquibus tentata inanis est: scilicet illud. *In principio*, non initium, seu principium creatæ durationis, & temporis ibi significare, sed causalitas, & primi agentis, seu causæ primæ rerum: vt tantumdem valeat, atque *in filio creauit Pater cœlum, & terram*, vt exponunt Origen. hom. in Genes. Hieron. quæstionib. in Genes. Ambros. 1. exhamer. cap. 4. August. 11. confess. cap. 9. & lib. 12. cap. 19. 20. & 28. Iunil. Eucher. Beda iuxta illud ad ephes. 1. *in ipso creata sunt omnia*: cum ijdem Patres de principio temporis, & durationis creaturarum ad litteram etiam dici doceant, simul: quod satis nostræ probationi est, vt conclusionem nostram euincat, & quidem litteralem hunc nostrum sensum, aliis etiam quibusvis admissis, excludi non posse ex scriptura ostenditur. Inde enim constat, & primam diem creationis rerum cæpisse (atque alios vsque ad hominis creationem) & initium ab scriptura numerari, ac proinde cœli, & terræ creationem principium temporis, seu durationis creatæ verbis illis *in principio* ab scriptura aperte designari ex quo per successionem motus tempus decurreret diebus, noctibusque constans, quæ vespere, & mane vocibus significemus: tametsi quomodo successiuus hic motus vocibus lucis, seu diei, & mane significatæ, & tenebrarum, seu vespere, & noctis significatus tribus diebus primis, ante quartum, quo firmamento die secunda producto, astra omnia, ac nominatim sol, & luna ei affixa sunt euenerit? scripturarijs, ac Patribus lis sit: de qua tam ipsi, quam Molina d. 7. de opere sex dierum Soar & alij, qui de eo opere disputarunt, dies vero alij per vespere, & mane cognitionis rerum creatarum perfectionis, clariorisque, & obscurioris, & imperfectioris bene quidem, & subtiliter ab Augustino excogitati sunt: per metaphoram autem, & allegoriam, non vero ad litteralem sensum, vt minus veræ nonnulli contendunt.

6 Euasio secunda aduersariorum, & sane minus litteræ textus repugnans, est, illud, *in principio* initium temporis & durationis creatæ (vt hactenus monstratum est) litterali sensu demonstrare; non tamen vniuersim sumptæ, & provt omnem creatam durationem complectitur, sed solum speciem temporis nostri; quod dubio procul cœli Empyrei, & terræ creatione cœpit, & vnde à nobis (quibus Moses temporis, dierumque initium & supputationem tradebat) dies anni, ac sæcula numerantur, & quibus duratio creata Angelica, (& si anterior tempore nostro fuerit) ex vsu esse non poterat. Certe ex textu hoc, & eius capitis contextu toto præcise non ita facile reijci potest, ni alia adessent scripturæ, & concilior. testimonia, quibus de omnis creatæ durationis initio illud *in principio* eo loci intelligi ostenderetur, atque ex alijs id ipsum deduceretur efficaciter. Primum testimonium extat Prouerbior. 8. vbi æterna sapientia, vel formalis, vel genita, seu obiectiua, & exemplaris omnium imago Dei filius, & verbum de se ait. *Dominus possedit me in initio viarum suarum* (in ipso enim condita sunt vniuersa, vt statim ex Paulo referam) *antequam, quidquam faceret à principio*: scilicet à principio, in quo Cœlum & terram creasse Deus dicitur Genes. 1. & is locus supponit, ante quod æternitas sola præcessit: ergo cum nihil factum à Deo, nisi ab eo, siue ex eo principio, hoc loco asseratur, anterior ad illud principium Angelorum existentia, creatio, & Duratio creata non fuisse expresse asseritur & illud *in principio* in quo Genes. 1. Cœlum, & terram creasse Deus dicitur principium, non solum temporis nostri, sed creatæ omnis durationis significat. Confirmatur vrgentius adhuc & clarius: vt enim se ab æterno, & ante omnem creatam durationem Dei sapientiam, seu verbum esse, & ex æternitate, quæ omnem creatam durationem antecessit, explicatius ostenderet, illico, & continenter subiungit: *ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi; & ego jam concepta eram.* Si autem cœli, & terræ creatio durationis omnis creatæ, quæ absolute fuit, principium, non esset, sed creata Angelorum duratio fuisset anterior. Male æternitatem suam Dei sapientia, aut verbum probaret, explicaretue, ex eo, quod esset antequam terra conderetur, & temporis nostri initium poneretur: siquidem & Angelorum creata duratio initio temporis nostri iuxta aduersarios præcedens æterna per ipsos non est. Secundum testimonium illud primi genes. confirmans sit exodi 20. *sex diebus fecit Deus cælum, & terram, mare, & omnia, qua in eis sunt*; ergo & Angeli, qui sunt in cœlo, & tunc temporis soli erant, intra sex illorum dierum spatium, nec anterius vltra creati ab scriptura asseruntur: ac subinde principium sex illorum dierum non solum creationis & durationis temporis nostri, & rerum corporalium, sed & creationis, & durationis spiritualium, & durationis creatæ cunctæ principium est, atque ab scriptura dicitur. Id ipsum continetur verbis illis Pauli ad Coloss. 1. *in ipso* (Filio Christo) *condita sunt vniuersa, in cælis, & in terra visibilia* (quæ in terra *& inuisibilia* (quæ in cœlis) *siue throni, siue dominationes siue principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt* hi autem omnes Angelici chori in cœlis nondum existentibus condi, creariue, vt hoc loco dicitur, minime potuerunt; ergo neque ante eorum creationem, & durationem.

CERTAMEN II.

Conclusionis probationes aliæ.

1 POstremum testimonium sit ex Eccles. 18. *qui viuit in æternum creauit omnia simul*; ergo non Angelos duratione aliqua anteriori. Huius testimonij, & illationis solutionem nobis etiam, & omnibus incumbere aduersarij respondent: cum ex genesi, & fide constet, non omnia, neque omnium rerum genera, & species simul instantaneæ, imo, nec primo creationis die, sed quinque reliquis diebus temporis successiu fuisse producta: quare eo rigore, nec *simul* accipi eo loci potuit, nec illatio facta legitimé deduci; sed sensibus aliis illud *simul* accipi debet ex quo illatio non currat. Cæterum, si creandi vox, qua Ecclesiasticus vtitur, attendatur, rigida acceptione vocis *simul*, pro eadem, & instantanea duratione, illatione facta nos minime tangi apertum est: etenim, quæ creata proprie sunt, nec aliquid supposuerunt productum anterius, ex quo producerentur, & fierent primo die & principio temporis creata omnia sunt; cœlum scilicet, terra & Angeli; vt contendimus; reliqua vero vlterius quinque diebus succedentibus producta, non quidem proprie creata, sed educta, ex cœlo, & terra præsuppositis, & anterius creatis fuere, quare, & in quæ illud *simul*, & interesse, & cum cœlo, & terra comparatis, de creatis solummodo dictum, non cadit, vt nos etiam proinde cum illo successionem productionis eorum componere debeamus: quamquam, & de his omnibus intellectum recta vt facilis est pro nobis solutio Magni Gregorij (& quæ nequeat aduersarij inseruire) 32. Moral. c. 9. *his verbis cum simul, calum, & terra describitur, simul factum quidquid de terra producitur indicatur. Propterea ergo dicitur fecisse Deus omnia simul, quia omnia, qua deinde facta sunt ex his duobus facta sunt*, quam interpretationem approbat S.Th.q.74.a.2.ad 2.& Angelorum quinque ex cœlo, neque ex terra facti sunt, non quadrat creationi.

2 Sed inquiunt illud *simul* in scriptura sæpe, non significare instantaneam physice rerum, coniunctionem, & productionem, sed moraliter, quia inter vnam, & aliam, eiusque productionem per breue solum tempus intercesserit, quod in morali æstimat. hominū pro nihilo

reputatur sic genes. 2. *Ha sunt generationes cæli, & terræ quando creatæ sunt, in die, quo fecit Deus cælum, & terram*: cum tamen pleræque generationum, & operum ibi relatorum, quinque sequentibus diebus fuerint peractæ & Marci 10. *Ab initio creaturæ masculum & fœminam fecit eos*, scilicet homines qui non initio Physico creaturæ, & creationis, nec totis quinque creationis diebus, sed die sexto sequente fuere producti & Ioan. 8. Diabolus fuisse *homicida ab initio*, dicitur: quatenus, & si, non paucis absolute post primam totam rerum creationem annis malignum Cayn, ad fratricidium Abelis impulerit, ac instigarit, relate tamen, ad tam multos annos tum, cum id dicebatur, decursos pauci morali, & communi æstimatione reputabantur: quare, etsi anterior mundi creatione, non solum vno die, vel anno, sed annis aliquot Angelorum creatio foret, iuxta eam scripturæ phrasim simul cum eo creatus mundus recte diceretur. Secundo aiunt *simul* in scriptura, sæpe etiam non tempus, referre sed idem, *ac pariter*, siue æque significare. Psalm. 13. *Omnes declinauerunt; simul inutiles facti sunt* & 48. *Simul insipiens, & stultus peribunt*, & vox Græca κοινῆ, quam vulgata *simul*, vertit, id videtur significare. Tertiò aiunt illud *simul* non in externa rerum creatione in se, sed in Dei sapientia intelligi posse cum Ruperto 2. in genes. cap. 28. His tamen omnibus interpretationibus sensibusque eius loci, & aliorum quibus confirmantur sine examine rigido admissis nullo eorum rigidissimus & propriissimus simultaneæ creationis propriæ rerum creatarum ratione materiæ, in instanti, & principio physico temporis excluditur: quo, vbi nil aduersum inuenitur expressæ scripturæ, vel ex ipsa deductis fidei dogmatibus, intelligenda ea vox est; dum rigore Scholastico, & interpretatiuo litterali agitur: & si autem æque ij omnes sensus eius vocis, & textus sint, nec vnus alterum excludens, is sane negari à Theologis nequit, quo definitio Ecclesiæ illum locum acceperit, eiusque sententiam nos docuerit quod præstitum, tam in hoc loco, quam reliquis hactenus adductis iam ostendimus.

3 Mitto illud genes. 2. *& requieuit Dominus die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat*. Tametsi videam Augustinum 11. de ciuit. cap. 9. inde conclusionem hanc suam, & nostram confirmasse. Neque enim ex eo, quod septimo die ab omni opere requieuerit sit vt nihil ante sex illos effecerit, siue omnia, quæ fecit intra sex illos dies fecisse; sed nihil deinceps ab ipso, peculiariter, absque creati agentis interuentione fecisse, vt ab eiusmodi operatione cessaret, & quiesceret. illud etiam testimonium ex 1. ad Hæbreos. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi*: quo in hanc conclusionem inductus Theodoretus fuit, nihil probare ostendimus cert. 1. num. 2. quia spirituum missio in ministerium, idem, quod eorum creatio non est, quod missio, non substantiæ cælestium spirituum sit, sed ministerij, & ex qua non substantiam habeant, sed Angelorum nomenclaturam. Deinde: cum ministerium, in quod missi, eo loco spiritus illi dicuntur, & vnde, administratorij, missi, seu Angeli nuncupantur, sit ministerium erga homines exercendum, (vt constat, ex continuo ibi, subnexis, *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*) ductum inde Theodoreti argumentum sexta die simul cum homine, vt summum, vel paulo post, non autem paulo ante, nedum in instanti creationis, primo, atque instantaneo, simul cum cœlo, & terra Angelos creatos esse probaret, fiquid probaret.

4 Probatur vlterius conclusio, ex aliis scripturæ locis, adiutis alia Patrum communi sententia naturali ratione satis congrua; quia Angeli, simul ac peccauerunt, fuere in infernum detrusi siue in inferiorem cœlorum, ac stricte inferni flammis addicti iuxta Mathæ. 25. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius* & 2. Petri 1. *Angelis peccantibus non pepercit Deus, sed rudentibus inferni tradidit cruciandos*. Siue, sicut Iudas, sua Ep. canonica *in iudicium magni Dei vinculis æternis reseruati*, id quod statim, ac peccauerunt effectum fuisse Patres docent Chrysost. hom. 5. de verb. Isai. post med. hom. 15. in Ioan. sub fin. Nazianzen. orat. 30. in sancta lumina sub init. Augustin. in Psalm. 103. ad id *Draco iste*, Isidor. 1. de summ. bono, cap. 12. sententiæ, ergo infernus eiusque ignis & vincula cum Angeli peccarunt, existebat, ac proinde terra, in qua infernus est: atqui Angeli, & si non in primo instanti suæ creationis, paucis tamen interiectis instantibus, & mortalis, nec vt creati sunt, peccauerunt, vt cum Isidoro prouinc. & Beda qu. 9. separatarum citata, & aliis communi sententia fert probauimusque d. 3. de statu viæ Angelorum, eiusque termino disputantes: quia, cum pericacioris longe ingenij ad deliberandum, & consultandum, atque ad eligendum promptioris, expeditioris que voluntatis, quam homines viatores Angeli, etiam infimi, sint, breuissimo, ex paucis mortalis constituto tempore egerunt, vt deliberarent, & eligerent, obdirentque, vel transgrederentur: neque amplius spatium eis ad consultationem, & electionem ex natura rei concedi oportebat; cum ergo statim, ac peccarunt, in ignem, & infernum jam à Deo paratum furiunt proiecti pauculisque durationis mortalis, à sui creatione peccarint, iuxta Patres, fit, vt terræ, eiusque inferni ante peccatum mortalis totidem parati durationi simul fuerint creati: siquidem eas solum mortales, & instantia temporis, status viæ Angelorum ex natura rei exigebat, vtrasque absque fundamento à ratione anteriora alia designarentur. A ratione in quam: authoritate enim Nazianzeni, & Damasceni addi pucula alia possunt, quibus anterius absolute mundo visibili; & corporeo intellectualis mundus cœlestium spirituum conditus esset, quod solum ij Patres volunt, vt ex eorum verbis clarebit cert. 3.

5 Simile argumentum pro eadem conclusione, ex scriptura, & Patribus formati potest, etenim, vt vidimus, statim fere, ac creati sunt Mali Angeli peccarunt, ac mox sunt in infernum proiecti. Proiecti autem sunt à cœlo: ergo erant in cœlo, cum peccarunt: ergo & simul, vt minimum, cum cœlo creati. Prima consequentia patet, quia ex loco in quo non erant, cum peccabant deturbari in infernum non poterant. Secunda consequentia est legitima, quia, si statim fere, ac creati sunt peccauerunt pauculorum illorum instantium, seu mortalium deliberationi, & electioni necessariarum, inferendo à creatione ad ipsorum peccatum inibi fuit, vbi peccarunt, nempe in cœlo creati sunt; vtrumque argumentum, satis superque confirmabitur qui sequetur, vbi ex Isaia, Ezechiele, Luca, & Apocalypsi Angelos in cœlo creatos è cœloque ob peccatum actos precipites ostendemus. Aliam rationem, Soarius, & alij producunt; quod scilicet, tot, tamque perfectas substantias spirituales totales specie, & numero diuersas, cum tot corporeis mundi materialis, & visibilis simul, semelque à Deo produci, nullis ab spiritualium creatione durationis inducijs expectatis ad corporalium creationem maximopere Dei omnipotentiam, nec rerum productione lassatam, fatigabilemue ostendit, atque amplius Dei gloria, ita productis rebus commendetur, quam, si successiue Angeli creatione, quasi fatigatus Deus, atque omnipotentiæ exhaustis viribus vlterius tempus expectandum esset, vt spiritus, hominis instar, resumeret, atque ad mundi corporei creationem procederet. Verum hæc ratio simultaneam omnium creationem à Deo minime probat, sicuti neque aliorum omnium, quæ nec simul, nec successiue producti, & quorum omnium, simultanea productione amplius longe Dei, & omnipotentiæ gloria, & perfectio innotesceret: tametsi aliunde probat simultanea factorum vel plurium etiam, quæ Deus potest, creatione, congrua facti, piaque ratio, eo discursu credentur

CERTA

CERTAMEN III.

Postrema ex Conciliorum autheritate probatio datas confirmans censurarúmque in aduersam examen.

1 HActenus pro conclusione nostra ex locis scripturæ in terminis loquentis cert. 1. an. 5. & cert. 2. vsque ad numerum 4. producta ex concilijs in sensu, quem litteralem pro nostra conclusione contendebamus, eorum verba in fidei de hac re suæ professione intelligentibus magnopere confirmantur, & primum sexta synodus generatione 11. professionem fidei Sophronij in eius epistola ibi recitata approbat. Sunt autem professionis illius (quoad præsens attinet) verba. *De principio visibilis mundi* (tam actiuo, quam temporario) *& constitutione, qua facta est confiteor: quod omnia, non tantum visibilia, sed, & inuisibilia vnus Deus condidit* (non dæmon, vt Manichæi, atque hæretici alij volebant) *vt ex non existentibus protulit, vt existerent, & non existentia repente* (vno vt aiunt, impetu creationis) *protulit &c. qua & sapienti prouidentia continet, vt Deus suis operibus præsidens, principiumque omne temporale constituens.* Nobis cunctis notum, quod non, nisi corporum motu fit, aut est: ergo ante principium temporalis huius motus corporei, qui à corporei, & visibilis mundi creatione principium habuit, & cæpit, creati Angeli, seu inuisibilia non sunt. Patet: quia alias inuisibilibus (quare, nec cunctis visibilibus, & inuisibilibus) temporale principium non constituisset contra Synodum, & professionem fidei Sophronij; nec repente omnia visibilia, & inuisibilia, seu simul duratione, vt ibi dicitur, sed anterius, & ante temporale principium inuisibilibus principium durationis Deus constituisset. Ecce sensum, quem illis locis. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, & creauit omnia simul.* Contendamus: scilicet, de principio temporis nostri, & simultate durationis Sophronius, & sexta synodus profitentur.

2 Testimonium secundum est ex Concilio Lateranensi 1. sub Innocentio III. relato, c. firmiter de summa Trinit. & fide Cathol. vbi ita definitur. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur: quod vnus est solus Deus verus, vnum vniuersorum principium, creator omnium, inuisibilium, & visibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul, ab initio temporis.* (Scilicet simultate durationis temporis nostri initio, quod enim simul, idest pariter, seu æque, omnia inuisibilia, seu spiritualia, & visibilia, seu corporea, & materialia creasset, jam prædixerat, & explicatius continuo subiungit) *vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam*, (scilicet pure corporalem, quia cœli, & terræ creatione in temporis principio, ex quo deinceps corporea reliqua producerentur corporeum omne creatum est, vt ex Gregorio Magno recitabamus, cert. 2. n. 1. *ac deinde, (id est deinceps) humanam, quasi communem spiritu, & corpore constitutam.* Id est successu temporis vsque ad diem creationis sextum, in quo homo creatus, seu formatus est: cui prima creationis die, ex quo adæquate, sumptus conderetur, (vt reliquis pure corporeis) prima creationis die eiusque temporis principio, creatum principium non est, cum pars, & præcipua ipsius, anima spiritualis, neque ex cælo, & terra, neque ex spiritibus Angelicis temporis initio creatis fuerit producta, sed à Deo, & ex nihilo creata. Hac vero particula, *deinde* euasionibus alijs eis particulis Genes. 1. *in principio.* Et Eccles. 18. *simul*, quod non de principio, & simultate rigide accepta durationis, & temporis physica sed morali hominum æstimatione, qua parum pro nihilo reputatur posse intelligi, satis concilium præcauit: siquidem hominem non simul, & initio temporis (de quo loquitur, dum ab initio temporis, simul Angelos, & pure corpoream creaturam conditos asseruit) conditum ait, sed *postea*, seu *deinde*. Si enim non de principio temporis, & simultate durationis physicæ rigide acceptis, sed moraliter solum, & communi hominum æstimatione, qua parum (præcipue in tam magno temporis spatio quod ad ecclesiastici durationem præcesserat) pro nihilo reputatur, eas particulas intelligeret, cum quinque solum dies à creationis primo, ad sextum, quo homo conditus est, excurrerint, simul, & principio temporis, cum inuisibilibus, & visibilibus conditus homo diceretur. Nec præstat quidquam instantia Arriagæ nostri; quia fide simultate durationis physicæ in vtraque substantia creanda ageretur, illud *deinde*, de reliquis post primum diem productis vsque ad sextum dici etiam deberet: siquidem ex doctrina Gregorij à nobis recitata, cert. 2. n. 1. ex. 32. moral. c. 9. & approbata à S. Th. q. 74. a. 2. ad 2. anticipato dedimus solutionem.

3 Igitur tam sexta Synodus cum Sophronio, quam Innocentius tertius, cum Lateranensi Concilio vtraque fidei professione conclusionem nostram tenuit, & litterali sensu rigido pro principio temporis physico, in quo inuisibilia & spirituales puræ creaturæ, siue Angeli, & *simul*, simultate etiam rigida durationis eiusdem, & instantaneæ, cum visibili; & pure corporeo mundo, cœlo scilicet materiali, ac terra fuerunt creata in genes. & Ecclesiast. contineri docuerunt. Inde apud scholasticos jam pridem orta quæstio est: an præsertim post Concilium Lateranense opposita sententia aliquam theologicam censuram mereatur? Atque (à leuiori inchoando) an debeat temeritatis notari? qua in re Caietan. 1. p. q. 61. a. 3. & Sixtus Senensis lib. 5. suæ Biblioth. annotat. 5. & Thomistæ alij Dominicani recentiores, ac Vazquez noster t. 2. in 1. p. q. 224. c. 5. tametsi cum scholasticis omnibus minus longe, quam nostram probabilem reputent opinionem aduersam neutiquam tamen, adhuc temerariam esse censendam Vazquio nostro subscribit Arriaga, d. 1. de Angelis section. 3. num. 11. ego non dubito, Granad. tract. 10. num. 10. Pesant. & sane hoc statute, non multum Dominicani illi recentiores excesserunt, cum simul docuerunt aduersam nostræ opinionem defendi licite posse opinionis enim absolute probabilis quantumvis minus probabilis, licet, Defensio Doctorum ita sentientium fundamentum esse potest: quod neque in scriptura, neque in conciliis recitatis determinatus sensus illarum, vocum *in principium, & simul*, quem intendimus, ne indirecte quidem, & obiter expressus sit; vt non probabiles alios vtrobique recipiant. Secundo, quia scholasticorum omnium eciam consensus nequit Græcorum Patrum communi, ac fere omnium concordi sententiæ, ita prælalere, vt ab ea omnem eciam extrinsecam probabilitatem excutiat: maxime cum eisdem Patres Latini memorati accesserint. Et Hilarius 12. de Trinit. versus finem, & contra Auxentium Arianum: vtrobique enim ait. *Angelorum origo terræ creatione reperitur antiquior*, & Ambros. exhamer. *c. 5. Angeli, & si aliquando esse caperint erant tamen quando hic mundus est factus*, & præfat. in Psalmos ait: eos Deo laudes canere; *ante ipsum mundi initium.* Tertiò quia nemo scholasticorum tercentis totis annis aduersæ sententiæ censuram vllam Theologicam affigere ausus est, & si omnes dissenserint, post quos annos Ferrara primum censura illam sugillauit: nimirum ob debitam, tot, tantisque Patribus, obseruantiam quam S. Thom. citat. a. 3. corp. fine profitetur. Et sane qui tot Patrum sententiam sequitur, & si cum eis fallatur, temerarius esse nunquam potest.

4 Dicendum tamen est: aduersam sententiam temerariam, post concilia præfata, vt minimum esse. Ita quotquot erroneum in fide, seu hæresim appellant. De qua censura, Examen, & iudicium nostrum subijciemus. Expresse vero temeritatis eam notant plures, qui errorem, & erroneam negant. Canus 5. de locis cap. 5. ad fin. quæst. 4 scribens non posse jam illam defendi, sine temeritatis nota, ne quid amplius addar, & S. Thom. & scitat. a. 3. corp. ob Nazianzem authoritatem, eam erroris damnare, non audeat; prius autem ad corporis medium, & si Nazianzen. 1. & aliorum Pf. authoritatem præ oculis haberet, eiusmodi

sententiam suæ & nostræ aduersantem improbabilem absolute asserit verbis illis : *Non est igitur probabile, &c.* quod non solum ob rationem proxime allatam, sed ob authoritatem. Genes. 1. adductam in argumento, *sed contra*, & quam discursu subiuncto confirmat, dictum ab eo fuit. Consentiunt censuræ temeritatis Molina. citat. quæst. 61. a. 3. versus finem §. *Verum cum tam multi* Valentia d. 4. quæst. 2. punct. 2. Soar. cit. c. 3. num 35. Ioann. Præpositus citat. a. 3. §. *quamvis hæc secunda sententia* & apud ipsum, Gamachæus 1. p. q. 61. §. *Respondemus per hanc durationem* Inclinatque Estius in 2. d. 2. §. 4. fine. Probatur autem : quia & si Patres aliquot, ex Græcis pro ea sententia steterint, vt Nazianzenus, & Damascenus, hi tamen discursu solum tunc probabili, & humano ex Platonis, ita sentientis Philosophia (quæ tunc magis, in Ecclesia erat recepta) ducti agebantur ; non vero ex aliis scripturæ, aliundeve firmis principiis : ita enim citato supra loco Nazianzenus aiebat : *quantum quidem ipse de his rebus philosophari queo.* Et Damascenus, loco etiam citato : *ego vero Diloque Gregorio accedo. Nam par fuit primum intellectualem substantiam creari, atque, sic sensibilem, & tunc, ex vtrisque hominem* ; quam vero debilis hæc ratio sit ; cui Pater vterque innititur, omnibus claret ; cum ei principio nitatur, quod ex nobilitatis præcedentia creaturæ liceat in eius creatione anterioritatem durationis inferre ; quod in homine, & viuentibus posterius cœlo, & terra productis cunctis, deficit plane. Nec satis à Damasceno in homine præuenitur difficultas, quod ex spiritu, & terra mixtum sit : idem in solam naturæ præcedentiam, spiritus, & corporis, scilicet, partium, quibus constat, non autem durationis euincit, & anima, quæ ex materia non constat, ac spiritus, & intellectualis est, ante infusionem in corpus, & hominis concretionem (quemadmodum de terra, seu corpore, eo discursu probatur) esse creatam, cum Origene aberrandum à fide erit. Basilius vero loco citato nihil de durationis anterioritate Angelorum ad corporei creationem à Moyse dictum fatetur ; oportere tamen pro mundi præstantioris, (nempe spiritualis) dignitate, & honore creari ante mundum corporeum, vt Nazianzenus aiebat.

5 Imo Basilius, pia interpretatione eget, ne Angelos ab æterno creatos docuisse credatur. Ambrosius, certe, cum Basilij exhameron fere ad verbum, in suo transcripserit, solumque in latinum verterit, non magis auget sententiæ huius authoritatem, quam textus eiusdem in aliud loci idioma versio ; solum addit ibi de suo, quod Basilij verba, quæ æternitatem creationis Angelorum erroneam sonare alicui possent, & omiserit, & tempore factam expresserit. Itaque Patrum Authoritas, neque tot est, atque tanta, quanta ab aduersariis putatur ; cum nullo scripturæ testimonio, sed sola Platonis ratione credita, quam examinata, nitatur : cuius detecta debilitas Patrum, qui ea ratione ducuntur, authoritas. Infringitur, eosque, vt homines, deceptos probat : vt decipi possunt, & decepti alias, non semel sunt, dum, vt homines discurrunt. Origenis authoritas, quam exigua, vel nulla, hac in re sit, non solum, quod ex homilia prima in Genesim, seu eius periarchon erroribus scatente desumatur ; sed, quod, eo, ipso textu, qui pro aduersa sententia refertur suum errorem dementibus, seu animabus nostris, ante infusionem in corpora, imo ante cœlum, & terram creatis non solum indicauit, sed expressit, euacuatur. Igitur Patrum authoritas pro aduersa, cum ex debilitate rationis Platonicæ, qua ducti sunt, tum ex majori numero Patrum, qui nostram docuerunt, tum ex fundamentis scripturæ litterali, & rigido sensu acceptæ, quibus in nostram sententiam fuerunt inducti, tum ex Conciliis generali sexto, & Lateranense 2. quæ eo sensu ea scripturæ loca intelligunt, iuxta superius dicta (vt abstraham modo ab ea, quæstione, an definitione, an obiter ita ea intelligant ? de quo à numero 3.) cum Patribus, qui vtrique concilio adfuerunt : tum ob scholasticorum omnium authoritatem, qui præfata scripturæ, & conciliorum testimonia, eo sensu, & sententia intelligentes concordi iudicio aduersam respuerunt, nostramque amplexati sunt, nemine audente Patribus aduersæ consentire ; ex quibus omnibus constat, eam aduersæ sententiæ authoritatem, satis non esse, vt jam post præfata concilia eximant aduersæ temeritatem : id quod majorem firmitatem recipiet ex concluſ. 2. de nostræ sententiæ contenta in eis definitione, quod autem scholasticorum nemo vsque ad Ferrariæ tempora, de aduersæ censura egerit, nedum illi eam insserit, ex dictis verbis. S. Thom. reijcitur : qui licet initio corpora sententiam nostram solum probabiliorem dicat, circa medium tamen improbabilem dicit aduersam, secundò ab ipso S. Thom. scholasticoque alio docto, & coætaneo, quæstionem fuisse, motam, an aduersa, error esset contra fidem, & affirmatiue ab eo decisam inferius constabit. Ac demum antiquis, scholasticis, Censurarum, quas merebantur sententij omnes, ad rem scholasticam spectantes, examen, & studium frequens, non fuit, nec, nisi errorum capitalium, quibus directe, & ex instituto damnandis concilia coacta sunt ; de reliquis vero, ac de leuioribus errore censuris, antiquis studium, non scholasticis, solum, sed interpretibus. Non fuit ; quod tamen nostris sæculis, quam magnum est, te errores in Theologiam, & Ecclesiam Catholicam obrepant, sed longius arceantur.

6 An vero post Lateranense Concilium error, vel erronea contraria sententia censenda sit, lis est apud scholasticos, & scripturæ interpretes nonnullos acrior. Negauit Caietanus cit. art. 3. cum Recentioribus Dominicanis, Sixtus Senes. vbi proxime Ioann. Præpositus, & Vazquez, & reliqui, qui à temeritatis etiam nota, vindicare illam contendunt. Et sane Diuus Thom. eo a. 3. non esse erroris damnandam expresse docet. Erroneam vero, seu errorem in fide illam esse, post definitionem Lateranensis Concilij restatam docet Ferrara 2. contra gent. c. 92. & Cursus supra *ne amplius*, inquit *dicam* temeritatis notauit. Molina supra §. *contrarium videtur*, *sub* initium illis verbis, *quæ sententia*, Ferrariæ *mihi sane vera videtur*, ex proprio sensu locutus ; licet ob extrinsecam doctorum aliter censentium authoritatem, non esse errorem, seu hæresis, (Iudiciaiter scilicet) damnandam, donec communis in Ecclesia ea censura sit, afferat, citat. §. *verum* Refert autem, §. *contrarium* doctos scripturæ interpretes. Sibi coætaneos pro ea censura, ad 1. genel. caput, ad quod postea Cornelius, §. *quare*. Quiros d. 51. sect. 3. n. 20. vbi citat Dominicanum Bannez, & Soarium supra : quorum ego iudicio subscribo : quod & S. Thomæ aliquando fuisse videtur. Nam opusculo 23. (quod totum de explicatione decreti Concilij Lateranensis fuit) contrariam sententiam ait definitioni decreto illo contentæ aduersari. Eam quippe occasione obligandi alium Origenis errorem ; quod scilicet creatis anterius durationc Angelis in transgressorum supplicium, & vincula mundum corporeum, cui alligarentur, & quasi in eo carcerari ligarentur, creauerit Deus : Cum autem eis solum verbis, quibus ante cœli, & terræ creationem, Angelos creatos non esse, sed simul durationc cœpisse, dicitur contra partem eius erroris primam, (quæ Origeni ad secundam partem sui erroris fundamentum fuit) definiti eo decreto possit, plane, vt illos ; simul tempore, ac non antea, cum cœlo, & terra creatos Angelos definitum eo decreto S. Thom censuerit, vt contendimus, negari non poterit, nisi negando, (vt Dominicani aliunde ex aduersariis referuntur negare) eius opusculi fuisse authorem : quod vbi vis suis opinionibus expressum aduersarium deprehendunt, respondere, non semel solent : vt dum textus S. Thom. contra alios instanter inculcant exemplo hoc suo facilem suggerunt solutionem. cæterum, & si alterius cuiuspiam antiqui Doctoris opusculum sit, habemus contra aduersarios jampridem, & longe ante Ferrariæ tempora, erroris censuram contra aduersam opinionem latam, (& à viro quidem doctissimo cuius scripta excellentiam Doctrinæ S. Thomæ saperent, ac præferrent) & antequam, nimirum, opera S. Thomæ omnia tanto Magistro digna reputata ab eius amantissimis Discipulis

cipulis Dominicanis, ea tempestate Doctissimis conquirerentur, colligerenturque.

Vnde illud, cui aduersarij in primis insistunt, disjcitur: credibile non esse, trecentis à Lateranensi hac definitione annis ad Ferrariæ tempus decursis neminem scholasticorum erroris aduersam sententiam notassesimo vero S. Th. ab ea illam expresse vindicasse, quod fieri non potuisset, si ibi nostra conclusio definiretur. Vidimus enim jam pridem doctissimo scholastico S. Thomæ, vel ejus saltem coætaneo errotis eo opusculo fuisse notatam, quod si eius opusculi author S. Thomas fuit fors Concilij definitio alibi non occurrit, cuius nec in argumento, *sed contra* meminit ad quæstionem in corpore decidendam; sed solum textus ex Genes. 1. nec posset non illam definitionem in corpore explicare, si memoriæ occurreret, vt oppositam sententiam, non esse errorem defenderet. Valdéque est verisimile postea definitionem, præfatam Sancti Doctoris memoriæ occurrentem ex instituto examinasse opusculo, & definitam ibi conclusionem nostram, vt errori Origenis memorato occurreretur docuisse. Nec refert concilium hoc non contra errores Origenis, sed Ioachimi, & Almerici, male de Trinitate sentientium fuisse coactum: nec de Origenis erroribus damnatis jam pridem in conciliis anterioribus agi in Lateranensi oportuisse, sed certe posteriora concilia errores ab anterioribus damnatos, & veritates ipsis aduersas definitas, iterum in suis fidei professionibus repetunt, & si noui solum erroris cuiuspiam occasione cogantur, vt ex Tridentino, Toletanis, imo conciliis omnibus, & hoc ipso cap. *firmiter* constat: in quo multa alia fidei dogmata contra errores alios, jam diu damnatos ponuntur: instant vero Caietan. & Sixtus Senensis errori Origenis memorato, ex concilij intentione damnando (quod scilicet per se, suamque intrinsecam bonitatem mundus corporeus, nec amaretur, nec creatus à Deo fuerit, sed vt carcerationi Apostatarum Angelorum inseruiret (quod simul duratione cum eo Angeli crearentur) ac non anterius parum conferre, vel nihil: quare neque id potuisse ibi definiri, neque definitum ibi à S. Thom. declarari. Cæterum, cum quavis occasione, & intento concilium habeatur, & ad definiendum procedat, possit ex Spiritus S. motione, & illustratione veritatum aliarum in scriptura contentarum, eas etiam definire, si definitionis verba eum sensum plane, & determinate contineant, quo veritas alia declaretur (vt Caietanus, & Senensis in præsenti fatentur) eam definitam, etiam esse certissimum est. Insuper: cum inde Origenes præcipuum hunc suum errorem statueret, quod Angeli anterius creatione mundo corporeo fuerint creati, intentæ damnationis eius multum referebat eius partis errorem aperire definitione veritatis oppositæ: quod non antea, sed simul cum mundo corporeo, & visibili fuerint creati: ac proinde, quod in qualiquali suo principio, nec sola conclusione erraverit.

8 Idcirco Vazquez noster duabus rationibus tantum insistit. Prima c. 3. num. 18. ex dictis c. 2. quod illud *simul* definitionis illius simultatem durationis, determinate, non significet ibi, sicuti, nec Ecclesiast. 18. Verum, cum in ea definitione, addatur *ab initio temporis* (quod sexta Synodus voce illa *repente* æqualenter explicuit, iuxta dicta numero primo, & secundo, locum ea euasio non habet. Secunda ratio, quod nullo fundamento scripturæ) cuius loca adsaentia plures alios sensus litterales, vt ostenderat, cap. 2. patiuntur ea definitio niteretur; cum tamen quidquid, vt commune dogma Ecclesiæ proponendum, definiendumque est debeat in scriptura contineri, vt communis scholasticorum sententia fert. Sed neque in Patrum & Ecclesiæ communi, & constante traditione, quæ verbo Dei scripto substituerit: quandoquidem tot, tantique Patres oppositum docuerunt: ergo absque firmo fundamento, & necessario ad id definiendum concilia præfata processissent, quod infallibili assistentiæ spiritus sancti ad fidei dogmata definienda repugnat. Explicatius Vasquez rotas rationis eius vires, ac breuius ediserit, (vt videre in ipso est citato capite tertio, numero decimo octauo §. vltimo) supponens spiritus sancti assistentiam, in dogmatibus definiendis, non esse, vt denuo illa reuelet, sed vt mentem definitoris Pontificis, siue in concilio, siue extra illud, illustret, & quasi manuducat, ad deprehendendam veritatem definiendam in locis scripturæ (& si non ita clare, vt à quouis, etiam perdocto, determinate in eis percipi possit) contentam, eo vero ad majorem rationis & euasionis huius efficaciam, & firmitatem supposito, infirma est, faciléque excluditur, & aperte confutatur, etenim, & si enim particulæ illæ *in principio, seu initio temporis*, & illa, *creauit simul*, sensus, & significationes alias quas velis, litterales habeant, etiam ab spiritu sancto eis locis intentas, negari tamen, nequit propriam, etiam, & litteralem, imo cæteris rigidiorem, esse de principio temporis, & simultate durationis: ergo potuit spiritus sanctus illustrare Patrum concilij, & Pontificis definientis mentes, vt deprehenderent illud proprium significatum earum vocum, & propositionis eis locis contentæ sensum à se intentum esse de principio, & simultate durationis, in qua visibilia, cum inuisibilibus seu cœlestibus spiritibus creata sunt, vel alios sensus, qui litterales videri possent excludendo, vel ab eorum exclusione præscindendo, vel vtrumque sensum manifestando: quod hic præstitum videtur ad Ecclesiastici locum, vt simul omnium æque, & pariter à Deo creatio definiretur, ac subiuncta particula *ab initio temporis*, non illa solum, sed simultas, etiam durationis, & creationis, omnium definiretur: quare debitis fundamento scripturæ, & assistentia spiritus sancti definitum postremum hoc fuit, cum in Lateranensi expresse, cum in sexta Synodo voce illa *repente*, subobscurius: quare, & si ante Lateranense locus ambigendi & aliter sentiendi, Patribus, & doctoribus citra censuram fuerit, fateturque Augustinus 11. de ciuit. capite 32. Theodor. & quæstione tertia in Genes. remque esse, in qua quisque pro libito discurrat, ac censeat; ast post Lateranense, non sine temeritate, & errore aduersa sententia asseretur: maxime, cum nullo solido fundamento scripturæ, aut rationis innitatur; quod tamen explicandum, corrigendumue post eam definitionem foret, si adfuisset.

CERTAMEN IV.

Aduersæ sententiæ fundamenta, Gennadijque, & Eugubini somnia de re præsente profligata.

1 RAtio ex majori dignitate Angelorum, quam corporum creatorum, à Patribus nonnullis, & Doctoribus aduersæ sententiæ petita, non solum euersa, sed inuersa, in ipsos actiter supra fuit, certam. 3. numero quarto. Alia vero, ne Deus per tot sæcula ante mundi creationem esset otiosus, probaret, si quid Angelos, ab æterno creatos, cum ante quamvis durationem, quantumvis creationi mundi anteriorem, præcedat æternitas, in qua Deus infinite diutius fuerit à creatione omnium otiatus, nec Angelos ab æterno condiderit, quod absque hæresi asseri nequit. Ex scriptura opponunt aduersarij primo Mosem nihil de Angelis, eorumque creatione, nec principio, nec progressu dierum creationis mundi corporei dixisse cum reliqua corporea, eo tempore facta, satis minute referat: ergo quia non in eo, sed ante illud totum tempus sunt Angeli creati. Negatur antecedens. Ab Augustino quippe nomine lucis primo die creatæ Angeli intelliguntur, diebus illis suis, allegoriis non tamen litteraliter admittendis, vt supra dicebamus. Isidorus vero, & Beda recitati cert. 1. num. 3. & hic etiam in suo exhameron, & si non

non ea allegorica Augustini dierum successione admissa, aut lucis nomine creationem Angelorum à Mose narratam credunt. Sed in eo etiam allegoria est historiam dedecens, & à communi Patrum interpretum, & scholasticorum sententia, quæ corporalis lucis creationem intelligit, plane receditur, & Angelos initio temporis, ac simul duratione rigido sensu, quo definitum ostendimus creatos, negat, quandoquidem lux, & si primo die post cœlum tamen, & terram, sequentibusque, & succedentibus diei primi partibus creata refertur. Melius longe negatur, antecedens cum Gregorio Magno 32. moral. cap. 9. recitato à nobis cert. 2. numero primo, quia creatione Cœli Empyrei nempe Angeli in eo contenti, & creati referuntur, non cœli, vt sic loquar vacui, cui interpretationi ad literalem sensum accommodæ. Alij Patres & interpretes merito consentiunt. Et consonat Paulus illis ad Colloss. 1. *in ipso condita sunt vniuersa, in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni* &c. sed & antecedenti admisso negatur à plerisque consequentia. Non enim ideo creationis Angelorum mentionem non fecit, quia eo ipso temporis initio, quod cœlum, & terra creata ab ipso referuntur, non fuerint creati, sed ne substantiarum spiritualium inuisibilium adeo perfectarum, mentione, & notitia populo ad Idololatriam procliui eius exercendæ, occasionem præberet. Ita Athanas. & Theodoret. quæstione 2. in Genes. & alij Patres, & interpretes, non pauci, neque improbabiliter; tametsi postea historiæ decursu; Angelorum, & missionum ipsorum à Deo ad Patriarchas, & alios fecerit mentionem. Longe tamen reticentiæ huius probabiliorem rationem reddit Hieronymus. Epist. 139. Populi ad spiritualia percipienda ruditatem: quibus obinde creationis rerum corporearum, seriem, alias non intelligendam describere voluit, quæ ipsis, ac cæteris ad temporis, & annorum supputationem, & Chronologiam ex vsu esse poterat, & è solo motu corporum innotescere.

2 Opponunt secundo ex scriptura id Iob. 38. *vbi eras, quando me laudarunt, simul Astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*, quæ ex 70. sic vertit Cassianus, *quando facta sunt simul sydera laudauerunt me voce magna omnes boni Angeli mei*, quasi jam facti astrorum creationi adfuerint, & de astrorum mirabili conditione Deum laudauerint, sed quid inde, inquit Theodoretus cum astra die creationis 4. fuerint producta, nonne, & si tertio (nedum initio diei primi) creati Angeli essent, jam creati possent creationi assistere, ac de ea Deum laudare? Secundo antecedentia durationis Angelorum ad astrorum creationem, ac de ea in Deum laudes male supponitur, cum de sua ipsorum creatione Deum laudare poterant, & laudarunt Deum Angeli, vbi primum existere, seu in primo instanti, quo à Deo creati sunt; sed certe vulgata editio authentica ab omnibus recipienda, & suspicienda, hic contextui, & Hæbraicæ lectioni conformior, inanibus hisce difficultatis vmbris locum non relinquit. Tertio arguunt ex Iob. 40. de Behemet. scilicet lucifero, dictum: *ipse est principium viarum Dei*. Sed huic loco (de lucifero etiam litteraliter, & primario intellecto) non de principio, & primatu viarum Dei duratione, sed dignitate intellexit; optime Mag. Gregorius, vbi proxime recitatus, cum Isidoro, & Beda, certam. 1. numer. 3. quo eodem sensu Iacobi 1. dicitur; *voluntarie enim genuit nos, verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*; scilicet, vt excellentiam, & primatum aliquem ex generatione gratiæ adoptionis filiorum Dei præ reliquis creaturis naturalibus habeamus, & sane non agi hic de durationis initio Behemoth, seu cuiuscumque; ea voce intellecti constat ex Græca ἀρχὴ cui respondet, & significat principatum, non initium durationis. Secundo quia de eodem Behemoth, ad Iobum dicitur, *quem feci tecum*, quod non, nisi alio sensu, quam durationis in vtroque efficiendo intelligi potest, & si in Iobi persona, non eius individuum, sed natura specifica, seu homo intelligatur, & certe Behemoth, ibi litterali, primario sensu, non luciferum, sed terrestre animal, quam magnum, aut quam fortissimum, vt elephantem, vel draconem (quemadmodum. Leuiathan cete, aut prægrandem maris piscem) qui proinde corporis habilitate & fortitudine cæterorum animantium primatum teneat, ac proinde principij, eo sensu viarum Dei ratione, non autem creationis antecessione, vt reste Eugubinus: quod proinde solum de lucifero figurate, eo loci per Behemoth intellecto, & significato dici posse ac debet.

Quartò oppones ex 8. prouerbiot. *Dominus creauit initium viarum suarum*. Et Ecclesiast. 1. vbi ea sententia explicatius. *Prior omnium creata est sapientia*, cum nec Dei sapientia genita, seu verbum, creatum proprie, imo vel large causatiue, seu causaliter productum dici salua fide possit; atque cum his locis de rerum creatione, & proprie causali productione sit sermo, de sapientia genita, seu verbo Dei sermonem non esse certum videtur: ergo de creata, quæ solum intellectualis creatura, eiusue actualis sapientia debet intelligi, quæ nec homo, nec eius sapientia esse possunt. Tum: quia ante sextum diem, non extiterunt, ac subinde, nec potuerunt esse creationis rerum initium. Tum etiam: quia Angeli per antonomasiam, & intellectuales creaturæ, & sapientæ nomine debent intelligi, siquidem pure intellectuales, nec sensitiuæ, etiam, & corporeæ, cognositiui, vt homines, sed longe etiam his intellectiui perfectiores, & sapientiores: ergo ex eis locis, constat Angelos rerum creationi à Deo factæ feciße principium ante mundi corporei creationem. Cæterum ex eo loco Prouerb. quod pro nobis expendimus, certam. 1. numero sexto, constat nihil ex illo, neque ex loco Ecclesiastici pro aduersarijs deduci posse, sed solum pro errore creationis Angelorum ab æterno, si de Angelis, & eorum sapientia, & duratione eorum prima intelligatur: cum addatur, *antequam quidquam faceret, à principio. Ab æterno ordinata sum*: quibus æternitas durationis sapientiæ illius, de qua est sermo, asseritur: quare si de Angelica sit, æternitas eius cæteris creatis anterior, contra fidem asseretur. Sed certe de sapientia increata genita, seu verbo sermo ibi est, quod & si nec proprie creatum, nec causaliter productum, seu factum, sit attamen creatum, vt sæpe verbi creo vsus est: quia est originaliter, & si non causaliter productum, seu genitum, & præcedens, & non factum, vt in symbolo dicitur vtroque nisi iuxta vulgatem, nec inelegantem phrasim: qua *verba facere* idem valet, quod loqui sed esto de creata Angelica sapientia, siue Angelis loca permittamus ad præsens intelligi: adhuc locus est, de initio, & principio, seu primatu dignitatis, & perfectionis Angelorum, præ creatis reliquis corporeis, vt bene Vasquez noster ex voce Græca ἀρχὴ quam *initium* vertit vulgata. Secundo acutissime cum nostro Molina, illa prioritas, seu principij, & initij, durationis adhuc, ratio; negative, non positive vulgari satis locutione intelligeretur, qua nihil creatum est Angelis anterius. Quinto opponi posset communis illa Patrum expositio (qua pro aduersa sententia Origenes vtebatur) ad illud Genes. 1. *in principio* (id est) *in filio creauit Deus cœlum, & terram* cui loco & intelligentiæ proximi textus Prouerbior. & Ecclesiasti videntur accinere; quare negari iuxta requisita. Verum nec nos, eam interpretationem, & sensum eorum locorum reijcimus, satis alibi expressum, ad Colossens. 1. *in ipso condita sunt vniuersa*. Sed dicimus hunc eius loci litteralem quidem (vt tot Patres concordant) alium tamen litteralem sensum ab spiritu sancto intentum, & expressiorem ex textu, & contextu capitis illius de principio duationis, quo cœpta rerum creatio à Deo fuit, Genesis 1. contineri.

4 Sexto demum illa ad Titum 1. *in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora secularia*; ergo ante corporei mundi creationem, ex qua temporalia sæcula cœperunt: atqui promissio (quæ alicui, vel alicubi & absolute existentibus, & rationalibus facienda necessario est) de hominum salute æterna, in Christo, seu per Christum facienda, homini nondum ante sæculum

singularia tempora, & mundi creationem facto, & absolute existenti fieri non potuit. Ergo rationali, & intellectuali creaturæ alteri ante sæcularia tempora, seu mundi corporei creationem absolute productæ, & existenti: quæ præter Angelum nulla extat, neque extitit, quare, nec de facto esse potuit. Cui sententiæ consonat, 2. ad Timoth. 1. *qui nos liberauit, & vocauit secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia: manifestata autem, nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi.* Cum autem gratia in executione data ante sæcularia tempora non fuerit: restat, vt data moraliter in Dei promissione ante illa tempora sæcularia Angelis facta anterius productis intelligatur. Infirma autem pro aduersa sententia hæc sunt. Promissio enim hic pro decreto puro Diuino Vtrobique, sed maxime primo loco vsurpatur, vt bene Vasquez citara, d. c. 5. & Molina cit. Articulo 3. illud autem decretum ante omnia tempora sæcularia, & alicuius creaturæ existentiam, & productionem, omnibusque inexpectatis, & ex æternitate à Deo concipi posse. (vt omnia eius decreta concepta iuxta fidem fuere) certissimum est. Secundo testimonio germanior (vt æstimo) sensus est de promissione proprie æternæ vitæ, & hæreditatis, in eius semine, & germine Christo Domino concedendæ Abrahæ, & Dauidi, ac eorum semini facta, & iuramento adhibito firmata: de qua Lucæ 1. *iusiurandum, quod iurauit, ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis; vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* Et in Psalmis frequenter: ad quam promissionem recursu ad Angelos, quibus fiat, opus non est; cum matura ætate existenti iam, (ne dum recens absolute producto, & procreato) Abrahamo facta fuerit. Ibi autem, ante tempora sæcularia non omnia absolute à principio mundi significat, sed aliqua, & plura, quæ ab ea promissione Abrahæ facta ad Christi aduentum, & gratiæ eius per ipsum manifestationem decurrerunt. Sæculum quippe rei cuiusque durationem integram significat, vt ex Aristotele 1. de cælo docet, S. Thom. 1. p. q. 10 artic. 2. ad 2. & sane quotidie iracundas vetulas iurare, ex communi hac sæculi acceptione videmus. *Por el siglo de mi Madre.* imo quandoque rei cuiusque integra duratio, totaue vitæ vniuscuiusque periodus, non tantum sæculum, sed & æternitas dici solet dicitur-que à Dionysio 5. de Diuinis nominibus, Anselmo c. 10. Prosologij obseruatis, à S. Thom. & approbatis att. eodem, atque à Molina nostro ibidem.

5. Reprehendenda hic venit, infidelis audacia Augustini, Eugubini, non semel, sed repetita lib. de spiritualibus, & inuisibilib. creaturis; & in sua cosmopæia; Primo, & fusius docet. Ex loco hoc 1. ad Titum, & ratione inde deducta, & hactenus reiecta, Angelos ab æterno fuisse creatos: cum tamen æternam ipsorum creationem & durationem ante mundi creationem ne apparenter quidem is locus suadeat: cum minutula quæris eorum mundi creatione anterior duratio, & existentia satis foret, vt ipsis ante mundi creationem de æterna hominis vita ante omnia etiam sæcularia fieret à Deo promissio. Sed præter hunc errorem alium addit ibidem Eugubinus. Nempe Empyreum cælum esse ab æterno & increatum: scilicet claritatem à Deo distinctam, & manentem, in qua, & ipse sit, iuxta illud Pauli. *Lucem habitat inaccessibilem*, & Christi Domini apud Ioann. *clarifica me Pater claritate, quam habui prius, quam mundus fieret apud te:* & Psalm. 103. *Amictus lumine, sicut vestimento*; cuius specimen in transfiguratione, & Mosis rubo, ad quam multoties in scriptura iusti quique homines inuitantur ac demum admittuntur. Hanc lucem affulsisse putat Basilio, hom. 2. in Genes. dum ante mundi corporei fabricam fuisse claritatem inenarrabilem, in qua versabantur Angeli, crebro in scriptura iustis promissam arbitrabatur. Et subobscurius, Homero, qui obinde Empyreum Deorum Domicilium, & sedem, *Olympum*, id est, *totum splendorem*, vocauit. Cæterum Empyreum esse clarissimum corpus, quod obinde claritas inenarrabilis, *Christoph. de Ortega, de Deo Vno.* Tomus II. quia corporeis cæteris longe præstantior à Basilio, & Olympus, seu totus, totus, splendor ab Homero dicatur, certissimum est: sed quo valde Eugubinus cæcutiens in fidem, & rationem naturalem multories offendit. Etenim increatum quidpiam, & cæterum à Deo distinctum admittere duobus fidei dogmatibus contradicit, de vnitate indiuiduali Dei ac ipsi solum, connaturali æternitate. Item dum a Deo, & distinctam, & manentem ab æterno, dogmati alteri de rerum à Deo duratione, & quæ initium habuit, creatione, contra dicit. Quod si dicat hoc dogma de iis, quæ voluntarie, & libere extra à Deo fiunt, intelligi debere non de his, quæ naturali emanatione ab ipso proueniunt, iam Deo necessitatem operandi ad extra contra aliud dogma concedit, & rursus de illa claritate disquirendum restat, num accidens, & cuiusnam substantiæ, & subiecti sit? in quove genere contenti? certe lux, quam Deus inhabitare, & induere in scriptura dicitur ipse Deus est, & quæ iustis in patria videnda promittitur. Nullo ergo, vel apparenti, fundamento tot se difficultatibus, & erroribus irretiuit Eugubinus, eosque fere recognoscens, dum somnium hoc suum, iudicio & correptioni Ecclesiæ submittit, & eius damnationi ex tunc nonsentit, vt ipsum, quod in simili de alio Cato dixit, recte cadat; *quare culpam deprecari, quam ea carere maluisti?* Præsertim, cum eius opinatio, hæc tam multo ex capite fuisset, iam ab Ecclesia damnata.

6. Excusabilius quidem somnium est Gennadij, seu cuiuscumque authoris libri de Ecclesiasticis dogmatibus, (t. 3. operum Augustini) c. 10. tum quia tot erroribus præpeditum non est: tum, quia Angelos creatos à Deo fuisse dixit solum in ea duratione, qua super Abyssi, seu aquarum faciem, quæ terram ambiebant, operiebantque, antequam lucem Deus produceret, qua spectabile vtrumque elementum fieret: quia oportuit, ne per tam multa temporis spatia Dei bonitas esset otiosa, sed Angelorum creatione spatiis totis, illis bonitatem suam Deus ostenderet. Nec solus Gennadius, in eam incidit cogitationem: eam siquidem reiecit Damascenus, 2. de fide c. 3. & merito: quia ratio absurdi, quod alias per spatia illa effusionis tenebrarum Dei bonitas esset otiosa, nec illa productione, seu creatione creaturæ alicuius ostenderetur, non hanc cogitationem, sed, quam hactenus reiecimus (Angelos scilicet multo ante mundi corporei creationem, imo ex æternitate fuisse creatos) efficacius probaret: esset quippe absurdum maius, tot anteactis sæculis, & maximum, tota anteacta æternitate Deum à creatione, & productione rerum, ac suæ bonitatis ostensione otiosum esse, quàm spatio illo, quo tenebræ offusæ aquis, & terræ fuerunt. Hac ergo ratione, vt pro Angelorum creatione spatiis multis ad mundi corporei creationem anterius, (quod efficacius probat) ab huius assertoribus referatur Gennadius, obtinuit; cum tamen, posterius cælo, & terra creatos doceat, & ea ratione probare contendat, dum autem, vt robur aliquod suæ rationi ministret, addidit tam multa spatio durationis tenebrarum illarum ante lucis creationem fuisse, falsis suis relatoribus occasionem deceptionis præstitit non leuem: cum die primo fere medio tenebrarum offusio narretur, posteriùs siquidem lux creata fuit ac deinde lucis à tenebris facta diuisio, & successio, qua diei integri forma daretur, idque totum die vno, seu primo: ergo otij illius per tam multa spatia tenebrarum, quæ tamen semidie per scripturam coërcentur, ni ad anteriora creationis cæli, & terræ vastissima spatia recurratur, percipi nequit. Cum ergo nullo hæc cogitatio rationis vel authoritatis fundamento nitatur, imo tam multa, & magna spatia contra textum Geneseos tenebrarum illarum comminiscatur, ac rursum Patrum omnium aliter, atque aliter, in re præsenti censentium, & (quod maius) definitioni Lateranensis, sextæque synodi, & scripturæ testimoniis simultatem creationis, cum cælo, & terra physicam tradentibus aduersetur, explodenda prorsus erit.

QVÆSTIO III.

Vbinam loci Angeli creati sint?

DE vbi proprio, & loco extrinseco Angelis locatis inquirimus; nam de intrinseco vbi, seu præsentia sua vnumquemque illorum (in quocumque illa stet) creatos esse certum, & extra controuersiam est; sicut de reliquis; quæ quomodilibet producuntur, & primo existunt.

CERTAMEN I.

Angelos in cælo Empyreo, quam alibi creatos, esse longe probabilius vniuersim de omnibus est.

AVgustinus II de Genesi ad litteram aliquorum refert sententiam, qui putarunt, non omnes Angelos in cælo creatos fuisse, sed aliquos tantum: nempe Angelos bonos; Dæmonum vero, seu malorum Angelorum nullum ibi, sed in mundo corporeo, & inferiori, omnes creatos fuisse. Existimabant enim Angelos malos natura etiam diuersi generis ab Angelis bonis, & imperfectiore loco fuisse creandos, & primo locandos; Angelos vero bonos superiore, & perfectiore, vt naturalis eorum Dignitatis ordo in locis etiam seruaretur. Rationem hanc non reiicit Augustinus, quæ, si, supposita dignitatis inæqualitas subsisteret, rem congruentissime suaderet. Hoc vero suppositum admittere Augustinus non audet: quia ea naturæ, & generis diuersitas, & inæqualitas, atque Angelorum malorum, præ bonis inferioritas, nunquam ex scriptura colligi potest, ego vero non solum id asserere obinde, non audeo, sed non possum ex scriptura, & Patribus non negare. Constat enim ex eis Luciferum malorum omnium Angelorum Principem, & antesignanum ex suprema Hierarchia, & Choro Angelorum, & supremum Angelorum, fors omnium, fuisse, qui proinde naturæ excellentia, cæteris præstaret: iuxta cuius maioris, minorisve excellenciæ, gradus superioris, inferiorisque ordinis, Hierarchiæ, & Chori Angelorum naturaliter disponendæ erant, ac, iuxta Dionysium, cæterosque Patres, & scholasticos, dispositæ sunt. Ergo præfata sententia, & fundamentum temerarium, vt minimum erit.

2. Rupertus 1. in Genes. c. 11. de loco vbi Angeli creati, & primo locati sunt, in cælo Empyreo creatos negat, sed solum in cælum translatos per gratiam. Vbi autem creati primum fuerint, & collocati, vnde postmodum per gratiam in cælum transferrentur, non designat, vt ex hisce ipsius verbis claret. *Non magis Angeli facti sunt in cælo, quam homo plasmatus, in paradiso est; sicut scriptum est & ita nimirum, & Angeli extra paradisum conditi, & in cælum translati, non natura, sed gratia cælum inhabitant.* Quibus à loco creationis ipsorum, etiam terrenum paradisum excludit, nec determinat, an in terræ parte alia, & aquis, aëreve fuerint creati. Quantum ergo ex his possum coniectari in loco creationis Angelorum de omnibus æque sortis esse, nec bonis superiorem, malis vero futuris deteriorem contigisse, neutris vero naturæ iure Empyreum debitum datumve fuisse, sed alium quempiam extra paradisum tamen, locum cælo inferiorem. Illud vero per gratiam de gratia iustificante, non intelligit; siquidem Angeli omnes in gratia creati sunt, vt Rupertus ipse non ignorauit, estque Patrum, & scholasticorum communis; conclusio, vt videbimus, d. 3. vnde eodem loco, quo creati sunt gratiam habuisse, neque ea, super eam alio fuisse translatos est certum. Tertio, nec nomine gratiæ intelligit in ea permanentiam per præcepti obseruationem: sic enim transgressores Angeli eo translati non essent, neque accendissent, quod minus consone scripturis, & communi Patrum, & scholasticorum diceretur, vt cert. 2. videbimus. Secundo Rupertus de Angelis omnibus vniuersim ait, per gratiam ex loco creationis fuisse translatos in cælum: quare, & sibi contradiceret, si de gratiæ permanentia, per obseruationem præcepti, nomine gratiæ loqueretur. Gratiæ igitur nomine, non habitualem, & iustificantem, siue obseruatione præcepti permanentem, siue primo Angelis collatam intellexit, sed quatenus quidquid vltra naturæ debitum, siue extrinsecum, & inhærens, siue adhærens solum, & extrinsecum (vt locus est) alicui donatur, gratia dicitur.

3. Communis Theologorum omnium, nostraque proinde, conclusio sit: Angelos in cælo Empyreo fuisse à Deo creatos. Ita Beda, tom. 4. lib. exhamerom sub init. Hugo de S. Victor, tract. 2. sum. sententiar. c. 1 Isidorus relatus à S. Thom. 1. p. q. 61. a. 4. corp. ex scholasticis Magist. in 2. cumque eius commentatores omnes ad vnum. S. Thom. ibi, & citato loco primæ partis, vbi interpretes omnes. Caietan. Bannez, Molina, Valentia, Ioann. Præpositus & reliqui ex nostris Vasquez d. 225, c. 2. Arriaga cit. d. 2. de Angel. sect. 4 quoad eorum in cælo creationem, aiunt, quoad Empyreum, si cæli vulgari, & communi diuisione numerentur, hæret atque negatiæ sententiæ Soarij, iam referendæ adhærere, potius videtur. Quiros citat. d. 50. sect 2. Soarius igitur 1. de Angelis, c 1. in cælo quidem creatos Angelos dicit, Empyreo, tamen inferiori, difficiendis satis apparentibus argumentis. Probatur conclusio, quia perfectioni naturæ, & substantiæ debetur naturaliter, nobilior locus, quam imperfectiori, vbi existat, & locetur: ergo perfectissimæ substantiæ, & naturæ ex creatis, nempe Angelicæ, debetur perfectissimum vbi, & locus, vt existat: atqui hic cælum Empyreum est: ergo in cælo Empyreo creatus est. Probatur postrema hæc consequentia (nam cætera, & de se, & experientia locorum, vbi creata reliqua sunt locata patent) cum enim vbi primum creati sunt in loco Angeli extiterint, ne in Empyreo tunc extiterint, in debito ipsis loco naturæ iure non extitissent: & quamuis id, ita à Deo fieri plane potuerit, ex alio tamen motiuo, & ratione, quam satisfaciendi debito ordini, & iuri naturæ, fieri solummodo potuit. Similem huic rationem ex munere Angelorum præsidentiæ rebus, initio creatis, efformauit S. Thom. citat. art. 3. Præsidi enim, & capiti, quasi politico, rerum supremus, & eminentissimus præ cæteris locus debetur.

4. Ab authoritate probari satis apte conclusio potest, ex Iudæ epistola, num. 6. vbi dicitur: Angelos malos amisisse locum, transgressione, quem seruare obedientia possent, & obedientes Angeli seruauerunt; atqui hi seruauerunt locum Empyrei: ergo, & illud amiserunt mali Angeli transgressione: ergo Angeli omnes ante obedientiam bonorum, & malorum transgressionem in Empyreo erant: id certum ex eo loco, inde vero. Infertur secundo: ergo, & in cælo creati sunt; sed consequentia hæc non est ita legitima. (Vt notauit Vasquez noster citat. c. 2. ad illationem similem casus Diaboli de cælo, vulgatiore interpretatione Patrum quos retulerat, c. 1. minus ibi genuina, admissa ad id Lucæ 10. *Videbam satanam, sicut fulgur de cælo cadentem*: & ex prælio Michaëlis cum Draconе, seu Lucifero, & malis Angelis commisso in cælo iuxta Apocalyps. 12. (quod de obedientia, & transgressione, illa prima Angelorum fuisse, incertum etiam putat) ab scholasticis nonnullis deductam) esto enim fuerit prælium illud primum in cælo, ibique inde fuerint Angeli transgressores: an non potuerunt Angeli alibi creati in cælum postea translati præliari ibi, malique peccare, ac inde turbari, vt vtroque loco iuxta præfatas interpretationes dicitur? Ergo illatio ex eis locis, & interpretationibus ducta legitima

legitima non est. Sed certe, & si ita sit, si ex duobus postremis locis inferatur ex Iudæ vero textu paulo attentius perpenso legitima illatio videtur. Sic enim ait: *Angelos, vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum Domicilium*, quibus viæ solum locus minime significatur, sed propria cuiusque domus, & eius dignitati, siue naturali, siue supernaturali, siue ministeriis conueniens. Neque enim domus hospitij, quo quis viator diuertit, & hospitatur, proprium, suum domicilium, & principatus seu dignitatis, suæ locus est. Et sane locum illum Luc. 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem* casum eius de cœlo significare, atque ad extinguendam inanis gloriæ in discipulis, scintillam, quod Dæmones fugassent, ita commune Patribus est, vt illud negare non liceat, ita Origen. 1. Periarc. cap. 5. Ambros. de fuga sæculi, c. 7. ante med. Chrys. 5. homil. 10. de pœnitentia ante med. Gregor. Magn. 23. moral. c. 6. alias 7. Theodoret. 5. hæreticar. fabul. c. de Diabolo. Prosp. de dimidio temporis Theophyl. ad eum locum. Bernard. serm. 1. ad fratres.

5. Secundo probari ex scriptura, & Patribus potest. Quia, vt vidimus, q. 2. Angeli principio creationis mundi creati cum cœlo sunt. imo cœli nomine eorum creatio à Moyse, iuxta Patres plures, narrata: quod adeo verum Augustino visum est, vt cœli nomine Angelos solos intelligi, in spatio, quod mox cœlum erat occupaturum, creatos censeat. 12. confes. c. 7. Ergo Angeli in cœlo creati sunt: ergo in cœlo empyreo. Postrema consequentia adeo certa non est: quia cœli primum creati nomine. Pererius, 1. in Genes. ad ea verba capitis primi. *Creauit Deus cœlum*, non Empyreum solum, sed sydereum etiam, & reliquos cœlestes orbes à nobis spectabiles, & quibus elementalis ignis subsideat, contineri fundamentis, non incongruis, & quibus Soarium supra, & alios recentiores, in suam sententiam traxerit. Verum Empyreum eo nomine contineri fatetur: quare nec ea sententia admissa, positiue creatio Angelorum in Empyreo excluditur: cum autem ratio naturalis de debito loco supremo (qui Empyreum est) creaturæ naturæ excellentissimæ, & dignitatis naturalis, & supernaturalis, ac ministerij supremi (quæ omnium sententia est Angelus) teneat, cum Empyreo creatum ex eo loco, & Patrum sententia memorata maiori longe probabilitate, quam esse in alio ex inferioribus cœlis creatum suadetur. Tertio denique: ex eo, quod ex Patrum sententia, Angeli mali statim fere, ac creati fuerunt, peccauerint, ac illico è cœlo fuerint proiecti: & communi item Patrum (quos refert Vasquez citat. cap. 1. § 1.) fuerint è cœlo Empyreo proiecti (iuxta eorum interpretationem ad id Luc. 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem*) Maxima probabilitate communis, & nostra conclusio deducitur; tametsi, vt dixi num. 3. certa, & irrefragabili consequentia, non inferatur: cum ad eius solutionem ad sententiam Ruperti de translatione Angelorum à loco creationis ad cœlum Empyreum (quam Patrum aliorum, & scholasticorum nemo sectatur, vt prorsus fundamento omni destitutam, somniatamque, vel pure arbitrariam cogitationem despiciunt, nosque naturali, insuper rationi aduersam satis ostendimus) recurrendum necessario sit.

Restant alia scripturæ loca, ex quibus vrgentius (me saltem iudice) conclusio nostra probatur; ea vero commodius cert. (vbi de censura in aduersam agetur) adducemus, ne ibi iterum repetantur: quare aduersæ fundamentis occurrere solummodo videtur hic restare. Opponitur primo. Locus præmij, & coronæ, vtpote omnium nobilissimus, viæ, & pugnæ incongruus est, ne in beatitudinis amplissima sede peccaretur; ergo in Empyreo, nec creati Angeli fuerunt, nec viatores, & pugnantes. Respondetur, quo ad pugnam, & viam Patrum memoratorum communi, & Ecclesiæ sententiæ aduersatur, dicentis in exorcismis suis contra Dæmonem: *Tibi imperat, qui de supernis cœlorum ad inferiora demergi præcepit.* Et absolute falsum est antecedens, frequenter enim, & semper, de regno possidendo, & per victoriam adquirendo in regno ipso pugnatur: atque in præsenti oportuit ibi pugnari, & peccato inde Dæmones labi, ne quis loci nobilitati, & dignitate fidat. Via autem Angelorum, non ad locum materialem Beatitudinis, sed ad eam eiusque statum ibi habendum fuit. Opponitur illud Isai. 14. *dixisti in cœlum conscendam.* Si autem in Empyreo (quod supremum cœlum est) Angeli omnes creati sunt, quod aliud superius fuit, in quod Angeli transgressores ascendere possent, & velient. Respondetur primo, cum S. Thom. & communi interpretum eius loci, & scholasticorum: non locum, & sedem materialem superiorem Empyreo, in quo creatione sua iam erat, Luciferum appetiisse, sed dignitate superiorem, vt ex sequenti contextu satis probatur, vsque ad illa verba, *similis ero altissimo.* Ex quo, eodem contextu fors dici secundo posset, appetiisse supra extimas Empyrei partes supereffundi, vti Deus, immensitate sua supereffusus, Empyreum ambit ac creatis omnibus eminet, cœlo etiam illo supremo, haudquaquam contentus, sed eminens, ac præsidens: quod scilicet præ superbia sua Lucifer intrà creata omnia claudi dedignaretur. Tertio, quid tandem ex loci superioris supremo impossibilis de facto, appetitione Luciferi arguitur? cum superbia sua ita demum obcæcatus eo loci deprehendatur, vt æqualitarem cum Deo non de facto solum, sed prorsus absolute impossibilem, effræni, vltra possibilitatem omnem, ambitionem appeterit?

CERTAMEN II.

Postrema ex scripturæ conclusionis probatio, & de aduersæ censuris.

1. PORRO, si caput Esai. 14. vnde obiectio hæc postrema petebatur, attente expenderetur, imo immediatus eius versus 12. nescio, an firmior, clariorque conclusionis nostræ probatio posset in scriptura reperiri. Etenim impendente illa, atque deplorati hæretici Caluini sententia exposita (cuius hæc apud Cornelium nostrum ibi sunt verba: *Crassior etiam ignorantia fuit, quod Luciferum Diabolorum Regem, eique à Propheta hoc nomen inditum esse finxerunt*) Patres, & Interpretes Catholici omnes, imo, & Ecclesia Catholica tota ad vnum, versu 12. 13. & 14. Lucifer Dæmonum Principis à suo ortu ad ruinam, & lapsum, historiam proprio nomine narratam summatim ac Regi Babylonis, seu Chaldæorum, Balthasari, Luciferi imitatori, & superbia, & ruinæ supplicio à Propheta applicitam consone & constanter intelligunt. Id quod ex contextu ipso patet: cum proprie ibi dicta Dæmonum Principi, metaphorice vero Regi Babylonis conueniant, qui proinde Lucifer à Propheta per catachresim merito dicatur. Ad rem igitur, & probationem præsentem versus eius capitis duodecimus sic habet: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram* & pro *Lucifer*. Ex Hebræo. *Helel fili aurora* tota linguæ eius proprietate, & rigore vertendum. Ex Græco, & 70. interpretibus *aurorifer*. Arabica, & Alexandrina versio; *Quomodo cecidisti stella aurora de cœlo oriens in diluculis.* Iam non solum *Lucifer*, sed *Phosphorus* ex Græca stellæ (cuius nomine Dæmonum Princeps insignitus primum est, & inde à Propheta per Catachresim Rex Babylonis, vt diximus) voce dici posset. Certe, eadem hæc stella occiduo soli, siue eius occasui præcurrens: *Hesperus*, ex Græco, seu *vespérugo*, nuncupatur: quare illa splendidus ortus, & interitus, seu ab illo casus, cum Luciferi Dæmonis, tum sub illo, tanquam typo Regis Babylonici quantum rebus in animis fieri potest, repræsentatur.

2. Verum cum stella his nominibus vocitata Bal-

thasaris ortus, & interitus, in præsentiarum comparatio tribus illis versibus immediate non est, sed cum lucifero Angelo transgressore, & cum Balthasare, sub eius typo, & vtriusque simillima historia, eo instituto explicata, vt bene Hieronimus, hic Cyprian. de tentationib. & ieiun. Christi Gregor. 25. moral. c. 4. lib. 1. epistolar. ep. 3. Origen. 1. Periarc. c. 2. & 5. & lib. 8. in epistol. ad Roman. id capitis 10. *dico ergo: nunquid non offenderunt.* Euseb. 4. de præpar. Euang. c. 9. Tertul. 5. adverſ. Marcion. Athanas. de passione, & cruce Dom. Ambros. serm. 3. in Psal. 118. ad id *increpasti superbos, & id suscipe seruum tuum in bonum* Prosper. lib. *dimidium temporis*, c. 1. & 2. Bernard. serm. de S. Benedict. Abb. serm. 8. in octau. Paschæ. Scio Cyrillum Alex. in hoc caput ad id. *tu autem dicebas.* August. de Doctrina Christiana, cap. 73. & 12. de genes. ad litter. cap. 24. Hieronym. & Haymonem ad hunc locum Dæmoni, vt impij Balthasaris capitis, quæ de hoc solum hic ad litteram sunt, apte posse tribui, ex regula 7. Ticonij Vti, ex. 1. regula eiusdem, Christo etiam, quæ eius mystico corpori, & membris Ecclesiæ conueniunt. Sed nec figuratum hunc sensum de Lucifero ab Spiritu sancto expressum hi aiunt Patres, vt inde author operis de mirabilibus Sacræ Scripturæ (apud t. 3. August.) lib. 1. cap. 2. casum Diaboli ex hoc loco probari neget: atque solum figurate, & accommodatitio sensu explicari posse Diabolo, quæ hic de solo Balthasare sunt, censent Adam. Pintus, Vasquez. d. 232. & c. 4. cum quibus venerab. noster Gaspar Sanchez in hoc cap num. 15. multa, & sacra, & prophana eruditione contendit. Ea tamen id solum euincitur: ortus splendorem, & ruinæ, seu occasus Regis Babilonici obscuritatem nigramque fortunam apprime stella illa figurari potuisse?

3. Ast, cum id solum exemplo Luciferi figuratum Propheta noluerit, sed eius etiam Regis demerita, ob quæ, eo fuit splendore priuatus, atque in tenebras proiectus, quæ Lucifero stella adumbrari, nedum totis suis coloribus pingi, minime possunt, sed solum Luciferi Angeli Historia de eius ortu superbia, & ruina, quam idcirco, & si summatim, exacte tamen, quantum ad intentam comparationem, & similitudinem Regis Babylonici cum ipso, Propheta adhibuit, iuxta omnes Patres, Interpretes, & Doctores Catholicos, Ecclesiamque totam. Confirmatur quia casus, & demerita quibus Lucifer Angelus occidit, & à Propheta narratur statim casui, & de meritis, ob quæ Balthasar Rex occubuit à Propheta conferuntur, & applicantur fusius, quam ante eum numerum fuerant, quasi summatim, præmissa. Confirmatur rursus, quia, quæ à versu 10. ad 15. dicuntur non nisi figurate, & tropice alteri, quam Diabolo Lucifero possunt aptari. Confirmatur quarto. Quia ita magis abscedimus à perfido Caluino, atque Ecclesiæ Catholicæ, eiusque Patribus (vt ipse fatetur, nec negare Gaspar noster Sanchez potuit) adhæremus. Patres vero oppositos, ne minus decenter à reliquis, tot tantisque Patribus, & communi Ecclesiæ, à seque ipsis alias (imo ibi etiam Hieronymus *cum in cœlum conscendam* dici ab Angelo ante peccatum ait, quod infra in firmamento fuerit creatus dicat) recessisse fateamur, censeo: non de toto textu capitis, atque hisce versibus locutos, sed de reliquis, quibus summatim prius ac fusius deinceps Balthasaris ortus superbia, & exitus infelicissimus describitur, & intercalatæ Luciferi tragœdiæ illius typo, simillimus ostenditur. Hinc Origenes, Tertulianus, atque ex ipsis Recentiores memorati à Vasquez proxime, § *Tertium testimonium* asserentes contextum totum de casu Luciferi Diaboli ad litteram esse, ac de Balthasare figurate solum dici reiiciendi sunt. Quod & in initio prophetiæ huius historiæ, quæ contra Regem Babylonis futura inscribitur, & pluribus eius partibus, quæ ad litteram, quadrare in luciferum nequeunt, manifeste aduertatur, cum enim euentus alicuius alius, vt typus, proponitur, eiusque cum hoc similitudo applicatione, vnius ad alium explicatur (vt contigit) neutri tota, textus littera potest competere.

4. Hoc igitur scripturario, quam scholastico more (non otiose tamen, ac de superfluo ad rem præsentem) ita à nobis constituto, probatur ex textu Isaiæ hoc à n. 12. recitato nostra conclusio, etenim Lucifer, de quo eo versu, seu numero, & duobus sequentibus 13. & 14. Isaias loquitur, non stella Lucifer, seu, Phosphorus est, sed Angelus Lucifer; atqui ex textu tam Hebræo, & Chaldæo, & versionibus omnibus ortus in cœlo dicitur: ergo dicitur in cœlo creatus. Confirmatur: quia inde Dæmonum Princeps Lucifer appellatus est, quod ortu, & splendore natiuitatis stellam Luciferum fuit imitatus: atqui stella huius ortus in cœlo est; ergo, & Angeli Luciferi creatio in cœlo fuit, ac subinde reliquorum, etsi pro cuiusque naturali dignitate, & excellentia minore. Locis intra cœlum, idem, inferioribus, & inferioribus. Ast dices pro sententia Soarij, & esse clarum: hoc loco recte probari Angelos in cœlo creatos, non autem in empyreo, imo vero in stellato cœlo (in quo stellæ cuius nomenclatura ille Angelus donatur, ortum, & sedem habet) fuisse creatos. Cæterum cœlum ibi pro loco supremo cœli: (quale empyreum est) ab Isaia ponitur, quemadmodum, & terra pro huius loco infimo in quem malus ille Angelus cum sequacibus fuit, iuxta fidem deiurbatus: nempe inferno, vt constat, ex illis verbis *corruisti in terram* & quæ, cum per antitheſim loci, in quo creatus fuit, dicantur, sicut terræ nomine eius infimum significatur ita cœli nomine significatur eius vertex, & locus supremus. Confirmatur secundo. Quia eo loci, tam Luciferi Angeli, quam Balthasaris summa, & simillima illidem fere gradibus præcipitis, ruina proponitur, quæ, vt maxima proponatur à summo cœli ad infimum terræ (vt certe fuit) debuit à propheta proponi, & significari id, quod fuit ab Isaia præstitum: nam stellatum, & Luciferi stellæ, ortus, & sedes, ex his, qui effectu aliquo suo sui notitiam nobis ingerunt, possuntve naturaliter ingerere supremum cœlum est: cum empyreum nullo effectu suo, sui notitiam possit nobis in se vere; ex quo ad instantiam oppositam solutio patet.

5. Postrema conclusionis ex scriptura probatio non segnior ex Ezechielis 28 in quo à versu, seu n. 11. ad 18. ortus, & interitus Luciferi Angeli describi ab Ezechieli adeo ad Isaiam consone videntur, vt inde Patres. Hieronym. ad Isaiæ 54. *ecce ego sternam per ordinem lapides tuos*, & epist. 146. ad Damas. Gregor. 28. moral. cap. 18. alias 25. Origen. 1. Periarch. Tertulian. 4. contra Marcion. cap 10. Ambros. 1. de paradiso cap. 2. Isidor. de sum bono cap. 12. Beda, quæst. 9. de Angelis. Caput hoc non de Rege tyri, sed de Lucifero Angelo ad litteram intelligi tantum posse censeant: Apollinaris vero, quædam de Rege Tyri, quædam de Lucifero (maximam, quæ præfatis numeris scripta sunt) intelligi ad litteram debere censet, verum & si Hieronymus ad hoc Ezechielis caput Cyrill. 3. in Ioann. c. 39. Augustin. 11. de Genes. ad litter. c. 25. Vasquez 1. p. d. 232. c. 4. venerab. Gaspar Sanchez, aliique interpretes ad eum locum sermonem ad litteram de rege tyri tocum esse iudicent, ac de Lucifero figurate solum; ad historiam Luciferi Angeli, superborum magnatorum, & principum typi, ibi ad litteram referri, & Regi tyri, eiusque splendori, superbiæ, & ruinæ ab Ezechiele accommodari certum mihi est. Ortum, & fortunatum Luciferi irritum describit. num. 12. *tu signaculum similitudinis Dei*, id est, perfectissima ex creatis opificis Dei similitudo in te, sygilli ad instar, suas perfectiones absolutissime imprimentis, cum te formaret, & conderet, atque, vt opus suum absolutissimum, obsignantis: quæ omnia variis interpretum versionibus apud nostros Gasp. Sanchez, & Cornelium satis comprobantur: *plenum sapientia, & perfectus decore*: pergit: *in deliciis paradisi Dei fuisti*, (illius vtique, non terreni, sed cælestis, de quo ad latronem Beatum Dominus *Hodie mecum eris in paradiso.*) *Omnis lapis pretiosus operimentum*

mentum tuum sardinis, &c. Eaque omnia vbi primum conditus à me habuisti: *foramina tua in die, qua conditus est* (eadem, scilicet, qua præfata habuisti) *præparata sunt*. Quid foramina hic significent, non ita facile à Patribus, & interpretibus, præsertim de lucifero, dequo ad litteram dicta, quare diuersimode ab vnoquoque explicatur: pro sola virtutum, & cœlestium donorum capacitate, quæ cauitates, & sedes, ac loca gemmarum imitantur, nos satis idonea explicatio mihi est; cum iam de donis eis ornatus lucifer fuerit descriptus.

6. Suspicor (absit singularitatis inuidia) inferni concaua igne plena, quæ sua lucifer superbo spiritu, & ambitione fecit effræni) significari: de quorum igne æterno dominus dixit, *qui paratus est Diabolo &c.* prius vtique, quam peccaret: alias enim paratus, præparatusque peccaturo, nec fuisset, nec diceretur: ea igitur auerni foramina à die conditionis luciferi in cælos præparata in pœnam, & proposita, ipsi fuere, vt eorum horrore à superbia ex loci sublimitate, naturæ excellentia, & donorum, virtutumque oriunda abstineret; & si obtentum à lucifero non fuerit, ne laberetur, & rueret, vt à num. 14. à Propheta, sic expenditur. *Tu cherub. extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis, à Die conditionis tuæ*, ex qua nimirum in monte sancto Dei te posui, & in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis; *donec inuenta est iniquitas in te*. Ob quam de monte sancto Dei, te eieci, & in terram proieci, vt narrare pergit Ezech. vers. 16. & 17. Ex quibus ad litteram explicatis satis constat luciferum, & Angelos subinde reliquos, in cœlo conditos fuisse, & empyreo quidem, qui & Dei est mons, & locus Paradisi sanctorum Angelorum & hominum Beatitudini, ac deliciis deputatus. Porro, subtilis, ac profundissime, ex scholasticis locorum, scripturæ, quæ expendit interpreti nostro Vasquez nobis in vtriusque huius loci litterali de lucifero interpretatione aduerso præter facilem, ac subinde genuinam contexturam, & Patrum authoritatem communem, etiam scholasticorum, d.3. q.1 cert.1. num.1. & 2. referendorum, nobis in ea vtriusque loci intelligentia litterali de lucifero conuenientium authoritatem opponimus, vbi eiusdem Vasquez, oppositionibus ipsius intepretationem confutauimus, n. 4. & 5.

7 Ad sententiæ aduersæ censuras veniamus; censeo igitur primo. Negatiuam sententiam de Angelorum creatione in cælo, quæ cælum omne excludat à loco creationis Angelorum, non solum minus longe affirmatiua probabilem, & improbabilem absolute esse; sed prorsus temerariam Theologice, in primo omnes conueniunt Doctores, de absoluta improbabilitate, non ita omnes facile conueniunt, verum cum nullo fundamento nitatur Ruperti opinio, ex quo deduci probabiliter possit, vt Doctores omnes fatentur, nescio quid ei desit, vt probabilis esse absolute negetur, atque improbabilis absolute asseratur, imo vero, & si inde improbabilis, positiuè solum dici ab aliquibus posset, quia positiuam probabilitatem non habet, non autem, falsitatis conuinci à ratione, scripturaue potest, errorem siue phylosophicum, siue, Theologicum, cum improbabilitate absolute dicta, ea solutio confundit. De temeritate Theologica probatur ratione paululum deducta: quia est contra scholasticos omnes, & Patres, & tot scripturæ testimonia, germana, & communi eorumdem, & interpretum intelligentia absque vllo scripturæ, Patrum, aut rationis fundamento, eiusve, apparente adhuc vmbra aliud autem absoluta Theologica temeritas non requirit. Eorum ignominatorum opinio, qui aliquos Angelos, qui rebus aliquot determinatis præsunt, in ipsis rebus creato asserebat, non autem in cælo. & si S. Thomæ, cit. art.3. ad num.2. non improbetur, eidem tamen censuræ, eadem de causa debet subiacere, deinde quia eos, non die primo, sed sequentibus creatos fuisse cogitur admittere: quod à catholicis dogmatibus abhorret.

Negans vero sententiam Angelorum creationem in cælo empireo determinate in stellato, aut inferiori alio creatos Angelos asserens temeritatis notam non meretur, neque improbabilitatis absolutæ: tum quia apparens aliquod fundamentum in locis aliquot scripturæ habet, atque in ratione quali quali: tum etiam; quia Patronum habet eximium, Theologum Doctorem, Franciscum Suares, & aliquos alios, quos & sua authoritate & fundamentis dubios de nostræ conclusionis veritate fecit. Cæterum cum priscis omnibus scholasticis, ac Recentioribus fere reliquis aduersetur, germanæque, & ingenuè plurium locorum scripturæ, & Patrum intelligentiæ minus consonet: ac rursus in quæstione de facto, naturali prouidentiæ, in locis pro creatura rerum dignitate distribuendis opponatur, idque à Deo leuibus, vt vidimus, ab authoritate, & ratione fundamentis, censeo tam parum probabilitatis habere, vt fere improbabilitatem pertingat.

8. De numero Angelorum creatorum à Deo, nil, non temerè, dici poteit, nisi, quod innumerus, præ multitudine nobis sit. Si enim, non aliter nametabiles boni Angeli Danieli Prophetæ fuerunt, c.7. num 10. quam *millia millium ministrabant, ei, & decies millies centena millia*, &c. & Ioan. Apocalyp.5. num. 11. *Numerus eorum millia millium*, quibus illorum innumerus, numerus, seu multitudo, significatur, ex omnium Angelorum collatione, transgressorum apostatarum tertia, vt communiter censetur parte detracta, quid igitur nos aliud, naturali solum discursu, nec prophetiæ spiritu, ac Dei reuelatione (quæ Danieli & Ioanni plane adfuerunt) donati de eorum omnium determinato numero dicere citra temeritatem audebimus? imo absque amentia disputabimus?

DISPVTATIO II.

De Angelorum essentia ac diuisione.

CIRCA Angelorum essentiam hæc disputanda occurrunt omnino. Primo de eorum spiritualitate, sine immaterialitate, & incorporeitate; secundum de ipsorum intellectualite. Tertium de eorum, præ hominibus excellentia; item de diuisione naturali essentiali in genera, & species suas; deinde pro generum diuersitate, & perfectionum naturalium, vnius generis præ alio in Hierarchias, & choros diuisione. Hæc siquidem ex reuelatis, præsertim Dionysio Areopagitæ, deeidenda sunt. Diuisio autem, in bonos Angelos, (qui soli iam Angeli) & in malos, qui soli iam dæmones à Christiana Ecclesia nominantur, ad hanc disputationem, non spectat; cum non naturæ, sed operationis, & moris, vtrorumque; seu moralis diuisio sit.

QVÆSTIO I.

De Angelorum spiritualitate, & absoluta incorporeitate.

SPIRITVALITAS absoluta naturæ, cuiusvis absolute talis à sui constitutione, quidvis materiale, & corporeum excludit; vt patet in homine, qui parte solum corporea constitutus, corporeus absolute, non autem absolute spiritualis est.

CERTAMEN I.

Angelorum spiritualitas ex parte saltem & immaterialitas statuitur.

ANGELOS omni ex parte corporeos, nemo Philosophorum præter belluinos Epicureos corporeis, & sensibilibus affixos admisit. Si quidem, & intellectuales, & spirituales illos, & homine (animo spirituali, apud ipsos constante) præstantiores agnouerunt; is ergo solum de Angelorum spiritualitate, eis error potuit obrepere: vt illos, & animo, spirituali, & corpore vt homines, præstantioribus tamen, constare censerent: quare immerito pro errore adæquate, omnique sui parte corporeos Angelos asserente referuntur. Tertullian. 1. de Carne Christi, c. 6. & Nazianzenus orat. 1. §. *Nihil enim mihi*, eo quod Deum catholice incorporeum fatentes (quod tamen. Athei, & Epicurei, negabant, Angelos nihilominus incorporeos esse inficiabantur. Sed vero leuissimum hoc fundamentum est, vt tantum, tamque crassum errorem de Patribus suspicemur; siquidem omni ex parte Deum incorporeum ex fide, & ratione naturali præfati Patres eum reliquis agnouerunt: quod, eo præcise, quod aliqua sui parte corporeos Angelos putarent recte, atque legitimo discursu de Angelis negassent: quandoquidem corpore illos ex parte constare, & omnino, seu omni ex parte incorporeos, sicut Deum, non nisi aperta contradictione, faterentur, imo eis, aliqua sui parte corporeis admissis, incorporei, & spirituales absolute dici Patribus non possent; siquidem, nec homines spirituales, seu spiritus, & incorporei absolute ab aliis dicuntur, sed absolute potius corporei, quia corpore constant; tametsi animo spirituali, tanquam altera sui parte, & forma essentiali constare illos ex fide, & naturali ratione cognoscerent, & docuerint. Secundo cum docuerint, iidem Patres Angelum esse homine essentia, & natura sua perfectiorem, vt de Philosophis dicebamus, atque hunc anima spirituali constare, & Angelum perfectiore anima spirituali conflari, vt minimum, censebant. Tertio Angelos substantias intellectuales, & intelligentes, ex fide etiam, & ratione iidem Patres agnouere constanter: quod absque spirituali animo esse non posse sciebant.

Duplici huic rationi postremæ non multum fidit Arriaga 1.p. t.1. d.3. sect.1. tum, quia penetrabilitas naturalis rei cum alia, eiusdem generis (in qua ratio corporis sita iuxta probabiliorem, sententiam est, & cuius negatione ratio spiritus, vt contra corpus diuisa constituitur) alia prædicata compati potest perfectiora, quam rei spirituali, non ita impenetrabile, sed rebus, cum sui generis, tum ordinis, & generis corporei natura sua penetrabili conueniant, & quibus proinde corporea illa res, perfectior alia spirituali absolute eusdat. Secundò corpus aliquod pure tale, posse esse cognoscitiuum, ac volitiuum obiecti spiritualis, ac proinde absolute intellectiuum, & intelligens nulli ratione videtur metaphysicæ repugnare: quo admisso, nulla repugnantia apparet, cur corpus pure tale perfectius intellectiuum spiritu, adæquate etiam tali, nedum ex parte solum, (vt homo est) absolute sit; ergo neutra ratione, ex maiore perfectione Angeli, quam hominis, spiritualitas, & incorporeitas, præsertim absoluta, & omni modo, Angeli efficaciter suadetur, cæterum ratio vtraque satis efficaciter probat, ex maiore perfectione Angeli, quam hominis, (quem Philosophi & Patres, ex parte spiritualem intellectiuum, & incorporeum, nimirum ex parte animi, quo essentialiter constituitur, agnouerunt) spiritualem, saltem ex parte, atque spirituali animo præstantiore, & perfectiore constantem esse, id quod ostendere, hic oportebit demonstratione repugnantiæ, & physicæ, & metaphysicæ, quæ in æqua perfectione rei absolute, & adæquate corporeæ, cum spirituali, adhuc inadæquate, & ex parte solum tali reperitur: tum etiam ex repugnantia, physica etiam, & metaphysica, corporis absolute, & adæquate talis, intellectui tamen, & volitiui rei spiritualis. Oportet autem vtramque hanc repugnantiam in re præsente ostendere, ne recentiorum argutiis totam Philosophiam, & Theologiam peruagantibus, & importune, ac inuiliter, imo pernicioſe vbivis mouentibus, concurrientibus, & turbantibus locus deinceps superfit; interim verò nostro huic demonstrando supponendum, est, quod recentioribus hisce minus, quam par esset perspectum, vel potius animaduersum fuit, ac subinde minus apud ipsos firmum, quam deberet.

3. Illud autem est: duo esse generatim loquendo ad demonstrationem omnem principia. Alterum ad formæ rectè concludendi, certitudinem, & euidentiam necessarium: quod generale omni demonstrationi, in quacumque materia est. Atque hoc quidem nullatenus ab his, quæ ex rebus, quibus natura, & vniuersum constat, & quæ in ipsis constanter esse ac certa lege, euenire deprehendimus, in sui certitudine euidentia, & infallibilitate pendet; sed de se, ac ex terminis, notum euidens, atque infallibile naturali rationis, homini est. Ad hoc autem genus principiorum, ex parte formæ demonstrationis spectat illud principium, *quodlibet est, vel non est*: cui innituntur demonstrationes omnes, quæ per impossibile dicuntur, illud etiam *dici de omni, & dici de nullo*, in quo omnes demonstrationes, ostensiuæ appellatæ, fundantur, illud etiam, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, cui formæ syllogismi expositorij certitudo infallibilitas, & euidentia innituntur: vt in summula nostræ dialecticæ, & controu. de Trinit. contra nostrum Vazquez ostendimus. Alterum vero genus principiorum ad demonstrationem, cuiusque certitudinem, euidentiam, & infaillibilitatem necessariorum, ex parte materiæ, circa quam versatur, seu propositionum, quæ ad formam certo, rectèque concludendi disponuntur, esse debet. Et horum quidem certitudo, & euidentia, ad demonstrationis cuiusvis, siue physicæ, siue metaphysicæ necessaria, ex parte materiæ, vt in materia quauis legitime, atque indefectibiliter, certo, & euidenter concludatur, ex his, quæ in rebus constanter experimur, atque esse deprehendimus, necessario accipitur, nec fumi aliunde, eorum principiorum, ex parte materiæ ad demonstrationis, etiam, metaphysicæ rectitudinem, & indefectibilitatem requisitorum à nobis pro hoc statu potest; cum enim nihil pro hoc statu, nisi per sensus, ab eisque deprehenditer, naturaliter, ac secluſa reuelatione, aut miraculo, nosse possimus, ac sensuum cognitio omnis præsentium, aliquando saltem in rebus, experimentalisque subinde sit; fit plane nihil nos maiore euiden

euidentia, & certitudine in materia, vlla cognoscere, & iudicare vllatenus posse, quam illa, quæ nobis constanti, ac perpetuo experimento in materia illa ingeneretur, ac fiat. Patet in demonstrationum metaphysicarum, circa rem, & materiam, quamuis principiis metaphysicis: vel à definitione metaphysica, ad definitum, vel ab essentia metaphysica, rei cuiusvis ad eius passiones deductarum, vel è contra; à passionibus metaphysicis, seu attributis rerum ad earum essentias. Vnde enim verbi gratia demum nosti hominem esse animal rationale. Vel hominem esse visibilem, vt ex eis principiis, in aliquo euidenter, ac certo deducas esse illum, vel non esse hominem, aut visibilem, vel ex eius visibilitate deprehensa infallibiter colligas esse illum animal rationale, vel hominem? certe ex his, quæ operationum sensibilium, eis prædicatis respondentium experimento in hominibus cunctis nouimus, ac didicimus.

4. Hinc planum fit: principia demonstrationum de rebus, quibusque, & cuiusvis materiæ propria, tam physica, quam metaphysica, atque ad demonstrationem quamuis, siue physicam, siue metaphysicam, ex parte materiæ requisita maiorem euidentiam, certitudinemque habere non posse, quam illâ experimentalis scientia constans, atque in nulla deficiens ex rebus rationis, & speciei eiusdem, in rerum natura captare habeat: cui tandem, vt videmus, tota illorum principiorum euidentia, & certitudo innititur, vnde rursus fit: tunc solum nos aliquid rationabiliter, & certitudine, atque euidentia tota, ex parte materiæ, nobis pro hoc statu possibili, tam physice, quam metaphysice demonstrare, cum principiis, siue physicis, siue metaphysicis experimento ex naturalibus constanter perpetuo, & indefectibiliter, in materia illa deprehenso descurrimus, illudque deipsa monstramus: quare nihil amplius certitudinis, & euidentiæ principiorum ad perfectam demonstrationem, ex parte materiæ, requiritur, quam quæ ex rebus ipsis naturæ constanti hoc, atque in nulla deficienti experimento capitur: cui si aliquid contra dicere, ac repugnare inuenitur, in ipsum physice repugnare rationabiliter à nobis pro hoc statu censendum est. Confirmatur ex Aristotele, & philosophis reliquis, qui prædicamenta omnia, quæ demonstrationibus cunctis principia metaphysica ex parte materiæ subministrant, non aliunde dignouerunt, diuiserunt, atque ordinauerunt, quam ex his, quæ in rebus vniuersi constanti experimento vsu venire, sunt asseueti: vt quod commune cunctis obseruarint prædicatum, genus supremum, & vniuersalissimum dixerint, primoque loco, vel vt cæterorum caput, collocarint: sicque pro maiori minoriue cæterorum, ad plura, vel pauciora, quibus natura constat, extensione, experimento simili deprehensa, genera, & species inter medias, superiore, vel inferiore loco, in prædicamentorum serie posuerint, quo circa, cum aliunde, quam ex ita statutis, ac deprehensis principiis rei, aut prædicati, alicuius in ipsa repugnantia quæritur, vt eius vel prædicati alicuius in ipsa possibilitas negetur, atque amoueatur, quæritur quidem, quod à nobis, pro hoc statu, nequit prorsus, inueniri magis, quam à cæco natiuo coloris natura, essentia, atque in suas species diuisio. Similiter deprehensa, experimento & in rebus, quibus natura constat perpetuo, & constanti rei alicuius, vel prædicati cuiusvis in ipsa repugnantia, vel rem illam, vel illud in ipsa prædicatum repugnare, atque à rerum possibilitate, excludi, non physice solum, sed metaphysice etiam demonstratur quin argui rationabiliter aliunde, eius possibilitas rationabiliter queat, eiusve repugnantia euacuari.

5. Porro ex veris hisce, & certis prænotatis debite perspectis patet: quam inaniter, ac pure arbitrario argumenti illius, quo Angelos adæquate, omnique parte sui corporeos esse non posse, sed aliqua saltem sui parte spirituales necessario fore, communiter ex eorum præ hominibus excellentia probatur; ab Arriaga, & neotericis aliis in dubium vocetur, illius item argumenti: quod intellectibus, nec sensitiuus solum, ac sensibilium, non autem pure spiritualium cognoscitiuus esse debeat. Primo enim pure, atque omni ex parte corpoream substantiam supra aliquam, etiam sui parte, spiritualem esse posset, sed potius esse perfectione inferiorem necessario debere vniuersi natura, resque omnes illius ostendunt, & constanti experimento, atque in nulla deficienti nos docent: quin maiorem spiritualis substantiæ perfectionem adiuncti alicuius additione in re vlla corporea superari, vt hæc spirituali imperfectione excedat, vel suppleri adhuc, vt corporea spiritualis perfectionem compenset, & adæquet ex aliquo in rerum natura tota deprehenso nouerimus: ergo aliunde adiunctione alterius corpus omni parte sui tale superare, imo æquare adhuc, substantiæ, aliqua saltem parte, spiritualis perfectionem posse, non solum ex principiis nostris physicis, aut metaphysicis rationabiliter non probatur, sed illis euidenter contradicit, & repugnat; ergo ex maiori perfectione substantiæ Angeli, quam hominis, aliqua ex parte substantia spirituali, & perfectiore, quam in homine sit, constare physica, & metaphysica euidentia, ac certitudine demonstratur. Confirmatur quia, ex eo, quod animantia iuncta substantiis inanimatis, perfectiora experimento constanti, atque indefectibili, ex perfectioribus illorum vitalibus operationibus deprehendimus, abiectissimum, quoduis, ac sordidissimum animalculum (pulicem puta, culicem, ac vermiculum) inanimatis, quantumuis magnis, & splendidis, cælis, & astris perfectius esse, vt euidentissimum Philosophia docet, ac demonstrari, omnes censemus; quod minime fieret, nec rationabiliter iudicaremus, si alterius nobis ex natura ignoti, sic deprehensa illa animalis perfectio maior compensari posset, vel absolute compensari à nobis rationabiliter iudicaretur.

6. Confirmatur secundo; quia alias falsum prorsus esset illud, vel sola antiquitate sanctum, & firmum, atque euidentissimum cunctis axioma. *Supremum infimi generis, non attingit infimum supremi*; si additione alicuius alterius ex natura nobis ignoti, alicui, quod inferioris generis esse, ex naturalibus dicimus, generis, aut speciei, quam perfectiorem esse, & superiorem natura nos docuit, excedi, aut æquari superioris perfectionem asseri à nobis rationabiliter posset. Denique his Recentioribus, qui additamenta hæc perfectionum, ex prædicatis mere arbitrariis, & quæ nullatenus natura docuit, rebus adiungunt, vt infirma ex genere suo, præ superioribus ex suo genere venerentur dici appositissime illud potest, quod Ioan. 4. Ad Samaritan. Christus Dominus aiebat: *vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus.* Similiter nihil pure, & secundum se totum corporeum, intellectiuum, atque pure spiritualium obiectorum, ac vltra sensibilia, cognoscitiuum, & appetitiuum esse posse; multoque minus intellectiuo homine perfectius, atque entitatiue superius æque ex naturæ principiis euidentibus constat: indeque Deum in se corporeis oculis videri non posse, cum omnibus Theologis arctissime suo loco, atque euidentissime demonstrauimus: quare, & ex prædicato intellectiuo, & ex maiori perfectione substantiæ Angeli, quam hominis, ex parte saltem spirituali, & intellectiua substantia, perfectiore, quam rationalis hominis animus sit, Angelum constare, non efficaciter solum, sed physica, ac metaphysica euidentia, ab antiquis doctoribus, satis demonstratur. Accedit concors Patrum, Theologorum, & Philosophorum etiam (præter Atheos) omnium de Angelis sententia. Nemo enim corporeos in rotum Angelos asseruit; tametsi eorum aliqui, illos corpore, & animo spirituali constantes esse, videantur, ad speciem, & sonotenus, asseruisse, id autem, in quo nationum, professionum, & temporum omnium

sapien

sapientes omnes conueniunt; certissimum est. Eorum vero omnium ea de re concordia cert. 2. constabit. Confirmatur, hoc ex ibi referendis: vbi constabit Patres, Theologos, & sapientes omnes Philosophos, non solum in totum corporeos Angelos, non asseruisse, sed in totum potius asseruisse spirituales, certe ex scriptura, conciliis, & Patribus, pro nostra hac conclusione afferri possunt, ea omnia, quæ eadem certamine 2. producemus. Probant enim directe, amplius, quam hic contendamus: nempe Angelos totos spirituales substantias esse: quod totali eorum corporeitate non contradicit solum, sed contrariatur, vt patet.

CERTAMEN II.

Angelos in totum spirituales substantias esse qui negarint, recensentur.

1. PLATO apud S. Thom. qu. 6. de potentia 6. & qu. 16. de malo a. 1. & apud Eugub. 8. de peren. Philosoph. à cap 17. Angelos corpore, & rationali animo constare, sæpe docuit. Illud satis est recitasse ex eius Epinomide. *Horum quippe Deorum animalium* (anima scilicet constantium, vt homines) *alterum ex æthere, alterum ex aere est, ac neutrum conspici totum potest à nobis, quia animo spiritus est*, consentit Chalcidius Platoni, in Timæum apud August. 8. de ciuit. c 16. sic dæmonem definiens, *Animal rationis particeps, immortale animo, patibile, corpore æthereum.* A qua definitione Apuleius de Deo (hoc est Dæmone) Socratis solum discrepat, quod ei aëreum corpus designet, ex quo hæc etiam recitat Augustinus, c. 16. citato; *dæmones esse genere animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna*, cui assentit Psellus, ex Marco lib. de Dæmonibus apud Bubalum, art 1. quæst. 50. quæsito 3. difficult. 2. §. 1. versu *inde est*, & alij apud Eugubinum à cap. 27. citato. Hesiodo etiam, & Orpheo, eadem sententia tribuitur, quod aere induti terris, aeri, cælo, aquisque adesse illos dixerint, sed hæc eorum potius incolarum & indumentum, quam corpus, ex quo componantur, designant. Imo, dum aeri induti dicuntur ab aere illos, non tanquam à parte, qua componatur, sed tanquam aliunde constitutum, à suo indumento distingui significatur. Cæterum Priscorum Philosophorum, etiam ante Pythagoram, Socratem, Chrysippum, & Platonem, sententia communi Angelos corpore, & animo substantialiter componi, retulit Plutarchus lib. *Quod oracula defecerunt*, sic scribens. *Plato Pythagoras, Xenocrates & Chrysippus, priscos secuti Theologos excellentiores hominibus dæmones, esse affirmant; sed naturam eorum, animo, & corpore coniunctum esse dixerunt.* Quod ipsum significauit Aristot. 5. Metaphysic. c. de substantia & apud Plutarchum lib. de Homero sub init. vbi refert Homerum Aristotelis opinione ex genio progenitum fuisse, atque hisce Philosophis consensit Auerroes lib. de Anima.

2. Ex Doctoribus non ethnicis, sed qui sacra scriptura vsi ad suas sententias sunt (vti Hebræi, & Ecclesiæ Patres vtebantur) corpora Angelis tribuisse videntur nonnulli, ij vero ad duas classes reduci possunt: alteram eorum, qui loco Genes. 6. decepti *videntes filij Dei, filias hominum*, &c. filiorum Dei nomine Angelos intellexerunt, qui ex filialibus hominum fœminis vxores duxerint, atque ex eis, earumque concubitu filios gigantes, viros famosissimos procrearint, vt eo textu subscribitur: quam sententiam scripturæ, & sensum etiam subodorati gentium sapientes peritiores somniatum illud gigantum cum diis bellum commenti sunt, ac scriptis suis euulgarunt: vt obseruat Euseb. Cæs. 5. Præparat Euang. cap. 4. in quam sententiam, & eius loci sensum incidisse legitur, Primus Iosephus Hebræus lib. 1. antiquitatum, & Philo. Hebr. de gigantib. lib. 4. Iustinus Martyr. Apolog. 1. & 2. pro Christian. Athenagoras Apolog. pro Christian. ad Antonium, & commod. post med. Clem. Alex. 3. & 5. stromat. Tertuli. de idol. 9. de cultu fœminar. c. 10. de habitu muliebri, c. 2. à num. 17. de Velandis virginib. c. 7. lib. 2. contra Marc. c. 9. & 11. num. 72. Methodius, ser. 2. de resurrect. Euseb. Cæsar. vbi proxime ex sententia Plutarchi, aut suspicione, vt summum Suar. eandemque intelligentiam textus taciti approbant, dum, sine confutatione referunt Hugo victorin. annotation. in Genesim, & Magister historiæ scholasticæ, c. 3. histor. in Genes. omnium autem pro dæmonum cum fœminis congressu fundamentum, ex eo textu est. Contra Lyranum Paulus Burgensis pro ea sententia stetit pugnacissime additione 1. ad Lyrani postillam, fundamentis leuissimis, vt ostendit Pererius ad eum textum lib. 8. d. 3. n. 67. §. *verum tamen mihi ego.* Accessit eidem sententiæ sæculo proximo Psellus quidem Philosophus Christianus, non satis Christianis dogmatibus instructus, & qui facilis in hunc errorem, & alios de Dæmonibus, & Angelis à Marco (nescio quo) magicæ & necromantiæ inueteratissimo, deceptus ierit, ac demum Franciscus Georgius Philosophus, & Theologus genio exoticus, & scripturæ ignarus, de quibus Pererius citato lib. 8. ad textum Genes. 6. d. 2. à num. 41. §. *ceterum.* Iulianus Apostata apud Cyril. Alex. lib. 9. contra illum init. Lactant. lib. 2. c. 15. Seuer. Sulpicius lib 1. de sacra historia Cyprian. de disciplina, & habitu Virginum n. 54. & de vanitate idolorum, à n. 43.

3. Citati Patres (si Iustinum, & Lactantium, & sub dubie, Cyprian. & Methodium excipias) omnes carnalem hanc concupiscentiam Angelorum in fœminas, primum malorum Angelorum peccatum fuisse, quo à Deo, eiusque gratia, & à recto defecerint concordant, in quorum Sententiam iniisse videtur Ambrosius primo de virg. scribens. *Castum Angelos fecit: qui eam seruauit Angelus est; qui prodidit Diabolus.* Subinferius, *quam præclarum est Angelos propter intemperantiam suam in sæculum excidisse de cælo; virgines propter castimoniam suam in cælum transisse de sæculo.* Sed bene Pererius noster de Ambrosio obseruat 8 in Genes. c. 6. (ac statim, certam. sequente, patebit) sententia illa, ibi non immutata, pugnata, & apud tot Patres frequenter orthodoxie in virginitatis encomium, & commendationem vsus solum fuit: quam tamen de loci eius sensu, & veritate rigide disputans alibi sæpe, ac semper confutauit lib. de Noe c. 4. serm. 7 in Psalm. 118. epist 84. ad Demetriad, vt, & Cyril. Vbi proxime, non sine stomacho, & censura, sicut Chrysostomus, homil. 22. in Genes. eius verò apud tot Patres erroris causa fuit, lectio tam græca, quam latina, iuxta versionem 70. interpretum, ante Hieronym. translationem, in Ecclesia vulgaris, in illa quippe *pro filij Dei*, vt nunc in vulgata legitur. *Angeli Dei* legebatur, vt obseruauit Pamelius in Parad. 1. Tertuliani, & Pererius citatus proxime, vt autem ea 70. interpretum lectio erroris eius causa deinceps non esset, præcauit, Ambrosius eum explicans textum lib. de Noe c. 4. scribendo, *Plerumque Angelos filios Dei vocat scriptura: quia ex nullo homine, generantur animæ: itaque vera fidelesque filios suos dici non asseruat Deus sicut ergo sine probabilis vitæ filij Dei vocantur; ita quorum carnalia sunt opera hos filios dicimus carni.* Vbi Angelorum & filiorum Dei nomine homines duplici titulo ibi, ac sæpe in scriptura donari docet Ambrosius, quia scilicet potiore sui parte, nempe anima, à solo Deo procreantur, & dum iusti sunt, Deum iustitiæ omnis Patrem moribus, ac vita referunt; vt plerumque nati progenitores suos repræsentant. Longe ergo ab aliorum errore Ambrosius adfuit, quod, vt dixi, apertius constabit, certam. 3. sensum aliorum Patrum citatorum errorum, non vno tantum ex capite, monstrabimus inferius.

Altera Patrum in eundem euntium errorem de ia

inadæquata Angelorum corporeitate, siue eorum parte corporea, qua substantialiter constentur, classis fuit, eorum, qui Platonis doctrinam (vt primis Ecclesiæ sæculis vsuuenit) plerumque secuti, in re etiam præsente eundem sectabantur, asserentes: Angelos corpore, non quidem crasso, palpabili, & apprehensibili, vt nos, sed subtiliore, & aereo, siue æthereo constare: Ad hanc vero classem venire, nisi inconsequenter nequeunt primæ classis Doctores quia corpus prolifico semini aptum (quale aëreum, æthereumque non est) admittere consequenter debent, vt fatetur Tertulian. citatis locis, maxime ex libro 2. contra Marcion. quamuis sui immemor de carne, Christi, c. 6. in hanc venerit; classem asserens: Angelos proprie carneum corpus non gestare, sed solum sui generis proprium, tenuius nempe, & subtilius, ergo ad secundam, classem istam spectare videntur in primis Origenes proæmio libri 1. Periarch. vbi ait: incorporeos Angelos dici respectu corporum crassiorum, vt aer à multis incorporeus, atque spiritus dicitur, quia tenue, subtileque corpus est, & teneri, atque vrgenti resistere, nequit, & cap. 6. ait: *se non capere, quomodo tot, ac tanta substantiæ, vitam agere, & subsistere, sine corpore possunt; cum solius Dei proprium sit, vt sine materiali substantia, & absque vlla, corporeæ substantiæ adiectionis, societate tutelligatur subsistere.* Quæ loca satis produnt Origenem (vt in aliis) ibi saltem hac in re Platonizasse; tametsi alibi, inconstans à sua hac sententia, (vt benigniores interpretantur) recesserit; quod nullo firmo fundamento nititur. Nam, etsi cap. 7. *Angelos incorporeas virtutes* appellet, iam quid incorporei nomine intelligit; cap. 6. præmiserat, & libri proæmio, quod ibi non retractat, quod autem 5. contra Celsum, versus fin. corporeas lacrimas Angelis neget de crasse corporeis nostris loquitur, quas forte solas agnouit. Denique quod docuerit, Angelos in criminum pœnam corporibus vestiri, ac subinde, ea ipsis connaturalia non esse, nec de Angelis speciatim docuit: neque inde connaturalitatem corporis negandam, ipsis arbitratus est, id enim de animis solum nostris, (quas ante corpora nostra, atque in ipsa infusionem erronee putauit creatos) & speciatim docuit teste August. 21. de ciuit c. 23. *Enctos à Deo peccasse à conditore recedendo, & diuersis progressibus, pro diuersitate peccatorum, à cœlo vsque ad terras, diuersa corpore, quasi vincula meruisse*, nempe terrena, ac crassa, (qualia sunt, quæ animi nostri sortiuntur) pro meritis, vnde ad Angelos nempe rationales, (sicut animi nostri) substantias, extensus eius error, videtur, à Hieronymo. Epist. 59. de erroribus Origenis. sed inde solum fiet Origenem, & si ob crimina corporibus vestiri Angelos, sicut animos rationales dicat, vel de terrestribus loqui, vel non minus, naturaliter corporibus, subtilibus, ac aereis suis vestiri, & componi quam animi nostri naturaliter suis vestiantur corporibus, & in homines componantur. Vane ergo ab eo errore Origenem Bubalus excusat §. 1. versu *deinde* §. 3. *versu verum hi loci*, per tres totos sequentes, §. 6. longe à med. versu *Decimus septimus sit.* Bene autem Vazquez, 1. p. d. 178. eum erroris eius tenuit reum.

5 In eadem sententia, & classe numerandus est Cæsarius fine tomi 2. sui fratris Nazianzeni libro Dialogorum, Dialogo 1. pag. 1467. scribens *Angelos esse quidem incorporeos respectu naturæ nostræ; habere tamen corpus secundum suam naturam, vt ventus aer, ignis: corpora enim sunt subtilia crassæ materiæ nostræ expertia*, quod nusquam retractat: ne quidem Dialogo 7. *vbi absurdum, & blasphemum esse*, ait, putare Angelos cubare cum mulieribus. Bubali autem benigna interpretatio, §. 3. versu. *Verum nego Cæsarium* illud, *secundum suam naturam*, ad ignem, ac aerem referens aperta grammaticali constructione, à puerulo quouis efficaciter reiicitur. Machatius etiam Serrior tom. 4. Biblioth. hom. 4. corpora tenuia, & subtilia Angelos, & animas etiam nostras, gestare censens. Cassianus item collat. 7. cap. 13. *licet enim pronuntiemus, nonnullas esse spirituales naturas, vt sunt Angeli, Archangeli, cæteraque virtutes, ipsa quoque anima vel certe, aer ipse subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimanda sunt. Habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo tenuius, quam nos. Nam sunt corpora secundum Apostoli sententiam, ita dicentis 1. cor. 15. & corpora terrestria & corpora cælestia & iterum seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quibus manifeste colligitur, nihil esse incorporeum, nisi Deum, & idcirco ipsi tantummodo penetrabiles omnes, spirituales, atque intellectuales substantias, eo quod solus, & totus, & vbique, & in omnibus est.* Transcripsi integram eius de re hac sententiam, ne excusatione, & interpretationi locus, supersit: cum sententiæ suæ rationem, reddat, quod cætera à Deo impenetrabilia, alia aliis sint, & esse natura sua petant extra locum alterius, & suo, quæque loco, à loco alterius diuerso, quem oppleant, circumscribi: id quod substantiæ corporeæ, iuxta veram, & communiorem philosophiam essentia est; qua in re, & præceptore suo (Chrysostomo auditorem, alias addictissimum Discipulum Cassianum defecisse miror, in eandem classem venit apertus Ioannes Thessalonicensis Episcopus Synodo 7. (quæ fuit Nicænum Concilium 2.) act 5. vbi inde pingendos Angelos contra Gentiles probat, & concludit, quia corporei sunt, corpore scilicet tenui, igneo, vel aereo.

6. Huic Ioannis Thessalonicensis rationi, Synodum totam consensisse contendi posset, cuius discursum summarie proponenti sic Tarasio Patriarchæ. *Ostendit Pater* (Ioannes Thessalonicensis Episcop.) *Quod Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, &, vt homines apparuerunt.* Illico synodus tota respondit. *Etiam Domine.* Cum enim concilium propositis annuat, nihilo eorum relecto, potius quam eorum altero, atque alterum propositis, sit ratio Ioannis Thessalonic. quod Angeli sint corpore subtiliori nostris, igneo, scilicet, vel aereo, constantes, quæ pingendos probauerat sit sane, illam etiam rationem, nec solam conclusionem debitæ picturæ Angelorum, nedum in Ecclesia licitæ, à Synodo approbari, ac definiri. Nec satis est (vt bene Bubalus diffic. 1. §. 6.) Valentiæ d. 4. gener. qu. 1. p. 1. ad 2. & Vazquez proxime c. 5. & communis iam Recentiorum solutio: nempe concilia aliquorum Patrum, quorum, & ratio, & conclusio proponitur; conclusionem approbare ratione omissa, & neglecta: etsi enim fieri, id à concilio possit, vt factum dicatur, oportet eius neglectus, & omissionis firmum aliquod in verbis concilij fundamentum, indiciumve reperiri; quod esse nullatenus potest, cum vtrique simpliciter, ac sine vllo distinctionis vestigio propositis approbatione communi assentitur, vt in re præsenti videtur euenisse. Respondetur, tamen: septimæ huic synodo conclusionem, & rationes contra gentiles Ioannis Thessalonicensis, lectas quidem fuisse; non tamen, vt fuerant lectæ fuisse à synodo statim approbatas, nec eius approbationi, immediate subiectas; sed vt eius testimonij summa proposita Concilij iudicio, & determinationi à Tarasso Patriarcha fuit. In ea vero summa Tarasij ea Ioannis ratio, quod Angeli corpore, tametsi subtiliori, constarent, vt dubia tunc, & minus fors vera atque Patribus concilij (vti reor) displicens, ex eorum etiam consilio à Tarasio fuit omissa, vt è recitato textu patet, duæque tantum aliæ à Ioanne Thessalonicense tactæ, sunt recitatæ illis verbis, *Quando circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt*, vti firmiores, neque in dubium à Doctore aliquo Catholico vocatæ, sed in scriptura de eorum circumscriptione in loco, & apparitione Angelorum humano habitu, & specie

expressæ, & gentium historiis comprobatæ. His ergo duabus rationibus propositis, non autem omissæ, alteri, in propositione Tarasij, æque, atque conclusioni de pingendis Angelis, & indiscriminatim synodus approbationem suam subiunxit, quare, & vtramque rationem hanc. *Quidquid circumscribitur loco pingi potest, & licet: & quidquid humana specie nobis apparet, seque sensibus nostris insinuat, obiicitque nobis cognoscendum, loco circumscriptum se nobis obiicit; ergo licet, potestque à nobis depingi*; Ea Synodus de fide, atque infallibilis veritatis fecitque etiam naturalem, euidentiam habent, vt quæ loco naturali, terminum & superficiem, lineasque patiuntur, artificiali picturæ loco pati eadem licite possint: & quæ specie aliqua, corporea se à nobis percipi passi sunt, firmius, diutiusque sub eadem specie pingendi arte citra ipsorum iniuriam, à nobis cognoscendi teneantur; quæ ratio picti circunscriptione naturali, vel possibili, non pendet, vt patet.

7. Sed quoniam pro Angelorum corporeitate Ioannes Thessalonicensis, Patres aliquos citato referebat: scilicet Basilium magnum, Athanasium, & Methodium eorum mens textibus huic sententiæ fauentibus examinatis indaganda est. Et de Methodio constat hac in re cum aliis relatis pro prima classe à vero deviasse quamuis secundæ huic speciali classi de aereis solum Angelorum corporibus, ad quam Ioannes Thesal. illum allegatè spectat) non legatur consensisse; tametsi genere solum, cum ea conueniat. Basilius videtur pro hac speciali classe clarior, de spiritu S.c.10. sic fatus. *In cœlestibus virtutibus substantia quidem earum, puta, spiritus est aereus, aut ignis immaterialis iuxta id, quod scriptum est, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem, vrentem. Ea propter, & in loco sunt, & sunt visibiles, dum iis, qui digni sunt, apparent, in specie proprior um corporum.* Respondet Bubalus §. 5. *versu verum etiam.* Dum dicit esse ignem immaterialem, angelicæ, substantiæ omnem materialitatem, & corporis rationem negare, ac solam velocitatem, & actiuitatem in ministeriis à Deo commissis, ignis, & aeris vocibus voluisse Basilium denotare. Sed tamen ignis materialis, quem Angelos esse negat, nomine hunc nostrum, nostrique vsus communis mixtum & ex crassa materia concretum, atque ab elementali, igne, materiæ subtilioris, diuersum intellexit, dum substantiæ Angelicæ materialitatem ignis, crassam scilicet, negarit. Indeque constat: quia materialitatem aeris substantiæ Angelicæ non negat, quia subtilius, & elementalis solum est aeris corpus, quod Angelis simul attribuit quod autem eis velocitatem, & efficaciam solam ministeriorum significare noluerit, patet: cum expresse de Angelorum substantia agat, & doceat. At inquit homil. *Quod Deus non sit causa malorum*, fine de Dæmone, ac subinde de cæteris Angelis, *Natura ipsius incorporea est, secundum Apostolum dicentem; non est nobis colluctatio, aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequitiæ.* Sed, cum caro, & sanguis corpus crassum sit, quod Angelis, ex eo loco negat, non est tenue illud, & subtile, quod loco anteriore, eorum substantiam, ex instituto declarans, concesserat. De Athanasio dicemus postea, cum aliis, qui Angelum animal rationale esse dixerunt, Rupertus demum 1. de Trinit. cap. 11. & 1. in Genes. c.11. & 1. de Victoria verbi Dei, c.26. & 28. Angelos corporeos affirmat; tametsi hoc postremo loco oppositum censeat. Eucherius etiam Lugdunensis, serm. de dedicat. Eccles. tametsi corpus quo videri tangi, loqui, & manducare possint, non ipsis proprium, sed pro libito assumptum, vt vestem, dicat; eo vero exutos, *in eundem aerem resolui ait*: quo illos corpore aereo videtur donare.

CERTAMEN III.

Augustinus, & alij Patres ab ea sententia vindicantur.

1. AVgustinus ex pluribus locis ad eandem classem à nonnullis reducitur. Primo ex c.12. de Ecclesiastic. dogmatibus; qui tamen liber nec Augustini, nec catholici scriptoris est. Secundo ex c.15. & 16. lib.8. de ciuit. Vbi ex Apulei Platonici de aereo Angelorum corpore sententia, (quam suam ibi non facit) eius, & Platonicorum inconsequentias, notat, ac persequitur. Tertio ex c.10. lib. 3. de genesi ad litter. vbi duplici quæstioni ibi propositæ respondet, ex eius sententiæ hypothesi, non autem assertione, vt constat, ex verbis ipsis, quæ opponuntur, *quapropter, & si dæmones aerea sint animalia*, &c. ac infra *si autem transgressores illi, antequam transgrederentur, cælestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si cum ea sint, in aeream qualitatem vt tam possint ab igne, hoc est ab elemento superiori aliquid pati.* Quarto ex 11. de ciuit. c.23. vbi, *Aereum corpus possidet pessimus dæmon. Homo autem luteum corpus accepit.* Sed ibi ex ea Origenis sententia supposita, non autem sibi probata eius inconsequentes doctrinas refellit: quod, scilicet, animæ pro criminum magnitudine, vel paritate, vel superiora, & leuiora, vel inferiora, & crassiora corpora, tanquam ergastula, & carceres acceperint: id enim Augustinus præmittebat. *Deinde debuit Origenes, & quicumque, ita sapiunt, si hæc opinio vera esset*, &c. Quinto ex 15. de ciuit. c.23. vbi contendit: Angelos, & si aere corporatos, non potuisse cum fœminis coire, rogat enim ex eius sententiæ, suppositione, non assertione, quam adhuc ancipitem esse subiungit, & lib.21 cap.10. (ex quo etiam opponitur) quæstione de dæmonum ab igne tortura, eandem ex aliis sententiam, non autem, vt suam, supponit expresse verbis ipsis quæ opponuntur, *quia sunt quædam sua dæmonibus corpora (sicut doctis hominibus visum est) ex isto aere*, &c. Ac proinde statim adiicit, *si autem quibusdam nulla habere corpora dæmones asseruerat, non est de hac re, aut elaborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum*, quibus se nihil definire velle fatetur, & postremæ potius, ibi etiam, assentiri illico satis insinuat, his verbis. *Cur enim non dicamus, quamuis mira, tamen certis etiam modis, spiritus incorporeos posse pœna corporali ignis affligi, si spiritus hominum etiam profecto ipsi incorporei, & nunc potuerunt membris corporalibus membris, & tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* Vt igni tanquam diuersi cordi carceri naturæ Angelicæ alligentur perpetuo, tristitiam, doloremque, inde concipiant; tametsi physicè ab illo non alterentur, vt inquit hunc locum explicans, S. Thom. qu. vn. de spiritualib. creat. a.1. ad 2. quod de actiua alteratione verum, & ex mente Augustini est; de formali vero alteratione, non item.

2. Sexto ex Epist. 3. vbi ait contra innominatum Episcopum, quantumuis perfectis oculis corporeis Beatorum Deum videri non posse, ex hac Hieronimi sententia, *Quantumuis enim oculis corporis mutentur in melius, Angelorum oculis, non æquabuntur*, subiunque infra, *quibus inuisibilis, nisi affectibus corporalibus etiam cælestibus? sicut supra de Angelis, & potestatibus, & dominationibus dixit, quanto magis terrestribus!* vbi ex Hieronymo videtur oculos corporeos, Angelis concedere, quibus quantumuis elevatis, & in melius Dei dono mutati hominum oculi æquarentur, visibilem tamen ab eis Deum negat; verum hoc solum asserit Deum oculis corporeis, quantumuis perfectis, videri, & si Angelis, quibus natura sua perfectiores forent oculi, si eis darentur, Beatorum homi

hominum oculi quouis Dei dono perfecti, & vsque ad æqualitatem cum Angelis (ex hypothesi, quod darentur) accidentariè eleuati. Ex simili hypothesi loquitur in Psalm. 145. ad id, *lauda anima mea Dominum*, quod à carne dictum non fuisse probat; *quia, si, licet corpus angelicum, inferius est, quam anima; consilium superiori dari non potest.* Instant. ex epist. 115. *vbi Angelos vocat aëreos, athereosque animantes, quorum est sensus acerrimus; in cuius comparatione noster, nec sensus quidem esse putandus est.* Sed certè, ex eo, quod Angeli, aera, ac ætherea incolant, iuxta Platonem, sæpe ab Augustino approbatum, aerei, & ætherei dici possunt: & iuxta Patres, & Ecclesiæ phrasim, quæ puros spiritus, & absolute incorporeos Angelos credens, & docens, ex incolatu alios aereos, alios terrestres compellat: sicut Toletanus, & Matritenses, Toleti, vel Matriti incolæ vulgo etiam nominantur, *sensus*, autem vox non potentiam, & actus sensitiuos determinatè, sed facultatem & actum cognoscendi, vt sensituis & intellectiuis communem significari: imo, & quandoque intellectiuos, absolute, & proprie determinate cum de intelligente, & rationali est sermo, significari elegantissime, vulgatum peritis, & consuetum est, teste Quintiliano lib. 8. c. 5. Cicerone, 1. de Oratore, & dictionariis quibus iudicia nostra perelegantes animi nostri sensa & *sensus* dicuntur: vnde Angeli acerrimi sensus, cognitionis, nempe, intellectualis, siue intelligentiæ, atque humana longe præstantioris, ab Augustino præfatis verbis solummodo asseruntur, vt de Genesi, ad litt. c. 7. & lib. 12. c. 17. clarius expressit, dicens: dæmonis, quædam vera præ nobis cognoscere, partim, *quia ingeniis subtilioribus vigent, partim experientia, callidiore*, &c. quæ bene obseruat. S. Th. q. 16. de malo, a. 1 ad 2. Nec magis vrget Augustinum ibi quæstioni Nebridij (quomodo ab Angelis, ac dæmonibus cogitationes, & somnia plura, nihil aduertentibus nobis, imo dormientibus, inferantur?) respondere ab animi paritate, qui perceptorum à se vestigia potest corpori suo imprimere, ac figere, vnde nobis nihil, aduertentibus somnia, iræ, & similia excitentur: subditque proinde; *nequaquam est absurdum eos, qui aereo, vel æthereo corpore, aliquid incorporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe maiore vti facultate, ad mouendum, quidquid solent, non sentientibus nobis, & tamen inde aliquid perpetientibus.* Etenim illud *corpore agunt*, non tanquam agentibus Angelis insito, sed tanquam instrumento, quo agunt, intelligi aptissime potest. Quamuis autem de insito Angelis corpore intelligatur; cum dicat naturaliter corporibus, in quæ agunt penetrari, quod aereo corpori non conuenit, corpus ibi ab Augustino, non propria, & rigida significatione, sed lata, provt substantiam omnem creatam coërcet, ab increata diuersam, accipi, certum est, vt alibi, & ab aliis Patribus accipi inferius dicemus.

3. eptimo ex tertio de Trinitate, cap. 11. & alibi non semel vbi ait: Angelos loqui, & similia, quæ sine corporibus agi nequeunt; sed distinguendum est, sine corporibus informatis spiritu loquentis falsum est; at vel informatis, vel assumptis verum, atqui ita potius Dei nomine locutus censet, quam corporibus informatis illis, *siue assumentibus, ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur hominibus.* Octauo inducitur, ex 15. de ciuitate cap. 23. vbi ait: Angelos etsi corporei sint, non posse cum mulieribus coire. Sed male quæstionis, & conclusionis, Augustini hypothesis, pro eius asserto asseritur; maxime, cum dubiam ibi, eam quæstionem de Angelorum corporeitate, vel aerea, vel ignea, atque indefinitam reliquerit: aitque illud Psalmi. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, De natura, an de charitati; feruore eorum in suis ministeriis intelligendum sit? dubium relinquat; certum vero, ex verbis Psalmi, eos spiritus esse; cum autem certum sit faunos, & syluanos, quandoque mulieribus infestos fuisse, addit. *Se non audere temerè definire vtrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati sentientibus fœminis misceantur.* Cum autem de corporatis solum, non autem corporibus, & corporeis, sed spiritibus dubitet, eos potius spiritibus, & incorporeos esse supponit: & de eis an assumpto corpore, aereo, & ipsis extraneo misceantur mulieribus non vult definire. Nonò denique recitatur ex 3. de Tr. c. 1. & efficacius, (quidquid leuius esse Bubalus contendat difficult. 1. §. 4. versu. *Nullus ergo ex tot Augustini locis*) vbi hanc proponit quæst. *An vero Angeli, qui iam erant ita mittebantur, vt ex persona Dei loquerentur assumentes corpora in vsum ministerij sui, an ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum gerunt, mutantes, &c. Sed fateor excedere vires intentionis meæ vtrum Angeli manente sui corporis qualitate, per hanc occultius operantes assumant, ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coaptatum est, quasi aliquam vestem mutent, & vertant in quaslibet species corporales, etiam ipsas veras? sicut aqua vera in vinum verum versa est à Domino, an ipsa corpora sua transforment, in quod voluerint, accommodata, ad id, quod agunt?* Ex quibus constat plane Augustini quæstionem inibi indecisam relictam de corpore proprio Angelorum, vel asserendo, vel negando nullatenus fuisse, vt Bubalus aiebat; sed eo supposito, an eius virtute crassiora corpora induant, vertantque in species illas veras, quibus apparuerunt, vel potius sua propria corpora in illas apparenter transforment? sed tamen, cum id solum, vt dixi, quæratur, & corpus habere Angelos suppositum, quæstionis sit, quod, tam ex propria Augustini, quam ex aliorum sententia tale esse potest, nusquam ex hoc loco probatur Augustinum Angelis subtiliora corpora (aërea putà, vel ignea) concessisse. Nullibi ergo Augustinus corpus proprium, Angelis, ex quo, & anima spirituali, sicut nos, conflarentur, concessit; etsi ex aliorum sententia, vt vidimus, alias quæstiones versans supposuerit, nec de eo ibi voluerit disputare, sententiam que propriam proferre; quamuis testimonio 8 recitato, aliisque producendis pro negatiua parte, se satis prodiderit.

4. Redigitur ad eandem classem secundam Bernardus ex serm. 5. in cant. duplicem spiritum distinguens cælestem, & rationalem (sic enim legendum reor, non irrationalem vitio typorum, & amanuensium, vt sequens contextus suadet); ille ergo cælestis (irrationalis) vt iure seruiat; *iste*, (rationalis, seu Angelus) *vt piè subueniat, ambo proculdubio suis corporibus egent, vt iuuent*, & 5. de considerat. c. 4 cælestia contemplans ait. *Primo quidem ciues spiritus esse illic potentes, gloriosos Beatos distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo corpore æthereos*, &c. subditque; *Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus*, & quamuis postrema, *de fide catholicæ*, erga omnia, & singula præfata Bernardus non dixerit, sed iuxta distributionem accommodam, ex lectione Patrum, vel Doctorum, quædam, & ex fide diuina, atque ita ex lectione, & fide diuina omnia sibi nota esse asseueret; est corpora ætherea Angelorum, etsi ex aliis didicerit fatetur cæterum, cum iuxta hanc genuinam eorum verborum interpretationem, ea Angelorum corpora alios legendo se comperisse asserat, nihil asserit ex propria sententia id, quod amplius ex contextu testimonij primi patet: post quod rationes contra propria Angelorum corpora proponit, atque eius dubij decisionem. *Nolo*, inquit, *vt à me requiratis, videntur Patres de huiusmodi diuersa sensisse: nec mihi perspicuum est vnde alterutrum doceam: & nescire me fateor.* Supereſt de aliorum Patrum mente etiam dubium. Nam quidem creatam omnem substantiam comparatam ad Deum corpoream, & materialem, siue, corpus esse docent. Hilar. can. 15. in Math. Damascen. 2. de fide cap. 2. Gregor. Mag. 2. Moral. cap. 22. Verum facile respondit, S. Thom. locum Damasceni primò interpretans, 1. p. quæst. 50. a. 1. ad 1. medium comparatum ad

extremum, à quo præsertim, valde magis, quam ab alio extremo distat de huius alius natura, & nomine censeri: vt tepidum respectu calidi valde, videtur nominaturque merito frigidum, ac vinum dulce comparatum, ad mel, videtur amarum: eo enim loquendi modo quantum ab extremo, cui comparatur, distet, tantummodo significatur. Respondet secundo S. Thom. Damasceni locum interpretans, iterum q. 16. de malo art. 1. ad 7. ac rursus, quæst. vn. de spiritualibus, creat. a. 1. ad 14. creaturam omnem, etiam spiritualem, dici comparatione Dei materialem, & corpoream: quia Dei simplicitatem (qua omnis potentiæ physicæ receptiuæ, & perfectiuæ, ac perfectibilis per aliquid physice diuersum, materiæ, & corporum propria, adeo, excluditur) procul dubio non habet: ac proinde omnem corporis, & materialitatis vmbram etiam, & imitationem Dei simplicitas excludit, quas nulla creata substantia, quantumuis spiritualis, à se potest abiicere: cum accidentia, quibus perficiatur physice possit recipere, atque ea natiua potentia materiæ, & corporis rationem in euitabiliter imitetur, atque inde materialis comparatione Dei (eo adhuc modo, ratione suæ summæ simplicitatis immaterialis, & incorporei) materialis, & corporea merito dicatur.

5. Fateor Pseudo Augustinum libri de Ecclesiast. dogmatibus huius operibus insertis, Authorem c. 12. neutram harum explicationem pati, & si omnia præter Deum corporea, & materialia, vt citati Patres aiebant, esse defendat his verbis. *Creatura omnis corporea est. Angeli, & omnes cælestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant: ex eo enim esse credimus corporeas intellectuales creaturas, quod localiter circumscribantur, sicut & anima humana carne clauditur.* Quæ ratio plane à Patrum præfatorum ratione est diuersa, sed, vt dixi, num. 8. notaueratque prius, S. Thom. quodlib. 12. ar. 11. & Author censuræ ad eius libri initium præmissæ Author eius satis catholicus non est: quare nihili eius testimonium habendum. Ratio item eius; proprietate sermonis, contemnenda est, & si enim neque Angeli extra locum determinatum sint, neque anima extra corporis sui locum, est neque Angeli, neque anima eis locis circumscriptiue sunt, aut circunscribuntur; licet eis definiantur, atque maius occupent, spatium, terminentur: quare, & suis illis locis definitiue locentur. Quod autem eo, improprio sensu, circumscriptione locali Angelorum, pro terminatione locali accepta, ratio ex re, non sit, constat: quia sola localis circunscriptio proprie dicta, qua parti loci solum pars locati respondeat, huius arguit propriam materialitatem, & corporeitatem; non autem terminatio in loco, cui toti, & cuiusuis eius parti locatum totum respondet; vt in animo rationali nostro (cuius exemplo hic author vtitur) patet. Alij demum Patres pro eadem negatiua sententia inducuntur, qui Angelos animalia, siue animalia rationalia docent: quibus verbis anima, tanquam forma, & materia, seu corpore per illam informato, constare, videntur, censere. Hi vero sunt Athanasius, libro de natura commun. essentiæ inter Patrem, & Filium. Mag. Gregor. homil. 1. in Euangelia, ibi. *Iudais tanquam ratione, vtentibus rationale animal, id est Angelus prædicare debuit.* Verum Athanas. ibi etiam expers materiæ rationale animal Angelum, dixit, & alibi etiam, vt cert. 4. referemus, S. etiam Gregorius expresse locis pluribus ibidem referendis.

6. Pro eorum vero locutione testimoniis citatis (& si quæ aliorum Patrum similia extiterint) respondetur. Animal rationale quandoque à Patribus idem, atque viuens ratione vtens, nec amplius, significari: qui viuens ratione, vt ens, non, nisi, in homine, qui proprie animal est, in iis, quæ ex sensibus nouimus; deprehenditur, sicur, quia substantia, non nisi corporea, ex sensibus à nobis cognoscitur, Deum corpus dixit interdum Tertullianus, vt substantiam esse significaret: inde excusatus ab Augustino, lib. de hæresi, hæresi 68. & de Genes. ad litteram, libro 10. cap. &c. & penult. & epistol. 158. Liquet igitur ex dictis, Patres primæ classis, qui Angelorum, cum mulieribus coitum docuerunt, eos partim corporeos admisisse: & illos quidem, nec numero paucos, nec alias authoritate contemnendos, vt vidimus num. 2. ex aliis vero secundæ classis, de aereo Angelorum corpore docuerunt Origenes Cæsarius, Cassianus, Ioannes Thessalonicens. Basil. Magnus, & Rupertus, vt constat, à num. 4. ad 7. inclusiue, & præter eos, ex Patrib. nullum: vt certum hoc monstrauimus, & si autem, ea tantum ponderis habuerit, vt anceps ob inde, Bernardi etiam ætate, de eius veritate, aut falsitate, iudicium, vt vidimus, fuerit; at vero ab scholasticorum, quos diximus, Theologorum temporibus (Magistri, scilicet sententiarum eiusque commentatorum) huc vsque Catholicus scriptor nullus, ei opinioni, sed aduersæ subscripsit; si excipias Caietanum in 4. Genes. & in illud ad Ephes. 2. *Secundum Principem potestatis aeris huius*, qui aereum elementali subtilius nobisque proinde, ac sibi ignotum, corpus dæmonibus tribuit, ex Philosophica ratione, adeo debili, vt nec solutione, nec memoria digna sit. Item Eugubinum de perenni Philosophia, cap. 27. 30. & 41. Niphum. 3. de dæmonibus, cap. 3. Francisc. Georg. 1. problematum, c. 57. & 74. & lib. 6. cap. 330. quos refert Suarez, dist. 35. met. sect. 3. num. 9. & 1. de Angel. c. 6. n. 3.

CERTAMEN IV.

Angelos substantias in totum & adæquatè spirituales esse, vera & communis scholasticorum, & Patrum sententia est.

1. HAbet conclusio Patronos scholasticos omnes, vt diximus. Ita Magister in 2. d. 8. Ricardus, & Bonauent. ibi a. 1. q. 1. vbi Gabr. & Duran. 4. etiam, 1. & Aureol. a. 1. Capreol. d. 9. q. 1. a. 1 & 3. ad Aureoli argum. Scotus, in 2. eriam d. 1. qu. 6. init. & tota d. 2. quem tota eius schola sectatur Alexand. p. 2. q. 10. in 2. & 3. S. Th. q. 6. de potentia, a. 6. q. 16. de malo q. vn. de spiritual. creat. 2. contr. gent. c. 46. & 50 vbi Ferrara, & 1. p. qu. 50. a. 1. vbi eius commentatores omnes ad vnum, etiam Caietan. sibi alias aduersus, Bonet. concl. 2. & 3. Zumel. q. 1. concl. 3. Molin. & *His non obstantibus*, Valent. d. 4. q. 2. p. 1. Vazquez, d. 178. c. 3. Soar. cit. locis Bubal. q. 3. dif. 1. § 10. Ioan. Præpositus dub. vnico circa art. 1. citatum Arriaga, t. 1. in 1. p. tract. de Angel. d. 3. sect. 2. Quiros t. & tr. simil. d. 2. sect. atque vno verbo scholastici reliqui vbi vis se, non disputatio solum, sed occasio dedit, vel obiter asserunt, vel supponunt, vel ex instituto non asserunt, tantum sed confirmant, atque oppositam sententiam temeritatis, vt minimum, notant cum Cano 5. de locis fin. qu. 4. quo autem iure & scholasticorum omnium irreuerentia, nullo firmo fundamento ab ea sententia tentata, Patrumque (qui mala loci illius Genes. intelligentia, vt mox videbimus decepti non aberrarunt,) fere omnium authoritate posthabita, atque vrgentioribus etiam aliis facile apparebit.

2. Primo igitur totalem Angelorum spiritualitatem, omnimodamque incorporeitatem docuit Aristotel. 12. met. c. 67. & 8. docens intelligentias ab omni materia, & magnitudine separatas, quem Discipuli, & philosophi plures sectati sunt. Sed naturæ Angelicæ scrutator profundior Dionys. Areop. c. 4. de diuin. nominib. clarius. *Vitam habent indefectibilem, & immemorabilem, à corruptione vniuersa, morte, & materia, & generatione mundi existentem, &*

& ab instabili & fluxa, & aliquando aliter ferente, variatione elevata: & sicut incorporales, & immateriales intelliguntur & sicut mentes supermundanæ intelliguntur. Infra post capitis med. corpus non esse animæ peccati causam, sic probat. *Quoniam autem, neque malitiæ causa est anima corpus, manifestum est, ex eo, quod potest, & sine corpore malitia esse: sicut in Damonibus c.7. ab omni materia multitudine, & admixtione soluta, ac liberæ mentes, sine materia aqualiter* & de cælesti Hierarch. c. 1. & 2. & pluries Angelos corporis, figuræ, ac materiæ experres esse ait. Irenæus lib.2. c.54. gnosticorum errorem de demiurgo seu opifice rerum, quem *Dominum animalem*, siue corpore animato, & corporeum subinde, ac materialem absolute dicebant, confutat: quia Angelis, (& ipsis gnosticis, qui se spirituales absolute creaturas putabant) ignobilior, & imperfectior foret, ac proinde, fieri à demiurgo, non posset: neque hic omnium opifex esse visibilium, scilicet, & inuisibilium,) posset: vti Deus eorum, omnium opifex, ab scriptura dicitur. Ne vero inuisibilium, nomine corporeas subitantias subtiliores, quam, vt videantur, viderique à nobis queant (puta aëreas, vel etiam tenuiores) ab Irenæo intelligi putes, ait: ab Gnosticis dici non posse à Deo demiurgo, sed hominum opifice, *facta esse materialia* (quæ eadem visibilia dixerat) *vt puta calum* (quod vtique, eo sensu inuisibile à nobis est: *& vniuersum, qui intra eum continetur mundum: non autem illa, quæ super calum sunt* (inuisibilia dixerat) *vt puta principia, Potestates, Angeli, Archangeli, Dominationes.* Cum aduersus ipsos gnosticos demiurgus, omniumque opifex non esset, neque omnium visibilium, & inuisibilium, quæ supra cælos spiritualium factor contra scripturam. Athanas. de naturali communione Patris, & titulo de Angelis, ita Angelum definit. *Animal rationale materia expers, hymnis dicendis aptum, atque immortale*, & lib. seu tract. de definitionib. *Quid dicitur idioma?* affectus, & passiones Angelis, negat; vtique corporeas, & materiales, ac subinde, corpus, & materialis: siquidem spirituales affectus, & passiones negari illis non possunt.

3. Nazianzen. orat. 2. de Theologia, vt ostendat Dei aprum sermonem esse difficillimum, argumento, à minori ad maius, ex difficultate rectæ de Angelica natura locutionis confirmans versus fin. ait. *Ne hanc quidem, tametsi, corporis expertem, incorporeo modo cernere possumus, quippe, quæ ignis, ac Spiritus appelletur, aut efficiatur* (à Deo iuxta Psalmistam,) *vt sic, nobis innotescat, eum corporei ministerij, & ignis instar illam cogitamus*, & infra; *sed sint sane illi, incorporei, vt quam maxime ad hoc accedant: videsne, quam circa huiusmodi sermonem æstuamus.* Postremam vero disiunctionis partem permittit, non concedit: quia ea, admissa vrgentius probat summam idonei sermonis de Deo purissimo spiritu, & prorsus perfectissime incorporeo difficultatem: siquidem, etsi spiritualitatem Angelus, & incorporeitatem absolute talem longe, quæ Diuina imperfectiorem, non habeat, sed, ad eam solum proxime accedat, in eius sermone, æstuamus. Item orat. 2. de Paschate ait. Deum primo Angelos, cœlestes spiritus cogitasse, *atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri, siue spiritus intelligibiles, siue ignem, quasi immateriatum, & incorporeum siue aliam quandam naturam proxime ad eas, quas diximus, accedentem eos existimare oportet.* Quibus primo loco suam sententiam de eorum natura posuit. *Dum spiritus intelligibiles, id est intellectuales appellat. Secundo etiam loco siue ignem quasi immateriatum, & incorporeum: quasi* enim illud *ignem*, non autem *immateriatum, & incorporeum* afficit; sed Psalmi verba similitudinarie solum intelligenda declarat: vt non ignis, siue ignea proprie ob Psalmi verba, natura Angelica intelligatur, ac subinde materialis, sed immaterialis potius, & incorporea, iuxta Damasceni subiicien-dam, postea verborum Psalmi interpretationem: postrema vero verba, *siue aliam quandam* & nequaquam disiunctiue sentientis, quoad spiritualitatem de natura Angelorum sunt, sed solum, quoad institutum propositum, vt in primo testimonio diximus, & carmine, in laud. Virginit. sub init. de Angelorum natura cecinit.

Leuius nil namque est mentibus illis,
Pneumata sunt etenim, infra. *His mens, & simplex natura*, quibus Pneumata, mentes, & simplices mentes Angelos esse docet, & quibus nil, aliqua ex parte adhuc, corporeum, nec pure spiritum, significatum vnquam fuit. Imo dum simplicem mentem Angelum vocat, non solum compositionem ex spiritu, & corpore, seu materia, sed omnem aliam spiritualibus partibus compositionem ab eis reiecit.

4. Epiphan. Hæresi 26. apud Valentiam vbi proxime. *Dæmon spiritus est incorporeus*, & post med. *Multa est stultitia eorum (gnosticorum) qui talia dicunt* (Dæmones fœtum in vtero concipere) *si enim Dæmon à corporibus assumit, ac concipit, non amplius est spiritus, sed corpus.* Tametsi spiritu constare, vt parte, dicatur: sicut nos, quia altera parte suscepta, nempe corpore, constamus, supponit autem, quod cert. vlr. videbimus: nempe corporeum semen emitti, nec recipi ad fœtum ab aliquo posse, quod saltem aliqua parte sui corporeum non sit. Nyssenus de vita Mosis ante med. *verius sermo ad nos vsque descendit: Angelos, qui natura incorporei sunt, in adminiculum, eiusque custodem constitutum fuisse*, orat. 4. de oratione Dominica, *omnis creatura rationalis partim, in incorpoream; partim in corpoream naturam diuisa est. Est autem Angelica quidem, incorporea; altera vero species, (corporea scilicet, rationalis natura) nos homines sumus. Atque illa quidem, incorporea, cum sit, sola mente comprehenditur, vt quæ nimirum à grauante corpore remota, atque seiuncta sit.* Non valet, posteremis his verbis solum corpus grauans nostrum negare voluisse non autem, subtilius, vt aëreum. Vel leuius: cum præsertim moneat ibi se. *De hoc duro renitenti, ac proinde suo ad terram vergente corpore loquar*, si enim *sola mente comprehenditur*, idem, quod *continetur*, valeat, huius solum meminit, quia rationale viuens corpore tali tantummodo constare posse, non autem alio aëreo, vel subtiliori organis carente, merito putauit; quo negato Angelis, omne illis corpus negauit, vt bene Bubalus citat. difficult. 1. §. 7. *versu octauus sit*, tametsi, non genuine, ad textum; in quo *sola mente comprehenditur* non significat *continetur*, sed perfecte à nobis cognoscitur: id, quod bene infert Nyssenus, ex eo, quod incorporeus Angelus absolute sit, ac subinde à graui nostro corpore (quo terrena tantum, & terrenorum cognitionem perfectam, & in se ipsis habere possumus) non solum re, sed cognitione seiunctus remotusque sit: Addit autem: se de hoc corpore, *pondere suo ad terrenam vergente* loqui; ne à nobis, & si corporeis absolute gloriæ tamen dotibus, & prærogatiua cognoscendi independenter à sensibus, & phantasmatibus corporeis cognosci in se perfecte, nec corporeorum ad instar, Angelos (quos spiritus puros, & prorsus incorporeos dixerat) negasse videretur. Theodoretus, Epitom. diuinor. decretor. c. de Angelis init. *Angelos autem, nec, vt Græcorum Poetæ, & Philosophi in Deos referimus: nec in masculinum, & femininum sexum incorpoream naturam distinguimus.* Cuius rationem subdit subinferius, *quia immortali natura, superflua est generis diuisio*, & plura cert vlr. recitanda, & lib. 1. de curat. græcanicar. affection. *quot millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repente simul produxit & qui vt immortales propagatione non indigent, ita incorporei commixtionem non patiuntur?*

5. Eusebius Cæsar. 4. demonstrat. Euang. c. 1. *cum Deus vellet diuitiarum suarum thesauros pluribus impertiri, essetque iam iam omnem rationalem creaturam in lucem productus incorporeas videlicet, atque intellectuales diuinas potestates, Angelos, Archangelos materia expertes, & ex omni parte puros spiritus produxit.* Ex quibus, adeo apertis, constat Eusebium aliter non ex sua sententia, sed Plutarchi alibi locutum, vt dixi, cert. 2. n. 2. consonant vero

recitata his, quæ dixerat, lib. 3. c. 5 *ex decretis illius saluatoris accepimus esse quasdam post supremum Deum potestates natura incorporeas intelligentes rationales;* & Cyril. Alex. 4 in Ioan. c. 10 *furoris penitus plenum est Angelos, qui natura incorporei sunt, rudiori vti alimento putare. Patet, quia spiritus sunt, naturaque intellectus.* Chrysost. homil. 22. in Genes. inferius, contra primæ classis aduersarios recitandus, crassa & nostra corpora Angelis abesse probat, quia, vniuersim incorporei sunt; & in caput 6. Isai. *Seraphini* dicuntur virtutes incorporeæ supernæ illius, ac numerosissimæ multitudinis, & tom. 5. homil. 2. de incomprehensib. Dei natura, post med. *Adde sedes, Dominationes, Potestates, Principatus, catus incorporeos virtutum:* & Magn. Gregor. 4. Dialogor. c. 29. vbi Petro Diacono dubitanti nimium de illius sententia, quod incorporeus noster animus teneri possit, igne corporeo, vt, eo crucietur, sicut tenetur, corpore, vt illud viuificet, ita eam probat, *dic quæso te apostatas; spiritus cælesti gloria deiectos esse corporeos, an incorporeos suspicaris?* cui ex se quidem, etsi in Petri persona respondet. *Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit?* Ac inde concludit, *si igitur Diabolus, eiusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo igne cruciandi &c.* & 4. moral. in Iob. c. 9. *vbi duas ad intelligendum se creaturas fecerat (Deus) Angelicam videlicet, & humanam, sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de corpore gestauit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero, & spiritus est, & caro.* Multus in eam sententiam cæterisque Patribus amplior, & minutior fuit. Damascen. 2. de fide, c. 3. *Ipse Angelorum opifex, & procreator, vt qui eos, ex nihilo in ortum produxerit* (ecce materiæ omnis, ex qua, producantur, & constent, exclusionem, quam apertius continuo tradit) *atque ad suam imaginem effecerit naturam corporis expertem, velut spiritum quendam, aut ignem materia vacantem: quemadmodum ait Dauid, qui facit Angelos suos spiritus.* Quibus Nanzianzeni temperamentum, ad verba hæc Psalmi adiunxit, & cum eodem subiungit statim ignem dici. *Ob leuitatem, ardorem, feruorem, maximam penetrabilitatem, & acrimoniam: illudque indicans, eos ad superna ferri, atque ab omni rerum, cum materia coniunctarum, cogitatione puros, ac secretos esse:* infra, *iam vero, cum mentes sint, in eiusmodi quoque locis sunt; quæ mente, ac ratione intelliguntur; non quod corporeo modo circunscribantur. Neque enim quantum ad naturam attinet figurantur, nec tribus dimensio tribus constant,* inferius. *Quamquam autem illi, vt corporis expertes, atque à boni corporea perpessione liberi, nobis superiores sunt, non tamen, vt nulla in eis perpessio: id enim soli Deo peculiare est.*

5. Hilar. 8. de Trinit. versus fin. ex eo quod verbum imago Dei inuisibilis sit, probat incorpoream imaginem Dei esse, quia inuisibilis est *si circunscribunt,* inquit, *hunc spiritum* (Christum, seu Christum, qua spiritus est) *formali & corporali modo, non erit inuisibilis Dei imago corporea.* id est, quæ eo modo corporea sanè erit, inibi autem in inuisibilibus Angelos recenset dicens, ex Apostolo. *In ipso constituta sunt omnia in cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Principatus, siue Potestates, siue Dominationes.* Ergo & eos incorporeos, ac modo corporeo incircumscriptibiles censet. Hieron. ep. 39. ad Auitum multipliciter errorem Origenis, de transmigratione Pythagorica animarum in corpora, & Angelorum malorum alia, quam docuit, simili, confutans, Angelos puros spiritus, & incorporeos constanter, sæpe, & semper affirmat. Hæc referre sit satis. *Si quis autem potuerit ostendere incorporalem, rationabilemque naturam* (Angelicam,) *cum expoliauerit se corpore, viuere per semetipsam &c.* & post epistol. medium, *quæritur vtrum, & tunc futura sint corpora,* (redacto iuxta Origen. in nihilum corpore omni.) *An sine corporibus aliquando viuendum sit, cum redacta, in nihilum fuerint, & incorporalium, vita incorporalis esse credenda sit?* & pluries ibidem spiritus incorporales esse supponit. Anastasius Synaïta, tametsi temerè, & contra Patrum reliquorum sententiam lib. quæstionum in scripturam titulo, ex *Theodoreto de dubiis scripturæ* apud tom. 1. Biblioth. veterum Patrum animum nostrum in eo, quod vilibile non est, Dei imaginem esse neget, probat autem, quia aliàs *Dei imagines magis vocarentur Angeli, & omnis natura incorporea, quæ sint omnino libera à corpore, & mixtum: non habeant, quod est spectabile.* Sophronius Hierosoly. Præsul. t. 2. Biblioth. initio encomij Archangelorum. *O diuini, materia quæ expertes Dei exercitus! O mentes, rationeque prædita intelligentiæ:* & inferiusculè. *Vos estis, qui propter inconcussam stabilitatem, corporeaque concretionis vacuitatem,* & Ambrosius commentario (si eius sit) in epistolas Pauli non semel idem docet. Ad id Hebræor. 1. *& ad Angelos quidem dicit,* ad omnes cælestes virtutes, & ministros dici ait, quia Angeli nomen officij, & ministerij est, non naturæ. *Qui enim semper sunt spiritus, sed non semper Angeli vocari possunt.* Et ad id 2. ad Ephes. *Secundum Principem potestatis aeris huius* ait: *vt ostendat, quia hanc partem sibi vsurpauit, ad exercendam dominationem, altius enim aer, altius Princeps: sed quia in mundo, vel in aere dominatur, spiritus aëris appellatur.* Rem tamen spiritus, qui aër est, non sit, sed aëreo etiam corpore, spiritus catens, & prorsus incorporeus, & 7. in Luc. flores gloriosius, quam Salomon, in gloria sua vestitos, Angelos intelligit: quia hic *infirmitatem corporea naturæ veluti virtute, quadam mentis adopertam, operum gloria vestiebat, Angeli vero, quorum natura diuinior, expers manet iniuriæ corporalis, recte licet maximo viro, consideratione tamen nostra iniuria præferuntur.* Augustinus tametsi alicubi de Angelorum ex anima, & corpore subtili compositione dubitasse videatur, vel potius quæstionis decisionem tunc omiserit, tamen 1. retract. c. 11. ait, *Angelorum sanctorum nomine omnem sanctam creaturam spiritualem, in Dei secreto, atque occulto ministerio constitutam nunc appellauerint, sed spiritus Angelicos, sancta scriptura, nomine animarum, significare non solet,* c. 16. *in scripturis sanctis animas dictas esse Angelorum, aut non omnino, aut non possit facile reperiri.* Quare esse Angelos spiritus natura sua partiales, seu partes corporibus, tanquam compartibus, Angelos, sicut nos, anima nostra, spirituales constituentes, Augustinus reiectat: vocarique posse absolutè illos spiritus, & spirituales absolute, creaturas negat, si instar nostri anima spirituali, & corpore constarent; etiamsi spirituales, & spiritus relatè, seu comparatione ad pure corpora dicerentur; alioqui, etiam modo animam nostram spiritum ab Augustino, dici tametsi corporis aliquid contineret, absurdissimo esset admittendum, & c. 26. retractat quod dixerat, q. 47. ex libro octoginta trium quæstionum: nempe lucidissima, & ætherea corpora, resurgentium hominum corporibus similia Angelos habere, & 15. de ciuit. c. 23. init. quæstionem proponens. *Vtrum possint Angeli, cum spiritus sint, corporaliter cerni cum fuerint?* Angelos spiritus simpliciter, & absolute natura sua esse supponit, & probat illicò ex Psal. 103. *qui facit Angelos suos spiritus.* Sicut citato loco in epist. ad Hebræ. Hilarius Didymus Cyrill. Hierosol. & Patres alij, & Psalmi verba interpretantur recitandi cett. sequente, quorum proinde verba, nunc omitto.

CERTAMEN V.

Absolutæ spiritualitatis & incorporeitatis omnino Angelorum probationes vlteriores, vbi de eius certitudine.

EAdem veritas vlterius probatur ex scriptura, & Patribus, à quibus spiritualis, & spiritus absolute, & simpliciter, natura Angelica asseritur; cum tamen homo, etsi spirituali animo constet, quia tamen, altera parte materiali, & corporea eius natura con

conflatur, non quidem absolute, & simpliciter spiritus, aut spiritualis, sed potius, è deteriore sui parte, corpus, & corporeus, caro, terreus, ac terra, & puluis absolute ab scriptura, & Patribus dicitur, probatur ex Psalmo 103. *qui facit Angelos suos spiritus*, ad quæ Ambros in id, ad Hebr. 1. *& ad Angelos quidem dicit*, ait. *Sciendum est enim, quod Angelus est nomen officij, non naturæ: quia etiam semper sunt spiritus. & non semper Angeli vocari possunt quæris huius naturæ nomen? spiritus est. Quæris officij? Angelus*, ac fere statim, *sic erit homo nomen naturæ, miles officij: sic, qui erant iam spiritus condit à creatore Deo, facit eos Angelos mittendo eos nunciare, quod iusserit.* Augustin. in eum Psalmum, & verba. *Angeli sunt & cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum vero mittuntur sunt Angeli. Angelus nomen officij est non naturæ, quæris nomen naturæ? spiritus est, quæris officium? Angelus est Ex eo, quod est, spiritus est: ex eo, quod agit, Angelus est.* Repetit fere 5. de Genesi ad litter. c 19. & 15. de ciuit. c. 23. init. spiritus simpliciter, & absolute esse Angelos eisdem Psalmi verbis confirmat Hilar. 5. de Trinit. col. 4. *in Angelo officij potius, quam naturæ intelligentia est: & Psalmista mihi testius est: qui facit Angelos suos spiritus.* Isidorus, *Angelorum nomen officij est, non naturæ: nam secundum naturam spiritus nuncupantur: quando enim de cælis ad annunciandum hominibus mittuntur ex ipsa annuntiatione Angeli nuncupantur, naturæ enim spiritus sunt &c.* Prosper in eum Psalm. & verba. *Secundum litteram non dubiamus esse spiritus, nobis inuisibiles, ministros Dei, qui ab officio, quod agunt Angeli nuncupantur: spiritus enim nomen naturæ est.* Cassiodorus in eundem. *Spiritus generale nomen est incorporalis, potentisque substantiæ, visibiliter operans, quod ei diuinitus inspiratur; Angelorum enim nomen, non significat naturam, sed obedientiam*; & pene continuo. *Nam quando mittuntur Angeli fiunt, cum tamen natura spiritus esse noscantur.* Magn. Gregor. homil. 34. in Euangel. *Sancti illi cælestis Patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia, tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nunciantur. Vnde & in Psalmo dicitur, qui facit Angelos suos spiritus.*

2. Porro ex scriptura alia innumera extant loca, quibus Angeli, simpliciter, & absolute, ac subinde nulla sui parte corporea constantes, sed omnino, & adæquate, incorporei, prædicantur, vt 1. Reg. 16. de Dæmone, à quo Saul exagitabatur, *spiritum* esse dicitur, & alibi in veteri testamento, tam boni, quam mali Angeli *spiritus* esse sexcenties dicuntur. Nec infrequentius in nouo. Math. 8. n. 10. & c. 10. n. 1. & 43. Marci 1. 23. 26. 27. c. 3. 11. 30. c. 5. n. 5. 6. 11. & 15. c. 6. n. 27. c. 7. n. 25. c. 9. n. 17. 20. 25. Lucæ 4. n. 36. c. 6. n. 18. c. 7. n. 21. c. 8. n. 2. & 29. c. 9. n. 39. & 42. Ioan. c. 1. n. 20. c. 11. n. 24. & 26. c. 13. n. 11. Actor. 5. n. 16. c. 8. n. 7. & 39. c. 16. n. 16. c. 19. n. 12. 13. 15. Ad Hebræ. 1. n. 7. & 14. Apocal. 1. n. 4. c. 3. n. 1. c. 4. n. 5. c. 5. n. 6. c. 16. n. 17. c. 18. n. 2. Ea loca paginæ sacræ vtriusque & Patrum ad illa, atque interpretum Catholicorum pro absoluta naturæ Angelicæ, spiritualitate, & omnimoda incorporeitate sententiam concordem recitare immensum esset, atque superfluum prorsus, & otiosum: cum præsertim textus ipsi à Deo expressi sint, atque eorum, quoduis tanta aliorum multitudine mutuo in eam sententiam confirmetur. Si enim, vel vna scripturæ sactæ locutio proprietate sermonis, & significationis rigore accipienda, credendaque à nobis est, vbi nec alio scripturæ loco, absurdove Theologico contra dogma aliquod fidei inde euidenter, atque irrefragabiliter deducto locutio minus propria nec ita rigida significatio inibi fuisse conuincitur, iuxta laudatam sæpe ab Augustino vetustissimi Ticonij recte interpretandi scripturas regulam: vndenam proprietas sermonis, & locutiones eius scripturæ absolutam spiritualitatem omnimodamque, & adæquatam naturæ Angelicæ incorporeitatem commendantis, nusquam textu alio scripturæ aduerso correcta, ac temperata, sed tot fere innumeris, eius testimoniis confirmata, nullique fidei nostræ dogmati, (ne remotissime quidem) aduersa, minus propria, & rigida spiritus absolute & simpliciter dicti, seu omnino, & adæquate incorporeæ substantiæ, acceptione, & significatione spiritum simpliciter, & absolute talem de Angelis ab scriptura prædicari asseri à sano Theologo potest? Atque hæc sane ratio tantam vim habet, quantam à numero 3. ostendemus.

3. Probatur secundo ex Concilio Lateran sub Innocentio III. vt refertur c. firmiter de summa Trinit. & fide Catholica: vbi *firmiter*, id est, indubitata fide, credenda fidelibus proponuntur, in quibus hæc de Deo: *omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem (Angelicam videlicet, & mundanam) ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam Diabolus enim, & Dæmones alij à Deo creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Cum autem Canon, & definitio Concilij sit, videtur conclusio ad fidei Catholicæ dogma pertinere, atque veritas ab Ecclesia definita esse spirituales, pure, atque omni ex parte incorporeas creaturas, quas Angelos esse, Canon ipse declarat, atque ab humana creatura, siue homine spiritu, & corpore, vt sui partibus, constante, ideo separat, ac distinguit, quod Angelica, ne partialiter quidem corpore constet. Ideirco S. Thom. q. 6. de potentia, a. 6. conclusionem nostram, *fidei veritatem* appellat: quod ipsum est esse de fide, eique contradicentem hæresim esse. Id, quod videtur Vasquez c 3. init fere sentire, dum ait: videri ab Ecclesia definitam. Tametsi Bubalus §. 10. versu *Sed hic quæri potest.* Sixto Senensi consensisse illum tandem puret, in eo, quod definitam non esse censeat. Sed plane deceptus Bubalus est. Cum Vasquez hæc solum sine capitis addat, *cæterum, vt hoc* (quod ex Sixto Senense retulerat) *verum sit, nullus, sine temeritatis nota, iam posset oppositam sententiam defendere.* Quibus ex hypothesi solum sententiæ Sixti Senensis, non autem ex approbatione sua, temeritatem iam vitari non posse ait. Bubalus ibidem versu *quamobrem*, censuræ *erroris* præfatæ subscribit. Valentia vbi proxime §. *si quis autem.* & Martin. Delrius 4. Disquisit magicar. c. 4. q. 5. sect. 5. sub fin. *errorem in fide*, vel *temerarium* oppositum censet: & primæ parti censuræ suæ disiunctiuæ assentitur. Quod iudicium etiam est Soarij c. 6. citato n. 9. quamuis n. 10. sub fin. *temerariam* expresse doceat, ac moneat nolle se adeo rigidam erroris censuram, contra oppositam sententiam dicere; quod non est idem, ac nolle sentire; vt sentire se satis ex præmissis confutationibus euasionum ab iis, qui erroris in fide notam ab ea sententia auertere contendunt, excogitatarum prodit. Arriaga etiam vbi proxime, eidem censuræ assentitur sect. 2. init. dicens: ita conclusionem certam esse, vt dubium de ea Catholicis non liceat, ac statim euasiones ita refellit, ex Concilij contextu verborum, vt solutionum silentio, eas desperet. Molina noster proxime §. *His non obstantibus*, errorem in fide esse negat: ast esse temerariam fatetur. Ioann. Præpositus Molinæ iudicio accessit, vbi proxime n. 6. §. *Nihilominus* & §. *Aduerte*, & Quiros etiam citata sect. 1. n 3. Porro Bartholom. Carrança in sum. Concilior. & annotat. ad 7. Synodum act. 5. ac Sixtus Senensis 5. Biblioth. suæ annotat. 8. non solum definitam eo loci conclusionem non fuisse aiunt, verum dubiam, adhuc post recitata Concilij verba, & Patrum, ea de re sententiam esse: vnde facile temeritatis nota ab opposita sententia declinabitur, sed tamen de eo merito à Theologis reliquis reprehenduntur.

6. Censeo ergo conclusionem nostram de absoluta, & simpliciter dicta substantiæ Angelicæ, spiritualitate, atque omnimoda incorporeitate esse de fide, atque ei aduersam, non solum temerariam, sed errorem in fide atque hæresim esse, ita enim excepto Molina, qui tamen §. 10. *Verius, & Miranda* media temeritatis ingentis nota repetita, non quiescit, sed adiecto, *ne dicam amplius* errorem illam in fide esse, satis indicat sentire. Præposito, & Quiros reliqui, quoad

quoad censuram de fide, & notam erroris, seu hæresis (de nota enim temeritatis contra Sixtum, & Carrancam, omnis suæ, & posterioris ætatis Doctores meritissime conueniunt) vel expresse docent, vel sentire se satis ostendunt, & expresse. S. Thom. citatus docuit, nec sententiam deposuit, q. 16. de malo a. 1. etsi aduersam opinionem temerariam dicat, ea censura non quiescit, sed addit, dici etiam erroneam posse, vt eo loco Valentia citatus etiam asseruit. Probatur facile, quia *firmiter* id est ex fide Catholica, tenenda, ea, quæ citato loco, & capite Lateranense. statuit, proponuntur: in quibus reliqua, cum antecedentia, tum testimonio citato contenta, tum etiam subsequentia, vi eius definitionis, definita, vt fidei dogmata, à Catholica Ecclesia habita, & recepta sunt: vt patet, ex misterio Trinitatis ibi antertus proposito, & ex malitia Dæmonum, non ex ipsa natura, & creatione, à Deo, sed voluntatis eorum vitio solummodo orta, & aliis sequentibus, eo quod ea Lateranensis determinatione, eoque, capite continentur; ergo, & genus naturæ Angelicæ, quod pure spirituale, & omnino incorporeum, atque à pure corporeo, & mixto, ex corporeo, & spirituale diuersum, & diuisum proponitur ibidem, & asseritur, vt fidei dogma, sicut reliqua, asseritur, etiam, & proponitur. Vnde euasiones huius censuræ: quod scilicet intentum concilij ibi solum fuerit definiri omnium creaturarum productionem à Deo, reliqua vero, (vt pura spiritualitas Angelorum ac trimembris, generis creaturarum diuisio) ex communiore Doctorum sententia proponi ibi, vt probabiliora solum, facile præcluduntur, ex aduerbio *firmiter*, quod omnibus ibi proponendis æque, & indiscriminatim, præmittitur: cum autem non sola creatorum omnium à Deo productio, sed pleraque alia ad res alias spectantia proponuntur, vt vidimus, nec illud *firmiter*, supra omnium productionem à Deo, solummodo cadat, & (sint cætera præter genus tertium omnino spirituale, & incorporeæ naturæ Angelicæ, sub *firmiter*, illo contenta, ac subinde de fide, & definita: illud genus à definitione ibi contenta, & intentione definiendi excludere non solum pure gratuitum, sed irrationale est; imo falsum aperte, & textui contradicens. Confirmatur: quia ei solum prætenso ab aduersariis Concilij intento, melius satis fieret, si vniuersim creatorum, vel visibilium, & inuisibilium, siue spiritualium, & corporalium omnium, Deus asseretur conditor, & productor, quam tertium illud genus creaturæ pure spiritualis (cuius defectum probabilis, quantumuis opinio non excluderet: & cuius proinde à Deo productio creata absolute non fuisset) diuidendo, & designando, vt omnium creatorum certam adhuc productionem definiret. Denique: cum tertium hoc genus Angelicæ naturæ pure spiritualis, & incorporeæ iuxta rectam, & Catholicam intelligentiam, & interpretationem scripturarum, toties in vtroque testamento fuerit, vt vidimus, expressum, & à Patribus assertum, citius illud, eo loci, vt inde certum definitum à concilio, quam ex probabili solum opinione positum æstimare debemus.

5. Sed dices cum Sixto Senense relato n. 3. fine: dubiam super Angelorum omnimoda incorporeitate, atque in vtramque partem æquilibrem sententiam, & authoritatem Patrum esse. Respondetur negando assumptum: quod nullatenus, post Lateranense, quam vidimus, definitionem probari potest; etsi demus aduersæ, non æquam solum, sed maiorem ex Patribus authoritatem ante illud concilium fuisse. Siquidem Patrum, quantumuis plurium authoritas, definitione oppositæ sententiæ subsecuta, omnino eleuatur, atque euanescit: quippe omnes quantumuis multos, & doctos, vt homines, erroribus inopinando obnoxios deceptos fuisse, sequens definitio aduersæ sententiæ demonstrat. De licito, quandoque, & ex virtute etiam, & honesto fine mendacio multo plurium, doctissimorum etiam Patrum, quam de oppositio sententia fuit (quorum catalogum vtrimque texere, & supputare huius loci non est) antequam, nusquam, nullibique circumstantiarum licere mendacium definitum fuisset; postea vero iam tot, tantorumque Patrum ita authoritas illius sententiæ præfata definitione oppositæ euanuit, & nulla deinceps authoritas eorum sit, ac fuerit, & si maxima prius fuerit. Secundo, nego ante recitatam Lateranensis definitionem, de omnimoda Angelorum spiritualitate æquum, nedum maius à Patrum authoritate, pondus pro opposita sententia, sed certe longe minus, & vix forte vllum: vt enim vidimus cert. 3. vbi à n. 4. ad 8. cum Origene, Ioannes Thessalonicensis, Cæsarius, Cassianus sententiæ Platonicorum, de aëreo, vel æthereo, ac terrestribus subtiliori Angelorum corpore, explorato accesserunt: & probabile est ei etiam Basilium accessisse. Augustinus vero, & Bernardus, nullatenus, vt certam. 4. inclusiue ostendimus; quia, vt summum, dubitantes de alterutra parte quæstionem definiere aliquibus, in locis, in quibus instituti præcipue non intererat, vbi autem rem Augustinus ex propria sententia definire voluit pro omnimoda Angeli spiritualitate stetit, vt vidimus hoc cert. n. 1. Reliquas vero Patrum locutiones, quod creata omnia, etiam Angeli, comparata cum Deo corporea sint, & Platonicum videtur, & cum Angelum animal rationale esse quandoque dixerint explicuimus, eo cert. 4. quantulus ergo quinarius numerus Patrum, nec primorum sui sæculi est (si excusabilem probabiliter Basilium excipias (in quo, sine exacto examine, sententiæ Platonis, plurimum, credebantur, vt reliquorum Patrum authoritati, leuiter adhuc præponderet. Adjunget tamen aliquis aliorum Patrum non exiguam manum, qui ex illo Geneseos memorato, *videntes filij Dei filias hominum*, corpoream Angelorum cum mulieribus coniunctionem, atque ex ea susceptam gigantum hominum prolem docuerunt, sed eorum etiam numerum non exiguum, &, si foret, etiam ampliorem nullius ponderis esse, quia aperte fabulosa historia Poëtarum, Philosophorum, aliquot. Ethnicorum de pro creatione, & bello gigantum contra Deum (cui locus ille peteret, vtrumque adsonare) præoccupati à veritate Catholica, & ratione, recta defecerunt, vt iam ostendo.

6. A ratione conclusionis nostræ, probatio, quali euidens, multifariam ab eius Patronis tentata in quibus S. Thomæ rationes à nonnullis præter eius mentem recensentur, qui solum supposita, ex fide Angelorum omnimoda incorporeitate, & absoluta spiritualitate congruentias bonas, & apposita veritatis eius Catholicæ, & ratione fundamenta, ex, præstantis Theologi munere proprio, afferre curauit, vt eam nos, & fidei nostræ veritates cæteras, non solum naturali rationi non dissonare, sed maxime etiam consonare ostenderet. Prima ratio eius fuit, 1. p. q. 50. a. 1. & q. vn. de spiritualib. creatur. a. 5. ex perfectione vniuersi à Deo in eius productione intenta. Ad eam quippe, spectat, vt omne genus entis possibilis in illo adsit: est autem genus entis possibilis substantia spiritualis adæquatè talis, nec corpore, vt sui parte, constans, quam Angelum dicimus; ergo ea substantia, seu Angelus omnino spiritualis, & incorporeus est in vniuerso. Sed hoc rationabiliter poni posse (ac positum fuisse, ex suppositione, quod positus sit) solummodo probat, vt patet; non autem necessario ponendum: quia mundum, quem condidit, summa perfectione ponere Deum voluisse, certum à ratione nō est; imo vero plura vniuersa perfectiora & infinitum perfectiora (synthegorematice, eo, quod de facto condere efficaciter voluit, & produxit, posse velle, & facere Deum certo ostendimus controu. de volunt. Dei, secundo subtiliter pure incorpoream, atque omni parte sui spiritualem, non repugnare, sed esse possibilem, vt oportet ad hoc (vt ad vniuersi perfectionem summam etiam à Deo intentam spectet) vnde eo discursu monstratur? certe aliunde demonstrandum erit. Secundo S. Thom. ratio ex rerum ordine ita instruebatur: quia ab extremo, ad extremum, in rebus, nisi per medium, non transitur: vt patet in locali dispositione corporum elementalium, in quibus loco superiori ignis nobilior reliquis (tametsi cælo nobilissimo inferior) atque

atque immediate subiecto loco, aër igni nobilitate, proximior inferiori vero loco, vt nobilitate, aqua, & postremo, vt nobilitate ex elementis infima, terra collocata est, vnde infert. S. Thom. *Non est possibile, quod sub Deo immediate collocetur corporalis substantia, quæ est omnino composita, & diuisibilis, sed oportet ponere multa media, per quæ deueniatur à summa simplicitate diuina, ad corpoream multiplicitatem*, ac proinde substantia omnino incorporea, & spiritualis, ex creatis nobilissima (Angelus nempe) Deique simplicitati proxima immediate sub eo collocanda erit: deinde constans ex corpore, & spiritu, scilicet homo, vt continuis gradibus connaturalius, ac non, quasi per saltum, neglectoque ordine rerum, ad pure corporeas substantias, in vniuerso collocandas deueniatur. Sed in primis cum inter pure corporea animalia sint, vt ratio localis ordinis corporum, ex qua trahitur argumentum teneret, oporteret animalia supra cælum esse locata, cuius oppositum euidens est, & tamen perfectus corporum ordo in vniuersi collocatione est seruatus. Secundo, cum extrema sint Deus omnimode simplex, & corpus maxime compositum, non autem Deus summe spiritualis & ens omnino corporeum: non euincit dandum esse medium pure spirituale, sed medium solum inter omnimode simplex, & omnino compositum; quod in substantia pure corporea assignare Philosophi possent, & possibile, etiam nunc Recentiores plures probabiliter defendunt: talesque esse cælos, qui nihil ab elementalibus, qualitatibus, & corruptibilibus agentibus patiuntur, quin euidenter redarguerentur, asserere.

7 Eo vero prætermisso, contiguioribus gradibus à supremo, ad infimum creatorum genus descenderetur, si aliquæ creaturæ intelligentes incorruptibiles, prorsus incorporeæ. Aliæ vero corpori etiam incorruptibiles, intercederent per quæ ad intelligentes corporeas etiam corruptibiles (vti nos sumus) rerum vniuersi productio, & constitutio peueniret: quare ratio de omnibus Angelis, vniuersim, non probaret. Demum discursus, etiam, hic non repugnantiam, & possibilitatem, eiusmodi substantiarum pure spiritualium, & omnino incompositarum, aliunde probandam supponit, si pure naturali ratioui stemus. Probat tertio Raymundus Sabundius, Natural. Theolog. c. 218. de Angelis, quia, cum natura corporea dupliciter respecta creaturæ spiritualis existat, & diuisim ab ea, vt in elementis, & mixtis pure corporeis, & coniunctim, cum illa, vt in homine creaturæ spirituali, nobilioris generis iniuria fieret, ni totidem, vt minimum, modos existendi haberet, & coniunctim, cum corpore in homine, & seiunctim à corpore, in Angelo imo, & vniuerso fieret iniuria, quod, cum pure corporea substantia constet perfectior plane erit, si pure spirituali substantia etiam constiterit, quam, si nobilioris eius generis perfectissima specie caruerit. Verum, & hæc ratio eius substantiæ omnino spiritualis possibilitatem aliunde ratione probandam supponit. Secundo. Neque admissa, vniuersim, de omnibus Angelis probat, cum satis sit aliquas substantias dari omnino spirituales, vt argumento satisfiat. Tertio. Ne id adhuc probatur: cum vniuersum perfectionibus omnibus entium possibilium conflatum producere Deus nullo, siue rerum aliarum, quæ in vniuerso sunt siue vniuersi totius iure stricto teneatur, vt secus faciens, vel rebus, vel vniuerso irroget iniuriam, vt ex supremo Dei in creata dominio, & absolutissima arbitrij diuini in decretis suis concipiendis, & producendis creaturis omnibus, & singulis libertate liquido apparet. Probat quarto, Iodocus, Lorichius in nouo thesauro vtriusque Theologiæ verbo, Angelus num. 3. quia natura Angelica suprema ex creatis est, omniumque proinde Deo quam simillima: ergo omnino à corpora seiuncta; sed hæc etiam ratio possibilitatem, eiusmodi substantiæ omnino à corpore seiunctæ supponit: nisi enim possibilis sit, suprema ex creatis esse non poterit. Secundo Supponit eam iam esse productam: quod Deo mere arbitrarium, cum sit, nulla pure naturali ratione potest cum fundamento, probabili adhuc, (ne dum efficaci aut euidenti) suaderi. Tertio. Suprema nobilitas substantiæ Angelicæ respectu hominum, (si reuelata à Deo abessent) è pura ratione naturali non ita efficaciter Philosopho Ethnico probaretur, vt vero simili effugio locus non esset, vt q. 4. videbimus. Quarto demum. Cum substantiarum spiritualium partialium natura sua species, & genera etiam perfectiora, & imperfectiora repugnare ex ratione pure naturali demonstrari nequeat: atque, si animæ spirituales, Angelicæ, quibus, & corporibus Angeli constent, humanis animis, è genere, vel specie sua, nobiliores asserantur, haud dubio, Angelos hominibus perfectiores, & nobiliores, omniumque creatarum substantiarum nobilissimas, ac Deo quam simillimas esse probaretur, nihilque efficaciter præfata Iodoci ratio concludet.

CERTAMEN VI.

Veritas eadem à ratione demonstrata: vbi, & obiectiones à ratione præ sui leuitate euanescunt.

Efficacius probatur, à S. Thoma citata q. 50. a. 1. ratione, quam Iodochus Lorichius, & alij communiter reputant solidiorem, atque euidentem censet Bubalus diffic. 2. §. 4. ex prædicato intellectiui, quod Angelicæ substantiæ essentialiter competere certum, atque euidens est. Verum ex prædicato intellectiui præcise, nusquam solide intentum probabitur, nisi adatur nullam aliam vitalem operationem naturæ Angelicæ competere, præter intellectionem. Etenim, etsi demonstratum sit, cert 1. Angelum adæquate corporeum non esse, atque adeo spirituali animo, seu forma intellectiua, vt minimum, constare debere, cuius vi, & facultate intelligat; si tamen vitales alias operationes dependenter à corpore, siue corporeas exerceret, quarum spiritualis eius animus formale principium, vitalisve actiua facultas foret, nihil prorsus, ex prædicato intellectiui animæ Angelicæ pro eius naturali in connexione, & separatione à corpore, cum quo Angelum naturaliter componeret probaretur: vt constat, ex spirituali, & intellectiuo subinde, hominis animo, qui, etsi intellectiuus, atque intellectionis principium sit, quia tamen aliarum, etiam vitalium operationum corporearum, atque à corpore proprio, eiusque organis dependentium principium est, corpus naturaliter petit, cum quo hominem, vt compartem naturali, constituat. Id quod, satis in huius argumenti efformatione à se animaduersum Bubalus ostendit, & si eius paragraphi titulo non satis explicuerit; cui proinde addere debuisset aliquid, quo clarior demonstratio curreret, nec instantiis, & solutionibus Recentiorum posset obscurari: scilicet, naturæ intellectiuæ solum, nec alias vitaliter corporee operatiuæ corpus, vt compartem animi naturalem, & propriam atque eius naturæ partem constitutiuam non esse tribuendum: quare, neque Angelo, qui natura intellectiua, nec aliàs vitaliter operatiua corporee est, corpus, vt naturalem, & propriam animæ compartem, naturæ illius constitutiuam partem tribui posse. Hoc ego plene, planeq; demonstrari naturali ratione non dubito, nec Bubali solum, sed S. Thom. etiam mentem esse ipsissimam: quamuis, quia, non adeo explicitis terminis, ratio à S. Thoma, summam agente, fuerit proposita pluribus doctis Recentioribus minus efficax visa fuerit, & variis hinc inde petitis instantiis. & argumentis fuerit, eius firmitas tentata nec totũ eius robur à Bubalo nostro simul, & coniunctim propositum, & exertum, quãuis sparsim, pleraq; soluẽdis aduersæ sententiæ quam suæ, & nostræ probandæ apta miscendo, minoriq; proinde impetu concursurum, totum fere fuerit attactum; ita vero demonstrationis huius vim totam edissero.

2 Substãtiali principio vitali, cuius nulla vitalis ope-

ratio corporea, siue dependenter à corpore, eiusque corporeis organis, vt instrumentis saltem, elicienda est corpus, ad illudque coniunctio connaturalis, siue naturæ suæ iure debita, esse nullatenus potest: atqui substantiales vitalis principij substantiæ intellectualis Angelicæ, nulla est operatio corporea, siue dependenter à corpore, eiusque organis, adhuc, vt instrumentis, elicienda: ergo substantiali principio vitali naturæ intellectualis Angelicæ corpus, ad illudque coniunctio connaturalis, siue naturæ suæ iure debita esse non potest. Discursus euidenter concludit, si certæ, atque euidentes sint præmissæ. Ex eo vero æqua legitimitate, & euidentia infertur substantiale principium intellectuale naturæ Angelicæ, (quod vt minimum spirituale, & prorsus incorporeum, secundum se debere Angelis concedi euicimus cert. 1.) non esse partem, quæ cum corpore, tanquam comparte substantialem aliquam naturam, quare neque Angelicam, constituat. Si enim principium illud vitale intellectuale Angelicæ naturæ, partialis, de se substantia, & pars essentialis, natura sua, ad totalem aliquam substantiam Angelicam (vt aduersarij volunt) constituendam cum parte alia, corpore scilicet, foret, natura sua corpus (compartem scilicet) exigeret, vt reliquis cuiusvis totius essentialibus partibus contingit, ostendimusque c. 3. nostræ Theologiæ de Deo trino, & incarnato, d. proœmiali, q. 2. cert. 5. à num. 3. iam præmissarum euidentiam ostendamus, ne inde discursus à demonstrationis rigore deficiat. Maior probatur. Principia omnia vitalia, quæ in vniuerso toto extant, percurrendo: quorum nulli, quod operationis alicuius vitalis corporeæ, atque corpore, eiusque organis dependenter exercendæ principium non sit, corpus, atque cum ipso coniunctio connaturalis, ac naturæ suæ iure debita est: etiam principio vitali intellectuali, quod animus noster est: cui naturalis coniunctio cum nostro corpore, id est, quia sensationum, & aliorum operationum vitalium corporearum, ac dependenter à corpore, eiusque organis eliciendarum (puta sensatio nutritionis &c) nec intellectionis solum vitale principium est. Probatur secundo, ex animæ corpori connaturaliter coniungendæ vniuersim sumptæ Aristotelica definitione, *quæ actus corporis physici & organici potentia, vitam habentis* definitur: id est corporis, quod actus, seu anima illius coniunctione vitam actualem, siue actuale vitæ exercitium corporeum operationum (ad quas organis suis tanquam animæ instrumentum cum ipsa concurrit) possit habere. Confirmatur, probaturque Tertio: quia nulla animæ à corpore dependentia excogitari potest, vt in se sit, quia materialis sit ex genere suo, (quod intellectiuæ, ac subinde spirituali, è genere suo animæ, non competit) nisi ratione operationum vitalium, quare vitale principium anima, qua anima, est; ergo si nulla animæ alicuius operatio, vitalis corporea, seu à corpore dependens, in sui elicientia sit, naturalis exigentia coniunctionis, cum corpore in ipsa esse nequit, vt contendimus.

2. Probatur quarto ex Aristotele 1. de Anima textu 13. ita ex præmissa maiore tanquam principio firmissimo, ac notissimo in Philosophia animorum aliquorum separabilitatem, & inseparabilitatem aliorum, generali hac regula, statuente. *Si igitur est aliqua animæ operatio, aut passionum propria, continget vtique illam separari; si vero nulla est propria ipsius, non vtique erit separabilis:* quia, nimirum, hæc operationum vitalium, solummodo corporearum, atque à corpore eiusque organis dependentium principium vitale foret, & à corpore seiuncta omnino esset in natura otiosa: quem otiositatis statum, & cessationis ab omni operatione vitali ad quas exercendas essentia sua nata est, & inclinat naturæ suæ connaturalem habere non potest; sed potius statum coniunctionis cum corpore, sine quo exercere illas nequit. Sin autem aliqua sit, alicuius animæ, operatio vitalis, ita propria, vt ex se, ac prædicatis, & natura sua à corpore, eiusque organis in sui elicientia, non pendeat, imo vero eis impediatur, vt summe perfecta eliciatur ne facultatis vitalis, virtus ad eius operationes, summam perfectionem producendam natura sua impeditam admittamus, eam quidem à corpore, eiusque organis separabilem esse fateamur necesse est. Hinc Aristot. 3. de Anima ab initio ad textum 21. animum rationalem nostrum à corpore separabilem, & independenter ab illo æterno duraturum, atque eius authoritate, & ratione discipuli Peripatetici omnes probare conituntur: qua in re, cum resurrectionis nostræ fidem eum corporibus ad debitam astorum in hac vita, corporum interuentu, mercedemque proportionatam recipiendam, non ita plane, vti nos ex fide, cognouerint, præcipue vitali animi nostri operationi (intellectioni scilicet, & voluntatis nostræ, actibus, qui de se se independentes à corpore, ac eius organis sunt) attendentes animum nostrum non separabilem solum natura sua à corpore, sed æterne separandum male, & si ex certo principio, quod in nostra præmissa maiore continetur, intuleruntur. Equis autem trium animæ statuum hoc connaturalior animo nostro sit ex dictis, d. proœmiali citata q. 2. n. 4. & c. 2. Philosophiæ controu. penult. d. 1. (propria scilicet eius quæstionis sede) monstrauimus. De cætero vero euidenter discurrit Aristotel, animi nostri separabilitatem.

4. Minor præmissa demonstratur: quia in substantiali principio vitali spirituali intellectiuo naturæ Angelicæ nulla est operatio vitalis corporea, & dependenter à corpore, eiusque organis exercenda, vt omnes eius operationes recognoscendo clarebit. De intellectione patet, operationem vitalem esse independentem de se ab organis corporeis, ac subinde incorpoream, & spiritualem, vt recte nebat Aristot. 2. de generation c. 1 *Quorum principiorum sit actio corporalis, hæc sine corpore esse non posse, certum est, vt ambulare, sine pedibus &c. Restat ergo, vt sola mens extrinsecus accedat. Nihil enim eum eius actione communicat actio corporis.* Quibus docet intellectuum præcise, tantumque, extrinsecus solum corpori accedere, ratione operationis ipsi respondentis, quæ de se corpus nequaquam exigit, vt exerceatur: ac subinde, nec posse illud ratione huius operationis corpus naturaliter, vt compartem requirere: sicuti principium vitale progressiuum ad deambulationem, quæ sine corpore, nequit exerceri. Probatur vlterius. Quia nulla operatio vitalis potest exigere natura sua, principium impeditiuum perfectionis ipsi in suo genere, seu specie possibilis: atqui, si intellectio sola, & de se à corpore, eiusque corporeis organis natura sua penderet, exigeret natura sua principium impeditiuum perfectionis ipsi in suo genere, seu specie possibilis; ergo nullatenus intellectio sola, ac secundum se sumpta à corpore eiusque organis pendet. Minor probatur: quia perceptio clara, & intuitiua obiectorum in se, siue per species proprias, est perfectio possibilis proculdubio ex genere seu specie sua intellectioni: atque hæc perfectio impediretur per dependentiam intellectionis, in sui elicientia, à corpore, eiusque organis; ergo si intellectio sola, ac de se, & natura sua penderet, à corpore, eiusque organis, exigeret de se, & natura sua principium impeditiuum perfectionis sibi in genere, seu specie sua possibilis. Minor postrema probatur: quia dependentia intellectionis, à corpore eiusque organis, in sui elicentia solummodo esse potest, vt ab his species sensatas prius, & abstractiuas obiectorum percipiat, ac subinde, non in se, ac vt in se sunt, intuitiue, sed abstractiue, atque alterius, nempe obiecti sensibilis, adinstar obiecta percipiat, quod aperte perfectionem illam percipiendi obiecta, vt in se sunt, ac intuitiue, non impedit vtcumque, sed ab intellectione propellit, vt in intellectionibus, quas pro hoc statu habemus claret. Hic autem coniunctionis status animis nostris connaturalis est, qui ipsi, non solius intellectionis, verum & aliarum operationum vitalium corporearum, vt diximus, principia, & facultates habent, vel sunt potius

rius, vt controu. de potentiis animæ monstrauimus.

5. Quod autem principium vitale intellectiuum Angelicæ naturæ nullius alterius operationis vitalis præter intellectionem sit, ac subinde nullius operationis corporeæ, seu à corpore, vel organis corporeis dependentis, (quod solum ad plenam, minoris discursus, quem persequimur ostensionem restat) probatur: etenim operationes materiales motionis corporum aliorum (puta cælorum, vel similium) operationes vitales substantiæ Angelicæ non sunt: cum non eidem motus principio, siue Angelo motus insidentes sint, atque ab spirituali pure substantia impulsus, à quibus aliorum corporei motus proxime proueniant imprimi possint, vt in Deo patet. Secundo: quia tantus impulsus quantus necessarius est cælorum, & aliorum corporum terrestrium, & immanium, motibus, quos experti homines sunt, quam citissimis, ab Angelis, ac Dæmonibus fieri (vt referunt sacræ paginæ, profanæ, & Ecclesiasticæ historiæ, atque ex eis notter Martinus del Rio. 2. Disquisit. Magicar. q. 7. 8. & 9. & in Anacephaleosi Mònitione 1.) nequit corporeorum organorum, tanquam instrumentorum adiumento, & significanter & monstrosa, quævis membra corporea lacertos videlicet, musculos, & neruos, (quibus vis tota impulsiua inest iuxta Arist. 5. de generat. c. 7.) Angelis affigas, & affingas, prouenire. Tertio: cor, quod neruorum origo, & humorem mucoris similem albidum, glutinosum, quo nerui alerentur esset Angelo tribuendum: si vera sunt, quæ Arist. docet 3. de hist. animal. c. 5. Nec dici potest, corpori Angelicæ naturæ, ad ea munia debito membra alterius rationis esse; id enim omnino fictitium, irrationale, ac mere arbitrarium, Philosophoque indignum est; assignantur enim corpus, membraque ipsius, quæ ab ipsis etiam ita respondentibus, ignorantur, & quorum asserendorum, ne vmbra quidem, nedum vestigium est. Deinde non erit corpus illud cæleste, cum enim hoc solidæ adeo substantiæ natura sua sit, quo pacto in tot membra, tam variarum figurarum dispositionumque, naturaliter flectetur? & quibus, omnibus etiam, præter primas (quibus inalterabile cælum est) qualitatibus peragetur? sed neque erit corpus aëreum, vt plerique aduersarij volunt. Primo: quia Angelus ipso constans esset corruptibilis ratione partis corruptibilis, aëris nempe, & defectibilis natura sua vnionis, qua constarent, contra demonstrandum q. 4. sicuti, & ratione illius absolute corporei, vti nos, per aduersarios sunt. Nec satis est, alteram eorum partem spiritualem, & incorruptibilem esse, atque eum ab vno corpore sciunguntur, aliud assumere transmigrationis animorum nostrorum de corpore in corpus aliud, Pythogoricæ in morem. Id enim, neque Pytagoricis hominum mortalitate, & corruptibilitate negandæ satis vnquam fuit, vt ex ipsis patet. Secundo: somnium hoc Pythagorica transmigratione animorum in alia & alia corpora, deterius est, ac plane dementius iam ostendam: atque adeo Plato, qui in ea animorum transmigratione Pythagorizauit, animos transmigrantes assistentes solum corporibus, non autem ipsa informantes admittendos esse docebat.

6. Etenim, si Animus seu Angelus è corpore in corpus migrans forma, & actus, seu anima informans, & viuificans corpora illa sit, debet subiectum dispositum, & organizatum, ad functiones vitales obeundas supponere, non autem ipsa forma illud disponere, vt illud actuet, & informet constat indefectibili experientia, non formarum substantialium, & educibilium ex eius subiectis corporeis, sed, & spiritualium animorum nostrorum à corpore, ineducibilium qui tamen ad informationem illius dispositum aliunde, & organizatum corpus supponunt, vt experimur, docentque cum Aristotele 2. de anima text. 24. Philosophi omnes: nec enim corpus suum forma aliqua, seu anima sibi disponit, & architectatur, quam incolat, & habitet: vel ergo varia corporea organa ab Angelico spiritu aëris partem informante, expectanda, præsupponendaque sunt in alia parte aëris, ad quam prima corrupta migret, vel secus, & satis est homogeneas omnes aëris in quem migret, partes esse si hoc postremum non illam solum aëris partem, quam assignaueris naturaliter informabit, sed alias omnes aëris totius partes non corruptas, cum æque omnes dispositas ad suam informationem supponat; vel nullam præ aliis aëris partem informabit, cum in nulla præ aliis potior ratio sit, sed in omnibus eadem; idautem contra Thaletem, qui omnia Diis, seu Angelis informantibus plena esse docuerat, deduxit Aristoteles, vt plane absurdum 1. de Anima text. 81. verbis hisce. *Necesse est ipsam animam, aut similium pretium* (omnium scilicet) *esse, aut non esse, in qualibet parte totius.* Si autem corporea organa diuersa prærequirat spiritus Angelicus in corpore, in quod informatiue migret, cum a corrupti informatione secedit (vt prærequirere diuersæ adeo functiones medio corpore, eiusque organis ab spiritu Angelico exercendæ suadent) ea quidem organa diuersa, in corpore aëreo, materiaque, ad aëris formam disposita esse non possunt vt patet: cum oporteat in solidioris corporis organa neruos, musculos & materiam disponi, quod dispositionibus ad corpus aëreum requisitis aduersatur, & multoties contradicit: cum aëreæ dispositiones qualitates singulas intensiones determinatæ, nihiloque maioris, vel minoris contineant, & tamen maiorem aliquarum, aliarum vero minorem intentionem, cuiusvis organi corporei dispositio, ac temperamentum requirit. Atque (vt hoc cesset) sæpe non ita disposita organa in aliqua aëris parte aderit, cum à corruptæ informatione Angelicus spiritus abscedit: quare neque ad alicuius alterius informationem (quæ naturaliter, nisi corporis disposti esse nequit) transmigret; vnde naturaliter absque omni informatione, & vnione ad corpus, sæpe, imo semper, spiritus Angelicus existet; quod conceptui, & essentiæ partis essentialis, componentis, cum corpore substantiale totum repugnat, vt vidimus disputat. proœmiali tomi controuersiarum de Trinit. & Incarnat q 2. cert 5 n. 3. Ad hæc aërea substantia est substantia natura sua completa, & totalis, quæ proinde essentialis pars ad totum aliud substantiale componendum nequit natura sua ordinari: quare nec quidquam aliud potest ordinari ad totam alterius substantiale cum ipso, vt comparte, componendum: sunt enim duo hæc essentialiter correlariua. Hæc ratio quodcumque corpus ab aduersis Angeli pars, & cum spirituali intellectiua ipsius substantia, vt comparte essentialiter ipsum constituens somnietur, manifeste impugnat; ni materiam corpoream nulla forma substantiali informatam, dispositam tamen organice fateantur, quam vel primo Angelicus spiritus informet, vel ad quam dispositionibus, & informatione prioris deficiente spiritus idem migret: contra quem modum proxime efformata omnia militant: ac insuper cum organizata, ad vitale actiones diuersas esse debeat, vt spiritu Angelico viuenti informari queat, ac subinde de se indifferens ad formam recipiendam esse debeat, eiusdem prorsus rationis organizatum corpus Angeli cum nostro erit: quare, & sensibile, ac visibile in se proprioque corpore, nec solum in alieno, contra experientiam erit.

7. His etiam probatur motum localem proprium Angelorum qui vitalis est, organis corporeis, fieri non posse: quare neque corpoream operationem spiritus Angelici esse, cum corpus organicum Angeli, aëreum, aut substantiæ alterius esse non possit, sed materiæ solum organizatæ, nostræque similis, quam tamen in Angelis dari connaturaliter ob discursus, proximos, & quia natura sua, visibiles, vti nos, essent, aperte repugnat. Secundo: quia eiusmodi corpus seu materia, ita organizata impediret plane, potius, quam iuraret Angelici motus celeritatem, qua quoquoversum Angelos tam bonos, quam malos, & ad longissimas quasque distantes fere instantanee moueri ex sacra pagina, & historiis fide dignis, cum Ecclesiasticis, tum prophanis didicimus, & sæpe homines per ætates omnes experti sunt. Qualis ostensa est vocibus Apollonij Tyanæi. Magorum Principis Ephesi (vbi tunc aderat, eo fere instanti, quo Romæ Domitianus

ab Stephano quodam occisus fuit) prolatis. *Euge Stephane percute tyrannum* vt refert Philostratus in vita Apollonij : similaque plura aliorum, qui Dæmonum nuntiorum opera, quam longissime facta, tunc, cum ibi fiebant, denuntiantium videri possunt apud Gellium, 15. noct. Atticar. cap. 18. Aimoin. 3. Annal. cap. 22. Nicolaum Æmigium 3. Dæmonolatr. cap. 10. & quotidie sacris exorcismis adiunctos energumenorum Dæmones, quid locis distantissimis agatur, tunc vere narrare experimur. Ex quibus aliisque, quamplurimis constat Dæmonem, ne decies milies citatissimo, & subtilissimo aëre ventove ocyorem ex adeo longinquis loci notitiam, tam breui, ac fere instantanee deferre eam denuntiantibus hominibus potuisse; nedum si corporibus organicis, grauibusque subinde Dæmones ea deferentes nuntia constarent; idcirco sapienter, & acute Tertul. cap. 22. Apologetici, num. 348. *Omnis* (inquit) *spiritus ales est Hoc Angeli & Dæmones : igitur momento, vbique sunt : totus orbis illis locus vnus est, quid vbique geratur, tam facile sciunt, quam enuntiant : velocitas diuinitas creditur.* Et quamuis 2. contra Marcion. cap. 9. & cap. 11. num. 72. locisque aliis datis cert. 2. num. 2. Angelos carneo corpore constare, eoque congressos aliquos cum mulieribus docuerit; tamen recitato proxime loco & c. 6. de carne Christi num. 60. non solum carneum; sed, & aëreum; Angelis negauit scribens. *Constat Angelos carnem propriam non gestasse, vt puta natura substantiæ spiritualis, & si corporis alicuius, sui tamen generis, in carnem tamen humanam transfigurabilis, ad tempus, vt videri, & congredi cum hominibus possint.* illud vero; *& si corporis alicuius sui tamen generis*, non assertiue, vt corpus aliud à carneo, nempe aëreum, vel æthereum (quod nullibi Angelis attribuit) admittat, sed conditionate, siue ex hypothesi, quod aliquod eis corpus sit concedendum, asseruit: maxime eum ibi Agellem, & reliquos hæreticorum confuret, qui ex aëreo, vel æthereo Angelorum corpore, Christi etiam corpus aëris, non veræ carnis fuisse contendebant, cap. item 61. de resurrectione carnis corpus carneum Angelis negat. *Quia* (inquit,) *& Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, & pedes lauacro porrigendo : humanam enim speciem induerant, salua intus substantia propria.* Ex quibus & c. 22. Apologetici Angelo, ac Dæmoni spirituales vires attribuit. Ex quibus, aliisque locis Pamelius in Tertulliani paradox. 2. notat Tertullianum valde innegantem nostram conclusionem sæpe inclinasse.

8. Quocirca Tertullian. & Patres alios recitatos cert. 2. n. 2. pro sententia corpus carneum ad congressum cum filiabus hominum Angelis, seu Dæmonibus tribuentes vero similius de adscititiis, quam naturalibus corporibus, explicabis. Tum, quia oppositum irrationale est, & subinde Patribus indignissimum. Primo: quia innumeri pene, & legiones totæ, vt ex Euangelio habemus in vno hominis corpusculo cum ipso, & inter se se penetrati (idque solo Dei permissu; non autem supernaturali miraculo) esse minime possent (imo nec si aëre tenuiore corpore constarent) nec possent non grauius, tardiusque ad motum energumeni corpus reddere; cuius oppositum experimur. Genesis vero lucis ex lectione interpretum septuaginta, satis explicatus à nobis est cert. 2. n. 2. iuxta quam explicationem filij Dei vocabantur, qui progenitorum pietate à vita, & quasi hæreditaria, iustitia, atque ex Dei beneplacito, & virtute se gerebant; filiæ vero hominum fœminas ex progenie Caïn terrenis solum inhiantes carneosque & terrestres totos homines progenitores moribus, & imitatione referentes intelligi, vt cum Chrysostomo hom. 22. in Genes. Augustino 15. de ciuit. cert. 23. Cæsario Dialog. 1. cit. Theodor. q. 47.) in Genes. Cyril. 9. contra Iuliam Athanas. quæst. ad Antiochum q. 19 docent Pererius, & Cornel. à Lapide ad locum Genes. 6. vers. 2 id, quod consonat illis Ioan. 1. dedit eis, potestatem filios fieri Dei, & epist. 1. c. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemus & simus*, & ad Roman. 8. *si autem filij, & hæredes* & sexcentisque aliis, & quidem è nos & Cyril. & Cæsario proxime ob pietatem ab ipso adiuentam Deus vocatus est vti & Seth ob insignem scientiam, & scribendi artem ab ipso adiuentam, Deus etiam fuit nominatus, vt refert Suidas. Quemadmodum quidquid insigne est, & magnum valde, ac magno propterea in honore habitum, in scripturis Diuinis, & Dei, nomine sæpe donatur, vt Cedri, & montes Dei, vt obseruauit præclarus Pererius. Qui intelligentiæ, & interpretationi communi lectionis præfatæ subscribunt. S. Thom. 1. p. q. 51. a. vlt. eiusque interpretes nostri Molina q. 52. a. 1. Bubalus difficult. 1. §. 9. Valentia d. 4. q. 2. p. 1. Vasquez d. 178. c. 5. qui alia interpretatione filiorum Dei nomine, potentium populi filios intelligit. Iuxta versiones Symachi Pagnini, & paraphrasim Chaldaicam; filias vero hominum ex plebeiis ortas, vt ait Hieronymus, & alij, de quibus Vasquez ibi, & Leonardus Coqueus, in lib. 15. de ciuit. Dei c. 22 quouis autem ex præfatis modo filios Dei, ac filias hominum intelligas, illud sane certum è textu ipso est: filiorum Dei, nomine Angelos intelligi non posse, vt Pererius notat obseruat Etenim hominum, non Angelorum peccatis iratus Deus ait n. 3. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, & n. 5. *videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset, ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus : deleo* : inquit, *hominem, quem creaui*, &c. Ac tolus denique homo non Angelus, vt Dei indignationem, ita, & illuuij supplicium incurrit.

9. Quod autem de incubis Dæmonibus, & si nonnullæ fœminæ, cum quibus coierunt semints ab illis eiaculationem, sensisse fuerint testatæ, deceptæ plane Dæmoni callidirate, & artibus sunt: nec hers eiusmodi coitu conceperint (vt subdubius inclinat Sanct. Thom. q. 6. de pot. a. 8. ad. 5. Aug. 3. de Trin c. 8. & 9. fieri posse censet) hominis semine instantanee in fœminæ vterum adsportato, & applicito factum fuisset: sicuti per aliarum rerum naturales causas & si occultissimas, & semina mira quædam, per Magos efficiunt, vt virgarum in serpentes veros coram Pharaone conuersionem, iuxta Auguit. n. 3. de Trinit. cap. 8. & de Genesi cap. 7. & 8. Theodoretum, quæst. 18. in Exodum. S. Thom. quæst. 6. de pot. a. 5. ad. 8. & quæst. 16. de malo a. 9 ad. 10. Michael Glyca 2. p. annal. Theodoreti hac in re transcriptor, non author (vt à Delrio putabatur 2. disquisition. Magicar. quæst. 6.) Bubalum, cit quæst. 50. quæsito 2. dif. 2. §. 6. versu. *Verum tamen, quamuis* contra glossam ad locum Exodi, & Valentiam, t. 2. quæst. 6. pu. 2. & alios, qui illusoriam, eam virgarum conuersionem putant. Sed tamen, cum non alter, & eodem modo, earum, ac virgæ Moysis, quæ certe in serpentem conuersa est conuersio ab scriptura narretur, earum etiam vera conuersio debet censeri, quamuis illius miraculosa, & à Deo, absque vllius causæ naturalis ministerio, solaque Dei virtute conuersio non fuerit effecta, sed illarum conuersio à Dæmone, applicando occulta actiua, naturalia, passiuis (in quod solum potest) fuit peracta. Neque opus est, vt gigantes (quorum cap. 6. Genesis mentio) procreentur Dæmonis incubi opera : cum sæpe ex communium hominum concubitu giganteæ magnitudinis proles, atque è pusillis, quam magni filij procedant, vt videmus, & rarum exemplum refert Augustin. 15. de ciuit. cap. 23. duo tandem examinanda hic ad omnimodam Angelorum immaterialitatem, seu incorporeitatem, totalemque spiritualitatem statuendam, videbuntur. Primum: an Angeli bonis odoribus recreentur? Dæmonesque fœtoribus grauentur, vt scriptura sæpe alias & Tobiæ libro videtur innuere : quod ni substantiæ corporeæ sint fieri nequit, sed certe hæc omnia per apparentiam solum Angelis, ac Dæmonibus conueniunt, vt Raphaëli corporeus esus, & potus Iob. 12. tametsi negandum non sit, Dæmones quandoque fœtoribus Dei pacto, non secus, atque aqua benedicta, vel sacris exorcismis, non autem eorum graueolentia fugari; Angelosque

que similiter odoribus attrahi ex Dei voluntate posse, & quidem, & si vera recreatio in Angelis, & grauedolentia in dæmonibus admittenda esset, similis, atque dæmonum tortura ab igne difficultas foret, d. vlt. per otium dirimenda.

10. Secundum est occasione quantæ rationis, seu obiectionis Caietani contra omnimodam Angeli incorporeitatem: quia sicut animus rationalis, ad sensationes materiales organizato corpore eget: ita ob solum motum localem posset etiam corpore Angelus egere. Cæterum de Angelis, qui de facto sunt, motibusque eorum ad immensa ferè spatia, quam citissimis, corpoream molem & membra impedimento potius fore & obsistere vidimus supra: quare de Angelis, ac dæmonibus, qui de facto sunt ab omnibus merito reiicitur Caietanus, in quæstione vero de possibilitate Angeli, qui ad motum localem, corpus, & membra corporea exigeret fuse disputat noster Franciscus Amico, d. . atque affirmatiuè deciditur à nostro Antonio Quiros citat. d. 51. sect. 1. num. 54. quia nulla repugnantia apparet in eo, quod Angelus aliquis ex possibilibus ad specialem aliquem motum localem corpore, corporeisque instrumentis ac membris egeat: quemadmodum, & animus noster, quem in statu separationis mouere se nullatenus, nonnulli docuerunt, apud Soarium lib. 6. de anima, c. 2. n. 8. vel saltem in eo statu mouere alia corpora iuxta communem Theologorum sententiam nequit. Sed hoc postremum, nil probat, neque enim id ex natura sua, & motus corporis alterius prouenit, per theologum aliquem, sed ob rationes alias t. 2. nostræ philosophiæ controu penult. examinandas: siquidem à substantia spirituali separata immota posse extrinsecus aliis corporibus impulsum imprimi, quo localiter moueantur certum est: atque animis coniunctio ad corpora propria ad vitalem solum corporum motum est necessaria: vnde, & primum fundamentum euanescit quia, & si reiecta illa à reliquis pauculorum opinatio de animarum separatarum immobilitate locali à se probabilis esset, non alia ratione talis foret, nisi ex eo, quod tunc corpus, eiusque organa, & membra corporea, ad motum connaturalem, & in statu sibi connaturali coniunctionis cum corpore, exigat virtutem se vitaliter mouendi connaturalem, in statu sibi, non connaturali (quem nequit virtus naturalis, seu connaturalis respicere) quem in statu separationis nequeat habere quare possibilitas Angelicæ substantiæ, quæ natura sua pars esset, exigens corpus, vt compartem, ad totum aliud absolute corporeum componendum, & localem motum vitalem connaturaliter exercendum, supponenda erat, vt ex ea paritate contenditur probari. Mitto rationem data contra omnem Angelum possibilem corpore constare non posse euidenter demonstrari.

11. Denique in eo eiusdem Quiros sententia, & sensu satis fuse, & ex instituto explicato d. 77. à sectione 2. & deinceps; tametsi ea sect. 2. nu. 16. fine, ea omnia à se non asserendi, sed proponendi gratia dicta velit, quo se remittit legendum, dist. citat. 51. sect. 1. num. 16. fine locum eius ratio non habet, illa ergo, dist. 77. vt passionem, dolotemque corporeum ab igne inferni, quo dæmones torquentur expeditius defendat, ait: materiam qua corpora, cuncta creata cælestia, & sublunaria constant, spiritibus, & corporibus communem de se esse, quantitatem impenetrabilitatem, & extensionem, hisue opposita, non exigere, sed ad vtrasuis, se indifferentem natura sua habere, atque à formis sibi adiunctis ad alterum eorum, determinari, à corporea scilicet, ad quantitatem, &c. habendam, ab spirituali ad illam non habendam; imo vero ad habendam penetrabilitatem. Mitto sententiæ huius falsitatem detegendam quæst. 2. & inutilitatem distinct. vltim. monstrandam, solum hic probo iuxta hunc Quiros sensum manifestam implicationem angelicæ substantiæ possibilis, quæ ratione motus corpori, seu materiæ huic adiungi natura sua debeat, vt membra corporea ad suos locales motus naturaliter exigeret. Etenim natura illa; vti omnis angelica spiritualis forma, perfe, & per omnes foret; Ergo natura sua materiam cui adiungeretur spiritualem inextensam inquantam (vt sic loquar) & penetrabilem, idque natura sua constitueret, ac redderet: ergo & in membra ad motum inorganizabilem: quare, vt possibilis sit, natura vlla angelica corporis membra ad motum localem natura sua exigens, debet hæc opinatio ablegari, atque ferè omnia, quibus hic author Angelos de facto incorporeos absolute probat eiusdem sententiæ postiliminium requirunt, vt ea expendenti patebit: similique argumento eius opinionis, (si id nominis mereatur, de quo statim) inutilitas apparebit, disputatione vltima.

QVÆSTIO II.

De Angelorum simplicitate.

ANgelorum compositio, atque ei aduersa simplicitas, multiplex potest excogitari, ac sub inde ad examen scholasticorum venire. Prima, quæ essentiæ, & existentia naturæ Angelicæ, dicitur. Secunda, quæ ex natura, & suppositalitate, seu personalitate. Tertia, quæ ex forma, & subiecto materiali, vel spirituali, substantialibus, quibus natura nostra ex anima, & materia seu corpore substantialiter, & essentialiter constituitur. Potest autem tertia hæc compositio, & de facto, in Angelis, qui de facto, sunt, ac demum, de possibili respectu, non solum, Angelorum, qui de facto sunt, sed reliquorum possibilium, etiam quæ conditi à Deo non sunt, nec erunt, sed intra puram possibilitatem recludentur; quæ omnia seorsim, vt res tota clare percipiatur examinanda erunt.

CERTAMEN I.

De duplici prima compositione, vel simplicitate Angelorum statuitur, ac de tertia re censentur opiniones tam de facto quam de possibili.

1. PRimam compositionem ex essentia, & existentia tam Angelis, quam earum naturis, veram, & realem concedunt, ac proinde, in ea lignea, & ordine eis negant realem, & veram simplicitatem Thomistæ omnes Dominicani Recentiores, qui rerum essentiam ab existentia (tanquam ex S. Th. sententia) realiter distinguunt, & sanè S. Thomas in Angelis, vti in creatis cæteris, ex essentia, & esse, seu existentia compositionem, non semel admittit, atque oppositam negat simplicitatem, 1. p. qu. 50 art. 2 ad 3. qu. 75. a. 5. ad vlt. primo loco ex Boëtio, ac sæpe alias; eam vero realem, & tanquam realiter diuersorum coniunctionem verum esse non potest, vt vidimus in metaphysicis, vbi existentiam rerum ab essentia reipsa, nec differre, nec posse eum tota nostra schola, verè Thomistica, lesuana satis ostendimus. Aduertimus autem ibidem existentiam, ab essentia, ne formaliter quidem, vt rei formalitates, & prædicata metaphysice diuersa (quemadmodum animal rationale in homine) differre contra nostrates nonnullos: eo siquidem admisso realis distinctio essentiæ ab existentia legitime contra eosdem infertur, atque ad rem præsentem,

realis eorum, in Angelo, (vt vniuersim in quauis creatura existente) compositio qua realis, in eo ordine simplicitas Angeli excludatur. Solum ergo rerum essentiæ ab earum existentia diuersitas, quoad statum eiusdem, non solum rei, sed & formalitatis obiectiuæ & subiecti, de quo prædicatur admittenda est: essentia quippe cuiusvis rei quatenus ab actuali, & absoluta existentia præscindit; nil aliud procul dubio est, quam coniunctio prædicatorum essentialium eius, seu possibilitas, quæ ad rei statum spectat, non ad prædicata ipsa diuersa, quibus res illa constat essentialiter, & sibi inuicem non repugnant, & ratione cuius diuersitatis, quoad statum, essentia, & possibilitas rerum rebus, & prædicatis eius essentialibus absolute à rebus, & cum rebus ipsis, dum hæc absolute non existunt amoris de rebus eisdem essentiæ, & possibilitas earum verè, & necessaria, ac non contingenti veritate, prædicantur, tunc etiam, cum existentia de rebus iisdem prædicari non potest: vt fusius citato loco ex instituto docuimus, explicuimusque, & t. 1. de Deo vno controu. 2 de scientia Dei non semel attigimus, atque inde Thomistarum Dominicanorum vnicum fundamentum diiecimus.

2. Circa secundam compositionem, ex natura, & subsistentia eam Angelis communiter concedunt merito Theologi, tam qui in modo superaddito subsistentiam, & personalitatem constituunt, quam qui eam in negatione vnionis, seu independentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud (vti nos t. de Trinit. & incarnat. d. proæm. qu. 2.) possunt. Etenim, quovis modo subsistentia, & personalitas asseratur naturæ substantiali ab ea realiter posse deficere, si à Deo hypostatice assumantur (vt assumpta Christi humanitas fuit) certum omnino est: quod, nisi subsistentia, & personalitas à natura substantiali assumptibili realiter differat fieri minime potest; quocirca male pro sententia aduersa referuntur Scotistæ, & quicumque aliquid substantiale positiuum addere supposito supra naturam negant: ex modalibus tamen negatiue adhærent. Petauius, tom. 2. Theologic. dogmat Martinon. de Angelis, disputation. 36. num. 28. quia alias Angelus, qui pro supposito stat, non pro natura, simplex absolute, non esset contra Dionysium, & Theologos; sed falsum est fundamentum: præcise enim sumptus. Angelus naturam solum significat, secus Michaël, & aliud quodvis individuale Angeli nomen, vt vidimus sæpe & controu. 8. de incarnat. disputation. vlt. qu. 1. & in Michaele pro sua individua natura sumpto vim consequentia non habet, quovsque existentiæ suæ independentia ab vnione ad aliud accedat, & significetur. Ouiedo noster controu. 6. Metaph. pu. 2. §. 3. huic adeo apud scholasticos Doctores constanti sententiæ negandæ viam aperuit. Asserit quippe: dari posse substantiam spiritualem, à sua personalitate realiter indistinctam, vt vidimus citata d. proæm. quæst. 2. cert. 5. num. 8. med. cum tamen distinctionem realem humanitatis Christi ex materia, & forma compositæ à sua personalitate non inferre naturæ Angelicæ simplicis, & incompositæ à personalitate sua realem distinctionem dicat; vnde infero: ergo distinctionis naturæ substantialis à sua personalitate ratio tota ex illius compositione reali ex materia & forma per te desumitur, atque eius naturæ à sua personalitate indistinctio ex eius simplicitate, & incompositione, ex forma, & materiâ per te: atqui, per te etiam, & scholasticos Doctores, Angeli, qui de facto sunt, materia, & forma non constant: ac proinde, eis, æque, ac cuiuis spirituali substantiæ possibili, compositio eiusmodi repugnat, necessariaque est eius, generis incompositio, & simplicitas: ergo & à sua personalitate realis distinctio repugnabit aderitque Angelis, qui de facto sunt, necessario cum sua personalitate realis identitas contra tuam, & communem Doctorum conclusionem, hoc numero assertam.

3. Circa tertiam Angelorum simplicitatem, seu incompositionem ex materia, & forma ex parte subiecti (nempe Angelorum) diuisio oportet, in Angelos, qui de facto sunt, & in Angelos reliquos pure possibiles: tum etiam ex parte Materiæ, quam incompositio, & simplicitas, asserenda vel neganda de ipsis concernit. Rursusque Materia hæc dividenda est, in materiam triplicem: vel de se corpoream, & quantitatiuam, siue quantitatis, extensionis, & impenetrationis cum alia exactiuam (qualis omnium corporum materia esse communiter æstimatur) vel indifferentem de se ad quantitatem, & vel habendam, vel non habendam (cuiusmodi à recentioribus nonnullis materia omnium corporum censetur,) & quæ ab extrinseco, scilicet forma corporea, & quantitatis exactiua determinetur; quæ tamen ipsa ad quantitatem extensionem, & impenetrabilitatem non habendam à forma spirituali, ipsi adiuncta determinaretur: vel tandem in materiam pure & positiue spiritualem, quæ natura sua quantitatem, localemque extensionem, & impenetrabilitatem, cum alio respueret, & eidem, si de Angelis, qui de facto sunt, & materia de se corporea, & quantitatiua loquamur, constans apud omnes scholasticos est, neque eiusmodi materia constare, neque illam ad tertij alterius compositionem, vt compartem concernere, vt hactenus vidimus, vnde fit: neque cosdem, alioſve vllos possibiles specie aliqua cum productis connenientes, ea materia constare, illamve vt materiam alterius compartem exigere natura sua posse. Constant hæc illatione manifesta de intrinseca essentiali constitutione Angelorum, qui de facto sunt: quia de facto, sine intrinseca constitutione essentiali nihil potest absolute existere, absque aperta contradictione: atqui Angeli, qui de facto existunt, sunt sine intrinseca essentiali constitutione ex materia ex se quantitatiua, & corporea: Ergo Angeli, qui de facto sunt, intrinsecam essentialem constitutionem, ex materia corporea, & quantitatiua habere non possunt; sed neque illam possunt, vt compartem tertij alterius componendi concernere: Alioqui Angeli omnes contra naturalem suam exigentiam compare illa priuati creati à Deo fuissent, & conseruarentur: quod etiam repugnat. Denique nullum Angelum possibilem in aliqua ex speciebus productorum, & de facto absolute existentium contentum corporea, & quantitatiua de se materia constitui essentialiter, illamve ad tertij alterius constitutionem posse concernere æqua euidentia demonstratur, quia alias alterius speciei ab omnibus, intra quas producti, & de facto existentes Angeli continentur, possibiles illos Angelos esse contingeret: Quod supposito conclusionis (quæ de possibilibus intra speciem aliquam ex productis procedit) manifeste contradicit. Hæc citra controuersiam præmittenda iudicaui: cum, vt, quæ disputari ab scholasticis possunt, clare proponam: tum, ne in his etiam decidendis turpiter deinceps abiretur confuseue procedatur.

4. Ergo de materia de se, nec corporea, nec quantitatiua, sed vel indifferente, & quæ ex formæ corporeæ, vel spiritualis adiunctione spiritualis, vel potius corporea reddatur, vel de materia spirituali agamus & de Angelis, qui de facto sunt, iisque ad eorum speciem aliquam pertinentibus, an materia alterutro, ex dictis modo incorporea constitui possent illamve concernere vt compartem? prima est difficultas. Secunda vero de Angelis specierum aliarum, ex quibus nullus productus de facto est, cunctis earum speciebus intra puram possibilitatem recluſis: & de his quidem triplex difficultas seorsim examinanda claritatis gratia venit pro triplici materiæ diuersitate. Prima an præfati Angeli possibilis materia de se

se corporea, & quantitatiua constare essentialiter possint? an saltem, illam, vt compartem tertij alterius natura exigere sua? Secunda de eisdem Angelis, an materia indifferenti possent constitui, illamve, vt compartem substantialem alterius tertij natura sua concetnere? Ac de iisdem Angelis & materia de se se incorporea, & spirituali. Porro, in quauis ex his difficultatibus propositis tam circa Angelos, qui de facto sunt, eorumque similibus, quam de Angelis pure possibilibus duplex difficultas continetur, vt ex cuiusque propositione patet. Prima de intrinseca, & essentiali constitutione Angelorum ex materia aliqua ex dictis. Secunda de naturali concernentia materiæ ab Angelis præfatis, quæ valde diuersæ difficultates sunt; atque ex diuersis valde principiis dicendæ. Prima quidem directe, & ad quæstionem de Angelorum simplicitate, & incompositione reali ex materia, & forma propositam spectat; secunda indirecte solum, & eius occasione disputatur. Vtramque vero seorsim proposui, & examinabo, ne aliorum mentibus caliginem, & capitibus grauedinem affertem quam ex libris, quibus hæc omnia inuoluero, ac sine singulorum distinctione tractantur, sum passus. Eo igitur ordine quo difficultates propositæ sunt, vniusciuiusque examen seorsim aggrediamur.

5. In prima igitur difficultate circa Angelos, qui de facto sunt, & similes ex possibilibus reliquos prima sententia asserit, eos ex materia ex se incorporea, & indifferente ad corporeitatem & spiritualitatem, & communi cum corporibus productis, siue cælestibus, siue sublunaribus, essentialiter constare: vt, iuxta huius, materiæ explicationem datam à forma productorum corporum corporetur, (vt sic dicam) atque ad quantitatem, extensionem & impenetrabilitatem localem determinetur: à forma vero spirituali intellectiua Angelica spiritualizetur, atque ad impenetrabilitatem determinetur; & incorporeitatem; vnde Angelus vtraque parte sui spiritualis prorsus, & incorporeus iuxta dogma Catholicum euadat. Pro hac sententia sterit Auicembro libro fontis, contra quem S. Thomas, citat. quæst. 50. artic. 2. & si enim Bubalus noster articuli explicatione, & quæsito 1. dif. 1. censeat Auicembronem de materia de se quantitatiua (qualem corporum materiam omnem esse Bubalus, & sanctæ Thom. supponunt) locutum, & eo tantum sensu à Sancto Thoma, impugnatum; sed tamen ex corpore articuli, vbi Auicembronis sententia refertur, constat oppositum, quamuis male; & ex falso principio inferat ex conuenientia generica corporalium cum spiritualibus substantiis materiam physicæ compositionis illis debere esse communem. Hanc sententiam ita confirmare ex instituto, admittitur noster Quiros authoritate, & ratione, disputation. 77. sect. 2. vt, licet se eam non asserere demum profiteatur, sentire se tamen illam, nec dissimulare possit, nec velit; imo vero laudem ex tam singulari cogitatione speret. Probat ex Patribus pluribus, quos vel pro Angelorum corporeitate relatos supra explicuimus, vel pro eorum compositione, ex materia determinate spirituali à Recentioribus Scholasticis (præsertim Bubalo nostro, quæsito 1. difficult 2. §. 1. versu *ex qua doctrina*, ac deinceps, & quæsito 2. §. 1.) inductos inferius explicabimus, confirmat etiam scholasticorum authoritate ab eodem Bubalo ad illud, aliud suum institutum adductorum; & si (me iudice) pro neutro steterint vt defere omnibus daret, citatur quippe Auicena, 4. Metaphysica, cap. 2. scribens, *omne quod habet esse post non esse habere materiam.* Augustinus illis Exod. 12. confess. sub med. *Omne mutabile insinuare notitiæ nostræ quandam informitatem, qua formam capit.* Sed planè loquitur de materia logica, seu metaphysica: scilicet possibilitate præcisiua, siue, vt ab actualitate essendi præscindente, quæ è conceptu essentiali suo Deo competit soli: qui proinde esse post non esse sui habere non potest, quare neque ex potentia, seu materia, & actu logicis constare, id solum ipsum contendit Alex. Alensis. 2. part. quæst. 20. numero 2. §. 1. vbi contra philosophos aliquot asserentes Angelos æque esse formas, sine materia, actusque puros, & simplices ac ipse Deus, ait, materia, & forma constare nempe, *ex eo quod est, & ex eo quo est.* Id est essentia, & existentia, vt S. Thom. num. 2. & scholastici loquuntur: id quod solum contra quosdam Philosophos contendit Richardus, in 2. disputation. 3. articul. 1. quæsito 2. ait quippe: se materiæ nomini non intelligere materiam talem corporum, *sed omnem naturam possibilem, ex qua & alia natura magis actuali constituitur vnum per essentiam.*

6. S. Bonauent. eadem d. part. 1. articulo 1. qu. 2. & alij pro hac sententia referuntur; qui tamen vti, & Alexander, materiam simpliciter Angelis negant expresse, eamque solum concedunt, *qua sit ratio mutabilitatis, non solum ad non esse, sed etiam secundum diuersas proprietates, & sit materia ad esse.* Id est existentiam; quod ipsum est potentia logica, siue rei cuiusque possibilitas, & quæst. 2. ait: materiam, quam Angelis concedit, non habere idem esse quod materia corporum; habere tamen eandem essentiam id est; possibilitatem, seu potentiam logicam indifferentem ad esse, quo actu sit, vti materia, ad actum formæ, qua actuetur. Nam sensu huius sententiæ, eo ipso, quod eandem haberet essentiam cum materia corporum, non posset, non idem esse siue existentiam habere, vt patet; alioqui eadem essentia existere, ac non existere simul posset, quod ne bardus rusticus admitteret concordat Bonaventura, Augustino 12. confessionum citatur etiam pro hac sententia, Areolus, in 2. disp. 3. quæst. 1. articul. 3. §. *Nunc secundo pono*, qui cæteris clarius compositionem ex Materia & forma in Angelis videtur admittere; ast eandem cum materia corporum esse non admittit, sed negat: ac proinde exemplo compositionis ignis ex materia & forma suam hanc sententiam explicans ait: *sic in istis substantiis intellectualibus, & in anima* (nostra) *sunt vera substantiæ duæ, quarum vna est mere potentialis, & alia est mere actus*, nequit autem citra temeritatem, de graui, & si quis alius, acutissimo Theologo, Aureolo iudicari, quod animum rationalem nostrum ex materia nostrate, cum qua totum aliud (nempe hominem) substantialiter constituit, substantialiter intrinsece etiam contradictorie constitui censeat; sed, vt summum materia spirituali determinata, tam animum nostrum, quam Angelum constare. Hoc solum probabile supponit, dum oppositum probabilius asserit, Bubalus noster citato articulo 2. quæsito cit. 2. difficultim. §. primo qui ibidem de materia solum spirituali agit, nullibi vero de indifferente, ego verò purè potentialis substantia possibilitatem intelligi ab Aureolo iudico. Tum; quia in anima nostra potentiam materialem, seu materiam, spiritualem adhuc, qua intrinsece constituatur; nemo somniavit: tum, quia materia omnis actu aliquid constituens entitatiuum actum existentiæ suæ in centencia Aureoli habet: quare mere potentialis ab eo censeri dicive non potest. Pro hac etiam sententia citantur à Quiros citat. disp. 77. sect. 2. numero 13. Tarantasia, & Plotinus 4. Ænead. 2. cap. 5. dicens. *Profundum cuiusque rei esse materiam etiam in mundo intelligibili*; sed hoc materiam spiritualem, vt summum in Angelis euincit, nec eos intrinsece substantialiter constituentem, sed solum accidentium spiritualium receptiuam, citat etiam Boetium, lib. de vnit. dicentem, *Angelum esse vnum coniunctione materia, & formæ*, quem tamen sanctæ Thomas, relatus, numero primo, de possibilitate, seu potentia logica

logica pro materia, & existentia, seu esse pro forma bene, ac germane explicuit, citat. disput. 51. sect. 2. num. 18. Proclum. in element. proposit. 210. Aristotelis 12. Metaphysicæ textu 12. *omne quod mouetur habere materiam*, quibus consonat Augustin. 12. confess. cap. 17. & 19. scribens, *omne mutabile insinuare notitia nostræ quandam informitatem quæ formam capit*, sed hæc, nec eandem cum nostra materiam, nec qua Angelus constituatur euincit, sed qua accidentia, quibus immutetur, vel potentiam logicam essendi actu, vel secus, soli ergo nostro Quiros hæc conclusio, ex scholasticis arrisit. d. 51. sed 2. n. 18. & si scholasticorum communi negatiuæ morem gerat, num. 19. & d. 77. sect. 2.

7. De Angelis iisdem, qui de facto sunt citati aliquot scholastici materia spirituali constare, atque intrinsecus constitui videntur docere; idque solum, vt summum, docuere maxime Aureolus, apud Capreolum, in secundo disputat. 3. quæst. 1. articulo secundo, qua in re nulli, adhuc post concilij Lateranensis definitionem, censuræ subiacent. Siquidem vtrimque, ac prorsus, & absolute spirituales Angeli permanebunt, vt ibi definitur. Cæterum cuiuscumque ex antiquis ea sententia sit, iam non antiqua solum apud scholasticos est, sed antiquata, vt ex citandis pro opposita nostra conclusione clarebit. De Angelis vero possibilibus diuersæ speciei, ab existentibus cunctis materia indifferenti constare intrinsecus, & substantialiter defendit Quiros, materia vero de se spirituali non solum ipse docet, sed Bubalus etiam citato quæsito secundo difficult. 2. §. primo Martinon. disputation 36. de Angel. numero 23. Arriaga, disputation. 3. sect. 3. subsecti. 2. imo, & integralem compositionem admittit possibilem ex dictis subsectione prima. Pro qua Bubalus præter citatos in quæstione de facto citato etiam in difficultatis propositione, eos, qui Angelo de facto materia corporea constare docuerant: & merito, quidem, si illi materiam spiritualem substantialiter compositiuam recognoscerent, & substantialis formæ spiritualis, vt compartis, respectiuam: de qua tamen, neque vt possibili cogitarunt, nisi forte, vt possibilem negarent. Denique de eisdem Angelis possibilibus sententia esse posset corporea materia, organisque corporeis ad sensationes corporeas nostris perfectiores, & plures nobilius dispositis constare absolute posse, ita videtur censere Bubalus citato articulo secundo, quæstione secunda, §. primo asserens: non repugnare naturam intellectualem corpoream perfectius sensitiuam, & intellectiuam, quam homo sit, vti Angelus perfectior homine intellectualis natura est quod autem Angelus ille possibilis speciei à productis omnibus diuersæ homine perfectior, cum quoad intellectum, tum quoad sensum corporeus absolute esset, sicut homo definitioni Concilij, de Angelorum absoluta incorporeitate, & spiritualitate non aduersaretur: ea quippe definitio de Angelis, qui à Deo producti sunt, & absolute existunt, solummodo in terminis, & de possibilibus, speciei alicuius, ex productis, eiusdem virtute, & illatione necessaria, vt diximus procedit; non autem de possibilibus speciei à productis diuersæ, ad quæ consequentia legitima duci, ex ea definitione, non potest. Certe quoad intrinsecam substantialem Angelorum, tam, qui de facto sunt, quam omnium, qui absolute esse possunt, constitutionem, ex materia positiue, & determinate, corporea de se se, vel indifferenti, vel de se spirituali determinate præfatæ solum sententiæ affirmatiuæ hactenus extitere, nec video aliam esse posse, quæ ad earum aliquam non pertineat, si compositionem intrinsecam substantialem, ex materia asserat, ac subinde intrinsecam naturæ Angelicæ simplicitatem substantialem (de qua directe præsenti, q. agitur) neget.

8. Quoad indirectum, quod huius occasione examinandum, hac etiam quæst. proposuimus, an scilicet substantia intellectualis Angelica, aliqua, ex possibilibus speciei à productis diuersæ, tametsi in se substantialiter simplex, & omnis materiæ intrinsecus expers, materiam, ex dictis aliquam natura sua possit concernere, vt componatur, cumque tertium substantiale aliquod constituat, vt anima rationalis, corpus, seu materiam corpoream concernit natura sua, cum qua constituit hominem? Triplex etiam pro materia triplici explicata, quæstio, & sententia, esse potest. Prima opinio asserit: posse materiam corpoream, positiue, & de se se, vt compartem, ad tertij substantialis compositi constitutionem exigere, ita Bubalus, vbi proxime, & Quiros. Secunda opinio eiusdem Quiros, multo ipsi certior: asserit etiam de materia indifferenti, & de spirituali materia certissime, videtur asserturus, & his quidem modis omnes negandi Angelis, qui de facto sunt, eorum similibus, pure tamen possibilibus, & pure possibilibus aliarum specierum simplicitatem videntur contineri, & asserendi compositionem.

CERTAMEN II.

Nostra sententia de Angelis qui sunt?

1. ANGELI qui de facto sunt materia eadem qua corpora constant, secundum se indifferente, & indeterminata, ad quantitatem, extensionem, & impenetrabilitatem, vel ad spiritualitatem, & penetrabilitatem, atque ab alterutra forma spirituali, vel corporea ad alterutrum determinanda, substantialiter non constituuntur, est conclusio omnium, & contra dissimulatum sensum nostri Quiros, apud quem, d. 51. sect. 1. num. 19. Sic censent. S. Thomas, 1. p. qu. 50. artic. 2. cum suis Dominicanis interpretibus, & nostris Soario, disp. 13. Metaphys. sectio. 14. & 1. de Angelis, c. 7. Bubalo, Arriaga, & Quiros ipso & Martinone supra Granado, contro. 7. disp. 2. vbi Patres recitat plures: est item Scoti, quod. lib. 9. cum suis omnibus, Durandi in 2. d. 3. qu. 1. cum asseclis; quamuis hi omnes non de materia indifferente, & de se ad spiritualitatem permissa, sed de positiue de se spirituali (quod amplius sane est) loquantur. Probatur ex Dionysio 1. de cælesti Hierarch. vbi Angelos, *simplices summitates appellat*, & cap. 2. *spiritus formis carentes*, cap. 15. *simplicitatem* cælestium spirituum, prædicat, & extollit. Quem in hac materia communem Ecclesiæ Magistrum Patres omnes imitantur, & tota Theologia suspectat. Porro hæc testimonia Angelorum, qui de facto sunt compositionem non solum, ex materia communi, & indifferenti, sed etiam ex positiue, spirituali, & integralem, (cuius Arriaga meminit,) prorsus excludunt: sicuti, & ratio iam subiicienda; quia, vt de facto compositio Angelorum, qui sunt, ex ea materia asseratur (esto prædicato generico Angeli non repugnet) fundamentum aliquod esse debet, vt non temere, & irrationabiliter, atque improbabiliter asseratur, nullum autem fundamentum adest: ergo non, nisi temere, & irrationabiliter, ac improbabiliter asseretur. Minor patet quia fundamentum eiusmodi compositionis, ex materia communi ostrate solum esse potest ex reuelatione in scriptura, vel communi Patrum consensu (qui potius pro incompositione ipsorum ex materia eiusmodi, & simplicitate Angelorum extant, vt diximus, vel ex aliquo affectu, aut operatione, Angelorum, quæ materia indigeat, nobisque innotescat, ex qua proinde, eorum compositionem præfatam assequi discursu possimus: nullum autem eorum effectuum, aut operationum nobis innotescere, qui eiusmodi materia, & compositione indigeat, adeo

ostendimus supra q. 1. ergo nullum est fundamentum à ratione compositionis substãtialis Angelorum, qui sunt ex forma & eiusmodi materia; quare nec pure possibilium speciei eiusdem cum aliquo ex productis. Hæc sane ratio æqua vi compositionem substantialem eorumdem ex materia positiue & determinate de se se spirituali imo & substantialem integralem reffellit, vt dixi; & consideranti facile apparebit.

2 Sed contra hanc constitutionem intrinsecam, & essentialem Angelorum (qui de facto incorporei, prorsus & spirituales sunt ex Patribus, & fide, vt vidimus) ex materia eadem, ex qua corpora omnia componuntur arguo speciatim. Primo quia incorporeum idem atque immateriale & materiale idem omnino, atque corporeum apud Patres, concilia, & theologos hactenus fuit: quod de materia ipsis nota, scilicet nostrate hac & corporibus communi intellexerunt. Ergo Patrum, conciliorum, & Theologorum sententia, & intelligentia idem prorsus corporeum quod materia nostrate constant, & incorporeum, seu spirituale, quod materia eadẽ carens & nusquam compositum ex illa: quare Angel. cõpositio ex illa est contra eorũ absolutam incorporeitatem, seu immaterialitatem atque spiritualitatem à Patribus concilijs, & Theologis dogmatice statutã: qua ratione præcluduntur euasiones nostri Quiros. d. 77. sect. 3. tota, quod scilicet materia cuius carentia incorporeum, cũ immateriali ad conuertentiam dicitur, & cuius constitutione materiale cum corporeo apud Patres, concilia, Theologos, & Philosophos conuertitur, materia quanta, seu determinata, iam à forma, ad quantitatem non autem materia nostra secundũ se; etenim, si determinationem ad quantitatem materiæ secundum se competere non censerent, perperam corpora, seu corporea absolute dicerent materialia omnia, seu materia hac nostra constantia; siquidem inde nec eorum determinationem ad quantitatem, quam ex materia per te non habent, significarent, quam corporis, seu corporei compositi absolute talis, & materialis synonymis vocibus significare contendunt. Ergo Patres, concilia, Theologi & Philosophi omnes materiam nostram, qua corpora omnia constant corpoream de se & natura sua quantam, ac determinatam ad quantitatem esse docent ac sentiunt: ac subinde Angeli, qui ea parte constant corporei ac materiales, non autẽ spirituales absolute contra Patres Theologos, sextam synodum, & concilium Lateranense erunt.

3 Nec S. Bonauentura in 2. d. 3. p. 1. q. 2. § *quod objcitur* quidquam fauet aduersariorum solutioni: sumit enim materiam vel pro genere rerum specialium (quod materia metaphysica, & imitatiua est) vel pro rerum possibilitate, vt ab existentia & esse actuali earum prescindit; alioqui non esset alia in spiritualibus, & alia in corporalibus, vt concludit, sed reipsa eadem in vtrisque, ac rursus eadem materia exuere posset esse formæ corporalis, & induere esse formę spiritualis, & è contra, cum de se indifferens ad vtramq; sit, ex Dei naturali, ac non supernaturali libito & prouidentia alterutra forma ipsi possit adiungi. Quod tamen negat Bonauentura ibid. id quod amplius confirmatur in huius recentioris sententia asserentis igne inferni dęmones calefieri, torreri, atque igniri ratione materiæ huius ex qua calor intensissimus vt subiecto, connaturali quidem educatur & in quo recipiatur. Peter enim intensus ille calor vt naturalis dispositio ad formam ignis illius: quare vel materia qua dęmon constat, formam Angeli naturaliter amittet contra S. Bonauenturam vel sub duplici forma substantiali, & adæquata, contra totam Philosophiam, simul, nec semel, sed tota à parte post æternitate erit. Nec refert calefactionem, & ignitionem illam esse è virtute obedientiali non naturali ignis illius vt enim mittam virtutem actiuam obedientialem rerum (vbi inchoata, & partialis virtus comprincipij naturalis essentialiter requisiti, insufficientis tamen ad effectum supernaturalẽ, non adest) semper mihi commentitiam fuisse: in re vero præsente multo asseritur liberius: etenim in igne inferni adæquata virtus ad calefactionem, & torturam dæmonum est atque in materia, qua Angeli constant naturalis adæquata virtus receptiua, & eductiua, eius effectus in ipsa & ex ipsa, debitaque approximatio, imo penetratio agentis cum passo: vnde ergo eius actionis, & receptionis ab igne inferni supernaturalitas, ad quam supernaturali & obedientiali virtute *sit* opus? dices: quia materiæ illi secundũ se, ac præcise, qua formæ Angelicę subest atque ex parte actus primi ipsi & vstioni præcedit, quantitas deficit, ac extensio: contra tamen, quia eidem vt formæ corporeæ præcedit quantitas, & extensio deficiunt cum per te non solum ipsæ, sed ad ipsas determinatio, à forma corporea afferantur: & tamen naturaliter prorsus nullo virtutis supernaturalis, aut obedientialis interuentu ex ea materia educuntur, & in ipsam inducuntur formæ corporeæ: ergo & in materiam dęmonum absque virtute supernaturali, & obedientiali vstio, & calefactio corporea, ex eadẽ materia educetur & in eand. inducetur, & si determinationem, huius ad quantitatem & ex parte actus primi non supponat, sed afferat, vt reliquæ formæ substantiales, & accidentales ad illas.

4 Arguo secundo determinatio physica ad quantitatem, partium extensionem, & localem impenetrabilitatem competit materiæ corporum, & nostrati de se se ac suapte natura, non autem à forma; ergo non est de se se indifferens ad illas, vel exclusionem quantitatis, & corporeitatis ac subinde, nec ad corpus, seu substantiam corpoream, vel spiritum, seu spiritualem substantiam Angelorum existentium absolute tales constituendas. Probatur antecedens; quia quidquid, aliquid naturaliter, comitatur & indefectibiliter, subsequitur vbivis & sub qualibet forma & circunstãtijs variatis, illud aliquid ipsius naturam de se se determinatam, vti eius physica, & naturalis passio consequitur; atqui quantitas, extensio, & impenetrabilitas partium materiæ nostratis ipsam comitatur naturaliter, & indefectibiliter subsequitur, vbivis, & sub qualibet forma, & circunstantijs variatis: ergo quantitas &c. nostræ materiæ determinatẽ de se se ad ipsas vti eius physicæ, & connaturales passiones consequuntur. Maior est fixum axioma ad passiones rerum physicas, & connaturales certo, & infallibiliter indagandas, & inferendas. Minor experientia ipsa euidens est: consequentia legitima. Dices maiorem esse certam ni formæ, quæ variantur omnes tales sint quæ de se ad quantitatem v.g. possint determinare, sed quidvis aliud, quod comitari illud aliquid, seu materiam, ad id quod semper ipsam comitari experimur est, cum formæ omnes, quas in materia nostra variari experimur, corporeę sint, ac subinde ad quantitatẽ &c. de se se determinatæ ac determinantes, argumentum non tenere, cæterum solutio hæc axioma, & principium illud pro maiore positum euacuat: eum eadem facilitate non ex fixo & determinato, quod semper cum alio naturaliter & indefectibiliter coniungitur hoc aliud ipsi conuenire & obuenire; sed ex alijs extrinsecis quæ quisque velit aduenire possit quisque comminisci: ac proinde principium totum & vnicum indagandi ac deprehendendi naturales & physicas rerũ passiones tua hac solutione euertitur: imo naturales rerum passiones omnes eliminantur cum enim ea quibus naturaliter accidentia illa inducuntur (v.g. quantitas & extensio) non vnum aliquid sed plura sint (v.g. formæ plures quæ in materia nostra variantur) nullius passio naturalis, & physica illæ erunt, nulliusque compositi corporei ex illis formis cum sint plurium, & omnium physica accidentia: esto passiones metaphysicæ generici gradus substantiæ corporeæ sint, quia in omnibus eius speciebus inueniuntur. Præterea: quæ determinationem, à formis corporeis naturalem & primariam ad quantitatem prouenire jam refellent, hanc etiam solutionem reijciunt.

5 Id igitur probo tertio hoc argumento vt determinatio hæc à forma sit, debet forma corporea esse: atqui solum forma corporea est & demonstratur quod à materia nostra educatur atque in ea recipiatur: ergo inde forma corporea trahit corporeitatem: ergo pro priori ad formæ corporeæ eductionem ratio corporeitatis in materia nostra est, quam proinde ratione eductionis ex ipsa formæ omnes corporeæ sapiunt, & trahunt. Minor (prætĕquam à philosophiæ ortu Philosophorum omnium est & Theologorum etiam, qui inde rationalis nostri animi absolutam incorporeitatem, & spiritualitatem intrinsecam probant; quia ex materia nostra, cui, vnitur non educitur), vel inde satis contra aduersarios euincetur, quia nil aliud assignare poterunt, vnde formæ illæ corporeæ sint; ac verosimiliter probentur; consequentiæ vero reliquæ legitimæ sunt. Pergo inde, atqui ratio corporei est determinatio ad quantitatem: ergo

hæc primatio & prioritas ad formam corpoream conuenit materiæ de se se ac non à forma posterius natura adueniente & educta confirmatur: quia, vt Quiros ipse fatetur, atq; ex S. Bonau. vbi proxime verbis hisce confirmat *forma corporalis, non est nata* in esse *materia nisi cum extensione, quamuis ipsa in se sit simplici essentia consistens.* Ergo natura sua præsupponitur materia cum extensione, seu quantitate, nec solum indifferens de se ad quantitatem, ac per formam determinandam, seu (quod idem est) forma corporea natura, & essentia sua materiam determinatam ad quantitatem & localem partium extensionem, & impenetrabilitatem supponit, vt ex ipsa edicatur eique insit, ac in ea recipiatur per te: ergo nequit ei afferre, eiusmodi determinationem Confirmatur ex anima rationali, quæ spiritualis cum sit, nequit corporeitatem, atque determinationem ad quantitatem afferre materiæ, sed solum supponere in ipsa pro naturæ priori ad sui vnionem. Confirmatur secundo ex formis Corporeis diuisibilibusq; diuersas materiæ nostratis partes necessario & essentialiter supponunt, vt pars formæ ex parte materiæ, cui posterius insideat, educatur. Quodsi dicas: supponere quidem, ast non determinatas ad quantitatem, & extensionem ac impenetrabilitatem localem: contra, quia inextensum localiter nequit agens naturale naturaliter operari: vnde nec in Christi corpus in sacramento ignis: denique, vel materia nostra de se se habet partes entitatiuas, vel est substantialiter integraliter etiam simplex, vt verbis S. Bonauenturæ contendis, si primum in Angelis integralem compositionem substantialem de facto admittes, contra Patres & scholasticos: si secundum: asseres substantiam recipere partes entitatiuas etiam à quantitate: quod singulare nimis, & à reliquis reiectum & reijciendum, in nostro Vazquez, tanto tamque acuto, & profundo Doctore, visum omnibus deinceps merito fuit, vt suo ostendimus loco. Secundo cum, per te, determinatio ad quantitatem, ipsaque subinde quantitas à forma substantiali corporea ipsi insidenti proueniat: accidentia non nisi toti composito aduenient, in ipsoque subiectabuntur, contra nostros omnes Doctores, & contra rationes validas suo loco à nobis perpensas.

6 Dices, formam non afferre seipsa materiæ partiũ extensionem, & impenetrabilitatem, sed solum eam ipsi exigere, vt ei coniũgi & in ea operationes vitales (quarum naturale principium actiuum post) exercere possit: quo videntur argumenta facta eneruari. Contra vero quia vel ea formæ exigentia est intrinsecũ constitutiuum substantialis corporeitatis cum formæ ipsius tum compositi ex ipsa & materia per ipsam determinata ad extensionem, & impenetrabilitatem, vel secus, si primũ animus noster rationalis intrinsece, & substantialiter erit corporeus non spiritualis contra omnes & catholicam fidem, siquidem de se & essentia sua petit materiam extensam, & impenetrabilem & in varia organa dispositam ad vitales functiones, quarum naturale principium actiuum est, obeundas vt ipsi vniatur, sin autem exigẽtia illa extensionis partium materiæ & impenetrabilitatis intrinsecum substantialis corporeitatis cum formæ tum compositi ex ipsa, & materia ita per ipsam determinata adæquatè constituti, non sit nullum compositum sustantiale substantialiter corporeum erit: cum nec forma nec materia quibus composita omnia substantialia adæquatè substantialiter constituuntur, intrinsecus & sustantialiter corporeæ sint quod est non solum contra totam Philosophiam, sed & contra dogmata fidei.

7 Dico secundo Angeli, qui sunt vel earumdem specierum cum ipsis esse possunt, non constant materia spirituali adhuc, siue entitatiue diuisibili, siue indiuisibili, nec materiam vllam ad tertij alterius substantialem constitutionem vt compartem, natura sua concernunt est quoad vtramque sui partem, communis Theologorum omnium (si Aureolum excipias, qui spirituali materia constare Angelos videtur docuisse) explorata conclusio & quoad primam partem, qua Angelis compositio substantialis ex materia, spirituali adhuc negatur, tametsi definitione concilij Lateranensis, & Patribus de absoluta spiritualitate & incorporeitate Angelorum non opponatur; tamen Angelorum absolutæ substantiali simplicitati à Patribus & Theologis assertæ, aduersatur siue diuisibilis entitatiue, siue indiuisibilis illa sit: secundo nulla in Angelis operatio vitalis præter intellectionem, & volitionem est, aut vero similiter afferetur, ad quam exercendã materia vllo egere possint: ergo superfluo ea ipsis adhibebitur: tertio eiusmodi operationes vitales intelligendi, & amandi nullius, perfectiusque, ab Angelis exercebuntur, si ab intellectu, & voluntate earum, non actiue solum, sed & receptiue prouenianteum perfectius viuendi genus sit idem ipsum principiis actiuum, & receptiuum vitalium operationũ habere. Quod autem, aliunde ex connaturaliori modo, & perfectiori essendi in se, nec solum operandi, materiam possit Angelica substantia formalis requirere (vt aliqui in quæst. aliorum Angelorum de possibili aiunt) locum in hac de facto non habet: quid autem in illa præstet; Cert. sequenti videbimus: secũda cõclusionis pars probatur facillime. Quia Angelos qui de facto sunt tertij alterius compositi substantialis formas esse nullo fundamẽto dicetur, immo contra omnẽ omnino rationem, quia alias nullus Angelus esse naturaliter posset quin actu, & de facto componeret: cum nulla pars essentialiter, sine comparte alia, & quin totum, cum illa componat, possit naturaliter existere, quia natura sua coniunctionem, cum comparte alia reposcit: atque inde solum error Origenis de præexistentia, duratione animorum nostrorum ante immersionem in corpora potest ãratione impugnari; quod adeo verum est, vt physicis solum (non autem moralibus, meriti præmijque, & pœnæ) attenris animorum nostrorum vsque ad iudicij publici & postremi diem status separationis violentus omnino foret. His alia cert. sequente de Angelis alijs specierum à productis de facto diuersarum in quæstione simili de possibili subiicienda, adiunges.

CERTAMEN I.

De Angelis possibilibus aliarum à productis specierum sententia nostra conclusionibus distincta.

1. PRima conclusio. Nullus Angelus speciei adhuc à productis diuersæ potest materiã aliquã, siue corpoream, siue spiritualẽ entitatiue diuisibilem, vel indiuisibilem vt cõpartem, cum qua tertium aliud substantiale compositũ substantialiter constituat, natura sua concernere Dixi. *speciei adhuc à productis diuersa.* Quia depossibilibus speciei eiusdem, cum aliquo, ex Angelis productis probatum proxime est parte secunda conclusionis postremę: quia Angelus possibilis, qui natura sua materiam vt compartem substantialem tertij alterius compositi concerneret, dubio procul per eius concernentiæ prædicatum ipsi essentiale, & intrinsecum specie differet ab Angelis cunctis qui de facto sunt, & illud vt vidimus non habent quod eius, cum aliquo ex his specificæ conuenientiæ contradicit conclusionem in terminis, vt aiunt à nemine traditam animaduerti: censeo tamen ab omnibus tradendam qui quæstionem in terminis definiant vt ex eius probatione clarebit quam sic instruo, omnis Angelus possibilis (cuiusuis speciei sit) debet esse sub genere supremo, sub quo species omnes, Angelorum, qui de facto sunt continentur: ergo nullus Angelus (cuiuscumque speciei sit) potest ita materiam aliquã concernere. Maior est certa: quia si sub genere supremo, sub quo Angeli qui sunt, continentur, possibilis ille, qui dicitur, Angelus non contineatur nec genericam probatur. Angeli quippe omnes, qui de facto sunt, sunt substantiæ spirituales intellectiuę totales nullatenusque alterius compositi substantialis rationalis formæ, seu partes natura sua cum materia vlla illud substantialiter componentes vt probarum proxime est cert. 2. conclus. 2. n. 7 ergo Angeli omnes, qui de facto sunt sub eo genere substantiæ spirituales intellectiuę completæ continentur. Nequit autẽ substantia spiritualis intellectiua, incompleta, & partialis natura sua (cuiusmodi Angelus, quẽ dicis natura sua materiam, vt compartem concernens esset (sub genere substãtiæ spiritualis intellectiuæ complete contineri; qui potius sub genere, sub quo animus noster rationalis, qui essẽtia sua substantia intellectiua incompleta, siue forma hominem cum materia comparte constituens collocaretur vt patet.

a Secun

2 Secunda conclusio. Nullus Angelus cuiusvis speciei ex pure possibilibus, ex materia nostrate corporea constitui substantialiter potest, ita Durand. in 2. d. 3. quæst. 1. & videtur sententia S. Thom. qui sæpe ex Angeli intellectione, seu intellectibilitate eum incorporeum esse probat. Est item Bubali nostri ad quæst. 50. 1. p. a. 2. q. 2. § 1. Probationibus aliis hanc nostram præmitto proxime pro prima conclusione productæ affinem: etenim Angelus, cuiuscumque speciei sit, debet sub genere supremo substantiæ spiritualis intellectualis totalis, constitui, vt vidimus: atqui substantia illa intellectualis potentia vitali intellectuali actiua, vt forma, & materia corporea substantialiter essentialiter constituta substantia totalis esset non autem absolute spiritualis, sed corporea; vt homo anima spirituali & materia corporea constans: ergo non esset sub genere supremo Angelorum, sed hominum, ac proinde non esset Angelus, sed homo nobis (quo volueris gradu) perfectior: quare, & Angelus, vt asseris & non Angelus, vt hoc argumento demonstratur, manifesta contradictione foret. Hinc constat Angelum nullum esse posse viuens, vltra intellectuale, sensitiuum etiam, alioqui materia corporea, & organizata egeret, ac proinde sub genere hominis, & viuentis corporei, non autem spiritualis collocaretur. Hinc scriptura Angelos intelligentes solum substantias esse nos docuit: vnde Philosophi & Theologi ex ipsis genios, & intelligentias Angelos omnes vocant: quia eorum vitalis operatio sola intellectio est; animas vero nostras, & si spirituales, & intellectionis principia sint, quia tamen sunt etiam sensationum corporearum principia, intelligentiarum nomine eas absolute non donarunt. Atque hinc lucem, & firmitatem accipit aliorum probatio, quam aliqui censent à demonstratione deficere, nos autem demonstrationem iudicauimus, qu. 1. cert. 5. & nunc etiam iudicamus, & enim nulla viuens, & pure intelligens, seu intellectiua substantia? vel pura intelligens, constare corporea materia absolute potest: siquidem principium vitale ipsius, eo solum materiam corpoream, cum qua constituat viuens requirit, quia eius partibus, & membris ad vitalem aliquam suam operationem, seu vitæ exercitium, vt instrumentis egeat, id quod se & experientia in omnibus constanti & indefectibili patet, & ratione naturali certissimum est: quidquid enim essentia sua actiuum est propter operationem suam, vt finem est: ac proinde ex fine operationis suæ, quidquid ei essentialiter, & necessario conueniat, vti ex primo principio demonstrandum est, vt de practicis diximus in logicis, & metaphysicis. Vnde Arist. 2. Physicor. text. 91. materiam in composito propter formam esse docuit, & hanc propter operationes suas, quemadmodum in artefactis omnibus instrumentis, materia apta formæ & operationi conueniens fore demonstratur, atque Serræ exemplo, quæ ferro, & dentibus ad scissionem necessariis constare debet: quia scissio eius finis est: quare in practicis, & actiuis, quibusque finem operationis principium æque, ac rei definitionem, in speculatiuis, esse his docuit, *& finis cuius gratia, & qui principium est in definitione.* Hinc 1. de partib. animal. c. 5. ad rem nostram, pressius ait. *Cum autem omne instrumentum rei alicuius gratia sit, & partes corporis, gratia alicuius esse videamus: id autem ipsum esse alicuius gratia non, nisi pro aliqua actione sit: patet iam totum etiam corpus constare alicuius gratia actionis plenioris.* Exemploque Serræ ibi etiam memorato concludit, *quapropter corpus totum anima gratia conditum est, & membra officiorum gratia constant, & munerum ad quæ singula accommodantur.* Principium hoc sæpe alias statuit Arist. & S. Th. 1. p. q. 91. a. 3.

3 Eo vero statuto demonstratur conclusio. Nullum principium actiuum vitale potest natura sua corpoream materiam requirere, nec viuens vllum ex illo, & materia corporea, constare, nisi ea, eiusque organis, vt instrumentis ad vitalem eliciendam operationem simpliciter egeat, vel saltem ad melius exercendam iuuetur: atqui principium vitale, & viuens pure intellectiuum (quale substantia Angelica est) nequit materia corpore, eiusque organis ad vllam suam vitalem operationem simpliciter egere, neque ad eam melius exercendam eis iuuari: ergo substantia pure intellectiua (qualis Angelus omnis est, vt vidimus) nec materia corporea, nec forma, quæ principium vitale sit & materia egeat constitui substantialiter potest. Minor; quoad non indigentiam probatur: quia potentiæ, & viuentis pure, ac solum intellectiui vitalis omnis operatio est intellectio, atqui intellectio, qua talis; nec corpore, nec organis corporeis eget, vt eliciatur: ergo nec potentia vitalis pure intellectiua viuensve pure intellectuale eget materia corporea, eiusve organis ad illam vllamve operationem vitalem exercendam. Dices intellectio nostra pro hoc statu, tametsi intellectio sit corpore eiusque organis eget, vt eliciatur. Cæterum, id ratione intellectionis intellectio non habet; & qua intellectio est, sed ratione intellectionis pro hoc statu immersionis, in corpus, & qua sentiendi principium est, & nisi corpore, eiusque organis adiuta sensationes, cum externas, tum internas, seu phantasmata elicere ipsa, & homo ipsa, & corpore essentialiter constans, minime potest: immo, neque intellectionem potest elicere, nisi phantasmatibus pro hoc statu iuuetur, seruetutque ordo præsentionis omnium, quæ deuenire ad intellectum possunt: quæ omnia pure, & solum intellectiuæ substantiæ repugnant; quæ nec sentire corpore potest, neque sensatione vlla; organisue corporeis ad intellectionem egere; alioqui, non pure intellectiua substatia esset, quod autē eiusmodi substantia pure intellectiua, nequeat corpore, eiusque organis ad intellectionem iuuari, imo vero debere impediri diximus qu. 1. cert. 5. estque manifestum.

4 Eo enim solum iuuare ad intellectionem organa corporea possent, vt species rerum præsensatarum ad intellectum transmitterentur, vel phantasmatibus ille ad intellectionem iuuaretur. Id autem intellectionis tarditati, obscuritati, & imperfectioni, solummodo inseruiret, vt in nobis experimur, quod non iuuare quipem, sed impedire illam potius est; implicat autem principium aliquod operationis; eius exercendæ impedimentum natura sua exigere; & si illud aliunde pati possit. Ex quibus euidenter constat repugnare substantiam pure intellectiuam, quæ corpus, vt comparetem suæ operationis eliciendæ, vel sui constitutiuam natura sua requirat: cum autem ad constituendum aliquid, vt partem formalem, seu principium, *quo* actiuum cum alio, vt comparte materiali, seu principio, *quod* operationis, oporteat formalem partem, natura, & essentia sua exigere compartem materialem implicat potentiam, siue principium substantiale formale pure intellectiuum, cum materia corporea viuens aliquod pure intellectiuum, adhuc diuinitus componere: cum ex his, quæ partes natura sua non sunt, nec se, vt actus & potentia inuicem habent vnum aliquid, substantialiter, & essentialiter, diuinitus adhuc fieri nequeat, quia est in terminis ipsis contradictio. Inde etiam aliorum euasio præcluditur, quod: & si ad operationem intellectionis exercendæ principium illius vitale actiuum substantiæ eius pure, intellectiuæ materia corporea opus non habeat, nec illam exigat natura sua; ast ad essendum in se connaturaliter illam posse exigere: etenim vt vidimus, ea solum ad statum connaturalem essendi principium actiuum de se, & natura sua requirit, quo eget ad suam operationem exercendam: de eis quippe verum, & expressum in terminis ab Arist. vulgare illud axioma est, *esse est propter operari*, ita enim ait 2. de cœlo text. 17. *vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis*, quod vti axioma tradit etiam S. Thom. 1. p. q. 65 a. 2. q. 105. a. 5. Nec animi rationalis connaturalis status, cum corpore esset, si solius intellectionis non autem materialium sensationum principium foret.

5 Tametsi quæstiones de absoluta rerum repugnantia, vel possibilitate, vbi nihil ex ijs, quæ nouimus pro alterutra parte videtur reperiri, difficilis ingrediar, quia diuinandum potius, in eis definiendis, quam discurrendum sit, atque de compositione substantiali Angeli alicuius possibilis, ex materia spirituali, vel opposita simplicitate, eo etiam genere Angelis omnibus necessaria (quod solum examinandum restat) quæstio ex illis esse videatur; re tamen vera ex naturalibus, nobisque notis principiis definiri absolute potest. Dico igitur

tertio. Repugnat Angelus materia spirituali, & principio intellectiuo substantiali tanquam eius forma essentialiter substantialiter constitutus, ac subinde cunctis Angelis necessaria omnino est physica essentialis, in eo genere, quare & omnimoda simplicitas. Conclusio hæc est contra omnes Recentiores, ex quo in terminis quæstio tractatur, & videtur, etiam contra Bonaventuram, & Aureolum, quos de qua materia Analogica, an physica loquantur, haud facile dispicias, vt constat ex cert. 1. citati pro ea stant, Vasquez Valentia, & ex antiquioribus alij, quibus tamen materia hæc spiritualis substantialiter componens in mentem (me iudice) non venit. Probatur ex dictis pro conclusione, 2. num. 2. probatione 2. ac deinceps. Nullum principium substantiale actiuum, vt *quo* potest natura sua exigere materiam, qua non egeat, vel saltem iuuetur ad suam operationem; quare nec constituere eum illa principium, *quod* totale, eius operationis, vt ex Aristotele, & vniuersa Philosophia, & Theologia fuse ostendimus, & ratione: quia natura sua requireret, id quo opus nullatenus habet, quod implicat; siquidem necessariorum solum exigentia esse potest: Atqui principium substantiale pure intellectiuum non eget, nec iuuari potest materia spirituali adhuc, ad suam operationem, scilicet intellectionem exercendam: ergo nec potest materiam, adhuc spiritualem, natura sua exigere, nec cum illa substantiam pure intellectiuam vt quod, constituere, si vera sunt, quæ diximus numero 4. siquidem illa vt pars, compartem, neque, vt forma, & actus potentiam potest, natura sua concernere. Dices majorem in formis actiuis, & cõpositis naturalibus, & corporeis verum habere; secus vniuersim, vt spiritualia, etiam principia actiua comprehendat, sed vt tua hæc solutio rationalis, & Philosopho digna sit, eam in actiuis corporeis ratione corporeitatis, non autem actiuis verum habere, debes ostendere; quod nullatenus poteris; immo vero ratione solius actiuitatis majorem illam, seu philosophicum etiam in corporeis actiuis principiis certum esse satis claret. Ex ea enim solum operationem, vt finem, & rationem propter quam in seipsis sint, & materiam necessariam ad operandum natura concernant, proculdubio habent: est ergo axioma illud majoris ad omnia principia substantialia, seu formas substantiales actiuas vniuersalissimum, & certum.

6 Minor autem æque certa: siquidem principium substantiale spirituale pure intellectiuum actiue, materia spirituali, non eget, vt recipiat intellectionem (vt recipiat intellectionem) vt enim eliciat actiue dubio procul illa non eget, cum ipsum sententia sua actiuum intellectionis sit, nec materia vlla principium actiuum operationis esse possit, sed receptiuum solum vt patet) quia substantiale principium, actiuum intellectionis, se ipso illam recipere potest. Imo majori perfectione in linea vitæ intentionalis, & intelligendi in se ipso *quam* in adiuncta materia spirituali intellectionem, quam actiue elicit, recipiet; siquidem majori identitate principium actiuum, & receptiuum illius idem erit, vti ad vitale principium, & vitam requiritur, quam si in materia solum adiuncta recipiatur longéque perfectius intelliget recepta in ipso, non in adiuncto alio, quouis intellectione, quouis, intellectione, qua formaliter intelligat, confirmatur, quia inde solum absque controuersia, & formidine à cunctis philosophis, & Theologis probatur, & asseritur intellectionem nostram; in anima principio substantiali actiuo illius (& si minus Angelis perfecto) subiectari, non autem, in materia vlla ipsi adiuncta (non dico corporea quæ spiritualem intellectionem, nequit recipere) adhuc spirituali, ex qua, & principio actiuo substantiali anima ipsa conflet, quin Aureoli sententiam, qui animum rationalem (spiritualem per ipsum, & dogma Catholicum) materia spirituali substantialiter ab ipso diuersa censet, vt irrationalem sententiam, absque impugnatione exsibilant, & explodunt, vnde arguo minus perfectum substantiale principium actiuum vitæ, & intellectionis (scilicet anima nostra) habet principij, actiui, & passiui vitalis operationis intellectiuæ identitatem physicam, quin adiuncta materia spirituali, egeat ad eius receptionem; ac proinde neque eam natura sua exigat, ac requirat; ergo Angeli substantiale principium intellectiuum vitale, longe in genere vitalis, & intelligentiæ anima nostra perfectius, identice etiam physice principium receptiuum suæ intellectionis erit, quin natura sua materia spirituali physice diuersa egeat, eave ad intellectionis receptionem requirat, consequentia est legitima. Sed inquies. Animis Beatorum corpus neq; administrandas species sensatas pro rerum intellectione neque, vt hanc recipiant, opus esse neque adumento: & tamen cum ea, vt potentia illos, vt actus, homines Beatos æterne componere; in quibus verum majoris, & argumenti robur, infringitur: cæterum sensationibus perfectissimis Beatorum recipiendis, tunc etiam pro eo statu corpus inseruit, & si ministrandis speciebus sensatis non inseruiat, quia Beatorum statui, & felicitati propriæ rerum ab ipsis cognoscendarum species debentur.

5 Imo, & essentiali Beatitudine animorum incorporea organa, & membra quasi illius accidentia influunt, cum species, tum sensationes, perfectiones, vt inquit, S. Thom. 1. 2. q. 3. a. 3. his verbis. Ex *ipsa Beatitudine anima fiet, quadam refluentia in corpus, & in sensus corporeos, vt in suis operationibus perficiantur*, additque *in perfecta beatitudine perficitur totus homo; sed in inferiore parte perficitur, per superiorem. Vt inter sensus, & intellectus cognitionem diuersè, atque aduerso modo in patria, atque in via procedatur. In hac enim à perfectione inferioris partis proceditur, ad perfectionem superioris.* Quibus aliter, sentit, ac censuit in 4. d. 44. qu. 2. a. 1. quæstunc. 3. & 4. Vbi sensus Beatorum, non ex refluentia, hac Beatitudinis animi, sed ex obiectis ipsis species recipere docuit, sed quidquid de hoc sit (quod alterius plane loci est) saltem materialibus Beatorum, sensationibus, quas elicit anima recipiendis, corpore, in eorum statu, eget, atque eius coniunctione, vt consors bene, maleque gestorum, in hac vita vicem, vel præmij, vel pœnæ debitæ recipiat: quod satis rationis erat, vt nulli enim animæ operationi vllatenus inseruiens coniunctio, vtriusque perseueraret, quin inde ad substantiale principium pure intellectiuum, quod in nullo statu spirituali materia vllatenus ad suam operationem exercendam eget, iuuaturve, vt illam, cuiusque coniunctionem natura sua requirat, atque vt actus substantialis ad ipsam comparari queat, (vt opus erat, ad componendam cum ipsa substantiam Angeli totalem) valeat illatio, quo præcluſa manet euasio alia de necessitate, eius materiæ, vt principium substantiale pure intellectiuum angelicum in se connaturaliter sit, & existat, vt in simili similem euasionem reiecimus num. 4. cert. aliud argumentum, quod Angeli illi natura sua corruptibiles forent, si materia spirituali, & forma spirituali constarent: cum id non per contrarias qualitates; nec vi agentium naturalium, fieret, (vt modo generatio, & corruptio proprie dicta fit, atque in Angelis ità compositis fieri non posset) sed à Deo solum, qui pro suo arbitrio illos semel productos destruere, sicut seruare posset; nihil sane in eo majoris absurdi est, quam in seruatione, vel destructione simplicis substantiæ Angelorum, qui sunt pro Dei arbitratu, supremoque Dominio, quamvis destructio formæ prioris Angelicæ, & vnionis, vt alia in eandem materiam inducerentur, à Deo pro eius libito proueniret. Id enim non effet ex naturali exigentia causarum naturalium, nec materiæ illius, quæ omnes formas Angelicas indifferenter appeteret, ac respiceret, nec formæ, vel vnionis ipsius, quæ, entia de se permanentia sunt, atque exigunt natura sua persistere: quare solo extraordinario potentiæ, & dominij Dei vsu potuit perire; quod verum mihi est, & si Angelicæ illæ formæ, ex materia illa spirituali educerentur, sicut ex materia corporea materiales formæ educuntur: tunc enim locum etiam, ratio proxime data haberet; & si S. Thom. oppositum censeat 1. p. qu. 90. a. 2. vbi probat animas nostras, ex materia adhuc spirituali educibiles non esse; quia inquit, *sic substantiæ spirituales inuicem transmutarentur.* Cui & Bubalus noster adhæret proxime difficult. 2. Notato 2. & § 1. versu. *Colligitur secundo.* Sed certe loquitur de materia prima tempore, vt ad eductionem ab agentibus naturalibus; per

per successiuam qualitatum contrariarum alterationē fieri oportet, vt animaduertit Bubalus, primo loco, versu *At dicet aliquis.*

8 Certe cum materiam primam spiritualem, ex qua substantia spiritualis pure intellectiua constet, impossibilem absolute ostenderimus ratione prima: an eiusmodi materia physice diuisibilis, sit disputare otiosum, ac vitiosum esset, cum sit de non supponente subiecto, quæstio immo & primæ materiæ spiritualis possibilitate permissa operæ inutilis disputatio, nullo Theologiæ vel Philosophiæ esse ex vsu posset; tametsi de eo multum Recentiores, & Arriaga nostet citat d. 3. sect. 4. digladientur, atque hic affirmatiue resoluat: cum ob infirma negantium aliorum principia, tum ob instantias quasdam de organicis partibus animalium per contrariorum qualitatum dispositionem diuersam petitas, quæ in partibus materiæ spiritualis formæue angelicæ, locum habere non possunt ni Angelos corruptibiles contra dogma Theologicum admittat, & si dispositio illa contrariarum qualitatum spiritualium, & quarum, ne cogitandarum quidem principium habemus, dispositio admittatur. Si enim homogeneæ, & substantialiter, & accidentaliter partes illæ omnes, tam materiæ, quam formæ, quam compositæ integraliter illius substantiæ puræ intellectiuæ, siue Angeli sint, earum quæuis, & actiua, & receptiua intellectionis indiuisibilis erit: quare alteram altera indigere ad illam vllo modo exercendam, & alterius consortium natura exigere sua illudue admittere, quare cum illo integraliter componere, repugnabit. Hæc de otiosa, & inutili prorsus, quæstione satis, cuius negatiuæ resolutionis, & fundamento, ita proposito, nihil Arriagæ, instantiæ, & argutiæ officiunt, quas obinde, & præ tædio, refette, & refellere omittimus. Concludimusque. ex dictis omnimodam Angelorum omnium physicam tam essentialem, quam integralem substantialem simplicitatem.

CERTAMEN IV.

Obiectionibus occurritur.

1 COntra primam conclusionem de incompositione Angelorum ex materia nostrate ad spiritualitatem, & corporeitatem indifferenti & indeterminata de se à nobis datam, cert. 2. num. 1. opponitur Augustinus apud Aureol. 13 Confess. c. 8. ad id *in principio creauit Deus calum & terram* referens inter quinque expositiones, quas veras vocat, eamque terræ nomine materiam, ex qua omnis visibilis, & inuisibilis creatum fieret intelligi: ac proinde materiam corporibus, & Angelis censet communem, & lib. de mirabilib. sacræ scripturæ, ait, *Ex informi materia, quam ipse Deus prius ex nihilo condidit cunctarum visibilium, & inuisibilium rerum, hoc est sensibilium, & insensibilium, intellectualium, & intellectu carentium, species multiformes diuisit.* Hæc conclusioni præfatæ in primis aduersantur, si Augustini sint: verum locus primus, ex lib. citat. confessionum relatus nullatenus extat, vt Bubalus obseruat difficulti, vltima §. 3, versu, *ad 2. Aureoli*, non ibi solum, sed nullibi operum Augustini, eam sententiam inueniens, cum eam sedulo inquireret locus, ex capite 1. de mirabilibus sacræ scripturæ t. 3. operum Augustini extat quidem, sed liber ille Augustini, non est, vt obseruauit iam pridem. S. Thom. 3. p. q. 45. articulo 3. ad. 2. atque in lib. 2. capite 4. vbi de cyclis agit, constat eius authorem post annum Dom. sexcentesimum Vixisse, vita scilicet, iam functo Augustino pluraque mirabilia, quam probabilia asseruisse, vt Bubalus aduertit: quare expositionibus Angelici Doctoris & Capreoliad 1. locum opus non est, cum exstet certe 12. confess. cap. 7. per cœlum naturam Angelicam interpretatur (vt tropice potest) non historialiter, vt à Mose refertur: ibi autem nusquam assefit cœlo sic intellecto, materiam cum terra, seu corporibus cunctis terrestribus communem esse, sed solum terræ nomine materiam informem intelligit, ex qua Corpora omnia fierent, non Angeli, qui creatorum in principio pars altera, & seorsim creata; & primo de genesi contra manichæos. c. 7. ait informem illam materiam quam de nihilo Deus fecit, cœlum corporeum & terram esse ibi appellatam, non quia esset iam sed quia esse vtrumque poterat; fors igitur Aureolus aliquid, ex prima interpretatione cæli pro Angelis & secunda cæli corporei, & terræ, pro materia informe, potenteque esse vtrumque assumens, & assuens sententiam ab Augustino alienissimam, tanquam Augustinianam compegit, interim nil, hic de materia informi initio à Deo creata iuxta Augustini interpretationes hasce dicendum est; quanuis informitas illa materiæ, non formæ substantialis proprie ab Augustino intellecta sed aliarum formarum, & rerum, quæ ex ipsa ornarentur, florum, turbarum, fruticum, & animalium, & quibus luce accedente visibilis redderetur & spectabilis, vt statim dicitur. *Terra enim erat inanis, & vacua.* & versionibus reliquis explicatur. Nec magis extat sententia hæc apud Augustinum. 12. confes. c. 18. & 20 ex quibus refertur à Quiros. cum. cap. 18. de re hac, quod, vel assonet, nihil: cap. vero. 20. refert sententias omnes, seu interpretationes, quas non improbat solum.

Inter eas primo loco illam de cœlo pro Angelis intellecto: deinceps vero varias, cœli, & terræ corporeorum interpretationes recenset. Nam secundo loco refert asserentes cœli, & terræ nomine mundum totum Corporeum suis omnibus speciebus, tam cœlestibus, quam sublunaribus constitutum, & ornatum intelligi: tertio loco intelligentes. *Informem materiam Creaturæ spiritualis & corporalis*, Vnde ab aduersarijs afferti potest, sed eis non prodest in primis enim non nit variusque creaturæ esse materiam eandem, vt aduersatij docent. Secundo cum interpretationis illius cæli pro Angelis, & spiritualibus substantijs, vt diuersæ primo loco relatæ, in hac alia non meminerit, spiritualem creaturam hominem, qui spiritualis, ex parte, ac non in totum corporeus est, sicut corporea reliqua, intelligit, non Angelum, & ex quarta aliorum illico relata interpretatione: *ideſt informem materiam creaturæ corporalis, vbi confusum adhuc erat calum, & terra, qua nunc iam distincta, atque formata, in illius mundi mole sentimus.* & quinta, & postrema, *ideſt fecit Deus cœlum, & terram, vnde formata nunc eminent & apparent cum omnibus, quæ in eis sunt.* Quibus informis illa materia corporum, pure talium, cælestium, & sublunarium, & respectu suarum specialium formarum dicitur. Tertio, materiæ informis nomine non intelligere, Augustinum materiam constat ex, c. proxime antecedente. 19. vbi ait *& verum est, quod omne mutabile insinuat, notitia nostra quandam informitatem, qua formam capit, & quæ mutatur, & vertitur.* Versio autem idem, quod conuersio ex vno in aliud est, quod materiæ puræ non competit, sed informatæ, seu compositio, quod conuertitur in aliud nouæ formæ inductione. Ac versus finem. *Verum est omnium formatorum, nihil esse informi vicinius quam terram*, & *Abissum.* Eoque sensu materiam informem cœli, & terræ nomine significari iuxta aliquos intelligendus est dixisse, ex quibus omnia corpora tam cœlestia, quam sublunaria, non tanquam ex materia informi, sed tanquam ex elementis mixta perfectioribus formis succedentibus Coagmentarentur, Ac demum his, & sequentibus capitibus, non ex propria sententia, sed aliorum, veras eas omnes interpretationes ait, ac proinde eas solum non improbat, quin approbet, vt dixi.

3 A ratione nihil affert Quiros pro aduersa sententia firmum, & si plurima moueat, & ad tædium inculcet. cit. d. 77. sect. 2. & 3. Primum possibilitatem materiæ nostræ de se indifferentis, ad corporeitatem, & spiritualitatem, pro formarum diuersitate supponit: Vt de materia eadem indifferenti, ad corruptibilitatem in sublunaribus, & incorruptibilitatem in cœlestibus pro formarum diuersitate asserit: inde vero male infert dari de facto: nam etsi, eo admisso Angelus absolute corpo-

reus ex eave materia constans non esset : nam possent ex alia materia spirituali determinata. Angeli qui sunt constare, vt de pluribus possibilibus ipse admittit. Sicut ergo ex hac possibilitate spirituali determinate materiæ ex ipsa de facto non infertur, ita neque ex possibilitate materiæ indifferentis illa constare de facto Angelos inferretur ; item : cum Angeli substantialiter ; ex materia, & forma, quauis incompositi ac simplicis proinde substantiæ non repugnent, vndenam de facto, qui sunt, non ex ijs, sed ex compositis alijs esse probabis ? an, quia cum incorruptibilitate cœlorum, & corruptibilitate corporum, sublunarium stat de facto materiæ nostratis idemtitas in vtrisque ? ita inquit ; sed male etenim corruptibilitas, aut incorruptibilitas corporum ex dependentia, vel independentia formarum, quibus constituuntur, à dispositione contrariarum qualitatum, vt educantur, inducanturque in materiam omnino desumitur : quare ex formarum natura potest euenire ; ast quantitatis, extensionis, & impenetrabilitatis partium exigentia, ex natura materiæ prouenit nostratis, vt citat. certamen 2. ostendimus imo, non posse, nisi ex materiæ natura prouenire. Secundo eandem corruptibilium corporum materiam esse, non inde solum probatur, quod, aliqua materia vtrisque communis esse possit, sed alijs fundamentis, quibus illam materiam possibilem, hanc esse quæ de facto est, suadetur : quæ sane, nec omnino, similia adsunt, vt illam ipsam materiam indeterminatam de se ad quantitatem, extensionem localem, & impenetrabilitatem partium (quam possibilem nunc permittimus) esse hanc ipsam nostratem, quæ de facto est ; vero similiter vtcumque probent : neque item, quæ probent ea ipsa Angelos, qui de facto sunt (& si materia aliqua, & indifferente, quam dicis, constantes Angelos possibiles admittamus) constare ; vnica enim illa de Angelorum graue, vel sua violentia & cruciatibus perpessione, quæ caloris, & vstionis dæmonum dissecta partim sunt quæst. 1. certam. vlt. atque de cacodemonum cruciatibus agentes omnino explodemus. & vero materia indifferente de se posibili admissa Angelos, qui de facto sunt, non constare de facto, probat Patrum, & scholasticorum de ipsorum simplicitate, opposita communis sententia. Item materiam nostratem indifferentem non esse ; sed determinatè corpoream, ac de se esse determinatam, ad quantitatem localem partium extensionem, & impenetrabilitatem, ea omnia probant quæ in certam. 2. pro conclusione prima produximus : quare, & ex dogmatica, Angelorum, qui sunt absoluta spiritualitate, & incorporeitate materia nostra illis non constare euincitur.

4 Hæc omnia illationis ab hoc Recentiore ductæ vitium multiplici ex capite demonstrant jam antecedentis ex quo inferebant, falsitas detegenda est. Erat autem antecedens de possibilitate absoluta materiæ de se indifferentis ad formam spiritualem, & corpoream, quarum prima spiritualizetur, secunda vero corporizetur. Huius autem materiæ absoluta possibilitas esse, intelligique potest, respectu aliquarum formarum spiritualium possibilium : Et sic, si respectu aliquarum saltem possibilis sit, eiusmodi materia absolute possibilis, ac non repugnans erit, sed inde possibilis, ac non repugnans respectu omnium formarum spiritualium reliquarum materia, vt spirituale totum substantialiter physice, & essentialiter cum reliquis constituat, minime probabitur. Potest enim inesse reliquis formis specialis repugnantia, vt cum eiusmodi materia totum substantiale spirituale physice essentialiter componat, ex prædicato aliquo intrinseco, quo natura sua materiam determinate spiritualem, vel determinate corpoream requirant. Patet in anima rationali, quæ forma spiritualis est, & ex communi omnium sententia, quia, non intellectionis solum, sed materialium etiam, & corporearum sensationum principium substantiale actiuum est materiam determinate corpoream, & organizatam pro priori ad sui creationem, & immersionem, in ipsam requirit : tum, vt organis corporeis, in materia dispositis, ad sensationes edendas actiue iuuetur : tum, vt ex ipsa educantur, & recipiantur in ipsa, vt cunctis Philosophis & Theologis est notum. Secundo potest materia hæc indifferens possibilis esse, concipive respectu omnium formarum, tam spiritualium, quam corporearum ad totum substantiale alterutrius generis physice essentialiter componendum : & ex hac, quidem possibilitate euidenter probatur totius substantialis cuiusque vtriusque generis formæ respondentis possibilitas. Denique aduertendum est : materiæ indifferentis respectu omnium etiam formarum spiritualium possibilitate probata : de hoc vel illo principio actiuo substantiali spirituali probandum restare formam spiritualem esse vt respectu illius materiam illam possibilem, materiam esse vt cum illa totum substantiale physice essentialiter constituat : si enim forma, non sit, nec materiam illam, vt compartem respicere, neque vt comparte ab illa respici potent. Hæc præmiserim, vt quam infirme & inutiliter, ad rem præsentem materiæ huius de se indifferentis possibilitas absoluta pro antecedente argumenti assumatur, appareat, & eius multiplex solutio nostra clarescat.

5 Probat eius materiæ indifferentis absolutam possibilitatem quia non repugnat absolute ex vllo prædicato materia indifferens de se ad spiritualitatem, & corporeitatem per formam spiritualem vel corpoream, ad alterum determinanda : ergo est absolute possibilis. Probat secundo, vel potius probat antecedens, ex essentia, & definitione materiæ primæ Aristotelica & communi. *Primum subiectum ex quo aliquid fit eo pacto vt non per accidens insit*, idest inquit, *compars substantialis, in qua compars alia recipitur.* Cui non contradicit materiam non esse de se corpoream, seu determinatam ad quantitatem, extensionem localem, & impenetrabilitatem, vel ad oppositum. Confirmat secundo materiæ indifferentiam præsertim ex Aristotel. 7. metaphys. c. 3. scribente. *Dico autem materiam, qua per se ipsam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud quidpiam dicitur*, quibus ens *determinatur.* Esseque proinde debet pura potentia omnem actum excludens ; cum tamen corporeitas, seu determitatio ad quantitatem &c. actus aliquis, speciemque entis constituens, atque ab alijs diuidens sit quod actus, non autem potentiæ proprium est, ex communi proloquio, seu dignitate metaphysica, *actus est qui distinguit, & dat speciem determinatã* verum tamen inaduertenter. Recentiorem hunc posterimis his temporibus, vt vult, intellectis, indeque ducta antecedentis illius confirmatione, plus probare, quam velit, ac expedíat remque nullam materiam de se determinate corpoream, vel determinate spiritualem esse posse : siquidem determinatio ad alterutrum aliquis actus est dans speciem, conceptui, puræ potentiæ essentiali materiæ, contradicens & exclusus : ergo repugnat materiæ omni possibili intrinseca, ac de se se determinatio ad quantitatem & impenetrabilitatem, vel etiam determinatio ad oppositum quod ipsum est materiam de se corpoream vel de se spiritualem repugnare, cum solum velit hic Recentior, eo argumento materiam de se ad vtrumvis indifferentem esse possibilem, determinate de se materiæ ad alterutrum possibilitate supposita & asserta cum omnibus qui de re ista hactenus disputarunt & quidem actus, quos pura potentia materiæ excludit, sunt actus formarum & entis completi ex materia ipsa, & formis cum ipsa eius completum, siue substantiale, siue accidentale, & physicis partibus constantis, & ad rectam lineam prædicamentalem (quæ entium completorum solummodo est) directe spectantis, vt textus Aristotelis expresse dicit eaque entia solus actus, seu forma, non autem materia determinata physice constituit, ac distinguit, atque ad eius imitationem differentiales gradus, qui genus, metaphysicam scilicet materiam) contrahunt metaphysice in suas species costituunt, determinant, ac distinguunt At vero omnem actum, cum logicum, quibus materia ad suam speciem partis, ac subinde indirecte solum ad lineam prædicamentalem spectantis, tum etiam physicum existentiæ suæ, atque adeo omnium prædicatorum, quibus essentialiter metaphysice constituitur, non magis, quam seipsam excludere, ac non in se ipsa includere poterit, quod apertissime repugnat : atqui nihil physice, ac metaphysice in specie sua atoma adæquate constitutum, abstrahens à prædicato corporeitatis, & oppo-

sito

positæ spiritualitatis, in linea sua directa, vel indirecta prædicamẽtali esse potest, & si possit dari aliquod prædicatum genericum metaphysice abstrahens, ab vtroque; ergo prædicatum corporeitatis, vel spiritualitatis de essentia materiæ est, quin ea physice indifferens & abstrahens ab vtroque esse possit, puraue potentia physica ad vtrumvis.

6 Antecedens probatur: nam prædicata corporeitatis & spiritualitatis, alterum alteri contradicit, ac proinde nequit dari in ente aliquo determinato in se, siue partiali siue totali in sua determinata specie constituto ad æquate physica ab vtroque abstractio & indeterminatio, imò nec metaphysica. Confirmatur quia inde solum in speciebus entium totalium rectæ lineæ prædicamentalis, nequit dari species entis adæquate, & vltimo constituta indeterminatæ, ac indifferentis de se physice, aut metaphysice ad corporeitatem, vel spiritualitatem, sed alterã necessario includens. Vnde patet solutio ad instantiam multoties ab hoc recentiore inculcatam & repetitam de indifferentia materiæ physica etiam ad corruptibilem formam in sublunaribus & incorruptibilem in cœlis: corruptibilitas enim formæ, seu compositi ex ipsa resultantis, vel opposita incorruptibilitas à formis hanc, vel illam qualitatum dispositionem ad sui eductionem, vel inductionem in materiam natura sua exigentibus prouenit. Cum autem nullam determinate, ex eis formis, vel dispositionibus materia requirat, imò vero indifferenter, quantum ex parte sua est, omnes respiciat potest ad corruptibiles vel incorruptibiles indifferens & indeterminata de se, & natura sua physice esse ac subinde ad ipsarũ, & compositorum suorum corruptibilitatem, vel incorruptibilitatem: imo de se se ad alterum, ex his determinatam esse eius essentiæ physice ac mataphysice repugnat secus autem ad corporeitatem, vel spiritualitatẽ determinatio, quæ physicæ formæ, ad quas ipsa indifferens, & pura potentia solum modo est minime sunt, sed intrinseca entis cuiusque, siue completi, siue incompleti, in sua atoma specie constituti, & essentialia prædicata. Accedunt contra huius materiæ indifferentis, & ad corporeitatem, vel ad incorporeitatem à formis determinandæ possibilitatem, ea omnia, quæ diximus cert. 2. ostendentes corporeitatem materiæ debere ex parte actus primi ad sui coniunctionẽ à formis corporeis supponi: quod ipsum de formis spiritualibus simili discursu euincetur, si spiritualis determinate materia respectu formæ & compositi substantialis admittatur, possibilis. Deniq; inde omnes doctores formarum substantialium, vel accidentalium corporeitatem vel spiritualitatẽ venati hactenus sunt, ac definierunt, si subiectum seu materiam receptionis, & eductionis earum corpoream, vel contra spiritualem inuenerint: tantum abest, vt materia, & subiectum à formis corporeitatem vel contra spiritualitatẽ in sensu sapientium omnium communi trahere possit. Ac hoc ipsum rationis & naturæ instinctu, quam longa ratiocinatione indictum cunctis principium, quod spiritualis forma spirituale eductionis, & receptionis subiectum, corporalis vero corporeum natura exigat sua in tam singulatem, & exoticam opinationem recentiorem istum egit, ne corporei cruciatus dæmonum subiectum spirituale designaretur: cũ tamen ex cõmuni & stato, atq; à natura fere ipsa indicto principio teneri potius deberet ne in tam absonam exoticamque sententiam abiret.

7 Sed eius materiæ possibilitate absoluta admissa, non statim indifferentiam eius materiæ ad omnes formas cũ spirituales, tum corporeas esse oportebit, si aliquæ sint, quæ natura sua materiam vel determinate corpoream, vt animus rationalis noster omnium sententia, vel determinate spiritualem natura sua, requirat siquidem (vt dixi) ex eo quod ad aliquas solum formas corporeas, & spirituales detur materia indifferens illis corporizanda, his vero spiritualizanda, talis materiæ possibilitas absolute saluatur: quare non statim probatur materiæ huius possibilis indifferentiam & indeterminationem ad corporeitatem, vel spiritualitatem à formis determinandam esse respectu substantiæ spiritualis pure intellectiuæ Angelicæ (quam formam esse nunc permitto, & materiã aliquam natura sua concernere) quæ materiam spiritualem determinate potius requirere quam indifferentem, deberet, iuxta intellectionis, cuius solum principium substantiale actiuum est, naturam. Denique, cum cert. 2. & 3. ostenderimus principium substantiale pure intellectiuum, nec materiam vllam, adhuc spiritualem, nedum indifferentem, natura sua, vt compartem concernere, nec formam esse posse, sed substantiam totalem essentialiter esse: & si materia hæc ce tua indifferens respectu omniũ formarum spiritualium possibilis admittatur, respectu substantiæ spiritualis pure intellectiuæ Angelicæ possibilem esse non probatur: imò verò talem esse respectu illius repugnare demonstratur.

CERTAMEN V

Auerrois & Aureoli Argumenta reiecta.

1. EPostremo hoc aperta datur solutio Argumentorum pro compositione de facto, ex materia determinate spirituali Angelorum qui sunt, vel possibili saltem in Angelis aliarum specierum pure possibilibus. Siquidem commune Angelis cunctis, & essentiale prædicatum est substantiæ spiritualis pure intellectiuæ cui, vt cert. 3. n. 5. vidimus formam, ac materiam etiam determinate spiritualem, vt compartem, concernere repugnat, nuperq; etiam dicebamus. Restant solum diluenda argumenta Aureoli, (si in Aureoli sententijs & rationibus referendis ea Capreolo plena sit adhibenda fides) apud Capreolum in 2. d. 3 q. 1. a. 2. contra primam conclusionem: quibus necessario omnem substantiam intellectiuam etiam ratione intellectionis materia ac principio substantiali actiue intellectiuo diuerso egere contenditeaq; à Deo forma esse reputat, vt compositionem animi rationalis nostri ex materia necessariam, vt possit intelligere conuincere censeat: & euincunt quidem, si habeant in Angelis robur; sed inde posset deorum firmitate merito ac prudenter dubitare, fallaciamque indagare, ac detegere, ne rem adeo exoticam cogeretur admittere. Multa quidem, & prolixa apud Capreolum sunt eius fundamenta ad pauciora breuiora, & clariora capita à nostro Bubalo redacta citato art. 2. quæstio. 2. difficult. vltima ante §. primum, ad duo nempe. Primum ab authoritate Aug. ex 13. confess. cap. 8. iam à nobis supra reiecta n. 1. & 2. secundum à ratione ducta, præsertim ex varijs Aristotelis axiomatibus iuxta Auerrois ad ea loca interpretationes ex suo sẽsu, discursibus, & audacia in eis tuendis, & linguæ Græcę imperitia text. 27. pag. 38. col 1. & quam ex Aristotelis mente non semel adhibitas (vt obseruat erudite Theophil. Zimara. 1. de Anima textu 43, pag. 51. col. 2. init. & 3. de Anima textu 20. pag. 331 colu. 1. & text. 29. pag. 350. & 2. de Anima textu 13. pag. 223. col. 1.) ponitur propterea illud axioma falso tanquam Aristotelicum ab Auerroe ad 3. de Anima tex. 4. q. 5. *intellectus recipiens denudatum debet esse natura recepti.* Ac proinde in anima potentia intellectiua re, & natura à receptiua intellectionis, & obiecto diuersa esse debet (quod Aureolus assumit, & clarius, quam eius argumento concluderetur, vt patebit) siquidem potentia ipsa intellectiua, etiam obiectum intelligendum est, nec textu 14. tabula nuda, & rasa in qua nihil depictum, dicitur eo sensu.

2 Atque eo sensu non tradi constat aperte ita enim habet textu 4. lib 3 de anima. *Necesse est, quoniam omnia intelligit immixtum esse. sicut dicit Anaxagoras vt cognoscat; nam alienum iuxta apparens prohibet & obstruit.* Impermixtionem autem hanc cum corporeis rebus intelligi & asseri ab Aristotele constat; quia eam solum negauit Anaxagoras cui ipse consentit vt constat ex 1 de Anima textu 31. & 34. & ex textu 6. eiusdem lib. 3. vbi: *quare nec corpori ipsum permixtum, esse rationi consentaueum est qualis enim quidam fieret: nempe calidus, aut frigidus, ac propterea instrumentum alicuius seu organum esset,* ac proinde obiecta omnia, ita vt ipse esset affectus videret, *Nunc autem nullum*: quia omnium cognoscendorum est capax; non autem omnia posset cognoscere, si corpori, ac subinde eius qualitatibus esset immixtum: quia, qualitas corporea, qua esset imbutus, reliqua cognosci prohiberet, & obstrueret: vt linguæ ægri amarabili infectæ nihil non amarum gustu percipitur, pupilla, vasue vitreum perquæ

quæ visus species transeunt, si colore aliquo suffusa sint, eodem colore obiecta omnia videri faciunt, ac nusquam coloris alterius. Nusquam ergo Aristoteles docet aliquem corpore immixtum, & denudatum esse debere intellectum, vel quamcumque substantiam, & facultatem intellectiuam vt omnia possit cognoscere; quare vt natura spiritualis obiecti denudata sit oportere vt spiritualiter intelligat non Aristotelis dogma, sed inducta Auerrois aberrantis propositio est.

3 Id ex eius, & Aureoli sententia, quam impugnamus euincitur: Nam & materia ipsa quam animo spirituali, seu substantiæ intellectiuæ adiungi volunt, spiritualis natura sua est, & obiectum etiam intelligibile, non minus quam intellectiua actiua substantia: cum autem materia illa spiritualis subiectum, cum facultatis eius, tum specierum intelligibilium obiectorum, tum intellectionis ipsius horum sententia foret, ac subinde magis quam actiua intellectionis substantia organo corporeo potentiarum sensibilium assimilaretur, magis multo ad obiecta reliqua percipienda impediret, & obstrueret iuxta Aristotelis doctrinã, si natura ipsa obiecti intelligibilis spiritualis immixtum, & denudatum intellectum esse oporteret, quam ipsa intellectiua facultas eiusmodi natura non denudata: vnde constat illud Aristotelis ibidem *& similiter se habere sicut sensitiuum, ad sensibilia, sic intellectum ad intelligibilia* non quoad denudationem intellectus à natura omnis intelligibilis, sicut sensitiuum à natura omnis sensibilis dictum esse: maxime cum text. 15. dicat *& ipse etiam intellectus intelligibilis est sicuti ipsa intelligibilia*: nec se ipso denudandum, vt possit intelligere, alicui, nisi stupidissimo, qui aperta contradictione non tangatur, venire in mentem possit, similitudo ergo ibi ab Aristotele notata inter intellectum, ad intelligibilia, & sensum ad sensibilia, in eo non est; sed in eo, vt vtraque facultas potentia solum sua obiecta sit, quia ea percipiendi continet in se potestatem, atque ea fieri repræsentatiue potest, vt jam jam ex Aristotele ipso de intellectu explicamus, vt argumenti (vt efformatum ab Aureolo refertur) æquiuocationem, & infirmitatem monstramus.

4 Igitur ex impermixtione præfata Aristotelis omnia posse intellectum percipere, ac intelligere citra impedimentum omne asseruit indeque esse *possibilem*, ideſt potentem omnia fieri subiectiue, quia omnium formas recipere potest (ad modum, quo de materia prima dixerat 1. physicor. text. 60. 62 64.) posse recipere docet textu 8. & 14. *etenim inquit, intellectus potentia intelligibilia.* Vnde infert Aureolus; ergo nihil acti potest esse intellectus. Probat consequentiam quidquid actu est, est actu intelligibile; sed intellectus actu per nos est; ergo per nos erit actu intelligibile contra Aristotelis axioma: nihil enim, quod in pura potentia & possibilitate ad aliquod est; potest actu hoc aliquid esse vt patet in materia prima, & quovis pure possibili, qua talibus, & secundum se sumptis; atqui intellectus pura potentia, seu impura potentia, est, ad intelligibilia omnia; ergo secundum se sumptus omnia actu intelligibilia excludit: ac subinde, omnem suam actualitatem: si quidem quævis eius actualitas actu intelligibilis est. Totum hoc argumentum æquiuocatione, & prauæ intelligentiæ textus Aristotelis à commentatore Auerroe (à quo fuit Aureolus deceptus) sicut & argumentum prius initur: ac proinde Aureolus, & sibi contradicit. Nam intellectum recipiens subiectum formarum intelligibilium, ac proinde actualitatem, in se habere, & actu in se esse fatetur; cum nihil recipiens, receptiuum absolute alterius sit quin in se sit actu, & sic id, cuius receptiuum absolute sit, esse actu nequeat; atqui per te actualitas omnis & actu, & in se intelligibilis; ergo repugnat intellectui, qui pura potentia est ad omnia, & singula intelligibilia actualitas essendi in se, vt recipiat, qua parte actu intelligibilis est secundo. Argumentum hoc non probat, quod eo intendis: nempe intellectum, siue intellectiuam substantiam materia vlla, ac forma substantiali constare, sed esse purum nihil omnis actualitatis exclusiuum: tertio non materiam reipsa intellectui superadditam (vt hæc cessarent) probas, sed ipsum intellectum materiam, & puram potentiam ad formas intelligibiles recipiendas. Quarto quo eius partes formalem actiuam, & materialem multiplicas eius actualitates, & obiecta intelligibilia in ipso inclusa multiplicas, & pluries tibi contradicis, vt patet.

5 Totum ergo argumentum hoc (vti & præcedens, cuius hoc confirmatio est) sinistri textuum Aristotelis intelligentiæ, & æquiuocationi initur, quod quidem Auerroi, vel Aureolo, vel solo textu decimo quinto quem recitauimus numero tertio posset innotescere: cum dicat Aristoteles ibidem. *Ipse etiam intellectus intelligibilis est sicut ipsa intelligibilia.* Ex quo constat ipsum, non dixisse intellectum esse in pura potentia ad omnia intelligibilia, siue possibilem solum fieri intelligibilia omnia, excludendo actualitatem essendi actu entitatiuo aliquod ex ipsis physicum, cum sibi ipsi, quod intelligibile actu est, & ab ipso asseritur, non ignorauerit idemtificari actu, ac subinde hæ actuali intelligibilitati; quare, & illud ipsum actu intelligibile physice esse; quod si de pura potentia, seu possibilitate pura essendi in ordine physico intelligibilia omnia axioma illud Aristoteles posuisset, non longe eidem axiomati textu decimo quinto recitato contradiceret; Ergo axioma illud, non de pura potentia intellectus ad omnia intelligibilia, eorumque formas, seu pura possibilitate eius secundum se sumpti præcise, vt intelligibilia fieret in ordine physico essendi, sed in ordine essendi intentionaliter, & impresentatiuo, per receptionem formarum, cum impressarum, quibus in actu primo proximo ad obiectorum cognitionem adæquatè, & vltimo constitutur: tum specierum expressarum, & formalium impresentationum, seu intellectionum, quibus formaliter, & expresse obiecta intelligibilia percipit, ac recipit repræsentatiue actuque fit intelligibilia receptiue, per eorum formas & imagines intentionales, quæ percipit. Hoc ipsum expressit Aristoteles textibus 8. & 14. vbi illud axioma tradit. *Quoniam*, inquit *potentia quodammodo est intelligibilia intellectus* (quodammodo, non physico ordine essendi illa, qui modus essendi absolute talis est) *sed actu nullum antequam intelligat* & 8. dixerat *cum autem singula fuerit, vt sciens dicitur.* Id est non aliter singula actu fit anima, si quatenus, scit ac representat actu, illa & prius textu. 6. laudat eos qui dixerunt *animam est locum formarum.* Id est specierum, & imaginum rerum; ametsi dictum statim his limitet, ac explicet: *Non quod non tota* (scilicet omnis vel aliqua etiam secundum omnes gradus) *sed intellectiua, neque actu, sed potentia forma.* Ac tandem textu 18. formas rerum intelligibilium ad quas, & intelligibilia pura potentia receptiua, & non esse formas & intelligibilia per ipsas physice constituta, seu physico ordine, receptionis, & effectionis accepta, sed ordine intentionali iterum explicat dicens *lapidem non esse in anima, sed lapidis formam.* Hoc est speciem, & imaginem intentionalem seu lapidis representationem.

6 Solutionem hanc, siue potius sensum ipsum axiomatis Aristotelis ab ipso toties expressum, immo quem solum verum capere axioma illud potest, acerrime ferunt Auerroes, & Aureolus: ille enim ait. *Si Aristoteles sic intelligeret mendacium diceret, cum dicit si intellectus esset aliqua natura in actu impediret eum ne posset iudicare de alia.* Aureolus vero sic impugnat: *si intellectus esset aliquid actualitatis non posset recipere imaginem sui; quia reciperet se in suo simili, & sibi ipsi assimilaretur: quod repugnat*, & confirmat: quia *sicut albedo nequit recipere albedinem, ita nec speciem albedinis.* Caterum, vt Aureolo respondeam, prius quantum ab absurdo, & repugnantia distet, immo vero quam vtile ac necessario ab omnibus admittendum sit, formæ seu similitudines, & imagines intentionales ab obiectis recipi ipsis atque se ipsa, in eis imaginibus, similitudinibus, & speciebus intentionalibus intentionaliter recipere, quisque experitur, cum ad speculum accedit, atque ex eo repercussas species impressas eius oculi recipiunt quibus medijs expressas sui species, & similitudines recipiunt intentionales, ac sensus vident: confirmatio ex impossibilitate albedinis recipien-

recipiendi se in se ipsa, ac proinde, neque sui ad seipsam similitudinem; vel seipsam, in sui ad seipsam, similitudine friuola omnino ad rem præsentem est: Non quidem, quia albedo subiectum accidentium non est, vt Bubalus respondet, ac contendit, vbi proximè, §. 3. nam quidquid de aliis accidentibus sit, similitudinis suæ ad aliam albedinem in sententia distinguente physice relationem à fundamento, & termino procul dubio recipiet, est igitur prorsus friuola confirmatio. Quia relatio, & similitudo albedinis physica solum esse potest, quæ eiusdem ad seipsum esse nequit, atque in terminis repugnat, non autem intentionalis, ac representationis solum: cum albedo potentia cognoscitiua non sit, quæ sola, intentionalem representationem, & cognitionem obiecti elicere potest, ac recipere. Similitudo autem intentionalis, & representationis solum maxime intellectualis eiusdem ad seipsum esse optime potest. Cum intellectus possit seipsum omnium sententia intelligere, sitque proinde, respectu etiam sui, & potentia, intellectiua, & obiectum intelligibile.

7. Auerrois, Aristotelem arguentis de mendacio argumentum de actualitate omni, cum essendi, tum intelligibilitatis, ridiculum est; & si vim habeat de actualitate intellectionis: quæ, si intellectui natura, & essentia sua respectu sui, vel cuiusvis alterius obiecti adesset, nec in pura potentia, ad omnia intelligibilia esset, cum, respectu obiecti, foret, illius, cuius actualis intellectio natura sua esset: ac proinde, neque esset, vt tabula nuda, & rasa, in qua nihil est depictum (vt de intellectu Aristotelico proloquio circumfertur) cum obiectum illud cuius actualis cognitio intellectus esset, depictum per ipsam formaliter expresse procul dubio foret: & insuper, nec magis alio obiecta intelligere, & de ipsis iudicare posset, quam vnius cognitio, & iudicium, cognitio esse, & iudicium alterius: siquidem idem ipsum intellectus haberet, si natura, & essentia sua actualis cognitio alicuius obiecti foret. Alias vero actualitates, cum essendi in se, tum obiectiue intelligibilitatis, non nisi per summum mendacium ignorantiam, repugnantiam, & amentiam, negare quis poterit.

QVÆSTIO III.

De Angelorum incorruptibilitate.

TSI Angelorum incorruptibilitas, seu immortalitas essentia Angelorum, non sit, sed eam sequens passio metaphysica, ac proinde essentiæ Angelorum hactenus examinata disputationi eorum in suas species &c. diuisionis examen immediate videatur successurum: tamen, quia passio hæc ex generico solum Angelorum prædicato pendet, non autem ex differentialibus specierum quarumque angelicarum prædicatis: & quia specificæ diuisionis eorum examen ipsorum in suas Hierarchias, & choros distributioni inseruit (cuius proinde disputatio illi debet immediate succedere) hanc de Angelorum immortalitate, & incorruptibilitate quæstionem post essentiæ, & simplicitatis ipsorum essentialis, à quibus solum eius decisio pendet, proxime subiicimus, ne longius à principiis decidendi collocaretur.

CERTAMEN I.

Difficultatum sub quæstionis titulo contentarum distinctio ad directam earum, & expeditam decisionem præmissa.

1. CVM incorruptibilitas, & immortalitas mortalitati, & corruptibilitati oppositæ sint, fit vt totidem modis illæ, quot mortalitas, & corruptibilitas dicantur. Secundo cum de creatorum mortalitate, & corruptibilitate, vel de oppositis eorum incorruptibilitate, & immortalitate agitur, agens extrinsecum aliquod, à quo vel destrui semel producta, vel seruari diutius possint, necessario concernitur, cum enim creata omnia, neque à se sint (vti Deus est, ac subinde essentia sua existit, neque à se non sint, vti impossibilia, & chimeræ, quæ proinde seipsis absolute, non sunt, vel sunt à rebus remotæ) extrinsecum aliquid esse necessario debet, à quo sint, quandocumque fuerint: cum ipsorum essentia se ipsa, nec absolute sit, (vt Dei essentia se ipsa absolute est nec à suo esse, & existentia absoluta præscindit) neque seipsa absolute non sit, atque à rebus absolute sit remota, vt sunt essentia, & prædicatis suis à rebus remota, chimeræ, & impossibilia. Idcirco tom. 1. de Deo vno controuersia 1. disputation. 2. quæstion 2. & controu. 3. conceptum possibilitatis præcisiuæ rerum dixi solis creaturis competere, mediumque esse; & enti necessario Deo, & non enti necessario chimeræ, & impossibili (quasi contrariè oppositis) immediate contradicere, ac fusius controuersiæ vltimæ, de prædicamentis ostendi.

2. Cum autem causæ, à quibus creaturæ persistentia perduratio, & conseruatio ac subinde ei opposita destructio pendere potest duæ sint: alia causa prima quæ Deus est, & à qua, in fieri, & conseruari creaturæ omnes essentia sua pendent; qua entia; ab alio, vt diximus sunt; alia vero causa secunda, quæ respectu creaturarum diuersarum, non eadem semper est, sed quandoque (vt in actionibus omnibus, actibusque vitalibus essentia ipsorum) diuersa: fit etiam, vt tam mortalitas, & corruptibilitas, quam immortalitas, & incorruptibilitas creaturæ Deum causam primam, à quo semel producta conseruetur deinceps ac perennet, vel destruatur, ac pereat essentialiter concernat: causam vero, vel causas secundas ea solum creata ad sui vel conseruationem, & immortalitatem, vel destructionem, & mortalitatem, quæ vel ab illis earum absceſſu necessario, vel saltem naturaliter, pendent, vt conseruentur. Quia vero causarum secundarum actiuitas, & exigentia ad operandum à Deo causa prima, & vniuersali, non solum in esse, sed in operari etiam dependet, creata omnia, quæ à causis secundis dependent, in fieri, & conseruari, à Deo etiam dependere, eo ipso dupliciter possunt: nempe, vel secundarum causarum exigentiæ, & actiuitati annuente, vel præter, aut contra ipsarum exigentiam, & actiuitatem, operante, vel non operante, pro suo libito; vt potest, quod ipsum etiam euenit respectu rerum natura sua permanentium (cuiusmodi omnia præter motum localem, & tempus, quæ natura sua sunt successiua) censentur ea quippe omnia à prima sui productione ius naturale, & exigentiam habent, vt persistant, & conseruentur; licet eorum pleraque agentium aduersariorum actiuitate, & exigentia inducendi contraria possint superari. Quæ autem permanentia contrariis vacant, vt substantiæ simplices

omnes subiecto, non educibiles, cum præfatam persistendi exigentiam habeant, non, nisi contra ipsarum naturam semel, productæ, destruentur inde vero cursus sit: vt destructio semel productorum, quæ vel à solo Deo actiue pendent, vel, & si à causis aliis secundis, tamen non iuxta contrariorum superiorum, & potentiarum exigentiam, facta, neutiquam naturalis sit rebus destructis; sed potius contra ipsarum naturam, ac subinde violenta, & extraordinaria Dei prouidentia proueniens.

3. Et hæc quidem rerum omnium destructioni, & corruptioni, (siue annihilatio illa, siue corruptio propria sit) conueniunt, quia è generico corruptionis prædicato, seu destructionis rei præexistentis prouenirunt. Sed vtriusque huius destructionis natura, & essentia ad rem præsentem explicanda in primis erit; vt quid Patres, & Theologi de Angelorum corruptibilitate, vel incorruptibilitate, seu immortalitate naturali senserint melius percipiatur, possitque ea in re securior, ac probabilior ferri, sententia est autem annihilatio præexistentis rei independenter à connaturalium, & contrariorum qualitatum dispositione seruandæ destructio, quæ & substantiis à subiecto ineducibilibus in compositis, siue totalibus de se, siue partialibus, vt materiæ proinde, atque rationali animo, in sua destructione necessario eueniet, & quantitati, & si non substantia, sed accidens physicum sit, & è subiecto educatur: quia neque à contrariorum agentium, & qualitatum dispositione in sui conseruatione pendet, sed quouis contrario agente, & qualitatum dispositione adstante seruetur, seruarique natura sua debeat, materiæ cui inest, & ex qua educitur coæua. Scio non paucos ex Philosophis quantitatis destructionem, eo, quod dependenter à subiecto, materia scilicet prima, vt accidentia reliqua eductiua actione seruatur eius destructionem nusquam, ad annihilationem, sed ad strict. dictam corruptionem spectare censuisse; sed non ex Aristotelica, & Theologorum priscorum doctrina, vti ex iam dicendis clarebit, corruptio igitur proprie, & strictè dicta, & contra annihilationem diuisa, est rei præexistentis, dependenter à contrariis agentibus, & qualitatum contrariarum dispositionibus destructio, inde enim est, quod à contrariis agentibus, & dispositionibus per eorum actiones inductis possit res illa deficere.

4. Quod ipsum apud Aristotelem constanter est proprie, & strictè corrumpi, ita enim habet 1. de cælo, text. 20. *Quod corrumpitur, & in subiecto quodam, & à contrario, & in contrarium*, corrumpitur. Vnde cælum incorruptibile esse probat primo, confirmatque: quia in cælo nullæ viæ sunt mutationes, scilicet à contrario in contrarium, & textus 120. ait omne corruptibile *principium habere, vt non sit*. Nempe materiam contrariis qualitatibus, & formis ab agentibus inducendis subiectam. Item; quia ait: *omne corruptibile generabile, & è contra esse*, textus 127. 129. ac sæpius ibi, & alibi, textus 140. rationem, cum incorruptibilitatis cælorum, tum eius, ad conuertentiam effati his subdit, *corruptibilia enim omnia, generabilia sunt, alterantur autem contrariis, ex quibus constant*, &c. ex qua vtriusque prædicati mutua connexione dixerat, 1. Physicor. textu 82. Materiam primam *ingenerabilem esse, & incorruptibilem*. Et probauerat. *Si enim fiat subiici aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat: quare erit antequam fiat*. Cum enim materia prima sit, ante ipsam materia alia prima, ex qua fiat, esse nequit: quare ipsam siue præexistere contradictorie admittendum erit, si fiat, sitve generabilis, ac subinde corruptibilis, cum ergo vi agentis contrarij formæ oppositæ, siue contrariæ dispositiones, incompossibiles cum forma in subiecto præexistente, in subiectum inducuntur, ac præcedens consequenter, ex ipsaque constans compositum deficiunt propria corruptione pereunte, atque agentis contrarij actio proprie corruptiua dicitur; cum autem non ita, sed contrarium contrariarumque formarum, ac dispositionum agens nullum secundum est; sed Dei solum nutu volentis rem præexistentem, quæ ab ipso solo, in fieri, & conseruari pendet, destruere, seu nolentis conseruare, res perit, eius destructio non est proprie dicta corruptio; sed annihilatio propria.

5. Cum vero vtraque destructis præexistentis creaturæ, vel vti actus, in ordine ad quem potentia, quædam (quæcumque illa sit) dicitur, eaque semel producta destrui proprie possunt, contrarij agentis aut dispositionis actiuitate, vel exigentia, corruptibilia sunt, & proprie dicentur; quæ vero per agentium, & qualitatum contrariarum corruptricem proprie actionem destrui nequeunt, sed è mero Dei nolentis illa diutius seruare, ac subinde strictè, & propriè dicta annihilatione, non quidem propriè corruptibilia; sed solum modo annihilabilia sunt, & propriè dicuntur. Sed adhuc rebus præexistentibus, vel iuxta earum naturam, vel præter, & contra ipsarum naturam euenire posse videtur alterutra destructio. Quod si iuxta ipsorum naturam sit naturalis, erit vel corruptio, vel annihilatio, ac proinde res naturaliter, seu natura sua annihilabiles, vel corruptibiles; at si alterutrum natura sua, non habent naturaliter incorruptibiles, vel inannihilabiles erunt. Cum autem dicimus aliquid natura sua corruptibile esse posse, vel annihilabile, non ita debet intelligi, vt aliquid natura sua alterutrum petat, atque sapiat genio, & naturæ, in sui ipsius alterutro modo destructionem inclinet, potentiamque sui interitus physicè actiuam, & exactiuam habeat, quam debito procul habere nequit. Non actiuam: quia sui destructione & non esse, eius scilicet potentiæ actui deberet coexistere, quod contradictionem involuit. Non exactiuam: quia implicat etiam aliquid in suum malum (& maximum præsertim, quod sui destructio est) se ipso inclinare suapte natura, ac de se illud exigere. Hoc principium natura sua notum adeo, & constitutum iudicauit Aristoteles, de anima text. 3. vt corruptibilibus seque ipsa perpetuare impotentibus saltem generando aliud in simile se, conseruare, ac sui destructioni omnimodæ obsistere naturalis propensionem tribuerit & 1. physic. & 81. contrariis omnibus non appetitum solum, sed capacitatem, seu potentiam realem, physicam, passiuam recipiendi contraria, negat; quia alias corruptricis actionis, sui capacia physice essent: quod prorsus repugnanter fatent. Secundo quia (vt num. 1. diximus) permanentia creata omnia è prima sui productione, & existentia in rebus, ius, & exigentiam naturalem vlterius existendi, & conseruationis habent, vt contra ea natura sua sicut successiua distinguantur, quæ id iuris & exigentiæ naturalis non habent, cum fluxa de se, ac fluida natura sua sint; vtpote fluxis per essentiam affixa. Vlterius quia substantiæ intellectuales, de quibus in præsenti, non, vtcumque permanentes, sed æternæ beatitudinis capaces sunt, ac subinde æternam à parte post durationem sine qua æterne beari nequeunt, natura sua concernunt, cum quo implicat sui destructionem, pro sequenti aliqua successiua duratione, natura etiam sua, reposcere: esset enim duplex contradictorium, nempe semper deinceps durare, & aliquando, non durare, seu deficere chimerica exigentia, & impossibilis.

6. Quod adeo verum, exploratumque est, vt quia intellectualis animus noster, & homo etiam, capax Beatitudinis æternæ est natura etiam sua vnionem animæ cum corpore, exigere dixerit Aristotel 2. Ethicor. c. 1. ac nostram mortem, tempus, & statum, separationis animæ rationalis, à corpore præter naturam ipsi, ac nobis esse: Sic enim ibi

ibi ait, vt recitatur à S. Thom. *Quod habemus aptitudinem ad morales virtutes, ex natura, sed perficiuntur in nobis per consuetudinem: & in quantum immortalitas est nobis naturalis, mors, & corruptio est præter naturam*, & si à naturalibus aliis extrinsecis peragatur, nec possit virtute naturali fieri reunio animi & resurrectio: quare, & respectu actiuæ virtutis supra naturam sit, non autem supra, ac preternaturalem moralem hominis materialem capacitatem, & quasi exigentiam, sin autem ad animum rationalem, quæ pars physica, & forma hominis suscitandi, & resurrecturi est, & naturalem physicam exigentiam vnionis ad corpus, suam scilicet compartem, habet, naturalis erit etiam physice hominis resurrectio, vt docte aiebat, S. Thom. 4. contra gent. cap. 79. scribens, *immortalitas igitur animarum exigere videtur resurrectionem mortuorum futuram:* Nam etsi respectu actiuæ virtutis sit supernaturalis, & miraculosa, mors autem hominis, & animi rationalis separatio, & eius status attenta virtute actiua, à qua inducitur, naturalis sit, ast animi rationalis exigentia, & in curatione intrinseca attenta non præternaturalis solum, sed violenta mors hominis & separatio animi à corpore, & in eo statu perseuerantia debet censeri: cum enim natura sua attenta, & immortalis animus, ac perpetuus sit; ex quo primum existit, atque pars etiam physica, & essentialis, ei forma (quæ iuxta Aristot. 2. physicor. text. 12. potius, quam materia, natura est) cum corpore, vt comparte hominem componens perpetuam etiam cum corpore comparte vnionem physice appetit, & exposcit, cui à corpore, vel instantanea, separatio subinde aduersetur, vt docte obseruabat S. Thom. 1. part. 105. art. 7. ad 2. & quæst. 5. de malo, art 5. corp. ac proinde corpus immortale à cuius vnione nunquam abcederet, si adesset præstandum à Deo foret, vt eius naturali inclinatione, & exigentiæ satisfieret, *quemadmodum*, inquit, *ferræ, si eius naturali fini satisfaciendum esse, materia nec rubigine, nec fractioni obnoxia ab artifice pararetur; sed, quia talis non adest accipit qualem, ad eum finem potest aptissimam*: ferrum scilicet eis defectibus, minus tamen reliquis, obnoxium ita etiam Deus corpus animo aprauit, quam optimum ex elementis mixtum potuit, & si corruptioni de se obnoxium, tamen donis, & qualitatibus contra corruptionem præuentum in natura integra, & innocentiæ statu, quæ tam mala, à naturali aliqua virtute actiua peragi, inducique non poterant; & si vitio hominis potuerint admitti, similiterque Dei donis, supernaturalibus post resurrectionem corpora nostra præueniantur, inamissibiliter tamen, quia status cessauit meriti, ac demeriti & viæ, quæ fusius sanctus Thomas ibidem. Tetigit autem S. Doctor alium, præter naturalem beatitudinis capacitatem, qui passiuus totus est, titulum alium, quem non satis expressit, & actiuus, nec solum passiuus, est animæ nostræ ad reunionem, & mortui hominis ad resurrectionem, moralis tamen ex benè maleue in hac vita gestis; sed tamen, quia nec opera meritoria nostra æternitatem gloriæ, nec demeritoria æternitatem pænarum meritiua, aut demeritiua valore natura sua merentur, (tametsi formale dignitate æterna pænarum in damnatis duratura è iustitia naturali, nec solum legali æterna ab ea puniantur, vt controu. de incarnat. doctimus) actiuus hic moralis titulus, ad æterne duraturam reunionem, & resurrectionem natura etiam sua non est, sed solum ad duraturas temporarie, magis minusve, properum in hac vita ab vnoquoque gestorum valoroso merito, aut demerito maiori, vel minori.

7. Cum autem permanentium semel existentium (& præsertim intellectualium, eoque tituloæternarum deinceps) natura ua creaturarum actiuitas, & exigentia, aliquando non durandi, siue destructionis suæ intrinseca, & naturalis esse non possit, restat solum esse posse naturalem eorum aliquibus ratione capacitatis, seu passiuæ potentiæ, & materialis, quæ in ipsis contineatur. Hæc autem passiua, seu materialis potentia, si de physica potentia loquamur, in eo quod destruendum est, siue totalis simplex, vel composita entitas, siue partialis sit formæ materialis, vel immaterialis animi nostri vnio) esse non potest, quia physica materialis potentia suo actui debet physice & realiter coexistere: nihil autem potest physicè, & realiter coexistere sui destructioni, vt nupet dicebamus, & de se patet; quia alias in se physice, & realiter esset, ac non esset simul quod manifeste repugnat. Secundo: quia potentia physica etiam passiua, & materialis, non est nisi ad sui perfectiuum actuum: qui esse eius actualis destructio nequit. Id denique Arist. Physicor. citat. text. 81. contrariis susceptiuam potentiam physicam contrariorum, quibus destruantur denegat, ac de materia prima, quæ potentia physica materialis, formarum est, ait formam appetere. *Sicut turpe appetit pulchrum & famina marem.* Ex quo S. Thom. è doctus 1. p. qu 9. art. 2. ait. *Dico autem potentiam passiuam, secundum quam aliquid assequi potest, suam perfectionem, vel in essendo, vel in consequendo finem.* Restat igitur in nulla creatura destructibili potentiam physicam realem, siue actiuam & exactiuam, dari directè, & per se posse ad sui destructionem, sed indirectè, & ratione partis, qua constet, qua constet, non quidem formalis sui formæ, sed subiecti, & materiæ, quatenus contrariarum formarum, aut dispositionum, ab agente aliquo inducendarum capax, & receptiua physice est qua ex ipsa constitutum prius destruitur, aliudque materia cum contraria, forma constituat, inde Aristot 9. met. text. 2. ait. *Patiendi potentia est, quæ in ipso patiente principium est transmutationis passiuæ ab alio prout aliud*, & de hac potentia passiua dixit corruptibile, *principium habere, vt non sit.* Cuius potentiæ passiue, vt à contrario in contrarium transeat defectu negat cælo corruptibilitatem, text. 20. Inde etiam 1. physicor text. 64. longam de principiis concludit, *quare manifestum est omne, quod sit* (proprie generatione, de qua ibi) *semper compositum esse*, quod ipsum de omni, quod proprie corrumpitur censet, cum 1. de cælo. text. 127 & 129. generabile, & corruptibile ad conuertentiam dici doceat. *Generabile enim, & corruptibile sequuntur se inuicem*; ex quibus vlterius patet, ea solum, quæ composita sunt, & subiectum capax recipiendi contrarias formas, ac dispositiones, à contrariis agentibus habent natura sua ratione partis, materialis, qua constant destructionis suæ principium habere, & potentiam physicam intrinsecam posse: eaque omnia, & sola esse proprie corruptibilia, & generabilia natura sua, immo nihil, quod materia contrariorum capaci non constet posse, non solum naturaliter, sed supernaturaliter etiam proprie corruptibilem esse: cum corruptio propria nequeat, nisi ratione materiæ contrariorum capacis contingere: tametsi possit, absolute deficere, à Deoque destrui, & annihilari, vt certam 3. videbimus.

8. Denique dubium non est, quin creata omnia etiam natura sua destructibilia, ab agentibus, siue propria corruptione, siue annihilatione posse extrinsecus à Deo statuente, vt perpetuo durent, indestructibilia, seu incorruptibilia, & inannihilabilia, seu potius nunquam corrumpenda, vel annihilanda constitui. Hoc præter dependentiam dogmaticam creatorum omnium à Deo pro ipsius arbitrio, in fieri, & conseruari constat, ex homine post resurrectionem, in quo, & si capacitatem meriti, & demeriti, præmijque, & pænæ æternæ, eo quod rationalis, & liber sit, non attendas, ac subinde ius illud, perpetuo durandi inde cum Aristotele, & Angelico Doctore deductum, numero sexto, tamen post resurrectionem à Dei saltem decreto

æterne duraturum de fide est : quod ipsum de animo rationali eadem fides docet : atque item de Angelis omnibus, siue bonis, siue malis æternitatis à parte post futuræ, eadem catholica fide admonemur independenter ab eo, quod eam natura exigant, vel non exigant sua, id habetur. Psal. 148. *statuit ea in æternum, & in seculum seculi.* De cælestibus etiam spiritibus dictum de quibus etiam Matthæi 28. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est,* vbi mors non erit Apocalypsis 21. Lucæ 10. *illi qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent vxores, neque vltra mori poterunt : æquales enim Angelis sunt.* De dæmonibus, *ignis æternus* paratus à Deo dicitur in suplicium æternum Matth. 25. quæ vt minimum, ex Dei præfinito vera esse debent ; tametsi ex natura rei æternitas Angelis competat, à parte post, vt infra ostendam : quare ex sibilandus est Plutarchus, libro de defectu oraculorum qui vitæ dæmonum, seu Angelorum novies mille septingentis viginti annis terminum præfixit ; vt statim obirent referente Bubalo, ad qu. 50. articulo 1. quæst. 3. difficult. 3. §. 1. versu. *Tertio probari potest*, & si de facto solum, ac non ex natura ipsa Angelicæ vitæ, sic deliraſſet. Tota ergo in re præsente, quæstio Philosophis sapientibus, & Theologis esse potest de naturali intrinseco Angelorum corruptibilitate propria, vel incorruptibilitate opposita, ac de eorum propria annihibilitate, vel inannihibilitate naturali.

CERTAMEN II.

Angeli natura sua sunt incorruptibiles propria corruptione, adhuc de potentia Dei absoluta.

1. PRima conclusionis præfixæ pars de naturali Angelorum incorruptibilitate, & si non adeo rigida corruptibilitatis Philosophica acceptione à patribus communiter tradatur, immo nec disputetur, sed quatenus effectibilitatem, aut indefectibilitatem naturalem in essendo, significant, vniuersim, siue propria corruptione, siue specialiter dicta, annihilatione : tamen de propria incorruptibilitate Angelorum natura sua, nonnulli Patres videntur locuti, & imprimis, S. Dionysius, 4. de diu. nom. longe à med. *intellectuales substantias vitam habent indeficientem, & immiserabilem, à corruptione vniuersa, morte, & materia & generatione munda exsistentes.* Pende, *illa morte materia*, Quibus ratio philosophica incorruptibilitatis propriæ, & strictæ mox subiicienda, continetur : item illud *generatione* : cum enim, quidquid corruptibile proprie est, generabile itidem proprie necessario sit (vt ex Arist. vidimus cert. 1. num. 4. & 7.) substantiæ intellectuales, seu Angeli, qui de se à generatione mundæ à Dionys. dicuntur, atque ingenerabiles iidem incorruptibiles proprie, & stricte dicentur, atque illud à *corruptione vniuersa*, non de omni defectu eorum, in essendo, sed qui propria, & stricta corruptio sit dictum à Dionys. aperte suadetur. Athanas. de communi essentia Patris, & filij, cap. de Angelis, sic Angelum definiens. *Animal rationale expers materia hymnis dicendis aptum immortale*, illis enim, *expers materiæ*, rationem dedit immortalitatis, qua de eo erat statim dicturus : scilicet propriæ incorruptibilitatis, quæ ex defectu materiæ in Angelo philosophice demonstratur. S. Basilius, in Psal. 44. ait : Angelos, vsque senescere, nec adolescere, sed in eo statu, in quo creati sunt, *in eo*, inquit, *perpetuo remanent seruata simplici, & eadem immutabili propriè natura substantiæ*, quia vtique simplex eorum propria natura substantialis materia caret, ex qua solum mutari, & corrumpi substantialiter, proprie posset, & clarius Sophronius, epistol. recitata, in 6. Synodo actu 11. approbata act. 13. vbi de spiritualibus substantiis, ait. *Nec latenusque dam. moriuntur, iuxta quod sensibiles defluunt atque pertranseunt*, quod, & si alium sonet, potentiam, etiam ita moriendi negat ipsarum naturis, & si statim omnimodam immortalitatem, & pereundi incapacitatem naturis earum negat sensu explicando cert. 3.

2. Eandem sententiam, eademque ratione tradit Damascenus lib. de decret. & placit. &c. cap. 7. his verbis, *quod vacat corpore, id rationis est particeps, & immortale, vt animus Angelus*, Dæmon. Theodoretus 3. de curat. græcanicar affection. dix. & Angelis fæminarum vsum superfluum ait, & impossibile, *qui vt immortales propagatione non indigent, vt incorporei commixtionem non patiuntur, vt generent, vel generentur* : quare ingenerabiles natura sunt, ac subinde, & proprie incorruptibiles, consonat sibi in epitome diuinor. decretor. c. de Angelis scribens. *Immortali natura superacanea est generis diuisio. Neque enim incrementi opus habent, qua enim ab interitu aliena est, natura non eget incremento.* Quo argumento pro Diuina, ingenerabilitate actiua, & passiua, ac subinde propria incorruptibilitate, quæ cum ipsa ad corruptentiam dicitur vsi sunt Lactant. 1. diuinar. institut. cap. 8. Minut. Felix in suo Octauio. Arnobius aduers. gent. Tertullian. Clemens Alex. Cyprian. August. & Patres passim deorum apud gentes masculum, & fæmineum sexum, & connubia frequentissima videntes. Posset etiam pro hac conclusione adduci Iulianus Archiep. Toletan. de Origin. humanæ mort. apud tom. 8. Biblioth. vetet. Patrum ita hominis in statu innocentiæ potentiam, non moriendi ab Angelica immortalitate differentiam. *Non enim* (inquit) *eodem modo, quo Angelus condiderat, Deus ita, & homines condidisse credendus est vt etiam, si non peccassent mori omnino, non posset. Sed ita conditus est homo, vt perfunctum vitæ tempore munere sine interuentu mortis Angelica cum immortalitas sequeretur æternitasque beata.* id est incorruptibilitatem ex merito haberet, quam Angelus ex conditione, & natura sua habuit, ac ideoque beatitudinis æternitatem, quam ex merito, & gratia Dei habet vterque. Denique Patres omnes, qui Angelis absolutam natura sua immortalitatem concedunt, cum enim corruptibilitas proprie dicta, mortalitas aliqua sit, cui hæc natura sua competeret, absoluta immortalitas natura sua competere sine contradictione non posset ; immo, cum mortalitas per propriam corruptionem strictissima, notissimaque mortalitas sit, cui hæc natura sua competeret immortalitas natura sua nequiret, nisi ab ignarissimo, & stolido aliquo affirmati.

3. Huc proinde facit etiam definitio Concilij Lateran. sub Leone X. in huius Bulla posita init. sessionis 8. vbi ex Math. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Definit contra Philosophos asserentes, *de natura animæ, quod sit mortalis.* Naturam animæ non esse mortalem, quod ipsum est, animam natura sua immortalem. Cum autem id à Christo Domino dicatur, ac homines, qui occidere possunt corpus (per causas scilicet secundas vitæ corporis aduersas, ac subinde proprie corruptiua occisione, vt docte Vasquez d. 182. c 5. n. 18.) vt nequaquam timendos probet, quia animam non possunt occidere manifeste de corruptione propria, & morte per causas contrarias secundas, quibus negat occidendi animas potestatem, ac ducenda loquitur, dum eam negat potestatem, ac subinde dum ex eo loco naturam animæ, seu animam natura sua immortalem definit, natura sua proprie definit incorruptibilem. Et si autem eo loci aliquid in terminis de Angelorum immortalitate, & incorruptibilitate propria definiatur, virtute tamen de eis immortalitas natura sua, siue incorruptibilitas propria

propria in se, vel saltem in genere definitur, ibidem dum de animæ vniuersim immortalitas naturæ etiam sua, absolute, ac subinde, omnis indestructibilitas species, siue per corruptionem propriam, siue, per annihilationem, vel provt proprium incorruptibilitatem, significat, definitur. Probatur primo, quia Angelus spiritualis, & rationalis substantia, non minus, imo perfectior, quam noster animus est; ergo quidquid perfectionis animo nostro, qua spirituali, & rationali, siue intellectuali conuenire definitur, virtute saltem, & implicite conuenire Angelo definitur: ast incorruptibilitas propria vel in se ipsa, vel in genere absolutæ immortalitatis, sub quo continetur, conuenire animo nostro natura sua definitur: ergo virtute, & implicite definitur. Angelis, natura etiam sua, conuenire. Antecedens primum ab omnibus admitteretur, admittique debet, ex illo Psalm. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Quod de homine etiam Christo, ad litteram dictum vult. Paulus ad Hebræ. 2. qui tamen in donis supernaturalibus maior longe Angelis solum potest, in natura, eique etiam quoad animum rationalem, quo constat, debitis esse ipsis minor. Consequentiæ vero inde ductæ inoffenso currunt. Confirmatur: quia Angelis, vt Deum clare videant, lumine gloriæ opus esse de fide saltem implicite censetur (de quibus tamen, nihil tale definitum in terminis est) eo præcisse, quod de homine, eiusque rationali animo, ita definitum est contra Beguardos, & Beguinas, in Concilio Vienensi sub Clemente V. idcirco Angelos natura sua absolute immortales, quare, & proprie, ac stricte, incorruptibiles, vt minimum, esse fidei saltem proximum, & oppositum temerarium, & erroneum censet Valentia, 1. p. ad. q. 50. a. 5. disp. 4. q. 1. pu. 4 §. *quod autem*, atque in fide periculosum. Molina a. 4. quibus (vti & ego) consentit Bubalus, a. 5. quæst. diffic. 1. §. 3.

4. Probatur à ratione vel potius demonstratur conclusio. Id absolute est proprie, & stricte, incorruptibile natura sua, cuius natura, & essentia incapax est proprie, & stricte dictæ corruptionis, seu destructionis corruptiuæ: atqui Angeli natura, & essentia incapax est, propriæ, & strictæ corruptionis: ergo natura, & essentia sua est incorruptibilis. Maior est ex terminis euidens. Minor autem clare, & euidenter probatur: corruptio propria, & stricte dicta essentialiter dicit rei destructionem, ab agentibus, seu causis secundis per contrarias formas, seu dispositiones peragenda: atqui Angelus natura, & essentia sua incapax est eiusmodi destructionis sui ab agentibus, & causis secundis per contrarias formas, seu dispositiones peragendæ. Ergo incapax est natura, & essentia sua proprie, & stricte dictæ corruptionis. Minor proxima certa, & euidens de fide pene, & ex loco recitat. Matth. 20. dum inde animi nostri naturalem, siue natura sua, immortalitatem seu proprie, & stricte dictæ corruptionis incapacitatem deduxit, quod eo loco, à causis secundis, scilicet hominibus quascumque, ad eius interitum applicantibus, & inducentibus, non posse animum destrui dicatur; quam definitionem & deductionem virtute, & implicite ad Angelos pertinere proxime ostendebamus. Sed quoniam nunc iam sola naturali ratione pugnamus, ita, & minorem hanc, & conclij rationem, tam pro rationali animo, quam pro Angelis cunctis demonstramus. Angelus (& idem est de anima rationali) natura sua est substantia spiritualis intellectualis. Simplex, & incomposita, ex materia omni substantialiter, siue secundum substantiam sumpta: ergo est incapax corruptionis proprie corruptiuæ. Antecedens quoad incompositionem substantialem Angeli ex materia corporea, non solum est Theologice certa, sed Philosophice etiam demonstrata, q. 1. & 2. fere per totam de Angelis, non solum, qui de facto sunt, sed etiam de pure possibilibus aliarum specierum. Similiter de incompositione substantiali Angelorum horum etiam possibilium, ex materia non solum corporea, & indifferente, sed spirituali ostensum est cert. 3. & 4. consequentia vero probatur ex dictis, q. hac. 3 cert. 1; etenim destructio rei corruptiua, seu à causis secundis solum esse potest per inductionem formæ oppositæ, vel contrariæ dispositionis in materiam aliquam naturæ, & essentiæ rei natura sua proprie corruptibilis, aduersarum formarum, & dispositionum capacem: atqui in Angelis nulla est materia capax aduersarum formarum à causis secundis inducendarum; ergo nec capacitas ad propriam corruptionem, seu proprie corruptiuam sui destructionem subsumptum antecedens probatur. Quia Angelus nulla materia constat, sed simplex substantia spiritualis est, vt diximus locis citatis: nec partialis substantia est, seu forma, materiam aliquam à qua educatur, immo à qua non educatur, vt compartem, & materiam concernens, vt citat. cert. 3. & 4. ostendimus: ergo nequit habere capacitatem, ad sui destructionem ratione materiæ ipsius natura Angelica, per formam, seu dispositionem contrariam, à causis secundis inducendam: sed nec ratione simplicis, & totalis naturæ suæ substantialis: id enim repugnat: esset enim capacitas recipiendi contraria quam merito repugnare aiebat Aristotel. citatus nuper cert. 1. n. 5. & 7. ex naturali demonstratione ibidem producta, quod sui destructioni, & non esse, seu negationi sui absolutæ simul, coexistere Angelus deberet, manifesta vtique contradictione.

5. Secunda pars conclusionis titulo certaminis, præfixa expresse videtur nostri Vasquez d. 82. c. 3. §. 1. n. 12. sub fin. scilicet Angelum, nec diuinitus, siue potentia absoluta Dei, & supernaturaliter pro suo à legibus naturæ (vt sic loquar) soluto arbitrio operantis natura sua proprie corruptibilem esse, sed potius proprie incorruptibilem: quia, inquit Vasquez. Ipsorum naturæ repugnat, vt à causis secundis corrumpantur, id est, per contrariæ formæ, aut dispositionis inductionem destruantur; quod apud ipsum, & reliquos Philosophos, & Theologos destructio proprie corruptiua, seu propria corruptio est. Id recte quidem probat, sed solum ibi attendit ad extrinsecam actiuitatem agentium naturalium respectu eius. Potest autem Angelus indestructibilis corruptiue, siue incorruptibilis natura sua esse respectu actiuitatis, eorum non autem intrinsecæ capacitatis, vt ab eis destrueretur, si maior actiuitas, potentiorque, ipsis, vel aliis causis, secundis adesset (vti adest Deo) respectu cuius potentiæ subdit statim esse Angelum, esse corruptibilem absolute: sicut, & veteres plures de incorruptibilitate, non Angelorum propria, & natura sua & prorsus ipsi intrinseca, sed relate solum ad actiuitatem extrinsecorum agentium loquuturi sunt; eam ipsis condunt: quia, etsi de generatione, & corruptione in causis secundis differentem Doctores Aristotelem viderunt, non autem satis attenderunt intrinseca generationis, & corruptionis prædicata, quæ ibidem Aristoteles posuit absolute, intrinsecaque sunt cuiuis earum, ac nos cert. 1. notauimus: & quæ respectu actiuitatis diuinæ, & summæ Dei potentiæ locum habent, vel habere non possunt in rebus earum capacibus. Probatur igitur, absoluta, & propria incorruptibilitas Angelorum natura sua, à quouis agente, etiam Deo, pro suo soluto arbitrio, & potentia absoluta operante. Quia corruptibilitas propria rei cuiusvis ex natura sua dicit, in eius natura capacitatem physicam passiuam, materialem saltem, formas, seu dispositiones contrarias, quibus destruatur, & ratione cuius eius destructio corruptio propria esse potest; atqui natura Angeli eiusmodi capacitas physica, in se, & intrinsece, quare, respectu Dei etiam, de potentia absoluta operantis, repugnat, vt patet ex dictis, n. 4. ergo, nec diuinitus, & supernaturaliter natura Angelica corruptibilis esse potest: quare, & Angelus natura sua est, etiam diuinitus, & supernaturaliter proprie incorruptibilis.

CERTAMEN III.

De Angelorum natura sua annihibilitate vel inannihibilitate.

1. IAm de altera destructionis, seu mortis, & corruptionis late dictæ specie, nempe annihilatione disputandum restat: an eius natura sua incapax, & subinde mortalis, an in capax, atque adeo immortalis natura sua Angelus sit? si enim annihilationis etiam incapax Angelus natura sua, atque eo etiam sensu immortalis esse inueniatur, cum eius incapacitas pereundi per sui destructionem proprie corruptiuam, seu propriam corruptionem natura sua fuerit, cert. 2. demonstrata incapacitas absoluta, & omnimoda destructionis suæ Angelo natura sua competere, ac subinde omnimoda eius natura sua immortalitas probata manebit, siquidem nullum aliud destructionis rei semel productæ, & præexistentis genus, modusve vltra proprie dictas corruptionem, & annihilationem esse potest. Ast, cum annihilatio creationi proprie dictæ, quæ à solo Deo esse potest contradictorie opponatur, eiusdem potentiæ liberæ operaturæ cuiusmodi Diuina est) agere, vel non agere, & ab actione cessare: solaque, actionis, qua facta res est, subtractione pereat, fit, vt potentia extrinseca, quam Angelus concernit, vt continuata creatione seruetur, vel substracta creationis suæ continuatione destruatur, ac propria annihilatione pereat, esse potentiam, seu omnipotentiam Diuinam solam, siue Deum, qua omnipotentem, & proprie creative creabilium natura sua rerum seruatorem pro libito, vel annihilatorem. De Deo quippe dicitur. *Quomodo posset aliquid permanere, si tu non voluisses.* Cap. 11. & actor. 17. *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Quare concursum subtrahente, omnes, & omnia perirent: vt Iob, breui, & eleganti illa metaphora expressit, cap. 6 *Soluat manum suam, & succidat me.* Manum scilicet illam, concursus, quo tenebar in vita; de qua Psaltes Regius aiebat Psalm. 138. *Etenim illuc manus tua deduceret me, & tenebit me dextera tua.* Et Magn. Greg. l. 6. moral. in Iob c. 18. à S. Thom cunctisque Theologis laudatus. *Omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus omnipotentis conseruaret.* Cui Damascenus 1. de fide c 3. & cæteri Patres, & si vocibus quandoque aliis, omnino consentiunt præsertim Augustinus, 4. de Genesi ad litter. cap 12. qui in eo Dei effectus ab Artificum operibus distinguit, quod hæc ab his in fieri solum, illi vero non in fieri solum; sed, & in conseruari à Deo dependeant.

2. Claret inde relate, ad absolutam Dei potentiam Angelos omnes esse absolute annihilabiles, & eo sensu mortales, vt bene obseruauit Cyril. 8. Thesaur. circa med. illis verbis. *Sed tamen quoniam ortum habuit (Angelus) & esse cepit, occidere quoque potest, & non esse. Nam, quæ naturis præcipua insunt, ea respectu creatoris nihil sunt. Quare sicut ignis, combustivus quidem est, sed non Deo, sic etiam Angelus, immortalis quidem est, sed non Deo.* Sententiæ initio huius testimonij positæ de Angelorum etiam mortalitate relate, ad Dei absolutam potestatem, ita consentit Damascen. 2. de fide cap. 3. init. *ita enim natura comparatum est, vt, quod ortum habuit finem sit aliquando habiturum.* Non quidem de facto (quem Angeli non habebunt, vt ex fide ostendimus) sed potentia, quod pro ratione reddit, vt voluntate hac beneficio Dei Angelos immortales esse, ac nusquam defecturos probaret, non autem sua natura. Quo etiam pacto censuit Iustin. Mart. l. quæstionum, q. 13. scribens. *Quorum immortalitas, ex alterius voluntate pendet, ea immortalia (de se vtique) esse non possunt,* & Ambros. 3. de fide c. 2. *Neque Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris.* Atque ipsis prius Plato in timæo, vbi Deorum ab ipso propagatorum (nempe Angelorum, apud Catholicos) Patrem summum Deum, ita ipsos alloquentem inducit, *Dij Deorum ego opifex, & Pater sum: hæc attendite, quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt.* Itaque Angelos relate ad Dei potentiam, & voluntatem absolutam, semel etiam productos, annihilabiles, mortalesque esse (eos saltem, qui de facto sunt se de possibilibus speciebus aliarum ab ipsis præmanarum citandos Recentiores fugillemus) dogma Catholicum est. Quare an id ex innata ipsis, & intrinseca inclinatione, suæ naturæ, & potentia intrinseca, quam in se habeant, ac subinde de potentia ordinaria Dei ipsorum naturis, exigentiæque, vel potentiæ se accommodantis, annihilari possint, sintque subinde natura sua, & intrinseca potentia saltem passiua annihilabiles, & eo etiam sensu mortales? an potius solum potentia soluta, & absoluta Dei ipsis, eorum, quo naturis prorsus extrinseca annihilari possint, & deficere atque, ex ea solum & extrinsecus annihilabiles denominentur, & eo sensu mortales, cum tamen ipsis, eorumque naturis, tanquam inclinatio, seu capacitas intrinseca, sit ad eorum conseruationem, quare, & sint natura sua, inannihilabiles, eoque etiam sensu immortales? quæstio Catholicis Doctoribus esse solummodo potest, & hactenus fuit, tametsi eos plus de nomine, quam de re hactenus, & ad censuras vsque, certasse non dubitem: nec posse re ipsa vllum ex eis ab aduersariis rationabiliter dissentiri; sed pugnare, quia potentiæ passiuæ Logicæ, seu non repugnantiæ creaturarum, vt præcisiue, possibilium, discrimen à potentia physice passiua, seu physica destructionis, ipsarum à Deo, non satis attenderunt: sicuti neque ios, & exigentiam naturalem, quam ex prima sui productione, & existentia absoluta, deinceps seruentur creata omnia natura sua permanentia adoriuntur, & habent, quandiu contrarium fortius, actiuitatis scilicet, & exigentiæ potentioris ad inducendum aliquid cum præexistenti incompossibile est (vti ostendimus) de quo vide cert. 1. n. 2. Minus etiam quam par esset attenderunt, vt ita certarent, ius, & exigentiam vlteriorem naturalem, quæ substantiæ cuiuis spirituali intellectuæ semel productæ adest, vt æternitate apeine post seruetur, ac perduret de quo etiam egimus eodem cert. n. 5. fine, & toto n. 6. quorum ad veram difficultatis huius decisionem reficanda memoria in primis erit.

3. Prima sententia asserit: Angelos natura sua à Deo annihilabiles, atque eo sensu mortales natura sua respectu potentiæ diuinæ (& ordinate quidem, seu ordinari, neque contra naturæ eorum iura & exigentiam operantis) realiter esse: ac subinde non esse natura sua à Dei potentia, ordinata adhuc, inannihilabiles, atque eo sensu natura sua realiter immortales, ita Alexand. 1. p. q. 4. m. 3. S. Bonau. in 1. d. 8. p. 1. q. 2. Ricard. a. 2. q. 2. Scot. q. 5 *Ad quæstionem,* & in 4. d. 49. q. 6. § *Hi duo sunt,* Okam. in 2. q. 7. Gabr. d. 2. q. 1. a. 2. concl 6. Vasq. citata d. 181. Mastrinon. d. 36. sect. 6. alios referens Recentiores aptime Doctos. Bubalus d. 50. ad. 2. 5. quæst. vnic. diffic. 3. §. 1. alios refert, si eos de potentia naturæ Angeli physice passiua, & intrinseca mortalitatis, & destructionis loqui referat, de qua citati reliqui nullatenus loquuntur, sed de logica solum, seu non repugnantia, vt Angelus semel productus, & præexistens diutius à Deo non conseruetur, & inseruet quam intrinsecam, & realem Angelo etiam præexistenti esse volunt, nec solum extrinsecam denominationem à Dei omnipotentia, prorsus atbitrio ipsum conseruare, vel non conseruare, & annihilare potentis de quo solum inquit Vasquez noster, § *certum,* n. 8 saltem sibi cum Caietano, & Thomino Dominicanis aliquibus litem, immo inter Catholicos esse; siquidem sui annihilationem, à Deo creaturis omnibus, semel etiam productis, non repugnare, ac proinde potentiam logicam, seu possibilitatem

tatem, non fictam, & chimæricam, sed veram, & realem dari, vt non conseruentur à Deo, tam certum est, atque est certum creata omnia, pro Dei libito, & arbitrio seruari, destruive absolute posse (quod fidei dogma est, ex. n. 2.) atque eo sensu esse mortales non immortales, nec sui destructioni, & annihilationi à Deo repugnantes, sed potentia logica ab ipso annihilabiles, & destructibiles; siue id intrinseca sibi potentia, siue extrinsecus solum à potentia Dei habent; de quo subinde disputatio Catholicis sit, esseque solummodo possit. Cæterum eo fidei dogmate statuto, admissaque intrinseca rerum essentiis non repugnantia, & potentia logica, vt à Deo seruentur, vel pro eius nutu destruantur, de naturali ipsis, ac subinde Angelis, mortalitate, & annihibilitate, vel inannihibilitate, & immortalitate Doctoribus Catholicis disputationem esse posse, & ex dicendis clarebit, & ex dictis num. 2. citato, ac de se satis patet. Nam possibilitas, ac non repugnantia absoluta rerum, ipsis etiam intrinseca, vt à Deo eiusque potentia, vel fiant, aut facta, seruentur, vel, vt non fiant, vel iam facta destruantur Dei omnipotentiam absolutam, non autem naturali physicæ ipsarum exigentiæ ligatam, coaptatam coordinatam, & quasi subordinatam, & attemperatam, respicit: quare & si ipsarum naturali iure, & exigentiæ physicæ, earum destructio, & annihilatio aduersetur, tamen intrinseca ipsis non repugnantia & potentia logica, vt à Deo annihilentur, esse absolutè poterit: Ac demum S. Thom. Durandum, Caietanum, ac reliquos priscos; pro secunda sententia referendos potentiam, logicam, ac non repugnantiam, vt Dei absoluta potentia destruantur, productis, semel Angelis non negasse, & solam extrinsecam denominationem, ipsis ab actiua Dei potentia esse non docuisse, constat ex eo, quod rerum possibilitatem in pura Dei omnipotentia rebus omnino extrinseca constituere, Recentiorum referenda sententia primo fuerit, satis clarebit.

4. Secunda igitur sententia docet: Angelos (qui de facto sunt) natura sua annihilabiles à Deo, atque eo adhuc sensu mortales non esse, sed potius natura sua, inannihilabiles à Deo; atque eo etiam sensu immortales; tametsi potentia Dei actiua annihilabiles sint, & eo sensu mortales, quin in eis potentia, adhuc passiua, adsit suæ annihilationis, aut destructionis, qua ratione materiæ adest, & corruptibilibus. Ita plane S. Thom. 1. p. q. 2. 2. q. 50. a. 5. item q. 5. de potentia a. 3. & 2. contra gent. c. 30. & 35. vbi Ferrara §. *Si quis autem.* Petrus Bergomens. in concordantiis locor. S. Thom. dubi. 122. Durand. in 1. d. 8 p. 1. q. 3. n. 4. Caietan. in 1. p. q. 50. a. 5. vbi etiam Bannez, ac reliqui interpretes Dominicani, quibus ex nostris consentiunt ibi Molin. & Valentia d. 4. q. 1. pu. 4. §. *Quod autem natura*, vbi ait: à Theologis fere certam ex fide iudicari. Soar. 1. de Angel. c. 9. Lessius 3. de summo bono n. 112. Meratius de Angel. d. 9. sect. 2. Quiros citat. d. 41. sect. 3. §. *Vera est secunda sententia*, num. 32. Arriaga d. 2 de Angelis sect. 3. 4. & 5 Porro hanc sententiam, vt fidei aduersam reiectam quondam ab aliquot Parisiensibus Theologis, non sine stomacho, memoratur à Caietano, vbi proxime his verbis. *Dicere autem, quod repugnat fidei, est summæ ignorantiæ, qualis moderno tempore regnare videtur apud quosdam Parisienses, qui præfatum S. Thom. capitulum (30. & 35. ex. 2. contr gent. suspectum habent.* Quod verissimum quidem est, si Angelici Doctoris & citatorum sequacium ea in re Theologorum sententia intelligatur, vt probabilius censura memorata, à Valentia feratur in aduersam. Etenim ex citatis antiquis nemo intrinsecam Angelis non repugnantiam, seu potentiam logicam, aut logice passiuam, vt non conseruentur à Deo soluta, atque absoluta sua potentia illos conseruare nolentis, & quo secundum se, & essentiam suam termini, & obiecta Diuinæ omnipotentiæ constituantur, negauit: quam rebus omnibus possibilibus 1. p. q. 25. a. 3. & q. 9. atque locis proxime citatis eam Angelis concessit; solumque negauit potentiam physicam, & realem adhuc passiuam, seu physice passiuam & subiectiuam suæ annihilationis, id quod expressit, etiam Durandus. *Non enim* (inquit) *requiritur in creatura, vt sit potentia subiectiua, ad annihilationem. Vt ipsa annihiletur.* Similiter Caietanus. & Ferrara potentiam solum physicam, & realem ad sui annihilationem creaturæ, & Angelis negant, cum in solo Deo esse illam concedunt. Bubalus denique qui potentiam hanc logicam, non seu repugnantiam, vt à Deo annihilentur, Angelis intrinsecam ab antiquioribus assertam negasse videtur, ac de ea admissa Caietanum reprehendisse, solamque potentiam Dei Angelis extrinsecam ad eos annihilandos admisisse §. 5. versu. *Colligitur quinto*, de potentia reali physica aperte loquitur. Siquidem statim versu, *Colligitur sexto*, ait relate ad absolutam Dei potentiam Angelos natura sua mortales, & annihilabiles esse; in qua propositione, & si aliunde aduersauerit, supponit tamen potentiam logicam, seu non repugnantiam, vt à Deo annihilentur Angelorum natura intrinsecam esse vt §. 2. propositione 1. statuerat, atque probauerat, ac certam apud omnes esse merito concluserat, vnde constat immerito etiam Vasquez nostrum c. 2. versu. Eodem modo n. 10. reprehendisse Caietanum, quasi solam potentiam actiuam Dei à qua creata, & Angeli destructibiles, & annihilabiles denominentur, intrinseca, omni earum potentia logica, seu non repugnantia, vt à Deo destruantur, & annihilentur secluſa admiserit, quam tamen à Caietano admissam fatetur ipse Vasquez c. 1. n. 1. & 2. non minus quam ab ipso Vasquez admittitur: & si hic male realem esse contendat; melius autem Caietanus realem potentiam esse neget. Secundæ igitur huic sententiæ subscribo, quam sequentibus conclusionibus distinctius, atque ab æquiuocatione omni liberam trado.

5. Dico primo. Angeli natura sua inannihilabiles à Deo naturaliter, & potentia ordinaria operaturo, atque eo etiam sensu immortales natura sua sunt. Probatur ex Concil. Lateranensi sub Leone X. sess. 8. in cuius initio eiusdem Leonis Bulla definitur animum rationalem esse immortalem, *per se, sicut esse per se* corporis formam: id quod Angelo, præstantiori, scilicet subſtantiæ spirituali intellectiuæ debet conuenire: maxime cum eadem, omnino pro vtroque sit naturalis ratio inferius subiiciendi. Probatur secundo conclusio in terminis, & illatio ab immortalitate, & inannihilabilitate naturali animi rationalis natura sua, ad eandem Angelis concedendam ex synodo 6. act. 11. vbi eam vtrisque natura sua concedit; tametsi eis essentia & natura sua immortalitatem videatur negare, non eo sensu, quo hic accipimus naturam assumit, vt inferius videbimus. Tertio probatur ex Dyonis. Areopag. Athanas. Basil. Damascen. Theodoreto. Minutio felice Iuliano Archiepisc. Toletano recitatis cert. 2 & si enim de eorum indestructibilitate per naturam opposita corruptibilitati sensibilium in terminis videantur locuti, & respectu contrariorum agentium, & causarum secundarum: tamen de omni indestructibilitate naturali, & omnimoda, immortalitate Angelorum, natura sua, & respectu cuiuscumque agentis, etiam Dei, iuxta ipsorum naturam operaturi virtute saltem, & æquialenter loquuntur, cum nullam adhuc potentiam passiuam physicam respectu Dei habeant ad suam annihilationem (vt conclus. 2. dicemus) æque, ac respectu agentium naturalium ad propriam sui corruptionem potentiam physice passiuam non habent. Quarto probatur efficaciter, ex Cyrill. Alexan. 8 thesauri circa med vbi nobis putatur ab aduersariis, vel maxime, aduersus illis verbis, *& si Angelus immortalis quadam res est, per voluntatem, & gratiam saluatoris, sed quia tamen ortum habuit, & esse cepit occidere potest quoque, & non esse. Nam quæ naturis præcipue insunt* (vt Angeli naturæ immortalitas) *ea respectu creatoris Dei nihil sunt.* Quia omnia naturæ iura ex potiori summo suo increato dominio, & iure perfringere absolute, & honestissime potest: *quare sicut ignis combustiuus quidem est, sed non Deo, sic etiam Angelus immortalis quidem est; sed*

non

non Deo. Quare æque immortalem natura sua Angelum, atque combustiuum natura sua ignem esse docet; & si contra huius actiuitatem naturalem, & prorsus expeditam impedire Deus combustionem, atque contra naturalem Angelo immortalitatem inferre mortem possit. Methodius tandem serm. de resurrection. *Is, qui ex nihilo fecit, & construxit immortalium naturam non in Angelos, & ministros solum construxit:* quare Angelos ex natura immortalium, siue natura sua immortales esse docet.

6. Probatur à ratione, (fors demonstratione) naturali conclusio. Angelus natura sua, non solum non petit destrui, sed petit non destrui à Deo, & non annihilari; ergo Angelus natura sua, est à Deo iuxta eius naturam operante inannihilabilis seu (quod idem, est) natura, seu iuxta naturam suam immortalis, & si à Deo vltra, & contra naturam Angeli, eiusque naturalem exigentiam, (vt potest) operante, sit annihilabilis. Antecedens probatur Cyrilli authoritate proxima, qua æque immortalem natura sua Angelum, atque ignis natura sua combustiuus sit, dicebat: id est, æque Angeli naturam exigere semper persistere, & non destrui; atque natura ignis exigat combustionem. Probatur secundo, ex natura, & essentia rerum permanentium. Quidquid permanens natura est, natura etiam sua exigit permanere, ac non destrui, debetque natura sua perdurare, quandiu contrarium agens fortioris exigentiæ, & actiuitatis in rebus non adest, ac non abest agens naturale, à quo naturaliter debeat conseruari, vti lux, à luminoso: atqui Angelus natura sua ens permanens est, ergo natura sua exigit permanere semel productum, quandiu agens contrarium fortius non adest, neque abest connaturale agens ipsius productiuum. Tunc sic; sed nunquam potest adesse agens contrarium fortius, quod eius destructionem requirat, nec agens connaturale ipsius conseruationi, quod Deus est, abesse potest: ergo natura sua semper durare, atque non destrui, ac subinde natura sua, atque eius naturali exigentia attenta inannihilabilis à Deo est, & immortalis. Antecedens ostendimus controuers. 1. de generat. d. de resistentia: & patet, quia deficiente causa secunda permanentium, contrariarum primarumque qualitatum (v. g. caloris inducti in aquam) Deus connaturali concursu, illum conseruat etiam, si agens contrarium, scilicet forma aquæ, ipsam ad connaturalem frigiditatem, reducere potentis, & petentis adsit, quod fieri à Deo, nequit naturaliter, nisi iuxta aliquam naturalem exigentiam fiat: Nequit autem esse exigentia actiua agentis calidi, à quo calefacta aqua fuit, & à quo remota calida conseruatur: ergo solum est exigentia formæ illius, seu caloris inducti, qui titulo entis natura sua permanentis vbi primum est exigit naturaliter conseruari; tametsi quia forma aquæ frigiditatem sibi connaturalem actiuitate exigit sua, vtriusque exigentia attenta, & comparata, vtriusque magnitudine, nec in totum calorem conseruet, nec in totum frigiditatem induci permittat, vt latius citato loco perpendebam.

7. An vero entia permanentia, sui conseruationem generalis permanentiæ titulo in successuro immediate suæ primæ productioni, instanti, vel determinato, vel indeterminato naturaliter requirant? an pro æternitate tota à parte post suæ primæ productioni? Postremum de permanentibus cunctis docere videtur Arriaga citatus sect. 5. versu. *Pro eo dico*, & si de Angelo loquatur, neque enim de eius speciali permanentia titulo rationalis, & intellectiui (de qua statim in secunda probatione conclusionis) sed titulo entis permanentis natura sua eius rationis procedunt. Ego vero oppositum censeo: nempe ens natura sua permanens vniuersim, nequaquam sui conseruationem per æternitatem à parte post, suæ primæ productioni natura sua exigere absolute cum natura sua contraria patiantur, & habeant, quorum exigentia, & actiuitate opposita fortiore, naturaliter intereant, nec, nisi eis non adstantibus possint persistere, neque exigere absolute in eorum etiam præsentia perdurare, sed sub conditione absentia contrarij fortioris, quam per æternitatem nec appetere, nec exigere absolute possunt ea, quæ contrarium patiuntur, & habent; verum quidem est, etiam permanentia ex quo primum in rebus absolute sunt natura sua, persistentiam, & conseruationem sui, & si non in præsentia contrarij fortioris exigant, tamen hoc etiam præsente absolute exigere, nisi de præsentia, vel absentia contrarij, adhuc tanquam conditione, ad sui conseruationem exigendam curando, vti de contrarium agens contrariæ formæ inductionem præscindendo à contrarij præsentia absolute natura, & actiuitate sua re posset; quia tamen, alterutrum alterius absentiam, & destructionem, quæ per accidens ipsius exigentiæ est, & ei annuatur adeo ab dubio succedet: quia nullum rei naturalis exigentia, & inclinatio, in malum aterius vltatenus est, sed tota in bonum, & commodum proprium iuxta philosophicum axioma *nihil in malum intendens*, operatur: cum & ipsi permanentis & actionis perduratio successiua sit, & Dei arbitrio, & voluntati natura sua, & per singula instantia natura sua subordinata à Deo donetur vel secus, iuxta creatam exigentiam, atque nec cum in permanentibus, tum in agentibus creatis non nisi absolute, & actu existentibus inueniatur, quæ vi a primo suæ productionis instanti sunt absolute in secundo non existunt, sic plane, vt cum primum existunt solum sui existentiam exigere pro secundo immediate successuro possint, non autem ex primo illo pro vlteriori tertio, quod existentia absoluta illorum debet ex parte actus primi præcedere, vt ei pro libito annuat vel non annuat in totum vel ex parte Deus: ac sic deinceps vlterioribus æternitate à parte post futura, in eis quæ voluerit perennare. Quæ in actiua exigentia patent, & ad formalem illationem inoffenso extendunt. Probatur secundo conclusio ex speciali permanentia naturæ Angelicæ intellectiuæ, ac subinde volitiuæ, meritique ac demeriti per se & præmij æterni capacis, quo etiam titulo permanere, non aliquandiu solum, sed æternæ natura exigere sua ostendebamus, cert. 1. n. 4. & 5. ex quibus constat Angelo semel producto in sui annihilatione, & interitu quandiu non esset, in vlteriori duratione violentiam à Deo quodammodo inferri, quandiu non fuerit etiam per totam sequentem æternitatem, quatenus contra exigentiam naturalem perduranti per æternitatem totam, omniaque, & singula, eius instantia quam vbi primum existit habuit, in radice, modo explicato (vt in secundo ad tertium, & extertio ad quartum, & sic ad vlteriorem, & vlteriorem, ex immediate antecedenti, per totam æternitatem successuram formaliter habeat) in eius annihilatione fieret violentia continuata; non minus, quam si igni ad passum applicito, & ad comburendum expedito concursum ad comburendum, quem natura sua exigit, vt fornaci Babilonico contigit) Deus denegaret, sed quoniam formis, & compositis materialibus natura sua permanentibus, ac de se exigentibus permanere, ratione materiæ, cui inhærent, quæve intrinsece constant, corruptibilia tamen natura sunt, non actiuæ, & exactiue, sed passiue tamen physice sunt, quia materia contrariorum ipsorum destructiuorum, constant, vel inhærent, vt omnimoda inannihilabilitas secundum naturam Angeli, à Deo, ac, eo sensu immortalitas statuatur, sit secunda conclusio.

9. Angelus natura sua nullam realem, physicam potentiam passiuam, siue subiectum physicum sue destructionis, siue annihilationis, à Deo etiam habet. Est etiam omnium Doctorum secundæ sententiæ conclusio: immo vero solius conseruationis sua subiectum reale, & physicum habet. Probatur conclusio æque clare, atque præcedens, quoad partem eius primam: quia Angelus nulla materia (nodum materia contrariorum, & corruptiuæ actionis capax) subsantialiter constat, vt ostendimus, q. 2. vbi substantiam simplicem illum esse monstrauimus; sed nec substantia, & natura simplex Angeli potest esse

potentia, realis physica passiua, siue physicum suæ destructionis, seu annihilationis etiam, à Deo subiectum: tum quia nulla potentia physica & realis passiua, nisi ad perfectiuum, siue ad perfectionem sui, esse potest. Est enim è conceptu partis perfectibile quid, omne subiectum, atque adeo essentia sua, ad sui perfectionem, seu perfectiuum aliquid relatum potentia physica passiua, physicus appetitus, ad formas est, illaque, *sicut turpe pulchrum, & famina virum*, appetere materia prima dicitur ab Aristot. 1. physicor. text. 81. à cunctis philosophis, & Sanct. Thom. 1. part. quæst. 9. art. 2. & sæpius atque à reliquis Theologis laudato: destructio autem rei nequit esse eius perfectio: quare neque reipsa, passiue adhuc, physice appeti. Quo argumento Arist. text. proxime citato nullum contrarium contrariæ sui subiectum esse deduxit, vt referebamus cert. 1. n 7. Tum etiam: quia vt ibid. n. 5. arguebamus, omnis physica realis potentia debet suo actui coexistere: implicat autem aliquid coexistere sui destructioni, & absoluto non esse: ergo implicat aliquid esse realem physicam potentiam, & subiectum physicum suæ destructionis: quare, & Angeli naturam substantialem simplicem esse realem potentiam passiuam physice, siue subiectum reale physicum suæ annihilationis, & absoluti non esse, à Deo etiam ipso, prouenientis. Cum ergo Angeli naturalem exigentiam habeant permanendi in esse, quod primo à Deo acceperint, & habuerint, atque in æternum, modo explicato, permanendi, ac subinde, vt deinceps à Deo non destruantur, & annihilentur natura sua habeant: ac rursus potentiam realem physicam, passiuam adhuc, vt à Deo annihilentur, in sua natura non habeant, neque possint habere, vt hactenus demonstratum est: restat eos natura sua, à Deo, adhuc, annihilabiles non esse, sed potius inannihilabiles natura sua, atque eo sensu immortales; licet annihilari à Deo, ac destrui absolute potentia sua absoluta possint. Id quod clarius adhuc (si potest) ex solutione argumentorum aduersantium, vel potius detectione, æquivocationis, cui innituntur, fiet.

CERTAMEN IV.

Oppositionibus occurritur.

1. PRimum à ratione est. Nequit naturæ, & essentiæ Angelicæ, negari non repugnantia, seu potentia logica, vt à Deo destruatur pro vlteriori duratione, ad eam, qua primò productus, & existens Angelus est: atqui hæc potentia intrinseca est naturæ, & essentiæ Angeli, nec solum extrinseca, à potentia Dei ipsum destruere potentis: est insuper realis, & physica in Angelo existente; ergo in natura Angeli existentis est potentia intrinseca realis, & physica suæ destructionis: ac proinde secundum intrinsecum reale, & physicum naturæ suæ, siue secundum naturam suam intrinsecus realiter, & physice sumptam Angelus est annihilabilis à Deo, & natura subinde sua mortalis. Minoris pars prima de intrinseca, & essentiali naturæ Angeli non repugnantia, nec solum extrinsecus desumpta, per denominationem à potentia Dei certa mihi est: illa quippe possibilitas, & non repugnantia creaturarum possibilium in seipsis, quin aliquid in eis sit, in earum essentia, & natura inclusum, repugnans, & contradicens omnino est: quare non est omnipotentia Dei ipsis prorsus extrinseca, sed huius terminus, & obiectum: quemadmodum in obiecto potentiæ visiuæ visibilitas ad visionem præsupposita, & qua apta in se ipsis sunt, vt à potentia visiua percipiantur, non est pura denominatio à visiua potentia prouenies, nihilq; in obiecto capacitatis obiectiuæ intrinsecæ supponens; sed est intrinseca obiecto capacitas, vt à potentia visiua, possit attingi, & videri: quæ quia aliis à colore & luce deficit, percipi à visu non possunt, vt bene docuit S. Thom. 1. p. quæst. 25 a. 3. & communiter Doctores. Secunda vero minoris pars, scilicet in Angelo existente potentiam hanc logicam, seu non repugnantiam, & essentialem possibilitatem realem, & physicam esse (& si à nostro Vasquez citato non probetur, sed supponatur) probatur, quia existentia, creaturarum adhuc, quæ essentia sua metaphysica non existunt, ab earum essentia, & possibilitate realiter physice non differt (vt taceam, ne formaliter quidem in mea sententia, si adæquate res, earumque essentia assumatur differre) ergo implicat creaturam aliquam, quare, & Angelum, realiter, & physice, ac realem absolute esse, quin eius essentia, seu potentia logica, ac non repugnantia, vt à Deo annihiletur, realiter, & realis, ac physica potentia absoluta sit. Totum argumentum, secundam conclusionem impugnat, quin primam, eiusque probationes, vel leuiter tangat: quare toto dato adhuc maneret vera conclusio: scilicet annihilationem contra exigentiam naturæ Angelicæ, & subinde à Deo, absoluta, & extraordinaria potentia, non autem rebus, connaturali, vtente posse solummodo prouenire, siquidem illa non repugnantia, seu potentia logica, & si realis, physica, & intrinseca, esse in Angelo producto, & existente admittatur omnipotentiam Dei solutam, & absolutam, non autem, naturæ rerum iuri, & exigentiæ legibusque ligatam, concernit.

2. Sed neque secundam conclusionem satis impugnat, quę de potentia, reali physica passiua physicæ suæ annihilationis solummodo negabat Angeli naturæ in esse, & ex qua solum primæ conclusionis, veritati possit aliquarenus derogari, vt ibi præmonui; non autem de reali, quam velis, dummodo physice passiua, suæ annihilationis (præsertim non ordinaria, vt iuxta naturalem rebus prouidentiam operante) non sit, argumento vero præfato potentiam illam logicam, seu non repugnantiam Angeli producti (& si realis, & physica esset) vt à Deo annihiletur, physice passiuam esse, nec probatur, nec probari leuiter potest, cum potentia eiusmodi manifesto repugnat, vt demonstrauimus cert. proximo num. 9. sed nec esse physicam, & realem, & si non physice passiuam eam potentiam logicam, seu non repugnantiam paralogismi in argumento contenti detectione patebit. Etenim potentia, logica, seu non repugnantia, & possibilitas creaturæ, vt à Deo sit, vel non sit, ad vtrumque indifferens est: ac proinde ab vtroque scilicet creaturæ absoluto esse & non existentia præscindit; nequit autem præscindere secundum statum physicæ, realitatis suæ pro duratione, qua eam habet: pro eo enim statu, & duratione alterum extremum indifferentiæ suæ, coniunctum, & secum identificatum habet, nempe absolutum suum esse, & existentiam pro duratione illa, pro qua suum absolutum non esse, siue existentiæ suæ absolutam negationem pati citra contradictionem nequit, sicuti pro duratione, qua absolute non est, siue existentiæ suæ absoluta negatio adest, nequit, nisi implicatorie absolute esse, atque existentiam absolutam recipere. Ad eum modum, quo voluntas indifferens actu primo physico, ad amandum, vel non amandum, seu odio habendum, adiuncto ipsi actu secundo alterius extremi, ex oppositis, atque eius indifferens potestas in actu primo erat, potens ad oppositum eliciendum non manet, quia esset potestas ad coniungendam cum amore eius negationem, vel odium oppositum, quæ esset chimærica potestas, & impossibilis, & quæ proinde pro signo priori naturæ, nec fuit, neque esse potuit, sed solum ad alterutrum extremum ex oppositis seiunctim ab oppositio alio eliciendum, atque apponendum. Est autem inter potentiam voluntatis indifferentis pro priori naturæ, & in actu primo, ad amandum, vel non amandum, seu odio habendum; & non repugnantiam, seu potentiam, indifferentem logicam essentiæ creaturæ, vt absolute sit in rebus, vel non sit, valde notandum ad rem præsentem discrimen: nempe, quod illa non nisi in statu physicæ realitatis, & absolutæ existentiæ voluntati absolute possit competere, ac subinde physica, & realis potentia, vt ab actu

omni realiter præscindit, & sit; ac nominetur; illa vero potentia indifferens creaturæ ad absolutam sui existentiam, vel non existentiam possibilis, cum ei provt physice, & realiter, siue in statu physicæ realitatis absolute est determinate, vel determinate non est, non conueniat sed solum pro statu possibilitatis suæ præcisiue, ac præscindentis ab vtroque, non quidem realis, & physica potentia existendi, vel non existendi in se, & a Deo, sed logica, & metaphysica potentia, solummodo est, ac dicitur.

3. Inde etiam constat creaturæ, atque essentiæ creatæ possibilis, actualem, realem, absolutam existentiam pro duratione aliqua, non magis potentiæ logicæ seu possibilitati eius, præcisiuæ, & indifferenti, ad existendum, vel non existendum, pro illa eadem duratione posse inseruire, quam si non esset: immo, non minus illam indifferentem potentiam impedire, quam si pro illa, eadem duratione, absoluta eiu negatio adesset; alterutro enim potentia, ad oppositum extremum (sine qua potentia ad vtrumuis non stat) æque impeditur: & si potentia logica, seu non repugnantia, eius creatæ essentiæ, siue creaturæ possibilis, vt à Deo pro vlteriori duratione absolute creatura sit, permaneat: quia pro vlteriori duratione, nec decreta absolute, nec posita à Deo, eius absoluta existentia est, tametsi pro anteriori duratione decreta absolute à Deo, positaque fuerit, absoluta existentia eiusdem creaturæ. Et si enim creaturæ essentia, & possibilitas ad absolute existendum, vel non existendum eadem, quoad intrinseca prædicata, sit, ast quatenus tempus (extra quod esse, vel non esse in se absolute, nequit) concernit, est diuisibilis, ac non eadem. Vnde constat argumentum, ex identitate reali absolura, essentiæ, & possibilitatis, creaturæ cum eius existentia petitum, nullam vim habere. Tum: quia absoluta existentia physica possibilitatis, seu essentiæ metaphysicæ creaturæ, siue Angeli, vt à Deo sit, vel non sit absolute, nec possibilitatis præcisiuæ, seu logicæ potentiæ, ad existentiam, vel non existentiam productione ipsa, qua absolute etiam existit, status non est, nec ipsum vllatenus constituit, sed impedit potius, eius status essentialem præcisionem, vt vidimus, qui nusquam, physicæ realitatis, & existentiæ absolutæ esse potest; sed est status intentionalis, & obiectiuus potentialis puræ verificationis ab existentia absoluta, & abstrahens, non autem physicus, & realis. Tum etiam: quia potentia illa logicæ passiua, vt creatura, atque (ad rem præsentem) Angelus à Deo fiat, & existat, absolute, vel secus, pro duratione, qua primo producta à Deo est, atque in se absolute existit illa ipsa quatenus tempus existentiæ absolute concernit, eadem non est cum potentia logica, seu possibilitate præcisiua Angeli ad existendum vel non existendum absolute pro vlteriori duratione, vt à Deo in illa conseruetur; quare etsi, possibilitas, seu potentia logica seu essentia metaphysica, creaturæ, ex identitate, cum existentia absoluta creaturæ, pro duratione, qua primum extitit, realis, & physica, pro eadem ipsa duratione probaretur, secus, ad existentiam, & productionem absolutam eius à Deo pro duratione sequenti pro qua solum conseruatio esse potest, ac non prima productio, quam conseruatio, qua talis, essentialiter supponit.

4. Instabis inde: ergo potentia logica ad conseruationem Angeli à Deo, existentiam absolutam eius ab ipso, physicam, & realem Angeli pro anteriori duratione importat, ac subinde non pure logica eius potentia est, vt à Deo conseruetur. Respondetur distinguendo antecedens *ad conseruationem* quoad intrinsecum, influxus, quo à Deo seruari in sequente duratione potest, nego antecedens; quoad extrinsecam denominationem, quam hic idem influxus concernit, vt conseruatio sit, ac dicatur, concedo antecedens: & nego consequentiam, de potentia logica existendi, quoad intrinsecum præcise; instabis rursus inde contra primam conclusionem. Potentia logica, seu non repugnantia, vt res à Deo, in secundo instanti fiat, vel non fiat, quoad intrinsecum potentiæ, & actus, seu influxus, quem concernit à Deo in creatura, eiusque absolutam existentiam, nihil dicit, nec concernit existentiæ absolutæ creaturæ per nostrego æque indifferens, supponitur creatura, semel producta, ad sui productionem, vel non productionem vlteriore duratione à Deo, atque ad sui primam productionem, & absolutam existentiam in anteriori duratione in qua primo producta à Deo fuit, ac ipse absolute existit primo: atqui ita ante primam suæ durationem, & existentiam indifferens Angelus suæ potentia illa pure logica, vt produceretur, primo, vel non produceretur, vt nihil exigentiæ, & determinationis, ad suam primam productionem haberet: ergo semel producta, ac primo producta, nihil determinationis, & exigentiæ habet, vt à Deo producatur pro vlteriore duratione, & conseruetur potius, quam, non conseruetur: quod rationes pro prima conclusione datas prorsus euertit. Distinguo primum consequens; qua potentia logica solum est, siue ex vi potentiæ logicæ præcise concedo consequentiam, qua ad conseruationem proponitur, Deo non solum obiectum conseruandum, sed eius conseruandi motiuum, nego consequentiam; est siquidem in rebus permanentibus natura sua à sua prima productione, ius, & exigentia physica, & naturalis diutius perdurandi, ni fortius adsit contrarium agens, & exigens oppositum, vel proprium, & necessarium connaturale ad sui absolutam existentiam abit; ac rursus substantiis spiritualibus intellectiuis perdurandi per æternitatem, vt supra vidimus, quæ distinctum, quid à potentia logica, siue possibilitate creaturæ præcisiua est, vt hactenus ostendimus.

5. Oppones plurium Patrum authoritatem asserentium Angelos immortales gratia Dei esse; non natura. Cyrill. supra aiebat. *Angelus immortalis, quadam res est, per voluntatem, & gratiam saluatoris &c.* & concludit. *Solus Deus proprie immortalis est, qui naturaliter id habet; catera per gratiam, sicut creatura.* & 2. contra Iulianum sub init eum ex Platone scribentem refert, & tacitus approbat *Idcirco quoniam nati estis quidem mortales, & solubiles omnibus modis, saneque solumini*, quod Platonis dictum in Timæo fuisse refert S. Thom. 1. p. q. 50. art. 5. arg. 2. Damascenus 2. de fide c. 3. init. *Angelus est essentia intelligens, & natura immortalitatem deinceps consequuta*; subinferius *immortalitatem, non quidem natura, sed gratia, est Angelus, ea enim natura comparatum est, vt quod ortum habuit, finem quoque sit aliquando habiturum: solus enim Deus semper est*, & Bernardus 5. de considerat. ad Eugen. c. 4. sub init. inter alia de Angelis hic: *immortalitate perpetuo non creatos, sed factos, id est, gratia, non natura.* sexta synodus generalis seu Concil. Constantinopolitan. 3. sub Agatone Pa. ex epistol. Sophronii, act. 11. approbata in act. 13. habet. *Sensibilia quidem finii temporali supposuit; intellectualia vero, & insensibilia, hæc meliori dignitate dignatus est: & nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, imo quod sensibilia diffluunt, atque pertranseunt. Non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratiam eis largitus est à corruptione, & à morte coercentem. Sic igitur hominum animæ permanent incorruptæ: sic Angeli immortales perseuerant; non natura veniva, (sicut asserui) incorruptam proprieve immortalem habentes essentiam; sed gratiam à Deo sortita sunt, qua immortalitatem largitur, & incorruptionem eis prouidet.* Ambros. 3. de fide c. 2. *Neque Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris:* qua ratione solum Deum immortalem natura sua, esse concludit. Hanc porro rationem denegandi creaturis, etiam cælestibus, & inuisibilibus, naturalem siue natura sua immortalitatem, eamque concedendi Deo soli ex Platone in Timæo proxime recitato, & ex Iustino Mart. lib. quæstion. q. 13. caeteri Patres videntur didicisse, ita enim hic scribit. *Quarum immortalitas ex alterius voluntate tenderetur immortalia esse non possunt, itaque solum Deum immortalitatem habere dicimus.* Quod postremum habent ex præs. 1. ad Tim. 6. *qui solus habet immortalitatem.*

6. Hæc

6. Hæc tamen omnia infirma sunt, quia ipsa ratione, qua Angelos natura sua immortales recitati Patres negant, solique Deo concedunt, de qua immortalitate naturali loquantur satis produnt. Nempe de ea, quæ omnimodam impotentiam deficiendi, in suo absoluto esse, atque intereundi ab alterius cuiusuis etiam absolutaque potestate; non autem de immortalitate naturali rerum quæ iuxta exigentiam, seruatoque iure, & legibus naturæ semel productæ destrui à Deo nequeat, debeatque vlterius seruari, quam creaturis natura sua permanentibus ac subinde Angelo, (qui ex illis permanentissimæ naturæ est) competere satis demonstrauimus, cert. 3. tametsi illa prima naturalis, siue per naturam immortalitas omnimoda creaturæ omni, (quæ essentia sua ab alio est) repugnet ac soli Deo à Patribus concedatur: vt satis expressit Cyril. recitatus cert. 3. n. 5. & omnium assignata ratio conuincit. Id etiam satis ostendunt verba illa sextæ synodi proxima: tum prima *meliori dignitate* præ sensibilibus, *dignatus est*, & immediate sequentia, ac etiam illa, *non sunt per essentiam immortales* Angeli, & animæ nostræ, *nec transeunt in essentiam propriè*, id est stricte & omnimode *immortalem*, cui mors, seu destructio absolute repugnet: quod quidem Dei eiusque essentiæ proprium est quia à nullo in sui existentia absoluta, neque à seipso, pendet, eoque sensu solus habere immortalitatem à Paulo dicitur: vt bene explicat Hieronym. in caput 1. epistol. ad Titum sub init. & Augustin. De natura boni cap. 30. quod autem gratiæ Dei, non naturæ, Angelorum eorum immortalitatem Patres iidem adscribant gratiam antonomastice, seu pro gratia redemptionis & ex meritis Christi, sed largius pro gratia creationis, qua indebite *ipse fecit nos*, & naturæ Angelicæ, naturalem ipsisque inditam immortalitatem, *& non ipsi nos*, neque Angeli se ipsos: vt bene Valentia. Bubalus, & reliqui Doctores, qui gratiam etiam creationis concedunt, expressitque Sanct Thom. in 1. d. 26. quæst. 1. a. 1. ad. 2. scribens: *Omnes naturales bonitates* (quarum prima, & præcipua, est absolutum esse, & natura cuiusque) *gratiam dici posse, quia gratis à Deo datur*: Quam à Pelagio, & si subdole admissam in Concilio Diospolitano Africani probauerunt; tametsi aliam vlteriorem, & per Christum ad rectè, pieque viuendum, & tentationes superandas gratiæ nomine in scripturis intellectam ab ipso vlterius debere concedi Catholice contenderint, vt constat ex eorum epistola quæ est. 95. apud Augustinum, quibus & ipse Psalm. 144. his verbis: *Attendamus gratiam Dei, non solum, qua fecit nos, sed etiam quare fecit*, & Hieronym. epist. ad Cyprian. Presbyter. *Cum illius (Dei) sit gratia, quod creatus (homo) est, illiusque misericordia, quod subsistit & viuit, nihil boni operis agere, potest, absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, vt suam per singula opera gratiam non venaret.* Cui gratiæ acceptioni pro naturalium donatione, consentit etiam Innocentius Pa. 1. epist. 27. ad quinque Episcopos. Scio Ambros. citato loco immortalitatem naturalem soli Deo ab Apostolo attributam à morte peccati, intellexisse: vt idem, quod impeccabilitas, naturalis sit, cuius expositione de immortalitate naturali, Dei, quæ propria adhærent Augustinus 7. de Genesi ad litt. c. vlt. & 3. contra Maximum c. 12. & Anselm. ad locum 1. ad Timot. cap. 6. & si mortalitatem largius pro mutabilitate, in melius, vel deterius seu à peccati morte ad gratiæ vitam, vel ab hac ad peccati mortem vsurpent: ac consequenter non naturæ, sed gratiæ Dei putent animi nostri, & Angelorum à vita gratiæ ad peccati mortem immortalitatem, seu immutabilitatem: quod conclusioni nostræ nullatenus aduersatur.

CERTAMEN V.

De mortalitate, & corruptibilitate vel incorruptibilitate & immortalitate Angeli possibilis specie alterius à productis.

1. Dixi speciei alterius: quia de possibilibus speciei eiusdem, cum productis aliter, ac de productis, sine contradictione philosophari non licet. Secundo de immortalitate, & incorruptibilitate opposita propriæ corruptioni potest esse quæstio, vel de immortalitate, & incorruptibilitate, late sumpta, & opposita annihilationi illius à Deo, quæ valde diuersæ sunt immortalitates. Secundo immortalitas hæc postrema (nam proprie incorruptibilitatis naturalis, siue secundum Angeli illius naturam incapax ille esse deberet, qui natura sua contrario careat, & corruptrici subinde actioni subesse nequeat) seu inannihilabilitas propria, vel absoluta, & omnimoda, seu repugnantia, vt semel productus Angelus à Deo, etiam absoluta potentia, annihiletur, vel non absoluta, & omnimoda sed inannihilabilitas à Deo, solum iuxta Angeli illius naturam, & exigentiam eius naturalem, & intrinsecam perdurandi, si semel producatur; contra quam tamen Deus absoluta sua potentia, & dominio vtens, nec eius iuri & exigentiæ annuens annihilare illum absolute potest, vt de Angelis qui de facto sunt dicebamus cert. 3. Hæc autem naturalis exigentia potest rursus considerari perdurandi indefinite ad tempus aliquod, est igitur quæstio de immortalitate, seu inannihibilitate Angeli illius naturali, siue eius natura, & exigentia: ac iure sua prima productione quæsito attentis: Est an alterutro modo, siue ad definitum tempus, siue ad inde definitam æternitatem à parte post debeat illa Angelis cunctis alterius speciei à productis conuenire? an etiam possibilis aliquis sit, qui natura sua sit transiens substantia, nullatenus exigens vlterius durare, sed potius causa sua, (scilicet Deo creatore, vtpote essentiæ indefectibilis) adstante exigat, statim, ac primo extitit, perire.

2. Quoad immortalitatem incorruptibilitatis propriæ, siue oppositam propriæ corruptioni noster Quiros sect. 5. num. 5. censet absolute esse Angelum possibilem natura sua corruptibilem, & obnoxium propriæ corruptioni, & qui subinde natura sua immortalis, seu incorruptibilis minime sit, quia, vt supra vidimus q. 2. Angelum forma, & materia spirituali contrariisque qualitatibus spiritualibus ad formas alias Angelicæ contrarias pervia, & obnoxia constantem, non repugnare iudicabat. Cum autem fundamentum hoc diiecerimus satis, quæst. 2. certam. 2. 3 & 5. satis euersa inde est, singularis hæc opinatio. Confirmatur, quia ipse Angelum è prædicato suo generico pure intellectiuam substantiam spiritualem esse fatetur, eo ipso num. 56. vnde omnimodam Angelorum subStantialem, essentiatem simplicitatem demonstrauimus citat. quæstione 2. quare vrgentius, vel clarius, contra ipsum militant rationes, quam contra alios, qui Angelicas substantias, vniuersim aliarum operationum, ab intellectione principia esse posse fatentur. Tertio, & immediatius ad hominem. Ipse enim num. eodem ait: Angelos è supremo, & communi Angeli prædicato, intellectiui, & volitiui, ac subinde capacis natura sua meriti ac demeriti, præmijque & gloriæ æternæ natura sua immortales, etiam annihilationem à Deo, ac perpetuos esse debere; quare de naturali ipsorum perpetuitate, & immortalitate, adhuc per annihilationem à Deo quæstionem esse non

posse, si is etiam titulus intellectiui &c. attendatur, ratione cuius ipsi immortalitas ad suum finem consequendum debetur, sed quamuis substantia, spirituali composita foret, is etiam titulus adesset: ergo esset etiam immortalis, & indefectibilis, omnino, ne dum, per propriam corruptionem, & non, nisi contra eius naturam, & exigentiam destrui, à Deo adhuc, & violenter posset, iuxta dicta, cert. 1. n. 5. & 6.

3. De naturali immortalitate per annihilationem, debitaque cunctis Angelis, æterna duratione, vt nemo ex eis natura sua mortalis, & annihilabilis, sit possibilis. Sit secunda nostra conclusio, ex essentiali Angelicæ naturæ, vniuersæ, intellectiuæ substantiæ spiritualis prædicato, æque euidenter deducta, atque ex prædicato simili cuiusuis rationalis animi naturalis, æternitas, & immortalitas demonstratur. Cui conclusioni aduersarius mala fide refertur, ab eodem Quiros n. 58. Arriag. ex d. 2. sect. 6. subsect. 2. à n. 26. ad 33. cum tamen non conclusionem reliquorum, & nostram, quam potius nuper facto argumento ex prædicato intellectiui naturæ Angelicæ essentiali, & communi naturalem Angelorum, qui de facto sunt immortalitatem efficaciter probari solummodo posse dicit, eo n. 33. §. *Dicendum tertio*: quare, quod ait eius numeri initio, non de natura vlla Angelica, sed solum de aliis, quæ Angelicæ non sint, tametsi à Deo solo dependeant, & careant contrario defectibiles natura sua esse posse, ac de se se, ac natura sua mortales intelligi debet. Tum quia id eius conclusio exprimit. *Propter hoc puto in hac materia dicendum, primo: non repugnare vnam creaturam ex se defectibilem naturaliter, & si à solo Deo conseruetur, licet careat contrario.* Tum etiam, quia à citato n. 25. id solum contendit, Angelorum naturalem immortalitatem, & indefectibilitatem, adhuc per annihilationem, male à plerisque probari, quia natura sua, & contrario carent, & causam sui indefectibilem Deum habeant: *idemque manens idem semper sit natum facere idem.* Vt vulgare axioma fert; quod tamen ipse falsum multis ostendere deinceps contendit, ac subinde male ex illo naturalem Angelorum immortalitatem probari, quam tamen ex prædicato intellectiui, vt pote, ex communi, & generali Angelis, & animabus nostris prædicato legitime probari fatetur citato §. *dicendum tertio.* Itaque conclusionem hanc nostram probat, & rationem communem ab omnibus datam, & si communem alteram rationem improbet, vti etiam noster Martinon. repulerat prius 1. p. d. 36. cit. sect. 6. cuius tamen vim, examinabimus statim. Pro ea vero, & axiomatis illius veritate, & firmitate examinanda, statuenda, atque à Sophisticis instantiis, earumque malis solutionibus (quæ latius nunc persequi prolixum, & importunum esset, semperque inutile foret) nonnulla aduertenda sunt.

4. Primum axioma *idem manens; idem semper est natum facere idem*, de causa efficiente intellectum (vti in re præsente Doctoribus intelligitur, de naturali solum causa, & ad vnum determinata intelligi, vt verum habeat, necessario debere, non autem de agente libero, ex arbitrio, & libera, ac indifferente voluntate sua absolute operaturo, quale Deus est, quare ex Dei (qui solus agens, & causa particularis Angeli & omnium proprie, & stricte creatorum, & annihilandorum est) indefectibilitate in se præcise perperam infertu absolute creatum quodvis, semel productum naturaliter conseruandum: cum in eius conseruatione libertatem suam absolute possit, debeatque exercere, quia essentia sua agens liberum, ad extra est, nec minus sit actio ad extra creaturæ conseruatio, quam eius prima productio, quare de se se indifferens absolute, nec magis determinatus ad creati effectus conseruationem, quam non conseruationem Deus absolute est. Hinc fit secundo naturalem creati effectus semel producti conseruationem, vel non conseruationem, non quidem ex Dei causæ suæ specialis naturali inclinatione de se se ad conseruationem præ eius omissione pensari debere, sed ex creati ipsius effectus semel producti exigentia intrinseca, vt conseruetur, vel, vt non conseruetur, cum causæ naturales alterutrius determinate, non adsint, quod rursus patet: quia alias connaturalitas conseruationis effectus creati semel producti, extrinsecus à connaturalitate intrinseca agentis conseruationem proueniret, ac subinde secundum intrinsecum, physicum, & realem naturæ effectus creati illius competeret, nec secundum suam naturam, eiusque physicam determinationem immortalis defectibilis, potius quam mortalis defectibilis, & annihilabilis esset, nec potentiam physicam, & realem ampliorem, proprioremve ad sui conseruationem, vel non conseruationem, quam ad primam sui conseruationem, vel eius omissionem haberet: quam logicam solum, non autem realem, & physicam esse, supra contra Vasquez ostendimus cert. 3. num. 8. & cert. 4. aduertendum secundo est. Agentia naturalia creata, ac de se, ad efficiendum virtutis, & actiuitatis de æternitate esse, ad effectus producendos, non solum tot, ac non plures, sed quoad spatia, cum loci tum durationis, vltra quæ effectuum suorum productionem nequeat extendere, sed quasi lassata, ac viribus destituta ab effæra, ab actione necessario cesset, nec effectus plures productis, si omnes produxit, neque quemque, ex productis, vltra sphæram spatij, vel loci, vel durationis actiuitatis suæ præfixam possit actionem suam protendere; quod secus euenit in agenti Deo, etiam, vt causa particularis effectum creatorum est, immo, nec causæ exactiuæ solum, nec actiuæ eius, quod natura sua exigit, vt à Deo fiat: quia, id, quod exigitur solum ab alio non in exigente sed in alio à quo exigitur præstandumque est, debet præcontineri, ac subinde non ex naturæ exigentis, sed agentis solum limitatione poterit effectus, vel numero, vel spatio loci, aut durationis limitari.

5. Demum noto. Nihil creatum adhuc sui destructionem appetere, exigereve, neque in illam tendere determinate, aut disiunctim, de se se physice, & naturaliter posse: vt vidimus, cert. 1. n. 7. ac sæpius, cui Aristoteli, totiusque Philosophiæ, & Theologiæ doctrinæ insistit Augustinus 11. de ciuit. c. 27. fere toto concludens; *satis apparet quantum refugiat natura non esse*; tametsi, quia ruxo essentia sua termino, vel aliunde defectibili principio connexum sit, destrui absolute possit, quod ex potentia voluntatis, siue creatæ, siue diuinæ, libera libertate contradictionis, ad suos actus eliciendos, vel pure, omittendos (quam plane, vt veram fatemur) male impugnat Arriaga citata subsect. 2. n. 31. quo in casu inquit natura voluntatis tendit in omissionem actus, quæ purum nihil est) cum pure illum omittit, ac subinde, in non esse, seu malum physicum. Male, inquam, inde arguit, etsi bene Recentiorum, quas ibidem refert solutiones impugnet. Nostrum enim notatum de physica, & naturali inclinatione rerum, & causarum naturalium est, quæ in ipsis ad malum physicum, cuiusmodi rei destructio est, esse in ipsa non potest, immo, neque in alio agente naturali, quantumuis contrario, quod contrariam formam, præexistenti (quæ bonum physicum est) intendit solummodo inducere; & si ob huius cum alia naturalem incompossibilitatem, citra agentis tamen contrarij intentionem; præexistentem propellat, ac destruat: inde tamen ad agentia libera consequentia non tenet, vt malum physicum, siue entis physici negationem amare, atque appetere nequeant vel actum physicum pure omittere, neque è contra: quia id libera agentia possunt, posse etiam naturalia consequens est. Liberi enim agentia bona malave physica, vel honitate alia conducentiæ ad finem, quem amant, vel ad malum quod fugiunt, vestita, prosequi possunt, vel fugere positiue, atque ab eorum prosecutione, vel fuga etiam deterreri, ac detineri, prorsusque actum suspendere, ac pure omittere, vt diximus. Naturalis vero causarum naturalium inclinatio physica, atque imitatiuus appetitus in bonum physicum secundum

dum se sumptum est, & in malum physicum fuga, quin hoc bonitate aliqua, illudve malitia aliqua extrinsecus vestitum fugere, vel prosequi possit: quare implicat physicam natuam naturalis causæ, atque entis inclinationem in non esse physicum entis ferri, ac tendere posse, & maxime, in non esse physicum sui: tametsi liberum agens, ac per voluntatem operans ferri in non esse, sui etiam actus appetitu elicito possit, quia bonum & esse physicum tamen aliunde malum non solum non prosequi omissiue potest, sed aversari: ergo certum est axioma illud nullum appetitum, siue imitatiuum physicum, & naturalem in malum physicum, seu non esse rei, seu proprium & elicitum à voluntate in malum qua tale, ferri posse, ac subinde, nec voluntatem, neque naturam tendentem, siue intendentem in malum posse operari, vt omnium Philosophorum, & Theologorum axioma fert, nec rem de se se in sui destructionem, determinate, vel indeterminate, & disiunctim natura sua ferri physice posse. His autem positis resolutio substantiæ physicæ simplicis completæ Angelis cunctis communis, & essentialis (quin prædicatum intellectiui, & subinde capacitatis pœnæ, ac præmij æterni attendatur) nullam natura sua annihilabilem, ac non immortalem natura sua esse posse facile probatur, paululum reformato iuxta præmissa notata argumento communi, ac iisdem Arriagæ instantiæ oppositæ præueniuntur.

6. Quidquid natura sua permanens absolute est implicat natura sua esse, non solum fluxum, sed, & aliquando natura sua defectibile; atqui omnis substantia essentialiter substantialiter simplex (& præsertim totalis) est substantia natura sua absolute permanens: ergo implicat substantiam aliquam essentialiter substantialiter simplicem (totalem maxime,) esse natura sua fluxam, immo, & natura sua aliquando defectibilem. Consequentia vtraque est legitima. Maior primi syllogismi, per se patet, cum fluxus permanentiæ rei contradicat: ac subinde permanentiæ absolutæ rei natura sua, eius fluxus natura sua repugnabit: immo & esse natura sua aliquando defectibilem; esset enim illa permanens natura sua non absolute, sed, ad tempus solum, vt patet. Confirmatur, ad hominem contra Arriaga, qui permanens quoduis (etiam ex iis, quæ contrarium habent, destruique fortiori, eius actiuitate, & exigentia naturaliter, possunt) sui permanentiam, per æternitatem à parte post suæ primæ productionis, absolute natura sua exigere, & si falso, censebat, vt vidimus, cert. 3. n. 7. quia eiusmodi permanentia contrariis subiecta non absolutam, sed conditionatam solum, (si fortiora, scilicet, actiuitate, vt exigentia naturali, contraria non adsint) exigentiam permanendi natura sua habere possunt: quod si minoris permanentiæ naturalis entia durare, per æternitatem natura sua requirunt per te; natura sua, exigere sui fluxum, aut defectibilitatem aliquando, siue non exigere aliquando posterioris æternitatis durare, citius absolute omnino permanentibus natura sua repugnabit. Minor æque facile ostenditur. Etenim substantia omnis essentialiter substantialiter simplex, & totalis, nec habet formam contrariam, nec contrarias subinde dispositiones ad illam, cum forma substantialis non sit, nec forma, nisi formæ, posset contrariari, nec materiam, qua essentialiter substantialiter constet contrariæ formæ, aut dispositionum contrariarum receptiuam habeat, neque in seipsa, possit contraria, quibus destruantur recipere vt vidimus supra: quare exigentia prædictæ substantiæ simplicis conditionata, ea ex parte, esse non potest, si scilicet contrarium fortioris actiuitatis, & exigentiæ non adsit: siquidem natura, & essentia sua substantia illa, non solum ab existentia absoluta, sed à possibilitate tota, illud excludit.

7. Sed nec substantia illa fluxo termino de se se connecti potest: cum motus successiuus, aut tempus non sit, quæ sola fluxo de se termino essentia, & natura sua nectuntur: neque item termino alicui ex voluntate Dei aliquando defecturo connexa substantia illa est natura sua: tametsi eius naturæ ex voluntate absoluta Dei possit destructio contingere. Ac demum, nec pendet substantia illa simplex, totalis, ex causa aliqua naturali defectibili, vt lux à luminoso, quo sublato, vel impedito, statim naturaliter perit, quare, nec permanens natura sua absolute est: & si autem à Dei libera voluntate realiter, intentionaliter (& si non realiter physice) defectibili, in sui conseruatione substantia illa simplex totalis dependeat; ac subinde Deo, qui causa seruationis eius, est, adstante, conseruari, destruiue absolute possit, vt creata reliqua, quantumuis permanentia secundum suam naturam sint, quia ex potestate, & dominio suo increata supremo eorum exigentiæ naturali permanendi vltra suam primam productionem potest non annuere; id tamen potentia sua, absoluta, non autem ordinaria, & rerum naturis coordinata, efficere solummodo potest; id, quod naturalem creaturæ exigentiam perdurandi, cui non annuit, non abolet, sed necessario supponit: quare permanentiæ naturali rerum, ea defectibilitas realis intentionalis absoluta voluntatis, seu liberi decreti diuini, à quo natura sua creata omnia, in conseruari etiam absolute pendent, minime obest, cum supra omnem creaturarum naturalem permanentiam sit, sed solum naturalis dependentia effectus creati in conseruari, à causa secunda defectibili, aut impedibili naturaliter à sua operatione. His vero creaturæ, cum reliquis enumeratis, eius naturali permanentiæ aduersis supra enumeratis, atque à substantia totali completa simplici essentialiter substantialiter exclusis, natura sua absolute prorsus permanentem, & subinde immortalem illam, ac non nisi violenter, & contra naturalem eius exigentiam, à Deo absolura sua potentia, & dominio supremo destructibilem euidenter probatur; quod autem Angelus omnis substantia totalis, & completa essentia sua essentialiter substantialiter, immo, & integraliter sit (vti ad secundam consequentiam in antecedente assumebamus) ostensum satis à nobis est, quæst. 2. quare secundum commune argumentum pro negatiua conclusione, Angeli cuiusuis possibilis natura sua destructibilis, ita explicatum, plene etiam conuincit.

CERTAMEN VI.

Conclusionum vindicatio.

1. ARgumenta, quibus eius firmitatem tentabat Arriaga, & refellebat infirma sunt. Primum de speciebus impressis, & habitibus, & sono naturæ sua caducis, & deficientibus de se, sine contrarij præsentia, causæve conseruantis secundæ defectu, à qua essentia, & natura sua conseruari debeant, falsum est, species quidem intuitiuæ, & externæ defectu obiecti pereunt, internæ, & abstractiuæ, defectu dispositionis, organicæ, vel capacitatis eius, ad tot species substinendas: quare aliæ ab aliarum multitudine, ab organo, vt corpora, à corporibus aduenientibus loco detruduntur. Habitus, non, nisi contrario habitu perire communis Philosophorum sensus est: sonus defectu violenti impulsus abiecto aëri impressi, ac sensim à naturali aëris inclinatione, ad suum proprium motum, & quietem languescentis (vt calor aquæ à frigefactiua sua forma) & tandem pereuntis, & ipse paulatim deficit ac tandem perit, quin, natura sua, ac de se in suam destructionem aliquando futuram, disiunctim adhuc, inclinet, quod ostendi nuper esse impossibile. Secundo de cognitione fidei destructionis suæ, vti de ipsa

Deus reuelasset alicui, negant esse casum possibilem, Moncæus noster, & alij apud Ripaldam, 1. de ente supernatur. d. 104. num. 3. & merito; quia implicat creatam cognitionem aliquam sui reflexiuam, & repræsentatiuam esse, sine qua reflexione suam durationem repræsentare nequiret: quare non, nisi per reflexum alium actum, qui natura sua permanens sit, potest cognosci actus ille ex decreto Dei ad annum, & contra ipsius etiam naturalem exigentiam defecturus, cum huius defectum ad annum habeat, vt obiectum, quod essentiali sua repræsentatione pertingat: vnde neque hinc Angelum natura interitus sui, vt terminum suæ naturalis connexionis, posse habere inferetur. Tertium de igne mixto nostro contrariis semper perit, quibus facile dissipabilis est aëre, fumo & aqua, vel quibus pabuli materia ad formam cineris, cum ignis forma incompossibilem disponitur, vnde nec ignem, nec sublunare corruptibile, quidpiam seipso suam corruptionem intendere facile patet. Quartum ex morulis motus grauium in centrum, cuius continuationi ab eius grauitate intrinseca, & præsente, nullum adest contrarium, quod obsistat, ac subinde actio ipsa motiua de se solum perit, æque est imbelle: Admissis enim absque disputatione digna eius motus morulis, impulsus, quo sursum lapis violentus detinebatur, & medij aeris vsque ad centrum, in quo lapis deorsum mouetur, eius motui contrariantur, & obsistunt: quibus proinde motus illius instantaneæ morulæ, non autem motus ipsius intrinsece naturæ, naturalique cessandi per instantia illa inclinationi, tribui philosophice debent.

2. Præterea (vt bene Quiros aduertit sect. 5. citat. num. 69. atque obseruauimus, num. 4. sub finem) actiuitas creata spacij, tam loci, quam temporis æque, atque numeri effectum limitationem pati natura sua potest: quare, & continuationis suæ, secus exigentia perdurandi. Vnde & grauitas ipsa, ne continuo agat, quandiu adest, ac propterea, per inde pro morulis motus aderit, ac si non esset, cum ad agendum pro illis actiuitas non sit, motusque defectu virtutis actiuæ cessauit, non quia actio, natura sua, ac se ipsa exigat pro illis deficere, cuius oppositum ibidem ostendimus, & rationem discriminis puræ exigentiæ naturalis perdurandi semper & continuo, à naturali actiuitate rationem satis philosophicam reddidimus ibidem: quintum argumentum Arriagæ erat. Angeli exigentia naturalis ad locum limitatur ad tot loci spatia, ac non ad plura, vltra totum spatium, quod illis partialibus constat; ergo ad tot spatia durationis, ac non plura potest, etiam naturalis, eius exigentia limitari; & ad pauciora in Angelo imperfectiore, quam in Angelo perfectiore; Difficultatem hanc communem censet Quiros num. 70. & cui omnes debeant respondere ob Doctrinam aliam receptissimam impossibilitatis, existentiæ rei in duplici loco, & naturali rerum plurium in diuersis durationibus; sed defecit illi addere. *Simul, & in duplici loco adæquato*, vt doctrina illa esset communis, & discrimen à duratione commune, & ad rem exactum sicuti, & ab eo assignato discrimine vbicationis ad durationis ab eo excogitatæ faciliorem solutionem, & discriminis rationem expeditius reddo quia naturali exigentia Angeli ad spatia loci occupanda, non pure, ex actiua, sed actiua ipsius voluntati subordinata, ad præsentiam in spatio maiori, vel minori producendam: quæ proinde, quoad spatia loci, vt potest actiuitas creata limitari etiam natura potest, ac debet: estque proinde in Angelo imperfectiori, quam in Angelo perfectiore limitatior; exigentia vero, perdurandi non actiua; sed pure exactiua, in Angelo est, & quæ actiuam in eius conseruationem Dei potentiam illimitatam importet; è cuius solum limitatione perdurandi spatium posset limitari, vt maius minusve esset, quod naturæ Angeli, perfectiori, vel imperfectiori deberetur ex parte enim exigentiæ puræ nullatenus actiuæ nec ad maius, nec ad minus spatium maior, minorque perfectio rei perduraturæ arguitur, vel taxatur, sed solum ab actiuitate, à qua debet natura illa diutius, breuiusque prouenire. Patet in materia prima essentiæ imperfectissimæ sublunaribus, tamen eis natura sua diuturnioris, immo æternæ: cuius rationem dedimus, certam. 5. num. 5. sub finem, qua argumentum exarmatur.

3. Obiicies demum, sunt pleraque supernaturalia dona, & qualitates contrario carentes, & causam sui Deum habentes non autem, causam aliquam defectibilem, cuius actioni in fieri & conseruari natura sua subordinentur, nec fluxo de se, & essentialiter termino connexæ; & tamen natura sua sunt à Deo destructibiles, non autem natura sua permanentes & exigentes perdurare; alioqui non, nisi contra earum naturam, & violenter, seu miraculose destrui à Deo possent: æque scilicet, æque igne Babyloni conuersus denegatus, ad comburendum: quod durum valde videtur, sicut quod in earum qualitatum conseruatione gratiæ Dei multum minuitur; nec ampliores, pro ea, quam, pro calorum conseruatione habendæ à nobis gratiæ forent. Ergo nihil præstat, secundum nostrum, & commune argumentum, pro Angelorum omnium natura sua indestructibilitate à Deo, quod in his qualitatibus, supernaturalibus plane deficit, ac euacuatur. Admittit antecedens ob rationes datas. Quiros citat. sect. 2. num. 64. §. *dixi*, §. 62. cum Aluarez, de auxil. d. 74. Albelda, 1. p. d. 58. sect. 3. Pennoto, q. de auxil. c. 5. num. 7. Salas. tom. 1. in 1. 2. qu. 3. tract. 2. d. 5. num. 70. qui gratiam excitantem, in qualitate supernaturali, natura sua transeunte constituunt; quamuis duo primi, (quos sui Dominicani sectantur) in ea intrinsecam, non solum excitationem, sed efficaciam auxilij Physicam, plerique moralem cum Albelda constituunt. Pennotus, & Salas, intrinsecam efficaciam, ei qualitati negant, ac solum excitationem concedunt; quam tamen etiam negat Quiros, solumque eorum Doctorum authoritate vtitur, quatenus qualitatem supernaturalem natura sua transeuntem possibilem generatim admittunt tametsi in specie auxilij gratiæ excitantis male prædicatum illud genericum naturalis fluxus recognouerint, & assignarint. Admissa vero possibilitate naturalis fluxus in supernaturalibus qualitatibus (quem voce reiecit etiam Quiros, & si re admittat) nescio qua ratione ab auxilio gratiæ excitantis illud reiicere efficaciter possit: cum illud consensui fere statim eliciendo datum, natumque sit, ac solummodo inferuat, quo elicito, vel reiecto, à voluntate otiabitur prorsus auxilium: ac subinde, ni naturalis eius permanentia, & exigentia perdurandi, qualitati omni supernaturali, necessaria, obsit, videtur, connaturalibus defecturum. Secundo disparitas tentata à Quiros, inter creaturas naturales carentes contrario, & habentes causam conseruationis suæ connaturalem indefectibilem, vt permanentes natura sua esse debeant, ac non fluxæ, & inter qualitates, supernaturales, vt eis non obstantibus, fluxæ nihilominus, & transeuntes, natura sua esse possint, nulla est, nec ratio ab ipso assignatur, immo, nec reddi aliqua vero similis potest, præter eas quas ab absurdo, pro naturali fluxu qualitatibus supernaturalibus possibili attullit, nosque proposuimus. Si autem absurda præfata in supernaturalibus qualitatibus fluxum naturalem possibilem probent, & si adsit ratio, ob quam in naturalibus creaturis naturalis permanentia necessaria probatur, & fluxus naturalis earum probatur impossibilis, insufficiens etiam pro naturalibus creaturis, earumque permanentia naturali eisdem absurdis in supernaturali qualitati deprehensis (cui eadem adest ratio, & pro qua ob ea absurda non tenet) manifeste conuincetur: quousque specialis ratio, in supernaturali qualitate assignetur ob quam, in ea non probet, & creaturis naturalibus deficiat (vt probationi eius rationis non officiat) assignetur, vt argumenti oppositi illatio non teneat.

4. Ea

4. Ea vero à Quiros inuenta non est, nec probabilis inuenietur. Quod enim ait citato num. 64. & 65. Deum, vt causam particularem (quomodo respectu qualitatis supernaturalis se gerit) Dominium connaturale æque in suas actiones liberas, earumque suspensionem habere, atque creatum, quidquid liberum agens, quin absoluta extraordinaria, & causæ vniuersalis potentia & dominio vtatur: Vnde ait iuri huic, & Dominio Dei, vt causæ particulari non minus attendere Deum debere, quam causarum particularium secundarum exigentias: vnde fit rursus, vt, cum ius hoc Dei causæ particularis liberæ præstantius, fortiusque sit quauis exigentia creata qualitatis eius supernaturalis, vt à deo conseruetur, connaturaliter Deus, eius conseruationi abstinebit, ac sine vllo miraculo, æque ac si rei cuiuslibet conseruationi concursum subtrahat suum ad præsentiam agentis contrarij præstantioris, ita concludit, num. 71. argumento Ripaldæ respondens. Cæterum ex tota hac doctrina colligitur primo: ipsum rem qualitatis supernaturalis natura sua transeuntis, & fluxæ, quam in Dominicanis, & aliis citatis reprehendebat reiiciebatque num. 64. admittere tandem, solisque vocibus ab illis vitiose recedere: etenim nulla exigentia naturalis earum esse potest, vt conseruetur in præsentia contrarij agentis particularis potentioris, atque adeo in his, quæ illud habere natura sua possunt, naturalem exigentiam perdurandi, & conseruationis suæ, non quidem naturalem absolutam, sed conditionatam solum sub conditione absentiæ contrarij actiuitatis, & exigentiæ potentioris admitti posse obseruabamus contra Arriagam, cert. 3. num. 7. quod certius est, cum natura sua ens permanens fortius contrarium, & præsens, & absolute existens essentialiter respicit, vt in præsenti: atqui per te ius connaturale, & potentius Dei, vt causæ particularis, ad destructionem qualitatis, supernaturalis adest semper: ergo nulla vnquam, exigentia naturalis in ea qualitate esse potest, vt conseruetur, ac perduret: ac subinde, transiens ac fluxa, natura sua, & re & nomine erit. Vrgetur, quia ea subordinatio, subiectio, & dependentia à Deo, vt causa particulari, intrinseca, & essentialis physicæ, ac metaphysice naturæ qualitatis supernaturalis est, ergo eius natura deficiet, si Deus causa particularis ipsius, eiusque dominium fortius, ad eius destructionem, quam exigentia qualitatis ad sui conseruationem adsit: ergo ea qualitas ab intrinseca natura sua concernit, atque affert negationem conditionis, sub qua exigere posset conseruari, nempe absentiam potentioris agentis, ad suam destructionem: ac subinde nullam potest habere exigentiam naturæ sua conseruationis.

5. Rursus exigere rem aliquam natura sua præsentiam contrarij, & simul rem eandem natura sua sui conseruationem omnino repugnat; est siquidem exigentia, vt naturaliter conseruetur in præsentia contrarij fortioris ad suam destructionem quod est exigentia, & conatus ad aliquid impossibile: quare absoluta chimærica, exigentia, & prorsus impossibilis, rem exigentia agentis potentioris ad sui destructionem est exigentia suæ naturalis, & connaturalis destructionis, quippe ad præsentiam agentis contrarij destructio cuiusvis præexistentis est naturalis, & connaturalis; destructio autem rei exigentis, vt naturaliter, & connaturaliter conseruetur contradicit connaturalitati destructionis: ergo altera exigentia alteri contradicit, neque qualitati supernaturali citra contradictionem conuenire potest. Dices dominium & ius voluntatis, & arbitrij diuini ad decreta sua concipienda, vel omittenda de qualitatis illius conseruatione, ac subinde ad illa pro suo arbitrio conseruanda, vel destruenda, non esse contrarium magis, quam proficuum qualitatis conseruationi à Deo: siquidem ex illo Dominio in actu suæ voluntatis æque potest illam qualitatem conseruare, ac potest destruere: quare, etsi adsit necessario ius illud diuinum, illudque exigat natura sua qualitas illa, vt id à quo essentialiter petit conseruari, ast fortius contrarium destructiuum sui nec supponit, nec affert, nec exigit, sed dominium, & ius indifferens ad sui vel conseruationem, vel destructionem, cui natura sua subiicitur, quo argumenta proxima cessant. Cessabunt: sed destructione rationis disparitatis, à Quiros redditæ qualitatis supernaturalis, & naturalis. Etenim libertas Dei, ac dominium ipsius, in actus suos liberos potius, & præstantius, quam cuiusvis agentis liberi creati, non competit ei qua causa particularis est, sed qua primum præcipuum, ac summum liberum est; nec aliter eius omnipotentia, qua particulariter concurrit arbitrio Dei subditur, quam subdatur, qua concurrit, vt causa vniuersalis; nec particularitas concurrendi, diuinæ omnipotentiæ, libertati alteri Dei ab ea, quæ ipsi competit qua primum agens liberum est, illam subiicit. Imo ius & Dominium Dei, qua liberi in suos actus, ac subinde creatos effectus titulus obiectiuus, & motiuum ab ipso necessario attendendum, vt decretum de rei effectione concipiat, vel omittat, nusquam est; sed dominium reale physicum elicentiæ, vel non elicentiæ realis intentionalis suorum actuum voluntatis; vt patet in dominio arbitrij nostri, in actus nostræ voluntatis vel eorum omissionem, ad quorum alterutrum potestas physica voluntatis est, ex qua sola physice supposita, nullatenusque vt motiuo, & titulo deliberationis obiectiuo proposita, sed eius prorsus immemores, ad actus physicam elicientiam, vel eius omissionem procedimus.

6. Confirmatur quia, si is titulus iuris ac dominij diuini in suæ voluntatis actus, & inde oriundos effectus creatos, vel eorum omissionem (contra id quod in nobis experimur) naturali quauis exigentia creata præstantius proponi Deo ad deliberandum de actibus suis vel eorum omissione necessario deberet, cum ius illud, vt causa etiam vniuersalis libera connaturaliter habeat, illud etiam ad omissionem decreti concurrendi, & concursus negationem contra causarum naturalium exigentiam deberet attendere: quod, cum præstantius, fortiusque longe earum exigentia sit connaturalissima esset concursus quibusvis causis naturalibus denegatio, nilque miraculi in denegatione concursus igni Babylonico interfuisset, neque in vlla posset intercedere; immo, si ius illud & dominium in suos actus, (etsi non ex necessitate) absolute in denegando concursu, ac debitis naturæ rerum, vt titulum obiectiuum & motiuum fortius earum exigentiis naturalibus, posset Deus, attendere, nullam suspensionem concursus cum causis naturalibus, nisi ex Dei reuelatione (quæ de nulla extat) miraculosam, ac non potius connaturalem esse, sine temeritate asserere possemus: cum ex consideratione motiui illius fortioris Dominij sui potuerit Deus concursum denegare. Dices Deum, vt causam vniuersalem, esse naturæ authorem, ac naturæ legibus addictum, ac subinde eis non stare, nisi extraordinaria miraculosa, ac non connaturali prouidentia, minime posse. Contra quia, ex eo quod Author naturæ, vt causa vniuersalis Deus est iuri illi suo supremo, & connaturali agentis primi liberi non renuntiauit, cum naturam condidit: ergo, si hoc potest attendi à Deo, vt fortius, ac præualentius exigentiis cunctis naturæ creatæ, vt debitorum ipsi denegatio connaturalis, ac non miraculosa censeatur, denegatio concursus, & cuiusvis debiti naturæ tori creatæ connaturalis absolute, & non miraculosa esse potest contra. Contra secundo; quia Deus causa vniuersalis est, non solum naturæ creatæ & entium naturalium, sed supernaturalium: ergo, si ex naturæ creatione, legibus & iure naturali, etiam naturalium, stare iuxta prouidentiam, & ordinariam, & naturalem, debet non attento supremo iure agentis primi & summi liberi, & legibus, ac iuri entium supernaturalium stare debebit. Nec præstat: etiam respectu

entium

entium supernaturalium, esse causam non solum vniuersalem, sed particularem, cuius proinde iuri, & dominio libero debeat attendi: Primo quia, vt nuper dicebam, ius & dominium libertatis diuinæ idem ipsum est siue, se solo, vt causa particularis, siue cum causis secundis aliquid producat. Secundo, quia materiam, primam, & Angelum, vt causa particularis producit, & conseruat; ergo, si titulus causæ particularis efficit, vt ius, & dominium fortius, & potius creatis exigentiis summæ suæ libertatis attendi debeat ab ipso ad debitam alias naturæ rei conseruationem connaturaliter, ac citra miraculosam prouidentiam, denegandam, citra miraculum, & connaturaliter materia prima, & Angelus destrui à Deo potest: ac subinde, & hic destructibilis, naturaliter, & mortalis erit, contra dicta. Obuium statim, menti cuivis, hoc, nec satis, à Quiros solutum, dum ait: Deum esse Angeli causam particularem simpliciter quia eius prima etiam creatio, ad naturam, intra quam continetur, spectat, ac subinde eius productione, naturæ legibus se obligat Deus. Contra primo; quia tota ratio causæ, particularis simpliciter totalis in Deo est, quod se solo, ac sine interuentu causæ secundæ, cuius actiuitati, ac exigentiæ annuat, producat effectum, quam nulla causa secunda, partialiter adhuc, posset efficere, id in creatione Angeli, eiusque conseruatione conuenit Deo: ergo conuenit Deo esse causam Angeli particularem absolute, & simpliciter.

7. Quod non absolutionem, sed confusionem, & implicationem difficultatis additur, (nempe Angeli naturalis entis primam productionem ad Deum, vt naturæ authorem spectare, ex qua proinde, iuri & legibus naturæ stare ordinaria prouidentia debeat; contra quod fieret si Angelus natura sua permanens, exigensque sui conseruationem, ac subinde extraordinaria, & miraculosa prouidentia, à Deo annihilaretur quod, nec difficulter, ex dictis impugno, & si enim prima Angeli productio ad Deum authorem naturæ spectet, non tollit eum esse causam particularem simpliciter, & absolute, vt nuper dicebamus, atque inde ius speciale causæ particularis summæ liberæ habere, & preualentius iuri & exigentiæ naturali Angeli, vt conseruetur (& si quia entis naturalis creatio & conseruatio Angeli est, supernaturales non sint) ac proinde, si ius illud causæ particularis, ac prævalens ad eius destructionem iuri conseruationis suæ in Angelo attendatur, non secus ac causæ secundæ ad cuiusvis effectus destructionem valentioris, naturalis, & ordinariæ prouidentiæ Angeli destructio erit, & si naturalis entis destructio sit, si quid tua ratio probat. Confirmatur quia ideo Deus tenetur ordinaria prouidentia seruare entia naturalia, permanentia vbi ea primum produxit, quia produxit in ipsis exigentiam, & ius naturæ suæ, vt semel producta, ac deficiente contraria alterius actiuitate, atque exigentia fortiore, & valentiore ad eorum destructionem, seruentur: sed, cum primum producit qualitatem supernaturalem non fluxam de se se, sed permanentem, producit in eius natura ius, & exigentiam, vt absente contrario valentiore ad eius destructionem seruetur; ergo æquè connaturaliter, & ordinatia lege alterutrum absente potentiore contrario, ex prima cuiusque productione conseruare tenebitur Deus, & si alterum naturale alterum supernaturale sit (in supernaturalibus enim ordinariam, & extra ordinariam prouidentiam iuxta quam Deus passiones enti supernaturali debitas concedere teneatur, & quam non, nisi extraordinaria, & miraculosa prouidentia æque, ac si suas enti naturali denegaret, concedit Pater Ripalde, citato, numero septuagesimo primo: quo discrimen illud de naturalitate Angeli spectantis ad naturam, æqualitate supernaturali non spectante ad naturam (quod nunc impugnamus) merito deferit. Vel ergo ius naturale causæ particularis, ac summæ liberæ Dei, vt prævalens ad destructionem, iuri supernaturalis entis ad sui conseruationem debet attendi, atque ad comparationem venire, vt eius destructio naturalis, ac non miraculosæ, & extraordinariæ prouidentiæ censetur, vel non debet attendi: si postremum: omnino naturalis erit qualitatis illius conseruatio, ac non, nisi miraculosa, & extraordinariæ prouidentiæ eius destructio contra te. Si autem attendi debeat ius potentius Dei causæ summæ liberæ, vt connaturalis, ac non miraculosæ, & extraordinariæ ptoudentiæ eius destructio sit, eum idem ipsum ius causæ particularis respectu angeli, & materiæ primæ Deus habeat, iuri naturali, eius ex prima productione quæsito prævalens, æque connaturali ac non extraordinaria, & miraculosa prouidentia Angelus, & materia prima destruentur: æquam enim eius per te, supernaturalia ad sui conseruationem ex prima sui productione adquirunt, & quod à iure Dei causæ particularis vtrorumque superetur, denique quidquid de hoc sit. Per te (vt superiorem retulimus, ex numero 71.) ex iure naturæ entis supernaturalis ad suas physicas passiones tametsi eius, & earum causa particularis Deus sit, non, nisi extraordinaria, & miraculosa prouidentia, denegari illæ à Deo possunt: atqui æquum ius naturæ qualitatis, & eius supernaturalis è prima sua productione ad sui conseruationem, atque ad suas physicas passiones habet: ergo, & si Deus causa particularis eius sit, non, nisi miraculose, & extraordinaria prouidentia negari à Deo potest eius conseruatio.

8. Certum igitur sit, quod noster Ripalda, tomo secundo, de ente supernaturali disput. 104. sectione 3. docet. Nempe productam semel qualitatem super naturalem ex iure ipsi è prima productione adquisito conseruandam naturaliter, & indestructibilem natura sua esse; nec nisi extraordinaria prouidentia, & potentia absoluta Dei destrui posse; quare negandum est argumenti oppositi antecedens cuius ratio est: quia in omni prouidentia ordinaria tam circa naturalia, quam circa supernaturalia, siue à solo Deo producta, & producibilia, ac subinde, vt à causa particulari ius solum, & exigentia creaturæ semel productæ, & contrariarum creaturum eius destructionem machinantium attendi à Deo debet, non autem ius libertatis diuinæ siue, vt causa particularis effectum ab ipso solum producibilem producat, & conferat Deus, siue vt causa vniuersalis, creatas suo concursu, & cooperatione sua iuret, vt hucusque dicta satis ostendunt: ius quippe, & dominium libertatis diuinæ, in actus voluntatis suæ liberos, & effectus extrinsecos ab eis pendentes, siue ab ipso solum, siue in consortio causarum creaturarum faciendos, physicum, est idem ipsum quoad omnes, nec ipsi ad eos edendos debet esse motiuum, vt eo honestissime vtatur: sicuti, nec nobis, sed alia motiua extrinseca præter Dei potentiam physicam, & libertatem, qua physice pro sua physica potestate vti pro libito potest; cui, si Deus vt motiuo attendere deberet, cum omni exigentiæ rerum, & causarum naturalium prævalentiæ, nec minus iustis, & potestatis huius in effectus à causis secundis, quam à se solo edendos habeat, nihil esse in externis siue actionibus, & effectibus, siue ponendis, siue afferendis, siue denegandis prouidentiæ extraordinariæ, & miraculosæ foret, quod si dicas: plura Deum in suprenni dominij liberatis, & potentiæ ostentionem, efficere, vel denegare, vt scriptura, Patres, & Theologi, docent: ostensio quidem eorum attributorum diuersum, quid ab eis est, at tunc etiam extraordinaria prouidentia Deus vt cum illi attendit, ij omnes fatentur: quare in ordi-

ordinaria prouidentia, non eis, sed solum creatorum exigentiæ attendere Deum posse, simul docent. Absurda illa à Quiros deducta, absurda non sunt, sed omnino in bona Philosophia, & Theologia admittenda, scilicet; æque miraculosam esse destructionem qualitatis supernaturalis permanentis & exigentis natura sua sui conseruationem deficiente contrario valentiore, ac denegationem concursus Babylonico igni: Gratiæ autem Dei nihil minuitur, dum gratiæ dona, non adstante contrario conseruat: cum enim ea primo donat, & eius naturam producit, eius etiam conseruationem, in naturali prouidentia donat: quemadmodum, & bonum opus nostrum gratiæ Dei deputatur, in radice congruæ vocationis à Deo donatæ, vt Augustinus aiebat, & gloria ipsa, quæ meritis ex ea ortis debetur, vlterius contrariorum valentiorum amotio, ex qua ius perdurandi prævalet ad connaturalem eius conseruationem Dei, vlteriori beneficio debetur. Ac tandem exigentiæ illi ad conseruationem annuere, cum non annuere absolutè Deus posset, gratiæ Dei absolute est.

CERTAMEN VII.

De essentiali Angeli possibilis immortalitate, seu incorruptibilitate, de potentia adhuc absoluta Dei.

1. ANgelos omnes natura sua, ac iure ipsis ex prima sui existentia, & productione quæsito attento, atque secundum ordinariam prouidentiam à Deo indestructibiles hactenus ostendimus, & si absoluta Dei potentia, & prouidentia, destructibiles, eaque sensu mortales sint, ac destrui absolute possint: iam vero vlterius inquiritur: vtrum Angelus aliquis speciei alterius à productis, non solum ex naturæ ipsius iure, & exigentia naturali permanendi, (cui tamen pro suo Dominio, & arbitrio annuere, vel non annuere possit Deus) immortalis, & indestructibilis, potentia etiam, & prouidentia absoluta, & extraordinaria Dei esse possit? in qua quæstione multum puleris (non multo Theologiæ fructu) excitatur à Recentioribus, qui in eo examinando tori laborant: an creatura aliqua absolute indestructibilis à Deo esse possit, ac semel producta omnino indefectibilis? multisque suppositionibus, instantiisque hinc inde conquisitis, & motis affirmantes doctores, inutiliter ad præsentis quæstionis affirmatiuam decisionem, probare contendunt: siquidem eorum, quæ adducunt pro quæstione illa generali falso, & implicatorie inducuntur. Tum etiam: quia, vt in creaturis, quas à Deo etiam indestructibiles absolute contendunt, verum haberent; non statim in natura Angelica, speciei valde ab ipsis diuersæ, repugnare posset facile ostendi: solumque inferretur, id Angelis, è præciso creaturæ prædicato non repugnare, & si repugnet illis ex alio. Non secus, ac si ex possibilitate immo existentia creatæ substantiæ corporeæ rationalis in homine, equum rationalem esse posse, vel de facto esse, contenderes, quia ea, quibus rationalitas in homine non repugnat in equo etiam sunt.

2. Vt autem clare disputatio, & decisio quæstionis, & vniuersim de omni creatura, & in præsenti materia de Angelo, an essentia sua à Deo omnino sit indestructibilis procedat; aduerte: esse quæstionem de conseruatione necessaria à Deo, eiusque voluntate, non quidem ex eo, quod simul, & vnico affectu, non solum primam eius productionem, sed vlteriorem creaturæ illius permanentiam, & conseruationem per subsequuturam æternitatem decernat; cum tamen posset eius primam productionem decernere, quin decerneret eius vlteriorem conseruationem: tunc enim immortalis quidem, & indestructibilis à Deo creatura illa esset, non quidem essentia sua, & omnino absolute, sed ex suppositione decreti liberi Dei de eius conseruatione, cui ex immutabilitate sua nequit Deus contraire; ita enim quæuis etiam creatura incorruptibilis ex decreto libero Dei, de ipsius conseruatione esse potest, est autem quæstio: an creatura aliqua, vel Angelus, talis naturæ, & essentiæ esse possit, vt, licet in prima sui productione à Dei libera voluntate pendeat, ac subinde mediate vt minimum, in sui conseruatione, quæ sine sui productione esse nequit, tamen necessario decretum liberum Dei de eius prima productione non possit non esse vel formale, vel virtuale saltem, conseruationis creaturæ illius decretum, quia necessario, & absque nouo exercitio libertatis diuinæ decretum de eius conseruatione ex decreto de eius productione prima, indefectibiliter à Deo concipiendum sit. Durius quippe longe esset, & irrationabilius, ac periculosius, asserere absque decreto vllo Dei de eius conseruatione in decreto ipso de eius prima productione formaliter contento vel saltem virtualiter, creaturam persistere essentia sua, & necessaria conseruari.

3. In hac quæstione nostet Arriaga, 1. parte, tomo secundo, disputatione secunda, sectione 1. numero tertio, §. *Agens de duratione in physica*, quod in ea docuerat de possibilitate creaturæ essentia sua, ad omnem durationem possibilem, & imaginariam extensæ, ac subinde æternam, ex suppositione, quod semel exiterit primo, ita retractat, vt ab authoritate Patrum falsum esse dicat, rationi vero puræ stando reputet verum: quare iudicium Patrum modeste proprio præfert iudicio: discursum vero eorum immo & scholasticorum omnium pene proprio postponit. Patres quippe, & scholastici non, nisi subiuncta ratione, & cunctis quidem communi, efficacissima oppositam conclusionem tradunt; cum tamen ipse satis leuibus instantiis suam à ratione, conclusionem stabilire contendat, vt inferius videbimus. Ad rem autem præsentem in specie: Angelum essentia sua in æternum ex tempore, quo creatus primo à Deo fuerit, duraturum, vt destrui sequenti vlla duratione diuinitus nequeat, possibilem absolute fatetur, tametsi ijs, qui de facto sunt, neget. Noster etiam Ioannes Martinon. 1. p. d. 6. num 34. præcipuo, & implicatorio argumento à nobis vltimo loco diluendo, à cognitione supernaturali fidei petito, concedit possibilem esse creaturam (nempe supernaturalem illam fidei cognitionem) essentia sua, non solum æterne à parte post temporis, quo cœpit, sed etiam à parte ante, & ex æternitate, si ab æterno, (vt fieri à Deo absolute potest) produceretur, de Angelo vero (de quo in præsenti disputamus) id minime asseruit; immo virtute negauit: cum ex essentiali, & speciali illo prædicato cognitionis supernaturalis fidei (quod nequit Angelo essentialiter competere) id in ea solummodo possibile admiserit.

4. Porro, vt veram quæstionis huius decisionem radicitus, atque omni ex parte firmam statuamus duplex conclusio statuenda à nobis est. Prima circa possibilitatem, vel impossibilitatem creaturæ essentia sua indestructibilis, ac perpetuæ ex quo primum condita fuerit independenter à libero vlterioris conseruationis decreto Dei. Si enim, id sit impossibile Angelo (de quo nunc agimus) ex suo prædicato generico, sicut & creatis cunctis, reliquis repugnabit. Secunda, de

possibilitate, vel impossibilitate, Angeli speciali essentia sua, ita indestructibilis omnino, & perpetui ex quo primo extiterit, ac fuerit primo à Deo creatus, ex prædicatis Angeli specificis, & peculiaribus, nec speciei alteri creatæ conuenientibus. Si enim etiam inde repugnet duplici ex capite impossibilis Angelus eiusmodi demonstrabitur: atque postremo hoc, licet creaturæ alicui prædicatum essentialis omnimodæ indestructibilitatis, & perpetuitatis, non repugnaret, Angelo omni repugnare conuincetur.

5. Dicendum est primo. Repugnat creaturæ è creaturæ prædicato essentia sua indestructibilem à Deo esse, & perpetuam, ex quo primum producta libere à Deo fuerit, atque esse absolute cœperit, independenter ab vlteriori Dei, decreto libero de eius conseruatione, vel supposito, vel subsecuto. Conclusio est ab scholasticis antiquis, omnibus, vel supposita, vel expressa apud nostrum Dionys. Petauium, to. 1. dogmat. Theologicor. lib. 8. c. 2. est etiam scholasticorum Recentiorum ferè omnium. Vazquez, tom. 2 in 1. d. 182. cap 3. §. 1. num. 11. sub init. vbi oppositam erroneam esse dicit: cuius censuræ subscribunt Montesinos, 1. 2. d. 7. qu. 2. num 37. Ysambert. disp. 2. de Angel. art. 3. Franciscus de Lugo, disp. 1. c. 3. num. 9. esse autem de fide hanc communem nostram conclusionem, (ac subinde aduersam hæreticam, siue hæresim formalem) docent. Soar. 1. de Angel. c. 9. num. 5. Tannerus, 1. parte disputation. 5. quæst. 1. sub. 3. & Ioan. Præpositus, 1. parte quæstione 50 artic. 5. dubio 1. § *Dico tertio*, & si expresse censuram non ferat, quatenus Damascenum, & alios Patres negantes Angelis natura sua immortalitatem hoc sensu explicat; essentia sua, non solum exigant à Deo, eiusque voluntate conseruari semel producti; sed habeant: atque sententiam nostram sensu eodem contineri sexta Synodo act. 11. in epistola Sophron. approbata act. 13. illis verbis. *Angeli immortales perseuerant non propriam immortalitatem habentes per essentiam, sed gratiam sortiti sunt à Deo, quæ immortalitatem largitur.* Sumitur ibi immortalitas pro incorruptione, & natura immortalis pro incorrupta, seu non destructa, vt de animo rationali intercalatim, eo loci habetur, & tandem Valentia, citata disputation. 4. quæst. 1. punct. 4. fine, Arrubal. dispntat 151. Gaspar Hurtado, Alarcon, & nostri reliqui cum Dominicanis Thomistis Recentioribus, 1. parte, quæstione 51. art. 5. hanc etiam tenent conclusionem, atque fuso examine Quiros citata sect 4. à numero 44. quare appositam temerariam, vt minimum, censeo, à quo iudicio Arriaga non abest: cum meliora Theologice sapiens ob Patrum authoritatem non posse oppositum sustineri dixit. Hæresim autem esse non video. An vero erroneum, ac fidei per consequentias aduersum, ex rationibus subiiciendis doctus quisque poterit facile iudicare.

6. Ex Patribus probatur apertissime, & constantissime: Hæc enim constans apud ipsos propositio est, vt propriam Dei, & creaturæ incommunicabilem, immortalitatem per essentiam explicarent. *Quacumque initium sumpserunt, & finem habere possunt.* Irenæus, 3. aduersus hæres. cap. 8. Cyril. Alex. 8. Thesaur. cap. 2. Damascen. 2. de fide cap. 3. Epiphan. hæres. 76. Hieron. in cap. 3. ad Ephes. Fulgent. de fide ad Petr. c. 3. Richard. de S. Victor. 1. de Trinit. cap. 4. atqui creatura omnis essentia sua initium sumit; ergo essentia sua finem habere potest. Sed nihil, quod essentia sua finem habere potest, potest esse essentia sua immortale & indefectibile, in essendo, vt ex terminis, patet: ergo nulla creatura immortalis essentia sua esse potest, idque euidenter, ex hoc Patrum axiomate infertur. Secundum Patrum axioma, vel idem potius aliis verbis traditum est. *Omne quod est ex nihilo mutabile est in nihilum.* Quod ipsum est potest habere finem, atque in nihilum, seu non esse sui reduci; ex quo idem argumentum nouo efformatum eadem firmitate, & euidentia infertur. Traditur autem conceptis verbis axioma hoc ab Athanas. orat. contra gent. Cyrill. Alex. VIII. Thesaura citato Augustino de natura boni, cap. Anastasio Synaita orat. 1. Tertium, seu potius, secundum Patrum axioma est. *Creata, non natura, sed gratia Dei immortalia esse.* Traditur à 6. Synodo nuper citata, & fusius, cert. 4. num. 5. vt etiam pro eodem axiomate recitauimus Cyrill. Alex. ex citato loco Thesauri 1. & 2. contra Iulian. sub init. ex sententia Platonis in Timæo, Damascen. vbi proxime Bernardum. 5. de considerat. ad Eugen. c. 4. sub init. implicat autem gratiam vllam alicui fieri à Deo, in eo, quod præstare, vel secus eius libere potestati non subest, sed ex necessit., ac velit nolit (vt aiunt) præstiturus: ergo conseruatio creaturæ non confertur à Deo ex necessitate absoluta, sed prorsus ex illam conferendi, vel secus absoluta potestate, vel libertate. Dices: eo loco, non dici conferri à Deo gratiose absolute conseruationem, ac præseruationem ab interitu, sed immortalitatem: quod verum in aduersariorum sententia: siquidem natura creata essentia sua immortalem à Deo libere produci non negant, sed non esse semel productæ creaturæ illius possibilis conseruationem vlterius liberam Deo, & gratiosam creaturæ productæ. Dixi nuper ad locum sextæ synodi immortalitatem pro incorruptione, & negatione interitus actualis, non autem aptitudinalis solum, ibi, vti pari, vt ex textu integro recitato citat. cert. 4. num. 5. patet, qui de animabus rationalibus & Angelis est, & de illis dicitur *permanere incorrupte.* De his pro incorruptis Synonyme *immortales perseuant*, id est, *incorrupti*, & Cyrill. loco citato ex Platone non de immortalitate aptitudinali, seu in potentia, sed in actu exercito expresse loquitur: ait enim de Angelis. *Estis solubiles, sed nequaquam soluemini*, cum Platone, & sanè cum eis omnibus locis de Angelis, qui de facto sunt, ac de facto persistunt, Patres recitati, eo num. 5. loquantur. Si ita eos interpræteris Angelos, & creaturas, quæ de facto sunt essentia sua immortales, & à Deo absolute indestructibiles hæretice asseres contra 2. Machab. 8. sapientiæ, 11. & alia plura apud Alexsem p. 2. qu. 3. n. 4. & nostros Gillium, 1. p. lib. 2. tract. 8. c. 13. à num. 6. & Petauium, supra.

7. Hæc porro testimonia id plane euincunt Patres scilicet omnes, si de creaturis, quæ de facto sunt, loquantur; cum tamen creata, quæ sunt essentia sua immortalia, atque à Deo etiam, absolutaque eius potentia prorsus indestructibilia, non ex specialibus eorum prædicatis, sed ex generalissimo creaturæ prædicato negent, & quod subinde creata omnia possibilia coerceat, ac transcendat, eandem cunctis creatis possibilibus idipsum denegare ob repugnantiam eius cum prædicato illo generalissimo & creata omnia essentialiter transcidenti euidens est. Verum huius repugnantiæ ratio non ita facilis, neque eadem à nostris (qui rem hanc subtilius fusius, que aliis examinarunt) ostenditur. Supremum quippe dominium Dei in creata (cui enixe nostet Quiros insistit) cum ex natura rei, tum à patitate Dominij ciuilis, & politici nostri, nil euincit. Etenim eius naturæ & essentiæ creaturæ illius vsus libet possibilis in eius creaturæ prima productione, in qua eius conseruationis vsus, vel formalis, & explicitus, vel implicitus saltem, & virtualis esset, contineretur: quemadmodum, & in dominio nostro ciuili vsus destructionis rei talis est naturæ, vt de cætero omnes eius vsus reddat nobis impossibiles: eiusque donatio conseruationem sub dominio alterius liberam nobis non relinquit: immo, non aliter libera est, nisi quatenus libera nobis donantibus donatio fuit; quam (quod ad nos attinet,) necessario consequatio dominij illius penes donatarium consequitur, instat, ex necessaria dependentia, conseruationis etiam, seu creaturæ in conseruari, nec solum in fieri à Deo, non mediata solum, sed immediata

mediata contra Durandum, sed quid inde? immediata etiam conservatio (nec solum prima productio contra Durandum) ab aduersariis admittitur; non tamen libera à Deo, postquam res producta supponitur, iuxta dicta; & si in aliis rebus non essentia sua absolute indestructibilibus (cuiusmodi facta omnia sunt) dependentia, in conseruari etiam, à Deo libera sit, quod autem, si indestructibilis absolute à Deo creatura possibilis sit, etiam inconseruabilis libere à Deo creatura possibilis erit, nil continet absurdi: de facto quippe de duratione creata, eiusque partibus admittitur ab omnibus, debetque necessario admitti, vltra durationem imaginariam, cui primo essentia sua correspondent, & sunt, conseruari à Deo non posse, sicuti, neque à Deo, in vlla, seu pro vlla alia produci, quin absque essentia sua, qua huic determinatæ durationi affixa sunt, contradictorie producantur. Quæ autem numero 46. & 48. pro imminutione dominij, & omnipotentiæ diuinæ, eiusque indigentia creaturarum producit, eadem facilitate diluuntur. Deus quippe creaturis inconnexus est, adhuc possibilibus, tametsi factis, vel absolute, vel pro aliqua duratione impossibilibus, eas non defectu potentiæ actiuæ Dei, sed passiuæ intrinsecæ creaturarum fieri absolute, pro tunc, nequeant: vt in duratione patet æterna & in re, cuius non est absoluta negatio: & quamuis actiua Dei potentia (quod ad præsens attinet) rerum possibilitate connexa admittatur, tei productioni, vel conseruationi pro duratione, & circunstantiis, in quibus rem esse repugnat, nusquam connexa omnipotentia pro signo aliquo, nec Dei dominium fuit, sed pro illis, in quibus non repugnat. Pro eis enim solum possibilis absolute res fuit, ac semper perseuerat; pro aliis vero semper est absolute impossibilis quo omnia nostri Quiros argumenta, & instantiæ facile diluuntur, vt singulatim eis respondere sit otiosum.

8. Alij igitur rationi, quam ex dominio absoluto Dei in creata omnia eiusque omnipotentia, eorumque dependentia essentiali, & immediata à Deo, & libera, in fieri, & saltem mediate, & virtualiter libera in conseruari, & repugnantia illa creaturæ semel productæ essentia sua à Deo absolute indestructibilis apud Patres constans, torque axiomatibus tradita procul dubio innititur; & si à Doctoribus rem hanc prolixius ex instituto examinantibus solumque supremo Dei, in creata Dominio, & omnipotentiæ attendentibus tacta non fuerit; licet testimoniis Patrum quasi ex proximo fuerit satis (vt suspicor) indicata, est autem huiusmodi. Quidquid initium sui habere potest, & ex nihilo est, creatum quid, non autem à se, est: ergo finem habere potest, & in nihilum desinere. Consequentia probatur. Quidquid non à se, sed ab alio est, essentia sua actu, & absolute, esse non potest; ergo, neque essentia sua actu, & absolute durare. Probatur consequentia: quia sine absoluta rei existentia, nequit esse absoluta duratio (siue hæc realiter differat, siue non differat à re durante) vt patet de se se: ergo neque semel ab alio producta essentia sua perdurare, seu (quod idem est) conseruari, ita vt destrui absolute prorsus nequeat. Probatur consequentia, quidquid essentia sua, nec est, nec durat durationi imaginariæ alicui necessario, & essentia sua, non coexistit: ergo pro quauis duratione, potest essentia sua non esse: atqui ex sua prima duratione prædicata eius essentialia; non mutantur: ergo nec semel producta essentia sua necessario coextitura est durationi sequenti imaginariæ; alioqui eadem essentia nulli durationi imaginariæ, parti necessario coextituta erit, ac simul alicui parti durationis determinatæ erit necessario (sed contradictorie coexticura. Si autemnon est necessario coextitura, poterit semel producta absolute pro illa, duratione imaginaria deficere, & absolute non esse, & ex nihilo à quo vt termino, cœpit, in nihilum desinere: gratiæque, & beneficio Dei, à quo primum cœpit (& si naturali ius creationis) eius conseruatio debeat deputari, vt Patres constanter aiebant. Hoc ipsum argumentum potest aliter efformari. Necessitas essentialis absolute coexistendi durationi imaginariæ alicui, ei solum competere potest, quod à se est, & existit: atqui solus Deus à se est, & existit; ergo solus Deus potest essentia sua eam necessitatem habere: nihil autem creatum, & quod cœpit ex nihilo, Deus est; ergo nequit eam necessitatem habere. Antecedens primum patet. Quia eius solum existentia, & coexistentia durationi, imaginariæ alicui ab alterius voluntate nequit dependere: quare & alicui durationi imaginariæ, immo, & toti, ac vltra, coexistere essentia sua potest immo debet: cum neque à se ipso nec libere, nec naturaliter, & necessario, non coexistere potest: quare, & essentia sua physica æternus indiuisibiliter est. Demum nihil essentia sua necessario alicui durationi determinatæ imaginariæ coexistens, & correspondens esse potest, nisi quod essentia sua duratio sit: is enim durationis essentialis conceptus est; quod si creata sit (vt necessario cuiusvis creaturæ duratio est) ita determinatæ suæ imaginariæ durationi affixa essentia sua est, vt implicet vlterius, vel per instans vnum (ne dum diutius) conseruari; sin autem increata, est Dei æternitas, omnibus, & singulis imaginariis durationibus, quas non solum expleat, sed ambit, necessario coexistens. Sed tamen nulli creaturæ communicabilis est, sed prorsus repugnans.

9. Hanc igitur rationem meo iudicio euidentem præfata testimonia Patrum, vel indicant, proxime, vel tangunt. Ex qua constat primo: nostrum Arriaga æque Patrum rationi bene penetratæ, atque authoritati cedere modeste debuisse. Constat secundo: eius instantias ex possibilitate præsentiæ indibisibilis entitatiue, & subiectiuæ, ad plura spatia loci diuersa, ac subinde ex parte termini, seu terminatiue diuisibilis ad indiuisibilem essentia, & entitate sua durationem, seu permanentiam, creaturæ per plura spatia temporis, & durationis possibilem euincendam, locum non habere: quia duratio creata (quæ sola spatio, alicui determinato imaginariæ durationis essentia sua esse affixa potest) ita illi affixa est, vt alteri respondere, in eaue produci, aut conseruari prorsus repugnet: vnde quæ pluribus (nedum omnibus futuræ æternitatis) respondeat entitatiue diuisibilis esse necessario debet, nisi Dei simplicissima æternitas sit.

10. Opponunt actum supernaturalem, vel visionis beatæ, quæ suæ perpetuitatis, repræsentatio essentia sua est, vel actum fidei, ex Dei reuelatione de ipsa determinate, vel coniunctim, & vniuersaliter de actibus fidei, vel creaturis cunctis non destruendis, si ita decreuisset, (vt potest Deus de creatis omnibus essentia sua non successiuis) quo decreto suppositio, posset à Deo reuelari, ac fide supernaturali credi, quæ essentia sua, suæ etiam æternæ durationis, vera, ac certa repræsentatio foret: ac subinde æterna nusquamque, ac nunquam, ex quo primum produceretur, absque falsitate, & contradictione destructibilis. Hoc argumento, nisi negata possibilitate reflexionis scientiæ creatæ supra seipsam insolubile censent Arriaga citatus. § 7. versu *Ad confirmationem*. Hænao, t. 1. empyrolog. exercit. 12. num. 36. Sforzia Pallauicin. 1. 2. disp. 2. qu. 2. art. 9. num. 8. Ripalda argumenti huius, bonam Theologiæ partem apud aliquos pervagantis, adinuentor in cognitionis supernaturalis falsificabilitatem inclinare videtur, vt illud soluat. Hoc secundum negat Quiros, n. 52. & si destructibilem absolute eam cognitionem suæ perpetuitatis essentialiter repræ-

sentatiuam, & repræsentationem esse admittat: quia secundum se, atque seiuncta à subiecto capaci, quod per illam obiectum cognoscat, atque esse affirmet stare, sine suo obiecto nempe perpetuitate sua, cuius essentialis repræsentatio formalis est optime potest; est quippe (inquit) velut mortua, dum subiecto, quod per illam cognoscat, & iudicet, non inhæret, & concrete cognoscens, & iudicans non constituit. Falsa solutio, & inintelligibilis, atque inintelligibiles tandem doctrinas de connotatis ad liberos Dei actus scientiæ, & voluntatis, in hoc authore satis à nobis reprehensas controu. 4. de volunt. illa autem vox, *mortua*, de visione illa in abstracto, in animis vox, ad rem præsentem est, & si enim vitaliter cognoscens, nisi cognoscitiuum subiectum informet, efficere nequeat, ast ipsa viua, & viuida formalis, & expressa sui obiecti; & perpetuitatis suæ repræsentatio essentia sua est: quod si destrui potest, nec ipsa suo obiecto essentiali, suæ scilicet perpetuitati, conformatur, non solum falsificabilis (quod refugis) sed falsa etiam est; est enim repræsentatio essentialis suæ indestructibilitatis omnimodæ, quæ in ipsa per te non est: ex eo autem, quod res est, vel non est, vt iudicium, & propositio fert, ac repræsentat, propositio, & iudicium verum, vel falsum Aristotelico axiomate ab vniuersa philosophia, & Theologia est, ac dicitur: quod quidem de cognitione, & iudicio secundum se, & abstracte, ac non in concreto sumptis, dictum est, & si, id minus aduertens, Quiros ita responderit.

11. Primam etiam solutionem, de impossibilitate reflexionis scientiæ, & cognitionis creatæ supra seipsam, necessaria, vt visio supernaturalis, vel fidei, vel beata, sui essentialem perpetuitatem, & omnimodam indestructibilitatem repræsentat, vt falsam refellit, idem Quiros numero 50. Primo quia certam doctrinam de absoluta cuiuslvis creaturæ destructibilitate à Deo non satis firmæ, in philosophia adhuc, doctrinæ inniti vult: immo, ex certa Theologicè scientiæ reflexione supra seipsam satis aperte confutatæ. Nescio quibus fundamentis impossibilitatem reflexionis scientiæ creatæ supra se ipsam, ab aliis viderit assertam, vt id, tanquam notissime infirmum, sine disputatione, ac per transennam dixisse satis, ad repulsam iudicauerit. Scio autem nostra eius impossibilitatis asserendæ fundamenta, ex multa cognoscentium omnium etiam sensibilium obseruatione deducta non vidisse. Vt enim rem non demonstrent longa disputatione opus illi fuisset, vt refellerentur; ex eisque videret à reflexione scientiæ diuinæ supra seipsam ad reflexionem similem in scientia creata nullam omnino paritatem deduci posse, sed solum apertam repugnantiam: igitur ex impossibilitate reflexionis supra se ipsam in creata cognitione aliquam etiam supernaturalem intrinsece in falsificabilem, (vt supernaturales omnes fidei cognitiones iudico) suæ perpetuitatis essentialiter, repræsentatiuam ac subinde essentia sua perpetuam, & prorsus indefectibilem esse posse nego. Instat Quiros saltem mediatam reflexionem cognitionis supernaturalis supra seipsam, in qua totum argumentum instauretur, negari non posse. Potest quippe esse cognitio fidei supernaturalis ex Dei reuelatione de nulla cognitione alia destruenda nihil de sua perpetuitate asserens: insuper hæc cognitio potest reuelari à Deo, & fidei cognitione supernaturali cognosci: quæ, cum in prima cognitione directa supernaturali de perpetuitate omnium cognitionum, præter directam contineatur, nequit non perpetuita esse ex vi & connexione veritatis infalsificabilis directæ illius cognitionis supernaturalis: sed vnde colliget Quiros, secundæ huic reflexæ esse essentialem perpetuitatem, & in destructibilitatem, absolutam, quin supponat probandum? etenim reuelatio, & actus fidei de perpetuitate aliarum omnium cognitionum præter ipsam, vel est de perpetuitate earum extra essentiali, atque ex libero Dei decreto, de eis omnibus, & singulis perpetuo seruandis, cum omnes posset pro libito, & tempore, quo vellet, destruere: vel quia omnes, aut aliqua saltem earum essentia sua indestructibilis absolute, ac perpetua esset? Si primum: postrema cognitio reflexa actus fidei directi de nulla cognitione præter ipsam destruenda, vt pote, in obiecto huius directi actus contenta, perpetua quidem erit non autem essentia sua, sed ex libero Dei decreto vt fateris, nec aliter perpetua esse inferri poterit. Si autem dicas primum: Deum scilicet reuelasse nullam cognitionem semel productam (præter directam fidei, qua ea veritas cognosceretur) esse destruendam, quia vel omnes, vel saltem reflexa illa tua supra directam hanc perpetua, atque indestructibilis absolute natura, & essentia sua est: supponis aperte, quod probare debebas, nec solum falsum, sed impossibile esse dicimus, & plus satis demonstrabimus tom. 1. controu. de scientia Dei reflexiua vnice supra seipsam, quod sæpè (ni semper) his Recentioribus contingit, quibus ad reuelationes, & actus fidei, vt singulares in variis materiis opiniones inducant recurrere est frequens.

12. Dico secundo, implicat, Angelos essentia sua immortalis & omnino indestructibilis absolute à Deo. Probatur primo, ex conclusione prima hactenus demonstrata: quia implicat creatura essentia sua immortalis, & absolute indestructibilis adeo: atqui Angelus omnis creatura est: ergo implicat Angelus essentia sua immortalis, atque adeò absolute incorruptibilis. Probatur secundo: Quia implicat aliquid creatum essentia sua necessario alicui parti (nedum partibus omnibus) determinate durationis imaginariæ respondere, & coexistere, quod physica duratio essentia sua non sit (id quippe est physice & realis durationis essentia,) vt volumus, atqui Angelo repugnat realem & physicam durationem essentia sua esse; ergo repugnat Angelo respondere essentia sua omnibus, & singulis partibus durationis imaginariæ, à prima sui productione per æternitatem succedturam, atque eis necessario coexistere. Minor probatur, Angelus essentia sua est substantia physica, &c. at substantiæ physicæ repugnat essentia sua esse accidens; ergo esse durationem, essentia sua, quæ atque, atque presentia accidens est. Minor de se patet: Nulli enim essentia sua accidens physicum esse potest; quanquam vnum ex Recentioribus, qui vanas vmbras persequi ingenij loco reponunt, de ea subdubium, & si diluculo magno labore, disputantem, eique examinandæ insudantem videbimus: an scilicet substantia, & accidens physicum possint realiter identificari? Tertio probatur, quia vt id possibile admittamus: ex eo conceptu creatæ suæ durationis Angelo, identificatæ; potius fieret inconseruabilem à Deo, per duo instantia (ne dum per futuram æternitatem) Angelum essentia sua indiuisibili esse debere: cum quæuis duratio creata indiuisibilis essentia sua indiuisibili durationis imaginariæ sit affixa, & necessario pro sequenti pereat.

QVÆST.

QVÆSTIO IV.

De Angelorum diuisione quoad intrinseca & essentialia.

IN essentialibus & intrinsecis, non solum numero prædicata generica, vel suprema, vel intermedia, & differentias ipsa suo gradu, & ordine contrahentes ac metaphysicè constituentes in species intermedias, sui infimas. Etsi enim hæc apud Philosophos, & Theologos essentiæ, & naturæ, formæque rerum solummodo iure nominentur, quia ad scientias nostras (quæ de indiuiduis esse nequunt) ex vsu solummodo esse possunt: etiam merito dicuntur formæ, quia (vt recte aiebat Boëtius, & Niceta à nobis recitatis tom. de Trinit. & Incarnat. d. proœmia l. q. 1. cert. 1. n. 5.) indiuidua eis, quasi subiecta, metaphysica subsunt: in quibus proinde genera, & species, *quasi pedem* metaphysicè *figunt*. Ad rem tamen præsentem de intrinsecis rerum non solum speciebus, sed indiuiduationibus, quibus essentialiter indiuiduum, quodvis (v g. Michaël) non minus quam genericis, & specificis prædicatis constituitur, agendum necessario est: quia non solum de Angelicæ naturæ generatim, & vniuersim sumptæ in suas species diuisione; sed hac admissa de speciei infimæ cuiusuis Angelicæ diuisione in plura indiuidua, à nonnullis, nec infimæ notæ Theologis, dubitatum, immo aliter, atque aliter iudicatum est. Potest autem vtrumque de facto, & Angelis absolute etiam possibilibus, disputari, & de possibilibus iuxta connaturalem Dei prouidentiam, vel etiam iuxta prouidentiam absolutam, & supernaturalem.

CERTAMEN I.

De diuisione Angelorum, cum specifica, tum numerica opiniones.

1. PRima sententia naturam Angelicam speciei infimæ esse, atque sola in indiuidua multiplicabilem, atque indiuiduationibus eorum solis immediate contrahibilem ac diuisibilem censet, sic ignominari aliquot apud S. Thom. q. 50. a. 4. Albertus 2. p. tract. 2. q. 8. S. Bernard in 2. d. 9. a. 1. q. 1. & si d. 3. 1. p. art. q. 1. omnes, aut plures eiusdem speciei esse solum modo docuerint, vbi Marsil. a. 1. ait esse opinionem communiorem: sicuti, & Thomas de Argentina ibidem, q. 2. a 3 non satis explicans quam sequatur fauere videntur. Basil. 3. de Spiritu S. contra Eunom. sub init. scribens: *Omnes Angeli, sicut appellationem vnam, sic etiam, naturam omnino eandem habent.* Naturæ autem, & essentiæ nomine species significatur, non autem indiuiduatio, seu indiuiduum, præsertim cum nomine *omnes* multiplicatum in Angelis fateatur: ex conuenientia enim solum generica indiuiduorum natura eadem, nedum omnino eadem, dici non potest. Secundo: quia inde probat inter diuinas personas eiusdem omnino naturæ ordinem esse, quod ex identitate minore, quam in specie atoma Anglorum, inter quos ordo hierarchicus est, male probaret. Athanas. q. 1. ad Antiochum; *vna & eadem, est essentia, Angelorum, sicut vna tantum est essentia hominum.* Iterum, *sicut Angeli vnius speciei sunt, ita credimus de nostra natura*, & q. 8. *subsistantia certe, vt hominum, sic, & Angelorum est vna* atoma nimirum specie, Anselm. 2. *cur Deus homo?* Angelos per vnum Angelum non potuisse saluari ait: *quia quamuis omnes sint vnius naturæ, non sunt, eiusdem generis* (id est propagationis ex vno Angelo) *sicut homines:* ex vno homine Adamo. Damascenus libro primo instit. c. 7. *intelligendum est ea, quæ sola indiuidua continent, species infimas vocari; cuiusmodi est Angelus homo, & equus.* Nazianz. orat. in laudem virginit. de Angelis ait. *Idem quisque natura est omnibus, vnaque mens similique Dei rapiuntur amore.* Gregor. Nyssen. de creat. homin. & Angelorum, ait. *Angelorum millia consistere in eadem essentia* tandem S. August. cap. 29. Enchirid. ait: *Hominem cuius tota natura in Adamo corruerat, fuisse reparandum, secus Angelum, cuius non corruerat natura tota, quare, nec sine beatitudinis fructrata; sed nec ordinis, aut speciei alicuius omnes Angeli corruerunt.* Ratio est in his tribus æqua: quia non est assignabilis, maior operationum diuersitas in Angelis, quam in homine, & equo, quæ diuersum principium radicale, & substantiale in aliquibus Angelis, quod aliis non conueniat, possit arguere.

2. Quod diuisionis speciei infimæ Angelicæ in plura indiuidua, possibilitatem negasse absolute S. Thom 1. p q. 50 a. 4. putatur: vbi, & si de impossibilitate omnimoda, etiam respectu absolutæ potentiæ conceptis verbis loquatur, tamen cum absolute, ac sine limitatione, id asserat, & subiuncta ratio, ex principio Aristotelico de omnimoda impossibilitate probet, siquid probat, eo etiam sensu ipsum loqui videtur. Consentit Caietanus ibi conclusionem S. Thom. vt iacet, ac ipsius rationem commentario suo defendens, & expressius c. 4. de ente & essentia, ad eandem S. Thom conclusionem vbi q 7.addit: etiam de potentia absoluta: eoque sensu S. Thom. loqui. Similis sibi fere semper fuit S Thom. 2. contra gent. c. 93. & disputatis, q. vti de spiritualibus creatur. Consentiunt Petr. Bergom. in concordantiis locor. S. Thom. dub. 115. Ægid. Roman. Augustinianus S. Thomæ auditor discipulus quodlib. 2. q. 7. & in 2. d. 3. p 1. q. 2. a. 3. Heruæus in 2. d. 3. q. 2. a. 2. & omnes (Bannez excepto) Dominicani Thomistæ Recentiores: quibus noster Granadus adhæsit 1. p controu. 7. d. 4. secunda sententia connaturalem diuisionis speciei atomæ Angelicæ in plura indiuidua possibilitatem negat absolutam in ordine ad potentiam extraordinariam Dei concedit. Ita videtur sentire S. Thom. opusc. 16. contra Auerroïstas contendentes ex immaterialitate intellectus & necessitate materiæ diuisæ ad indiuiduationum diuersitatem, intellectum nostrum, eundem indiuiduáliter in omnibus esse, ita eorumque argumentum (quod ipsius mutata solum materia esse videtur) non soluit solum, sed addita in eos ruditatis nota confutat; *valde ruditer argumentantur ad ostendendum, quod Deus facere non possit, quod sint multi intellectus eiusdem speciei credentes hoc inducere, contradictionem. Dato enim, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicarentur, non propter hoc oporteret, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem. Nil enim prohibet, aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa. Sicut grauc habet ex sua natura, quod non sit sursum, tamen graue esse sursum non includit contradictionem, sed graue esse sursum secundum suam naturam contradictionem includeret: sic ergo intellectus, si naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam sua multiplicationc; posset tamen sortiri multiplicationem à supernaturali causa* Quod ex motu lapidis sursum non ab innato principio, sed extrinseco proiiciente certo demonstratur. Hoc igitur loco, & ratione doctrinam illam de Angelis temperasse, atque explicuisse visus est S. Thom. Capreolo in 2. d. 3. q. 1. ad 2. Durandi contra 5. conclus. in solut 4. Ferrariæ 2. cont. gent c. 93. §. *de hoc dicendum* Bannez q. 50. a. 4. vt de ordinaria solum, & connaturali, non autem de absoluta Dei potentia loquatur (cui interpretationi Vasquez annuit) eoque sensu S. Thom. sequuntur, vti & Ioan. à S. Thom. 1. p. d. 19.

de Ang. a. 3. n. 24. & noster Franciscus de Lugo 1.p. q.50. d.2. c.2. n.12. tametsi lib.3. d. 2. c. 3. n. 7. docuerit. Non repugnare creaturam (v. g. Angelum aliquem) ita perfectæ speciei omnino immultiplicabilis, in plura individua. Bubalus citato a. 4. quæsit. 1. difficul. 3. §. 2. ac deinceps citatis proxime dominicanis consensit.

3. Huic sententiæ de Angelorum plurium immultiplicabilitate, solum individuali in connaturali prouidentia, & potentia rei secus in absoluta; & extraordinaria accessit tandem noster Mattin. de Esparsa manuscripto de Angelis d. 1. sect. 2. n. 16. ratione tamen longe diuersa: quia (inquit) rationali reipublicæ Angelicæ magno incommodo esset individua plura ponere in quibus nulla proprietatum extrinsecarum dissimilium collectio, per quam dignosci vnum ab altero posset, reperiretur, si speciei atomæ eiusdem forent, nihilque proinde, quod in alio cognosceretur. Etenim nec scire, Angelus vllus posset, cum quo loqueretur, quod vellet esse secretum, vel à quo sibi cauendum, vel sperandum, citra deceptionis nociuæ periculum, quæ nobis accidit, cum duo simillimi homines occurrunt, atque vnum pro altero alloquimur &c. Sed de hac ratione, & tertia alia satis communi infra, dum eas soluam S. vero Thom. sententiam suam primam toties repetitam de Angelis temperasse, eo præsertim argumento, quod pro possibilitate multiplicationis animi, seu intellectus nostri de potentia solum absoluta Dei, instruxit minime credam. Primo enim de intellectu, seu animo nostro immultiplicabilem numero natura sua esse, eo loci non admisit, sed solum Auerroïs argumento permittit, vt patet ex illis verbis. *Dato enim, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicarentur*: atque illis. *Sic ergo intellectus, si naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam, sua multiplicationis &c.* De Angelis autem immultiplicabiles solum numero sub specie atoma, essentia, & natura sua, vbique constans ex propria sententia fatetur, argumenti vero Auerroïs solutio, & confutatio sugillatoria à S. Thom. adhibita, si, vt citati authores volunt, intelligatur, non Auerroïs, sed S. Thomæ potius ruditatem ostendet. Etenim individualis ratio æque, atque specifica, & generica, intrinseca, & essentialis individuo cuiuis est, ipsum in ratione individui formaliter, vt forma seu formale principium constituens æque, atque generica, aut specifica ratio intra genus, & speciem ipsum formaliter collocat: ergo sicut Deus potentia sua absoluta nequit efficere, vt quod natura, & essentia sua prædicatum genericum, vel specificum intrinsece, non habet, ad illud tamen genus, vel speciem pertineat: ita neque efficere potentia sua absoluta potest, vt species atoma, quæ natura sua individua simul est, ac proinde individuationem aliam, nec habet, nec habere potest, sui individualem multiplicationem illam nihilominus diuinitus habeat, possitue obtinere, confirmaturque rursus.

4. Non minus individua essentialiter est natura specifica Michaëlis essentia sua in individua immultiplicabilis, quam natura individua Petri essentia etiam sua coniuncta identice eius individuationi, seu petreitati: ast Petrus, in Paulum multiplicabilis, potentia etiam absoluta Dei, non est; ergo nec species atoma Michaëlis in Gabrielem multiplicabilis, etiam potentia absoluta Dei, erit. Horum autem omnium ratio est, quod Deus, & causarum extrinsecarum influentium in effectus defectum supplere omnipotentia sua possit; secus intrinsece, physice, vel metaphysice componentium: vt commune axioma fert, ac euidens ratio demonstrat: siquidem Deus, materia, nec forma physica, vel metaphysica effectus creati esse, fieriue vsquam potest. Vnde, & si materiæ in formam receptiuum influxum supplere omnipotentia sua queat. Formam absque subiecto sustentando (vt in quantitate, & accidentibus physicis, Eucharisticis patet) ast compositiuum, (vt sic loquar) influxum, qua materia, vel forma totum seipsis intrinsece componunt, supplere potentia sua nequaquam potest. Argumentum autem Auerroïs, quod ruditatis notat Angelicus Doctor, nec in Angelis currit, nec vim in communi vtrique principio de rerum individuatione, ratione materiæ solum habet. Erat enim huiusmodi. *Omne quod multiplicatur secundum diuisionem materiæ, est forma materialis; vnde substantiæ separatæ à materia, non sunt plures in vna specie.* Intellectus autem, & animus noster forma materialis non est; ergo cui, verbis, & nota recitata respondet merito S. Thom. siquidem, & si sit spiritualis animus noster, forma tamen materiam, & principium necessarium individuationis concernens natura sua est, nullam tamen determinatam ex specie, essentia & natura sua concernit, & quauis adiuncta satis haberet, vt connaturaliter existeret: quare, & natura sua multiplicabilitatem individualem non exposcit, sicuti, nec plures materias, & principia, individuationis, quæ neque à causis naturalibus, materiam producere in potentibus potest habere. Quoniam vero forma & pars hominis est materiæ essentialiter respectiua, plures materias, & subinde plura principia individuationis habendi est capax, & si neque à se, neque à causis caeatis, sed à supernaturali causa Deo plures materias, creante: quare, & in plura individua multiplicabilis per Dei potentiam est: non tanquam per principium formale, & intrinsecum, vt nostra argumenta demonstrant; sed tanquam per principium actiuum materiæ; seu termini in ordine, ad quem intrinseca rerum individuatio, in Doctoris, & Auerroïs, quem confutat, Aristotelico principio. Id, textus S. Thomæ suadet, eumque, non contra se suamque de Angelis constantem sententiam indecenter, sed contra Auerroëm recte ex communi vtrique principio discurrere. Doctrinam hanc, & mentem genuinam, S. Thomæ eo loci ipse confirmet 1. p. q. 76. a. 2. ad. 1. scribens, *licet anima intellectiua non habeat materiam, ex qua sit, sicut nec Angelus, tamen est forma alicuius materiæ, quod Angelo non competit, & ideo secundum diuisionem materiæ sunt multæ animæ, vnius speciei; multi autem Angeli vnius speciei esse non possunt.*

5. Hactenus de negantibus etiam de possibili in vtraque quæstione de multiplicabilitate, cum specifica, tum numerica Angelorum sententiis. Affirmantes eodem ordine referamus. Et multiplicabilitatem specificam, seu multiplicationem in species varias Angelorum possibilem docent (præter eos, qui in quæstione de facto etiam affirmant) S. Thom. citat. q. 50 a. 4. vbi omnes eius interpretes, & vtraque schola Thomistica, cum nemo ex eis sit, qui id non conclusione ex instituto, cursimve asserat, vel supponat. Bannez, Nazar. Ioan. à S. Thom. Molina, Valentia ad citatam q. 50 primæ partis a. 4. vbi etiam Vasquez d. 181. c. 3. n. 11. Ioann. Præpositus dubio 2. n. 16. conclus. 1. Bubalus quæsito 1. §. 17, 18. & 20. vbi oppositum censet esse improbabile; specialibus tractatibus de Angelis Soar. lib. 1. c. 12. iuxta à se dicta d. 35. metaphys. sect. 3. n. 43. Arriag. d. 4. sect. 1. subsect. 4. §. *dicendum secundo* Quiros d. 52. sect. 1. n. 2. §. *contraria sententia* est quæ Scoticæ, Nominalis, & Durandinæ scholæ vniuersæ ac omnium Theologorum, quorum vulgata scripta hactenus fuerunt, si Albertum & S. Bonauenturam citatos n. 1. excipias: quamuis Marsilio plures alios Theologos (quorum, nec scripta, nec authoritas extant) sequaces ea sententia habuisse videatur, vt & argentinæ ibidem: quare oppositam sententiam asserere vere potuerint communiorem.

6. De possibilitate multiplicationis naturæ Angelicæ speciei æternæ in plura individua communissima nostrorum sententia, (Granado, aduersario ex nostris vnico) absolute affirmat, & ex Thomistis Dominicanis Capreolus, Ferrara Ioan. à S. Thoma citati n. 2. sub fin. & S. Thom. si bene euoluatur eiusque sensus de principio individuationis, necessario per materiam præstando, penetretur, ita ex instituto Scotus in 2. d. 3. q. 7. cum tota sua schola Gabriel

Gabriel. q. 1. a.2. concluſ. 2. & 3. cum Nominalibus reliquis Durand. q. 3. cum ſuis, Ricard. a.3. q.1. Argentina q.2. a.2. concluſ.1. Marſil. q.1. a.1. concl.3. Henric. quodlib.2. q.8. & quodlib.11. q.1. Molina, Valentia, Vaſquez, Ioan. Præpoſitus, Arriaga, Bubalus, Eſparſa, Franciſcus de Lugo, & Quiros citatis diſputationibus, quæſtionibus &c. atque vniuerſim (Granado excepto) omnes noſtri Doctores. Ex Dominicanis, Capreol. Ferrara, Bannez, citati n.2. fine naturali, & ordinatia Dei potentia, & prouidentia, id fieri poſſe, negant cum noſtris Bubalo, Eſparſa, & Lugo, immo, & Ægid. Roman. citatus n.2. ex 2. d. 3. in ſecundi argumenti initio ſupponit ſe loqui ſolum, *ſecundum naturæ curſum*, & hunc ordinem, quem videmus atque Eſtius, iam citandus, quia ait: hanc ſententiam eſſe fere omnium Doctorum. Denique pro hac ſententia tota Pariſienſis ſchola ſtetit ab Epiſcopo, Stephano Præſide congregata tres (præter alias) ad præſentem quæſtionem ſpectantes propoſitiones damnans teſtibus Ricardo, & Henrico: ſtantque articuli, ſeu damnationes omnes tunc ab ſchola Pariſienſi editæ apud Caietanum q. 9. de ente, & eſſentia art. 7. Prima autem, ad rem præſentem damnata propoſitio eſt. *Siquis dixerit Deum non poſſe multiplicare formas, ſine materia; error.* Secunda. *Siquis dixerit formam non recipere diuiſionem, ſine materia; error.* Tertia. *Quod, quia intelligentia non habent materiam, Deus non poteſt, eiuſdem ſpecici facere plures; error.*

7. Ex qua conſtat Pariſienſes non ſolum contra Auerroëm de animi noſtri indiuiduali immultiplicabilitate ſub infima ſpecie, (vt expreſſe duabus primis) ſed & contra ſimilem Angelorum ſpeciei infimæ immultiplicabilitatem numeralem, eadem expreſſione definiſſe: quare Caietanus ad Bullam Vrbani, doctrinam S. Thom. vt Catholicam approbantis, recurrit. Sed tamen doctrina hæc de abſoluta immultiplicabilitate indiuiduali Angelorum ſpeciei infimæ S. Thomæ non eſt, vt citati nuper Thomiſtæ fatentur, & cert. 3. oſtendemus, ſecundo ea approbatio, S. Thomæ, doctrinam omnem ab hæreſi pro tunc, & errore, non autem abſolute excuſat: cum conſtet, contra ſolemnitatis votorum eſſentialiter ad religionem requiſitæ doctrinam, à S. Thoma, aſſertam, definitum fuiſſe à Gregorio 13. in Bulla *aſcendente Domino*, & S. Thomæ doctrinæ (& ſi tunc probabiles, & communes in materiis aliis, doctéque, & prudenter ab ipſo aſſertæ, ab aliis Pontificibus fuere damnatæ: neque ita articulatim doctrinæ S. Thomæ bulla præfata approbari à ſede Apoſtolica putanda eſt, ſed vt plurimum, nec erroris ſingulis, & omnibus, propoſitionibus innumeris aditum occludat; & certe, ſi tantum præſidij in Bullis Pontificiis laudatoriis doctrinæ S. Thomæ ſingulis eius, & omnibus propoſitionibus adeſſe, quantum aliqui volunt, fateamur: quid de ante, & poſt Bullas præfatas damnatis à ſede Apoſtolica dicemus? Quid de minus pia Conceptionis Deiparæ in peccato originali (quam S. Thomæ eſſe iidem contendunt) cum piiſſima, & Eccleſiæ communiſſima proximæ diffinibilitatis ſtatum fuerit iam conſecuta? Nec præſtat eas Pariſienſium definitiones, & cenſuras vltra Sequanam (vt vulgo aiunt) non tranſire. Neque enim contendimus eas, à tota Eccleſia, & Theologia Catholica, vt dogmata fidei recipi debere; ſed citra infraque fidei dogmata, quam magnam afferre conformibus ſententiis authoritatem, atque aduerſis præiudicium: vt attuliſſe ſemper teſtatur Eſtius in 2. d.3. §.2. Nec fieri aliter poteſt: cum tunc in Academia Pariſienſi tota fere Theologia Catholica eſſet, multoque proinde amplioris authoritatis, eius conſenſus, & cenſuræ, quam nunc Complutenſis, & Salmanticæ concors de propoſitione aliqua, cenſura, & conſenſus.

8. In quæſtione de facto, quo ad multiplicationem naturæ Angelicæ in ſpecies varias, qui eam abſolute poſſibilem negarunt citati n. 1. de facto neceſſario negant. Ex reliquis vero, qui abſolute poſſibilem admittunt in quæſtione de facto dubium, & incertum eſſe, nec cum firmo fundamento, ac citra temeritatem (non quidem Theologicæ cenſuræ) definibile cenſet Vaſquez citato c.3. §. *altera pars* Valentia, etiam ſupra Quiros vbi proxime ſect. 4. §. *cenſeo modo*, num. 35. & ſi tandem contra proprium ſenſum ſect. 5. num. 47. communi affirmanti ſubſcribat. Huiuſmodi ergo diuiſionem Angelorum de facto in ſpecies plures aſſerunt Molina citat. q.5. a. 4. §. *tertia concluſio*. Bubalus citat. difficult. 1. §.17.18 & 20. (aduerſam ſententiam improbabilitatis notans) & ſequentibus. Ioan. Præpoſitus ſupra §. *dico* 2. n. 17. Arriaga ſupra ſection.2. n. 14. §. *vnde ergo*, ex Soar. citat. c. 12. fuitque iampridem ſententia Alexandri 2. p.q.20. m. 6. Gabri. in 2.d.3. q.1.a.2. & 3. Dionyſij Carthuſ. q. 3. Marſilij a. 1. Angelos, qui de facto ſunt pro Hierarchiarum diuerſitate in ſpecies diuidentes, ac rurſus pro chororum eiuſdem Hierarchiæ diuerſitate ſubdiuidentes in ſpecies inferiores; quoad diuiſionem ſpeciei infimæ Angelorum qui de facto ſunt, in indiuidua negant Thomiſtæ omnes Dominicani, & Granadus noſter relati n. 2. qui eam multiplicationem indiuidualem ſpeciei infimæ in plura indiuidua iudicant impoſſibilem, illi etiam, qui naturali ſaltem potentia, & prouidentia (qua plane Angeli creati à Deo ſunt) eam impoſſibilem cenſebant eodem num. 2. & ſi abſolute poſſibilem fatebantur: nempe, Capreol. Ferrara, Ioan. à S. Thom. Bannez, atque ex noſtris Bubal. Franciſcus de Lugo, & Martinus de Eſparſa relatus n.3. Rem autem prorſus dubiam, nec, ſine temeritate definibilem Vaſquez ſupra, & ex proprio ſenſu Quiros, etſi affirmari communiori morem tandem gerat ſect.5. n. 47. citato. Affirmant vero Molina proxime § *ſit nihilominus* 2. *concluſio* cum Alex. Bonauent. Gabr. Durando, Marſilio, & aliis pleriſque: poſſuntque illi omnes ignominati à S. Thom & Albertus à nobis relatus n. 1. referri, aſſerentes naturam Angelicam vnam ſpeciem infimam eſſe: quos Marſilij tempore tot eſſe diximus, vt Marſilius communiorem tunc ſententiam fuiſſe retulerit. Ita etiam cenſet Soar. cit. c.12. & 15. Ioan. Præpoſitus ſupra concluſ. 4. Arriaga vbi proxime.

CERTAMEN II.

Concluſiones noſtræ in quæſtione diuiſionis ſpecificæ.

1. Dico primo: Angeli ſpecie diuerſi poſſibiles abſolute ſunt: ac proinde natura Angelica genus in plures ſpecies abſolute diuiſibilis, & multiplicabilis, non autem vna ſpeciei infimæ vnitate. Eſt contra pauculos relatos cert. 1. n 1. ſed reliquorum omnium Theologorum, quos citauimus n.5. atque à Damaſceno (qui ei putatur aduerſus) expreſſa ſententia. Ita enim ſcribit, de Angelorum, qui de facto ſunt ſpecifica, ſeu (quod idem eſt) eſſentiæ, & naturæ diuerſitate. *Ac de eſſentia quidem æquales naturæ inter ſe, an diſpares ſint: haudquaquam compertum habemus; ſolus ille ſcit, qui eos creauit Deus, quique omnia perſpecta, & explorata habet.* At ſi Angelorum natura, & eſſentia, ſpeciei infimæ vnitate vna foret, & in plures ſpecies diuidi illam abſolute repugnaret compertum nobis, immo euidens eſſet, Angelos omnes, æqualis & paris eſſentiæ, & naturæ eſſe: cum eſſet eiuſdem, quæ ſibi ipſi impar, & inæqualis eſſe non poteſt: ergo ex Damaſceno, Angelica natura ſpecies infima, non eſt, ſed genus in plures Angelorum ſpecies multiplicabilis, abſolute, ac diuiſibilis. Dices tantum ex hoc loco concludi circa diuiſionem ſpecificam naturæ Angelicæ, vel eorum omnium in ſpecie atoma conuenientiam, & identitatem, dubium, & incertum Damaſcenum hæſiſſe: ſed in primis, ex hac ſolutione habemus nihil contra hanc concluſionem ipſum vſquam aſſerere

immo

immo nec contra similem conclusionem de facto potuisse. Secundo verba ipsa aperte solutioni repugnant. Ait enim: dubium se esse de æqualitate naturarum, siue essentiarum inter se, vt patet illis verbis, *æquales naturæ inter se an dispares sint &c.* vbi naturas Angelicas siue essentias plures esse supponit, & asserit necessarias, ad quæstionem de earum æqualitate, vel inæqualitate; nec de subiecto, non supponente, atque ex terminis falso, bardis etiam, nedum Doctissimo Patri, dubia quæstio foret, sicuti & eadem ab ipso aliis verbis repetita c. eodem; *siue Angeli æquales secundum substantiam sint, siue ab inuicem discrimen sortiti nescimus* quod, nisi diuersitate supposita substantiæ, ignorari dubitariue nequit. Secundo probatur ex Augustino c. 58. Enchirid. *Quid inter se distent, vel quantum illa vocabula* (Throni, Dominationes, Principatus, & potestates,) *à quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus dicant, qui possunt probare, quod dicunt; ergo ista me ignorare confiteor.* Quibus eorum nominum (quæ indiuidualia non sunt, sed pluribus communia) significata diuersa esse plane docet, & si quid, quantum realia aliis præstent ignorare, se fatetur, ita etiam, & apertius 12. de Genesi ad lit. c. 29. *Potest fieri, vt etiam, in spiritualibus* (nec solum materialibus cælis, de quibus antea) *vel intellectualibus multos quosdam gradus, quisque esse concedat, aut ipsos, si possit ostendat, eosque distinctos iuxta aliquem prouectum magis, vel minus illustrium reuelationum &c. sed quot, & quanta singulorum generum sint differentia, vt in vnoquoque aliud alio gradatim superetur ignorare me fateor.* lib. contra Origenistas, & Priscilianistas ad Horos. c. 11. *Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cælestibus apparatas, firmissime credo, & differre inter se aliquid* (communi scilicet singulis gradibus cuiusque differentiæ) *indubitata fide teneo, sed &c. Quanam ista sint, & quid inter se differant nescio.* Cum autem hæc à Damasceno & Augustino de Angelis, & eorum gradibus, qui sunt, dicantur, plus satis nostram conclusionem probant. Quibus adde Dionysium pro conclusione de facto citandum num. 4.

2. Ratione probatur primo, quia Deus ex communi sententia Philosophorum, & Theologorum infinitos mundos, perfectiores, & perfectiores facto, & in quauis linea, & genere rerum speciebus factis potest absolute facere plures, & plures, perfectiores, & perfectiores: ergo vltra species rerum generis cuiusuis, quæ de facto sunt, plures, & plures sunt absolute possibiles, nusquamq; ex prædicatis intrinsecis repugnantes: siquidem repugnantia intrinsecè, neque in se absolute possibilia, fieri à Deo absolute nequeunt defectu absolutæ potentiæ passiuæ ipsorum, & si non actiuitatis intrinsecæ omnipotentiæ à rerum possibilitate, prorsus in se absolute, vt vidimus t. 1. de Deo vno: controu. 1. d. vlt. ergo vltra speciem Angelicam (atomam, si velis) sunt plures species possibiles ac subinde natura Angelica in plures species multiplicabilis absolute est, nec, è conceptu suo atoma, cui proinde, in varias species multiplicatio repugnet. Dices communem illam sententiam Philosophorum, & Theologorum de speciebus materialibus solummodo esse. Contra: quia de mundo toto in quo Angelica species continetur sententia est. Secundo. Cur non de specie Angelica pure spirituali, in eius enim diuisione & multiplicatione specifica, ne illa quidem euasio ex defectu materiæ necessariæ ad diuisionem eius est: cum materiæ necessitas ad rerum indiuidualem diuisionem, vtcumque, à nonnullis teneatur, à nemine autem, ad specificam earum diuisionem fuerit tentata: quare in dedecus, & defectum diuinæ potentiæ prorsus cedet, quod perfectioris generis rerum creatarum speciem tantummodo vnam, & atomam, non autem plures, & plures perfectiores valeat producere. Id quod, citra Dei imperfectionem asseri nequit, ni illas species omnem perfectionem sui generis possibilem, è conceptu, & essentia sua metaphysice clauderet, ita, vt extra nihil perfectionis eius generis sit. Quod propsium prædicatorum diuinorum est, eorumque in suo genere infinitas per denegationem non solum termini intrinseci, quæ in quouis genere infinitas est Dei propria, & incommunicabilis creaturæ, in genere vllo. Secundo. Nullum essentia sua limitatum definitum in quouis genere excludit essentia sua maioritatem in illo, eodem genere: solum enim infinito maioritas repugnat: atqui natura quæuis specifica Angelica ens essentia sua limitatum, & finitum in genere substantiæ spiritualis completæ est; ergo non excludit maioritatem in eo genere; ergo quauis natura specifica Angelica producta; possunt esse species plures perfectiores, & perfectiores in genere illo; quare non in earum absolutam intrinsecam repugnantiam; sed in defectum actiuæ potentiæ, siue omnipotentiæ diuinæ necessario cedet.

3. Probatur secundo conclusio. Quia exigentia naturalis aut potentia substantialis accidentium, & operationum, specie diuersarum, vnius substantiæ, quæ in substantia alia eiusdem generis non sit, arguit vtriusque substantiæ specificam distinctionem: vt patet in equo, leone, & homine; atqui non repugnat sub genere naturæ substantialis Angelicæ natura vna, exigens diuersa specie accidentia, & petens diuersas specie operationes, quas neque exigat, nec possit alia Angelica natura: ergo in genere naturæ Angelicæ possunt esse species plures. Minor probatur: quia species plura obiecta, in actu primo repræsentantes specie differunt à repræsentantibus, vnum vel duo obiecta tantum: ac similiter plurium simul obiectorum cognitiones à cognitione vnius, vel pauciorum: potest autem esse natura Angelica, quæ exigat species plurium obiectorum simul, & possit cognitiones totidem obiectorum simul, quas natura alia Angelica, ac nulla ex productis (si plures specie naturæ Angelicæ productæ de facto sint, de quo statim) neque exigat, nec possit: ergo sub genere Angelicæ naturæ plures species diuersæ sunt possibiles: rationem hanc communem non satis firmam censet Quiros sect. 1. n. 3. vbi aliam subiicit, quam censet fortiorem à priori; & tamen, vt probet eius minorem, ad hanc rationem recurrit, de operationum specifica pluralitate, quam aliis minus probabilibus opinationibus suis, immo quandoque in vera, & communi sententia repugnantibus, probare contendit 1. Talis illa est de Angelo possibili ad iudicium de obiectis præuia apprehensione ipsorum non indigente. Addit Arriaga sect. 1. subsectione 4. num. 11. §. *dicendum secundo* tertiam probationem. Quod scilicet distinctio specifica rerum, non ex respectu ad operationes, seu terminos specie diuersos desumi debeat; alioqui, & operationes, & termini ipsi, nisi per respectum ad alium terminum specie diuersum, & sic in infinitum distingui specie non possent. Verum axioma illud, cui dicuntur præfati innituntur, scilicet *esse est propter operari*, de esse solum substantiali rerum, non de accidentali, ad quod operatio spectat, esse potest: quo cessat Arriagæ obiectio, & de substantia viuenti (huiusmodi Angelus) certissimum est, cum eius essentia sit, se vel intentionaliter, vel physice etiam vere mouere posse. An vero substantia è genere suo, ac subinde omnes eius species, non viuentium principium operandi essentialiter, sint, nec aliter, quam per operationes specie diuersas diuidi in suas species possint, & proloquium illud esse est propter operari, de omni esse substantiali intelligi debeat, alterius loci quæstio est: satis nunc sit, si in omni substantia de facto productæ verum haberet: vt eius author Aristoteles, qui principia solum naturalia, vt circa naturalia omnia discurreret, ac nos discurrere doceret, statuit bene, ac philosophice illa statuisse probetur; illud solum secundæ huic probationi aduersari videtur, quod simili plures specie animæ possibiles probentur. Refugit illationem Soar. citat. lect. 5. n. 8. sed male, ni de eis, quæ de facto sunt, loquatur: in quibus simile argumentum, non habet locum ad probandas diuersas specie

specie operationes vnius, quas anima alia nequeat elicere. De possibilibus autem animis melius Arriaga concedit proxime n. 12. §. *Poterunt tamen obiicere.* Reliqua, quæ opponi huic conclusioni possunt secundam impugnant, ex qua prima hæc valide confirmatur: quare commodius ipsi opponentur, ac diluentur.

4. Dico secundo. Dantur de facto species plures Angelorum productorum, neque omnes speciei vnius atomæ sunt. Est doctorum recitatorum cert. 1. n. 8. pro sententia tertia contra negantes, & dubitantes ibi recitatos pro sententia 1. & secunda. Probatur primo ex Patribus recitatis hoc cert. 2. n. 1. qui de Angelis, qui de facto sunt in tres suas hierarchias, & nouem choros à Dionysio, ac reliquis Patribus diuisi, atque scriptura deprehensi, solummodo. Et aperte loquuntur, & Dionysio quidem de cælesti Hierarchia c. 10. & 11. ac de diuin. nominib. c. 5. asserente: excessum Angelorum inter se, secundum ordines suos, tantum esse, quantus inter hominem, & Angelum sit. Probatur: quia natutale imperium & præcellentia omnium Angelorum cœtus, & Hierarchiæ vnius in omnes Angelos Hirarchiæ & cœtus seu chori alterius nequit esse, nisi è communi naturali præcellentia omnium illius Hierarchiæ, aut chori respectu omnium chori, aut Hierarchiæ inferioris; atqui nil pluribus commune potest conuenire, ex indiuiduatione, seu differentiis indiuidualibus ipsorum, in qua diuersi, incommunicantes, & disconuenientes necessario, & ineuitabiliter sunt: ergo naturalis illa præcellentia, & imperium Angelorum omnium hierarchiæ, & chori superioris respectu omnium chori, & Hierarchiæ inferioris, ex differentia specifica superiorum ab inferioribus prouenit. Minor est per se, & ex terminis nota. Maior probatur Primo ex communi Patrum, & Theologorum, qui Hierarchiarum, & Chororum superioritatem, & inferioritatem, pro maiori vel minori naturali excellentia Angelorum, qui ad quamque Hierarchiam, & ordinem spectant dispositam, & ordinatam à Deo aiunt. Probatur secundo. Quia imperium, & præcellenti præfata totius Hierarchiæ non est gratia pura, sine intuitu naturalis exigentiæ, & excellentiæ maioris Angelorum superioris Hierarchiæ, & chori respectu inferiorum. Patet, quia in Dæmonibus, siue in malis Angelis damnatis est eiusmodi principatus, imperium, & præcellentia Angelorum superiorum respectu inferiorum, in quibus nullum donum pure gratuitum, sed solum naturalia dona relicta, & conseruata à Deo sunt: quare in eo quisque, ex lapsis gradu remansit, quem naturæ iure ante lapsum cum reliquis, qui steterunt habebat. Secundo probatur: quia dona supernaturalia in instanti creationis cunctis Angelis, data, & in bonis conseruata pro maiori, vel minori naturæ specificæ perfectione, ac proinde proportionate ad illam data eis à Deo fuere, vt inferius videbimus. Tertio probatur, ex officio Angelorum superioris Hierarchiæ, respectu Angelorum inferioris: nempe illos illuminandi, quod dupliciter fit. Primo supernaturalibus illustrationibus immediate à Deo receptis, & inferioris Hierarchiæ Angelis per ipsos communicatis, & ad naturam illorum, & intellectiuum gradum Deo præ cæteris proximiorem aptioremque ad nobilius, & perfectius cognoscendum arguit, vt eos Angelos, qui melius, nobiliorique genere cognitionis ipsum de re quauis per se ipsum, & quasi in aurem loquentem percipiant, vt cognitionis præcellentia, rerumque profundiori, atque ex specie sua clariori comprehensione, paulum tardiores, nec adeo nobilis mentis, & naturæ Angelos de rebus iisdem, sibi immediate à Deo commissi instruant.

5. De hac illustrationis gratia, intelligendum, vt minimum, est, quod Theologi communiter docent: dona gratiæ Angelis naturali ipsorum capacitate proportionate collata à Deo fuisse maiora, vel minora. Et quidem in iis quæ ad ornatum, non autem ad bene maleque operandum spectant, donis (vt reliqua ob auxiliante gratia sunt) ita se Deum gessisse congruum valde fuit: ne tot æquales in naturalibus, nec voluntatis propriæ abusu Angelos, æqualibus omnino totidem, immo, & multò pluribus, Hierarchiæ superioris imperio, illustrationibus, & reliquis, ad ornatum spectantibus, pure gratiose, ac non ex naturæ ipsorum iure, & capacitate subiiceret, quin nimium vitro eleuaret hos, illos autem plus nimio non sine alicuius querelæ titulo, & occasione deprimeret. Secundo modo ea illuminatio Hierarchiæ vnius, & Angelorum inferiorum à superioribus, naturaliter fit: ex superiorum perfectiore, & illustriore secundum speciē cognitione, vel perfectiore secundum speciem, circa idem obiectum, vel circa obiecta plura specie vnica superiorum naturæ debita: maxime, si in illis pluribus obiectis speciei vnicæ sint aliqua quorum nec species, nec cognitiones naturæ inferiorum Angelorum debeantur: nec, nisi ex aliorum superiorum instructione, & quasi discipulatu naturaliter ab inferioribus cognosci illa queant, quod verosimilius est vt t. 2. controu philosoph. controu. vlt. d 2. ostendebamus. Nec potest naturalis exigentia, & capacitas maior imperij præcellentiæ & officij naturalis tot Angelorum superioris Hierarchiæ, & chori, & minor omnium Angelorum chori, & Hierarchiæ inferioris in eorum omnium indiuiduationes referri, vt n. 4. demonstrauimus, & si inter speciei vnius Angelos referri potest, vt ex naturalibus ratione indiuiduationis perfectioris cæteris speciei eiusdem, & inferiorum gradum (vt iam explicabo) imperet præcellat, ac naturaliter ipsos illuminet: ita enim credo luciferum seu Belsebub. Ex supremo ordine malorum Angelorum indiuiduatione perfectissimum eorum omnium Principem esse, vt à Christo domino dicitur. Nec obstat Aristot. 1. Politicor. asserens inter homines (in quibus solius indiuiduationis diuersitas est) quosdam natura seruos, alios vero natura Dominos esse. Neque enim ibi de naturali imperio, & subiectione (sed de politico agit, vt bene S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 3. ad. 2. conuenientiis cuiusque attentis) quæ è sola perfectione indiuiduali, cuiusque maiore, vel minore, non pender, sed ex aliis circunstantiis contingentibus, ex quibus, alteri subiici, a teri imperare commodius sit, ac decentius, ob vnius maiorem, vel minorem ciuilem dignitatem & alia, ita enim seruos natura definit ibi. *Hi sunt natura serui, quibus melius est vt imperetur*: vt repetit c. 4. Hoc ergo sensu politici dominij, & seruitutis, ex naturali rerum statu natura seruos ac Dominos alios homines indiuiduos aliis esse dixit, non ex natura indiuiduali perfectiori, cui alter subiici naturæ iuri alteri debeat, hic vero imperare; sed pro libero arbitrio cuiusque, qui suæ vtilitati cedens, alteri poterit nolle subiici, vel imperare, quin naturali alterius iuri, è perfectiore indiuiduatione suborto (quod nusquam est) deroget quidquam. Attamen sibi, suoque consulentes commodo indiuidua rationalia speciei eiusdem, plerumque, & prudenter, subiiciantur perfectiori indiuidualiter, & capaciori, vt ipsis imperet, ac prospiciat: vt lucifero, seu Belzebub. Cacodæmones omnes, ex quorum voluntate in eos habet, atque exercet. Principatum memoratum. Matth. 12. & Marci 12. Recte ergo S. Thom. q. 50. citata argum. sed contra docet, in singularibus eiusdem speciei non dari prius, & posterius secundum naturam substantialem, quamuis indiuiduatio, ad cuiusque substantiam spectet. Atque hoc ipso sensu fœminā naturaliter parere viro, & hunc illi imperare ibidē aiebat Aristoteles. Et si indiuidualiter solum, non autē specie differant; quia ita vtile illi plerumq. est, & contractu voluntario matrimonij viro, eiusque gubernatione, & imperio se subdit, vt fœminis cunctis, in Protomatris Euæ sententia Genes. 2. iniunctum est si nupserint, illis verbis, *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

6 Probatur quarto: quia in Dæmonibus alia aliis potentiora sunt, ad plura munia, & operationes exercendas: imparitas autem potentiæ, vnius respectu alterius, in incorruptibilibus, & quæ organis corporeis, & temperamenti dispositione ad suas functiones obeundas non pendent, immo vero substantiæ, omnino simplices, & indiuisibiles (vti Angeli) sunt, non ex eorum indiuiduationibus; sed ex naturis

turis specifice diuersis, & imparibus, videtur posse prouenire. Quinto demum: quia, si ad mundi corporei ornatum Diuinæque sapientiæ, & potentiæ ostensionem sensibilem, oportuit decuitque tot in ipso species varias produci: citius decuit, in mundo cælesti, & intelligibili Angelorum ad eius, ornatum, & potentiæ, ac sapientiæ Dei intelligibilem ostensionem plurium, adhuc specie, perfectiorum, & perfectiorum, productio: vti ad aulæ regiæ decentiam plures, pretiosæ, variæque supellectiles necessariæ sunt, quam ad tugurij ornatum, & plebeij domini decentiam. Accedit Angelos speciales aulæ, & maiestatis Diuinæ, & præcipuos ministros esse; quorum non solum numerus, sed dignitatum, maioris, & maioris varietas multiplex aulæ, & maiestatis regiæ, etiam creatæ, præcipua commendatio est. Hinc, & si oppositam sententiam improbabilem, non iudicem; hanc tamen nostram, non possum non iudicare longe, valdeque probabiliorem: maxime, cum illa, nec in Patribus, nec à ratione firmum aliquod fundamentum videatur habere, vt iam clarebit. Athanasij authoritas nulla est, cum eius libri vbi ipso posteriores Authores citantur (vt docte obseruat Sixtus Senensis in obseruationibus ad ipsum) Author nec sit, nec esse possit. Damascenus, & Augustinus nihil contra nos, quod contra seipsos non fuerit, potuerunt docere, vt constat ex numero 5. Porro Augustini locus recitatus, cert. 1. n. 1. pro sententia negante nil præstat, vt ibidem diximus: naturam quippe Angelicam pro tota Angelorum collectione, vsurpauit, siue ex vna, siue ex pluribus speciebus constet: quam humanæ opposuit, & quæ non tota sicut humana in Adamo corruerit, ac proinde nec tota sine beatitudinis absque reparatione, frustraretur: sicut humana, si irreparata mansisset. Damascenus ibidem recitatus, hominem equum, & Angelum in exemplum doctrinæ à se statuæ de specie atoma & conuenientia proxima individuorum in ipsa adduxit: exempla vero, sine examine veritatis eorum, ex communi, & vulgari existimatione afferuntur: maxime cum vocabulo vsitato, quo nulla differentia specifica indicatur, nominantur, vt in his testimoniis vsu venit, neque in exemplo Angelorum, sed hominum etiam.

7. Homines enim natura, vt sic in varias species atomas diuidi absolute posse vero similius iudico ex eo, quod plures ~~ses~~ animæ rationalis species, sint possibiles, vt n. 3. sine contra Soarium dicebamus; & tamen in vnius atomæ speciei, exemplum adhibetur à Damasceno, cuius tunc examen non erat, nec fuerat antiquis. Sed quoniam homen vnum sine vlla differentia, omnium Angelorum sicuti, & hominum erat, eiusdem speciei ab antiquis reputabantur, in qua vulgari suppositione locutus tunc Damascenus est; cum tamen vbi, ea de re disseruit distinctos specie Angelos iudicauerit, verbis etiam, quibus dubius hæsisse ab aliquibus putabatur, vt constat ex n. 1. eadem est germana, & solida ad testimonium Basilij solutio: nempe ex supposita vulgari, apud Eunomianos etiam, sententia de naturæ Angelicæ vnitate specifica atoma, sine ordinis præiudicio, quem iidem admittebant, eundem contra ipsos, in diuinis personis, quin essentiæ identitas obsit, probasse. Nazianzenus solum intendit Angelorum concordiam in omnibus ita immediato carmine à se propositam. *Omnes inter se miro iungit concordia nexu, idem quisque sibi &c.* Ad quam vnitas identitatis in natura specifice atoma necessaria non est: sicut neque in reliquis, ad concordiam requisitis; sed solum similitudinaria: in eo maxime, quod ad effectus necessarium est, vt intellectus, & voluntas, siue specie atoma eadem sit, seu diuersa, vt iam dicemus. Nyssenus extra rem adducitur. Cum ad productionem hominum, sine coniugio (vt docuit) futuram si Protoparentes non peccassent, eo modo, quo Angeli à Deo producti sunt, parui vel nihil ipsius referat, an hi specie atoma, vel inter media, vel remotissimo etiam genere, conueniant, necne Anselmi locus, non assertiuus ad rem præsentem est, vt patet ex aduerbio illo, *quamuis*, sententiam initiante: atque, vt summum, suppositiuus, ex vulgari, nec satis tunc examinata sententia, cuius veritas ad Anselmi intentum (quod, scilicet, angeli non alij, ex aliis, neque omnes ex vno per generationem, vnius ex alio, multiplicati fuerint (sicut homines alij, ex aliis & omnes demum, ex vno duo propagati sunt) nihil referebat, vt ad Nyssenum, specie ne infima Angeli differrent, vel potius conuenirent, vt patet. Ad testimonia Damasceni, & Augustini, quibus citati Doctores, cert. 1. n. 8. vtuntur, vt Angelis, qui de facto sunt, an specie differant rem prorsus dubiam esse ostendant, fecimus satis n. 1. cum ex illis ipsis, & aliis eorundem testimoniis nostram conclusionem probaremus, quod autem, (si hæc nobis non adesset) conclusio nostra secunda de Angelis productis, non solum probabilis, sed valde probabilis, ac longe quam aduersa probabilior sit, ac prudenti Philosophica & Theologica æstimatione absolute vera, constat, aperte ex rationibus pro vtradatis n. 4. 5. & 6.

8. Rationibus aduersis contra vtramque conclusionem satisfactio in terminis, præ illarum debilitate, otiosa videbatur, & quoad secundam conclusionem de facto, constat negantes, vel dubios aduersarios, nostris rationibus soluendis impares esse ex dictis n 5. & 6. vbi eorum solutiones præoccupauimus. Reliquas vtrorumque rationes, pro rationibus perstringamus, ac diluamus. Prima est, ex summa concordia inter Angelos futura, quæ summam in natura, quare in specie atoma, & infima eorumdem vnitatem, & conuenientiam requirit. *Simile enim*, (vt vulgare proloquium est *similem quærit*, atque in brutis etiam natura demonstrat, & Ecclesiast. 13. n. 19. confirmat. *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi: omnis caro ad similem sibi coniungitur, & omnis homo simile sui sociabitur.* Sed certe argumentum curtissime probat: cum nihil probet, in malis Angelis, eiusdem naturæ, cum bonis, & in quibus, quam maximæ discordiæ, & odia infensissima exercentur, ac proinde illos non solum à bonis, sed inter se, plusquam specie infima differre, (si quid discursus valet) illatione ab oppositio probat. Simile à brutis qui naturæ instinctu, in societatem cum aliis aguntur, ad homines, & Angelos, qui ex ratione, & electione concordiam, & amicitias ineunt, nihil ad intentum, & tentatam illationem facit; ad quam ab Ecclesiastico nusquam adducitur, qui ex concordia animalium in natura atoma similium ad quam aguntur potius, quam se agunt, morum necessariam similitudinem in rationalibus, ad concordiam, & amicitiam recte probat: quæ in creaturis rationalibus specie diuersis æque, atque in specie atoma iisdem, reperitur, vt in Beatis Angelis cum hominibus æqua est amicitia, & summa concordia, & si plus, quam specie atoma differant, atque in eiusdem chori, & speciei Dæmonibus ob ipsorum malignitatem discordia. Hanc solum vnitatem ad amicitiam ex electione ob morum similitudinem, in rationalibus ex naturali societate brutorum ad alia, quæ specie atoma conueniunt, probare Ecclesiasticum voluisse constat à n. 12. *quæ communicatio iusto homini, ad canem*, id est impium, & iniquum) *aut qua pars diuitis ad pauperem*. Quorum diuersa à Deo, studia, & mores deinceps recenset. Est autem ratio: quia intellectus, & voluntas vtentibus, bonitas moralis præcipuum motiuum amoris est, ac potius quam bonitas naturæ: ac subinde similis in duobus reperta concordiæ & amicitiæ est nexus.

9. S. Bonauentura arguit: quia quæcumque ad suum originem propius accedunt, magis colligantur, vt patet: in aqua & luce, quo fonti, & soli magis appropiat: Angeli autem proxime ad suum originem, Deum, accedunt: ergo summam è creatis habent vnitatem naturæ, scilicet speciei atomæ, cum individuitatem habere plures nequeant: ac proinde nequit in plures species dispergi. Debilis ratio. *Entitatiue* ergo maiorem: quin quo propius ad suum originem entitatius accedunt plures entitatiuas partes intentionis habent, vt in radiis lucis claret; *localiter*, & spatio extenso transeat, vt in aqua, quia fontium origo angustissima

simi foraminis spatium plerumque habet, quod si post longissimum decursum aqua eadem, in angustius spatium, vel natura, vel arte incurrat, arctius, quam prope originem tota cogetur. Accedit proxime, *sed longo* (vt alter aiebat) *proximus interuallo*, & infinito, Angelum ad Deum, entitatiue adhuc accedere, cum creatura sit, & inter quem proinde, & Deum creaturæ proximiores, & proximiores entitatiua perfectione esse possint: quare, *adhuc entitatiue*, nego, excludendo absolute, maiorem proximitatem ad Deum nego minorem. Item distinguendo terminum *Angelica natura* secundum omnem sui partem, nego minorem, *secundum aliquam sui partem* reliquis præstantiorem, permitto minorem, & nego consequentiam. Et sane si argumentum teneret, Angelicam naturam in sola indiuidua duo multiplicabilem contra scripturam probaret: siquidem ad eos naturæ collectio, summa, ac minima in plura diuisio est. Arguit secundo. Sedes Angelorum reparantur per homines speciei atomæ eiusdem; ergo habendæ erant, ab Angelis eiusdem speciei. Negatur consequentia. Non, quia bona supernaturalia omnia (etiam auxilia ad gloriam consequendam, & multo minus ad maioris gloriæ, ordinationem) disposita, & collata à Deo Angelis iudicem pro eorum naturali dignitate specifica maiore (vt æstimant plures & Bubalus, respondet) hominibus autem ex meritis gloria detur, quibus speciei inferioris indiuidua possunt indiuiduis speciei superioris, eorumque dignitati, naturali excedere, nedum æquari: id enim in ordinatione Dei, & prouidentia de mediis ad tantam gloriam erga homines locum, non habet, cum ex meritis hominis non sit: Nego igitur consequentiam: quia in vtrisque, ea ordinatio, & prouidentia de mediis, tam efficacibus, quam sufficientibus ad tantam gloriam promerendam, mere gratuita, & supra debitum naturis ipsorum est: quare inde naturæ specificæ infimæ, identitas, & æqualitas, vel inæqualitas, & diuersitas nequit inferri, instas, ex æqualitate, & identitate specifica finis, & operationis vitas specifica atoma substantialium indiuiduorum iufertur, vt diximus num. 3. atqui finis beatitudinis Angelorum omnium, & operationes intellectus, vel voluntatis (in quorum altera, vel vtraque formaliter beatitudo consistit) eiusdem speciei atomæ in ipsis sunt, solumque penes magis, & minus intra eandem speciem differunt: ergo Angeli specie, non differunt, sed specie atoma conueniunt. Respondeo distinguendo maiorem. Finis est operatio proxima naturalis, vel quæ eam arguat, ac naturaliter inferat, fateor; remotus, & vltimus finis, & operatio, quæ proximam eandem specie atoma naturaliter, non arguat (vti supernaturalis Angelorum beatitas) nego cum Sanct. Thom. 1.p.q.75. a.7. ad.1. & 1.2. q.1.a.6. ad 10. dicente: *ea quorum vnus est finis proximus, & naturalis, sunt vnum secundum speciem, Beatitudo autem eterna est finis vltimus, & supernaturalis.* Reliquæ oppositiones, ne relatio, ne quidem, pro sui debilitate, ne dum solutione, dignæ sunt.

CERTAMEN III.

De Angelorum speciei atomæ cuiusuis numerica multiplicabilitate conclusiones affirmantes S.Thom. authoritate fundantur.

1. Dico primo Angeli sub quauis specie sua atoma absolute multiplicabiles numero sunt. Est contra pauculos Thomistas relatos cert. 1. n. 2. sub init. est tamen communis reliquorum Theologorum conclusio citatorum ibi n.6 & expressa Sanct. Thom. sententia: id, quod ostendendum in primis contra illos erit: ac deinceps eiusdem ratione probanda conclusio: vt appareat eos restibus aliquibus S.Thom. sono tenus arreptis, nec satis eius doctrina & mente, tum ibi, tum alibi penetrata. Angelicum Præcepto-

rem difficillimis, & inperceptibilibus, valdeque à ratione abhorrentibus sententiis, onerasse. Igitur 1. p.q. 29. a.1. scribens. *Substantiam indiuiduari, per se ipsam; sed accidens indiuiduari per subiectum; dicitur enim hæc albedo in quantum est in hoc subtecto.* Quæ repetit quæstion. 9. de potentia, art. 1. ad 8 atqui Angeli substantiæ, & nusquam accidentia, sunt; ergo ex Sanct. Thom. se ipsis, non autem per subiectum, seu materiam, adhuc extrinsecus, tanquam per terminum respectus essentialis indiuidui cuiusque, neque enim accidentia quæ, quoad indiuiduationem per subiectum, substantiis opponit, per subiectum, cui insunt, & à quo proinde realiter indiuiduliter differunt, indiuiduari intrinsece possunt, sed, vt summum, extrinsecus tanquam per terminum extrinsecum, & q.3. a.3. ad. 4. quod Angeli multiplicari nequeant, quia diuinæ bonitatis sunt radij. *Qui non nisi secundum recipientium diuersitatem* (quæ in Angelis locum, non habent) *multiplicatur*: Respondet, refundendo Angelorum diuersitatem, & multitudinem, in diuinam *sapientiam diuersos ordines excogitantem*, quæ non solum de diuersitate, specifica, sed numerica etiam Angelorum intra eundem ordinem, & speciem intelligi debet: de qua solummodo obiectio erat, esseque poterat: cum distinctionis impossibilitas per recipientis, seu materiæ, & subiecti defectum, eius solum distinctionis, quæ materiam requirat, cogitari, & obiici potetat: indiuidualis vero sola materiam, vt principium indiuiduationis necessarium, apud aliquos requirit; specificam vero materiam requirete nemini hactenus venit in mentem: quare hostem sibi finxisse dicendus S. Thomas esset, quem facile vinceret, ni de indiuiduatione, & distinctione, indiuiduali etiam, rerum per materiam obiiceret, ac responderet.

2. Tertio eadem 1.p.q.47. a.1.corp.vbi Democritum rerum distinctionem, per materiam, & Anaxagoram, per materiam, & causam agentem fieri asserentes impugnat. Primo: quia materiæ sua est distinctio, quæ, nisi res per se ipsas distingui admittatur, ad alteriorem causam recurrere pro eius distinctione oportebit. Secundo: quia *distinctio rerum est per formas proprias* (ex Arist.7.metaphysicor. text.49.dicente. *Actus est, qui distinguit*) *non ergo distinctio est in rebus propter materiam.* Ergo ex S.Thom. vbi non est materia, sed solus, & totus actus substantialis, vt in Angelis distinctio omnis per id ipsum, quod in se sunt, esse poterit, imo necessario, ac nō aliter erit. Consequētia prima de se se patet: nec minus patet secunda. Antecedens, vltra Aristotelis, & (quod nunc satis esset) S. Thomæ authoritatem in Thomistarum aliquot, qui aduersè hac in re ipsum interpretantur, sententia certum esse debet: siquidem materia per ipsos, non existit actu, nec potest existere, nisi per formam, atque per eiusdem formalem existentiam, cuius falsitatem, suo loco impugnauimus: ergo omnis, indiuidua etiam, actualis distinctio rerum etiam corporearum debet esse per formam, quæ omnem tribuit materiæ actualitatem, sine qua actualis rerum distinctio repugnat: ergo, & repugnat omnis distinctio rerum etiam corporearum, possibilis, nisi per formam possibilem. Potentia quippe etiam logica, ad actum impossibilem est repugnans, & chimærica. Et ratione probatur: quia variata materia magna sui parte idem indiuiduum manet, quia, eadem forma perseuerat, vt constat in substantiali augmento, & decremento hominum: in quibus cuiuis indiuiduo plures materiæ partes pereunt, ac plures denuo adquiruntur. Insuper in resurrectione, in qua partes omnes materiæ hominis, qui periit, nequeunt omnibus adesse: cum alimenta succedentium aliorum plerumque materia præcedentium constent, ac subinde in illorum substantiam transeat; & tamen, quia eadem singularis anima perseuerat, idem nihilominus homo singularis resurgit ex fide; ergo animæ, seu formæ singularitas intrinseca est ratio formalis indiuiduationis, non materia, qua variata, deperditaque, & quantumuis aucta (vt fere tota in infantibus homuncionibus, aliisque valde senio, ac diuturnis febribus absumptis,

& ad Beatitatem resurgentibus, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, id est magnitudine, atque elegantia corporum, Christi corpori simillima (vt communis, & probabilior sententia fert) addenda à Deo sit: vt, vel inde, constet materiam ad indiuiduationem hominis formaliter, ne partialiter quidem conferre, sed pure ad id materialiter se habere, id solum muneris præstando, quod à quauis loco eius succedente præsterur. Denique per S. Thomam Atistotelem, & omnes forma specifica, & actu distinguit species, hominem scilicet à Leone, non materia; ergo indiuidua forma, & actus distinguit indiuidua, scilicet, Petrum à Paulo.

3. In ponderatione tertij huius testimonij Sanct. Thomæ nonnullas à ratione impugnationes dedimus aduersæ sententiæ, & principij, cui innititur, de rerum necessaria indiuiduatione, per materiam, quod statui à S. Thom. & supponi multoties videtur: cuius mentem ad loca, quæ opponi nostræ conclusioni solent, referemus atque explicabimus à num 4. Nunc autem quartum testimonium validissimum eiusdem pro nostra conclusione producimus ex 1. d. 34 q. 1. a. 1. corp init. discrimen cur increatis natura, & essentia, idem, quod subsistentia, non sit, sicut in diuinis, his designat. *Dicendum, quod persona, & essentia omnino re in diuinis non distinguuntur; in illis enim, in quibus aliud est essentia quam hypostasis, vel suppositum, oportet quod sit, aliquid materiale, per quod natura indiuiduetur, & determinetur, ad hoc singulare, vnde illam determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materia se habet, addit in creatura hypostasis supra essentiam, & naturam. Vnde omnino in creaturis ista idem sunt; in Deo autem non est natura illius subsistens per aliquod ad quod* (legerem à quo) *determinatur, sicut per materiam, sed per seipsum est subsistens, & suum esse subsistens est: vnde natura est ipsum, quod subsistit, & esse in quo subsistit. Et propter hoc in Deo omnino idem est, quod est, & quod est.* Ex quibus patet materiam, seu subiectum physicum proprie acceptum, siue secundum se, siue vt signatam etiam quantitate, principium proprium indiuiduationis rerum vniuersim necessarium Angelico Doctore non fuisse: cum expresse dicat essentiæ omni creatæ determinationem ad hoc singulare afferri à materia, *vel aliquo alio, quod loco materiæ se habet*: hoc autem materia propria non est, cuius loco substituitur essentiam, seu naturam determinet: at nihil sibi potest substituere: ac propterea in creatis esse hypostasim Sanct. Thom. docet expresse, à natura, & essentia creati diuersam. Posuit autem materiam primo loco: quia in sensibilibus, quæ nouimus, determinat indiuiduationem, sensibiliter, eoque modo, quo mox dicemus, vt inde facilius determinationem naturæ per hypostasim, ad hoc indiuiduum, illius ad instar, conciperemus. Secundo ex hoc testimonio, sic instruo argumentum ex eius propositionibus legitime deductum: omnis natura, & essentia, determinabilis per aliud ad singulare, seu suppositum præ alio, est multiplicabilis in plura singularia, & supposita: atqui omnis natura & essentia creata, (ac subinde natura, & essentia Angelica specifica) est natura, & essentia determinabilis, per aliud; ergo multiplicabilis in indiuidua.

4. Oppones S. Thomam 1. p. q. 50. a. 4. vbi hanc absolutam, Angelorum indiuidualem solum, immultiplicabilitatem, ex hoc generali suo principio probat, *quæcumque forma (quantumcumque materialis, & infima) si ponatur abstracta, vel secundum esse, vel secundum intellectum, non remanet, nisi vna in vna specie. Si enim intelligatur albedo, absque omni subiecto subsistens, non erit possibile, ponere plures albedines: cum videamus, quod hæc albedo non differt ab alia, nisi per hoc, quod est, in hoc, vel illo subiecto. Et similiter, si esset humanitas, abstracta, non esset, nisi vna tantum*, eadem fere ad ipsum probandum, sic repetit q. 75. a. 7. ostendens contra Origenem Angelos, & animas nostras non posse solo numero, ac non etiam specie differre: *quia, cum non sint compositæ, ex materia, & forma, sed sint formæ subsistentes, manifestum est, quod necesse erit in eis esse diuersitatem in specie. Non enim potest intelligi, quod aliqua forma separata non possit esse, nisi vna tantum. Hæc enim albedo, non differt ab illa, nisi per hoc, quod est huius vel illius. Quare, nec Angelus, qui forma separata natura sua est, vnus* tantum in vna specie esse poterit; quæst. item 13. a. 2. corp. *formæ simplices per se subsistentes, si intelligerentur, vt sint in se ipsis, non possent communicari, nec re nec ratione*, q. vn. de spiritualib. creatur. a. 4. corp. *Si Angelus est forma simplex abstracta à materia* (vt esse ait, ac per se subsistentem 1. p. q. 12. a. 4. corp.) *impossibile est etiam fingere, quod sint plures Angeli vnius speciei. Sicut si esset albedo ab omni recipiente, & subiecto separata, esset vna tantum: ita impossibile est, quod sit suum esse subsistens nisi vnum tantum.* Eidem conclusioni, & principiis insistit 1. p. q. 44. a. 1. denique indiuiduationis principium, ac distinctionis numericæ subinde *materiam principium esse*, constans, vbique videtur docere, q. citat. de spiritualib. creaturis a. 1. ad. 9. & 19. ac locis reliquis citatis q. 2. de pot. a. 4. & q. 3. a. 10. corp. q. 2. de verit. a. 6. ad. 1. opusc. 29. post med. 3. p q 77 a. 2. q. 16. de malo a. 1. ad. 18. & super Boëtium de Trinit. q. 4. a. 2. quæ omnia colligere in vnum, ac difficiliora in terminis pro contraria sententia prolixius placuit recitare, vt aduersarij aliquot, qui S. Thomæ litteræ potius, quam spiritu armati, ipsi nos aduersarios & authoritatis eius contemptores inclamare, videant, quam magni nobis eius in re præsente, (vt in aliis offendimus contra eosdem) S. Thomæ doctrina, mens, & authoritas fuerit: quibus alte eruendis adeo prolixo labore incumbimus semper, & insudamus.

5. Et sane, quoad indiuiduationem, & distinctionem solum numericam rerum creatarum intra speciem eandem per materiam, tanquam per necessarium principium, siue intrinsecum, siue extrinsecum, de necessitate absoluta, & omnimoda impossibilitate distinctionis numericæ & indiuiduationis rerum absque materia intelligendus non est, sed sensibiliter, ac, vt apprehendi à nobis possit, qui non nisi materialia, & sensibilia, primum, atque earum ad instar reliqua cognoscimus: vnde absque materia, & quanta, & his, vel illis qualitatibus affecta (si substantiæ cognoscendæ, & dignoscendæ sint) nullum nobis pro hoc statu, cognoscendi, & diuidendi singularia, speciei eiusdem principium relinquitur. Idcirco indiuiduum à cunctis Philosophis definitur: *Cuius collectio proprietatum, qua in vno est, in alio reperiri non potest*, non quidem, quod in ea collectione sensibili, essentia, & substantia, indiuiduationis, & distinctionis numericæ rerum sit; sed, quia eius à nobis cognoscendæ pro hoc statu necessarium principium, ea sensibilis collectio est, & qua subinde deficiente cognosci indiuiduationem, & distinctionem illam numericam, pro hoc statu sit impossibile: ita plane impossibilitatem indiuiduationis, & distinctionis numericæ rerum sine materia, & hanc necessarium illarum principium esse, nempe sensibilis indiuiduationis, voluit S. Thomas, vt albedinis separatæ exemplo toties ad præsens repetito satis clare explicuit, quo lib. 7. a. 10. his verbis: *vt albedinis natura absque quantitate subsistat, tamen illa albedo non esset, sicut hæc albedo sensibilis*, quia nihil absque magnitudine, & quantitate sensibili ex Aristotel. c. 8. de sensu, & sensibili) *sed esset forma quædam intelligibilis ad modum formarum separatarum, quas Plato ponebat.* Subditque, quantitatem indiuiduam, seu plures tales, separatam à materia (quæ ipsa magnitudo est) imaginari nos posse; *plures autem albedines eiusdem speciei, sine subiecto imaginari est impossibile*: quia scilicet, nisi externe sentiatur, imaginatio esse non potest. Vnde proxime subdit: & sic patet, quod albedo non indiuiduatur nisi ex *subiecto*. Secundo. Familiare disputantibus est, id quod ipsis ex vllo naturali principio, & rerum, naturæque ordine inspecto fieri posse non cognoscunt impossibile absolute nominare; tametsi nulla in eius prædicatis contradictio, (quæ absoluta repugnantia, &

& omnimoda est) recognoscatur: id quod apud S. Thomam est frequens; sæpe enim, ea quæ citra miraculum, vel plura alia vltra reuelata in Eucharistia fieri non possunt, absolute, ac sine addito vllo impossibilia vocat, 3. p. qu. 75. a. 6. corp. & qu. 77. art 1. & art. 8. Innocentij III. testimonium interpretans: quia etgo in substantiis, quæ materia constant; provt hæc sic vel aliter dipositа, & signata quantitate & accidentibus est, naturaliter exactiue causam efficientem formæ Deum determinet, vt hanc præ alia numero formam, speciei eiusdem, inducat, ex qua hoc numero speciei eiusdem indiuiduum conflatur; si autem formæ accidentales sint naturaliter, non, nisi in subiectis physice sint, atque eorum diuisione diuidantur, vt notum est, & docet S. Thom. 1. p. qu. 50. art. 4. ad 1. cum Angelus materiam nullam (quare nec signatam, quantitate, & dispositionibus, essentia sua claudat, aut requirat, vt hic præ aliis producatur, nec principium originarium, & motiuum, cuiusvis ex illis, vel quorumuis præ aliis Deum determinans exactiue adsit, assignatique à nobis rationabiliter possit: resque tota rei arbitrio ac beneplacito libero est deferenda, si sit rerum naturæ, & ordini standum: indiuiduationis, & multiplicationis, seu distinctionis, numericæ solum, intra speciem eandem nullum in natura, & connaturaliter principium esse, assignatue rationabiliter posse, quia materia carent, recte, S. Thom. tories ait.

6. Sed profundius etiam aliquid, & quo testimonia opposita genuine intelligantur, & cum locis eius pro nostra sententia apertissimis mirifice concordent, addendum & quoniam locis omnibus oppositis, doctrinam, quæ sonat, aduersum exemplo albedinis separatæ à subiecto semper confirmat, quid per albedinem separatam à subiecto, & à quo subiecto separatam, & quomodo ab eo separatam S. Thomas intelligat explorandum in primis, id autem ipse explicuit verbis illis recitatis, numero proximo ex quodlibeto, 7. numero 10. quod scilicet ita separata non esset albedo sensibilis, sicut hæc nostra, *sed esset forma quadam intelligibilis admodum formarum separatarum, quas Plato ponebat.* Quod etiam de forma panis consecrati, & quauis materiali à materia separata, docet, 3. p. qu. 75. a. 6. corp. si à subiecto separatæ remaneant, quia iam esset (inquit de forma panis ita separata) *forma intelligibilis actu, & etiam intelligens. Nam omnes formæ à materia separatæ sunt tales*, & tamen formam quantitatis à subiecto physico, seu materia panis, atque omni prorsus materia separatam consistere, sensibilemque, ac nusquam intelligibilem esse S. Thomas sciebat, ac fideles omnes experimur; sed illis verbis primo loco additis, *Intelligibilis admodum formarum separatarum quas Plato ponebat*, totam suam mentem explicuit Plato, enim formas illas, seu species rerum, & naturas ab indiuiduis abstractas, & separatas reliquas, (à Petro, verbi gratia, & Paulo) vniuersales indiuiduas, ac primo modo dicendi per se, siue essentia, & entitate sua subsistentes ponebat, ac proinde idæam, & formam hominis, aut equi, *per se hominem & per se equum*, vocabat teste Arist. 7. Metaphysicor. à textu 44. ad 56. ex quo S. Thomas, 1. p. quæst. 6. a. 4. & qu. 84. a 4. his verbis. *Plato posuit formas rerum sensibilium, per se sine materia subsistentes, sicut formam hominis, quam nominabat per se hominem*, &c. Inde vero vtrasque idæas, & formas illas Platonicas immultiplicabiles, & communes rursus, atque vniuersales, indiuiduis aliis, quasi sub eis contentis esse non posse manifeste sic contra ipsum demonstrant: quidquid enim per se, & entitate sua subsistens, ac suppositum subinde est, indiuiduum est: ast implicat indiuiduum vnum in plura indiuidua multiplicari, atque ipsis communem, & communicabilem esse (verbi gratia, Petrum multiplicabilem & communem esse Ioanni, Paulo, & Francisco) ergo & ideas, seu formas platonicas, & qualcumque, eo modo abstractas separatas à materia, ac per se subsistentes ex hoc modo abstractionis formarum platonicæ (de qua eis omnibus locis expresse) constat primo materia separationis de qua S. Thom. loquatur, & de quo subsistendi, per seque essendi modo. Neque enim materiam separationis solam materiam, & subiectum proprium physicum intelligit; sed logicum etiam, seu metaphysicum, quod dicitur: scilicet suppositum, seu indiuiduum, & singulare; quod præter proxime dicta patet ex illis verbis recitatis, num 3. ex 1. disp. 34. quæst. 1. a. 2: *vnde illam determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ* (ac proinde non materia propriè, quæ ipsissima est, nec sibi sufficitur) *se habet addit in creatura* (quæ per aliud, ac non per se subsistit) *hypostasis supra essentiam, & naturam*, vt enim ex Patribus retulimus præfatione quæstionis: ideo indiuidua hypostasis, & suppositа dicuntur, quia superioribus prædicatis subiecta, suppositaque sunt. Patet rursus, ex testimonio, quod nobis primo opposuimus, numero 4. ex 1. parte, quæstione 50. articul. 4. corp. postremis illis verbis. *Similiter, si esset humanitas abstracta, non esset, nisi vna tantum.* Cum enim humanitas materia essentialiter constet ab illa abstrahi: in terminis repugnat: quare de abstractione, & separatione ab indiuiduis, & suppositis reliquis (quæ vt dixi materia logica sunt) & separatione quidem, qua per se & essentia sua humanitas ad modum idearum, & formarum platonicarum subsisteret: inde enim immultiplicabilis, & incommunicabilis indiuiduis aliis, & pote essentia sua vna, & indiuidua, vt pote se ipsa subsistens, ac non per aliud, quare, & suppositum esse demonstraretur, ac subinde, eius in plura indiuidua diuisione intelligi, quidem posse nec re, nec ratione; imo, nec, nisi rationabiliter, fingi.

7. Porro ex ita explicata genuina S. Thom. mente facilis se dat ad opposita eius loca solutio, & primum in terminis explicuimus. Postremum ex quæst. vnic. de spiritualib. creatur. art. 4. corp. conditionalis est, & ex hypothesi. *Si Angelus est forma simplex abstracta à materia*, (modo explicato, ac per se, seque ipsa, ac non per aliud, subsistens) *impossibile est, &c.* Nullibi autem per se, ac non per aliud, subsistentis naturæ, & formæ Angelos esse docet, & si enim dicat, 1. p quæst. 12. art. 4. corpore, *quadam sunt quorum natura sunt per se subsistentes, non in materia aliqua*; ne vero illud per se idem atque essentia sua, ac non per aliud, siue in alio, scilicet supposito, & indiuiduo naturæ cuiusque intelligas, subdit: *Quæ tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes, & huiusmodi sunt substantia incorporea, quos Angelos dicimus.* Locus ex 1. p. quæst. 13. truncatus, & extra rem, & intentum, S. Thomæ adducitur. Truncatus quia, sic integer textus habet, *forma vero quæ non indiuiduantur, per aliud suppositum* (vti indiuiduari, creatas omnes naturas, seu formas, quibus has opponit) *sed per se ipsas, quia scilicet sunt forma subsistentes, si intelligerentur, vt sunt in seipsis non possent communicari, nec ratione.* Quo textu de naturis, & formis creatis, quare, nec de Angelica loquitur, sed de aliis, quæ non per aliud suppositum indiuiduantur, si quæ sint; additque diuinam solum eiusmodi esse posse, ac subinde vnam essentia sua esse, quare, nec Dei nomen posse alicui creaturæ, nisi analogice, & per similitudinem alicuius virturis, & perfectionis Dei in ea repertam conuenire; quemadmodum quosque fortes milites Hectores, Achillesque vocitamus: cuius articulo illo examen erat, atque in corpore statuta, & probata conclusio; cum tamen, si opposita verba, deformis, & naturis creatis intelligantur aduersam omnino conclusionem probabunt. Locus, ex 1. p. qu. 75. articul 7. contra Origenis errorem de indistinctione specifica animorum nostrorum ab Angelis, ex separatione, & abstractione formarum, & idearum vniuersalium Platonis, cuius

Philosophiam, vbinis Origenes (vt Patres veteres reliqui) sectatur, procedit: ex qua doctrina recte, & euidenter, vt vidimus, S. Thomas contra ipsum argumentatur, & intentam specificam distinctionem Angelorum, à nostris animabus, atque exemplo explicato albedinis separatæ concludit. Denique ex dictis, in explicatione profundiori doctrinæ S. Thomæ data, num. 6. claret, quam sibi Angelicus Præceptor vbique, siue locis oppositis, siue à nobis, & pro nobis, nostraque conclusione, productis constet, & concordet, vt loca omnia, eorumque conclusiones, & principia decidendi, vbique eadem, consideranti facile patebit S. Thomæ laude non exigua; qui aliter intellectus varius sæpe, & inconstans, multoties appareret, idcirco etiam profundæ eius menti altius rimandæ, atque eruendæ, non absque pietate, & obseruantia debita adeo prolixe incubuimus, priusquam à ratione rem transigeremus.

CERTAMEN IV.

Eadem conclusio probatur à ratione.

1. PRima esto. Rerum creatarum indiuiduatio non sumitur necessariò à materia; siue tanquam à principio intrinseco, siue extrinseco essentialiter requisito indiuiduationis: ergo nec distinctio indiuidualis solum, & numerica rerum sub specie atoma, siue speciei atomæ, & infimæ à materia tanquam à principio indiuiduationis necessario dependet. Consequentia patet, siquidem indiuiduatio est formale constitutiuum indiuisi in se, & diuisi, à quouis alio, in eo gradu infimo indiuiduationis, sub quouis genere, & linea metaphysica, sub qua plura indiuidua esse possunt; vti esse possunt sub linea naturæ Angelicæ: ergo implicat non requiri materiam ad indiuiduationem vniuersim rerum, & requiri, ad distinctionem indiuidualem ab aliis indiuiduis, sub genere, aut specie, aut linea quauis, possibilibus, siue ea media, suprema, aut infima prædicata communia pluribus sint. Probatur secundo consequentia, quia eo ipso, quod materia principium necessarium, vnius indiuiduationis speciei vnius atomæ non sit, nec alterius indiuiduationis principium necessarium est: nec enim indiuiduatio vlla creata, (quæ imperfectissimum, ex prædicatis est) ita omnium indiuiduationum, & indiuiduorum, quà talium, perfectionem formaliter intra se claudit, vt alias omnes indiuiduales, formalitates, & perfectiones excludat: id enim esset infinitam illam, & infinite perfectam simpliciter per denegationem termini, etiam extrinseci, è conceptu suo constituere, quod indiuiduationis, & naturæ indiuiduæ Dei proprium est, omnique naturæ, & prædicato creato repugnans, vt tom. 1. de Deo vno controu. 1. atque alias ibi, atque hoc to. 2. demonstrauimus sæpe; inde vero infero: ergo nec distinctionis vnius indiuidui ab alio sub specie eadem principium necessarium erit materia. Siquidem distinctio indiuidualis, sub specie quauis solum requirit, pluralitatem indiuiduationum, & indiuiduorum sub specie illa, quam nullo materiæ interuentu, siue extrinseco, siue intrinseco possibilem probauimus, si ad vnam indiuiduationem, & indiuiduum necessarium principium materia non sit, inde vero rursus euidenter infertur; ergo nullo materiæ interuentu, siue extrinseco, siue intrinseco, species quæuis atoma in plura indiuidua est multiplicabilis, ac subinde, natura Angelica, etsi omnino spiritualis, nullamque materiam in se continens, neque extrinsecus de se se concernens, quantumuis infimæ speciei, plura sub se indiuidua coërcebit. Probatur antecedens, quia sine materia intrinsecus contenta, vel extrinsecus connotata, datur indiuiduum aliquod in rebus: ergo materia nullatenus est principium necessarium indiuiduationis rerum; alioqui in re nulla, sine materia daretur indiuiduatio. Antecedens probatur, in Archangelo Michaële, quod nec materia intrinsecus componente, vel extrinsecus connotata Angelus indiuiduus est. Vrgetur, & confirmatur argumentum præcedens, quia ex fide non solus Michael Gabriel, & Raphael, milliesque mille, indiuidui Angeli sunt, nullo materiæ intrinseco, vel extrinseco interuentu, quam eorum nemo intrinsecus habet, neque extrinsecus concernis: ergo nec indiuiduationis, nec distinctionis numericæ solum, & indiuidualis rerum materia principium necessarium vllatenus est: ac proinde, sub quouis prædicato specifico, & communi, etiam vltimo, & infimo, possibiles erunt Angeli plures, vt asserimus.

2. Dices ad antecedens, & consequentiam argumenti nostri, atque ad omnes vtriusque probationes præfatas: antecedens quidem esse verum de indiuiduatione, & distinctione numerica, & indiuiduali rerum nullo materiæ interuentu, sub prædicato communi, superiori tamen speciei infimæ, & quæ purè subinde indiuiduatio, & distinctio, solum numerica, & indiuidualis rerum non sit; sed atome specifica distinctio, & indiuiduatio simul: ex huius vero indiuiduationis, & distinctionis numeralis rerum mixtæ cum specifica atoma, possibilitate sine vllo materiæ interuentu (quæ solum ex scriptura, fide, & ratione conuinci possunt) male, & illegitime indiuiduationis, & distinctionis rerum, pure numericæ, & indiuidualis, sine materiæ interuentu possibilitatem inferri solummodo posse. In primis, solutio hæc in terminis implicat, vt iam ostendam concluf. 2. Secundo, si materia necessarium principium indiuiduationis ac distinctionis indiuidualis & numericè rerum sit, ea deficiente, & impossibili in rebus aliquibus, (scilicet in Angelis) & facile specificæ distinctionis principium indiuiduatio, & distinctio numerica rerum illarum, associata adhoc, & mixta, seu confusa, cum specifica esse non posset: quocirca res illa, si existere deprehendatur, vt existere Angeli, & dæmones deprehenduntur ex fide, realiter, secundum specificum gradum præcise, absque indiuiduatione, & distinctione numerica existere, atque inter se distingui, dicendum erit: imo, nec aliter res illas nisi ita præcisas, atque absque indiuiduatione existere vllatenus posse, nisi Chimæricè, & contradictorie, vt patet, si assumptum sit verum. Hoc autem demonstratur deficiente quouis principio, ex necessariis, siue intrinseco ad aliquid, tam physice, quam metaphysice vel præstandum, vel constituendum, etsi cætera adsint, præstari illud, vel constitui repugnat: vt in omnibus principiis necessariis, actiuis, terminatiuis, & partibus formali, & materiali, & integralibus, patet: quorum quouis deficiente, etsi cætera adsint, nec effectus, nec totum, quod componunt poterit subsistere: & ratione euidente conuincitur, necessarium, ad aliquid non esse illud, quo deficiente potest aliud aliquid esse, & consistere; ergo si materia principium quouis modo necessarium indiuiduationis & numericæ rerum distinctionis sit, tametsi adsint principia constitutionis, & distinctionis specificæ infimæ rerum, res, quibus materia, nec intrinsecus constituens, neque extrinsecus connotata, & suppositа non est, ac subinde nec principium indiuiduationis numericæ distinctionis esse potest, indiuiduari, & numericè distingui minime poterunt. Vel ergo fatendum tibi erit Angelos, quibus solum specificæ infimæ constitutionis, & distinctionis (quodcumque esse velis) non autem indiuiduationis numericæ, in tua sententia, principium adest, specie quidem, non vero numericè, constitui, atque distingui, contra scripturam & Doctores omnes posse, vel sententia tua deposita, materiam non esse necessarium indiuiduationis, & distinctionis numericæ rerum omnium principium, fateatis necesse est: quare Angelos sub specie atoma sua esse in

in plura indiuidua multiplicabiles, vt contendimus.

3. Dico secundo, implicat species aliqua atoma creata (quare, & Angelorum) immultiplicabilis in plures, & distinctos Angelos indiuiduos. Ex hac conclusione, eiusque probationibus valde roboratur præcedens. Si enim negatiua, impossibilis ostenditur, affirmatiua, non solum possibilis ostenditur, sed necessariæ veritatis demonstratur. Est autem conclusio ab omnibus Philosophis, & Theologis (pauculis Dominicanis exceptis, quos supra memorauimus) supposita præ sui claritate, quam ex instituto probata, nec solum de specie atoma Angelica, sed, & de omni specie atoma, ex instituto probata à nostro Bubalo supra difficult. vltima, & æquiualenter à nostris Vazquez citata, d. 181. c. 3. Valentia etiam supra d. 4. qu. 1. punct. 1. Molina citato, art. 4. Soar. d. 5. Metaph. sect. 2. asserentes contra Caietanum, & pauculos citatos Dominicanos differentiam indiuidualem extra omnem differentiam specificam ipsaque angustiorem, & coarctiorem formaliter, & metaphysice esse necessario debere: inde vero Soarius, vbi proxime art. ... §. 21. & Quiros supra sect. 3. num. 29. & 4. fine, num. 43. speciem in plura indiuidua immultiplicabilem, vniuersim docent, impossibilem consentit. Arist. extra rerum essentias, hoc est species, indiuidua, & singularia collocans, ac proinde hæc definitionis, quæ essentiam rei explicare debet, estque communis, ac nullius indiuidui propria, incapacia docens. Similiter, S. Thom. locis recitatis asserens: in omnibus, in quibus essentia à supposito, seu indiuiduo, & singulari differt, necesse esse essentiam, seu naturam communem esse, ac per suppositi, & indiuidui rationem ad hoc, præ indiuiduo alio determinari: quare, & plura sub se indiuidua coërcere, nec de se se essentiam, & naturam vllam communem esse ad hoc indiuiduum, & suppositum determinatam. Probatur conclusio ex definitione speciei atomæ ab omni philosophia recepta ex Porphyrio, c. de specie, quæ nimirum, *apta est esse, & prædicari de pluribus differentibus numero in quid*; implicat autem esse, & prædicari de pluribus *in quid* posse, si vnum numerice, è conceptu suo formaliter sit, & ab aliis imparticipabile: ergo implicat esse speciem aliquam infimam incommunicabilem è conceptu suo pluribus indiuiduis, quæ sub se verè metaphysicè coerceat. Maior est speciei atomæ definitio non autem speciei intermediæ, quæ genus etiam intermedium est, nec de numero solum, sed specie etiam diuersis, & de his tantum immediata directa prædicatione potest prædicari, sicuti & directa categorica in esse atque medii speciebus inferioribus, & infimis indiuiduis, quæ his immediate subduntur, ni totus categoriarum, & prædicamentalis ordo inuertatur. Minor probatur, quia quod è conceptu suo formali indiuiduum est, nequit pluribus verè, metaphysicè inesse, ac de illis prædicari; alioqui Petrus, aut Raphaël, verè metaphysicè Paulus, & Ioannes, Gabrielue, & Michaël esse possent, ac de illis verè in quid prædicari. Consequentia est legitima: quod si ad indiuidua plura vnum verè possibile, aliud, vel alia ficta recurras species entium rationis cum veris, & secluſa præcisione, realibus, (cum quibus, ne genere quidem, conueniunt) confundes, atque eodem prædicamento, ac sub eodem genere prædicamentali cum entibus rationis contineri Petrum, Raphaelem, veram speciem humanam, & Angelicam tenebris fateri.

4. Arguo secundo ex implicatione simili ex parte differentiæ specificæ infimæ, illa enim ex Porphyrio, c. de differentijs apta de se est *Esse, prædicarique de pluribus differentibus numero in quale quid.* Ac subinde pluribus indiuidijs participabilis conceptu suo esse debet, & communis; ergo, si indiuidua plura, sub specie infima, ad quam genus proximum immediate contrahit, & quam cum genere ipso formaliter constituit, repugnent, ipsam differentiam infimam specificam esse repugnabit. Hinc arguo tertio, si differenti a infima specifica, è conceptu suo idem formaliter, vel radicaliter metaphysicè, quod differentia indiuidualis indiuidui vnius (verbi gratia Michaelis) non sit, implicat è conceptu suo, tam illam quam speciem ipsa constitutam pluribus indiuiduis communem, & participabilem non esse. si quidem è conceptu suo vero, & seorsim concepto, soluta & absoluta, à quouis indiuiduo metaphysice erit, nullatenus que impedita vt nequeat vltra atque extra illud ad plura diuagari, atque implicat differentiam specificam atomam è conceptu suo idem esse formaliter, vel radicaliter metaphysice, quod differentia indiuidualis, cuiusvis indiuidui: ergo implicat, tam differentiam specificam infimam, quam speciem atomam ipsa constitutam, non esse indiuiduis pluribus communicabilem. Minor probatur facile ex dictis differentia atoma specifica è conceptu suo nulli indiuiduo alligata esse debet, aut propria formaliter, aut radicaliter metaphysice, vt vidimus differentia indiuidualis essentia, & conceptu suo formali alligata, & propria esse debet indiuiduo, quod constituit: debere esse autem è conceptu suo alligatam, & propriam alicuius indiuidui, ac non debere ita alligatam, & propriam indiuidui illius implicat: ergo implicat differentiam specificam è conceptu suo formaliter, aut radicaliter metaphysice, esse idem, quo differentia indiuidualis. Hoc argumentum dedit nobis non semel. S. Thom. locis citatis, disp. 34 & 1. p. qu. 31 art. 3. Diuinam naturam, quia seipsa, & per suum esse suppositum est, nec per aliud scilicet hypostasim determinatur immultiplicabilem ait, & hoc exemplo confirmat. *Si sortes per id esset homo, per quod est hic homo, per quod est hic homo, non possent esse plures sortes.* Quod enim è conceptu suo, vnum indiuiduæ, & proprium huius indiuidui est, nec plura indiuidua, neque aliis indiuiduis commune esse potest: quare si è conceptu suo differentia atoma specifica idemmet, quod indiuidualis formaliter esset, dubio procul non specifica, & communis sed indiuidualis, & huius indiuidui propria, quo ipso argumento vtitur S. Thomas, 1. p. qu. 11. art. 3. ac de potentia, quæst. 2 art. 1. & ad 10. & Deum, & filium Dei, immultiplicabiles numero esse. Probatur rursus implicatio, identitatis formalis metaphysicæ differentiæ specificæ cum differentia indiuidualis, quia differentia indiuidualis non minus contractiua est è conceptu suo speciei infimæ ad indiuiduum, quam differentia specifica infima contractiua è conceptu suo sit generis intermedij ipsi proximi ad speciem infimam constituendam: atqui implicat inde differentiæ specificæ infimæ conceptum formalem identificari formaliter metaphysicè cum conceptu generis intermedij proximè ipsi superioris, ergo è conceptum differentiæ indiuidualis cum conceptu speciei infimæ. Maior est certa. Minor probatur: quia alias non implicabit differentias, specificas atomas cum inter medijs formaliter metaphysice identificari cum vero, & cum indiuidualibus etiam formaliter idemtificentur genus supremum immediate formaliter differentiæ indiuiduales etiam contrahent, nec in vlla linea erit genus supremum prædicamentale, nec intermedium; sed species vnica infima: quod dupliciter aduersariorum doctrinæ contradicet. Nempe Angelos specie infima differre, quod repugnat: siquidem specie infima necessario conuenient angeli omnes, qua inferiores species esse non possunt. Vnde secundo contra ipsos sub specie infima plures Angeli solum numero diuersi erunt. Præterea totus prædicamentalis ordo euerteretur: imo prædicamenta ipsa: siquidem differentia illa proxima genere supremo lineæ cuiusvis prædicamentalis eadem doctrina, & modo præterit formaliter metaphysice cuni conceptu illo generis supremi idemtificari, quare nec genus vllum erit, quod indiuiduum è formali conceptu suo non sit: siquidem differentijs omnibus etiam indiuiduæ discursu facto formaliter metaphysice identificatum ostenderur.

5 Genus

5. Genus item & differentia specifica, ac species infima, & differentia indiuidualis partes, vel speciem, vel indiuiduum constituentes sunt: ergo implicat differentiam indiuidualem cum specie, vel specificam cum genere formaliter metaphysice idemtificari æque, ac idemtificari physice partes componentes physice totum physicum, & ratio vtriusque est; quia compositio, in quauis linea, est distinctorum extremorum coniunctio: quare nequit eorum in quauis linea identitas esse, aut cogitari, quin eorumdem in ea linea idemtitas, ac diuersitas, simul contradictorie sit, & cogitetur. Arguit denique Quiros sect.3 num.31. quia Raphael, & Michael plus quam eccitate differant essentia sua, nempe specifica differentia, & dissimilitudine: at differentia, & dissimilitudo, hæc nequit esse omnium minima specifice: quandoquidem quauis dissimilitudine, & differentia specifica assignata inter species duas maior, & minor proportionaliter, & geometrice potest assignari: vt inter hominem, & equum, & inter hunc, & leonem: ac proinde inter eorum species, innumeras alias interiacere communis, & stata apud Philosophos est sententia; ergo Michael, & Raphael, non specie infima, (vt aduersarij volunt) sed amplius, specie nimirum, seu genere intermedio necessario different. Sed hoc argumentum eandem habet difficultatem, & si Michael, & Raphael diuerso conceptu differentiæ specificæ ab indiuiduali in suis speciebus constituantur, vt eas infimas non esse probetur: ac insuper in differentiis indiuiduantibus, atque indiuiduis, qua talibus, quorum alia aliis indiuidualiter perfectiora è conceptu suo indiuiduali (si in his inæqualitas perfectionis, (vt à pluribus satis probabiliter admittitur,) admittatur. Respondetur autem pro omnibus: species infimas rerum omnimodo, æquales, nec alias aliis perfectiores, & dissimiles, superioresque, & inferiores specifice esse posse: sicuti, neque indiuidua indiuidualiter: idque è conceptu suo, & differentia specifica infima, vel indiuiduali habere: neque interea superiorem, & inferiorem speciem, vel indiuiduum assignari aliam, vel aliud aliis posse, siue indiuidualis, & specifica differentia infima, ab indiuiduali formaliter metaphysice differat (vt demonstrauimus) siue non differat, vt aduersarij volunt: communis autem sententia de possibilitate specierum infinitarum, inter hominem, & equum, superiorum, & perfectiorum, inter inferiores, & superiores imperfectiores, & perfectiores locum solummodo habet, non vero in æque perfectionis, & gradus speciebus diuersis, quas ad præsentem quæstionem possibiles supponimus; si autem possibiles negentur, quæstio de multiplicabilitate, vel immultiplicabilitate solum numerica Angelorum sub specie infima de subiecto non supponente erit. Cum species infima sit impossibilis. Data igitur à nobis argumenta firma censenda sunt, & ad quæ reliqua venire debeant (vt robur habeant) ab hoc authore, & aliis excogitata, quæ idcirco, & vitandæ prolixitatis gratia omittimus. Fundamenta omnia aduersariorum ab authoritate plus satis disiecta sunt. A ratione vero sunt debilissima, partim ex æquiuocatione abstractionis prædicatorum communium à materia, pro hoc statu immultiplicabilium indiuidualiter, quæ à materia logica est, & ad abstractionem naturæ Angelicæ, cum qua ab aduersariis confunditur, ne patitatis vmbram habet: quod item natura, Angelica Gabrielis non differat formaliter ab hæceitate ipsius, (vt aduersarij assumunt,) nec probant, nisi quia indiuiduatio rerum sumitur necessario à materia, confutatam probationem habet à num.1. ad 2. inclusiue, & assumptum multis capitibus repugnans à num. 3. denique speciem Angelicam in Gabriele non habere vnde limitetur: quare ipsum continere omnem perfectionem possibilem suæ naturæ, disiectum est numero primo. Habet enim indiuiduationem, qua ita reuincitur idemtice species, & natura Angelica, vt, ne cum illa ad Michaelem (vti è suo conceptu possit) transire queat, limitetur: quia, vt ibidem diximus, indiuiduatio vna nequit omnes possibiles in se formaliter, & metaphysice continere, nec species vlla è conceptu suo singulares omnes, imo, ne vnam quidem, vt vidimus proxime; sed cum creata omnis natura sit, nec seipsa subsistens, & ad hoc suppositum, & singulare determinata, sed per aliud determinari, per hypostasim, siue singulare, & indiuiduationem ab ipsa diuersam, debet, vt sæpe S. Thomas supra recitatus aiebat.

CERTAMEN V.

De numerica distinctione & pluralitate Angelorum de facto.

1. PLures certè numero Angelos esse dogma fidei est in scriptura multoties expressum, plures enim nominibus personalibus Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, & aliis, tam bonorum Angelorum, quam cacodæmonum in scriptura nominantur; nomina autem personalia, non nisi suppositorum, seu personarum, & singularium sunt: quemadmodum apud nos, Ioannis, Petri, Pauli, & Philippi nomina. Nec valet nomina ista personalia, non esse, vt Petri, & Pauli nomina apud nos; sed specierum, vt apud nos homo, leo, equus, & canis, de eis enim ita nominatis, & existentia, localis motus, & operationes aliæ, ab scriptura narrantur, quæ ab indiuiduis solummodo haberi, exerciue possunt, non autem ab speciebus secundum se, & præcise sumptis, sed solum ratione indiuidui alicuius, cui realiter idemtice insunt, & cui per se existentia, & operationes reales physicæ reliquæ conuenunt. Nec magis præstat si testes, plura illa nomina personalia, non esse, sed officiorum, & numerum, quæ ab eodem indiuiduo Angelo, & habentur, & exercentur. Raphael enim medicinam Dei; & Gabriel Dei fortitudinem, & sic alia nomina Angelorum in scripturis nominata, iuxta vocum etymon, significant. Nil inquam præstat: quia Michael, & Angeli eius cum Dracone, hoc est lucifero, Angeli eius pluribus certasse in scripturis dicuntur: ac rursus Angelus vnus ex bonis Prouinciæ vnius tutelaris in agendis pro eius commodo collodi Angelo Prouinciæ alterius resistere: ac denique ex Angelis obedientes in loco suo steterunt transgressores exobedierunt, suntque cælo expulsi, ac deturbati: quæ omnia eidem Angelo, eisdemve conuenire simul nequeunt, vlterius multitudo Angelorum canentium Gloria in excelsis Deo ac proinde indiuiduorum Christo nascente refertur, tentatoque & victori plures minitasse, ab Euangelistis narrantur, & à Christo Domino Matth.26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Vt pro me contra Iudæos, & comprehensorum agmina certarent? & Marci 5. & Lucæ 8. Daemonum legio hominem possidens, & afflictans, ac postmodum ab eo iecta Christi virtute dictum. Daniel 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, & Apocalyp. num. 11. *& audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium.* Quæ omnia species non, nisi ratione indiuiduorum, possunt conuenire, vt nuper dicebamus.

2. Obscurius autem, difficiliusque definitu est, an in tanta Angelorum creatorum frequentia, penè innumerabilis, singulus quisque speciei ab aliis diuersæ sit, vt nullus cum alio specie infima conueniat? An potius specie infima plures, ex creatis de facto conueniant? in qua quæstione Docto

Doctores censentes Angelicam naturam speciei infimæ totam eorum, qui de facto sunt, multitudinem solo numero differentiam pati docent, omnes vnius speciei infimæ asserunt contineri, eos retulimus cert. 1. num. 1. Quibus fauent Patres ibidem recitati, contra vero Doctores, qui vel absolute, vel saltem connaturaliter immultiplicabiles numero sub eadem specie infima censebant ibi, num 2. & 3. creatos omnes specie inter se differre docent, sed quoniam vtramque opinionem, & fundamenta cert. 2 3. & 4. abunde discussimus cum iis, qui & specie & numero sub specie atoma Angelos differre posse docuerunt versanda quæstio est vtriusque partis possibilitate supposita. Certe nil pro alterutra parte firmum, ex scriptura, & patribus afferri potest: imo, neque ex scholasticis doctoribus plurimum. A ratione vero in iis, quæ è solo Dei arbitrio pendent, discursus nostri plus, quam efficaciæ diuinationis habent, idcirco quæstionem hanc à nobis indefinibilem scholastici aliquot non immerito reputant: in quibus Quiros supra sect. 5. num. 47. & Vazquez citato c. 3. qui ideo eius decisionem omisit, secunda sententia, ait: quamuis Angelorum specie ab aliis de facto differre, cuius sententiæ duo fundamenta à ratione sunt. Primum: quia ratio tota multiplicationis rerum de facto sub specie infima est, ne species aliqua ex productis in vniuerso pereat absolute, atque deficiat: quæ locum in rebus, corruptibilibus solummodo habet, ac subinde incorruptibilium. & si sub eadem specie multiplicabilia absolute in plura individua sint, vnum tantum individuum productum de facto est: quia plura frustra (quod natura abhorret) & otiose producerentur, id quod in sole, luna, & Planetis experimur, & confirmant rationem, & exemplum, pro incorruptibilibus corporibus Aristot. 2. de anima textu 3.. & 35. & Sanctus Thomas, prima parte, quæstione 47. articulo secundo, corp dicens, *Videmus, quod in rebus incorruptibilibus non est, nisi vnum individuum vnius speciei, quia species sufficienter conseruatur in vno.* Ergo speciei cuiusvis angelicæ, incorruptibilis essentia sua, vnum tantum individuum, in quo proinde sufficienter conseruatur, productum de facto est. Secunda ratio, quia valde, vniuersi pulchritudinem, ornatum, & perfectionem, ac summam Dei potentiam, sapientiam, & artem commendat, tanta tamque innumera specierum naturæ angelicæ varietate, & multitudine, quanta individuorum eius est, naturam exornasse. Hæc proposui, quia statim subiiciendis tertiæ, & nostræ sententiæ rationibus satis refellentur, quin ex instituto dissoluantur.

3. Dicendum nobis est: sub quauis Angelorum creatorum specie individuos aliquot Angelos dari; tamesi, quot sub quauis eorum specie creati sint, nobis prorsus incertum, ac nullatenus ab authoritate, nec cum fundamento à ratione (vt patet) sit nobis definibile. Ita maior; potiorque Theologorum pars, qui quæstionem, ex instituto versarunt, ac definierunt. Molina noster, quæstione 50. articulo 4. in commentario conclusione secunda, iuncta conclusione 3. Soarius supra, cap. 12. Ioannes Præpositus, articulo 4. dubio vnico, versu dico 4. Arriaga citata disput. 4. sect. 2. numero 14. §. *vnde ergo* post init. Ratio prima sit; quia in pluralitate, & specierum Angelicarum productarum, individuorum Angelorum intra quamuis pluralitas, etiam naturæ pulchritudinem, & ornatum; quemadmodum in hortis, & pratis omnigeni floris individua multitudo valde, & potius commendat, quam si omnes, & singulæ inuicem specie differrent. Facit quippe, cuiusque speciei perfectionem sensibiliorem subindeque & specierum varietatem, & differentias: quod suo modo, & proportione ad maiorem insensibiliorem (vt sic loquar) vel potius perceptibiliorem Angelorum, & specierum eius intelligibilitatem transferendum est. Secundo, cum Angeli in Dei, eiusque aulæ amplissimæ ministros, & ornatum fuerint creati, atque ad creatarum regalium aularum ornatum, & ministeriorum amplitudinem non sola diuersæ dignitatis Procerum, sed & æqualium multitudo spectet; ita etiam non solum specifica Angelorum diuersitas, sed, & eiusdem speciei individua pluralitas ad ministeriorum, & aulæ summi imperatoris Dei splendorem, & amplitudinem spectabit. Vnde constat quantopere pluralitas hæc Angelorum in diuidua ad Dei potentiam & magnificentiam ostendam, quantoque amplius conducat, quam si specierum singularum, singulos tantum Angelos creasset; quasi plures non posset malignæve adeo & curtæ in sua aula & ministeriis, iuxta connaturalem Angelorum conditionem, disponendis prouidentiæ foret, vt singulis ministrum vnum tantum habeat connaturalem, & proportionatum, nequeatque alium ad ministerium aliquod eligere, quin dignitates naturales eorum confundat, quod inordinatæ, ac sordidæ familiæ Dinastæ cuiusvis, Regisve creati habetur.

4. Secunda ratio sit quia, & si specierum corruptibilium, multiplicatio individuorum necessaria ideo rerum vniuersitati sit, vt species, quibus natura constat, perpetuo, quandiu ipsa duret, seruentur; aliunde tamen multiplicari individua specierum naturaliter possunt, multiplicantur, quæ etiam in speciebus incorruptibilibus, quando ad intentum naturæ opus vnum individuum, non sufficit, sed eorum multitudine ad illud præstandum vel ad melius, faciliusque peragendum natura opus habet; quocirca, & si sol, luna, & planetæ, quia intentis à natura operibus propriis singuli sufficiant, nec plures subinde eiusdem speciei fuerint; communium vero stellarum vulgus totum individuis specie distinctis constare est incredibile, ac sine vlla probabilitate; imo improbabiliter dicetur: cum fixa ea omnia sint, nec sublunarem orbem circumeant, qui earum influentiis, opus vbique habet, ac proinde noctu, diuque ab influxu in sublunaria nullibi cessant; vt ideo luculenter Seneca de eis dixerit, 2. de benefic. c. 23. *vtilitatem suam, sub specie stantis, atque immoti operis abscondunt; ita, quæ tamen, non aliter, quam in decorem, sparsa considera, singula in opere sunt.* & corruptibilium, specierum individua multo plura, quam earum conseruatione opus sit, ob alia munia, & fines naturæ, nec quidem, frustra, & otiose produci quotidie experimur: ergo, & si cuiusvis speciei angelicæ perpetuitati saris sit individuum vnum ad præfata munera, vltra superfluitatem omnem; imo magno naturæ commodo, quare naturaliter, & subinde de facto plura alia speciei eiusdem creata fuere. Accedit vrgentius. Plures, ex creatis Angelos, & si non sibi Physicæ, nec suis speciebus perierint per peccatum, ni individui quot, in cælo, & beatitudine, ex quauis damnatorum specie persisterent, innumerarum penè specierum angelicarum, ex productis ornatus, & ministeria cælo aulæ regiæ Diuinæ, deficerent, quibus primo condita, & ornata constabat: quod æque absurdum est (ni forte maius) quam sublunari orbi; & naturæ, vel vnam, ex his, quibus proximo constitit, speciem deficere; cuius vitandi gratia tot specie cuiusque corruptibilium individua multiplicari recte, & philosophice fateris. Deficient item à salute, ad quam à Deo ordinatæ sunt per gratiam, totidem Angelorum species integræ in nullo individuo saluatæ, ni plures Angeli cuiusque speciei ipsorum adscribantur: quod, & si fieri à Deo, gloria, gratiæque efficacis Dominio non repugnet, factum vtro, vel circa vnam speciem integram naturæ rationalis, minus pie, ac fere impiè dicetur, ex quibus omnibus, & scholasticorum authoritate longe maiore constat, conclusionem nostram longe esse probabiliorem, nihilque momenti fundamentis aduersæ sententiæ adesse.

5. Iam vero de numero præfatæ multitudinis Angelorum, sub specie quavis res nobis pure diuinationis est. Nec de tota eorum multitudine sub

speciebus omnibus contenta prudentius, vero similiusve numerus definietur, & si enim recitatis, locis, numero 1. ex Apocalypsi millia millium, & ex Daniele millia etiam millium esse dicantur; id tamen eorum determinatum numerum nequaquam designat, sed potius numeri determinati à nobis assignabilis præ eorum multitudine desperationem: vt communis interpretatio est, obseruatque noster Martinon. d. 36. de Angel. sect. 7. numero 61. atque, ex Danielis 7. satis claret, id solum, eo numero, significari cum statim numerum variat verbis: & *decies centena millia assistebant ei*: ad quæ Dionys. de cælesti Hierarchia, cap. 14. *Multi sunt beati exercitus supernarum mentium infimam, & constrictam nostrorum materialium numerorum commensurationem excedentes*; quod fieri haudquaquam potuit, si certus ac determinatus aliquis numerus ibi designaretur, nec solum innumerabilis eorum multitudo, ad Hebræos 12. significata etiam à Paulo illis verbis: *Accessistis ad Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Ac tandem Iob. 25. hoc habetur expressum verbis illis. *Nunquid est numerus militum eius?* ad quæ Greg. 17. Moral. cap. 9. *Vt, qui Deo numerabilis est, hominibus innumerabilis demonstretur*: quare iam est scholasticis Theologis commune, vnde reiiciendus est Aristotel. qui 12. Metaph. cap. 8. ex variorum motuum cælestium orbium obseruatione eos numero 47. contineri putauit; cum tamen ex aliis eorum, præter motum cælorum, officiis ab ipso etiam non ignoratis eo numero excedere inferre facile potuerit, recensueritque lib. 4. de cælo, cap. 9. sub finem cum vltra, ac supra cæli verticem substantias plures separatas beatam agentes vitam posuerit, vt obseruat Eugubin. 4. de perenni philosophia, cap. 2. quare de solis cæli motoribus eum numerum censuit, quocirca Rabbi Moyses sententiæ illius Aristotelicæ cum scriptura Conciliator, & sequax, nec Aristotelem intelligit, vt vidimus, nec scripturam, putans Angelorum nomine homines etiam diuina nuntiantes, imo & virtutes rerum naturales absolute in scriptura intelligi, vt sic ex substantiis spiritualibus nu. 47. & hominum, ac virtutum, numero innumerus ille numerus constet; sed vbinam virtutes naturales rerum in scriptura Angelos dici inueniet Rabbinus? nec vllibi homines dicuntur Angeli absolute, sed solum vbi ex adiunctis officij, non naturæ angelicæ rationem habere, denotari significatur; locis autem pro nostra conclusione datis, & innumeram Angelorum multitudinem signantibus, de proprie Angelis, non autem de similitudinariis est sermo, nec, nisi inepte esse posset, alioqui, & plures, & innumeri Dij possent absolute dici, si omnes, qui Dei perfectionem aliquatenus imitantur possent in numerum, cum Deo absolute censeri, eumque cum ipso absolute constituere. De numero etiam non absoluto, sed comparatiuo, ad corporum omnium, vel saltem sublunarium, vel denique hominum, si de determinato comparatiue ad horum numerum, fit quæstio, non absimili diuinatione definietur. Plato apud S. Thomam, citat. quæst. 50. art. 3. substantias illas separatas, (quas idæas, & species rerum sensibilium dixit Angelos intelligere refertur, atque eo sensu videtur impugnatus ab Arist. 1. metaph. text. 31 ac deinceps,) numerum specierum materialium, & sensibilium non prætergredi ait: quod vt pote falso innixum fundamento & sacris scripturis aduersum exulare ab scholis debet.

CERTAMEN VI.

De numero Angelorum comparatiuo.

1. SAnctus Thom. proxime censet numerum Angelorum numero corporum omnium maiorem ex citato Dionysij loco: & quia perfectiora ex creatis numero maiori creata à Deo sunt ob intentam ab eo vniuersi perfectionem maiorem, vt in cælestium corporum excessiua multitudine respectu totius orbis sublunaris patet, quare, & Angelos corporeis omnibus à Deo imperfectioribus, numero, & magnitudine, siue quantitate discreta excedere tenendum est ei consentiunt Dominicani Thomistæ, non vero interpretatione eadem. Caiet. cit. a. 3 & Ferrara. 1. contr. gent. c. 92. non de num. indiuiduorum corporeorum omnium intelligendum putant quia ideo S. Th. duobus locis citatis, & qu. 6. de potentia a. 6. & ruisus, 1. p. q. 112. art. 4 excessum hunc respectu indiuiduorum corporum non dixit; sed *naturarum* corporearum; quo nomine species, non autem indiuidua censentur: contra vero respectu numeri indiuiduorum, etiam corporum Thomistæ alij S. Thomam locurum intelligunt: & sane eius rationi, & Dionysio, siquid probant, consequentiores etenim numero numerato excedere absolute nequeunt corporum numero, præsertim materiali, vt Dionysius ait ni indiuiduorum numero (qui indiuiduorum, vel solus vel præcipue est, cum species abstractæ mente, & cogitatione spirituali, vel formaliter, vel etiam obiectiue non subsistant) corporibus creatis Angeli excedant. Ratio autem à magnitudine, & quantitate continua cælestium orbium, quam sublunarium corporum longè maiori, ad magnitudinem, & quantitatem discretam, & numeralem corporum omnium longè minorem, ad omnem, etiam indiuidualem, omnium corporum extenditur, & probat. si quid etiam probat. Sed nec authoritas Dionysij, nec ratio firmiter probat conclusionem. Non authoritas: qua Dionys. de numero numerante corporeo nostro ad milliaria decena, centena milliaria, & vsque producto, non autem de numero numerato corporeo, seu corporum numeratorum solummodo loquitur: id enim Danielis locus, quem explicat, & ex quo sententiam præfatam deducit solum significat, vt vidimus: nempe Angelorum multitudinem præ sua multitudine esse à nobis innumerabilem, nec sub arithmeticam nostram posse venire. Id etiam immediatior verbis Danielis rexus Dionysij recitato anterior, expressit. *Multi sunt enim Beati cælestium exercitus, qui infirmum, & contractum numerorum corporeorum quibus vtimur, modum superant, & transeunt: atque scienter definitur à sola earum summa, cælestique intelligentia, qua eis feliciter conceditur, à Diuina sapientia.* Quibus postremis verbis Beatis etiam Angelis, Dei dono, suum numerum notum Dionysius ait, vt benè Albertus, & Lincomiensis, & Vazquez iam citandus contra Hugonem victor.

2. Nec firmior est ratio: etenim Deum in rerum creatarum productione intendisse vniuersi perfectionem maiorem positiuam (vt opus ad illationem erat) pietatis affectiuæ, quam veræ rationis assumptum, & fundamentum est: cum dubium non sit plura potuisse producere in mundo, quam produxerit, in specie quauis, quibus, quoad amplitudinem maior, perfectiorque mundus euaderet, & si non quoad intensionem, quæ neque plurium Angelorum numero augetur: & si autem maiorem perfectionem negatiuam mundi in rerum productione Deus intendat (vt scilicet nihil imperfectionis positiuæ rebus productis insit, rectaue ratione in ipsis inueniantur, quidquamve debitæ perfectionis creaturis contra earum exigentiam, quatenus à Deo sunt, neque aduersa agentium, ac dispositionum contrariarum exi-

gentia

gentia debita alias rebus perfectio impeditur) nihil ad intentum concludendum præstat: cum species nulla rerum quantumuis perfecta numerum indiuiduorum, exigat tantum, vel tanto maiorem, vel minorem. Imo cum exigentia realis, & physica status realis rerum, (qui solus indiuiduorum, non autem specierum est) solummodo sit, ac de se, & conceptu suo species nullum determinatum indiuiduum exposcant, nec plura, nec pauciora aliæ aliis possunt exigere. Exemplum vero, quo assumptum idem confirmatur, ex ampliori cælestis orbis, quam sublunaris imperfectioris magnitudine, illud non confirmat. Neque enim ideo est: quia corpora cælestia perfectioris speciei, quam sublunaria sint, in quibus viuentia, & animalia sunt, quæ omnia (etiam vilissima) non specifica solum, sed generica etiam, perfectione cælos antecessunt; atque in gemmis vnionibus, pretiosisque lapillis natura sua adeo saxo, & rupe quauis minoribus, & continua, & discreta quantitate, & si adeo perfectioris speciei sint, manifeste patet. Ratio ergo amplitudinis cæstium orbium maioris est, quod ad influxus in sublunarem orbem totum, quibus hic constat, productioni, & conseruationi necessarios, illum vndequaque debeant circumdare, & continere, totque & tantis astris constare, quæ nequeant capi magnitudine minore: cui tandem ratione annuit Molina, art 3. commentario, à versu 3. 6. *Ad hæc*, vt respondeat obiectionibus contra suam solutionem ad argumenta petita ex mixtis: quod scilicet de elementalibus corporibus, S. Thomæ ratio procedat, cui ex aqua nobiliori terra in eaque contenta, subinde ipsa minori, & in sole cælis superioribus perfectiore, & saltem cælo, quo continetur aperte occurritur, atque hac nostra ratione respondet.

3. Bubalus noster citat. 2. 3. quæsito vn. diffic. 4. §. 1. multa eruditione, & discursu contendit Angelorum numerum, numero indiuiduorum corporum omnium longe esse maiorem. Pro qua sententia refert, Carthusianum de quatuor nouissimis, S. Antonin 3. p. tit. 3 1. c. 6. §. 1. dicentem. *Excedere omnem multitudinem rerum materialium*, & Æneæam gazeum Platonicum philosophum Christian. Zenone imperatore libro. *Theophrastus*, t. 8. Biblioth. Patrum: cuius hæc ad præsens verba. *Plenum est totum cælo, plenus etiam æther. Angelorum, atque dæmonum, itemque plenus aer, plena terra. plenum mare, plena denique, quæ subterranea sunt omnia; ac quemadmodum quidam sapientium nostratum adeo nihil est, in rerum natura vacuum, vt ne sit quidem, quo capillum inicias.* Refert etiam Ægidium Roman. S. Thomæ auditorem, & germanum discipulum in 1. d. 1. p 1. qu. 2. a. 1. resolut. dubij 1. quare & hanc esse S Thomæ mentem, vt nu. 6 sub init. censui, mihi dubium non est; idque multis aliis, præter rationem à nobis datam probat Bubalus à versu, *vnica propositio*, aduersum *his positis* tum ex qu. 50. a. 3. corp. vbi, *Angelos esse, in quadam multitudine maxima omnem materialem multitudinem excedente*, & eodem discursu, vsus 2. contr. gent. c. 92. citato similiter concludit, *excedunt igitur in num. intellectuales substantiæ separatæ omnium rerum materialium multitudinem.* Nec quod duobus illis, q. 112. a. 6. & q. 6. de pot. a. 6. speciei, & naturæ corporeæ, nominibus vtatur expresse huius doctrinæ restrictio, ad speciem numerum putanda es, in iis enim, quæ omnibus naturæ indiuiduis, & singulis non conueniunt natura, & species abstractè sumpta non sumitur; sed pro tota eius massa ex suis cunctis indiuiduis conflata. Sic dicitur natura humana, Adæ peccato, & originali corrupta, ac sanguine passione, & morte Christi redempta, à S. Thoma Patribus, & scholasticis, & conciliis frequentissime. minus benè insistit Bubalus citato versu *his positis*, testimonio ex c. 14 de cælesti Hierarchia à Vazquez, & nobis aperte, reiecto, & si eo, non solum. S. Thomas, sed & S. Bernardinus Senensis, t. 4. serm. 48. de amore misericordiæ fol. 272. ad eandem conclusionem tuendam vtatur: efficacior est textus à Bubalo pro eadem conclusione eodem versu adductus, ex Cyril. Hierosol. Catechesi, 15. sic scribente. *Nam pro locorum magnitudine cogitandum est. Si hæc nostra terra tanquam centrum est in medio cæli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cælum, quod terram ambit? & cæli cælorum habent certe immensam multitudinem, scriptum est enim millia millium &c.* (Daniel. 7.) *Non quod hæc solum esset multitudo; sed hæc maiorem Propheta dicere non potuit.* Sed certe conclusio hic tradita non alia est, quam Danielis conclusio, de absoluta innumerabilitate Angelorum à nobis, numerisque nostris, non autem de comparatiua; tametsi ratio à Cyrillo insinuata illis primis verbis ad comparatiuum etiam excessum ire videbatur. Tenuit tamen illa merito Cyrillus, atque ad suam, & Danielis conclusionem, restrinxit: quia ad excessum, comparatiuum multitudinis Angelorum respectu corporum indiuiduorum omnium inferendum viribus eam destitui vidit.

4. Primo quia cælo non solum Angelis, sed etiam hominibus habitatoribus prouisum est, non solum, qui erunt, sed quibus, vt possent illud incolere Deus, de axiliis mediisque, siue proximis, siue remotis prouidit, voluit que serio, & si inefficaciter, saluari; ij vero omnes homines sunt, vt hoc controu. 1. in ordine 4. de Deo vno, iis igitur omnibus de habitatione, spatio, nec quidem Angusto, sed decente, & amplo, vti & innumerabilibus Angelis prouisum est, vt iam dicam. Tot autem Angelis 6. etiam si minutissimis omnibus corporibus numero, non æquent nedum, excedant) & hominibus decenter capiundis amplissimi ex corporibus empyrei, Beatorum sedis, magnitudo non redundat. Secundo neque Dei summi imperatoris, neque cælestis aulæ suæ maiestatem, & ornatum, neque beatorum Angelorum, ipsius incolarum principum dignitatem, decet illam quasi farciminatam Angelis esse: vti ex creatis Principum aulis patet, quibus, & ampliora ædificia, & cuiusque muneris, & ministrantium habitacula, & officia, quam vt Reges, & ministrorum, & ministeriorum operibus opus sit, & Principum, & Palatiorum maiestatem, & ministrorum, pro vniuscuiusque gradu, dignitatem commendant: eoque magis, quo fuerint ampliora quod si, & Angelos, & homines propria voluntate damnatos, non autem, quia in Dei voluntate, cælestique illa aula paratum locum non haberent, recenseas, quantum ratio hæc virium habeat facile recognosces; qua discursus Bubali nostri disparent. Nec satis est, cum Angelos natura sua, tum homines, ex beatitudinis conditione penetrabiles esse, & vt Deo commodius decentiusque assistant, debere esse confertim coniunctissimos, vti principi semper eorum ministri solent. Ea enim locorum amplitudo, ne miraculose penetrentur, alteriue extra locum alterius necessario esse debeat non designatur; sed vt alter extra alterius locum, vt velit esse, pergereque suo modo, & quasi deambulare queat: atque tantis Principibus habitatio intra Palatium tantum Dei maiestate, & ipsorum excellentia digna assignetur, Deo vero, cum vniuersi loca immensitate sua indiuisibili, tum speciali assistentia empyreum replenti intimi, ac propinquissimi, Beati omnes, Angeli & homnes sunt, essentque reliqui, si, vt potuere, saluarentur. Idque solum nobis confertissima, illa Angelorum turba Deum, quam prope circundante, quo possunt modo significant, certe, si hac de re indicium tandem meum proferendum sit: cum affirmatiua sententia ab authoritate (cui inniti eius Patroni volebant) scripturæ & Patrum, nil habebat firmitatis, & rationes, quas tactas à Patribus putabant, vel à se inueniebant, sint adeo inbelles; nec pro negante sententia, quidquam præter immeritam admirationem de maiori numero Angelorum quam sit, multitudinis coniunctæ ex arenis, foliis, floribus, stellis, herbis cunctis, afferatur breui me expediam.

5. Censeo rem nobis prorsus dubiam, & incertam, atque soli Deo notam, & Beatis (vt de absoluto numero Angelorum aiebat Dionys. Areopag reci-

tatus, num.6.) nusquamque, à nobis definibilem, ita Recentiores, ac non admodum priscos Doctores scholasticos censuisse fatetur Bubalus, præcipuus affirmatiuæ sententiæ, adstipulator, patetque, ex Caietano, & Ferrara, citatis, num. 6. & si immerita admiratione proxime memorata ab Angelico Doctore (vti eis tacitus consentiens Molina notet ad citatum art. 3. d. 1. §. *Conclusio D. Thomæ*) & alij defecerint, item constat, ex Valentia ad qu.50. art.3. punct.3. Vazq. disp.180. c.2. Ioan. Præpol. ad eundem art. 3. § *verum nihil*. Soarez supra citato, c.12. & 13. atque infra citandus, ex. 1. p. lib.6. de prædestinat. Quiros citat. d.52. sect.5 §. *quantus sit*; quamuis tam hic, quam Molina, & Thomistæ, & reliqui Dominicani cum Caietano, & Durando admiratione illa in debita perculsi rem nobis incertam esse, non ita simpliciter doceant, vt non potius, affirmantem sententiam, S. I hom. indignam iudicare, & horrere videantur. Reliquis vero citatis pro nostra conclusione consentit Arriaga, d.1. sect 4. n.13. §. *vltimo de numero*. Certe cum S. Thomas, Antoninus, & Bernardinus Dionysij Areopagitæ (cuius tanta in rebus angelicis authoritas) sententiam illam esse censerent, pie, & laudabilissime discursus illi pro ea tuenda instructo institerunt; tametsi postea Dionysij mente meditatius indagata, eius discursus firmitatem per otium tentantes scholastici, pietate, simili inuenerint, imbellem, etiam si Angelis multitudo dæmonum addatur.

6. Denique duo restant obseruanda. Primum contra sententiam memoratam Caietani, Ferrariæ, & reliquorum Recentiorum Dominicanorum ex mente S. Thomæ distorta, vt vidimus. Nempe Angelorum numerum, excedere cunctis speciebus corporeis simul sumptis. Cum enim asserant iidem indiuiduum quemque Angelum simul specie à reliquis omnibus differre innumeræ Angelorum species absque vllo fundamento inducentur de facto ex vsu hoc multitudinis specierum; cum tamen vix hierarchiarum, & chororum graduumque in his diuersitas ab scriptura tradita ad eorum species multiplicandas sufficiens fundamentum doctis cordatisque aliquibus Theologis sit, alijs adhuc non indoctis, repugnantibus, vt qu. sequente, patebit. Quæ planè ratio vrgentius premit Thomistas Dominicanos reliquos, quia reliquorum omnium indiuiduorum numero Angelorum multitudinem excedere putabunt cum iidem quasi ex S. Thomæ mente de multiplicatione specierum pro indiuiduorum Angelorum diuersitate cum Dominicanis illis conueniant.

7. Secundo: contra innominatos aliquot apud nostrum Arriagam, qui excessum numeri Angelorum respectu indiuiduorum omnium corporeorum coniunctim sumptorum docente, vt illud incredibile atque ipsis proinde absurdum, illarum de excessu multitudini, arenarum, foliorum atomorum euitent, addunt S. Thomæ, & suam hanc sententiam, de indiuiduis corporeis de se totalibus, & incontinuis ac, separatis, quia determinatam magnitudinem requirunt (cuiusmodi animalia, & viuentia omnia sunt) non autem de indiuiduis totalibus, & per accidens separatis, vt arenis, atomis contingit intelligendam esse: quasi in seminum omnium granis, vermiculis, & animalculis minimis, pediculis, cimicibus, pulicibus, herbis floribus, & aliis, minutissimis piscículis, &c. quæ omnia de se indiuidua totalia, atque à similibus speciei eiusdem separata, & minutæ determinate magnitudinis sunt) satis incredibilitatis, & absurdi, quod reputant, non maneret, sed & illud mirabilius est quod iidem addunt. Nempe, conclusionem hanc suam de excessiua magnitudine, hac Angelorum numerica verum habeat casu, quo specie eiusdem Angelicæ plura indiuidua sint, secus, si vnum tantum speciei cuiusque sit. Numerus quippe hic comparatiuus Angelorum, si cum aliquo quali quali, adhuc apparenti fundamento asserendus de facto est, cum puri arbitrij diuini tandem sit, ex scriptura solum, & Patribus, vtcumque, vmbratice, intellectis asseri debet in quibus de numero eorum hoc comparatiuo (si velis) absolute est sermo, quin eius conditionis, quod eiusdem speciei atomæ plures Angeli sint, aut non sint, vel vmbra reperiatur. Secundo valde mirum etiam ex ea conuenientia in specie atoma Angelorum plurium, quæ duobus solum productis verum de facto haberet adeo eorum numerum de facto crescere, vt immensam iliam corporum, inanimium, & viuentium, & animalium indicatorum multitudinem de facto superet, & excedat: quare opinio hæc inanis delirij cogitatio, & dormientium potius, insomnium, quam Theologica sententia est.

CERTAMEN VII.

De numero comparatiuo Angelorum cum tota hominum collectione aliorum sententiæ reiectæ.

1. DE numero comparatiuo Angelorum secunda difficultas est, an multitudine omnium hominum sit maior? in qua prima sententia sit verum, aliquot Athanasio, vt minimum coæuorum vtrorumque numerum æqualem existimantium, vt ipse refert, qu.2. libri quæstionum ad Antiochum pro qua inducebant illud Deuteron. 32. *Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum*, vt legunt Septuaginta interpretes, verum vulgata lectio ex hæbraica fundamentum euertit, legit, *iuxta numerum filiorum Israël*, & alterius lectionis sensum nobis aperuit, filios Israël, & subinde speciales filios Dei præ populis gentium, Angelos vocans, qui filij Dei non semel in scriptura leguntur: id quod patribus aliquibus occasionem (vt supra vidimus) dedit aberrandi, vt Angelos mixtos mulieribus crederent, ex eo quod filij Dei ad filias hominum ingressi ab scriptura dicantur. Secundo euertitur sententiæ huius fundamentum ex intento capitis, & versu 6. exprobrandi Israelitis in adeo benè cum patrem suum Deum ingratitudinem. Primum speciale beneficium Israelitico populo refert numero illo 8. quod scilicet, *quando diuidebat altissimus gentes quando separabat filios Adam*, cuique de terra & regione in qua viueret, & habitaret prouidens; regionem opimam, quæ multitudini filiorum Israel non ad necessaria modo, sed ad delicias sufficeret, ac superesset, quasi filiis dilectissimis, vt narrate minutim pergit textus, ob fundamenti debilitatem scholasticorum nemo huic sententiæ adhæsit.

2. Secunda sententia, operæ maioris (an vero maioris veritatis nescio) nullum nominarum scholasticum habet Patronum; refertur tamen ex veteribus nescio, quibus ab eodem Athanasio ibidem. Docet autem, Angelorum numerum omnium hominum multitudine esse minorem, fundamentum duplici ex capite sumitur. Primum, ex vulgata Patrum sententia de Angelorum apostatarum sedibus, ex prædestinatis hominibus separandis. Secundum, ex multitudine Angelorum apostatarum, quæ tertia creatorum omnium esse putatur, ex Apocalypsis, 12. vbi draco, seu lucifer tertiam stellarum partem, id est Angelorum, cauda secum è cælo traxisse fertur. Primum docent August. 22. de ciuit. c.1. med. & c.28. 6. & 61. Enchirid. Athan. vbi proxime, Beda in id, ad Ephes. 1. *Propterea fuit restaurare omnia in Christo*. Anselm. 1. *Cur Deus homo?* c.28. addens, oppositum, *sine anima periculo*, non posse defendi, Isid. 1. de summo bono, c.12. n.13. Greg. Magn. 31. moral. cap.19. & hom.34. & 24. in Euangel. secundum autem Ecclesiæ sententia videtur: quæ ex verba de bello ab Angelis Michaële duce, cum Diabolo, & dæmonibus è cælo in barathrum detrusis, in illius festo intelligit, illique applicat. Cum autem tertia hominum parte minor multitudo prædestinatorum, saluandorumque sit, (vt Patrum communis sententia

tentia fert, & proh malum fere oculis cernimus,) fit plane: duas alias hominum præscitorum partes Angelorum bonorum numero valde excedere, ac minuta sui parte Dæmones æquare: ac proinde totum creatorum Angelorum cætum omnium hominum conuentu longe esse minorem.

3. Verum argumentum hoc parum roboris habet, & assumit incerta. Nam illud de tertia parte stellarum Draconis Cauda è cælo deturbata, non de Angelis & lucifero, & cælo, in quo sunt conditi; sed de cælo mystico Ecclesiæ, ex hominibus, qui in Ecclesia Dei, vt stellæ lucebunt interpretatur Ricard. 4. in Apocal. glossa S. Ambrosij in eum locum prælium hoc fuisse Christi, & Apostolorum, Michaëlis, & Angelorum nominibus signatorum, cum Dracone, & Angelis eius Iudæis in Christum certantibus determinate intelligit. Communis interpretatio Michaëlis, & Angelorum, cum Diabolo, & Dæmonibus homines internis motibus instigationem horum in malum, & illorum contra inspirationibus in bonum trahentibus prælium designati in quo Diabolus tertiam partem, id est magnam hominum copiam, traxerit secum Patres, & interpretes copiose referunt Vasquez d.215. c.2. Viegas. in Apocalyps. 12. vbi etiam Ribera, prælium hoc Angelis cum Antichristo, eiusque satellitibus, sub mundi finem iuuando fideles, vt ipsos superent, neque gloriæ consecutione frustrentur futurum describi putat. A qua interpretatione parum distat Alcassar noster, ibi q. 3. eum locum de bello contra Idololatras nomine Diaboli, & Angelorum eius significatos à Christo Domino, & fidelibus, Michaëlis, & Angelorum nomine significatis habito, & habendo, quam interpretationem fuse probat, & Cyrilli, Nazianzeni, Basilij, Augustini, Gregorij, & aliorum testimoniis confirmat. Magnus Gregor. de bello, de personis, & materia discordat. Censet enim Angelicum dæmonibus, tunc fore, vt hos in infernum, præcipitent, sic enim ait, hom. 34. in Euang. *Vnde & ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupiuit, dum in fine mundi reliquetur extremo supplicio perimendus cum Michaële Archangelo præliaturus esse perhibetur.* Quod si, nec de prælio in cælo bonis Angelis contra Apostatas, iuxta has interpretationes, & earum quamuis, præcipuæ, & communis appendiculum, sit sermo deturbata tertia Angelorum pars firmo aliquo fundamento non constat, sed hominum potius, & sententiæ huius probatio euanescit. Verum & si de prælio in cælo inter Angelos, ac Dæmones eorumque ducem & Apostatas detrubatione (de quo non ex institituto inferius) sit sermo. *Vt vulgus putat* (inquit Ribera) ab Ecclesia intelligi, argumentum aliunde euanescit. Primo enim tertia stellarum, seu Angelorum pars Draconis è cælo tunc tracta dicitur certa parte, & numero comparatiuo sumpto, pro incerto, & indefinito frequenti scripturæ locutione, vt multitudo eorum magna tracta significetur, vti multa eruditione sacra obseruarunt. Maldonatus, in id Ioannis 10. n. 12. *Ecce totus mundus abit post eum*, Lorinus. Psalm 89. ad ea verba. *Mille anni ante oculos tuos*, Psal. 104. ad illa verba, *quod mandauit in mille generationes.* Quo etiam pacto, nil eo argumento, pro præfata sententia concluditur: cum tertiam determinate partem Angelorum è cælo electam supponat.

4. Secundo lapsorum numerum, saluandis hominibus explendum (sine quo nil ratio probat) incertum etiam est Athanasio, Isidoro, & Anselmo locis citatis, solique Deo cognitum. Nec locus ad Ephesios 1. & aliis ex Psalm. 109. *iudicabit in nationibus implebit ruinas*, ex quibus Patres memorati, atque alij aiunt explendas sedes vacuas Dæmonum, satis non vrget. Tum quia pro instaurare. Hieron. vertit *recapitulare*, id est ad vnum caput scilicet Christum omnia, siue omnes tam Angelos, quam homines in Christo redigere significat, vt ipse Chrysost. Theophilact. Anselm. & alij apud Cornel. à Lapide. Sed instauratione, vt contenditur admissa restauratione, non æqualitate numeri, sed qualitate virtutum, & gloriæ à malis Angelis perditarum censent aliqui Doctores ignominati, nec reprobati à Bubalo ad citatum art. 3. quæsito vno diffic. 3. § 3. versu, *non desunt etiam*, id, quod videntur satis indicasse Augustinus in Enchirid. cillo 62. sit fatus; *in Christo instaurantur, qua in cælis sunt, cum id, quod inde lapsum, est, ex hominibus reædditur*, quæ non tam numerum personarum, quam aliquid in cælo per lapsos perditum, atque in cælo per ipsos habendum, si stetissent, videntur innuere. Et Gregorius adhuc clarius cit. lib. 31. moral. c. 19. *in ipso instaurantur ea, qua in cælis sunt, vnde Apostatæ Angeli superbiendo recesserunt.* Huiusmodi autem instaurationi, vel sola præcipara, non solum sufficit, sed excedit. Denique tertiam illam partem Angelorum chori, vnius, & respectu illius, non autem Angelorum omnium fuisse probabilis S. Thomæ opinio est 1.p.q.63. a.9. ad 3. Nec cum eius ratione, pro longo maiore numero Angelorum, quam sit corporum omnium multitudo potest oppositum defendi, neque lapsorum Angelorum, numerus tota cunctorum (nedum prædestinatorum tantum) præsertim hominum multitudine expleri. Postrema hæc duo præsertim illam Psalm. 109. Confirmationem æque debilitant, & si intentus sensus eis verbis contineatur, ac non alij valde diuersi, de ruinis infidelitatis, & peccatorum hominum, vt ait Molina citato a.3. d. 2. fine.

5. Difficilis locus Gregorij hom. 31. in Euang. pro hac supereſt sententia, communiter ab eius impugnatoribus dissimulatus, sic habet *Superna illa ciuitas, ex Angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contingit Angelos remansisse:* quod si pauculus prædestinatorum, saluandorumque hominum, præ reprobis numerus saluatos Angelos, duplo, vt minimum, lapsis plures, numero exæquat, lapsisque subinde plus duplo, triploque, reprobi homines numero excedunt: tota hominum collectio, creatis Angelis cunctis longissime excedet. cui fauent. Anselmus lib cur Deus homo c. 18. & Augustinus citatis locis, putantes plures homines saluandos, quam Angeli perierint, & indefinite plures. Notanda præsertim sunt hæc, ex c.19, Enchiridij, & 22. de ciuit. c.1. de gratia Dei hominibus collata: *Vt inde suppleat, & instauret partem, qua lapsa est, Angelorum, ac sic, illa delecta, ac superna ciuitas, non fraudetur suorum numero ciuium, ac foriasse vberiore latetur.* Cæterum quantus linguæ Latinæ peritis, non numerum, sed magnitudinem, & excellentiam in aliquo substantiui; cui adiungitur, significat. & ipso Gregorij textu satis denotatur, si enim minus proprie loquens, vtrorumque numerum vellet æqualem denotare *tantos* homines dixisset, *quantos* remansisse Angelos contigit, nec tantum ascendisse, sed auctam esse numero humanam naturam, loquitur ergo de magnitudine, & excellentia sanctitatis, virtutum, & gloriæ, ad quam in prædestinatis euecta est, & ascedit humana natura, vt eam, ad quam, quantumuis, magnam Beati Angeli pertigerint exæquet, quæ sententia non est alia ab ea, quam ex ipso recitabamus, proxime n.4. Anselmi, & Augustini loca, nil huic sententiæ, fauent: siquidem non definiendo; sed pie ac sub dubie discurrentium de iis, quæ fieri possent, verba sunt, quamuis de æquo saluandorum hominum, & lapsorum Angelorum, numero assertionem particula fortasse non præcedat. Ac tandem illa particula *vt inde* factum non denotat; sed Dei intentionem in gratiæ donis homini collatis, quæ efficax finis gloriæ absolute non fuit, neque esse. vt vidimus controu. de voluntate potuit: quare neque ex ea præfatus numerus prædestinatorum de facto asseritur ab Augustino: sed quatenus ex Deo, eius voluntate, & gratia, quam ex ea intentione, & voluntate, vt impleatur, ex his & instauratur, tantum gratiæ sit hominibus impertitum vt equus saluandorum, imo excedens lapsorum Angelorum multitudini numerus foret si omnes responderent.

6. Tertia sententia absolute docet rem hanc, siue ab authoritate scripturæ, & Patrum, siue à ratione, esse nobis prorsus indefinibilem, & incertam, æque,

ac de numero comparatiuo eorundem cum corporum omnium collectione diximus cert. 5. num. 4. ita censet Molina ad citatum art. 3. d. 2. fine Soarius 1. p. lib. 6. de comparatione prædestinatorum, & reproborum c. 3. Quiros citat. sect. 5. n. 51. & 52. & si enim de numero absoluto videatur locutus, tamen cum relatis prius sententiis de numero comparatiuo suam conclusionem statuat (atque sine numeri 52. earum fundamenta præ eorum leuitate asserat solutione non egere, de comparatiuo etiam loquitur eidem sententiæ consensit Vasquez citata d. 181. c. 3. si tamen S. Brigitæ reuelatio à Dionysio Carthus. memorata, ac postmodum à nobis referenda, non adest; cuius sanctitati tantum merito tribuit, vt quamuis rationi, & authoritati standi nihil definiri cum fundamento, posse arbitretur, tamen ex ea reuelatione pro maiori valde Angelorum, quam hominum numero demum steterit. Sententiæ huius fundamentum positum ab ipsis, & fusius à nobis hactenus, est duarum sententiarum à fundamentis difiectio. Solum restat fundamenta sententiæ asserentis Angelorum numerum maiorem omnium hominum numero esse difficere, id Molina, & Vasquez factu facile factumque esse putant ostendentes hominum cuiuis & si Angelorum ex infima hierarchia, & superioribus aliis numeri minutioris, & vt plurimum, choro eius infimo (qui angustior adhuc reliquis eiusdem Hierarchiæ choris est) custodia deputetur. Nihil tamen inde potest, pro maiore Angelorum, quam hominum, numero concludi: cum idem Angelus pluribus hominibus custos deputari à Deo possit, saltem successiue, vt defuncto primo eius cliente, & pupillo homine aliis, atque aliis succedentibus, possit iterum, atque iterum, eorum custodia delegari cæterum neque hoc vnicum, ex Patribus, & ratione Theologica pro maiore Angelorum, quam hominum numero augmentum est, vt cert. 8. iam ostendam. Nec, si vnicum foret, demonstrationem certumque, & irrefragabile fundamentum non esse solum modo probaret euasio: cum tamen ab eius sententiæ Patronis probabilius tantum esse, & probabiliorem illam reliquis ostendere contendatur; & quidem Vasquez ipse, sic respondens, amplius aliquid Paulo superius dedisset ibidem §. *si numerum* ex dicendis à se d. 245. dixerat enim. *Non est autem verosimile eundem Angelum successiue diuersorum curam habere.* Quo à verisimilitudine, & proinde à probabilitate euasionem, quam postmodum huic argumento adhibuit anticipato exclusit, & consectarie ad ea, quæ d. 245. c. 1. n. 2 §. *Verum communis sententia Patrum, & scholasticorum* erat dicturus: nempe singulis hominibus, singulos Angelos deputatos negari, sine temeritate non posse. Cui consone censet Molina q. 113. d. vp. quæ est vltima de Angelis §. *quod autem vnicuique*, ex communi, & expressa Iustinini Martyris sententia.

CERTAMEN VIII.

Magno valde numero creati Angeli cunctis hominibus excedunt; excessus tamen determinatus nobis ignotus omnino, & indefinibilis est.

1. INteger titulus communis sententia Doctorum scholasticorum, & sacrorum interpretum est, tametsi primam eius partem magis expresse tradiderint, secunda parte, seu conclusione, vt plurimum, ab eis omissa; quia ea de re non solum decerni nequeat, sed, ne quidem disputari, cum probabilitate pro aliqua parte possit, vt mox ostendam. Primam igitur partem seu conclusionem præfixam docet Valentia d. 4. q. 1. punct. 3. §. *Secundo probatur* iunctis his quæ de Angelis tutelaribus, ac Dæmonibus hominum tentatoribus docet, d. 8. q. 6. p. 4. Vasquez, vbi proxime. Bubalus citata diffic. 3. per totam. Ioan. Præpositus, ad citatum a. 3. §. *Hanc igitur*, sub fin. iunctis maxime, quæ docet ad. q. 64. post dubia, ad. a. 4. tract. vltim. de Angelis, quod inscribit. *Brevis tractatus ex eodem* dub. 3 §. *Certe communem.* Arriga citat. d. 1. sect. 4. num. 15. §. *Adverto secundo*, stant pro eadem Raymundus Sabaudius in sua Theologia naturali tit. 219. licet aliquot non adeo solidis rationibus vtatur, Iodocus Lorichius Thesauro nouo vtriusque Theologiæ verbo *Angelus* num. 4. Æneas Gazeus Platonicus, & Christianus Philosophus Cenone Imperatore libro inscripto Theophrastus, t. 8. Biblioth. Veter. Patr. illis verbis, *sed & si mortalium in decies millies annos hac externis sensibus exposita vita producatur, nunquam tamen opinor tanta Angelorum, & Dæmonum multitudini humanarum animarum numerus par erit.* Nec, quod de æternis Beatorum Conuiuiis apud Elysæos campos addit, ex propria sententia, sed ex Platone, & Socrate & metaphorice, laudatque, quatenus Catholicæ veritati, quam vbique tradit explicandæ inseruiunt, & si pia interpretatione vir philosophicis locutionibus assuerus egeat quandoque. Pro eadem quoque sententia stat Ægidi Rom. supra, & quotquot Thomistæ certam. 5. numerum Angelorum omnium corporum multitudini præferebant; quotquot item omnibus & singulis hominibus singulis Angelos custodes designant: & commune Patribus ac Theologis esse, & oppositum, subinde temerarium Vasquez noster aiebat: quod ipsum de Dæmonibus tentatoribus censetur Patribus, & Theologis, & Philosophis pluribus, quos d. vlt. de vtrorumque officiis, & ministeris agentes recitauimus; inde ergo probationes, à ratione Theologicas inchoemus.

2. Idcirco prima sit. Angeli custodes, vt plurimum, omnibus, & singulis hominibus singuli, & proprij vnicuique, nec vnus pluribus simul, nec successiue adsunt: ergo Angeli infimæ Hierarchiæ, & chori etiam infimi, numerum omnium hominum exæquant. Probatur consequentia, quia ex eo infimo choro omnes hominum custodes, vt plurimum deputantur, ex communi Theologorum sententia: quare tot in eo choro Angelos, vt minimum esse, quot homines omnes sint, necessarium erit, si verum sit antecedens. Dixi, autem, *vt minimum*, quia eius chori Angeli plures aliis ministeriis pro Dei, nutu obeundis creati atque nati sunt: inde vero infertur rursus: ergo multitudo tota hominum superatur ab Angelorum numero, minore, quam octo chori Angelorum, reliqui & superioris, ipso constituunt. Antecedens, ex quo vtrumque legitime infertur, probandum per partes est. Et primum, quod singulis, & omnibus (abortiuis excipe) hominibus custos Angelus à Deo deputetur ad dogma Catholicum Theologicum, ac fors fidei nostræ formaliter, vel saltem proxime spectat: quod autem, vnus Angelus pluribus hominibus custos non detur, certum est. Cum hi pro suo arbitrio, quisque ab alio disiungi possit, ac de facto sæpe ad tantam distantiam disiungatur, & migret, vt nequeat Angelus vtrumque simul custodire, atque opportune vtrique pro periculis, occasionibus, casibus, & tentationibus succurrere. Quod vero, nec pluribus vnus idemq; custos successiue deputetur, expressa sententia est Iustini, Martyris, q. 30. ad gentes, & oppositum vero simile non esse censuit Vasquez huius argumenti euacuator, ac cæteris Theologis est commune, vt omnes probabile doceant, nemoque oppositum sequatur. Est insuper Thomistarum omnium vtriusque scholæ Dominicanæ, & Iesuiticæ cum suo præceptore Angelico q. 113. a. 2. vt videbimus D. vlt. citata. Sed eius rationes hic perstringam. Primam ex corp. articuli, vbi ait: Angelos, vtpote Diuinæ prouidentiæ ministros executores, quæ corruptibilibus, in ordine ad rerum perpetuitatem præcipue attendit, speciebus horum à Deo singulis deputari: quare & hominum singulis animis perpetuus deputari etiam debere Angelos singulos eius verba sunt: *Prouidentia Dei comparatur ad singulos homines, sicut comparatur ad singulas species rerum*

rerum corruptibilium, non autem, ad earundem specierum singularia: sed diuersi ordines Angelorum deputantur, secundum Gregorium diuersis rerum generibus: vnde etiam rationabile est, vt diuersis hominibus, diuersi Angeli ad custodiam deputentur. Secundam ex solutione ad 3. *quia ex diuersa hominum dispositione ad vltimum finem media, & præsidia diuersa Angelorum adhibenda sunt vnde custodum Angelorum custoditus aliorum resistentia, & discordia Angelorum circa, homines sibi commissos obseruata ex scriptura à Gregorio 17. moral. in Iob. cap. 8. contigit: dum quod commisso Petro huic, Angelo ob eius dispositionem prodiit, alteri, cuius custodiam alius Angelus agit, ob eiu dispositionem diuersam obuiit, ad finis consecutionem: quare & singulis diuersa Angelorum præsidia, & custodiæ debent designari: sicut, ob motuum diuersitatem, calis diuersis Angeli tribuuntur*

3. Tertia ratio, quæ & proximam confirmat, est. Quia in naturæ siue in naturali prouidentia diuersis vsibus etiam successiue habendis idem instrumentum non præstat, ne naturæ seu prouidentiæ naturalis Dei instrumentum inopia absurda arguatur, atqui eademinopia Deo indigna arguitur, si vnus Angelus, qui Petri, v. g. curam, & custodiam egit, eo vita functo succedenti Francisco custos designetur, quasi aliun non habeat Angelum Deus, vel præuidentiæ & voluntatis curtitate nolit alteri Angelo custodiam Francisci committere: ergo nec successiue eidem Angelo alterius ab eo, qui custos primùm designatus est, cura à Deo committitur. Maior fuit Aristotelis digna obseruatio, ex diuersitate organorum vitium in animalibus ad diuersa munia obeunda 4. de partib. animal. c. 7. hæc verba. *Instrumentum non idem ad vsus dissimiles haberi, si fieri potest &c. Nil enim tale natura facere solet, quale per inopiam as.* Quarto probatur: Cum ex Dei erga omnes homines amore, & salutis eorum desiderio, tum ex Angelorum excellentia, & dignitate. Primum enim valde commendatur, si in cuiusque salute vnum Angelum custodem, & officia eius, in totum, vt sic diam, impendat; minuitur autem, si eum alteri custodem designet, cum quo, custodiæ officia partiatur. Maxime cum ex custodiæ, erga primum prouector ad custodiam, eiusque officia erga alium obeundi, Angelus non euadat: ex qua solum prouectione, in hominibus, qui alterius Pædagogus probatus fuit, solet à Patre filij sui eligi Pædagogus; tametsi alias decentius eligeretur alius, qui alteri, in eo muuere non seruisset; excellentia vero, & dignitas Angelorum exigere videtur, ne pupillo primo defuncto, alterius pupilli post modum, quasi mercenarius Pædagogus, cuiuis custodiendo expositus, curam significat, & si enim, ex obedientia, & obsequendi Deo amore, & humilitate hominum custodiam Angelus suscipiat, satis eius in Deum amor obsequentissimus, & humilitas, in vnius hominis custodia suscepta exercetur: vt Hieronymus, Bernardus, aliique Patres expendunt. Quibus etiam virtutibus, & si superioris chori Angeli non minus vigeant, eorum tamen dignitas ita à Deo attenditur, vt ad nullius priuati hominis custodiam præcise vllus vnquam sit missus. His igitur rationibus satis antecedentis illius primi veritas suadetur: ex quo legitimis, vt vidimus illationibus, octo, vt minimum partibus Angelos cunctos multitudini omnium per cuncta sæcula hominum excedere monstratur. Dixi autem, *vt minimum*, quia, si quo gradu chori, & hierarchiæ superiores sunt, eo inferioribus Angelorum numero excedunt, (vt probabilis plurium sententia fert) maior longe hic erit excessus; quod si Sanctæ Brigittæ reuelatio inferius subiicienda (quam tanti Vasquez noster merito facit) de Angelis pro quouis homine decem, de creatis ad custodiæ hominum ministerium (vt æstimo) intelligatur, decies, & amplius multo, (certo numero pro incerto, vsurpato) excessus Angelorum, in numero hominibus vniuersis esse coniungetur; & is quidem, ex Angelis custodibus hominum solummodo arguendo, qui infimo hierarchia & choro sunt.

4. Amplior enim valde excessus iste deprehenditur Angelis regnorum, Nationum, Prouinciarum, vrbium, specierum omnium corruptibilium custodibus, & præfectis: quos esse ex scriptura, & Patribus didicimus, quis, & de quibus, d. vlt. citata eruditione, non pauca ab antecessoribus Theologis nostro præsertim Bubalo collecta, cit. a. 3. quæst. vnic. dissic. 2. §. 1. & vnico: satis nunc proinde sit Patrum loca indicasse Dionys. de cælesti Hierarchiæ c. 9. iuxta accuratam præsertim nostri Lansel. diuisionem Clement. Rom. 2. Recognit. Athenagoras Legatio pro Christian. Nazianz. orat. 32. ante med. Basil. 3. contra Eunom. sub init. Hieron. Dan. 10. ad id *Princeps Regni Persarum restitit mihi.* Isidor. Pelusiota lib. 2. ep. 55. Theodoret. q. 3. in id Genes. *Statuit terminos gentium pro numero Angelorum Dei.* Gregor. 17. moral. c. 8. Isidor. 1. sententiar. c. 10. alias 12. qui de gentium, Regnorum, Prouinciarum, custodibus expresse loquuntur; de Angelis vero specierum corruptibilium eadem claritate Origen. hom. 14. innumeros Augustin. q. 79. ex octoginta tribus, init. Damas. c. 2. de fide c. 4. init. Andreas Cæsarien. qui floruit circa annum Domini quingentissimum, id explicans Apocal. 14. *qui habebat potestatem supra ipsum.* Nec dissensit Hieron. in id Abacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui &c.* stultitiæ damnans librum, qui Angelum *Tyrum* nomine præesse reptibus, & alios aliis generibus piscium, animalium, & plantarum ait. Diximus enim de omni scientia, & omni prouidentia Dei agentes specialem Dei, & Angelorum erga homines prouidentiam, erga alia etiam à Hieronymo, solummodo negari, vt Molina Vasquez, & Theologi reliqui eius restimoniis ostendunt. Horum omnium custodiam proinde, & præfecturam Angelis deferunt S. Thom. q. 113. a. 1. corp. ex Platonicis, & Philosophis sapientioribus, & a. 2. Ampliatur secundo Angelorum numerus comparatiue, ad homines ex numero Dæmonum tentatorum, qui totidem, ac custodes sunt, & singulis hominibus singuli ex Patrum, & Ecclesiæ Catholicæ perpetua sententia. Ita Hermes Pauli Discipulus t. 5. Biblioth. circa annum Domini 120. lib. 2. mandata 6. Gregor. Nyssen. de hominis opificio versus lib. med. Cassian. Collat. 8. Abbat. seren. c. 17. Theodoret. ad. c. 10. Daniel. Origen. 3. periac. c. 2. ex peruetusto libro de *Pastoribus*, maximæ apud Patres, authoritatis, & ex epistola S. Barnabæ; & si apochrypha, Tertullian. lib. de anima. c. 39. S. Antiochus ante annos mille circa annum Domini 614. Florens lib. homiliar. homil. 61. t. 2. Bibliot. Veterum Patr. Lactant. Firmianus lib. 2. c. 14. Greg. moral. in Iob. 16. indicat satis imperfectus hom. 5. in Matth. Chrysost. hom. 3. in caput 1. ad Colossi. Hieronym. in caput 6. ad Ephes. ad id. *Non est nobis colluctatio &c.* S. Bernardin. Senens. t. 4. serm. 48. de amore misericordiæ, & est communis & stata scholasticorum sententia cum Magistro in 2. d. 11. & S. Thoma q. 113. citat. nostri omnes Valentia d. 8. q. 6. pu. 4. & Vasquez d. 245. c. 2. censent posse probari etiam, ex illo 2. cosint. 12. *Datus mihi stimulus Carnis meæ Angelus Satanæ &c.* Patres hosce & Philosophos, non paucos recitabimus d. vlt. Sæman. excessus iste adeo magnus determinati, seu determinabilis à nobis numeri sit videamus.

5. Dico secundo. Numerus, quo creati Angeli, cunctis hominibus, excedunt incertus nobis prorsus est, nec nisi absque fundamento, à nobis determinabilis, siue absolute, siue comparatiue. Tot v. g. decem, viginti, centum, vel mille partibus, sunt Angeli plures: est communis Theologorum conclusio, & a ratione, eius prima pars demonstratur. Nequit nobis esse notus, aut cognoscibilis numerus, determinatus quo, vna multitudo rerum, alteri excedit, nisi notus noscibilisue nobis sit numerus determinatus vtriusque multitudinis: atqui numerus determinatus hominum pro quauis, & omni durationc mundi aliquando absolute existentium, nec ratione, nec reuelatione notus est, neque ratione à nobis vllatenus cognoscibilis: itemque etiam de numero absoluto multitudinis

titudinis Angelorum, vt vidimus supra: ergo neq; numerus absolutus illius excessus determinatus notus nobis, aliquo modo est, nec à ratione cognoscibilis, quare neque est, nisi per temeritatem determinabilis. Secunda conclusionis pars de numero comparatiuo excessus illius, viginti, centum, mille partibus pluribus, quam hominum multitudo contineat, si à ratione pura, & discursu, ex causis, principiisque naturalibus eadem certitudine, & firmitate, discursu eodem. Demonstratur, ac pars prima demonstrabatur: cum ad certum illum excessum comparatiuum absolutus, determinatus vnitatum, partiumue tot vnitatibus constantium absolutus vtriusque multitudinis, numerus cognosci debeat; quod quidem, ex pure naturalibus assequi minime possumus, cum vtriusque multitudinis productio, & existentia, quæ de facto est, ex libera Dei voluntate à nobis de se se ignota, & naturaliter innoscibilis, omnino pendeat: quare solum posset esse nobis notus, numerus ille, comparatiuus excessus multitudinis Angelorum hominum, multitudini ex Dei reuelatione; atqui nulla ex tot numeris, determinati comparatiue excessus illius Dei reuelatio: ergo numerus comparatiuus determinatus illius excessus ignotus nobis prorsus est, ac subinde non, nisi per temeritatem determinabilis, ac definibilis. Minor proxima nullo alio medio, aut modo efficaciori probari potest, quam ostendendo eas, quæ determinati numeri comparatiui excessus illius à nonnullis reuelationes putantur, nusquam esse determinati numeri comparatiui illius reuelationes.

6 Primam affert Dionys. Carthusian. in caput 14. Dionys. Areop. ex S. Brigitta, quæ reuelatum sibi à Deo ait, plures adeo hominibus Angelos esse, vt cuiuis hominum decem ad eius custodiam possint designari. Extat reuelatio hæc apud S. Brigittam l. 4. c. 11. quare nouem determinate ex hac reuelatione S. Brigittæ (cuius reuelationes tanti ab Ecclesia Catholica habentur) Angeli hominibus cunctis excedent. Reuelationem, (vt par est) veneror, & admitto; illationem tamen vt illegitimam multo ex capite detrecto. Primo: ex vsitata, scripturæ etiam reuelationibus, vt vidimus, numeri certi pro incerto vsurpatione, quod ad illationem infirmandam satis esset. Secunda: quia simile, & amplius Angeli pro quouis homine sint, possent cuiuis homini decem designari; quare, vt, illatio, aliquatenus teneat, oportet addere reuelationi, non posse vnicuique homini plures decem Angelis custodes deputari. Tertio: quia eo etiam addito illatio, non tenebit. Cum enim Angeli in custodiam hominum, ordinaria, & connaturali prouidentia deputandi ex infimis Hierarchia, & choro sint, infimi huius chori Angelos nouem partibus plures hominibus esse; solummodo inferretur: non autem Angelos cunctos ex choris reliquis hierarchiæ illius, & duarum superiorum, quorum quemuis, quantoque Angelorum numero, suo gradu inferiori, ac infimo excedant, an vero omnes hierarchiæ, & chori superiores, inferioribus Angelorum numero æquentur, incertum nobis, ac puræ diuinationis negotium est.

7. Secunda reuelatio, non quidem formalis, sed interpretatiua, à nonnullis affertur ex Lucæ 15. parabola de pastore relinquente nonaginta nouem oues in deserto, id est Angelos in cælo, vt vnam ouem errantem, id est humanam naturam peccato Adami, vt omnes complectitur homines, corruptam, quæreret, inueniret atque humeris impositam labore, & sudore multo suo ad gregem reduceret. Ex quo loco numerum Angelorum hominum numero nonaginta nouem partibus excedere à Christo Domino reuelatum virtualiter putant: atque à Deo ita esse vetusti aliquot Doctores defenderunt, vt refertur ab Athanas. citat. q. 2. ad Antiochum. Ex nouis autem, & nostris Bubalus diffic. 3. citat. sentire hoc ipsum videtur, dum recitanda Patrum hunc locum interpretantium testimonia perpendit, § 1. toto. Primum testimonium est Cyrill. Hierosol. Catechesi 15. vbi, hominum multitudine à mundi exordio ad sua vsque tempora inspecta, addit: *Magna quidem hæc multitudo, sed hæc tamen* (comparatione Angelorum) *pauca est. Plures enim Angeli nonaginta nouem oues sunt illæ, tu vero centesima, quoniam vnum tantum est genus humanum.* Eucherius Lugdunens. Episc. florens, circa annum Domini 450. Dominica 3. post Pentecost. *idem significant decem drachmæ, quod centum oues: vna quoque drachma, & vna ouis perdita idem significant, Nouem vero quæ restant nouem ordines Angelorum sunt.* Hilar. in Matthæ. Can. 18. *Ouis vna intelligendus est homo: & sub homine vno vniuersitas sentienda est: sed in vnius fide errore omne hominum genus aberrauit; ergo nonagenti nouem non errantes multitudo Angelorum cæstim opinanda est, quibus in cælo est lætitia, & cura salutis humanæ.* Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 15. ad eam parabolam: *dimes igitur pastor, quibus omnes nos centesima pars sumus. Habet Angelorum, haec Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit* S. Gregor. hom. 34. in Euangel. *ipse enim oues habet, cum Angelorum substantiam, & hominum creauit; sed vna ouis tunc periit quando peccando homo vitæ pascua dereliquit in cælo.* Athan. serm. in Christi verba: *Profecti in pagum inuenies ibi.* id. circo *veniet saluator relictis nonaginta nouem ouibus, qua non errauerant* (vtique in cælo) *vt ade profectus, quæreret ouem errabundam.* Tot autem, tantorumque Patrum consensus, in eius loci interpretatione, & intelligentia numerum excessu Angelorum comparatione ad homines facta virtute, & implicite saltem ibi contineri satis superque suadet.

8. Sed certe argumentum hoc adeo leue est, vt rigidissimus, ex scholasticis argumentorum vsu, ab scripturæ, vel Patrum authoritate, ad rem Theologicam petuntur examinator Vasquez, cum hoc ipsum, pro sententia affirmante plures absolute Angelos, quam homines esse produxisset cit. d. 180. c. 3. Refert etiam, atque aliis productis pro sententis aliis respondisset, § *quare, & ego*, immediate sequente, huic tamen per neglectum, vti solutione prorsus leuitate indigno, respondit sub eiusdem paraphi finem. Maldonatus vero noster accuratissimus scripturæ interpres (primus ex nostris Theologiæ scholasticæ, & controuersiarum publicus Professor, nulli seu veterum, seu Recentiorum, secundus, & qui gloriam commentariorum in Euangelia, reliquis Augustinus videtur) ad caput 18. Matth. n. 12. à quo eadem parabola etiam inchoatur relatis pro præsata intelligentia centum ouium præter recitatas Patribus, iterum Ambrosio Apologia Dauidis c. 5. Ireneo l. 3. c. 21. & 39. & Theophilacto, nihilominus subdit. *Sed dubium non est, quin de solis hominibus Christus loquatur, nisi.* (quod absurdissimum est.) *Cum Origene dicamus etiam propter Angelos, qui peccauerunt Christum venisse* (quia scilicet, & illi oues perditæ, & errabundæ tunc fuere) *sensus igitur est non quidem eum reliquisse nonaginta nouem oues, qua non erauerunt, vt vnam, quæ sola erauerat, quæreret; sed tanti, vel vnius hominis salutem facere, vt si tantum essent centum homines, quorum vnus tantum erauisset, nonaginta nouem relicturus esset, vt illum vnum quæreret: quemadmodum boni pastores facere solent.* Confirmat, ex sequenti versu 14. vbi ex parabola ita Christus concludit. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est,* (sicut nec boni illius terreni pastoris, *vt pereat vnus de pusillis istis*: scilicet abiectissimis ac perditissimis peccatoribus, & caret ex præposita, immediata sententia, quam discipulis ea parabola intendebat suadere. *Venit enim filius hominis saluare, quod perierat.* Lucæ vero 15. eadem parabola duabusque aliis drachmæ decimæ perditæ & filij prodigi respondit murmurantibus Scribis, & Phariſæis, *quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, quin ad ipsos, qui iusti sibi videbantur ea familiaritate diuerteret: vnde constat aperte Christum Dominum, permissa Scribis & Phariſæis falsa de iustitia sua æstimatione, illos nonaginta ouibus non errantibus comparasse, vt ipsorum inuidiæ, & querelæ

querulæ murmurationi satisfaceret, quin numeri ouium cum eorum numero æqualis (quod ad rem non faciebat) rationem haberet, sed ex iis, quæ in rebus, ex quibus Parabolæ assumebantur frequenter inueniunt, in vnaquaque numerus taxabatur, vt recte Maldonatus ad. 15. Lucæ n. 8. atque ex adeo minore drachmarum numero parabolæ secundæ, & ex vno filio prodigo, & altero solum frugi Patris familias parabolæ tertiæ ad idem probandum à Christo assumptarum patet. Ex quo patet rursus: illas sanctorum recitatorum Patrum interpretationes pias, & allegoricas meditationes esse condonatoriis discursibus laxioribus, quam rigidis scholasticæ Theologiæ, aptas, neque ad hanc etiam permissas numerum excessus Angelorum cunctis hominibus determinatum euincere, cum tanta sit numerorum in his parabolis ad idem intentum diuersitas.

9. Quoniam vero numerica pluralitas cum entitatiua etiam indiuiduorum inæqualitate indiuidua (vt non debeat) esse, vt plurimum solet, de indiuiduorum Angelorum entitatiua inæqualitate perfectionis disputare proximum videtur. Et quidem de omnibus existentibus (nedum de possibilibus reliquis) puræ diuinationis disputatio esset, cum vno vel altero excepto nullum ex nomine adhuc, noscamus: pauculorum vero, quos in scriptura nominatos videmus, pauculæ operationes, ex quibus indiuidua cuiusque, virtus, & perfectio maior, minorue, quam aliorum taxari queat, nobis innotescunt, quare tolum de maiore, minoreue virtute, & perfectione entitatiua indiuidua Michaëlis, & luciferi inter se comparatorum, quæstio à Patribus, & scholasticis versatur: statuentibus communiter vtrumque ad supremum chorum, gradum, & speciem entitatiue perfectissimam supremæ hierarchiæ Angelicæ, vel Dæmoniacæ pertinere, vt vtriusque suarum quisque partium ducatus, Principatusq; satis (iuxta connaturalem Dei prouidentiam, contra quam nil ex scriptura, & Patribus constat) euincit. Nec cõtra hanc Michaëlis excellentiam facit, quòd Archangelus, & quandoque Angelus Michaël in scriptura nominatur; cum ea nomina Angelorũ infimæ hierarchiæ propria sint vt q. sequenti videbimus. Non enim eis locis ea proprietate significationis specialis in hierarchiarum & chororum diuisione (de qua nullatenus ibi,) sed vnius soli Angeli, & Archangeli, seu Angelorum Principis acceptione ea nomina vsurpantur, & per antonomasiam de Michaële dicuntur, generali nomine, ei, qui præcipuus Angelus, & Archangelus & antonomastice attributo: vt de nomine hypostasis & suppositi homini, cum reliquis substantiis irrationalibus communi, ei tamen, vt principaliori attributorum applicitumque semper à Patribus fuisse (vt semel tantum de boue à Damasceno dictum legatur) obseruarunt Boëtius, eiusque commentario S Thom. à nobis recitati 1. de Trinit. & Incarnat. d. proœm q 1. cert. 2. n. 1. & si autem Damascenus 2 de fide c. 4 luciferum malorum reliquorum Principem, infimæ solum hierarchiæ supremum Angelum censeat, cui ad fauentes alios Patras refert Soar. c 16 eamque sententiam referat Augustin. lib. 3. de Genesi ad litter. tamen ad fauentes Patres non ita expresse fauent, vt aliam interpretationem absque vlla violentia, non patiatur, imo vero germaniorem, vt eos legenti apparebit, secundo, & si alium sensum non paterentur pauculi illi sunt, vt iam citandorum Patrum, & Theologorum multitudini, & rationis momento præponderent iamcemue, in stateræ æquilibrio constituant, vnde merito S. Thom. veteres schoiastici, & recentiores apud Soar. & Arriaga citat. d. 24. sect. 10 n. 27. §. *Secundo dico* cum Soario luciferum è suprema hierarchia, & choro, gradu, & specie fuisse censent.

10. An vero indiuidiæ perfectionis entitatiuæ maioris, quam Michaël (atomæ speciei eiusdem supremæ Angelus, vt diximus) lucifer fuerit? difficilius definitu est. Affirmant Gregor. Magnus sæpe. Hieronym. Tertullian. Nazianz. Chrysostom. Nyssen. Cyrill. Isidor. Bernard. Hugo Victorin. Sanct. Thom. apud Soar & Arriagam supra n. 71 §. *Vt vero, & Christoph. de Ortega, de Deo Vno.* Tomus II. *alios*, estque apud Theologos sententia communior. Videtur satis insinuata, ab Ezechieli, & Isaia, vbi de eius lapsu in culpam, ac de cælo agunt, eiusque ornamenta cum naturalia, tum supernaturalia præstantissima, ac fere hyperbolice, quasi ei singularia recensent. Luciferumque, vti Angelum splendore cæteris præeuntem, appellant. Accedit ratio: quia cum luciferi peccatum superbia fuerit, qua Deo, saltem Incarnato, subiici detrectauerit, vel ei æqualem esse, vel vnionem hypostaticam, aliamue grauiter immoderatam Angelus hominibusque cunctis præcellentiam, Præsidentiamque appetierit: ea quidem superbia in præstantissimo omnium Angelo locum potissimum habere connaturalius potuit, habuisseque de facto in lucifero citati Propheræ significant. Addit Granados ex suo illo principio de necessitate Dei ad optimum (fuse à nobis confutato, controu. de volunt.) Deum non fore Deum, ni summus perfectione Angelus peccasset, quod & falso principio, & vitiosa consequentia deducit; multo enim melius, & facilius supremum Angelum non peccasse intulisset.

11. Censeo Michaëlem Lucifero indiuidua entitate perfectiorem, & præstantiorem; quamuis vterque speciei atomæ summè perfectæ Angelicæ sit: in quem sensum citatos Patres, & communiorem Theologorum sententiam interpretor: vt summum, id est, è supremis in ea perfectissima specie contentis vnum luciferum dicant. nec alios eadem specifica præstantia supremos excludant; idem dicto ad Isaiæ, & Ezechielis loca. Vere enim, ac merito Luciferi, cum naturalem, tum supernaturalem ex domo Dei, inquaconditus fuit perfectionem extollunt; tantam vero, imo indiuiduo maiorem in alio speciei eiusdem non negant, & si de ea fileant, quia de lapso Lucifero solummodo agebant. Positiue autem non leuiter Michaëlis perfectio entitatiua indiuidua maior probatur ex Iudæ Epist. n. 9 vbi contra hæreticos, iam tunc aduersus legitimos superiores suos inobedientes, & per contemptum etiam contumaces, (vt n. 8 dixerat. *Dominationem autem spernunt; maiestatem autem blasphemant*) Michaëlis modestiam producit verbis hisce. *Cum Michaël Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ &c.* Cum tamen eo esset superior: quanto igitur magis hi inferiores cum sint superioribus suis modeste, & humiliter debebant obedire, nec eos contemnere, quod argumentum, si omni ex parte, etiam indiuiduæ naturæ, superior Michaël Lucifero sit, maius, totumque robur habet, secus, si natura indiuidua superior negetur. Confirmatur: quia ideo Archangelatus Michaëlis, seu Principatus, & primatus, militiæ totius cælestis, Daniel. 10. Apocalyps. 12. & ab Ecclesia tota in hymno attributi, meminit Iudas, vt Lucifero superiorem ostenderet. Neque enim par connaturali prouidentia erat, vt sanctis Angelis hierarchiarum omnium Princeps perfectioris naturæ, quam Dæmonum Princeps Lucifer, non constitueretur. Vrgeo: quia cum indiuiduæ naturæ æqualitas plurium identitas perfectionis in natura est, quæ cum indiuidua esse non possit; quia conueniret pluribus, specifica esset, atoma saltem, de qua non disputamus; ergo indiuiduario plurium, entitatiue inæqualis sub specie atoma esse debet: ergo si Michaël indiuiduè perfectior Lucifero non est, erit indiuiduè imperfectior; quod omnium Angelorum Principem dedecet magis demum, vt, rigidius de superbia sua Lucifer iudicetur, oportuit exemplo humilitatis Michaëlis, qui natura, & donis longe illo præstantior sit redargui, & condemnari. quin excellentiæ suæ possit Lucifer excusationem prætendere.

QVÆSTIO V.

De Angelorum in suas Hierarchias & choros diuisione.

QVÆSTIONEM hanc quartæ proxime immediatam subiungimus, & si ab aliis disiungatur non parum, nimirum post disputationes de eorum merito, ac demerito, pœnaque, & supplicio: quia Hierarchiarum, & Chororum diuisio, & coordinatio à Patribus, & Theologis memorata ex solis Beatis est. Sed tamen, quia ea diuisio, & coordinatio, per superiores, & superiores hierarchias gradus, & choros ab infimo ad summum iuxta minorem, vel maiorem naturæ ipsorum perfectionem disposita à Deo à nonnullis, nec sine fundamento, & verisimilitudine iudicatur, iure quæstionibus de diuisione, quoad intrinseca naturæ Angelorum, hanc quæstionem adiungimus, vtpote de ipsam subsequentibus, perfectionibus, & ex cuius examine diuisio specifica, quæ de facto est in Angelis maiori fundamento definietur ac de gradibus hierarchiæ Angelicæ oppositis, per quos Dæmones disposîti sunt ad plenam de Angelis cunctis (quatenus haberi pro hoc statu potest) intelligentiam disputandi aditus patebit.

CERTAMEN I.

Hierarchiarum Chororumque cælestium vulgata apud Patres, & Theologos constitutio, diuisio, & nominum ratio.

1. HIerarchiæ græcum nomen compositum *à hieros*, quod idem ac *sacer*, valet, & *archos*, quod *Princeps* significat, tantundem valet, ac sacer principatus. Tres omnino hierarchias Angelorum esse ex Magistro suo Paulo didicisse fatetur Dionys. Areop. atque Ecclesiam, quasi ex Pauli ore docuit lib. de cælesti hierarchia c. 6. & vnamquamque earum in tres choros esse diuisam. Primæ, & supremæ hierarchiæ chorum, summum, & excellentissimum Seraphinis huic proxime inferiorem Cherubinis, atque eius hierarchiæ infimum thronis ad purum constare nos docet. Mediæ vero hierarchiæ choros primum virtutum secundum dominationum, tertium, & vltimum potestatum recenset. Tertiam, vero, & infimam hierarchiam totidem etiam choris componit. Quorum primus, ex Principatibus, secundus, ex Archangelis, postremus, ex Angelis confletur: quia nulla respectu Angelorum aliorum inferioris ordinis (qui nusquam est) præcellentia eis adest, quare solo generali nomine Angelorum designantur inde vero constat tres cælestes hierarchias in nouem choros Angelorum diuisas, & coordinatas esse id quod ita est à Patribus, & vniuersa Theologia receptum, vt negari citra ingentem temeritatem nequeat: imò citra hæresim iuxta aliquos Doctores. Siquidem Genes. 3. fit Cherubinorum mentio: Seraphinorum Isai 6. Dominationum, Principatuum, & potestatum ad Ephes. 1. eorumdemque ac thronorum, ad Colossens. 1. Archangelorum 1. ad Thessalon. c. 4. ac rursus Angelorum Archangelorum, & principatuum ad Rom. 8. vnde Gregor. Magn. hom. 34. in Euang. ait. *Nouem Angelorum ordines dicimus: quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus, Angelos, Archangelos, virtutes, potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphin*, ac satis ex datis scripturæ locis probat: quare in reuelatis à Deo eam veritatem, contineri, ac subinde esse de fide censet, & quæ negari citra hæresim, nequeat. Nec temperati ea censura potest. Authoritate Augustini c. 18. Enchiridij fatentis se ignorare, quid ea nomina *Potestates, Dominationes, & Principatus* significent, neque enim eorum ignorat ordinem, numerum, & diuersitatem, sed quo vnius ab alio differentia, eis nominibus significata, consistat: illam enim certa fide tenere se ait, quid autem sit quo differant, fatetur iterum ignorare lib. contra Origenistas, & Priscillianistas c. 11. recitato à nobis textu q. 4. cert. 2. n. 1. fine.

2. Confirmatur censura ex Patribus reliquis vltra citatos, Martiali epist. ad Tolosanos c. 12. Clemente Romano 8. constitutio c. 12. Hilario in Psal. 134. Ignatio Martyre, epist. ad Trullian. Aut. Abb. epist. 3. t. 3. Biblioth. Athanas. serm. 3. & 4. contra Arrian. & q. 4. & 14. ad Antiochum Irenæo lib. 2. aduersus hæres. c. 54. Chrysost hom. 2. de incomprehensib. Dei natura & hom 4. in Genes. Basil. in sua Liturgia. Damasceno lib. 2. de fide c. 3. Cyril. Alex. 1. in Genes. Innocentio Pap III. 2. de mysterio Missæ c. 61. Laurentio Iustiniano serm. de Angelis apud nostrum Soarez supra à cap. 13. Bernardo 5. de considerat. & aliis apud Estium in 2. d. 9. §. 1. Cum autem hanc sententiam Patres omnes, ex citatis scripturæ locis tanta concordia contineri asserant, vel supponant, eam de fide esse dubium mihi non est: quare, & oppositum hæresis esse damnandum. Nec obest aliquando Angelos, qui chori, & hierarchiæ inferioris esse videntur, nominibus superiorum, & contra Angelos, qui videntur superiorum, inferiorum, & nominibus quandoque à scriptura nominari, vt enim recte Molina ad quæst. 108. d. vni. § *Illud notarim* & Atriaga citat. d. 4. sect. 3. §. *quæri tamen potest* & Theologi reliqui ea nomina ex officiis, & actibus Angelis cunctis communibus absolute (& si specialiter huic choro, & perfectius, atque, vt sic dicam connaturalius conuenientibus) hierarchiis, & choris singulis tribuantur: vt ex ardenti amore in Deum choro Seraphinorum, ex sapientia Cherubinis; & quia & si absolute Angelis omnibus conueniunt, ea nomina, & reliqua, etymologia eorum absolute attenta, tribui absolute hoc vni choro, aliud vero alteri specialiter possunt: maxime, cum aliquid circa homines exercent, quod non nisi ex præcellenti illa actione, alterius chori pro priori, ex qua nomen illud inditum ipsi est Angelus chori alterius exercet. Hinc Michaël quia Ecclesiæ Dei, cum antiquæ Hebræorum Danielis 10. tum Christianæ Præses, Princepsque ab ipsa habetur, Archangelus dicitur; cum tamen ex primo Cherubinorum choro merito censeatur: & cum cælestis militiæ teneat Principatum, & cum Dæmonum Principe Lucifero, seu Dracone, & Angelis eius, vt bonorum Angelorum caput, & imperator pugnasse, in cælo, vero in terra pugnaturus dicatur. Apocal. 12 iuxta varias Doctorum sententias datas supra à nobis, quia scilicet Archangelorum officium est populis, & communitatibus, præesse, quod Michaël respectu Ecclesiæ, maximæ apud Deum Reipublicæ, exercet. Gabriel etiam ex Seraphico choro sentiendus est, cui mysterij tanti Incarnationis denuntiatio fuit commissa; & tamen Angelus nominatur: quia ad personam determinatam delegatur, quod est Angelorum stricte dictorum proprium munus, ea item de causa Raphaël, se Angelum nominauit & simul fassus est esse vnum ex septem spiritibus, qui adstant ante Deum, Tobiæ 12. n. 15. quos tamen ex superiori choro esse, quam stricte dicto, ac non infimo Angelorum choro, interpretes ibi, & ad repetita illa Ioannis verba, in suis epistolis, *& à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt communiter censent.*

3. Et si autem ex scriptura Patrum concordi interpretatione & intelligentia & Theologorum omnium consensu cum Magistro in 2. d. 9. & S. Thom. 1. p. q. 108. de ternario hierarchiarum, & nouenario chororum Angelicorum numero dubitare non liceat, ac proinde, an ex naturali diuersitate specifica Angelorum vnius chori, vel ex eorundem maiori gratia, & meritis, in quibus eorum aliqui cum aliis eiusdem chori conueniant, ab aliis vero chori eiusdem differant

rant (vt Dionys. docet c. 17. cuiuis choro Angelos intra illum summos, ac medios designans) ea tamen diuersitas gradus diuersos illius, non vero choros diuersos proprie & Theologica acceptione cõstituit: cum intra eundem chorum, ex enumeratis à Dionys. & Patribus claudatur: quare præter diuersitatem graduum, etiam specificam naturæ, vel gratiæ, aut meritorum (iuxta diuersas Doctorum sententias inferius referendas) aliquid aliud chori constitutio, & ab alio distinctio requirit. Quid autem illud sit, apud scholasticos, nec definitum, neque in terminis examinatum inuenio; tametsi eius indagandi, atque inueniendi viam indicauerit Magister in 2. d. 9. sic speciales hos ordines, seu choros Angelorum definiens: *Est multitudo cælestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur, sicut in naturalium datorum munere conueniunt*, Postremum addit, quia gratiam proportione ad cuiusque naturam esse illis concessam censebat, cui annuere plures eius interpretes, (in quibus S. Thom. 1.p a.4.) de quo inferius agemus. Notanda vero conuenientia *in aliquo* munere Magistri definitione posita, ea quippe denotatur conuenientiam Angelorum chori cuiusuis in speciali munere, non in generali illo, per quod hierarchiæ constituuntur, & tribus, cuiusque choris, conuenit) multoq; minus in generalissimo cunctis hierarchiis, & Angelis communi; sed in speciali choro cuiuis eumque conuenientia speciali, specialissima, & infima conuenientia, cuiusque gradus, ex tribus in quouis choro contentis, differentia, etiam infima à cunctis Angelis intra eundem chorum clausis, gradus tamen alterius, habeat locum. Cum ergo chorus conuenientiam hanc specialem, & si non infimam, sed, quæ det locum infimæ conuenientiæ communi aliquibus Angelis inter se se, & disconuenientiæ, etiam infimæ, communi horum ab Angelis gradus alterius, constat, inter se se gradus hosce posse secundum communem pluribus rationem, siue naturalem siue donorum gratiæ coordinari, ac subinde summi, medij, & infimi, gradus constituere: quem ordinem chorus essentialiter importat, ex Magistro, & Dionys. citatis, cum vero contra omnium Angelorum gradus cuiusque ex his conuenientia infima specificæ, vel quasi specificæ sit, disconuenientia eorum inter se indiuidualis, vel quasi indiuidualis solummodo esse potest, quæ proinde conuenientiam multitudinis in aliquo alio munere, ac subinde secundum illam ordinem alicuius multitudinis cum alia, in aliquo speciali communi munere excludit necessariam esse, vt chorus proprie dictus Angelorum constituantur. Conuenientia siquidem, & ordo vnius ad se ipsum repugnat. Nec si vnum indiuiduum ex suis indiuidualibus alteri excedat, ad gradum constituendum superiorem, & inferiorem, intra chorum eundem satis est, vt patet, alioqui infinitis pene gradibus Angelorum chorus quiuis constaret, nec solum tribus, supremo medio, & infimo, quos taxato Dionys. vbi proxime recensuit.

4. Verum, & si chororum & hierarchiarum, neque augeri Catholice, nec minui numerus, valeat; ast quinam chori ex enumeratis vnamquamque hierarchiam componant? à Catholicis Doctoribus in examen vocatur, quia nec ab scriptura exprimitur, neque ex Patrum consensu traditum videtur, quare, & libera scholasticis Catholicis disputatio videtur, & opinio. Vltra eum ordinem, quem ex Dionys. retulimus num. 1. Sanct. Bonauent. in 2. d. 9. litteram exponens, & Gabr. ibidem, mediæ hierarchiæ choros eosdem assignant, eorum tamen ordine inuerso; vt primo loco Dominationes (quæ secundo ibi) secundo potestates, (quæ ibi tertio) infimo, seu tertio virtutes, (quæ ibi primo, recenseant ex Dionys. in quo tamen, vel Græco, vel quomodocunque in Latinum verso nullum fundamentum est Sanct Thomæ ab ordine chororum, mediæ hierarchiæ à nobis, ex Dionys. proposito ipsum discordat, quod Dominationes virtutibus anteponat, cui tandem Dionysius Carthus. consentit commentario in caput 6. Dionys. idemque docuisse, refertur à Sanct. Thoma Abbas Vercellensis sua paraphrasi in Dionysium ad idem caput 6. & constat, ex paraphrasi ipsa, quæ extat apud Dionysium Carthusianum post commentaria ipsius. Sed tamen Perionij, & tres aliæ versiones adductæ à Carthus. ab ordine relato à nobis ex Dionys. Areopag. nullatenus discordant. Gregor. Magn. & Bernard. supra (quibus annuere Ecclesia visa aliquando est, in Breuiario, trium lectionum, quo vtebatur ante Tridentinum lect. 3.) mediæ hierarchiæ, & infimæ choros sic ordinant; vt secundi chori primum locum Dominationibus, secundum Principatibus infimum potestatibus, excluso ab ea hierarchia virtutibus, vt in prima primum locum teneant, & ex illo adsci is Principatibus, vt tenerent mediæ hierarchiæ, vt vidimus locum secundum. Huic chororum dispositioni, alteri Dionysij aduersæ, ansam dedit Paulus ad Coloss 1. quatuor choros memorans, alterum, ex suprema hierarchia, postremum, atque ei tres alios immediate suo ordine connectens quasi primum chorum secundæ hierarchiæ ordine præfato componant, *siue throni*, inquit, *siue Dominationes, siue Principatus*, verum, & si choros aliquot Angelorum, & ibi, & alibi memoret, nullibi tamen eorum ordinem, seruat, aut recenset, ne sibi ipsi aduersari dicamus, vt, patet, ex illo ad Ephes. 1. *Supra omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem*, & locis aliis notatui à Dionys. Car. hus. supra qui cum S. Thom. & S. Bonauent. ordini recitato num. 1. ex Dionys. Areopag. standum esse ait, vt illi à Paulo tradito: ac propterea aliquando aduersatum, vt vidimus, Bernardum tandem oppositionis ante actæ pœnituisse opusculo scripto, quod se vidisse testatur Carthusianus idcirco, & ob consensum Theologorum ab ordine præfato Dionysij Areop. discedere (quem & Pauli esse, Authoritate Dionysij eiusdem didicimus) sine temeritate non licebit.

5. Tam de ratione distinctionis hierarchiarum, chororum nouem & diuersitatis vocum, quibus significantur, agendum est: abstrahendo tamen nunc ab ea quæstione, an eorum diuisio, & coordinatio in gradus suos inferiores, & superiores, ex naturalibus, vel omnino, vel saltem radicaliter, seu fundamentaliter, an ex donis gratiæ, an ex meritis proueniat: deque ex instituto cert. 2. est quippe digna integro, ac seiuncto examine difficultas, & ad prætentem supponendo, cũ voces, hæ, quibus chori Angelorum insigniuntur sinonymæ non sint, ac eorum supponunt in aliquo diuersitatem: ex eius vero difficultatis examine accurato plurium aliarum decisiones expeditiores, securioresq; procedent. Nunc igitur, quidnam in chori vnius cuiusq; Angelis sit vnde proprium nomen cuique inditum à Deo (qui non mere arbitrario, sed, vt speciale aliquid, in quo vniuscuiusque chori Angeli conueniunt, nobis significaret, nomina singulis imposuit, & nobis reuelauit) fuerit, videndum est. Et quamuis substantiuis propriis nominibus hierarchiarum diuersitas non denotetur, tamen ex adiectiuis supremæ, mediæ, & infimæ denotatur satis. Cum enim Angeli omnes Dei creaturæ, serui, ac ministri sint, qui circa Deum proximius, intimiusque versantur, suaque ministeria de lege ordinaria, specialiter obeunt, primam hierarchiam componunt; sunt quippe Deo cubicularij (vt sic loquar) Hispane *de la camara* & continui assectores, & cæteris subinde familiariores: id, quod nobilissimum ministerium, est: ex quo secreta Dei plura, perfectiusque ipsis reuelantur, & innotescunt; vti amicis familiaribus inter homines contingit, stata adeo lege, vt aliter fieri iniuriæ loco apud amicos reponatur: vt patet ex querela Dalidæ ad Sansonem, multoque magis ex illis Christi Domini ad discipulos, Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre nota feci vobis.* Inde illis a mediæ hierarchiæ, de immediate, sibi reuelatis à Deo Angelos illuminandos (qui de lege ordinaria, non, nisi per Angelos supremæ quidquam secretorum suorũ Angelis mediæ reuelat) ius competit. Taceo nunc de naturali potestate instruendi, ac docẽdi in naturalibus inferiores hierarchia, & choro Angelos, quæ superiorib. An-

gelis competat: id enim ex dicendis cert. 2. melius examinabitur: & si autem hierarchiæ huius primæ Angelis specialis hæc assistentia, familiarior, coniunctior, viciniorque (vt sic loquar) Deo de lege ordinaria conueniat, nihilominus, vt ab eo pro Ecclesiæ, vel hominis priuati bono mittantur, exempti non sunt, vt Paulus supra de Angelis aiebat. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Et facto ipso in Michaële, Gabriele, & Raphaële, supra etiam comprobauimus; tametsi ad Ecclesiam, & mundum hunc visibilem, eiusque incolas missio ad duas inferiores hierarchias ex munere, & quasi de lege pertineat. Media hierarchia secundum ordine, & dignitate locum tenet; quia, & si eius Angeli de lege & munere suo pro Ecclesiæ, & hominum bono mittantur, sicut Angeli tertiæ, & infimæ hierarchiæ, non tamen ad priuatæ alicuius personæ, sicut infimæ Angeli, sed ad commune aliquod, & vniuersale Ecclesiæ bonum, neque item immediate à Deo mittuntur, sicut Angeli supremæ, vti neque de Dei secretis immediate vt supremæ Angeli illuminantur, sed immediate, ab his mittuntur, vti, & illuminantur: quare non, nisi mediate, & per hos à Deo mittuntur, quod pro dignitate, & primatu hierarchiæ Gabrielis, & Raphaëlis intimando cautum scriptura voluit, dum à Deo missos expressit. Denique infima, & postrema hierarchia Angelis constat, quibus speciale aliquod, nec adeo vniuersale bonum curandum committitur: ad illudque, mediarius adhuc à Deo mittuntur, Angelis scilicet secundæ etiam hierarchiæ, nec solum primæ, per se à Dei voluntatem, de agendis per ipsos significantibus, & negotiorum executionem demandantibus.

6. A Dionysio Areopagita locis iam citandis, in iis, quæ ad Angelos spectant, luce, & duce communi Theologi omnes hæc omnia didicerunt, & concordes sentiunt, & docent: atque ex quauis bene ordinata republica, imperio, Regno, Monarchia, & Ecclesiastica hierarchia (quæ si bene ordinatæ sint cælestis illius Angelorum Reipublicæ ordinem imitantur, & eo magis quo sunt ordinatiores, ab exemplo, & à posteriori valide confirmantur, etenim Principes, & capita Reipublicæ, Regni, aut Monarchiæ, cuiusuis, tam sæcularis, quam Ecclesiasticæ immediatioribus, suis, & subinde, dignioribus, ac nobilioribus, quibus si res ordinate procedant) maiori ornatui splendori, & vicinioribus circa Principes ipsarum ministeriis inseruiunt, familiarius vtuntur, & si capacitate, scientia, & prudentia, cæteris præstent, eisdem primum, quæ ad Reipublicæ commodum agenda Princeps apud se decreuit, communicat, per eosque Ministris Gubernationis primis, vt id ipsum immediate inferioribus intiment, & per hos inferioribus, & inferioribus, vsque ad infimos ministros executuros, decreti Principis sui notitia perueniat; & quamuis in Principibus, & Ministris creatis tot gradus Ministrorum, totque Ministri, ex Principis, & Ministrorum indigentia, & imperfectione interueniant, vt decretum pium in singularibus personis executioni debitæ mandetur, quibus omnibus, neque adesse Princeps, neque vllus singularis Minister potest, nec attendere, nec pro cuiusuis genio, conditioneque indiuidua, & pro occurrentibus occasionibus, de mediis, ac remediis, vt Regis decreto executiue à cunctis, & singulis Regni obediatur, imo, nec scire, quinam obedierint; quod secus in Deo habet, qui omnibus, & singulis, creatis, & præsens intime est, ac sine labore prouidet, nullaque attentionis & cognitionis pro creatorum turba, ab aliis distractione singula, & perspicit, ac simplicissima visione intuetur; tamen ad maiestatis suæ, & dignitatem Angelicarum diuersarum (vndecunque proueniant) suæque erga homiuum salutem prouidentiæ, & amoris excellentissimi ostentionem innumerorum Ministrorum gradus diuersi fuerunt in Euangelica Republica creandi, & disponendi. Similibus enim in Principe, quouis creato ostentandis tot aulicorum, dinastarum, & Ministrorum, suis gradibus disposita turba sub sertuit: eoque amplius, quo vltra necessitatem præstatam crearentur à Principe plures, & propriis eius non vasallorum expensis disponerentur, atq; decenter suam dignitatem conseruarent: explicatis hisce tribus hierarchiis Angelorum totidem, in militante Ecclesia, similes ex hominibus, in sui obsequium, & ad hominum salutem procurandam disposuit Deus, vt statim singulos hierarchiarum choros Angelicos sanctis Ecclesiæ hominibus applicando clarebit.

7. Ergo in primo choro hierarchiæ primæ teste Dionys. c. 7. *Seraphini* à nimio claritatis in Deum ardore, ita nominati, ipsique subinde magis familiares, & coniunctiores, in secundo vero choro *Cherubini*, à scientiæ plenitudine, infimi eius hierarchiæ chori sunt *Throni*, quasi Dei pacatissimæ tranquillissimæ, opulentissimæ, dignæque maiestate diuina, sedes quæ eis, exteris etiam Angelis, & hominibus Beatis in se ostenditur, ac æternum ostenderur. Neque ab hac Dionysij doctrina aberrant Doctores qui censent à tribus dotibus, quę tribus virtutibus Theologalibus, viæ excellentissime in ea exercitis respondent tres hosce choros denominari, nempe charitatis viæ ardenti Angelorum primi chori ardor charitatis beatæ, fidei Angelorum, secundi visio excellens spei vero Angelorum, tertij chori possessio Dei ipsis insidentis, & quasi in proprio throno habitantis: solum enim præmiorum specialium cuiusque chori Angelis, cum eorum meritis, meditantur, & explicant proportionem, quin varient denominandi rationes. Nec te moueat contra has denominandi rationes, à Dionysio datas, & ab vniuersa Theologia receptas amorem Beatorum, in Patria, eorum visioni proportionari debere; cum in Deo amando nulla fit Deum videntibus Beatis libertas, ac proinde plenius Deum videntes Cherubini ardentius Deum videntur amaturi, & ardentius amantes Seraphini plenius Deum visuri videntur: quare, & vterque chorus, si assignatæ rationes denominandi attendantur, in vnum erit chorum Angelorum confundendus, qui iidem duplici illo nomine insigniantur. Huic difficultati Doctores, memorati, qui correspondentiam virtutum Theologalium in via cum specialibus, cuiusque chori dotibus meditabantur videntur tacite occurrere voluisse: nempe, vt Angelis chori, cuiusque specialis excellentia actuum Patriæ excellentiæ actuum viæ respondens donetur: ac proinde, qui plus in via amarunt amplius ament, & qui amplius crediderunt plenius videant; verum, cum præmium patriæ visio Dei sit meritis viæ proportionata, & charitas præcipue virtus, magisque meritoria viatorum sit; Angelis viatoribus ardentius, quam reliqui, amantibus plenior visio Dei in Patria donatur, quam Cherubinis donetur, indeque, & ardentior etiam Dei amor, in eis suboritur: iidemque subinde, & Cherubini, eodem gradu, & ratione, quo Seraphini dicentur, neque alio Cherubini ob scientiæ plenitudinem suam tales dicentur, quam ob æquam plenitudinem amoris inde ortam Seraphini dicantur. Respondere tamen adhuc ij Doctores possunt eas nomenclaturas, non ab eis actibus, quos Angeli in Patria exercent secundum se absolute, & præcise sumptis impositas esse; sed ab actibus, in via exercuerunt, vel saltem ab actibus Patriæ, vt relatis ad eos, qui ipsis respondent in via.

8. Plenior sane; planiorque solutio hæc, ea erit, quam ex Soario cap. 13. difficultati oppositæ exhibet Quiros citat. sect. 5. n. 48. §. *Diuersitatem hanc.* Nempe: ob primatum charitatis imperfectione, & gratioti subinde acceptione, & æstimatione apud Deum Seraphinis, & si scientia, & visione Dei pleniores Cherubinis, non sint, quasi de excellentia sua prima, & radice beatificæ Visionis debuisse primos Angelos nominari Seraphinos, denominatione Cherubinorū, ex secundo in perfectiore actu scientiæ, & visionis Dei, secundi throni Angelis relicta. Sed nescio, quid isthic faciat illa, charitatis prærogatiua, quod scilicet visionis beatæ *sit radix*; siquidem, si de actu charitatis viæ verū sit esse visionis beatæ radicem, quatenus illius actus meritiuus est, falsum tamē est de actu charitatis in

in Patria (de quo solum hic Author loquitur), qui potius effectus, & fructus visionis beatæ est; quam eius radix. Secundo, Plenitudo amoris, ac plenitudo scientiæ, ex quibus hi chori denominantur, excellentiam Angelorum chori alterutrius, non qualemcumque, sed cui nihil excellentiæ in linea scientiæ, & charitatis, quæ in Angelis, eius saltem hierarchiæ, si deficiat, importat; plenitudo enim in aliquo genere non est, cui aliquid, in eo genere deficit. Neque is plenus in communitate, seu Republica, & Hierarchia, aliqua haberi, dicique absolute potest, (cuiusvis generis plenitudo sit) si alij eiusdem communitatis inueniantur in eo genere pleniores, nisi maioris augmenti in illo genere capax non sit: Quod de Angelis secundi chori respectu visionis, & amoris Dei dici non potest: imo vero, cum ea nomina ab excellentia plenitudinis intra hierarchiam illam primam in actu alterutro sint imposita, (vt vox ipsa sonat, & cunctis hactenus Theologis sonuit) non autem ab eorum actuum inter se physicum, vel metaphysicum primatum perfectionis, (quem nusquam sonuit, nec sonat plenitudo nisi excedentibus in amore seraphinorum nomen, & in scientia cherubinorum congruè aptari non potest. Melior, est igitur præmissa, iuxta Doctorum illorum principia, difficultatis propositæ solutio; sed veto quia ab actibus scientiæ, & charitatis, in Patria absolute sumptis, ita Angelorum choros dispositos, & nominatos Theologi supponunt, & verba Dionys. præ se ferunt, eidem difficultati ex iam dicendis respondeo. Amplius ardere charitate in Deum Seraphinos, in Patria, cum scientia, & visio minore quam Cherubinos cum maiore ardeant, & si enim visio beata Beatos sui impotes in Dei amorem rapiat, non tamen ad omnem etiam intensionem amoris, ad quam potest; cum autem amoris illius absolutum adæquatum principium, visio non sit, sed partiale, & essentialiter respectiuum comprincipij alterius, nempe voluntatis, ex visionis intensione maiore amor æquè intensus in sua linea, non infertur, nec maior in eo, qui intensiorem habet visionem, quam alius, neque è contra ex maiore charitatis intensione intensio visionis, maior; imo neque æqualis ei, quæ sit, in alio, inæquale etiam, in vtroque comprincipium alterum: vnde ingeniosiores eisdem principiis, vel traditis ab alio, vel casu, aut labore adinuentis, magis, facilius, longius, & viuiduis, minus ingeniosis aliis discurrunt. Ad præsens proximus. Perfectioris intellectus Beati cum lumine gloriæ æquali perfectius aliis intellectus imperfectioris Beatis Deum vident, vt bene Vazquez cum tota sua schola, & aliis antiquioribus defendit: atque æque cum lumine minori: & in visione obiecti, cuiusvis, id quotidie, experimur imperfectiorem potentiam visiuam, siue ex naturali, siue ex accidentali dispositione æque intensa specie remissiuæ, imperfectiusque obiectum videre, quam perfectior alia potentia, & expeditior, & si in his nulla, quoad intensionem, etiam actus videatur videntium, & potentiarum libertas.

9. Ratio autem est quia actus, non ab vno principio partiali solo, sed ab altero etiam, ac simul debet procedere: ac proinde in ea solum intensione, & perfectione potest, procedere, ad quam in conuncto, vtriusque comprincipij essentialiter, atque inuicem subordinati in operando, absoluta virtus, & facultas, est: quæ ex alterius comprincipij debilitate, absolute minuitur, & si comprincipium alterum, sit validius, & quod, cum comprincipio altero fortiori, ad longe maius possit: vt patet in homine robusto, lapidem, prægrandem mouendum, quem se solo nequeat mouere, ni si ab alio adiutus; cui si æqua robustus contingat adiutor, non solum illum mouere, ferreque poterit, sed lapidem alium adhuc maiorem; sin autem à femina, vel puero iuuetur mouere illum lapidem non poterit, ita ergo in re præsente, contingit: cum enim visio beata adæquatum principium charitatis non sit, non, nisi iuxta alterius comprincipij, cui essentialiter ad eam eliciendam subordinatur, vires, & naturalem dispositionem, & expeditionem, charitatem, tam quoad substantiam, quam quoad intensionem elicere absolute potest. Est autem in naturis, & voluntatibus Angelorum alia ad amorem de se se promptior, aptior, expeditior, & valentior: quare, & eum æqua, imo minore, visione poterit ardentius amare Deum, & necessario ardentius amabit, quam alterius Angeli voluntas minus de se apta, nata disposita, & ad amandum expedita, Deum necessario amet, aut posset amare, cum maiore visione. Id quod in affectibus voluntatis clarius est, ad quos cognitio, non physicè actiuè, sed vt conditio, & applicatio motiui intentionalis, quod in obiecto per ipsam proposito est, solummodo concurrit, ac proinde tota actus, seu affectus, physica actiuitas penes voluntatem est: ac subinde eius naturali dispositioni, & inclinationi maiori affectus ardor, & intensio maior tribui citius debet, quam cognitioni. Hinc videmus quoidam iisdem positis ad amorem promptiores, alios ad odium: quosdam, ad pietatem, deuotionem &c. quam alios; imo leuioribus motiuis remissiusque valde propositis quasi effrenem, suique impotem vnum quemque in affectus, ad quos eius naturalis conditio, vel habitualis fert, vel suopte genio fertur prosilire, in quos, aduersi genij alij, potentioribus longè motiuis, viuidius repræsentatis, multiplicatis, atque instanter enucleatis, ac repetitis vix possunt moueri, quod autem de connaturali conditione, inclinatione, & propensione (vel habituali quæ naturalem imitatur) voluntatis ad actus, seu affectus, naturales diximus, & experimur, id ipsum de voluntate instructa super naturalibus sit absolute potens, respectu eorum etiam intelligendum est: & simili experimento in pluribus hominibus sanctis comprobatur. Præsertim in sancto illo fratre Iunipero Franciscano Laico, simplicissimo, qui in Deum adeo vehemente affectu, quouis de ipso, eiusque amore audito, non corde solum, sed corpore etiam sursum ferebatur, & minus sapientes, magisque simplices, & idiotas homines citius, frequentiusque, iis cordis, & corporis in Deum motibus agi, quam sapientiores experimento innotescit, quod inde tamen euenire puto, quia genij magis speculatiui aridiores minusque affectiui sunt, atque vero, quam bono inueniendo, magis natura sua propensi, & inclinati, ex quo etiam non parum solutionis nostræ veritas, firmatur, ne eparum lucis dicendis, cert. 3. præmittitur, iam vero ad choros secundæ, seu mediæ, ac tertiæ, & infimæ hierarchiæ veniamus.

10. Secundæ, seu mediæ hierarchiæ, (ex qua Angelorum, erga hominum ministeriis deputatorum chori inchoantur,) primus, & supremus chorus est Angelorum, *Dominationum*, quorum est cæteris inferioribus præsidere, atque ex intimata sibi per supremæ hierarchiæ Angelos voluntate, & decreto Dei mandanda executioni statuere, ac inferioris chori Angelis demandare. Secundus, ac medius est Angelorum *virtutum*, quorum est miraculis inseruire in fidei confirmationem, & commune ecclesiæ totius bonum cedentibus. Tertius, & infimus chorus est Angelorum *Potestatum*, quorum est dæmones cohibere, alligare, & arcere. Postremæ, & tertiæ hierarchiæ chorus primus est *Principatuum*, qui Regibus, principibus, Episcopis, & Prælatis similibus Ecclesiæ præsunt, & assistunt: ex quibus illi sunt, qui Regni Persarum, & Græcorum Principes Danielis 10. præesse dicuntur, secundus chorus est *Archangelorum*, qui scilicet regnis prouinciis, regionibus, & ciuitatibus præsunt, ac mediis variis ipsarum bonum prouident: quo à Principatibus differunt, quibus per Principes solum, quibus assistunt, inspirationibus, & aliis erga ipsos actis, earundem commodis indirectè prospiciunt. Tertius, & infimus chorus *Angelorum est*, ita specialiter dictorum, quia priuatis, quibusque hominibus custodes adsunt, & præsunt. [illegible] ita ex Dionysio explicatis de hierarchiis, ch[illegible] cælestibus, Angelorum, totidem in Eccle[illegible]cante illis respondentium, explicatio non erit difficilis, etenim

prima, & suprema hierarchia Ecclesiastica, eis hominibus constat, qui puritate vitæ, & sanctimonia contemplationi vacant, eaque charitate ardent, vt in Dei familiares, & aulicos ab ipso admittantur, atque in eis, vt pacatissima sede, ac throno quiescat, & glorietur: Horum chorus primus ardentius amantium est: Secundus eorum, qui contemplatione Dei excedunt. Tertius eorum, qui paccatiori animo, ac nusquam mundi, ac creatorum studio, & curis distracto excellunt. Secunda hierarchia, eis viris constat, qui hominum reliquorum, spirituali bono incumbunt, ea ex Dei spiritu, & voluntate statuendo, ac demandando, quæ ab aliis exequenda sunt, ac per quos miracula in fidei confirmationem, & commune bonum Ecclesiæ cedentia peragere, & impetrare, dæmonesque cohibere, ne publico noceant, quasi ex lege, munereque, & gradu competit suo, ni prauis moribus, eas virtutes, sibi adesse, impediant, quod Prælatorum maiorum munus & obligatio est, quandoque à viris sanctitate, & zelo salutis animarum insignibus, melius, quam à nonnullis Prælatis impletur: quare, & si hæc Ecclesiastica Hierarchia Prælatorum, ex officio, & obligatione, eorum tamen solum de facto est, qui suis prælaturis satisfaciunt, atque ad illam pertinere, alios Priuatos, & pauperculos viros, qui, vel ex professione, vel affectu, & zelo, de facto, & ex instituto, eis operibus, ac ministeriis incumbunt. Id postremo iudicio, patebit, ac de non paucis Canonizatis, viris sanctissimis, satis iam Ecclesia declarauit. Tertia Hierarchia Ecclesiastica, ex eis viris constat, qui particularem aliquam curam erga homines, eorumque salutem spiritualem gerunt. Chori autem Hierarchiæ huius, pro personis, quarum curam quisque habet, & Prouinciarum, vel personarum particularium diuiduntur, Regionum, & ciuitatum. Neque Hierarchiæ Ecclesiasticæ obest, quod ij, qui mixtum hoc vitæ genus ex contemplatione Dei, & actione in bonum proximorum, perfectiorem, purè contemplatiuis, vitam spiritualem exerceant, vt pote vitæ, quam Christus Dominus, inter nos viuens elegit, & exercuit conformioris, id enim verum est, quia vtriusque vitæ actus exercentur, & ex contemplatiuæ actibus, & ardoribus magnis charitatis, ad actionem erga proximos discenditur: vt in Christo Domino Apostolis, & viris, verè Apostolicis contingit, id autem opus non est ad secundam Hierarchiam Ecclesiasticam constituendam vt in Angelis secundæ Hierarchiæ, cui Ecclesiastica respondet, & infimæ cui tertia Ecclesiæ respondet, licet videre, qui procul dubio minus videntes, & ardentes. Deum sunt, ex cuius tamen amore Ecclesiæ, & fidelium bona procurant.

CERTAMEN II.

Cuius generis excessu superioris Hierarchiæ, chori & gradus intra eundem Angeli inferiorum Angelos antecedant, vt suo loco, & gradu quisque locetur.

1. OStendimus hactenus, ex Dionys. Areop. Patribus, & Theologis tres Hierarchias, tribus quamque choris constantem, Angelica Republica contineri, nec plures, neque pauciores: ac rursus chorum vnumquemque tribus Angelorum gradibus, supremo, medio & infimo componi ex Dionys. eodem, c. 7. Est item certum, hierarchias, choros, & gradus hosce, à Dionys. & Theologis assertos bonorum tantum Angelorum, ac beatorum esse, nusquam autem malorum damnatorum. Cum enim, communi hominum, & priuato cuiusvis hominis spirituali bono, & saluti procurandis Angeli omnium hierarchiarum, chororum, & graduum, suo quisque ordine, & loco dispositi à Deo, ac destinati sint, non meliore prouidentia, dæmones ad eas hierarchias, choros, gradusque admitterentur, quam si à gregis Domino lupi infestissimi ouibus pastores præficiantur, certum item tertio inde est, hanc hierarchiarum, graduum, & chororum ordinationem absolutam, & completam, non solum Angelorum creationem, & naturæ cuiusque absolutam existentiam, verum, & supernaturales dotes, gratiamque, tum iustificantem, tum auxiliantem, cuique eorum à Deo donatam, ac rursus vniuscuiusque merita supposuisse, vt alij ex bonis ad præfatos ordines suæ cælestis hierarchiæ (malis Angelis omnino, reiectis) à Deo eligerentur, aduocarenturque ad ministeria hierarchiæ, choro, & gradui suo propria; ita vero, vt quamuis, hæc omnia, cuique, ex electis, aduocatisque ad gradum quemuis, & ministerium adfuerint, non eligi absolute ad illum; sed ad alium; imo, & non eligi ad illum à Deo pro suo Dominio, & arbitrio supremo absolute potuerit: quare in alio gradu hierarchico, vel in nullum quemuis Angelum esse absolute potuisse, cum sola Dei illos, ad hanc, vel illum ordinem, & ministerium hierarchicum eligentis voluntate, tanquam adæquata forma, in suo quisque gradu, & ministerio collocetur, id omnibus Theologis in confesso est, (& si nonnulli minus proprie, vltimum complementum, eius collocationis Dei voluntatem appellent, quasi aliis rebus, vt partialibus constituendis formalibus collocatio ipsa formaliter constetur) quare reliqua omnia materialiter, ex parte subiecti, vt quid eligendos, & electos Angelos, ad suum quemque gradum magis adaptans, proportionatiusque disponens, vt ad illos eligantur, in eisque electione ipsa collocentur se possunt habere, & de perfectione naturali, Angelorum reliquisque donis gratis datis, quæ ad eorum ornatum supernaturalem pure inseruiunt, certum vtique est eo solummodo Angelorum electioni, & collocationi in suis gradibus hierarchicis posse inseruire.

2. De actibus vero virtutum in via ab Angelis exercitarum, quoniam non solum eos, in supernaturali ordine, & gloriosius ornant, sed etiam meritorij, supernaturalis præmij sunt, dubium esse potest: an non solum quatenus Angelos magis ornant ad eorum electionem, & locationem in suis gradibus hierarchicis materialiter, & ex parte subiecti solum etiam meritorie, & actiuè intentionaliter formaliter proxime conducant, & iuuent? quæstionem hanc indisputatam à Theologis inuenio; cum tamen, rigidum eius examen ad aliarum in præsente materia cordiatiorem, veroque similiorem decisionem maxime conducat, conducere Angelorum virtutes in via exercitas, vt realiter formaliter meritorias, à plerisque Theologis supponitur, vt videre est, apud Molinam, Valentiam, Vazquez, Ioan. Præpositum, Soarez, Arriagam, & reliquos de Hierarchiis cælestibus disputantes. Mihi vero non aliorum dicta recapitulare, atque in fide, vt aiunt parentum sequi, & superfluo subinde transcribere, (in iis præsertim, quæ sine examine dicuntur) sed vtiliter scribere studium est, censeo, eiusmodi actus virtutum viæ Angelorum, qua illos ornant in viâ, & in Patria ad ipsorum hierarchicos suos gradus collocationem, materialiter, & ex parte subiecti, formaliter proxime, summodo concurrere, non autem, qua merentur actiue, intentionaliter seu meritorie. Moueor, quia eiusmodi actus virtutum eatenus solum ad gradus hierarchici electionem conducunt quatenus muneribus obeundis, ac ministeriis in eo exercendis, Angelum quemque aptiorem, & hoc, vel illo gradu digniorem reddunt: non reddunt autem illum talem, quatenus præmium supernaturale Angelo, cui in sunt, merentur: ergo solum influunt, in eius electionem ad proprium gradum hierarchicumquenus insident Angelo formaliter, cumque ornant, non autem quatenus præmium ipsi merentur, consequentia est legitima, & minor claræ ac notissimæ veritatis. Maior probatur primo, communi Patrum, & Theologorum doctrina, ex Dionysio Areop. notato, cert.

cert. 1. num. 2. nempe ex perfectiore actu aliquo Angeli in Patria, seu iam Beati illum ad hunc gradum hierarchicum, alium vero Angelum, & perfectiore altero, patriæ etiam actu, ad alium gradum eligi, atque adeo choros subinde his, vel illis, nominibus insigniri, vt in Seraphinis, & Cherubinis patet, atqui actibus patriæ, nullum est meritum neque ipsis, vt in via præexistentibus, vt in Patria iidem persistant vllum meritum adest, vt patet: ergo, neque conducunt ad electionem Angelorum in suos gradus hierarchicos, quatenus meritorij sunt, sed quatenus secundam entitatem suam Angelos, quibus insunt ornant aptioresque ad munera, & actus suæ hierarchiæ, & gradus proprios exercendos constituunt.

3. Secundo probatur à priori quia, cum is sit constituendi, diuidendi, ordinandi, ac distribuendi Angelos beatos in choros ac hierarchias diuersas finis, non præcipuus solum, sed totalis, eo solum, quo ei consequendo actus inseruire possunt, ad eiusmodi constitutionem, & ordinationem, hierarchias, choros & gradus possunt conducere: ast solum, qua ornant, & aptiores reddunt Angelos propriis gradibus, & ministeriis eorum exercendis, ei fini possunt inseruire, non autem, quà meritorij sunt præmij supernaturalis, Angelis, quibus insunt, & à quibus exercentur; ergo non meritorie seu actiue intentionaliter in Angelorum, in suas hierarchias, & gradus constitutionem, ordinationem, ac dispositionem conducunt; sed solum materialiter, & ex parte subiecti quatenus Angelis insidendo propriis sui gradus hierarchici, ministeriis, & actibus obeundis exercendisque eos reddunt realiter, formaliter, aptiores, & digniores. Confirmatur: quia positis meritis, quantumuis magnis quorumcumque actuum cum minore aptitudine, seu ineptitudine ad ministeria propria gradus cuiusvis hierarchiæ cuiusvis, siue Ecclesiasticæ, siue cælestis obeunda, & exercenda irrationabiliter, vel saltem minus rationabiliter aliquis ad eum gradum eligeretur, illud enim de electione digni, relicto digniore iuxta Doctores aliquot licita, vt excuset à culpa, vt summum valet; non autem, vt secundum totam perfectionem rationis fiat electio vt fieri à Deo debet, nec cum ob excellentiam in aliquo facienda est, vt facta à Deo est hierarchica Angelorum electio, & dispositio: ergo, ad gradus hierarchicos: constituendos, & ordinandos Angelorum non mouent Deum actus eorum, qua meritorij: sed qua melius disponentes ad sui gradus munia, & operationes: meritis enim, quibusque cum eorum actuum, tum aliorum omnium operum præmium commune Angelis cum hominibus est plenissimum, & redundans; quin ad gradum hierarchicorum dignitates recursus necessarius Deo sit, vt abunde omnes præmientur, vt de facto præmiantur, vti ob præmiorum inopiam, ad officiorum, ministeriorumque reipublicæ gradus, & dignitates Principes creati recurrunt, nec tuta sæpe conscientia, cum adeo exercenda, non satis apti eliguntur, & si aliunde dignitatis, & honoris, qui officiorum, & ministeriorum non sit aliique ad ea ministeria dignioribus aptioribusque præferuntur.

4. Huic tamen doctrinæ nonnulla incommodare videntur. Primum hierarchici gradus Angelorum, non solum ministeriales sunt, sed dignitates etiam minoris, & maioris Angelorum Beatorum inter se se, vt alij aliis dignitate in patria præcedant, hæc autem præcedentia, & inæqualitatis dignitatis in Patria nequit esse, nisi ratione gloriæ substantialis, & accidentalis ipsam sequentis in quam non solum præfati actus, quibus distinguuntur, ac denominantur hierarchici gradus; sed reliqui actus meritorie concurrunt; ergo ij actus, omnes ad electionem gradus hierarchici non solum quatenus seipsis Angelum ornant, & disponunt materialiter, & ex parte subiecti, sed meritorie actiue intentionaliter conducunt. secundo, in omnia materia virtutum in via ab Angelis exercitatarum ad gradus hierarchicos eorum in superiores, & inferiores coordinandos attendantur; sed solum, actus illi distinctiui, & denominatiui eorum graduum, quatenus ornant, & disponunt Angelos ad officia obeunda, contingere potest, vt Angelus minoris perfectionis, & sanctitatis in via, superiori gradu hierarchico, quam sanctior, in via altus, & perfectior collocetur tertio demum cum gradus isti ministeriales cessaturi sint post iudicij diem, ex quo ministeria omnia, vel pleraque (scilicet quæ erga homines, eorum que salutem versantur) otiabuntur, vt communis Theologarum sententia fert, in Angelorum hierarchici gradus ex dignitate, habita ex meritis eorum in via disponentur fiet, vt post iudicij diem, vel nullus ordo hierarchicus, intra Angelos sit, vel si ex tunc alter meritis cuiusque, & dignitate sanctitatis attentis ordo disponendus sit, poterit Angelus qui ob excellentiam actus, & habitualis inclinationis, ad vnius gradus hierarchici: superioris ministeria exercenda ab inferio ad finem mundi euectus ad illum fuit, post finem mundi Angelis inferioris ordinis gradu cedere debeat, & inferiori eorum gradu collocari; quod sine absurdo mutationis sedium beatarum, nequit admitti, id autem probatur quia potest Angelus, qui ex actu, & habituali inclinatione, ad exercendum ministerium superioris gradus, maiore, & potentiore ad eum eligitur, minoris absolute meriti, sanctitatis, & dignitatis esse; ex qua ministeriorum vsu cessante post iudicij diem hierarchici gradus superiores & inferiores disponendi sunt, vt tota deinceps æternitate ordinate persistant; nec indigniores dignioribus Angelis loco, & gradu præcedant.

5. Hæc tamen omnia ex minore conclusionis nostræ intelligentia opponi solummodo possunt. Neque enim negamus ex maiore etiam, & præcellenti sanctitate, gratia, & reliquis donis, siue gratuito, siue ex meritis viæ à Deo donatis, & post viam in Patria cuiuis Angelo assistentibus ipsumque ornantibus, eum in superiore gradu hierarchico à Deo etiam constitui: nec solo titulo præcellentis actus, & inclinationis habitualis potentioris ad ministeria gradus illius hierarchici exercenda, etsi ex illis gradus præfati insigniantur, ac denominentur, solum enim negamus actus illos meritorie ad eam graduum electionem Dei voluntarem, proximè, & formaliter mouere (materialiter enim, & remote mouere, quatenus gratiæ ex meritis, augmentum, gloriamque merentur, & ad eam electionem conducere de facto dubium, nec nobis, nec Theologo alicui esse potest,) imo, & de possibili: Etenim ea dignitas, ex gratia habituali, actibus, & habitibus, donisque reliquis conflata, in quouis gradu sit, & vndecumque proueniat, siue mere gratuito, siue ex meritis, eo præcise, quod Angelo realiter formaliter in sit, eum dignum in tali gradu, constituit, & si maior dignitas sit, quam quæ alteri Angelo ad est, eum constitui digniorem, vt ad altiorem gradum hierarchicum eligatur: vt patet in gratia, & reliquis donis mere liberaliter, & gratuito Angelis bonis à Deo, in instanti creationis concessis, & non amissis, sed seruatis, quæ cum aliis in via ex meritis aucta, æque Angelorum dignum ex parte reddunt, atque illa, quæ ex meritis parta sunt, atque ad gradum hierarchicum pro dignitate illi designandum æque Deum proximè formaliter mouent: imo, si tota dignitas Angeli ex gratia, & domi reliquis mere gratuitis constaret (vt infantibus cum baptismo decedentibus contingit) maiorque, quam in aliis esset, quatenus per dignitatem est ad superiorem gradum hierarchicum à Deo eligeretur. Inde secunda, & tertia obiectio euanescunt; tum, quia à Deo Angeli supetioris ordinis hierarchici, maiori gratia, & donis supra naturalis creati sunt, iuxta Magistri sententiarum, & sanctæ Thomæ, & veterum, ac Recentiorum doctrinam, communiorem, qui gratiæ dona gratuita omnia Angelis in creatione porportionate ad eorum naturalem perfectionem, maiorem, vel minorem concussa à Deo fuisse defendunt (vt nos etiam dicemus, disputatione sequente, quæstione 1. gratiæ, Auxiliis

excep

exceptis) atque Angelis cuiusvis chori superioris perfectiorem specie naturam concedunt, (vt nos statim etiam concedemus): vnde rursus dici optime ad easdem obiectiones potest. Angelos hierarchiæ superioris omnes plus meriti semper habuisse, in via; quia præter communem Angelis bonis præcepti diuini obseruantiam actibus sui superioris chori distinctiuis, ac denominatiuis moraliter perfectioribus, magisque subinde ex specie sua meritoriis se via exercuerunt: ac præterea intensioribus, quam in illis Angeli inferioris hierarchici gradus se exercuerint: quia, vt dixi, cert. 1. num. 8. & 9. cuiusvis chori, & gradus hierarchici Angeli magis idoneam propriis sui gradus ministeriis, & actibus exercendis, magisque dispositam, & expeditam naturam sortiuntur: quare intensius eos, ex libertate etiam suæ voluntatis, exercent.

6. Igitur conclusionis nostræ primæ veritas, eis obiectionibus, minimè nutat, scilicet actus viæ, qua meritorios formaliter proximè ad electionem graduum hierarchicorum actiuè intentionaliter (propria scilicet motione meritoria) non concurrere, sed materialiter remotè solum, quatenus gratia, & dona reliqua supernaturalia, ex quibus Beatorum cuiusque gradus Angelorum dignitas conflatur ex meritis aliqua sui parte donata Angelis fuit: quod non solum materialiter, & remotè, sed per accidens ad electionem Angelorum in suos gradus hierarchicos se prorsus habet: siquidem, si gratia, reliqua dona supernaturalia omnia, quibus Angelorum adæquate sumpta dignitas constant, mere gratuito, & absque vllo merito à Deo collata essent, eodem prorsus modo; ad Angelorum in suos gradus hierarchicos electionem, & ordinationem conducerent, quia eadem eos æquè dignos constituerent, ac modo cum gratiæ, & eorum donorum pars meritis Angelorum in via collata est, imo & cum ea omnia, ex eorum meritis conferrentur, in iis autem supernaturalibus donis, quæ dignitatem ex parte subiecti ad electionem, cuiusque ad suum gradum hierarchicum supposita constituunt, illi actus excellentes, qui cuiusque gradus hierarchici constitutivi, distinctiui, denominatiui, & quasi speciales, quædam notæ, & characteres, vt diximus sunt locum habent specialissimum, si ex eis sint, qui iidem in Patria perseuerant: vt ab ea nunc, quæstione intempestiuè examinanda abstineant, de actibus virtutum viæ cum Angelorum, tum hominum, qui Dei visioni possessioni, & fruitioni Beatorum in Patria non repugnant. Si autem, iidem in Patria non persistunt, dona, & insignia, quæ pro eis in Patria perstant, vt illorum actuum viæ specialem excellentiam, in Angelis Beatis perpetuo ostentent, eundem locum ad electionem, atque actus, pro quibus donantur & substituunt, absque dubio habebunt, an verò non solum supernaturalis hic ornatus, & dignitas, ex actibus, habitibusvè, notis, ac donis supernaturalibus, compacta, atque cuiuis gradui hierarchico proportionata, & ex parte Angeli eligendi supposita, materialiter, & ex parte subiecti ad eius in suum gradum electionem concurrens, sed natura etiam ipsa Angelica, cuiusvis gradus hierarchicum, Angelis communis ex parte subiecti, & materialiter, ad eiusmodi electionem specialiter supponatur, & conducat quæstio esse scholasticis potest.

7. Dixi autem *specialiter*: communiter enim & remote cuiusque Angeli naturam etiam individuam, ac proinde, & communem Angelis reliquis, in ea, inclusam, materialiter, & ex parte subiecti supponi certum, ac citra quæstionem est: tum, quia ad dignitatem supernaturalem Angeli, ad suum gradum hierarchicum, eligendi ex supernaturalibus donis, & actibus illius gradus propriis conflatam, Angelum eiusque naturam totam, vt subiectum, cui illa insit supponi, ac subinde, remote materialiter, & ex parte subiecti ad eam electionem concurrere, notissimum est. Tum etiam, quia ad electionem alicuius de facto, ad quemuis gradum obtinendum, munusque, & ministerium, quodvis obeundum, illum in se, & sua natura, & entitate supponi ex parte subiecti debere, æque est omnibus notum, de speciali ergo alio, & proximo naturæ Angeli cuiusque chori, & gradus hierarchici materiali, & ex parte subiecti ad cuiusque in suum gradum electionem præsens est difficultas: quæ ita, explicanda, & intelligenda est. Diximus dignitatem talem, ac tantam Angelorum conflatam, ex gratiæ donis, & excellentia actus proprij gradus hierarchici cuiusque ex parte subiecti eligendi, & materialiter conducere, & concurrere, vt hic ad hunc gradum hierarchicum specialiter eligatur, ac non ad alium: dubitatur an idem, eodemque modo naturis, & physicis entitatibus Angelorum chori, & gradus hierarchici cuiusvis eueniat, vt nisi eius naturæ, & entitatis physicæ essent, ad eum chorum, de facto, & quasi connaturaliter, non eligerentur? ita, vt licet accidentaria reliqua supernaturalia, ex iisque talis, ac tanta dignitas huic gradui hierarchico proportionata adesset, si tamen talis, natura deficeret ad illum chorum, vel gradum Angelus non eligeretur: non secus, ac si talis, ac tanta dignitas supernaturalis deficeret, & si talis natura Angelo adesset nusquam ad eius gradum hierarchicum, assumeretur, vt malis angelis euenit: quibus, & si aliquorum natura, naturæ Angelorum chori vnius, aliorum veto naturis aliorum naturæ conueniant, ac proinde ex omnibus choris decidisse dicantur; tamen, quia eis supernaturalis dignitas præfata defecit, electi ad gradum vllum hierarchicum, non sunt; itaque illud demum quærimus: an naturæ Angelorum excellentia maior inadæquate, ex parte subiecti, & materialiter, ad eius electionem, ad chorum, & gradum hierarchicum superiorem conducat, æque, atque excellentia d norum supernaturalium, & actuum eius gradus proprium, vt ex vtraque excellentia, & dignitate naturali, & supernaturali, ad æquata causa, ex parte subiecti eligendi, & dispositio, & proportio ipsius cum illo gradu hierarchico confletur?

8. Dico secundo, excellentia etiam naturæ Angelicæ talis, ac tanta, maior, aut minor, causa materialis, & dispositiua, ex parte subiecti est, ipsum gradui huic, hierarchico, inadæquate proportionans, superiori scilicet, vel inferiori, provt maior, vel minor dignitas naturæ in Angelis fuerit; ita censet Soarez, noster supra capite 14. Ioannes Præpos. ad quæstion. 64. articulo quarto, tractatu breui de hierarchiis, vltimo de Angelis dub. 3. fine §. *Notandum*, vers. 19, Alarcon. 1. parte, tractatu sexto, disputatione 1. cap. 8. num. 13. & 14. quatenus asserunt gradus hierarchicos, & choros Angelis speciei alios ab aliis distinctis constare: id quod iidem authores communem sententiam scholasticorum reputant cum Magist. in 2. d. 9. & S Thom. 1. p. qu. 108. ac tandem post multas impugnationes fundamentorum, quæ pro hac sententia collegit Soarius, eidem, vt probabili subscribit Arriaga, citat. disp. 4. sect. 4. subsect. 1. num. 28. absolute; etsi censeat simul probabilius deduci ex suppositione, quod de facto Angeli specie diuersi existant ex hac vero communi opinione certo deducitur, ad gradus hierarchicos ordinandos excellentiam naturæ Angelorum à Deo etiam attendi, vt ij in superiori gradu hierarchico constituantur, quorum natura præstantior, & in supremo, quorum natura præstantissima; tum, quia ideo diuersitatem hanc specificam penes superiores, & inferiores gradus hierarchicos Doctores assignant, vt naturæ perfectioris, & perfectiores Angelos ad superiores, & superiores gradus à Deo aduocatos debita pro-

pos-

positione ostendant : Tum etiam, quia posita specifica diuersitate naturæ in Angelis, nequit, non inæqualitas perfectionis inter ipsos admitti iuxta Aristotelem, & vniuersam philosophiam asserentem essentias rerum esse, sicut numeros, quorum nullus diuersus ab alio esse potest, cui non sit inæqualis vt patet in æqualibus autem in naturæ perfectione naturalius maior natura perfectio debet attendi connaturaliter loquendo, vt quis præferatur gradu alteri speciei, & naturæ inferioris. cui naturæ ipsius gradibus prælatus est, si excellentia supernaturalis dignitatis ad gradum Hierarchicum requisita adsit ; & forte solum æqualis, & proportionata perfectioni naturæ Angeli cuiusvis est (vt postea dicemus) in iis præsertim donis supernaturalibus, quæ ad gradus, eiusque ornatum attinet, non ad ministerium.

CERTAMEN III.

Reliquæ probationes conclusionis eiusque amplior explicatio.

1. PRobatur secundo ex communi Theologorum sententia, cum Magistro & Sancto Thoma locis citatis, asserentium : dona gratiæ excellentiora minusve excellentia, cum proportione ad naturæ Angelorum dignitatem, & excellentiam fuisse ipsi à Deo concessa : ergo cum hæc requirantur, specialiter ad electionem connaturaliorem Angelorum in gradus Hierarchicos superiores, vel inferiores naturæ excellentia, quæ ad ea supernaturalia concedenda requiritur, requiretur. Obiicit huic rationi Arriaga : minus verum videri antecedens : quia Deus dona gratiæ non dat iuxta maiorem, vel minorem perfectionem naturæ, cui nihil debet, nec, si ex debito naturali donaret, dona gratiæ absolutè essent vt contra Pelagianos subdolè gratiam solum creationis fatentes, & gratiam absolutè talem, & per Christum volentes intelligi, Patres. & Concilia reclamarunt : friget tamen obiectio. Aliud enim est non dare dona gratiæ iuxta naturam eiusque perfectionem exactiue, quod solum probat obiectio ; aliud non dari æstimatiuè, & proportionatiuè : vt scilicet donis, & ornatu maiori ipso, pluris ab eo fiat natura perfectior, quam imperfectior, fierique ostendatur, quod nullatenus probat : necesse serica vestis non magis aureis vittis, quam lanea, quæuis petit exactiuè ornari, & æstimatiue, & proportionatiuè aureum ornatum serica præ lanea reposcit : ita, vt, si lanæa vili adiungatur dissonet ; si autem serice consonet. Tugurium sericis, aureisque peristromatibus ridiculum spectaculum esset : Regia vero aula eis ornata esset spectatissima ob ornatus, & aulæ proportionem : ita ergo : nulla angelica natura, quantumvis perfectissima, dona vlla gratis exactiue tanquam passiones & iure naturæ debitos effectus suos reposcit, nedum perfectissima dona : æstimatiuè vero, & proportionatiue, quæ perfectior est, petit perfectiora, quæ magis in illam quadrant, quam in naturam imperfectiorem, sic hispane. *Esta tela rica pideguarnicion de oro : Este talle, vicarria, y hermosura ecuerpo tales galas, y jocias :* hoc est : *diranle, iestaranle muibien, y como naeidas* : Quæ de minus eleganti corpore minime dicuntur.

2. Obiicit secundo Arriaga (desperata solutione) contra eiusdem antecedentis veritatem. Auxilia gratiæ excitantis dona gratiæ sunt, æque atque reliqua gratiæ dona : & tamen data Angelis à Deo non sunt proportionate ad perfectionem naturæ ipsorum, nimirum, maiora auxiliorum dona perfectioris naturæ Angelis imperfectioris vero minora : ergo falsum ab solutè est dona gratiæ collata Angelis à Deo fuisse iuxta maiorem, minoremve naturæ ipsorum perfectionem : Secundo dona gratiæ anxiliantis data, non sunt iuxta perfectionem, maiorem, vel minorem naturæ Angelorum : ergo, nec reliqua gratiæ dona. Cedo, si potes, disparitatem. Minor primi syllogismi (quod entimematis secundi est : antecedens) probatur ex communiori Theologorum sententia de Angelorum lapsu ex omnibus, vel plerisque Hierarchiis, luciferi ex suprema Hierarchia, & chori, & sic aliquorum, ex inferioribus, vt sequente d. videbimus. Eis quippe omnibus auxilium gratiæ efficax ad obediendum, standumque datum non est : cum eorum plurimi, in naturæ excellentia cum Angelis Hierarchiæ, & Chori superioris, & supremi conueniant : & tamen datum est plurimis Angelis inferioris, & infirmæ etiam Hierarchiæ, & Chori : auxilium autem ad perseuerandum efficax cuiuscumque entitatis, & intentionis, ac perfectionis, physicæ etiam minutulæ, sit maius donum gratiæ esse auxilio quantumvis physice intenso, & perfectissimum, certum Theologis est : Respondetur tamen, non ita difficulter : antecedens esse verum de gratiæ donis ad naturæ, supernaturalem ornatum spectantibus, atque ex mero Dei arbitrio, adhuc materialiter, dependentibus : auxilia vero efficacia, etsi, quoad entitatem considerata, ex mero Dei arbitrio, & independenter à nostro donentur : tamen, quoad efficaciam, non ex illo solum, sed ex nostro etiam pendent, non quidem, vt quæ efficacia sunt donentur, sed, vt efficacia sint : id enim à creato consensu conditionate futuro extrinsecus habent : à quo proinde, tanquam à præbente, & offerente Deo materiam auxiliorum efficacium, qua talium, non autem tanquam ab offerente meritum, aut dispositionem aliquam motiuam moraliter, vt ea auxilia efficacia, præ aliis, vel his potius, quam aliis creaturis rationalibus donet : vnde ad alia gratiæ dona patet disparitas petita, & distinctio adhibenda maiori primæ obiectionis : efficacia enim auxilia, ita gratiæ dona sunt, vt ratione efficaciæ, ex qua sunt maiora gratiæ dona à nostro etiam arbitrio pendeant, cum ab eius bono vsu illorum efficacia reddantur ; quod aliter in aliis gratiæ donis ad ornatum supernaturalem, instructionemque naturæ in actu primo spectantibus euenit : quorum maioritas intrinseca est, & à solo Deo omnino proueniens, atque eo sensu speciali à Deo solo proueniunt, & Dei dona maiora, specialiter dicuntur, & proportionatè, ad naturæ perfectionem à Deo donantur.

2. Quod tertio loco idem Arriaga obiecit (nimirum, nec gratiam habitualem, & reliqua, supernaturalia dona ad ornatum supernaturalem, & instructionem naturæ in actu primo præcisè spectantia, pro maiore animorum indiuidua perfectione maiora donentur, quare nec danda Angelis esse maiora pro maiore specifica perfectione) ipse diluit, numero 16. §. *Quod vero additur* : quia nobis, non nisi per Sacramenta, vel merita gratia, & dona supernaturalia à Deo donantur, nullatenus attenta naturæ perfectione, quod secus in Angelis est factum. quibus independenter, à meritis, & sacramentis (quæ pro illis non extitere) ac proinde in eorum donatione maior, minorque naturæ dignitas potuit attendi : atque à Deo spectata est, vt dona gratiæ præfata pro naturæ Angelorum dignitate, maiora, vel minora donaret asseri facile potest. Verum quid dicet, depossibili, & de facto, & Protoparentibus in statu innocentiæ, quibus gratia, & dona supernaturalia independenter à meritis, & sacramentis (quæ pro eo statu nullatenus ipsis adfuere) donata à Deo sunt ? An pro maiore perfectione Adami, eiusque animi, quam Euæ ampliorem gratiam datam : negabit ? an asseret ? si negat : nulla est disparitas, assignata : nam tunc in gratiæ, & donorum supernaturalium elargitione sola natura potuit attendi : quare, & locus fuit attentioni maioris, & minoris indiuiduæ perfecti onis naturalis vtriusque, vt de specifica Angelorum respondebat ; si asserat : nulla est obiectio, non tamen ob disparitatem, ab ipso assignatam, sed ob falsitatem absolutè sumpti antecedentis, quod ipse absolute admittit, potrò de æqualitate, & inæqualitate gratiæ, & donorum, in quibus Protoparens vterque primum productus à Deo fuit importunè nunc à nobis definiretur : cum propriam controuersia 9. de opere sex dierum, & statu innocentiæ d. 2. eius, quæstionis examen, & decisio sedem habeat : illud satis ad

præsens fuerit assertain æqualitate, argumentum hoc nostrũ secundum pro 2. nostra concl. potius confirmati, quã euerti, vt patet; sed negata inæqualitate in eo etiã innocẽtiæ statu, ac proinde absolutè, & vniuersim pro omnibus hominibus, & animis, in quocunq; statu sint, potest tamẽ disparitas alia præter datam ab Arriag. & à nobis reiectam, nec in statu innocẽtię Protoparentes complectentẽ, etsi in eis pro eo statu inæqualitas donorum pro indiuidua inæqualitate, negetur: connaturali enim prouidẽtia naturæ specificę rerũ amplius, quam indiuiduis, Deus attẽdit, etsi clare, & æque indiuidua, atq; species scientia sua penetret, & comprehendat. Patet in naturalibus: in quib. perpetuitatẽ & incorruptionẽ specierũ corruptibiliũ à Deo curat, secus indiuiduorum: & in supernaturalib. speciem aliquã naturæ rationalis secundum se totã à gratia, salute, & vita ęterna decidere, atq; eo genere perire, nusquã permittit, vt supra cum communi Theologorũ dicebamus: permittit autẽ eius indiuidua quamplurima cuiusvis speciei rationalis eo mortis genere mori. Ratio autem est: quod specie commodum maius, & amplius est, ad pluraq; extenditur, omnia scilicet indiuidua: indiuidui autẽ commodũ angustissimũ atq; in ipsum quasi carceratũ, subindéq; non à Deo curandum, ac naturæ, & speciei cõmodum, quo simul indiuiduorũ omnium commodo prouidetur: ecce aliam disparitatem ad rem præsentem speciei ab indiuiduis naturis, quam inuentu impossibilem etiam iudicabat Arriaga, vbi proximè n. 26. §. *Quod vero additur*, citato.

4. Tertio probatur conclusio, ex communi etiam Patrum, & Theologorũ sententia, asserentium: Dæmones lapsos ex omnibus Hierarchiis, & Choris Angelorum fuisse: cum autem hierarchiæ pro priori naturæ ad Angelorũ, vel transgressionem vel obedientiam constitutę non essent, de aptitudine, & dispositione ipsorum, ex parte subiecti, ad hanc, vel illã potius hierarchicam, & chorũ, quam ad alios plane loquũtur: ergo de maiore aptitudine, ac dispositione naturæ horũ Angelorum ad hanc hierarchiã, & chorũ, quam ad alium. Negabis consequentiã, quia maior aptitudo, & dispositio subiectiue ex maiore, vel minore dignitate supernaturali per dona gratiæ, in quib. creati Angeli sũt, superiori hierarchiæ, & choro respõsura, satis intelligitur, cõstituta, quin maior naturę Angelorũ aliquorũ, quam aliorũ sit necessaria. Sed effugium hoc pręclusum est argum. 2. hactenus statuto, de proportione magnitudinis donorum gratiæ Angelis collatorũ cum maiore naturę vniuscuiusq; perfectione: cõtra secundo, quia dona gratiæ merè arbitraria nullóq; respectu habito, ad naturam à Deo Angelis concessa æqualia plurib. Angelis fuisse, vt huic gradui hierarchico præ aliis proportionentur subiectiue, nullo fundamẽto dici à Patrib. potuit, vel supponi, cum id ex mera & libera Dei voluntate pendeat, de qua, nisi ex eius reuelatione, nil possumus scire, vel asserere, quin vane diuinemus: nulla autẽ est de eo reuelatio, sed solũ esse hierarchias, & choros superiores, & inferiores assertos: solũ ergo potest firmo fũdamẽto aliquo ea æqualitas dignitatis aliquorũ Angelorũ in donis supernaturalib. huic determinato gradui hierarchico potius quã alteri proportionata adeo cõmuni Patrũ, & Theologorũ cõsensu asseri vel supponi, ex eo, quod naturę Angelicę perfectioni intrinsecę, & plurib. cõmuni proportionata cõcessa à Deo Angelis fuerint cũ creabãtur: ac proindè ex naturæ etiã perfectione maiore, & excellẽtia Angelos in statu vię aptos, natos ad hũc potius gradũ, quã ad aliũ hierarchicũ, & ex parte subiecti idoneo partialiter cõstituit: à quo gradu Dæmones, à suo quisq; lapsi dicũtur cum transgressione sua gratię dona amittẽtes excellẽtiã supernaturalẽ, qua partialiter & cõpletiuè apti ad suum gradũ constituebantur, atq; destinati erant, si obedirent, illo præua sua voluntate priuati sunt: confirmatur, quia ordinaria prouidentia capacitati aptitudini: imò, & naturali cuiusque conditioni, etiã indiuiduæ, nedum specificę gratię suæ dona adaptare, & accõmodare Deus consueuit. Confirmatur vlterius: quia si sola dignitas supernaturalis hanc dispositionẽ, & aptationẽ subiectiuã Angelorum ad inferiores, vel superiores gradus constitueret, fieri sane connaturali prouidẽtia posset, vt inferioris speciei Angelus ad superiorem gradum, quã Angelus speciei superioris, aptior, dispositiorq; ex parte subiecti à Deo cõstitueretur: quod connaturalis prouidẽtia non patitur, nec fieri à Deo consueuit: in his præsertim gradibus, in quib. ministerium aliquod, industriæ eligendorum obeundum, exercendumq; est, vt in gradib. hierarchicis contingit; nisi forte (quod hic deficit) Deus se eorum operum, specialem authorẽ velit specialiter ostentare, vt in electione Apostolorum de qua Paul. *Infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia, &c.* Insuper apparenti (etsi non iustę) quę relæ occasio Angelis speciei superioris daretur, quod citra naturæ, & capacitatis suæ aptitudinem maiorem, alij vero supra suam minorẽ ad gradus hierarchicos disponerentur, aptarenturque. Deniq; iam subiiciendæ 4. & 5. concl. probationes rationis huius non imbelles propugnationes sunt.

5. Probatur quarto conclusio: quia ea excellentia, quę dat aliquib. Angelis supertioritatem aliquam eiusve fundamentum respectu aliorum Angelorum, attendi, atque æstimari Deo debet ad gradum hierarchicum superiorem eis assignandum, vel disponendum ad illum, magis accommoda, connaturaliori, & suauiori prouidentia ipsi in rerum dispositione consueta: atqui perfectior natura dat aliquibus Angelis superioritatem aliquam: eiusve fundamentum respectu aliorũ Angelorum: ergo excellentia naturæ Angelorũ attendi ac æstimari in cõnaturali prouidẽtia à Deo debet, vt ei gradus hierarchicus superior donetur. Maior probata fere iam est: Etenim alias gratia non perficeret, sed inuerteret naturam, eiusque ordinem protereret, ac destrueret. Minor suadetur: quia in Angelis malis, nulla supernaturalium donorum dignitas, & excellentia est, & tamen est in aliquib. eorum, aliqua superioritas vt supra ex Euangelio, vidimus, etsi in ea, à Deo in pœnam, an ex Dæmonum consensu collata, eo titulo formaliter completè & absolutè sit; restat examinandum cert. vlt. ergo ex superioritate & excellentia naturę eorum respectu aliorum, qui imperfectioris naturæ sunt: ergo & Angelis bonis (eiusd. quidem naturæ, cum Dæmonib. naturæ perfectioris respectu Angelorũ naturæ imperfectioris & eiusd. cum Dæmonib. naturæ imperfectioris superioritatẽ aliquam, eiusve fundamentum dabit ac subinde cõnaturaliori Dei prouidentia attendi debet, attentaq; de facto fuit, vt ad superiorem gradum hierarchicum eligerẽtur. Quinta & vlt. concl. probatio est eiusmodi. Gradũ inferiorum, & superiorum hierarchicorum dispositio, & ordinatio lumitur vltra ornatus supernaturalis dignitatem, ex diuersis affectuum erga Deum excellentia ex qua ad diuersa ministeria cum erga Angelos alios, tum præsertim erga homines, eorũque salutem exercenda, prõptiores potentioresq; reddantur, non actualiter, & exercitio ipso formaliter tantum, id enim actus, & transiens de se est, nec potẽtes habitualiter, & permanenter seipso constituens, nisi principiũ aliquod permanens de se supponat, quod ita in eiusmodi actus excellentes & proprios hierarchiæ, & gradus vnius erga Deũ, alios Angelos, & homines inclinet, & feratur, vt prõpte, & præ cęteris Angelis hierarchiæ, & chori alterius expeditissime, excellentissimos illos actus concipiat, & inde ministeria sui gradus exerceat. Patet, quia gradus illi hierarchici permanentes, natura sua sunt, ad eiusmodi actus, & ministeria erga Deum, Angelos alios, & homines exercenda, quare permanens illorum principium nec solum actum aliquem, aut exercitium actuale, debent natura sua ex parte subiecti, siue Angeli ad gradum hierarchicum eligendi supponere.

6. Verum istud permanens principiũ, nec auxilium efficax est, cognitio sancta: tum, quia natura sua permanẽs non est, sed cognitio sancta æque, atq; actus reliqui transiens: tum, quia quà efficax principium actus non est, sed potius actu formaliter constituitur: tum denique, quia de se quibuslibet Angelis, cuiuscunq; gradus, commune, nec magis ad Angelos vnius gradus, quam alterius determinatum, sed indifferens, meróq; Dei arbitrio determinatum, ac determinabile: sed nec potest esse habitus ex repetitis actib. propriis, cuiusq; gradui Angelico acquisitus: cum viæ status Angelis breuis valde fuerit (etsi non duorum solum instantium, seu momentarum durationis, vt à pleriscq; censetur) vt à Deo intensus habitus adquireretur: sed nec potest esse, habitus adquisito similis, & per accidens à Deo infusus Angelis cum crearentur, ob rationes datas contra maiorem dignitatẽ supernaturalem his Angelis præ aliis naturæ dignitate, non attenta à Deo in creationis instanti concessam: ergo principium illud permanens potẽtius, promptiusq; ad eiusmodi actus in suo genere excellentissimos, & cuiusq; gradus hierarchici, proprios & Angelorum ipsorum natura, horum ad actus hos aliorũ ad actus alios, vt diximus cert. 1. n. 9 cum ergo ad gradũ quęq; Angelis designandum, maior eius, & expeditior promptio, atq; inclinatior potẽtia ad proprios actus, & ministeria gradus cuiusuis hierarchici connaturaliori prouidentia attendi à Deo debeat, atq; cum ea in naturis ipsis Angelorum non autem in habitu, adquisito, vel simili per accidens infuso, neque

neque in auxilio, sed in natura Angelorum consistat; infertur necessario Angelorum naturam huic actui, & ministerio proprio huius gradus hierarchici, excellentissime exercendo promptiorem de sese, & quatenus ex parte sua est, inclinatiorem attendi à Deo connaturali prouidentia debere, ac similiter de aliorum Angelorum naturis ad alios actus, & ministeria gradus alterius hierarchici exercenda promptioribus, inclinationibus: quare naturarum etiam Angelicarum diuersitatem, & excellentiam ad eiusmodi actus & ministeria exercenda vel superiora, vel inferiora) ex parte Angeli seu subiecti ad gradum inferiorem, vel superiorem hierarchicum à Deo eligendi, ad eius electionem materialiter concurrere, vt proposita conclusione secunda contendimus.

7. Dico tertio: naturæ Angelicæ excellentia, non vtcumque specialiter, ex parte subiecti, seu Angeli ad gradum suum eligendi materialiter ad eius electionem absolute concurrit, sed immediate, & proxime, nec solum remote quatenus actus, excellentissimi proprij distinctiui, ac denominatiui, illius chori, ac subinde ministeriorum in eo exercendorum principium, & causa actu, & exercite est, vt supra diceb amus. Hanc conclusionem probant quarta, & quinta probatio conclusionis, secundæ, quas dedimus n. 5 & 6. in eamque facilis veniet Arriaga citato loco n. 28. vbi air: Angelum vnum gratia, & donis alteri perfectioris naturę æqualem nullatenus, quod huic alteri gradu hierarchico postponatur, conqueri posse: quia eo coniuncto ex natura perfectiore, & donis gratiæ æqualibus excellentior, dignioreque absolute hic alter est, qui ad superiorem gradum hierarchicum assumatur: in quo aperte, & vere supponitur naturalem excellentiam, & perfectionem naturæ Angelicæ dignitatem, quæ ex parte subiecti à Deo, immediate, & proxime attenditur, vt ad superiorem gradum hierarchicum assumatur, qui eam habet maiorem, cum supernaturali gratiæ, & donorum dignitate, tanquam cum comparte, integrare, & constituere id quod probatione. 4. conclusionis. 2. specialiori discursu probauimus, n. 5. id ipsum probat, quinta nostra peculiaris probatio eiusdem secundæ conclusionis ab eius numeri medio, & n. 6. concluſa. Cum enim, promptior, expeditiorque, atque inclinatior potentia, permanenter talis, ad actus proprios, & munera specialia cuiusuis gradus hierarchici, præcipua, vel in præcipuis numeranda, dispositio seipsa sit, etsi nullum actum hierarchicum, effecisset, vt ad hunc gradum, præ alio, ad cuius actus, & ministeria ita prompta, expedita & inclinata potentia non esset, Angelus eligatur vt in electionibus omnibus ad dignitates, quæ imbibitum officium, vel annexum habent, patet, in quibus non solum aliarum prærogatiuarum, sed præcipuæ aptitudinis maioris ad illud exercendum ratio habetur) promptiorque, & expeditior, magisque inclinata, & propensa potentia Angelorum ad hunc actum, & ministerium proprium alicuius gradus hierarchici, nil aliud sit, quam Angelorum natura: hanc secundum se etiam, nec solum mediate, & remote, quatenus actum aliquem gradus alicuius hierarchici elicuit, immediate, & proxime à Deo, ex parte subiecti ad Angelos huic gradui hierarchico, potius quam alteri, destinandos & eligendos attendi certum esse debet; quare & Angelorum naturam perfectiorem de sese ad actus excellentiores superioribus gradibus hierarchicis proprios, aptiorem, promptiorem, ac propensiorem, ad eorum in superiores gradus hierarchicos assumptionem materialiter ex parte subiecti immediate, & proxime concurrere: vt tertia hæc conclusio contendit, quam Theologorum pro secunda citatorum esse censeo, etsi non adeo expresserint, & in terminis vt aiunt, eam docuerint.

CERTAMEN IV.

Conclusio quarta, & specierum Angelorum numerus.

1 Deo quarto excellentia naturæ Angelicæ, quæ ad Angelorum in gradus hierarchicos diuersos inferiores, & superiores ab infimo ad supremum assumptionem attenditur à Deo, & materialiter ex parte subiecti specialiter, & proximè concurrit naturæ specificæ est non individualis. Hæc etiam conclusione secunda, vbi diximus excellentiam naturæ communis Angelis ad quemuis gradum electis materialiter, ex parte subiecti specialiter concurrere, continetur, atque ab omnibus eius Patronis traditur, expressionem vero hanc conclusionem de eo ponimus: cum quia Arriaga minus firmiter, quam præcedentes, probari putat citata sect. 4. subsect. 1. & si obrationes à nobis disiectas. n. 3. cum etiam, quia alias speciales difficultates ex quarta peculiari nostra probatione, data pro conclusione secunda pati poterat, nec, nisi ex ratione quartæ huius conclusionis diluendas. Probatur ergo conclusio; quia ea dignitas naturæ, & essentiæ Angelorum vnius gradus hierarchici communis est omnibus individuis Angelis eius gradus, & subinde de eis prædicabilis inquid: ergo est dignitas naturæ specifice, vt minimum, communis. Patet consequentia à definitione speciei ad definitum. Secundo, ex eodem antecedente pro maiore posito, arguo hac minore sumpta, sed implicat individuam aliquam dignitatem naturæ singularis qua individua, & singularis est, aliis individuis naturis Angelorum esse communem; ergo implicat dignitatem illam naturæ Angelorum eiusdem gradus hierarchici, cunctisque illius gradus communem, esse dignitatem individuæ alicuius naturæ, vel omnes individuas dignitates naturarum individualium eorum coniunctim sumptas. Minor euidens, est in bona Metaphysica, & Logica. Siquidem prædicatum, seu differentia individua essentia sua tota infectilis, adhuc metaphysice, & indiuisibiliter propria, & singularis huius individui est, quin aliqua sui parte metaphysica, cum prædicato seu differentia individuali alterius conueniat, vnde, & prima consequentiæ pars demonstrata manet. Secunda vero illationis pars probatur. Quia coniunctum, singularitatum, siue vnitatum numerum quidem, seu aggregatum potest constituere, nusquam autem physice, vel metaphysice vnum vel commune, ideo enim aggregatum, ex pluribus, qua talibus, quantitatem discretam solummodo dicitur constituere. Confirmantur duo hæc argumenta, ex aliis metaphysicis principiis (nobis quidem euidentibus, nescio an aliis) ex quibus in controuersiis metaphysicæ, & animæ deduximus nullum individuum speciei alicuius, nullamque animam posse esse individualiter æqualem in natura, & essentia individua. Ratio desumitur ex doctrina Aristotelis, de essentiis, & naturis cõmunibus: quod scilicet hæc sicut numeri suat, quibus essentia sua repugnat, æqualitas, ac proinde, & repugnat speciebus: vnde infertur individuis etiã repugnare.

2. Ratio enim in speciebus probans, æque etiam probat in naturis individuis; ea enim est. Quia æqualitas ita essentialibus prælicatis est essentialis conuenientia in illis, sed essentialis conuenientia repugnat essentiali disconuenientiæ, & diuersitati, quam species diuersæ essentialiter etiam important ergo specierum diuersarum æqualitas repugnat: quod æque probat contra æqualitatem essentialem individualiter duarum naturarum individuarum ex qua individualis, earum conuenientia ipsarum diuersitati individuæ repugnas, æquo robore, & (me iudice) euidentia infertur. Atque hinc valide statutum manet antecedens illud primum: quod vtrique nostro argumento inseruit. scilicet excellentiam, & dignitatem naturæ debere esse communem, siue naturæ communis omnibus Angelis, cuiusvis gradus Hierarchici. Debet enim esse, in omnibus

nibus æqualis: esse autem æqualem, quoad indiuiduas eorum naturas repugnat, vt vidimus cum essentiali earum indiuidua diuersitate. Deus æqualitatem hanc dignitatis, & excellentiæ in natura Angelorum omnium gradus cuiusque Hierarchici, non debere esse formalem, & metaphysicam argumentis factis, reiectam, sed æquiualentem, & moralem: quam nusquam reseluunt: quemadmodum, etsi in natura indiuidua duo homines æquæ dignitatis naturalis formaliter, & metaphysice esse prorsus nequeant) ac sæpe, ne in dotibus quidem, & perfectionibus accidentariis, siue naturalibus, siue adquisitis æquæ dignitatis, & perfectionis physicæ requisitæ directè ad aliquam dignitatem munus, aut ministerium; tamen ex coniunctis, aliis, qui minor in illis est, æquiualentet, & moraliter, seu prudenti nostro iudicio censetur obteri, qui in illis excedit, æqualis vt ad illam dignitatem munus, aut ministerium eligatur. Cæterum id nostro casu non habet locum. Primo: quia nos gaudentibus solum coniecturis ducimur: quia cum naturalium, tum adquisitarum perfectionum in se ipsis inspectarum notitiam, & scientiam habere non possumus: ac proinde, vt de eis omnibus prudenti discursu, & coniectura æqualitatem, vel inæqualitatem aptitudinis hominum, & dignitatis ad hunc gradum, vel ministerium iudicamus: quod secus in Dei iudicio, qui omnia intuetur nec duci coniecturis, ad iudicandum potest, dici necessario debet. Secundo: cum, quidquid dignitatis, & excellentiæ, in Angelis ad gradus Hierarchicos est, naturæ ipsorum intrinseca sit, & ex supernaturalibus Dei donis, à se solo datis, vel eorum actibus propriis Hierarchiæ vniuscuiusque conflata: ac Dei dona iuxta naturæ perfectionem fuerint cuique largita, vt hactenus ostendimus: insuper nil aliud in Angelis fuit, vnde naturalis defectus posset in morali æstimatione suppleri, & compensari, vt æqualitatem moralem dignitatis, minus perfectius indiuiduali sua natura cum Angelis indiuiduè perfectioribus assequi possit: moraliter etiam inæqualis Angelo indiuiduè perfectiori manebit.

3. Oppones: Tota differentia naturarum angelicarum per nos, est penes exigentiam naturæ vnius, non exactiuam sed decentiæ, & conuenientiæ donorum supernaturalium intentiorum, non autem speciei diuersæ ab aliis remissioribus, quæ naturæ aliorum imperfectiorum Angelorum donantur: vnde in illis resultat dignitas maior supernaturalis: insuper maior naturalis dignitas specialiter ad hunc gradum Hierarchicum potius quam ad alium conducens, stat per nos in maiore promptitudine, expeditione, ac propensione naturæ ad actus feruentiores, ac intentiores: aptitudines autem, & potentiæ ad maiorem, intentionem accidentium, & operationum, quam sint aliæ, ad accidentia, & actus, siue operationes speciei eiusdem in gradu, tamen remissiori, ex eo præcisè differre ab his specie non arguuntur: maximè cum ad æquam accidentium, & actuum intentionem vnaquæque aptitudo, & potentia absolute est, solumque differunt, quod connaturalius, breuiusque, & facilius eam actuum intentionem altera concipiat, quam alia, vt in Angelis omnibus euenit: etenim actus omnes tam intellectiuos, quam affectiuos voluntatis, secundum omnem intentionem, & feruorem ad quemvis gradum Hierarchicum requisitos, vt eius proprij actus sint concipi absolute, à quovis Angelo posse certum prorsus est: eóque solum vnius natura, & potentia, ad eos actus eliciendos differt, quod altera propensior faciliorque de se sit, ad eam actus intentionem, & feruorem concipiendum, vt diximus: atque item donorum supernaturalium in tota intentione, vtraque absolutè est capax. Confirmatur: quia fœminæ natura sua vt plurimum aptiores, promptioresque hominibus, ad actus misericordiæ, pietatis, & deuotionis, feruentiores, & intensiores sunt, quam viri, à quibus tamen non specificè, sed indiuiduliter, solummodo distinguuntur: idcirco deuoti cognomen apud Ecclesiam totam hic sexus obtinuit, vt quotidianæ illius Antiphonæ verba declarant: *Intercede pro deuoto fœmineo sexu.* Nec satis respondeas: non ita generale fœminis esse, vt ex eis plurimæ immites, impiæ, indeuotæ, ac diræ non sint, vt experimur: ac proinde, eam promptitudinem, & propensionem ad pietatem, misericordiam, non ex naturali, & stata naturæ eius sexus lege, omnibus communis prouenire, sed quasi ex casu naturæ communi adiunctis indiuiduationis: Etenim multo plures Angeli ex Hierarchia quavis, choro, & gradu, quovis Hierarchico lapsi (ex omnibus quippe lapsos esse supponimus, ac suis actibus Hierarchicis sui gradus propriis defecerunt, atque vehementer, & intense in actus aduersos abierunt: Ergo non naturæ, communis Angelis, ad eum gradum Hierarchicum ad illam aptioribus, sed ex indiuiduationibus cum illa identicè (metaphysicè loquendo) quasi casu coniunctis ea maior aptitudo, promptitudo, & expeditio naturalis ad eos actus bonis Angelis obuenit. Ne vero quis his argumentis pressus ad ministeria propria gradium, Hierarchicorum recurrat, vt pro eis species Angelorum diuersas, nihilominus tueatur, aduertat: Ministeria etiam omnium graduum Hierarchicorum omnia, cuiuscumque speciei sint, à quovis Angelo exerceri absolutè perfectissime intra speciem suam posse, solumque esse differentiam penes promptitudinem, expeditionem, & propensionem vnius naturæ, quam alterius ad perfectius, eadem specie ministeria obeunda, vt de actibus intellectus, & voluntatis Angelicæ diximus.

4. Strinxi difficultatem quam potui arctissimè, in vulgatiori opinione, quæ in entibus realiter transcendentaliter respectiuis, non nisi in ordine ad terminos specie diuersos specificam diuersitatem admittunt, vt autem ea se difficultate liberent, qui nostram conclusionem tuentur, variè terminos specie diuersos naturæ, & potentiæ Angelorum, ad totum gradum Hierarchicum spectantium, à terminis naturæ Angelorum gradus alterius venantur, & deligant. Communius, cum Suario proximè, naturæ Angelicæ specie perfectiori vniuersaliores species impressas, aut expressas cognitiones, quæ in se, simplices cum sint, plura obiecta, vel virtualiter, & actiue, vel formaliter, & expresse representent; quæ tamen inferioris naturæ Angelis non, nisi diuersis, speciebus, vel cognitionibus alterutro modo repræsentari debeant, eas vero species, cum impressas vniuersaliores tum expressas, ac minus vniuersalibus specie differre extra dubium est. Postremum hoc, etsi verum, ac mihi certum, ægre in sua vulgatiore sententia de necessitate diuersitatis specificæ terminorum, ad specificam diuersitatem entium transcendentaliter relatorum (cuiusmodi species vtraque ad sua obiecta est) potuerunt ita respondentes deffendere: cum, siue plurium, siue paucarum obiectorum species istæ vtriusque gradus Hierarchici sint debitæ, obiecta tamen intra eundem ordinem, & speciem sunt, à qua, nec pluralitate, nec vnitate sua retrahuntur, vel abscedunt. Arrianga citatis sectione quarta, subsectione prima, numero vigesimonono, paragrapho. *Fateor ergo libenter*, duas alias rationes assignat. Prima: quod Angeli gradus Hierarchici, & naturæ superioris habeant vitales potentias, realiter identificatas, inferioris vero gradus, & naturæ non habeant identificatas realiter, sed realiter distinctas: in primo enim ait, nulla apparet repugnantia, & hoc postremum certum mihi est: non solum ex fundamento negatiuo, quod repugnantia, non appareat, sed positiuo, quod distingui, ab Angelo realiter eius vitales potentias repugnet, vt controuersia de anima, d. de potentiis, eius non admodum legenter ostendebamus. Iude vero constat, differimen hoc naturæ superioris, & inferioris, angelicæ esse impossibile: cum non possint, non omnium Angelorum naturis potentiæ earum identificari. Secundo: certa hæc ratio est, cum solum possit duos gradus Hierarchicos, qui plures certè sunt, distinguere, secunda

secunda eiusdem Authoris ratio est. Angelum, qui species seipso sit possibilium multorum, non repugnare. Et fortassis non magis, minusue repugnat, quam substantiam, accidensque realiter identificari de quo tamen superfluunt plura. Hæc autem, & difficilia æqualia à nostra conclusionis patronis excogitantur & terminos specie diuersos naturis, Angelorum pro gradu hierarchico vnoquoque diuersis specie designent, vt ad specificam distinctionem transcendent aliter relatorum necessarium putant.

5. Sed à Philosopho Discipulo falsum id prorsus reputaui semper: etenim Petri cognitiones singularis huius obiecti, à Pauli cognitionibus de obiecto eodem specie differre, certum mihi est: cum illæ plures indiuidualiter sint, & in eo conueniant vniuoce, quod sint essentialiter cognitiones Petri, non autem Pauli: vt sunt essentialiter, & vniuoce Pauli de obiecto eodem indiuiduæ plures ipsius cognitiones. Idemque est de visionibus, animæ, & materiæ solùm indiuidualiter diuersæ, quo solum principio vniuersa præfatarum oppositionum, & confirmationum machina à fundamento subruit. Sed, & pleraque in eis contenta principium hoc nostrum confirmant. Siquidem è sola diuersitate intentionis optimarum qualitatum, quas formæ corporum specie, & genere diuersę pro sui dispositione requirunt, vt in summo, vel prope summũ, aut proportionate, ad sui, & compositi conseruationem tuentur, eiusque imminutiones instaurant, & amissam intentionem recuperant, atque ab alio sola diuersitate intentionis, vel remissionis huius, vel illius qualitatis primæ differt, quin diuersitas specifica vnius ab alio interueniat; rectæ igitur naturæ vnius Angeliæ ab alia specifica diuersitas extrinseca exigentia decentiæ (& si non ex actiua) dignitatis maioris supernaturalis, eisdem specie donis intentioribus constantis, & specie differre, & specie perfectior superiorque esse poterit, quam illa, quę natura sua minori dignitati supernaturali ex eisdem specie donis minus intensis constant proportionetur. Quod autem de maiori promptitudine expeditione, & propensione naturæ huius Angelicæ ad actuum propriorum sui gradus intentionem & feruorem concipiendum ad specificam naturarum Angelicarum gradum diuersorum satis non esse, exemplo fœminarum ad deuotionem pietatem, & misericordiam promptiorum, ac propensiorum, quam hominĕs, à quibus solum indiuidualiter differunt, respondetur: adhuc sub iudice lis tem esse, an specie saltem infima hic sexus differat à virili. Secundo: à fœminis ad Angelos paritas non tenet: illis enim, non ex substantiali, essentiali natura, sed ex complexione earum corporea, maior aptitudo expeditio, & propensio ad eorum effectuum feruorem concipiendum prouenit. Quod si ex intrinseca natura animarum, quibus fœminæ constare naturaliter debeant, ea, ad intentiores, ac feruentiores affectus illos aptitudo, & propensior maior prouenirent (vti ex natura Angelica ad actus proprios sui gradus prouenit) earum sexum à virili differres specie infima non dubitarem. Demum: quod ad totam actuum cuiusuis gradus hierarchici intentionem, & feruorem, quiuis Angelus natura sua possit Dei gratia adiutus, solaque differentia penes maiorem celeritatem, & facilitatem concipiendi eam intentionem, & feruorem actuum sit, quæ ad distinctionem specificam naturarum satis non videtur. Respondeo: satis, superque non videri solum sed esse: dummodo æqua, & essentialis pluribus naturis indiuiduis sit; quia pluribus indiuiduis erit eadem vniuoce, & essentialiter communis: quam æquam, & essentialem pluribus, indiuiduationibus solum adesse repugnat. Quod adeò verum est, vt maior naturæ promptitudo deliberandi, circa obiectum remque propositam, generatis etiam differentiam à natura de se ad deliberandum tardiore possit inferre. Imo summa deliberandi promptitudo instantaneæ, siue instanti eodem, quo obiectum proponitur adeo superiorem, & perfectiorem naturam arguit, vt ne supremo genere cum reliquis, non nisi cum tempore de se & natura sua deliberaturis, conueniat, ac diuinam probet, vt d. proxima videbimus.

6. Iam vero inde facile constat Angelorum species viginti septem numero, vt minimum, esse, nec solum iuxta Chororum numerum nouenario (qui Ioanni proposito supra, & communi Theologorum nimis cuctus, nec Patribus consonans videtur) contineri. Ratio ex dictis est in promptu: quia species Angelorũ, pro graduum, hierarchicorum numero multiplicantur, sed gradus hierarchici diuersi sunt viginti septem: ergo sunt Angelorum species. Minor constat, quia, ex Dionys. supra, intra quemuis ex nouem Choris tres gradus Angelorũ, Hierarchici etiam, sunt videlicet supremus medius, & infimus: nouem autem terducta, viginti & septem efficiunt, id satis indicat (vt non expresserit Dionys. c. 5. asserens Angelos superiores pro graduum celsitudine differre, scilicet se ipsis, & natura sua, cum non dicat gratia, & domi supernaturalibus, sed dicit nude, quare, & secundum se sumptis absolute loquatur. Clarius adhuc, & expressius id asseruit Nazianz. orat. 34. 2. de Theolog. etsi autem orat. 40. asserat se non posse, quæstionem denumero specierum Angelicarum definire, non quoad positiuum numeri à se pro gradibus diuersis asserti, sed quoad eius numeri negatiuum, quo plures species Angelorum neget, intelligendus est ne sibi, ac suæ rationi propriæ contradicat. Damascenus. 2. de fide. cap. 3. qui, & si de specifica Angelorum diuersitate dubius furere videatur, non tamen de ea, sed de ratione differentiali specifica assignanda, & explicanda dubius hæret: sicut etiam Augustinus, vt ex eorum testibus, accuratius inspectis ostendimus. quæst. 4. cert. 2. num. 1. An vero vltra 27. species Angelorum, ex totidem hierarchicis gradibus probatas, sint de facto plures, certum prorsus nobis est, vt de se Nazianz. citata orat. 40. fatebatur. Solus Chrysostomus homil. 2. de incomprehensibili Dei natura Angelos innumerabilia genera, id est species, appellat. Et Theologi multi innumerabiles etiam esse censent: eo quod in sublunari etiam, & corruptibili mundo, innumeras Deus species posuerit, quare è potiori iure in amplissimo orbe, & nobilissimo cœlesti plures adhuc posuisse censendus sit. Sed hæc ratio parum vrget: est quippe congruentia, cui si oppositum fieret alia, ac fors maior Deo non deesset. Chrysostomus ibi de facilitate summa, qua Deus tot Angelorum millia innumerabilia, creauit, negamus ibi logica stricta, & scholastica acceptione vsurpauit, sed vt eius instituto satis erat, quatenus vulgari acceptione significat diuersitatem.

7. Denique: an Angeli Hierarchiæ vnius genere subalterno, nec solum specie infima ab aliis cæterarũ Hierarchiarum differant à recentioribus disputatur, cum Soario, qui affirmatiue iure respondet. Siquidem cuiusuis Hierarchiæ Chori, constare Angelis debet, vt vidimus in aliquo conuenientibus vniuoce cum Angelis reliquorum Chororum Hierarchiæ eiusdẽ, ac rursus disconuenientibus, ab eisdem in aliquo proprio Angelis, cuiusque Chori ab Angelis duplicis alterius Chori eiusdem Hierarchiæ. Ac proinde genere proximo, vt minimum à cunctis Angelis Hierarchiæ alterius differre debent. Voco autem genus proximum diuisum Angelorum in species infimas suas, quod infimum merito dicetur, quia sub illo nullum aliud genus est; sed solum species Angelorum infimæ. Dixi autem, hoc, vt minimum, genere infimo Angelos vnius Hierarchiæ ab aliorum Angelis differre; æstimo enim non proximo hoc, & infimo genere, sed remotiori, & superiori alio metaphysice distingui: id quod ex dictis facile probatur, & enim Angeli cuiusuis Hierarchię vt diximus in natura communi vniuoce Angelis omnibus triplicis Chori in ea inclusi, cõueniunt, & ab Angelis omnibus reliquarum Hierarchiarum differunt: rursus intra Chorum quẽuis tres alij gradus Hierarchici sunt, supremus medius, & infimus, quorum Angeli in prædicato, & natura, communi, & necessaria, vt intra illum Chorum quouis ex tribus hisce gradibus admittatur, vniuoce cum aliis ad duos alios gradus Chori eiusdem spectantibus conueniant; & adhuc tamen ab eis specie infima pro eorum graduum diuersitate, differunt: ergo infimum genus, sub quo non genera alia, sed species infimæ solum modo sint est natura Angelica communis vniuoce Angelis cuiusque Chori Hierarchiæ huius, quod rursus per naturas specificas infimas Angelorum ad gradum vnumquemque Hierarchicum ex tribus, quibus Chorus ille constat; proxime diuiditur, ergo Angelorum natura communis vniuoce ac necessaria, vt ad vnam ex tribus Hierarchiis, in quouis eius Choro admittatur, natura generica, seu genus superius, & remotius est diuisioni eorum in species suas infimas: ac proinde genera alia, infima, &

huic diuisioni proxima, & immediata sub se coërcēs. Genus ergo primum naturæ Angelicæ in tria genera subalterna naturarum pro tribus Hierarchiis immediate diuiditur, & harum quæuis in angustiora alia tria genera naturarum, pro suis Choris tribus, quæ infima sunt, & in naturas specificas infimas graduum cuiusque supremi medij, & infimi immediate diuiduntur. Porro in ordine ad quos actus, & munera hæc generum diuisio in Angelis sit multum, à Soario, Arriaga, & aliis in cassum laboratur, vt vidimus num. 4. Nos autem. num. 5. viam assignandis tutiorem, latioremque penas, modos agendi, & exercendi actus, & ministeria Hierarchica aperuimus, qui clariora adhuc desideret custodem suum Angelum roget, & oret, vt ea sibi ostenderi dignetur.

CERTAMEN V.

Dubia reliqua expediuntur.

1 PRimum est, de tempore, & duritate Hierarchiarum à principio ad finem inclusiuè. Et initium quidem in primo creationis instanti fuisse, si naturæ Angelorum diuinæ, & inæquales, ex quibus dona gratiæ, & merita proportionato excessu donantur ad electionem Angelorum, in gradus suos Hierarchicos requirantur, saltem inchoatiue, & in actu primo, etsi non quoad exercitium actiuum, & ministeriorum, cuiusq; Hierarchię consequenter asserendum censent Arriaga cit. sect. 4. subsect. 2. n. 32. §. *Hinc potest dici*, Immo quoad exercitium etiam illuminandi alios Angelos tunc etiam cœpisse probabiliter in ea sententia dici posse; siquidem, vt Lucifero, assecliſque inferiores resisterent connaturali modo per superiores Deus illuminauit. Cæterum ego, qui inæqualitatem naturarum Angelicarum necessariam ad Angelorum in suos gradus Hierarchicos electionem reputaui, & habita maioris minorisue perfectionis intrinsecæ ipsarum ratione dona supernaturalia gratiæ (auxiliis exceptis) maiora, vel minora à Deo concedi, nihilominus nullam pro instanti creationis, neque partialem, & inchoatam electionem Angelorum ad gradus suos hierarchicos, neque in actu primo inde inferri censeo; immo factam nego. Primo: quia, etsi ea omnia Angelis creatis omnibus, ac proportione ad cuiusque naturam perfectiorem, vel imperfectiorem, graduique Hierarchico superiori, vel inferiori conformiorem data à Deo sint; attamen nulla facta est electio hierarchica Angelorum, maiorum, qui æque perfectæ naturæ, ac subinde æque ornati donis supernaturalibus creati sunt, atque boni Angeli, ad quorum gradus omnes Hierarchicos accommoda distributione alij ad superiores, alij ad inferiores pertinerent, si non peccassent: ergo, neque in bonis, qui fuerunt, inchoata: & in actu primo electio Hierarchica facta in eo instanti fuit. Secundo: ea electio Angelorum in gradus Hierarchicos, & ad officia, & obsequia erga Deum ab Angelis tanquam à ministris perpetuæ suæ cœlestis aulæ, ac perpetuis familiaribus amice, & amantissime perpetuo exhibenda fuit: ergo vltra naturam, & gratiæ dona reliqua expectandus fuit status fixæ, firmæque in perpetuum amicitiæ, & gratiæ Dei in Angelis etiam ad gradus, & ministeria Hierarchica in actu primo erga Deum ipsis designanda, vt cordate eligerentur, ac sine contingentia vllâ frustraneæ electionis: ille autem status Patris & beatitudinis est, non autem viæ & contingentiæ absolutæ peccandi & amittendi amicitiam, & dona reliqua supernaturalia Dei, & eius status primum viæ instans creationis cunctis Angelis fuit: ergo, in instanti creationis Angelorum Hierarchica electio, ad ministeria, in actu primo adhuc non fuit.

2. Simile argumentum fit ex alio ministerio illuminandi Angelos inferiores dirigendi, & custodiendi homines: vt omni contingentia deceptioni, & perditionis inferiores Angeli, viatoris designati tolleretur, & pater. Tunc enim, & inferiores Angelos deciperent, tanquam, ex Dei reuelatione, præscriptoque ipsos ex suo munere deleganes praua dogmata docerent, & scelestissima quæque suaderent, fortiusque ex sui gradus, & muneris, inferioribus noti, prærogatiua, & authoritate, quam Angelis inferioribus, quos prauis suggestionibus, sine ea prærogatiua, & authoritate, secum in tartarum traxerunt, & solo astu, & suggestionibus, homines quotidie in infernum deturbant: quibus etsi Angelos eorum esse vlterius suadeane, Dices electionem inchoatam in actu primo pro illo primo instanti, & viæ his absurdis, & incommodis obnoxiam non esse. Sed explica mihi quidnam sit, aut præster Angelis viatoribus hæc inchoata electio? aut cum absoluta electio statum patriæ expectare debeat, qua necessitate aut fructu, hæc inchoata electio in via anticipetur? quod enim pars motiui ex parte subiecti, & materiæ requisiti in Angelis ad ipsorum in Hierarchicos suos gradus electionem eis adsit in via potius euincit electionem, tunc minime futuram adhuc partialiter; nulla enim pars causæ requisitæ, ad effectum, siue influxu physice, siue intentionali efficientem, inchoatiue causat illum seu illius partem ponit in rebus. Dices/ vt supra Arriaga Angelos superiores ac per ipsos Deum illuminare inferiores Angelos, vt Lucifero, & assecliis male suadis resisterent ita enim connaturaliori modo illuminarentur: ea vero illuminatio inferiorum actus gradus Hierarchici superioris proprius est: ergo supponit in Angelis superioribus illuminantibus, eum gradum, siue eos in illo gradu in actu primo constitutos, vti omnes actus, secundum suum actum primum. Respondetur illuminationem inferiorum Angelorum per superiores, ex officio, & munere proprio, habituali, & permanenter, esse actum secundum proprium gradus Hierarchici superioris; transeunter, & ex Dei decreto speciali posse actum Angeli cuiusuis esse, etiam ex gradu hierarchico inferiore, nec solum superiore ad quem ex munere, & ministerio proprio alias pertineret vt patet in Angelo, per quem Deus alium Angelum etiam superioris naturæ illuminat. Quemadmodum diximus de Cherubinis, & Seraphinis propria quandoque ministeria inferioris gradus, & Hierarchiæ ex Dei voluntate exercuisse, quin gradu cederent, atque ad inferiorem descenderent, cuius propria ea ministeria erant. Quod autem superiores natura Angeli inferiores, contra Luciferi, & assecl arum suggestiones connaturalius illuminarint, ex gradu, & coordinatione hierarchica, quæ tunc non erat, falsum est: ex natura aliqua, seu superioritate rerum quia quos intelligentia inferiores, aut non superiores nossent Angeli alij, non ita facile audirent.

3. Quandiu autem Hierarchicus hic ordo Angelorum duraturus sit; an cum mundo corporeo, & iudicij postremi die finiendus? an æternum permansuri? dubitatur? finiendus asseri à Paulo videtur. 1. Corinth. 15. Docente Christum *euacuaturum omnem principatum, & potestatem, & virtutem, cum tradiderit regnum Deo, & Patri.* Molin. q. 108. cit. d. vn. §. penult. cum sancto Thom. ibi. a. 7. Arriaga citat. subsect. 2. num. 32. §. *Sextum dubium*, & scholastici reliqui cessaturum quoad actualia ministeria; erga homines, quæ ex inde necessaria non erunt, cum ex tunc tentationes, & malitia hominum rectori, qui, vel casus hominum incertitudo, & periculum cesset; quibus, etsi post illum diem Limbi infantes purgatum innouatum amenitatibus, deliciisque naturalibus plenum mundum habituri sint (probabiliter à pluribus iudicatur) obnoxij non erunt; sed pacatissima Republica perpetuo fruentur. Similiter cessaturum, quoad illuminationis ministerium, quæ deinceps nulla, denno erit; cæterum, quoad prælationem cum indignitate naturæ, gratiæ, & meritorum, tum præmij, & gloriæ cum graduum superiorum, & inferiorum ordinem æterne in Angelis, permansurum. Sed communis hæc doctrina absque explicatione maiore, non placet: siquidem solum admittit dignitatem ex naturali, & supernaturali conflatam, quæ ex parte subiecti, & materialiter ad electionem in gradus suos Hierarchicos Angelorum concurrit; non autem gradus ipsos hierarchicos Dei electione formaliter vltimo constitutos, perpetuo permansuros, sed hanc Dei electionem pro limitata duratione. vsque ad iudicij postremi nimirum Diem fuisse. Censeo ergo gradus ipsos hierarchicos ministeriales, nec solum, quo ad dignitatem ob quam electi à Deo Angeli sunt, & quoad gloriæ superioris, & inferioris, quam quisque pro gratia iustificante in qua

in qua viæ statum timuit æterne duraturos, nec postremi iudicij die finiendos. Ratio est, quia actus ministeriales, erga Deum, cuiusque gradus hierarchici supra à nobis memorati æterne ab eius gradus Angelis exercebuntur, ex proprio eius gradus officio, & ministerio. Secundo: quia eiusdem facultatis, & appetitus est desiderium, siue physice, siue affectiue, effectuum faciendorum & gaudium de factis. Gaudium autem Angelorum de illuminationibus aliis Angelis inferioribus, & de factis erga hominum, viatorum custodiâ ac gloria per illas ab vtrisque adepta æternum, ex proprio cuiusque munere, & gradu erit. Tertio demum: quia potestas quæuis, alicuius effectiua physica, etiam pro duratione, qua illud efficere absolute nequit, dummodo pro aliqua absolute possit, aut potuerit, absolutè perseuerat: est quippe, vt bene Caietanus potestas faciendi non semper, & vbique, sed quando oportet, & vbi oportet: id quod in potestate politica & ciuili clarius apparet.

4. Dubitatur secundo: an homines beati in gradus hosce Hierarchicos pro meritorum, & iustitiæ finalis maioris, in qua decedunt, & gloriæ retributæ dignitate admittuntur? Molina, ex sancto Thoma. a. 8. affirmatiue respondet, etsi an ad valde superiores gradus, & Hierarchias assumendi aliquot homines sint? non definiat: quia, an gratia meritis, & gloria futuri sint, graduum superiorum Angelis æquales, videtur incertum, etsi inferiorum Hierarchiarum, & graduum Angelis æque gratiæ, & gloriæ homines aliquos beatos fore supponat, ac subinde illorum gradibus Hierarchicis inferendos: imo infantes, qui gratia solum baptismali, vel remedij maculæ originalis in naturali, vel scripta lege decesserunt, & adultos, qui pœnitentes obierunt cum æqua plus, minusve parum gratia infimum Angelorum chorum iudicat ingressuros. Ego vero in re hac iudico, neminem hominum, ad vllum gradum proprie Hierarchicum ex hactenus explicatis esse assumendum. Huic conclusioni consentit reipsa Arriaga citatus, num. 34. §. *Vltimo dubitari potest.* Tum, quia naturæ Angelicæ essentialis dignitas, ex parte subiecti, & materialiter, ad electionem, & assumptionem cuiusuis, in quemcumque Hierarchicum gradum, & specialiter proxime concurrit non solum, qua dignitatem constituit, sed qua potentia, aptior, promptior, atque propensior est ad actus proprios, gradus Hierarchici cuiusque: ad hanc vero essentialem dignitatem, & potentiam Angelorum hominis nullius natura potest pertingere: esto habeat supernaturalis ordinis ex gratia, donisque Dei dignitatem altiorem tum etiam quia ad ministeria Angelorum gradus alicuius Hierarchici, ex munere, & officio habituali exercenda assumendi homines non sunt; tametsi quandoque eis, vel eorum animis beatis ex Dei decreto committi eorum exercitium possit, & de facto sit aliquorum animis commissum, & fors deinceps committendum. Alioqui iam in ministerio Hierarchico Angelorum animas beatas, ex munere, & officio æque, atque ipsis proprio esse constitutas, eaque exercere admittendum est, aliasque ab aliis subinde illuminare, & hominum curam, & custodiam habitualiter, atque ex officio exercere; quod, & frustraneum erit, & absque fundamento vllo dicetur. Illud igitur certum est alio Hierarchico ordine pro gratiæ, & iustitiæ, siue gratis à Deo infusæ, siue meritis, Deo auxiliante, partæ magnitudine posse homines ad gradus omnes etiam supremum Angelorum, & vltra etiam, conscendere; eoque sensu, & ordine Hierarchico, & Christi Domini humanitas in primis, atque eius Mater Deipara Virgo Maria, super Choros Angelorum ad cœlestia regna assumpta, & exaltata dogmatice ab Ecclesia dicitur.

5. Denique, vt quidquid de propriè acceptis Angelorum Hierarchiis (de quibus hactenus) dubitare Theologice potest, absoluatur, duo breuissime definienda restant. Primum: an in quauis Hierarchia, & choro, & gradu Princeps aliquis Angelus sit à Deo constitutus? In quo affirmatiue respondeo. Ita enim melius ordinata Hierarchia erit, eiusque chori, vt in choris castrorum, & militaribus exercituum nostrorum (quorum ad instar Angelorum ordinata Respublica cœlestis ab Scriptura, Patribus, & Ecclesia nobis proponitur, & explicatur, cum militia, & exercitus cœlestis dicitur) videmus: in quibus supremus aliquis militiæ Magister, & generalis Dux perficitur, deinde minoribus, exercitus, partibus plures tamen cohortes continentibus, coroneli: cohortibus singulis Duces particulares, qui suis quique gradibus præsunt, ac reliquis subditis militibus robore, & arte militari præstant. Ita ergo, & in Angelico exercitu oportuit fieri, vt, qui aliis cunctis sui gradus hierarchici, cum quibus specie conueniebat, individua natura perfectior est præcederet, eis omnibus præficeretur. Quis autem pro quouis gradu Hierarchico sit solus Deus nouit. Omnibus autem ex Hierarchiis, choris, & gradibus cunctis, vt generalem Ducem, magistrum supremum cœlestis exercitus, & totius Angelicæ militiæ Principem à Deo constitutum iudico esse Michaëlem ex supremo choro hierarchiæ primæ Angelum, (vt supra ostendimus) præstantissimum: siquidem ex variis scripturæ locis deducitur, & ab Ecclesia in animæ moribundi recommendatione expresse is fuisse asseritur, *qui cœlestis militiæ meruit Principatum.* An vero in viæ statu natura individua, & donis aliquot priuatis gratiæ Lucifer ipsi præcesserit, ac subinde principatum hunc militiæ cœlestis obtineret, ni à gratia in peccatum laberetur? atque in eius defectum Michaëlem individua natura, & priuatis Dei donis ipsi perfectione præ reliquis proximum, ad eam principatum electum à Deo fuisse? negandum prorsus est ob rationes, quib. supra Michaelem individua natura probauimus Lucifero præstantiorem.

6. Postremum dubium est: an Angeli omnes vnius gradus æque intense responderint, vocationi diuinæ, ac subinde fuerint æque promeriti; minus tamen perfecte, intense, & meritorie Angelis graduum superiorum? pertinebat hoc directius ad disputationem sequentem de statu viæ Angelorum; sed hic à recentioribus, quia sub graduum Hierarchicorum vocibus proponitur quæstio disputatur, atque adeo huc etiam, non importune, aduocari eius examen potest. Soarius supra, & recentiores alij affirmant: quia non solum gratiæ dona reliqua, sed etiam merita perfectioni, naturæ specificè (iuxta quam graduum hierarchicorum diuisio, & ordinatio facta à Deo demum est) debent proportionari. Huic autem proportioni, quasi connaturali, meritoram naturæ specificæ Angelorum ad gradum vnumquemque hierarchicum spectantium, & excessui respectu Angelorum gradus remissionis opponit se merito Arriaga citat. sect. 4. sub sect. 1. num. 25. §. *Hinc constat à fortiori*, etsi enim id fieri à Deo absolute potuerit, vt ipse merito etiam docet num. 28. §. *Quoad punctum* (imo, & quod omnes inferioris gradus Angeli fortius, intentiusque Deo vocanti, quam superioris gradus Angeli respondercut, id tamen ex connaturaliori prouidentia, & correspondentia perfectiori naturæ factum, faciendumve dici cum fundamento, non potest. Siquidem (vt supra ostendimus) auxilia gratiæ pro Dei, arbitrio, ac sine vlla ad naturæ perfectionem maiorem aut minorem attentione à Deo donantur: quorum donatione solummodo donari à Deo merita Angelis possunt, nec dubium alicui erit) non ita proportionate ad naturam Angelorum gradus cuiusuis esse à Deo merita eis omnibus auxilij congrue, seu radice bonæ voluntatis, (vt Augustinus ait) donata, (vt donarentur de facto, si connaturaliore prouidentia naturæ dignitas attendenda foret) patet; quia Angelis multis æque perfectæ naturæ, qui peccauerunt, atque ad gradus hierarchicos omnes pro naturæ dignitate, spectarent, ni peccassent nullum efficax auxilium, vt non peccarent dedit; quare multo minus connaturaliori prouidentiæ præiudicaret Deus, si Angelis bonis, eiusdem naturæ, & gradus inæqualia intensiue merita, imo minus intensa, & minora quam Angelis inferioris gradus, donaret.

CERTA

CERTAMEN VI.

Demonum Respublica pessima eiusque gradus.

1 DEnique de sacrilega, & iniquissima dæmonum Republica videndum restat, an suis gradibus, superioribus, & inferioribus, quaue electione ordinatis, & dispositis constet? Atque esse inter illos superioritatem, & inferioritatem constans apud Doctores cum S. Thoma 1. p. quæst. 109. & in scriptura expressum. Matth. 9. 12. vbi Beelzebub Princeps dæmoniorum dicitur, Pharisæis, quibus, quoad Beelzebub principatum Christus annuit, respondens, *Si satanas Satanam eiicit, quomodo stabit regnum eius?* & c. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, id est, qui ipsius ministri sunt ad nutum subditi, & ad nutum obedientes & exequentes, vt etiam Apocalyps. 12. significatur verbis illis, *Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt.* Legionum autem ordines in nefario isto exercitu & principatu esse patet ex Marci 5. & Lucæ 8. eas vero legiones, seu dæmonum hierarchiis oppositos, atque aduersis ministeriis in Dei, & hominum odium, & inuidiam, nostram ruinam designatos destinatos, ab scelestissimo eorum Principe in malum hierarchicos ordines, & nomina imitantes esse satis, significat Paulus ad Ephesios 6. scribens. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi Doctores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Id est Spiritus nequam, qui in cœlis peccarunt, vel super cœlestibus nos oppugnant, & 1. Corinth. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum euacuauerit, omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* Quæ de dæmonibus etiam iure intelligit Molina, ac. q. citat. 109. disput. §. *Finita vero*, iuxta glossam, quæ sic eum locum interpretatur. *Quamdiu durat mundus Angeli Angelis, homines hominib⁹, & dæmones dæmonibus præsunt*, ex quo loco opportuniorem, quam existimauit Arriaga cita. sect. 4. subsect. 2. n. 33. esse textum ad Ephes. 6. ad probandos gradus Reipublicæ dæmoniacæ facile constat: adiuncto præsertim, quod iam de eo, à quo iurisdictio, & potestas aliorum dæmonum in alios, atque Belzebub, Satanæ, seu Luciferi, in omnes fuerint facta; quod postrema dubij huius postremi pars est.

2. Super hac vero parte, qui ordines, & gradus omnes Angelorum ante obseruationem aliorum, & aliorum transgressionem dispositos censent, perdenominationem extrinsecam à dispositione illa præterita, à Deo in instanti creationis facta ex eis gradibus, & nominibus censeri, etsi nullum ius perstet aliorum in alios, dicere consequenter posse censet Ariaga vbi proxime, ac subinde à Deo factam esse eam dæmoniacæ Reipublicæ, & graduum eius, qualem qualem, & prædenominatiuam dispositionem. Sed præter illius sententiæ suppositæ falsitatem, ea extrinseca denominatio electionis dæmonum in gradus suos pro statu viæ, vt præterita, satis non est, ni in ipsis conseruetur, & permaneat, vt esse illos in gradus suos superiores, & inferiores dispositos dici absolute possit, sed solum me defuisse, etsi aliis alij naturæ perfectioris sint: id enim ad gradus metaphysicos superiores constituendos, & inferiores satis erit, non autem ad disponendos gradus eiusmodi Reipublicæ dæmoniacæ. Secundo gradus isti iurisdictionis sunt, vt ex scripturæ locis datis colligitur. Tertio Arriaga idem ibidem, & num. 34. §. *Dices qui alios*, ait probabile ex eo, quod alij alios traxerint ad peccatum, superioritatē gradus, & iurisdictionis in hos illis concedi: & videtur censere esse illis à Deo concessam; siquidem ait non obesse quod grauius alios trahendo peccarint, cum iurisdictio hæc illis in malum, vtinam sit, quæ augetur ipsis ex iurisdictione admittendum alios, eorumque missione ad homines tentandos; sicuti & dæmonibus ad id missis, ex quauis hominum peracta tentatione, & amplius, si illi homo succumbat, & peccet. Mala ac dedecens Deum doctrina, quæ vltra permissionem tentandi, potestatem, & iurisdictionem positiue à Deo factam dæmonibus docet, quæ ad malum, & peccatum determinate est, etsi in dæmones, inde maior pœna redundet.

3. Dicendum ergo est: hos gradus iurisdictionales Reipublicæ dæmoniacæ, ab infimo ad supremum, ab ipsis dæmonibus falsos, dispositosque in Dei, vt dixi, odium, hominumque, inuidiam, & perniciem. Vbi enim primum, peccarunt, obstinationem in malo incurrentes, in Dei, & hominum odium, & inuidiam, ita exarserunt, vt Dei augendis offensis, malisque hominū & perditionibus omni ante, & studio procurādis, se totos deuouerint. Hinc qui alios dæmones de natura, & malitia præstantiores, magisque obinde ad ea disponenda, & peragenda industriores recognoscebant atq; ité experimento suę ab ipsis deceptionis didicerant seipsos eis ad ea perpetranda gubernandos vltro summiserunt, ac iniquissimo, & præstantissimæ naturæ, cum specificæ, tum indiuiduæ Lucifero dæmones omnes. Ex qua omnium dæmonum, conuentia, & electione graduum superiorum, & inferiorum iurisdictionata eis, qui ad eum consensu omnium ad aliquem eorum suat electi ac Lucifero, in gradus & Angelos omnes si quemadmodum etiam ex populo, vel ab eo deputatis magistratuum superiorum, & inferiorum, imo, è principiis, Regisue, aut imperatoris electio, ius potestatis, & iurisdictionis, suo cuique gradui vbique gentium facere consueuit, quin opus sit, vt Deus aliquo gradu & loco, etsi remotissimo, eam positiue velit, aut causer; sed solum permissiue segerat, eam eiusque exercitium, vt poterat, non impediendo, sed tum ad maius hominum honestum exercitium, & victoriam tum in dæmonum pœnam maiorem vtrumque permittendo.

4. Inde constat gradus hosce iurisdictionales dæmoniacæ Reipublicæ postremi iudicis die finiendos, cum solum dæmones alij aliis, in hominum inuidiam, & perditionem, quæ vltra iudicij diem disponi, peragique à dæmonibus non poterit) se coniurato subdiderint, vt Paulus. 1. corint. 15 glossa, & Molina, recitati. n. 1. de cætero odiis, se mortalibus, alij alios prosequantur, nullatenusque alia in re inter se se concordent, nisi quod (vt Philo Hæbræus sapienter de quartanis febribus) *pariter disrepant*. Quare in id solum temporis, quo status viæ hominibus durabit alij dæmonis in alios, atque omnes in seipsos Lucifero iurisdictionem, & potestatem fecerunt, quit sane status, ac subinde aliorum demonum in alios, & Luciferi in omnes iurisdictio, postremi iudicij vniuersalis die finietur. Deinceps vero nulla eis concordia, sed discordia omnimoda, rixæ, atque odia implacabilia æterna relinquuntur.

5. Etsi autem dæmones alij in alios pro mundi huius duratione iniquissimam hanc potestatem, & iurisdictionem, habeant, & exerceant. Angelorum tamen potestati & iurisdictioni subduntur à quibus pro nutu, vel coercetur vel permittuntur hominibus insidiari Ecclesiam eiusue partes, & loca infestare, prout expedit, atque è Dei voluntate, permissiua saltem, esse cognoscunt, illis etiam interdum aliqua manifestant, præcipiunturque, vt tanquam, diuinæ iustitiæ ministri, aduersus homines exequantur, ac non semel vera bonaque plura hominibus manifestent, eosque ad pœnitentiam, fidem, & pietatem omnem hortentur, vti sæpe à dæmonibus factum authenticis Ecclesiasticis scripturis legimus, atque energumentorum experimentis didicimus: cuius rei opte nostra ætate exemplum fuit, vbi energumena de extremo iudicio & pœnis inferni in nostri collegij Ecclesia concionem ad populum viuidissimam habuit, de ea dæmonum Angelis subiectione conueniunt Theologicum §. Thoma. q. 110. ar. 4.

DISPV

DISPVTATIO III.

De iis quæ Angelis in creationis physico instanti adfuerunt.

MVLTA disputationi huic Theologicæ, eiusque quæstionibus præmittenda essent de speciebus impressis Angelorum, vndeque, & quando, & quorum obiectorum eas naturaliter habeant: ac insuper de naturalibus eorum cognitionibus, nisi ea pure philosophica essent, sicut reliqua quæ idcirco tomo secundo controuersiarum philosophicarum controuersia vltima de Angelis disputauimus. In præsenti ergo ea solum disputanda sunt, quæ præter naturalia, ad viæ statum Angelis, indebite omnino, ac super naturæ debitum, eis sunt à Deo ornata, vt æternam beatitudinem mereri de condigno, demererique potuerint, atque ea item quibus fuerint de facto promeriti, vel quæ & si naturalia, ad merendum, demerendumque necessaria sint, vt libertas, atque exercium ipsius, prius autem de habitualibus deinde de actualibus donis, ac demum de libertatis exercitio in instanti illo primo, meritoque subinde, ac demerito pro instanti eodem agemus.

QVÆSTIO I.

De donis supernaturalibus, in quibus Angeli ex parte actus primi ad operandum creati à Deo sunt.

DOna supernaturalia hæc diuisimus in ea, quæ à Deo, nil creatura rationali, ac in re præsenti, Angelo cooperante, se ad illa disponendo, vel quouis alio, quam receptiuo modo concurrendo infunduntur: atque in ea ad quæ recipien.la sese, Angelus, aut quæuis alia creatura rationalis disponit vel aliquo, alio modo concurrit, præterquam donorum receptione, vti, etsi non dispositiue, & meritorie, ast materiæ aptæ appositione ad prædestinationem suam, & auxilij efficacem, eiusque, qua talis, liberam, ac prorsus liberalem, & omnino gratuitam donationem à Deo prædestinati concurrunt. Similiter auxilij huius efficacis donatione, opera etiam bona, ex ipso à nobis effecta donare Deus, & vere dicitur, scilicet in radice congruæ vocationis, vt sæpe Augustini phrase, & explicatione docuimus, & hæc quidem ita à Deo donantur, vt se solo, ac sine nobis amplius, quam receptiue concurrentibus, donari à Deo nequeant, vt de se patet. Prima vero alia supernaturalia dona, etsi, sine nobis plus aliquid, quam receptiue concurrentibus donari à Deo absolute possint, tamen etiam amplius concurrentibus nobis (& idem de Angelis esto) possunt à Deo donari, vt patet in gratia habituali & gratum formaliter faciente, ac reliquis per se infusis supernaturalibus donis, & auxiliis entitatiue sumptis, quæ nihil nobis vltra eorum receptionem apponentibus à Deo sæpe donantur, vt in baptismo paruulorum cernitur: quibus, & gratia, & fidei, spei, & charitatis habitus à Deo infunduntur; adultis vero tam extra, quam intra sacramenta, nec gratia nec supernaturales illi habitus deferuntur, ni præscriptam dispositionem ex Dei auxiliantis gratia de suo vlterius apponant. Duo igitur examinanda hic erunt. Primum: an in instanti creationis suæ præfata supernaturalia dona Angeli omnes à Deo receperint? secundum an, vltrà receptionem, plus aliquid voluntatis propriæ arbitrio de suo posuerint, quo se dispposuerint, vel aliquo alio modo, vt ea à Deo donarentur, concurrerint.

CERTAMEN I.

Habitibus supernaturalibus, & auxiliante gratia ornati Angeli in primo suæ creationis instanti extiterunt.

1 PRima sententia docet: Angelorum nullum gratia sanctificante, ac subinde eam consequentibus supernaturalibus donis, & habitibus ornatum in primo suæ creationis instanti extitisse, etsi boni postmodum ea fuerint ornati. Sic censent Hugo Victorin. 1. de sacrament. p. 1. c. 19. &. 12. Rupert. 1. de Trinit. c. 16. Magister in 2. dist. 34. & expressius 35. c. 2. Bona. dist. 4. a. 1. q. 2. 1 Ricardus, a. 2. q. 2. Argent. q. 1. a. 2. Bassolis. q. 1. a. 1. Ægid. q. 1. a. 4 Antisiodorens. 2. Hom. tract. 1. c. 1. Hentic. quodl. 4. p. 10. sub med. Marsil. in 2. q. 4. a. 1. Alex. Alens. 1. p. q. 19. m. 2. id quod probabile reputat Gabriel in. 4. d. 5. q. 1. a. 2. vti & eius oppositum: Scotus vero præfata, d. 5. q. 1. §. *Ad inquirendum*, anceps hæret: sicuti, & in eo, an dæmones in via ante lapsum fuerint gratiam consecuti? huius sententiæ fundamenta à ratione, non tam absolutam hanc conclusionem probant; quam aliam: nempe, rion nisi ex meritis suæ propriæ operationis, ex Dei auxilio gratiam, & reliqua dona, ipsam consequentia, obtinuisse, quod erit postea examinandum: & an inde bene inferant dari à Deo non potuisse, in primo instanti creationis, se ipsis ex meritoria dispositione fuerunt donata? quod ex dicendis, q. 3. subtilius & clarius, quam hactenus ab scholasticis, examinabitur. Cæterum ab authoritate præsentem conclusionem probant ex Ioann. Pap. c. *visis*. 16. q. 2. *dolet* (inquit de diabolo) *& erubescit charitatem, quam in cœlo nequiuit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra*, non ergo habuit charitatem, quam non potuit, Gregorius. 32. Moral. c. 25. alias. 18. editionis Paris. anno 1572. id Ezechiel. 28. *Aurum quoque decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es præparata sunt*: ita de lucifero Angelorum ornatissimo exponit. *Huius lapidis foramina præparata sunt: quia videlicet capax charitatis est conditus: qua, si repleri voluisset, stantibus Angelis, tanquam positis in Regis ornamento lapidibus, potuisset inhærere.* Sub inferius. *Habuit ergo lapis iste foramina; sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta*: cui expositioni Patres, & interpretes alij consentiunt approbati à nostris Gaspare Sanchez, & Cornelio à lapide, ad eum locum.

2. Et quamuis hæc de malis Angelis, in eorum capita lucifero, dicantur, eum tamen in instante creationis, nondum mali, & dæmones erant, à bonis discreti, sed conditionis cum his communis, idem ipsum de bonis Angelis in hac q. videntur Patres censere. Verum hæc actum charitatis, vt summum, non habitum Angelis malis negarint. Secundo: nullam negant, sed cum perseuerantia, seu perseuerantem. Illud enim sonat verbum illud *tenere* (iuxta id *tene quod habes, ne alius accipiat* &c. Quod primo loco de hominibus dicitur à Ioann. Pap. & contraponitur illi *habere*, quod Angelo negatur, imo, & potentia charitatem habēdi, seu conseruandi, potentia, non quidem absoluta, & antecedens; sed dæmonis vitio, & inertia consequens negatur, quemadmodum Discipulis exprobrans Dominus aiebat. *Non potuistis vna hora vigilare mecum*; & hispane dicere de eo, qui negligentia, magnæque fortunæ abusæ eam amisit. *El no pudo cõseruarse en su fortuna*, id est, *no supo por su mala industria conseruarse* Gregorij sententia, & eius loci interpretatio, nisi aliud continet; vt patet ex illis verbis. *Stantibus Angelis bonis* scilicet; qui stant, quia steterunt, in

charitate, quam habebant: stare enim alicubi supponit mihi fuisse, non autem locum denuo adquirere, id etiam significant *verba repleri, & repleta*, quæ complementum important, seu perseuerantiam, qua charitatis auro filo Regis Dei vesti cum Angelis bonis affigerentur, nec aliud potuit Gregorius asserere, qui eodem libro pro sententia opposita expressus est, vt iam videbimus.

3. Dico primo: Angeli in primo creationis instanti habitum gratiæ, & charitatis, fidei, & spei, & reliquos infusos habuerunt. Ita docet Gratianus de pœnitentia d. 2. c. *citius* Durand. in 2. d. 4. quæst. 2. Maior ibi q. vn. Gregor. quæstione prima, articulo tertio conclusione prima. Sotus de nat. & grat. capite quinto S. Thom. 1. p. q. 62. a. 3. vbi eius interpretes Molina. §. *Contraria sententia*, Valent. Caiet. cum Dominicanis reliqui. Abert. secunda parte, tractatione quarta, quæstione vigesima octaua, num. 1. Caprenl. in 2. d. 4. q. 1. a. 3. ad. 1. Holcot. in 2. q. 3. Iodocus Clithoue. 6. in Ioannem. capite sexto, extat inter commentarios Cyrilli. Vasquez. d. 227. c. 2. Soar. 5. de Angel. cap. 3. & lib. 7. c. 19. Alarcon. 1. p. tract. 6. d. 8. c. 1. Ioann. præpos. ad cita. q. 65. a. 3. dub. 1. n. 9. Arriaga de Angel. d. 20. sect. 1. §. *quarto quæri posset*. Amicus d. 18. sect. 3. Quiros citato tract. 6. d. 68. sect. 1. num. 3. eidem sententiæ suæ insistit, S. Thom q. 63. a. 5. & 22. q. 5. a. 1. Probatur conclusio primo ex Isaiæ. 14. num. 12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo in cœlũ conscẽdam, super astra Dei exaltabo solium meum sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo; verum tamen ad infernum detraheris in profundum loci.* Hoc loco Balthasaris Regis Chaldeorum superbissimi casum sub typo, & historica parabola casus Luciferi dæmonum principis, prefatis verbis expressi ab Isaia narratum concors Patrum, & interpretum, & Ecclesiæ interpretatio, & genuina quidem, est, vt fuse ostendimus. d. 1. quæst. 3. cert. 2. eo vero nomine Luciferi in primis significat Isaias, eius primam creationem primo, vt dicitur, mane, seu diluculo hebræa lectio *Lucifer filij aurorę*: Arabica, & Alexandrina, *stella aurorę de cœlo oriens in diluculis*: & vox *helel hebręa*, cui latine respondet *Lucifer*, & Græce φωσφόρος. id est *Aurorę fer*, & primæ lucis ex qua dies & duratio rerum cœpit: Syriaca versio. *Quomodo cecidisti de cœlo? vlula mane corruisti*: Arabica Antiochena. *Quomodo cecidisti de cælo in aurora mane isti*, idem Valent. secundo: significat primatum splendoris, non solum naturæ eius, seu & donorum gratiæ, quibus in eo creationis suæ instanti refulsit. Id passim patres, & interpretes docent. Primus Chrysostomus Homil. 22. in genes. eos confutans, qui dæmones ob carnalem ad mulieres accessum lapsos, cœloque eiectos effutierant, quia ante hominum primorum lapsum, & formationem, ne dum ante hominum filias longa, ex ipsis serie propagatas Diabolum peccasse scriptura testatur sapientiæ 1. vbi dicitur inuidia diaboli mortem, per Adami *peccatum, intra se in mundum*, & hac rursus ratione confirmat. *Nam nisi antefactum hominem excidit, quando in tanta dignitate manens inuidit homini?* Ea vero dignitas, non solius naturæ, à qua, nec post peccatum excidit, & in qua (absque dubio, manfit, & manet: quare ea, in qua non mansit peccando, gratiæ, & donorum supernaturalium est, quam per peccatum amisit, ex Chrysostomi sententia, vt ipse expressit, immediate subdens. *Neque enim consentaneum est Angelum incorporeum & in tanta dignitate* (vltra incorporeitatem, seu spiritualitatem naturæ supernaturalium scilicet donorum gratiæ &) *constitutum inuidisse homini corpus gestanti; sed inuidit, quod ex superna gloria in extremam ignominiam deiectus fuerat.* Vocat autem supernam gloriam, non beatitudinis (à qua lapsus, ac deiectio esse nequit) sed supernaturalem prædictæ gratiæ, & donorum excellentiam, & dignitatem, qua fuit peccando priuatus; idem censet Bernard. serm. 3. in vision. 1. Isaiæ. cap. 5. & tracta. & 12. gradibus humilit. gradu. 1. fine litteraliter de diabolo dictum & Aquilonem mistice, de illis, qui à iustitia finaliter decidunt elegantes explicat. *O Lucifer, qui mane oriebaris, imo iam non Lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer. Rectus tuus cursus erat ab oriente, in meridiem & tu præposcro ordine tendis in Aquilonem; quanto magis ad alta festinas tanto celerius ad occasum declinans. Nimirum Aquilo hic frigidus sunt reprobi, sedes tua, potestas in illos.* Denique de Lucifero diabolo donis supernaturalis gratiæ & reliquis superbiente, exemplum casus Balthasaris ab Isaia, desumptum verbis recitatis docent Patres omnes à nobis relati. d. 1. q. vlti. cert. 2. n. 2. confirmatur: quia eodem exemplo vt gloriabundos, de potestate supernaturali fugandi dæmones, discipulos compescere, atque in Christiana modestia, & humilitate teneret, vsus Christus Dominus est Lucæ 10. illis verbis. *Videbam Satanam, tanquam fulgur de cœlo, cadentem*, ex Gregorio 23. moral. cap. 7. & aliis citatis d. 1. q. 3. cert. 2. dicente *dum de naturæ, & præcipue supernaturalium donorum excellentia superbe gloriatur, quem vos, cum de supernaturali potestate gloriamini cæpistis imitari.*

4. Tertio probatur conclusio, ex illo Ezechielis. 28. num. 12. *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: Sardius, Topasius, & Iaspis, Chrysolitus, & Onix, & Beryllus, Saphirus & Carbunculus, & Smaragdus. Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es: preparata sunt: tu cherub extentus, & protegens. Posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te, in multitudine negotiationis tua repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti; & eiect te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum.* Hæc de diabolo Lucifero ad litteram ab Ezechiele dici, & sub eius typo figurate solum de Syri Rege, sicuti & textum Isai 14. ostendi cita. d. 1. q 3. cert. 2. num. 4. eum multis Patribus (quibus adde Rupertum. 1. de victoria verbi Dei. capite octauo) & interpretibus, præsertim nostro Cornelio à lapide; tametsi, id non de toto Prophetiæ huius textu censuerim, sed de aliquibus, eius partibus, cum Apollinari, & Theodor. maxime de recitatis verbis. Itaque sermonem & Prophetiam hanc totam ad Tyri Regem Hiram gloria, opibus, ac splendore tandem vltra homines superbientem dirigi fatebamur, ibi, & fatemur, nec dubio locum textus reliquit, cum n. 2. dicat *fili hominis dic Principi Tyri, &* num. 11. *Fili hominis leua planctum super Regem Tyri, & dices ei, hæc dicit Dominus Deus, tu Signaculum.* Verum ab his verbis Luciferi prototypi, tam gloriæ, quam superbiæ, & ruinæ Hiram, historia ad litteram inserta faustam vitam splendorem, & gloriam, ac insuper insolentem, & contra Deum insultantem ipsius fastum figurate describit Prophetа, atque ex eis auctam duritiem, excedis eius miseriam, & ignominiam lamentatur: quibus, eleuantur, quæ huic interpretationi ex proxime recitatis opponi ab aduersariis possunt, imo à Vasquez nostro opponuntur citato capite quarto. §. *Postremum testimonium* numero vigesimo quinto & vigesimo sexto, quod si (vt hoc numero ipse admittit) illa verba. *Tu Cherub extentus & protegens.* De Rege Tyri non proprie, sed solum addita imitationis particula, *vt quasi Cherub*, ac illis. *Posui te in monte sancto Dei*; addendum esse, *ac si positus esses*, addito semel historiæ Luciferi recitatis verbis insertæ initio. *Tu quasi signaculum similitudinis Dei*, facilius, planiusque sensus litteralis eorum verborum, & germana nostra interpretatio constat: quod autem decimum opponit Angelos proprie non in paradiso creatos, & positos, vt hic dicitur, sed in cœlo, æque contra Regem Hiram, qui in paradiso, nec genitus, nec positus fuit, ac subinde contra litteralem suam eorum verborum de illo interpretationem faciunt: imo paradisi nomine absolute posito, Cœlum absolute, & recte cum Christo Domino intelligemus ad felicissimum Cauciſtonium latonem aiente, *hodie mecum eris in paradiso*, vt obsecuimus d. 1. quæst. 3. cert. 2. toto.

5. Demum de Tyri Rege nullum fere verbum, nisi figurate, & per tropum intelligi potest, cum tamen *Cherub* nomen de quo sermo ibi, à Prophetа, & scholasticos vsitata, diabolo Lucifero, non vero Tyrio Regi conueniat. Omnia vero, & nomen hoc ipsum

Regi

Regi huic aptari aliquomodo à Vasquez, & reliquis, non probat de eo esse ibi litteralem sermonem, siquidem, vt de eo figuratus sermo, & sensus à Propheta intentus, vt diximus, sit, adaptari, ea omnia aliquomodo debent, vnus restat alicui scrupulus contra hac litteralem textus huius de diabolo interpretationem posset ex illis verbis, suboriri. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti* quæ Regi Tyri in mari positæ, ac subinde mercium negotiationi oportunæ vtbis, conuenire videntur, quam diabolo Lucifero maxime cũ vna ambitus, vt superbiæ negotiatione, & peccato, non autem pluribus peccatisue liquerit, eiectusque de cœlo fuerit, vt plutibus placet. Verum citati, pro hac interpretatione nostra Patres nominatim Hieronym. Theodor. & Apollinar. cupiditate nullam ambitiosam qua Dei similitudinem, & æqualitatem lucifera petiit significari aiunt, & quamuis difficulati ex verbo *multitudine* tactæ non occurrant, quia nec ea ipsis occurrit, facile respondeo, Primo non vno solo peccato Luciferum in viæ statu deliquisse, sed multis, vt d. 4. & 5. ostendam. Secundo: esto vno solo peccasset: at multitudinem Dei magnitudinem propriè, & elegãter apud Latinos significare: præsertim, cum de animi affectibus, vt in præsenti est sermo: vt de addictissimo pietati, & cultui in Deum, Sanctosue, aut in pauperes animo elegantissime, multus in pauperes, Sanctos, ac Deum atque in se quapiam quam vehementer desiderat, anxieque procurat, multus dicetur, qua etiam acceptione & phrasi, *multus ad ignoscendum Deus dicitur* Isai. 55. num. 7. Hic ergo multitudo negotiationis Luciferi ad æqualitatem cum Deo magnitudinem vehementiæ, & ardoris, quo eam desiderabat eleganter significat, iam vero sapientia decore, & lapidibus nouem ornamenti, & comitatu ignitorum lapidum, in quorum medio conditus fuit & per peccatum eiectus, ornamenta gratiæ, virtutum, ac supernaturalium donorum significari docent passim Patres (profusius Gregor. 32. moral. cap. 18. alias 25.) & Scholastici, atque interpretes omnes etiam, qui litteralem sensum eis verbis de diabolo esse negant, & figuratum solum de eo admittunt. Ex quo conclusio nostra, omnium Patrum, & Doctorum Catholicorum esse ad hunc locum probatur. Cui non opponitur Augustinus. 11. de Genes. ad litter. c. 25. solum enim contendit non posse hunc locum de dæmone intelligi, neque inde colligi illum prius in gratia fuisse: intelligit enim primum de literali sensu, ac inde secundum vt fidei dogma probari non posse, tanquam ibi ad literam traditum. Cyrill. vero Alexandr. 3. & Ioannem, cap. 39. etsi litteraliter de Tyri Rege doctum censeat figurato sensu de diabolo ab Spiritu sancto dictum docet illis verbis. *Quod, & necessaria quadam ratione diabolo accommodare persuademur.* Nisi vero his figuratus sensus intentus ab Spiritu sancto, & eius Propheta eo loci fuerit nulla applicationis ad diabolum necessaria ratio nobis erit. Quare ex hoc loco diaboli, & reliquorum subinde Angelorum malorum, vti & bonorum omnium creatio in excellentia gratiæ, & donorum supernaturalium (quam, non autem naturalem, peccato amisserunt) certò, inferri Cyrillus docet, cum aliis, qui locum litterali sensu & diabolo intelligunt, & in eo aduersaretur Augustino, nisi, hic, vt dixi, de litterali solum sensu, non autem figurato loqueretur.

6. Probatur quarto: ex B. Iudæ epistola canonica. num. 6. *Angelos vero, qui non seruauerunt, suum principatum; sed deseruerunt suum domicilium* &c. Eo quippe loco principatus, & excellentia naturæ, & connaturalium ipsi donorum (quem dæmones adhuc retinent, & seruant) intelligi nequit, vt patet: quare gratiæ, & donorum supernaturalium excellentia, & principatus, quem peccato amiserunt, ac boni Angeli seruarunt procul dubio est. Quinto probatur ex Ioan. 6. vbi de diabolo dicitur. *In veritate non stetit.* Veritas, autem scripturæ (& præcipue apud Ioann.) phrasi, idem, quod gratiæ, & dilectionis Dei status est, vt constat ex eius epist. 1. cap. 3. & epist. 2. & 3. sæpe: stare vero persistentiam in eo, quod quis habuit, & vocis proprietate, & scripturæ etiam phrasi significat iuxta illud. 1. Corinth. 1. *Qui stat videat, ne cadat.* Nec satis est stare in scriptura idem tantum, quod habere aliquando significare. Id enim solum probat aliquando à proprietate voces in scriptura distrahi: cum scilicet ex adiunctis, absurdóue aliquo Theologico, si propriè accipiantur, in sua proprietate non vsurpari iuxta sæpe ab Augustino, & à nobis, Theologisque reliquis memoratam, peruetusti. Tironij regulam interpretanti sacram scripturam, quæ in Iudæ testimonio, non eueniunt, neque in versu illo Psalm. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum, non stetit*, vbi *stare* idem quod ingredi, ac primo habere peccatum, valere contendit Vazquez, atque in illud abire, vt synonyma primæ secunda hæc clausula sit, cuius tamen oppositum, tertia eius versus clausula suadet, & *in cathedra pestilentiæ non sedit*: quæ permanentiam in peccato significat, imo & aduersantis sententiæ versus sequentes. *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte, & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* &c. Qui singula & omnia perseuerantiam in bono persistentiæ impiorum in malo, de iustis negatæ aduersam plane significant. Ex Patribus probatur conclusio Basil. in id Psalm. 32. *Verba Domini cœli firmati sunt*, scribit. *Angelos initio vt essent verbum opifex omnium condidit: sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus sanctus* subinferius. *In prima constitutione, & quasi quadam conspersione suæ substantiæ simul insulam habuerunt sanctitatem.* Damascen. 2. de fide cap. 3. *per verbum igitur Angeli omnes creati sunt, ac per sancti Spiritus sanctificationem: omnes perfectionis numeros acceperunt.* Addit & c. 4. diabolum amisisse honorem, & splendorem, in quo à Deo creatus est: ex naturalibus autem nil amisit similiter Anastas. quæst. 61. sacræ Scripturæ. t. 6. Biblioth. Patrum. dæmones à melioribus ad deteriora prolapsos, & honore, in quo sunt creati, priuatos ait. Theodoret. ab ipso citatus, lib de Dei cultu, & lib. 5. hæreticar. fabul. c. de diabolo, & dæmonibus eos ab statu suæ creationis excidisse docet ex illo Ioan. 8.

7. Hieronym. in id Osæ. 3. *Dilexerunt vinacea vuarum de filiis Israël*, ait *sicut dæmones, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiqua gratia possidentes aridi sunt*, & in id Iob. 4. *& in Angelis suis reperit prauitatem.* Dictum de diabolo ait, *qui quondam sanctus ab ea sublimitate Angelica decidit* Magnus Gregorius vbi proxima ad Ezechiel. 28. *In medio lapidum igniorum perfectus ambulasti.* Explicat. *Quia inter Angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis extitit*, & subinferius recte *eum Cherub extentum* dici ait, *quia comparatione claritatis suæ cæterorum claritatem obscurauit.* Eo item capite decimo, octauo aliàs 24. ait, *quid namque boni non habuit, si signaculum similitudinis Dei fuit.* Prosper 1. de vita contemplatiua capite tertio, scribit Angelos fuisse, *sine peccato creatos & ad seruiendum Deum feliciter institutos*, sine gratia vero, cum auxiliante, tum sanctificante, absoluta illa, & felix institutio esse non potest. Isidoro primo sententiarum seu de summo bono, capite duodecimo sententia septima *fuit quidem* (diabolus) *in veritate conditus*, id est in gratia, vt vidimus numerum sextum, *sed non stando prius à veritate est lapsus.* Anselm. de casu diaboli capite quarto, decimo septimo, vigesimo septimo, omnes Angelos in gratia conditos supponit quam mali initio, id est sub initium, amiserint. Augustinus 11. de ciuit, Dei, capite decimo tertio. *Nullo modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ (Angelos diximus) sed simul, vt facti sunt, lucæ facti sunt; non tamen ita tantum creati, vt quomodo essent, & quoquo modo viuerent, sed etiam illuminati, vt sapienter, beateque viuerent ab hac illuminatione auersi quidam, Angeli non obtinuerunt excellentiam sapientis, beateque vitæ, quæ procul dubio, non nisi æterna; æternitatisque suæ est certa, atque secura, sed & rationalem vitam (licet insipientem) sic habent, vt eam non possint amittere, nec si velleni.* Quatenus autem antequam peccassent,

illius sapientiæ fuerint participes definire quis potest. Qui non solum de illuminatione gratiæ auxiliantis ad æterne beateque viuendum ; sed & iustificantis,& gratum facientis intelligi necessario debent:tum,quia hic solum gratiæ, vt lux, tenebris peccati contradicens, quam initio Angelis tribuit : tum, quia absque ea vitam æternam suo etiam bonorum operum industria, & bono auxilium vsu adhibitis absolute obtinere de facto , & condigno non possent vt potuisse absolute tam bonos, quam malos Angelos asseritur capit. 15. etiam malos Angelos in vetitate , seu gratia creatos ait , & lib. 12. cap. 9. sub init. Omnibus Angelis naturam , & gratiam Deique amorem simul cum natura datum ait:*Vnde* (subdit.) *sine voluntate , hoc est , Dei amore , nunquam Sanctos Angelos fuisse credendum est:isti autem,qui cum boni creati essent , tamen mali sunt , mala propria voluntate, quam bona natura non fecit &c. Aut minorem acceperunt diuini amoris gratiam , quam illi , qui in eadem perstiterunt ; aut , si vtrique boni aqualiter creati sunt , istis mala voluntate cadentibus , illi , amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem , vnde se nunquam casuros certissime scirent , peruenerunt.* Quibus , & cum gratiæ auxiliantis adiutorio , & diuini (saltem habitualis) amoris gratia maiore , vel minore , vel æquali creatos Angelos omnes ait , denique de correpr. & gratia. capite decimo in naturali beatitudine (quæ absque iustitia , & sanctitate operum , saltem habituali esse nequit) eos omnes creatos docet.

8. Porro à ratione Theologica naturali quæstio hæc (vti , & reliquæ de facto)probari satis solide nequit , etsi aliquæ sint satis verosimiles certam. 2. commodius producendę ; ex quibus robur etiam accipiet Theologica hæc , quæ communiter pro hac conclusione à paritate producitur. Etenim protoparentes homines in iustitia , & sanctitate , ac reliquis donis supernaturalibus ad opera condigna vitæ æternæ , ad quam vti ad finem condebantur creati à Deo sunt , vt controu. Sequente, & vltima. d. 1. quæst. 1. multo ex scriptura, Patribus , & conciliis robore adiuncto, ostendimus. Cuius ratio est : quia in iis, quæ à Deo prosus , & à nostro arbitrio independenter , fiunt, & ad finem aliquem ordinantur , & in se perfecta , & omnibus , ad finem consequendum necessariis instructa producuntur de facto: vt in creatis cunctis patet , & ex axiomate dogmatico, *Dei perfecta sunt opera* , quatenus scilicet , ex parte eius , siue per ipsum est ; atqui gratiæ , & supernaturalia dona ad naturæ rationalis perfectionem , & finem æternæ vitæ, ad quem,tam Angeli, quam homines creati à Deo sunt, necessaria sunt , & dese vtrisque independenter à suo arbitrio à Deo donantur , & ad eum finem ordinantur:ergo æque Angeli, atque homines primi gratiæ,eisque donis instructi , creatique sunt. Ex hac vero ratione paritatis ab homine ad Angelos, cum aliis donis habitualibus virtutum tam intellectus, quam voluntatis per accidens etiam in fucis. (de quibus cita. q. dicemus) creatos Angelos fuisse consequens est. A ratione, nil solidum huic conclusioni aduersatur. Illud enim vetustiorum argumentum à pari etiam : quod si scilicet homo, in sanctitate & gratia Dei creatus non fuisset, ni maiora incitamenta , & infirmiorem naturam ad malum haberet : ergo nec Angelus. Sed antecedens falsum est: parumque in fide tutum post Tridentinum à nonnullis reputatur , de quo loco citato. Quod autem primus homo , ad malum , ac debilioris naturæ ad resistendum tentationibus sit , (vnde consequentia nostra posset debilitari) in vitiis pure spiritualibus est etiam falsum : nec,si verum foret, gratia habituali formaliter sanctificante carnis rebellio tollitur , sed auxiliante intrinsecus , vel extrinsecus externa protectione , vel ea demum gratia,qua peccati fomes extinguitur , aut ligatur, vt controu. de incarnatione diximus,& controu sequente dicemus : quare maioris incitamenti ad peccandum, & infirmitatis naturæ humanæ titulo gratia habitualis ei potius , quam Angelicæ , prouidenda à Deo non fuit.

9. Neque vero Augustinus. 11. de ciuit. c. 12. qui pro antecedente firmando,ab aduersariis adducitur, dixit : Iustos quosuis in natura lapsa homines, quoad spem futuri boni beatiores esse Adamo in paradiso , quod fieri non posset, si in gratia, & sanctitate Adamus tunc fuisset ; sed solum iustos, qui certi ex Dei reuelatione de futuro bono & beatitudine essēt,de qua Adamus certus in paradiso non fuit. Sed nec ratio, secunda aduersariorum, quidquam præstat:quod scilicet, si creatus in gratia Angelus fuisset illam se habere , & medium necessarium sibi ad æternam vitam consequendam esse optime nosset ; quare nec peccasset superbiendo delectatione propriæ potestatis,vt Augustinus ibi proxime.& alij Patres & scholastici docent, sed cognitio euidens , & certa sui illius status in gratia,vbi primum fuit in viæ statu sub lite est:maxime si in primo illo instanti dilectionem actualem Dei super omnia deliberatam, non habuerunt,vt verius censeo,) de quo infra ex instituto propria quæstione) eo vero admisso , potuerunt absolute peccare , non solum de propriæ potestatis naturalis, sed & donorum illorum , etsi à Deo acceptorum, arrogatione,dilectatione,& superbia. vt postea de eorum peccato agentes , ex multis patribus , & scholasticis dicemus. Sola enim Dei visio clara est , quæ ex parte actus primi creaturam rationalem ad Dei amorem super omnia eiusque gratiæ , & amicitiæ habitualis conseruationem determinat, atque ab eis abscedendi, & peccandi abolet potestatem. Tertia ratio,quod, sicut post primum peccatum statim Angeli damnati , sunt , ita , & boni post primum meritum essent beatitudinem consequuti: adde,& malos(quos aliquem,vel aliquot actus meritorios in via elicuisse commune apud Doctores est) eam etiam consecuturos statim videri , nec labi permitēdos;& enim gloria,aut damnatio non,nisi peracto viæ statu,& post eius terminum, conferenda Angelis, vti nec hominibus, fuit. De status vero spatio viæ Angelorum, eiusque termino accurata restat disputatio. Illud certum nunc sit:non quouis meritorio actu Angelico eum finiri, sed eo solum vt summum , qui præcepti ipsis specialiter impositi obseruatio esset,aut transgressio : quo dicta euanescunt. Cætetum conclusionem , nostræ huic aduersam præcisè:plusquam temeritatis , notare (ne nunc quidem) minime licet. Asserere autem , in primo instanti creationis peccatores extitisse aliquos (adhuc dæmones) non temeritatis solum sed temeritatis eximiæ notat Soar. lib. 7. cap. 1. 9. num. 6 Vazquez d. 236. cap. 1. num. 6. §. *Alterum testimonium* esse graui censura dignum : Sanctus Thomas esse erroneum. Sanctus Bonauentura ad hæresim accedere : quæ magnum fundamentum habentes concilio bracharensi. 1. can. 7. (qui est. 6. epistolæ. 91. Leonis magni contra Prisscillianistas , ab eo concilio approbatæ) vbi hæc , *Si quis dicit diabolum, non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum &c. anathema sit* , & quamuis articulis erroris Prisciliani interserantur , cum ea omnia damnentur , negare diabolo prius bonum, cum primum saltem creatus à Deo fuit , aperte damnatur , & bonitate non solum physica, sed morali iustitiæ, saltem negatiuæ per carentiam peccati aperte damnatur : quare Augustinus, qui Angelis malis in creationis instanti peccatum affixit , merito graui multatur nota à nostro Vazquez proximæ , & aliis.

CERTAMEN II.

Angeli,pro naturæ perfectione, inæqualiter gratiæ , & donorum habitualium participes fuere in instanti creationis , non autem ex merito , aut dispositione aliqua , quouis modo propria.

1 DVas difficultates Theologicas hoc certamine profligabimus , vti ex præfixo titulo patet. Prima est:

ma est : an pro naturæ, & speciei Angelicæ perfectione, entitatiua maiore, vel minore maior contentis Angeli sub perfectiore, gratia habitualis, & dona ipsam consequentia, minor autem, sub imperfectiore contentis obtigerit. Secunda: an ad eam inæqualitatem participationis gratiæ, gratum facientis, & donorum, eiusmodi, aliqua aliæ vltra maiorem, & minorem naturæ perfectionem liberæ ex parte Angelorum dispositio, sui è positiua, siue negatiua, meritiua, vel obicis tantum remotiua præcesserit? & dicendum est primo circa difficultatem primam, Angeli pro naturæ, & speciei suæ inæqualitate, inæqualiter gratiam gratum facientem habitualem, & ipsam consequentia supernaturalia dona participarunt, perfectioris speciei maiorem minorem vero, Angeli naturæ, & speciei imperfectioris. Est Theologorum omnium, qui hac de re disputarunt, qui tamen ex priscis præter magistrum, & Sanctum Thomam non fuerunt. Magister vero in 2. d. 3. & S. Thom. 1. p. q. 62. a. 3. & 2. 2. q. 24. a. 3. ad 3. vbi Caiet. & recentiores Thomistæ Dominicani ad primum locum ex nostra vero schola Thomistica, Iesuitica Molina ad citatam 9. 62. a. 3. Valentia d. 4. q. 13. punct. 3. (quamuis hîc de gratia tiam auxiliante videatur id ipsum probabile iudicare. De quo diuersa est difficultas vt supra tetigimus. Atque ex aliis principiis expedienda & maiori quam hactenus ab scholasticis meditatione, expedienda Vazquez ad eundem articulum. d. 228. c. 2. Marcon tract. 6. d. 8. c. 5. (quamuis inter gratiam gratum facientem, & auxiliantem non distinguat) Soar. lib. 5. c. 16. Granado. 1. p. tract. 11. d. 2 Ioan. Præpos. ad eundem artic. 3. dub. 2. Arrub. & reliqui ex nostris S. Thom. interpretes Franciscus Amicus. d. 20. n. 84. Quiros d. 72. sect. 2. init. etsi tam hi, quam alij ex relatis circa secundam difficultatem, de modo, quo à Deo data tunc Angelis gratia habitualis gratum faciens, & formaliter sanctificans fuerit, dependenter, aut independenter ab Angelorum dispositione inter se dissideant. Noster Arriaga cita. disput. 20. vbi creatos in Angelos, vt vidimus, docet de hac difficultate nihil. d. vero 4. sect. 4 subsect. 1. nil sibi firmum pro hac conclusione censet; & si pro hierarchicorum graduum diuersitate differre specie, Angelos probabile tandem censeat. n. 28. §. *Hinc constat*.

2. Probatur conclusio ex Dionys. cap. 6. de cœlesti hierarchia, cap. 6. à suprema. *Nullam esse diuinorem ait, & quæ maiori studio in diuinis illustrationibus occupetur.* Ac de eadem cap. 7. *Iure igitur, ac merito cœlestium hierarchiarum prima à summis, excelsissimisque naturis administratur.* Eisque capitibus, Hierarchias, & choros omnes Angelicos, secundum mensuram naturalis perfectionis Angelorum distribuit: gratiam gratum facientem, cui beatitudinis gradus respondent, naturæ perfectioni commensuratam esse supponens. Quem Patres communiter imitantur, consonat Basil. de Spiritu sancto cap. 16. sub init. dicens: Angelos *iuxta eminentia inter se ipsos proportionem sanctificationis mensuram ab Spiritu Sancto accepisse.* Ita Mascen. 2. de fide. cap. 3. recitatus. certam. 1. num. 6. verbis hisce immediate subiunctis, ad ibi recitata: *ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe luminis, gratiaque participes sint.* Quo in loco, tametsi, an specie perfectiores alij Angeli aliis sint definire non audeat, sed eius definitionem Dei scientiæ remittat, cuiuscumque tamen naturæ perfectionis, classisque naturalis quisque sit, iuxta eam lumen, & sanctificationem, siue gratiam auxiliantem, & gratum facientem, ab Spiritu sancto accepisse, cum creatus à verbo fuit disertissimis verbis recitatis docet. Idem probant primum Hieronymi testimonium ibidem recitatum illis verbis *Lapsi de propria dignitate*, cuique scilicet iuxta propriæ naturæ perfectionem, non cunctis communi, & illud Gregorij ibidem recitatum ex 32. Moral. c. 18. alias 24. vbi Ezechielis. 28. recte diabolum Luciferum. *Cherub extentum* dici ait: *quia comparatione claritatis suæ cæterorum claritatem obscurauit.* Probatur à ratione præter data d. 2. q. 5. cert. 3. num. 1 ea solum reddi potest, quam pro sequente conclusione super difficultate secunda subiiciemus, exhibitaque fuit à S. Thom atque à Patribus pro ea conclusione recitandis satis indicati: imo & à Doctoribus, contra quos ibi agemus, non nisi inconsequenter reiicienda.

3. Dico secundo: gratia gratum formaliter faciens, iustificans, & supranaturales habitus, & dona ipsam consequentia & in creationis Angelorum instanti simul à Deo infusa, vt diximus independenter prorsus, nec spectata, inspectaue, pro priori naturæ libera aliqua eorum dispositione pure naturali, infusa à Deo sunt. Est omnium Doctorum Catholicorum, & fidei dogma contra Pelagium, & semipelagianos, quomodocumque ea libera dispositio positiue, negatiue, inchoatiue, ac velut ansula Deo oblata, & quasi arrepta, dummodo aliquo modo cõnaturaliter, ad gratiæ eius infusionem, ac receptionem præsuponatur (ex libero enim Dei decreto me de arbitrario prærequiri naturale quidpiã posse quantũuis infusioni gratiæ improportionatum, & ab ea, vt aiunt, disparatum certum est: quemadmodum. 4. Reg. 13. num. 19. *Si percussisses terram iaculo quinquies, aut sexies, aut septies percussisses Syriam vsque ad consumptionem: nunc autem tribus percuties eam*: quia totidem vicibus tantum terram iaculo percusserat, cum ab Eliseo terram percutere iussus fuisset vt ex Dei mere arbitrario decreto Syriæ percussio percussioni terræ iaculo à Rege Israël Ioas fuit alligata, quæ nullã de se cum Syriæ percussione naturalem proportionem habebat: quam etiam ex Dei decreto mere arbitrario, quæuis actio libera naturalis, nullatenus etiam honesta, Angelorum cum gratia ipsis in quouis instanti infundenda, aut infusa, poterat habere) sed quoniam nullum eiusmodi mere arbitrarium decretum Dei extitit proportio, quouis modo dispositiua actus, seu omissionis liberæ pure naturalis, & honestæ, quæ assignare ex parte Angelorum potest ad gratiæ, in instanti creationis infusionem, & receptionem pure etiam naturalis proportio cum gratia esse debeat, ac subinde, hæretica pelagiana vel semipelagiana proportio, quam, vt dixi, & fides, & Doctores omnes Catholici conspirato, & fideliter reiectant, vt fuse ostendimus t. 2. de Deo vno. De initio prædestinationis agentes. & t. 1. cont. 2. cum de obiectis materialibus extrinsecis diuinæ scientiæ mediæ, tum cont. 3. d. 1. quibus locis Pelagij, & semipelagianorum errores, multa, accurata, & exactissima eruditione explicuimus. Tota ergo circa secundã difficultatem propositam, quæstio esse potest, an præfatam gratiæ gratos formaliter, & iustos facientes Angelos, & consequentium donorum infusionem, pro naturæ cuiusque dignitate, in suæ creationis instanti primo, aliqua ex parte ipsorum dispositio libera ex gratiæ Dei auxilio naturæ ipsorum indebito, præcesserit, & de instanti primo creationis Angelorum est quæstio & de primæ gratiæ & donorum infusione, nam de gratiæ augmento ex operibus sanctis, quos in sequentibus partibus durationis viæ ipsorum, non solum, vtcumque dispositiue, sed meritorie de condigno, concessum à Deo fuisse certum apud omnes Doctores est.

4. Dico tertio: Nulla libera dispositio, siue dispositiua, siue negatiua, & gratia etiam auxiliante ex parte Angelorum præcessit, expectata attentaue à Deo fuit vt gratiam gratum facientem, & formaliter iustificantem, ac ipsam consequentia dona pro naturæ dignitate in primo creationis instanti ipsis infunderet, est expressa veterum scholasticorum, qui hac de re vel obiter egerunt, vt ideo Molina, ad quæst. 62. articulo tertio neminem pro opposita nominet, sed aliquos esse qui eam velint defendere additamentis nonnullis minus aptis, vt constat ex §. *Sunt aut velint*, est igitur conclusio nostra Sancti Thomæ citato articulo tertio, vbi egregiam rationem mox à nobis instruendam affert, & quæ de eius mente dubium omne propellat, tametsi ex aliis locis pro opposita à recentioribus citetur. Nempe ex articulo secundo ad. 3. & ex articulo 3. ad. 6. ex quæst. 64. ar. 5. ad. 3. quia ait perfectioris naturæ Angelis maiorem gratiam datam esse, quia fortius, & efficacius, seu intensius, & impensius se ad Deum conuerterunt. Verum, nec de gratia prima in instanti creationis ipsis infusa loquitur, nec de gratia gratum faciente fide infusa in primo instanti loquatur, sed de auxiliante (quas in hac controuersia non satis ab antiquis distingui supra monui) & de auxi-

liante maiore non apriore ex conuersione eam colligit, ita, vt illud, quia conuersionis in gratiam auxiliantem causalitatem causalitatis nota sit; sed illationis; quia vehementior, & intensior conuersio interius auxilium gratiæ vehementiorem arguit, vocationem, cum omnibus naturæ, & gradus eiusdem conuenire deprehenditur, idcirco veteres Thomistæ, tanquam præceptoris sui doctrinam, nostram conclusionem sectantur teste Vasquez 2. 2 8. cap. 1. num. & §. 1. Bannez ad citatam q. 62. a. 3. dub. 2. varios nominans. Sic censet Capreolus in 2. d. 4. quæst. 1. a. 3. ad 1. contra 4. concluſ. & ad. 1. contra 5. concluſ. Scotus de natura, & gratia, cap. 5 cum quo citantur à Bannez proxima §. Prima docet insignis, si quis alius, Thomista Dominicanus Magister Victoria, Ioannes Arboreus. lib. 1 suæ Philosoph. sub finem, & Theologi alij recentiores. Ex nostra Thomistica schola Iesuana accedunt Molina vbi proxime §. *longe probabilius existimo.* Alarcon. tract. 6. d. 8. cap. 5. num. 3. §. *Secundo certissimum.* Vbi certissimam iudicat hanc nostram conclusionem, Arriaga. d. 20. de Angelis sect. 3. n. 15. §. *Dico tamen secundo.* Amicus de Angelis d. 18. sect. 4. ex Scotica schola Philip. Faber in 2 dist. 4 d. 28. num. 18. § ad Concilia & authoritates, vbi eam tanquam doctrinam scholæ suæ supponere potius videtur, quam disputet ex instituto. Est autem conclusio huic opposita Ferrariæ 3. contra gent. cap. 110. Caietan. 2. 2. quæst. 24. a. 3. circa solutionem tertij Bannez proxime §. *Alia est sententia*, eos, & datos sui temporis Thomistas alios referentis, ex nostra etiam schola, eis accessere Valentia, ad citatam q. 62. d. 4 quæst. 13. punct. §. *Tertiam assertionem.* Vasquez cita. d. 228. cap. 1. n. 2. §. *Ego vero.* Arrubal d. 27 .c. 1. Moncæus. t. 1. d. 7. c. 3. §. *Verum contra ita sententia.* Tannerus de Angel. 5. q. 6. dub. 1. concluſ. 3. Ioan. Præpoſit. ad citat. art. 3. dubio 2. referens etiam Pesantium d. 2 Soar. lib. 5. de Angel. c. 7. Granad. tract 10. d. 4. Quiros cita d. 62. sect. 2. sunt tamen pro nostra conclusione validiora longe fundamenta.

5. Probatur primo: ab authoritate Patrum Basil. in Psalm. 32. *Ad id verbo Domini cœli firmati sunt*, dicens: *Angelos namque initio, vt essent, verbum omnium opifex condidit: sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus sanctus. Non enim in infantili statura sunt creati: deinde paulatim excitati, atque perfecti, sui spiritus susceptione digni sunt habiti; sed prima constitutione, & quasi quadam conspersione sua substantiæ, simul insusam habuerunt sanctitatem. Deinde conspersione sua substantia, & simul, neque expectata perfectione maiore ea*, quam eorum natura afferebat, *vt digni Spiritus sancti susceptione*, siue sanctificatione haberentur. Damascenus idem docuit. 2. de fide, cap. 3. verbis recitatis, num. 2. *Vt pro sua quisque dignitate & clase* (naturæ scilicet solius) *luminis gratiæque participes sint*, ante gratiam vero, & lumen nihil dignitatis operum, aut classis superiori, aut inferioris, nisi naturalis, ob cuiusque, scilicet maiorem naturæ perfectionem, quæ attendi à Deo posset, vt gratiam, & lumen, (quod omnem honestam dispositionem præcedere debet, ne pure naturalis, & pelagiana sit, posterius, & subsequenter infunderet, id ipsum confirmant verba Prosperi 1. De vita contemplatiua, cap. 3. de Angelis dicens creatos non solum, sine peccato, *sed ad seruiendum Deo feliciter institutos*; sine gratia vero cum gratum faciente, feliciter, & sine auxiliante sufficienter ad seruiendum Deo instituti esse non poterant: cum autem, ad seruiendum Deo, tanquam finem feliciter instituti tunc fuerint. Dei obsequia, quibus se ad gratiam vtramque, vel alterutram recipiendam, non potuerunt, eiusmodi institutionem per gratias præfatas, vt dispositiones præcedere quin principium meriti sub meritum contradictorie cadat, recurratque irrefragabilis illa Augustini consequentia ex verbis Pauli. *Elegit nos in ipso vt essemus sancti: ergo non, quia futuri eramus sancti.* Eandem vim pro nostra conclusione habent verba Augustini recitata cert. 1. num. 7. ex 11. de ciuit. cap. 13. *Non tamen ita tantum creati* (ad simul lux facti vt dixerat immediate, *vt quoquo modo essent, & quoquo modo viuerent, sed etiam illuminati, vt sapienter beateque viverent*, id est secundum rationalem, honestamque vitam actualem & exercitam æternæ, ac beatæ illius principium, & semen quare exercita, & actualis, honestaque vita, illuminationem, & gratiam, tum habitualem, tum auxiliantem, ex quibus, vt æternæ huius semen, & principium debent procedere, vt finis, quidem intentus, nec pro naturæ priori aliquo absolute existens præcesserit, non autem, vt dispositio, ad illas recipiendas; ita enim, nisi absolute existens illas pro naturæ priori contradictorie præcedat, esse non potest. Quod ipsum argumentum ex multis aliis passim occurrentibus, apud Augustinum & Patres alios de Angelorum creatione in gratia eodem robore pro nostra conclusione repeti, & instaurari facile potest: denique quia creatos Angelos in gratia Patres, & Doctores aiunt, quod sonat, eam non esse ab ipsis adquisitam.

CERTAMEN III.

Tertiæ conclusionis à ratione probatio.

1 INde probatur primo à ratione conclusio gratia prima auxilians in qua, siue cum qua, in primo instanti Angeli creati sunt; pro naturæ & speciei dignitate, maior, vel minor, de qua conclusione 4 subiungenda, absque omni prorsus libera, & honesta dispositione data à Deo fuit, atque ab Angelis recepta; ergo, & gratia habitualis, gratosque illos, ac iustos formaliter faciens, absque vlla eorum libera & honesta dispositione data à Deo, atque ab ipsis recepta, pro instanti illo primo, suæ creationis fuit. Antecedens est certum ex nuperrime dictis, quia de auxilio gratiæ primo, natura etiam, & causalitate ad honeste operandum de quo est antecedens, negari nequit quin principium meriti sub meritum cadere contradictorie admittatur: cum illud auxilium primi actus honesti principium sit, Consequentia vero legitima, Caietano, & Bannez visa est, vt ad vitandum antecedens, eiusque veritatem & probationem illudendam, se totos accinxerint, atque ideo alios à sua sententia nostræ huic aduersa retractos nostræ consensisse dicant: quod mutuam dependentiam, & causalitatem actus honesti liberi, quo se Angelus ad gratiæ auxilium primum, ex quo oritur, disponat, & auxilij huius primi componere non potuerint: eum autem ipsi componunt: quia causalitas auxilij in actum illum honestum, & liberum in genere causæ efficientis sit, actus vero illius in auxilium in genere causæ materialis, ex cuius parte ad auxilij receptionem se solummodo tenet: in diuerso autem genere causæ mutua duorum causalitas non repugnat: cui doctrinæ Vazquez etiam noster consentit citat. d. 228, capite primo, numero quinto. §. *Dicitur quoque*, ad similis difficultatis. De habitu, & actu perfectæ charitatis, & contritionis, quo se ex parte subiecti ad illum recipiendum ex parte subiecti disponit recipiens, ad solutionem similem suam t. 2. quæstione 113. articulo octauo recurrens. Mutuam vero hanc causalitatem duorum, quæ absolutam existentiam, vt alterum alterum cauſet, requirant, implicatoriam prorsus esse absolutam, & vniuersim ostendimus in physicis controu. de causis, deinde dum positio hæc Angeli per actum liberum, & honestum ad auxilij, à quo efficienter procedit cum physica dispositio non sit, sed moralis solum, Deumque sua honestate, mouens, aut auxilium Angelo donet, in genere causæ efficientis moralis eius à Deo donationem præcedit; non secus, ac meritum præcedit præmij donationem: quare mutua hæc causalitas auxilij in actum, & actus in auxilium ipsum, à quo procedit, in eodem genere causæ efficientis erit, quam ita respondentes reputant meritò impossibilem; tamen, vt verbis repugnantiam eludant, causalitatem actus in auxilium esse causalitatem

sitatem dispositionis, ex parte subiecti ad formam, ac subinde in genere causæ materialis appellent. Demum eadem vocum elusione principium meriti sub meritum cadere posse facile à quovis contra ipsos euincetur: etsi autem, vt diximus, consequentia ab infusione, donatione, & receptione auxilij primi gratiæ independenter ab actu aliquo libero honesto, tanquam dispositione, ad gratiæ gratum formaliter facientis, & iustum independenter ab eodem actu infusionem, & receptionem consequentia legitima, ab aduersariis etiam reputetur, probatur ad omnes.

2. Quia naturæ Angelicæ dignitas sola satis fuit diuinæ voluntati, & munificentiæ in suas hasce creaturas rationales (Angelos scilicet) ac prouidentiæ ad finem supernaturalem beatitudinis, ad quem illos ordinauit, cum creabat, vt, tunc etiam media supernaturalia auxiliorum primorum independenter à libera vlla ipsorum dispositione conferret: ergo in sola etiam naturæ Angelicæ dignitate satis etiam diuinæ voluntati munificentiæ & prouidentiæ erga eosdem Angelos fuit, vt gratiam etiam gratum, & iustum formaliter facientem independenter ab vlla eorum dispositione libera cum reliquis domi consectariis, tunc etiam conferret: maxime cum habitualis etiam gratia, gratum formaliter, & iustum faciens, æque, atque auxilium primum, ad condignitatem, & quasi connaturalem correspondentiam meritiuam actus honesti, cum fine beatitudinis, per merita ab Angelis consequendæ requiratur, ac medium æque necessarium subinde sit: confirmatur hæc consequentiæ probatio, ex Patribus omnibus recitatis certamine 1. numero 6. & 7. & certam. 2. numero 2. & 5. quia, cum simul cum gratia gratum faciente, seu charitate habituali, siue veritate, & illuminatione, seu gratia auxiliante creatos Angelos doceant, ad naturæ Angelicæ dignitatem recurrunt, & ad maiorem, aut minorem, vt vtraque maior, vel minor vnicuique in instanti creationis conferretur nulla dispositionis liberæ Angelorum ad alterius receptionem: immò neque ad vtramque recipiendam facta mentione: quare in naturæ Angelicæ dignitate sola æquam, & totam vim motiuam ad vtriusque gratiæ auxiliantis, & gratum facientis, & huius consectariorum donorum infusionem Deo extitisse Patres, vnanimiter censent: ac proinde ab vnius infusione independenter à libera Angelorum dispositione ad alterius cum eadem independentia infusionem in instanti eodem consequentiam tenere. Rationem, & illationis huius; & conclusionis probandæ me iudice optimam dedit nobis S. Thom. sæpe citat. quæstione 62. articulo 3. corp. quia Deus rerum omnium opifex, nihil non perfectum, & cum virtutibus, facultatibus, ac seminibus ad finem, vnicuique præstitutum consequendum, quatenus ad Deum solum spectat, consequendum, è sua omnipotentia, atque, vt sic dicam, manu nullo alio expectato prodire permittit: vt in reliquis omnibus patet, quæ se solo producit, vt summi artificis sapientia, potentia prouidentia, & ast reposcunt, quas dubio procul maximè decet perfectum atque omnibus numeris (quatenus ad ipsas spectat) opus, ex eius manibus prodire, atque cum mediis, & facultatibus, necessariis ad finem ipsi præstitutum consequendum: id quod dogmaticum illud axioma Theologicum docet. *Dei perfecta sunt opera*: quatenus, scilicet, ad ipsum attinet, etsi in iis, quæ interuentu causarum creatarum ab ipso fiunt; earum defectu non autem potentiæ, & artificij diuini, monstrosa quædam, & sine aliquibus perfectionibus, immò cum imperfectionibus aliquoties producantur: quæ in Angelis à solo Deo creatis locum non habent. Atqui Angelus à solo Deo, & ad finem æternæ vitæ & gloriæ creatus est: ergo cum facultatibus mediis, ac seminibus necessariis ad eam consequendam, quatenus ad Deum solum spectat, nullo alio expectato creatus à Deo Angelus est, sed gratia vtraque, & auxilians, & habitualis facultates, media, ac semina sunt necessaria ad finem gloriæ ab Angelo consequendum: ergo eis instructus, & ornatus à Deo solo, & nullo alio expectato creatus Angelus est. Minor est dogma fidei, ex qua constat, sine gratia auxiliante nullum gloriæ meritum esse posse, nec sufficiens, de se, & condignum, vt gloria obtineatur, sine gratia habituali de qua 1. Ioann. capite 3. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit; quoniam semen eius in eo manet.* De auxiliante vero Isai. 1. num. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

3. Confirmatur hæc ratio: quia, ita à Deo creatus Angelus ad gloriam fuit suis operibus, ex Dei auxilio promerendam, ac de facto obtinendam, vt nihil vltra industriam, & bonum vsum auxilij de suo Angelus apponeret, vt eam de condigno (mediatè saltem, & immediatè gratiam habitualem, & gratum formaliter facientem, quæ ius & semen formale proximum ad gloriam est & sufficienter de se se, nec ex Dei mera benignitate, vtcumque moti, vt gratiam, & gloriam donet, non autem quasi, ex iustitia, & ad æqualitatem mereretur, & adiuncta perseuerantia de facto obtineret: ergo nullum Angeli opus, seu actus liber, & honestus fuit, quin meritorius de condigno gratiæ habitualis immediatè, & saltem mediatè gloriæ fuerit; at, si primæ gratiæ infusio in instanti creationis expectauit dispositionem Angeli, per aliquem actum liberum, & honestum, aliquis actus liber, & honestus Angeli fuit, qui nec gratiam habitualem, immediatè, nec gloriam saltem mediate mereretur de condigno: ergo cuiusmodi dispositio ad primæ gratiæ habitualis infusionem expectata à Deo non fuit. Probatur minor, quia meritum condignum gratiæ habitualis, & gloriæ non est, ni actus honestus à gratia habituali operantis dignificetur: ille autem actus Angeli dispositiuus ad primæ gratiæ infusionem à gratia nulla dignificatur: siquidem nulla alia anteriore ad primam (alioqui hęc prima non esset) non à prima, ad quam actus ille disponit, & natura antecedit: nullus quippe actus dignificatur à gratia habituali ipsum subsequente, & quam quomodocumque meretur, & cuius intuitu illa infunditur, vt contouersia de merito tom. 2. de ente supernaturali demonstramus. Neque enim dignificare potest actum ad primam gratiam, quæ eius intuitu datur, ne ad seipsam dignificet, atque sibi natura præcedat, & contradictione manifesta, seipsa prior, & posterior sit: neque ad vlteriorem alium gratiæ gradum, quo augetur: tum quia est supra quantitatem valoris intrinseci actus: tum, quia minimo opere honesto primæ gratiæ de congruo meritiuo, & dispositiuo Angelus omnem gratiam habitualem sibi possibilem de condigno mereretur: maxime in sententia Quiros, qui ad dignificationem actus Angelici dispositiui ad gratiam primam ob eum infusam recurrit, vt argumento nostro satisfaciat: cum tamen, cum communi Castellanorum nostrorum sententia ex intensiori gratia dignificante operis valorem condignum, ad maius præmium vlterius doceat augeri: quod si posterioritas naturæ ad opus actumve honestum non obest gratiæ, vt ipsum dignificet (dummodo in eodem instanti durationis cum actus exercitio coniungatur) ad vlteriorem gratiam fiet planè, vt idemmet actus vlteriorem gratiam de condigno, in eodem instanti obtineat & ab hac, ad vlteriorem dignificetur, & ex huius dignificatione noua ad vlteriorem, & sic ad omnem gratiam habitualem operanti possibilem in eodem instanti & eodem & vnico actu dispositiuo, quantumvis minutulæ honestatis obtinendam. Ex eodem vero discursu conficitur: actum illum Angeli ad primæ gratiæ habitualis infusionem dispositiuum semper congruum solummodo mansurum: eum nec prima gratia ipso posterius natura infusa, quare nec vlla alia posteriore possit dignificari: vnde rursus necessario fiet: Angelos omnes gradus aliquot gloriæ essentialis à Deo obtinere, quos in via nusquam, fuerint condigne promeriti, nempe, eos, qui primæ gratiæ habituali dispositiuo illo actu à Deo ex congruitate solum quadam infusæ respondet, quare nulli Angelorum gloria essentialis tota, & integra, corona institiæ à Deo reddita erit: vti futura in eis est, sicut in nobis ait Paulus 2. Corinthior. quarto, cum tamen vtrisque coronæ adamussim meritis respondentis ratio sit communis, ex quo postremi huius discursus absurdo, primi antecedens amplius firmatur.

4. Quarta, & vltima probatio conclusionis à ratione

tione de principio, quo citati aliquot certamine primo, numero primo vſi ſunt, vt Angelos in inſtanti primo ſuæ creationis gratiam, & conſectaria dona ſupernaturalia à Deo accepiſſe negarent, deſumitur, quod ſcilicet in primo inſtanti non potuerint actum liberum plene, ſeu deliberatum, ac ſubinde honeſtum quo ſe diſponerent, exercere: cum tamen, ita diſponi neceſſarium fuerit, vt connaturali modo, gratia, & reliqua dona à Deo, ac ſubinde de facto recepiſſe bona, & rationali Theologia dicantur: ex quo principio, contra aduerſarios, qui in eo inſtanti creationis gratiam, & conſectaria dona Angelos accepiſſe nobiſcum defendunt, à ſuo ſic, ciuſmodi diſpoſitio, ad gratiam, & dona conſectaria, in eo inſtanti recipienda, non aliter per vos fit, eſſeve potuit, quam per actum plenè liberum, ſeu deliberatum, & honeſtum, ſed actus planè liber, ſeu deliberatus, ac honeſtus, non ſolum habitus non fuit, ſed nec haberi, elicique ab Angelis potuit in primo inſtanti ſuæ creationis: ergo nec diſpoſitio ad primæ gratiæ in eo inſtanti, infuſionem: cum autem aduerſarij, cum quibus certamus, in eo primo inſtanti creationis ſuæ gratiam, & dona præfata Angelos à Deo accepiſſe nobiſcum fateantur, ea omnia à Deo infuſa, atque ab Angelis abſque vlla diſpoſitione ſua accepta fateri coguntur. Argumentum hoc parui à pleriſque aduerſariorum fieri, & quaſi, per neglectum principium illud negari, cum pro præſenti concluſione, cum pro illa veterum ſchoaſticorum negante Angelis gratiam habitualem, & conſectaria dona increationis inſtanti infuſa, tum denique pro eorundem ſententia negante Angelis in primo inſtanti peccatum, non ſolum de facto, ſed etiam de poſſibili ob impotentiam abſolutam Angelicam exercitij plene liberi, ac deliberati in actu vllo in inſtanti vnico, cum tamen ad peccatum lethale ſaltem (cuiuſmodi Angelicum peccatum fuit) plena libertas, ac deliberatio exercita eſſentialiter requiratur: ſed tamen principium illud de abſoluta Angeli impotentia, ad plene deliberandum, in inſtanti creationis: immò, & in quouis vnico, in quo primum cogitationes in contrarium trahentes recurrunt, non ita debilibus fundamentis inniti: vt negligi, & per tranſenam, & libitum, cuiuſque negari poſſe diximus controuerſia de Incarnatione d. 2. de merito Chriſti quæſtione prima de merito eius reſpectu Angelorum, agentes, & ex inſtituto hic oſtendemus quæſt 3. ex quo loco nunc, vt probabilius, nobiſque verum id principium ſuppono.

5. Vrgeri maxime pro hac noſtra concluſione, argumentum ſimile, ex abſoluta ſcilicet Angeli impotentia peccandi in inſtanti primo creationis contendit Quiros citat. d. ſectione ſecunda, numero 7. §. *Obiectum quarto*, præcipue ad finem vſque ſectionis contendens incaſſum inſtantiolis, & argumentatiunculis variis, eandem eſſe potentiam ſe diſponendi, ad gratiæ, & donorum conſequentium in Angelis, ac potentiam peccandi: tum, quia in præſenti prouidentia idem ipſum reipſa ſit, non eſſe, in gratia, ac eſſe in peccato: tum quia diſponi ad gratiam præceptum Angelis ſit: ſed prouidentia præſens, in qua idem ſit non eſſe in gratia, atque eſſe in peccato, erga homines in natura lapſa eſt, non autem erga illos, in inſtanti primo creationis, & ſtatus innocentiæ hominum Protoparentum noſtrorum, de quibus, atque Angelorum in primo inſtanti creationis ratio eſt eadem: ſecundum de præcepta Angelis diſpoſitione in inſtanti primo eſt aperte falſum, atque abſque fundamento: ſiquidem nec præcepto poſitiuo, quod de alio longe diuerſo à diſpoſitione ſui ad gratiam Angeli ſolummodo habuerunt: nec naturali: quia in ſtatu puræ naturæ rationalis (quomodo Angeli abſque omni gratia ſupernaturali, in inſtanti creationis pro naturæ priori ſupponi debent ab his, qui per actum diſpoſitos eſſe aiunt) nullam potentiam ad ſe diſponendum ad gratiam habuerunt: quare, nec potuit eis eſſe diſpoſitio illa iure naturæ præcepta, vt eius omiſſio realiter formaliter peccatum foret, ac ſubinde, eadem ipſa eſt impotentia abſoluta libera peccandi, atque impotentia ſe diſponendi. Quod ſi prius aliud conſtituatur ex gratia auxiliante naturam, ad eiuſmodi diſpoſitionem ad gratiam per actum liberum honeſtum, cum hic ex quocumque motiuo honeſto ex Dei gratia ad illud proſequendum elicitus ſit ſatis, quia cogitatio ſe diſponendi ad gratiam vllatenus Angelo occurrat, abſoluta poteſtas, & libertas ad eum actum diſpoſitiuum, eiuſque omiſſionem abſoluta & libertas, & potentia eadem ad peccandum & non peccandum, eius diſpoſitiones appoſitione, aut omiſſione, non erit: cum nemo teneatur, ad procurandum bonum quod prorſus ignorat: & quidem etſi gratia tantum vnicuique noſtrum bonum ſit, tantumque malum ſtatus peccati, nemo audebit dicere, (neque ipſe Quiros audet) peccatores ſtatim ac id cognoſcunt teneri illico ſub mortali, vel contritione perfecta extra Sacramentum, vel imperfecta in Sacramento ſe diſponere ad gratiam habitualem recipiendam, & ab infæliciſſimo ſuo ſtatu recedendum: imò, nec ſub veniali, pro illo vnico inſtanti indiuiſibili peccator tenetur: Præceptum enim nullum naturale, vel poſitiuum eis temporis, vel potius indiuiſibilis vnius, anguſtiis vrget creaturas rationales nec poteſt vrgere, aut imponi, adhuc ſub veniali: & demus noſtro Quiros vrgere pro primo & vnico inſtanti, aduertentiæ ſui peſſimi ſtatus peccatores ſub veniali vt diſpoſitione ad gratiam illo egrediantur: an inde Angelos, qui ſub tanto malo creati non ſunt, pro illo inſtanti vrgeri, ſub veniali, vt ad gratiam ſe illico diſponant legitime inferetur? Alio modo ipſe hoc argumentum enernat, numero 10. quem non probo, etſi ſolutionis eius fundamenta improbandi locus hic opportunus non ſit.

6. Iam, quæ contra 3. hanc noſtram concluſionem opponuntur, poſſunt ve opponi, & effugia rationum, quibus ea hactenus probauimus eo omnia tendunt, vt gratia habitualis, gratumque faciens connaturalius, intra ſupernaturalem prouidentiam, non, niſi diſpoſitis, per actum proprium liberum, & honeſtum ex gratiæ ſupernaturalis auxilio à Deo donetur: etſi indiſpoſitis, ſine nulla eiuſmodi diſpoſitione eorum ſpectata, & attenta à Deo (vtpote ſuorum ſupernaturalium donorum abſoluto Domino) conferri pro libito abſolute poſſit: quod enim connaturalius eſt, de facto à Deo fieri, vbi de extraordinaria eius prouidentia (vt hic euenit) non conſtat, aſſerendum in bona Theologia erit: connaturalior autem prouidentia Dei in donatione gratiæ habitualis non, niſi per actum liberum, & honeſtum diſpoſitæ rationali creaturæ multipliciter probari ab aduerſariis contenditur. Primo ex nobis: quibus non, niſi diſpoſitis per actum honeſtum contritionis perfectæ extra Sacramentum, vel attritionis, intra illud, gratia habitualis, & formaliter iuſtificans, donatur, nec infantibus adhuc, amentibuſque, qui proprio actu diſponi nequeunt, niſi ex meritis Chriſti, & alterius actu, qui eis applicet Sacramentum) in quo ad ipſorum iuſtificationem merita Chriſti applicita ſunt, & continentur: ſed enim oppoſitio, ſeu euaſio argumentorum noſtrorum ab antiquis aduerſæ ſententiæ Patronis excogitata debilis valde de ſe eſt, & quam minoris à Recentioribus, qui poſt noſtrum Molinam ſcripſerunt tentari adhuc, & opponi cum ſit ab eo apertiſſime diſiecta, & confutata §. *Primo parente*, & §. *Ad primum*: etenim ad iuſtificantionem noſtram in natura lapſa iam, & per peccatum corrupta, & impia mirum non eſt amplius Deum requirere, quam in pura, & integra natura, vt prodiit è manu conditoris: vt, ſcilicet: qui proprio actu, iuſtitiam, & gratiam, in qua & ſibi, & aliis naturali generatione propagandam Protoparentes conditi à Deo ſunt, amiſerint, non, niſi actu proprio recuperent, qui autem actu non phyſicè, ſed ſolum moraliter proprio, & phyſicè alieno Protoparentum iuſtitiam perdiderint, alieno etiam actu meritorio Chriſti, & applicationis Sacramenti ipſam continentium iuſtificentur. Non ſecus, inquit Molina, atque legem Hebræis dolatis à ſe tabulis dedit primum Deus eis vero ob ſcelus populi à Moyſe confractis dolatas ab homine tabulas petiit, vt ſecundo legem ſcriberet: demum argumentum, & euaſio tentata noſtris probationibus eſt huiuſmodi: iuſtificatio naturæ Deo infenſiſſimæ, maximèque odibilis diſpoſitionem aliquam, liberam, & honeſtam de facto, & connaturaliter requirit, vt Deus odium in illam deponat, eamque ſibi reconciliet

reconciliet, & gratiam habitualem largiatur: ergo, & natura pura, & integra, in qua ita sumpta complacet, & ob eius naturalem bonitatem cum eam condit, dispositionem similem de facto requiret, nec satis habebit, vt gratia habitualis infundatur ob eius capacitatem naturalem, tanquam ob motiuum, (non quidem ex actiuum, sed decentiæ, cum eius, tum opificis Dei, è cuius illa tota prodit arte, & manu ad finem supernaturalis beatitudinis, ad quem insufficiens de se se, atque operibus suis, æque, atque habituali gratia, atque absque auxilante gratia, siue vlla dispositione alia à Deo indita prorsus erit.

7. Alij aliter connaturalitatem dispositionis præfatæ ad gratiæ habitualis infusionem probant. Quiros primo: quia, cum non sit Angelicæ naturæ absque operibus connaturalis, ac debita beatitudo, nec gratia habitualis, quæ ius ad illam est, debita, absque operibus erit, fateor: sed quid contra nos? immò vero nec naturæ cum operibus gratia habituali pro naturæ priori, vel saltem, non pro naturæ posterioris infusa non dignificatis, est debita connaturaliter: ergo infusio gratiæ naturæ Angelicæ, siue puræ, siue coniunctim cum operibus, è Dei etiam supernaturali auxilio profectis, gratiam habitualem antecedentibus debiti exactiui, iurisve naturalis non est, sed decentiæ, & congruitatis cuiusdam, cum naturæ ipsius, & operis, tum summi opificis, & artificis Dei, è cuius manu perfectam illam, atque omnibus numeris, absolutam, & facultatibus, mediisque necessariis ad finem beatitudinis, ad quem à Deo creatur per opera obtinendum sufficienter instructam prodire decet: qua solum ratione indebita etiam gratia auxiliante supernaturali instructam creari Quiros ipse, & aduersarij reliqui fatentur, nec possunt diffiteri: secundo probat: quia, cum gratia non destruat naturam rationalem angelicam liberam, sed perficiat: eius libertatem ad peccandum, vel non peccandum, in eo instanti creationis nequit destruere: ergo neque ad amorem Dei super omnia, & supernaturalem, qui pro vnico illo, & indiuisibili instanti creationis, præceptus angelis fuit, & cuius subinde omissio mortale esset omittendum: atqui si gratia habitualis infunderetur independenter, & anterius ad liberam Angeli dispositionem libertatem ad peccandum amoris Dei omissione impediret, pro instanti creationis: Ergo pro eo instanti creationis infusa ipsi non fuit independenter, & anterius, ad liberam eius dispositionem, sed argumentum hoc supponit falso præceptum amoris Dei supernaturalis super omnia, pro instanti vnico, & indiuisibili creationis implendum, impositum Angelis fuisse, eáque vrgere. Secundo: conclusionem de connaturalitate infusionis gratiæ habitualis per liberam eorum, & honestam dispositionem, quam cum aliis defendendam proposuit, eiusque anteriores probationes contendunt, magna ex parte deserit: illa enim de dispositione, per quemvis actum liberum, & honestum Angeli est; hoc autem argumentum ad actum supernaturalis amoris Dei super omnia necessariam hanc connaturalem infusioni gratiæ dispositionem limitat; alioqui enim, super quemvis alium actum honestum, & liberum satis disponi Angelum, ad connaturalem gratiæ habitualis infusionem admittat, fieri plane potest, vt eo anterius natura elicito gratia connaturaliter infundatur anterius ad amoris præcepti elicientiam: tunc autem æque destruet illius ommittendi libertatem: cum ex parte actus primi, ac prorsus independenter ab exercitio libertatis in amore eliciendo gratia habitualis omissioni amoris præcepti repugnans, etsi dependenter ab exercitio libertatis circa alium actum honestum, cuius dispositione gratia infusa est, supponatur.

8. Ac demum singularis hæc restrictio dispositionis liberæ, & honestæ Angeli, vt gratia connaturalius ipsi à Deo in instanti creationis infundatur ad actum amoris supernaturalis Dei super omnia pro illo eodem instanti vrgenter, & instanter, absque vllis durationis inductis implendum, vel inde apertissime confutatur, quod ad connaturalem infusionem gratiæ actum, ad quem gratia habitualis natura sua debet præcedere, pro naturæ priori, atque, vt connaturalem eius dispositionem requirat: Etenim habitualis gratia, vel habitus charitatis est, à quo amor supernaturalis Dei super omnia debet connaturaliter immediate procedere, vel habitus illius, (sicut, & supernaturalium reliquorum) connaturalis radix, & principium, ac subinde cum amoris actum, vel immediato, vel huic proximè anteriori gradu, pro naturæ priori, natura sua, & connaturali prouidentia præcedet: vnde, & eius amoris, & dispositionis connaturaliter eliciendæ abolebitur libertas, ex qua solum, libera dispositio esse poterat; & sane, cum actus ille amoris, vel ab habitu gratiæ, vel ab auxilio extrinseco Dei extraordinario habitus illius vices supplente miraculose, debeat procedere, nec aliter fieri possit, neque præceptum vrgere, & subsistere (ne sit præceptum de re impossibili) connaturalis prouidentia infusionis gratiæ habitualis Angelis ab hoc authore asseritur, quæ esse nequit, ni miracula intercedant. Memorandæ (obiter solum) sunt duæ aliæ aduersariorum rationes reliquæ. Prima: quod glorioſius ab Angelis habeatur gratia habitualis ex propria dispositione meritoria congrue, quam sine illa distingue: glorioſius Deo eorum creatori, & opifici ad beatitudines finem nego, vt ex dictis patet: Angelis transeat, quorum decentiæ minus quam diuinæ ratio est habenda. Dixi autem transeat: tum, quia aliunde ea maior gloria compensari potest ob summam æstimationem naturæ Angelicæ, quæ tantæ naturalis dignitatis habita à Deo est, vt nullo alio expectato digna reputata fuit, quæ tantum ornatum reciperet: tum, quia humanitati Christi Domini summa, & infinita vnionis gratia, sine vlla meritiua dispositione data à Deo fuit, quin contra eius gloriam fieret: secunda (& cui specialiter noster Granados insistit) ex dispensatione Dei cum creatura rationaliter gratiam habitualem sæpè in scriptura asserta desumitur: desponsatio vero propriè, sine vtriusque sponsi consensu libero non est: sed hæc ratio plus probat, quam Granados cum reliquis aduersariis intendat, vt de secunda Quiros probatione dicebamus. Nempe, solo actu charitatis, & amoris in Deum disponi ad gratiam creaturam posse: talis enim consensus sponsalium, & matrimonij in contrahentibus est, vt se sponso, sibique sponsum, nec amplius velint. Secundo instatur: vnionis gratia, qua arctius, perfectiúsque cum Christi humanitate desponsatus (sensu quo ab scriptura desponsari cum creatura rationali per gratiam dicitur) Deus est: instatur item in gratia baptismali infantium absque vllo ipsorum consensu, cui, si rigida desponsatio, & propria per gratiam fiat, Parentum (qui sæpe abest) vel baptizantis consensus, & voluntas nequit substituere: est ergo desponsatio illa Dei cum creatura rationali metaphorica, allegorica, mistica, & similitudinaria: qua nimirum affectiuam Dei erga creaturam gratia ornatam coniunctio, atque huius cum Deo per adoptiuam filiationem, formaliter gratia ipsa inductam, cum Deo coniunctio arctissima, qualis ex sponsalibus, & matrimonio sponsis obuenit, significetur: quin reliqua sponsalibus, & matrimonio, essentialiter necessaria gratiæ ab scriptura tribuantur, tribuive vllatenus possint: vt patet in perpetuitate, & fine propriis eorum contractum, & aliis, quæ desponsationi Dei, cum creatura rationali, ex fide repugnant, nec, nisi blasphemè possunt cogitari.

CERTAMEN IV.

De gratia auxiliante Angelis in instanti creationis à Deo donata, examen, & decisio.

1. DIco quarto : de gratia auxiliante, Angelis in creationis suæ instanti absque vlla ipsorum libera dispositione (vt cum omnibus Doctoribus docuimus) à Deo collata : gratia auxilians angelis naturæ & speciei superioris, quam inferioris naturæ Angelis, data non est maior in ratione gratiæ, & beneficij. Conclusio hæc vti, & sequens supponit diuersitatem, & inæqualitatem physicam, & entitatiuam naturæ, & speciei angelorum, cuiusvis ordinis, & gradus hierarchici ab Angelis reliquorum graduum & ordinum hierarchicorum, vt qui altioris, superiorisque gradus hierarchici sint naturæ, & speciei physice, & entitatiue perfectioris, vt d. 2. quæstione 4. & 5. statuimus : eo vero supposito, & rursus ex omnibus gradibus, seu speciebus, & naturis Angelicis lapsos aliquos fuisse (vt eis locis obiter diximus, ac deinceps de peccato Angelorum disputantes, cum communi Patrum, & Theologorum ostendemus) certa, & legitima est præsentis conclusionis probatio : etenim gratiæ auxilium, efficax, & consensum logice concernens, ac secum deuoluens vbi primum absolute à Deo confertur, & existit : quia extrinsecus à futuritione conditionata consensus, si ipsum donetur efficax in nostra, ac vera sententia constituitur, maius auxilium, & gratia est, in ratione gratiæ, & beneficij quovis auxilio inefficaci quantumvis intenso, & ex parte actus primi physici entitatiue potentiori, ad intensius, perfectiusque operandum, & consentiendum : atqui auxilium hoc efficax ad consensum præcepto Angelis omnibus imposito in instanti creationis multis superiorum, & supremæ etiam hierarchiæ, & ordinis, futuris, si obedirent, ac proinde superioris, & supremæ perfectionis specificæ, & naturæ Angelis datum à Deo non est ; siquidem ex eis plures Dei præcepto non consenserunt : datum autem est pluribus Angelis inferiorum, & infimæ etiam hierarchiæ, & gradus hierarchici, ac subinde imperfectioris, & infimæ speciei, & naturæ angelicæ : siquidem ex bonis Angelis infimæ hierarchiæ, & gradus hierarchici Angeli custodes, singulis, & omnibus, ex vulgo, hominibus singuli custodes Angeli deputati à Deo sunt : ergo maius auxilium in ratione gratiæ, & beneficij perfectioris naturæ, & speciei Angeli præ Angelis speciei, & naturæ imperfectioris, datum in instanti creationis à Deo non fuit.

2. Maior est dogma Theologicum. Tum quia auxilium gratiæ efficax, quantumvis tenuis, & remissæ entitatis physicæ sit, spectat ad prædestinationem, quæ amicissima, gratiosissima, & beneficentissima, Dei erga rationales creaturas est ; sufficiens vero tantum, ac non efficax auxilium, quantumvis intensum : & entitatiuè perfectius, maiusque, & potentius ex parte actus primi physici ad consensum, & operationem in bonum, ad prouidentiam Dei, non prædestinatiuam, sed communem, reprobis etiam, attinet, non adeo amicam, gratiosam, & beneficam erga rationales creaturas : tametsi benefica, gratiosa, & amica Dei erga illas prouidentia sit, eoque magis, quo intensius, perfectius, potentiusque physice, & entitatiuè auxilium ex parte actus primi physici ipsis affert. Secundo : quia cum auxilium gratiæ bonum, ac beneficium rationali creaturæ sit, in ordine ad gloriæ, & beatitudinis finem, ad quem consequendum creata, à Deo illa & ordinata per eius prouidentiam est, medij bonitate bonum, & beneficium creaturæ rationali erit ; nempe, quatenus vtile, conducensque ad illum finem mediatè, & consensum meritaque, per quæ consequendus est immediatè obtinenda : atqui vtilius, & conducentius medium est, auxilium efficax, quo de facto ea omnia obtinentur (qualiscumque physice entitatis, & perfectionis minutulæ sint) quam alij auxilia (quantavis entitatiua perfectione, & intensione maiora) quibus tametsi præfata merita, & finis de facto, non obtinebuntur : ergo auxilia efficacia qualiscumque physicæ entitatis intentionis, & perfectionis sint, maiora in ratione gratiæ, & beneficij sunt, quam non efficacia, & sufficientia, quantumvis intentione, & entitate physica perfecta. Quod autem in instanti creationis collatum à Deo Angelis aliquibus auxilium efficax, aliis vero, inefficax fuerit supra ostendimus, & omnes supponunt, qui in eo instanti mediis necessariis ad finem beatitudinis per merita (quæ absque auxiliis gratiæ habeti non poterant) consequendum, instructos, & constitutos à Deo creari oportete docuerunt : ersi autem aliis actibus, quam obedientiæ præcepto impositò, aliquid amplius gloriæ vltra id, quod gratiæ habituali, per obedientiam conseruatæ responderet, promereri in via Angeli potuerint, etiam, ij, qui tandem, per inobedientiam lapsi in gratia, & veritate, non steterunt, idem de auxiliis ad eiusmodi opera censendum probabilius videtur, vt ex iam dicendis clarebit.

3. Dico quinto, & vltimo Angelis omnibus naturæ, & speciei superioris, & entitatiue perfectioris maior physice, & entitatiue perfectior, & intensior gratia auxilians, quam aliis naturæ, & speciei imperfectioris collata à Deo, in eo instanti creationis suæ fuit. Conclusioni huic consentient Doctores omnes, qui primæ nostræ conclusioni certaminis secundi numero 1. consenserunt : tametsi non ita diffinctè, & in terminis, vt aiunt, ipsi disputarint : est autem ex dictis pro ea conclusione prima quintæ huius ratio procliuis : etenim præstantiori Angelorum, ac perfectioi naturæ decentiæ (& si non ex actionis, naturalisque iuris) titulo : supernaturalia reliqua dona à Deo solo, ac sine vlla dependentia à bono creati arbitrij vsu, prouenientia, atque eam in actu primo physico ad eius ornatum, & condignam operationem vitæ æternæ (ad quam vt finem creati Angeli sunt) constituentia debentur maiora entitatiue, vt physicè perfectiora, vt ibi ostendimus, Angelis speciei, & gradus hierarchici perfectioris, & superioris : atqui auxilia gratiæ physica interiora, & entitatiue perfectiora pertinent ad actum primum physicum, vt condigne ad vitæ æternæ finem (ad quem creati Angeli sunt) à Deóque solo independenter à bono vsu creati arbitrij prouenium : ergo ea debentur Angelis speciei, & naturæ perfectioris. Confirmatur : quia Angeli naturæ perfectioris, altioris, maiorisq; gloriæ finem per merita, quam alij inferioris naturæ, quatenus per Deum est, consequendum fuere creati : atqui id connaturalius euenit, si quatenus per Deum stat, maioribus, intensioribus perfectioribusq; physicè auxiliis gratiæ ad merita maiora condigna gloriæ in actu primo physico ad bene operandum & merendum præueniantur : ergo ita à Deo præstitutum de facto fuit. Patet consequentia : quia in prouidentia, quavis, siue naturæ, siue gratiæ, id quod connaturalius est, præstitutum de facto à Deo asseri debet : vbi cum extraordinaria prouidentia vsum aliunde non constet, vt necunde hic constat. Maior probatur. Tum quia, amplior, maiorque gloria magis decet naturam Angelicam perfectiorem, ac proinde, cum finis gloriæ, ad quem Angelos creauit præstitutio, atque magnitudinis eius taxatio penes Deum solum fuerit, tametsi eius executiua affecutio ab eorum meritis pendere debeat, perfectiori naturæ Angelicæ amplioris gloriæ finem præstitutum à Deo fuisse censendum iure optimo est. vti eadem ratione cum maioribus gratiæ donis eam condidit. Tum etiam : quia cum Deus ex Angelis naturæ perfectioris superiores gradus hierarchicos constituere statueret, atq; hi gloriæ præstantioris finem stantioris esse deberent, ad gloriæ præstantioris finem Angelos præstantioris naturæ condidisse, probabilius longè est.

4. Minor

4. Minor probatur: quia connaturalius valde est Angelos cuiuscumque præstantioris naturæ maioribus intensioribusque physice, & entitatiuè gratiæ auxiliis præuentos intensius, perfectiusque operari cum pro sua libertate eis consentiant, ac bene vtantur, nec, vt absolute possint, abutantur, ac reluctentur, quam minoribus, & remissioribus. Dices: supposita præstantiore, & perfectiore physice natura, & voluntate Angelorum, opus non esse præstantiori, ac intensiori auxilio gratiæ, vt connaturalissime intensius, & perfectius operentur, quam Angeli naturæ imperfectioris, supplente nimirum, voluntatis naturali præstantia, quod deficit intentionis gratiæ auxilio: vt boni genij, & voluntatis naturalis hominibus etiam vsu venit: quos quavis pia cogitatione, auxilio gratiæ, atque exhortatione connaturalissime intensius aliis, genij, & indolis naturalis alterius, in bonum moueri experimur: Confirmatur, ex dictis à nobis supra: scilicet, Angelos cuiusvis hierarchiæ adeo aptæ, ac dispositæ naturæ esse ad sui gradus hierarchicos actus ardenter concipiendos, vt, vel minutulo gratiæ auxilio tactos, non secus, ac sulphureus puluis scintilla quavis ignis, ardescat: sed postremum, de eis solum actibus hierarchicis, cuiusque gradus hierarchici, vt summum probat, non de aliis omnibus communibus Angelorum, & gloriæ meritoriis; sed, nec de eis, nec de aliis hæc, nec præcedens obiectio quidquam contra minorem eiusque probationem præstat. Etsi enim, qua velis facilitate, & connaturalitate boni genij, indolisque, natura intense respondere auxilio gratiæ demisso, ac minutulo apta, nataque sit: ast auxilio intensiori, ac physice maiori, & potentiori, connaturalius, faciliusque, eandem naturam responsuram intensius, certum est, vbi ei pro sui arbitrij libertate responderit.

5. Denique vtrique rationi primæ respondebis, vel contra vtramque obicies, ex supra etiam à nobis dictis, ex maiori gratia in instanti creationis Angelis naturæ, & speciei perfectioris, independenter ab omni eorum, merito, & libera dispositione à Deo infusa, ampliotis gloriæ ius ex tunc ipsis parari, si perseuerent, quam Angelis naturæ imperfectioris, quibus infusa tunc fuit, gratia habitualis minor, etsi illi nec intensius, perfectiusque operentur: atqui auxilium gratiæ intensius physicè maius, & intensius solum, ad intensius, perfectiusque operandum magisq; merendum gloriæ, ad quam ampliorem, quam Angeli imperfectioris, speciei, & naturæ creati à Deo sunt: ergo otiosè, ac de superfluo maioribus auxiliis perfectior natura Angelica tunc in actu primo physico ad amplioris gloriæ finem per merita quatenus per Deum stat consequendum præueniretur: cum in maiori gratia habituali prima anterius, & independenter à meritis infusa; etsi posterius eorum merita æqualia, & fors aliquantulum remissiora, quàm ab imperfectioris naturæ Angelis haberentur, satis perfectioris naturæ Angeli haberent, vt ampliorem gloriam consequerentur. Respondetur facile Angelos ad gloriam per merita obtinendam, tanquam ad finem conditos à Deo fuisse: quia illam industriæ suæ ad auxilia gratiæ adiunctione, meritisque obtinere, ac, non purè otiosis, à Deo donanda erat: vnde, etsi gratia prima habitualis, ius semenque gloriæ ipsis fuerit, non tamen, nisi, vt coniuncta perseuerantiæ, ex Dei auxilio, & ipsorum industria subortæ ius, semenque de facto, & absolute obtinendæ gloriæ esse voluit Deus: insuper præcipuam gratiæ habitualis iurisque ad gloriam ac gloriæ ipsius portionem non mere gratuitam, sed ex cuiusque meritis esse, & quæ multum, gratiæ portioni gratuito iuxta naturæ dignitatem, vnicuique donatæ excederet: vnde, quatenus ex Deo ipso est, maiora merita perfectioris naturæ Angelis per auxilia gratiæ maiora, & potentiora physicè præuenire, congruum intentioni huic suæ fuit.

6. Adde ex perfectioris naturæ Angelis superiores hierarchias, & gradus esse constituendos, & quamvis naturæ excellentia, & gratiæ primitus collatæ, eis satis esset, vt imperfectioris naturæ Angelis, meritorum tamen æqualium, sine horum iusta querela præferentur: ast cum gradus hierarchici, non solum præcedentiæ in dignitate honoraria, sed ministeriis etiam, & potestate iurisdictionali sit, qui in meritis ministerij non excellerent, minus congruè aliis præferentur: ex fine ergo amplioris gloriæ, ad quam conditi, & ordinati Angeli perfectioris naturæ sunt, & ex gradibus hierarchicis, superioribus, quos occupaturi erant, qui in gratia starent, congruum, consentaneum, & connaturalissimum fuit, Deum maiora eorum merita, quatenus per ipsum solum stabat, maioribus physice, & entitatiuè auxiliis in actu primo physico ad operandum collatis præuenire. Porrò conclusio vtraque ex iis, quæ de primis Parentibus nostris in statu innocentiæ Patres, & Scholastici communiter docent, nosque cum ipsis controuersia sequente d. secunda docebimus, non leuiter confirmantur: eos siquidem ampliori gratia, non solum habituali, sed auxiliante, illustrationum, & scientiæ, non solum speculatiuæ, sed practicæ, atque ad perseuerandum, ac merendum pro naturæ capacitate, & decentia, ornatos, & instructos, in instanti suæ conditionis primo, à Deo fuisse concors Patrum, & Theologorum sententia est.

7. Quod autem ex conclusione nostra quarta contra hanc quintam obiici poterat: scilicet, Angelis, non paucis perfectioris naturæ de auxilio efficaci (quod maius longe in ratione gratiæ, & beneficij est, quantumvis physicè intensis sufficientibus solum, & certo maiora merita Angelorum, & gloriam maiorem deuoluens) prouisum à Deo non fuisse: ergo nec auxiliis physicè maioribus, & intensioribus, ex fine amplioris gloriæ per maiora, merita obtinendæ, neque, vt meritis, pro gradus hierarchici sui excellentia, imperfectioris naturæ, & gradus Angelis præcedant. Hoc inquam præuentum sæpè à nobis est verbis illis (quatenus per Deum solum stat) decentiæ titulo de auxiliis potentioribus, & maioribus prouidisse; auxilia vero efficacia, quâ talia per Deum solum non stant, sed à bono vsu creaturæ rationalis per quem, in statu conditionato, tandem efficacia constituuntur, pendent: etsi autem, ex auxiliis gratiæ, ita constitutis, & scientia media cognitis conferre, ac non ex sufficientibus penes Deum solum sit: ast, nec decentiæ, naturæ titulo, nec ex fine gloriæ, nec ex eorum electione in gradus hierarchicos superiores futura, ea conferre, quæ connaturaliter, tenetur; sed solum magis, & ad maius meritum, & præmium in actu primo physico naturæ, & speciei perfectioris rationales creaturas constituere: in quo, per physicam solum, & entitatiuam auxilij intentionem, & perfectionem maiorem, non autem per efficaciam quæ ad actum primum physicum, nec spectat, nec spectare salua libertate rationalis creaturæ potest.

8. Ex his tandem constat, quam bona, & connaturaliori consequentia conclusionis certaminis huius cum doctrina communi Patrum, & Scholasticorum, asserentium gradus hierarchicos superiores, ex Angelis natura, meritis, & gloria etiam, excellentioribus, quam Angeli, inferioris hierarchici gradus esse constitutos: Etsi enim superiores illi Angeli maioribus physice auxiliis in actu primo physico ad operandum, & merendum gloriam ampliorem instructi à Deo, ac subinde ad intensius, & perfectius operandum, & merendum potentiores in actu primo physice à Deo constituti, æque, atque inferiores, Angeli indifferentes, ac liberi absolute maneant, cum ad non operandum, & merendum, & consequendam gloriam (vt patet, ex Angelis superiorum, & supremæ etiam hierarchiæ lapsis) tum etiam ad remissius operandum, & minorem gloriam merendum, vt ex primo patet) si enim nullatenus operari, ac mereri, sub auxiliis illis potentioribus, & physice maioribus absolute potuerunt citius non adeo intensè operari, minusque proinde, mereri absolute potuerunt, quam sub eis absolutè, operari ac mereri poterant) tamen cum Angelis superioris, perfectioriisque naturæ, prædestinatis potentiora, maioraque entitatiue, & physice auxilia, sicut æqualis naturæ reliquis collata à Deo sint, atque ex ita potentibus physice auxiliis, efficacia, & quæ habitura effectum, cum maiorum meritorum, tum

gloriæ amplioris (vti ex potentioribus auxiliis connaturalius est, quam, ex minus potentibus, casu, quo eis consentiatur) scientia media prænouerat, Deus contulerit; fit planè Angelos, superioris perfectionisque naturæ connaturalissimo, prouidentiæ, & prædestinationis, supernaturalis modo, intensius operasse, ampliusque gloriæ promeritos assequutosque fuisse, quam inferioris naturæ Angelos reliquos, ex quibus inferiores hierarchiæ componerentur, ac demum superiores hierarchias Angelis naturæ, gratiæ, & gloriæ donis; præstantioribus naturaliori prouidentia, ac subinde de facto (vt Patres, & scholastici communiter docent) constare.

QVÆSTIO II.

De donis actualibus, siue actibus supernaturalibus in instanti creationis suæ Angelis à Deo donatis.

IAm Gimus quæstione prima de donis habitualibus, quæ à Deo in suæ creationis instanti primo, simul cum absoluta sui existentia Angeli receperunt, & gratia auxiliante, quæ etsi sancta cogitatio sit, tamen ex parte actus primi ad eorum actus, & operationes se tenet: iam de actibus, & operationibus, quæ ab illis habitualibus donis, & gratiæ auxiliis, vel proximè, vel remotè proueniunt agendum recta methodo est: ex eis autem, quidam actus intellectus sunt, quidam actus voluntatis ab eis donis habitualibus prouenientes: & quoniam habitus intellectus à Deo tunc infusi alij per accidens infusi sunt, scientiæ abstractiuæ scilicet naturalis, ab ipsis adquiribilis, de obiectis quorum tunc species propriæ debitæ ipsis non erant (vti Adamo in statu innocentiæ infusi fuere) & hi quidem, vel propriæ, & strictæ, atque euidentis scientiæ, ex certis, & euidentibus, collecti actus sunt, vel non, ex euidentibus, & certis deducti, ac proinde nec scientiæ strictæ, & propriæ actus: alij vero sunt actus supernaturales, intellectus, & fidei, de omnibus an pro primo creationis instanti Angelis adfuerint, vti & de supernaturali, beatitudine, siue perfecta patriæ, siue imperfecta viæ) à Theologis disputatur; de actibus vero voluntatis à Deo Angelis donatis disputant etiam Doctores, in præsenti, & in primis de amore Dei super omnia, vel naturali, vel supernaturali, deinceps de actibus erga obiecta reliqua honesta spei, & reliquarum virtutum moralium. De his igitur omnibus suo ordine, & seorsim de singulis agendum, ac definiendum, hic à nobis erit, & primo de actibus intellectus, secundo de actibus voluntatis. Tertio de actu beatitudinis, tam naturalis, quam supernaturalis, siue imperfectæ, siue perfectæ, de qua an in actu intellectus, an in actu voluntatis consistat definire huius loci non est. De his, inquam, secundum physicam suam entitatem sumptis, non autem qua mediatè, vel immediatè liberi honesti ac meritorij esse possunt, de eis enim ita sumptis, tota quæstione tertia, ex generali principio, ibi examinando, facile, quid sit censendum constabit.

CERTAMEN I.

De actibus scientiæ, & cognitionis abstractiuæ Angelorum in primo instanti suæ creationis.

1. EGimus de abstractiua solum Angelorum in primo instanti cognitione & scientia, de intuitiua quippè, & visione obiecti, cuius in eo instanti species habuerit (de quo non hic, sed tom. 1. nostræ philosophiæ controu. vlt. de naturalibus ac purè philosophicis Angelorum disputamus) certum est eam, ex tunc singulis adfuisse, quin dubitandi, ambigendive ratio vlla posset occurrere: scientiam vero, & cognitionem abstractiuam Angelorum diuidimus in per se naturalem, cuiusmodi est scientia omnis natura sua per discursum ex vno obiecto cognito ad aliud ab Angelo adquiribilis (quam in propriè strictéque, & perfectè scientiam, euidentem scilicet, & ex euidentibus deductam legitimè, & in non ex ita euidentibus, aut non ita legitimè deductam subdiuidimus) & in scientiam, & cognitionem supernaturalem fidei, ob Dei reuelationem: hoc vero nostræ diuisionis, membrum, ad rem præsentem oportune subdiuidimus in actum fidei ob reuelationem, & testimonium Dei obscurum, siue non euidenter notum, crediturо Angelo (sicut vulgo hominibus, qui in via credimus contingit & in actum fidei ob testimonium, & reuelationem Dei certo, & euidenter Angelo crediturо notam: non est enim de vtroque modo habito fidei actu eadem in re præsente decidendi ratio. Ne tamen actus, secundo modo assignatus dicatur impossibilis: suppono, ex tom. 2. de ente supernaturali controu 1. (quæ eti de fide) actum fidei cum euidentia, & intuitione reuelationis posse, non solum de potentia Dei absoluta, sed connaturalissimè consistere, vt satis, etsi summatim ostendi disputans de scientia humanitatis Christi: quare, ex impossibilitate actus fidei, cum euidentia reuelationis, neq; in Angelis, eiusmodi actus fidei repugnabit.

2. Suppono secundo euidentiam reuelationis Angelis in primo instanti creationis, & meditatam, ex discursu, & motiuis signique locutionis, & reuelationis diuinæ, in se euidenter notis, absque Dei visione clara, & absque euidentia, adhuc abstractiua, locutionis Dei extemæ per eius species abstractiuas, vel propriàs ex modo autem concursus diuini temperatas, vt eius locutionis Dei solum abstractiuam cognitionem euidentem immediatam, & certam Angelis ingererent, fieri posse, vt non inuerecenseat Arriag. d. 20. sect. 2. subsect. 1. & 2. contra Soar. c. 1. n 17. & quidem, quoad certitudinem cognitionis de locutione Dei indubitatum esse debet: cum hominibus etiam viatoribus, pluribus, quibus immediatè, & per quos Ecclesiæ suæ veritates, quas voluit Deus, reuelauit, certam abstractiuam reuelationis, & locutionis Dei cognitionem adfuisse negari nequeat: ex qua, ita firmiter reuelatis crediderunt, vt miracula statim in eorum reuelationis Dei argumentum obtulerint, & illico patrarint, quin ab alijs quam à Deo de Dei locutione, & veritatibus reuelatis fuerint instructi miraculâve, aut signa alia, quibus in eam certitudinem reuelationis, & locutionis diuinæ ad ipsos induci possent, præcessissent. Ac de sanctissimo nostro Patriarcha Ignatio, nouimus de suis priuatis reuelationibus mysteriorum, & veritatum fidei à Deo immediate Manesæ, vbi perfectionis tyrocinium potuit, habitis adeo certum fuisse vt non extantibus communib. pro Ecclesia tota certo ipsum ea omnia crediturum doctuumq; assecuerit. Nec dubiũ esse debet, quin Deus mysteria plura Angelis ita immediata reuelatione, & euidentia ipsis, aut certa abstractiuè cognitione indita in instanti suæ creationis reuelauerit. cum eo modo de aliquibus veritatibus homines viatores instruxerit ac præduratis vię angelorum breuitate institui illico eos de credendis oportuerit, vt deliberato in via, ac meritoriè credere possent.

Denique

3 Denique suppono, opus non fuisse, vt omnibus Angelis, ea immediata reuelatio à Deo fieret, ac certa eius cognitio simul infunderetur, sed satis fuisse, vt aliquibus summæ dignitatis natura, & gratia iuxta superius dicta immo Angelo ex eis summe in vtraque perfecto, & immediata reuelatio fieret, eiusque certa, & euidens cognitio à Deo infunderetur, ac per ipsum reliqui, etiam eiusdem gradus hierarchici, pro eodem instanti creationis de reuelatione, & reuelatis à Deo mysteriis instruerentur. Ratio autem est, quia tunc gradus hierarchici instituti dispositiq; non erant, qui post exactam viæ Angelicæ dutationem, ex bonis solum Angelis erant instituendi, institutique demum sunt: quare nec illuminatio Angelorum inferiorum graduum per Angelos superiorum, quasi iurisdictionalis, & ex lege erat à Deo instituta: vnde nec immediata Angelorum supremi gradus hierarchici à Deo illuminatio: ac proinde liberum prorsus, nec vlli suæ legi, aut statuto, quod nondum erat, aduersum Deo fuit Angelum seu Angelos, quos vellet alloqui, immediato, & illuminare, ac medio, mediisue illis reliquos, non solum pro instanti creationis; sed pro reliquis totius durationis, qua viatores extiterunt. Fuit autem connaturaliori prouidentiæ congruentius, vt his, qui dignitate vtraque cunctis præcellebat, ad immediatam illuminationē, & reuelationem eligeretur, & vt reliquos de reuelatis sibi à Deo instrueret, cessat absurdum inde quo ab hac cogitatione, in quam, inclinauit Arriaga, recessit citata subsect. 2. num. 23. §. *Hinc dubitatur primo*: quod, scilicet, omnes Angeli supremæ hierarchiæ æque immediate illuminari à Deo debeant: cum immediate vero euidentia illuminationis, reuelationisque à Deo fidei actum stare non posse, ac proinde nullus Angelus supremæ hierarchiæ (tertia scilicet, vt minimum Angelorum pars) fidei actum habuisset; quod est improbabile, & absonum, tametsi de vno, vel altero Angelo asseri probabiliter, & citra dissonantiam putet. Vidimus namque, ab immediata illuminatione supremi Angeli hierarchiæ supremæ ad reliquos eiusdem pro viæ statu consequentiam non tenere. Item: in nullo actum fidei, secundum suam substantiam, & entitatem, cum euidentia reuelationis, etiam clara immediata, & intuitiua repugnare, nedum cum abstractiua cognitionis euidentia, aut certitudine, qualem Angeli adhuc viatores haberent. An vero cum fidei libertate, & merito pugnent, q. 3 definietur his positis.

4. Dico primo Angeli omnes in primo instanti creationis actus scientiæ naturalis, cum propria, & stricte talis, tum impropriæ, & latæ, proprio discursu ex naturaliter notis acquiribilis, & per accidens infusa secundum suam substantiam, & entitatem sumptos habuerunt. De actibus scientiæ propriæ, & stricte talis, probatur irrefragabiliter conclusio, ex scientia visionis, & intuitiua obiectorum omnium (quæcumque ea sint) quorum in primo instanti creationis Angeli species proprias habuerunt; eorum quippe pro eo etiam instanti visionem claram, & intuitionem habuisse certum, & indubitatum, vt diximus, cunctis scholasticis est: quia scilicet intellectus angelicus propria obiecti specie instructus, est causa naturalis completa expedita, & determinata de se ad eius visionem eliciendam, non minus, quam ignis applicitus materiæ ad productionem caloris, & quæuis alia causa naturalis completa, & expedita, ad proprium effectum producendum: ergo illico, eius obiecti visionem eliciet; non secus, ac reliquæ causæ naturales completæ, & expeditæ, vbi primum sunt, suos proprios effectus producunt, quin, ne vnius quidem instantis mora trahatur, vt eos producant: quia in eo, nil amplius virtutis promptitudinis, expeditionisq; ad eos producēdos repetietur, quam in primo. Tum sic, vt intellectus Angelicus in primo creationis instanti cognitionibus hisce euidentibus obiectorum, ex quibus euidenter alterius obiecti, seu obiectiuæ veritatis cognitio, & conclusio deducitur, est causa naturalis completa, expedita, & determinata, eius cognitionis & conclusionis eliciendæ, ergo illico, in eodem illo instanti proximo suæ creationis illam eliciet, quin, vel vnius instanti moram trahat, illudque instans, immediate sequens ad eam eliciendam expectet. Perspicua proinde, vt dixi, prima hæc conclusionis nostræ pars est. Secunda vero pars non adeo est perspicua, pro qua proinde illud addidit. *Secundum substantiam, & entitatem actus scientiæ.* Est quippe secunda hæc conclusionis pars de scientia Angelica probabili solum, neque ex euidentibus præmissis cognitionibus aliorum obiectorum per legitimam illationem, & discursum Angelorum adquiribili, vt in nobis nostrarum scientiarum quas dicimus, conclusionibus maiori ex parte earum (Philosophia. v. g. & Theologia) vsu venit, quarum plerumque conclusiones probabiles solummodo sunt, atque ex præmissis probabilibus tanquam deductæ. Vnde sit, vt ratio pro prima parte conclusionis de scientiæ propriæ, & strictæ actibus, seu conclusionibus euidentibus, locum, pro secunda habere nequeat; siquidem intellectus causa naturalis completa, & determinata de se conclusionis eiusmodi inferendæ non est, vti nec intellectus noster præmissis tantum probabilibus instructus: quare eis etiam habitis possumus conclusioni non illico assentiri.

5. Vt autem conclusionis pars hæc, vt à nobis proponitur perspicue intelligatur, & à nobis probetur, ac de actu fidei Angelicæ in instanti, primo creationis mox dicendis, & probandis sternatur complaneturque via, aduertendum est: hanc intellectus Angelici (sicuti & nostri) præmissis solum probabilibus instructi indeterminationem ad assentiendum conclusioni, seu indifferentiam in actu primo ad assentiendum, vel non assentiendum conclusioni ab intellectu ita constituto præcise eiusue actu tolli, & determinationem in actu primo ad assentiendum conclusioni induci non posse: quia intellectus potentia libera non est, quare, nec sibi ipsi actum imperare, nec sine imperio indeterminationem & indifferentiam suam ad actum, eiusue omissionem actu ipso elicito immediate in actu secundo determinare potest. Id enim voluntatis liberæ, & arbitrij in actu primo solius proprium est. Ea igitur indifferentia & indeterminatio extrinsecus, actiue, aliunde, quam ab intellectu, qua tali, eiusque actu tolli in actu primo debet, vt probabili conclusioni assentiatur: ab actu, scilicet, voluntatis assensum imperantis, cum præmissæ ex quibus discurrit atque ex ipsis illatio solum probabiles esse cognoscuntur, & fallibiles, vel obiectiue, cum præmissæ, etiam de se fallibiles, & probabiles saltem negatiue, euidentes intellectui non apparent: id est nulla fallibilitatis earum ratio intellectui repræsentatur, cuius rationem in assensu, cum præmissis ipsis tum conclusioni præstāda hæreat: quemadmodum in subitis motibus voluntatis, erga obiecta aliqua de se etiam mala, sæpe contingit, vbi nondum malitiæ cognitione voluntas præuenitur. Cum autem tota, & adæquata actiuitas ad conclusionem ex probabilibus principiis, ac præmissis inferendam penes intellectum, ita eis præmissis etiam, vt probabilius, & subinde fallibilibus cognitis instructum sit soloque ei ita instructo determinatio ad essentiam illatiuum conclusionis, vel actiue, ex actu voluntatis assensum illatiuum imperantis, aut obiectiue ex amotione cognitionis de præmissarū & illationis fallibilitate, qua ab assensu ex parte obiecti detineretur, possit obuenire, fit plane eundem actum secundum substantiam, & entitatem assensiuum conclusioni fore, siue ex libero voluntatis imperio in actu primo determinetur, liberque mediate actus assensiuus conclusioni subinde euadat siue obiectiue seu ex parte obiecti vndecumque obueniente à notione cognitionis de fallibilitate principiorum, in se solummodo probabilium, & illationis ex ipsis, negatiue saltem, euidentia ea omnia intellectui cuiusuis, (& ad rem præstantem Angelico) repræsententur, atque adeo nullo adstante retardatiuo ex parte actus primi ad assentiendum conclusioni probabili necessario intellectus terminetur, quemadmodum agens quoduis nullo adstante contrario, aut impedimento, si plenæ, & completæ actiuitatis naturalis sit, necessario operatur.

6. Ex his facilis est secundæ huius partis conclusionis probatio, quia ex sola necessitate deliberationis voluntatis ad imperandum intellectui instructo præmissis solum probabilibus ac subinde indeterminato in actu primo ad assentiendum, vt per eiusmodi imperium in actu primo determinatus assentiatur eiusmodi conclusioni probabili non posset Angelus in primo instanti suæ creationis conclusioni probabili solum assentiri, actumque abstractiue scientiæ minus propriæ & latæ sumptæ haberi: atqui sola amotione cognitionis omnis de sola pro-

probabilitate, fallibilitateque præmissarum, & conclusionis inde inferendæ (vndecumque extrinsecus, ac sine vlla deliberatione voluntatis amotio illa proueniat) tollitur ex parte actus primi eiusmodi indeterminatio, & indifferentia intellectus instructi præmissis illis, re vera solum probabilibus, & fallibilibus, atque inducitur determinatio opposita ad assensum conclusioni, ex eis præmissis (vt proxime à ratione, & à paritate subiectorum motuum instantaneorum voluntatis in obiecta de se mala, vbi nulla adest ab eis retrahens cogitatio ostendebamus) ergo in primo illo instanti creationis suæ potuit Angelus conclusioni ex præmissis, re solum probabilibus, assentiri, atque actum abstractiuæ scientiæ impropriæ, & latæ dictæ habere; vt secunda parte conclusionis dicebamus. Discursus est legitimus, & satis probata minor. Maior mihi est certa: alia quippe ratio verosimilis non apparet, ob quam vnico, & primo creationis instanti nequeat Angelus conclusioni probabili, ex præmissis probabilibus assentiri (sicut euidenti, & ex euidentibus deductæ posse, & de facto assentiri, prima parte conclusionis diximus, & probauimus) nisi, ex indeterminatione, & indifferentia intellectus præmissis solum probabilibus instructi in actu primo ad assentiendum, vel non assentiendum, conclusioni, quæ, non nisi per actum deliberarum (intellectui, quà tali impossibilem) à voluntate possit auferri: quod, si esset verum, cum deliberatio, seu libera determinatio voluntatis creatæ in vnico instanti magnis fundamentis censeatur impossibilis, (vt quæstione tertia videbimus) efficaciter conclusio impugnaretur, est igitur assensus Angeli conclusioni probabili in creationis instanti secundum substantiam possibilis; ergo, & habitus de facto, est quippe perfectio, & per se naturalis absolute, ac proinde pro illo tunc per accidens infusa, & supernaturaliter, quoad modum, dispositа. Sed consequentiæ huius probatio, erit solutio imperfectionum, quæ in eo actu scientiæ videntur apparere: quæ erit etiam conclusionis, & veritatis eius explicatio pro rudioribus maior.

7. Prima scientiæ latæ actus solum probabilis est de se fallibilis, ac proinde esse de se error potest, & de facto, in pluribus eius scientiæ, actus erronei erunt: ergo à Deo in naturæ Angelicæ ornamentum pro eo instanti eiusmodi scientia curatum, ac dispositum non fuit. Ecquid enim ornatus, imo non indecentiæ, habet erroneus actus. Respondetur: probabilitatem præmissarum, & conclusionis, ex genere suo, nec veritatem earum, nec falsitatem claudere determinate, nec excludere; sed solum veritatis, aut falsitatis earum euidentiam ex terminis, & obiecto ipso, vel ex mediis, quibus eis assentimur: quare ratione materiæ actus probabilis assensus re ipsa esse possunt quandoque reipsa falsi, & errores, quin veri esse reipsa queant. Illos ergo, reipsa veros, actus probabiles scientiæ late dictæ amotione cognitionis omnis de eorum fallibilitate prouidit, disposuitque Deus Angelis in instanti creationis, eorum ornamento, non exiguo: verum quippe, & quod reipsa falsum nequit attingere, probabiliter adhuc, perfectio est, cum veritatis eius ignorantiam, etsi non positiua euidentia veritatis absolute propellat; assensus vero probabiles, re tamen ipsa falsos, & erroneos Angelis pro creationis instanti, non ita prouidit Deus, sed fallibilitatis eorum cognitione adiuncta, ne eis tunc assentirentur, disposuit, vt erroris ignominia physica eos, cum primum, è sua manu, & arte prodibant, liberaret. De scientiæ igitur probabilis, & late dictæ actibus veris conclusio nostra intelligenda est, non de falsis, & erroneis, qui sub scientiæ nomen, non veniunt, sed erroris & turpissimæ ignorantiæ, scilicet positiuæ. Secunda obiectio esse potest. Angelos in statu etiam, & durationе quauis status viæ (cuius pars est primum instans suæ creationis) solum, ex notis euidenter discurrere posse: tum, quia ex eis solum discursum Angelis videntur scholastici tribuere: tum, quia alias erroris periculo essent expositi: tum denique, quia cum probabilia media non per se, sed per alia media probabilia fiant, processus infinitus repugnans in hac probabili solum Angelorum scientia, videtur admittendus: atqui ex euidentibus præmissis, & principiis repugnat scientia non euidens, ac solum probabilis: ergo, & secunda hæc pars conclusionis est de subiecto repugnante, & non supponente, ac subin-

de facultatis necessariæ. Negatur antecedens, cuius prima probatio, ex communi scholasticorum est falsa. Ij enim de Angelis solum beatis, non autem de cunctis Angelis, in statu viæ agunt, dum eis discursum, ex euidentibus solum concedunt. Imo neque de eorum discursu ex probabilibus disputant: quare neque beatis Angelis negant, quibus modo, & prouidentia Dei supradicto, & ex imperio etiam deliberato ipsorum assentiendi conclusioni, cum assentiantur, erroris periculum satis præcauebitur, quo secunda probatio euanescit. Vltima probatio antecedentis ab absurdo processus infiniti æque nostram scientiam late dictam ac solum probabilem, atque Angelicam impugnat, solumque probat deueniendum in ea tandem esse ad prima aliqua principia de se se, ac suis terminis probabilia, sicut in scientia stricta ad principia per se, & ex terminis nota, & euidentia. Id, quod ita esse sæpe docuimus: in quorum veritate, & probabilitate ex terminis penetranda & deprehendenda acutiora, & profundiora ingenia multum reliquis minus robustis, & profundis præstare ostendimus: quare earum penetratio, & comprehensio clarior, maiorque Angelis, qui à Deo intellectu hominibus præstant erit concedenda.

8. Dico secundo: actum fidei secundum substantiam, esto non vt liberum, & meritorium ex pio affectu libero credendi, de quo q. 4. ex generali principio definitur) omnes Angeli in primo instanti suæ creationis habuerunt. Supponit conclusio Angelis cunctis aliqua saltem fidei mysteria in instanti creationis fuisse reuelata saltem Dei vnius & trini (quod Trinitatis mysterium est) de quo dubitat nemo: etsi enim Dei vnius iuxta conclusionis primæ partem primam euidentem scientiam habuerint, cum qua & fidei de Deo vno actum repugnare nonnulli immerito putant, ac subinde eius reuelationem superfluere possent censere; ast Deum hunc vnum tribus personis identificatum reipsa esse, ne probabiliter, discurrere, imo ne suspicari quidem naturæ viribus, lecta reuelatione, possent. Oportuit autem mysterium hoc Angelis ex tunc reuelari, vt, quamuis tunc deliberato Deum Trinum, & vnum venerari, amareque super omnia non possent, quia deliberatio creata tempus requirat, saltem ex tunc deliberandi principia, quæ in eos actus obsequia erga Deum inducerent, & quibus præuenirentur adesse eis oportuit, vt, cum primum deliberatio haberi, peragique ab eis posset debitis eis creatori suo Deo Trino obsequiis amoris, adorationis, & gratitudinis possent satisfacere. An vero mysterium etiam Incarnationis in instanti creationis suæ fuerit Angelis reuelatum, incertum mihi est, nec solido fundamento definibile, nisi ex suppositione quod præceptum Angelis impositum fuerit, vt Christo Domino, seu Verbo incarnato, eiusque humanitati obsequium, obedientiam, & adorationem præstarent, de quo inferius agendum. Si enim de eo præceptum Angelis fuit à creatione initio impositum, (vt ob rationem proxime datam æstimo) probabilius est, cum tunc præcepti capaces essent, ipsorumque via, & deliberandi diuratio necessaria cœperit; imponi autem illis præceptum, non potuit nisi mysterio Incarnationis simul reuelato: quare in creationis instanti reuelatum hoc mysterium fuisse, & aliorum mysteriorum in eo instanti fit, actum fidei secundum substantiam, etsi non libere, sed necessario ergà reuelata, tunc præstitisse, secunda hæc nostra conclusio fert. Probaturque facile ex dictis, quia vel loquimur de (Angelis supremæ hierarchiæ, vel vt probabilius reputo, & asserui num. 3.) de eius hierarchiæ Angelo supremo, cui immediate Deus est loquutus, & mysteria reuelauit, ac immediata hæc reuelatio à Deo certa, atque abstractiua euidentia, innotuit; vel de aliis, quibus, vel per hunc Angelum, vel per alios mediate, aut mediatius cognita Dei reuelatio fuit? & quidem postremis hisce omnibus amotę Dei prouidentia fuere pro illo instanti cogitationes, quibus de existentia reuelationis diuinæ possent ambigere, hærere, atque illos ad deliberandum voluntate, si an crederent, totos occuparent, ex motiuis aliis atque suspensos ab assensu, tam magno, & potenti motiuo reuelationis dubitatæ detinerent: quare, & imperium proprij affectus, qui etiam dubitantes de existentia reuelationis ad credendum determinaret, ageretque necessario, si ipsis adesset opus non fuit; ergo necessario statim atque

atque illico reuelatis crediderunt: quod ex dictis de scientiæ late dictæ actibus valde confirmatur: & pro his, vel illo Angelo supremo, cui immediate facta à Deo reuelatio fuit, & Dei locutionem illam esse certo, & euidenter abstractiue innotuit, confirmatur vigentius. Habuit enim adiutorium discursus naturalis euidentis: quidquid Deus dicit verum est, vt reuelatis discursiue necessario assentiretur, cuius assensus euidentia non obest (vt nonnulli putant) sed iuuat potius, vt simul ob motiuum indubitatæ reuelationis motiuo connexionis præmissarum cum conclusione longe fortius, & indefectibilius, atque vt tale cognitum, in eius discursus maiore præmissa iterum firmius eidem veritati assentiatur. De quo latius controu. de fide. t. 2. de ente supernatur. Probatur secundo conclusio, quia Angelis cunctis indeliberatus etiam pius effectus credendi in instanti creationis adfuit (vt iam cert. 2. concl. 1. dicamus) quo ad credendum ex parte actus primi efficaciter determinaretur.

CERTAMEN II.

De actibus voluntatis Angelorum in primo instanti creationis.

1 ACtus voluntatis Angelorum in actus virtutum, ex obiecto moralium, & theologalium diuidi possunt. Primi rursus in suas satis notas species, quorum Angelica natura capax est, nusquam ad præsens singulatim recensendæ, quia de eis omnibus eadem est difficultas, & decidendi ratio communis. Actus vero Theologales, nempe Spei, & Charitatis seorsim recensendi, & examinandi hic erunt ob speciales eorum naturas ex quibus diuersæ subortiri possunt difficultates. Est autem sciendum de his omnibus actibus voluntatis, Angelicæ in primo creationis instanti secundum substantiam sumptis solummodo agi: sicut de actibus intellectus cert. 1. egimus. De eis quippe, vt liberis, & meritoriis, non nisi, ex principio generali de necessaria duratione, vt rationalis creatura, etiam Angelica, deliberet (an scilicet diuisibilis, & temporis necessaria sit, an instantanea; & indiuisibilis sufficiat?) definiri cordate potest: de ea vero quæstione, ex instituto, vt diximus. q. 3. agetur: ex cuius decisione actibus omnibus siue moralium, siue theologalium virtutum, quoad eorum libertatem, & meritum vnica conclusione, simul & facile definiemus. Postremo loco de Angelorum beatitudine disputandum est cert. 3. quia sub lite adhuc Doctoribus Scholasticis est, in quibus, intellectus ne, an voluntatis actibus consistat, neque eam decidendi locus hic opportunus, sed. t. 2. de ente supernaturali controu. vlti. de beatitudine perfecta, & suprema Sanctorum in Patria, cuius ad instar imperfecta, & imitatiua status viæ beatudo, siue naturalis, viribusque naturæ solis habita, siue supernaturalis, quæ etiam fidei cognitionis supernaturalis actibus natura rationalis adiuta habere, in via possit, cogitanda, statuendaque necessario est: tum etiã quia, in quocumque actu, siue intellectus, siue voluntatis, siue vtriusque beatitudo vtraque consistat, cum de vtraque, post examen, & decisionem, de vtriusque facultatis actibus disputatio, & examen hoc veniat, eorum difficultatibus, iam exploratis, ac dilucide definitis, retardari, turbariue atque implicari nullatenus poterit, cius examen, ac definitio, solisque difficultatibus, quæ ex beatitudinis propriæ perfectæ, & patriæ vel impropriæ imperfectæ ac viæ (in cuiusuis facultatis actibus consistant) prædicatis specialibus, suboriuntur dilucide examinandis, ac definiendis discursus incumber.

2. Dicendum est primo: actus omnes virtutum moralium quorum natura Angelica est capax) ex obiecto, secundum substantiam sumptos, omnium Angelorum voluntates in primo creationis instanti exercuerunt: pium etiam affectum credendi, siue actum imperij ad intellectum, vt illico credat, etsi supernaturalem, secundum substantiam comprehendo. Conclusio hæc, etsi in terminis nullum hactenus habeat Patronum; nullum tamen aduersarium habet: imo virtute, & implicite communis est plurium Theologorum, qui actus voluntatis, etiam, supernaturalium virtutum & amoris Dei super omnia deliberatos, ac meritorios voluntatibus omnium Angelorum in creationis instanti concedunt: quod & conclusionem præsentem continet, & amplius, ac difficilius de eorum actuum libertate addit, & æqualis cum ipsis erit. q. 3. Probatur conclusio: quia id adeo disponi potest, prouidentia, qua diximus cert. 1. amotione cogitationum retrahentium ab honesti prosecutione, & immissione cogitationum, saltem quoad modum, supernaturalium (si aliqua earum supernaturalitas necessaria ad honestum obiectum virtutis moralis prosequendum) in eam inducentium, vnde subiti illi motus, & instantanei volutatis Angelicæ indeliberato subsilirent: si autem ita à Deo fieri potuit, factum esse censendum est: tum, quia ad ornatum, & decentiam naturæ Angelicæ quem attendisse, prouidisseque Deum, quatenus ex ipso solo erat, neque ex libero arbitrij Angelici vsu, & industria pendebat, vt in motibus hisce indeliberatis pendere non potuit, pro instanti creationis; quo primum ex eius arte, & manu illa prodibat, statutum q. 1. fuit. Confirmatur, quia subiti isti motus instantanei, & indeliberati in obiectum honestũ, omnem voluntatis deliberationem, & præconsiliationem præuenientes magnopere iuuant, roborantque ex parte actus primi voluntatem vt post deliberate, etiam obiectum honestum prosequatur: vt omnes scholastici fatentur, præsertim Vasquez, multa, & accurata Patrum, ac inprimis Augustini, eruditione, & à contrario subditorum motuum in turpia ex appetitu inordinato rationis consilium præueniente subortorum experientia indubitata demonstratur. Cum autem ex fine beatitudinis, ad quem per merita obtinendum Angelos Deus condidit, auxiliis gratiæ, quibus possent, & habitibus, quibus facilius, potentiusque, possent actus deliberatos ac meritorios exercere instructos de facto in primo creationis instanti fuisse communiter à Doctoribus censeatur: ergo, & his subitis in honestum motibus, quibus ad actus deliberatos, & meritorios exercendos amplius, potentiusque, quem habitibus, ex parte actus primi Angeli præueniuntur, instructos Angelos in creationis instanti adeo fuisse, eadem, potiorique ratione cẽsendũ est, quod ipsum de pio affectu credẽdi reuelatis indeliberato eadem ratione probatur, vt patet.

3. Dicendum secundo: Angeli non habuerunt spei supernaturalis, & Theologalis actus, secundum substantiam sumptos adhuc, in primo instanti creationis. Huic conclusioni Theologi aliqui facile adhærerẽt, qui, scilicet, putarent in eo instanti beatos perfecta patriæ beatitudine fuisse, cum tamen obiectum spei debeat esse positiue absens, & durationefuturum: quod in vnico illo indiuisibili instanti durationis in quo haberetur, est impossibile; alij facile aduersabuntur, qui vel non requiri absentiam absolutam positiue, & futuritionẽ durationẽ, sed absentiam sperãdi boni præcisiue solum pro naturæ priori ad actum spei, & possessionem boni posterius adhuc natura obtenti: nec nisi in ordine ad hæc instantia priora, & posteriora requiri futuritionem boni, ac de ea iudicium, vt spes concipiatur: quare, etsi pro eo instanti creationis visio beata data Angelis fuerit, dummodo, non in priori naturæ ad spei actum concipiendum, sed posterius natura ad ipsum futura concipiatur, haberi ab Angelis spes beatitudinis perfectæ, (atque eodem modo etiam imperfectæ) potuisse. Hanc tamen subtilitatem scholasticam reieci, ex instituto t. 2. de ente supernaturali, controu. 2. de spe: quare, si in te instanti creationis beatitudine perfecta, & idem est de imperfecta, si qua est viæ, donati Angeli sunt, de ea spem, nec in eodem instanti concepisse illos, nec concipere potuisse defectu iudicij futuritionis propriæ, & temporariæ ad actum spei concipiendum necessarij certo colligeretur. Sed quoniam de perfecta beatitudine, ea suppositio mihi & communi Theologorum sensui falsa est, de imperfecta vero, & viæ, non item (vt cert. 3. ostendam) & pro qua ratio illa vim habet: probabo indepẽdẽter ab eo, quod habita ab Angelis, vel altera, vel vtraque, in creationis instãti fuerit vniuersaliter à priori.

4. Nullus actus voluntatis deliberatus, atque plene, & absolute liber creatura rationali essentia sua impote plene, & absoluti exercitij libertatis in vnico instanti, vt quæst. 4. ostendam, elici potest: quare nec ab Angelo in instanti creationis, atqui omnis actus spei propriæ & theologalis essentia sua est absolu-

te

te liber: ergo nullus actus spei propriæ & theologalis haberi ab Angelo potest in instãti suæ creationis. Discursus est legitimus. Maior probanda ex q. 3. ac hic probationes prolixe, & intempestiue anticipemus difficultatis ex instituto ibi examinandæ, & decisionis contra plerosque, ex antiquis, & recentiores omnes statuendæ. Minorem ex principio apud omnes fixo, & dignitate proinde Theologica, sic probo. Spes propria, & essentia sua, prout à desiderio specialiter, & stricte dicto differt, non solum in bonum absens tendit, sed etiam arduum; ita, vt, in arduum fit, & cogitetur, ac proponatur actus spei propriæ erga illud concipi omnino repugnet: nequit autem cõcipi actus spei essentia sua ex propositione, & cognitione boni, qua etiam ardui, siue arduitatis in eius assecutione, quin essentia sua concipiatur absolute, & plene liber: ergo omnis actus spei propriæ, & Theologalis essentia sua est absolute liber, vt in minori assumebamus. Maior proximi huius syllogismi, est commune axioma, & dignitas Theologica in materia de spe. Minor probatur: quia vt dixi citato loco, & controu. de spe, arduitas obiecti (in quouis stet) necessario proponenda ex parte, ipsius, vt illud sperare propriæ spei actu, absolute possimus, nequit necessario requiri proponenda, ex parte obiecti, vt motiuum, & ratio, ad illud prosequendum inducens (ex quo recentiores aliquot, qui minus rem, & essentiã actus spei propriæ Theologalis illam ex parte obiecti præpositionem necessario, & essentialiter ad eum concipiendum contra Theologicum axioma negare tentarunt) sed vt quid ab illo obiecto prosequendo retrahens voluntatem, & contra quam animi, & voluntatis erectionem, specialem, & propriam actus spei essentialiter importat, in qua eius præ aliis desiderii actibus nobilitas perfectio, ac meritum maius consistit: ergo actus propriæ, & Theologalis spei essentia sua ab vna propositione bonitatis obiecti inducente ad eius propositionem, altera vero retrahente ab eiusmodi prosecutione procedit. Atqui omnis actus voluntatis ab vna propositione retrahente, altera vero inducente, ad sui obiecti prosecutionem, est actus plene, & absolute liber, vt ex definitione actus liberi voluntatis statum, Philosophis, & Theologis cunctis axioma & dignitas est: ergo omnis actus spei propriæ, & Theologalis essentia sua plene, & absolute liber est, ac procedit: ac subinde nullius actus spei propriæ, & Theologalis non plene, & absolute liber esse potest: quod in minori assumebamus: atque ad demonstrationem nostræ conclusionis ostendendum restabat. Nec recurras ad actum imperantem actum spei diuinitus in Angelorum voluntates tunc immissum, quo indifferentia illa voluntatum ex arduitatis propositione determinaretur in actu primo ad sperandum, vt de actibus intellectus ad quos de se, & obiecti propositione ipse esset indifferens dicebamus, & de aliis voluntatis saltem à voluntate ipsa imperabilibus dici potest erectio illa quippe animi, & voluntatis contra boni arduitatem spei actui essentialis dicit voluntatis à se ipsa motum, & conatum, quo se ipsam ad bonum, etsi arduum agat, qui plane deficeret, si à Deo immediate, vel medio imperij actu ad illud arduum prosequendum ageretur, ac proinde, & animi erectio spei essentialis illi actui imperato deficeret, qui subinde, non spei actus, sed stricte dicti desiderij foret: quod secus haberet, si voluntas ipsa deliberate actum spei contra boni arduitatem imperaret: tunc enim manere voluntatis se ipsam agentis contra arduitatem erectio: sed tamen in illo solo creationis instantis ad deliberandum de imperio illo, quo se proprie agerent, duratio necessaria non erat.

5. Dicendum est secundo de actu voluntatis amoris Dei super omnia. Nullus actus amoris Dei, super omnia formalis & explicitus Angelis adfuit in primo instanti suæ creationis. siue naturalis formalis & expressus. Amor Dei super omnia, siue supernaturalis solũ secundum substãtiam, & modum, ex actu fidei supernaturalis ac diuinæ (quod verius reputo) admittatur possibilis. Dixi de *amore Dei super omnia* de quo solum esse potest difficultas, quia de velleitate, & complacentia, quadam leui & prorsus inefficaci in Dei bonitate quomodocumque, etiam naturaliter abstractiue, tunc ab Angelis cognita dubium nõ est, quin tunc eam habuerit, quam ab scholasticis supponitur potius, quam disputatur. Dixi *etiam de amore formali, & expresso, seu explicito*, quia de virtuali solum, & implicito alia est ratio, vt videbimus concl. 3. ita vero intellecta & explicata cõclusio probatur ex dictis proxime, facillime. Nullus actus plene, & absolute liber, pro vnico, & indiuisibili instanti creationis haberi ab Angelis potuit, vt ex q. 3. supposuimus; ast omnis actus amoris Dei super omnia formalis expressus, & explicitus essentia sua est plene, & absolute liber; ergo nullus amor formalis, expressus, & explicitus potuit haberi ab Angelis, pro illo vnico, & indiuisibili instanti suæ creationis, quare nec habitus ab Angelo pro eo instanti fuit. Minor sola nunc probanda in hunc modum erit. Omnis actus amoris Dei super omnia formalis expressus, & explicitus, est actus voluntatis essentia sua comparatiuus bonitatis Dei, cum bonitate creaturarum, quæ possent voluntatem Angeli à Dei amore diuertere, atque prælatiuus bonitatis illius Dei bonitati huic creaturarum, etsi non in particulari, & indiuidualiter sumptæ, saltem sub communiori conceptu bonitatis delectabilis (non quidem materialiter, & sensibiliter, quod in Angelis locum non habet) cum prosecutiones bonitate Dei incompossibilis: ergo amor Dei super omnia formalis expressus, & explicitus, qua talis essentialiter procedit à duplici cognitione altera retrahente, altera inducente, in eiusmodi amorem, ac subinde, vt plene, & absolute liber, quare nullus actus eiusmodi amoris non plene, & absolute liber haberi ab Angelo potest, vt de actu spei nuper concludebamus. Euasio ex recursu ad actum imperij à Deo immissum tunc voluntatibus Angelorum: præclusa enim est in simili de actu spei n. 4. sub finem.

6. Dicendum est tertio, actus amoris Dei super omnia, virtualis, & implicitus, supernaturalis, & ex fide supernaturali proueniens Angelis adfuit, in suæ creationis instanti; secus naturalis Dei super omnia, amor virtualis adhuc, & implicitus. Sola fere intelligentia, & explicatione amoris Dei super omnia virtualis, & impliciti conclusio tota, quoad vtramque, eius partem probata efficaciter (me iudice) manebit. Est igitur amor Dei super omnia virtualis & implicitus amor, seu affectus complacentiæ in Deo, eiusque bonitate à Deo adhæsiuus voluntatis ad ipsum affectiue (nulla adhuc comparatione prælatiua facta, cum bonitate creata delectabili qua posset à Diuinæ bonitatis, ac Dei ob illam amore, & affectu illo complacentiæ in illis distrahi, ac diuelli) vti nulla bonitate, bonóve delectabili, tunc etiam pro naturæ posteriori occurrente à semel sam pro naturæ priori concepto amore Dei, & affectu complacentiæ in ipso, eiusque bonitate à Deo adhæsiuo affectiue, non solum auelli, sed nec distrahi quidem, suspendiue inchoatione deliberationis vt eo postea abstinere vllatenus posset: neque enim pro eo instanti durationis, in quo, & si pro naturæ prioris amor ille & complacentia affectiua in Deo, eiusque bonitate concepta semel est, pro posteriori adhuc naturæ citra contradictionem, quam affectiua illa adhæsio affert, potest Angelo ipsi non adesse: Hinc prima conclusionis pars affirmatiua, facile probatur. Siquidem in illo creationis instanti, ita per cognitionem supernaturalem fidei proponi Angelis summa Dei bonitas potuit, vt nulla bonitas delectabilis, creaturæ, qua à complacentia, in Deo, eiusque bonitate, ita tenaciter adhæsiua diuerteret, si pro toto illo instanti vel saltem pro naturæ priori ad eius elicientiam proponeretur: ergo ea complacentia, in Deo, eiusque bonitate, seu virtualis, & implicitus Dei amor supernaturalis per fidei supernaturalem cognitionem potuit concipi subito, & indeliberate ab Angelo pro eo instanti; fidei etiam habitu instructo, cum ex parte potentiæ, & cognitionis supernaturalis fidei proportionata obiecto proportio ab omni cognitione, & motiuo retardante experitur facultates, & principia necessaria Angelo adfuit: ergo & fuit de facto in Angelis in eo instanti creationis, vtraque consequentia probata est in simili conclusione prima num. 2. & cert. 1. concl. 1. num. 4. & concl. 2. num. 8

7. Negatiua pars, & secunda nostræ conclusionis probatur, quia amor Dei super omnia non solum formalis expressus, & explicitus, sed virtualis, & implicitus ordinis (de quo nunc). Non solum quoad modum sed quoad substantiam adhuc, naturalis prorsus repugnat, vt late de Charitate Theologali agentes ostendimus. n. 2. de cuius supernaturali

supernaturali controu. 5. atque si tenacissima illa adhæsio creaturæ rationalis Deo, eiusque summæ bonitati, quam complacentia in ipsis explicata, & amor Dei super omnia implicitus, & virtualis continet, satis perpendatur, & penetretur, ex terminis ipsis naturalem, secundum substantiam adhuc, esse non posse deprehendetur, cum ex defectu facultatis natiuæ voluntatis creatæ nudæ, nec habitu supernaturali charitatis adiutæ, tum defectus supernaturalis propositionis, obiecto proportionatæ, per fidem faciendæ iuxta Paulum asserentem impossibile esse nobis (idemque est de quauis rationali creatura) sine fide Deo placere, illam vero adeo tenaciter, & firmiter adhæsiuam voluntatis Deo, eiusque bonitati, (quem amorem Dei super omnia implicitum, & virtualem esse diximus) vt creatæ omni bonitati delectabili ipsi aduersæ, Deoque infensæ affectiuam adhæsionem, & amorem necessario, quamdiu est, ac potenter reiiciat, amorem amicitiæ, ex parte nostri, & cuiusvis rationalis creaturæ esse, & quæ amorem, & complacentiam amicitiæ in nobis ex parteque nostra Deo afferat dubium esse non potest: insuper, si ad eam tam arotam, affectiuam coniunctionem cum Deo creatæ voluntatis natiua facultas propositione bonitatis diuinæ substantialiter naturali potest assurgere, quidnam aliud nobilioris perfectioris, excellentiorisque coniunctionis cum Deo, quæ supra omnem facultatem, & propositionem cognitionis naturalem sit, in ea affectiua coniunctione cum Deo, quam supernaturalem vocas, erit, ratione cuius supernaturales, & habitus charitatis, & propositio bonitatis diuinæ requirantur? si enim, neque cum his supernaturalibus adiumentis ad excellentiorem specie sua, arctioremque & firmiorem cum Deo affectiuam coniunctionem creata voluntas potest, quam possit, sine illis, principia illa ad eam affectiuam coniunctionem non requirentur, sed de superfluo, & supererogatorio concurrent. Ac demum. Cum eiusmodi affectiua, adeo firma, cum Deo coniunctio & virtualis ac implicitus Dei super omnia, amor (quem naturalem dicis) peccato, & inimicitiæ Dei essentia sua repugnat, detur mihi, & principiis illis, & adiumentis supernaturalibus, amorique supernaturali tuo illico, & promptissime, ac libentissime renunciabo.

CERTAMEN III.

De Angelorum in creationis instanti Beatitudine.

1. BEatitudo propriè, ac perfecte talis, & minus proprie, & perfecte sumpta, examinanda in præsenti cum S. Thoma, & scholasticis reliquis est, illa est patriæ secura, & æterna hominis, vel Angeli fælicitas, & quæ, seu in clara Dei visione, siue amore, siue fruitiones siue in his omnibus essentialiter adæquate consistat, præter actus hosce perpetuitatem importat: quam Recentiores plures volunt Dei visione beata, vt eo à visione, clara etiam essentialiter repræsentari in eaque includi Dei possibili in via, & limitato tempore duratura essentialiter specifice differat: quod tom. 2. de ente supernaturali controu. vlt. confutamus, & obiter tomis de Trinit. incarnat. ac Deo vno sæpe reiecimus. Propria item Beatitudo semel habita peccato repugnat: quod etiam de visione clara Dei amore, & fruitione, ex illa ortis, quæ in viæ statu haberentur pro tempore, quo durarent, verum etiam est; & si perpetuitatis, defectu, à propria, & perfecta beatitudine deficerent. Beatitudo, quæ creaturis rationalibus, tam Angelis, quam hominibus etiam, frequenter, & ordinaria prouidentia, vel naturali, vel supernaturali, potest in via contingere, imperfecta, & impropria multo ex capite est: cum defectu perpetuitatis, & inamissibilitatis; tum si naturalis solum sit, secundum intrinsecum actuum, quibus constat sumpta, defectu repugnantiæ cum peccato; tum etiam, quia, & si Dei cognitionem amorem, & fruitionem essentialiter claudat vel concernat, vt de perfecta patriæ beatitudine (cuius imitatiua beatitudine (cuius imitatiua beatitudo solum hæc est) diximus; ast cognitionem solum bonitatis Dei abstractiuam, vt sui partem, vel essentiale fundamentum supponit, quoniam vero abstractiua Dei cognitio, ipsamque sequentes amor, & fruitio Dei vel pure naturales, ac solis naturalium facultatum intellectus, & voluntatis creatæ viribus habitæ esse possunt, vel esse possunt supernaturales, ex habitibus, & principiis supernaturalibus essentialiter oriundæ; impropria hæc, imperfecta, & imitatiua solum, viæ beatitudo bipartienda adhuc in naturalem, & supernaturalem est, vt debita claritate impræsentiarum agatur.

2. De vtraque viæ beatitudine opportune obseruandum est, quod de naturali (de qua solum ibi agebat) Molina noster quæst.62. comment. articul.1. § *sunt autem nonnulla*: obseruauit: vtramque, scilicet, & si beatitudo propria, & perfecta patriæ in Dei visione stet, ac subinde imperfecta, & imitatiua vtraque viæ in eius abstractiua, vel fidei, vel naturali cognitione, & speculatione, quantumuis euidenti cognitione secundum rectum significatum consistat (vt de speculatiua, qua tali, ac non practica fatendum omnibus est) nihilominus in obliquo, & de connotato, vt aiunt; petere exclusionem peccati, & virtutis, ac iustitiæ exercitium essentialiter importare æque, atque curuiras simitas sit; nasum, vt subiectum aptum essentialiter requirit, ac insuper Dei amorem, ac de ipso fruitionem essentialiter etiam concernere. Primum probat bene Molina, ex Aristotele, qui nouem totis libris Ethicorum de actiua; seu practica, & morali felicitate, & beatitudine tractatum præmisit, ac lib.10. de contemplatiua disseruit, ostendens illam ad contemplatiuam hanc beatitudinem naturalem, vitæ huius, quam solum nouit, & examinabat necessario ex parte subiecti; requiri, atque essentialiter supponi: quod ipsum de supernaturali, per fidem pro hoc viæ statu habenda diceret, si eam assecutus esset, dicique à nobis debet, qui eam sumus Dei gratia assecuti, cum sit de vtraque ratio euidens, & communis: etenim fœlicitas, & beatitudo rationalis creaturæ in nullo eius statu esse concipive potest cum aliquo, quod summa miseria, & disconuenientia creaturæ illius, quæ rationalis sit (cuiusmodi peccatum, & iniustitia essentia sua est) imo nec sine consonantia, & conuenientia cum ipsa, quæ est rationalis, in virtutis, & iustitiæ exercitio antea, vt minimum, habito, ac non retractato moraliterque perseuerante: quocirca & si directe beatitudo vtraque naturalis absolute talis, vel speculatiue solum, directe in alterutra bonitatis Dei naturali, vel supernaturali cognitione consistat, tamen ex parte subiecti peccati exclusionem ac virtutis, & iustitiæ exercitium absolutum essentialiter supponit. Secundum vero æque facile probatur, quid enim fælicitatis, & beatitudinis Dei bonitatis, vel euidens naturalis, vel fidei supernaturalis cognitio rationali creaturæ afferre potest, quæ non amicum Deum, aut amet, aut saltem probabiliter repræsentet; sed potius certo inimicum, quem odio habeat, & suorum criminum, in viæ adhuc statu iudicem timeat? nec potius eo, eiusque cognitæ bonitate fruatur, & si nondum pœnis inflictis ditum, & infensissimum patiatur, & doleat altorem?

3. Dicendum est primo Angeli in primo instanti creationis habuerunt imperfectam viæ beatitudinem naturalem, & supernaturalem beatitudinis patriæ imitatiuam: est communis Theologorum conclusio, & si veteres de naturali solum viæ beatitudine egerint, etiam S. Thomas, quæstione cit. 62. a. 1. fors quia ea de beatitudine super-

naturali, virtute definitum à se putabant. Molina vero ibi. §. *secundum est*, & Recentiores reliqui, de supernaturali ex fidei cognitione, & aliis principiis, & habitibus, donisque oriunda expresse etiam affirmant. Probatur ex dictis quia Angeli, & naturalem euidenter, & supernaturalem fidei de bonitate Dei cognitionem, indeque Dei amorem, & fruitionem ordinis vtriusque in instanti creationis habuerunt: item gratiam gratos illos Deo, & iustos formaliter, atque innocentes facientem, & actus omnium virtutum moralium secundum substantiam sumptos, vt hactenus ostendimus: ergo in eodem instanti vtramque, & naturalem, & supernaturalem viæ imperfectam, & imitatiuam beatitudinem habuerunt: siue in eis actibus omnibus, quæuis ex illis adæquate est ntialiter consistat, siue in altera solum reliquos, & justitiam, ac innocentiam, & virtutum moralium actus ex parte subiecti essentialiter concernat, ac supponat; & de vtraque præsertim de supernaturali probatur ex Ezechiel. 28. *tu signaculum similitudinis plenus sapientia, perfectus decore in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ donec malitia inuenta est in te*, quæ de Lucifero ad litteram, & figurate ad Tyri Regem (cuius historia, à Prophæta anticipato, & prophetice texebatur) applicita ostendimus supra: ex defectu autem, tum dispositionis subiectiuæ, tum actuum reliquorum, quos naturalis beatitudo, vel absolute talis, vel speculatiua, stricte dicta claudit, aut essentialiter, vt diximus concernit, fit Angelos malos, non solum ex quo damnati æternum sunt, sed ex quo diliquerunt, natutalem etiam viæ beatitudinem, nedum supernaturalem, quam cum bonis à principio creationis habuerunt, amisisse; tametsi euidens Dei cognitio naturalis ei, ne quidem in inferno, defuerit, nec defectura vnquam sit: qua etiam de causa Philosophorum, qui demonstratiue Deum eiusque bonitatem, & perfectiones sunt assecuti, nemo absoluta, adhuc speculatiua præcise, beatitudine naturali fuit beatus.

4. Vt de Beatitudine patriæ & summa ex genere suo rationalis creaturæ an Angelis fuerit in creationis instanti concessa dilucide examinetur, ac definiatur, de ea sub duplici consideratione agendum est. Primo, vt perpetuitatem, æternamque sui durationem, & absolutam indefectibilitatem vndecumque, siue intrinsecus, & ex essentialibus visionis patriæ, prædicatis, siue extrinsecus, ex Dei de eius perpetuitate (de quo alius locus disputandi est) decreto proueniat. Secundo de visione clara Dei, ac reliquis eam consequentibus actibus amoris, & fruitionis, in quorum aliquo, vel omnibus adiuncta, siue intrinsecus, siue extrinsecus, perpetuitate, beatitudo patriæ propria perfecta, & ex sua specie summa consistat. Rursus de alterutro modo sumpta beatitudine agendum primo de possibili erit, vt postmodum, quæstio de facto seorsim firmiusque definiatur, in quæstione ergo Beatitudinis summæ perpetuæ indefectibilis, ac propria Angelorum in patria per merita obtinendæ possibilem absolute in primo instanti creationis Angelis fuisse plerique Recentiores putant. Arriaga citat. d.20. sect.5. subsect.1. num.25. §. *& quidem præmium*. Alarcon. tractat.6. disp.8. c.7 num.3. cum Granados, tractatu 12. disputatione tertia, numero quinto. Quiros, disputatione 72. sectione 4. num.18. & cum Amico d.18. n.116. quibus ex suppositione, quod creati in gratia Angeli fuerint præiuit Ægid. in 2. d. 5. qu.2. art.2. dummodo meritum prioritate naturæ præmio beatitudinis (vt citati omnes supponunt) præcedat. Probant, quia præmium æternæ gloriæ in eodem instanti, atque vbi primum meritum adest, conferri potest, potuisse autem absolute Angelos in creationis instanti mereri commune scholasticis, iam est. Primum autem de coëxistentiæ præmij gloriæ, & meriti absoluta possibilitate probant ex gratiæ habitualis, vbi primum quis ex nobis eam meretur, infusione pro posteriori oratione ad meritum, etenim, nec visionis necessaria incompossibilitate antecedente natura, cum peccato, neque eius perpetuitate, & indefectibilitate libertas contrarietatis, ad merendum, vel demerendum, præcepti obseruatione, vel transgressione pro illo eodem instanti abolebitur: dummodo prius natura exercita præcepti obseruatione supponatur, ad beatitudinis in præmium collationem: quem admodum, nec odium ex libertate exercita contrarietatis ad ipsum, vel amorem, apositum eam pro illa ipso instanti ad vtrumvis potest abolere. Nec quidquam præstat: amorem, & odium, neutrum alteri natura precedere, sicut visio beata, eiusque perpetuitas, peccato, & transgressioni præcepti Angelorum id enim solum probat re integra, & anterius natura ad exercitium libertatis eius aduenientes, funditus euertendam; at vero, si posterius natura, ac dependenter ab eius libertatis exercitio aduenial (vt fieri Dei potentia, & voluntate absolute potest) *nullatenus* eam impediet, id quod argumento à contrario ex gratia petito aperte ostenditur, etsi enim natura sua formaliter solum, non vero antecedenter, ex parte actus primi opponatur peccato, sed solum, vt extremum contrarium, vel contradictorium libertati in actu primo ad peccandum, peccato aduersetur, quam exercitam plerumque, & connaturali modo supponit, at vero si in dependentet à libertatis nostræ exercitio adeo, (vt absolute potest) donetur, illudque anteuertat, libertatem ad peccandum euertit, quemadmodum, nec vnio hypostatica libertatem absolutam humanitatis ad peccandum, si ex merito congruo, eiusdem humanitatis (vt fieri posse plures censent) donaretur.

5. Quod autem de perpetuitate beatitudinis additur: etsi visione claræ & intuitiuæ Dei (quæ, vel sola adæquata beatitudo sit, vel pars aliam constituens; ad illamve saltem essentialiter prærequisita) intrinseca, & essentialis sit, ac proinde, eius permanentia instanti, & æternitate sequente, libertate eius, qui eam primo habuit, non subiaceat; ait in primo instanti sui esse, in quo primum à Deo ex meritis alicui donaretur, abs dubio, cum visio, tum eius perpetuitas, ac subinde eius in sequenti instanti, & æternitate à præsuppositio exercitio libertatis eius, qui eam fuit promeritus, penderet, nec eam magis impediret, quam si non, eo instanti in quo liber, & meritorius ipsius actus exercitus est, sed in sequenti instanti, & durationc donaretur: vt libera nobis visio beata, & perpetua (esto essentia talis sit) etsi tota ex actis antea, (& magna sui parte, multis retro annis) meritis nostris donetur, si autem beatæ visionis perpetuitas, essentialis ipsi non sit (vt me iudice non est, neque esse potest) nil ex eius perpetuitate contra eius, ac beatitudinis ex meritis in eodem instanti, quo haberi, & primo etiam merens existit obtinendæ libertatem obiici potest, tunc enim visionis beatæ, atque absolutæ beatitudinis perpetuitas, ex Dei decreto proueniet: quod non solum, ex libertate merentis, in primo instanti meriti, & existentiæ ipsius, sed & in sequentibus, quibus Deus vellet, absolute exercita concipi, haberique ab ipso potuit: cum temporis posterioritas, in quo libertas illa exercenda erat, prioritati naturæ ad decernendam, donandamque anteriori durationc visionem, atque eius perpetuitatem Deo absolute arbitrariam, non officiat, vt ex perpetuitate Deo absolute etiam arbitraria vnionis hypostaticæ pro instanti primo, quam per subsecuta tempore opera potuisse Christum, eiusque humanitatem promereri, communis iam scholasticorum sententia fert, quibus controu. de incarnatione subscripsimus.

6. Alia quæ pro repugnantia præmij beatitudinis collatæ merenti, in eodem instanti in quo meritum exercetur, ac subinde Angelis in primo instanti creationis adduci à negantibus, eius rei absolutam possibilitatem solent, leuiora sunt, partim difficta,

disiecta, & partim mox facile disiicienda. Primum, quod fides (ex qua solum meritum vitæ æternæ est possibile) in eodem visionis instanti in Angelis esse posset, disiecimus sæpe, ostendentes posse esse vtramque cognitionem simul, insuper ex natura Dei meritum absque side non repugnat; dummodo supernaturalis alia cognitio præcedat, vt in pio affectu credendi patet, qui ab actu fidei, nequit procedere, cui natura præcedit, imo ad actum meritorium supernaturalem amoris Dei, super omnia fidei actum essentialiter non requiri, sed potentia absoluta Dei, ex naturali cognitione posse procedere, censet Alarcon, vbi proximè numero 4. cui non annuo, tamen è principio altius fundato, quam hactenus. Secundum, quod repugnet status viæ necessarius ad meritum cum statu patriæ, & beatitudinis simul, quod variis contradictoriis expenditur, est falsum, cum via localis non est, sed metaphorica meriti, & præmij nec per temporis instantia, sed naturæ priora, & posteriora constituens. Tertium potentia peccandi est miseria, cum qua beatitudo, omni miseriæ repugnans stare nequit: est autem potentia hæc merendi, obseruatione præcepti potentia peccandi; ergo nequit simul, & in instanti eodem creationis Angelis adesse. Respondetur tamen facile. Miseriam, cui vniuersim beata visio, & beatitudo repugnant, non esse miseriam pure physicam, & quæ physicam solum dicat beati imperfectionem; alioqui naturæ omni creatæ, quæ physicas imperfectiones plures essentialiter imbibitas habet, & quas proinde, nequit exuere, Beatitudo repugnaret. Repugnat ergo miseriæ aduentitiæ, vel pœnæ, vel culpæ, de quibus possit dolere, ac tristari rationalis creatura; de potentia vero, pœnæ & culpæ indifferente in actu primo, ad meritum, ac demeritum, pœnamque, & præmium, secundum se adhuc sumpta, dolere, ac tristari, nemo merito debet; vt coniuncta vero, cum merito, & æterna fælicitate per illud obtenta, nec nisi per illud, ingens gaudij materia est merendi, ac demerendi potentia illa, sine qua nec meritum nec beatitudo, obtineri per merita posset. Tannerus iam citandus eam repugnantiam affert quod, scilicet, gratia viæ perfectibilis, mobilisque, & defectibilis sit, secus gratia, & visio patriæ: ac proinde hæc nequeat, cum absoluta defectibilitate, & perfectibilitate gratiæ in instanti meriti, & creationis Angelorum, coniungi, verum, mobilitas, ac defectibilitas vel sumitur proprie, & ex suppositione quod sit, & sic in ordine ad sequentia instantia, solummodo est, vt patet: nam in ordine ad instans temporis, in qua vtraque gratia est neutra est defectibilis, ex suppositione, quod simel in eo sit, nec respectu eius permanentia, ac perduratio esse potest: quare obiectio hæc, non est alia ab ea, quam ex perpetuitate visionis beatæ, & beatitudini supra disiecimus, si autem immobilitas, & indefectibilitas, gratiæ, & visionis, seu beatitudinis patriæ impropria, & mobilitas, ac defectibilitas gratiæ in via impropriè, & respectu eiusdem instantis creationis, in quo habita primum vtraque est, potuit ratione libertatis in actu primo ad eam promerendam, vel demerendam absolute non esse, atque Angelis absolute in eo instanti deficere vtraque, siue gratiæ cuicumque illius status competit defectibilitas, dummodo vtraque dependenter ab exercitio libertatis, ac meriti angelici, & posterius natura ipso habeatur, vt obiectioni primæ impossibilitatis respondi.

7. Dico nihilominus secundo. Nec beatitudo, nec beata visio ex meritis in creationis instanti dari Angelis potuit; potuit autem, non ex meritis eo instanti dari in extrema parte conclusionis: Doctores omnes conueniunt: quia nil prohibet Deum, qui suæ gloriæ pro quouis instanti donandæ Dominus est, eam Angelis pro quouis etiam primo creationis absque vllis meritis pro suo arbitrio, & libito eam absolute donare, & solum gratuito. Docent Soarez, lib. 5. cap. 11. & 12. & libro 6. cap. 2. & 3. & libro 8. de malis Angelis. Granado tractat. 12. disput. 3. numero 5. qui ex suppositione prouidentiæ, vt beatitudinem Angeli obtinerent, per merita, & ex libertate contrariam primam docent & Molina, quæst. 63. a. 6. §. *Sit nihilominus primæ nostræ*, ad quem articulum se remiserat, quæst. 62. art. 3. Vazquez, d. 226. cap. 4. num. 15. §. 1. & 2. vbi, & si conclusio de facto solum sit, ex impossibilitate donationis præmij visionis beatæ, ac beatitudinis in eodem instanti creationis, in quo eam sunt promeriti, eam probat, cui impossibilitati coniunctionis, præmij beatitudinis in eodem instanti, in quo meritum eius exercetur, disput. 229. cap. 6 §. *Verum ostendamus*. Soar. & Granad. proximè Tannerus, d. 5. de Angel. quæst. 6. dub. 2. Martinon. disputat. 4. num. 10. apud Quiros citata, disp. 72. sect. 4. qui refert etiam S. Thomam, & Scotum, cum suis, ex Soario citato, lib. 6. cap. 1. Hi tamen omnes fundamentis supra nobis reiectis, pro absoluta repugnantia donationis præmij beatitudinis, aut visionis beatæ. Ac insuper conclusionem, absolute & adæquate non probant; sed solum de impossibilitate obtinendi, beatitudinem, ac visionem beatam in eodem instanti, quo illam merentur, meritis ortis ex libertate contrarietatis, ad merendum, vel demerendum (quam in Angelis fuisse certum est) non autem probant meritis aliis, quorum omissio peccatum, ac demeritum, non esset: quia nec actus meritorias, non præceptos, (vt plures, quos Angeli in via exercuerunt) non posse simul, ac in eodem instanti præmium beatitudinis, visionisque beatæ obtineri, vt opus erat ad probandum, Angelos in creationis instanti visionem beatam, seu patriæ beatitudinem, ex meritis obtineri non potuisse, non probant. Aliunde igitur conclusio probanda à nobis est, vt absolute, atque in tota sua latitudine simpliciter probetur fatemur ingenue aduersariis præmium beatitudinis etiam patriæ, ac visionis beatæ posse absolute rationali cuiuis creaturæ, ac subinde Angelo, simul ac illam meretur, & in eodem ipso instanti conferri, vt repugnantiarum omnium exclusione satis ostendimus à numero quarto, & ab aduersariis, pro maiore sui discursus propositione assumebatur; negamus autem Agelos, vllamve rationalem creaturam in primo instanti absolutæ suæ creationis, & existentiæ posse absolute, mereri, vt in minori ad legitimam oppositæ conclusionis illationem, opus erat, & ab aduersariis assumebatur. Nec solum nego possibilitatem meriti Angelorum respectu beatitudinis, & visionis beatæ, sed eius repugnantiam respectu præmij cuiusque, positiue, & à priori sic probo: implicat meritum præmij cuiuuis, sine absoluta deliberatione, & libertate exercita operantis; ast implicat absoluta deliberatio, & libertas operantis, creaturæ cuiuis rationali (ex quibus Angelus est) in vnico instanti: ergo implicat Angelo meritum in primo, & vnico instanti suæ creationis: Maior propositio, est philosophicum & Theologicum Dogma, & discursus legitimus: Minor contra communem non admodum antiquorum Doctorum sententiam statuenda, quæst. 3. vbi oppositionibus contra ipsam faciemus satis.

CERTAMEN IV.

In quæstione de facto negatiua decisio.

1. IN quæstione de facto dicendum est secundo. Angeli in instanti suæ creationis, nec patriæ beatitudinem, nec Dei visionem, quoad intrinsecum sumptam, atque à perpetuitate etiam seiunctam, habuerunt. Est omnium Theologorum conclusio cum Magistro, in secundo, disputatione quarta, & sexta, & Sancti Thomæ citata, quæstione sexagesima secunda, articulo secundo, Alexandro, 2. part. quæstion. 25. m. 1. & 2. à quibus grammaticale sua audacia, & praua locorum Augustini intelligentia temere recessit, Ludouicus Viues commentar. ad eius librum 11. de ciuitat. c. 9. merito reprehensus à nostro Vazquez, d. 226. c. 4. §. 1. qui otiosum veteres scholasticos singulatim referre merito putauit ibidem, cum sint omnes, qua etiam de causa prolixo Elencho omnium, qui post ipsos sententiarios, vel in S. Thomæ primam partem scripserunt abstineo: est expressa Augustini sententia, c. 10. & c. 11. de corrept. & Grat. sub med. docentis: malos Angelos ab statu illo felici (gratiæ nimirum) in quo conditi sunt culpa sua cecidisse, in quo merito, obedientiæ nimirum perseuerarent. Sicut, inquit, *Fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis, per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi. & huius mansionis debitam mercedem receperunt.* Accinunt M. Gregor. 34. Moral. c. 7. Ansel. de casu Diaboli, c. 5 & 6. & alij, PP. frequenter Beatitudo autem patriæ cum perpetua sit, nequit per peccatum committi absolute, multo que minus per peccatum, ad quod perpetrandum visio Dei beata, quà visio Dei, præcise, ac secundum se sumpta, secluſa etiam perpetuitate ex parte actus primi abolet potestatem, ac subinde libertatem, sine qua, eiusque exercitio absoluto peccatum, ac demeritum esse non potest; quam tamen, in Angelis, tam bonis, quam malis fuisse Augustinus ait, ac Dogma Theologicum fert. Huic rationi in Augustini testimonio contentæ respondere possent primum. Beatitudinem patriæ, ac visionem claram Dei in instanti creationis, ex meritis instantis eiusdem datam, pro naturæ posteriori Angelis fuisse. Id quod, & si impossibile non esset (vt nu. 7. ostendimus) adhuc de facto ita contigisse absque fundamento diceretur: quod si recurras ad merita tempore subsequente habenda, vt anteriori instanti creationis donaretur, locum in pluribus Angelis, malis scilicet, non habet; cum potius eius demeritum in eis inueniatur, conclusio autem de Angelis omnibus, ac donis actualibus visionis Dei, ac beatitudinis patriæ, vel affirmatiue, vel negatiue sit vniuersim statuenda.

2. Secundo, vel in sequente duratione ad instans creationis Angeli absque visione Beata, saltem præcisiue, per obedientiam, obtinenda, ac solum fidei actu instructi, ad illam promerendam, seu non demerendam transgressione præcepti ponuntur, vel cum visione etiam Dei si hoc posterius: difficultas de impotentia demerendi, & peccandi pro primo instanti creationis, in secundo hoc etiam integra perseuerat si primum: in primis pro primo instanti data, Angelis beatitudo propria non est ex meritis adhuc durationis, sequentis: cum data eis non sit, cum absoluta, & positiua perpetuitate, quam beatitudo (in quouis actu, intellectus, vel voluntatis consistat) essentialiter claudit. Patet: quia pro actu illo primo ad meritum, ac demeritum, ex actu fidei posset absolute deficere, quod positiuæ ipsius perpetuitati contradicit. Secundo. Nec visio beata secundum se præscindendo à perpetuitate ita de facto data asseri cum fundamento potest, quod solum ex Diuina reuelatione, quæ omnino abest, posset haberi; cum non perpetua ac beata, subinde visio clara Dei ex specialissimo rarissimoque priuilegio rationali creaturæ pro viæ duratione, donari possit. Tertio d. 1. quia permanens natura sua qualitas est, ac subinde, natura sua perdurans, ex eo præcise quod semel extiterit. Denique quia, cum natura sua pugnet antecedenter cum peccato, ac demerito, in instanti, in quo est, natura sua, & connaturali prouidentia, nequit dari dependenter, ab exercitio libertatis contrarietatis, erga meritum, & demeritum ipsius, quam natura sua solum formaliter contrarie, vel contradictorie ex parte actus secundi exercitio libertatis, erga peccatum aduersatur, & si dari independenter ab eiusmodi exercitio posset; tamen connaturali prouidentia, (iuxta quam dari de facto in bona theologia, ni de oppositio, & per extraordinariam prouidentiam constiterit, censendum est) fieri nequit, demum recursus ad eam sententiam quod meriti principium sub meritum cadat, est recursus ad principium repugnans, & impossibile, ac subinde necessariæ falsitatis est vt ostendimus controuersia de incarnat. vbi argumentum de milite, armis, & equo exmauimus, & Fusius, tom. 1. de ente supernatur. controu. vltima, quæ est de merito. Secundo, locum ad rem præsentem, ea solutio non habet, nisi Deus de se se, ac independenter, à merito, vel demerito durationis sequentis, visionem sui abnaturus dicatur, vt de merito locum expediat, quod est mere arbitrarium, atque ex nuper dictis explosum.

3 Opponuntur autem contra hanc secundam conclusionem aliqua Augustini testimonia, & in primis illud, ex. 11. de ciuit. c. 9. ad quod, Ludouicus Viues offendit, vbi de Angelis bonis ait, *& magna pars est, & eo beatior, quo nunquam peregrinata.* Scilicet à Deo; cum autem ea peregrinatio per fidem sit iuxta illud 2. ad Cor. c. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino per fidem enim ambulamus, & non per speciem:* constat bonos Angelos semper per speciem, seu claram Dei visionem Deo fuisse coniunctos, ac nunquam per fidem cum: autem in primo creationis instanti, mali à bonis discreti Dei donis non fuerint, & malos Deum in eo instanti vidisse ex sententia Augustini, consequens inde est, insuper ex comparatiuo illo nomine *beatior*, in altera parte malorum Angelorum positiuum beatitudinis proprietate sermonis supponit, & affirmat. Respondetur tamen: peregrinari à Deo, non solo sensu Pauli in scriptura dici, vt benè Vazquez, disputatione 226. capite quarto, numero 27. §. *difficilior est locus*, ex Sancti Petri, capite 5. *Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit*, id est extraneam & alienam à vobis feruidam tentationem patantes, atque ad rem, & Augustini sensum accommodatius de filio prodigo *peregre profecto*, seu peregrinato à Patre Deo per culpam dicitur Marci, 12. & Lucæ 15. ideſt alienus à Deo, eiusque amicitia, & paterno amore factus per culpam, qua boni Angeli nunquam peregrinati à Deo sunt: eoque eorum patbeatior, id est fælicior, & quamuis beatior beatitudinis comparatiuum, non eo beatitudinis, sed laxo valde sensu, quo hæc cum quauis fælicitate confunditur, iuxta id Psal. 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*, scilicet eo, quo ait statim David *Beatus Populus cuius Dominus deus eius*, per populum erga ipsum fidem, cultum, & amorem, & obsequia, in quibus supernaturalis, & si imperfecta viæ, summique boni fruitio consistit: & hanc solum, in qua creatos omnes Angelos diximus, nunquam bonis defuisse, ac subinde feliciores beatioresque, eo beatitudinis genere fuisse, quam malos, & ob eius beatitudinis permanentiam, & ob illius cum patriæ perpetua beatitudine coniunctionem; constat etiam hæc mens Augustini, ex cap. 13. vbi ait Angelos, etiam malos, aliquam, seu quamdam (quod tantundem, ac non perfectam valet) habuisse beatitudinem, si quando, id est initio, sine peccato fuere, & si perpetuitatis eius igno-

ros

ros & ex. 11 de Genesi ad litter. cap. 14. ex quo ad 26 disputat. An mali Angeli aliquando in cœtu bonorum fuerint iusti, & pariter beati? & negatiue concludit, quia ab initio peccarunt, atque à beatitudine non habito, sed habenda, ni peccarent peccādo excidisse, *nisi dicatur*, inquit Angelos, *inferiores generis aliquos in mundo hoc sublunari fuisse creatos* (quod reiicit, vt c. 19. refutauerat) *inter quos Damon vixerit, in aliqua beatitudine ipsis communi sui tamen casus ignarus.* Pergit autem Augustinus.

4. *Quod si inter illos superiores, cælicolas, & bonos Angelos aliquando iustus Diabolus pariter, & beatus cum sociis vixerit, mirum valde fore, si ratio reddatur, cur ipse cum suis ignarus sui casus tunc fuerit; boni vero sua perseuerantis fœlicitatu non ignari? vel erit dicendum, nec bonos perseuerantis fœlicitatis, ac perpetuæ beatitudinis nec malos Angelos casus ab illa ante horum casum conscios fuisse, sed post ipsum.* Ast quæstio hæc scientiæ bonorum Angelorum de perpetuitate beatitudinis, in qua pariter cum aliis initio fuerint ignorantiæ horum de suo ab illa casu, videtur ad beatitudinem propriam patriæ Deique visionem spectare, non autem ad impropriam, etiam supernaturalem viæ per fidem habitam, ac proinde de visione Dei, & beatitudine patriæ Augustinum agere, & intelligi debere, cum bonis Angelis, illam concedit, & quasi exploratum supponit. Sed vero cum ipse, lib. 11. de ciuit. c. 11. (& vbiuis de patriæ beatitudine agit) expresse ad propriam beatitudinem patriæ securitatem ex perpetuitatis scientia cum eius ignorantia, aut errore de oppositio incompossibilem requirat: eo ipso, quod, an eam scientiam Angeli habuerint? eis locis dubitat, & definitu difficile esse ait, non de propria beatitudine patriæ, se loqui satis ostendit, sed de impropria, & de imperfecta beatitudine viæ, siue supernaturali per fidem, & iustitiam habita, quam ibi synonyme beatitudinem appellat: beatitudo autem, quæ iustitiæ synonyma est, propria, & perfecta patriæ beatitudo, & si non est, sed imperfecta & viæ, & quam *aliquam seu quandam*, dixerat, &, si aliquando, siue initio, cum iustis, & beatis vixissent, malis concederet, & si, quia ab initio peccasse, censet, neque eam habuisse aliquando, neque ab ea semel habita cecidisse, sed solum ab habenda, nitente peccassent, admittit de visione autem Dei ab Angelis tunc habita, transeunter adhuc, nulla ibi, aut alibi, apud Augustinum mentio, nisi quatenus propriæ beatitudinis voce indicaretur, quod eis locis non poterat: siquidem hæc visionis perpetuitatem ex August. dicit, quæ transitionis visionis repugnat. Erat igitur Augustini sermo de beatitudine viæ per iustitiam, & sanctitatem, qua perfectam, & absolutam, scilicet, patriæ, adquirimus: quam eodem lib. 11. de ciuit. c. 12. merito tribui iustis omnibus docet, *& hodie non imprudenter, beatos vocamus, quos videmus iuste, ac pie, cum ipe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine.* Eaque beatitudine Protoparentes in Paradiso beatos fuisse absolute concedit: sicuti & 11. de Genesi ad litter. c. 18 de Adamo in Paradiso asserit fuisse beatum, vitam spiritualem, iustitiæ, & rectitudinis vitæ, quam ibi ante peccatum Adamus habuit, beatitudinem intelligens, & explicans, vt nuper ex alio eiusdem loco recitauimus.

5. Ad id vero de quæstione scientiæ Angelorum de beatitudinis, in qua ab initio fuerunt, perpetuitate, & ignorantia Dæmonum sui ab illa casus, si initio iusti, ac beati cum bonis vixissent, quæ de propria beatitudine, ad quam perpetuitas ac de ea scientia, & securitas beatorum spectat, non autem ad beatitudinem imperfectam viæ per iustitiam, & vitæ rectitudinem diximus proximo numero sub initium: vel inde maxime demonstrari, Augustinum ibi de propria, & perfecta patriæ beatitudine, non egere; cum vbiuis de essentia propriæ, ac perfectæ beatitudinis perpetuitatem, eiusque scientiam, ac inde ortam beati securitatem esse doceat: quare nullus ipsi, si de hac beatitudine loqueretur dubitationis, & quæstionis eius locus esse posset: vnde de imperfecta viæ (de qua solum poterat dubitare) quæstionem mouit, an, & cur eius permanentiam, & quando boni Angeli scierint; mali vero ex suppositione, quod aliquando iusti (initio) inter bonos vixerint, & pariter subinde beati, tunc, & ante lapsum ab ea beatitudine fuerint sui casus ignari? quæstionis vero huius, ea solum tunc proposuit, quæ decisionis difficultatem, ostenderent, vt retulimus, lib. autem de corrept. & gra. c. 10. ei quæstioni respondit, ac simul, de qua beatitudine loquebatur, dum eam proposuit, explicuit: nempe de beatitudine viæ per iustitiam, & vitæ rectitudinem, non autem de propria, & perfecta beatitudine patriæ perpetua, & quæ à Deo immobiles, ac inseparabiles reddit Beatos, eius verba sunt. *Diabolus vero, & Angeli eius, & si beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros nesciebant: erat tamen adhuc, quod eorum adderetur, beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent* (id est insitæ rectitudine, & iustitia, qua scilicet beatos fuisse, dixerat antequam caderent) *donec illam summa beatitudinis plenitudinem* (quæ addenda illi non plena, ac summæ beatitudini, qua beati in via erant) *tanquam præmium permansionis acciperent: id est vt magna per Spiritum S. data abundantia charitatis Dei cadere vlterius, non possent, & hoc de se certissime nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant. Sed, quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine, sine vllo vitio* (id est) *iustitia, & vitæ rectitudine fruebantur.* Nec aliud voluit Gennadius author libri de Ecclesiasticis dogmatibus adscripti, & inserti operibus Augustini verbis illis ex c. 28. *Tales creati sunt Angeli, vt si vellent in beatitudinis luce persisterent; si autem vellent, etiam tali potuissent, vnde Satan cum sequentibus se legionibus cecidit.* Ex illis ex. c. 59. *Angeli, qui in illa, qua creati sunt beatitudine perseuerant.* Et idem est de aliis Patribus, ita loquentibus.

6. Opponitur denique idem Augustinus ex lib. 4. de Genesi ad litter. c. 24. dicens primo Angelos ab initio *beatos fuisse beatitudine, quam nos speramus*, sed in primis non solam patriæ beatitudinem speramus, sed iustitiæ, rectæque vitæ toto eius tempore, neque ad mortem. Secundo: de beatitudine obiectiue, non formaliter sumpta intelligit, nempe Deo ipso, quem, & si visione clara non tenuerint, possederint tue adeoque ardenter, & immobiliter Angeli amauerint in via, neque adeo iucunde, & secure fruiti ipso fuerint, fide tamen tenuerunt, charitate amarunt, eoque iucundissime delectabantur, vti, & homines, qui vnionis cum Dei affectiuæ statum in hac vita assecuti sunt experiuntur, atq; vtriq; Deum ipsum in se ipso visione clara tenere, & immobiliter amare ardenter obinde sperant. De quo eodem c. 24. docere videtur Augustinus Angelos prius habuisse cognitionem matutinam, (quam ipse in clara Dei visione ponit) quam vespertinam, quam abstractiuam esse docet: cui videtur annuere S. Thomas q. 62. a. 1. argumento, *sed contra*, verum (quidquid de mane, & vespere dierum creationis mundi nunc sit, & de Augustini allegorica intelligentia per claram Dei, & creaturarum, in Deo, & verbo cognitionem, quæ mane fit, & abstractiuam eorum obiectorum, & imperfectiorem, quæ vespere intelligatur) hoc certum, ea intelligentia, Augustini suppositia, & perstante, neque ipsum, neque vllum alium posse sine inconsequentia, & contradictione docere, visionem Dei claram, & creaturarum in ipso, quæ, ea intelligentia cognitio matutina, seu mane est, abstractiuæ, seu imperfectiori eorundem obiectorum cognitioni præcessisse in durationc: tum, quia ea intelligentia, & interpretatio durationis, ac temporis, non est: quare, nec prius, & posterius temporarium capit. Secundo: quia, cum scripturæ textus vesperam præcessisse, ad mane singulis creationis diebus apertissime referat, ea etiam allegorica intelligentia admissa, vespertinæ Angelorum cognitio matutinæ, in ordine ad temporis, aut naturæ instantia iuxta textum præcessisse, dicendum necessario erit, nec, nisi ordine dignitatis matutinam vespertinæ cognitioni potuisse precedere,

sed subsequi; & sane Augustinus in sua allegoria textus ordinem seruat, priusque Angelorum cognitionem abstractiuam, & obscuram, vesperi imitatiuam posuit, post vero claram visionis in verbo, bonorum vtique Angelorum, quibus post viæ cursum, & statum, ac proinde tempore posterius in præmium clara Dei visio, & creaturarum in verbo sine vlla abstractionis obscuritate matutinæ adinstar claritate donata fuit. Dixi n. 1. neminem scholasticorum huic conclusioni fuisse aduersatum, & si sciam, pro opposita à Recentioribus nonnullis referri, Alexandrum Hugonem, & Gabrielem, & Gregorium, quia teste nostro Vasquez exactissimo Doctorum, ac mentis ipsorum scrutatore, & examinatore tres priores, ne ansam quidem vnde trahi pro opposita conclusione possent scriptis suis obtulerunt. Gregorius vero in 2. d. 4. a. 1. solum docet, nec bonos, nec malos Angelos in perfecta beatitudine fuisse creatos, ex quo non censet in visione clara Dei transeunter fuisse creatos, sine perpetuitate, ad perfectam beatitudinem necessaria, siquidem ex defectu claræ eius visionis æque, atque ex defectu perpetuitatis imperfecta esset eorum beatitudo. Secundo, quia inde solum, à perfecta beatitudine in bonis Angelis (quibus adfuit beatitudinis in qua creati sunt perpetuitas) potuit deficere.

QVÆSTIO IV.

De exercitio libertatis Angelorum in primo instanti creationis.

ANGELOS omnes, siue malos, siue bonos libertate arbitrij conditos esse, eamque in via, cum ad gratiæ augmentum, tum ad gloriæ præmium promerendum; tum ad gratiam præhabitam perdendam demerendamque gloriam, atque inferni pœnas incurrendas exercuisse dogma Catholicum est, oppositumque, vt non hæresis formalis, ast hæresi proximus error est: quia de fide est Angelos bonos in iustitia contra tentationem perstitisse, & perstitentia gloriam fuisse promeritos; malos autem tentatione cessisse, atque peccasse, vt d. sequente videbimus: quorum neutrum sine libertatis propriæ exercitio, ac plena, & absoluta deliberatione fieri potuit. Solum ergo exercitio libertatis absoluto ac plena deliberatione, in actu secundo, an Angelis in primo creationis instanti fuerit, vel potuerit adesse? disputari à Doctoribus Catholicis potest, atque à nobis præsenti quæstione fuse, & seorsim examinabitur, ex eius enim quæstionis rigido examine, & decisione lux ad plura, deinceps examinanda, ac solide decidenda parabitur non exigua, inquirimus autem de possibili solum non de facto: quia, & si de libertate ad meritum, ac demeritum gloriæ, seu peccandum alia de possibili, alia de facto quæstio, & ratio decidendi sit: sed vero admissa possibilitate, exercitij absoluti, libertatis, ac plenæ deliberationis, quæ ad alterum extremum, peccati non sit, in eo creationis instanti adfuisse de facto Angelis certum esse debet, quin vel vmbra fundamenti sit, vt eis negetur, & faciat locum, quæstioni: cum ex ea libertate affectus erga obiecta, vel eius omissio adesse tunc debeat.

CERTAMEN I.

Duplex opinio scholasticorum, earumque fundamenta debilia reiiciuntur.

1. PRima ergo in quæstione proposita scholasticorum veterum, non paucorum sententia fuit Angelos non potuisse exercitium libertatis plenamque deliberationem habere in primo instanti suæ creationis, & si enim, de possibilitate exercitij libertatis absolute talis, ac plene deliberationis ad peccatum, & demeritum in eo instanti, atque ad materiam determinatam contracti ex instituto his locis disputent, ac definiant, tamen huius possibilitatem, ex impossibilitate plenæ deliberationis, & exercitij libertatis Angelicæ, absolute talis, circa materiam, quamuis negant, & negandam probant. Hi vero sunt Magister in 2. d. 25. c. 2. Alexand. p. 2. q. 19. m. 1. a. 7. corp. & solut. Argumentor. Hugo Victorin. Summa sententiar. t. 2. c. 2. ex dictis à se 1. de sacramentis p. 5. c. 22. Albertus in 2. d. 5. a. 1. ad. 2. 5. Bonan. eadem d. p. 2. a. 1. q. 2. ad. 3. Ricardus a. 2. q. 1. Holcot. in 2. q. 3. ad. 9. Capreol. d. 4. q. 1. a 1. conc. 4. & a. 3. solut. argumentor. contra 4. concluf. Henricus quodlib. 8 q. 10. Mitto alios plures Dominicanos Thomistas, qui impossibilitatem peccati Angelorum in primo suæ creationis instanti non ex impossibilitate plenæ deliberationis ipsorum vniuersim circa materiam peccari, probant, & tuentur, sed aliunde: quare, & si citatis conclusione de impossibilitate peccati Angelorum in primo instanti creationis ipsorum conueniant, non autem in principio impossibilitatis exercitij absoluti libertatis, plenæque deliberationis ipsorum instanti vnico indiuisibili temporis, de qua nunc agimus, & quod præfati Dominicani possibile absolute, & connaturaliter, possibile voluntati Angelicæ, imo, & creatæ cuiuis vniuersim, cum Angelico præceptore docent. Citati vero Doctores, qui possibilitatem exercitij absoluti libertatis, ac plenæ deliberationis creatæ voluntati negant, nec eadem, nec satis firma, plerumque, ratione vtuntur, quare eorum pleræque reiiciendæ in primis erunt, ne is, cui deinceps conclusio placuerit, falsis ad eam tuendam, & probandam principiis innitatur.

2. Probant primo: Magister, Hugo Victorin. & Holcot. quia libertas essentia, est circa futurum duratione: atqui in vnico instanti locus, non est futuritioni durationi exercitij libertatis, vt scilicet non sit in instanti durationi anteriore, qua sine illo causa, & potestas libera existat, vt illud durationi futurum possit respicere; ergo in instanti primo, vnico, & indiuisibili physico creationis Angelorum impossibile est absolute exercitium liberum, ac plena eorum deliberatio. Cæterum ratio hæc merito à reliquis omnibus exploditur: cum saris ad exercitium liberum sit naturæ posterioritas respectu potentiæ indifferentis, ac liberæ, seu libertatis in actu primo, quin ad hanc exercendam obsit simultanea durationi exercitij, & operationis suæ existentia cum ipsa; alioqui non, nisi ea, non existente, postmodum eius operatio exerceretur: quod essentiæ, actiuitatis physicæ, quam potentia libera, seu libertas in actu primo respectu exercitij, & operationis suæ essentialiter claudit, omnino repugnat. Probant secundo: quia nihil productum potest operari in instanti eodem, quo producitur; ast nequit esse exercitium liberum Angelorum, sine ipsorum operatione; ergo nequit esse exercitium liberum Angelorum in instanti illo primo, quo sunt creati. Maiorem probant, quia operationes, quarum vna alteram subsequitur natura sua, vt rei operatio ad eius productionem, nequeunt esse tempore simul, ac est operatio, quæ ad alteram supponitur. Hac ratione vsus est Alexander à S. Thoma, & reliquis scholasticis merito reiectis.

Est

Est enim falsa prorsus maior atque eius probatio, naturalibus experimentis, & ratione contradicens. Ex naturali quippe præsuppositione ordine naturæ, & causalitatis vnius operationis ad aliam (cuiusmodi est in productione rei in se respectu suæ actiuæ operationis vulgari illo axiomate significata, *prius est esse, quam operari*, simultas duratione existentiæ operationis præcedentis, cum subsequente ordine naturæ, & causalitatis nullatenus impeditur, vt patet in luminoso, & agente quouis carente contrario, quod eius actiuitatem, ab effectus sui productione retardet: tunc enim simul, ac in se productum est, primumque existit, suum effectum operari quotidiana experientia docemur, in promptu naturalis ratio est, quia operatio vt statim sequatur, & prodeat, nil amplius, quam suæ adæquatæ causæ absolutam, solutamque, & expeditam actiuitatem requirit, quam agens adæquatum contrario, & impedimento, omni vacans, vbi primum est, habet: solum ergo verum maior, eiusque probatio habere possunt, in motibus, & operationibus aliquibus successiuis, vt in motu locali respectu calefactionis, qui, vt huius causa sit debet ad certum gradum peruenire, ad quem in instanti nequit: ast, vbi primum ad illam peruenit, calefactionis motus simul exercetur; sicque in aliis similibus; non tam in omnibus: etenim motus ictus, seu verberationis motus localis, successiuus est; quem sonus, operatio, & motus simul duratione subsequitur.

3. Probant tertio: quia naturalis voluntas exercita, seu volitio ex inclinatione, naturæ, debet tempore præcedere deliberatam: ac proinde, cum naturalis illa, & ex naturæ inclinatione orta, statim ac rationalis creaturæ natura, & voluntas est, esse debeat, vt de omni agente, maxime naturali, nuper ostendimus. Volitio autem naturalis Angelorum præfata instans primum creationis Angeli occupat, quin in illo operatio Angeli libera possit exerceri. Hac ratione vtuntur Ricardus supra, & Capreolus citato art. 1. probatione conclusionis quarta, & a. 3. solutionib. contr. 4. conclus. quo pacto explicat rationem S. Thomæ de impossibilitate peccati Angelorum in instanti creationis, quam ibi deffendit: quia nimirum cum operatio naturalis, quam solum instans illud creationis Angeli capit, ex naturæ inclinatione sit, atque hæc cum natura ipsa ab eius authore donetur, fiet, vt operatio ipsa ex ea naturali inclinatione orta (quæ sola in eo instanti esse in Angelo potest) Deo, vt authori tribuenda esset tribuiue posset, ac subinde peccatum, si in eo instanti peccaminosa actio foret, posseue esse. Consentit huic rationi, & explicationi argumenti S Thom. Caiet. 1. p. q. 62. a. 5. inconsequenter tamen: cum asserat Angelum in instanti creationis mereri potuisse, imo actu charitatis de facto meruisse, ac subinde potuisse exercere, atque exercuisse in eo suam libertatem. Rationis S. Thomæ explicatio hæc atque eius examen est quæstionis sequentis. Præsentis vero ratio, quam pro impossibilitate exercitij libertatis Angelorum in primo instanti suæ creationis adducit merito etiam, ac reliquis (Caietano, vt dixi excepto) reiecta deinceps fuit: & si enim operatio voluntatis è naturalis voluntatis inclinatione, liberæ causa foret, tempore ad hanc præcedere necessarium non esset, nisi ad aliquam ex iam refutatis rationibus recurratur. Accedit, neque ei recursui locum plerumque patere: cum naturalis rationalis voluntatis operatio deliberata, & necessaria nisi in subitis aliquibus eius motibus vsum proprium rationis præuenientibus, non inueniatur: ex inclinatione autem naturali determinatione voluntatis, nulla naturalis, eo sensu, & necessaria operatio potest ab ea prouenire; eum de se, & natura sua indifferens sit ad vtrumvis obiectum propositum, vt aliquo modo bonum prosequendum, quin ad exercitam prosecutionem obiecti alicuius, nisi summi boni Dei clare visi, quoad exercitium determinata de se sit, & si de se sit determinata, quoad speciem ad bonum præ malo (in quod vt tale ferri non potest) prosequendum.

4. Quarta demum ratio Alberti, Bonauenturæ, & Henrici est, quia exercitium liberum absolute tale ex plena deliberatione ortum, nequit in vnico instanti à creata voluntate vllatenus exerceri, sed tempus deliberationi creatæ omni voluntati necessarium, requirit: cum autem in instanti vnico, & primo creationis Angelorum, nec tempus ipsis sit, nec præcesserit, fit plane, vt exercitium liberum voluntatis absolute fuerit ipsis impossibile. Hanc rationem video, à plerisque scholasticis, cunctisque Recentioribus reiici, atque Vasquez nostro parum ab hactenus reiectis diuersam censeri d. 236. c. 3. num 13. §. *Hæc tamen ratio*, & obiter, quasi per neglectum, refutari; forte, quia eius robur ostensum à fundamentis, ex instituto ab antiquioribus non fuit: Quare, neque ab eorum impugnatoribus attentione maiore, rationis eius fundamenta perscrutata, & radicitus euulsa, vt constabit ex dicendis cert. 2. vbi eam radicitus à primis fundamentis, & principiis, stabiliemus, quantumque ab hactenus reiectis distat, & quam debilibus impugnationibus ab aliis reiecta hactenus fuerit monstrabimus. Illud tandem pro hac antiquorum, & aduersa scholasticorum iam referenda opinione aduerte: illos de potentia absolute, loqui, dum exercitium liberum voluntatis Angelicæ in primo instanti suæ creationis possibile vel negant, vel affirmant; quin an de potentia ordinaria, & connaturali, an de absoluta, etiam loquantur, suis conclusionibus explicent; tametsi, vtrorumque rationes de potentia absoluta eos loqui satis indicent: sed tamen distingui expresse difficultatis huius decisionem de potentia ordinaria, & absoluta Dei debere, satis apparebit cert. 2.

5. Secunda sententia relatæ contradicens affirmat Angelis in instanti primo suæ creationis absolutum exercitium libertatis suæ, plenamque circa obiectum quoduis deliberationem fuisse absolutè possibilem, imo, & de facto ab Angelis circa obiecta plura habitam; etsi erga obiectum peccaminosum habita non fuerit, ita Scotus cum suis in 2. d. 5. q. 2. § *Respondeo primo*, & in 3. d. 18. q. 1. ad. 4. Greg. in 2. d. 5. q. 1. a. 2. Bassol. eisdem d. q & a. Maior q. 3. concluſ. 2. Gabr. d. 4. q. 1. a 3 dub. 1. Marsil. in 2. q 3. a. 2. concluſ. respondalia qui omnes æque in primo creationis instanti, atque in sequentibus singulis suam libertatem, etiam circa peccatum, exercere absolute potuisse. Consensit Aureolus apud Thomam de Argentina, inconsequenter negans potuisse exercere libertatem erga actionem peccaminosam, quæ imputaretur ad culpam: siquidem id ipsum est, actionem peccaminosam, libere, absolute, & ex plena deliberatione exerceri, atque ad culpam imputari, & esse peccatum in eadem sententia, sunt nostri omnes Doctores, qui Angelos in primo instanti peccare absolute potuisse docent, & ij etiam, qui variis aliis titulis, quam impossibilitatis exercitij libertatis absoluti impeccabiles in eo instanti creationis docent. Accedunt Thomistæ Dominicani omnes præter Capreolum citatum, qui eo præcise possibilitatem peccati Angelorum in suæ creationis instanti negant, quia eorum Authori Deo imputaretur peccatum. Ac demum pro hac sententia reliqui scholastici à citatis pro negatiua aduersa decertant, qui meriti possibilitatem pro eo instanti Angelis concedunt, imo, & absolutum de facto exercitium merendi. Id, quod ex communi alia Theologorum sententia Deiparæ in instanti phyfico Conceptionis suæ, atque humanitatis Christi in instanti primo phyfico suæ productionis, & vnionis ad Verbum meritum eximium concedente, quibus, & nos controu. de Incarnat. videmur consensisse & eos etiam omnes quos sequente referemus. Communis autem eorum omnium ratio est, in instanti creationis Ang. adfuit Angelis voluntas, & cogitatio indifferens, ex parte, ad obiectum trahens, & ex parte, ab illo retrahens; quibus absoluta, solutaque, in actu primo arbitrij libertas constituitur, nec quidquam aliud, ad libertatem in actu primo, absolutam, ac solutam, ad exercitium libertatis in duratione sequente absolute habendum

per

per nos, & per omnes inuenitur requiriue, aut assignari potest: ergo absolutum hoc exercitium libertatis æque, atque in sequentibus, est in primo creationis instanti Angelis absolute possibile.

CERTAMEN II.

Negatiua sententia triplici conclusione explicata statuitur.

1 DIco primo. Nullus Angelus, erga obiecta, quæ clare, & intuitiue, non videbat, potuit habere absolutum exercitium libertatis in instanti primo suæ creationis, siue obiecta naturalia, supernaturalia, honesta, turpiaue sint. Probatur, nequit exercitium libertatis absolute tale, circa vllum obiectum haberi absque plena deliberatione rationalis, & liberæ creaturæ, circa ipsum: atqui hæc nequit haberi, in vnico, eodemque instanti, quo obiectum primo cognitione abstractiua proponitur, à rationali vlla creatura: ergo nequit haberi ab Angelo exercitium libertatis suæ absolute tale, circa obiectum vllum in instanti creationis in quo primum abstractiua cognitione propositum ipsi indifferenter fuit. Maior est certa, tanquam principium, & dignitas in materia libertatis ab omnibus Philosophis, & Theologis admissa. Minor probatur primo ab experientia, cuique nostrum, cum in se, tum in aliis omnibus notissima, experimur enim omnes in nobis, nusquam nos in instanti obiectum vllum indifferenter abstractiue, propositum instantanee deliberato, siue ex plena erga illud, deliberatione, vel prosequi, vel fugere, atque in aliis circa proposita indifferenter abstractiue deliberationi plenæ, vt ea vel prosequantur, vel auertantur, maius minusve temporis expectandum semper, stataque lege fore, pro maiore, minoriue perfectione rationalis cuiusque naturæ, & intellectiuæ, ac volitiuæ facultatis promptioris, vel tardioris in intelligendo, & in volendo: quod autem semper, stataque lege in omnibus euenit, non accidentis, & contingentiæ est, sed naturæ deliberationis circa ita indifferenter abstractiue proposita: id autem, non solum experimur in consultatione, & electione propria mediorum (vt Vasquez proxime ait) sed in prosecutione, vel fuga finis, v. g. honesti, aut delectabilis indifferenter abstractiue nobis propositi. Vrgetur: quia alias, cum post prosecutionis deliberatæ erga obiecta nobis indifferenter abstractiue proposita initium, eorum propositio indifferens abstractiua per tempus aliquod determinatum perseueret, ac subinde libertas, vt in prosecutione, vel fuga eiusdem obiecti persistamus, vel absistamus ab illa: atque in quauis parte determinata temporis infinita instantia, imo, & partes proportionales temporis infinitæ communiore Peripateticorum sententia claudantur, fieret sane, vt quisque ex nobis breuissimo tempore, quo in actu libere concepto honesto, vel turpi, perstat infinita merita, vel demerita habeat; nisi ad plenam deliberationem denuo habendam, vt semel etiam habita continuetur (nedum ad primo habendam) determinata aliqua duratio requiratur, nec solum indeterminata (nedum instantanea) sufficiat, inde vero instans vnum physicæ durationis, in quo primum abstractiue indifferenter obiectum, quoduis proponitur, ac subinde primum creationis, non sufficere plenæ deliberationi, atque exercitio libertatis Angelorum absolute tali consequens est: siquidem, & eis non æqua promptaque intellectiua, & volitiua natura, & facultas adest, vt alij, aliis perfectiorem, promptiorem, expeditioremque ad deliberandum non habeant, ac nemo (saltem de his, quæ abstractiue cognoscunt) in summam summeque perfectam sortiatur; imo, nec possit sortiri. Id, quod probatione secundæ conclusionis manifestius ostendetur, ac fiet: insuper alias infinita merita, ac demerita Angelorum admittenda (vt nuper de nobis diximus) absurde forent.

2. Dico secundo. Nec circa obiecta, quæ intuitiue Angelo indifferenter proposita sunt (quæcumque sint ita eis proposita) in creationis instanti potuit ipse, in eo solo, & vnico instanti exercitium libertatis absolute tale habere. Probatur: quia nec in eo solo, sed duratione diuisibili, nec tantum proportionali, sed aliquota, & determinata haberi, ab Angelo plena deliberatione determinatio circa intuitiue, indifferenter tamen, proposita obiecta potest. Ratio est: quia, & si in solum abstractiue indifferenter, propositis, ex limitatione, & imperfectione facultatis intellectiuæ creatæ, quæ nequit instantanee, nec nisi tempore aliquo, conuenientiam, & disconuenientiam, seu bonitatem, & malitiam, eorum penetrare, &, quantum ad plenam deliberationem latis est, percipere, proueniat, etiam, vt non, nisi tempore aliquo derminato (& pro inæqualitate facultatis intellectiuæ diuturniori, vel breuiori) possit erga ita proposita, obiecta plena deliberatio haberi; non tamen inde solum in nobis prouenit, quod ad eiusmodi deliberationem plenam tempore aliquo determinato egeamus; sed etiam, ex imperfectione voluntatis, eiusque tarditate, & defectu promptitudinis, vt in obiecta proposita. & quantum satis ad plenam deliberationem est, percepta, & penetrata ferantur, hinc est, quod frequentissime, & quotidie experimur: nempe, homines, æque perspicacis, & viuidi intellectus, æqueque perspectas rationis deliberandi, atque alij habentes, tardius his ex sola voluntatis tarditate de rebus propositis deliberare, maiorique ad deliberandum tempore egere; & sane, ficut ex parte imperfectionis, minusque expeditæ facultatis intellectiuæ ad penetranda, quantum ad plenam deliberationem opus ex parte intellectus est, tempus aliquod ad eam concipiendam requiritur, ita etiam ex parte imperfectionis, minusque expeditæ, & promptæ facultatis appetitiuæ seu tardioris natura sua voluntatis in deliberando, tempore etiam aliquo ad plenam deliberationem opus erit, neque instans vnicum in quo obiectum indifferenter intuitiue proponitur sufficiet: quare nec in primo instanti creationis Angeli plene deliberare, atque exercitium libertatis absolute tale habere absolute potuerunt.

3. Nec vim argumenti, & consequentiæ à nobis ad Angelos effugies, dicens: tarditatem deliberandi voluntatum humanarum, non ex ipsarum intrinseca natura, sed ex humorum temperamento, diuersis qualitatibus constante, corpora nostra componente & afficiente prouenire: nimirum ex phlegmate, & melancholia, quibus nostri omnium temperamenta constant & tardos nos esse, & nostram voluntatem, in deliberando: vnde eos, in quibus hi humores præualent perplexiores, tardiores, morosioresque in deliberando experimur, cum autem in Angelis eiusmodi temperamentum, corpusue vllum non sit, vnde circa intuitiue indifferenter propositia, deliberando detineantur, ac retardentur eorum voluntates nullo quam erit. Sed contra: quia, etsi temperamentum eiusmodi, in quibus nimis præualent humores præfati maiorem in deliberando tarditatem efficiant; aft in quibus, bilis, & sanguis præualent, deberent esse instantaneæ determinationes, ni intrinseca voluntatis nostræ in deliberando tarditas obesset: cum adeo eius facultas volitiua eis humoribus ad obiectorum citissimam prosecutionem iuuetur, vt qui nimia bili homines constant in eis prosequendis, nec rationes, nec libertatis vsum expectent, sed furiosorum in morem affectibus suis illum præueniant. Secundo: cum corporum nostrorum temperamenta naturalia, neque ex accidenti aliquo vitiata, ad omnes animæ, & facultatum eius functiones, & operationes obeundas apta nata de se à Deo disposita sint, nequeunt in omnibus natiuam promptitudinem deliberandi, cum primum ex parte intellectus, proposita obiecta sufficienter ad plenam deliberationem sunt, semper, & quasi stata lege, vti experimur, impedire, ni- si in nullo hominum naturale, ac non, ex acci-

denti

denti vitiatum corporis temperamentum esse, aut fuisse absurde, temereque dicamus: ergo tarditas deliberandi aliqua intrinseca nostræ voluntati est, & si ex corporum temperamento possit etiam augeri: quare & in Angelica voluntate creata æque, ac nostra est, & si independens à temperamento sit, inueniretur. Confirmabitur vrgentius hæc ratio ex probatione 2. sequentis conclusionis tertiæ: quod si dicas rationem hanc solum probare conclusionem, de impossibilitate naturali, & potentia ordinaria exercitij libertatis, & plenæ deliberationis Angelorum in instanti creationis, non autem de absoluta omnino impossibilitate, in primis, eo solum probato oppositæ sententiæ vnicum fundamentum, euanescit, quod possibilitatem naturalem, & de potentia ordinaria probat, si quid probat. Secundo refellit conclusionem affirmantem de facto etiam, quam aduersarij etiam, quasi consectariam supponunt. Tertio conclusione sequente constabit, etiam de omnimoda impossibilitate rationem hanc probare.

4. Dico tertio: exercitium libertatis absolute tale in instanti creationis est Angelis adhuc supernaturaliter, & per potentiam Dei absolutam prorsus repugnans, & impossibile. Probatur primo conclusio, ex nostro principio satis stabilito tom. 2. nostræ Philosophiæ controu. de facultate volitiua, animæ siue de voluntate, & t. 1. de Deo vno contr. 3. d. 1. q. 7. nempe voluntatem solum esse mobilem ab alio intentionaliter, siue ex parte obiecti quod prosequendum, fugiendumue, est: eius scilicet propositione, nusquam vero esse mobilem ab alio, etiam à Deo, physice per qualitatem aliquam ipsi impressam non solum physice prædeterminantem, sed vel leuiter illam physice inclinantem impulsu suo physico, in actum. Hinc ita argumentor, omnis motio voluntatis creatæ ab alio, etiam à Deo, grauis prouidentia ordinaria, & rebus connaturali, vel extraordinaria, & supernaturali, quauisque potentia, etiam absoluta vtente, intentionalis solum esse potest, ergo respectu cuiuscumque operationis exercitij, & motus voluntatis creatæ, & Angelicæ motio intentionalis à Deo fuerit impossibilis; motus, exercitium, & operatio voluntatis prorsus erit impossibilis. Est plane irrefragabilis illatio. Tunc sic. Atque motio intentionalis voluntatis creatæ, cuiusuis, quare, & Angelicæ, ad exercitium liberum voluntatis absolute talis, ex plena, seu per plenam deliberationem habitum instantanee, siue in eo ipso instanti, quo primum indifferenter proponitur obiectum, est omnino impossibilis, & repugnans, etiam respectu Dei, quauis prouidentia, & potentia vtentis: ergo exercitium & operatio libera voluntatis cuiusuis creatæ, & Angelicæ, ex plena deliberatione instantanea, siue in instanti, quo Angeli creati sunt, & primo proposita indifferenter obiecta. Est ipsis prorsus repugnans, etiam respectu Dei, quauis prouidentia, & potentia vtentis. Subsumptum antecedens proximum probatur. Summa ex possibilibus motio intentionalis voluntatis creatæ, à Deo etiam, ad eiusmodi instantaneam deliberationem & exercitium suæ libertatis absolute tale solum potest esse per cognitionem intuitiuam, qua indifferenter obiecta proponantur voluntati creatæ, sed cum hac etiam deliberatio plena, & exercitium liberum absolute tale instantaneum, vbi primum obiecta indifferenter proposita sunt, repugnat, voluntati cuiuis creatæ (vidimus num. 2. & 3.) ergo eiusmodi instantanea deliberatio plena, & exercitium liberum absolute tale, est prorsus repugnans, & impossibile creatæ voluntati, respectu Dei etiam, quauis sua prouidentia, & potentia intentis.

5. Probatur secundo conclusio, ac simul confirmantur valide datæ hactenus conclusiones, & rationes. Promptitudo deliberandi plene, & habendi exercitium suæ libertatis est perfectio agentis deliberatiui, ac liberi, & facultatis per quam deliberat, ac suam libertatem exercet: ergo summa promptitudo deliberandi, & exercendi, seu exercitij suæ libertatis solum potest competere, summe perfecte libero, ac deliberatiuo: atqui summa promptitudo deliberandi, plene, & exercendi absolute libertatem, est promptitudo plene deliberandi, & absolute exercendi instantanee libertatem: ergo solum potest competere summe perfecto libero, ac deliberatiuo. Atqui repugnat creaturæ cuiuis rationali, quare, & Angelis cunctis, esse summe perfecte liberum, ac deliberatiuum æque, atque repugnat creaturæ esse Deum, qui solus summe perfecte liberum, ac deliberatiuum est: ergo repugnat cuiuis rationali creaturæ, quare, & Angelis cunctis, promptitudo deliberandi plene, & exercendi suam libertatem instantanee, seu vbi primum obiecta circa quæ deliberandum plene ipsis est proponuntur: ergo Angelis exercitium suæ libertatis absolute, ac plena deliberatio in instanti creationis suæ, vbi primum scilicet proposita ipsis obiecta deliberationis, & libertatis exercendæ fuere (imo ante quod proponi minime poterant) fuit omnino repugnans. Consequentiæ rationis huius omnes irrefragabiles sunt, ac proinde primum tantummodo antecedens, ex quo illæ suis gradibus deducuntur probandum restat. Illud autem facile probo, ex omnibus agentibus naturalibus, quorum abs dubio perfectio est agendi promptitudo, quin moras temporis trahant, aut expectent, vt effectum suum, vel paulatim, & successiue, vel absolute operentur, ac totam suam actiuitatem exerceant secundo ex Dei omnipotentia, cuius maxima in linea agendi perfectio est in instanti vnico posse creata omnia simul producere, quæ sine repugnantia, ex seipsis nata sibi coexistere simul absolute sunt. Et quidem, quo maior est agentis cuiusuis expeditio, & promptitudo operandi (cæteris paribus eo illum perfectius esse citra dubium est. Ac tandem in præsenti materia, de potentia deliberandi, & exercendi libertatem, constanti, quotidiano, nusquamque in aliquo hominum deficiente experimento didicimus: eos, qui perfectioris naturæ sunt, expeditiores non solum in obiectis percipiendis, & penetrandis, sed, & in deliberando de æque etiam propositis, suamque erga illa libertatem exercendo; contra vero, imperfectiores in naturalibus homines morosiores, tardiores, ac perplexiores in deliberando de æque propositis, & perceptis, atque in exercendo circa ipsa suam libertatem esse.

6 Hinc ratio Aduersariorum à priori (quam sola terminorum apprehensione notam, atque euidentem arbitrantur: quare aliunde probare nemo eorum curat) facile adeo reiicitur, vt difficulter deinceps ab eorum asseclis sit probanda. Arguunt ergo in primo instanti, quo obiectum indifferenter creaturæ rationali proponitur (vti Angelis in instanti creationis) adest, tam ex parte actiuitatis physice voluntatis, quam ex parte propositionis obiecti, quidquid requiritur ad potentiam liberam absolute talem, ac plene deliberatiuam constituendam: atqui statim, ac est potentia adæquata naturalis agentis necessario, ac simul est, eius operatio, & effectus absque vlla mora; in liberis autem potest simul absque vlla etiam mora absolute esse: ergo, & instantanea deliberatio plena, & exercitium libertatis: quare & Angelis in instanti creationis fuit absolute possibile. Confirmatur: quia in sequente duratione primum illud instans (pro qua plenam deliberationem, & absolutum exercitium libertatis Angelo, & cuiuis rationali, ac liberæ creaturæ possibile absolute esse admittimus) nihil aliud præter dicta adest, quo potentia adæquata, & absoluta plenæ deliberationis, & absoluti exercitij libertatis constituatur. Respondetur: distinguendo maiorem primi argumenti. Adest quidquid requiritur, ex parte actiuitatis physicæ voluntatis, si ea actiuitas summe prompta, & expedita ad deliberandum, exercendamque suam libertatem sit (quod, vt diximus creatæ voluntati repugnat) concedo maiorem; si non summe prompta, & expedita ad eas operationes, sed tarda de se, perplexa, & impedita sit, nego maiorem. Minorem similiter distinguo. De potentia adæquata prompta, & expedita ad operandum fateor, tarda, & impedita, nego minorem: vt in omni agente naturali, & alias adæquate constituto, si

impedimentum ad operandum vndecumque proueniens, non absit, sed adsit, tunc enim impedimenti ablatio expectanda deinceps est, vt operetur, & nego consequentiam facillime. Ad confirmationem eadem facilitate, & veritate, nego nihil amplius habere voluntatem creatam in sequente duratione instans, in quo primum ipsi obiecta proposita sunt (quod creationis instans Angelis fuit) quam in instanti illo habuerint: habent siquidem durationis decursu tarditatis, & perplexitatis naturalis, quæ temporis tanti (maioris, vel minoris pro naturæ intellectiuæ, & volitiuæ maiore, vel minore natiua perfectione) decursu aboletur, impedimentum sublatum, ad plenè deliberandum, & libertatem exercendam circa id, quod deliberationi plenæ, & libere prosecutioni, vel fugæ propositum est, & sic de aliis, quæ deinceps proponentur: circa quæ, vt plene deliberetur, à rationali creatura, tempus aliquod expectandum erit, præ eius natiua, & essentiali tarditate.

7. Sed inquies: quidnam tarditas hæc & perplexitas natiua rationalis creaturæ ad plene deliberandum, & absolute exercendam suam libertatem est, quæ tempore ad id eget, eoque lapso eiusmodi impedimentum soluitur, & expeditur? Respondeo in his, quæ solum abstractiua cognitione indifferenter deliberationi, & exercitio nostræ libertatis proponũtur, duplici parte constare tarditatem; altera ex parte intellectus consultationem cuiuis deliberationi plenæ, & exercitio absolute tali libertatis (intelligimus, non strictam etiam, erga finem habendam, nec solam consultationem, quæ communius circa media eligenda talis appellatur) necessario præuiam: altera vero ex parte voluntatis iam explicanda: ac proinde circa ea, quæ abstractiue solum cognoscimus tardius deliberamus, & libertatem nostram exercemus, quæ ex parte intellectus tarditas est, idem ipsum est, quod ruditas statque in quadam intellectus duritie, quæ sicut dura, & callosa, non vno sed reperitis ictibus scinduntur, etsi sensibilia animantia sunt, viuide dolorem sentiunt: ita rudes mentes non vno veritatis, ac rationis propositæ ictu ad assensum eedunt, ac eam viuide percipiunt; sed repetitis ictibus propositionis earum per alios, vel se ipsis meditatione per aliquod temporis spatium (prout cuiusque mentis ruditas est) maius, vel minus, proculdubio egent, vt eas plene, ac viuide percipiant, id quod instantanee fieri in abstractiue solum cognitis minime potest. Tarditas vero, quæ ex parte voluntatis creatæ est, vt plene deliberet, atque circa obiecta, quæque proposita suam libertatem absolute exerceat, atque perplexitas etiam, & morositas dici solet, præfatæ intellectus tarditati similis, stat in quadam naturali difficultate, segnitie, seu renitentia voluntatis se in alteram partem determinandi, quæ iterata rationum propositione, ac perceptione per earum meditationem temperantia eget, vt eius indeterminabilitas vincatur, atque determinatum, erga extremum alterum ex propositis affectum concipiat, non secus atque, vt ignem, esca non ita bene disposita concipiat pluribus silicis, percussionibus, & ictibus eget, quam illa, quæ bene disposita est. Atque hæc creatæ voluntatis tarditas, quouis modo, etiã intuitiue, proposito obiecto semper adest, quantumuis perfecta rationalis creatura, eiusque voluntas sit, vt diximus; tametsi ægrius, ac difficilius in alteram partem determinetur, si cognitiones vtramque partem indifferenter proponentes non intuitiue sed abstractiue solum sint. Hæc sane debilitatem argumenti aduersi à priori, & confirmationis eius satis ostendunt.

8. Restat illud, quod ex communiore Theologorũ, & nostri ipsorum sententia de meritis Christi Domini qua hominis siue humanitatis eius in primo instanti, in quo producta, ac simul vnita hypostatice verbo fuit, atq; insuper de meritis Deiparæ in primo instanti suæ corruptionis opponebamus, diluere, ea quippe merita absq; instantanea deliberatione plena, & exercitio suæ libertatis absolute tali in neutro esse potuerunt. quod plane cõclusionibus nobis aduersatur. Respondetur: eam communiorem Theologorum sententiam de meritis Deiparæ, eiusq; filij cõmuniori etiam sententiæ, de possibilitate instantaneæ deliberationis plenę, & exercitij libertatis, absolute talis quæ non ita exacto examine, suppositа hactenus, quam disputata, ab scholasticis fuerat, inniti; ea vero exacto examine & fundamentorum eius conuulsione à nobis nuper præmissis aduersæ fundamentis solidis radicitus penetratis, eorumque firmitate, & robore monstratis falsitatem eorum physice instantaneorum humanitatis Christi, ac Deiparæ, quæ eueniæ illi opinioni innitebantur satis ostendi. Nos autem eisdem vtriusque instantaneis meritis vtrisque, cum plerisque citato loco consentiebamus, ex fundamento eorum suppositо, nec tunc, ex instituto examinando, vbi à nemine, de eius veritate, ne pertranseunam quidem vt aiunt, disputabatur; nunc autem eius falsitate opportune deprehensa, merita Christi, ac Deiparæ instantanea, de instanti physico reiicienda censemus, ac de Theologico solum, scilicet, in quo primum exerceri libertas a creatura rationali, & natura, & Dei donis perfectissima, & ornatissima potest, solummodo esse deffendenda, & de eis intelligenda nostra illa de humanitatis Christi, & Deiparæ meritis in primo instanti suæ productionis, & existentiæ absolutæ conclusio: qua explicatione, & intelligentia conclusionis nil vtrique, eorumque meritis gloriæ derogatum cum admittantur in vtraque vbi primum esse absolute possunt, nec gloria aliqua vera ex meritis physice instantaneis, falsis, & repugnantibus, vt ostendimus, ipsis posset accrescere.

QVÆSTIO V.

De merito, ac demerito siue peccato Angelorum in instanti suæ creationis.

QVÆSTIO hæc, & de facto, & de possibili ab scholasticis disputatur ex instituto; à nobis autem ex statutis principiis proxime q. 1. art. 2. disputanda seorsim non esset, sed tanquam corollario eius certaminis negatiuę, tam de facto, quam de possibili definienda, nisi negatiuæ eius definitionis quoad demeritum, & peccatum Angelorum rationes aliæ, ab scholasticis, præsertim Dominicanis Thomistis afferrentur, quarum examen Doctrinæ ad alia parandæ vtile foret.

CERTAMEN I.

Negatiua quæstionis, tam de facto, quam de possibili, decisio solida ex nostris principiis probatio, Doctorum circa vtrumque sententiis recitatis.

MEritum Angelis in creationis instanti de possibili, & de facto concedunt omnes, tam Thomistæ Dominicani, quam Iesuitæ nostri, cum S. Thom. q. 62. a. 2. & a 5. ad 3. & a. 6. vbi meritum eis de facto videtur negasse, sed non negat, nisi casu quo non immediate post peccarent, & beatitudinem, quam per vnum actum consequendam ab Angelis docuerat, omnes consequerentur, nullusque damnatus esset, contra id, quod fides docet. Scotistæ etiam Nominales, exceptis relatis, q. proxima cert. 1. n. 1. qui exercitium liberum absolute tale & plenam deliberationem instantaneam possibilem Angelo, ac rationali cuiuis creaturæ absolute negarunt, circa demeritum vero peccatum Angelorum in primo creationis instanti, non ita vniuersaliter Thomistis, cum Nominalibus, & Scotistis, ac reliquis scholasticis, in vtraque conuenit, quæstione, de facto, & de possibili, esse enim de facto nullum Angelum in instanti creationis peccasse.

casse scholasticis cunctis conueniat; in quæstione vero de possibili in eo instanti peccare Angelos absolute potuisse docuerunt Scotus in 2. d. 5. q. 2. à paragrapho *Respondeo primo*, & in 3. d. 18. q. 1. ad. 4. quem Scotistæ omnes, & Nominales sectantur. Okam quodlib. 2. q. 6. Gregor. in 2. d. 5. q. 1. a. 2. Bassolis similibus q. & a. ad eandem distinctionem. Maior q. 3. concl. 2. Gabriel d. 4. q. 1. a. 3. dub. 1. Marsil. in 2. q. 2. a. 2. concl. responsali. Aureolus apud Argentinam in 2. d. 6. q. 1. a. 2. etsi inconsequentia notata q. 3. cert. 1. n. 5. id ipsum docuere scholæ Thomisticæ nostræ Iesuiticæ Doctores, fere ad vnum. Molina ad citatam q. 63. a. 5. §. *Contrarium tamen* Valentia ad eandem q. d. 4. generali q. sua 14. pu. 4. § *Secunda sententia*. Vasq. d. 236. c. 3. Soar. lib 7. c. 20. n. 47. de potentia absoluta loquendo, etiam de peccato contra legem supernaturalem; contra vero legem naturalem peccare in creationis instanti Angelos potuisse nulla potentiæ absolutæ mentione facta docuerat lib. 3. c. 9. a n. 3. vbi contra legem supernaturalem peccare potuisse negauerat: quare de peccato Angelorum contra naturalem legem secundum ordinariam potentiam, & prouidentiam possibile in eo instanti esse affirmat Alarcon citato tract. 6. d. 5. c. 3. n. 12. § *Dico secundo*, reiecta merito ad rem præsentem distinctione peccati contra naturalem vel supernaturalem legem n. 11 §. *Dico primo*, Becanus tract. 3. c. 4. q. 10. Ioan. Præposit. ad cit. quæst. 63. a. 5. dub. vnic. n. 38 §. *Hæc sententia videtur probabilior*, referens Pesantium ad eum artic. concl. 3. & Estium in 2. d. 3. §. 6. Arriaga d. 24. sect. 12. §. 1. qui incipit. *Angelos in primo creationis instanti*, denique Baccon. in 2. d. 23. a. 3. cum aliquot suis Carmelitis Calceatis.

2. In quæstione vero hac de possibili negatiuam sententiam absolute defendunt S. Thom. citat. q. 63. a. 5. vbi etiam absolute Caietan. & reliqui Dominicani interpretes, inter quos Discalceati Carmeliti Salmanticenses, fusius q. 16. de malo a. 4. & indicat. 3. contra gent. c. 109. vbi Ferrara, §. *Sed circa prædicta*. Capreol. in 2. d. 4. q. 1. a. 1. concl. 4 & a. 3. solut. argumentor. contra concluſ. 4. Durand. d. 5. q. 2. Hervæus q. 2. a. 2. atque Dominicani omnes, qui in sententiarios scripserunt, quibus adde alios antiquos Doctores citatos q. 3. cert. 1. n. 1. (Capreolo excepto) qui octonarium numerum explent, ex nostra schola Thomistica, Iesuana accessere etiam Arrubal d. 179. c. 2. & 4. Ludouicus Turrianus d. 62 dub. 2. & 3. Granados tract. 13. d. 4 n. 6. Amicus d. 10 n. 84. & Franciscus de Lugo d. 17. c. 5. n. 21. qui ex suppositione præsentis status eleuationis, quem de facto in instanti creationis Angeli habuerunt solummodo loquuntur, & Tannerus ad cit. q. 63. a 5. qui de ordinaria potentia, & prouidentia ex rei natura tantum loquitur. Accessit tandem huic sententiæ noster Antonius Quiros citat. tract. d. 68. per sectiones sexdecim multis discursibus de variis speciebus possibilibus Angelorum, atque multiplicibus circumstantiis, quæ earum cuique, & Angelis ab ea contentis singulis possent adiungi, refertas, quæ meliùs quiescerent. De Angelis ergo qui sunt, vel secundum se sumptis, vel cum circumstantiis, quibus de facto creati fuerunt, iuxta communem opinionem de Angelorum essentia, circumstantiis, & modo, quo fuerunt creati, agendum hic est, de aliis Angelis, & circumstantiis possibilibus, vel impossibilibus inutiles, ac Theologo viro indignas quæstiones otiosis, & argutis relinquemus, ex relatis pro hac negatiua sententia de possibili intres classes eorum sententias diuido: quarum duæ de peccato mortali Angelorum ab eis admisso de quo plerique, ex præfatis disputarunt, an in creationis instanti fuerit esseve potuerit? prima est eius possibilitatem de potentia, & prouidentia ordinaria tunc ipsis negans: in qua sunt Soar. citat. n. 1. & Tannerus, ac insuper Amicus, & Franciscus de Lugo, eis vocibus, de statu eleuationis, id ipsum, quod de ordinaria prouidentia, & Angelis connaturali intelligens, quia connaturaliori ipsis prouidentia, cum eleuationis statu titulo, etsi non exactiuo, sed decoroso eis deberi putarunt. Secunda sententia de potentia, etiam absoluta, & quantumuis extraordinaria prouidentia negat, in qua sunt Thomistæ omnes Dominicani, & reliqui Iesuitæ nostri Thomistæ præsertim Quiros Dominicanorum rationem magno conatu, & expensis obfirmans. Tertia sententia, id ipsum de impossibilitate peccati venialis etiam Angelorum omnimoda censet, quam expresse, nec semel d. cit. docet Quiros, & Thomistarum ratio æque, ac secundam earum sententiam probat, si quid probat, vt cert. 2. videbimus.

3. Dicendum est primo Angelorum peccatum, & lapsus, quo corruerunt, lethalis in creationis instanti non fuit, est (contra Rubion. in 7. d. 5. q. 1. a. 1. Alexan. 1. p. q. 98. in vlt. Eugub. 8. peren. Philosoph. c. 38) iam omnium Theologorum conclusio: à qua, sine ingenti temeritate recedere non licet, quare Eugubinum grauissimis censuris. Accipiunt Vasquez, Soar. ac reliqui Theologi, vt vidimus q. 1. cert. 1. sub finem. Probatur: quia Angelos omnes in gratia sanctificante, & iustificante creatos fuisse scripturæ testimoniis, Patrum consensu, & Leonis epistola 91. approbata, & recepta à Concilio Bracharensi statutum est, vt ibi retulimus: ast cum gratia sanctificante formaliter repugnat peccatum lethale: ergo pro eo instanti creationis in Angelis non fuit. Nec præstat mortale non opponi contradictorie physice cum gratia cum qua esse aliqui volunt physice compossibile; etsi enim contradictorie physice non opponatur, mortale gratiæ formaliter sanctificanti, sed solum contradictorie moraliter, & physice contrarie ex infusione gratiæ Angelorum in eo instanti negatio mortalis peccati pro eodem instanti de facto loquendo legitime infertur: siquidem contraria physice solum sibi aduersantia, de facto citra miraculum coniungi in eodem subiecto, & instanti nequeunt, vt constat experimento, atque probatione secundæ conclusionis ostendemus: miraculum autem in coniunctione gratiæ, & peccati Angelorum in instanti creationis, ex sola reuelatione (quæ nulla extat) constare deberet, vt absque temeritate ea coniunctio asseri posset. Si autem mortalis contradictio, non physica inter gratiam, & peccatum, admittatur eodem argumento vrgentius, quam ex physica contrarietate, eorum coniunctio de facto neganda colligitur. Neque enim adeo indecenter, adiungenda gratia peccato asseri connaturali prouidentia potest, nec ab Angelis potest gratiæ peccatum adiungi, quibus ad contraria coniungenda potestas non est. Hoc autem argumentum, æque probat conclusionem; siue independenter, siue dependenter à meritis, & libera Angelorum dispositione donata eis gratia fuerit: etsi enim hoc ad asserendam, vel negandam potentiam absolutam antecedentem Angelorum ad peccandum pro instanti creationis conducat, non autem ad peccatum, pro eo instanti in ipsis asserendum, cum ex formali incompossibilitate, siue contradictoria, siue contraria, physica, vel morali peccati cum gratia, quæ, vnde, & quomodocumque hæc ab Angelis habeatur, æqua, atque eadem inuenitur; vt mittam modo specialem modum nostrum iustificationis formalis creaturæ rationalis, per habitum gratiæ datum t. 1. de ente supernaturali controu. de gratia habituali. Denique scripturæ, Patrum, & Concilij Bracharensis, & Leonis testimonia recitata quæst. 1. certam. 1. à num. 2. hanc gratiam, & iustitiam formalem, in qua creatos Angelos docent, non eis solum, sed bonitatis voce explicant aientes bonos, & cum bonis, siue inter bonos creatos Cacodæmones fuisse; si autem lethale haberent tunc etiam, cum crearentur, non magis tunc tales essent, quam nunc, cum in infernum derrusi cruciantur.

4. Dicendum est secundo Angeli potentia ordinaria, & prouidentia connaturali, neque ex parte antecedentis potuerunt in instanti creationis peccare mortaliter, fuitque proinde illis eo potentiæ, & prouidentiæ ordine peccatum absolute impossibile. Probatur conclusio: Gratia à Deo creaturæ rationali independenter ab vsu libertatis ad peccandum donata abolet ex parte actus primi potestatem ad

peccandum lethaliter, saltem de potentia, & prouidentia ordinaria, & connaturali, qua peccatum cum gratia formaliter sanctificante coniungi in eodem instanti nequit. Cum enim ex parte actus primi in eo instanti gratia (quæ extremum oppositum & repugnans saltem connaturaliter omnium sententia est) absolute, & anterius natura ad exercitium libertatis supponatur, si potentiam adhuc connaturalem, & libertatem in actu primo absolute talem ad coniungendum peccatum cum gratia, relinquat, horum in eodem subiecto, & instanti simultanea coniunctio esset connaturaliter possibilis: quia id, quod naturali potentia creaturæ, & debita ei potentia, & prouidentia Dei fieri potest, connaturale est, & connaturaliter possibile, vt de se patet. Imo vero nulla potentia Angelis in instanti creationis esse potuit, ad peccandum, si independenter ab eorum exercitio libero, seu libera exercitè omissione peccati, à Deo tunc infusa gratia fuit, siquidem nullæ creatæ voluntati potestas vlla coniungendi extrema contraria nedum contradictoria, potest conuenire: verbi gratia, ad coniungendum odium eiusdem obiecti cum amore qui ipsi contrariatur. Vbi ergo potentiam vllam antecedentem absolutam prouidentia ordinaria, naturæ legibus soluta, & absoluta, eisque ligata ad peccatum mortale Angelorum pro instanti creationis inuenies, si independenter, & omnino anterius natura ad exercitium liberum ipsorum erga peccatum mortale in eo creationis instanti infusa à Deo gratia formaliter sanctificans fuit? certe Deum peccati posterioris naturæ infusioni gratiæ eiusque authorem, absolutamque eius potentiam adire hæretice cogeris; quam alitunde etiam, quam ex eius bonitate, iustitia, & sanctitate inuenire in eo non poteris: cum peccatum Angelorum, qua vitalis essentialiter, & libera actio absque potentia, & libertate eorum in actu primo ad peccandum, quæ infusione gratiæ anterius ac independenter ab omni vsu & exercitio libertatis, erga peccatum mortale nullatenus in ipsis manent, vt nuper ostendimus: quare ex suppositione infusionis gratiæ Angelorum in instanti creationis peccatum mortale fuit illis, non solum connaturali prouidentia, & potentia, sed, & extraordinaria, & absoluta etiam potentia, & prouidentia Dei prorsus impossibile; conclusio vero de connaturali solum prouidentia est, quia non aliter à Deo gratia Angelis infundi absolute potuit.

5. Hoc autem statuto principio pro syllogismi maiore pergit argumentum, atqui gratia habitualis, siue formaliter sanctificans, infusa Angelis à Deo fuit in instanti creationis omnino independenter ab exercitio libertatis ipsorum erga peccatum mortale, idque, connaturali prouidentia est factum: ergo connaturali prouidentia, & potentia Dei fuit Angelis peccatum mortale in instanti creationis ex parte etiam antecedentis, & actus primi absolute impossibile. Consequentia est legitima. Minor probata, q. 1. certam. 2. conclu. 3. n. 4. ex Patribus, & certam. 3. à num. 1. à ratione: scilicet Angelis, absque vlla libera dispositione sua gratiam infusam in creationis instanti fuisse, libera autem peccati omissio aliqua dispositio esset. Et quidem gratiæ, & donorum supernaturalium in quibus creatus Lucifer fuit descriptio, ex Isaia, & Ezechiele, atque à Patribus, & interpretibus perpensa (vti à nobis etiam citat. q. 1. cert. 1.) non solum vesaniæ Luciferi & sequacium irrisoria exprobratio & demonstratio est, ostendens ex qua supernaturali felicitate, dignitateque in tantam miseriam proprio vitio voluntaris, & amentiæ suæ fuerint prolapsi, sed ingentis etiam ingratitudinis eorum in Deum ponderatio in quem, tot, è sola ipsius bonitate, liberalitate & magnificentia, donis supernaturalibus, cum primum crearentur, præuenti, nihilominus rebellarint, vt Patres, Doctores, & Catholici omnes mirabundi perpendunt: ea vero ponderatio magnopere euacuatur, si ob eorum liberam dispositionem, & honestum exercitium libertatis suæ in præcepti præsertim grauis obseruatione, gratia & supernaturalia dona fuerint ipsis à Deo in instanti creationis in præmium donata. Sed tamen hæc, & alia, quæ ex Patribus, scriptura, & ratione certaminibus citatis produximus, gratiæ infusionem in instanti illo independenter ab omni exercitio, libero, & honesto Angelorum, nec solum circa præcepti obseruationem, aut peccatum fuisse vniuersim probant; atque ita iuxta connaturaliorem prouidentiam à Deo factum cit. cert. 3. à num. 2. tribus rationibus minime leuibus ostendimus: ex quibus secunda, quæ extat n. 2. gratiæ pro primo illo instanti infusionem connaturaliori prouidentia, independenter ab exercitio libero Angelorum in obseruatione præcepti, eiusue transgessione, seu peccato fuisse, ad hoc exercitium restricta, & paulo explicatius accommodata (vti à S. Bonau. tangitur in 2. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. § *Sed contra*, & scholasticis aliis) ex indecentia artifici tribuenda, si, cum primum opus arte factum ab eius arte, absoluitur, soluiturque, manu vitiosum, ac defectuosum, primum suum vsum habeat: quin potius ad Artificis Dei decentiam spectat specialius suis creaturis rationalibus, & Angelis, tam pro illo primo instanti potius, quam pro reliquis prouidere, ne deficiant ac peccent; & si in illo plenam deliberationem, atque exercitium liberatis absolute tale habere possent, quemadmodum Principem, & superiorem decet specialius prouidere, ne subditus, quem in munere aliquo constituit in prima muneris functione erret, quem in reliquis, quæ deinceps muneris, & temporis successu occurrent.

6. Etsi autem auxiliorum efficaciorum prouisione copiosa pro instanti eo creationis, ne peccarent, satis peccatum pro illo instanti præcautum ab Angelorum Artifice, & conditore Deo fuisse iuxta decentiæ prospectum videatur, vt in eximie prædestinatis comparatione cum vulgo prædestinatorum factum specialiter, & præcautum peccatum, ac ne in illis sit censetur; tamen, vt ipso creationis modo cunctis etiam rudioribus indubitatum semper esset, non à Deo, naturaque ab ipso condita, sed à malo libertatis ipsorum vsu Angelorum peccatum promanasse, oportuit condi à Deo eos in primo illo instanti cum gratia, & in gratia simul concreari: cum enim ita à Deo tunc creata natura Angelica deprehendatur, si postea deliquerit, propriæ voluntatis, & libertatis abusu, ac vitio deliquisse, non autem naturæ determinatione, ad peccandum, eiusque authori Deo, ab aliquo, non nimis stolido, ac vesano, tribui minime potest, siquidem ea gratiæ infusione, pro illo instanti, quo creata natura fuit non solum, natura à peccato immunis (quod habere quibusuis etiam efficacibus auxiliis ad non peccandum absolute tunc etiam poterat, ni gratia habituali, independenter ab exercitio libero peccandi præueniretur) sed, & absolute, & ad peccandum in post creata tunc adeo aperte monstrabatur, vt clarius, longiusque ab Authore Angelorum Deo causæ, & Authoris peccati indecentia, omnium æstimatione abigeretur: id, quod eius decentiæ congruentiæ connaturaliusque fuit. Hunc discursum pro creatione Adami in gratia, & concreatione cum ipsa posuit Ecclesiast. c. 15. & c. 7. illis verbis. *Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infuscauerit miscuerit quæstionibus.* Ad quæ Hieron. *Ne videretur communem hominum damnare naturam, & Deum authorem mali facere, dum talium conditor est, qui malum vitare, non possunt argute præcauit, & autbonos nos à Deo creatos; sed quia libero sumus arbitrio derelicti vitio nostro ad peiora labi.* Eidem rationi insistunt Epiph. hær. 12. sub titulo. *Epistola ad Galatas*, confutat. 6. & hær. 66. specialiter de Angelis, de verique vero, eandem rationem prius dederat Dion. 4. de Diuin. nomin. vbi & S. Th. lect. 19. sub init. Aponius in cant. col. 8. ad id *si ignoras te.* Cyr. Hierol. Catech. 2. sub init. Theodoret. lib. 5. Epitomes diuinor. decret. c. 10. Ambros. 1. exhamer. c. 8. post init. scribens, *in constitutione mundi opinio malitia interim sequestretur, ne diuinæ operationi & pulcherrimæ creaturæ, quæ decolorata sunt admiscere videamur.* Et hanc fors solum conclusionem rationesue (duriori quo eam

Domi

Dominicani Thomistæ volunt ; sensu statim confutanda) S. Tho. contendit : vt scilicet connaturaliori & generaliori apud omnes omnino rationales creaturas Angelos creauerit cum gratia independenter ab exercitio libertatis, ipsorum ad peccatum, ex quo peccati pro illo instanti absolute, & antecedenter impotes fierent, ne à Deo cum peccato, aut natura ad illud determinata creatos posset aliquis euentu aliquo absolute possibili apparenter adhuc ratione, aut errore suspicari. Ità verò censere de S. Thoma debita in primis ipsi obseruantia me cogit, ne scilicet ipsi adeo inefficax, & falsa sensu horum explicata ratio tribuatur : secundo, ne sibi citata lect. 19. ad caput Dionysij citatum contradicat.

7. Dicendum est tertio, implicat absolute, potentia, & prouidentia quauis Angelorum vllum (idemque esto de quauis rationali creatura) in instanti ipso creationis lethaliter peccare aut gloriam, absolute promereri. Probatur conclusio ex dictis, quæst. 4. proxima cert. 2. etenim nec lethale peccatum, nec meritum vitæ æternæ absque plena deliberatione, & exercitio libertatis esse potest, vt omnibus est notum : atqui Angeli in illo ipso vnico, & indiuisibili instanti creationis suæ nullatenus, nullaque potentia, & prouidentia, quantumuis absoluta, extraordinaria & miraculosa plenam deliberationem, atque exercitium libertatis absolute tale, habere potuerunt, vti nec creatura rationalis vlla in instanti indiuisibili, in quo primum materia deliberationis, & exercitij libertatis, proponitur (si vera sunt, quæ citato cert. 2. concluimus à num. 3. concl. 2.) ergo Angelus in instanti creationis suæ nullatenus, nullaque, quantumuis etiam extraordinaria, & absoluta potentia, & prouidentia, potuit lethaliter peccare, aut gloriam æternam promereri. Huc trahere rationem S. Thomæ cert. 2. examinandam vellem, vt vim de absoluta etiam Dei potentia haberet ; obstat autem, quod deliberationem plenam, & exercitium libertatis absolute tale, in instanti quo primùm materia exercitij vtriusque proponitur posse rationali creaturæ cuiuis etiam potentia, & prouidentia ordinaria naturaliter competere expresse docuit, vt vidimus citat. qu. 4. cert. 1.

CERTAMEN II.

De peccato veniali obreptitio Angelorum in creationis instanti.

1. DIxi de peccato mortali hactenus, ac de merito absoluto vitæ æternæ, quæ absolute, & plene liberum exercitium voluntatis angelicæ requirunt, & quibus gratia, in qua à Deo conditi Angeli sunt, repugnat : quid autem dicendum de venialibus peccatis erit ? quæ nec plenam absolute deliberationem & exercitium libertatis absolute tale, requirunt, & surreptitia proinde vocantur, nec gratiæ, & amicitiæ Dei aduersantur, sed cum ipsa facile, & frequenter in omnibus, iustis (Christo Domino eiusque Matre exceptis) componuntur ? de aliis enim venialibus, ex obiecto, & materia cum plena deliberatione admissis possibile Angelis nullatenus tunc fuisse probat ratio postrema ; de his enim rationes datæ pro conclusionibus de facto, & de possibili negatiuis nihil prorsus euincunt sola illa de creatoris Dei decentia, ne peccata eiusmodi defectui artis, & sapientiæ, qua eos condidit, tribui possent si ea cum primum fuerunt, admiserint, negatiue de veniali videtur fauere ; quare posset in quæstione hac de venialibus, non satis neque ex instituto à Doctoribus versata, vixque ab aliquo eursim tacta os proximam rationem negatiua definitio aliquibus placere : placuitque nostro Quiros, qui tam de mortali, quam de veniali negatiuam conclusionem Doctorum, etiam de potentia absoluta intelligit, citat. disput. 68. tam aduersas rationes impugnans, quam negatiuam probans, satis debili ratione in quam discalceati Carmeliti primum inciderunt.

2. Alij vero dicere possent : esse de subiecto non supponente hanc de obreptitiis venialibus, ex aduentitiæ, & libertatis plenæ de facto quæstionem : etenim rationis, deliberationisque plenæ defectus, in nobis nostræque voluntatis affectibus, ex eo prouenit, quod appetitus sensitiuus rationem, ac rationalis appetitus affectus, & deliberationem suis motibus sensibilibus præuenit ; quod Adamo in statu innocentiæ contingere non potuit, nec nobis, si cum innocentiæ statum essemus sortiti : cum ergo Angeli in gratiæ, & innocentiæ statu conditi fuerint, nec sensitiuum appetitum habeant cuius motibus rationalis suus appetitus præuentus à rationis deliberatione, in suis affectibus turbari, distrahique possit, veniale eorum peccatum ex rationis, & inaduertentiæ defectu videtur, Angelis pro creationis instanti æque, atque Adamo pro statu innocentiæ, impossibile : sed omnia ad rationis trutinam vocanda vt non nisi ex plena aduertentia, ac deliberatione voluntas angelica affectus suos circa obiecta proposita eliceret. Accedit, quod ad peccandum venialiter ex inaduertentia proponi aliqualiter malitiam obiecti, vt ab eo retrahi voluntas absolute possit necessario debeat ; alioqui, nec cum aliquali imperfecta libertate secundum quid in prohibitum ; & malum obiectum voluntas ferretur, nec venialiter peccaretur ; non autem videtur quomodo proposita Angelo malitia obiecti retrahente ipsum ab eius prosecutione eam plenè, & perfecte in quouis cognitionis, quæ sive intuitiue, sive abstractiue proponatur, genere, non cognoscat, & penetret, vt inaduertentiæ erga ipsam locus relinquatur, ex qua solum venialiter defectu deliberationis peccet, cum adeo puræ, ac perfectæ intelligentiæ Angeli omnes sint.

3. Dicendum est primo quæstionem de subiecto non supponente non esse, quia defectus plenæ aduertentiæ, ac deliberationis erga malitiam obiecti ab eius prosecutione retrahentem est in Angelis possibilis. Probarent forte aliqui conclusionem : quia anima rationalis perfectius intellectiua Angelis non repugnat, aliquorum recentiorum iudicio, aliorum vero sententia an repugnet an possibilis absolute sit incertares est : neque ex perfectione totalitas substantiæ, quæ Angeli animæ rationali natura sua substantiæ partiali excedunt, ea repugnantia efficaciter ostendetur ; Si autem in anima rationali perfectius intellectiua is aduertentiæ, deliberationisque plenæ defectus locum habere potest vtique, & in Angelis poterit habere locum. Hac tamen ratione non vtor. Tum quia perfectius intellectiuæ animæ, quam Angeli, adhuc aliqui sint, possibilitas positiue cum verisimilitudine aliqua non probabitur. Tum : quia de omnibus Angelis creatis superiorum Hierarchiarum, maxime Hierarchiæ supremæ Cherubinorum, ac Seraphinorum improbabile prorsus est. Tum denique, quia nec de Angelis infimæ hierarchiæ, & gradus intra eam infimi probabiliter asseri potest : cum ex his sint qui hominibus præsint, eorumque bono prospiciant, ac prouideant : æquum autem, & connaturale non est, Præsides, ac bonorum prouisores, & prospectores hominibus, animabusque deputari Angelos ipsis natura sua minus intellectiuos & rudiores. An vero, vltra creatas animas, homines, & Angelos omnes in omnipotentiæ penu possibiles alij claudantur, in quibus ea animarum creatis perfectiorum, præ Angelis imperfectioribus, quam infimi ex creatis excellentia esse possit ? ex inutilibus (in quibus recentiores non pauci laborare & diuinare vitiose amant) quæstionibus est, & extra præsentem, quæ de Angelis, qui creati sunt, non autem de pure possibilibus procedit.

4 Probatio noſtra eſt, ex principio ſatis Philoſophis, & Theologis communi, quare, ad hominem contra eos, efficax, etſi non ſatis firmum nobis, principium ſit, vt diſputatione 4. quæſtione 5. cert. 5. à num. 8. conſtabit, quia Angelus perfectiſſime etiam intellectiuus, non ſolum ex creatis de facto, ſed etiam ex poſſibilibus, eſſentia ſua eſt creatura, & facultatis virtutisque intellectiuæ limitatæ, & quæ neque omnia obiecta ſimul percipere, neque æque magna intenſione pluribus eorum ſimul poſſit attendere, ac ſi pauciori-bus, aut vni ſolum attenderet, vt de ſe, & experientia notum eſt: vnde illud axioma philoſophicum manauit, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*, quod non de facultate ſenſitiua ſolum, ſed cognoſcitiua quauis creata intelligitur: ita enim omnibus æquéque intenſe, & perfectè mentaliter etiam attendere, ac ſi vni tantum obiecto percipiendo attenderetur, non quidem limitatæ & creatæ, ſed infinitæ, & increatæ mentis diuinæ, Deique ſolius proprium eſt: de quo proinde Tertullianus, qua ſolet profunditate, merito aiebat: *Deus ad omnia (obiecta) ſufficit, nec poteſt eſſe ſuæ perſpicacia prauaricator.* Iam vero, ſi ita res in Angelis eorumque creatis ac limitatis mentibus habet, vt attentione ad plura obiecta, ſimul in eodem inſtanti percipienda, ſingulis attendat minus, minusque adhuc, & minus, quo plura, & plura ea obiecta ſint: atque ita intenſe, vni, vel alteri obiecto percipiendo, ac penetrando poſſit intendere, vt vix aliquid, ac, ne vix quidem, virium facultati eius intellectiuæ, pro tunc, relinquatur otioſum, quod alteri obiecto percipiendo poſſet impendere, fieri plane poteſt, vt malitiæ retrahentis, ab obiecti mali proſecutione attendendæ, nil, aut perexiguum virium facultatis intellectiuæ Angelo relinquatur, & tota tota, vel fere tota, aliis obiectis, ſimul impenſe, percipiendis, vel bonitati obiecti attrahentis occupata, libertati, ac deliberationi ad eius proſecutionem, vel fugam nullus, vel perexiguus, ac fere nullus locus relinquatur; ac proinde ex plenæ aduertentiæ defectu veniale ſurreptitium poſſit incurrere. Hinc vero ratio, pro oppoſita non ſuppoſitione ſubiecti quæſtionis huius facile euaneſcit, iam ad quæſtionis deciſionem, mihi difficilem, ac prorſus dubiam, veniamus.

5. Dicendum ſecundo eſt. Angelus in primo inſtanti creationis ſuæ, peccatum veniale ſubreptitium, ex inaduertentia, ſeu defectu aduertentiæ, ac deliberationis plene in obiecto malo proſequendo potuit abſolute admittere. Eſt contra noſtrum Quiros loco citato, qui Angeli impeccabilitatem, peccato etiam veniali quouis, quo inſtanti creationis intelligit, atque vniuerſim docet. Probatur, quia gratia habitualis in inſtanti creationis Angelo quomodolibet infuſa à Deo, nec antecedenter, nec conſequenter adhuc veniali peccato, aduerſatur, vt omnibus eſt notum. Rurſus obreptitium, ac ſubreptitium veniale ex defectu plenæ aduertentiæ, ac deliberationis inſtantanea eſſe poteſt, cum ſolum ad plenam deliberationem rationalis creaturæ diuiſibilis duratio, à quo primum deliberationis materia propoſita eſt, requiratur, non autem ad deliberationem ſecundum quid ſolum talem, & quæ præ inaduertentia ad alteram partem vix deliberationis nomen meretur, atque ad ſubitos inſtantaneos voluntatis motus, quam ad deliberatos propius valde accedit, quæ ſatis, vt dixi, ad hominem contra plerosque (ne dicam omnes) Doctores efficax eſt, tametſi nobis non admodum firma, vt videbis diſput. 4. quæſt. 5. cert. 5. à num. 8. Denique: ratio illa indecentiæ artis ſapientiæ, & ſummi Artificis, & conditoris Angelorum Dei in venialibus hiſce ſurreptitiis defectibus pro creationis, inſtanti primo etiam connaturaliter Angelo poſſibilibus non probat. Tum quia fini ad quem, opus nempe Angelus conditum eſt non opponuntur, nec ferè eius aſſecutionem retardant; tum, quia opus, ſiue natura Angelica, non adeo perfectum eſſentia ſua opus eſt, quod vel minutulus, vixque perceptibilis defectus, næuulve dedeceat, debeatque ab Artifice, & arte, eius etiam abſoluta poſſibilitas præcaueri: maxime, cum ſurreptitia venialia ex natiua potius naturæ rationalis debilitate, & facultatis intellectiuæ curtitate, ac limitatione, quæ pluribus æque, & perfectè attendere ſimul nequit, quam ex voluntatis, & vſus libertatis vitio proueniant, demum adeo minutili defectus, nec operis, nec Dei artificis, ac diuinæ ſuæ artis indecentiam concernentes ſurreptitia venialia ſunt, vt, ne in viris quidem perfectiſſimis, quos ad quam maximam perfectionem, & abſolutiſſima Eccleſiæ vtriuſque militantis, & triumphantis exempla amiciſſima, & accuratiſſima prouidentia, & prædeſtinatione elaborauit Deus, ne de facto plura quotidie fuerint, nedum abſolute potuerint, præcauerit adhuc in eorum aliquo, ad potentiæ, & gratiæ ſuæ oſtenſionem. Deiparam, eiuſque vnigenitum filium Ieſum, vt diximus, excipe: in quibus, vel vnionis hypoſtaticæ, vel maternitatis ſummæ dignitatem tantillus defectus ille dedecebat; quæ ex ratione Dominicanorum, quomodocumque explicata, & contra hanc concluſionem extenſa, opponi poſſent, eius rationis confutatione excludentur.

CERTAMEN III.

Dominicanorum Thomiſtarum & ea in re ſequacium pro impeccabilitate Angelorum in inſtanti creationis quouis modo ab eis explicata infirmæ confutantur rationes.

1. NIhil Doctoribus maiori attentione curandum, prouidendumque eſt, quam debilia, falſaque concluſionum ſuarum fundamenta detegere: præſertim, quæ à pleriſque, nec contemnendæ authoritatis viris animaduerterint circumferri; ne eorum fundamentorum infirmitate concluſio, alias firma, nutet, atque in diſputationibus à viris ſapientibus contemnatur, ex eis plane eſſe cenſeo rationem Dominicanorum Thomiſtarum pro aſſerta à nobis etiam abſoluta impoſſibilitate peccati mortalis Angelorum in inſtanti creationis deſumptam ex S. Thoma citata qu. 63. a 5. corp. ſcribente, *quamuis enim res aliqua in primo inſtanti, quo eſſe incipit poſſit operari; tamen illa operatio, qua ſimul incipit cum eſſe rei, eſt illi ab agente, à quo habet, eſſe: ſicut moueri ſurſum ineſt igni à generante, vnde ſi aliqua res habeat eſſe ab agente deficiente, quod poſſit eſſe cauſa defectiuæ actionis, poterit in primo inſtanti in quo incipit eſſe habere defectuoſam operationem,* (vt tibiæ curuæ, ac defectuoſæ ex qua claudus animalis motus procedit exemplo ſtatim confirmat,) pergit, *agens autem, quod Angelus in eſſe produxit (ſcilicet Deus) non poteſt eſſe cauſa peccati, vnde non poteſt dici, quod Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus.* Fateor verba hæc rationem à præfatis Doctoribus intentam planiori intelligentia ſonare; tametſi Doctoris Angelici reuerentia ipſius mentem benignius fuerimus interpretati, cert. 1. num. 6. ſub fin. ne debilem adeo rationem ipſi tribuamus, quod ſi noſtra illa interpretatio textui recitato, non congruat, nil modeſtius dici à nobis poteſt eo, quod dictum à noſtro Vaſquez fuit citata diſp. 236. c. 3. §. *Ego quidem fateor*: nempe altiorem S. Thomæ ſenſum eis verbis contineri, quam nos aſſequi poſſimus, certè Capreolus inter Dominicanos Thomiſtas non contemnendus, ta-

tionis,

tionis, quæ eis verbis sonat infirmitatem recognoscens alio eorum verborum sensum, non tamen felicius traxit : cui accedere doluit Caietanus, & si demum abscesserit, vt vidimus, quæst. 3. Carmelitani discalceati citato loco, cert. 3. & si rationem S. Thomæ Thomistico sensu communiori tuetur profitentur valde ab eo recedunt : quo eum rationis sensum, Dominicanorum Thomistarum taciti etiam impugnat, eiusque falsitatem satis declarant. Sed horum etiam ratio & sensus firmior, veroque similior nequaquam est Thomistico communi, quem reiiciunt, etsi discursibus nostri Quiros, eorum ratio fulciatur, vt inferius ostendemus.

2. Communis rationis Thomisticus sensus, quem S. Thomæ verba sonat (nempe, quod omnis operatio, quæ incipit cum ipso esse effectus tribui debeat efficienti, & authori effectus ipsius, ac subinde agenti, & authori Angelorum Deo operatio praua, quæ in primo creationis ipsorum instanti ab eis fieret) facillime exploditur. Etenim operatio prima effectus cuiusvis, & quæ cum eis esse incipit, tunc solum authori effectus illius tribuitur, cum ab eo effectus, eiusque natura cum ipso suo esse accipit determinationem ad eiusmodi operationem, à qua ipse de se nequeat absolute se cohibere, & abstinere, vt patet in igne ad motum sursum, & terra ad motum deorsum, & reliquis agentibus naturalibus ad suas operationes naturales, atque ab ipsis necessario, & irresistibiliter exercendas : Atqui Angelus neque in se, nec in sua voluntate, neque in cogitationibus vtramque partem indifferenter proponentibus in primo illo instanti creationis suæ accipit à suo authore Deo determinationem, ad operationem pravam, cui de se nequeat absolute tunc resistere ; sed debeat, ex necessitate naturæ ex parte actus primi consideratus, in operationem pravam despotice obedire ; ergo, etsi eam tunc eliciant, & peccet, author, & conditor Deus, peccati illius causa, & author non erit, cui proinde tribuatur Angeli peccatum, sed Angelo, qui solus ex indifferenti sua potestate antecedente, & arbitrij libertate se tunc determinat in actu secundo, & libertatis illius exercitio, per pravam ipsam operationem. Confirmatur, quia per hosce in sequenti durationepotest Angelus peccare, quin Deo, vt authori eius peccatum tribuatur, tribuire vllatenus possit : cum tamen pro ea duratione in qua cum Angeli esse, seu existentia coniungitur simul eius peccatum existentiæ, & esse Angeli ipsius, æque atque, in instanti creationis, causa, & author Deus sit, & cogitationis indifferentis præparator, ac dispositor, & solus quidem, si tunc primum obiectum & materia deliberationi subiecta Angelo proponitur, ac prima subinde cogitatio indifferens sit, quæ in negotio quouis non à creatura rationali, sed à Deo ex Aristotele Philosophis, & Theologis est : ideo autem in sequenti duratione pravæ operationis Angeli per hosce causa, & author Deus non est, etsi eorum omnium, quæ diximus causa, & author sit, quia ex omnibus determinationem, ad praue operandum Angelus à Deo non recipit, sed potius indifferenter ad id, vel eius oppositum potestatem, & libertatem, ex qua seipsum operatione ipsa praua exercite, & in actu secundo determinat ad peccandum ? ergo nec peccati ab Angelo admissi in instanti creationis causa, & author Deus esset, in quo nihil aliud Deus ex parte actus primi determinationis ad peccatum, quam in sequente duratione Angelo præstat, sed solum eius indifferentiam, & libertatem in actu primo constituit, ex qua seipsum pro arbitrio suo operatione ipsa praua determinare possit, atque exercite determinat ad peccatum : quod enim Angelus primo esse tunc incipiat, vel non incipiat, siue influxus, & causalitatis negationem (cæteris, quoad influxum, & causalitatem, cum peccat, ad actionem eius pravam ex parte Dei paribus) nil ponere, auferreve potest, vt Deus sit, vel non sit operationis Angeli praue, ac peccati causa, & author. Hoc patet de se, & exemplo motus ignis sursum, qui non solum in instanti quo primum ignis est, atque producitur, sed quo post conseruatur, sursumque mouetur agenti, & conseruanti ignem, vt causæ, & authori tribuitur, quia ab alterutro à quo, vel primo fit, vel conseruatur, recipit ad sursum se mouendum determinationem.

3. Vrgetur ad hominem contra Thomistas præfatos, quia multo minus determinationis, & influxus in Angeli peccatum in instanti primo creationis, adhibet, ponitque de suo Deus eius naturam, voluntatem, & indifferentem cogitationem causando, quam physice eius voluntatem prædeterminando ex parte antecedentis ad actionem pravam, vt ab Angelo est progressura, estque materiale peccati, prædeterminationem autem voluntatis ad actionem pravam Angeli, quem primo producit, nequaquam de suo ponit Deus, sed solum vsum omnipotentiæ suæ in eo instanti arbitrio voluntatis Angelicæ permittit ad pravam actionem æque atque ad eius oppositum : & tamen iidem Thomistæ nec addita à Deo physica prædeterminatione, qua velit nolit, prorsusque irresistibiliter, atque infallibiliter ex parte actus primi trahitur ad peccatum Deum authorem peccati fatentur, sed (vt Catholicos decet) mordicus negant, quia nihilominus cogitatione indifferenti adstante libertas Angeli persistit : ergo multo magis peccati angelici, si in primo instanti daretur, author Deus, & causa non foret, ex productione naturæ voluntatis angelicæ, & indifferentis cogitationis (quæ omnia coniungibilia de se, ac natura sua sunt, cum actionis pravæ omissione) ex immissa ab eo prædeterminatione, ex parte actus primi connexa essentialiter cum actione praua, & peccato, & inconiungibili, ac prorsus pugnante cum omissione peccati ; irrationale enim assertu videtur, ea quæ adeo essentia sua indifferentis principia sunt, vt adesse nequeant, quin libertatem voluntatis Angeli, & cuiusvis creatæ, constituant, etsi adsit voluntati creatæ comprincipium aliud, ex parte antecedentis physice illam prædeterminans ad pravam actionem, ac subinde, ad peccatum, atque ob eius libertatis persistentiam in sic etiam prædeterminata voluntate creata huic solum, vt causæ actionem pravam tribui, non Deo, & tamen è solo defectu physicæ prædeterminationis à Deo (vt dixi, tomo 1. de Deo vno controuers. 3. disputatione 1.) eadem illa principia libertatem voluntatis non constituere, vel ea constituta non ita tribuendam Angelo totam actionis pravæ, ac peccati, quod increationis instanti admitteret causalitatem, sed esse vlterius refundendam in Deum. Arguo ad hominem, sed rationem illam, & alias excusandi Deum physice prædeterminatorem ad materiale peccati, (Thomistæ Recentiores Dominicani volunt) ab eius causalitate exclusi fuse, & efficaciter loco citato disputatione 3. Nec valet physicæ prædeterminationis compositionem cum libertate creaturæ, & excusationem subinde Dei à causalitate peccati, non esse peccati creaturæ cum primum est, atque à Deo producitur, sed insequente duratione, in qua conseruatur. Hoc enim disiecimus, numero 2. Deinde quidnam temporis, aut instantium diuersitas constitutioni libertatis in actu primo, atque inde quæsitæ excusationi Dei à causalitate peccati præstare potest ? Tertio, cur non poterit Deus prædeterminationem ad materiale peccati cum reliquis, quæ diximus, in instanti creationis simul producere, vti ad actionem honestam liberam, & meritoriam per hosce in instanti creationis Angeli simul producit : Quarto, quia prædeterminationem ipsam primo producit Deus, cum qua, vbi primum est, actio praua, & peccatum simul existit, tam in Angelo, quam in homine : ergo argumento, & ratione tua causa erit, & author peccati Deus, si quid ea ratio tua probat.

4. Alia

4. Alia veterum aliquot Theologorum ratio fuit. Nullus Angelus in creationis instanti peccauit, vt vidimus: ergo nec potuit in eo instanti peccare. Probant consequentiam, quia vero simile non est, nullum peccasse, cum omnes absolute possent peccare. Maxime, cum in sequenti duratione in qua, absque dubio peccare omnes potuerunt, non vnus tantum, sed adeo multi Angeli peccarint. Probat Soar. supra, c.20. consequentiam, quia, quod omnibus conuenit, id ex communi aliquo naturæ ipsorum competenti conuenit; ac similiter, quod ab omnibus abest, ex connaturali saltem repugnantia naturæ ipsorum communi abest, ac deficit: ergo defectus peccati lethalis in instanti creationis, qui omnibus Angelis conuenit, ex repugnantia, & impotentia naturæ Angelicæ, cum lethali peccato in instanti illo prouenit. Negatur consequentia prima: etsi enim vim habeat probatio prima in iis in quibus ex suppositione rerum aliquot naturalium, Dei voluntas potentia, & pouidentia eorum naturæ, exigentiæque legibus coarctatur, secus in iis in quibus nil naturale supponitur, cuius exigentiæ, connaturalique, vt sic loquar, iuri Deus attendere debeat, vt connaturaliter prouideat, & operetur: sed integrum prorsus eius arbitrio est sic, vel secus prouidere, & operari, quin iuri, aut exigentiæ precariæ alicui naturæ aduersetur. Huiusmodi autem est productio Angelorum omnium ex illis, quos nouit gratia sua efficaci suffultos tentationi praui in illo instanti, quo creati sunt, non consensuros, vel ex eis, quos cessuros nouit in eo instanti, si crearentur: ecquid enim iuris in natura rerum erat, quod alterum exigeret, & alterum, etsi precatio, à Deo fieri prohiberet? Hinc etiam Soarij probatio euanescit: quæ solum probat in iis, in quibus ius aliquod naturale, nec purum Dei arbitrium nulla naturali exigentia adstante intercedit. Maxime in re præsenti: in qua, vt peccatum in hoc instanti, vel in omnibus, vel in singulis Angelis vitetur, gratia auxiliante efficaci supernaturali, ac toti etiam naturæ indebita opus est, ex catholica fide: quam conferre, pro instanti creationis, vel omnibus, vel aliquibus, vel nulli ex creatis Angelis non tenetur. Omitto aliam Soari confirmationem, quæ contra hoc dogma catholicum de necessitate gratiæ supernaturalis auxiliantis, vt pro quouis instanti creationis lethale peccatum à rationali creatura vitetur impingit. Arguit enim Soar. creaturæ rationali deberi carere aliquando peccato: miserrima quippe esset, cui, nec per instans vnum carere peccato, præsertim mortali, debeatur; quod si pro aliquo debetur pro primo suæ existentiæ, & creationis, quo è Dei manibus Angelus prodit deberi conformius rationi est. Sed debitum hoc carendi peccato, mortali saltem, dogmati præfato catholico contradicit.

5. Discalceati Carmelitani Salmantini probant, quia debitus est Angelis in instanti creationis Dei amor, cum quo pugnat peccatum, saltem mortale: vti, & hominibus, vbi primum physicè ad vsum rationis perueniunt, cum quo creati Angeli sunt: Alioqui cum de diligendo statim Deo præceptum homines habeamus, dubij semper de eius obseruatione in instanti illo proximo physico vsus nostræ rationis essemus, ni ex debito tunc nobis Dei amore iudicij de eius obseruatione conciperemus securitatem: si autem ita debitus amor Angelis in creationis instanti à Deo negetur, peccatum ex Deo veniet negante id, quod peccato repugnat, ac subinde Deo tribuitur peccatum. Hoc debitum amoris Dei, qui, cum mortali adhuc, pugnet, ac subinde super omnia Dei amor sit, eidem dogmati catholico contradicit æque ac debitum auxiliantis gratiæ. Confirmatio, ex simili debito nobis eodem vitio laborat. Eiusque confirmatio nihil non falsum supponit, in primis præceptum de diligendo Deo super omnia in instanti primo physico, quoad vsum rationis peruenitur, pro instanti primo physico vsus rationis à nullo asseritur; imo repugnat, ex repugnantia deliberationis creatæ in vnico instanti physico, & physice indiuisibili à nobis ostensa. Secundo, eo admisso securitas nostra de eius adimpletione non solum necessaria non est, sed de facto non admittenda, si dogmati de incertitudine status nostri in gratia quandiu sumus in via consonè discurrendum, & iudicandum sit. Siquidem, & nunc securi essemus in eo instanti primo vsus rationis in Dei gratia, & iustitia fuisse, & tunc fuissemus de nostra iustitia certi: siquidem de amore Dei super omnia, qui vel forma iustificans est, vel ipsam secum affert, pro eo instanti certi, ac securi, contra præfatum dogma, essemus.

6. Ratio altera Durandi fuit. Cogitatio prima illius instantis vt peccatum ab Angelo admitteretur defectum aduertentiæ, & ignorantiæ alicuius, absque quo non peccatur, ex vulgari illo, *omnis peccans est ignorans*, ac demum defectum congruitatis habebit: Cum autem prima illa cogitatio à Deo excitante, & producente species ad ipsam sit, vt à causa particulari determinante per illas intellectum ad eam cogitationem, atque ipsi connaturalius sit cogitationem mediis illis speciebus absque defectibus ignorantiæ, inaduertentiæ, & congruitatis producere, fiet sanè, vt connaturaliter produci debeat cum aduertentia, & congruitate, cum quibus nequeat esse peccatum: ita rationem Durandi explicat, & confirmat Quiros sect.2. nu.16. adiungens plura quæ Durandi non sunt. Sed Arrubalis, & Ludouici de Torres locis citatis, nempe, non posse esse peccatum, quin viuacius, & efficacius proponatur bonum delectabile, & apparens, quam honestum, vt idcirco peccans dicatur ignorans quod à solo Deo in prima illa cogitatione fieri posset, & contra Angeli creati naturam, eiusque propensionem in honestum, quam in delectabile maiorem: quare, vti efficacior, ac viuidior cogitatio illa delectabilis boni, vt causæ particulari, nec iuxta naturæ exigentiam, sed contra potius, de se suoque arbitrio puro operanti Deo tribueretur, ita & tribueretur Angelorum procreationis instanti peccatum. Hunc vero præfatorum discursum, quod rationi Durandi addidit Quiros de suo tantillum immutauit, nec tantillum, sed *multum* apparentiæ eorum discursui ademit: exigentiam, quippe, & propensionem naturalem cogitationis illius viuacioris in bonum honestum, præ tutpi delectabili in Deo, qua particularis eius causa est, ponit, non in Angelo creato. Addit etiam maiori viuacitatem cogitationis illius primæ congruitatem, atque ad vtramque, è naturali propensione, & modo operandi suo, vt causa particularis, ac determinans ad ipsam est, propendere, ac tenere Deum, ne causa, & author peccati sit: Id autem falsum, nec satis dogmatibus Theologicis, & Catholicis congruum est, nec Arrubal, nec Turrianus docent, sed maiorem viuiditatem, & efficacitatem physicam cogitationis honesti, quam sit boni turpis delectabilis, subiectum quidem congruitatis esse, non vero congruitatem: siquidem posse tunc viuaciori non consentire (quo & illa viuacior congrua non erit) vt remissiori intendendæ se deinceps applicare, vt tunc etiam, cum intensior opposita, ac viuidior illa est seruetur contradictionis libertas, vt eius doctrinæ de maiore viuacitate cogitationis Author Valentez explicuit semper, 1.2. disp.43. cap.2. & 3. & d.118. cap.5.

7. Verum ratio hæc nullius est ponderis quomodocumque explicata, & instructa; illud enim de necessitate viuacioris cogitationis alterius extremi, nempe boni delectabilis, quam honesti, vt peccetur, eoque sensu *omnis peccans sit ignorans*, falsum est, ac libertatem contrarietatis ferè, ex terminis ipsis euertit, nec per consequentias multas contradictionis libertatem tollit, vt tomo 1. de ente supernaturali. controuers. de gratia de de entitate physica auxilij efficacis ex instituto ostendimus, ac nobis prior Soarez, libro primo, de

de grat. cap. 12. & 7. de Angelis, cap. 5. Secundo; quidnam iuris, siue exigentiæ precariæ in Angelo aliaue creatura naturæ totius, vt Deus (quem eius primæ cogitationis authorem fatemur) speciebus intensioribus honesti, quam turpis ad intensiorem, viuidiorem, ac physicè efficaciorem honesti, quam turpis delectabilis cogitationem primam determinet? Angelus enim indifferentis ad vtrumvis voluntatis est, nec amplius subinde petit, quam ex parte obiecti in actu primo proximo sufficienter ad vtrumvis constituti: id, quod remissis æquè cogitationibus, vel remissiore altera (dummodo ad suum obiectum prosequendum mouere sufficienter minimo etiam sufficientiæ, valeat) satis à Deo præstatur, quin naturalia naturæ, & voluntatis Angelicæ iura despiciat, ac proterat, sed attendat, quod si non solum viuacitatem physicam, maiorem cogitationis ad honestum, sed & congruitatem deberi Angelicæ naturæ contendant, Dei gratiam auxiliantem: & in genere gratiæ, ac beneficij, quam maximam, rationali creaturæ deberi, ac prorsus naturalem esse hæretice, contra fidei dogma contendent. Quod, etsi de humana creatura, seu homine in speciali materia contra Pelagium, eiusque reliquias fuerit damnatum, de omni creatura rationali per Patres, scholasticos, & rationes omnes cum ipsorum, tum textuum scripturæ, ex quibus statutum illud fuit vniuersim definitur, idem etiam absurdum incurritur, si Deum ita ad primam illam cogitationem etiam, vt causam particularem determinantem, sibi suæque perfectioni debere congruam illam prouidere dicas. Cum gratia non sit id præstare, quod quisque (ac Deus maxime) debet, ne sibi, aut perfectioni suæ cum indecentia, & indignitate deficiat.

8. Sed tamen inde constat. Deum non è puro arbitrio suo, & subinde vt causam particularem, sed vniuersalem naturæ rationalis, angelicæ prouisorem vt illam in actu primo proximo etiam ex parte principij intentionalis, & obiecti intentionaliter mouiui, ad vtrumuis amplectendum, vel respuendum adæquate sufficienter constituat productiones specierum ad eam cogitationem, seu cogitationes vtrumque obiectum voluntati, & arbitrio angelico proponentes in eo creationis instanti Angelicum intellectum determinare: quo argutiæ omnes, nedum rationis huius, apparens adhuc difficultas, cessant. Rursus Deum posse viuaciorem cogitationem obiecti turpis, quam honesti ab eo retrahentis, & vrgentiores occasiones peccandi ad iustorum ampliorem victoriam, & gloriam: imo, & eas quibus, de facto rationales creaturæ labantur, & congruæ, siue efficaces ad malum sint disponere, quin ipsi, vt authori, ac tentatori, & suasori earum peccata tribuantur, sed ea solum permittat abvsui libertatis, à qua eis ita positis ac dispositis proueniant concors Patrum, & scholasticorum sententia est expressa ad Rom. 1. Ezechiel. 14. Exodi 4. textu 10. & aliis innumeris locis, quæ sæpe ex Patribus ita explicuimus. Ac demum, cum omnium primarum cogitationum in quouis negotio denuo Angelis, vel hominibus post instans primum creationis, & productionis ipsorum, causa determinans, & disponens, & author Deus sit æque, atque in instanti, productionis, & creationis ipsorum primo, vt diximus ita arguentes negare, non possunt, vel nec post primum instans posse Angelos peccare duratione, sequente contra fidem, vel posse peccare in primo contra rationem, & conclusionem hanc suam tenentur fateri.

CERTAMEN IV.

Prolixa nostri Quiros ratio, & meditatio postrema nusquam est reiectis proximè firmior.

1. POstremam rationem conclusionis labore, & discursibus prolixis, & multis, nec vsque (vt rebar) finiendis adhibuit noster Quiros, d. 68. à sectione 4. ad 15. inclusiue, ac sect. 16 quam de Angelorum compositorum ex materia & forma, quare à causa secunda creabilium (quos non repugnare censet) impossibilitate peccandi in primo instanti creationis instituit, §. vltimo in cuiusdam obiectionis examine ad eandem rationem, vt firmissimam, recurrit: ea vero ad summam, quam potest, redacta sic habet: creatio Angeli est gratia pure liberalis, & supernaturalis Dei, qua proinde, vt proprium eius opus Angelus primum prodit, quod non habet eius conseruatio: ergo in creationis instanti Angelus est gratia pure liberalis, & supernaturalis Dei, ergo pro illo peccarum Angeli repugnat. Antecedens primium probat, quia Deus, nec sibi debet Angeli creationem, cuius neque ad esse neque ad connaturalem statum nihili creatum aliquid refert; alioqui creatura aliqua indigeret; contra id Psal. 15. versu 2. nec in connaturali statu ex æternitate mundi creationem antecedente extitisset, & si absolute absque omni creatura esse posset: vt homo alimento, in connaturali statu indiget, vt viuat, etsi absolute, absque illo conseruari diuinitus possit: sed nec debet creare Angelo ipsi, quem primo creat (& si semel creatum debeat connaturali debito rei natura sua permanentis, carentisque contrario illum conseruare) vt benè Recupitus, tom. 1. de Deo lib. 4. qu. 19. tota, maxime, à §. 6. tom. 2. in 1. p. 8. 7. sect. 3. à toto § 39. & si male oppositum teneat (saltem de aliquo Angelo possibili) noster Henao, tom. 1. Empyrolog. lib. 3. exercitat. 12. sect. 6. leuibus satis argumentis, & hoc vnico perspicuo principio disiectis: quod absolute non existentium nulla absoluta exigentia, iusve absolutum naturale physicum, & reale esse ad aliquid possit, vt in omni exigentia physica actiua, materiali formali, & reliquis patet.

2. Sed nec debetur Angeli creatio reliquis vniuersi, & naturæ totius partibus, totive vniuersa ac naturæ, quæ Angelo, vt sui parte, constare debet. Tum: quia ex nullius partis, aut rei, ex quibus natura hæc tota, atque vniuersum constat exigentia naturali, & præuisione Deus Angelos creat: multoque minus, ex naturali exigentia, & præuisione naturæ huius, & vniuersi totius, quod ante Angelorum (quibus tanquam partibus essentialiter integratur) creationem natura tota, & vniuersum hoc absolute non est, vt qua totum, & vniuersum, aliquid possit naturaliter exigere: multoque minus partem, quam vt totum hoc absolute sit, absolute existentem supponit: exigeret enim quod, vt absolute sit, & exigat præhabet, vnde Athanas. orat. 2. contra Arian. Hieron. ad Ephes. 3. Damasc. 1. de fide, cap. 8. ac Patres alij omnia præter Verbum Dei gratia, & gratuita voluntate condita esse contra Arianos docent, & creationi rerum, præ conseruatione earum nomen gratiæ, & principij, seu fundamenti gratiæ totius nomen tribuunt Anselmus de concordia prædestinat. cum creata liber. toto cap. 5. Augustin. epist. 95. Hieron. Epist. 189 Bernard. tract. de gratia, inde vero instans creationis, & Angelus ipse pro eo instanti gratiæ pure liberalis, gratuita, & supernaturalis probatur: cum nulli debito exigentiæve naturæ, siue totius, siue partis eius donetur, sed à Deo, eiusque puro libito,

& particulari causa, & proprio Authore, tanquam proprium opus eius creetur, ac prodeat, ergo Deo imputaretur Angeli pro instanti creationis peccatum: illationem, sic probat. Angeli creatio, & Angelus in illo instanti est gratia Dei mere gratuita, & supernaturalis: ergo eius peccatum pro eo instanti imputaretur gratiæ Dei: ergo, & Deo, quod aperte repugnat: ac subinde pro eo instanti repugnat Angeli peccatum. Prima consequentia probatur. Peccatum pro instanti creationis ab Angelo admissum imputaretur Angelo, atqui Angelus, pro eo instanti, est gratia Dei mere liberalis gratuita, & supernaturalis, ergo imputaretur peccatum pro eo instanti admissum gratiæ Dei mere gratuitæ, & supernaturali, quod autem inde consequentia secunda deducit (nempe Angeli pro eo instanti peccatum Deo esse imputandum) ita probat.

3. Nequit tribui gratiæ supernaturali Dei peccatum, quin Deo ipsi imputetur, verbi gratia si auxilio gratiæ Dei peccati causatio imputaretur, Deo, etiam, qui de se se, & motu (vt sic dicam) proprio, illud, vt causa particularis, nec solum, vt muneri causæ vniuersalis, naturæque exigentiæ, & necessitati non deficiens satisfaciat, produceret: tunc enim auxilium illud produxisse ex intentione, vt esset peccatum meritò censeretur. Eodem autem modo producit primo, ac creat Deus Angelum in instanti creationis eius, scilicet, vt causa particularis, non autem vt causa vniuersalis, ac ne exigentiæ, aut necessitati naturæ deficiat, vt num. 1. & 2. ostensum est. Confirmat, quoties Deus concurreret, vel physice causando, vel moraliter permittendo peccatum, vt causa particularis, ac non ex iure, & obligatione causæ vniuersalis, sine authoris, & prouisoris causarum secundarum de necessariis, vt suos vnaquæque effectus edat, muniaque obeat (quod quidem ius, & obligatio causæ vniuersalis prævalet in Deo) esset causa peccati creaturæ illud, etiam pro sua libertate, admittentis non secus ac causa particularis secunda illud physico influxu, vel morali permissione causans, & nullo iure, aut obligatione valentiore permittens: atqui Deus, vt causa particularis causans Angelum in instanti creationis, sua etiam libertate pro illo peccaturum, saltem moraliter, & permissiue, vt causa particularis causaret peccatum: ergo ipsi imputaretur peccatum pro eo instanti creationis ab Angelo, sua etiam libertate commissum. Maior probatur de concursu, & physica causatione actionis prauæ, & peccati nostri, ad quod si puro suo libito, ac non ex iure tituli, & obligatione causæ vniuersalis Deus concurreret causa physica actionis prauæ, & peccati nostri esset, & cui, vt tali imputaretur nostrum peccatum quia enim, titulo causæ vniuersalis, & naturæ totius, ac singularum, eius partium author debet causis liberis suam omnipotentiam paratam ad concurrendum adiungere, vt vtrumvis possit, & subinde concurrere, vt alterum exerceant, à peccati causatione physica, & si physice concurrat ad actionem prauam, excusatur à causatione.

4. Verum à causatione eius morali, cum peccatum nostrum permittit auxilij, sub quo illud prouidet futurum, donatione, eodem iure causæ vniuersalis valentiori, & obligatione seruandi causæ liberæ creatæ libertatem excusatur; quia ex ea obligatione non tenetur huius peccata impedire, & donatione efficacium (quæ in sua potentia habet, & certissime sua scientia talia prænouit,) ea non permittere; tametsi eis, quia ab intrinseco efficacia non sunt, creata libertas absque vlla læsione constitueretur, atque ex ea parte muneri causæ, & vniuersalis creaturarum de necessariis prouisoris satisfaceret; etenim (inquit Quiros) & si moraliter loquendo respectu omnium, & singularum creatarum voluntatum auxilia aliqua efficacia Deo nequeant deficere; cum tamen hæc omnia, & singula physice, atque potestate physica creatæ voluntatis frustrari effectu, atque inefficacia reddi absolute queant, si ad impedienda peccata creatæ voluntatis Deus teneretur ad impediendam physicam eius libertatem cæsa, quo omnia auxilia, (vt physicè possunt) ab eius physica potestate effectu essent frustranda, atque inefficacia redderentur, paratus esse deberet, quod muneri illi causæ primæ, & vniuersalis prouisoris creaturarum de necessariis ad suas omnes naturales functiones obeundas, cui nullum prævalere potest sed cedere potius debet, non congruit: quare sufficientium auxiliorum prouisione, quibus creata libertas in actu primo constituitur, & ad quam voluntas creata, ius habet, opusque, vt se libere exerceat, ei muneri Deus satisfacere poterit; quin ex eo, ad efficacia donanda eisque impedienda, ac non permittenda peccata teneatur: concludit autem ex his discursum Quiros. Quoties nullo iure fortiori prævalente causa secunda, vel Deus, vt causa particularis, & propria aliquid producit, ex præuisione peccati futuri, si producatur, ipsi, vt causæ imputatur peccatum: atqui Deus, vt causa particularis, & propria produceret, crearetve Angelum in instanti creationis ex præuisione peccati pro instanti illo futuri, si pro eo esset (vt in aduersa sententia absolute poterat) peccaturus: ergo, & Deo, vt causæ imputaretur peccatum Angeli, si pro eo instanti foret, posseve imputari, quod esse pro illo instanti foret, posseve imputari, (absolute, iuxta aduersarios poterat, vltimo variis, explicationibus arguit, quia Deus, vt causa propria, & particularis, Angeli in instanti creationis ex præuisione peccati eius pro eo instanti futuri, poneret de se, motuque proprio connexionem, & determinationem aliquam cum peccato; ac prudenti, moralique æstimatione, æque, ac si physicam, & necessariam (quam adeo Thomistica nostra Iesuana schola exhorret) indecenter suæ sanctitati, & virtuti, nec aliam ab ea, quam Maritus, & Pater peccata vxoris, & filiorum præciens, si aliquid agat, vel aliud, non amoueat, & nihilominus illud præstet, vel hoc non amoueat, ac subinde, ea peccata solum permittat: & tamen ob hanc solam determinationem, & connexionem cum peccati permissione pura ab eis appositam, eorum peccata, vt causæ Marito & Patri omnium sententia imputantur.

5. Hæc summatim omnia sunt, quæ per vndecim totas sectiones, cum, vt peculiarem hanc suam meditationem suadeat, tum vt eam contra varias hinc inde quæsitas instantias aduersas obfirmet, versat, inculcat, & voluit præfatus Quiros. Sed tota hæc meditatio in primis despecta à Patribus cunctis fuit (vt contra ipsos esse non censeatur) imo vero adeo extra hominum iudicium rationabile est, vt, ne paganis quidem aliquantulum sapientibus, in mentem venire potuerit, celebris enim, & vetus illa inter alias quæstio, Paganorum antiquis Patribus proposita fuit cur Deus præsciens Angelum, & hominem peccaturos, si createntur, eos nihilominus creauerit? Nemo autem ex Patribus, imo neque ex Paganis, eam quæstionem, proponentibus dubitauit (nedum cessuit) ex creatione Angeli eius peccatum in quocumque instanti esset (de quo vt inutili ad quæstionis decisionem, non curant) fore, vt causæ, & authori tribuendum Deo, sed vt summum ex præscientia futuritionis peccati si conderetur, ex qua conditus, & creatus à Deo fuit: quod si ex ea non conderetur nullam esse quæstionem Patres, & Pagani ipsi eam proponentes putarunt. Secundo, eandem esse difficultatem in creatione Angeli, & primi hominis, Adæ, & Angelorum, tam Pagani proponentes, quam Patres respondentes putarunt, cum tamen hic Recentior longè aliam esse de primo instanti creationis Angeli, & prima conditione hominis; quia ad exigentiam materiæ dispositæ infusa anima, simulque fuit ipse productus, Deo eius peccatum imputandum non sit; vti Angeli peccatum pro primo instanti creatori Deo imputatur, quia de se se, nullo exigente, ac subinde

subinde pure gratuito, & eo sensu supernaturaliter, illum Deus creauit, secus Adamum, vt exigentiæ materiæ, atque prouisoris naturæ non deficeret. Tertio quam vtile discrimen, hoc, & ratio huius, Recentioris pro impeccabilitate absoluta Angeli in instanti creationis, vel inde constat: quod Patres, ac viri spirituales omnes æque gratiosam nobis liberalem, & misericordem nostram primam productionem, atque Angelis creationem reputant) cuiuscumque generis, & ordinis prima vtrorumque productio sit: nec minorem nos pro nostra prima productione, quam Angelos pro sua creatione gratiarum, actionem proportione ad naturam ab ipso acceptam debere; tametsi ad nostram productionem exigentia præfata præcedat, secus ad Angeli creationem.

6. Ratio autem huius est, quia & exigentiam ipsam Deus de se donat, cum materiam, & dispositiones, (quæ tota exigentia præfata sunt) produxit, atque, vt essent aliarum etiam causarum interuentu, & concursu disposuit: sic enim totum tandem de se solo gratuito, liberaliterque, quod homo est donat, cum quidquid exigentiæ productionem eius antecessit, vnde naturæ iure aliquo conditus à Deo homo contenditur, Deus ipse donauerit; quæ ratio clarius robur suum ostendit, in Protoparentum nostrorum Adæ, & Euæ prima conditione in qua nullius agentis naturalis interuentu, & actione media, simul semelque, & dispositiones, & animum rationalem materiæ induxit, atque hominem produxit. Vlterius Recentioris huius meditatio tota prauæ intelligentiæ gratiæ, & diuisionis eius in gratiam creationis, seu naturalem, & supererogatam naturæ, eiusque viribus, seu supernaturalem, & quæ Deo, vt naturæ authori, & prouisori tribui nequit, subnittitur; etenim quidquid naturam totam integrat, à Deo, vt naturæ authore primo producitur; tametsi nullo exigente, libereque & gratuito producatur: quare rerum omnium, naturalium, seu naturam integrantium productio: & subinde Angeli creatio, gratia quidem, sed creationis gratia est quæ etsi à solo Deo, tamen, vt naturæ authore, non minus, quam conseruatio, ac reliqua, quæ postmodum ad naturæ exigentiam à Deo proueniunt: vnde Angeli, vel cuiusvis alterius intra creatam naturam contenta productio propria, etiam pro instanti primo, atque vt ab eius conseruatione distinguitur, supernaturalis gratia non nisi abusve de Pelagij sensu dici potest, qui ea voce gratiam Dei ad meritorie, & honeste operandum requisitam admittere simulauit, Patres vero vbi eius simulationem dispexerunt non de creationis gratia, sed de supernaturali necessario, & catholice admittenda, ne hæresis damnarentur cum ipso, contendere reclamarunt, video hunc Recentiorem, non eo sensu stricto creationem Angeli gratiam supernaturalem appellasse, sed quatenus nulla naturæ exigentia Angelus creatur vti etiam gratia supernaturalis nullo ex naturalibus exigente producitur; sed tamen, cum Angelus ipse eiusque prima productio, seu creatio, intra naturam omnimode sint, supernaturalem creationem nullatenus dicere deberet: & si, tam ipse, quam gratia supernaturalis nullo ex naturalibus exigente, sed quasi proprio Dei motu, ac subinde liberaliter, ac mere gratuito producantur.

7. Porro ex his præcipua ratio huius Recentioris euanescit, siquidem constat Deum, vt vniuersalem naturæ authorem Angelos, in primo etiam instanti creasse, ac proinde, ex præualenti hoc iure (vt hic Recentior fatetur creare eos potuisse) etsi pro eo instanti peccaturos, quin ipsi eorum peccatum, vt causæ, & authori imputaretur: insuper, & si omnino gratuito prima rerum productio, & Angeli in instanti primo creatio, ex nullo debito, vel sibi, vel creaturæ alicui naturali à Deo proueniat, ac proinde Deus ex se solum, puroque libito suo, ac proprio motu ipsos pro eo instanti, atque, vt causa particularis eo sensu creet, ideo tamen est, quia habet erga creata omnia, etiam naturalia, particulare dominium absolutum, & ius sibi speciale, ad ea producenda, vel non producenda, quod æque aliis iuribus præualeat, atque ius causæ vniuersalis, vt non debeat vitare, aut impedire peccatum creaturæ, quam producit, sicut nec causæ particularis creatæ tenentur actionibus abstinere, ad quas ius habent, ex quibus alterius peccatum futurum prænoscunt vt illud impediant, ne ipsis peccatum imputetur, verbi gratia, fœmina egressu domo non deuotionis, & pietatis solum, sed animi etiam gratia, abstinere non debet, etsi in via occursurum hominem, & in aff. ctum eius turpem incursurum prænouerit, vt hoc peccatum impediat, ne sibi imputetur, quod vrgetur ex huius Recentioris doctrina memorata, num. 4 Deum scilicet non teneri impedire peccata creaturæ rationalis auxiliorum efficacium, vt non peccet, collatione, idque titulo causæ vniuersalis, (quod etsi mirabili discursu ibidem recitato, neque ab aliquo Theologo hactenus excogitato, nec deinceps admittendo probat) inde eius manifeste contra huius Recentioris intentum, & conclusionem euincitur: Deum non teneri abstinere Angeli pro primo instanti peccaturi creatione, vt eius peccatum impediat, ne ipsius creatori Deo, vt causæ imputetur.

8. Confirmantur hæc omnia ex collatione auxilij gratiæ sufficientis ad non peccandum, ex quo futurum creaturæ rationalis peccatum Deus optime & infallibiliter prænouit, quod ex iure supremi Dominij in supernaturalia dona sua de se solo, nulloque alio exigente, ac motu proprio. Deus producit, ac donat; & tamen peccati illius author, & causa non est, quia ex iure, & titulo hoc præualenti operatur: ac subinde non tenetur creaturæ peccatum impedire, ne ipsi, vt eius causæ imputetur; tametsi merito, & patri, filij, & vxoris peccata quæ non impedit cum possit, imputantur, in iis circunstantiis, in quibus, ex capitis, & superioris ipsorum munere, ea impedire, ac non permittere tenetur: quare nec gratiæ illi sufficienti imputantur, neque vlli gratiæ, aut enti supernaturali relinquenti creatæ voluntati potestatem physicam, & libertatem in actu primo ad non peccandum imputari creaturæ peccata possunt, quantumvis à Deo de se, & proprio motu, scientiaque coniunctionis cum peccato, si ab ipso producantur, ea producat; dummodo non ex intentione peccati, & quia coniungendum cum peccato est, si donetur, sed potius ex seria intentione, vt tentatio vincatur, & vitetur peccatum. Neque enim præscientia illa in entis supernaturalis cum peccato coniungendi productionem, donationemque influit, sed solum eius donationem, vt posset, non impediri, quæ ex sola scientia simplicis intelligentiæ de potentia vitandi peccatum, quam creaturæ affert, à Deo exercetur, vt de peccati permissione agentes ostendimus. Verum igitur est Deo de se se, ac proprio motu, nulloque ex naturalibus exigente, producenti, aliquid siue naturale, siue supernaturale imputandum peccatum si reiicit ab ipso productæ imputetur, falsum autem rei ita à Deo productæ imputandum, etsi coniungenda cum peccato creaturæ infallibiliter sit; ni peccatura creatura, per rem ita productam ex parte potentiæ, & actus primi physici ad peccatum prædeterminetur.

9. Id vero Angelo de se indifferenti ad peccandum, vel non peccandum pro instanti creationis, nequit natura sua conuenire; nempe se ipso prædeterminatum, vel prædeterminationem ad peccandum pro eo instanti esse ac produci: quare, nec eius creationi & creatori, sed proprio vitio, & libertatis ab vsui eius peccatum pro eo etiam instanti tribui debet, aut potest, sicut, & pro instantibus reliquis durationis suæ, quod autem contra hoc ait ex nescio quibus Doctoribus, qui substantiam supernaturalem repugnare docent, quia peccabilis esse non posset, quin Deo esset imputabile peccatum, vt eius causæ, & authori, etsi libero arbitrio suo substantia illa peccaret, ratio non Doctorum communis, nec alterius, quam

recentioris huius est ad substantiam supernaturalem negandam ; communis autem eam negantium est, quia impeccabilis, ac nusquam libertatem haberet ad peccandum. Postremum argumentum, quod poneret Deus determinationem logicam (quæ prudenti æstimatione, moraliterque tantundem valet, ac physica) si Angelum in instanti creationis peccaturum creasset contra peccati permissionem, in quauis sequenti duratione militat directius. Cum determinatio logica peccandi proxima, & completa donatione auxilij sufficientis constituatur, non autem sola substantiæ peccaturæ productione ; quantum vero inter logicam, & physicam determinationem creaturæ ad peccandum, non solum physice, sed morali prudentum Theologorum æstimatione intersit, is solum nesciat, qui discrimen efficaciæ auxiliorum duplicis scholæ Thomisticæ, nempe Dominicanæ, & Iesuiticæ prorsus ignoret.

DISPVTATIO IV.

De statu viæ Angelorum, & iis quæ ipsis in eo statu acciderunt.

VIATORES aliquando Angelos omnes fuisse, atque in viæ statu, vt mortem, vitamve æternam benè à se, maleve gestis mererentur Dogma fidei est, quod nequeat, nisi hæretice negari, sed quibus instantibus, naturæne, & operationum Angelicarum, an temporis, & durationis physicæ viæ angelicæ status constiterit, quandiuque duranerit, ac demum, quid in eo statu boni, malive Angeli egerint disputationi Theologicæ subiacet. Deinde quidquid Angeli statum illum nondum egressi egerint, oportet distinctè examinare.

QVÆSTIO I.

De instantibus status & viæ Angelorum eiusque duratione.

DEFINIENDA tria in hac quæstione sunt. Primum de instantium, quibus via Angelica constat, quidditate. Secundum quot instantibus constiterit, an pluribus, quam duobus. Tertium de tota duratione, qua constitit de facto is viæ Angelicæ status.

CERTAMEN I.

Instantia, quibus Angelicus viæ status constitit quæstionibus Theologicis decidendis vtilia physicæ durationis fuere, essequeinceps Theologicis disputationibus debent.

1. HAc de re disputandum non esset, nisi ex antiquioribus scholasticis aliqui morulas quasdam, seu instantia viæ Angelorum, quæ proidde Theologica vocari solent, a physicæ durationis instantibus diuersa in scholas induxissent, ea verò singula instantibus, seu partibus physicæ durationis, quandoque pluribus, quandoque paucioribus, neque omnium Angelorum viæ æqualibus, sed breuioribus, in Angelis quibusdam, longioribus in Angelis aliis, pro cuiusque Theologi libito constant ; vnde inter se se æquiuocè, cæcoque marte, siue Andabatarum, vt dicitur, more, in quæstionibus pluribus ad viam Angelorum spectantibus decertant, instantia ergo Theologica viæ, ex actionibus, seu operationibus, siue instantaneis physice, siue duratione diuisibili, etiam die integro perseuerantibus componunt communiter ; ita, vt earum quæuis quandiu durat, nec aduersa operatione destruitur, vna morula, vnumque instans Theologicum sit : aduersa vero illam destruens, & succedens operatio, quandiu fuerit, & perstiterit morula alia, seu instans Theologicum viæ Angelorum : intelliguntautem, ex iis instantibus viam Angelicam componentes, per diuersas, & aduersas operationes, non quascumque, & quomodocumque diuersas, & aduersas, sed eas solum, quibus Angeli, ad patriam seu beatitudinem (quo quasi in via positi tanquam ad terminum tendere possunt, ac debent) rectâ progrediuntur ; vel quibus contra à via aberrantes ad tartarum, & mortem æternam viam capessunt. Viatorum quippe est rectâ ad terminum incedere, vel à via recta declinantes ab eo discedere, atque ad oppositum terminum pergere. Hinc constat actiones Angelorum indifferentes (si quæ sint) quibus nec ad patriam accederent, neque ab illa recederent instans seu morulam Theologicam status viæ Angelicæ iuxta hos Theologos non constituere.

2. Constat secundo, operationum meritoriarum gloriæ non solum, indiuiduam, sed specificam etiam, vel genericam diuersitatem, etsi eis, ad vitam æternam Angeli pergant in eadem duratione siue instantanea siue diuisibili, quia aduersæ non sunt, & quæ se mutuo destruunt, sed quasi gradu vno ad vitam æternam, seu terminum viæ obtinendum incedunt, diuersa instantia Theologica non constituere ; eodemque pacto operationum prauarum, ac beatitudinis demeritoriarum, quibus ad æternam itur damnationem, ab Angelis malis pluralitas eadem duratione, siue diuisibili, siue indiuisibili amice coniungibilium, ac de facto coniunctarum instantium Theologicorum, seu morularum viæ Angelicæ apud prætatos Theologos pluralitatem non facit, ob eandem rationem : quia, etsi eæ operationes diuersæ physicè sint, tamen in ordine ad terminum, ad quem eis malii Angeli pergunt, nempe æternam damnationem, & à quo recedunt, beatitudine scilicet æterna aduenantur, & continuantur : quare, neque adæquate distinguuntur, vt plura absolute instantia Theologica horum Doctorum sensu nec dici absque inconsequentia queunt, quam eorum non pauci incurrunt. Est autem ratio assignata : quia instantia propria physica (quorum ad instar Theologica hæc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

metaphorica viæ Angelicæ ab his Doctoribus excogitata sunt) successum vnius ad aliud, quo succedente excludatur, & supponatur transiisse essentialiter importet; quare operationes, seu actus Angelici, qui in ordine ad terminum ad quem ipsis tenditur, sibi non aduersantur, & mutuo repugnant, sed amice fœderantur, & sibi coexistunt, instantia Theologica, & physicorum instantium temporis imitatiua, esse non possunt.

3. Inde Theologi alij instantia seu morulas Theologicas Angelicæ viæ, voce statuum, in quibus Angeli ab instanti creationis, vsque ad bene malevue authorum retributionem, ac præmij, pœnæve mercedem iustam extitere, explicarunt, triplicemque designant. Primum gratiæ, in qua creati à Deo sunt. Secundum quo bonis operibus meritoriis, ac præsertim præcepti ipsis impositi obseruatione boni Angeli in illa perseuerarunt, & auxerunt; mali vero contra demeritis suis, ac præcepti transgressione ab ea excidere. Tertium: quo boni in gloria æterna collocati sunt: mali vero in infernum detrusi. Ex his autem tribus statibus, tertius non ad viam, sed ad terminum ad quem per illam Angeli peruenerunt spectat, quare duobus solum statibus, siue instantibus Theologicis sensu explicato, via Angelica, proprie via, constitisse censenda est: altero scilicet creationis in gratia, altero meriti, aut demeriti, in quo aliqui Angelorum in ea perstiterunt, altero, quo alij ab ea receßerunt. Dixi autem idem hos Doctores intelligere nomine statuum viæ Angelicæ, atque alios nomine instantium, ac morularum: cum vtrique per ea, quæ in instanti creationis Angeli habuerunt statum, seu instans primum Theologicum viæ intelligant. Secundum vero per actus meritorios, aut demeritorios, quibus ad patriam progressi sunt, vel ab ea deuiarunt. Cæterum ex hac instantium, seu statuum viæ Angelicæ intelligentia, & acceptione cæco, & inconsequenter, vt dixi, eorum plerique (ne dicam omnes) in rebus hisce discurrunt, vt generalioribus notatis, ne cuiusque singularia prolixe, & inutiliter referam, ac refellam iam ostendo.

4. In primis ex eis plures gratiam, & reliqua dona supernaturalia præter auxiliantem gratiam meritis, & libera sua dispositione in instanti suæ creationis Angelos obtinuisse docent (imo, & gratiam ipsam auxiliantem docuerunt non pauci, qui meriti principium sub meritum ipsum cadere posse, ac de facto veniße, censebant, vt supra retulimus, & cursim confutauimus, ex dictis controu. de Incarnat. & controu. de merito. Hi vero duo illa instantia, seu status viæ primum instantis creationis, & secundum meriti, aut demeriti vitæ æternæ admittere non possunt, quin instans, seu statum viæ Angelicæ diuersimode magna, & indigna æquiuocatione, vsurpent. Etenim in instanti creationis actiones meritorias gratiæ, ac subinde gloriæ horum sententia in bonis Angelis fuere, quibus ad gloriam, & patriam gradiebantur, æque atque in instanti, & duratione sequenti: ergo in eo instanti æquæ atque in sequentibus fuit instans, seu status Theologicus, secundus, quem ex actibus meritoriis constituunt: ergo ita acceptis instantibus, & statibus, Theologicis viæ Angelicæ, non duo instantia, seu status viæ Angelicæ, sed vnus, & idem diuisibili duratione continuatum, ac duplex status, seu instans Theologicum in creationis indiuisibili instanti physico inclusus asseri debet; ni primum instans creationis physicæ durationis accipiatur, & ex physico hoc instanti, & alio Theologice accepto in duratione sequente indigna æquiuocatione instantium, seu statuum viæ Angelicæ binarium illud componant.

5. Secundo hi, Doctores omnes alios secum in compositione viæ Angelicæ, per status seu instantia hæc Theologica conuenientes, addentesque præmium, vel pœnam in eodem instanti, quo alteruttum meruerunt, bonis, ac malis Angelis obtigisse reiiciunt, quod vnum tantum instans, & statum viæ Angelicæ, etiam vt terminum claudit, admittant (id autem, si instantia, & status viæ Angelicæ Theologico sensu, quo vtrique volunt accipiatur, non infertur, cùm meritum præmio, ac pœna prius Theologica acceptione sua instantium, & statuum naturæ & causalitatis, ac subinde diuersum instans ab effectu, præmij, vel pœne proculdubio sit, & quod in eodem instanti physicæ durationis cum effectu, seu instanti illo, præmij, vel pœne coniungi per obiicientes, ipsos non repugnat: ac subinde, nec vnico solum instanti physicæ durationis vtrumque instans Theologicum viæ Angelicæ, & termini coniungi (quidquid Vasquez d. 229. cum asseclis reclamet) quorum fundamenta, hoc instantium Theologicorum, viæ Angelicæ sensu, & acceptione vim non habent, vt ostendimus supra, tametsi sensu, alio viæ eius per instantia physicæ durationis diuersa constitutæ vim eorum aliqua haberent, certe Vasquez ipse c. 11. §. 1. fine fatetur recte, quod supra contra reliquos inferebamus, nempe, in Angelis bonis vnicum tantum instans viæ ob meritoriam actionem sequenti duratione continuatam, ac perseuerantem fuisse, in malis vero, qui sequenti duratione ad instans creationis à gratia, & actione, meritoque vitæ æternæ defecerunt, duo esse instantia assignanda, quod tamen, & si in ea instantium acceptione legitime, vt diximus, inferatur, æquiuocationibus obnoxium est, cum breuiorem viæ statum bonis, quam malis constitutum sonet. Idem item Vasquez cap. 10. citato num. 43. instantia hæc Theologica per operationes Angelicas non interruptas designari ait: quia duratione intrinseca ipsarum operationum Angeli, indiuisibili in se, & à successiuo, indiuisibili tempore independente, tametsi coexistente, & quæ maiori, vel minori tempori, pro Angeli arbitrio, vel aliunde, tamen intrinsecus inuariata coexistat, tanquam instantibus, quibus potest, æuum Angeli intrinsecus etiam indiuisibile, etsi extrinseco tempori diuisibili coexistens, ac mensurabile componitur, vt docuerat d. 35. cap. 2. quare viæ Angelicæ intrinseca instantia per operationes Angelicas possunt solummodo recenseri. Verum doctrina hæc de indiuisibili duratione in se, ac tempore mensurabili, cùm æui, tum operationis Angelicæ, vel rei cuiusuis creatæ, mysterium mihi semper fuit, nunquam vero credendum, ac nusquam credibile, vti plura alia de naturalibus Angelorum facultatibus actibus, & affectionibus vulgo asserta de quibusuis exacta discursione, nec sola ex aliis transcriptione tom. 2. nostræ Philosophiæ, controu. vltim.

6. Denique Soar. noster multus hac in re, vti in reliquis, nec semel durationis siue instantium viæ Angelicæ variam, incertam, nec satis cohærentem doctrinam, & regulas tradit lib. 5. c. 11. & 12. lib. 6. cap. 12. & 13. & lib. 8. de malis Angelis. Aliquando enim eam per nostri temporis instantia explicat: aliquando per Angelorum actus, seu operationes: aliquando vero actum vnum supremi Angeli, vnum instans, pro omnibus actibus appellat, vt bene obseruauit Arriaga d. 20. sect. 5. initio. Censeo ergo, cum hoc Doctore de duratione, & instantibus, seu morulis viæ Angelicæ (quidquid de diuisibilitate, vel indiuisibilitate durationis intrinsecæ Angelicorum actuum, & operationum, æuique Angelorum sit) disputantes, non nisi de instantibus, seu morulis, & partibus temporis, nostri, quibus viæ status Angelicus coexistit, ac respondit disputare debere. Tum, quia, quouis modo intrinseca instantia morulæ, & duratio viæ constituantur instantibus morulis, seu partibus temporis nostri pluribus, vel paucioribus, vt mox videbimus cert. 2. coexistisse, eisque fuisse viæ statum totum commensuratum certum apud omnes est. Tum, quia nos, pro hoc statu, status & morularum durationis viæ Angelicæ magnitudinem mensurare, atque hucusque peruenisse, nec vlterius protractum definire aliter non possumus. Tum, quia aliter singulis quæstionibus ad statum eius viæ attinentibus in æquiuoco laboratum plerumque à Doctoribus fuit, ac deinceps laboraretur, vt vidimus. Tum denique, quia quæstiones pleræque ex præfatis aliorum instantium, & morularum viæ Angelicæ

intelligentiæ inanes, & ridiculæ sunt v.g. An in eodem viæ instanti meriti Angelorum potuerint habere præmium beatitudinis? quæ sane alio instantium Theologicorum sensu eadem cum hac quæstio erit: an actio Angeli meritoria beatitudinis possit, cum suo effectu scilicet beatitudine identificari, ac proinde ad idem instans, & prius naturæ, quod supponit pertinere? quo nihil ineptius, & repugnantius vocari in quæstionem potest.

CERTAMEN II.

De duratione temporaria viæ Angelicæ instantibus morulis, & magnitudine vniuersim definitur.

1. Dico primo: status viæ Angelicæ instanti vnico creationis, quo primum Angeli absolute existere absolutus non fuit. Probationi solidæ suppono (quod omnes supponunt, nec potest vllus dissiteri, quia in statu viæ, & via, de quibus agimus, essentialiter claudituꝛ) statum viæ esse statum bene, maleue merendi, ac viam ipsam esse meritum, vel demeritum, quibus, vel ad patriam, & beatitudinem, vel ad tartarum, quasi, quibusdam gressibus rationalis creatura in viæ statu posita ambulat & contendit. Probatur communis omnium Theologorum (vno, vel altero, ex vetustioribus excepto) conclusio. Primo, quia via Angelica in Dæmonibus instanti illo primo creationis finita non fuit. Patet quia in primo illo instanti demeritum, & peccatum non habuerunt sed gratiam independenter prorsus à meritis peccato, non solum formaliter & consequenter, sed ex modo eam habendi antecedenter etiam repugnantem, & incompossibilem: ac subinde instans seu duratio alia sequens viæ malorum Angelorum designata, dataque à Deo de facto fuit, in qua demereri, peccareque possent, ac deficere, vt de facto peccarunt, ac defecerunt; ergo nec via Angelorum instanti illo primo creationis absoluta fuit. Probo consequentiam: quia in gratia etiam independenter prorsus à meritis creati Angeli boni reliqui sunt, ac proinde, cum impossibilitate, non solum consequente, sed, & antecedente peccandi pro illo instanti creationis: atqui Angeli boni reliqui ita in gratia creati à Deo sunt, vt ab ea deficere, & gloriam demereri peccato suo, ac infernum mereri in via absolute potuerint, æque, ac Dæmones, qui defecerunt, vt Augustinus sæpe Patresque alij, atque Theologi constanter docent: ergo Angelorum omnium, etiam bonorum, viæ vltra primum instans creationis sequens aliud instans, seu duratio donata, ac designata à Deo fuit. Secundo probatur conclusio: quia æquum fuit, vt tempus aliquod Angelis daretur, vt constantiæ, & perseuerantiæ in bono, in quo creati à Deo sunt, vel inconstantiæ experimentum caperetur: maximè, cum ex alterutro summæ fælicitatis vel infælicitatis pondus tantum penderet. Tertia, & efficax probatio est, quam statim subijcio pro secunda conclusione negatiua adhuc de possibili à qua ad negatiuam de facto est ineuitabilis consequentia etiam logicis puerulis nota.

2. Dico secundo. Conclusio viæ Angelicæ intra vnicum instans, est absolute, adhuc diuinitus, impossibilis. Non habet tot Patronos, ac conclusio præcedens. Imo ex non adeo antiquis scholasticis nullum, vt ex eius probatione, & fundamento vnico clarebit, est tamen non paucorum, nec leuium Doctorum ex antiquis, & vi fors consequentiæ iure Granados, & Arriaga deberent consentire, vt mox ostendam. Probatur conclusio: status viæ rationalis creaturæ cuiusuis est status merendi, vel demerendi, & via ipsa actualis exercita operatio, eius honesta, & meritoria, vel demeritoria, & turpis, siue actuale meritum, vel demeritum: ergo status viæ Angelicæ, & via Angelica ipsa debet esse status, qui eam durationem claudat, in qua meritum vel demeritum Angelorum absolute, & prorsus non repugnet, sed potius sit absolute possibile. Patet: quia alias esset status possibilis, viæ seu meriti, ac demeriti, repugnantis contradictione manifesta. Atqui status viæ Angelicæ, qui solum claudat vnicum instans creationis primum, quo via tota Angelica claudatur, non importat durationem, in qua meritum, vel demeritum, sit absolute possibile; ergo status viæ Angelicæ primo, & vnico instanti creationis inclusæ, nec ad vlteriorem durationem extensæ est prorsus impossibilis. Subsumptum antecedens proximum probatur. Implicat prorsus meritum, ac demeritum operationis Angelicæ sine libertate absolute exercita: implicat autem libertas absolute exercita operationis in instanti vnico: ergo status viæ vnico instanti creationis conclusæ, ac finitæ non importat, durationem, in qua sit meritum, vel demeritum absolute possibile, sed prorsus repugnans, & impossibile: quare status viæ Angelicæ non potest, non ad vlteriorem aliam durationem post instans primum creationis extendi. Minorem proximi syllogismi stabiliuimus, d. 3. eiusque veritati nescio, quo pacto nostri Granados tract. 13. d. 2. & Arriaga citat. lect. 5. subsect. 2. n. 58. §. *Dico secundo*, non annuerint, docent enim actum liberum, qua talem, sibi vendicare tempus, seu durationem diuisibilem, qua perstet, ac perseueret; si autem iuris, & potestatis arbitrij & creatæ libertatis est, posse absolute in vnico instanti plena deliberatione, libere operari: idem ius, & potestatem absolutam in instanti, & duratione, quauis minutula immediate sequente elicentiam suæ liberæ operationis habebit: ac subinde poterit ab ea illico cessare, cum quo repugnat operationem liberam de se se per durationem aliquam sibi vendicare: solum ergo id verum habere potest ex impossibilitate plenæ deliberationis, & exercitij creati liberi, absolute talis, à creata voluntate in vnico solum instanti, ex quo secundum conclusionem præsentem, & aliam de impossibilitate meriti Angelorum in instanti suæ creationis irrefragabiliter, contra hos etiam Doctores intulimus.

3. Dico tertio: status viæ Angelicæ instanti physico durationis, vel immediata parte proportionali sequente addita finitus, & adæquate conclusus, atque absolutus non fuit. Nolui alligari conclusionem sententiæ componenti continuum, siue permanens, siue successiuum, ex puris indiuisibilibus (tametsi ei subscripserim, dummodo non finita cum Cenone, sed infinita cum Aristotele, vt æstimo, esse dicantur) vel sententiæ aduersæ illud componenti, ex indiuisibilibus, & partibus proportionalibus: tum, quia alias Theologica, hæc disputatio magnam partem, ni tota, vt apud alios video, physica redderetur: tum quia eius veritas, & ratio ex alterutra continui compositione, non pendet. Sic censet Soar. noster citat. c. 12. Quiros citat. d. 72. sect. 1. n. 2. eſique iam omnium, non admodum veterum Theologorum conclusio, eam probat Arriaga vbi proxime iuxta suum illud, & citati Granados principium de necessitate aliquandiu perdurandi, semel elicitæ liberæ operationis creatæ, ac subinde Angelici in instanti creationis, vnde Angelos non habuisse libertatem ad peccandum, in sequente immediata duratione, siue diuisibile, siue indiuisibili certo infertur: cum actus v. g. ille amoris Dei super omnia libere ab Angelo in creationis instanti elicitus per durationem sui productione aliquam immediate sequentem independenter à nouo exercitio libertatis Angeli eiusdem ex primo illo creationis instanti deferat: quare quousque duratio illa immediata exacta fuerit nulla Angeli illius libertas abscendendi ab amore Dei super omnia & peccandi esse absolute potuit. Atqui certum Patribus, & Theologis est Angelos omnes tam bonos, quam malos potuisse dum in statu viæ fuere absolute peccare: ergo Angelorum via, eiusque status vltra durationem illam sequentem immediate, & instanti creationis

adiun

adiunctam, & continuam totam, per quam amor ille Dei perduraturus de se necessario est porrectus, extensusque, quoad durationem, fuit, vlterius aliquid durationis addit, certe, ni principium illud, cum elicientia absolute libera amoris Dei super omnia, ab Angelo habita in primo illo, & vnico instanti creationis pugnaret, vt vidimus n.2. legitime præsentem conclusionem inferret, sed neque ex ptincipio nostro (cui Arriaga, & Granados inconsequenter defecerunt) de impossibilitate absolute liberæ, & meritoriæ operationis Angelicæ, & creatæ cuiusuis probari posse hæc conclusio videbitur. Siquidem operatio Angeli præcepti in primo creationis instanti propositi obseruatiua, vel transgressiua, immediate sequente instanti, vel durationc elicita non instantaneæ deliberationis, & exercitij libertatis, sed diuisibilis durationc (in qua plena deliberatio, atque libertatis exercitium absolute esse potest) haberetur. Sed de hoc conclusione 4. de possibili.

4. Hæc vero tertia (quæ de facto solum est) melius à citatis Doctoribus, atque ab aliis communiter probatur, eis, quæ in via, eiusque statu Angelis contingente, nec adeo breui durationc instantis primi creationis, & immediate sequentis instantis alterius vel proportionalis solum partis temporis, agi, atque euenire potuerunt, fuit enim prælium illud Michaëlis, & Angelorum, cum Diabolo, & sequacibus memoratum Apocal. 12. in suas partes variis suasionibus, ac motiuis alios trahere conantibus, non solum eos, qui circa præcepti transgressionem, vel obseruantiam nondum plene deliberauerant, sed qui ex plena etiam deliberatione obedierant, vel violauerant præceptum, & peccauerant, his peruertere bonos, bonis vero malos à peccato auertere contendentibus. Hoc autem totum breuicula adeo durationc, & quæ duorum indiuisibilium instantium, vel proportionalis præcise pars temporis est, fieri non potuit. Etenim initio deliberationis nullius suasione, à Deo solo cogitationes, ad vtrumque, & motiua proposita sunt, atque, vt diximus, non instantanee, sed necessario durationc aliqua diuisibili habita, habendaque, vt absoluta plena deliberatio transgressionis malorum, & obedientiæ, & obseruationis bonorum esset, quin ad primam aliorum deliberationem, vel bonam, vel malam, aliorum deliberatio vllatenus influxerit, sed solum comitanter, & simul tempore quisque suam deliberationem habuerit: simul autem dico de Angelis, non omnibus, sed iis, qui æque perfectæ naturæ, tam in bonis, quam in malis fuerint, cæteris ad deliberandum requisitis entitatiue, ac physice paribus. Etenim perfectioris naturæ Angelos tam ex parte intellectus (saltem, cum ex cogitationibus, non intuitiuis, sed abstractiuis consultatio, & deliberatio, vt in re præsente habetur) quam ex parte voluntatis, expeditiores in deliberando, ac cæteris ad id requisitis paribus promptius deliberaturos ostendimus: supra cætera vero ad deliberandum requisita Angelis perfectioris naturæ paria fuisse, & quam aliis naturæ imperfectioris, perfectiora certum est? cum id ex rei natura proueniat, iuxta quam de facto prouisum à Deo cuique Angelorum fuisse tenendum est: maxime, cum gratiam & dona supernaturalia (quæ Angelis naturæ iure nullatenus, debebantur exactiuo) tamen plura, & maiora, minoraue, & pauciora, iuxta naturæ cuiusque perfectionem maiorem, vel minorem Angelis donata in instanti creationis fuisse cum communiori Theologorum sententia docuerimus.

5. Cum ergo prima deliberatio, tam in bonum, quam in malum perfectissimorum in natura Angelorum durationem diuisibilem requisierit in qua tota deliberationi propriæ Angeli intenti fuere, quin eorum aliquis alterius deliberationem suasionibus sollicitauerit, vel attenderit, infertur: vltra durationem aliquorum instantium (nec duorum, vel trium solum, partis, vt ex conclusione 4. patebit, partisue proportionalis instanti creationis immediate adiunctæ, & continuæ) insumptam in propria, cuiusque deliberatione circa præcepti obseruationem, vel transgressionem ab Angelis chori, & gradus hierarchici, etiam supremi (ad quem Michaël, & Lucifer pertinebant) aliam durationem viæ Angelorum addendam, in qua obedientes, & transgressores gradus hierarchici eiusdem motiuis meditati propositis, suasionibusque in suas quique partes alios trahere contenderent, atque aduersas reiicerent, & confutarent: id quod, nec instanti vnico, nec admodum paucis, nec breuicula alia durationc fieri potest. Accedit: quod prælium non fuit solum inter Michaëlem, & Luciferum, & Angelos eiusdem gradus hierarchici cum ipsis, sed inter alterutrius assecias & sequaces graduum etiam inferiorum, quibus, & ad deliberandum, & sequendum ex iis alterutrum, durationc maiore, pro cuiusque inferioritate opus fuit. Tum etiam, vt aliis suaderent duratio vlterior opus vnicuique fuit, & iis, quibus suadebant, vt denuo deliberarent, & à præhabita deliberatione absisterent, & oppositum suadentibus acquiescerent, vel in præhabita perseuerarent: ex quo plane deducitur, iis omnibus prudenti iudicio perpensis, non qualicumque parte proportionali durationis, nec qualibuscumque, sed durationc determinata, & aliquota instanti creationis adiuncta viam Angelorum constitisse. Porro non solus Lucifer, & Michaël, ipsisque coæquales in naturæ perfectione præfato modo pugnarunt, sed alios alterutrius sequaces (quorum plures inferioris naturæ fuere) atque alios ad suas partes trahere donati sunt, quousque demum absoluto viæ tempore, & statu, qui in malo perstiterunt, è cælo sunt cum suo Duce deiecti.

6 Dico quarto. Nec de potentia absoluta via Angelica potuit duobus tribuere, aut paulo pluribus durationis instantibus, aut minima (si est) parte proportionali finiri. Probatur facile ex iacto supra & proxime repetito principio: quia in Angelis, qui de facto sunt, viginti septem Angelorum species perfectiores, ac perfectiores ab infimis Angelis ad supremos inueniuntur: qui pro speciei suæ perfectione maiore expeditioris, promptiorisque deliberationis sunt, aliis specierum inferiorum, ac proinde, qui minore durationc, quam inferiores possint deliberare; nemo autem, etiam speciei supremæ Angelicæ absolute possibilis, potest instanti vnico, & creationis deliberare, sed diuisibilem durationem (saltem duorum in tantum, vel minimę partis proportionalis) ad plenam deliberationem essentia sua requirit indispensabiliter, vt vidimus: ergo viginti sex species inferiorum amplius, & amplius durationis essentialiter, & indispensabiliter requirent, vt plene deliberent. Cum ergo viæ duratio, & terminus cunctis Angelis idem, & communis præstitutus à Deo sit (vt cert. 3. n.2. concl 5. videbimus) oportuit tot instantibus, seu maioribus partibus proportionalibus durationis viam Angelicam constantem præstitutam fuisse, quot infimæ hierarchiæ, & speciei Angeli ad plene deliberandum, præ naturæ suæ imperfectione maiore opus habebant, nimirum viginti sex partibus, seu instantibus extensiorem. Vrgetur: quia inter quamuis speciem, & proximam aliam, siue inferiorem, siue superiorem quæ de facto sunt) infinitæ aliæ sunt possibiles, inferiores, & superiores, quibus maior, vel minor duratio, ad plene deliberandum est opus. Vrgetur secundo: quia nec species suprema, Angelorum qui sunt, est suprema ex speciebus possibilibus, sed infinitas superiores possibiles habet, quare, & ipsa infinitis, instantibus, seu partibus proportionalibus pluribus eget, vt plene deliberet, quam suprema species possibilis, quare infima ex creatis infinities infinitis, egebit: quare determinata & aliquota duratio viæ necessaria erit.

CER

CERTAMEN III.

Viæ Angelicæ durationis extensio, quantum absque diuinatione potest, determinata taxatur.

1. QVantum vero fuerit tempus illud viæ Angelicæ præfitum, & an fuerit Angelis omnibus commune? inquiri adhuc potest, & quoad communitatem durationis, status viæ pro Angelis omnibus negandum forte alicui videatur, quia, cum Angeli naturæ perfectissimæ, quam citissime, siue in obseruatione, siue in transgressione deliberauerint, & reliqui, quo perfectioris naturæ, quam alij erant, citius, & citius imperfectioribus deliberaturi minori viæ duratione, quam alij imperfectiones opus habebunt, vt actibus suis æternam salutem, vel pœnam de condigno mererentur, imo, & immerito, ac demerito malitiaque sua perseuerarent: tandiu, quandiu, imperfectioris, tardiorisque deliberationis Angeli perseuerate in alterutro possent termino durationis viæ eodem, & communi statuto: ac proinde, vltra tempus necessarium deliberationi vniuscuiusque, reliquum otiose, ac de superfluo ipsius viæ tr bueretur: maxime, cum iuxta vulgatiorem opinionem locus, seu tempus pœnitentiæ Angelis malis datus non sit, ac subinde nec fuerit eorum in malo obstinata perseuerantia, & diuturnitas peruicax expectanda, vt damnarentur. Confirmatur: quia, plurium sententia, natura sua inflexibiliter, obstinantur Angeli mali in malo, quod semel admiserunt: quare nec pœnitentiæ locus, nec experimento persistentiæ in mala voluntate durationis extensione post peccatum admissum captando necessitas esse potuit: siquidem ex eius admissione semper perduraturum certo, certo ex eius inflexibilitate naturali à Deo cognoscebatur: quod si statim, atque quiuis Angelus malus deliquit, status viæ finitus vnicuique est, & damnationis æternæ inflictum supplicium, bonis etiam Angelis vbi primum præcepti obseruatio peracta ab vno quoque est, viæ etiam status ipsi finietur, atque æternæ gloriæ præmio donatus iure censebitur: ne morosior, difficiliorque Deus in præmio donando, quam in supplicio infligendo putetur. Diuersa ergo cuiuis Angelo viæ duratio non eadem æqua omnibus fuit, aut æqualis, sed cuique propria, maiorque vel minor, prout cuiusque deliberatio longior fuit, aut breuior, vt constat.

2. Dico tamen primo: viæ Angelicæ duratio, æqua, & eadem fuit Angelis cunctis, & communis. Probatur ex memorato prælio bonorum malorumque Angelorum Apocalyps. 12. & hactenus explicato certam. 2. constat enim illud à Michaële, & Angelis eius cum Dracone Lucifero, & eius Angelis apostatis, & transgressoribus fuisse commissum, vt quisque alios in suas traheret partes: id quod nisi in viatoribus Angelis fieri non potuit: constat item ex eodem Apocalypsis capite eorum omnium concertationem, ac subinde viam durasse, quousque damnati postremo, ac cælo Lucifer, & assecłæ contumaces deturbati sunt: quare dæmonum via æquæ, eiusdem, & communis ipsis durationis fuit, cum autem totum id viæ tempus prælio illi ancipiti, & cunctis Angelis communi datum à Deo sit, cum, vt bonorum constantia, & perseuerantia vel, si qui lapsi ex eis aliquando, pœnitentia, resipiscentiaque innotesceret & sanctis eorum partibus horum hortatu, & suasionibus accederent: eo prælio peracto, ac Dæmonibus Angelorum ministerio cælo detrusis, vlterior via bonorum expectanda non fuit, vt qui in eo se adeo strenue gesserant æterno præmio afficerentur, quam ea, quæ æterna pœna damnandis Dæmonibus satis Deo fuit, ne difficiliorem, ac morosiorem ad præmium, quam ad supplicium se Deus præberet. Iam aduersæ rationes nullius ponderis sunt. Prima: quia nec in nobis condignitas meriti, vbi primum est, viam finit nostram, sed perseuerantiæ bonorum, & lapsorum pœnitentiæ locus datur. Secundo, etsi doctrinæ non paucorum, ex vetustioribus de inflexibilitate Angelorum à semel concepto malo innitatur, vnde pœnitentiæ lapsis nec datum locum esse, nec dari potuisse legitime inferretur; ea tamen doctrina falsa est, & sapientioribus Theologis iam displicet; atque à ratione discordat vt quæst. 2. ostendimus. Postrema ratio à paritate viæ nostræ (quæ eiusdem, aut æquæ durationis pro omnibus non est sed diuersæ, & inæqualis, pro vno quoque, prout longior, breuiorue cuiusque vita est, morisque remotior, vel propinquior) puritatem non habet, sicuti, nec status viæ nostræ cum Angelica, vel contra, nec decreta libera Dei duratione viæ vtriusque vllam habent connexionem.

3. Quoad determinatam durationem tantam, vltra quam via Angelica non processerit, & citra quam finita non fuerit. Dico secundo: via Angelorum vltra diem, quo Protoparentes nostri tentati per serpentem, lapsique sunt extensa non est. Hæc conclusio certa mihique fere dogmatica est, & opposita, non solum temeraria, sed erronea. Probatur, quia eiusmodi tentatio, cui Protoparentes succubuerunt) fuit ab Angelo malo iam damnato, & Dæmone felicitatis humanæ inuido, atque hominum infensissimo hoste, qui Æuæ locutus per serpentem fuit, atque pomi esum, ac per ipsam viro Adæ suasit, vt Patres omnes consentiunt: hæc autem omnia, ac malis Angelis in via adhuc existentibus, nec facta sunt, nec contigerunt: ergo tunc est, vt minimum eorum via finita erat, nec vlterius eius duratio processit. Porro huic conclusioni, nemo Cath. licorum, imo nec hæreticorum Doctorum, aduersatur, tametsi, quoad supplicij Dæmonibus exercite inflictis tempus post id temporis inflictum, eosque in inferum detrusos censeant nonnulli, de quibus, eorumque fundamento disput. 5. Dæmones autem iam tunc, & damnatos malos Angelos esse cum Æuam, & per ipsam Adamum tentarunt, nemo est, qui ambigat, nedum neget: iam vero, si malorum Angelorum via tota exacta tunc erat bonorum etiam Angelorum via tota peracta etiam erat: tum quia vtriusque viæ duratio eadem, æqualis, & communis fuit, vt conclusione 1. monstrauimus: tum quia, ex quo tentatores Diabolos, & custodes, ac tutelares Angelos homines habuerunt: custodes autem non, nisi ex Beatis iam patriæ Angelis viam egressis hominibus deputantur, vt superius diximus, & d. 7. de Angelorum Beatorum officiis disputantes iterum dicemus.

4. Dico tertio: sexto (vt minimum) creationis die Angelorum omnium via finita est. Conclusio hæc æque fere mihi certa est, ac præcedens: nec vidi Doctorem, qui ei expresse aduersetur; quamuis Quiros noster ob textum Geneseos, quem obiiciam videatur tacitus, & cursim in oppositum inclinare citat. disput. 72. sect. 1. num. 2. Probatur: quia ex quo primum homo vsum rationis, & potestatem absolute liberam ad peccandum habet, custodem, & custodem Angelum habet, vt à malo eum arceat, adiuuetque, moueat, & promoueat ad bonum: atqui Protoparentes sexto illo die, cum libera absolute potestate ad bene, maleque operandum, seu peccandum conditi à Deo sunt: ergo ex tunc Angelos habuerunt custodes: sed custodes Angeli, non, nisi ex beatis, ac via egressis deputantur: ergo Angeli eo, vt minimum, die via egressi, ac beati erant. Vrgetur: quia Pueris nondum ad vsum rationis peruenientibus sui Angeli custodes singuli singulis deputantur, imo à Conceptionis die, hora, & instanti, Angelo Matris custodi, & cuiusque infantis cura, & custodia à Deo mandatur: citius ergo Protoparentibus cum rationis

rationis absoluto, & perfecto vsu die sexto conditis vnum saltem ante tentationem, & eorum peccatum, oppones illud Genes. 1. fine, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, quæ de die sexto, in qua conditi homines sunt dicta fuere: atqui aliquid, ex factis à Deo Angelis erant; ergo eo die, non mali, sed boni, & valde boni omnes Angeli erant: ac subinde nec dum vllus peruersus, nec eorum via, in qua peccarunt, finita. Plus probat obiectio, quam nunc disputatur, & contenditur, si quid probat. Nempe neminem Angelorum ante elapsum diem sextum peccasse, quod & dupradictis, & Patribus, & rationi, non congruit. Sed nihil ad præsens adhuc probat: Nam de iis, quæ à Deo sex diebus facta textus expresserat, & narrauerat, nempe de corporeis, ea verba expresse sunt, non de incorporeis, & pure spiritualibus, de quorum creatione toto hoc capite nihil; tametsi ibi, & capite secundo, ea dicat, vnde Angelorum creatio legitime à Patribus, & Theologis inferatur, vt vidimus. Secundo: sextus ille dies diuisibilis, & determinatis partibus aliquotis constans, multis, & magnis (scilicet vespere, & mane, in quibus horæ viginti quatuor, quadrantes nonaginta sex continentur, minuta vero innumera) & si de factis omnibus, etiam Angelis, is locus intelligatur, vidisse etiam illos bonos, in sexto illo die, licet postea aliqui peccarint horis, vel hora postrema, & facti fuerint mali, viamque egressi, verum haberet. Certum igitur sit viam Angelorum sextum creationis rerum diem non transisse.

5. Quo vero intra sex illos dies tempore fuerit determinate finita: an sexto illo die, quinto &c. vel primo, &, an diei quo finita via Angelica fuit, vespere, vel mane, aut qua demum eius hora, minuto, aut instanti, puræ diuinationis negotium videtur: de quo facilius aliorum sensa referam, quam propriam sententiam dicam. Gregor. Nissen. orat. Cathechet. capite sexto, Angelum hominis, ad imaginem, & similitudinem Dei conditi, inuidia peccasse sensit: quare die sexto, inuidia adhuc stetisse cum vltimo eius Dei, & opus Dei postremum homo fuerit. Sed, etsi hominis inuidia Angeli peccarint, de quo quæstione vltima, cum futurum, & creandum, ad similitudinem Dei absolute anterius præuidisse, satis esset, vt ipsi inuideret: quare, eo Angelorum peccato admisso, multo ante sextum diem potuit eorum via finiri. Cyprian. de ieiunio, & tentationibus Christi, Chrysost. Homil. 22. in Genes. Author de mirabilibus sacræ Scripturæ capite secundo, apud Aug. tomo tertio, Isidor. 1. de sum. bon. capite duodecimo, sent. 7. Beda tom. 8. lib. quæstionum, quæstione nona ante sextum diem, quo conditus homo est peccasse, ac via finita cecidisse aiunt, quod commune Patribus, & Scholasticis. Cæterum Isidorus, & alij, id non satis solide probant ex illo Ioan. 8. ille *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*, ex quo oppositum potius probatur. Non quidem, quia *in veritate non stetit*; de deceptione Euæ per serpentem verbis illis, *Eritis sicut Dij*. Quæ post conditos homines peracta à diabolo fuit intelligi debeat (vt censet Vas. citat. d. 229. contra quem ostendimus supra veritatis nomine gratiam intelligi) sed quia illud *homicida erat* Angelorum peccatum, ob quod dæmones effecti sunt non fuit, vt bene Vasquez ibi, capite vndecimo, versus fin. sed neque esse potuit homicidium antequam conditi homines sexta die essent; vt eo textu contenditur probari. Dicitur ergo homicida, quia ad primum mundi homicidium, Abelis scilicet, fratrem Cain induxit iam diabolus peccato proprio, effectus: dicitur autem ab initio, non prout initium instans primum creationis rerum, aut Angeli significat, sed primam mundi tandiu, vsque permanentis partem vulgari initij mundi acceptione, quæ non solum durationis partes aliquotas plures continet, sed annos. Sed facilius, planiusque intelligitur, si homicidium, non actu, sed aptitudine, germanius ad eum textum intelligatur pro mortalitate hominum in mundum inducta per peccatum, quod primis hominibus diabolus suasit, iuxta id, Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, quod sane post sextum diem fuit. Sed quidquid de hac probatione sit, tamen sententia hæc diem, & determinatum intrinsece tempus viæ Angelicæ non designat, quod inquirimus, sed tempus, seu terminum solum eius extrinsecum, quo scilicet Angeli iam extra viam erant.

6. Glossa in id Genes. 1. *Diuisit Deus lucem à tenebris* censet: primo creationis mundi die malos Angelos tenebricosos peccasse, ac cœlo deturbatos, à bonisque, & sanctitatis splendore perpetuo illustribus, ac splendentibus, sicut lucem à tenebris æternum seiunctos, ac diuisos: quare vsque ad tempus diuisionis lucis à tenebris Angelorum vtrorumque viam durasse. Bernard. sermone primo, de aduentu. Diabolum in ictu oculi verbis illis *eritis sicut Dij*, & in momento cecidisse docuit, ac proinde eius viam fuisse finitam. Arctius eam terminatam asseruit Isidorus. 1. de summo bono. capite duodecimo, sententia septima citata illis verbis. *Nam mox, vt factus est in superbiam erupit, & statim, vt factus est cecidit*, nisi illud *mox*, & *statim* morali, & vulgari, quam physica & stricta acceptione Isidorus vsurpauerit: sic enim idem atque Bernardus intellexit. Porro Nissenus. 1. philosophiæ, capite tertio, seu potius Nemesius de natura hominis, capite primo, apud tomum quintum Biblio. Patrum, part. 3. & Damascen. 2. de fide. capite quarto, assererunt, idem Angelis lapsum, seu peccatum fuisse, atque mors hominibus est. *Post lapsum enim præclusa iam est (inquit Damascen.) illis omnis respiscendi facultas; quemadmodum, & hominibus, postquam ex hac vita migrarunt.* Quod ipsum æquiualentibus verbis expressit. Sed, cum non dicant, quandiu mali Angeli ante suum lapsum steterint, nihil ibi de viæ Angelicæ duratione definiunt: solumque pœnitentiæ locum datum eis in via non fuisse docent, sed statim immediate post lapsum, sicuti, & hominibus post mortem, siue vbi primum mortui absolute, & in facto esse, sunt, supplicium inflictum. Hoc etiam solum voluit Elias Cretens. orat. 3. Nazienzeni contra Iulian. ad ea verba: *quo circa cum potentia* &c. scribens. *Post lapsum nullus est Angelis pœnitentiæ locus quemadmodum, nec hominibus post mortem.* Quare hæc testimonia, non ad præsentem, sed ad sequentem quæstionem spectant. Sicut & aliud Fulgentij capite tertio de fide ad Petrum: *Æquitatis suprema iudicio initium damnationis in ipsa auersione voluntatis*, pars Angelorum à Deo auersa, *inuenit: vt non aliud ei esset incipere eam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui.* Hoc præter negatum Angelis pœnitentiæ locum, aliam difficultatem tangit examinandam. d. 5. quæstione prima de tempore, seu instanti quo dæmonum pœna cœpit: an in ipso, quo lapsi in peccatum fuere: nam lapsum ipsum, vt primo fuit eius supplicium, & pœnam fuisse, vt verba sonant, omnino repugnat, de quo ibidem. Sed quidquid de hoc sit: cum nihil tibi de duratione, qua post instans creationis Angeli lapsi fuerint, dicatur testimonium hoc (vt de aliis diximus) è re præsente non est.

7. Concludo ergo in re certa de assignatione determinatæ intrinsecæ durationis, viæ Angelicæ, vltra quam progressa non fuerit, breuem quidem fuisse in quo æque, atque in incertitudine terminationis intrinsecæ illius, scholastici omnes conueniunt. Rigide vero loquendo non fuisse breuissimam, & qua minor à nobis designari, explicarive non possit, & duratione ictus oculi necessariæ, vt Bernardi verba sonant, respondeat. Etsi enim Angelis perfectissimis hierarchiæ, chorique, & gradus Hierarchici supremi, ea duratione plene de re tanta deliberandum, & paululum etiam minor, satis esset, ac subinde eorum viæ (quæ absque sufficiente ad plene deliberandum duratione, nequit absolui) sufficeret; ast pene innumerorum Angelorum Hierarchiarum, chororum graduumque inferiorum plenæ deliberationi, ac subinde viæ id solum temporis satis non esset. Cum autem supremorum infirmorumque Angelorum via æque, eiusdemque durationis physicæ fuerit, vt supra diximus, atque omnes scholastici docent, (etsi de moralis viæ, & in instantibus Theologice acceptis aliter loquantur) id temporis viæ etiam supremorum Angelorum Hierarchiæ & chori supremi datum esse, quantum plene infirmorum

morum Angelorum infimæ hierarchiæ deliberationis sufficeret, tenendum est. His autem ictus oculi, ad plene deliberandum, & viæ proinde absolutionem non esset sufficiens. Accedit viæ, & deliberationis plene tempus non adeo ante curatum Angelis à Deo credi prudenter posse, vt nil amplius, eo, siue quo deliberare absoluta non possent, concessum ad deliberandum de præceptis tam grauibus cum rigidus, anxiusque temporis exactor, & deliberationis nostræ executor Deus nunquam fuerit, vt nec diuersioni, otio, respirationiue alicui locum faciat, nec tempus relinquat, sed deliberare vrgeat anhelo denique. Cum, vltra tempus necessarium non solum physicæ, sed morali prudentique, ac non nimis dura, & exactrice prouidentiæ deliberationi primæ Angelorum de re ipsis præcepta, prælium deinceps inter primo obseruantes, & primo transgressores Angelos fuerit, successiue bonis, malisque suasionibus inuicem habitum fuerit (vt vidimus, & quæstione quarta, iterum minutius videbimus) deliberationibus aliis notis Angelorum, vt in alterutra prima persisterunt, tempus amplius viæ Angelicæ prouisum fuit, duratio prolixior. Certe his omnibus inspectis glossæ sententiæ memoratæ, ex allegorica eius textus interpretatione, & diuisit Deus lucem à tenebris, in re à Deo incertæ decisioni libentius adhærebo; tametsi subdubius, & hærens adhuc: cum neque pro ea sententia firmum aliquod fundamentum inueniam, vbi pedem figam, nec nisi suspensus, & hæsitanti similis gradiar.

QVÆSTIO II.

De loco pœnitentiæ Angelorum in statu viæ.

DVplex de loco pœnitentiæ Angelorum in via est apud Theologos difficultas. Prima de possibili: an scilicet is locus pœnitentiæ dari in via, Angelis absolute potuerit? secunda, an eis datus de facto fuerit? Prima ex naturæ, & voluntatis Angelicæ flexibilitate, vel inflexibilitate ab eo affectu, quam semel concipit, omnino pendet: cum pœnitentia conceptum iam affectum de quo habenda est essentialiter supponat: quare: ni à semel concepto flexibilis absolute Angelis sit, eius de affectu prauo pœnitentiæ ipsi absolute erit impossibilis. Ne vero in hac difficultate æquinoce laberetur, &, vbi nulla est, quæstionem moueamus; de absoluta impossibilitate pœnitentiæ, & inflexibilitate naturæ, & voluntatis Angelicæ à semel debito deliberato affectu inquirimus. Nam de morali quadam inflexibilitate, seu difficultate, à prima deliberatione absistendi, quam sapientiores etiam, homines habent qui ægrius à dictamine, & proposito primo absistunt, quia perfectiori vtriusque partis notitia, & cognitione de rebus deliberant, quam minus sapientes, eoque difficilius, ac difficilius, quo sapientiores, & sapientiores sunt, dubium non est. Quin Angelis ea moralis inflexibilitas, atque à semel concepto, ex plena deliberatione proposito absecedendi impossibilitas adsit: cum infimæ hierarchiæ, & chori Angeli hominibus sapientissimis (quorum, eis custodia à Deo mandatur) intelligentia, & sapientia longe præstent. Accedit malorum Angelorum, qui lapsi fuerant in peccatum, ac subinde solos pœnitere poterat, superbia, qua, vel ex qua peccauerant factos esse in malo proposito obfirmatiores, immobilioresque ab illo: superbis enim valde difficilior est dictaminis, & propositi primi tractatio, vt experientia quotidiana docemur. Secunda difficultas de loco pœnitentiæ Angelorum in via de facto datis suppositis etiam eorum flexibilitate à proposito primo, & semel admisso peccato, quam statuemus seorsim, quia est ex aliis principiis ditimenda.

CERTAMEN I.

Absolute Angelorum in via inflexibilitatis, Patroni fundamenta disiecta.

1 ABsolutam physicam Angelorum à semel habito proposito inflexibilitatem, ac recedendi impotentiam, ac subinde, si peccaminosum illud fuit, locum pœnitentiæ absolute, in via etiam impossibilem multi scholastici docuerunt; non tamen, qui vulgo referuntur, omnes. Sic docuit Alex. 3. p. q. 1. m. 1. Capreol. in 2. d 7. q. 1. a. 1. concl. 2. & a. 8. ad argumenta Scoti tertio loco adducta contra eam conclusionem. Ferrara 4. contra gent. c. 95. §. *Aduertendum secundo*: Caietanus 1. p. q. 64. a. 2. quem Dominicani Thomistæ recentiores sectantur, & noster Granados tract. 14. a. 1. sect. 2. eorum (ac præcipue S. Thomæ) conclusionem de potentia solum ordinata, atque naturæ Angelicæ accomodata intelligi debere, non autem de potentia absolura Dei, quasi à proposito primo Angelum nullis in sua omnipotentia contentis auxiliis gratiæ suæ possit auertere, sed solum id efficere non posse, si se naturæ, ipsorumque immobili de sese & natura sua vt à proposito ex plena deliberatione semel habito accommodet: quare vt auxilio efficaci gratiæ suæ lapsos deinceps priuaret, vt à malo concepto conuerterentur congruum Angelorum natura istiimo, & cogitationibus, quibus à proposito, quouis sistrent; quo etiam pacto S. Thomæ conclusionem & rationem benigne interpretatus fuerat Marsilius in 2. quæst. 3. articulo quinto, vterque petitionem principii in ea ratione ita intellecta recognoscit: cum denegationis gratiæ Angelis ad pœnitentiam connaturalitatem ratio reddatur, quod adhæreant natura sua immobiliter affectui, & obiecto, cui semel deliberate adhæserunt: quæ eorum conclusio est, & cuius ratio quæritur. Sed hanc ita videntur reddere ex S. Thoma, præfati Doctores; quia Angelus omnia ea singula cognoscit simpliciter è terminorum apprehensione, absque discursu vllo; non secus, ac nos prima, ac per se nota principia cognoscimur: quare, sicut nos in horum assensu immobiles natura nostra sumus, ita, & Angelus ab assensu cuiusuis obiecti immobilis natura sua est. Cum autem facultas appetitiua, seu voluntas proportionem debeat habere cum facultate intellectiua, eiusque operatione à qua mouetur, sicut mobile omne cum suo motore eam debet proportionem in operando habere, sit: vt voluntas Angelica obiecto, cui semel deliberate adhæsit, suoque erga ipsum affectui, immobilis adhæreat, sicut eius intellectus veritati seu obiecto, cui semel adhæsit, & assensui, quo ei adhæsit semel. Hanc rationem tradidisse videtur S. Thomas citato loco, ex prima parte, eam vero explicatius confirmare, & proportionem in operando seruandam inter voluntatem Angelicam cum suo motore Angelico intellectu, quoad assensus, & affectus semel habiti immobilitatem probate videtur citato capite 95. ex lib. 4. contra gent. quia finis respectu motionis voluntatis ita se habet, atque prima principia respectu intellectus: quare sicut error in primis principiis (vtpote solum ex praua intellectus dispositione proueniens) nequit emendari, nisi ea praua dispositione ex parte intellectus sublata: ita error ex parte voluntatis, naturaliter vltimum finem ex parte voluntatis, naturaliter vltimum finem ex collocationem appetentis, & qui proinde, nisi ex collocatione vltimi finis in aliquo, quod reuera vltimus finis non est, nequit prouenire; nec nisi ex praua aliqua dispositione voluntatis, & appetentis (iuxta illud Aristotelis axioma tertio Ethicorum, capite quarto, *qualis vnusquisque est, talis ei finis videtur*) ideo nisi ea praua dispositione ex parte voluntatis, & appetentis sublata, nequit

quit error affectus illius corrigi, ac emendari : nequit autem ea praua voluntatis, & appetentis dispositio, in Angelis, animabusue separatis tolli, etsi ab homine in hac vita, & statu tolli possit, & quotidie tollatur ; ergo nec Angelus (& idem est de anima separata) potest ab illo praue, & erroneo primo affectu corrigi, atque emendari aliaue ratione dimoueri.

2. Hæc summatim sententiæ huius fundamenta omnia à ratione sunt : & rigide pro physica immobilitate voluntatis Angelicæ accepta, sunt plane leuissima, ac prorsus Angelico Præceptore indigna : quare alia, quam rigida hac physicæ immobilitatis ipsum loqui, & discurrere debita in S. Thomam reuerentia, & nos, & germanos ex antiquis etiam eius Discipulos iudicare compellit, vt inferius videbimus, etenim proportio illa in operando, inter motorem, & motum vniuersim, & in omnibus, vt principium à Thomistis istis accepta, & asserta ex eis principiis, & axiomatibus est, quibus vti pro difficillimis suis aliquot conclusionibus solent, & quorum negatio, & confutatio cuilibuis, etiam non nimis instructo discipulo in promptu sit : vt sæpe alias ostendi. Speciatim autem in re præsente ostenditur facilius : siquidem, cum alter, ex motoribus, atque ab eo motis liberum agens, alter vero necessario agens est, quoad modum operandi, vel necessario, vel libere, debere inter se proportionari, siue initio, siue in actionis conseruatione ex terminis ipsis repugnat ; ex quibus constat alterum ex ipsis necessario, alterum vero libere esse operaturum : quare, cum intenta hæc ad illationem conclusionis proportio inter modum operandi intellectus in assensu primis, & per se notis principiis, ac persistentia necessaria, & immobili in illo, & voluntatis, quæ libere obiectum prosequitur, omnino sit, constat medium prorsus falsum esse, ad eiusmodi illationem, & probationem conclusionis ab his authoribus intentam. Secundo : etsi absque discursu, atque ex sola apprehensione terminorum Angelus obiectis omnibus, quæ cognoscit assentiatur (quod falsum etiam est) atque in eo assensui nostro primis, & per se notis principiis omnis assensus. Angelorum obiectis assimiletur intentum horum Doctorum non probat ; quia euidentia assensus nostri primis, & per se euidenter notis, (vnde immobilitas ab eorum assensu nobis obuenit) similis necessario, & erga omnia obiecta sua non est : quare neque inde immobilitas assensus Angelici, si euidentia desit, colligi poterit, & cuius paritate ad immobiliratem voluntatis Angelicæ à primo suo affectu deliberato arguatur. Assumptum probo. Primo ex assensu nostro principiis primis per se, & ex terminis probabilibus, ex quibus plures, tam in Philosophia, quam in Theologia sunt, vt sæpe, cùm hic, tum aliis nostris tomis animaduertimus, absque vllo discursu exhibito : huic autem simílem assensum solum probabilem ex terminis ipsis, & absque discursu vllo potest Angelus elicere circa obiecta plura, quorum species proprias non habeat, nec propterea eorum ipsi intuitio debeatur. Probo secundo : quia deliberatum affectum peccaminosum primo ab Angelo conceptum necessario præcedit iudicium practicè erroneum de bonitate delectabili obiecti turpis, quod prosequitur, præferenda bonitati obiecti honesti, quod aduersatur : id vero dictamen, neque per se, & ex terminis notum, & euidens est, sed omnino falsum, &, cui subinde nequeat immobiliter Angelus adhærere ; imo vero variis multisque rationibus occurrentibus. Potest ab illo desistere, tamersi absque discursu vllo in id dictamen incurrerit ; falsum igitur est Angelum ita immobiliter semel cognitis & iudicatis adhærere, vt iudicium primum deponere nequeat : quare neque ex hac iudicij Angelici immobilitate generali, ad immobilitatem voluntatis Angelicæ à semel habito affectu discurri à paritate potest, nisi ex falsis discurratur. Ex quibus concluditur, rationem hanc Thomisticam, si de absoluta immobilitate physica intelligatur, ex immobilitate intellectus Angelici à semel iudicatis, (vnde paritas ad immobilitatem absolutam physicam Angelicæ voluntatis à semel conceptis affectibus sumitur) tam ex assumpti falsitate, quam ex defectu paritatis, & legitimæ illationis, nullam esse.

3. Vtrimque etiam eius rationis confirmatio, & explicatio seu conclusionis probatio vlterior, ex S. Thoma citato loco, contra gentes plane deficiet, si pro absoluta physica immobilitate voluntatis Angelicæ efformetur. Vt enim error in primis principiis ex parte intellectus, si ea ex terminis nota, & euidentia sint, ac subinde assensus euidens circa illa nequit, nisi amenti & vesano habituali, vel saltem ex fasa aliqua apprehensione actualiter decepto contingere : quæ praue dispositiones, si ex parte intellectus absint, sicut non potest, non primis principiis per se, & ex terminis notis, & euidentibus assentiri, ita neque ab eis, ni amentia vel habitualis, vel actualis præfata verset, ab eiusmodi assensu diuelli valebit. Cæterum, si prima principia solummodo probabiliter ex terminis vera sint, vel error circa per se nota : & euidentia, ex praua intellectus dispositione aliqua ex præfatis contigerit, ea vndecumque sublata à falso, & erroneo assensu poterit inde intellectus amoueri, sicut ea non adstante, in erroneum, aut falsum iudicium circa prima principia nusquam primo incurrisset, vt diximus, & ratio hæc Thomistica supponit : id quod tam respectu intellectus Angelici, quam respectu nostri verum æque habet : quare mobilitati physicæ ab assensu erroneo, vel falso circa prima principia, vel ex terminis euidentia, vel solum probabilia praua ex parte intellectus vtriusque dispositione sublata à falso illo, vel erroneo circa principia iudicio vterque desisset. Cum autem praua illa dispositio ex parte intellectus physice auferri ab alterutro intellectu absolute possit, vterque sane intellectus physice mobilis à iudicio illo erroneo, vel falso, circa prima principia absolute erit, vt de se patet, & ratio S. Thomæ supponit. Hinc autem, liceat finis respectu voluntatis se habeat sicut prima principia ex parte intellectus ad obiectorum prosecutionem, vel assensum, errorque seu vitium, ex parte voluntatis circa obiectorum prosecutionem, & appetitum nequeat nisi ex praua dispositione voluntatis, & appetentis contingere : cum tamen ea praua dispositio naturalis intrinseca, & essentialis physice Angelo, eiusque voluntati non sit æque atque ab homine, eiusque voluntate, physice ab Angelo eiusque voluntate amoueri absolutè posset : æque esset physice absolute mobilis, à præhabito deliberate affectu praue suo atque homo absolute sit ; quod male ex ea ratione, si de absoluta physica immobilitate intelligenda sit, ab hisce Thomistis, negatur. Id quod vlterius ostendo ; etenim praua illa dispositio, de qua Aristoteles ex parte voluntatis, & appetentis peccatoris, siue à fine vltimo aberrantis in turpis obiecti prosecutione intelligitur de praua dispositione solum obiectiua errore positiuo, vel (si in Angelis positiuum errorem non admittas) negatiuo ignorantiæ, & inaduertentiæ, aut maiori intensione, & efficacia qua ponitur ab intellectu Angelico obiectum delectabile, turpe tamen, atque fini reuera vltimo, & summæ suæ felicitati aduersum quam finis reuera vltimus, & obiectum honestum ipsis obtinendo conducens, atque sui prosecutione ad ipsum ducens ; hæc autem praua dispositio voluntatis obiectiua solum siue ex parte propositionis obiecti erroneæ positiue aut negatiue, aliquoue modo ex dictis defectuosæ æque ab Angelo, atque ab homine tolli physicè absolute potest variis mediis, quibus error ille, vel positiuus, vel negatiuus, vel inaduertentia, vel intentionis, & efficaciæ minoris repræsentandi verum vltimum finem & obiectum honestum præ turpi auferatur.

4. Imo vero cum obiectiua eodem dispositio praua, erronea positiue, aut negatiue, ac defectuosæ propositionis obiecti non obstiterit, quominus ita propositis obiectis primus affectus erga turpe libere prorsus sit habitus, poteritque absolute physice erga honestum haberi : neque ex simili erronea positiue aut negatiue quo-

nisve modo, defectuosa obiectorum propositione fieri poterit, vt in eadem prosecutione obiecti ita ab Angelo postea perstetur, vt physice non perstare absolute non possit, ac subinde Angelus possit ab eiusmodi prosecutione absolute physice absistere, ac dimoueri. Si vero ea dispositio error circa finem appetentis, voluntatis, non obiectiua solum, sed subiectiua sit, nempe ex qualitate habituali insidenti voluntati (vt plane Aristoteles intelligit) vel actuali, siue actu eius, quo finis in obiecto creato ponitur, nequit intelligi, nisi quatenus habitu vel actu amatur obiectum turpe, & dissonum rationi, & præcepto Dei propter ipsum, suique gratia, seu tanquam finis, ac non propter aliud, cum quo amor Dei veri vltimi finis, summæque fœlicitatis creaturæ rationalis super omnia, nequit cõsistere: ac proinde subiecti turpis amore, vel actuali, vel habituali voluntas peccatoris grauis, vel actualiter, vel habitualiter, à suo vero vltimo fine aberrat. Etsi enim, aliquis vel errore intellectus, vel voluntatis extraordinaria prauitate, nec, nisi in damnatis excogitabili, vltimum suum finem expresse auersetur, in via tamen solum præfato modo communiter homines à vero suo fine aberrant, neque aliter, de Angelis in via ab eo aberrasse credi vlla ratione potest. Hic autem error prauaue dispositio, ex parte voluntatis multifariam ab Angelis (æque, atque ab hominibus tollitur) potest physice auferri, siue ex errore intellectus, siue sola malitia voluntatis actuali, vel habituali proueniat: etiam habitualis, quæ praui affectus retardationem, durationeetiam sequente ex parte antecedentis posset, vel maxime impedire: tum, quia habitus vitiosus physicam libertatem ad actum omittendum, & oppositum eliciendum absolute non abolet: præsertim si summæ intentionis non fit, ad quam vno affectu peccaminoso vnius instantis, quo primum Angelus peccauit peruenire vitiosus eius habitus non potuit, quouis conatu obiecto prauo, eo affectu Angeli voluntas adhæserit, cõcludo ergo rationes hasce S. Thomæ de absoluta immobilitate physica Angeli à semel concepto affectu prauo, quod ipsum de aliis affectibus primo conceptis est) nullatenus probare neque de ea sanctum Thomam intelligi debere, sed de morali impossibilitate, & difficultate retractationis vtriusque erroris, seu defectus, tam ex parte intellectus quam voluntatis, quam ei, & præstantia intellectus, & superbia, ex qua primo peccauit, ipse fecit. In quæstionis vero præstatione diximus difficultatem præsentem de morali hac impossibilitate non esse. Ita plane præcipui eius discipuli Sanctum Thomam interpretantur Ægid. S. Thomæ Discipulus auditor Paludan. & Magister Victoria relati à nostro Ludou. Turriano infrà. Noster etiam Granad. suprà, eo serm. sancti Thomæ rationem, & conclusionem sectatus, item Vasquez, & Soar. & Magist. Zumel, & recentiores plerique sic iam sanctum Thomam intelligunt. Et quidem Sancti Thomæ mentem, & rationem rigore physico accipiendam non esse constat ex q. 16. de malo. a. 5. ad. 2. vbi de dæmonibus iam damnatis ait. *Deus est causa status Angelorum, in quo sunt obstinati in malo, non quidem sicut causando, vel conseruando malitiam, sed sicut non impertiendo gratiam, sic enim dicitur aliquos indurare*, inde ergo obstinatio Angelis vti & hominibus, non ex naturæ immobilitate, quæ consonant dictis à sancto Thoma cit. q. 64. a. 2.

5 Nec silco recentiores aliquot Thomistas memoratos à Vasquez. d. 235. c. 5. num. 13. §. *Caterum nulli Thomistæ*, qui prauam hanc dispositionem Angelorum, ex primo peccato, ob quam ei immobiliter deinceps adhæreant, esse aiunt; quod per illud in suo termino seu centro, quod elegit constituatur: nec magis ad vlteriorem motum concursus diuinus debeatur quam lapidi, qui in suo centro est; cui tamen extra centrum posito, concursus Dei, vt ad illud tendat, debetur. Sed tamen alia ratio, hæc est Theologo sano (nedum S. Thomæ) indigna. Quia, cum homo creatura rationalis, & libera sit, ac proinde peccato suo finem sibi, & centrum in creatura, quam turpiter prosequitur, libere eligat, & constituat, æque illi concursus Dei ad motum vlteriorem non debebitur, sed potius ad quietem: vnde à prauo affectu semel ex plena deliberatione concepto æque immobilis physice homo quiuis, atque Angelus naturaliter erit; cum tamen discriminis ratio physicæ immobilitatis, absolute, vel saltem naturalis, Angeli à semel concepto affectu prauo, etsi homo mobilis ab eo sit, inquiratur, & præfato discrimini assignari ab his Thomistis tentetur. Secundo: Angelum, & creaturam rationalem affectu suo turpi deliberato, quo obiectum creatum inhonestum amat, in suo naturali centro æque, atque lapidem in centro suo naturali, constituit, & quiescere, non, nisi absurdissime, & contra scripturam, & Patres pacem & quietem peccatoribus in statu culpæ frequentissime, & expressissime negantibus dicetur. Maxime in statu non solum peccati, sed, & damnationis, & cruciatuum æternorum, in quo ea ratione præfati Thomistæ malorum Angelorum immobilitatem physicam à peccato, & pœnitentiæ impossibilitatem defendere contendunt.

CERTAMEN II.

Absoluta physica Angelorum à præhabito affectu flexibilitas statuitur.

1 Dicendum est: Angelos in via à semel concepto affectu voluntatis quocunque, etiam prauo physicæ mobiles absolute ac proinde flexibiles ad pœnitentiam esse. Ita M. Albert. 2. p. tract. 5. q. 15. a. 4. Scotus. in. 2. d. 7. q. 1. §. *Secundo dico.* & in reportatis eadem distinct. q. 3. cum sua schola S. Bonau. eadem distinct. p. 1. a. 1. q. 1. Richard. a. 2. corp. & solut. argumentor. Ægidius, & Gregor. q. 1. a. 2. Bassol. q. 1. a. 2. Maior. q. 1. Marsil. in 2. q. 2. a. 3. Paludanus in quæst. 4. d. 50. q. 1. quibus addendi Oramus. in. 2. q. 19. & quod lib. 1. q. 14. Gabr. in. 2. d. 7. q. 1. a. 1. post. 2. conclus. quatenus dæmones in inferno eo solum pacto in suo peccato obstinatos perstituros, quatenus Deus sui ipsius odium, cum quo peccati pœnitentia repugnat, sua absoluta potentia vtens in eis perpetuo conseruat: ac proinde, non natura sua adpœnitentiam inflexibiles, etiam in statu damnationis, atque à semel concepto affectu immobiles sed mobiles censent: eandem conclusionem tradunt Valentia citata quæst. 6. 4. primæ part. a. 2. quæst. 15. pun. 2. Molina ibid. d. 2. §. Reflectio & §. *Dubium.* etsi sub tractione concursus Diuini immobiles à malo dæmones asserat, vbi etiam Vasquez citat. d. 239. à cap. 3. ad. 7. inclusiue Soar. lib. 3. cap. 20. & lib. 8. cap. 1. num. 15. Arrubal. d. 180. cap. 2. Becan. tract. 3. cap. 6. quæst. 12. Ludou. Turrian. d. 64. dub. 1. Alarcon. tractat. 6. d. 5. cap. 4. num. 3. & d. 9. c. 5. num. 6. Ioan. præposit. ad citatum art. 2. dub. vn. à paragrapho *Verum ni etiam fatetur.* & §. *dicendum veram* citatis vltra memoratos Hacherum tract. 4. q. 64. d. 1. num. 9. quibus addeetiam Magistrum Bannez Dominicanum citato. a. 2. dub 1. parte priore concl. 2. §. *Secunda pars*, vbi conclusionem negantem vix ab alio præter citatos defendi testatur. Est autem pro nostra hac conclusione notandum præfatos omnes Doctores Angelorum malorum, seu dæmonum, statu etiam damnationis adiuncto, physicam mobilitatem ab affectu prauo, atque ad pœnitentiam flexibilitatem natura ipsorum considerata absolute docuisse, tametsi eos aliis titulis, quam physicæ immobilitatis naturalis inflexibiles ad pœnitentiam, in eo statu, ex decreto Dei denegandi auxilia efficacia, vel etiam sufficientia, vel non concurrendi, ad eorum pœnitentiam asserant, quæ in malis Angelis, viatoribus adhuc, de quibus nunc agimus locum non habent. Idcirco, nosster Arraga. d. 25. sect. 5. sub sect. 1. etsi dæmonibus damnatis iam & pro eo statu potẽtiam, absolutam ad pœnitendum neget, tum ex gratiæ adhuc sufficientis, & diuini concursus ad pœnitentiam denegatione, æquæ omnia peccato suo mortali demeriti de condigno sunt, vti, & homo quiuis simili peccato graui demeretur; tamen in hoc, & in aliis damnatos omnes bonitate, & Angelos facit æquales, ne vtrorumque naturæ immobilita-

tem

rem physicam ab affectu prauo ad pœnitentiam tribuit, neutrisque, in via adhuc ex peccati demerito, earum denegationem tribuit: immò vero, neutris pro statu viæ adesse in his, quæ ibi docet sæpè supponit: quare pro hac etiam inclusione (de qua in terminis non agit) citandus venit denique noster etiam Quiros d. 74. sect. 2. expressus pro nostra hac sententia dum Angelis pœnitentiæ locum datum à Deo in via fuisse docet, vti, & alij ex nostris quos certamine tertio referemus.

2. Probatur conclusio ex Patribus ita apertus pro nostra conclusione extat Damascenus 2. de fide c. 3. sub init. vt de eius sententia dubitari non possit: sic enim scribit. *Est igitur Angelus naturæ rationis particeps intelligens perpetuo motu* (siue ex Græco *semper mobilis*, quod tantundem valet) *arbitriique libertate voluntatis præditus, ac sententiæ ratione mutabilis* (ad verbum ex Græco *mutabilis secundum sententiam*) *hoc est liberam in vtramque partem voluntatem habens*. Ne vero dicas ob extrema hæc verba, quibus totam sententiam collegisse videtur, solum contendere liberum, & quoquo versum vertibilem voluntate sua Angelum esse, dum arbitrio, & voluntate, ac sententia mutabilem dixit, idque saluari, si cum primo aliquid eligit, possit non eligere, vel eligere oppositum, etsi à semel habita libere electione non possit dimoueri, obstant primo illa *perpetuo motu, vel semper mobilis*. Si enim semper mobilis, ac perpetuo motu arbitrij, & libertatis voluntate prædituς, etiam cum elegerit primo, mobilis esse ac mutabilis à primo concepta voluntate esse debet: alioqui non semper, ac perpetuo mobilis, & mutabilis: imò nunquam mobilis, mutabilisque erit, vti Deus, etsi in concipiendis decretis suis liber sit, quia semel conceptis absistere, & mutare sententiam nequit mutabilis dici non potest, eadem impugnatio continetur illis verbis, *ac sententiæ ratione, siue secundum sententiam* (quod tantundem ac propositum valet) continetur. Tertio, ne mobilitatem, seu mutabilitatem abusiue, pro potestate ad vtrumvis, à se acceptam quis putaret, sed proprie pro potentia se à præhabito affectu ad oppositum mouendi, atque absistendi ab illo præcauit statim Damascenus, rationem mutabilitatis huius voluntatis Angelicæ subiungens, *Quidquid enim creatum est mutatione quandoque subsistere necesse est: id enim vnum extra mutationis aleam est, quod nihil habet, à quo sit creatum*: Deus scilicet, qui tamen liber, & quoquo velit vertibilis voluntate sua est. Non ergo mutabile pro libero, & ad vtrumvis vertibili solummodo, sed pro mobili, ab vno extremo in aliud propria acceptione vsurpauit, ex plicatius autem suam hanc mutabilitatis acceptionem, & mentem, iterum dedit: rationem, ob quam libero arbitrio præditum, & ob quam mutabilis arbitrij, & voluntatis Angelum dixerat, ita subnectens. *Angelus itaque, vt rationis, & intelligentia particeps liberi arbitrij est, vt autem creatus in ea conditione erat, vt mutationem recipere posset, liberumque ei esset, vt in bono manere, ac progressum facere*: quod autem textus primi fine mutabilitatem voluntatis Angeli à se dictam, breuius quasi colligens, & tradens concluserit. *Hoc est liberam in vtramque partem voluntatem habens*, quæ libertatis solum definitio est, si præcisè poneretur verum haberet; cum autem sententiæ, & voluntatis præhabitæ mutabilitatem præmisserit vtraqi parte ad quam liberam voluntatem haberi Angelum ait, præhabita iam sententia, & voluntas, vtriusque pars altera continetur, vt liberæ voluntatis angelicæ esset Damascenο, vel illam conseruare, vel abiicere, atque ire in aduersam, vt proxime ex ipso recitabamus. Secundo, etsi hoc ita non esset, sed solius libertatis definitione, sententia concludatur à Damasceno nil aduersariis prodezir: concluderet enim, non periphrasi sententiæ prodmissæ, sed eius efficacissima ratione ex Angeli, creata scilicet libertate voluntatis, eius mutabilitatem physicam à se immediate assertam probans, vt deinceps à ratione agenter ostendemus. Confirmatur si fieri potest apertius ex eodem Damasceno sub fine capitis eiusdem, vbi ait: Angelos ad malum, licet cum difficultate suapte tamen natura posse absolute moueri, de bonis vero, qui & Angeli permansere, nec peccato viæ Dæmones, ac Diaboli effecti sunt, sed potius Beati: subdit. *Hunc vero ex iam conditione* (status scilicet beatitudinis) *vt, ne vix quidem, moueri, atque inflecti* (in malum videlicet) *queant quod tamen non eorum naturæ, sed gratiæ tribuendum est*. Quo loco Angelos omnes à bono semel concepto in malum extra beatitudinis statum, moueri, etsi difficulter, physice, & absolute posse docet: ac subinde physicam eorum in statu beatitudinis absolutam à bono in malum immobilitatem, non à naturali eorum à semel concepto affectu, etiam bono, in malum inflexibilitate, sed ex Dei gratia prouenire. Confirmatur, ex eodem Damasceno Dialog. contra Manichæos versus finem aiente. *Quin Deus Diabolo quoque semper bona præbet* (quatenus ex se est, vt dixerat) *verum ille accipere recusat, atque in futuro duo Deus omnibus bona fundit, ac vnusquisque prout capacem se reddidit boni particeps efficitur*. Citius ergo in statu viæ malis Angelis conuenit recusare, bonum Dei recipere, quod liberè recusant, cum recipere absolutè possent, ex sententia Damasceni ex his plane constat, quo sensu eodem capite Damascenus de Dæmone dixerit. *Pœnitentia porro ea ratione minime capax est quia corpore vacat*. Neque enim ideo dixit quia purè spiritualem naturam, & substantiam (cuiusmodi Angelum esse nouerat, & quem mobilem natura sua ab affectu quovis præhabito ad oppositum toties, eo capite, atque difficilius à bono in malum, quam à malo in bonum mutabilem docuerat) natura etiam sua pœnitentiæ, & retractationis cuiuscumque male assertorum, sibi contradicens, incapacem subiectiue assereret, sed obiectiue, & salutaris pœnitentiæ solum, quæ Dei donum, atque ex eius gratia necessario oriundum esset: qua nimirum, quia absque corporis incentiuis, & ruditate, atque à Deo maiori perspicacitate, & aduertentia purè spiritualis Angelus peccauit indigniorem se homine, qui corporis incentiuo, etiam deliquit reddiderat: incapacitatis nomine maiorem obiectiuam doni pœnitentiæ indignitatem Angeli, quam hominis, non autem absolutam illius incapacitatem intelligens, quam rationem obdurationis Angeli præ homine, in peccato, quæ in denegatione auxilijs efficacis ad salutarem pœnitentiam consistit dedere. Nyssenus 1. Philosoph. c. 3. Cassianus collat. 4. cap. 24. Gregorius Magn. 4. moral. c. 9. Isidorus de summo bono c. 12.

4. Secundo probatur conclusio ex Fulgentio de fide ad Petrum c. 3. ante med. vbi ita Angelis, & hominibus cognitionis Dei facultatem concessam ait, vt eam quisque habere, aut perdere posset: subdit vero. *Si quis tamen eam perderet, suo deinceps arbitrio resumere non valeret: vt illius esset, sanctæ cogitationis initium gratuitæ donο voluntatis denuo reuocandis, quibus vellet infundere, cuius fuit in ipso creationis exordio, nullis præcedentibus meritis spiritus, & corporis loci, atque affectionibus, prout ipse sapiens voluit congrue, & mirabiliter ordinare*. Ergo in vtrisque vna eademque ratio impotentiæ reuocandisse à peccato ad iustitiam per salutarem illius rettractationem, & pœnitentiam est: quod hæc ex Dei gratia necessario veniat, nequeat autem ex alterutrius natura. Non ergo ex naturali alterius, scilicet Angeli, inflexibilitate: impotentiam autem, & insufficientiam naturalem hominis ad habendum sanctæ cogitationis, & bonæ voluntatis, initium sic deinde probat. *Bonæ quoque voluntatis, & cogitationis initium non homini ex ipso nasci, sed diuinitus, & præparari & tribui, in eo Deus euidenter ostendit: quia, neque Diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruina illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam petuit, aut poterit resumere voluntatem: quod si possibile esset, vt humana natura post quam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex ipsa rursum eam habere potuisset multo possibilius hoc haberet Angelica: qua quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset præditus facultate*. Nisi autem Angelus à semel habita voluntate physice nobilis, & flexibilis absolutè esset, atque à Fulgentio censeretur male probaret hominem bonam voluntatem natura sua recuperare per pœnitentiam non posse cum naturæ physicè, & absolutè à malo in bonum, & econtra flexibilis, mobilisque sit, ex eo, quod illam Diabolus natura sua ad semel perdita,

bonam, per malam voluntatem immobilis physice, & inflexibilis absolute rursus reuocari per pœnitentiam salutarem absolutè nequeat. Secundo male etiam inferret citius Angelo natura sua à semel habita voluntate absolutè physicè inflexibili facultatem se abilla ad bonam recuperandi, quam homini natura sua mobili, & flexibili, fore concedendam.

5. A ratione probatur primo conclusio, quia Angeli à bona voluntate, in qua deliberato (siue in instanti primo creationis, iuxta aduersæ sententiæ Patronos vel tempore, vbi primum deliberatio fuit ipsis, iuxta nostram doctrinam possibilis) extiterunt physice ad malam voluntatem, & peccatum fuere mutati: ergo, & sunt physice mobiles, & flexibiles natura sua à semel concepto deliberato affectu voluntatis: siquidem ab actu ad potentiam affirmatiue legitima est consequentia. Dices à bono in malum Angelos esse flexibiles, & mobiles physice absolute natura sua: inde tamen non probari à malo in bonum natura sua physicè absolutè mobiles, & flexibiles esse: quare conclusionem nostram non posse vniuersaliter de mutabilitate voluntatis Angelicæ ab affectu quouis præhabito intelligi. Contra primo: quia nihil assignari potest pro flexibilitate angelica à bono in malum, quod pro eadem à malo in bonum non faciat; nec pro immobilitate à malo in bonum, quod similem, à bono in malum non probet. Secundo: quia cum angelicæ creaturæ, & voluntatis, & libertatis perfectio sit, à malo in bonum flexibilitas, maiorque quam flexibilitas à bono in malum secundum se alterutra (spectata: imò ideo solum à bono in malum flexibilitas bona est; quia eadem est, ac potentia indifferenter se conuertendi liberè à malo in bonum: vti de potentia libera bene, maléq; agendi dicitur (quæ si ad male solum agendum, ac non eadem ad bene agendum esset non bona, sed pessima potentia foret, & miserrima) fieret sane: Angelicam naturam, & voluntatem humana, quæ à malo ad bonum flexibilis ex fide est, atque ex fide etiam imperfectior, longe esse imperfectiorem. Contra tertio: quia vt absolute vera conclusio sit, & negatiua absolute falsa, sat ab aliquo præconcepto affectu physice mobilem voluntatem Angelicam absolute esse. Quarto mobilitas physica, & absoluta Angeli à semel habito affectu natura sua, à nobis asseritur, non accepta particula *natura sua* pro adæquato principio intrinseco in ipsa natura Angelica, eiusve falcultatibus naturalibus, aut aliis ipsi iure naturæ debitis, quibus adæquata potentia ad opus meritorium, & in casu nostro salutarem pœnitentiam de anteacto peccato, quæ absque indebita naturæ gratia auxiliante Dei fieri nequit, compleatur: ita enim accepta particula *natura sua*. Neque primo concipere opus bonum meritorium natura sua, atque eius viribus potest, nec mortale ad quod teneatur vitare; neque alia est Angeli, quam hominis à malo in bonum natura sua, eiusque viribus physica absoluta immobilitas, & inflexibilitas à malo, quod semel admisit, absque gratia auxiliante, Dei: cum tamen eo sensu, quo Angelus natura sua physicè immobilis, & inflexibilis natura sua absolute à semel admisso peccato ab aduersariis dicitur, homo natura sua physicè mobilis, flexibilisque à suo anteacto peccato absolutè ab eisdem, atque omnibus Doctoribus asseratur: illa ergo particula *naturæ sua*, in præsenti quæstione de Angelorum physica mobilitate, & flexibilitate, vel oppositа inflexibilitate physica absoluta natura sua idem non valet, ac solis naturæ Angelicæ viribus gratia omni auxilianti Dei seclusa: sed quatenus dicit speciale genium naturæ angelicæ, quod naturæ humanæ non adsit & quo Angelus semel à se conceptis affectibus ita immobilis affigatur, & adhæreat, vt diuelli ab eis, etsi requisita reliqua adsint, vt abscedat, natura sua non possit.

6. Ad hæc potestate antecedente ex naturæ debitis auxiliis sufficientibus opus morale honestum elicere, tam hominem, quam Angelum (tametsi potestate consequenti nequeat, ni auxilium gratiæ Dei supernaturale, quoad modum solum naturæ indebitum adsit) Vasquez etiam vbivis, & nostri Alarcon. d. 8. num. 1. & Vasquianorum doctrina est: cum autem ob moralem honestatem virtutis pœnitentiæ possit ante actum peccatum æque ab Angelo, atque ab homine retractari, atque ex antecedente potestate absoluta ad aliquid agendum denominatio absolutè potentis, ad illud præstandum desumatur, fit sane: Angelum absque gratia Dei, atque eo etiam sensu natura sua peccatum ex fine etiam honesto morali retractare absolutè posse: quare, & physice mobilem à malo ad bonum, & flexibilem absolute esse dum erat viator: id quod in Soarij, & aliorum sententia, qui ad opus bonum morale gratiam Dei auxiliantem, nullatenus requirunt, maiorem vim habet. Confirmatur, quia vt physicè mobilis, flexibilisque à peccato etiam admisso Angelus absolutè sit, opus non est, vt ex bono, adhuc morali fine peccatum retractet, sed vel ex indifferenti fine, vel etiam vitioso, prauoque, & peccaminoso alio affectu, præhabito affectui prauo repugnanti, & incompossibili (vt in malis Angelis iam Dæmonibus, & damnatis contigisse statim ostendimus) ad quemvis autem actum, vel indifferentem, vel prauum auxilium gratiæ necessarium non esse, sed naturam rationalem sufficere, ex qua mendacium, & peccatum iuxta scripturam, Patres, & Concilia possumus certissimum est. Denique tota obiectionis, & solutionis huius doctrina sensu, de quo nuper disputari in præsentiarum ostendimus, nempe naturam angelicam difficilius mobilem de se, imo absolutè immobilem physice à malo ad bonum esse, contra vero à bono ad malum absolutè mobilem physice militat expresse contra Fulgentij proximè recitati verba postrema, *quod sit*, &c. quibus docebat, citius potiusque homine Angelum aptum, ac potentem natura sua esse, vt semel à Deo auersus ad Deum conuerteretur. *Multo* inquit, *possibilius hoc haberet angelica natura, quæ quanto minus grauatur terreni corporis sarcere, tanto magis hac esset prædita facultate.* Militat, expressius adhuc, contra rationem: siquidem natura humana è naturalis libertatis suæ perfectione non solum à bono in malum, sed etiam à malo in bonum physice mobilis, & absolutè flexibilis est, si necessaria ex parte gratiæ auxiliantis Dei adsint: imò postremum hoc est de se libertatis naturalis magisque per se, quam primum ad perfectionem naturalis libertatis, eius spectat: atqui naturalis libertas naturæ angelicæ, ad bonum vel malum perfectior de se est naturali libertate humana, ac longe mobilior à malo ad bonum (si gratia auxilians necessaria ex parte Dei adsit) quam humana natura de se imperfectior: imò quam ipsa angelica natura de bono ad malum physicè, mobilis absolutè sit.

7. Probatur secundo à ratione: quia de facto mali Angeli etiam, in statu damnationis, mutauerunt malam voluntatem, circa idem ipsum obiectum, per noluntatem aliam illi oppositam, & aduersam; tametsi non bonam, & honestam, sed prauam: Ergo physicè mobiles natura sua absolute sunt à voluntate mala quam semel conceperunt, in statu obstinationis in malo, propriæ damnatorum, ac Dæmonum: citius ergo, à quavis præhabita voluntate physicè mobiles, & flexibiles absolutè natura sua fuerunt in via, cui obstinationis in malo status annexus non est. Prima consequentia ab actu ad potentiam euidens est, vt patet. Secunda vero, & postrema est etiam manifesta. Antecedens probatur. Primo ex Euangelio: ex quo constat Diabolum, passionem, mortémque atrocissimam Christi, non vtcumque, sed efficacissime voluisse, ac subinde per Iudæos, Scribas, Pharisæos, Sacerdotes, & Magistratus, ac Principes populi sollicitasse de eo quippè dicitur. *Cum Diabolus iam misisset in cor Iudæ Simonis iscariotis, vt traderet*, & Ioann. 13. Ex Euangelio vero etiam constat, Diabolum etiam, eiusmodi voluntatem retractasse, habuisseque aduersam, ac instantem mortem Christi demum omni etiam studio, & arte impedire procurasse, iudicaturi iam Pilati vxore in somnis perterrita, ob quæ ipsa ad maritum Matth. 27. *Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per vilum propter eum.* Etsi enim eiusmodi somnia missa censeant Leo. sermone 11. de passione. Origen. Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus, ad eum locum, quibus adeo firmiter adhæret Maldonatus noster ibidem; est ex Diabolo, ea somnia fuisse, vetus, & receptissima opinio est. Sancti nimirum Ignatij, epistola 5. ad Philippenses, Bedæ,

Bedæ ad eum locum, Authoris historiæ scholasticæ, & aliorum, quibus accedunt Molina supra §. *Secundò Angeli*, Vasquez etiam supra capite 4. §. *Contra fundamentum*, numero 13. atque Scholastici alij ex rigidioribus. Ratio autem, qua Maldonatus huius sententiæ probabilitatem excludi putauit, efficax non est: facilius quippè, Diabolo visum merito fuit Pilatum Iudicem innocentiæ Christi iam conscium, adeóque ad eius libertatem inclinatum, & propensum, eo vxoris nuntio ad Christum postrema sententia definitiua, ex qua eius, libertas omnino, iam, & vnicè pendebat, obfirmare, quam Phariſæos, & Principes Sacerdotum, cum immissis cogitationibus, tum adeo iauidos, ac subinde minimè retrogrados, ad Christi necem procurandam odio obstinatos, obfirmatosque ab eo proposito diuertere, & ad procurandam Domini libertatem, oppositis nouis suasionibus perducere, qua ratione etiam in hanc ego sententiam inducor. Secundo probatur, citra controuersiam antecedens: dubium quippe esse nequit, quin Diabolus expoliatum Christi morte infernum expertus, multosque iustos rediuiuos, ac Dominum resurgentem, seque potestate tyrannica in homines priuatum, ac deturbatum videns, & hominum redemptionem, ea etiam morte peractam recognoscens, eamve à se procurat vehementissimè, præ inuidia doluisse. Tertio demum probatur antecedens, ipsum, quia experientia ipsa pœnæ, cum priuatiuæ, & essentialis, tum positiuæ, quam patiatur, atque æternæ passurum, se nouit, de peccato, ob quod, ea patitur passuruſque æternum est, sibi summoperè displicere, doleréque, etsi non honestè, & fructuosè, sed turpiter, & infructuosè Diabolum extra controuersiam cunctis Doctoribus est.

CERTAMEN III.

Efficax ratio à priori.

5. PRobatur tertio conclusio ratione à priori data à Damasceno postremis verbis testimonij ex ipso recitati à nobis certamine 2. init. vt obseruauimus num 3. sub init. Angelus libet (saltem in statu viæ) est in prima electione ex plena deliberatione, circa obiectum, quodvis habita, seu habenda: ergo ea etiam habita, liberè, ac ex deliberatione in prima duratione, quæ ad deliberandum, satis ipsi fuit, liber etiam in statu viæ fuit, in eius conseruatione, duratione sequente, sufficiente etiam ipsi Angelo ad nouam deliberationem habendam circa idem obiectum: ergo Angelus natura sua physice mobilis, & flexibilis absolutè in via fuit à semel habita libera, atque ex plena deliberatione voluntate. Consequentia hæc vltima euidens est: si enim absolute, & physice immobilis ab illa præhabita voluntate Angelus natura sua esset, non posset, non in quavis duratione, subsequuta prius habitam deliberatam voluntatem, & electionem primam circa obiectum illud conseruare; cui repugnat illam conseruare, vel non conseruare pro libito in aliqua duratione posse, vt opus est ad libertatem absolutam conseruandi illam præhabitam, deliberatam voluntatem, & electionem, circa illud obiectum in duratione sequente sufficiente ad plenam deliberationē circa obiectum illud iterum habendam. Prima consequentia (de qua lis cum aduersariis esse solummodo potest) probatur: ideo Angelus liber absolutè fuit in præhabita prima deliberata voluntate, & electione prima circa obiectum illud, quia voluntati eius adfuit, cogitatio duplex altera bonitatis obiecti ad eius prosequutionem inducens, altera malitiæ ab eius prosequutione retrahens, atque ad eius fugam suadens: atqui illa ipsa duplex cogitatio æque retrahens, & inducens in sequente duratione sufficiente ad plenam deliberationem iterum habendam circa obiectum idem perseuerat: ergo æque liber fuit Angelus pro statu viæ in eius voluntatis, & electionis conseruatione, duratione sequente sufficiente ad habendam iterum plenam deliberationem circa obiectum illud prosequendum seu fugiendum, ac fuit, cum primum illam deliberatam voluntatem, & electionem habuit. Dices: cum primum electionem, & deliberatam voluntatem habuit, non ideo solum fuisse Angelum liberum ad eam habendam, quod vtraque cogitatio retrahens ab obiecto & ad illud inducens adfuerit: sed, quia defuit præcedentia deliberatæ illius voluntatis, & electionis, quæ nondum habita præextiterat: ex qua indifferens de se, & re, vt aiunt, integra voluntas ita præhabitæ voluntatis conseruationi deinceps affigitur, & immobilis physicè adhæret, vt nequeat ab eius conseruatione cessare, aut resilire.

2. Petitur apertè ea solutione principium, vt supra cum Ægid. Marsilio Vasquez, & aliis Scholasticis politioribus contra Thomistas aliquot Sancti Thomæ conclusionem negatiuam, & rationem de physica Angeli immobilitate absoluta à præhabita voluntate deliberata, & electione intelligentes obseruabamus certamine primo, ea siquidem ratio conclusio ipsa aduersariorum est, vt patet: quam ex natiua voluntatis Angelicæ circa obiectum vtraque illa cognitione indifferenter propositum duratione sequente non minus quam in anteriore, in qua primum elicita, & libere, ac deliberatè habita electio circa illud obiectum fuit, efficaciter impugnamus. Contra secundo: quia si quid ea ratio, & solutio præstaret, æqua facilitate voluntas humana eisdem cogitationibus, in sequente duratione indifferenter obiectum proponentibus physicè absolutè immobilis, ac inflexibilis à semel habita deliberata voluntate contra aduersarios defendetur, vt cuivis patebit: vtraque vero confutatio fortior, & efficacior apparebit, si rem euasionis eius euoluamus. Etenim physica absoluta potestas voluntatis cuiusvis de se se liberæ, ac indifferentis, ad prosequutionem, vel non prosequutionem, seu fugam obiecti indifferenter propositi, in quavis duratione sufficiente ad plenam deliberationem habendam solum potest aufferri per aliquid adiunctum voluntati ipsi ex parte actus primi, siue pro priori naturæ physicè connexum cum affectu eliciendo, ac subinde physicè voluntatem determinans ad eum circa obiectum illud in ea duratione habendum. Patet ex statis apud Boëtium, Anselmum & reliquos Patres, & Scholasticos principiis libertatis: inde enim solum aduenire voluntati cogitationibus indifferentibus circa obiectum instructæ necessitas, quæ eum affectum ab ipsa esse, elicique facit, aut cogat, atque illum non esse, vel oppositum affectum esse impediat, ac prohibeat: quæ sola necessitate absoluta, ac simplex, siue simpliciter talis, absolute, ac simpliciter tali voluntatis libertate aduersatur. Atqui ex præcedentia electionis, seu voluntatis deliberatæ duratione anteriore circa obiectum aliquod æque indifferenter proponendum duratione sequente sufficiente voluntati angelicæ ad plenam circa illud deliberationem habendam, nihil additur voluntati physice connexum ex parte actus primi seu prioris naturæ cum affectu præhabito, ad ipsumve habendum, seu conseruandum duratione sequente sufficiente: ad plenam deliberationem rursus circa idem obiectum habendam physicè determinans. Ergo ex præhabito affectu deliberato, & electione circa illud obiectum à voluntate Angelica duratione anteriore eius absoluta libertas, & potestas indifferens ad eum affectum, & collectionem conseruandam, & habendam duratione sequente circa idem obiectum æque indifferenter propositum nullatenus aufertur: quare, & ab ea physice, & absolute mobilis Angelus, eiusque voluntas natura sua est.

3. Minor sola probationem apud aduersarios desiderauit, quam, nec leuem sic præsto. Actus voluntatis angelicæ semel habitus, ac præcedens duratione anteriore, ea præcedentia temporaria præcisè, non præcedit natura, & causalitate, siue ex parte actus primi, actum, seu affectum ab eadem voluntate eliciendum duratione sequente sufficiente ad plenam deliberationem, iterum habendam, circa idem obiectum æqua indifferentia propositum: ergo præcise è sui temporaria, præexistentia nihil adiit voluntati angelicæ ex parte actus primi physice connexum cum eiusdem elicientia duratione sequente, ac physicè determinans voluntatem Angelicam ad eius conseruationem duratione perfata sequente antecedens

cedens probatur actus liberi, cuiusvisve alterius, præexistentia in duratione temporaria præcisè, non est præexistentia, ac præcedentia, naturæ, & causalitatis, siue ex parte actus primi ad actum aliquem, siue alium à voluntate eliciendum, vel ipsummet durationè sequente conseruandum. Primo: quia alias præcedentia temporaria, & durationis cum præcedentia naturæ, & causalitatis contra Patres, & Theologos omnes, magno Theologiæ & dogmatum fidei damno confunderetur, vt vidimus controuersia de scientia, de voluntate, & de prædestinatione. Secundo probatur: quia nihil potest aliquid agere, ad illudve agendum absolute, & actu conducere, vel iuuare seu agendum impedire, nisi actu, & absolutè existens, eo vero, quod aliquid durationè antecedente actu absolutè fuit sequente durationè præcisè affectus alicuius ad affectionem physicè absolutè concurrere, ac iuuare, eamve absolatè impedire durationè sequente non potest: solum ergo ex anteriore sui absoluta existentia, & durationè poterit ad sui conseruationem, & persistentiam, in sequente durationè conducere, quatenus durationè illa anteriore sui existentiam, & permanentiam durationè sequenti, exigit, & natura sua precatur, vt creatis entibus natura sua permanentibus diximus verum hoc modo nequit natura sua actus ille liberè, & deliberatè semel ab Angelo habitus ad sui persistentiam, & & conseruationem durationè sequente sufficiente ad plenam deliberationem iterum circa obiectum idem indifferenter propositum habendum conducere, nedum determinare, ex durationè sua prima Angelicam voluntatem: dixi autem, ac toto hoc discursu, sæpè, ac semper repetiui. *Durationè sufficiente ad nouam plenam deliberationem*: minore enim durationè sequente, quam ad plenam deliberationem sufficiat perstiturum, conseruandumque actum, siue motu subito, siue deliberato habitum à voluntate, tam Angelica, quam humana, certissimum est: quia cum pro ea insufficiente durationè exercitium nouum libertatis voluntati creatæ, sit impossibile, ab eo actu, non secus, atque agens quodvis naturale à sua prima operationè cessare non poterit.

4. Quod autem durationè sequente sufficiente ad nouam deliberationem actus liber semel habitus à voluntate Angelica ex prima sui existentia, & durationè persistere, & conseruari natura sua absolutè non exigat: quare, neque eo modo, ad sui conseruationem vlteriore illa durationè conducere, nedum angelicam voluntatem determinare queat, probatur. Primo: quis actus liber primo habitus, à voluntate humana sui conseruationem ex prima sui existentia & durationè pro durationè sequente sufficiente ad nouam deliberationem circa obiectum idem indifferenter propositum, ita absolutè natura sua, exigit, & conducit nedum voluntatem determinat humanam, vt physicæ immobilis ab illo pro vlteriore durationè illa sit, vt omnes experimur: & tamen eund. permanentię, & perdurandi vlterius, semel existens, & primo productus actus ille habere natura sua debet, atq; actus primo existens, & productus à voluntate angelica, quin hic præ illo titulum permanẽdi natura sua habeat, possitve habere maiorem: ergo neque actus voluntatis Angelicæ prædeterminat exigentia sua naturali ipsam ad sui conseruationem. Secundo actus voluntatis Angelicæ subitus, & indeliberatus non affert natura sua voluntati eidem physicam immobilitatem absolutam ab ipso, nec eam exigentia sua naturali permanendi determinat, vt sequente durationè sufficiente ad denuo deliberandum circa obiectum idem indifferenter propositum, semel elicitum conseruet: Ergo nec actus deliberatus semel elicitus ab angelica voluntate, natura, & exigentia sua naturali permanendi determinat illam ad sui conseruationem vlteriori durationè sufficiente ad denuo deliberandum circa idem obiectum indifferenter propositum. Antecedens, ab experientia subitorum, & indeliberatorum motuum nostræ voluntatis, quos accedente postmodum indifferente obiecti einsdem propositione, & aduertentia quotidie tentactamus. Secundo, ex aduersariis ipsis, qui immobilitatem physicam & absolutam voluntatis Angelicæ, ab actibus semel habitis deliberate solum asserunt, non autem ab actibus indeliberatis subitisque motibus suis; quia scilicet ita sententiæ, & deliberationis, suæ primæ angelus, eiusque voluntas immobilis natura sua adhæreat, vt ab eo diuelli nullatenus possit, quod in subitis eius actibus motibusque indeliberatis non habet locum consequentia, ergo sola probanda restat: sic ergo eam probo, ac simul assignatam discriminis rationem impugno: quia libertas, quæ entitati actus subiti, & indeliberati voluntatis angelicæ additur, cum liberè, ac deliberatò ab ea producitur, solum addit potentiam voluntatis, in actu primo ad eum absolute non producendum, cum eum producit: ac subinde actus subiectionem, & dependentiam, ab arbitrio, & potestate indifferente voluntatis angelicæ, in actu primo, vt ab ea non elici, atque impediri ne sit, absolutè possit: atqui ex dependentia hac, & subiectione libertati, & arbitrio voluntatis in essendo, siue, vt absolute sit tunc, cum pro eius libito est, ac producitur, nequit illam, sibi subiicere, vt ipsummet actum necessario producat: quia potius, instar eius eidem voluntati, reliquis ad eius libertatem in actu primo constituendam necessariis instructæ subiectio, & dependentia, vt absolutè pro quavis durationè habita instructa voluntate, sit futurus, vt patet: ergo, si actus secundum entitatem suam, atque libertatis rationè secluſa, non ita permanens natura sua est, atque naturali exigentia sua perdurandi, vbi semel productus est, vt nequeat non à voluntate Angelica necessariis ad libertatem, in actu primo alias constituendam instructa, pro sequente vlteriore durationè conseruari, ex adiuncta ei libertate, & deliberata sui productione qua à voluntate absolutè producitur, ita permanens, ac sui perdurationem exigens, vt necessario à voluntate angelica, conseruari vlterius debeat nequit euadere.

5. Tertio denique à priori probatur eadem minor, & datæ hactenus eius probationes confirmantur. Actus natura sua ab alterius libito arbitrio, & libera potestate absolutè pendens, eique subiectus, vt in se absolutè sit, nequit natura sua absolutè permanens, & exigens sui perdurationem esse respectu agentis illius, vt, velit nolit, ipsum sit vlterius producturus, seu conseruaturus; sed potius imbibitam eam conditionem natura sua habet perdurandi vlterius, si illud alterum agens liberum à quo, qua tali natura sua in sui productione, & existentia absoluta dependere aptum est, ac de facto depender ipsum conseruare pro libito velit: ergo respectu illius agentis liberi nequit habere exigentiam perdurandi absolutam natura sua, vt ex prima sui existentia, & durationè absoluta illud agens liberum in actu primo constitutum ad sui conseruationem natura sua absolute determinate necessiret, atque exigentia naturali absoluta cogat ad sui conseruationem: atqui actus liberè, ac deliberatò, ab Angeli voluntate productus natura sua apus est dependere, ac de facto pendet in sui productione, & exigentia absoluta à voluntatis Angelicæ, qua libera in actu primo est, libito, arbitrio, & libera potestate: ergo nequit esse, ita absolute permanens, exigensque suam conseruationem natura sua respectu eiusdem voluntatis, cum requisitis ad eius libertatem in actu primo constituendam, vt, velit nolit, cum conseruare debeat durationè vlteriore, ac subinde, nequeat hæc à semel concepto actu suo dimoueri, Antecedens primum absolutè, & vniuersim est, verum etiam respectu Dei primi agentis liberi increati quoad effectus, qui ab ipso reali physica, nec solum intentionali causalitate verè dependent, cuius modi creata omnia sunt: de eius enim decretis, & actibus liberis, ab eius voluntate libera, verè quidem, sed solum intentionaliter: quare nec propriè dependentibus alia est ratio: est siquidem ab eis semel habitis, prorsus immobilis, non tamen, ex actuum ipsorum liberorum exigentia, sed ex attributo immutabilitatis ex quo ab actu nullo suæ voluntatis, siue intellectus, siue libero, siue necessario semel habito quiescere, absistereve potest: quod attributum, si Deo abesset, semel habitus actus liber voluntatis diuinæ de se suisque prædicatis posset ex voluntatis diuinæ libito desicere, ac proindè intentionali sua dependentia à Dei arbitrio, in sui conseruatione penderet: cum autem Angelo, eiusque voluntati immutabilitatis absolutæ prædicatum repugnet (quia Dei attributum creaturæ omni repugnans ea immutabilitas est) nequit vnde actus à voluntate Angelica libera in sui productione, & existentia absoluta pendens, ita sui conseruationem pro durationè, vlteriori ab eadem exigat voluntate, reliquis ad eius libertatem in actu primo constituendam

ORTEGA
In I. part.
DVIa.

tuendam instructa, vt eam ad sui conseruationem determinet, & cogat, sed conditionatè solum; scilicet, si ipsum velit pro suo libito, libertatisque arbitrio conseruare: quare æque in sui conseruatione, atque in prima productione pendebit, mobilisq; physicè à semel producto actu in sequente duratione sufficiente ad nouam circa idem obiectum eadem indifferentia propositum deliberationem voluntàs Angeli absolutè erit æque, atque in prima eius productione fuit.

6. Probatur secundo idem antecedens, ex quo consequentiæ omnes rationis huius à priori inoffenso current: etenim entia permanentia natura sua, quæ contrarium habent, atq; destrui, sequente duratione absolute possunt & quo præsente non producerentur, nec primo absolutè essent, & existerent, non exigunt natura sua absolutè prorsus sui permanentiam, & cõseruationem pro duratione sequente primam in qua primo absolute existunt, sed conditionate, si scilicet contrarium fortius, à quo destrui possint pro sequente duratione non adsit: atqui actus natura sua capax, aptumque, vt à potentia, & agente libero, cuiusq; arbitrio producatur, & absolutè sit, habet potentiã sui pro eius libito efficaciter impeditiuam, ne primo absolutè producatur, & sit, eandemque, nec virtutis, & potentiæ minoris, vt destruatur duratione sequente pro eius libito (dummodo æqua indifferentia proponatur idem obiectũ) ergo illius actus permanẽtia, siue exigentia naturalis perdurationis, & conseruationis pro vlteriori duratione illa nequit esse absoluta à libito agentis liberi, cuiusq; arbitrio, à quo primo productus est, sed conditionata, si eidem libero agenti libuerit: quod si naturalis permanentia exigentiæ perdurandi rerum, quas natura sua permanentes, & perdurare exigentes dicimus, vim penitius rimemur, & naturam, pleniora prædicta fient: eius enim permanentiæ vis physicè actiuitatis intrinsecè rei permanẽtis ad suam vlteriorem persistentiam duratione vlteriore, non est vt supra monstraui n. 3. sed solum intentionalis motionis, & precariæ ad causam, pleruinque primam à qua conseruandę res natura sua permanentes sunt, & quæ eius tituli permanẽtiæ cognitionẽ potest habere, eoq; moueri, vt eas, pro suo libito conseruet, etiam vbi contrarium fortius eius destructiuum non adest: quia supra exigentiam omnem naturæ supremi sui increata omnia, & libertatis diuinæ ius præualet. quo circa, cum earum semel productarum naturali permanentiæ, & perdurandi exigẽtiæ Deus pro libito annuit, easq; conseruat ratio, & propositio alia tituli illius præter eam, quæ vt eas primo produceret præcessit, Deo, ex parte actus primi aberrat, vt eas conseruet; non vero ex qua ad eas conseruandas, velit, nolit, cogatur, atq; ex parte actus primi determinetur: etsi ergo exigentia, & precarius titulus non solum respectu Dei causę primę, & vniuersalis, sed etiã causæ 2. & particularis, nempe angelicę voluntatis à qua etiam actus ille productus fuit, atq; ex eo conseruaret Angelus intentionaliter moueretur, nusquam ad eius conseruationẽ, ex parte actus primi absolute determinaretur, sed liber ad illam absolute persisteret, etsi aliud motiuum, & propositio ad eius conseruationem, vltra eam quã, ad eius primam productionem habuit, non tamen indifferentem proportionis ad obiecti eiusdem propositionem, vel fugam abolens, tum adesset.

7. Precaria tamen illa exigentia permanendi respectu causæ 2. seu voluntatis Angeli sufficienter ex parte actus primi liberæ const, tutæ pro vlteriore duratione, ex qua primo productus actus ille fuit, haudquaquam est, sed solum respectu Dei, cuius est semel creata conseruare cogitari posset: quia, vt dixi, proximè, respectu agentis liberi pro nulla duratione in qua liberum in actu 1. absolute est absolutum permanentiæ ius, aut exigentiam absolutam eius actus, & effectus potest habere. Dixi respectu Dei illud habere, posse excogitari: quia reuera, nec respectu Dei, ad quẽ naturales illas preces pro sua conseruatione fundat, absolutam exigentiam, & ius perdurandi absolutum habere magis potest, quam permanendi in præsentia contrarij potentioris ad ipsius destructionem, ac subinde exigentiæ fortioris ad aliquod contrarium, quo res semel producta destruatur: siquidem ius libertatis causæ secundæ in actu primo absolute liberæ pro sequente duratione actus producti durationem qua productus est, atq; existit primo, & qui causæ suæ libito, quandiu libera in actu primo, absolutè est, in sui absoluta existentia, & effectione subsicitur, nec amplius expectat, vt libere ab ea procedat, sitq; absolute liber, fortius quidem ius, & exigentia est iure, & exigentia quauis permanendi, ac perdurandi. ex parte actus vlteriore duratione conseruandi: ac subinde adstante iure absoluto libertatis in actu primo causę à qua productus primo actus ille fuit (vt sequente duratione adest) nullum ius absolutum ad suam conseruationem actui illi, ex prima sua productione, adhuc respectu Dei, qui efficacioti, potioriqiuri debet in sua connaturali erga res creatas debet attendere, vllatenus esse potest. sed demus gratis aduersatiis exigentiam, & ius permanendi actus semel, à voluntate angelica producti, etiam respectu Angeli, nec solum Dei esse, ad ipsumque pro sui conseruatione actum illum naturales suas preces fundere: certe illæ indifferentiam propositionis, ad prosecutionem, vel fugam obiecti eiusdem non abolent, etsi motiuum aliud, vt in semel concepto, & habito affectu alterutro Angelus duratione sequente perseueret: ergo adhuc eo, absistere absolute potest: ac proinde ab eo physicè absolute mobilis natura sua Angelus est. Secundo potest absolute, & naturalissime ius, & exigentiam illam permanendi actus illius Angelus non attendere, sed solum obiecti, circa quod versabatur indifferentem, & eandem propositionem, seu æqualem, vel maiorem, vt nobis sæpe, ac semper contingit: cum autem titulus ille, sicut motiuum quodvis, absque sui propositione voluntatem mouere absolute nequeat, nedum absolute physice determinare, naturalissime eque, ac primo actum illum & poruit non producere, poterit eum duratione sequente non conseruare, tametsi titulum, & ius permanendi absolutum respectu voluntatis liberæ, à qua semel productus est, haberet.

8. Sed inquies si ita hæc sunt, vnde Angelus difficultatem illam maiorem absistendi à semel habito deliberato actu, quam primo illum producendi naturaliter habet, quam moralem impotentiam ab eo abscedendi diximus, si naturaliter titulum, & ius illud perdurandi potest non attendere, imò & sæpè non attendi? Respondeo, ex maiore perfectione potentiæ suæ intellectiuę, ex qua perfectius de propositis iudicat consultat, & practicum iudicium de agendis demum efformat: a quo proinde difficilius abscedit, nouisq; rationibus in aduersum opus moraliter, & vt res vsu veniunt, frequenter habet, vt ab eo dictamine remoueatur, vt in hominibus perfectioris, perspicaroisq. intellectus euenire experimur. His enim, qui perfectius obiecta de quibus deliberatum primo fuit, maiores, potioresq; rationes in aduersum occurrere, quam occurrerunt, cum primo deliberarunt difficilius est: ac eitdem illis primis solum perstantibus, difficile etiam est à præhabito dictamine practico recedere: eo vero perstante, pro suo voluntatis arbitrio, à primo habita deliberata voluntate, & electione absistere est item difficile: ex harum autem trium difficultatum coniuncto maior illa difficultas, quam moralem impotentiam vocamus, magna sui parte conflatur. Accedit connaturalis quædam, inditaq; intimæ perfectioribus mentibus proprij iudicij æstimatio, qua rationib. pro opposito additis minus naturaliter, ac sæpe sine culpa, minime attendunt, vt iudicium practicum mutent, quin de eo habita iam deliberatione ita sibi natiua illa, nec deliberata inclinatione blandiuntur, vt à dictamine, & deliberatione illa prima mutationem, vt quid suam perfectionem dedecens, detrectent: idque, nisi studiosa valde humilitatis frequentis, ac propriæ cognitionis virtute præueniatur (quod quam arduum sit, nemo non videt) semper, & dictaminis, & electionis semel habitæ mutationem præcelsis mentibus impediet: quod si huic natiuæ præfatarum mentium, ac indeliberatæ præsumptioni vitiosæ in turpem elationem, & superbiam illæ inciderint, desistendi à dictamine, & proposito semel habitis, mutandique illa, valde augescet difficultas, eoque magis quo vehementiore affectu in eiusmodi vitia ferantur. Vnde transgressoribus præ superbia Angelis malis, ac præcipue superbissimo eorum Lucifero pœnitentiæ de peccatis suis etiam in viæ statu, quam magna suborta est difficultas, & quæ impotentia moralis iure optimo à Theologis censeatur; non autem physica absolute impotentia, cum physicam pœnitendi potentiam ab eis, vt vidimus, non aboleat, atque vehementioribus auxiliis ad pœnitentiam absolute possibilibus, possit fortius Angelus ad illam impelli,

quam aduersis natiuis, ac vitiosis inclinationibus, & affectibus in primo dictamine, & affectu detineatur: vt de se se claret, & numero sequente amplius clarescet: ex quibus constat, actum deliberatum primo ab Angelo conceptum, & habitum ex prima sui existentia præcisè, ex duratione nil in sui existentiam, & conseruationem durationè sequenti physicè, nec intentionaliter, & motiue intrinsecè sibi absolutæ permanentiæ titulo conducens, nedum determinans voluntati Angeli ex parte actus primi afferre (vt hactenus contendebamus) sed aliunde ex inclinatione natiua, ac superba adquisita in malis substantiæ rationalis intellectiuæ, & volitiuæ Angelicæ perfectione eorum concepto semel dictamini practico, & deliberationi primæ adhæsionem, & ab eis abscendendi maiorem, quam in homine, minus perfecto, & intellectiuo, & volitiuo, difficultatem (quæ moralis impossibilitas sit) Angelis suboriri, & malis Angelis adhuc in viæ statu, quam bonis maiorem; eam vero physice iusuperabilem absolute non esse: quare, & Angelos omnes, pro statu saltem viæ à sententia, & proposito primo physicè mobiles duratione sequente sufficiente ad nouam deliberationem absolute esse.

9. Sed neque ex aliquo habituali, quod ad eundem actum & deliberationem primo habitam sequente duratione prefata tuendam physicè ex parte actus primi determinans in Angelo, eiusq; voluntate relinquat, eumq; physicè absolute à sententia & deliberatione prima immobilem reddat: etenim habitualis illa adeo vehemens inclinatio, siue habitus physicè irresistibiliter, ad eum primo habitum actum deliberatum tuendum potenter mouens, & physice inclinans, solum ex maxima adhæsione Angeli ad obiectum illud primo habito actu, eique intrinseca, vel indiuiduali, vel intensiua potest prouenire; nequit autem ab vlla ex iis prouenire: ergo nullatenus ex primo habito actu Angelo, eiusque voluntati relinqui irresistibilis physice & absolute habitus ille, & inclinatio potest. Maior est aperta: siquidem deliberatio, & libertas actus illius extrinseca denominatio actus illius à deliberatione, & libertate voluntatis, in actu 1. est, non vero intrinsecũ actus ipsius prędicatũ. Minor probatur primo, quia maior illa adhæsio vel indiuidualis, vel intensiua primo habiti actus intrinseca est actui illi: ergo siue actus ille indeliberato, siue deliberato habeatur, què intensum, & magnum habitum, & permanentem inclinationem physicam ad eundem actum duratione sequente tuendum, & conseruandum generabit, atque Angelo imprimet, eiusque voluntati: ergo, etsi indeliberato, & subito actus, & motus ille ab Angeli voluntate prima habeatur æque illam, & Angelum physicè absolutè immobilem ab illo, ac determinatam ex parte actus primi ad eum duratione sequente tuendum conseruandumque reddet. Hoc autem negant expresse de actu indeliberato aduersarij. Antecedens primum probationis minoris Syllogismi primi est in re præsente certum: etsi enim habitus seu habitualis physica inclinatio ad actus similes eliciendos ex actuum intentionis & adhæsionis physicæ cuiusvis repetitione sæpe possit generari; ast ex actu non repetito, sed vnico (vt in casu præsente) ex sola eius intrinseca adhæsione maiore ad obiectum illud siue indiuiduali, siue intensiua prouenire potest. Consequentia vero inde deducta constat ex probatione maioris syllogismi primi. Siquidem ex indeliberatione, vel deliberatione actus non mutatur intrinseca, siue indiuidualis, siue intensiua eius actus ad obiectum adhæsio. Vrgetur: quia indeliberata productio eius primi actus, seu motus voluntatis in obiectum prouenit solum ex defectu cognitionis, qua ab eo affectu retrahatur, detineaturque ab illo, ex parte actus primi voluntas: ac proinde expeditior promptiorque sit ad eum eliciendum voluntas: quare, & maiore intentione, & adhæsione ad obiectum, quam si deliberato procederet, eliciendum à voluntate esse connaturalissimum est: inde motus subitos, & indeliberatos voluntatis in bonum à Deo immissos voluntari ex parte actus primi inclinationem habitualem ad actus similes deliberate, & honeste postmodum edendos imprimere valdèque proinde ad efficaciam gratiæ auxiliantis conducere frequens, & constans Augustini doctrina est, à nostro Vasquez primum erudite obseruata, ac postea à reliquis Theologis Scholasticis recepta. Probatur secundo: quia in hominis actibus, vel indeliberatis, vel deliberatis primo habitis æque magna adhæsio ad obiectum intrinseca intensiua, atque in Angeli actibus primo habitis esse potest, atque æqua subinde in homine, atque in Angelo inclinatio habitualis ex illis generari, ac relinqui: & tamen per aduersarios nequit homo ex primo habitis actibus vllis absolutè ad eos tuendos, & conseruandos duratione sequente prædeterminari, ab eisque physice absolute immobilis reddi: ergo neque Angelus. Probatur tertio: quia habitualis inclinatio voluntatis ad actum, propositionis viuiditate, & efficacia maiore in aduersum addita (quæ angelo etiam aduenire absolutè postmodum potest) vinci absolute potest, superataq; in Angelis malis absolute fuit, vt vidimus cert. 2. n. 7. tametsi in absceedẽdo à malo effectu fuerint difficilius mobiles, iuxta dicta nuper n. 8. post med. id quod in nostra verosimiliori sententia habitus, cùm intellectus, tum voluntatis in viuidioribus speciebus, ex actibus relictis constituente, apertius adhuc erit. Quarto demum probatur: quia habitualis naturalis inclinatio ex actu quomodocumque relicta ad similes solum actus, non ad eundem est: immo, neque esse potest: cum indiuiduationis determinatio causarum naturalium non fit, sed ad causam primam Deum solummodo expectet, vt suo loco affatim ostendimus.

CERTAMEN IV.

Quæstionis directæ de loco pœnitentiæ Angelis in via à Deo facta nostra decisio.

1. PHysica absoluta Angeli cuiusvis, ac voluntatis eius à semel concepto, & habito affectu quouis mobilitate minutius, fasiusque (nescio an firmius) quam hactenus statuta potuisse illis, in via saltem pœnitentiæ locum à Deo fieri dubitari non potest: quare ipsis in statu viæ locum pœnitentiæ possibilem absolute fuisse censent omnes, quia semel elicito actu physicè absolutè mobiles & flexibiles Angelos decuerunt, certamine 2. num. 1. Nec iam inter mediocris alicuius bonæ notæ Scriptores vllum est, in quæstione de possibili ab eis, & nobis dissidium: quare affirmatiuæ conclusioni de possibili statuendæ otiosè, de superfluo, & inutiliter laboraretur: cum ex absoluta physica mobilitate angelicæ, voluntatis à semel concepto affectu pœnitentia de eo, cum infructuosa, atque ad salutem inutilis ex non honesto, & turpi etiam fine, vel fructuosa ex Dei amore, & supernaturali gratiæ auxilio possibilis absolute Angelo demonstretur: de facto igitur, & fructu, quo pœnitentiæ locus datus Angelis sit, est iam inter Doctores Scholasticos controuersia. Ne vero, quæstiones multiplicem, aduerto: eandem esse difficultatem de loco pœnitentiæ, siue vtilis, ad salutem ex gratia Dei, siue inutilis, ex non honesto, sed prauo fine, a transgressione præcepti malis Angelis transgressoribus à Deo facto, ac de loco retractandi obedientiam, atque non perseuerandi in bono etiam, facto à Deo obedientibus primo Angelis, dum in via steterunt: vti hominibus in statu viæ ad vtrumque pœnitentiæ genus, siue retractationis, bene primum, malève actorum, datus simul locus est: si enim status viæ angelicæ pro tempore diuisibili datus à Deo fuit, vt vidimus, ac Theologi, ex Patribus, & scriptura consone docuerunt, nec semel concepta ab eis vel obedientia, vel obstinatio in malo, & in pœnitentiam pro vlteriore viæ duratione fuit retractatu impossibilis: imò ad vtrorumque eam concludendum absolute, & promeritis, demeritisve eorum, præmium vel supplicium expectatæ à Deo sunt vtriusq; retractandi, primo habitas voluntates fieri potuisse locum: imò & æquè fors factum dubium esse nequit: id quod ex prælio bonorum, malorumq; Angelorum in statu viæ habito de quo in suo Apoc. Ioan. c. 12. & nos q. 3. agemus, satis claret.

2. De

2. De loco ergo pœnitentiæ salutaris ex gratiæ Dei supernaturali auxilio à Deo de facto dato malis Angelis in via negant relati omnes cert. 1. numero 1. pro physica absoluta Angelorum à semel conceptis actibus immobilitate, ab eisque absistendi impossibilitate: idemque ex eodem principio censent de loco Angelis bonis à Deo facto, in via à bono recedendi, vt liberè perseverarent. Huic etiam sententiæ accedunt Doctores alij, qui, licet Angeli voluntatem physicè à semel concepto affectu quovis absolutè mobilem censeant: viæ tamen statum, & tempus illud, quod ad primo deliberandum circa observationem, vel transgressionem præcepti datum est nullatenus eorum, vel obedientiam, vel transgressionem prætergredi arbitrantur: immò verò instanti eodem, quod, vel obedierunt boni, vel mali transgressi sunt præmij, vel supplicij mercedem æternùm, & irreuocabiliter duraturam recepisse: quare vel pœnitentiæ de transgressione, vel retractationi, de obedientia duplici ex capite locum fuisse præclusum. Primo: quia in eodem instanti affectus alteruter, cum sui ipsius pœnitentia, & retractatione ex quovis fine, contradictorie pugnat. Secundo ex statu, vel gloriæ Angelorum, vel damnationis Dæmonum, ex quo nulli eorum, vel ad peccandum, vel ad salubriter pœnitendum siue à bono, siue à malo patet regressus: ex eis vero Doctoribus, qui nobiscum, & physicè absolutè mobiles à semel conceptis affectibus Angelos docent nec tempore, quo primum deliberato transgressi præceptum mali Angeli sunt, vel boni obedierunt, viæ angelicæ statum fuisse finitum Soarius noster lib. 8. c. 1. n. 4. negat Angelis in viæ eius durationè obseruantiæ, vel transgressionis locum retractationis ab alterutra, & pœnitentiæ salutaris Angelis transgressoribus datum. Consentit in eo Molinæ q. 63. art. 6. concl. 5. & vtrique Arriaga d. 25. sect. 1. n. 3 §. *Dices contra suppositionem*, in vtroque vero consequentiam desidero. Soarius quippe rationes singulas, & omnes quibus negatiua sententia nititur refellit, ac postea ex illis coniunctim sumptis rationem pro illa instruit à num. 21. qua moralis solum impotentia pœnitentiæ salutaris malorum Angelorum vlteriore viæ durationè post peccatum admissum, non autem physica, & absoluta, probatur: quin eo ipso n. 21. ad finem vsque capitis malis Angelis vlteriore viæ suæ durationè auxilium absolutè sufficiens ad salutarem pœnitentiam, etsi perexiguum, & minimum, datum asserit: quia statui viæ ad terminum supernaturalem auxilium eiusmodi censet esse quasi connaturale: inde vero absolutam potentiam physicam eorum ad salutem pœnitentiam pro durationè peccato vlteriore ipsis in via, & locum subinde pœnitentiæ salutaris datum de facto fuisse euidens est: cum tandem Soar. concedat moralem solum impotentiam pœnitentiæ ex adiunctis, & conglobatis concludens, vti, & ex eisdem Arriaga vbi proximè, & toto n. 4. si eius rationes omnes attendantur citatur à nonnullis pro ead. sententia Vasq. d. 239. n. 28. qui tamen de malis Angelis, non in via, sed in statu damnationis loquitur, vt ex contextu patet, & ex d. 140. n. 12. & 141. n. 17.

3. Dicendum nobis est Angelis malis pœnitentiæ locum datum de facto, pro viæ statu, à Deo fuisse ita docent Scotus in 2. d. 6. q. 2. art. 2. §. *Ad argumenta* solut. quarti. Gabriel ibi art. 2. vbi etiam Lychetus, Salmeron noster t. 4. & postremo in epistolas canonicas ord. 16. in 2. Petri c. 2. vers. 4. d. 3. ad dub. 5. à §. *Ad aliud pro oppositum dubium*, ac deinceps Lorinus in idem caput eundemque Petri versum, Alarcon. d. 5. c. 4. remissiue ad d. 9. c. 5. vbi ex instituto n. 6. §. *Ego vero probabile puto*. Quitos a. 74. sect. 2. Vasq. pro eadem sententia stare videtur locis citatis, vbi de possibilitate pœnitentiæ Dæmonum in statu damnationis disputat, præsertim d. 141. n. 17 vbi lapsis Angelis spem salutis veram (quam in statu damnationis habere nequeunt) in viæ statu concedit, eam vero, nisi ratione auxilij sufficientis, ad salutarem pœnitentiam habere non poterant, sed inanem solum præsumptionem quæ à vero Theologico spei habitu prouenire nequibat. Hanc sententiam præfatus Salmeron adeo ab authoritate, & ratione fundauit, vt mirum sit ab aliquo, qui ipsum legerit, oppositam defendi. Probatur primo: ex Patribus Cyril. Hierosol. Cateches. 2. illuminator. homines ad pœnitentiam experimentis diuinæ in peccatores misericordiæ frequentissimè adhortans scribit. *Dicimus sane nos ex parte quadam ex illius erga homines benignitate: sed nescimus, quanta ille, & Angelis condonauerit (indulget enim, & illis) quandoquidem ipse tantum vnus est, qui peccare non possit, qui purgat peccata nostra Iesus.* Ergo indulget, & condonat Angelis, vti, & hominibus post admissum peccatum; quod nisi de auxilio sufficienti, ad pœnitentiam, in via saltem, intelligi nequit, quo se, peccato suo, illi indignos reddiderant, vt locum propria condonatio, in eius collatione haberet, sed dices condonationem hic præseruatiue intelligi, vti de Virginis Matris redemptione Patres, & Doctores scholastici loquuntur, etsi, ne originale quidem peccatum, eiusve debitum incurrerit: quia ne alterutrum incurreret gratia Redemptoris filij præuenta fuit: ita ergo, & Deus Angelis peccatum condonauit in actu primo auxilij sufficientis, quo illud vitare absolute possent, vitarentque de facto, si vellent gratuita, & misericordi donatione, id, quod subiuncta Cyrilli ratio. *Quandoquidem ipse tantum vnus peccare non potest & Iesus*, quibus de potentia non peccandi in cæteris, & impotentia peccandi in Christo videtur locutus.

4. Cæterum solutio est nulla. Primo: quia potentia non peccandi, atque ad vtrumvis indifferens in actu primo præcisè, etiam per gratiam facta, condonatio actualis, adhuc præseruatiue, non est peccati illius: ni aliud peccatum supponat ob quod gratia illa indignus præsupponatur recipiens, vt nos per originale saltem indigni præsupponitur. Sed necesse est, vt gratiæ collatæ donatio vltra sufficientiam, qua indifferens potentia ad non peccandum constituitur gratiæ efficaciam è non futuro peccato alias futuro habeat adiunctam, potentiæ siquidem indifferentis ad vtrumvis donatione neutrum extremum præ altero donatur, vt patet: quare nec præseruatiuè condonatur. Confirmatur: quia, nec Deus donatione auxilij sufficientis ad opus bonum, ex seria etiam intentione, vt illud exequamur, opus bonum nobis donare dicitur cum nec auxilium, quod nobis donat, ratione efficaciæ quæ illi deest, & congruitatis adiunctæ, & è cuius præscientia nobis confertur bonum opus de facto deuoluat (vnde Dei gratia etiam, & donum dicitur bonum opus ab Augustino in radice congruæ vocationis) ergo nec peccatum condonatur præseruatiuè donatione gratiæ sufficientis, vt vitetur, nisi ratione congruitatis, & efficaciæ adiunctæ, ex cuius præscientia à Deo donetur, eius vitatio deuoluatur. Confirmatur ex Redemptione præseruatiua Deiparæ ab originali, eiusque debito, ex qua arguitur; quæ talis non fuisset effectu non sequuto neutrum incurrendi, ex sola potentia præseruandi eam in actu primo considerata. Nec satis est Angelis bonis, qui non peccarunt, præseruatiuam peccati condonationem gratiæ efficacis ad non peccandum donatione locum habere, Cyrillus quippe exemplo condonationis, & indulgentiæ Angelis peccatoribus à Deo factæ peccatores homines bono animo esse iubet, & ad spem diuinæ indulgentiæ exigere contendit, atque ad pœnitentiam hortatur: vnde, & solutionis præfatæ confirmatio euanescit: illud enim, quod solus Iesus ex creaturis rationalibus peccare non possit, solum adducit, aut Angelos aliquos, (in quos indulgens, & condonans in via Deus fuit, auxilia ad pœnitentiam sufficientia quantumvis indignis tribuens,) peccasse facilius suaderet.

5. Probatur secundo ex Nysseno primo, Philosophiæ capite tertio seu potius, (vt sæpè, ex nostro Bellarmino monui) Nemesio apud tom. 5. Biblioth. veter. Patr. parte tertia, de natura hominis capite primo, vtrobique autem eadem habetur sententia apud Nysseum, ex quo ea Salmeron recitat his verbis. *Solt hominibus hoc donatum est, & omni, & semper secundum huius vitæ tempus; post mortem autem concessum est nemini scilicet post casum pœnitentiam agere de peccatis. Iam vero Angelis voluit post casum minime ea, qua ex pœnitentia est venia potiri: mors enim horum est casus. At ante casum ad similitudinem vitæ hominum, num etiam gratia illos dignos efficit,*) scilicet vt sicut homines in vita eos peccasse pœniteat) *Quod quia non fecerunt irremissibilem ac perennem deinceps nequitiæ suæ conuenientem habebunt vindictam* ex Nemesio vero apud Biliotb. ita Alarcon. *Proprium hominis esse pœ-*

nitere, dum est in hac vita; morte autem obita, non item: quia post mortem non conceditur pœnitentia de peccatis. Quomodo etiam Angelos nonnulli volunt non amplius postquam lapsi sunt consequi veniam per pœnitentiam; mors enim illorum lapsus est: sed ante lapsum ad similitudinem vitæ hominum etiam ipsis veniam Deum daturum fuisse, si pœniterent, Hunc vero cum non pœnituerit eos erratorum suorum æternis nec vlla venia remittendis suppliciis meritis suis congruentibus multantur. Vtrumque textum exaraui triplici de causa. Primo: quia in eadem sententia vtrumque Patrem fuisse censeo. Quia Nemesij opus ne fecatis nonnullis, quæ apud illum sub proprio titulo de natura hominis, & animæ facultatibus minus propriæ, quandoque dicuntur, sub titulo alio philosophiæ proprium etiam à Nisseno factum, vel contra illis paucis additis Philosophiæ Nisseni libro alio suo proprio, Nemesiũ efficisse reor, secundo: quia ex vtroque contextu cõstat lapsum casumq; Angelorum (quo eorum via vt hominum via morte finita est) non quidem peccatum lapsumq; moralem ex gratia in culpam, sed ex cælo, & localem significare. Tertio: quia ex vtroque constat præfatam sententiam vtrique Patri communem, & eandem de venia per pœnitentiam (quæ non, nisi de admisso peccato est, fuitque illis vtique post peccatum possibilis, ab eisque neglecta, quare & ipsi è cœlo in æternam, atque irremissibilem damnationem, & pœnam sunt missi) intelligi, ac sine vlla tergiuersatione, debere. Tertio probatur ab eodem Salmerone, ex Basilio in cap. 14. Esaiæ, & Hieronimo in cap. 1 ad Ephes. atque alias etiam, docentibus pœnitentiæ locum Angelis malis factum, quoad vsque creato iam homine (die scilicet creationis sexto) inuiderunt, quo, & die, & peccato pœnitentiæ locus clausus, & viæ terminus positus fuit, cum autem breuiori, quam sex dierum, imo breuissimo spatio, tam boni, quam mali Angeli, per eosdem ac Patres, & Doctores reliquos circa præceptum ipsis impositum, eiusque obseruantiam vel transgressionem deliberauerint, multo iuxta hos Patres tempore post peccatum potuisse pœnitentiam agere Angelos malos compertum est.

6. A ratione vero Theologica Probatur conclusio: quia, cum Deus, è sua misericorde benignitate, erga reliquas suas rationales creaturas, (homines scilicet) non solum ad pœnitentiam de vno, sed de pluribus grauibus, & grauissimis quantumuis peccatis, nec semel solum admissis, sed multoties repetitis, ex ea misericordia, & benignitate remissis, & iterum atque iterum grauius proinde commissis in multa patientia expectat: idque ex sua ad ignoscendum, quam ad puniendum, quasi natiua, & impote inclinatione maiore, vt proinde in suis proprietatibus veniam peccatorum, quasi indefectibilem, velit haberi (vt Ecclesia oratione illa, *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere* testatur,) locum pœnitentiæ Angelis de vno saltem primo illo peccato in viæ statu fecisse antequam irreuocabili, & definitiuo causę ipsorum iudicio damnarentur ęquum Theologis censere, ac de Dei bonitate, & misericordia sentire procul dubio est; neque aliter citra imprudentiam, nec satis piam temeritatem poterit iudicari: ni aliter à Deo factum (vt fieri absolute potest) ex scriptura, & constante Patrum intelligentia, & iudicio, quæ absunt, nobis innotescat. Vrgetur: quia opinio illa, non paucorum asserentium ad eum gradum, & ad cumulum peccatorum præ grauitate, & multitudine peruenire posse, vt eis adhuc in via, vitaque perstantibus, gratiam vt de eis pœnitere valeant, ac resipiscere deneget, ac subtrahat, male apud Doctores reliquos audit, minorisque in Deum pietatis merito notatur: est autem minus longe pium, atque adeo valde dissonantius, vnum tantum illud primum Angelorum peccatum, expectatum à Deo fuisse, vt auxilium gratiæ sufficiens, & necessarium, vt de eo pœnitere illos absolute posset deinceps denegaretur, ac tota eorum de æterna salute, vel perditione stata lege omnibus Angelis communi eorum causa definiretur. Dixi *stata, & communi omnibus lege*, quia indiuiduo alicui Angelo, ita ex Dei liberrate constitui, vt peccato primo mortali eorum via finiretur ac locus pœnitentiæ præcluderetur, ad gratiæ dominium suum ostendendum, fieri à Deo, absque eiusmodi nota posset, vt factum in aliquot hominibus, absq; ea fatemur, qui peccato primo mortali vitam, viamq; subinde suam finierunt quin pœnitentiæ locus datus eis in via fuerit, quæ vlterius, nõ processit. Aut aliquib. adhuc in via perstituris, vti Angeli omnes post primum peccatum perstiterunt (vt vidimus q. 1.) gratiam sufficientem, & necessariam absolutè, ad pœnitentiam post vnum: imò post multa, eaq; grauissima peccata, quantumvis iterata dein ipsa, à Deo denegari communiter Theologi exhorrent nedum stata lege commune omnibus hominibus in statu viæ permansuris. & ob primum peccatũ, vt aduersarij Angelis communi, & stata lege omnibus factum à Deo volunt: immò vero ita cum perstituris in via post peccatum fieri prorsus repugnat cum viæ statu, siue Angelorum, siue hominum eorũmq; via, quæ ad æternam salutem est, & in qua, ni possint per pœnitentiam incedere esse non possunt: nequeunt autem absq; gratiæ auxilio ad pœnitentiam progredi: ergo vt in via adsint illud eis datum, ac subinde pœnitentiæ locus.

7. Etsi vero id fieri à Deo absolutè posset, factum tamen ita fuisse nullo scripturæ, & Patrum fundamento, & intelligentia communi nititur: ac proindè pro natiua Dei misericordia, & ad veniam, quam ad supplicium propensione maiore ab Ecclesia asserta, atque in nobis frequentissimo experimento comprobata standum pio, prudentiq; Theologo esset, vt diximus, probandum restat. Porrò quamvis eius probationi satis esset testimonia ab aduersariis rentata diluere (ipsis enim incumbit probatio, nobis autẽ negatiua sufficeret) de superfluo tamẽ, positiuè probatur, quoad scripturam attinet (ex patribus n. 4. & 5. probatum est) ex prælio illo Michaëlis & bonorum Angelorum sequacium cum Lucifero, & reliquis Angelis apostatis in cælo empyreo, in quo creati omnes fuere priusquam inde in caliginosum hunc aërem damnatiam Dæmones ab illis eruterentur. Neque enim prælium illud fustibus, & armis, sed benesuadis honorum ad malos rationibus, & adhortationibus, vt resipiscerent, contra vero malesuadis fucosisque suggestionib. & disputationibus, vt à bono recederent habitum fuit, vt q. 3. ostendemus ac 1. tetigimus, id quod ni malos de peccato pœnitere salubriter absolutè posset, locusq; & pœnitentiæ potentia absoluta antequam cælo ob impœnitentiam, & contumaciam demum damnati eiicerẽtur perfufficiens gratię auxiliũ factus à Deo fuisset, haberi fieriq. minimè poterat. etsi autem Lucifer à nullo seductus peccauit alij notæ inferioris Angeli ab eo, & alijs seducti deliquerunt: cum autem viæ tempus omnib. taxatum idem fuerit, & æquale post lapsum vlteriorem viæ durationem Lucifer habuit, quo, & alios decipere potuit deinceps vel conuerti.

CERTAMEN V.

Aduersæ sententiæ fundamenta conuelluntur.

1. NEgatiua vero probatio ex Patribus sit, quod eorũ nemo pœnitentiæ locum in via malis angelis negauerit, qui vero ob primum peccatum damnatos angelos aliquando aiunt, contumaciam, qua in vlteriore duratione ab eo recedere, ad Deumq; conuerti noluerunt, non excludunt; nec si statim post peccatum dicant damnationẽ secutam: sumitur enim statim pro eo, quod breui, etsi diuisibili tempore: actum est, vt frequenter non solum apud homines, sed apud scripturam, & Patres vsu venit: sed ex verbis epist. 2. Petri c. 2. *si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit sed rudentibus inferni detraxit.* Inferunt ergo nec pepercit sed rudentibus inferni detraxit. Inferunt ergo nec dedit, eis locum pœnitentiæ: consequentia probatur primo quia non dixit, *qui peccarunt* de præterito, sed *peccantibus*: quasi peccato ipso veniæ, ac pœnitentiæ via ipsis fuerit occlusa. Nec valet, sic etiam de hominibus, quibus pœnitentiæ locus datur. Iob. 9 dici. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parcere delinquenti*: quia conditio, ni pœniteat subintelligitur, voluit enim speciale aliquid Petrus de Angelorum damnatione dicere, quo iustitiæ diuinæ horrore, nos à peccato deterreret, si autem respectu peccantium, vti, & hominum ni pœniteant, intelligatur,

intelligatur, nisi specialis horroris iustitiæ Dei in Angelos exercitæ dixisset. Secundo probatur consequentia: quia ea nulli Angelorum peccantium veniam datam dicitur, quare nullum Angelorum venia donatum salubriter pœnituisse, eo loco, vt dogma fidei à Petro creditum censent nonnulli, nec oppositum Doctor, aliquis Catholicus ob eum locum audet asserere, vt q. sequente videbimus. Tum, quia ea verba, doctrinalia cum sint vniuersaliter intelligi debent iuxta expositores omnes. Tum, quia, inde omnibus Angelis, nullo excepto, intelligatur, nihil speciale de iustitia tremenda, & vindicta de Angelorum peccatis à Deo sumpta diceret Petrus: cum eodem rigore, & securitate in peccatores homines quam plurimos, & fere omnes. Si cum numero eorum quibus peccatorum venia à Deo exhibetur, conferantur. Iam vero, quod omnibus individuis generis alicuius de facto conueniat, id nusquam contingenter euenire certum videtur: cum quidquid contingenter euenit contentis sub aliquo genere, aut cæterorum, cunctis omnibus, & semper nusquam eueniat; at si Angelis peccantibus pœnitentiæ locus datus esset venia eius fuisset absolute coontingens: ergo eis pœnitentiæ de peccato locus per auxilium gratiæ, vt ad Deum conuerterentur, factus adhuc non fuit.

2. Strinxi difficultatis ex Petri loco ab aduersariis propositæ nodum, quam potui arctissime; sed, vt planius faciliusque soluam, vt hic etiam verum prouerbium illud habeat. *Qui bene stringit, bene dissoluit*, seu vulgari nostro idiomate Hispano, *Quien bien ata bien desata*. Negatur igitur consequentia ex hoc loco deducta, quod autem pto vtraque eius probatione expenditur, & tanquam litteralis sensus, & mens sancti Petri, eo loci & capitis supponitur (scilicet in vindictæ de peccato Angelorum sumptæ exemplo speciale, & horridum, quod in vindicta de peccatis hominum sumpta inueniri nequeat, Petrum proposuisse vniuersim, & in omnibus falsum est, ac præsertim in eis quæ probationibus consequentiæ possunt inseruire. Intentum siquidem Petri eo capite, aut textu, eius contextu liquet, fuit horribilibus Dei suppliciis ab Scriptura sacra memoratis durissimum iudicium mendacibus magistris, & impostoribus verbo, & exemplo sceleſtorum morum in Ecclesia Christiana futuris prædicere: quod scilicet euasuri nequaquam sint, siue potentia, opulentia, & dignitate, siue multitudine, & frequentia consimilium. Idcirco Angelorum malorum potentia, & dignitate naturæ hominibus cunctis longe præstantiorum, numero vero plurium valde horrendo supplicio: deinde in mundo perdito, toto aquis diluuij immerso, in ciuitatum Sodomæ, & Gomorræ combustione; tertium exemplum posuit cum tamen tot mundi incolas diluuio suffocatos diu ad pœnitentiam expectatos fuisse, ex scriptura constet: Non ergo in eo, quod dire, & dure adeo Dei suppliciis notissimis, vt timorem diuinæ in peccatores generis, & conditionis cuiusuis nefariis impostoribus illis ingeneraret ex denegato Angelis pœnitentiæ loco (quod notum hominibus tunc non erat. imo, & nunc à sapientioribus rem ex instituto versantibus minus probabile, & pium iudicatur) diuinæ vindictæ de illis sumptæ magnitudinem ponderauit: maxime, cum allatis hominum exemplis ad pœnitentiam dici expectatorum, quidquid inde horroris induci posset, hominibus euanesceret: æstimantibus idem sibi; quod Angelis non euenturum, sed potius, quod illis in exemplum adductis, & hominibus aliis, communiter viu venerat: speciale quod secunda probatio consequentiæ addit; scilicet eo textu nullum Angelum, qui semel peccauit, resipuisse, contineri, atque ex illo, vt fidei dogma esse tenendum tangit aliud quæst. 3. ex instituto examinandum: nempe, quem fructum ex loco pœnitentiæ dato transgressores Angeli, aliqui saltem, perceperint; illud nunc non silebo (ne ibi rursus hunc Petri textum repetamus) nusquam ex illo eam propositionem esse de fide, nec sensu doctrinali, & vniuersali de omnibus Angelis, qui peccarunt pro statu viæ intelligi necessario debere. id quod patet ex probatione subiuncta. Quæ enim textu aliquo scripturæ formaliter continentur, vt quæ per illum de fide sunt, oportet contineri, textus intelligentia, & explicatione sola non autem discursu, & argumentatione opus habent. Secundo: ex argumenti tacti debilitate.

3. Nititur enim in eo quod præter atrocitatem supplicij Angelis inflicti specialemque hominum ibi memoratorum suppliciis non conuenerit rigorem proponi à Petro. Quod, nulli illorum pepercerit; cum veniam dederit hominum pluribus. Sed præter dignitatem naturalem Angelorum potentiam, & perfectionem malorem, & atrocitatem tormentorum, quæ intento Apostoli, in eo capite inseruiunt, nil aliud speciale in eorum supplicio ponderatur, vt constat ex his quæ subdit Petrus, num. 11. *Vbi Angeli fortitudine, & virtute, cum sint maiores, non portant* (id est vix sustinere, portareque possunt, *aduersum se execrabile iudicium*; & certe cum suæ conditionis homines peccatores omnes ad vnum damnatos non fuisse, adductis etiam à Petro exemplis videamus: quidnam iudicij Angelorum vniuersalis ille rigor timoris specialiter hominibus incuteret, qui hominum iudicatorum, non Angelorum iudicium passuros se esse merito crederent. Sed quoniam: etsi id ex hoc aliove scripturæ loco de fide non sit, est tamen communi Doctorum calculo, & rationibus aliis longe probabilius, ac verum; admissa vniuersali Angelorum peccantium, nullo excepto, pro viæ etiam statu impœnitentia, negatur illatio inde facta ad impotentiam pœnitentiæ absolutam ipsorum pro statu viæ, etsi enim, quæ omnibus cætus, & conditionis vnius, semper deficiunt, non contingenter, sed ex defectu potentiæ deficiant, sicut, quæ semper & vbique omnibus cætus, & conditionis vnius adsunt, non contingenter, sed ex intrinseca, & naturali, ac determinata ipsorum potentia & facultate adesse dicuntur; id tamen verum habet in iis, quæ ex natura rei, & connaturali rebus, prouidentia, vel adsunt, vel deficiunt; secus in iis, quæ supernaturalem prouidentiam Dei, in ordine ad auxiliorum gratiæ, vel donationem, vel denegationem, quæ potentia absoluta pœnitentiæ salutaris Angelis peccantibus, vel defecerit, vel adfuerit in via constituenda esset. Reliqua, quæ ex physica Angelorum à semel habitis affectibus, absoluta immobilitate, vel terminatione viæ Angelicæ præcepti impositi obseruantia, vel transgressione prima, disiecta manent q. hac, & antecedente, & q. 3, iterum dissicientur, & quæ ab aduersariis contra conclusionem obiici possent, ex eorum principiorum falsitate subruunt.

4. Duo denique opponit Molina. Primum ex Nysseno, seu Nemesio, vel vtroque, recitatis numero quinto, Damasceno 2. de fide, cap. 4. Cassiano collat. 4. cap. 14. Gregor. 4. Moral. in Iob. c. 9. & 10. Isidoro. 1. de summo bono, cap. 12. sent. 11. Fulgentio de fide ad Petr. c. 3. Authore de mirabilib. sacræ scripturæ, & communi Patrum, qui aiunt: idem Angelis lapsum, & casum (in culpam) fuisse, quod hominibus mors, quæ nempe his locum pœnitentiæ non reliquit. Sed non è gratia in culpam lapsum moralem, significare, sed localem ab empyreo cælo intelligi diximus. Secundo: si de casu, lapsuque morali intelligantur contra quartam conclusionem Moling. 5. immediate antecedente ipsius & maxime contra eius secundam probationem, actius Patres pugnabunt. Cum enim hominibus viæ status, ac subinde merendi, ac demerendi morte cesset, lapsu illo mortali, seu peccato status viæ merendique, ac demerendi ex Patrum sententia cessauit contra præfatam Molinæ conclusionem 4. qua docet: secundum instans, seu momulam Theologicam vim Angelorum malorum ante tertium damnationis, & supplicij diuisibilis durationis fuisse: tum quia, in eo plura, & successiue peccata, ob quæ in tertio fuerunt damnati, ac subinde demerita habuerunt, quæ post lapsum primum moralem (qui viæ eorum, sicut mors nobis terminus esset,) locum non haberent. Tum etiam: quia prælium bonorum, malorumque Angelorum disputationum, & rationum, quibus quisque alios in suas partes trahere contendebat in cœlo esse docet, quod instantaneum fuisse *ridiculo*, inquit, *dicetur*: sed æque ridicule, in quam ego, dicetur non fuisse in via, & cum malis, quibus pœnitentiæ locus datus post lapsum, non esset, ac subinde, nec pœnitentia, & ad Deum conuersio possibilis: ergo lapsus moralis Patrum sententiam viam Angelorum non clausit, nec locum pœnitentiæ occlusit, ni inde arguentem Molinam

impugnent. Secundo arguit, quia auxilia supernaturalia quibus pœnitentiæ salutaris locus, & potentia facienda Angelis malis erat, esset gratia supernaturalis lapsis Angelis, etiam inimicis data; ergo gratia Redemptionis, ac per Redemptorem Christum: at Deus, nec redemptionem, nec Redemptorem Christum à peccato Angelis dare voluit: ergo nec gratiam supernaturalem dedit, qua locum lapsis pœnitentiæ faceret, & pœnitere eos de peccato salubriter absolute posset. Respondetur: Angelis lapsis pauculis, (protoparentum tentatoribus exceptis redemptionis) gratiam, & per Christum, sufficientem solum, vt pœnitere salubriter eos absolute posset pro viæ statu prouidisse: vt diximus controu. de Incarnat. tam eis, quam bonis Angelis, protoparentum custodibus exceptis, primam gratiam auxiliantem, vt obedirent ex meritis Christi fuisse donatam, quia id non repugnat; ex primaria vero intentione vt primam gratiam Angelis mereretur, aut sufficientem redemptionis, quibus pœnitentiæ locus, & possibilis eis absolute pœnitentia fieret, Deus incarnatus non fuit, mereriue, ac Redemptor Christus extitit, sed, vt lapsis hominibus gratiam, & redeptionem meritis, & satisfactione à Deo obtineret offenso: quare hominum deficiente peccato, neque extitisset Christus, vt controu. de Incarnatione cum Patribus docuimus, nec vllam gratiam bonis, aut redemptionis malis fuisset promeritus, neque vt Angelis gratiam redemptionis, aut non redemptionis mereretur Christus veniret, neque eis voluit Christum Redemptorem; secus secundaria voluntate.

5. Semel enim iam existente Christo occasione peccati hominum, atque in eorum redemptionem, eis omnibus Angelis, quorum gratia, vel redemptionis, vel non redemptionis, pro naturæ priori, eiusmodi hominum peccatum non præcessit, vt reliquorum à Protoparentum custodibus, & tentatoribus Angelis gratia non antecessit vtriusque conditionis gratiam eius merita pertigêre; quia, infinita cum fuerint, omnem gratiam, quam propiori natura ad ipsa donatam non supponebant, in præmium complexa sunt, atque cunctis donatio oportebat, & quanquam illud Apostoli *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, id est hominis, *apprehendit* de apprehensione redemptoria, cum aliquot Patribus, & interpretibus, quæ tamen de apprehensione per vnionem hypostaticam, germanius intelliguntur, de apprehensione ex primaria intentione, & per se intelligi debent, vel de apprehensione redemptoria, quoad efficaciam solum: cum enim nullum Angelum de facto redemerit, atque effectu redemptionis, absolute verum est, nullum Angelū quare nec naturam Angelicam redemisse, aut recuperasse, vel apprehendisse aut redemptione, sicut humanam, & homines recuperauit, ac redemptorie apprehendit, cum plures recuperauit, & apprehendit de facto, etsi alios, quoad sufficientiam solum redemerit. At tentatoribus Protoparentum, quibus pœnitentiæ salutaris locus, & potentia absoluta, sicut cæteris per gratiæ supernaturalis auxilium facta etiam pro statu viæ, ac non per Christum, eiusque merita, & redemptionem à Deo fuit, idemque erit, si idem de reliquis Angelis transgressoribus dici malueris, an redemptionis, quoad sufficientiam respectu seruitutis peccati, & diaboli dici debeat, & si respectu Dei ea auxilia dantis, & condonantis Angelis indignis remissio potius debiti carendi illis, quam redemptio debeat nominari quæstio de nomine erit, non multum curanda. Admisso vero, quod gratia redemptionis nominanda sit, ac per Christum, eiusque merita & redemptionem data non fuerit, nil absurdum, & contra doctrinam Patrum, & Theologorum admitteretur. Dum enim omnem gratiam redemptionis, tam, quoad sufficientiam, quam quoad efficaciam indignis peccatoribus per Christum Redemptorem datam docent, de gratia redemptionis data hominibus, quorum omnium Christus explorata, atque ex fide Redemptor est, loquuntur, nihil prorsus examinantes, nec cogitantes de redemptione hac Angelorum, quoad sufficientiam ex meritis, & satisfactione Christi, eorum etiam secundario Redemptoris, vel mere gratuitæ redemptionis à duplice illa seruitute à Deo Angelis, quoad sufficientiam facta. Denique illud, cui solum, multumque pro aduersa sententia fidit Arriaga, de impossibilitate satisfactionis pro mortali à creatura, etiam ex auxilio gratiæ supernaturali exhibendæ, extra rem prorsus est. Vt enim pœnitentiam salutarem exhibere absolute in via Angelus possit satis esse gratia supernaturali sufficiente ad illam eliciendam Angelos peccatores in statu viæ instructo à Deo fuisse certum omnibus est: esto; pœnitentia perfectissimæ contritionis, ex Deo summe, & super omnia dilecto non fit pro mortali satisfactio. Secundo: si quid ea ratio probaret neque peccatoribus hominibus in via ex Dei gratia locus pœnitentiæ salutaris à Deo fieret, fierive vllatenus posset. Id quod contra ipsum Arriaga, omnesque Theologos, Patres, Concilia, atque fidem Catholicam est, vt patet.

QVÆSTIO III.

An aliqui Angeli peccati vel obedientiæ aliorum causa fuerit? vbi de prælio inter bonos malosque, pro viæ statu in cœlis habito, ac eius exitu.

CVrtius titulo quæstionem versant Theologi cum sancto Thoma, prima parte, quæst. 63. articulo secundo, tertio, sexto, & octauo, præsertim. Vtrum scilicet peccatum primi Angeli aliis peccandi causa fuerit? cum idem de aliis malis Angelis respectu aliorum malorum quæri possit, atque ex iisdem principiis proportione seruata, de eis, ac de primo Angelo debeat definiri. Ex similibus vero principiis definiendum etiam est, an Michael, alique boni Angeli, qui in bono perseuerarunt perseuerantiæ aliorum causa extiterint?, id quod explicatione prælij bonorum Angelorum cum malis in cœlis finiti, apertius ostendetur. Idcirco vniuersaliori titulo, quæstionem proposui, & cum ea de Angelorum prælio in empyreo habito merito coniunxi, supponit autem quæstio non vnum Luciferum, sed plures etiam Angelos peccasse.

CERTAMEN I.

Affirmatiua sententia conclusionibus aliquot distincta eligitur, & fundatur.

1 ALbertus in. 1. d. 6. a. 3. Guillielm. Paris. 2. P. partis. 2. principalis de vniuerso. c. 112. Castro aduers. hæres. verbo *peccatum* hæresi 3. negant superbum ex malis Angelis, ac subinde inferiores ipso, aliosve ipsis inferiorum causam peccati, siue exemplo, siue suasione aliqua fuisse. Referuntur etiam pro hac negatiua sententia Alex. 2. p. q. 99. num. 1. Antisiodorens. lib. 2. tract. 2. c. 5. qui tamen potuisse Luciferum, & alios ex superioribus alterutro modo causam peccati inferioribus esse affirmant; ita vero factum, nec affirmant, nec negant. Affirmatiuam vero sententiam docuit sanctus Thomas citat. quæst. 63. articulo octauo, vbi Caietan. & interpretes serie omnes. Molina vbi proxime. Ioan. Præpos. ad eum articul. 5. *Sed longe communius*, & Pesantius ex sententiariis. Sanct. Bonau. in 2. d. 5. a. 2. q. 2. Richar. a. 1. q. 2. Ægid. d. 6. q. 1. 2. 2. vbi, & Argentina concl. 1. Gabriel. 9. etiam. 1. 2. 5. dub. 3.

dub. 3. Maior. q. 2. sub fin. ad 2. dub. Arriaga d. 24. sect. 11. subsect. 1. §. 1. num. 76. Soar. lib. 7. c. 17. num. 15. Tertia sententia docet in quæstione de facto incertam, nec fundamento vero simili alterutram sententiam defendi, aut asseri posse. Ita Durand. in 2. d. 6. q. 2. etsi affirmatiuam communem esse fateatur. Ita etiam (me iudice) Alex. & Antisiodorens. proxime, quæstionem de possibili affirmatiue definientes secus quæstionem, quam versamus, de facto, & Vasquez ad citatum art. 8. d. 237. cap. 2. init. §. *Ego quidem in hac controu.* numero tertio, quia nihil fundamenti in scriptura est, vnde factum, infectumve concludatur, quod fieri, vel non fieri absolute potuit.

2. Dico primo: Angelus ex malis supremus, scilicet Lucifer, peccati aliorum causa fuit. Est Doctorum, quos dedimus pro sententia secunda, & communis Theologorum pauculis exceptis, & (aduersariis fatentibus) conclusio à pluribus Patribus expressa. Damascen. 2. de fide, cap. 4. *Vna porro cum eo mutata est, atque cum eo adiunxit simulque corruit innumerabilis subiectorum ipsi Angelorum multitudo.* Ambros. epist. 84. ante med. *Hac superbia à diabolo sumpsit exordium: qui, quoniam sua, quam à creatore acceperat, potentia, & dignitate, sibi placuit, cum eis Angelis, quos in consensum impietatis suæ traxerat à cœlesti sublimitate deiectus est.* Vide apud Soar. supra. Gregor. 3. Moral. cap. 18. alias 23. Nazianz. Cæsarium. Origen. Chrysostom. Cyrill. Euseb. Hieronym. Lactant. Arnobium. Augustin. Prosper. Bernardum. Ecquid autem fundamenti solidi pro affirmatiua hac conclusione in quæstione de facto desiderari potest vltra tot, tantorumque Patrum concors iudicium? Ex eo vero constat vlterius eandem conclusionem in scriptura contineri. Primo: quia, etsi id tot Patribus singulatim ab Spiritu sancto reuelari, suggeriue potuerit, cum id valde extraordinariæ prouidentiæ sit, eo omnes ex Scriptura tori Ecclesiæ communi edoctos fuisse censendum est. Secundo: quia præfati Patres citatis locis sententiam hanc scripturæ testimoniis formaliter, aut æquiualenter insertis, vel adiunctis, tradunt. Tertio ex iam subiiciendis scripturæ locis, quæ ab aduersariis ad rem hanc negliguntur id ipsum facile constabit.

3. Probatur secundo: ex sacra pagina vbi Math. 25. dicitur de æterno damnatorum igne, *qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; vbi reliquorum malorum Angelorum Diabolo, seu Lucifero subiectio ac huius in illos dominium asseritur: quod cum ex eo, quod grauius cæteris peccauerit parati ipsi, nec debeat, nec merito possit, sed potius cæteris minus peccantibus subiectio; ea solum ratione competere ipsi potuit, quatenus vel exemplo vel suasione cæteris dux; & causa peccandi fuit, eique facto ipso peccandi, se subdiderunt, dignæque subiectionis ad ipsum fuere constituti. Secundo: probatur ab Ægidio ex Iob. 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Quia scilicet in superbos omnes, quales apostatæ reliqui Angeli fuere, dominium, & iurisdictionem, ducatumque voluntate sua exercuerit, superbia sua illos superbos, vel exemplo, vel suasione progignens. Nec satis est, hic deleuiatam marina bestia prægrandi à Iob. ad litteram dici, maximam esse inter alias proceras belluas matinas, quæ ob eximiam magnitudinem, vt opus quoduis aliud magnum, superba eleganter dicitur. Sed tamen cum magnus Gregorius, & Patres sub eius pisci typo de diabolo figurate dicto à Iobo putent, figuratus ille, & allegoricus sensus intentus ab Spiritu sancto, & à Iobo fuit. Etsi autem superbum quidquid magnum est eleganter dicatur, non autem superbiæ filius, phrasi adhuc hebraica, & Scripturæ dicitur, sed de rationalibus solum creaturis, quæ vitium superbiæ incurrunt. Attamen locus hic aliunde debilis est. Rex quippe, & Princeps inter aliquos conditionis, qualitatis, & generis eiusdem, qui in eo cæteris eminet eleganti, & vulgari etiam phrasi dicitur, quin in eos imperium, dominiumve aliquod habeat, & exerceat, cogue, vt tales essent, ac fierent induxerit. Secundo Ioab sub eo typo de diabolo non pro viæ statu, sed pro statu damnationis loquitur: quare extra rem adducitur.

4. Sit ergo secunda probatio ex scriptura illis verbis Isai. 14. *Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes*, id est Angelos reliquos, & præsertim sequentibus. *In terram tuam perdidisti, & populum tuum occidisti.* Id est causa fuisti, vt perirent. Quamuis enim de Rege Babylonis ibi sermo, & historia texatur, nemo autem Patrum, & interpretum, dubius adhuc, negat Luciferi casum sub eius typo à Propheta referri: ex quo æque firmiter conclusio nostra probatur: cum non minus certa esse debeant, quæ figurate, & intento sensu ab Spiritu sancto per Prophetas suos sub alterius typo dicuntur, quam quæ litterali materiali: ex intento enim sensu vterque litteralis est, & à Deo reuelatus. Secundo Isaiam similem casum Regis Babylonici reuelatæ etiam sibi historiæ casus diaboli, ad litteram etiam relatæ exemplo explicuisse, & à maiori ad minus comprobasse satis ostendimus supra, vt etiam de loco alio Ezechielis. 28. vbi etiam de Tyri Rege Prophetia erat eadem Luciferi historia inserta, illustrata, & comprobata. Ex ita vero intellecto etiam Ezechiele probatur, tertio conclusio illis verbis *in multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate*, num. 28. ecqua enim negociatio Diaboli in via esse potuit, nisi alios peruertere, vt sequacium copia, & multitudine potentior, fortiorque, erroneo suo iudicio, contra Deum fieret, vt dictum fuerat, numero quinto, *in multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi multitudinem.* Quod autem ab aliquibus ex eiusdem Ezechiel. 31. adducitur verbis illis. *Emulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.* Non est ad rem: quia nec figurato sensu ab Spiritu sancto, & Prophetia intento de Lucifero sermo est, sed de Pharaone, Ægypti Rege iuxta Patres, & interpretes.

5. Probatur quarto ex Apocalypsi. 12. vbi prælium Michaëlis, cum Lucifero, seu dracone refertur, dicturque, n. 4. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Quo sane loco Draco Lucifer, stellæ verò reliqui Angeli Apostatæ, qui eius, vel exemplo vel suggestione seducti peccarunt, ac proinde tracti ab ipso tanquam peccati eorum causa dicuntur. Si enim ex se ipsis nulloque eius influxu peccassent, simul cum ipso in culpam è cœlo laberentur, non autem traherentur magis, quam ab ipsis haberetur Lucifer, vt patet: tam enim eius lapsus, cum lapsibus eorum, quam horum lapsus, cum lapsu Luciferi contingenter, casuque, ac disparate, vt aiunt, absque vlla coordinatione coniungeretur. Dicunt aduersarij (imo, & ex nostræ conclusionis Patronis Ioan. Præpos. vbi proxime. §. *Verum.*) *ex eo loco* probari conclusionem efficaciter non posse: quia ibi, non de prælio Michaëlis, cum Lucifero sed cum Antichristo per draconem significato dictum postremo sæculi tempore pro iustorum congregatione, & Ecclesia (cuius princeps, duxque Michaël est) ad litteram agitur: ac subinde Angelorum nomine, non solos Angelos bonos ipsum in eo prælio iuuantes, sed & eximios doctrina, sanctitate, gradu, & dignitate viros, vti stellas obinde, in Dei Ecclesia fulgentes, qui ei etiam contra Antichristum suppetias ferent, intelligi: ex quibus seducenda ab Antichristo, tertia pars à Ioanne prænuntiatur. Verum eo loco prælium Michaëlis, & Angelorum eius cum Lucifero ad litteram referre, tametsi sub eius typo postremum, cum Antichristo, & malis Angelis, ac eius asseclis sceleftis hominibus Michaële ipso, & eius auxiliaribus, cum Angelis, tum hominibus iustis doctrina, dignitate, &c. in Ecclesia præfulgentibus, ostendi superius, fusiusque, & explicatius adhuc ostendam cert. 2. vbi ex instituto de eo prælio eius loci sensu: quo cuasio præclu-ditur.

6. Dico secundo: mali Angeli Lucifero non solum indiuidue, sed gradu etiam hierarchico, & subinde specie inferiores, & imperfectiores aliis apostatis Angelis fuerunt causa peccati, & transgressionis. Pro hac conclusione hactenus à scholasticis, nec tradita, nec negata (quia nec quæstionem disputandam sibi proposuerunt) loca scripturæ, & Patrum plura non suppetunt. Tametsi, cùm Patres, tum interpretes, tum scholastici, qui prælium memoratum Apocal. 12. inter Michaëlem, & Luciferum, atque vtriusque Angelos assecias habitum censent, etsi non expresse, & in terminis, virtute tamen

men hanc etiam conclusionem tradant. Qui vero, quot, quantique illi sint cert. 2. constabit. Ea vero prælij illius intelligentia, eo certamine ex instituto probanda, nunc supposita, probatur conclusio. Quia in eo prælio non solus *Draco*, seu Lucifer cum Michaële, & eius Angelis pugnabat, sed, *& Angeli eius*, atqui hæc pugna, ac prælium Draconis, seu Luciferi, fuit comantium nondum malos, & lapsos exemplo, vel suasionibus in suas partes, & peccati iam ab ipsis admissi societatem trahere, vt mox cert. 2. dicemus: ergo non solus Lucifer, sed alij etiam Angeli apostatæ inferiores, & imperfectioris naturæ causa aliis, qui in eo certamine lapsi alterutro modo, seu vtroque, peccati transgressionis extitere. A ratione vero vtraque conclusio congruenter solum probari potest eorum, quæ in nobis frequenti experientia deprehendimus, fortiusque in Angelis militat. Experimur enim homines, quo potentiores, & iudicij accutioris, ac propositi propri tenaciores proinde sunt, suarum partium studiosos, & industrios valde, ac reliquos omni arte ad se, suumque iudicium, & propositum trahere conari: quod potiori iure multo potentioribus, & sapientioribus intelligentiis, præsertim superbiæ peccato elatissimis, contigisse censendum est. Recedit alia ratio, quod recitatis, numero quarto, verbis Ezechielis, 28. continetur, quo enim quisque aduersam sibi partem potentiorem recognoscit multitudine sequacium partes suas potentiores, quam natura sunt facere toto studio conatur: cum autem mali Angeli non vtcumque potentem aduersam sibi partem, sed potentissimum, omnipotentem Deum haberent, haud dubio, non solum lapsos de facto, sed Angelos omnes ad suas partes trahere conati summopere sunt.

7. Dico tertio: è contra non solus Michaël, sed & alij Angeli obedientes inferioris gradus, & speciei, nec solum indiuiduationis ipso imperfectiores; fuerunt aliis bonis Angelis, causa, vt iustis, sibi à Deo starent, atque obsequeretur. Conclusio hæc citato Apocalypsis loco continetur, ab eisdemque interpretibus scholasticis, & Patribus virtualiter traditur, qui eum locum de prælio mutuo bonorum, malorumque Angelorum in cœlo empyreo, scilicet in quo creati omnes fuere, antequam malorum causa finiretur, fuerintque cœlo deturbati, interpretantur. Etenim, eo loci dicitur, *Michaël, & Angeli eius prælibantur cum Dracone* &c. Ergo non solus Michaël, sed, & inferiores ipso Angeli boni cum Lucifero, & reliquis pugnarunt: at pugna hæc fuit contentio, & conatus, quo boni cum iam malos, & inobedientes, tum reliquos nondum lapsos, & transgressores ad suam sententiam, & propositum, Deoque summissionem & obedientiam debitam omni arte, studioque trahere satagebant, ac bonos iam, & obedientes inobedientia semel præstita, & perseuerantia contra Luciferi, & sequacium suggestiones, & tentationes obfirmare: ergo horum perseuerantiæ illorumque, qui nondum plene deliberauerant obedientiæ causæ Michaël, & aliqui fuerunt Angeli eius inferioris gradus, & speciei, nec solum indiuiduationis imperfectionis extitere, quod ipsum de obedientia iam malorum aliquot dicendum eadem ratione esset, siqui ad eam respiscentes transissent; de quo cert. 3. vbi de prælij, cuius exitu, & fructu. A ratione eodem modo conclusio hæc probatur, ac præcedens, proportione tamen decente seruata, vt scilicet ex ardente bonorũ Angelorũ in Deum charitate, & in proximos Angelos propter Deum, ex qua solertia industria, atq; efficacia maiore è lapsu malorum respiscentiam, & bonorum perseuerantiam; ac reliquorum obedientiam, qua mali Angeli omnium peruersionem ex naturalibus inclinationibus, & vitiosis suis procurarint; neque id solum, sed maiore, etiam fructu, & exitu pugnæ fœliciore, vt merito victores citato Apocalypsis capite nuncupentur.

8. Dico quarto: Angeli omnes superiores, vel æquales æqualibus, vel inferiori aliis causa peccati, & obstinationis vel obedientiæ, & perseuerantiæ extitere, non autem Angelis aliis, speciei, & gradus superioris. Probatur primo: quia Angeli superioris naturæ & speciei cum naturalibus illustrationibus, melioribus, maioribusque, quas intellectus facultate naturali adquirunt, vel supernaturalibus, quas à Deo accipiunt inferiores illuminare, & æqualium Angelorum similium rationum colloquio, atque item exemplo in bonum mutuum se fouere, & firmare ac malos retrahere ab inobedientia possunt; mali vero etiam naturalibus suis prauis, & erroneis dictaminibus, quæ secuti sunt, & exemplis etiam, similiter inferiores possunt in malum & bonos, ac necdum determinatos impellere, maloque in obstinationem, & contumaciam, ac similiter prædicto modo, cœquales. Quod vero id inferiores respectu superiorum agere nequeant, probatur primo: quia neque illuminare superiores possunt, nec potiores rationes, quas non habent, sed multo ad vtrumuis imperfectiores, & imbecilliores iis, quas superiores tam naturales, quam supernaturales habeat eisdem proponere, aut vllo modo, siue naturali, siue supernaturali illos illuminare; suoque illos exemplo magis, quam inferioris conditionis, plebejque homines exemplo suo proceres; multoque sapientiores homines moueant. Id quod in transgressoribus Angelis superioribus superbia tumidis, atque vsque ad diruptionem inflatis maiorem vim habet. Probatur secundo eadem negatiua conclusionis pars, quoad obedientiam vel transgressionem primo ab alterutrius partis Angelorum superioris gradus, & perfectioris speciei, & naturæ specialius ex nostris principiis. Quia hi prius duratione sue in bonum, siue in malum deliberarunt, bonique, vel mali fuere, quam Angeli inferiores obedirent, vel exobedirent; malique hærent, vel boni, atque alteri Angelorum parti adscribentur: siquidem minori duratione est opus Angelis superioris gradus & naturæ, quam inferiori, vt supra monstrauimus: at, atqui nec prælium nec partes eius aduersæ Angelos trahere conantes, nisi ex iam bonis, vel malis Angelis constiterunt: ergo obedientiæ primæ Angelorum superioris gradus, & naturæ inferiores eo operati non sunt, nec de eo decertarunt. Quot autem Angeli, & ex quo gradu, & perfectione specifica prælium hoc inchoarint, conseruerintque manus primi, & quibus auctæ alterius partis copiæ sint, quibusq; mediis & armis, an solis suasionibus an solis exẽplis cert. 2. examinandum statuẽdumq; erit. Certe, quæ contra causalitatem peccati vnius Angeli in peccatum alterius, (& idem est de obedientia vnius, in obedientiam alterius) scholastici aliis difficultatem faciunt ex eo, quod nec in eodem instanti vnius determinatio determinationi alterius causa esse possit nil præstat. Successiue enim peccasse Angelos constat ex dictis, & amplius ex dicendis cert. 2. quo quæsunt difficultates motæ ab Aeriaga citat subsect. 1. 2. n. 80. vt ipse fatetur n. 83. solutionem suam ad eas difficultates retractans: quæ tamen, non gratues, sed leuissimæ sunt; etiã earum solutio, ex eo quod Angelus solo exemplo alios ad peccandum impulerit, non autem alia, suasione minime pendeat, cum eodem instanti, quo suam quisque inobedientiam aliis reuelabit, vt ea, ad imitationem motiuaque alia inobediendi posset, rationes, innotescere illis, mouereque absolute posset, rationes, motiuaque alia inobediendi posset simul eisdem proponere de quo d sequente. q. 2.

CERTAMEN II.

De prælio Angelorum in empyreo inito, & memorato Apocalypsis. 12. eiusque initio armis, & progressu conclusiones nostræ.

1 PRælium ex positiuo, & scholastico rigore ad litteralem, vel figuratum sensum ab Spiritu Sancto intentum, ac per Ioannem Euangelistam euulgatum Apocalypsis. 12. examinandum, & explicandum, vt scholasticis quæstionibus post dicendis etiam aperiat, ita refertur. n. 7. *& factum est prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli eius prælibantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.* Dixerat autem n. 4. quo effectu Draco pugnauit illis verbis: *& cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Hoc prælium, ad litteram & prælia à paganis Principibus Romanis cum Christi fidelibus, eius nascente Ecclesia, per mulierem parturien-

tem

tem initio capitis descriptam, figurata, interpretantur. Ac demum cum Antichristo, sub mundi, & Ecclesiæ nostræ militantis finem interpretantur omnes ex quibus Alcazar. Mariana noster, in suis scholis ad hunc, & sequentes textus ita per varios tyrannos initum, & continuatum, & per Antichristum finitum significari voluit, vt nihil de prælio Michaëlis, & Angelorum bonorum cum draconе diabolo, & malis in cœlis inito significetur: nec *Michaël*, Angelum ea voce notissimũ sed Christum, *draco* vero tyrãnum quemque Ecclesiæ suo tempore persecutorem, ac præcipue Antichristum, significent. Ribera etiam noster ad eum textum præfatum Angelorum prælium hic memorari negat, & vulgus solum illud hic referri putasse; in eo vero à Mariana diuersus est quod Michaëlis, & draconis, Angelorumque nominibus Angelos, & partium aduersarum duces, & eorum sequaces significari, cum reliquis interpretibus, & Patribus merito censeat; tyrannos verò & Antichristum, quibus, tanquam instrumentis, draco Lucifer, seu diabolus, & Satan ad Christi Ecclesiam debellandam, euertendamque vsus est, & vsque vtetur, horrendo capitis eius ornamento, & cornuum, & coronarum significari. Quo iure Augustinum, & Patres alios, qui tyrannos singulis cornibus, & coronis significatos explicant singulatim, imitantur. In eo facilis ipsis acquiescam, etsi non grauer eosdem Angelorum dracones, sicuti Angelorum Michaëlis nomine Doctores, & Sacerdotes, ac Prælatos, qui contra diabolum, eiusque ministros fortiter, strenueque in hoc prælio verbo, & exemplo decertantes Christianum populum in fide, & officio confirmarunt, tenuerunteque nominibus eis significari: vt ex ministerij consimilis vnitate, quod proprie vox Angeli significat, tam Angeli, quam homines eadem voce significentur. Quod autem Michaël, & Angeli sequaces, & Imperatoris, & Ducum, & strenuorum militum, in hoc prælio, pro Christi Ecclesia partes præcipuas obierint, contra vero diabolus Lucifer, eiusque Angeli sequaces: ac subinde debuerint, à Ioanne eis vocibus intelligi, & nominari, neque in prælij huius Ecclesiæ Christi militantis omiti nullatenus potuisse ex eorum officiis aperte probatur. Nam, & Michaël Ecclesiæ huius Princeps, & boni Angeli custodes, cum singulorum hominum, tum particularium Ecclesiarum, regionum, & prouinciarum eius, atque in æternæ salutis hominum procuratione præcipui adiutores, & auxiliares sunt à Deo constituti; Contra verò diabolus, & mali Angeli affectæ superbia, inuidia, & malitia sua, suo quisque gradu, hostes infensissimi hominum in eadem salutis eorum causa sunt effecti.

2. Dicendum primo nobis est. Prælium Michaëlis, & Angelorum eius cum Dracone seu diabolo, & Lucifero, ipsisque Angelis Apocalipsis capite duodecimo, memoratum non vnum, & idem sed duplex esse. Alterum Ecclesiæ, siue in Ecclesia hominum militante initum, continuatum, & vltima Antichristi persecutione absolutum: alterum, sub mundi initium inter Angelos ipsos habitum, & ex versu septimo relatum. Prima conclusionis pars omnium Patrum, & interpretum est, satis, & eorum consensu, & subiuncta proxime ratione. Probatur secundo, quia relati hoc capite successus omnes, non prælio illi pure Angelico, sed magnam partem prælio Christianæ hominum militantis Ecclesiæ habito, & ad finem mundi continuando, & vsque duraturo conueniunt. Secunda vero conclusionis pars de prælio pure Angelico primitus in cœlo empyreo habito, etiam memorato in eodem capite, & summatim relato, verbis recitatis ex numero eius septimo. Et si præfatis interpretibus aduersatur magnum authoritatis, & rationis pondus habet. Et in primis contra Alcazarem, & Marianam nostrum arguo: Etenim cui Michaëlis, & Angelorum eius vocibus, non ipse Michaël, & Angeli, sed Christus Dominus, & Doctores Ecclesiæ alios homines in fide obfirmantes, ac tenentes, ne in tam duro certamine hostibus cedant, & succumbant, & draconis, seu serpentis antiqui diaboli, & Satanæ, vt mox nominatur) & Angelorum sequacium vocibus, tyranni, eorumque ministri fidelium, & Christianæ Ecclesiæ persecutores figurate, & allegorice, significentur, nisi, quia ita nominati Angeli, in Ecclesia militante Angelica prius, primitusque pro eius fidelibus Angelis, & Ecclesia Dei Angelica boni, contra illum vero mali acerrime pugnarunt, eosque postmodum homines vtriusque partis prælio, pro, & contra fidem, & Ecclesiam hominum fidelium militantem imitati sunt? Ergo ea ipsa allegorica eorum nominum per eas voces nomenclatura prælium pure Angelicum primitus habitum ab Spiritu sancto per Ioannem asseritur, vt cum strenuum aliquem Ducem Alexandrum dicimus, hunc strenuissimum Ducem, & ducum exemplar fuisse simul asserimus. Quod vero vulgi Ribera dixerit textus relati de prælio pure Angelico interpretationem, minus modeste, ac vere videtur dictum. Siquidem scholastici Doctores fere omnes de Angelis disputantes, nec semel vnusquisque de prælio pure Angelico textum illum interpretantur. In quibus doctissimi, & rigidissimi textuum interpretes Salmeron citatus in. 2. Petri. 2. & Molina vbi proxime. Quod si vulgus, ibi, non infimam ita censentium sortem, sed interpretationes, & intelligentiæ apud Ecclesiam, & Doctores, eius communitatem, & concordiam significet; Verum, quidem dicit, sed quod maxime sententiam nostram confirmet, atque oppositam negatiuam fere improbabilem reddat.

3. Sed minutius huius nostræ, & communis ad eum textum interpretationis fundamenta ab authoritate, & ratione videamus: & imprimis præter scholasticos memoratos Arethas peruetustus interpres apud Riberam, ibi. *Cum itaque Michaël dux exercitus non tulerit diaboli superbiam, & bellica virtute illum sua in cœlo conuersatione, iam olim obiecerit, rursum in aduentu Antichristi vnà cum Iudæis, & Angelis ministrantibus per tentationes aduersus fideles, & sanctos perfectius excidet diabolus: nempe ignominiosior redditus ab eius seruis, qui ipsum deiecerat.* Quibus primum illud prælium Angelicum, & exitum relatum hic censet, vt alterius prælij, & euentus apud fidelium hominum Ecclesiam eodem Michaële duce, eiusque Angelis, certantium etiam hominum, auxiliantibus contra diabolum, eiusque Angelos, & ministros infideles veritatem ab eodem prænuntiatam confirmat. Ita censet noster Cornelius ad eum textum numeri, septimi, paragrapho, *Dico historice*, vbi, etsi summatim Angelici illius prælij historiam litteraliter, & historice clarissimi perstrictam à Ioanne censet, vt eius verba proprie, ac sine vlla figurata significatione, & locutione demonstrant: atque eis verbis, non, nisi symbolyce, prælium aliud Ecclesiæ nostræ militantis præcipue, sub mundi finem eum Antichristo habendum significari: etsi propherice ad litteralem etiam, & genuine postremum hoc prælium etiam significetur, cuius minutior progressus, & exitus, cum hoc, tum sequentibus capitibus descriptio ponitur à Ioanne, vt præcipuus Prophetiæ huius scopus. Hoc ipsum censet Tirinus etiam noster, tomo secundo, in scripturam ad eum, numer. septim. Ita eum explicans. *Sicut olim in cœlo empyreo, ita sub finem mundi in cœlo aëreo, seu in ipso aëre id est immundo factum est prælium magnum.* Quibus hunc postremum per illud primum figurate, & symbolice describi docet. Nec reor interpretem, aut expositorem aliquem de litterali historico eius numeri sensu id negasse, sed de Prophetico solum sensu, cui erant intenti vt difficiliori, (historicus enim prælij Angelici primitus habiti in aperto erat) suam sententiam dixisse. Et quidem, cum prælium primitiuum pure Angelicum certum adeo sit, vt ad fidei dogma, vel formaliter, vel virtualiter pertineat, neque alius sit scripturæ locus vbi contineatur, hoc loco esse narratum, & summatim perstrictum certum esse debet. Demum, quidquid de litterali eius textus sensu esset. Prælium hoc pure Angelicum Michaëlis, & Angelorum bonorum cum Lucifero, eiusque malis Angelis primitus habitum, & totius Ecclesiæ consensus, & Michaëlis Ducis bonorum nomen, quod idem, ac *quis sicut Deus* valet, in via contra rebelles Deo, ac superbos Angelos habitum fuisse, atque hoc textu contineri certum, nec citra ingentem temeritatem, negabile facit. Quod

satis est, ac de eius initio progressu, & exitu congruè, & vtiliter discurri Theologice possit.

4. Dicendum est secundo. Prælium hoc Angelorum in via non totis militum copiis, quibus vtraque pars demum constitit initium primo fuit; sed Angelis gradus Hierarchici, & speciei suprema intra supremam hierarchiam: ac fors à solis Michaële, & Lucifero cœpit, quarum copiæ, vbique alterutri deinceps & successiue adhæserunt militibus pro alterutra Angelis accedentibus auctæ sunt. Totius conclusionis probationi præmittendum est principium illud quod d. proxima, quæstione secunda, fuse ostendimus Nullam, scilicet, rationalem creaturam posse de re, & actione vlla sua plene in instanti deliberare, sed ad plenam circa rem quampiam deliberationem durationem diuisibilis, & aliquota creaturæ cuiuis rationi opus esse, eoque subinde maiore, quo deliberatura rationalis creatura imperfectioris naturæ, & speciei sit. Præmittendum secundo (quod indubitatum Theologis est) ad peccatum graue, meritumve operis condignum vitæ, mortisve æternæ (cuiusmodi inobedientia, vel obedientia Angelorum in viæ statu fuit) necessariam plenam deliberationem obedientiæ, vel inobedientiæ vtrorumque fuisse. His memoratis probatur pars prima conclusionis. Quia nullus Angelus inferioris speciei, & gradus hierarchici potuit plene deliberare circa obseruantiam, vel transgressionem præcepti in tempore necessario Angelis supremi gradus, & speciei ad plenam circa obseruantiam, vel transgressionem præcepti deliberationem; sed maiore durationc pro maiori speciei suæ imperfectione opus habuit: ergo præter Angelos speciei supremæ nullus alius potuit pro eo tempore grauiter præceptum transgredi illudve condigno merito vitæ æternæ obseruare, malusve, vel bonus suo merito, aut demerito graui fieri, vt alterutri siue bonorum, siue malorum, parti ad pugnandum accederet: omnes autem supremæ illius specificæ naturæ Angelos grauiter, vel obedisse, vel exobedisse tempore illo, sufficienti Angelo speciei illius ad plenam deliberationem, & intra quod deliberato obedire absolute possent: vbi autem primum deliberato obedierunt Angeli boni, exobedieruntque, & transgressi præceptum mali fuere statim suis quique partibus aduincti ad hoc prælium, & pugnam sunt; ergo inter Angelos naturæ specificæ supremæ vt summum prælium hoc primo initum, & inchoatum est.

5. Secunda conclusionis pars (quam dubitanti similis proposui) de pugnæ huius initio per solos Michaëlem, & Luciferum dato, non leuis suspicio, sed satis intra probabilitatem, & prudens iudicum Theologicum solidis fundamentis innixa sententia est. Etenim vterque suarum quisque partium in prælio hoc Princeps, & dux extitit, vt ex verbis illis *Michaël, & Angeli eius, & draco, & Angeli eius pugnabant.* Satis significatur, & Michaëlem cœlestis militiæ Principem, non semel, scriptura vocat, & Ecclesia docet: Belzebub Luciferum malorum Angelorum, ac dæmonum Principem & Angelum appellat: & de Michaële Principatum illum suum meruisse Ecclesia testatur verbis illis, *qui militia cœlestis meruit Principatum*, quare non solum ob naturæ indiuidualem perfectionem cæteris specifica suprema natura Angelica coæqualibus maiorem, sed ob merita, & strenue seorsim ac personaliter contra diabolum, seu Luciferum gesta prius, quam adiunctis primis etiam Angelorum copiis contra illum, & assectas Angelos nequam pugnaret & à Deo Princeps militiæ illius electus, & ab Angelis suis Imperator appellatus, iure censendus est. contra vero Lucifer ob contumaciam obstinatissimam, qua Michaëlis benesuadis rationibus restitit, imo vero arte, & fallacia omni ipsum peruertere conatus est ab Angelis malis imperator dictus imprimis fuit. Succedat ratio Theologica. Quia tametsi præceptum Angelos speciei supremæ Angelicæ (ad quam Michaël, & Lucifer probabilius pertinent) vsque ad extremum temporis sufficientis cunctis speciei illius ad plenam de obseruantia præcepti deliberationem non vigeret, sicuti, neque Angelis inferioris imperfectionisque naturæ suæ ad plene deliberandum necessariæ: id tamen non tollit quominus perspicacioris indiuidualiter voluntatis Angeli intra eandem speciem contenti, ante extremam temporis illius partem plene deliberare potuerint, ac de præcepti obseruantia plene deliberarint: tempus siquidem illud pro omnibus, speciei illius ad deliberationem de præcepti obseruantia designatum tantum esse debuit quantum omnibus etiam minus perfectis & tardioribus indiuiduaiiter ad plene deliberandum satis esset; etsi aliquibus indiuiduaiiter promptioribus paululum minus sufficeret: id quod in tempore designato nobis ad præcepti cuiusuis impletionem patet, quod maius semper eo, quod promptioribus, & expeditioribus sufficiat. Cum autem Michaël & Lucifer perfectissimi indiuiduaiiter Angelorum summæ perfectæ naturæ, ac speciei Angelicæ fuerint prius aliis deliberare potuisse, ac deliberasse in promptu est: cum vero insuper alter ardentissimo Dei & proximorum amore, alter vero Dei, & proximorum odio, & inuidia illico, simulque flagrarint: illico etiam simulque alter ad reuocandum à culpa Luciferum, hic autem ad Michaëlem peruertendum certarunt.

6. Dicendum tertio, exinde vterque lucrandis ad suas quisque partes Angelis, atque in ea confirmandis, qui nondum deliberauerunt plene circa præcepti obseruantiam, tam speciei suæ, quam inferiorum, & inferiorum specierum magno ardore, arte & industria vsque ad viæ Angelicæ extremum continuo nusquamque interrupto partium studio, ac prælio pugnarunt: auctis successiue Angelorum auxiliantium pro parte vtraque copiis prout successiue alij deliberato obedierunt, alij vero præceptum transgressi sunt. Conclusio tota prona ex dictis est, & quoad continuum Michaëlis, & Luciferi Studium partium erga Angelos reliquos exercitum ex ardenti vtriusque Dei, & proximorum vel amore, vel odio, & inuidia satis probatur. Quod autem etiam circa Angelos speciei eiusdem, qui nondum deliberantque specierum inferiorum paret. Quia ex eadem specie plures nondum deliberauerunt & maiorum ex Angelis specierum inferiorum vsque ad infimam Angelicam, iuxta principium supra memoratum. Quod autem successiue statim, ac in alterutrum deliberarunt, vel bene, vel male parti alterutri continuo Angeli reliqui accesserint, constat etiam ex vtrorumque amore vel odio (etsi non à Deo, ac Michaalis & Luciferi, ardenti tamen) in Deum, & proximum vbi primum præceptum transgressi sunt, vel obseruarunt. Quod continuitatem, successionis, & ad alterutram partem accedendi, constat etiam ex dictis; quia perfectiores indiuiduaiiter Angeli indiuiduis aliis speciei eiusdem summæ, etsi posterius paulo Michaële, & Lucifero, tamen anterius paululum, & anterius indiuiduis Angelis imperfectioribus in alterutram partem deliberarunt, & suis quique partibus accessere, in eisque contra aduersos pugnarunt Quod ipsum de Angelis, & specie, & indiuiduatione imperfectioribus eadem ratione probatur. Denique Angelicum hoc prælium toto viæ Angelorum tempore vsque ad extremum perdurasse constat: quia vsque ad victoriam, & triumphum Michaëlis, & Angelorum eius de dracone Lucifero, & Angelis eius horumque è cœlo eiectionem (via nimirum Angelica fiatta) pugnam inter Angelos durasse citato capite Apocal. 12 refertur: & quamuis post infimæ speciei, & indiuiduationis deliberationem Angelorum, omnibus speciei infimæ Angelis alterius viæ tempus pœnitentiæ, & his, & reliquis Angelis datum, factusque à Deo locus fuerit, eo tempore nec arma deposuerunt Angeli, nec a pugna cessarunt, contendentes singuli alios aduersæ iam partis, ab ea se mouere, atque ad suam trahere. Cum autem infimæ speciei, & indiuiduationis Angelis ad deliberandum noua deliberatione ad persistendum, abscedendumve à proposito primo deliberato, maius tempus, quam aliis speciei, & indiuiduationis perfectioris opus sit, non parum inde viæ, & pugnæ Angelicæ tempus fuit auctum: etsi quantum illud determinate fuerit definiri à nobis minime possit.

7. Circa arma, quibus vtrimque ab Angelis pugnatum

tum fuit, nonnihil dissidij scholasticis est. An scilicet exemplis solum aduersis, an rationibus, & suasionibus, & adhortationibus oppositis, vt quisquis alios ad suas traheret partes, pertractoque in eis teneret pugnauerint armis, siquidem materialibus prælium commissum, habitumque non fuisse constans apud Doctores omnes est. Fuit siquidem totum spirituale, atque inter puros spiritus angelicos consertum; tametsi pictores armis corporeis decertantes Angelos depingant, vt spirituale hoc prælium (vt possunt) hominibus repræsentent, vti, & Angelos ipsos corporea iuuenum forma (qua solum possunt) nobis proponunt. Soarius noster vbi proxime, n. 15. rationibus solum propositis, & adhortationibus negotium hoc, & pugnam totam actam, peractamque fuisse censet: quod ipsum Vasquez ac reliqui fere omnes scholastici recentiores docent, habentque pro se Nazianzenum, Cæsarium, Chrysostomum, Ambrosium, & Gregorium apud Soarium. Contra vero Albertus, Alensis, Bonau. Ricard., Ægidius, & Durandus apud eundem Soarium, & Arriaga cit. d. 24 sect. 11. sub sect. 1. num. 78. §. *Porro solo exemplo* censent solo exemplo Luciferum (quod ipsum de reliquis Angelis esset alios ad suas partes traxisse. Præcipuum fundamentum à ratione est: nihil Angelos alios aliis proponere à ratione potuisse, vt eos in suas partes adducerent, quod adducendi non prænossent, & ignorarét. Sed, ne inani hac super re certamini locus detur, aduerte, obedientiæ, vel inobedientiæ, & transgressionis Angelorum virtutem, aut vitium pure internum, atque, ad cordis Angelici secreta spectans omnino fuisse: ac proinde seipsis, nec virtutem, nec vitium Angelorum aliis Angelis, quam alterutrum admittentibus innotescere potuisse, vt alter alterius exemplo, siue ad obedientiam, siue ad inobedientiam, & transgressionē moueretur mouerive facto ipso, & exemplo alterius posset: quare voluntaria reuelatione facti sui alterius Angeli ad alium, vel alios opus fuisse, vt eos ad sui imitationem facto, & exemplo suo posset absolute mouere. Vnde an vltra hanc facti, & exempli proprij propositionem (quæ abs dubio suasio aliqua & ratio est) rationibus, & motiuis aliis propositis, & alij Angelos alios in suas partes, & sententiam, partemque pertrahere tentarint, ac mutuo contenderint, quæstio inter scholasticos est, nesque solummodo potest, vt patet.

8. Dicendum est quarto, vtroque modo Angeli alij alios ad suas trahere partes contendentes mutuo, ac vicissim pugnarunt: scilicet, exemplo, & facti proprij manifestatione, atque item rationum, motiuorumque aliorum, vt eos pertraherent propositione. Hanc esse non admodum veterum scholasticorū sententiam iudico. Neque enim Soarius, & alij pro prima sententia relati negarunt Angelos exemplo suo seu facti proprij manifestatione ad imitationem mouisse, quos de facto mouerunt. Atque alios mouere absolute potuisse, præsertim Angelos gradus natura, & individuatione inferiores, imperfectioresque, apud quos præstantiorum, & procerum exempla multo amplius præstant, quam æqualium qui aliquid valent tamen, certum est. Quare hæc conclusionis pars, & ratione, & communi omnium Doctorum suffragio indubitata esse debet. Secunda pars conclusionis de aliorum motiuorum & rationum propositione de qua solum disputatio locum, apud scholasticos habuit, & habere, solummodo potest probatur. Et primo quidem inferiores, & imperfectiores natura Angelos non assequi rationes & motiua, omnia, quæ perfectiores, & superiores natura Angeli assequuntur, dubium mihi non est de naturalibus loquendo: quare, & ab his de naturalibus, præsertim discursu adquisitis, illuminantur, possuntque absoluto de adquirendis illuminari, vt suo loco de Philosophicis Angelorum disputantes, t. 2. Philosophiæ nostræ controu. vlt. satis ostendimus. De supernaturalibus vero cognitionibus proportione seruata plures, amplioresque à Deo ipsis, quam inferioribus communicatas, vti, & dona supernaturalia reliqua, iuxta naturæ maiorem perfectionem constat ex dictis, & antecedenter ergo aliqua Angelis inferioribus proponi à superioribus absolute potuerūt, quę ante eam propositionem non scirent. Sed est, sint Angeli omnes scientiæ tam naturalis, quoad extensionem æqualis (vt de omnibus speciei eiusdem connaturaliter, & ordinaria prouidentia loquendo verum mihi est), certe quoad intensionem, & entitatiuam perfectionem cognitionis, superiores, & perfectiores non solum specie, sed & individuatione, Angelos inferioribus, & imperfectioribus excedere certum est, atque frequenti hominum, speciei etiam eiusdem, individui, quoad intelligentiā imperfectiorum experimento comprobatum. Hi siquidem perfectioribus viuidius, perfectiusque obiecta, quæ ingenius, & quasi emortuæ perceperant, à præstātia cognitionis suæ illustriora proponuntur illuminant, perfectiusque, ac viuidius, quam antea cognosci ab eis, ac veritatibus, de quibus præcognitionis primæ suæ imperfectione hæsitantes dubitabant, faciunt assentiri: sed demus tandem æqualis, quo ad intentionem; & perfectionem entitatiuam scientiæ omnes Angelos esse: rationis tamen eiusdem inculcatione, ac per tempus nouæ deliberationi datum repetitione, & instantia meritem eandem magis eius perpensioni, & penetrationi, ac subinde deliberationi maturius habendæ applicari; certum itidem, & ratione, & experiētia, quotidiana nobis est, id, quod inter Angelos specificæ, & si velis individuæ perfectioni æqualis, Michaëlē, & Luciferū, in re præsente euenisse ipso Michaëlis nomine, & significato satis ostenditur: idem enim valet Michaël, ac *Quis sicut Deus?* quod Lucifer nunquam ignorauerat, & tamen eius veritatis inculcatione, & repetitione vt ipsum à vesano affectu, & peccato ad bonam frugi, & salutarem pœnitentiam reuocaret cum ipso pugnabat: atque obinde tanquam ex præcipuo gladio, quo, nec solum exemplo, præliatus est Michaëlis nomen accepit. Denique à prauis iam Angelis non veris solum, sed falsis, & chimericis rationibus, quas boni adhuc alij nondum cogitauerant, pugnatum est eorum obiectorum simplices apprehensiones, quibus delectarentur excitando, & quibus prosequendis, delectationis, & complacentiæ experimento percepto ad prosecutionem de eo paratam inducerentur, vt Lucifero ipsi contigisse dicemus.

CERTAMEN III.

Quo fructu, & exitu certatum vtrinque ab Angelis fuerit.

1 QVo fructu vtriusque partes Angeli in via pugnauerint, & quis tandem prælij illius euentus fuerit, vtra scilicet, ex eis partibus vicerit, examinandum, ac rigore scholastico statuendum venit. Cum autem prælium hoc in viæ statu ex parte Michaëlis bonorum Angelorum, principis, ac ducis pro debita Deo obedientia summissione, & obseruantia fuerit; ex parte vero Luciferi, & cacodæmonum sequacium pro oppositis, inobedientia scilicet, atque in Deum rebellione: ac insuper prælium hoc suasionibus, & exemplo, & motiuis aliis, ad Angelos omnes, vel inferiores, vel æquales, siue iam ad alterutrum determinatos, siue nondum præ deliberandi tarditate maiore determinatos habitum fuerit: fructus partis vtriusque in prælio hoc ex his Angelis, quos ad se determinatis, vel necdum determinatis alterutrius partis Angeli produxerint, ac perseueranter tenuerint, & in suis partibus obfirmauerint dignoscendum erit, & iudicandum, exinde vero vtra pars, absolute in via vicerit, facile dignoscetur, & proqua parte palestra, seu pugnæ campus, empyreum nempe cœlum, vt victrice finito viæ statu, & prælio permanserit: ac demum Angelis militiæ cœlestis titulo ex præfata pugna adquisito aliquid aliud, contra dæmonum phalangem sub mundi huius finem, tanquam victoriæ appendiculum restet agendum. De quibus omnibus singulatim eo ordine, quo proposita sunt, rectæ methodi, & claritatis gratiæ, ex instituto disputabimus, quia eorum pleraque intacta, vel aliis difficultatibus cursim ab antecessoribus scholasticis inserta, quare nec pro debita claritate, & dignitate disputantur. Illud solum ex parte distin-

ctius, & dignius à Doctoribus examinatur, quod in quæstione de prælij huius fructu primo loco debet examinari an scilicet Angelus aliquis à susceptis semel partibus aduersantium Angelorum exemplo, beneque, vel malesuadis rationibus à suis partibus defecerit, atque in aduersas transierit? quam difficultatem ex parte vt dixi, scholastici, & rigidi aliquot in secunda Petri. 2. Doctoresque in re Theologica & interpretes sub titulo examinarunt, an lapsi aliquot Angeli egerint pœnitentiam? etsi an de se, vel aliorum industria etiam? ac de semel bonis, an post ex aliorum suasionibus, aut exemplis lapsi fuerint? disputare omiserint, sed de vtriusque generali, & communi titulo nostro agendum est, tum quia de vtrisque eadem est Theologica ratio vel saltem similis: tum vt appareat, ex quibusnam Angelis, an ex iam determinatis in partem alterutram, an ex nondum determinatis solum fructus prælij huius constiterit. Sed quoniam pro negatiua parte, quod determinatos semel in malum, maius in secunda Petri capite secundo fundamentum esse videtur de eius partis certitudine seorsim dicemus, quo negatiua pars, quoad Angelos semel bonos, ac subinde conclusio vniuersalis negatiua iam subiicienda probabilior, firmiorque consistet.

2. Dico primo: nullum Angelum, ex iam determinatis in partem alterutram, partis alterius Angeli ad se traxerunt: quia nullus eorum à semel concepto, vel obediendi, vel exobediendi proposito destitit. Est omnium Theologorum conclusio, quoad semel lapsos, & transgressores expressa (vt statim videbimus conclusione 2.) ac subinde, quoad obedientes conclusio virtualis. Excipe nostrum Arriagam d. 20. sect. 5. subsect. 2. n. 61. §. *Pater Suarez*, qui non solum probabile, sed euidens putat contra Suarez ex eius communibus ac veris principiis Angelos, semel deliberato bonos, demum peccasse, quia non simul omnes Angeli, sed successiue, ac reliqui ex Luciferi suggestione peccarunt. Sed huius Doctoris euidentiæ obscure valde, nec satis probabiles aliis plerumque sunt: hæc vero ex principiis illis illatio mala, & in multis peccans est, vt nostris discursibus clarebit, quin eius vitia singulatim ostendere sit opus. Iam conclusio nostra probatur ratione Theologica, quia etsi nec obedientia bonorum Deum determinauerit, vt eis auxilia congrua, & efficacia ad perseuerandum, ac malorum suggestionibus, & tentationibus resistendum conferret, neque malorum transgressio, vt congrua auxilia, & efficacia ad resipiscendum, & salutarem pœnitentiam deneganda; in his tamen, vt congruo, imo, & sufficientia denegaret satis meriti, condigni etiam, fuit; in illis autem satis meriti congrui: quare æquissima lege sancitum à Deo fuit, vt obedientibus Angelis congrua auxilia ad perseuerandum de facto conferrentur; transgressoribus autem denegarentur congrua ad resurgendum: imo multa Dei benignitate indultum ipsis est in auxiliorum sufficientium, & bonorum Angelorum cos ad pœnitentiam salutarem atte, industria, & vehementia omni adhortantium prouidentia Dei beneficia: quæ omnia, condigne etiam, demerebantur. Etsi autem bonorum obedientia, auxilia congrua ad perseuerandum, ac malorum tentationibus obsistendum condigne non meruerit; congruentissime tamen promeruit, valdeque proinde rationabili æquitatis iure prouisum à Deo est, vt ex diuina misericordia, & erga amicos, & obedientes Angelos, quod obedientiæ ipsorum merito condignitatis deerat, titulo amicitiæ eorum deliberatæ, ac Dei beneuolentiæ in eorum auxiliorum efficacium collatione à Deo suppleretur, qui ex pura solaque sua benignitate multa enumerata malis Angelis inimicis deliberato suis non citra, sed contra condigna demerita indulsit. Probatur secundo conclusio, quoad Angelos bonos ex altera parte conclusionis, negatiuæ etiam pœnitentiæ de facto omnium, nullo excepto, Angelorum malorum: ex qua ad perseuerantiam de facto bonorum omnium Angelorum multiplici ex capite consequentia probatur. Primo ex parte Dei, & gratiæ congruæ ipsis collatæ ad perseuerandum ob datam proxime Theologicam rationem. Secundo: quia Angeli natura sua, semel concepti aliquando boni tenaciores, citra naturæ Angelicæ iniuriam, non esse, cogitari non possunt; imo vero ex eius perfectione ad bonum, quam ad malum propensiores, firmiusque adhærentes debent censeri, & quibus subinde minus entitatiue, & physicè sumptum auxilium, vt in bono persistant, atque à malo resipiscant, ad congruitatem perueniat, ac de facto effectum obtineat, longe satis esse, quam sit tentatio, qua de facto, vt in malum trahantur, & in illo obstinentur, & indurescant. Tertio: quia iniurium etiam bonis Angelis est minus ardentes, & industrios, in confirmandis, in bono, Deique obsequio teneudis fratribus fuisse, quam malos Angelos in sociis nequam in malo. Deique auersione, in obedientia, & inimicia pertinaci obseruandis: quàm autem certum, firmumque sit secundi huius argumenti antecedens, ostendet conclusio secunda.

3. Dico secundo: nullum Angelorum, semel transgressorum, & malorum ad salutarem pœnitentiam resipuisse, certum ab authoritate Theologorum est, vt oppositum non singulare solum sit, sed temerarium. Certum, nec de fide est, nec fidem Catholicam proxime vel remote concernens. Prima conclusionis pars indubitata est (vt ex communi illo apud fideles, omnes, & doctos proloquio *humanum est peccare, diabolicum in peccato perseuerare* satis constat) & apud Theologos constans: quorum nemo est, qui mali alicuius Angeli pœnitentiam salutarem de peccato suo vnquam egisse admittat, sed impœnitentes, & in malo obstinatos illos omnes ad vnum fuisse tàdem æternum damnatos. Etsi autem noster Salmeron ad recitatas superius verba ex epist. Petri, 2. c. 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, cruciãdos in iudicium reseruari*, ad tertium dubium (quod a §. *dubitatum tertio loco fuit* versat) eam conclusionem in dubium videatur vocare, & affirmanti aliquorum malorum Angelorum salutarem, in viæ statu, pœnitentiam difficultatibus euadendis viam aperire §. *Quod si quis* sub med. verbis illis. *Deinde quia, si pauci aliqui* &c. & sequente §. *Sed difficile esse videtur certam aliquam sententiam ex his definire*. Statim vero pro hac conclusionis nostræ parte suam sententiam profert, eamque confirmat, cum ibi, tum sequente §. *Fuit igitur*: certam vero non esse dixit ex textu Petri recitato: quem interpretabatur alio ve scripturæ loco, (qui, ne apparens quidem aliter pro ea extat conclusione) id quod verissimum est, & suis adhuc à nobis monstratum q. 2. certam. 5. à num. 1. ad. 3. inclusiue disjectis omnibus eius textus ponderationibus, quæ adducuntur, adducique possunt à contendentibus ibi pro viæ statu traditam à Petro fuisse. Vnde constat secunda conclusionis nostræ pars, quod omnium Angelorum semel, malorum impœnitentia de fide formaliter non sit: cum eo Petri textu, quo solum in scriptura poterat] non contineatur, nec de ea sit expressa, imo, nec virtualis in Ecclesia definitio. Hæc conclusionis pars aliquorum interpretum, & scholasticorum sensui aduersatur, qui putant eius textus Petri sensum vniuersalem, vtpote doctrinalis propositionis de omnium malorum Angelorum impœnitentia, adhuc in via, esse in quibus sunt Soar. libro octauo, capite primo, Alarcon. d. 9. capite quinto, numero sexto, §. *Sed vero Pater Suarez*. Arriaga d. 25. sectione prima, sub init. sed quam debili fundamento nitantur constat, ex dictis ad eum textum citata quæstione secunda certam, 5. Tertia, & postrema conclusionis pars liquet ex eo, quia neq; hoc neq; alio scripturæ loco, neque Conciliorum, & Ecclesiæ definitionibus, est veritas illa reuelata, cuiusllatione legitima, & euidente aliquot Angelorum salutaris pœnitentia in viæ statu aduersetur; tametsi, pro damnatorum iam dæmonum omnium, impœnitentia, loca scripturæ sint, & veritates dogmaticæ, quibus, vel vniuersalem pœnitentia formaliter, vel euidenti, ac legitima illatione, proxime, aut remote aduersatur, de quo postea. Illud tamen certum, & dogmaticum est aliquot Angelos malos salubriter in via peccati sui non pœnituisse, alioqui nulli demum damnati, & dæmones essent, nec diabolo & Angelis eius æternus inferni ignis paratus esset, ad quem impij homines iudicio postremo mittendi in Euangelio dicuntur, nec ruinus Petri recitatus textus verum haberet.

4 Dico

4. Dico tertio: Angeli boni malos in hoc prælio viæ Angelicæ superarunt. Est de fide ex textu Apocaly. duodecimo, recitato. certamine secundo, numero primo, illis verbis, *Et draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt.* Quod ipsum est Michaeli & Angelis eius ex aduerso pugnantibus succubuerunt id: quod duplici ex parte, altera speculatiua altera actiua, & practica Super qua certatum vtrimque fuit facile probatur. De speculatiua veritatis, à Michaële, & Angelis eius ostendendæ, nempe Deo obedientiam summissionem, & adorationem ab ipsis, & ab omnibus creaturis deberi, & incarnato etiam, si id mali peccato suo detrectarunt, cum ea omnia, eius humanitati susceptæ exhibere iuberentur, superatos victosque malos à bonis Angelis fuisse dubium nullatenus esse potest: cum rationi illi per se notæ à Michaële, & Angelis eius continuo prælio illo contra malos Angelos ingeminatæ *Quis sicut Deus*, nihil, quo satisfacerent, mali respondere potuerint, etsi nequitia, & prauitate sua obstinato in sua sententia, & præiudicio falso, & erroneo perstiterint: victoria autem in disputando speculatiua est, intentam veritatem ita contra contumaces in suo errore demonstrare, vt nihil habeant, quo probabiliter satisfaciant. De actiua vero, & practica pugna, qua propositis rationibus vtrique boni Angeli malos, & necdum in alterutram partem determinatos, & contra mali reliquos in suas partes trahere contendebant, probatur: quia etsi neutro pars aliquem ex parte aduersa deficere, atque ad ipsam transire de facto obtinuerit, boni tamen Angeli vbi primum quisque, obediit, ac deliberato bonus effectus est, industria exemplo, & hortatu suo, primoque, & primus, & præcipuus Michaël ex nondum determinatis, sed successiue, vt diximus determinandis duplo, vt minimum, plures Angelos, ad suas partes traxerunt, in eisque toto statu viæ tempore tenuerunt, & confirmarunt; iis quos Lucifer, & Angeli eius malis suis artibus ad suas traxerint, atque in eis obstinato tenuerint: ergo boni Angeli malos, pugna etiam practica, & actiua trahendi in suas partes alios Angelos, vicerunt malos, & absolute superarunt. Consequentia patet, antecedens traditur c. illo. 12. Apocalypsi duodecimo, numero quarto, vbi de Draconе, seu Lucifero dicitur, *& cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Quæ de Lucifero, & Angelis malis communiter prælio illo, pure Angelico, intelliguntur, & allegorice de prælio eorumdem Angelorum per se, & ministros suos homines in Ecclesia Dei militante habendo, & fine mundi persecutione Antichristi postrema finiendo: atque ita intelligi debere ostendimus, quæstione secunda, certamine quinto, numero secundo, & tertio. Denique probatur ex eo, quod malos Angelos boni fugauerint, & eiecerint è cælo empyreo prælij illius palestra, quæ ipsis, vt patet, victoribus permansit, vt iam ostendo.

5. Dico quarto: Michaële, eiusque Angelis bonis malorum è cœlo empyreo proiectio viæ statu finito, ac sub mundi finem è terra extima, & aëre in tartareum damnatorum locum, & carcerem æternum commissa, mandataque à Deo fuit, atque ab eis mandata executione partim, partimque mundi finem mandanda. Conclusio hæc ex citatis locis 2. Petri. 2. & Apocalypsi duodecimo, rigide perpensis, & penetratis facile probabitur. subditur enim immediate recitatis verbis ex Apocalypsi duodecimo, numero octauo, *& non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo*, id est in cœlo ex quo lapsi deturbati, & proiecti sunt, nullum deinceps locum habuerunt & numero nono, ita subiungitur, *& proiectus est Draco ille magnus serpens antiquus: qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem; & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.* &c. quæ nulli persecutori militantis nostræ Ecclesiæ, Antichristo adhuc, possunt conuenire, vt pote qui nec serpentis antiqui Protoparentes seducentis officium, nec propria diaboli, & Satanæ nomina, sed metaphorice solum habent. Nec proiecti aliunde in terram cuius à suo ortu incolæ sunt, & erunt, quousque in infernum miseris corporibus redintiuis æternum cruciandi mittantur: id ipsum docet Petrus epistola secunda, capite secundo, verbis illis. *Rudentibus inferni detractos* (Angelos malos nimirum è cælo in quo creati sunt) *in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.* Id est tradidit, vt iudicio postremo sub mundi finem mittendi in tartarum vbi æternum coniecti, & coërciti, nec deinceps (vt ante illum diem) egressuri cruciarentur, vt Græca lectio Ταρταρώσας clarius expressit, quæ tantundem valet, *Ac tartaros coërcitos*, vt bene Salmeron noster d. tertia ad illud caput, §. *Dubitatum tertio loco fuit*, versus fin. Neque enim ex tunc proiecti è cælo Angeli mali omnes sunt in infernum coniecti, ac perpetuo detrusi: id enim postremo iudicio à Christo Domino habendo exequendum, vt ait Petrus, reseruatur, atque ex sententia ipsius in malos proferenda, *ite maledicti* in ignem æternum, inferni vtique, *qui paratus est* (non datus ibi omnibus æternæ, & inseparabiliter ab illo) *Diabolo, & Angelis eius*, vobiscum ibi ab illo æternum cruciandis: id quod subodorati Dæmones, quoad iudicis personam (nam quoad suum, & postremo iudicio post mundi finem æternum inferni carcerem, & ignem satis erant conscij) queruli Christo Domino clamabant Matthæi 8. *Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos.*

6. Sed quo, inquies, tunc proiecti sunt omnes, cum fuerunt è cælo depulsi? certe in infernum primo, vt carceris, & ignis ibi infaustam reciperent possessionem: etsi inde egressi, eorum plures incolant aëra, terram, & infernum; nullo tamen ex his locis immobiliter addicti (aliquot exceptis, qui in pœnam specialem aliquibus locis, & regionibus sunt alligati) sed vicissim terras, mare, infernum, & aëra peragrant, vt de Satan ex Iobi historia constat, & ex citato capite duodecimo, Apocalypsi, ibi: *Va terræ, & mari, quia descendit Diabolus ad vos*, & aliis scripturæ locis exscentis, sed quid *rudentibus*, siue catenis (vt Græca habet lectio) *inferni detractos* significat, nisi eos ex tunc inferni vinculis esse inferno reuinctos? Salmeron infernum ibi pro caligine positum ait, vt tantundem, ac *vinculis*, seu *carceribus caliginis* valeat, sed cuius caliginis, an mentalis, an priuationis lucis huius visibilis (quæ nondum terræ, aëri, & mundo nostro aderat, cum pulsi cælo Dæmones sunt ante lucis, & Astrorum creationem) non explicat: Ego vero, etsi sciam inferni, & tartari voces caliginosa, ac tenebricosa loca proprietate, & etymo earum significare, ac subinde, ea quæ centro terræ viciniora, ac subinde à luce remotiora sunt *Tartarum*, & *infernum* dici: antonomastice tamen voce inferni non caliginis cuiusvis, sed propriè & communiter dicti inferni à Petro intellectas censeo; etsi non quibus ex tunc immobiliter inferno fuerint alligati Dæmones, atque reuincti, sed quibus ex iudicio publico, & postremo (quod ad locum attinet) immobiliter erunt reuinciendi, & alligandi per æternitatem, vt textu ipso dicitur. Rudentes autem illi physica igni inferni Dæmonum valonem eo loci tunc factam, non vt ex tunc ibi immobiliter perseuerent, significant. Ac, si remotius, & figuratè loquamur, æterna carceratio, nil aliud est quam Dæmonum toto viæ suæ statu, & tempore in peccatis, & obstinatione exhausto, à Deo damnatio, qua Michaëli, & Angelis suis victoribus malorum è cælo expulsio, & post iudicium postremum in infernum detrusio, demandata à Deo fuit. vt conclusione hac quarta diximus: ea siquidem immutabili Dei sententia inferni loco, & igni post æternæ, & immobiliter exequendo, & subeundo, quasi rudentibus fortissimis, ac minime dissolubilibus, aut disrumpibilibus reuinciuntur ferroque alligantur: quod si de his, quorum immania, & continuata delicta patibulum, furcam ita merentur, vt illam tandem euasuri, non videantur, etsi nondum per iudicis sententiam damnatis, immo nec ad causæ discussionem

sionem carceratis, dicere vulgari nostro prouerbio solemus, *Traen lasoga rasstrango*, citius, potiusque à Petro dici potuit, dictumque fuit de irreuocabiliter à Deo damnatis ad infernum, & ignem æternum, etsi post exequendum, *Rudentibus inferni*, inferno, & æterno igne cruciandos detractos traditos bonis Angelis fuisse.

QVÆSTIO IV.

De colloquio seu locutione Angelorum inter se.

DIfficultas hæc ad Theologicam hanc de Angelis controuersiam non spectabat, sed ad philosophicam aliam de iisdem tomo secundo nostræ philosophiæ controuersiæ de anima separata (de cuius cum alia, vel Angelis locutione, ad ipsam eadem est difficultas) aduectendam: sed, vt in controuersiæ huius præfatione monui reliquorum Theologorum consuetudini, quam rectæ methodo, morem gerens, hic eam versabor ne quis eius examen ex aliorum lectione desiderans difficultatis eius arduitate, timore omissam à me suspicetur, qui clarius forte, & facilius aliis ex peculiaribus principiis ab ea me expediam: sed neque disputationis huius de statu viæ angelicæ prior ea quæstio est, quam disputationis de statu termini Angelorum siue patriæ, siue exilij & damnationis æternæ: siquidem in vtroque statu sibi inuicem Angeli colloquuntur, ac proinde de eorum locutione pro vtroque statu eadem est difficultas: quoniam vero quæstione tertia proxima Angelos, tam bonos quam malos, manifestatione concepti à se propositi, & aliorum motiuorum, & rationum propositione, siue exemplo, & suasionibus alios ad suas partes trahere contendisse docuimus (quod absque aliorum ad alios mutuâ locutione, & colloquiis fieri non potuit) subiungenda statim hæc quæstio fuit: tum, vt dicta melius intelligantur: tum, quia recta methodo de statu viæ angelicæ, quam de statu termini, anterius disputationibus hac de Angelorum locutione necessario & prius occurrit, nec aliquid est, quod de eorum locutione in statu termini sit viterius addendum.

CERTAMEN I.

Præmonenda, supponendaque cunctis ad quæstionis decisionem.

1. LOcutio vnius cum alio, est actio, qua aliquis alicui quid de re quapiam sentiat, vel desiderium, sciendi quid de ea censeat alter significet: ac proinde vel assertiua, & testificatiua est, vel interrogatiua, aut formaliter, aut æquiualenter tales, seu quæ ad duplex hoc membrum reducantur, vt consideranti patebit. Dixi autem alteri, non quia locutio vnius, ad vnum, solummodo esse debeat, aut ad plures esse non possit. Constat enim vnius ad plures audiendi, & colloquendi capaces esse posse, vt quotidie experimur. Secundo prænotandum est in locutione assertiua creaturæ rationalis cuiusvis nude sumptæ de eo, quod res sit, vel non sit, aut ita se, vel aliter habeat, non solum falsitatitem, respectu rei assertæ, sed etiam respectu asserentis, posse euenire, quæ deceptio, & mendacium appellatur. Primum patet. Quia non posse falli, ac decipi in eo, quod quis de rebus, & obiectis iudicat, ac subinde alteri testificatur, solius Dei, diuinæque suæ scientiæ, essentis suæ veræ, & infallibilis omnino est. Secundum autem æque est certum: quia non posse alium fallere, & decipere ac testificari de re aliqua, suoque ergo illam iudicio aliter, quam de illa censeat, ac iudicet, solius etiam Dei, cui soli peccatum, quantumvis veniale, & leuissimum (quod vt minimum in deceptione illa ex specie sola sua intercedit) prorsus, vti omnino impeccabili repugnat, nec video, cur Angelus, qui peccare adeo grauiter natura sua potest & adeo enormiter peccauit, nequeat vel leuissimum fictionem, & mendacium deglutire: item illud Psalmo 61. & 115. & ad Roman. quod de homine solum sonat, *Omnis homo mendax*, de omni rationali creatura dictum est, homine in exemplum adducto, vt materia sermonis erat, doctrina vero vniuersalis: soli Deo infallibiliter credi, certoque & indefectibiliter in eo sperari solo: quod si mentiri Angelus non posset vere, non esset. Argumentum, quod ex tali productione specierum adeo ad exigentiam mendacij Angelici locutionis ponitur ab Arriaga, diluam certamine 6. numero 6. Dixi autem *nude sumptæ*, quia ex adiuncta ipsi beatitudine, immò, & perfecta contritione in via etiam statu habita quæ ex Dei complacentia leuissimæ cuiusvis culpæ, & offensionis Dei efficax saltem virtualis detestatio sit (vt in statu etiam viæ esse optime potest) Angelus mentiri alteri non poterit: similiter interrogatoria locutione falsitas deceptoria interrogantis cuiusvis creaturæ rationalis, audæ sumptæ, potest interuenire: cum scilicet, quod scit, vel formaliter, vel virtualiter se nescire interrogatione sua profitetur, ac in eo alium, cui loquitur, decipi intendit, atque ex circunstantiis disponit, quamquam hoc iocose, & animi gratia ab angelo respectu alterius Angeli inferioris naturæ, & intelligentiæ fieri absque culpa queat? Et idem est respectu æqualis; qui id ipsum, quod ab æquali interrogatur, vt fieri potest, ignoret, vti absque culpa, adhuc veniali fieri sæpe amice, & citra offensionem inter nos contingit dubitari possit? cui dubio affirmatiue (ablit tamen interrogantis Angeli vitiosus fastus, & interrogati contemptus) videtur respondendum.

2. Tertio notandum est, ad omnem locutionem, assertiuam præsertim de iudicio præhabito, requiri, ac necessario præsupponi in loquente cognitionem reflexam iudicij alteri manifestandi, siue habiti, si vera locutio ad alterum sit, vel ficti, si sit locutio falsa, & deceptoria, fallensque alterum, cui creatura rationalis loquitur. Constat aperte, quia ad locutionem essentialiter requiritur voluntas actualis loquendi, seu manifestandi alteri, quod quis de re quapiam iudicat, ac quo pacto in iudicio suo se habeat res quam ipsi loquitur: at id nequit velle, ni judicium, siue quod de re illa, manifestanda, vel habebet, vel fingit se habere cognoscat (cum voluntas ferri actu in incognitum nequeat) nec id potest cognoscere per ipsam cognitionem, quæ habita, & supposita necessario est ad voluntatem actualem manifestandi illam alteri, cui loquendum est; ergo opus est cognitione alia reflexa, qua directa illa, vt obiectum volendum, & apprendum loquenti, seu potius loquuturo proponatur. Confirmatur ex nostro immo vetustissimo principio, à nobis contra Recentiorum aliquot argutias cùm sæpe tomis nostris Theologicis tum tom 2. philosophiæ de cognitione intellectuali creata obfirmato: nullam scilicet cognitionem, aut scientiam creatam sui ipsius realem formalem repræsentationem, cognitionemve esse posse. Supponendum est quarto: cuiusvis rationalis creaturæ actus inter nos spirituales non solum liberos voluntatis, sed intellectus & scientiæ, in secretis cordis esse censendos, & qui naturaliter videri à creatura alia rationali nequeant, sesto per coniecturas, & discursum ex circunstantiis, & causis non nullis naturales, & necessariæ quandoque cognosci ab alia creatura queant) vt ex communi Theologorum

gorum, apud Soarium 2. de Angelis capite 25. Amicum d. 12. numero 38. Quiros d. 6. ostendimus tom. 2. Philosoph. controuersia vltima, de extensione obiectiua, scientiæ naturalis Angelicæ disputantes, nunc quæ supponimus contra Vasquez d. 210. capite 2. Petrum Hurtado d. 12. metaph. numero 31. Franciscum Delugo libro tertio, capite 3. numero 3. quatenus censet oppositum esse probabile: vnde, vt scientiæ etiam actus creaturæ rationalis citra discursum, & coniecturam alteri innotescant libera voluntate illius ea alteri manifestãdi opus erit: quoniam vero creatura omnis, rationalis non solum cum alia sed cum suo authore Deo loqui potest, & indiget, aduertendum est: diuersimode illam cum creatura alia rationali loqui posse, & debere, ac cum Deo loquatur. Huic enim omniscientiæ, & vniuersalis gubernationis rerum iure omnia, etiam abditissima creati intellectus, & voluntatis secreta sciptis nuda, & aperta in se ipsis sunt: vt id ipsum Deo obiectiue præsentari sit, quod in seipsis absolute esse: quod dicerim contra aliquos, qui putant à locutione creaturæ rationalis Deo ad loquutionem, seu modum, quo rationali creaturæ loquatur, duci consequentiam posse.

3. Notata hæc communiter à Theologis fere citra controuersiam admissa, atque à pauculis, qui in eorum aliquo discordant velint, nolint admittenda, ex iure rationalis creaturæ secreto neque cordis seruandi prouenium, vt absque libera illius voluntate eiusmodi secrera alteri creaturæ rationali manifestandi, aliis omnibus in occulto, & obscuro posita de se sint, maneantque ignota siue supernaturalia, siue pure naturalia: id autem ius secreti in pleno Dominio, & libertate expedita creaturæ rationalis in liberos actus suæ voluntatis, & intellectus, illis saltem ita connexos, & quasi concretos, vt his cognitis nequeant illi latere, & rationalis Reipublicæ commoda prouidentia, gubernatione, & ordine fundatur: Etenim, si præfatos actus rationalis cuiusvis creaturæ, omnibus rationalibus creaturis independenter à libita, & libera eis aliis manifestandi voluntate elicientis nota de se forent, cuiusque intentiones possent à potentiori alia creatura rationali, cuius referret, effectu frustrari, & impediri, quantumvis de iusto intendentis, vel Reipublicæ rationalis communi commodo præfatæ intentiones essent, ac proinde inferiores minusque potentes creaturæ rationales sub potentiorum aliarum yrannide vtique forent: inter æquales vero perirugia, contentiones, & rixas, totum eius Reipublicæ, ptiuatæ cuiusque creaturæ negotium transigeretur: quæ omnia, recto, & rationabili ordini, gubernationi, & commodo rationalis Reipublicæ aperte aduersantur: sed, & pleno dominio, & expedito libertatis rationalis creaturæ in suos actus liberos naturalis eorum, vbi primum à quavis elicerentur, apud reliquos omnes notitia repugnat, vt diximus siquidem ab eis eliciendis, odij & rixarum cum superioribus, aut æqualibus: immo, & inferiorib us (quibus omnibus cognitiones, & actu illi voluntatis suæ statim ac elicerentur, paterent, rationabili timere, merito impediretur, ac prudentissime abstineret: quæ omnia ex his satis constant, quæ in Republica nostra humana euenire experimur, ni eiusmodi actus, seu cordis secreta, vbi oportet, celentur. Secundo probatur: quia externa etiam, quæ in occulto loco, (verbi gratia, cuiusque domo, vel cubili aliorum oculis de se à malo, & recondito) aguntur tantum secreti de se habent, vt nisi de agentis facultate, & consensu ea aliis per rimas, aut arte aliqua speculandi nullum ius sit, aut moralis facultas; nec sine peccato illa speculari queant: ergo ea videndi, quæ in abditissimo cordis, mentisque (naturali cuiusque receptaculo) cogitantur, & aguntur nulla esse potest independenter ab eius voluntate, & consensu physica naturalis facultas.

4. Hinc constat minori fructu (ne dicam ineptè, & inutiliter) aliquos Doctores proportionem horum actuum à creatura rationali habitorum entitatiuam, & naturalem (si naturales prorsus sint) cum facultate naturali intellectiua ad res ius apponere, vt eos aliis omnibus statim, ac à rationali creatura eliciuntur, & absolute existunt debeant naturaliter patere. Nec minus infructuosè, & inutiliter in designandis in proportionibus aliis, & aliis, entitatiuis, facile reiiciendis, quo minus alienis intellectibus patere præfati actus naturaliter non debeant ab aliis Doctoribus insudari. Primi enim ex entitatiua proportione intellectus, & obiecti, proportionem in linea intelligibili, non solum, vt cognosci naturaliter, & necessario debeant, sed, vt absolute possint, vel non possint male probant: vt mille exemplis patet: ecqua enim maior entitatiua proportiõ inter colorem, & visum, quam inter sonum, vt hunc percipere nullatenus valeat, possit vero naturaliter lucem percipere, & colorem? immò necessario, vbi intra sphæram impedimentis nudam, & expeditam sunt duo hæc percipiat? Atque exemplo hoc laboris inutilis in aliis, & aliis improportionibus entitatiuis designandis secundi Doctores clarissimè arguuntur: siquidem proportio obiectiua, & in linea cognoscibili coloris cum visiua facultate, & improportio obiectiua sonus cum eadem solo experimento probatur cui omnia, non solum physica, sed & metaphysica nostra humana principia inniti tandem debent, & solummodo possunt, in naturalis autem improportionis horum, etiam naturalium actuum, qui cordis secreta sunt, & vocantur, independenter à voluntate elicientis, cum intellectu alterius, non solum constanti de nostris experimento, sed & rationibus proximè datis: immò, & apertis, scripturæ & Patrum testimoniis, quæ rem indubiam, & infallibilem reddunt, ostenditur 3. Reg. 8. & 2. Paralip. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Ieremiæ 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans cor*, ad quæ ibi Hieronymus. *Ex hoc discimus, quod nullus cogitationum secreta cognoscit nisi solus Deus.* Etsi autem de secretis cogitationis cordis quæ humani textus scripturæ sint, ac subinde de eis loqui. Hieronymus credi posset: tamen illis, *ni solus Deus* eam intelligentiam excluit, sicuti ex illo Lucæ 11. ipse autem vidit cogitationes eorum, ac sua illatione subiuncta: *Ergo Christus est Deus.* Quæ mala esset, si rationalis aliqua creatura vllas posset videre similiter ad ea loca Patres alij concordi sententia, vel inferunt, vel loquuntur, quos citata controuersia Philosoph. ita de Angelis, vbi de hoc fusè, quod nunc obiter, atque adeo breuiter tangendum, ac statuendum fuit: quanto vero iure ex eis locis, quæ de secretis cogitationum, & cordis humani solummodo sonant, ita loquantur, & inferant constat ex rationibus datis numero tertio, sed omittendus Athanasius non est ita quæstione 27. ad Antiochum scribens. *Præscius rerum, & cordium cognitor solus Deus est. Neque enim, vel Angeli cordis abscondita, vel futura audire possunt*: vbi de Angelis expresse loquitur, & cordis abscondita, quoad naturalem, ab alio, quam à Deo, citra elicientis consensum inuisibilitatem, omnino æquiparat: cum tamen, & certum, & dogmaticum sit multi creaturæ futurorum contingentium, præscientiam, & præuisionem naturalem esse posse, vt diximus t. 1. de Deo vno controu 2.

5. Ex his demum fit. Nullam sententiam, quæ in signo, reve quavis (iuxta statim dicenda) naturaliter ac independenter à voluntate Angeli eius de re quapiam, sententiam, & propositum alteri Angelo manifestiua angelicam locutionem constituat, veram esse posse vt autem sententiarum diuersa de locutione, & colloquiis Angelorum inter se multitudo ad certas quasdam classes redigatur præmittendum denique est. Dupliciter intelligi posse angelicam locutionem fieri. Primò per signa aliqua, obiecta, seu quæ prius cognita & ea quæ Angelus ad alium, vel alios loquitur, eiusque internum de eis iudicium, ipsumque esse, qui loquitur illis manifestet; quia ita cognita, ac percepta signa, in horum omnium cognitionem ducunt ipsa percipientem, & cognoscentem: vt in nostra locutione per voces, natusve vsu venit. Qui loquendi modus, vel per signa aliqua naturalia, ac eorum omnium cognitionem ducentia; vt fumus perceptus ad ignis cognitionem naturaliter ducit: vel per signa ad placitum, & ex libera loquentium conuentione præhabita eo ducentia, vt ramus tabernæ vinariæ valvis præfixus, vel voces, & nutus

ad

ad nostram locutionem præstituti intelligi potest. Secundo excogitari angelica locutio valet, per alia media, quæ in eorum omnium cognitionem ducant Angelum, cui alius loquitur, quin ea media debeant ab illo prænosci: nempe specierum impressione (quas vel impressas, vel expressas vocamus) à loquente Angelo, vel à Deo in auditurum immissarum, quæ in hoc, vel actiue, & virtualiter, vel formaliter, & expresse omnium præfatorum cognitionem in audituro, vel audiente Angelo ponant, quin ipsas prænosci ab Angelo, vel audituro, vel audiente sit opus, etsi posterius natura ab ipso cognosci possint, debeantque, & naturaliter, ac de facto cognoscantur: semel enim habita eorum omnium cognitione, quæ auditio ab alio, qui loquitur, stat necessario, ab audiente cognoscitur ipsum illum, ea omnia ipsi loqui, ac proinde, eius locutio, etiam præterita in memoria audientis asseruatur.

6. Sed ne de re, & subiecto, vel non supponente, vel saltem incerto, tam longa disputatio suscepta, & tandiu ab Scholasticis agitata, à nobisque versanda videatur, Angelorum inter se se locutio, nec solum possibilis sed de facto statuenda est. Et quidem eam de facto esse non solum à ratione, sed ex fide Catholica constat. Primo ex Zachariæ capite primo, numero 11. *& respondérunt* Angeli equis suis variis & albis insidentes, *Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt*, &c. capite 2. *& ecce Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum*, & 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum*, id est idiomatibus, *& Angelorum*, quibus ipsi inter se loquuntur, vt Chrysstom. ad eum locum hom. 32. Ambrosius, Anselmus, & alij Patres, & interpretes œcumen. Theodoretus, & Basilius homil. in initium Euangelij Ioannis circa medium quibus sane consentiunt Theophylactus, & Prosper, epistola ad Demetriadem recitati à Vasquez quæstione d. 211. capite primo, §. *Verum Theophylactus*, Apostolus Iudas in sua canonica epistola, numero 9. *Cum Michaël Archangelus, cum Diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore.* Apocalyps. 7. Angelus ad quatuor alios clamabat. *Nolite nocere terræ, & mari*, &c. à ratione probatur: quia Angeli natura sua rationales, ac subinde sociabiles, & communicabiles inter se creaturæ sunt, atque spiritualem suam Rempublicam perfectam, nostra humana longe perfectiorem constituentes: atqui nec rationalis societas, communicatio, & amicitia, nec Reipublicæ rationalis recta (quoad causas secundas attinet) gubernatio, & dispositio, absque affectuum, & sententiarum, mutuis inter se se cuiusque Angeli ad alios manifestationibus, quæ colloquiis ad inuicem fieri necessario debent, stare potest.

CERTAMEN II.

Doctorum placita varia de Angelorum locutione per signa obiectiua.

1. PRima sententia est asserentium, per signa aliqua obiectiua ad placitum, & ex conuentione Angelorum significantia, id quod, quisque Angelorum significare Angelus, aliis Angelis, ac loqui velit, ac loquatur, eiusque iudicium, & loquentem, siue eum esse, qui loquitur manifestum fieri Angelicam locutionem. Sub hac autem generali sententia speciales aliquot Doctorum sententiæ continentur: quidam enim aiunt corporea signa esse, cæloque corporeo, vel aëri impressa ab Angelo loquente, verbi gratia, figuras, & characteres, vel sonos vocibus nostris similes, quas dubio procul Angelus alter cognoscit. Ita Durandus in secundo, distinctione 11. quæstione secunda, quamvis quoad figuras, & characteres ex ignominatis relatas, ab eis dissideat & impugnet. Quoad sonos verò corporeos, aëri impressos, eam expresse docet. Pro eadem parte noster Molina, sed mala recentiorum ipsum citantium fide, nosterque Arriaga d. 12. sect. 1. n. 2. §. *Omitto argumentum*, planisbiliorem, & ni alia supperet, censet veriorem. Alij vero Doctores signa hæc obiectiua ad placitum, quibus Angeli mutuo, & vicissim proprio ipsis idiomate sibi loquuntur, spiritualia prorsus esse & loquenti inhærentia censent, vt nutus Angelicus, quidve aliud, etsi nobis ignotum, ipsis vero notissimum: ita Ægidius in 2. d. 10. q. 3. a. 1. in cuius resolutione Argentina. q. 1. a. 2. Clictoueus in 2. Damasceni de fide, c. 3. ante med. Heruæus commentario quodam in epistolam Pauli ad Corinth. citatis verbis, ex cap. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum* Melchior Canus ad eadem verba Molina noster in 1. partem S. Thomæ, q. 106. a. 1. d. vn. concl. 2. Quiros. d. 59. sect. 2. 3. & 4. Motum spiritualē Angelis (v. g. circularem vel quadratum, vel triangularem pro signo obiectiuo, quo alteri loquitur designans. Pro qua etiam sententia referuntur Nicolaus de Lyra, & glossa ordinaria, ad ea verba Apostoli: docent enim Angelo cuius ineſſe aliquid, alijs naturaliter notum, quod cum ab ipso ordinatur, vt sui cordis secretum alteri, quod alias ignoraret, manifestet, tunc loqui ad eum aiunt, & ita ordinandi facultatem, linguam Angelicam vocant. Quibus naturalia signa spiritualia Angelicam locutionem designant, & in quibus adæquate sumpta Angelica locutio non stet, sed addat potius ordinationem Angeli loquentis, vt auditus, signotum alias sui cordis secretum manifestet: quod si signis illis naturalibus, omnibusque Angelis notis, fieri nequit, quare aliud, quod ex ea libera loquentis ordinatione eis signis naturalibus, & communibus accedit, vt secreti cordis Angelici signa sint non explicant: an vero signa obiectiua ad placitum, an naturalia solum, ac non obiectiua; tametsi eloquentis libito, in ipso vel in audituro, Angelico sint producenda, & apponenda, non explicant. Quare pro hac sententia nequeant hi duo, imo nec pro generali, sub qua specialis hæc secunda sententia continetur, recenseri: siquidem an obiectiuis signis, an naturalibus ordinationis illius an ipsa intrinseca, & libera ordinatione signorum illorum obiectiuorum, naturalium, & communium, ea locutio Angeli vnius ad alium compleatur præfati duo interpretes non explicant.

2. Hanc porro sententiam, vtpote locutioni humanæ nobis familiari, & notiori similiorem, cùm generatim, tum speciatim per signa obiectiua, spiritualia excogitatis cæteris. Propter suam probabiliorem censet Vasquez citat. d. c. 10. num. 57. §. *Quamobrem hæc sententia*. Esse vero possibilem, & vt faciliorem alijs admittendam, ni alia, quam ipse sequitur esset facilior, docet noster Arriaga d. 12. sectione prima, numero tertio, §. *Sit ergo secunda sententia* à quo vsque ad §. *Quodsi dicas*, Soarij, & recentiorum impugnationes, dissoluit, de quibus pauca nos subiiciemus, quæ sufficiant. Specialis autem sententia prima de signis obiectiuis materialibus, & ad placitum, vel characteribus cœlo, vel sonis nostris vocibus similibus aëri impressis non ita absolute reiicienda de possibili, imo nec de facto est, vt à nonnullis reiicitur, quia Angeli linguas omnes humanas, & idiomata, earumque voces, & caracteres perfectissime norunt, ac proinde eis inter se loqui, & audire commode possent, & commodius, quam homines duarum nationum, & linguarum natiuarum, si natiuæ alterius alteruter petius etiam sit, & ita fortasse per energumenos dæmon voles se manifestare: & cum Angelorum colloquia Zachariæ, & Ioanni citatis locis innotuerunt lingua, & idiomate humano, eisdem noto collocutos, Angelos ita inter se fuisse, vt eos vterque, audirent, nobisque, ea manifestarent, & scripto reliquerint, dubium mihi non est. Cum enim ita colloqui Angeli absque dubio potuerint (vt omnes fatentur) atque ratione proxima demonstrauimus; atque si vt ea colloquia ab his Prophetis perciperentur habita ab Angelis illis ex Dei voluntate fuerint, minori opera, & operationum sumptibus habita ab illis fuisse connaturalius est:

idiomate

idiomate enim Prophetis non Angelis colloquentibus vna operatione, qua ipsi colloquebantur, colloquia illa Prophetis præfatis innotescerent; secus si lingua solis Angelis nota, versaque rursus in linguam, & idioma humanum notum Prophetis, illa colloquia perciperent: ergo de facto idiomate humano Prophetis noto collocutio Angeli illi sunt, ne otiosè, & operationes, & loquutiones, multiplicatas tunc fuisse admittamus: quare negantes absolute Doctores Angelos de facto signis corporeis, seu sonis vocum nostratum similibus loqui deciperentur, si de colloquiis eorum habitis, vt homines etiam audiant loquerentur; non vero de ita habitis Angelorum colloquiis loquuntur, sed de habitis inter se se solum, vt Angelus audiat, atque illi soli, vtque solus Angelus, vel Angeli, non autem homo aliquis eorum colloquia simul percipiat, vt ex eorum ratione claret, quam iam subiicimus.

3. Nunc vero, non de lingua, & idiomate, quasi alieno (vt humana omnia nostra respectu Angelorum sunt, etsi Angelis notissima) sed quasi nationali & proprio, & natiuo Angelorum, quo inter se se loquantur, disputatur: illud vero, quasi nationale, & proprium idioma non posse vocibus, sonisve aut characteribus corporeis stare, quare neque ea lingua, aut characteribus corporeis sibi mutuo Angelos de facto loqui, certum esse debet: lingua quippe propria, natiua, & quasi nationali, eiusdem nationis gentisque, & Reipublicæ conciues sibi inuicem loqui connaturalissimum est, dum aliud non occurrit, ex quo eos alieno alio idiomate, quod loquentes norunt magis expediat, vt in enumeratis casibus, vt qui alienam linguam ignorant, colloquentes perciperent) dum colloqui secrete volunt ne adstantes percipiant quid loquantur: quod autem natiua, & propria, seu quasi nationalis Angelicæ Reipublicæ lingua, locutio que verbalis, vel scripta sonis corporeis vocum nostrarum similibus aëri impressis, vel characteribus cælo efformatis stare non possit, facile probatur. Quia vt diximus, Angelorum natura per se sociabilis, & communicabilis vnius Angeli, ad alium, vel alios Angelos est, atque in Rempublicam ex Angelis cunctis, & solis constatam componibilis: atque hæc, sine locutione, & communicatione alterius ad alterum, vel alios Angelos conceptuum, affectuum, & sententiarum propriarum, cuiusque fieri nequeunt: ergo natura sua, & per se Angeli locutionem aliquam concernunt, ac respiciunt, nequeunt autem concernere, & respicere natura sua, & per se locutionem, per signa aliqua obiectiua corporea ad placitum (& idem est naturaliter) conceptus affectus, & sententias, cuiusque Angeli aliis Angelis, significantia: ergo aliam locutionem, nullatenus, per signa obiectiua corporea, sed incorpoream per se, & natura sua Angelorum natura, atque Angeli concernunt, & respiciunt. Minor probatur: quia Angelorum natura & Respublica realis, secundum se præcise & nude sumpta nihil corporeum per se, & natura sua respicit, & concernit (ne materiam quidem primam) quam nostri animi, vtpote formæ, & substantiæ partiales concernunt, exiguntque naturaliter) ac proinde corporibus cunctis completis, incompletis, & accidentibus, quibuslibet omnibus, quare & signis, ac locutionibus corporeis, non existentibus, factisque impossibilibus angelica natura, & Angelorum Respublica, realis communicabilitas, & societas rationalis perstaret, quæ absque eorum mutuis colloquiis, eo casu non existentibus, & impossibilibus corporeis esse non possent; ergo linguam, & colloquia alia spiritualia, & incorporea natura, Respublica, societasque, & communicabilitas rationalis, per se, & natura sua concernunt, & respiciunt, quæ propria natiua, & quasi nationalis angelicæ communitatis, & Reipublicæ sint: & hæc de speciali hac sententia loquutionis angelicæ per signa obiectiua corporea, in quocumque constituantur.

4. Secunda specialis sententia de signis spiritua-

libus obiectiuis ad placitum significantibus impugnatur à Soario, & aliis Recentioribus: quia cum ea actus vitales Angelorum non sint (qui ad secreta cordis spectant, non ad eorum manifestationem, qua secreta cordis esse definerent) deberent esse qualitates, & accidentia spiritualia, non vitalia, inexplicabilia, & inintelligibilia, gratis ab huius sententiæ Patronis conficta. Verum spiritualia, accidentia, & signa non ideo reijcienda sunt, quod à nobis explicari plene, quid sint, nequeant: vt patet in characteribus per Sacramenta aliqua animis ea susciptientium impressis: nec gratis fingentur, sed ad defendendam veritatem fidei de locutione angelica natiua, quæ aliter, iuxta hos authores, defendi nequit, vt ex aliorum modorum impugnationibus contendunt. Alias huius sententiæ impugnationes expendam, numero quinto, vbi generalem sententiam de locutione natiua, & propria angelica, per signa obiectiua, ad placitum (sub qua speciales de signis spiritualibus, & præcedens, de corporeis continentur) vniuersim quare, & duas hasce refellam. Nunc signa aliquot spiritualia ab huius sententiæ omnibus Doctoribus data, confuto. Et primo spirituales nutus, qui ab eis omnibus designantur: etenim nutus illi spirituales Angelorum, nil aliud esse possunt, quam assensus rei alteri manifestandæ, nempe obiecto illi à loquente manifestando, & indirectè iudicij, quod loquens de illo, vel habet, vel fingit se habere, & voluntatis, quam idem loquens, id ipsi manifestandi habet. Hæc autem omnia actus vitales intellectus, & voluntatis vel directi, vel reflexi sunt, & quæ proinde ad secreta cordis pertineant. Secundo, vel nutus illi, seu actus vitales loquentis, seipsis alteri Angelo, cui loquitur innotescunt, causando seipsis, in audituro, vel immediate, vel media specie impressa actiuè, vel saltem exactiue (de quo ad præsens disputare opus non est) obiectorum tam directe quam indirecte, manifestatorum cognitionem; vel non ita, sed per signa alia obiectiua eorum omnium quæ loquitur: si postremum, de iis obiectiuis signis, spiritualibus tota redintegratur quæstio, quidnam præter actus perfectos vitales sint, si nutus sunt, vt hi defendunt & sic in infinitum, nisi demum à sua sententia recedant, ibimus. Si primum: hæc signa, nec obiectiua signa sunt quæ ad placitum, sed naturalia, & naturaliter significantia, atque alteri se manifestantia, vbi eorum pleraque à loquente concipiuntur, quod est, in sententias alias, deinceps examinandas, abire, atque ab ea, quam hi Doctores tuentur, & nunc impugnamus abscedere.

5. Quiros noster citata sectione secunda, spiritualia hæc signa ad placitum in termino producto per motum localem per se, & communiter loquendo constituit, vt verbi gratia, Michael velit motu suo, vel potius præsentia sua circulari significare suum Dei amorem perfectum, hancque significationis voluntatem impressa specie ab eadem sua voluntate Gabrieli immissa manifestet, qui solus, vt secretum cordis, pro Michaëlis libito seruetur, eo motu, & præsentia visa amorem Dei Michaeli adesse cognoscet, & sic de aliis motibus, & præsentiis semicirculi, anguli, triangulj, quadranguli &c. ad alios affectus Michaelis & obiecta alia omnia singulatim ab ipso, Angelis aliis, vt velit manifestanda. Hæc autem locutio, vt mittam ridiculum apparere, vt scilicet, nonnisi [illegible] &c angulusve, aut triangulus & motu, & præsentia sua Angelus constituatur, loqui alteri aliquid possit, ad specierum impressarū à loquente Angelo, vel actiuam vel exactiuam inauditurum immissionem, qua sola Angeli locutio explicari, & secreta locutio, illi, cui solum loqui velit, seruari facile possit, occurrit. Secundo: hac via secreta vnius Angeli ad alterum solum Angelum locutio, pro qua hic locutionis modus excogitatus est, ægerrime soluatur, nisi pro quovis Angelo audituro diuersa signa eiusdem obiecti manifestandi, ac subinde, linguæ, & idiomata multiplicentur: cum eos motus, & præsentias Angeli loquentis reliqui Angeli videant: id quod hic author, eoque amplius (nempe non solum pro

Angelorum, sed temporum diuersitate cuiusque Angeli ad quævis signa, & idiomata multiplicari) admittit sectione tertia, numero decimo, & vndecimo, cum autem innumeri pene Angeli existant, atque innumeri sint absolute possibiles, quibuscum cuivis Angelo possibilis absolute locutio esse potest, fiet: linguas, & idiomata cuiusque Angeli, primo diuersa, innumera de facto, & absolute possibilia esse admittenda: quod, vt absurdum intulit contra nostrum Alarcon. d. 4. capite sexto, Quiros ipse sectione secunda citata, numero nono, estque absurdissimum, contra quamcumque sententiam legitime inferatur: etenim pro quavis Republica, & natione, & gente, lingua aliqua, & idioma commune (si eo, vt sibi rationalis indiuidua in eis contenta opus sit, vt mutuo de priuatis, & communibus colloquantur) assignari debet: esto ad priuata communicanda possint aliqui de signis. & idiomatibus priuatis inter se conuenire: ob hæc idem Quiros sectione quarta, dum præfatam sententiam explicare promittit vere eam retractat. Ad hæc, vt sectione tertia, numero 13. obiectionem tertiam propositam numero 12. dissoluat absque necessitate decurrit ad reflexam cognitionem voluntatis Angeli loquentis de significata signorum obiectiuorum, seu motuum, & præsentiarum localium, vt ab ea potius, quam à voluntate ipsa species in audiente actiue, vel exactiue proueniant contra ea, quæ ex ipso sectione secunda, numero septimo, referebamus, numero quinto. Atque insuper Vasquez nostri opinione ac præcipue, vt ab Arrubale temperatur, seu explicatur non parum sapit, quos tamen ipse reiicit sectione prima, numero sexto, & sectione 2. numero 15. quin, vt iuxta hanc eius doctrinam defendatur alio opus habeat, quam ostensione veræ possibilitatis mendacij in locutione angelica; ex cuius ostensionis, ac defensionis impossibilitate vtrobique Vasquium, Arrubalem, tanquam firmissima, & triaria impugnatione confutat. Est autem leuissima: siquidem, si dicas voluntatem illam loquentis esse manifestandi alteri iudicium directum, quod de re, seu obiecto non habeat, facile mendacium Angeli loquentis ostendes.

6. Sed vt dixi retractat hactenus impugnatam sententiam, dum eam explicat sectione quarta, vbi numero 19. ait: linguam hanc per signa ad placitum, quæ motus locales, siue eorum termini, & præsentiæ sunt, esse Angelis omnibus, vel saltem cunctis hierarchiæ, cuiusque communem, in eo vero, sunt difficultates plures & grauissimæ. Primo: quia, ea communi lingua motuum, & præsentiarum, vndecumque Angelis nota, siue per infusam à Deo eis omnibus notitiam, siue aliunde habitam, nullus Angelus priuatim, & secreto alicui loqui poterit, quin alij audiant, & intelligant, contra ipsorum voluntatem, quin loquantur: cum enim eiusmodi motus, & præsentias reliqui Angeli naturaliter perspiciant, & intelligant teste Quiros numero 23. & quisque alteri motibus hisce, & præsentiis loquatur, omnes quid illi loquatur percipient, ni Deus miraculosè concursum cæteris denegaturus ab aduersariis absurde asseratur. Respondet Quiros numero 20. & 21. motus, & præsentias istas locales solum percipi posse ab Angelo, cui alter loquens penetratus est, si loqui ipsi secreto velit, vel pluribus, si velit pluribus: quare non posse loqui distantibus; quod ipsum debet dicere de non penetratis vicinis. Sed quam male illud admittat, nec reputet absurdum: constat ex illo Angelorum ascendentem in cælum Christum comitantium, cum Angelis cælo commorantibus, colloquio apud Psalmum 23. *Attollite portas principes vestras, &c. & quis est iste Rex gloriæ?* Qui sane penetrati alij, aliis non erant, immo vero non parum distantes; ex quo patet, quam male ad hanc actiuam spiritualem locutionem, & auditionem, illo principio agentium & passorum materialium corporeorum, notissimo, (etsi non solus, sed cum plerisque in præsenti quæstione) vtatur citato numero 21. nempe, *agens non posse agere in distans, quin in propinquum*: quod in agentibus, & operantibus spiritualibus maxime si voluntate, vt in præsenti, agant) verum, aut veri fundamentum non habet, vt mox videbimus, atque in Deo ostendimus tomo primo, controuersia prima de attributis eius vbiquitatem ex eius operatione vbique nullatenus demonstrati monstrantes: etenim pure spiritualis operatio maxime à voluntate prouenies, à loco intermedio, & spatio corporeo, siue reali, siue imaginario non pendet: quare neque vlla, eius distantia, vel propinquitate augetur, vel impeditur, vt nostræ sententiæ confirmatione videbimus: sed eo etiam principio in spiritualibus admisso certe præsentibus in proximo immediate loco, & vicinis Angelis aliis pro sua, vt possunt, voluntate secreta duorum inter se locutio esse non posset, cum aliis pateret, etsi loquens nihil ageret in distans quin in propinquum: Ergo male asseritur loquentis, cum audiente necessaria penetratio, vt illius per hæc signa locutio percipiatur: insuper, cum ipse species ab obiectis non actiue, sed exactiue à Deo Angelis ministrari doceat, sectione quarta, numero vigesimosecundo, ex d. 56. nil distanti Angelorum officiet, nec eius improportio in obiecto per se, ac secundum se esse potest, vt ibi contendit, quæ à Deo naturaliter nequeat supplere: maxime cum hic, quod exigit, non obiectum locutione manifestandum, sed voluntas loquentis, de eo alteri manifestando sit, quæ nulla distantia potest impediri. Rursus immotus localiter omino Angelus loqui non poterit: quod etsi hominum locutioni contingat, quæ absque alicuius partis, scilicet linguæ, sonos varios aëri in voces efformando imprimendos necesse sit, id autem de pure spirituali locutione angelica asserere nimis crassum, & ridiculum est. Denique Angelus moueri nequibit (maxime cum indiuisibilis entitatiue substantia sit, nec secundum partem possit moueri) quin totus moueatur, & præsentialem figuram localem habeat, nec, quin loquatur. Item innumera, quæ cognoscit, locales motus suos possibiles, & præsentias, numero superantia, siquidem motus hos, & præsentias eis adquisitas omnes aliis Angelis manifestare Angelus potest) loqui posse debet: quare, etsi motus omnis angeli signum sit, per quod aliquid loquatur eis motus, & præsentias ipsas (quæ sui ipsarum signa, præsertim ad placitum, esse nequeunt) loqui non poterit; ac proinde erit lingua hæc insufficiens, atque erit ad alium linguæ, & signorum modum, vt completa lingua Angelis donetur recurrendum, quod tandem admittit Quiros sectione tertia, numero decimoseptimo in fine, ne Angelum immotum prorsus loqui non posse admittat, ac in perpetuo motu esse debere dum loquitur. Mitto alia locutionem per signa obiectiua, quævis ad placitum vniuersim impugnantia iam subiecienda.

7. Primum sit ex impossibilitate secretæ locutionis vnius angeli ad alterum, quin alij audiant, quid inter se priuatim vtrique loquantur, & audiant: si enim communis lingua per signa obiectiua quævis ad placitum omnibus Angelis sit, vt esse debet, eorum signorum significatio omnibus Angelis (vndecumque velis de quo posthæc) debet innotescere: ergo semel ab Angelo exhibita ab aliis Angelis, (saltem non nimis distantibus) cognoscentur, & subinde eorum significata, & quid vnus Angelus alteri loquatur, vt in signis motuum localium assignatis à Quiros nuper ostendebamus. Hoc argumentum adeo efficax præcipuo huius sententiæ Patrono, & rei scholasticæ Primipilo Molinæ nostro, visum est ad citatam quæstionem 106. articulo primo, distinctione vnica, §. *Secunda conclusio*, sub finem, vt, ni eius linguæ notitia, per eius infusionem à Deo primum Angelis obueniat, eius solutionem desperet: quanto vero iure, ex dictis constat, quod, etsi aliunde, Angelis tamen omnibus vel pluribus, eius linguæ notitia adueniat æquam vim, & robur habet, vt patet: quare, ni præter communem hanc linguam, per signa obiectiua ad placitum speciales alias pro innumero numero Angelorum, vt quisque alteri secretò loqui possit, quin alij percipiant, per

per signa priuatæ ad vtriusque placitum consignificationis ad modum eius quam hispanè dicimus *gerigonca degitanos*, aduersariis ipsis abhorrentibus, in Angelis admittamus, secreta Angelorum locutio, pro cuiusque libito esse non poterit. Secundo: vndenam eius linguæ communis, & significationis ad placitum omnium illorum signorum obiectiuorum cunctis Angelis innotuit? Certè eorum omnium consensus, & beneplacitum ad alios mutuo habendum de omnium signorum significatione pro rebus omnibus aliis, & cuiusque libito manifestandis haberi concordi consensu non potuit, ni prius cuiusque placitum de eorum significatione reliquis vicissim innotesceret, si ad ipsorum placitum significantia signa illa obiectiua sunt. Vel ergo omnium placita signis aliis obiectiuis ad placitum mutuo omnibus innotuerunt, & sic in infinitum signorum anteriorum, & anteriorum ad placitum significantium absurde, & repugnanter abibitur: ni tandem ad signa aliqua nusquam ad placitum Angelorum significantia deueniatur, quibus beneplacita de significatione signorum obiectiuorum ad placitum, & ex consensu Angelorum, eis omnibus mutuo innotescant: atqui eisdem, signisve similibus significantibus, & non ad placitum Angelorum, quo bene placita de eorum significatione signorum tuorum ad placitum, ex consensu Angelorum, mutuo Angelis innotescunt poterunt alia omnia ac Angelo quouis, cuivis alteri manifestari, ergo ea erunt lingua, & idioma quo Angeli mutuo sibi quidquid velint inuicem manifestent, & pro libito colloquantur; quia signis tuis obiectiuis ad placitum significantibus loquutio Angelica indigeat.

8. Confirmatur: quia aduersarij omnes, qui signa hæc obiectiua ad placitum, & ex consensu Angelorum significantia, necessaria ad Angelicam locutionem defendunt, ex eius sententiæ Prim ipilo, & duce Mol. nostro, nutibus spiritualibus mutuis Angelorum de eorum signorum obiectiuorum significatione ad placitum, cuiusque placitum reliquis mutuo significari docent; ac hi nutus spirituales Angelorum de eorum signorum significatione, nil aliud, quam actus voluntatis, & beneplaciti vniuscuiusque Angeli de ea significatione, signi illius esse potest: beneplacitum hoc, vel cognitione, vel speciei sui alteri Angelo impressa, vel aliter (iuxta mox referendas opiniones) tandem absque signis vllis obiectiuis ad placitum, & ex consensu Angelorum, significantibus manifestantur: ergo eodem modo voluntates manifestandi iudicium, & sententiam suam siue veram, siue simulatam Angeli cuiusque Angelis cæteris, & reliqua subinde alia ab eo manifestabilia, absque signis obiectiuis ad placitum apetentur.

9. Reliqui dicere possent indigitatione quadam spirituali ad obiectum, ex Angeli indigitantis voluntate significandum, signo spirituali suum placitum significante, quod tunc profert, cum obiectum designat: quemadmodum nos, cum veris, & aliis linguæ nostræ ignaris voces proferimus, obiecta per ipsas significata simul demonstrantes, verbi gratia, panem, cum dicimus *panis*, &c. Hoc inquam difficile est. Primo: quia spirituales istæ indigitationes, seu demonstrationes obiecti, ex eius placito significati, aut significandi, signo, quod tunc profert, nil aliud quam nutus præfati esse posse videntur: neque enim vti nos digitos habent, aut manus, quibus suam voluntatem de signorum significatione obiectis designatis, & indigitatis demonstrent, vt nos pueris, & aliis, quos linguam edocemus. Si autem ob hæc dicas eorum signorum obiectiuorum, ac significationis ad placitum notitiam primo infusam à Deo Angelis omnibus fuisse cum Alarcon. d. 4. capite 6. & Quiros tandem, sectione quarta, numero 25. (etsi id proiecerit sectione secunda, numero nono, & in Alarcon reprehenderit) vti Hebræam linguam dicitur Protoparentibus infudisse. Contra est primo: quia eiusmodi lingua signorum ad placitum, & ex consensu Angelorum non esset, sed Dei: quare nec lingua propria, & quasi nationis angelica formaliter, & actiue, sed materialiter; cum tamen cuivis rationali Reipublicæ facultas linguam propriam pro rationalium, quibus constat, placito condendi, vt pro libito inter se colloquantur indicta sit. Secundo recursus hic ad Deum ad designandam, imponendamque signis, quibus, Angeli loquantur significationem minus decens Philosophum, seu Theologum est: cum aliunde, facultati naturali Angelorum ad colloquendum inter se se ex naturali virtute ipsorum actione, aut ex actione physica facilius possint mutuo colloquia miscere.

10. Denique locutio hæc angelica per signa obiectiua ad placitum significantia, eo præsertim fundamento inducta est, quod humanæ nostræ locutioni, quam experientia, & sensibus nouimus omnino assimiletur, & adaptetur; sed tamen certum per omnia est: cum de spiritualibus agitur, etsi non, nisi corporeorum ad instar, cogitari à nobis possint corporea tamen dedisci oportere, ne de spiritualibus, etsi corporeorum ad instar cogitatis, asserantur. Demum: si velis, ea signa obiectiua, non ad placitum, sed naturaliter significare; quæ Angelus loquens vult manifestare alij, vel aliis Angelis audituris multo ex capite impugnatur apud Arriagam d. 12. sectione 1. numero 5. a §. *Quod si dicas*, quæ tamen leuia de se sunt, nec ad sui solutionem doctrinis ab hoc authore motis opus habent, cum seipsis nutent, & labascant: illud solum firmum, contra naturalem hanc signorum obiectiuorum significationem refertur ab ipso numero sexto, §. *quarto contra ea signa obiicitur*, circa med. quod, scilicet, non posset inter Angelos esse priuatim secreta locutio: quod sic probo. Quia, cum ea naturalia signa, vel causæ, vel effectus naturales sint (quo velis loco contineantur, vel cuivis subiecto insideant, vt fumus, ignis) non poterunt non à cunctis Angelis, vel saltem, in proximo, nec nimis distanter loquenti, & audienti adstantibus percipi, id quod absurdum esse de se patet, & nuper ostendi numero 6. contra Quiros, quidquid absurdum, non esse reputet etiam Arriaga numero septimo, §. *Sed neque hæc vrgent*: Siquidem secreta locutio vnius Angeli ad alterum priuatim, atque ius eorum, ad illam ab horum voluntate, quoad vsum debet solummodo pendere. Quod autem alij plures, vel etiam omnes præsentes proximo loco imo penetrati priuatim, colloquentibus adsint, non ab horum, sed aliorum omnium & singulorum voluntatibus solummodo pender. Secundo: cum Angelus aliis Angelis non solum actus intellectus de obiectis, & voluntatem loquendi, sed obiecta alia omnia, de quibus, sic, vel aliter iudicat, aut fingit se iudicare, sua locutione manifestet, atque eorum obiectorum, pleraque pure possibilia sint, & quæ pro eo statu, nec causam sui nec effectus habere possunt, nec signa obiectiua naturaliter significantia habebunt, per quæ Angelus Angelo loquatur.

CERTAMEN III.

Aliorum de Angelorum locutione sententiæ repulsæ.

1. VEnio ad Doctorum sententias de Angelorum locutione per signa non obiectiua, siue ad placitum, vel naturaliter significantia, & præcognita ducentia, audientem Angelum in obiectorum, quæ ipsi manifestare vult Angelus loquens cognitionem; sed per signa, aut media potius alia, quæ incognita, ea, quæ Angelus loqui, & manifestare alteri vult audientem hunc cognoscere faciant, vel de se se, eum facere possint cognoscentem. Et hunc locutionis angelicæ modum alterum in generalem modum, & classem esse diximus, sub qua reliquæ omnes Doctorum, super angelica locutione speciales sententiæ continentur. Media autem hæc dilucidæ methodi gratia in media formaliter facientia audientem Angelum eorum, quæ ipsi alter

manifestat cognoscentem (cuiusmodi sola audientis, de eis omnibus cognitio esse potest, vt patet) & in media, quæ non formaliter, sed actiue cognoscentem eorum omnium faciant (vt de speciebus actiue, aut exactiue, ab obiecto missis fieri diximus) subdiuidi debent: & sub primum huius, subdiuisionis membrum venit sententia Scoti in 2. d. 9. quæstione 2. §. *Ad quæstionem*, & §. *Ad vlteriorem*, Bassolidis ibi ad 1. & Scotistarum asserentium loqui Angelum alteri imprimendo illi formalem intellectionem obiecti, quod loquens percipiat, vultque alteri loqui: quæ respectu eum pure recipientis auditio est. Respectu vero eam efficientis Angeli, qui loquitur, fit locutio. Hanc vero effectionem, seu impressionem cognitionis obiecti manifestandi, alloquentem, non quidem ab huius cognitione obiecti illius, in audientem prouenire, sed à memoria, seu potius specie impressa, obiecti eiusdem menti loquentis insidente, quæ pro huius arbitrio (cui ad vsum, & exercitium species impressæ in Scoti sententia subduntur) & cognitionis obiecti eiusdem tam in loquente Angelo, cui inest, quam in audiente principium sit: etsi hic eam intellectionem nullatenus agat, sed recipiat solum, & à loquente patiatur: id quod explicatius tradit citatis paragraphis vt de eis quæ Angelus audiens nouerat, & quorum species habebat, solam cognitionem imprimat loquens: cum autem superior Angelus inferiori loquitur aliquid, quod inferior ignorabat, & speciem impressam, & expressam imprimit inferiori, illam quidem per speciei impressæ, quam in se loquens habet actiuitatem, expressam vero per intellectus loquentis virtutem; cum autem inferior loquitur Angelo superiori, quod pro libito non nouerat, cum ratione inferioritatis nequeat in illum speciem expressam, actu cogitantem, imprimere, nec ad alia cogitanda intentum superiorem ad obiectum aliud cognitione impressa diuertere (vt ratione superioritatis potest superior in inferiorem agere) speciem impressam, eius obiecti, quod ad superiorem loquitur ipsi imprimit. Dixi autem hanc inferioris Angeli ad superiorem, cui fatur per speciei impressæ infusionem, siue immissionem de obiecto, quod ante locutionem inferioris ignorabat, & cuius speciem non habebat: quia Scotus duas species indiuidue diuersas eiusdem obiecti censet (& vere, si naturaliter loquatur) in eodem intellectu impossibiles, ac proinde locutionem Angelorum, de eis, quæ iam audiens nouerat, ac species habebat impressas, aliarum impressarum immissione, fieri non posse. Hæc Scoti mens ipsissima est, altiori quam aliorum, vt solet, indagine à subtilissimo, & profundissimo alienarum mentium indagatore Vasquio nostro in apertum deducta: ex qua constat Scotum (præter quam in locutione Angeli inferioris ad superiorem de obiectis huic antea cognitis) angelicam locutionem, in productione cognitionis ab Angelo loquente totaliter in audiente, solum passiue, & receptiuè se habente, constituere: quare locum non habent aliquorum interpretationes de effectione partiali, & inadæquata cognitionis, & speciei expressæ audientis Angeli à loquente, vt fere Arriaga citata d. 12. sectione secunda indifferenter censet, vel de immissione speciei impressæ ab hoc in audientem, vt explicat Soarez secundo, de Angelis capite 28. vltimo cum Scoti deceptus: datæ vero sententiæ Scoti intellectus ab Antiquis Doctoribus, & coætaneis ad, hæc vsque tempora referatur, & impugnetur.

2. Sic intellectum Scotum fuse confutauit Gregorius de Arimino in 2. citata d. 9. quæstione secunda, & Doctores ab Scotistis reliqui. Primo ex essentiali immanentia actus vitalis (cuiusmodi cognitio, quæuis, & subinde illa audientis est) ex qua inesse essentia sua debet eidem principio, à quo actiue elicitur: quare intellectus Angeli loquentis, nequit in Angelo audiente cognitionem obiecti ipsi manifestandi adæquatè producere, vt audiens illam solum recipiat, & patiatur. Quod si actui vitali non quidem immanentiam in principio, à quo elicitur essentialem dicas, sed solam eius immanentiæ exigentiam, vt naturalem Angelorum locutionem, & debes, defendas, nec solum miraculosam & contra naturæ exigentiam asserat ab audiente etiam Angelo saltem partialiter, eam cognitionem elici fateatis necesse est, nec totam venire à loquente. Nec satisfacit pro Scoto Arriaga respondens sectione secunda numero vndecimo, §. *Aduerte* de conceptu intellectionis non esse vitalitatem physicam, sed intentionalem solam, vt in scientia, & intellectione diuina vitali docet, & nos prius docueramus, & tomo 1. de Deo vno controuersia secunda fusius ostendimus: etenim, vt ibi diximus vita intentionalis intellectionis creatæ, vita creata, & physice producta ac producibilis vitaliter essentia, & natura sua est; etsi diuinæ vitæ essentia sua, physice improducibilis es: quare ea creata toto genere, & conceptu diuersæ, alia sit ratio: quare creatæ intellectionis immanentia, aut immanentiæ in principio à quo elicitur exigentia, seu vitalitas intentionalis, absque physica esse nequit. Secundo, ne partialiter, quidem ab intellectu loquentis elici, auditio, seu cognitio, illa audientis potest intellectus quippe potentia vitalis, cum sit essentia, & natura sua immanenter solum, & in subiecto proprio intellectionis operatiua est, non in extraneo: quare nec loquentis Angeli intellectus in audiente partialiter adhuc, & auditis intellectum adiuuans ad producendam intellectionem tum fundamento aliquo, immo quin fundamenta bonæ Philosophiæ proterantur dici potest. Vterius: cum prædicata omnia intellectionis audientis potentiæ intellectiuæ respondentia eiusdem intellectui sufficienter respondeant, hic intellectus adæquata causa intellectiua suæ intellectionis erit iuxta principium commune philosophicum de causa adæquata, & totali, vel absolute, vel in genere quovis fuse à nobis constituto tomo primo nostræ philosophiæ, controuersia de causis cum Vasquez, & communi contra Petrum Hurtado: quare nec intellectus Angelo loquenti ad audientis intellectionem partialiter concurret. Tertio: quia intellectus loquentis nequit excitare intellectum, audientis, vt eiusdem obiecti libere, & ex arbitrij sui electione intellectionem eliciat: cum ad id opus sit, vt pro priori naturæ ad actum voluntatis, quo audiens applicet, ac determinet suum intellectum ad eam intellectionem eliciendam, aliquid de locutione Angeli ad ipsum loquentis prænoscat: de qua nihil ante auditionem, seu intellectionem suam elicitam, qua primum loqui sibi Angelum alterum intelligit, nouerit: sed neque excitare Angelus loquens intellectu suo audientem potest, ita vt ipso inscio eius intellectum ad intellectionem obiecti eiusdem eliciendam determinet: siquidem in vlterius Angeli actus Angelus alius, ne superior quidem Dominium habet, nec potest pro suo libito ad alia cogitanda attentum, & intentum diuertere, vt de obiecto, quod ipse exercite intelligit, actu cogitet volit, nolit.

3. Quarto: Scoti ipsissima sententia impugnatur: quia, si Angelus loquens efficit, imprimitque totaliter, & adæquate intellectionem, obiecti, quod loquitur in audientem, solummodo passiue recipientem, idem præstare posset præstaretque de facto in spirituales nostros animos, non solum pro statu separationis, sed etiam in statu viæ, & concretionis cum corpore: cum ad mere patiendas, recipiendasque spirituales qualitates, & operationes ab alio totaliter, & adæquate productas, nullam habeat à corpore eiusve coniunctione, aut separatione dependentiam: quam solum corporis coniunctione habet, vt actiue intellectionem, per conuersionem ad phantasmata dependenter, à quibus pro coniunctionis statu eliciat: Angelum vero efficere, imprimereque animis nostris pro suo libito intellectionem, his solum passiue, & receptiue se habentibus in statu coniunctionis, ad corpora: immo, id præstare posse absurde, & singulariter, ac temerarie contra omnes Theologos dicetur. Nemo enim ex illis animi, & intellectus nostri, pro hoc statu immutationem ab Angelis siue bonis, siue malis per intellectionis ab ipsis immissas: imo nec qualitates alicuius impressionem possibilem admittit

admittit ; sed solum per imaginationem, non quidem qualitate aliqua ab ipsis impressa immutatam, sed specierum prohabitarum, agentisve illarum applicatione, motuve locali humorum, & spirituum vitalium, quibus species insident, & adseruantur causato, quo illæ imaginationi proximius occurrant, & obuersentur: ergo reiicienda est Scoti opinio, ex qua præfatum absurdum infertur. Quinto cum plures Angeli idem de obiectis eisdem pluribus iudicent, eorumque species, & facultatem intellectiuam habeant, si hæc, eiusdem obiecti intellectionem adæquate in aliis ponunt, & ita Angeli ad alios formaliter loquuntur, omnes mutuo, & aliis loquuntur, & ab aliis idem ipsum, velint nolint, audient : cum æqua omnibus his, & loquendi facultas, in actu primo, adæquato sit, atque item audiendi, vnde rursus, non plures, sed innumeræ cognitiones obiecti eiusdem solo numero diuersæ in eodem, & in quolibet Angelo connaturaliter erunt, quod æque repugnat, ac esse plures species impressas eiusdem obiecti solo numero diuersas simul, in Angelo eodem quod Scotus merito reputabat impossibile. Sexto, cum locutionem suam in actu, tam primo, quam secundo recte Angeli norint, si actiua in actu primo stet in intellectu, speciebus, & iudicio Angeli alterius, in actu vero secundo in Angeli audientis de obiecto eodem intellectione, quæ quinis Angelus in se, & in aliis nouit, vt omnes alios sibi loqui merito, quisque iudicabit. Quodsi dicas, id rursus pendere à voluntate loquendi libera Angeli loquentis, dices recte, sed vndenam ea audienti innotescet, vt sciat quisnam ex aliis ipsi potius, quam reliqui loquantur? certe ex specie impressa etiam eiusdem obiecti, quæ in Angelo loquente sit, non poterit cognoscere, cum causata in audiente intellectio, non liberæ eius voluntatis, sed obiecti à loquente directe cogniti, & iudicati solummodo sit intellectio, & audienti formalis repræsentatio.

4. Septimo demum locutio vnius ad alium non solum intimat audienti obiectum, quod loquens cognoscit, & iudicat, sed huius etiam iudicium, quod se habere de illo audienti testatur, vt ob suam, cum in iudicando veritatem, tum in dicendo veracitatem simile de obiecto illo iudicium eliciat, & efformet : ad huius autem iudicij intimationem, & notitiam audienti imprimendam loquentis species de obiecto directo cognito ab ipso, eiusque intellectus sufficientes, & proportionatæ, actiue non sunt, vt patet. Ex quibus constat ad Scoti fundamentum, intellectus speciebus obiecti directi satis constitutum in actu primo adæquato locuturum Angelum non esse, vt alteri loquatur : imo, nec vt in ipsum inadæquate adhuc (nedum adæquate, & totaliter, vt vult Scotus, imprimat obiecti à se præiudicatè intellectionem (quæ sola locutio non foret, vt nuper dicebamus) quia intellectus in alienum subiectum actiuus non est, sed tantum in proprium; cuius scilicet, potentia intellectiua est. Mitto alia in Scoti doctrina difficilia, quæ persequitur fusius Gregorius de Arimino citato loco, atque ex ipso alij, quia ad alias materias spectant. Illud tamen, quod ad hanc attinet, & notauit Vasquez c. 3. n. 5. §. *Postremo & verum* ex casu Scoti tertio, eiusque doctrina, non nisi rarissime, & casu, ac non, ex loquentis libito inferiorem Angelum, loqui ad superiorem posse, cum non, nisi casu, & raro superiorem idem ipsum obiectum, quod loqui ei inferior velit cogitantem, nec ad alia cogitanda intentum possit inuenire, à quorum cogitatione, ad cogitationem eius, quod ipsi loqui voluerit, vtpote inferior, nequeat distrahere, neque ab inferioris libito pendeat, quod alia superior non cogitet, vel quod ab eis cogitandis distrahatur. Adde, ne tunc quidem, cum de obiecto loquendo ab inferiore Angelus superior cogitat posse ad eum esse inferioris locutionem ab Scoto assignatam, scilicet per speciei impressæ adhuc, nedum expressæ de obiecto illo immissionē: quod fieri nequit de iis, quæ superior nouerat, ni species impressæ, aut expressæ, solo numero diuersæ in Angelo superiore multiplicentur. De iis autem, quæ superior Angelus antea, non nouerit, si naturalia obiecta sint fieri aliunde nequit: cum naturalia obiecta omnia, quæ inferior imo plura, & plura, quo superior, & superior Angelus est, prænoscat. Vnde superiorem Angelum ab inferiore illuminari quod locutione huius ad illum fit speciebus actiue, vel exactiue immissis) de naturalibus non posse, consequens Theologorum sententia est: imo vero nec desuper naturalibus veritatibus, nisi ratissime; locutio autem cuiusuis Angeli ad alium naturalissima esse debet ac pro cuiusque libito frequens.

55. Ockamus in 2. q. 20. & quodlib. 1. q. 7. Gabriël in 2. d. 9. q. 2. a. 4. asserunt ex Aug. 15. de Trinit. c. 10. loqui in Angelis idem esse, ac rem intelligere, eiusque verbum interius concipere, ac in mente habere; audire autem esse alterius, verbum, & intellectionem videre, quam auditionem in Angelo, cui loquitur, alter efficit, loquens verbo suo, de re quam manifestare, loquique vult, tanquam obiecto, nulla sui specie impressa immissa, nec adæquate, sed concurrente etiam intellectu audientis, non autem loquentis ad eam verbi alterius intellectionem. Cæterum : cum actiuus concursus ex parte obiecti, qui intellectioni, & verbo loquentis tribuitur, in sui ab audiente intellectionem naturalis, ac necessarius per hos authores sit, locutioque eius, quod quisque concepit, libera esse debeat, ac insuper eius ad alium manifestatio, nequit in intellectione, & verbo loquentis de re aliqua, super qua locutionis, & manifestationis habenda rursus à loquente deliberatio, est locutio consistere. Secundo : nihil cogitare Angeli poterunt, quin ad Deum loquantur; quod est aperte falsum cum secreta etiam cordis Angelici, omnia Deo manifesta sint. Tertio, omnibus Angelis, loquetur, quicumque Angelus loquatur: siquidem concursus obiectiuus intellectionis, & verbi de re quapiam Angeli loquentis, ad cognitionem, & verbum audientis de re eadem, ac de cognitione, & verbo loquentis, naturalis, ac necessarius, & immediatus est, cum intellectu audituri, quem Angeli reliqui à loquente æque proportionatum, & expeditum habent, ad intellectionem, & verbum loquentis de re quapiam, ac subinde rem ipsam cognoscendam: & quidem conceptus mentis, cuiusuis Angeli esse reliquis naturaliter notos. Ockam, & Gabriel expresse docent : ergo omnes Angeli audient quemuis loquentem, nec locutio priuata, & secreta vnius Angeli ad alium esse poterit, si in eo Angeli locutio, auditioque consistat. Quarto: cum animarum separatarum inter se locutio esse possit, ac de facto fuerit animæ diuitis epulonis cum Abrahami anima colloquium, Lucæ 16. eoque modo, quo inter Angelos esse debeat, ac rursus, eodem modo inter Angelos, & animas separatas (quibus societas, & communicatio, cuiusuis creaturæ rationalis, cum alia quauis rationali ex rationalis, prædicato possibilis est) locutio erit. Hinc autem infertur : ergo animæ nostræ, in statu etiam viæ, & coniunctionis, cum corpore, eo præcise, quod de re aliqua intellectionem verbumque concipiant, cum Angelis loquentur, quod est absurdum. Illatio probatur, quia eiusmodi intellectio, & verbum animæ, coniunctæ etiam corpori, adæquatum principium naturale ex parte obiecti est, quod cum intellectu Angeli adæquatum principium naturale, & necessario operaturum, tam ex parte obiecti, quam potentiæ intellectionis Angeli constituat, in horum sententia, æque, atque Angeli vnius intellectio, & verbum cum alterius Angeli intellectu, vt ipsa intelligat, ac de eis verbum concipiat. Nec dici ad postremum hoc potest, coniunctionem animæ cum corpore impedire, ne eius intellectio, ac verbum mentis de re quauis actiuitatem habeat respectu intellectus Angelici, vt cum ipso intellectionem in Angelo eliciat : id enim iuxta huius sententiæ Doctores, absque omni prorsus apparenti fundamento dicetur. Etenim etsi intellectus noster, dum corpori immersa anima nostra est, nequeat absque conuersione ad phantasmata (quorū ad instar debet omnia obiecta, quantumuis spiritualia, cogitare) suas intellectiones, & verba mentis intelligere, secus Angelus, qui omnia absque vlla ad phantasmata nostra conuersione, quare, & nostras intellectiones, ac mentis verba intelligit, vi naturalis actiuitatis mentis suæ, vbi primum ex parte obiecti intelligendi adæquatum adest naturale principium : quod in nostris intellectione, & verbo mentis adesse aduersariorum sententia est.

6. Ex qua infertur contra eam quinto, Angelos quotiescumque intelligunt, ac mentis verbum de re quauis concipiunt animabus nostris, corpore adhuc immersis loqui, easque loquentes sibi Angelos audire : quod,

& manifeste falsum est, & absurdissimum, quippe, quo secreta Angelorum, & priuata locutio in hac sententia, quam impugnamus, non solum Angelorum aliorum (vt proxime ostendimus) sed nec respectu hominum esse posset. Quod autem animæ nostræ corpori immersæ intellectiones, & verba Angelorum audirent, & intelligerent probatur. Quia in verbis Angelicis sufficiens principium naturale ex parte obiecti est, vt intellectus alienus ipsa percipiat, ex parte vero potentiæ intellectiuæ nostræ virtus actiua est intelligendi, & conuertendi se ad phantasmata (in quocumque ea conuersione stet, vt corporeorum ad instar verba mentis Angelicæ, vt spiritualia reliqua cognoscit, intelligat. Nec magis præstabit, si dicas: cognitionem, & verba mentis nostræ de obiectis etiam spiritualibus corporeorum ad instar esse debere; angelica vero verba, & intellectiones corporeorum, ad instar esse non posse: quare nec verba nostra posse esse naturalia, & proportionata principia, ex parte obiecti ad verba, & intellectiones eorum ab Angelico intellectu elicenda, nec verba Angelica, vt a nostro de eis verba, & intellectiones eliciantur, sicut naturalia, & proportionata principia ex parte obiecti sunt, vt ab aliorum Angelorum intellectibus percipiantur. Etenim cogitationes, & verba nostra de obiectis, corporeorum adinstar, spiritualia entia sunt; &, quoad spiritualitatem intellectioni, & verbo Angelico de ipsis, vt in se sunt proportionata: ergo admisso semel (vt ab his admittitur) cogitationem, & verbum intellectus alieni principium, ex parte obiecti, adæquatum, & naturale esse posse, vt cum intellectu alterius adæquatum, & naturale intellectionis verbi alieni in hoc Angelo sit; nulla improportio oritur, ex eo, quod verbum nostrum, de obiecto, quouis, & si corporeorum ad instar, concepto in se tamen in corporeum, & spirituale, spiritualis cognitionis Angelicæ de nostro verbo, etsi non corporis ad instar concepto, principium naturale ex parte obiecti sit, ac similiter verbum Angelicum, cum nostro intellectu naturale cognitionis nostræ, etsi imperfectioris, de ipso, corporeis ad instar, principium adæquatum naturale. Etenim improportio per excessum principij, proportioni ad agendum non obest, vt in omnibus causis principalibus æquiuocis, patet; igitur illata omnia absurda legitime, ex eo principio aduersariorum inferuntur; quod verbum mentis Angelicæ alienæ cognitionis sui, in mente Angeli alterius naturale ex parte obiecti principium de possibili, & de facto sit. Absurdis, & omnibus sententiæ suæ impugnationibus Okam, & Gabriel generaliter, & quasi a capite, occurrentes aiunt: ad locutionem, vnius Angeli, ad alium requiri voluntatem loquendi ad illum in Angelo loquente; non quidem, vt verbo suo, quę formaliter loquitur, virtus actiua ipsi naturalis, ex parte obiecti a voluntate illa, tanquam ab actu imperij tribuatur ad suumve exercitium efficiendi cum intellectu audituri Angeli intellectionem verbi ipsius, quo alter ad ipsum loquitur, impellatur (illud enim verbi huius, cum intellectu, & intellectu audientis exercitium naturale, & necessarium est) sed vt verbum loquentis concipiatur esse. Quod quidem non, nisi ex ea voluntate, & intentione libera loquendi ad illum ab Angelo loquente conciperetur Verum nihil præstat solutio Primo: quia cognitio, ac verbum mentis Angelicæ de obiectis pluribus ex nulla voluntate, & intentione libera Angeli alterius pendet, vt eliciatur. Secundo: quia virtus verbi Angelici vndecumque producti naturalis est per aduersarios, ac subinde naturalis, & necessariæ operationis cum intellectu alterius Angeli ad sui & obiecti cognitionem: quare, etsi ab ea Angeli intentione pendeat in essendo, non autem in operando verbi ex quauis intentione producti intellectionem cum intellectu, quouis Angelico capaci, & potente, quatenus ex parte potentiæ est, ipsum percipiendi. Vnde fiet, iuxta hanc sententiam, Angelum intendentem verbi sui productione loqui illo Gabrieli soli priuatim, & secreto, non autem aliis Angelis, animabus separatis, aut etiam corpori coniunctis, nec Deo, intendere, conarique in impossibile.

CERTAMEN IV.

Aliorum, qui cognitione Angeli loquentis, eius loquutionem constituunt, non tamen in ea principium actiuum proximum ex parte obiecti adæquatum, vt alter audiat sed in eius speciebus impressis.

1 HEnricus quodlib. 5. quæst. 15. a. 2. Maior in 4. d. 9. q. vlt. Heruæus d. 11. q. 1. in intellectione aliqua loquentis, non quidem directa obiecti, de quo alteri loquitur, sed reflexa supra directam de obiecto illo locutionem constituunt: eam vero nudam principium actiuum immediatum, & adæquatum ex parte obiecti ad alterius intellectionem, qua hic formaliter audiat, minime constitui: sed speciebus impressis menti audientis insidentibus egere, ita vt reflexa illa cognitio, quæ locutio Angeli est obiectiuum signum sit, quo ille alteri Angelo loquatur: vt externa nostra verba, quibus homo hominem alloquitur. Et maior quidem reflexam hanc cognitionem signum ad placitum ex consensu, & conuenientia Angelorum inter se significans esse voluit, vt de signis aliis impugnati Doctores cert. 2. n. 4. volebant: quorum impugnationibus subiacet maior, atque alteri euidenti. Nam reflexa cognitio cuiusuis obiecti, cum expressa, & formalis repræsentatio essentia sua obiecti illius sit, nequit illius, ad placitum significatiuum signum esse, cum cognitum nequeat non in sui obiecti cognitionem cognoscentem deducere, vt Henricus, & Heruæus, & reliqui sententiæ huius, quoad substantiam, citandi sequaces consequentius censuere, etsi verique, ac reliqui in aliis quibusdam (quæ singulatim referre, ac refellere, longum, & inutile esset) non satis inter se conueniant. Præsertim in speciebus impressis, quibus mediis, tanquam principiis proximis actionis ex parte obiecti reflexe loquentis cognitionis elicienda ab audiente cognitio sit, designandis, an ad præcisati solum communis indiuidui vagi, an determinati etiam non autem intensionis cognitionis illius reflexæ cognoscendæ species sint: anque Angelis congenitæ, an per singulas locutionis Angelicæ occasiones ab ea cognitione reflexa, ab audiente cognoscenda, vel a loquentis Angeli libera loquendi ad alterum voluntate, vel tandem a solo Deo inditæ, atque ad eius voluntatis exigentiam infusę? Hæc enim omnia, ex principiis de Angelorum speciebus impressis alibi statuendis (quæ hic importune examinarentur) omnino pendent; tametsi de eo hic inter Henricum Scotum, & Heruæum prolixa fuerit concertatio, de qua, quoad rem præsentem, quæ opus sint, commodius in sequentibus sententiis dicemus. Huic etiam sententiæ, quoad substantiam, etsi non adeo firmiter adhæsit noster Vasq. d. 111. c. 11. n. 62. a §. *Huius autem rei gratia.* & c. 12. n. 68. & 70. addens solum, quod præstauit veteres, licet non ita, explicito exprimant, supponunt nempe cognitionem hanc reflexam Angeli loquentis, in qua eius locutionem formaliter constituit, non solum esse cognitionis suæ directæ, de obiecto quouis simul cum ipsa reuelando, manifestandoque alteri Angelo, sed esse etiam voluntatis loquendi, ad alterum, quam loquens habet, quæ sententia probabilis etiam visa est, nostro Ioanni Præposito. 1. p. q. 54. a. 4. dub. 4. §. *Sed ut verum fatear.*

2. Expressius hunc modum tenuit & illustrauit. Poste a Arrubal noster. d. 171. c. 3. docens: species cognitionis huius reflexæ de directa cognitione obiecti, ac voluntatis liberæ ad illud, ac directam eius cognitionem manifestandi congenitas Angelo cuique, cui lo-

quę

qui alter vult omnino esse. v.g.Gabrieli omnium reflexarum cognitionum directarum ac voluntatum liberarum loquendi ad ipsum ; non autem loquendi ad alios: quas Angeli omnes habituri sint. vt autem species hæc, suam actualitatem, ad reflexæ illius cognitionem in audiente eliciendam de facto exerent, & ipsius reflexæ cognitionis cognoscendæ exercitæ inseruiant voluntatem liberam loquentis, de eis alteri manifestandis docet, quia alioqui futurarum omnium præscij omnes Angeli essent, neque eorum præscientia, & prædictio argumentum diuinitatis foret contra Patres, scripturam, & Scholasticos omnes. Consensit Luis. de Tortes d. 68. dub. 1. atque multo tempore sibi ita explicatam sententiam placuisse fatetur Alarcon. d. 6. c. 5. num. 6. certe quod ab Arrubale & Luisio de Tortes de speciebus reflexæ illius cognitionis, tam directæ de obiectis alteri manifestandis à loquente, quam voluntatis liberæ, & alteri manifestanti, quam loquens habet Angelis omnibus ab initio à Deo infusis, & congenitis somnio simile visum mihi semper fuit, absque vllo rationabili fundamento excogitatum. Si enim ab initio species illæ impressæ congenitæ Angelis fuissent, cum naturalia agentia sint ab initio cognitionem reflexæ illius cognitionis, & voluntatis, ea ipsi manifestandi, quam loquens Angelus habet, causarent quin eius voluntatis, & reflexæ cognitionis existentia expectaretur, vide prius tempore, quam Angelus loqueretur futuram alterius ad ipsum locutionem audiret, & secretum cordis eius agnosceret. Exemplum de speciebus futurorum, quas Angeli congenitas sibi ab initio habeant, nec tamen eorum cognitionem operentur, quo vsque futura ipsa, in seipsis extra causas existant, etsi non paucorum doctrina sit, mihi etiam semper displicuit ob rationem eamdem : etsi enim existentia obiecti, ad veritatem cognitionis, quæ in huius cum obiecto conformitate stat requiratur, ad eliciendam tamen cognitionis de illo, dum eius species, impressa in intellectu cognoscitur, aliunde quam ab ipso obiectiuo actiue, vel exactiue productæ adsit nullatenus requiritur, vt ex ratione proxima patet, quam contra similem Thomistarum aliquot doctrinam inferius persequemur. Vlterius species illæ, vel sunt species existentiæ reflexæ illius cognitionis, & futurorum in se ipsis ; & extra causas præcise sumptæ, etiam durationis alicuius : si durationis alicuius certe durationis, in qua erunt, non autem in qua non erunt, ne species ad errorem, & falsam cognitionem determinantes Angelicæ naturæ debitas, & congenitas, ac subinde illam de sese, ac natura sua ad errorem determinatam absurdissime admittamus. Inde vero, legitime infertur Angelos absolute futura, omnia, & secreta cordis non solum humana, sed Angelica iam à suę cognitionis initio cognoscere, quod scripturæ, Patribus, & Doctoribus cunctis aduersatur : cum non solum absolutam eorum existentiam, sed tempus in quo erunt cognoscant. Si vero dicas species illas esse existentiæ absolutæ reflexarum illarum cognitionum & futurorum in se ipsis præcise, & prout à tempore, in quo absolute erunt abstrahentes, absurdum idem incurres : cum enim Angeli nihil creatum ante ipsos absolute productum, & existens naturaliter sciant, vbi proximum creati alicuius existentiam naturaliter per species illas sibi congenitas, & coæuas vere, & intuitiue nouerint, euidenti discursu futura duratione absolute extitura cognoscent. Quod est euidenter absolute futura prænoscere, ac posse absolute, & infallibiliter prædicere ; etsi non ; qua durationis posterioris particula sint futura prænoscere, ac posse absolute prædicere quod neque Prophetæ, nisi raro prædixerunt, & fors, nec cognouerunt : cum tamen inde Patres, & Doctores omnes, non ex propria, & creata, sed ex Dei scientia, & Spiritu locutos certo colligi consonè, & constanter docuerint : vbi ergo cordis secretorum, & futurorum scientia apud Deum, & à Deo, aduersariis Catholice fatentibus sequestrata?

3. Sed iis omissis ad sententiæ vniuersim sumptæ substantiam veniamus, quam, nec Vasquez (qui inter Angelici cordis secreta scientiæ actus non recenset, sed solus actus voluntatis, nequit sustinere, quin ab Angelis secretam, & priuatam vnius cum alio locutionem, qui necessario reliqui omnes audiant, aboleat. Nec Arrubal, & eius sequaces, qui in secretis cordis Angelici actus scientiæ, ex quibus reflexa illa cognitio est, enumerant. Quod si dicant, id de actibus scientiæ, qui locutio non sint, nec voluntatem loquendi supponant, intelligi debere. Dicere, eodem modo debent de actu voluntatis loquendi, & manifestandi, aliquid, alicui ; quare & huius dari posse in altero Angelo immediatam cognitionem, ex eius speciebus, vnicuique Angelorum congenitis ; nec tamen, nisi existente voluntate illa manifestandi operatutis ea vero voluntate, per eiusmodi cognitionem ab altero percepta non poterit, non quid ipsi manifestari à loquente velit alter ille cognoscere, & audire, ni alio sit totus distractus, & intentus : quare ea voluntate, stabit Angelica locutio, quin reflexa illa cognitio intercedat. Ad hæc directarum cognitionum obiecti locutione Angelica manifestandi species, expectare vndecumque productas, vel congenitas Angelos voluntatem liberam loquentis, vt, cum huius, tum cognitionum illarum directarum cognitionem in audientis Angeli mente producant eodem modo dici potest : quare, & absque ea reflexa cognitione, constitui Angelicam locutionem, vt Thomistæ docent, à quibus Doctores isti volunt recedere. Tertio : nullum erit cordis Angelici secretum, quod aliis omnibus non innotescat, ac solus illud concipiens, & habens sciat. Etenim cognitio ista reflexa, cuiuscunque affectus (verbi gratia, amoris erga alterum Angelum, quem quiuis Angelus habet) naturaliter, & necessario ab eo elicitur, ita vt vbi primum à quouis, Angelo affectus voluntatis concipitur illico naturaliter, atque indeliberato ab illo cognoscatur : atqui ea reflexa cognitio supra affectus suos ab Angelo habita est aliis signum naturale, & naturaliter nutus sui obiecti, siue affectus, ab ipso cogniti, è cuius cognitione reliqui Angeli naturaliter, & necessario in obiecti, seu affectus illius cognitionem deueniant : ergo omnis affectus cordis Angelici, non solum illum habenti Angelo, sed reliquis omnibus erit naturaliter, & necessario notus, ac subinde nullum erit cordis voluntatis Angelicæ secretum.

4. Minor probatur, voluntas seu affectus liber Angelis de manifestando obiecto quouis, & affectu ipso non aliter, nec per aliud signum naturale manifestatur, & innotescit naturaliter Angelis aliis, quibus loqui, manifestareque illum vult, quam per reflexam cognitionem, vt signum naturale obiecti, & voluntatis, seu affectus illius. Atqui eodem modo se habet cognitio cuiusuis affectus in quouis Angelo existens respectu intellectus alieni cuiusque alterius Angeli, ergo æque, & eodem modo in eius cognitione, vt naturali signo, ab Angelis aliis cognoscetur : quare nullus Angelus affectum illum poterit concipere, quin illum reliquis naturaliter propalet, ac loquatur. Præsumi probatione hac minoris euasionem aduersariorum : quod scilicet reliqui affectus Angelici non sint affectus, & voluntates manifestandi, aliis Angelis se ipsos, aut quoduis aliud obiectum, quod cognoscant. Probat enim ratio expressam hanc voluntatem manifestandi aliis affectus, & secreta cordis Angelici, minime in hac opinione requiri ; siquidem non aliter, hic, & affectus reliqui, quam per reflexam vnius cuiusque cognitionem, tanquam per naturale signum manifestantur. Quod si dicas reflexam illam cognitionem voluntatis, & affectus liberi manifestandi ipsum aliis Angelis, eo etiam affectu à locuturo habito, libere ab eodem, atque, ex imperio libero eiusdem Angeli elici, & haberi : quare, neque eius effectus, notitiam, (& idem est de notitia aliorum affectuum) ab aliis Angelis, per eius reflexam cognitionem tanquam per signum naturaliter, & necessario, sed pro locuturi eos affectus habentis imperio, & libera voluntate haberi : quo satis cordis Angelici secreta seruantur. Contra est, quia, vt imperium illud liberum Angelici de cognoscendo affectu, quem elicuit, ab eo habeatur prænosci affectus elicitus debet, cum nullo imperio, vel affectu voluntas

suæ

sive Angelica, sive humana in incognitum ferri possit, vel ergo ea cognitio sui affectus imperio illi necessario præuia habetur ab Angelo libere & ex imperio (illi necessario) sive affectu alio libero ipsius, & sic in infinitum cognitionum, & imperiorum anteriorum, & anteriorum absurdissime abibitur. Vel cognitio illa affectus ab Angelo habiti ad imperium liberum de eius vlteriore alia cognitione necessario præcedens, non libere & ex imperio alio libero, sed naturaliter ex affectus positione, & existentia absolute procedit, & tunc quidem præuia illa cognitio affectus illius, quem repræsentat, naturale signum eius erit. Æque, ac cognitio alia vlterior, quam ex imperio voluntatis Angeli loquentis asseris posterius natura eliciendam: quare iuxta tuam hanc opinionem per præuiam illam cognitionem affectus Angeli cuiusuis naturaliter reliquis Angelis innotesceret, ac subinde nullum erit Angelici cordis secretum. Porro recentiorum eam sententiam tuentium effugia à nostro Arriaga memorata, & reiecta sectione secunda, à num. 13 §. *Argumentor tertio*, vsque ad §. *Quod si præterea* inclusiue, à Deo, seipsis præclusa sunt, vt non alio, quam, vt facile impugnentur excogitata videantur; quare ne mentionem quidem merentur. Mitto postremum eiusdem Arriagæ numero sexto decimo. *Sexto & vltimo* contra eandem sententiam argumentum ex obiecto, quod illa voluntas Angeli de manifestando, alteri suo secreto, & iudicio, quod de re aliqua habet: illud enim contra omnes est, & sectione sexta, numero sexto, oportunius formabitur, ac diluetur.

5. Thomistæ aliquot veteres censent Angelos omnes secretorum cordis, vti & futurorum, reliquorum Angelorum species congenitas ab initio suæ creationis habuisse; neque tamen illis ad ea cognoscenda vti posse, quovsque voluntas ea manifestandi, alteri, aut aliis, pro loquentis libito, accedat: ea vero accedente cum ius secreti, quo ab operatione detinebantur, quasi per liberam illius cessionem loquenti deficiat respectu eius vel eorum, quibus ea volunt aperire, ac propalare, illico species illę in iis Angelis secretorum cordis Angeli alterius operantur cognitionem. Tum etiam: quia eo ipso, quod Angelus secretum cordis sui, vult alij, vel aliis Angelis aperire, illud ad eos pertinet, ac proinde his naturaliter debita est, eius secreti cognitio: non secus, ac futurorum contingentium quæ ad ipsos pertinent, species debentur, & cognitiones. Hanc sententiam sequuntur Capreolus in. 2. d. 11. quæstione 1. cunda. Caiet. in prima parte, quæst. 107. articulo primo S. Bonauent. d. 10. articulo tertio, quæstione prima Alex. secunda parte, quæstione vigesima septima m 6. Albertus. 2. etiam part. quæst. 35 m. 2. nostri Tannerus. d. 5. quæstione quarta, dubitatione tertia, & Granados, prima parte, tractatione quinta, d. 4. sect 1. verum eam ita docent, vt sonet ex sola extrinseca positione, & ordinatione voluntatis in loquente nulla re alia in illo audiente producta notum fieri audienti, & intelligibile, quod eisdem stantibus, erat ignotum, & ab ea inintelligibile; quo pacto intellecta merito difficilis, & inintelligibilis sententia visa est Melchiori Cano, nostris Vasquez supra, capite octauo, Soario, & Alarcon, capite quinto, etenim, si ex libera solum voluntate Angeli, vt aliquid alteri innoteat, vel non innotescat, nulloque alio addito, vel oblato, obiecta naturaliter ab illo alio intelligibilia, & nota sint, vel contra naturaliter, inintelligibilia, & ignota, quæ absque ea voluntate talia non erant, fiet primo: Angelum pro sua voluntate habitus suos, vndecumque habitos aliisque ignotos, & inintelligibiles naturaliter ab iisdem intelligibiles reddere posse; quod in Marsilio, in 2. q. 6. 2. 2. suppositi. 2. corollar. 2. præfati Doctores, ac reliqui scholastici reprehendunt. Fiet secundo, pro eadem cuiusuis Angeli voluntate, vt aliis omnibus seipsum suamque substantiam celet, ac faciat ab illis naturaliter inintelligibilem; quod ab omnibus Philosophis, & Theologis explodituer. Nec satis est, quod ex libera illa voluntate ad alium Angelum obiectum pertineat, vt huic naturaliter notum, & intelligibile fiat, siquidem amor, odiumque vnius Angeli erga alium, ad hunc procul dubio pertinet, nec tamen huic est naturaliter notum, nec intelligibile, sed in illius secretis cordis rectum seruatur. Cæterum si præfata sententia genuine intelligatur, eiusque fundamenta, vt à nobis proposita ac perpensa sunt, penetrentur, præfatæ impugnationes nullius sunt ponderis. Secreta enim cordis Angelici obiecta improportionata, & inintelligibilia naturaliter ab Angelis aliis, secundum se præcisè, & entitative sumpta, non sunt: sic enim nullatenus, ex voluntate Angeli cuius sunt, fieri naturaliter intelligibilia, vt nec habitus naturales ab actibus, qui ad secreta cordis non spectent, vel aliunde progeniti, aut Angeli substantia ex eius voluntate, & arbitrio fieri inintelligibilia possint, vt recte præfata argumenta probant. Similiter, nec quod actus, seu affectus Angelicus liber alium, alioue angelos, tanquam obiecta tangat, ad eosque præcise diriga-tur, affectum illum ita ad illos pertinere, facit, vt illius cognoscendi ac proinde specierum impressarum, ad eius cognitionem naturale ius ipsis faciat, & patet: quemadmodum aliorum obiectorum, quæ ad ipsos, vel coniunctos, & amicos pertinent ab eis cognoscendorum, & subinde specierum ad id necessariarum ius naturale habere dicuntur, saltem accedente beatitudinis statu: quem ad id iuris, vniuersalis erga omnia, quæ ad ipsos ita pertinent, necessarium puto, etsi ad aliqua, quæ ad naturalia ipsorum commoda, vel incommoda quærenda, vel vitanda attinent, cognoscenda ius in ipsis naturale, potiusque, & ad plura, quam in hominibus & brutis recognoscuntur: ne naturalem Dei erga Angelos quam erga homines, & bruta, curtiorem, malignioremque admittam prouidentiam.

6. Cum ergo secreta cordis Angelici ex entitatiua ipsorum, cum aliorum facultate intellectiua naturalis improportio non proueniat: nequit aliunde, quam ex iure naturali, quod Angelus quisque habet, vt cordis sui secreta aliis Angelis, citra suum arbitrium, non innotescant prouenire; quod quidem ius respectu aliorum obiectorum non habet: quare nec pro suo libito obiecta alia naturaliter proportionata, & intelligibilia, vel naturaliter inintelligibilia, & improportionata aliorum Angelorum mentibus facere potest. Secreta vero cordis, quorum improportio obiectiua naturalis cum aliorum intellectu priuato vniuscuiusque iure, vt, citra suum beneplacitum, alteri, non innotescerent, inducta, beneplacito, & voluntate Angeli, cuius secreta sunt, ea alteri, vel aliis Angelis manifestandi (ad quod etiam, ius vnusquisque æque, ac nos, habet) ius illud naturale secreti auferatur, atque naturalia perstat, & in aperto absolutè illorum intellectioni naturali manent: sicuti, quæ arca inclusa videri à nullo poterant ea aperta obuia cuiuslibet oculis, & visione fiunt quæ ante absolutam illam voluntatem, & beneplacitum, ea alteri Angelo manifestandi conditionate tantum proportionata, & intelligibilia, naturaliter erant facta (scilicet ex conditionis purificatione vt conditionatis reliquis euenit) eorum secretorum cordis absoluta, obiectiua proportione naturali cum intellectu alterius, cui Angelus ea vult manifestare, eaque ratione secreta illa, eorumque cognitio ad alterum illum Angelum pertinent, non autem è præcisa connexione physica illius voluntatis ea ipsi manifestandi tanquam cum eius terminato & obiecto, quam vnius Angeli erga alium odium vel amor solummodo habent. Male ergo eis argumentis sententia Thomistarum bene intellecta, & quantum fundaris, explicarique recte potest, impugnatur. Et quidem si impugnationes præfatæ aliquid præstarent, contra omnes sententias æque valerent. Omnes siquidem in eo conueniunt, ac necessario, debent conuenire: quod scilicet, ex voluntate Angeli loquentis manifestandi Angelo alteri cordis secretum, & hoc huic Angelo fiat naturaliter cognoscibile, ac proportionatum absolute obiectum naturalis suæ cognitionis, ad ipsumque pertineat: in quocumque locutio Angelica consistat, & quocumque audientis Angeli cognitio, sive signis, vel ad placitum, vel naturali vel loquentis cognitione directa, aut reflexa, vel voluntate, vel speciebus vndecumque, quandocumque, & à quocumque physice productis immediate, & proxime efficiatur.

7. Igitur opinio hæc Thomistarum non adeo recentium, ac veterum aliorum nostrorum Doctorum, quos

quos retulimus impugnationibus patet, inde solum impugnari solide potest, quod species illas Angelis à creationis instanti congenitas doceat. Cum enim illis naturale principium cognitionis Angeli cui insunt, de secretis cordis Angelici alterius proximum, & adæquatum cum eius intellectu constituatur, à sui initio & creatione quisque Angelus principium naturale proximum, & adæquatum cognitionis secretorum cordis aliorum omnium Angelorum, quæ eis tota futura æternitate reliquis dicenda, & manifestanda sunt: ergo à principio creationis, eorum omnium cognitiones cuiuis Angelo aderunt. Siquidem à principio adæquato proximo, & naturali, & debita coniunctione cum passo (quæ hic adest) statim, simulque operatio elicitur, proditque necessario, & naturaliter effectus: vnde multo ante tempora, quam alij Angeli vnicuique loquantur, ac cordis secreta manifestare velint: ergo nihil post ea illi Angelis loquentur aliis, ac manifestabunt de suis secretis, quod ij ab illis non audierint, & loquentibus quidem, ij enim solum audiuntur, qui loquuntur, non qui tacent; ergo quicumque Angeli tota à parte post æternitate locuturi dicuntur, tota fere æternitate eadem anteriori antequam loquantur manifesta contradictione loquentur. Dices præter adæquatum principium actiuum proximum, & passiuum conditiones alias requiri ad operationem, & effectum naturaliter ab eis edendum: vt patet in approximatione, & aliis: in præsenti autem principium actiuum naturale proximum, & adæquatum cognitionis secretorum cordis Angelici alieni speciebus illis congenitis & infusis à Deo completum, & constitutum petere, vt conditionem, ad eorum cognitionem eliciendam absolutam existentiam actualem, ac de præsenti voluntatis Angelici loquentis de eis alteri communicandis. Contra primo: quia conditiones ad naturalem operationem agentium naturalium, non sunt pro libito cuiusque ponendæ, sed quæ experimentis ipsis à Philosophia statuuntur, ac designantur: vt in agentibus, corporeis saltem, ad passum propinquitas: & in potentiis vitalibus cognoscitiuis specierum, & habituum inhæsio, vt connaturaliter suas obeant functiones, quæ, vt diximus, omnia in Angelo, cui à principio creationis suæ infusæ secretorum cordis aliorum Angelorum species sunt, adsunt, & in quibus excogitata hæc arbitraria conditio de existentia absoluta actuali, & de præsenti voluntatis manifestandi secreta sua Angeli locuturi non inuenitur. Secundo: si ita pro arbitrio, agentis seu principio actiuo proximo adæquato conditiones, sine quibus non operentur liceat apponere; tolle species has secretorum cordis Angelis congenitas, ac dicito in natura, & mente angelica esse principium adæquatum proximum intellectionis ipsorum, vt autem cognitionem cuiusque secreti operetur, eius, & voluntatis ipsum manifestandi actualem, ac de præsenti absolutam existentiam requiri: nec amplius in eo, quam in tua hæc sententia laborabis: imo tolle species omnes potentiarum cognoscitiuarum, etiam sensibilium, visus, verbi gratia, eumque fac adæquatum principium proximum visionis, obiecti autem præsentiam, & opaci corporis, intermedij carentiam conditionem, sine qua non, esse, vt in visionis actum visus prodeat, non autem, vt obiectum species sui impressas in visum immittat, vel seipsis obiecta alia sensibilia, cum sensibus aliis actiue concurrant: quare, & illud Aristotelicum axioma à tota Philosophia receptum ex obiecto, & *potentia paritur notitia* expungendum erit, parietur enim semper ex potentia sola.

8. Nec refert cognitonem angelicam secretorum cordis angelici alieni veram esse debere; quæ tamen, nisi pro tempore, quo absolute cordis secretum illud, & de præsenti adest, verum esse non potest, quare specialis ratio adest, vt absolutam, & actualem præsentiam secreti illius species Angelis congenitæ, tanquam conditionem expectent, vt illius, cognitionem, cum intellectu angelico operentur; quæ in obiectis sensibilibus respectu sensuum, nod adest; sed in primis euasio hæc non soluit illud, quod species istæ Angelis congenitæ superfluant, atque intellectus angelicus, sit principium proximum adæquatum cognitionis secretorum cordis angelici alieni. Secundo: concursus obiecti ad efficiendam cognitionem prior actiue est ad ipsam entitatiue sumptam, ad eius autem veritatem ipsius productionem, non præcedit, sed est terminus purus, & extremum relationis confirmitatis cognitionis cum obiecto, quæ, vti relationes reliquæ, sine terminis, & extremis, inter quæ versantur, pro eo statu, in quo termini sunt, esse non possunt. Vnde, etsi ad cognitionis veritatem de absoluta obiecti existentia actuali huius actualis existentia, absoluta, non actiue, sed terminatiue, etsi velis, vt conditio solum requisita sit, ad cognitionis autem efficientiam, nec actiue, sed vt conditionem requiri inepte dicetur, cum respectu effectionis intellectionis terminus esse nequeat, etsi terminus sit respectu veritatis cognitionis eiusdem. Confirmatur: quia ideo species actiue & comprincipia actiua, neque vt conditiones solum, ad intellectionem præcedunt, quia ex parte obiecti eiusque loco, vt obiecti vicariæ, & substituta ad eius cognitionem præcedunt, vbi ipsum se ipso immediate agere sui cognitionem nequit: ergo tota præcedentia obiecti ad suæ cognitionis effectionem actiui principij è genere suo est, non autem conditionis puræ. Quod si conditionalem solum esse posse admittas dicito species illas tuas non actiue, sed conditionaliter siue vt meras conditiones ad obiecti cognitionem præcedere, satisque in eo munere obiecto substituere, infero rursus vbi obiectum ad sui cognitionem immediate potest concurrere, ad nonnullas sensationes aliquorum sensuum verius putamus controu. de anima nulla alia expectata conditione præter communiter assignatas ex parte actus primi naturaliter, & necessario produci obiecti sensationem: ergo, posita specie illius actiuitatis substituta, & vicaria virtute, obiecti cognitio naturaliter, & necessario efficietur, nulla alia conditione præter communiter assignatas expectata, achuc obiecti existentia, quæ ad veritatem cognitionis elicitæ necessaria est. Vnde sit rursus veritatem cognitionis angelicæ de secreto cordis alieni necessariam non esse, nedum, ei cognitioni identificatam, vt opus erat, ad hoc, vt apparenter de dependentia specierum, tanquam à conditione, & termino præsuppositio, ab actuali absoluta existentia de præsenti secreti cordis alieni, ad eius cognitionem eliciendam euasio teneret. Etenim veritas eius cognitionis angelicæ essentialis ipso non est, imo, nec eius entitatem necessario consequens: nequę enim maior illi necessitas veritatis esse potest, quam quæ, ex intuitiua obiecti apprehensione potest oriri: hæc autem esse potest de obiecto non existente speciebus immissis, vel ex naturali causarum confluxu, vt in visione colorum iridis, vel Deo pro suo arbitrio, & potestate producente species obiecti, quod non adest: ergo expectandum non est, vt terminus, & conditio præsuppositia absoluta existentia de præsenti secreti cordis alieni, vt eius cognitio ab speciebus eius impressis principium adæquatum proximum complenti seu producatur: etsi expectandum sit vt vere cognoscatur. Id, quod in re præsenti facilius intelligitur, cum Deus iuri naturali manifestandi secreta cordis, quæ loquens Angelus velit, siue, quæ habet, siue, quæ non habet, sed habere simulat annuens, species producat, ac subinde, ex eius locutione decipi Angelus, cui loquitur, ac falso de eis secretis iudicare queat.

9. Denique illæ species de cordis alieni secretis Angelis congenitæ, atque ab initio creationis infusæ à Deo sunt, non expectata, & præuisa à Deo pro naturæ priori voluntate, Angeli cuiusque, ea alteri manifestandi, vel non nisi expectata, & pro naturæ priori præuisa: ne vtro modo ab initio creationis infundi à Deo potuerunt; ergo secretorum cordis species Angelis congenitæ, atque à creationis initio infusæ à Deo non sunt. Minor proba-

tur ; quia cordis secreta anterius natura ad voluntatem ; Angeli, cuius secreta sunt, ea alteri manifestandi, non sunt obiecta naturaliter intelligibilia, & proportionata cognitioni Angeli alterius, vt supra ostendimus, atque ex ipsa natura & intelligentia secretorum cordis euidens est : ergo species impressæ ad eorum cognitionem Angelis aliis naturaliter non debentur ; quare nec à Deo infunduntur : siquidem eorum solum obiectorum, quæ naturaliter ab ipsis cognoscibilia, & naturali ipsorum iuri & cognitioni proportionata sunt debentur Angelis, atque à Deo infunduntur per scholasticos omnes. Probatur : quia pro priori naturæ ad voluntatem absolutam secreta reuelandi solum possunt infundi à Deo ex scientia possibilitatis, vt aliis reuelentur ab Angelis, ea secreta habituris, imo, & possibilitatis ipsorum secretorum ; atqui ex ea scientia, vel nullius secreti ab Angelo aliis voluntate propria manifestandi, imo habendi, vel omnium secretorum, quæ haberi, manifestarique aliis possunt species naturaliter debitæ, & infusæ Angelis ab initio creationis, & congenitæ erunt admittendæ, cum non sit aliquarum, quam aliorum ratio maior : omnium autem secretorum cordis manifestari possibilium species cunctis Angelis congenitas, & à creationis initio omnibus, & singulis Angelis à Deo infusas admittere irrationabile prorsus est ; atque infinitis speciebus superfluis, nunquam, nusquamque ex vsu futuris Angelum quemque ex rei natura (quæ superflua omnia odit, & abhorret) inutiliter onerare, ac insuper cognitionibus solis secretorum omnium quæ non erunt necessario, & naturaliter causandis ab speciebus illis, vt dixi, quare nullius secreti cordis angelici species Angelis aliis congenitas atque ab initio creationis à Deo infusas fuisse dicendum est. Quod si dicas ex præscientia absoluta voluntatis Angeli de manifestando alij ; vel aliis sui cordis secreta reliquis species infundi : à creationis initio illis infusæ, & congenitæ esse non possunt, cum nonnisi pro duratione, qua voluntas manifestandi absolute erit, absolute in se sit, atque esse cognoscatur, neque sua existentia absoluta pro tunc exigere, possit specierum secreti illius cordis productionem pro tempore anteriore : sicuti neque vlla alia causa, aut rei cuiusuis creatæ exigentia physica absoluta effectus, aut alterius, cuiuspiam est pro tempore ad absolutam suam existentiam anteriori : alioqui ex futura absolute existentia, & exigentia physica absoluta causarum, nondum tamen absolute existentium, posset Deus concursum, & reliqua, quæ physice exigunt, præstare, cum adhuc absolute non sunt. Rursus eodem modo dicere poteris, cognitionem secreti cordis Angelici, cuius manifestandi aliquando futura voluntas est, iis quibus manifestanda est congenitam, & ab initio creationis infusam, atque id de specie impressa doces. Denique, cum non existente absolute, absoluta voluntate Angeli de manifestatione secreti cordis Angelis aliis, intra secreti naturalis ius illud maneat occultum, & obseratum, atque posterius tempore futuræ voluntas illud manifestandi absolute non sit tempore anteriori, sed potius absoluta eius voluntatis negatio, ius illud secreti illius toto anteriori illo tempore absolute existet, & imporportio obiectiua naturalis secreti pro eo tempore ; cum his autem repugnat, ius naturale, & exigentia naturalis absoluta specierum impressarum secreti illius pro tempore anteriori quæ absoluta iuris secreti ablatione fundatur.

CERTAMEN V.

Richardi, & Soarij atque eos sequentium sententiæ confutatæ.

1. Richardus in secunda disputatione nona, articulo secundo, quæstione prima, docet : Angelum, qui loqui vult, ex radio, & in radio quodam substantiali, & ad Angelum, cui vult loqui, libere protenso, educere speciem secreti cordis sui, & cognitionis voluntatis illa manifestandi Angelo alteri : qui specie, vt instrumento sibi præsente, coniuncto localiter, non vero inhæsiue vrens speciem aliam impressam suo intellectui inhærentem producit, qua, & secreti, & iudicij, & voluntatis, ea manifestandi Angeli loquentis notitiam eliciat : quo fit, vt is solum reliquis non audientibus, ad quos locutio non habetur, audiat loquentem. Hæc tamen Richardi doctrina de radio Angeli loquentis, ad eum, vel eos, quibus loquitur, pro ipsius arbitrio emisso, ac protenso, somnium potius, quam opinio est, vt ait Vasquez cap. 5. num. 30. scilicet spiritualem substantiam, à quouis Angelo, pro eius arbitrio progredi, ac deriuari, dum loquitur, etenim nec completa substantia, nec incompleta esse potest, quin ab Angelo propria creatio prouenial, quod omnium sententia repugnat. Nam si completa substantia sit ex nullo præsupposito subiecto producetur, vt patet. Si autem incompleta cum nulla alia præter Angelos loquentem, & audientem substantia, siue corporea, siue spiritualis, ad eorum locutionem interiacens debeat præsupponi, oportebit subiectum aliquod cum incompleta illa radij substantia, cui inhæreat, & cum quo substantiam completam componat ab Angelo creati, vel ad eius nutum adeo ; quod æque est paradoxum, & absurdum. Si autem dicas, vt hæc vites, radium illum non quidem substantiam, sed accidens esse cum extra loquentis Angeli substantiam esse dicatur, nequeatque, vtpote accidens, extra substantiam, & subiectum omne esse, subiectum, & substantia illa, cui radius ille accidentalis insideat, vel ab Angelo, vel ad eius nutum à Deo creanda erit, quoties Angelus loquatur, vt nuper intulimus, quod si velis radium illum, (in quocumque sitet) intra Angelum loquentem manere in primis à Richardi doctrina recedis. Secundo in plura absurda, quæ ad manum, cuique, & obuia erunt, & subinde nunc reticenda incurres, siue accidens, siue substantiam radium illum esse dicas. Ac demum superfluo illum pones : cum secretorum suorum cognitio, & species impressæ loquenti Angelo insidentes, id ipsum, quod radius, ille, eiusque species impressæ possint Angelo audituro inseruire. Nec plura de somniata ista Richardi doctrina.

2. Recentiores ignominati à nostro Vasquez capite quarto, init. sententiam Richardi fictitio illo radio reiecto, secuti fere sunt. Censent enim Angelorum locutionem stare in effectione, & impressione actiua physica specierum secreti cordis, seu obiecti, & iudicij, quod de illo loquens Angelus habet, ac voluntatis illa manifestandi ab hoc in audientem prouenientium, pro eius, scilicet, libera voluntate præfata, quibus, & audiens Angelus excitetur ad audiendum, & eorum notitiam, qua audiat formaliter in se ipso eliciat. At vero actiuam hanc virtutem imprimendi eorum species Angelis aliis, actibus ipsis iudicij, & secretis certis Angeli loquentis hi Doctores tribuunt, substitam vero in operando imperio libere voluntatis ipsius, eos actus manifestandi, quibus velit. Ignominati

nati vero à Vasquez Recentiores sunt plane Soarez, cuius libri de Angelis, necdum prælum subierant: vt patet ex eius lib. 2. c. 27. n. 35. & 37. & toto c. 28. vbi multis obseruationibus, & explicationibus hanc sequitur sententiam; tametsi, an species totas secundum substantiam, an solum secundum modum aliquem ipsarum loquens in audiente Angelo producat, non satis explicet: quouis autem modo audientem à loquente in actu primo excitari denuo (vt necessarium est) intelligitur, quod absque alicuius in ipso productione fieri vere, intelligique non potest. Item, cum excitatio hæc, seu specierum impressarum impressio, pro loquentis Angeli libito, in eis solum Angelis, quibus loqui vult contingat, secreta Angelorum locutio, quin alij, ad quos non est, audiant: facile saluatur. Ac demum: cum species istæ iudicij, quod de rebus Angelus habet, atque aliis manifestare vult propriæ sint, non autem obiectorum; circa quæ illud versatur, obiecta ipsa intuitiue ab audiente cognosci non facit; sed abstractiue solum: quare, nec fidei huius obloquentis Angeli testimonium, & authoritatem obesse (in quauis Doctorum sententia de compossibilitate, vel incompossibilitate actus fidei cum visione obiecti eiusdem) obesse vllatenus potest. Hæc autem omnia sententiæ huius veritatem suadere videntur: in qua melius, quam in aliis eueniunt: & cernuntur nullaque in præfata specierum productione difficultas apparet: citat autem pro hac sententia Soarius, Alensem, Bonauenturam, Scotum, Aureolum, Okamum, & Gabrielem; cum tamen verba, quæ ex ipsis refert, potius explicatæ sententiæ Scoti faueant, vt demum Soarius recognoscit, planiusque, & consequentius, eorum quisque suæ, quam supra retulimus, & impugnauimus, fauet. Verius citat Zumelem, & Pesantium, possuntque pro eadem sententia referri Soaristæ Recentiores plures.

3. Video hanc sententiam leuissime à multis impugnari. In primis à nostro Alarcon, Arriaga, & aliis: quod species istæ non possent ab Angelo loquente in audientem distantem immitti, quin per medium, & intermedios Angelos (qui proinde, quid Angeli distantes loquantur, intelligant) continuata productione diffunderentur: ne loquentis Angeli actio in distans, quin in propinquum contra totam experientiam & philosophiam admittatur. Quo argumento, nil efficaciter contra hanc sententiam concludi fatetur Arriaga, cum ita responderi, absque vllo absurdo, possit, ego vero absurdum hoc esse contra hunc Doctorem superius ostendi. Quod autem spirituale agens in passum spirituale, spiritualem actionem in distans, quin in propinquum exerceat, & in illo, quin in medio spiritualem effectum, seu impressam speciem producat, absurdum, experientiæ, & philosophiæ principiis non reputo contrarium: experientia quippe, ex qua principium illud *non potest esse operatio in distans, quin in propinquum*, in agentibus, passisque corporeis deprehensa est, ac tenet; ex quibus ad spiritualia pure (vt bene Soar. cap. 21. num. 13.) consequentia non tenet, & incorporeis omnibus, succino, & magnete tenere debet; tametsi intermedia corpora ferro, & palleis diffusa qualitate ab illis non trahantur, quia alterius naturæ, & conditionis, à palleis, & ferro sunt: & sane Angelos, imaginario, & vacuo spatio distantes, in quo nihil agi posset colloqui nequire, est incredibile, quod autem inde fiat Angelum Angelo infinite distanti loqui posse, ingenue, & recte Soarius fatetur. Nec enim inde infinita Angeli virtus infertur; cum nihil in medio infinito extensum producatur, & species in Angelo infinite distante, finitæ entitatis sit, nec maioris, quam si vicino, aut penetrato Angelo loqueretur, & certe Doctrina hæc de immissione specierum physice à loquente in distantem Angelum, quin in intermedios propinquiores loquenti, non à quouis cordis Angelici secreto, eiusque iudicio, sed à sola voluntate illud alteri manifestandi actiue proxime, proueniet, vt certamine sexto, explicabimus, & ex dictis, tom. 1. de Deo vno controuers. 1. disputatione de immensitate, quæstione de efficacia demonstrationis vbiquitatis Dei, ex eius operatione vbique facile constabit. Secundo obiiciunt specierum obiecti, & iudicij manifestandi physicam productionem in mente alterius, adhuc voluntariam loquenti, locutionem esse non posse, siue actiue, vt ab hoc fiunt, siue passiue, vt in illo recipiuntur, quod multis incassum probare contendunt, ex nostra vulgari locutione (quam de angelica disputantes dedisceре oportet) petitis: sed hoc apparentius Deum, scilicet, quoties obiectorum species producit, immittitque rationali creaturæ, ad ipsam proprie loqui esse ab his Doctoribus admittendum: cum autem species ad errorem possit creaturæ rationali immittere. & sæpe de facto Dæmonibus ad eorum cruciatum infundat (vt enim Vasquez, & aliis docuimus) falsum loqui poterit, ac sæpe mentietur, sed neque haud quidquam præstat, locutio enim non stat in specierum, cuiuluis obiecti physica productione voluntaria, sed in productione specierum iudicij, quod de obiectis, quæ locutionis materia sunt, loquens habet, quas de iudicio, quod de eis non habet, nec habere Deus potest, nusquam infundit, neque infundere, absque sibi repugnante mendacio posset. Etenim locutio iudicij, quod de re habemus, testificatio est, quomodocumque, siue editis signis, vt apud nos euenit, siue speciebus immissis (vt apud Angelos fieri hæc sententia vult) ea testificatio peragatur.

4. Tertio obiiciunt infundi species ab Angelo loquente in audientem minime posse; alioqui aliquid, vltra motum localem, & specierum applicationem in animabus nostris, non solum separatis, sed corpori etiam immersis agere possent contra Theologos omnes. Etenim corpori immersio, etsi animæ, vt circa obiecta, actiue versetur, eo modo, quo versaretur separata omnino officiat, sitque impedimento (quo circa, nec se ipsam, nec suos actus habitus, & species, nec quidquam aliud, præter obiecta sensibilia, vt in se ipsis sunt, queat percipere, sed solum sensibilium adinstar, quæ tamen omnia in se ipsis intuitiue pro statu separationis cognoscet) at vero receptioni puræ ab alio agente de se actiuo, & potente, eius operationis, & effectus, cuius secundum entitatem suam capax de se sit non officit: ergo, cum Angelus de se potens, & actiuus sit specierum in anima separata, æque, atque in Angelos alios, quibus illi, sicut his per nos loquitur, loquatur, in eam etiam pro statu coniunctionis ad corpus actiuus, & potens ad eas species immittendas absolute erit, eisque ipsis animæ pro eo statu loquetur, & certe ita efformata ratio, euasionem nostri Arriagæ disputatione decima secunda, sectione tertia, numero decimo octauo, §. *quorumcumque vero*, & §. *omnes ergo*, præoccupat, atque anticipato præludit: cum discrimen apertum sit inter actiuam animæ coniunctæ, corpori impotentiam, ea obiecta cognoscendi intuitiue, &, vt incesserunt, ac non sensibilium, adinstar, ex eius necessitate conuersionis ad phantasmata, vt pro hoc statu insensibilia percipiat, & speculetur, vti omnes, & omnium experimento quotidiano didicimus, quod in pura receptione, & passione specierum impressarum, quarum capax de se, & natura sua anima est, locum non habet, contra quam nullam experimentum, adest, nec ratio militare videtur. Nihilominus paululum deducto extensoque discursu ex præfato experimento necessitatis conuersionis ad phantasmata, vt pro statu coniunctionis ad corpus anima insensibilia speculetur, ac subinde ea non, vt in se sunt, sed sensibilium adinstar cognoscat naturalis incapacitas ipsius pro statu eodem, ad species proprias insensibilium obie-

obiectorum, (cuiusmodi secretorum cordis, & iudicij Angelici sunt) pure etiam passiue recipiendas, ac subinde ipsi correlata impotentia Angelorum actiua eas animæ pro eo coniunctionis statu immittendi facile monstrabitur, ac tertia hæc contra hanc sententiam obiectio omnino euanescet. Etenim pro eo statu, quo earum specierum vsus naturalis est animæ naturaliter impeditur receptiua, & pure, etiam passiua, eius naturalis capacitas, & naturaliter expedita (ac subinde naturalis actiuitas, & potentia Angeli, & naturaliter expedita ad eas animæ immittendas, erit impossibilis, vt patet; alioqui naturalis capacitas, & naturaliter expedita ad earum specierum, vsum erit. Simul, ac non erit, contradictione manifesta: atqui pro eo statu, quo naturalis capacitas receptiua, & pure passiua ad earum specierum vsum, & naturaliter expedita est animæ impossibilis, est etiam impossibilis absoluta naturalis capacitas & naturaliter expedita ad eas recipiendas: ergo pro statu coniunctionis ad corpus naturalis capacitas receptiua, & absoluta, & naturaliter expedita ad eas absolute recipiendas est animæ impossibilis. Discursus est legitimus. Maior probatur: quia cum naturali necessitate conuersionis ad phantasmata, vt insensibilia cognoscat sensibilium adinstar, ac non, vt insunt animæ pro statu coniunctionis ad corpus impossibilis est naturalis, & naturaliter expeditus vsus specierum, insensatarum, & propriarum obiectorum insensibilium, quare, & capacitas receptiua, & pure passiua naturalis, & naturaliter expedita ad earum vsum: esset enim naturalis, & naturaliter expedita capacitas, & potentia ad vsum naturaliter impeditum, & impossibilem, quod repugnat. Minor probatur: quia, cum totus specierum insensatarum, & propriarum insensibilium obiectorum prodacendarum finis earum vsus, & cognitio illorum, vt in se sunt, omnino sit, earum producendarum, & recipiendarum naturalis, & naturaliter expedita potentia repugnat, quoties naturalis & naturaliter expedita facultas ad eiusmodi vsum repugnat. Confirmatur: quia cum earum specierum vsus præfatus sit animæ pro eo statu naturaliter impossibilis, non nisi de superfluo (quod natura exhorret) pro eo statu in anima fient, & recipientur.

5. Mitto alia, quæ ab Alarcon, Arriaga, & aliis, cum absolute, cum ad hominem contra Soarium opponuntur. Neque enim singulorum inconsequentias insequi, aut coniectari infusa à Deo disputatione animus suppetit, aut tempus, quæ vero absolute contra hanc sententiam ex Alarcone obiici poterant opportunius contra sequentem sententiam opponentur, ac diluentur: duo igitur sententiæ huic firmius, aduersantur. Primum est contra virtutem, immediate, & proxime actiuam Angeli loquentis specierum pro eius arbitrio in audientem immittendarum. Docet enim, vt vidimus eam, cum cordis secretis, tum iudicio, quod de reuelandis loquens habet proximam, cuique eorum actiuitatem adæquatam suarum specierum naturalem inesse: Hinc autem infertur naturaliter, & necessario illorum quoduis species suas impressas proprias in Angelos alios earum recipiendarum capaces esse immissurum: quod autem recipiendarum capaces omnes Angeli sint, eisque receptis, naturaliter cuiusque eorum obiectorum naturaliter, & independenter à libera Angeli alterius voluntate, eorum omnium secretorum cordis, & iudiciorum, reliquorum Angelorum cognitiones elicientur: ac proinde nullum cordis, & iudicij Angelici erit naturale secretum. Nec refert, si dicas: actiuitatem illam proximam, naturalem, & adæquatam secretorum cordis, & iudiciorum Angeli cuiusque, ad species sui proprias in aliis Angelis producendas subordinari in operando Angeli eas habentis liberæ voluntati: non secus, atque habitus tam infusi, quam adquisiti virtutum, & loco motiua potentia in harum actibus efficientis voluntatis nostræ arbitrio subordinantur. Contra enim est: quia etsi potentiæ & virtutes actiuæ naturales, quæ ad suas operationes edendas, & adæquatæ virtutes sunt, vel voluntatis, alicuius facultatis vitalis ipsi, saltem quoad explicationem, subordinatæ, vel complendæ, ex voluntatis imperio libero pendere in operando possint, ac de facto pendeant, vt exempla adducta testantur; ast potentiæ, & virtutes naturales adæquatæ proximæ, & completæ suarum operationum, & effectuum (præsertim, quæ animi ipsius potentiæ vitales, non sunt,) nullatenus in suis operationibus, & effectibus edendis, imperio, & libertati voluntatis subduntur, subinde possunt; tametsi ei proximæ, vel remote animæ, cui ea insident, insideant, & radicentur. Hinc actus voluntatis, & iudicij, quæ specierum, & habituum suorum principia, actiua proxima adæquato, (in hac sunt, neque voluntatis, aut potentiæ alicuius ipsi subditæ, ad eorum actiuitatem complendæ in eis operandis, voluntatis imperio, & arbitrio subduntur: similiter, nec sensatio, vt in imaginatiua, atque imagitatio cum intellectu possibili, seu passibili in ipsum species transmittat, neque species istæ, vt obiectorum producant, visionem, & intellectionem, ni aliò animus sit totus distractus, & intentus, seu distentus, tametsi horum actuum plerique eidem potentiæ, eiusve animo insideant, & vniuersim nullus potentiæ actus aliorum effectuum adæquate, proxime actiuus, (qualia obiecta hæc, cordis secreta, & iudicia Angelica suarum specierum esse in hac sententia admittuntur) in eis producendis, ab imperio voluntatis (à quo in essendo pendet plerumque) pendere inuenietur, ob rationem dictam.

6. Nec ratio hæc vniuersalis ex potentia loco motiua, seu progressiua, quæ impulsus in membra animalis ad gradiendum principium actuum proximum, adæquatum est, & tamen in eo producendo, imperio, & arbitrio voluntatis subditur, neque ex intellectu, qui speciebus receptis principium actuum proximum, & adæquatum est ab arbitrio nolentis aliò distrahi, in elicienda intellectione pendet, etenim loco motiua, & intellectiua potentia animæ facultates naturales sunt, atque ipsi subinde in operando, etsi non, quoad influxum partialem, quem anima ipsa (si à suis facultatibus vitalibus re ipsa differat, quod abnuo) præstet, tamen pendet, quoad applicationem: principium autem, & ratio nostra de adæquato principio actiuo proximo, non vitali, seu quod facultas vitalis animæ non sit nec quoad applicationem à libera pendeat voluntate (vti obiecta respectu specierum suarum) solummodo procedit: ac præcipue de actiua virtute actuum voluntatis, & intellectus ad suas species, & habitus, quam sententia hæc secretis cordis & iudiciis Angelicis, ad species sui impressas in aliis Angelis producendas attribuit. Respondet Soarius: habitus, & species ab actibus productas, in eo, qui actus elicuit, ipsius, ac potentia, à qua eliciuntur perfectiones naturales esse, quare & eius naturalibus facultatibus, quarum productio naturalis necessaria, neque voluntatis imperio & arbitrio subiecta est, debere assimilari; species vero ab actibus vnius Angeli in alio productas, illius Angeli alterius: perfectiones naturales non esse, neque Angeli actus ipsos elicientis: quare neque ab eis actibus debere naturaliter & necessario eas in alio Angelo species neque produci, sed pro eius qui ad illum loquitur arbitrio & imperio. Cæterum cum etiam productio specierum sui in alio homine, & Angelo, ac non vt perficientium ipsos, competat pro arbitrio illas in aliis, producent, vel secus. Iuxta hanc solutionem, libereque prorsus se eis prodent, vel occultabunt, atque omnibus connaturalissimus, fabulosus ille gygis annulus erit. Est autem, hæc euasio, æquiuocatio pura, qua naturalis perfectio, pro perfectione, naturaliter, cuique debita, & adiuncta subinde, productaque necessario in ipso significatur, cuiusmodi solæ facultates naturales, & passiones physicæ sunt, in quibus species habitusque, cuiusque actibus prouenientes, nullatenus censentur: solumque naturales perfectiones, prout naturales, supernaturali opponitur, dici possunt, siue species in eliciente actus, siue in alio ex eis actibus producantur: ac proinde

proinde quoad naturalem, ac necessariam, vel liberam, atque ex arbitrio eos actus elicientis, specierum productionem nullum discrimen esse potest, sive in ipso, sive in alio producantur. Respondet tandem Soar. requiri voluntatem liberam Angeli loquentis, vt conditionem, ac determinationem actiuitatis obiectiue specierum suarum in aliis producendarum, quam iudicijs, & secreti cordis angelici tribuit. Cum enim actiuitas hæc ad species omnes in alios Angelos omnes immittendas determinata non sit, (alias cum illæ infinitæ sint determinata ad infinitum producendum esset, quod actiuitati creatæ, & finitæ repugnat, nec maior sit ratio intrinseca determinationis ad eas in aliquibus Angelis, quam in reliquis producendas ab arbitrio loquentis eam determinationem debent recipere.

7. Duo in hac solutione miscentur. Alterum de infinitate actiuitatis horum obiectorum ad species omnes impressas, possibiles reliquis omnibus Angelis immittendas, quod æquè argui potest ex sola possibilitate infinitarum specierum, ad quam ea actiuitas terminatur, atque ex productione, dummodo successiua sit, ex qua nihil contra limitationem actiuitatis creatæ deducitur: siquidem solum, ad infinitum syncathegorematicum actiuitas infertur quam intellectus, & voluntas creata proculdubio habent: cum nunquam futura æternitate, tot actus producturæ eæ facultates sint, quin plures, & plures producere, queant. Alterum ex indeterminatione intrinseca ad species ad hos præ aliis Angelis immittendas: quam certe, si naturalis actiuitas eorum obiectorum (vt hi aiunt) sit, nec habent, nec possunt habere respectu Angelorum ad debitam distantiam existentium: vt nec reliqua obiecta respectu subiectorum capacium recipiendi species ipsorum, si intra sphæram actiuitatis expeditam sint, & agentia quæuis naturalia ad suos effectus in subiecta capacia, & intra sphæram suam, non impeditam posita: quare, cum indeterminatio vlterior ex parte actiuitatis, extrinsecus in imperio voluntatis, quæritur, ex parte applicationis subiecti capacis intra eius determinatæ, ex parte sui, actiuitatis sphæram solummodo determinatio subiecto ipsi extrinseca deficiat, ac proinde extrinsecus à determinatione voluntatis, eius penes, quem potestas est applicandi, & ponendi subiectum illud intra eius actiuitatis sphæram quæri debet; alioqui æqua facilitate defendam, nec Angelum, nec hominem ad diffundendas species sui, in alios sufficienter approximatos, imo, neque actus ipsos ad producendas species, & habitus, in subiectis suis, imo, nec agens vllum naturale absque imperio extrinseco voluntatis alicuius ad suos effectus edendos determinationem intrinsecam suæ actiuitatis habere, nec, nisi ea extrinsecus, ab alterius liberæ voluntate, & imperio adueniente posse ad suas naturales operationes prodire. Denique male Soar. ipse, & reliqui huius sententiæ Patroni, cum reliquis Doctoribus, eos confutabunt, qui liberam loquentis Angeli voluntatem requirunt, vt conditionem sine qua non, vt species ab eo in alium Angelum immissæ, eliciant in eo cognitionem: quia nimirum illæ intrinsecam habent, & quatenus ex parte obiecti est, adæquatam actiuitatem, quare, & ad eam eliciendam, actiuam determinationem. Iidem item dicent omnes actus, ad species, & habitus proprio subiecto ingenerandos ipsius imperio, vt conditione, ob eandem rationem egere, eoque deficiente, etsi, adæquatæ naturalis actiuitatis, ac subinde actiuæ determinationis, sint, non agere dicent. Similiter, vndecumque habitas species, vt in proprio subiecto, sui obiecti cognitionem eliciant, voluntate libera subiecti illius, vt conditione adæquatam earum obiectiuam actiuitatem determinante, opus habere iidem omnes docebunt. Nec locum ampliorem huic euasioni facit Atriaga citat. d. 12. sect. 3. num. 21. §. *Hoc argumentum*, exemplo vbicationis in loco vicino, necessario prærequisitæ, ac necessariæ conditionis, vt quis in immediato loco suam præsentiam, & vbicationem, ad quam adæquatam habet actiuitatem, producat. Etenim ea conditio non est ad productionem vbicationis absolute, & simpliciter in loco immediato, sed ad productionem eius per motum, seu, quæ motus sit, qua ratione vbicationem anteriorem in loco vicino, vt terminum, à quo requirit: non, vt conditionem, & determinationem actiuitatis intrinsecæ, respectu productionis præsentiæ in loco illo, quam si, sin loco vicino non præexstitisset, primo produceret, cum primum existeret. Præterquam quod, determinatio hæc, & si ad productionem eius, simpliciter & absolute talem, nec solum, vt motus sit, requiratur, non ex parte actiuitatis intrinsecæ, & ex parte sui indifferentis, sed applicationis loci, seu ad locum requireretur, vt de subiecti applicatione, & approximatione debita, ad agens diximus requiri.

4. Secunda præfatæ sententiæ impugnatio solida ex naturali potentia Angelorum ad mentiendum, aliosque locutione sua decipiendos desumitur: eam vero potentiam in Angelis Soarez, & huius sententiæ assecl æ omnes admittunt, nosque, & authoritate, & ratione superius, cum reliquis probauimus contra Arriagam, qui docet eam Angelis negari probabiliter posse: ego vero speciem probabilitatis, qua Angelis quorum voluntatibus, ad maiora mendacia, & turpiora longe crimina potentia, & exercitium, de facto, ex fide, & ratione concedenda necessario est, potentia ad mendacium negetur, prorsus non video; ea vero statuta, contra præfatam sententiam arguo secundo, species impressa nequit physice agi, in Angelum audientem à iudicio Angeli loquentis, quod absolute, nec est in se, nec Angelus habet, quin admittatur actionem physicam à principio actiuo, seu agente, quod absolute in se ipso non est, absolute physice prodire; quod repugnat: sed, si Angeli locutio, per physicam specierum immissionem, à iudicio eius in Angelum audientem, cui illud manifestat, fiat, vel eiusmodi species à iudicio, quod nec in se absolute est, nec Angelus habet, prodire physice absolute possent, vel Angelus absolute non posset mentiri, contra id, quod aduersarij, ac reliqui Theologi, præter Arriagam, certum supponunt: ergo locutio Angelorum, nec stat, nec fit per physicam productionem specierum à iudicio loquentis in Angelo audiente. Minor probatur: quia locutio mendax stat in manifestatione facta alteri à loquente iudicij sui de re, de qua loquitur, quod nec absolute est, nec loquens in mente sua habet: manifestatio vero seu locutio mendax, stat, fierique debet per species iudicij manifestati, ab ipso physice productas, in Angelo audituro, cui manifestantur: ergo, vt locutio mendax Angeli esse absolute possit, necessarium est, vt species, à iudicio, quod, neque in se absolute, nec in mente loquentis est actiue physice in audituro Angelo, cui manifestatur, producantur: quare vel hoc admittendum est; vel negandum Angelum absolute posse mentiri. Referri denique posse affinis proximæ sententia alia, locutionem, Angelorum in physica non actiua, sed exactiua suarum specierum immissione in alios Angelos, ab eisdem actibus voluntatis, & iudicij Angeli loquentis, quatenus à Deo absolute physice exigunt pro arbitrio loquentis vt species suas in aliis Angelis producat. Sed hanc sententiam apud neminem, de eis omnibus actionibus Angeli loquentis, vidi; sed solum, de voluntate manifestandi alteri cordis secreta, reliqua, vt cert. 6. & asseram, & quæ contra hanc, absolutam physicam exigentiam productionis specierum, à Deo in alio Angelo vniuersim impugnant, dissoluam eam vero omnibus actibus, etiam iudicij loquentis, quod alteri manifestare vult, tribui non posse postremum argumentum ostendit. Cum enim absoluta hac exigentia physica (quæ rei absolute existentis solum esse potest) locutio angelica constitui nequeat, nisi, absolute posse Angelum mentiri perperam negetur, neque in illa, physica, absoluta, exigentia locutio

Angelica ſtabit Primum argumentum, quod efficax contra Soarij ſententiam iudicaui contra hanc, non ita efficaciter inſtrui poteſt, quin habeat apparentiores ſolutiones, quas perſequi longius, quam vtile foret.

CERTAMEN VI.

Genuina, ac vera S. Thomæ ſententia ſtatuitur, & propugnatur.

1. SAnctus Thomas 1. p. quæſt. 107. art. 1. rem ipſam angelicæ locutionis his explicuit. *Ex hoc quod conceptus mentis angelica ordinetur ad manifeſtandum alteri per voluntatem ipſius Angeli, alteri innoteſcit; & ſic loquitur vnus Angelus alteri.* Hæc tamen verba, non ita intelligenda ſunt, vt ſola extrinſeca ordinatione voluntatis manifeſtandi alteri. Angelo conceptum mentis, nullo alio tunc denuo, in mente audientis producto, ſed per ſpecies impreſſas Angelis congenitas, eius conceptus manifeſtatio, & cognitio fiat, ac locutio eiuſque effectus peragatur, (vt citati Doctores cert. 4. 5. intellexerunt) ſed ita, vt locutio Angeli, realiter formaliter ſtet in voluntate eius libera manifeſtandi ſuum conceptum, & iudicium de re quauis, de qua loqui alteri vult, vt expreſſe docet S. Thom. verbis relatis; excitatio vero Angeli, ad quem loquitur, per emiſſionem ſpecierum impreſſarum iudicij, & voluntatis eius à voluntate ipſa phyſice exactiue, vt minimum Deo, qui naturali, & phyſicæ eius exactioni naturaliter, illico annuit, easque in audituro Angelo phyſice producit, quibus hic loquentem audit, cum eis adiutus iudicij, & conceptus indiuidui, & voluntatis Angeli loquentis, (quæ ipſius locutio, & quaſi propria vox eſt) elicit cognitionem. Sententiam hanc, S. Thomæ ſequuntur Thomiſtæ Recentiores Dominicani, &, ex Thomiſtis Ieſuitis, Valentia ad citatam diſp. 8. quæſt. 4. punct. 2. ſententia ſexta, Soar. tom. 2. de religione, lib. 2. de oratione: cap. 4. num. 5 etſi 2. de Angel. c. 2. à num. 13. eam multis impugnet. Hacherus ad citatam quæſt. 107. diſp. vni. §. *quarta, & probabiliſſima*, Granados tr. 5. diſp. 4. ſect. 1. Ioann. Præpoſitus, 1. p. quæſt. 57. a. 4. dub. 4. etſi non adeo diſtincte locutionem Angeli loquentis, & audientis excitationem ab ipſo explicuerint; ſed ſolum locutionem, in præfata loquentis voluntate conſtituant, qua ex parte Caietanus, & reliqui à nobis citat. cert. 4. num. 5. nobiſcum conueniunt; tametſi, quoad excitationem audientis Angeli à loquente per denuo immiſſas à Deo ſpecies impreſſas ad exigentiam phyſicam voluntatis illius à nobis diſſideant. Tamen ſententiam, fere, vt à nobis proponitur, tenet noſter Arriaga, citat. diſp. 12. ſect. 4. Dixi vero excitationem audientis à loquentis præfata voluntate fieri per ſpecies, vt minimum, phyſice exactiue prouenientes; quia eas phyſice actiue à voluntate loquentis Angeli immitti fors, improbabile non eſt, vt inferius videbimus, & quidem præfata explicatione, & præmiſſis aliarum ſententiarum impugnationibus, ſatis quoad vtramque partem ſententia noſtra probata videtur, cum in nullo alio locutio Angeli, & per illam excitatio alterius ad illum audiendum, ſtare poſſit, atque omnia, quæ in locutione, & auditione interueniunt aptiſſime, & facillime intelligantur. Sed tamen vtraque ſententiæ huius pars ſeorſim proponenda, & ſtatuenda eſt, atque ab impugnationibus aduerſariorum, quæ ſpecialiter contra vnam quamque militant, vindicanda.

2. Igitur locutionem Angelicam realiter formaliter ſtare in voluntate manifeſtandi alteri Angelo conceptum mentis, quem de re loquens habet, vt aiebant S. Th. & Thomiſtæ ex Dominicanis, & Ieſuitis citati; Probatur. Quia locutio realiter formaliter ſtat in eo, quo internum de re quapiam iudicium, ac loquens, quatenus ex parte loquentis, & in actu primo eſt, determinate alteri manifeſtatur: atqui voluntas Angeli manifeſtandi alteri ſuum conceptum, & iudicium, de re quapiam eſt id, quod ex parte ipſius in actu primo determinato & determinate manifeſtatur alteri conceptus, & iudicium, quod de re quapiam, de qua loqui cum altero vult, loquens habet: ergo voluntas eiuſmodi eſt Angeli locutio. Maior eſt certa: quidquid enim vlterius requiri contendatur, ad locutionem humanam noſtram, & ſenſibilem requiretur, non autem ad pure ſpiritualem, & inſenſibilem, neque ad locutionem generatim, & vniuerſim ſumptam vt inferius patebit. Minor probatur, quia voluntate Angeli manifeſtatiua ſui conceptus, & iudicii de re quapiam ius ſecreti, quod ante illam habebat reſpectu Angeli, cui illud manifeſtare vult, realiter formaliter ex parte Angeli loquentis in actu primo determinato, & determinate aboletur, ac redditur obiectum illud naturale, & proportionatum naturali facultati intellectiuæ, & intellectioni Angeli alterius, quin poſſit ab Angelo loquente, ea voluntate ſtante, vllatenus, occultari, cum iudicium tum voluntas ipſa, atque eum eſſe, qui loquitur: imo, prouidentiæ naturali ſtando, eorum ſpecies, & cognitio in Angelo, cui alter loquitur, impediri à Deo nequit. Secundo ea voluntate poſita, ponitur, quatenus ex parte loquentis, eſt principium determinatum, & determinate excitans illum, cui ea vult manifeſtare, vt ipſum de re quauis audiat, & ea omnia cognoſcat (vt ſtatim probatione ſecundæ partis ſententiæ noſtræ conſtabit) æque, atque humana locutione externa, per verba prolata à loquente: ergo ea voluntas loquentis Angeli manifeſtandi alteri Angelo iudicium, ſeu conceptum, quem de re quapiam, de qua ipſi loquitur, atque eum eſſe, qui loquitur, eſt realiter formaliter Angeli locutio. Contra hanc ſententiæ huius partem (in qua cum S Thoma Thomiſtæ omnes Dominicani veteres, & recentiones, atque, ex Ieſuitis Thomiſtis plures conueniunt) vnum ſolum argumentum militat, quod Vaſquez inſtruxit, ac multos deinceps turbauit, locutio omnis realiter formaliter eſt verbum: vnde idem apud latinos eſt *verbum facere*, ac loqui: atqui verbum realiter formaliter eſſentia ſua eſt actus, ſeu operatio intellectus, non voluntatis: ergo actus ille loquentis Angeli voluntatis manifeſtatiuæ, conceptus ſui alteri Angelo, non eſt realiter formaliter, Angeli illius locutio. Confirmatur, quia omnis intellectio verbum eſt, vel ſecum neceſſario, & independenter, à voluntate libera, & arbitrio loquentis verbum, vt eſſentialem ſui terminum devoluit: Confirmatur ſecundo, quia ideo Patres aliquot, recitati à Vaſquez, aiunt linguam angelicam, nihil niſi eorum intellectum, ſeu intellectionem eſſe. Mitor Patrem Suarez hac ratione, & confirmationibus contra hanc concluſionem vti; cum tandem cap. 28. num. 31. in actu immanente Angeli loquentis, quem quandoque intellectus, quandoque voluntatis actum eſſe dicit, ejus locutionem conſtituat. Sed hæc omnia pura æquiuocatione nituntur. Intellectum quippe, & intellectione propria, quiſque ſibi loquitur, non aliis: de qua ad alios locutione angelica, eſt diſputatio præſens. Patres ſolum contendunt Angelos non habere potentiam, aliquam, ſeu linguam corpoream naturalem, qua verba externa proferant, vt loquantur; ſed abſque ea loqui aliis, quæ intelligunt, ac ſubinde eorum linguam eſſe, intellectualem, ſiue intellectu ſolo perceptibilem, in quocumque interno actu Angelorum eorum locutio ſtet: de quo Patres non curarunt, illud de verbo, quod ſola intellectione, & facultate intellectiua fieri, poſſit, & quo locutio ad alios etiam conſiſtat, vt phraſis latina demonſtrat, intentum aduerſariorum euertit; eſt ſiquidem phraſis de verbis externis, ſeu vocibus corporeis noſtris, quibus ad

ad alios loquimur. Ea vero verba, etsi intellectionem, ac subinde intellectum supponant, ast non esse actus proprios intellectus, sed immediate potentiæ locomotiuæ linguæ, vt instrumenti, quod motu suo voces efformat, & mediate voluntatis certissimum est.

3. Secunda sententiæ nostræ pars de excitatione Angeli, cui alter loquitur, per species tunc denuo immissas à Deo, conceptus, & voluntatis manifestatiuæ Angeli loquentis, ad huius voluntatis, exigentiam physicam naturalem expressa apud S. Thomam, & veteres Thomistas, non est; quin immo ei aduersantur veteres illi, qui ab initio creationis species eiusmodi Angelis cunctis à Deo infusas congenitas docebant, cert. 4. numero 5. sed tamen doctrinæ Sanct. Thomæ, quæ prioris partis nostræ sententiæ, seu locutionis realis formalis Angelicæ fuit, non solum concors est, sed consectaria. Probatur primo, quia nequit dari realis formalis locutio, ex qua excitatio eius, ad quem, vt loquentem audiat, locutio est, prouenire repugnet: ast repugnat prouenire ex voluntate excitationem eius Angeli, cui alter voluntate illa loquitur, vt loquentem audiat, nisi ab eadem manifestatiua voluntate, loquentis exactiuè, vt minimum physice species denuo in Angelum alterum prouenient; Deo scilicet ad eius voluntatis manifestatiuæ physicam exigentiam absolutam in eum illas immittente: ergo ita, vt minimum, species illæ denuo à voluntate illa manifestatiua loquentis proueniunt. Maior est certa. Alioqui enim daretur vera, realis naturalis locutio respectu illius, cui natura sua audiendi capacitas, (quæ absque excitationis passiuæ audientis possibilitate à loquente, eiusque locutione repugnat) repugnaret. Minor probatur: quia vt contra citatos certam. 4. num. 5. ostendimus, ibi, à num. 7. ex sola præcisa voluntate manifestatiua loquentis immutatis physicè speciebus congenitis, quoad substantiam, & modum, nequit esse in Angelis excitatio & auditio Angeli, cui alter loquitur, quæ in ipso ab initio creationis, ac prius longe, quam alter absolute ipsi loquatur, non adfuerit, ac proinde necesse est denuo productis speciebus tunc, cum ipsi alter absolute loquitur, ipsum excitari, & audire. Quod vero per species illas excitatio, non casu, & aliunde, vel à Deo pure arbitrario productas physice, vt minimum exactiue, à locutione, seu voluntate manifestatiua loquentis productas fieri debeat, & ex nostra humana locutione constat, & ex ratione; quia alias, etsi eis speciebus intellectionem eorum obiectorum alter Angelus eliciat, nec à loquente, quà tali excitur, nec loquentem quà talem audiet, ni ab eius locutione species excitantes, saltem exactiuè physice, accipiat; sed vel species illas producentem alium audiet, vel potius audiet nullum: siquidem auditio locutionis, & loquentis realiter formaliter respectiua est; ni contra Apostoli effatum ad Rom 14. *quomodo audient, sine prædicante?* dicas, sine prædicante audire nos posse. Secundo probatur: Quia loquentis Angeli voluntas manifestandi alteri Angelo suum de re quauis conceptum illum, ac mediate eius obiectum, quantumuis ex secretis cordis sit, obiectum proportionatum, & naturale intellectui, & intellectioni naturali Angeli, cui vult ea omnia, vel mediate, vel immediate manifestare, redditur: ac rursus voluntas illa manifestatiua seipsa obiectum proportionatum naturale, illius Angeli intellectui, & intellectioni siue sui ipsius ad illum Angelum, manifestatio obiectiua est: ergo vbi primum est, & conceptus, & voluntatis illius species proprias produci à Deo in Angelo, cui loquitur, physice & naturaliter exigit, saltem, si eas, ipsa nequeat physice perducere.

4. Dices tamen. Si eo ipso, quod naturali facultati intellectui, & intellectioni Angeli alterius, per voluntatem manifestatiuam loquentis, ea obiecta proportionantur; ergo physica exigentia specierum illorum impressarum, tota penes Angelum illum est, non autem penes loquentis manifestatiuam voluntatem: quia eorum, quæ intra sphæram obiectiuam naturalem intellectus Angelici sunt, species impressas solus intellectus Angelicus sunt, non vero obiecta ipsa à Deo exigunt, & reposcunt. Apparentius, quam alij rationem hanc secundam impugnabis; sed tamen non admodum solide. Ratio enim, quam assumis verum, vt summum habet, cum absoluta existentia obiectorum; vt naturalia obiecta intellectus Angelici sint, ac fiant, non expectatur, sed ab initio creationis intellectui Angelico natura sua, & independenter ab absoluta libera existentia earum intra sphæram naturalem obiectiuam intellectus & intellectionis angelicæ posita sunt; secus autem, cum, vt intra eam sint, expectatum absoluta existentia, & eorum, & alterius, per quod intra naturalem obiectiuam sphæram posita sunt. Etenim, in primo casu nil aliud absolute est præter intellectum, angelicum eis obiectis natura sua proportionatum, à quo species præfatæ, absolute exigi physice possint, cum nihil aliud absolute sit, neque esse absolute debeat aut possit, à quo obiectiua illa proportio pendeat; At vero, cum obiectiua proportio naturalis obiectorum cum intellectu angelico, non nisi per aliquid aliud absolute existens, & libere ab alio positum sit, quo intra illius sphæram naturalem; constituuntur (vt in casu euenit nostro) tunc quidem exigentia physica, naturalis specierum non ab intellectu angelico, sed ab illo alio libere posito est. Quod si rursus contendas, id aliud libere positum, quo intra sphæram naturalem obiectiuam intellectus angelici obiectum constituitur, esse conditionem requisitam, vt eius obiecti species ab intellectu Angelico exigatur, quin aliquid exigentiæ earum in tertio illo libere posito (atque in re præsente, in voluntate manifestatiua Angeli loquentis) sit, multum de voce contendes: siquidem, quod ad physicam exigentiam solum, non autem ad physicam efficientiam, attinet, id, sine quo exigentia illa esse nequit, non quidem conditionis, sed rationis exigendi realis formalis veram habet rationem: quia illud rationem motiui Deo affert, & offert, vt id, quod exigitur à Deo præstetur: quod motiuum, eo quod ait conditio dicitur, sublato, nullatenus Deo offertur; nec aliud aliquid physica exigentia pura, quam motiuum naturale, & physicum ad quidpiam à Deo agendum, se præsertim solo, ipsi oblatum esse potest. Dixi autem de physica exigentia naturali sola, seu quæ in physica rerum actiuitate, nec fundata, nec ei admixta est: quæ enim in ea fundatur eive admiscetur; sicut absoluta, & expedita actiuitas conditionum plurium, quæ nullam, ne partialem quidem, actiuitatem habere possunt, absolutam positionem expectat, ita etiam ipsi identificata, vel innixa physica, absoluta exigentia eorundem pure conditionum existentiam absolutam expectauit. Adde, eadem facilitate obiectis omnibus, etiam sensibilibus, in quibus exigentia, imo, & actiuitas physica specierum suarum impressarum ad æquata recognoscitur, & à Philosophis datur, negari posse vtramque, totamque potentiis concedi, etsi ad eas absoluta obiectorum existentia requiratur: dicam enim vt conditionem puram requiri, quod si, quia in his non autem in potentiis, id admittendum dixeris: id ipsum, quoad specierum præfatarum physicam à Deo exigentiam, in voluntate manifestatiua Angeli loquentis inuenies. Physica enim manifestatio obiectiua, è sui ipsius, & iudicij de re, super qua Angelus loqui alteri vult, essentia sua est, quæ nisi speciebus vtriusque impressis peragi nequit.

5. Dixi, rationem aduersariorum, vt summum probare de obiectis, quorum absoluta actualis existentia, nec alterius libere ab alio apponendi, expectatur, vt intra sphæram obiectiuam naturalem intellectus Angelici constituantur, ac subinde

eorum

eorum ſpecies ab initio creationis Angelis congenitæ naturaliter debeantur: ne hic eam controuerſiam, an aliquæ nondum exiſtentium, ſed futurorum, naturalium, & quorumnam Angelis debeantur, importune moueam, in qua multum diuinationis in Doctoribus inueniebam, tom. 2. Philoſophiæ, controu. vlt. Dixi etiam præfatum argumentum reliquis, quæ opponi contra hanc concluſionem ſolent apparentius eſſe, quod ex eorum ſolutionibus patebit. Primum deſumitur ab Alarcon cit. diſput. 4. & 5. num. 11. ex communi Doctorum aſſerentium obiectorum omnium naturalium ſpecies Angelis ab initio creationis congenitas, & infuſas à Deo fuiſſe: ſecretum vero cordis Angelici naturale obiectum, & naturali facultate intellectus Angelici proportionatum eſſe. Alioqui, ne quando abſolute eſt, deberentur ſpecies ipſius, ſicuti nec reliquorum obiectorum ſupernaturalium, etiam, cum abſolute ſunt ſpecies Angelis debentur. Tangit obiectio generalem doctrinam plurium quidem, ſed minutius examinandam de obiectorum naturalium, aliorum à ſecretis cordis, non exiſtentium debitis, & congenitis ſpeciebus intellectui Angelico ab initio creationis. Ea vero nunc vniuerſim permiſſa, ad ſecreta cordis, etſi entitatiue naturalia, conſequentia non valet: quia quouſque adſit voluntas Angeli, cuius ſecreta ſunt, de eis alteri manifeſtandis extra ſphæram cognoſcibilitatis naturalis ab alio Angelo eſſe iure ſecreti, facultati eius intellectiuæ prædalente, (quod, ea voluntate ceſſat vt diximus) ſunt poſita opponit, num. 12. exigentia hæc ſpecierum à Deo, quæ in ea voluntate manifeſtatiua ſecreti cordis eſt, ſimilis eſt precibus moribundi deſperatæ ſalutis ad Deum, à quo ſolo eam conſequi poteſt, quam nulla vi, aut iniuria illata naturæ denegare moribundo Deus poteſt: ergo, & ſpecies quas exigit voluntas, illa manifeſtatiua, citra omnem vim, & iniuriam, naturæ denegare Deus poterit: obiectio hæc omnem phyſicam naturalem exigentiam cauſarum, diſpoſitionum, & illam ipſam ſpecierum Angelis congenitarum, quam admittit obiectans, in quauis entitate ſit, æque impugnat. Oritur autem ex minus, attento diſcrimine voluntariarum precum ad Deum, ab exigentia phyſica naturali; quæ, etſi Deum abſolute non cogat, cogit autem, ſi naturali prouidentia acturus ſit, ac ſubinde, ſi non annuat, vim, & iniuriam aliqualem inferet naturæ. Obiicit tertio, ſi Deus ſolus ſpecies producat potius Deus, & immediatius loqueretur audienti Angelo, quam Angelus loquens, qui mediate ſolum per Deum, tanquam per interpretem loqueretur: Haberet obiectio ſpeciem aliquam difficultatis aduerſus eos, qui non ea diſtinctione, qua nos ſententiam hanc intelligunt, & tradunt. Contra nos vero nullam qui in ſpecierum productione locutionem Angelicam realem formalem, non ponimus, ſed in voluntate manifeſtandi alteri conceptum, quem de re quauis loquens habet, fingitur ſe habere: ſiue ab ipſo ſpecies impreſſæ, per quas & conceptus, & voluntas formalis, & expreſſa notitia alteri innoteſcet phyſice actiue, ſiue exactiue ſolum proueniant. Probat ergo obiectio mediatam, vt ſummum ab Angelo loquente phyſicam productionem, non locutionem mediatam & per alium, (Deum ſcilicet) tanquam intermedium, & interpretem, ad quod Deum loqui oporteret, & Angeli locutionem alteri Angelo denunciare: quod Deus phyſica ſpecierum in Angelo, cui alter loquitur, productione non præſtat, cum ſuum iudicium, adhuc de iudicio, quod loquens manifeſtare, vult phyſica illa ſpecierum huius productione alteri non aperiat, velitve manifeſtare, vt ad locutionem propriam etiam internuntij, ac interpretis opus erat.

6. Sed tamen duo adhuc ſubtilius obiici ex proxima obiectione contra ſecundam hanc noſtræ ſententiæ partem deduci poſſunt. Primum excitatio realiter formaliter fit per ſpecierum immiſſionem in Angelum, cui alter loquitur; hæc autem realiter, & phyſice à Deo ſolo fit, non autem ab Angelo loquente, eiuſve voluntate manifeſtatiua, ſeu (quod idem in noſtra ſententia eſt) locutione: ergo nec ab Angelo loquente, quà tali, nec per eius locutionem, Angelus, cui loquitur excitatur ad audiendum (vt excitari, per nos debet à loquente, quà tali, eiuſque vera locutione) ſed à Deo excitabitur. Reſpondetur excitationem à loquente, quà tali, & per veram eius locutionem non debere eſſe phyſicam, & immediatam à loquente, per eius locutionem, ſed mediatam phyſice, & moralem ſufficere. Patet in locutione noſtra, quæ ſignis phyſice inter mediis, ac mediantibus, immediate phyſice ſpecies in eo, cui loquimur, cauſantibus fit. Moralis autem cauſatio à locutione angelica excitationis Angeli, cui alter loquitur, per ſpecies, vt audiat, quatenus à Deo locutio illa exigit, vt ſpecies illas, in alterum, ad quem dirigitur, phyſice immittat, immediata dici verè poteſt, quatenus in genere exactiuæ illius cauſationis ſpecierum, nil aliud earum phyſicum à Deo productione mediat omino. Secundum eſt, quia caſu quo (vt poſſe dicimus, cum communi Doctorum) voluntas Angeli loquentis eſſet manifeſtandi alteri conceptum, & iudicium de re, quod non habet, ac proinde mentiendi, & decipiendi Angelum, cui loquitur, cum voluntas hæc habeat pro obiecto productionem, ſpecierum, quibus deceptio alteri, atque error fiat, quæ nequit ipſa actiue producere, ſed ſolus Deus, vt Deus eas producat, eius voluntatis obiectum, ita explicari debet. *Volo, vt Deus illum Angelum fallat, ei infundens ſpecies fallaces obiecti, quod non eſt*: vnde Deus eas, ad vafræ illius voluntatis exigentiam producens, eius malitiæ annuet, atque executione ipſa morem geret: & Angelus fictè loquens per Deum, tanquam per ſceleſtum) quod cogitatu, ne dum dictu, nefarium eſt) mandatarium, deceptionem alterius exequetur. Etſi enim Deus de ſe errorem phyſicum, cuiusvis creaturæ rationalis cauſare, infundereque honeſtiſſime poſſit, quemadmodum quamuis, vt rerum Dominus de ſe ſe poteſt occidire; aſt, ſicut prauæ homicidæ voluntati annuens neminem occidere poteſt, nec errorem ſpecierum illarum fallacium immiſſione, & productione phyſica cauſare: obiectio hæc finem exigentiæ naturalis, & phyſice voluntatis manifeſtatiuæ loquentis Angeli conceptum, & actum, quem non habet, ſed fingit ſe habere, cum fine, ſeu obiecto morali, prauæ eius voluntatis confundere vult, & neque hunc recte deſignat. Prauæ ſiquidem, illius voluntatis loquentis Angeli fallacis obiectum, & finis moralis, non eſt ſpecierum impreſſarum productio, ſed alterius Angeli deceptio, & error, etſi realiter per illas efficiendus ſit: finis autem phyſice, & naturalis exigentiæ voluntatis illius eſt ſpecierum illarum phyſica à Deo productio: cui Deus ex cauſæ vniuerſalis munere, & titulo proinde naturæ totius prouidiſſimi adiutoris honeſtiſſime annuit, atque ad eandem phyſicam exigentiam ſpecies illas phyſice deceptorias producit, quin moraliter fini turpi voluntatis illius moraliter prauæ vllatenus annuat; vti nec annuit, cum ad homicidæ, & homicidij actionem phyſice, vt cauſa prima, & vniuerſalis concurrit ne cauſarum naturalium defectui ad operationes ſuas abſolute edendas deficiat. Quod ſecus habet in mandatario homine homicidij executore vulgo aſſaſſino) qui illud eſt vt particularis cauſa ex alterius mandato, fine, & intentione praua, & contra ipſi etiam iniunctum præceptum, & obligationem exequitur.

7. Dico tertio. Probabile valde eſt loquentis Angeli voluntatem manifeſtandi alteri ſuum iudicium, quod habet, vel ſimulat ſe habere de re

re quauis, physice actiue, nec solum exactiue, & sui, & conceptus, cuius manifestatiua voluntas est species impressas in altero, cui loquitur, producere, atque ad audiendum physice, actiue etiam excitare. Hanc conclusionem non respuit Arriaga, disputatione duodecima, sectione quinta, numero trigesimo secundo, à §. *Hæc dicta sint*; sed tanquam probabilem defendit, atque à difficultatibus, & incommodis, contra Soarij, & aliorum sententiam confutatam à nobis cert. 5. de abolitione secretorum cordis Angelici, liberam opportune ostendit. Neque enim, vt illius Patroni, physicam actiuitatem naturalem actibus omnibus voluntatis, & intellectus angelici concedit: imo conclusio hæc soli voluntati Angeli loquentis manifestandi suum de obiecto quouis, siue ipsi extrinseco, siue intrinseco, & cordis sui secreto, quia ipsa sui ipsius manifestatio natura sua est, (& si libera non esset, nec ad cordis Angelici secreta proinde spectans) ac rursus secretorum etiam cordis, quæ manifestari alteri, vel aliis Angelis per illam loquens Angelus vult, seipsa secreti rationem, & ius omne tollit, vt diximus. Solum displicet Arriaga, quod sine citat. §. prædictæ voluntati actiuitatem physicam specierum sui tantummodo concedit; tametsi statim ad verbi, seu iudicij, quod de re, de qua loqui alteri vult, species proprias producendas actiuitatem physicam concedat: quare, dum illi ad alias species præter proprias producendas, in Angelo, cui loquitur, actiuitatem physicam voluntati manifestatiuæ loquentis negat, respectu obiectorum, seu respectu materiæ de qua loqui Angelus vult, & si ad secreta cordis pertineat, non autem respectu iudicij, & conceptus, quem de eis habet, vel vult alteri Angelo manifestare intelligit, & loquitur, id quod ex Doctrina, quam inde deducit constat etiam aperte: inde enim recte infert: cognitionem, quam inde Angelus habet respectu eorum, de quibus ipsi Angelus alter loquitur, abstractiuam solum esse, ex connexione nimirum conceptus, & voluntatis illius cum obiecto deductam, non intuitiuam, & per proprias obiecti species productam, & habitam: quare, & locum esse Angeli loquentis mendacio, si velit alium decipere, & mentiri: cum iudicij, quod non est per species proprias physice, ab ea voluntate productas euidens physice (tametsi falsum) iudicium, intuitiuum habeat: non secus, ac si de colore, aut alio, quouis obiecto species proprias à Deo, vel vndecumque, physice productas haberet, intuitiuum physicum, sed falsum iudicium de eius obiecti absoluta existentia formaret: indeque de termino eius, iudicij alio, si is foret, cui hoc iudicium essentia, & natura sua connexum esset, (vti conceptus Angeli, cum suo obiecto connexus est) & illum ipsum, tunc esse discursu, & abstractiue, cognosceret. Certe ex hac ita explicata, & intellecta conclusione, vel vmbra vlla difficultatis secundæ propositæ numero 6. disparet cum se ipsa physice, actiue, neque solum exactiue à Deo species proprias? iudicij quod non habet, sed fingit se habere Angelus loquens fallax eius, & praua voluntas producat, nec à solo Deo, qui prauitati eius annuat petat, species produci. Disparet etiam difficultas alia ab aliquibus tacta de multiplicatione specierum plurium, solo numero diuersarum, (vndecumque denuo Angelo productione prouenient) de obiectis naturalibus, de quibus loqui alteri Angelo Angelus potest, & quorum proinde species proprias ille Angelus præhabeat: cum tamen species solo numero diuersæ in eodem subiecto multiplicari naturaliter nequeant. Diximus enim solius voluntatis manifestatiuæ, & conceptus, seu iudicij, quod de obiectis, de quibus est sermo loquens habet, non autem de obiectis ipsis species proprias, siue à Deo solo, siue à voluntate manifestatiua produci.

8. Etsi autem alterutro ex præfatis modo excitatio per species productas in Angelo, ad quem est sermo, ab Angelo loquente, absque vlla difficultate, earum quæ in sententiis aliis deprehensæ sunt expedite, intelligatur (quæ non leuis, alterutrius modi probatio est, quin alia ab Arriaga nostro afferatur) tamen modus conclusionis tertiæ probandus vlterius aliunde à ratione est, ex qua difficultatibus aliis occurratur & dicendis, quæstione quinta, de distantia ad quam Angelus, Angelo loqui hunc que physica specierum in ipso productione excitare possit, quin excitet alios fundamentum à ratione paretur, id quod præstitum ab aliis hactenus non est, nisi ex nostris principiis poterit facile præstari. Est autem principium alterum, quod conclusionis 1. & 2. probatione tetigimus: Nempe, voluntatem, & arbitrium solum Angeli loquentis esse totam rationem, & principium in actu primo, conceptum Angeli loquentis de re quauis manifestandi, & ex iure secreti naturalis ipsum extrahendi respectu illius Angeli, cui voluerit actu illum manifestare. Inde enim fit voluntatem loquentis exercitam, & liberam illum manifestandi constituere formaliter conceptum illum in aperto, atque extra eius secreti naturalis respectu alterius Angeli, cui ea voluntate loquitur, atque intra sphæram facultatis intellectiuæ, & intellectionis naturalis, Angeli eiusdem, collocat: inde vero inferebamus recte, numero tertio, pro secunda parte nostræ sententiæ, siue secunda conclusione, totam physicam, & naturalem exigentiam specierum propriarum à Deo in altero Angelo, cum sui, tum conceptus manifestandi, in voluntate illa manifestatiua esse; inde vero infertur tertia hæc nostra conclusio de physica actiuitate etiam voluntatis eiusdem, ad sui, & conceptus species proprias in altero Angelo, ad quem est locutio, producendas, & si enim ad solam physicam exigentiam aliquorum entium naturalium, in quibus actiuitas physica ad effectum aliquem, nequit inueniri (puta in accidentibus dispositiuis respectu formæ substantialis maxime animæ rationalis in materiam inducendæ, & producendæ) Deus solus illum connaturali prouidentia, in bona philosophia, & Theologia, producere asseratur, ac proinde conclusio nostra secunda vtriusque facultatis principiis consona valde sit; cæterum vbi in iis, quæ effectum aliquem physici exigere deprehenduntur, ac illum producendi, impotentia actiua, non ostenditur; physica actiuitas in bona philosophia, & Theologia est admittenda: ita, vt exigentia illa physica, actiuitas, ac non dispositiua solum, sed actiue etiam, seu physicè actiuitatis exigentia ipsa metaphysice prioris censeri exigentia debeat: atque, quia actiua illa physice sunt, exactiua etiam physice, non vero, quia exactiua, actiua esse metaphysice dicantur.

9. Id, quod adeo verum est, vt dispositionibus ipsis accidentalibus materiæ, non sola dispositiua exigentia formæ substantialis materialis, sed actiua etiam, à meliori Philosophia tribuatur, tametsi instrumentalis, quia substantialis illius formæ materialis, prædicata, & perfectionem, nec formaliter nec eminenter accidentia dispositiua possunt continere. Est autem ratio quia ad naturales effectus physica actiuitas, nec solum exigentia illorum à Deo (quantum absque repugnantia fieri possit) naturæ debet concedi, vel principalis, vel instrumentalis, vbi ad effectus principale agens in natura non adest, vel non adstante eodem modo effectum produci experimur: vt in educatione formæ substantialis, maxime viuentium, & animantium imperfectiorum, vsu venit, ne absque indigentia, & impotentia in natura deprehensa, quæ Dei naturæ authoris omnipotentia suppleatur, ad naturæ effectus totaliter producendos ad Deum recurratur, ac sic tota effectuum naturalium actiuitas pro cuiusque

libito naturæ negetur. Cum ergo voluntas illa Angeli loquentis conceptus, & voluntatis ipsius manifestatiua specierum propriarum vtriusque prædicata omnia eminenter contineat, ipsi physica actiuitas principalis illarum concedenda est. Alterum nostrum principium est: Agens cuius potentia actiua physica voluntas est (vt de Deo diximus, tom. 1. de Deo vno, controu. 1. d. vltim.) eo modo, quo velle potest posse operari: vnde, cum velle possit operari in distans quin in propinquum operari velit, nihil operando in medio operari in distans poterit, ex quo controu. eadem de immensitate Dei, eius vbiquitatem ex eius operatione, vbique perperam inferri à Theologis non paucis ostendimus: inde vero legitime etiam infertur voluntatem manifestatiuam iudicij de rebus Angeli loquentis Angelo alteri, etiam distanti, & sui, & iudicij species proprias in eo producere absolute posse, ac defacto, si ei loquatur, producere, quin eas in medio producat; quo cessat obiectio contra Soarium & reliquos sententiæ, certam. 5. impugnatæ Doctores & alios de productione specierum, in medio vt Angelus ad distantem loquatur: & reliqua quæ inde inferebantur, contra tertiam hanc conclusionem locum non habent.

QVÆSTIO V.

Quid, quibus, & ad quam distantiam loqui Angelus possit, ac illi audire?

AD plenam angelicæ locutionis notitiam paucula hæc facileque ex dictis decidenda oportet examinare.

CERTAMEN I.

Quid Angelus loqui aliis possit?

1. EA, quæ loqui Angelo Angelus potest, in duplici differentia sunt: nempe, conceptus de re, aut obiecto quovis, & voluntas illud alteri manifestandi, quam loquens habet, & vtrumque loqui alteri Angelum posse imo necessario vtrumque loqui, ac manifestare, cum alteri loquitur, certum est, siquidem necessario, eiusmodi voluntas, & sui, & conceptus, quem de obiecto habet, vel habere simulat, species proprias physice, vel exactiue à Deo saltem, vel etiam actiue in Angelo, cui loquitur, producit iuxta secundam ac tertiam, conclusionem, quæst. 4. certam. 6. à nobis statutam, ex quibus alteri Angelo vterque actus loquentis manifestetur naturaliter, & intuitiue, ni ad alia sit totus distractus, & intentus: alia, quæ loqui Angelo Angelus potest sunt obiecta alia conceptus ipsius, quem manifestare voluntate illa loquens Angelo alteri vult, suntque proinde voluntatis eiusdem, obiecta mediatora, & quæ proprie & presse dicitur materia locutionis, ac sermonis quem quis ad alium, quempiam habet. Proinde roganti, de quo quis ad alterum loquitur, vel mutuo inter se se colloquuntur, respondetur: de equo de agricultura, de cælo, vel quopiam alio, de quo, est sermo; non autem de conceptu, & voluntate illud manifestandi, quæque necessario, iuxta dictum modum, alteri manifestantur à loquente. De iis igitur obiectis, quæ materia proprie, & presse dicta locutionis, & sermonis angelici sunt, inquiriimus, dum, quid Angelus Angelo loqui possit, quærimus.

2. Sunt autem (quod ad præsens, & Doctorum sententias dilucide intelligendas iudicumque nostrum clare proponendum attinet) eiusmodi obiecta, seu materia Angeli sermonis in duplici differentia. Alia enim sunt naturalia, & naturaliter Angelico intellectui, & intellectioni naturali obiectiue proportionata, & quorum proinde species propriæ quandocumque, & à quocumque debeatur, tenentur, atque habeantur, iuxta varias Doctorum sententias fuse à nobis examinatas, tom. 2. Philosophiæ controu. vltim. & nostram ibi statutam, de quibus nunc agere, atque statuere importunum esset, & inutile: cum ratio, ob quam ea obiecta Doctores aliqui à materia locutionis reiiciunt, sit, quia eorum angeli omnes species proprias, & visionem habeant intuitiuam: quare non, nisi inepte de eis ad alios loqui posse videntur, quæ quandocumque, & à quocumque eas species habeant, eandem vim habet, dum pro tempore, quo eas naturaliter habeant, quodcumque sit, dubium decidatur. Alia obiecta sunt, quorum species propriæ, ac proinde visio, naturaliter Angelis non debentur: vel, quia supernaturalia obiecta sunt, vel intra obiectiuam sphæram naturalem intellectus Angelici de se non sunt, sed dependenter à voluntate Angeli de eis alteri manifestandis, quia in secretis cordis angelici continentur.

3. Et quidem de obiectis naturalibus omnino, & quorum species proprias independenter à loquentis manifestatiua voluntate, ac subinde, intuitionem Angeli habent, quando & quandiu eas habent, Oarius, & Arriaga, sect. 7. subsect. 2. esse posse angelicam locutionem multis in casibus docent. Primo: cum Angelus, cui loquendum de eis est, tametsi species proprias eorum habeat, vel habuerit, fuerat tamen eius intellectus aliis intelligendis totus distractus, & intentus, ac proinde, ea ignoret, quovisque alter Angelus de eis, ipsi loquatur: atque idem est de obiectis aliis, quæ loquens coniecturaliter solum nouit, alter vero, cui loquitur aliis totus intentus coniecturali notitiæ; non incubuit, ac subinde, eam non habuit. Quod ipsum de eis, quæ euidenter discursu assequi poterat, & eadem de causa assecutus non est dicendum videtur. Secundo docent posse de obiectis eisdem imperatiue, siue imperatiui modi, quem Grammatici dicunt, locutione, verbi gratia *Veni huc*, vel *facias hoc*. Tertio admiratiue, vt de cæli fabrica, & aliis Dei operibus naturalibus, vt diuinæ bonitatis, sapientiæ admirationem suam alter Angelus communicet alteri, atque vicissim Deum laudent, ac ingratitudinem, & amorem; erga Deum incalescant: Sicuti ex mutuis colloquiis, quæ de supernaturalibus, & infinitis, eius perfectionibus ad intra, & operibus ad extra ipsis æque, & per species supernaturales per se infusas cognitis in admirationem, gratitudinem, Deique amorem, & laudes inardescunt. Porro nulla in iis apparet difficultas, si apprehensiua solum eorum obiectorum cognitio in Angelo audiente causari à loquente, per speciem propriam locutionis, seu voluntatis manifestatiuæ, imperatiue, vel admiratiue, modo à nobis dicto asseratur: vt de assertiua de obiectis loquenti, & audienti Angelo notis mox dicemus.

4. De assertiua vero Angeli locutione ad alium de obiectis pure naturalibus, & ad naturalem angelicam cognitionem de se obiectiue proportionatis, & expeditis independenter à voluntate libera & sui, & ipsorum manifestatiua loquentis, & quorum subinde species proprias, & intuitionem Angeli habeant, maior est difficultas: nec alia, aut minor inuenitur in locutione de obiectis supernaturalibus quorum species proprias per se, & diuinitus infusas habeant, vel Angeli omnes vel saltem

saltem loquens, & is, ad quem loquitur, vt ex ratione negatiuæ sententiæ de obiectis non solum entitatiue, sed obiectiue etiam naturalibus absolute, & independenter à voluntate manifestatiua Angeli loquentis constabit. Igitur de obiectis entitatiue, & obiectiue, pure, & absolute naturalibus; & quorum species, & visionem independenter à voluntate alterius Angeli eorum manifestatiua Angelus habeat, illius alterius ad ipsum non posse esse locutionem communior Theologorum sententia est. Probant, quia locutio vnius ad alium de re aliqua est, vt illam alius sciat atque ob loquentis testimonium, & authoritatem credat, rem ita esse, vt loquens iudicat, ac se iudicare testatur: atqui iis, quæ quis intuetur, (vti Angelus, quivis obiecta præfata) nequit vllatenus assentiri ob iudicium manifestatum loquentis ad ipsum, eiusque testimonium: ergo finis locutionis Angeli ad alium Angelum, de præfatis obiectis, omnino, & absolute repugnat: ergo, & locutio est impossibilis. Minor probatur, ex Paulo ad Romanos 8. *quod videt quis, quid sperat*, quod idem valet, *ac credit*, iuxta fidei definitionem ab ipso datam ad Hebræos 11. *Sperandarum substantia rerum*. de secundo, quia videns Romam, vel quidpiam aliud, ipsius absolutæ existentiæ nullius, quamtumuis fide digni, & quantauis authoritate prædíti testimonio, ob eiusve authoritatem assentitur, potestne assentiri. Tertiò ratione, quia cum assensu claro, & euidenti obiecti, fidei assensus esse non potest.

5. Nihilominus Soarez, & Arriaga loco citato sectione septima, subsectio. secunda, §. *vltimo, & bene*, Soarez, censent: de eis obiectis visis, vt materia sermonis posse vnius Angeli ad alium, quempiam Angelum locutionem esse: quia hic ob illius iudicium, testimonium, & authoritatem potest absolute assentiri: quia fides cum euidenti cognitione, etiam intuitiue obiecti eiusdem potest absolute consistere. Id quod de fide Diuina, & nos sæpe docuimus controuersia de fide, & controuers. de incarnatione, atque item de visione beata, vbi Pauli testimonia genuine explicuimus, ne conclusioni nostræ aduersarentur, tametsi eisdem locis, & tomo secundo, Philosophiæ, cum assensu euidente fidei etiam, obiectiue creatæ, ob creaturæ cuiusuis testimonium, & authoritatem assensum simul consistere non posse, ex motiui huius importentia, & omnimoda minori virtute, & efficacia, vt respectu motiui tunc adstantis euidentiæ rei intuitiuæ visæ, ad assensum moueat: quæ Vasquij nostri profunda, & digna ratio fuit, & si in testimonio; & authoritate Dei, ob quam fidei actu assentimur reuelatis motiuum ex parte fortius, quam in euidentia obiecti eiusdem intuitiue visi non animaduerteret, ac proinde ex suo hoc principio, fidei etiam supernaturalis, & diuinæ assensum circa obiectum intuitiue visum, neget. Notant vero, & bene, in sua sententia Soarez, & Arriaga: assensum Angeli audientis præfatis obiectis intuitiue visis ob testimonium Angeli loquentis abstractiuum esse, non intuitiuum, quia non in se; male vero (& si consequenter) addit Arriaga esse nihilominus assensum eiusmodi veritatis certæ infallibilis, quia Angeli testimonio nititur, qui non potest mentiri; cuius oppositum contra ipsum ostendimus, ac proinde ex parte veracitatis Angeli testimonium, eique innitens assensus est fallibilis; ex parte autem veritatis Angeli loquentis in iudicando non adeo absolute infallibilitatis, eius testimonium est: siquidem, & species proprias obiecti, quod non est, à Deo accipere, ac subinde possit errare, vt Arriaga ex Vasquez fatetur: quo pacto frequenter erroribus à Deo physicè causatis, & infusis Dæmones torqueri Vasquez asseruit, & forte ex obiectorum & specierum coniunctione, commixtione, & confusione naturaliter obiecti, quod non est, species propriæ intellectui Angelico ingenerari poterunt, ludibriumque erroris pati, quod sensus, & mens nostra pro hoc statu, circa iridis colores sæpe patiuntur.

6. Dicendum nobis est de obiectis præfatis, & aliis quibusvis Angelis independenter à manifestatiua loquentis voluntate, intuitiue etiam notis, posse esse, eius ad illos, cum enumeratis modis, numero quarto, tum assertiuam locutionem. Prior conclusionis pars constat, primo ex inibi dictis. Secundo, quia eis omnibus modis internis nostris meditationibus, & orationibus, quotidie de Deo intuitiue, perfectissime, & comprehensiue notissimis ipsum alloquimur; ergo præhabita locutionis obiectorum ab aliis cognitio propriæ locutionis præfatis modis alterius ad ipsos de obiectis iisdem, non obest, inde probatur conclusionis nostræ pars secunda, quæ videtur communiori sententiæ Doctorum, & rationi eorum præmissæ, & à nobis confirmatæ, numero quinto, aduersari: re tamen, & eorum menti; & rationi minimè aduersatur, solum enim videntur contendere: non posse esse Angeli locutionem assertiuam, ad Angelum alium de obiectis alias independenter, ab eius locutione intuitiue notis; & præuisis (vti naturalia, & entitatiue proportionata obiecta omnia sunt) vt ob eius authoritatem; is, ad quem est locutio, eisdem obiectis intuitiue præuisis, de quibus ipsi alter loquitur; simul iterum assentiatur; fateor tamen Doctores hosce huic locutionis assertiuæ effectui; in eo; ad quem dirigitur, frequenti, non autem nudæ locutionis essentiæ, & termino; quem ea possibilem saltem essentialiter respicit; intentos; minus rectè assensum obiectis; de quibus est ad ipsum sermo saltem possibilem terminum essentialem, locutionis vniuersim sumptæ existimasse (quod prima parte conclusionis discussum est) vel saltem assertiuæ locutionis. Huius autem impugnatio aptissima secundæ partis conclusionis nostræ probatio est: quam sic præsto. Assertiua locutio, neque ex prædicato vniuersali locutionis dicit, esse motiuum assensus præstiti, vel præstandi ab eo, cui alius quivis; etiam Angelus, loquitur, obiectis, de quibus est sermo, vt patet ex prima parte conclusionis probata, & ab omnibus necessario admittenda: neque, ex prædicato specialis locutionis, assertiuæ scilicet: ergo, etsi motiuum, vt is, ad quem loquitur Angelus alter, eisdem obiectis assentiatur, esse non possit, vt vidimus, esse tamen potest locutio propriè assertiua. Postrema proximi antecedentis pars probatur. Locutio assertiua, qua assertiua, & ab aliis non assertivis diuersa, solum addit assensum, & assertionem loquentis manifestatum Angelo, cui loquitur. Hoc autem stat integre, siue iis, quæ loquitur, ob loquentis testimonium, & locutionem eisdem obiectis, & sermonis materiæ assentiatur audiens possitne assentiri, siue nec assentiatur, nec assentiri possit; ergo locutio, assertiua etiam, propria saluatur, absque possibilitate etiam, assensus Angeli, ad quem est sermo, eius obiectis, & materiæ ob loquentis testimonium.

7. Sed enim, cum locutio omnis essentia sua possibilitatem audiendi in Angelo, ad quem alter loquitur, concernat: atque eius auditio, formaliter cognito obiecti, de quo ad ipsum sermo est; procul dubio sit: explicari, designarique debet cognitio, quam de illis obiectis causare locutione sua, in audiente loquens assertiue absolute possit; quandoquidem assensum, eisdem obiectis causare in illo absolute nequit. Hoc tamen

ab omnibus diluendum est : quia omnes primam partem conclusionis admittunt. Respondeo in primis pro omnibus Angelum, cui alter loquitur, aliquid ex locutione, etiam assertiua de obiectis, de quibus sermo ad ipsum est, denuo posse cognoscere : nempe, ita de illis iudicare loquentem, idque non solum apprehensiue (quod satis ad locutionem foret) sed iudicatiue, & assertiue obloquentes testimonium, neque enim iudicium de eis obiectis, quæ intra cordis secreta continentur, & aliorum, quorum cognitio distractione naturali Angeli audientis ad alia potuit deficere, visum intuitiue, imo, nec discursu euidenti ab alio Angelo cognitum obiectum vt nequeat à loquente ad cum cogitandum eique assentiendum præueniri fuerat : sed & de obiectis ipsis secundum se sumptis, nec solum, vt à loquente iudicatis cognitionem apprehensiuam, vi locutionis illius potest audiens concipere, vt in prima parte conclusionis de locutione, non assertiua visuenit. Cum enim actus siue intellectus, siue voluntatis, locutione, tam assertiua, quam non assertiua, obiecta sua essentialiter respiciant, nequeunt illi per species proprias alterius locutione, physice, siue actiue, siue exactiue solum, immissas eiusmodi actus videre, quin de eorum cogitent obiectis.

8. Tamen subtilius rimandum superest, an cogitatio illa, siue apprehensiua audientis cognitio, de obiectis actuum loquentis ipsi manifestatorum abstractiua solum sit, an intuitiua. Diximus enim, tom. 1. de Deo vno, controu. 2. de scientia, disp. de mediis, in quibus Deus possit, vel seipsum, vel alia obiecta cognoscere, non posse illum aliquid in alio, quantumuis connexo essentialiter cum illo aliquo, tanquam immediato cognoscere : tum quia Deum cognitio abstractiua (cuiusmodi cognitio alicuius in medio est) dedeceat : tum quia in conspectu visionis obiecti, nullam vim medium vllum, ad illius cognitionem in Deo efficiendam habet. Cæterum illud de cognitionis abstractiuæ, & in alio imperfectione respectu Dei, quem omnis dedecet imperfectio, vrget ; secus respectu creaturæ etiam Angeli, quem sæpe discursu, & abstractiua cognitione plura obiecta cognoscere, eisque etiam assentiri fatendum cum plerisque Doctoribus est. Secundum respectu Dei, cuius apprehensio quæuis iudicium est, vim etiam habet non exiguam, vt, quod iudicij de rebus, quas intuetur, motiuum, vt diximus, esse nequit, nec medium, in quo cognitionis suæ apprehensiue de eisdem esse possit. Tertio dici poterat : essentialem connexionem actus loquentis Angeli cum obiecto alteri manifestato, intuitiue visam, excitare necessario audientem ad apprehendendum, & cogitandum intuitiue de obiecto illo mediis propriis eius speciebus, quas præhabebat, & quibus ad alia cogitanda totus intentus non veretur : connexio enim solum cogit, vt summum, vt incognito, eius termino cognosci nequeat : quod abstractiua cognitione, si eius species propriæ non adsint illam cognoscenti, meliusque intuitiue, si ei adsint species, eiusmodi. Hoc autem in Deo omnia necessario intuenti, impoteque ab vllius obiecti, pro statu quouis visione cessandi, ac diuertendi locum non habet : ac proinde nec rei visæ ab ipso connexio medij applicatiui, adhuc modo explicato, ad termini scientiam, qua formaliter apprehensio est, rationem habere potest ; quam habet respectu angelicæ apprehensionis. Perstatque negatiua nostræ Doctrina de scientia Dei, obiecti cuiusuis, in alio, tanquam in medio formali cognitionis.

7. Tertia conclusio, de obiectis omnibus, quæ non nisi per manifestatiuam voluntatem loquentis intra sphæram facultatis intellectiuæ, & intellectionis naturalis aliorum Angelorum constituuntur, quia ex secretis cordis Angelici sunt, potest Angelus quivis, aliis loqui, tanquam de materia propria sui sermonis, ad ipsos. Conclusio hæc est expressa omnium Doctorum, nemine excepto, quamuis in assignandis actibus angelicis, qui ad secreta cordis pertinent, discordant ; aliis (in quibus Vasquez) excludentibus actus scientiæ de obiectis conclusionum præcedentium, à cordis angelici secretis ; aliis vero eos actus etiam ad cordis secreta aduocantibus, quibus nos adsentimur ; sed hoc ad conclusionem nostram & communem, de secretis cordis Angelici, quæcumque illa fuerint nihil refert. Probatur, quia obiecta hæc secundum se adhuc, & nude sumpta, nec solum vt iudicata à loquente, cognita intuitiue visaque ab aliis Angelis, non sunt naturaliter, & independenter ab Angeli loquentis voluntate manifestatiua, seu locutione ; possunt vero proinde Angeli locutione ipsis innotescere, ab eisque, cum apprehensiue, tum iudicatiue cognosci abstractiue ex visione eorum actuum, qui manifestantur, ac essentialiter cum secretis illis cordis angelici, tanquam obiectis, connexis sunt ; ergo locutio angelica de illis non est locutio cuius auditio sit impossibilis, ac repugnans absolute, & quæ proinde concernat essentia sua auditionem impossibilem : ergo eiusmodi obiecta : secundum se, ac nude sumpta locutionis Angeli cuiusque ad Angelum, vel Angelos alios materia esse possunt.

CERTAMEN II.

Quibusnam Angelis loqui alius Angelus possit ?

1. Rei præsenti difficultatem effundere in sententia Soarij, & assectarum, relata quæst. 4. cert. 5. connati aliqui sunt, ac subinde in nostra : quatenus cert. 6. concluf. 3. docuimus voluntatem manifestatiuam, seu locutionem Angeli physice actiue propriarum specierum, cùm sui, tum iudicij, quod loquens de rebus, de quibus loquitur, habet, vulque aliis Angelis manifestare, productiuam esse : sic que illos physice, vt ipsum audiant excitare. Id autem impugnant, quia inferior Angelus in superiore nequit species physice producere ; quod cessat prorsus, si voluntati illi manifestatiuæ, physicam solum exactionem, earum specierum à Deo solum producendarum, concedamus, non autem actiuitatem, vt dicebamus citato cert. 6. concl. 2. verum neque actiuitate physica præfatarum specierum voluntati manifestatiuæ concessa, iuxta à nobis dicta, vim habet, ratio tacta : cum in causa efficiente æqualitas, vel excessus entitatiuus respectu subiecti recepturi effectum non requiratur : vt patet in phantasmatibus corporeis, à quibus spiritualis animus, & intellectus noster species spirituales sensibilium obiectorum recipit. Quod si dicas : phantasmata corporea eam vim ad eas spirituales species actiue in animum, & intellectum inducendas non habere, nisi spirituali intellectu agente iuuetur : id quidem ratione speciei spiritualis inducendæ, qui effectus est, inter quem, & causam proportio entitatiua requiritur, necessarium fuit ; non autem ratione animæ, & intellectus, qua possibilis, seu possibilis est, ac pure eas species recepturi, quamquam, vt bene Soarius, & Arriaga, citat. sect. 7. subsect. 1. num. 40. §. *Addo pro secunda*, eodem modo dici posset, actiuitatem physicam obiectorum alteri manifestandorum inadæquatam ad suas species proprias in illo producendas solum modo esse, atque eius intellectu necessario complendam, & iuuandam, & si proportio entitatiua inter agens, & subiectum receptiuum effectus requireretur : neque enim cuiusvis partialis, & inadæquati principij actiui cum subiecto recepturo requiri potest, sed cum aliquo

alicuius eorum: vt phantasmatis, & intellectus agentis exemplo, vt minimum euincitur. Et quidem calor, & accidentia quæ in nobis operantur, plura, ac sui species nobis immittant, nec nobis, nec sensibus, organis, & materia nostra (quæ substantia est perfectionem æquant entitatiue. Ac demum: cum voluntas manifestatiua Angeli loquentis spiritualis ordinis sit, æque, atque intellectus recepturi ab illo præfatas species, proportio eiusdem ordinis entitatiua non deesset. Quod autem, ex impotentia illuminationis superioris Angeli ab inferiori obiici poterat statim reiicietur.

2. Dicendum primo est Angeli inferiores, etiam infimi loqui ad superiores etiam supremos, & quidem ex rei natura, possunt. Ita communiter Doctores. Probatur primo: quia inferioritas naturæ, ac etiam gratiæ, non obest locutioni inferioris Angeli ad superiorem, considerata præcise ratione locutionis secundum se: vt patet primo ex locutione mentali hominis ad Angelos, etiam supremos, & vtrorumque ad Deum. Sed nec ratione excitationis Angeli superioris, cuiusque ad audiendum inferiorem, qui ipsi loquatur, & quam locutio ad aliquem essentialiter, vt possibilem concernit, etsi hæc mediis speciebus impressis in Angelo superiore productis fieri debeat: tum, quia physica sola exactione manifestatiue voluntatis, seu locutionis angelicæ, vt à solo Deo in Angelo, cui inferior loquitur, præfatæ species producerentur satis ad audiendum, locutione inferioris superior Angelus excitari absolute posset, vt quæst. 4. vidimus. Tum etiam quia tametsi excitatio eius ad quem locutio inferioris Angeli est, vt audiat, physicam earum productionem à locutione ipsa, in eo, cui, quis loquitur, requirat: eas à locutione Angeli inferioris in superiore posse physice produci monstratum est num. 1. Probatur secundo: quia quisquis aliquid scit, quod alter scire absolute potest, & tamen ignorat, nec de se, & independenter, à voluntate manifestatiua illius, valet cognoscere potest, cuius alteri eius obiecti, vt dictum est, cognoscitiuo illud manifestare (quomodocumque id faciendum sit) potest, & loqui: atqui Angelus inferior scit aliquid, cuius superior cognoscitiuus absolute est, & tamen ignorat, nec nisi dependenter à manifestatiua illius voluntate potest naturaliter scire: ergo id potest inferior Angelus superiori manifestare, atque ad eum loqui. Maior: quia alias omnis societas rationalis, consilium, interrogatio & consultatio de agendis inter creaturas de se se capaces aboleretur, quod & inter quasvis absurdissimum est, atque respectu inferiorum, & imperfectiorum Angelorum absurdius, qui natura sua superiorum, & perfectiorum consilio & consultatione magis egent, ac subinde minus bene eorum naturæ prouisum esset, si eadem rogandi, & consultandi superiores & sapientiores impotes fierent.

3. Secundo, si inferioritas ad ea superioribus communicanda obesset, ac subinde inferiores loqui ad superiores nequirent, neque hi possent loqui ad inferiores, contra aduersam sententiam: quia ad eos qui non solum audire, sed respondere natura sua non possunt, locutio est impossibilis; nequit autem, nisi locutione, responsio loquenti exhiberi. Minor autem vltimæ probationis suadetur. Etenim quisque infimæ etiam Angelus cordis sui secreta scit, quorum superiores, & supremi Angeli cognoscitiui sunt, ignari tamen de se, & naturaliter, nisi illius manifestatiua eorum voluntas accedat, semperque, ac necessario erunt ignari: vt ex iure naturali secreti, quod Angelus quisque (etiam infimus) suorum actuum maxime liberorum scientiæ, & voluntatis habet, prætualerque iuri, seu facultati, & potentiæ naturali intellectus angelici, etiam supremi, ad cognoscenda obiecta, quæuis naturalia absolute existentia, eo saltem ipso, quod in se absolute existant: quod de se patet, atque ostendimus supra. Confirmatur rursus: quia ea solum ratione naturales actus præsertim liberi intellectus & voluntatis Angelorum superiorum (etiam supremorum, quorum vtique cognoscendorum facultas naturalis intellectiua Angelo inferiori absolute est) nusquam ab inferiori Angelo, ni voluntas eorum manifestatiua Angeli cuius actus naturales sunt, adsit, cognoscentur: quia etsi actus naturales sunt, in secretis cordis Angeli illius superioris continentur: ex ratione postrema hactenus confirmata euanescit difficultas, quæ ex illuminatione Angelorum ab aliis Angelis opponi conclusioni nostræ posset.

4. Quia illuminandi alios Angelos potestas solis superioribus respectu inferiorum, à Dionysio, & Theologis conceditur vt d. vlt. videbimus: si autem loqui aliquid inferiores superioribus possint, quod hi ignorent, ac sine eorum locutione, & manifestatiua eorum voluntate ignorarent, superiores ab inferioribus de eo illuminari videntur. Quid enim aliud illuminare aliquem est, quam eius, quod ignorat, ignorareque, lucem, & notitiam in illum inducere? maxime, si ea inductio physica excitatione mediis speciebus impressis exactiue, imo actiue, vt diximus, à loquente inferiore Angelo in superiore fiat. Respondetur enim illuminationem, (de qua Dionysius, Patres, & Theologi, & nos citato loco) esse de supernaturalibus obiectis mysteriis, cordis secretis decretisque Dei vltra, & supra naturam totam illa causantibus, & de Angelis bonis in suos iam gradus hierarchicos, pro meritorum, & donorum gratiæ qualitate distributis: iuxta quam distributionem, quo superioris gradus hierarchici angelici sunt, eò sunt Deo gratiores, & coniunctiores, & quibus subinde cordis Diuini secreta, eorumque supernaturales effectus, & mysteria, prius, & immediatius sint ab ipso communicanda, & reuelanda: inferioris autem gradus hierarchici atque à Deo remotioribus Angelis non nisi, per superiores, ac viciniores, vt connaturalior, intra supernaturalem hanc, prouidentiæ modus exposcit. Quod si inde (vt recte potest,) ad illuminationem naturalem, ac de naturalibus extendas, vt soli superiores possint naturaliter inferiores illuminare, quia his amplius & plura sapiunt, nil tamen contra nos deduces. Nam circa aliorum actus, maxime liberos, intellectus, & voluntatis nullus Angelus, etiam supremus inferiori, aut infimo etiam, sapientior de se est, nec, nisi dependenter à voluntate manifestatiua Angeli cuiuscumque, cuius actus sunt, potest eos naturaliter cognoscere, vt vidimus, imo vero quia sapientiores, quoad alia, superiores inferioribus sunt, ius his naturale adest, vt de eis, quæ non ita bene sapiunt superiores rogent, eisque loquantur, vt instruantur, & naturaliter illuminentur. Porro hactenus dicta de Angelis superioribus ad quos loqui inferiores sicuti & superiores ad ipsos de mutua locutione animarum separatarum cum Angelis dicta ob rationem eandem puta.

CERTAMEN III.

De hominum pro hoc statu immersionis animæ in corpus, & Angelorum mutuis inter se locutionibus.

1. RES hæc affinitatis iure ad præsentem quæstionem spectat, in eius vero examine duo, vt certa supponenda potius, quam disputanda sunt. Primum Angelorum, & hominum mutuam locutionem esse posse, ac frequenter extitisse. Secundum eiusmodi colloquia signis sensibilibus, & ad placitum significantibus fuisse frequenter, inter eos habita. Vtrumque est de fide, ex Daniele, & Prophetis aliis, quorum cum Angelis colloquia per eiusmodi signa in scriptura referuntur. Secundo: ex colloquio Gabrielis cum Deipara ad Incarnationis mysterium peragendum Lucæ 1. Tertio: ex Christi tentatione à Dæmone in deserto, & variis eius cum dæmonibus, qui energumenorum, quos sanauit, colloquiis per

Euangelistas relatis, quorum similia exorcizantium energumenos colloquia multa, in authenticis historiis referuntur, & quotidie experimur, & audimus. Item ex colloquiis veneficarum, maleficarum fœminarum, hominumque cum Dæmonibus, quos audiunt, & quotidie alloquuntur. Ratio autem est: quia, & Angeli linguas hominum, & nationum calent perfectissime: quare,& quemque hominum proprio idiomate loquentem, & audiunt, & quam optime intelligunt, facilleméque, & peritissime proprio eius idiomate loquuntur: idque connaturalius,quam species proprias hominis animæ imprimendo, vt concl. 2. dicemus.

2. In hac vero locutione hominum, & Angelorum per signa sensibilia occurrit primo difficultas: an, & quomodo Angeli excitentur, ad audiendum homines ipsis loquentes? excitatio enim hominum ab ita loquentibus Angelis ad audiendum, ac modus, quo ab eis excitantur efformatis vocibus, quibus species impressas ipsarum recipiant (si eæ dentur) easque cognoscant, & ex præsupposita significatorum scientia, quid ipsis Angelus loquatur attendant, ac percalleant facile intelligitur. At vero Angelum locutione sensibili hominis ad ipsum audiendum, cum id media productione specierum vocalis soni (quo primo percipiendum obiectum est) fieri debeat, atque in Soari sententia Angeli species ab obiectis materialibus, neque actiue, neque exactiue physice recipiant; imo vere omnium futurorum naturalium (quæ cordis secreta, non sunt) species congenitas, ab initio creationis habuerint: non posse Angelum locutione sensibili hominis excitari, vt ipsi loquenti attendat, eumque audiat, consequenter videtur docuisse; tametsi putes posse loquenti attendere, si ex se velit, non tamen ab illo excitatus. Hoc tamen postremum male cohæret, cum primo, vt bene obseruat Arriaga cit. sect. 7. subsect. 4. num. 55. quomodo enim volet de se Angelus attendere nunc loquenti homini, ni illi aliunde constet, nunc ipsi hominem loqui,qui antea non loquebatur. Id autem ipsum est excitari, vt velit attendere, attendatque loquenti, dum loquitur, non autem dum non loquitur: quo euincitur locutione illa sensibili hominis physice, vel actiue,vel saltem à Deo exactiue excitari Angelum, vt velit attendere, & attendat, audiatque hominem ita ipsi loquentem. Nisi velis Angelos ex scientia possibilis locutionis sensibilis hominum ad ipsos continuos innumeros actus voluntatis attendendi, singulis & omnibus hominibus existentibus, an loquantur, elicere, quod ridiculum, est: & plerumque respectu plurium hominum, qui nulli Angelo, & omnium, qui omnibus nunquam loquuntur, omnino est frustraneum Angelorum desiderium.

3. Dico in hac difficultate: Angelum excitari locutione sensibilis hominis ad ipsum loquentis, vt ei attendat, eumque audiat, expressit conclusionem Arriaga num. 56. eamque supponunt Doctores reliqui, etsi in aliquorum principiis, non adeo facile possit defendi: de quo statim post conclusionis probationem, quæ sic habet. Libera rationalis creaturæ locutio, & secretorum cordis eius manifestatio successu temporis futura non habet in Angelo species proprias, ipsi creationis initio congenitas, & per se, vel per accidens infusas à Deo atqui sensibilis locutio hominis ad Angelum per sensibilia, & materialia signa ad placitum est libera hominis locutio ad Angelum, & manifestatio secretorum cordis rationalis creaturæ: ergo non habet in Angelo, ad quem dirigitur, species ab initio creationis eius ipsi congenitas, & à Deo,vel per se, vel per accidens infusas: ergo debent species, eius locutionis sensibilis, & materialis produci in Angelo, ad quem ea dirigitur, cum ea hominis locutio, & manifestatio, ad Angelum absolute existit, & adest: siquidem absque eiusmodi speciebus videri, ac intuitiue, vt oportet cognosci eiusmodi hominis manifestatio, & locutio ad Angelum ab ipso nequit. Tunc sic: nequit Angelus, ad quem est locutio species proprias eius locutionis materialis, & sensibilis in se habere, quin habeat in se excitatiuum in actu primo sufficiens, vt loquenti attendat, & eum audiat, ni alio sit totus intentus, & distractus, excitationem, attentionem, & auditionem in actu secundo, & exercito locutionis illius: ergo positione absoluta eius locutionis ex qua (quomodocumque velis) pendet earum specierum productio Angelus, ad quem locutio illa est, excitatur, vt attendat, & audiat hominem ipsi loquentem. A quo autem modo species præfatæ in sui productione à locutionis illius absoluta existentia, actuali, & de præsenti physice pendeant probationi, & veritati conclusionis non derogat. Illud tamen certum est physice, tanquam à principio actiuo adæquato pendere à locutione sensibili hominis non posse; cum materialis omnino locutio sit, quare nec formaliter, nec eminenter prædicatum spiritualitatis contineat. Poterit autem principium physice actiuum inadæquatum tamen esse, quod partiali etiam actiuitate intellectus Angeli, qua agens intellectus est, compleatur: vt de phantasmate respectu speciei intellectiuæ spiritualis nostræ, nostroque intellectu, qua agens est, philosophamur: vel dici facilius potest, earum specierum productionem physice exactiue à Deo solo illas producturo à sensibili illa hominis locutione pendere.

4. Maior illa syllogismi primi (ex qua reliqua legitime inferuntur) probatur. Primo quidem: quia nullius futuri contingentis, quantumuis entitatiue naturalis, habet Angelus species congenitas, & à suæ creationis initio per se, vel per accidens à Deo infusas, vt ostendimus tom. 2. Philosophiæ, controuers. vltim. de speciebus angelicis. Secundo probatur: quia (Soario, quem impugnamus, teste cum Doctoribus reliquis) secretorum cordis etiam humani futurorum duratione posteriori species proprias, sibi ab initio creationis congenitas, & infusas Angelus non habet: imo, neque eorum præsentium habet species, quousque, cuius sunt, manifestatiua voluntas atque ex parte sua eorum adsit absoluta manifestatio, qua illi in aperto formaliter,obiectiue constituantur, atque subsato iure naturali secreti cæteris potentiore, quod is, cuius sunt, cordis secreta habet, intra sphæram obiectiuam naturalis facultatis, intellectiuæ Angeli, cui ea vult manifestari Angelus, vel homo, ea habens absolute collocentur, vt sæpe q. 4. docuimus,& monstrauimus. Hinc autem legitime infertur manifestationi ipsius secretorum cordis hominis, vel Angeli, cuius sunt, seu locutionis species proprias Angelis à creationis instanti congenitas & infusas, per se, vel per accedens non habere, quia iudicium Angeli vel hominis loquentis, de re, de qua loquitur, in secretis cordis angelici, per Soarium, & reliquos, præter Vasquez, recensentur (maxime, cum liberum ipsi, ac non necessarium, & naturale iudicium est) quia de actu ipsius libero locutio, & manifestatio Angeli vnius ad alterum est, de quo iudicio ad cordis secretum pertinere nemo, ne Vasquez quidem, potest dubitare: ergo eius species propriæ, non habentur ab Angelis, ab initio creationis infusæ.

5. Cum enim manifestatio, & actus iudicij loquentis nequeant videri, & cognosci, quin eorum obiecta necessario, abstractiue saltem, cognoscantur: atque iudicium, & manifestatio hæc per locutionem præfatam sæpe de actibus voluntatis, & affectibus liberis, atque explorato secretis cordis loquentis hominis sit, si species propriæ, eum locutionis, tum iudicij Angeli, vel hominis loquentis connaturaliter debitæ Angelis sint, ac proinde ab initio creationis ipsis congenitæ, & infusæ, necessario, & naturaliter secreta cordis ab initio creationis à cunctis Angelis cognoscentur, vt supra arguebamus q. 4. vbi solutionem de necessitate existentiæ obiecti, vt speciebus ab ipso independenter præhabitis vtdeatur abunde reiecimus. Mitto alium excitationis Angeli modum locutione humana & sensibili ad ipsum, quem addit Arriaga, n. citato ex speciebus præhabitis omnium obiectorum, confusis, seu, in quibus

quibus ea omnia confuse cognoscantur, & positione existentiæ, qua absoluta locutionis sensibilis ad eiusmodi obiecta determinare, & indiuiduatim intuenda extrinsecus determinetur: is enim modus, & falsam doctrinam de speciebus illis confusis Angelorum ab initio creationis infusis supponit: & improbabilius longe, quam species, cuiusque obiecti propriæ, & claræ sola extrinseca obiecti positione poterunt ad eius intuitionem edendam determinari, vt de se se satis claret.

6. Secunda de hominum ad Angelos, & horum ad homines, insensibili, atque mentali locutione difficultas est: an mentali locutione inter se (eodem modo, atque mutuo inter se se Angelos loqui, atque alterum ab altero excitari, vt attendant, audiantque loquentem diximus) Angeli, & homines mentali locutione loquantur, seseque excitent, vt attendant, & audiant? Quocirca (ne æquiuocatio responsioni possit obrepere,) quæstio non est de pura excitatione, & causatione physica cogitationum quarumque, siue bonarum, siue malarum in hominis mente à malis Angelis, & bonis: eam quippe fieri ab ipsis posse excitatione, & motione spirituum vitalium, quibus species phantasmatum resident, & qua phantasiæ applicentur, ac obiectorum sensibilis memoria refricetur, sicque species naturales ab eis quondam in mente causatæ quantumuis antiquatæ, & pene emortuæ, quasi exsufflatæ, reuiuiscant, causentque oblitorum intellectionem dubium non est. Vnde nec dubium est, ita Angelos recti, prauique suasores hominibus dici, ac subinde ad eos aliquo modo absque vllis sensibilibus signis loqui. Verum locutio hæc non stricta, & physica Angelorum ad homines locutio est, sed moralis tantum, & ob quam bene, maleque, exinde ab hominibus gesta Angelis etiam tribuantur: ad quod satis est ex gestorum intentione modo alterutro, circa homines, eorumque mentes, & voluntates Angelos negotiari. Cæterum: cum propria, stricta, ac physica locutio dicat non solum physicam cognitionis, de quouis obiecto causationem; sed addat iudicij, quod de illo loquens habet manifestationem, quæ in physica illa efficientia intellectionis humanæ ab Angelo, nusquam inuenitur, difficultas de pure mentali locutione Angeli ad hominem, & contra hominis ad Angelum, (quæ iuxta dicta de Angelorum locutione inter se) in voluntate manifestatiua immediate sui iudicij de obiectis (si assertiua sit) consistit. Mediate vero, si imperatiua sit, & voluntatis, vt aliquid alter agat immediate, circa modum mentaliter puræ excitationis mediis speciebus, vel hominis ab Angelo, vel Angeli ab homine ipsum alloquente, vt alter loquenti, attendat, eumque audiat difficultas vertitur tota. An, scilicet, alterutrius manifestatiua voluntas, seu locutio, ad alium specierum præfatarum principium physicum, siue actiuum, siue exactiuum solummodo sit? an secus? in ea vero Soar. & Arriaga d. 57. §. *iam hic concludo*, neutrius manifestatiuam voluntatem species proprias in altero, ad quem dirigitur, actiue illas, aut exactiue physice producere aiunt: quia Angelus neutro modo eas in homine potest, naturaliter producere: quare, neque homo, in Angelo, vt pure mentaliter loquantur.

7. Dicendum nihilominus est, Angelus in homine, cui loquitur, species spirituales mentalis locutionis naturaliter nullatenus producit, à posteriori: quia, nunquam euenit in naturali, & frequenti, locutione mentali Angeli ad animam corpori coniunctam, seu hominem, vt attendat, & audiat excitationem naturalis virtutis, & actiuitatis locutionis mentalis, non per sensibilia signa Angeli ad hominem, seu animam coniunctam corpori, minime est: vt ex reliquis agentibus, & effectibus mentalibus, patet: ex quibus, qui naturaliter, necessariis positis, vt ab agentibus absolute, vel hoc, vel illo modo fiant, & fiunt frequenter, absolute, vel modo aliquo nunquam fiunt extra actiuitatem naturalem illorum agentium vel absolute, velut eo modo ab eis fiant, certissime sunt. Tum sic, sed nusquam, pure mentali, ac non per signa sensibilia, Angeli locutione frequentissima excitatur homo per species proprias impressas spirituales de materia & obiectis, de quibus loquitur, vt clare, & in se, atque (vt sic dicam) intuitiue audiat: nec vllus vsquam loquentem sibi Angelum audiuit: ergo in Angelis ad hominem locutione nulla physica, virtus naturalis actiua, imo neque exactiua, eiusmodi specierum in illo producendarum adest. Probatur secundo à priori: quia, etsi ex impotentia entitatiua receptiua pure spiritualium, earum specierum in anima corpori coniuncta, hæc pars non probatur: ast ex impotentia connaturali vsus earum specierum in homine, seu anima coniuncta corpori, solide, & efficaciter probabitur. Siquidem, nequit naturaliter dari principium actiuum naturale alicuius operationis, cuius principij vsus sit naturaliter impossibilis, vt patet: quia alias illud principium esset, & non esset naturaliter operatiuum contradictione apertissima. Iam vero vsus earum specierum spiritualium, & propriarum naturaliter homini pro hoc statu viæ impossibilis facillime monstratur: quia vsus naturalis specierum propriarum spiritualium in facultate, & potentia intellectiua, & spirituali est ad propriam, & claram obiecti in se, & secundum se, & vt in se est intellectionem, & intuitionem, non autem ad obiecti intellectionem ad modum alterius: atqui hominis, seu animæ corpori, pro hoc statu viæ immersæ cogitatio rei insensibilis, & spiritualis (vti est locutio, seu voluntas manifestatiua, & iudicium Angeli loquentis; naturaliter nequit esse, nisi per conuersionem ad phantasmata, & ad modum alterius: ergo vsus naturalis specierum illarum est naturaliter impossibilis, homini, seu animæ corpori immersæ, & coniunctæ pro hoc statu viæ.

8. Dicendum est secundo. Homo locutione pure mentali ad Angelum physice, saltem exactiue à Deo, specierum propriarum in ipso productione ipsum excitat, vt attendat, & audiat. Est contra Soarez, & Arriagam, vbi proxime, & alios. Probatur primo: quia locutio omnis essentialiter, & natura sua concernit excitationem ab ipsa prouenientem eius, ad quem dirigitur, vt attendat, & audiat (saltem possibilem) vt supra ostendimus, ac de se claret: item excitatio hæc nequit, per solam extrinsecam locutionis positionem in se ipsa; atque ibi sistendo, fieri; sed aliqua intrinseca mutatione, facta à loquente media locutione, in eo, cui aliquis loquitur nec, nisi ei loqueretur facienda id autem, quod in ipso alloquente fit, vt ille attendat, atque hunc audiat diximus supra cum communi Doctorum, ipsisque Soario Arriaga, & asseclis, esse locutionis eius indiuiduæ species proprias: vt patet ex locutione sensibili per materialia signa ad placitum significantia, & vniuersim probatur. Quia id debet intrinsecus poni media locutione in audituro, ex quo certus fieri possit locutionis illius indiuiduæ, & esse locutionem eius, qui ad ipsum loquitur, atque ita eum de re, aut materia, de qua loquitur, iudicare, vt loquitur; quia alias non posset, ob loquentis authoritatem, eidem obiecto assentiri, vel dissentiri: nequit autem poni in audituro, media locutione, aliquid, ex quo, eorum iudicium certum possit elicere, nisi species propria eius indiuiduæ locutionis vt loquentis huius est iudicij, quod de re, de qua loquitur, vere, vel simulate se habere manifestat: siquidem ea certitudo non fidei Diuinæ, & supernaturalis, sed naturalis, esse debet, & quæ visionis, non nisi per species proprias habitæ sit cive innitatur: ergo species propriæ pure mentalis locutionis hominis, ad Angelum, quibus hic ad attendendum, audiendumque excitari possit, ac de facto, quandoque excitetur, vere, ac physice debent ab ea hominis locutione causari, quod non nisi, physica saltem ex actione earum specierum à Deo producendarum, fieri potest. Confirmatur: quia, cum locutio per signa sensibilia non sit, nullus alius modus, quo excitari Angelus pure mentali hominis ad ipsum locutione valeat designari, excogitative potest. Probatur

tertio:

tertio: quia locutio hæc pure mentalis hominis, ad Angelum est voluntas manifestandi Angelo iudicium, quod de re habet, & cordis humani secretum: estque in se æque pure spiritualis voluntas, atque voluntas Angeli cuiusuis manifestandi alteri Angelo similia sua: ergo æque, atque hæc, physice actiue, vel exactiue saltem à Deo productiua specierum erit in Angelo, cui loquitur.

9. Arriaga num. 38. § *Dices*, *loquela*; negat consequentiam: quia ob statum coniunctionis animæ ad corpus, & voluntati manifestatiuæ, & locutioni hominis ad Angelum pure, & æque spirituali, atque Angeli ad Angelum, deest physica, non solum actiuitas, sed exigentia à Deo præfatarum specierum absoluta, & expedita: Quemadmodum n. 7. ob eundem statum concretionis animæ diximus locutioni pure spirituali Angeli, ad ipsam, ita corpori concretam siue ad hominem, deesse physicam absolute, & expeditam naturalem actiuitatem, & exigentiam à Deo producendarum similium specierum in homine, seu anima corpori concreta, cui loquitur, quarum specierum in anima ponendarum absolutam, & expeditam physicam & naturalem exigentiam, imo, & actiuitatem haberet, si ei in statu separationis loquatur. Sed tamen ex dictis numero illo 7. facile præcluditur euasio. Constat enim ex impossibilitate naturalis vsus earum specierum propriarum, in homine & anima, in statu concretionis corpori, nimirum visionis, & intuitionis spiritualium obiectorum, in se, ac secundum se (cui soli species propriæ obiecti possunt inseruire) ac non admodum, sensati, & corporei obiecti alterius, ob quod conuersio animæ, & intellectus ad phantasmata (si neque pro statu concreationis animæ intelligere spiritualia naturaliter nequit) necessaria est. Physica vero spiritualis locutionis, seu voluntatis, hominis & animæ, pro statu concretionis, actiuitas, vel saltem exigentia, naturalis specierum propriarum, non est in ipsa anima ponendarum, ad corum obiectorum in se, & secundum se visionem, & cognitionem intuitiuam, ac non corporei, & sensibilis obiecti adinstar ab anima ipsa, eliciendam (quod pro statu repugnaret, esset quippe naturalis potentia, ad cognitionem naturaliter, pro eo statu impossibilem) sed specierum in Angelo, cui homo, seu anima in statu concreationis pure mentaliter, & spiritualiter loquitur: in Angeli vero, & recipiendi, cuiusmodi species proprias spirituales, & mediis illis eliciendi visionem intuitiuam spiritualium suorum obiectorum, quare, & vsus proprij eiusmodi specierum physica absoluta est, & naturalis potestas: quare physica vel actiuitas, vel exigentia naturalis locutionis mentalis humanæ earum specierum, in Angelo, cui loquitur producendarum non est specierum, quarum vsus prius, sit naturaliter impossibilis, sed connaturalissimus.

CERTAMEN IV.

De mutua Angelorum vel inter se, vel hominibus colloquentium auditione.

1. HOrum omnium auditionem realem formalem in cognitione audientis propria, & intuitiua locutionis & iudicij, quod se habero manifestat is qui loquitur, stare compertum ex dictis est, si sit pure mentalis (vt inter Angelos) locutio. Posset autem in controuersiam inde vocari: an superiores Angeli inferiores audiant, possintve audire loquentes? Cum enim auditio, cognitio sit, eorum quæ ex Angelorum inferiorum locutione norunt, ac sine ea ignorarent, fieri sane, superiores Angelos ab inferioribus edoceri, illuminarique naturaliter, & de naturalibus posse. Disiecimus hanc oppositionem, supra certam. 1. vbi inferiores, infimum etiam, superioribus, & supremo loqui naturaliter posse statuimus: ex locutionis autem possibilitate possibilitas auditionis inferiorum loquentium à superioribus, quibus loquuntur, legitime infertur. Difficultas absurdi, quod superior Angelus ab inferiori edoceatur, de naturalibus naturaliter, atque illuminetur, disiecta etiam loco citato fuit. Et quoad illuminationem, quam superioribus ab inferioribus, Theologi, iuxta ordinariam prouidentiam negant, de supernaturalibus obiectis, & mysteriis à Deo reuelatis, ac reuelandis Theologos, loqui certum esse diximus, quoad Doctrinam vero de naturalibus obiectis absolute, & independenter à voluntate alterius Angeli cognoscibilibus non posse superiores ab inferioribus naturaliter edoceri; posse vero de naturalibus etiam, quæ non, nisi dependenter à voluntate Angeli cuiusuis alterius absoluta cognoscibilia naturaliter ab aliis Angelis sunt, ibidem docuimus.

2. An vero Angeli loquentes ipsis Angelos, vel homines, semper, ac necessario naturaliter audiant? altera est difficultas, & leuis. Respondeo negative. Possunt enim aliis cogitandis, vel naturaliter, & involuntarie vel voluntarie, & libere Angeli, quibus alij loquuntur, toti esse intenti, atque distracti, ita vt loquentem non audiant, neque eius locutioni attendant, siue homo, siue Angelus ipsis loquatur. Id quod experientia quotidiana nostra, cum alio distractis hominibus loquimur, satis probatur. Possunt etiam Angeli in naturalibus relicti, vel iam vitio, vel superbiæ, vel odij in loquentem occupati per neglectum, nolle sibi loquentem, audire: vt sæpe, etiam apud homines contingit superbos, vt alios, quos præ spiritus tumore despiciunt, quosve multum auersantur, audire nolint, neque attendere, sed loquentes, imo loqui vix incipientes proterant. Ita ego de Lucifero, & asseclis Angelis prauis censui semper. Nempe Michaëlem, & Angelos reliquos bonos præ superbia, atque odio in eos infensissimo audire, attendereque per neglectum noluisse: vnde illud solum à Michaële, & sociis toto viæ, & prælij tempore, ad Luciferum, eiusque asseclas ingeminatum, altiusque, & vehementius inclamatum, nihilque amplius, nouimus. *Quis sicut Deus*: ex quo militiæ cælestis Principi Michaëlis nomen inditum est: vt nolentes præ superbia, & odio audire, vehementiorę, ac vehementiore rationis eiusdem inclamatione repetita (si qua posset) redderet attentos.

3. Dubitari posset: ex quo tempore, & quousque Angelorum inter se, & cum hominibus locutio, & auditio, mutuaque colloquia cæperint, & quousque sint duratura? Et quoad inceptionem, constat à principio fere creationis suæ inter Angelos, cæpisse: quod ex tunc, & inter ipsos prælium, & ad homines bonorum malorum, bonæ malæque inspirationes, & suggestiones cæperint. Quo vero vsque Angelorum inter se, & cum hominibus mutua locutio sit duratura? Constat duraturam non solum toto mundi huius tempore, quo Angeli superioris gradus hierarchici inferiores gradus illuminabunt, atque ex Dei mandato, & nutu, quid circa mundum hunc, eiusque partes, & homines singulos, iuxta Dei voluntatem, agi specialiter oporteat instruent, atque ad id peragendum mittent, quod mentali eorum locutione fiet; tum etiam Dæmones in suam pessimam rempublicam, & gradus hierarchicos in malum vniuersi, & hominum præ sua nequitia, vt magis nocent distributæ ex Satanæ, seu Luciferi Principis mandato, & suggestione vniuerso, & hominibus perdendis aliorum ad alios suasionibus, & cohortationibus incumbent. Finito autem mundo Beatorum, & Angelorum reipublicæ fælicissimæ colloquiorum inter se iucunditas nulla futuræ æternitatis duratione deficiet, quibus, & gaudium augelicat, ac mutuo se in Dei laudes, & amorem accendant: contra vero generis vtriusque damnati se conuiciis perpetuo proscindent, & molestorum, cuique

repe

repetitione , cruciabunt , atque in Dei odium , & blasphemias inuicem hortabuntur , & incendent.

4. Vt res tota locutionis , & auditionis Angelorum (& idem est de pure mentali hominum ad ipsos) absoluatur , de subiecto , cum locutionis, tum auditionis mentalis dicendum erit : locutionis mentalis subiectum solummodo esse loquentem, auditionis realis formalis , cum ad quem , est locutio: quod ipsum de excitatione, eius, tam in actu primo per species in ipso , actiue , vel exactiue physicæ à locutione productas , quam in actu secundo , realis formalis excitationis , & attentionis excitetur, de reali formalis auditionis subiecto constat ex dictis , cum ea sit , locutionis , & reliquorum quæ per illam alteri manifestantur realis formalis audientis cognitio de locutione constat etiam ex dictis q 4. cert. 6. n. 2. Nec præstat impugnatio Arriagæ nostri supra subsect. 1. n. 43. §. *Dicendum ergo*, & §. *ideo reiciendus est Vasquez*. Vt probet locutionem in solo actu loquentis esse non posse , sed inadæquate solum , & tanquam comparte complente in speciebus, in audiente productis : ac proinde , nec loquentem subiectum adæquatum locutionis esse posse : quia alias nullis speciebus productis in audiente posset esse. Cæterum, etsi contra Vasquez, qui in actu reflexo iudicij loquentis ante voluntatem liberam illud alteri manifestandi, ac proinde indifferentem de se, nec determinatum, vt alteri determinate manifestetur satis probet in illo locutionem adæquate esse non posse : quod , & nos citata quæst. 4. aliunde probauimus , contra nos autem , qui in voluntate loquentis de eo , & reliquis determinata , & determinate ei , cui loquitur manifestandis , quæ se ipsa , sui etiam manifestatiua sit constituimus , nil prorsus probat : ex ea siquidem determinatione , & specierum sui , & iudicij illius in eo , cui loquitur, natura sua physice actiue , vel exactiue , productiua est , æque , atque humana , & sensibilis per externa signa locutio, quæ vera locutio est. etsi species, quas naturaliter producere in eo, cui loquitur , actiue, vel exactiue physice , potest, & petit aliunde non producantur de facto , quod, cum viderit, Arriaga, & valde probabile censuerit, non video, cur in sua conclusione paragraphi. *Dicendum ergo* nihilominus perstiterit §. *Hinc colligo primo*, & § *colligo secundo*.

CERTAMEN V.

De multitudine Angelorum loquentium, quos quisque potest audire.

1. QVot vero Angelos loquentes ipsi possit quisque Angelus audire disputant aliis minutius Suarez c. 28. n. 53. & Arriaga citat. sect. 7. subsect. 3. & quoniam audiendi potentia in actu primo, vel audiendi in actu secundo potest considerari : & potentia audiendi absoluta in actu primo speciebus impressis locutionis Angelicæ constituatur , vt diximus , si de potentia auditionis , siue audiendi in actu primo sit sermo, eadem sane quæstio hæc erit , atque de potentia Angeli cuiusuis specierum præfatarum receptiua , siue à quot Angelis loquentibus , seu angelicis locutionibus possit quisque Angelus species physice recipere : si vero de possibilitate , seu potentia logica absoluta audiendi , siue auditionis , in actu secundo idem erit , atque inquirere , quot Angelos ipsi loquentes , possit Angelus quisque locutionum eorum speciebus instructus audire ? vtraque vero quæstio , tam de potentia recipiendi species plurium locutionum Angelorum plurium loquentium, quam eis receptis plures audiendi , duplici sensu intelligi, & examinari potest : scilicet de potentia recipiendi plurium loquentium species plures, ac eis receptis, loquentes audire simul , vel successiue. Certe Soarius , & Arriaga de vtraque Angeli cuiusque potentia audiendi in actu primo , vel secundo simul plures Angelos ipsi loquentes tantummodo agunt, non autem de potentia alterutra sensu audiendi illos successiue. Et ego quidem , quoad potentiam audiendi plures locutiones plurium Angelorum in actu primo seu earum species recipiendi , censeo eandem difficultatem esse , eiusque decidendæ rationem fore , siue , simul siue successiue species recipiendæ plurium locutionum illarum sint : cum nec species sibi inuicem contrarientur , ac proinde , neque aliam alia , seu alias ex oppositione inter se se subiecto pellat , sed solum ex eius incapacitate receptiua , quemadmodum corpus vlnare , vlnare aliud ex solum vlnari , quem occupabat , ac replebat, loco trudit , nec nisi successiue corpus vtrumque potest in eodem loco locari , vt posset , si duarum vlnarum locus esset , ac subinde vtriusque vlnaris corporis continendi capax : quod ipsum censeo de virtute actiua naturali non vitali (præsertim , non cognoscitiua , & appetitiua) quæ in suis operationibus , & effectibus edendis nec laborat , nec defatigatur , nec magis minusve vni , quam aliis edendis attendere , siue impendere possunt : quare nec vnius operatione ab aliorum effectuum , quos absolute potest agere , impediri. Quocirca , si igni combustibilia omnia quæ ignire absolute actiuitate sua potest , aut soli corpora omnia , quæ illuminare absolute potest , intra actiuitatis sphæram debitè applicarentur , haud dubio omnes igniendi , & illuminandi operationes , & effectus simul ederent: ita , vt nullum alium effectum edere successu quouis temporis , aut etiam æternitatis , vllatenus possent.

2. At de Agentibus , & virtutibus actiuis vitalibus , præsertim cognoscitiuis , & appetitiuis , siue materialiter , siue spiritualiter , quæ magis minusve attendere adhærere , seque impendere obiecto vni præ aliis possunt , ac proinde toto etiam conatu in vnum ex illis ferri cognitione , & affectu suo , atque in eo subinde , vel ita percipiendo , vel prosequendo defatigantur aliter res habet , imo in quouis , vtcumque cognoscendo , & appetendo aliquatenus , (etsi insensibiliter , ac sine aduertentia , laborant , constans apud omnes Doctores est , cognitione , & appetitu vnius obiecti, ac maxime plurium , impediri appetitiuam , & cognoscitiuam facultatem ab aliorum obiectorum , vel æqua , vel æque facili , & quandoque absoluta, actualique simultanea , cognitione, & appetitu , vnde de omni facultate cognoscitiua vniuersim (quod ipsum de appetitiua esse debet) dignitatis loco, apud scholas omnes aristotelicum illud circumfertur ; *pluribus intentus minor est ad singula sensus* : quare de potentia audiendi , in actu secundo , seu auditionis plurium loquentium Angelorum simul, diuersa difficultas , iuxta commune hoc generale axioma , ab ea est , quæ de potentia audiendi loquentes Angelos plures successiue , cum iam ab antea loquentium auditione , qua, ne alios audiret, distrahebatur , cessasset. Idcirco eius communis , & generalis potentiis vitalibus cognoscitiuis , & appetitiuis suppositione de Angeli cuiusuis potentia auditionis formalis , & actu secundo plurium loquentium diuidendæ quæstiones sunt de potentia scilicet audiendi seu auditionis eorum simul , & auditionis eorum successiue : atque aliorum Doctorum reuerentia , qui axioma tota amplitudine . & vniuersalitate recipiunt , seorsim de vtraque difficultate iudicium ferendum. Sed tamen postea , quid amplitudinis axioma illud habere firmiter possit , & an ad facultates , intellectiuas , & appetitiuas pure spirituales , & independenter prorsus à corpore , eiusque organis operantes (cuiusmodi Angelorum , & animarum separatarum intellectus, & voluntas sunt) subtilius , penitiusque rimandum à ratione erit , quam hactenus fuerit. Quæstiones verò ita à nobis seiunctæ , ac seorsim diuisis sensibus propositæ , quatenus Angelos loquentes,

vel locuturos concernunt, vel de actu absolute productis, vel de possibilibus etiam aliis omnibus possunt procedere de neutrorum autem pluralitate, qui loquentes ab vnoquoque Angelo audiri, siue in actu primo, siue in actu secundo possunt, nihil vero de determinato numero definiri cum fundamento potest: cum nec existentium nec possibilium Angelorum, qui, & esse, & loqui absolute possent, numerus, & determinata pluralitas, vltra quam, nec progrediantur de facto, nec progredi valeant, nobis innotescat, nec capacitatem Angelorum receptiuam specierum, & intellectionum, neque harum actiuitatem, angelicam vitalem, quasi palmo, digitisue, aut lato, vt aiunt, vngue possimus metiri, vt tot, & non plures capere, & virtute sua continere, statuere possimus: de existentibus, ergo de facto Angelis, & loquentibus, an omnium locutionum ipsorum species recipere quisque Angelus possit, & auditiones elicere? rationabili examini subest: de possibilibus etiam, an omnium etiam possibilium ab ipsis locutionum species possibiles physice pati, atque auditiones valeat, quisque efformare; etsi infinitæ illæ, vel cathegorematice, vel synchategorematice sint.

3. His dilucidæ harum difficultatum resolutioni prænotatis, Soarius loco citato, quoad potentiam audiendi in actu primo, siue receptiuam specierum censet: cuique Angelo, adesse ad reliquos omnes loquentes, simul audiendos in actu primo, siue locutionum eorum omnes, sine termino, species simul recipiendas; secus ad eos omnes loquente audiendos, in actu secundo, simul displicet autem, quoad primum, Arriagæ nostro citato loco num. 50 §. *ego in hac quæstione*, quia secundæ parti Doctrinæ suæ aduerlatur Soarius: cum ideo neget posse simul audire in actu secundo Angelos omnes loquentes, quia virtus actiua intellectionis locutionum Angelorum loquentium simul limitata est; sed etiam virtus passiua, seu receptiua specierum, quibus Angelus in actu primo audiens constitutus, est limitata, vt pote creata: ergo, si actiuæ virtuti cuiusuis Angeli ad audiendum simul in actu secundo, alios omnes, sine termino Angelos loquentes obest eius virtutis limitatio, ad audiendos etiam reliquos omnes Angelos loquentes, limitatio etiam potentiæ receptiuæ specierum præfatarum oberit, vt simul eas omnes, sine termino, recipiat, atque Angelos loquentes possit, simul in actu primo audire. Minor facilis probatu videtur. Quia potentia receptiua specierum, non est pure terminans, quæ nec vnionis, nec extremorum vniendorum, quà talis, vllam illorum præcontinentiam, requirat, vt requirit vt vere passiua hæc etenim ex intimis intellectus viribus, & quasi visceribus species istæ educuntur: quarum omnium, sine termino continentia creatæ capacitati, ac subinde limitatæ æque atque actiuæ capacitati, repugnat; quantumuis gracilior, & imperfectior continentia potentiæ receptiuæ, quam actiuæ potentiæ continentia respectu suorum effectuum sit, & cogitetur. Addit Arriaga inde: pro maiori Angelorum entitatiua perfectione naturæ ad plures aliorum loquentium species simul recipiendas, eosque simul in actu primo audiendos esse receptiuam capacitatem, ampliorem, quam sit in Angelis naturæ imperfectionis. Verum impugnatio Soarij, nihil contra ipsum præstat. Etenim ipsius ratio ex limitatione virtutis actiuæ Angeli ad negandam potentiam audiendi simul in actu secundo, seu formaliter intelligendi plures, & omnes Angelos simul loquentes, sine termino, non sola actiuitatis limitatio, sed actiuitatis, quæ obiectorum cognitione distrahi, & ab aliorum cognitione, possit impediri natura sua est, id quod actiue intellectiua Angeli facultas proculdubio (vt Doctores communiter docent, supraque notauimus, & Arriaga ipse constanter vbique fatetur, & eadem subsectione 3. num. 53. §. *Respondendum ergo.*) Id vero in virtute pure receptiua specierum, intellectus eiusdem locum non habet, vt vidimus num. 1. inde etiam additamentum eiusdem Arriagæ euanescit. Siquidem ad plures species simul pure recipiendas capacitas pure receptiua amplior, & perfectior entitatiue intellectus, quam pure recipiendas successiue non requiritur, vt eodem n. 1. docuimus: neque inde maior, minorve perfectio entitatiua intellectus angelici taxatur, sed ex virtute actiua intellectionis, & vsus plurium specierum simul: quæ qui maior in vnoquoque Angelo est pluribus simul, pluribusque cognoscendis, sine vllo, vel saltem minori impedimento, ac distractione potest attendere, vt in hominibus experimur.

4. Circa potentiam ergo cuiusuis Angeli audiendi, simul in actu primo reliquos omnes, qui de facto sunt simul etiam loquentes, seu omnium simul loquentium species simul recipiendi, dico primo, eiusmodi potentia receptiua, cuiuis Angelo adest. Conuenio cum Arriaga id expresse docente cit. subsect. 3. n. 51. §. *Secundo, & vltimo*, & Soario, qui amplius, vt vidimus, docet: scilicet posse simul recipere locutionum angelicarum, Angelorumve loquentium species, sine termino: quod amplius valde est, cum loquentes Angeli, qui de facto sunt, sint finiti, eisque omnibus, simul, semel tamen vni loquentibus, eorum locutiones illæ, coniunctim etiam sumptæ finito numero claudentur: eas autem solas simul ab eo Angelo recipi posse sat erit, vt conclusio hæc absolute verificetur, quin inde, vel apparens, illatio infinitatis eiusmodi potentiæ intellectus creati receptiuæ specie cum fieri possit: cum non sit potentia ad terminum receptionis sine termino, & quantitate discreta infinitum, vt contra Soarium Arriaga contenderat, de qua illatione, eiusque firmitate inferius. Probat inde conclusionem Arriaga: qui derogaret perfectiori reipublicæ politicæ Angelorum aliquem, adhuc vnum, Angelum ita limitatæ capacitatis receptiuæ specierum esse, vt eorum omnium simul quandoque loquentium species non posset simul recipere, eosque simul in actu primo saltem, simul audiunt, cum ad id finita potentia receptiua sit satis. Sed tamen §. *Dico id esse probabile* probationis suæ debilitatem hac ratione recognoscit: quia casus loquendi simul Angelos vni est moraliter impossibilis: quia omnes, siue Angelos, siue homines rempublicam rationalem constituentes per amplam, simul loqui confusionis, & invrbanitatis imprudentis est. Quod si invrbana, & perfectissimæ Angelorum reipublicæ simultanea Angelorum omnium locutio, ac subinde politicæ, & moraliter est impossibilis ex eius reipublicæ perfectione perperam capacitas physica receptiua simul specierum Angelorum omnium simul loquentium infertur in Angelis omnibus; infertur enim ex politica perfectione imperfectio solum politica simultaneæ locutionis omnium Angelorum, & contra ex hac imperfectione politica, politica etiam simul reliquos omnes audiendi imperfectio, quæ repugnat, iuxta hanc igitur, consideronem, rationalis reipublicæ perfectio solum infert, potentiam cuiusque Angeli loquendi non simul cum reliquis, sed seorsim vel gregatim, cum aliis pluribus etiam, non tamen adeo pluribus, vt locutionis, atque auditionis confusionem pariant, ac similiter potentiam simul recipiendi species, & audiendi in actu primo, totidem, quod, sine confusione loqui simul possunt, non plures impotentia quidem politica, non physica. Cæterum confusio hæc ex simultanea plurium hominum locutione humana per articulatos sonos, & voces significatiuas, quarum alias ementior, & elatior alia suprimit, & æquales, se mutuo confundunt, & aliud, quam quisque loquatur percipi facient (quemadmodum ex visus infirmitate, & congerie specierum lucis ex iride nempe, colores percipiuntur) at in Angelorum, quantumuis plurium simultanea locutione locum, quoad specierum simultaneam receptionem, atque eorum omnium in actu primo auditionem, non habet, cum nullius speciei productio alterius, & aliarum omnium simultaneam productionem impedire possit, per contra ab eis impediri, neque item mutuo confundi; esto, earum omnium vsus simultaneus,

taneus, siue auditio in actu secundo Angelorum omnium simul loquentium ob limitationem actiuitatis vitalis, & distractionem ab aliis cognoscendis, quam pati potest, & patitur, iuxta communem Doctorum ab obiectis, quæ prosequitur, & cognoscit, si plura præsertim sint, sit Angelo cuiuis impossibilis. Addo in mutuis Angelorum omnium cohortationibus frequentibus ad Dei laudem, & amorem locutionem reliquorum omnium simul ad singulos vicissim admitti debere; quare, & in singulis reliquorum omnium simul loquentium species simul & frequentissime recipi.

5. Dico secundo. Potentia simul de se receptiua specierum Angelorum omnium, qui de facto absolute sunt, loquentium siue locutionum omnium angelicarum sine termino, cuique Angelo adest: consentio nostro Soario supra contra Arriagam citat. num. 50. §. *ego in hac quæstione*: Addo, locutionum omnium possibilium ab omnibus Angelis, qui intra possibilitatem, Deique omnipotentiam clauduntur, quia id etiam ratio subiicienda suadebit. Probatur conclusio: quia de facto est potentia in vno quoque Angelo receptiua successiue specierum locutionum possibilium fore, & sine termino, per totam æternitatem futuratum ab Angelis, qui de facto sunt: ergo cuique Angelo est potentia receptiua simul earum specierum, sine termino. Antecedens probatur: quia per totam æternitatem futuram perstabit respublica rationalis, & politica Angelorum; quæ sine potestate communicationis, & locutionis inter se se stare nequit, vt patet: eæ ergo per totam æternitatem, successiua Angelorum successiue, sine termino ab Angelis, qui de facto existunt sunt absolute possibiles: ergo, & auditiones vicissim successiue, sine termino (quibus repugnantibus locutiones illæ possibiles esse nequeunt) sunt absolute possibiles: atqui auditiones in actu primo speciebus impressis locutionum earum constituuntur, & ab his auditiones in actu secundo fieri debent: repugnarent autem, si potentia receptiua earum, ex qua connaturaliter educantur, & quam natura sua concernunt, in Angelis non esset; ergo potentia receptiua successiue earum specierum, sine termino Angelis singulis adest. Nec video antecedentis huius veritatem ab Arriaga dubitari ab vllove Doctore verti in dubium posse. Consequentia solum dubitari potest, negaturque adeo tenaciter ab Arriaga vbi proxime nu. 52. à §. *obiici difficulter*, vt variis discursibus, & instantiis, & solutionibus relatis, & excogitatis, surdos tamen aliquando Angelos mansuros, nec speciei locutionis denuo recipiendæ physice capaces, si anteriores, in eius mente seruantur absurdum non reputet, sed plane fateatur, eos tandem aliquando elingues, & tanquam truncorum struem, aut lapidum congeriem ipsorum rempublicam tunc mansuram cogetur fateri, vt ex probatione antecedentis facile apparet. Sed tamen probatur facile consequentia ex dictis num. 1. quia capacitas, & continentia receptiua, & pure passiua subiecti respectu effectuum, seu formarum, & accidentium, sibi inuicem non aduersantium, omnes, quos, continet, potest simul æque, ac successiue recipere: quia, cum neutrum alteri formaliter aduersetur, ac repugnet, solum ex defectu capacitatis, & continentiæ passiue subiecti alterum cum altero in subiecto non componentur: cum autem capacitas passiua, & receptiua, nequat absolute esse ad effectus vllos, quouis tempore, aut duratione successiue recipiendos, quos capacitate, & virtute sua receptiua absolute non contineat, fit sane; vt ni ipsi inter se pugnent, & aduersentur, quantum de se est, possit omnes simul recipere, quin amplior potentiæ receptiuæ capacitas, ad eos omnes simul, quam ad successiue recipiendos requiratur. Bene ergo à potentia receptiua successiue specierum locutionum angelicarum sibi non aduersarum, sine termino infertur potentia intellectus angelici receptiua earum simul, sine termino; etsi ex repugnantia infiniti cathegore-

matici, & in actu rerum creatarum, in quouis genere (quam Doctores aliqui defendunt) earum omnium simultanea receptio repugnaret extrinsecus; non autem ex defectu intrinseco potentiæ receptiuæ.

6. Inferes cum Arriaga: ergo potentia illa receptiua simul omnium earum specierum, sine termino, est infinita quod creaturæ repugnat, vt supra permittebamus inferri: siquidem, ad infinitos effectus, quos essentialiter continet potentia receptiua, eidem obiectioni subiacet ipse cum Doctoribus reliquis: siquidem totidem, nulla dempta, continere debet, vt possit eas recipere successiue: imo continentia actiua (quæ Arriaga teste citato n. 50. §. *ego in hac quæstione* maioris virtutis, & perfectionis est) ab eo admittitur §. *Respondendum ergo*: sub med. n. 54. concedit enim ignem infinitos ignes, & calores contineat; & tamen ignis infinitam actiuitatem intrinsecam entitatiue, omnino negabit. Respondeo pro omnibus huic argumento (quod omnes vexat, totamque permeat Philosophiam, & Theologiam.) Infinitatem termini, seu extremi extrinseci, quem intrinseca sua entitate transcendentaliter potentia respicit, & essentialiter concernit, nullam illius arguere infinitatem; etsi ex infinitate termini, seu extremi illius extrinseci, quod respicit intrinsece maior, in illa perfectio arguatur, & ex infinitate extremi augescat, quam in rebus aliis generis eiusdem, quæ finitum extremum, seu terminum essentia sua respicerent: quia ex termini, siue extremi, ad quem res essentialiter relatione transcendentali referuntur, proportione, non quidem arithmetica, sed solum geometrica crescunt res ipsæ relatæ, & augescunt: vt pro defendenda à simili argumento (ratione materiæ vrgentiori) possibilitate visionis creatæ, & finitæ Dei in se intuitiuæ, & beatæ Scolastici veteres, & ex illis reliqui respondere solent: sed quoniam antiquiores, quid sub eis vocibus conceperint, & dixerint, fusius non explicuerunt satis, præfata solutio, tanquam vacuorum nominum à multis redargui, ac fere ludibrio haberi cæpit: eius tamen soliditatem, eorumque nominum medullam enucleauimus t. 1. de Deo vno controu. 1. d. 5. q. 3. cert. 3. quod, scilicet, quæ arithmetica proportione ex terminorum, siue extremorum extrinsecorum, ad quos transcendentaliter referuntur, & quibus subinde essentialiter connexa sunt, magnitudine, siue entitatiua, & ex genere, siue continua, siue discreta præ aliis, quæ non adeo magna extrema, & terminos respiciunt, augescunt ita debent crescere, vt minorum perfectionem, quam ex paucioribus, & minoribus extremis, terminisque ad quos essentialiter referuntur, in se contineant, & ex pluribus aliis, seu perfectioribus terminis, quos essentialiter respiciunt, quasi numerorum accremento (quod arithmeticum est) pro extremorum, seu terminorum maiori, & maiori perfectione, & magnitudine, vlteriorem, & vlteriorem magnitudinem, & perfectionem addere debeant: vnde quantulacumque perfectio, ex terminis, seu extremis, ad quæ res ipsis transcendentali relatione connexæ, addatur, si hæc infinita sint, atque aliis extremis finitis, quibus res aliæ connectuntur infinite excedant, infinitas rei, quæ infinito extremo, terminoue connectitur euidenter demonstratur: quod secus habet, si solum proportione geometrica ex magnitudine, & perfectione terminorum maiore, vel minore res ipsis connexæ, atque ab eis extrinsecus specificatæ crescant, & decrescant, quin imperfectioris rei perfectionem perfectior contineat, & aliquid addat; sed se tota maiorem, ex genere seu specie sua ex nobiliori, maioriue extremo, quod respicit, & à quo subinde, specificatur, perfectionem trahat, sicut trahit, quæ minorem terminum, imperfectiusque extremum, à quo extrinsecus specificetur, respicit, trahit, ex specie, genereue suo perfectionem: quod solum augmentum decrementumq; geometrica proportio requirit, scilicet, vt sicut à suo extremo imperfectiori, & minori, res quæ illud essentialiter respicit, suâ specificam perfectionem trahat quæ extremum maius, & perfectius respicit suam

(maiorem scilicet) proportione seruata trahat perfectionem. Porro ex dictis probatum, atque ab obiectionibus vindicatum manet, quod Soatij conclusioni, expressius saltem, addimus de potentia cuiusuis Angeli receptiua simul specierum omnium possibilium sine termino Angelorum omnium, qui de facto sunt, & qui absolute esse possunt.

7. Dico tertio, & vltimo (in proloquij illius *pluribus intentus minor est ad singula sensus*, & communi Doctorum de eo intelligentia generali de omnipotentia vitali cognoscitiua & appositiua, etiam pure spirituali, ac prorsus independenter à corpore, eiusque organis operante) nullus Angelus habet potentiam actuam vitalem audiendi in actu secundo, simul Angelorum omnium, non solum absolute possibilium; sed de facto adhuc absolute existentium locutiones omnes possibiles, etsi simul omnes loquerentur, atque vt concl. 2. docuimus, eorum omnium, sine termino, species simul, quisque Angelus absolute posset, & reciperet, atque eos omnes, simul loquentes, in actu primo simul audiret. Ratio ex ita intellecto, & statuto proloquio est in promptu. Quia auditio Angeli in actu secundo est intellectio audientis locutionem loquentis, vel loquentium ipsi: ast intellectione, & cognitione vnius obiecti, vel saltem aliquorum intellectus (etiam spiritualis atque independenter, à corpore, eiusque organis operans, & intelligens) distrahitur ita ab aliorum obiectorum intellectione, vt vix aliis intelligendis (præsertim si plura alia sint) possit intendere: ergo tot intra numerum finitum possunt alia obiecta cognoscenda addi, & multiplicari, vt, ne vix quidem, eis simul cognoscendis, seu intelligendis de facto, & in actu secundo locutionibus omnibus omnium Angelorum absolute possibilium, aut existentium, ac citius possibilium etiamsi illorum omnium species impressas proprias simul habeat possit intendere. Siquidem distractio hæc non defectu virtutis actiuæ specierum, quæ ad suum obiectum, sed intellectiuæ, quæ finita est, prouenit: & proinde, si in cuiusvis, obiecti cognitione, aliquid eius ita impendatur, vt alteri intelligendo aliquantulum distrahatur, & deficiat, plurium, & plurium etiam finitorum, (nedum infinitorum, intellectione, ita exhaurietur virtus, & attentio intellectiua, vt nulli alteri obiecto percipiendo intellectiua virtus, & attentio supersit. Id quod experientia intellectus nostri, cui non admodum multis intelligendis intentus, vel vni alteri intelligendo, virtus, & attentio non supereest. Etsi autem intellectui Angeli, cum ob eius perfectionem maiorem, tum ob independentiam à corpore phantasmatibus, organisque corporeis in intelligendo, pluribus multo, quam nos, intelligendis posse, simul intendere fatendum sit; sed de pluribus intra numerum, & finitatem, & quibus numerus maior esse possit, est solummodo admittendum. Cum autem auditio, in actu secundo, nil aliud, quam locutionum aliorum Angelorum cuiuis alteri loquentium sit, manet ex eius proloquiis communi intelligentia probata legitime conclusio.

8. Quoniam vero eius proloquij Aristotelici vniuersalis intelligentia & sensus nunquam mihi ita certus visus, atque reliquis, est præfatæ conclusionis non adeo, ac aliis, firmus adhæreo; etsi eam probabilem ab extrinseca fere omnium authoritate, quam à ratione (quæ minus mihi veræ proloquij intelligentiæ subnititur, etiam subiuncta ratione alia, quam supra tetigi, ac deinceps explicatius proponam) asserere non dubito. Idcirco, me, eam conclusionem reuertentia communis intelligentiæ proloquij illius sequi professus sum: siquidem proloquium, ex Aristotelis Doctrina, & experientia ortum in potentiis cognoscitiuis & appetitiuis subsequenter vitalibus sensitiuis, ac materialibus locum habere, verba ipsa sonant, quamuis, tum experientia, tum ratione, eius insensitiuis, & materialibus deprehensa, ad spiritualem nostrum humanum intellectum (qui dependenter à phantasmatibus, & organis corporeis, pro statu hoc coniunctionis, cum corpore intelligit) ac voluntate, pro eodem statu merito ab omnibus extenditur. Etenim experimur, nos non posse pluribus valde simul intelligendis intendere, quin aliorum intellectio, ac similiter volitio, aliorum intellectioni, & volitioni, aliquid detrahat, æque, ac obiectorum pluralitas cognitioni, & appetitioni, sensitiuæ officiat. Experimur item non minus plurium obiectorum intellectione, & volitione magis nos laborare defatigarique, quam, si vnum torum, vel pauciora obiecta intelligeremus, atque appeteremus. Ratio pro sensitiuis hisce, & spiritualibus potentiis nostris est eadem: quia, cum spirituales etiam, potentiæ nostræ phantasmatibus, & organis corporeis ad suos actus, pro statu coniunctionis, cum corpore, egeant, atque organa hæc ad phantasmata, & cognitiones, & appetitiones, sensibiles meliores, ac intra suum, quasque genus, perfectiores eliciendas, viuidioribus speciebus, quæ viuiditate sua sensuum, & potentiarum sensibilium organa lædunt, eorumque temperiem debitam, & iustam minuunt, atque accedente spirituum vitalium calidissimorum, & quasi vitalis corporis ignium, ad perfectiores operationes illas necessaria copia, quandoque fere totam dissoluunt: vnde eorum distemperies, & dolor: cum autem pluribus perfectis obiectorum plurium cognitionibus simul habendis, vel tanta spirituum vitalium, quanta opus esset non ita facile succurrat, ac si organo sensus interni, simul adesset, temperiem eius maxime læderet, fit, vt, si plura obiecta simul imaginemur remissius, vnumquodque per phantasiam percipiamus, & quo plura imaginamur remissius, vitalibus spiritibus ad plures cogitationes cum potentia, quam ad singulas edendas iuuantibus diuisis: quorum, quo plures cogitationes, etsi remissiones sunt, copia aderit maior, quæ organum lædat, & grauet, non sine dolore, laxatione, lassitudine, & defatigatione, quam experimur, dum plura imaginamur, & intelligimus: quia in statu hoc coniunctionis cum corpore intellectus noster, non nisi dependenter à phantasia, & phantasmatibus, quæ illa circa obiectum quoduis à nobis intelligendum operetur, possumus quidquam intelligere. Hæc autem omnia intellectione, & intellectu Angelico (idemque est animæ separatæ) qui prorsus independenter ab organis corporeis, & phantasmatibus intelligit, non eueniunt: quare non est vnde pluribus, quam plurioribus, vel vni obiecto cognoscendo, magis distrahatur defatigetur, & laboret, quauis intensione, iuxta specierum iuuamen fingula percipiat.

9. Quod autem operationes intellectus, & voluntatis omnes etiam independenter à corpore, eiusque organis, & phantasmatibus elicitæ circa obiecta sua versentur, in eaque, suo quoque modo, potentiæ earum elicitiuæ per eas operationes ferantur, ac proinde, quò amplius, ac vehementius in vnum obiectum fertur minus in aliud ferri, atque attendentia in illud distrahi necessario debeat: ac demum attendentia in vnum, si tota in aliud intensione feratur prorsus impediri (vt num. 2. tetigimus, & cursim docebamus) non nimis veget, in primis enim (quoad præsens attinet) intellectus intellectionibus suis in obiecta, quæ percipit, non fertur quidem, sed illa potius ad se trahit (vt Philosophia tota cum Aristotele fatetur) eorum in se imaginibus, & formalibus representationibus expressis: vt propterea intellectus esse vniuersalitur omnia dicatur. Inde vero, neque in actibus voluntatis, quibus hæc in sua obiecta ferri dicitur, vim vllam obiectio habet, cum latio hæc, & motus voluntatis, in obiecta sua localis non sit, & quasi à voluntate ipsa in varia loca, & à suo proprio simul mouenda, & distrahenda, vt in plura, obiecta feratur: sic enim neque in duo obiecta ferri simul quantumuis remisse posset. Est autem motus ipse affectiuus, & imitatiuus, atque in obiecta non quidem, vt localiter, sed intentionaliter præsentata, seu repræsentata, per eorum intellectiones, quæ plurium,

plurium, simul, & plurium esse in intellectu, æque etiam vnidæ possunt, ac si vnum quodque seorsim intelligeretur: neque enim sibi inuicem eorum intellectiones indiuisibiliter, nec, quoad intensionem, aduersantur, nec communem obiectorum intellectiones, quasi inter eas, quæ de facto simul sint partiendam, vltra quam, nil amplius intentionis simul edere intellectus possit; ac proinde, quo plures simul fuerint, minus singulis intentionis obueniat; cuiusuis obiecti cognitio suam, nec alterius cognitioni applicabilem intensionem, ad eamque ipsi adiungendam intellectus pro specierum intensiorum, perfectiorumque, iuuamine debiliori, potentiorive, minorem, vel maiorem, quod ipsum de intentione actuum voluntatis, provt hæc obiectorum cognitione si ea necessario prosequatur, viuidiore, perfectioreque, vel remissiore, & imperfectiore proponantur; quamuis circa ea, quæ libere, & ex indifferente potestate sua prosequitur, major, minorve affectus intensio, vti, & affectus ipse ab eius tandem libito, & arbitrio, cui reliqua in operando subduntur, proxime pendeat. Confirmantur hæc omnia ex visione, & amore beatis erga Deum, obiectum intellectus, & voluntatis creatæ virtute præcellens: & tamen, quò intentiores, ferventioresque in Beato quouis sunt, eò plura ipse perfectius videt, & ferventius amat. Tantum abest, vt obiecti tanti, quod infinitis creatis, non æquiualet solum, sed præualet infinita cognitio & affectus, eorumque intentio intellectus, & voluntatis potentiam & virtutem, ad alia, vel absolute, vel intense simul intelligenda, vel minuat, vel exhauriat. Denique obiectio ex infinita multitudine futurarum, & possibilium locutionum ab Angelis, qui de facto sunt, & qui esse possunt, simul, vt diximus, à quouis Anlo audibilium ad quod infinita virtus intellectiua requirenda videtur, solutum manet in simili de potentia receptiua specierum totidem, simul numero 6.

QVÆSTIO VI.

De peccato Angelorum Apostatarum.

DISPVTANTVR hic multa ab aliis, quæ nusquam ad peccatum Angelorum in particulari (de cuius examine in præsenti) sed ad præuia cuiuis peccato rationalis creaturæ cuiusvis spectant: quale est illud de ignorantia (siue positiua, quæ error sit, siue negatiua, aut priuatiua, quæ solum sit defectus cognitionis quoad substantiam, vel quoad intentionem) quæ ex parte actus primi ad peccatum, quodvis prærequisita asseri videtur, Ierem. 12. & Psalm. 12. sap. 5. & à Patribus recitatis à Vasquez, 1.2. disputatione 93. capite secundo, & à Theologis pluribus, Alens. Sanct. Thoma, 1. part. & 1.2. Caietano ibi cum Thomistis Dominicanis Ferrara, & aliis, quos Vasquez citatus, & Soarez, libro septimo, de Angel. cap. 4. referunt sed cum hæc cuiuis peccato generaliter præuia sint, vel secus, intempeste hic disputantur à Soarez, proxime. Alarcon, disp. 9. c. 3. Arriaga, disp. 23. à sect 2. per totas sectiones septem, ita enim sub tractatu de peccato Angelorum, de libertate, atque aliis omnibus ad peccandum, generaliter prærequisitis agi oporteret: solum ergo disputari hic opportune de ignorantia poterit, an de facto ex illa Angelorum peccatum processerit, & si in eis, vti in nobis ignorantiam peccato præcedere necessarium non sit. Similiter extra chorum hic disputatur ab aliis; an Deus creaturam rationalem natura sua impeccabilem condere possit? siquidem Angelum impeccabilem natura sua non esse, sed peccati capacem, & fides docet, & quæstionis titulus supponit: atque inde primi peccati ipsorum genus, seu speciem, ad quam pertineat inquirit, vbi plurium specierum peccata post commissa insinuauimus, vt primi indiuiduatio nostræ disputationi subsit.

CERTAMEN I.

Quæstioni suppositæ statuuntur.

1. PEccatum Angelorum extitisse certum de fide est, 1. Ioan. epist. cap. 3. *ab initio Diabolus peccat*, & idem Ioann. in suo Euangel. cap. 8. 44. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est*, & 2. Petri, 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus*, cui accinit Iudas in sua canonica epist. num. 6. *Angelos, qui non seruauerunt suum Principatum; sed dereliquerunt suum domicilium*, item blasphemiæ peccatum expresse à Beato Iuda in sua Canonica, n. 9. vbi Michaël, *iudicium inferre blasphemiæ*. Diaboli non ausus dicitur. Deinde supra à nobis, & hic iterum recitandis cert. 2. Luciferum Dæmonum Principem spiritus relatione, & superbia grauiter multum deliquisse expressum est. Rursus ex eorum damnatione, ac pœnis inferni æternis, inflictis à Deo iustissime, vt locis Petri, & Iudæ recitatis illico subnectitur, & Math. 25 41. *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Denique ex malis dæmonum erga homines & Deum odio infensissimo, officiis, tentandi, suadendi, atque arte omni impellendi nos ad peccatum, ruinam, nostramque omnem perniciem, ac perditionem, quod ipsum malos Angelos in viæ statu, cum contra bonos, tum contra eos, qui nondum de iniuncti præcepti obseruantia, vel transgressione deliberauerant, præstitisse ostensum supra à nobis fuit: ex quibus non vnum tantum, sed multiplex grauissimum Angelorum aliquot, malorum scilicet, peccatum aperte monstratur, & quorum aliqua aliis natura, & causalitate præcedant. Accedit argumentum ex præstigiis incantationibus dæmonum, atque energumenis peritum, quod non solum pro Angelorum absolute, sed & malorum existentia efficacius est, quam ab Arriaga putatur. Sed duo hic cursim examinanda se offerunt. Primum: an omnes Angeli, qui peccato infecti non fuerunt, in gratia, & sanctitate perstiterint, perstentque adhuc, sintque deinceps ad postremi vsque iudicij diem perstituri: ita, vt Angelorum, in bonos, & malos adæquata sit, constansque, & perpetuo duratura, sine vlla ipsorum ab vna in aliam partem transmutatione diuisio? Secundum an mali Angeli natura sua, atque, ex eius determinatione ad malum peccauerint.

2. Circa primum, error triplex aliquorum reperitur pro triplici dubio in eius propositione, tacto. Primus est aliquorum Philosophorum apud Augustinum, 1. de ciuitat. cap 11. Suarez citato, lib. 7. cap. 1 diuidentium Angelos in cælestes, idest absolute bonos, & Beatos, & alios hominibus perniciosos, & terrestres alios, & hominibus beneficos: quasi terrestres mediæ inter bonos, & malos, id est sanctos, & peccatores conditionis tertiæ sint, vt nonnulli interpretantur. Ego vero censeo trimembrem hanc Angelorum diuisionem à Philosophis, non penes malitiam, & bonitatem, siue sanctitatem moralem, factam fuisse, sed penes commodi, vel proprij, vel alieni bonitatem: vt cælestes primi membri Angeli intelligantur, qui summa commoditate, ac fælicitate propria in cælis perfruuntur tori, toti eiusmodi fruitioni intenti, nihil de nostris commodis, vel incommodis curantes: terrestres, qui nostrarum rerum satagunt, & commo-

dorum, suntque nobis boni, & proficui: mali vero, qui malo nostro, & perniciei inuigilant toti: siue id ex genij, siue, ex morali bonitate, aut malitia, in duobus postremis aduersæ erga nos conditionis Angelis proueniat. Qua in re circa Angelos beatos errarunt, nostrorum commodorum, & supremæ, æternæque fælicitatis nostræ, curam eis de negantes, cuius oppositum fides docet: siquidem ex ea constat expresse Angelis absolute dictis, id est bonis, & sanctis, ac curam nostri demandatam fuisse, nec solum sanctis, sed beatis, & qui ei deficere (pro mandatæ rei magnitudine & infirmitate nostra, aduersaque dæmonum sollicitudine) infirmitate minime possunt: quod si aliquis tertium aliud, mediumque inter bonos moraliter, ac sanctos, atque inter moraliter malos, seu peccatores, Angelorum genus de facto esse asserat, asserueritue, somnianti similis fuerit, & cui præter figmenti inanis absque vllo in scriptura, & patribus fundamento temeritatis, contra Patrum omnium, & Ecclesiæ totius sensum, erroris censura inuratur: ex his siquidem omnibus, ij omnes Angeli, qui cælo deiecti sunt, ob peccatum deiecti sunt, ac proinde mali, & peccatores; reliqui vero, qui eiecti cælo non sunt, suumque locum, & principatum bonis suis meritis, & præcepti obseruantia seruauerunt, qua æternum, boni, & Beati sunt effecti, inter lapsos vero ob culpam, & non lapsos ob meritum, & obedientiam, eum contradictoriè, labi, ac non labi, ex loco eodem, opponantur medium non est, ad quod possint Angeli aliquot pertinere.

3. Secundus error eorum est, qui docuere Angelos bonos semel ex propria deliberatione, atque meritoria præcepti obseruatione, malos tandem fieri temporis vlque ad postremi iudicij diem decursu posse, graui, circa commissam ipsis hominum custodiam negligentia, & omissione, peccare, & de facto, ex eis aliquos peccaturos: vt de eo iudicandos à se Angelos; Paulus dixerit. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* cuius erroris præcipuus author Origenes extitit, ex fide reiiciendus. Primo quia custodes hominum Angeli videre semper faciem Dei in cælis expressum in Euangelio assertum Christi Domini fuit *semper* autem non solum visionem, & beatitudinem ipsorum tunc, cum id à Christo asserebatur, sed tota successura æternitate significat; si autem à semel habita Dei visione, & beatitudine, in cælis nunquam, nusquamque Angeli decident, sed in ea æterne persistent, nunquam, præsertim grauiter, peccabunt: cum cælum, & beatitudo, non solum grauem, sed nec leuem, & venialem, imo, ne eius reatum, per instans adhuc, patiatur iuxta id Apocalypsis, 21. numero 27. *Non intrabit* (ne dum æternum permanebit) *in eam aliquid coinquinatum*: ex quo cum primis loco catholicum dogma de animarum iustarum purgatorio statutum, in Ecclesia, Patribus, & conciliis fuit: item, cum iudicium illud, de præmio, vel pœna æternis pro cuiusque merito iudicandis, & rationali reipublicæ euulgandis futurum sit: implicat eos, qui beatitudinis præmium æterne sunt habituri, vt de Angelis custodibus Christus asserit, aliquando deinceps peccare. Tertio impugnatur, ex custodia hominum Angelis bonis demandata, quæ non, nisi perpetuo bonis, firmiterque, antecedentes etiam, nec solum consequenter, impeccabilibus Angelis bonis iuxta Patrum, Doctorum, & Ecclesiæ sensum demandata à Deo fuit: nec, nisi ita impeccabilibus Angelis oportuit, potuitve ex præsentis prouidentiæ fine, & circunstantiis demandari, vt nuper dicebamus denique ex terminis extrinsecis status viæ Angelicæ ex Patribus scriptura, & Theologis certo à nobis designatis figmentum, hoc satis euanesceret.

4. Inde etiam abiicitur, Patrum aliquot, & interpretum vetustorum citatorum, disputat. 2. quæst. 1. cert. 2. antiquitus error: nempe Angelos bonos circa diluuij vniuersalis tempus specie fœminarum deceptos cum eis concubuisse, & peccasse, ex eoque concubitu gigantes procreasse, vt Genes. 6. num. 2. *videntes filij Dei filias hominum*, vsque ad totum numerum 4. deferri videtur, filij siquidem Dei sancti Angeli in scriptura frequentissime nominantur, atque eo nomine à sacris interpretibus intelliguntur. Cæterum status viæ Angelicæ terminos certos extrinsecos is error prætergreditur: cum tot post Protoparentum lapsum ex dæmonum iam damnatorum suggestione, sæculis filiorum Dei, cum filiabus hominum concubitus habitus referatur, cui argumento efficaciter institit Chrysostom. homil. 22. in Genes. Pugnant insuper contra eum, quæ contra proxime antecedentem produximus, numero tertio. Pugnat tertio Philosophia tota de generatione, & si enim ex animalibus specie diuersis possit species tertia generari; vt ex equa, & asino mulus: oportet diuersa illa animalia, non remotissimo, & quasi toto genere differre; sed esse aliquid propinquum, in quo, & inter se, & cum genito conueniant (vt Aristotel. de muli generatione agens docebat) vt in naturæ parentum similitudinem effectus ab eis procreetur, ac propriè genitus dicatur; substantia vero spiritualis completa Angelica à corporea humana, cum filiarum hominum, tum gigantum ab his procreatorum, non, nisi remotissimo genere supremo substantiæ conueniunt, & quasi toto genere differunt: quare, nec Angeli ex fœminis illis potuerunt filios illos gigantes, (vt scriptura refert citato, numero quarto,) procreare in super, cum ex specie diuersis viuentibus filij procreantur speciei diuersæ ab illis sunt: gigantes vero homines & speciei eiusdem cum Matribus fuere demum, cum generatio, non solum dicat prolis, cum parentibus in natura similitudinem; sed quod à principio coniuncto, seu, quæ pars ipsorum fuerit, à parentibus decisa, atque in prole posita proueniat, quod substantiæ indiuisibili angelicæ, vt pote intrinsecis partibus, etiam integralibus, carenti repugnat: & Angelos ex fœminis illis filios gigantes, ex concubitu generasse repugnabit.

5. Duo tamen diluenda nobis supersunt. Primum, ex cognomine illo, *filij Dei*, quo eo loci, qui filias hominum vxores duxisse dicuntur, expresse nominantur; cum tamen illud sanctorum Angelorum cognomen in scriptura frequentissimum sit, vt diximus. Fateor ita sæpe Angelos sanctos appellari; non tamen vt proprio cognomine connotati, vt nasus tanquam curuitatis, subiectum nomine simus designatur; sed sanctitatis, & iustitiæ, qua in filium Dei, rationalis creatura quæuis gratia adoptionis constituitur; vnde æque hominibus sanctis, atque Angelis apud scripturam frequenter, & indifferenter aptatur vt ex locis datis, disputatione 2. quæstione 1. cert. 2. quare ex materia eorum, quæ de illis dicuntur in contextu videndum erit, an de sanctis hominibus, an de Angelis sanctis sit sermo; quæ vero de filiis Dei, eo loci dicuntur, non posse sanctis Angelis conuenire, multo ex capite demonstratum est, numero quarto, & citato, disputatione secundo, quæstione prima, cert. 3. ac deinceps, Secundum est, ex incubis, succubisque Dæmonibus, quos negari non posse, ex frequentissima, & antiquissima experientia aiebat Augustin. tom. 5. de ciuitat. cap. 23. extatque epist. decretalis Innocentij Pap. octaui, contra maleficas fœminas incubitorum Dæmonum succubas, vbi & hominum fœlestorum succubis dæmonibus abutentium meminit; & quidem, ex Dæmonibus seu malis Angelis fuisse, qui cum filiabus hominum mixti sunt, ac gigantes genuere, at citato Genes. loco refertur iuxta Patres, & Doctores, quos retulimus citat. disputatione 2. quæstion. 1. cert. 1. dubium non est. Hac vero sententia, rationes omnes philosophicæ, ex Angeli spiritualitate totali de sumptæ, nu. 4. ea

euanescunt; cum æque illæ Dæmonibus, malisque Angelis competat, ac bonis. Tametsi Theologica ratio de statu viæ, toti ante sæculis ante memorata hæc connubia, nempe, ante Adami lapsum, finito, vim pro bonis, & beatis Angelis habeat. Atque primum dæmonum peccatum carnalem hunc cum fœminis congressum non fuisse, ex scriptura Theologice euincat. Chrysostomus: *Nunc exciderunt Angeli, & hæc (obscœnitas) ruinæ illorum causa fuit? verum scriptura nos aliter docet, antequam formaretur Adam ex sua dignitate excidisse Diabolum. Ait enim quidem sapiens (Sapientiæ 8.) invidia Diaboli mortem intrasse in mundum*; sed tamen lapsos adhuc iamque malos, & Dæmones factos Angelos mixtos carnaliter cum mulieribus deinceps esse, & si eo argumento, nec status viæ Angelicæ ante Adami lapsum finitæ nequeat efficaciter confutari à reliquis Patribus & scholasticis ita confutatur, vt sine temeritate, vt minimum, ex multo etiam tempore asseri nequiuerit: idque ob totalem eorum spiritualitatem, & incorporeitatem vt post data supra efficaciter euincit ad Genesis textum, & Chrysostomus homil. 22. in Genes. scribens. *Quanta dementia fuerit dicere Angelos esse deiectos, vt cum mulieribus rem haberent, & incorporea natura copularentur corporibus. An non audis Dominum dicentem de Angelorum substantia: (non status beati qualitate, & conditione præcise) in resurrectione, neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei. Non enim possibile est incorpoream naturam talem, vllo tempore, habere concupiscentiam*, cui consensit eius discipulus Cassianus, collat. 8. capite 21. duplicem addens rationem: quod scilicet si generare Dæmones ex fœminis possent, non tunc semel accidisset: sed pluries, & quotidie accideret contra experientiam, nec delectationis obscœnæ propriæ, in quam semper, vt tunc, natura inardescerent, obliti alienæ hominum procurandæ adeo inuigilarent, neque enim huic proprio, & naturali Dæmonum vitio semel solum permittendo, ac deinceps omnino impediendo Deum arbitrio, & voluntate sua continuo intercedere, dicendum absque vlla fundamento est. Ac demum ratione datæ, num. 4. & citat. disp. 2. quæst. 1. cert. 4. & 5. lapsis iam Angelis, seu dæmonibus congressum, cum mulieribus impossibilem ostendunt: idque ex reliquorum Patrum, & Doctorum discursibus, & iudicio datis, quos latius persequitur Pererius noster citatus, disput. 2. & 3. & speciatim, quam alienus à textu illo Geneseos congressus hic Angelorum quorumque, etiam Dæmonum, sit, ostendimus eadem quæst. 1. proxime citat. cert. 5. num. 8. quare nihil ex incubis, succubisve dæmonibus argumenti probabilis obiici nobis, siue ex scriptura, siue ex incuborum succuborumque dæmonum historiis, & experientia potest.

6. Circa secundam difficultatem quæstionis decisione præuiam (an scilicet natura sua ad actionem illam prauam, & peccatum determinati mali Angeli fuerint, qui peccarunt?) determinatos illos ad peccandum natura sua fuisse error Manichæorum, & Priscillianistarum notissimus fuit, contra quos antiqui Patres, ac cæteris fusior, & acrior Augustinus, (cuius sæculo præsertim in Africa magis viguere, totis multisque libris editis) pugnarunt: ij vero duo prima, & summa rerum omnium principia alterum malarum, alterum vero bonarum constituebant: & harum principium summe bonum Deum esse aiebant; malarum vero summe malum Diabolum: vbi aduertendum est hæreticos hosce malarum rerum creatarum nomine, non solas moraliter malas, sed eas etiam, quæ & si in se entitatiue physice, ac metaphysice bonæ sint, quia entia sunt, nec imbibitam moralem malitiam, ac turpitudinem habeant, tamen malæ, noxiæque physice nobis sunt esseue possunt: in quibus inuisibilia omnia continentur. Contra hunc errorem extant vniuersim symbolum vtrumque Apostolicum, & Nicænum, & concilia plura recitata à Suarez, c. 2. Reiicitur secundo ex principio fidei de Dei omnipotentia in qua cuncta quæ sunt, esseque physice, possunt, siue aliis proficua, siue nociua contineri, nec nisi dependenter ab illa physice, vel se sola, vel cum causis secundis concurrente, seu operante, vel cooperante fieri posse docemur: vt propterea, ad physicum tantum, & quod in moraliter prauis nostris actionibus, & peccatis, physicæ entitatis est, Deum omnipotentia sua immediate nobiscum concurrere Theologi, & Philosophi, vno vel altero excepto inferant ac defendant; quoniam vero malitia formalis, eiusque fundamentum, proximum, quod illa immediate metaphysica, legitimaque consecutione sequitur, est actio illa non quidem sola & secundum se sumpta, sed, vt re ipsa à nostra determinatione libera prouenions, eius etiam actionis, qua à nobis reipsa prouenit, authorem, & causam, non Deum bonum, sed Diabolum malum esse aiebant, sed cum viderent malum illum Diabolum à Deo malum, & malorum reliquorum, vel physice, vel moraliter talium, principium, fieri à Deo bono, (à quo bona sola, & cuncta procedunt) non potuisse, illum à se, & summe proinde, ac infinite malum natura sua esse docuerunt; reliqua vero, siue physice, siue moraliter mala ab illo, tanquam à principio, & causa prima malorum procedere; contra quem errorem ex primatu causæ vniuersalis vnice apud Deum sito, naturalis rationis lumine noto, & in scriptura expresso, Patres, & Concilia, vt diximus certarunt; quia quantumvis peruersi genij, atque ad malum, omnigenum inclinatæ naturæ supremus ille Diabolus sit, aliquid physicum, ac subinde physice, & metaphysice ens, bonumque est: quare & Deum bonum sui authorem, habere necessario debet. Ac demum hic Manichæorum, & Priscillianistarum, error pluribus aliis dogmatibus Catholicis mox confutabitur contra eos, qui Deum Angelorum omnium, tam beatorum, quam Dæmonum authorem, & causam catholice admittentes, dæmones tamen natura sua ad peccatum, seu actionem prauam eliciendam, non solum propensos, sed determinatos naturæ sua fuisse à Deo productos, ausi sint asserere, posseve ita determinatam naturam rationalem produci in quod postremum inclinasse Arriaga noster videtur, disput. 23. sect. 1. subsect. 1. a numero quinto, præsertim numero octauo, § *obiicies*, ac deinceps, quamvis debili satis fundamento, à paritate appetitus, & naturæ pure sensitiuæ, quod pluris ipse facit, quam oporteat, ac paritas mereatur; vt ex dicendis clarebit.

CERTAMEN II.

Huius secundæ difficultatis decisio.

1. Dicendum est: lapsorum Angelorum naturam ad peccatum, siue actionem prauam, vt ab ipsis eliciendam determinatam de facto non fuisse; ita Patres, & Theologi omnes. Probatur, primo ex testimoniis scripturæ, & Patrum; Hieronymi, Epiphanij, Aponij, Cyrilli Hierosol. Theodoreti, Ambrosij recitatis disp. 3. quæst. 4. cert. 1. num. 6. in simili de natura humana nusquam ad peccatum determinata, imo in gratia à Deo primum condita discurrentium: quibus similia plura alia scripturæ, & Patrum testimonia produximus tom. 1. de Deo vno, contr. 3. de decreto concurrendi cum causis liberis creatis, disp. 2. totis quæst. 1. & 2. in quibus omnibus, & singulis rationalis naturæ creatæ de se se ad peccatum, sed actionem prauam, vt ab ipsa eliciendam, determinatæ impossibilitas, demonstratur, de qua concl. 2. Probatur, secundo: quia

mali

mali Angeli, qui peccauerunt, malique proinde, ac dæmones sunt, cum Angelis bonis, & beatis, qui obedierunt, beneque, & meritorie operati sunt: in natura conueniunt, imo, & speciebus etiam infimis, vt vidimus atqui horum natura determinata de se ad peccatum, seu actionem prauam, vt ab eis eliciendam non fuit, vti oppositio ipsorum facto manifestum est: ergo, nec malorum Angelorum natura: dices determinationem naturæ, ad peccandum malis Angelis, non, ex specie adhuc infima naturæ ipsorum, sed ex eorum, indiuiduationibus conuenire. Sed contra, quia reale illud prædicatum determinationis naturæ eorum, ad peccatum omnibus dæmonum indiuiduis, vniuoce conueniens, prædicatum differentiale specificum procul dubio foret: quo nimirum specifice, vt minimum, imo, & generice, à naturis omnium bonorum Angelorum eorum natura differet: cum quo conuenientia in natura, & specie infima, imo, & superiore, ac intermedia malorum cum bonis contradictorie repugnat. Probatur tertio. Quia malos Angelos vitio proprio, & sui arbitrij abusu in malum, peccasse, ac de peccato suo iudicatos, damnatosque iam adeo priuato iudicio testatur. Petrus epist. 2. cap. 2. & Paulus, 1. Corinth. 6. & ad reipublicæ rationalis, satisfactionem publicam iterum iudicio postremo iudicandos, seu priuata eorum iudicia, tunc omnibus euulganda. Vitia vero, quæ à natura determinata ineuitabiliter, non autem, ex prauo libero, ea mere patientis potius, quam agentis consensu, & arbitrij proprij abusu proueniunt, nec iudicio, damnationique (præsertim adeo graui, qualis lata in malos Angelos est) possunt, nisi per iniustitiam, & nequitiam summam, subiacere. Probatur quarto: quia natura Angelica determinata de se ad peccatum graue (quale Angelorum malorum peccatum fuit) determinata etiam de se est ad odium Dei, quod mortale peccatum necessario, & ineuitabiliter (iuxta communem, Theologorum) vel saltem connaturaliter consequitur: huic autem determinationi contradicit capacitas indifferens naturæ illius Angelicæ ad gratiam habitualem quam lapsuros etiam Angelos habuisse fere dogmaticum est, idque pro naturæ, euiusque perfectione, & decentia maiore, vel minore. Quinto demum rationes, quæ naturæ rationalis de se determinatæ, ad peccatum impossibilitatem probabunt, hanc conclusionem de facto fortiori demonstrant.

2. Dico secundo: implicat absolute natura mali alicuius Angeli, siue cuiusvis rationalis creaturæ de se determinata ad peccatum, siue actionem prauam eliciendam, est contra acutulos quosdam Recentiores, & fere contra Arriagam, qui licet citato loco, numero 7. §. *Nihilominus tamen, longe probabilius*, repugnare eam creaturam, longe probabilius censeat, eo etiam asserit tacitus probabile esse non repugnare. Præterea tota ferè illa subsect. 2. à num. 5. in eneruandis huius repugnantiæ probationibus est totus: quo satis suam de oppositio sententiam prodit, sed repugnantiam hanc argumentis, vel ab eo non tactis, vel efficacius, quam vt eius instantiis, & solutionibus debilitentur ostendamus. Primum sit ex Patribus citatis cert. 1. numero 7. in simili de indeterminatione de se se naturæ humanæ ad peccatum, seu actionem prauam quia alias Deus, qui eam simul edidit, ac condidit foret peccati illius causa & author, quod repugnat: & è cuiusvis creaturæ rationalis intrinseca determinatione, ad peccatum, æquo robore, & legitimitate concluditur. Secundo: per Arriagam, & omnes Iesuanæ Scholæ Thomisticæ doctores, ex prædeterminatione physica voluntatis creatæ à Deo ad materiale peccati siue actionem prauam, vt ab arbitrio creato fiat, voluntati immissa Deum, peccati absolute authorem & causam euidenter inferri contenditur, ostenditurque, vt vidimus controu. 3. de decreto, concurr. disp. 2. Thomistarum Dominicanorum recentiorum euasionibus præclusis: atqui intinior est determinatio antecedens, & prædeterminatæ naturæ illius data à Deo, vt actionem prauam, ex parte etiam sua irresistibiliter efficiat: ergo æqua euidentia Deus absolute author, & causa peccati ex natura quauis rationali determinata de se ad actionem prauam, & subinde peccatum efficiendum, inferetur, quocirca miror æque doctorem alium quem ex Thomistica schola Iesuana de eiusmodi naturæ rationalis repugnantia dubitare, atque Dominicanos Thomistas recentiores eius repugnantia (vti ab eis admittatur) admissa, physicam prædeterminationem voluntatis creatæ à Deo ad materiale peccati, siue actionem prauam eliciendam, non respuere. Tertio: eiusmodi natura rationali determinata de se ad peccatum admissa, non sistetur in peccati eius causa reddenda, & assignanda, in libera determinatione voluntatis eius ad peccandum, non solum, quia nulla erit eius libera ad peccandum determinatio (cum non ex libertate, sed ex necessitate peccet, vt mox videbimus,) sed quia, etsi libere se determinaret vlterior altiorque, & antecedentior naturæ prioritate causa eius liberæ determinationis foret: nempe natura illa ipsa, quæ eius causa est, atque anterior alia nempe Deus naturam ipsam, eiusque intrinsecam idemtice determinationem simul condens, & donans: id autem pugnat cum generali illa Patrum, & Theologorum doctrina de quouis rationalis creaturæ peccato, tametsi de nostrorum causa vltima, & prima agentium, qui confuse docent nullam aliam peccati causam esse posse vlterius inquiri, aut quærenti, quam peccamus, responderi, nisi, *quia volumus*: quo solo responso causalitatem peccati à Deo possumus honestissime, & rationabiliter diuertere.

3. Probatur quarto: cum huiusmodi determinatione naturæ rationalis creatæ in actu primo ad actionem prauam circa obiectum turpe & vndecumque inhonestum repugnat libertas in actu primo ad obiecti inhonesti prosecutionem, ad quam determinata de se natura illa sit: ergo & repugnat prosecutionis illius libertas, quæ solum ex libertate in actu primo naturæ, & voluntatis illius ad illam eliciendam, vel secus, seu prosequendum, obiectum illud ac non inhonestum, potest prosecutioni illi conuenire: ergo cum determinatione naturæ illius ad peccatum repugnat peccatum; ac proinde determinatio illa suum obiectum, seu terminum, quem essentialiter respicit, destruit, redditque repugnantem, ac subinde seipsam facit Chimericam, & impossibilem. Prima postremæ huius illationis pars (cuius consectaria necessaria reliquæ omnes partes sunt) probatur; quia de essentia peccati, & actionis moraliter prauæ circa obiectum, quodvis, & quantumcumque inhonestum, est actionis libertas, cuius defectu motus primo primi voluntatis nostræ circa obiecta, quantumis turpia, peccata non sunt, neque esse possunt: atqui determinatio illa naturæ rationalis ad prosecutionem obiecti turpis destruit, redditque eius libertatem impossibilem; ergo reddit ei impossibilem rationem peccati, & actionis prauæ moraliter. Antecedens primum huius argumenti probatum abunde est contra physicam prædeterminationem Dominicanorum Thomistarum recentiorum à Deo immissam ad nostros liberos actus eliciendos controu. 3. disp. 1. per totam ex scriptura, Patribus, & ratione. Dices ex nostris principiis determinationem hanc naturæ rationalis ad prosecutionem moraliter prauam obiecti alicuius, vel cuiusvis turpis, & inhonesti, non esse determinationem ad prosecutionem individuam determinatæ, sed disiunctim, & quoad speciem, hanc scilicet vel illam, sub specie illa contentam: quo pacto diximus tomo de incarnat. contr. de merito Christi cum Christi impeccabilitate antecedente, & instantia, præcepti eius

eius in operibus præceptis non solum libertatem per omnes, sed meritum etiam contra multos, & doctos recentiores saluari.

4. Nota in primis Thomistas prædeterminantes hac euasione vti non posse; & si argumentum nostrum, in re præsente euacuaret. Siquidem præuia physica determinatio, seu prædeterminatio Thomistica Dei concursus præuius est, qui ad speciem præcisam actus esse nequit, sed ad hoc determinate indiuiduum, nec aliter ad speciem, quam vt in illo determinato indiuiduo continetur: nullus siquidem concursus, & actio in effectu, quem efficit, præcisiuus esse potest. Nec valet prædeterminationem illam physicam, non esse Dei concursum & actionem Dei præuiam, sed qualitatem: siquidem concursum Dei præuium prædeterminationis eius inuentores Bannez, & coætanei sequaces, qualitatem esse docuere: quos imitantur Prædeterminatores recentissimi, etsi eam transeuntem vti actionem, non autem permanentem, vt qualitatem, esse defendant: vnde libertatem nostram, ea prædeterminatione, non lædi contendunt: quia per modum transeuntis, non autem permanentis, consensum creatum liberum natura præcedit quasi libertatis læsio ex permanentia, non autem, ex sola præcedentia natura, & causalitate, cuiusvis entitatis physice, & ineuitabiliter, seu irresistibiliter à voluntate connexæ cum eius operatione, & consensu proueniat! Præsertim, cum operatio, voluntatis æque transiens atque concursus Diuinus: sit ac proinde satis habet impedimento ex parte actus primi per modum transeuntis, vt eius operationis libertas per modum transeuntis solummodo, aliàs habenda, aboleatur. Mitto prædeterminationem illam physicam, per modum qualitatis permanentis difficultatibus subiacere, quas t. 1. philosophiæ contr. de causa efficiente creata, eiusque actione, q. de concursu Diuino cum agente libero fusius persequebar, iam præfata euasio, quatenus ad præsens attinet, præcluditur. Etenim, si iuxta plurium sententiam indiuiduorum effectuum, & operationum speciei cuiusque indiuiduatio, siue quod hoc indiuiduum præ alio, quod ab eadem causa fieri absolute poterat, apponatur, ex tempore, loco, aliisque circunstantiis omnino prouenit, ac pender, libertati naturæ illius determinatæ de se, ad actionem prauam, quoad speciem, quod hæc determinata, præ alia determinata indiuidua actione speciei eiusdem apponatur, nequit subiacere: quare inde saluari, non potest, in appositione actionis prauæ naturæ illius rationalis absoluta libertas. Si autem indiuiduatio operationum, & effectuum producendorum intra speciem eandem, è sola Dei voluntate pendeat (suum concursum ad hoc indiuiduum, ac non ad aliud causis naturalibus, ac præsertim liberis agentibus offerentis (vt multo plures Doctores aiunt, quibus suo loco consensi) constat etiam, indiuiduationem effectus, & operationis agentis liberi, ac voluntatis creatæ arbitrio, non subiacere. Id quod aliunde etiam de his probatur: quia naturaliter loquendo, possibilium ab ipsis producibilium indiuiduorum cognitionem non habent; imo, nec aliud quam obiecti bonitatem allicientem, ac malitiam retrahentem, quoad speciem considerant, vt eligant; sine cognitione vero, vnius præ alio electio ab eis haberi non potest: quare neque ex eo saluari potest naturæ illius ad actionem, ex specie sua prauam, naturalis libertas, quoniam vero humanitati Christi Domini possibilium omnium indiuiduorum, quare, & operationum, actuumque suorum indiuidualium, scientia titulo vnionis hypostaticæ debetur, in huius præ alterius actus, seu actionis præceptæ electione potuit exercere, atque exercuit de facto libertatem.

5. Mitto aliam conclusionis probationem subtilem, in hunc modum, quia, cum actio, nec prava moraliter nec peccatum esse possit, sine libertate in actu primo à qua libera formaliter sit, & procedat: atque ea libertas in actu primo cogitatione repræsentante malitiam actionis, atque ab eius executione retrahente æque, essentialiter, atque cognitione delectabilitatem eius proponente ad eamque exequendam attrahente constituatur: determinata illa natura rationalis ad actionem prauam moraliter, & peccatum cogitationem illam malitiæ retrahentem ab actione æque, atque cogitationem delectabilitatis obiecti turpis attrahentem ad actionem eandem requiret: cum absque vtraque actio moraliter prava esse non possit, ac proinde determinatio illa esset ad effectum, & terminum, quem essentialiter respicit, impossibilem: quare, & ipsa determinatio in se repugnans, & impossibilis erit; ni retrahentem etiam ab actione, ad quem determinatio est, cogitationem requirat, quod implicat aliunde: scilicet inclinationem, & determinationem ad aliquam actionem, seu effectum, requirere, aliquid ex parte actus primi, quod retrahat ab eis exequendis impedi atque natura sua, vt fiant. Mitto inquam hanc probationem, quia determinatio ad actionem prauam, & peccatum, non ita intelligi debet, aut potest, vt in malitiam, & peccatum, qua peccatum, & malum feratur: nulla siquidem naturæ, aut effectus inclinatio (ne dum, quæ, præ sui vehementia ad determinationem perueniat) ferri in malum qua malum, potest, vnde, neque ea subinde, quæ ad malitiam requiruntur, omnia requirere, determinatio; ergo illa naturæ rationalis illius ad obiectum, eiusque prosecutionem prohibitam, & malam moraliter, non ob eius malitiam, sed ob eius delectabilitatem esset, cuius cognitionem solum requireret, sine qua eam appetere non posset; non autem malitiæ, in quam, & ob quam in obiectum, & actionem turpem non fertur; tametsi ea requiratur etiam ex parte actus primi, vt prosecutio illa, à causa libera sit, atque adeo moraliter prava, & peccatum: in quod, & ob quam, nec appetitus naturalis, neque elicitus ferri potest, dicitur tamen, & esset determinatio illa peccatum, & actio, seu prosecutio prava moraliter obiecti delectabilis, turpis tamen, & prohibiti, si ita in obiectum illud, ob eius delectabilitatem natura illa ferretur, vt nulla cogitatione (non quidem ob eius naturæ exigentiam, sed aliunde occurrente, & immissa) quantumuis, viuida, & efficaci de se ad retrahendum illam ab eius obiecti prosecutione retrahi vllatenus posset; quod si cum adeo impote sui determinatione naturæ in actu primo per illam cogitationem libertas eiusdem naturæ in actu primo constitui, & consistere posset (quod repugnare ostendimus, numero 3. & 4.) prosecutio illa obiecti delectabilis, turpis tamen & prohibiti, prava moraliter, & peccatum foret. Mitto secundo examen quæstionis aduersæ de possibilitate creatuæ rationalis determinatæ de se ad bonum morale, & honestum naturaque sua impeccabilis: quam contrarietatis, cum nuper examinata, iure multi Doctores hic versant importune, satis enim doctorum consuetudine in proximæ examine contra rectam methodum dedimus.

6. Mitto denique quæstionem aliam, de tempore, quo primo Angeli mali peccarunt: an in instanti primo creationis? an, & qua duratione sequente, quia primo instanti creationis nullum Angelum peccasse, nec peccare potuisse ostendimus fuse disp. 30. quæstione 4. ex nostris principiis statutis, quæst. 3. De parte vero vlterioris durationis, in qua primo Angeli peccarint, illud solum diffinire Theologice, possent: eos omnes ante Protoparentum in paradiso peccatum & Diabolicam ad illud patrandum suggestionem peccasse. Secundo eos omnes non peccasse simul tempore, sed eorum aliquos anterius, posterius vero tempore alios, vt ostendimus, quæstione 1. de instantibus, seu duratione status viæ angelicæ: vt Theologice statuimus imperfectioris genij, & naturæ Angelos tardius, eis, qui naturæ erant præstantioris, circa præcepti iniuncti obseruan-

tiam, vel transgressionem deliberasse: imo illorum plures horum suasu, & adhortationibus obediisse, fuissevе præceptum transgressos: ac eiusmodi suasionibus bonorum, malorumque Angelorum, eorumque in cælo Apocalypsi relatum prælium habitum fuisse. Vnde decisa quæstio altera manet: de peccato Angelorum. An scilicet ortum ex suasione habuerit, necne? constat, siquidem ex quæstione tertia in primo, ac breuissima deliberatione, de se peccantibus ortum ex suasione aliqua eorum peccatum, non habuisse; alios vero deliberationis diuturnioris, ex aliorum suasione, suggestione, ac tentatione peccasse, quod ipsum de aliquorum tardiori obedientia, & obseruatione præcepti, ex aliorum hortatu, & suasione ortum fuisse dicendum erit. Denique Angelis malis pœnitentiæ de primo peccato factum, datumque tempus, & locum à Deo fuisse ostendimus, quæstione secunda, certamine 4. de his autem, quæstionibus minutius disputare, ac definire, quam citatis locis disputauimus, ac decidimus, nulla Theologica ratione, sed solum arbitraria, vel somniata diuinatione poterit. His autem præmissis ad totum, quod in viæ statu Angelis contigit videndum, restat: quodnam fuerit Angelorum malorum primum peccatum? inde enim quodnam bonorum Angelorum primum meritum fuerit à contrario, cuiuis manifestum erit.

CERTAMEN III.

Angeli luciferi malorum Principis peccatum primum propriæ superbiæ fuit.

1. PLures peccaminosos affectus malos Angelos in viæ statu concepisse monui supra scripturâ Patribus, & Theologis edoctus: ac proinde de primo eorum peccato quæstionem à nobis scholasticorum exemplo institui: reliqua enim eorum vitia persequi molestius longè quam vtile foret: Carnalis luxuriæ peccato supra examinato, & ab eis amandato, quod veteres aliquot Patres tribuisse illis videbatur. Porro quæstio hæc ampliore titulo, quam nos certam. præsenti à reliquis scholasticis proponitur, scilicet de omnium Angelorum apostatarum peccato primo, examinari vero minutius debet; cum aliorum à lucifero peccatum primum rationis, seu, speciei eiusdem peccatum fuerit, necne? sub lite, adhuc sit ex aliis principiis decidenda. Idcirco seorsim nunc de primo luciferi peccato agimus, acturi, postea de aliorum Angelorum peccato primo. Duo autem aduertenda animo sunt, priusquam vtrumque examinemus, ac definiamus. Primum: id ipsum, quod de lucifero dæmonum Principe, eiusque peccato primo dicetur de primo peccato aliorum dæmonum gradu hierarchico suo specie, & indiuiduatione (si qui sint) entitatiua perfectione ipsi æqualium, dici debere; quamuis, & indiuidualis æqualitas, nec de facto à nobis admittatur, quia alias lucifer malis reliquis Angelis entitatiue perfectior (vt supra diximus, & scriptura iam recitanda satis innuit) non esset, nec cæteris, vt diximus fuisset causa, vt primo peccarent, & caderent, in prius admisso ab ipso peccato exemplo, & hortatu alios ad peccatum induceret. Nec de possibili admitti in bona metaphysica potest, vt supra etiam ostendimus: quia, cum æqualitas entitatiuæ perfectionis plurium, identitas eis vniuoce conueniens indiuiduationibus ipsis (quibus totis differunt) vniuoce faceret plura illa indiuidua, manifesta contradictione, conuenire, neque indiuiduationes illæ differentiæ indiuiduales, sed gradus speciei atomæ, & infimæ forent, & continerent: non secus, atque his vocibus hic homo, & ille homo, non indiuiduæ solum differentiæ, sed gradus specificus hominis continetur: iam vero, si inæqualitas entitatiuæ perfectionis indiuiduationum Angelicarum sub specie quauis Angelica infima metaphysice etiam necessario adstruenda est, & pro maiori cuiusque Angeli entitatiua perfectione promptior, atque expeditior, sit eius, quam imperfectiorum aliorum, de rebus plene deliberandi facultas: ac insuper lucifer non fuerit, subinde reliquis supremæ speciei adhuc malis Angelis indiuidualiter inferior: restat fuisse eis, indiuidualiter saltem superiorem, & perfectiorem (vt communiter asseritur,) atque insuper facultate expeditiore ad plene de actione praua deliberandi vsum, ac prius reliquis deliberasse, suoque exemplo, & suasione cæteris primo peccandi causam fuisse, vt cum communi Doctorum docuimus supra. Secundo aduerto, de primo reliquorum Angelorum peccato, nec singulatim, ad huc secundum specificas (nedum indiuiduas cuiusque naturas) definiri, immo nec disputari, quidquam, cum fundamento posse: Quare solum examinauimus, quod eis omnibus, generale, & commune esse definiri cum fundamento aliquo valeat.

2. Iam circa primum luciferi peccatum (de quo nunc) dicendum est: fuisse superbiæ propriè dictæ peccatum, & si nunc qualis superbiæ actus fuerit, non definiam, de quo inferiùs dicemus, est contra Scotum, in 2. dist. 6. quæst. 2. §. *quantum ad* 2. & §. *Ad argumenta*, solut. primi, & si enim, §. illo *quantum ad secundum*, dicat actum nimiæ dilectionis, & complacentiæ sui (quem docet fuisse primum luciferi peccatum) fuisse præsumptionem, ac circa med. dicat præsumptionem (quæ prima species superbiæ est) non stare in præsumptione comparatiua, qua se aliis, velit præferre; sed in appetitu propriæ dignitatis, non tamen ibi, nomine speciei primæ, intelligit speciem propriam sub proprio genere superbiæ collocatam, sed gradum primum, ex quo ad actus proprios superbiæ perueniatur, sicque late dicta superbia, ac proprie spiritualis luxuria, & nimia de spiritualibus delectatio dici debeat. Rationes eius id exprimunt: scilicet, nimiam complacentiam, & amorem sui, suæque excellentiæ, non magis superbiam esse, quam complacentiam in alia, eiusque excellentia, cum sit vtraque rationis eiusdem: item: quia superbia, proprie dicta, non stat in appetitu immoderato excellentiæ propriæ, sed addit necessario respectum ad alios, quibus excellere superbus cupiat, & gaudeat; quod in nimia illa luciferi complacentia, & delectatione de excellentia propria præcise, nusquam inuenitur. Denique ita rationes soluit; quatenus superbiam proprie talem, nec solum late dictam, probare videbantur, vt bene citandus Lichetus obseruat, consonat, sibi Scotus in reportatis in 2. disp. 6. quæst. 1. sub finem, sicque eum intelligunt Lichetus ea, disp. 6. quæst. 2. a. 2. Bassolis, quæst. 1. a. 3. §. *Ad primum diceretur*, solut. 5. vbi Scoti sententiam docet esse probabilem: consentit, ita intellecto etiam, Scoto Holcot. in 2. quæstione 3. eam nimiam sui complacentiam, & amorem, libidinem, scilicet spiritualem, appellans; tametsi, quæ luciferi fuit concupiscentia inordinata, ac nimia propriæ excellentiæ superbiæ propriæ, peccatum fuisse contra Scotum, quem de reliquo sequitur, expresse docet. Cæterum conclusio nostra reliquorum omnium Theologorum sententia est: Gabrielis etiam eadem disputatione 6. quæstione 1. qui, etsi amorem, & delectationem luciferi de se ipso, nimiam primum eius peccatum fuisse, & ex eo reliqua eodem ordine, quo ab Scoto numerantur, prouenire docet; ast complacentiam,

centiam, & delectationem, seu amorem, sui nimium superbiæ proprie dictæ peccatum fuisse dicit: vt post tertiam, etiam conclusionem, (in qua oppositum videtur asserere) expresse demum affirmat. ita ergo censent Magister dicto libro secundo, sententiarum disputatione 6. capite 1. vbi Bonauent. art. 1. quæst. 1. Ægyd. quæst. 1. art. 3. corp. de lucifero, & dubio litterali de cunctis Angelis loquitur. Richard. articulo 1. quæstio. 1. Herueæus ibidem. Durand. quæst. 1. art. 2. Argentina, quæstione 5. artic. 2. & commentatores sententiarij reliqui, ex his, qui per partes, & summas Theologicam scripsere Albertus, 2. parte, tractatu 5. quæstione 11. m. 2. Alexand. parte 2. qu. 98. m. 2. Antisiodor. libro 2. tractatu 2. cap. 2. S. Thomas, 1. p. quæst. 63. artic. 2. vbi Caietan. & reliqui Dominicani, interpretes, & assectæ, ac etiam interpretes nostri Valentia, disp. 4. quæst. 14. Molina ad eum artic. disput. vn. m 5. conclus. 5. Vasquez, disput. 232. cap. 3. Arrubal. disp. 178. Ioan. Præposit. dubio 2. §. *Dico secundo.* Soarez, lib. 7. cap. 8. Granad. tractatu 13. disput. 2. sect 4. Becanus, & Martinon. disputatione 44. Amicus, disputatione 20. ex quibus Granad. numero 3. oppositam sententiam ingenter temerariam dicit, Soarez, hanc nostram valde certam, numero 14. ac iterum, cap. 9. Molina parum tutam aduersam Arriaga, disputatione 14. sectio 1. numero & §. 1. Quiros, disputatione 74. sectio. 1. numero 1. tametsi in actu speciali superbiæ luciferi designando præfati Doctores non conueniant de quo inferius vt dixi.

3. Probatur efficacitèr scripturæ locis, vbi de luciferi peccato, atque ob illud è cælo empyreo lapsu vel litteraliter, vel figurata,) ex Dei tamen spiritu, & intentione) agitur, vt superius ostendimus, atque interpretes omnes, & Ecclesia censet. Primum Isaiæ, 14. *Detracta est ad inferos superbia tua*, ac statim, *quomodo cecidisti: lucifer, qui mane oriebaris*, ad quem locum alluisse videtur Christus Dominus Lucæ 10. *Videbam satanam, sicut fulgur de cælo cadentem*, vt spiritum superbiæ, ac elationis, & inordinati gaudij de potestate eiiciendi Dæmones in Christi nomine, sibi ab eo data, & effectibus comprobata, supplicij, ob eiusmodi peccatum lucifero inflicti, exemplo in discipulis compescerct. Tertium testimonium ex Ezechiel. 28. *Tu signaculum similitudinis Dei*, vsque, *& elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo:* quartum testimonium ex. 1. ad Thimoth. 3. *ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli*, idest, iudicium subeat, quod socius criminis Diabolus passus est: vt Chrysostom. Theodoretus, Theophilactus, & alij communiter aiunt, quintum testimonium ex Iob. 41. vbi, figurato saltem sensu, & ab spiritu sancto etiam intento, de lucifero dicitur, *ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, vt bene Gregor. Magnus, 34. Moral. cap. 17. & 18. quo loco præcedentia, non solum magnitudinis, sed originis, & causalitatis denotatur. Hanc expressit clarius (& sit testimonium 6.) Tobias, cap. 4. filium ad omnem vitæ honestatem morti vicinus, quasi, ex testamento, instituens, numero 14. *superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Consonat testimonium septimum ex Eccles. cap. 10. *initium omnis peccati superbia*: si autem initium omnis perditionis, & peccati superbia est: ergo angelicorum reliquorum, nec humanorum solum, superbia fuit initium, ac peccatum primum, quod sane luciferi peccatum fuit, ita Augustinus sententiam Ecclesiast. proximam commentatur, & probat capite 29. de corrupt. & grat. *quod ideo verissime dicendum; quoniam Diabolum, à quo origo peccati ipsa detecit*, &c. etsi autem prima quatuor testimonia peccatum superbiæ luciferi de fide, esse euincant, non autem fuisse primum luciferi peccatum ita exprimant clare, id tamen, satis innuunt: tum quia Diaboli; seu luciferi lapsum à fælicitate, in qua conditus fuit, non in supplicij calamitatem (qui post multa alia eius peccata in viæ statu admissa esse potuit) sed in culpæ miseriam referunt; quod non bene referretur, si iam lapsi luciferi per aliud anterius peccatum per vlterius, ac posterius peccatum superbiæ accidisse lapsus à prima illa fælicitate narraretur: iam enim ab ea lapsus per peccatum primum, & si deterior secundo fiat, à fælicitate, quam iam non habebat, labi demeritorie per illud non poterat. Tum quia, cum Tobiæ, Ecclesiastici, & loca multa Prophetia anteriora, eisque notissima fuerint consone ad illa superbiam Luciferi; vt primum peccatum, & perditionis initium retulerunt, quod autem responderi his locis pro Scoto poterat: superbiam, in eis; non proprie, sed large sumi pugnat cum receptissima ab omnibus Catholicis Doctoribus, regula peruetusti Tyconij laudata ab Augustino, interpretandi scripturam verborum proprietate, & stricta significatione, vbi nihil absurdi, & oppositionis, contra scripturam, aut Catholica dogmata, ex ea rigida verborum intelligentia deducitur; alias, enim nihil contra hæreses firmum ex scriptura haberetur.

4. Probatur secundo conclusio ex Patribus eam consone tradentibus. Cyprian. serm. de zelo, Augustino, vbi proxime, & 11. de Genesi ad litt. capite 14. à cap. 23. & 12. de ciuitat. cap. 6. his verbis: *initium quippe omnis peccati superbia*, & infra. *Hinc primus defectus, & prima inopia, primumque vitium eius natura, quæ ita creata est, vt nec summe esset, & tamen ad beatitudinem habendam eo, qui summe est frui posset.* Similia dixerat, cap. 1. Repetit, lib. 14. cap. 11. & lib. 23. cap. 1. Ambrosius epist. 84. ante med. *siue in lapsu Diaboli, siue in præuaricatione hominis, initium peccati superbia est.* Repetit in id Psalmi 118. *increpasti superbos*, Prosper lib. 1. de vita contemplatiua, capite 3. Gregor. Mag. 4. Moral. capite 14. alias, 17. & libro 3. capite 19. alias 23. Isidor. 1. de sum. bono, capite 22. sententia, B. Beda, tom. 8. libro quæstionum, quæst. 9. Anselm. de casu Diaboli, cap. 4. Bernard. serm. 17. in cant. Leo Papa, epist. 91. scribens Diabolum *propria excellentia abusu* peccasse. Nec minus concordes Græci Patres eandem conclusionem tradiderunt. Athanasius, quæstione 6. ex quæstionibus ad Antiochum. Nazianzen. carm. 6. & orat. 27. apologetica contra ambitum sibi impositum sedis constantinopolitanæ, Elias Cretens. in orat 3. Nazianzeni ad ea verba. *Quo circa*, Chrysostom. tom. 3. hom. 15. in Ioanne his verbis, *quid hac dementia scelestius? quid hac superbia malus?* &c. *Non esset à cælo electus, nec in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere inquinasset. Hoc eum præcipitem dedit: hoc in gehennam intrusit: hoc malorum omnium, ei causa fuit*, & tomo primo, homil. de lapsu primi hominis, homil. de verbis Isaiæ, homil. de Adam, & Eua, Cyrillus, Alexand. primo in Genes. sub med. & in caput decimum quartum Isaiæ, Damascenus, secundus, de fide capite quarto, & aliis, quos in examine specialis actus superbiæ, qui primum luciferi peccatum fuerit, post modum referemus. Porro ex tot quot produximus, consonis scripturæ, Patrumque pro conclusione hac testimoniis, quibus communis, ac plurium longe, & grauissimorum Theologorum, & sacrorum interpretum, consensus accedit, eam valde certam esse meritoria aiebat Suarez. An vero temeritatis notam opposita, (vt Granado censuit) mereatur viderint alij, certe hæc fere solum Scotum ex antiquis, Patronum habet: cui Bassolis solus, aliter tamen censens, probabilitatem concessit, Gabriel autem, & Nominales, ac de reliquo Scotistæ vetercs aduersantur, quod autem iurati Sco-

tistæ aliquot, nec primæ notæ Recentiores (fundamentorum efficacium denuo, inueniendorum, producendorumque nullo studio) Scoto; hac etiam in re consenserint nescio an satis valeat, temeritatis notam ab eius sententia detergere.

5. A ratione adeo firmum, atque ab authoritate, fundamentum pro nostra conclusione, non video; & si pro ea, quam pro aliis, verosimilius adsit. Etenim de excellentia propria, & adeo magna spiritualem creaturam superbire, & inflari quam promptissimum, & quasi connaturalissimum est, ni præsto opportuno auxilia gratiæ Diuinæ succurrant: id autem primo, cuique accidit, quod connaturalibus est, non autem post aliud, quod non est ita connaturale: ergo lucifero excellentissimo malorum omnium cum natura, tum supernaturalibus donis Angelo, prius aliis accidit superbiæ peccatum, fuitque proinde, eius peccatum primum. Probatur secundo, quia reliqua omnia luciferi peccata, ab scriptura Patribus, & scholasticis recognita, connaturali modo habenda, superbiæ peccatum supponunt (etsi alias absque eo concipi, & haberi possint) quod tamen nullum ex aliis luciferi peccatis prærequirit vt vt fiat ergo: de facto peccatum superbiæ luciferi, aliis omnibus, eius peccatis antecessit causalitate, ac nullum pro naturæ posteriori post iuit: quare, & fuit in lucifero omnium primum. Probatur, singula & omnia explorata luciferi peccata percurrendo. Siquidem odium, & ira connaturalissime ex superbia oritur aduersus eum, qui nostram excellentiam impedit habendam, vel habitam minuit inobedientia similiter superioribus, superborum vitium connaturalissimum, & proprium est, vt patet inuidia etiam, quia ex superbia connaturalissime oritur tristitia de excellentia alterius, præsertim maiore, qua nostræ æstimatio minuatur, quod si superbia ingens, vti in lucifero, sit, de æqua etiam alterius excellentia vehemens tristitia in superbis excitatur. Atqui hæc sunt vitia in lucifero recognita, aliquaue alia ex his prouenientia, quorum nullum superbiam connaturaliter, antecedit: ergo stat veritas antecedentis. Probationem antecedentis, & argumentum totum dedit nobis Chrysostom. homil. 22. in Genesim inferius recitandus, de inuidia luciferi agens, quæ oriri difficilius ex superbia videbatur: oritur enim ex pusillanimitate, nisi casu, quo quis ex iudicio proprio, in quo se aliis superbe præfert rem egerrime esse assequibilem censens, eam assequi desperat, vt ait S. Thom. 2.2. quæst. 133. art. 1. ad 3. sed doctrinæ suæ generalis de ortu inuidiæ, & pusillanimitatis, ex superbia desumptæ ex Gregor. Mag. 1. Pastoralis, c. 7. exemplum posuit vnum, alia quæ posset generali illa sua doctrina contenta, & nuper à nobis explicata minime excludens; Et quidem hanc ergo homines luciferi inuidiam ex peccato anteriori superbiæ ortum duxisse, ac proinde non fuisse, eius primum peccatum expresse docet Chrysost. vbi proxime, cum enim obscœnitatem non fuisse (cum ex lapsu eius multo ante earum procreationem, tum quia primum, ac reliqua subinde antecedens hominum peccata) quæ ex inuidia Diaboli ortum habuerunt, iuxta cap. 8. sapientiæ) probasset, sic ait. *Num si ante factum hominem excidit, quando in tanta, dignitate manens inuidit homini? neque enim consentaneum est Angelum incorporeum, & in tanta dignitate constitutum inuidisse homini corpus gestantis sed inuidit, quod ex superna gloria, in extremam, ignominiam detectus*, (ob superbiam, quod primum, eius peccatum constanter Chrysostomus citatis locis docuit) *fuerat, licet igitur incorporeus esset, videns tamen hominem tantum in corpore honorem, benevolentia conditoris fortitum, inuidia exarsit.*

6. Sed enim statuto primum luciferi peccatum propriæ superbiæ fuisse disputatur à nonnullis an ita necessario primum id peccatum fuerit, vt nullum aliud speciei alterius peccatum primum eius esse absolute potuerit? dixi vero absolute & de peccatis omnibus loquens: Si enim de solis peccatis, quæ de facto lucifero adfuerunt, & connaturaliter loquamur: cum reliqua peccata connaturaliter ex superbia lucifero aduenisse dixerimus, non autem ex aliquo eorum fuisse ortam eius superbiam; nec connaturaliter loquendo oriri potuisse de naturali, seu connaturali potestate prompta est negatiua decisio, ac subinde naturalis necessitas, vt primum luciferi peccatum superbiæ fuerit. Hoc solum volunt S. Thom. 1.p qu 64. a.2. Caietan. ibi, & Granad. cit. tract. 13. d. 3. & alij aientes primum Angeli peccatum debuisse esse superbiam, de potentia vero absoluta, nec adeo rerum connaturalitate alligata, non est quæstionis decisio, multo difficilior, nec in qua possit esse Doctorum dissensio. Dicendum igitur est: superbiam non debuisse absolute necessario esse primum Angeli peccatum, ita Valentia, disp. 4. qu. 14. p. 2. §. *Neque ratio*, Vasquez, comment. art. 1. Becan. tract. 3. quæst. 2. conclus. 5. Arrubal. d. 178. cap. 1. num 5. Ioan. Præposit. ad citatum, art. 2. dub. 3. numero 18 § *Dico primo*, & numero 20. §. *Dico tamen tertio*. Probatur facile: quia potest absolute Angelo imponi à Deo præceptum positiuum, verbi gratia amandi alium Angelum, quem ille, non ex superbia; sed quia liber adhuc manebat, omitteret tamen libere, ac non ex superbia, vt absolute posset, & sic de innumeris aliis positiuis præceptis, & casibus, absolute possibilibus. Potest item absolute imponi Angelo præceptum negatiuum, de aliquo scilicet non agendo, contra quod libere, vt absolute non potest, ac non ex superbia, sed ex motuis aliis contra illud agat; imo contra præceptum naturali omni rationali creaturæ non inuidenti alteri, nec habendi alterum odio, potest absolute, non ex superbia, sed ex pusillanimitate pura, vel iudicio, quod indignus alter bona, illa quæ, ei inuidet habeat, quin se eis iudicet, superbe, & præsumptuose digniorem. Item Angelus potest alterum, non ex superbia, sed alias odisse. Nec obstat non posse Angelum velle obiectum prohibitum quia prohibitum, & malum, sed ob bonitatem aliquam in eo repertam, quæ non potest non spiritualis esse, quam solum, vt pote spiritus, percipere, & appetere potest spiritualis autem bonitas, honestas est, nisi ex superbia propriam excellentiam, inordinate velit. Sed in primis probat obiectio, nullum, ne superbiæ quidem peccatum esse in Angelis posse: nam bonitas conuenientiæ, & delectationis in quouis obiecto turpi, absolute, vel inordinate prosequendo, ob quam ita illud prosequitur, spiritualis physice; ac metaphysice est; Sed quia spiritualis physice bonitas, idem, quod moraliter spiritualis, bonitas seu honestas non est, nihil argumentum probat. Secundo. Nec in peccato omissionis, quo voluntas obiectum præceptum non sequitur; sed fugit ob disconuenientiam, seu difficultatem, qua ab eius prosecutione retrahitur, vim aliquam habet. Tertio: denique de omni prosecutione, positiua voluntatis falsum absolute est antecedens. Siquidem ex odio malum eius, quem odimus, qua malum ipsi formaliter est, sæpe voluntas prosequitur ibi sistendo; quin vlterius bonum & commodum aliud nostrum ex malo alterius voluntas amet; alioqui non odij, & inimicitiæ, sed concupiscentiæ affectus ille foret, vt fusius vidimus, tom. 2. Philosophiæ controu. de actibus voluntatis.

CER-

CERTAMEN IV.

Specialis actus superbiæ, qui primum Luciferi peccatum, fuit affectus æqualitatis cum Deo in naturâ.

1. HAc de re fuere Patrum, & scholasticorum sententiæ plures. Prima asserit Angelorum peccatum fuisse desiderium æqualitatis cum Deo absolute tale, siue in natura, nec solum secundum aliquam similitudinem ita Scotus censet 2. d. 6. q. 1. §. *dicitur, & §. quia tandem.* Gabriel.a 3. dub.2. Maior ibi,q.1. §. *quia tamen ad primum* Bassolis q. 1. Lichetus q.2. a.2. Molin. ad q.63. a.2. & 3. de vnica m. 3 S. Thomam, cum Scoto concilians: quod hic, de efficaci voluntate, quæ electio, propria, & mediorum sit, vti & S. Thomas neget, ac solum de simplici, quam non negat,sed concedit affirmet vtrumque scilicet docens vterque ex Doctrina Aristotelis 3. ethicor. c. 1. & 2. Adde Arriagam d. 24 sect.4.præsertim sub fin.vbi ita de facto peccasse Luciferum probabilissimum censet. Molina vero satis probabile. De possibili asserit Vasq. d.234.c.2. etsi in quæstione de facto incertum id putet cum scripturæ loca Isai.14 *super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo,* & Ezech.28 dixisti: *Deus ego sum in cathedra Dei sedi* (quibus maxime decisio,quæstionis de facto innititur)satis cõmode à Patribus interpretibus, & Theologis aliis de expetita à Dæmone similitudine aliqua Dei,non in natura vere; sed in existimatione, & opinione aliorum (vt plane apud idololatras est assecutus) vel in aliquo alio extrinseco munere creaturis præsidendi, omnesque docendi (vt inferius videbimus,explicentur. Solus Nazianz. carmin.6. de substantiis mente præditis pro appetitu Diaboli; æqualitatis Deo in natura expressus videtur:cui concordat Glossa Ps.68.ad id. *quæ non rapui, tunc exsoluebam,* Magister in 1.d.6.c.1 & citati Doctores scholastici affirmatiuæ sententiæ appetitus Diabolici similitudinis in natura, intrinseco-ve aliquo Dei in q.de facto adhæserunt; imo Glossa ibidem, simili appetitu æqualitatis cum Deo, in natura, siue (quod idem physice, & ad rem præsentem est) intrinseco aliquo Dei Protoparentes nostros in paradiso peccasse à Diabolo deceptos, vt eius suggestione, & tentatione, cui succubuerunt, (*eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*) haud leuiter insinuatur. Alarc.d.9 c.2.concl.4. n.11. affirmat de possibili, & de facto valde in affirmatiuam sententiam propẽdet ibi,& clarius n.19.§. *An vero ita peccauerit.* Circa hanc sententiam, tria examinanda sunt, quorum duo præsuppositiue solum,tertium vero directe ad quæst. & difficultatem,quam nũc versamus spectat.Primum. An eiusmodi appetitu æqualitatis cum Deo in natura aliquave perfectione Deo, eiusque naturæ intrinseca, & physice identificata,peccare Angeli potuerint? Secundum. An eius peccati possibilitate in Angelis supposita,de facto illo Angeli peccarint?Tertium. Quandoquidem eiusmodi peccatum proprie, & specialiter dictæ superbiæ esset,scilicet excellentiæ propriæ affectus inordinatissimus: an fuerit primum Luciferi peccatũ:quod in quæstione hac directe proponitur. Circa primum S.Thom.q.16 de malo.a.2.& 1.p.q 63.a.3.vbi Caiet. & Thomistæ Domin. interpretes negant eiusmodi peccatum Angelis possibile; (tametsi S.Thom. de efficaci voluntate, & affectu Luciferi,non de simplici cõplacentia,& velleitate loquatur,vt nuper Molin.iebat) Alex 2.p.q.98.n.3. Alb.in 2.d.5.a.3. S.Bonau.a.1.q.2 Ægid.q.1.a.1.Heruæus q.1.a.3. Durãd.q.1. n.13.Capr.d 4.q.1.a.1.concl.2 & a.3. concl.3. solut.1. & 2.contra 2.concl.Marsil.in 2 q.5 a.2 concl.7 Ferra. 3.contr.g.c.109 §.sed contra prædicta Vvillel Paris.1. p.t.2.partis princip.de vniu.c.109.Palacios,& Malon. in 2.d.6 & alij apud Soar.cit.l 7.c.11.quibus adde nostros Lud.Torres d 61 dub 3 & Arrub.d.178.c.2.Tanner.d.5.q.6.dub.4. Præp.qui eam censet probabiliorẽ ad citat.a.3.dub.3.n.27 à §. *Alij negant,* & § *confirmatur,* vsque ad n.28. (tametsi exinde oppositam videatur ab obiectionibus vindicare) Quiros infra citandus, etsi non ex physica, & metaphysica possibilitate, ex morali tamen, seu prudentiali impossibilitate, ex qua eiusmodi peccatum graue,& ob quod damnarentur de facto(de quo est disputatio) Angelis negat, videtur censere eadem morali & prudenti repugnantia illud Angelis impossibile.

2. Dicendum tamen est: Angelos quosuis(quare, & Luciferum) peccato,& graui,& grauissimo affectus inordinati æqualitatis cum Deo, secundum naturam, eique intrinseca peccare absolute potuisse. Ita recitati DD. initio numeri primi. His adde nostros Mol.ad citat.art.3.Soar. cit.c.12.à n.14.Gran.tr.13.d.2.sect.5. Alarc. tr.6. d.9.c.2. n.13.concl.4. Arriag.d.24.sect.4. concl.4. Ratio est:quia,etsi Angelus,antequam primo peccaret, nullum errorem pati possit,vt se esse Deum iudicet possibile, ac proinde in id cognitum, & iudicatum possibile ferri nequeat; attamen in id, simplici apprehensione cognitum, & conueniens repræsentatum simplici affectu ferri absolute potest:cui habẽdo iudicium de sui obiecti impossibilitate,non obest. Sic Dæmones apprehendunt Deum durum suorum criminum vindicem, & vltorem esse;quod tamen esse impossibile iudicant, sciuntq; euidenter esse impossibile:ac de sic apprehenso defectu,& absoluto non esse Dei ipsis commodo,ne ita puniantur, simplici affectu, seu velleitate de eius non esse efficiuntur. Similiter homines apprehendentes se aues esse, volareque per aëra,ac cælos volaru transcendere similibusque inanibus apprehensionibus bonorum ipsis euidẽti iudicio, suo impossibilium, vane delectantur, siue ea impossibilia ipsis euidentia,absoluta simplici apprehensione, siue composita conditionate, & in hypothesi proponantur,vt contingit,cum cogitãt Dæmones *si non esset Deus &c.* & hominibus. *Si ego essem auus, & per aëra volatu calos, & vltra ascenderem.* Ita etiam,& honeste,homo peccato lætari hac apprehensione potest. *Si non peccassem,* & honestissime, ingenti supra modum merito simili,ac celebratissima, sua apprehẽsione delectabatur,& afficiebatur Aug ardentissime,dum aiebat. *Si ego essem Deus & Deus esset Aug. mallem illum, quam me ipsum Deum esse;* quæ tamen apprehẽsio impossibilium pluribus Aug.notissimorum,ac euidentissimorum, nota erat, & tamen apprehensio ab eorum impossibilitate præscindens satis ad eos effectus, seu affectus in voluntate excitandos erat,fuitque satis inde vero probatur similis (etsi oppositus)affectus simplicis complacentiæ, & velleitatis essendi Deum ex apprehensione, simili Lucifero, & Angelis reliquis in statu viæ,non solum possibilis,sed grauiter etiam peccaminosus:vti,& Aug. affectus ille honestissimus fuit. Dixi cum affectum simplicis complacentiæ, & velleitatis ex apprehensione,vel absolute, vel conditionate habita ibi sistendo esse turpem,& graue peccatum,cõtra Arr. cit.s.4.n.3.concl.3.quin progrediatur affectus ad complacẽtiam de alio impossibili similiter apprehenso de non existentia Dei quam à Dæmonibus, haberi superius diximus.Probatur ad hominem:quia idẽ asserit eodem n.concl.4.necessarium esse ad eius affectus, & complacentiæ cuiusuis excellentiæ propriæ, vltra,& supra vniuscuiusq; naturam,& proportionem omnem cum ipsa, & inordinatum, ac nimium excellentiæ propriæ,& subinde superbiæ proprie & specialiter dictæ affectum esse,vt graue superbiæ peccatum sit:atqui simplex illa complacentia,& affectus Deitatis apprehensæ,vt habitæ ab Angelo est appetitus,seu effectus excellentiæ propriæ,vt propriæ,& habitæ ab ipso vltra eius naturam,omnemque capacitatem (nedum proportionem) sistendo in ipsa, eiusque possessione apprehẽsa;ergo est affectus,& peccatũ superbiæ propriè,& grauissimũ, ac nimis inordinatũ præ nimia improportione infinita excellentiæ in quã affectus,& complacentia illa fertur cum natura Angeli,de illa:vt propria, & præhabita sibi complacentis,quin vlterius affectus ad cõplacentiam de eo,quod Deo Diuinitatis excellentia deficiat,odio,vel inuidia progrediatur.

3. Et quidem maior syllogismi euidens est à definitione ad definitum:tamq; illa, quam conclusio tota tradita Eccl.3. verbis illis *Altiora te ne quæsieris,* & toto Ps.130. *Domine,non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui, in magnis,neque*

in mirabilibus super me &c. insuper ex locis Isaiæ,& Ezech. pro dec.quæst.de facto referendis eadem maior,& conclusio proxima constant.Probaturque 2. cõclusio à ratione,omnis affectus creaturæ rationalis,etiam simplex,circa excellentiã propriam,& sibi supernaturalem,vt sibi connaturalem,ac debitã,& hoc sensu propriam, peccatum superbia est:cũctis.Catholicis Doctoribus iuxta fidei dogmata fatentibus:atqui nil tam supra naturam angelicam, imo totam creatam, & creabilem eiusque exigentiam, & iura omnia,ac proinde,tam supernaturale ipsi est,quam Deus,& Diuinitas:nilq; magis connaturale vnicuique est, quã,quod natura sua est:ergo simplex affectus, & complacentia Angeli Luciferi de eo, quod se Deum esse cogitet ibi sistendo,est affectus de excellentia,& supernaturalib. supernaturalissima, tanquam sibi connaturalissima, ac identice debita:ac proinde affectus ille,& complacẽtia simplex propriæ superbiæ,& ingentis;peccatũ est, vniuersa quæ conclusioni nostrę opponũtur ab aduersariis,ex impossibilitate cognitionis,& repræsentationis identitatis naturæ angelicæ, cum Deo (sine qua complacentia de ea identitate, & velleitas conditionata,& in hypothesi in Lucifero, qui illam euidenter cognoscebat, & iudicabat impossibilem, imo nec sibi conueniẽtem, & commodam,vt de ea posset complacere siquidem, euidenter, etiam sciebat ea identitate in se ipso defecturum,& destruendum,quare,nec de ea, sibi complacere posset, sed alteri, in quem, ea identitate conuerteretur, esseteque Deus) diuisecta sunt n.2. solum enim probant, impossibilitatem repræsentationis per iudicium:nõ autem per simplicem apprehensionem , cum euidenti etiam iudicio de oppositi compossibilem : ac proinde,nec posse esse de eiusmodi identitate complacentiam, simplicem, ac velleitatem per iudicium regulatã,& directam;secus per simplicem apprehensionem,qua identitas,& conuenientia proponitur, quin ad iudicium possibilitatis,& conuenientiæ,aut impossibilitatis,& disconueniẽtiæ perueniatur exemplis , & experientia nostra quotidiana producta n.2.demonstrant. Sed argui,& aperte instari pronum cuique est,contra eius complacẽtiæ,& velleitatis simplicis malitiam , ex simili hac peccatoris de peccatis dolentis.*O si essem impeccabilis*,& in illa Aug. *si Aug.esset Deus*,similis coplacentia,& velleitas simplex,& per nos honestissima inuenitur : ergo in simili Luciferi malitia non est,nisi ad complacentiam de eo, quod Deus,non esset Deus,progreditur. Præueni obiectionem & anticipato solui,dum complacentiæ Luciferinæ malitiam probari addens. *Sisterillo in complacentia de excellentia Deitatis, vt propria*, &, vt à complacente habita , ipsumque ad eum excellentiæ gradum euehente formaliter & constituente , vt sibi ob illam compleaceat.

4. Id vero secus haber in affectu illo ardentissimæ charitatis Aug.ex qua non sibi de ea excellentia complacebat superbiens, nec aliter, nisi vt eam in Deum, quem ardebat,transferret:ac proinde affectus ille nusquam superbia, sed charitas stupenda fuit vltra possibilitatem, ad impossibilia etiam,præ suo ardore, concitata, atque proiecta. Similiter de peccatoris velleitate illa:siquidem impeccabilitatem,vel peccati odio, vel Dei etiam amore velleitate illa , & complacentia simplici vellet, ne peccare, Deumque offendere , adhuc posset, non autem, vt superbiret, ac sibi vane de eiusmodi excellentia Diuinæ impeccabilitatis , qua possessæ atque ipsum ornantis,sibi attento,vt motiuo, complaceret. Dices contra malitiæ in eo affectu grauitatem. Ad grauitatem culpæ opus est, vt actus, seu affectus ex plena deliberatione,pleneque simpliciter, & absolute liber procedat, quod, nisi ex præconsiliato, & per iudicij in vtramque partem propositionem, & perpensionem affectus, seu actus prauus procedat, fieri nequit:atqui per nos complacẽtia illa Luciferi de sui identitate cum Deo,ex sola simplici apprehẽsione eiusmodi identitatis dirigitur,ac procedit,quin ex iudicio de ipsa, eiusue conueniẽtia naturæ Luciferi adhuc possibiliter,nedum actualiter,possit procedere:ergo is affectus seu actus simplicis complacẽtiæ,& velleitatis Luciferi de identitate,sui cũ Diuinitate,sui de eo, quod sit Deus, malitiam grauem habere absolute nequit; nedum adeo, ac diximus grauem. Respondetur huic apparentiori cæteris difficultati:deliberationem plenam , & præconsiliationem iudicij circa partem vtramque necessariam ad actionis , seu affectus libertatem absolutam,& simpliciter,nec solum secundum quid talem , ac subinde ad malitiæ grauitatem, non esse circa possibilitatem,vel impossibilitatem,cõuenientiam vel incõuenientiam que physicam obiecti apprehensi,de possibilitate obiecti, eiusq; conuenientia physica appetenti, & in re præsenti,posse esse iudicium in Lucifero negauimus ac solam simplicem apprehensionem concessimus, solum ergo requiritur,ad absolutam,& simpliciter talem libertatem,ac proinde grauitatem malitiæ , affectus seu actionis , eius præconsiliatio , & deliberatio ex iudicio circa delectabilitatem, & turpitudinem actionis & affectus erga obiectum : quod circa vtramque haberi optime potest, etsi actio, vel affectus ille simplex, ex simplici apprehensione obiecti, & conuenientiæ appetenti , & in re præsente Lucifero, habendus sit:dummodo præconsiliationem,& iudicium honestatis,& turpitudinis non præueniat , ac subitorum motuum nostrorum, quos primo primos vocamus , adinstar affectus ille concipiatur : vt fieri posse manifestum est. Ex quo Doctrina argutiæ & instantiæ contra grauitatem malitiæ, affectus,& complacentiæ simplicis, ac velleitatis Luciferinæ possibilitatem præfocatur.Quod si eis de rebus intellectui angelico,& subinde Luciferi pro naturę priori ad peccatũ error possit obrepere,(de quo,etsi cert. 5.) nil,vel apparẽs,conclusioni nostrę opponetur.

5. Dicendum secundo, in quæstione de facto.Lucifer præfato affectu complacentiæ, simplicis, & velleitatis æqualitatis cum Deo , secundum intrinsecum & naturam Dei de facto peccauit. Est contra Doctores negantes huius peccati angelici possibilitatem, citatos n. 1. sub finem, & ex iis, qui possibile admittunt , aut non adeo rigide impossibile censent , est etiam contra Quiros d. 74. sect. 1. n. 3 §. *Prima sententia* contra Vasquez cit. c. 3 . vbi reputat quæstionem dubiam , ac nullo firmo fundamento affirmatiue definibilem,vt vidimus n. 1. sub init.Habet tamen conclusio hæc Patronos , Doctores omnes, quos ab eius numeri initio retulimus,Nazianzenum orat. 27. n.8. ita scribentem. *Hæc (inuidia) & Luciferum obscurauit ob mentis elationem prolapsum, indignum enim, atque intolerandum dicebat , se , cum Diuinus esset (sua vtique apprehensione,& cogitatione) non Deum quoque (vt debebat) existimari.* Clarius carm. 6. de subtantiis mente præditis ait ,

Quocirca primus male sana mente, tumescens
Lucifer (eximio nam quod frueretur honore
Sperabat regale Dei solumque Deusque)
Corruit amisso vel is splendore : miserque
Dum Deus esse cupit &c.

Cui concordat Glossa citata n. illo 1. Accedunt Patres sensu, vel litterali,vel figurato saltem, ab spiritu vero sancto , intento illa Isaiæ 14. *Qui dicebas in cælum conscẽdam: super astra Dei exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium,similis ero Altissimo*, ex quo loco bene arguitur , non solum verbis, *similis ero Altissimo* : quæ de similitudine aliqua in aliquo extrinseco , non autem , in natura possent commode intelligi,sed illis præcipue *in cælum conscendam*.Cum enim in cælo esset empyreo , cælorum supremo,nullum superius,quo ascenderet restabat,ergo non de ascensu ad superius cælum corporeum Lucifer cogitabat,sed de ascensu supra creata omnia , quorum cælum illud , vbi id cogitabat eminentissimo loco positum excellentissimum creatum, seu creaturam repræsentabat.ac si dicat:supra creata omnia etiam præstantissima, & vltra quæ solus Deus est,ad ipsamque Deitatem , quæ immensitate sua vltra empyreum , quod ambit, porrigitur, ac omnia replens astris , in lateribus Aquilonis sedet, ponitque nubes ascensum suum. & ambulat super pennas ventorum ascendam ,eique æquabor,similisque altissimo ero in Deitate, cui soli, in eis omnibus Sedem , solumque habere proprium est. Et sane litteralis hic loci huius sensus , vel inde suadetur : quod alias altissimi, & inflatissimi Lucifer,

qui

qui cogitationis, & affectus superbi relati initio solum suum supra empyreum volebat deferbuisse, si deinceps astris, nubibusque à Deo empyreo inferioribus insidere optasset; cum tamen, superbia, ac superborum cogitationes, & affectus ad maiora in dies appetenda inardescant, & crescant iuxta Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.*

6. Secundum testimonium ex Ezechielis 28. in quo, vt supra vidimus Regis Tyri, ac Luciferi superbia, & ruina intercalatis versibus ad litteram refertur: ita vero, vt alterius, ex eis casus, & superbia litterali sensu alterius historia figurato ab Spiritu Sancto etiã intento referatur; qui figuratus sensus superbiæ, & ruinæ Luciferi ab Spiritu Sancto intentus in Regis Tiri litterali historia toto eo capite, (vt alij volunt) narrata superbiam, & casum Luciferi æq; certitudinis, ac si de Lucifero ad litteram, eiusque peccato, & ruina sermo ibi texeretur facerent, eisdẽ Doctoribus fatentibus, quo posito: cum superbia, ex qua vterque, siue ad litteram, siue figurato sensu lapsus ab Spiritu Sancto per Ezechielem dicitur: sit, quod se esse Deum dixerit, ac complacuerit, vt n. 2. dicitur, *eo, quod eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum: & dedisti cor tuum, quasi cor Dei*, & n. 6. *Eo quod eleuatum est cor tuum, quasi cor Dei*, & n. 9. *Numquid dicens loqueris Deus ego sum coram interficientibus te?* Eiusmodi complacentiã de eo, quod Deus esset, & affectum similitudinis cum Deo in natura, superbiæ Luciferi peccatum de facto fuisse aperte, & ex omnium Patrum, & interpretum, ad id caput intelligentia monstratur. Tertium testimonium secundi huius datum sensum vel deconfirmat, & conclusionem (me iudice) clare probat. Prælium Michaëlis, & Angelorum eius cum Lucifero, & apostatis sequacibus, exemplo, & suasionibus oppositis peccato, & cogitationi Luciferi & habitum est: atqui exemplum, & suasio Michaëlis, vt Luciferum, &c. à peccato suo ad bonum frugi reuocaret, ab scriptura memorata, illa tota, & sola est. *Quis sicut Deus* ex qua militiæ cælestis Princeps Angelus Michaël nomen claturam sibi adsciuit: Ergo Luciferi peccatum, & cogitatio fuit se Deum esse, ac Deo similem in natura. Probatur consequentia: nam is solum directe, & immediate exemplum, & suasio illa Michaëlis, *quis sicut Deus* aduersatur.

7. Certe, quæ huic conclusioni possunt opponi nullius sunt ponderis. Nam quæ ab impossibilitate, vel affectus huius, vel grauis malitiæ in illo inueniendæ obiiciebantur à nonnullis, ac subinde contra eius absolutam existentiam militabant, disiecta sunt, dum primam conclusionem probauimus, ex quibus illud etiam diluitur, quod ex verbis Anselmi de casu Diaboli c. 4. opponitur contra hanc conclusionem, *Quo modo*, inquit, *potuit Diabolus velle, quod non potuit iudicare? Non enim adeo obtusa mentis erat, vt nil aliud simile Deo cogitari posse nesciret.* Loquitur tamen, de efficaci absoluta voluntate, quę ex iudicio possibilitatis obiecti, ac negatione subinde euidentis iudicij de eius impossibilitate debet procedere, quam nos etiam in Lucifero negamus, ac solum simplicem complacentiam, & velleitatem æqualitatis cum Deo in natura, ex simplice solum apprehensione (quæ de euidenter notis impossibilibus esse potest) oriundam. At, inquiunt, ex aduersarijs nonnulli voluntas Luciferi, non simplicem complacentiam similitudinis Dei, sed desiderium, & efficax quidem, denotat: vt patet ex illis, *in cælo conscendam*, quæ de faciendis sunt. Atqui per nos efficax voluntas, æqualitatis, & similitudinis Dei in natura, vtpote rei euidenter ipsi impossibilis repugnat Lucifero: ergo ea voluntas, eo Isaiæ loco significata non fuit similitudinis Dei in natura, sed, vt summum, in extrinseco aliquo. Respondetur negando antecedens. Nam complacentiæ simplices, & velleitates de obiecto impossibili, ac conditionata desideria sub conditione euidenter impossibili apprehenso simili voce optatiui temporis præsentis, vel futuri imperfecti, vel absoluti, vel in hypothesi, ac sub conditione, æque commode significari, queunt: vt patet, in eo, qui cogitans se auem esse in volatu per aëra delectatur, quem affectum recte explicaret, si diceret: volabo per aëra, & cælos transcendam, non quia id faciendum à se iudicet, ac efficaciter velit, sed quia ita esse, vel fore apprehendit, & gaudet. Opponunt demum credibilem nusquam esse excellentissimum, & sapientissimum Angelum Luciferum, imo neq; ex Angelis infimum, ob inanem illam somniatæ, & vmbraticæ excellentiæ Diuinæ, non iudicatæ, sed solum apprehensæ delectationem, deliberationis accessu (vt opus ad adeo graue, & infandam malitiam erat,) tanta turpitudine, & præparatis tartari suppliciis æternis propositis protritis, tamen illã primo ex præconciliato & deliberato concepisse, vel motu primo primo, ex simplici illa apprehẽsione (quod fieri connaturalius poterat) conceptam non illico abiecisse, sed consulto conseruasse. Verum creatæ fragilitatis, etiam sapientissimorũ, & perfectiorum experientiæ frequentes huic Luciferi misertimo, & stolidissimo casui & admirationem eximunt, & faciunt fidem: vt ex eo etiam, eius proloquij: *Magnarum mentium errores non, nisi ingentes, esse*: veritas cæperit. Quod si indeliberato (vt extimo) eiusmodi complacentia simplex de propria Diuinitate apprehensa primo concepta à Lucifero fuit ac primo percepta eius delectatio quantũ efficaciæ ad deliberatam in illa cõtra (naturales præsertim) rationes omnes persistentiã, & ruinam afferat satis suadet, cum experientia, qua ex delectatione prauæ actionis indeliberatæ præcepta ad illam deliberate conseruandã, vel repetẽdam adeo potenter, etiam contra supernaturalia Dei auxilia volũtas impellitur: id quod nec Diabolus, sua etiam fors ruina edoctus ignorat: quandoquidem, eos in nobis subitos prauos motus excitat, vt nos eum acrius tentare permittitur fortius imperat, atque in peccatum impellat: tum etiam experiẽtia à contrario, qua Deus, vt nos, ad virtutes exercendas, & vitiis oppositis, resistẽdum auxiliis gratiæ suæ armat ac subitorum motuum, de earum virtutum delectationibus, nos præuenit: vt idcirco Patres, & frequentissime Augustinus, atque ex eo præsertim Vasquez noster, & ex eius eruditione, & sententia sapientes quique Theologi posteriores efficaciam auxiliorum (quod ad physicum eorum attinet, non autem ad effectus infallibilitatem) magnam, & præcipuam partem in his indeliberatis virtutum motibus constituunt.

8. Circa postremum examinandum, & decidendum inpræsentiarum dicendum est tertio. Affectus superbiæ præfatus æqualitatis, & similitudinis in natura cum Deo fuit Luciferi primum peccatum, docuit expresse Maior citatus n. 1. in idque ex nostris aliqui inclinant: alij valde probabile reputant, quos sub eius numeri initium relatos inuenies. Probatur quia ex affectibus Luciferi, & recognitis nullus hunc æqualitatis ad similitudinis Deo in natura tempore, aut natura anteiuit, nec connaturaliori eorum ordine debuit præfato affectui præire: immo vero alij omnes huius consectaria sunt, & appendicula, quasi connaturalia, vt, cert. 5. cõstabit, de eo, qui ab Scotistis, & Nominalibus aliquot primo loco censetur, de aliis cert. 6 quod si connaturaliori modo, & ordine prauus affectus ille alios debet antecedere ita esse factum legitime in bona Theologia concluditur. Probatur secundo, ex scriptura: ex qua ostendimus cert. 3. primum Luciferi peccatum fuisse propriè, & specialiter dictæ superbiæ, vt ab aliis speciebus peccatorum diuersæ: ex hoc vero certamine constat, locis scripturæ, quibus causa tota Luciferi, atque casus eius à gratia, & felicitate illa, in qua creatus fuit, atque eius ab empyreo in inferni barathrum eiectionis affectus ille describitur, affectum illum æqualitatis Deo in natura vtriusque, & à gratia, & ab empyreo in tartara casus, vt totam, & vnicam, uel præcipuam causam referri: atqui casus à gratia, in qua creatus Lucifer à Deo est, causa tota fuit primum eius superbiæ peccatum: ergo dum effectus ille æqualitatis Deo in natura casus à gratia, causa, & tota præsertim ab Isaia, & Ezechiele describitur primum superbiæ Luciferi peccatum fuisse asseritur; esto: alia peccata in via etiam admiserit ob quæ etiam, viæ statu exacto, fuerit suppliciis irreuocabilibus, & æternis damnatus, & addictus.

CER

CERTAMEN V.

Scotus impugnatur.

1. SCotus, & Holcot relati cert. 3. n. 2. sub med. (quorum sententiam probabilem reputat Bassolus citatus ibidem) censent ante hanc complacentiam simplicem de Diuinitate apprehensa à Lucifero, vt sibi propria, & à se possessa (quæ concupiscentiæ affectus est) alium affectum complacentiæ erga personam propriam, siue in se ipso naturæ priori necessario præcessisse, qui complacentiæ in persona altera, & amori, amicitiæ propriæ erga alium, respondet, quo nil illi formaliter concupiscimus, atque ad aliquid aliud boni ipsi appetendum, & volendum, tanquam ex prærequisito, & necessario præsuppositio pro naturæ priori affectu, mouemur. Huius, inquiunt, adinstar, cum nobis aliquid, (atque in re præsenti Lucifer sibi) affectu concupiscentiæ, siue complacentia simplici, siue desiderio, quouis appetimus res se habet: vt, scilicet, complacentia in propria persona, & nostri proprius amor, affectum omnem concupiscentiæ alicuius vlterioris boni procedat. Hinc aiunt complacentiæ in se ipso affectum, & amorē proprium Luciferi ante affectum concupiscentię Diuinitatis, seu alterius, cuiusuis boni pro priori naturæ præcessisse, eumq; fuisse luxuriæ seu libidinis spiritualis peccatum, & necessario in ipso primum. Hanc tamen Scoti doctrinam, Caietan. & alij impugnant, quia distingui realiter complacentiam in persona, siue propria, siue aliena ab affectu concupiscentiæ, qua de aliis bonis ab ea habitis gaudemus, vel ea ipsi desideramus (vt oporteret ad illius respectu huius præcedentiam, naturæ, & causalitatis) reputant impossibile. Arriaga d. 24. sect. 1. n. 3. §. *Secundo reiicitur*, & n. 4. §. *Vbi aduerto*: possibilem putat amorem complacentiæ, in persona propria, vel aliena, quin vlterius aliquod bonum, extra ipsi intrinseca alterutri, siue complacentia, siue desiderio ametur, sed in persona eiusque intrinsecis, sistat complacentia, & amor: quo in casu eum affectum alterum, quo extrinseca bona personæ propriæ velimus causare posse non negat, sed tacitus supponit. Cæterum amorem illum complacentiæ in persona alia, ab alio quo ipsi extrinseca alia velimus necessario distingui, eique natura præcedere falsum reputat, & impugnat à priori: quia amor, quo aliquod bonum extrinsecum, propriæ, vel alienæ personæ volumus necessario tangit personam, cui illud volumus: ac proinde illo amore persona ipsa amatur, vel propria, vel aliena, sed vtrorumque Doctorum impugnatio doctrinæ, ex qua ita Scotus & Holcot in re præsente discurrunt, non placet. Falso enim, in eo conueniunt: quod scilicet in affectu quo personæ propriæ, vel alienæ aliquid boni extra essentialis (vt sic dicam) volumus, personæ etiam amorem contineri, quia, dum ei illud volumus persona ipsa cui illud volumus tangi, eodem, affectu debeat, & amari.

2. Id esse ostendimus falsum: t. 2. Philosophiæ tract. de voluntate controu. de eius actib. vbi in affectu, quo amico bona quæuis, siue complacentia, siue desiderio volumus personam amici realiter formaliter, vt obiectum amatum, ac volitum, minime tangi, ex instituto probauimus. Imo vero, vt aliquid ei boni ex amicitia velimus, complacentiæ in persona, seu amoris personæ affectum debere realiter formaliter, natura præcedere. Id, quod, vel inde patet: quia, si rudiorem quemque, & formalitatum, & illationum, ac præcedentiarum metaphysicarum prorsus ignarum roges: cur bona amico desideret, & de possessis ab illo, gaudeat? respondebit illico; quia amicus meus, vel quia illum amo: amorem, scilicet, personæ pro causa desiderij, vel complacentiæ de eius bonis, physica scilicet, & reali reddens. Id ipsum Philosophi, & sapientiores significant dum eos affectus, erga amici bona ex amicitia vere, ac nulla fictione mentis haberi à nobis docent, quod, ni amor personæ eos affectus re ipsa præcedat, sed realiter affectibus ipsis identificetur falso docerent. Sic ergo personæ alterius amor amicitiæ respectu illius affectus, quo bona ipsi volumus se habet, ac se habet respectu electionis mediorum finis intentio, sine cuius reali præcedentia, ac subinde ab illa distinctione electio vere talis, atque ex ea intentione esse nequit: esto, vtrumque obiectum ob suam quodque bonitatem, ac non, vt medium, & finis formaliter amari eodem affectu queant: ex quo instatur, illa ratio à priori de necessaria attingentia personæ, cui aliquid volumus boni, quia intelligi nequit, illud amari, quin id personæ amemus: siquidem, nec intelligi potest amari electione medium, vt medium, seu vtile ad finem, quin finis in obliquo tangatur, & ad finem ametur, & tamen illud, vt medium, & finem, aut finem eodem actu simul amari: repugnat vt citato proxime loco ostendimus & tomo hoc secundo de Deo vno summatim. Atque, vt rationem à priori, alia à priori, pro vtroque reiiciamus, eatenus solum, vel persona, cui bonum aliquod volumus, vel medium, qua medium realiter formaliter eligimus, amari debent, quatenus bonitas illa ad personam, & vtilitas ad finem transcendentaliter essentialiter referuntur, iuntque subinde, & persona, & finis respectu illius necessarij termini: atqui amore bonitatis transcendentaliter essentialiter relatæ ad terminum, terminum ipsum simul amari non est necesse (alioqui nec pœnitentiæ bonitas amari posset quin eodem amore ametur peccatum, quod est implicatorium, & erroneum) ergo male ex amore bonitatis relatæ ad personam, & vtilitatis ad finem infertur eodem amore, vel personam, vel finem, simul & indiuisim amore ipso amandum; falso item Doctores iidem censent, eodem modo de possibilitate, seu impossibilitate, necessitate, aut non necessitate præcedentiæ amoris, personæ tam propriæ, quam alienæ, vt alterutri bonum optemus, vel de possesso, gaudeamus (in quo Scoto consentiunt) tametsi, tam de amore personæ alienæ quam propriæ necessariam præcedentiam contra Scotum negent, atque eorum aliqui reputant impossibilem. Quam vero diuersimode de præcedentia amoris personæ, alienæ ad vlteriores illos affectus erga ipsam exercendos necessitate, possibilitate, aut impossibilitate, atque de his, si amor propriæ personæ sit philosophari debeamus iam Scotum super eo confutans subiicio.

3. Igitur Scoti doctrinam hanc ex qua ad præsens discurrit, impugno primo. Etsi amor elicitus personæ alienæ necessario vlteriores affectus, quo bona alia ipsi velimus debeat natura, & causalitate præcedere, vt nuper ostendi; secus amor elicitus propriæ personæ, vt quisque sibi, bona, & commoda vlteriora velit: ergo Lucifer potuit sibi velle simplici complacentia, ac velleitate, quidnis aliud, & diuinitatem, quin suimet, & suæ personæ amor ab ipso elicitus natura ad eum affectum Diuinitatis præcederet: ergo & hic Diuinitatis affectus prauus, & superbus, potuit esse eius primum peccatum. Illationes sunt legitimæ ex postrema vero infertur de facto complacentiam Luciferi in se ipso, & persona propria secundum intrinseca non præcessisse natura complacentiæ de Diuinitate, vt possessa, & sibi propria apprehensa: Tum quia hæc sola, vt causa lapsus eius à gratia refertur ab Ezechiele, & Isaia supra illis verbis: *Deus ego sum* quare nullum anterius peccatum, prauusve affectus, quo à gratia deciderit Lucifer potuit, ab alio qui non decidit, differ, eo affectu, quo eis locis decidisse refertur: sed lapso iam à gratia Lucifero vlterius complacentiæ de sua apprehēsa diuinitate accidisset. Tum: quia frustraneæ, & absq; fundamento præcedentia naturæ amoris personæ eiusq; causalitas physica in cōplacentiam de Diuinitate apprehēsa, vt propria, asseritur, quæ absque illo amore fieri connaturalissime potuit. Solum ergo probandū restat. Primū illud antecedens, ex quo deductæ omnes consequentię pendēt, & ex cuius probatione abs q; amore elicito propriæ personæ affectus, erga reliqua

reliqua eius bona connaturalius, quam ex illo prouenire suadebitur: & subinde postrema illatio, in quæstione de facto contra Scotum confirmabitur: id enim factum, quod connaturalius fit, vbi de oppositio, non constat, certum omnibus est. Probatur ergo illud antecedens, quia affectus, (vt sic loquar) & inclinatio cuiusuis entis ad se ipsum, ex quo bona, & commoda sibi, appetit, nociua vero, & mala suæ naturę auersatur, naturalis natiua, & identificata naturæ suæ cuiuis enti est, & quæ ad conuententiam, cum omni ente, etiam irrationali, & insensitiuo, ac nullatenus cognoscitiuo dicatur: vt patet experientia in omni ente etiam rudissimo, & imperfectissimo, qualia elementa omnia sunt, quorum quoduis, & suum esse appetit, & exinde loca sui conseruationi aptiora naturaliter, vt sic loquar) amat, aduersa vero auersatur, nec nisi reluctanter, & violenter in eis detinetur: vt inde Aristotelico proloquio, vulgo generaliter dicatur, *vnumquodque appetit suum esse*; ex quo multa, & pulchra infert Aristoteles 3. Ethicorum, c. 1, & 2. Ergo appetitus cuiusuis entis ad se ipsum, ac subinde naturæ & personæ rationalis ad se ipsam innatus ipsi est, non elicitus. Fatet quia appetitui innato esse elicitum repugnat. Secundo, quia omnis amor, & appetitus elicitus essentia sua ducitur cognitione: ac proinde solis substantiis cognoscitiuis, quia cognoscitiuis potest competere; appetitus autem, & inclinatio cuiusuis entis ad seipsum, suoque esse non ducitur cognitione, nec competit enti, aut substantiæ cognoscitiuæ qua tali, cum omni enti etiam non cognoscitiuo, ac subinde qua ens est, conueniat: ergo amor sui ipsius creaturæ cognoscitiuæ etiam, ex quo commoda sibi appetat, ac refugiat aduersa elicitus non est, sed natiuus, suoque esse, & naturæ identificatus.

4. Dices, in non cognoscitiuis cum appetitum, inclinationem, & amorem sui esse & naturæ, ipiorum naturis indi & identificatibe buisse: quia ex cognitione ipsis impossibili illud appetere, amare, atque exinde cõmoda suis naturis velle, ac nociua auersari, fugereque non possent: ne erga ipsa curta, nec satis prouida natura, & prouidentia arguerentur. Secus vero in substantiis cognoscitiuis factũ, qui eos affectus ex cognitione elicere, & habere possunt. Cõtra, quia bruta cognoscitiua absolute sunt, & cogitatione sensitiua in pastus nociui, vel proficui, & naturę instinctu. Primum elicito appetitu appetunt; secundum, fuga etiam appetitus elicita, auersantur: idque ex appetitu, & amore fuisse, & naturæ, quam vtique non cognoscunt, ac proinde natiuo: ergo non solum de eo natiuo appetitu, & innato substantiis, & entibus non cognoscitiuis: natura prouidit, sed & cognoscitiuis: quare ipsa appetitus innatus, & amor sui esse, necessarius ad nociuorum, sibi fugæque naturæ fugam, & proficuorum prosecutionem elicitas ipsis prorsus inscitis natura prouisus est: ergo nec cognoscitiuis, quã cognoscitiuis, is natiuus sui amor, & appetitus competit: quare, nec elicito sui amore ad bonum sibi appetendum, malumque auersandum cognoscitiua opus habent. Dices secundo id de substantiis solum sensibiliter cognoscitiuis, quæ seipsas cognoscere nequeunt verum esse, ac merito ita à natura prouisum; secus vero de substantiis rationalibus, quæ seipsas cognoscere possunt, ac proinde se ipsas elicite amare. Cõtra primo: quia plures homines, sine vlla sui cognitione, ac super seipsos reflexione mala fugiunt, & proficua ac bona appetunt: ac proinde ex innato sui amore non elicito. Secundo, amor, sui elicitus, nequit esse, sine bonitatis suæ entitatiuæ, ob quam se elicite amet cognitione: quotus autem quisque erit, qui eam bonitatem entitatiuã, sciat, aut vnquam cogitarit, vt cũ ex suf amore bona sibi vult, & non vult mala, cum amorem sui possit prius elicere? ex metaphysicis vero scholasticis, qui accuratissime de ea disputantes eam tandem norunt, quisnam ad prosecutionem, vel fugã obiectorum sibi conuenientium, vel disconuenientium eius bonitatis recordatur, vt se amet, & ex elicito sui amore præfata sibi vel amet, vel auersetur? Cõtra tertio: quia cum entis prædicatum in aliis omnibus in actum hunc sui amorem secum identicum afferat, hunc illud, qua ens est, metaphysice consequi, vel potius necessario comitari euidens est: quandoquidem in tot entibus, vel substantiis à Deo specie, & genere diuersis, eo quod in generalissimo entis, vel substantiæ prædicato conueniãt reperitur. Cum autem, eius passiones metaphysice, sicuti neque ipsum, differentiis vllis (quantumuis invicem diuersis, atque inter se pugnantibus) contractiuis destrui possint, sed perfici potius debeat. Rationali cuiuis creaturæ cui entis, & substantiæ prædicatum adest, & hunc sui amorem innatum, & natiuum comitem metaphysicum illius adesse citra dubium est, nec, vt se substãtia cognoscitiua, etiam rationalis amare possit facultatem cognoscitiuam inditam à natura habere; sed, vt amare possit proficua sibi quæ nouerit, ac fugere aduersa: ac proinde, vt diximus sui pene oblitus, ac bonitatis suæ entitatiuæ ignarus, quare, sine vllo sui elicito amore, semper, vel fere semper, ea sibi obiecta amat, vel fugit.

5. Duo inde facile dignosces, primum necessitate præuij eliciti amoris personæ alienæ, vt ei bona velimus, nolimusque nociua ad necessitatẽ similis præcedentiæ amoris eliciti personæ propriæ, vt sibi bona vel mala quisque appetat vel fugiat perperam duci consequentiam. Siquidẽ amor innatus respectu entis, substantiæ, aut personæ alienæ, nulli enti aut substantiæ aut personæ innatus, & indiuiduè metaphysicus comes est: quare elicito amore personæ alienæ opus cuique est vt illi bona velit, ac mala nolit: amor enim alicuius personæ debet præcedere, vt ipsi proficua velimus: ignarus autem erga personam alienam non est, neque esse potest, cum natiua, & intrinseca variari, mutatique magis nequeant, quam possit, rei cuiusque naturæ essentia physica variari aliterque, & aliter secundum ipsi intrinseca habere: quod repugnat æque, ac contradictorie ipsam esse ac non ipsam. Defectum ergo innati amoris personæ alienæ supplet in nobis amor erga ipsum elicitus ob aliquam bonitatem in eo cognitam, ob quam in ipso complacemus, eamque nobis affectiue coniungimus: quemadmodum in filiis adoptiuis, quibus naturalis filiatio abest, abesseque debet, supplet illam adoptantis voluntas. Quid ergo amor elicitus supplebit amoris innati respectu propriæ personæ cui innatus, quem supleat, nequit deficere, vel adoptio respectu filij naturalis, cui adest naturalis filiatio, cuius defectum debebat supplere: male ergo inferebat Scotus, secundum est. Non melius Arriaga relatus n. 1. amorem elicitum erga propriam personam ibi sistentem, & ex quo præuio nobis extrinseca alia, siue complacentia, siue desiderio velimus admittit possibilem, ad eum modum, quo erga personam alienam potest præcedere, atque ad similes effectus erga extrinseca, siue extræessentialia illa bona eliciẽdos iuuare, tametsi, cum ea alienæ, vel propriæ personæ volumus personæ amor huic voluntati idemticus necessario repetatur, vt vidimus n. 1. ac super postremo hoc ipsum toto. n. 2. impugnauimus. Nunc autem illationem, possibilitatis adhuc, amoris eliciti personæ propriæ, quo in ea, eiusque intrinsecis sistendo complaceamus, ex quo alia nobis bona vlterius velimus, ex necessitate amoris erga personam alienam, male deduci ex dictis claret. Siquidem respectu personæ alienæ innatus amor nobis deficit, immo est impossibilis; respectu autem personæ propriæ; cum innatus, & idemticus naturæ cuique, is amor sit, non potest deficere: quare nec pro illo potest amor elicitus propriæ personæ, ibi sistens, supplere: ac subinde respectu propriæ personę est impossibilis, vti, & adoptiua filiatio, respectu eius qui habet naturalem, cuius adoptiua essentia sua supplementum est) prorsus repugnat. Scio nos in propria persona ob alia extrinseca naturæ bona, non secus, atque ob similia bona alios posse elicire amare. Sed hic amor, in natura, & intrinsecis non sistit, (vt amor, ex quo nobis alia extrinseca, & extræessentialia velimus, & necessario anterior natura sistere debet) quandoquidem bona alia extraessentialia tangit, & supponit ob quæ, & de quibus habitis in persona complacemus, non nuda, sed vestita.

6 Hæc contra doctrinam Scoti, ex qua in re præsente discurrit specialiter, & ex imis philosophiæ penetralibus dicta sunt satis, vt totus eius subruat discursus. Ea tamen doctrina permissa, etsi complacentia, seu amor elicitus Luciferi erga seipsum, propriamque personam complacentiæ, & amori ipsius erga suam chimærice apprehensam diuinitatem, aliamve quampiam excellentiam physice pro naturæ priori antecedere probetur: ast, cum amorem propriæ personæ prauum non esse, ac proinde, nec complacentia, illa Luciferi, seu vellitate simplici erga suam diuinitatem, quod primum eius peccatum diximus) anterius peccatum, & primum Luciferi fuisse, multo ex capite faci-

le contra Scotum probatur. Primo, quia amor ille elicitus propriæ personæ, requisitus necessario iuxta Scotum, vt nobis alia extraessentialia velimus, & personæ, & naturæ Luciferi innatus, identiceque naturalis non sit, vt hactenus ostendimus, attamen naturalis ac necessario elicitus, eoque sensu innatus naturæ Luciferi, sicuti & cuiusque individuæ substantiæ, & personæ naturis, per Aristotelem, Philosophos, & Theologos esse debet, qui eo, vt minimũ) sensu naturalem, seu necessarium, cuique sui esse, propriæque naturæ, & personæ aiunt, ergo is amor Luciferi sui ipsius, & propriæ personæ non fuit liber: ergo nec peccatum, quod nullus affectus non liber esse potest, secundo. Esto, liber fuerit: ne quid aliunde esse prauus. Probatur, primo: quia nequit esse prauus affectus, quantumuis libere elicitus, nisi erga obiectum turpe, & aliquo iure, siue positiuo, siue naturali prohibitum versetur; atqui amor sui, suæque personæ ibi sistens (vt sistere debet amor personæ præuiæ ad reliquos affectus erga extrinseca, & extra essentialia ipsi bona requisitus) nec positiue aliquo iure prohibitus est. Sin illud ostende multoq; minus naturali aliquo iure; ergo prauus amor ille non est. Postrema minoris pars probatur. Tum quia vnumquodque & vnũquemque amare, & complacere, in eo, quod est, & factus à Deo est, præcise, ibique sistendo rationi naturali nullatenus dissonat: imo vero Dei amori, & complacentiæ conformatur, qui in singulis, vbi primum facta, & absolute existentia vidit, complacuit illis verbis, & *vidit Deus, quod esset bonum*, pro vnoquoque repetitis Genes. 1. & homine producto, & coniugato valde in ipso, & creatis cunctis complacuisse Deum postmodum subiungitur, *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Tum etiam: quia, cum amor personæ propriæ naturalis sit, & à natura ipsa vniuscuiusque proueniens, si malus, prauusque iure naturæ esset, natura ipsa, sibimet ipsi contradiceret, ac repugnaret: ac demum naturam quamque rationalem natura ipsa determinaret ad actionem prauam, & peccatum, ex suppositione libertatis eius amoris, qui ab ea naturæ ad ipsum determinatione (in quo nunc Scoto consentimus, vt actius ipsum impugnemus) præueniret. Nec præstat, si dicas: modum eius amoris, & nimietatem esse prohibitam: intensio quippe actus, & vehementia affectus nusquam prohibiti: imo vero de se boni, & naturæ rationali conuenientis, (vti amor sui esse, præcise prohibitus non est) nisi, vbi eiusmodi intensio, & nimietas actus, seu affectus illius alterius virgentis præcepti executionem impediat mala moraliter, & peccatum esse non potest: quod in hac intentione, & magnitudine amoris sui esse, & propriæ personæ entitatiue, & secundum intrinseca, & essentialia sumptæ, præcise, nusquam inuenitur.

7. Impugnatur quarto, Scotus, & simul confirmatur: impugnatio præcedens. Amor elicitus, & liber, (qualis ab Scoto asseritur) propriæ personæ, suique esse, & naturæ, secundum intrinsecum sumptæ præcise, ibique sistendo, in quacumque intentione eliciatur, solum determinat personam ad prosecutionem boni, & conuenientis, sibi, & fugam mali, ac sibi disconuenientis, non autem ad prosecutionem boni prohibiti præ honesto, & huius præ illo fugam, sed illam indifferentem relinquit, & proxime constituit cum requisitis aliis ad alterius pro personæ arbitrio prosecutionem, vel fugam: ergo de se amor ille personæ, ac naturæ propriæ, nequit esse determinatio ad malum, nec affectus prauus, in quacumque intentione eliciatur. Dices nil esse apud Patres, & vitæ spiritualis magistros vulgatius quam quod *vitia omnia ex proprio amore in nobis oriantur*. Huic tamen, alio eorumdem Patrum, & magistrorum spiritualium aphorismo respondeo scilicet: *Neminem se magis odisse, quam qui peccat*: qui quidem in illa sententia Christi: Math. 16. *qui enim voluerit animam suam (id est vitam) saluam facere perdet eam*, & ad quæ Augustinus sententiarum antithesim accute concilians, ait, *Si male amaueris tunc odisti*: cõtinetur. Concilia ergo aphorismos, & primo nobis opposito facile respondebis: quia neuter de amore hoc personæ, ibi sistendo (de quo scholasticus noster & Metaphysicus sermo est) sed de appetitu aliorum extrinsecorũ, seu extraessentialium contra naturales, vel positiuum: primus decoctabilium, & carnalium: secundus diuturnioris durationis vitæ, vel breuioris, & quæ vitæ, & naturæ nostræ præcise, nõ est. Quinto denique Scotus, sibimet in sua sententia contradicit, vti & sequaces ipsius. Aiunt enim: amorem illum propriæ personæ in Lucifero fuisse luxuriam quandam, & libidinem spiritualem, id est, nimiam de spiritualibus, quæ habebat donis complacentiam: ergo complacentia hæc spiritualis affectus gaudij de possessis, & concupiscentiæ est (vti gaudium nostrum de bonis aduentitiis & extraessentiam physicam à nobis possessis) non autem amor personæ propriæ, & naturæ secundum intrinsecum sumptæ, amorem omnem concupiscentiæ de extrinsecis, & extraessentialibus bonis necessario pro naturæ priori, iuxta hos Doctores, præcedens, sed ipsum personæ amorem necessario subsequens, & supponens. Quatenus vero Scotus, & Hocol. hunc suum primum amorem (quem primum Luciferi peccatum esse volunt) luxuriam spiritualem, non autem superbiæ specie, ab aliis distincte, & strictæ ac propriæ dictæ peccatum asseruat, impugnari affatim sunt. cert. 3. n. 2.

CERTAMEN VI.

Sententiæ de appetitu vnionis hypostaticæ confutatione nostra de primo Luciferi peccato firmatur.

1 SCholastici, iam citandi, scripturæ loca, quibus nostram probauimus conclusionem legentes, videntesque in illis appetitum Luciferi de Deitate fuisse clare significari, atque arbitrantes de Diuinitate identice possessa, vel possidenda (vtpote de obiecto impossibili à Lucifero satis, & euidenter noto, esse non potuisse appetitum illum de Diuinitatate per vnionem hypostaticam à se habenda fuisse censuerunt, inuidiæ affectum Christo, eam vnionem habent, simul affingentes, quia notitiam vnionis eius hypostaticæ etiam Lucifer ex reuelatione habuit prius quam peccaret, ita Catherinus Libel. de gloria bonor Angelor. & lapsu malor. & Viguerius. c. 3. instituon. §. 2. versu. 15. etsi dignitatis mediatoris quę sane vnione hypostatica constituitur. Vt vidimus contra u. vltima, de incarn.) Luciferi appetitum, & peccatum primum, fuisse dicat: voce nimirum à Catherino discordans. Valentia in Psalm. 82. ad illa: *surge Deus, & iudica terram*, Iacobus Naclanctus in epist. ad Ephes. quibus adde Richardum. Ascanium Martinengum citatos à Tanner. dub. 3. n. 5. Granadum. d. 2. sect. 4. 80 ar. d. 7. c. 13. Martinon. d. 44. n. 8. ex confessione dæmonis exorcismis energumeno adiurati, Quiro. d. 74. sect. 1 n. 8. §. *Ego censeo*, ac probabile censent Molina, Zumel Becanus, & alij. citantur pro hac, etiam sententia Alex. 3. p. q. 2. m. 13 Vvilliem. Parisiens. lib. 6. de vniuerso. 1. p. partis. 2. 2 cap. Iob. ad 110. Dionys. Carthusian. in 2. d. 5. q. 1. Sed hi solum docent, appetiisse diabolum æqualitatem scientiæ, & sapientiæ Dei, quæ cum à proprietate competit filio videt Bernardus, serm. 1. de aduentu (ex quo illi sententiam sunt mutuati, illi id Ionæ ex filij) persona subiungit, *si propter me orta est tempestas proiicite me in mare* (corporis, scilicet, quod assumpsit) vt mirum sit Bernardum ex hoc sermone, & hos authores duos postremos ab huius sententiæ Doctoribus citari. Citatur rursus Bernardus ex sermone decimoseptimo in Cant. vbi Luciferum. *Antequam verteretur in tenebras*, scilicet peccati, generi nostro ob hominis Christi hypostaticam vnionem inuidisse, ac dixisse, *vt quid perditio hæc vnguenti*, scilicet diuinitatis, in humanitatem Christi effusæ, & infusæ. Sed tamen Bernardus nihil vbi de vnionis hypostaticæ vnctione, aut vnguento Diuinitatis humanitatis Christi, sed de vnguento gratiæ Dei in prædestinatos omnes effusæ ex qua cœlo, & gloriæ inferendos, faciendosque conciues suos, ex Dei reuelatione Lucifer nouit: ac socios dedignatus, eis præesse vt Princeps, ac magister docere voluit; vt in textu Bernardi est expressum: quare falso pro hac sententia refertur ab his, qui, vnguenti, & vnctionis nomine decepti, de sola vnctione Deitatis cogitarũt, sed, nec si de ea Bernardus

cuius

dus; loqueretur huic sententiæ faueret; quia expresse ait inuidiam hanc Luciferi erga hominum genus, quam primum eius peccatum videtur docere, ex superbiæ anteriori peccato ortum duxisse, sic enim concludit: *Ergo in cœlo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem iniquitatis, & arumnarum omnium primæ parens superbia. Nam etsi inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati superbia*, quod ipsum solummodo Alexander voluit. Citatur etiam Rupertus Abb. ad id Ioan. 8. *Ipse homicida erat ab initio*; sed extra rem: cum ex odio in Christum, mortem, quam per Iudæos perfecit, machinatum fuisse dicat, ex quo primum illum Lucifer nouit. An vero illum nouerit antequam primo peccaret, an postquam iam lapsus in culpam fuerat, non definit. Cyprianus opusc. de zelo, & liuore sub init. Irenæus. 4. aduers. hæres. c. 78. ad id Matth 13. *Inimicus homo hoc fecit*: inuidiæ hominis primum Luciferi peccatum fuisse aiunt, non autem ob vnionem hypostaticam hominis Christi, sed quod homo, ad Dei similitudinem, & imaginem conditus primum esset de hoc materia inuidiæ conuenit cum ipsis. Tertul. lib. de patientia, c 5. Basil. concione de inuidia sub init. Nyssen. orat. Catechet. c. 6. circa med. sed, an primum Luciferi peccatum fuerit? hi non definiunt, nec examinant. Immo vero Augustin. 11. de Genesi ad litter. cap. 14. eorum sententiam memorans, nec improbans, monet, si Angelus ex inuidia eiusmodi, peccarit, ex peccato superbiæ in quod prius inciderat inuidisse homini, non autem ex inuidia superbisse. De inuidia diaboli in homines ob ipsis ingenitam Dei imaginem, & similitudinem, & dona, in quibus conditus est reliqua primum Luciferi peccatum esse non potuisse, sed superbiam, qua iam à gratia, & dignitate deiectus & omnia homini inuiderit, docuit, & luculèter probat Chrysostom. hom. 22. in Genes. à nobis recitatus cert. 3. n. 5. sine cuius ratio respectu inuidiæ Luciferi de vnione hypostatica humanitati Christi donata. (De qua tamen ibi Chrysost. non agit) vim non habet. Author operis de mirabilibus sacræ scripturæ operibus Augustini inserti lib. 1. c. 2. Diabolum non potuisse absolute peccare inuidia dignitatis humanæ, ni suam prius amisisset per peccatum dignitatem vnionis hypostaticæ, non excludens censuit. Sed falsum est, & ratione Chrysostomi, & Augustini supra destitutum.

2. Hæc de Patribus prolixius præmisi, vt citatos scholasticos præfatę sententiæ Patronos, illorum authoritate nudos conclusione opposita liberius, atque expeditius adorirer. Sed tamen pro præsentis difficultatis ex animo expeditiori, & vniuersaliori & quod quæstiones, tam de facto, quam de possibili, hic ab scholasticis agitatas comprehendat, aduertendum. Quoad quæstionem de possibili dupliciter versari illam posse. Scilicet, vel de absoluta possibilitate appetitus superbi erga vnionem hypostaticam Angelo eius notitia sufficienti instructo ad eam appetendam, vnionis eius, & peccati superbiæ naturis solis, & essentiis attentis, vel supposito etiam ordine decretorum, & motiuorum ad incarnationem, & vnionem hypostaticam peragendam huiusque absoluta Lucifero præuisione, & circa primo modo intellectam, quæstionem de absoluta possibilitate appetitus diaboli proprie superbi, vnionis hypostaticæ, dicendum esse absolute possibile est conclusio contra recentiores pressis nominibus memoratos à Vasquez d. 233. c. 1. n. 5. §. *Secunda opinio*, & Bannes. 1. p. q. 63. dub. 3. circa concluſ. 6. Est tamen cæterorum Theologorum conclusio Vasquez. c. 2. n. 7. ad 10. inclusiue. Ioann. Præpos. 1. p. q. 63. a. 3 dub. 4. n. 30. concluſ. 1. Arriaga. cit. d. 24. sect. 5. §. *difficultas hæc*. n. 37. tanto oppositæ conclusionis contemptu, vt nostram, sine disputatione, dubiove vllo admittendam iudicet; eam insuper, absque disputatione supposita, quam examinatam volunt, qui primum Luciferi peccatum vnionis appetitum de facto fuisse, vel defendunt vel asserunt, probabile. imo & qui eos in quæstione de facto impugnant: eorum quippe nemo ex absoluta eiusmodi appetitus impossibilitate, sed ex suppositione ordinis decretorum incarnationis, vel aliunde Probatur facile. Quoad physicum appetitus, etsi enim cognitio, possibilitatis adhuc vnionis physicæ Dei cum creatura absque reuelatione haberi nequeat, ab Angelo, vt constat ex dictis controu. de Trinit. d. 2.) quia eius possibilitatis inferendæ nullum est in naturalibus principium, ast reuelatio de vnionis eius possibilitate à Deo verissima & quæ creaturam rationalem nobilissimam, atque tot gratiæ donis ornatam ad ipsius amorem, & appetentiam posset mouere absolute est possibilis. Accedit quod ad affectum complacentiæ de vnione à se habita apprehensio sufficiat, quæ haberi à Lucifero potuit absque iudicio, de eius possibilitate, imo, & cum iudicio, de eius impossibilitate, vt vidimus. cert. 4. de appetitu complacentiæ Luciferi de Diuinitate à se identice possessa. Quoad possibilitatem malitiæ appetitus illius absolutam probatur communiter; quia hic potest absolute prohiberi, tuncque appetitus, aut complacentia prohibita de vnione hypostathica peccatum abs dubio esset, prohibitio hæc ex sine humilitatis Angelicę, vtque se intra modestiam debitam, ac propriam suæ imperfectionis cognitionem ac sensum Angelum contineret, cui præcepto solius superbiæ, actu contrairet, non repugnet.

3. Sed independenter prohibitione hac, appetitus ille posset esse malus, scilicet, si de vnione illa falso apprehensa vt habita, inaniter gloriaretur Angelus, & intumesceret, præcise quatenus ipsum, quid magnum, & excellentissimum in sua æstimatione per ipsam constitutum se cogitaret, sine vllo respectu & cogitatione amicitiæ Dei, quam vnio illa ipsi afferret, alteriusve honestatis obiectiuæ, vt complacentiæ illius motiua, vt cert. 3. de complacentia Diuinitatis aprehensæ, vt à se possessæ dicebamus. Eodemque modo appetitus absolutus desiderij vnionis, ciusdem prauus moraliter probatur, si ob illud præcise motiuum ab Angelo haberetur, intumescendi scilicet, de immęsa illa, ac nimia vnionis excellętia à Deo ipsi indebita, atque à sua natura longe à Deo desita, & excelsa, quin affectus ille ad desiderium, vel complacentiam de illa, vt sibi naturaliter debita, vel à se, suoque iure & viribus habenda, (quod dubio procul peccatum graue foret) vel ad aliorum Angelorum despicientiam, & neglectum pertingeret, de quibus Angelus tunc, nequidem cogitaret: quam vero complacentiæ illi, aut desiderio tumido, & inflato aliorum neglectus, & dispicientia proxima sit, nemo non videt. quare eos, quos valde de suis dotibus tumidos, & vane complacentes sibi; priusquam ad nostrum despectum, & cõtemptum, eos peruenire noscamus, merito tanquã nobis iniurios, & contẽptores odimus: quia etsi non dum nos despicere comperiamus totos sui æstimatione plenos aliorum æstimationẽ non capere certum est: quare aliorum contemptum in proximo esse, vbi primum eorum recordentur legitima consecutione nobis suademus. At inquiunt recẽtiores iidem. Nemo potest in sui destructione complacere, eamve appetere: atqui, si vnionem hypostaticam Lucifer, sive complacentia de ipsa, sive eius desiderio appeteret, suæ personæ propriæ, cui vnio hypostatica repugnat, sive sui destructionem appeteret; ergo is apetitus Lucifero repugnat. Respondetur facile: appetitum suæ destructionis secundum se, & quatenus mala est appetenti, esse cuiuis impossibilem; ast, vt aliqua bonitate, sive positiua, sive negatiua, id est, quæ malo aliquo grandi valde, & quæ bono essendi appetentis iudicio præponderet, appeti posse. Ita sæpe cernimus oppressi homines appetunt mori, laqueo se suspendunt, ac propriis manibus mortem oppetunt. Damnati item expetũt deficere, ac non esse, vt intolerabiles suas pœnas, & cruciatus effugiãt. Secundo, vt superius dixi, potest appetere Angelus vnionem hypostaticam, nondum pro illo signo cogitans. De sui destructione inde ostentura, etsi obuẽturam admittamus. Tertio, cum propria personalis vltra individuum esse naturæ Angelicæ aliquid vltetius addat sive positiuum, sive negatiuũ (vt cõstat ex mysterio Incarnationis) non infertur ex destructione proprię personalitatis; per vnionẽ hypostaticam naturæ, & esse destructio, vt de natura humana Christi definitum contra Eutychem fuit. tam, si sola personalitas propria destruẽda est tãti doni, tamq; excellentis, quantum vnione hypostatica essentiæ, & naturę Angelicæ afferretur, quoniam Luciferi voluntas retardaretur nedũ redderetur impossibilis: id quod, si ia pura negatione, non autẽ in modulo positiuo, non ex multo tẽpore à nõnullis naturæ superaddito, personalitas propria iuxta Scoti, & antiquorum sententiam nostram, consistat, facilius, rudibus, etiã, huius obiectionis leuitas apparebit.

4. Dico secundo contra citatos num. 1. & Soarium iterum, t. 1. in 3. p. 42. sect. 1. Primum Luciferi peccatum non fuit appetitus vnionis hypostaticæ absolutæ, (multoque minus ex inuidia) quod humanitati Christi communicatam absolute videret, iuxta suppositionem ordinis decretorum incarnationis, qui de facto fuit. Ita Valentia d. 4. q. 14. p. 3. in 4. sententia, Vasquez, d. 233. c. 2. Molina ad q. 63. a. 3. d. vn. in 5. concluſ. 7. Becan. tract. 3. capite quarto, quæstione sexta, conclusione secunda, Ectius in 2. d. 6. §. 7. Ioan. Præpositus ad citat. quæst. 63. a. 3. dub. 4. n. 31. concluſ. 2. Arriaga d. 24. sect. 5. num. 38. Alarcon citato tract. 6. d. 9. cap. 1. n. 6. §. *Addo tamen* tametsi valde probabile censeat oppositum, ratione subiuncta, quæ solum conclusioni aduersæ, quoad possibilitatem poſſet inseruire. Quoad exclusiuum inuidiæ parentheſi contentum, probatur concluſio, quia vt vidimus certam. 2. Primum Luciferi peccatum fuisse superbiam, citra temeritatem negari nequit. Ergo non inuidia vnionis hypostaticæ Humanitatis Christi. Probatur conſequentia, quæ parui habetur à Vasq. c. 2. n. 11. §. *Hæc est potissimè*: quia etsi inuidia coniungi simul tempore cum superbia possit, non tamen simul natura, sed debet esse anterior natura, vel posterior. Ex tristitia enim de bono, & excellentia alterius possumus illam nobis potiori iure debitam appetere, quod non ita euenit Lucifero, alioqui non superbia, sed inuidia primum eius peccatum esset contra dogma præfatum. Possumus etiam ex superbia præconcepta de excellentia alterius, quæ nobis deficiat tristari sæpe de bonis alterius, & excellentiis tristamur: sed tunc quidem, vel odium, vel superbiam, anterius natura tristitiæ, & inuidiæ illi præcedit: idque Lucifero contigisse constat ex dictis certam. illo. Alioqui superbia omnis peccati in vitium non fuisset; quandoquidem illius inuidiæ Luciferi, initium non esset. Secundo probatur directa, & absoluta concluſio. Quia nequit Lucifer vnionem hypostaticam humanitatis Christi absolute existentem cognoscere, vt illam ex eiusmodi cognitione appeteret superbe, nisi ex Dei reuelatione; ast huius reuelationis Lucifero protunc factæ nullum est fundamentum, vt statim videbimus: ergo nec oppositam concluſionem asserendi, hæc independenter ab ordine decretorum incarnationis, qui de facto fuit in quo nunc præsertim disputamus. In eo vero ordine efficacius probatur concluſio. Quia decretum incarnationis, seu vnionis hypostaticæ, verbi ad humanitatem Christi posterius natura fuit absoluta existentia peccati Protoparentum, eiusque absoluta præuisione, vt ostendimus ex Patrum, & scripturæ sententia, firmior, ac fere, aperta controu. de incarnat. d. 2. & 3. atqui peccatum Luciferi absolute existens, fuit prius natura peccato primorum parentum, quod ex diabolica suggestione absoluta partum est; ergo peccatum Luciferi absolutum, & absolute existens fuit prius natura decreto incarnationis, atque absoluta huius existentia: ergo etiam fuit, prius absoluta reuelatione incarnationis absolutæ existentis, quam absolute existentem reuelatio absoluta necessario, & absolute pro naturæ priori supponit; ergo peccatum superbi appetitus Luciferi ortus, non fuit, ex eiusmodi reuelatione pro naturæ priori ipsum præcedente, quin mutua causalitas causarum, non nisi per sui absolutam existentiam causantium repugnanter, & contradictorie admittatur.

5. Oppositam sententiam Patrum authoritate prorsus destitutam vidimus n. 1. opponitur autem contra nostram Paulus ad Hebræ. 2. *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*; ergo prius inductus Angelis à Deo fuerat per reuelationem, & propositus, vt eum adorarent; alioqui iterum in terram inductus, & introductus non esset, cum incarnatus exercite fuit, si tunc primum introduceretur. Nil præstat sumpto etiam *iterum* sensu, quo aduersarij volunt. Dici enim facile potest cum Genebrardo in Psalm. 95. *ad illud, & adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ opposito loco Paulus retulit, de secundo aduentu Christi ad iudicandum intelligi, quod textui, & particulæ *Iterum*, sic intellectæ conformius esset: cum introductio secunda, non, vtcumque, sed in orbem terrarum dicatur, & quæ primam eius in eundem orbem supponat. Sed certe illud *iterum* non ad introductionem Christi, sed ad testimonia à se antea pro Christi diuinitate, & præ Angelis etiam excellentia, recitata Paulus retulit, vt ex Adamo, & ex Erasmo admonet Vasquez citato loco, numero duodecimo, vt sensus sit, & *iterum, seu rursum, cum introducit*, vnde Græci Patres, illam particulam in eo loco non exponunt, tam eius sensui impertinentem. Leuius adhuc obiicitur Paulus ad Titum. c. 1. de vita æterna dicens: *Quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia*: cum ante promissio alicui, vel aliquibus existentibus facienda sit, & ante sæcularia, id est sæculi, seu mundi cuius tempora, nec homines fuerint, nec peccarint, restat, vt Angelis iam creatis facta, ac reuelata fuerit. Vitæ vero æternæ promissio de qua ibi Paulus, in Christo, & ex eius meritis fuit: quare, & ante Adæ peccatum, & mundani temporis initium, reuelatus Angelis Christus fuit, & vnio hypostatica, quam superbe illico appetierunt, ac primo peccarunt. Siste amabo te in Origenis errorem tuo discursu præceps laberis de Angelorum ante mundi initium creatione supra à nobis ex Patribus, & Conciliis reiectum: immo in errorem maiorem, si ex Græco textus vertatur pro sæcularia, *æterna*; tametsi, & hæc Hieronymus, iuxta Origenis sententiam, non autem suam de æternitate, seu de æuo Angelorū tempori nostro anteius habito interpretetur; ex sua vero sententia ait: promissionem hanc ante mundi tempus omne in æternitate, & ex æternitate Dei coæterno sibi verbo factam à Deo fuisse: quo tota obiectio euanesceret. Sed corruit planius aliunde: quia, vt bene Chrysostom. ibi promisit tantundem valent, ac *proposuit, decreuit, præstinauit apud semetipsum, & in mente sua dare fidelibus suis vitam æternam*, quemadmodum etiam 2. ad Timot. 1. de gratia dicitur, *quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia*. Id est decreta: enimnondum existentibus, nec fuit, nec poterat dari. Et quidem (vt non ita esset vera, quæ diximus) solum eis locis aduersarij obtinerent reuelationem Christi, & vnionis hypostaticæ Angelis tempore, quo velint factam fuisse; non autem ex eius notitia, vel superbo appetitu, vel inuidia in Christi humanitatem peccasse; vt bene Vasquez, etsi possent: siquidem, eis plures, scilicet Angeli boni, ea etiam notitia habita non peccarunt. Adde multominus euinci, ex ea reuelatione & notitia primo peccasse, & si peccasse, ex illa gratis concedatur: cum iam malis aliunde fieri, reuelatio, potuerit: quemadmodum iam malis & damnatis ad ipsorum pœnam, & supplicium facta fuit.

6. Dico tertio, stante ordine de creatorum, qui de facto circa Verbi incarnationem fuit, nullareuus potuit Lucifer, vllusve Angelus, ex reuelatione, ac notitia absoluta incarnationis, seu vnionis hypostaticæ verbi ad humanitatem absolute existentis ex superbia, vel inuidia, vel odio peccare nedum primum peccare. Est contra Suarez Tannerum, & Granados. Apud Arriagam supra num. 38. §. *Obiicitur ergo* n. 39. & tacitus Alarcon supra, qui suæ insistit doctrinæ de principio remoto, quantumuis connexo, cum remoto effectu, quod causam solum per accidens esse docet, ac proinde ab effectu remote subsecuto posse causari. Concluſio tamen nostra est nostri Vasquez citat. capite secundo, Arriagæ citata d. 24. sect. 5. num. 38. §. *Obiicitur ergo*, ac deinceps. Probatur argumento postremo, quo secundam conclusionem probauimus numero quarto, sub med. quia mutua causalitas causarum causantium, vt absolute existentium, est absolute, & omnino impossibilis: atqui in ordine decretorum incarnationis, qui fuit, non potuit Lucifer, vllusve alius peccare, ex visione absoluta incarnationis, seu vnionis hypostaticæ verbi absolute existentis, & reuelatæ, quia daretur mutua causalitas causarum, causantium, vt absolute existentium, iuxta dicta eo argumento vltimo; ergo nequiuit Lucifer in eo ordine, ex reuelatione, & notitia absoluta incarnationis, & vnionis hypostaticæ Verbi ad humanitatem absque absoluta repugnantia, & & contradictione peccare. Euasio ex doctrina memorata nostri Alarcō de causis, & principiis remotis quā nos prius iuuenes Theologicæ auditores ad cōponenda difficilia in materia de incarnatione meditati fuimus, ac reflectimus) quem

euersa à nobis fusius est controuersiis de incarnat. & hoc t. 2. de Deo vno, vbi eius doctrinæ falsitatem ex instituto monstrauimus. Porro Arriaga, Soario, Tannero, & Granado in principio Soaristico, ac præfinitionibus efficacibus antecedentibus per scientiam mediam regulatis, & directis nostrorum actuum liberorum, absque præiudicio nostræ in eis apponendis absolutæ libertatis conueniens, non satis consequenter, nobis, nostrisque huic probationi, adeo firmius adhæsit. Siquidem, ex communi illo principio Soaristico præfinitionum antecedentium efficacium, potuit Deus scientia media de peccato hominum sl creentur, & incarnationis Verbi in peccati redemptionem, & peccati Angelorum, si eis fiat de incarnatione reuelatio, decernere primum ordine intentionis incarnationem, deinde permissionem peccati hominum, & exinde eam ordine intentionis absolute præuisam incarnationem Lucifero reuelare: indeque ordine executionis peccatum Luciferi appetitu superbo vnionis hypostaticæ, & exinde in Deum, & in homines inuidia, ex quibus hunc tentauit, & prauis suggestionibus decepit, lapsusque proinde homo fuit, in cuius peccati remedium, qui ordine intentionis primus, ordine executionis fuit postremo decretus Christus: quare iuxta duos hos ordines intentionis, & executionis decretorum efficacium, etiam erga contingentes, & liberos actus nostros, contradictoria præcedentia mutua causarum absolute existentium, cui nobiscum insistit Arriaga pro tertia hac nostra, & sua conclusione non infertur: cum aliæ aliis, non eodem ordine, & modo existendi præcedant, & succedant, sed aliæ ordine intentionis, etsi alias ordine executionis sequantur.

7. Ex quo etiam constat, idem ipsum absolutum peccatum Luciferi in statu absoluto, & sub eisdem prorsus conditionibus, etiam reuelationis positum fuisse sub quibus in statu conditionato præuisum conditionate à Deo fuit. Cuius oppositum euidenter à se ostendi putauit Arriaga, num. 42. §. *Obiicies forte.* Secundo, cum eiusmodi præfinitiones, efficaces, & quouis gradu antecedentes nostrorum actuum liberorum eorum libertatem euertere fuse, ostenderimus controu. de incarnat. de ordine decretorum eius, & hoc 2. controu. de volunt. de ordine intentionis, & executionis inter Diuinæ voluntatis actus & controu. de prouidentia, & controu. de prædestinatione totam hanc doctrinam à fundamento eruetam, & euersam reliquimus; item, ea permissa, docuimus, effectus ordine intentionis, etiam efficacis, solum videri intentos non in se pro illo existentes, & executos, quare nec pro illo signo, vt absolute in se pro illo signo, & priori esse, vere reuelabiles, quousque signum absolute eorum executionis, & existentiæ in se ipsis aduenial: qua de re nostram controuersiam de merito Christi, & aliam de causis incarnationis, d. de causa meritoria incarnationis, t. controuersiarum de incarnat. adito, vbi doctrinam hanc in eis materiis alte fundatam reperies; ne hic iterum, aut alibi pro materiæ diuersitate prolixe, & inutiliter repetereturratio, qua fortasse aliqui Doctores in aduersam sententiam acti sunt, & quam num. 1. tetigimus: quod scilicet cum Deum esse identitate Deitatis repugnantiam Lucifero euidentem contineret, ac proinde neque in id eius appetitus ferri posset, atque ex alia parte Deum esse appetiisse Luciferum ex datis locis Isaiæ, & Ezechielis, & illa Michaëlis in ereptione: *Quis sicut Deus satis constet:* appetiisse Luciferum esse Deum participatiue, & denominatiue vnionis hypostaticæ beneficio videtur concludi. Verum non obstante repugnantia, Lucifero euidenter nota idemticæ possessionis deitatis, ostendimus cert. 4. Luciferum ex simplici apprehensione eius repugnantis possessionis idemticæ Deitatis simplici complacentia, ac velleitate potuisse illam velle ac de facto illam voluisse. Secundo, illa ipsa Michaëlis ad Luciferum redargutione, & increpatione, *Quis sicut Deus*, essendi Deum identitate Deitatis, eiusve identica possessione fuisse Luciferi appetitum, non autem participatiue & denominatiue per physicam vnionem hypostaticam conuincitur: nam hoc modo participatiue plures, ac Lucifer ipse Deus, ac sicut Deus esse possent: itaque repugnantiam eius, quod appetit, ac Michaël Lucifero opposuit, quæ in essendo Deum participatiue, ac denominatiue solum per vnionem hypostaticam nusquam inuenitur, sed eorum in essendo identicè Deum. Tandem inducuntur in aduersam sententiam nonnulli, quia superbo appetitu vnionis hypostaticæ, vt primo Luciferi peccato admisso, facillime intelligitur, quo pacto simili peccato appetitus superbi vnionis hypostaticæ ipsis etiam possibilis ex Luciferi suasu, ac suggestione alij Angeli peccauerint: id quod in aliis sententiis maxime in nostra de appetitu Deitatis identicè possessiæ, vel possidendæ) ægre defendi, intelligive potest. Verum quo peccati genere reliqui Angeli primo peccarint, eodemne cum Lucifero, vel generis alterius? examen vlterius requirit cert. vltimo exacte, & fusè habendum, ex quo eiusque decisione euanescet obiectio.

CERTAMEN VII.

Reliquarum sententiarum de primo Luciferi peccato confutatione præfata nostra rursus stabilitur.

1. SAnctus Bonauentura in 2. d. 1. art. 1. quæst. 1. & 2. Durandus d. 5. quæst. 2. censent, Luciferi peccatum primum fuisse superbiæ, qua creaturis rationalibus præesse cum iurisdictione, & potestate docendi, iubendi, ac circa illas pro libito disponendi, & cui illæ tenerentur parere ac obedire voluit: quibus accessit Dionys. Carthus. compendio Theologiæ propos. 2. eam sententiam communiorem Theologorum appellans: subscribit Molina noster d. citat. m. 5 concl. 5. An vero appetitus hic ius dicendi rationalibus creaturis coniunctus cum appetitu etiam superbissimo exemptionis suæ à iurisdictione, & subiectione omni alterius cuiusvis etiam Dei? hi Doctores citatis locis, non explicant; tametsi testimonia Patrum, quibus sententiam probant vtrumq; vt plurimum contineant: quare, & ipsi vtrumque videantur docere, tametsi alterum solum expresserint: expresserunt vtrumque Alex. 2. p. q. 98. m 3. corpore, & deinde §. 1. S. Bonau. in 2. d. 5. art. 1. q. 2. quare de eo clarius constat loco supra allegato expressa vna huius sententiæ parte alteram suppositisse: vtramque expressit etiam Guillielm. Parisiens. 1. parte, partis secundæ principalis de vniuerso, capite 109. & 110. Nicol. de Lyra ad id Isaiæ 14. *In eodem consendam.* Burgensis editione 2. eius capitis. Toringus in replica illius, quibus adde Becanum tract. 4 c. 9. q 8. Hacherum tract. 4. q. 63. d. 2. concl. 2. Gammachæum, q. 63. versus fin. quos refert, & sequitur noster Ioan. Præposit. ad 3. art. eius quæst dub. 5 n. 32. §. *vter eos, qua vltima:* vtrumque etiam censere videntur (etsi solum appetitum exemptionis à iurisdictione, & subiectione vllius alterius exprimant) Valent. d 4 q. 14. punct. 3. sententia 5. statim enim §. *Probatur hac sententia*, eam probat testimoniis Patrum, quæ vtrumque continent expresse. Cæterum ex eius, & in quibus subiectionis, & iurisdictionis exemptionem appetierit, Theologorum imo, & Patrum concors, & constans sententia non est. Siquidem Basilius orat. de humilit. (quæst. 17.) & Bernardus, exemptionem à iurisdictione Dei, ac subiectione Deo appetiisse Luciferum non memorant, vti nec Doctores initio citati qui testimonio Bernardi in primis vtuntur. A Dei etiam iurisdictione, & potestate libertatem Luciferum voluisse, docent August. sæpe Gregor. Magnus, & Anselmus infra referendi: in quibus autem Dei iurisdictionem, & potestatem Lucifer detrectarit in operando, an etiam in essendo? Lis Doctoribus hisce est, Lyra, Toringus, & Valentia citato §. *quinta sententia*, sub fin. & Præpositus n. 34. §. *Secundo*, solum in operando censent, quia exemptionem à Deo in essendo euidenter sciebat esse sibi exemptionem impossibilem: cuius rationis debilitatem ostendimus certam. 5. & miror ea Doctores eos, & præsertim vti Valentiam: qui statim concludit expresse exemptionem à potestate alterius in operando Deo intrinsecam appetiisse Luciferum, cuius implicatio in creatura vlla, seque ipso,

æque erat Lucifero euidenter nota. Idcirco Burgensis (plaudente Vasquez disp.235.c.4.n.37. §. *Mihi placet*) in essendo etiam exemptionem, & independentiam à Deo voluisse Luciferum merito, & referendis Patribus conformius ait. In quas autem rationales creaturas iurisdictionem ambierit Patribus non conuenit. Basil. & Bernard. citatis locis in homines solum iurisdictionem, imperium, ac dominatum affectasse, paresque illos in gloria futuros (vt fors è Dei reuelatione nouerat) detrectasse, subditosque potius voluisse. *Inferiores sunt* (inquit Bernardus) *inferioresque natura, non decet esse conciues, nec æquales in gloria. An forte prodit impiam hanc eius machinationem, illa præsumpta ascensio, sessioque significans Magisterium ascendam inquit, &c.* Eodem modo censet sermone 69. in Cant. cui nostet Ioannes Præpositus consentit vbi proxime, paragrapho *Non est improbabile*, vel eo in primis, quod facile inde appareat, quo peccato alios Angelos ad simile peccatum potuerit inducere, quod si Angelis etiam dominari voluisset, ne tentare quidem reliquos posset, nedum suadere.

2. Noster Vasquez citato cap.4.n.34. §. *Postremo ad explicandam* sub finem, dubium, ac indefinibile iudicat an solis hominibus, an Angelis etiam præesse Lucifer voluerit, ac dominari, cum vtrumque, vel alterum potuerit appetere, nec vtrum appetierit de facto, cum fundamento possit definiri. Ego vero censeo ambitionem Luciferi dominatus, & imperij in rationales omnes angelicas, & humanas creaturas fuisse: quia exemptionis ab omni iurisdictione, imperio, & potestate Dei, tam in essendo, quam in operando eius appetitum fuisse. Probatur apertis Patrum testimoniis. August.14.de ciuit. capite 11. *Postea quam superbus ille Angelus, ac per hoc inuidus, per eandem superbiam à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens de spirituali paradiso cecidit, &c.* Quibus sicut exemptionis ab imperio, & potestate nullam adhuc diuinam exclusam à superbia Luciferi docet; ita nullam à sua potestate, & imperio exclusum voluisse censet Augustinus, sed clarius concione 2.in Psalm.70. sub med. *Si peruersè*, inquit, *voluerit imitari Deum, vt quomodo Deus non habet, à quo regatur, sic ipse velit sua potestate vti, vt quomodo Deus nullo formante* (scilicet in dependentia in essendo) *nullo vrgente viuat: quid restat, nisi, vt in deterius mutatus deficiat?* subdit. *Hoc Diabolus fecit, imitari Deum noluit, sed peruerse non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.* Quo ergo peccato Angelos à suo imperio, & potestate vellet exclusos, qui Deum etiam subditum voluit? & 11. de ciuit. cap.13. *Suo recusans esse subditus Creatori, & sua per superbiam, velut priuata potestate elatus, ac per hoc falsus, & fallax; quia neque vnquam potestatem omnipotentis euadit: & qui per piam subiectionem: noluit tenere, quod vere est affectat per superbiæ elationem simulare, quod non est.* Magnus Gregorius libro 34. moral. c.14. *ei quippe à quo conditus fuerat, subesse despexit: ita enim Deus super omnia, vt ipse sub nullo sit. Leuiatham vero est, eius celsitudinis culmen aspiciens ius peruersæ libertatis appetiit, vt & præesset cæteris, & nulli subesset: dicens. Ascendam super*, & Anselm. de casu Diaboli cap.9. ait. *Contra voluntatem Dei voluit inordinate similis esse Deo: quia propria voluntate, qua nulli subesset: voluit aliquid*, (vtique in alios imperium, iam enim nullis subditam voluntatem, qua illud voluit prædixerat) *solius enim Dei esse debet sic voluntate propria velle aliquid, vt superiorem non sequatur voluntatem.* Cui consonat ad verbum fere S. Thom. 3. contra gent. cap 109. quamvis neuter amplius, quoad Luciferi appetitum de exemptione à potestate iurisdictionis) contra quam voluntatis creatæ malitia actionis prauæ directe pugnat, meminerit, S. Basilius, & Bernardus exemptionis ab vlla potestate diuina non meminerunt, neque expetitam à Lucifero iurisdictionem in Angelos etiam, sed in homines expresserunt: quia id eorum proposito fuit satis, & licet non assertiue, S.Bernardus id asserat, sed subdubius discurrat; testimonij tamen fine eum appetitum, si fuit ortum certè ex superbia habuisse anteriori, quin huius obiectum, & materiam designet: quod esse potuit exemptionis, Deo intrinsecæ ab omni iurisdictione, & potestate alterius in essendo, & operando, quin testimonium Bernardi reclamet.

3. Etsi autem vtriusque exemptionis, nimirum à Dei Dominio, seu iurisdictione, & omnipotentia, & imperij in rationales omnes creaturas superbus Luciferi appetitus fuerit, fuisseque tantorum Patrum testimoniis comprobetur; nusquam tamen inde probatur appetitum diuinitatis, seu (quod idem est) alicuius intrinseci attributi diuini identica possessione Lucifero in sua apprehensione habiti, vel habendi primum superbiæ peccatum eius fuisse, id plane concedit præcipuus sententiæ, huius fundator Valentia noster citato §. *Quinta sententia* fin. vbi ait exemptionem ab omni imperio, & potestate alterius in operando Deo intrinsecam, ac diuinam fuisse à Lucifero superbe appetitam, hocque fuisse primum eius peccatum, & ex quo subinde reliqua eius delicta manarunt: id autem solum nostræ conclusioni cert.4. satis erit. Siquidem appetitus cuiusvis prædicati diuini, Deoque intrinseci eandem, ac omnium Deo intrinsecorum appetitus habet vel non habet difficultatem. Verum, cum scripturæ testimonia appetitum Luciferi essendi Deum, seu complacentiam de Deitate identice possessa apprehensiue propria vocum significatione sonent, eius complacentiam primum Luciferi peccatum fuisse merito diximus. Inde vero, vt se se magis diuina attributa Deitatem metaphysicè, consequentia eius menti explicabant, atque apprehensiue possessa à Lucifero cogitabantur, de illis etiam complacentia, & velleitas sua posteriori signo succedebat: ita enim, fieri, atque euenire connaturalissimum est, ac subinde de facto asserendum. Apprehensa igitur vt à se habita exemptione Dei ab omni Dominio, iurisdictione, & potestate alterius, cum in essendo, tum in operando de ea sibi Lucifer complacuit, deinde de supremo dominio, & iurisdictione ab alterius voluntate independenti in omnes, præsertim rationales creaturas, propriè etiam diuina, atque in ipso similiter cogitata, tum de iure adorationis, & cultus latriæ, atque obedientiæ ab illis, sibi præstandæ, supremæ huic (vt apprehendebat) suæ potestati, dominio, & iurisdictioni debitæ: quod à Patribus interpretibus, & Scholasticis aliquibus de extrinseca æstimatione iureque eius, solum falso, & à creaturis rationalibus existimato (vt apud idololatras obtinuit) non autem de vero iure & potestate sua, in illas, ac diuino, à Lucifero solummodo expetito intelligunt, vt referebamus cert.4. Etsi verum non sit, tamen ex veræ diuinitatis superbo appetitu, & complacentia eorum habuisse connaturalius, & connaturalissimum, vt de se se patet: imò vero falsæ illius extrinsecæ apud alios existimationis appetitus in Lucifero, antequam peccato alio superbiæ lapsus esset, atque inflicto supplicio, verum Deum, & supremum aliorum Dominum, & Imperatorum non esse cognouisset, videtur difficile: quo enim pacto falsam illam existimationem inanem, & extrinsecam apud alios, aberrantes, vel deceptos expeteret, aliosque deceptos vellet, vel potius in eo decipere, ni prauus ipse iam esset? sed quidquid de possibili sit, eo ordine quo diximus: factum, vt delicti sui animaduersione inflicta propria diuinitate Lucifer, nec prius resipuerit, ex contextu capitis 14. Isaiæ, & Ezechielis 28. satis apparet. Sufficiat illa nunc ex Ezechielis 28. numero 9. ad Tyri Regem litteraliter, & figurato sensu, intento tamen ab Spiritu Sancto, iuxta Patres, & interpretes omnes de Lucifero etiam dicta recitare. *Nunquid dicens, loqueris* (vt antea dicebas) *Deus ego sum coram interficientibus te, cum sis homo, & non Deus in manu occidentium te?* tentatio igitur intellectum Lucifero dedit ex eaque in rabiem Deique, & hominum odium, & inuidiam versus vanæ illusi existimationis, cultus, & adorationis vmbraticam excellentiam ambibit, vt inimico ac vindici Deo extrinsecum saltem illum honorem suffuraretur ac simul homines gauderet, vide quot gradibus primo Luciferi peccato appetitus hic vanæ adorationis posterior Lucifero aduenerit?

4. Duo alia Luciferi peccata, de quibus Scholastici disputant, restant examinanda: multo tamen breuius: quam à non adeo pitiscis Theologis examinata video: quia, quidquid rei, & veritatis in eis esse potest, paucis

paucis potest ostendi, quin longæ disputationes texantur: videat, qui volet, oblongas apud Vasquez, Soarium, & Arriagam: non enim in authoribus variatum sententiarum referendis, nedum cuiusque discursibus proferendis, approbandis, aut confutandis, tempus, & calamum teremus. Primum est: an Lucifer appetitu nimio & inordinato naturalis beatitudinis (in qua Isaias capite 14. & Ezechiel capite 28. ante lapsum in culpam fuisse describitur, nosque etiam superius diximus) primo peccauerit? Secundo: an inordinato appetitu suæ beatitudinis, supernaturalis saltem & supremæ, in qua creatus procul dubio non fuit: de vtroque autem disputatur quomodo peccatum esse potuerit? cum in neutrius expetitione, vnde malitia suboriatur, dispici facile possit: vnde nec in alterutrius expetendæ intentione; nisi quatenus sui vehementia ita occupet, rapiatque voluntatem, & affectum, vt præceptis aliis implendis officiat: quæ non erit directa, & speciei suæ; sed indirecta, & speciei peccati alterius, cuius fuerit causa: id quod actibus, non solum indifferentibus, sed bonis ex specie sua, si vrgentis de re alia præcepti impediant adimpletionem, contingit: censetur merito, & communiter à Theologis, in alterutrius expetitione peccatum esse potuisse, si alterutram beatitudinem, vt à se, ac propriis viribus, prorsus independenter à Deo habitam, vel habendam Lucifer appeteret: immo, si supernaturalem iuxta naturæ suæ debitum concessam à Deo, vel concedendam. Neque huic doctrinæ obest, Luciferum euidenter tunc sciuisse: tam naturalem suam beatitudinem, quam supernaturalem à Deo esse, ac fore necessario, vt prima, & vniuersali causa rerum, supernaturalem vero à Deo etiam omnino gratuito, & supra omnem virtutem, iusque, & exigentiam naturæ: ac proinde neutram ita appetere potuisse: diximus enim ex iudicio quidem de eis ita habitis, vel habendis, quod cum euidenti iudicio de oppositio repugnat, neutram beatitudinem velle Luciferum potuisse; at vero ex simplici apprehensione ita habitæ, vel habendæ beatitudinis vtriusque compossibili cum euidenti iudicio de oppositio, potuisse illum velleitate, simplicive complacentia velle, constat ex dictis de appetitu Luciferi diuinitatis sibi identicæ apprehensæ, & cogitatæ certamine quarto, & quoad supremæ suæ beatitudinis supernaturalis appetitum, potuit citra controuersiam Lucifer superbe peccare, si eam contra, sibi vtique notam, Dei voluntatem in expectato statu viæ cursu, & termino sibi à Deo donari illam voluisset vt potuit velle.

5. Potuit denique Lucifer supernaturalis beatitudinis superbo appetitu peccare si eam ad sui de ipsa tumorem, & inanem complacentiam expeteret, vt superius diximus, & quatenus ipsum physice excellentiorem præcisè constitueret nec quatenus ipsum Deo connexiorem & firmiorem amicum redderet: quocirca animaduertendum discrimen inter excellentiam virtutum morali honestate bonarum, & physicam solum excellentiam reliquorum supernaturalium habituum, actuum, & donorum quæ gratia, & amicitia Dei formalis non sint, merito hic erit: virtutis quippe & amicitiæ formalis Dei bonitas, & excellentia nequit à morali honestate, & amicitia formali Dei, cogitatione adhuc, abstrahi, ac præscindere: eum id in essentiali eius conceptu imbibatur: quare implicat in hæc ipsa formaliter appetitum ferri, quin in honestatem ipsam, & obiectum honestum feratur, ni extrinsecus, ex fine alio prauo, quod affectui honesti operis ob honestatem ipsam formaliter elicito omnino repugnat, & amicitiæ Dei volitæ formaliter, qua tali. Cætera vero dona, vt possunt, qua excellentiam, & ornatum physicum personæ præsentari, atque ibi sistendo proinde appeti, siue complacentia, siue desiderio ad tumorem, & gloriam inanem, vitiari etiam possunt ex superbia, vt patet: etsi non adeo praui malitia, atque in Luciferi peccato, in scriptura & Patribus significatur, atque ex eorum supplicio arguitur. An vero peccatum hoc in Lucifero de facto, & primum fuerit in viæ statu non adeo facile potest ab aliis Theologis definiri. Mihi vero certum est primum Luciferi peccatum non fuisse, & quid enim supernaturalem, & supremam gloriam creatam desideraret, in ea, vt apprehensa gloriaretur, qui se primo Deum, & diuinitatis identicæ possessorem cogitans, & complacens, vt diximus, de gloria infinita simpliciter, deitatis indiuidua comite cogitabat, atque vt sua identicè vane complacebat, & gloriabatur, quod si in peccatum lapsus, sæque ob illud miseriæ ante damnationem, & supplicium in viæ statu admonitus fuit creatam gloriam aliquo ex præfatis modo appetiisse etiam superbe verosimile est.

6. Quod vero, contra primatum appetitus superbi Dietatis in Lucifero à nobis assertum, obiici poterat, & contra quemvis superbiæ actum ab aliis designatum æquè militat, & ab aliquibus obiicitur, nihil præstat. Aiunt enim quemvis appetitum superbum (maxime identice similitudinis Deo in natura diuina) errorem in intellectu debuisse præcedere: quem vtique vitare teneretur: ac proinde in eo non vitando, prius quam superbe aliquid appeteret, iam peccasse: Diximus supra, quisnam, & quo peccato error intellectus ad peccatum supponatur: debet autem esse iudicij, & practicus error circa obiecti prosecutionem, vel fugam: quod si prohibitum prosequendum proponat, vel debita prosecutione abstinendum, ac vincat practicus error moraliter, & prauus, ab effectu, & praua prosecutione quam causat, appellatur; intrinsecus autem, & in se necessario pravus moraliter non est: alioqui ad ipsum alius error practicus, pravus, & ad hunc alius, & sic infinito regressu præsupponeretur. Cum ergo moraliter & anterius ad peccatum, quod causat, prauus ad illud non supponatur obiectio euanescit: specialiter autem obiici contra nostram conclusionem demum potest illud Ezechiel. 28. n. 17. *Et eleuatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam in decore tuo*: quibus ex inani complacentia sui de bonis, donisque, cum naturalibus, tum supernaturalibus, in quibus creatus Lucifer à Deo fuerat, & quæ ab ortu suo habuit, superbisse primo Lucifer veramque sapientiam sanctitatis amisisse, ac peccati tenebras incurrisse dicitur; non autem complacentia, aut velleitate Deitatis apprehensæ, vt identice à se possessæ, ac suæ, quæ sua tamen onerat. Respondetur, ibi non referri inanem sui de se amplius multo, & infinite, amplius quam erat se apprehendens Deum, neglectisque habebat affectum, & complacentiam, qua superbe de identica sibi Deitate complacuit, eamque velleitate quadam expetiuit: sed huius affectus, & cogitationis occasionem, & eiusdem affectus supplicium.

7. Denique (ne deliria adhuc, quæ in hac quæst. vesanis hominibus occurrerunt omittamus) Athanasius, seu quisquis apud eius opera author est libri quæstionum ad Antiochum q. 6. refert eorum errorem, qui dixerant Deum Adamo creato, Lucifero, & Angelis reliquis præcepisse, vt coram Adamo se humiliarent, ipsumque venerarentur, quod ipsi recusarunt, nolueruntque parere: ac proinde hoc Luciferi, & asseclarum Angelorum primum peccatum fuisse, & causam ruinæ. Addit vero Athanasius, seu eius libri author, innominatis per neglectum authoribus sententiæ huius. *Hominum stultorum commenta hæc sunt.* Æstimo autem commenti huius authores fabulosos, quosdam Iudæos, seu Rabinos mendaces fuisse: ex quorum, vel lectione, dum mulos suos è capistro in via ductabat, vel aliorum Iudæorum, qui ex illis antecessoribus id hauserant fabellam eandem Mahumetus in suo Alchorano scripsit: contra quam ex instituto egit Dionysius Carthusian. libro 2. in Alchoranum articulo 27 cum videat qui otietur: delirium quippe hoc vix mentionem, nedum fusiorem confutationem meretur.

CERTA

CERTAMEN VIII.

De primo reliquorum Angelorum peccato sententiæ, & nostra decisio.

1. DE primorum Lucifero inferiorum Angelorum; vel etiam æqualium peccato primo tanta est, quantam de primo Luciferi peccato retulimus sententiarum, & Doctorum diuersitas; nec adeo facili, firmóque scripturæ, & Patrum fundamento componenda: quia horum, & scripturæ testimonia de Luciferi peccato determinatè, & expresse egerunt: solum constat Luciferum malorum cæterorum inductorem fuisse, & persuasorem ad peccandum (vt vidimus quæstione tertia, certamine primo, & secundo) eosque iam in culpam lapsos, ipsum in Principem & Ducem elegisse (vt dixi disputatione secunda, quæstione secunda, & vltima, certamine 6.) atque eius comites in ruina è cælo in Baratrum effectos, socios etiam æternos esse, ac fore in supplicio, odio, inuidia, malisque inde ortis officiis contra homines, & Deum. An vero ad idem genus peccati sui primi Lucifer illos primum induxerit, similique primo ipsi deliquerint, an peccato alterius speciei, ac diuerso. Nouum examen vlterius requirit: in eo vero aliarum de primo Luciferi peccato sententiarum authores inde cadere sententiam nostram in primis impugnant: quod cum Luciferi non exemplo solum ostenso, sed prauis suasionibus alij omnes primo peccauerint, atque eodem peccati genere, (alioqui non eius socij, & sequaces essent, & assecłæ, neque Angeli eius proprij in Apocalypsi dicerentur, si quisque suo delicti, & culpæ genere peccasset, nullum alium sectando, & imitando: quemadmodum fures blasphemum, nec fornicarium sectantes, eius socij nec partium eius, & assecłæ sunt, nec dicuntur, nec ipse eorum Dux, & Princeps dicetur) non apparet quo pacto, vt Deus vnusquisque esse vellet, suadere aliis posset: cum id sibi, & soli, ipse appetierit, ac communicari aliis proinde noluerit: siquidem communicatione ipsa amatam à se excellentiam Deitatis, non solum vilescere (quod superbissimo Angelo esset satis, vt eam nollet) apprime nouerat, sed, & Deitatem totam perire: quod ipsum cæteri Angeli, quibus suadere Deitatis appetentiam vellet optime sciebant, ac insuper obiecti eius, vt appeteretur propositi impossibilitatem: quare irrito eis appetendam Deitatem proponeret, ac suaderet, ac desperato fructu laboraret, quod est impossibile.

2. Idcirco aliarum sententiarum de primo Luciferi peccato Doctores nostri insultant, atque ab his difficultatibus, quisque suam, immunem, atque in tuto positam arbitrantur: qui censent enim Luciferum appetitu vnionis hypostaticæ primum peccasse simili vnionis hypostaticæ (cuius illi omnes capaces erant) appetitum reliquis Angelicis, & suo exemplo, & hortatu suasisse, ac persuasisse, facile docent; quin, neque id, quod appetebat suasione sua destrueret, nec timeret: cum diuersa ab aliorum vnionibus pertenderet sua vnio expetita, etsi alij ab aliis obtinerentur: quare nec dum aliis aliarum suarum vnionum appetitum suaderet à suo amore, & appetitu primo absistere cogeretur: ex quibus facile constat, & Luciferum malorum omnium Angelorum exemplo, & hortatu ad simile suo peccatum Ducem, ac Principem extitisse, illosque subinde omnes ipsius in crimine socios proprie fuisse, assecłas, & sequaces: similiter, qui extrinsecos Dei honores, cultum, & æstimationem aliorum suæ Deitatis appetiisse primo Luciferum censebant, in re præsente discurrunt: Rursus, qui exemptionis à dominio, imperio, & potestate diuina, siue in operando, siue in essendo, siue in vtroque: primum Luciferi appetitum esse docebant: item, & qui affectum dominandi, iusque dicendi, rationalibus creaturis cunctis censuere: maxime, qui potestatem, & iurisdictionem in solos homines Luciferum ambiisse, aiebant: cum id ipsum reliquos ab eo inductos ambiisse facilius intellectu sit: sed, si quid rationes propositæ numero primo suadent, est plane difficilius, tam angustam in solos homines iurisdictionem superbissimum Luciferum voluisse, cum aliis partiri. Melius ergo Valentia, Molina, & Ioannes Præpositus iuxta eam sententiam discurrunt: Luciferum, scilicet, obtulisse, ac suasisse aliis Angelis iurisdictionem in homines, pro cuiusque dignitate, ampliorem strictioremve, ipsi tamen tanquam supremo Principi subordinatam: quod cum eius superbia bene componitur, nec ab aliis ipso inferioribus, & in natura, & dotibus videtur abnuendum, si imperium, & potestatem iurisdictionis, in alios superbe ambirent, ac simul affectu illo, & acceptatione iurisdictionis à Lutifero ipsis propositæ, & oblatæ, tanquam suo Principi se subdiderunt: Demum, qui appetitu beatitudinis naturalis, vel supernaturalis inordinato, & superbo Luciferum deliquisse putant, alios ad similem affectum induxisse discursu facto pro appetitu vnionis hypostaticæ, vti æqua legitimitate possunt.

3. Cæterum, rationes propositæ numero primo, parum habent efficaciæ: falsæ quippe æstimationi niituntur. Neque enim, vt socij, seu assecłæ Luciferi in peccato, ac subinde eius Angeli, proprie dicantur opus est, vt eiusdem rationis peccato ex eius adhortatione, & inductione deliquerint, sed satis est, si peccato quouis eius intentionem iuuerint, atque suis partibus accesserint, verbi gratia, rebellat quis in Regem, eiusque potestatem, honorem, & gloriam, ad idque alios inducit, vt ærarium regium diripiant, & furentur, quo milites legere, & alere ad suam defensionem, & regni; alios vero, vt Regis fidissimos Dinastas occidant; alios vero, vt Regem apud populum diffament, & certe, qui his, aliisque sceleribus adeo diuersis, etsi nec regnum ipsi ambiant, quia rebellis illius intentionem iuuant, partesque agunt, etsi non ex fine, vt ille Regnum obtineat, sed ob priuatum, quisque suum: tamen, quia, vt ea perpetrent inducti ab illo sunt, rebellis, socij, & assecłæ proprie dicentur. Sic etiam in Lucifero cogita factum, & rationibus Luciferum ad eam solum peccata, quæ ipsius primo appetitui, & appetiti primum obiecti consequutioni magis inseruirent, nusquamque officerent, reliquos ad peccandum induxisse; id autem falsum ostendemus statim numero 4. eo vero permisso eidem rationi, qua nostram conclusionem de primo peccato Luciferi, & inductione similis peccati in alios hortatu, & exemplo suo impugnant, impugnantes ipsi sunt obnoxij: etenim vnio hypostatica seu quidquid aliud sibi Lucifer, iuxta aduersas alias opiniones, appetiit) facta Angelis omnibus (omnes siquidem Angelos, vel per se, vel mediate per alios esse deceptos, & seductos in statu viæ, & præsij memorant in peccatum tentauit) vulgaris, & communis, multum excellentiæ, & æstimationis iustæ, & prudentis deperderet; vt reliqua omnia de se preciosa; abundantia, & sui copia, vilescunt: id quod argento, aureo, vnionibus etiam, & adamantibus contingeret, contigitque, vbi obuia cuique sunt, & vulgaria: quare quod obiectum à Lucifero expetitum alij vellent, & haberent, multum eius excellentiæ derogaret: quare neque fini ab ipso superbe intento inseruiret, sed maxime officeret: ac proinde, si in obiecto, quod Angelis aliis expetendum proposuit Lucifer vtilitas eius ad finem à se intentum, vel absolute, vel melius consequendum attendere deberit nusquam alios Angelos ad ipsum appetendum induceret, quod ipse primo superbe expetiuit.

4. Dicen-

2. Dices inanem appetitu quantumvis vulgari, & omnium obiecti eiusdem huius excellentiam iustamque, & prudentem æstimationem non minuere, ni de facto obiectum ipsum à pluribus obtineatur, vulgarisque eius possessio, & adquisitio sit; quin potius inde, vel maxime, eius excellentia commendatur, prudensque æstimatio crescit, quod omnes id expectant, & assequatur nullus. Lucifer autem, cum ad ipsum quod primo superbe appetiuit expetendum Angelos alios tentauit, induxitque, ac seduxit sequaces, ab eis illud assequendum non esse optime nouerat. Vere quidem, & bene hæc dices: sed eadem doctrina impugnatio memorata suasionis Luciferi, sed alios Angelos, vt Deitatem identice ab vnoquoque cogitatione possessam (vti ipse appetiit, & voluit) amarent, & appeterent, quin inde excellentia Deitatis, quam ipse amauit, ac voluit, minueretur facile retunditur: sciebat enim nusquam ab eis esse assequendam: immò nec assequibilem: nullumque alium fructum amoris illius aliis Angelis obuenturum, quam, qui ipsi obuenerat: nempe peccati, & lapsus à gratia, & fælicitate, in qua, eorum quisque conditus à Deo fuit, miseriam, & ruinam: Denique vt tota aduersariorum contra nos, ratio à fundamento subruat aduertendum est: Luciferum nusquam alios Angelos tentasse, induxisseque ad peccandum, vt melius faciliusque obiectum superbe à se amatum consequeretur est in nostra doctrina; apertissimum. Siquidem, superbus Deitatis apprehensæ, vt propriæ, & identice possessæ amor vana quædam simplex complacentia, seu velleitas fuit erga obiectum impossibile, & quod duplici titulo ad electionem mediorum mouere voluntatem non poterat. Tum, quia possessa cogitabatur, & ad id, quod possessum cogitatur, media quibus obtineatur inquiri, ac eligi nequeunt, vt patet. Tum, quia erga impossibile cognitum præsertim euidenter impossibile, sola velleitas concipi potest, quæ ad mediorum inquisitionem, & electionem mouere non potest, vt de se etiam patet, ac cum Aristotele, & Sancto Thoma fatentur Theologi, ac Philosophi omnes ad vnum: In aduersariorum etiam, ac omnium Theologorum doctrina generaliter id ipsum probatur: quia Lucifer, non, nisi post suum peccatum alios Angelos induxit ad peccandum, tunc autem iam nouerat, nusquam sibi, quod superbe (quidquid illud fuerit) amauerat à Deo, à quo donis habitis spoliabatur) donandum, ni ab eo amore per pœnitentiam (cui locum datum diximus) desisteret: quare, dum non ita absistebat, sed obstinate potius alios tentabat ad peccandum sui amoris superbi obiectum (vt ex se, & intrinsece non repugnaret) sibi esse ex accidenti impossibile cognoscebat: quare nec de mediis ad illud obtinendum inquitere, nec ea eligere, & apponere vsquam poterat.

3. Res ergo tota vero similius iuxta Patrum doctrinam discurrentibus, sic acta, & peracta videbitur: vt scilicet, Lucifer vbi primum superbiæ peccatum, Deique odium incurrit, atque se tot donis nudum, & spoliatum vidit in vehementissimum odium, & inuidiam contra Deum, præ superbia, exarserit, vt ipsum, si posset, è medio tollere vellet, ac eius intrinsecam, etiam & diuinam fælicitatem omnem abolere: cum autem nil de intrinsecis Deo, minui adhuc, nedum destrui posse videret, extrinseca Dei bona, & quæ Deo in maiori pretio, & amore erant in quibus subinde magis suam munificentiam profusa bonorum largitione explicuerat, scilicet rationales creaturas, cogitauit inuadere, vt à quibus extrinsecus aliquid obsequij, gratitudinis, laudis, honoris, & cultus debiti posset Deus habere, ingratitudinem, contemptum, ac dehonorationem reciperet. Accessit etiam, quia creaturæ rationales, præcipuæ, ac perfectissimæ Dei imagines Angeli erant, ac primum Luciferi, nouercali amplius in illos odium, & inuidia, ex quibus prauis affectibus, vt suas contra Deum inimicum partes, etsi viribus non poterat, numero saltem augeret, Angelos sibi concreatos primum ad peccandum omni arte inducere conatus est, atque eorum plures seduxit: Deinde homines in Paradiso creatos posterius. Cum ad eum finem perdendi Angelos, augendique numerum inimicorum Dei, ac priuandi Deum extrinsecis obsequiis, & honoribus, qui ab eis, alias, Deo tribuerentur, mortale quodvis eorum, cuiuscumque generis, satis foret cuiusnam generis, (quod hîc quæritur) peccatum fuerit ad quod eos induxerit, & an ad idem, siue eiusdem generis peccatum omnes tentarit? An singulis diuersi generis peccata suadere conatus sit? Firmo aliquo Theologico fundamento definiri non potest: siquidem eodem genere peccati, quo primo Lucifer peccauit oportuisse alios Angelos: immò ex eis aliquem primo peccasse reiectum proxime est: illud mihi ex præfatis Luciferi tentatoris affectibus certum est: ad grauissima ex genere aliis peccata, iuxta cuiusque genium, & natiuam aptitudinem (si diuersos ad diuersa tentauit) Angelos reliquos tentasse: quod sane ad suos illos fines melius obtinendos commodius erat.

4. Ad præsentem vero difficultatem vniuersalius definiendam verosimilius censeo ad eiusdem generis cum primo suo (id est ad Deitatis apprehensæ, vt ab vnoquoque possessæ) reliquos Angelos primo tentasse, atque eorum plures primo seduxisse. Moueor primo: quia perfectissimis natura, ac naturalibus dotibus donisque supernaturalibus Angelis ornatissimis (vti infimæ etiam Hierarchiæ, chori, & gradus erant) facile in decore suo sapientiam suam perdere, & vsque ad Deitatis suæ apprehensæ complacentiam simplicem, & velleitatem (vt dictum de Lucifero est) inflari, atque intumescere potuerunt. Secundo: quia expertus Lucifer, quantam in ipso, tametsi fortiori, & sapientiori, vim ea cogitatio habuerit, vt ipsum, in eam complacentia, & velleitatem superbam induceret, valde pronum fuit, vt alios Angelos perfectionum naturæ, & gratiæ encomio sibi Concilians, eiusmodi cogitationem, & apprehensionem, *O si Deus esses!* singulatim excitans, & iniiciens ad similem suæ superbam complacentiam, & velleitatem Deitatis pertraheret. Tertio probatur, & confirmatur ratio secunda: quia homines in Paradiso, inde primum adorsus est. *Eritis sicut Dij*, quasi armis probatæ, & in se, & aliis Angelis malis virtutis robustissimæ: cui subinde Protoparentes scientiis naturalibus, & supernaturalibus, cum intellectus, tum voluntatis virtutibus, & donis ad resistendum instructis facile sucubuerunt. Accessit ab exemplo facti sui à tam perfecto Angelo aliis manifestato potens, vt supra diximus, inductio, & captæ delectationis, ex ea cogitatione indeliberate primum habitæ impulsus, vt nec deliberatione adueniente, ea voluntate absisterent, sed in ea perstantes in peccatum ruerent, quæ ex obiecti impossibilitate Angelis cunctis euidente obiici possent, in simili peccato primo Luciferi disiectum est certamine quarto, & in Protoparentum, quibus obiecti à Diabolo per serpentem propositi, *Eritis sicut Dij*, ex eu dentia, & fide repugnantia innotescebat, mani, festè instantur: & similiter, quod scientia, euidente, etiam reliquis Angelis perfectiore, & superiore natura Luciferi tentatoris deceptus ipse non fuerit, ne haberetur: Demum quod eiusmodi suasio, & tentatio Luciferi appetui superbo, & intento fieri non profiteres sed officeret, disiectum proxime fuit.

DISPVTATIO V.

De Angelis in termini statu siue operum retributione.

ADEST iam controuersiæ huius Theologicæ de Angelis labor postremus: de mercede, nimirum, bene, maléve à se alterum in viæ statu, quam eo exacto, atque absoluto boni, malique Angeli in termino, extra, & vltra quem egredi, progredique minime poterant, à Deo recepere, nempe de eorum præmio, vel pœna pro meritis, vel demeritis eorum. Denique, de bonis, malisque officiis, quæ ex eo termino erga alios exercere valent, & exercent: & quidem bonis Angelis essentialem, & accidentalem gloriam à Deo callatam esse æterne duraturam (in quocunque illæ consistant, iuxta dicta controuersia de beatitudine, neque hic importune repetenda) fidei dogma ex obuiis, & apertis scripturæ Patrum, & Conciliorum testimoniis est. Malos vero Angelos æterna etiam pœna à Deo puniri æque est dogmaticum, vt iam ostendo. Præmium vero bonorum quid eis afferat, ac secum, vel essentialiter, vel præsuppositiue, vel comitanter, vel consectarie, infæliciſſimo illo statu deuoluat, citata controuersia de beatitudine dictum est, vt nil hic restet addendum: de malorum vero Angelorum æterno supplicio (& idem est de sceleſtorum hominum animabus in statu separationis (in quo vsque ad resurrectionem, & sunt, & erunt) occurrunt nonnulla, quæ magnum Theologis negotium, huc etiam vsque, facessunt. Cum enim æterna Dæmonum pœna duplici ex parte coaleſcat: altera, quæ pœna damni dicitur, atque in æterna essentialis gloriæ, seu visionis, & fruitionis Dei priuatione consistit: altera quæ sensus, lato accepti modo, est, & nominatur, atque in mali alicuius positiui, ac tristitiæ perpessione de obiecto, quouis naturæ spirituali angelicæ moleſto ac disconuenienti, sita est: licet de pœna damni, carentiaue essentialis gloriæ, eiusque intelligentia, nil difficultatis occurrat: & aliis, quibus damnati Angeli priuati sunt, ac de pœna, quam diximus sensus, multa scitu, & examine Theologico digna occurrunt: præsertim de modo, quo spirituales prorsus Dæmonum substantiæ igne torqueantur, & crucientur. cuius explicatione Theologorum ingenia iamdiu valde, & fere desperato torquentur.

QVÆSTIO I.

De pœna, & gloriæ Angelorum æternitate, ac reliquis à gloria essentiali, quibus Dæmones priuantur.

PÆnæ, & gloriæ Angelorum pro cuiusque meritis æternitas statuenda in primis Theologice est, vt eius dogmatis fundamenta, vt reliquorum, quæ ad fidem Catholicam spectant Theologis lectoribus nostris ad manum sint, quibus fidei nostræ rationem reddere, aduersosque vbi opus sit confutare in primis incumbit: insuper, quia ad pœnam sensus, seu tristitiæ, & doloris Dæmonum de amissis bonis, malisque inflictis (de qua quæstione secunda) penetrandam, & expendendam plurimum æternitas conducit, sicuti, & ad penetrandam gloriæ supremæ Angelorum felicitatem, quæ eius æternitate completur) æternitatem, pæne Dæmonum, primo in hac quæst. statuendus deinde de bonis, quibus eos priuari dubitari ab aliquo fors posset, siquidem eos in statu damnationis essentiali gloria, visione, vel fruitione, amoreque Dei esse priuatos dubitat adhuc ex hæreticis nemo. Id enim discessu eorum à Deo, atque è cœlo electione in scriptura satis significatur. Tertio de Dæmonum tristitia, & dolore, ex horum & essentialis gloriæ priuatione perpetua de qua etsi non de re, de nomine tamen apud nonnullos, est controuersia.

CERTAMEN I.

De æternitate pœnæ Dæmonum, & bonis ad intellectum spectantibus, quibus priuantur, & ad quam pœnam, damni, an sensus? eorum priuatio pertineat.

1. ORigenes 1. Periarch. c. 5. & 6. Luciferi & sequacium casum etiam adepta beatitudine in infernum fuisse docet, atque Ezechielis 28. describi: fore autem demum vt tormentis purgati in cœlo iterum cum Christo, sicuti, & damnati homines regnent, vt hic omnia Christo genua flectant, subiectaque sint cum tradiderit Regnum Deo & Patri, vt dicitur 1. Corinth. 25. à numero 24. quod solum textus mala intelligentia confirmat. Addit rursus Beatos omnes Angelos, & homines, in culpam, & infernipœnas lapsuros simili tormentorum perpensione temporaria: iterum, atque iterum purgandos, & regno gloriæ restituendos perpetuæ fælicitatis, & miseriæ successione, cui similem errorem subtexuit de animabus, quas ante corpora dispositamundumque totum in beatitudine fuisse, censuit: pro malevero actis anteriori æternitate in corpora immersione in pœnam fuisse in tempore donatas, vel à corporibus liberas, beatas tunc permansisse donec delinquerent, & successe sue corporibus immergerentur: sed de damnatorum purgatione præfata, & ad beatam vitam, & gloriam demum assertione, & econtra, quod æternitati pœnæ ipsorum opponitur, hæresis damnatur Origenes ab Epiphanio epist. ad Ioan. Hierosolymitan. apud tom. 2. *Omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertuntur*, & epist. ad Anitum, & Apologia contra Ruffinum, vbi Origenem damnatum à Theophilo Episcopo, & Anastasio testatur. Eandem hæresim tribuit Origeni Augustinus de hæresibus ad quod Vuldeum hæresi 43. & lib. 21. de ciuit. c. 17. & 23. Photius Patriarc. Constantinopol. epist. ad Michael. Bulgariæ Principem apud tom. 1. Concilior. per Laurent. Surium initio. Sophron. in epistola apud 6. Synod. act. 11. approbata act. 13. Leo Pap. 1. epist. 11. ad Iulian Episcop. Coënsem Synod. 5. act. 5. & Vigilius Papa ibi relatus, & act. 8. anathematizmo 11. idem de Origenis hæresi censetur capite *sane* 24. q. 2. huius damnationis & Anathematis lati contra Origenem iam mortuum super hoc aliisque erroribus meminit S. Liberatus in suo Breuiario c. 23. apud 2. Concilior. atque à Vigilio Pap. Menna Constantinopol. Zailo Alexand, Eufremio Antiocheno Episcopis fuisse subscriptam: similiter Gelasius Pap. cap. *Sancta Romana Ecclesia* 15. d. in mortuum etiam Origenem dixit anathema. Nihilominus hunc, & alios errores operib. Origenis (& nominatim præsentem de Dæmonum, & damnatorum purgatione) ipse conqueritur in epistola ad suos Alexandrinos relata à Ruffino Apologia pro Origene aduersus Hieronym. S Pamphil. Martyr. pro Origene etiam ab hæresi purgando apologiam collato studio cum addictissimo Cœlestineo Eusebio Cesariense (qui olim de Eusebius Pamphili cognominabatur teste Sancto Hieronymo) composuit, vt testatur Eusebius idem 6. histor. Ecclesiasticæ 24. inde

inde Ruffinus eam Pamphyli nomine Latinitati donauit Sanctus Hieronymus vero Apologia sua contra Ruffinum, Eusebio Cæsariensi tribuit, vti & Gelasius Papa citato capite, *Sancta Romana Ecclesia*, & Antipater Bostrens. Episcop. in refutatione eius Apologiæ, tomo tertio, Concilior. Synodo 2. Nizena actu 5. editionis Surij scripsit etiam pro Origene Apologiam Iacobus Merlinus, item Ioannes Picus Mirandulan. disput. *De salute Orgenis* Sixtus Senens. libro quarto, suæ Bibliothecæ. Ab errore vero, de quo hic respuisse Origenem censet Dominicus Soto in 4. d. 5. quæstione prima, articulo primo, & d. 45. quæstione secunda, articulo 2. eis tamen omnibus perpensis, quæ tot Pontifices, & Concilia in Origenem, tum viuentem, tum vita etiam functum, eiusque errores (& hunc de quo agimus, Eusebij, Rufinique Apologiis visis) anathemata tulerunt (immo, & quod Gelasius Papa citato capite. *Sancta Romana Ecclesia* Eusebij pro illo defensionem, & Eusebium ipsum de ipsa damnauerit) censeo cum Molina nostro ad quæstionem 62. primæ partis, articulo 2. d. 1. §. *Ego vero*: errorem hunc, & alios Origenis errores fuisse, ipsumque in eis obiisse negari citra impietatem & temeritatem, magnamque authoritatis Ecclesiæ iacturam minime posse; etsi multis locis paratum se in omnibus dicat, ad consentiendum Ecclesiæ sensui: cum nullibi, nisi ex luxatæ fidei relatione Ruffini, de Origenis retractatione constet: nihilque frequentius Hæreticis, hæc profiteri, ne durius ab illa cum ipsis agatur, retentis tamen erroribus, quos Ecclesiæ sensus esse ex eius tolerantia arguant, & facilius suadeant.

2. Errorem præfatum de Dæmonum, & hominum damnatorum temporalem à peccato purgationem Eutyches etiam incurrisse arguitur, ex affini, & connexo errore alio Origenis etiam memorato, numero 1. de animabus ante mundum creatis & beatis & post mundi creationem, in male actorum pœnam in corpora immersis: quam Eutychis fuisse Leo Papa 1. citata epistola docet: certe in eum videtur etiam inclinasse Ambrosius in id ad Ephes. 3. *vt innotescat Principibus*, vt obseruat Annonius, in 1. Periarch. capite 6. Sixtus Senens. 6. Bibliothec. suæ annotat. 291. Hieronymus etiam in id ad Ephes. 1. *& vt simus in laudem gloriæ*, & in id capite secundo, *vt ostenderet, in seculis superuenturis.* & ad id capite quarto. *Ex quo totum corpus*; aduertit tamen ipse eius commentarij præfatione, se illum ex Origenis, & Didymi commentariis pauculis additis construxisse, vt, non tam sit author, quam, collector. sed in postrema verba Isai. capite vltimo, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, & 1. Dialogor. aduers. Pelagianos ad tractan. Isaiæ. *Comburentur peccatores, & iniqui simul*: Etsi Dæmonum, ac infidelium pœnam æternam fore asserat, eius tamen temporariam durationem, non improbat, sed videtur probabilem tacitus iudicare: verum citata Apologia aduersus Ruffinum hanc temporariam durationem vt Anastasij Papæ sententiæ aduersam, ac subinde hæreticam reiicit: atque ad id Ionæ 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue* Multis efficacibus testimoniis, & argumentis vt falsissimam, omni veritatis fundamento carentem, adhuc apparenti, confutat, etsi erroris seu hæresis nomen, & notam omiserit, quæ virtute eius argumenti continebatur: ob quæ, & alia, quæ in eius hac super re defensionem adducit Sixtus Senensis in sua Bibliotheca libro quinto, annotat. 229. & libro 6. annotat. 290. longe ab hoc errore extitisse censendus est, cæterum, cuiuscunque Authoris ea temporaria Dæmonum, & damnatorum pœna sit, Hæresis contra earum æternitatem in scriptura expressam, & in Conciliis damnata omnino est, Isaiæ 33. *Quis habitauit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* capite vltimo. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Marci 9 *Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis vbi vermis*, & reliqua ex Isaiæ vltimò recitata Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Inferiusculè, *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Apocalyps. 20. *Diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & Pseudo-Prophetæ cruciabantur die, ac nocte, in secula seculorum.* Quæ loca Patrum, & Interpretum Catholicorum concordi (vt adest) explicatione, nedum authoritate, non egent, vt fidei dogma esse præfatam conclusionem, de æternitate pœna Dæmonum, & damnatorum, & gloriæ Angelorum, ac Beatorum omnium confirment. Definitur eadem veritas contra Origenem, vt vidimus, numero 1. articulo sexto, Synod. actu 13. approbante epistolam Sophronij (vbi is error damnatur (relatam, actu 11. insuper ab Anastasio, Vigilio, & Gelasio Pontificibus summis ibidem relatis in Symbolo Athanasij illis, *Absque dubio in æternum peribit*, & illis, *qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum*, in Concilio Lateranensi, capite secundo. *Firmiter* de summa Trinitate 24 quæstione, primo capite, *sane* videatur Sanctus Augustinus 21. de ciuitate, capite decimoseptimo errores negantium pœnis damnatorum, vel omnium, vel aliquorum æternitatem accurate referens (& acriter confutans: Quod contra æternitatem mortalis malitiæ (vt reuera est) finitæ à ratione Theologica obiicitur, & Doctos quosque turbauit, in variasque egit de necessitate incarnationis ad satisfactionem pro illo, disiecimus de ea disputantes controuersia prima, de Incarnatione.

3. Dogmate hoc statuto, videndum est, quibusnam bonis seu donis, in quibus conditi sunt, ad intellectum spectantibus Dæmones priuentur? sunt autem dona, in quibus creati Angeli sunt, vel supernaturalia, vt fidei habitus, & actus, vel naturalia, vt habitus, & actus naturalis scientis, & circa habitum supernaturalem fidei, actumque eius supernaturalem: Caietanus cum Dominicanis Thomistis prima parte, quæstione 64. articulo primo, censent fidei habitum nullatenus in Dæmonibus damnatis, vel aliis manere consentiunt ex schola iesuit. nostra Thomistica: Valentia ad eundem articulum, d. 15. punct. 1. §. *Altera est cognitio.* §. *Posterior pars patet.* Arriaga d. 25. sectione quarta, numero 22. §. *Circa supernaturales vero*, & videtur conclusio Sancti Thomæ ibi; cum autem videant Iacobum capite secundo suæ epistolæ fidem Dæmonum illis verbis tradere. *Dæmones credunt, & contremiscunt*, aiunt: fidem quidem habere, non autem supernaturalem intrinseci ob motiuum formale reuelationis Dei, sed adquisitam, & naturalem, ex miraculis, quibus de veritatibus reuelatis, vel aliunde conuincuntur, vt credant. Aduertit autem Sanctus Thomas recte multo pauciora fide præfata credere, quam crederent, sed damnati non fuissent, sed stetissent in veritate, & saluarentur, quod quidem indubitatum Theologis est: plura enim, inquit Sanctus Thomas, tunc eis reuelarentur Beatis, quam damnatis reuelantur; quoad naturales habitus, & actus scientiæ docet Sanctus Thomas eodem articulo, nihil esse Dæmonibus detractum, quem sequuntur citati omnes, Vasquez in eius art. explicatione, & communiter Doctores, tanquam sententiam expressam Dionysij Areopagitæ 4. de diuinis nominibus scribentis. *Data sunt Dæmonibus aliqua dona*, (scilicet naturalia) *quæ nequaquam mutata esse dicimus, sed sunt integra, & splendidissima.* Subdunt rationem S. Thom. & alij: quia, cum natura angelica simplex, & indiuisibilis sit, nihil auferri ab ea potuit aliquo eius naturæ remanente, vt ibidem docet Dionysius. Ei vero integræ perstanti debita ipsius naturali iuri, & exigentiæ sunt præfata scientiæ tum habitualis, tum actualis dona, quæ idcirco naturalia sunt, & vocantur: in hac vero ratione aliquid discursu suo addunt Theologi sententiæ, & menti Dionysij, qui solum loquitur de natura ipsa angelica, cum suis naturalibus, & intrinsecis facultatibus, quas ipsi realiter identificatas in eis supponit: alioqui nihil eius argumentum de simplicitate probaret: siquidem coniunctum hoc naturæ angelicæ, & potentiarum naturalium realiter ab ea diuersarū, quid simplex non est. Confirmatur ex alia eiusdē ratione eodem c. subiuncta: quia inquit, *quæ per naturam sunt incorruptibilia, per peccatum nō corrūpuntur.* Habitus

autem cum intellectus, tum voluntatis, scientiæ v. g. per habitus contrarios, puta errores corruptibiles naturaliter seu per naturam sunt, vti, & boni habitus per peccatum, quod notaui, vt ostendam textuum interpretationes bona vt aiunt fide ab vno, ex vno ab aliis nullo examine, vel exiguo, & cursim acceptas non fitis. Firmitatis recipere certe, si mihi non alios transcribendi, & sine examine sequendi genium esset duæ hæ difficultates, decisæ hactenus dictis manerent.

4. Dico tamen primo, habitus supernaturalis fidei, est in dæmonibus ita censui vbi primum in dubium hoc incidi ob fundamenta subiicienda. Scholasticorum vero aduersantium accurata lectione amplius iudicium meum probo: cum fundamento præcipuo minime ab eis satis fieri videatur, debilibusque eos in oppositū iudicium induci. Sed præcipuos huic conclusioni tuendæ animos nobis fecit Salmeron noster sæculi proximi Theologus facile Princeps in epistolam Iacobi. d. 3. post med. ad ea verba. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* §. *idem tamen*, vbi eam confirmat. & quidem, etsi Sanctus Thomas citato loco, ac rursus, 2.2. quæst. quinta, articulo tertio doceat: dæmones fidem Theologicam ex fidei habitu & formaliter ob Dei testimonium non habere, sed solum ex natiua intellectus perspicacia, qua Dei opera, & miracula viuidius penetrant, & vident atque ob illa, tanquam media, ex quibus discurrunt, & reuelatas veritates discursu pertingunt, & reuelatis ipsis assentiuntur; tamen postea, quæstione octaua, articulo tertio, Iacobi textu actus, fidei Theologicæ actum, & habitum dæmonibus concedit. Vasquez noster, tomo secundo, in prima parte, quæst. 64. artic. 1. in eius explicatione dubius videtur manere huius difficultatis decisionem remittens ad. 1. 2. q. 5. a. 2 Vbi ea de re nihil. Æstimo autem illum nostræ conclusioni assensisse: siquidem rationem è Iacobi textu efficacissimam pro nostra conclusione toto eius robore, & postremo loco adhibet. Est autem ratio ex his verbis epistolæ Iacobi, capite secundo, num. 19. *Tu credis, quia vnus est Deus, benefacis, & dæmones credunt, & contremiscunt*, quæ addit in illius confirmationem, quod prædixerat, numero decimo quarto. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat? numquid fides poterit saluare eum?* ac statim exemplo appositissimo subiuncto concludit, num. 17. fidem, sine operibus ad iustitiam, vitam spiritualem, & salutem insufficientem esse; *Sic & fides, si non habeat opera mortua est in semetipsa.* Verbis autem recitatis insufficientiam hanc fidei, sine operibus ad spiritualem vitam, & salutem confirmat, num. 19. efficaciter secundo ex fide dæmonum. Cum autem dogma hoc à Iacobo, ne aliquis putaret sola fide Theologica, ob Dei testimonium habita iustificari saluandosque homines esse, ni ab ea deficerent (vt nunc hæretici blaterant, atque à nascente Ecclesia, praui aliquot Christiani iactabant) statuatur, de fide plane Theologica dæmonum supernaturali, eo supernaturali habitu, & ob testimonium, & reuelationem diuinam habita loquitur. Aliqui nil probaret, si de naturali eorum fide loqueretur: dicerent enim hæretici fidem, quam se sola, & sine operibus sufficientem, ad iustitiam, & salutem prædicabant esse supernaturalem, & Theologicam (de qua Paulus ad Rom. 5. perperam tamen ab eis intellectus) non autem illa dæmonum naturalis, quæ, non solum sine iustitia, & salute, sed cum æterna eorum damnatione esse potest: quare male argueret Iacobus, quid plura loqui eo loco Iacobum de fide dæmonum supernaturali, & Theologica de qua Paulus loco citato (quem illico hæretici pro errore præfato arripuerunt, & nunc etiam eius erroris Sectarij detorquent) asserit Aug. t. 4. lib. de fide, & operibus cum errorem referens & confutans, capite decimoquarto, circa med. scribens. *Quoniam ergo hæc opinio*, de sufficientia fidei solius, sine operibus ad iustificationem, & salutem, *Tunc fuerat exorta alia Apostolica epistola Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maxime dirigunt intentionem*, id quod, & Paulum, ad cuius textum hæretici offenderant, docuisse ad Galatas, 5. num. 6. & 1. Corinth. 13. numer. 1. deinceps ostendit Augustinus.

5. Sed de Iacobi textu, quem pro nostra conclusione expendimus, præclarissima hæc addit Augustinus sub eius capitis finem. *Iacobus autem, tam vehementer insistens est iis, qui sapiunt fidem, sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam Dæmonibus comparet dicens: Tu credis, quoniam vnus est Deus, benefacis, & Dæmones credunt, & contremiscunt, quid verius, breuius, vehementius, dici potuit, cum, & in Euangelio legamus hoc dixisse Dæmonia cum Christum Filium Dei confiterentur, & ab illo corriperentur, quod in Petri confessione laudatum est?* Nil videtur pro supernaturali, & Theologica Dæmonum fide à Iacobo, eo loco asserta firmius afferri posse, vel illustrius: quare paucis ex Iacobo ad suum intentum intercalatis concludit Augst. *Quoniam qui falluntur, qui fide mortua, sibi vitam perpetuam pollicentur?* Vrgentius adhuc de fide supernaturali Theologica, & ob Dei testimonium textu præfato, & contextu toto, ex quo contra memoratos Hæreticos Iacobus agere cæpit, & ostendere fidem sine operibus mortuam esse, & insufficientem ad salutem illum loqui probatur, ex immediate subiunctis numero 10. *Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides, sine operibus mortua est. Abraham Pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens Isaac filium suum super Altare? vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? & suppleta est scriptura dicens: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.* Abraham vero fides, quam in exemplum adducit Iacobus supernaturalis, & Theologica fuit, certo, & ex fide: ergo & Dæmonum fidem, quam immediate ad idem intentum adducit, supernaturalem intelligit: maxime, cum naturalis, eius intento non inseruiat. Quod autem aduersarij aiunt: fidem, supernaturalem spei, & charitatis actibus natura sua inseruire, quare in Dæmonibus damnatisque aliis, quibus vis, in quibus spei, & charitatis, neque actus, neque habitus sunt, neque vsquam erunt, nullo titulo, aut fructu, vsue habitum fidei posse permanere: leuissimum est: quia non solum spei, & charitatis actibus habitus fidei inseruit: imo vero immediate, non inseruit eis actibus sed solis actibus fidei: qui, & sunt, & continuo; & necessario erunt in Dæmonibus per æternitatem, in grauius, duriusque supplicium dolorem, seu tristitiam de æterna sua infælicitate, firmius, certiusque, quam euidentia discursus, aut visionis, ex reuelatione Dei euidenti ipsis nota per fidem diuinam supernaturalem credita: sicuti, & ex fide æternæ beatitudinis Angelorum, & hominum saluandorum odio Dei ac illorum, & inuidia perpetua discruciabuntur.

6. Dico secundo: Habitus scientiarum aliquot naturalium Dæmonibus imminutos esse videtur probabilius: conclusionis huius in terminis nullum vidi Patronum; etsi ex grauium Doctorum circa difficultates alias sententiis Theologico discursu recte colligi videam, vt iam ostendam; sed tamen nulli, ne singularitatis quidem, Theologicæ censuræ conclusionem subiacere etiam absolute prolatam. Certum mihi est: cum nec proxime, nec remotissime fidei dogma tangat, aut probabiliter tandem concutiat: sed solum philosophicis rationibus probanda, improbandaque sit: quod si verosimilioribus probetur Doctorum, ex minus verisimilibus aduersantium, authoritati debet præualere. Maxime cum numero tertio post medium eam menti, & sententiæ Sancti Dionysij (cuius in his, quæ ad Angelos, & Dæmones spectant præcipua ex Patribus authoritas est) nullatenus aduersari ex instituto ostendimus, & cursim notauit Arriaga citata sectione quarta, numero 20. §. *De pœna præcipua* sub fine. Probatur primo conclusio, quia Deus infundit Dæmonibus, ac damnatis cum habitus, tunc actus erroneos circa obiecta plura naturalia ipsis molesta, quæ nec sunt, neque erunt, quibus continuo erucieneur; aequi eis habitibus, & actibus scientia naturalis, quoad ipsa imminuitur, & corrumpitur: ergo scientia naturalis Dæmonum, & damnatorum, ex parte saltem imminuta est, & corrupta antecedens est. Marsilij in secundo d. 28. articulo primo, dubio secundo, conclusione prima & secunda, nostri Vasquez 1. 2. d. 90.

d.90. n. 11. & 12. & 3. p. d 61. num. 59. Patris Hurtado de fide d 18. sect. 6. num. 54. Ludouici Torres de fide. d. 3. dub. 3. §. *meum iudicium* & §. *argumenta vero secundæ* & §. *ex his*. Ripaldæ t. 1. de ente supernatur. d. 79. sect. 1. §. 1. fine & Arriagæ supra à nobis relati, & consentiunt Recentiores docti memorati à Ludouico Torres vbi proxime dub. 4. §. *In præsenti controuersia*, quibus adde Doctores asserentes Deum se solo posse species impressas obiecti non existentis potentiis infundere, ac subinde visionis, indeque orti accensus falsi Ita censent fieri à Deo apparitiones Christi Domini in pueri, vel crucifixi, vel resurgentis &c. in Eucharistia Sanctus Thomas, tertia parte, quæst. 76. articulo octauo, & in 4. d 10. artic. 4. quæst. 2. & opusc. 78. c. 11. Scot. in 1. d. 3. quæstione quarta, §. *De tertio* S. Antonin. tertia parte, tractatione quarta, capite decimoquarto, Paludan. in 4. d. 10. cap. 11. Sotus d. 11. quæst. 1 articulo tertio, victoria relectione de Eucharistia, num. 64. Ledesma. 1. p. quæst 14. vltim. Molina, quæst. 55. artic. 2. d. 2. m. 3. quos refert, & sequitur Ludou. Torres citat. dub. 4. §. 1. Eam sententiam communem aliorum Theologorum testatus, magis autem species propriæ, & clare repræsentantes obiectū non existens in erroneos actus apprehensionis & iudicij, quam habitus naturales per accidens à Deo infusi erronei influunt: habitus enim ad eos inclinant tantum potentiam, quam, non inclinant solum, species. sed determinant. Amplius autem, quam in antecedente assumimus, docent Caietan. & Bañez apud Lud. Torres citato dub. 4. §. *In præsenti*: ille enim in librum 2. Reg. cap. 12. & 16. ait mendacij causam, vt pœnæ non, vt mendacij, Deum esse posse: Bañez. in 2. 2. quæst. 1. artic. 3. cum aliis relatis presso nomine à Ludou Torres dub. 3. §. *Circa alterum* sub med, docet habitum fidei supernaturalem, & à Deo solo proinde effectum, posse esse causam falsi assensus. Secundo probatur conclusio ex communi Patrum, & Theologorum doctrina asserentium: Protoparentem nostrum Adamum ob peccatum admissum non solum spoliatum donis supernaturalibus status innocentiæ fuisse, sed & innaturalibus fuisse vulneratum, & imminutum; tametsi iure naturæ integræ illa omnia seruari deberent: quia nimirum pene debitum, quæ in mortali illo fuit, iusque in Deo ad puniendum, ac se de inimicis vlciscendum, ei debito respondens naturali illi iuri, & exigentiæ præualet: quo aduersæ sententiæ fundamentum euertitur. Ad hæc: habitus scientiarum naturalium Angelis instanti creationis per accidens à Deo infusi, & quoad modum, supernaturales, non secus, atque in Adamo pro instanti creationis fuere; quos tamen ob peccatum magnum saltem, imo vero omnes amisit: quia in Dei donis, & naturæ indebitis censebantur. Ac demum Ezechiel. 28. n 17. pro hac conclus. dicitur, *Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam*, scilicet in superbiæ illius pœnam, *in decore tuo*. Cum hoc autem stat eos veritates omnes naturales, circa quas erroneos habitus, & actus in pœnam à Deo non patiuntur, cognoscere absolute posse, melius que, quam homines de præteritis præsentibus & futuris censere, discurrere, & coniectari, vt est ipsorum intellectus, qui ipsorum naturis re ipsa identificatur, ac subinde imminutus nusquam fuit, acutior, perfectior, & humano viuidior, quod satis insinuant Augustinus, & Isidorus apud Soar. capite sexto, numero tertio.

8. Circa ea, quæ ad pœnam damni spectant, recensenda non breuis controu. orta apud scholasticos, præsertim Recentiores, est: sed longior, quam par esset, partium ducibus Vasquez. d. 242. capite secundo, & Soar. supra cap. 5. & 3. p. t 4. d. 13. sect. 2. qui docet tristitiam, & dolorem dæmonum, de gloriæ, & aliorum bonorum priuatione à dæmonibus cognita oriundum, ad pœnam damni pertinere, non sensus quia ex obiecto, & malo priuatiuo prouenit; ac pœna sensus solum sit, quæ ex obiecto, & malo positiuo, & in re præsente ab igne in Angelis oriatur, de quo lis nobis cum ipso, quæstione tertia, cert. 1. numero quatto, refertur sententia alia à nostro Arriaga, sect. 3. §. *Scotus & alij*, & à Soario, cap. 4. asserentium: nullam esse damni pœnam in dæmonibus: quia priuatiua etiam obiecta, & mala, quousque cognita tristitiam, & dolorem ipsis ingenerent mala ipsis, & pœnalia, seu pœnę non sunt. Cum autem pœna sensus dæmonum, nil aliud sit, quam tristitia, & dolor de quouis obiecto ab eis percipiatur sit sane, inquiunt, omnem damnationem pœnam sensus pœnam esse, ac damni nullam. Sed hæc sententia, vt refertur, nullum habet authorem: siquidem, nec Scotus relatus ex 4. sententiar. d. 50. quæst. 1. & 4. conclus. 2. nec Vasquez nomine suppresso simul ab eodem citatus tale quid docuit. Et de Scoto faretur merito Arriaga num. 14. §. *Dico secundo*, & constat ex eius textu, & sententia fideliter relata à Vasquez citato, capite secundo, §. *Mihi vero probatur*, de ipso autem Vasquez. Ex eodem paragrapho constat pœnam damni in ipsa priuatione bonorum ob peccatum inflicta ante eius cognitionem, & inde ortam de illa tristitiam, expresse fateri quam in instantibus, quibus nulla de bonorum spiritualium priuatione cognitio, ne dum sensus, & tristitia, recognoscitur admittit, etsi malum aliud §. *Aliud autem malum* immediate esse neget, quod pendet à cognitione nimirum id quod male (vti & Scotum) intellexerunt qui eum pro sententia proxime relata citant: quasi doceat mala alia, & obiecta, de quibus tristamur quousque ex eorum cognitione doleamus, ac tristemur, mala non esse: ac proinde, cum tristitia, & dolor omnis in pœnam peccati incussus pœna sensus sit non esse nisi pœnam sensus in damnatis referuntur docuisse.

8. Sed multa intellectus obnubilatione, aut cæcitate, opus est, vt sic Vasquez intelligatur, siquidem §. *Mihi vero*. Citato pœnam damni in sola priuatione bonorum ob peccatum absque vllo eam patientis sensu, cognitione, dolore, aut tristitia, sitam esse docet ac probat. & immediato §. citato. *Aliud autem malum* vniuersim de omni obiecto, disconuenienti subiecto siue priuatiuo, siue positiuo, ait, *omne obiectum eatenus dicitur afferre pœnam sensus quatenus affert iustitiam, & qui illam patitur, eatenus pati dicitur, quatenus tristatur*: quare irrito, ex minus bene perfecta Patris Vasquez doctrina, Soarius etiam noster, laborat citato capite quinto, numero quarto, vt quasi contra ipsum ostendat obiecta de quibus tristamur, non ideo esse nobis mala, & disconuenientia, quia de eis tristamur, quin potius ideo nos de eis tristari, quia illa in se, ac de se mala, & disconuenientia nobis sunt: quod Vasquez de malo priuatiuo, & damni semel asserit ac iterum de omni malo, siue priuatiuo, siue positiuo solumque citato. §. *Aliud autem* contendit. & ostendit contra Soarium neutrum malum ad pœnam sensus pertinere, nisi, quatenus à damnatis tristitia ac dolore, ex eorum cognitione sentitur; vt quod sui instituti erat tristitiam, etiam ex probatione bonorum cognita à Dæmonibus, & damnatis perceptam, æque, ac conceptam, ex malis positiuis inflictis ad pœnam sensus non damni pertinere: quare sic eum paraphum, & intentum concluserit. *Hinc constat omnem tristitiam, etiam de pœna damni, ex cogitatione ortam esse pœnam sensus; aut oportet aliam definitionem ex proprio cerebro excogitare*. Ne ergo. in re per se nota, sermo, aut quæstio longius à nobis, ab aliisve deinceps trahatur censendum est diuisionem pœnę dæmonum, & damnatorum, quorumque, in pœnam sensus & damni ita apud Theologos omnes statam, sanctamque fuisse, vt nemo hactenus de ea dubitarit; ac proinde, Scotum & Vasquez non nisi male intellectos pro oppositio referri potuisse: atque omnes subinde contra ipsos Soarij, & aliorum impugnationes falsæ intelligentiæ illorum inniti, & impugnatores æquiuocatione laborasse. Censendum secundo Vasquez nostrum optime, contra nostrum etiam Soarium euicisse Sensus enim, pœna in dæmonibus, non, nisi in spirituali sensatione, vt sic dicam, siue sensu, qui doloris, & tristitiæ, seu, quod idem est fugæ, & auersionis appetitus spiritualis, & voluntatis Angelicæ de malo, & disconuenienti obiecto, sibi aliquo modo coniuncto, & præsenti, vt talique cognito esse potest: atqui de malo priuatiuo, & quod Angelo adest, & aliquo modo coniunctum. & cognitum ab ipso est sensus hic, seu doloris, & tristitia, seu fuga & auersio voluntatis in dæmonibus æque, ac de malis positiuis adest, imo maior longe de malo priuatiuo gloriæ quam de positiuis reliquis, quæ in peccati pœnam à Deo ipsis infliguntur, ergo de pœna damni pœnam propriam, tristitiæ, & doloris Pœnam, quam solum, possunt, sensus dæmones patiuntur.

CERTAMEN II.

De iis, quorum priuatione ex parte voluntatis damnati dæmones puniuntur.

1 PRiuatio donorum Dei ad voluntatem spectantium qua damnati dæmones puniuntur, non vna quidem, sed pro donorum Dei diuersitate multiplex est. Alia enim est donorum, quo ad substantiam, supernaturalium & quoad substantiam, supernaturalia, quædam habitualia sunt, vt spei, & charitatis, habitus, ac reliqua, quæ Spiritus sancti dona nominantur: alia vero actualia, vt Dei super omnia amor, & spei Theologicę actus, ac reliqui ab Spiritu sancto donis præfatis natura sua oriundi, in donis vero naturalibus, quo ad substantiam ad voluntatem attinentibus, quædam sunt naturalia, quidem, quoad substantiam, & modum; alia vero, quo ad modum supernaturalia, quia, etsi naturaliter adquiri, & haberi ab Angelis ante statum damnationis potuerint; ast supra naturalem eorum virtutem, exigentiamque donata à Deo sunt. In his censentur habitus virtutum moralium quos Angelis in creationis instanti per accidens à Deo infusos dicebamus. Id, quod verum etiam est, etsi virtutum moralium actus, nec supernaturales, quo admodum adhuc, sint, nec auxilium gratiæ supernaturale, quoad modum, iuxta Soarij, & asseclarum sententiam requirant, contra Vasquez, & discipulorum, nostramque sententiam: eorum quippe habituum omnium infusio instantanea inexpectatis actibus; quibus illi progignantur, supra exigentiam, & virtutem naturæ est, ac proinde supernaturalis, quo ad modum est.

2. Omnibus donis habitualibus supernaturalibus, quoad substantiam ad voluntatem spectantibus, concors Doctorum, & Theologorũ omnium Catholicorum sententia est: damnatos dęmones priuatos esse: ij enim sunt gratiæ habitus spei, & Charitatis seu amoris Dei super omnia, quę supernaturalem, quoad substantiam, necessario, & essentialiter, cum nostro Vasquez, & aliis censui semper. Ratio est, pro habitibus Charitatis, & spei. Quia Dei gratiam habitualem naturaliter consequuntur, de gratia enim habituali, tam certum est eos esse priuatos, atque esse in mortali, atqui dæmones, in statu damnationis, gratia habituali priuati à Deo in perpetuum sunt: ergo, & habitu supernaturali spei, & charitatis, ex quo primum damnati dæmones sunt priuati fuere Probatur consequentia, quia sublata radice, & causa naturali, vel physica, vel intentionali, & motiua, cuiusmodi gratia habitualis habituum Spei, & Charitatis est, effectus, & fructus perire connaturalissime prouidentiæ, est: iuxta quam conclusiones quæstionum de facto in bona, & cordata Theologia sunt statuendæ. De habitu vero Charitatis, si iuxta Doctores non paucos, habitui gratiæ realiter idemtificetur, de quo t. 1. de ente supernaturali contro. de gratia habituali, & formaliter iustificante, facile, & speciatim suadetur: in ea quippe sententia, nec de potentia Dei absoluta, cum perpetua priuatione habitus gratiæ dæmonum damnatorum Charitatis habitus poterit magis, quam idem, cum sui negatione consistere. Nec valet habitum spei in hominibus viatoribus amisso habitu, gratiæ per mortale nihilominus permanere, & in viatoribus adhuc dæmonibus permansisse: id enim non connaturaliter naturis horum habituum attentis vsuvenit, sed status viæ, in quo ad sperandum veniam mortalis patet via, atque ad pœnitentiam, qua mortale aboleatur iustitiaque, & salus æterna obtineatur recursus; quibus in statu damnationis damnatis omnibus, tam malis Angelis, quam hominibus via occlusa est, & aditus præclusus: ex quo statim rationem tertiam pro nostra conclusione deducemus n. 4.

3. Nunc probatur secundo conclusio, & confirmatur ratio præcedens: quia eiusmodi habitus dona Dei gratuita, & supernaturalia sunt, & quibus determinate dæmones damnati per mortale, æterne duraturum, se reddant in æternum indignos: ergo attento hoc solo iure Diuino, quauis etiam exigentia creata conseruationis eorum habituum adstante, dæmones æternum damnati deberent eis habitibus spoliari. Vrgetur, quia non solum non adstat creata aliqua exigentia conseruationis eiusmodi habituum; sed adstat exigentia, vt non conseruentur: cum absit gratia, à qua, in conseruati etiam, hi habitus, vt pote ipsorum radice, connaturaliter, & connaturali prouidentia, & conseruatione pendent, in qua debent, quandiu sunt, & fuerint, conseruari. Dices habitum fidei (vt diximus cert. 1.) damnatis etiam dæmonibus, etsi supernaturale, & gratuitum Dei ipsis offensi, & infensi perpetuo futuris, donum sit, æque, ac spei, & charitatis habitus, eoque titulo positiue perpetuo indebitus perpetuo inimicis, & positiue indignis, conseruari: ergo non obstante iure positiuo Dei offensi priuandi dæmones damnatos habitu Spei, & Charitatis (si à gratia habituali distinguatur, & positiua in dignitate illorum, vt his priuentur, priuandos de facto male inde probabitur. Negatur consequentia, quia ius hoc Dei infligendi pœnas dæmonibus est, & dignitas in his eas patiendi, & quamuis deesset fidei habitus, minor tamen pœna eius priuatio foret; quam eius conseruatio, vt Deum vindicem suorum delictorum perpetuum credant, odioque in ipsum, rabie, & melioris fortunæ desperatione tabescant, & contremiscant: quare habitus eius conseruatio dæmoni non est gratia, nec gratuitum Dei donum, sed maius, quam eius priuatio supplicium. Charitatis autem, & Spei habitus solam doni gratuiti supernaturalis Dei rationem habeant, si in dæmonibus damnatis seruarentur, cum nullos actus, quibus dæmones absolute nedum magis, quam eorum priuatione crucientur possint habere: quare à conseruatione habitus fidei, ad conseruationem reliquorum habituum, supernaturalium, vel contra ab horum priuatione in pœnam damnatorum dæmonum ad illius priuationem nulla paritatis ratio inuenitur.

4. Dicendum est secundo, nullus actus supernaturalis spei, & charitatis habitibus supernaturalibus respondens, adest aderitve vnquam dæmonibus damnatis. Est omnium Theologorum conclusio. Ratio prima, quia deficientibus habitibus, qui eorum actuum principia connaturalia, sunt, vt connaturaliter eliciantur, dæmonum voluntas, non est, in actu primo adæquate, & complete, ad eos actus, ex parte sua constituta: ergo neque concursus ex parte Dei, per omnipotentiæ suæ applicationem præparatus est, ex decreto concurrendi necessario, & connaturali: ergo in naturali prouidentia actus, Spei, & Charitatis voluntati dæmonum est impossibilis: ergo de facto nullus eorum dæmonibus damnatis adest vsquamve aderit. Consequentia est legitima: quia in quæstionibus de facto, ex connaturaliori rebus prouidentia, vbi de opposito ex scriptura, & Patribus non constiterit (vt hic non constat) decidendæ sunt, vt nuper dicebamus. Confirmatur, quia præparatio omnipotentiæ extraordinaria, & supernaturalis ad concursum Dei, vt causæ particularis loco habituum ad eos dæmonum damnatorum (scilicet æternum iuratorum Dei inimicorum) actus tantum gratiæ, continet, vt non, nisi irrationali discursu, reuelatione seclusa, asseri possit maxime, cum ij actus toti ingentia à Deo beneficia sint, & pœnarum, quibus à Deo damnati, &, æternum sunt, quam magnum leuamen. De actu Charitatis supernaturalis Dei super omnia, cum secum iustitiam, & amicitiam Dei, vel afferat, vel imbibat salutis fidei dogmatibus pluribus nequit damnatis, dæmonibus, vlla æternitatis futuræ particula, adhuc instantanea concedi. Actus vero spei cum pœnæ vtriusque, & damni, & sensus æternitas reuelationis euidentia damnatis dæmonibus innotescat, non solum cuincitur ab eis exclusus, sed eis impossibilis. Porro ex eius conclusionis probatione vltima probatio efficax desumitur pro conclusione prima: cum habitus supernaturales, ad actus, qui certe lege status damnationis nusquam, ac nunquam futuri sunt otiose, ac vane in eo statu damnationis reliquerentur.

5 Dicendum

5. Dicendum est tertio. Nullus habitus supernaturalis, quoad modum solum, & naturalis quoad substantiam Dæmonum damnatorum voluntati relictus fuit; sed ab instanti damnationis fuerunt, eis in pœnam priuati: sunt autem hi habitus voluntatis supernaturales, quoad modum solum, qui actibus voluntatis repetitis adquiri demum naturaliter possent; ea vero actuum repetitione ex qua connaturaliter progignerentur, non expectata in instanti creationis infusi à Deo Angelis sunt, ac proinde per accidens infusi, quia adquisibiles absolute de se, solent à Theologis appellari: in quibus virtutum moralium habitus, voluntatibus Angelorum infusi simul ac creati fuere communiter numerantur, conclusionis nullum Patronum, vel aduersarium possunt referre, quia neminem ea de re disputantem vidi, sed solum de potentia, vel impotentia absoluta dæmonum, ad bene operandum moraliter quæ absque eis habitibus salua absolute consisterer. Probatur: quia ciusmodi habitus supernaturales, quoad modum solum, & per accidens infusi ex speciali Dei gratia, & supernaturali prouidentia collati, & infusi Angelis fuere: ergo positiue indignis per mortale ac toto viæ tempore in illo obstinatis, ac demum in statu damnationis perpetuo obstinatissimi inimicis indignissimis suis debuerunt à Deo in pœnam auferri, quod argumentum vim etiam habet, & si alia quævis naturalis exigentia perdurandi in eis habitibus per accidens infusis titulo naturalis exigentiæ ad vlterius perdurandum, quamdiu contrarium fortius abest, quam omnibus permanentibus natura sua creaturis, (vt hi habitus sunt concedimus) cogitetur: qui titulus iuris Dei offensi erga perpetuos suos inimicos viri naturalis exigentiæ vlterius perdurandi fortior longe est. Vt destruatur, quam si oppositi habitus intensissimi adessent, qui naturalissime eorum destructionem exigerent, & obtinerent. Confirmatur: quia cum eorum habituum, quoad modum supernaturalium infusio, & prima absoluta existentia ex qua vlterius perdurandi vis ipsius contingit gratia, & beneficium Dei citra vllam naturæ exigentiam fuerint Dæmonum in Deum odio, & ingratitudine iurata cassa fiunt, vt iura omnia ciuilia, quæ ex gratia, & beneficio alicuius, siue per legatum, siue per promissionem, siue per donationem gratuitam inter viuos exploratoto odio, & ingratitudine in benefactorem irritantur, fiuntque iure. Et facto ipso caduca vnde paret disparitas ad habitus, moralium virtutum, & scientiarum, si quos breui illo spatio viæ Angelicæ à Dæmonibus acquisitos ante, vel post primum peccatum aliquis contendat, & ipsis in inferno consetuari, quorum tamen neutrum satis sirmo fundamento dicetur.

6. Quarto dico. Actibus virtutum omnium moralium dæmones ac damnationis initio in perpetuum in pœnam à Deo sunt priuati. Est omnium Theologorum conclusio; excepto Durando, qui quæstionem de facto, quoad actus virtutum moralium, non negit, sed de absoluta potentia, aut impotentia dæmonum damnatorum ad eos eliciendos (de quo infertius) potentiam bene operandi ipsis (vt ibi referemus) absolutam, & antecedentem concedens, eam vero potentiam absolutam moraliter quare, & actus omnes virtutum moralium negat. Ex aliis vero, qui eam absolute concedunt, Scotus cæterorum dux, in 4. d. 51. q. 1. a. 5. omnes actus eorum dæmonibus negat damnatis cui in hoc consentit. Antisiodorensis, 2. summæ tract. 2. c. 7. q. 1. S. Thom. 1. p. q. 64. a. 2. ad. 5. S. Bonau. in 2. d. 7 p. 1. a. 1. q. 2. Marsil. in 2. q. 5. a. 3. opin. 4. præsertim solutionibus argumentor, qui locis citatis de actibus solum, non de potentia, vel impotentia absoluta dæmonum ad eos in statu damnationis eliciendos loquuntur; eidem conclusioni adhærere cæteri scholastici præter Durandum, qui de actibus non egit, sed de absoluta potentia & Basolidem infra citandum. Quare oppositum absque temeritate asseri nequit. Vocantur vero actus virtutum moralium, actus vndequaque boni, & honesti, nullo prauo fine, vel motiuo eliciti, aut circunstantia vitiati prauos enim, & vitiatos aliunde, & si materialiter virtutum moralium, ab ethnicis Philosophis exercitatum (vt aiebat Augustinus aliique Patres, & scholastici plures) dubium non est dæmonibus, etiam in statu damnationis adesse. Probatur conclusio, quia ciusmodi actus moraliter boni, & si ab impiis, & inimicis facti, neque gratiæ, &, vitæ æternæ condigne meritiui, bonum quid morale absolute sunt, & à bonis cogitationibus, & si non gratiæ supernaturalis, quoad substantiam, congruis tamen, & habituris boni absolute operis moralis effectum ex Dei prouidentia dispositis prouenient; ad cogitationum autem congruarum, & habiturarum effectum operis moralis, absolute boni, prouidentiam, nulla naturæ exigentia, ac iure Deus tenetur; ergo eatum prouidentia vltra, ac præter naturæ debitum in Deo erit, ac subinde, & bonum opus morale, quod in bona illa cogitatione, tamquam in radice à Deo prouidetur, & donatur: & si bona vero illa cogitatio, & bonum opus inde ortum, nihil supernaturalitatis, & conducentiæ ad iustificationem, & vitam æternam habeat, nec posse (quod falsum est) admittamus, ac proinde omino naturale verumque sit: ast, cum bonum moraliter absolute honestum quoties illa sit & ad illum conducens, seu illud deuoluens congrua cogitatio dari à Deo non solum indebite, sed contra pœnale debitum dæmonum propriæ voluntatis peccato, & suæ libertatis, & gratiæ supernaturalis abusu damnatorum, incredibile est, *dixi propria voluntatis, libertatis, & gratiæ supernaturalis abusu*, vt infantibus, sine baptismo decedentibus locum post iudicij postremi diem bene moraliter operandi faciliorem relinquam, sitam cogitatio congrua, & effectus omnino etiam, quoad modum naturales, ac non supra; sed præter naturam sint: illi siquidem non physico propriæ voluntatis abusu; sed alterius, nempe Adami peccarunt.

7. Vrgetur ratio quia, vt bene Vazquez (quem cum multis sequor) cogitatio congrua ad opus, quodvis bonum morale gratia Dei supernaturalis, quoad modum, nec solum præternaturalis, est, atque ad vitam æternam conducit: cum operis boni moralis (ex quo gratiam primam Et initium prædestinationis, ex pure naturalibus à nobis inchoari Semip lagiani docebant) Augustinus, & concilia illud ipsum initium, ansulamque boni operis moralis Deo à nobis oblati, ex gratia per Christum, & supernaturali (quod vt minimum de supernaturalitate, quoad modum intelligi debet) necessario prouenire definierunt. Probat etiam loco citato. S. Thomas argumento, *sed contra* ex illo Psalm. 73. *superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*, quod de damnatis intelligendum monet. Potest item probari ex illo Iob 10. n. 22. *vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: Quod de inferno, & statu damnationis communiter intelligitur; esset autem ordo aliquis, si ibi aliqua esset honesta absolute moralis operatio. Confirmatur ex Innocentio 3. Gregor. Magn. Ignatio Martyre. Fulgentio, Prospero recitatis à Soario, lib. 8. c. 8 qui potentiam, etiam antecedentem, boni operis moralis negare dæmonibus damnatis videntur, quæ contra conclusionem hanc opponi solent, soluit. S. Thomas loco citato; tam & si aliqua ex principiis, quibus non satis assentior. Ad dæmonum fidem actualem ex illo. *Dæmones credunt & contremiscunt*, quam naturalem ac non ob diuinam reuelationem esse putat, sed ob signa miracula & effectus alios, ex quibus euidenter, ac necessario dæmones, quare & absque vlla honestate assentiantur, consequentius (fors etiam vero similius) ad nostra principia respondeo eum assensum fidei supernaturalis, & ob Dei testimonium, ac reuelationum Dæmonibus euidenter notam esse (vt ostendi certam. 1. a. num. 4) ac subinde necessarium, nec piæ affectioni liberæ voluntatis dæmonum subiectum, ex qua honestatem trahere assensus ille fidei posset. Objcitur. 2. damnatorum actualis pœnitentia toto capite sapientiæ descripta, & assicta cruci actuum saltem inferni acerbitate extorta, quæ bona est, ac nostræ iustificationi in sacramento sufficiens. Respondet optimè S. Thomas hunc, & alios actus dæmonum damnatorum esse aliunde vitiatos: & de hoc satis constat ita esse excruciatuum acerbitate extortum vt iobitum habeat negationem doloris de peccatis, quia offensa Dei sunt, imo vero gaudium de eis, quia Deum, tot, tantorumque cruciatuum authorem (quem obinde pessime tunc oderunt) offendunt. Opponitur tertio. Epulo ille dives adeo Lucæ. 16. de fratrum salute, etiam in inferno sollicitus, & pro ea apud Abrahamum aduocatus, de quo Chrysostomus homil. 4. *Vide quam mansuetum*

tum

tum (id est mitem, ac misericordem) *culpa illum reddiderat*, sed certe, etsi eos Patres, nec admodum paucos, nec authoritate aliis posteriores citatos, à nostro Maldonato ad illud caput, versu decimo nono, (in quibus Chrysostomus ipse homiliis de Lazaro quatuor, & alibi frequenter) asserentes totum, quod de Diuite, & Lazaro ibi refertur non historiam, sed parabolam esse, non sequar; tamen historiæ superadditam parabolam (vt tragicomœdis vsu venit) colloquio toto non historiam à Christo Domino inducti censeo, cum nostro Maldonato, ibi, & versu vigesimo septimo, & vigesimo octauo ex Iustino, & quoad quinque fratres ex persona diuitis in eo colloquio memoratos ex Augustino, lib. 2. quæst. Euangelicar. & Chrysost. homil. de Diuite.

8. Imo & aduers. 22. *Factum esse autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; mortuus est autem, & diues, & sepultus est in inferno*: rectè idem Maldonatus censet, ad postrema verba de diuite sub paragraphi finem. Loquitur enim textus de vtroque, quasi toti, corpore nimirum, & animo constantes, alter in sinu Abrahæ, alter in inferno collocarentur: quod minus congrue, per synecdochem, ab aliis ratione animarum vtriusque intelligitur. Siquidem sepultura, nec per synecdochem, ratione animæ de toto corporeo dicitur, cum non animæ, sed corpori competat. Accedit, quod inferius à versu vigesimotertio, digiti, lingua, oculi, & membra alia corporea alterius in sinu Abrahæ, alterius in inferno recensentur; quæ nusquam per Synecdochem dici historice possunt, cum neuter totum corpore, & animo constans, vel in sinu Abrahæ, vel in inferno fuerit receptus, cum ea à Christo Domino tanquam facta referebantur: restat, vt parabolice dicta à Christo Domino fuerint per anticipationem eorum, quæ ipsis tandem euentura præsciebat, vt vtriusque, pro bene, maleve in corpore gestis, dum apud homines vixerunt mortales iustum in corpore etiam, nec solum in anima, retributionem auditores suos doceret. Quo eos ab impia, & immiti auaritia, gula, & sæculari fastu arceret, piæque, & innocentis paupertatis extremæ etiam, merum, & horrorem ab eis excuteret. Ex his constat, nihil solidum contra nostram conclusionem posse deduci, cum ea diuitis petitio ad Abrahamum salutis æternæ fratrum anxia parabolica (vti & colloqui eius cum Abrahamo reliqua) non historia fuerit: maxime in Chrysostomi nobis oppositi testimonio ex homil. 4. de Lazaro, in qua, & tribus anterioribus, de eodem, non solum colloquium totum diuitis, & Abrahami, sed quidquid anterius de Diuite & Lazaro à Christo Domino dicitur parabolam esse non historiam sæpe docet. Hæc prolixius, quam aliis scholasticis moris est ex meo in textus litteræ conclusionibus nostris ad fauentis, vel aduersantis, vt decet, nec perfunctoria interpretatione. Admisso vero alloquium totum, non parabolicum, sed historicum fuisse: nego in petitione illa, diuitis pro suorum fratrum quinque salute (esto eos, vt potuit, habuerit) veram pietatis virtutem, & honestatem fuisse. Etsi enim ex odio Dei, vt voluit Soarius supra solutionem secundam, nec eam procurauerit, nec optare, & procurare potuerit, ex aliis autem prauis finibus & motiuis ea, ad speciem pia, petitio fuit vitiata, vt sanctus Thomas vbi proxime aiebat. Chrysologus autem determinatum finem, & motiuum prauum diuitis in petitione illa sua acute dispexit, & percalluit serm. de diuite hoc, & Lazaro nempe inuidiæ fœlicitatis, & requiei, qua Lazarus in sinu Abrahæ potiebatur: à qua impia, antiqua in eum duritie & immiti suo, ac diro animo petitione illa repetita, *Mitte Lazarum*, amouere, & extrahere conabatur, sic enim ad hæc verba Chrysologus. *Adhuc diuitem malitia non deserit: adhuc in Lazarum sic crudelis.*

9. Contra rationes, quibus conclusionem proximam probauimus, maxime contra secundam, qua primam nostram vrgebamus, numero septimo, estque nostri Vasquez, Alarcon, & scholæ Vasquianæ totius, multa opponunt Soarius fuse capite nono, Arriaga citata disputatione vigesima quinta, sectione quinta, subsectione tertia, quorum pleraque non hanc conclusionem exclusiuam omnis actus boni moraliter de facto à dæmonibus damnatis, sed impotentiam physicam absolutam antecedentem illorum ad male in omnibus, moraliter adhuc, operandum (quam cum obstinatione, & obduratione in peccato, seu impotentia absoluta pœnitendi de male actis perperam confundunt. Vt cert. 3. videbimus) refellunt. Illud opponit Arriaga, numero trigesimo tertio, §. *Secundo principaliter* ex à se dictis. d. 13. à num. 14. quod scilicet Angelus se ad hanc potius, quam ad illam cogitationem, determinet; non autem, à Deo determinetur: quare, quod ea, ad quam se damnati Angeli determinent, sufficiens tantum, non autem congrua, seu effectum boni operis moralis sortitura sit, vel contra, ex Dei prouidentia speciali benefica erga bonos Angelos, & vindicatiua erga dæmones damnatos nequit prouenire, sed casu, & forte vt aiunt fortuna iis eueniet, vt inscij de eius, ad quam se determinent effectu futuro, quandoque ad sufficientem tantum, quandoque ad congruam se determinent: quare nec stata lege illos semper ad sufficientem tantum, nusquam ad congruam, & boni operis moralis effectum habituram se determinare, nullo fundamento, nec, citra temeritatem dicetur. Hæc obiectio vtramque probationem nostram impugnat, sed falso innititur principio si de omni cogitatione, etiam prima, Angeli in negotio quouis intelligatur. Hæc enim, tam in Angelis, quam in hominibus, non ex libera electione, & determinatione; sed Dei solius esse potest, vt Aristoteles, sanctus Thomas, atque omnes Philosophi, & Theologi docent, ac euidenti discursu demonstratur, Cum enim determinatio, tam Angeli, quam hominis ad hanc primam potius, quam ad illam cogitationem, huiusve præ illa electio ex prævia alia cogitatione debeat prouenire nulla electa, siue ab Angelo, siue ab homine prima erit, contra id, quod asserit; sed aliam necessario supponet: de qua num ex electione fuerit? quæstio rediuit; & rursus de præuia alia ad huius electionem, quousque se in infinitum processum anteriorum, & anteriorum cogitationum cogamus, vel aliquam demum primam, non ex Angeli vel hominis determinatione, & electione, sed Dei solius voluntate, & prouidentia habitam ab homine, vel Angelo fatearis, ex qua tandem, quoad secundam, & posteriorem aliam, quouis gradu, habituram, vel non habituram effectum honesti vndequaque actus, & boni absolute operis moralis, præ opposita, Angelus, vel homo eligat pendebit, actu euanescet obiectio. Opponit secundo. Arriaga numero trigesimo quarto, §. *Tertio reiicitur.* Contra Vasquez rationem, & nostram secundam, non esse gratiam specialem Dei, à dono, & debito iure creationis distinctam auxilium, seu cogitationem congruam ad bonum opus morale: ita ille, ac reliqui ea in re Soarii sectatores censent, quos late, & acriter Vasquez 1. 2. tomo secundo, eiusque discipuli confutant: nec segnius, & cursim nos, tomo primo, de ente supernaturali controu. de gratia, auxiliante interim, (quoniam prolixioris eruditionis, & discursus res est, quam, vt nunc obiter disputetur, ad principii oppositi firmitatem, & Soaristici, cui innititur obiectio, falsitatem ostendendam satis sunt, quæ n. 7. sub init. cursim attigimus.

CERTA

CERTAMEN III.

De absoluta impotentia dæmonum damnatorum bene per pœnitentiam, aut alium actum moralis virtutis operandi sententiæ, ac de pœnitentia conclusiones.

1 AGimus de absoluta, & antecedente impotentia ad pœnitentiam absolute bonam, quemuis moralem actum simpliciter honestum. De impotentia enim consequēte damnatis dæmonibus adesse certum ex dictis est, cum nullum actum honestum simpliciter, atque nulla ex parte vitiatum, sit de facto, vt diximus, habituri; eorum vero omnium actuum negatione necessitas consequens illos omnes non habendi, & consequens impotentia habendi aliquem inducitur quidquid enim absolute, non est, ex suppositione, quod non sit, necesse est non esse, & impossibile est esse, necessitate non essendi, & impotentia essendi consequente rei absolutam negationem, cum Aristotele, Boetio Anselmo aliisque Patribus tota Philosophia, & Theologia testatur. Diuisimus autem certaminis titulo quæstionem impotentiæ dæmonum ad veram, ac bonam absolute pœnitentiam à quæstione impotentiæ boni alicuius actus, & operis simpliciter honesti moraliter eliciendi, atque præstandi: quia actus pœnitentiæ solum de admisso, seu commisso à dæmonibus peccato, ob quod fuere damnati, esse potest: ac proinde impotentia absoluta pœnitentiæ præcise, & secundum se sumpta est; quæ actum solum pœnitentiæ facit absolute impossibilem, non vero aliarum omnium moralium virtutum actus impossibiles antecedenter absolute, & simpliciter reddit, vt de se patet: siquidem impotentia ad vnum determinate actum in specie, vel individuo, diuersos non excludit: quare amplior de impotētia ad omnes actus virtutum moralium simpliciter honestos, & absolute bonos moraliter quæstio est quam sit quæstio de absoluta, & antecedente impotentia dæmonum ad bonum simpliciter, & absolute honestum actum pœnitentiæ de peccatis admissis. Imo postrema hæc impotentia ex diuerso principio à Thomistis Dominicanis pluribus inducitur: nempe ex physica dæmonum inflexibilitate à proposito semel concepto, ac semel habita deliberata voluntate; quod etsi falsum non esset vt supra ostendimus) ad aliarum virtutum moralium, contra quas dæmones non deliquissent, actus nullatenus impotentiam in eis probaret. Similiter de damnatorum dæmonum obstinatione, & obduratione (in quocumque iuxta dicenda constat) duplex quæstio diuidi debet. Nempe de obstinatione in malo iam à se facto. Quæ eadem est, atque obstinatio ad non pœnitendum de peccato admisso; alia vero quæstio est de obstinatione ad malum actum, & opus quotiescumque dęmones damnati (& idem est de damnatis hominibus) acturi aliquid denuo, vel in materia virtutis quauis operaturi libere sint: absque libertate enim actus peccatum esse non potest.

2. Denique quæstiones de impotentia absoluta honestæ, ac bonæ absolute pœnitentiæ de anteactis peccatis, & de impotētia aliud quoduis absolute, & simpliciter honestum operandi anterius ad quæstiones de obstinatione, in malo, siue acto, siue vlterius agendo examinanda sunt: quia ex illarum examine, & decisione harum decisioni rectæ multum lucis affertur, confusioque, quam vtraque simul disputantes, ac definientes incurrerunt facile vitabitur. Inter quæstiones vero de impotentia ad actus bonos absolute, & simpliciter illa præceder, quæ ad actum pœnitentiæ est. Tum quia: ex parte obiecti limitatior est, & angustior, cum actum speciei vnius determinatæ ea impotentia respiciat, & excludat, non vero vllum vlterius actū virtutum reliquarum, vnde etsi ad actum pœnitētiæ damnati dæmones impotentiam habere deprehēdantur, ad reliquarum virtutum actus habere impotētiam similem non

conuincentur, quare, & illa angustiore quæstione examinata, ac definita amplioris huius de impotentia, ad omnium virtutum, actus simpliciter, & absolute bonos, & honestos examini, & decisioni locus relinquitur. Tum etiam, quia angustiorem illam de impotentia pœnitentię aliqui ex peculiaribus principiis decidendam volunt (vt proxime de Thomistis pluribus dicebamus) ac fors alij ex aliis, quæ ad impotentiam actuum aliorum ad virtutes alias spectantium, extendi nequeant, volent definiri. Quod ipsum de obstinatione in malo commisso, & in malo deinceps committendo censendum est. Porro quæstioni de impotentia alterutra pœnitenda est vulgaris impotentiæ diuisio in physicam, & moralem. Physica impotentia est, qua ne cum summa quidem difficultate agere aliquid physice, & realiter, absolute possumus. Moralis vero, qua, etsi physice, & realiter agere illud absolute possimus à Deo tamen impense, ac vehementer ad non agendum, vel oppositum agendum ex parte actus primi, vel detinemur, vel impellimur, vt summa, ac vix superabili difficultate illud agere possimus, ac imprudenti, & communi cordatorum æstimatione, quasi physicæ impotentiæ in ordine ad id agendum, videatur æquialere. Quæstionem autem hanc ad actus absolute honestos, & simpliciter bonos restrinxi, quin ad eos, vt absolute meritorios gratiæ, & gloriæ quæstiones extenderem: quia, etsi pactum Dei de præmio reddendo, (quod respectu damnatorum abest, ad meritum absolute tale in mea, & meliori Theologia nō requiratur: at vero viæ status omnium sentētia requiritur, qui æque dānatis, ac beatis omnibus eorumq; operibus deficit: quare, etsi bonis intrinseca honestas, & laudabilitas ipsi idemtificata non deficeret, meritum tamen absolute gratiæ, & gloriæ deeriti; nec condignum solum, quia à damnatis inimicis non autem à iustis, & adoptiuis filiis progrediuntur (quorum dignitate ad supernaturalium præmiorum condignitatē, eorum opera eleuentur) sed nec congruum, cum ex Dei decreto, gratia, & gloria damnatis sit impossibilis: ad impossibile autem nulla conducentia, congrua adhuc, & tenuissima esse potest. Idcirco, Ioan. 9. Christus Dominus aiebat: *Venit nox in qua nemo potest operari*, Operatione scilicet salutari, & quoquo modo vtili, & conducente ad salutem.

3. His præmissis in prima quæstione de impotentia dæmonum damnatorum ad actum quemuis simpliciter bonum pœnitentiæ de actu prauo admisso, physicam absolutam impotentiam adesse illis docent qui vniuersim impotentiam physicam, ad cuiusuis virtutis actus illis affigunt, & ad actum pœnitentis determinate, & specialiter citati Dominicani Thomistæ, ex principio illo suo de physica naturæ, & voluntatis Angelicæ, à semel concepto deliberato affectu immobilitate supra q. de loco pœnitentiæ dæmonibus viatoribus à Deo dato, ita reiecto, vt vlteriori impugnatione non egeat: alij vero ex principiis cuique peculiaribus, vt vniuersim ad omnem actum absolute bonum eis potentiam absolutam physicam, neget, quos singulatim de eavniuersali ea quæstione agentes recensebimus, eorumque fundamenta, omnia, & singula examinabimus, & confutabimus plerumque. Sunt autem ad rem præsentem, summatim relati, vel odium Dei independenter à dæmonum libertate, vel habitus impœnitentiæ vehementissimus ita etiam infusus, vel Dei decretum denegatiuum cōcursus ad pœnitentiæ actum, quidue aliud præfatis simile. Contra vero Doctores reliqui physicam impotentiam absolutam actus omnis honesti absolute & simpliciter boni pœnitentiæ de anteactis peccatis damnatis Angelis negant, atque absolutam ad aliquos ciusmodi actus potentiam physicam concedunt, qui ad omnes virtutum moralium actus quia ex perfecta charitate supernaturali non elicitos potentiam physicam absolutam in damnatis Angelis admittūt. Doctores recensebo inferius, dum generalem eam quæstionem versabimus: ex his vero Doctoribus plerique impotentiam moralem antecedentem, & absolutam ad omnes actus simpliciter, & absolute honestos, quare, & ad pœnitentiæ actum in damnatis dæmonibus recognoscunt. Ita expresse Soarius citato libro octauo, capite octauo, Arriaga citata disputatione vigesima quinta, sectione quinta, subsect. 2. num. 30. §. *Respondeo tamen* alios antiquiores scholasticos ex Soario referens, quorum mentem in ea generali quæstione ex Vasquez

intelligentia certiore semper, & germaniore dabimus. Reliqui vero, qui impotentiam physicam absolutam ad bene aliquid simpliciter & absolute honestum, ac subinde pœnitentiam, agendum negant moralem impotentiam ad id ipsum concedunt, vt ex iis quæ in dæmonibus damnatisque reliquis recognoscunt, liquet satis. Quoniam vero de peccatis admissis pœnitentia, & dolor, seu contritio. Duplex à tota Theologia possibilis in peccatore admittitur nempe alia perfecta ob Deum summe, & super omnia dilectum, quæ contritio absolute dicitur, ac, mea sententia supernaturalis essentia sua est, ac necessario proinde, ex supernaturali quoad substantiam charitate oriunda; alia vero imperfecta, quæ vocatur attritio seu dolor de peccato ob mala, & pœnas inferni ob illud à Deo infligendas, ni contritione, attritioneve peccati maculam eluamus de vtroque pœnitentiæ actu seorsim in præsenti quæstione definiendum à nobis est, quia diuersa sunt decidendi de vnoquoque principia.

4. Dico primo. dæmones damnati ad actum pœnitentiæ, ac doloris perfecti seu absolute dictæ contritionis de peccato ob Deum summe, & super omnia dilectum super naturaliter impotentiam absolutam physicam habent. Supponitur ab omnibus conclusio, etsi in terminis non tradatur, nisi ab Arriaga sect. 6. initio vbi doctrinæ generalis, & communis de impotentia absoluta physica eorum ad vllum actum bonum supernaturalem in dolore supernaturali, seu contritione de peccatis exemplum nominatim adhibuit. Probatur facillime, in mea, & nostri Gasparis Hurtado manuscripto de forma realiter formaliter iustificante: quam non solum gratiam habitualem, sed actum etiam contritionis de peccato ob Deum summe, & super omnia dilectum esse docui controu. de gratia formaliter sanctificante. Cum enim Deus semel damnatis gratiam formaliter sanctificantem, & iustificantem denegare in perpetuum decreuit, omnis forma sanctificans, & iustificas independenter ab vlteriori potestate, & libertate damnatorum ipsis redditur impossibilis: atqui præfata contritio de peccatis est forma realiter formaliter, sanctificans & iustificans: ergo independenter à demonum vlteriori potestate & libertate, redditur ipsis pro statu & æternitate tota futura damnationis impossibilis: ergo nulla est ad eiusmodi, contritionem damnatis dæmonibus, pro eo statu, & futura æternitate vera, creatis potestas, physica ac libertas; esset enim potestas, & libertas realis & physica pro eo statu ad id, quod ex decreto Dei omnino independenter ab eorum physica potestate, & libertate vlteriore, pro statu eodem supponitur impossibile, ac proinde chimærica solum, & impossibilis potestas; ac libertas. Sed etsi contritio præfata forma realiter formaliter sanctificãs non sit, sed gratiã formaliter sanctificãtem exigẽs, ac deuoluens probatur facile conclusio, quia omnium sententia necessario, & inseparabiliter gratiam secum affert ac deuoluit: ergo ex gratiæ formaliter sanctificantis impossibilitate pro statu damnationis discursu paululum deducto independenter ab vlteriore potestate, & libertate physica damnatorum, etiam contritio perfecta ab ea inseparabilis prorsus discursu paululum deducto redditur pro eodẽ statu impossibilis. Probatur secundo in eadem suppositione: quia, vt vidimus certam. 2. n. 2. & 3 nec charitatis habitum habent dæmones damnati, etsi hic à gratia habituali distinguatur, vbi instantiæ ex habitu fidei à nobis eis concesso petitæ satisfecimus. Neque habent præparatam omnipotentiam specialiter loco eius habitus, imo vero, neque, vt generaliter cũ dęmonum voluntate concurrat vt dixi n. 4. defectus autem, vel vnius ex hisce tribus physicam absolutam potentiam ad actum quemuis Charitatis (cuiusmodi præfata contritio est) abolet: ergo ea physica potentia damnatis dæmonibus deficit, & physica impotentia adest. Dices odium Dei, in illis libere physice absolute conseruatur, vel repetitio elicitur, & perseuerat: ergo & est physica, eorum ad contritionem perfectam, & ex Charitate supernaturali potestas. siquidem, sine physica absoluta potestate ad vtrumuis libertas esse non potest. Respondetur concesso antecedente, negando consequentiam. Quia odium in Deum ex libertate contradictionis positum & conseruatum est ad quam illud ponendi, vel conseruandi, aut illud omittendi, quæ extrema libertatis contradictionis sunt, physica absoluta potestas requiritur, alterutrum libere apponentis, vel conseruantis; non autem ad odium, vel amorem, quæ sunt extrema libertatis cõtrarietatis ad odium Dei, ex qua damnati, nusquam Dei odium, vel repetunt, vel conseruant; quare, nec potentiam absolutam ad actum contitionis perfectæ, & Charitatis supernaturalis habere debent, sed ad odium Dei omittendum, vt pure possunt, vel aliis actibus, quibus ab odio Dei diuertant ad quæ absque Charitatis habitu, & aliis ad actum Charitatis prærequisitis potentiam physicam habent, vt libere Deum oderint, vt de se patet.

5 Circa absolutam potentiam, vel impotentiam dæmonum in damnationis statu ad pœnitẽtiæ cuiusuis naturalis secundum substantiam simpliciter, & absolute honæ, & moraliter honestæ examinandam, ac definiendã eisdem principiis, vti solummodo possumus, quibus in quæstione generali de potentia, vel impotentia absoluta eorum ad opus, seu actum, quemuis moralis virtutis, cuiusuis vtendum nobis est: quandoquidem peculiare illud principiũ aliquorum Dominicanorũ Thomistarum physicæ absolutæ immobilitatis Angelorum à semel elicito actu, habitoque ab eis proposito deliberato, vnde impotentiam physicam pœnitentiæ cuiusuis, naturalis etiam ordinis de peccatis admissis specialiter deduceretur euersum satis, superque à nobis supra ex instituto fuerit. Et quidem, cum ex hoc eodem principio physicæ immobilitatis, & inflexibilitatis Angelorum à proposito semel deliberate habito, non honesta solum, & simpliciter absolute bona anteacti affectus, & operis, sed mala etiam, & ex quouis, etiam turpi, motiuo retractatio, cuiusuis Angeli impossibilis demonstretur: nescio, quo pacto principium, hoc cum damnatorum dæmonum æque, atque hominum, ob cruciatuum acerbitatem, etsi vitiata aliunde, pœnitentia, ac de admissis peccatis retractatione, & pœnitentia, quam totum caput Sapientiæ quintum refert, componant. Siquidem physica hæc immobilitas à semel concepto affectu, cum physica etiam retractationis potentia, nec solum cum morali, repugnat. Item physica hæc immobilitas à semel habito actu, non minus cum retractatione actus boni præhabiti, quam semel habiti ab Angelo actus mali pugnabit. Quocirca vltra primum instans deliberationis Angelicę, in horum sententia physice indiuisibile, eorum via procedere non potuit, vt lapsorum obdurationi, & pertinaciæ, bonorum vero constantię probatę locus esset: quibus in illorum damnatione iustitia, non adeo dura, & quasi impatiens imposque sui & furore concepta, horum vero præmium vberioris largitatis, & misericordiæ fuisse rationi toti Reipublicæ monstraretur: quare vtrisque non solum instans indiuisibile physice in quo primum deliberarunt; sed nonnulla alia, & mea sententia, non pauca, statu vię Angelicæ, & morula Theologica quauis, contineri Theologi fere omnes fatentur: vnumque vel alterum Patrum testimonium, aduersum quid sonans, commode satis interpretantur: vt de viæ Angelicæ duratione disputantes superius vidimus: igitur nil aliud, neque aliunde de potentia, aut impotentia dæmonum, & idem esto hominum damnatorum, ad actum virtutis moralis pœnitentiæ potest speciatim definiri, quam de reliquarum moralium virtutum potentia, vel impotentia definiatur.

6. In ea vero generali quæstione de potentia vel impotentia absoluta dæmonum damnatorum ad quęuis actũ virtutis cuiusuis moralis Scotus. in 2. d. 7. q. 1. §. *Restat nũc dicere*, & id reportat dist. eadem. Bassol. q. 1. a. 3. Duran. q. 1. n. 12. Tartaretus, & alij relati à Soario l. 8. c. 8. n. 1 Valentia d. 4. q. 1 §. p. 2. §. *Contra vero Scotus*. Ioan. Præpositus ad q. 64. 1. partis. a. 2. dub. vn. n. 6. §. *Contrarium vero*, absolutam potentiam ad actus virtutum moralium damnatis dæmonibus concedunt. Vasquez. d. 241. cap. 2. n. 2. §. *Plerique vero* oppositam impotentiam absolutam & antecedentem bene moraliter operandi damnatis dæmonibus adesse concedit, tamen capite quarto, vbi impotentiæ huius suam rationem reddit, impotentiam consequentem solum, & secũdum quid probat, ratione de negationis auxilij congrui, cum qua potentia absoluta antecedens ac simpliciter talis bene moraliter operandi omino componitur, dummodo eis auxilium donetur sufficiens: quare Vasquez ipse ad consequentem solum impossibilitatem sententiam limitat, numero decimo quin-

quinto, §. *Verum enim vero*, & numero decimo sexto, & decimo septimo, à linea. *Propter hoc argumentum*, vbi eo solum impotentiam dæmonum bene operandi in statu damnationis, ab impotentia eorum, & reproborum in statu viæ distinguit: quod illis, ex lege Dei ipsis nota, auxilia congrua ad bene operandum denegentur; secus ipsis, & reprobis reliquis pro statu viæ, etsi eis pro vtroque statu ad honeste moraliter operandum, sufficientia, quibus potentia antecedens & absoluta, ac simpliciter talis constituitur à Deo donentur. Ita intellectum merito Vasquez sequitur Alarcon citato tractatu sexto, disputatione nona, capite sexto, numero sexto, addens numer. 9. differentiam aliam potentiæ antecedentis dæmonum, & reproborum hominum in via ab ea, quam in statu damnationis habent, de qua aliquid inferius dicemus: id ipsum docet Soarius, vbi proxime, capite nono, numero septimo. Arriaga citat. disputatione vigesima quinta, subsectione secunda, numero trigesimo, §. *Respondeo tamen*, vbi dæmonum impotentiam ad bene operandum moralem solum admittit: quam solam à magistro sententiarum, de reliquis statim citandis negaram refert, non autem absolutam potentiam physicam bene operandi in statu damnationis. Communis horum duorum ratio, Quia libere dæmones damnati peccant, alioqui non peccarent: ergo cum potentia absoluta non peccandi, ac bene operandi, sine sufficiente cogitatione retrahente à malo, & inducente ad illud, vel inducente ad bonum, & retrahente ab illo, verum hæc adeo communis ratio æquiuocatione æque communi huius difficultatis, & confusione cum alia de obstinatione dæmonum in malo (de qua seorsim nos certamine quarto,) siue impotentia eorum ad vitandum peccatum, prorsus nititur: cum hic de potentia, vel impotentia absoluta, & antecedente ad opus, seu actum omnem, & quemuis virtutis moralis, præcise, qua bonum de se, & obiecto, & circunstantiis, absolute, & simpliciter, & vniuersim disputemus, non autem, qua actus ille præceptus est, & eius omissio peccatum; quo solum casu præfata ratio vim habet, non autem pro actibus non præceptis moralium virtutum simpliciter, & vndequaque bonis, & honestis, vt plerique actus moralium virtutum respectu dæmonum damnatorum sunt (multoque plures, quam respectu eorum, & hominum in statu viæ) quibus earum virturum pro hac solum vel illa occasione percipiuntur. Imo Vasquez citata disputatione quadragesima prima, capite primo, numero primo. §. *Hac obiicio* fine & Arriaga eita, sectione quinta, subsectione tertia, numero quadragesimo, §. *Dices hanc solutionem* rarum, aut nullum, earum virtutum, actum esse damnatis præceptum merito docent; quare præfata ratio ad pauculos moralium virtutum actus, vel potius nullum, absolutam potentiam physicam in dæmonibus probaret, cum de omnibus sit quæstio, & decisio.

7. Secunda sententia, non solum moralem impotentiam dæmonum absolutam ad actum omnem, & quemuis bonum simpliciter virtutis moralis, sed physicam censet. Ita magistr. in secunda disputatione septima capite, *Nunc ergo*: sanctus Thomas ibi. quæstione prima, articulo secundo, Ricardus articulo secundo, quæstione secunda, Gregor. quæstione prima, articulo secundo, Ægid. quæstione prima, articulo secundo, Capreol. quæstione prima, articulo primo, conclusione secunda, Maior. quæstione prima, conclusione quinta, Marsil. quæstione quinta, articulo tertio, Holcot, quæstione quarta, littera RR. Gabriel. quæstione prima, articulo primo, Ockam. quæstione decimanona, & quodlib. 1. q. 14. ferrara. 4. contra Gent. cap. 91. Caietan. 1. p. q. 64. artic. 2. Et Dominicani Thomistæ Recentiores, quibus consentiunt Molina quæst. 64. articulo secundo, disputatione secunda, §. *Dubium est hoc loco*. Granad. tractatu decimo quarto, disputatione tertia, atque alii apud ipsos. Certe moralem dæmonum impotentiam ad bene moraliter absolute, & simpliciter operandum, ne Doctores quidem sententiæ primæ damnatis Angelis, aut hominibus negant. Volunt autem ex eis aliquid nil amplius, quam moralem impotentiam (ex auersitate pœnarum quas continenter à Deo vindice scelerum patiuntur, passurosque æternùm certo sciunt: & subinde bonorum operum suorum inutilitatem, ob quod odio, inuidia iraque ardentissima in Deum flagrant) damnatis dæmonibus ad bonum agendum à Doctoribus pro hac sententia secunda citatis affigi, quare eos cum primæ sententiæ Doctoribus conciliari facile posse æstimat vbi proxime Præpositus noster, & concordes inter sese fuisse supponit Arriaga vbi proxime; falluntur tamen. Plerique enim ex Doctoribus secundæ sententiæ de impotentia physica absoluta loquuntur, vt patet ex rationibus, quibus suam conclusionem probant. Marsilius enim, etsi conclusionem de facto solum proponat, & Paludanus citatus pro secunda hac conclusione à Soario supra, c. 9. n. 16 & Molina, quibus fauet Scotus apud Arriagam sect. 4. §. *Ideo tertio* eam probant: quia Deus concursum suum generalem vti ad quemuis actum essentialiter ex parte actus primi requiritur ad opus nullum absolute, ac simpliciter honestum dãnatis dæmonibus, nec præparat, nec offert, sed de se, & independenter ab vsu libertatis eorum, denegat, & subtrahit: quod impotentiam physicam ipsorum absolutam, ad bonum, quemuis actum absolute honestum ipsis facit. Quod probabile censet Soar. n. 13. &c. 14. n. 23. & Alarcon, proxime. n. 13. §. *Et tandem poterat*, & n 14. §. *Sicut ergo Deus*. Arriaga sect 5. subsect. 4. fine imo satis, & valde probabile Ockam, & Gabriel relati ab eodem Arriaga. sect. 6. subsect. 1. n. 48. §. *Secundus modus* probant: quia Deus se solo, & independenter à libertate voluntatis (imo dines physicæ actiuitatis de quo postremo nil ad præsentis quæstionis decisionem curandum, odium sui damnatis dæmonibus perpetuo vehementissimum infundit & conseruat, ex quo prius natura, quam de actu bono, vel malo deliberent, vt nil Deo displicens fugiant, vel placens, quale bonus absolute actus est, prosequantur necessitati, & determinati sunt: ac proinde impotes absolute boni alicuius, & honesti exercendi: siquidem in requisitis ad honestatem absolute talem præcipua est finis bonitas, quæ in Deo est, nequitque, cum præsupposito eius odio actione aliqua simul intendi, ac physice componi. Hæc etiam ratio physicam impotentiam nec solum moralem probat. Huic rationi affinis est ratio Gregorii, cui etiam Gabriel subscripsit, perpetuæ murmurationis, & blasphemiæ in Deum vindicem necessario ortæ ex dolore perpetuo cruciatuum, necessario etiam à damnatis concepto, cum qua murmuratione & blasphemiis actus simpliciter bonus est incompossibilis. Quarta ratio cuius meminere, Scotus, & Gabriel, fuit Gregorii, & Holcot. Quod, scilicet, à Deo infundatur intensissimus habitus in malum inclinans, & determinans ac damnatorum libertatem physicam creatam, & finitam, ac subinde aliqua tandem intentiore inclinatione ad vnum extremum auferibilem à voluntate, vt nequeant physice ferri in extremum aduersum: ex eius vero habitus infusi determinatione voluntatis damnatorum dæmonum ad malum, implicat eos ad bonum absolute, ac simpliciter honestum ferri absolute posse. Hæc etiam ratio physicam impotentiam illorum absolutam, & antecedentem ad vllum actum simpliciter honestum probat. Quinta demum ratio sancti Thomæ, Capreoli, Caietani, Ferrariæ, citatis locis, & aliorum recentiorum Dominicanorum idem etiam probat. Aiunt enim omnem damnatorum Angelorum voluntatem esse propter finem, quem tanquam vltimum, & vniuersalem, nec solum, vt particularem, actu prauo, ob quam damnati sunt, sibi constituerunt, saltem virtualiter reliquis aliis eorum actibus necessario intentum quatenus voluntates particulatium bonorum, vltimi finis, nempe beatitudinis sibi ab vnoquoque Angelo præstitutæ voluntatem, necessario saltem virtute participant.

CERTAMEN IV.

Rationes impotentiæ physicæ ad actum bonum moraliter præfatas reiicio.

1. HAs Doctorum omnium secundæ sententiæ rationes retuli, vt appareat contra nostros Arriagam, Præpositum, & alios, eos omnes de impotentia physica absoluta, & antecedente recte, & absolute bene, aliquid, & honeste agendi damnatorum dæmonum, non autem de impotentia solum morali fuisse locutos: etsi non, vt eorum probem rationes, quas adeo etiam singulatim recensui, vt singulatim etiam reiiciam. Prima Paludani, & Molinæ de decreto denegandi, generalem concursum (causis secundis necessarium, vt operentur dæmonibus, & damnatis, quibusque, in pœnam peccatorum viæ, ob quæ æternæ damnationis subiecti sunt; etsi nihil in eo violentiæ perpetuæ, quam nonnulli contra eam rationem obiiciunt) recognoscam cum ius Diuinæ vindictæ iuri, & exigentiæ voluntatis damnatorum Diuini concursus, ex parte Dei præparandi ad honestam eorum operationem à Deo præualeat, multoque magis quam præsentia contrarij agentis validioris exigentiæ agentis debilioris, præsentis, cui obinde concursus Dei ad operandum citra violentiam vllam quotidie à Deo denegatur: nulla sane in denegatione concursus, & præparationis eius voluntatibus damnatorum ad honestam absolute operationem violentia inferretur) tamen reiicienda absolute est primo, quia iuri exactiuo vindictæ suæ tametsi fortiori, plerumque, & in multis Deus, vt debiliori causarum naturalium (maxime concursus generalis ad operandum, præstandum, ac præparandum) Deus cedit, vt in gradibus, & perditissimis peccatoribus, etiam ad sceleratissimas eorum operationes vlterius peragenda, experimur. Nec valet eos in statu viæ esse; damnatos vero in perditionis termino, & perpetuæ Dei inimicitiæ, quia ius Diuinæ vindictæ de inimicis pro quouis instanti ex præsentia inimicitiæ peccatoris grauis pro illo, non autem pro instantibus vlterioribus successuris sumitur. Secundo, quia denegatione auxiliorum gratiæ, vt conterantur, adhuc imperfecte, honeste tamen, satis habetur, ne absolute, & in Dei gratiam redeant, ac simili denegatione, ne recte, & honeste absolute possint operari; quin ad denegationem præparationis concursus generalis adeo naturalis causis secundis primum recurratur. Tertio principaliter, & vrgentius prima hæc ratio reiicitur. Quia formali odio Dei dæmones & reliquos damnatos peccare contra præceptum negatiuum, *Ne Deum oderis* certum apud Patres, & scholasticos est, vti & contra alia præcepta naturalia negatiua: ad quæ concursus necessarius ex parte Dei præparatus adest. Nempe ad odium Dei, vel actionem quampiam aliam naturali iure prohibitam, quam turpiter; præueque exercent: tum autem necesse est præcedere præcepti prohibentis, & malitiæ odii Dei notitiam, & cogitationem sanctam, siue gratiam Dei sufficienter auxiliantem, vt damnatus ab odio retrahatur, illudque omittat: alioqui nec libere, & turpiter Deum odio haberent. Inquiro autem rursus: an esse possit pura omissio in voluntate, necne? si primum: omissio odij Dei, ex auxilio gratiæ retrahentis, atque motiuo prohibitionis, & malitiæ odii Dei per illud repræsentatæ, vt ex parte actus primi absolute potest rationi Consone, ac præcepto conformiter haberi, ac proinde bona moraliter omissio, ac subinde honestum, ac bonum aliquod exercitium in voluntate dæmonum absolute esse poterit omissione illa, ad quam præparatio concursus, non requiritur, sed solum ad odium Dei, quo recte, & honeste pro sua libertate, non vtitur, dum odium omittit. Quodsi male puram omnissionem voluntatis dicas impossibilem, sed actu aliquo positiuo, & opposito actui omittendo induci debere vrgentius pugnabo. Etenim immediate formalis libertas contrarietatis voluntati in hac sententia relinquitur: mediata vero solum ad contrarii vnius, (odii, v. g. Dei) omissionem extremi quatenus contrarium alterum, v. g. Dei amor pro voluntatis arbitrio ponitur, quoad vim omittatur: ergo nequit hoc libere poni, vel omitti, quin ex potestate absoluta voluntatis creatæ ad odium, vel amorem Dei, pro libito apponendum, odium Dei ponatur, vel ex libera immediate amoris Dei positione odium omittatur: nequit autem esse absoluta potestas ad odium, vel amorem apponendum, in voluntate damnati absque præparatione concursus generalis ex parte Dei præsupposita ex parte actus primi ad vtrumuis: ergo ex defectu præparationis concursus diuini male probatur impotentia absoluta damnatorum, ad omne exercitium honestum, siue priuatiuum omissionis præceptæ, siue positiuum per actum simpliciter honestum qualis est amor Dei.

2. Secunda ratio: ex odio Dei infuso damnatorum voluntatibus à Deo, siue solo, siue eorum voluntatibus physice adiuto, independenter vero ab exercitio libertatis earum (quod satis ad eorum intentum est) impugnatur. Primo, quia mere gratuito, & voluntarie absque vllo fundamento asseritur. Secundo, quia contra scripturam Psal. 1. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*, Patres & Theologos reliquos dicitur. Ex quibus Dei odium in damnatis peccatum, ac subinde liberum esse perpetuo diximus, quod fieri, nec per vnum quidem instans, posset, si perpetuo absque eorum libertate, à Deo infunderetur. Tertio, quia odium hoc Dei ab ipso damnatis infusum, non solum physice inclinat, & inducit, sed determinat, horum sententia, ad malum omne præ bono, in omni occasione, quæ occurrit: ex quo infertur primo in nulla occasione contra aliquam virtutem, aut præceptum damnatos siue positiue, siue omissiue posse libere agere, & peccare contra id Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio*. In mortis à beli suasione, & tentatione Protoparentum ad peccatum, quo mors fuit in mundum inducta. Hoc autem totum à damnatis iam dæmonibus actum est, & Ioan. 1. c. 3. *Ab initio Diabolus peccat*, eo scilicet vsque, & subinde iugiter per æternitatem peccabunt. Illationem probo quia, cum determinatione physica antecedente ex parte actus primi ad vnum extremum, pugnat physica ad vtrumuis voluntatis libertas. Nec prestat: determinationem hanc voluntatis damnatorum è vehementi odio Dei infuso ad malum, siue omissiue, siue positiue, præ bono, esse quoad speciem, non quoad indiuiduationem actus praui apponendi: quare in huius præ illo electione libertate exercere illos posse & peccare. Contra enim primo. Nam peccato omissionis actus præcepti omnia indiuidua omittenda necessario sunt, siquidem cuiusuis actus positione non peccaretur: quare ad omnes omittendos, vt omissiue peccent damnati determinati, ex odio illo sunt, si ad malum etiam omissiuum ex illo determinantur. Secundo, nec ad saluandam libertatem in actibus prauis, & malis positiuis, ac subinde damnatorum peccata ea præstat eusdem. Siquidem actus indiuiduatio ab arbitrii creati electione non pendet, sed, vel à temporis, loci, & aliorum circumstantiis, vel, (vt censeo) à Deo qui ad hunc præ alio decernit concurrere, casu, quo voluntas in obiectum, & ob motiuum propositum moueri pro arbitrio suo, velitquare, si quoad speciem etiam actus determinate aliunde (vt in præsenti ex Dei odio à Deo infuso) antecedenter, & ex parte actus primi fit, nullam in actus cuiusuis appositione exercere libertatem potest. Et quidem, cum electio huius indiuidui actus, præ innumeris aliis actibus possibilibus, nisi eis omnibus præcognitis, nequeat à damnatis haberi nec omnium possibilium actuum intra speciem quamuis peccati cognitio damnatis dæmonibus adsit, neque pro eo statu adesse posse, ratione aliqua (imo non, nisi contra omnem rationem) asseri queat, ex huius actus praui præ alio appositione, libertas, & peccatum dæmonum damnatorum saluari. Denique odium illud infusum ad omnes actus malos incurrentes in horum sententia cogere damnatos videtur. Quarto impugnatur, quia, etsi odium hoc Dei non prædeterminaret physice, (vt opus ea vtentibus est, ad physicam impotentiam absolutam, & antece

antecedentem damnatorum dæmonum ad omne malum, inhonestum, siue omissiue, siue positiue, & fugam omnis boni & honesti probandam) sed physice ex parte actus primi voluntatem inclinaret, ac induceret, ad omne malum, & fugam omnis boni, & honesti exercitii, dubio procul, Deus omnis peccati, siue omissionis, siue commissionis, & ad omnis boni & honesti fugam causa esset author: vnde, & malorum tentator contra Iacobum esset, ac inductor, & ab omni bono auersator.

3. Quinto illud à Deo infusum, vt velis vehemens, & intensum odium Dei, non opponitur physice incompossibiliter voluntati, qua sibi velit damnatus, aliquid boni, & conuenientis qualis est actus honestus, & bonus, moraliter, etsi indirecte actu illo infensissimo inimico Deo obiectum placens apponatur, quod nusquam obest, vt quod ipsis directe, & per se bonum, & amabile est ab eis apperi possit, & apperatur: vt in nobis patet, qui bona per se, & directe nostra appetimus sæpe, etsi per accidens iucunda inimicis fore videamus: item, si quæ damnatis per se, & directe bona sunt quia erunt Deo iucunda, ex odio illo infuso Dei appeti ab ipsis absolute nequeant, infertur: damnatos nihil physice posse absolute operari, cum in cuiusuis entis ab eis appositi, entitatiua bonitate Deus complaceat. Denique odii illius Dei infuso Deo, vt causa particulari, & independenter à libertate damnatorum Deo repugnat: quia, etsi ita à Deo infusum peccatū in damnatis non esset, quia ab eis non eliceretur libere; asti, cum ex obiecto malum moraliter, & turpissimum sit, Deus illud libere volens, & efficaciter volens in alio (vt opus ad eius à Deo infusionem est) etsi se eo, odio non odisset, tamen, ea libera odii sui, in alio voluntate peccaret: cum & obiectiua malitia obiecti voliti adsit, & Dei illud libere volentis libertas. Non secus, ac si ego odium Dei in amente, amorem, vel actum adulterii, cuius libertate non amatur, libertas mea adesset à qua formaliter mihi imputatur ad culpam actus ipse, qui obiectiuam malitiam intrinsecus habet. Nec valet: Deum ex honesto fine puniendi damnatos illud, sui odium infundere malum enim, intrinsece præsertim, & ex obiecto suo, ex nullo honesto fine amari absque culpa potest. Nec magis præstat: voluntatem Dei, quæ in ea infusione odij intercedit) Principis naturalis suprem: malitiā illam obiectiuam odij Dei saltem respectu sui abolere. Primo enim malitia obiectiua intrinseca actus ex obiecto suo nisi obiecti ablatione (sine quo actus esse non potest) nequit prorsus auferri. Secundo, infertur, ex ea solutione, Deum, quæcumque peccata posse licite amare cum id sine eius voluntate fieri non possit. Tertio posse Deum eadem ratione peierare, & mentiri: quæ sunt omnino hæretica, & blasphema. Ea quæ præfatæ sententiæ affinis addebat, Gregorius de necessaria tristitia & spirituali sensu doloris de cruciatibus, ac inde necessario etiam ortis in Deum vindicem murmuratione, & blasphemiis nihil prestant. Primo enim ex dolore illo & tristitia de cruciatibus à Deo inflictis necessitate physica otiri in Deum murmurationem, & blasphemias, neque à Gregorio, neque à Gabriele (qui ei etiam in eo consentit conclus. 2.) probatur, sed gratis, & absque fundamento assumitur, imo vero probari nullatenus potest. Secundò, murmuratione, & blasphemiis in Deum damnatos dæmones peccare certum apud Patres, & Theologos est: quare, & eas ex libertate physica agere. Tertio, quidquid ex eis prauis affectibus in Deum nihil sibi honestum, & bonum moraliter posse absolute dæmones operari omnino, est falsum vt constat, ex dictis super contra similem necessitatem non operandi honeste, seu impotentiam physicam bene, & honeste operandi ex odio Dei ortam ex quo apparentius videbatur inferri. Addebat Gabriel dæmones damnatos, semper velle pœna carere, & suam beatitudinem. Sed cum ea efficaciter velle nequeant, cum sciant vtrumque esse sibi impossibile, quod simplici affectu, & complacentia, ea præcise velint, culpa non est, etiam adiuncta. Ægidii ratione: quod beatitudinem, non ex gratiæ auxilio, ac proinde propter se ipsos, & ex sui complacentia, quare curve, & præue dæmones amant. Hæc tamen ratio nos peccare, cum beatitudinem nostram amamus, desideramus spe etiam Theologica ex supernaturali, quoad substantiam gratiæ auxilio speramus: siquidem ex nostri tanquam finis cui complacentia, & concupiscentiæ affectibus illam nobis volumus, in quo nulla est curvitatis affectus deordinatio. Neque enim omnia, ex Dei vt finis, complacentia velle debemus, vt finis; complacentia, velle debemus, vt recte, & ex honestate velimus. Alioqui nulla virtus moralis, imo nec Theologalis, præter charitatem erit admittenda, quæ duo absurdissima sunt. Denique intento toto Ægidii, & Gabrielis hac in re permisso, nihil ad præsentem difficultatem, & conclusionem de physica impotentia Dæmonum damnatorum, ad vllum actum moralis cuiusvis virtutis præstandum conducit: Ecquid enim beatitudinis propriæ amor, quantumvis vitiosus physicæ incompossibilitatis cum actu moralis virtutis habere potest?

4. Quarta etiam ratio pro impotentia hac physica Dæmonum damnatorum bonum quidpiam, simpliciter, & absolute tale, siue positiue, siue omissiue agendi (cui præcipuè Gregorius, & Holcot insistunt) de habitu infuso à Deo eorum voluntatibus, ex quo ad omnis mali moraliter, prosecutionem, & moralis boni fugam, non solum physice, & vehementer, ex parte actus primi impellantur sed prædeterminentur, nullius momenti est, etsi non satis firmiter à nonnullis confutetur. Primo: quia adeo vniuersalis habitus ad omnis boni fugam, & omnis mali, siue omissiui, siue commissiui, & positiui pro quavis occasione prosecutionem, est impossibilis: sed primo vnde eam impossibilitatem ita arguentes probant, poterunt ve probare, si semel admittant (vt plane admittunt) habitus ex parte voluntatis in actu primo impellentes, ac physicæ determinantes illam ad actus prauos eliciendos, & bonos moraliter omnes fugiendos in materia specialis alicuius virtutis infundi à Deo posse? Secundo: Parui, vel potius nihili, Gregorij & Holcot, eorumque rationis refert, siue id: vno vniuersali habitu, siue pluribus à Deo pro virtutum, & vitiorum specifica diuersitate infusis factum admittatur. Secundo impugnat eam rationem Vasq. noster d. 241. c. 2. n. 4. §. *Hæc tamen ratio*: quia intrinseca voluntatis creatæ libertas in actu primo per habitum, quantumvis intense vehementer inclinantem, & impellentem physicè creatam voluntatem, ad actum aliquem, etsi minui possit ad actum oppositum, vel eius omissionem exercendam, nequit tamen auferri, ac prorsus, ex parte actus primi physice impediri; alioqui habitu per actus frequentes, & frequentissimos à nobis adquisito libertas nostra in hac vel illa vitij specie auferretur, vt deinceps in illa peccare non possemus; quod est absurdum: cæterum si ea impugnatio veræ doctrinæ innitatur, quonam pacto Dominicanos Recentiores, Thomistas, eorumque physicam præmotionem seu qualitatem physice prædeterminantem voluntatas creatas ad suos actus ab euersione libertatis Vasquez ipse, & reliqui scholæ societatis nostræ Thomisticæ impugnamus? qua item ratione Patres antiquos hæreticos prædestinatores, & eorum Sectarios Lutheranos, & Caluinistas, eorumque decreta nostrarum actionum prædefinitiua ab eiusdem libertatis euersione Catholici omnes Doctores hactenus impugnarunt, & nunc etiam confutant? facile enim respondebunt, tam physicam prædeterminationem, quam prædestinationem, seu prædefinitionem actus nostræ voluntatis, extrinsecum, quid nostræ voluntati eiusq. intrinsecę libertati æque, atque habitus illos (ac magis extrinsecā prædestinationem & prefinitionem) & aduentitium esse, & quod subinde nequeat voluntatis nostræ libertatem euertere; etsi eam possit imminuere? sed magna æquiuocatione intelligentiæ *intrinsecæ libertatis*, voluntatis creatæ ea doctrina innititur, intrinseca quippe creatæ voluntatis libertas ita intelligi potest, vt ipsi intrinseca essentialiter physicè adæquate sit & quāvis hoc sensu afferri nullo extrinseco, & extraessentiali libertas posset, & aboleri, sed sola eiusdem voluntatis ablatione, & destructione: ast, nec posset, extrinseco alio imminui contra id, quod Vasq. admittit: nullo, siquidem alio rei cuiusq. essentia minui potest. Deinde hoc sensu absoluta, & adæquata libertas voluntati intrinseca non est vt patet: cum cogitatione indifferenti vtriusq. extremi, & decreto etiam Dei præparatiuo concursus ad vtrumvis extremum (quæ extrinseca, & extra essentialia physice voluntati creatæ sunt eius libertas essentialiter constituatur: si autem intrinseca adæquata libertas creata, creatæ voluntati intelligatur: quia quidquid illam constituit, & vltra vo-

luntatem ipſam complet, etſi intra huius eſſentiam phyſicam eſſe non debeat, debet tamen ipſi inhærere, falſum etiam eſt, & ad intentum noſtri Vaſquez inſufficiens. Falſum; quia in eius, & aliorum plurium (quibus non aſſentior) opinione potentiæ vitales animæ, quales ſunt intellectus, & voluntas, & ab anima, & inter ſe ſe phyſicè, & realiter diſtinguuntur, & in ea opinione cogitatio indifferens vtrumque extremum, ad quod libertas eſt intellectus actus eſt, eique non voluntati phyſicè inhæret, ac ſubinde voluntati intrinſeca inhæſiue non eſt; & tamen intrinſece libertatem creatæ voluntatis phyſice eſſentialiter, omnium certiſſima, & euidentiſſima ſententia, conſtituit. Secundo decretum præparatiuum concurſus diuini ad vtrumvis libertatis extremum intrinſece inhærens voluntati creatæ, cuius libertatem eſſentialiter conſtituit, non eſſe de ſe manifeſtum, ac certum omnibus eſt.

5. Quod autem intento noſtri Vaſquez ſit inſufficiens, quo inutile facile probatur: quia habitus ille infuſus à Deo intrinſece voluntatibus Dæmonum damnatorum inhærens à Gregorio, & Holcot aſſeritur, atque eo modo eas, ad omne bonum ſimpliciter omittendum atque malum omne morale, ſiue omiſſiuum, ſiue poſitiuum exercendum phyſice, ex parte actus primi determinans; cum quo phyſica indifferentia in actu primo, ad vtrumvis per intrinſeca inhærentia illius conſtitutiua in actu primo ſtare non poteſt: ſiquidem determinatio ex parte actus primi per habitum intrinſecum, inhæſiue voluntati, eius in actu primo indifferentiæ intrinſecæ inhæſiue contradicit: illud autem abſurdum, quod contra præfatos authores Vaſquez idem inferebat, abſolute non infertur: quia, etſi Deo concedatur potentia producendi habitum vitioſum in voluntate creata, à Deo vehementem, & intenſum, vt voluntatem in actu primo phyſice prædeterminaret, ad actum, non ſtatim voluntati creatæ actibus ſuis repetitis producendi vehementem habitum prædeterminatiuum phyſice ad actus ſimiles concedenda potentia eſt. Secundo à Deo intenſum habitum vitioſum, vel oppoſitum virtutis ex frequentiſſima intenſorum actuum repetitione adquiri à nobis abſolutè poſſe, vt moralem importeretiam ad oppoſitos vitij, aut virtutis actus exercendos nobis ingeneret à pluribus admittitur: vt propterea frequentiſſima, & maxima conſuetudo, altera natura vulgo dicatur, quaſi naturæ in ſuos actus propenſionem, ex parte actus primi, & determinationem phyſicam emuletur: idque (ni amplius quidpiam) Holcot, & Gabrielis, & S. Thomæ ratio tacta, vt minimum probat, cui Vaſquez ſolutio proxime impugnata, non ſatis occurrit, vt ex dictis patet. Denique vti ex parte motionis obiectiuæ, & intentionalis voluntatis noſtræ per cognitionem, & propoſitionem obiecti proſequendi, à Deo poteſt viuida & intenſa eius obiecti cognitio dari, vt vix, ac ne vix quidem obiecto remiſſe, aut remiſſiſſime propoſito attendendo: quare, nec proſequendo libertatem, & poteſtatem in actu primo noſtræ voluntati relinquat (vt Vaſquez præſertim in maiori cogitationis viuacitate congruitatem eius in actu primo conſtituens admittit) quid ni ex parte motionis phyſicæ Vaſquez per habitum (quo mobilem etiam phyſice Vaſquez ipſe, & Doctores plerique voluntatem creatam admittunt) à Deo intenſe, ac vehementer impelli phyſice à Deo voluntas creata abſolutè in obiectum poſſit, vt ab eius proſecutione reſiſtere, & abſiſtere phyſice abſolute ex parte actus primi nequeat? ſcio alios rationem hanc præfatorum Nominalium impugnare: quia habitus vitioſos voluntatis nequeat Deus ſalua, ſanctaque, & recta ſua morali bonitate, & ſanctitate, ſe ſolo, & tanquam particulari cauſa creatis voluntatibus infundere: cum eiuſmodi habitus ad malum morale phyſice inclinationes ſint, (etſi ad illud phyſice non determinent) nec ad aliud de ſe ſe valeant inſeruire. Hæc tamen impugnatio debilis valde eſt.

6. Etenim Deum ſe ſolo, & vt particularem cauſam habitus vitioſos infundere creatæ voluntati citra bonitatis, & ſanctitatis ſuæ iacturam abſolute poſſe, plurium Doctorum primæ claſſis ſententia eſt, quam cum noſtro Vaſquez ſectatur noſter etiam Arriaga cit. d. 25. de Angel. ſect. 6. ſubſect. 1. n. 46. §. *Abſolute reſponderi, quis*, atque in ſententia omnium admittente mobilitatem phyſicam voluntatis creatæ, per habitus ipſi inhærentes certũ mihi eſt. Si enim, qua mobilis intentionaliter per obiecti cognitionem poteſt cognitione obiecti delectabilis prohibiti, ac turpis à Deo vel ſpecierũ immiſſione vel aliter, vt cauſa particulari cauſata in actum prohibitum, & turpe intentionaliter moueri, etſi non ex fine, vt eum actum prauum (cui ſolum eliciendo ea cognitio de ſe, & determinate, etſi non determinanter ſubſeruit) proſequatur, ſed, vt tentationem gloriosè ſuperet, & gloriosius, quo, vel ſpecierum viuidiorum immiſſione, vel aliter viuidior, & efficacior delectabilitatis obiecti prohibiti cognitio immittatur, ſiue ex fine alio puniendi ante acta peccata permiſſione peccati vlterioris donatione auxilij, & cognitionis retrahentis ab eius obiecti proſecutione, & ſufficientis ſolum quod efficax auxilium foret, ſi remiſſior cognitio delectabilitatis obiecti loco intenſioris daretur, cur non ex eiſdem finibus, vel triumphi glorioſioris, phyſicam eam etiam inclinationem auerſionis ab obiecto bono, & proſecutionis mali delectabilis, vt habitus vehementis infuſi creata voluntas ſuperet, vt auxilio Dei ad oppoſita extrema poteſt, vel puniendi ante acta vlterioris peccati permiſſione moueri phyſice à Deo abſque vlla bonitatis, & ſanctitatis iactura non poterit, vel vt à bono auertatur, vel turpe delectabile proſequatur? Impugnatur denique eadem infuſio à Deo vt particulari cauſa habitus vitioſi à multis; quia, etſi inde non inferatur Deum directe, & explicite peccatum amare; illud tamen cauſare, ac ſubinde virtute, & implicite ſaltem velle, quod dedecet plane Dei bonitatem, & ſanctitatem, vitari non poſſit. Hæc tamen impugnatio, eiuſque ſolutiones loco oportuniori adducendæ examinandæque inferius ſunt, dum de obſtinatione Dæmonum damnatorum in malo eiuſq; forma conſtitutiua agamus: ibi enim maiorem vim habet impugnatio quam in difficultate, quam verſamus de eorum impotentia phyſica bene operandi moraliter præciſa: ſiquidem omiſſio boni, cuiuſvis actus virtutis moralis præciſè nuſquam vetro præcepti, peccatum, malumve morale non eſt: quare nulla moralis ſuæ bonitatis, & ſanctitatis indecentia imo multa iuſtitiæ ſuæ laude in male actorum pœnam habitui infuſo Dæmonum voluntati, niſi ij habitus aliunde repugnet, eos ad fugam, & omiſſionem boni cuiuſvis moralis ſui impotes, poſſet prædeterminare, nedum phyſice ad vtrumque præmouere.

7. ſolum ergo præfata ex habitu à Deo infuſo phyſica impotentia Dæmonum damnatorum, quidpiam bonum morale præſtandi impugnati, & vniuerſim poteſt primo ex noſtris principiis: quia voluntas creata mobilis phyſice ab alio non eſt, ſed ſolum à ſeipſa: atqui motio hæc à Deo per habitus infuſos, eſt motio phyſica ab alio: ergo eſt motio voluntati impoſſibilis. Conſequentia eſt certa: nam motio alicuius in eo genere in quo mobile illud non eſt, ſed potius immobile, eſt impoſſibilis. Antecedens probatum ſatis à nobis fuit t. 1. de Deo vno contr. 3. d. 1. quæſtione vltima. Secundo, impugnatur: quia Doctores prædicti, ac habitus infuſione determinationem abſolutam, & antecedentem phyſicam non ſolum ad non operandum bene moraliter in materia virtutis cuius fieri dinatis Dæmonibus aiunt, ſed etiam in materia cuiuſvis virtutis præceptæ: ita, vt impotes phyſice abſolute, & antecedenter, non ſolum ad non exercendum actum bonum in vlla materia virtutis liberum, ac non præceptum, ſed, & ad non exercendum malum, ſiue omiſſione actus præcepti, ſiue admiſſione actus oppoſiti, & prohibiti, pro quavis occaſione occurrente omnino reddat. Hæc autem doctrina (vltra difficultatem aſſignãdi habitus de ſe immediate ad omiſſiones puras phyſice impulſiue) alias continet grauiores difficultates: etenim, vt determinatio hæc abſoluta antecedens phyſica ad malum, & impotentia abſoluta phyſica antecedens ad quodvis bonum habitus, vel habituum infuſione à Deo Dæmonibus damnatis fiat, ſatis non eſt eis habitibus, vt cumq; Dæmones ex parte actus primi, ad fugam boni, cuiuſq; moralis, ſiue poſitiuam, ſiue pure omiſſiuam, & proſecutionẽ cuiuſvis mali moralis, ſiue poſitiue, ſiue omiſſiue, vt cumq; phyſice, ex parte actus primi impelli (quod fieri à Deo medio habitu vitioſo, in communi ſententia, per ſe diximus n. 6.) ſed phyſice ad vtrumq; prædeterminari; alioqui impotentia phyſica abſoluta, & antecedens ad bonum, & ad vitandum, ſeu non agendum malum habitu à Deo iuſuſo, nuſquam damnatis Dæmonibus adeſſet, vt hi DD. volunt, & contendunt: ſi autem antecedens illa phyſica determinatio, ad malum, & impotentia ad bo-

num

num infuso illo habitu Dæmonibus damnatis fiat, nihil libere agent vel omittent nec vnquam in inferno peccabunt contra scripturam Patres & Theologos, vt dicebamus n. 1. vbi euasionem, ex libertate ad indiuiduum hoc prauum præ alio apponendum præclusimus: tum quia in prauis omissionibus actus præcepti locum non habet: tum quia indiuiduum hunc actum præ alio ponere electionis, & arbitrij voluntatis Dæmonum non est: quod autem, simul argumento respondet Arriaga sect 5. subsect. 4. n. 40. §. *Dices hanc solutionem* scilicet damnatis Dæmonib. nullius actus præceptum positum esse, (quod & Vasq. censet cit. d. 241. c. 1. n. 1. §. *Hæc opinio probatur* sub fi.) nec satis, est firmum, nec, si esset verum, esset sufficiens. siquidem præcepta naturalia negatiua omni rationali creaturæ pro statu etiam damnationis, imposita esse (v. g. non oderis Deum, non peccabis) certum est: in his autem impugnatio euasionis de libertate indiuiduationis locum non habet: cum omnia indiuidua actus odij Dei v. g. & similium prohibeantur: quod vero Arriaga ibidem addit ex impotētia antecedente morali damnatorum agendi quidpiam, boni vitandive quidpiam mali præcepto omni exemptos Dæmones, & damnatos reliquos esse quia summa difficultas alicuius præstandi in æstimatione prudente, atque in iure physicæ impotentiæ æquiualet & effectus præstandi physicæ impossibilitati, cuius præceptum nullum esse potest: teneret fors in præceptis humanis, secus in diuinis, quibus quidquid rationalis creatura physice agere, vel non potest itidem Deus absolute præcipere, vel prohibere: multoque minus valet in naturalibus præceptis, quæ physicas & naturales vires rationalis creaturæ attendunt, nec eius etiam morali solum potentiæ adstringuntur. & tandem, si hæc solutio præstaret nunquam, nusquamque damnati peccarent: cum ad nihil agendum, vel non agendum præcepto, vel positiuo, vel naturali tenerentur: quod contra scripturam, Patres, & Theologos dicetur. Denique ex habitu hoc determinante absolute physice & antecedenter ad actum, vel omissionem prauam in damnatos Dæmones à Deo immisso peccati eorum author Deus illum infundens fore videtur, de quo certamine sexto vt diximus.

8. Quinta ratio necessariæ deprauationis cuiusvis actus Dæmonum ex prauo fine, quem sibi primo peccato constituit, & ad quem proinde, quovis alio actu, virtualiter saltem debent necessario respicere: quovis modo à citato Caietano, ac Recentioribus Dominicanis, Thomistis explicetur de Angelis, in viæ etiam statu, ex quo primo peccarunt, & finem, sibi vltimum praue in creatura constituerunt æque ac postea in statu æternæ damnationis: imo, & hominib. viatoribus, ex quo primum etiam mortaliter peccarunt æque probat. quare nec Dæmones, nec homines in statu viæ physice bene operari, aut non praue. & turpiter operari, vbivis operaturi sint, absolute poterunt, sed physicam absolutam impotentiam habebunt: quod, & irrationale, & absurdissimum est: multum enim, siue Dæmonis, siue hominis in via præter primum peccatum fuisse, esseve posse, inde inferretur: cum vlteriores omnes actus eorum praui necessitate absolute physica, & antecedente, quam, & absque physica libertate, & potentia eorum ad oppositum (sine qua praui & inhonesti moraliter actus esse non possunt) omnino proditent. Deinde impugnatur ratione, quia bonitas, aut malitia, ex fine actus primo habiti, nusquam participatur ab aliis posterius habitis, nisi isti, vel formaliter, & expresse (quod in præsenti non euenire aduersarij contingere hic volunt) cum finem, vel respiciant, vel supponant, vt eliciantur, & existant, atque ita in actibus posterioribus voluntas finis actus illius primi virtute censeatur permanere, quia ab illa proxime, vel remote, pendent, & causantur, & immediate, vel mediate alij mediis aliis, quasi concatenati ab illa proueniunt, eique connectuntur: vt patet in electionibus, mediorum, vel proximorum, vel remotiorum, & intentione finis, ex qua electiones illæ promanant: si autem actus plures inconnexi cum finis voluntate sint, ac disparate se cum illo habeant, ex eius finis bonitate honestari, vel malitia vitiari, nullatenus poterunt, vt de se patet: sic autem se habent actus praui vlteriores primo, in Dæmonibus, & damnatis reliquis, aliis specie diuersis virtutibus oppositi, ac proinde vitia specie diuersa sunt, nec fini, & motiuo peccati primi, superbiæ, verbi gratia, subordinati, nec in viæ, nec damnationis statu. Quare & vnusquisque, eorum actuum prauorum suum proprium finem vltimum, ab aliorum actuum fine diuersum in creatura constituit, non aliter, atque primus actus prauus finem vltimum, suum, & proprium in creatura constituisse dicebatur. Nempe quia, quidquid voluntas appetit sub boni ratione appetit, & quidquid fugit sub mali ratione auersatur; quare in eius rationis genericæ boni prosequendi prosecutiui affectus omnes, & auersandi mali omnes affectus auersiui voluntatis conueniunt, siue boni, siue mali moraliter sint, quin inde, vel malitiam, vel bonitatem trahant; sed ex peculiaribus obiectis, & bonis, quæ prosequūtur, & malis, quæ auersantur, & quæ pro specifica eorum diuersitate diuersa sunt, nec vnius affectus specifici propria alterius speciei affectui communia, & connexa, sed solum in ratione illa generica, ex qua conuenientia nec bonitas, nec malitia moralis, nec specifica bonitas, aut malitia desumitur: eóque sane plano sanoque sensu verum habet affectum omnem, voluntatis creatæ participare voluntatem beatitudinis, vt sapienter Vasquez noster 1. 2. tom 1. ad quæstionem 1. articulo 6. & ad quæst. 114. articulo 4 ex Sancto Bonauentura, Scoto, Ricardo, Gabriele, & antiquis aliis: quia affectus omnis voluntatis fertur in assecutionem boni, & carentiam mali generice sumptam, quæ in beatitudine propria, & speciali nostra est atque in quovis speciali bono, quod prosequimur, & malo, quod fugimus, adesse nobis repræsentatur, vt ideo scitè comœdus ille, referente Augustino) omnibus diuersorum adeo studiorum hominibus in theatrum posterā die conuenturis dicturum se quid vnusquisque vellet pollicitus, verissima breuissimaque, & laudatissima ab Sancto Augustino sententia. *Omnes vos cupitis esse beati*, fidem soluerit. Denique Ægidij ratio, quatenus ex parte cum additamento Gabrielis, conclusione secunda, conueniebat reiecta à nobis satis & breuiter fuit numero 3. sub med. in aliis enim bene Ægidius discurrit, vt ex iam dicendis patebit.

CERTAMEN V.

De physica potentia, vel impotentia Dæmonum damnatorum ad bene, simpliciter, & absolute operandum, nostra sententia.

1. NEutri sententiæ relatæ, vel impotentiam absolutam physicam ad actum simpliciter bonum absolute, & vniuersim affigenti, vel vniuersim neganti in bona Theologia possumus assentiri: vti ex his, quibus, vtramque, eorumque fundamenta, disiecimus dispici facile poterit: vt autem ea in recordata Theologia sententia feratur boni simpliciter, & absolute honesti, actus, vel omissionis diuidi debent. Nempe in actus, vel omissiones, quæ sub præcepto sint, & quæ præcepto non subsint: quæ diuisio, quia ab antiquioribus, præmissa, quæstionis huius decisioni non fuit dum vniuersaliter, vel impotentiam affirmant, vel vniuersim negant, & oppositum potentiam physicam absolutam generaliter ad actus omnes absolute bonos moraliter Dæmonibus damnatis concedunt, à vero aberrasse videntur, ac sibi ipsis alibi repugnare; etsi (meo iudicio) re ipsa, neque à vero, neque à se ipsis deficiant: considerarunt enim operationes moraliter honestas præcise, qua tales, quin vt præcepto, legiue subiectas considerarent, qui impotentiam physicam eorum damnatis vniuersim concesserunt, qui vero eam ipsis denegarunt bonis moraliter operationibus, seu omissionibus præcepto subiectis solummodo attenderunt, etsi vtrique ad pauciora, quam deberent, vt omnino difficultatem definirent plane respexerint. Primus in hanc distinctionem incidit

incidit Pater Vasquez supra c.1. n.17. vbi conclusionem communem antiquorum: quam sectatus fuerat c.1. n.2.§. *Plerique vero*, ad ea, quæ nulli præcepta subiacent, limitauit, vt supra enim aduertimus, quem imitati postea sunt Soarez citato libro 8. c.9.num.7. Alarcon cit d.9.c.6.n.6. concl.2.

2. Dico primo: damnati Dæmones potentiam physicam habent ad bonas absolute morales operationes ipsis præcepras, & omissiones prohibitarum: ita præfati proxime Doctores ex antiquis, qui eis ad quodvis bonum morale secundum substantiam naturale cum Scoto concedunt, relati certamine 3.num.6. Probatur 1. quia damnati Dæmones in multis, & continuo, & perpetuo peccant: ergo, & pluribus legibus, aut præceptis seu naturalibus, siue positiuis diuinis, vel creatis aduersantur in multis: consequentia hæc euidens est: cum absque oppositione, lege, aut præcepto peccatum aliquod esse non possit. Antecedens est certum ex scriptura, Patribus, & Theologis, & consequentia irrefragabilis, quare dum consequens eam Arriaga, negat: scilicet operationem vllam præceptam honestam damnatis Dæmonibus, ac reliquis, status eiusdem contra antecedens commune ac prope dogmaticum impegit, & tamen præceptis naturalibus negatiuis, *Non oderis Deum, non mentieris, non peierabis*: ac simul, nequit damnatos liberare in quibus tota argumenti nostri vis excipienda ab ipso erit; sed super hoc satis eius rationes, & euasiones, superius certam. 4. reiecimus: ex eodem antecedente continuorum delictorum Dæmonum perpetuo peccantium æqua legitimitate infertur: ita eos, siue operando prohibitas, siue omittendo bonas operationes præceptas peccare, vt has ex parte actus primi exercere absolute possint, & prauas prohibitas omittere; alioqui, neque ex libertate has omitterent, nec illas operarentur, nec subsiste in alterutro peccarent: ergo in damnatis, & absoluta potentia physica ad agendum honeste quod præcipitur, & omittendum quod prohibetur. Dices ad honestam omissionem prohibiti non probare: cum enim actum prohibitum possint ex fine, & motiuo non honesto imo turpi alio omittere, & ex potestate ad ita omittendum libertas omissionis actus prohibiti saluetur: ex eo, quod illum libere, & præue agant, potestas ad omissionem absolute bonam, & simpliciter honestam, hoc argumento in damnatis vllis non probatur: cum nequeat probari fundamento solido honestam aliquam esse præceptam damnatis: ac deinde potestas absoluta, ad absolute honestam, ac simpliciter bonam omissionem (in qua difficultas tota potestatis Dæmonum absolute ad operationes moraliter absolute bonas excipienda erat, vt diximus) non probetur. Contra tamen est: quia potestas absoluta ad honestam absolute, ac simpliciter bonam moraliter omissionem actus prohibiti, cuius oppositione peccare Dæmones, ac damnati reliqui absolute possint, sufficienter, atque euidenter præfato argumento probatur: vt enim peccare absolute actu prohibito (verbi gratia odio Dei) damnati possint, necessaria est cognitio prohibitionis actus odij, oppositionisque illius, cum præcepto, ac subinde malitiæ moralis eius, qua ab eo eliciendo retrahantur, si velint; alioqui in eius elicientia, non peccarent, nec præcepto prohibenti, cuius ignorantia agerent, realiter formaliter aduersarentur rectoue rationis dictamini contrairent: atqui ex ea cognitione prohibitionis oppositionisque cum præcepto, ac dictamine recto rationis actus odij Dei, possunt absolute ab illo retrahi, & ex eo motiuo illum omittere: quod honestum simpliciter, & absolute bonum moraliter est: ergo ex eo, quod Dæmones, ac reliqui damnati perpetuo actibus prohibitis peccarent, rite, rectéque infertur posse illos absolute, ex honestate morali absolute tali in materia præcepto subiecta sperare, vt conclusione hac prima diximus: esto nunquam (vt superius diximus) vel prohibitis actibus abstineant, vel nunquam, ex honestate absolute tali illos omittant, sed ex alio indifferenti, vel turpi, si velis.

3. Certe, si pura omissio physica, & moralis etiam, ac simpliciter, & absolute bona dari (vt verius puto) absolutè possit, à potentia absoluta Dæmonum ad moraliter bonam simpliciter, & honestam absolute omissionem actus prohibiti, quo de facto peccant, ad potentiam absolutam, eorum operationis præceptæ (si qua est, vt absolute præcepta à Deo esse potest iuxta superius dicta contra Arriagam) cuius omissione peccant, vel possent peccare legitima est, vt diximus consequentia: cum eadem vtrobiq; ratio militet, & vtrobique, si qua in altero occurrere possit difficultas, etiam eadem occurrat in alio eadem etiam doctrina, & solutione euacuanda: sin autem pura omissio voluntatis dari absolute non possit proximius, ac vrgentius forte ad hanc Dæmonum potentiam absolutam honestè, ac bene moraliter positiue operandi illatio premit: cum enim ex cognitione præcepti prohibentis necessario prærequisita, ad peccandum, & oppositione actus prohibiti cum ipso, & dictamine rationis, & honestate potestas absoluta, ad actus prohibiti omissionem ex honestate, & bonitate morali simpliciter tali, ac proinde absolute honestam, & moraliter bonam Dæmonibus fiat: omissio autem pura, & immediata, voluntatis sit impossibilis per se, ac solum sit possibilis, per actum, quo omittendus à voluntate arceatur; sit plane, potestatem illam veram, ac non chimæricam, bonæ moraliter omissionis, & absolute honestæ actus prohibiti esse ad omissionem, eo modo, quo possibilis, omissio illa est, non autem, quomodo est impossibilis: ac proinde non pure, & immediatè ortam à voluntate, sed medio actu positiuo prohibiti contrario, atque elicito, ex motiuis prohibitionis, & oppositionis cum præcepto, & dictamine rationis rectæ, quæ in actu vitando, & omittendo recognoscit: quare positiuus hic actus, prohibitum vitans, eiusque omissionem causans in voluntate, bonus simpliciter, esset primario, & inde secundario prohibiti omissio, vnde potestas voluntatis dæmonum ad honestam absolute omissionem actus prohibiti, quam probabimus n.2. absque potestate ad actum simpliciter honestum, & quidem immediatiori, quam ad omissionem in hac sententia, est impossibilis.

4. Obiicies: Dæmones in quavis occasione omnes, & singuli, cum innumeri sint, peccant, & peccabunt per successuram totam æternitatem, quin eorum aliquis pro aliqua occasione, & duratione non sit peccaturus, & transgressurus præceptum, siue positiuum bonę, & honestæ operationis, siue negatiuum actionis prauæ, & prohibitæ, ergo non est in eis potentia, ad honeste simpliciter, vel omittendum, vel operandum. Probatur consequentia, quia potentia, quæ nusquam, nunquam, ac in nullo, ex infinitis individuis effectum habitura est, chymærica potentia est: concesso antecedenti negatur consequentia: ex qua, vt vidimus, non consequens, sed eius potius contradictorium infertur: ad eius probationem dicito de potentiis naturalibus, & determinatis ad vnum vim habere: secus de potentiis liberis, in quibus effectus omnes contingenter eueniunt, atque vt eueniant de facto non ex sola potestate absoluta sufficienter, & adæquate, per quamvis indifferenter propositi obiecti cognitionem constituta pendet, sed ex eius adæquata, & completa constitutione per cognitionem quæ determinate alterius extremi ex indifferenter propositis, ad quæ potestas indifferens est, habitura effectum sit, & cuius cognitionis, præ alia non habitura eum effectum, sed oppositum ab alterius voluntate, & prouidentia pendet, vt in præsenti. Tunc enim potentiæ absolutæ, quibus velit, quantumvis multis, & fere infinitis de eis cogitationibus prouidere, quæ sufficienter potestatem voluntatis ad vtrumvis constituant, nec tamen alterius determinatæ, nusquam, nunquamque habituræ effectum sint: vt in præsenti iure Deus damnatis Dæmonibus ac reliquis prouidet. Ac pro quavis occasione, & tempore instantiæ finalis vitæ adultis omnibus & pene innumeris reprobis, in quibus instari facile cuum argumentum potest. Obiicis hæc alia ex materia de gratia auxiliante, cum enim nil moraliter adhuc absolute bonum iuxta Vasq. & nostram doctrinam voluntas creata possit absolute absq; Dei gratia exercere, ac nullam vincere tentationem absolute queat: gratiam Dei auxiliatem, qua ipsis potentia absoluta ad honestum voluntatis suæ exercitium damnatis omnibus à Deo concedi videmur admittere: sed quid absurdi, si illud Damasceni supra recitatū, *multa Dæmonibus indulgeat*, scilicet Deus, etiam ad eorum damnationis augendi asseramus. Secundo minimam cogitationis saltem entitatiue sumptum, ac seiunctum ab extrinseco consensu conditionato sub illa (vt seiunctum in re præsente est) ex quo in ratione gratiæ, & beneficij quam magnum est, si donetur

donetur, & solum quasi sufficienter præcise voluntas creata constituatur potens absolute ad honestum absolute, & bonum moraliter exercitium suæ libertatis debitum naturæ vere ipsis esse cum Vasquez & nostra doctrina recte componi potest, vt de gratia auxiliante agentes ostendimus, & id solum minimum dæmonibus damnatis adesse sat est ad potentiam absolutam honesti exercitij constituendam absque vlla auxilij, quoad modum adhuc supernaturalis donatione; sed vt quid inquies numquam se honeste habituris circa materiam præcepto subiectam ea potentia minima cogitatione honesta à Deo facta fuit? an vt peccent? absit, imo vero, vt non peccare absolute possint, & peccati permissione ex iustitia vindicativa, eos puguat, quod absque non peccandi potentia nequit fieri.

5 Dico secundo, ad nullum exercitium honestum, & absolute bonum moraliter, quod præcepto non subest, adest potentia physica absoluta dæmonibus, ac reliquis damnatis & citatis Alarcon. Vasquez, ac reliquorum, quos pro physica impotentia absoluta dæmonum damnatorum, ad simpliciter honestum & bonum morale exercitium voluntatis retulimus cert. 3 n. 7. Probatur conclusio: quia cogitatio honestum exercitium voluntatis representans necessaria ad constitutionem absolute potentiæ voluntatis etiam minima ad id sufficiens, bonum quid damnatorum, & in ordine ad bonos mores procul dubio est, & qua omnes damnati, ob mortalia actualia præsertim (vt dæmones indignos meritissime reddiderunt, ac insuper desperatæ salutis, cui & boni mores, & exercitium, quodcuis honestum voluntatis, eiusmodi cogitatio honesta possent inseruire, illi omnes sunt. Ergo ea etiam minima honesta cogitatione de facto priuantur damnati, sine qua potentiam absolutam ad bonum vllum, & honestum absolute voluntatis exercitium eis non adest. Et hæc quidem ratio nostram conclusionem probat satis, etsi minima hæc honesta cogitatio naturæ iuri rationali cuiusuis creandæ debita esset, & quoad modum etiam, naturalis: siquidem exigentia demeritiua damnati cuiusuis præsertim ob mortale actuale, quo damnatus, viam vitamque terminauit, exigentiæ naturæ à Deo præualeat, vt dixi, cert. 2. numer. 6. Si autem cogitatio honesta, etiam minima, & necessaria ad constitutionem absolutæ potentiæ ad honestum exercitium, & simpliciter bonum voluntatis (tametsi non congrua, nec affectum habitura) damnatis indebita, seu non debita ipsis iure naturæ sit, ac subinde, quoad modum supernaturalis, & Dei gratia vltra, & supra creationis debitum, vrgentior erit præfata conclusionis huius probatio, vt vidimus cert. 2. num. 7. Id autem definire huius loci non est, neque alicubi ab aliis Doctoribus disputatum: sed rationali creaturæ deberi communiter, sine examine suppositum: cum tamen multo examine Theologico discursu, & eruditione egeat, eius definitio, vt ex nostro primo tomo de ente supernaturali controu. de gratia auxiliante satis constat. Quo vero illud, quod in probatione hac diximus (eam scilicet vim præcipue habere in damnatis ob mortalia, actualia, & propriæ voluntatis in se, & de se abusum) respiciat, diximus cert 2 num. 6, sub finem. Nempe ad infantes ob originale solum damnatos, in quibus vrgens adeo ratio non est, vt minima cogitatione honesta effectum, non habitura, atqui à Deo potentia absoluta ad exercitium suarum voluntatum in pœnam originalis priuentur: cum honesta cogitatio ad vsum rectum propriæ voluntatis, vnicuique donetur, & inseruiat, ac proinde iis, qui proprij arbitrij, & voluntatis abusu non pereunt, & damnantur, sed alienæ, nempe Protoparentum, non ita congruum videtur eam cogitationem honestam minimam, nec effectum habitaram statа lege denegari: maxime, si ea iure naturæ, & creationis, rationali creaturę debita sit.

QVÆSTIO II.

De obstinatione, ac obduratione dæmonum, & reliquorum damnatorum in malo.

QVæstionem de obduratione damnatorum dæmonum ac reliquorum in malo à plerisque cum impotentię eorum bene operandi, ac necessitatis in mala operatione perstandi, & insistendi, quæstione confusam, seorsim vtpote valde ab ea diuersam, & ex diuersis principiis (vt mox patebit) decidendam proponimus.

CERTAMEN I.

Obduratio damnatorum in malo in nulla assignate à Doctoribus impotentia physica bene operandi, ac non male operandi.

1 DÆmonum, de reliquorum damnatorum in malo obduratio duplex distinguenda est, vt superius dicebamus. Altera respectu actorum ab ipsis in via peccatorum, ob quæ fuere damnati, & quæ in statu damnationis successiue commiserint, (de quibus eadem ratio est, ac de illis iam duratione anteriori admissis) an, scilicet, ita in eis obdurescant, atque obstinati sint, ex quo primum damnati fuere, & damnati æternitate futura persistent. Quod idem est, atque, an ad impœnitentiam absolute honestam,) ad prauam enim, & aliunde vitiatam impœnitentiam obdurata non esse, certum est, cum pœnitentiam prauam, male à se actorum agant, vt ostendimus supra, eaque pœna sensus non exigua miseris sit) anteactorum peccatorum obstinati, atque obdurati sint, & quoniam eorum obstinatio, & obduratio constituatur. Altera vero obduratio eorum in malo est ad futuras eorum tota æternitate operationes, vt nihil non malum, & turpe sint in quacumque occasione & tempore operaturi. Idque ex ea obstinatione, & obdurationе ad malum operandum, quotiescumque ex instanti primo suæ damnationis operentur: quæ obduratio ad malum ab obdurationе in malo prima diuersa liquido est, vt patet: ac insuper ab obdurationе non operandi deinceps bene, cum hæc bonæ operationis omissionem solum respiciat, illa vero non hanc solum, sed insuper operationem prauam. Est autem aduertendum iuxta hanc obstinationem, & obdurationem damnati cuiusque, ad praue in quacumque occasione operandum, ex quo primo damnati sunt tanquam terminum partialem seu partem termini, ad quem eiusmodi obstinatio & obduratio est, prauam, & vitiatam alicunde pœnitentiam, doloremque de peccatis admissis vbi dolendum de eis sit contineri. Siquidem prauus ille dolor operatio mala posterior peccato futura est, ac proinde, in omnium prauarum deinceps futurarum à damnatis actionum cumulo, & collectione continetur: quare hac ex parte ad secundam obstinationem damnatorum in malo, propriusve loquendo ad malum, quam ad primam obstinationem & obdurationem, proprie, & stricte loquendo in malo, potius pertinere. Denique obseruandum (& quidem maxime pro vtriusque difficultatis decisione, & dilucido examine est: obstinationem, & obdurationem tam in malo, quam ad malum, explicatam longe, ab impotentia physica absoluta euadendi, & abscedendi à malo commisso, & impotentia simili non operandi male, quoties operaturi deinceps damnati sint, valdeque differre. Id constat, primo, ex ipsa terminorum perfecta apprehen-

sione,& explicatione:impotentia enim physica,& absoluta aliquid agendi,vel non agendi impotens absolute physice reddit subiectum,cui inest,nusquam verò ad agendum vel non agendum obstinatum, vel obduratum; alioqui agentia naturalia ad suos naturales affectus,ad quos determinatam, & necessitatam physice potentiam habent efficiendos, obstinata, & obdurata proprietate sermonis, dicerentur,& ad non agendum, ea quæ physice absolute non possunt,seu ad quæ agenda physicam absolutam impotentiam habent, v.g.ignis ad calefaciendum,& ad non frigefaciendum proprie diceretur obstinatus,& obduratus quod absonum est,& ridiculum.Secundò: quia obduratio in aliquo,vel ad aliquid faciendum absq;impotentia physica absoluta abstinendi ab illo,& faciendi oppositum in creatura rationali propriissime reperitur: vt patet,in obduratione,& obstinatione hominum scelestorum in statu viæ,& præcipue in obduratissimo, & obstinatissimo Pharaone ad non dimittendum,sed detinendum populum: ex quo obduratio,& maxima,nobis innotuit dæmoniacæ,& damnatorum æmula,etsi diuturnitate temporalis vitæ, ac firmitate adhæsionis malo minor: immò,si impotentia ex defectu cogitationis necessariæ ad potentiam absolutam physicam voluntatis, ad aliquid sit, obduratio propria esse nequit,quibus prænotatis,ab difficultatis vtriusq; decisionem,& examen pergo.

2. Et circa obdurationem Dæmonum, ac reliquorum damnatorum in malo, propriè & stricte dictam,vt obstinatione ad malum,iuxta dicta, distinguitur,videtur communiter à Doctorib. asseri eam esse in damnatis:dixi autem videtur:quia de vtraq;obstinatione,& obduratione in malo,& ad malum,absque vlla distinctione vtramq; confundendâ loquuntur:nunquid inter obdurationem,& absolutam impotentiam physicam voluntatis abscedendi à malo,in quo est,& abstinendi à malo in deinceps agendis intersit hactenus Scholastici obseruarũt De iis autẽ,quib. obduratio in malo damnatis fiat, eadem etiam indistinctione, seu confusione loquuntur, quin obdurationis in malo proprie & stricte dictę(id est iam admisso,ne ab illo per pœnitentiam honestam abscedant) causas constitutiuas à constitutiuis obdurationis ad malum, seu in malo in deinceps agendis (vt scilicet pro quavis occasione, & tempore, quibus acturi aliquid sint male, & vitiosè operentur)distinguant: quare alij ad defectum præparationis concursus generalis Dei,ex eius parte prærequisiti,alij ad vehementissimum Dei odium damnatis absque vllo ipsorum exercitio libertatis à Deo infuso, alij ad intensum dolorem, & tristitiam ex pœnarum magnitudine necessario in illis subortam,alij ad habitus intensissimos, à Deo etiam eisdem infusos,alij ad vitiosum finem peccati antecacti in aliis successuris per æternitatem, virtute saltem,& implicitè contentum reccurrunt:quos omnes modos multo ex capite,cert.5.confutauimus: etsi prænotata proxime recte penetrentur, difficultati primæ de obduratione, & obstinatione,in malo ante act. explicandæ nequeunt inseruire, atque aliunde in difficultate altera de obdurationepropria ad malum,partim locum non habent, partim vero in terminis implicãt,& praua vlteriora damnatorum opera in Deum,vt causam,& authorem refundunt: vt ex dicendis in nostris conclusionibus patebit.Noster Vasq & Alarcon.minoribus longe incommodis,quam DD.alij obdurationem vtrâmq;damnatorum in malo,ac earum constitutiuas causas designarũt (tametsi,vt DD.reliqui,obdurationem in malo,minus proprie ex parte vsurparint: vbi autem stricta,& propria obdurationis significatione locuti sunt totum eius constitutiuum non dederint, sed eius partem.

3. Dico primò:damnati Dæmones,in malo anteriusiam admisso obdurati propria obdurationis,& obstinationis, acceptione,nec ab eo per honestam absolute, & simpliciter pœnitentiam,ex impotentia physica honestæ pœnitentiæ minime sunt.Probatur facile ex dictis:quia Dæmones habent absolutam physicã impotentiam ad abscedendum à malo {ex cert,2.n.6.& cert.5.n.5.) iam omisso per honestam absolute pœnitentiã,vt constat: ac subinde necessitatem physicã absolutam habent permanendi habitualiter.etsi non actualiter,in illo:idq.ex defectu auxilij sufficientis,& minimi ad absolutam potentiam,simpliciter honestæ pœnitentiæ constituendam necessarii; est quippe is actus à præcepto liber,sicut cæteri ad quos physicam potentiam absolutam vniuersim ead.ratione negauimus cit. cert.5.n.5,atqui impotentia physica aliquid agendi & necessitas physica illud non agendi ex eiusmodi minimi auxilii,& cogitationis necessariæ, ad potentiam physicã absolutam constituendã obduratio proprie dicta non est,vt ostendimus hic n.1.ergò induratio in malo iam commisso ex eiusmodi impotentia in damnatis non est,nec illi sunt in malo commisso proprie obdurati,& obstinati.Dices diuritiem,seu obdurationem corporum(ex qua translatitie,& & metaphorice voluntatis rationalis obduratio dicta est) non deficere ab obdurationis proprietate,ex eo,quod scindi,frangi;corpus physice,& absolute nequeat: imò vero ea maxime,& perfectissime obduratio esset, quæ corpus, cui inest, physice absolute impossibilem excisionis redderet,atq;non subiectum scissioni: ergò nec impotẽtiaphysica voluntatis moraliter,& honestæ pœnitentię de peccato,aut peccatis admissis oberit, vt obduratio in malo, sit propria obduratio in illo.imò ea perfectissima obduratio erit. Respondetur debilissimum argumentum esse, ab eo à quo translatitiè aliud per methaphoram dicitur tale, &, quæ in illo sunt,in eo,ad quod metaphorica locutio trãsfertur debeãt possintve reperiri:tũc enim non metaphoræ esset,sed locutionis proprietas.Ratio est,quia metaphorica trãslatio per similitudinẽ,quæ in omnib.nec esse debet, nec potest,desumitur:sin applica argumẽtũ ad impotentiã physicã agentium naturalium ad effectus suos contrarios efficiendos vt ignis frigiditatem calorive, vt summa proprietate obdurati dici debeant: in agentibus vero liberis impotentibus physice aliquid agere vel non agere præcogitationis defectu,similitudo nulla est cum duritie lapidis adamantis, vel corporis, vt velis durissimi ac physice absolute impotentis scindi,aut emolliri:etenim durities corporis in eo statu,vt ægre, vel physice impossibiliter, vt ais,etiam ictibus cedat ad scissionem,aliisve agentibus,vt emolliatur;non autem in eo,& nullo agente eius scissioné aut emollitionem tentante emolliri scindiue ægre possit, vel potius neutrum pati physice: id enim mollia natura sua corpora omnia habent; quæ nec frangantur, nec emollientur nullo scissionem, emollitionem eorum tentante; ergò voluntatis creatæ duritiei, seu obduratio translatitia, & metaphorica in malo non stat, in eo quod ictibus deficientibus, ac lenimentis ægre, aut impossibiliter,physice diuidi à malo admisso,frãgiue, & absolute bona, & honesta simpliciter pœnitentiã, nequeat,vel absolute emolliri:id enim quantumvis mollis,& ad bonum flexibilis voluntas haberi,si ictus,& lenimenta, quibus opus est,vt ad bonum à malo diuidatur,ac abscedat,accedatque ad bonum,vel emolliatur deficiant: ictus autem isti,ac lenimenta,nil aliud sunt,quam bonæ cogitationes, & honestæ à malo ad bonum retrahentes: quarum etiam in minimo defectus impotentiam illam absolutam physicam voluntatis abscedendi ab admisso malo ad bonam & honestam, simpliciter pœnitentiam damnatis facit, faceretque voluntati cuivis creatæ, quamnimvis molli flexibilique à malo ad bonum, si defectus similis adesset; ergo impotentia absoluta voluntatis abscedendi à malo,ad bonam de eo, ac simpliciter honestam pœnitentiam,ex eo defectu facta obduratio, eius in malo mentiam,ex eo defectu facta obduratio, eius in malo mentiam,ex eo defectu facta obduratio, eius in malo m

est, etsi alterutrum sit, esseve possit bonum, sed præcise ad non ex honestate, & bene, atque absolute honeste, se exercendam, voluntatem. Vnde hanc obdurationem in malo seu ad malum negatione dicere merito possumus. Alterius vero obdurationis in malo, seu ad malum terminus alter est, ad operandum, vel omittendum turpiter, & praue, moraliter, siue contra legem, aut præceptum aliquid, vel prohibens, vel præcipiens: vt supra in simili de potentia, & impotentia absoluta physica damnatorum dæmonum, ac reliquorum, ac necessitate physica ad non operãdũ seu operandũ bene, atque ad operandũ, vel omittendo praue eorum potentiam, vel impotentiam physicam earumq; terminos rectæ methodi, & charitatis doctrinæ causa diuidebamus, & circa primam dæmonum obdurationem, ad malum negatiue, seu non faciendum, aut omittendum aliquid, bene moraliter, seu absolute, ex virtute, & honestate, cum alterutrum licet, per legem, ac præceptum. Certum secundo, ex nuper dictis est, damnatorum dæmonum, ac reliquorum obdurationem in eorum impotentia physica, se bene moraliter, ex virtute, & honestate exercendi minime consistere. Probatio proxime data est pro conclusione prima: quia ex impotentia adest illis ex defectu cogitationis honestæ, adhuc sufficientis, & minime necessariæ ad constituendam absolutam eorum physicam potentiam ad alterutrum bonum absolute, ac simpliciter honestum exercitium suæ voluntatis, vt constat ex cert. 5. n. 5. nequit autem in eiusmodi impotentia consistere, vt ex num. 1. nuper diebamus, & hæc sit secunda conclusio. Iam ad obdurationem male, aut turpiter agendi prohibitas, vel omittendi (quæcumque illæ sint) præceptas operationes, seu actus quotiescumque Dæmones, & damnati reliqui peracturi sint, vel omissuri in materia prohibita, vel præcepta, quæ altera est ad malum obduratio, veniamus.

5. Dico tertio, neque ad hoc malum obduratio dæmonum, & reliquorum damnatorum stat in physica impotentia absoluta ipsorum ad non male, siue positiue siue omissiue agendum seu necessitate physica absoluta contra prohibitionem agendi, vel omittendi contra præceptum. Conclusio hæc nuper facto argumento pro duabus antecedentibus videbitur probari: quia impotentia physica obduratio non est. Verum ratio hæc robur habet, cum impotentia physica proueniat ex defectu cogitationis honestæ etiam minimæ, & necessariæ ad absolutam potentiã constituendam, retrahentis à malo, vel inducentis in bonum, qua deficiente neutrum voluntas absolute physice potest conclusio autem hæc est de omni absoluta impotentia physica voluntatis, non praue agendi, siue omissiue, siue positiue vniuersim, etsi ex defectu cogitationis honestæ non veniat, sed ea etiam adstante aliunde prouenient, siue ex defectu præparationis conuersus Diuini, siue ex odio Dei, vel habitu prauo intensissimo prædeterminante ad malum à Deo infusis independenter à Dæmonum, & damnatorum reliquorum libertate, siue ex physica necessitate operandi de cætero saltem virtualiter ex prauo fine peccati, ob quod fuere damnati & aliis, quibus obdurationem eorum ad praue agendum, vel omittendum in omni alterius occasione Doctores alij cõstituunt, contra quorum nullum præfata ratio præstat. Idcirco contra omnes aliter generalem cõclusionem nostrã probo ex dictis q. 1. cert. 5. n. 2. concluf. 1. damnati omnes habẽt potentiam physicam absolutam antecedentẽ ad nõ peccandum, tam positiue, quam omissiue: ergo non habent necessitatem physicam absolutam, & antecedentem alterutro modo peccandi ac subinde neque in ea stare eorum obduratio ad male alterutro modo agendum. Consequentia est euidens; alioqui ad duplex contradictorium potentiæ, & impotentiæ simul, nec semel, sed præfuturam totam æternitatem in omnibus, & singulis damnatis admittendum cogeris. Antecedens probatum ibi est: quia absque potentia physica indifferente ad peccandum, & non peccandum alterutro modo, siue ad omittendum vel agẽdum prohibitum, seu agẽdum, vel non agendum præceptum, nequit esse potentia absoluta peccandi; cum actio, vel omissio, quæ ex potẽtia ad vnum ex eis determinata & ad illud operantem necessitans ac prędeterminans, à potentia indifferenti, ad vtrũuis extremum, & libera in actu primo nequeat prouenire, quare nec libere procedat: in actione vero, vel omissione quæ libere non procedit, quantumuis contra præceptum, vel prohibitionem fiat, peccatũ non est. Ergo in quocumque est potentia peccandi, seu agendi, quod præcipitur, & non agendi, quod prohibetur, seu ad non peccandum est potentia absoluta ad non peccandum: atqui damnati omnes habent physicam absolutam, & antecedentem ad peccandum imo vero continuo peccant, peccabuntq; tota successura determinate: ergo damnationes habent potentiam physicam absolutam, & antecedentem ad non peccandum seu non agendum, vel omittendum contra prohibitionem, vel præceptum, vt in antecedente primo assumebatur. Hinc constat eos omnes Doctores, qui impotentiam absolutam physicam antecedentem non peccandi, & necessitatem physicam absolutam, & antecedentem peccandi dæmonibus, ac reliquis affingunt in terminis implicare: ac physicam impotentiam, non peccandi, & prædeterminatiuam potentiam ac necessitatem peccandi effectus impossibilis (quæ chimerica solum esse potest) potẽtiam eis affigere. Nec satisfacies, si dicas. Impotentiam illam physicam non peccandi, seu necessitatem peccandi in dæmonibus, & dãnatis aliis non esse peccandi formaliter, & imputatiue ad culpam, quod absque exercita eorum libertate, & ab indifferente potestate voluntatis proueniente esse nequit, sed solum obiectiue peccandi, id est omittendi actum præceptum, & agendi prohibitum, quod ex obiecto prauum est; etsi absq; libertate eueniat. Etenim damnatos dæmones absolute peccare scriptura Patres, & Doctores omnes absolute docent, quod absque libertatis exercitio verum absolute non est ex sola prauitate obiectiua: vt patet, in motibus primo primis, & indeliberatis voluntatis: ergo obiectum turpe, & prauum peccata absolute, nec sunt, nec dici absolute possunt.

6. Secundo probatur in damnatis eiusmodi impotentiam non peccandi, seu necessitatem peccandi physicã per habitus, actũue, vel quod velis aliud simplex, vel ex multis compactum, à Deo tamen independenter abvsu libertatis circa peccati materiam à damnatis exercendæ infusum etsi per impossibile, ea impotentia, & necessitate absoluta, physica, & antecedente posita perstaret ad peccandum sufficiens, ac necessaria libertas, vel absque libertate peccatum nullatenus esse: vel esse posse, quare, neque obdurationem ad peccãdum de cætero, quæ in damnatis est posse in ea impotentia non peccandi, seu necessitate peccandi consistere. Probatur argumento Marsilij supra contra habitus à Deo ita damnatis infusos, eosque necessitãtes physice ad malum, & peccatum. & quidẽ efficacissimo, & euidentissimo, contra quoduis ita à Deo, infusũ, & physice antecedenter determinans eum, cui infunditur ad aliquod exercitiũ prauum: quia eius infusione Deus erit author, & causa peccati, vt contra decretum Caluinianum, & prædeterminatiuum Dominicanorum Thomistarum Recentiorum vrgebamus. tã, cõtrouersia de decreto concurrendi. d. 2. & contra eundem physicam prædeterminationẽ ad materiale peccati ab schola tota Thomistica Iesuitica nostra fidentissime efformatur, at hoc Deum dedecet, & subinde repugnat: ergo & quiduis ita necessitans physice ad peccandum, & impotens reddens subiectum (in præsenti damnatum) non peccandi repugnat. Minoris de se clara. & fide certam veritatem vniuersim ad præsens obscurare, ac infirmare tẽtauit noster Arriaga citata d. 25. sect. 6 subsect. 1. n. 46. §. *Absolute responderet quis*, & n. 47. §. *tertium exemplum*, & §. *Hinc constat*, vbi ob rationes à se datas, vel deprobabiliter abstergi à Deo omnem indecẽtiam ita prædeterminandi de se damnatos ad actiones, vel omissiones prauas existimat; cum tamẽ suarum rationum subtilitas, (futilitas potius alicui forte videatur) plumbea sit & quæ facili pateat obtusioni: sunt enim omnes ab instãtiis & paritate rationis valde disparis. Prima quia si admittitur eo prædeterminãte, & necessitante principio peccati à Deo infuso perstare adhuc libertatem ad peccandũ, abvsui eius tribuitur peccatum, non Deo. Sed quid aliud dicet Thomista recẽtior Dominicanus vel Caluinista, pro suo quisque decreto prædeterminatiuo vel prædeterminatione physica actus praui contra argumentum idem? scerte ex suppositione, quod, eo principio prædeterminante ad prauam omissionem, vel actionem, maneat libertas, vel ablata libertate in eis prauitas (etsi vtrumque implicet) ad exercitium ipsum libertatis prauum, (in quo libertatis modo, nec esse prauum, nec determinari, vt tale exercitium vllum potest) determinabitur à Deo principium prædeterminans, & necessi-

tās ad peccādū infūdetur; quod secus habet in aliis principiis requisitis ad exercitium libertatis ad peccandum, & aliis non requisitis, sed ex parte actus primi à Deo etiam dispositis, & additis (vt de habitibus vitiosis fieri posse diximus) dummodo ad actum, vel omissionem prauam ex parte actus primi non determinent physice, nec necessitent voluntatem: tunc enim, & actus, vel omnissionis, & modi libertatis domina voluntas permanet, ac proinde ipsi imputandum exercitium prauum, & modus libertatis, quo exercetur; secus cum ab alio, Deo scilicet, ex parte actus primi determinatur, seu prædeterminatur voluntas ad vtrumque. Arguit secundo, quia Deus sine vlla indecentia concurrit ad peccatum, quoduis, quia concurrit determinatus à creatura: atque infusione principii determinantis damnatos ad exercitium probum infundit illud, obligatus ac determinatus ab ipsorum peccatis, ob quæ, eos eiusmodi principij determinantis infusione punit. Ergo absque vlla indecentia illud ipsis infundit, rursus habitus vitiosos se solo Deus honestissimè conseruat; quia ex prima sui existentia, & productione (vti permanentia reliqua, exigunt à Deo conseruari, atque proinde eorum existentiæ annuens citra omnem indecentiam, eos conseruat; exigentia autem peccati, vt eo prædeterminante principio damnatus puniatur à Deo, maior, quam exigentia permanentis, vt à Deo conseruetur plane est.

7. Denique condonationis peccati carentia, quæ à solo Deo est, est eius conseruatio habitualis, seu habituale peccatum, in huius, & plurium, recentiorum sententia, quare Deus non condonans peccatum illud conseruat absque vlla indecentia; quia peccator illud primo ponens in eo ipso ponit Deo ius, & exigentiam, condignitatemque, ad carentiam condonationis sui à Deo, siue, vt Deus illud non condonet peccatori: vnde huic illud apponenti, & in ipso eiusmodi condignitatem peccati habitualis conseruatio indecens, non autem Deo non condonanti, tribuitur. Nil tamen instantiolæ istæ præstant. Non prima de concursu Dei ad peccatū: quia eo Deus de se peccantem nullatenus determinat, vt principio illud determinante, à se infuso determinaret, prædeterminaret, ac, vellet nollet, traheret ad peccatum. Sed concursum offert (vt Arriaga ipse ait) indifferenter ad vtrūuis. Ego vero rē Deo decentius explicans dixi, t. 1. controu. 3. d. 3. q. vlt. cert. vlt. Deum non quidem concursum ad peccatum, adhuc indifferenter offerre, sed omnipotentiam suam (quæ tota ex parte Dei actiuitas est) decreto suo voluntati (non secus, atque habitum supernaturalem Fidei, & Charitatis vnione aut inhæsione voluntati creatæ, alligare vt eius & habituum prædictorum actiuitate pro suo arbitrio, ad exercitium bonum, vel prauum vtetur: quod tamen, nec ea omnipotentiæ oblatione, nec suum ad eum concursum simultaneum, adhuc disiunctim, vult, sed voluntati creaturæ permittit, vt circa alterutrum extremum absolute possit libere, & ex arbitrio suo libere se exercere: neque vlterius, vt simultanee concurrat ad peccatum, seu prauam actionem determinate voluntate seu decreto aliquo, ex quo proxime, & immediate concursus ab omnipotentia prouenial vult, aut amat, sed vult ab inuito à creata voluntate (cuius arbitrio omnipotentiam decreto anteriori præfato ligauerat, ac subdiderat) extorquetur. Quid inde paritatis ad infusionem à Deo principii physice prædeterminantis voluntatem ad actum prauum? multum inquit; quia, sicut ex determinatione creatæ voluntatis concurrit; ita ex determinatione eiusdē in anteacto peccato ex quo ius Deo ad puniendum peccatorem quasi determinatus, obligatusque Deus principium physice determinans eum ad peccādum infundit. Huic dignitati peccati; ad pœnam, & iuri Dei ad illam infligendam peccatori instantiæ præfatæ innituntur; sed quid rursus inquiro paritatis est, vt à causatione peccati ad quod ipse physice, atque à peccatore irresistibiliter, principio infuso, prædeterminat excusetur Deus (quo velis titulo, motiuo, aut fine illud infundat) ex eo, quod ad illud ipsum peccatum, & actum prauum creaturæ non eam determinans, nec volens, sed ab ea potius determinatus, & quantum ex parte sua nolens physice concurrat? secundo causatio peccati, quæ ex principii determinantis infusione tribuenda Deo dicitur, non est peccati anterioris, in cuius pœnam infligitur, sed vlterioris, ex eo principio infuso, & ad illud prædeterminante futuri: nec est quæstio de motiuo, & occasione, & à quo data sit, id enim ad causationem, vel non causationem peccati vlterioris est omnino impertinens: Pendet siquidem peccati causatio, vel non causatio à causa determinante vel non determinante peccatorē ad illud principiū autē illud infusū à Deo, ex quouis motiuo anterius præstito, vel nō præstito à creatura, proxime prædeterminat peccatorem, ad illud peccatum vlterius, ac Deus de se illud infundens, per illud, eum ad idem peccatum media determinat, ac prædeterminat: ergo causatio illius peccati vlterioris proprie ab illo principio infuso proxime est, & à Deo remote: ac proinde Deus absolute, & proprie causa peccati illius est quin peccatoris demeritum motiuumque apponentis, vt sic à Deo puniatur, indecentiam inexcusabilis causationis proprię, & absolutę vlterioris peccati, eiusmodi principio ad illud infuso; etsi in peccati anterioris pœnam possit à Deo auerteri; id autem dictu est nefas. Primo, quia, cum in originali dignitas similis adsit, simili pœna infusionis principij prædeterminantis ad actum alium omnium nostrorum Deum, vltra indecentiam omnem, causam, & authorem propriæ, & absolute esse posse diceretur. Secundo: quia, cum ius supremi dominij in creaturas omnes absolutum, nec minus, nec debilius in Deo sit, quamuis vindictæ in peccatores eo solo, nullaque peccati occasione, & dignitate Deo oblata, cuiusuis peccati creaturæ causatio. Per principij prædeterminantis ad illud titulo supremi illius dominij infusionem ab omni indecentia in Deo purificaretur.

8 Tertio, Deum esse causam, & authorem peccati non esse, imo neque esse absolute, posse, ex scriptura, Patribus, & Conciliis dogma fidei est, ob intrinsecam eius causationis peccati indecentiam, & turpitudinem; quæ nulla motiui, aut finis bonitate possit purgari; cum tamen Patribus, & conciliis, & Deo scripturæ authori præfata motiua, & fines aliaque plurima essent nota: imo ab hæreticis (contra quos dogma editum, ac petitum est in sui erroris defensionem proposita, & à Patribus, & Catholicis omnibus neglecta. Ad hæc secunda instantia de habituum vitiosorum, prauis actibus peccatoris adquisitorū conseruatione à solo Deo admissa, si prædeterminatiue physice ad prauos actus similes essent, vt vere non sint, difficultatem non emolliret, sed eandem contineret; cum autē prædeterminatiui non sint, nec habet instātia paritatem. Postremum, de conseruatione peccati habitualis per carentiam puræ condonationis, ne ex parte quidem verum habet, quod paritas supponit. Peccati siquidem prāteriti macula pura Dei condonatione extrinseca non solum de facto non elicitur, vt dogma Tridentini contra hæreticos proximi sæculi est, sed nec elici pura Dei condonatione extrinseca absolute, adhuc diuinitus, potest. Imo, si de macula habituali peccati actualis propria peccatoris voluntate commissi, absque actuali peccatoris retractatione, fors (vt Sotus docte aduertit) ne per habitus quidem gratiæ solius infusionem elui absolute valet, nisi vt in adultis, semper, & connaturaliter fit, attritione in sacramento pœnitentiæ vel contritione interueniēte infundatur: de quo fusiori, & subtiliori disputatione, quam hactenus agimus, t. 1. de ente supernat. d. de gratiā formaliter sanctificante. Vnde ex falso exemplo, & impossibili male contra nos, & inutiliter instatur, vt autem instantiæ huius à paritate, debilitas amplius, clariusque innotescat, demus condonatione extrinseca pura Dei posse ex parte maculam peccati habitualem à peccatore aboleri, etsi aboleri attritione, vel cōtritione extra sacramentū, à peccatore ipso possit, vt catholice admittendū necessario est, ergo conseruatio maculæ habitualis non carentiæ condonationis indebitæ, seu Deo non condonanti, quod condonare non debet, sed peccatori non se perfecte, vel imperfecte conuerenti intra, vel extra sacramentum tribuenda est: siquidem posita carentia puræ condonationis diuinæ, vt de facto in iustificatione omni peccatoris adulti ponitur, eius tamen contritione vel attritione in Sacramēto macula illa habitualis à peccatore detergeretur. Huic ergo, qui maculā habitualē tempore sequenti, peccati, & maculæ actualis apositione in tempore antecedente posuit, deinceps; non retractat, eius conseruatio tribuēda est, non Deo, qui nec maculam actualem (ex cuius influxu moralī pro toto sequenti tempore, quo retractatio, non adfit, habitualis eius conseruatio, etsi condonatio Dei absit, dimanat) ponit nec

nec positam à peccatore destruere debet, & condonare: denique maculæ habitualis conseruatio nil malitiæ addit supra actualem tempore anteriori à peccatore admissam (dummodo confessionis, aut contritionis de peccato admisso præceptum absit, cuius violatione peccati admissi conseruatio notum aliud actuale peccatum esset, non autem malitiam, seu maculam habitualem augeret) ac non retractatum. Dato ergo maculam peccati habitualem negatione condonationis conseruari, causamq; conseruatiue à Deo, vide quantæ efficaciæ, vel potius, quam contemnendæ inefficaciæ sit: Deus potest causare maculam habitualem peccati quæ (qua habitualis est) nil malitiæ, præter primo positam à peccatore, vbi primo peccatum fuit, habet: ergo potest causare peccatum, actuale, seu primam peccati positionem in qua tota peccati malitia est, & causatur.

CERTAMEN II.

Aliis reiectis nostra de obduratione Dæmonum, & aliorum damnatorum in malo, & ad malum negatiue, & positiue conclusio prima proposita, & asserta.

1 IAm ad alios Doctores, qui obdurationem, & obstinationem Dæmonum, & aliorum damnatorum in malo, & ad malum negatiue (seu non faciendum quidquam boni moraliter, & honestum) vel positiue malum, siue agendi malum turpe, & inhonestum, quotiescumque in materia præcepto legiue acturi aliquid, vel omissuri sint, in physica impotentia, bene, & honeste agendi, vel non male operandi non constituunt veniendum est. Noster Vasquez d. 239. c. 7. & d 241. c. 4. num 16. & 17. & Alarcon d 9. c. 6. & reliqui Vasquianæ scholæ. Peccatores (tametsi quæstionem de impotentia physica bene operandi, & non male operandi cum hac de obduratione confundant, atque ex eisdem principiis definiant) asserunt: obdurationem stare in denegatione auxilii congrui, vt nec à malo admisso abscedant, nec bonum moraliter, siue positiue, siue omissiue operentur vel non operentur, praue idque ex stata lege status illius. Pro hac sententia, cit. c 7. refert. Antisiodorensem, Albertum, Bonauentur. Richardum, Durandum, Scotum, Gregor. Bassolic. Maiorem, Gabrielem, & Oxamum: qui obdurationem hanc in defectu gratiæ auxiliantis refundunt. An vero hi veteres in denegationem solius gratiæ congruæ, an etiam sufficientis refundant ipse non explicat: imo, nec suam ibi mentem, quoad hoc, satis ibi Vasquez aperuit; etsi de congruo auxilio se loqui aliquatenus insinuet, & d. 2 q. 1. c. 4. n 16. & 17. clare significet. Est autem aduertendum circa hanc eius sententiam: ita in denegatione auxilii, & gratiæ congruæ Dæmonum obdurationis in malo, *vnicam, & propriam causam* (eius sunt verba cit. c. 7. §. *in hac difficultate*: initio) ab illo constituit, vt ex parte Dæmonum damnatorum animum obfirmatum peccandi non excludat: solumq; velit defectu gratiæ congruæ, quæ obduratio illa, quæ ex parte Dæmonum est, emolliri posset, actum effectu emolliretur, quatenus ex parte Dei etiam est, compleri, & in absolutam eorum obdurationem, & obstinationem euadere: ita enim citatorum veterum sententiam hanc, quam sequitur §. eodem versus med. explicuit. *Loquuntur autem de obstinatione Dæmonum, non quatenus consistit in animo obstinato peccandi (huius enim propria causa ipsi sunt, nec Deus causa illius propria esse potest) sed de statu ipsorum inflexibili & impotentia resumendi bona voluntatem*, quæ ad verbum transcripsi, vt appareat primo: ex minus intellecta eius sententia illum à Recentioribus irrito impugnari. Secundo: quo iure nos de ipso, & reliquis Doctoribus dixerimus quæstionem hanc de obduratione in malo cum quæstione de impotentia physica operandi bonum, & non operandi malum confudisse, vt ex postremis verbis claret & ex citato proxime Alarcone numero 13. & §. *Tandem poterat quis*, & numero 14. §. *sicut ergo Deus*, in decreto voluntatis Dei non concurrendi cum Dæmonibus ad honum quidpiam morale, sed solum ad malum cum aliis Doctoribus, quos retulimus supra quæstione prima, certamine 3. numero septimo obdurationem hanc constituente.

2. Contra hanc sententiam multus est Soarius toto fere c. 9. Primo: quia Dæmones damnati naturalibus seu eorum naturæ debitis, non priuantur à Deo in peccatorum, ob quæ damnantur pœnam: auxilia autem & cogitationes honestæ ad bonum morale, & naturale saltem, quoad substantiam, iure naturæ creaturæ cuiuis creaturæ rationali, quare, & damnatis Dæmonibus debentur: ergo, sed maior iuxta ipsum Soar. eodem cap. vniuersaliter vera non est. Ait enim multis naturalibus, & naturæ iure debitis in pœnam peccati pro statu damnationis, priuari etiam connaturalissimo, ac debitissimo concursu Dei ad bonum, vt vidimus q. 1 cert. 3. numero 7. Minor de auxilio congruo falsa est, vt supra, & fusè aliàs ostendimus, quin probari oppositum possit, etsi constitutio potentiæ absolutæ & simpliciter talis ad opus bonum morale per honestam cogitationem essentialiter constituenda, iure naturæ debita cuivis rationali creaturæ admittatur: siquidem entitas cogitationis honestæ, & minimæ quidem, ad potentiam eiusmodi absolute talem essentialiter requiretur: non autem eius congruitas, aut minima maior intentio. Secundo opponit: cum Dæmonibus iure naturæ cogitationes honestæ debeantur, eis illos priuans Deus peccatorum, quæ ex earum denegatione Dæmones omittunt, author. & causa erit. Negant cogitationes honestas congruas Dæmonibus deberi; sed eo admisso, illatio non tenet: datis enim sufficientibus possunt absolute Dæmones pro suo arbitrio non operari male, nec in malo persistere: quare voluntatis & libertatis suæ arbitrio peccant, non Dei, qui dedit, quo bene operari, ac non operari male absolute possent, etsi alias etiam debita naturaliter, quibus de facto non peccarent, denegauerit. Alioqui omnium peccatorum nostrorum, & Angelorum in via causa Deus, & author erit: quod est erroneum, eum nullum, nisi denegato auxilio, congruo datoque sufficienti, vt vitaretur eueniret, & æquum ius naturale ad auxilia congrua omni rationali creaturæ, & pro statu quovis competat, vel non competat; ni velis in statu damnationis amplius, & specialius ius naturale ad auxilia congrua illis competere, vt exsibileris: solum ergo denegatione auxilij congrui in statu vtroque rationalis creaturæ peccatum, Deus permittit: Instat, Dæmonibus, & damnatis reliquis stata (vt Vasq. ait) lege generali pro eo statu damnationis auxilia congrua denegare ex quo alio fine potest Deus, nisi, vt peccent? ergo non solum permissiue, sed & intentiue se habet Deus erga Dæmonum, & aliorum damnatorum peccata. Respondeo negando antecedens: quia ex fine vtendi suo iure, & dominio creaturarum, præstantiori, longe quam ius quodvis naturale ipsarum, & maxime auxiliorum, & honestarum cogitationum congruarum (quas indebitas, & supernaturales quoad modum esse, verius est) eas denegat viatoribus, cum peccant, quin eorum peccata intendat; in damnatis vero vlterior, est finis eos stata etiam lege pro eo statu denegatione congruarum cogitationum puniendi; est quippe status ille supplicio, non largitati, & vberiori Dei (quæ in congruæ cogitationis honestæ donatione abs dubio foret) misericordiæ, & gratiæ destinatus. Ecce duos honestissimos fines, quos Deus generali illa lege denegationis potuit intendere, intenditque, quin eius intentio ad peccatum ex auxilii congrui denegatione futurum progederetur.

3. Opponit tertio Soar. iuxta hanc Vasquez doctrinam obdurationem hanc Dæmonum, & aliorum damnatorum ab obduratione reproborum hominum viatorum, quibus vel cui pro libito, Deus decerneret negare auxilium congruum, non solum ad finalem pœnitentiam, sed ad quodvis bonum opus morale distingui non posse; cum tamen, omnium sententia, valde diuersa sit: obiectionem hanc præoccupasse videtur, & satis (ex indicio discipuli Alarc. proxime n. 9.) Vasq. ipse d. 241. c. 4. n. 17. aiens, damnatis Dei decretum, denegandi auxilia congrua omnia, & per-

petuo ad quodvis moraliter bonum opus & absolute honestum innotescere : vnde eis spes omnis illud obtinendi, & bene pœnitendi, honestumve quidquam, aut non absolute malum operandi prorsus occluditur; secus viatoribus illis reprobis quibus auxilia congrua, non solum ad pœnitentiam finalem, sed ad quodvis bonum morale, toto etiam viæ tempore denegare Deus decerneret : cum eis decretum hoc reuelatum non esset sed ignotum. Addit Alarcon. aliud discrimen de suo quod, scilicet, damnatis nil vtra minimum auxilij, & cogitationis honestæ, sufficientis, ad bene, & ad non male operandum à Deo donetur, cum congrua denegatur ; viatoribus vero intra sufficientes congruis denegatis, intensiores valde minimo cogitationes honestæ donentur. Hæc tamen omnia vim impugnationis (si quam habeat) minime debilitant. Alarconis additum diuersæ largitati Dei erga reprobos viatores, quam erga damnatos ostendendæ non obiectioni solvendæ seruit. Nec Vasquez illud de reuelatione decreti damnatis, non viatoribus, ad hanc obiectionem de obdurationis vtrorumque æqualitate adduxit) quod solum potentiæ, vel impotentiæ sperandi, non autem obdurationis in malo differentiæ subseruit) sed ad status vtrorumque diuersitatem aliam designandam : & obdurationi solum, quatenus stata lege decreto denegandi in eo statu damnationis damnatis singulis, & omnibus congrua omnia ad auxilia, & cogitationes effectum habituras eorum obduratio, & obstinatio in malo compleatur ; secus viatoribus pro statu viæ, quibus auxilia congrua denegantur : tum, quia non omnibus viatoribus, nec omnia ad honestum omne, pro omni occasione : quare, nec stata lege pro viæ statu, sed pro occasione aliqua, & ad opus aliquod v. g. pœnitentiæ, vel victoriæ tentationis grauis ad viæ extremum, si antea, non peccauerint : nec semper obduratis corde, atque ex parte sui obduratis, & obstinatis viatoribus : neque enim reprobi viatores obstinati ex parte sua sunt, aut erunt) vt obduratio supponatur : eorum ex parte sui necessaria supponenda, vt congrui auxilij, & cogitationis honestæ denegatione iuxta recitata Vasquez verba compleatur, & hac nostri Vasquez doctrina euanescit tertia hæc obiectio : & alia, quam euidentem vocat Arriag. sect. 4. subsect. 3. numero 35. §. *Si vero dicatur*, contra solutionem ad argumentum, quo Vasquium etiam insectatur num. 34. §. *Quarto : quia, vel ante decretum* iis, qui in scholæ nostræ principiis discurrunt, minime memorandum, quod Patres, & Theologi communiter doceant, quasi ex vniuersalibus principiis communibus inferno, & statui damnationis non futura bona opera, nec ibi propter ea videnda, cum tamen per scientiam mediam æque videantur ibi futura bona opera damnatorum, atque reproborum in via. Bona æquiuocatio, de non futuritione absoluta bonorum operum in statu damnationis ex generali principio illius status Patres, & Theologi merito aiunt, & cum ipsis Vasquez, dum stato decreto Dei, & lege generali pro illo statu cunctisque in illo contentis, & continendis denegandi auxilia, & cogitationes congruas ad quodvis agendum honestum, turpeve fugiendum, nullum bonum morale, in eo statu absolute futurum præsciendumve vsquam esse doceat, & conuincat. Quid contra hanc doctrinam ex futuritione conditionata bonorum operum, in eo statu & scientia media de conditionate futuris : & quorsum ea conditionata futuritio, & scientia ad præsens mouentur ? Aliud quod contra hanc doctrinam opponit Arriaga, de prima cogitatione Angelorum, eiusque electione ab ipsis naturaliter, disiecimus quæstione 1. certamine 2. numero 9.

4. Soarius post tam longam cum Vasquez concertationem toto illo c. 9. & cum aliorum sententiis c. 10. & tam multis prænotatis demum tradit c. 11. n. 22. & 23. cius sententiæ adhæsit docens : Dæmonum damnatorum ob durationem, & obstinationem, in malo vel admisso, vel admittendo stare in maxima quadam, & moraliter insuperabili, nunquámque eis superanda, difficultate absistendi à malo in absolute bonum moraliter, seu non turpiter, & inhoneste operandi quæ, etsi non physica moralis tamen bene operandi, impotentia & mali operandi necessitas sit. Ad eum modum, quo de impotentia morali viatorum venialia omnia vitandi (B. Virginem excipio) & morali necessitate, aliqua venialia incurrendi, & de inueterato peccatore in vitio aliquo, vel aliquibus, graui in eisdem materiis tentationi impotem moraliter resistendi, & cedendi denuo, moraliter necessitatum esse Theologi omnes ex quotidiano experimento nos docent. Hanc vero moralem impotentiam, ad bonum, & ad malum necessitatem multo ex capite prouenire ait : ex pœnarum atrocitate, & perpetuitate, quibus peccatorum vindex Deo, & æternæ gloriæ priuatione (de qua maxime dolent) pro meritis cruciantur, atque æternum cruciabuntur ; à neutro autem diuerti Dæmonum, & damnatorum attentionem mali magnitudo inexplicabilis, & perpetuitatis adeo continua intimatio, permittit : quæ omnia congruis auxiliis, quibus tot malis patienter obsisterent, destitutos etiam Dæmones in Dei odium, rabiem, desperationem, sui moraliter impotes agunt, ac subinde in bonorum omnium, quæ Deo placerent, efficacem auersionem, & praui cuiusque actus, & affectus, seu omissionis prosecutionem. Hanc Soarij sententiam summatim relatam sequitur molestus alter Vasq. impugnator Arriag. sect. 6. subsect. 3. sed quis non videat (vt de Soario obseruat Alarcon. vbi proxime n. 11.) vtrumque, post tot cum Vasquio rixas illi concordasse ? ipse enim nihil horum incitamentorum, & motiuorum, ob quæ, & malis affectibus Dæmones insistant, nec à malo ad bonum abscedant, abscedereve morali impotentia possint, negauit vsquam, sed plane admittit, & ex parte sua his, aliisque causis esse in malo obdurato, ac cordis sui duritiem apponere : solumque ait, denegatione congruarum cogitationum honestarum, seu vocationum, & auxiliorum efficacium adeo in absolutam obdurationem compleri : vt compleri à Deo absolute in scriptura non alio, neque aliter dicitur : *Ego indurabo cor Pharaonis*, & aliorum alibi frequenter, de quo his authoribus tota contra Vasquez lis erat : iam admittunt denegationem cogitationis congruæ à Deo partem esse eius obdurationis seu moralis impotentiæ constituendæ : & quamvis Arriag. vocem congruæ, & efficacis vocationis, vitet ibidem n. 56. §. *Primo enim*, extraordinariæque, & fortioris vocibus vtatur, quæ communes, & minimas excedat, ni congruas admittat, nil docet.

5. Cum enim cogitationes minimæ necessariæ ad absolutam physicam potentiam constituendam æquè entitatis non sint pro omnibus voluntatibus, & longe remissiores facilibus, promptioribusque ad bonum voluntatibus, & ad malum difficilibus potentiam physicam, ad bonum, & fugam à malo constituant, quam, & bono auersis, ac valde propensis ad malum obduratas, & propensissimas ad malum, atque à bono auersissimas Dæmonum voluntates, physice & absolute potentes ad bonum, & ad auersionem à malo Deus constituat, extraordinariis, ac non communibus entitatiue sed fortibus, & valde intensis opus habebit : maxime cum adeo turbatos, cruciatibus Dæmones, & pœnæ suæ attentos dicas, vt vix cogitationi honestæ, & ad bonum possint attendere, eamve percipere : qui enim alio valde adeo distracti sunt, validius, & fortiori egent vocatione, vt aliud quidpiam percipiant : cum ergo Dei vocatione ad bonum, & auertente à malo potentia absoluta physica ad vtrumque Dæmonum in opposita propensissimorum, alióque omnino distractorum constituta per te sit dubio procul intensa, & valde forti entitatiue, ac extraordinaria, nec aliis suauioribus & ad bonum facilioribus ingeniis, neque alio totis distractis sufficiente, vocatione eos Deus vocat : ac subinde eorum in malo obduratio, seu moralis impotentia ad bonum in fortioris, & extraordinariæ entitatiue vocationis denegatione à Deo partialiter adhuc, nequit cõsistere. Ad hæc pœnarum, & cruciatuum magnitudo ipsa, æque viuidam, & intensam cogitationem malitiæ peccati, ob quod infligitur excitat, de se æque ad pœnitentiam de illo, atque ad odium vindicis Dei inducentem : imò vero inde Dæmonum ex ipsis obduratio, vel maxime expenditur : quod tot, tantisque suppliciis ob peccatum attritis ab eo non resipiscant, sed in dies magis in malo obdurescant : vti de tot plagis afflictis Pharaonis induratione Patres, & interpretes expendunt : ergo in denegatione intensæ, fortis, & extraordinariæ vocationis, & cogitationis obduratio non stat, sed in denegatione congruitatis, & efficaciæ vocationis, qua à Deo vocantur ad bonum, atque à malo, quatenus per Deum est, retrahuntur, & ratione cuius congruitatis extraordinariæ, nec communes vocationes

tiones essent, sed prouidentiæ, ac beneficientiæ, specialis, qua meritissime vti erga damnatos non vult Deus. Secundò: id necessario ab his DD. admittendum exempla impotentiæ moralis vitandi omnia venialia, & inueterati peccatoris ad grauem tentationem vitandam (quibus impotentiam moralem, seu obdurationem Dæmonum in malo explicant, & confirmant) satis demonstrant: ea siquidem tales sunt; quia, tam communis viatoribus auxilia congrua, ad non peccandum venialiter in occasione vlla quâ inueterato peccatori ad resistendum, graui tentationi desunt: quæ, si adessent proculdubio neutri impotes moraliter essent, sed physicè, & moraliter etiam, potentes essent: vti, & Dæmones ad bonum, & ad abscedendum, abstinendumq; à malo, ni eis auxilia congrua pro omni occasione adeo pro statu damnationis priuarentur. conueniunt ergo & necessario consentiunt hi DD. Vasquio, quem toto conatu refellere contendunt; ipse vero iure ab eis dissentit, quod absolute in morali impotentia præfata, quam in damnatis Dæmonibus recognoscit eorum obdurationem non constituit: potest enim moralis impotentia ad prædicta dari, quin detur eorum in prædictis obduratio propria, vt ex dicendis clarebit.

6. *Dico primo*: obduratio omnis Dæmonum in malo voluntariam adhæsionem affectiuam ad malum negatiue, seu non bonum, siue positiue malum, id est exercitium prauum voluntatis, si vlterius aliquid agendum, vel omittendum est, vel in admisso malo persistendum essentialiter includit. Huic conclusioni expresse consensit Vasquez vti ex eius verbis recitatis claret: ex antiquis, expresse etiam Henric. quodlibet. 3. q. 11. alios quosdam referens: à quorum rationibus abhorret: aliam de suo afferens, non meliorem, vt videre est apud Vasq. d. 239. c. 6. à quarum, idcircò impugnatione facili abstineo: est tamen contra omnes qui in aliquo à Deo independenter ab arbitrio Dæmonum, eiusque vsu, infuso obdurationem eam supra constituebant; etiam in habitu non physice prædeterminante ad mali prosecutionem, & auersionem à bono sed vehementer ad vtrumque impellente voluntatem, & moralem impotentiam ad opposita, ex parte actus primi inducente (vt fieri à Deo posse diximus) dummodo independenter à prauo, obdurati, & libertatis suæ vsu à Deo solo fiat. Probatur conclusio: primo ex scriptura frequenter enim à Prophetis, Euangelio, Paulo, & Apostolis in suis epistolis cordis peccatoris durities, seu obduratio specialiter reprehenditur, atque ipsi exprobratur, vitioque vertitur: id quod immerito fieret, ni obduratio mixtum aliquid voluntarij, & praui vsus arbitrij peccatoris haberet, sola; à Deo independenter à peccatoris arbitrio infunderetur, ac fieret. Antecedens (vt alia mittam) constat ex Matthæo c. 19. n. 8. Marco c. 10. n. 5. c. 16. n. 14. ad Rom. 2. Dices satis voluntarij, ac liberi peccatori ad mixtum in eius duritie, & obdurationem, per quidvis à Deo solo infusum facta, si ob antecedens delictum peccatoris in pœnam (vti Dæmonibus, & damnatis reliquis) fiat. Sed tamen, si nihil aliud libertatis obdurati eius obduratio, quatenus ex ipso est, requireret, obduratus, quicunque peccat grauiter, ex parte sua esset, atque merito ei duritiei exprobraretur: cum quidquid abusus liberi arbitrij est, ob quod duricies vndecumque deinde ipsi adueniens, exprobretur, in abusu peccatoris, grauiter peccantis inueniatur; hæc autem non ita est, sed aliquid aliud est, præter abusum libertatis in actuali peccato graui (quidquid illud sit) quod vlterius obdurato peccatori exprobratur dum eius duricies, & in malo obduratio reprehenditur. Quare, & alius libertatis abusus maior, quam ad peccatum graue requiratur admixtus in obdurationem peccatoris est, cum ob duritiem merito, deprehenditur. An cuivis graui peccatori obiici illud merito specialiter poterit, quod Stephanus acto 7. n. 51. Scribis, Pharisæis, & legis Doctoribus in Synagoga congregatis opposuit. *Duræ ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri ita, & nos?* Quod si ex obdurationem independenter à maiori libertatis abusu, quam ad peccatum graue à Deo immissa illis opponeretur, facile responderent de abusu libertatis in peccando reprehendi merito, secus de obdurationem. quæ ipsis pœna à Deo immissa est, non autem vlterior vsus arbitrij prauus, aut maior eo, qui ea obdurationem in ipsis punitur: idem probant illa Pauli ad Romanos 2. n. 5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitès cor thesaurizas tibi iram* & non autem Deus tibi; & illa num. 8. *iis autem, qui sunt, ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio*: vbi non solum malus vsus in non credendo veritati, nec prosequendo bono, & acquiescendo iniquitati, sed contentiosè, & animi contentione, Hispane *terquedad, y porfia* siue contentio in eis agendis malis durities cordis appellatur, eique ira, & indignatio Dei maior respondere specialiter in pœnam dicitur, & *Iudæo primum*, qui ex contentione, & obdurationem peccat, deinde *Græco*, id est, gentili, qui non contentiosè ex obdurationem cordis delinquit: sicuti, & virtutis, ac fidei laus Iudæo primum, quia contra, obdurationem, quasi hæreditariâ cordis, veritati obsequitur, contentio autem animi quæ, obduratio à Paulo nominatur, & obstinatio, obdurationis synonima vox, adhæsionem propriam animi, & voluntatis, cuiusq; voluntatis, & liberè firmam & permanentem significatus proprietate significat, non autem ab alio, ex quovis motiuo inductam.

CERTAMEN III.

Amplior obdurationis voluntariæ explicatio, & conclusiones reliquæ.

1. SEd explicandum amplius iam est quid ea obduratio voluntaria ex parte obdurati vltra necessariam voluntarietatem, & libertatem ad peccatum, sine obdurationem committendum addat, vt adhæsio firma voluntatis in malo, & ægerrime reuocabilis auersio à bono sit. Ad naturæ inflexibilitatem physicam & à semel concepto proposito, & affectu immobilitatem absolutam Thomistæ aliquot Dominicani à nobis, nec semel, confutati recurrebant. A quibus non longe abibant Henric. & ab ipso citati, vt referebamus n. 6. asserentes ex perfectissima, naturali libertate, & scientia Angelorum Dæmonum purè spiritualium, corporisq. impedimentis solutorum prouenire, vt à deliberato malo ad bonum regredi nequeant, quia toto impetu in obiectum, quod eligunt, feruntur; sed vterque hic modus æquam obdurationem Dæmonum in via, atque in statu damnationis facit quod absonum est, & à communi sensu Doctorum abhorrens. Secundò: damnatos Dæmones, nunquam deinceps peccare: imò nec posse contra communem, etiam Patrum Theologorum sententiam, plus satis in scriptura insinuatam docet. Tertio: obdurationem Dæmonum omnimodam in malo admittendo diuersæ rationis ab admisso, non probat, cum deliberatio habita in vna materia, habita in omnibus aliis, non sit: quare neq; immobilitas orta in materia vna ex perfecta deliberatione libertatem, ad deliberandum pro libito in aliis tollit, nec minuit. Quarto: ea doctrina pro Dæmonum obstinatione explicanda vt summum inseruit non autem reliquorum damnatorum immò, neque Dæmonum pro statu damnationis, siue obstinationem pro eo statu, & ex damnatione ipsis competentem Ratio vero illa quæ ad hanc Dæmonum physicam à semel deliberate concepto affectu Dæmonum ex perfecta eorum libertate, ex qua toto impetu voluntatis in id, quod deliberato velint, ferri debeant, ac proinde retrahi ab eo affectu, rectóve rationis dictamine sufflaminari minime possit, oppositum potius probat: cum & maior libertas sit voluntatis, quo pro arbitrio suo impensius, vel remissius ferri in obiectum ex parte actus primi possit: & certe ea voluntatis determinatio ex parte actus primi ad obiectum toto impetu, ac non aliter, prosequendum, necessitas voluntatis in actu primo aliqua est, omnimodæ eius libertatis in actu 1. contradicens: quo igitur pacto, ex maiori Angeli libertate irreuocabilis præ vehementia impetus voluntatis eius in obiecti cuiusvis deliberata prosecutione, aut fuga probabitur? Ratio vero altera aliorum ab Henrico citatorum ex perfectione scientiæ Angelicæ, ex qua Dæmones deliberârunt nihilo magis est firmior. Probat enim synderesim eorum perfectiorem, firmiusque, ac melius, & clarius

clarius quo, à mala deliberatione habita retrahi deinceps ex parte actus primi facilius possint, atque ad bonam frugẽ, cum in ea, tum in materiis aliis reuocari, si scientiæ, eorum perfectio præcisè spectetur. Illud in hanc Henrici, & aliorum sententia omittendum non est: quod male de animabus damnatorum hominum separatis addit. Nimirum, eas post separationem & damnationem actu libere elicito obstinationem, & obdurationem sibi facere, & contrahere: omittendum inquam, & absque reprehensione non est: quia actus ille animæ damnatæ, & in damnationis statu ex obduratione, & obstinatione illius in malo nõ procederet: quare æque facile, seu non difficilius, quam in via posset ab anima damnata omitti, ac de anteactis honesta pœnitentia haberi: quod est absurdum, & pœnitentiæ locum damnatis absolute faciens, vt bene aduertit Vasquez cit. d. 239. capite sexto, numero 35. fine ex Scoto in 2. d. 7. quæstione 1 §. *contra conclus.* verſiculo *contra ſecundam viam.*

2. Dico secundo: obduratio hæc in malo ex parte obdurati siue adhæsio maior voluntaria malo, siue determinate alicui, siue vniuersim (qualis in Dæmonibus, & damnatis reliquis est) quam ad peccatum graue, vtcumque, & absque obdurationè committendum, stat in obfirmata, actus, & obiecti praui prosecutione, siue actualiter, siue habitualiter duraturæ, quæ proinde ægre, immò ægerrime possit contrariis actibus vinci ac detrectari. Hoc nemo ex his, qui totam Dæmonum, & damnatorum aliorum obstinationem, & obdurationem Deo, eiusq; soli arbitrio non tribuunt, negat: imò vere admittunt omnes, est quippe obdurationis voluntariæ, quatenus ex parte obstinati, & obdurati est, sola explicatio, & definitio: vt de se, & ex dictis n. 6. pro proxima conclusione satis claret. Nec explicari magis potest quam principiorum, ex quib. ea maior adhæsio, & obfirmatio, in obiecto, & actu prauo voluntatis, actu, vel habitu duratura, in obstinato nascitur. Hæc autem, non eadem semper, & in omnibus sunt: quandoque enim in obstinatis viatoribus, in aliqua materia, seu obiecto prauo prosequendo oritur ex vehementi propositione obiecti, & motiuorum, ad eius prosecutionem, quæ voluntatem eius, etsi non sui absolute, & physice impotem, ast potentissime rapit, ac proinde quam magno impetu, & obfirmato, in eius obiecti prosecutionem pertrahit, ac rapit. Secundo ex actuum, etiam non intensorum, repetitione maxima, ex qua habitus (in quocumque stent) oriuntur ad similes prosecutiones fortiter inclinantes, & impellentes, nec minus ab anteactis abesse sum impedientes: in mea opinione negante habitus, actibus adquisitos voluntati insidentes, eosq; solum in speciebus pluribus, ac viuidioribus ex actibus repetitis in memoria relictis, & adseruatis tantumdem valet, ac principium vehementis cogitationis, & propositionis proxime explicatum tertium ex superbia, & præsumptione potentiæ, & scientiæ ex qua obiectum, prauum, eiusque prosecutio deliberato eligitur, vt ægerrime non solum retractatio propria, sed, & aliorum resistentia feratur vt experimento, quotidiano nimis de sua scientia & potentia præsumentium compertum est, & in Pharaonis celebri apud scripturam obdurationè, & obstinatione. Item: cum quis desperate, siue ex desperatione, odiove, erga aliquem vehementi prauum aliquid illi nociuum: qua illi nociuũ, ardenter expetit, & amat. Hæc principia voluntariæ, & obfirmatæ adhæsionis prauo actui, & obiecto in huius prosecutione, maioris, quam ad absolutè peccandum opus sit, ad eam in Dæmonibus, & damnatis aliis explicandam memorata sufficiant.

3. In primis enim Dæmones, ex superbia inani complacentia, & præsumptione, cum scientiæ, tum potestatis, quam non habebant peccarunt primo, ac deinceps in via, continuóque in statu damnationis peccant, & æternè peccabunt: atque adeo obstinatissime, vt eorum superbia & præsumptio creatis aliis maior, & maxima erat, & vero primũ, tot se donis naturalibus, & supernaturalibus in peccati pœnam, priuatos à Deo viderunt, ipsumq; non solum explorata voluntate, & debito mortalibus peccatis odio, sed, & pœnis, priuationis saltem, inflictis contraire prauis suis deliberatis voluntatibus: vnde, ira, odióque implacabili in ipsum exarserunt, & inde, vt inimico, hostiq; infensissimo moliri: & quidquid gratum sibi fore iudicabant, non solum, non agere, sed & in creaturis rationalibus omni studio impedire malisque suis actibus omnibus quæcumque Deo infensa effici ab eis possent, procurare: inde in alios Angelos, & homines diabolicæ suggestiones & tentationes continuæ & ardentes: quia in Deum ira, & odium diabolicum ingens, & actuale nunquam intermittitur, cum satis tamen esset, nunquam fuisse à Dæmonibus retractatum, vt in hominum inimicorum obfirmato & hostili odio habitualiter solum permanente, etsi, non semper actuali, & actu exercito continuato, sed sæpe diuersione animi ad alia interrupto experimur: statim enim ac aliquid commodi, aut incommodi infenso valde inimico futurum occurrit, ex transacto actuali illo odio vehementi, non retractato, ac solum habitualiter permanente, primum auertere, secundum hosti inferre, si possunt, promptissimum desiderium est; si non possunt, dolor & tristitia. Accedunt ex his actibus valde intensis, nec, in via adhuc, à Dæmonibus intercisis, habitus intensi qui ab eis absessum valde impediunt, atq; ad similes deinceps eliciendos potenter impellunt. Quibus omnibus accedit tandem damnationis æternæ intimata Dæmonibus sententia, ex qua eodem instanti odium valde intensus in Deum vindictæ, & suæ salutis, forunæque melioris desperationem Dæmones concipiunt: ac quidquid honesti est, vt sibi inutile, prorsus contemnunt, & per prauæ quæuis desperato affectibus suis grassantur: ecce quot, quinisque voluntariis affectibus, & vltra id, quod mortali satis esset, voluntariis Dæmonum, cum in via, tum maior in statu damnationis ex parte ipsorum obduratio in malo, & in dies maior, conflatur, quæ, etsi eorum à malo absessum, & ad bonum accessum difficillimum, & moraliter impossibilem reddant, nõ tamen physice absolute impossibilem, vt locus eorum delictis similibus, & aliis per æternitatem ex scriptura futuris, non sit occlusus. Denum ex his etiam constat omnium hominum in ætate adulta damnatorum pro statu toto damnationis, in malo obduratio, sic enim nouissimorum conscij, & cum rationis vsu impœnitentes abscedunt, desperate decedunt, ac secum ea desperatione voluntariæ obdurationis ad statum deferunt, damnationis. Similiter, si inueterati fuerint peccatores, etsi repentes vel ab vsu rationis alieni, obeant: satis etiam voluntariæ obdurationis secum deferunt malis habitibus voluntariis affuetudine peccandi in via acquisitis quod si, nec voluntarie impœnitentes nouissimorum conscij, nec vitiis inueterati peccato mortali, actuali vnico (vt fieri absolute potest & fors factum aliquando) vita abscesserint, voluntaria desperatione odióque Dei ex ipsa damnationis æternæ intimata sententia, simul, eodemque intimationis instanti conceptis, satis voluntariæ obdurationis in malo pro eo statu toto habebunt: nec locum pœnitentiæ pro eo adhuc primo damnationis instanti fiet cum alium omnem damnatorum actum pro naturæ priori præueniant; neque eis ad honestam absolute pœnitentiam adsit proximo adhuc illo damnationis instanti honesta cogitatio, vel auxilium sufficiens vt diximus quæstione 1. cert. 1. & certamine quinto; atque hic certamine primo etiam repetemus; quod in Henrici doctrina locum non habet.

4. Dico tertio: obduratio Dæmonum, & aliorum damnatorum in malo iam admissio, vt ab eo honeste absolute, seu per absolute honestam aliquam (etsi non supernaturalem & salutarem) pœnitentiam non abscedant tota tota, & adæquate sumpta in obdurationè in malo negatiue ex parte ipsorum voluntaria ibi hactenus explicata consistit: quod ipsum est de obdurationè in malo negatiue vniuersim, siue ad non faciendum quodpiam, vllumve bonum absolute tale: vt ex ratione (quæ de obdurationè hac in malo negatiue vniuersaliter sumpta æque ac de obdurationè ad non honeste pœnitendum de male iam actis probat) aperte cõstabit. Probatur facile ex dictis quia nec nuper diximus, voluntaria obfirmatio & adhæsio ad malum negatiue adest damnatis cunctis, quare in malo negatiue tali ex parte ipsorum. Deinde nullo alio extrinseco, & ex parte Dei, partialiter adhuc obduratur in malo vel ad malum negatiue tale, siue honesta de male actis pœnitentiam assidue simpliciter, & absolute bonum non

non agendum : ergo adæquata obduratio dæmonum damnatorum in malo negatiuè stat in obduratione voluntaria ex parte obdurati. Minor probatur ex dictis: quia extrinsecus, & ex parte Dei solum additur voluntariæ dæmonum, damnatorumque aliorum obdurationi denegatio auxilij, & cogitationis honestiæ, etiam minimæ, & necessariæ ad constitutionem, absolutè potentiæ physicæ ad bene simpliciter operandum, seu honestum absolutè exercitium libertatis, quæ impotes illos physicè ad illud redit, ex defectu cogitationis honestæ necessariæ ad absolutam physicam potentiam ad illud: atqui impotentia, ex eiusmodi defectu orta in damnatis, nec pertinet ad eorum obdurationem, neque eam complet, vel arguit. (Vt vidimus cert. 2. num. 3. ex dictis num. 1. Et prius dictis q. 1. cert. 2. num. 6. & cert. 5. n. 5. vbi eius probatio extat:) ergo obduratio damnatorum omnium ac subinde dæmonum in malo negatiuè stat adæquatè in obduratione voluntaria ex parte ipsorum.

5. Dico Quarto. Obduratio absoluta, & omnino completa dæmonum & omnium damnatorum in malo, & ad malum positiuè tale exercendum siue ad pravum vsum, & exercitium libertatis, suæ contra prohibita, vel præcepta, non stat in sola obduratione voluntaria ex parte ipsorum : impositiuè malo, seu ad malum, & turpe, positiuè, vel omissiuè deinceps exercendum sed addit extrinsecus, & ex parte Dei auxilij, & cogitationis honestæ congruæ, tractaturæ à prohibito, & inducturæ in præceptum, si donaretur, denegationem. Consentio nostro Vazquez, Alarcon supra citatis & Vazquianis reliquis quibus, vt vidimus, nolentes volentes, Soarius, & Arriaga tandem consenserunt. Probatur. Quia Deus obdurat corda hominum, iuxta illud ; *Ego indurabo cor Pharaonis* : ergo ad obdurationem absolutè talem vltra obdurationem voluntariam, ex parte obdurati, vel obdurandi ad agendum contra prohibitionem, aut præceptum, aliquid addendum extrinsecus, & à Deo est, si enim obduratione voluntaria ex parte obdurandi, seu obdurati absoluta eius, & completa obduratio esset, Deus nihil se acturum, in obduratione eius absoluta illius promittere, aut comminaretur ; imo nec agere posset, nisi actum, sed vt summum, augere absolutam, & completam iam obdurationem, agere posset, ac promittere. Pergo, sed Deus nequit complere ex parte sua obdurationem absolutè talem obdurati immissione principij prædeterminativi (quodcumque illud sit) ad turpe, & inhonestum exercitium voluntatis damnatorum vt multis ostendimus q. 7. nec subtractione concursus, aut sufficientis, auxilij, & cogitationis honestæ minimæ, necessariæ ad potentiam absolutam honestè abstinendi à prohibito, & prosequendi præceptum, quia alias, nec possent Dæmones peccare, vt scriptura. Patres, & Theologi docent, continuo peccaret : ergo sola denegatione auxilij, & cogitationis congruæ complet, ex parte sua Deus absolutam, improborum, & damnatorum in malo, & malum positiue tale obdurationem. Probatur secundo, quia sola donatione auxilij congrui cordis duricies vndecumque habita, emollitur, & euanescit ; quin respectu illius obduratio vlla cordis resistat, duraque, & difficile frangibilis sit : ergo sola eius denegatione in absolutam duritiem coalescit.

6. Quoniam vero sæpè in hac, & præcedente quæstione diximus damnatos dæmones denuo in statu illo damnationis peccare, & in dies magis, ac magis peccaturos idque ex scripturæ, & Patrum sententia esse : ex quibus cursim vnum, vel alterum testimonium producimus firmandum tamen paulo amplius est : cum ne id, quis temerè ausit negare ; tum, ne huic veritati conclusiones vtriusque, quæstionis plures innixæ nutent. Primus textus erat ex epist. 1. Ioan. c. 3. *Ab initio diabolus peccat*, cui Augustinus 11. de ciuit. c. 13. addit. *Modo semper peccat*. Secundus ex cap. 8. *Ille homicida erat ab initio*. Tum quia suggestione, & suasu peccati primi Parentibus communibus in paradiso, mortem hominibus innexit : tum, quia mortis Abel in mundo primæ Caino author, & causa fuit ; tum denique, quia affectu, & sollicitudine æternæ mortis omnibus hominibus, exercite vero, & cum effectu, cunctis, qui pereunt causa est, & author, hæc autem omnia post suam damnationem dæmones egerunt, agentque vsque ad sæculi huius consummationem. Tertius textus supra memoratus ex Ps. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*, ex his autem locis, siue cursim tactis, siue ex instituto tractatis Patres, & interpretes consone, & constanter præfatam docent veritatem, eamque Theologi omnes, vel expresè docent, vel supponunt, quos refert, & sequitur Soar. c. 10. n. 5. inde vero demum restat videndum : an eis peccatis nouam pœnam Dæmones. Et damnati alij, siue damni, seu primæ vniones priuationis bonorum ex parte intellectus, & voluntatis, max mè visionis & fruitionis Dei, (in quibus, vel in altera saltem essentialis beatitudo consistit,) siue sensus scilicet doloris, & tristitiæ mereantur, ac ferant ?

7. Diximus supra pœnam nouam, non mereri, quia absolutum meritum, ac demeritum viæ statum vltra intrinsecam operum honestatem, & laudabilitatem requirit, vt ostendimus controu. de merito : Est quippe mercedem operum negotiandi status vltra non progrediens, iuxta id Lucæ 19. num. 13. & 19. *Negotiamini dum venio*, cui conclusioni, ac ita absolute prolatæ assentitur, Vazquez d. 241. c. 5. n. 19. §. *Postremo posset quis*, vbi oppositum à nemine assertum vidisse, testatur, & §. *in hac controu.* statuit, (& ex communi Theologorum) essentialem nouam pœnam peccatis in statu damnationis factis non mereri ; n. vero 4. §. *quarto dixi*, quoad pœnam sensus accidentalem. De facto mereri ipsisque à Deo infligi, vt tristitiam, & dolorem de victoria, & salute hominum, qui eorum superant tentationes, & contra eorum deprauatas intentiones, & malas artes saluantur ; idque in earum pœnam ; vti, & Angelis Beatis in charitatis erga homines præmium de salute, & pœnitentia peccatoris gaudium accidentale augescit. Censeo tamen absolutam nostri Vazquez conclusionem nostram præfata limitatione opus non habere, nec proximæ ratione, ex parte adhuc, impugnari tametsi ratio illa, qua à Vazquez in termino, & extra viæ statum absolutè dicti meriti, ac demeriti bonorum, malorumve operum exclusionem probat ; quoad accidentale propriè præmium, vel pœnam maiori aliquantulum claritate opus, habeat, quam sonat, vt ex dicendis num 8. fine constabit quod si res tota euoluatur, & exenteretur (vt iam præsto) puto claresceret, & quoniam de essentiali pœna, & damni, quam vocant, imo nec de pœna etiam damni priuationis aliorum donorum, tam ex parte intellectus, quam voluntatis dubium doctoribus non est vlterius aliquid pœnæ, ob peccata in damnationis statu facta damnatos absolutè, non mereri, neque eis de facto euenire de pœna accidentali, quam vocant sensus, seu doloris, & tristitiæ tota controuersia esse posuit ; est autem accidentalis hæc sensus pœna duplicis generis in damnatis.

8. Altera, quasi accidentis proprij essentialis pœnæ, & status damnationis : qualis est pœna sensus ignis, cuiusque demeritis, & peccatis viæ proportionatus, & de pœna damni, seu priuatione gloriæ essentialis, quæ, vt dixi damnationis statum individuæ committantur ; sicuti, & statum Beatitudinis dotes propriæ, claritatis, subtilitatis, &c. Altera vero est accidentale malum, quod non ex illo statu damnatis accrescit, sed ex accidenti, & casu ipsis in eo statu contingit : cuiusmodi est tristitia, de hominum felicitate, virtute, & salute æterna, quam Alarcon, & alij pœnam peccatis damnatorum in statu illo factis pro meritam absolutè, & adeo inflictam esse expresè volunt. De prima accidentali pœna sensus statum damnationis, vti eius proprium accidens, consequente, nihil docent. Neutram vero peccata damnatorum absolutè promereri, neque in eorum pœnam à Deo ipsis augeri, & infligi, probo vniuersim. Quia viæ status, & tempus, negotiandi, merendique, ac demerendi, præmium, & pœnam præfixum adeo est recitato textu, & alias sæpè. *Venit nox*, id est mors, *in qua nemo potest operari*, quod cum de honesto, ac turpi operatione præcisè intelligi nequeat, cum plura Beati in gloria honestissimè, & damnati in damnationis statu turpissimè operentur de operatione absolutè meritoria præmij, aut pœnæ à Deo cuiusvis, in alterutro statu ob illam donandæ intelligi debet:

est quippe vniuersalis negatiua propositio. Probo seorsim, & per partes. Primam: quia pœnam sensus, quæ passio, & proprium accidens damnationis suæ in vnoquoque damnato est, nullus damnatus peccatis suis augeri absolutè meretur, nec vlterior illa, damnato alicui à Deo infligitur. v. g. vt ardentius igniatur, flagret, & intensius, incalescat, quam initio damnationis arsit, & incaluit; vti nec Beati honestissimis virtutum actibus, gloriæ, & status sui pedissequas dotes merentur augeri. Inde probo partem secundam de omninò accidentalis, & aduentitiæ pœnæ demerito. Si enim ratione status termini, & defectus status viæ, nec Beati merentur præmium, nec damnati supplicium, quod eorum operationibus condigne, & maximè, & accommodatissimè alias responderet, nec supponitur ad anteacta merita, aut demerita in statu viæ à Deo donatum, & ab alterutris receptum; ergo: quia status termini, & defectus status viæ absoluto merito, & demerito, pœnæ, ac præmij cuiuis, etiam aptissimi, & proportionatissimi viam omninò præcludunt. Gaudium beatorum, ac dæmonum dolor, & tristitia de pœnitentiam agente peccatore, & salute æterna eorum, fœlici aut infœlici statui, accidentaliter adiungi, eamque augere certum est; eis vero, aut operum in alterutro statu mercedem, & præmium, vel pœnam à Deo obuenire negamus; sed solum, vt charitatis erga alios in Beatis eximiæ, odijque, & inuidiæ erga homines effusissimæ in damnatis affectus, fructusque connaturalissimos.

QVÆSTIO III.

De pœna sensus vniuersim sumpta.

Actenvs de pœna damni, seu malis tam priuatiuis, quam positivis, quæ dæmones (& idem est de damnatis reliquis) ex parte intellectus, & voluntatis à Deo patiuntur pro naturæ priori ad eorum à dæmonibus persensionem, seu cognitionem disputatum à nobis, definitumque est. Iam ad pœnam, quæ isdem dæmonibus ex eorum malorum cognitione, ac persensione accrescit, ac pœna sensus à Theologis appellatur generatim examinandam procedimus. Dixi generatim quia specialis pœna sensus, ab igne dæmonibus, & animabus separatis à corporibus, damnatorum, quousque ad iudicium vniuersale eisdem vniantur iterum, & damnati resurgant, prouenient, seu, quo pacto igne, etsi puri spiritus sint, ardeant, & incalescant specialem difficilemque apud scholasticos, quæstionem habet, post hanc generalem de pœna sensus à nobis subijciendam. Sunt autem in hac generali quæstione examinanda: eius essentia, obiectiua extensio, intensio, duratio continua.

CERTAMEN I.

Nominis ratio, essentia, & obiectiua huius pœnæ extensio.

1. Dicitur pœna sensus, quia etsi spiritibus puris nullus proprius sensus sit, quo pati sensibiliter propriè possint; non tamen, ab eis aliter, quam malè, & disconuenientis obiecti cognitione, (quæ persensio mentis eleganter dicitur, vt etiam intelligere voce persentiscere significatur) potest haberi: & insuper, quia spiritualis prorsus pœna hæc Dæmonum, & animarum, nec secundum se, &, vt in se est, à nobis perceptibilis, nec explicabilis, sensibilis doloris, & pœnæ adinstar potest solum, debetque percipi, ac eius vocibus explicari. Et hæc de voce satis; de essentia vero pœnæ huius, quæ sensus in damnatis dicitur dubium, nuper fecit nostri Atriagæ doctrina sect. 6. subsect. 3. num. 59. §. *Scotus in* 2. sub initium ac deinceps: vbi, vt sententiæ Scoti cert. vsr. memorandæ diritiem emolliret, ex propria tamen sententia, docet; Dolorem dæmonum, & damnatorum de obiecto, quovis ipsis malo, & disconuenienti physicè non in actu voluntatis, & displicentiæ, ac tristitiæ voluntatis damnati, de eo obiecto, sed in eius perceptione, & actu intellectus, quo formaliter à Dæmone, & damnato, quovis cognoscitur, & intelligitur ipsi physicè malum, & disconueniens obiectum essentialiter consistere; & si inde vlterius, ex eius cognitione, & perceptione, in qua dolor essentialiter stat, ea voluntatis de eodem obiecto displicentia suboriatur, qua dolere nos de obiectis ita disconuenientibus, vulgarius quam propriè, dicimur; Manus quippe, vel pes, vel caput dolere etiam nobis, dici etiam propriè solet; etsi ibi appetitus, non resideat, nec eius organa, vt de perceptio ibi obiecto dolorifero, ac disconuenienti actu appetitus doleamus, ac tristemur, sed solum sensu, tactuque percipitur.

2. Dicendum nihilominus est, cum communi cæterorum Theologorum Philosophorum, & peritorum linguæ Latinæ: Dolorem obiecti doloriferi, in fuga, auersione, displicentia & tristitia appetitus ac subinde in actu simili voluntatis damnatorum de obiecto ipsis physicè disconuenienti, & malo essentialiter consistere. Ratio est, quia dolor actualis de obiecto physicè malo, & disconuenienti secundum se spectato, non est, sed de malo, & disconuenienti cogito: atqui cognitio mali, & disconuenientis physicè non est de malo, & disconuenienti physicè cognito, vel per species alienas, vel proprias, sed de eo secundum se; ergo cognitio de obiecto dolorifero, ac physicè disconuenienti, & malo, non est actualis dolor. Maior ita de se innotescit, vt vtraque lingua proutibi loco circumferatur, quod hispane dicimus, *ejos que no auem, cora con, que no llora*, hoc est, *que no duele*. Minor est certa: quia ad cognitionem obiecti absolutè talem, obiecti cognitio alia siue obiectum cognitum, aut præcognitum non supponitur; alioqui ad præsuppositam eius cognitionem alia, & hanc alia, & alia infinito regressu, & processu anterior natura, & anterius præsupponerentur. Probatur Secundo. Quia delectatio, & gaudium de obiecto physicè bono conuenienti, & delectabili contrariè opponitur; actuali dolori de obiecto physicè malo, disconuenienti, & dolorifero: ergo actualis dolor eiusdem facultatis actus sunt, cuius sunt gaudium, & delectatio: nempe appetitiuæ, non autem cognoscitiuæ, aut intellectiuæ facultatis.

3. Tertio probatur à priori: quia bonum, & malum, qua talia, formaliter obiecta facultatis appetitiuæ, & volitiuæ sunt, non cognoscitiuæ, & intellectiuæ; & si quia bonum, & malum, seu bonitas ipsa, & malitia vera obiectiuè, & cognoscibilia sunt, cognoici, intelligique, qua vera obiectiuè, & cognoscibilia formaliter valeant; non autem formaliter, qua bona, & delectabilia, seu mala, & doloriferæ: quæ rationes materialiter solum respectu potentiæ cognoscitiuæ, & intellectiuæ se habent: ergo suis propriis actibus in physicè malum disconueniens, & doloriferum, qua tale formaliter appetitus, & voluntas, non vero facultas cognoscitiua feruntur. Locutiones illæ oppositæ, partes, in quibus doloriferum obiectum sentitur primo, non autem, quibus dolor concipitur designant: tantumque valent, dolent mihi ac doleo (periti aiunt) *pedes, caput*. Et similes locutiones quæ ex cruciatu, & cruciari pedibus, cum actiuè à cruciante, tum passiuè cruciatis pedibus opponi possent, eum idem cruciatus, & dolor significent: sed eandem facilem habent solutionem. Significari, nempe, eis locutionibus, partes, quibus agens qualitatem doloriferam inducit, eáque à patiente primo percipitur. Nec dubito, quin phantasiæ organo vitiato, aut ex sensatione externa internam, & phantasma non possit elicere, etsi sensus

sensus tactus vigeret, & qualitas dolorifera in pede sentiretur, ac percipieretur actum doloris à viuente non eliciendum, quia appetitiuæ animalis facultati non proponeretur, vt actum doloris, conciperet. & fors ita in pluribus euenit.

5. Circa pœnæ sensus obiectiuam extensionem, Soar. noster citatus ex c. 5. & 3. p. d. 13. sect. 2. docuit dolorem, & tristitiam dæmonum de gloriæ & aliorum bonorum priuatione conceptam, non ad pœnam sensus; sed damni pertinere citans pro se alios (qua fide nescio) quamuis Sotus in 4. d. 46. q. 1. a. 1. & Bannez. 1. p. ad q. 64. a. 3. d. b. 1. §. *Quo supposito* fide dignius citentur. Probat. quia pœna sensus, ea solum est quæ de malis physicis positiuis habetur, vt in re præsente de igne. v. g. quo dæmones torquentur tristitia, & dolor; priuatiua autem mala, nec sunt, nec esse possunt, quate neque ad ea pœna sensus extendi. Hanc sententiam retuli, q. 1. cert 1. n. 7. simul cum alia, quam Scoto, & Vasquez presso nomine, imponit Soarius ipse, & capite quarto, late, longeque refellit: quasi dari pœnam negauerim. vbi eos ab hac impostura vindicaui; etsi quæstio de nomine solum cum illis esse posset, non de re, quamuis id, quod ex ipsis refertur, docuissent: de Patris vero Soarij sententia etsi non alia, quam de nomine etiam, posset esse cum ipso, disputatio, eam tamen huc, tanquam ad proprium locum distulimus, vbi omittenda non est: quia, etsi cum Theologis reliquis conueniat, & quæcumque omnes, in pœna dæmonibus de malis priuatiuis perceptа admittant, ipse etiam admittat, ea imprimis ratione, voce, & nomine ab illis discedere non debebat.

5. Dicendum igitur est, Pœna sensus damnatorum dæmonum, etiam ad obiecta omnia priuatiue mala, & disconuenientia, quibus in peccati pœnam à Deo puniuntur, tota rei, & nominis proprietate, extenditur. Est Molinæ, prima parte, q. 64. articulo tertio, d. 2. §. *Mihi contrarium*; Vasquez. d. 242. c. 2. §. *Mihi verò* Alarcon d. 9. c. 8 n. 2. §. *Dupliciter autem* docuit Scotus. in 4. d. 50. q. 1. a. 4. conclus. 2. Et cæterorum Theologorum concinio atque locutio est: quo solo satis probata maneret. Probatur vlterius; quia pœna sensus ea, & ideo dicitur quia sensu, & dolore mali physice, & disconuenientis obiecti percipitur: atqui per te & per omnes, mala physice & disconuenientia priuatiue seu & dolore à dæmonibus, & damnatis aliis percipiuntur, imo aliqua ex eis (vt gloriæ priuatio) maiore sensu doloris, & tristitiæ quã, reliqua mala positiua, quæ patiuntur; ergo priuatiuorum malorum dolor & tristitia, pœna re, & nomine sensus propriissime est: ac proinde pœna sensus proprie dicta ad mala omnia priuatiua obiecta extenditur. Probatur vlterius, quia pœnæ sensus, & damni diuisio non est obiectorum; nude sumptorum diuisio; alias, non in sensus, & damni, sed in positiuam, & priuatiuam pœnam fieri diuisio deberet: ergo est diuisio pœnæ ex eis malis prouenientis dæmonibus, quatenus sensu doloris, & tristitiæ, quem in dæmonibus causant, vestiuntur: aut mala priuatiua æque ac positiua doloris, & tristitiæ sensum dæmonibus damnatis causant, ac proinde, ea vestiuntur: ergo æque sic sumpta, & vestita priuatiua mala ad pœnam sensus pertinent, atque mala positiua, sic etiam considerata, & sensu doloris, & tristitiæ, quem in dæmonibus efficiunt vestita.

6. Confirmatur ad hominem contra ipsum Soarium citato c. 4. vbi sententiam negantem pœnam damni dæmonibus quam Scoto, & nostro Vasquez præter ipsorum tamen, vt ostendimus, q. 1. certam. 1. n. 1. sensum, & mentem tribuit) defellit: quia ante sensum doloris, & tristitiæ dæmonum (quo solum pœnam fieri priuationem gloriæ illa sententia aiebat) priuatio gloriæ, & reliqua mala priuatiua vere mala, & disconuenientia damnatis dæmonibus sunt, & in pœnam peccati ipsis à Deo dispositа ergo ante sensum doloris, & tristitiæ ipsis damnificantia, & nociua, ac pœna est propria damni ipsorum. Hoc certum, & firmum argumentum, cunctis Theologis, etiam Scoto, & Vasquio, est contra sententiam illam à nullo Theologo, cogitatam, nedum assertam. Pergo tamen inde contra Soarium. Mala priuatiua gloriæ, & aliorum bonorum secundum se sumpta, atque, vt obiecta, sensus doloris, & tristitiæ dæmonum naturæ priori præcedunt, sunt eis damni pœna: accessu autem sensus doloris, & tristitiæ, quo formaliter cruciantur dæmones, alia pœna, abs dubio, dæmonibus accedit, quæ non erat, vbi ea priuatiua mala secundum se sumpta, & pro priori ad cogitationem dæmonum afferebant, & quæ pœna illa damni, præcedens non sit, ergo alia quæ non, nisi sensus pœna esse possit: Pœna siquidem Dæmonum in pœnam damni, & sensus adæquate per Theologos omnes, & Soatium ipsum diuiditur.

7. Fors dices: sensum doloris, & tristitiæ de malis illis priuatiuis disconuenientem etiam, & nocium maximè dæmonibus esse, ac proinde intrà damni pœnam, vt partem illius debere reponi. Vide quid dicas. Idem siquidem de sensu doloris, & tristitiæ dæmonum, ob mala positiua à Deo ipsis in pœnam dispositо, & inflicto, dicere cogeris: ac proinde nullam, nisi damni pœnam, peius, quam conficta, atque à nemine assерta sententia illa, quam impugnabas, in dæmonibus admittes, vrgetur inde impugnatio, confirmatio proxima, quasi ad hominem facta contra Soarium, ex eius impugnatione contra sententiam illam, Scoto, & Vasquio attributam; etenim mala positiua Dæmonibus à Deo inflicta, atque, vt sensum doloris, & tristitiæ obiecta, pro naturæ priori præcedunt, nociua obiectiuè, & damnificatiua Dæmonum sunt: quare ita secundum se sumpta, pro naturæ priori ad sensum doloris, & tristitiæ de eis à Dæmonibus conceptum pœnam damni dæmonum esse negari non potest; & tamen accessu sensus doloris, & tristitiæ dæmonum de ipsis pœna vlterior sensus propria ijsdem dæmonibus fiunt; ergo, & priuatiua mala gloriæ, &c. Quæ secundum se, &, vt sensum doloris, & tristitiæ de ipsis præcedunt, pœna damni solum dæmonibus sunt eo sensu pro naturæ posteriori accedente propria pœna sensus dæmonibus fient.

8. Dices Rursus. Pœnam damni in solis priuatiuis malis hactenus à Theologis admissam fuisse; à nemine autem, in malis positiuis. Cuius ratio ea esse videtur, quod mala positiua de se, & suapte natura sensus illius doloris, & tristitiæ dæmonum causatiua sunt; secus autem, mala priuatiua, quæ, cum nihil sint, nihil, quare nec sui sensum illum doloris, & tristitiæ, agere in Dæmonibus possunt: vnde secundum se sumpta, & considerata solum, vt damnificantia nociua, & disconuenientia dæmonibus considerantur, pœnaque damni sunt non sensus illius, cuius de se non sunt in dæmonibus causatiua: vt sunt de se, & suapte natura effectiua in illis positiua mala à Deo in pœnam inflicta. Contra Primo. Quia falsum obiectiuè sensus doloris. Et tristitiæ causatiua de se, & natura sua dæmonibus sunt, priuatiua etiam mala, quibus à Deo puniuntur. Secundo: quia, & si aliam causalitatem præter obiectiuam sensus illius mala positiua de se habeant; quæ de se, & natura sua sensum illum Dæmonum, & si non duplici, sicut positiua mala, vno tamen titulo, & causalitate causant, concernunt. Tertiò: quia, & si concernentia hæc sensus doloris, & tristitiæ dæmonum duplici titulo malis positivis conueniat, non tollit tamen illis verum effectum formalem incommodandi se ipsis independenter ab alia actiuitate intrinseca, & obiectiua, & effectiua sensus illius: ergo secundum effectum illum formalem, & rationem veram, seipsis formaliter incommodandi Dæmones, eisque nocendi, esse, dicique verè pœna propria damni possunt: quemadmodum, & mala eorum priuatiua ratione effectus illius formalis incommodandi se ipsis dæmones, eisque nocendi (quem verè habent) proprія pœna damni eorum sunt; & si seipsis aliam obiectiuam causalitatem sensus doloris, & tristitiæ de ipsis in Dæmonibus habeat.

9. Ex his præclusa satis est eusio, eiúsque ex discursu ratio, quæ ipsi viam, locúmque facere videbatur. sed fortius, adhuc ratio repellitur, & euasionis via, ad rem præsentem obturatur. Non enim de pœna sensus hominum damnatorum, post resurrectionem & vniuersale iudicium agimus: in quorum corpora calore intensissimo cruciandà ignis, (qui positiuum malum damnatorum vniuersalissimum, & notissimum est) natura sua actiuitatem ad

sensum illum doloris, & tristitiæ habet, disputatur in præsenti, & conclusio nostra procedit; sed de pœna sensus dæmonum, & animarum separatarum, qua nunc ad iudicij vsque diem à corporibus damnatorum separatæ ignis pœna torquentur, ad dæmones vero & animas separatas calefaciendas, igniendasque, atque eo calore, & ignitione sensum doloris, & tristitiæ in eis spiritualibus subsantiis natura sua, ac de se, & suoptegenio ignis naturalem actiuitatem non habet, vt omnes doctores fatentur: quorum proinde alij ad potentiam obedientialem actiuam, creatis omnibus communem alij ad moralem solum, ac non physicam eius in animas, ac dæmones actiuitatem (qualis in sactamentis respectu gratiæ, quam causant reperitur) atque ad illos modos prorsus miraculosos. q.4. referendos. & difficiles recurrunt, vt fidei veritatem de animarum, ac dæmonum damnatorum tortura per ignem defendant: quare ratio data ex actiuitate natura sua mali positiui in sensum doloris, & tristitiæ Dæmonum, vt non in pœnis damni vt priuatiuis mala, sed sensus à Theologis fuerint recensita non præstat, nec rationi damnificandi secundum se (quod pœnæ damni essentia est) potest prævalere: vt si de eo damno sensus doloris, & tristitiæ dæmonibus accedat sensus pœnæ rationem, & nomen iure induant: vti, & mala priuatiua. Et si quia ignis pœna sensibilem dolorem damnatorum corporibus inducit (cuius ad instar pœna sensus cogitatur, ac de Dæmonibus dicitur communiter) pœna omnis sensus, ipso tanquam notiori, & exemplo, non autem mali priuatiui dolore à doctoribus explicatur.

CERTAMEN II.

De magnitudine pœnæ sensus, eiusque continuatione per æternitatem.

1. DVplex in pœna sensus dæmonum (vndecumque, siue expositiuis, siue ex priuatiuis malis orta) magnitudo (vti in qualitatibus aliis) potest considerari. Nempe, intensionis vna (de qua certam. 3.) Et altera extensionis. Hæc autem extensio pœnæ sensus duplex potest considerari; nempe extensio subiectiua, & localis, siue in ordine ad subiectum, quod partibus diuersis entitatiue, & loco dissitis constet, ac subinde eis insidentes doloris, & pœnæ sensus partes, & inter se diuersæ sint, & entitatiue, & subiectiue, & localiter sint disiunctæ, & per totum subiectum eiusque locum extensæ. Sic, cum post diem iudicij generalis, & postremi damnatorum corpora animabus suis informata torquebuntur pœnæ obiectiuæ sensus ignis. v.g. Et caloris vehementissimi, dabitur subiectiua, ac subinde localis, extensio: omnia quippe damnati hominis membra ignientur, & exardescent, ac insuper cuiusque membri partes omnes, & singulæ entitatiue, & localiter diuersæ: suas quæque doloriferas qualitates entitate, etiam, & loco diuisas proportionate ad delicta, quæ vno quoque, vt instrumento fuerunt perpetrata, patientus. Quoniam vero phantasiæ, & sensitiui appetitus, organa corporea sunt, & partibus subinde entitatiuè, & localiter diuersis, continuis tamen, constare in corporibus damnatorum eorum animis iterum per resurrectionem vnitis dubium esse non potest; secus de sensu doloris, & tristitiæ, de obiectis eisdem pure spirituali animi ipsorum, tunc etiam corpori immersi, & phantasiæ ipsius corporeæ, & phantasmatum ab ipsa elicitorum ministeriis adiutæ habito: vt ex iam dicendis de Dæmonibus, & animabus damnatorum hominum seperatis clarebit.

2. Cæterum ita pœnæ sensus dæmonum, & animarum separatarum hominum damnatorum ante ipsarum ad sua corpora, reunionem, tam obiectiue quam formali, extensio subiectiua, & localis locum habere non potest: Cum tam Dæmonum, quam animæ separatæ damnatorum subsantiæ spirituales sint, nec partibus ipsas integrantibus, atque aliis inuicem extra aliarum locum esse petentibus constent; quare, neque in malis positiuis adhuc, & doloriferis qualitatibus (de quibus doloris, & tristitiæ sensus concipiendus ab illis est) nec in eorum sensu partes subiectiue, & localiter extendantur, & continuentur, locus esse vsquam potest: igitur pœnæ sensus extensio in Dæmonibus, & animabus separatis in ordine ad tempus, & durationem solummodo esse, & intelligi potest: ac proinde, quousque duratura continuetur, & continuo in Dæmonibus sit ea sensus pœna coniicitur, & vtiliter à Theologis poterit solummodo disputari in hac vero disputatione duo disputanda videmus vt quidquid est maneat examinatum, ac decisum. Primum ex parte termini dutationis pœnæ sensus dæmonum, & animarum separatarum an tempore solum finito, an infinita duratione, seu æternitate à parte post (vt aiunt) pœna sensus in eis sit duratura? Secundum ex parte continuitatis, seu continuationis, pœnæ eiusdem à principio durationis eius vsque ad eam durationem, qua demum est, vel temporalis finienda vel æternitate à parte post duratura, ac minimè finienda. Et quoad primum nil in præsenti disputandum denuo est, cum supra, q. 1. pœnarum dæmonum, & damnatorum omnium, & æternitatem à parte post contra Origenis errorem, vt fidei dogma, statuerimus. De animabus vero separatis hominum damnatorum, & si qua separatarum, nulla pœna æterna à parte post sit futura, cum eius separationis status duratio temporaria, & finita sit, earum tamen pœna, & damni, & sensus, cum eo statu non finietur, sed illam secum, quoad substantiam, deferent, cum iterum suis corporibus deuincientur; & li, quoad modum, & causas, à quibus earum, pœna tunc proueniet, possit aliqua diuersitas intercedere, Solum ergo de continuitate, seu continuatione pœnæ sensus tota futura æternitate in Dæmonibus, (& idem est de animabus in statu vtroque separationis, & reunionis ad corpora) sine interruptione vlla sensus doloris, & tristitiæ agendum hic erit, quia interruptionibus aliquot, & successionibus vicissim æternitate duratura ea pœna ab aliquibus cogitari, ac dici posset.

3. In hac porro pœna sensus continuata Dæmonibus, & damnatis aliis, sine interruptione vlla extensione per totam æternitatem à parte post successuram, diuidenda adhuc pœna sensus ipsorum in quasi essentialem status damnationis propriam, & comitem, & accidentariam à Theologis est. Prima stat in incommodis, tam positiuis, quam priuatiuis statui damnationis perpetuo, annexis, vt igne priuatione gloriæ, &c. Et similibus perceptis, & dolorem causantibus, de quibus eadem ratio esse debet, quoad perpetuitatem. Accidentaria vero, & contingens pœna sensus damnatis, & eorum statui est, quæ ex casualibus, & transeuntes contingentibus damnatis obuenit. v. g. ex Christi increpationibus, & actis contra ipsos in euangelio relatis, exorcismis vt à possessis hominum corporibus exeant, & causalibus aliis, de quibus tunc, cum accidunt, dolent. Et quidem accidentariam hanc, & casualem pœnam sensus, tota æternitate continuam, ac nunquam interruptam Dæmonibus, animabusque damnatorum separatis non esse, certum omnibus est, sed tunc solam, cum mala illa occurrunt, & durant durare; & cessare, cum cessant: circa pœnam sensus essentialem, & propriam status damnationis, an aliquando interrumpatur. Et cesset damnatis, & si post redeat, ac reuiuiscat, atque intercisum alicuando, vel aliquoties saltem tota à parte post æternitate duret: non nulla est scholasticis controuersia, in qua Scotus in 2. d. 7. q. vn. §. *Restat nunc dicendum*, & in reportatis d. ead. q.3. Docuit Dæmones, in statu damnationis posse, ab omni actu voluntario, & actuali, & formali (quæ pœna sensus, vt vidimus, sunt) de quouis obiecto ipsis physicè malo siue positiuo siue priuatiuo abstinere pro suo arbitrio cessare. Hanc sententiam, non solum falsam, sed errore Origenis ex parte peiorem esse eadem, d. Gregorius. q.1.a.1. Bassolis. q.1. a.4. Siquidem hic ex Dei libera, & liberali voluntate, & indulgentia solum pœnam Dæmonum finiendam docuit; Scotus vero, ex dæmonum etiam libertate, & arbitrio ait posse finiri. Quod adeo magnum, & firmum abludum reputat Arriaga citat: d.25. sect.6. subsect.4. num.49. & *Scotus in 2. d.med.o.* & toto. num.60. Vt non alter Scotum a graui censura liberari posse arbitretur, qui eum suppetias ferat, ex Doctrina sua dolorem actualem, qui pœnæ

pœna sensus sit, in sensatione, seu intellectuali Dæmonum perceptione disconuenientium, & incommodorum physicè ipsis obiectorum, non autem in actu voluntatis, constituentre quam cert. 1. conclusimus: quare parum præsidij ea solutione affert. Præterea oporteret, vt ea doctrina Scotus à censura liberaretur, eam ipsam Scoti doctrinam, esse ostendere quo ab Arriaga nec fit, nec fieri potest: cum Scotus in 4. d. 50. q. 1. a. 4. concluserit dolorem, qui pœnam sensus constituit, ex mali apprehensione ortum ducere, ac proinde, non in apprehensione, sed in actu voluntatis, ex ea apprehensione orto constitui.

4. Sed labore nullo suo Scotum à censura omni liberasset, se animadverteret, præstitum id iam pridem à nostro Vazquez facile fuisse d. 242. c. 4. num. 11. §. *Posset quidem aliquis*, dogma enim fidei hæc in re contra Origenem est pœnam dæmonibus, & damnatis nunquam absolute finiendam, à quocumque cessatura absolute dicatur, non autem, non posse absolute ab aliquo cessare, quod bene componitur, cum eo, quod nunquam, absolutè cesset: vt in multis aliis contingit, & in re præsenti cessare hæc pœna Dæmonibus adeo absolutè potest: Et tamen nunquam est absolutè cessatura, ex cuius suppositione impotentia solum consequente, & secundum quid, non autem simpliciter, & absolutè tali cessare pœna non posset: quod eodem modo fieret, & si potentia voluntatis, & arbitrij dæmonum cessare eorum pœna absolutè, & simpliciter posset. Dummodo impotentia secundum quid, & consequente cessare non posset, quia numquam esset ex ea Dæmonum absoluta potentia, dolor & tristitia, quæ sensus pœna, esti absolutè, & exercitè cessatura. Atque his planè Scoti doctrina, ab omni censura, notave contra præfatum dogma de perpetuitate pœnæ sensus dæmonum, & damnatorum suspicione purgabatur. Sed vero, longius adhuc Scotum à suspicione notæ, & censuræ cuiusvis, sua illa generali doctrina de potestate absoluta dæmonum cessandi ab omni actu voluntatis esse seiunctum is solus ignoret, qui ipsius doctrinam, non bene penetraverit. Penetratam vero video à nostro Vazquez citat. num. 11. §. *Huius sententiæ meminerunt*. Ex ea enim planè constat generali illa doctrina Scotum potentiam, adhuc absolutam, & ex parte actus primi voluntati, & arbitrio dæmonum ad cessandum ab actu doloris, & tristitiæ (in quibus pœna sensus est) nedum cessationem ab eis minimè concessisse. Potentia, quippe suspendendi actum de actibus, quos actiue volúntas pro arbitrio, & indifferenti sua actiua potestate elicere potest ab Scoto, & omnibus Theologis intelligitur, nec aliter ab vllo potest intelligi: Scotus autem, q. illa. 3. Reportatarum docet dolorem, seu tristitiam de obiectis malis, & pœnis à solo Deo in dæmonibus, & damnatis actiue produci, ac subinde illos absolutè non posse, non tristari, atque dolere. Et in 3. d. 1. §. *Aliter* potest *dici*, & in 4. d. 49. q. 7. tristitiam non esse actionem elicitam facultatis appetitiuę, sed passionem ab obiecto necessario actiuè prouenientem, & in ea facultate solummodo receptam vniuersim docet.

5. Et si autem eis locis ad tristitiam, vt talis absolutè sit, actum elicitum actiuè à voluntate seu facultate appetitiua necessario supponi doceat; tamen non de elicientia actiua libera formaliter loquitur, sed physica solum. Neque enim bruta, quorum appetitiua materialis facultas libera non est, tristari ignorabat: imo & nos sæpè tristari, absque exercitio nostræ libertatis. Adde citata. q 3. Reportator. Satis Scotum declarasse, de elicientia solum physica actiua, non autem libera formaliter actus illius, necessario & essentialiter in facultate appetitiua ad tristitiam præsupposititis se loqui: cum dicat, Dæmones à tristitia, & dolore de malis inflictis cessare non posse, quia ij affectus in illis à Deo solo actiue eliciuntur quod dicere non posset, si actum prærequisitum essentialiter ad tristitiam absolutè talem, elicitum actiuè non solum physicè sed liberè esse debere censeret. Eo siquidem deficiente, pto absoluta voluntatis Dæmonum libertate, & potestate tristitia eis, absolutè talis, posset absolutè deficere, & illi subinde, quovis affectu à Deo infuso possent absolutè non tristari contra eius assertum. Constat ergo, nec Scotum, neque ex Theologis aliquem docuisse, ex dæmonum, ac damnatorum voluntate libera, & arbitrio suo, quandoque adhuc, à pœna sensus essentiali, seu propria status damnationis cessaturum absolutè esse; quare neque ita illam interrumpendam, & quoad durationem æternitate tota à parte post extensiue, discontinuandam. Constat secundo. Nec Scotum, nec Doctorem vllum ex Theologis asseruisse, hactenus Dæmonem, damnatum ne aliquem, habere potentiam simpliciter, & absolutè talem, suæ voluntatis ad cessandum pro libito, & arbitrio suo à præfata pœna, essentiali, & propria, status damnationis; Et si in eo asserendo longè ab errore, Origenis staret, nec censuræ alicuius notæ, aut leuissimæ suspicioni subiectus, esset, qui assereret; quare seorsim in quæstione hac de interruptione de facto pœnæ sensus à libera potestate, & arbitrio voluntatis dæmonum, & damnatorum aliorum, & de potentia eam pœnam abijciendi absolutè tali, & antecedenti voluntatis, & arbitrij, eorum statuendum erit: tum quia ex diuersis principiis pendet cuiusque decisio; tum quia postrema est de materia Theologis liberiore.

6. Dico primo. Pœna sensus (æquè ac damni) essentialis, & propria status damnationis interrupta aliquando in tota futura æternitate pro arbitrio Dæmonum, & damnatorum, non est sed extensiuè continua per æternitatem totam. Hanc conclusionem, non solum à ratione probabilissimam, & statum apud Theologos omnes, sed fide certam existimo: ita, vt oppositum non solum, singulare, & temeratium; sed erroneum censeam. De conclusionis certitudine, apud omnes Theologos, ac proinde de oppositi singularitate constat: cum omnes illam, vel doceant, vel supponant, quin vllus oppositum asseruerit. Certitudo, quæ oppositum asserto temerarium reddat, partim inde probatur, cum contra omnes Doctores oppositum diceretur, partim, quia sine ratione diceretur oppositum, ac purè arbitrariò: temeratium autem Theologicè est, quod contra omnes Theologos, & sine noua ratione efficaci ab illis non visa, & eorum fundamenta euertente asseritur. Non apparet autem ratio eam interruptionem pœnæ sensus præfatæ ex arbitrio voluntaris damnati, vel leuiter suadens, nedum quæ continuationis extensiuæ illius per totam successuram æternitatem fundamenta diuiciens; ergo ita est certa conclusio, vt oppositum non solum singulare sit; sed, & Theologicè temerarium. Minor proxima, non aliter melius ostendi potest, quam rationum pro nostra conclusione productione: ex quibus constabit esse, vt diximus probabilissimam, & oppositio valde longè à ratione probabiliorem, atque, vt non physicè, moraliter tamen euidentem. Et si autem eius conclusionis in terminis, (quam præ sua certitudine plerumque supposuerunt, ex fidei principiis, quam à ratione probarunt) rationes efformatas non inueniam, ex his autem principiis, quibus ad affinium quæstionum decisionem vtuntur aliquas pro præsenti conclusione instruam, aliasque de nostro addam. Prima esto. Quia gaudium, & voluptas de bonis essentialibus, & propriis status beatitudinis, nunquam interrumpitur neque interrumpetur, ex libera voluntate, & arbitrio Beatorum per totam futuram æternitatem, sed tota illa extensiuè continuabitur in Beatis: ergo nec dolor, & tristitia de malis essentialibus, & proprijs status damnationis interrumpetur, pro arbitrio, & libera voluntate damnatorum; sed extensiuè, per totam æternitatem continuabitur, in damnatis. Consequentia à contrario status fœliciſſimi Beatorum, ad infeliciſſimum Dæmonum, & aliorum damnatorum tenet: maximè ex identitate, seu æqua paritate rationis iam subijciendæ. Probatur secundo. Quia ex vehementia cognitionis obiecti valde incommodi, & disconuenientis intensissimè, (vt physica, quod falsum est) libertas patienti intensissimè illud cognoscenti maneat, vt pro arbitrio de illo doleat, ac tristetur, vel secus: Certè moralis libertas, ad non dolendum, & tristandum de illo non relinquitur illius voluntati. Sin cedo aliquem, qui dum comburitur

pro suo arbitrio, naturalibus relictus non doleat. Cum ergo Dæmones naturalibus (vt damnati reliqui) in eo statu relinquantur, tot, tantaque mala priuatiua, positiua illius status propria patiantur, & vehementissimè cognoscant, numquam pro arbitrio suo, à dolore, & tristitia de illis cessabunt: imo verò nec poterunt cessare, physicè adhuc, nedum moraliter, (quod satis huic conclusioni foret) vt ostendam concl. 2. Hac eadem ratione probatur Beatos à gaudio, & voluptate de obiectis essentialibus, & propriis status beatitudinis cessare pro arbitrio suo nusquam posse. Tertia ratio multas, & peculiares continet, quibus probauimus conclusionem secundam de impotentia physica absoluta dæmonum, & aliorum damnatorum ad suspendendum dolorem, & tristitiam omnem de obiectis præfatis. Denique conclusionem hanc esse vel de fide, vel fidei proximam ac proinde oppositam vt minimum erroneam probatur ex definitione Ecclesiæ contra errorem Origenis: qui non ideo damnatur, quod dicat pœnas Dæmonum, & aliorum damnatorum ad suspendendum dolorem, & tristitiam omnem de obiectis præfatis. Denique conclusionem hanc esse vel de fide, vel fidei proximam ac proinde oppositam vt minimum erroneam probatur ex definitione Ecclesiæ contra errorem Origenis: qui non ideo damnatur, quod dicat pœnas Dæmonum, & aliorum damnatorum in tempore aliquo ex Dei voluntate, & ad tempus cessaturas alternis vicibus, successuris, per æternitatem. Sed quid contra scripturæ expressam earum pœnarum perpetuitatem, & æternitatem tempore finiendas, seu potius alternatim interrumpendas? Et si restituendas. At huic dogmati æquè aduersatur, & contradicit, siue id Dei, siue damnati arbitro fiat, imo hoc deterius dicetur, magisque præfato dogmati aduersabitur, vt probatione prima secundæ conclusionis iam ostendo.

7. Dico secundo. Libertas & potestas absoluta, & simpliciter talis suspendendi pro arbitrio omnem actum doloris, & tristitiæ, seu pœnam sensus essentialem de malis propriis status illius dæmonibus, & damnatis aliis nusquam adest. Est omnium Theologorum, etiam Scoti vt vidimus num. 4. & 5. quare singulatim eos recensere opus non est. Et quamvis, liberius Theologis videatur, vt diximus aliter opinari, tamen non adeo liberum, & absolutum à dogmate fidei, proximè contra originem memorato, est, vt ex probatione prima conclusionis patebit. Probatur Primo conclusio ab absurdo; quia si ea absoluta potestas pro arbitrio suspendendi omnem actum doloris, & tristitiæ de malis propriis status damnationis, ac subinde pœnam sensus adsit voluntati dæmonis, & damnati cuiusvis, de facto suspendetur, pœna sensus à quolibet, & in quolibet damnato, non quidem aliquando; sed tota futura æternitate. Equis enim eorum tantam pœnam non vitet, si eam vitare absolutè pro suo arbitrio potest? Ponere autem extraordinariam prouidentiam Dei, qua, & si absolutè possint pro arbitrio pœnam suspendere, nunquam tamen tota æternitate suspendant, minus Theologicum, & valde miraculosum est. Hoc autem magis apertiusque dogmati fidei de perpetua, & æterna pœna sensus de malis propriis, & non accidentariis statui damnationis, quam error Origenis, eo dogmate damnatus, quod post tempus temporariè cessauit, & iterum reuiuiscet, ac sic alternis vicibus per æternitatem. Probatur Secundò. Quia, si arbitrio, & voluntate sua, liberè pœnam sensus, ac non potius, volentes nolentes, pœnam sensus à Deo peccatorum vindice patiuntur, vt quid in Deum sceleratum pœna illa vltorem, odium, itaque implacabilis, qua illum non esse, & destruere, si possent, exoptant, atque in se ipsos desperata rabies, quod illum non possint destruere? Quæ omnia in malis necessariis, nec postremis, Dæmonum, & damnatorum omnium Patres, & Theologi omnes, ad vnum, & recensent, & expendunt: neque enim eam pœnam à Deo tandem, & absolutè inuiti, qui eam non patiendi, si nolint liberam eis in eo statu fecit potestatem; sed à se ipsis pro suo arbitrio, vtroque volentibus paterentur. Tertio eadem ratione vermis ille indefectibilis dæmonum, & damnatorum, omnium, quod scilicet, eas pœnas in via facili negotio vitare potuerint, nec tamen vitarint, nec voluerint, ab Scriptura, Patribus, Theologis, & catholicis omnibus conclamatus defectibilis ex oppositio nostræ conclusioni, fit; imo ita ab eis, deficiet, vt nec sit, nec fuerit, nec erit. Quartò probatur à priori, quia sententia pœnali, & iudicio iusto, & stricto absoluto de delictis, (quale est Diuinum) pœnæ executio nequit remitti arbitrio liberæ voluntatis Rei, vt illam, si velit libera sua voluntate subeat, non subeat, si nolit. Ea enim sententia, non iustitiæ iustæ, & pœnæ pro delictorum meritis; sed remissiua potius pœnæ foret: tantumdem enim valet, ac si iudex dicat, quatenus ex me, meoque iudicio est, pœnam remitto, de cætero fac, quod velis. Si autem damnatis Deus relinqueret potentiam absolutam suspendendi, pro arbitrio eorum, omnem dolorem, & tristitiam de malis propriis status damnationis, seu pœnam omnem sensus, eidem statui propriam, relinqueret executionem pœnæ arbitrio, & voluntati damnatorum: ergo eius iudicium non esset ex rigore, & stricta iustitia, pro malis meritis damnatorum, sed potius pœnarum debitarum quatenus ex Deo est, remissio. Sanè ergo Deus scripturis iudicij sui districti, rigore, & pœnarum sensus atrocitate terreret nos, atque, à peccatis deterreret; cum, & iudicium remissio pœnarum eis debitarum esset, & pœnæ, earumque acerbitas, nec alia, nec maior, quam vellemus.

8. Quinta demum probatio, & à priori etiam sit, quam secundo loco posuimus num. 6. pro concl. 1. Vt moralem impotentiam suspendendi omnem actum doloris, & tristitiæ, seu pœnæ sensus præfatæ probarent, quæ satis erat, ad inferendum, nunquam de facto pro damnatorum arbitrio suspendendam, nec cessaturam, scilicet, ex vehementissima cogitatione, & apprehensione malorum, tam positiuorum, quam priuatiuorum propriorum status damnationis continua, nunquam interrupta, nec interrumpenda per totam successuram æternitatem. Et si enim ibi (quod satis tunc nobis erat) impotentiam moralem suspendendi actum omnem doloris; Et tristitiæ de obiectis illis ita vehementer apprehensis, & intense cogitatis deduximus; tamen, quæ ad eam probandam proximus physicam etiam eorum impotentiam euincunt. Sed vnde vehemens illa cogitatio, & apprehensio eiusmodi malorum dæmonibus, & damnatis necessario, & continuo proueniat? A nonnullis, inquiritur. Arriaga supponens ex malis ipsis species impressas proprias, & intensissimas in dæmonibus continuo per æternitatem produci inde tamen, eos sicut nos necessitari ad eorum apprehensionem absolutè, nedum à Deo intensam, & vehementem eorum malorum cogi negat: possunt enim, inquit, de obiecto quovis, cuius intensissimas species habent, non cogitare: Quia ab eis determinantur ad cognoscendum; vti nos ab eis determinamur; sed possunt adhuc obiecti cognitionem cohibere; quare id in singularem Dei prouidentiam, qui eo ipso, quod eos vult æternè punire, vult etiam eos eorum malorum cognitionem, non cohibere: in quo, inquit, nullam difficultatem esse posse. Sunt tamen, plures, nec leues. Prima, quia libertas illa cohibendi apprehensionem obiecti cuius intensissimas species Angelus habet, nequit stare in dæmonis damnati intellectu, qui potentia libera non est, sed in voluntate: ad quam libertatem in actu primo cogitatio necessaria, quæ potest auertere illam ab apprehensione obiecti, cuius intensissimas species habet, debet præcedere: ac proinde species aliæ ad eam cogitationem eliciendam, quæ arbitrio, & libertate Dæmonis, nequeunt haberi, nisi ex duplici alia cogitatione, & earum speciebus, & sic in infinitum aliæ, & aliæ species, & cogitationes præsupponere sunt. Secunda quia; vt Deus satis, & ex speciali prouidentia statui damnationis debita prouideret, ne vnquam apprehensionem existentis speciebus illorum malorum exhiberent de facto Dæmones (vt sub arbitrio iuxta Arriagæ doctrinam poterant) satis haberet, si eis de cogitationibus, quibus illas cogitationes, & apprehensiones vehementes de malis, quorum intensas species habebant, non essent cohibituri, Dæmonibus prouidisset. Quo tamen potentia absoluta physica impediendi omnem dolorem, & tristitiam, pœnamque sensus de malis propriis status damnationis adesset, contra

commu

communem hanc nostram conclusionem. Denique cum connaturalis modus disponendæ adeo necessaria vehementis apprehensionis malorum, ex qua ad dolorem, & tristitiam, & pœnam sensus de illis dæmones cogantur, sit per intensas eorum malorum species ipsis impressas, ita fieri à Deo dicendum est, si malorum omnium, quorum dolor, & pœna sensus à Dæmonibus est species propriæ (vt Arriaga supponit) naturaliter habeantur; quod tamen non ita est verum de malis priuativis, seu priuationibus, de quibus obiectis dolent, & pœna sensus proinde puniuntur, & species propriæ non dantur; sed per discursum à dæmonibus, vel potius ex Dei reuelatione, nec vt sunt in se sed per species alienas à dæmonibus intense cognoscuntur, nec aliter cognosci absolutè, ab eis possunt, vt suo loco ostendimus.

9. Contra hanc, suam etiam, conclusionem secundam opponit Vazquez citat. d. 242. c 4. num. 12. §. *At obiciat quis*, ex quatuor vehemente cogitatione, & ingentis, cuiusvis boni non cogi voluntatem ad delectationem de eo concipiendam, dummodo in actuali exercitio delectationis appareat ratio mali quo ab illa voluntas retrahatur: ergo neque ex vehementi cogitatione ingentis cuiusvis mali, proprij status damnationis, potest voluntas dæmonis cogi ad dolendum de illo, dummodo in non dolendo, siue in doloris, negatione appareat ratio aliqua boni, qua voluntas retrahatur à dolore de illo malo. Ratio autem vtriusque eadem, & à priori est: quia propositione boni, & mali, siue in obiecto, siue in eius prosecutione constituitur voluntas in actu primo proximo indifferens, & libera ad actum prosecutionis, eiusve omissionem, vel fugam; cum quo pugnat ad prosecutionem, vel fugam obiecti determinate voluntatis ex parte actus primi determinatio, & necessitas, atque ad alteram impotentia physica. Pergo: atqui, cum dolor de malo proprio damnatorum, seu pœna sensus tantum actuale malum sit, nequit non damnatis representari, ac subinde bonitas negatiua, & magna, siue tanti mali carentia, in non eliciendo dolore, seu negatione doloris de illo malo proprio status damnationis apprehenso; ergo eis adest absoluta physica potentia, & libertas in actu primo ad illum suspendendum. Respondet ipse posse voluntatem suspendere delectationem, vel dolorem, de obiecto iucundissimo, vel acerbissimo intense proposito, ac vehementer apprehenso pro suo arbitrio ex apprehensione mali, quod in exercitio, vel delectationis de bono, vel doloris de malo, eum auertere apprehensionem vehementem boni illius, vel mali prægrandis pro suo arbitrio potest; secus, cum illam auertere non potest: perstante enim illa rapitur, velit nolit, voluntas in boni gaudium, ac delectationem, vel in mali dolorem, & fugam, & si exercitij alterutrius affectus difficultas, & malum menti obversetur, in Dæmonum autem potestate, & arbitrio, non est ingentis mali, tam positiui, quam priuatiui, propij status damnationis, apprehensionem auertere: quare nec apprehensa acerbitate doloris de illo, & bonitate negatiua carendi illa per doloris suspensionem, suspensio hæc in arbitrio, & potestate voluntatis eorum absolutè erit. Non acquiesco solutioni, si ex parte actus primi ad dolorem de illis malis apprehensio acerbitatis doloris illius pro posteriori naturæ exercite à voluntate concipiendi, ac subinde negatiuæ, in eo non concipiendo, bonitatis apprehensio talis in Dæmonibus admittatur, quæ apprehensioni intensæ, & vehementi de malis illis ita præponderet, vt satis sit, eorum voluntatem ex parte antecedentis ad eius doloris conceptionem in æquilibrio absolutè tali, & si minimo ad eius omissionem constituere: tunc enim, & si intensam apprehensionem de malis illis auertere voluntas dæmonum, præ arbitrio, nequeat, actus tamen proximus indifferentis potestatis voluntatis dæmonum ad eius doloris conceptionem, vel omissionem præfata obiectione demonstratur, quare, & impotentia physica absoluta, & ex parte actus primi voluntatis eorum ad eius doloris, & pœnæ sensus suspensionem euidenter reijcitur. Respondetur ergo: eiusmodi cognitionem agentis doloris illius de malo, tam priuatiuo, quam negatiuo, ac subinde negatiuæ bonitatis, in eo suspendendo, nunquam ex parte actus primi ad eum eliciendum in ea saltem intensione voluntari Dæmonum adesse, quæ sufficiat ad æquilibrium absolutè tale, adhuc minimum, ad eius doloris suspensionem: tum ex parte specialis prouidentiæ Dei, vt eos pro meritis pœna sensus puniat; tum ex vehementia apprehensionis malorum illorum, de quibus dolor est concipiendus, quæ ita dæmones, & alios damnatos, eorumque mentes occupat, vt vix acerbitati doloris de illis pro posteriori concipiendi locum relinquat; sed attonitos reddat: adeo, vt nec, postquam in instanti primo damnationis illam dolore concepto experti sunt præ intensissima eadem apprehensione malorum, eorundem sequenti instanti durationis ex parte actus primi propositorum ad dolorem eundem concipiendum, doloris vel nusquam, vel adeo leuiter, ac remisse attendant, vt eius apprehensio in præsentia vehementis alterius malorum illorum æquilibrium voluntatis, adhuc minimum, ad Doloris suspensionem absolutè, nequeat constituere: vt in iis patet, qui comburuntur aliquandiu, & continuo, velint nolint, donec ignis sensus & cognitio est, voluntate dolent, quin acerbitate doloris actualis huius de combustione immediate ante perceptæ attendant, vt ab eo concipiendo possint pro arbitrio abstinere. Quod ipsum de ingentis boni, vehementer, & quam intense apprehensi delectatione dicendum est, & si in ea concipienda labor esset, & acerba, seu molesta difficultas.

CERTAMEN III.

De pœnæ sensus Dæmonum, & damnatorum intensiua magnitudine.

1. Circa magnitudinem, intensiuam siue, intensionem pœnæ sensus dæmonum, & damnatorum reliquorum, certa quædam, & extra controuersiam posita præmittenda sunt, vt difficultatis in præsentiarum examinandæ scopus clarius dispiciatur, & innotescat. Primo certum est, pœnam sensus, tum de malis priuatiuis, tum de positiuis, quibus dæmones à Deo puniuntur esse intensissimam; quo vero gradu à nobis esse cordate indefinibile, ac subinde neque esse prudenter disputabile, vt patet; quod autem pœna hæc sensus valdè intensa cunctis dæmonibus, & damnatorum animabus sit certum itidem est; siquidem de solius gloriæ æternæ priuatione desperatus dolor, & tristitia, (quoad pœnam sensus, vt diximus, pertinet) tam vehemens omnibus, & singulis est, vt pro spe illam aliquando (& si post millium annorum millia) obtinendi totidem annis pœnas sensus quantumvis intensas cruciatuum reliquorum pacisceretur, pateretur que libentissimè, vt Dei prouidentia, & dispositione Dæmones, & damnati, sæpè apud fide dignas historias viuis hominibus testati fegunt: id quod, & qua priuantur, excellentia, & magnitudo gloriæ facilè suadet. Ad hæc pœna sensus ex ignis tortura dæmonibus, & damnatis cunctis communi proueniens ingens adeo est, vt quemvis dolorem à nostro communi igne in nobis productum, & productu in nobis possibilem ita intensione superet, vt ideo ignis noster, atque ex eo producibilis dolor pictus ab Augustino, ac Patribus aliis respectu illius merito dicatur. Ni fortè ea locutione, non solum intensione, sed specie, & essentia pœnam ignis, nostris à nostro igne cruciatibus, vt res picturæ suæ excellere velint. Tertio. De particularibus sensus pœnis, cuique vitio, & prauæ dæmonum, & damnatorum delectatione, respondentibus Deus solus, qui eorum affectuum, nouit intensiuam magnitudinem, nossa valet. Id nos solum, & rationi, & reuelationi Apocalypsis,

lypsis. 8. de damnatis, & damnandis omnibus in meretrice babilonica expressum: *quantum glorificauit se, & in deliciis fuis, tantum date illi tormentorum*, dicere possumus: maiori cuiusvis generis delectationi prauæ, maiorem, intensioremque pœnam sensus spectalem respondituram. Solum ergo, quoad pœnæ sensus intensionem, & intensiuam, seu quasi intensiuam magnitudinem ex pluribus individuis dolotibus, ex diuersis malis conceptis quæstio esse potest, an tanta sit, vt nullum dæmonum, & damnatorum gaudio locum relinquat?

2. In hac vero difficultate illud certum omnibus Theologis est esséque debet, vt docte noster Vazquez citat. d.242. c.3. n.7. §. *Ego quidem existimo primum*, pœnam sensus, seu dolorem, & tristitiam dæmonum damnatorum de malis status damnationis propriis locum de facto non facere gaudio, ac delectatione de vllo alio obiecto, qua pœna illa sensus leniatur, deferueat, ac mitteſcat. Hoc legitima illatione infertur ex dogmate æternitatis pœnæ omnis, cuiusque damnati, & fructus suæ damnationis propriæ (nec solum accidentariè aduentitiæ, & transeuntis, vt diximus) statuto à nobis. q.1. certam.1. num.1. Siquidem pœna sensus, quæ gaudio, & delectatione illa de obiecto alio mitteſceret, remitteretur, nec quanta intensiuè promeritis æternum insti genda denuntiata cuique extremo iudicio, & sententia damnationis fuit, æternè duraret. De gaudio vero, & delectatione pœnam sensus, non mitigante circa obiecta alia Soarius noster citato lib.8. c.15. docet: de obiectis aliis accidentariè obuenientibus dæmoni, vel damnato cuiuſvis, posse illum, gaudere leuiter, &, vtcumque, delectari; quin tamen pœnam cuique promeritis adeo taxatam remittat, aut leuet. In quam sententiam trahere conatur Alexandrum. 1. p. q.100. m.4. a.1. & 2. S. Thomam. 1. p.q.64. a.3. argum.1. iuncta eius solutione vbi ex Augustino t.1. lib.2. contra Manich. c.17. gaudium aliquod Dæmonibus de victoria contra homines tentationibus suis porta videtur concedere, sicuti, & in 4. d.45. q.2. a.2. & q.1. a.2. ad 4. Sed tamen horum doctorum nemo Soarij sententiam docuit. Non Augustinus: qui de gaudio victoriæ, & potestate superandi homines, quos ad peccata tentant, impellunt, ac vincunt, non verum esse ait, sed fictum, & verum potius pœnæ suæ augmentum; ita enim subdit. *Et inde maior pœna est, quod de hac tam infelici poteſtate*, (ecquod autem veri gaudij infœlicitas obiecti esse potest?) *qui solebat æquam cadere de sublimi veritate gaudere?* Pœnam igitur veram, ac dolorem captare dæmonem de sua hac potestate, & victoria parta contra homines ait, cum eam obtinet, ac non sibi bonam (vt eius in Deum, & homines odium, ira, & inuidia prius deceptoriæ pingebant, & proponebant ipsi, vt homines tentaret) & gaudij subinde obiectum, sed malam, ac infœlicem, & nouæ accidentariæ veræ pœnæ obiectum experitur: ac inde speratum à se gaudium in vmbras inanes, & vana phantasmata abijsse: inde ex Augustino edoctus sanctus Thomas citatis locis, præsertim ex.4. sententiarum, gaudium hoc dæmonum phantasticum appellauit: tantumdemque voluit Alexander, dum illud gaudium amaritudine plenum citato loco esse dixit: scilicet, vt ad speciem gaudium futurum appareat, fuitque vera pœna, & amaritudo, cum tenetur: vt de Sodomæ pomis vulgo dicitur ad speciem pulcherrimas manibus tamen, oreue compressas in fumum abire. Nihil ergo Soarij sententia præsidij in doctoribus habet.

3. Dicendum igitur est. Pœna sensus, seu dolor, & tristitia dæmonum, & damnatorum de in aliis propriis status damnationis, tam magna intensiuè est, vt gaudio de alio quouis obiecto, non solum de facto, sed de possibili locum in sensu composito excludat. Ita Gabriel. in 2. d.7. q.1. a.3. dub.1. Okam q.19. fine ad dub.7. Molina ad q.64. a.3. d.3. §. *Dicendum est nihilominus*. Ruiz de Montoya tomo de scientia d.53. sect.3. n.53. & sect.4. n.22. Vazquez citat. n.7. §. *Deinde dico*, ac deinceps, n.8. & 9 Arrubal. 1 p.t.2.d.18.c.1. Granados tract.14. d.4.n.1. Alarcon. citat. d.9. c.8. n.6. §. *Hac autem tristitia*, ac deinceps Præpositus ad q.64. a.3. in Comentar. n.11. §. *ex his sequitur*. Probatur primo: quia status Beatitudinis præ ingenti gaudio, & fœlicitate, eius propria, nullum tristitiæ locum de obiecto vllo, reliquit Beatis; ergo nec status damnationis, pro ingenti sua infœlicitate, ac de tot, tantisque malis ei propriis, & perpetuis vehementer, & intense cognitis tristitia vllum gaudio, & delectationi de vllo obiecto dæmonibus, & damnatis locum relinquit. Consequentia à contrario tenet. maxime, cum eadem sit ratio à priori pro vtroque data ab Aristotele 7. Ethicor. c.14. sub med. bene à Vazquez, vbi proximè, intellecto. *Voluptas aut contraria*, (id est, quæ dolori de eodem obiecto sub eadem ratione considerato contrariatur, vt oportet ad contrarietatem cum illis, & *quæuis*, (etsi propriè, & stricta lege dolori non contrarietur.) *Modo sit vehemens pellit dolorem*, quia quo magis, quis de obiecto bono possesso gaudet, quod maius ipsi, aliis tristibus, & malis appatet, eo minus de his tristari potest præsentibus: ergo adeo potest, crescere, & bonitatis obiecti possessi magnitudo, & respectu aliorum tristium excessus, & cognitionis eius intensio, ac subinde gaudij de ipso vehementia, vt locum doloti, & tristitiæ de illis, ita de bono gaudenti, non relinquat. Contra vero, ita potest crescere magnitudo mali, de quo tristamur, & excedere in sua linea bonitati aliorum obiectorum, de quibus gaudendum esset, atque eis intensius repræsentari, & subinde à Deo vehementem tristitiam de ipso ingenerare, vt gaudio, & voluptati de illis capiendæ locum occludat, Id quod in vehementer de aliquo ingenti bono, aut malo intense apprehenso, gaudentibus, vel tristibus, quotidie experimur. Ratio autem vtriusque à priori. Quia obiecta, bona, & iucunda ac mala, & tristia, vt ad gaudium, & voluptatem vel ad dolorem, & tristitiam trahat voluntatem sola magnitudine, suæ bonitatis, & iucunditatis, vel contra, iniucunditatis, & malitiæ & cognitionis, qua repræsentantur, inter se pugnentiae proinde cum alterius, & in vtroque excessus, longe maior, quam in altero est, non solum de facto voluntatem ad se vehementer trahit; sed præ excessu in motiuo, & cognitione sui alterius motionem intentionalem respectu voluntatis, debilitat, & frangit, vt solum ad contemptum sui remaneat, Cum igitur statui beatitudinis, bonum, & fœlicitas, de qua gaudent Beati, tanto excessu in sua linea creatis malis alis, & tristibus, quæ accidentariè euenire, ac repræsentari illis possunt, præcedant, ac item clare, & vt in se sunt cognoscantur; contra vero, tot, tamque status damnationis mala, cum sua perpetuitate, & æternitate dutationis vehementissimè, certissiméque dæmonibus. Et damnatis cunctis repræsententur, vt diximus: illi vehementi adeo gaudio, hi vero tam intenso dolore, atque tristitia, rapiuntur; ac perfunduntur, vt de aliis à Deo minoribus adiuentitis, & accidentariis malis, vel bonis, nec gaudere dæmones, nec tristari Beati vllatenus possint.

4. Probant. 3. Okam, Gabriel. & Molina. Quia Deus decreuit, ad gaudium nullum de obiecto vllo cum dæmonibus, & damnatis concurrere; tameſi de se bona occurrentia etiam eorum voluntati tristitia vehemente de tot, tantisque, & perpetuis malis præoccupatæ, atque absortæ gaudium aliquot possent ingenerare: quæ ratio impotentiam, eorum absolutam gaudendi optimè probat, atque in Beatis impotentiam similem tristandi ex decreto simili diuino, non concurrendi cum illis ad tristitiam de obiecto vllo concipiendam. Quod nihil absolutè violentum continet, vt Vazquez putat; cum status summæ, vel fœlicitatis, vel infœlicitatis exigentiæ naturali causarum, vt ad ipsarum effectus concursum ex parte sua necessarium, efferat, paratúmque habeat Deus longè præualeat, vt diximus non semel. Atque ex hac tertia probatione facillimè respondetur argumento aduersæ sententiæ præcipuo, quod sic habet. Quidquid absens obiectum desiderij esse alicui potest, potest itidem præsens, & possessum esse, eidem, gaudij & delectationis obiectum: atqui plura bona damnatis accidentia, & occurrentia possunt eis esse desiderij obiect, dum absunt, imo, & fuere de facto, dum ipsis aberant (vt patet in desiderio perdendi & seducendi homines ad peccatum, & damnationem, & ex dæmonum, ad Christum Dominum petitione Matth.8. ne in gehennam, sed in porcos mitterentur: ergo, si ipsis adfuerint, vt de facto adfuere, & hominum perditio, & in porcos immissio, potuerunt esse illis gaudij obiectum, & de facto fuere, si quidem ardenti alicuius rei absentis desiderio præsentis, & obtenti gaudium connaturalissime succedit. Hoc tamen nihil probat, & si concursus Dei necessarius ad veruuvis affectum à Dæmonibus, & damnatis concipiendum præsto: ex parte ipsius esset; secus vero, si ex parte Dei ad desiderium rei absentis solum, non autem ad gaudium præsentis esset. retur, vt tertia ratione multa probabilitate suaderur, Ne

Ne tamen huic rationi leuissimæ huius obiectionis solutio alligetur æqua facilitate respondeo, ex dictis n. 2. distinguendo maiorem: quidquid absens obiectum desiderij est, esseue potest, postea præsens esse desideranti obiectum gaudij, *ni ex falsa apprehensione bonitatis obiecti, absentis, qua eius præsentia, & possessione corrigitur, desiderium habeatur*, nego maiorem, adhuc quotidianis experimentis nostris, falsissimam. si autem sunt obiecta desiderij Dæmonum enumerata, & quæcumque alia velis enumerare ex falsa apprehensione bonitatis, & iucunditatis ex eis percipiendæ quæ illorum tamen præsentia, & obtentione Dæmonibus iisdem iniucunda, & acerba corrigitur; tametsi odio, ira, & inuidia in Deum, & homines continua, rursus, è continuo tota æternitate decipiantur, nec continuis experimentis corrigantur, ac falsam suam apprehensionem iucunditatis ex eis obiecti percipiendæ quominus eadem, aut similia alia, dum absunt, non desiderent.

5. Accedit tristitiam & dolorem vehementem de malis status damnationis propriis desiderio aliorum, quæ bona sibi reputant non repugnare, quia desiderium anxietatem, dolorem, & timorem, intense tristium affectus connaturalissimos, quare cum vehementi tristitia Dæmonum nō solum facile, sed amicissime compossibiles, secum defert: sicuti & cum statu damnationis, in quo eis etiam affectibus cruciantur. At vero affectus gaudij de obiecto quouis cum vehementi tristitia, & dolore, de adeo grandioribus malis status illius Dæmones, & damnatos præuentos ac præoccupatos, inuenient locum non habet, nec ipse affectus gaudij, nec vires eius obiectum, vt voluntatem monere possit iuxta dicta n. 3. & si non ex falsa apprehensione, sed vera de obiecti abientiæ aliquali bonitate desiderium Dæmonibus moueatur, quod cum tristitia vehementi, qua præoccupatos illos inuenit, impugnat, sicut pugnat de eodem obiecto præsenti, gaudium: quare maior illa de eodem vere, ac non, apparenter adhuc solum, bono obiecto, vera non est, vbi ex parte, voluntatis impedimentum vehementis tristitiæ, gaudio de obiecto eodem præsente adest. Est enim eadem maior propositio illa cum hac: obiectum, quod potest mouere voluntatem expeditam, potest mouere impeditam: quo nihil magis à veritate, & probabilitate remotius. Maxime, cum tristitia illa vehemens & ingens dolor ex magno, in sua linea, excessu mali & cognitionis eius, quam sit bonum de quo gaudendum erat, concipitur: vt in Dæmonibus, & damnatis, contingit, sicut in Beatis gaudium, quibus alia obiecta desiderare (sine anxietate tamen, timore) non tamen de eis non adquisitis, aut de malis aliis (puta hominum damnatione tristari ob vehemēs gaudium de longe maiori bono quod possident, & viuidam ius cognitionem, & hæc sit tertia & æque facilis argumēti aduersariorum solutio. Iam quod de lapsu, & perditione hominum nisi à viris sanctis, gaudere videreque apud fide dignas historias, legatur: gaudium simulatum ab eis exterius est, & Sardonicus risus veraq. solum in miseros homines irrisio absque vlla Dæmonū irridentium voluptate multaque eorum accidentaria amaritudine, & acerbitate. Sed neque Angeli de hominum (etiam suæ custodiæ commissorum) perditione positiue tristantur, de quorum tamen salute valde gauderent: ac proinde negatiue tristantur, quatenus gaudio illo accidentario, carent, quam vt hominibus (quibus aliter nequeunt) significent positiuæ tristitiæ, signis & vocibus vsi quandoque sunt vti, & de Spiritu Sancto tristitiæ positiuæ natura sua incapaci dicitur ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.*

6. Denique Soar. supra n. 10. opponit status damnationis & summæ miseriæ, non pugnat cum cognitione aliquarum veritatum naturalium (adde, supernaturalium fidei etiam, quam Dæmonibus damnaris supra concessimus) cum tamen status fælicissimus beatitudinis nullum physicum errorem admittat; ergo male ab incōpossibilitate, tristitiæ cum statu, & gaudio beatifico infertur à contrario cum statu miserrimo damnationis, & vehementis tristitiæ propriæ illius, incompossibilitas gaudij de obiecto alio in damnatis. Leuior adhuc obiectio. Argumentum enim nostrum à gaudio beatifico ad tristitiam damnationis est ad effectus voluntatis vehementis, gaudio, aut tristitiæ pugnantib. ex rationis repugnantiæ identitate, quæ in oppositionibus aliis à contrario faciendis neq; extenditur, nec potest extendi: vt quidquid alterutri statui adsit alteri debeat deficere vel contrarium ad esse. Vtque videret Soarius, quam male instantiam contra nostram sententiam & probationem assumpserit, animaduertere debuisset: veram cognitionem, etiam supernaturalem fidei, Dæmonibus & damnatis datam, seruatamue in illo statu esse, vt certissima atq; indefectibilis veritatis cognitione de suis malis eorumque, & infælicissimi status perpetuitate, acerbius, desperatiusque dolerent ac tristarentur, quod statui damnationis maxime congruit, cum supplicij pœnæ & calamitatis status sit: contra vero, cum beatitudo fælicitatis summæ status perpetuoque amicorum, & filiorum Dei sit, error ab eo omnis debet exulare, cum & defectus physicus ac vero gaudio, & delitijs Beatorum quibus destinatus status ille totus est, nequeat inseruire, sed fallo, & deceptorio alicui gaudio à Beatis relegando in hoc ergo, quoad cognitionem status damnationis, statui beatitudinis contrariatur. Quod his veras solum cognitiones admittat, quæ vere fælicitatem, nec solum apparenter, & eluforiè augeant, ille vero nullam, quæ nequeat, eius infælicitatem, cruciatus dolorem, & tristitiam facere, vel augere videbatur tandem ad pœnam sensus vniuersim spectare examen loci vbi nunc Dæmones, & animæ damnatorum puniuntur, & à postremo iudicio damnati omnes puniendi sunt: sed tamē, cum de sola pœna sensus ex ignis tortura, de qua pro nunc in Dæmonibus, & animabus separatis damnatorum aliqua explicatio requiratur; opportunius, quæstione sequente de Dæmonum tortura ab igne de loco, vbi ita torquentur, ac post vniuersale iudicium damnati omnes torquebuntur agemus.

QVÆSTIO IV.

De Dæmonum, & animarum separatarum tortura ab igne.

Dest iam difficilium de Angelis quæstionum ordine postrema, difficultate prima de Dæmonum, & animarum damnatorum hominum separatarum per materialem ignem, & calorem tortura in statu damnationis, quæ à Deo scholasticorum ingenia hucusq; torsit, vt perpetua eorum in scholis viæ, æque ac Dæmonum in damnationis termino tortura non abs re fore videatur. Cum modus, quo ab igne materiali, eiusque corporeo etiam calore spirituales substantiæ puræ, quæ subinde corpoream aliquam ipsis disconuenientem qualitatem physice pati nequeunt, & à quibus illam educendi actuitatem physicam agentia corporea habere non possunt (torquentur, torreantur, ac (licet sine destructione) crementur humano discursu & philosophica ratione assignabilis explicabilisque non appareat. Idcirco Aug. vbiuis in hanc incidit difficultatem piam suam, doctamque ignorantiam profitetur 12. de ciu. c. 10. *Miris inquit, & ineffabilibus modis accipiunt Dæmones ab igne pœnam*, serm 22. de verbis Apost. *Fidelis ignorantia, quam temeraria sapientia* de Spiritu, & lit. cap. 14. *ignoro. Cui responsio ista displicet, quærat Doctorem; sed caueat ne inueniat præsumptorem.* Consonat Magistro Prosper eleganti carmine libro de ingrat. Greg. 4. Dial. c. 29. c. 6. §. *Hac opinio* ex scholasticis fere omnes supponūt, fatenturque, expressius Durand. in 4. d. 44. q. vlt. Valq. d. 243. c. 6. §. *Hac opinio* circa med. & fine Soar. c. 15. n. 45 & 48. Alarc. cit. d. 9 c. 10. n. 1. quod, & nos potiori iure de nostra tenuitate sentire debemus & fateri, ei tamen inexplicabili difficultati emolliendæ, cæterorum scholasticorum modesto exemplo, & quam

portuerimus maximo, rationis, & ingenij conatu, atque labore insudare.

CERTAMEN I.

Quæstionis certa, & qua certitudine, supponenda statuuntur.

1. SVpponendum est Dæmones, & separatas animas damnatorum vero corporeo, nec solum metaphorico igne vere cruciari, contra Catherinum reiectum à Soario c. 12. atque anticipato ab scholasticis omnibus illo antiquioribus cum Magistro in 4. d. 44. ab Scoto d. 50. quæst. 1. cum tota sua schola à Sanct. Thoma 1.p.q 64. a.4. vbi Caietan. & Bannez dub. 2. atque vno tota, vtraque Thomistica schola Dominicana, & Iesuitica: quare singularitatis, & temeritatis Theologicam notam declinare Catherinus nequit cum suæ sententiæ nullum habuerit ducem, nec rationibus suis vllum traxerit: quare contra Theologos omnes absque noua probabili ratione, sed cunctis notissima difficultate perculsus in eam lapsus fuerit sententiam. An vero vlteriorem, censuram, & qualem mereatur ex scriptura, & Patrum testimoniis, & Doctorum virorum iudicio dicemus. Probatur ex scriptura Matthæ. 25. num. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* cap. 13. num 40. *fixerat, & igne comburuntur.* Lucæ 3. 17. *paleas autem comburet igne.* Marci. 9. ter, quaterque num 42. 43. 44. 45. 46. *Vbi gehenna ignis perpetui, & inextinguibilis* infernus dicitur, vt & ab Isaia. *Cum ardoribus sempiternis* cap. 66. num. 42. furat prædictum. Iudith 16. num. 10. *Dominus enim Omnipotens vindicauit in eos in die iudicij visitabit illos: dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Apocal. 14. n 10. vbi, cum venerit hora seu tempus iudicij Dei (vt præmiserat n. 7.) de quocumque adorante Bestiam, & imaginem eius, recipientequè eius caracterem, seu peccatore tunc deprehenso subdit *Bibet de vino iræ Dei quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum; nec habebunt requiem die, ac nocte* c. 20 n. 9. *& descendit ignis adeo de cælo & deuorabit eos, & Diabolus, qui educebat eos missus est in stagnum, ignis & sulphuris, vbi & bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum* n. 15 *& qui non inuentus est in libro vitæ missus est in stagnum ignis* c. 21. n. 8. *pars illorum erit in stagno ardentis igne* & c. 15. sui Euang. n. 6. *in ignem mittent, & ardet* vtrumque, & ignem, & combustionem propriam, æque certam docuit August. t. 4. lib. de fide & operibus c. 15. sub med. *erit* (inquit) *ergo æterna combustio, sicut ignis: cum Dominus sententiam suam concluserit dicens: sic ibunt illi in combustionem æternam.* Ac demum de epulonis diuitis anima, illa ad Abrahamum verba referuntur Lucæ 16. *quia crucior in hac flamma*, quibus Abrahamus adnuit, & refrigerij abnuit petitioni. Non est autem alia de Dæmonum per ignem corporeum, quam de animarum cruciatu, vstione, & vera tortura difficultas. Ad quæ loca interpretes, & Patres omnes, ac vbiuis de damnatorum omnium tortura, & cruciatu, per ignem, per verum corporeum ignem, quo vere, ac proprie crucientur, vrantur, & ardeant, fieri docent. Patres vide fuse recitatos à Soario supra à n. 12.

2. Ex his autem scripturæ locis, & concordi Patrum intelligentia, & sententia de vera Dæmonum, animarum separatarum, ac demum damnatorum omnium in inferno tortura, ex vstione, & cruciatu, per ignem corporeum Catherini sententia videtur grauiori Theologicæ censuræ obnoxia Vasquez, citat. d. 243. c. 1. n. 1. sub init. certum de fide non esse, nec oppositum subinde errorem, seu hæresim asseruit: quia, cum Græci in Concilio Florentino ignem purgatorij, verum, & corporeum esse negassent, atque omnes eorum errores sessi. vltima fuerint à Concilio damnari, atque eis opposita dogmata definita, super ignis purgatorij, veritate, & corporeitate nihil definitur, & tamen purgatorium esse definitur, cui sententiæ, & fundamento consentit Bellarmin. t. 1. controuersiar. controuer 6. generali de purgatorio lib. 2. c. 11. §. *Quantum ad primum*, vbi sententiam de vera ignis Dæmonum, & damnatorum corporeitate probabilissimam tantum concludit; sed statim § *Primo propter* oppositam temeritatis notat; supponit autem vterque purgatorij, & inferni ignem esse rationis, & speciei eiusdem vt eorum fundamentum valeat; sin enim, ignem purgatorij, vere corporeum negantium, nil veram ignis damnatorum corporeitatem negantibus, præsidij affert, quominus, de hæresi damnantur. Siquidem pro vero corporeo inferni igne, quo cruciantur, tot sunt, tamque aperta scripturæ testimonia, vt vidimus ex testamento vtroque; pro vero autem purgatorij igne, in veteri nullum, in nouo vero illud Pauli, ex. 1. Cor. c. 3. *ipse vero saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*, quod similitudinem habere ignis videtur, non proprietatem: quemadmodum Malachiæ 3. *ipse sedebit, quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui & colabit eos*, quod igne, vel tribulatione huius vitæ, vel iudicio Dei, etiam aduersus amicos iudicandos, vt nihil eis de debitis pœnis remittat plures Patres intelligant. Videndus est Bellarminus lib. 1. de purgator. c. 3. & præcipue c. 4 § *Secundus locus* qui citato lib. 2. c. 11. solum de purgatorij igne corporeo probabilissimam sententiam esse dixit, & negatiuam temerariam de corporeo vero igne inferni plus certitudinis recognoscit inferius § *Quinto quia* vbi ex identitate specifica ignis purgatorij cum inferni igni certe corporeo, ignem purgatorij corporeum esse concludit.

3. Bannez ad cit. q. 64. a. 4. dub. 2. docet negari ignì, quo Dæmones, & damnati, cruciantur, torquentur, & ardent, corporeitatem errori saltem proximum esse Soarius vbi proxime cap. 12. damnatorum omnium, etiam Dæmonum cruciatus, vstionem & torturam veram igne corporeo fieri dogma Catholicum esse docet, & oppositam subinde sententiam hæresim formalem, & errorem in fide Maldonatus noster in c. 25. Matth. §. penult. ad illa verba *in ignem æternum* post init. *Duo* (ait) *in ea re certa sunt: alterum, quod fides docet, vera esse supplicia quæ non cogitatione solum, sed sensu, tactuque percipiuntur* a reliquis damnatis qui in ignem inferni eis verbis mittuntur suppliciis vero sensu, tactuque ex igne percepta, ex igne vere corporeo sunt: ac proinde id videtur. Maldonatus de fide reputare; cum tamen infra linea 9. id negantes temeritatis notę tantummodo subiiciat: cuius censurę moderatio, ea solum ratione defendi posse videbitur: quia, sicut in opposita, vera ac certa, sententia ignis vere, & physice corporeus percipi sentiri cruciare, & torquere Dæmones, & animas separatas hominum damnatorum spirituali solum perceptione, & vt sic loquar sola & sensatione, ac dolore dicendus necessario est (quacũque, ratione & modo id asseretur) sentiri, ac percipi ab eis sensu, tactuque corporeo, ac eos corporeo etiam dolore ignem torquere, &, cruciare æqua ratione asseri posse. Censura ex Bannez relata de erroris proximitate, nescio qua possit ratione probari. Nulli enim alteri fidei dogmati per legitimas consequentias solum, aduersatur sententia negans vero igne corporeo damnatos omnes, etiam Dæmones cruciari, vt oportet ad hoc, vt solum errori proxima, sit, quare censeo nullam temeritate grauiorem Theologicam censuram in sententiam negantem ferri posse, in hæresis formalis, seu erroris in fide censuram mereatur, de qua meum sensum subdo.

4. Ignem, quo damnati omnes (etiam Dæmones, & animæ damnatorum) cruciantur torquentur, exuruntur, & æternum cruciabuntur, & punientur verum corporeum ignem esse fidei dogma est, ac subinde id negans sententia hæresis formalis, & expresse error in fide. Consentio proxime citato Soario nostro,

nostro, quem Vasquez etiam noster, vbi proxime, Recentiorum nomine refert, estque expressa Ricardi sententia de Sacramentis p. 16. c. 3. *Vbi verissime authoritate sacri eloquij & Catholicæ veritatis probatur testimonio corporali, & materiali igne animas, etiam nunc ante susceptionem corporum cremari*, cui consensit Quiros t. 2. tr. 8. d. 76. sect. 1. n. 1. §. *Pramitto primo*. Probatur: quia quidquid expresse reuelatum à Deo in scriptura est, de fide est: atqui ignis corporeus verus, quo damnati omnes, etiam Dæmones cruciatur, reuelatus nobis in scriptura est: ergo cruciatus Dæmonũ igne vero, & corporeo de fide est. Minor probatur ex recitatis scripturæ locis n. 1. vbi damnatos omnes, igne cruciandos toties, ac semper nobis dicitur, & vrendos, à voce quidem ignis nobis noti, non autem substantiæ, aut qualitatis alterius spiritualis hominibus ignoti significatiua, nec metaphorica eius vocis significatione; alioqui non semper, neque vnquam aliter, quam voce ignis specialiter, & toties damnatorum omniũ pœna, & cruciatus significarentur: cum tamen, vel semel posita in scriptura vox proprietate sermonis debeat intelligi ex stata Theologis Iconij regula, vbi dogmati fidei, nec proxime, nec remote legitima illatione aduersetur. Secundo: quia pœnæ, supplicijque sententia iudicialis, non metaphoricis vocibus, sed propriis pœnæ, & instrumentorum etiam, quibus infligenda est; profertur, & reis intimatur; alioqui alio detortis metaphorice vocibus, eludi pœna in executione à Deo, & executore supplicij possent: verba autem Christi Domini Matthe. 25. iudicialis sententiæ pœnæ non solum hominibus, sed, & Dæmonibus subeundæ ignis verbis, *in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius*, quæ vtrisque etiam infligenda, inflictaque prophetice dicitur à Ioanne Apoc. 20. n. 9. verbis à nobis recitatis n. 1. ergo propria ignis, ac proinde veri, & corporei significatione. Hoc præcluſa manet euasio: quod, scilicet, frequentes adeo scripturæ locutiones de cruciatu vero igne corporeo damnatorum in inferno, de damnatorum hominum post iudicium postremum solum modo intelligi debeant; non autem animarum separatarum ante illud iudicium, nec Dæmonum vnquam, qui, sicut animæ inseparatæ, pure spirituales substantiæ absque vllo corporis consortio semper sunt, & in quos proinde ignis corporei actiuitas nihil possit.

5. Præcluſa, inquam, ea euasio locis Matthæi, & Ioannis est: quibus ignis crucians damnatos toties ab scriptura proprietate significationis, quam vox ignis, apud nos, quibus scriptura loquitur, habet, corporeus est in sententia damnationis, vbi locus metaphoricæ, ac minus propriæ significationis non est: & additur esse eundem, cum igne parato ad Dæmonum cruciatum: vti etiam communis cruciatibus Dæmonum, & damnatorum hominum loco Apoc. asseritur: ergo eis locis corporeo igne toties ab scriptura proprietate sermonis expresso cruciandos Dæmones reuelatum est. Vrgeo ex his locis reuelatum est ignem, quo cruciantur Dæmones & homines esse vtrisque communem: vel ergo, qui communis vtrisque dicitur corporeus est, & dicitur, vel quidpiam spirituale: si primum habetur intentum. Si secundum incidis in difficultatem similem, & æquam ei, quam fugis, in eandẽ: quod, scilicet, sensus, & tactus materiales hominũ reddi viuorum damnatorum spirituale illud percipiant, vt eo vere crucientur: quod æque est difficile, atque substantias spirituales, ignem eiusue calorem, & ardorẽ corporeum percipere, eoq; physice, ac vere torqueri: qua difficultate sola pertentus in sensum impropriũ verba scripturæ toties repetita illicita cordato, sanoque Theologo interpretatione detorques. Dices hactenus à nullo Concilio definitum est ignem inferni, & dãnatorum esse corporeum. Certe à paritate ignis purgatorij non definiti corporei in Concilio Florẽtino male id probabis, vt dixi n. 2. post med. sed cordato vbi Spiritus S. toties, veritatem aliquam in scriptura proprietate sermonis Ecclesię suæ expressit Conciliorum definitione (quæ eius reuelatio, non est, sed contentæ reuelationis in scriptura, non ita clare declaratio,) vt de fide sit, atque ob Dei reuelationem, & testimoniũ,

ac fide Catholica credi, teneriq; debeat opus non est. Et quamuis nonnulla, in scriptura expressa, ac subinde de se absque Conciliorum, & Pontificum definitione ad fidem Catholicam spectantia contra hæreticos in media luce cæcutientes definita ab Ecclesia fuerint; id tamen tunc maxime factum, cum eorum erroris minus doctorum, & simplicium Christianorum malo in Ecclesia grassabantur ampliusque inualescerent, in veritatis definitione, & contrarij erroris damnatione, & anathematismo cautiores redderentur fideles. Etsi autem negantium absolute, infernum, eiusque pœnas error diuagatus aliquando fuerit, & in Ecclesia, non apud pauculos inualuerit, ac proinde eius dogmatis de inferno, eiusque pœnis definitiones & oppositi erroris anathemate confulendum, consultumque fidei Catholicæ sinceritati, & fidelium saluti merito fuerit: eo vero dogmate admisso circa pœnam, & cruciatum, igne vero corporeo error negans nunquam in Ecclesia, ita percrebuit, vt ad prouidendum fidelium sanitati, & saluti Concilium ab Ecclesia cogi, ac dogma adeo expressum in scriptura definiri, & oppositum generali anathemate insectari oportuerit: maxime, cum de eo extet Patrum scholasticorum, & Ecclesiæ totius à suis primordiis constans perpetua, ac nunquam interrupta traditio.

6. Et hæ quidem euasiones præcipue pro aduerso errore esse poterant, sed adhuc dices in aliquot ex citatis locis scripturæ (scilicet Isaiæ, & Marci) cum pœna ignis damnatorum pœnam, & cruciatum à vermibus eorumdem perpetuum, etiam dici: qui, solum metaphorice pro conscientiæ morsu intelligi respectu Dæmonum, & animarum separatarum potest, ac plerumque vniuersim à Patribus intelligitur. Respondetur ab Isaia, & Marco expresse agi de pœna damnatorum hominum rediuiuorum, qui propriis, ac veris, vermibus, nec solum metaphoricis æternum cruciabuntur; qui cruciatus nullibi dicitur Dæmonibus etiam communis, vt dicitur cruciatus ignis communis vtrisque. Matt. & Ioan. recitatis testimoniis. Patres vero, vt cruciatum alium certum, & vtrisque communem morsus spiritualis conscientiæ docerent metaphorico etiam sensu vermis corrosoris vocem interpretati sunt, cum proprio ab Spiritu S. etiam intento vt alibi sæpe contingit, cum in hominum rediuiuorum damnatorum (de quorum pœnis ibi) & proprius, & metaphoricus vermis morsus, & cruciatus locũ habeat, & æque in Dæmonibus damnatis cruciatus, ex eis alter: metaphoricus scilicet, & spiritualis. Simile est illud de tenebris perpetuis, quibus, ac fletui, & dẽtium stridori homines nonnullis Euangelij paraboIis damnandi significantur: respectu siquidem hominum, de vtroque, corporeo, ac mentium fletu, & stridore dentium spirituali, ab Spiritu S. etiam intento, locum interpretatio habet & à Patribus proinde recte etiam sæpe intelligitur. Deum, quod semel, aut iterum cruciatus aliquot speciales damnatorum metaphorice ab scriptura dicerentur: nullatenus probat ignis, cruciatum toties constanter ab scriptura repetitum, & in sententia iudiciali stricta damnationis expressum, metaphorice etiam accipi, & intelligi posse instabis ignem nostrum, ab Augustino; & aliis Patribus comparatione ignis, quo cruciantur damnati omnes pictum appellari: pictura autem rei pictæ proprietatem non habet. Sed volunt Patres excessum vehementiæ, & acerbitatis, qua ignis inferni præ nostro hoc communi, vt eius vsitione cruciet damnatos, significare vt vulgo de rebus, etiam speciei eiusdem, perfectionis tamen, vndecumque excessiuæ aliis, nostro idiomate dicitur: *Radelo vno ab otro, laquexa de lo viuo alo pintado*. Secundo specifica distinctione ignis inferni à nostro (de quo statim) obiectio euanescit. Aliqua Patrum testimonia, quæ contrarium sonant aliquatenus, explicat facile Soar. c. 3. n. 27. Pro hoc autem Catholico dogmate recitauerat testimonia Patrum innumera. Solum aduerto, quandoq; amanuensium, & transcriptorum errore ignem gehennæ incorporeum apud Patres legi; cum tamen, ex cõtextu, eos ibi corporeum esse doceant: ex quo proinde amanuẽsium error deprehendi, corrigiq; debet. Vt in Greg. 15.

Moral. c. 14. obseruauit Bellarmin. 2. de purgatorio, cap. 11. § *propter Gregorij authoritatem*; duo testimonia videntur difficiliora Ambros. 7. in Lucam, c. 14. §. 3. *ergo neque corporalium stridor, aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis*, concedit aduersiæ sententiæ Ambrosium Arriaga, in re, tunc non adeo explorata lapsum; sed male: cum expresse ibi Ambrosius solum speciei diuersæ à nostro vsuali & mixto, quem corporalis nomine intelligit, esse, contendat; non autem incorporeum, sed sub genere corporei tamen contentum. Alterum Augustini, 21. de ciuit. cap. 10. vbi ait: *talem esse ignem, quo diues cruciatur, qualis eius lingua, & lauari digitus*: metaphoricum nempe, sed cum eodem cap. ignem verum esse in inferno dicat, & corporeum, & si modum, quo spiritus torquet, se ignorare fateatur, verum ignem negasse ibidem admitti à sano homine nequit, quo circa plura; sicut Ambrosius discurrit, quam asserit, ibi.

7. Vt corporei huius ignis veri, quo ex fide dæmones animæ separatæ damnatorum (& fors, damnati aliquot homines corpore, & animo ex historiis Ecclesiasticis, & epulo ille auarus) nunc cruciantur, & à postremo iudicio æternè inferno damnatis cruciabuntur natura (quantum à nobis potest) explicetur, duo adhuc sub iudice examinanda sunt. Primum: an eiusdem cum nostro hoc igne, quo vtimur, & quandoque cremamur, speciei sit? Bellarminus citatus lib. 2. de purgatorio, cap. 11. eiusdem speciei esse ignem inferni cum igne hoc nostro, §. *septimo id confirmatur*, censet: nam igne erumpente ex Æthna dæmones, & damnatos cruciari videtur ex historiis, & reuelationibus, à S. Gregorio Magno, & aliis fidei, pietatis & doctrinæ probatissimæ approbatis (quos ipse retulerat, cap. 6.) cui sententiæ, vt probabiliori, adhæret Arriaga, disp. 26. sect. 1. num 4. §. *ex dictis in his*. Meratius, disp. 55. sect. 1. eam communem appellans vbi proxime, est autem Æthnæ ignis mixtus, & speciei eiusdem cum igne vsus communis nostri, Maldonatus, etiam noster, citato §. penult. in cap. 25. Mathæi, ex communi veterum Doctorum & Patrum sententia docet esse ab vsuali nostro conditionis naturalis, seu speciei diuersæ, nominatim pro hac sententia citans Origenem homil. 9. ad diuersos, & tract. 34. in Matth. Ambrosium commentario citato in Luc. cap. 14. Hieronymum in cap. 65. & 66. Isaiæ. Damascenum, 4. de fide, cap. vlt. cui sententiæ libenter acquiesco; tum, quia communiori scholasticorum, & Patrum: tum, quia vsualis noster ignis mixtus sub genere corporei ignis ab elementali specie diuersus est; cum tamen non adeo, ab illo, atque ab igne damnatorum proprietatibus differat, & effectis. Tum demum, quia plura, quæ de igne inferni, & damnatorum ab Euangelio, Patribus, & Doctoribus constanter dicentur citra miraculum nostro igni non euenirent; igni vero corporeo speciei alterius competere citra miraculum possunt: vt tenebras non pellere, nec illuminare. Circa secundum dubium an ab igne purgatorij specie differat? Vasquez, & Alarcon, purgatorij, & inferni ignem speciei eiusdem esse censent: dum ex eo, quod in concilio Florentino ignem purgatorij esse corporeum definitum contra negantes Græcos, non fuerit & esse id de igne inferni definitum, deducunt, cui sententiæ, & fundamento Bellarminus citato cap. 11. videtur consentire; etsi, ex mea definitionis omissione contra Græcos de igne Purgatorij ea consequentia ad ignem inferni, non extendatur. Clithoræus ad locum Damasceni fuse hanc quæstionem versat. Censeo cum præfatis Doctoribus, eiusdem speciei infimæ vtrumque ignem esse: cum non alios effectus, neque aliter in animas purgatorij, ac in animas damnatorum æterne habeat.

8. Veritatis Catholicæ de vero damnatorum cruciatu vere corporeo igne occasione disputatur à Recentioribus, an verè etiam corporea, niue, & frigefactione crucientur? Et ita etiam cruciari videtur Iob docuisse, cap. 24. illis verbis. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius.* Sed postrema verba ostendunt, prima de pœnis inferni, quas peccatori illi in Posterioribus, imprecatur intelligenda non esse. Secundo, quia inferni ignis æternus, nec niuis, frigore vicissim interrumpendus (vt illud tandem significat) ex fide est: quare, & extra rem communem ignem corporeum inferni à nonnullis obiciuntur, quia veræ niues, corporeæ in inferno non sunt; quæ tamen, æque, atque ignis, ibi esse, & cruciare damnatos à Iobo dicuntur. Sed tamen Hieronymus, & Petrus Damian. apud Soarium, cap. 12. num. 22. id videntur insinuare, & stridor dentium in inferno à Christo Domino denuntiatus futurus, frigoris vehementis proprius effectus videtur. Soarius, num 24. & Alarcon, citat. cap. 9. num. 1. §. *supponit hac quæstio*, fine dubij super hanc quæstiuncula annuunt. Ego vero cum Arriaga, sect. 2. num. 5. §. *Mihi in hac quæstione*, negatiuæ sententiæ adhæreo: Primo, quia absque vllo in scriptura fundamento cruciatus niuis in inferno asseretur cum Iobi textus extra rem sit. Secundo, quia contra affirmatiuam extant testimonia scripturæ pœnam, & cruciatum damnatorum igne futurum denuntiantia; nusquam autem omitterdus esset, (maxime in postrema damnationis sententia) niuis adeo vehemens cruciatus, si ad eum etiam subeundum in infernum mitterentur. Tertio ex illa diuitis epulonis petitione ad Abrahamum de gutta aquæ, vt refrigeraretur lingua, quia intus flammis ignis inferni cruciabatur ostenditur; cum nil frigori ibi habere, nedum magnum ex aquis niuium, qui tantillæ aquæ refrigerium anxie adeo, atque instanter expostceret, nec minus niuium frigore concretus algescens eius, quam flammarum ardori remedium calidi alicuius applicationem medium procuraret, & quamuis totum hoc colloquium epulonis illius parabola fuerit, non historia, vt supra docebamus, cum tamen à Christo Domino fuerit inducta, vt cruciatuum, qui immites & diros pauperibus peccatores manent terrore ab immisericordia, & auara inhumanitate deterreret, veris inferni cruciatibus in quos inhumanitate, & duritie peruenire similes peccatores possent contingensque, ac vero simile esset aliquos, & impium illum diuitem peruenisse parabolicum colloquium illud fuit plane constructum, quare idem robur tertium hoc argumentum habet; quarto, quia ignis inferni ardor æternus est ex fide, nec vnquam interrumpendus, vt niue, vel continuo, vel multoties damnati algescant miracula tota æternitate, vel continuo, vel interruptim, absque vllo studiamento admittentur incontrariorum summe intensorum in eodem, imo innumeris subiectis simultanea coniunctione: de stridore dentium dicebamus supra metaphorice dici ab scriptura, ni forte de rediuiuis damnatis (de quibus illa loquatur) tantum loquatur; nec tandem dentium stridor vehementis solum frigoris effectus, sed cuiuslibet etiam ingentis cruciatus, imo, & affectuum animi plerium iræ, inuidiæ & effectus esse solet.

CERTAMEN II.

Variæ sententiæ de cruciatu spirituum igne verè corporeo reiiciuntur.

1. PRima sententia Auicennæ, 9. Metaph. c. vltim. Alberti, in 4. disp. 44. art. 20. ad vltim. & probabilis æstimata à Bonauentura infra docet: falsa apprehensione, & iudicio, disconuenientiæ ignis corporei re quidem, & iure non disconuenientis

Deum

Dæmonibus, eos (& idem est de animabus sæparatis damnatorum) dolere, tristarique: ac eo solum modo cruciari atque torqueri, vt nobis somniantibus pure phantastica mala tristari, ac dolere contingit, est tamen expresse reiecta à Gregorio sententia prius, quam ab aliquo cogitaretur 9. Moral. cap. 38. aliàs, 45. his verbis. *Recte inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt nequaquam pœna transitoria, vel phantastica imaginatione cruciant, sed vltione solida.* Secundo, quia vltio crematio flammarum conceptio, & ignitio propria, significatione, & sensu, quibus dæmonum ab igne cruciatus toties ab scriptura asseritur estque dogmatice tenendus dolore, & tristitia ex falsa illa apprehensione saluati non potest, si non igne sed falsa sua apprehensione & iudicio cruciabuntur: vt exemplum somniantium, & delirorum, quo hæc confirmatur sententia, satis euincit: quare merito Maldonatus recitatus cert. 1. num. 3. cruciatum dæmonum, & damnatorum inferni igne verum, & realem, nec solum cogitatione esse, vt fidei dogma statuit. Tertio, quia is error ab igne, ipso non prouenit: quare nullo sensu, aut modo adhuc intentionaliter, igne cruciabuntur. Quarto, quia cum nulla causa naturalis, eius erroris damnum sit, recurrendum erit ad Deum, qui eam falsam apprehensionem, & errorem & si non totalitate causæ, quia vitalis actus est, ast vt causa partialis, nec solum vniuersalis, sed particularis, vel immediate, vel mediis speciebus deceptoriis à se infusis, cum Dæmonis intellectus efficiat; quod & miraculum continuum, per æternitatem totam, qua ignis cruciatus, Dæmonibus durabit, sine vllo fundamento inducit: & sine vllo fructu, cum cruciatum ignis ab scriptura, & Ecclesia assertum non defendat, vt vidimus. Quinto: quia etsi leuis aliqua tristitia, aut velleitas voluntatis, ex sola apprehensione mali (vt de delectatione ex sola apprehensione dicebamus) esse possit; ast vehemens tristitia, & dolor de malo, iudicium aliquod de eius præsentia, & disconuenientia, requirit, vti & cum abest de eius malitia, & imminentia iudicium aliquod vltra apprehensionem, requiritur, vt timeatur, cum autem ignis secundum se nocuus Dæmonibus iuxta ita opinantes, nec esse possit: idque Dæmonibus eius naturam intuentibus euidenti iudicio innotescat: miraculo, vt minimum alio, tota æternitate continuato, sine fundamento, & fructu cruciatus ille phantasticus dæmonis perpetuus peragetur ni tota æternitate dæmones fingas dementes, & deliros, ac naturæ ignis ignaros.

2. Sexto erroneum iudicium, cum euidenti assensu circa idem obiectum, nec diuinitus in eodem subiecto esse potest, ob motiui intentionalis necessario, & essentialiter ad assensum requisiti, nullatenus physice à Deo eiusque omnipotentia supplebilis, debilitatem: vnde nec assensum, probabilem, nec fidei, quantumuis certæ, humanæ cum euidentia, siue intuitiua, siue discursiua obiecti eiusdem absolute repugnantem sæpe docuimus: quia non potest intentionaliter ad assensum monere debilius vndequaque motiuum adstante motiuo, vndequaque fortiori; & si fidei diuinæ motiuum, quia certius, motiuo euidentis cuiusvis, etiam intuitiuæ, cognitionis cum euidenti quauis obiecti cuiusvis cognitione facile assensus fidei Diuinæ componatur, vt eisdem locis docebamus: motiuum autem ob quod phantastice malum, & disconueniens esse assentiantur, & iudicent, quam motiuum intuitionis, quatenus ibi nocium esse posse ignem iuxta hanc sententiam apprehendunt, & iudicant subinde intuitiue valde debilius est, sexto denique ex eodem principio de fortiori motiuo euidenter proposito impossibilitatis nocumenti ab igne recipiendi, quam nocumenti ab igne recipiendi, ac recepti, propositi per phantasticam illam apprehensionem, & sequens (si vlis) erroneum iudicium infertur: gaudere quidem voluntate sua dæmones posse, quod pati ab igne nequeant; nullatenus vero posse dolere, tristarive quod ab eo erroneo iudicio, & apprehensione phantastica patiantur, & sanè (vt aduersariorum exemplo ipsos insecter) nemo somniantium, cui euidens, & intuitiua apprehensio de oppositi sit, phantasticis sibi nociuorum obiectorum apprehensionibus tristatur, & dolet, quia defectus intuitionis, & euidentiæ de oppositi locum monendi, cum ad erroneum assensum, tum ad dolorem, & tristitiam in voluntate somniantis phantastica apprehensione facit; quare, si adest prorsus occludet vtrique. Nec fauet huic sententiæ Gregorius I V. Dialogor. capite 29. scribens: *ignem, namque eo ipso patitur, quod videtur: & quia cremari se aspicit, crematur.* Sed tamen, ab igne ipso corporeo, & visibili subdit, *ardor, ac dolor inuisibilis trahitur & per ignem corporum mens incorporea, etiam incorporea flamma cruciatur.* Phantastica vero apprehensio sententiæ huius, & ex ea dolor, & flamma, atque spiritualis ardor, ab igne non trahitur: quare secundæ sententiæ de actione ignis, intentionali potius Gregorius fauere videretur, ni subiunxisset infra, *quamuis colligere, ex dictis euangelicis possumus, quia incendium animæ non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur.* Scilicet physica ignis perpessione; cui postremo insistit vt propriæ sententiæ quam deinceps explicat, & confirmat, nosque explicatius sequemur. Sed hactenus impugnata sententia iam diu ab scolis exulauit ob aliqua ex dictis, nec alium præter Albertum habuit authorem, & si tam male excusetur à Soario, quam pro ea ab aliis referatur Ægidius Romanus. Potest vero pro ea citari merito Zumel. 1. p. qu. 64. a. 4.

3. Secunda sententia docet ignem cruciare dæmones sola eius in ipsos actione spirituali intentionali, non quidem falsa, & phantastica, vndecumque profecta, sed vera, ac verè ab igne causata cognitione: ex qua vere, maximeque tristentur Dæmones doleant, & crucientur, ita Cotus, in 4. disp. 44. quæst. 2. §. *de secundo modo*, Gabriel (seu potius eius supplementum) ibi, quæstione 3. articulo 2. conclus. 5. referens Okamum, quodlibeto primo, quæstione 19. Ægidius Roman. quodlibeto 2. quæstione 9 quodlib. 4. quæstione 15. Richard. in 4. distinctione 44 articulo 2. quæst. 3. qui duo ab Scoto, Gabriele, & Okamo differunt: quod mediis speciebus ab igne, vt Dei instrumento productis ea cognitio in Dæmonibus fiat; hi vero tres, quod ab igne, vt instrumento etiam Dei, immediate, nulloque specierum interuentu, ea fiat cognitio: quod ad præsens refert parui: sicuri & falsa alia de perturbatione intellectus angelici per species illas, vt alia cogitare non possit, vt Richardus addit, cum alia a Dæmonibus cogitari in energumenis experiamur; & quod ait Ægidius de læsione physica intellectus Dæmonum per specierum illarum spiritualium receptionem; etsi non ita nostro intellectui contingat receptione specierum ex phantasmatibus ab intellectu agente productarum: quæ & subtilem discriminis huius rationem persequi, & insectari huius loci non est & facile à quouis fiet. Huic porro sententiæ generatim, & vniuersim sumpta, olim consensisse refertur Algazolus 5. physicor. capite quinto, de pœna animarum, & recentius Arrubal, disputatione 141. capite 3. Amicus, disputatione 21. de Angel. sect. 4. numero 90. Theoph. Raynaud. de Theologia naturali distinct. 8. quæstione 4. articulo 4. etsi de obiecto eius cognitione mediate, vel immediate ab igne vt Dei instrumento causata cruciantur Dæmones, tristantur, ac dolent, citatis doctoribus non conueniat. Algazel, Arrubal, & Amicus censent obiectum, cuius cognitione, vel species spirituales ignis, vt Dei instrumentum, producit vltra alligationem igni, quam damnatis repræsentat, esse carentiam, seu priuationem boni desi-

derati, scilicet gloriæ, & visionis Dei; sed certe, nihil præstat, ea specierum, & cognitionis gloriæ amissæ ab igne productio, vt eo torqueri, ne vt ab obiecto quidem, dicantur, sed in alio, nempe gloriæ priuatione, quæ secundum se pœna damni est, cognita vero pœnam sensus seu dolorem, & tristitiam ingenerat dæmonibus, diuersam per doctores omnes, & longe maiorem pœna sensus, qua ignis torquere illos apud scripturam Patres, & scholasticos dicitur, nulla mali illius priuatiui, & sensus, ex eius cognitione in damnatis conceptis verbis, *in ignem æternum*, habita ratione: vt ideo Arrubal ad pœnam sensus ex alligatione Dæmonum ad ignem recurrerit etiam: quia sensu, & dolore de gloria omissa pœnam, & cruciatum specialem ignis ab scriptura Patribus, & scholasticis assertum nullatenus explicari videbat, sed neque alligatione illa, vt communiter intelligitur, satis explicari videbimus certamine 3.

4. Ægidius obiectum, eius cognitionis, & sensus, non tam ignem specierum illarum instrumentum actiuum, quam species ipsas videtur asserere. Ait quippe: species ipsas ab igne instrumentaliter productas præ sui intensione dolorem & tristitiam Dæmonibus causare, vti in nobis species nimis intensæ potentiis vitalibus sui disconuenientia sensum doloris, & tristitiæ facultati appetitiuæ efficiunt. Sed speciale hoc Ægidij confutatur benè à cæteris: quia species cum perfectiuæ potentiæ cognoscitiuæ, eiusque completiuæ in actu primo sint, & eo magis, ac melius, quo sunt intensiores, ac viuidiores, nequeunt intensione sua læsiua potentiæ esse, quam de se potius adiuuant, complent, & perficiunt; vti neque ex eis orta intensa quantumvis cognitio; nisi, vel obiectum propinquitate requisita, ad intensam, speciei suæ impotentiam immissionem, alias nociuas organo, ac eius temperamento qualitates inducat: vel confluxu spirituum vitalium copioso ad intensam cognitionem necessario cerebrum, seu phantasiæ organum nimium, contra ipsi connaturalem temperiem incalescat, quæ in substantijs spiritualibus pure (vti Dæmones, & animæ separatæ sunt) quæ nec organis adhuc spiritualibus, & quarum finxeris qualitatum spiritualium temperamento constantibus, nec egent, nec vti absolute possunt ad cognoscendum, sed potentia solum intellectiua ipsis realiter identificata speciebus adiuta cognoscunt, locum minime habent, vt harum intensione lædantur, neque ex his orta intensa cognitione: cum potius speciebus magis intensis in actu primo & intensiori cognitione in actu secundo magis meliusque perficiantur, & quidem si intensione speciei, & cognitionis spiritualis substantiæ cruciarentur; Dei speciebus, & cognitionibus Beati omnes, qui toti in Deum intuendum rapiuntur, cruciatum similem cruciatui Dæmonum ab igne æternum paterentur, & quo Beatiores maiorem: quod absurdissime admittetur: vti & eos ab speciebus pluribus intensis, quas de obiectis pluribus habent, & intensis obiectorum, quibus impensius attendunt, cognitionibus cruciatus plures in statu illo fælicissimo pati.

5. Scotus, Okam. & Gabriel intentionalis huius cruciatus, & cognitionis à Deo per ignem vt instrumentum Dæmonibus immissæ obiectum ignem esse dicunt specialiter vero (vt mittam, quod, etsi falsum ad rem præsentem nihil refert in eam nihil Dæmonis intellectum agere, sed solum recipere) addunt per illam determinari intellectum Dæmonis ad ignem illum cogitandum æternitate tota, quin ab eo cogitando, vel per vnum instans possit ad alia diuertere; quæ alligatio, intentionalis durior multo, acerbiorque Dæmoni est, quam physica alligatio ad ipsum: quo intellectus nobilior: atque plura & nobiliora cogitandi potentia est, quam progressiua facultas, quæ solum per spacia localia potest diuagari: quare grauius est illum igni; vt obiecto alligari, quin ad alia obiecta diuagetur, vt cogitatione sua posset, quam ad eundem ignem loco motiuum Dæmonis facultatem ignobiliorem alligari, vt se nequeat ab illo seiungere: super speciale hoc additamentum cum his doctoribus specialiter non certarem, nisi in ratione maioris cruciatus alligationis intentionalis, quam physicæ Dæmonum ad ignem eos determinari non solum ad semper cogitandum ignem, sed ad nihil aliud cogitandum viderentur docere: quod in simili determinatione per species impressas ab igne vt instrumento productas breui experientia notissima de oppositio reieci, in Ricardo, numero tertio, speciale illud nostri Raymundi, quod cogitatio illa ignis siue specie media, siue immediate à Deo producta sit, ignis, vt instrumenti iræ Dei cognitio nil præstat. Si enim ignis ipse aliter Dæmonibus, non nocet, quam sui cognitionem in Dæmonibus causando, atque id solum à Dæmonibus cognoscitur dum iræ Dei instrumentis inesse ab eis cogitatur, nil additur; si autem alio modo, quam intentionali hoc, nociuus Dæmonibus ignis ille est, iam non intentionaliter solum, vt Raymundus vult, sed physice Dæmones cruciabit: sin vero nociuus aliter non sit esse tamen aliter nociuus ab eis cogitetur, sicque, eos torqueat in sententiam de cruciatu Dæmonum ab igne, ex falsa & phantastica apprehensione à nobis impugnatam, numero primo, & secundo, hic author labetur; omittenda non est specialis alia ratio intentionalis huius torturæ dæmonum ab igne à Recentioribus Thomistis Dominicanis memoratis à Vasquez, capite 3. §. *iam vero*, numero 11. siue excogitata, scilicet cruciari ab igne Dæmones ex eo quod videant, se tam vili creaturæ vt instrumento species, & cognitionem illam causante intentionaliter torqueri: sed quid tam grauis molestiæ, & torturæ Dæmonum ab igne, quanta ab scriptura, & Patribus denunciatur & expenditur inde Damnatis euenier, vt bene Vasquez. Secundo, grauiori longe pœna ea ratione cruciarentur, si terra, & aqua, aere, vilioribus vtique elementis, & putridis, ac putidis aliis corporibus, vt instrumentis, ad eum intentionalem cruciatum Deus vteretur; & tamen vt omnium acerbissimos cruciatus ignis ab scriptura, Patribusque proponitur, reliquorum sensibilium cruciatibus, ne quidem memoratis. Tertio, vt bene Arriaga, nemo vnquam Scotum, & alios asserentes Angelos, ab obiectis speciem recipere ex innumerorum obiectorum vilitate maxima impugnabit ne ab omnibus videretur.

6. Sed iam intentionalem solum cruciatum Dæmonum ab igne, in quo præfati speciales modi continentur refellamus, vt hi etiam à capite, vt aiunt, refutentur. Argumentor, primo contra intentionalem hunc cruciatum ab igne; quia eo solum, non verificatur, vsitio, crematio, ardorque damnatorum igne inferni, quæ scriptura docet, & sermonis proprietate æque proinde intelligenda sunt, atque nomine ignis, quo torquendi Dæmones dicuntur ignis materialis verus; Etsi enim visionis sensatio, vt sic, loquar, spiritualis, siue sensus Dæmonum cogitatione intellectuali percipiendi necessario sit, ac propterea, & nociui eis ignis à quo prouenit, vt molestia, & nocumentum illud, siue cognitione ipsa, siue inde orto dolore, & tristitia de illo in pœnam sensus formalem ab vstione, & igne prouenientem euadat, (vti, & quodvis nobis molestum, & nociuum, siue positiuum, siue priuatiuum cognitione nostra opus habet, vt dolorem nobis, & tristitiam ingeneret) at vero vstionis, &

& cuiusvis alterius molesti, & nociui, cognitio, visio, nec molestum illud, quod representat, nullatenus est aut esse cum veritate potest, quod argumentum adeo certum, & efficax est, vt Maldonatus noster certum, ex fide dixerit ignis cruciatum, non sola eius cognitione, sed sensu, tactuque physice ab eo causatæ disconuenientiæ in damnatis percipi debere. Et si autem in Dæmonibus tactus, sensusque proprius, & materialis non sit, (vti in hominibus) ast nocumentum physicum ipsis illatum, & physicus ab igne cruciatus, nec solum intentionale per ignis coniuncti cognitionem, suo modo asserendum est, vt pœna & tortura ignis, æqua Dæmonibus, & hominibus, pro cuiusque meritis sit, & communis, vt Matth. 25. & locis aliis cert. 1. num. 1. citatis asseritur. Confirmatur quia, si non aliter, quam cognitione ignis coniuncti nullo alio physico Dæmonum nocumento eis ab igne proueniente, cruciatus, & tortura, eorum ab igne fieret, inani labore à Patribus, & scholasticis, in torturæ eiusmodi explicando huiusque laboratum, sudatumque fuisset, ac prorsus fatue, eius inuentionem, & explicationem, ij omnes, ac præcipue eorum sapientissimi desperassent: cum obuium, cuique sit Dæmones immersos se igni esse clare cognoscere: id quidem, sine miraculoso vllo influxu ignis, & instrumenti Dei in species, vel cognitionem, quæ vnde cumque proueniant æque cruciabunt, vel non cruciabunt potius.

7. Argumentor secundo cognitio obiecti, qua eius cognitio, eatenus solum potest cruciare cognoscentem, quatenus ei representat obiectum ipsi alias de se nociuum, & disconueniens, atqui ignis, secundum se, ac de se nociuum, dæmonum non est in horum sententia, quantumuis ipsi penetratum coniunctum: ergo nequit cruciare dæmonem eius cognitio, qua eius, cognitio est: dixi, qua eius cognitio: quia potest aliquando non intentionaliter, & qua obiecti representatio, & cognitio est, sed physice aliquid, physice disconueniens cognoscenti secum afferre, vt intensæ cognitioni, cuiusvis obiecti, ratione confluxus copiosi spirituum vitalium calidissimorum ad intense cognoscendum necessariis nuper diximus physicum monumentum, & disconuenientem, distemperiem organo physice afferri. Iam sillogismi maior, probatur quia alias obiecti cuiusvis cognitione, qua eius cognitio est, cruciari torquerique posse cognoscentem contra experientiam in cunctis nobis, & in Angelis, ac Beatis omnibus, nullo dempto, dicere poteris; imo teneberis cuiusvis obiecti cognitione, etiam in beatitudinis statu innumeris cruciatibus torqueri. Secundo probatur experientia: qua, de nullo obiecto, quod nobis, aut animalibus physicum nocumentum non afferat quantumuis illud an ab animalibus sensatione, atque à nobis intellectione etiam cognoscatur, nec nos neque illa dolemus tristamur cruciamurve. Minor in opinione hac de cruciatu & tortura Dæmonum solum intentionali ab igne, est certa: siquidem, si aliud physicum nocumentum, & cruciatum Dæmonum ab igne, eius authores recognoscerent, imo, si possibile esse arbitrarentur, ad intentionalem hanc, solam torturam, & cruciatum Dæmonum ab igne minime confugissent. Secundo probatur minor, quia in horum, ac fere omnium scholasticorum, qui alias à nostra, certam. 5. statuenda sententia (quæ non multorum est) sectantur non aliter potest ignis nocumentum dæmonibus inferre, quam producendo, in eis calorem, aliamve naturæ ipsorum angelicæ disconuenientem qualitatem, aut formam, quam per hos quit ignis producere: ergo ignis nequit esse naturæ angelicæ Dæmonum physice nociuus, vllumve physicum nocumentum inferre. Minor proxima probatur, quia Angeli igni fornacis Babylonici, eiusque flammis, quas, ne tribus pueris nocerent, excutiebant immersi, ac penetrati nihil ab eis noxium passi sunt: idque, vt Patres & Doctores omnes fatentur, citra miraculum omne: cum autem ignis vt in subiectum aliud agat, quod potest, sola propinquitate vicinitatis localis, seu approximationis ad illud opus habeat, quæ longe minor actiuitatis suæ ad passum applicatio, quam penetratio est, qua sane, intensus calorem noxiamue aliam qualitatem Angelo penetrato, quam solum approximato & localiter vicino inducerent flammæ, si possent. Nec satis est Angelum, seu Angelos igni, & flammis babylonicæ fornacis non fuisse physice alligatos, vt igni inferni alligati Dæmones sunt: physica enim alligatio (in quocumque stet, etiam in physica vnione ad illum) agenti, ad agendum, quod physice potest in passum nihil inseruit, sed sola localis propinquitas, & coniunctio.

8. Dices actiuitatem ignis, ad eas qualitates noxias physice naturæ angelice non esse naturalem, sed obedientialem, qua Deus vtitur, vt instrumento, vt Domones torqueat. Bene: ego citius dicendum tibi esset: Deum vti virtute obedientiali ignis, ad nocumentum physicum, per earum qualitatum noxiarum in Dæmonibus effectionem, vt eos physice, & realiter igne cruciaret, & torqueret, quam vti virtute obedientiali ignis, ad species, seu cognitionem physice ipsis inducendam, vt eos solum intentionaliter torqueret, & cruciaret. Ita enim pro priori, & ad scripturam, accommodiori sensu, & opinione discurreres, & sentires. Sed ex hac solutione impugno tertio intentionalem hanc Dæmonum ignis propria, & ab igne, vt scriptura docet, ac non à Deo solum modo sit, opus est, vt cognitio, qua intentionaliter Dæmones crucientur ab igne vel immediate, vel mediis speciebus, vt instrumento, eiusque virtute, actiua obedientialis omnium creatorum, ad creata omnia producenda est pure chimærica, & impossibilis vt fuse contra Soarium, & asseclas ostendi in physicis contra de creatorum actiuitate; ergo & cruciatus Dæmonum intentionalis ab igne est impossibilis. Differo impugnationem aliam obedientialis huius actiuitatis specialem ad rem præsentem de tortura Dæmonum ab igne in certam. tertio; contra Soarij, & sequacium sententiam de hac Dæmonum tortura producendam. Quarto dæmum solam intentionalem hanc dæmonum torturam ab igne refello: quia, vt daremus cognitionem ignis coniuncti nullatenus tamen Dæmonibus nocui torquere; cruciareque Dæmones posse, & verè subinde per illam ab igne, cruciari, nihilominus cruciatus & tortura illa Dæmonum ab igne, adeo dira, dura, & acerba, vti esse, & æternum in ipsos & damnatos reliquos, ab scriptura Patribus, & ecclesia tota creditur, & prædicatur, esse nullatenus posset.

CERTAMEN III.

Reales cruciatus Dæmonum ab ignis obedientiali, vel morali actiuitate reiiciuntur.

1. SOarius, tom. 4. in 3.p. disp. 46. sect. 2. & lib. 8. de Angel. cap. 14. §. 41. ac deinceps, Pesantius, in 1.p. qu. 64. a. 4. d. 5. Malonius, Duualius Ysambert, Puteanus, Meratius, & Franciscus de Lugo apud Quiros, d. 76. sect. 4. §. *Magno plausu*, num. 16. Arriaga citata d. 26. sect. 8. docent: ignem virtute actiua obedientiali physice producere qualitatem quandam in Dæmonibus ipsorum naturæ dissentaneam, & disconuenientem, qua proinde crucientur: quemadmodum; & nos cum nimium calorem, frigusue nobis, & nostro corpori & naturali temperamento noxium & aduersum, ab igne, aut niue patimur, cruciamur. Ea vero qualitate angelicam Dæmonis naturam fædari deturparique dicunt

dicunt. Soarius, Arriaga, & plerumque, reliqui: & pulchritudini iuſtitiæ, & ſanctitatis, gratiæ aduerſari probabile cenſet Soarius, num. 44. & maxime, 47. Porro Zumel, ad citatam, quæſt. 64. articul. 4. & Quiros proxime, numero 17. § *cui ſententiæ* probabilem eandem ſententiam reputant. Quiros vero qualitatem illam doloriferam, noxiamque dæmoni ab igne prouenientem proprie & connaturali paſſioni, aut operationi Angeli contrariam eſſe ait, etſi cuinam operationi, aut paſſioni connaturali ſit, neque deſignet, nec poſſit (vt æſtimo) deſignare, iis etiam quæ monet ibi doctrinis ad ſuppoſita (præcipue tertium) ſtatuenda: de quibus infra dum ſpecialis argumenti contra virtutem actiuam obedientiam ignis ad qualitatem doloriferam, & noxiam dæmonibus producendam euaſionem ab eo tentatam præcludamus, ſpecialia, quæ à nonnullis citatis huius ſententiæ, Patronis dicuntur nec ad eius ſubſtantiam ſpectant refelli facile poſſunt. Primum quod diſſentanea illa qualitas præternaturalis ſolum ſit, & ſi nulla eius exigentia, aut virtus actiua naturalis in tota natura ſit, ſed ſola virtute obedientiali ignis producatur, tanti, non eſt, vt in eo confutando tempus teratur. Secundum de diſconuenientia, & diſſentaneitate phyſica eius qualitatis cum dæmonum, natura quin alicui phyſicæ potentiæ, paſſioni, operationi, aut qualitati aduerſa ſit, & contrarietur à pleriſque eius ſententiæ Patronis cenſetur impoſſibile, vt retulimus ex Soar. & Quiros proxime, & num. 21. §. *ex his credo*. quia, quod alicui, nec in ſubſtantia proxime, nec remote in accidentibus ipſi commodis, & bonis noxium phyſice non eſt, nequit ipſi eſſe phyſice diſconueniens, aut doloriferum: id, quod experimento nobis frequenti, & conſtanti confirmatur.

2. Soarius, & Arriaga aiunt eſſe qualitatem fædantem, ac deſtruentem dæmonum pulchritudinem, eique contrariam. Et Soarius gratiæ, & ſanctitatis pulchritudini maxime aduerſam expreſſit, num. 47. ſed minus bene. Siquidem gratiæ, & ſanctitati nihil, niſi peccatum, natura ſua aduerſatur; quod qualitas illa nuſquam eſt. Secundo, quia in Dæmonibus, quos cruciare debet in pœnam, gratiam, & ſanctitatem omnem expulſam per peccatum ſupponit natura ſua qualitas illa; ac proinde, nil damni & nocumenti poſſet ſanctitatis pulchritudini in Dæmonibus derogare: cum non poſſent non poſt totam deſtructam, & inductam totam ei aduerſam fæditatem à peccato Dæmonibus aduenire. Tertio, de cruciatu animarum purgatorij per ignem corporeum, & ſi temporario, vero, & cum gratia, & ſanctitate amice compoſito quid dicet? Aliam certe qualitatem huic pulchritudini, non aduerſam, qua animæ ab igne purgatorij cruciantur debet Soarez excogitare. Commiſceatur ergo vno labore, qualitatem vnam, qua cruciatus per ignem vtrobique explicari poſſit, ac defendi. Arriaga, cui Dæmonum pulchritudini, ea fæditas contrarietur, non explicat: cum non poſſit, non alicui opponi, ſi proprie fæditas ſit. Quin vno qualitatem ſubiecto diſconuenientem, & aduerſantem, alicui eius phyſicæ qualitati ſubiecto commodæ contrariari non debere bene aſſerit, & ex inſtituto probat, num. 47. & 48. §. *Primo tamen poteſt obiici*, & §. *confirmo ſecundo euidenter*; ſed debuiſſet abſtinere in concluſione voce *fadantia*, & qualitate euidentiæ in probationibus. Quiros, qui alicui qualitati, ſiue paſſioni, ſiue operationi naturali, ſeu accidenti alteri commodi ſubiecto, qualitatem ipſi diſſentaneam, nociuam, & doloriferam contrariari debere arbitratur, actu connaturalibus paſſionibus, & potentiis naturæ angelicæ Dæmonum eam qualitatem aduerſari, docet, num 17. §. *cui ſententiæ*, init. & num. 21. §. *ex his credo*. Sed tamen, cui earum determinate, ea qualitas aduerſetur, non deſignat, nec poterit deſignare: maxime, vt ea Dæmones ab igne vri, cremari, ardere proprio ſenſu (vt ab ſcriptura, & Patribus dicitur) defendi poſſit: vt potentias paſſiones, & operationes angelicas percurrenti clarebit, ſed præſtat iam, ſpecialibus horum explicandis modis relictis, ſententiam hanc vniuerſim, & fundamentis generalibus euerti.

3. Et primo quia, tota potentiæ obedientiali creaturæ cuiuſuis ad alias omnes producendas innititur: atque principium hoc, eſt falſum, & repugnans: ergo & ei innitens ſententia: Antecedens probaui ex inſtituto, ſemel (labore, & meditatione, non repetendis) ſua propria ſede, in phyſicis controu. de cauſarum creatarum, actiuitate, cum à priori, tum ab abſurdis, tum ab aduerſariorum inconſequentiis communibus, & aliorum ſpecialibus, ſcio ita negari ab Arriaga, imo & à Quiros, num 23. § *argumentum tertium*, ſub init. vt generalem, hanc potentiam actiuam obedientialem rerum, ad quoduis creatum agendum euidenter à ſe probatam alibi credant, & iactent ſed quam nebuloſæ, vel pure potius tenebræ eorum euidentiæ, & aliorum probationes ſint, citato vidimus loco. Id nunc ſolum dicam: eius oponionis authores cordatiſſime euidentibus rationibus, ac demonſtrationibus ſolis agere cum aduerſariis debere: vt abſonam ex terminis, & ſenſu ipſo fidem ſibi abrogantem apprehenſionem hanc ſententiæ ſuæ in aliis imo, & in ſe ipſis poſſint corrigere. Siquidem in hac ſententia, actiuitate ſua phyſica, ſibique intrinſeca poteſt producere gratiam, lumen gloriæ, & pulex elephantem, cælos, aſtra, & ſimilia quæ, dictu incredibilia cum ſint non niſi euidentibus rationibus apprehenſiones, & iudicia aduerſa abiici poſſunt; quemadmodum, & faliæ ſenſuum, & inde oriundæ intellectus apprehenſiones, & iudicia de iridis coloribus, atque aliis ſimilibus, non, niſi euidentibus, rationibus corrigi deponique poſſunt. Arguo ſecundo, (ea obedientiali actiua generali rerum, & communi admiſſa) & ad rem præſentem efficaciter: quia eiuſmodi potentia, competit rebus, non ex ſpecifico cuiuſque prædicato & ratione, ſed ex prædicato communi creaturæ, ratione cuius Deo, eiuſque arbitrio ad omnem vſum operationis, & effectus edendi, quem per eam, vt inſtrumentum, vellit Deus phyſice producere ſubdita eſt: ergo cruciatus Dæmonum, & damnatorum per ignem ſpecialius, adeo per ſcripturam & Patres denuntiatus, propriusque ignis, non quæ, reuc, aut agentis creati alterius effectibus inflammandi, comburendi, & cremandi illos deſignatis, non ab igne ſecundum ſpeciem propriam, & rationem naturæ ſuæ ſpecialem, ſed ſecundum genus ſupremum, & rationem vniuerſaliſſimam creaturæ prouenit: & qui æque ab aqua, aliaue quauis creatura fieri poſſet ac, ſi Deus ita vellet, proueniret. Hoc autem effectuum priorum naturæ ſpecificæ, & peculiaris ignis deſignationi, & denunciationi à Deo factæ apertiſſime auerſatur. Ni fors velis Deum, vt homines apparenter perterreret ignis efficaciſſimi, & vehementiſſimi agentis viuidiſſimis ſenſu, & dolori cruciatibus, in eis denuntiationibus, vſum, non autem, quia eius propij effectus eſſent: ſed hoc eſt dicere, inanibus terriculamentis vſum, & viam ad veras, vſtionem, cremationem, flammaſque inferni denegandas latiſſimam aperire. Et ad præſens: cum nihil ab his Doctoribus aſſignari poſſit ab igne producibile, quacumque actiuitate, quod alicui phyſice paſſioni potentiæ vitali, vel non vitali, naturali, angelicæ naturæ Dæmonum contrarietur, potentia obedientialis cruciandi Dæmones, nequit igni iuxta Soarium, Doctorum (Arriaga excepto) rationem memoratam, numero primo, ſiue tribui: cum, vt cruciet aliquid alicui, ex dictis contrarium deberet producere in eis.

4. Arga

4. Argumento penultimo duas solutiones præuenit Quiros citato, §. *Argumentum tertium*, alteram (me iudice) altera *peiorem*. Primam adhibuerat etiam, numero vigesimo, §. *Tunc vltra*, ex tertio supposito præmisso, numero 17. §. *cui sententiæ*, & doctrina Ioannis Martinez de Ripalda, disputatione 33. de ente supernat. sectione secunda, quod scilicet, in aliquibus rebus, minus repugnantiæ, seu disconuenientiæ, aut distantiæ ab ipsorum naturis, seu maior proportio sit, virtutis obedientialis, ad aliquos effectus, quam sit, in aliis rebus ad effectus eosdem. Manifeste (ait) patet in intellectu, & voluntate, seu creatura rationali ad actus intelligendi, aut volendi supernaturales, ad quos proinde virtute obedientiali magis proportionata ipsius naturæ, & potentiæ naturali concurrit, quam aqua aut inanimata, & irrationalia reliqua ad illos actus concurrerent: in quibus, ad similes naturales, adhuc potentia naturalis, non est, vti in rationali natura eiusque intellectu, & voluntate naturalibus inuenitur: sic igitur (inquit Quiros,) ad cruciatus denunciatos à Deo dæmonibus, & damnatis inferni igne infligendos per eius potentiam actiuam obedientialem maior proportio, est potentiæ huius obedientialis cum ignis natura, & actiuitate naturali, quam in aqua, aut alio quouis agente esset, verbi gratia ad calorem supernaturalem edendum, quo crucientur: est quippe in eo naturalis actiuitas ad similem, etsi naturalem, calorem producendum, quæ in aqua, ac reliquis deficit; ac proinde merito ignis specificæ naturæ, & secundum propriam ipsius rationem, & speciem propriam, nec solum secundum genus supremum, & prædicatum vniuersalissimum creaturæ cruciatus præfati, vt proprij ipsius denuntiantur. Cæterum falso supposito innittitur solutio & in eius applicatione deficit plane. Suppositi falsitas constat: quia intellectus, & voluntas, qua, ex parte sua ad intellectionem & volitionem supernaturales concurrunt non concurrunt, vt intrinseca eleuatæ potentiæ ex specie, vel habitu supernaturali ipsi adueniente, vt hi, & reliqui doctores (præter pauculos Thomistas Dominicanos valde recentes, & nobis iam viuentibus natos) fatentur, qui supernaturales habitus totam rationem agendi actus supernaturales merito negant; imo, vel ipso habitu non inhærente sed assistente potentiæ vel alio prorsus extrinseco Dei auxilio loco habitus supernaturalis æque commode potentias intellectus, & voluntatis, intellectionem, vel volitionem supernaturalem elicituras bene, & constanter docent, sua igitur, & naturali prorsus intrinseca virtute, ac nullatenus obedientiali, ad eos actus totalitate effectus, non autem totalitate, sed partialitate causæ, vt principia partialia, quæ habitu, vt partiali comprincipio & concausa principium integrum, adæquatam causam, & completam virtutem, & potentiam eorum actuum constituent, ad illos concurrunt: quia aliquid in eis actibus est, quod secundum se spectatum naturali suæ virtuti respondet; etsi, quia in integro effectu aliud sit idemtice coniunctum, cum illo, quod potentiæ intellectus, vel voluntatis solis nequit respondere, habitus supernaturalis, seu auxilij extrinseci loco ipsius, adiunctione, & adiumento egeat; vti & hoc potentiæ alterutrius vitalis, quia se solo nequit, actuum voluntatis, vel intellectus vitalitatem attingere.

3. Igitur, quodvis ex eis principiis alteri subordinatum essentialiter in eis actibus efficiendis mutuo est; non secus, ac species, seu obiectum, & potentia cognoscitiua ad eius cognitionem producendam essentialiter viciſsim subordinantur; ast hæc omnia, quatenus ex parte sua vnumquodque virtute propria natiua & intrinseca, & naturali, & nullatenus physice eleuata in ratione actiuitatis, ad præfatos actus, & effectus concurrit, tituloque prædicatorum virtuti suæ naturali omnino respondentium, & nullatenus obedientiali voluntati, & arbitrio speciali Dei, nisi ratione indigentiæ concursus generalis, & productionis, seu adiunctionis habitus, aut comprincipij alterius supernaturalis, quod, quia vltra naturalis potentiæ, & naturæ totius, vires, & exigentiam est à Deo absque vllo potentiæ, naturæque debito, apponitur; si autem aliunde apponi posset, ac potentiæ adiungeretur absque vllo Dei imperio, aut decreto, natiua, & naturali sua virtute ad actus supernaturales cum adiuncto illo comprincipio, & partiali causa eorum, dubio procul, concurrere posset, & concurreret, quin in eo aliquid obedientialis actiuitatis, & concursus intercederet ex parte potentiæ naturalis concurrentis ad illos; quamuis quia supernaturali comprincipio completur, vt actus illos supernaturales totalitate effectus absolute possit, & producat, illudque, ex supernaturalitatis prædicato, aliis vitalitatis, intellectionis, aut volitionis, realiter identificato naturæ, & potentiæ naturali ordinis superioris, eleuari extrinseco comprincipio ad illos producendos communiter, & merito dicatur, vti species impressa à potentia vitali nobiliori, qua ad vitalem visionem eliciendam completur, eleuari ad superiorem perfectione effectum producendum dici vere posset, quocirca crassa gordorum aliquot eleuationis huius apprehensio ridenda est, qui eam intelligunt admodum eleuationis comædorum sursum è theatri tabulato, qui vel subiecto instrumento, vel vnco occulto rapti per aera feruntur, & ascendunt, quo ascendendi nullam prorsus potentiam actiuam habent, sed vt emortua corpora, & stipites aliorum motu, & impulsu ascendunt; quod secus in hac potentiarum naturalium ad supernaturales actus, ex adiuncto supernaturali comprincipio eleuatione euenire Tridentinum nos docuit; quare argumentum illud Ripaldæ, & Quiros adeo protertio huius supposito patens, non præclaritate veritatis cunctis deinceps patebit; sed præ falsitate dilucida supensus manet in patibulo. Non enim minus improportionata, seu magis proportionata potentiis intellectus, & voluntatis potentia obedientialis, actiua ad suos actus intentionales est, quam aquæ (aut cuiusvis alterius creaturæ) quia illæ similes, & si naturales, actus possunt elicere, secus istæ, sed quia potentiæ illæ partialem, naturalem prorsus, ac nullatenus obedientialem ad illos actus habent virtutem, vt ostendimus, aqua vero nullam: quare antecedentis suppositum negatur. Eo tamen permisso, malè illud in sua doctrina Quiros aptare potest euasioni, etenim quod potentia obedientiali actiua, magis proportionata, seu minus improportionata, quam aquæ aut alterius agentis specie, ab igne diuersi producendum erat, vt huic, eiusque obedientiali actiuitati speciali cruciatus dæmonum, & damnatorum specialiter tribueretur, non autem, eo generali & communi creatis cunctis potentiæ obedientialis titulo, & prædicato generalissimo creaturæ, eiusmodi iuxta Quiros esse debet, vt specialem aliquam proportionem, & similitudinem habeat cum naturalibus effectibus creati agentis ira speciali potentia obedientiali eleuati; atqui effectus ab igne in dæmonibus, neque à Quiros inuenti, assignatiue sunt, nec possunt inueniri, nisi recurrat, ad calorem quendam spiritualem, supernaturalem, Bacconis in quarta, disputatione quadragesima sexta, articulo secundo, ab igne dæmonibus inductum, quem ipse Quiros, refert, numero vigesimo quarto, nec improbat, & si nec ipse, nec Baccon probent, aut intelligant, nec intelligere aliquis possit, nisi cathegoria tota, & ordo prædicamentalis, Aristote

ſtotelicus, & apud omnes Philoſophos, & Theologos finis diſturbetur, eoque demum ſenſu calor erit, aſſereturque, quo prius, & ſimplex eunuchus Hiſpanus ſe imberbem his, *barbas tengamos en el alma*, conſolabatur: ſcilicet metaphorico, & proprietati cruciatus veri Dæmonum ab igne, & calore, atque ardore, & vſtioni, veris ab ſcriptura aſſertis inepto. Quæ ratio impugnatio vltima, & communis huius ſententiæ eſt.

6. Vt huic & ſecundæ noſtræ impugnationi reſponderet, idem Quiros, alteram (prima impugnata, fors priorem) euaſionem tentauit, num. 23. citato, §. *Argumentum tertium*, ſub fin. Nempe: ignem habere virtutem actiuam innatam, & naturalem ad qualitatem (quæ noſter calor non ſit) Dæmonum phyſice cruciatiuam abſque vlla eius eleuatione, aut obedientiali actiuitate, & potentia in eos inducendam, reſeruatam tamen, & ſequeſtratam ad vltimam hanc, & ſummam vindictam de eis ſumendam, & iuſtitiæ Diuinæ oſtenſionem, quod difficillimum impugnatur, videtur cæterum, & facilis impugnatu, hæc doctrina eſt, & tertiæ poſtremæ impugnationi non facit ſatis. Etſi enim plures philoſophicis argutiis, (quibus præcipue ſæculi noſtri Recentiores) in Theologicis diſputationibus perperam attendunt impugnari non ita facile, ea doctrina poſſit: maxime, cum de ignota qualitate, alius natura, & proprietatibus, nec explicatis, nec ſignatis adhuc ſit: tamen ex Theologicis locis, & principiis propriis facile refellitur: etenim, quæ abſque miraculis defendi non poſſunt difficillime defenduntur, & facillime impugnantur: eiuſmodi autem hæc doctrina eſt: ſiquidem ea reſeruatio, ne quidem à Quiros, naturalis aſſeritur, aſſeriue poteſt, cum contra actiuitatem ignis naturalem, in naturam quamuis Angelicam independenter ab eius peccato ſit, facileque probatur. Admiſſa quippe innata, ſeu natiua, & naturali virtute, & actiuitate ignis ad inducendam eam qualitatem cruciatiuam Dæmonum, in eorum naturas, cuius hæ ſubindę recipiendæ capaces naturaliter ſint, cum naturæ angelicæ dæmonum, & Angelorum eiuſdem rationis ſint, eandem capacitatem naturalem recipiendi ab igne qualitatem illam Angelorum, & dæmonum naturæ habebunt: ac ſubinde, & ignis naturalem actiuitatem ad eam qualitatem cruciatiuam in Angelorum, atque in Dæmonum naturas inducendam habebit; quare, (ſi Angeli igni debite approximentur, & maxime, ſi ei penetrentur, eam qualitatem, cruciatiuam recipient, ni miraculoſe naturali ignis, actiuitati concurſus generalis Dei denegetur: ergo ea reſeruatio inducendi eam qualitatem cruciatiuam in Angelum quemque, qui velit pro libito igni accedere, miraculoſa eſt, quare, ſine miraculis frequentibus ſuſpenſiuis concurſus generalis Dei, vel ligantibus Angelos, ne ad ignem pro ſuo arbitrio accedant, defendi ea doctrina, non poteſt: vnde Angeli excutientes flammas fornacis babylonicæ per miraculum ſolum cruciati ab igne, & flammis, ea qualitate, non ſunt, (cuius miraculi nemo Patrum, aut interpretum meminit, imo nec alicuius mentem, eius miraculi mentio ſubivit) quod in cohibenda ignis in tres pueros actiuitate, nemo non recognoſcit, & expendit. Item Angelorum (maxime cuiuſque in hac vita cuſtodum) ad purgatorij animas conſolandas viſitationes & recurſus amiciſſimi, & frequentes pie à tota Eccleſia recepti citra miraculum non erunt, ni ipſis accedentes Angeli Beati (quod dictu eſt nefas) crucientur; ni forte velis eos à longe ſolum animas purgatorij alloqui, & conſolari, vel donis impaſſibilitatis ab agentibus naturalibus, ſicut, homines Beatos dono à nemine cogitato dones. Nec præſtat, ſi dicas: hanc actiuitatem requirere, non ſolam propinquitatem, aut penetrationem etiam Angeli, eam qualitatem recepturi, cum igne, vt conditionem, ſed phyſicam cum illo vnionem: Peris enim conditionem agendi in paſſum extraneum à nemine ſomniatam: denique, vel qualitas illa cruciatiua, ſpiritualis eſt, vel corporea, nequit ex potentia naturali paſſiua ſubſtantiæ angelicæ dæmonum educi, ac multo minus ab igne naturali ſua actiuitate creari, eiuſque vnio educi: ſi ſpiritualis potentia actiua corporea, & naturalis adæquata ad effectum ſpiritualem producendum, non minori abſurdo philoſophico admitteretur. Secundo: Nec proprietas cruciatus ex vſtione, ardore, crematione ab ſcriptura, & Patribus aſſerta, nec metaphorico ſolo ſenſu (quo ſolum, ea qualitate ſpirituali vri, ardere, cremari dæmones dici poſſunt) admittenda defenderur, vt tertia, & vltima impugnatione huius qualitatis dicebamus.

7. Noſter Alarcon citata diſput. 6. cum nihil capite 9. in aliorum ſententiis firmum, & in quo requieſceret pes eius, inueniret, atque ignis actiuitate naturali in Dæmones cruciatiuam qualitatem inducentis, fieri ab eo cruciatum, ſermonis proprietate, dici non poſſe cenſeret: ac rurſus actiuitatem obedientialem phyſicam rerum falſam reputaret: naturalem vero ignis corporei agentis ad ſpirituale aliquid cruciatiuum dæmonem (quod ſolum poſſet) ſubſtantia ſpirituali Angeli educendum, in eamque inducendum iudicaret impoſſibile: ad moralem ignis actiuitatem, ex Dei voluntate, & inſtitutione arbitraria, vt ſpirituale illud dæmonum cruciatium producat, recurrit, capite 10. numero 10 §. *quarta concluſio*: ei ſimilem, quam viſibilibus noſtris ſacramentis Sotus cum ſua ſchola, & alij, ex priscis communiter, & Vaſquez cum ſuis aſſeclis omnibus, nosque contra Soarium, & aſſeclas, & aliquos antiquos concedimus vt, ſcilicet, Chriſti voluntate, & inſtitutione, ſicut ad ſacramentorum poſitionem, gratiam Deus certo, & infallibiliter in anima producit eiuſque ſubinde morales cauſæ ſacramenta dicuntur, ita etiam ad ignis poſitionem, & phyſicam coniunctionem cum dæmonibus, qualitatem (ſeu quidquid illud ſit dæmonum phyſice cruciatiuum Deus phyſice in dæmonibus producat; moralis vero eius cauſa vera ignis ſit, & dicatur: vnde, ſicut aqua Baptiſmi iure animam abluere, Euchariſtia cibare, extrema-vnctio inungere, &c. ab Euangelio, & Patribus ob eiuſmodi moralem eorum effectuum cauſalitatem dicuntur; ita etiam ob cauſalitatem ſimilem ignis in id cruciatiuum dæmonum (quod phyſice ſolus Deus in Dæmonibus producit) verè illos cruciare, torquereque dicitur, explicans autem, numero 11. §. *quomodo autem*, & numero 12. §. *ſuper*, ac deinceps illud cruciatiuum dæmonum ita ab igne productum, ait: eſſe triſtitiam & dolorem, de alligatione ſua igni, ac de Deo præſertim æternum amiſſo, ac de aliis omnibus, de quibus dæmones triſtantur: imo alligationem phyſicam igni inter morales eius effectus male recenſet, quæ etſi triſtitiæ, & dolori de ipſa obiectum ſit, effectus tamen ignis, moraliter adhuc, non eſt, ſed quod, vt reliqua moraliter cauſes præſupponitur; id tamen, & alia, quæ ex aliis opinionibus collecta, inter morales ignis effectus recenſet perſequi longum, & inutile eſſet: præſertim, cum moralis hæc ignis ad præſens cauſalitas locum non habeat. Primo, quia moralis hæc cauſalitas cruciandi non magis propria ac dira, ignis, nutura ſpectata, eſt, quam aquæ, aut cuiuſvis alterius creaturæ, ad cuius præſentiam, & coniunctionem cum dæmonibus Deus voluntare, & inſtitutione ſua vellet, ſtatueretque cruciatium illud Dæmonum, phyſice in eis producere: cruciatus autem ignis, ſpecialiter denunciatus à Deo eſt, vt rigidiſſimus, & atrox, nec ſolum ad inanem terrorem, & pœnarum horrorem nobis apparentem ingenerandum; alias figuratam, & metaphoricam comminationem pœnarum ex igne

Euan

Euangelij, & scripturæ loca continerent, atque ignis, non vt dirè, & atrociter cruciaturus sed in atrocitatis cruciatuum illorum exemplum afferretur: vt contra potentiam obedientialem ignis ad eos cruciatus dicebamus, numero 3. argumento 2. Probatur secundo, & confirmatur argumentum proximum, qui à tortura ignis in homines damnatos, & Dæmones æque, ac sine vlla differentia denuntiantur futura in Euangelio: quippe impijs hominibus dicetur *ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: atqui homines damnati physice cruciandi ab igne sunt, nec solum morali tua causalitate: ergo & Dæmones. Tertio denique, Dæmonum dolore, tristitia, seu qua velis, alia qualitate, spiritualis eorum ab igne ardor, vstio crematio, metaphorice solum, & per similitudinem intelligentur, non per proprietatem, vt intelligi debere supra ostendimus: sicut eæ locutiones de cibo, & potu, & ablutione animi per baptismum quoad aduersitatem quidem sat est, non vero ad sermonis proprietatem, vt docte Augustinus, tract. 80. in Ioan. homil. in ea verba, Ioan. 15. *Ego sum vitis vera.*

CERTAMEN IV.

Sententia de eadem Dæmonum, & animarum separatarum tortura ab igne, qua à Deo cruciarentur vnitæ, cruciabunturque æternùm reunitæ.

1. CElebris, & communis satis opinio confutatis nuper proxime accedit: quia in tortura Dæmonum ab igne, quam assignat, actiuitatem supernaturalem, vel obedientialem ignis vel ei adeo adiunctam qualitatis alicuius supernaturalis impressione, vel extrinsecus adeo, vt particulari agente supplente aliquos intermedios effectus, quibus mediis ignis animam, dum adiuncta corpori est, pure spiritualiter vltimo torquet, acerba & disconueniente dolorifera corporea qualitate, est autem sententia præfata ignem materialem Dæmonem, & animas damnatorum nunc pro statu separationis, ita, ac eodem dolorifero obiecto torquere, atque adiunctas corpori torquebat in vita, cruciatarusque æterne est reunitas. Sententiæ huius author, & inuentor reputatur Henricus loco citando, certamine 5. cum longe aliud ipse docuerit extant autem, eius inuentores, & vterque primus, nec conscius alterius Dominicus Sotus, in 4. disputat. 50. quæstione 1. a. 2. sub fin. & Molina noster, 1. p. quæst. 45. a. 5. d. 2. §. *Ad tertium*, Sotum, secutus est Valentia, 1. p. d. 4. quæst. 15. punct. 3. Tannerus, d. 5. quæst. 6. dub. 6. quibus addit, Quiros, sectio 5. num. 27. §. *censeo*, (vbi eidem sententiæ consentit) Zachariam Robert. tomo primo, demonstrat. symbol. lib. 1. demonstrat. 1. gener. a. 14. Lessium, de perfectionibus diuin. libro 13. cap 30. Martinonem, & Albertinum, & (nescio quanta fide) Albertum, Bonauent. Auicenam, apud Vasquez, qui eos pro aliis sententiis refert, vt nos supra retulimus; item Patrem Koninch. 3. p. d. de purgatorio dub. 3. à num. 31. qui tamen, pro alia longe diuersa sententia stat, ac nostræ, proxime saltem, accedit vt certam. 6. vidimus eidem autem sententiæ ex parte, quæ animabus separatis est, consensere Vasquez, citata, d. 243. cap. 6. Turrian. d. 66. dub. 3. fine Alarcon citat. cap 10. num. 19. §. *quinta conclusio*, fideliter refert, & si loca non notat. Potestque pro eadem parte referri Arriaga, sect. 5. vt autem hæc sententia, & vniuscuiusque ex citatis mens plane percipiatur percurrenda breui sunt, quæ in *Christoph. de Ortega, de Deo Vno.* Tom. II. cruciatu corporum nostrorum intercedunt, quousque ad pure spiritualem animi cruciatum per fugam, & auersionem voluntatis tristitiæ, & doloris, & à dolorifera qualitate corporibus ab igne impressa siue ea calor nimius, siue qualitas alia ab eo producta sit: illa enim, vel se ipsa, vt reor, vel mediis speciebus sensationem sui in tactu causat: inde quæ sensatio alia interna qualitatis eiusdem in phantasia producitur, ex qua fuga, & auersio, siue tristitia, & dolor de eadem qualitate, corpori nociua, & dolorifera, in appetitu sensitiua excitatur: suppuratis vero postmodum à materialitate, phantasmatis beneficio, & intellectus, qua agens est, virtute sensatis seu sensibilibus internis speciebus, idest speciebus aliis pure spiritualibus, illarum, quoad vim actiue repræsentandi obiectum idem, quam similibus productis in intellectu passibili, seu qua passibili, vel possibili producitur, qualitatis eiusdem doloriferæ corpori intellectualis, & pure spiritualis apprehensio, & cognitio, ex qua in spirituali animi appetitu, seu voluntate, eiusdem doloriferæ qualitatis fuga, & auersio per dolorem, & tristitiam de illa immediate procedit.

2. His iuxta sentiendi, & loquendi vulgarem philosophorum modum, (de quo nobis alibi strictum, fusumque examen fuit) prænotatis, Sotus censet: qualitate actiua supernaturali igni à Deo infusa, dolorem, & tristitiam spiritualem voluntatis de igne, aut dolorifera qualitate, qua corpori coniuncta anima doleret, ac trittaretur ipsi separatæ ac Dæmoni ab igne causari docet Tannerus virtute, seu potentia actiua obedientiali igni intrinseca: Molina vero ait: Deum supplendo, (vt planè potest) omnipotentia sua, vt causam particularem, inter medios effectus illos ab igne, vt animam corpori coniunctam cruciet dolore tristitia, prouenientes, ignem eleuare, seu (quod idem est) iuuare, vt immediate, & doloriferæ illius qualitatis, qua ab igne cruciabuntur, & cognitionem eius, intellectualem, & dolorem, ac tristitiam in anima separata, & eodem modo in Dæmonibus efficiat: ac proinde eisdem torqueat, & cruciet obiectis, inquam sententiam, & modum, cum primum hanc Dæmonum, & animarum separatarum torturam ab igne meditares, ac priusquam Doctorum sententias omnes accuratius legerem, & euoluerem, vt meam typis mandarem, inclinabam. Valentia censet: species & apprehensionem alligationis, & coniunctionis Dæmonum ad ignem ipsis naturaliter exigere, & physica coniunctione ingenerari, quoniam vero in hac ignis propria tortura, tristitia, dolorque Dæmonum non de ea alligatione & coniunctione physica ad ignem, vt obiecto proprio, est (etsi de ea etiam doleant, & tristentur) sed de eo, de quo; cum ignis applicatur nobis, specialiter dolemus, de quo non dolemus, & affligimur, cum nisi immergimur, vel fustibus cædimur, addit. §. *Tertio non naturaliter*, apprehensionem eius alligationis: seu coniunctionis physicæ ad ignem vltra dolorem, & tristitiam de igne ipso, eiusque propria dolorifera qualitate, qua animæ corpori immersæ cruciantur, cum ab eo vruntur corpora, & ardent, in anima separata nunc, & in dæmonibus supernaturaliter causari. Circa tres hos modos actiuitatis ignis ad eius in Dæmonibus torturam efficiendam à præfatis doctoribus explicatos, primus Soti de actiuitate ignis per qualitatem actiuam à Deo inditam sustinendus non est, quia si ea qualitas corporea sit, nequit ea ignis ad cruciatus pure spirituales animæ separatæ, ac Dæmone, (scilicet puris spiritibus,) inducendos aptior reddi: cum ignis ineptitudo ad eos in spirituales substantias, inducendos ex corporeitatis suæ prædicato, quod in ea qualitate, indicta à Deo reperitur, proueniat, insuper nec proprius, aut specialius ignis Dæmones torqueret actiue, quam aqua, aut signum, cui ea qualitas à Deo inderetur, scilicet, denominatiue, & vt purum actiuitatis subiectum obedientialis vero ignis actiuitas ab Tannero asser-

ta, siue generalis, & communis cunctis, siue specialis igni attribuatur, exclusa affatim etiam est, extrinseca vero actiuitas à Deo, vt particulari causa, vltra id, quod adhuc inadæquatam intrinsecam ignis exigentiam, & actiuitatem specialem ad eum effectum supra reiectas asserat: causalitatem solum moralem ignis, in eam Dæmonum torturam admittit, quam in Alarcon nostro nuper confutauimus. Id quod in nostri Valentiæ modo clarius reperitur, in Molina paululum dissimulatius est; contendit enim solam mediationem influxus ignis, in dolorem, & tristitiam voluntatis animæ separatæ, vel Dæmonis, diuinitus suppleri non autem absolutam actiuitatem, quam in eos spirituales affectus ignis, & si intermediis effectibus enumeratis, dum corpori animus immersus, & vnitus est, adeo suppletis, vt loco phantasmatis, & internarum specierum sensatarum ignis immediate, species impressas, spirituales, & eius apprehensionem, doloremque, & tristitiam absque intermediis illis effectibus ex parte sua inadæquata actiuitate concurrat præ aliis, quatenus ad actiuam ignis torturam attinet, adhærebam, dum de tortura Dæmonum mecum, & discursibus meis solum cogitabam) sed certe actiuitatem intrinsecam ignis immediatam ad species sui intelligibiles, apprehensionem, ac subinde tristitiam, & dolorem voluntatis prorsus commentitiam & absque vllo fundamento fatetur; & si corporei essentiale prædicatum, non magis igni, quam phantasmati speciebusque interni sensus obesse posset: quare eodem impugnationi de actiuitate, influxu solum morali ignis in Dæmonum torturam modus hic patet.

3. Hæc de actiuitate ignis in Dæmonum, & animarum separatarum specialem torturam (quam plerique Doctores, vt ignis physice, & cruciet, & torqueat necessariam immerito reputarunt, vt certamine sexto, ostendemus) diuersimode ab huius sententiæ, Patronis explicata; iam quomodocumque actiue spiritualis dolor tristitia, & afflictio voluntatis Dæmonum, & animarum ab igne proueniat, nec cruciatum illum, eundem, qui ab scriptura, & Patribus, in Dæmonibus, & animabus separatis dicitur, & in his, si corpori vnitæ essent, foret atque in re vnitis resurrectione æternum erit, nec de obiecto eodem esse posse ostendamus. Primum probo; quia vstionem, ardorem; & crematione ignis, (nec solum dolorem, & tristitiam de illis) pati possunt, patienturque Dæmones æque, & promiscue, ac post iudicium postremum homines dicuntur recitatis locis Matthæi 25. & Apocalypsis: imo tristitia, & dolor voluntatis Dæmonum non memoratur, & si necessario, ex eis obiectis oriunda. Nec præstat voce, ardoris, cremationis, & vstione ignis tristitiam, & dolorem de illo significari, intelligique debere; cum aliter nequeat ignis corporeus spiritus puros cruciare. Etenim promiscuæ dæmones cum hominibus vrendi, cremandique igne dicuntur, vt dixi. Secundo: si solum cruciandi igne generaliter dicerentur, fors locum haberet solutio; quia proprietate sermonis forte posset, verificari; ast cruciatus vstionis, cremationis, ex arsionis determinate, & in particulari asserti, nequeunt solis cruciatibus doloris, & tristitiæ propriè verificari, vt debent, dum signatim, signatisque vocibus ab scriptura denuntiantur; quod verificari aliter nequeat, nisi per dolorem & tristitiam metaphorica verificatione erit; quemadmodum, & odio flagrare, & ira excandescere homines dicuntur: eritque plane metaphorica ea frequens scripturæ locutio; Quam sæpe in re præsente confutauimus: alioqui igne solum metaphorico, Dæmones cruciandos eadem ratione dicere licebit, cum nec pluries, nec magis, signata voce, quam, vstio, ardor, crematioque eorum igne ab scriptura, & Patribus dicatur; sed forte sermonis proprietate verificari non posse, hi, & aliarum opinionum relati Doctores putant, quia, quidquid satis sit, vt sermonis proprietate Dæmones ardeant crementur, & vrantur quin ab igne aliquid Dæmones physice flammæ, ardoris, & vstionis, quo vrantur, & crementur, patiantur, & in se recipiant non satis indagarunt, & percalluerunt. Secundo impugno: sententiam istam, quia ignis ipse seipso, vel medio calore inducto molestus Dæmonibus esse potest, vel esse non potest. Si primum: ergo non solum cruciari potest, cruciabiturque dæmon dolore atque tristitia de igne apprehenso orta, quomodolibet, apprehensione ab ipso igne, metaphoriceque vri, cremari, & ardere, sed physice, & propriè vstionis, ardorisque molestiam, & cruciatus ab igne pati, vt scriptura, Patresque docent: quare ad molestiam doloris & tristitiæ ex eius apprehensione, quomodocumque orta, & vndecumque proueniente, & eius metaphoricos, vstionis ardoribus, & cruciatus recurrendum non erit, quod est in sententiam 2. reiectam cert. 2. à n. 3. incidere.

4. Si vero ignis se ipso, vel calore inducto molestus physice, & proprie Dæmonibus esse nequit, & si quouis modo actiue ad sui alligationem, & Dæmonum ad ipsum apprehensionem, ac subinde dolorem, & tristitiam concurrat, dolor, & tristitia erit de molesto obiecto, & cruciatu phantastico, orta, scilicet, ex falsa molestiæ, obiectiue apprehensione: quod enim, quo velis modo ab igne, ipso apprehensio molestiæ obiecti, quæ vera in eo nec est, nec esse potest (respectu Dæmonum, nimirum in casu nostro) actiue proueniat, nec apprehensionis errorem, nec tristitiæ, & doloris ex ea subortis phantasticos, siue de malo, & molestia pure phantastica esse, tollere potest: quod est in primam sententiam reiectam cert. 2. num. 1. deterius adhuc & periculosius prolabi, dices (quod fors voluit Tannerus noster) ignem, & vstionem, calorem, & ardorem illum, cuius apprehensio, dolor, & tristitia, ab igne actiue Dæmonibus prouenit, eo ipso esse obiectiue vere molestum: siquidem vere eam doloris, & tristitiæ molestiam Dæmonibus causat, ac subinde aptum natum eam molestiam Dæmonibus eo causare de se se, & natura sua ignis est; contra primo, quia vstio, crematio, & ardor Dæmonum, quorum solummodo apprehensione ignis secundum se molestus, sibi à Dæmonibus apprehendi potest, (Neque enim ignis secundum se apprehensione molestus sibi à Dæmonibus apprehenditur, nec dolor de eo, & tristitia eorum voluntatibus ingeneratur) æque fictitiam molestiam ex falsa solum apprehensione habet, atque incursus, & ictus tauri falso apprehensi in somniantem; imo magis longe fictitiam: siquidem molestiæ huius à somniante apprehensio molestiæ possibilis est, molestiæ autem vstionis, & ardoris Dæmonum, est molestiæ ipsis per se impossibilis. Contra secundo, quia ignis in eam apprehensionem molestiæ actiuitas intrinseca ipsi, eiusque naturæ non est, nisi mediata solum, quatenus calore, qualitateque dolorifera, & subinde ardore, & vstione ab ipso inductis sensationem, internam, doloremque, & tristitiam appetitus sensitiui, ac deinde apprehensionem intellectualem causat, ex qua dolor, & tristitia voluntatis progignitur, vt contra Molinæ explicationem dicebamus: quare actiuitas, quæ hæc omnia supplenda sint, non ignis intrinseca, sed extrinseca & prorsus Dei est: à quo nulla interueniente intrinseca, & naturali ignis exigentia supplentur. Neque immediatus ignis influxus in eam apprehensionem dolorem, & tristitiam voluntatis Dæmonum ex intrinseca illi obedientiali potentia est possibilis, cum ob generalem eius potentiæ repugnantiam in creaturis, tum ob specialis rationis, ob quam ad rem præsentem igni

specia

specialiter deberet competere, impossibilitatem. Contra tertio: quia vt ita ignis de se, & in actu primo molestus dæmonibus ab ipsis apprehendatur, oportet ipsum apprehendi, & cogitari expresse, vt principium molestiæ doloris, & tristitiæ de ipso conceptæ: vel ergo concipi potest, vel concipitur principium molestiæ, doloris, & tristitiæ ignis secundum se consideratus, & apprehensus, sine eo respectu causatiui doloris, & tristitiæ, vel nequit concipi principium molestiæ doloris, & tristitiæ, ni expresse, vt eius principium cõcipiatur, quia aliter principium molestiæ, ac eorum de ipso affectuum esse dæmonibus, non potest. Primum cum aduersariorum sententia, & eius solutionis doctrina non conuenit: iam enim ignis secundum se & sine vllo respectu ad dolorem, & tristitiam & molestiæ horum affectuum molestum esset physice dæmonibus, quod aduersarij fictitium reputant, & solutione ipsa fatentur. Secundum est impossibile: quia esset circulus rationum nugatorius: scilicet ideo potest dæmonibus causare, & causat dolorem, & tristitiã molestas, quia molestus esse illis potest, ac de facto est: siquidem tristitia, & dolor, nisi de obiecto molesto esse non possunt: & ideo molestus esse potest, ac de facto dæmonibus est, quia doloris, & tristitiæ eorum causatiuus est, & causa de facto insuper, cum ignis molestia solum, quatenus principium est doloris, & tristitiæ concipi nequeat, nisi dolore, & tristitia ab ipso factibili concepta: oportet eius tristitiæ, & doloris apprehensionem præcedere, & de illo dolore, & tristitia, quæ ex parte termini illius rationis causatiui doloris, & tristitiæ (qua solum realiter formaliter molestus ignis dæmonibus est esseque potest) necessario debet præcedere apprehensio obiecti molesti ipsorum, & rationis, ob quam molestus sit, & eorum causatiuus, & sic in infinitum. Contra quarto: quia iuxta hanc doctrinam tota molestiæ, & cruciatus dæmonum ab igne ratio non ignis propria, sed doloris, & tristitiæ contra scripturam, & Patres est; & contra obiecti molesti identitatem, cruciatumque animæ coniunctæ corpori, ac dæmonum causantis, quam hæc sententia asserit etiam vlterius infectar.

5. Id autem facile probatur à nostro Vasquez c. 4. & 6. & à Soario n. 30. & Alarcon c. 9. n. 14. §. *Hæc sententia*, etenim anima coniuncta corpori de membri, aut totius corporis ab igne tortura, cum sensitiuo appetitu, tum voluntatis tristatur, ac dolet, quia corpori, vel membro suo qualitas dolorifera & disconueniens inducitur, ac subinde eis disconueniens, & dolorifera qualitas in aliquo, quod ratione coniunctionis, & informationis corporis suum & proprium animæ est, residet, & cruciatum exercet, vt Aug. testimoniis ipsis, quibus pro sua opinione aduersarij vruntur, significat. Ita enim ait 14 de ciu. c. 15. *dolores, qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne? nam dolor carnis: offensio est animæ in carne, & ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, sicut animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus, accidunt*, & lib. 21. c. 30. *Si consideramus diligentius dolorem, qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet.* Et probatur rursus, quia vnio affectiua quæuis, v. g. amoris, & amicitiæ, erga alium mala, & molesta, quæuis amico suo, ita propria facit, vt Deus, tristetur, ac doleat de quibus, ni affectiuus nexus adesset, non doleret: ergo arctior multo nexus, & vnio physica animæ cum corpore hujus mala, & cruciatus suos, & proprios animæ facit, vt de eis doleat, & tristetur, vt de malis suis: atqui dolorifera illa qualitas, & cruciatus dolor corporeus seu corporis, quod est tristitiæ animæ coniunctæ corpori illam patienti obiectum nec est, nec apprehendi à Dæmone, nisi erronea, & somnianti consimili apprehensione, vt malum proprium: ergo nec potest esse doloris & tristitiæ dæmonis obiectum. Maior statuta satis est. Minor probatur: quia qualitas illa dolorifera, & corporeus cruciatus ab igne prouenies, nec est dæmonis illum in se physice patientis, & recipientis per te, cum nequeat substãtia spiritualis pura dæmonis corporeum aliquid pati, & in se ipsa recipere: ergo dolorifera illa qualitas, & cruciatus corporeus ab igne in corpus, cui anima vnita, & physica forma, & informans, & cuius, vt animæ proprij malum nec, nisi erronee, vt malum dæmonis ab ipso apprehẽdi potest: quare nec dæmon, potest de illo, vt proprio aliquatenus malo dolore, atque tristari, ac subinde, nec qualitas illa dolorifera, & cruciatus corporeus corpori ab igne prouenientes, qui animæ ipsi physice vnitæ & coniunctæ doloris, & tristitiæ obiectum est idem ipsum poterit Dæmoni tristitiæ, & doloris obiectum, quo ab igne crucietur, etsi erronea (quam ipse habere, nequit, cum neutro modo proprium sibi cruciatum corporeum esse clare natura sua potius videat) apprehensione à Deo infusa de eodem obiecto pure phantastice doleat, & crucietur.

6. Restat examen de animarum separatarum tortura ab igne: simili huic, quam in dæmonibus impugnauimus, an vera, ac de eodem obiecto, sit, cuius dolore, & tristitia corpori coniunctæ cruciarentur ac post resurrectionem æterne cruciabuntur? qua in re, censeo cum aliis omnibus Doctoribus cruciatum, ignis, siue ab igne animarum separatarum proprium, verumque non posse (iuxta sententiæ prædictæ, & impugnatæ, actiuitatis impugnatos modos) saluari, vt ex prima, & secunda impugnationibus datis à n. 2. ad. 4 inclusiue, constabit, quoad obiecti cruciatus identitatem censeo contra Vasq. Turrian. Alarc. & Arr. non magis esse posse veros ab igne, cruciatus, seu tristitiæ, & doloris de illo ab anima separata, quam à dæmone concepti obiectum idem cum eo, de quo anima conincta corpori tristaretur doleat, dolebitque cum æterne, in inferno ab igne cruciabitur, sic sentit Soar. c. 15 à n. 5. cum alleclis pluribus. Probatur facile ex proxime dictis n. 6. quia corporea combustio, & qualitas dolorifera in corpus ab igne inducta eatenus obiectum doloris, & tristitiæ veræ animæ quæ illa in se pati ab igne nequit, esse potest, quatenus ratione coniunctionis, ad corpus huic mala, & molesta. propria etiam animæ sunt, & fiunt: atqui animæ à corpore separatæ deficit coniunctio ad corpus: ergo, & malis, ac molestis rebus, & cruciatibus, & qualitatibus corporis doloriferis ab igne in corpus adductis, ratio mali, & molestiæ propriæ etiam animæ, vt de eis, vt propriis etiam malis, dolere, tristarique possit: ergo dolorifera corporis combustione, & qualitate, de qua corpori vnita anima tristaretur ab eo separata dolere iure, tristarique, nisi ex erronea apprehensione, minime potest. Dices: animam damnati separatam cognoscere reuniendam esse corpori æterne ab igne cruciando, ac proinde huius æternos cruciatus ab igne suos etiam, & proprios fore, sed id timorem, de cruciatibus illis animæ separatæ afferre poterit, non autem dolorem, & tristitiam, quæ de præsenti solum malo, quod quis patitur, esse potest. Dices, secundo: species ipsas cruciatus, quem tota æternitate corpus, & anima ratione vnionis ad ipsum, de præsenti patientur, & quarum ministerio cruciatum ignis tota æternitate præsentem apprehendit, & cognoscet, potest Deus animæ separatæ infundere: sicuti, etsi præteriisset cruciatus, eadem, quibus tunc præsenti cognoscebatur in ea conseruare: ergo sicut vel tota æternitate, vel tempore præterito de ea cruciatum corporis sui ab igne, vt proprium etiam præsentem apprehendebat, vel apprehendet, ac subinde de eo cruciatu vt proprio tristabitur tristataue anima coniuncta corpori fuisset, nunc etiam separata proprium illum, & præsens apprehender, de eaq; vt tali tristabitur. Nil amplius probat obiectio, quam tristãdam animam separatam de obiecto eodem, de quo coniuncta corpori; sed tristitia ex falsa, & phantastica omnino apprehensione oriunda; quemadmodum somniantes de combustione corporis, vel ictu corporeo à Tauro falso, & fictitie apprehenso dolent, & tristantur, idque solum specialibus suppositis doctrinæ suæ de receptione cognitionis & appetitionis sensitiuæ etiam, in anima corpori vnita obseruationibus probat Arriaga: cum autem tristitia, dolorque animæ separatæ de eius ab igne cruciatu vero præsente, & proprio, non de solum phantastice ficto, & per errorem ab illa apprehenso, esse dogmatice debeat, animæ separatæ, atque coniunctæ nequit, iuxta hanc opinionem, idem esse obiectum defendi.

CERTAMEN V.

Qui virtute naturali ignis inducendi doloriferam corpoream qualitatem in substantias spirituales, earum supernaturaliter vel naturaliter passiue recepta potentia, præsentem difficultatem componunt, reffelluntur.

1. HEnricus quodlib. 8. q. 14. & nuper Franciscus de Lugo d. 28. à num. 46. Quiros d. 77. à sect. 2. (etsi cogitationi suæ singulari non fidens, nec firmus, sed subdubius & suspenso adgaudens assensu vti, & d. 51. præstiterat) putant, ignem actiuitate naturali sua, qua corporibus viuentibus calorem, doloriferamue qualitatem aliam corpoream, qua ea cruciet, producit, eadem, & in dæmonibus producere: quoniam vero virtus eorum effectuum corporeorum in subiecto actiua est, necessario passiuam potentiam, seu illos recipiendi capacitatem, essentialiter correlatam in subiectis, in quibus eos effecturus est concernit: quare, & in dæmonibus caloris, & doloriferæ qualitatis corporeæ potentiam physicam receptiuam, quam naturalem in substantia spirituali dæmonum (quod ipsum de animabus damnatorum separatis est) Doctores omnes hactenus negarunt. Henricus supernaturali qualitate ipsis à Deo indita receptiuã capacitatem eorum corporeorum effectuum ignis dæmonibus fieri censet. Lugo vero ad potentiam & capacitatem passiuam obedientialem spiritualis substantiæ dæmonum recurrit: ad cum modum, quo Soar & alij relati, & impugnati cert. 3. & 4. ad obedientialem actiuitatem ignis recurrebant, vt ab eo molestæ qualitates spirituales dæmonibus inducerentur. Quiros vero sub dubia illa sua sententia, quam d. 51. in scholas induci potius voluit, quam asserere, & qua eodem affectu, & iudicij suspensione ad præsentem difficultatem componendam vtitur d. 77. receptiuam hanc potẽtiam, & capacitatem passiuam corporeorum effectuum illorum naturalem ex parte sua substantiæ spiritualis dæmonum esse, eadem iudicij suspensione, insinuat, &, ni singularitatis notam pertimesceret, aperte doceret, quia communi cum sublunaribus materia de se ad spiritualem, vel corpoream formam, quare, & ad quantitatem extensionem, & penetrabilitatem, vel ad penetrabilitatem dæmones, & Angelos constare posse, & de facto fors formisque spiritualibus constare impense multisque fundamentis ostendere contendit, vt d. 2. de Angelorum simplicitate physica vidimus. Tres hi modi passiuæ capacitatis & potentiæ receptiuæ effectuum corporeorum ignis refellẽdi sunt, vt sententia præfata eliminetur cum passiuæ eius capacitatis, & potentiæ receptiuæ effectus corporei in substantia pure spirituali modi alij, qui sub aliquo ex tribus non sint, excogitari non possint.

2. Primus Henrici: quia, vel illa qualitas à Deo dæmonibus, eorumque substãtiæ spirituali indita spiritualis est, vel corporea? si spiritualis, nequit effectus corporei recipiendi capacitatem afferre dæmonibus, quibus secundum suam substantiam sumptis, è solo spiritualitatis prædicato, ea passiua capacitas, & potentia receptiua effectus corporei repugnat, quo spirituali illa qualitate addita non extrahuntur dæmones, atque ad corporeitatis prædicatum deprimuntur; imo prædicato spiritualitatis, quod, qualitas indita affert duplici titulo præfata capacitas, & potentia passiua dæmonibus repugnabit. Si dicas corpoream esse inditam illam à Deo qualitatem, æque capax, vel incapax eius recipiendæ substantia spiritualis, atque effectuum ignis corporeorum erit si capacem esse velis, inutiliter eius qualitatis additamentum vt eos recipiendi sit capax, comminiscêris, si de se capax substantia dæmonum, non est recipiendi eam corpoream, qualitatem incorporea aliqua alia infusa à Deo pro naturæ priori induatur: quare alia corporea, qualitas, & ad hanc alia, & sic in infinitum à Deo prius, & prius infusæ præsupponendæ erunt. Secundus modus nostri Francisci de Lugo de obedientiali potentia passiua, & capacitate receptiua effectuum corporeorum ab igne prouenientium, quam dæmonibus tribuit, eisdem rationibus proportionaliter refellitur, quibus potentiam actiuam obedientialem à creatis, & ad rem præsentem ab igne reiecimus: ex qua ad passiuam Lugo voluit tenere paritatem. Et sane, si potentia hæc obedientialis passiua creaturarum admittatur ex qualitate substantia, & ex forma materia educi diuinitus poterit. Etsi enim naturaliter, & ex eorum naturis materia creari debeat, ex eaque educi forma, & ex substantia rei, cuiusque propriæ qualitates, & physicæ passiones: ast, iuxta doctrinam potentiæ huius passiuæ obedientialis inuerti omnia possunt, & pro Dei arbitrio debent, sicut, & ex potentia obedientiali actiua, similia monstra admitti: ac proinde obedientialibus his potentiis admissis philosophia seria de pictis ad risum tabellis, quibus homines cursus, hedasque trahentes mulus vero Auriga, seu chori Magister, & iumenta cantus discipuli, qui ab eo docentur, similis erit. Sed inter potentiæ obedientialis actiuæ Doctores, qui eius exemplo, & discursibus ad eam in philosophia inducendam adinuentis passiuæ huic inducendæ occasionem, & fundamenta dederunt recens controuersia est: an exactiua obedientiali ad passiuam obedientialem consequentia à paritate teneat? quibusdam eam negantibus apud Arriagam sect. 4. n. 21. §. *Duo in hac sententia*, ipso vero Arriaga affirmante à n. 22. §. *Ego tamen*, & sequentibus quatuor, nempe vsque ad § *Tertio denique* inclusiue.

9. Certe, si in re adeo à me aliena iudicium ferendum mihi sit, censeo Arriagam melius iudicasse, & admissa potentia obedientiali actiua creaturarum ad effectus naturali actiuitate ipsarum impropotionatos producendos, passiuam etiam potentiam obedientialem earumdem ad impropotionatos quosuis effectus naturæ, & naturali potentiæ passiuæ, seu receptiuæ capacitati earum, recipiendos admitti debere. Probatur primo ratione: quia potentiæ receptiuæ & passiuæ creaturarum prædicatum essentiale creatum est: atqui ex prædicato creati à Deo subiectio potentiæ actiuæ ad effectus quosuis naturali agenti creato eiusque naturali actiuitati impropotionatos etiam per excessum, perfectionis, & ordinis superioris, scilicet supernaturales, pro Dei arbitrio producendos ab his authoribus inducitur: ergo, & subiectio potentiæ receptiuæ ad impropotionatos effectus, recipienti, eiusque potentiæ passiuæ, & capacitati receptiuę pro Dei libito recipiendos, induci ab eisdem debet: sed inquiunt Recentiores. Potentia receptiua formæ immediatæ & proxime respicit actum: ergo concernit essentialiter formæ immediatam, & proximam receptibilitatem in ipsa: atqui absolute hæc repugnat formæ naturaliter proxime in ipsa, non receptibili ergo potentia receptiua illius absolute repugnabit, ac proinde potentia, receptiua obedientialis absolute repugnabit. Negatur facile minor omni fundamento probabilitatis, in doctrina potẽtiæ obedientialis actiuæ, & discursu quo ab eius assertoribus probatur, destituta: siquidem, & hæc proxime, & immediate respicit suum actum, & naturaliter impropotionatum, vt ab agentis naturali actiuitate fiat; & tamen Diuinitus, & supernaturaliter ab ea obedientiali actiuitate fieri potest, quare fieri ab ea absolute non repugnat quod ipsum de forma impropotionata naturaliter potentiæ receptiuæ, cuius proximus actus est immediata, & proxima receptibilitate obedientiali ab eam assequentibus eadem ratione, & iure dicitur. At inquies; immediatior, & proximior actus potentiæ receptiuæ, & forma quæ ipsi vnitur, eamque informat seipsa, quã effectus potentiæ actiuæ, cui vniri, eamque informare non debet, vt eius actus sit, atque ab ea fiat Respondetur facile proximitatem, & immediationem actus, & potẽtiæ æquam, in diuersis generibus non esse eodem modo, & coniunctione faciendam, & quærendam, sed

in suo genere, & ordine vniuscuiusque: æquamque merito dici immediationem, & proximitatem actus ad suam potentiam, in suo genere, atque actus alterius generis, & ordinis: ad suum, cum nihil magis, inter potentiam, & actum in suo genere, & ordine mediat, quã inter potentiam, & actum ordinis alterius: Nihil autẽ magis mediat in genere, & ordine potentiæ actiuæ immediate, & effectus, & actionis ab ea fluentis, quam inter potentiam receptiuam, & passiuam formæ ipsi immediate, ac seipsa vnitæ in suo genere actus, & potentiæ: quamquam, & in hoc, æquiuocatione obiectantes procedant: quia potentiam receptiuã subiecti cum potentia vnitiua eius ad formam, & actum subinde, confundit; cum tamen diuersæ potentiæ & actus sint, & vnus altero natura (mea sententia) posterior, & quę sæpe sine alio inuenitur: Patet in potentia materiæ ad animam rationalem, & ad vnionem cum ipsa quæ nullatenus, ex potentia passiua educitur, sed creatur: quare ad ipsam nec potentia receptiua, quæ eductiuæ potentiæ agentis respondet, in materia inuenitur, etsi passiua informationis animæ respondens inueniatur, & vnionis receptiua, etiã eductiuæ, ex qua vnio educitur. Respectu autem formæ materialis educibilis, ex materia; prior est actus formæ respondens potentiæ receptiuæ & eductiuæ formæ ex ipsa, quam potentiæ ipsius passiuę informationis, & vnionis ad formam: ad quam æque, ac materia, forma præsupponitur existẽs, & pro naturę priori educta: quia, æque, ac materia, extremum essentiale vnionis sui ad materiam, seu materiæ ad ipsam est, & cuius vnibilitas ad materiam, seu potentia materiæ, vt vniatur ipsi, ad mutuam vtriusq; vnionem pro naturæ priori supponenda sit. Dices iterũ: effectus formalis formæ, nequit, adhuc diuinitus, à Deo supplere; ergo nec per potẽtiam obedientialem, vel ipsius formæ, vel materiæ improportionatæ ad illum, eidẽ æquiuocationi innititur obiectio: est quippe effectus formalis proprius formæ cuiusq; hoc totum inadæquate constituere: quem effectum constitutionis constitutiuæ, eius potentiæ respondentem vocare debemus, estque totum ipsum ex ea materia, vt partibus essentialibus intrinsecis constitutum: quare quauis earum deficiente idem totum perstare omnino repugnat, etiam alia forma, vel materia diuersa diuinitus loco, alterutrius substituta: ex qua totum quidẽ resultaret, sed plane diuersum ab eo, quod materia, & forma illa, cuius altera deficit, constitueret, quid autẽ, refert huius repugnantia, diuinitus adhuc incomplanabilis, potentiæ obedientialis receptiuæ formæ, sibi connaturaliter improportionata, vt totum aliud ab eo, quod cum connaturaliter proportionata forma constitueret, constitutiue componat: vltimò dices, effectus corporeus habet quidem repugnantiam diuisibilitatis partium inter se, & in ordine ad locum, & localem eorum extensionem, vt in dæmone, subiecto substantiæ, spiritualis & indiuisibilis recipi possit. Sed in præsentia dæmonis, & Angeli cuiusuis, etsi spirituali, diuisibili, & extensa localiter ea repugnantia à Doctoribus emollita communiter est, & in animo rationali, spirituali, & indiuisibili, si suam propriam habeat præsentiam. Et quamuis non habeat, nõ habet maius difficultatis, formam in se, & in ordine ad locum indiuisibilem aptari subiecto, & præsentiæ de se & in ordine ad locum diuisibili, quam formam, & in se, & in ordine ad locum diuisibilem aptari subiecto in se, & in ordine ad locum indiuisibili, & præfatæ instantiæ ex naturalibus, & citra miraculũ effectis petitæ sunt. Et illud etiam: quod ad extensionem localem præsentiæ diuisibilis dæmoni naturalis, extẽsionem localem suam forma corporea, haberet, quin alicubi subiectum indiuisibile deficeret, quod informaret, & in quo reciperetur. Denique cum potentia obedientialis miracula non respuat, sitque legibus naturæ soluta, etsi forma corporea partibus extensionem localem petentibus constet, denegetur à Deo (vt potest) & ponantur in eodem puncto loci penetratæ, vt corpus Christi in Eucharistia in quouis accidentium puncto, & indiuisibili totum positum est. Sed plus satis in falsa suppositione actum est.

5. Tertius modus nostri Quiros minus adhuc probabilitatis habet: supponit enim possibilem esse materiam, quæ de se se; nec corporea sit, nec determinata ad quantitatem, extensionem localem, partiumque & inter se, & cum corpore vllo impenetrabilitatem, vel ad penetrabilitatem, & spiritualitatem, nec, nisi, ex formæ adiunctæ corporeitate, vel spiritualitate ad alteram ex eis determinabilem, & in rebus corporeis determinatam ad impenetrabilitatem, in aliis ad spiritualitatem, & spiritibus, & corporeis rebus subinde esse communem. Hæc autem somniatam paradoxen nullo, authoritatis (adhuc ethnici Philosophi alicuius) aut rationis fundamento apparenti subnixum disiecimus citato loco de simplicitate, & incompositione essentiali physica Angelicæ naturæ. Sed eius materiæ admissa possibilitate naturam angelicam eiusmodi materia de facto, cõstare, reipsa Quiros, qui libero, & adeo arbitrario discursu circa possibilitatem angelicæ naturæ eiusmodi materia de se indifferenti, & nostræ communi constantis diuagatur ausus fuit asserere. Sed, vt videat, quam inutili labore ad difficultatem de cruciatu proprio dæmonum abigne, cerebrum tot discursibus de eius materiæ possibilitate, & compositionis naturæ angelicæ alicuius ex illa, vexauerit: demum id totum, non solum in aliqua natura angelica possibili fieri absolute posse, sed de facto in natura angelica omni creata, & existente reperiri; nihil tamen inde difficultas hæc emollietur. Etenim ipsa de se corporea non est per te, nec determinata ad aliquid, corpoream, scilicet, quantitatem, impenetrabilitatem, extensionem, seu quantum, impenetrabile, & extensum, nec ratione formæ aliqua ratione exigente ad effectus suos in materia quantitatem, & quanta, seu corporea accidentia; alioqui iuxta tuam doctrinam natura angelica, quæ de facto est, in Angelis omnibus, ac subinde hi etiam omnes essentia sua physica, & metaphysica æque, atque homines, essent corporei contra definitionem Concilij Lateranensis; imo vero ex forma angelica purissime spirituali per te ad spiritualitatem determinatur, & spiritualizatur: ergo corporeus calor, & ardore ignis, nequit in illa recipi, ab eaue educi, citius, faciliusue, quam à substantia pure, & absolute spirituali Angeli. Probatur: quia tota repugnantia, vt in hac recipiatur, & ab ea educatur forma corporea eius cum substantia spirituali Angeli improportio; atqui per te Angelus, eiusque natura ex tua illa materia indifferente de se, & forma spirituali pure, & absolute est spiritualis: ergo eadem est in ea improportio ad formam, nec minore difficultate, aut repugnantia vincendo, vt formam corpoream recipiat, vel ab ea forma corporea educatur.

6. Si calore corporeo dixeris determinari extrinsecus, ad quantitatem, & corporeitatem, vide, quid dicas, quia, vt absolute calorem corporeum recipit, ita absolute recipiet corporeitatem, eritq; absolute corporea: ac proinde Dæmon absolute corporeus erit: siquidem materia absolute corporea constabit contra Lateranensis de Angelis omnibus definitionem. Item pæna ignis Angelus, qui peccauit, mutauit, specifice naturam, neque idem numero, imo nec specie, qui peccauit punietur. Secundo: cum materia essentia sua primario, & præcipue, respiciat, & exigat (cum essentia sua pars sit) formam, cum qua totum substantiale constituat, mirum valde est materiam à forma spirituali spiritualizatam ab accidenti corporeo, quod vix, &, quasi per accidens, respuit, posse corporizari, & contra effectum primario, ac præcipuo, & essentiali suo actu præstitum, adeo extrinsecum, & accidentarium eius actum prævalere, & oppositum effectum corporeitatis in materiam inducere. Ad hæc: cum potentia receptiua formæ seu eius eductiua ex materia ad eius ex illa eductionem, atque in illa receptionem pro naturæ priori ex parte materiæ supponi debeat, æque, atque actiuitas ex parte agentis, vt formam ex materia educat actiue, ad eam vero potentiam receptiuam, & passiuam eductionis formæ corporeæ ex materia proportio corporeitatis materiæ requiratur per corporeitatem ex formæ corporeitate in materiam deriuata tribui materiæ nequit, quin aperta cõtradictione

formæ

forma corporea, recipienda pro naturæ priori ad seipsam ex parte materiæ supponatur, vt contra possibilitatem huius materiæ indifferentis de se ad corporeitatem, & spiritualitatem, determinandæ, vero à forma ad alterutrum citato loco arguebamus. Dico tandem huius Doctoris in hac chimæra ad rem præsentem architectanda inutilem laborem ostendunt. Cum enim ipse sẽsationes nostras, & appetitiones materiales inadæquate, vt in parte subiecti in anima spirituali nostra, partim inadæquate, in materia seu corpore recipi, & subiectari doceat sect. 5. n. 45. §. *Sed hoc omisso*. Potuit, hoc admisso, receptionem caloris ab igne producti in substantia angelica spirituali æqua facilitate admittere. Siquidem, quod altera nostri compars, scilicet corpus, proportionem corporeitatis, cum corporeis sensationibus, habeat, non tribuit substantiæ spirituali animæ nostræ (quæ corporea in sua substantia, non est, sed omnino spiritualis) corporeitatem, qua eas recipiat, & corporeis sensationibus proportionetur. Secundo: cum Quiros ipse n. 39. §. *Obiicies secundo*, asserat, ignem non naturali virtute actiua, (sed obedientiali) calorem, & ardorem in dæmonibus producere; eadem facilitate, virtute passiua & receptiua substantiæ spiritualis, eorum admissa (vt admitti posse, ac vi consequentiæ debere ostendimus n. 3. & 4.) absque repugnantia aut duritie maiore rem componeret, quin ipsi, adeo pluris, præsentis difficultatis compositio constaret.

CERTAMEN VI.

Alligatione physica dæmonum, & animarum damnatorum igni, penitius, quam vulgo, inspecta tortura, & cruciatus vtrorumque ab igne facilius asseritur, & explicatur.

1. DÆmones, & damnatos, eorumque subinde animas igni physice alligandas, post iudicij saltem diem, certum Doctoribus est ex. 12. Petri 2. vbi dæmones *rudentibus inferni* (igneis, seu ignis) *detractos in tartarum tradidit cruciandos*, & epistola Iudæ n. 7. similiter de iisdem dicitur. *In iudicium magni diei vinculis æternis, sub caligine reseruauit.* Multa hic subtilitate, & ad rem præsentem inutilitate, ab aliquibus, & Arriaga sect. 3. discurritur de hac alligatione dæmonum igni: an solo Dei decreto constet? an influxu ignis, ex virtute obedientiali, in vbicationem dæmonum intra ipsum veniat? quasi ex alterutro præsentis difficultatis pendeat decisio: ac proinde vtriusque rationes, & modos, explicandi, & impugnandi, ac respondẽdi prolixe proponit. Ad rem igitur modi alligationis huius certum videtur in solo Dei decreto eam non stare, neque in sola vbicatione dæmonum in igne ac penetratione locali eorum (quam dubio procul sæpe Angeli habuerunt, & habent cum igne, quin ei ligentur, pro penetrationis illius duratione) neutrum enim horum vincula & rudentes inferni sunt: quemadmodum, nec iudicis decretum, de cuiuspiam carceratione, ac detentione in carcere, nec præsentia carcerati, in eo, vincula, quibus in eo detinetur sunt: neque actiuitas illa obedientialis ignis chimærica (sine qua Recẽtiores præfati discurrere nesciunt) ad rem est: quare, vt clarius, ea alligatio intelligatur, veriusque de ea & præsenti difficultate discurratur certum idem est: vincula illa, quibus detentio dæmonum in carcere illo suo igneo seu penetratione cum igne detinebuntur ligati, ne possint ab eo recedere, ac fors modo, vbiuis sint, & vagentur detinentur, non esse vinculum aliquod substantiale fumum instar, quibus corpora sibi mutuo colligantur, atque alterum alteri cogitur adhærere, ita, vt corpus ex eis mobile nequeat ab immobili, cui ligatum est, recedere, nec si vtrumque mobile sit, nisi altero secum tracto. Cum autem in præfatis hæc dæmonis ad ignem alligatio, non stet, nihil restat, in quo stare possit, nisi in physica eorum vnione, quæ duorum entium, seu naturarum totalium inter se non repugnat, vt bene Ripalda citandus cum Scoto, Gabriele, Okamo, Vasquez & aliis quos & nos sequimur t. de Deo Trino, & Incarnato, d. procemiali quid. quid Arriaga dicat, nullam aliam vnionem, physicam, nisi formæ subiecti, vel integralium partium naturæ totalis posse esse, aut cum verisimili fundamento excogitari, ac induci, vt infra eius obiectionem contra nostram conclusionem proponentes & diluentes videbimus, & nunc satis erit, si ad formam ignis vnio hæc admittatur.

2. His ita constitutis S. Thom. 1. p. q. 64. a. 4. ad. 3. vbi Caietan. & Dominicani Recentior. & 4. contra gent. c. 90. vbi Ferrara, Paludan. in 4. & Hugo de S. Victore q. 4. in epistolam ad Thessalonicens. q. 6. Durand. q. vlt. Vasquez citat. 244. c. 6. (id quod probabile censent. Bonau. Scotus Gabr. Maior, apud Vasquez ibidem) docent: per hanc physicam alligationem igni dæmones ab igne torqueri, quin molestiam aliam ab igne ipsis præstitam patiantur: molestum quippe est rationali; cuiusuis creaturæ (præcipue nobilissimæ vt angelicæ) igni, tanquam carceri ligari. Hæc tamen sententia reliquis iam communiter displicet, & prisci, parenthesi contenti in ea non quiescunt, sed suum quisq; difficultatis huius componendæ modum quæsiuit, vti ex eis retulimus. Refellenda est primo: quia eiusmodi molestia detentionis, seu carcerationis intra ignem præcise, eatenus solum molesta est, quatenus impedit libertatem ab eo egrediendi prolibito dæmonis, ac se ab illo exeutiendi, quæ carceratio in alio quouis elemento mixtoue corpore, imo in Angeli alterius substantia, æque esset molesta, cum æque vsum eundem libertatis egrediendi ac se ab eis expediendi violenter impediret, vt fatetur Vasquez ibidem §. *Postremo addendum*, vt quid ergo, vt actiuitatis ad cruciandum, nobis dirioris atrocissima hæc pæna ignis, vt specialissima in cælestos à Deo intonatur, nisi ad inanem terrorem? cum ea, quæ in hac sententia asseritur, cæteris corporibus imo, & spiritibus, quibus alligarentur æqua, sit, & communis, ego per illusionem puram Ecclesiæ Patres, & fideles omnes eam pænam, vt sensibilium atrocissimam in inferno futuram exhorrent. Nec satis est, ex vilitate ignis, cui alligantur valde nobilissimæ creaturæ, scilicet dæmoni, eam carceris molestiam, augeri, vt Dominicani Recentiores aiunt: magis enim inde augeseeret, si aquæ, aëri, stercori, putridoque, ac putido cadaueri à Deo igne vilioribus alligarentur. Secundo carceratio in igne non est combustio, ardor crematio, quibus ab igne cruciandi damnati omnes tam dæmones, quam homines ab scriptura toties dicuntur, pluriesque à Patribus, Cypriano de laudibus Martyr. cap. 5. Fulgent. de fide ad Petr. cap. 3. Gregor. 4. Dialogor. cap. 18. Cyrill. Alexandrino, Origene, & cæteris aliis: ergo aliquid aliud, præter alligationis molestiam, & pænam dæmones ab igne pati dicendum est, vt eis vocibus significata pæna proprietate sermonis (vt debet) verificetur. Tertio, cruciari vere, & proprie igne, & ab igne damnatos assertum scripturæ, & Patrum est; atqui cruciari alligatione sola ad ignem non est igne, & ab igne, sed alligatione cruciari: ergo alio vltra alligationem ab igne cruciantur.

3. Vt vlterius hoc, quod vere dæmones (& idem de damnatorum hominum animabus separatis esto) ab igne patiuntur, facile, ac dilucidius, quam hactenus, explicemus, atque à difficultatibus (quæ scholasticos hucusque à vero inania, & insufficientia, præfata abire, & aberrare fecerunt) anticipato expediamus, duo præmittenda sunt. Primum torturam, & cruciatum viuentis, qui illam patitur, & de quo tristatur, ac dolet realiter formaliter, in eo præcise consistere, quod dolorifera & cruciante formaliter, qualitate per vnionem physicam informetur, eiusque subinde effectus formalis ipsi com

communicetur, vndecumque, ea qualitas, vel forma proueniat, & passiue, si opus sit, vel actiue procedat & fiat. Patet: quia, etsi calor, seu qualitas dolorifera (quæcumque sit) qua ab igne cruciamur, absque ignis concursu, seu influxu passiuo nostri corporis, seu materiæ necessario vt ex ipsa educatur à Deo solo (vt fieri proculdubio potest) produceretur, seu crearetur, (vt aiunt) dubio, etiam procul æque, eodemque modo, & specie cruciatus realiter formaliter cruciaremur, de eaque dolorifera qualitate tristaremur, doleremusque, ac si ab igne, hoc vel illo, vel radio solari, aut nimia, ac vehementi lucis reflexione ea qualitas, nobis etiam passiue influentibus, educeretur. Ratio est: quia molestia, & disconuenientia respectu nostri intrinseca, & physicè, ac entitatiue essentialis, illi qualitati est, ex quibuscumque causis, ipsi quidem extrinsecis, proueniat, nec alio, quam sui communicatione nobis passuris, & patientibus eget: quæ per sui in nobis vnionem physicam, & informationem realiter formaliter præcise fit, vndecumque ea etiam vnio proueniat, & causetur. Hinc, fit primo: nullum eius qualitatis agens realiter formaliter cruciare nos posse; sed solum actiue quatenus id, quo realiter formaliter cruciamur in nobis producit, quo solummodo cruciari nos ab igne, iure dici possumus; eodemque modo, sensu, & proprietate (actiue scilicet) vere cruciari diceremur, non autem ab igne, si non ab eo, sed ab alio agente forma illa, seu qualitas dolorifera fieret, ac nobis induceretur. Ex quo patet: quam male, nonnulli, ad physicam causalitatem, vel totalem Dei, vel qualitatis à Deo infusæ igni, erga id, quod pro cruciatu, & obiecto tristitiæ, & doloris dæmonum ex igne, quisque designat, recurrant: tunc enim, ne actiue quidem (vt solummodo poterat) dæmones ignis cruciabit. Quod ipsum censeo de recurrentibus ad potentiam obedientialem, siue actiuam ignis, siue receptiuam passiuo influxu dæmonum, vt ab illo crucientur. Fit inde secundo: vt, & si à nullo qualitas, seu forma dolorifera denuo producatur in passo cruciando, sed præexistens in alio illi per vnionem physicam communicetur posse illud æque, realiter formaliter cruciari, atque noua qualitate, vel forma speciei eiusdem ab eo educta, & inducta: quare illud aliud, cuius propria ea forma, & qualitas passo molesta, prius erat, & in quo, præextiterat vere, ac proprie forma passo molesta, ac proinde se ipso realiter formaliter passum cruciaret æque, ac si aliam speciei eiusdem in passo produceret; licet, neque ipsam, neque eius vnionem ad passum causaret. Et si enim tunc actiue cruciatus ille illius, seu ab illo, non esset, quia nec formam molestam, neque eius vnionem actiue in passo poneret, tamen totum quod molestum passo est, scilicet disconuenientem formam, & qualitatem de suo ponit: vnio quippe, & si ad communicationem formæ, ac molestiæ passo forma contentæ necessaria conditio sit, ipsa tamen vnio in se, nec molesta, grauis ve passo est, imo, nec ab eo percipitur, aut sentitur, nec percipi plerumque potest: vt patet, in omnium sensuum, & membrorum cruciatu, à quibus vnio qualitatis, aut formæ molestæ cruciantis realiter formaliter percipi, nequaquam potest.

4. Supponendum secundo est: qualitatem, seu formam grauem, & molestam passo, non ideo talem esse, quod connaturalibus eius qualitatibus, & earum constanti temperamento contrarietur, partiumue illius vnionem dissoluat, sed in se ipsa, & secundum suam entitatem absque vllo ad contraria, aut partium viuentis dissolutionem respectu grauem molestamque viuenti esse; tametsi quandoque in illo ea contrarietas, & dissolutiua partium viuentis potestas inueniatur. Suppositum hoc non est adeo commune, vt non contra plerosque sit; habet tamen bonos Patronos, & fundamenta à ratione, quæ alios deinceps tradere merito possint. Et quo ad potestatem dissolutiuam partium viuentis Vasquez supra nobis consentit: quoad vtrumque Soar. supra in solutionibus obiectionum contra suam sententiam, ex quo fusius Art. sect. 8. n. 47. §. *Primo tamen potest obiici*, & sequentibus vsque ad n. 50. Probat primo: quia non eatenus calor vehemens cruciat manum, ac molestus sentitur, quia frigus petit necessarium, & connaturale viuenti, eiusque connaturali temperamento: ac proinde deficit viuenti, cum eius defectus, & priuatio carentia sit, quæ nec percipi sensu potest, nec positiue realiter formaliter cruciare. Secundo: nec percipi potest sensu contrarietas caloris cum frigore: quare nec cruciare, sed sola caloris entitas. Tertio: plures qualitates aliis à tactu sensibus perceptibiles, absq; vlla contrarietate cum primis temperamentum connaturale viuentis constituentibus, aliisue ipsi connaturalibus, quas expellant, graues molestæque de se viuenti sunt: vt fellis amaritudo palato, & naribus fætor, qui connaturalem dulcedinem præhabitam ab illo, bonumve odorem ab his expellant; sed quia se ipsis absolute sumptæ eis sensibus graues, & molestæ sunt, de dissolutione vnionis partium viuentis constat ad rationem molestiæ viuentis in forma, seu qualitate dolorifera, & molesta non pertinere. Primo: quia nec fellis amaritudo, nec fætor partes organicas palati, aut narium constringit, aut dilatat, vt opus erat, vt earum vnio aliqua præcedens dissolueretur; & tamen graues, ac molestæ viuenti in eis organis, & sensibus sunt: Secundo Rarefactio & constrictio partium viuentis à frigore, & calore non nimis, sed moderate intensioribus, quam naturale viuentis temperamentum exigat, absque vllo cruciatus, & doloris sensu, in viuenti fieri experimur. Cum tamen absque dissolutione vnionis præcedentis partium viuentis neutra fieri possit. Tertio: cum ab humore, vel haustu, aliaue, ex causa, dilatantur, constringunturque partes viuentis doloris, sensus, & cruciatus, (& idem ipse, qui à calore, & frigore constringente, aut dilatante illas) deberet percipi, ac sentiri, cuius oppositum experimur omnes. Quarto: si eatenus solum calor vehemens dolorifera qualitas, & crucians, viuens est, quatenus nimis vnionem partium eius dissoluit, & frigus, vehemens quatenus nimis laxiore dissoluta constringit: fiet plane, vt idem caloris, & frigoris dolor, eodemque modo percipiatur, sentiaturque à quocumque agente partes viuentis, vel ita nimis diuidantur, ac dissoluantur, aut constringantur, ac comprimantur, v.g. ictu gladij, vel equulei tortura, contusionibus &c. quod falsum experientia, & ratione est. Duo hæc præ oculis habenda, vt in vera tortura dæmonis, ab igne indaganda, explicandaque cum antiquioribus non aberretur, & sententiæ nostræ veritas facile, & expedite intelligatur.

5. Dicendum est. Alligatione dæmonum ad ignem, per physicam vnionem ad eius formam substantialem, vel intentissimum ipsius, (si malis) calorem, præcise, nulloque alio, vere & proprie dæmones realiter formaliter ab igne cruciari. Sic censuit noster Bellarm. lib. 2. de purgator. c. 12. quatenus August. & Greg. pro hac sententia recitandis, & expendendis, eorumque rationi, aliis scholasticorum modis prorsus omissis, consentit. Conink etiam noster q. de purgator. dub. 3. & noster etiam Ripalda manuscripto de Angelis, tametsi aliud insuper addat: scilicet, ex calefactione, nimia, & ardore per vnionem physicam formæ, & caloris ignis realiter formaliter dæmoni communicatis, eum sensationem materialem, materialis illius formæ, & qualitatis doloriferæ vitaliter elicere diuina, seu obedientiali virtute, quæ inadæquate in Dæmone & inadæquate in ignis vniti forma subiectetur. Quemadmodum naturales sēsationes nostras doloriferarum qualitatū anima vitaliter agit, in ipsa tamen inadæquate, & inadæquate in corpore subiectatas. Pro quo suo additamento refert, ac recitat Hencum, quodlib. 8. q. 34. qui tamen passiuam receptibilitatem adæquatam superadditam dæmonibus à Deo caloris in ipsis, ab igne, eiusque naturali virtute producti verbis, ex ipso relatis concedit: quo, & à primo, in quo nobiscum sentit Ripalda, & à secundo, quod addit abest Henricus, quam longissime. Recitatur, etiam pro eodem additamento S. Bonau. loco supra à nobis citato verbis, quæ nec additamento fauent, cum

non dicat animam separatam, & eius adinstar dæmonem sensatione materiali immutari igne posse; sed solum animali hoc est vitali quæ ab anima sit: sicut, cum anima iuncta corpori est, non naturaliter, id est naturali caloris, seu ignis actiuitate, sicut corpus, siue coniunctum, siue separatum, sed vitaliter se ipsa mouetur; imo vero, nec moueri, cruciarique dæmonem, & animam separatam realiter formaliter igne, sed ab igne scilicet actiue patiendo expresse docet: quo à primo etiam, in quo nobis cum Ripalda conuenit, discordat. Sed additamentum postremum falsum multo, ex capite est, & inutile: inutile quidem siquidem cruciatus ardoris, & caloris vehementis ignis, cruciatus ignis corporei verus, & proprius realis formalis in dæmonibus, vti in hominibus, erit, veraque ignis corporei persensio & si hæc pure spiritualis sit, vt omnes supponunt, ex qua tristitia, & dolor spiritualis corporei illius cruciatus à vero corporeo igne, in dæmonis voluntate progignitur. Falsum vero est: tum, quia corporeæ illius sensationis subiectum inadæquatum substantiam spiritualem totalem constituit; quod nec de anima corpori vnita admittendum citius erit, quam esse illius adæquatum subiectum, vt diximus supra: nedum in substantiis spiritualibus natura sua, in quibus ad vnionem physicam cum corpore vllo naturalis aptitudo (nedum ad eius receptionem) potentia passiue receptiua non est. Vnde obedientialem potentiam receptiuam eius sensationis admittere debet in dæmonibus, vti ad eiusdem vitalem elicientiam actiuam obedientialem admittit, repugnantias multiplicando, vt supra ostendimus.

6. Nostra conclusio expressa est Augustini 21. de ciuit. c. 10 vbi ex sententia tunc, non adeo, ac nunc, explorata, & certa de pura naturæ angelicæ spiritualitate, & incorporeitate, sic de pœna ignis dæmonibus inflicta, & æternum infligenda discurrit. *Cur enim non dicamus, quamuis mirus, tamen veris, modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi; si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? adhærebunt ergo (si eis nulla sunt corpora) spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes, ipsi quibus adhærebunt eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu, & corpore; sed vt dixi, mirus, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus, pœnam, non dantes ignibus vitam: quia, & ipse alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest: & hoc ipse homo est.* Quibus mirus modus, & ineffabilis de dæmonum igneo cruciatu, non cadit supra id, quod ipse Augustinus effatur, & docet, scilicet, per communicationem formalem ignis media physica eius cum dæmone vnione fieri (quod, etiam exemplo communicationis formalis vitæ ab spirituali nostra anima media physica vnione corpori communicatæ explicat, & à paritate confirmat) solumque cadit mirabile, & ineffabile modi vnionis vtriusque cuiusque naturæ, quam, etsi in nobis cum modum esse sciamus, penetrare, ac penitus intelligere non possumus. Pergit autem confirmare ex eis vocibus epulonis Diuitis, vel potius eius animæ, ex inferni tormentis, & cruciatu clamantis ad Abrahamum. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret, linguam meam, quia crucior in hac flamma*, quam confirmationem efficacem reputat, si hæc metaphorice, & per allegoriam ab aliquibus (quos non reffellit) dicta non intelligantur. Præcauit autem subtilissimus Doctor, & profundissimus Pater, & præuenit obiectionem, quæ huic suæ sententiæ opponi posset, & maximi nunc nostri Arriaga facit, moxque ex Augustini Doctrina recitata diluemus, verbis illis. *Non, vt ignes ipsi, quibus, adhærebunt, eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu, & corpore. Ac rursus accipientes ex ignibus pœnam non dantes ignibus vitam.*

7. Pro eadem sententia æque apertus est. Magnus Gregorius 4. Dialogor. toto capite vigesimo nono, eodem exemplo vnionis, & viuificationis corporis nostri per spiritualem nostram animam probans: & insuper exemplo animæ separatæ diuitis in inferno proprie ardentis, eiusque igne, & flammis cruciatæ, vt Gregor. supponit, ex Lucæ 16. confirmat, ac tandem, inde ad dæmonum ab igne cruciatus & contra mutuam consequentiam deducit, deinceps à Catholicis omnibus approbandam. Sed, quoniam verba eius capitis aliqua, à contextu separata, atque, (vt non semel fieri ab scholasticis, pro cuiusque opinione statuenda solet) diuulsa diuersum, quid sonare minus doctis possent: totum caput ad verbum transcribendum est breuissima postilla quandoque ad sensus explicationem, & cohærentiam subiuncta dixerat cap. 8. *Num sicut electos (id est eorum animas) beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurat.* Cui cum statim Petrus. *Et qua ratione credendum est quia, rem incorpoream tenere ignis corporeus posset*, inchoat caput vigesimum nonum. Gregorius Petrum rogans *si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corpore igne teneatur?* cui Petrus *inuenri quodlibet idcirco incorporeus spiritus teneatur in corpore. quia viuificat corpus*, quod, tacitus ait, spiritus igni non præstat. Instat autem inde Gregorius (vt proxime Augustinus) *si incorporeus ipse spiritus Petre, in hoc teneri potest, quod viuificat, quare non panaliter, & ibi teneatur vbi mortificatur?* & si (subtacitus respondet) non viuificetur per illum, id, in quo tenetur. *Teneri autem spiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis videndo atque sentiendo* (experimentaliter ignem, eiusque cruciatum, vti nos, cum vrimur, ac igne cremamur; alioqui illud *sentiendo* superfluit, nihilque vltra *videndo* significabit) *puniatur, ignem namque, eo ipso patitur, quod videt, & quia cremari se aspicit, crematur: sicque fit, vt res corporea incorpoream exurat: dum ex igne visibili ardor, ac dolor inuisibilis trahitur: vt per ignem corporeum mens incorporea, etiam incorporea flamma crucietur.* Porro ab eis verbis *ignem namque*, ad extrema hæc recitata in fola ignis adiuncta spirituali apprehensione, & inde orto dolore spirituali, totum ignis cruciatum, & torturam spiritualibus substantiis designasse videtur contra id, quod immediate verbo illo *sentiendo* significauerat, quare nihil nostræ conclusioni fauere. Sed certe apprehensione, & dolore illo spiritualibus torqueri, & vri aliquo modo igne spiritus eis verbis vere docet, vt verbo *videndo* dixerat, sed eorum corporeum cruciatum, ignis ardoris, visionis, & flammarum corporearum non excludit; imo vero fatetur: vt, ex illis verbis, *& quia cremari se aspicit*, igne scilicet, *crematur*, vbi cruciatum & crematione ignis aliam ab ea, quæ aspectu, & visione spiritibus afferrur, vt visionis, & aspectus illius obiectum designat, quod continuo explicat, & probat hæc recitatis adnectens: *quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus: quia incendium animæ, non solum videndo; sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce diues mortuus in inferno dicitur sepultus cuius anima, quia in igne teneatur insinuat voce diuitis, qui Abraham deprecatur dicens: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digitis sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma? dum ergo peccatorem diuitem damnatum veritas in ignem perhibet, quinam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?* cui Petrus. *Ecce eorum animas teneri ignibus flectitur animus, & testimonio ad credulitatem flectitur ratione, sed dimissus iterum ad rigorem redit, quomodo enim res corporea rem incorpoream teneat, atque affigere possit, ignoro.* Cum vero Gregorius rogat. *Die quæso te apostatas spiritus ac celesti gloria deiectos, esse corporeos, an incorporeos suspicaris?* cui Petrus. *Quis insanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit?* Rursus Gregor. *gehenna ignem esse incorporeum, an corporeum fateris?* cui rursus Petrus, *ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, si verum est corpora cruciari.* Tum Grego-

rius.

rius. *Certe reprobis veritas in fine dictura est.* (Matthæ. 15.) *ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, si igitur Diabolus, eiusque Angeli cum sint incorporei corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ & antequam recipiant corpora* (resurrectione) *possint corporea sentire tormenta:* cui Petrus ac eius nomine Gregorius. *Patet ratio, nec debet animus de hac vlterius quæstione dubitare.*

8. Hæc non solum tantorum Patrum(quod satis in re hac esset) expressa authoritate,sed & ratione in eis satis insinuata conclusionem nostram probant,atq; ab obiectionibus, quæ opponi à ratione poterant, facillime expediunt , si paulo minutius eorum ratio ad scholasticum morem instruatur, dæmones , & animæ separatæ damnatorum reali physica vnione coniunctæ corporeo igni sunt,& vnitæ,eiusque formæ igneæ (& si velis calori) atqui ea forma molesta,grauis,dolorifera, & cruciatiua eorum spirituum est : ergo media vnione , eius molestia, dolor, & cruciatus spiritibus, dæmonibus, & animabus damnatorum realiter, formaliter communicabitur , ac proinde realiter formaliter ignis forma (etsi manu , calore) quare,& igne corporeo cruciabuntur. Consequentia est legitima ex primo præsupposito probato n. 3. scilicet , molestiam , & cruciatum , cuiusuis formæ aut qualitatis alicui grauis,molestæ,& cruciatiuæ sola vnione physica huius ad ipsum communicari,atque in ea physica vnione realiter formaliter cruciatum ipsius ab ea solummodo consistere,vndecumque forma molesta,dolorifera, & crucians, eiusque ad cruciatum vnio,actiue, ac receptiue proueniat,vel non proueniat. Maior probata etiam est n. 1. ac insuper ex ratione , & paritate , qua præfati vtuntur Patres , quatenus extremorum, alterius corporei, & spiritualis improportio entitatiua eorum physicæ vnioni videbitur obesse : quæ etiam, longeque, imo infinite, maior in hypostatica verbi vnione superata est : & quamuis duarum naturarum substantialium essentialiter, & integraliter totalium physice vnio repugnaret (quod contra Doctores plures , & absque vllo fundamento credi ab omnibus tanquam certum vult Arriaga) vnio hæc, siue dæmonum, siue separatarum animarum, cum toto igne , eiusque etiam materia non est (quæ cruciatui, & dolori, nequit inseruire) sed igneæ formæ, vel calori eius intento summo in materia ignis subiectatis, ac physice etiam vnitis : ratione vero earum etiam ignis cuius materiæ insunt, mediate dæmones , & animæ sunt vnitæ , ac subinde toti igni absolute coniunctæ , & physice absolute vnitæ , & alligatæ. Ex quo euanescunt duo , quæ magni ponderis contra hanc sententiam censet Arriaga sect. 6. n. 35. §. *Argumentor ergo.* Primum quod ex hac physica vnione animæ separatæ ad ignem resultaret homo viuens , substantialis , cum dispositiones ad infusionem animæ , & eius cum corpore naturaliter agendam vnionem , solummodo requirantur , non autem ad intrinsecam , substantialem, & essentialem hominis constitutionem:id enim vim habere posset, si vnio hæc animæ cum materia ignis foret , non autem cum materia ignis est, sed cum eius forma ignea , seu calore vnde, apparet quam sapienter Augustinus dixerit , *non vt ignes ipiritus iunctura(vnione)inspirentur, & animalia fiant:* ac rursus : *accipientes , ex ignibus panam , non dantes ignibus vitam* , quamquam & si toti igni indiuisibiliter , & coniunctim sumpto anima immediate , indiuisibiliter vniretur,vim obiectio non haberet. Secunda, eiusdem obiectio euanescit : quia anima non informat ignem , neque eius formam, aut calorem, sed eas potius patitur, à quibus ea vnione informatur ad pænam , & cruciatum , vt profunde etiam , & acute Augustinus illis verbis: *Accipientes ex ignibus panam,* & Gregorius illis verbis , *quare non panaliter , & ibi teneatur vbi mortificatur* , ecce vnionem informationem, quam, inter animam,& ignem necessariam esse, vt physice vniantur, Arriaga contendit ; sed non qua ignis materia informetur ab anima, sed qua anima, à calore, aut forma ignis informetur.

9. Minor syllogismi restat probanda , quam sic probo , vt aliqua forma seu qualitas alicui molesta, grauis,dolorifera,& crucians sit, non est opus, vt alicui illius connaturali formæ , aut qualitati contrarietur, quam sui inductione , ab illo expellat, neque , vt ipsius, aut vnionis, partium eius destructiua sit, vt satis cum Arriaga ipso monstratum est n. 4. Sed ex eo solum,quod forma, aut calor ignis,nulli qualitati naturali dæmonis, aut animæ separatæ contrarietur,nec vnionis partium (quas spirituales istæ substantiæ non habent) dissolutiuæ sint , nec destructionis earum causatiuæ conteniitur, ab aduersariis,formam, & calorem ignis , non esse quidquam molestum , graue, doloriferum , & cruciatiuum eorum spirituum ; ergo dolorifera qualitas caloris , vel forma ignis molesta, & cruciatiua formaliter eorum spirituum erit. Dices, forma ignis non est molesta , & dolorifera de se dæmoni, aut animæ separatæ naturaliter, vt patet, aliqui eos spiritus naturaliter cruciaret : ergo, nec obedientialiter : præsertim in nostra Doctrina , quæ omnem virtutem obedientialem , vltra rei cuiusque natiuam exeratur. Et certè ad effectus formales edendos nemo formis obedientialem virtutem vltra natiuam, & naturalem ipsarum concessit,imo ne quidem somniauit : cum hos formæ sola sua, & entitatis, naturæque suæ physica communicatione præstent : ac proinde ad eos effectus nihil potentia supernaturali Dei ipsis superaddi,nec eis deficientibus suppleri, vt effectus formales ipsarum, nihilominus edantur , aut conseruentur. Respondetur,distinguendo antecedens. Non est dolorifera molesta , & cruciatiua forma ignis eiusue calor dæmonibus , ac separatis animabus naturaliter,& natura in actu primo nego antecedens; non est cruciatiua &c. naturaliter in actu secundo, concedo antecedens : quia id præstare nequit in actu secundo nisi per vnionem physicam cum eis spiritibus , quam nec ipsa natura sua exigit , cum naturalis forma eorum, non sit, nec aliquid aliud ex contentis in tota natura agere,aut exigere physice possit : quare Deus solus, pro morali delictorum demerito,seu merito malo. eam formæ, & caloris ignis vnionem physicam , cum dæmonibus , & animabus separatis damnatorum producit , atque ex quo velis extremo educit : vel spiritualem , ex anima , & dæmone, vel corpoream ex forma , vel calore ignis : supernaturalem, quidem absolute , quia physice, supra totam physim, seu naturam est. Morali vero ordine naturalem, quia fit iuxta debitum, & exigentiam moralem,seu in genere moris delictorum.

10. Secunda probatio, & propositionum omnium argumenti primi eiusque totius confirmatio valida est : quia hoc modo facile explicantur , & defenduntur pœna , & cruciatus dæmonum ab igne , vstionis, ardoris , cremationis &c. ab scriptura,& Patribus designati; quæ aliis modis minimè sermonis proprietate possunt defendi, vt debent. Imo, vt solus, tandem metaphoricus , earum locutionum sensus in aliis sententiis defendatur, miracula plura, (ne dicam falsa explorato, & chimærica) intercedunt , vt in vnaquaque earum ostendimus. Ex hoc etiam modo constat aperte , cur Angeli , & animæ iustorum, & si ignes penetrent , vt quandoque , ex scriptura penetrarunt Angeli in camino ignis Babylonici , nec arserint, nec incaluerint ; quia scilicet igni , eiusue formæ,& calori vniti physice non fuerint;solaque vnione physica effectus formalis à formis , siue substantialibus siue accidentalibus , possit præstari. Id, quod in aliis refutatis sententiis , in quibus , vt cruciatus ab igne non solum , vt subiecto , & materia pure denominata à virtutis extra essentialis actione sit , atque ignis cruciatus vere , adhuc metaphorice , dicatur ab eius intrinseca actiuitate cruciatus ille, (in quocumque iuxta sententias illas constituatur) actiue debet procedere ; cum autem ad agendum sola propinquitatis , (quæ minor , quam penetrationis est) approximatio , & applicatio agentis ad passum sufficiat , non ita facilis ratio , cur penetrati ignibus Angeli , nec incalescant ; nec ardeant reddetur , nisi ad virtutem obedientialem ignis fictitiam sæpe à nobis refutatam recurratur. Constat denique Dæmones calidos, & ardentes ig-

nis pœna realiter formaliter reddi : quod ex scholasticis , quasi singulare aliquid , docuisse refertur Franciscus Lugo supra numero quarto , cum scripturæ sit locutio.

CERTAMEN VII.

De loco , durationeque pœnæ ignis dæmonum animarum separatarum atque hominum rediuiuorum.

1. CErtum in primis ex fide est post iudicij , vniuersalis saltem , diem tam dæmones , quam animas corporibus rediuiuis vinctas , ac physice iterum vnitas , pœna hac ignis esse in inferno cruciandas ex illo Matth. 25. *in ignem æternum , qui paratus est Diabolo , & Angelis eius* , & ex locis Apocalyps. recitatis certam. 1. vbi tam damnati , quam dæmones in stagnum ignis cruciandi die , ac nocte, in sæcula sæculorum missi dicuntur , item ex loco 2. Petri 2. recitato certam. 5 num. 1. rudentibus inferni (scilicet insolubilibus , ac minime rumpendis, seu vinculis æternis vt B. Iudas *tradidit in tartarum cruciandos*; vbi *tatari* vocc inferorum locum profundissimum omniumque infimum , vbi eam pœnam dæmones patiantur vocis proprietate designauit , vt ex Latinæ linguæ peritis constat , & quem proinde antonomastice in re præsente de pœnæ eius loco, *infernum scripturæ* , Patres scholastici , & Ecclesia tota appellat , quamuis autem inferni nomine loca alia terræ superficie , quam pedibus homines , & animalia terunt, inferiora sæpe in scriptura significentur, vt sepulchrum , vel Patrum Christi aduentum quondam expectantium (de quo Iacob Genes. 37. *Descendam* , ad filium meum Ioseph quem tunc insepultum . & à fera deuoratum Fratrum eius testimonio credebat) *Lugens in infernum* , & in symbolo, *descendit ad inferos* , at vero infernum damnatorum pœnæ deputatum infimum, vt diximus subterraneum locum circa circum terræ centrum esse , & si definitum ab Ecclesia non sit, est tamen eius sensus receptus, & ex loco Petri satis significatur, vt diximus : vt negari citra ingentem nequeat temeritatem : quocirca , abigendum à Catholicis mentibus est. Hæreticorum error asserentium nullum locum realem pœnis damnatorum destinatum esse , sed propriam solum , cuiusque conscientiam esse infernum. Somnium etiam quorundam asserentium inferni locum esse ex altera nostri hemisphærij parte vbi Antipodes æquali , ac nostro minime inferiori loco , habitant. Et aliud aliorum , qui in valle Iosaphat situm infernum putarunt eadem ratione reiiciendi. Et quia cum ibi habendum vniuersale iudicium eo communiter in Ecclesia reputetur , illa sententiæ postremæ verba , *ite maledicti* dici non possent , sed potius *manete*. Illud etiam aliorum æstimantium inferni locum esse prope Hierusalem, qui gehenna nominatur. Sed & ratione prima reiicitur , & quia locus , gehennon dictus prope Hierusalem , neque est , neque vsquam, fuit , & quidquid in ea regione est, deliciosum est, & commode habitatum : ac proinde loco pœnarum ineptum. Rationes congruentiæ , vt infimus orbis locus pœnæ huic damnatorum omnium perpetuæ deputaretur , affert Soarius iam citandus , quarum illa potissima : quod obscurior, tristior,à sole & luce distantior , sordidiorque locus , qualis circa terræ centrum est designari damnatorum pœnæ debuit , cui rationi adstipulatur ex parte illud Psalm. 106. *Eduxit eos de tenebris & umbra mortis , & vincula eorum diſrupit ; quia contriuit portas æreas , & vectes ferreos confregit.* Vbi de Patrum Lymbo suo extractorum tenebricosus , à luceque adeo remotus locus esse dicitur , vt non concrete solum tenebrosus , sed tenebræ abstracte nominetur : cum autem , & hic, sicut , & purgatorij, & infantium cum solo originali decedentium subterranei , & inferni sinus inferno antonomastice dicto , de quo nunc , docuisse sint , & localiter superiores , vt communiter à Doctoribus , & Ecclesia censetur , cum ex situ suo minus luci solis , & cœli peruium , magisque tenebrosum esse , ac proinde in centro terræ , & circa circum dicendum est. Secunda ratio , & potissima sumitur ex proportione loci huius ad pœnam cum loco dæmonum (quibus primario infernus paratus est) ad delictum , oportuit enim , vt qui appetitu ascendendi super astra Dei, & eo æquali loco Dei solio consedendi peccarunt , in infernum locum puniendi deturbarentur , quod argumentum maximam vim ex. 14 Isaiæ habet , qui eo primum Diabolum deridendo , ac Dei in eo puniendo appositissimam iustitiam prædicando vsus est verbis illis , *detracta est ad inferos superbia tua.*

2. Post vniuersale iudicium, nec dæmones, neque homines damnati egressuri eo loco vnquam sunt, nec flammas ignis vlquam , ne per breuissimum quidem instans , earumque cruciatum ipsis remittendum, vel intermittendum (quod altera præsuppositi nostri pars erat) Probatur facile etiam,ex locis Petri & Apoc. vbi in *stagno illo ignis* , seu inferno *in sæcula sæculorum*, hoc est in æternum cruciandi dæmones, & damnati homines *die , ac nocte* , id est, sine intermissione , dicuntur : non possent autem , sine intermissione igne illo , & in eius stagno cruciari , ni igni coniuncti , & stagno illo inclusi continuo , absque vlla intermissione essent futuri , quo etiam spectat illud , Isai. 3. n. 14. & quis poterit habitare *cum ardoribus sempiternis*,& illud Matth. 16 *Portæ inferi non prænalebunt.* Ex quo Ecclesia in responsorijs defunctorum ; *à porta inferi* , & illud Psalm 68. *Neque absorbeat me profundum neque vrgeat super me puteus os suum.* Ac illud demum Apocalypsis 9. *& data est ei clauis putei abyssi, & apperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ*: vbi flammarum puteus infernus à Ioanne dicitur , qui sequentibus capitib. 15. 20. & 21. recitatis verbis certam. 1. n. 1. stagnum ignis ab eodem appellatur. Hoc autem loco vti, & locis Psalmi, & Matth. recitatis prorsus illud ad rem præsentem significatur : nempe , inferni , & pœnæ huius locum clausum portis , atque obseratum esse , vt eo incluſi egredi propria voluntate flammasque excutere nequeant , etsi inde egredi possint Dei voluntate semel etiam incluſi, vt iam dicemus, vt carcerati carcere solui iudicis voluntate. Cum autem post vniuersale iudicium , inferno eiusque flammis sententia , & decreto immutabili supremi omnium iudicij Dei , tanquam perpetuo carceri , & supplicio fuerint, vt vidimus,addicti,& destinati, eos inde nunquam , nusquamque post iudicij vniuersalis diem egressuros certum est. Confirmatur:quia,etsi,tam dæmones, quam damnatorum animæ inferno quandoque ante iudicij diem ad aliqua,ex Dei iussu,aut permissione in hoc mundo agendas scilicet homines tentandos monendos , puniendosue) inferno egrediantur,vt statim ostendam; at vero,cum post vniuersalis iudicij diem,nec mundus hic, nec homines (erga quos quidquam horum officiorum à dæmonibus exerceri queat) sint permansuri , nulla est ratio , ob quam Deus illis inde egrediendi siue iussu, siue permissu faciat facultatem.Infantes quippe solo originali defuncti, vel sub Lymbi loco perseuerantes,vel in apertius , & terrarum superficiem (vt alij volunt non indocti) translati , & extra viæ statum (vltra quem, nec merito , aut demerito , quare nec tentationibus, aut bonis monitionibus , ac suasionibus locus est) æterne persistent , & cum sola damni pœna , extra quam , nil pœnæ sensus pati à dæmonibus , ad tempus adhuc , possint.

3. Certum etiam , & secundum dæmones, & animas damnatorum ex quo viam illi , hi vero vitam (qua viæ status eorum totus , & adæquate constituitur) finierunt , ac iudicati priuatim sunt , illico ad infernum , eiusque ignem detractos ligatosque fuisse. Id sibi de dæmonibus volunt illa 2. Petri 2. *rudentibus inferni detractos tradidit in tartarum cruciandos* , & illa Beati Iudæ *in iudicium magni dici*

diei vinculis æternis sub caligine reseruauit, & Isaiæ 14. Detracta est ad *inferos superbia tua*, de animabus vero separatis damnatorum constat, ex illo Luc. 16. *Mortuus est autem Dives, & sepultus est in inferno*, & Eccl. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*, vbi inferi nomine, non sepulchrum, aut purgatorium, iustis etiam communes sed proprius impiorum tenebrosus, & pœnarum locus, seu infernus damnatorum intelligi solummodo potest, qui ipsos in eorum finem, seu mortem dicitur manere, & illud Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, cum hoc autem concordat aliud certum, ac de fide Dæmones scilicet, quandoque inferno egressos apud nos etiam, & aere versari. Matthæi quippe 8. & Lucæ 8. ne in abyssum, seu tartarum, & infernum mitterentur, Christum Dominum precabantur, quod autem in aere versentur constat, ex Paulo ad Ephes. 6. & 1. Petri, capite quinto, & in Iob. aliisque locis, ac testimoniis Patrum, vtrumque autem satis ex Ecclesiæ Catholicæ sensu, & consensu (vt ea testimonia deficerent) in Energumenorum, & tempestatum adiurationibus, & exorcismis præscriptis satis euinceretur. Hoc autem, vt dixi recte cum eo concordat, quod Dæmones, & hominum damnatorum animæ statim, ac viæ statum finiere, fuerint inferno inclusi, atque eius igni physice vniti. Oportuit enim, vt statim proprio carceri præsentarentur, ac in perpetua, dira sibi patria, & propria republica infausta infelicissimum domicilium ponant, quemadmodum & Angeli exacto etiam in Dei obsequio & sanctitate viæ tempore, statim sedes beatas occuparunt, ac cælestis patriæ, & gloriæ scripti sunt ciues quod ipsum de animabus separatis cum iustorum, tum impiorum hominum dicendum est: & Ecclesiæ totius sensus tenet: & exemplo epulonis, diuitis, & pauperis Lazari ex Euangelio comprobatur. Id autem non obest, quominus è Dei nutu (cuius obedientiam respuere, ac seruitutem obiicere tam Angeli, quam animæ (vbivis loci, & status sint,) minime possunt) vel cælo, vel inferno, quandoque abscedant, vt homines, vel custodiant, & iuuent, vel tentent, ac torqueant, provt in eorumdem hominum, exercitium triumphum, & præmium maius à Deo permittuntur. Hæc catholicis Doctoribus certa, & ex adeo frequentibus scripturæ sacræ historiis, & locis passim comprobata, vt textus referre, & citare adhuc, opus non sit.

4. Sed an omnes Dæmones inferni aliquando, & quandiu egrediantur nihil est de omnibus, & singulis certum, nec fundamento firmo asseri potest. De lucifero, & infaustæ illius Reipublicæ primoribus, & quasi senatoribus consiliariis, numquam inferno egredi censet Canus apud Suarez, capite 17. Probabilius tamen longe est Luciferum ipsum aliquando inferno abscessisse, cum aut Christum tentaret Matthæi 4. vbi à Christo Domino Satan (quod & aliud luciferi nomen est) appellatur, tum vt Christi Domini exitium, & mortem apud Iudam, & Scribas, & Principes sacerdotum sollicitaret, cum *Diabolus* (qui absolute dictus antonomastice Lucifer intelligitur) *misisset in cor Iudæ*, vt Dominum traderet, dicatur; ac rursus *& post buccelam in* ipsum introisse Satanam vt tantum scelus peragereret, & ad res magni momenti (cuiusmodi hæc erat,) & ad maiorem victoriæ Christi gloriam oportuit cum Dæmonum Principe, nec alio inferioris notæ dæmone certasse. In libro etiam Iob satan orbem cursu dimensus cum filij Dei scilicet Angelis stetisse ante Deum scribitur, & Apocalyps. 9. numero 1. stella, quæ de cælo cecidit clauis putei abyssi, scilicet inferni, data dicitur, illumque aperuisse egressasque locustas innumeras, qui statim in equites transformatæ æqueſtrem aciem contra Ecclesiam instruxerunt, & capite 12. exercitum Dæmonum aduersus mulierem, & Ecclesiam Dei in certam seipso apparasse, pugnasque draco, & serpens antiquus satan scribitur. Et ratione probatur, quia sicut ad Ecclesiæ totius militantis tutelam Angelorum Princeps (& vt putatur supremus) Michaël deputatus est, & assistit, adstititque, semper prouidentia sua, speciali, atque, vbi opus fuit, ac erit personali præsentia: & ex inferiorum Hierarchiarum Angelis principibus regnis, & prouinciis totis, principaliores ex eis, qui ad priuatorum hominum custodiam deputantur, & assistunt, ad quorum decentiam, & negotiorum magnitudinem oportet, vt proportionate dignos aduersarios habeant, vt pro commissæ sibi rei magnitudine cum eis decerent, vnde in eis omnibus, quæ Michaëlis curæ & protectioni commissa sunt luciferum aduersarium habere, & vtrumque alterum vbi opus est pro sententia personali, ad protectionem, alterum vero ad impugnationem, & euersionem suis propriis locis abscedentes assistere (& sic de aliis tam Angelorum, quam dæmonum primoribus) certum mihi est. Cani fundamentum (quod scilicet lucifer, & Dæmones naturæ perfectioris, & donis gratiæ maioribus à Deo in creatione donati) grauius, quam ignobiliores peccarint: ac proinde indigniores ea pœnæ carcerationis teterrimæ per temporalem ab inferni carcere egressum, interruptione se reddiderint, debilissimum est. Etsi enim aliquale pœnæ leuamen esset, non ob illud Dæmoni alicui inferno egredi permittitur, vt maioris, aut minoris demeriti habenda ratio sit, sed ob rationes assignatas: ob quas leuamen illud non per se intentum, sed per accidens secutum curandum non est; sed certe leuamen nullum eum inferno egressum Dæmonibus subsequitur cum ignis cruciatum nihilo remissum secum vbivis ferant, atque ex prauis suis apud nos negotiationibus, (& cum ex voto effectus succedunt) longe maior, quam carcerationis pro eo tempore foret, accidentalis eis pœna subrescat, vt diximus: quare, nec maius leuamen eo carceris egressu habent: quam delinquentes, qui vt à tortore per vias publicas vapulent, vel laborent in fodinis, è carcere pro eo tempore eruuntur.

5. Aliud etiam mihi de Dæmonibus inferiorum ordinum omnibus, & singulis probabilissimum est, eorum plerosque, & longe aliis plures nunquam inferno, ex quo illuc intrusi fuere egressuros. Non quidem, vt inferni ignem, quo damnatorum animæ exardescunt ibi, & comburuntur continuo accendant, & materiam illi ministrent, ne flammæ languescant, ac subinde pœna hæc ignis animabus minuatur: hic enim concipiendi modus imperiti vulgi crassus est, vt eodem modo, & vigore flammas inferni, & ignis cruciatum semper perstiturum, rudi minerua intelligant & percipiant. Spiritus enim Domini, vt alio Isaiæ 40. dicitur, sufflabit in eo, seu à Deo in sua intentione, & ignis, & cruciatus constantes in suo vigore æternum conseruabuntur, solum ergo, vt animas horribilibus aspectibus dicteriis, & aliis simili u. continuo torqueant continua dæmonum eorum detentio in inferno, quatenus ad earum torturam attinet, necessaria est: nec tot Dæmonum, quot diximus: quare ratio sit, quia cum ad ea in terra, & apud homines, obeunda, quæ diximus, non plures sed valde pauciores ex dæmonibus hisce sufficientia ad eaque solum ministeria egredi inferno dæmones à Deo permittantur longe plures non egrediuntur, sed pauciores illi, quos Deus voluit, & in quos solum, vt ad illa exercenda mitterentur, lucifero imperium permisit, quin hos nunc, post vero alios ad eadem munia obeunda mittere pro arbitrio possit: vt sic enim eum carcerarium ac custodem absolutum

inferni constituere, cum, & ipse carceratus, & præcipuus reus sit, quod contentaneum: Neque vt tali claues putei abyssi, seu inferni traditæ absolute sunt, sed pro determinatis dæmonibus dimittendis, atque ad determinata munia occasiones, & tempora carceratis reliquis, & æternum reclusis, quandiu vero quisque inferno egressus in terris, aqua, aere, & apud nos versetur, taxari generaliter nequit, sed solum, id ex tempore necessario, vt ea, ad quæ egredi permittuntur obeunda pendere. Vnde aliqui diutius energumenos obsident, alij breuius. De damnatorum animabus quandoque etiam, inferno egressas ad nos aduentare, vt ex Dei iussu per illas de aliquo moneamur, ex fide dignis historiis, & testimoniis constat: quamquam, quæ à priuatis plerumque earum apparitiones referuntur illusiones sint; vt de animarum purgatorij apparitionibus similibus prudenter æstimatur. Præfatæ vero animæ siue inferni, siue purgatorij alterutro loco per tempus breuissimum soluuntur, vt colloquium habendum, plus minusve temporis requirit, lucifer inferno non habet, nisi, cum aduersus Ecclesiam, agmina, aciesque inferni totas, quas permittit Deus instruit, & ductat, aliquidve grande personaliter agit: vt Christi tentationem, & necem: de cætero in inferno resideat, cum alios dæmones mittit, vt missi certum locum eius sciant, & acta ab ipsis, Principi infausto renuntient.

6. Ex hactenus dictis constat. Dæmonem nullum, (nedum plures) antequam inferni carceris, & ignis ibi possessionem infælicissimam caperent cælo lapsos in aere terris, aquisve mansisse; & si post Protoparentes formatos eorum tentatores (in quibus lucifer, vt pro negotij magnitudine reputo, & ex cognomento serpentis antiqui quo in Apocalypsi nominatur, quia Euam serpentis forma seduxit) ex inferno prodire: post peccatum vero & hominum multiplicationem plures, & plures, qui nos circumeant, & aera, cum nos ambientia, tum superiora, vt nobis, nostrisque noceant prodiisse certum est, ex Petri, & Pauli testimoniis, & certè Prouinciis præter priuatorum hominum tentatores præfectos infensissimos, melioris notæ dæmones esse qui Angelis eorum custodibus aduersentur verum est. Sed tamen non ita illi aeri, hi vero suis prouinciis personaliter assistunt, atque inferno aberunt, vt vsque ad sæculi finem, eò redituri non sint (vt videtur de aereis docuisse Augustin. pie, & docte expositus à Bellarm. 1. de Beatitudine, capite 6. §. ad 4. Et à Soario, capite 161. quin eo sæpe, vt quid, quisque in suo ministerio egerit, lucifero renunciet redibunt. Curiosius hic, quam vtiliter disputatur à Soario, & Arriaga citatis, An dæmones, tentatores hominum, cum à iustis vincuntur, in pœnam à Lucifero in infernum retrudantur, inde rursus non egressuri. Negat vterque aliquibus rationibus parum firmis. Soarius: vt sibi caueat Lucifer ne tentatoribus minuatur, ipsique desint tandem, qui homines tentent. O vtinam tot ab hominibus vincerentur; sed adeò pauci vincuntur, vt his ita perpetuo reclusis ex tanto tentatorum numero à Deo permisso tentatores mittendi à Lucifero semper superfluent. Arriaga probat ex facto in tentationibus Christi cuius tentator semel non fuit à Lucifero reclusus, sed tertio Dominum tentauit. Sed quid inde? fuit enim Lucifer, & Satan ipse tentator, qui ab alio Dæmone recludi in pœnam non potuit. Secundo vinci absolute nemo dicitur, dum etsi aduersis euentibus, præliatur tamen, & certat, vt contingit ibi, vt Dæmonibus tentatoribus hominum, quousque in gratia, & iustitia homines decedunt, contingit, quare censeo, non pro quauis occasione qua eorum tentationi homo resistit, vinciturque Dæmonem tentantem inferno recludi (vt docuisse refertur Origen. homil. 15. in caput 12. Iosue) sed post decessum hominis, cuius tentandi commissa illi cura fuit: idque non in pœnam desidiæ, & inertiæ in eo tentando, quam nusquam habuit, multoque minus ex Luciferi arbitrio, & sententia, cui non est tanta in Dæmones authoritas à Deo permissa, vt eos ita posse pro libito possit carcere illo ad tempus soluere, vel recludere; sed solum vt ex designatis, siue permissis ipsi à Deo hunc, vel illum, huius, vel illius tentatorem constituat, ac inferno ad id muneris obeundum soluat, quo morte hominis, siue iniustitia, siue impietate absoluto, in infernum tentator dæmon reuertitur siue victor, siue victus: quia nil apud homines ei restat, quod agat, nec vltra ad homines Angelis singulis ad custodiam, & tutellam committuntur, illud tandem improbabile censet, non immerito, Alarcon, capite vndecimo, numero tertio, eum locum, in quo quis peccauit infernum ipsi, eiusque animæ separatæ, seu pœnæ locum esse vsque ad iudicij diem, (quod aliquibus animarum apparitionibus non satis firmis credi ab aliquibus leuiter posset) cum ostensum fuerit damnatorum animas ab eorum morte illico inferni communis damnatis omnibus, & flammarum eius possessionem sumpsisse: nec post inde eas egredi, nisi ex Dei voluntate ad homines monendos. Et ad tempus breuissimum, quo fors aliquibus apparuerunt ibi, vbi peccarunt: nec vlla ratio esse pro hominibus potest, vt, vbi deliquerunt, vsque ad iudicij diem puniantur, quæ pro Dæmonibus non sit, è cælo tamen, vbi peccarunt, in tartarum deturbatis.

7. Ex dictis, hactenus alia apud Scholasticos de tempore quo ignis pœna Dæmones, & animæ separatæ, vsque ad generalis iudicij diem cruciabuntur, an continuo, ac sine vlla interruptione (adhuc pro durationе qua extra infernum, vt diximus, vagantur) præfata ignis pœna crucientur? quæstio suboritur, in ea vero, eius interruptionem per id temporis probabilius censet, Sanctus Bonauentura, in 2. disputatione 6. articulo 2. quæstione secunda, & indicat Ricardus, ibi, quæstione 1. Caietanus, item in 2. Petri, 2. & Canus, cuius sententiam, ne improbabilitatis Censuræ subiacere docet. Bannez, 1. parte quæstione 64. articulo 4. dubio 4. quos refert Soarius, capite 16. numero 32. Sed tamen communis iam Theologorum eam huius pœnæ interruptionem merito negat. Soar. à numero trigesimo tertio, ac deinceps, cum sancto Thoma, multis locis, & Doctoribus reliquis vnoquoque eorum iuxta modum, quo hanc Dæmonum torturam ab igne explicarunt. Glossa ordin. in caput tertium Iacobi relata, à sancto Thoma, quæstione 64. articulo 4. ad 3. his verbis. *Dæmones suum portare ignem gehennæ quocumque vadant.* Siue, vt ad verbum ex ea glossa recitat. Soarez, *secum referre tormenta suarum flammarum*: quæ idem, ac ignis, valent, cui expresse consentit in idem caput Iacobi Gehennæ nomine Bellarminus, 1. de beatitudine sanctorum, capite 6. §. *ad quartam.* Molina, disputatione secunda, sectione secunda, ad octauum, quod etiam valde probabile reputat Alarcon, capite decimo, numero quinto, §. *Respondent alij*, & nos in nostra sententia de ignis tortura per physicam formæ, & caloris ignis ad Dæmones, & animas separatas vnionem negare non possumus, sed libenter, & necessario asserimus ex suppositione communis (quam certam fatemur) ferè omnium Theologorum conclusionis, quod ignis tortura, ex quo Dæmonibus, & separatis animabus cœpit, nunquam, nec cum inferno egrediuntur, interrumpatur. Tum, quia ea pœna, etsi sensus sit, propria est status damnationis & malis meritis eorum respondens: ac proinde numquam interrumpenda; sicut nec, quæ meritis Beatorum vsera Dei etiam visionem, & essentialem beatitudinem, vt eius status propria, respondent, nunquam, ex quo eam ingrediuntur, ob eandem rationem Beatis

def-

deficiunt. Tum, quia alias peioris conditionis essent Dæmones, qui inferno non egrediuntur, (sunt autem multo plures, & ex illis minus delinquentes, non pauci) illis, qui egrediuntur duriusque cum eis ageretur vltra iustitiæ cum damnatis à Deo exercitæ, & exercendæ æqualitatem. Tum, quia dirius adhuc, & vniuersalius vltra iustitiæ æqualitatem cum animabus damnatorum ageretur: quarum rarissimæ inferni carcere, & ad breuissimum, vt diximus, tempus soluentur, vt ad nos aduentent; imo vero, vbi raro paucæ istæ animæ apparent, ignem secum ferre, ex sanctorum historiis constat, quo etiam pacto, & Dæmones aliquoties visi sunt. Tandem: cum Dæmonum horum præ aliis ad nos missio ex Luciferi arbitrio demum pendeat, fatendum aduersariis erit, & hoc pænæ ignis debitæ leuamen Luciferi arbitrio esse à Deo permissum, vt quibus velit faciat, vel deneget absurdo, non leui. Hæc autem generali conclusio statuta planior, in nostra sententia de tortura Dæmonum ab igne, quam in sententiis aliis defenditur, & explicatur. Siquidem posita semel vnione physica formæ, & caloris ignis ad Dæmones; eam quocumque tendant trahere, vt præfati Doctores aiunt, planius certiusque est: ac proinde realem formalem cruciatum, eorum ignis (qui in eo physica vnione stat) ne tunc quidem illis cessare, cum inferno abscedunt. Nec credi, suaderive, verisimiliter, aut apparenter adhuc, non inepte alicui potest nostra hac sententia admissa ad luciferi arbitrium vnionem hanc physicam Dæmonum igni natura sua permanentem, & æterne duraturam destrui ac dissolui, vt iis, quos pro libito ad nos mittit, Dæmonibus ignis pœna, & si ad tempus deficiat, quibus velit, perstetque, quibus nolit. Ac demum, in nostra hac sententia sumptu miraculorum, quam in aliis, valde minori, communi contra omnes obiectioni satisfiet, vt ex iam dicendis patebit.

8. Quæ pro aduersa conclusione, & contra hanc nostram ab authoritate opponuntur nil probant; & si quid plusquam aduersi vellent, & absurdissimum probarent, est enim primum ex Matthæi vigesimo quinto, illis verbis, *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: ergo (inquiunt) non datus; secundum, ex secunda Petri secundo, *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: de futuro scilicet. Tertium ex Beati Iudæ epistola, *in iudicium magni Diei vinculis æternis sub caligine reseruauit*. Sed hæc probarent nullum Dæmonem (etiam inferno non egredientes, nec egressuros) ante postremum iudicium igne torqueri, quod amplius, absurdiusque est, quam aduersa sententia velit, & si id etiam eius Patroni insinuent; quod ego, & si, nec hæresis, nec erroris damnem, ast temeritatis censura non iudico immunem, cum communi Ecclesiæ & Theologorum sensui, & germaniori testimoniorum scripturæ, & Patrum intelligentiæ aduersetur; etiam eorum, quibus, id suaderi contenditur. Nam primo *paratus* Diabolo ignis dicitur; datus autem, non negatur, ex quo primum in peccato & contumacia viæ suæ statum finierunt; solumque Diabolis supplicio æterno, non dilato, sed primum inflicto, vt pote primo peccatori designatum, dispositumque à Deo, & locum, & ignem pœnæ significat; quod superflub, & inutiliter, tot ante sæculis paratum, dispositumque esset, si cruciatus Dæmonum à postremi vniuersalis iudicij die essent inchoandi: locus Petri, dum inferni rudentibus detractos ait, in infernum vtique detractos expresse docet, & cruciandos, non de futuro, sed de præsenti, scilicet vt cruciarentur, quæ legitima vocis cruciandus, seu cruciandi in plurali periphrasis est: cruciandus quippe tradi tortori eleganter dicitur reus illico, & absque mora vlla ab eo torquendus; & vt quid vinculis inferni ex tunc ligantur, nisi, vt pœnas ignis eius loci proprias ex tunc etiam luant? Beati Iudæ locus nullo verbo aduersariis fauet; imo vero omnibus aduersatur. Nam vinculis æternis, ex quo damnati Dæmones sunt, vinctos in caliginoso inferni loco; reseruatos cælo ait in iudicij magni diem; non autem in pœnam ignis, quam quisque ex tunc patitur, (vt ad Petri locum expendimus) sed ad publicam rationalis Reipublicæ satisfactionem, eorum delictis, & sententia euulgata, sed neque à ratione momenti aliquid opponitur, quod enim Dæmones in aere, terra, & apud nos versantes à gehennæ igne adeo distent, vt ad eos calefaciendos, & igniendos, ac inflammandos, atque ita cruciandos ignis actiuitas nequeat magis quam ad nos torquendos aerem, vel terram conflagrandam pertingere, in nostra sententia friuolum est: cum sola vnione, & informatione, forma, & calor ignis, non autem actione, & actiuitate similis formæ in illis gehennæ ignis Dæmones cruciet; quam, quoquo vadant, sibi vnitam ferunt.

9. Quod autem nobis mixti, & conuersantes, nec igniti appareant, nec luceant, est leuius: cum sint in substantia Dæmonis spirituali, & indiuisibili, ex qua nec mittere sui species visui accommode possunt, nec videri: vt patet in Christi Domini coloribus, & figura, quæ quia modo indiuisibili, in Eucharistiæ, speciebus sunt, species sui mittere, & videri naturaliter, nequeunt. Ni forte mallis: ignem damnatorum, & si corporeum eiusdem infimæ speciei, cum nostro, non esse, ac proinde ignitiuum, vstiuumque natura sua esse, non illuminatiuum: quod, & dictis Patrum, & communi sensui, quod cruciet, non illuminet inferni ignis satis concordat, vt id sine miraculo in corporibus damnatorum ignem post iudicij diem non illuminaturum verificetur; quod solutione prima verificari post diem illum haud quamquam posset. Apparuere autem, aliquando, cum animæ damnatæ, tum Dæmones visibiliter ignitis sicut apparuere, tunc etiam, phantasticis corporibus: quia aliter ignis cruciatus suos veros nisi apparentibus illis signis nobis, pro hoc statu significare non poterant. Tertium est nonnihil apparentius. Si enim Dæmones ignis formam, seu calorem intensissimum sibi vnitum, quocumque vadant, ac extra infernum versentur, secum portant, vndecumque productum, ipsisque vnitum, aera inflammare, & energumenos intense calefacere, & exurere deberent: cum præsertim quem à legione tota Dæmonum obsessum in Euangelio, Marci quinto, numero nono, & Lucæ octauo, numero trigesimo legimus, qui tot formis, & caloribus indiuiduis intensissimis, quot in legione illa Dæmones erant, non solum debite approximatis (quod satis, vt in illum agerent;) sed cum ipso penetratis, non solum illico ardere deberet, sed in fauillas ac cineres abire; quod neque accidit, neque vllus energumenorum ex Diaboli penetratione, vel leuiter incaluit, certe Soarius qualitate illa sua spirituali ab ignis virtute obedientiali in Dæmonibus inducta ad torturam in tuto se ab hac obiectione posuit: [& alij qui ignefactione, & vstione vere corporea cruciari ab igne Dæmones aliter, atque aliter docuerunt, si suas etiam has opiniones in tuto ab scriptura, Patribus, & rationibus aduersis ponere potuissent. Respondeo tamen facile primo, formam ignis, & caloris in indiuisibili positam agere in passum quantum propinquum, & penetratum minimè posse, vt patet in accidentibus sacramentalibus Eucharistiæ, qui calori vitali corporis Christi ipsis physice vniti, & penetrati nihilo immutantur, aut repellunt: quia modo indiuisibili Christi Corpus in eis, & sub

eis

eis speciebus præsentialiter est, partium corporis, ibi extensione quantitatiua sequestrata. Respondeo secundo: ignem illum corporeum speciei diuersæ à nostro mixto à solo Deo productum ad damnatos omnes torquendos specie sua actiuum non esse, cum non actiuitate aliqua, sed sola sui vnione, & informatione sit realiter formaliter, vt ostendimus cruciaturus: quæ eius inactiuitatis ratio à priori est. Secunda vero ab absurdo: quia alias post iudicij diem præter debitam, cuique homini ignis, & caloris intensi pro eius meritis, portionem actione mutua intensiori calore, & intensiore in dies incalescerent, arderent, ac exurerentur, cum alij homines, aliis non modo approximati debite ad agendum in alios, sed penetrati fere esse debeant, ni miraculose igni inferni perpetuo concursus à Deo denegetur.

10. Restat de pœnæ huius Dæmonum, & animarum, vel separatarum, vel reunitarum corporibus damnatorum per eorum resurrectionem magnitudine aliqua definire. Et primo certum est hanc ignis pœnam, & cruciatum damnatorum, (& animarum purgatorij) à Deo cruciatu, quem nos ab igne patimur, patiue in hac vita possumus, acerbiorem esse, vt eius respectu, noster hic pictus, nec verus cruciatus, ab Augustino Patribus, & Doctoribus dicatur, quod facilius proprius, & clarius intelligitur, si ignis inferni, & purgatorij speciei à nostro diuersæ sit. Secundo: est certum pro criminum, & peccatorum, cuiusque magnitudine, cuique cruciatus ignis magnitudinem taxati, maiorem, scilicet, vel minorem: est autem inde contra nostram sententiam de ignis cruciatus solum reali formali, siue per formæ ignis, realem physicam, cum dæmonibus vnionem, eorumque ab illa informationem, non leuis difficultas, cum enim forma ignis, cuius vnione, & informatione Dæmones, & damnati reliqui cruciantur, substantialis forma sit, ac subinde intensiue indiuisibilis, nequit non tota, & secundum se totam, cuicumque vniatur communicari, æqualiterque illum informare ac cæteros informat, ipsisque communicatur: vnde & Dæmones, ac damnatos omnes æqualiter cruciabit: verum, si caloris ignis (cuiuscumque speciei sit) vnione, & informatione, non autem ignis substantialis formæ Dæmones, & damnatos cruciari dicamus, cum is sit intensiue diuisibilis difficultas euanescit. Secundo: vnio physica formæ indiuisibilis intensiue vna quam altera potest esse strictior, & maior, &, qua strictius, magisque forma eadem communicetur, & (vt Thomistæ Dominicani aiunt) radicetur in subiecto, quos nec nos, neque vllus inde impugnat, quod ea maior radicatio strictiorve formæ indiuisibilis physica vnio repugnet, ac, quo strictior sit, magis communicet se subiecto forma; sed quod ea qualitatum intensionem absque gradus ad gradum additione componant, ob rationes, & absurda alia, quæ controuersia de alteratione late expendebamus) magis quidem, & fortius cremabit, quo vnio hæc maior sit, & strictor, denique disputatur à Soario, & Arriaga, sectione quinta, an animæ damnatorum corpori post resurrectionem reunitæ duobus cruciatibus, seu doloribus ipsis doloriferi, & molesti obiecti eiusdem sensationibus, ac persensionibus ab igne torqueantur? altero quem separata anima habebat, altero quem corpori vnita, & homo rediuiuus habebit? qua in re, Arriaga, sectione quinta, numero trigesimo tertio, merito discordat à Soario non reputante absurdum, duos tunc dolores, seu sensationes, qualitatis Soaristicæ molestæ animæ, & alterius molestæ corpori, vt vnaquæque eorum respondeat adæquatæ debitæ pœnæ pro peccatis damnatorum; quod non bene cum iustitia supplicij, concordat, quare Arriaga vnam solum, eandemque sensationem tunc in anima corpori vnita perseuerare censet, quam separata ab ignis calore habebat; addita solum sensationis, & doloris eiusdem, ad corpus materiali vnione, per quam corpus non percipit, sed anima in corpore, sicut separata sentiebat, & dolebat: quod facile componere difficultatem ait; sed me iudice, non ita facile. Primò, quia sensatio, seu persensio animæ separatæ, vt ipse cum Soario docet, & explicat, sectione octaua, est qualitatis illius spiritualis ab igne actiue obedientialiter ex anima eductæ; cum vero corpori vnita est, & totus homo conflatur, calor corporeus ab eodem igne virtute actiua naturali in totum hominem corporeum inducitur, eoque homo torquetur; ergo duplici obiecto dolorifero torquetur anima corpori vnita, altero, quo separata adæquate pro meritis male in corpore actorum cruciabatur, altero quod adæquate, etiam pro meritis eisdem calore corporeo ab igne inducto totus homo corpore etiam, adæquate torquetur. Item duplici sensatione (quam dolorem, esse vis, & ais,) altera spirituali animæ separatæ, quæ per te perstat, altera materiali, & corporea, quam naturaliter corporeus calor homini, eiusque viuo corpori inductus, & vnitus necessario debet causare, & (vt supra, ex Arriaga retulimus, & impugnabimus) inadæquate in anima receptam, & subiectatam; facilius ergo in nostra sententia respondeo eandem formam, seu calorem, ignis cruciatiuam, quæ animæ separatæ adæquate vniebatur, toti homini rediuiuo vniri ipsumque afficere, & informare, ac sensatione materiali, (sicut nunc, in nobis contingit cum cremamur,) rediuiuum damnatum cruciari.

DISPVTATIO VI.

De Angelorum omnium in statu termini ministeriis & officiis.

ANGELORVM, tam beatorum, quam damnatorum, seu Dæmonum officia, & ministeria hac disputatione examinanda triplicia sunt, pro triplici personarum genere, respectu, quorum, exercenda ab eis sunt scilicet, officia, & ministeria eorum, respectu Dei, & alia respectu aliorum, ac respectu hominum, alia ministeria postrema. Non loquimur autem de ministerio respectu Dei, quod ex prædicato creaturæ rationalis omnibus Angelis, communi, & essentiali communiter, & necessario omnes Angeli, tam sancti, & beati, quam damnati, & iniqui Dæmones habent seruiendi, scilicet Deo, velint, nolint, in omnibus ad quæ eos mittere, & eorum opera vti Deus absolute velit: sed de eis ministeriis specialibus, & quasi accidentariis, quæ ex Dei ipsius speciali designatione erga Deum exercent: quod solum beatis Angelis competit; cum damnatos Dæmones, vbi eos primum Deus perpetuo igni, ac inferni tiremitibus damnauit à se procul, non minus, quam reprobos, & damnatos homines reiecerit ac regiæ suæ celestis aulæ omni speciali officio, aut ministerio erga ipsum damnatione ipsa fuerint perpetuo priuati. Respectu autem, tam aliorum Angelorum, quam hominum specialia quædam ministeria ad aliqua ex officio proprio ab aliquibus exercenda, vtrisque competunt, dixi autem *ex officio proprio* omnia enim, ex Dei iussu, & decreto cuius Angelo exer-

exercendâ, & exequenda posse absolute committi, quemlibet exequi posse, & debere, ex prima obsecratione constat, & quidem de ministeriis, & officiis propriis Angelorum beatorum, tam erga Deum ipsum, quam erga creaturas alias rationales, siue Angelos, siue homines, ex Dei positiua voluntate, cuique suum officium, & ministerium contigisse citra dubium est, de Dæmonum vero propriis ministeriis, & officiis, cum erga Dæmones alios, tum erga homines an ex Dei positiua an permissiua solum voluntate mediate, vel immediate suum vnicuique prouenerit? sub iudice adhuc lis est. Quoniam vero Angelorum beatorum ministeria ad valde diuersa iis, quæ Dæmonibus exercenda ex suis ministeriis propriis sunt, obeunda, fuerunt à Deo instituta, & vnicuique designata, vt ex dicendis patebit, seorsim, & primo de Angelorum ministeriis, & officiis; secundo de officiis, & ministeriis dæmonum agemus.

QVÆSTIO I.

De Angelorum beatorum ministeriis erga Deum & Angelos alios.

IXIMVS nuper Angelos beatos, cum erga Deum, tum erga Angelos alios, tum erga homines propria, & specialiter à Deo ipsis data, ac designata ministeria, & officia ad munia aliqua obeunda habere, Pro quibus cuique assignandis memoranda sunt, quæ diximus de hierarchiis, choriſque Angelorum, disputat. 2. quæstione 5.

CERTAMEN I.

Ministeria Angelorum erga Deum, & Angelos alios statuuntur.

1. OFficia quæ erga Deum beati & Angeli exercent, suntque aliquibus propria, nec omnibus communia ratione status beatitudinis, inuestiganda sunt: & enim Deum ardentissime super omnia amare (pro cuiusque naturali voluntatis, ac supernaturali facultate charitatis habitu ex parte potentiæ, & Dei clara visione ex parte obiecti, Dei scilicet, amandi) tenentur: vnde rursus obsequendi Deo, in omnibus ad nutum, vt in nullo, ne leuissimo quidem, ab eius sibi nota voluntate, siue omissiue, siue commissiue possint abscedere, necessitas, etiam antecedens, beatis Angelis ex suo felicissimo statu fit. Sed vero hæc omnia ex ministerio, officioue proprio, & speciali aliquibus Angelis à Deo commisso, & designato, non esse, vel in constat: quia in eis exercendis, atque erga Deum obeundis, Angeli beati omnes communicent. Secundo, quia in eis omnibus obsequiis Deo præstandis, & beatæ nunc separatæ animæ iustorum, & corporibus suis demum per resurrectionem restituæ, rediuiuique ipsi iusti æternum cum Angelis communicabant. Ex statu ergo beatitudinis fælicitate summa communi, non autem ex speciali ministerij prærogatiua ea erga Deum obsequia Angeli exhibent beati, igitur ministeria, & obsequia actualia Angelorum erga Deum, ex officio, & ministerio habituali specialiter ipsis à Deo designato, & concesso, ex habita alia esse debent ab eis, quæ ex statu beatitudinis communi ab omnibus Deo exhibentur, & quæ Angelorum aliquibus non autem omnibus conueniant.

2. Ea vero sunt in Seraphinis ardentissimis erga Deum amor, ex quo in via specialiter & præ cæteris aliis Angelis exercito, & naturæ suæ ad eum concipiendum aptitudine expeditione, & promptitudine maiore primum chorum hierarchiæ primæ, & supremæ honorem, & nomen daturam Seraphinorum fuere sortiti, in Cherubinis plenitudine scientiæ, de Deo, siue profundior, penitior, atque ex creatis penitissima Dei contemplatio, ad quam chorumque Cherubicum hierarchiæ eiusdem secundum, eiusque nomenclaturam, ex naturæ etiam suæ maiori promptitudine, & expeditione ad Dei contemplationem, & speculationem perfectiorem, eiusque in via exercitio cum ex naturalibus tum ex reuelatione obtinuerunt. Tertium ministeriale, & ex officio obsequium Deo ab Angelis exhibendum est ab Angelis tertij, & postremi chori hierarchiæ primæ, & supremæ, à Thronis scilicet, qui pacatissimæ Dei sedes, soliaque sunt: quibus Deus specialiter insidet suamque maiestatem ostentat. Quibus gradus honorem, nomenque obtinuerunt, eum ex naturæ promptitudine & propensione maiore effectiua, vt se Deo ad id ministerium summitterent; vt Deum pacatissime ipsis insessurum reciperent, cuiusque maiestatem, & gloriam eiusmodi receptione creaturis cunctis ostentarent, omnem suam connaturalem, tum supernaturalem in vtroque genere maximam, ei ministerio, & pedibus Dei, absque vlla mentali perturbatione commotione, aut dedignatione in via etiam dicantes, & consecrantes.

3. Hac ergo promptitudine expeditione, & quasi propensione, & inclinatione istorum omnium Angelorum, cuiusque ad actus præfatos, atque eorum actuum præcellenti exercitio à Deo attentis ad præfatos hierarchiæ, choros ad eorum actuum, & obsequiorum Deo, ex officio, & ministerio proprio exhibendorum exercitium perpetuum, aduocati, ac designati Angeli à Deo sunt vt constat ex dictis citat. disputatione 2. quæstione 5. certamen 1. à num. 5. quæ ministeria, qui ad eum, quasi personaliter obsequiis suis, & immediate pertingunt Deo coniunctiores, & quasi Cameræ, & secreti familiares intimiores, eos Angelos constituunt. Porro in duarum hierarchiarum inferiorum Angelis nullum ministerij specialis obsequium Deo immediate, & quasi personaliter ex officio, & ministerio eorum alicui, vel aliquibus proprio, inuenio, quod non ex statu communi beatitudinis proueniat; nisi, quod eorum quiuis, dum ministerium proprium suo gradu, & ordine erga creaturas alias commissum, ac demandatum à Deo industriè solerter, ac studiosè obit, Deo quidem obedit, gratumque subinde ipsi opus exequitur & offert; quod tamen cuiuis bene, & ex Dei lege, & voluntate operanti commune est, nec ex aliquo proprio, & speciali officio, & ministerio erga Deum exercendo proueniens. Nec illa Angelorum, ac Beatorum omnium in regali Dei specialis empyrei aula, speciale aliquod ministerium erga Deum, quasi personale, & Deum ipsum immediate, & specialiter pertingens importat, sed commune cælestis illius aulæ, & Patriæ ciuibus ad curiæ, & aulæ regiæ maiestatem ornatum, & gloriam, cui ministeria, & dignitates, & potestates diuersæ eis à Deo erga creaturas alias concessæ, non parum inseruiunt, dum tam multos, curiæ, & aulæ illius cælestis incolas illustriores reddunt, vt ex humanis licet facile colligere.

4. Illuminationem aliorum Angelorum ab aliis

siue à Deo mediate per Angelos alios, eorumque ministerium negauit Durandus, in 2. disputat. 11. quæstione 3. numero 10. asserens causaliter, siue actiue Angelos à solo Deo immediate illuminari, quin ab alio Angelo eius illuminatio aliqua naturæ, & causalitatis veræ physicæ, & realis prioritate procedat; tametsi censuræ grauis metu addat: vnum Angelum ab alio per consequentiam quandam illuminari, vt ita scholasticis reliquis aliqualiter, verbis saltem æquinocis, morem gerat, nec adeo aperte testimoniis Patrum, præcipue Dionysij, communis hac in re magistri, aduersetur, est autem illuminationis huius vnius Angeli ab alio per consequentiam, Durandi sensus, & explicatio, seu probatio ab ipso adhibita ibidem: quia, cum Angeli in diuini luminis irradiatione continuentur, quod vni sui luminis communicat, siue scientia sua ipse, ac seipso veritatis reuelat cæteris ab ipso ac seipso reuelari consequens est: & prius quidem ordine dignitatis Angelis dignioribus, & hierarchiæ, choriue superioris, quam aliis minus dignis, & inferioris chori, & hierarchiæ. Hac, inquam, ratione explicat Dionysij testimonium ex capite 14. de cælesti hierarchia, quod solum sibi obiicit Durandus, sed insufficienter, cum dicat Dionysius vnum Angelum acceptam intelligentiam, seu illuminationem, communicare inferiori; atque hunc à superiore erigi, & excitari, à quo quasi digito viam monstrante edocetur: quæ causalitatem superioris ad inferioris illuminationem, nec solam prioritatem illuminationis ordine dignitatis demonstrat, illa, etiam, quæ dixerat, capite 3. medio, ordinem hierarchiæ, seu gradus hierarchici postulare, vt alij purgent alij purgentur, quidam illustrent, alij perficiant, alij perficiantur, & capite 8. Angelos secundæ hierarchiæ purgari ab Angelis primæ. Ac libro de Ecclesiastica hierarchia, capite 5. titulo de sacerdotalib. perfection. ait inferiora per superiora, tandem in Deum reduci, quæ & alia, num. 6. ex Dionysio recitanda absque actione aliqua superiorum Angelorum in inferiores fieri nequeunt aut intelligi. Adde illam continuationem illuminationis, veritatum & secretorum Dei Angelis omnibus falso, & absurde à Durando supponi, alias nulli reuelare aliquid posset Deus, quin omnibus; contra ius secreti, quod ne creaturæ rationali denegatur; & contra id, quod factum in misterio incarnationis vidimus, ita soli Gabriel reuelato, vt nihil i ad ipsum, quouis gradu, spectans alteri Angelo fuerit commissum.

5. Idcirco dico primo, contra Durandum; alios Angelos, ab aliis Angelis illuminari eisque mediis à Deo, ac proinde non omnes immediate ab ipso Deo illuminari dogma certum Theologicum, Ecclesiasticum, & pene fidei est, & quod absque ingenti temeritate negari nequeat. Primum patet, quia est omnium Theologorum nullo dempto conclusio. Secundum etiam, quia est totius Ecclesiæ, & si non definita sententia. Tertium, quia id se ab Apostolo Paulo Præceptore, seu imitatore, vt ipse ait, suo dedisse, testatur Dionysius, capite 6. de cælesti hierarchia, cuius testimonio non potest absque ingenti valde temeritate fides, non deferri, sicuti & quod ea Paulus ex Dei reuelatione didicerit, vnde ingentis valde temeritatis notam Durandi sententia meretur. At dicet, Augustinum, capite 58. Enchiridij asserere nihil de hoc certum esse: est enim certum item opera Dionysij multo tempore fuisse suppressa, nec facile obuia, & quorum exemplaria, ad paucorum manus, etiam studiosorum, & doctiorum Patrum erant: vnde nec Gregorius Magnus, Augustino posterior, illa viderat; siquidem Dionysij sententiam de missione Angelorum, non ex eius lectione; sed ex aliorum relatione commemorat homil. 34. in Euangelia, quare Augustinum Dionysij opera, & sententiam hanc, quam, ne quidem ex aliis memorat, non vidisse certum esse debet; & sic ibi, quia Dionysij hac in re toties repetitam, & constantem sententiam ab Apostolo acceptam non viderat, incertam existimarit. Sed ratio, qua Durandus scholasticorum omnium, & Dionysij authoritatem, communemque Ecclesiæ sensum à Deo magna temeritate prætriuit leuissima est, non solum, vt à recentioribus perfunctorie lecta recitatur, vt facilius impugnetur, sed vt apud ipsum est, atque à nostro Vasquez fideliter proponitur: disputatione 216. capite 1. numero 2. §. *Hac igitur Doctrina*, quia Deus solus est causa proxima omnium, quæ pertinent ad statum beatitudinis, tam essentialis, quam accidentariæ, tam formalis, quam obiectiue: sed illuminatio Angelorum, tam formaliter quam obiectiue sumpta, pertinet ad statum beatitudinis (siquidem est reuelatio mysteriorum, quæ ad statum beatitudinis, saltem accidentariæ, Angelorum spectant, aut aliquando spectabunt: ergo illuminatio Angelorum omnium à solo Deo proxime, & immediate causatur, sed maior est falsa quatenus ad beatitudinem accidentalem ab eo statu defectibilem: vndecumque enim, & à quocumque immediate scientia, & illuminatio obiectis cuius cognitione Angelus illustratur atque accidentarie gaudet, mediate vel immediate proueniat, æque illuminaretur gauderet, atque accidentarie beatificaretur. Quod cum à Deo tandem, vt principali authore, ac dispositore prouidentia connaturaliori, vt per superiores causas, & ministros inferiorum commodis prouideat, nil inproportionis, imo vero multum aptissimæ proportionis habet, vt ex Dionysio dicemus vti, & in hierarchia Ecclesiastica, vt per superiores immediate cooperantes inferiorum sanctificationi, & saluti (quæ maius quidquam accidentaria illa beatitudo est) prouidit, sed permissa maiore, minor absolute falsa est. siquidem illuminationes, & reuelationes misteriorum, & secretorum Dei Angelis ab ipso factæ, (vt non omnes) plurimæ non ad accidentariam eorum beatitudinem, sed ministeria saluti hominum necessaria spectant: vt de earum pluribus, & plerisque, quas ex scriptura nouimus, constat, quod autem insuper Durandus pro sua insinuat sententia de supernaturalitate necessaria obiecti illuminatione proponendi, & cõfortatione intellectus illuminandi (quæ vti & obiecti supernaturalis propositio, à solo Deo fieri immediate debeat) disiectum ex dictis est: clarius que ex dicendis cert. 2. de materia illuminationis, & modo, quo ea fieri immediate ab Angelis debeat reiicietur.

6. Dico secundo, Angelis superioris hierarchiæ, & gradus, seu chori intra earum quamuis hierarchici inferioris hierarchiæ, & gradus Angelos illuminant iuxta Dei voluntatem, &, vt à Deo iubentur iuxta horum statum, & obeunda ministeria. Conclusio hæc æque est certa, ac præcedens: quia simul vtraque à Dionysio, Patribus, & omnibus (durando excepto) scholasticis traditur, dixi autem, *iuxta Dei voluntatem, & inferiorum statum, & ministeria obeunda*: quia dubium non est, quin plura superioris gradus, & chori hierarchici Angelis reuelare Deus possit, quæ ad specialem statum, conditionem beatitudinis Angelorum chori illius, & ministeria spectent, quæ nusquam ad statum conditionem, & ministeria Angelorum chori, & gradus, hierarchici inferioris pertineant: quare, neque eis sint à superioribus Angelis communicanda. Probatur conclusio primo ex scripturæ locis, quæ Dionysius iam recitandus tetigit, & aliis decursu disputationis recitandis. Secundo, ex Dionysij testimoniis pluribus Primum ex cap. 3. de cælesti hierarch. *vbi indultum sibi sacratissimum iubar assatim hauserint*, superioris hierarchiæ, & chori Angeli) *hoc ipso post meridum absque inuidia sequentibus fundant*, atque is

in hoc ipso diuinis obtemperant legibus. Ac rursus ordinem hierarchiæ, seu hierarchicum postulare. *Vt alij purgentur alij purgent : quidam luce non solum doctrinæ illustrantur, quidam illustrent, aliqui perficiuntur, alij perficiant*, quod non solum de ordine vnius hierarchiæ ad aliam, sed de ordine chororum intra hierarchiam, quamlibet ordinatorum intelligit, quia, & hic ordo hierarchiæ est, & capite quarto, sub med. clarius expressit dicens legem ministerio Angelorum datam, & per Moysem ad nos peruenisse : *quasi illud ordo diuinæ legis sentiat : ea, quæ secundum locum obtinent, ab iis, quæ primum ad diuinitatem erigi, & excitari ; Etenim, non solum in summis, atque infimis mentibus, sed in eis etiam, quæ sunt eiusdem ordinis, hac lex à Deo iuncta est : vt in quacumque hierarchica, & primi sint & medij, & postremi ordinis, inferiorumque, superiores sint, eisque, quasi digito viam monstrent, aditumque ostendant ad diuinitatem, illustrationem, atque consociationem*, & rursus. *Statuit summus ille, ac supersubstantialis omnium ordo per singulas distinctiones primos, & medios, extremosque esse ordines, atque virtutes : vt scilicet inferiorum spirituum excellentiores, quique præceptores, ac duces sint, ac ibi, tanquam spiritus supra mundanum intelligunt modum rerumque rationes diuinis illustrationibus, sibi accommodatis dicunt, & rursus ad propinquiora, & cognita, quæ didicere, transmittunt*, Item capite septimo, ait de Seraphinis, *inferiora agmina ad sui similitudinem potentissime subeunt, lucida, illuminanteque proprietate totius obscuritatis expultrice*, de Cherubinis, *indultam sibi sapientiam, in sequentia, & inferiora transfundunt*, cap. insuper 8. de secunda hierarchia ait, *Purgatur, illuminatur, atque perficitur modo quo diximus* (capite scilicet tertio,) *ex sacris diuinæ intelligentiæ fulgoribus in illam per primæ, superiorisque distinctionis officium secundo loco manantibus.* Est autem obiter aduertendum, cum Sancto Thoma, quæstione 106. articulo secundo ad primum & scholasticis reliquis purgationem, illuminationem, & perfectionem, eiusdem realiter actus nomina esse : quæ quatenus lucem confert illuminatio, quatenus tenebras nescientiæ, seu lucis negationem pellit, purgatio, quatenus veritatis cognitione intellectum perficit, eius perfectio dicitur. Atque ibidem iterum, *quod* legimus (Zachariæ) *per Angelum in alium Angelum cuiusdam rei peruenisse notitiam euidens indicium esse arbitramur perfectionis à longinquo venientis ac pro ipsius ratione in secundum perfectionis locum deriuantis*, capite 10. *decet inferiores* (gradu hierarchico) *superioribus subaudire, & hos Dei consilia exponere*. eandem, ac totam de hac re doctrinam suam epitome tradit de Ecclesiast. Hierarch. capite 5. titulo de sacerdotalibus perfectionibus dicens. *Inferiora per superiora tandem in Deum reduci per illuminationem*, quam *sacram efficientiam, & deificarum notionum transfusionem* appellat. Denique membra humana metaphorice Angelis, applicans, & explicans, vltima de cælesti Hierarchia, ait, *Dentes, quod alimenta adhibita diuidit, vnaquaque enim essentia, quæ mente prædita est vniuersam intelligentiam à diuiniori traditam accepit, vi quadam, qua aliis natura consulit, diuidit, amplificat, pro captu, & ductu inferioris.*

7. Consonant Athanas. libro de communi essent, scribens. *Cherubin, & Seraphin, sine vllo mediatore, aut interprete à Deo condiscunt, & ab iis eruduiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro suo gradu.* Sophronius encomio de Angelis, ita Seraphinos allocutus. *Splendorem, quantum fas est, absque vllo medio excipitis, exceptumque cæteris mentibus, & intelligentiis communem facitis.* Damasc. lib. 2. cap. 3. *illud quidem perspicuum est : eos, qui præstantiores sublimioresque sunt splendorem, & cognitionem inferioribus impertire* Bernardus, 5. de considerat. cap. 4. Sic de Cherub. ait ; *ex ipso sapientiæ fonte ore altissimi haurientes, & refluentes fluenta scientiæ vniuersis ciuibus suis.* Rursus homil. 1. super. *missus est* ; Lucæ 1. præfatæ suæ sententiæ innitens Gabrielem à Deo, missum dici censet quod non sit ex gradu inferiore, sed ex eo, qui gradum hierarchicum superiorem non habeat. *Quia non ab alio forte excellentiore se (vt auolet) spiritu sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est à Deo.* Quam Bernardi rationem laudat noster Salmeron. capite 3. tract. 3. §. *Neque vero obstat*, subsin. eaque sententiam suam Andreæ Hierosolimitani serm. de salut. Angel. Damasceni de dormit. Virginis, Cedreni in compendio historiar. Gregorij hom. 34. in Euang. ante med. & Bernardi proxime, Cardinalis Senogalliæ in Dehacordo sententiam de primo ordine, & gradu hierarchico Gabrielis, quod, scilicet, ex Seraphico sit, confirmat : vti id ipsum multo eruditionis & nationum pondere probauerit toto eo. §. & antecedente, §. *dupliciter*, med. ab illis verbis. *Nunc illud interim agamus*, probareque pergit, §. *ex quibus verbis Danielis.* Rationes huius conclusionis retigit Dionys. ex connaturali Dei prouidentia in creaturarum administratione, vt, scilicet, per superiores eorumque interuentu in inferioribus agat, & cum eorum virtutibus intermediis, generali tamen eius concursui subiectis cooperetur. Aliam etiam tetigit de maiori capacitate, & perfectione intellectiua Angelorum ordinis hierarchici superioris, & maxima ordinis supremi necessaria, vt inferioris ordinis Angelos illuminatione doceant ; siquidem ex rei natura Doctor, & magister melius, perfectiusque, quam discipulus intelligere debet, quæ docet. Tertia est, quia Angeli supremæ hierarchiæ, & chori Deo familiarius, coniunctiusque assistunt, quasi cubicularij, & vt Hispane dicamus, *'grandes de la camara de Dios :* titulo autem familiarioris, coniunctiorisque Deo assistentiæ continuæ perpetuæ ex munere, & sui gradus hierarchici officio Deus, connaturaliter loquendo, mysteria, & secreta sua debet primum communicare, & per hos proxime gradu hierarchico coniunctis, & sic deinceps, quæ vnicuique secundum suum inferiorem, & distantiorem, & Dei voluntate, communicari expediat, vt disp. 2. qu. 5. certam. 1. à num. 5. diximus, & humanis exemplis monstrauimus ; *dixi connaturaliter.* Potest enim absolute Deus per inferiores Angelos de secretis, & mysteriis suis superiores Angelos instruere, imo & per homines etiam, iuxta illud ad Ephes. 3. *vt innotescat Principatibus per Ecclesiam vt bene*, Vasquez, disp. 217. num. 2. Soar. lib. 6. cap. 15. num. 18. & si hic instructionem hanc superiorum ab inferioribus Angelis, vel hominibus illuminationem vocari nolit, quod de propria, & stricta, & hierarchica, de qua hic verum habet, cum actus ille ex hierarchico illo gradu, & ministerio non proueniat ; secus, de illuminatione absolute dicta, sub qua hierarchica continetur. Accedit titulus excellentiæ charitatis & amicitiæ supernaturalis, quæ supremæ hierarchiæ, & chori Angeli Angelis inferiorum graduum hierarchicorum excedunt : quo titulo plura, & immediatius secreta Dei reuelanda sunt : vt in humanis vsu venit, & insuper naturalibus, & diuinis seruari debere, atque à se seruatum Christus Dominus aiebat. Ioan. 15. *vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

8. Sed ex his rationibus postremis difficultas suboritur, titulo enim cum maioris, & coniunctioris assistentiæ Deo, & excellentioris in ipsum amoris, chorus solus supremus hierarchiæ summæ, qui Seraphinorum est, videtur immediate à Deo secretorum, & mysteriorum Dei reuelationes, & illuminationes recepturus, ac

in secundum Cherubinorum, connaturaliter loquendo, immediate transfusurus vt ex Dyonisio, & Patribus ac scholasticis omnibus docuimus. Ex ratione autem secunda ab eodem Dionysio tacta, præstantioris intellectus, & intelligentiæ eorum, quæ aliis per illuminationem, & doctrinam tradenda sunt, necessariæ in Magistro, quam in Discipulo edocendo: siquidem Cherubinos præstantioris Seraphinis intellectus, & intelligentiæ veritatum esse certa apud Dionysium, Patres, & scholasticos sententia est, quam, & nos disputatione 2. quæstione 5. statuimus, atque à non leui difficultate peculiariter vindicauimus: inde vero fieri videtur, vt quæcumque à Deo secreta, & mysteria reuelentur, melius, perfectiusque, connaturaliter loquendo, percipienda intelligenda, ac penetranda à Cherubinis, quam à Seraphinis necessario sint: ac proinde Cherubinis, vt perfectius percepturis aptiusque subinde, & alios docturis esse immediate à Deo reuelanda vt Seraphinos doceant, atque illuminent. Nec satis est plerumque in humanis Magistrum hebetioris, imperfectiorisque intellectus, & intelligentiæ esse, discipulum vero ingenij acutioris, ac perfectioris intelligentiæ veritatum, quas à Magistro edocetur: tum quia magisteria, & discipulatus, non ex natura rei, vti in Angelis diximus, sed ex accidenti apud homines contingunt: tum etiam; quia, si quid euasio præstat, Dionysij rationem euertit. Nec magis præstat, si ex parte difficultati cedas, ac dicas, Cherubinos, ac Seraphinos æque immediate à Deo, nec alios, per alios illuminari, vt expresse Athanasius recitatus, numero 7. initio pro quo non contemnenda ratio occurrit; quia propinquior assistentia, & strictior charitatis, & amicitiæ supernaturalis cum Deo coniunctio Seraphinorum immediatam ab ipso illuminationem requirit; & si minus perfectæ intelligentiæ, quam Cherubini sint; qui etsi non sint à Deo, & assistentiæ propinquitate, & amoris coniunctione Deo coniuncti, tamen perfectioris intelligentiæ, atque ad magisterium, & illuminationem aliorum sunt aptiores: vt in vtrisque, quod vnius tituli excellentiæ deficit præstantia tituli alterius compensetur. Non tamen præstat; quia Dionysij, reliquorum Patrum, & Theologorum (qui præstantiam eorum in vno, & defectum in alio apprime norunt, & docuerunt) hactenus ex ipsis à nobis statutam sententiam euacuat: nempe à primo cuiusque hierarchiæ choro inferiores, & nominatim à Seraphinis inferiores primæ hierarchiæ choros, ac subinde Cherubinos illuminari.

9. Respondeo tamen primo defectum minus perfecti intellectus Seraphinorum, quam Cherubinorum ex parte propositionis mysterij, & secreti reuelandi posse à Deo suppleri, vt perfectius his illud intelligant, percipiant, ac penetrent, ac eis illa immediate Deus reuelet, vt strictior cum ipso assistentiæ, & charitatis coniunctio reposcit, quod nullus inferior exigit hierarchicus gradus, atque horum proinde possint connaturaliter esse Doctores. Respondeo secundo, independenter ab eo supplemento diuino ex parte melioris, viuidiorisque propositionis mysterij reuelandi. Argumentum probare de perfectiore cognitione speculatiua veritatum pure etiam speculatiuarum, secus de practica, & practicarum, etiam veritatum cognitione, cuiusmodi sunt mysteria, & secreta Diuina, omnia, quæ illuminationis huius materia sunt, esseque solummodo possunt; vt certamine secundo, ostendemus: sunt enim, quæ ad arctiorem cum Deo coniunctionem affectiuam, cum Angelos, tum homines ducant, reddantque proinde Diuiniores, constat autem, ex dictis citato loco, ex disputatione secunda, in Seraphinis perfectiorem practicè cognitionem esse ad amorem Dei, arctioremque cum ipso affectiuam coniunctionem, quam sit in Cherubinis perfectior speculatiue, & physice considerata cognitio: vnde, & in ordine ad alios ad arctionem effectiuam coniunctionem ducendos, inducendosque practice erit Seraphinorum cognitio quam Cherubinorum perfectior: tum ex Ciceroniano illo apophthegmate. *Ardeat Orator, si iudicem velit accendere*, frequentissima experientia comprobato: tum quia, ad negotianda, quæcumque obsequia, grata, & iucunda, ei quem vehementer ardemus, vt Seraphini Deum, ingeniosior longe amor, quam intellectus est, valdeque industrior altius de amato, eiusque rebus concipiendo, aliisque proponendo, vt eorum amorem ipsi, & æstimationem conciliet, quam de eius intellectu posset præsumi, ac non amantes, quantumuis ingeniosi, concipere, ac proponere aliis possent; ita vt, licet amor pars ingenij physice non sit, illud tamen ita circa amatum acuat, eiusque vires totas exerat, atque erga illum dilatet, ac ita cernat acutum, vt acutissimis mentibus in eo præualeat, ac prudenti æstimatione totum amantis ingenium moraliter sit; id quod quisquis ardenter amat experitur atque in Dei seruis, eum ardenter amantibus verbis, & operibus experimur, in Deo, eiusque perfectionibus penitius penetrandis, atque ad alios Deo lucrandos proponendis, vsque ad stuporem supra naturalem mentis suæ, & subtilioris aliorum captum ingeniosos illos esse, ac industrios.

10. Illud demum hic examini scholastico subesse potest. An scilicet Angeli, non solum Angelos beatos gradus hierarchici inferioris illuminent, sed & malos Dæmones damnatos? & illuminare illos etiam illuminatione hierarchica de qua loquimur posse, & de facto illuminare videntur. Siquidem plura Dei consilia & mysteria, ex Dei voluntate, & decreto posse Angelos Dæmonibus manifestare, extra controuersiam est, & de facto esse illis manifestata ex variis scripturæ locis facile colligitur, Angelos autem omnes etiam infimæ hierarchiæ, superioris ordinis, cunctis Dæmonibus, ad Dei secreta, & mysteria cognoscenda, aptiores, ea proinde posse eis illuminatores esse, certum itidem est. Et si enim Dæmones plures nobilioris naturæ, & perfectioris intellectus pluribus Angelis sint, atque eorum non pauci Angelis primæ hierarchiæ summis, Seraphinis, scilicet, & Cherubinis specici, & naturæ præstantia, & nobilitate æquales; tamen statu perpetuæ damnationis, & inimicitiæ Dei sunt ab ipso longe remotissimi; è Dei autem coniunctione, cum assistentiæ, tum amicitiæ arctiore, & proximiore ad mediatius, vel immediatius cognoscenda mysteria, & secreta diuina gradus proximiores Deo, ac superiores, vel remotiores, & inferiores Angelorum disponuntur: quare in ordine ad id à Deo infra omnes Angelos infimos etiam Dæmones sunt, vt nullum habeant gradum: ac proinde connaturalissime fiet, vt ab infimis etiam Angelis de Dei mysteriis, & secretis Dæmones instruantur, atque illuminentur; & si quandoque à Deo ipso (vt ex libro Iobi constat) suo absoluto iure, & potestate vt ente fuerint instructi de aliquo, & illuminatio; ex quibus colligi videtur Dæmones illuminatione proprie hierarchica, de qua loquimur, ab Angelis illuminari.

11. Censeo tamen Dæmones ab Angelis illuminatione propria, & hierarchica (de qua agimus) nusquam illuminari de facto, nec de possibili, & si de mysteriis, & secretis Diuinis instrui ex Dei voluntate ab eis possint, & quandoque instruantur. Moueor primo, quia illuminatio vnius Angeli ab alio, (de qua Dionysius, Patres, & Theologi omnes) actus hierarchicus est per Dionysium,

sium, & Patres recitatos, & Theologos omnes: atqui secreti diuini transmissio ab Angelo in dæmonem actus hierarchicus non est; ergo nec propria, de qua agimus, illuminatio. Minor probatur: quia actus hierarchicus is solum est, qui prouenit ab Angelo ratione sui gradus, & officij, seu ministerij proprij hierarchici gradui illi hierarchico destinati, aut instructio, & reuelatio mysterij, aut secreti Diuini dæmoni ab Angelo facta, nequit prouenire ab aliquo officio, & ministerio proprio, & destinato alicui gradui hierarchico: vt patet ex officiis, & ministeriis propriis, cuique choro, & gradui hierarchico, à Theologis, & à Dionysio designatis; ergo nequit esse actus hierarchicus. Confirmatur ex ratione ipsa pro affirmatiua parte data, quia, quod Angelis competit ex statu beatifico omnibus communi, non autem ex gradu hierarchico, cuique proprio, non competit eis, ex officio, & ministerio aliquo hierarchico: sed superioritas Angelorum respectu dæmonum, vt hos connaturaliter de secretis Dei instruant, ac proinde ipsa instructio, non conuenit alicui Angelo ex gradu suo hierarchico, proprioue officio, & ministerio, sed ex statu beatitudinis cunctis communi, vt ea ratione dicebatur; ergo, nec superioritas, & potestas connaturalis dæmones instruendi, neque ipsa instructio est potestas, actusue hierarchicus Angelorum, ac proinde nec propria hierarchica illuminatio, de qua agimus. Probatur secundo conclusio: quia illuminatio vnius Angeli ab alio cum actiua, tum passiua, de qua hic, tota intra ordinem hierarchici cum est, & continetur, quin ad aliquam creaturam rationalem extra hierarchias, & gradus hierarchicos omnes positam extendatur; dæmones autem extra hierarchias, & gradus hierarchicos omnes sunt positi; ergo eorum ab Angelis illuminatio propria, & hierarchica non est. Maior probatur: quia & si notissimum Dionysio, & Patribus, ac Theologis sit, ac fuerit, homines de pluribus à suis custodibus infimæ hierarchiæ Angelis, instrui, tamen huius hierarchiæ, Angelis actiuam illuminationem, non tribuerunt, ergo quia illuminationem, de qua hic, ad aliquem extra hierarchias earumque, atque gradus omnes non extendi censuerunt.

12. Vrgetur; quia ea de causa, à Dionysio, Patribus, & Theologis Angelos omnes, in hoc illuminationis negotio tripartientibus, scilicet in Angelos, qui non illuminati ab Angelis, alios illuminant, atque in negotio illuminationis angelicæ actiue solum se gerunt, & in Angelos, qui ab aliis illuminati alios illuminant, ac proinde actiue, & passiue se in illuminatione habent, & in alios, qui illuminantur, non autem, illuminant, ac se passiue prorsus in illuminatione gerunt: quo non solum actiuam illuminationem Angelorum (de qua hic) infimæ hierarchiæ, & chori, seu gradus hierarchici in dæmones, & homines omittunt, (vt argumentum hoc ab authoritate, negatiua solummodo esse censeri possit) sed expresse negant illuminationem actiuam propriam ad aliquem, extra omnes hierarchias, earumque gradus, & choros hierarchicos positum (vti dæmones positi sunt) in Angelis esse, dariue vsquam posse. Tertio principaliter probatur conclusio, ac probationes datæ confirmantur: ex natura, & essentia ipsa illuminationis de qua agimus definitæ à Dionysio de cælesti hierarch. c. 1. dum hierarchiam, sic definit, *est sacer ordo, scientia, & actio, quæ ad diuinitatis similitudinem (quoad eius fieri potest), accedit & proportione illustrationum quæ ei diuinitus data sunt ad Dei intentionem traducitur*: vbi ab illis verbis, *& actio*, quæ, omnem actum hierarchicum ac subinde actum illuminationis, de quo inferius agit, definiuit. Ex eis autem verbis sic arguo, Actio hierarchica illuminatiua, seu propria illuminatio est, qua illam tunc recipiens, tum agens ad Dei similitudinem accedit, ad eiusque intentionem traducitur; atqui dæmon in statu damnationis nulla instructione de mysterio, secretoue aliquo Dei ab vllo Angelo facta adducitur ad intentionem, & voluntatem Dei, neque ad Dei similitudinem accedit, neque accedere, adducue ad alterutrum potest. Secundo quidquid dæmonibus ex mysteriis, secretisue diuinis reuelatur, ipsis nusquam proficuum, & practice perfectiuum est, nec alicui, cui ipsi bonum velint, sed omnia ad eorum malum pænam, inuidiam, & rabiem: vnde, & si in pura speculatione sistendo intellectus eorum manifestatione, ac proinde dæmones ipsi perficerentur, eisque bona, ea manifestatio foret, ast, cum ex ea, non, nisi pæna, dolor, ira, rabies, & inuidia eis accrescat illos absolute perficere, bonumque, & perfectionem absolute afferre non possunt: vt de fide supernaturali, quam eis ad tremorem, & pænales alios affectus Deus, vt diximus, concedit, fatendum est. Confirmatur: quia manifestatione, seu intimatione, sententiæ vel mortis, vel ad tiremes reus dubio procul, de eo, quod ignorabat instruitur, atque veritatem, quam ignorabat cognoscit, & ibi sistendo, eius intellectus perficeretur, bonaque illi ea cognitio foret; ast, quia doloris, tristitiæ, & cruciatus causa est, nec bona Reo, nec perfectio absolute est, illuminatio autem omnis etiam late, nedum stricte, & proprie sumpta (de qua hic) bona, & perfectio absolute illuminati esse debet, quod si bona hominibus sint secreta diuina, quæ, ex Dei voluntate dæmoni ab Angelo reuelantur, vt ea hominibus manifestent: id quidem hominibus bonum, dæmoni vero malum est; atqui quod proinde, non, nisi inuiti faciunt, & coacti, cum homines pessime oderint, eorumque saluti inuideant, ac de se se eorum perditionem anxij procurent.

CERTAMEN II.

De illuminationis angelicæ materia & modo quo ab Angelis fit.

1. Circa materiam illuminationis, seu veritates, quas illuminatione propria, & hierarchica, potest Angelus superior inferioti manifestare, supponenda aliqua sunt. Primum notitiæ, seu visionis beatificæ obiectum non esse illuminationis hierarchicæ, de qua hic obiectum, seu materiam; quia Deus ipse obiectum, sui visionem intuitiuam, cuique beatorum pro meritorum mensura, & quantitate se ipso, nec vllo intermedio Angelo communicat, nec vltra eam mensuram vlterius alicui Beatorũ à Deo adhuc augebitur augeriue vsquam poterit. Secundo quia illuminatio supremorum Angelorum primæ hierarchiæ, & chori supponit Angelos Beatos omnes, & cum visione Dei, ac per hierarchias, & choros dispositos: ergo Deus ipse, non est obiectum, seu materia illuminationis hierarchiæ strictæ, & proprie, de qua hic, sed præsuppositæ intuitionis, & ante illuminationem hierarchicam præuisum. Tertio, constat ex testimoniis Dionysij, & Patrum recitatis vbi illuminationem, ex illustrationibus, eius veritatis, quam ante illam (ne summi quidem Angeli fiebant) à Deo in hos immediate immissis ortum habere, atque initium sumere docent; Deus autem ipse à nullo Angelorum, in vlla hierarchia posito nesciebatur. Confirmatur: quia illustratio de visione Dei beatifica, qua Deus, vt in se est videtur, nusquam dicitur. Confirmatur secundo: quia illuminatio est actus purgans, illuminans, & perficiens illuminatum vt ex Dionysio retulimus, & explicuimus cert. 1. n. 6. purgans scilicet à nescientia illuminans tenebras, & obscuritatem intellectus Angelici circa obiectum illuminatione manifestatum: perficiens illum eiusdem obiecti & veritatis cognitione, quam causat, in illuminato, circa Deum autem ipsum in nullo Angelo, infimo etiam postremæ hierarchiæ, nescientia, ac tenebræ sunt cum clare illum pro naturæ priori ad omnium in suas hierarchias, choros, graduſque hierarchicos, distinctionem, & dispositionem omnes Angeli videant: perfectio autem in eo clare videndo absolute, seu quatenus ex parte obiecti est, in nullo esse ob eandem rationem potest, ex parte autem modi, seu intensionis videndi illum ab Angelo illuminante, nequit prouenire, sed ab specie

impressa intensione,ac viuidiore Dei, quam Deus solus, non autem Angelus potest producere in illuminato, vel à Deo ipso specialiter speciei viuatioris, loco concurrentes. Ad hæc,quoad intensionem,visionis beatæ nusquam est in Angelis augmentum, nec per æternitatem erit. Adde illustrationem superioribus Angelis, vt inferiores illuminent, à Deo immediate faciendam gratuitam, & gratiosam esse debere, nec statui eorum beatifica debitam (nedum inclusam, vt Dei ipsius visio in eo statu includatur, vt iam dicam) per omnes Doctores. Denique rationes omnes, quas Dionysius, & Patres testimoniis recitatis cert. 1. n. 6. & 7. tetigere, ac nos illico instruximus, pro connaturaliori prouidentia illuminationis hierarchicæ, inferiorum Angelorum à superioribus, hoc ipsum euincunt. Maior quippe,minorue coniunctio,cum assistentiæ, tum charitatis, & amicitiæ supernaturalis perpetuæ cum Deo, ex qua summis, & conuinctissimis Angelis immediate à Deo illustrari, inferioribus vero, & inferioribus mediatius,& mediatius per proxime superiorum illuminationes, ex perfectiore, & intensiore, remissioreque, & remissiore Dei visione, in vnoquoque supposita promanat.

2. Ex hoc certo, & stata apud Patres, & Doctores omnes supposito, dico primo. Nulla veritas, seu obiectum,quod ab Angelis in verbo, proprie loquendo, videtur, est materia, seu obiectum propriæ, & strictæ (de qua hic) hierarchicæ illuminationis. Dixi *proprie loquendo*:quia,si,vt aliquid videri in verbo à Beatis propriè dicatur, satis esset, videri illud à Beato diuersa cognitione, & peraccidens coniuncta cum visione Dei, vt aiunt Caiet.ad.q.57.a.5.Scotus in 2.d.9. q.2. §. *Ad aliam quæstionem*. Bassol. q.1. §. *Ideo dicet*. Ægid. q.1. a.5. Aureol.apud Capr. in 2.d.11.q.2.a.2. sub fin. dubium esse non posset,quin plura,quæ ea acceptione in verbo ab Angelis videntur,materia,& obiectum hierarchiæ, & strictæ illuminationis sint. Siquidem eorum cognitio per accidens saltem cum Dei visione in eis coniungitur; sed tamen valde impropria, & abusiua visionis eorum in verbo ea acceptio est.Videri enim vnum obiectum *in alio* influxum aliquem, aut motionem intentionalem visionis obiecti huius in visionem obiecti alterius, quod in ipso videtur, ac proinde connexionem aliquam, vel identicam (vt alij volunt)vel illationis,& determinationis, aut exactionis, in visione eius, in quo alterum videndum est, ad huius alterius visionem (vt melius, cum Vasquiana doctrina, & schola censeo) necessario importat. Mitto plura alia, quæ Scotus, & Bassolis huic suæ Doctrinæ de illuminatione, eiusq; materia & cognitionibus,tum illuminantis Angeli,tum illuminati addunt, obscurandæque illuminationi, eiusque materiæ confundendæ solummodo, inseruiunt, ac bene à Vasq. confutantur d.21.7.c.2. n.9. § *Secundo ex eadem doctrin*. Iam vero de obiectis, quæ proprie loquendo, vt explicuimus, in verbo à Beatis Angelis videntur, conclusionem nostram tradunt expresse, Capreol.vbi proxime a.3.*ad argumentum contra tert.conclus*.Herueus ibi d.9.q.1.a.2. ad.3.arg.Vasq proxime n.7.& 9. fine Soar. c.12. & Theologi reliqui;quibus citati nuper minime aduersantur: quia non de obiectis, quæ proprie in Verbo videntur, sed quæ videntur improprie, vt vidimus, sunt locuti. Ratio conclusionis est: quia ea solum in Verbo,seu in Deo videntur à Beatis, quæ, vel simul identice cum Deo, eademque visione beata, vnicuique pro meritorum mensura, videntur, vel potius,& verius,ex vi visionis beatæ ab vnoquoq; videntur:atqui quæ ita,ex vi,visionis Dei debita videntur à Beato quouis sunt obiecta visionis perpetuæ, & passiones inseparabiles physice,& connaturaliter à visione Dei:ergo non sunt obiecta,& materia illuminationis.Probatur:quia,quę sunt obiecta,& materia illuminationis seu illustrationis à Deo ad tempus,& pro tempore: item non debite connaturaliter vnicuique Beato pro gradu, & mensura debitæ ipsis Beatitudinis, & visionis Dei sunt.

3. Probatur inde vlterius illustrastio illuminatiua beatorum Angelorũ à Deo fit,ab ipso omnino,& absolute gratuito per omnes Theologos;atqui visio eorum, quæ ex vi visionis Dei à Beatis videntur, tribuitur,eis,fitque à Deo ex debito connaturali status beatifici,& visionis,seu essentialis Beatitudinis Beati cuiusque,ac subinde,non fit gratuitò prorsus,& absolute gratiose, vt diximus,ergo neq; est illustratio illuminatiua, atque à Deo, neque eius obiecta sunt materia proprie dictę,strictę,& hierarchicæ illuminationis,de qua loquimur.Probatur tertio cõclusio:obiecta,& materia hierarchicæ,strictæ, & specialis, illuminationis, de qua hic, sunt obiecta, quæ supremi chori, & hierarchiæ Angelis tantummodo manifestantur immediate,ac reliquis graduum hierarchicorum inferiorũ, non immediate à Deo,sed mediate, atque interuentu manifestationis factæ inferioris chori Angelis ab iis, qui superioris chori sunt: Atqui ea, quæ ab Angelis quibusque, etiam infimæ hierarchiæ & chori, ex vi essentialis suæ beatitudinis, & visionis Dei in verbo videntur,non mediantibus Angelis superioris gradus, eorumque manifestatione,sed immediate à Deo manifestante videntur:ergo nec sunt materia, & obiecta strictæ & hierarchicæ, ac specialis huius illuminationis.Minor probatur:quia exigentia & vi visionis Dei beatæ connaturali,ac proinde nullo alio expectato,& quę in Verbo videnda sunt,videri à Beatis facit Deus, ac prius natura,quam Angeli in hierarchias,& chotos superiores (ex quibus ius illuminandi, tam actiue, quam passiue,eis competit)disponantur,ac distinguãtur.Probatur quarto:quia,quæ in Verbo videntur,non manifestantur à Deo testificatiue,& authoritatiue,sed effectiue solum, vt producente physice eorum obiectorum species, vel concurrente loco earum,vt causa particulari cum Beati intellectum ad eorum visionẽ, iuxta exigentiam essentialis beatitudinis, & visionis Dei, nihil autem est obiectum, & materia illuminationis strictæ, & hierarchicæ, nisi Dei reuelationi debitum innitatur,vt ex iam dicendis constabit: ac proinde,nec quę,vt diximus,in Verbo videntur,nec eorũ visio,nec visio essentialis beatifica Dei, & si ab vno Angelo manifestetur, alteri, vel physice solum manifestetur cunctis à Deo, vt vnusquisq; de alterius felicitetur congaudeat, & lætetur materia prædictæ illuminationis erit. Immo,etsi à Deo vniuersis, & singulis immediate aliorum omnium visiones eiusmodi reuelentur:quia,etsi,quatenus testimonio, & authoritati Dei subsunt, obiecta, & materia proxima illuminationis hierarchicæ esse possent:ast,vt de facto tales sint præter innitẽtiam cognitionis eorum Diuinæ authoritate ad hierarchicam illuminationem,vt per superiores Angelos inferioribus ex Dei voluntate,& authoritate manifestentur requiritur;quod cum reuelatione,cũctis immediate à Deo facta componi nequit.

4. Dico secundo. Nulla veritas Angelis independenter ab illuminatione nota, aut naturaliter de se, vel ex præsupposita in ipsis scientia ab illis cognoscibilis (siue ea veritas naturalis, siue supernaturalis sit) est materia, seu obiectum hierarchicæ illuminationis, quoad illud. *Siue supernaturalis sit* est contra Gabriel.in 2. d.9. q.2. a.4. concluſ.4. Ægid.q.1.a.3. dub.4. apud Soar.c.12.n.6. § *Tertia differentia* asserentes omnem veritatem supernaturalem esse obiectum ac materiam illuminationis hierarchicæ. Probatur conclusio de notis præsuppositiue ad illuminationem, quia illuminatio essentia, & propria vocis significatione, dicit adductionem, & inductionem lucis intellectui circa obiectum, & veritatem aliquam circa quam lucem non habebat, sed in tenebris nescientiæ erat illuminatus: atqui circa omnes veritates, & obiecta,etiam supernaturalia independenter, & ante illuminationem Angelis nota lucem cognitionis intellectus angelici habebant, nec in tenebris ergo illa versabantur: ergo obiecta ipsis iam nota, etiam supernaturalia, non sunt obiecta, & materia illuminationis. Probatur secundo, ex duplici illo testimonio Dionysij recitatis cert. 1. n. 6. vbi tres illuminationis actus essentiales,vel vnum potius per tres illius effectus necessario & omnino indefectibiliter præstitos intellectui Angeli illuminati recenser. Scilicet, inferendi lucem positiue,quod illuminatione præcise significatur:purgandi à tenebris nescientiæ, & perficiendi intelle-

intectum veritatis cognitione circa quam illuminatur. Secunda vero pars (quod scilicet obiecta, quæ Angeli, beati, vel de se, vel ex præsuppositis simul cognitionibus etiam circa supernaturalia, possunt naturaliter cognoscere materia, & obiecta illuminationis hierarchicæ, non sint) probatur: quia illuminatio natura sua est completiua, & suppletiua virtutis naturalis intellectus Angelici ad cognitionē obiecti circa quod illuminādus est: atqui circa, ea, quę vel de se, vel ex adiūcta, & præsuppositā cognitione supernaturalis obiecti potest naturaliter intellectus angelicus cognoscere, completam habet eam cognoscendi virtutem naturalem, siue absolute, ac de se, siue ex adiuncta, & præsuppositā supernaturalis obiecti cognitione; ergo neque deest naturalis eius virtus, aut naturalis eius virtutis defectus aliquis est ad præfata obiecta cognoscenda supplebilis; ac proinde, nec ad ea cognoscenda, illuminatio esse poterit, neque ea obiecta materia illuminationis. Probatur secundo ex testimoniis Patrum recitatis cert. 1. n. 6. & 7. conclusio, & simul probationis proximæ maior, in eis quippe dicitur *indultum Angelis summis adeo sacratissimum inhar, & splendorem, ipsumq, à Deo seu fonte luminis eos haurire, atque illuminatione ad diuinitatem erigi, & excitari*, & plura alia quæ vltra vires, & exigentiam naturalem intellectus angelici beati & notitiam mysteriorum, & obiectorum supernaturalium in via habitam instructi, circa quæ, vel mediate à Deo illuminandus Angelus est, cognitionem esse declarant, indebiteque prorsus, & gratuito à Deo concedi.

5. Confirmatur: quia illuminatione roborari intellectum illuminati ad obiectum eius cognoscendum S. Thomæ & aliorum scholasticorum plurium sententia expressa est, ac, rite intellecta roboratione, ab omnibus debet concedi, vt mox videbimus. Roborari vero idem est, ac addi intellectui Angeli beati illuminandi robur (quod nec de se nec ex adiuncta notitia supernaturalium obiectorum, quam ex via ad statum beatitudinis secum tulit, & quam ipso ingressu necessario recipit) ad obiectum illuminationis percipiendum, quomodocumque robur illud addatur. Confirmatur secundo: quia obiecta omnia strictæ, & specialis huius hierarchiæ illuminationis, de se talia, Dei speciali, & indebita efficientia, ac reuelatione egent, vt cognoscantur, possintque in actu primo, proximo ab illuminato, cognosci, vt statim dicemus: sed nullum obiectum, ad quod intellectus, vel de se, vel notitia alicuius obiecti instructus cognoscere naturaliter potest, eget speciali Dei efficientia, aut reuelatione, vt ab intellectu ita instructo cognoscatur: ergo nullum obiectum ab intellectu angelico, vel secundum se sumpto, vel etiam instructo notitia præhabita obiecti alicuius, etiam supernaturalis, naturaliter cognoscibile, obiectum, & materia illuminationis specialis hierarchicæ de se esse potest. Ne autem de cognitione naturaliter habenda ab intellectu angelico, ex præsuppositā notitia alicuius obiecti supernaturalis, cuiusmodi, & cuius obiecti sit, dubites. Dico non esse eiusdemmet obiecti, & eodem modo propositi, quod notitiæ præhabitæ obiectum erat. Id enim minime est vnum in alio, vel ex alio naturaliter cognoscere, atque ex eius cognitione præsuppositā alterius cognitionem deducere, sed in præsuppositā ipsa persistere. Aliud ergo obiectum ac diuersa cognitione cognoscendum est, verbi gratia, præsupponitur visio gratiæ, donive alterius supernaturalis Angelo infusi: inde naturaliter, eius physicas, & mea sententia de præcisione obiectiua visionis obiecti possibili) etiam metaphysicas passiones cognoscet, idem etiam obiectum partitis conceptibus, eiusque partibus poterit naturaliter cognoscere illud scilicet definiendo, quod simpliciter nouerat. Cum autem alterutra cognitio & notitia supernaturali præsuppositā deducatur, supernaturalis etiam erit. Dices posse, aliquod obiectum naturaliter cognoscibile, ab intellectu angelico, vel nude sumpto, vel adiuncta alterius obiecti cognitione præsuppositā; ipsi tamen casu ignotum (imo in mea sententia naturaliter etiam euidenter notum: fidem enim cum euidente obiecti eiusdem, adhuc intuitiua, naturali cognitione, censeo, componibilem, & docui sæpe, atque ex instituto probaui controuersiis de fide, de Incarnatione, & his ipsis de Deo vno) reuelari Angelo superiori, & per hunc inferiori: ergo de eo esse potest hierarchica specialis illuminatio: ac proinde illud, & similia obiecta specialis hierarchiæ, illuminationis obiecta, & materia esse poterunt. Negatur consequentia. Etenim reuelatio obiecti naturaliter ab intellectu angelico cognoscibilis æque connaturaliter fieret à Deo Angelis infimis, ac supremis, quare illuminatio ex ea reuelatione & illustratione Dei inferiorum à superioribus facta hierarchica illuminatio non magis esset, quam, quæ ab inferioribus immediata Dei reuelatione illustratis, fieret superioribus: ac proinde ex officio, & ministerio proprio hierarchiæ, aut gradus hierarchici superioris non est; etiam cum ab eius Angelis obiectum illud reuelatum inferioris hierarchiæ, aut chori Angelis communicatur, ac subinde hierarchica stricta, & specialis illuminatio non est, sed quæ æque, ab homine, cui Deus immediate illud obiectum reuelaret illuminari Angeli possent. Requirit ergo obiectum hierarchiæ illuminationis eiusmodi esse, vt non solum reuelari à Deo possint, sed, nisi speciali Dei voluntate illa actiue physice, vel testificatiue manifestandi cognosci nequeant (quod naturaliter cognoscibilibus ab Angelo illuminando, non euenit) & pertineant ad ea, quæ non, nisi Deo, coniunctissimis, cum assistentia, tum amicitia, & charitate supernaturali, & familiarissimis supremæ hierarchiæ, & chori Angelis connaturaliori prouidentia oporteat ab eo, immediate reuelari.

6. Dico inde tertio. Materia seu obiecta specialis illuminationis hierarchicæ sunt mysteria omnia supernaturalia Angelis, nec in via, nec ipso ingressu ad beatitudinis statum quasi consectarie, reuelata, aut reuelanda Dei item secreta, consilia, & decreta, insuper secreta cordis rationalis cuiusuis creaturæ alterius independenter ab eius voluntate ea manifestandi, futura item contingentia omnia. Rursus præterita omnia, quæ Angelus illuminandus, nec nouit, nec habet in se notitiam, vnde ea possit cognoscere; quod si hæc ex libera voluntate Angeli alterius manifestari ipsi possint obiecta illuminationis hierarchicæ, non erunt, nisi quatenus independenter ab alterius huius voluntate manifestabilia à Deo sunt. Ita Sanct. Thomas 1 part. quæst. 107. artic. 2. bene intellectus, vt conclusione 4. explicabitur. Scotus ibi, responsione ad 1. q. §. *Ad aliam quæstionem* Bassol. quæst. 2. art. 1. Ricard. art. 1. quæst. 2. & alij pro concluſ. 4. referendi Soar. citat. cap. 12. num. 19. §. *Vlterius ergo* ac deinceps. Alarcon citat. disputatione 4. cap. 10. num. 5. §. *Tertio sequitur*. Probatur: quia hæc omnia, & singula, etiam naturalia, secundum modum tamen cognoscibilitatis, independenter à libera voluntate & manifestatione alterius rationalis creaturæ, à qua manifestari absolute & naturaliter possent, sunt obiecta naturaliter ab Angelo illuminando non cognita, nec cognoscibila, & quæ à solo Deo, vt speciali, & particulari causa physice actiua, vel testificatiua operante fieri cognoscibilia illuminando Angelo possunt, vt pater: sed quæcumque speciali Dei, vt causæ particularis actiuitate siue physica, siue testificatiua egent, vt ab Angelo illuminando cognoscantur, sintque proxime cognoscibilia, sunt obiecta, & materia specialis huius hierarchiæ illuminationis: ergo obiecta, omnia præfata etiam secundum substantiam naturalia, sunt eiusmodi illuminationis materia, & obiecta. Probatur secundo: quia ea omnia sunt obiecta, & materia specialis hierarchicæ illuminationis inferiorum Angelorum à superioribus vsque, ad supremos, quæ his, vtpote coniunctissimus assistentia, charitate supernaturali, & familiaritate, oportet, vt connaturalius, quam aliis Angelis, quæ

quæ in secretis Deo sunt immediate à Deo manifestentur, aliisque non, nisi horum interuentu, quæ illis etiam velit ipse manifestari, atqui ea omnia eo modo in secretis Dei sunt: ergo ea omnia sunt obiecta, & materia specialis huius hierarchicæ illuminationis. Addiderim cum Sanct. Thom. quæst. 109. artic. 3. hæc omnia debere esse, vt Deo arctius Angelos, cum illuminatos, tum illuminandos, vel homines qui eorum interfint, affectiue coniungere apta, nata de se sint, vt ex Dionysio cap. 3. de cælesti hierarchia, & ratione diximus certamine 1. numero 11. & hæc sane, quæ hactenus obiecta, & materiam hierarchicæ specialis illuminationis esse docuimus, de materia puro materiali, seu remota, non autem de materia proxima, & ratione sub qua intelligenda sunt: ad eum modum, quo peccata commissa, secundum se materia absolutionis in Sacramento dicuntur, pure tamen matertalis, & remota, proxima seeus, quo vsque dolorifera confessione, tanquam ratione sub qua, vestiantur, ac proxima absolutionis sacramentalis per eam constituantur. Hanc ergo rationem, sub qua, & per quam præfata omnia materia proxima specialis hierarchicæ illuminationis formaliter fiant, restat explicare.

7. Ideirco dico quarto. Ratio, sub qua, seu forma, per quam obiecta prædicta & materia proxima specialis huius hierarchicæ illuminationis formaliter fiunt, est reuelatio, & testimonium Dei ea reuelantis. Ita expresse Scotus, Bassolis, Ricard. Soarius, & Alarcon, vbi proxime Gabriel in 2. d. 9. quæst. 2. conclusione 4. Heruæus quæst. 1. artic. 2. Okam. quæst 10. artic 2 Capreol. disp. 11. quæst. 2. artic. 1. conclusione 2. & ad. 1. argum. Durandi S. Thom. citat. quæst. 109. cap 3. quæst. 107. artic. 2. quem eius interpretes, & discipuli plerumque sequuntur Vasquez d. 216. cap. 5. num. 22. d. 217. cap. 2. num. 10. § *Tertio denique nota*, sententiam hanc probat Sanct. Thom. quæst. illa 107. ex Gregor. 2. Moral. cap. 4. alias 5. dicente. *Loquitur Deus ad Angelos Sanctos, eo ipso, quod eorum cordibus, occulta sua inuisibilia manifestat.* Sed certe, eo loco non agit Gregorius de manifestatione testificatiua, & per reuelationem proprie dictam, sed per physice etiam actiuam efficientiam cognitionis secretorum suorum in Angelis intuitiuam, in hominibus abstractiuam per occultam inspirationem, & quoties id agit Deus loqui etiam ipsum Angelis & hominibus dici posse, vt ex capitis contextu toto patet. Probat insuper ratione S. Thomas, quæ, quia non satis ab aliquibus scholasticis penetrata est, pluribus debilibus impugnationibus, quasi efficacibus, locum fecit. Ait enim manifestationem, & cognitionem veritatis, cuiusuis, nisi, vt à Deo est, & ad Deum, qui prima, summaque veritas, ac prima subinde veritatis regula est, & ad eius voluntatem reducatur, nec posse esse illuminationem hierarchicam Angelorum inferiorum à superioribus, nec obiectum eius eam veritatem, nec illuminatorum intellectum perficere; perfectione, scilicet, digna, & illuminatione, & Angelis illuminandis. Porro quia illud, *vt est à Deo*, quidam effectiue, alij finaliter (id est à Deo, vt causa efficiente, vel finali) intelligunt, extra rem, & chorum variis impugnationibus in hanc Sanct. Thomæ rationem insultant; non aduertentes, nullum mediocrem adhuc, Philosophum, nedum Angelicum præceptorem, dependentiam veritatis obiecti adeo actiue, vel à Deo, vt fine esse à Deo, vt vero, seu, vt prima veritate, & regula prima veritatis asserere potuisse, nec dubitare: cum dependentia à Deo, vt fine, vt à Deo bono, non autem, vt prima veritate, & veritatis regula esset, est igitur Sanct. Thomæ mens, & ratio veritatem obiecti propriæ, & specialis illuminationis hierarchicæ talem, ac tantam esse debere, vt à Deo, vt vero, non quidem in essendo, sed in cognoscendo, & dicendo, seu, qua prima veritatis regula est, pendeat, atque ad ipsam demum reducatur: quod ipsum est, in Deum vt testificantem, de obiecti veritate debere reduci, atque ab eius testimonio, & reuelatione, de obiecto, eiusque veritate assensum Angeli illuminati debere pendere, eique inniti. Ideirco non solum, ad primam regulam veritatis in cognoscendo, quæ intellectus est, sed in dicendo reducendam necessario esse veritatem obiecti illuminationis hierarchicæ, & assensus, quem ex illa adhibet Angelus illuminatus Sanct. Thomas ea ratione dixit: siquidem ad voluntatem, etiam Dei recurrit, ad quam veracitas, in dicendo, & testificando spectat, vt ex citatis locis patet. Cuius rationem, ab absurdo aliam inibi adducit: quod alias, nec illuminatus Angelus digne se, & illuminatione hierarchica assensu præstito, ex illa quoad intellectum perficeretur: quod exemplis ex humanis subiunctis probat, igitur rationis vtriusque Sanct. Thomæ firmitas aduersantium impugnationibus, nullatenus nutat, id, quod ex iam dicendis clarebit.

8. Illuminatione speciali hierarchica, & assensu ex ea orto illuminato Angelo inferiori, circa eius illuminationis obiectum debet Angelus illuminatus *ad Dei similitudinem, quoad eius fieri potest accedere* in cognoscendo veritates, & obiecta, erga quæ illuminatur, vt aiebat Dionysius, de cælesti hierarchia cap. 3. recitatus artic. 3. certamine 1. numero 11. ast ni eius assensus veritati, & obiecto erga quæ illuminantur, reuelatione, & testimonio Dei innitatur, ad ipsumque tandem deducatur vt primam veritatis regulam, nequit Angelus illuminatus ad Dei similitudinem, in cognoscendo, quod eius fieri potest, accedere: ergo illuminatio, & assensus, ex ea præstitus ab Angelo illuminato, nequit esse de obiecto, & veritate, non reuelata à Deo, &, qua à Deo reuelata, vt tandem ad testimonium Dei, cui inniti debet, & primam regulam veritatis in cognoscendo, & testificando reducatur Dixi similitudinem, ad quam accedere debet illuminatus Angelus ex Dionysij verbis *esse in cognoscendo*, & si enim hoc textus Dionysij non exprimat, visture tamen, & implicite, in eo continetur. Tum, quia similitudo per illuminationem intellectus propria est: tum quia, & si similitudo Dei, etiam per affectus voluntatis creatæ esse dicique recte possit Dionysius vtramque eo textu diuisit, & affectuam similitudinem, tanquam effectum intellectualis, de qua verbis datis, postmodum immediatis hisce significauit. *Et propertione illustrationum, quæ ei diuinitus data sunt ad Dei intentionem traducitur.* Vt citato num. 11. obseruamus, Minor efformati syllogismi facile probatur: quia quacumque demum ratione & motiuo assensus, illuminati erga obiectum, & veritatem, & à quocumque, etiam à Deo, vt causa particulari actiua, vel mediis speciebus propriis, vel immediate loco specierum concurrente, proueniat, nequit assensu illo accedere, quam maxime, seu, *quoad eius fieri potest* ad similitudinem Dei in cognoscendo, & assentiendo veritati, & obiecto illuminationis. Tum quia, & si physicam infallibilitatem (& metaphysicam, siue lis) assensus alteri rationi, & motiuo, quam Dei testimonio, innitens habeat, non tamen diuinam, quam habet assensus præstitus obiecto, & veritati, reuelatæ ob testimonium Dei: ac proinde, non ita proxime ad Dei veritatem, & infallibilitatem in cognoscendo accedit. Tum etiam, quia, nec physicam, nedum metaphysicã, infallibilitatem haberet, etiamsi à Deo, vt speciali causa actiue physice, non autem testificatiue, causaretur. Siquidem Deus specialis causa erroris intellectualis, plurium, & mea sententia, absolute, & absq; vlla indecentia esse potest secundo probatur: quia illustratione immediate à Deo facta in Angelis supremæ hierarchiæ, & chori ex qua, & inferioribus obiecta, & veritates illuminationis hierarchicæ intimandæ sunt, discunt à Deo Angeli illi supremi: ergo, & à Deo immediate docetur, sunt quippe duo hæc essentialiter correlatiua; atqui magisterium, nequit exerceri solo physica actione cognitionis obiecti in discipulo, sed Doctrina, & loquela, seu locutione Magistri

gistri ad Discipulum, in qua testimonium ipsius de eo, quòd discipulos docet, continetur: ergo Deus in negotio hoc illuminationis, obiecta, & veritates, de quibus suprèmos Angelos illuminat, loquitur revelat, & testatur, quæ postmodum, pro eiusdem voluntate & visu, atque eius revelatione aliis inferioris ordinis Angelis superiores manifestent; ac proinde nullum obiectum illuminationis hierarchicæ est, quod in Deum testificantem, non reducatur, aut, nisi qua revelatum, sit obiectum hierarchicæ illuminationis, ac discipulatus suprèmorum Angelorum, & subinde Dei respectu illorum immediati magistri per locutionem, & testificationem veritatum, & obiectorum illustrationis, & hierarchicæ illuminationis, expressus est, Dionysius de cælesti hierarchia c. 4. illis verbis. *Diuinis illustrationibus sibi accommodatis discunt, & rursus ad propinquiora, & cognita, quod dicere transmittunt.* Athanasij recitati cert. 1. num. 7. initio illis. *Cherubin, & Seraphim, sine vllo mediatore aut interprete à Deo condiscunt.* Vbi illud, *aut interprete*, ad argumentum hoc pendendum in primis; interpres enim locutionis, & in præsente diuinæ, qua suprèmos illos spiritus illustrat, seipso, & immediatè illuminat, proculdubio est. Item ea voce suprèmos hos spiritus respectu inferiorum, quos illuminant, interpretes diuinæ locutionis esse Athanasius docet. Ac proinde illuminationem, non nisi de eis esse, quæ Deus loquitur, & testatur, & clarius Bernardus. 5. de consideratr. c. 4. de cherubinis. *Ex ipso sapientiæ fonte ore altissimi haurientes*, hispane *de sumisma voce* quod non, nisi de loquente dici potest.

9. Probatur tertio conclusio. Quia Angeli suprèmi ordinis non solum veritates obiectiuas, seu obiecta, erga, quæ à Deo immediate illustrantur, sed lucem iubar, & splendorem ipsum, quo illustrantur, & obiecta ipsa, abdita alias, & eorum mentibus tenebrosa, & obscura, illustria fiunt, & lucida in inferiores Angelos traducunt, & transfundunt, ita Dionys. 3. de cælest. hierarch. *Vti indultum sibi sacratissimum iubar affatim hauserint, hoc ipso postmodum, absque inuidia sequentibus fundunt.* Sophronius encom. de Angelis, sic de Seraphinis. *Splendorem (quantum fas est) absque vllo medio exceptis, exceptumque cæteris mentibus, & intelligentiis communem faciis:* Damascen. lib. 2. c. 3. *Perspicuum est eos, qui præstantiores sublimioresque sunt, splendorem, & cognitionem inferioribus impertire.* Atqui iubar, & splendor hic nil aliud esse potest, nisi eorum obiectorum, & veritatum, erga quæ suprèmi illi Angeli immediatè à Deo illustrantur, revelatio, & testificatio ipsis à Deo exhibita, atque ab eis in Angelos inferiores traducta, atque his simul cum veritatibus, & obiectis, de quibus instruuntur, & illuminantur hierarchicè, ex parte obiecti proposita, vt ob illam præfatis obiectis assentiantur: Ergo Dei revelatio, & testimonium est ratio sub qua, & formalis, ob quam obiecta, & materia proxima hierarchicæ specialis illuminationis veritates, & obiecta prædicta constituuntur. Minor probatur, quia iubar & splendor ille ipse, qui à suprèmis illis spiritibus à Deo immediatè hauritur, & excipitur, & ab eis in Angelos inferiores transfunditur, transmittitur, & traducitur, nequit esse lux & splendor cognitionis, & scientiæ de obiectis illis, qua formaliter Angeli illi suprèmi (qua velis claritate) ea obiecta cognoscunt: Tum, quia hanc suam scientiam de eis obiectis, vitalem scilicet actum, nequeunt Angeli illis communicare, atque item, neque inferiores Angeli eadem perfectione, & claritate illa ipsa obiecta cognoscere: Tum etiam, quia etsi adeo specialiter, & vt particulari causa, actiuè physicè solummodo concurrente scientiæ formalis illorum obiectorum, in actu secundo splendorem reciperent, hauire illum immediatè à Deo, & immediatius, quam inferiores Angeli dici, non possent; cum eodem modo Deus, vt causa particularis ad scientiam eorum obiectorum, eiusque lucem, & splendorem in actu secundo deberet concurrere; ac proinde, & si immediatè etiam illum à Deo exciperent, & hauirent. Tum, quia hauire splendorem à Deo, aliud planè, quam ab ipso actiuè physicè scientiam ipsam vt à concausa partiali (cum Angelus ipse, ad ipsam, aut pote actum vitalem necessario debeat concurrere) aperte significat: Tum demum, quia cum Angelus suprèmus Dei loco, vt causa partialis nequeat ad actum scientiæ Angeli inferioris de illis obiectis concurrere, scientiæ de illis splendorem à superiore inferior recipere immediatè non poterit: quare neque superiore mediante recipere poterit à Deo, vt Patres, & Scholastici omnes docuere. Restat ergo, vt splendor, & iubar illud, quod suprèmi Angeli immediatè à Deo hauriunt, atque idem ipsum, iuxta Patres, in inferiores Angelos transmittunt, & traducunt, sit splendor, & iubar ex parte actus primi ad eorum obiectorum scientiam se tenens, ea, quæ de se abdita, obscura, & tenebricosa, illustrandis, illuminandisque, mentibus Angelorum, illustria, & lucida ex parte obiecti eisdem mentibus reddat, vt percipi, ac intelligi ab eis possint, si eo ipso iubare, & splendore suffusa proponantur. Hoc autem iubar, & splendor, quem immediatè Angeli à Deo hauriunt, & excipiunt, eundemque ipsum in inferiores transfundunt, & quo suffusa obiecta eisdem proponunt, nil sanè aliud, quam revelatio, & testimonium Dei esse potest: quod immediatè à Deo suprèmi Angeli, hauriunt, & audiunt, ac inferioribus cum obiectis, & veritatibus illuminationis hierarchicæ propriis, vt eis assentiantur proponunt.

10. Quarto probatur conclusio ratione ab absurdo, quam secundo loco posuit. S. Thom. cit. q 107. a. 2. vt primam confirmaret de necessitate reductionis, veritatum omnium, de quibus hierarchica illuminatione instruitur illuminatus, ad Deum, vt primam regulam veritatis scilicet in cognoscendo, & in dicendo (quod solum eis, vt revelatis à Deo, siue, vt Dei revelationi subsunt contingit) quia alioqui earum cognitione non perficeretur intellectus Angeli illuminati (debita nimirum perfectione hierarchicæ illuminationis) imo nec absolutè perficeretur. Hanc rationem etiam negligunt, & facile confutatam censent Arriaga, & alij; quinimo & principia, ex quibus S. Thom. discurrit, non satis animaduertunt. Et, quoad primum de perfectione intellectus illuminati debita ex hierarchica illuminatione facile probatur. Quia debet esse cognitio essentialiter, & ex obiecto vera, certa, & infallibilis, nusquam subiecta de se, erroti, & falsitati, cum ratione status beati Angeli illuminandi: tum, quia ea cognitione veritatum, ad Dei similitudinem intellectualem scientiam de eisdem debet illuminatus, quam maximè seu, vt aiebat Dionysius c. 3. de cæl. hierarch. *quod eius fieri potest accedere*; quod per solum testimonium Angeli illuminantis, etsi ratione status, nec falli, nec fallere possit illuminatum testimonio de eis veritatibus præsito, fieri nequit: quia adhuc infallibilitas, quam eis veritatibus, earumque assensui præsito ab illuminato afferret, cum adhuc infallibilitate, & certitudini creati testimonij, ac subinde creatæ, inniterentur, neque quam *maximè, & quoad eius fieri potest* infallibilitatem, & certitudinem, ex testimonio Dei peruenire: ergo, vt digne perficiatur illuminatus Angelus hierarchica illuminatione, opus est, vt ex obiecto formali, & motiuo Diuinæ revelationis assensus, veritatibus contingentibus de se, de quibus instruitur, ab illuminante hierarchicè, certus sit, & infallibilis. Secundo, ex Dionysia, & Patribus recitatis cert. 1. n. 6. & 7. nullus Angelus (etiam infimæ hierarchiæ, & chori) illuminatur perfectione digna, hierarchicæ illuminationis, nisi diuinis illustrationibus de veritatibus, de quibus instruitur; nil autem nisi diuina de eis revelatio, illustratio Diuina in præsenti esse potest (cum non sufficiat specialis Dei, vt causæ particularis physica efficientia in assensum illuminati vt supra ostendimus) nec illuminantis de eis veritatibus, testimonium, vt patet: ergo, vt revelatæ à Deo, siue, vt Diuinæ subsunt revelationi, debent veritates præfatæ ab illuminante, quovis Angelo, cuivis illuminato proponi, vt perfectione debita illuminationi hierarchicæ illuminati intellectus, earum cognitione perficiatur, quod autem, nisi certa, & infallibili

saltem physice, cognitione, & cui falsitas, & error physicè subesse non possit, perfectio intellectus (adhuc hominis viatoris, nedum Angeli beati) absoluta, & absolutè talis non sit probant exempla humana, quæ adducit S. Thomas, *qui ait; si vnus homo dicat alteri Deus est creator cœli, & terræ, vel homo est animal rationale*, illuminat, & perficit intellectum hominis, scilicet absoluta perfectione, & absolutè tali: quia, scilicet, primum ex certo principio, & ratione naturali; secundum vero hominis definitionem continet inductione demonstrabilem, & ad plura demonstranda principium; vel ex motiuo reuelationis Dei, certiori, vtique, & excellentiori, id dicit, ac docet. At si vnus alteri dicat, *hoc volo facere*, vel, *vt facias*, non erit illuminatio intellectum alterius perficiens: quia non pertinet ad perfectionem intellectus mei; *quid tu velis; vel quid tu intelligas; cognoscere, sed quid rei veritas habeat.* Id autem duplici ex capite quia de singularibus, non est scientia: & de contingentibus præsertim, cum ex suis causis, esse foreve, absolutè nequeat demonstrari. Secundo, quia secreta cordis, solum ex voluntate, & testimonio eius, cuius sunt cognosci ab alio possunt, quod si is creatura est, cognitio certa, & physicè adhuc, infallibilis non erit: quare, nec erit absolutè per se ipsam perfectio, nec per cognitiones alias, ad quas habendas instruit intellectum, quæ eadem fallibilitate, qua ipsa, cui innituntur, laborabunt, poterunt que, & fors erunt physica vitia, & errores; quod si ea, ex Dei reuelatione cognoscerentur certa eorum secretorum, atque infallibilis, etiam metaphysicè, cognitio esset, ac subinde absoluta intellectus perfectio, & ad primam regulam veritatis accederet. Qua de causa S. Thomas ad primum ait, *si Deus alicui diceret, quid vellet ipse faceres, vel quid vellet, vt ille alter faceret*, illuminandum, perficiendumque, illius alterius intellectum.

11. Ratione à priori demonstratur, id ipsum. Nulla absoluta perfectio intellectus potest esse vitium physicum illius: omnis cognitio physicè incerta, & fallibilis potest esse vitium physicum intellectus, siquidem error esse potest; ergo nulla cognitio physicè incerta, & fallibilis potest esse perfectio absoluta intellectus quod quidem de omni intellecta, adhuc hominis viatoris æque probat. Sed quid dicemus, (inquit Arriaga,) de viris in humanis facultatibus, & scientiis doctissimis, quæ probabilibus conclusionibus, solumque ex probabilibus principiis probabiliter, ac proinde fallibiliter, nec certo physicè, ac metaphysicè deductis, fere omnino constant? Scilicet eos, sua quemque facultate naturali absolutè, non perfici? Certè dicemus, quod proxima dicit demonstratio: eos partibus scientiæ suæ, quæ probabilibus solum, & fallibilibus constant absolutè non perfici. Quid ergo illos à Deo suspicimus, veneramur, ac miramur, si tam pauculas habent cognitiones, quibus absolutè eorum intellectus perficiantur? Quia (dicam) melius, seu minus malum est probabiliter veritatem dispicere, quam omnino, ignorare, ac lusum esse, quam cæcum. His obiectionum, & debilium instantiarum nostri Arriagæ d. 22. sect. 3. nebulæ, & vmbræ dispatent: maximè ad rem præsentem. Etsi enim in homine viatore probabilis solum assensus, ac subinde fallibilis perfectio absoluta intellectus censeretur, inde ad perfectionem illuminatiuam Angelorum in statu beatifico, & hierarchico ex fallibili etiam cognitione duci consequentia nequit: quod autem ad assensum veritatibus, & obiectis hisce propriis illuminationis hierarchicæ vt à Deo reuelatis, nequeat, non superioris Angeli illuminantis reuelatio intercedere, cum eorum reuelatio immediatè inferioribus illuminatis à Deo non fiat, sed interuentu superiorum, non probat horum de reuelatione diuina earum veritatum testimonium motivum formale assensus eis veritatibus, qua illuminationis hierarchicæ proprij, esse posse, nedum debere, vt ex dictis patet: sed solam Diuinam earum veritatum reuelationem, ob quam solum illuminatus, eis veritatibus assentitur; tametsi iudicio prælio inferioris illuminati de existentia reuelationis earum, testimonium illuminantis Angeli de existentia reuelationis efformando subseruiat. Quemadmodum apud nos Parochi, vel Doctoris de reuelatione mysteriorum propositio ob quam, si fide infallibili, & supernaturali credimus, minimè eis mysteriis credimus, sed ob propositam Parochi testimonio reuelationem, vt hæc totum eis mysteriis assentiendi motivum sit; Parochi vero propositio motiui eius pura applicatio: quin inde assensus fidei nostræ obiectiua certitudo, & infallibilitas ipsi intrinseca nutet; tametsi subiectiua certitudo possit nutare: qua de re fusius contra, de fide diximus. In casu vero nostro, nequit is assensus illuminati Angeli, adhuc subiectiuè nutare: quandoquidem ratione status beatifici Angeli illuminantis ab illuminato cogniti de veritate testimonij ab illo præstiti de Diuina reuelatione, nequit dubitare illuminatus: cum in eo statu, nec falli illum, nec fallere posse cognoscat, ac proinde eius testimonium esse creata infallibilitate certum, & infallibile.

12. Hæc conclusio doctrinam ad rem præsentem S. Thomæ, & Discipulorum eius communem, veram, & facilem, ex minore tamen aliorum intelligentia, difficilem, ac facillimè impugnabilem, & cum aliis eiusdem doctrinis pugnantem clarè expeditam, & consequentem ostendet. Ea vero est: Angelorum intellectum illustratione, & illuminatione hierarchica ad obiecta, & veritates, quas de se percipere non possent intelligendas, roborari. Ita ille q. 106. a. 1. q. 11. a. 1. illuminatione Angeli superioris, & proponi obiectum, & corroborari intellectum inferioris ad illud percipiendum docet. Id, quod docuisse videtur Dionysius c. 4. de cælesti hierarchi. illis verbis; *Quasi illud ordo Diuinæ legis sanctæ: ea quæ secundum locum obtinent ab iis, quæ primum, ad diuinitatem erigi*: erigi vero eleuationem, & corroborationem illuminati per illuminationem superioris significat, præter veritatis cognoscendæ propositionem, quæ verbo excitari significatur. Consentiunt S. Thomæ in corroboratione hac Capreolus, in 1. d. 11. q. 3. a. 3. ad 1. Durandi. Herueus d. 9. q. 1. a. 1. Cajet. ad citatum a. 1. q. 106. & Thomistæ reliqui Soar. cit. c. 11. ac diuersi, Duo tamen primi modos confortationis huius, ex parte intellectus se habentes improbabiles, improbatosque satis ab Ægidio olim, & postea à Durando S. Thomæ tribuunt & defendunt, quin se ab eorum impugnationibus, adhuc probabiliter, exonerent, Caietanus facilorum confortationem intellectus Angeli illuminati ab illuminante, non qua hic ex parte naturalis virtutis intellectuæ, augmentum, siue intrinsecum, siue inhærens, actiuè physicè ab illuminante communicatum recipiat (vt duo prædicti aiebant,) S. Thomæ tribuit, ac defendit, sed ex parte obiecti, & arte, ac Magisterio, quo veritates illuminato proponit, vt ad eas cognoscendas facile perueniat, ad quas, absque eo magisterio, & arte proponentis non peruenirent, quam corroborationem veram censet Vazquez d. 216. & laudat. c. 3. n. 15. §. *Hæc sententia Caietani* conformemque etiam suæ doctrinæ c. 5. merito censet, ac etiam doctrinæ expressè S. Thomæ q. 9. de verit. a. 1. corp. & solut. argum. fatetur eodem §. n. 16. cum dicat S. Thomas corroborari intellectum Angeli illuminati, ex eo, quod in superiore illuminante videat aliquid cognitum ad alia cognoscenda inseruiens: sicut in humanis discipuli mens corroboratur, ex eo, quod à Magistro, eiusque doctrina principium aliquod recipiat, ex quo alia cognoscere possit. verum. cum citatis locis ex S. Thom. 1. p. vbi vltra obiecti ab illuminante propositionem, confortationem illuminati intellectus angelici enumerat. imo, & hanc actiue ab illuminante in illuminatum, nec solum ex parte propositionis obiecti prouenire dicat, Caietani doctrinam, ex mente. S. Thom. eo loco, quem Caietanus interpretatur æstimat non esse, neque doctrinam quæstionis. 9. de veritate cum doctrina primæ partis concordare. Maximè, cum eadem 1. p. q. 117. a. 1. dicat, dupliciter vnum hominem ab alio edoceri posse, & propositione aliquorum, quibus paulatim ad ignotæ veritatis cognitionem ducatur, & corroboratione intellectus à Magistro, quam fieri subdit. *Non quidem aliquid virtute actiua, quasi superioris naturæ, sicut supra dictum est* (scilicet locis citatis ex 1. p. De Angelis illuminantibus,) *quia omnes humani intellectus sunt vnius gradus in ordine naturæ; sed in quantum proponit discipulo ordine principiorum ad conclusiones, qui forte per se ipsum non haberet tantam virtutem collectiuam, vt ex principiis posset conclusionem deducere.* Quibus non sola obiecti propositione intellectui Angeli illuminati; sed aliqua

aliqua actiuitate, & actione in illum confortari ab illuminante docet Angelicus Doctor.

13. Verum, cum explorata sententia S. Thom. de hac intellectus Angelici confortatione ab illuminante habeatur q. illa 9. de veritate intelligenda hæc loca 1. partis sunt, ne sibi aduersetur, de actiuitate immediata, vel physica, vel exactiua illuminantis Angeli in intellectum, illuminati speciebus iudicij sui de obiecto, de quo hunc vult instruere, non solum secundum se sumptorum (quod in omni Angelica locutione, etiam inferioris ad superiorem Angelum, inuenitur, vt diximus supra Angelorum locutionem explicantes, & S. Thomas censet, ac proinde in illuminatione, (quæ specialis, & nobilissima locutio illuminantis Angeli) est verum, & illud se ex diuina reuelatione didicisse; Quæ non præstat humanum magisterium naturalium facultatum, quod solum externe per signa externa, veritates, & suum de illis iudicium discipulo proponit, nihil seipso in eius intellectum agendo, nec supernaturale motivum reuelationis diuinæ proponendo, sed solum naturalia principia, ob quæ illas ipse scit, proponit discipulo, explicatione eius captui accommodata, vt eisdem veritatibus assentiatur, atque ita eas discat, & sciat. Huc spectat Angeli illuminantis superioritas in natura respectu illuminandi, quam in hominibus S. Thomas, negat verbis datis, ac proinde immediatam actiuitatem in intellectum discipuli ad confortationem illuminatiuam actio Angeli illuminati in illuminante requisitam; quia obiecta, de quibus hierarchice illuminandus ab eo Angelus inferior est, nisi vt reuelatione Dei subsunt obiecta propria, & proximè, ac formaliter talia hierarchiæ illuminationis non sunt: Et quorum proinde immediata reuelatio supremi solius ordinis Angelis, ac subinde supremæ etiam specifice, & excelentissimæ naturæ fieri debeat, ex eisque ad inferioris, & inferioris ordinis, & naturæ Angelos, pro minori, aut maiori ordinis, & naturæ inferioritate, mediatius aut mediatius, & reuelatio, & obiecta illa, vt reuelata, deriuari, sicque actiue illuminantes confortant illuminatos in S. Thomæ sententia; quia, eis conceptus Angeli superioris de eisdem veritatibus, vt reuelatis à Deo, species indebitæ, & quibus, vltra vires naturæ ad ea obiecta, vt reuelata cognoscenda erigantur, & confortentur, ingeruntur. Rursus, ex arte, & magisterio, quo veritates, de quibus illuminati Angeli ab illuminantibus superioribus instruuntur confortatio alia actiue artificialiter, vt Caietanus ait, ab hoc prouenienes inuenitur, quam confortationem ex parte obiecti possumus appellare, & ad quam q. illa 9. de veritate totam Angeli illuminati ab illuminante merito reduxit; quia ea non nisi actiua, vel exactiua specierum indebitarum, & supernaturalium illuminato productione, fieri ab illuminante, potest, vt ex dictis claret: quia, & iudicij illuminantis, & veritatum à Deo reuelatarum, ac subinde reuelationis, Diuinæ species sunt, ob quam veritatibus, de quibus inferior Angelus hierarchica illuminatione à superiore illustratur, est assensurus, Caietanus, & Vazquez, qui solam posteriorem admisere, veritatis, & obiecti, cui illuminatus assensurus est, propositioni solummodo attenderunt; cum motiui ad essentiendum, scilicet, reuelationis propositioni deberent in primis attendere: in eo quippe proponendo artem, & magisterium adhuc naturalium facultatum maximè consistere merito obseruauit, & docuit locis citatis præsertim q. 117. & q. 9. de verit. scilicet in principiorum scientiæ, & ordine, quo ex illis, & propter illa conclusiones deducuntur; a loqui discipulus veritates scientiæ illius non sciet, sed ex Magistri authoritate credet. Quare, & in assensu veritatibus illuminatione hierarchica propositis præstando, cum ob ea reuelationem, & testimonium præstandus ab illuminato sit, non veritates, sed & reuelatio, quæ motiuum, & principium vnicum formale eis assentiendi est, proponenda præcipuè erit Angelo assensuro. Et hæc in S. Thomæ obseruantiam, dicta sint: cuius rationes, cum per summam propositæ ab ipso fuerint, mirum non est, non ita bene à pluribus, qui vel perfunctoriè, cum legunt, vel vocum sono sistunt, & hærent percipi, & penetrari.

CERTAMEN III.

Quid illuminatio sit, quidque illuminatio præstet, & quomodo fiat.

1. TRia hæc connexa inter se sunt, atque ex dictis cert. 2. facilius, clariusque, quam hactenus ab aliis præstitum fuerit, expedienda est igitur hierarchica illuminatio. *Veritatum contingentium naturaliter ab illuminando Angelo in cognoscibilium, vt Diuinæ subsunt reuelationi, à superioris ordinis Angelo, ex officio, & Dei voluntate instructio, & manifestatio.* Cuius definitionis bonitas per singulas eius partes ostensas conclusionibus certaminis 2. affatim constat institutionem, & manifestationem hanc per locutionem Angeli superioris ad proximè inferiorem illuminatum immediatam fieri debere concors doctorum sententia est, & ex dictis satis ostensa. Vnde etiam constat, Angelicæ locutionis prædicatum genus ad illuminationem hanc hierarchicam esse, atque, vt talem cum illa comparari. An vero ab alia, vel aliis speciebus Angelicæ locutionis differat? Per capita, & sectiones multas Suarius præsertim, & Arriaga, ac Recentiores alij, ac breuius, ex antiquis non pauci disputant; quia omnia, quoad illuminationem hierarchicam spectant, in cuiusvis ex eis disputatione tangunt, & miscent. Si autem seorsim materiam propriam illuminationis hierarchicæ, tum temoram, tum proximam exactè prius, & seorsim examinassent, breuitate, & facilitate, qua nos, ab ea quæstione se expedirent. Differentia siquidem locutionis hierarchicæ illuminatiuæ à reliquis Angelicis ex parte locutionis, modique, quo vnus Angelus alteri, siue superiori, siue inferiori loquatur, aue manifestet, quod velit, desumi nequit: cum id totum, ex prædicato generico, in quo cum reliquis Angelicis locutionibus conuenit, locutioni hierarchicæ illuminatiuæ debeat competere: quare penes id ab eis differre omnino repugnat, æquè ac hominem ab equo per prædicatum animalis, aliquidve in eo contentum specifice distingui. Tota ergo ex parte materiæ, & obiecti, cum remote, & purè materialis, tum proximi, & formalis, seu rationis, sub qua proptiè ad illuminatiuam hierarchice locutionem spectat, ab ea, quæ essentialiter respicitur, desumenda eius ab aliis locutionibus angelicis specifica differentia erit, quam ex dictis facillime monstrabimus.

2. Etenim, cum hierarchica illuminatio, *veritatum contingentium* esse debeat, necessariarum, quales sunt scientiarum naturalium, (quarum forte superior Angelus plures assequitur, quam inferior, huicque manifestare velit) ad inferiorem locutio ac illuminatio large erit qua nescientiæ de illis tenebras ipsi pellat. Additur in definitione; *naturaliter ab illuminando Angelo in cognoscibilium*, vbi Angelus, non solum nude secundum se, & nativum cuique intellectum, & naturalia reliqua sumitur, sed illuminandus cum omnibus, scilicet, quæ ex parte actus primi proximi, siue in actu primo proximo, vt hierarchice illuminetur, requiruntur, ac de facto præcedunt: cum autem ad illuminationem hierarchicam hierarchiarum, & chorum distinctio, & Angelorum pro cuiusque, & naturali specifica, & supernaturali gratiæ, & donorum maiore, minoreve perfectione in superiores, inferioresve gradum, & chorum distributio supponatur, vt superior gradu Angelus illuminare, inferior vero hierarchice illuminari queat, quibus illuminandus Angelus instructus plura poterit naturaliter cognoscere absolutè, & secundum se contingentia, illi vero statui, & supernaturali ornamento connexa, & consectaria, vt supra obseruabam, nec respectu status, & ordinis hierarchici illius & in contingentibus debent censeri; innaturaliter, ergo ab Angelo illuminando incognoscibilibus contingentibus veniunt, voluntatis

diuinæ arcana, decreta, & secreta consilia, inde emanantia mysteria, quæ pro suæ libertatis, potestatisque plenitudine, & prouidentia naturæ totius legibus, iuréque soluta concipit libere, & exequitur. Item rationalis cuiusvis creaturæ secreta, quæ cordis vocamus, independenter à voluntate rationalis creaturæ ea concipientis, & habentis, eadem alteri manifestandi solummodo cognoscenda. Etsi enim, & quoad entitatem, & substantiam naturalia cordis creati secreta sint, ac dependenter à voluntate ea habentis naturales etiam sint; quoad cognoscibilitatem, & naturaliter subinde, ab altero cognoscibilia; ast independenter à voluntate habentis, & aiteri pro suo libito manifestantis (vt inde orta eorum secretorum cognitio in altero hoc Angelo perfectio absoluta esset) de materia remota, & purè materiali obiecto proprio locutionis hierarchice illuminatiuæ, quóque essentialiter hierarchica illuminatio concernit, nusquam esset.

3. Accedit, quod cum Angelus secreta cordis suo solum libito, ac non ex Dei reuelatione & Dei nomine manifestat, ratio, sub qua ad illuminationem hierarchicam spectant eis secretis deficit, vt cert. 2. concluſ. 4. docuimus, & euicimus; vnde, & debita illuminati hierarchice cognitioni, & assensui obiectis illis infallibilitas, & certitudo vt eodem cert. num. 10. & 11. ostendebamus: ac proinde locutio illa Angeli de sui cordis secretis ad alterum Angelum hierarchice illuminatiua seu illuminatio hierarchica, non esse, etsi superioris Angeli ad inferiorem locutio sit, manifestè probatur. Atque hinc ex parte secundum quod certaminis huius titulus inquirit, primoque hactenus deciso, & tertio deinceps dicendo connexum, vt diximus, est, decidi facile potest. Siquidem illuminatio hierarchica inferioris Angeli illuminati ab illuminante superiore certitudinem absolutam, & infallibilitatem omnimodam physicè & metaphysicè, intrinsecam assensus veritatibus, de quibus ab illuminante instruitur, intellectui illuminati, præstabit: cum essentia sua assensus ille ob Dei testimonium, & reuelationem, tanquam rationem formalem, & adæquatum motivum assentiendi ab Angelo illuminato eliciatur. Præstabit obinde secundo eidem illuminato assensui intrinsecam etiam, & essentialem supernaturalitatem: cum totus ob supernaturale motivum, & formalem rationem reuelationis eis veritatibus ab illuminato Angelo exhibeatur: tota autem supernaturalitas actuum creatorum, qui ex motiuo aliquo elici debent ex motiui supernaturalitate desumitur, iuxta firmam antiquorum scholasticorum Theologiam, incassum à recentioribus hinc inde parinatum instantiolis, & argutiis, quam argumentis, tentatam; imo si hoc vel antiquitate sola venerabile, sacrumque principium negligatur, nusquam ad fidei spei, & charitatis actus habitus supernaturales prærequiri poteris, probabiliter adhuc, à ratione probare: vt de actuum eiusmodi supernaturalitate vniuersim agentes ostendebamus. Vnde reijcitur facile Arriaga d. 22. sect. 5. qui necessariam supernaturalitatem assensui illuminati negat, num. 23. §. *quarto de re.* Quid autem ex parte actus primi ad assensum, veritatibus, de quibus illuminatus Angelus ab illuminante instituitur, ab hoc illi illuminato præstetur, vltra earum veritatum, vt adeo reuelatarum, absolutam, & simpliciter talem propositionem, siue ex parte modi proponendi ex parte obiecti, siue ex parte subiecti, & intellectus Angeli illuminati facile apparet, corroborati quidem illuminati intellectum ab illuminante ex S. Thomæ doctrina, & veritate ad assensum, eis veritatibus præstandum docuimus, & ostendimus cert 2. num. 12. & 13. quamvis non ita exacte sed ex S. Thomæ solum doctrina, & principiis: pendet enim ex iis, quæ circa modum, quo illuminatio hæc hierarchica ab illuminante Angelo, fit, & tertio loco certamine hoc proponitur, ac iam dicemus.

4. Igitur circa modum quo hæc illuminatio fit, & ab illuminante Angelo superiore inferior illuminatur: cum illuminatio hæc locutio, vt diximus, sit, ac sola materia, seu obiecto, & materiali, & formali ab aliis locutionibus, & illuminationibus, non hierarchicis vnius Angeli ad alium distinguatur: quot modis fieri locutionem vnius Angeli ad alium authores docuerunt, & explicarunt, totidem fieri censent hierarchicam illuminationem. Possunt autem modi eorum omnes ad duas generales classes reduci in re præsenti. Prima eorum, qui docent sola externa propositione obiectorum enumeratorum, cum purè materialium, tum formalis, seu reuelationis Dei, nihil scilicet vlterius denuo agendo in intellectu illuminati, quo hic ab illuminante ex parte actus primi proximi, actiue excitetur audi atque ea illuminatione loquentem audiat, in hac sententia est Vazquez d. 216. c. 5. & 6. §. 1 & d. 217. c. 1. quem sequuntur Alarcon citat. d. 4. c. 10. à num. 6. & Vazquini reliqui: pro qua ex primis extitere Alexand. 8. p. q. 38. m. 3. Bonau. in 2. d. 10. a. 1. q. 2. Ægid. d. 9. q. 1. a. 5. Argentina. q. 1. a. 3. Marsil. in 2. q. 1. a. 4. concluſ. 2 & solut. argumentor. Caietan. q. 106. a. 1. vt quemadmodum pro discipuli captu maiori, vel minori res, & veritates, de quibus eum instruere vult, explicatius, ac minutius diuisas Magister humanus proponere solet, & quandoque allegoriis, & similitudinibus, eorum quæ discipulus nouit: ita etiam superior Angelus illuminans res perfectius intelligens illuminato inferiori minusque perfecte intelligenti, minutius, & explicatius proponat. Hanc doctrinam Vazquez, & ex ipso reliqui Patrum testimonis præcipue confirmant: ex quibus dedimus firmiora cert. 1. n. 6. Dionysij. 4. de cæleſti hierar. illis verbis, *quasi digito viam monstrent.* Et rursus *inferiorum spirituum excellentiores quique Præceptores, ac duces sint.* Sed hæc solum eunciunt inferiores à superioribus instrui, & edoceri, non autem sola propositione ex parte obiecti minutiori, & explicatiori. Illud vrgentius c. 5. de Ecclesiastica hierarch. ex dentium similitudine quam superioribus illuminatibus, applicat, quod alimenta, id est illustrationes à Diuinioris acceptas, inferioribus *Diuidat & amplificet, pro captu, & ductu inferioris.* Sed diuisio hæc non significat obiectiuam diuisionem in obiecto proponendo, quasi illud conterat, vt cibum dentes, & quasi Rhetorice, & obiectiue amplificet; sed quod ex iis, quibus illustratus est, alia aliis, provt, ad horum vnumquemque spectat, nec omnibus omnia, communicet: ad quod opus est, vt ad plures illustrationes amplientur subiectiue, nec in illuminato contineantur, & si non omnibus, omnes, nec omnia, de quibus in superiore illuminante fuere, neque eodem modo, sed pro cuiusque captu, scilicet actu minus perfecto, vt minus perfecta inferioris illuminandi cognitio fuerit. Producunt etiam Augustinum concione 18. in Psalm. 118. explicantem quomodo Deus der nobis intellectum cum media illustratione, & ministerio id præstat non sensu; *Sed si adhuc,* inquit, *ministro vtitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat: sed ita dicitur intellectum dare hominis, & quasi (vt ita dicamus) intellectuare hominem, quemadmodum quisque dicitur lucem dare domui, vel domum illuminare, cui fenestram facit, infrà. Deus autem, & mentem hominis rationalem, atque intellectualem fecit, qua posset capere lumen, cuius, & Angelum talem fecit, qui operare posset aliquid vnde ad capiendum lumen Dei mens adiuuaretur humana.* Vnde, inquit Vazquez, sicut, qui aperiendo fenestram, nihil interius in domo aliud agit, quam impedimenta externa ingressus lucis in illam auferendo, domum illuminare dicitur: ex sententia Augustini Angelus nil in hominem, ac subinde in Angelum operatur interius, sed solum extrinsecus doctrinam, & propositionem obiectuam, veritatis, de qua illustratus, vel immediate, vel mediante (si supremi ordinis Angelus non est) à Deo fuit, vt Dei illustratio, & lumen mentem illuminandi penetret, dum illam illuminat.

5. Cæterum mitor hoc Augustini testimonio prafundum sententiarum Patrum indagatorem, & interpretem Vazquez nostrum pro sua hac sententia vel, cum Augustinus, expresè dicat. *Potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, vt capiat lucem Dei:* ac rursus; *& Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid* (vtique in mentem hominis, vt dixerat) *vnde ad capiendum lumen Dei mens adiuuetur humana,* agens vero, & operati in mentem hominis interiorem in ipsam

Angeli

Angeli operationem aperte significat, nec solum extrinsecam obiecti, seu veritatis, & lucis diuinæ propositionem: & quidem exemplo ipso fenestræ, quo Augustinus suum sensum explicuit doctrina hæc opposita nostro Vasquez satis confirmatur.: siquidem in domo ipsa, non autem in lumine ipsam ingressuro, agit, operaturque, qui eam aperiendo fenestram dicitur illuminare: ac proinde, etsi ex parte luminis, seu illustrationis, & reuelationis Dei de veritate aliqua, quę, vt reuelata, proponenda est ab illuminante, nihil agendum ab Angelo sit præter propositionem simplicem, cum veritatis, tum reuelationis, tum iudicij illuminantis Angeli, siue iudicij huius sui de eis veritatibus, vt à Deo relatis, vt inferior Angelus illuminetur: ex parte vero illuminandi agendum ab illuminante erit quidquid agi in eum oporteat, vt veritates reuelatas, ac reuelationem; seu Dei illustrationem recipiat: expressius tamen censet Vasquez sententiam hanc suam traditam à Cyrillo Alexand. 1. in Ioan c. 9. vbi rogat: quomodo Deus illuminare omnem hominem venientem in mundum à Ioan. dicatur? quandoquidem, & vnus homo ab alio illuminetur, vt Eunuchus à Philipp. actor. 8. & omnes ab Apostolis, qui obinde Matth. 10. *Lux mundi* dicuntur: imò, & vnus Angelus ab alio Zachar. 2. Respondet. *Sic etiam lucem esse Sanctos fatemur, & illud ad minus, quod rationalis creatura omnis illuminata illuminat, traditioneq; à mente sua, in mentem alterius doctrinam infundit: quandoquidem illuminatione discendi (seu docendi) vim potius, quam reuelationem nominamus: Dei autem verbum, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, non docendo, vt homines, aut forsam Angeli, sed potius creando, vt Deus vnicuique semen sapientiæ, id est pietatis, atque intelligendi radices, inserit.* Cui textui, vt expressus pro sua sententia sit, illud: *aut forsan Angeli* solum obesse posse putat, quo videtur Cyrillus de Angelis dubitare, quod doceant, vt illuminent: ac proinde totus est in ostendendo particulam *forsan* non dubitatiuam semper, sed auersiuam sæpe esse atque hic ex voce Græca ἴσως, qua vtitur Cyrill. tantundemque, atq; eque significat: & ex Aristot. 3. Rhetoric. eo tamen dato, Angelum, atque hominem docendo illuminare, & illuminando docere solummodo textus probat; non autem eodem modo, atque homines Angelos docere, cum illuminant, præsertim Angelos alios: de quo Cyrillus ibi non agit, sed de illuminatione hominum ab Angelis, & ab his quidem obiter, & cursim, vt idcirco *forsan* addat: quia de Angelorum, ad homines adhuc, illuminatione suam sententiam ferre non curabat: quare, etsi eodem modo homines ab Angelis atque ab hominibus doceri, dum illuminantur, non solum permitteret obiter Cyrillus, sed ex propria sententia docuisset, eodem modo, atque homines ab aliis hominibus, vel Angelis edocentur, cum ab eis illuminantur Angelos etiam, eodem modo cum ab aliis Angelis illuminantur edoceri, minime inferretur, ex Cyrillo. Denum Cyrilli mens in aperto est; Deum, scilicet, illuminare hominem omnem venientem in mundum, dum ipsius creatione, & in mundum ingressu ingenium ad sciendum, geniumq; ad pietatem, & honeste viuendum indidit: quod neq; homo, neque Angelus, cum alium illuminant possent præstare, sed eum tantum instruere de veritatibus quomodocunque, siue eas illi proponendo, vt magistris humanis, vsu venit, siue vlterius Discipuli mentem actiue etiam adiuuando: imò neque hominem Discipulos docere posse, quin aliquid, mediate, saltem in eorum mentes agat, certum est vt iam ostendam.

6. Porro à ratione nil præfati DD. pro se, suaque sententia producunt, præter paritatem ab humano magisterio petitam (quæ in illuminatione, & instructione vnius Angeli ab alio locum non habet, vt iam videbimus) & aliarum omnium opinionum exclusionem, quæ tamen omnes, non satis firmiter excluduntur, vt ex nostra sententia constabit: iam vero sententia præfata aduersariorum impugnatur, Primo: quia illuminatio hæc doctrinalis ad modum humani magisterij prorsus, & omnino fieri nequit, nisi propositio externa solum fiat per signa externa, vel ad placitum, vel naturaliter significantia, quibus, Angelus illuminans loquitur illuminando: Atqui nulla signa externa, siue corporea, siue spiritualia, quibus Angelus ad Angelum loquatur possibilia sunt, vt ostendimus d. 4. q. 4. cert. 2. ergo illuminatio hæc doctrinalis, & per modum humani magisterij externa propositione ampliori, & Rhetorica obiectiuæ veritatis, de qua instruendus, illuminandus, amplificatione, & explicatione, est impossibilis. Secundo veritates, de quibus instruendi, illuminandiq; inferiores, Angeli à superioribus sunt simplices & ex parte obiecti pure materialis, eiusmodi sunt, vt simplici solum, nec Rhetorica obiectiua amplificatione, & explicatione minutiore, aut aliis allegoriis & metaphoris egeant, vt à quovis, non Angelo solum, sed rudissimo etiam, aut hebete homine percipiatur, atque eas esse reuelatas à Deo atq; eis ex Dei reuelatione illuminantem Angelum assentiri, ac eum ita, cum de eis veritatibus, tum Dei reuelatione, suoque iudicio testari, dummodo species (quæcumque, & quas, lescumque necessariæ sint) quibus mens illuminati actiue ad ea omnia percipienda excitetur, adsint. Patet id quidem in omnibus obiectis propriis illuminationis hierarchicæ: si enim mihi, vel alteri hominum (siquis fit) rudiori species necessariæ dentur, vt percipiam Michaelem, vel Angelum meum custodem testari mihi mysterium incarnationis futurum ex Dei reuelatione, vel Deum quidpiam aliud decreuisse, aut velle hoc à me, vel alio quovis fieri, certe simplici harum rerum propositione, & necessariis specibus actiue instructus, & excitatus eas omnes percipiam, & penetrabo, etsi nullo artificio rhetorico & argumento, metaphora, allegoria, amplificationeve, proponantur: imò, etsi mihi, aut rudiori illi Rhetorica illa argumenta, vel à simili, vel ab exemplo, vel ex allegoria, ac metaphora notiorum rerum petita, vt eis veritatibus reuelatis, vel absolute, vel citius, & facilius assentiar, inseruire queant ast vt illas esse, & à Deo reuelatas, & tam illas, quam Dei de illis reuelationem esse mihi ab Angelo testificatam percipiam, inseruire nullatenus possunt: ergo multo minus Angelis (mentis procul dubio perfectioris) inseruire poterunt, vt ea omnia percipiant quibus, cum Beati sint ac testimonio superioris Angeli reuelationis Dei de eis veritatibus certi, rhetoricæ illæ in eis proponendis amplificationes, & argumenta, nequidem, vt assensum facilius reuelati præstent, inseruient: cum ex simplici earum, vt à Deo reuelatarum propositione sint indubitanter, & incunctanter consensuri: etsi autem ea amplior obiecti propositio inseruire illuminato Angelo posset, adhuc actiuitas, & actio aliqua illuminantis Angeli in ipsum debet necessario, ad illuminationem intercedere, vt iam ostendam n. 7. quare sola illa rhetorica, & artificiali obiecti propositione nequit illuminatio contineri.

7. Dicendum igitur est: illuminationem hanc hierarchicam de veritatibus reuelatis ab Angelo illuminante (quatenus præcisè locutionem huius ad illuminandum Angelum dicit) sola voluntate eius manifestandi simpliciter eas, vt reuelatas à Deo suumque assensum eisdem, vt à Deo reuelatis contineri: quatenus vero illuminatio ex parte etiam actus primi excitationem dicit, continetque illuminati, addit specierum de eis obiectis immissionem, & productionem physice, actiue, vel saltem exactiue ab ea illuminantis voluntate prouenientem in illuminato: ac proinde, non in rethorica illa ampliatione propositionis obiectorum, & veritatum reuelatarum ab illuminante, sed physica actiue, vel exactiue specierum illarum, virtute, & effectione consistit: conclusionem hanc probatam reliquimus d. 4. q. 4. cert. 6. toto, vbi locutionem Angelorum de re quapiam, in voluntate manifestandi alteri audituro, provt velit loquens, statuebamus: excitationem vero audituri in specierum physica, actiue, vel exactiue ab ea voluntate, in huius mentem productione sic excussimus, vt nihil hic addendum restet vltra id, quod in conclusione animaduertimus: scilicet illuminationem vnius Angeli ab alio, in actu etiam primo, adæquate sumptam, non solam locutionem Angeli illuminantis in actu primo, seu liberam eius voluntatem aliquid alteri manifestandi, sed excitationem ipsam illuminati perinde omissas species, ex quibus ipsius, & eorum quæ manifestare illi vult formalis intellectio, & auditio prouenial, includere. Huic sententiæ subscribunt Soar. c. 13, à n. 24. §. *vltimus ergo modus*: ac deinceps Arriaga d. 22. sect. 4. n. 17. §. *vltima ergo sententia* & de locutione Angelorum agens d. 12. sect. 4. & ex antiquis Scotus suprà, dum illuminationem fieri ab illuminante vel per effectionem cognitionis in actu secundo, vel

in actu primo scilicet per species impressas in illuminato indifferenter docet Capreol. etiam in 2.d.11.q.2. *ad priora argumenta*. Durandi contra 2. concl. vbi ait confortari illuminatum Angelum ab illuminante impressione participationis lúminis sui, scilicet qualitatis intentionalis, quæ nil aliud, nisi species impressa suæ cognitionis esse, intelligiue potest, & S.Thom.q.111.a.1.corp.ait.Angelum illuminare hominem per phantasmata, Angelos vero per species puras,& nudas.& quidem impugnati DD. sententiæ præcedentis negare hoc minime possunt : siquidem excitatio ex parte actus primi proximi ad audiendum,percipiendumque in actu secundo veritates, & obiecta, de quibus illuminatus instrui ab illuminante potest nisi per species impressas fieri nequit : non congenitas in instanti creationis:tum,quia obiecta,& veritates,quæ propria materia illuminationis,adhuc pure materialis,est,supernaturalia vel,quoad substantiam vel saltem,quoad cognoscibilitatem ab Angelo illuminando sunt, vt diximus, & quorum proinde species Angelis non debeantur: tum,quia omnino immutatis intellectu Angeli & speciebus nequit magis nunc Angelus ad ea obiecta,eorumque intellectionem excitari, quam initio creationis,in quo eas accepit, & sane Henricus, Maior, Heruæus, Vasquez, Arrubal,Luis Turrianus memorati cit.d.4.q.4.cert.4.n.1. & 2. à reflexa illa cognitione loquentis(quam signum locutionis angelicæ esse volunt) species in mente Angeli audituri,& illuminandi produci aiunt, quibus ad audiendum excitetur : Ac proinde nobiscum,quoad excitationem, & constitutionem illuminationis complete sumptæ in actu primo proximo conueniunt;etsi in principio, à quo realiter formaliter proueniant,discordent;sed tamen à voluntate manifestandi alteri, quod vult. Angelus loquens, & illuminans prouenire, satis euicimus certamine sexto citato.

8. Opiniones alias Scotistarum & nominalium de aliis modis, quibus illuminans Angelus agere in illuminatum debeat,vt eum illuminet : Aliorum item,qui signis solum extrinsecis illuminare docent,ac de signis hisce peculiares cuiusque sententias, referre, ac refellere omitto : sunt enim confectariæ, ad cuiusque sententias de Angelorum locutione singulatim affatimq; à nobis confutatæ d. illa 4.quæst.4. per certamina quinque : solum ergo explicatius proponendum est, quod iam est breuius dictum, vel insinuatum de specierum harum ab illuminante in illuminatum Angelum natura,cuiusnam propriæ species sint? An veritatum reuelatarum à Deo, & reuelationis ipsius diuinæ? an solum iudicij quod de illis ob Dei reuelationem illuminans præhabet? an etiam liberæ voluntatis hæc omnia manifestandi Angelo illuminando? ex huius quippe dubij resolutione alia,quæ ab aliis minutim examinantur resoluta,& decisa manebunt; est autem dicendum species has esse solum proprias iudicij Angeli illuminantis ob Dei reuelationem, vel immediate, & cum euidentia in attestante Deo; si ex supremo choro,& hierarchia sit,vel mediate,ac sine euidentia in Deo attestante si sit ex inferioribus choris, reuelationis autem ipsius ac veritatis reuelatorum species proprias non esse:quoad negatiuum reuelationis probatur;quia huius species propriæ à solo Deo possunt physice produci, nec est productionis earum in voluntate illa Angeli illuminantis physica adhuc exigentia : cum enim illuminatio hæc superiorib.Angelis ad inferiores demandetur,vt de veritatibus reuelatis eas instruant, eatenus solum demandatur, vt Deum illas reuelasse testatumq;de eis esse inferioribus superiores reuelent;ad quod immediata specierum propriarum reuelationis à Deo productio necessaria non est : quare neque exigi à voluntate manifestatiua superioris illuminantis vllatenus poterit : imò vero oberit multum; siquidem eis speciebus productis Deus immediatè, non autem per superiores inferioribus loquetur,easque veritates reuelabit : quoad negatiuum vero de speciebus propriis veritatum reuelatarum, de quibus illuminandi sunt inferiores constat etiam. Tum,quia ex testimonio Dei de illis,& rursus Angeli superioris,qui & illas,& Dei reuelationem de eisdem testatur, sunt ab illuminato credendæ: ad quod species propriæ non requiruntur earum veritatum : quare, neque exigi possunt,vt patet : imò vero plurium communi opinione, si species propriæ earum veritatum dantur, ac proinde intuitiue veritates illæ videntur,credi fide,adhuc diuina,non poterunt : quod, etsi diuina fide verum non censeant : ast hic fides etiam creata ab Angeli illuminantis de ipsis,& reuelatione testimonium intercedit : qua ex parte, visio intuitiua oberit, si habeatur : quoad positiuum autem de speciebus propriis, tum iudicij, tum voluntatis manifestatiuæ illuminantis facile probatur : quia opus est, vt certus inferior angelus fit de iudicio habito à superiore illuminante de eis veritatibus ex Dei reuelatione vt illuminato superior illuminans testatur,ac insuper eum esse,qui ipsi loquitur,& de iudicio suo, ac Dei, ac reuelatione testificatur; quod nisi speciebus impressis propriis, cum iudici,tum voluntatis illuminantis fieri nequit, vt patet : veritates autem ipsas,ac Dei de illis reuelationem,non speciebus propriis, vt dixi,nouit, sed ex testimonio Angeli illuminantis quod euidenter,& intuitiue, per species proprias cognoscit, vnde bene Vasq.& Alarcon. locis citatis cognitionem veritatum, & reuelationis Dei in Angelo illuminato claram non esse,sed obscuram docent.

9. Ex hac doctrina facilis venit intellectus sententiæ & rationis S.Thom.q.106.art.1.de confortatione, & corroboratione mentis Angeli illuminati ad veritates percipiendas,ex illuminatione superioris illuminantis : *Sicut*, inquit, *calidum corpus ex propinquitate calidi*, præsertim intentioris, *alterius magis incalescit, ita etiam intellectus Angeli inferioris ex conuersione superioris illuminantis ad ipsum magis corroboratur, quod enim corporis est ordo propinquitatis, spiritualibus est ordo conuersionis* : Exemplum hoc, quo suam doctrinam probat per omnia corroborationi intellectus illuminati ab illuminante adaptatum à S. Thom. censentes eius discipulus Ægid.Romanus in 1.d.9.q.1.art.5. & Durandus d.11.q.3 S.Thom. validissime impugnant, nec responderi ipsis posse censet Vasquez c.2.& 4.in quo euasiones Capreoli.& Heruæi ad Ægidij,& Durandi, de se satis leues impugnationes confutat : sed tamen nec in defendenda S.Thom. doctrina, illi adeo difficilem prouinciam suscepissent, neque hi adeo acriter, vtramque confutassent si illud proloquium, *Similitudo non debet in omnibus tenere*, animaduertissent, quod satis indicauit S. Thom. postremis verbis, quibus paritatem probat.est igitur sensus conuersione illuminantis ad illuminandum inferiorem confortari huius intellectum ad assensum veritatibus de quibus illuminatio, non quidem augmento, & maiore intensione intellectus, vel qualitate confortatiua,aut corroboratiua intellectus illuminati actiue ab illuminante producta, & per conuertionem illuminatiuam inducta,sed quatenus suum iudicium de eis veritatibus manifestat, vt diximus, cum ad illum illuminandum conuertitur : cognitio autem de iudicio sapientiorum valde adita de eisdem iudicandum, minus sapientes confortat, vt quotidiana experientia discimus : immò ex plurium, etiam non sapientiorum, iudicio, atque sententia, valde etiam ad eam sententiam, etiam à nobis præconceptam (quod difficilius est) tandem impellimur, & confirmamur. De Magisterio autem superioris Angeli illuminantis respectu illuminati, quod Dionysius, Patres, & Theologi admittunt (cum admodum omnino Magisterij humani per Rhetoricam veritatis, & obiecti propositionem, & amplificationem nequeat admitti) bene Sanctus Thomas ibidem docet, in eo stare : quod Angelus superior ex pluribus, quæ perfectiori actu simul nouit, quædam huic, alia vero, vel aliud huic pro cuiusque captu & modo cognoscendi imperfectiore distribuit; qua in re magisterium humanum imitatur, nec absurdi aut indecentiæ Angelo superiori accedit, vt suspicatur Arriaga : ea siquidem obiecta, & veritates imperfectiori illo modo, quo Angelus inferior percepturus est, non sibi percipit, & intelligit directe, sed intelligit reflexe, actum, & modum cognoscendi Angeli inferioris, quod est intelligentiæ inferioris penetratio, quæ procul dubio superioris Angeli magna perfectio est, & magistri propria : quemadmodum, etsi Angelus, vel etiam Deus, vt homines de veritatibus aliquibus instruant atque illuminent, modum, quo illi eas percepturi sint cognoscere necessario debent : non tamen ideo etiam modo eas ipsi directe cognoscere coguntur : modus enim ille ex

ex parte obiecti cogniti se omnino habet, non autem ex parte subiecti cognoscentis: ex parte autem obiecti illum modum cognoscere magna perfectio est, etsi ita ex parte subiecti cognoscere imperfectio foret: de illuminatione Angelorum, erga homines, seu horum ab Angelis disputari hic à pluribus solet ex instituto, à Soario capite 16. Arriaga sectione 7. Vasquez d. 218. capite 4. etsi non sub eo titulo: breuius Alarcon. numero 12. §. *Septimo sequitur*: id tamen ad hierarchicam illuminationem, de qua hic, non spectat, sed ad ministeria Angelorum erga homines, & horum ab ipsis custodiam de qua quæstione secunda vbi nos, quæ sint satis, dicemus. Multa alia dubia, & difficultates circa illuminationem mouent Soarius capite 14. & 15. Arriaga sectione 6. quæ omnia, vel tacta iam in superioribus sunt, vel anticipato decisa, vt dubitandi iuxta nostram doctrinam, ne ansula quidem remaneat.

QVÆSTIO II.

De Angelorum erga homines officiis seu de hominum ab Angelis custodia, & malis Dæmonum erga nos officiis.

EX dictis tota præsenti controu. non tam discursu, quam memoria summario quæstio absoluetur præsens; quandoquidem solum ad dictis proxima extendi paululum discursum opus erit.

CERTAMEN I.

De Angelorum custodia, & bonis erga homines officiis.

1. ANgelos hominum custodiæ deputatos à Deo esse certum vniuersim est, ne quidem ab hæretico vllo negatum; tametsi dubitatum à Caluino, ac negatum demum fuerit singulis hominibus Angelos singulos deputatos libro primo institution. capite 14. §. 7. & in Psalm. 90. ad illa verba. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*, quæ etsi sanctus Augustinus ibi, ac Beda, S. Ambrosius in Lucæ capite quarto, Iræn. libro 5. capite 12. specialiter de Christo interpretentur, non tamen negant de aliis etiam ad litteram intelligi, qui primo Psalmi versu abs dubio continentur verbis illis. *Qui habitat in adiutorio altissimi*: quare de omnibus, iustis saltem, & in Deum sperantibus, ipsumque timentibus ea verba exponunt Patres Basilius, Theodoretus, & iuxta id Psalmi 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*: quod insuper ex communi, & constanti apud Patres omnes, & Ecclesiam totam sententia de custodibus Angelis singulis, ad singulorum hominum custodiam à Deo destinatis certum adeo est, vt nequeat citra ingentem temeritatem negari, quamvis non sit ita expresse in scriptura contentum, aut in Conciliis cum tota sua generalitate definitum. Videndi, de hoc sunt Dionysius 9. de cælesti hierarch. Clement. Alexand. 6. stromat. sub fine. Origenes hom. 8. Isaiæ sub initio. Chrysostomus tom. 3. sermon. de ascensione, Theodoretus 3. de curatione Grec. sub fine, & 18. in Matth. Gregorius 2. moral. capite 15. aliàs 21. libro quarto, capite 27. articulo 31. Ambrosius lib. de vidu. post med. in Psal. 37. & Psalm. 43. ad id. *Qui mandas salutes Iacob.*

2. Addiderim conclusionem hanc de Angelica omnium, & singulorum hominum, ab ortu saltem suo custodia fidei proximam esse, & oppositum, non solum valde temerarium; sed erroneum; etsi non ita certum sit singulis hominibus Angelos singulos custodes esse, vt nullus plurium hominum saltem successiuè habeat curam: de postremo hoc constabit ex dicendis numero quarto, de primo constat ex Matthæo 18. *Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris*: Etsi enim verba hæc de pusillis seu paruulis, qui Christum, tunc circumstabant, solummodo sonent eum ratio eadem de omnibus sit, nec illi omnes, qui adstabant fuerint ex reliqua puerorum turba, quæ eo casu conuenerat, à Christo Domino selecti, vt eam proferret sententiam, quod de eis sonabat, de pueris, & infantibus reliquis dicebat: ac proinde doctrinalis, & de omnibus sententia fuit: ex quibus verbis Sanctus Hieronymus ibi tantam animarum omnium dignitatem esse commendat, *vt vnaquæque ab ortu nativitatis habeat in custodia sui Angelum delegatum*. Repetit. ad 5. Ecclesiast., & Isaiæ 66. epistola 27. ad Eustachium init. Basilius 3. contra Eunom. init. de vera virginit. prope medium. Isidorus 1. de summo bono capite 10. Beda, quæstione 9. ex variis, & Actor. 12. Anselmus circa med. Elucidarij Bernard. 5. de consider. capite tertio, sermone 12. in Psalmo 90. *Qui habitat*, & vltra dictos locis numero primo. Nissenus de vita Moysis. Chrysostomus hom. 3. ad Colossens. & oratione 14. ad Hebræos. Anastasius Nissen. quæstione 61. in scripturam Theodor. quæstione tertia in Genes. & oratione 10. in Daniel. Cassian. collatione 8. capite 17. Athanasius de communi essent. sub fin. Eusebius 13. de præparatione Euangel. capite septimo. Clem. Alexand. 6. stromat. qui duo afferunt dogmata hoc à Platone, & Socrate fuisse ex scriptura assertum. Testimonia ex Philosophis innumera sparsim apud nostrum Bubalum reperies, & apud Eusebium proxime Lactantium libro secundo, capite 15. Minut. felicem in suo Octauio, Clementem Alexandrinum 1. stromat. & adhortatoria ad gent. Plutarchum 1. de Iside. S. Augustinum 8. de ciuitate capite 14. Eugubin. 8. de peren. Philosophia capite 25. apud quos Socrates, Plato, Hesiodus, Pythagoras, Xenocrates, & Chrisippus qua de re sapientissimus ex Philosopho Christianus, & Martyr. Iustinus strenue scripsit quæstion. 30. ad gent. nec ieiunè Origenes 3. Periarch. capite secundo, homilia 11. in Numeros, homilia 23. in Lucam, ac reliqui Patres, & Interpretes, ad loca recitata ex Psalmo 90. & Matthæi 18. Actor. 12. Genes. 48. Iudith. 13. & ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

3. Hoc vero textu fundamentum idemtitatis rationis pro custodia singulis omnibus, ac reliquis paruulis nec solum iis, qui Christo tunc aderant, à Deo deputata, vt credenda continetur: custodia, siquidem Angelorum deputata hominibus à Deo fuit, vt adiutorium eorum infirmitatis, & contra Dæmonum potentissimorum hostium insidias, ac tentationes præsidium validissimum in pædagogis tutoribus Angelis custodibus haberent, & desideratam, dispositamque amica Dei prouidentia, æternam salutem consequerentur: atqui æternæ salutis desiderium, serium quidem, & ardens, ac mediorum ad eius consecutionem sufficientium, (vltra sufficientiæ etiam minimum) erga omnes, & singulos homines Deo adest semper iuxta illud. *Vult omnes homines saluos fieri, &c.* & ex quo edici in lucem à matribus fuere, insidiis Dæmonum, vt sine Baptismo, & in originali decedant, patent, impetunturque, atque ex tunc custodia Angeli materni sunt destituti: Ergo ex tunc Angeli alicuius custodiæ committuntur paruuli omnes: quod autem Caluinus, atque ex eo assecłæ contra Catholicam hanc veritatem obganniunt nullius est ponderis. Aiunt enim:

maioris

maioris gratiæ, & beneficientiæ Dei: erga homines esse, si Angelos omnes singulorum hominum custodiæ deputasset, quam cuique vnum, à reliquorum Angelorum subsidio destituta, & exclusa. Sed an, quod singulus, quasi ex munere, & speciali Dei mandato, curam vnius hominis gerat, ex vniuersaliori munere, & titulo charitatis subueniendi eisdem, vbi oporteat, officia cæteris prohibentur? Certè duo Angelis, nec solus eius custos Lot de Sodomis extraxere Genes. 19. & Raphaël Tobiam, cuius custos non erat, duxit, & reduxit incolumem. Et Daniel. 10. Michaël in adiutorium Gabrieli pro Dei populo venisse dicitur. Posset ex loco Pauli arguere: quia omnes administratorij spiritus, &c. Dicuntur; nil tamen vrget: quia non erga vnumquemque omnes, sed propter eos omnes, qui hæreditatem recipiunt salutis ministerium exercere salutis dicuntur: quod secundum distributionem accommodam intelligendum est, non vt singuli singulorum curam gerant; nec singuli tamen immediatam, & speculari officio, sed ex generali, & proprio sui hierarchici gradus.

4. Sed ex eodem Pauli textu obijci contra eandem catholicam sententiam potest non omnibus vniuersim custodes Angelos deputari sed solum omnibus prædestinatis, *qui soli hæreditatem capiunt salutis*, & propter quos Angelos ad custodiæ ministerium missi à Paulo dicuntur. Atque ita aliquos sensisse refert, quin reprobet, Origen. tract. 5 in Ioan. sub fin. imo aliqua pro ea ex scriptura, debilia tamen, producit. Cæterum nil ex loco contra constantem de oppositio Patrum, ecclesiæque totius sententiam, quam proinde Salmeron noster Ecclesiæ traditionem merito vocat. d. 8. in postrema verba capitis primi ad Hebræos, §. *quod vero subiungit: propter eos, &c.* Meminit autem Apostolus prædestinatorum solum quia, & Angelorum custodiam, in ordine ad salutis æternæ consequutionem, ob quam disposita, datáque hominibus ea, custodia fuit, de facto in eis; & maximè luctantur, cum in reprobis obtinendi eius finis effectum non habeat: petindéque, quoad id, fuerit, ac si non fuisset: vulgoque communia, pluribus commoda, quæ vnus vel alter luctatur, non reliqui, præ casu, & maximè præ inertia sua, propter illum qui ea luctatus est, non autem pro aliis disposita, & ab ipso, & ab aliis dicuntur *por mi* inquit ille, *& por vos* alij dicunt *te hiço esta obra pia* hispano proverbio: quia illum solum commoda eius institutionis, in aliorum etiam plurium beneficium, factæ, pertingunt, cum autem æterna salus custodiæ angelicæ hominibus deputandæ finis Deo ex Pauli textu expressus extiterit ob rationes proximè immediatas infirmitatis humanæ, & resistentiæ tentationibus, & invasionibus dæmonum, ne eam homines consequantur, fit planè; vt omnibus, quibus æternam salutem Deus serio vult, mediaque sufficientia absolutè disponit (sunt autem in illis omnibus reprobi etiam) vt de Angelorum custodia ad auxiliorum absolutam sufficientiam spectante prouideat: maximè, cum reprobi etiam multi, nec semel, sed sæpè, salutem æternam de condigno in via contra dæmonum suggestiones mereantur; Etsi ex perseuerantiæ defectu, eam de facto, non obtineant: ac insuper plura grauioraque peccata, in quæ à dæmone aguntur, non perpetrent, quæ absque Angelorum assistentia, & officiis non agerent, nec omitterent. Et tandem, ne adeo electis, quantum à dæmonibus instingantur, reprobi noceant custodibus horum Angelis efficitur: quo etiam sensu his propter electos Angelis in ministerium custodiæ missi rectè dici possent.

5. Adhuc præfato dogmati videntur Patres aliquot aduersari, qui solum iustis Angelos custodes adesse indicarunt. Damasc. 1. Parallelor. cap. 7. Basil. in 5. Isai. ad id. *Auferam sæpem eius*, id est *Angelicam* custodiam, vt & glossa, & in Psalm. 33. ad id. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, &c.* Et in Psal. 48. circa fin. Origen. homil. 35. in Luc. infidelibus custodes Angelos negat, & peccatores ab Angelis deseri ait hom. 2. in Ietem. fine ad id. *Curauimus Babylonem* vbi Hieronym. & Bernardus serm. 1. de S. Michaële, & 7. in cantica. Hilarius vero Cano. 18. in Math. Chrysost. hom. 60. & Cyril. 3. contra Iulian. iustis custodiam Angelorum aliquot scripturæ locis expressam aiunt; infideles autem, & peccatores non excludunt; sed illi Patres exponendi sunt de exercitij iuuandi peccatores aliquali intermissione pro eorum tunc incapacitate, & indispositione: idque ex Dei voluntate (vt rectè Ambros. in id Psalmi 18. *Obmutui, & humiliatus sum*) non autem de absoluta custodiæ, & curæ de peccatoribus obiectione: quod etiam erga iustos ob eorum maius bonum, & triumphum glorioforem contingere, non semel idem Ambrosius ad id Psalm. 37. *Qui iuxta me erant de longe steterunt.* Chrysost. seu quisquis author est hom. 5. super Matth. in perfecto sub fin. & ex rationibus datis num. 4. Aperta est peccatorum, & infidelium omnium angelica custodia, quam Theologi omnes defendunt, cum S. Thom. 1. p. q. 113. a. 6. & in 2. d. 11. a. 4. vbi S. Bonauent. Ricard. Durand. Gabriel. & alij sententiarij; tametsi locus exodi 23. *Nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris*, adeo, (vt ab Scholasticis nonnullis putatur) pro hac patre expressus non sit, cum de dimissione pœnæ apte intelligi possit: id est non te dimittet impunem. Est autem aduertendum Chrysostom. hom. 3. ad Colossens. & Anastas. Nissen. quæst. 61. in scripturam ex parte in eam iuisse sententiam videri; scilicèt ex legis gratiæ, euulgatione Angelos custodes infidelibus non deputari. Aunt enim. *Prius pro numero gentium erant Angeli, nunc autem, non pro numero gentium sed pro fidelium.* Et quamvis addant etiam probum quemque custodem Angelum ab initio habuisse, ex dicto illo Iacobi Genes. 48. Nihilo sententiam temperarunt, cum nullus infidelis probus sit: imo eo additamento à custodia Angelorum improbos, & iniustos omnes videntur excludere; & si, vt de aliis Patribus diximus, positiuè pro iustis afferant, non autem de improbis negent.

6. Est autem de tempore, ex quo custodia angelici deputata hominibus fuerit videndum. Sub quo duo examinanda sunt, & facilè ex dictis decidenda. Primum de tempore deputationis, secundum de tempore ex quo, cuique hominum deputatur, & circa postremum certum omnibus est ante adultam ætatem & vsum rationis expeditum, vnicuique Angelum custodem deputari: Etsi enim peccare tunc actualiter nequeat, multis tamen modis à dæmonibus lædi atque à salutis consecutione impediri potest, vt contra eorum insidias custodia angelorum debeat præueniri. Idque ex ætate pueri illi adiucati à Christo Domino Matth. 18. Patres obseruant; Hieronymus, quia ætatis non erat in qua posset peccare, Chrysost. hom. 9. in Matth. *Valde parvulum, & qui esset ab omnibus passionibus liber* censet atque eleganter defectibi, Ambrosius 7. in lucam cap. 9. *Etsi rationem nesciat, culpam ignorat*, nec solum à baptismi tempore, vt quidam putarunt apud Origen. tract. 5. in Matth. circa fin. quia infignum putabant Angelis infidelium, & iniquorum curam suscipere; sed hi reiecti proximè sunt, satisque ex Deo, qui pluit super iustos, & iniustos, & solem oriri facit super bonos, & malos dignissima prouidentia reijciuntur. A cuiusque ergo natiuitate Angelū vt diximus cuique deputari certum Theologis ex Hieronymo, & Patribus citatis, n. 2. est: quamvis an conceptionis instanti, ea custodia cuique incipiat? dubium sit, & affirmatiuè parti adhæreant expressè Anselmus in eluciderio illis verbis, *quamquam anima dum in corpus mittitur Angelo committitur*, & Tertull. c. 37. de anima. Nec Patres, qui ex natiuitate cuiusvis custodem Angelum positum aiunt; ab ipsa conceptione negant. Et quamvis id Scholastici negent communius cum S. Thom. 1. p. q. 113. a. 5. ad 3. (quos pro nde leuius cum S. Thom. 1. p. q. 113. a. 5. ad 3. (quos pro nde leuius etatur Abulens. q. 61. in Matth. ad cap. 18.) affirmanti non renuit, quam sequitur Soar. lib 6. c. 17 n. 18. §. *Cum ergo infantia* referens S. Thomam in 2. d. 11. q. 1. a. 3. ad 5. Bonau. Gabriel. Et alios d 10. quibus & ego adhæreo; quia ex tunc viæ status homini inchoatur, ipsique directè insidiatur dæmon, vt noceat, nec solum, qui Matris tentator directè est, cui proinde opponi oportet custodem Angelum, qui directè infantis bona, quatenus ipsius bona sunt, nec solum indirectè, vt bona sunt Matris, (vti iustius custos ex suo munere efficeret) procuret, atque dæmoni aduersus infantem insidiis se ex officio opponat, & si enim vtriusque, Matris, fœtusque, infantis cum

vera directa simul etiam posset eidem Angelo demandari; tamen largioris Dei beneficentiæ est cuique suum custodem Angelum delegare, vnde communior Theologorum sententia contra Magistrum in 2. distinctione vndecima, cap. 2. & 3. sent. vnum Angelum duorum, simul saltem, hominum curam non agere.

7. Imò, nec successiue id ab vno Angelo, erga plures curæ suscipi mihi verosimilius est contra eundem Magistrum, & Origenem hom. 11. in numer. tribus quippe choris infimæ hierarchiæ, ex quibus hominum custodes communiter deputantur, plures Angeli quam tota collectione existentium, quandocumque, absolute hominum, homines continentur: quam conclusionem tradidit olim Iustinus Martyr libro vltimo, quæstionum quæst. 30. Tametsi non satis vero simili fundamento: quod animam pupilli sui hominis quisque Angelus cor pore egressam comitetur, vsque ad innouationis, seu resurrectionis tempus: si ita intelligatur, vt curam salutis earum gerat, quæ nulla erga illas corpore solutas potest haberi, ex quo corporibus suis abscedunt, si immortali obeuntium, & in iustitia, absque vllo culpæ reatu decedentium sint: cum, & viæ statum prætergressæ, & in termino sint absolute constitutæ: quare nihil super eorum salute restet Angelis custodibus agendum; tametsi erga purgatorij animas custodem cuiusque Angelum officia eas in suis pœnis consolandi, & confortandi exercere piè valdè, & rationaliter credatur: sin autem non de custodia, & cura Angelorum, ne homines peccent, & salutem consequantur, sed de officiis aliis custodiæ titulo specialiter Angelo custodi erga pupilli seiunctam animam propriis satis probabile, ac verum est fundamentum Iustini: quia, & ei de partis in via victoriis in gloria gratulari animabus beatis, vsq; ad innouationis seu resurrectionis diem: immò, & æternitatem specialiter incumbit, atque reunitas ad postremum iudicium deducere, comitari; testesque victoriarum in via habitarum coram vniuersa rationali Republica esse; vti, & malorum damnatorum custodibus, quam male suis officiis vsi in via fuerint testari, vt Origenes vbi proxime, aliique, & Patres, & Doctores communiter docent: quo statuto, quod nullus Angelus duorum hominum curam simul suscipiat, vt diximus, & Iustinus ibi statuit, & supponit bene, ac Theologice discurrit, nullumq; Angelum duorum hominum curam successiue adhuc, habere concludit.

8. Ex quo vero tempore statuque naturæ, & legis Angeli erga homines custodia fuerit à Deo commissa, Gregorius Nissen. de vita Moysi, sub init. censere videtur ab statu naturæ lapsæ cæpisse Angelorum custodiam, quæ pro statu innocentiæ non fuerat, scribens. *Verus sermo ad nos vsque descendit, quo creditur postea quam in peccatum natura nostra prolapsa est, non omnino à Clementia diuina neglecta, sed Angelorum alicui quemque in adminiculum constitutum esse.* Sed tamen non negat; antea etiam naturæ integræ, & in innocentiæ statu constitutum, sed non obstante culpæ lapsu, & innocentiæ amissione non adeo, à Deo neglectam, ac suæ miseriæ relictam, vt salutis eius curam Deus etiam per custodes Angelos non egerit: & quidem, cum homo in innocentiæ statu, & dotibus ac donis gratiæ tot, tantisque instructus in viæ statu, internisque ad peccatum, & externis Dæmonum tentationibus fuerit obnoxius, præsidio etiam Angelicæ custodiæ immò etiam statu muniri illum oportebat: sicque factum Theologi docent: vnde, & Beatæ Virgini in iustitia originali conceptæ, atque innocentiæ statum, quoad eius dona largius valde sortitæ Angelum custodem, neque infimi chori, & hierarchiæ, ijdem Theologi concedunt ex S. Bernardo epistola 77. quibus assentior: tametsi ex quo Dei Mater effecta moralem, & ciuilem, vt sic dicam, vnitatem cum Filio Deo est consequuta, atque in creata omnia, etiam Angelos imperium, his quidem non vt custodibus vsam illam credam, sed vt ministris, vt de eius Filio dicitur Matth. 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, & certe vbi specialis erga ipsam Filij sui, ac Dei cura adfuit superflua visa est Angeli pædagogia, versaque merito, in purum eius, & reliquorum famulatum: quod si maternitate ipsa Deiparam sanctificatam, vt Ripalda suspicatur, pie quis asserat, sicut eam semel habitam perdere nequit, nec Mater Dei non esse, ex quo primum Mater Dei fuit, ita nec sanctitatem formalem perdere, & peccatum admittere; quia ex tunc antecedenter impeccabilis, censenda erit, nec vsquam deinceps custodia Angeli egere, ac subinde nec eam habuisse, vt de eius etiam Filio cum S. Thom. citata quæst. 113. art. 9. d. 1. Bonauentura, & Sententiariis reliquis in 2. d. 11. Aleuse, Altisiodorense, & reliquis theologicamur: quocirca minus firma videtur Abulensis sententia, quæst. 60. in 18. Matthæi vbi Deiparam, ex quo Dei Mater, & persona subinde publica esse cæpit, alterum etiam Angelum habuisse iuxta dicenda certamine 2. numero 1. Denique à custodia Angelorum, ne Antichristus quidem exclusus est: cum, etsi nequissimus, viator tamen sit futurus, & cuius salutem Deus serio desideret, nec de sufficientibus mediis ipsi prouidendis absistat, nec Angelus pupillum ob eius flagitia deserat.

CERTAMEN II.

Reliqua ad Angelorum custodiam spectantia

1. PRæter Angelicam singulorum hominum custodiam hactenus assertam, in qua Principum etiam, cum temporalium, & secularium: tum etiam Ecclesiasticorum præcipue continetur: imò eis alios Angelos speciales cuique suum, vt officium: ac munus publicum recte, & subditis proficue exerceant, ait expresse Origenes citata homilia 11. in numer. illis verbis. *Ipsi Apostoli Angelis vtuntur ad explendum sua prædicationis munus, & opus Euangelij consummandum*, confirmatque ex illis act. 12. *Angelus eius est*, & addit: *similiter intelligitur, & alius Pauli Angelus sicut est Petri, & alius alterius Apostoli, & singulorum per ordinem*, quod, cum ratione muneris, & officij publici ipsis fuerit concessum, iis etiam, qui eis successuri, concessum asseri debet. Regnis item Prouinciis, & ciuitatibus, Prouinciarum capitibus speciales Angelos custodes deputatos communiter ex Daniel 10. vbi nomine Principis Persarum Græcorum, & Iudæorum Angelus cuique ex eis gentibus custos, & Præfectus intelligitur à sancto Hieronymo, Theodoreto 5. diuinor. decret. capite 7. & aliis Patribus Dionys. de cælesti hierarch. capite 9. Isidor. Pelusiota. lib. 2. epistola 585. Greg. 17. moral. capite 8. aliàs 7. Sanctus Augustinus quæst. 48. in Iudic. Clemente Alexandrino 6. stromat. sub fin. & 7. init. Epiphan. hæresi 51. ex illo Deuter. 32. *Constituit terminos gent. iuxta numerum Angelorum Dei*, vt legunt 7. vbi Patres etiam, & interpretes communiter, & Hieronymus in Daniel. capite 7. vbi quatuor ventorum, quorum cura commissa Angelis dicitur, nomine quatuor principalia mundi regna intelligi docet: vti & Basil. 3. contra Eunom. Palusiota vbi proxime Theodoretus quæst. 3. in Genes. & orat. 10. & exposit. cantici Moysi, Hilario Psalm. 129. & Græci communiter, tametsi iuxta vulgatam nostram longe alius litteralis sensus sit. Idem confirmat Basil. proxime & Augustinus quæst. 7. in Iosuë ex illis Iosuë 5. *Princeps sum exercitus Domini*, Michaëlem exercitui Israëlitarum præfectum intelligentes, tametsi Abulens. ibi q. 71. Gabrielem intelligat, qui Daniel. 8. 9. & 10. curam Iudaici populi habere dicitur.

2. Origenes 1. Petiar. capite 8. ad Ecclesiasticas communitates præfatam doctrinam extendit, ac rursus homilia 10. & 14. in numer. homil. 4. in Ezechiel. hom. 12. 13. & 35. in Lucam probant ex Apocal. 12. c. 3. cui consentiunt Hieronym. Michææ 6. initio, & indicat Matth. 18. Ambrosius 1. de pœnitentia capite 22. & locis Apocalyp. quæ etsi ad litteram Angelorum no-

mine Episcopos significent, vocis tamen occasione Patres suam sententiam tradidere: quæ, & est Hilarij Bedæ, & Patrum aliorum communiter ab Scholasticis recepta. Dubium autem suboritur, non facile definibile: an scilicet Angelus qui Principibus, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis, vt personis publicis pro subditorum, & communitatum bono superadditur, idem ipse sit, qui communitatum, & regnorum curam gerit? diuersum esse probabilius vniuersim censet Soarius citat. c.17.n.24. §. *Denique hinc* fine. Mihi autem in tota vniuersalitate, non placet, sed cum distinctione censeo, sentiendum: scilicet, vt Principum alicui communitati, siue sæculari, siue Ecclesiasticæ ligatorum idem ipse communitati designatus, Principi etiam deputatus, & superadditus sit, verbi gratia, qui Hispaniæ, & eius Regi, qui Toletano Archiepiscopatui; eiusdem etiam Archiepiscopo: eadem quippe cura, & industria, vt Princeps bono suæ communitatis consulat, & gubernet, atque illa commodum, ex eius gubernatione percipiat obtinetur: nec, si quid aliud commodi alias Angelus communitati commissæ possit prouidere vtrique simul agendo non est vnus, idemque Angelus impar: ex quo fiet, vt quicunque Princeps, Regnum, aut Episcopatum mutet Angeli custodiam, & consiliarium Angelum, quatenus persona publica est, mutet Angelo communitatis, cui denuo præficitur, adiutorio, & custodia vtens, vti primo illo, qui ipsi in primæ communitatis præfectura succedit vtetur. Qui autem vniuersalem in communitates, seu regna omnia spiritualem habent potestatem, vt Apostoli, & in prædicatores mundi absque alligatione alicui Regno, aut Ecclesiæ à Deo electi sunt, censeo, eos Angelum superadditum proprium, & aliis incommunicabilem habere ac insuper, vbi ad Regna, Prouincias, & Ecclesias particulares peruenere speciali cuiusque illarum custodis Angeli adiutorio etiam vti: quod, & Origenis verbis datis n.1. sub init. numeri 1. conformius est, & rationi: siquidem vniuersale illud munus speciale Angeli adiutorium pro vniuersi spirituali dono reposcit, quod Prouinciarum, Regnorumque officiis tutelarium suorum non obest, sed iuuatur: id, quod sæculari Principi, qui plura, vel omnia mundi regna obtineret non ita facile concedendum, ni aliquid æque omnibus ciuiliter, & politice commodum esset disponendum.

3. Sed & visibilium omnium generibus, & speciebus omnibus conseruandis, gubernandisque Angelum singulum esse à Deo præfectum, docet S. Thom. cit. quæst. 110. art. 1. ad 2. & 3. à q. 113. art. 3. & Scholastici plerique, etsi Caietanus dissentiat. & S. Thom. sensum detorqueat: estque satis indicata sententia ab scriptura Apocalyps. 1. *Angeli aquarum sit mentio*, & c. 14. *Angeli qui habebat potestatem supra ignem*, ad quæ, sic censent Arethas. Andreas Cæsar. in Apocal. 1. c. suo 43. & 47. Ribera noster, & interpretes alij eandemque sententiam fusius, minutiusque tradidit Origenes hom. 8. in Hierem. & hom. 23. in Iosuë: Nazianz. carmine de parte Angelorum ministrante, Augustinus 8. de genesi ad litteram, capite 24. & quæstione 79 ex octog. tribus, ait: *Vnaquaque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis scriptura diuina testatur.* Idem docet Abulens. Matth. 18. quæstione 57. idemque docuerat Plato de substantiis separatis, seu Angelis, quas natura sua speciebus additas, & generationis earum adiutrices formarum substantialium inductione de vtroque vero, scilicet naturali additione & inductione formarum rejicitur merito à Sancto Thoma, solumque ex Dei dispositione, & prouidentia, & ad alia munera speciebus præfici concludit. Bene etiam aduertit S. Thom. quæst. illa 113 art. 2. irrationalibus corporeis speciebus Angelos præfici: non tamen, vt indiuiduorum omnium vniuscuiusque curam per se gerant, sed conseruationis, & perpetuitatis ipsarum, in quouis quibusuisve indiuiduis: quare vnus pro tota specie satis est, quin singuli pro indiuiduis singulis deputentur, cum determinata hæc præ aliis, nec vniuersi conseruationi: quare, nec hominis, (cum conditus orbis est, & conseruatur, quousque status viæ omnibus finiatur) commodis per se conducunt, & inseruiunt, & de hac indiuiduorum irrationalium custodia intelligi Hieronymus debet illam negans, Habacuc 1. fine.

4. Cuius vero hierarchiæ & chori Angelis cum hominum communium, tum Principum, tum reliquarum rerum præfatarum custodia, & præfectura à Deo demandetur, restat definiendum: & quidem communium hominum custodia regulariter ex infima hierarchia & choro Angelis committitur: Principum autem hominum Angelis superioris gradus mandatur, & quandoque hierarchiæ supremæ, ex qua censeo Protoparentibus Angelos custodes vtpote orbis totius Monarchis creatis designatos; ac insuper, quia Satanam, seu Luciferum, qui ex suprema hierarchia fuisset, ni laberetur, habuerunt tentatorem, cui imperfectioni naturæ, & potentiæ Angelum auxiliarem opponi, non expediebat. Nec inferioris gradus Angelo custodiam Matiæ Virginis commissam esse credendum est. Apostolis item non infimæ hierarchiæ Angelos, vt personis publicis superadditos fuisse censeo. Aljis vero Principibus speciali regno, aut Ecclesiæ ligatis ex infimæ hierarchiæ gradu tamen supremo illius, Angelos superaddi eorum munus exposcit: maxime, cum eosdem esse dixerimus, cum communitate, cuiusque custodibus quibus omnium in ea contentorum, vniuersalior cura committitur circa irrationalium, & rerum, & locorum custodiam videtur infimi ordinis Angelis committenda: sed video, ex Michaëlis apparitione in monte Galgano, eiusque testimonio sub speciali eius custodia montem illum fuisse: sed fors irregularis diuinæ Prouidentiæ ea Michaelis designatio fuit ob finem quem non assequimur. An vero custodes Angeli præfati ex Sanctis etiam Beatis designati fuerint? certum est ex Sanctis & Beatis fuisse: ne lupo oues traderentur, & ex Christi verbis. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, & ex Psalm 90 & 103 sed vniuersi partibus irrationalib. præfectos ante lapsum Angelos bonos, qui mox lapsu Dæmones fuere, eóq; munere in pœnam priuati, censet Damasc. lib. 2. c. 4. August. 12. de genesi ad lit. c. 26. & 3. de lib. arbitr. c. nondum beatis etiam, sed Sanctis viatoribus Angelis, perseueraturis tamen, & beandis absolutè præcogninis partium mundi corporearum irrationalium fuisse à Deo gubernationem commissam, in qua perseuerant: quod mihi probabile est; putaremque verum, si antequam Angeli peccarent, vel perseuerarent suam viam finirent, ex influxu Astrorum per cælorum motum diebus creationis corpora mixta producta crederem, quorum productioni, vt conseruationi specierum, Angeli præfecti sunt; id autem non credo sed Dei iussu, & voluntate nulla materiæ primæ aliunde inducta dispositione expectata, ea omnia primum prodiisse: quare, neque ex primo die, nec sequentibus, vsque ad sextum, quo creatus homo à Deo fuit Angelis cælorum, & vniuersi corporei regimen commissum, sed cælorum naturali mobilitate, Deique solius immediata dispositione, & executione diei creationis actos, peractósque fuisse: vt primus diuisione lucis à tenebris, ex vespere, & mane dies primus nullo Angelorum interuentu à Deo factus narratur Genes. 1. peracta vero hominis creatione, die sexto eorum omnium fuit Angelis gubernatio commissa, vt propterea die septimo ab omni opere requieuisse Deus dicatur, causis scilicet naturalibus, eorumque administris speciali cura, & particulari, quam in rerum creatione adhibuerat delegata: generali siquidem concursu, & vniuersali prouidentia vsque modo operatur, vt Christus Dominus ait, & operabitur semper Deus: cum autem intra creationis dies Angelorum via fuerit certo finita, etsi quę, determinata die, incertum sit. Non solum Sanctis Angelis viatoribus, sed iam beatis etiam fuisse vniuersi corporei irrationalis etiam custodiam commissam compertum est.

CERTA

CERTAMEN III.

De officiis, quibus Angeli custodiam dæmones nostram agunt perditionem.

1 CErte officia & actiones, quibus Angeli custodiæ cuiusque speciale munus obeunt, & exercent: Petrus Cellens. lib. 1. mysticæ exposit. tabernac. fine de custodiæ Angelicæ specialis erga homines officiis, & actionibus desinens, de officiis custodiæ Angelicæ erga res quasuis generalem regulam dedit dicens. *Totum officium Angelorum, quantum ad nos esse, vt nos à malo defendant, & in bono confortent*: quod ipsum ex custodiæ, & gubernationis rerum quarûque ab Angelis susceptę munere æqua ratione & robore demonstratur: vnde constat Angelos insensibilibus, & irrationalibus, siue secundum genera, & species, siue secundum locum & terræ partem, præfectos eorum physica mala prout eis à Deo datum est, impedire, etiam contra id, quod causæ naturales exposcunt, vt tauri ictus à sagitta in monte Galgano Michaëlis eius loci custodis interuentu impeditus fuit. Sic etiam tempestates à dæmonibus confluxu, & commotione causarum in aëre excitandę sæpe à custodibus locorũ Angelis, ne eis eorumque frugibus, & fructibus noceant vel confluxum causarum impediendo, vel coniunctionem dispertiendo, euanescendoque ab Angelis impediuntur: contra vero commoda, & locis, & fructibus causarum naturalium coniunctio, ac subinde pluuiæ proficuus ventus, aliaque fructibus commoda ab eisdem Angelis procurantur, ac disponentur. Similiter non solum spiritualia mala pupillis hominibus ab eius custodibus Angelis impediuntur, arcenturque ac bona procurantur, & disponuntur, verum, & corporalia etiam ab eis mala arcentur, atque bona in eis afferuntur quam plurima. Id enim vniuersali sententia Petri Cellensis ab scholasticis, & Patribus communiter recepta, continetur, & ratio suadet. Siquidem & eorum custodiæ commissi homines corporei sunt, nec solam secundum gradum rationalem eis à Deo committuntur custodiendi. Tum etiam: quia sæpe malorum aliquot corporalium amotio, & bonorum inductio in bonum hominum spirituale cedit. Qua etiam ratione ab eisdem Angelis corporea plura commoda commodantis hominibus ad salutem spiritualem nociua, vt opes valetudo corporis, impediuntur & contraria, paupertas ægritudoque corporea procurantur.

2. Porro spiritualia mala ab eisdem Angelis semper, & continuo, nobis prorsus insciis arcentur, & bona spiritualia procurantur. Idque dupliciter: vel extrinsecorum obiectorum, & occasionũ turpium amotione, & dæmonũ, in quo suam habent potestatem, cohibitione, ne nos vel absolute, vel ardentius tentent, quam restitutos nos sapienter, & prudenter ex se coniectantur, vel certo ex Dei quandoque reuelatione norunt. Insuper inspirationibus vehementibus, adhortationibusque vt stemus cum tentamur, ac similibus, vt etiam proficiamus in bono. Huiusmodi autem inspirationes, suasionesque Angelorum custodum dupliciter fiunt. Primo specierum in nobis adseruatarum excitatione, & applicatione pura, secundo locutione, & colloquio ad pupillos suos sæpe habito, vt ex scriptura, & fidei dignis historiis constat: quæ solum vocibus formatis idiomatis nostri aliquando habentur, aliquando vero eorum apparitionibus specie corporea, & forma assumpta, suique, vel Dei nomine ad homines loquentibus. quo in casu mediis vocibus, quas extrinsecus formant, species nobis extrinsecus de nouo immittunt, ac imprimunt; non secus, atque homines, cum ad alios loquuntur. Quo autem pacto, corporeas formas assumant, cum ita, vel Dei, vel suo nomine hominibus loquantur res pure philosophica est citato loco de Philosophicis Angelorum examinanda contiou. philosophiæ nostræ postrema.

3. Aliud custodiæ Angelicæ officium Angelorum erga homines est peccantes corripere, atque in hac vita punire, vt corrigantur. Id siquidem pedagogiæ susceptæ proprium, & beneficentissimum officium est illis exodi. 23. expressum *quia non dimittet cum peccaueris*, & ex Daniele septimo, iuxta Hyeronymum, ibi, & Habac. 1. vt constat ex locis Psalm. 67. & 103. quæ allegat, cui consentiunt Hermes. 3. Pastoralis similitudine sexta, & septima, & Andre. Cæsar. in Apocal. capite vigesimo primo, & sexagesimoprimo, qui tamen indicant satis hos Angelos correptores, & punitores peccatorum diuersos à cuiusque custodibus esse, quod merito cum Soario abnuimus: cum id pedagogiæ, vt diximus, munus proprium, & officium sit: ac insuper pupillorum, seu rerum, quorum custodiam agunt aduersarios peccatores suppliciis etiam, ad internecionem afficere, vt ab Angelo populi Dei custode effectum est in Assyriorum exercitu Isai. 37. Ex quibus centum octoginta quinque millia nocte vna interemit. Tametsi temporalia mala, vel in corruptionem, vel in profectum virtutis quandoque per malos Angelos hominibus veniant: vt. 1. cor. 5. Paulus fornicarium. *Tradidit Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus eius saluus fieret* Beatosque Iobum, & Tobiam dire adeo à Diabolo tentari malisque affici Deus permisit.

4. Est & aliud custodum erga homines officium: scilicet horum orationes, bonaque opera, adiunctis etiam suis ad Deum precibus, defferre, atque offerre, vt constat ex Iob. 12. & Apocal. 8. & ex Patribus, Ambros. 18. in Luc. ad cap. 18. initio, Nicephoro Constantinopolit. Et ipsum referente Anastasio. Nisseno quæst. 61. Petro Cellense, lib. 1. de Tabernac. Hilario in Psalm. 129. Andreas Cæsar. in Apocal. suo cap. 47. Augustin. epist. 120. de Grac. noui Testam. c. 29. Et soliloquion. capite vigesimo septimo, cui officio proxima est assidua Angelorum pro suis pupillis ad Deum deprecatio iuxta citatos Patres, & Bernardum 5. de considerat. capite quarto, & quinto, ac serm. 31. in Cant. Laurent. Iustinian. lib. de casi. connub 1. 8. & lib. 6. de disciplina, & perfect. monastica, c. 5. & alios relatos à nostro Soar. lib. de orat. c. 10. & 11. quibus adde, & officia illa supra à nobis memorata à custodibus Angelis erga defunctorum pupillorum animas titulo custodiæ in alia vita exercenda, vt visitationes, & consolationes earum in purgatorio, & congratulationes in cœlo de victoriis in via partis, & gloria per illas adquisita, quibus demum, & tristitiam Angelorum custodum de alumnorum peccatis in via, & primi tam temporalibus, quam æternis, si tandem damnentur, ex illis Isaiæ. 33. *Angeli pacis amare flebunt*, videntur Patres aliquot addere Chrysost. hom de ascens. Anton. Abbas ep. 2. fine. Andre. Cæsar. in Apocal. suo cap. 25. Leo Pa. 8. vel 9. cap. *Hi duo sunt*, 55. de consecrat. d. 1. Origenes Matth. 18. ex ipsoque Theophilactus tristitiam præfatam videntur Angeli tribuere, quia, & per negligentiam custodiæ peccare illos erronee censent, cum eorum alumni peccant. Cæteri vero Patres ita de Angelis beatis metaphorice loquuntur, vt ardentem erga alumnos charitatem, & salutis eorum desiderium vehemens significent: vt ad idem significandum de se ipso similiter in scripturis loquitur Deus, cum natura sua tristari de nullo possit, vti neque Angeli Beati ratione status, & summæ conformitatis cum Dei voluntate etiam permissiua: quare scite Andræas Cæsar. proxime ait. *Angelos ad Dei exemplum compati, mœrere, aut contristari.*

5. Ita vero suis quemque Angelum alumnis consulere, vt cum horum refert, ab aliorum custodibus voluntate etiam dissideant, & iurgientur colligi videtur ex Danielis 10. vbi Princeps, seu custos Angelus Persarum custodi populi Dei legitur restitisse. & quamuis Hieronymus ibi, & in caput vigesimum nonum, Ezechiel. init. Rupert. 9. de victoria verbi Dei à capite quarto, Cassian. collatione octaua, à capite duodecimo, Persarum Principem malum Angelum intelligant; bonum tamen fuisse docent Dionys. de cœlesti hierarchia, capite nono, Gregor. 17. Moral. capite octauo. Theodoret. Lyran. & Carthus. ac reliqui communiter. Quare ex ea resistentia Angelos ma-

ORTEGA
In 1. part
D VIa.

terialiter pro ſuis quemque alumnis, ac eorum commodis diſſidere fatendum videtur; ſecus vero formaliter: quia illa ita diſſident dum eis de diuina voluntate, circa id, quod alumno ſuo, quiſque vult, deſiderat, & procurat, non conſtat: quare, & vtriuſque deſiderium imbibitam defert conditionem, ſi ita Deo placeat: quare, & in voluntatibus de materialiter diuerſis, & aduerſis mirifice, ſanctiſſime, & amiciſſime concordant.

6. Denique de malis Dæmonum erga homines officiis, & vniuerſim, & ſpeciatim ſatis clarebit, ſi hactenus dicta de bonis officiis Angelorum à contrario Dæmonibus applicentur, vt pro ſuo in Deum, & homines odio rebus vniuerſi, & hominibus cunctis mala procurent, ex Dei permiſſu, & ſui Principis Satanæ deſignatione hortatu, & præcepto, ac proinde non eſt de eo fuſior texenda diſputatio: certe de tortura ignis cum Dæmonum, tum animarum purgatorij à Dæmonibus illud breuiter dicam: reſpectu animarum purgatorij id muneris Dæmonibus, ob decentiam ſtatus ipſarum nuſquam eſſe permiſſum: nec reſpectu Dæmonum opus eſſe, vt permitteretur: nam Spiritus Domini ſufflaret in eo, etſi ignis materia noua miniſtranda accendendaque, in pereuntis, ac cinereſcentis ſuffectum: quæ nimis craſſa meditatio eſt. Nec enim ita igniuntur Dæmones, & ardeſcunt; ſed ſola formæ ignis, ſeu caloris perpetua vnione, nuſquamque, vt vidimus, & nunquam deinceps defectura.



INDEX

INDEX ALPHABETICVS GENERALIS Rerum, & Verborum, TOMI SECVNDI.

Littera C. *Controuersiam*, D. *Disputationem*, Q. *Quæstionem*, Prol. *Prologum*, Cert. *Certamen*, N. *Numerum designat.*

A

Physic. ACCIDENTI Physica instrumentalis actiuitas effectus nobilioris sæpe concedenda. controu. 8. d 4. q. 5. cert. 1. n. 1.

Iuris. Actio hypothecaria non alterius promissioni, sed dominio proprio creditoris, in rem proxime innititur. controu. 5. d. 1. q. 3. cert. 3. num. 5.

Moralis. Actio interna, & immediate ab illa procedens externa ad eandem virtutem moralem spectat semper; secus externa mediata. controu. 7. d. 2. q. 3. cert. 5. num. 7.

Anima. Actui vitali essentialis est inhæsio suo agenti controu. 8. d. 4. q. 4. cert. 3. n. 2.

Anima. Actus imperans imperatum pro obiecto habet; secus intentio electionem. controu. 4. d. 6. q. 4. cert. 1. n. 1

Anima. Actus imperans & imperatus, vti intentio, & electio, proprie Deo non repugnant, imo adsunt, controu. 5. d. 1. q. 1. cert. 1. n 8.

Actus imperantis, & intentionis respectu imperati, & electionis discrimen: ibid. n. 9.

Anima. Actuum, qui motiuum formale habent, supernaturalitas, e motiui supernaturalitate necessario desumitur. controu. 8. d. 6. q. 1. cert. 3. n. 3.

Physica. Agens nullo appetitu in malum intendens, operatur. controu. 8. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 4.

Etsi liberum possit intendere suos actus non esse ibid.

Physica. Agens non vitale potest simul agere omnia { adsint requisita cætera } quæ successiue. controu. 8. d. 4. q. 5. cert. 5. n. 1.

Agens vero liberum, imo quod cognitione, & appetitu acturus est non item, & fors, nec vitalia reliqua. ibid. n. 2.

Agens imperfectius in subiectum perfectius agere naturaliter potest contr. 8. d. 4. q. 5. cert. 2. n. 1.

Amicitia Dei erga rationales creaturas absque temeritate, & errore negari nequit. cont. 4. d. 4. q. 4. cert. 1. n. 1.

Amicorum bona quâ ratione velimus. controu. 8. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 5.

Amoris diuini omnia sunt materialia obiecta. contr. 4. d. 2. q. 1. cert. 2. n. 1.

Quatenus erga Deum honestus moraliter non est. ibid. cert. 3. n. 3.

Absque vlla reflexione est amor Diuinus sui ipsius amor. ibid. n. 6.

Amor Diuinus fertur libere ad plura pro nunc duratione futura. contr. 4. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 8.

Est fidei proximum: de absolutè existentibus creatis Dei amor liber etiam est ibid. cert. 4. n. 5.

Vti & displicentiade impossibilibus ibid. num. 6.

Et complacentia de gratia, & virtutibus absolute existentibus; & displicentia de peccatis absolutis. ibid. n. 7.

Fertur in omniporentiam intactis possibilibus, quæ pro eo statu tangi Dei amore nequeunt, ibid. num. 14.

Amor complacentiæ Dei erga proprie conditionata futura contingentia repugnat contr. 4. d. 2. q. 3 cert. 3. n. 1.

Imo & efficax eius erga conditionata futura contingentia qua talia desiderium ibid. n. 2.

Etiam erga mediate talia, ibid. n. 6.

Secus inefficax erga vtraque desiderium quod erga plura talia Deus habet, ibid. n. 7.

Amoris Diuini erga quæuis quoad substantiam & modum adæquatum specificatiuum Deus solus est controu. 4. d. 2. q. 4. cert. 1. n. 4.

Ideo *omnia propter semetipsum operari* recte dicitur;

secus propter se vt finem *qui* vel *cui*, ibid. cert. 2. n. 2. & 3.
Amor complacentiæ in persona radix gaudij & desiderij est; non amor strictus ab illa & ab vtroque Anima diuersus, quem recentiores in Philosophiam & Theologiam intrudunt. contr. 4. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 4.
Amoris intentiui Dei creaturæ solæ rationem veram & propriam finis habent, contr. 4. d. 2. q. 1. cert. 1. n. 5.
Probatio efficax & multiplex toto cert. 2.
Amor amicitiæ erga irrationalia esse nequit, secus complacentiæ. ibid. n. 3.
Amor sui propter creaturas vt finem *qui* & *cui* proprium Deo adest. contr. 4. d. 2. q. 6. cert. 2. num. 1.
Earum tamen motio respectu eius amoris proprie finalis quoad primarium finis effectum, & affectum non est. ibid. n. 3.
Est tamen propriè finalis quoad affectus & effectus alios. ibid. n. 4.
Præfatus amor sui vt creaturis vtilis & propter ipsas vt finem honestus Deo est absque vlla earum ipsi prælatione comparatiua. ibid. cert. 2 n. 2.
Etiam propter naturalia creaturæ bona habitus. ibid.
Amor strictus Dei erga se ipsum à gaudio & desiderio diuersus, vel ex suppositione possibilitatis eius amoris in creatis, & erga creata, vel absolutè potest examinari. contr. 4 d. 4. q. 1. cert. 1. num. 1.
Sententia affirmans ex suppositione viuide confutata euasionibus præclusis. ibid. n. 2 ac deinceps.
Amor strictus Dei erga se ipsum absolute repugnat. ibid. cert. 2. n. 1.
Repugnat etiam ex suppositione præfatâ amor strictus Dei erga seipsum. ibid. n. 3.
Ex quo & deinceps probatur, & à difficili obiectione vindicatur.
Amor à Philosophis & priscis Theologis à gaudio Anima & desiderio diuersus agnitus, vt gaudij & desiderij de bono *quod* principium est amor complacentiæ in persona, seu *cui* bonum desideramus, vel de quo habito gaudemus: vnde affirmantis sententiæ fundamenta subruunt omnia. ibid. toto cert. 3.
Amor Dei erga se necessarius, quoad speciem & quoad exercitium, absque temeritate innegabilis & demonstratus etiam à priori. contr. 4. d. 4. q. 1. cert. 6. n. 1.
Est efficax adhæsiuè, non effectiuè. ib. num. 6.
Comprehensiuus & reflexiuus, ac in personalia etiam fertur, non vt specificatiuum. ibid n. 7.
Amor gaudij erga absoluta extrinseca Deo certè adest; secus erga possibilia præcisiuè, nec strictus amor. contr. 4. d. 4. q. 2. prol.
Adest ipsi certò erga extrinseca desiderium. cert. 2. & 3. totis.
Quod tamen spes non sit. ibid. cert. 3. n. 1.
Amor etiam amicitiæ, erga vnam quàm erga aliam rationalem creaturam physicè maior, quam erga aliam quoad effectum esse potest; secus quoad physicum & metaphysicum actus. contr. 4 d. 4. q. 4. cert. 2. n. 1.
Potest autem esse affectiuè maior. ibid. n. 3. ac deinceps.
Predestinatum præ reprobo, & iustum præ peccatore amat Deus. ibid. cert. 3. n. 2.
Etsi sola pœnitentia finali prædestinatus quis sit. ibid. n. 3.
Plus æque iustum pœnitentem, quam innocentem Deus amat. ibid. n. 5. ac deinceps.
Vbi parabolarum de oue & drachma perditis & filio prodigo rigidas Theologicus sensus subtilis, solidæ & iucundæ conclusionis rationes. ibid.
Amoris pure affectiui & apprætiatiui diuisio. ib. cert. 4. n. 2.
Viuidior diuisio ac definitio. ibid cert. 5. n. 1.
Amore apprætiatiuo plus Angelorum quam communium hominum collectio à Deo amatur. ibid. cert. 4. n. 3.
Plus fors purus aliquis homo omnibus distributiuè Angelis amatur apprætiatiuè, affectiue plus etiam amatur hominum quam Angelorum collectio. ibid. n. 7.
Imò & prædestinatus quiuis. ibid. n. 9.
Amor apprætiatiuus humanitatis Christi quàm Ecclesiæ totius maior Deo est. ibid. cert. 5. n. 2. Incarnatio
Affectiuus contra. ibid. n. 4. cessat
Imo & cuiusque nostrum. ibid. n. 9.
Amore formali connexionis rerum virtualiter amatur terminus, qui affertur; non qui supponitur. Anima contr. 4. d. 6. q. 3. cert. 2. n. 6.
Amor permissionis peccati ob maius bonum inde capiendum, indecens Deum nullatenus est. cont. 6. d. 1. q. 3. cert. 3. n. 5.
Amor Dei super omnia naturalis, tam explicitus est formalis, quàm implicitus & virtualis repugnat: nec potest absque deliberatione creatæ voluntatis à Deo pro viæ statu infundi. contr. 8. d. 3. q. 2. cert. 2. n. 7.
Et si malè à Cano formalis etiam & explicitus nei super omnia amor naturalis admittatur. contr. 7. d. 3. q. 3. cert. 1. n. 4.
Amor permissionis peccati ex intentione pœnitentiæ, aut gloriæ siue efficaci, siue inefficaci, eandem habet vel non habet difficultatem, siue necessario siue liberè ex intentione efficaci præfata ametur permissio. contr. 7. d. 4. q. 1. cert. 2. n. 4.
Amor sui creatis etiam rationalibus naturalis est Anima non elicitus. contr. 8. d. 4. q. 9. cert. 4. n. 1.
Amore electiuo formaliter amari finis nequit. ibid.
Amor amicitiæ Dei & virtutis cuiusvis moralis non Morale potest vitiari. ibid. cert. 7. n. 3.
Amor ad amati perfectiones penetrandas præcipuum amantis ingenium. contr. 8. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 9.
Angeli nomen officij non naturæ pro substantia completa spirituali vsurpatur; est cunctis Angelis, vti & Dæmonibus commune; etsi hoc iam solos malos, illud bonos tantum ex vsu significet. contr. 8. d. 1. prol.
Angelorum existentiam negantes & asserentes; & locus Augustini difficilis enodatur. ibid. q. 1. cert. 1. n 1.
Existentia de fide est, & difficilis Augustini locus enodatur. ibid. n. 4.
Sola ratione, ne probabiliter quidem ostenditur, nedum à priori aut posteriori demonstratur ex cælorum rotatione circulari. ibid. cert. 2. n. 1.
Sed neque ex energumenorum, Magorum, oraculorum dictis, factisue, ratione, quæ prope adhuc demonstrationem attingat, suadetur. ibid. cert. 3. tota.
Probabilibus tamen quam oppositum ex eis Angelorum existentia ex illis ostenditur. ibid. n. 6.
Eorum & animæ separatæ commercium non ex aliquo naturæ iure, sed ex Dei arbitrio est. ibid. num. 4.
Angeli in tempore, non ab æterno creati ex fide sunt. contr. 8. d. 1. q. 2. cert. 1. n. 1.
Vbi Basilius explicatur.
Nec fuerunt ante mundum prorsus producti. ibid. n. 2. ac deinceps & toris cert. 2. & 3.
Vbi oppositum temerarium iam esse monstratur num. 4.
Et erroneum. n. 6.
De quo errore, & somnia Eugubini, & Genadij confutantur. ibid. cert. 4. n. 4. & 5.
Angeli omnino extra cælum creati temerè dicentur; secus si solum extra empyreum. contr. 8. d. 1. q. 3. cert. 2. n. 7. & 8.
Angelos omnes à Dæmonibus specie differre temerarium est. ibid. cert. 1. n. 1.
Omnes sunt in empyreo creati, ibid. n. 3.
Ex Isayæ 14. & Ezechielis 28. ibid. cert. 1.
Angeli saltem ex parte spirituales, & immateriales demonstrantur, ex intellectualitate, & maiore quam

quam hominum perfectione. contr. 8. d. 2. q. 1. cert. 1. n. 5.
Qui & quomodo ex parte corporeos illos docuerint. ibid. cert. 2.
Quibus sinod. 7. seu concil. Nicæn. non consensit, ibid. n. 6.
Nec Augustinus & Patres alij quibus imponitur, ibid. cert. 3.
Nec fuere mulieribus carnaliter commixti. ibid cert. 2. n. 2.
Sunt adæquatè & omni ex parte spirituales; ex fidei dogmate. ibid. cert. 4. maximè à numer. 4.
Demonstratur solide. ibid. cert. 6.
Angeli ex essentia & existentia realiter vel etiam formaliter obiectiuè diuersis non componuntur. contr. 8. d 2. q. 2. cert. 1. n. 1.
Constant verò ex natura & personalitate. ibid. num. 2.
Possibiles Angeli speciei eiusdem materia quâ corporea constant, excogitabili nec constare, eámve vt tertium aliud componant, concernere natura sua nequeunt. ibid. n. 3.
Et cert. 2. n. 1.
Sed nec materiæ spirituali constitui, illaume ad tertij compositionem natura sua possunt concernere. ibi. n. 7. & cert. 3. n. 1.
Imò Angelus cuiusvis speciei, ex præfatis materiis constans, illaúve ad tertij compositionem concernens repugnat. ibid. toto, cert. 3.
Integraliter, substantialiter simplex & incompositus Angelus est. ibid n. 8.
Angelus ad sui permanentiam, ex prima creatione ius & exigentiam naturalem habet & moralem ex Viæ statu non autem formalem, sed virtualem seu radicalem ex eis titulis ad permanendum tota à parte post æternitate. contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 1. n. 6.
Destructibiles tamen & annihilabiles pro Dei arbitrio absolutè sunt ex fide. ibid. n. 8.
Non verò propriè corruptibiles. ibid. cert. 2. num. 1.
Oppositum temerarium & erroneum erit, si dicatur. ibid. n. 3. & 4.
Quare, & eo sensu natura sua sunt incorruptibiles: imò & à Deo ordinaria potentia & prouidentia sunt natura sua indestructibiles, & inannihilabiles. Ibid. cert. 3. n. 3.
Nullus Angelus proprie corruptibilis, à Deo etiam possibilis est. ibid. cert. 5. n. 2.
Imò neque à natura sua annihilabilis, eoque sensu mortalis ibid. n. 3.
Repugnat tamen Angelus, & creatum quodvis à Deo absolutè indestructibile aut innannihilabile. ibid. cert. 7. à num. 5.
Angeli specie diuersi sunt possibiles. contr. 8. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 1.
Et de facto dantur. ibid. n. 4.
Inferiores specie à superioribus in naturalibus illuminantur, & quomodo ibid. num. 5.
Speciei cuiusvis atomæ sunt numericè multiplicabiles ex S. etiam Thoma. ibid. cert. 3. n. 1.
Et de facto plures numero creati ex scriptura. ibid. cert. 5.
Et sub quavis atoma specie. ibid. n. 3.
Eorum numerus à nobis præ multitudine innumerabilis. ibid. n. 5.
Maiorne an minor creatorum reliquorum numero sine fundamento ac temere definietur. ibid. cert. 6. n. 5.
Et tamen hominum numero longe maior. ibid. cert. 8. n. 1.
Angeli boni ex infimo hierarchiæ infimæ gradu communiter singuli singulis hominibus custodes deputati, & Prouinciis ac regnis & corruptibilibus speciebus ex hierarchia eadem. ibid. num. 3. & 4.
Prælium eorum cum bonis an in cælo fuerit, interpretibus non conuenit. ibid. cert. 7. n. 3.
Vti nec de modo quo malorum sedes ex hominibus reparentur. ibid. n. 4.
Ex Angelis & hominibus centenarius numerus ouium parabolæ iungendus ex rigido theologico litterali sensu non est ibid. cert. 8. n. 8.
Angeli alij aliis non specie solum, sed indiui duatione perfectiores, in qua Michael reliquis etiam Lucifero perfectior. ibid. n. 10. & 11.
Vbi epistolæ beati Iudę. n. 9.
Textus ad litteram rigidè exponitur.
Angelorum hierarchiæ tres, & vnius cuiusque tres chori negari absque temeritate & hæresi nequeunt. contr. 8. d. 2. q. 5. cert. 1. n. 1.
Vndè chororum cuiusque distinctio. ibid. num. 3.
Hierarchiæ diuersitatis ordinis & ministeriorum ratio. ibid. n. 5.
Angeli primi raro ac nunquam ex munere, sed Dei arbitrio, & ab ipso immediatè ad homines eorumve communitates mittuntur. ibid.
Denominationum chororum primæ hierarchiæ theologica ratio difficultate graui expeditur. n. 8. ad 10.
Angelorum hierarchiæ ex bonis ad purum constant. ibid. cert. 2. n. 1.
Naturalia & supernaturalia absque vlla eorum cooperatione à Deo data ex parte materiæ & subiecti se solum ad cuiusque in suum gradum hierarchicum electionem Dei se habent, quæ tota & sola forma in suo quisque gradu constituit. ibid.
Imò nec actus meritorij Angelorum in via aliter ad eam electionem conducunt. ibid. numer. 3.
Ita etiam vt dispositio ex parte subjecti naturæ cuiusque specifica perfectio ad eam electionem conducit. ibid. n. 8.
Et toto certamine 3.
Et formaliter proximè vt cætera gratiæ dona naturam cuiusque ornantia. ibid. cert. 4. n. 1.
Hæc data sunt pro cuiusque specifica perfectione maiora vel minora; secus auxilia gratiæ ad bene operandum. ibid. cert. 3. n. 2.
Angelorum creatorum species viginti septem vt minimum sunt. ibid. cert. 4. n. 6.
Vnius hierarchiæ Angeli ab aliis aliarum genere, remoto differunt, ab aliis chori intra eandem diuersi proximiori & fors proximo genere tantum. ibid. num. 7.
Angelorum electio in suos gradus hierarchicos, finito viæ statu acta est, nec antea adhuc in actu primo inchoata. ibid. cert. 5 num. 1.
Cuiusque gradus hierarchici indiuiduè perfectior cæteris; præfectus est gradus illius Michael cunctis. ibid. n. 5.
Non æque omnes gradus eiusdem Dei vocationi responderunt in via. ibid. n. 6.
Angeli omnes in creationis instanti gratiam & supernaturalia dona à Deo habuerunt. contr. 8. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 3. & q. 3. n. 2.
Vbi loca Isaiæ 14. & Ezechiel. 28. ad litteram de Lucifero esse ostenditur: suum in gratia statum tunc Angelos nosse sub lite est. ibid. q. 1. cert. 1. num. 9.
Pro specifica naturæ inæqualitate gratiam habitualem, & consequentia dona inæqualiter participarunt. ibid. cert. 2. n. 1.
Independenter à libera quavis dispositione ipsorum & de pure naturali dogmaticum est. ibid. n. 3. & 4.
Angelis speciei superioris maior in ratione gratiæ & beneficij auxilians gratia vniuersim quam infimis data non fuit. ibid cert. 4. n. 1.
Angelo Michaeli & fors paucis perfectissimis euidentia immediata reuelationis plurium mysteriorum in instanti creationis adfuit contr. 8. d. 3. q. 2. num 3.
Et actus aut actiuæ scientiæ & proprię & impropriæ

de

de pluribus. ibid. num. 4.
Et actum fidei supernaturalis quoad sustantiam sumptæ. ibid.n.8.
Et ita etiam sumptos actus pij affectus credendi & moraliumvirtutum.ibid.cert.2.n. 2.
Secus actum spei quem nec habere tunc potuerunt. ibi n. 3.
Vti nec amoris Dei super omnia supernaturalis formalis & expliciti.ibid. n.5.
Naturalis:ne impliciti & virtualis adhuc:supernaturalis verò amoris Dei super omnia virtualis & impliciti actum habuere.ibid. n. 6.
Angelos cum arbitrij libertate conditos fidei proximum est;& oppositum error. contr.8. & d. 3. q. 4. prol.
Eam circa abstractiue cognita exercere in creationis instanti non potuere. ibid. cert.2. n. 1.
Nec naturaliter circa intuitiue etiam visa,ib.n.2.
Imò nec de potentia absoluta : ibid, n. 4.
Angeli in instanti creationis mortaliter non peccauerunt, imò verò nec peccare potuerunt. contr.8. d.3.q. 5. cert. 1. n. 3.
Vbi de opposito censuræ. ibid.
Sed nec potuere in prouidentia connaturali quæ fuit, ibid. n. 4.
Imò neque absolute mortaliter peccare, vel gloriam in eo instanti, potestate aut prouidentia vlla valerent mereri ibid.n.7.
Angelis viatoribus veniale obreptitium ex inadvertentia, est absolutè possibile. ibid. cert. 2. numer.3.
Etiam in creationis instanti. ibid. n.5.
Angelo etiam imperfectissimæ speciei ex productis nulla anima est perfectius intellectiua ; de tota vtriusque possibilitate diuinatoria , & inutilis quæstio. ibid.
Angelicæ viæ magnitudo per partes durationis physicas examinari & statui debet, vt vtiliter , & sine æquiuocatione taxetur, non per operationes & Theologicas morulas,quas dicunt.contr.8.d.4. q. 1.toto cert. 1.
Vnico creationis instanti finita non fuit,ibid. cert. 2. n.1.
Nec potuit eo finire. ibid. n.2.
Nec proxima immediate sequente illud instans parte proportionali. ibid.n.3.
Nec instantibus, partibusve proportionalibus, adiunctis quæ aliquotam durationem non constituant, ibid. n. 6.
Viæ huius duratio cunctis Angelis æqua fuit & communis. ibid. cert. 3. n. 2.
Vltra diem tentationis Protoparentum non processit ; vti ex fide deducitur. ibid.
Sextò, vt minimùm creationis die fuit finita.ibid. n. 4.
Quo intra sex illos dies eorumve parte fuerit finita, puræ diuinationis erit.ibid. n.5.
Ictu sanè oculi longior fuit ; ac fors cum lucis à à tenebris diuisio facta est, fuit absoluta. ibid.
Angeli à semel deliberato physice inflexibiles malè à Dominicanis ex ratione probantur.contr.8.d. 4.q. 2. cert. 1. n. 2.
Et prius ex S Thoma qui solum moralem (quam vere habent) inflexibilitatem admittit. ibid. num. 4.
Sunt certe semel deliberato physicè mobiles. ibid. cert. 2.n. 1.
Præsertim à malo ad bonum si à bono ad malum mobiles admittantur , vt debent. ibid. cert. 3. num. 5.
Angelis malis pœnitentiæ locus in via fuit possibilis.ibid.cert.4.n. 1.
Et datus. ibid. n. 3.
Angelus Lucifer reliquis peccati causa fuit.contr. 8. d.4.q.3.cert.1.n.2.
Et reliqui mali cæteris malis specie & indiuiduè etiam imperfectioribus.ibid.n.6.
Angeli boni Michael & reliqui imperfectioribus specie & indiuiduè obedientiæ & perseuerantiæ causa fuere. ibid. num. 7.
Imò & æqualibus vti & mali transgressionis, & persistentiæ in malo. ibid. n. 8.
Angelorum Michaelis & bonorum cum Lucifero & malis prælium refertur duplex, Apocalip. 12. primum in cælo & statu viæ habitum : secundum in Ecclesia nostra, postremo iudicio finiendum.ibid. cert.2.n.2.
Primum ab Angelis supremæ speciei inchoatum. ibid. n. 4.
Ac fors à solo Michaele & Lucifero , ibid. num. 5.
Quoque imperfectiores indiuiduè speciei suæ ac postmodum imperfectiores specie in suas partes ad pugnam trahente, ibid. n. 6.
Exemplis, rationibus , & adhortationibus pugnarunt toto viæ statu & duratione. ibid. numer. 8.
Nullus à semel deliberato & parte, cui accessit, defecit. ibid. cert. 3. n.2.
Oppositum de malis temere asseretur. ibid. numer. 3.
Boni malos in prælio hoc vicerunt, ex fide. ibid. num. 4.
Ac cœlo deturbarunt. ibid. n. 5.
In tartarum non exinde perpetuò reclusos; sed vt loci pœnarum miseram sumerent possessionem, & à postremo iudicio ibi perpetuò ab eisdem recludendos. ibid.n. 6.
Angelus secundum se sumptus & interrogatiue, & assertiuè alium potest decipere interrogatiuè sine veniali quandóque, contr. 8. d. 4. q. 4. cert. 1. num. 1.
Locutio Angelorum mutua certa ex fide & demonstratione. ibid. n. 6.
Signis corporeis, siue naturalibus siue ad placitum fieri nequit. ibid. cert. 2. n. 3.
Nec spiritualibus signis vllis ad placitum. ibi n.4. ac deinceps.
Angeli sola specierum aut obiecti applicatione cogitare nos de aliquo faciunt. ibid. cert. 3. n.3.
Non stat locutio Angelica verbo aut intellectione loquentis inadequatè adhuc causante in audiente intellectionem aut verbum de obiecto eodem , quibus hic audiat. ibi n. 5.
Nec in reflexa loquentis cognitione , & si audituri de obiecti cognitio insidentibus huic speciebus de obiecto solum modo fiat : maximæ si hæc congenitæ menti Angelicæ dicantur. ibid. cert. 4. n. 2. & vniuersim n. 3.
Angelici cordis secretorum species impressæ congenitæ Angelis non sunt. ibid. n. 7.
In spatio imaginario positi & distantes Angeli colloqui possent. n. 5.
Locutio angelica realis formalis stat adæquate in voluntate manifestandi iudicium, quod de rè habet , vel fingit habere, de qua loqui vult : excitatio audituri à loquente in specierum immissione ab ea voluntate physice , exactiuè vt minimum facta : auditis in cognitione & rei illius & iudicij & loquentis ab eis speciebus in audiente effecta. ibid. cert.6.
Physicè actiuè præfatas specicis à voluntate illa loquentis produci , nec solum ex actiuè probabilissimum est.ibid.n.7.ac deinceps.
Angelorum locutio de obiecto ab eis intuitiue viso non assertiua est possibilis & de facto. contr. 8. d. 4 q. 5. cert. 1. n. 5.
Angelus ex commixtitione & confusione obiectorum & specierum errorempati naturaliter potest. ibid. n 3.
De intuitiue visis potest etiam esse Angelica locutio assertiua ibid n.6.
Ac melius de omnibus cordis sui secretis ibid.n.9
Angelus etiam infimus loqui ad supremum potest naturaliter. ibid. cert. 2. n. 1.
Angelorum cum hominibus locutio signis sensibilibus ad placitum de fide est. ibid. cert. 3. numer. 1.

& Verborum.

Angeli excitati, vt loquenti sensibiliter attendat, & audiat: tunc productis physice exactiuè vt minimum à locutione speciebus fieri debet. ibid.
Nullius secreti cordis humani ante eius manifestatiuam voluntatē absolutam species impressas Angelus habet; & fors nullius contingentis futuri ante eius existentiam absolutam, ibid. n 9.
Angeli bene, maléque dæmones homini suadent, seu morales causæ boni malique sunt specierum adseruatarum excitatione. ibid. n.6.
neqœunt purè spirituali locutione homini pro hoc statu loqui, ipsumve specierum impressarum actiua vel exactiua physicè immissione attendere facere, & audire loquentem, ibid. n.7.
Potest autem homo Angelum spiritualiter alloqui, atque physicè actiua vel exactiua, specierum spiritualium immissione reddere attentum, & audientem, ibid. num. 8.
Angeli loquentes sibi, alios necessario non audiunt ibid. cert. 4. n. 2.
Angelorum inter se & cum hominibus colloquia à mundi creatione cœperunt, & æternè durabunt, ibid. num 3.
Pure mentalis locutionis subiectum adæquatum est loquens, excitationis & auditionis audiens. ibid. n. 4.
Angelus quiuis reliquos omnes etiam possibiles simul ipsi loquentes audire simul in actu primo posset ibid. cert. 5. n. 4. & 5.
Angelorum malorum peccatum multiplex de fide est contra. 8. d. 4. q. 6. cert. 1. n. 1.
In malos & bonos diuisio est adæquata ibid. num. 2.
Beatos bonos ante mundi finem custodiæ hominum omissione peccasse: Origenis error confutatus. ibid. n. 3.
Vti & earum cum mulieribus concubitu carnali, ibid. n. 4.
quo nec mali primò peccarunt, nec iam damnati coire cum fœminis generatiuè possunt, ibid. num. 5.
Angelos malos natura sua ad malum determinatos, malorumque ac visibilium omnium authores primos Manichœa & Priscilliana hæresis, ibid. num. 6.
Nullus Angelus natura ad peccatum determinatus creatus est. ibid. cert. 2, n. 1.
Nec ita determinatus est possibilis, ibid. n. 2.
Primum Luciferi peccatum superbiæ. ibid. cert. 3. num. 2.
Nec potuit non esse primum connaturaliter respectu reliquorum eius etsi in alia, prouidentia non esse primum posset, ibid. n. 6.
Potuit Angelus peccare appetitu æqualitatis cum Deo in natura, & ei intrinsecis, ibid. certam. 4. num. 2.
Ac Lucifer ita peccauit, ibid. n. 5.
Ac primo ibid. n. 8.
Angelis appetitus vnionis hypòstaticæ propriæ superbiæ esse potuit. ibid. cert. 6. n. 2.
Is appetitus iuxta ordinem decretorum incarnationis primum Luciferi peccatum non fuit, ibid. n. 4.
Nec inde ortis inuidia, superbia, odiove in Christum superbia peccare absolute (ne dum primo) potuit ibid. n. 6.
Exemptionem à Dei iurisdictione in essendo & operando appetiit, & in rationales etiam creaturas omnes iurisdictionem, præsidentiam, & imperium, sed posterius natura appetitu deitatis, ibid. cert. 7. n. 2. & 3.
Appetitu beatitudinis connaturalis, & viæ; tum supernaturalis. & patriæ potuit Lucifer peccare, & fors etiam grauiter peccauit; non tamen à Deo grauiter, vt ab scriptura refertur peccatum eius primum ibid. n. 5.
Simili deitatis appetitu reliquos Luciferi inductione primo peccasse certum non est. ibid.
certam. 8. numer. 3. & 4.
Deorum tamen multis verò similius ibid. num. 6.
Angelos dæmones perpessione pœnarum temporali purgandos, ac cœlo & beatitudini restituendos: beatos etiam ob delicta inferno obtrudendos simili perpessione restituendos: ac sic vicissim per æternitatem ab vno loco & statu in alium mutandos vti & animas damnatorum & beatorum) error Origenis fuit contra fidem de continua pœnarum æternitate damnatorum & beatorum contr. 8. d. 5. q. 1. cert. 1. n. 1.
Angeli damnati nec actu fidei sunt in pœnam priuati, ibid. n. 4.
Secus aliquot scientiarum naturalium habitibus, ibid. n. 6.
Omnium damnatorum pœna in sensus & damni adæquate diuiditur & tristitia de malo quouis priuatiuo ad pœnam sensus spectat ibid. n.7.
Sunt habitibus gratiæ, fidei, spei, & charitatis perpetuo priuati ex fide ibid. cert. 2. n. 2.
Ac spei & charitatis actibus. ibid. n. 4.
Habitibus per accidens infusis in creatione. ibid. num. 5.
Omni actu moralium virtutum, vt sit oppositum temerarium. ibid. n. 6.
Potentia physica ad bonam moraliter operationem & omissionem præceptam dæmonibus & cunctis damnatis adest, ibid. cert. 5. n. 2.
Secus ad non præceptas (ni fors damnatos ob solum originale excipias) ibid. n. 5.
Angeli & damnati alij ex defectu, quem patiuntur, sanctæ cogitationis ad salutarem pœnitentiam obdurati & obstinati in peccato anteacto proprietate sermonis non sunt, contr. 8. d. 5. q. 2. cert. 2 n. 3.
Nec ad malum negatiuè, seu non bene agendum propriè obstinati sunt ex defectu simili, ibid. num. 4.
Nec in physica impotentia non agendi contra præceptum positiuum, vel negatiuum ibid. num 5.
Stat quatenus ex parte damnatorum obduratio in malo, siue ad malum tam positiuè quàm negatiuè involuntaria eorum adhæsione ad malum vtrumque obfirmatiore longè, quàm ad mortale sit satis. ibid. n. 6.
Quæ ægerrimè contrariis actibus, aliisve mediis emolliri nedum frangi possit. ibid. certam. 2. num. 6.
Eius obfirmationis principia explicata & applicita dæmonibus & damnatis, ibid. cert. 3. num. 3.
Nullo positiuo ex parte Dei addito ea obfirmata adhæsio illorum ad malum, seu in malo completur, ibid. n. 4.
Sed sola auxilij congrui, quo à malo retraherentur de negatione. ibid. n. 5.
Peccatis in eo statu commissis nullam essentialem aut accidentalem status illius proptiam merentur pœnam aut recipiunt. ibid. n. 7.
Nec ei contingentem & casualem, ibid.
Pœna sensus in dolore & tristitia voluntatis de malis non in horum cognitione stat. contr. 8. d. 5. q. 3. cert. 1. n. 2.
Siue positiua siue priuatiua mala sint ibid. num. 3.
Casualis & contingens temporaria est ibid. cert. 2. n. 3.
Propria status illius continua & æterna ex fidei principiis, ibid. n. 6.
Nec eam interrumpendi adest damnatis potestas. ibid. n. 7.
Nulli eorum gaudio, quo sensus pœna mitescat locum relinquit, ibid. cert. 3. n. 2.
Sed quo non mitescat, ibid. n. 3.
Angeli damnati & damnatorum animæ vero igne & vere cruciantur, vruntur, cremantur ex Theo-

Index Rerum,

logico dogmate, controu. 8. d. 5. q. 4. cert. 1. num. 1.
Imo ex fidei dogmate. ibi. n. 4
Genere corporeis ignibus conuenit; specie à mixto nostro differt; secus à purgatorij igne. ibid. n. 7.
Frigore nimio niuis damnati non torquentur, ibid. num. 8.
Dæmonum inferno eiusve igni alligatio nec locali coniunctione adhuc penetratiuè nec funibus nec Dei decreto formaliter, realiter fit, sed physica igni vnione eiusve formæ, ibid. cert. 6. n. 1.
In ea præcisè eorum ab igne cruciatus vstio, & tostura obiectiua est. ibid. n. 5.
Ista perpetuo & continuo cruciantur & cruciabuntur ex fide, ibid. cert. 7. n. 1.
Infernus dæmonum & damnatorum infimus terræ locus citra temeritatem negari nequit. cert. 7. ibid.
Finito viæ statu eo dæmones & damnatorum animæ perferuntur; non tanquam perpetuo carceri ex tunc ad iudicij diem detrusi (vti à iudicij die erunt) sed pro Dei arbitrio & rei magnitudine aliquando egressuri ex quouis gradu, & perfectione naturali, ibid. n. 4.
Inferiorem præsertim, nunquam ex supremo, ex Luciferi arbitrio, cui ad hos admittendos nec data à Deo est nec permissa potestas, ibid. n. 5.
Lucifer primus ad tentandos Protoparentes fuit egressus. ibid. n. 6.
Cuique hominum tentator designatus post eius obitum perpetuò inferno recluditur, non ex Luciferi sententia, ob tentandi inertiam. ibid.
Angelorum ministeria erga Deum cuique propria ex gradu hierarchico competunt, non ex statu beatitudinis, contr. 8. d. 6. q. 1. cert. 1.
Supremæ hierarchiæ & Angeli immediate à Deo de supernaturalibus illuminantur; cæteri mediatè, & mediatius à superioribus quo inferioris & inferioris gradus sunt: ex munere, & lege ordinaria iuxta dogma Theologicum: ibi. n. 5. ac deinceps.
Angeli ex Dei voluntate de supernaturalibus instruunt quandoque non tamen hierarchicæ illuminationis Deus secundum se materia, seu obiectum non est. ibid. cert. 2. n. 1.
Et nihil quod in verbo videatur. ibid. n. 2.
Nec veritas vlla aliunde nota (etiam supernaturalis) illuminando independenter ab illuminatione naturaliter ab eo noscibilis. ibid. n. 4.
Sed mysteria supernaturalia, nec in via nec in gressu gloriæ nota illuminandis, nec huius iure aut ex notis naturaliter cognoscenda secreta cordis diuini, & creaturæ independenter ab huius voluntate à Deo solo manifestabilia futura contingentia vtriusque status, ac præterita, etiam, nisi ex Dei solum voluntate ab illuminando cognoscibilia. ibid. n. 6.
Ratio sub qua & per quam materia proxima illuminationis hæc fiunt, diuina reuelatio est. ibid. num. 7.
Illuminatione hierarchica non obiectiue solum, sed & actiue corroboratur illuminati intellectus ab illuminante, ibid. num. 12. ac deinceps.
Illuminationis hierarchicæ definitio, ibid. cert. 3. num. 1.
Illuminatio hierarchica simplici propositione obiecti reuelationis, & iudicij illuminantis fit, non Rethorica amplificatione, ibid. cert. 3. num. 6.
Hæc verò manifestatiua eorum voluntate illuminantis & speciebus propriis eorundem, præter reuelationem ab ea voluntate in illuminatum immissis ibid. n. 7. & 8.
Angelus custos cuique hominum negari absque temeritate & errore nequit (non tamen hæresi) cont. 8. d. 6. q. 2. cert. 1. n. 1. & 2.
Est à cuiusque nostrorum ortu, imò conceptu. ibid. num 6.
Nullus Angelus duorum simul, nec successiuæ custodiam agit, ibid. n. 7.
Cœpit hæc cum innocentiæ statu ibid. n. 8.
Ex hierarchia, & choro non inferioribus custodiam Angelicam à conceptionis instanti ad verbi incarnationem Deipara habuit: ex tunc versa est in communem eius cunctis Angelis famulatum ibid.
Nec Antichristus custodia Angelica destituetur, ibid.
Principibus sæcularibus, & Ecclesiasticis pro bona regnorum & episcopatuum gubernatione alter Angelus custos adest: qui plerumque regno, prouinciæ & episcopatui custos est: atque si principatum, regnum, aut episcopatum mutet: & secundum hunc Angelum custodem mutat. Vniuersalis vero princeps vt Papa, tertium Angelum custodem proprium habet: & idem de orbis totius monarcha sæcularis, vt Adamus fuit. ibid. cert. 2. n. 1. & 2.
Etiam rerum generibus, & speciebus seruandis Angeli præfecti sunt. n. 3.
Priuatis hominibus ex infima plerumque hierarchia & choro beatorum, Principibus & communitatibus ex eius choro supremo, Deiparæ & Adamo ex hierarchiæ summæ choro supremo. Ecclesiæ toti Dei siue scriptæ, siue Euangelicæ Michael. Partium mundi custodia post sex creationis dies fuit Angelis demandata ibid. n. 4.
Corporalia plura commoda suis alumnis à cuiusque Angelo custode procurata ibid. cert. 3. num. 1.
Spiritualia recensentur summatim. n. 2.
Malorum Angelorum seu dæmonum erga homines officia mala plura. ibid. n. 6.
A quibus materiæ ignis inferni applicatio & insufflatio excluditur: ac multo magis erga purgatorij ignem; officia similia, ibid.
Animi nostri immortalitas, & alteri quam proprio corpori, quantumuis dispositio, inconiugabilitas naturalis demonstrata. contr. 8. d. 1. q. 3. cert. 3. num. 3. *Anima.*
Eius in corpora alia transmigratio Pithagorica reiecta. ibid. d. 2. q. 1. cert. 5. n. 6.
Animarum separatarum damnatorum pœna, locus, & cruciatus ab igne. ibid. disp. 5. q. 4. cert. 7. n. 3.
Extra infernum alicui vsque ad iudicij diem aliquas cruciandas fabella. cert. 7. n. 6.
Eadem ignis, nihilo aucta, pœna cum corporibus post resurrectionem cruciabuntur. Fuisse ab æterno creatas, & tempore pro male tunc actis corpori immersas error fuit Origenis. q. 1. cert. 1. n. 1.
Appetitus naturalis comparatiuus excellentiæ rerum cum aliis, male à quibusdam tentatus contr. 4. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 3.
Appetitiua potentia in actu primo proxime ad actum expedita singulis animalis partibus non inest. ibid. cert. 4. n. 6.
Assensus nullus sui motiui assensus est, sed hunc præstitum aliunde supponit. contr. 4. d. 1. q. 1. cert. 1. n. 5. *Anima.*

B

Bonitas diuina adæquatum specificatiui omnimolitionis Dei est. contr. 4. d. 1. q. 3. cert. 2. n. 2.
Odij etiam erga peccatum, n. 4.
Vere realiter intentionaliter quasi naturæ prioritate volitionem antecedit n. 6.
Et realiter, formaliter sola ex diuinis illam specificat. n. 7.
A reliquis prædicatis diuinis adæquate metaphysice differt. d. 2. q. 1. cert. 1. n. 1.
Nullum partialiter componit. n. 5.
Bonitatis essentialis adhuc terminus amandus necessario non est, cum ipsa amatur. controu. 5. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 2. *Anima.*

Bonum præcipuum rationalis creaturæ non est suum esse actuale. contr. 4. disp. 5. quæst. 2. cert. 2. n. 5. *Anima.*

Brachij motus ad capitis ictum impediendum, & excipiendum partim ex eius inclinatione, & ex despotico imperio totius in membra, procedit, contr. 8. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 2. *Metaphysica. Anima.*

Bruta rationalibus Deo chariora error ab Origene, & nunc radicitus conuulsus contr. 4. d. 4. q. 4. cert. 3. n. 1.

G

CAusa secundum se præcisè conditionalem solum respectu effectus naturæ prioritatem habet. controu. 7. disput. 1. quæst. 1. cert. 2. num. 3.

Causæ liberæ essentia est indifferens potestas ad vtrumuis omnem determinationem, & necessitatem ad alterum extremum excludens. controu. 4. d. 6. q. 2. cert. 2 n. 1. *Physic.*

Etiam principij & causæ remotissimè anterioris, physicè cum altero extremo connexæ, ibid. num. 3.

Causa adæquatè actiua effectus quæ efficit, & omnia effectus prædicata respondent, controu. 8. d. 4. q. 4. cert. 3. num 2.

Causa naturalis suo commodo non cedit vt consulat alieno contr. 8. d. 1. q. 1. cert. 1. num. 5.

Causarum non nisi physica sui absoluta existentia causantium mutua dependentia, & causalitas etiam in diuerso genere repugnat. contr. 4. d. 6. q. 2. cert. 3. num. 4. *Physic.*

Et contr. 6. d. 1. q. 5. n. 6. & contr. 8. d. 3. quæst. 1. cert. 2. n 3.

Causa remota effectus proximiorem eius causam producens de facto causa per accidens effectus illius vt musica aut galerus artificis inepte à nonnullis dicitur; etsi causæ proximæ essentialis causa non sit. Si enim essentialis causa proximæ sit, non solum causa per se vtcumque sed per se quarto modo effectus illius erit. controu. 4. d. 6. q. 2. cert. 3. n. 8. *Physic.*

Causa extra suam natiuam inclinationem, & determinationem per accidens operans in causam aliam per se in ea operatione reduci debet. contr. 6. d. 1. q. 4. cert. 5. n. 9. *Physic.*

Causa effectus natura sua permanentis illum non conseruat, contr. 6. d. 1 q. 4. cert. 2. n. 10.

Causalitas obiecti motiui à causalitate impedientis & retardantis solum quomodo differat. controu. 7. d. 5. q. 3. cert. 4. n. 5.

Causalitas effectus naturalis quando apte vel inepte Deo tribuatur, controu. 8. d. 3. q. 1. cert. 2. num. 3.

Charitatis vox vltra amorem personæ, seu cui impenditur, appretiationem illius dicit vel concernit controu 4. d. 4. q. 1 cert. 1. n. 1. *Anima.*

Vbi illius Ioannis 4. *qui manet in charitate in Deo manet*, Theologica exacta explicatio dicit personalem amantis ab amato distinctionem. cert. 4. num. 5.

Charitas proprie est Dei ad intra amor, tota charitatis propietate; quin absque temeritate, errore, imò & hæresi negari queat, ibid.

Est etiam concupiscentiæ amor præfatus, nec sine singularitate negabitur. n. 4.

Et amicitiæ propriè non obstante communitate, & identitate amoris, quo se personæ diligunt, cert. 5. n. 2. & 3.

Charitatis actu propriè tali nemo eius virtutis honestatem amare potest contr. 4 d. 4. q. 4. cert. 1. n. 1. *Anima.*

Cognitio creata nequit se realiter formaliter repræsentare, contr. 4. d. 1. q. 2. cert 2. n. 7.

Cognitio præcisiua Deo repugnat. contr. 4. d. 6. q. 3. cert 1. n. 2.

Cognitio non præcisiua obiecti, huic locum relinquit, vt præscindat in motione voluntatis, ibid. *Anima.*

Cognitio vnius ex alio maiorem distinctionem cognitionum, quam cognitio vnius in alio non requirit. contr. 4. d. 6. q. 4 cert. 2. n. 6. *Anima.*

Cogitatio prima in quouis negotio à Deo, non à nobis nec ab Angelo est, contr. 8. &c. *Anima.*

Complacentia in persona alterius propria & formalis amicitia est, gaudio & desiderio de illius bonis natura prior. contr. 8. d. 4. q. 6 cert. 5. n. 1. *Gratia.*

Connexio purè physica rei cum hoc vel illo extremo vagè, vel conditionata cum hoc, si alterum desit, chimærica est. contr. 4. d. 6. quæst. 2. cert. 3. num. 5. *Anima.*

Connexio coniuncti ex scientia media, & absoluta auxilij efficacis ab extrinseco per illius directionem positione cum consensu absoluto, physica & intrinseca coniuncto, illi non est, sed Logica & extrinseca, contr. 4. d. 6. q. 2. cert. 2. n. 8. *Physica. Scientia.*

Contingentia conditionati sub vna hypothesi etsi alio ex parte hypothesis addito pereat, tamen, quæ sub illa nuda contingentia conditionata fuit, eiusque scientia media, perstabunt, contr. 4. d. 6. q. 2. cert. 2. n. 7. *Scientia.*

Contractus aliquid agendi sub conditione pendente à contrahentis voluntate imbibit voluntatem & obligationem faciendi quod ex parte sua est, vt non impediatur sed apponatur conditio, contr. 4. d. 1. q. 3. cert. 3. n. 3. *Moral.*

Cœlorum quies die iudicij violenta esse nequit, cont 8. d. 1. q. 1. cert. 2 n. 5.

Cœlum & astra circulariter non moueri, sed potius terram congruum videtur, ibid. n. 6. *De cœlo.*

Sed verius oppositum de connaturali circulari motu cœlorum, n. 7.

Corpus non mouetur à se ad replendum vacuum, sed à contiguo, recedente, & attrahente contr. 8, d. 1. q. 1, cert 2. n. 5.

Corruptionis, & annihilationis essentiæ, & discrimen. contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 1. n. 3. *Physica.*

Corruptionis & generationis incapax substantia simplex est, controu. 8. d. 2. q. 3. certam. 1. num. 7. *Physica corruptionis & generationis.*

In suam corruptionem & destructionem nulla creatura physicè inclinat, imo nec physicam materialem illius capacitatem passiuam habet directam, etsi ratione materiæ qua constant indirectam, physicam etiam creaturæ compositæ habeant, passiuam vero grammaticalem extrinsecam suæ destructionis à Deo creata omnia habent. ibid.

Christum orasse meritaque sua applicuisse, ne reprobi prædestinarentur minus pie & Christo decenter diceretur. controu. 7. d. 3. quæst. 5. cert. 1. num. 6. *Incarnationis.*

Nec interpretatiua voluntas non prædestinationis eorum piè de illo dicetur. ibid. n. 7.

Christus eiusque merita ex communi prouidentia & intentione salutis omnium, non autem ex prædestinatiua, alicuius adhuc, posita sunt, controu. 7. d. 3. q. 5. cert. 2. n. 6.

Creaturæ rationalis singulis & omnibus coniunctim sumptis auxiliis de se indifferentibus præstituræ, quæstio quo sensu apud Theologos locum habeat? controu. 7. disp. 3. quæst. 1. cert. 1. num. 1. *Gratia.*

Repugnat eiusmodi creatura certam. 2. ac deinceps.

D

DEcreta diuina executiua vere prioritatis & posterioritatis intentionalis quasi naturæ ordinem habent controu. 4. d. 6. quæst. 1. certam. 1 num. 1.

Intentiua etiam & electiua, ibid. n. 4.

Quo ordine quæ intentiuè priora sunt executiuè posteriora esse possunt. ibid. cert. 2. n. 1.

Index Rerum,

Imò & sunt, ibid. n. 6.
Etsi formaliter intentiua & electiua sint, nequit is ordo deficere, cert 3.
De decreti efficacis, seu præfinitionis regulatæ scientia media, eamve concernentis consensus nostri liberi indiuidui compositione, cum huius libertate, quæstio, & scopus omni æquiuocatione expeditur. controu. 4. disp. 6. quæst. 2. certam. 1. num. 1.
Vbi eius decreti infrustabilitas statuitur n. 5.
Decretum efficax, seu præfinitio, nec ita regulata nec concernens scientiam mediam indiuidui consensus nostri liberi huius libertati, & sibi ipsi repugnat. contr. 4. d. 6. q. 2. cert. 3. toto.
Imo & scientiam mediam supponens ibid. cert. 4. toto.
Et illam concernens. cert. 5. toto.
Vbi vniuersim præfinitio consensus indiuidui liberi confutatur.
Decreti præfinitiui consensus liberi vage huius vel illius nulla est necessitas ad obiectiuam disiuncti consistentiam & veritatem, contr. 4. d. 6. q. 3. cert. 1. n. 4.
Nec eam destruit, ne disiuncti extrema sibi non repugnent, ibid.
De actibus repugnantibus sibi decretum vage necessarium non est. ibid. n. 5.
Decretum præfinitiuum huius vel illius actus indiuidui actus honesti, neutrius libertati aduersatur, subindeque est Deo possibilis. contr. 4. d. 6. q. 3. cert. 3. n. 1.
Nec honestati, ibid. n. 4. (ex dictis n. 2.)
Aduersabitur tamen, si alter actus alteri repugnet, ibid.
Ex suppositione omissionis alterius actus ex libertate contradictionis pro naturæ priori alterius apponendi libertas & honestas peribit, ibid. n. 5.
Imo si decretum vagum de actibus sibi aduersis sit alterius libertatem proximam aufert, etsi ex libertate contrarietatis alter pro naturæ priori supponatur oppositus, ibid. n. 6.
Decretum vage de hoc vel illo consensu duplex conditionatum, vt vnus ponatur, si omittatur, alter, nec formaliter nec æquiualenter est, nec ex duplici conditionato liberum alterutrius positi consistet. ibid. num. 7.
Decretum præfinitiuum huius indiuidui actus liberi pro hac vel illa duratione eius libertati & honestati locum relinquit. contr. 4. d. 6. quæst. 3. cert 3. n. 8.
Etiam cum priori duratione, non autem prius natura fuerit omissus, ibid. n. 10.
Vbi ex doctrina hac decreti vagi quoad indiuiduationem vel durationem grauium Theologicarum difficultatum complanatio insinuatur.
Decretum concurrendi ad actiones prauas nec disiunctiue fertur in illas. contr. 6. d. 1. q. 3. cert. 3. num. 8.
Nec fieri potest, quin Deus amet peccatum ibid num 9.
Logica. Demonstrationis principia etiam metaphysica fere omnia à physico experimento suam euidentiam habent. controu. 8. disp. 2. quæst. 1. certam. 1. num. 3.
Distantia localis agentis spiritualis per voluntatem saltem, in passum præsertim spirituale, illius actionem in hoc non impedit. controu. 8. d. 4. q. 4. cert. 6. n. 5.
Dæmonis incubi ejaculatio prolifici seminis in fœminam succubam quo pacto fiat. controu. 7. d. 2. 2. cert. 5. n. 9
Dæmonum Reipubl. pessimæ iurisdictionalibus suis gradibus distinctio. controuer. 8. d. 2. q. 5. cert. 6. n. 1.
Permissiue solum à Deo & positiue ab ipsis disposita, ibid. n. 2.
Cum mundo hoc finienda. ibid. n. 4.
Eos ab Angelorum imperio ne nunc quidem eximit. ibid.
Dæmones quo iure subditi Lucifero sint. contr. 8. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 5.
Desiderium Dei de hominum salute pro recta vita sub conditione si ipsi velint non est. contr. 4. d. 2. q. 3. cert. 3. n. 9.
Secus de salute æterna quod sub conditione rectæ vitæ & mortis efficax conditionatum esse optime potest. ibid. n. 10. *Anima.*
Desiderio præcisiua existentiæ boni desiderati cognitio satis est, quin negationis existentiæ cognitio præcedat. controu. 4. d. 4. q. 2. cert. 2. n. 5.
Desiderio aduersa fuga mali Deo competit contr. 4. d. 5. q. 3. cert. 1. n. 4.
Destructio rei quæ naturalis, quæ violenta contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 1. n. 1.
Dominicani recentiores, viam euacuandi sancti Thomæ authoritates facilem aperiunt controu. 8. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 6.
Dominij supremi sui iuri creatis cunctis prælegi connaturali prouidentia rebus attendere nec debet, nec potest Deus controu. 8. d. 2. q. 3. cert 6. num. 5.
Domini & serui natura intra eandem speciem contenti non ex Dominio & seruitute naturali vnius respectu alterius, sed ex genio, & inclinatione vnius, vt alterius dictamine regatur. ex quo se illi regendum vltro submittat, & huius vt dirigat alios & regat. controu. 8. d. 2. quæst. 4. cert. 2. num. 5. *Beatitud.*

E

Ecclesiastes institutum confutatio errorum omnium qui circa hominis beatitudinem eatenus fuerant. controu. 4. d. 4. quæst. 4. cert. 3. num. 1.
Ex quo sententiarum coherentia & illius cap. 9. *Melior est canis viuus:* & cap. 10. *Musca morientes:* & facilis explicatio, & iterum controu. 7. d. 1. q. 2. cert. 1. n. 1.
Electione reali formali finem amari repugnat. contr. 7. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 4. *Anima.*
Ens incompletum dari in rebus demonstratur cont. 8. d. 1. q. 1. cert. 3. n. 5.
Ens creatum natura sua permanens, ex quo primum est, physicam exigentiam intrinsecam perdurandi natura sua habet formalem immediatam determinata duratione sequente: virtualem & radicalem indefinite successiua tota duratione controu. 8. d. 2. q. 3. cert. 3. n. 9. *Metaphysica.*
Essentia tamen sua suæ destructioni pro Dei libito subiecta est. ibid. cert. 6. n. 8.
Euidentia reuelationis abstractiua est possibilis. controu. 8. d. 1. q. 2. cert. 1. n. 2. *Fidei.*
Existentia rerum, nec realiter, nec formaliter ab essentia sed sola status & verificationis obiectiue diuersitate differt. controu. 8. d. 1. q. 2. cert. 1. *Metaphysica.*

F

Fatum proprie est externa rebus dispositio quasi adhærens. controu. 6. d. 3. quæst. 4. cert. 2. num. 8. *Phys.*
Fidei assensu eius motiuo non assentiuntur. contr. 4. d. 2. q. 1. cert. 1. n. 5.
Fidei actus ab effectu piæ affectionis essentialiter non pendet contr. 4. d. 1. q. 2. cert. 4. n. 4. *Fidei.*
Vbi ex actu fidei suppositione paralogismus recentiorum omnia transcendens detegitur.
Fidei actus de sui ad tempus destructione reuelata repugnat. contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 6 n. 1
Fidei diuinæ actus cum euidentia etiam intuitiua obiecti connaturalissimè componitur, controu. 8. d. 3. quæst. 2. cert. 1. n. 1. & 5. *ch.* q. 5. cert. 1. num. 5.

Secus

Phyſ. Senes actus fidei humanæ, adhuc diuinitus, ibid
Finis *cui*, & *qui* exacta explicatio contr. 4. d. 2. q. 4. cert. 1. n. 1.
Finis *cui*, finis *qui* eſſentialiter eſt reſpectiuus, ibid. num. 2.
Et in motione ſubordinatus, ibid. n. 3.
Finis motio reſpectu amoris diuini, quin eum ſpecificet, ſatis à Theologis doctioribus agaita, etſi non ſatis explicata controu. 6. d. 4. q. 4. cert. 3. num. 4.
Phyſic. Finis *qui* amari nequit, quin fini *cui* amor adſit, imo natura præcedat contr. 6. d. 4. q. 4. cert. 3. n. 6.
Finis primi peccati dæmonis à reliquis eius peccatis participandus improbabiliter dicitur controu. 8. d. 5. q. 1. cert. 4. n. 8.
Vbi explicatur quomodo affectus noſtri etiam non ſubordinati in finc conueniant.
Fœlicitas creaturæ ipſi identificari nequit, in illam tamen naturaliter ipſa fertur contr. 4. d. 1. q. 1. cert. 3. n. 1.
Fœmina viro non natura ſeruit, ſed ex voluntario matrimonij contractu, & quo iure, contr. 8. d. 1. q. 4. cert. 1. n. 5.
Futuritio conditionata proprie reſpectu Dei cunctis creatis conuenit vti & abſolutis contingentia abſoluta. contr. 4. d. 2. q. 3. cert. 1. n 2.
Futuritio contingens, ſiue conditionata, ſiue abſoluta ſolis voluntatis actibus immediatè & primario conuenit. ibid. n. 4.

G

GLoria debitum præmium merito eſſe negatur à Patribus quandoque, & donum gratuitum aſſeritur; quo ſenſu & de quibus meritis explicatur controu. 5. d. 1. q. 3. cert. 4. n. 2.
Gratia. Gratia auxilians & formaliter iuſtificans ad condignitatem meriti gloriæ noſtrorum operum bonorum ſolummodo requiruntur contr. 5. d. 1. q. 3. cert. 4. n. 3.
Gratiæ auxilium præueniens ad congruum etiam operis noſtri meritum eſſentialiter requiſitum materialiter ſe habet ad meriti rationem formalem, quæ realiter formaliter à bono eius auxilij vſu arbitrij noſtri tota prouenit controu. 7. d. 3 q. 2. cert. 4. n. 8.
Proloquij illius Theologici: *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam* minus cauta intelligentia graues Theologi multi in ſemipelagianiſmum ſunt lapſi contr. 7. d. 3. q. 3. cert. 1. toto.
Vbi ſanctus Thomas vindicatus & toto cert. 2.
Imo eorum ſenſus eſt ſemipelagianiſmo maior error cert. 3. n. 1. & 2.
Verus & Catholicus eius proloqui Theologicus ſenſus ibid. n. 3.
De ſtatu ſuo in gratia phyſicam (ſecluſa reuelatione) certitudinem nemo habere poteſt, moralem vero plures poſſunt contr. 7. d. 3. q. 3. cert. 3. n. 2.
Gratia præueniens & operans à cooperante entitatiuè non differt contr. 7. d. 5. q. 2. cert. 3. n. 2.
Donatio gratiæ ſufficientis, ſine qua nec peccatum, nec damnatio foret, maius beneficium eſt, quam eius negatio contr. 7. d. 5. quæſt. 3 cert. 4. num. 8.
Gratiæ confirmatio iuſtificantis formaliter eſt non auxiliantis contr. 7. d. 6. q. 1. cert. 1. n. 1.
Dicit virtualem de ſe & à ſui initio perſeuerantiam in gratia, per tempus longum vitæ contra graues multaſque occaſiones & tentationes vehementes illam amittendi ibid.
Et à perſeuerantiæ dono addit habitum intentiſſimum amoris Dei ſuper omnia à Deo infuſum quo moralis impotentia antecedens peccandi ita confirmatis ſit ibid. cert. 3. n. 1.
Gratia formaliter iuſtificans infuſa independenter ab vſu libertatis erga peccatum potentiam peccandi pro ea duratione euertit contr. 8. d. 3. q. 4. cert. 2. n. 4.
Gratiæ auxiliantis efficacia phyſica etſi non infallibilis experta delectatione boni affectus plerumque indeliberati frequenter conſtituitur contr. 8. d. 4. q. 6. cert. 4. n. 7.
Gratia Dei per Chriſtum quoad modum ſupernaturalis ad opus etiam minimum moraliter abſolute bonum & honeſtum requiritur contr. 8. d. 5. q. 1. cert. 2. n. 6.
Contra gratiam Dei auxiliantem quomodo Pelagiani, & Semipelagiani errarint, vide his verbis littera P. & S.

H

HAbitus non ſua natura ſed à contrariis aliis pereunt controu. 8. d. 2. q. 3. cert. 6. n. 1.
Habitus à Deo intenſus ex actibus gigni abſolutè poteſt, vt moralem impotentiam antecedentem ad oppoſitum nobis faciat contr. 8. diſp. 5. quæſt. 1. num. 5.
Habitus vitioſi infundi à Deo abſolute poſſunt. cont. *Anima.* 8. d. 5. q. 1. cert. 4. n. 6.
Homo qui vixit & obiit quo pacto idem tot materiæ *Reſurrectio.* partibus deperditis, & in alterius alimentum cedentibus reſurgat controu. 8. diſp. 2. quæſt. 4. cert. 3. num. 2.
Homo nullus ad gradum Hierarchicum Angeli, cum aſſumetur quantum Angelis ſanctitati, meritis & gloria præcedat. controu. 8. d. 2. q. 5. cert. 5. num. 4.

I

IDem manens idem ſemper eſt natum facere idem, *Phyſic.* de naturalibus ſolum agentibus eſt verum contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 4.
Idæalis Dei cauſatio prædicata eiuſdem lineæ cum effectu formaliter eminenter in eo requirit contr. 4. d. 3. q. 4. cert. 2. n. 3.
Ignis noſter mixtus non ſua natura ſed defectu ne- *Phyſic.* ceſſarij ad ſui conſeruationem perit, contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 6. n. 1.
Inferno infimus terræ locus negari abſque temeritate nequit contr. 8. d. 4. q. 4. cert. 7. n. 1. *Metaq.*
Indiuiduatio rerum non ſumitur à materia. contr. 8. d. 2. a. q. 4. c. 3. n. 2.
Indiuiduis qua talibus, vniuoca conuenientia, imo & æqualitas repugnat contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 4. n. 1.
Impeccabilitas à natura ſolius Dei propria contr. 4. d. 3. q. 2. cert. 1. n. 1.
Impeccabilitate abſoluta libertatem creaturæ perituram Patres qui putantur non docent. controu. 4. d. 3. q. 1. cert. 6. n. 5.
Impeccabilitas de ſe, & natura ſua, determinative ad bonum, eius intrinſecæ libertati repugnat contr. 4. d. 3. q. 1. cert. 6. n. 8.
Imo & impeccabilitas abſolutæ creaturæ per donum vniuerſale facta repugnat, ibid.
Et tamen impeccabilitas & ad bonum quoad ſpeciem determinatio competit Beatis ibid. n. 9. *Beatitudo.*
Imperium intellectuale monaſticum reſpectu actus voluntatis repugnat contr. 6. d. 2. quæſt. 2. cert. 3. *Anima.* num. 6.
Imperium politicum intellectuale & quoduis pure intrinſecum Deo ad creaturas rationales prorſus repugnat. contr. 6. d. 2. q. 1. cert. 4. toto.
Imperium ad actum ſpei abſque voluntatis deliberatione infundi à Deo nequit contr. 8. d. 3. q. 2. cert. 2. *Spes.* num. 3.
Intentio vera & ſeria finis voluntati non apponendi *Anima.* media ſaltem ſufficientia, quæ in poteſtate intendentis ſint repugnat controu 6 d. 1. q. 2. cert. 2. n. 4.
Intentio Dei citra efficaciam ſeriiſſima finis liberi creaturæ ipſum ad efficacia media apponenda determinat contr. 6. d. 3. q. 1. cert 2. n. 4.
Secus nos n. 5.
Intentio & electio vere formaliter tales nequeunt *Anima.* realiter identificari contr. 6. d. 2. q. 1. cert 3. n. 2.
Nec imperans actus & imperatus ibid. n. 3.

Intentio efficax eorum, quæ alterius potestati subsunt esse absolutè potest contr. 6. d. 2. q. 3. cert. 5. n. 6.

Determinabit intendentem ad agendum quidquid in se est ad finis consecutionem. ibid. & contr. 7.

Intentionem inefficacem sufficere Deo ad prouidentiam de mediis ad finis consecutionem dogma Catholicum est. contr. 6. d. 3. q. 1. à cert. 1. n. 1. & contr. 7.

Anima *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*, proloquium de sensitiuis cognitionibus & nostris intellectualibus à corporeo organo dependentibus verum habet. Secus de intellectualibus ita non dependentibus. contr. 8. d. 4. q. 5. cert. 5. n. 8.

Induratio voluntaria Pharaonis ad credendum, & obediendum moralis antecedens impossibilitas fuit & vnde suborta contr. 7. d. 5 q. 2. cert 3. n. 6.

Induratio in malo duplex d. 6. q. 1. cert. 4. n. 1. Addit necessitati consequenti diutinè peccandi habitum intentissimum peccandi, in vno, vel pluribus generibus quo virtualiter permanenter perseuerantia peccati, seu peccandi contra frequentes & vehementes Dei inspirationes, & potentissima alias assistendi peccato motiua, continetur. ibid. n. 8.

Fit connaturaliter ex actibus frequentibus intensis saltem virtute obdurati. ibid. n. 4.

Potest per accidens à Deo infundi in vno genere vel altero peccati induratio, omnigena vero moraliter non potest infundi viatori à Deo adhuc in anteactorum pœnam, nisi assueto diutinè abusui gratiæ & dictaminis rationis generalis de honestate neglectori continuo. num. 8.

Intellectus pura potentia & omni denudatus forma, non physicè sed intentionaliter debet intelligi. contr. 8. d. 2. q. 2. cert. 5. n. 1. Et q. 3. cert. 1. n. 1.

Impotentia moralis rei præceptæ exequendæ obligationem & præcepti creati valorem euacuat, secus naturalis & diuini contr. 8. d. 5. q. 1. cert. 4 n. 7.

Iræ definitio, & ab iracundia distinctio. contr. 4. d. 5. q. 3. cert. 2. n. 2.

Inimicitia & odium etiam iustum ob eorum honestatem realiter formaliter nequit haberi. contr. 4. d. 3. q. 2. cert. 2. n. 6.

Iudicium Iudicantis cognitio non est. contr. 4 d. 1. q. 2. cert. 2. n. 7.

Morale Iuramentum assertionis de furiendo additum promissionem ei cuius interest, illam reddit secus additum assertioni de præsente voluntate faciendi. contr. 5 d. 1 q. 3. cert. 1, n. 6.

Morale Iustitia late est, *cum lege, & recto rationis dictamine in agendo conformitas.* contr. 5. d. 2. q. 1. cert. 1 n. 1.

Morale Iustitia legalis, *conformitas cum lege commune bonum Reipublicæ respiciente.* ibid.

Reliqua ad strictè dictam iustitiam vide verbo virtus iustitiæ.

Morale Ius vindicatiuum, & punitiuum iudici creato debitum exercendi illud in scelestos affert. contr. 5. d. 2. q. 4. cert. 2. n. 1.

Ius ac debitum iustitiæ vindicatiuæ oppositio modo se habet in supremo in creato iudice Deo ib. num. 2.

Morale Ius iustitiæ commutatiuæ non obligat illud habentem ad exercitium. ib.

Ius iustitiæ commutatiuæ ex prima rerum diuisione ante formatas Respublicas & iudiciarias publicas potestates quisque se ipso ex eius virtutis honestate exercere potest, & hunc per occultam compensationem, cum sua recuperare aliter nequit. ibid. n. 3.

Iuri ac debito graui pœnali maximè personali, ex iustitia vindicatiua satisfaciendo Reus non tenetur. ibid.

L

Liber vitæ non est præscientia finalium meritorum gloriæ prædestinato ill, nec libere mortis, demeritorum finalium reprobi præscientia formaliter loquendo, etsi virtualiter ita dici possint & causæ libri Hispanè, *processos* formaliter, quorum in Apocalypsi & officio defunctorum mentio, contr. 7. d. 6. q. 2. cert. 2 n. 5.

Liber neuter proprietate rigidi sermonis in Deo est & si Theologico verò sensu de vitæ libro sit in scriptura mentio, de mortis libro nulla; eóque sensu admitti debet vterque. ibid. n. 2.

Vbi & liber causæ hispanè, *processo* vtrorumque, ibid. n. 3.

Stat vero liber vitæ in præscientia Dei de executiua electione gloriæ prædestinati. ibid cert. 2. n. 3.

Mortis vero liber in præscientia absoluta decreti executiui mortis reprobi. ibid. cert. 2. n. 4.

Ad librum vitæ, ac mortis spectantia loca exodi. 3. & ad Romanos. 9. explicantur. ibid. toto cert. 3.

Vbi de impossibilitate transitus ab vno libro ad alterum.

Liberalitas dominij rei donatæ collationem donatario essentia sua importat, secus translationem dominij donatoris in illum, seu huius à dominio abdicationem, quæ ex imperfectione dominij & donatoris solum venit. contr. 5. d. 2. cert. 2. n. 4. *Turri*

Idcirco liberalitas diuina propria & perfectissima absque ea dominij Dei donata abdicatione & translatione ne quoad minutulam partem à Deo exercetur. ibid.

M

Magi virgas coram Pharaone in veros serpentes verterunt & quomodo contr. 8. d. 2. q. 1. cert. 5. n. 9. *Physica*

Maria Deipara tota hominum & Angelorum collectione multis titulis Deo charior. contr. 4. d. 4. q. 4. cert. 4 n. 1. *Maria*

Maria Deipara adæquatæ predestinationis hominum & Angelorum paucis exceptis causa meritoria fuit. contr. 7. d. 3. q 6. cert. 2. n. 1.

Maria Deipara confirmata in ea gratia & amicitia Dei fuit, cui moralis, vt minimum, potenti à ad veniale & minutulam quamvis imperfectionem repugnabat. contr. 7 d. 6. q. 1. cert. 3. n. 4.

Materia corporum indifferens de se ad corporeitatem, & spiritualitatem exoticè & somnianterà nescio quo recenter contra Patres, Concilia, Theologos & Philosophos cogitabatur. contr. 8 d. 2. q. 2. cert. 2. n. 1. *Physica*

Imò & talis possibilis sòniari solùm potest. cert. 4. n. 5.

Media remota & proxima fini amari non debent, nec inter eorum electiones ordo necessarius est vt est inter electionem & intentionem. contr. 4. d. 6. q. 1. cert. 3. n 5. *Anima*

Mediorum electio non semper à nobis è finis intentione amatur; secus à Deo. contr. 6. d. 6. q. 4. cert. 2. n. 1. *Anima*

Media remota ob proxima, & ad hæc vtilia ex finis intentione amari nequeunt. contr. 7. d. 4. q. 4. cert. 3. n. 2. *Anima*

Merita iusto obeunti nullum ius ad gloriam queruntur contra Deum. contr. 7. d. 2. q. 1. cert. 2. num. 4. *Meritum*

Merita operum prout in intentione præcisè merita fictitia sunt, & voces eluforiæ. contr. 7. d. 2. q. 5. cert. 5. n. 1. *Meritum*

Meriti nostri operis ratio formalis proximè tota nostro vsui gratiæ tribuitur, & respondet gratiæ vero ac Deo materialiter & remotè in radice scilicet gratiæ necessariæ & congruæ vocationi. contr. 7. d. 4 q. 2. cert. 1. n. 6. *Meritum*

Merita nostra quare Deo & principaliter tribuantur nullatenus vero demerita etsi actum primum ad illa constituat & concurrat. ibid. n. 7. *Meritum*

Mors nobis vero sensu præternaturalis; corporis vero ab anima separatio violenta propriè est, *Physica*

est, ac reunio eius ad corpus aliquando ipsi exigentiæ physicæ & moralis titulis absolutè naturalis, etsi actiua creata virtus ad illam deficiat. contr. 8. d. 2. q. 2. cert. 4. n. 6.

Moral Morales aliquot virtutes ad communiter nominatas, indirectè solum & ex parte spectant. contr. 5. d. 2. q. 3. cert. 2. n. 4.

Motus & tempus solum possunt natura sua fluxo termino ligari. contr. 8. d. 2 q. 3. c. 5. n. 7.

Physica Motus grauium sursum & leuium deorsum moralæ non ex sua natura, sed ab extrinseco, & virtutis actiuæ defectu veniunt. ibid. cert. 6. n. 1.

Physica Mundi pars quo sensu dici Deus potest. contr. 4. d. 3. q. 3. cert. 4. n. 10. sed ius.

Moral Sed ius mundi quod partium suarum reliquarum iuribus præualet iuri supremi dominij Dei non præualet sed cedit. ibid.

Physica Mundus ex bonis malisque, tam physicis quam moralibus constans, constante solis bonis perfectior. contr. 6. d. 1. q. 3. cert. 4.

N

NEcessitas absoluta & absolutè talis decernendi faciendique optimum erroneè Deo adscribetur. contr. 4. d. 3. q. 3. cert. 1. n. 2.

Vbi sensus Catholicæ disputationis de necessitate Dei ad optimum. n. 3.

Necessitate physicæ, & moralis distinctio. contr. 4. d. 3. q. 3. cert. 2. n. 1.

Necessitas physica & metaphysica in Deo diuersa non est, secus in creatura. ibid.

Necessitas absoluta physica volendi faciendique optimum, seu melius ex creatis Deo non adest. contr. 4. d. 3. q. 3. cert. toto.

Nec propria moralis. ibid. cert. 4. n. 1.

Nec ex decreto creandi mundum. ibid. n. 6. nec ex decreto creandi hunc mundum ad eius optimum necessitas physica est ibid. n. 7. neque ad eius optimam obiectiuam gubernationem. ib. n. 8.

Nec ex finis intentione etiam efficaci ad optimum præ aliis medium. ibid.

Iuris Nobiles ex contractu obligati in foro externo personaliter non manent. contr. 5. d. 2. q. 3. cert. 2. n. 2.

Exemptionis huius nobilium ratio & explicatio. ibid. cert. 3 n. 5.

O

Anima OBiectum motiuum specificatiuum actus creati est, secus diuini contr. 4 d. 1. q. 3. cert. 2. n. 3.

Odiis Dei specificatiuum assignatu ab aliis difficile, à nobis facilè contr. 4. d. 5. q 1. cert. 2. n. 7.

Iuris Obligationis realis & personalis discrimen. contr. 5. d. 1. q 3. cert. 1.

Iuris Obligatio realis quæ non personalis & personalis, quæ non realis in reste repugnat. ibid. cert. 3. n. 4.

Omnipotentiæ dese immediata connexio cum actibus liberis etiam qua possibilibus specialiter reiicitur; nec nisi ex parte & mediatè connexa permedia motiua voluntati connexa admitti ab vllo potest. contr. 7. d. 3. p. 1. cert. 7. n 5.

Meritum Operi bono absolutè morali meritum omne quantulumcumque, salutis ac subinde rationem gratiæ negantes notantur & carpuntur. contr. 7. d. 4. cert. 3. n. 3.

Ordo actus imperantis & imperati verus realis intentionalis, non physicus in Deo non repugnat. contr. 4. d. 6. q. 4. cert. 1. n. 3.

Imò adest, ibid. cert. 2.

P

De peccatis PEccatum Dei destructiuum dici proprie nequit. contr. 4. d. 5. q. 1. cert. 1. n. .

Peccati odium quoad exercitium Deo secundum se præcise sumpto necessarium absolute non est. n. 2.

Secus quoad speciem. n. 4.

Est autem peccati odium Deo connaturalissimum; & ex præsuppositis eius affectibus de facto, moraliter quo ad exercitium etiam necessarium. n. 5.

Peccatores viatores odio inimicitiæ propriè Deus non prosequitur. ibid. q. 2 cert. 1. n. 4. *Gratia*

Peccatores & inimicos præcise qua tales, & quamdiu odio habendi & puniendi speciale & proprium Dei ius specialiter ostenditur. n. 3. *& de peccatis*

Peccatum possibile qua possibile præcisiue amari à Deo nequit. 6. q. 3. cert. 2. n. 3.

Permissio peccati explicatur. cõtr. 6. d. q. 1. 3 cert. 3. n. 7.

Constituitur obiectiue cogitatione sufficiente secundum positiuum potestatis quam affert voluntati ad non peccandum & secundum negatiuum efficacis, quatenus ex parte principiorum creatorum est. cert. 3. n. 7.

Permissio malorum supremo rerum Domino quiescit ac potest de illis malis quid bonum facere, ipsius prouidentiam non dedecet. cert. 4. n. 1.

Pœnitentiæ amore anteriore ad peccatum posterius natura apponendum amare peccatum non debet nec potest Deus. contr. 7. d. 4. q. 4. cert. 3. n. 1.

Permissio peccati nostri ex meritis Christi esse absolutè potest. n. 6.

Prædestinatos præsertim ex sublimi Augustini ratione. n. 5. Damnatos jam propriæ inimicitiæ odio prosequitur. cert. 2. n. 1.

Peccatorum aliquot irremissibilitas hominibus adultis viatoribus ex decreto Dei efficaci error Armecani confutatus. d. 5. q. 2. cert. 2 n. 1.

Peccatores quo sensu non solum *velle* sed & posse auferant sibi. cert. 3. n. 3.

Pelicanus rostro pectus ferit, vt grauantem sanguinem fundat, non vt filios alat. contr. 8. d. 1. q. 1 cert. 2. n. 5. *Physica*

Petrus plus Ioanne Christum amans & plus etiam ab hoc amatus. contr. 4 d. 4. q. 4 cert. 5. n. 1.

Possibilia qua talia præcisè, bona absolutè non sunt. contr. 4. d. 2. q. 2. cert. 3. n. 3.

Imò nec secundum quid bona sunt. ibid. n. 4.

Quare nec amari pro eo statu possunt. ibid. ac deinceps.

Mouent tamen qua talia cognita, & Deo & nobis desiderium, & quomodo ibid. cert. 4 n. 12.

Stricto amore à nullo amari queunt. contr. 1. d. 4. q. 1. cert. 2. n. 2.

Potentiæ logicæ, seu possibilitatis rerum vt sint à potentia physica ad idipsum discrimen. contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 4. n. 3.

Potentiæ vitales à substantia animæ realiter non differunt. d. 5. q. 1. cert. 1. n. 3. *Physica*

Potentia obedientialis creatis ad quidvis agendum communis, absurda, incredibilis & ex terminis falsa. q. 4. cert. 2. n. 3. *Physica*

Nec potest esse ad aliquid agendum in re vna quam in alia proportionaliter n. 4.

Passiua etiam obedientialis communis creaturis male ab aliquibus inducta. ibid.

Vtraque pictam visui tabellam Philosophiam & Theologiam reddit. cert. 5. n. 1.

Altera vero ex altera legitimè infertur. n. 3.

Practicæ & speculatiuæ differentiæ sunt accidentales scientiæ differentiæ. contr. 6. d. 2. q. 1. cert. 3. n. 10.

Prædestinationis significata varia & curiosa vocum simplicium & compositarum ad significandum diuersitas explicatur. contr. 7. d. 1. q 1 cert. 1.

Sola diuini decreti antecedentia durationis prædestinatio propriè diceretur, sed aliam & præcipuè Theologico sensu significat. n. 2.

Vbi emphasis illius ad Ephes. 1. elegit nos in Christo ante mundi constitutionem tota aperitur. Significat prioritatem naturæ decreti diuini respectu suorum effectuum aptissimè. cer. 2. n. 3.

Eam habet prædestinatio absolutam respectu finis & mediorũ effectuum. Significat item prioritatem

affe-

affectiuam, siue in Dei affectu finis & effectuum, cert.3.n.1.
Insuper intentionalem affectiuam prioritatem prælationis prædestinati præ non prædestinato.num.3.
Prædestinatio ad fidem, & iustitiam non absolutè dicta sed secundum quid prædestinatio est, n.2.
Prædestinatio Dei visionis Dei ad hominis fœlicitatem impropria locutio, ibid.
Prædestinari pauculos solos efficaciter antecedenter ad gloriam electos temerè dictum à Durando, n.4.
Et in fidem periculose,n.5.
Prædestinatio omnimodam prioritatem sine posteritate vlla respectu meritorum propriè, & fidei consone dicit, cert.4.n.1.
Prædestinatio in malum culpæ malè & impropriè dicetur, n.2.
Imò, & in malum pœnæ,n.3.
Prædestinationis prioritates omnes eius definitione Augustinus collegit, ibid.
Prædestinationem negantium errores ad tria capita redacti, q.2.cert.1.n.1.
Prædestinatio saluandorum omnium existit, proximéque id ad fidem spectat, n.3.ac deinceps,ac toto cert.2.
Prædestinatio intentionem efficacem gloriæ non continet.d.2.q.1.n.4.
Sed nec inefficacem.cert.3.n.1.
Non facit Deo necessitatem donandi gloriam iusto obeunti antecedentem quam ei facit promissio, sed consequentem,cert.2.n.4.
Prædestinatio scientia media & electione auxiliorum efficacium directè, & essentialiter adæquate constat q.2.cert.1.n.1.ac deinceps, & toto cert.2.
Eius intrinseca, & essentialis influstrabilitas facile, & fœliciter cum nostra libertate constat, n.3.
Vlteriores conclusionis probationes confirmatæ, cert.3.
Duæ aliæ nostri Vasquez dogmatibus attributionis principalioris bonorum parum Deo quam nobis, & maiori gratia Dei in donatione auxilij efficacis præ inefficaci à Recentiorum obiectionibus vindicantur, toto cert.4.
Postrema communis ratio ex essentia prædestinationis,cert.5.toto.
Prædestinatio decreto reflexo non eligendi, & donandi auxilium nisi efficax opus non habet, vt quia efficax donetur non aliter prædestinato donandus,cert.6.n.1.
Nec si eo decreto daretur prædestinati libertas periret,n.2.
Vt auxilium efficax, quia efficax prædestinatiuè eligatur non debet eius efficacia amari, cert.7.n.2.
Nec potest amari formaliter, & expresse, n.4 nec si amaretur consensus nostri libertati officeret, n.5.
Subtilis affectiua prælatio, & prioritas prædestinati respectu reprobi non amata efficacia auxilij ipsi donati,n.3.
Prædestinatio scientiam simplicis intelligentiæ,& visionis plurium obiectorum supponit n.6.
Sola scientia media prædestinationem intrat, n.6.
non tamen scientia media de actibus indifferentibus qua talibus solum,n.7.
Vbi minutius obiecta scientiæ mediæ prædestinationem constituentis recensentur,ibid.
Electioni prædestinatiuæ auxilij efficacis regulatio per scientiam mediam absolute an essentialis sit alij aiunt,alij negant;neutri probant.cert.8.
Verosimilius negatur, n.7.
Prædestinatio vero Theologico sensu electio prædestinati ad gloriam absolutè dici debet ab antecedente merita efficacia præscindendo,q.3.cert.1.n.1.
Cum ex magisteria intentione, etsi inefficaci gloriæ prædestinati cuiusvis quam reprobi, n.2.
Tum etiam posita æqualitate intentionis ex qua vtriusque prouidentia venit specialiter explicatur, n.3.
Pro efficaci electione prædestinati ad gloriam ante præuisa merita, vel contra illam male antiqui Scholastici referuntur: bene autem pro illa Dominicani Thomistæ recentiores,n.5.
Electionem efficacem antecedentem merita necessariam ad prædestinationem negant Doctores omnes societatis supererogatorie vero de facto omni prædestinationi præsupponi docent ex eis non pauci,cert.2.n.1.
Negant vero plures,n.8.
Vtrique vero irritò ex patribus pro alterutro laborant toto cert.3.& 4.
Affirmatiuæ sententiæ fundamenta à ratione, & tres modi à Soario excogitati cert.5.n.2.
Ad n.4.inclusiue.
Male à Vasquez impugnatur, num.5. ac deinceps.
Nec melius à Lessio,& aliis, etsi non bene à Soar. soluantur, toto cert.6.
Nec magni magistri Didaci Daza subtiliores impugnationes satis efficaces,toto cert.7.
Etsi affirmantes de facto satis efficaces verosimilibus congruentiis confutet,n.8.
Prædestinatio electionem prædestinati efficacem ad gloriam antecedenter ad merita nec claudit de facto nec supponit,cert.8.n.1.
Immò, nec claudere potest, nec supponere, n.4.
Prædestinationi intentionem gloriæ partim efficacem partim inefficacem ante merita supponi quidam irrationabiliter somniarunt,n.6.
Prædestinationis subiectum omnis creatura rationalis esse potest, ita vt vel vna imprædestinabilis à Deo repugnet,d.3.q.1.cert.2.n.1.
Ex Patribus, & Scholasticis priscis, toto cert.3. & 4.
Ex ratione, cert.5.
Et reiectis leuibus aliorum rationibus cert.6.
Aliæ adduntur,cert.7.
Imprædestinabilitas animarum quarundam natura sua terrenarum error Valentini, & hominum aliquorum ex genij diuersitate ortij, ex corporis constitutione pro eorum sub aliqua constellatione ortu: error aliorum confutatur, q.2. cert.1. n.1.
Et alius Origenis de naturalibus meritis animarum aut demeritis, ante immersionem in corpora vt illæ prædestinarentur,n.2.
Prædestinatio adæquatè sumpta ex meritis naturalibus nostris error Pelagij propulsus, n.3.
Semipelagianus error de prædestinationis & iustificationis initio ex meritis naturalibus nostris solummodo fuit,nec condignis quidem, sed intra congruitatem tenuissimis, & ansulis solum,cert.1. n.5.
Et ea adhuc ad merendam proximè perseuerantiam negabant,n.8.
Ad prædestinationis initium nullum meritum adhuc congruum tenuissimum,seu ansulam solum ex viribus naturæ dari de fide, & ratione certum est,cert.4.n.2.
In oppositum Semipelagianum errorem ex prolocutio illo, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, intellecto de faciente ex puris naturæ magni Doctores propenderunt vel lapsi potius sunt, q.8 cert.1.toto.
Confutati effugijs præclusis toto cert.1.
Immò alium errorem Semipelagianismo addiderunt, cert.3.n.1.
Verus dogmaticus proloquij sensus est Deum gratia sua præueniente nulli adulto deficere,sed hunc sibi illius abusu,ibid.n.2.
Neque prædestinationis suæ adæquatæ vr initium complectitur,

complectitur, opetibus ex gratia ortis causa esse potest q.4.cert.1.n.1.
Ob dependentiam auxilij efficacis, & proprij prædestinationis quoad efficaciam à nostro absoluto consensu aliqua prædestinationis ab eo, & à nobis admitti debet, cert.2.n.1.
Prædestinatio electionisve auxiliorum efficacium, ac non inefficacium ex propositis nullatenus à nobis pendet.n.3.
In potestate prædestinati est, non prædestinari, n.7.
Prædestinatio ex parte materiæ seu medij, & obiecti per eam eligendi potestati prædestinati subest, n.8.
Negationis prædestinationis nostræ causa adæquata esse possumus.n.7.
Imò, & prædestinationis ex parte materiæ, seu medij & obiecti per eam eligendi, ibid.
Etiam adæquatè sumptæ prædestinationis.n.9.
Sine addito ex parte materiæ, & obiecti dicto nemo suæ prædestinationis aut negationis eius causa esse potest.n.10.
Qui negarint Christum causam esse prædestinationis hominum adæquate secundum totum quod dicit, Authores, & modi omnes, q. 5. cert.1.
Adæquatè sumptæ prædestinationis nostræ causa extitit Christus, cert.2.n.1.
Etiam Protoparentum nostrorum.n.8.
Et Angelorum omnium paucis exceptis.n 9.
Etiam provt prædestinatio hominum, & Angelorum est electio eorum præ reprobis relictis, n.10.
Prædestinationis alienæ adæquatè etiam sumptæ pura creatura ex gratiæ auxilio causa meritiua esse absolute potest, quæst. 6. cert. 1. n. 3.
Ad meritum prædestinationis alienæ non ex intentione salutis alienę dari auxilium efficax potest, secus ipsi ad meritum ex quo salutem obtinebit, n.4.
Prædestinationis omnium hominum, & Angelorum, præfatorum adæquatè sumptæ causa meritoria Deipara fuit cert.2.n.1.
Nemo alterius prædestinationem adæquatam est promeritus, n.6
Conditionum ad effectus prædestinationis quæstiones inutiles repulsæ.d.4.prol.
Prædestinati substantia non est prædestinationis suæ effectus, ibid.q.1.cert.1.n.3.
Necesse potest, cert.2.n.1.
Sed nec quidquam illi identificatum realiter, aut supernaturale ipsam natura præcedens, cert.3. n.2.
Nec illa posterior natura si omnimodo naturale sit, n.2.
Supernaturalia omnia, quoad modum adhuc, substantia prædestinati posteriora, & cum eius gloria coniungenda sunt prædestinationis eius effectus, n.3.
Gratiæ, & prædestinationis effectus innumeri per capita recensentur.n.4.
Gratia omnis supernaturalis quoad substantiam, qua tentationi quis resistit effectus prædestinationis est ex fide Hæreticis etiam indubitata, cert.4.n.1.
Et victoria omnis absolute talis tentationis, n.2.
Immò, & quæ leviori peccato admisso de tentatione ad majus habetur à prædestinato, n.3.
Plura præter gloriam prædestinati sunt prædestinationis effectus.q.2.cert.1.n.2.
Est etiam effectus illius gloria ipsa n.3.
Et prima vocatio efficax ex qua serie prædestinationis texitur.n.3.
Et auxilia sufficientia inter media secundum intrinsecam conducentiam ad salutem plerumque effectus prædestinationis suæ prædestinato sunt, n.5.
Et merita prædestinati provt realiter formaliter ab ipso sunt.n.6.
Obiectum solum nec moraliter suasiuum ad salutem conducens de facto effectus prædestinationis est, etsi solum quoad modum supernaturalis sit, cert.2.n.4.
Gratia, & merita prædestinati peccato interrupta etiam vt primo collata, & habita sunt effectus prædestinationis.n.5.ac deinceps peculiaribus rationibus.n.6.
Malum culpæ effectus prædestinationis esse nequit.q.4.prol.
Amatur sæpe à Deo eius permissio & ipsum nobis in bonum occasionaliter cedit, ibid.
Permissio peccati effectus prædestinationis male per extrinsecam & materialem electionem defenditur toto cert.2.
Est tamen intrinseca electione, & formali ex intentione gloriæ, & amore pœnitentiæ, per quam obstinenda est, prædestinationis effectus, cert.3. toto.
Prædestinatio Sanctorum liber vitæ ab scriptura memoratus Theologico sensu non est, d.6.q.1.cert.1. n.5.
Prædestinatorum numerus ex Angelis, & hominibus conflatus numero reproborum ex vtrisque collecto longè est maior, q.3. cert.2. n.4.
Prædestinatorum vero hominum, hominum reproborum numero absolute loquendo longissimè minor.cert.2.n 1.
Atque idem est de collectione ex adultis fidelibus, & infidelibus tam prædestinatorum quam reproborum, ibid.
Immò, & numerus infidelium adultorum maior est numero prædestinatorum ex adultis, & paruulis fidelibus compacto: comparatione vero facta inter fideles tam paruulos quam adultos Ecclesiæ Dei legis triplicis naturalis, scriptæ, & Euangelicæ in ea obeuntes prędestinatorum quam reprobotum amplior numerus est; ex fidelium vero omnium collectione plures sunt reprobi quam prædestinati, n.4.
Prædestinatarum fœminarum quam hominum maior numerus est, n.11.
Præmium inseparabile à merito nequit natura sua esse, secus ex præmiaturi voluntate, contr.5.d.1.q.3. cert.4.n.6.
Promissio propria Deo adest pactumque, & fœdus ac testamentum contr.5.d.1.q.3. cert.1. n.1.
Vbi earum vocum in significato diuersitas, ibid.
Promissio pura præsentis voluntatis de aliquo præstando, aut agendo ne in Deo quidem est, num.3.
Dei promissione nullam ipsi obligationem personalem induci, sed solum realem, seu rebus promissis subtilis, & erudita nostri Didaci Ruiz de Montoya, qui aliquod ipsi ex illa agnatum concedit infra cert.2.n.2.
Aliquod certe Deo agnatum, debitum aliquod personale præstandi promissa promissiatiæ creaturæ tanquam termino, ipsi ex promissione agnatum Catholici omnes concedunt, & debent, n.5.
Probatur vsque ad finem certaminis, & ex debito passiuo creaturarum pure tali, cert.3.n.3.ac deinceps.
Probatur solutione argumentorum plurium pro aduersa sententia, cert.4.toto.
In promissione iustificationis impij ob merita congrua imaginaria solutio huius & Dei creditore victualis remissio est.n.5.

Promissio diuina facta creaturæ nullum ius strictum parit ipsi contra Deum, nec Deo debitum promissariæ creaturæ affigit, sed eo ipsi ex fidelitate solum, d. 2. q. 2. cert. 1. n. 8. & cert. 3. n. 6.

Prouidentiæ significatio varia, & philosophica, ac theologica pro cura, & procuratione euentus, & qui Deo curam absoluti erga creata negent, contr. 6. d. 1. q. 1. cert. 1.

Asserenda est ex fide, & naturæ lumine, cert. 2.

Prouidentia Deo erga rationales creaturas earumque actiones, siue factas siue faciendas negarunt Philosophi aliquot; nullus autem Patrum, q. 2. cert. 1. toto.

Asserenda est tam de actionibus factis quam faciendis ex fide, & demonstratione, cert. 2. toto.

Demonstratio Psalmo 72. contenta ostenditur, n. 3.

Et Isai. 45. luculenta explicatione, certam. 3. n. 4.

Et expressius à Paulo Patribus, & Platone, num. 5.

Prouidentia Dei erga prauas actiones creatas vt sint, negata ab aliquibus, quæst. 3. cert. 1. n. 2.

De iam factis prouidentia Dei de fide est; ac item vt sint esse à Deo prouisas non intentiue, sed permissiue sine temeritate negari nequit, q. 3. cert. 1. n. 4.

Exinde probatur ex scriptura ex Augustino, & Patribus tam Latinis quam Græcis, certam. 2. toto.

A ratione toto cert. 3.

Prouidentia Dei erga actiones prauas vt sint grauibus absurdis negantis sententiæ probatur, cert. 5 n. 4. ad 6. inclusiue, vbi præcipue contra conclusionem difficultatis tertia solutio.

Prouidentiam vniuersalem erga omnia, & singula creata qui negarint, vindicato ab eo errore Hieronymo, quique affirmant recensentur: q. 4. cert. 1. vsque ad numerum 5. inclusiue.

Sententia affirmans dogma fidei est ex scriptura, & Patribus, n. 6.

A ratione demonstratur multipliciter, toto certamine 2.

Prouidentia Dei speciatim de abiectissimis ab scripturæ, & Patrum, & Philosophorum authoritate & speciali multiplici demonstratione, cert. 4. toto.

Prouidentiæ Dei absolute monstruosos effectus non subesse, sed respectus etiam Dei esse casuales, ac similiter infortunatos nostros, vel saltem qui ex nostra libertate pendent immediatæ Dei prouidentiæ non subesse qui docuerint referuntur, certam. 5. vsque ad numerum 4. inclusiue.

Eiusmodi effectu monstruosi infortunatos, & casuales, tales non sunt respectu Dei sed eius prouidentiæ absolute subiacent, n. 4.

Exinde probatur authoritate, & demonstrationibus, n. 5. ac deinceps.

Prouidentia immediate ac per se ipsam rerum omnium Deo ab aliquibus negata, q. 5. certamine 1. toto.

Est tamen ex fide & ratione asserenda, cert. 2. n. 1. & cert. 3. toto.

Vniuersim & contra modos omnes mediationis excogitatos singulatim.

Prouidentiæ diuinæ erga creata immediationi non abest, quod immediatam etiam aliam erga aliquæ creatura alicui demandet, ibidem n. 10.

Prouidentia Dei intellectus vel voluntatis vel vtriusque est d. 2. q. 1. cert. 1. n. 1.

Maior minorque seruetas solum erga effectus mediate, vel immediate liberos esse potest, num. 3.

Prouidentia ex minus seria intentione quam potest circa eos habenda sola scientia simplicis intelligentiæ dirigitur ibid.

Ex seriissima intentione habenda opus scientia media directrice habet.

Prouidentia actu intellectus imperatiuo post voluntatem efficacem mediorum non stat in actu assertiuo, num. 6. nec in aliis deinceps reiectis.

Imperatiue non assertiue à Dominicanis Thomistis excogitatum ad prouidentiam confutatur, cert. 2. tot.

Et assertiuum ad ipsam à nostro Ruiz de Montoya toto cert. 3. ac deinceps.

Prouidentia de actibus scientiæ dirigentis, & electionis mediorum æque directe & adæquate constat, cert. 5. toto.

Prouidentiæ diuisio prima in obiecto vel liberam vel necessariam, q. 2. cert 1. n. 1.

Nulla tota sua serie obiectóve libera, vel necessaria ad purum est, ibid.

Liberæ in naturalem, & supernaturalem quoad substantiam, n. 3.

Prouidentiæ quoad modum supernaturalis sub obiectiue necessariæ, & liberæ membra vera, ibid.

Supernaturalis quoad modum extraordinaria vulgo dicitur, n. 4.

Prouidentiæ obiectiuæ liberæ diuisio in eam quæ de mediis sufficientibus & eam quæ de efficacibus prouidentiæ quoad intrinsecum est, sed accidentaria, n. 5.

Etsi præfatæ diuisiones generis in species Theologicis locutionibus aptius dicuntur, n. 6.

Prouidentiæ constitutiua electio mediorum efficax eorum, etsi non efficacium esse debet, cert. 1. num 1.

Prouidentia omnis scientiam simplicis intelligentiæ de fine & mediis requirit, n. 2.

Primo prouidentiam obiectiue necessariam sola illa ex parte scientiæ constituit, n. 3.

Vti liberam ortam ex seria, non tamen summè seria intentione finis, n. 5.

Prouidentia obiectiue libera ex intentione summe seria effectus creaturæ liberi scientia media necessario directiua ad electionem mediorum intrinsece & essentialiter constituit, cert 3. n. 1. vsque ad finem cert.

Arduæ contra conclusionem difficultatis in quam recens Theologi auditor incidit, plures aliorum solutiones reiectæ cert 4.

Legitima eius difficultatis solutio quod ..... prouidentiæ scientia media, & electione ..... efficaci per scientiam illam regulata efficaciter constitutæ & purificatione auxilij extrinsecus solum efficacis connexio cum consensu nostro liberè absoluto intrinseca physice non sinsecè pure extrinseca & logica, toto cert. 5.

Prouidentia obiectiue libera efficacem finis intentionem absolute non prærequirit, d. 3. q. 1. cert. n. 1.

Sed nec prouidentia summe seria de mediis efficacibus, cert. 2. n. 1.

Prouidentia obiectiue libera de mediis solum sufficientibus nequit ex summe seria finis intentione à Deo haberi, cert. 3. n. 2.

Sed nec ex circa summum physice vel moraliter seria n. 5.

Nec vltra minimum seria intentio ad eam prouidentiam requiritur, n. 3.

Potest tamen ex seria vltra minimum ea prouidentia procedere, ibid.

Prouidentia obiectiue libera de mediis efficacibus ex summe seria finis intentione haberi à Deo potest: non tamen à Deo seriam prærequirit, num. 6.

Imò intentio eadem ex qua prouidentia de mediis sufficientibus habita erga reprobos fuit, ad prouidentiam de efficacibus sufficiebat. n. 7.
Nequit tamen ex intentione minimæ serietatis prouidentia de mediis efficacibus haberi. numer. 8.
Prouidentiæ subiectum seu obiectum cui de mediis prouidetur, nihil pro statu possibilitatis præcisiuæ esse potest. q. 2. cert. 1. toto.
Vindicatur ab obiectionibus. cert. 2.
Nec facultates subiecto cui prouidetur identificatæ obiecta prouidentiæ esse possunt. numer. 3.
De ratione prouidentiæ vniuersim sumptæ non est finis intenti assecutio. q. 3. cert. 1. num. 2.
Est autem de collectim sumptæ prouidentiæ ratione. n. 4.
Nec de ratione prouidentiæ Dei est assecutio finis intenti gloriæ suæ. n. 7.
Ordo prouidentiæ punitiuæ in quem incidit reprobus à misericordi prouidentia recedens non est ex antecedente eius lapsum absolutè efficaci intentione Dei ipsum puniendi. cert. 2. numer. 3.
Nec ex inefficaci absoluta, sed conditionata, si labatur, & à misericordi prouidentia & ordine recedat. n. 4.
Necessitas obtinendi aliquem finem intentum prouidentiæ coniunctim sumptæ ex efficacia intentionis & ordinis alterutrius prouidentiæ in coniuncto contentæ non prouenit. numer. 8.
Subiecti seu obiecti, cui prouidetur conseruatio cùm propriæ cum alienę etiam quandoque prouidentiæ effectus est; propriè vero nequit effectus esse sui prima productio. q. 4. cert. 1. n. 2. & 3.
Extrinseca tota gubernatio & dispositio rerum est prouidentiæ effectus. n. 4.
Prouidentia suorum effectuum causa materialis aut formalis non est. cert. 2. n. 1.
Nec idealis seu exemplaris. n. 4.
Est tamen efficiens. n. 2.
Est ars & quomodo. n. 5.
Et dispositio Theologico sensu propria. numer. 6.
Non vulgari. n. 7.
Iudicium Factum Catholicum non ita proprio sensu. num. 8.
Pueri limbi quid & vbi æternitate post iudicij diem sint acturi. q. 5. cert. 5. n. 3.

R

Metaphysica Relatio transcendentalis ad terminum infinitum infinitatem trahere inde non deber. contr. 8. d. 4. q. 6. cert 5. n. 6.
Relatorum transcendentaliter specifica diuersitas ex indiuidua terminorum diuersitate satis desumitur. ib. d. 2. q. 5. cert. 4. n. 5.
Reprobatio creaturæ rationalis à gratia & gloria Deo possibilis ex fide & ratione monstratur. contr. 7. d. 5. q. 1. cert. 1. n. 1.
Reprobatio aliquorum à gratia efficaci & gloria est de fide, ibid. n. 2.
Reprobatio positiua à gloria nulli adulto aut infanti ante decessum in mortali vel actuali vel originali contingit. ibi. cert. 2. n. 1.
Vbi reprobationis à gratia efficaci & à gloria diuersitas. ibid.
Reprobatio adhuc negatiua à gloria ineficacem eius intentionem excludens eorum etiam quibus de sufficienti medio prouisum est; salua fide admitti nequit. ibid.
Reprobatio tam positiua quam negatiua à gratia etiam sufficiente Deo est possibilis. ibid.
Ac de facto respectu plurium ipsi adest. ibid. q. 2. prol.
Infantium plurium cum originali decedentium reprobatio à remedio sufficienti, etiam remoto medio, & remedio datur. ibid. certam. 1. numer. 5.
Vbi & diutini & obstinati peccatoris ab auxilio sufficienti proximo datur in pœnam ad tempus reprobatio. ibid. cert. 2. n. 2.
Non reprobatur aliquis adultus ab auxilio sufficienti remoto ad fidem & salutem. ibid. n. 3. ac deinceps.
Secus à proximo ad pœnitentiam & salutem. ibid.
Nemo autem fidelis rationis sanæ ab eo reprobatur, nisi statim post peccatum corripiatur ibid. n. 2.
Peccatores pauci diutini & obstinati in pœnam. ab auxiliis sufficientibus per notabile etiam vitæ tempus reprobantur. ib. certam 3. n. 5.
Reprobationem prædestinationi oppositam scientia simplicis intelligentiæ reprobi præcedit non constituit; vti & scientia visionis reprobi eiusdem. ib. q. 3. cert. 1. n. 2. & 3.
Scientia visionis gratiæ à qua quis reprobatur reprobationem ne præcedit quidem vti nec scientiæ media reprobationem à gratia sufficiente cui præcedit simplex intelligentia non tamen vt constitutiuum illius. ibid. n. 5.
Sola negatio voluntatis dandi auxilium efficax, finale reprobationem prædestinationi oppositam ex parte voluntatis diuinæ formaliter constituit. cert. 3. n. 5.
Secus voluntas positiua illud denegandi, quæ potest in Deo præcedere. ibid. n. 6.
Ex parte scientiæ mediæ solum cum efficaciæ denegati auxilij, tum inefficaciæ concessi reprobationem formaliter constituit. ibid. cert. 4. n. 3.
Idque absque vlla Dei indecentia.
Exclusio reprobi à regno siue positiua, siue negatiua efficax demerita absoluta & finalem iniustitiam antecedens in Deo non fuit. ibid. q. 4. cert. 3. & 4.
Exclusionis eiusmodi efficax in pœnam dementis reprobi anterior Deo repugnat. ibid. quæst. 5 tota.
Nec causa reprobationis à gratia efficaci esse Deo potuit. ibid.
Exclusio reprobi à regno in pœnam de meritis anterior adhuc inefficax Deo non adfuit. ibid. q. 6. cert. 1. n. 2.
Nec potuit adesse. ibid. n. 6.
Finis reprobandi aliquos à gratia efficaci Deo honestissimus aperitur. ibidem certam. 2. numer. 4.
Reprobatio à gratia efficaci ex parte tam obiecti quam subiecti adæquate & inadæquate accipi potest ibid. q. 7. cert. 1. n. 1.
Reprobationis comparatiuæ adæquatè sumptæ reprobi prædestinato ex parte subiecti reprobi causa materialis nedum meritiua nulla datur. ibid. n. 3. ac deinceps.
Oppositum pelagianus error fuit. ibidem certam. 3.
Inadæquate vero sumptæ reprobationis reprobi præ prædestinato causam ex parte reprobi dari semipelagianus error fuit ibid. n. 2.
Cui incautè se scholastici nescientis nolentes aliquot accedunt. ibid. n. 4.
Reprobationis reproborum hominum omnium ex parte Adæ data est. ibid. cert. 5. n. 2.
Eius consummandæ causa ex parte reprobi datur. ibid. n. 3.
Nullius autem (exceptis progenitis ex Adamo anterius decreto incarnationis) ex parte ipsorum reprobationis suæ adæquate vt initium continet causa datur. ibid. n. 4.
Reprobationis dæmonum paucis exceptis nulla ex

parte ipsorum causa. ibid. n. 6.
Reproborum & prædestinatorum certus Deo fixusque est vt ab vno ad alium transire nemo possit ibid. q. 3. cert. 1. n. 1.
Reunio animæ ad corpus & resurrectio ex verè physico & morali animæ est; nobis ex morali solum ex nullo vero reunio & resurrectio in æternum esset. contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 1. n. 6.

S

Scientia Scientiæ modicæ ex qua auxilium efficax confertur & consensus conditionati ab absoluto mutua dependentia, & causalitas explicata. contr. 6. d. 2. q. 2. cert. 5. n. 9.
Scientia de obiecto disiunctim Deo digna & necessaria. contr. 4. d. 6. q. 3. cert. 1. n. 2.
Secreta cordis rationalis actus etiam intellectus aliquot: nec solum voluntatis continent. contr. 3. d. 4. q. 4. cert. 1. n. 2.
Nulli præter Deum independenter à voluntate ea habentis cognoscibilia sunt iure communi, & priuato. ibid. n. 3.
Gratia Semipelagiani communiter & æqualem gratiam auxiliantem cunctis à Deo offerri, quæ solum ex inæquali eorum naturali conatu inæqualiter participaretur aiebant; sicque in abiuratum à se pelagianismum recidebant. contr. 7. d. 2. q. 3.
Gratia cert. 3. n. 1.
Semipelagiani erroris author. contr. 7. d. ... q. 2. cert. 2. n. 2.
A quo deinceps purgatur Cassianus, alij etiam Patres ab eo errore cuindicati. toto cert. 3.
Eius sequaces ad purum, & cui incautè sapientes Theologi in eum lapsi. ibid. cert. 4. n. 1.
Ad 5. textus Tridentini, qui hos decepit subtilis
Animæ & germana interpretatio. ibid. n. 9.
Species impressæ natura sua non pereunt, sed vel agentis; vel organicæ dispositionis, vel capacitatis subiecti defectu. contr. 8. d. 2. q. 3. cert. 8. n. 1.
Metaphysic. Specifica naturæ diuersitas ex maiori eius promptitudine ad eundem speciè actum vel absolute, vel intensius producendum satis cuincitur. contr. 8. d. 2. q. 5. cert. 4. n. 5.
Et quandoque etiam generica. ibid.
Spes Spei actus obiecti arduitatem essentialiter concernit. contr. 4. d. 4. q. 2. cert. 3. n. 4.
Physic. Subiectum plurium formarum sibi non aduersantium capax æque simul ac successiue eas potest recipere. contr. 8. d. 4. q. 5. certam. 5. numer. 1.
Subiectum adæquatum purè mentalis locutionis est loquens excitationis & auditionis audiens. ibid. cert. 4. n. 4.
Superbos necdum aliorum comtemptores deprehensos quare naturaliter stomacemur. contr. 8. d. 4. q. 6. cert. 6. n. 3.
Supernaturalitas rei adhuc quo ad modum è finis etiam à Deo intenti supernaturalitate nequit prouenire. contr. 7. d. 4. q. 1. cert. 1.
Suppositionis confusè à determinata distinctio vtriusque assensus, descensus, & ab vna ad alteram bonæ malæque consequentiæ. contr. 7. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 2.
Similiter de suppositione distributiua sub signo omnis. ibid. n. 3.
Substantia intellectiua non volitiua repugnat, & à Deo rationem summi boni creaturæ rationalis excluderet. contr. 4. d. 1. q. 2. certam. 3. numer. 2.
Ac se ipsa perfectior foret ac imperfectior, ac Deo iniuria. ibid. n. 7.
Substantiæ partes à quantitate non recipit. contr. 8. d. 2. q. 2. cert. 2. n. 6.
Sonus non natura sed defectu agentis perit. ibid. q. 3. cert. 6. n. 1.

T

THeologici actus à non supernaturali Theologico distinctionis ratio insinuatur. contr. 4. d. *Animæ*
5. q. 2. cert. 2. n. 6.
Temperantiæ propriæ virtus Deo repugnat. contr. 3. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 1.
Timor in Deum non cadit. contr. 4. d. 5. q. 3. cert. 1. n. 1.
Tristitia de malis etiam culpæ adhuc ex nostri complacentia Deo repugnat. ibid.

V

VEritatis terminus cognosci non debet vt ipsa cognoscatur. contr. 3. d. 1. q. 1. cert. 2. num. 2.
Virtutes Theologales in Deo non sunt. ibid. q. 1. prol.
Sunt tamen in eo morales virtutes nostra solum ratione defensabiles. ibid. cert. 2. n. 1.
Earum propriè habitus Deo non adsunt. ibid. q. 2. certam. 1. n. 1.
Virtus temperantiæ, nec propriè nec metaphoricè Deo adest. ibid. q. 2. cert. 1. n. 2.
Adest vero liberalitatis propriq virtus, quæ prius in eo munificentia seu magnificentia. ibid. cert. 2. n. 6.
Complacentia in persona donatarij. ibidem numer. 3.
Item benignitas & beneficientia ab eius misericordia inseparabiles. n. 6.
Veritatis in dicendo seu veracitatis & fidelitatis in promissis. ibid. n. 8.
Propria gratitudo Deo repugnat. ibid. certam. 3. num. 2.
Aliquo tamen sensu Theologicè admittetur. ibid. n. 3.
Nulla virtus respectum inferioris ad superiorem dicens Deo adesse potest vnde nec obedientia nec obseruantia, nec religio nec iuramentum proprie dictum. ib. cert. 4. toto.
Virtus iustitiæ largè dicta negari Deo nequit. ibid. d. 2. q. 1. cert. 1.
Nec proprie legalem non habet, & si pars vniuersi esse admittatur Deus ibid. n. 5.
Virtus iustitiæ strictè iustum cuique reddi essentia *Iustitia & ius*
sua. ibid. cert. 2. n. 1.
Iuri vero stricto vnius alterius debitum strictum essentialiter respondet. ibid. n. 2.
Ius autem ad eius vsum non obligat habentem vniuersim. ibid.
Commutatiua æqualitatem dati & accepti essentialiter importat. ibid. n. 3.
Ratio vero dati & accepti abdicationem Dominij rei à dante, & eius translationem in accipientem essentialiter requirit. ibid.
Distributiua æqualitatem meritis cum merito per se loquendo essentia recipit sua. ibid. numer. 4.
Personæ dignitas ad præmij qualitatem non ad quantitatem à distributiua attenditur, & si quandoque qualitas ad quantitatem & contra trahatur & trahi debeat, vt quam maxime possit, distributiua seruetur. ibid.
Vindicatiua essentia sua specialis respicit æqualitatem pœnæ infligendo cum delicto. ibid. numer. 5.
Eius execrandæ potestas iudici creato à republica proximè vel remotè fit, qui nequit absque culpa in illam & quandoque in priuatas personas illam pro arbitrio remittere; secus Deus qui id honestissime potest. ibid.
De vindicta pro animi cruciatu, & offensione agere nec per se nec per creatum iudicem nemini licet, sed solum apud Deum. ibid.
Virtus iustitiæ commutatiuæ cuius creaturas Deo non adest

& Verborum.

adest, nec potest multo ex capite ibid. q.2. cert.1. n.4.ac deinceps tota q.

Virtus iustitiæ distributiuæ tota proprietate Deo non est ibid.q.3.cert.2.n.1.

Etsi in præmij retributione tum commutatiuam tum distributiuam ex parte Deus exerceat ibid. n.6.

Virtus iustitiæ vindicatiuæ Deo adesse nostra solum ratione speciali defendi potest, ibid. q.4. cert.2. n.6.

Estque iustitiæ proprie membrum à commutatiua, & distributiua diuersum, ibid. cert. 3. n.2.

Virtutum actus motiuo etiam occasionali variato variantur. contr.7.d.4.q.4.cert.1.n.3.

Voluntas Dei nec pro potentia, nec pro actu essentiam Dei metaphysicam intrat contr.4.prol.

Sumpta pro actu ex fide adest Deo pro potentia fidei proxima,ibid.d.1.q.1.n.2.

Eius cognitio nemini congenita, & demonstrata, ibid.cert.2.

Et legitime à S.Thoma ex intellectiuo, ibid. q. 2. tota.

Voluntas Dei principium physicum reale formaliter vel virtualiter vel ex natura rei sui actus non est; illove natura prius ibidem q.3.cert.1.n.3.

Sed solum reale intentionale eóque ordine prius, ibid.n.4.

Voluntati Dei ad suos actus ne metaphysice diuersus habitus adest ibid.n.6.

Voluntatis & omnipotentiæ Dei quam intellectus sphæra obiectiua curtior, ibid. d.2. q.2. cert.1. n.6.

Est tamen æqua omnipotentiæ & voluntati, ibid.

Est tamen tribus hisce proportionaliter sphæra obiectiua æqualis,ibid.

Volitionis quam scientiæ Dei sphæra obiectiua angustior ibid.n.6.

Quoad intrinsecum vero sumptæ spæra obiectiua etiam quoad extrinseca maior quam omnipotentiæ & operationis,ibid.n 9.

Volitio Dei ad existentia omnia, ac plura non existentia extenditur,ibid.n.10.

Ad possibilia pro eo statu; secus siue necessario siue libere ibid.cert.3.n.1.& n.3.

Volitionis diuinæ libertas naturali rationis lumine nata,d.3.q.1.cert.2.n.2.

Virtute & expresse in scriptura contenta, ibidem n.3.

In Patribus cert.3.

Demonstrata, cert.4.

Imperio intellectuali Dominicanorum destruitur, ibid.cert.5.n.3.

Inane illud est, & implicatorium, ibidem n.5.

Volitionis diuinæ libertas in volendo & in operando ad extra omnem absolutam necessitatem excludens ab omnibus admissa & admittenda ibid. num.4.

Re vtique, & nomine ex fide ibidem cert,6. n.1.

Ex impotentia peccandi ne in creaturis per Patres absolute libertas periret, ibidem numero 5.

In Deo vero maior quasi intensiue & quantitate virtutis libertate creata inde euadit libertas ibid. q.2.cert.1.n.1.

Et circa actus virtutum moralium extensiue etiam maior,ibid.cert.2.n.1.

Libertas immediata contrarietatis,ac subinde mediata contradictionis negari Dei voluntati nequit ibid.q.4. prol.

Sed & immediata contradictionis ei adest ibidem cert.2.ac deinceps.

Volitionis liberæ Dei æternitas & semel habitæ in æternum indefectibilitas, & irretractabilitas ibid. q.5.cert.1.ac deinceps.

Volitionis diuinæ libertatem per Deo extrinseca constituentes eorumque modi omnes relati, ibid. q.6.cert.1.& 2.

Confutati ibidem certamine 3. vsque ad 7. inclusiue.

Constituentes eam adæquate per Deo prorsus intrinseca, eorumque modi hactenus excogitati confutantur,ibid.cert.8.& 9.

Ea vero per Deo prorsus intrinseca constitutio vera est, & ex nostris principiis solide & singulariter propugnatur,ibid.cert.10.

Liberæ Dei volitionis voluntas indifferens nusquam amor necessarius principium est,ibid.

Volitionis diuinæ diuisiones insigni, & beneplaciti efficacem absolute, & secundum quid, variéque ea membra ab antiquis nominata solida, & ad eorum mentem explicatio,ibid.d.4.q.3. prol.

Erga effectus omnino naturales efficax absolute Dei voluntas datur, non secundum quid, ibid. cert.1.n.1.

Ad actus nostros liberos necessaria non est, vbi de supererogatoria, & de efficaci secundum quid, seu conditionata de iisdem, ibidem n.3.

Voluntas seria, & quatenus ex parte Dei est de nostris actibus secundum quid solum efficax, & conditionata est, & mediorum ad eos obtinendos actiua,ibid.n.5.

Voluntas Dei de recta nostra vita & æterna salute beneplaciti nec solum signi & mediorum est,ibid. num.7.

Ex Patribus, Theologis, & ratione ibid. cert.2. & cert.seqq.

Non stat in ea voluntate prædestinatio contr.7. d.1.q.vnica cert.2.n.4.

Voluntas æternæ perditionis & cruciatus creaturæ rationalis de meritis eius, & consummationi status viæ in Deo non est, ibidem d.5. q. cert.1.n.1.

Potest tamen esse dum punitiua non sit, ibidem n.3.

Voluntas creata intentionaliter solum physicè mobilis ab alio est contra. 8 3. quæst.4. certamine 2. num.....

FINIS.

ORTEGA
In 1. part
D VIa.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ORTEGA
In 1. part
D VIa.
17

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ORTEGA
In 1. part
D VIa.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN